



John Carter Brown.



John Carter Brown.

Gonzaga
De origine
Religionis
Franciscanae

Romae
1587



DE ORIGINE

Seraphicæ Religionis Frãciſcanæ
eiusq; progreſſibus, de Regularis
Obſeruãciæ inſtitutione, forma ad
miniſtrationis ac legibus, admirabiliq;
eius propagatione.

F. FRANCISCI GONZAGÆ
eiusdem Religionis Miniſtri Gñalis.

AD

S. D. N. SIXTVM V.

opus in quatuor partes diuiſum.
Earum quid unaquæque
contineat,
ſequens pagina indicabit.

Romæ.
Cũlicẽtia Superiorũ
1587

ELENCHVS EORVM,
quæ in hoc opere continentur.

IN prima huius operis parte agitur de initijs ac progreſsibus Ordinis, quoties, & quo tempore nouis legibus ſit aſtrictus, atque ad veteris diſciplinæ ſeueritatem reuocatus cùm in virorum, tum etiam in mulierum monaſterijs.

Quàm hæc Religio ſit honeſtata in cælis copia, præſtantiaq́; martyrum, confeſſorum, virginum: & in terris numero, ornamentisq́; Pontificum, Cardinalium, Patriarcharum, Epiſcoporum atq; Doctorum.

Vnde originem duxerit Obſeruantia, ex qua nominamur, & de eius propagatione.

Monaſteria Obſeruantium duobus modis gubernari, alia proximè ſubiecta eſſe Miniſtro generali, alia Miniſtris prouincialibus.

Quot ſint monaſteria, quàm antiqua, quibus ornata priuilegijs, quæ proximè ſubſunt Miniſtro generali.

In ſecunda de numero, fundatione, rebus inſignibus monaſteriorum Ciſmontanorum, quæ proximè ſubſunt Miniſtris prouincialibus.

In tertia tractantur eadem de Vltramontanis.

In Quarta de Tranſmarinis, in quibus comprehenduntur monaſteria Indiæ Orientalis, Indiæ Occidentalis, nouæ Hiſpaniæ, & Regni Perurani.

SANCTISSIMO
AC BEATISSIMO PATRI, ET D. N. SIXTO V. PONT. MAX.

FRATER FRANCISCVS GONZAGA
ORDINIS MINORVM MINISTER GENERALIS, ET HVMILLIMVS SERVVS S.

OPVS de origine, propagatione, legibus Religionis Franciſcanæ primùm vniuersè, deinde illius ſpeciatim, quæ ex Obſeruantia nomen accepit, non ſine multis laboribus, ac vigilijs à me per hos Miniſteriatus mei annos confectum ad S.T. Sixte V. deſero, ſectator ego Chriſti ſub præcipuo eius ſeruo S. Franciſco, illius inſtitutis ac legibus in parte Obſeruantium ab adoleſcentia mea innutritus, eiusq; octo ab hinc annos Miniſter, ad S.T. quæ à primis ætatis ſuæ temporibus eidem ſacroſanctæ militiæ ſe adſcripſit, & veræ pietatis ſtudio ardens ſanctiſsimæ illius diſciplinæ rationes à ſe ipſa ſeueriſsimè exegit, vtq; à cæteris obſeruarentur, enixè operam dedit, atq; in Religione per omnes honorũ gradus ad ſummum euecta, deinde in Epiſcoporum, paulò poſt in Cardinalium ordinem allecta, poſtremò Chriſti Vicarius, ſacroſanctæq; eius Ecclesiæ Præſes, exemplo, legibus, pœnis, præmijs non modò Romam, cæteroqui ſolitam ſæpe efferueſcere, atq; exundare, ſed totum prope orbem in officio continet. Neque verò in mentem mihi venit ſubuereri, vt tibi gratum futurum ſit. Quantum enim de illo detrahitur, quòd meum eſt, ideſt ab homine in agendo, nimio plus, quàm vellem, in ſcribendo autem parum exercitato proficiſcitur; tantum illi gratiæ apud

cęteros etiam (ſpero) homines, certè quidem apud S. T. id conciliabit, quòd ad ſancti Franciſci, cuius tibi amor hæret in viſceribus, honorem, & gloriam, ad Franciſcanæ ſocietatis vtilitatem, ad honeſtam etiam piorum quorumlibet hominum oblectationem ſpectat. Hac ego ſpe fretus, & librum, & me ipſum ad ſacroſanctos pedes tuos abiectus in manum iſtam benignitate, & fide præſtantem trado, ac S. T. potius pro mei muneris officio, quàm quòd id neceſſarium ſit, Religionem Franciſcanam, quæ ad Antipodas vſq; progreſſa Chriſto Domino noſtro, vt eius Vicarijs perpetuò deſeruit, etiam atque etiam commendo: vt clariſsimi iſtius ſolis tui, cuius ſalutari lumine vniuerſa Eccleſia illuſtratur & floret, ipſa quoque munificis radijs alatur, & creſcat. Deus Opt. Max. S. T. diu nobis incolumem præſtet.

PROOEMIVM.

AGITVR octauus annus, cùm Pariſijs in Comitijs generalibus ad generale Religionis meæ Miniſterium vocatus, continuò longè grauius eſſe hoc onus, quàm vires meæ ferendo eſſent, & ſenſi, & dolui. Sed quando ita Deo meo placuerat, à quo nephas eſt facti ſui rationem repoſcere,pro ſumma illius benignitate valde confidi fore, vt idem, qui onus nec opinanti impoſuerat, auxilio gratiæ ſuæ, intercedentibus præſertim ſancti patris noſtri Franciſci precibus alleuaret. Quare, vt quod poteram, præſtarem, quò minus ingenio, ac rerum vſu valebam, eò maiorem mihi diligentiam adhibendam intelligens, multos ex natu maioribus, ac prudentia præſtantibus Religionis noſtræ patribus ſum percontatus, num quis apud nos commentarius aſſeruaretur, in quo Prouinciarum, & monaſteriorum numerus, conditio, priuilegia, res inſignes, forma adminiſtrationis deſcripta eſſent. Illi verò ingenuè faſſi ſunt, ne cogitatum quidem eſſe vnquam huiuſmodi quicquam: attamen intelligere ſe, rem longè vtiliſſimam fore & ijs, qui præeſſent, & ijs, qui ſubeſſent: illis vt campos ſibi colendos tam vaſtos, ac diſſitos in vno libro, quaſi in tabula, vnico obtutu inſpicientes, quò potiſſimùm maior curarum ac laborum ſuorum pars deriuanda eſſet, cognoſcerent: his verò, vt in ea ſe Religione eſſe lætarentur, quam Deus præclara illa Abrahæ benedictione ſit proſequutus, ſemen eius multiplicans, vt aſtra cæli, multiſq; alijs præſtantiſſimis muneribus honeſtarit. Quamobrem magnopere me hortabantur, vt quod ſuperiorum annorum Miniſtri pro quadam ſimplicitate omiſerant, id ego à meis ſucceſſoribus deſiderari non paterer. Mouit me optimorum patrum authoritas. Itaque non minimam hanc muneris mei partem putans, ſedulò ac diligenter in ea re, per hos octo annos verſatus, accuratiſq; precibus Deo, & patri meo ſancto Franciſco, ad quorum gloriam, & Franciſcanæ Religionis matris meæ vtilitatem tantummodò ſpectabam, labores meos commendans, non longè mihi videor ab eo, quod mihi propoſueram, aberraſſe. Longum & putidum eſſet, quot mihi difficultates, atque impedimenta ſeſe obtulerint, quantiſq; laboribus hoc mihi opus conſtet, commemorare. Quorum à fratribus meis, quibus hæc ſcripſi, ſi quando ex ijs non nihil ſe iuuari ſentient, hanc vnam mercedem poſtulo ipſis etiam vtilem futuram, vt pro mea, & viuentis, & viam vniuerſæ carnis ingreſſi ſalute preces ad Deum fundant. Laicis hominibus aſpera hæc, ſat ſcio, videbuntur. Nam orationis ſuauitates adhibere, nec ſi maximè voluiſſem, poteram, nec ſi poſſem, fortaſſe voluiſſem. Si qui tamen erunt qui legenda putent, inuenient interdum fortaſſe aliquid, quod ſe didiciſſe non pœniteat, & nonnulli gaudebunt ex ijs ſe maioribus ortos, quorum pietas in fundandis, & dotandis monaſterijs enituerit. Deus & mihi, & tibi amice lector benedicat, & illuminet vultum ſuum ſuper nos.


S.FRANCISCVS.
Deus meus et omnia,

PRIMA PARS PROGRESSVS,

ATQVE RERVM NOTABILIVM Religionis Franciſcanæ iuxta eius œconomiam.

Beatiſsimi Patris Franciſci ſæcularis conuerſatio, origo, atque conuerſio.

DVXIT beatiſſimus pater, pauperumque Patriarcha Franciſcus originem ex Vmbrica ciuitate Aſſiſio, quæ in Spoletana valle exurgens ad octauum tantum lapidem à Peruſio, ob Academiam ibi erectam, vrbe percelebri diſtat: effectusque adoleſcens ſub patre mercatore mercimonio, vſque ad vigeſimum ſecundum ſuæ ætatis annum, vacauit. A quo tempore graui morbo correptus mercibus vale dixit, vitamque in melius mutare ſtuduit. Itaque ex eo conualeſcens, ac vires pro modulo reſumens, fallacibus diuitijs, natiuoque ſolo ſpretis, atque paternis laribus longè poſt ſe relictis, Romam ſe contulit, vbi vili contectus amictu, inter mendicos & ipſe voluntarius pauper conuerſari cœpit: vt vel ſic & carnem edomare, & mundum calcare poſſet. Cùmque Aſſiſium reuerſus ad quandam Crucifixi imaginem feruentius ſemel oraret, ab eaque, vt labentem eius domum, omnimodamque minitantem ruinam repararet, præmonitus eſſet, quicquid pecuniarum ad manus habere potuit pro eius refectione (id ſibi de materiali, atque lateritio ædificio dictum putans) liberaliſſimè contulit. Certior tamen de huiuſmodi diuini oraculi intelligentia, cui de ſpirituali potius ædificio cura eſt, diuinitus effectus, iuſſis pro modulo ſatisfacere curauit. Quam obrem aſperrimo cilicio, ſtrictiſſimoque ſacco contectus, liberioris vitæ reformationem, atque pœnitentiam omnibus prædicare ſatagebat.

Primi Franciſcanorum Ordinum inſtitutio.

CVNCTIS tanti viri conuerſionẽ, viuendique modum ſummè admirantibus, pij aliquot viri, quibus ſana mens fuit, anno à Virgineo partu 1209. Pontificatus verò Innocentij III. ſummi Pontif. 10. ſibi adhærere cœperunt; quorum auſpicijs ſeraphicus Minorum Ordo initium ſumpſit. Cui poſtquam beatus ipſe pater, ex ſpiritus ſancti dictamine, Regulam, quam ſequeretur, præſcripſiſſet: eam præfato ſummo Pontifici Innocentio III. approbandam, cofirmandamque propoſuit. Qui pro ſua in Chriſti ſeruum beneuolentia, animique propenſione pijs eius votis, ac ſanctiſſimæ petitioni, anno ſui Pontificatus xiij. viuæ vocis oraculo, annuendum cenſuit. Sub ſummo maximi huius Pontificis ſacerdotio, quod ab anno Domini 1198. exordiũ ſumpſit, ac per octodecim continuos annos, ſeptem menſes, ſexdecim dies perſeuerauit, plures ſacri Ordines, præcipuè verò patrũ Dominicanorum ſub ſanctiſſimo Patriarcha Dominico, ac Franciſcanorum ſub ſeraphico patre Franciſco feliciſſimè prodiêre. Cùmque nouæ indies exorirentur difficultates Honorius III. ſummus itidem Pontifex, qui anno Domini 1216. præfato Innocentio in Pontificatu ſucceſſit, in eoque annos 10. menſes 7. dies 13. vixit, Franciſcanam huiuſmodi Regulam edita bulla anno ſui Pontif. viij. ac menſis Decemb. 3. Kal. confirmauit, atque pullulantem Ordinem fratrum Mendicantium catalogo aſcripſit.


S.CLARA.
Heu quam ſordet terra:
cum creatorem aſpicio.

Secundi Ordinis, Clariſſarum videlicet initium.

INSTITVIT præterea ſeraphicus pater Franciſcus Clariſſarum ſororum Ordinem à beata Clara Aſſiſinate, quæ eius Primipila fuit, ſic dictum, anno à fœliciſſimo virgineo partu 1212. quando videlicet beatam ipſam Claram, coram altari glorioſiſſimæ virginis Mariæ de Angelis prope Aſſiſium, ipſo Palmarum die habitu Religionis induit. Cui & Regulam, quam primam vocant, Franciſcanæ ferè conſimilem, ex generalium Capitulorum decreto compoſitam, atque poſtmodum à Gregorio IX. Pont. Max. viuæ vocis oraculo confirmatam, præfixit. Hanc tamen ſummus Pontifex Innocentius IIII. præfati Gregorij IX. ſucceſſor, cùm ex ea nihil proprij, nihilque immobilis, aut annui redditus monialibus habere liceret, ad quarundam earum inſtantiam, anno Domini 1245. moderatus eſt. Sed beata Clara, alijſque, quibus paupertas, atque omnium reddituum alienatio in votis erat, ſupplicantibus, Generali totius Franciſcani Ordinis Miniſtro, atque eiuſdem illuſtriſſimo Protectori, vt primam Regulam à beatiſſimo patre Franciſco editam, atque à ſummo Pontifice Gregorio IX. confirmatam, quam & viuæ quoque vocis oraculo corroborauit, à ſanctimonialibus, omni poſtpoſita appellatione obſeruandam curarent, edita bulla præcepit. Creſcente tamen ſororum numero, atque priſtino earum feruore tepeſcente, ipſiſque maximè inſtantibus, ſummus Pontifex Vrbanus IIII. ſecundam Regulam edidit, ſecumque diſpenſauit, vt & annuos redditus, atque immobilia bona poſſidere poſſent. Hincque huiuſcemodi ſorores Vrbaniſtæ, ſiue de ſecunda beatæ virginis Claræ Regula dictæ veniunt. Ne verò huiuſmodi prima Regula à beatiſſimo patre Franciſco ſanctiſſimè inſtituta, atque à beata Clara acerrimè propugnata penitus aboleretur, Deus Opt. Max. anno ſalutis noſtræ 1406. ſororē quandam Coletam natione Burgundam, profeſſioneque Tertiariam, ſiue de Tertio beati patris Franciſci Ordine, atque omni virtute & ſanctitate inſignem excitare dignatus eſt: quæ in manibus Benedicti XIII. præfatam beatæ Claræ Regulam Niciæ profeſſa, plura Clariſſarum ſororum monaſteria, tum in Belgica, tum quoque in Celtica atque Narbonenſi Gallia, necnon & in ſuperiori Germania, non abſque maximis laboribus, difficultatibusque ex eius auctoritate reformaret, atque profligata ab eis quacunque rerum proprietate, priſtino nitori & paupertati, iuxta ſanctorum Franciſci & Claræ mentem, reſtitueret. Quorum plurima adhuc ijſdem in partibus, ſub præſtitutis ab ea legibus, ſanctiſſimè perſeuerant, nihilque immobilitatis, aut redditus admittunt, ſed ex ſola emendicatione, atque liberali piorum elargitione victitant. Nec deſunt in Hiſpanijs aliquot ſororum Clariſſarum conuentus, paucis ab hinc annis erecti, qui horum veſtigia ſectentur. Quinimmò aliorum nouiter erigendorum maxima nobis ſpes affulget.

Tertij Ordinis Franciſcani exordium.

CVM autem, ad feruentiſſimam ſeraphici patris Franciſci prædicationem, plures tum homines, tum etiam mulieres matrimonialibus legibus aſtrictæ conuerterentur, cuperentque ſibi aliquam Regulam, certaſque leges dari, quibus vitam, iuxta Euangelicæ legis perfectionem, fœlicius inſtituere poſſent: adiecit beatus ipſe pater, vt & Tertium Ordinem, quem de pœnitentia dici, atque virginibus vxoratisq;, necnon & ſolutis communem eſſe voluit, anno Dominicæ incarnationis 1221. inſtitueret. Cuius & ſi certa Regula ab ipſo beato patre Franciſco tradita non inueniatur, certiſſimum tamen eſt aliquas ſibi leges, quibus eius alumni in vtriuſque hominis conuerſatione, corporali ſcilicet & ſpirituali, vti deberent, ab eodem fuiſſe præfixas: haſque à ſummo Pontifice Nicolao IIII. in vnum collectas, & moderatas, atque in Regulæ formam à præfatis Tertiarijs tum ſolutis, tum quoque vxoratis obſeruandæ redactas. Quem quidem Ordinem Honorius III. Pont. max. confirmauit, & Gregorius IX. Innocentius IIII. atque Nicolaus IIII. ſummi itidem Pontifices plurimis fauoribus, atque priuilegijs proſequuti ſunt. Cùm igitur ſacra hæc Tertiariorum Confraternitas indies magis, magiſque excreſceret, meliuſque audiret, illuſtriſſima ſimulatque pientiſſima Angelina à Termis,

Ciuitellæ apud Brutios Comitiſſa, coacta bona illuſtrium iuuencularum manu, Fulgineæ, quæ Vmbriæ Ciuitas eſt, & Conuentum ſub titulo ſanctæ Annæ ſibi conſtruxit, & illum cum ſocijs ingreſſa tribus monaſticis votis, caſtitatis ſcilicet, obedientiæ, atque paupertatis emiſſis, ibidem ad mortem vſque ſanctiſſimè perſeuerauit. Cuius exemplo quamplurimæ aliæ virgines permotæ, collatis in medium proprijs facultatibus, octo Monaſteria, in quibus ſub habitu, atque legibus Tertij Ordinis beatiſſimi patris Franciſci conuiuerent, in diuerſis Italiæ partibus poſt breuiſſimi temporis ſpacium ædificari curarunt: Et ab his ſacra Tertiariorum Religio initium ſumpſit. Quam & Martinus V. & Eugenius IIII. Pont. max. ſtatutis, atque apoſtolicis conceſſionibus honeſtarunt. Cùmque ad harum Sororum exemplum plurimi quoque viri & cœnobia erexiſſent, & ibidem ſub habitu, & norma præfati Tertij Ordinis, triplici monaſtico voto emiſſo, religiosè commorarentur, & iſti, atque illæ ſupra modum multiplicarentur, Leo X. Pont. max. huiuſmodi Tertium Ordinem confirmauit, ſibique propriam Regulam, ab ea quam Nicolaus Papa IIII. prius condiderat vtcunque diſſimilem, anno Dominicæ incarnationis 1521. die verò 20. menſis Ianuarij, ſed Pontificatus eius anno 8. præſcripſit.

Minoritici Ordinis declinatio, ac Cæſarenorum patrum initium.

VIX Seraphicus pater hæc pro ſua prudentia & zelo debitè, ſanctèque diſpoſuerat, cùm Frãciſcana Religio ab illa recta viuendi linea ab ipſo præfixa declinare cœperit. Sed inſigni tum beatiſſimi patris Franciſci, tum quoque beati patris Antonij de Padua, atque ſolerti opera effectum eſt, vt vnde deflexerit, eò fœlicius redierit. His tamen vita functis, ac ſuccreſcentibus legitimis quibuſdam cauſis noſter Ordo, ſub Innocẽtio IIII. Pont. max. circa annum à mundi redemptione 1244. ab Ordinis verò inſtitutione 35. & annuos redditus, & rerum immobilium dominium ac proprietatem (in communi tamen) primæua illa paupertate, quæ totius Minoritici ædificij firmiſſimum fundamentum, ac tutiſſima baſis eſt, vtcunque relegata ex pontificia diſpenſatione admiſit. Quamobrem aliquot patres præfatæ paupertatis zelotes, qui & ab eorum patre Cæſareo Cæſareni dicti ſunt, ſyluas, atque ſolitaria loca petentes, ibidem per ſexaginta & tres continuos annos, iuxta primæuam Franciſcani Ordinis inſtitutionem, perſeuerauerunt: Et ab his prima noſtri Ordinis reformatio ſumpſit exordium. Fauebat huiuſmodi patribus reuerendiſſimus pater frater Raymundus Gaufredi, qui, anno à ſalutifera mundi redemptione 1289. & à Franciſcano Ordine erecto 81. in Capitulo generali Reatino, ſub Nicolao IIII. Pont. max. eius Præſide, in xiij. Generalem totius Minoritici Inſtituti Miniſtrum electus fuit: eaque de cauſa eo totius Ordinis ſummo Moderatore illis benè fuit.

Patrum Clarenorum exordium, progreſſus, atq; diuiſio.

SVB hoc pientiſſimo patre aliquot fratres arctiorem vitam anhelantes à beato Petro Cœleſtino V. qui tunc totius Eccleſiæ militantis clauum tenebat, ſuæ Regulæ literaliter, & vti ſimpliciter ſonat, ſegregatim ab alijs, qui pontificijs priuilegijs gauderent, obſeruandæ facultatem obtinuêre. Horum Anteſignanus fuit doctiſſimus quidam pater, ac frater Angelus de Cingulo, quod Anconitanæ Marchiæ oppidum eſt; cuius in ſacris concionibus facundia, atque doctrina, nec non & linguæ Græcæ peritia illis temporibus mirabilis fuit. Nam & Ioannis Climachi pijſſimum opus, & Macharij dialogum, & libellum quendam diui Ioannis Chriſoſtomi polito, elegantiſſimoque ſtylo, ex Græco in Latinum tranſtulit & plurimos à vicijs ad virtutes conuerſos ſuis concionibus, atque adhortationibus Chriſto Seruatori peperit. Is ergo cùm ſuæ Regulæ, quam & fideliſſimè, acutiſſimeque expoſuit, zelantiſſimus eſſet, ſub Adulpho Germanorum Imperatore, circa annum Domini 1294. à præfato ſummo Pontifice Cœleſtino V. cui etiam familiariſſimus fuit, dipploma, quo ſibi vitam eremiticam, qua ex eiuſdem ſummi Pontificis auctoritate ſolus aliquandiu gauiſus fuerat, cùm ſibi adhærere volentibus ducere, fratres recipere, atque aliqua loca in ſolitudinibus erigere liceret, donec tandem negocijs pro

voto

voto ſuccedentibus, tranquilliori vita frui poſſet (tenebatur ſiquidem, rebus Religionis in melius compoſitis, ſe illi denuò coniungere) impetrauit, atque in Montem clarum, à quo tum ipſe, tum eius ſequaces Clareni ſunt appellati, pedem ibi cum ſuis fixurus primò conceſſit. Quibus denique omnibus pro voto, & facta ſibi facultate conſtitutis, atque plurimis religioſis hinc inde collectis, nec non & aliquibus Monaſterijs, ſiue potius Eremitorijs (licet enim in huiuſmodi ſeparatione fratres Minores, atque Franciſcani ſtatus reformatores haberi ſemper voluerint, in habitu tamen, qui eremiticus omnino erat, vnde & Eremitæ paſſim ab omnibus appellabantur, & in ædificiorum forma maximè à reliquis Minoribus differebant) deſertis in locis pauperrimè conſtructis, cumprimùm præfatus ſummus Pontifex Cœleſtinus V. Pontificatui renunciaſſet, ſibi ſuoque gregi ſummopere ob huiuſmodi ſeparationem timens, communique paci atque quieti conſulere cupiens, in Græcorum partes ſimul cum eo ſeceſſit. Cùmque à reuerendiſſimo patre fratre Ioanne de Muro, qui Ananię, anno à Dominica natiuitate 1296. pręfato reuerendiſſimo patri fratri Raymundo Gaufredi in Generalatus officio ſucceſſit, ſub omnimodę tranquillitatis pollicitatione, tum ipſe, tum quoque eius aſſeclę in Italiam reuocati fuerint, nunquam tamen ſe cæteris coniungere voluerunt, ſed ad tempora vſque Sixti IIII. Pont. max. nempè vſque ad annum Domini 1477. cœpto in viuendi modo, ſub Ordinariorum ferula perſeuerarunt. Quod ita eſſe ex eiuſdem Sixti IIII. apoſtolico breui, dato eodem anno 1477. Pontificatus verò ſui vj. ad inſtantem petitionem reuerendiſſimi patris fratris Franciſci Sanſonis totius tunc noſtri ordinis Generalis Miniſtri, quod in Eccleſia ſanctę Marię de Angelis prope Aſſiſium aſſeruatur, & ab huiuſmodi verbis exorditur: Eremitis ſancti Franciſci &c. manifeſtiſſimè conſtat. Cuius quidem apoſtolici breuis tenore pręfati fratres Clareni, quorum pater frater Angelus à Cingulo multis retroactis annis antea in quodam Neapolitani regni monaſterio ſarcina carnis ſolutus migrauerat ad Dominum, Franciſcano Ordini coniuncti ſunt. Ea tamen lege, vt Miniſtro tantùm Generali ſub proprio pręlato, qui Generalis Miniſtri Vicarius diceretur, non autem Prouincialibus Miniſtris parere tenerentur. Permanſit nihilominus in propoſito, ſub pręfatorum videlicet Ordinariorum cura, bona eorum pars: quę tamen temporis ſucceſſu abſumpta eſt. Antequam huiuſmodi tranſitus contingeret, pręfati Clareni & nomine & habitu ab inuicem, atque ab alijs, tum Conuentualibus, tum quoque Obſeruantibus Franciſcanis diſtinguebantur. Ab inuicem quidem; quia qui Epiſcoporum dictis audiebant breui habitu, ſimplicique capucio, ante & retro ad cordam vſque piramidali forma pendente, cui à tergo pannea lingua hęrebat, vtebantur, & Aclareni, ſiue Clarenuli appellitabantur. Alij verò qui Generali Miniſtro obediebant conſimili habitu, dempta penſili illa lingua, omnino amiciebantur, fratreſque Clareni dicti ſunt. Sed ab Obſeruantibus, cæteriſque Conuentualibus Franciſcanis, quibus longior, latior, atque honeſtior habitus, duplexque capucium eſt, in omnibus ferè diſcriminabantur. Ab his igitur Clarenis ſecunda, vel potius prima Franciſcani Ordinis reformatio, poſt eius inſtitutionem, exordium ſumpſit. Nam Cæſareni, de quibus ſuperius, extincto eorum capite, venerabili ſcilicet patre fratre Cæſareo Spirenſi, derelictos à ſe Conuentus repetere compulſi ſunt. Et ſi qui fuerint alij, qui, in perfectionem vitam inhiantes, omnem rerum proprietatem à ſe eliminatam exoptarint, ne tamen rerum nouatores haberentur, ſuis ſe pellibus continentes, meliori quo poterant modo, non abſque maximo animi dolore cæteris conuiuebant. Vnus tamen fuit venerabilis pater, ac ſanctæ paupertatis egregius zelator frater Ioannes de Vallibus ſacerdos, qui iſta omnia floccifaciens, poſt multas ſuperatas difficultates, ſua conſtanti perſeuerantia à Miniſtro Generali locum Piſtię, ſiue Bruliani in florido colle obtinuit, in quo cum fratre Gentili à Spoleto Prouinciæ ſancti Franciſci alumno, ac profeſſione laico, qui & frater Paulutius de Fulgineo vocatus fuit, alijſque paucis eiuſdem ingenij ſe ſequentibus, ſub Generalis, atque Prouincialis Miniſtrorum cura, & obedientia ſanctiſſimè iuxta Regulæ exigentiam atque genuinum ſenſum, quo ad vixit, perſeuerauit. Quo denique vita, non abſque ſanctitatis opinione, functo, Prouincialis ſancti Franciſci Miniſter aliquam in Ordine ſciſſuram, atque diuiſionem pertimeſcens, eos ab inuicem ſeparauit, ac per diuerſa Prouinciæ ſancti Franciſci loca diſtribuit.

Obſeruantiæ regularis exordium apud Italos.

CVM præfatus frater Gentilis à Spoleto, defuncti fratris Iohannis de Vallibus ſtrenuus imitator, cœptum viuendi modum ſibi proſequendum ſtatuiſſet, tam diu ſibi laborandum cenſuit, quouſque ſe, ac ſuos ſequaces ablato loco reſtitueret. Nec eum ſua ſpes, aut cura fefellerunt: Nam quorundam nobilium fauore vſus, à ſummo Pontifice Clemente VI. præfatum Bruliani locum, atque alia tria, Carceris videlicet, Eremitæ, atque Montis Lucij ſupra Spoletum in præfata ſancti Franciſci Prouincia impetrauit. Inſuper &, vt in eorum ſingulis duodecim fratres, vel ex conuentibus aduentantes, vel ex ſecularibus Minoritico habitu induendos, conſtituere poſſet, ab eodem Pont. max. obtinuit. Cùmque & his cedere tum ipſe, tum quoque eius ſocij ex Pontificia auctoritate coacti fuiſſent: quidam frater Paulus de Trincis à Fulgineo laicus, illuſtriſſimi cuiuſdam domini Hugolini de Trincis, eius conſanguinei, ac oppidi Fulginei domini temporalis fauore vſus, eadem loca reuerendiſſimo patre fratre Thoma de Frigniano, ſiue Mutinenſe totius Ordinis noſtri Generali Miniſtro ſibi propitio, anno à Chriſto ſeruatore nato 1368. recuperauit: inſuper & obtinuit, quatenus ibidem cum quatuor, aut quinque ſocijs eiuſdem vitæ claris imitatoribus ſeparatim ab alijs patribus, victitare poſſet. Cui, cùm venerabiles patres frater Angelus à Monteleonis, ac frater Ioannes à Stronconio, ambo prædicatores, atque viri ſanctiſſimi ambo, adhæſiſſent, quamplurimi alij religioſi ex eorum optimo odore allecti ſibi adiuncti ſunt. Ita vt non poſt multum temporis, vndecim loca eidē fratri Paulo à ſanctiſſimo domino Gregorio Papa XI. Villæ nouæ apud Auinionem conceſſa, quæ olim à beatiſſimo patre Franciſco ædificata à patribus ob eorum aſperitatem derelicta fuerant, omnino repleuerint. Quibus omnibus, ſibiq́ue ſucceſſuris Gregorius XI. Pont. max. plenariam omnium exceſſuum indulgentiam, pro ſua in naſcentem familiam pietate, animiq́ue propenſione, edita etiam plumbea bulla, quæ habetur in conuentu ſancti Damiani prope Aſſiſium, impertitus eſt. Et hic primus ſpiritualis fauor, primaq́ue Pontificia gratia Obſeruantibus fratribus conceſſa extitit. Acceſſerunt quoque ijsdem fratribus ex apoſtolica auctoritate alia quædam ab his loca in Prouincia Romana: præſertim in Reatino territorio, atque in Prouincia Marchiæ. Succeſſit præterea præfato reuerendiſſimo patri fratri Thomæ de Frigniano in officio Generalatus reuerendiſſimus pater frater Leonardus de Giffono, anno Domini 1373. qui pullulantem huiuſmodi congregationem maximis fauoribus, maximaq́ue beneuolentia proſequutus eſt: prædictumq́ue fratrem Paulum de Trincis, editis patentibus literis, in ſuo viuendi modo confortauit, confirmauitq́ue, nec non & omnium Eremitoriorum Guardianum inſtituit. Cuius reuerendiſſimi patris pietatem imitantes reuerendiſſimi quoque patres frater Ludouicus Venetus xxv. frater Petrus de Caſſana xxvj. ac frater Martinus à ſancto Georgio Ripalenſis xxvij. Generales Miniſtri, præmemoratum fratrem Paulum, ſibiq́ue creditum gregem plurimis honoribus, ac beneficijs cumularunt. Quibus ſubſcribens reuerendiſſimus pater frater Henricus Aſtenſis xxviij. Generalis Miniſter, anno à Dominica natiuitate 1388. ab Ordine verò inſtituto 180. eundem fratrem Paulum de Trincis ſupra omnia fratrum reformatorū Prouinciarum, tum ſancti Franciſci, tum Romanæ, tum quoque Marchiæ loca, ſiue Eremitoria (ſic enim huiuſmodi domus appellabantur) ſuum inſtituit Commiſſarium; ac denique ſequenti biennio, anno videlicet 1390. plenariam eidem, ſuos quocunque vellet tranſmittendi fratres poteſtatem fecit. Qui, cùm eſſet ſenio iam confectus, atque omnino decrepitus, venerabilem patrem fratrem Ioannem à Stronconio, eximiæ ſanctitatis virum, in ſui coadiutorem aſſumpſit, ſuaſq́ue ſibi vices committens, omnium Eremitoriorum, ex Generalis Miniſtri auctoritate, viſitatorem conſtituit. Venerabilis autem pater Ioannes à Stronconio, aſcito ſibi in ſocium ſtrenuo ſuæ profeſſionis zelatore, patre videlicet Angelo à Monteleonis (cuius ſuperius mentio facta eſt) in Tuſciæ Prouinciam conceſſit, ibidemq́ue quatuor loca, nempè Feſularum, Columbarij, Cetonæ, atque ſancti Proceſſi ex credito ſibi munere recepit, fratribuſq́ue inſtruxit: ac tum demùm venerabilibus patribus, fratre nempè Paulo de Trincis Fulginei, ac fratre Angelo à

gelo à Monteleonis apud præfatum ſancti Proceſſi locum, vita, non abſq; maxima ſanctitatis opinione, atque miraculorum patratione, functis, ſupra omnia memorata loca, ſiue Eremitoria à reuerendiſſimo patre fratre Antonio à Pyreto xxix. Generali Miniſtro eius Commiſſarius inſtitutus eſt: illisque per aliquot annos, ſcilicet ad annum vſque à Chriſto ſeruatore in terris nato 1420. & ab Ordinis origine 212. ex eadem auctoritate vigilantiſſimè, ſanctiſſimequè præfuit.

De ſchiſmate, tum in Eccleſia catholica, tum quoque in noſtro Ordine oborto.

FVIT per id tempus non parum, idque multis annis, periculoſis fluctibus agitata, ob exortum ſchiſma, Apoſtoli Petri nauicula, contendentibus videlicet Vrbano VI. vero ſummo Pontifice, ac Romæ canonicè ad Pontificatum aſſumpto: Et Clemente vij. pſeudo-Papa, & Auinionis imprudenter electo, de eius clauo regendo. Quamobrem Hiſpani, Galli, atque Angli, demptis Luſitanis, iſti, tanquam legitimo Coryphęi Apoſtolorum ſucceſſori, parendum fore aſſeuerabant. Itali verò, ſuperioresque Germani neutiquam, ſed illi, Vrbano videlicet, obtemperandum mordicus contendebant. Quorum diuiſam factionem diuiſi quoque inter ſe fratres ſectantes(ſi diuo Antonino Archiepiſcopo Florentino aurem accommodare velimus) quotquot ex præmemoratis Germanis, atque Italis erant, electo ſibi proprio Generali Miniſtro, Vrbano adhæſerunt. Hiſpani verò, Galli, atque Angli, conſtituto ſibi quoque peculiari alio Generali Miniſtro, Clementis partes tenuêre. Donec tandem Oecumenico Concilio Conſtantiæ celebrato, atq; tribus Pontificibus iuri cedentibus, nempè Iohanne XXIII. Gregorio XII. & Benedicto XIII. Martinus V. in ſummum Pontificem canonicè electus, ac militanti Eccleſiæ vnitas reſtituta, nec non & reuerendiſſimus pater frater Antonius de Maſſa in totius Ordinis xxxj. Generalem Miniſtrum, exauthoratis alijs, canonicè, ac ritè creatus eſt. Succeſſit hic pater in officio Generalatus reuerendiſſimo patri fratri Angelo Saluetto Senenſi, cuius pronitas in Obſeruantes ſuæ Regulæ fratres, atque beneuolentia non obſcurè elucuit. Is enim venerabili patri fratri Ioanni à Stronconio ex hac vita migranti beatum patrem Bernardinum de Senis in Prouincijs ſancti Franciſci, & Tuſciæ ſuper Obſeruantes patres in officio Vicariatus ſuffecit. Quo tamen officio functo, fœlix Obſeruantum progreſſus retardari cœpit. Quapropter eius Zelatores à Martino V. & à reliquo Conſtantienſe Concilio ſupplices petiêre, vt amotis huiuſmodi impedimentis Franciſcanam regularem obſeruātiam, non ita dudum fœliciſſimè currentem, paterno fauore proſequi dignarentur: quatenus tantis auſpicijs ad præmeditatam metam aliquādo peruenire poſſet. Excepti itaque humaniſſimè, à tanto cœtu, quicquid humiliter petierant, pro votis aſſequuti ſunt. Præſertim Galli, atque Burgundi, vt paulò inferius dicemus. Creuit itaque eo temporis, mirumque in modum aucta fuit regularis Obſeruantia in Hiſpania, Gallia, præcipuè verò in Italia, beneuolentia, & pietate præfati ſummi Pontificis Martini V. cuius auctoritate Siciliæ Prouincia, non ita paruum progreſſum in ea fecit: & Apuliæ, nec non & Calabriæ Prouinciæ ab Obſeruantibus patribus, in eadem regulari diſciplina fundatæ, erectæque ſunt. Tantus præterea fuit huius ſummi Pontificis ad Minoriticum Ordinem affectus, vt conantibus quibuſdam ſancta loca Hieroſolymitana, videlicet Montis Syon, ſancti Sepulchri, beatiſſimæ Dominæ noſtræ in Valle Ioſaphat, atque Bethlehemiticum, à Franciſcanis fratribus pacificè diu poſſeſſa, atque inhabitata in dubium reuocare, ac ſub iudice conſtituere, in faciem, commiſſa reuerendiſſimo Ioanni Hieroſolymitano, atque Gradenſi Patriarchæ totius cauſæ diſcuſſione, reſtiterit; ac diffinitiuam ſententiam à præfato Patriarcha in Minorum fauorem latam ſuo calculo, ex apoſtolica auctoritate comprobarit, confirmaritque. Quidni regularis Obſeruantiæ ædificium tantùm incrementi, tantumque ſplendoris, tam paruo temporis ſpatio acceperit? ac fœliciores progreſſus temporis ſucceſſu fecerit? cùm iacto ſuper profundiſſimam beatorum patrum Pauli de Trincis, Ioannis à Stronconio, atque Angeli à Monteleonis humilitatem, vitæque ſanctimoniam fundamento, ſui opifices, atque promotores

habuerit

habuerit non minoris ſanctitatis viros, beatos videlicet patres Bernardinum à Senis, Io-
annem Capiſtranum, Iacobum à Marchia, & Albertum à Sartiano. Qui firmiſſimæ
quatuor baſes, quibus vniuerſa innitebatur ſtructura, quatuor ſtrenui duces, qui cęteris
fœliciſſimum præbuêre ducatum, ac tandem quatuor ſonoræ atque indefeſſæ tubæ fuê-
re, ad quarum potentiſſimum clangorem plurimi ex Italia, Germania ſuperiori, Bohe-
mia, Polonia, atque Vngaria, contemptis ſeculo, eiusq́ue pompis, atque illecebris, re-
gularis obſeruantiæ teſſeram acceperunt, illiq́ue fideliſſimè inſudarunt. Deſinet ergo mi-
rari huiuſmodi fœlicem ſuccęſſum quicunque ille fuerit, ſi præfatorum patrum eximiam
ſanctitatem, pietatem, doctrinam, promptam obedientiam, veram humilitatem, atque
exantlatos pro catholica Eccleſia labores, nec non ſummi Pontificis Martini V. ac Con-
ſtantienſis Concilij erga eos, eorumq́ue ſequaces & imitatores beneuolentiam non lip-
pis (vt aiunt) oculis fuerit contemplatus.

Origo regularis Obſeruantiæ apud Gallos.

EGIMVS ſuperius de origine regularis Obſeruantiæ in Italia, reſtat vt modò (ſi
pollicitis ſtare velimus) eiuſdem ortum in Gallijs paucis perſtringamus. Cùm igitur
ob obortum ſchiſma res in deterius tenderent, fratresq́ue Minores liberiùs in Gallia viue-
rent, venerabiles quidam tres patres ex Turoniæ Prouincia ſui ſtatus zelotes, quibus ea
viuendi licentia minus arridebat, reuerendiſſimo patri fratri Antonio de Pyreto Genera-
li Miniſtro, anno Domini 1388. vt illis locum aliquem, in quo remotè ab alijs iuxta Re-
gulæ rationem victitare poſſent, concedere dignaretur, humiliter ſupplicarunt. Et ac-
cepto pro votis mandato reuerendum patrem fratrem Ioannem Philippi, tunc illius Pro-
uinciæ Miniſtrum accedentes Mirabelanum conuentum in Pictauienſis Epiſcopatus
Diœceſi ſitum ab eo humaniſſimè impetrarunt: inibique, vſque ad præfati patris Io-
annis Philippi obitum, cum quibuſdam alijs eiuſdem propoſiti fratribus ſibi adiunctis
quietiſſimè, ac maxima cum laude perſeuerarunt. Quorum laudabili vita moti aliquot
proceres vndecim loca diuerſis in partibus, in quibus iuxta eum viuendi ritum com-
morari poſſent, ex apoſtolica auctoritate ſuis ſumptibus erexerunt. Sed præfato patre Io-
anne Philippi, qui illis ſummopere fauit, ſarcina carnis ſoluto de ijs locis deturbati ſunt.
Atqui reuerendiſſimus pater frater Antonius Pyretus ea de re certior factus à Benedi-
cto xiij. apoſtolicas literas impetrauit, quibus & illis ablata domicilia reſtituit, & in pro-
prium prælatum, ſub Vicarij ſiue Commiſſarij titulo, venerabilem patrem fratrem Tho-
mam de Curte, qui eorum curam gereret, præfecit. Inde verò ex Alexandri V. ac Ioan-
nis xxiij. mandato eiecti, vt ſuis rebus conſulerent, Conſtantienſe Concilium petiêre. A
quo tandem plures gratias, pluraq́ue priuilegia ſuum ſtatum concernentia, atque regu-
larium Obſeruantum titulum retulêre. Id autem ita eſſe manifeſtè oſtendunt patentes li-
teræ in eorum fauorem à præfati generalis Concilij patribus datæ, quorum initium eſt:
Sacroſancta, & generalis ſynodus Conſtantienſis dilectis Eccleſiæ filijs Generali, &
Prouincialibus Miniſtris, & Cuſtodibus, cęterisq́ue Ordinis Minorum profeſſoribus &c.
Eximens præterea præmemorata generalis ſynodus Conſtantienſis huiuſmodi fratres
Obſeruantes à patrum Miniſtrorum obedientia, illis proprij Prouincialis Vicarij eligen-
di ex ſe ipſis facultatem in qualibet trium Prouinciarum, Turoniæ videlicet, Burgun-
diæ, atque Franciæ (nam præfati duodecim Conuentus his inſerti erant) impertita eſt.
Qui tamen Prouincialis Vicarius à Prouinciali Miniſtro confirmandus veniret. Quod ſi
poſt elapſum triduum huiuſmodi confirmationem ab eo non accepiſſet, ipſo facto in of-
ficio confirmatus haberetur. Inſuper præfatos patres Obſeruantes plurimis alijs honori-
bus, vt ex præmemoratis literis ſatis patebit, proſequentes, voluêre ijdem ſacri Conci-
lij patres, vt tres illi Prouinciales Vicarij cum ſuis diſcretis (habebat ſiquidem quælibet
Prouincia Vicarium Prouincialem, atque diſcretum) vnum aliquem patrem in Genera-
lem Vicarium, qui tribus prædictis Prouincijs præeſſet eligerent, confirmandumq́ue Ge-
nerali totius Ordinis Miniſtro proponerent. A quo ſi infra triduum ab ea propoſitione
non veniret confirmatus, ſe ipſo huiuſcemodi confirmationem (vt diximus de Prouin-
cialibus Vicarijs) adeptus eſſe cenſeretur. Huic patrum Conſtantienſis Concilij proui-
dæ deter-

dæ determinationi,ſiue prouiſioni ſubſcripſit,anno à Chriſto Seruatore nato 1418.Pontificatus verò ſui iij. ſummus Pontifex Martinus V. (de quo ſupra) illique alia quædam priuilegia in eorundem Obſeruatum fauorem adiecit . Cùm autem patribus Obſeruantibus non ſatis per Conſtantienſe Concilium proſpectum videretur,alia quædam ſibi adhuc adijcienda fore exiſtimauit pius ipſe ſummus Pontifex . A ſupradicto igitur empore in his tribus Prouincijs , nempè Burgundiæ , Franciæ , atque Turoniæ regularis Obſeruantia ſtabilita fuit, poſtquam (vt prælibauimus)per vigintiquinque annos antea ibidem plantata fuiſſet .

Ortus regularis Obſeruantiæ apud Hiſpanos.

IIſdem ferè temporibus , vel paulò ante quàm patres (de quibus ſuperius) regulari Obſeruantiæ in Gallijs initium darent , venerabilis quidam , ac eximiæ ſanctitatis pater frater Petrus Villacretius natione Hiſpanus,atque Prouinciæ Caſtellę alumnus,nec non ſacræ Theologiæ Magiſter, cùm in pauperiorem,auſterioremque vitam inhiaret, quoddam ſpecu prope oppidum ſancti Petri de Arlanza ex ſuperiorum licētia petijt, ibidemq; per viginti continuos annos in ſumma paupertate , rigiditate, atque pœnitentia perſeuerauit : illud ſemper alta mente reuoluens , qualiter Franciſcanum , iam ſummè in Hiſpania,à primæua ſui inſtitutione collapſum Ordinem , eò, vnde deflexus videbatur , reducere , ac priſtino nitori reſtituere poſſet . Conſiderabat ſiquidem ipſe pater rem eſſe omnino maximi ponderis , atque diſcriminibus , difficultatibusque plenam . Tandem vt generoſus catulus,qui ad tempus,tanquam deliberans , viresque reſumens, deliteſcit,& è latebris egrediens, quodcunque periculi genus paruipendens, in nudos prorumpit enſes, diuino repletus ſpiritu , ſummoque feruore incenſus, omni poſtpoſita cunctatione,Conuentum ſanctæ Mariæ de Saliceto ſacrum,inter medios fines oppidorum Tendiliæ atque Pennaluerij , à fundamentis erexit , inibique Franciſcanæ Obſeruantię regularis prima ſemina iecit . Quæ adeò excreuerunt , vt eorum fructus ad reliquas Hiſpaniæ Prouincias dimanarint . Aſſequutus deinde hominem ſibi per omnia ſimilem, ac omnino ſecundum cor ſuum , nempè ſummæ religionis virum , ac patrem fratrem Petrum à Regalada Pincianum, qui & ſpiritu prophetico donatus fuit , illum ſuis moribus , ac pijſſimis deſiderijs informauit , eiuſque opera ſummè adiutus deuotiſſimos quatuor Conuentus,videlicet Dominæ noſtræ de Saliceto Toletanę Diœceſis,Aquilariæ Diœceſis Palētinæ, Tribuli (vulgò del Abrojo) ad ſextum lapidem ab oppido Valliſoleto, & ſancti Antonij ſiue ſancti Iuliani de Capraria ædificauit , fratribusque zelotibus , ac regularis Obſeruantiæ ſectatoribus ſui per omnia ſimilibus inſtruxit , atque ſanctiſſimis legibus , quibus naſcens , tenerrimusque Ordo conſepiretur , confoueretur que,communiuit : ac tandem Conſtantienſe Concilium , licet ſenio confectus accedens , ab eo pro pollulante illa Religionis Franciſcanæ plantula priuilegia Gallis Obſeruantibus conceſſa(de quibus ſupra) retulit: inſuper & à ſummo Pontifice Martino V. impetrauit,vt in præfatis duobus Conuentibus Aquilariæ , & Tribuli ſtatuta à ſeraphico patre noſtro Franciſco Monaſterio Sanctæ Mariæ de Angelis olim præfixa, deinceps obſeruarentur . Is igitur tantus pater poſtquam omnia , pro facta ſibi facultate , ſuauiſſimè diſpoſuiſſet , neophitum gregem ſuo ſucceſſori , atque chariſſimo diſcipulo , patri videlicet Petro Pinciano committens, in Minoritico Conuentu , qui Hiſpanico idiomate Peñafiel nuncupatur , diem vitæ ſuæ clauſit extremum : quem & in ipſomet Conuentus ingreſſu prædixerat , inquiens ; Hæc requies mea in ſæculum ſæculi . His duobus ducibus acceſſerat & tertius ſimili virtute, ſimilique benè inſtituendę Religionis zelo præditus pater ac frater Petrus à Sanctoyo,qui cùm eſſet ſęcularis ſacerdos , eo ipſo die quo ſacerdotij primitias altiſſimo offerre decreuerat , inſalutato (vt aiunt) hoſpite , ideſt parentibus , & amicis, qui ad ſolemnia conuenerant , nullo pacto præmonitis , ad Minoriticum Caſtrixerizij Monaſterium , quod patribus Conuentualibus parebat , conuolauit , religioſoque habitu mox ibi indutus ad nouum Aquilariæ domicilium , Obſeruantibus illis fratribus aſſociandus , atque à beato patre Petro Villacretio eius Præſide optimis moribus imbuendus ſe tranſtulit. Vnde poſt ſolemne votum emiſſum , ex ſuperiorum facultate , Hieroſolymam , ea ſanctiſſima loca viſitaturus

viſitaturus, ſe contulit. Ex qua in Italiam reuerſus plurima ibidem à beato patre Bernardino de Senis Regularis Obſeruantiæ ſtatum,atque candorem concernentia didicit.Quibus denique apprimè imbutus propriam Caſtellæ Prouinciam remeauit, ibidemque non pauca loca ſub Regularis Obſeruantiæ legibus conſtruxit,redegitque:de quorum numero fuit Valiſoletanus conuentus: ac tandem, poſtquam eius Cuſtodiæ, quæ tunc extra Montes appellabatur, nunc autem Conceptionis Prouincia dicitur, primum Cuſtodem ſanctiſſimè egiſſet, atque introductam à ſanctiſſimis patribus Petro Villacretio, ac Petro Pinciano ſiue de Regalada fœliciter in Hiſpaniam RegularemObſeruantiam fęlicius auxiſſet, anno à mundi redemptione 1431.cum maximo ſanctitatis odore Valiſoleti in Domino obdormiuit, atque in Minoritico conuentu honorificè ſepultus eſt. Hi ſunt Regularis Obſeruantiæ primi apud Hiſpanos authores, atque egregij fundatores, qui licet eo in opere Gallos præuenerint,eos tamen hoc loco ponendos cenſui: tum quia poſterius ad Concilium confugerint, tum etiam quia patres Galli prius Vicarios Prouinciales, atque Generalem à præfatis Conſtãtienſis Concilij patribus, ſummoque Pontifice Martino V. (vt ſuperius diximus) obtinuerint.Nam huiuſmodi Vicariorum munus non à Conſtantienſi Synodo,ſed à præfato Martino V. ad inſtantiam Ioannis eius nominis ij. Legionis atque Caſtellæ Regis patribus Hiſpanis conceſſum, & ab Eugenio IIII. ſummo Pontifice virtute cuiuſdam bullæ, cuius initium eſt: Ex apoſtolicæ nobis deſuper iniunctæ &c. ad ſereniſſimæ Mariæ Ferdinandi Aragonum Regis filiæ, atque præfati Ioannis Regis vxoris inſtantes preces, anno Domini 1434. ijsdem confirmatum fuit. Introducta igitur(vt proloquuti ſumus)Regulari Obſeruantia à pręmemoratis patribus in Hiſpaniam, atque mirum in modum ab altero eorũ,nempè à venerabili patre Petro à Sanctojo aucta, cùm eius ſequaces poſt ipſius obitum nouem conuentus, ſub titulo Cuſtodiæ Sanctojanæ, vel extra Montes, obtinerent, cuperentque plurimis patribus Conuentualibus, ac ſęcularibus ſe illis indies coniungentibus,alia loca pro cõmodiori habitatione acquirere, atque Cuſtodiam dilatare, ſancti Iacobi Prouinciam penetrantes, conuentus Corunnienſem apud Gallecos, Beneuentanum, Zamorenſem, atque Salamantinum,& aliquot alios apud veteres Caſtellanos ex apoſtolica auctoritate obtinuêre.Quibus omnibus vnicus tantùm pater ſub Cuſtodis, ſiue Commiſſarij titulo, præerat. Idque munus vſque ad annum à virgineo partu 1447. quo ex Eugenij IIII. Pont. max. decreto (vt inferius meminerimus) & Prouinciæ diſtinctæ, & Prouinciales Vicarij inſtituti ſunt, perſeuerauit. Inter cęteros à prędictis patribus Villacretio, Pinciano ſiue Regalada, atque Sanctojo Hiſpanicæ Regularis Obſeruantiæ auctores,atque ſtrenuos promotores longè emicuêre venerabiles patres fratres Lopetius à Salazar, eiuſdem patris Petri Villacretij non ſurdus auditor, nec piger imitator, qui Cuſtodiæ ſanctæ Mariæ Minorum, cui Burgenſis Prouincia ſucceſſit, inclytus fundator fuit, & ſtrenuus, doctiſſimusque pater frater Alphonſus Boroxius ſacræ Theologiæ Magiſter, qui cùm Prouincialatus officio apud patres Conuentuales in Prouincia Caſtellæ functus fuiſſet,ſe ad Sanctojanam Cuſtodiam illis relictis,ſub Regulari Obſeruantia deinceps militaturus, tranſtulit, illamque ſua opera mirum in modum ampliauit, atque plurimas domos in omnibus Prouinciæ Caſtellæ Cuſtodijs (quæ tunc ſex tantum numero erant) vel redditibus eliminatis, ex Pontificio indulto, reformauit, vel de nouo ædificauit: ac tandem poſt Eugenianum decretum (cuius inferius mentio fiet)primus Prouinciæ Caſtellæ Prouincialis Vicarius fuit,& Regularem Obſeruantiam mirum in modum per Hiſpaniam propagauit. Obijt mortem tantus hic vir, anno à ſalutifera Chriſti natiuitate 1469. Occaniæ, nobilemque ſepulturam in maiori Minoritici conuentus ſacello nactus eſt: cuius anima cum ſpiritibus illis cœleſtibus beari exiſtimatur.

Origo Regularis Obſeruantiæ in Portugalia.

NVLLA penitus Prouincia,ab Ordine inſtituto ad annum vſque Domini 1378. in Portugaliæ Regno à patribus Luſitanis erecta fuerat, ſed ſub Cuſtodijs degentes quotquot ibidem commorabantur fratres,Prouinciali Miniſtro Prouinciæ Sancti Iacobi parebant. Sed præfato anno 1378. ob obortum in Eccleſia periculoſum illud ſchiſma,

quod

quod per quadraginta ferè annos(vt ſuperius dictũ eſt)Petri nauiculam ſummoperè agitauit,Luſitanis quidem Vrbano VI.Caſtellanis Clementi VII.Pſeudopapæ obtemperantibus,Portugalenſes patres,erecta ſibi peculiari Prouincia, ab obedientia patrum Prouinciæ ſancti Iacobi ſe ſubduxerunt.Incauſa quoque huius ſeparationis fuit truculentiſſimũ bellum, quod inter Caſtellæ atque Portugaliæ Reges, per id tempus, infeſtioribus animis gerebatur. His ergo rebus ita conſtitutis, atque hac nacta occaſione, aliquot Galleci, atque Caſtellani patres ſacerdotes,nempè frater Didacus Arias Aſtur vir doctiſſimus, atque egregius prædicator, frater Gundiſaluus Marinus nobilibus ortus natalibus, atque in ſæculo olim ditiſſimus, frater Petrus Almancus, frater Alphonſus Saccus, frater Petrus Diaz, ac frater Garſias Montanus profeſſione laicus, ſuæ acquieſcendi Regulę ratione ducti: quæ præcipit, vt fratres Minores ſemper pedibus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubditi ſubiectique ſint, relictis Gallecia, atque Caſtella, in Portugaliam, quæ Vrbano VI. ſummo Pontifici Romæ agenti aurem accommodabat, traiecêre, inibique, anno à ſalutifera Chriſti natiuitate 1392. ſub neophita Religione, atque perfectiſſima Regulari Obſeruantia, conuentus ſanctæ Mariæ de Moſteyrô ad tertium miliare à Tuicenſi Gallecorum ciuitate, ſancti Pelagij, ac Dominæ noſtræ de Inſula, in ipſis faucibus Minij fluuij, ac inter criſpantes maris vndas, ſancti Franciſci Vianenſis ad nonum lapidem ab eadẽ Inſula, ſancti Clementis de Rupibus,Conceptionis Dominæ noſtræ,ſancti Antonij à Caſtaneto ſexta leuca à præclara ciuitate Vlyſſiponenſi, ſancti Franciſci prope Viſeum ciuitatem, & ſanctæ Catherinæ de Carnota ſeſquimiliari ab oppido Alanquerio conſtruxerunt. In quibus nouem conuentibus, iuxta præfatæ Regularis Obſeruantiæ leges, in maxima ſimplicitate, vitæque ſanctimonia,ſub obedientia Miniſtrorum Prouincialium patrum Conuentualium Prouinciæ Portugaliæ, pacificè ſatis,atque pro voto, fauentibus ſibi eius Regni proceribus,atque ipſiſmet Regibus, vixerunt,& ad tempora vſque Eugenij IIII. Pont.max. perſeuerarunt. Cuius auctoritate (vt inferius dicemus) ex propria Obſeruanti familia Vicarium Prouincialem, qui cæteris præeſſet, ſibi elegerunt, conſtitueruntque. Nec tamen ea quies cæteris Obſeruantibus in Italia fuit. Nam Obſeruantes Itali, quòd malè de Pontificijs priuilegijs, atque Apoſtolica auctoritate ſentirent apud ſummum Pontificem, reuerendiſſimorumque Cardinalium Collegium incuſati ſunt. Qua de cauſa eorum centum quinquaginta Romam venire, atque interrogatis reſpondere iubentur. Qui trans Tiberim in Eccleſia diui Franciſci, quæ reformatis religioſis adhuc paret, ſimul conuenientes, beatum Ioannem Capiſtranum, communi ſuffragio, qui omnium nomine impoſitis ſatisfaceret,& ſe atq; omnes à tanta labe vindicatos priſtinæ famæ reſtitueret,elegerunt. Is igitur tanta humilitate,doctrina, atque eloquentia obiectionibus ſibi factis coram Cardineo illo cœtu ſatisfecit, vt non ſolum ſe, ſuoſque confratres ab huiuſmodi crimine purgarit, ſed etiam ſibi, ac omnibus illis maximam laudem compararit.

De primo Capitulo generaliſſimo.

NON ita parum pijſſimum Martini V. ſummi Pontificis animum angebat, quòd tantus, tamque florens Ordo, Franciſcanus videlicet in dies magis, magiſq; diuideretur, ac inter ſe diſſentiret: quamobrem alta mente reuoluere cœpit, quo pacto ſibi de remedio opportuno prouidere poſſet. Exiſtimanſque id in vnius generaliſſimi Capituli celebratione conſiſtere, illud,in quo patres Conuentuales, atque Obſeruantes conuenirent, anno à mundi redemptione 1430. ab Ordinis verò erectione 222. Aſſiſij celebrandum indixit.Cùmque ex Pontificio pręcepto vtriuſque Ordinis conſcripti patres ad Capituli locum ſtatuta die conueniſſent, communi omnium, quorum intererat, ſuffragio pater Antonius de Maſſa, quòd ſibi ſubditis fratribus laxiorem ſtruxiſſet viam,ab officio depoſitus, ſibique reuerendiſſimus pater frater Gulielmns de Caſſali in officio ſuffectus eſt: qui omnes Prouinciales Vicarios patribus Obſeruantibus præpoſitos exauthorauit.Huiuſmodi autem Capituli Præſes, ſimul & patres Diffinitores cõſtitutiones quaſdam pro futura reformatione ediderunt, quas & iuramento ab omnibus, tum Conuentualibus, tum qnoque Obſeruantibus admitti, firmarique curarunt. Has Martinianas vocant

vocant à Martino V. qui illas edita bulla, cuius initium eſt: Peruigil more paſtoris temperauit &c. Et hoc primum omnium generaliſſimum Capitulum fuit ab huiuſcemodi Ordinis diuiſione, in quo & Conuentuales & Obſeruantes Franciſcani conuenêre, vocemq; tum actiuam, tum quoque paſſiuam & iſti, & illi habuerunt. Accidit vt eo tempore præfatus ſummus Pontifex Martinus V. moreretur, ſibique Eugenius IIII. Franciſcanæ familiæ addictiſſimus, anno Dominicæ incarnationis 1431. in Pontificatu ſuccederet, qua occaſione, pro voto, oblata, beatus Ioannes de Capiſtrano ſummum Pontificem nouiſſimè electum accedens ſibi quàm humillimè ſupplicauit, vt ſi Obſeruantibus fratribus conſultum cuperet, illis concedere dignaretur, quatenus à Prouincialibus eiuſdem familiæ Vicarijs, prout & ante præfatum generaliſſimum Capitulum licebat, regi, corripique in poſterum ſibi liceret: quādoquidem Regularis Obſeruantiæ candor ex huiuſcemodi regimine penderet. Cuius iuſtiſſimis votis annuens Eugenius, omnibus & ſolis patribus Obſeruantibus generale Capitulum, in proximo feſto Pentecoſtes eiuſdem anni 1431. Bononiæ celebrandum indixit, illisque conceſſit, vt cuilibet Prouinciæ vnum Prouincialem Vicarium ex ſe ipſis præficere poſſent, qui eius fratribus de familia ſolicitè præeſſet, præfixamque reformationis viam fœlicius oſtenderet. Et hoc primum generale Capitulum fuit, quod à patribus Citramontanis Obſeruantibus, ab eorum inſtitutione, habitum, celebratumque extitit. Cui quoque præfatus Papa Eugenius bina apoſtolica breuia omnino fauorabilia, quæ in præſens vſque in Minoritico Capiſtrani loco diligentiſſimè aſſeruantur, tranſmiſit. Inſuper & voluit, vt beatus pater Ioannes Capiſtranus ex Apoſtolica auctoritate Commiſſariatus munere ſuper prædictos omnes patres, ac fratres Obſeruantes fungeretur. Quod & ſummo omnium illorum applauſu, per integrum ſeptennium, ab anno ſcilicet 1431. vſque ad annum 1438. fecit. Sequenti verò biennio ab huiuſmodi Capituli celebratione, anno videlicet à lætabunda Chriſti natiuitate. 1433. ab Ordinis autem erectione 225. patres Conuentuales generalia ſua Commiria, ſemotis Obſeruantibus, Bononiæ quoque habuerunt. Videbatur Generalis Miniſter per id tempus nihilminus ab Obſeruantum neceſſitatibus curare: quamobrem beatus pater Ioannes Capiſtranus præfatum patrem ſanctiſſimum, ac ſummum Pontificem Eugenium IIII. Florentiæ tunc in Hetruria agentem, cui ob vitæ ſanctitatem, grauiſſimos mores, atque dicendi facundiā gratiſſimus erat, quàm humillimè conuenit, ſecumque de multis Franciſcanum nitorem concernentibus, præcipuè verò de periculoſis Minoriticæ Regulæ tranſgreſſionibus, de ſui Ordinis reformatione, deque recta gubernādi forma diſſeruit, illiq; obnixè per Deum, perq; omnia ſancta ſupplicauit, vt ſi pauperculo, zelotipoque gregi in veram ſuæ Regulæ obſeruantiam anxiùs inhianti proſpectum ex iniuncta Paſtorali cura affectaret, vnum aliquem probum patrem inſtituere dignaretur, qui vniuerſæ Ciſmontanæ familiæ Obſeruanti ex Apoſtolica auctoritate ita præeſſet, præferreturque, vt in vno tantùm, vel altero caſu tum ipſe, tum ſibi creditus grex Generali Miniſtro ſubeſſet. Quòd ſi ſibi fidere vellet, oblaturum ſe quidem ſuæ beatitudini virum tanto munere dignum, venerabilem videlicet patrem Bernardinum de Senis, quem quacunque exceptione multò maiorē iudicaret, pollicitus eſt. Cuius honeſtæ perſuaſioni morem gerens ſummus ipſe Pontifex, reuerendiſſimo patri fratri Gulielmo de Caſſali totius Ordinis Generali Miniſtro, præcepit, vt è veſtigio præfatum patrem Bernardinum de Senis ſuum Commiſſarium, ſiue Vicarium Generalem cum plenaria poteſtate ſuper omnes fratres Citramontanos Regularis Obſeruantiæ alumnos iuſtitueret, cuius præceptis illi parerent, dictisque audirent. Quod & ille incunctanter, iuxta præſcriptam ſibi à ſummo Pontifice formam, exequutus eſt. Et hic primus familiæ Ciſmontanæ Generalis Vicarius fuit. Cuius electio, ſiue inſtitutio contingit anno Domini 1438. ab Ordinis verò exordio 230. ſed ab huiuſcemodi reformationis, ſiue Regularis Obſeruantiæ inſtitutione 58. Sanctus igitur pater Bernardinus huiuſmodi Apoſtolica, atque generali auctoritate fræetus Aſſiſium petens, grauiſſimis quibuſdam patribus in conuentu ſancti Damiani 15. Auguſti, anno à Virgineo partu 1438. conuocatis, conſtitutiones aliquot pro fœliciori Regulæ Obſeruantia edidit, illasque in epiſtolæ formam redactas ad vniuerſas ſibi commiſſas Prouincias, vt publicè in communitatibus legerentur, tranſmiſit. Præterea, anno Domini 1440. Regulæ declarationem à venerabili patre fratre Nicolao de Auſmo Prouinciȩ Sancti Angeli Vicario

li Vicario tunc Prouinciali in lucem emiſſam ſuo calculo approbauit, confirmauitque. Qua etiam de cauſa ſancti Bernardini declaratio communiter ab omnibus appellatur. Ac denique quinquennio in huiuſmodi Generalis Vicariatus munere fœliciſſimè, ac maiori, quàm dici poſſit, laude exacto, cùm ſacris concionibus toto pectore, regularibus tamen negotijs expeditus, vacare exoptaret, officio in præfati ſanctiſſimi domini Eugenij Papæ IIII. manibus renunciauit. Quam quidem renunciationem is, pro ſua in virum pietate, atque ſolita beneuolentia, boni æquique conſulens benigniſſimè acceptauit. His itaque vix abſolutis R. P. F. Gulielmus de Caſſali Florentiæ in Minoritico ſanctæ Crucis conuentu ſarcina carnis depoſita migrauit ad aſtra. Quamobrem ſummus Pontifex, vt venerabili patri fratri Alberto à Sartiano, viro vtiq; integerrimo, atque Regularis Obſeruantiæ acerrimo propugnatori, necnon religione, moribusq; inſigni viam ad Generalem Miniſteriatum ſtrueret, (nouerat enim vigilantiſſimus ipſe Paſtor plurimùm accrementi, plurimumque ſplendoris vniuerſo Ordini ex huiuſmodi promotione obuenturum) ipſum ſuper vniuerſam Religionem Minoriticam ex Apoſtolica auctoritate Generalem Vicarium inſtituit. Qui & munus ſibi creditum exactiſſimè, iuxta conceptam de ipſo ſpem, per integrum annum obiuit, & generaliſſimum ſecundum tum Obſeruantum, tum quoque Conuentualium patrum Capitulum Patauij, anno Domini 1443. vel (vt alij volunt) anno 1444. futurum aſſignauit, ac tempore præſcripto prudentiſſimè celebrauit.

De ſecundo Capitulo generaliſſimo.

ANXIVS Eugenius IIII. ſummus Pontifex de huiuſcemodi Capitulo generaliſſimo, atq; de futura Generalis Miniſtri electione, cupiensq; (vt præfati ſumus) præmemoratum patrem Albertum ad huiuſmodi munus promotum, breue quoddam Apoſtolicum ad patres omnes vocales, quo ſuam illis mentem aperiebat, opportunè ſatis deſtinauit. Nihilominus tamen R. P. F. Antonius de Ruſconibus, Mediolani apud Inſubres oriundus, in xxxiij. Generalem Miniſtrum electus eſt. Ille verò ſtatim Senas ad Pont. max. ſui officij confirmationem ab eo petiturus, perrexit. Qui tamen, ne priùs iratum ſibi Mediolanenſium Ducem arma, cædesque minitantem in ſe magis magisque concitaret, ſi ſibi ſubditum & compatriotam ab officio amoueret, eum eo in munere confirmauit. Illi nihilominus præcepit, vt omnibus Citramontanis fratribus Obſeruantibus venerabilem patrem fratrem Ioannem Capiſtranum, Vltramontanis verò eiuſdem familiæ inſignem patrem, pariterque doctiſſimum fratrem Ioannem de Mahuberto in Generales Vicarios, cum poteſtatis plenitudine, præficeret. Iſtum quidem vt Gallis, atque reliquæ Vltramontanæ Obſeruanti familiæ præeſſet, illum verò, vt Citramontanæ ſuperintenderet. Et ab eo tempore inſtituendorum duorum Generalium Vicariorum Obſeruantum, qui vtrique Obſeruanti familiæ præferrentur, in generalibus Capitulis vſque ad Leonis X. Pont. max. tempora, mos inoleuit. Qui quidem Apoſtolicis iuſſis parens 13. Iulij eiuſdem anni 1443. mandatum fideliſſimè, datis illorum vtrique patentibus ſuis literis, executioni dedit. Ex quibus liquidò conſtat, præfatum patrem Ioannem à Mahuberto primum Vltramontanæ Obſeruantis familiæ Generalem Vicarium, ſiue potiùs Commiſſarium, ex Generalis Miniſtri inſtitutione, egiſſe. Qui cùm eo munere per quadriennium fideliſſimè functus eſſet, in primo generali Capitulo à patribus Vltramontanis Obſeruantibus, ſub ipſomet præſide, Odomaropoli, quæ Galliæ Belgicæ ciuitas eſt, anno à Chriſti natiuitate 1447. ex Eugenianæ bullæ auctoritate celebrato, omnium patrum, quorum intererat, ſuffragio, in primum eorum Generalem Vicarium electus eſt. Beatus verò pater Ioannes Capiſtranus in ſecundum Ciſmontanæ Obſeruantis Congregationis Generalem Vicarium à Generali Miniſtro creatus fuit: nam illi beatus pater Bernardinus de Senis eo in officio, ex præfati ſummi Pontificis Eugenij IIII. mandato, prælatus extitit. Quem etiam idem pater Ioannes à Capiſtrano, ipſius eiuſdem Pont. max. poteſtate fretus, ſub Apoſtolici Commiſſarij titulo (vt ſupra pertranſeundo tetigimus) per integrum quinquennium præceſſerat. Eligebantur huiuſmodi Generales Vicarij nō quidem totius Ordinis, ſed eius familiæ, cui præeſſe debebant, ſuffragio. Nihilominus tamen ſemel, vel ſecundò Ordinis totius voto electi fuêre. Prouinciales verò vicarij (ſi

de Ciſmontanis loquamur) à primo fratrum Obſeruantum generali Capitulo Bononiæ, anno Domini 1431. ex Eugenij IIII. auctoritate celebrato initium ſumpsêre. Si verò de Vltramotanis Gallis ſit ſermo, ij à Conſtantienſi Cocilio, ideſt ab anno Domini 1415. (vt ſuperiùs meminimus) habuêre principium. Sed ſi de Hiſpanis tum Caſtellanis, tum quoque Luſitanis oriatur quæſtio, ij non ante præfatum Bononienſe Capitulum generale, cui Ciſmontani tantùm fratres Obſeruantes interfuêre, idque ex Eugenij IIII. ſummi Pontificis auctoritate, in lucem prodiêre. Verum eſt tamen quod ſub Martino V. Pont. max. atque ſub reuerendiſſimo patre fratre Antonio de Maſſa xxxj. Generali Miniſtro (vt ſupra tetigimus) plures Vicarij Prouinciales in diuerſis Italiæ Prouincijs electi fuerint. Qui tamen omnes, ſub eodem ſummo Pontifice in Capitulo generali Aſſiſij celebrato, per patrem ac fratrem Gulielmum de Caſſali eius ſucceſſorem, ibidem electum exauthorati fuêre.

De Vicariorum Generalium iuriſdictione & auctoritate.

QVANDOQVIDEM de Generalibus Vicarijs Vltra, & Citramontano incidit mentio, non abs re erit, ſi antequam ad alia tranſeamus, paucis eorum auctoritatẽ, poteſtatem atq; iuriſdictionem perſtrinxerimus. Cupiens itaq; vigilantiſſimus Paſtor Eugenius IIII. omnem digladiandi anſam ab Eccleſia Dei longè exploſam, volensque omnem rixarum fomitem in Ordine Franciſcano penitus extinctum, tribus S.R.E. Cardinalibus, nempè illuſtriſſimis Morinenſi, Tarentino atque Cumano huiuſcemodi iuriſdictionis, atque poteſtatis Generalibus Vicarijs, pro fœliciori ſuorum gregum regimine, concedendæ diſcuſſionem, atq; determinationem commiſit. Qui re diligenter examinata, atque pro debito trutinata, de ipſius ſummi Pontificis, atque de vtriuſque (cuius intererat partis) beneplacito, pro tribunali ſedentes huiuſmodi ſententiam protulerunt: Vt videlicet Generales Vicarij eandem prorſus auctoritatem, atque poteſtatem in ſibi ſubditos fratres haberent, quam & Generales Miniſtri ex officio in totum Ordinem obtinerent. Vtque Generalis Miniſter neque ex literis, neque ex priuilegio quocunque prædictorum Vicariorum Generaliũ officium impedire poſſet. Tum demùm, vt quicunque fratrum Obſeruantum contra Vicariorum Generalium voluntatem ad patres Conuentuales tranſiret, ipſo facto excommunicationis pœnam incurreret. Quam vtique ſententiam ſummus ipſe Pontifex lata bulla comprobauit, ratamque habuit. Et anno à mundo redempto 1447. poſtquam ſua ſponte, motuque proprio plura priuilegia, pluresque gratias patribus Obſeruantibus, ex mera tantùm, qua eos proſequebatur, beneuolentia conceſſiſſet, Capitula Prouincialia celebrandi, in eisque Vicarios Prouinciales, qui eadem, qua pollebant Prouinciales Miniſtri apud patres Conuentuales, auctoritate & ipſi prædìti eſſent, eligendi poteſtatem iiſdem denuò fecit. His fauoribus adiecit præfatus ſummus Pontifex Eugenius IIII. Capituli patrum Citramontanorum Obſeruãtum celebrationem: quam proprijs ſumptibus, atque ſe Præſide in Aracœlitano conuentu Romanæ Vrbis, anno Domini 1446. haberi voluit, atque in primum Generalem eorundem patrum Vicarium (nam duo præcedentes, beatus videlicet pater Ioannes Capiſtranus, atque beatus pater Bernardinus de Senis non ex fratrum electione, ſed ex Apoſtolica auctoritate eo munere functi fuerant) venerabilem, ac eximiæ religionis patrem fratrem Iacobum de Primadicijs, Capitularium interim ſuffragio accedente, elegit. Præterea editis conſtitutionibus cauit, ne Generales, vel Prouinciales Vicarij vltra triennium eo munere fungerentur: vtque eo in Aracœlitano conuentu aliquot patres doctrina, ſcientia, atque moribus inſignes, qui inter cæteros ſeligi deberent, perpetuò commorarentur: quorum duo Hiſpani, duo Galli, atque duo Germani futuri eſſent: vtque tandem inſignes duo religioſi, vnus Vltramontanus, & alter Citramontanus ſeligerentur, quorum quilibet Commiſſariatus officio, pro ſua familia, in Romana Curia fungeretur. A quo etiam tempore huiuſcemodi officiorum mos inoleuit. Sed qui ex familia Generalis Miniſtri pro tempore exiſtentis eſt, is modò non Commiſſarius, ſed Romanæ Curiæ Procurator, altero interim Cõmiſſarij

miſſarij titulum retinente, dicitur. Ac tandem edita bulla leges quaſdam Generalis Miniſtri erga Obſeruantes auctoritatem coarctantes tulit: idque tantùm ſibi, ac cæteris Prouincialibus Miniſtris (ne omnimoda Ordinis ſeparatio fieret) reliquit, vt ſcilicet Prouinciales Miniſtri Conuentuales Vicarios Obſeruantum Prouinciales, & Generalis Miniſter Vicarios vtriuſque familiæ Generales nouiter electos confirmarent, ratosque haberent. Hanc Eugenianam bullam paſſim nuncupabant.

De Eugenianæ bullæ viciſsitudine.

LONGIOR profectò (quàm par eſſet) hiſtoria nobis texenda foret, ſi ea omnia, quæ ob præfatæ bullæ Eugenianæ conceſſionem euenerunt, referre vellemus. Cùm iā ex mādato Nicolai V. ſummi Pontificis, anno Dominicæ incarnationis 1453. examinata, iam per Calixtum III. Pont. max. edita alia, cui Calixtina nomen fuit, anno Domini 1456. reuocata, iamque ab eius ſucceſſore Pio II. anno à partu Virgineo 1459. confirmata fuerit. Nihilominus tamen, vt debita hiſtoriæ ſeries ſeruetur, eorum aliqua nobis in medium, licèt breuiori, quo fieri poterit, ſtylo producenda erunt. Contigit igitur, vt non ita poſt multum temporis ab Eugenianæ huius bullæ promulgatione, eius author naturæ debitum exolueret, ſibique ſummo in Pontificatu Nicolaus Papa V. ſuccederet: qui licèt huiuſmodi Eugenianam conceſſionem, tanquam de ſurreptione ſuſpectā diligentius examinari curarit, illi tamen ſubſcribēs Regulari Obſeruantiæ fauorabilis fuit. Quo tamen, anno Dominicæ natiuitatis 1455. vita functo, eius loco illuſtriſſimus Alphonſus à Borgia natione Hiſpanus, atque Valentinus Archiepiſcopus ſuffectus eſt: qui & Calixtus III. appellari voluit. Hic cùm aliquot articulos contra Obſeruantes accepiſſet, illis vtcunque tanquam inobedientibus, atque nouatoribus ſuccenſere cœpit: licèt nihil contra eos inconſulto beato Iacobo Marchiano, cui ob vitæ ſanctitatem addictiſſimus erat, intentare voluerit. Quapropter omnes patrum tum Conuentualium, tum quoque Obſeruantum Prælatos Prouinciales, atque Generales conuocans, vtriusque partis rationes audire voluit: vt ijs diligentius examinatis, apprimeque diſcuſſis, atque compoſitis, fieret tandem ex omnibus Franciſcanis vnum ouile eiſdem legibus, ſub vnico tantum vniuerſali Paſtore aſtrictum, exauthorato interim vtroque Generali Vicario. Sed cùm res multò difficilior, quàm prius ſibi fuerat pollicitus, ſucceſſiſſet, tertium generaliſſimum Capitulum in proximo omnium Sanctorum eiuſdem anni 1455. feſto Aſſiſij ab iſtis, & ab illis celebrandum, in quo perpetua pax, ſtabiliſque vnio ſtatuenda, firmandaque foret, ex Apoſtolica eius auctoritate indixit.

De tertio Capitulo generaliſsimo.

ADVENIENTE igitur præfato omnium ſanctorum feſto, conuenientibusq; omnibus vtriuſque Philadelphiæ, Obſeruātis videlicet atq; Conuentualis proceribus, ſiue vocalibus, & eius Capituli Præſide, poſt habitam ab ipſomet doctiſſimam, atque pijſſimam orationem, quælibet pars ſeparatim ab alia (nam in id omnino Præſes incubuit, ne exiſtentibus ſimul Conuentualibus atque Obſeruantibus, dum alter proponit aliusque vel ſibi inficiatur, vel propriam cauſam tuetur, præfata vnio difficilior redderetur) ſuos articulos propoſuit, atque aliquas conſtitutiones ſimul cum ipſo Præſide edidit. Quas omnes ſimul collectas ſummo Pontifici ille præſentauit, atq; mirum in modum Obſeruantis familiæ modeſtiam, pietatem, atque religionem commendauit. Vnde non parua ſuæ beatitudini deuotio ad eam accreuit. Summus deinde Pontifex beatum patrem Iacobum à Monte Brandone, aliàs de Marchia ad ſe vocans, illi licèt renuenti, huiuſmodi vnionis faciendæ munus, vtriuſque partis articulis, atque conſtitutionibus, nec non & Apoſtolica auctoritate plenaria prius ſibi collatis, commiſit, iniunxitque. Qui debito ſatisfacere cupiens, aliquot leges ab vtraque parte obſeruandas, quarum vnam, vel alteram hic ſubijciam, inſtituit. Harum prima fuit, vt quotquot fratres ſiue patres Franciſcano Ordini nomen dediſſent, ſiue ij

Obſeruantes, ſiue Conuentuales eſſent, in omnibus,& per omnia Generali totius Ordinis Miniſtro obedire tenerentur. Quæ tamen nec illis, nec iſtis, quòd multò maiorem facultatem, quàm ſibi Franciſcana Regula concederet, Generali Miniſtro tribueret, penitus arriſit. Quamobrem ab illuſtriſſimo tunc Ordinis Protectore illud ſibi adiunctum eſt: Scilicet, ſicut in Regula continetur. Secunda fuit, vt patres Obſeruantes cuicunque Conuentualium generali Capitulo, ſiue Congregationi intereſſe tenerentur, in quo ſi opus eſſet, qui, ex tribus partibus ab ipſis Generali Miniſtro proponendis, ab eodem comprobaretur, is in Vicariorum Vicarium eligendus veniret. Quibus tamen nullo pacto peculiaris Capituli generalis celebratio vel ad id, vel ad aliud quidpiam ſtatuendum liceret. Et hæc ſanctio Obſeruantibus ingratiſsima fuit. Tertia verò extitit, vt Prouinciales Vicarij vocem tantùm actiuam, non autem paſſiuam in Generalis Miniſtri electione haberent. Et hæc quoque conſtitutio Obſeruantibus ijſdem, im mò etiam & patribus Conuentualibus ſummè diſplicuit. Alias quoque conſtitutiones, atque leges condidit beatus ipſe pater Iacobus à Marchia, ſiue de Monte Brandone, quas, quòd parui ſint momenti,quòdque ab omnibus patribus Conuentualibus, & Obſeruantibus comprobatæ fuerint, ſilentio pertranſeundas cenſui. Has igitur leges, ſiue ſanctiones, propria edita bulla,quæ & Calixtina dicta eſt, Eugeniana interim exauthorata, omnibus tum Conuentualibus, tum quoque Obſeruantibus patribus ſummus ipſe Pontifex Calixtus III.anno à ſalutifera Chriſti natiuitate 1456.ſeruandas propoſuit, atque præſcripſit.

De quarto generaliſsimo Capitulo.

INTER cætera quæ ſummus hic Pontifex in ſua Calixtina ſanxit, illud quoque fuit, vt videlicet in proximiori feſto Pentecoſtes, quod contigit 13. Iunij,anno ab incarnatione Domini 1457. ab Ordinis verò inſtitutione 246. generaliſſimum Capitulum Mediolani apud Inſubres, in conuentu ſancti Franciſci, à præfato reuerendiſſimo patre fratre Iacobo Mozanica Generali Miniſtro, iuxta eius bullæ tenorem, celebraretur. Sed cùm ad præſtitutum locum tempore aſſignato patres Conuentuales, atque Obſeruantes conueniſſent,ibidemque magnificentiſſimis illuſtriſſimi pariter ac excellentiſſimi Mediolanenſium Ducis Franciſci Sfortiæ ſumptibus alerentur; noluerunt patres Conuentuales, legitimis (vt crediderim) ex cauſis, fratres Obſeruantes ſuis concilijs, electionibus, aut diffinitionibus intereſſe. Quapropter præfati Obſeruantes teſtibus per publicum notarium, ne in Calixtinam bullam impingere viderentur, ſolemniter adhibitis, atque authentico inſtrumento confecto, proprium ſancti Angeli conuentum repedantes electos ex qualibet familia probatos tres patres Generali Miniſtro propoſuerunt, vt quos illorum vellet in Generales Vicarios, ſiue Vicariorum Vicarios aſſumi illis ſignificaret. Qui cum patrem ac fratrem Antonium à Monte falco ex Citramontana familia, & patrem ac fratrem Theodoricum Aurigam ex vltramontana ſelegiſſet, patres Obſeruantes in præfato conuentu ſancti Angeli eiuſdem Mediolanenſis ciuitatis, in quo omnes commorabantur, licèt refectionis cauſa ſancti Franciſci monaſterium peterent, ſuis generalibus Capitulis ritè, ac iuxta Regulam celebratis, eos in ſuos Generales Vicarios euexerunt, crea runtque. Prouinciæ verò Vngariæ patres, qui ſua ſponte ſe à patrum Conuentualium obedientia ſubtrahentes Obſeruantibus per aliquot annos adhæſerant, hoc in Capitulo, pro viribus, ijſdē denuò adiungi voluerunt, contenderuntque: Sed fruſtra,Calixtina illis bulla contradicente. Hoc in ipſo Capitulo communi omnium patrum ſententia decretum fuit, vt Pennenſis Prouincia, antiquiori nomine relicto in ſancti Bernardini reuerentiam, quod ſacrum eius corpus in altero ipſius, nempè in Aquilano cōuentu recōderetur,ipſimet in poſterū dicata euaderet. Fuit hic annus. 1457. præfatorum trium venerabilium patrum morte illuſtris, inſignisque. Quorum alter, videlicet pater Iacobus à Mozanica Mediolani acutiſſimo morbo correptus, nondum expleto 40. ætatis ſuæ anno, è viuis repente exceſſit: & alter ,venerabilis ſcilicet pater frater Antonius à Monte falco Romæ in Aracœlitano cœnobio ſarcina carnis ſolutus migrauit ad aſtra: & religioſiſſimus pater frater Theodoricus Auriga, cum primùm Alpinos montes tranſilijſſet, diem vitæ ſuæ clauſit extremum.

De quinto

De quinto Capitulo generaliſſimo.

HIS igitur patribus vita functis, vt ſucceſſorum electio fieret, generaliſſimum quintum Capitulum Venetijs, in proximo futuro feſto Pentecoſtes, celebrandum fuit indictum: quod quidem omnibus patribus Obſeruantibus, præſertim verò Vltramontanis, ob locorum diſtantiam, itinerumque difficultates, ingratiſſimum omnino extitit. Atqui ſummus Pontifex Calixtus III. qui quendam patrem ſibi charum, nempè fratrem Ioannem à Sarzuola, virum vtique doctiſſimum, deque ſua religione optimè meritum, atque natione Cathalanum ad Generalatus officium promotum cupiebat, eius capituli celebrationem Romam tranſtulit, futurasque expenſas liberaliſſimè obtulit, quas etiam & contulit. Tempore igitur præfixo adueniente, patribusque omnibus tum Conuentualibus, tum quoque Obſeruantibus Romæ, in conuentu Aracœlitano conuenientibus, huiuſmodi Capituli præſes, conuocatis omnibus patribus Conuentualibus, ad quos eius celebratio ex munere ſpectabat, ac quatuor tantùm patribus ex qualibet familia Obſeruantibus, prolato quodã Apoſtolico breui, declarauit eam eſſe ſummi Pontificis mẽtem, vt perſeuerantibus in ſua vi pro tempore futuro Calixtinis conſtitutionibus, Generalis Miniſtri electio penes patres Conuentuales tantùm, tunc temporis, eſſet; vtque patres Obſeruantes tum Vltramotani, tum quoque Citramontani ſeorſim conuenientes, ſuos Vicarios Generales à futuro Generali Miniſtro confirmandos, liberè eligerent. Quo quidem nihil gratius illis accidere poterat. Procedentibus itaque iuxta canonicas ſanctiones & iſtis in ſacriſtia, & illis in refectorio, ad præfatas Generalis Miniſtri, ac Vicariorum Generaliũ electiones, in totius Ordinis Minorũ xxxvj. Generalem Miniſtrũ R. P. F. Ioannes à Sarzuola à patribus Conuentualibus, pro ſuæ ſanctitatis voto, & in Ciſmontanæ Obſeruantis familiæ Generalem Vicarium à Ciſmontanis patribus venerabilis pater frater Baptiſta de Leuanto, & in Vltramontanæ Generalem quoque Vicarium à patribus Vltramontanis venerabilis pater frater Ioannes Mugini, anno à mundo redempto 1458. ab Ordine verò condito 250. electi ſunt. Quorum electio tanto gratior ſummo Pontifici fuit, quanto cum maiori omnium pace, atque expectatione facta extitit. Fuit ſummus hic Pontifex Regulari Obſeruantiæ ſatis fauorabilis, ac Turcarum infeſtiſſimus hoſtis: Nam & Vſſumcaſſanem Perſarum potentiſſimum Regem, atque Tartarorum magnum canem ſiue Imperatorem oblatis muneribus ſibi concilians, in ipſos infeſtiſſimè concitauit, atque ſexdecim inſtructis triremibus, eorum maritimam oram continuis incurſionibus per ſuos Duces, atque milites mirum in modum infeſtauit, depopulatusque eſt. His ergo, ac plurimis alijs virtutibus clarus, poſt expletum ſummo in Pontificatu triennium, trabea carnis exutus migrauit ad æthera. Cui doctiſſimus, pariter ac præſtantiſſimus Æneas Siluius Piccolomineus, ſub Pij II. nomine, in officio paſtorali, anno à Chriſto ſeruatore nato 1459. ſucceſſit: qui pro ſua in Franciſcanam Religionem, præcipuè verò in Obſeruantem pietate, ac beneuolentia, eius Protectorem inſtituit reuerendiſſimum ac illſtriſſiumum dominum Beſſarionem Græcum, ac S.R.E. Cardinalem, atque expedita plumbea bulla, cùm prius negotium reuerendiſſimis quatuor alijs S.R.E. Cardinalibus diſcutiendum commiſiſſet, conſtitutiones, quæ Obſeruantibus aduerſabantur, reuocans, Eugenianum dipploma, in eorum fauorem editum. (cuius ſuperiùs meminimus) confirmauit, ſtabiliuitque atque eos plurimis alijs fauoribus cumulauit. Quod in cauſa fuit, vt illi per tredecim continuos annos ſub præfato Pio II. atque eius ſucceſſore Paulo itidem II. qui prædeceſſoris acta eorum fauorem concernentia rata, atque firma eſſe voluit, ac ſub reuerendiſſimis patribus fratre Ioanne à Sarzuola, & fratre Franciſco à Ruuere Sauonenſe, Generalibus totius Ordinis Franciſcani Miniſtris, omni pace, omni tranquillitate, ac omni denique quiete fruerentur. Sed præmemorato reuerendiſſimo patre fratre Franciſco à Ruuere ad Cardineum pileum à Paulo II. ſummo Pontifice vocato, atque ex morte eiuſdem ad Petri nauiculam regendam aſſumpto, non ita contemnendis difficultatibus quati, agitarique cœperunt. In id ipſo ſummo Pontifice omnino incumbente, vt quotquot Regularem profiterentur Obſeruantiam, ij penitus Gene-

rali totius Ordinis Miniſtro ſubderentur, atque ad nutum parerent, atque Eugeniana conceſſio illis fauens omnino reuocaretur. Mandaturus igitur Sixtus IIII. huiuſmodi intentum exequutioni venerabilem patrem fratrem Marcum à Bononia Ciſmontanæ Obſeruantis familiæ tunc Generalem Vicarium ſecreto conſcriptorum patrum, illuſtriſſimorum videlicet S.R.E. Cardinalium Conſiſtorio intereſſe voluit, futuramque huiuſmodi ſubmiſſionem, atq; Eugenianæ bullæ reuocationem illuſtriſſimo illi Cardineo cœtui coram eo propoſuit. Qui quidem venerabilis, ac zelantiſſimus pater, cùm illuſtriſſimos Cardinales in ſummi Pontificis ſententiam propenſos cerneret, neque rationibus, neque precibus, vt ſibi, ſuiſque fratribus (quandoquidem omnimoda eorum vtriuſque hominis conſolatio ex eo tantùm penderet) iuxta præſcriptas ab Eugenio IIII. Pont. max. non abſque rationabili, maturaque deliberatione, leges viuere liceret, impetrare vllatenus poſſet, omni ſpe humana longè à ſe abiecta, diuinoque tantùm auxilio innixus, ac oculis in cœlum intentis, promptam ex manica beatiſſimi patris Franciſci Regulam genuflexus in medio Conſiſtorio à ſe proiecit, atque alta voce, feruentiſſimoque ſpiritu ait: Eia ſanctiſſime pater, pauperumque Patriarcha Franciſce pro tuæ Regulæ obſeruantia ſtare ſatagito, quandoquidem pauperculus ego homuncio viribus omnibus extenuatus, atque omni humano fauore deſtitutus, id efficere nequeo, nec aliquo ſibi adiumento eſſe valeo. Cuius verba, zelum, atque feruorem tum ſummus ipſe Pontifex, qui rem ea in congregatione concludere intendebat, tum quoque cæteri Cardinales maximè admirantes nihil penitus determinarunt, ſed ſoluto Concilio, rem interim maturiori deliberationi committentes, venerabilem ipſum patrem humaniſſimè dimiſerunt. Quæ omnia alta mente reuoluens vigilantiſſimus pater atque hæc verba iteratò repetens: Domine ſalua nos, perimus, & Excita omnipotens Deus potentiam tuam, & fac tranquillitatem, omnibus Obſeruantibus imminens ſibi periculum quàm citiſſimè ſignificauit, ſuggeſſitque, vt inſtantiſſimis precibus, & lachrymis Deo opt. max. negotium commendarent, literaſque in ſui fauorem commendatitias à Principibus, atque Regibus ad ſummum Pontificem impetrarent, quibus ſaltem commotus ſententiam mutaret, illorumque miſereretur. Ne autem & ipſe officio pro ſua parte deeſſe videretur, plurimorum quoque Principum, ac magnatum, quibus amantiſſimus ob vitæ ſanctitatem erat, fauorem ſuis epiſtolis implorauit. A quibus cùm humaniſſimum, ac omnino fauorabile reſponſum, ſimul cum eorundem ad Pontif. max. literis, quibus illi ſupplicabant ne Obſeruantes Conuentualibus ſubmittere, ac eorum Eugeniana priuilegia abrogare vellet, quandoquidem ipſi nullo pacto in ſuis ditionibus id permiſſuri forent, recepiſſet, eas omnes diſco commiſſas ſibi præſentari fecit. Quibus perlectis ſubiecit ſummus pontifex: Putabam me cum abiectis, ac pauperculis fratribus negocium tantùm, non autem cum omnibus mundi Principibus habiturum. Cui cùm illuſtriſſimus, ac reuerendiſſimus Cardinalis Bononienſis Nicolai Papæ V. vterinus frater, quorum vterque Regulari Obſeruantiæ addictiſſimus fuit, fortuitò adeſſet, ſubiunxit: Videris ſanctiſſime pater quid hoc in negocio egeris, quidque decreueris; nam ij fratres plures numero ſunt, & bene ob vitæ candorem, atque ſinceritatem apud omnes audiunt, optimeque de catholica Eccleſia merentur, & vniuerſum orbem poſt ſe (ſi opus fuerit) trahent. Quòd ſi meum conſilium alicuius apud te ſit momenti, illis non tantùm conceſſa à tuis prędeceſſoribus confirmabis, verùm etiam multò plura concedes, addijcieſque. Cuius verba quanti ponderis apud ſummum Pontificem fuerint, vel hinc ſaltem coniectare licebit: Cùm non ſolùm Eugenianum dipploma (de quo erat quæſtio) ſuis literis, atque calculo comprobarit, verùm & beati patris Bernardini de Senis corpus, quod apud patres Conuentuales per trigintaocto annos, Aquilæ (quæ Brutiorum ciuitas eſt) reconditum fuerat, illis, ad eorum Eccleſiam nouiter ibidem ædificatam, in proximè futuro generali Capitulo Aquilano, transferendum conceſſerit. Sub hoc Pontificatu, ac ſub reuerendiſſimis patribus fratre Franciſco Sanſone totius Ordinis Generali Miniſtro, & fratre Petro à Neapoli Ciſmontanæ Obſeruantis familiæ Vicario Generali, anno à partu Virgineo 1475. cùm ſummus ipſe Pontifex Sixtus IIII. fratribus cupientibus vitam in melius, ac in rigidiorem viuendi modum, iuxta regulares Franciſcanas ſanctiones,

quocunque

quocunque Pontificio indulto,ſiue declaratione ſecluſa commutare, dummodo ſe ſub Generalis Miniſtri obediētia cōtinerent,liberaliſſimè,ac libentiſſimè, pro ſua in Deum pietate, ac in ſeraphicam Religionem zelo, adeſſet, (quod tamen plurimi, ſuſpicantes id in Regularis Obſeruantiæ deſtructionem, diſſipationemque, cui,ob præmemoratas cauſas, infenſus videbatur, ab eo factum fuiſſe ſiniſtrè interpetrati ſunt: licèt mihi minimè probetur: cùm non me lateat qualibus, ac quantis fauoribus præfata Regularis Obſeruantia ab eo honeſtata ſit) quidam frater Antonius à ſancto Ioanne Prouinciæ Tuſciæ alumnus,ac Regularis Obſeruantiæ profeſſor, ſolicitatis clam quadragintaquinque eiuſdem Prouinciæ confratribus, vt ſecum in quandam vitæ reformationem tranſire vellent,cùm illorum quinque in montem Argentarium maritimis fluctibus Hetruſcis allutum, atque Turcicis excipiendis piratis receptaculum peropportunum, ſylueſtrem, ac pauperrimam vitam,ad tempus ibi ducturus ſeceſſit. Indeque ſoluens, idoneum nouæ plantandæ reformationi locum inueſtigaturus, Serram Prouinciæ ſancti Angeli oppidum appulit.Cùmque ibidem à Serrano Comite humaniſſimè exceptus eſſet, ac locum ædificando monaſterio accomodum impetraſſet: dum Apoſtolicam auctoritatem Romæ,quò ſe contulerat,(præſtolātibus interim alijs quadraginta ſocijs in ſuis conuentibus ſecretò fœlicem rei euentum, vt ſe illi coiungerent) venari intendit,à patribus, iuſtiſſimis tamen de cauſis, ne id aſſequeretnr præuentus eſt. Quapropter re infecta propriam Tuſciæ Prouinciam repedare coactus, alijs ſe ſuis pellibus continendi cauſa fuit.

Patrum Caperolanorum inſtitutio.

QVIDAM frater Petrus Caperolus, qui Regulari Obſeruantiæ in Mediolanenſi Prouincia nomen dederat, reuerendiſſimo patre fratre Franciſco Sanſone Generali Miniſtro, ac ſereniſſimo Nicolao Venetorum Duce ſibi fauentibus, ſub prædicto patre fratre Petro à Neapoli eiuſdem Obſeruantis familiæ, ſed Ciſmontanæ, Vicario Generali, à præfato Sixto Papa IIII. anno à Dominica incarnatione 1477. vt, Vicário Prouinciæ Mediolanenſis Prouinciali vale dicto, ſe,ac quàmplurimos alios fratres ſui ſequaces, qui & Caperoli dicti ſunt, nec non & eiuſdem Prouinciæ, Bergomatem, Brixianum, ac Cremonenſem conuentus ad ſancti Antonij Prouinciam, ſub Miniſtri Prouincialis patrum Conuentualium obedientia deinceps moraturus, ac nouam quandam reformationem inſtituturus transferre poſſet, impetrauit.Inſuper & obtinuit, vt iuxta aliarum Obſeruantum Prouinciarum morem, & Capitulum celebrare, & Prouincialem Vicarium, qui huiuſcemodi reformatis fratribus præeſſet, eligere poſſet. Quo tamen, ſub venerabili patre fratre Angelo à Clauaſio Generali Vicario, circa annnm Domini 1479. vita functo, & hniuſmodi Caperolana congregatio, agnita ab eius alumnis in proximo generali obſeruantum Capitulo huiuſcæ leuitatis culpa, ſoluta eſt, & fratres illi omnes, qui prædictum fratrem Petrum Caperolum ſequuti fuerant, nec non & tres conuentus (de quibus ſupra) Mediolanenſi Prouinciæ reſtituti ſunt.

De Clarenorum reditu ad Generalis Miniſtri obedientiam.

EODEM anno 1477. quidam frater Petrus natione Hiſpanus,ſed profeſſione Clarenus, qui inter cæteros ſuæ Religionis maxima pollebat auctoritate,ſuorum confratrum apud Sixtum IIII. Pontificem legatione functus, vt antiquiori Anachoritico viuendi modo, habitu, atque Epiſcopis promiſſa obedientia relictis, in Generalis Miniſtri poteſtatem, ſub peculiari tamen prælato: vtque in cæterorum Franciſcanorum habitum,licèt aliqualiter differentem, (vt fuſiùs ſupra meminimus) tranſire poſſent, ab eo retulit: atque ſumpto de ipſiuſmet ſummi Pontificis manibus nouo habitu,quo ipſe, ſuiq; ſequaces in poſterum vti deberent, primus Generalis Miniſtri Vicarius à ſuis electus reliquis, qui ſibi adhæſerunt, (perſtitère nihilominus aliquot ex eis in Anachoritica illa vita, ac Ordinariorum obedientia ab iſtis omninò diuiſi, vnde & Aclareni, ſiue Clarenuli dicti ſunt) viuendi norma effectus eſt. Cui etiam præfatus Sixtus IIII.

ſancti

ſancti Hieronymi Eccleſiam Romæ erectam, quæ ad fratres beatiſſimi patris Franciſci Tertiarios attinebat, liberaliſſimè ex Apoſtolica auctoritate conceſſit.

Amadeorum fratrum origo, atque progreſſus.

FVIT nobilis quidam Luſitanus nomine Ioannes Meneſius, primi Comitis Villæ Regiæ ex matre nepos, ac primi itidem Comitis Portalegrenſis, nec non & pientiſſimæ ſororis Beatricis à Sylua, Ordinis monialium Conceptioniſtarum illuſtris fundatricis vterinus frater regio ſanguine clarus, qui ex Portugalia, cum Eleonora Eduardi Luſitaniæ Regis filia, ac Federici III. Germanorum Imperatoris legitima vxore in Italiam traijciens, diuina gratia præuentus, Eremitis diui Hieronymi fratribus, in Eccleſia beatiſſimæ Virginis Mariȩ de Breſſanoro Cremonenſis diocœſis,apud caſtrum Leonis,quòd Inſubrum eſt oppidum, ſub Anachoritico illorum habitu, adiunctus fuit. Poſtmodum à beatiſſimo patre Franciſco, atque à Seruatore noſtro Chriſto,eiuſque ſanctiſſima matre præmonitus, vt, eo viuendi inſtituto relicto, Aſſiſium, à Generali Franciſcanorum Miniſtro Minoritico induendus habitu, peteret, diuinis illorum oraculis acquieſcens, ibidem, à præfato Generali Miniſtro cæteris Franciſcanis Conuentualibus, ſub fratrum laicorum habitu, annumeratus eſt. Cuius cellula ipſamet Eccleſia, exercitium verò perpetua oratio, aut diuinarum rerum contemplatio, aut humile obſequium fuit. Eius igitur famam cùm excellentiſſimus Franciſcus Sfortia Mediolanenſium Dux accepiſſet, à Generali Miniſtro obtinuit, vt frater Amadeus, (ſic enim vulgò appellabatur, licèt eius nomen Amator eſſet) Mediolanum de cætero moraturus, ſe transferret. Quò cùm perueniſſet, & Duci, atque Duciſſæ eius coniugi gratiſſimus, amantiſſimusque extitit, & illis optatiſſimam prolem, quam obtinere non poterant, inſtantiſſimis precibus ab altiſſimo impetrauit. Quod in cauſa fuit, vt ſibi magis magiſque afficerentur, atque locum, pro ædificando monaſterio Mediolani concederent. Quo denique obtento, de ſummi Pontificis licentia conuentum,ſub titulo ſanctæ Mariæ de pace, qui vſque in præſens perſeuerat, eò quòd ibi optatiſſimam ſui ſpiritus pacem, aſſequutus eſſet, omni adhibita diligentia, inibi conſtrui curauit, fratreſque Conuentuales, tum de Generalis Miniſtri licentia, tum quoque ex ſummi Pontificis auctoritate ſibi, ad inſtantiam præfati Mediolanenſium Ducis, facta, ad ſe venientes recipere, & alios ſęculares eius conſortium affectantes Minoritico habitu, qui ei, quo Obſeruantes vtebantur, perſimilis erat, induere cœpit, ſanctiſſimiſque legibus, ac conſtitutionibus, quibus Regulæ candorem fœlicius conſeruarent, ſanctiſſimique patris Franciſci veſtigijs tenacius hærerent, eos aſtrinxit. Quibus maximè ſuccreſcentibus nouellus hic Amadeorum ordo, ab eius fundatore ſic dictus, anno à Dominica incarnatione 1460. inchoatus, mirum in modum per Italiam, cuius ambitu circumſcribebatur, præcipuè verò per Inſubriam dilatari cœpit. Adeò vt vigintiocto loca, in vnicam tantùm Prouinciam erecta,& proprio Prouinciali Miniſtro ſubacta, ſub cura tamen, ac obedientia Generalis Miniſtri, ſucceſſu temporis, obtinuerit. Accidit interim vt, anno Domini 1471. Sixtus IIII. cui frater Amadeus notiſſimus erat, ad ſummum Pontificatum, ob Pauli II. mortem, (vt præfati ſumus) eueheretur. Qui eximiam ſanctitatem, maximamque religionem in homine pro ſua pietate veneratus, eum Romam accerſiuit, conſecratumque ſacerdotem, licèt inuitum ob dignitatis atque miniſterij reuerentiam, quo ſe indignum pro ſua humilitate iudicabat, in confeſſarium, atque fidiſſimum ſecretarium, cui ſuæ conſcientiæ vulnera panderet, detegeretque, atque grauiſſima negocia communicaret, elegit, ac eius Ordinem, collata ſibi quoque ſancti Petri Montorij,ſiue Montis aurei Eccleſia in vrbis Romanæ Ianiculo, qui & Mons aureus vulgò dicitur, ſita, eo videlicet in loco,in quo Apoſtolorum Princeps diuus Petrus, pro Chriſti confeſſione cruci affixus, occiſuſque fuit, plurimis gratijs, priuilegijs, atq; fauoribus locupletauit. Quam quidem diui Petri Eccleſiam Gallorum Rex in iuſtum conuentum promouere cœpit. Sed cùm proſequendo operi ſuperſediſſet, eam catholici Hiſpaniæ Reges Ferdinandus, eiuſque vxor Eliſabetha curioſiſſimè elaboratã omnibus ſuis numeris,collato etiam ampliſſimo ſibi adiacẽte ſitu, ac regijs Hiſpaniæ armis parietibus affixis, abſolui, atque in elegantiſſimi monaſterij formam redigi curarunt.

runt. Fuit beatus pater Amadeus vniuerſæ Romanæ curiæ virtutis exemplum, ac ſanctitatis norma: qui licèt ſummo Pontifici chariſſimus eſſet, grauioribusque implicaretur negocijs, nihil tamen ſolitæ humilitatis, aut aſperitatis prætermiſit. Nam pane tantùm & aqua laboribus defeſſum, atque vigilijs attritum corpuſculum ſemel in die reficiens, nudiſque pedibus incedens ſimpliciſsimo amiciebatur habitu, & duabus horis ſecluſis, quibus hilari, atque benigniſſimo vultu cum omnibus ad ſe aduentantibus humaniſſimè conuerſabatur, quod reliquum ſibi temporis ex die ſupererat, id vel in diuinis perſoluendis laudibus, vel in cœleſtium myſteriorum contemplatione in quodam montis eiuſdem ſpecu ſegregatus ab alijs inſumebat. In quo & pulcherrimum libellum de reuelationibus, & prophetijs Romanæ Eccleſiæ ſtatum, Angelicum quendam Pontificem, Regnorum, Dominiorum, atque Religionis mutationem concernentibus compoſuit. Quem tamen alij quidam proprijs imaginationibus, atque fantaſticis adinuentionibus conſpurcantes, adeò obſcurarunt, atque in ordinem pro libito redegerunt, vt ipſorum potius, quàm beati Amadei libellus dicendus iure optimo veniat. His igitur virtutibus inſignis beatus Amadeus, cùm præfatum conuentum de pace à ſe conſtructum inuiſurus Mediolanum conceſſiſſet, ibidem expletis à ſua conuerſione in huiuſmodi laudabili vita, atq; pœnitentia vigintiduobus annis, anno à ſalutifera Chriſti natiuitate 1482. à Pontificatu verò præfati Sixti IIII. 12. diem clauſit extremum, atque in medio maiori ſacello miraculis ante, & poſt mortem clarus, ſepultus eſt. Ab hoc ergo patre Amadeorum Ordo, ſiue Congregatio ſumpſit exordium: quæ vſque ad Leonem X. Pont.max. licèt ab anno 1508. vſq; ad id tempus Obſeruantibus adhæſerit, Generali totius Franciſcani Ordinis Miniſtro ſubfuit. Ab eo verò (vt inferius dicetur) Generali Obſeruantis familiæ Miniſtro ſubacta, ſub illo vſque ad Pij V. Pont.max. tempora militauit. Sub quo tandem (vt ſuo loco adnotabimus) cum Clarenis, ac quibuſdam alijs, reiecto Amadei vocabulo, nec non Prouincia, ac Prouinciali Miniſtro proprijs exauthoratis, in omnimodam Regularem Obſeruãtiam tranſijt: Subactis interim eius monaſterijs illi Obſeruãti Prouinciæ, cuius ambitu cõtinerentur.

Conceptioniſtarum ſororum inſtitutio atq; auctrix.

ASSVEVIT Deus opt. max. quoties inſigne aliquod, atq; memorabile opus in humani generis fauorem æterna ſua diſpoſitione producere decreuit, illud quibuſdam ſignis, atque prodigijs præſignare, vt vel ſic mortales attentiores, & quod futurum eſt commendatiſſimum reddat. Sic Iſraeliticum populum ab Ægyptiaca ſeruitute liberaturus exterminatorem Angelum, qui tranſilitis abſq; damni alicuius illatione Hebræorum domibus Ægyptiorum primogenita interimeret, præmiſit. Sic Moſaycæ legis dationi tonitrua, fulguraq; prætulit. Sic ſalutiferum Chriſti ſeruatoris noſtri temporalem ortum à miraculoſa ſui præcurſoris natiuitate, atq; à plurimis propheticis, ſibillinisq; oraculis præueniri, æterna ſua voluntate, ſtatuit. Sic etiam nobiliſſimum hunc Conceptionis Ordinem in honorem ſanctiſſimi illius conceptus glorioſæ, ſemperq; Virginis Dei genitricis Mariæ inſtituendum, tanquàm ſibi gratiſſimum, mortalibusq; vtile, plurimis mirabilibus præmiſſis euentibus, commendatiſſimum reddidit: Quemadmodum ex his, quæ ſequuntur, facillimè conſtat. Fuit igitur olim nobiliſſima quædam, pariterque pulcherrima virgo Luſitana nomine Beatrix à Sylua, beati patris Amadei, (de quo paulò ſupra) atque illuſtriſſimi Comitis Portalegrenſis vterina ſoror, nec non & ſereniſſimæ Eliſabethæ Ioannis huius nominis ſecundi, Regiſq; Caſtellæ vxoris cognata: quæ cùm præfatę Eliſabethæ Reginæ ex Portugalia in Caſtellam vſq; congreſſa, in eius regia verſaretur, ac à potentioribus Principibus tum ob ſanguinis ſplendorẽ, tum quoq; ob animi, corporiſq; dotes & elegantiã in matrimoniũ deſideraretur, velletq; quiſq; illorum riualibus expediri, quibuſdam tumultibus, atq; iurgijs occaſionem miniſtrauit. Quod cum Regina reſciuiſſet, idq; ex quadam ſuſpitione præfatæ Beatricis procacitati, atque leuitati imputaſſet, eam per triduum lignea in arca abſque cibo, & potu includi iuſſit. Illa verò tantis oppreſſa anguſtijs, atque præſentiſſimo vitę diſcrimini expoſita, cùm impoſiti criminis expers eſſet omnino glorioſiſ-

ſimæ

ſimæ Virginis Mariæ fauorem implorare cœpit, ſibique ex voto promiſit, ſi vnquam
huiuſcemodi periculum euadere poſſet, perpetuam ſe virginitatem ſeruaturam. Qua-
propter educta ex huiuſcemodi arca, mundo, eiusq́; pompis, in celeberrimo ſancti Do-
minici regij monaſterio, vale dictura, Toletum ſe conferre decreuit. Dumq́; itinerare-
tur, cuiuſdam Luſitani vocem ſe à tergo proprio nomine vocãtis audiuit: cui reſponſura,
vt primùm faciem conuertit, binos Franciſcanos patres omnino venerabiles, ſeq; ſe-
quentes conſpicata eſt. Quibus tamen viſis pelli ſuę (ſuſpicabatur enim illos à Regina
miſſos eius excipiendæ confeſſionis cauſa, vt tandem ritè diſpoſita, & absq; tumultu
necaretur) timere cœpit. At illi currui appropinquantes, certioresq́; de eius pauore,
atque ſiniſtra ſuſpitione facti, eam bono, conſtantiq́; animo eſſe iuſſerunt: Tum quia
nihil huiuſcemodi periculi ſibi immineret, tum quia plurimarum, atque verè illuſtriũ
virginum fœtu fœcundanda foret. Quibus illa reſpondit, impoſſibile hoc eſſe: quan-
doquidem virginitatem Deo, eiusq́; ſanctiſſimæ matri vouiſſet, illamq́; inuiolatam om-
ninò ſeruare vellet. Illi verò adiecêre nihil hoc impedire, quo minus id ſibi contingeret.
Cùmq; ſimul pergentes, atq; de multis conferentes ad hoſpiticum perueniſſent, ipſaq́;
ſolicitius commune prandium parari iuberet, euanuerunt prædicti patres. Ob cuius rei
euentum, id ſibi beneficio Virginis glorioſæ, cui ſe ad præfatorum patrum conſpectum
ex intimis præcordijs commendarat, cuiusq́; præſentia, dum adhuc intra arculæ an-
guſtias compreſſa teneretur, dignata fuerat, accidiſſe exiſtimans, omnino confortata
eſt: emiſſumq́; prius de ſeruanda virginitate votum confirmauit, atq; Toletum appul-
ſa præfatum ſancti Dominici regij conuentum cum duabus tantum pediſſequis ingreſ-
ſa eſt, ibidemq́; per continuos quadraginta annos, honeſtiſſimo in habitu, (licèt ſæ-
culari) atque in maxima vitæ ſanctitate, pœnitentia, & rigore ſacris eius loci virgi-
nibus conuixit. Faciem verò, quæ tantis tribulationibus occaſionem aliquando præ-
buerat, ita velo obduxit, vt eam ab aliquo ſeculari ſiue viro, ſiue muliere, niſi ſemel
tantùm à catholica Hiſpaniæ Regina Eliſabetha Ferdinandi Regis vxore, atq; alterius
Eliſabethæ filia conſpici permiſerit. Cumq́; glorioſiſſimæ Virginis Mariæ deuotiſſima
eſſet, die noctuq́; meditari non ceſſabat, quo pacto gratum aliquod obſquium, in
beneficiorum à ſe receptorum memoriam, illi præſtare poſſet, quoue modo immacu-
latam eius conceptionem, quam ſummoperè venerabatur, mundo celebriorem red-
deret. Dumq́; hæc anxia, atq; ſolicita mente reuolueret, animi affectum præfatæ Re-
ginæ Eliſabethæ aperuit. Quæ læta de voto, ac de eius exequtione ſolicitior effecta,
Toletanam regiam, quam vulgò Galianæ palatia tunc temporis nuncupabant, nunc
verò ſanctæ Fidei monaſterium appellant, illi liberaliſſimè contulit. Qua obtenta, atq;
in commodiorem formam redacta, ad eam, anno à mundi redemptione 1484. cùm
duodecim relicti à ſe monaſterij ſacris virginibus ſe conferens, ibidem per continuos
quinque annos, in eo habitu, quo modò Conceptioniſtæ moniales per Hiſpaniam
vtuntur, tunica nempè, atq; ſcapulari albis, ceruleoq́; mantello, quo etiam induta
ſibi in arculæ ergaſtulo glorioſa Virgo apparuerat, cõuerſata eſt. Cui Innocẽtius VIII.
Pont. max. qui tunc in totius militantis Eccleſiæ ſpecula agebat, anno Domini 1489.
ad inſtantiam sereniſſimæ eiuſdem Eliſabethæ Reginæ edita bulla conceſſit, vt in ha-
bitu, nomine, atq; ſanctiſſimæ Conceptionis officio à ſe adinuentis tum ipſa, tum duo-
decim illæ ſibi adiunctæ ſorores, atq; in poſterum adiungendæ, ſub Ciſtercienſi Ordi-
ne, Diœceſaniq́; Præſulis obedientia, atq; ſub quibuſdam à ſe præfixis cõſtitutionibus,
de cætero viuere, altiſſimoq́; famulari poſſent. Quæ quidem bulla, cùm in mari nau-
fragata eſſet, miraculosè à ſe nihilminus cogitante, ſed fortè fortuna arculam quan-
dam euoluente inter ſtrophiala reperta eſt. Cumq́; quid contineret penitus ignoraret,
eam reuerendiſſimo patri fratri Garſiæ Quiſiadæ Franciſcano, ac Guadigienſi Epiſco-
po perlegendam miſit. Dumq́; certior de ſummi Pontificis gratia, & conceſſione facta
Deo opt. max. alacriùs pro tanto miraculo, tantoq́; ſingulari beneficio debitas redde-
ret grates, mirabilius ab Angelo quodam de rei euentu, nempè de præfatæ bullæ nau-
fragio, & emerſione, deq́; loco, & tempore, quo ea acciderant adamuſſim edocta eſt.
Epiſcopus verò Guadigianus (vulgò de Guadix) indicta ex reuerendiſſimi Toletani
Archiepiſcopi auctoritate, cuius id munus erat, ſolenniſſima ſupplicatione, atq; vni-
uerſo,

uerſo, tum eccleſiaſtico, tnm quoq; ſæculari ſenatu, ac reliquo populo ad eam inuitato, præmemoratam bullam ſtatuta die à matrice illius ciuitatis eccleſia vſq; ad prædictum ſanctæ Fidei locum, cum maxima pompa, & inſtructiſſima, pariter ac illuſtriſſima ſe comitante proceſſione detulit, ibiq; habita pro roſtris concione, eam coram vniuerſo conſeſſu legit: quem & de omnibus, quæ circa ipſam acciderant, inſtruxit, atq; ad ſolemnem ſacrarum neophitarum virginum profeſſionem, à ſe poſt quindenam excipiendam, inuitauit. Cùm itaq; præfata Beatrix à Sylua ad huiuſmodi nouam militiam, nouamq; Religionem ſuſcipiendam ſe diligentiùs præpararet, neceſſariaq; diſponeret, à glorioſiſſima Virgine Maria, poſt quintam à ſolemni illa prædicatione diē, viſitata, atq; certior de breuiſſima ſibi morte imminente facta eſt. Quapropter accerſito eius patre Confeſſario Franciſcano per generalem confeſſionem conſcientiam abſterſit, viaticumq; quàm deuotiſſimè ſumpſit, atq; quod ſibi vitæ reliquum fuit in continua oratione, diuinarumq; rerum meditatione tranſegit. Quibus omnino intenta, ex acutiſſima febre, decimaſeptima menſis Auguſti eius anni, qui à partu Virgineo 1490. erat, ab eius verò ortu 66. cum maxima animi ſerenitate obdormiuit in Domino: Eo videlicet die, quo iuxta reuerendiſſimi Guadigienſis Epiſcopi condictum Chriſto ſponſo, ſub nouo ſanctiſſimæ Conceptionis habitu, nomen publicè datura fuerat. Statimq; in eius fronte ſplendidiſſima quædam, atq; aurea ſtella viſa eſt. Sed antequam animam cœlo redderet plures Dominicani fratres, atq; eiuſdem Ordinis ex præmemorato ſancti Dominici regij conuentu ſorores, quibus illa in habitu ſæculari plurimis annis cohabitarat, vt tantum pignus, ideſt exanime corpus raperent, ſimulq; ſibi cohærentes cariſſimas ſocias in propriam domum transferrent, ſolicitè accurrerunt. Quibus nihilominus præſentibus à Franciſcanis Obſeruantibus, quibus illa fuerat ſemper addictiſſima, præcogitato à ſe ſanctiſſimæ Conceptionis habitu indui, atq; velo contegi, nec non & in eorum manibus ſolemne Religionis votum emittere paululùm ante mortem voluit. Quo tandem factum eſt vt inter vtroſq; religioſos, Dominicanos videlicet atq; Minoritas maxima de eius corpore ſepeliendo oriretur quæſtio. Sententia tamen in Franciſcanorum fauorem ab illuſtriſſimo Archiepiſcopo Toletano prolata, ab iiſdem Obſeruantibus in propria ſanctę Fidei domo cum maxima ſolennitate, populiq; frequentia depoſitum, tumulatumq; eſt. Præfatæ autem Dominicanæ ſorores, quæ eius obitui adfuerant, pro virili curarunt, vt duodecim illæ religioſæ virgines, quæ defunctæ in vita adhæſerant, neophitamq; Religionem profiteri intendebant, ea derelicta in earum Philadelphiam tranſirent. Cùmq; illis ſolicitiùs inſtarent, venerabilis pater ac frater Ioannes à Toloſa, cui prædicta ſoror Beatrix à Sylua ſtatim ab eius tranſitu Guadalfagiare præcioſiſſimo amicta habitu apparuerat, ſuaſeratq; vt Toletum petens eius ſocias in propoſito confirmaret, ex tempore adfuit: qui & iſtis perſeuerantiam in propoſito ſuggeſſit, & illas ab eis ſolicitandis omnino pepulit. Vnde & ab eo die earum ædes, quæ prius ſanctæ Fidei ſacra erat, immaculatæ ſanctiſſimæ Virginis Conceptioni, iuxta Apoſtolicam Innocentij VIII. ſummi Pontificis conceſſionem, dicata euaſit. Poſt tranſactos verò aliquot dies præfatæ illæ duodecim virgines tantæ matris defunctæ ſanctiſſimis inhærentes veſtigijs eodem habitu, quo & illa induta fuerat, indui, atq; eidem prorſus profeſſioni, cui & illa aſtringi paulò ante mortem voluit, ex ſolemni voto obligari & ipſæ voluerunt: & Toletano Archiepiſcopo, ex Apoſtolica auctoritate, vale prius dicto, Franciſcanorum regimini, & curæ ſe commiſerunt. Erat illis fortè contiguū Benedictinarum monialium, ſed Conuentualium monaſterium diuo Petro ſacrum: quamobrem, vt vtriuſq; domus ſorores in vnum iunctæ fœliciùs coaleſcerent, ſereniſſima, atq; catholica Hiſpaniæ Regina Eliſabetha per eius Confeſſarium, venerabilem videlicet patrem fratrem Franciſcum Ximenium tunc Prouinciæ Caſtellæ Vicarium Prouincialem, atq; Generalem omnium Ordinum totius Hiſpaniæ ex Apoſtolica auctoritate Reformatorem egit, vt vtroq; monaſterio in vnum conflato, amborum ſorores in eandem Regulam, eandemq; profeſſionem verba facerent. Quapropter, impetrata ab Alexandro VI. Pont. max. hac de re facultate, anno à Chriſti ſalutifera natiuitate 1494. vtræq; virgines ſacræ, derelictis antiquioribus normis quibus ex voto ſubiacebant, in ſanctæ Claræ Regulam, ſed ſub Conceptionis habitu, tranſierunt: in qua

& ali-

& aliquandiu pacificè ſatis, atq; vnanimi conſenſu perſeuerarunt. Sed oborto inter eas, ob diuerſos mores, & cæremonias, maximo ſchiſmate, maior eorum pars ad alios conuentus deflexit. Qua de cauſa & ab amicis, & ab inimicis naſcens iſte, atq; primitiuus ſanctiſſimæ Conceptionis Ordo maximam perſequutionem perpeſſus eſt. Adeò vt præfatus pater Franciſcus Ximenius eum omnino, iuxta viſionem aliquando à præfata ſorore Beatrice præuiſam, aboleri præceperit. Viderat ſiquidem illa, dum quadam nocte chorum matutinis interfutura horis ante alias peteret, lampadem, quæ ex religioſo more coram ſacroſancto, ac venerabili Euchariſtiæ ſacramento accenſa perſeuerabat, omnino extinctam. Cumq; triſtior ea de re effecta orationi feruentiùs inſtaret, illam ſe ipſa reuiuiſcere conſpexit, ſubmiſſamq; vocem ſibi dicentem audiuit: Ordo à te inſtituendus, ad iſtius lampadis exemplar, diſſoluendus aliquando, ac ferè extinguendus eſt: ſed diuino ſibi aſtante numine ſplendidior, poſt multas perpeſſas tribulationes, emerget, reuiuiſcetque. Quod & omnino euenit: Nam conuenientibus iterum in vnum, ac in propria remeantibus omnibus illis ſororibus, quæ ad alia loca diuerterant, is Ordo, qui diſſolutus omnino videbatur, multò illuſtrior euaſit, atq; omni fauorum genere à ſuiſmet perſequutoribus cumulatus extitit: aduentantibusq; indies plurimis virginibus, atque Conceptionis ſanctiſſimæ nouum habitum ſumentibus, poſtquàm ille diſſenſionum turbo euanuiſſet, ſerenaq; concordiæ aura efflare cœpiſſet, in tantam ſacer hic Ordo fœcunditatem erupit, vt mirum in modum ſuas propagines extenderit. Anno ſiquidem Domini 1525. deuotiſſima Marina à Cardenas, illuſtriſſimi Alphonſi à Cardenas nobilis Militiæ ſancti Iacobi magni Magiſtri neptis, ob maximam deuotionem, qua in naſcentem hanc Religionem ferebatur, ex domeſticis facultatibus, ad vrbis Romanæ Capitolini montis radices conuentum, ſub titulo ſancta Maria libera nos à pœnis inferni, ædificari curauit, ipſumque cum alijs decem mulieribus, quæ apud Lateranenſem eccleſiam diſtinctis in ergaſtulis latitabant, ingreſſa, huiuſce Inſtituti habitum, atque velum de manu reuerendiſſimi patris fratris Franciſci Angelorum (de quo paulò inferiùs) accepit, inibique primam Abbatiſſam egit, ac ſe tandem, eiuſque ſorores Minorum fratrum curæ commiſit. Deſiderantibus verò præfatis Toletanis ſororibus à quouis alio Ordine exemptionem, atque in peculiarem aliquam normam, & viuendi modum inhiantibus adfuit Iulius II. Pont. max. qui anno Domini 1511. Pontificatus verò ipſius viij. quodam edito diplomate, eas & à Ciſtercienſium, & à Clariſſarum, & à quarumcunq; aliarum monialium, ſiue etiam fratrum Ordine eximens, Franciſcanorum Obſeruantum curæ, atq; ſolicitudini immediatè ſubegit, ac ſanctiſſimis quibuſdam ſtatutis, & præceptis à ſe editis mancipauit. Ac tum demum reuerendus pater frater Franciſcus Angelorum Prouinciæ Caſtellæ Prouincialis Vicarius, qui tandem vniuerſi Minoritici Ordinis Miniſter Generalis euaſit, poſt elapſum quinquenniũ, nempe anno 1516. ſibi ſtatuta intrinſecam, extrinſecamq; earum conuerſationem concernẽtia, quæ vſq; in præſens mordicus, & inuiolabiliter ab eiſdem ſeruantur, illis ordinauit.

Coletanorum fratrum, atq; monialium ortus.

ORDO præpoſterus, ſed neceſſariò commutatus. Hæc dixerim, quòd Coletanorum Ordinem, quem Conceptioniſtico præponere debuiſſem, cùm illum per aliquot annos præceſſerit, ſibi poſtpoſuerim. Prodijt namque iſte nobis circa annum Domini 1410. ille vero non ante annum 1480. licèt eius fundatrix ab anno 1440. viam ſibi ſtruere cœperit. Hoc tamen non abs re fecerim: cùm iſte, Coletanus videlicet non tã late pateat ac ille. Vt igitur ad rem deueniamus, emerſit inter reliquas Tertiarias Prouinciæ Burgundiæ moniales, circa annum Dominicæ natiuitatis 1406. ſoror quædam Coleta eximiæ profectò ſanctitatis fœmina, quæ obtentis à Benedicto XIII. qui tunc ſummo apud Gallos Pontificatu fungebatur, Apoſtolicis fauorabilibuſq; literis, plures monialium Clariſſarum conuentus reformauit ędificauitq;, ac omnibus redditibus eliminatis, ſanctiſſimis cõſtitutionibus inſtruxit, communiuitq;. Quas omnes, ſimul cum plurimis alijs à ſe editis R.P.F. Gulielmus de Caſſali totius Ordinis Minorum Generalis Miniſter, in ſexdecim capita redactas, prȩfatis ſororibus reformatis, tanquã inuiolabiles

à ſe

à ſe ſeruãdas leges præſcripſit. Obtinuit præterea beata Coleta ab eodẽ Benedicto XIII. vt patrem confeſſarium, qui & ſororum confeſſiones exciperet, & aduentantes ſæculares, qui abſq; aliqua rerum proprietate ſiue in particulari, ſiue in communi, iuxta Regulæ tenorem atq; præceptum, & abſq; Pontificijs indultis victitarent, ſibiq; ſubeſſent, Minoritico habitu indueret, eligere poſſet; prout etiã elegit. Quò factũ eſt, vt intra breuiſſimi temporis ſpacium, plura monaſteria tum ſororum Clariſſarum pauperum, tum quoq; fratrum Reformatorum, iuxta Coletanam hanc reformationem & in Belgio, & in diuerſis Franciæ Prouincijs fundata, ac reformata fuerint. Quia verò huiuſmodi monaſteria à beata Coleta reformata, & erecta extitêre, & fratres ad eius nutum atq; præceptum eorum miniſterio deſtinabantur, & iſti Coletani, & illæ Coletanæ dictæ ſunt. Ad huius quoq; beatæ ſororis Coletæ normam, & exemplum plura ſanctimonialium cœnobia de prima beatæ virginis Claræ Regula in Italia, per beatum patrem Bernardinum de Senis etiam reformata, atq; ædificata ſunt. Hi tamen fratres Reformati ſiue Coletani, cùm illis in cẽteſimo generali Capitulo Romę, anno Domini 1506. ſub Iulio II. Pont. max. celebrato (in quo R. P. F. Rainaldus, ſiue Reginaldus Gratianus à Cotignola in quadrageſimum primum totius Franciſcani Ordinis Generalem Miniſtrum electus fuit) à patribus facultas data eſſet, vt infra annum vel Conuentualibus, vel Obſeruantibus, reiecto huiuſmodi Coletano nomine, vnirentur, poſt elapſum biennium, anno videlicet Domini 1508. Obſeruantibus adhæſerunt, illiſq; Prouincijs nomen dedêre, in quibus eorum conuentus ſubſiſtere contigit. Fuerunt & alij quidam fratres de Capucio ſiue de ſancto Euangelio (quos Prouinciæ ſancti Gabrielis aliqui, & meritò tribuunt) Reformati, qui, quòd ſimul cum præfatis Coletanis patribus etiam Obſeruantibus eodem tempore adhæſerint, nec adeò magni nominis aut numeri fuerint, data opera, ſilentio prætereuntur.

De ſexto Capitulo generaliſſimo.

CVM patres Franciſcani Conuentuales atq; Obſeruantes à temporibus Sixti IIII. Pont. max. vſq; ad Iulium II. ſummum itidem Pontificem, ab anno videlicet Dominicæ incarnationis 1472. vſq; ad annũ 1505. ſub eodẽ Sixto IIII. Innocentio VIII. atq; Alexandro VI. ſummis quoq; Pontificibus, atq; ſub R. P. F. Franciſco Sanſone totius Ordinis Generali Miniſtro ſumma pace, ſummaq; quiete, atq; tranquillitate potiti fuiſſent, mirumq; in modum & iſti, & illi pullularent florentq;, Iulius II. cuius ad ſeraphicam Religionem affectus incredibilis fuit, ſextum generaliſſimum Capitulum ſibi celebrandum ſtatuit: vt ſi bono modo fieri poſſet duæ illæ patrum Conuentualium, atq; Obſeruantum Franciſcanorum celeberrimæ Congregationes in vnum conflarentur, fieretq; ex illis vnicum tantum ouile, vnuſq; grex ſub vnico tantùm moderatore, ac Generali Miniſtro conſtitutus. Quamobrem expedito ſub anulo piſcatoris Apoſtolico quodam breui 5. Iulij eiuſdem anni 1505. Generali Miniſtro, ac ambobus Vicarijs Generalibus, Citramontano ſcilicet ac Vltramontano, necnon & cœteris Miniſtris, ac Vicarijs Prouincialibus, ſub excommunicationis latę ſententię pœna, præcepit, vt in feſto Pentecoſtes anni Domini 1506. omnes Romæ ſextum generaliſſimum Capitulũ celebraturi conuenirent. Quamobrem Generalis Citramontanus Vicarius Vltramontano ſcripſit, vt quantò citius ſecum, ac cum alijs patribus de rebus Regulæ Obſeruantiam concernentibus, ac de ijs, quæ dicto in generaliſſimo Capitulo proponenda petendaq; forent acturus, Romam properaret. Inſuper & congregationem patrum Diffinitorum Florentiæ habuit, ac multa ſecum de præfatis negocijs, ac de ijs, quæ eorum ſtatus candorem concernere videbantur, pertractauit ac ſtatuit: illaq; literis mandata Prouincialibus Vicarijs expoſuit: quos & ad generaliſſimum futurum Capitulum ſimul citauit. Et Vrbem, præfata congregatione ſoluta, petens omnium Cardinalium fauorem ſibi conciliauit: atq; ipſo ſummo Pontifici Obſeruantem familiam pro viribus commendans, ſe atq; illam pedibus ſuæ Beatitudinis, atq; voluntario decreto ſubmiſit, à quo benignum etiam illud reſponſum retulit: Eſſet bono animo, quandoquidem nihil circa Obſeruantiæ Regularis ſtatum immutandum, innouandumq; foret: ſed omnia in proximo

generali Capitulo ſtatuenda in eius potius bonum, atq; vtilitatem ceſſura eſſent. Idq; profectò rei euentus facillimè commonſtrauit. Vltramontanus interim Generalis Vicarius de his omnibns præmonitus, coacta generali quadam ac extemporanea congregatione, itidemq; authentico per publicum tabellionem confecto inſtrumento, cum patribus proteſtatus eſt, velle ſe quidem viuere & mori ea in vocatione Regularis Obſeruantiæ, quæ tot ſummorum Pontificum, atq; generalis Concilij Conſtantienſis calculo approbata eſſet; niſi interim aliud ſuæ Sanctitati videretur, cuius imperio ſe in omnibus ſubmittebat. Quòd ſi patres Conuentuales in eam tranſire vellent, id quidem ſibi gratiſſimum fore: dummodo in ſingulis eorum Prouincialibus capitulis certas domos conſtituerent, in quibus, aliquot eorum redditibus, rerumq; proprietate eliminatis, iuxta præſcriptam à Sede Apoſtolica, atq; ab Oecumenico Conſtantienſi Concilio patribus Obſeruantibus formam, aliquando victitarent. Quos tandem in huiuſmodi vitæ inſtituto perſeuerantes ipſi ex animo admiſſuri forent. Et hanc proteſtationem iuridicè factam, atq; ſua omniumq; patrum vocalium manu ſubſcriptam, antequam ſe itineri cum reliquis accingeret, ſummo Pontifici, atq; Citramontano Generali Vicario per tabellarium pręſentari fecit. Quam & vterq; libentiſſimè vidit; pręſertim Generalis Vicarius, cui nihil gratius accidere poterat. Inſtante itaq; ſtatuta Capituli generaliſſimi celebrādi die, accidit, vt quàm plurimi ex patribus Conuentualibus, & vtriusq; familiæ Obſeruantibus Romæ in domo illuſtriſſimi Protectoris cōuenirent, ſimulq; de futura vnione plurimis interim in medium rationibus adductis, coram ſua Dominatione diſſererent. Cūq; nulla eius componendæ via, ſtantibus & iſtis & illis in ſuo propoſito, inueſtigari poſſet, quidam pater ſancti Bonauenturæ Miniſter nomine frater Catherinetus, ac ſacræ Theologiæ Magiſter, pro publico conſeſſu, dixit: Equidem patres Obſeruantes conſultiſſimè à nobis diſſentitis. Quamobrē ex conſilio meo veſtra in ſententia perſtate. Cuius etiam ſententiæ quamplurimi alij Prouinciales Miniſtri ſubſcripſerunt. Qua nacta occaſione Ciſmontanus Generalis Vicarius Pontificem maximum accedens, eumq; certiorem de omnibus, quæ acciderant, faciens, ſibi quàm humillimè ſupplicauit, vt familiæ ſibi commiſſæ rebus conſulere dignaretur: quòd certe ſe facturū ſciret, ſi eam patribus Conuentualibus minimè vniret. Idq; ſuę ſanctitati procul dubio facillimū aſſeruit; quandoquidem ab eius ſententia præfati patres Conuentuales non abhorrerent. Cuius petitioni humaniſſimè annuens ſummus ipſe Pontifex pręcepit, vt Conuentuales patres in ſuo ſanctorum Apoſtolorum conuentu morarentur, vtq; generale Capitulum in Aracœlitano monaſterio, quod ad Obſeruantes ſpectabat, celebraretur. Adueniente igitur pręfixa commitijs huiuſmodi celebrandis die, quatuor millia Franciſcanorum fratrum: Conuentualium quidem, Clarenorum, Amadeorum, Coletanorum, atq; de Caputio ſiue de ſancto Euangelio tria millia: ſed vtriusq; familiæ Obſeruantis mille tantùm Romæ, ſuis in locis conuenêre. Quibus ita diſpoſitis, ſummus Pontifex ſuos Commiſſarios, qui futuris commitijs ex Apoſtolica auctoritate præeſſent, inſtituit. Illi verò celebrata prius, de laudabili more maxima cum ſolemnitate ſpiritus ſancti Miſſa, Aracœlitano in refectorio ſexta feria ante Pentecoſten conuenientes, patres omnes Conuentuales, qui eorum dexteram tenebant, interrogarunt: num in patrū Obſeruantū viuendi modum tranſire vellent. Quibus vnanimiter reſpondentibus nequaquam, ſed velle ſe omnino pontificijs priuilegijs, atq; diſpenſationibus frui: ad Obſeruantes, qui refectorij ſiniſtram occupabant, tranſierunt, ab illisq; petierunt; vtrum in patrum Conuentualium verba facere exoptarent. Quibus affirmantibus, atq; ſimul proteſtantibus, velle ſe omnino in antiqua Regulæ obſeruantia perſeuerare, is conſeſſus ſolutus fuit. Sequenti verò die, qui Pentecoſten præceſſit, cùm omnes ſimul eo in loco conueniſſent, Magiſter quidam Philippus, ipſius Generalis Miniſtri ſocius in medium coronæ procedens, genuaq; flectens, collato prius præfatis Commiſſarijs Ordinis ſigillo, Generalatus officio nomine R. P. F. Ægidij Ameliani renunciauit, ſubiecitq;, haberent illum excuſatum, quòd in propria perſona id minimè feciſſet: cùm grauiori morbo correptus lectulo decumbere cogeretur. Interrogatus præterea, num ſponte Miniſter Generalis officio cederet: Reſpondit: ſponte omnino. Quapropter admiſſa per publicum inſtrumentum, huiuſcemodi renunciatione, acceptoq; Ordinis ſigillo ab vtroq; Præſide, ſer-

uata iuris forma, p̄dictus pater ac frater Ægidius Amelianus officio functus declaratus eſt. Nihilominus, re diligentius diſcuſſa, in eam ſententiam tum præfati Præſides, tum quoq; cæteri patres Capitulares venêre: Præfatum ſcilicet patrem Ægidium non priuatum, nec ea propter ad Generalatus officium ineptum eſſe: immò potius optimo iure ad idem Generalatus munus denuò aſſumi poſſe: quamobrem ad Miniſtri Generalis electionem intrepidè procederetur. Quibus ita ſtatutis, quotquot Obſeruantes aderant, Eugenianæ conſtitutioni obtemperantes Capitulo ceſſerunt. At patres Conuentuales communibus ſuffragijs R. P. F. Raynaldum à Cotiniola in totius Franciſcani Ordinis Generalem Miniſtrum elegerunt. Reuerendiſſimus verò pater Ægidius Amelianus viam Appiam, ſequenti nocte, cum aliquibus ſibi amicis arripiens, Neapolim breui peruenit: vbi & honorifice à magno Catholicorum Hiſpaniæ Regum Capitaneo Gundiſaluo Fernandez à Corduba exceptus eſt: nec ita poſt multos dies ſarcina carnis ſolutus aſtra (vt piè creditur) petijt. Obijt reuerendiſſimus is pater apud Obſeruantes, à quibus humaniſſimè receptus fuerat, in conuentu ſanctæ Mariȩ nouæ Neapolitano, ad quem, cùm ſe morti propinquum cerneret, deferri voluit. Decretum fuit hoc in Capitulo generaliſſimo, vt Generalis Miniſtri officium vltra ſexennium non protenderetur: quo expleto immediatè expiraret. Item, vt omnes Clareni, Amadei, Coletani ac fratres de Capucio ſiue de Euangelio, & quicunq; alij inuenirentur, qui ſub beatiſſimi patris Franciſci vexillo (demptis Tertiarijs) militarent, ij omnes ſimul cum ſuis domibus infra annum vel Conuentualibus, vel Obſeruantibus, antiquiori tamen nomine retento, vnirentur. Præterea, edito Apoſtolico breui, cautum eſt, ne Generalis Vicarius ab Obſeruantibus eligendus ex ſui prædeceſſoris Prouincia aſſumeretur. Quod tamen breue, tanquam rei benè gerendæ contrarium, reuocationi ſubiacuit. Hoc tandem generaliſſimum ſextum Capitulum, cuius temporibus Regularis Obſeruantia ex quadraginta quinq; Prouincijs, atq; ex mille ducentis & quinquaginta monaſterijs, in quibus triginta millia octingenta fratrum commorabantur, conſtabat, poſtquàm ſummus ipſe Pontifex, cuius humanitas, atq; beneuolentia in Franciſcanum Ordinem incredibilis fuit, omnes Eugenianas conſtitutiones in Obſeruantum fauorem editas cōfirmaſſet, omneſq; fratres Conuentuales, & Obſeruantes in ſacro palatio, ipſo die ſanctiſſimæ Trinitatis proximè ſequenti, conuenire iuſſiſſet, ſuamq; benedictionē tum præſentibus, tum quoq; cæteris omnibus abſentibus, nec non & monialibus, atq; Tertiarijs iteratò impertitus eſſet, ac ſuam auctoritatem, qua electo ad libitum confeſſario, à quocunq; exceſſu abſolui poſſent, illis conceſſiſſet, & ſe omnium orationibus ex animo commendaſſet: inſuper & hæc verba addidiſſet: Triginta quatuor annis, cùm eſſem Cardinalis, veſtrum egi Protectorem, nunc autem ſummus Pontifex effectus veſtrum ago, agamq; patrem, quapropter quicquid libuerit audacter à me petite, ſolutum eſt, omneſq; fratres lætantes in propria conceſſerunt.

Quo pacto Clareni, Amadei, Coletani atq; fratres de ſancto Euangelio Obſeruantibus adhæſerint.

POST biennium ab his temporibus elapſum, præfati Clareni, Amadei, Coletani, atq; fratres de ſancto Euangelio, iuxta datam ſibi in generali Capitulo electionem, Obſeruantibus (vt ſupra meminimus) ſubeſſe, parereq; decreuerunt; quod præfatus ſummus Pontifex Iulius II. ratum habuit, ac omnia acta in generali Capitulo denuò confirmauit. Pręterea, aſſumpto ad Raguſinum Archiepiſcopatū pr̄dicto reuerendiſſimo patre fratre Raynaldo à Cotiniola, fratres patreqſ; Conuentuales, quorum ex munere intererat, Romæ, anno Dominicæ incarnationis 1510. conuenire, inibiq; centeſimum primum generale Capitulum celebrare iuſſit. Qui Pontificijs iuſſis obtemperantes reuerendiſſimum patrem fratrē Philippum de Bagnacauallo in xiij. Generalem Miniſtrum elegerunt. At is, poſt annum à ſua electione, Romæ in conuentu ſanctorum Apoſtolorū ſarcina carnis ſolutus migrauit ad aſtra. Huic, poſt duodecim mēſes à ſua morte elapſos, nempe anno à partu Virgineo 1512. in officio ſucceſſit R. P. F. Bernardinus à Prato, Ordinemq; quatuor annis & vltra gubernauit.

De ſeptimo generaliſsimo Capitulo deq́; cauſis celebrationis eiuſdem.

CVM Dei ſapientia in vniuerſalis Eccleſię agro Euangelicę perfectionis ſemen,per Regulam beatiſſimo patri noſtro Frãciſco traditam, ſeminaſſet, adfuit ex tempore (vt præcedentia legenti manifeſtum euadet) inimicus homo, qui eius gloriæ, atq; fœcunditati, per varia ætatum curricula, pro ſuo more, inuideret, negociumq́; faceſſeret. Quem dum cœleſtis ille agricola,incomprehenſibili ſuo iudicio atq; ſumma bonitate,ad futuram vſq; meſſem patienter ſuſtinet: ſurrexerunt à tempore fœl. rec. Eugenij Papæ IIII. egregij illi meſſores, atq; operarij, ſcilicet beati patres Bernardinus de Senis, Ioannes Capiſtranus, pluresq́; alij poſt eos, (quorum ex parte meminimus) qui Franciſcanæ Regulæ obſeruatores, tanquam puriſſimi tritici ſpicas interuellentes, fœcundiori terræ, ſub Vicariorum tum Prouincialium,tũ quoq; Generaliũ, necnon & ſub Generalis Miniſtri cura, vt cum maiori fęnore in Dominicum horreum optatus fructus inferri poſſet, ad hæc vſq; noſtra tempora committerent. Cumq́; acerrimus idem generis humani hoſtis, atq; fraternæ pacis teterrimus oſor eos mirum in modũ pullulantes cerneret, inuidiæ indulgens, nullum non mouit lapidem,vt pinguiſſimam,atq; florentem hanc Franciſcanam ſegetem, Obſeruantem videlicet familiam,vel immiſſo in eam bruco, importunaq́; locuſta, omnino perderet,vel tetro næuo conſpurcaret. Quò factum eſt, vt vnde pax, gaudium atq; gloria omnibus Franciſcanis accedere debuerint, inde triſtitia, atq; perturbatio, in internæ tranquillitatis iacturam,ſucceſſerint. Quapropter, vt huiuſmodi incommoda à tam celebri Religione, ex Apoſtolica auctoritate, prorſus eliminarentur, vtq́; debita pace eius alumni aliquando potiri poſſent, quotquot erant tunc temporis Chriſtiani Principes, Reges, Duces, Magnates,atq; Reſpublicæ Leoni X. Pont. max. ſupplicarunt. Is verò, vt pijſſimis eorum votis ſatisfaceret, ſeraphicoq́; Ordini, pro ſua in eum propenſione, atq; pro curæ paſtoralis debito,proſpiceret,ſeptimum generaliſſimũ omnium fratrum Minoritarum Capitulum Romę in conuentu Aracęlitano, ipſis ferijs ſanctiſſimæ Pentecoſtes anni Domini 1517. celebrandum, per ſequens citatorium breue Apoſtolicum, indixit.

Breue citatorium ſanctiſsimi D. N. Leonis Papæ X. pro Capitulo celebrando.

DILECTIS filijs Generali, ac omnibus & ſingulis Prouincialibus Miniſtris, nec non Generalibus, ac Prouincialibus Vicarijs fratrum Ordinis Minorum Conuentualium, & de familia, ſiue de Obſeruantia nuncupatorum, vltra & citra montes Leo Papa X. Dilecti filij ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Romanum Pontificẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti Principis pacis, & amoris Vicarium ea imprimis proſequi condecet,quibus, extirpatis diſcordiarum radicibus,diuinum honorem,ac tranquillum & pacificum Chriſtianæ Religionis ſtatum, non parùm promoueri conſtat. Hactenus ſiquidem cùm acclamantibus Chriſtianis Principibus, præſertim chariſſimis in Chriſto filijs noſtris Chriſtianiſſimo Francorum, ac Catholico Hiſpaniarum,necnon Angliæ, Portugaliæ, Daciæ, Noruegiæ, ac Slauorum,ſiue Dalmatarum,Gottorumq́; Regibus, multis pręterea fratribus noſtris Archiepiſcopis,ac etiam dilectis filijs Vicarijs,Ducibus, Principibus, Duciſſis,ac etiam Electoribus Romani Imperij,Comitibus, viris grauibus, Locumtenentibus,Præſidibus Prouinciarum, ac diuerſarũ Communitatũ & Populorũ, Communitatibus, Magiſtris, ciuium Burgi Magiſtris, Conſulibus,Rectoribus,& Scabinis,lites, iurgia & commotiones in veſtro Ordine, non ſine graui ſanctæ matris Eccleſiæ incommodo, ac tam cleri, quam populi pernicioſo ſcandalo ortas,cum magna cordis amaritudine accepiſſemus; Attẽdentes huiuſmodi turbationes, quas è medio tolli præfati Principes humiliter ſupplicarunt, grauiora in futurũ catholicæ Eccleſiæ conflictura vulnera,niſi de remedio opportuno contigerit prouideri. Nos Ordinem veſtrum, quẽ à puero tenerrimis ſumus amplexi affectibus, præfatorum Principum pijs annuendo votis cauſas, & ſeminaria huiuſmodi iurgiorum,ac litiũ nonnullis ex fratribus noſtris S. R. E. Cardina-

Cardinalibus, à nobis in Conſiſtorio noſtro ſecreto, ad hoc ſpecialiter deputatis examinandas commiſimus. Quibus per ipſos, longo maturæ diſcuſſionis examine, diligentiſſimè, ac fideliſſimè digeſtis, relatione ſuper præmiſſis nobis per ipſos facta, Capitulum generaliſſimum totius Ordinis veſtri indicendum fore, verbo indicto Conſiſtorio facto, decreuimus. Quod quidem ex nunc auctoritate Apoſtolica in proximo feſto Pentecoſtes, in ſacro conuentu Aracœli de vrbe celebrandum, iuxta morem veſtri Ordinis, aſſignamus. Quodq; vos Generalis Miniſter, & Generales Vicarij omnibus & ſingulis Prouincialibus Miniſtris, Vicarijs, Cuſtodibus, ſeu quibuſcunq; alijs nominibus nuncupatis ſuperioribus, vobis reſpectiuè ſubiectis, poſt harum receptionẽ, fideliter, ſine dolo, & fraude citius, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, intimare debeatis. Quare vobis, & veſtrum cuilibet, in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, & ſub pœna eiuſdem excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrenda firmiter præcipimus, quatenus ad dictum Capitulum generaliſſimum, electis Cuſtodibus, vel Diſcretis, ſecundum morem veſtrum, reſpectiuè, qui vobiſcum ad dictũ Capitulum accedere teneantur, legitimo ceſſante impedimento, conueniatis. Mandamus etiam, ſub eiſdem pœnis, omnibus, & ſingulis fratribus dicti Ordinis Congregationum fratris Amadei, de Clarenis, de ſancto Euangelio, ſiue de Capucio, ac quocunq; alio nomine nuncupatis, reformatam vitam ſub Miniſtris non reformatis ducentibus, quatenus in ſingulis Prouincijs, quas nunc inhabitant, duos probos, diſcretos, & reformatos fratres ex ſe ipſis, in congregatione per ipſos in huiuſmodi Prouincijs reſpectiuè facienda, eligant, qui ad dictum generaliſſimum Capitulum, ſicut & cæteri prælati Ordinis, habeant conuenire. Et quoniam noſtræ mentis exiſtit omnes diſſidij inter vos orti occaſiones, & fomenta, quantùm cum Deo poſſumus, ſubtrahere, vos quoque vnanimi, ac pacifica conuerſatione interea Domino famulari, omnes cauſas, proceſſus, lites, & quærelas occaſione domorum, ſiue locorum, ac fratrum hinc inde reſpectiuè ablatorum, & receptorum, coram quibuſcunq; Iudicibus, quacunq; dignitate, etiã Cardinalatus honore fungentibus tam in curia Romana, quàm extra, ſeu quauis alia occaſione, vel cauſa motas, & etiam mouendas, in qualicunque ſtatu exiſtant, ſuſpendimus, ſilentium vſque ad dictum Capitulum generale partibus imponentes. Inhibentes nihilominus iudicibus, ac partibus huiuſmodi, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & officiorum, ac beneficiorum ſuorum priuationis pœnis, ipſo facto, quo contrafecerint per ipſos in currendis, ne de dictis cauſis vllatenus cognoſcant, aut cauſas præfatas per ſe, vel per alios, quouis modo, proſequantur: Conſtitutionibus, Ordinationibus Apoſtolicis factis, aut faciendis, ſtatutis quoq; & conſuetudinibus dicti Ordinis, quacunq; auctoritate, etiam Apoſtolica confirmatis, cæteriſq; in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunq;. Et quia difficilè foret præſentes noſtras literas ad ſingulas Prouincias deferri; volumus, vt earum exemplaribus in Romana curia auctoritate noſtra impreſſis, per notarium publicum auſcultatis, & ſignatis, eadem fides adhibeatur, tam in iudicio, quam extra, quæ ipſis originalibus, ſi exhiberentur, vel oſtenſæ fuerint, foret adhibenda. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, die 2. Iulij, anno Domini 1516. Pontificatus verò noſtri anno 4.

De Generalis Miniſteriatus, ac ſigillorum tranſlatione à patribus Conuentualibus ad Obſeruantes.

CONVENIENTIBVS omnibus patribus vtriusq; familiæ Obſeruantibus, omnibusq; Conuentualibus, necnon Clarenis, Amadeis, Coletanis, atq; de ſancto Euangelio, quibus ex officio incumbebat die præfixa, præfato in conuentu ſanctæ Mariæ de Aracœli, propoſitum fuit à ſummo Pontifice: Num omnes in vnum viuendi modum, ſub eodem habitu, eiſdemq; legibus, de cætero conuenire vellent? Quandoquidem ea de cauſa, & vt ex omnibus Franciſcanis, licèt diuerſis, vnum ouile, ſub vnius tantùm ſupremi paſtoris cura degens fieret, conuocati fuiſſent. Cui cùm Regularis Obſeruantiæ ſectatores reſpondiſſent, manibus (vt aiunt) pedibusq; eam in vnionem, atq; conuentionem ſe ituros, dummodo Regulæ obſeruantia nihil detri-

menti pateretur, & patres Conuentuales cuiuis rerum proprietati tam in particulari, quàm in communi, ac quibuſcunq; annuis redditibus, Pontificijsq; priuilegijs in manibus ſuæ ſanctitatis re vera,& efficaciter renunciarent, necnon & legibus à Regulari Obſeruantia præfixis parere vellent: atq; patres Conuentuales poſt maturam deliberationem aſſeueraſſent, malle ſe in antiquiori modo viuendi perſeuerare, atq; Apoſtolicis priuilegijs frui, quàm in Obſeruantum vitam tranſire, Pontificia voluntas optato fine caruit, Generaliſq; Miniſtri electio, atq; Ordinis ſigillum, & alia (de quibus inferius) ab ipſis Conuentualibus ad Obſeruantes, tum ex ſummi ipſius Pontificis, tum quoque ex omnium reuerendiſſimorum Cardinalium decreto deuoluta ſunt.

Humilis & pia Generalium Vicariorum ſubmiſſio.

CONSTITVTIS à ſua beatitudine eius Capituli generaliſſimi Pręſidibus, atq; omnibus patribus Obſeruantibus Vltra & Citramontanis Capituralibus in Aracœlitano refectorio ſexta feria ante Pentecoſten conuocatis, venerabilis pater frater Chriſtophorus à Forliuio Vltramontanæ Familiæ Generalis Vicarius coram ipſis Præſidibus,ac reliquo venerabili Cœtu genuflexus in hæc verba prorupit: Placuit clementiſſimo Deo temporibus retroactis noſtram hanc familiam, pro ſeraphici Ordinis Franciſcani reformatione, atq; conſeruatione inſtituere, illamq; per totum ferè orbem, cooperantibus beatiſſimi patris Franciſci meritis, non abſq; ſanctitatis, virtutúq; profectu, ac ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ nec non totius Chriſtiani populi ædificatione dilatare. Quapropter quantùm in nobis eſt,ſicut nec vnquam ab huiuſmodi Regulari modo viuendi recedere quæſiuimus: ita nec quamdiu nobis ſana mens fuerit,ab eo deflectere quæremus. Verumtamen ſi ſanctiſſimo D. N. Leoni Pontifici ſummo quidquam aliud, quod in maius,ſublimiuſq; bonum omnium noſtrum vergat,præcipere libuerit (quandoquidem quicquid honoris, dignitatis, aut quietis nobis ſit,id profectò Apoſtolicæ Sedi debeamus) illud ſanè è veſtigio, & abſq; vlla tergiuerſatione admittemus, gratanterq; acceptabimus: Inſuper & ſuæ ſanctitati immortales gratias agemus. Quibus verbis ſubſcripturus reuerendus pater frater Gilbertus Nicolai Vltramontanæ familiæ Generalis Vicarius genua, de religioſo more, in media corona flectens, adiecit: Idipſum ego, mihiq; commiſſa familia dicimus,nihilq; aliud à prompta obedientia,ſimiliq; reuerẽtia, atq; gratiarũ actione optimo iure debita ſuperaddimus.

Vicariorum Prouincialium ad Miniſteriatum, & Diſcretorum ad Cuſtodiatum euectio.

ASCENDENS ſacellanus quidam ſæcularis, ex eorundem Capituli Præſidum mandato, editiorem in locum ex ſchedula quadam, quæ ſequuntur protulit: Nos Apoſtolica auctoritate declaramus, omnes Vicarios veros eſſe Miniſtros Prouinciales, omneſq; patrum Obſeruantum Diſcretos veros eſſe Cuſtodes: quos deinceps in perpetuum, iuxta Franciſcanæ Regulæ formam his nominibus appellari decernimus, ſtatuimus,atq; iubemus. Quod & inuiolabiliter vſq; in præſens obſeruatum eſt. Tum demum ijdem Præſides fratres Amadeos, Clarenos, Coletanos, atq; de Caputio, ſiue de ſancto Euangelio ad ſe venire iuſſerunt, illoſq; cæterorum patrum Vocalium catalogo prius aſcriptos dimittentes,auctoritate ſanctiſſimi D. Leonis X. omnibus,& ſingulis patribus Capitularibus pręceperũt,vt nullus eorum, niſi prius vocatus,pariq; modo albo conſcriptus, ad futuri Generalis Miniſtri electionem vocem collaturus accederet: Atq;, indicto omnibus ſilentio, hanc vnionis bullam alta voce legi iuſſerunt.

Vnionis Bulla Leonis Papæ X.

LEO Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ite vos in vineam meam ait homo ille pater familias,qui plantauerat vineam, mũdi Saluator, atq; Redemptor noſter Ieſus Chriſtus: qui & ſi curam gerat de omnibus, cunctaq; dirigat quæ

gat quæ ipſe fecit: Attamen inter cæteras plantationes, quas per ipſum pater cœleſtis in ſolo plantauit militantis Eccleſiæ, vineam quandam, tam ardenti proſequutus eſt amore, vt ſuam velut propriam vbiuis illam appellet. Hanc ſiquidem vineam ſic aſſiduis, ſolertibus, ac fidelibus excoluit agricolis, vt alios primo manè, alios hora tertia, ſexta, nona, decima verò & vndecima, quaſi inceſſanter, cultores tranſmiſerit. Hæc eſt illa ſacra Minorũ fratrum Religio, quæ virentibus ceremoniarum folijs, per viros Apoſtolicos tanquam per palmites extenſos, à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum, vino ſapientiæ, & ſcientiæ irrigauit montes, & impleuit terram. Hæc eſt Religio ſancta, & immaculata, in qua per ſpeculum ſine macula Redemptoris contemplatur præſentia vitæ Chriſti, & Apoſtolorum inſpicitur forma, per quam primorum Eccleſiæ fundatorum, ante oculos Chriſtianæ plebis, reducitur norma: quæ demum nihil niſi diuinum, angelicum, omni perfectione refertum, Chriſtoq; nihil niſi conforme, vt non immeritò ſua dicatur, repreſentat. Ad hanc vineam excolendam primò manè, oriente iam ſole, miſit ipſe pater familias Angelum illum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei viui, beatum Franciſcum, qui comitantibus miræ ſanctitatis viris, prima vitis huius iecêre fundamenta. His ſucceſſerunt viri religioſi, qui duce beato Bonauentura muros huius vineæ iam vtrinq; ruinam minitantes, hora tertia Trinitatis ſanctæ virtute & adiutorio, reparauêre. Poſt hos, veluti horà ſexta, prodierunt ſpiritu feruentes fratres nonnulli, qui à ſacro Vienneſi Concilio, tanquam à Deo miſſi, & confortati, eneruatam penè diſciplinæ cenſuram ad ſua principia reuocarunt. Hora verò nona, moriente Domino, ſurgentibus in dies malis, & ſcandaloſis huius vineæ agricolis, ſuſcitauit Dominus ſpiritum adoleſcentis, paucorum videlicet fratrum, qui ſignifero nominis Ieſu beato Bernardino ductore, & Præſide, ſacri Concilij Conſtantienſis fræti præſidijs, languentem, immò penè mortuum per orbem vniuerſum Ordinem viuificarunt. Nouiſſimè verò diebus iſtis, quaſi hora vltima, apparuerunt viri alij; qui zelantes pro domo Iſrael ſucciderunt lucos, & demoliti ſunt delubra. At vbi abundabat peccatum, adiuuante Domino curauerunt per introductam reformationis normam, vt ſuperabundaret gratia. Sed veluti inter parabolicos, & Euãgelicos illos viticolas, quia nouiſſimi æquabantur prioribus, murmur ſurrexit non paruum. Sic acclamantibus Regibus, Principibus, Communitatibus, & Populis graues lites & iurgia, ac diſſenſiones, occaſione ſuperioritatum, & perfectionis graduum inter aliquos huius Religionis profeſſores per totum mundum magis ac magis augeri, dietim accepimus. Quare nos, cuius animus ab ætate tenera ardenti deuotione efferbuit ad huius Ordinis profeſſores, & Ordinem ipſum totum: Nunc verò ex communi cura procurationis, & Paſtoralis regiminis, quam immeriti ſuſtinemus, ad componendas huiuſmodi agricolarum lites, & ſedandas murmurationes, illius Euangelici Procuratoris more, tantò prouocamur ardentiùs, quantò frequentiùs intenta mente recolimus fructus vberes, quos ex eorum exemplari vita, & ſalubri doctrina, vniuerſali Eccleſiæ continuò cernimus prouenire: nec minus continuis Principũm Chriſtianorum, præſertim chariſſimorum in Chriſto filiorum noſtrorum Maximiliani in Imperatorem electi, & Franciſci Chriſtianiſſimi Francorum Regis, ac Caroli Catholici Hiſpaniarum, Henrici Octaui Angliæ, & Emanuelis Portugaliæ, & Algarbiornm, & Ludouici Vngariæ, & Bohemiæ, ac Sigiſmundi Poloniæ, necnon Chriſtierni Daciæ Regum illuſtrium, nec non nonnullorum Principum, aliorum Ducum, Comitum, Populorum, & Communitatum pijs prouocamur ſupplicationibus, & precibus, quibus pro pacandis huiuſmodi diuiſionibus, in Ordine diui Franciſci exortis, non ceſſant vſque hodie apud nos poſtulare. Deputatis igitur à nobis, in ſecreto noſtro Conſiſtorio, aliquibus ex venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus cauſas, & ſeminaria huiuſmodi iurgiorũ, & diuiſionum diligenter perquirere, & de remedijs opportunis pro ſedandis præfatis litibus pertractare, commiſimus, & iniunximus: qui longo maturæ diſcuſſionis examine diligentiſſimè, ac fideliſſimè iuſſa complentes, relatione per ipſos nobis facta, necnon penſatis per nos acutiùs, quæ per ipſos pro huiuſmodi concordia tractata, & examinata fuerunt, habita etiam ſuper his in dicto Conſiſtorio noſtro cum ijſdem, ac reliquis eiuſdem S.R.E.Cardinalibus matura deliberatione, & de eorum vnanimi conſilio

ſilio

ſilio, præfato Ordini,modo infraſcripto iudicamus prouidendum: quia imprimis compertum habemus prælatorum diuerſitatem, quorundam perpetuitatem, cæterorum verò fratrum vitam non reformatam, huiuſmodi litibus, & diuiſionibus plurimum cauſæ præbuiſſe: ea propter volumus, & ordinamus,prout in dicta Regula beati Franciſci continetur,vnum Miniſtrum Generalem totius Ordinis de cętero omnibus,& ſingulis fratribus eiuſdem Ordinis cum plenaria poteſtate, quæ ex Regula ſibi competit, præfici, cui omnes & ſinguli prædicti fratres in omnibus, quæ non ſunt contra Deum, animam ſuam, & Regulam, firmiter teneantur obedire. Qui quidem Miniſter Generalis, per ſex annos ad plus, Generalatus officio fungetur: infra quem terminum, ſi aliquo tempore appareret vniuerſitati Miniſtrorum Prouincialium, & Cuſtodum, prædictum Miniſtrum Generalem non eſſe ſufficientem ad ſeruitium, & communem vtilitate m fratrum, teneantur prædicti fratres, quibus electio data eſt dicti Miniſtri Generalis, alium ſibi eligere in nomine Domini. Quibus quidem ſex annis,vt præfertur, expletis,ipſo facto ſit abſolutus à Generalatus officio, & pro tali ab omnibus habeatur. Electio verò ſucceſſoris fieri debeat à ſolis Miniſtris Prouincialibus,& Cuſtodibus reformatis tam Ciſmontanis, quam Vltramontanis in Capitulo generali dicti Ordinis in feſto Pentecoſtes, in loco, quem Miniſter Generalis in Capitulo generali proximè pręcedenti duxerit aſſignandum:ad quod Capitulum omnes Miniſtri,& Cuſtodes, ſiue vocales tam Ciſmontani, quàm Vltramontani accedere teneantur. Et ne caput ſuis membris difforme appareat,volumus,& etiam ordinamus,quòd nullus frater poſſit eligi in Miniſtrum Generalem,niſi vitam ducat reformatã, & pro reformato à Communitate reformatorum habeatur. In præfata verò electione Miniſtri Generalis,nullus penitus vocem habeat niſi reformatus,& pro reformato à Congregatione reformatorum habeatur. Quòd ſi in futuro quicquam in contrarium attentatum fuerit irritum penitus,& inane habeatur. Quò verò ad electionem futuri Miniſtri Generalis, in proximo feſto Pentecoſtes, in conuentu de Aracœli de vrbe, iuxta aliam noſtram ordinationem, in literis in forma breuis contentam, celebrandam ſtatuimus, omnes Miniſtros, & Cuſtodes reformatos ac Vicarios,& Diſcretos fratrũ de Obſeruantia,ſeu de Familia,dictam electionem debere celebrare. Et vt pręfata electio Miniſtri Generalis, quæ ſecundum prędictam Regulam,à Miniſtris Prouincialibus,& Cuſtodibus fieri debet, liberè ſecundum intentionem eiuſdem Regulæ, & abſq; quouis ſcrupulo celebretur: Declaramus,omnes Prouinciales Vicarios fratrum de Familia, ſeu de Obſeruantia veros Miniſtros eſſe,ipſosq; ad effectũ electionis huiuſmodi in Miniſtros ordinamus,& inſtituimus. Diſcretos etiam ipſorum ſimiliter declaramus eſſe Cuſtodes. Quò verò ad alios fratres reformatos,volumus quòd in Prouincijs in quibus pro nunc Miniſtri non ſunt reformati,nec pro reformatis habiti,ſub quibus ſunt aliqui conuentus reformati, duo fratres electi à præfatis conuentibus reformatis,ſecũdum aliarum noſtrarnm literarum tenorem, ſub forma breuis,voces Miniſtrorum non reformatorũ quantùm ad præfatas Prouincias,pro hac vice dumtaxat ſuppleant. Fratribus verò de Cõgregatione fratris Amadei,de Clarenis,de ſancto Euãgelio,ſiue de Caputio,pro ſingulis Prouincijs, in quibus habent conuẽtus,vltra ſuorum Vicariorum voces, duas voces, pro hac ſolum vice, concedimus. Quam quidem electionem, à præfatis fratribus de huiuſmodi Generali Miniſtro faciendam, canonicam ſecundum fratrum Minorum Regulam, ac formam à beato Franciſco in Regula traditam,eſſe diffinimus, & etiam declaramus. Et vt in Ordine ipſo, quantùm cum Deo fieri poteſt, pax conſeruetur,& charitas per amplius inter Ciſmontanos, & Vltramontanos fratres eiuſdem Ordinis nutriatur, ordinamus, quòd ſi Miniſter Generalis præfatus, per ſex annos,de Ciſmontanis fratribus electus fuerit,ſequentibus ſex annis,de Vltramontanis fratribus eligi debeat: Quemadmodum alternatis vicibus in perpetuum volumus ab ipſis fratribus obſeruari. Verùm quia conſpicimus ipſum Ordinem, per vniuerſam Chriſtianitatem, mirum in modum dilatatum eſſe, ne ob huiuſmodi amplitudinem, debito paſtoralis regiminis careat beneficio, decernimus,quòd ſi Miniſter Generalis de Ciſmontanis electus fuerit,i nſtituet in partibus Vltramontanis vnum Generalem Commiſſarium,ab ijſdem Vltramontanis fratribus eligendum, cui Miniſter Generalis, ſuper præfatos fratres Vltra

tra

tramontanos, vices ſuas cõmittat, prout Capitulo generali expedire videbitur. Ita tamẽ quòd Commiſſarius præfato Miniſtro Generali omnimodè ſubijciatur, vt cæteri dicti Ordinis prælati ſubijciuntur, ac illi per omnia obedire teneatur ſecundum Regulam. Dum verò Miniſter Generalis fuerit ex Vltramontanis fratribus electus, tunc pariter Commiſſarium Generalẽ Ciſmontani inſtituere debeant pari modo, quo de Vltramontano Commiſſario ſuperius dictum eſt & ſtatutum. Qui quidem Generalis Commiſſarius per triennium ſolùm Generalis Commiſſionis fungetur officio: quo triennio elapſo nouus Commiſſarius, per Miniſtrum Generalem in Capitulo generali, vt ſupra, eligendus, ſecundum quòd Vltramontanis, vel Ciſmontanis de Commiſſario fuerit prouidendum, inſtitui debeat. Miniſter verò Generalis, in partibus, in quibus ſuis ſex annis fuerit, & ad alias partes ſe conferrè voluerit, pro eo tempore, quo abſens fuerit, Cõmiſſarium loco ſui de conſilio, & aſſenſu Diffinitorum Capituli generalis huiuſmodi dumtaxat, relinquere poſſit. Et in partibus, in quibus dictis ſex annis non erit Commiſſarius Generalis, tenebitur Miniſter Generalis primo triennio dictorum ſex annorum celebrare vnum Capitulum generale, ad quod conuenient vocales illarum partium, à quibus aſſumptus fuerit, & ſimiliter aliud Capitulum in partibus, à quibus aſſumptus non fuerit, per ſe, vel per ſuum Commiſſariũ, ad quod oẽs vocales dictarũ partium accedere teneantur, celebrare habebit; aut ſuper hoc fiat, quod Generalis Miniſter cum Capitulo generali iudicauerit faciendum. Porrò quantum ad Miniſtros Prouinciales, in Prouincijs, in quibus Miniſtri pro nũc non ſunt Reformati, ſeu pro verè Reformatis non habẽtur, declaramus, ordinamus & decernimus Vicarios fratrũ de Obſeruãtia, ſeu familia illarum Prouinciarum reſpectiuè, ex nunc & in perpetuum, veros & indubitatos earundem Prouinciarum eſſe Miniſtros, illosq; de cętero nomine Miniſtrorum debere appellari, quibus omnes, & ſingulos fratres, nec non domos & loca eorundem in dictis Prouincijs, vt præfertur, conſiſtentes plenariè ſubmittimus, ac Generali, & alijs Prouincialibus Miniſtris auctoritatem, & poteſtatem antea Generali, & alijs Prouincialibus Vicarijs de familia nuncupatis attributam, & conceſſam perpetuò concedimus, ac conceſſam & attributam eſſe decernimus. Mandantes præfatis fratribus, etiam Regulam beati Franciſci purè & ſimpliciter Obſeruantibus, vt dictis Miniſtris, ſic per nos declaratis, & ordinatis; vt veris illarum Prouinciarum Miniſtris ſecundum Regulam per omnia obediant. Deniq; ne ex Miniſtrorum Prouincialium perpetuitate, Ordinem ipſum in ruinam iterum collabi contingat; volumus & ordinamus, præfatos Prouinciales Miniſtros vltra triennium in ſuis non poſſe continuari officijs: quo triennio elapſo, pro abſolutis ab officio à cunctis fratribus habeantur. Poterunt tamen, infra dictum triennium, à ſuis Capitulis Prouincialibus, quæ ſecundum Regulam, & conſuetudinem celebrabuntur, ſi minus vtiles inuenti fuerint, ab officijs Prouincialibus abſolui, & idem iudicium de Cuſtodibus per omnia habeatur. Nullus verò in Miniſtrum Prouincialem, aut Cuſtodem eligi, aut in ipſorum electione vocem habere poterit, niſi ducat vitam reformatam, & in communitate Reformatorum illius Prouinciæ, cui præficiendus eſt, pro tali habeatur. Quicquid autem in contrarium attentatum fuerit, ipſo facto irritum ſit, & inane. Præterea quia de Reformatis, ac purè & ſimpliciter Regulam beati Franciſci huiuſmodi Obſeruantibus ſæpe ſæpius in præcedentibus, & ſequentibus mentio habetur: volumus, & declaramus, ſub nomine Reformatorum, ac purè & ſimpliciter Regulam beati Franciſci huiuſmodi Obſeruantium compræhendi omnes, & ſingulos infraſcriptos; videlicet Obſeruantes, tam de familia, quàm Reformatos ſub Miniſtris, ac fratris Amadei, de Coletanis, Clarenis, de ſancto Euangelio, ſeu de Capucio, ac Diſcalciatos nuncupatos, aut alios ſimiles, quocunq; alio nomine nuncupentur, & Regulam ipſam beati Franciſci purè, & ſimpliciter obſeruent. Ex quibus omnibus ſupradictis vnum corpus inſimul facientes, eoſdem ad inuicem perpetuò vnimus. Ita quòd de cætero, ommiſſa diuerſitate nominum prædictorum, fratres Minores ſancti Franciſci Regularis Obſeruantiæ, vel ſimul, vel diſcretiuè nuncupentur, & nuncupari poſſint, & debeant. Omneſq; & ſingulos, vt præfertur, vnitos Generali Miniſtro prædicto, ac Prouincialibus Miniſtris, & Cuſtodibus, in quorum Prouincijs & Cuſtodijs reſpectiuè morantur, in omnibus, & per omnia ſecundum Regulam ſubijci debeant. Conuentuales verò ſecundum priuilegia vi-

gia viuentes,quomodo eiſdem Miniſtris Generali, & Prouincialibus ſubijci debeant, per alias noſtras deſuper edendas literas declarabimus. Cæterùm, vt diſſenſionum, ſcandalorum & partialitatum fomes penitus ab Ordine ipſo tollatur, præcipimus firmiter, & mandamus, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrenda, à qua nullus, præterquàm in mortis articulo, niſi à nobis, aut à Sede Apoſtolica poſſit abſolui, ne aliquis frater Ordinis ſancti Franciſci appellet alium fratrem eiuſdem Ordinis malitiosè, irriſoriè, ſeu improperiosè Priuilegiatum, Coletanum, Bulliſtam, Amadeitam, Clarenum, de Euangelio ſeu de Caputio, Bigotum, aut alio quouis nomine etiam de nouo reperto, ſeu fortè in futurum, occaſione priorum diuiſionum ipſius Ordinis, vel huius noſtræ ſanctæ inſtitutionis, & vnionis Spiritus ſancti gratia compoſitę,à quocunq; imponendo,ſeu alio quouis irriſorio, iniurioſo, ſeu improperioſo nomine, aut quod pro improperioſo à patientibus habetur. Nec non præcipimus omnibus tam clericis, quàm laicis, ne fratres huiuſmodi,aut eorum fautores præfatis nominibus irriſoriè, ſeu malitiosè appellent,ſed omnes fratres ipſius Ordinis fratres Minores, vt præfertur,ſeu ſancti Franciſci à ſe ipſis, & omnibus alijs nominentur. Item ſtatuimus, quòd de cętero nullus frater Reformatus poſſit per quemcunq; pręlatum Ordinis,etiam Miniſtrum Generalem mitti ad morandum ad aliquem conuentum non reformatum,& pro reformato non habitum, excepto quòd ſi Capitulis prouincialibus videretur minus malum aliquem fratrem licentiare ad nondum Reformatos,quàm ipſum cum Reformatis retinere. Tali caſu poſſunt Prælati mittere fratrem,ſeu fratres Reformatos ad nondum Reformatos. Inhibemus,ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ omnibus & ſingulis Conuentualium ſecundũ priuilegia viuentium Pręlatis,ac fratribus,ne aliquem ex præfatis Reformatis,niſi modo prædicto, recipere audeant. Similiter & dictis Reformatis fratribus, ſub eadem pœna, ne ab obedientia ſuorum Miniſtrorum vllatenus, quàm modo prædicto, recedant. Et ne ex nouarum ſectarum in dicto Ordine forſan introductione fienda,Ordinem iterum in rixas deuenire oporteat, volumus,& in virtute ſanctæ obedientiæ firmiter præcipimus, & mandamus, quòd de cætero nullæ nouæ ſectæ vel reformationes in dicto Ordine introducantur,aut fiant abſq; Miniſtri Generalis,aut Prouincialium Miniſtrorum Reformatorum,in ſuis Prouincijs reſpectiuè,expreſſo aſſenſu. Ita tamen quòd dictæ reformationes ipſi Miniſtro Generali, & Prouincialibus Reformatis per omnia, iuxta Regulam,ſubijciantur,vt ſupra expreſſum eſt de alijs Reformatis. Quapropter omnes domos,loca & eremitoria,quæ fratres de Obſeruantia, ſeu de Familia, ſeu alij Reformati ſub Miniſtris, quocunq; nomine appellati fuerint, hactenus tenuerunt, & poſſederunt ipſi Miniſtro Generali, ac Prouincialibus Miniſtris Reformatis,ac per nos ſic inſtitutis,& declaratis in ſuis Prouincijs reſpectiuè perpetuò ſubijcimus,& incorporamus. Volentes loca ipſa per ipſos Miniſtros, ac eorum ſucceſſores Reformatos perpetuò teneri,& poſſideri,regi,& gubernari. Quaſcunq; lites deſuper exortas coram quibuſcunq; Iudicibus ordinarijs,vel delegatis,etiam S.R.E. Cardinalibus,& dicti ordinis Protectore, aut ſacri palatij noſtri Auditoribus, ſiue Commiſſarijs Apoſtolicis, tam in Romana curia quàm extra eandem, & tam inter Prælatos, quàm etiam ſubditos,in quibuſcunq; ſtatu, vel inſtantia, tam ſuper poſſeſſorio, quàm petitorio,ſeu etiam ſpolio,ſi quomodolibet prætendi poſſit, deſuper pendente, etiam ſi huiuſmodi loca de obedientia, & de Capitulis fratrum Conuentualium dicti Ordinis prius fuiſſent,ad nos auocamus penitus,& extinguimus ſilentium perpetuum partibus imponentes: ſententias quoq;, & proceſſus,per quoſcunq; Iudices in eis habitos, & latas,ac inde ſequuta quæcunq;, etiam ſi lites ipſæ, ratione locorum fratrum, & bonorũ hincinde receptorum, aut cuiuſcunq; alterius rei occaſione, vel cauſa motæ fuiſſent, caſſamus,& anullamus. Et nihilominus dictis fratribus Conuentualibus, nec non quibuſuis Iudicibus, ac alijs quibuſcunq;, ne quicquam contra huiuſmodi noſtram declarationem, inſtitutionem, innouationem, vnionem & incorporationem, in iudicio, vel extra, attentare, procurare, iudicare, vel pronunciare, etiam ſi eis per nos commiſſum exiſtat, ſeu in futurum committatur,præſumant, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ac priuationis beneficiorum quæ obtinent, ac etiam inhabilitationis ad alia in poſterum obtinenda, eo ipſo incurrenda, inhibemus, præcipimus,

mus, & mandamus. Demùm, vt ſecundum exigentiam locorum, perſonarum, & morum, cuncta quæ conducere videbuntur, pro manutenentia reformationis, per totam Chriſtianitatem in dicto Ordine, iam diuina gratia, introductæ, iuſtè, prouidè, & diſcretè valeant ſtatui, & ordinari, volumus Capitulum generaliſſimum proximè celebrandum teneri deputare ex probatioribus, doctioribus, ac magis expertis fratribus nonnullis, ex diuerſis regionibus aſſumptis, qui omnia & ſingula, quæ pro manutenentia reformationis, & vera Regulæ obſeruantia, ac huius noſtræ conſtitutionis debita exequutione accommodata iudicauerint, in vnum recolligant approbanda per totum Capitulum, vel maiorem partem eiuſdem, ac tandem per nos Apoſtolicæ confirmationis patrocinio munienda. Et nihilominus moderno, & pro tempore exiſtenti Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, nec non vniuerſis Archiepiſcopis, & eccleſiarum Prælatis, ac quibuſcunq; in dignitate eccleſiaſtica conſtitutis perſonis per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, & eorum ſinguli præſentes noſtras literas, & in eis contenta quæcunq; vbi, & quando opus fuerit, ac quotiens pro parte dicti Generalis, ac Prouincialium Miniſtrorum Reformatorũ, ſeu alicuius eorum, ſuper hoc requiſiti fuerint, ſolemniter publicantes, eiſq; in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant ea omnibus, & ſingulis prædictis pacificè frui, & gaudere: Non permittentes eos deſuper per quoſcunq;, quacunq; auctoritate fungẽtes, quomodolibet indebitè moleſtari. Contradictores, per cenſuras eccleſiaſticas, & alia iuris remedia, inuocato ad hoc etiam, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis, appellatione poſtpoſira, compeſcentes. Non obſtantibus quibuſcunq; literis Apoſtolicis, & indultis, etiam ſacri Concilij Conſtantienſis, dictæ Religionis fratribus, familijs, congregationibus, denominationibus, aut alicui eorum, ſiue earum auctoribus, & inſtitutoribus, Conuẽtualibus, ſiue Reformatis, aut de familia fratribus, ſub quibuſuis verborum formis, ſolemnitatibus, & clauſulis fortioribus, & inſolitis, conceſſis ſeu forſan infuturum concedendis, etiam ſi tales forent, quòd de illis, eorumq; totis tenoribus, ſpecialis, expreſſa, indiuidua ac de verbo ad verbum mentio eſſet habenda, quibus quò ad præmiſſa, expreſſè derogamus, cęteriſq; contrarijs quibuſcunq;. Cæterùm quia difficilè foret has noſtras præſentes literas, ad quælibet loca, vbi opus fuerit, deferre, volumus, & auctoritate Apoſtolica decernimus, quòd tranſumptis earundem manu Notarij publici ſignatis, & alicuius Prælati eccleſiaſtici ſigillo munitis, ea prorſus fides in iudicio, & extra habeatur, quæ haberetur, ſi præſentes originales literæ exhibitæ, vel oſtenſæ forent. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ inſtitutionis, diffinitionis, ſubmiſſionis, conceſſionis, ordinationis, declarationis, vnionis, ſtatuti, ſubiectionis, incorporationis, aduocationis, impoſitionis, caſſationis, extinctionis, inhibitionis, præcepti, mãdati, derogationis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli, Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ, apud ſanctum Petrum, anno incarnationis Dominicę 1517. quarto Kalendas Iunij, Pontificatus noſtri anno quinto.

Electio primi Generalis Miniſtri ex Obſeruantum familia.

QVIBVS literis atq; vnionis bulla perlectis, aliquot patres ex vtraq; familia Citramontana videlicet, atq; Vltramontana in compromiſſarios ſelecti ſunt, qui vocalium vota ſcrutarentur, atq; exciperent. Quorum alter, venerabilis videlicet pater ac frater Franciſcus de Meſſana Prouinciæ Siciliæ Miniſter, poſt fidelem præfatarum vocum exceptionem, in hæc verba prorupit: In nomine Domini Amen. Hæc eſt electio reuerendi patris Miniſtri Generalis totius Ordinis Minorum beati Franciſci canonicè celebrata per dicti Ordinis venerandos patres Miniſtros, & Cuſtodes, auctoritate Apoſtolica, nunc inſtitutos atq; declaratos, iuxta formam & puritatem Regulæ, per RR. DD. dominum Grimanum Epiſcopum Portuenſem, & dicti Ordinis Protectorem tituli ſancti Euſebij, & Laurentium Puccium tituli ſanctorum Quatuor Coronatorum, presbyteros Cardinales, ad Capituli totius Generaliſſimi dicti Ordinis celebrationem pręſidentes, per S. D. N. Leonem Papam X. ſpecialiter deputatos, in ſacro conuentu ſan-

tu ſanctæ Mariæ de Aracœli de Vrbe,ac in loco ad hoc ſpecialiter ordinato, anno Domini 1517. die verò prima Iunij, canonicè celebrata à dicti Ordinis præfatis Miniſtris & Cuſtodibus tam de Vltra & Citramontana familia, quàm de reformatè viuentibus quibuſcunq; alijs Congregationibus, videlicet Amadeorum, Clarenorum, Coletanorum, & de ſancto Euangelio, & huiuſmodi Regulam beati Franciſci purè,& ſimpliciter Obſeruantibus ad ſonum campanellæ, vt moris eſt, capitulariter congregatis, & prædictis RR.DD. Cardinalibus præſentibus,& dicta auctoritate Apoſtolica præſidentibus. In qua in primo ſcrutinio reuerendus pater Vicarius Ciſmontanus ſeptuaginta tria habuit vota. Et ego frater Franciſcus de Meſſana eiuſdem Ordinis profeſſor, ac Prouinciæ Siciliæ Miniſter, & vnus ex exquiſitoribus & compromiſſarijs ſcriptor, virtute compromiſſi in me,& ſocios meos facti,nomine meo,& nomine aliorum omnium, qui in dictam electionem conuenerunt & conſenſerunt, eligo & nomino in eiuſdem totius Ordinis Miniſtrum Generalem, iuxta formam & puritatem Regulæ, electum reuerendiſſimum patrem fratrem Chriſtophorum de Forliuio Prouinciæ Bononiæ, & nunc Vicarium Generalem Ciſmontanum, in quem maior pars vocalium conſenſit. Quam quidem electionem ſanctiſſimus Leo Papa X. ex animo confirmauit.

De quibuſdam decretis ſeptimi generaliſſimi Capituli.

IN hoc generaliſſimo Capitulo quædam decreta ſunt, quorum aliqua in medium adducemus. Nempè, vt ſingulo quoq; triennio generaliſſimum Capitulum per reuerendiſſimum patrem Generalem Miniſtrum celebraretur, in quo tam Citra, quàm Vltramontani Miniſtri & Cuſtodes, iuxta Regulæ decretum, conuenirent. Vtq; Prouinciales Miniſtri, auctoritate Generalis Miniſtri,à prędeceſſoribus ſuis Miniſtris quoque Prouincialibus immediatis, vel ab ijs,qui eius loco Capitulum tenerent, vnà cum Diffinitoribus eiuſdem Capituli confirmarentur: dummodo Generalis Miniſtri, aut eius Commiſſarij Generalis præſentia, infra triduum,haberi non poſſet. Vtq; caſu quo Generalis Miniſter, currente eius officij tempore, decederet, is Prouincialis Miniſter, in cuius Prouincia Generalis occumberet, eius mortem omnibus patribus Diffinitoribus Capituli Generalis immediatè præcedentis, eius tamen familiæ, in qua is animam efflauerit, quàmprimum ſignificare teneretur, ac præciperet, quatenus ad aliquem locum conuenientem, & idoneum ab eo prouidè aſſignandũ, pro Vicarij totius Ordinis electione per eos celebranda conuenirent. In qua tamẽ electione ipſe Miniſter prǫſideret, haberetq; vocem tũ actiuã, tum quoq; paſſiuam,ſicut & cæteri Diffinitores. Et ille, in quem maior eorum pars cõſentiret, eſſet vniuerſi Ordinis Vicarius Generalis,ac pro tali ab omnibus patribus, fratribuſq; tam Ciſmontanis, quàm Vltramontanis haberetur. Siq; contingeret aliquem ex præfatis Diffinitoribus morte præoccupari, præfatus Miniſter, de aliquorum eorundem Diffinitorum conſilio,alium ſibi ſubrogare poſſet. Teneretur tamen præfatus Miniſter Generalem eius partis Commiſſarium, in qua ille deceſſit, aduocare, qui & voce quoq; actiua, & paſſiua in prædicti Vicarij Generalis electione gaudere quiret. Ipſe verò Vicarius ſic electus reuerẽdiſſimi Miniſtri Generalis mortẽ omnibus Prouincialibus Miniſtris, atq; Cuſtodibus totius Ordinis,quàm citius intimare deberet, vt, ſi fieri poſſet,in proximiori feſto Pentecoſtes generale Capitulum celebraretur,atq; nouus Generalis Miniſter eligeretur; ſin minus,ad ſubſequens vſq; Pentecoſtes feſtum huiuſmodi celebrationem differret. Vtq; tandem illi patres, qui omniũ vice in Prouincijs ſuis electi fuerint,vt generali Capitulo adſint, propriarũq; Prouinciarum cauſas agant, non Diſcreti, ſed Cuſtodes in poſterum nuncupandi veniant. Hoc etiam in generaliſſimo Capitulo,Angelorum Cuſtodia Apoſtolica auctoritate & Capituli, in peculiarem Prouinciam, antiquiori retento titulo,erecta fuit. Itẽ Maioricarum Cuſtodia, dummodo Aragoniæ Prouincia non contradiceret,Prouinciæ nomẽ ſibi aſciuit.Pręterea ex quatuor locellis,qui de ſancto Euangelio dicebantur,quiq; ſub titulo Cuſtodiæ Prouinciali Miniſtro Prouinciæ diui Iacobi parebant, atq; ex alijs ſeptem ab eodem Miniſtro collatis ſancti Gabrielis Cuſtodia conflata fuit. Inſuper,ſuppreſſis trium Cuſtodiarum nominibus, Caſtellæ Prouincia ſolùm Caſtellæ nomen retinuit.

tinuit. Ac tandem prouincialibus Capitulis data eſt facultas, vt pro conuentuum numero, vnam, vel plures Cuſtodias erigere poſſent.

Generalium Vicariorum, & primò quidem Citramontanorum ſeries.

A TEMPORE quo Obſeruantes fratres tum Vltramontani, tum quoq; Citramontani ex Eugenij IIII. Pont. max. auctoritate per Generales Vicarios regi, gubernariq; cęperunt, nempè ab anno Dominicæ incarnationis 1439. vſq; ad annũ 1517. quo, illis exauthoratis, Ordinis ſigillum, Generaliſq; Miniſtri titulus, & officium à patribus Conuentualibus ad eoſdem Obſeruantes ex Leonis Papæ X. mandato (vt prę-fati ſumus) deuoluta ſunt, habuit Regularis Obſeruantia quinquagintatres Generales Vicarios: nempe viginti octo Vltramontanos, & viginti quinque Citramontanos, prout ſequentes paginæ indicant.

1. Beatus Bernardinus de Senis, ſub Eugenio IIII. Pont. max. ac ſub reuerendiſſimo patre fratre Gulielmo de Caſſali totius Minoritici Ordinis Generali Miniſtro, primus Citramontanæ Regularis Obſeruantiæ Generalis Vicarius Florentiæ, anno Dominicæ incarnationis 1436. inſtitutus eſt, illamq; ſex annis gubernauit.

2. Vicarius Generalis beatus Ioannes de Capiſtrano, ſub eodem Eugenio IIII. atq; ſub patre fratre Antonio de Ruſconibus Generali Miniſtro ex eiuſdem Pontificis mandato, à præfato Generali, anno Domini 1443. Patauij inſtitutus gubernauit annis 3.

3. Vicarius Generalis pater frater Iacobus de Primadicijs Romæ canonicè à patribus capitulariter, anno Domini 1446. electus gubernauit annis 3.

4. Vicarius Generalis prædictus beatus pater Ioannes de Capiſtrano in conuentu Nemoris à Mugello prope Florentiã, anno Domini 1449. electus gubernauit annis 3.

5. Vicarius Generalis pater frater Marcus à Bononia Aquilæ, anno Domini 1452. electus gubernauit annis 3.

6. Vicarius Generalis pater frater Baptiſta à Leuanto Bononię, anno Domini 1455. electus gubernauit annis 2.

7. Vicarius Generalis pater frater Antonius à Montefalco Mediolani, anno Domini 1457. electus gubernanit anno 1.

8 Vicarius Generalis iteratò pater frater Baptiſta à Leuanto Romæ, anno Domini 1458. electus gubernauit annis 3.

9. Vicarius Generalis pater frater Ludouicus Vicentinus in conuentu Auximienſi Prouinciæ Marchiæ, anno Domini 1461. electus gubernauit annis 3.

10. Vicarius Generalis pater frater Marcus à Bononia Aſſiſij in conuentu ſanctæ Mariæ de Angelis, anno Domini 1464. ſecundò electus gubernauit annis 3.

11. Vicarius Generalis pater frater Baptiſta à Leuãto Mantuę, anno Domini 1467. tertiò electus gubernait annis 2.

12. Vicarius generalis pater frater Marcus à Bononia in Inſula Biſentina, annò Domini 1469. tertiò electus gubernauit annis 3.

13. Vicarius Generalis B. P. F. Angelus à Clauaſio Aquilæ, quæ Brutiorum ciuitas eſt, anno Domini 1472. primò electus gubernauit annis 3.

14. Vicarius Generalis pater frater Petrus à Neapoli, anno Domini 1476. Neapoli electus gubernauit annis 3.

15. Vicarius Generalis B.P.F. Angelus à Clauaſio Papię, anno Domini 1478. ſecundò electus gubernauit annis 3.

16. Vicarius Generalis pater frater Petrus à Neapoli, anno Domini 1481. Ferrariæ ſecundò electus gubernauit annis 3.

17. Vicarius Generalis B. P. F. Angelus à Clauaſio in ſacro montis Aluernæ conuentu, anno Domini 1484. tertiò electus gubernauit annis 3.

18. Vicarius Generalis pater frater Ioannes à Sigeſtro Aſſiſij in conuentu ſanctæ Mariæ de Angelis, anno Domini 1487. electus gubernauit annis 2.

19. Vicarius Generalis B. P. F. Angelus à Clauaſio Vrbini, anno Domini 1489. quartò electus gubernauit annis 4.

20. Vicarius Generalis pater frater Euangeliſta à Peruſio Florentiæ, anno Domini 1493. electus gubernauit annis 2.

21. Vicarius Generalis pater frarer Hieronymus Tornielus Aquilæ, anno Domini 1495. electus gubernauit annis 3.

22. Vicarius Generalis pater frater Ludouicus à Turri Mediolani, anno Domini 1498. electus gubernauit annis 3.

23. Vicarius Generalis pater frater Hieronymus Tornielus Vrbini, anno Domini 1501. ſecundò electus gubernauit annis 3.

24. Vicarius Generalis pater frater Franciſcus Zeno Mantuæ, anno Domini 1504. primò electus gubernauit annis 3.

25. Vicarius Generalis pater frater Hieronymus Tornielus Aſſiſij in conuentu Portiunculæ, anno Domini 1507. tertiò electus gubernauit annis 2.

26. Vicarius Generalis pater frater Franciſcus Zeno Ferrariæ, anno Domini 1509. ſecundò electus gubernauit annis 3.

27. Vicarius Generalis pater frater Thimotheus à Luca Neapoli, anno Domini 1512. electus gubernauit annis 2.

28. Vicarius Generalis pater frater Chriſtophorus à Forliuio Aſſiſij in conuentu Portiunculæ, anno Domini 1514. electus gubernauit annis 3.

Vltramontanorum Generalium vicariorum catalogus.

1. VICARIVS Generalis pater ac frater Ioannes Mahuberti, ſub Eugenio IIII. Pont. max. ac ſub R. P. F. Antonio de Ruſconibus Generali Miniſtro Vltramontanæ Regularis Obſeruantiæ ex eiuſdem Papæ Eugenij mandato, à præfato Generali Miniſtro, anno ſalutis humanæ 1443. Patauij inſtitutus eſt, gubernauitq; annis quatuor.

2. Vicarius Generalis idem pater ac frater Ioannes Mahuberti Odomaropolis, quæ Belgarum ciuitas eſt, canonicè à patribus Obſeruantibus, anno Domini 1447. electus gubernauit annis 4.

3. Vicarius Generalis pater frater Theodoricus Auriga Fontiniaci, anno Domini 1451. electus gubernauit annis 3.

4. Vicarius Generalis pater frater Ioannes Quiesdeber Baſileæ, anno Domini 1454. electus gubernauit annis 3.

5. Vicarius Generalis pater frater Theodoricus Auriga Mediolani, anno Domini 1457. ſecundò electus gubernauit anno 1.

6. Vicarius Generalis pater frater Ioãnes Mugini Romę, anno Domini 1458. electus gubernauit annis 3.

7. Vicarius Generalis pater frater Zeguerus à Dixmuda Salmanticæ, anno Domini 1461. electus gubernauit annis 3.

8. Vicarius Generalis pater frater Ioannes Machrifortis Mechliniæ, anno Domini 1464. electus gubernauit annis 3.

9. Vicarius Generalis pater frater Ioannes Philippi in conuentu montis Lucij propè Traiectum, anno Domini 1467. electus gubernauit annis 3.

10. Vicarius Generalis pater frater Franciſcus Blondæ Palentiolæ apud Hiſpanos, anno Domini 1470. electus gubernauit annis 2.

11. Vicarius Generalis pater frater Ioannes Croyn Baſileæ, anno Domini 1472. electus gubernauit annis 3.

12. Vicarius Generalis pater frater Ioannes Philippi Odomaropolis, anno Domini 1475 ſecundò electus gubernauit annis 3.

13. Vicarius pater frater Gulielmus à Bertho in conuentu Caſtri Rodulphi Prouinciæ Turoniæ, anno Domini 1478. electus gubernauit annis 3.

14. Vicarius Generalis pater frater Ioannes Philippi in præmemorato conuentu montis Lucij Prouinciæ Burgundiæ, anno Domini 1481. tertiò electus gubernauit annis tribus.

15 Vica-

15. Vicarius Generalis pater frater Ioannes Chroyn Brugis, anno Domini 1484. ſecundò electus gubernauit Annis 3.

16. Vicarius Generalis pater frater Oliuerius Mallardi in conuentu ſanctę Marię de Angelis prope Toloſam, anno Domini 1487. primò electus gubernauit annis 2.

17. Vicarius Generalis pater frater Ioannes Chroyn Rupellæ, anno Domini 1489. tertiò electus gubernauit annis 4.

18. Vicarius Generalis pater frater Oliuerius Mallardi Florentiæ, quæ ad Prouinciā ſancti Ludouici ſpectat, anno Domini 1493. ſecundò electus gubernauit annis 3.

19. Vicarius Generalis pater frater Franciſcus Segarra Cathalanus Toloſę, anno Domini 1496. electus gubernauit annis 3.

20. Vicarius Generalis pater frater Oliuerius Mallardi Mechlinię, anno Domini 1499. tertiò electus gubernauit annis 3.

21. Vicarius Generalis pater frater Marcialis Boulier in conuentu Aluiæ Prouinciæ Aquitaniæ, anno Domini 1502. primò electus gubernauit annis 3.

22. Vicarius Generalis pater frater Ioannes Silueſtri in conuentu Lavalenſi Prouinciæ Turoniæ Pictauienſis, anno Domini 1505. electus gubernauit annis 3.

23. Vicarius Generalis pater frater Marcialis Boulier Barchinonæ, anno Domini 1508. ſecundò electus gubernauit annis 3.

24. Vicarius Generalis pater frater Nicolaus Gilberti, aliàs de Aue Maria Rapiſtani, anno Domini 1511. electus gubernauit annis 3.

25. Et Vltimus Vicarius Generalis Vltramontanus pater ac frater Marcialis Boulier Antuerpiæ, quæ Belgarum Metropolis eſt, anno à ſalutifera mundi redemptione 1514. electus gubernauit annis 3.


Vicarijgenerales Citramōtani:
Vicarijgenerales Vltramōtani:

Bulla Concordiæ inter Miniſtrum Generalem totius Ordinis ſancti Franciſci, & Magiſtrum Generalem fratrum Conuentualium eiuſdem Ordinis.

NE inter Generalem Miniſtrum, atq; Generalem Magiſtrum tunc electos, ac in poſterum eligendos, diſtinctorum officiorum cauſa, aliqua oriretur rixa, ſed vt potiùs diſſenſionibus tum inter eos, tum quoque inter ſibi ſubditos fratres omnis amputaretur anſa, idem ſummus Pontifex Leo X. pro ſua in Franciſcanum Ordinem humanitate, atq; beneuolentia, ſequentem concordiæ bullam edidit, promulgauitq;.

Leo Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Omnipotēs Deus, cuius perfecta ſunt opera, qui cuncta ſapientiſſimè condidit in numero, pondere, & menſura, & cuius nutu omnia reguntur, Romanum Pontificem ſic catholicæ præfecit Eccleſiæ, vt quæ diuino honori, ſalutiq; fidelium cognouerit accommoda non ſolùm faciat, ſed quantùm in ipſo fuerit, aſpirante cœleſti gratia, ad debitæ perfectionis perducat effectum. Sanè diebus nouiſſimis cùm generaliſſimum Capitulum totius Ordinis beati Franciſci conuocari feciſſemus, illudq; in domo de Araceli de Vrbe dicti Ordinis celebrari debere ordinauiſſemus, pro vnione vniuerſali fratrum prædictorum ſub vno capite reformato, inter alia facienda pro votiua huiuſmodi vnione, de venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium conſilio, & aſſenſu, nec non ad Regum, & Principum Chriſtianorum humiles, & inſtantiſſimas preces, auctoritate Apoſtolica ſtatuimus, & ordinauimus, quòd de cœtero, perpetuis futuris temporibus, Miniſter Generalis totius Ordinis ſancti Franciſci à ſolis, & de ſolis Reformatis fratribus dicti Ordinis viuentibus abſq; priuilegijs bona temporalia concernentibus eligi debere: Cui omnes, & ſinguli fratres, ſecundum Regulam eiuſdem beati Franciſci, ſubijci, & obedire tenerentur. Et deinde fratres Conuentuales cum priuilegijs eis à Sede Apoſtolica conceſſis viuentes, ac redditus & poſſeſſiones, aliauè bona temporalia, ſecundum huiuſmodi priuilegia, retinere volētes, per alias noſtras literas etiam ſtatuimus & ordinauimus, quòd vnum ex eiſdem fratribus Conuentualibus vita, & moribus idoneum ſibi eligere poſſent. Qui eorum Magiſter Generalis appellaretur, & eorundem fratrum Conuentualium, ſub dictis priuilegijs viuentium, curam gerere, & electionis de ſe factæ confirmationem à dicto Miniſtro Generali totius Ordinis petere deberet; prout in literis prædictis plenius continetur. Cumq; in Capitulo generaliſſimo in dicta domo de Aracœli huiuſmodi nuper per fratres Reformatos celebrato, ibidem præſentibus auctoritate noſtra Protectore ipſius Ordinis, & alijs duobus ex S. R. E. Cardinalibus ad id à nobis ſpecialiter deputatis, die ad hoc per nos aſſignata, fratres ipſi vocem in electione Miniſtri Generalis huiuſmodi habentes dilectum filium Chriſtophorum de Forliuio, qui Vicarius Generalis fratrum Minorum de familia tunc fuerat, in Miniſtrum Generalem totius Ordinis S. Frāciſci ritè, & rectè elegiſſent: Fratres verò Conuentuales cū priuilegijs, vt præfertur, viuentes in domo ſanctorum Apoſtolorum etiam de Vrbe dicti Ordinis, ad id etiam legitimè congregati, dilectum filium Antonium Marcellum, vita & moribus idoneum, in Magiſtrum Generalem fratrum Conuentualium huiuſmodi etiā elegiſſent: Nos cùm audiuiſſemus electiones de Miniſtro, & Magiſtro præfatis per eoſdem fratres, iuxta ordinationes noſtras prędictas, ſpiritu ſancto id operante, ſumma cum charitate, ac pace, & vnione factas fuiſſe, dictum Antonium in Magiſtrum fratrum Conuentualium electum coram nobis præſentem in Domino benediximus, ac benedictionem noſtram huiuſmodi pro confirmatione, quam à præfato Miniſtro Generali petere tenebatur, pro hac vice dumtaxat ſufficere voluimus; ac deſiderantes per eoſdem Chriſtophorum Miniſtrum, & Antonium Magiſtrum ſic electos, & eorum ſucceſſores, fratreſq; ſibi commiſſos ſub proſpero, & fœlici regimine gubernari, ac in pacifico, & tranquillo ſtatu conſeruari poſſe, cogitauimus tali modo prouidere; quòd de cætero odor bonæ famæ eorundem fratrum apud omnes Chriſti fideles etiam Reges, & Principes Religionis Chriſtianæ perpetuis futuris temporibus redoleat, & pax & vnio plurimùm ab

mùm ab omnibus deſiderata conſeruetur , omniſq; diſſidij occaſio, quæ humani gene-
ris procurante inimico exoriri poſſet , extinguatur, & penitus tollatur , aliqua per eoſ-
dem Miniſtrum , & Magiſtrum , alioſq; ipſius Ordinis profeſſores firmiter , & inuiola-
biliter ſeruanda, motu proprio & ex certa noſtra ſcientia, ac matura cum ijsdem Cardi-
nalibus Præſidentibus deliberatione præhabita, duximus ſtatuenda: videlicet quòd præ-
fati Antonij Magiſtri Generalis fratrum Conuentualium ſucceſſores , ab ijsdem fratri-
bus Conuentualibus pro tẽpore electi , confirmationẽ ab eodẽ Miniſtro Generali, & ſuc-
ceſſoribus ſuis Miniſtris Generalibus totius Ordinis , quẽadmodũ Vicarij Generales tũc
de familia nuncupati petere tenebantur , petere teneantur ; ac quòd Magiſter nunc , &
pro tẽpore electus ad regimen fratrum Conuentualium S. Frãciſci, iuxta dictam noſtrã
ordinationem , Magiſter Generalis fratrum Conuentualium in perpetuum appellari de-
beat . Quodq; in ſingulis Prouincijs deputati ad regimen fratrum Conuentualium de
cætero Magiſtri Prouinciales fratrum Conuentualium cum ſuis ſigillis vocari, & à Mi-
niſtris Prouincialibus Regularis Obſeruantiæ in Prouincijs, iuxta morem dicti Ordinis ,
reſpectiuè pro tempore exiſtentibus, confirmationem electionum de eis pro tempore fa-
ctarum , eo modo , quo Vicarij Prouinciales olim de familia nuncupati à tunc Miniſtris
Prouinciarum fratrum Conuentualium petere tenebantur , etiam petere teneantur .
Quodq; tam Generales , quàm Prouinciales Miniſtri præfati tam antè , quàm poſt Ge-
neralis , & aliorum Magiſtrorum confirmationem huiuſmodi , tam de Generali, quàm
de alijs fratribus , & Prouincialibus Conuentualibus huiuſmodi , & aliorum Tertij Or-
dinis fratrum,& ſororum nuncupatorum, qui eatenus ſub Miniſtro Generali Conuen-
tualium fuerant regimine, nullatenus ſe intromittere aut per ſe , vel ſuos Commiſſarios
viſitare, ſeu corrigere poſſint, nec aliquam iuriſdictionẽ, ſeu ſuperioritatem in ipſos exer-
cere valeant : præterquàm cùm ipſum Miniſtrum Generalem pro tempore exiſtentem,
ad ipſorum fratrum Conuentualium domos,& loca declinare contigerit. Quo caſu ipſe
Miniſter eoſdem fratres Conuentuales paternè viſitare, ipſiq; fratres Couentuales eun-
dem Miniſtrum Generalem tanquam totius Ordinis ſuperiorem omni cùm charitate ,
& dilectione recipere debeant ; dummodò idem Miniſter Generalis nunc,& pro tempo-
re exiſtens, nihil iudicialiter circa ipſos fratres Conuentuales, ac domos,& loca, ac etiam
monialium monaſteria ſub eorum cura degentium exerceat , niſi eo modo , quo Mini-
ſter Generalis tunc fratrum Conuentualium ſuper fratres de familia, eorum domos,&
loca, & monaſteria monialium tempore conuocationis dicti Capituli generaliſſimi exer
cebat, exercere poſſit. Et inſuper Generali,& Prouincialibus Miniſtris pro tempore exi-
ſtentibus, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, præcipimus, & mandamus , ne
directè, vel indirectè, etiam fauore dominorum temporalium, ciuitatum ,& vniuerſita-
tum, oppidorum, terrarum, & villarum, ac perſonarum eccleſiaſticarum, etiam Præla-
torum quorumcunq; , ſeu eorundem Cardinalium , ſeu alio quæſito colore , vel inge-
nio, malitioſè, quòd domus, & loca fratrũ Conuentualium, ſeu monaſteria monialium
curæ Magiſtri Generalis Conuentualium huiuſmodi ſubiecta,& quæ hactenus ſub dicto
Miniſtro Generali fratrum Conuentualium fuerant , ab eis quoquomodo auferantur ,
procurare præſumant : & nihilominus , quicquid in contrarium attentatum fuerit ,
ſit eo ipſo facto irritum , & inane . Domus autem , & loca , ac monaſteria monialium
Magiſtro Generali fratrum Conuentualium ea ſubiecta eſſe intelligi volumus , quæ
Apoſtolica , vel alia auctoritate , Miniſtro Generali , ante celebrationem dicti Capitu-
li generaliſſimi proximè in dicta domo Aracœli celebrati, ſubiecta erant,& in quorum
poſſeſſione ipſe tunc Miniſter Generalis Conuentualium exiſtebat . Præſertim domus
ſeu conuentus Aſſiſij , & ſancti Saluatoris de Vrbe, aliæq; quamplures domus, ac mul-
ta monaſteria monialium, quę eidem Miniſtro Generali tunc immediatè ſubiecta erant,
quæ omnia ex nunc Magiſtro Generali Conuentualium immediatè ſubiecta perpetuò
ſint , & eſſe cenſeantur : exceptis domibus , & locis , ac monaſterijs monialium dicto-
rum fratrum Reformatorum per priores literas noſtras huiuſmodi nuper vnitis , quæ
Generali , & Prouincialibus Miniſtris in ſuis Prouincijs reſpectiuè, in omnibus ſubiecta
remanere volumus. Statuimus etiã quòd ſi fratres Conuentuales quandoq; ſe reformare
voluerint , reformatio ipſa , iuxta priuilegia Apoſtolica eis conceſſa , per ſuos Genera-
lem ,

lem, & Prouinciales Magiſtros dumtaxat fieri debeat; niſi vbi fratres alicuius domus, ſeu conuentus ad veram, & Regularem Obſeruantiam, & omnimodam Generalis, & Prouincialium Miniſtrorum obedientiam venire, & Generali ac Miniſtris alijs præfatis ſe ſubijcere vellent. Quo caſu, ſi fratres illarum domorum, in quibus à decem vſq; ad viginti fratres, in alijs verò domibus, in quibus numerus à viginti vſq; ad quemcunq; numerum fratrum eorundem Conuentualium fuerit, duæ tantùm partes ſubiectioni, & ſubmiſſioni huiuſmodi conſenſerint, tunc Generalis,& alij Prouinciales Miniſtri pro tempore exiſtentes domos fratrum ſubiectioni, & ſubmiſſioni huiuſmodi modo pręmiſſo conſentientium,quacunq; contradictione non obſtante, domos fratrum Conuentualium, & illarum fratres huiuſmodi liberè,& licitè recipere poſſint. Domos verò fratrum Conuẽtualium,in quibus minor numerus quàm denarius fuerit, etiam de omnium fratrum Conuentualium earundem domorum conſenſu, nullatenus recipere valeant; ſed illæ Generalis, & aliorum Prouincialium Magiſtrorum reformationi liberè dimittantur. Singulis vero fratribus Cõuentualibus ad Generalem,& Prouinciales Miniſtros tranſire volentibus, ab eorum ſuperiore prius petita, licèt non obtenta,licentia,liberam tranſeundi licentiam & facultatem concedimus. Præterea volumus, quòd illi ex fratribus Conuentualibus, qui de cætero vitam reformatam ſub Generalis, ſeu Prouincialium Magiſtrorum vitam ducere voluerint, ſub eorum regimine permanere poſſint, dummodò aliquo ſigno notabili diſtinctiuo diſtinguantur, & diſcernantur ab illis,qui vitam regularem ſub Generali, ſeu Prouincialibus Miniſtris ducunt, prout Generalis Miniſter, & Magiſter inter ſe conuenerint: Bonis præfatarum domorum reformandarũ immobilibus,& omnibus, quorum fratres Reformati non ſunt, nec capaces eſſe volunt, Generali, & alijs Prouincialibus Magiſtris, ad eorum liberam diſpoſitionem, liberè remanentibus. Et ne inter Reformatos, & Conuentuales fratres præfatos ſuper præcedentia diſſenſio & contentio oriri poſſint, volumus & etiam ſtatuimus, quòd inter eos talis ordo ſeruetur, videlicet quòd in proceſſionibus, & funeralibus, ac exequijs, nec non in omnibus alijs actis publicis fratres Conuentuales fratribus Regularis Obſeruantiæ locum digniorem relinquere teneantur. Si tamen aliqui graduati, ſeu antiqui patres, aut Guardiani domorum Conuentualium remanere vellent cum quibuſdam fratribus antiquioribus ſub Generali, & Prouincialibus Miniſtris viuentibus, tunc in hoc caſu,vt euitetur diſſenſio huiuſmodi, & perfecta vnio conſeruetur, ſimul incedere poſſint. Ipſiq; Conuentuales ſemper eorum crucem, & vexillum per eos deferri ſolitum, deferre liberè, & licitè valeant. Poſtremò omnia, & ſingula priuilegia,& indulta dicto Ordini tam per nos, quàm alios quoſcunq; Romanos Pontifices hactenus conceſſa eiſdem fratribus Regularis Obſeruantiæ, ac Conuentualibus,inquantum præmiſſis non ſint contraria, auctoritate, & tenore præſentium inuicem perpetuò communicamus, & ſuffragari volumus, eaq; omnia etiam illis denuò concedimus. Quocirca Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, nec non vniuerſis Patriarchis, Archiepiſcopis,& Epiſcopis,& eccleſiarum Prælatis, ac quibuſcunq; in dignitate eccleſiaſtica conſtitutis perſonis per hæc apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi, & eorum ſinguli præſentes noſtras literas,& in eis contenta quæcunq; vbi,& quando opus fuerit,ac quoties pro parte Miniſtrorum, & Magiſtrorum, aut alicuius ipſorum ſuper hoc requiſiti fuerint, ſolemniter publicantes, eiſq; in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes,faciant eos præſentibus literis, ac omnibus, & ſingulis in eis contentis pacificè frui & gaudere. Non permittentes eos deſuper inter ſe, ac etiam per quoſcunq; alios quauis auctoritate & poteſtate fungentes quomodolibet indebitè moleſtari, aut perturbari. Contradicentes per cenſuras eccleſiaſticas,& alia iuris opportuna remedia, appellatione poſtpoſita,cõpeſcendo, inuocato etiam ad hoc ſi,opus fuerit, auxilio brachij ſecularis; non obſtantibus quibuſcunq; literis Apoſtolicis, & indultis, etiam ſacri Concilij Conſtantienſis,dictæ Religionis fratribus, familijs, congregationibus,denominationibus,aut alicui eorũ ſiue illarum auctoribus, & inſtitutoribus, ſub quibuſuis verborum formis, ſolemnitatibus, & clauſulis fortioribus, & inſolitis conceſſis, ſeu forſan in futurum concedendis, quibus etiam, ſi ad illarum derogationem de illis earumq; totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, indiuidua ac de verbo ad verbum, non autem per generales clauſulas id impor-

id importantes, mentio ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut alia aliqua exquiſita forma ſeruanda eſſet: illarum omnium tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dum taxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus contrarijs quibuſcunq;, aut ſi Miniſtris, & Magiſtris, ac fratribus præfatis, vel quibuſuis alijs communiter, vel diuiſim ab Apoſtolica ſit ſede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes expreſſam, & plenam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mētionem. Cæterum quia difficilè foret præſentes literas ad quælibet loca, vbi opus fuerit, deferre; volumus, & auctoritate Apoſtolica decernimus, quòd tranſumptis præſentium manu Notarij publici ſignatis, & alicuius Prælati eccleſiaſtici ſigillo munitis, ea prorſus fides in iudicio & extra habeatur, & adhibeatur, quæ adhiberetur, ſi præſentes originales literæ eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum præcepti, ſtatuti, communicationis, conceſſionis, mandati, derogationis, voluntatis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipontentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ, apud ſanctum Petrum, anno incarnationis Dominicę 1517. pridie idus Iunij, Pontificatus noſtri anno quinto. Præcedentis bullæ, à nobis tamen adamuſſim obſeruatæ, reuocationem patres Conuentuales, quoad aliqua, à Clemente VII. ſummo Pontif. viuæ vocis oraculo obtinuiſſe aſſerunt: idq; ſanè experientia ipſa indicare videtur.

Numerus, & nomina Prouinciarum, ex quibus Franciſcana Regularis Obſeruantia ante ſeptimum generaliſſimum Capitulum conſtabat, & earum ex quibus modo conſtat.

Ex præcedentibus manifeſtum euadit, quòd licèt patres Conuentuales Obſeruantibus multò antiquiores ſint, & iſti ab illis ſuum genus, originemq; ducant, beatiſſimi tamen patris Franciſci legitimi ſucceſſores iſti, Obſeruantes videlicet, iure optimo dici poſſint. Quòd tamē de patribus Capucinis aſſeri minimè poteſt. Nam licèt ij patres religioſiſſimi ſint, & Franciſcanam Regulam ad literam ſeruare contendant, ad veram tamen Patriarchæ pauperum Franciſci ſucceſſionem nullo pacto ſpectant: cùm ab ipſo totius Ordinis capite, à Generali ſcilicet Miniſtro, ac tanti patris vicario ſeiuncti, ſeparatiq; ſint. Sed quicquid ſucceſſionis, atq; hæreditarij iuris eſt, id profectò (longè abſit ambitio) Obſeruantibus, tanquàm legitimis filijs, debetur: Tum quia annuos redditus, rerumq; proprietatem, quorum vtrumq; cum Franciſcana Regula è diametro pugnat, admittere nolint: tum quia à Leone X. Pont. max. & veræ ſucceſſionis titulos, atq; Ordinis ſigilla, quæ penes patres Conuentuales erant, acceperint: tum quia promiſſam à ſe Regulam, iuxta Pontificias declarationes, quocunq; ſecluſo priuilegio mordicus obſeruent: Tum quia in ſuis titulis, atq; functionibus nihil extranei à regularibus pręceptis (ſi ſummorum Pontificum declarationibus, quibus tergiuerſari execrabile piaculum eſt, ſtandum ſit) admittant: imò potius teſſeram ab Ordinis inſtitutore, beato ſcilicet patre Franciſco creditam pro viribus teneant, fideliſſimeq; cuſtodiant. Tum etiam quia de illis ſolis verificatur illud à Chriſto Domino beato ipſi patri promiſſum: Extendendum videlicet eius Ordinem ab Oriente in Occidentem, & ab Aquilone in Meridiē. Nam ſi de patribus Conuentualibus oriatur quæſtio, ij tantum Italiam quaſdamq; tum Galliæ Narbonenſis, tum quoq; ſuperioris, atq; inferioris Germaniæ portiunculas incolunt. Si vero de Capucinis fiat ſermo, ij Italię, Galliæ, atq; principatus Cathaloniæ, apud Hiſpanos, limites non tranſgrediuntur. Sed ſi de Obſeruantibus loquamur, quæ mundi pars à catholicis inhabitata eos fugit? Nulla penitus: Cùm & in Italia, & in Germania tum ſuperiori, tum quoq; inferiori, & in vtraq; Gallia Celtica, & Narbonenſi, & in vniuerſa Hiſpania, & apud Aphros: imò & apud vtroſq; Indos, Orientales ſcilicet & Occidentales, apud ipſos quoq; Antipodas plures Prouincias erexerint, plurimoſq; conuentus occupent: vt interim quos apud Turcas, & Barbaros incolunt, ſilentio prætermittā.

Qua-

Quapropter ſeraphica hęc noſtra Regularis Obſeruantia optimo iure ab Eccleſia catholica omni fauore, & beneuolētia proſequenda venit. Accedit quòd omnes ferè alij Ordines ſic Eccleſiæ deſeruiant, vt de ipſius Eccleſię bonis, atq; redditibus viuant. Sed noſtra hæc Philadelphia ita eidem Eccleſiæ in ſacris confeſſionibus excipiendis, prædicationibus, lectionibusq; ad populum habendis, atq; in cæteris pijs exercitijs obſecundatur, vt licèt numeroſiſſima (vt ex hoc libello liquidò patet) ſibi, ſuiſq; redditibus nullo pacto oneroſa ſit. Sed in ſudore proprij vultus ſuo pane ex emendicatione, populo minus graui, acquiſito veſcatur, paſcaturq;. Vt autem quod ſuperius diximus, manifeſtū euadat, hic earum Prouinciarum, ex quibus vniuerſa Regularis Obſeruantia tempore præfati ſeptimi generaliſſimi Capituli ſub Leone X. Pont. max. celebrati conſtabat, & illarum, quibus modò abſoluitur, numerum, atq; nomina quàm breuiſſimè ſubijciemus: & primo quidem loco earum, quæ ad familiam Ciſmontanam tunc temporis, attinebant, modoq; ſpectant. Secundo verò loco de Vltramontanis agemus. Conflabatur itaq; vniuerſa Reſpublica Obſeruans Franciſcana, ante prefatum ſeptimum Capitulum generaliſſimum ex quadraginta quinq; Prouincijs: quarum viginti quinq; ad Citramontanam familiam, ad eam videlicet, quæ ab Alpibus Orientem verſus progreditur, omnino ſpectabant: reliquę verò viginti ad Vltramontanam, ideſt ad illam, quæ ab ijſdē Alpinis montibus in Occiduum tendit, haud dubiè pertinebant. Sed modò octoginta & vna abſoluitur: quarum triginta præfatam familiam Ciſmontanam, reliquæ verò tum Vltramontanam, tum quoq; Indicam familias complent: vt ex his quæ ſequuntur legenti manifeſtum euadet.

Prouinciarum Citramontanarum ante ſeptimum generaliſſimum Capitulum ſeries.

PROVINCIA ſancti Franciſci quadraginta loca ſiue conuentus habens.
Prouincia Romana triginta & vnum conuentus complectens.
Prouincia Marchiæ ex triginta quinque conuentibus conſtans.
Prouincia Tuſciæ ex quadraginta quinque locis conflata.
Prouincia Bononiæ vigintiquatuor loca obtinens.
Prouincia ſancti Antonij ex trigintaquinq; conuentibus collecta.
Prouincia Ianuæ ex quinquaginta ſeptem conuentibus compoſita.
Prouincia Mediolanenſis viginti octo monaſteria continens.
Prouincia Neapolitana ex quadragintaquinq; locis confecta.
Prouincia Calabriæ ex triginta & vno locis coaceruata.
Prouincia Siciliæ ex triginta & ſeptem monaſterijs coadunata.
Prouincia Apuliæ triginta & ſex monaſteria ambiens.
Prouincia ſancti Bernardini vigintiduo cœnobia circumcingens.
Prouincia ſancti Angeli ex totidem conuentibus collecta.
Prouincia Dalmatiæ ex totidem quoq; locis conflata.
Prouincia Candiæ & Terræ ſanctæ octo tantùm loca habens.
Prouincia Auſtriæ viginti & vnum conuentus continens.
Prouincia Bohemiæ à viginti & ſeptem cœnobijs ſuſtentata.
Prouincia Poloniæ ex viginti tribus monaſterijs compoſita.
Prouincia Boſnæ ex quadraginta & vno conuentibus, in ſeptem Cuſtodijs diſtinctis, conflata.
Prouincia Corſicæ ex vigintitribus locis compoſita.
Prouincia Brixiæ ex Viginti duobus monaſterijs conflata.
Prouincia Raguſij ex nouem tantum cœnobijs collecta.
Prouincia Baſilicatæ quatuordecim monaſteria complectens.
Et Prouincia Vngariæ ex ſeptuaginta monaſterijs compoſita.

Vltramon-

Vltramontanarum Prouinciarum ante ſeptimum generaliſsimum Capitulum catalogus.

PROVINCIA Franciæ triginta & nouem conuentus complectens.
Prouincia Caſtellæ quadraginta loca, in quatuor Cuſtodias diſtincta, nempè Toletanam, Burgenſem, Murtianam atq; Angelorum continens.
Prouincia Saxoniæ vigintiquatuor monaſteria circumcingens.
Prouincia Turoniæ triginta cœnobia ambiens.
Prouincia Aragoniæ ex trigintaquatuor locis, in quatuor Cuſtodijs diuiſis, conflata.
Prouincia Argentinæ ex viginti ſex conuentibus collecta.
Prouincia Burgũdię ſiue ſancti Bonauẽturę ex quadragintanouẽ monaſterijs confecta.
Prouincia ſancti Iacobi ex trigintatribus minoriticis domibus compoſita.
Prouincia Coloniæ ex quadragintaocto ſacris ædibus coadunata.
Prouincia Aquitaniæ ex vigintiquatuor monaſterijs coaceruata.
Prouincia Portugaliæ ex triginta tribus monaſterijs congeſta.
Prouincia ſancti Ludouici ex vigintribus locis contexta.
Prouincia Hyberniæ ex ſeptendecim conuentibus conſtans.
Prouincia Scotiæ octo tantum Franciſcanas domos continens.
Prouincia Conceptionis viginti monaſteria habens.
Prouincia Daciæ vigintiduo loca complectens.
Prouincia Angliæ duodecim cœnobia circumcingens.
Prouincia Bethica ex triginta monaſterijs confecta.
Prouincia Indiarum ſiue ſanctæ Crucis.
Prouincia Britanniæ ex viginti monaſterijs conſtans.
His adiunctæ fuêre ex patrum decreto in præfato vltimo generaliſſimo Capitulo & aliæ duæ Prouinciæ, nempè angelorum, atq; Maioricarum,ſiue Balearium: quæ ex Cuſtodijs in Prouincias emerſerunt.

Prouinciarum Obſeruantum Ciſmontanarum poſt ſeptimum generaliſsimum Capitulum numerus atq; nomina.

PROVINCIA ſancti Franciſci.
Prouincia Romana.
Prouincia Marchiæ.
Prouincia Tuſciæ.
Prouincia Bononiæ.
Prouincia ſancti Antonij.
Prouincia Ianuæ.
Prouincia Mediolani.
Prouincia Principatus.
Prouincia ſeptem Martyrum.
Prouincia Siciliæ.
Prouincia ſancti Nicolai.
Prouincia ſancti Bernardini.
Prouincia ſancti Angeli.
Prouincia Dalmatiæ.
Prouincia Candiæ.
Prouincia Boſnæ Croatiæ.
Prouincia Auſtriæ.
Prouincia Bohemiæ.
Prouincia Poloniæ.
Prouincia Corſicæ.
Prouincia Raguſij.
Prouincia Brixiæ.
Prouincia Baſilicatæ.
Prouincia Vngariæ Saluatoris.
Prouincia Boſnæ Argentinæ.
Prouincia Vngariæ ſanctæ Mariæ.
Prouincia Terræ laboris.
Prouincia Tirolenſis, atq;
Prouincia Calabriæ.

HIS Prouincijs accedunt binæ Cuſtodiæ, videlicet Cuſtodia Terræ ſanctæ, nec non & Cuſtodia Albaniæ: quarum vtraque Prouinciæ vices quodammodo obtinet, cùm nulli Prouinciali Miniſtro ſubſit, ſed Generali tantùm Miniſtro immediatè pareat.

Prouinciarum Obſeruantum tum Vltramontanarum, tum Indicarum poſt ſeptimum generaliſſimum Capitulum catalogus.

PROVINCIA Franciæ.
Prouincia Franciæ Pariſienſis.
Prouincia Caſtellæ.
Prouincia Saxoniæ S. Ioannis Baptiſtæ.
Prouincia Saxoniæ ſanctæ Crucis.
Prouincia Turoniæ.
Prouincia Turoniæ Pictauienſis.
Prouincia Aragoniæ.
Prouincia Argentinæ.
Prouincia Aquitaniæ.
Prouincia ſancti Iacobi.
Prouincia Coloniæ.
Prouincia ſancti Bonauenturæ.
Prouincia Portugaliæ.
Prouincia ſancti Ludouici.
Prouincia Hyberniæ.
Prouincia Conceptionis.
Prouincia Britanniæ.
Prouincia Bethica.
Prouincia Burgenſis.
Prouincia Angelorum.
Prouincia Pietatis.
Prouincia ſancti Gabrielis.
Prouincia Carthaginenſis.
Prouincia Flandriæ.
Prouincia Germaniæ inferioris.
Prouincia Maioricarum.
Prouincia Aquitaniæ Reformatorum.
Prouincia ſancti Michaëlis.
Prouincia Cantabriæ.
Prouincia Canariæ.
Prouincia ſancti Andreæ.
Prouincia Sardiniæ.
Prouincia Valentiæ.
Prouincia Cathaloniæ.
Prouincia Arrabidorum.
Prouincia ſancti Ioſeph in Caſtella.
Prouincia ſancti Ioannis Baptiſtæ.
Prouincia Granatenſis.
Prouincia ſanctę Crucis in Inſula S. Dominici, ſeu (vt vulgò appellant) Hiſpaniola.
Prouincia ſancti Euangelij in Regno Mexicano apud nouam Hiſpaniam.
Prouincia ſancti Ioſeph de Iucatam apud eandem nouam Hiſpaniam.
Prouincia SS. Petri, & Pauli de Mechocam ibidem.
Prouincia nominis Ieſu de Guatimala ibid.
Prouincia S. Georgij de Nicaragua ibidem.
Prouincia duodecim Apoſtolorum de Lima in Regno Peruaco.
Prouincia ſanctę Fidei noui Granatenſis Regni ibidem.
Prouincia Sanctiſſ. Trinitatis de Chille, &
Prouincia S. Franciſci de Quito eodem in Regno Peruaco

SVPERIORIBVS Prouincijs annectẽdę veniũt Cuſtodia S. Tho. apud Indos Orientales, quæ licèt Prouinciæ Portugaliæ obtemperet, nihilominus tamẽ plurimis Prouincijs, iure optimo, æquari poteſt: & Cuſtodia continentis, ſiue Firmæ terræ Indiarum. Complexata quoq; fuit Vltramontana familia & alias tres florentiſſimas Prouincias, Scotiæ videlicet, Daciæ, atq; Angliæ. Quę furenti ſanguinariorum hæreticorum rabiei cedentes, earum alumnis vel funeſto gladio abſumptis, vel aliò profligatis, in nihilum redactæ ſunt, vt meritò de vna quaq; illarum cum Ieremia Propheta dicere poſſimus: Quomodo ſedet ſola Prouincia plena olim probis, atq; doctiſſimis patribus: facta eſt quaſi vidua domina gentiũ, princeps Prouinciarũ facta eſt ſub tributo. Plorans plorauit in nocte, & lachrymæ ipſius in maxillis eius. Non eſt qui conſoletur eam ex omnibus filijs eius. Omnes amici eius ſpreuerunt eam, & facti eius inimici ad nihilũ (proph dolor) redegerunt. Quod vel hinc ſaltim conſtat, cùm vix vnus, aut alter pater, aut frater ex omnibus eius alumnis, dum hæc à nobis ſcribuntur, ſuperſit. Quod & in cauſa erit vt vel leuiſſimo ſtylo eas depingamus, vel omnino tranſiliamus. Nam impræſentiarum vſq;, & ſi omni adhibita diligentia, nullum penitus monumẽtum ad manus habere potuimus, quo de aliqua earum antiquitate, memoria, ac conuẽtuum erectionibus certiores fieri poſſimus. Nec vllus ad eas penitus patet acceſſus, vt aliquis frater eò deſtinari queat, qui huiuſmodi rem perficiat, & quod à nobis maximè deſideratur præſtare valeat. Immo nec ipſa ſaltem minora prefatarum Prouinciarũ ſigilla, vt maioribus ſubrogaremus, ne loca vacarent, aſſecuti ſumus. Et quod peius eſt, excreſcentibus indies illis in partibus hæreticis, nouiſq; ſectis, ac peregrinis dogmatibus, ijſq; peſtiferis omnino ſibi ſucce-

ſuccedentibus, nulla earum recuperandarum ſpes nobis affulget. Hinc ſanè monendi veniunt, qui ſtare ſibi videntur, ne aliquando, Deo opt. max. id ob noſtra flagitia permittente, cadant. Ego quidem dum illarum regionum, in quibus præfatæ tres Prouinciæ olim ſubſtitêre, antiquam ſanctitatem, in Deum & proximum pietatem, atq; Chriſtianæ religionis zelum cum præſenti earundem impietate, diuini cultus, paternarumq; traditionum contemptu, atq; (vt paucis multa perſtringam) atheiſmo confero, non poſſum non propriæ pelli timere. Interim tamen pium lectorem præmonitum cupimus, ne dum hęc à nobis relata legerit, aliquid ſiniſtri de illarum Prouinciarum patribus, aut fratribus ſuſpicetur: immo vt certiſſimè ſciat illorum plurimos glorioſo martyrio pro Chriſti fide, ac Chriſtianæ religionis defenſione ſub truculentiſſimis hæreticis in proprio ſolo occubuiſſe, plurimoſq; alias terrę plagas in melotis, ac pellibus caprinis tanquam aduenas, & peregrinos circuiuiſſe, ac deniq; plurimos alijs in noſtris Prouincijs, pręſertim Germaniæ inferioris, Flandriæ, atq; Franciæ Pariſienſis cum maxima ſanctitatis opinione in Domino quieuiſſe.

Vniuerſi Ordinis Franciſcani Obſeruantis tum generalia, tum quoq; prouincialia ſigilla.

QVIA in eum ſcopum noſter hic labor tendit, vt & Prouinciarum, atq; conuentuum origo, fundatio, atq; antiquitas, nec non & numerus, atq; nomen omnibus in propatulo ſint: Inſuper & vt Generalis Miniſter omnium ſibi ſubditarum Prouinciarum ſigillorum (quandoquidem vnaquæq; ex præfatis Prouincijs proprio honeſtatur ſigillo, quo Prouincialis eius Miniſter ad iniuncti ſibi muneris exequutionem vtitur) conſcius, multò fœlicius ſuo munere fungi queat, omnia tum noſtri Inſtituti generalia, tum quoque Prouinciarum particularia ſigilla affabrè depicta, atq; fideliſſimè ex ipſiſſimis æreis ſigillis extracta, vt intuenti liquidò conſtabit, hic annectenda cenſuimus. Quorum nihilominus in cuiusq; Prouinciæ exordio aliquantulam mentionem faciemus. De minoribus autem ſigillis quibus pręfati Generalis ac Prouinciales Miniſtri, nec non Cuſtodes, Commiſſarij, atq; cæteri noſtri Ordinis Prælati vtuntur, quòd ea obſignandis potiſſimùm literis, ac quibuſdam alijs non adeò magni momenti negocijs deſeruiant nulla impræſentiarum fit mentio, ſed tantùm de maioribus. Habet nempe præfatorum ſuperiorum quiſque duplex ſigillum, maius ſcilicet & minus.


SIGILLA ORDINIS GNĀLIA
ATQ PROVĪTIARV̄ PECVLIARIA
S. Comiſſarij Gnālis Cismōtani
Sigillū Miniſtri Gnālis
S. Cōmiſſarij Gnālis Vltramōtani
S. Procuratoris Curiæ R.
S. Terræ ſanctæ
S. Cōmiſſarij Curiæ Rœ


1. P. Sancti Frãcisci
2. P. Romanæ.
3. P. Marchiæ.
SIGILLVM·R·MINISTRI·PROVINCIÆ·SANCTI·FRANCISCI
S·P·R·CONFIRMATIONE·GVLE·FRATRVM·MINORVM
SIGILLVM·R·MINISTRI·PROVINCIÆ·MARCHIÆ
4. P. Tusciæ.
5. P. Bononiæ.
6. P. Sancti Antonij.
S·MINISTRI·PROVINCIÆ·TVSCIÆ
SIGILLVM·MINISTRI·PROVINCIÆ·BONONIÆ
SIG·MINISTRI·PRO·S·ANCTI·ANTONII·OR·M·R·OBSER
7. P. Ianuæ.
8. P. Mediolani.
9. P. Principatus.
MP·I·
SIGILLVM·MINISTRI·PROVINCIE·MEDIOLANI
SIGILLVM·MAIVS·PROVINCIE·PRINCIPATVS


10. P. ſſ. 7. Mar. Calabriæ
11. Pro Siciliæ.
12. Pro S. Nicolai.
13. Pro S. Bernardini.
14. Pro S. Angeli.
15. Pro Dalmatiæ.
16. Pro Candiæ.
17. Pro Bosnæ Croatiæ.
18. Pro Auſtriæ.


19·Pro·Bohemiæ·
PROVINCIÆ BOHEMIÆ· SIGILLVM·MINISTRI·
20·Pro·Poloniæ·
PROVINCIÆ·POLONIÆ· SIGILLVM·MAIVS·
21·Pro·Corſicæ·
SIGILLV·PROVINCIÆ·CORSICÆ·ORDINIS·MINORVM·RE·OB·
M
IHS XPS
S P
C
22·Pro·Raguſij·
PROVINCIÆ·RAGVSII· SIGILLVM·MINISTRI·
23·Pro· Brixiæ·
SIGILLVM·PROVINCIÆ·BRIXIÆ·ORDINIS·FRATRVM·MINORVM·OBS·
INRI
24·Pro·Baſilicatæ·
SIGILLVM·PROVINCIÆ BASILICATÆ
25·Pro·Vngariæ ſaluato·
SIGIL·PROVINCIÆ VNGAR· SALVATO·OR·MI·OBSER·
INRI
26·Pro·Bosnæ Argentinæ·
SIGILLVM PROVINCIÆ ARGENTINÆ BOSNÆ
INRI
IER SALEM
27·Pro·Vngariæ·S·Mariæ·



Quę præcedunt ſigilla, ad Ciſmontanam familiã, nempe ad eam, quę ab Alpibus orientem verſus tẽdit, pertinent: que verò, ſubſequuntur ad vltramõtanam, ad eam videlicet, quę à præfatis Montibus in occiduum vergit, ſpectant:


S·Cõmiſſarii noue Hiſpa·
S·Comm·Genera·Indiarũ
S·Cõmiſſa rij·Peru·
SIGILLVM COMMISSARII PROVINCIARVM NOVÆ HISPANIÆ
I·N·R·I·
SIGILLVM COMMISSARII GENERALIS INDIARVM ORDINIS MINORVM
IHS
1·Prouincia· Franciæ·
2·Pro·Frãciæ Pariſien·
3·Pro· Caſtellæ·
PROVINCIÆ FRANCIÆ SIG FRATRVM MINORVM
S PE
4·Pro·ſaxoniæ S·Johã Bap
5·Pro·ſaxoniæ S·crucis·
6·Pro· Turoniæ·
PROVINCIÆ TVRONIÆ SIGILLVM MINISTRI



7. P. Turoniæ Pictauienſis.
8. Pro Aragoniæ.
9. Pro Argentinæ.
10. Pro Aquitaniæ.
11. Pro Sancti Jacobi.
12. Pro Coloniæ.
13. Pro S. Bonauenturæ.
14. Pro Portugalliæ.
15. Pro Sancti Ludouici.


16·Pro·Hiberniæ·
17·Pro·ſcociæ·
18·P·Conceptionis·
SIGILLVM·PROVINCIÆ·HIBERNIÆ·FRVM·MINORVM·DE OBSERVATIÆ
I·N·R·I
PROVINCIA·SANCTE MARIE DE COCEPTIONE
19·Pro·Daciæ·
20·Pro·Britãniæ·
21·Pro·Angliæ·
22·Pro·Betbicæ·
23·Pro·Burgenſis·
24·Pro·Angelorũ·
SIGILLVM·MINISTRI·PROVINCIÆ·BETHICÆ
SIGILLVM PROVINCIE BVRGENSIS
PROVICIA·ANGELOR·AVE DOMINA·ANGELOR


25·Pro·Pietatis
26·Pro·S·Gabrielis
27·Pro·Cartaginēſis.
28·Pro·flandriæ·
29·P·Germanię Iſerioris
30·Pro·Algarbiorum·
31·Pro· Sancti Euāgelij·
32·Pro·Maioricharum·
33·P· Aquitanię Recēſioris·


34.Pro. S. Michaelis.
35.Pro.Cantabriæ.
36.Pro.Duodecim Apoſtolor
37.Pro. Canariæ.
38.Pro.S. Andreæ.
39.Pro. Sardiniæ.
40.Pro.Valentiæ.
41.Pro.Cathaloniæ.
42.Pro.Iucatã Noue hiſp


43·Pro· Rabidæ·
44·P· S·Ioſeph diſcalciatoꝝ
45·P·S·Ioā·Bap·diſcalciatoꝝ
46·P·Apoſtoloꝝ·Noue hiſpa
47·P·Nomi·Ihu Guatemalæ
48·P·S·Fides Peru·
49·P·ſſ·Trinitatis Peru·
50·P·S·Frācisci D Quito·
51·P·S·Georgij Nicar Aquæ
IHS
FIDES


52. Pro. S. Crucis.
ECCE CRUCEM DOMINI FUGITE PARTES ADVERSE
INRI
53. P. Granatenſis.
SIGILLUM MINISTRI PROVINCIÆ GRANATENSIS
54. P. S. Thome Indie Orietalis.
SIGILLUM CUSTODIÆ SANCTE THOME PROVINCIÆ PORTUGALIÆ 1573
S T
55. P. S. Gregorij philippin.
SIG. PROVINTIÆ S. GREGORII PHILIPPINÆ ET CHINÆ

De Franciſcani Ordinis perfectione, patrumq́ Capucinorum origine, ac diſcrimine inter eos, Obſeruantes, atq; patres Conuentuales Minoritas.

EA eſt Franciſcani Inſtituti perfectio, (vt præfati ſumus) vt omnes alios Ordines (procul abſit ambitio) longè ſuperet, & in cauſa ſit, vt tepeſcentibus primæuis illis ardoribus, humanaq; natura in decliue tendēte, relaxationem aliquando patiatur. Sed ea quoq; eſt Dei bonitas, atq; miſericordia, vt cùm magis magiſq; is Ordo declinare, atq; à recto tramite deflectere videatur, tunc ex tempore robuſtior conſurgat, atq; eò, vnde dilapſus eſt, aliquorum eius zelotum opera fœlicius redeat, vt inconcuſſa interim diuina pollicitatio beatiſſimo patri Frāciſco facta maneat: videlicet nunquā defuturos fratres, qui vitam iuxta Euangelicam paupertatem ducant, quiq; Regulam à ſe editam inuiolatam ſeruent. Sic enim, dum adhuc tenellos haberet vnguiculos, atq; debiti rigoris aliquantulum remiſiſſet, à beatis patribus Franciſco, Antonio atq; fratre Adamo de Mariſco Anglico priori ſtatui reſtitutus eſt. Sic pater Angelus de Cingulo, eiuſq; ſequaces Clareni à Claro monte ſic dicti, neç non & venerabiles patres Paulus de Trincis & Ioannes à Stronconio, beatiq; Bernardinus de Senis, Ioānes Capiſtranus, Iacobus à Marchia, Albertuſq; à Sartiano Regularis Obſeruantiæ fundatores, ſtrenuiq; propugnatores, eius licentiam diuerſis temporibus compeſcuêre, atq; viuendi modum à ſeraphico patre Franciſco traditum, non ſolùm tanquàm legitimi, ac generoſi eius filij, in omnibus ſequuti ſunt, ſed & ab alijs imitandum, tenendumq; quàm diligētiſſimè curarunt. Sic etiam vltimis his temporibus, nempè anno à ſalutifera Chriſti natiuitate 1525. venerabilis pater Mathæus Baſcius Regularis Obſeruantiæ alumnus, qui miraculis tum in vita, tum quoq; in morte claruit, vir vtiq; ſui ſtatus zelantiſſimus, atq; Euangelicæ paupertatis amantiſſimus, ſtrictiori vitæ inhians, piramidali cuculla, quam vulgò capucinum vocant, viliſſimoq; habitu ſumptis, patrū Capucinorum Ordini initium, originemq; dedit. Quem pater frater Ludouicus à Foſſambruno, eiuſq; vterinus frater eiuſdem Regularis Obſeruantiæ ſectatores, ex Apoſtolica Clementis VII. Pont. max. auctoritate ſibi, ad illuſtriſſimæ Camerinenſium Duciſſæ inſtantiam, anno Dominicæ incarnationis 1526. die verò menſis Maij 28. Pontificatus eius anno 3. facta, promouerunt, ſtabilieruntq;. Atq; non ita poſt multum temporis, anno videlicèt Domini 1527. adiunctis ſibi vndecim alijs patribus Obſeruantibus, coactoq; primo generali Capitulo, idem frater Ludouicus à Foſſambruno in primum eorum Generalem Vicarium electus eſt, oblatumq; ſibi à præfata illuſtriſſima Camerinenſi Duciſſa, Catherina videlicet Cibo Camerini locum, qui & principatum inter reliquos obtinet, ad ſuorum fratrum habitationem acceptauit, admiſitq;. Huic patri ſtrenuè, opportuneq; adfuêre venerabiles patres frater Bernardinus Aſtenſis, frater Antonius à monte Sicardo, frater Ioannes à Fano, atq; frater Franciſcus Titelmanus Belga, qui omnes Regulari Obſeruātiæ à prima profeſſione mancipati Capucinis fratribus nouiter conſurgētibus adiungi voluerunt. Eſt autem diſcrimen inter huiuſmodi patres Capucinos, noſq; Obſeruantes, atq; inter patres Conuentuales: nam iſti Pontificijs quibuſdā conceſſionibus, atq; priuilegijs ſiue diſpenſationibus circa Franciſcanam Regulam potiuntur. Capucini verò eandem Regulā ſecundum corticem, ideſt iuxta literam ſeruant. Atqui nos Obſeruantes eandem prorſus, ſed iuxta Pontificias declarationes, mordicus tenemus. Et vt paucis quid de hoc ſacro Capucinorum Ordine ſentiam, ingenuè dicam, quæ ſequuntur ſubijcere libet. Cœperunt hi patres ſuas domos, intra paupertatis limites, in locis ab hominum frequentia ſemotis ædificare, idemq; impræſentiarum vſq; ſeruant: paupertati, aſperitati, atq; orationi ſtudent, nulloq; pacto à Regulari Obſeruantia, ſicut nec à patribus Conuentualibus dependent, licèt his aliquando ſubfuerint, ſed proprio Generali parent. Vacant etiam pro modulo ſtudijs, optimeq; apud omnes audiunt. Nec immeritò cùm ſui ſtatus zelotes ſint. Quamobrem in Europæ partibus præcipuè verò Italicis mirum in modum ſuos ramos extenderunt.


Reformatorum atq; Recollectorum patrum exordium.

NON diſſimilem à patribus Capucinis vitam ducunt,nec in vnius vnguiculi latitudine illis noſtri Reformati cedunt,quorum originem,atq; viuendi modum paucis tradam. Cùm enim frequentius patres Obſeruãtes tum antiquiores à patribus Conuentualibus conuentus derelictos,tum quoq; alios de nouo à Principibus ædificatos, ex Apoſtolica auctoritate,admittere cogerentur,nec ſui ſtatus normam, ob fratrum numeroſitatem,ea fœlicitate in illis, quòd maiores auguſtioresq; eſſent,qua in à ſe antiquitùs conſtructis, qui multò minori mole conſtabant,ſeruare poſſent,ne vetuſtus Obſeruantiæ nitor labefactaretur commaculareturq;, neuè eius rigor remitti contingeret, neuè etiam plurimorum patrum vota, quos maximè eius vitæ tædebat, caſſa redderentur, reuerendus admodũ pater Martialis Boulier Vltramontanus Generalis Vicarius,in quadam generali Congregatione apud Caſtellę Prouinciam celebrata, ex patrum,quorum id munus erat, conſenſu,humiliores quaſdam domos, quas Recollectas vocant, ab hominum frequentia ſemotas, atq; regulari vitæ ducẽdæ omnino accommodas in ſingulis Hiſpaniæ tum Prouincijs, tum quoq; Cuſtodijs, in quibus ij patres atq; fratres,qui arctioris vitæ deſiderio tenerentur,cõmorari poſſent,anno Dominicæ incarnationis 1502. ſelegit conſtituitq;. Cùm autẽ pium hoc decretum optato fine caruiſſet, cœperunt quidam patres ſui ſtatus zelotes nouas Cuſtodias, ſub Regulari tamen Obſeruantia, atq; ſub ſtrictiſſima paupertate, in quibus iuxta primæuam Obſeruantum inſtitutionem victitare poſſent; erigere. Quamobrem Prouinciarum proceres ne, dilabentibus ab eis ad Cuſtodias fratribus, illæ aliquando peſſum irent, opera R. P. F. Franciſci Angelorum totius Minoritici Inſtituti Generalis Miniſtri adiuti,præfatas domos Recollectas in omnibus Hiſpaniæ Prouincijs ſub Clemente VII. ac circa annum Domini 1525. denuò inſtituerunt: quæ vſq; in hodiernum diem ſanctiſſimè perſeuerant. Habitant ſiquidem in illis egregij patres ac fratres, qui orationi,ſpirituiq; ex profeſſo vacant,ſanctiſſimamq; paupertatem,ſilentium,humilitatem,charitatem,præcipuè circa infirmos, atq; cæteras virtutes diligentiſſimè colunt,inutileſq; diſcurſus maximè fugiunt. Ad quorum exemplar Itali quoq; patres quoſdam conuentus,ad idem opus ſelectos,atq; in Cuſtodias,ſub proprio patre Cuſtode ex præfati Clementis VII. Pont. max. auctoritate, redactos, ijs fratribus,qui primiuitiuorum patrum Obſeruantũ veſtigijs inſiſtere vellent,tradiderũt. Eſt nihilominus aliqualis differentia inter iſtos,atq; illos:Nam iſti Reformati dicuntur, peculiariq; Cuſtodi immediatè ſubſunt, atq; quibuſdam conceſſionibus, & priuilegijs ſummi Pontificis Clementis VII. gaudent: illi verò Recollecti appellitantur,atq; Prouincialibus Miniſtris adamuſſim parẽt, nullumq; Cuſtodẽ admittunt,nec præfatis Clementinis conceſſionibus gaudere volunt. Conſurrexêre etiam tum ijs temporibus vel paulò ante, tum quoq; poſtea integræ quædam Recollectorum Prouinciæ apud Hiſpanos: videlicet ſancti Gabrielis,Arrauidę,Pietatis,ſancti Ioſeph, ſancti Antonij, atq; ſancti Ioannis Baptiſtę(quorum ſuo loco meminerimus) in quibus antiquus ille Regularis Obſeruantiæ rigor, paupertas, atq; viuendi modus maximè relucent. Quibus tamen maiorum conuentuum, atq; Obſeruantum Prouinciarum grauitas, religio,compoſitio, diſciplina, doctrina atq; debita,iuxta ſummorum Pontificum declarationes,paupertas in nullo penitus cedit. Ex præcedentibus itaq; liquidò conſtat, quàm grata ſit Deo opt. max. ſacra hæc Franciſcana Religio, qualiterq; ſibi curæ ſit. Nam & ſi eam ad tempus à recto tramite aliquantulum deuiare ſinat, non tamen in deformationis baratrum labi permittit. Quinimò ſibi perpetuò ex illa ſeptem millia virorum ſeruat, qui non curuant genua ſua ante Baal,quiq; pro tantę matris honore,dignitate,atq; nitore zelantes eam in rectam, vnde deflexerat, viam fœliciſſimè reducunt. Idq; omnino in cauſa eſt, non autem (vt aliqui malè autumant) animi leuitas,aut inconſtantia,vt tot rami,nobiliaq; germina, puta Clareni, Amadei, Obſeruantes; Reformati,Capucini,& alij (de quibus ſupra) ex ea prodierint. Quæ tamen omnia patribus Capucinis demptis,totius Ordinis Generali Miniſtro iuxta Franciſcanæ Regulæ præceptum,quo cauetur: vt vniuerſi fratres vnum de fratribus iſtius Religionis teneãtur ſemper habere Generalem Miniſtrum, & ſeruum

& ſeruum totius Fraternitatis, & ei teneantur firmiter obedire, paruerunt, eiusq; dicto audierunt, & modò, quæ ex ijs ſuperſunt, ad nutum audiunt.

Certiſſima Generalium Miniſtrorum ſeries.

QVIA verò de Generali Miniſtro ſuperius mentio facta eſt, non erit abs re, ſi quid de ipſius tempore tum ex Regula, tum quoq; ex Pontificijs decretis determinatū ſit, paucis tradiderimus, ſiq; eorum ſeriem, ſucceſſionem, & nomina tum ſcripto, tum quoq; picta tabula his ſubiecerimus. Miniſtri enim Generalis tempus ex Regula indeterminatum eſt. Inquit ſiquidē cap. 8. Decedente Generali Miniſtro electio ſucceſſoris fiat à Miniſtris Prouincialibus, & Cuſtodibus in Capitulo Pentecoſtes: in quo Prouinciales Miniſtri teneantur ſemper inſimul conuenire, vbicunq; à Generali Miniſtro fuerit conſtitutum. Et hoc ſemel in tribus annis, vel ad alium terminum maiorem, vel minorem, ſicut à prædicto Miniſtro fuerit ordinatum. Ex quibus conſtat, ipſum tempus in Generalis Miniſtri auctoritate, atq; arbitrio conſtitutum eſſe. Quibus etiam experientia ipſa aſtipulatur. Nam alius Miniſter Generalatus officio quatuor annis, vt pater ac frater Creſcentius: alius octo, vt pater ac frater Ioannes Parmenſis: alius verò octodecim, vt beatus pater Bonauentura: & alius vigintitribus & vltra, vt pater frater Franciſcus Sanſon functus eſt. A tempore tamen Leonis X. Pont. max. vſq; ad tempus Pij V. itidem ſummi Pontificis, ideſt ab anno Dominicæ incarnationis 1517. vſq; ad annum 1571. præfati Generales Miniſtri, ex prædicti Leonis X. decreto, ſexennales fuêre, ſed ab anno 1571. vſq; impræſentiarum ex præmemorati Pij V. lege octoënnales ſunt. His igitur vtcunq; prælibatis reliquum eſt, vt ad præfatorum Generalium Miniſtrorum enumerationem deueniamus. Si tamen prius curioſum huius noſtri qualiſcunq; operis lectorem præmonuerimus, non omnes ſcriptores, qui eorum ordinem recenſere conati ſunt, in ea conuenire. Nam alij eos quinquaginta quinque tantùm eſſe volunt; alij quinquaginta ſex; alij verò plus minusq;. Huius proculdubio diſcordiæ (niſi me mea fallit opinio) cauſa eſt vel reprehenſibilis antiquorum patrum incuria, qui nihil minus ab Ordinis noſtri monumentis curaſſe videntur, vel obortum (de quo ſuperius) noſtra in Religione ſchiſma. Nos verò reuerendiſſimi patris fratris Marci ab Olyſippone Ordinis noſtri Chronicorum authoris, atq; Portuenſis in Portugalia Epiſcopi, nec non ſcriptoris in ſuo idiomate grauiſſimi auctoritatem, poſt diligentem tamen plurium chartarum euolutionem, ſequuti, primæ opinioni, eorum videlicet qui pręfatos Generales Miniſtros ad quinquageſimum ſextum numerum reducunt, ſubſcribere voluimus. Quæ tamen ſi alicui minus arriſſerit, is aliam certiorem in medium adducat, eumq; libenter, vitandę contentionis gratia, audiemus. Cùm itaq; ſeraphicus pater Franciſcus huiuſmodi Generalatus munere primus omnium functus fuerit, ab eo nobis auſpicandum erit.


UNIVERSI GÑALES MISTRI ORDINIS FRANCISCANI
SCTUS FRANCISCUS PRIMUS TOTIUS ORD. MINI. GNAES

BEATISSIMVS pater Franciſcus, qui ſub Innocentio III. Ordinem, anno Domini 1206.inſtituit, itidemq; ſub eodem, ac ſub eius ſucceſſore Honorio III. eundem Ordinem per ſe, ſuosq; Vicarios viginti continuis annis, & vltra gubernauit.

2. Generalis Miniſter pater frater Ioannes Parens ex ciuitate Caſtellana Prouincię Hiſpaniæ primus Miniſter Prouincialis in Capitulo generali Romano, anno Domini 1230. primò electus, Gregorio IX. Pont. max. ac eius Capituli Præſide, Ordinem gubernauit annis 6.

3. Generalis Miniſter pater frater Helias à Cortonio, eodem Gregorio IX. ſummo Pont. in ſexto generali Capitulo Aſſiſij, anno Domini 1236. electus Ordinem gubernauit annis 3. Nam expleto ſui officij triennio, ab ipſo Gregorio IX. priuatus fuit, à quo etiam primò à Vicariatus Generalis officio, quo per quatuor annos poſt ſeraphici patris Franciſci mortem functus fuerat, deiectus erat; imò & ante omnia iſta ab ipſomet beato patre Franciſco ab eodem munere propulſatus fuit.

4. Generalis Miniſter pater frater Albertus de Piſis Prouinciæ Tuſciæ atq; primus Angliæ Miniſter in ſecundo Capitulo generali Romano, eodem Gregorio IX. præſidente, anno Domini 1239. electus fuit, ac Ordinem rexit menſibus 4.

5. Generalis Miniſter pater frater Haymo Anglus in tertio Capitulo generali Romano, eodem Gregorio IX. præſidente, electus fuit anno Domini 1239. Ordinemque gubernauit annis 5.

6. Generalis Miniſter pater frater Creſcentius Eſius Prouinciæ Marchiæ in primo generali Capitulo Ianuenſi, anno Domini 1244. electus, Innocentio IIII. Pont. max. Ordinem gubernauit annis 4. vel circiter.

7. Generalis Miniſter pater frater Ioannes Parmenſis Auinioni in Capitulo generali, anno Domini 1248. electus, eodem Innocentio IIII. Ordinem gubernanit annis 8. cum dimidio.

8. Generalis Miniſter beatus pater Bonauentura Prouinciæ Romanæ alumnus, doctorq; ſeraphicus in 4. Capitulo generali Romano, anno Domini 1256. electus, Alexandro IIII. Vrbano IIII. & Clemente itidem IIII. ſummis Pontificibus, Ordinem ſanctiſſimè gubernauit annis 18. poſteà S. R. E. Cardinalis, Epiſcopusq; Albanenſis à Gregorio X. Pont. max. factus, miraculis tandem clarus per Sixtum IIII. ſanctorum catalogo aſcribitur.

9. Generalis Miniſter pater frater Hieronymus ab Eſculo Prouinciæ Marchiæ in primo Capitulo generali Lugduni celebrato, anno Domini 1274. electus Ordinem gubernauit annis 5. eodem Gregorio X. Innocentio V. Adriano V. Ioanne XXI. & Nicolao III. à quo poſtea S. R. E. Presbyter Cardinalis, & Epiſcopus Præneſtinus creatus, tum demum Pontifex electus Nicolaus IIII. dictus eſt.

10. Generalis Miniſter pater frater Bonagratia Prouinciæ Bononiæ in 2. generali Capitulo Aſſiſinate, anno Domini 1279. electus, eodem Nicolao IIII. ac deinde Martino IIII. Pontificibus, Ordinem gubernauit annis 6.

11. Generalis Miniſter pater frater Atholotus de Prato Prouinciæ Tuſciæ in primo generali Capitulo Mediolanenſi, anno Domini 1285. electus, eodem Martino IIII. ac deinde Honorio etiam IIII. Ordinem gubernauit anno 1.

12. Generalis Miniſter pater frater Matthęus de Aqua ſparta Prouinciæ ſancti Franciſci in primo Capitulo generali apud montem Peſſulanum celebrato, anno Domini 1287. electus, Apoſtolica Sede vacante, atq; Nicolao IIII. Pont. à quo etiam Cardinalis creatus eſt Ordinem gubernauit annis 2.

13. Generalis Miniſter pater frater Raymundus Gaufredi Prouinciæ ſancti Ludouici in primo Capitulo generali Reatino, anno Domini 1289. electus, eodem Nicolao IIII. Capituli præſide, ac deinde Cœleſtino V. & Bonifacio VIII. à quo Epiſcopus Patauinus factus, licèt acceptare noluerit, Ordinem gubernauit annis 7.

14. Generalis Miniſter pater frater Ioannes de Muro Prouinciæ Marchiæ in primo Capitulo Ananienſi, anno Domini 1296. electus, eodem Bonifacio VIII. præſidente, à quo etiam poſtea S. R. E. Cardinalis, & Epiſcopus Portuenſis factus eſt, Ordinem gu-

bernauit annis 8.

15. Generalis Miniſter pater frater Gundiſaluus de Valbona Gallecus Prouinciȩ ſancti Iacobi alumnus, ſed Prouinciæ Caſtellæ Miniſter in 3. generali Capitulo Aſſiſienſi, anno Domini 1304. electus, Benedicto XI. ac deinde Clemente V. Pont. Ordinem gubernauit annis 9.

16. Generalis Miniſter pater frater Alexander ab Alexandria Prouinciæ Ianuæ in primo Generali Capitulo Barcinonenſi, anno Domini 1313. electus, eodem Clemente V. Ordinem gubernauit anno 1. cum dimidio.

17. Generalis Miniſter pater frater Michaël de Ceſena Prouinciæ Bononiæ in primo Capitulo generali Neapolitano, anno Domini 1316. electus, Ioanne XXII. Pontifice, Ordinem gubernauit annis 13.

18. Generalis Miniſter pater frater Gerardus Odonis Prouinciæ Aquitaniæ in primo generali Capitulo Pariſienſi, anno Domini 1329. electus Ordinem gubernauit annis 14. ſub ſummis Pontificibus Ioanne XXII. Benedicto XII atq; Clemente VI. à quo poſtea Antiochenus Patriarcha, & Catanenſis Epiſcopus creatus eſt.

19. Generalis Miniſter pater frater Fortanerius Veſſallius Prouinciæ Aquitaniæ in primo generali Capitulo Maſſilienſi, anno Domini 1343. electus Ordinem gubernauit annis 5. menſibus 8. eodem Clemente VI. Pont. max. à quo poſtea Rauennenſis Archiepiſcopus, atq; Gradenſis Patriarcha factus eſt.

20. Generalis Miniſter pater frater Gulielmus Farinerius Prouinciæ Aquitaniæ in primo generali Capitulo Veronenſi, anno Domini 1348. electus Ordinem gubernauit annis 8. eodem Clemente VI. ac deinde Innocentio VI. à quo poſtea S. R. E. Presbyter Cardinalis creatus eſt.

21. Generalis Miniſter pater frater Ioannes de Bucco Prouinciæ Aquitaniæ in 2. Capitulo Generali Barcinonenſi, anno Domini 1356. electus, eodem Innocentio VI. Ordinem gubernauit anno 1. menſibus 7.

22. Generalis Miniſter pater frater Marcus à Viterbio Prouinciæ Romanæ in 2. generali Capitulo Ianuenſi, anno Domini 1359. electus Ordinem gubernauit annis 8. ſummis Pontificibus eodem Innocentio VI. ac Vrbano V. à quo poſtea S. R. E. Presbyter Cardinalis creatus eſt.

23. Generalis Miniſter pater frater Thomas de Ferignano Mutinenſis Prouinciæ Bononiæ in 4. generali Capitulo Aſſiſienſi, anno Domini 1367. electus Ordinem gubernauit annis 6. Vrbano V. ac item Gregorio XI. à quo poſtea Gradenſis Patriarca, ac deinde Presbyter Cardinalis factus eſt.

24. Generalis Miniſter pater frater Leonardus de Griffonibus Prouinciȩ Terrȩ laboris in primo generali Capitulo Toloſano, anno Domini 1373. electus, eodem Gregorio XI. ac deinde Vrbano VI. Pont. Ordinem gubernauit annis 6. poſtea Cardinalis factus eſt à Clemente VI. ſchiſmatis tempore.

25. Generalis Miniſter pater frater Ludouicus Venetus Prouinciæ ſancti Antonij in primo generali Capitulo Strigonenſi anno Domini 1379. electus Ordinem gubernauit annis 4. eodem Vrbano VI. Pont. max. à quo poſtea Cardinalis factus eſt.

26. Generalis Miniſter pater frater Petrus de Caſſana Prouinciæ Penenſis, nunc verò ſancti Bernardini in primo generali Capitulo Ferrarienſi, anno Domini 1383. electus Ordinem gubernauit annis 2. Vrbano VI. Pont. Petri nauiculam regente.

27. Generalis Miniſter pater frater Martinus à ſancto Georgio Ripalenſis Prouinciæ Ianuæ in primo Capitulo generali Patauino, anno Domini 1385. electus, ſub Vrbano VI. Pont. max. anno ſui Officij nondum expleto migrauit ad aſtra.

28. Generalis Miniſter pater frater Henricus Aſtenſis Prouinciæ Ianuæ in primo generali Capitulo Florentino, anno Domini 1386. electus, eodem Vrbano VI. atq; deinde Bonifacio IX. ſummis Pontificibus Ordinem gubernauit annis 18.

29. Generalis Miniſter pater frater Antonius à Pyreto Prouinciæ Romanæ in primo generali Capitulo Argentinenſi, anno Domini 1405. electus Ordinem gubernauit annis 16. Innocentio VII. Gregorio XII. ac Martino V. ſummis Pont.

30. Generalis Miniſter pater frater Angelus Saluetus Prouinciæ Tuſciæ in primo generali

generali capitulo Mantuano,anno Domini 1421. electus,eodem Martino V. Ordinem gubernauit annis 2.

31. Generalis Miniſter pater frater Antonius de Maſſa Prouinciæ Tuſciæ in primo generali Capitulo Forliuienſi,anno Domini 1424. electus, eodem Martino V. Ordinē gubernauit annis 6. poſteaq; Epiſcopus Maſſenſis factus eſt.

32. Generalis Miniſter pater frater Gulielmus de Caſſali Prouinciæ Ianuæ in 5. generali Capitulo Aſſiſienſi,anno Domini 1430.electus, eodem Martino V. ac deinde Eugenio IIII. Pont.Ordinem gubernauit annis 12.

33. Generalis Miniſter pater frater Antonius de Ruſconibus Prouinciæ Mediolanenſis in 2. generali Capitulo Patauino, anno Domini 1443. electus, eodem Eugenio IIII. ac deinde Nicolao V. Ordinem gubernauit annis 7.

34. Generalis Miniſter pater frater Angelus à Peruſio Prouinciæ ſancti Franciſci in 5. generali Capitulo Romano, anno Domini 1450. electus, eodem Nicolao V. Pont. max. Ordinem gubernauit annis 3.

35. Generalis Miniſter pater frater Iacobus à Mozanica Prouinciæ Mediolanenſis in primo generali Capitulo Bononienſi, anno 1454. electus, eodem Nicolao V. & Calixto III. ſummis Pontificibus, Ordinem gubernauit annis. 4.

36. Generalis Miniſter pater frater Ioannes à Sarzuola Cathalonius Prouinciæ Aragoniæ, in 6. generali Capitulo Romano, anno Domini 1456. electus, eodem Calixto III. atq; Pio II. Pont. Ordinem gubernauit annis 6.

37. Generalis Miniſter pater frater Franciſcus de Ruuere Sauonenſis Prouinciæ Ianuæ in primo generali Capitulo Peruſino, anno Domini 1464. electus Ordinem gubernauit annis 5. eodem Pio II. ac deinde Paulo II. à quo poſtea Cardinalis factus,tum demum Pontifex creatus Sixtus IIII. vocari voluit.

38. Generalis Miniſter pater frater Ioannes, ſiue Zanetus ab Vtino Prouinciæ ſancti Antonij in primo generali Capitulo Veneto,anno Domini 1469. electus Ordinem gubernauit annis 6.

39. Generalis Miniſter pater frater Franciſcus Sanſon Prouinciæ Tuſciæ in primo generali Capitulo Vrbinate, anno Domini 1475. electus, eodem Sixto IIII. ac deinde Innocentio VIII.& Alexandro VI. Pont. ſummis,Ordinem gubernauit annis 24. cum dimidio.

40. Generalis Miniſter pater frater Ægidius, ſiue Eugenius Delphinus de Amelia Prouinciæ Orientis Miniſter, ac Ordinis Procurator in curia Romana in Capitulo generali Iterannenſi,anno Domini 1500.electus,eodem Alexandro VI.ac deinde Pio III. & Iulio II. Pont. Ordinem gubernauit annis 6.

41. Generalis Miniſter pater frater Raynaldus Gratianus à Cotiniola Prouinciæ Bononiæ in 7. Capitulo generali Romano, anno Domini 1506. electus Ordinem gubernauit annis 4. eodem Iulio II. à quo poſtea Archiepiſcopus Raguſinus factus eſt.

42. Generalis Miniſter pater frater Philippus de Bagnacaualo Prouinciæ Bononiæ in 8. Capitulo generali Romano, anno Domini 1510. electus,eodem Iulio II. Ordinē gubernauit anno 1. menſibus 3.

43. Generalis Miniſter pater frater Bernardinus de Prato Prouinciæ Ianuæ in 6. Capitulo generali Aſſiſienſi, anno Domini 1512. electus, eodem Iulio II.ac Leone X. Pont. Ordinem gubernauit annis 4.

44. Generalis Miniſter pater frater Chriſtophorus à Forliuio Prouinciæ Bononiæ Vicarius Generalis Ciſmontanus, ac vltimus à Concilio Conſtantienſi in 9. Capitulo generali Romano, ex diſpoſitione bullæ Leonis X. anno 1517. electus Ordinem gubernauit anno. 1. eodem Leone. X. Pont. à quo poſtea S. R. E. Cardinalis creatus eſt.

45. Generalis Miniſter pater frater Franciſcus Lichettus Brixienſis Prouinciæ Brixiæ in 2. Capitulo generali Lugdunenſi, anno Domini, 1518. electus, eodem Leone, X. Pontif. Ordinem gubernauit annis 2.

46. Generalis Miniſter pater frater Paulus à Soncino Prouinciæ Mediolanenſis in primo generali Capitulo Carpenſi, anno Domini, 1520. electus, eodem Leone X. ac deinde

deinde Adriano VI. Ordinem gubernauit annis 3.

47. Generalis Miniſter pater frater Franciſcus de Angelis, aliàs Quinnionius, Hiſpanus Prouinciæ Angelorum in Capitulo generali Burgenſi, anno Domini 1523. electus Ordinem gubernauit annis 5. Adriano VI. ac deinde Clemente VII. à quo poſtea S. R. E. presbyter Cardinalis factus eſt.

48. Generalis Miniſter pater frater Ioannes Piſſottus Parmenſis Prouinciæ Bononiæ in Capitulo generali Parmenſi, anno Domini 1528. electus, eodem Clemente VII. Pontif. Ordinem gubernauit annis 4.

49. Generalis Miniſter pater frater Vincentius Lunellus Hiſpanus Prouinciæ Carthaginenſis in Capitulo generali Niciano, anno Domini. 1534. electus, Paulo III. Pontif. Ordinem gubernauit annis 6.

50 Generalis Miniſter pater frater Ioannes Caluus Prouinciæ Corſicæ in 2. Capitulo generali Mantuano, anno Domini 1540. electus, eodem Paulo III. Pontifice, Ordinem gubernauit annis 5.

51. Generalis Miniſter pater frater Andreas Inſulanus Prouinciæ Portugaliæ in 7. Capitulo generali Aſſiſienſi, anno 1547. electus eodem Paulo III. ac deinde Iulio, III. Pontif. Ordinem gubernauit annis 6.

52. Generalis Miniſter pater frater Clemens Monelianus Prouinciæ Bononiæ in Capitulo generali Salmantino, anno 1553. electus Ordinem gubernauit annis 4. eodem Iulio, III. ac deinde Paulo IIII. à quo poſtea S. R. E. Cardinalis creatus eſt.

53. Generalis Miniſter pater frater Franciſcus Zamorenſis Hiſpanus Prouinciæ Carthaginenſis in Capitulo generali Aquilano, anno Domini 1559. electus, eodem Paulo. IIII. ac deinde Pio item IIII. Pontif. Ordinem gubernauit annis 6.

54. Generalis Miniſter pater frater Aloyſius Puteus Prouinciæ Bononiæ in Capitulo generali Vallisolitano, anno Domini 1565. electus, eodem Pio. IIII. ac deinde Pio V. Pontif. Ordinem gubernauit Annis. 6.

55. Generalis Miniſter pater frater Chriſtophorus à Capite fontium Britannus Prouinciæ Britanniæ in 10. Capitulo generali Romano, anno Domini 1571. electus Ordinem gubernauit annis 8. eodem Pio. V. ac Gregorio XIII. ſummi Pontif. Tum demum à præfato Gregorio XIII. Cæſarienſis Archiepiſcopus creatus eſt.

56 Generalis Miniſter ego frater Franciſcus Gonzaga Prouinciæ ſancti Antonij Miniſter in 2. generali Capitulo Pariſienſi, anno Domini 1579. electus, eodem Gregorio. XIII. ac ſanctiſſimo domino noſtro Sixto V. Pontif. max. Ordinem gubernaui annis. 8.

Quid ſibi Protectoris munus velit, & quare à beato Franciſco inſtitutum.

NE autem eius Ordo à recto fidei catholicæ tramite vnquàm recederet, ſed vt perpetuò ſub promptiſſima S. R. E. obedientia, ac in Regulæ obſeruantia permaneret, voluit beatiſſimus pater, ac pauperum Patriarcha Franciſcus, vt ex ſupremo militantis Eccleſię, Apoſtolicæq; Senatu illuſtriſſimũ pariterq; reuerendiſſimum vnũ, Cardinalem ſui Protectorem, Gubernatorem, atq; Correctorem haberet, illumq; à ſummo præfati Senatus Præſide, nempè à Pontifice maximo petere teneretur. Cuius munus, atq: auctoritas, (vt pertranſeundo quàm breuiſſimè eius iuriſdictionem patefaciamus) iuxta plurium ſummorum Pontificum, pręcipuè verò Gregorij XI. decreta, tres tantùm caſus complectitur: Si videlicet totus ipſe Ordo à fidei veritate receſſerit: Si etiam totus idem ab obedientia S. R. E. (quod Dominus auertat) ſe ſubtraxerit: Aut ſi totus ſuæ Regulæ obſeruantiæ vale dixerit. Nam quod præfati muneris reliquum eſt, id totum ipſius Ordinis protectionem, virilemq; defenſionem à perſequutionibus, atq; violentijs, cœterisq; moleſtijs iniuſtè illatis, vt ex Nicolai III. Pont. max. verbis, quæ, vt tanti Pontificis pietas omnibus in propatulo ſit, impræſentiarum inſerenda cenſuimus, liquidò conſtat, haud dubiè concernit. Cùm enim pater, ac frater Bonagratia totius Ordinis Generalis, ac reliqui Prouinciales Miniſtri alterum ex S. R. E. Cardinalibus in ſui Protecto-

tectorem ab illo peterent, pientiſſimus Pontifex oculorũ aciem in chariſſimum ſibi nepotem aſtantem, illuſtriſſimum videlicet, ac reuerendiſſimum Matthęum Cardinalem intendens in hæc verba prorupit: Ad te ſermo noſter dirigitur. Si beneficia, quæ tibi proueniunt per nos, recenſere vellemus, inuenirentur magna & vtilia, ſed in nonnullo ſic è vicino dedimus tibi arram vitæ æternæ, ſicut in iſto, quod tibi modò pręſtamus. Damus tibi melius quod habemus. Damus tibi cordis noſtri deſiderium, pupillamq́; oculorum noſtrorum. Ad quorum verborum prolationem, tanta amoris teneritudo eius cor inuaſit, tantusq́; lachrymarum imber ex ipſius oculis profluere cœpit, vt ad tempus ſubticere coactus ſit. Tandem reaſſumpta, poſt aliquantulum, voce ſubiecit: Non poſſumus in hac materia dilatare quod natura minimè patitur. Et extenſa manu annulum è digito detractum amantiſſimo nepoti porrexit dicens: Committimus tibi fratrum Minorum Ordinem. Et illa Franciſcanæ Regulæ verba in eius duodecimo capitulo contenta, ſcilicet vt ſis Gubernator & Corrector exponens, intulit: Tua gubernatione non indiget Franciſcanus Ordo: quòd tot ſapientibus, & prudentibus perſonis abũdet, quòd ad ſe benè gerendum ſibi ipſi ſufficiat. Correctioni quorum non opportet te inſiſtere; cùm ex munium officiorumq́; diſpoſitione nullus penitus defectus ſit. Habent ſiquidem Guardianos, qui ſi defecerint, ad Miniſtros poſſunt recurrere fratres: ſi etiam & iſti debito minimè ſatisfecerint, adſunt Generales Miniſtri, & Capitula generalia, quæ ius æquiſſimè dicant. Et vt paucis concludam, non eſt veriſſimile ab Ordine adeò benè diſpoſito, benè ordinato, ea, quæ correctione indigent, præteriri. Vnum tamen eſt, in quo protectio, atq; patrocinium tuum ſib adiumento eſſe poſſunt. Cùm enim eius alumni ſint imbecilles, & pauperes, & à plurimis indebitè inquietentur, moleſtiasq́; ferre cogantur, quibus repugnare, aut reſiſtere minimè valeant, Protectoris brachio, atq; fortitudine, vt huiuſmodi calamitates à ſe longius propulſare poſſint, maximè egent. Hoc igitur potiſſimum eſt, in quo ipſis tua cura, atq; protectio adeſſe debeat. Nec minus laudanda venit cœterorum ſummorum Pontificum, qui ab Ordine inſtituto ad hæc vſq; noſtra tempora Petri nauiculam gubernarunt, in ſeraphicam hanc Confraternitatem beneuolentia, animiq; propenſio; cùm ſibi de illuſtriſſimo aliquo, ac reuerendiſſimo Cardinali digniſſimum in Protectorem, quoties ſeſe occaſio obtulit, ex tempore prouiderint. Habuit igitur noſter hic Ordo, (vt ſub Generalibus Miniſtris conſtitutus) à ſui origine ad præſens vſq; tempus vigintiſex Protectores, quorum effigies proxima pictura, nomina verò ſubſequens pagella indicabit. Velim tamen quæ à nobis dicta ſunt de illuſtriſſimorum Protectorum auctoritate ita accipienda, vt nullus exiſtimet me eam in ordinem redigere voluiſſe: quandoquidem ſummorum Pontificum ſubiacet determinationi.


RELIGIO SACTI
FRANCISCI.
CATALO
GVS PRO
TEC TORV
ORDINIS
DIVI. PRIS
FRĀCISCI.

Illuſtriſ-

Jlluſtriſsimorum Minoritici Ordinis Protectorum ſucceſsio, atque catalogus.

PRIMVS Protector affectu ſaltem, atq; beneuolentia, licèt officio nequaquã dominus Ioannes à ſancto Paulo Epiſcopus Cardinalis Sabinenſis.

2. Protector dominus Hugolinus Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis.

3. Protector dominus Rainaldus Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis.

4. Protector dominus Ioannes Caietanus tituli ſancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis.

5. Protector dominus Matthæus Rubeus Vrſinus tituli ſanctæ Mariæ in porticu Diaconus Cardinalis.

6. Protector dominus Ioannes de Muro Picens Ordinis Minorum Epiſcopus Cardinalis Portuenſis.

7. Protector dominus Arnaldus Cardinalis creatus à Clemente V. Pont. max.

8. Protector dominus Iacobus Caietanus Diaconus Cardinalis tituli ſancti Georgij ad velum auri.

9. Protector dominus Dominicus Capranica Cardinalis tituli ſanctæ Crucis, & maior Pœnitentiarius.

10. Protector dominus Nicolaus tituli ſanctę Marię inuiolatę Diaconus Cardinalis.

11. Protector dominus N. tituli ſanctorũ Petri & Marcellini Presbyter Cardinalis.

12. Protector dominus Gulielmus Cardinalis.

13. Protector dominns Iordanis de Vrſinis Epiſcopus Cardinalis Albanenſis.

14. Protector dominus Firmianus tituli ſanctæ Crucis Cardinalis.

15. Protector dominus Beſſarion Nicænus Cardinalis Inſularius, & Patriarcha Conſtantinopolitanus.

16. Protector dominus Petrus Cardinalis ſub Sixto IIII. Pont. max.

17. Protector dominus Iulianus de Ruuere Epiſcopus Oſtienſis, & tituli ſancti Petri ad Vincula Cardinalis.

18. Protector dominus Marcus Viguerius Epiſcopus Senogallienſis, & Cardinalis.

19. Protector dominus Dominicus Grimanus Epiſcopus Portuenſis, & tituli ſancti Marci Cardinalis, nec non Patriarcha Aquileienſis.

20. Protector dominus Andreas de Valle tituli ſanctæ Priſcæ Presbyter Cardinalis.

21. Protector dominus Franciſcus Quinnionius tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem Presbyter Cardinalis, & Franciſcanus.

22. Protector dominus Rodulphus Pius Epiſcopus Portuenſis, & tituli ſanctæ Mariæ trans Tiberim Cardinalis Carpenſis (vulgò) dictus.

23. Protector dominus Carolus Borromęus tituli ſanctæ Praxedis Cardinalis, & Archiepiſcopus Mediolanenſis.

24. Protector dominus Iulius Feltrius de Ruuere Archiepiſcopus Rauennas, & Cardinalis Præneſtinus, aliàs de Vrbino.

25. Protector dominus Franciſcus Alciatus tituli S. Marię in porticu Cardinalis.

26. Protector dominus Ferdinandus Medices tituli ſancti Euſtachij Cardinalis.

De

De Franciſcani Ordinis dignitate, atque excellentia.

INTER cætera quæ ſeraphicum hunc Ordinem commendatiſſimum reddunt, illud ſanè potiſſimum eſt, quòd cùm mendicatione victitet, maximoq; labore, quę ſibi ad amictum, atq; victum neceſſaria ſunt, creſcente indies Mendicantium tum Confraternitatum, tum quoq; Religionum neophitarum numero, atq; charitate mirum in modum refrigeſcente, comparet, adeò vt quod olim, primæuis ſcilicet, ac verè aureis naſcentis huius Inſtituti temporibus duo fratres facillimè præſtabant, id hoc noſtro infœliciſſimo ſęculo vix viginti præſtare valeant: quod in cauſa eſt, vt nulli parcatur, ſed vt omnes religioſi emendicare, ac per pagos & oppida curſitare cogantur: nihilominus tamen non deſunt plurimi, qui in præſtantiſſimos heroes, ac in viros doctos euadant, quiq; ſuas elucubrationes in lucem edant: vnde non ita contemnendum emolumentū Eccleſiæ catholicæ præſertim verò peſtilentiſſimis his temporibus, quibus Deus opt. max. propter noſtra peccata, à paucis cognoſcitur, obuenit. Quod quidem efficaciſſimum prouidentiæ diuinæ, eiuſdemq; peculiaris beneuolentiæ, & amoris erga hanc ſacram Religionem, eiuſq; alumnos mihi argumentum eſt. Quorum plures à ſede Apoſtolica honoribus, atq; dignitatibus etiam eminentiſſimis, ferè ab Ordinis exordio ad hæc vſq; noſtra tempora, inſigniti cumulatiq; ſunt. Nam quæ maior, aut eminentior, dignitas, vel excogitari poteſt, à ſummo Pontificatu, Chriſtiq; in terris Vicariatu? Ego quidem quantùm ad me nullam penitus illa maiorem, nec etiam ſimilem agnoui. Cùm eam omnes Chriſtiani Principes, Reges, atq; etiam Imperatores venerentur, colant atq; ſuſpiciant. Vt autem quod ſuperius dixi, manifeſtum euadat, his omnes noſtri Ordinis ſummos Pontifices, & Cardinales, atq; aliquot Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, doctores atq; ſcriptores annectam: ita tamen, vt multò plures abſque comparatione, ne hæc legentibus oneroſior ſim, ſubticeam, quàm in medium adduxerim: quos tamen optimo iure referre potuiſſem. Sed ne id facerem prolixitatis incurrendæ timor prohibuit.

SVMMI

SVMMI PONTIFICES QVI EX SERAPHICO ORDINE PRODIERE.

NICOLAVS IIII. dictus antea Hieronymus Aſculanus Picens Philoſophus, & Theologus inſignis, primò Dalmatiæ Prouincialis Miniſter, quo tempore miſſus eſt Legatus Eccleſiæ Romanæ ad Græcos, deinde Generalis electus, à Nicolao III. Presbyter Cardinalis tituli ſanctæ Pudentianæ, & ſub Martino IIII. Pont. max. Cardinalis Præneſtinus, & anno 1288. ſummus Pontifex creatus, Rodulpho & Adolpho Imperatoribus electis, ſedit in beatiſſima ſede annis 4. menſe 1. & diebus 14. edidítq; multa opera laude digna, de quibus inferius.

ALEXANDER V. antea Petrus Philaretus, vel Philangi Cretenſis Cuſtodiæ Cretenſis Prouinciæ Romanæ, in omni vita & ætate præſtans, præſertim verò in virtute præditos liberalis, vir egregiè doctus, cuius extant aliqua opera. Hic primò Epiſcopus Vincentinus; deinde mutato loco Epiſcopus Nouarienſis, & Archiepiſcopus Mediolanenſis, & Patriarcha Gradenſis; demum ab Innocentio VII. creatur Presbyter Cardinalis baſilicæ Sanctorum duodecim Apoſtolorum. Qui priuatis in Concilio Piſano ex Synodi ſententia Gregorio XII. & Benedicto XIII. ob mutuam eorum colluſionem ſexto kal. Iulij ſummus Pontifex, & vniuerſalis Papa, Ruperto Imperatore electo, anno Domini 1409. creatus eſt, & in beati Petri cathedra per menſes decem, & dies octo ſedens, Bononiæ, quinto nonas Maij, anno Domini 1410. diem clauſit extremum, ſepultus eſt in eccleſia ſancti Franciſci ad meridiem.

SIXTVS IIII. Franciſcus antea dictus, natione Ligur, Ciuis Sauonenſis, è familia de Ruuere in Taurinis peruetuſta, ac perilluſtri, iam multos antea annos Sauonam propagata, ortus: primò Prouinciæ Genuæ; deinde totius Ordinis Generalis Miniſter; poſtremò à Paulo II. electus Presbyter Cardinalis tituli S. Petri ad Vincula ob eximias eius virtutes, & ope Beſſarionis Nicæni, & Franciſci Gonzagæ Cardinalium demum Pontifex creatus eſt, anno Domini 1471. v. Idus Auguſti. Sedit annos 13. menſes 4. dies 5. Obijt Romæ anno 1484. ſepultus in Baſilica S. Petri in Capella, quę ab ipſomet conſtructa Sixti vulgo dicta eſt.

FOELIX Perettus à Montealto, per omnia Franciſcana munia ad Generalem ſui Ordinis Magiſteriatum euectus, ac à Pio V. Pont. max. Epiſcopus Agathenſis, & Cardinalis creatus, anno à Dominica natiuitate 1585. maximo illuſtriſſimorum Cardinalium applauſu, atq; conſenſu, per mortem Gregorij XIII. ad ſummum Pontificatum aſſumptus eſt, ac Sixtus V. appellari voluit. Cuius ſingularem pietatem, rectam iuſtitiam, ardentem zelum, ſerpentinam prudentiam, cæteraſq; eximias dotes, alius qui fœliciori ingenio præditus ſit ex profeſſo enarret: cùm me imparem ad hoc præſtandum agnoſcam, & ſubiecto eius icone graphicè depicto contentus ſim.

NICOLAVS V. antea Petrus de Corbario agri Reatini, Pontifex in ſchiſmate electus, tempore Ioannis XXII. Pont. Ludouico Bauaro imperante, vixit in ſchiſmate annos 3. menſes 3. dies 4. Sed hunc, non quòd ſummorum Pontificum catalogo aſcribendus veniat, ſed quod Pontificia dignitate nomine ſaltem, licèt iniuſte, potius ſit, adijcere volui.



NICOLAVS·IIII·PON·MAX·CREA·ANN·1288



ALEXANDER·V·PON·MAX·CREA·AN·1409



SIXTVS·IIII·PONT·MAX·CREA·ANN·1471



SIXTVS·V·PONT·MAX·CREA·ANNO.1585

Cardinales ſacri Ordinis ſeraphici.

SANCTVS Bonauentura Fidanzius,ſiue à Fidãzis à Balneo Regio in Hetruria à Gregorio X.Pont.max.in Concilio Lugdunenſi, in Pentecoſte, anno Domini 1274. ex Generali Miniſtro Epiſcopus Cardinalis Albanenſis creatus eſt, obijtq; Lugduni in eodem Concilio, anno 1275. ætatis verò ſuæ anno 53.

Frater Vicedominus de Vicedominis Placentinus Gregorij X. ex ſorore nepos ab eodem in Concilio Lugdunẽſi,anno Domini 1274.Epiſcopus Præneſtinus,Presbyterq; Cardinalis creatus obijt Viterbij apud fratres Minores, apud quos & ſepultus eſt.

F.Bentiuenga à Bentiuengis Aquaſpartanus Tudertinę Diœceſis Capellanus & Cõfeſſor Nicolai III.ſummi Pont.primo Eps Tridentinus, deinde Cardinalis Albanus & Pœnitẽtiarius maior creatus,obijt Tuderti anno 1289. ſepultus in eccleſia S. Fortunati

Frater Matthęus Aquaſpartanus à Nicolao IIII. Pont. primò,anno Domini. 1288. Presbyter Cardinalis tituli ſancti Laurentij in Damaſo, deinde Epiſcopus Portuenſis creatus obijt Romæ in conuentu Aracelitano.

Frater Iacobus Caietanus,ſiue de Rhomaſis Anagninus Bonifacij IIII. nepos, anno 1295.Presbyter Cardinalis tituli ſancti Clementis creatus, obijt anno 1304.

Frater Gentilis à Monte Florum in Piceno Theologus eximius,Lectorq; ſacri Palatij à Bonifacio VIII. Pontifice Presbyter Cardinalis tituli ſancti Martini in montibus creatus, obijt Auinioni anno Domini 1312. atq; in Italiam relatus iacet Aſſiſij.

Frater Reginaldus Archiepiſcopus Rothomagenſis, Lectorq; ſacri Palatij à Bonifacio VIII. Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ creatus.

Frater Leonardus Patraſſus à Guarcino Alatrinatis Dioeceſis Bonifacij VIII. Pont. max.auunculus,ab eodem Epiſcopus Cardinalis Albanenſis,anno Dominicæ incarnationis 1300. creatus, obijt Auinioni.

Frater Ioannes à Muro vallium in Piceno ex Generali Lector ſacri Palatij effectus,à Bonifacio VIII. anno Domini 1302. Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Ruffinæ ereatus, nec non Ordinis Pretector inſtitutus, Auinioni obijt.

Frater Vitalis à Furno Baſſatenſis Aquitanus à Clemente V. anno 1312. Presbyter Cardinalis tituli ſancti Martini in montibus creatus, & à Ioanne XXII. ad Epiſcopatũ Albanenſem aſſumptus, Auinioni obijt,atq; apud Minores eiuſdẽ ciuitatis ſepultus eſt.

Frater Bertrandus, ſiue Beltrandus à Turre ex Cabolico Aquitanus Archiepiſcopus Salernitanus à Ioanne XXII. Presbyterq; Cardinalis tituli ſancti Martini in montibus, poſteà verò Epiſcopus Tuſculanus, anno 1320. creatus,Auinioni,poſt ſexennium, ideſt anno 1326.obijt.

Frater Paſtor ab Albernago Prouincialis ex Archiepiſcopo Ebredunenſi Presbyter Cardinalis tituli ſancti Martini in montibus à Clemente VII. Pont. max. anno 1350. creatus, obijt Auinioni.

Frater Helias à ſancto Herodio Aquitanus Epiſcopus Vticenſis ab Innocentio VII. Pont. anno 1356. Presbyter Cardinalis tituli ſancti Stephani in monte Cœlio creatus, & ab Vrbano V. Epiſcopus Oſtienſis inſtitutus, obijt Auinioni.

F.Gulielmus Farinerius Aquitanus ex Generali Miniſtro ab Innocentio VI. Presbyter Cardinalis tituli SS.Petri & Marcellini,anno Domini 1356. creatus, obijt Auinioni.

Frater Fortanerius Vaſſellius Aquitanus ex Generali Miniſtro Epiſcopus Maſſilienſis,ac deinde Archiepiſcopus Rauennas,& Patriarcha Gradenſis ab Innocentio VI.Presbyter Cardinalis,anno Domini 1361. creatus eſt, ante adeptum titulum Patauij moriens in æde diui Antonij ſepeliri voluit.

Frater Marcus Viterbienſis Theologus inſignis ex Generali Miniſtro Presbyter Cardinalis tituli ſanctæ Ptaxedis ad Vrbano V. anno Domini 1366. creatus, Viterbij apud Minores viam vniuerſæ carnis eſt ingreſſus.

F.Bertrãdus Laguerij ex Fagiaco Aquitanus ex Epo Glaudatenſi à Gregorio XI.anno Dñi 1371.Presbyter Cardinalis tituli S. Priſcæ creatus, & ab Vrbano VI. Pont. Eps Oſtienſis inſtitutus, obijt Auinioni anno 1392. ibidemq; apud Minores ſepultus eſt.

G 2 Frater

Frater Thomas de Ferignano Mutinenſis, ex Patriarcha Gradenſi ab Vrbano VI. Pont. Presbyter Cardinalis tituli ſancti Laurentij in Damaſo, anno Domini 1378. creatus, & ab eodem poſtea ad Tuſculanum Epiſcopatum promotus, Romæ mortem obijt, & in conuentu Aracœlitano ſepultus eſt.

Frater Ludouicus Donatus patricius Venetus, hæreticæ prauitatis Venetijs Inquiſitor, ab Vrbano VI. Pontifice Presbyter Cardinalis tituli ſancti Marci creatus anno Domini 1378. Ianuæ anno 1386. mortem obijt.

Frater Bartholomęus de Cothurno ciuis, & Archiepiſcopus Ianuēſis, ab Vrbano VI. Pontifice, anno Domini 1381. Presbyter Cardinalis tituli ſancti Laurentij in Damaſo creatus, Ianuæ defunſtus eſt.

Frater Leonardus Geophonis, ſiue Giſonenſis, aut de Griffonibus Prouinciæ Terræ laboris, ex Generali Miniſtro à Clemente VI. Presbyter Cardinalis tituli ſancti Martini in montibus, anno Domini 1382. creatus eſt.

Frater Bartholomæus Vliarius Patauinus, ex Archiepiſcopo Florentino à Bonifacio VIII. Presbyter Cardinalis tituli ſanctæ Pudentianæ, anno Domini 1389. creatus, Caietæ Regni Neapolitani Legatus, diem clauſit extremum, ſepultusq; eſt apud Minores, anno Domini 1397.

Frater Petrus Comes de Fluxo Gallus ex Epiſcopo Laſcurienſi, & Commendarum à Benedicto XIII. anno Domini 1409. Presbyter Cardinalis tituli ſancti Stephani in monte Cœlio electus, & ab Eugenio IIII. Epiſcopus Albanenſis conſtitutus, Auinioni Legatus obijt, atq; apud Minores ſepultus eſt.

Frater Riarius Sauonenſis Ligur, ex Epiſcopo Taruiſino Archiepiſcopus Florentinus, & Patriarcha Conſtantinopolitanus à Sixto IIII. Pontifice, anno Domini 1471. Presbyter Cardinalis tituli ſancti Sixti creatus, Romæ viam vniuerſæ carnis eſt ingreſſus, atq; in eccleſia ſanctorum 12. Apoſtolorum, in capella Riaria ſepultus.

F. Petrus Comes de Fluxo iunior Gallus Epiſcopus Venetenſis, atq; Diaconus Cardinalis tituli ſanctorum Coſmæ, & Damiani à Sixto IIII. Pont. max. anno Domini 1476. electus, Romæ anno 1490. obijt.

Frater Gabriel Rangonius Mutinenſis Epiſcopus Agrienſis, atq; Presbyter Cardinalis tituli ſanctorum Sergij & Bacchi à Sixto IIII. anno 1477. creatus eſt.

Frater Helias Gallus, ex Archiepiſcopo Turonenſi Presbyter Cardinalis tituli ſanctę Luciæ in Silice, anno Domini 1483. à Sixto IIII. Pontifice electus, obijt in Gallijs anno ſequenti, ideſt 1484.

Frater Clemens Groſſus de Ruuere Sauonenſis Sixti IIII. ex ſorore nepos, primò Epiſcopus Minetenſis, deinde Mendenſis, à Iulio II. Pontifice Presbyter Cardinalis tituli S. Clementis creatus anno Domini 1503. Romæ ſequenti biennio, ideſt anno 1505. huic ſæculo vale dixit.

Frater Marcus Viguerius Sauonenſis, ex Epiſcopo Senogallienſi, à Iulio II. Pontifice, anno Domini 1505. Presbyter Cardinalis tituli ſanctę Marię trans Tiberim creatus, deinde Epiſcopus Præneſtinus, & Archipresbyter ſancti Petri, Ordinisq; Protector, nec non & arcis ſancti Angeli de vrbe cuſtodiæ Præfectus ab eodem inſtitutus, Romæ obijt, & apud Eccleſiam ſanctæ Mariæ Tranſtiberim, anno 1516. humari voluit.

Frater franciſcus Ximenius de Ciſneros Palentinæ Diœceſis Hiſpanus, Archiepiſcopus Toletanus, à Iulio II. Pontifice, anno Domini 1507. Presbyter Cardinalis tituli ſanctæ Balbinæ electus, obijt in Hiſpanijs, Complutiq; ſepultus eſt.

Frater Chriſtophorus Numaius Forliuienſis à Leone X. Pont. max. anno Domini 1517. Presbyter Cardinalis tituli ſanctæ Mariæ in Aracœli creatus eſt.


F. Franciſcus Quinnionius Hiſpanus, à Clemente VII. anno Domini 1527. Presbyter Cardinalis tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem creatus, & Ordinis Protector effectus, mortem obijt anno 1540.

Frater Clemens de Ollera Monelianus Ligur à Paulo IIII. Pont. max. anno Domini 1557. ex Generali Miniſtro Presbyter Cardinalis tituli S. Marię in Aracęli creatus eſt.

F. Gulielmus Petus Anglus ex Epiſc. Salſiburiēſi à Paulo IIII. Pont. max. Presbyter Cardinalis, atq; Angliæ Legatus, anno Dñi 1557. creatus eſt, mortemq; obijt in Anglia.

CATALOGVS EORVM CARDINALIVM QVI EX FRĀCISCANO ORDINE PRODIERVNT.





Minoritici

Minoritici Inſtituti Patriarchæ.

FRATER Thomas de Bononia Gradenſis Patriarcha.
Frater Gerardus Odonis Antiochenus Patriarcha.
Frater Franciſcus Ximenius Hieroſolymitanus Patriarcha.
Frater Thomas de Ferignano Gradenſis Patriarcha.
Frater Fortanerius Vaſellius Aquileienſis Patriarcha.

Eiuſdem Ordinis Archiepiſcopi.

FRATER Petrus Aureola Archiepiſcopus Aquenſis.
Frater Bertrandus à Turri Archiepiſcopus Salernitanus.
Frater Pandulphus Archiepiſcopus Neapolitanus.
B. Leo Archiepiſcopus Mediolanenſis.
Frater Gerardus Archiepiſcopus Rochenſis.
Frater Bernardus à Freſneda Archiepiſcopus. Cæſarauguſtanus
Sanctus pater Antonius Archiepiſcopus Duratienſis.

Eiuſdem quoq; Ordinis Epiſcopi.

FRATER Rodulphus Epiſcopus Erfordienſis.
Frater Gundiſaluus Epiſcopus Zaietenſis.
Frater Antonius de Maſſa Epiſcopus Maſſenſis.
Frater Franciſcus Ruizius Epiſcopus Abulenſis.
Frater Raymundus Epiſcopus Patauinus.
Frater Antonius de Gueuara Epiſcopus Mendonienſis.
Frater Aegidius Montanus Epiſcopus Dauentrienſis.
Sanctus Stanislaus Epiſcopus & martyr.
B. Martinus Epiſcopus.
B. Richardus Epiſcopus Amalech, & martyr.
Frater Franciſcus Orantius Epiſcopus Ouetenſis.

Ex adductis in mediũ Archiepiſcopis, atq; Epiſcopis facilè intelliget pius lector, quòd omne tædium à ſe longè propulſum cupiamus: Cùm his paucis ex innumera eorum multitudine contenti fuerimus.

Scriptores illuſtres ſacri Ordinis Minorum.

FRATER Adam Sasbouth, vel Sasboldus Delphius, qui plurimos annos in inclyta Louanienſi Academia prælector publicè literas ſacras eſt profeſſus, edidit ſuccinctam expoſitionem in Eſaiam, & in omnes Paulinas Epiſtolas ex omnibus tam Græcis, quàm Latinis Orthodoxis patribus collectam, claruit anno 1540.

Frater Adamus Godham Anglus ſcripſit in textum ſent. lib. 4. Determinationum lib. vnum. Claruit anno 1320.

Frater Adamus de Mariſco Anglus ſcripſit Elucidarium ſcripturæ, Lecturas in Theologia lib. 1. claruit anno 1260.

Frater Albertus de Marcheſijs de Cotiniola edidit Coeliloquium morale.

Frater Alexander de Ales ex oppido Alenſi Britannus B. Bonauenturæ Cardinalis Præceptor edidit iuſſu Innocentij IIII. Summam in 4. partes diuiſam, & per articulos, quem ſcribendi modum nullus attigerat. Eundem eſt imitatus diuus Thomas Doctor Angelicus eius auditor vnà cum diuo Bonauentura, cum quo maximo amore, & ſanctitate fuerat cõiunctus. Ij duo (de religioſis loquor) primò inſignia Magiſteriatus ſuſcepe runt Pariſijs. Idem Alexander totam ferè ſcripturam poſtillauit, & expoſuit. In Pſalmos Dauidicos edidit lucidiſſimos Commentarios. Scripſit vitam ſancti Thomę Cantuarien-
ſis,

ſis, vitam Regis Richardi, Annotationes Bibliorum lib. 1. in Epiſtolas Pauli lib. 4. in Metaphyſicam,& lib. 1. de Anima Ariſt. de factis Machometi, egregium tractatum beatę Mariæ Virginis, in quo ſuſtinet ab originali labe fuiſſe immunem; Repetitiones lectionum lib. 1. quibus longè, lateq; inclaruit. Obijt Pariſijs 1245. 12. Kal. Septembris, ſepultus in eccleſia ſancti Franciſci ante Crucifixum.

Frater Alexander ab Alexandria ſcriptor illuſtris edidit in 4. ſent. lib. in Metaphyſicam,& in lib. de Anima Ariſt. variarum quæſtionum lib. 1. & multa alia.

Frater Alexander Arioſtus edidit Enchiridion, & Minorica elucidatiua.

Frater Alexander Bonanrius Panormitanus edidit Quadrageſimale, quod portum Panormitanum prætitulauit anno 1574.

Frater Alexander Villaledus patria Dolenſis humanarum literarum diſſertiſſimus, & calculator inſignis, poëta Leonini carminis, quod olim in prætio fuit, facilè princeps edidit primò doctrinale puerorum, de computo Eccleſiaſtico, de Sphera, de arte numerandi, totius diuinæ ſcripturæ compendiolum. Claruit ſub Friderico anno 1240.

Frater Alexius Zamorenſis Hiſpanus edidit tres dialogos de Republica Chriſti.

Frater Alphonſus Madritenſis edidit libellum de arte inſeruiendi Deo, & ſpeculum Illuſtrium lingua Hiſpanica.

Frater Alphonſus à Caſtro Zamorenſis accerimus Hæreticorum oppugnator edidit aduerſus Hæreticos librum inſignem, de iuſta Hereticorum punitione ad Carolum V. Imperatorem, in Pſal. 50. & 31. homilias declamatorias, & de Poteſtate legis pœnalis pulcherrimum librum. Claruit anno 1546.

Frater Aluarus Pelagius natione Hiſpanus Ioannis Scoti auditor, iuris vtriuſq; ſimul & diuinarum literarum eruditiſſimus, Epiſcopus Siluēſis in Luſitania, ſub Ioanne XXII. à quo in prętio fuit habitus, ſcripſit de Planctu Eccleſię opus inſigne, ſpeculum Regum lib. 1. ſuper ſent. lib. 4. Apologiam lib. 1. contra Gulielmum Ocham. Claruit anno 1320.

Frater Andreas de nouo caſtro Lotaringus ſcripſit in 4. ſent.

Frater Angelus à Clauaſio Ligur edidit ſummam (vulgò angelicam) de caſibus vtilē, & opuſcula præclara, quibus nomen ſuum longè, lateq; diuulgauit. Claruit anno 1490.

Frater Antonius Andreæ Aragonius edidit ſuper 4. ſent. quæſtiones in Logicalia, & Methaphyſ. Ariſt. & alia laude digna. Claruit anno 1320.

Frater Antonius Bitontinus collegit ex Nicolao Lyrenſi poſtillam in omnes lectiones veteris, & noui teſtamenti, & ſermones Dominicales.

Frater Antonius Bruichius à Ronygſten collegit breue Euangeliorum Monoteſſaron ex quatuor Euangelijs decentiſſimo ordine deſumptum anno 1541.

Frater Antonius de Cucharo Regnicola Epiſcopus Acernenſis, non longè à Neapoli, edidit lib. vnum de beatæ Virginis conceptione, anno 1506.

F. Antonius Guereſcus Procenēſis compilauit ſummulam de ſacramēto pœnitentię.

Frater Antonius Gueuara Epiſcopus Mēdonienſis, Caroliq; V. Imperatoris Auguſti Concionator, Chroniſta, & à Conſilijs ſcripſit lingua Hiſpanica hiſtoriā Dominicę paſſionis ſub titulo Montis Caluarij, & alia multa opuſcula; nempè de Marco Aurelio, de Principe Chriſtiano, & epiſtolas varias ſermone Vernaculo, in quibus multa ex ſacris prophaniſq; literis, lectu digna continentur. Claruit anno 1540.

Frater Antonius Lucenſis Hetruſcus edidit Quadrageſimale.

Frater Antonius de Mare Ianuenſis compilauit ſummam Theologiæ.

Frater Antonius à Mathelica Picens edidit pulchram expoſitionem in orationem Dominicalem.

Frater Antonius Monelianus Ligur edidit inſigne opum ſurſum corda, & Commentarios in myſticam beati Dionyſij Theologiam, anno 1522.

Frater Antonius Cordubenſis almam fidei, de indulgentijs; de Poteſtate Papæ expoſitionem notabilem ſuper Regulam, & alia quædam opuſcula edidit.

Frater Antonius Poſius à Monte Ilcino edidit tabulam vtilem in omnes Auerr. libros.

Frater Antonius Paganus Venetus edidit quędam opuſcula, de quibus iſta feruntur, de Ordine, iuriſdictione, & reſidentia Epiſcoporum, Diſcurſus de pœnitentia, de lege canonica, & quoſdam verſus ſpirituales.

Frater

Frater Antonius Syrectus ex doctrina Scotica edidit ſubtiliſſimas formalitates.
Frater Antonius Trombeta Patauinus Archiepiſcopus Athenarum, & Epiſcopus Vrbinas edidit formalitates ex doctrina Scoti, quæſtiones ſubtiliſſimas in Metaph. Ariſt. & de futuris contingentibus. Claruit anno 1442.
Frater Antonius Vercellenſis edidit Quadrageſimale ſatis eruditum.
Frater Archangelus Puteus à Burgo nouo compilauit quendam tractatum de nomine Ieſu ſermone vernaculo, & quandam Apologiam.
Frater Arlottus Pratenſis ſcriptor illuſtris edidit Bibliorum concordantias, & varios ſermones.
Frater Aſcenſius Aquitanus Theologus non obſcurus poſtillam fecit in Apoc. & ſuper 4. ſent.
Frater Aſteſanus de Aſta vir vtriuſq; iuris, ſimul & Theologus conſultiſſimus ſummam edidit de caſibus, quæ vulgò ſumma Aſteſana dicitur. Claruit anno 1330.
Frater Auguſtinus Alueldenſis ſcripſit Malagma aduerſus Lutherum, & de confeſſione ſacramentali.
Frater Auguſtinus Milius Cędicus Cluſentinus edidit deſcriptionē Montis Aluernę.
Frater Auguſtinus Righinus Ferrarienſis Eccleſiaſtes ſuo tempore clarus ſcripſit in Euangelia Quadrageſimalia ſermones non aſpernandos.
Frater Balthaſſar Olimpius à Saxo ferrato edidit quædam opuſcula.
Frater Baptiſta de Salis Ligur diuinarum literarum eruditiſſimus ſcripſit ſummam de caſibus, vulgò dictam (iuxta nomen auctoris) ſummam Baptiſtinianam. Claruit anno 1494.
Frater Baptiſta Trouamal ſcripſit ſummam de caſibus ordine alphabetico, quæ nominatur Ruſcella. Floruit Louanij anno 1483.
Frater Bartholomæus Baphius Lucinianenſis Hetruſcus edidit quaſdam orationes Latinas, anno 1570.
Frater Bartholomæus de Chaumis edidit opus interrogatorium, anno 1450.
Frater Bartholomæus Albiſij Piſanus ſcripſit triginta volumina ingentia, & eo amplius, inter quæ extat opus pulcherrimum Conformitatum, ſuper 4. ſent. de laudibus ſanctorum, de caſibus conſcientiæ, de laudibus beatæ Virginis cum Chriſto, & Quadrageſimale. Floruit anno 1380.
Frater Bartholomæus Vrſinus Romanus edidit Quadrageſimale valde vtile.
Frater Bertrandus à Turre Cardinalis edidit elegantes Commentarios in 4. ſent. lib. ſermonum Euangeliorum, ſermonum de ſanctis lib. 1. ſermonumq; de Epiſtolis lib. 1.
F. Bernardinus de Aſta Ligur edidit quaſdā orationes ſpirituales lingua vernacula.
Frater Bernardinus de Buſto Mediolanenſis edidit Mariale, ſermones, & Roſarium.
Frater Bernardinus Feltrenſis edidit quoſdam ſermones vernaculo ſermone.
Frater Bernardus de Beſſa Aquitanus compilauit quandam legendā beati Franciſci.
Frater Bernardinus Florentinus edidit dialogum de laudibus caſtitatis, & virginitatis ad Franciſcum Cardinalem tituli ſancti Petri ad vincula, qui fuit Sixtus IIII. Habetur Florentiæ in bibliot. ſanctæ Crucis manu ſcriptus.
Frater Bernardus Lauineta epitomauit artem Raymundi ordine compoſito, & facili.
Sanctus Bernardinus Senenſis concionator inſignis, ſcripſit enim ſermone ſcholaſtico, ſed ſimplici in Apoc. lib. 1. de Euangelio eterno, de Chriſtiana Religione, de Conceptione beatæ Virginis, de Paſſione Domini, ſermones de tempore & de ſanctis, & deuotiſſimum officium de nomine Ieſu.
Frater Bindus Senenſis edidit quoſdam ſermones predicabiles.
Frater Bonauentura Blancus de Cotiniola edidit Quadrageſimale.
Frater Bonauentura à Callio ſcripſit quoſdam tractatus.
F. Bonauentura à Cellano Prouinciæ ſancti Bernardini ſcripſit quoſdam ſermones.
Sanctus Bonauentura Fidanza Cardinalis reliquit monumenta clariſſima: ſcripſit ſuper 4. lib. ſent. in Euangelium Lucæ, in Euangelia, & epiſtolas per annum, officiū de Cruce in gratiam Ludouici Francorum Regis, clarumq; opus de quinq; viſionibus, officium beati patris Franciſci. Sed inter varia eius opuſcula, quæ multifaria ſunt, Ioannes Gerſon

ſon Cancellarius Pariſienſis mirificè laudat Breuiloquiũ,& itinerariũ mentis in Deum.

Frater Bonauentura de Gonzaga edidit quoſdam verſus ſpirituales lingua Hetruſca, & ſuper Magnificat. Claruit anno 1576.

F. Bonifacius Gallus Prouinciæ ſancti Bernardini Miniſter edidit Quadrageſimale.

Frater Bridus edidit ſermones de cœna Domini.

F. Cæſar Lanza Patauinus edidit in Prędicamenta Ariſt. & quæſtionem de auctione.

Frater Chriſtophorus à Capite fontium Brito Generalis Miniſter ſcripſit de libero hominis arbitrio,de meritis bonorum operum,de reali pręſentia corporis Chriſti. Scripſit etiã fidei maiorum noſtrorum defenſionem,& alia quędam. Claret hoc tempore 1587.

Frater Gometius Hiſpanus de cuiuſcunq; ſcientiæ ſubiecto ſcripſit.

Frater Conradus Clingius Doctor, & concionator facundiſſimus apud Erphordiam in Thuringia aduerſus hæreticos plures edidit libros.

Frater Conradus de Saxonia edidit ſuper 4. ſent. ſuper orationem Dominicam lib.1. de ſalutatione Angelica lib.1. ſermones de tempore lib. 1. ſermones pro Quadrageſima lib.1. de ſanctis lib.1. in multos Bibliorum libros edidit Commentarios.

Frater Conſtantinus à Porta Cremonenſis Muſicus hoc tempore inſignis, Magiſterq; capellæ Lauretanæ modulationes quaſdam compoſuit laude dignas, anno 1578.

Frater Conſtantinus Sarnanus Vmber edidit quaſdam lucubrationes aliorum in vniuerſalia Scoti, & ſuper formalitates quaſdam illuſtrationes marginales, anno 1578.

Frater Cornelius Muſſus Placentinus Epiſcopus Bitontinus, vir incomparabili ingenij fœlicitate pręditus,vitæ & morum probitate illuſtris,à duodecim ętatis ſuę annis publicum ſacrarum concionum munus aggreſſus effectus eſt concionator inſignis, & cunctis admirabilis. Extant eius conciones luculentiſſimę Hetruſca lingua in plura volumina digeſtæ, & eleganti ſtylo elaboratæ, & Homiliæ Latinæ de modo viſitandi,quinque libri de hiſtoria diuina, qui deſiderantur ab omnibus ſtudioſis, & quædam orationes Latinæ. Obijt Romæ, ſepultus in eccleſia SS.12. Apoſtolorũ in capella Riaria,an. 1574.

Frater Creſcentius Æſinus Picens declarauit quædam dubia circa Regulam ſuborientia, & edidit ſummam in iure, quo tempore Leo, Rufinus,& Angelus beati Franciſci ſocij fecerunt eius legendam, quæ dicitur trium ſociorum Legenda.

Frater Dauid Teutonicus humanarum, diuinarumq; literarum non ignarus ſripſit de compoſitione hominis exterioris lib.1. ſermones de tempore lib.1. de ſanctis lib.1. Claruit non longè poſt beatum Franciſcum, obijtq; Auguſtę Vindelicorum.

Frater Didacus Stella Luſitanus ſcripſit de contemptu mundi lingua Hiſpanica, & ſuper Lucam latinè.

Frater Durandus Campanus Gallus edidit ſummam Confeſſorum: obijt in Gallia.

B. Ægidius Aſſiſinas B. Frãciſci ſocius ſcripſit opuſcula laude digna, de conſilijs animarũ, de via ſalutis & perfectionis,de fide & dilectione,de contẽptu mũdi,&alia multa.

Frater Ægidius Zamora Hiſpanus edidit ſummam de caſibus.

Frater Euangeliſta Marcellinus Hetruſcus Eccleſiaſtes hoc tempore inſignis edidit tractatum de conuerſione peccatoris in Deum.

Frater Fauſtinus Taſſus edidit quædam opuſcula lectu digna.

Frater Fœlix Perettus,qui & Sixtus V. Pont. max. magnis eloquentiæ neruis quaſdã conciones non minùs eruditas, quàm pias Hetruſca lingua olim edidit.

Frater Franciſcus Burgonius Pariſienſis edidit Indicem omnium inſigniter à beato Auguſtino dictorum.

Frater Franciſcus Cordubenſis edidit Annotationes catholicas in Religionis articulos contra Hæreticos.

Frater Franciſcus Florentinus (cognomento Paduanus) compilauit quædam opuſcula erudita, pręſertim verò ad vniuerſos Inquiſitores Hæreticæ prauitatis,de incantatoribus & diuinatoribus, ad ſanctiſſimum Pontificem Nicolaum V. Item tractatum de beato Franciſco ad plebem Veronẽſem, de Chriſtiana inſtitutione ad Baccium Martellum patricium Florentinum, habentur Florentiæ manu ſcripta in Bibl. ſanctæ Crucis.

Frater Franciſcus Georgius Venetus elaborauit inſigne opus de Harmonia mundi,& Problemata quædam vtriuſq; Teſtamenti.

Frater Franciſcus Gothus collegit compendium Biblicum ſingula diuinorum capitula, ſingulis quatuor metris iambicis, perſtringens, neglecta tamen pedum, & ſyllabarum menſura.

F. Franciſcus Guſmanus Toletanus de ſacrorũ miniſtrorũ altaris cœlibatu edidit.

Frater Franciſcus Horantius Hiſpanus edidit locos catholicos ad Carolum Hiſpaniarum Principem, & de Iuſtificatione.

Frater Franciſcus Knaialus ſcripſit aduerſus Eraſmum Rotherodamum, qui, ſpreta Religione canonicorum Regularium, quam profeſſus fuerat, furens in religioſos, ab eadem exiuerat.

Frater Franciſcus Lichettus Brixianus edidit Commentarios eruditos in primum, ſecundum, tertium, & quodlibeta Doctoris ſubtilis.

Frater Franciſcus Maceratenſis Picens ſcripſit Argumenta ſingulorum Capitum in ſeptem lib. Ioſephi de Bello Iudaico.

F. Franciſcus Maniconius Somnienſis edidit quaſdam conciones lingua vernacula.

Frater Franciſcus de Marchia edidit ſuper libros naturales Ariſt. & ſuper 4. lib. ſent.

Frater Franciſcus Maria Pugnetus Placentinus edidit quaſdam orationes non ineleganti ſtylo concinnatas.

Frater Franciſcus Maronius Ioannis Scoti auditor, & ſcolaſtica eruditione pręſtantiſſimus, qui tãtę auctoritatis, & opinionis extitit in gymnaſio Pariſienſi, vt Doctor illuminatus vbiq; vocatus ſit. Hic (vt aiunt) actũ Sorbonicum Pariſijs primus inſtituit, in cuius rei memoriã, actus ipſe ſemper ab vno Minoritano inchoatur, & à Dominicano abſoluitur, ſcripſit ſubtiliſſimè ſuper 4. ſent. lib. quæſtionum variarum lib. vnum, de veritatibus beati Auguſtini lib. vnũ, quandam Epitomen ſuper libros naturales Ariſt. Quadrageſimale, & poſtillas per annum, Annotationes memoria dignas in totã ſacrã ſcripturam. Ferunt etiã edidiſſe ſuper Decretales. Floruit anno 1324. obijtq; Placentię. Pater Sanſon Generalis Miniſter in eius commendationem monumentum extruxit.

Frater Franciſcus Maurus Hiſpellas Vmber edidit Poëma inſcriptum Franciſciados, lib. 13. ad ſereniſſ. Coſmum Medicem magnum Hetruriæ Ducem.

Frater Franciſcus ab Oſſuna Bethicus ſcripſit ſuper Miſſus eſt, & ſermones in Euangel. totius anni. Claruit anno 1530.

Frater Franciſcus Ortitius Hiſpanus ſcripſit ſuper pſal. 50.

Frater Franciſcus Panicarola Mediolanenſis, ac Concionatorum ſui temporis facilè princeps, ſummis eloquẽtię neruis, elegantiq; ſtylo, ac lingua Hetruſca ſcripſit octodecim lectiones aduerſus Ioannem Caluinum hęreſiarcham, centum ſermones in Dominicam paſſionem, expoſitionem in Dauidicos pſalmos, aliam itidem expoſitionem in lamentationes Hieremię Prophetæ, binas orationes funebres in obitum illuſtriſſimi Cardinalis Borromęi tituli S Praxedis, artẽ cõponẽdi conciones, plura quoq;, ſi ei vita comes fuerit, in lucẽ editurus, precipuè in Iob, & in difficiliores ſacrę ſcripturæ locos.

Frater Franciſcus Pichardi Doctor Pariſienſis edidit enarrationes in Euangelia.

Frater Franciſcus Feuardentius edidit Scholia in Irenęum, & Appendicem ad Alphonſum à Caſtro.

Frater Franciſcus de Platea Bononienſis iuris, & ſcripturarum egregiè doctus ſcripſit opus inſigne de reſtitutionibus lib. 1. de cenſuris lib. 1. de vſuris, & actu matrimoniali, & varios libros.

Frater Franciſcus Polygranus edidit enarrationes in Euangelia, & aſſertiones quorundam Eccleſiæ dogmatum.

Frater Franciſcus Rubeus de Apignano ſcripſit ſuper. 1. ſent. Scoti.

Frater Franciſcus Sauonenſis Ligur ſcripſit quædam præclara opuſcula, de quibus iſta feruntur, de Futuris contingentibus, de Sanguine Chriſti, de pœnitentia Dei, & de conceptione beatæ Virginis.

Frater Franciſcus Titelmanus Haſſellenſis Academiæ Philoſophorum apud Louaniũ aliquando Moderator illuſtris, & Pręlector plura pijſſima, & doctiſſima edidit Syntagmata in diuinas ſcripturas, elucidarium in Iob, in Pſalmos, in Hymnos, in Cantica, in omnes D. Pauli epiſtolas, in omnia Euangelia, de conſideratione rerum naturalium, & plures

& plures Tractatus de ſacramentis.

Frater Franciſcus ex Valentia Padi edidit quæſtiones in Metaphiſ. Ariſt.

Frater Franciſcus Viſdomini Ferrarienſis eruditionis,& eloquentiæ ſummæ,inuita & prorſus reluctante natura, ob linguæ & naturalis vocis offendiculū,edidit diuerſas homilias Latino, & vernaculo ſermone, Quadrageſimale, & Cathechiſmum catholicum,& quaſdam Latinas orationes,& quædam alia,quæ à ſtudioſis deſiderantur.

Frater Frāciſcus Vuiler ſcripſit inſigne Repertorium Epiſtolarum ſancti Hieronymi & alia quædam opuſcula inſigna, anno 1495.

Frater Franciſcus Ximenius à Ciſneros Palētinæ Diœceſis Hiſpanus S.R.E.Pręsbyter Cardinalis tituli S.Balbinę, Archiepiſcopus Toletanus, Archicancellarius Hiſpaniarum edidit ad Leonem X. Pont.max. vniuerſū vetus ac nouum Teſtamentū multiplici lingua, hoc eſt Hebraica,Chaldaica,Græca,Latinaq;,immenſis ſumptibus,laboribus,ac vigilijs,maxima cum diligentia ab vniuerſitate Complutenſi in Hiſpania impreſſum, accitis ad hoc operis vndique terrarū tum in linguarū cognitione doctiſſimis viris, tum exemplaribus caſtigatiſſimis ac vetuſtiſſimis ex Vaticana & Medicea bibliotheca deſumptis,vel à Venetorum Senatu traſmiſſis, aut aliunde nulla expenſarum, aut laborum habita ratione conquiſitis.

Frater Frāciſcus Ximenius Cathalonius Epiſcopus Elnenſis,& Patriarcha Hieroſolymitanus edidit librum inſignem de Angelis,& multa alia opera præclara lingua Cathalana, quæ reperiuntur in bibliotheca monaſterij S. Mariæ à Ieſu ciuitatis Barcinonenſis, & in multis alijs bibliothecis Principatus Cathaloniæ.

Frater Frāciſcus Zamora Hiſpanus conſcripſit Homilias in ſingulos verſ. Pſal.50.

Frater Franciſcus Zichenius Teutonicus edidit in ſeptem verba, quæ Chriſtus in cruce protulit.

Frater Gabriel Brunus Venetus Terræ ſanctę Prouincialis ordinauit tabulā alphabeticam in ſingulis libris & capitibus tam noui, quàm veteris Teſtamenti.

Frater Gaſpar Scangerus ſcripſit ſcrutinium ſcripturę, de libro arbitrio, de Miſſa contra Lutherum,de Matrimonij indiſſolubilitate, præſertim verò ſtrinxit calamum in peſtiferos Lutheranorum fœtus.

Frater Gentilis Cingulanus tranſtulit ex Græco in Latinum Ioannem Climacum.

Frater Georgius Benignus Raguſinus Archiepiſcopuſq; Nazarenus edidit quęſtiones de natura Angelica, habentur Florentiæ in bibl. S. Marci.

Frater Gilbertus Tornacenſis ſcripſit ſermones Dominicales, item ſermones ad ſtatus. Habentur Florentiæ manu ſcripti in bibl. ſanctę Crucis.

Frater Gerardus quidam Teutonicus ſcripſit quædam docta, & laude digna.

Frater Gratianus Brixianus edidit ſuper 2. Scoti.

F. Gualterius Gatthon Anglus ſcripſit in 4. ſent. opus ſanè diſtinctum, anno 1489.

Frater Gulielmus Alneuuier Northumber ſcripſit ſchiſmatum Elenchos in Philoſophiam naturalem lib. 8. lecturam ſent. lib. 4. anno 1360.

Frater Gulielmus Bernardi ſcripſit de ſacrarum literarum communicatione, earumq; ſenſu germano.

Frater Gulielmus Cremonenſis Epiſcopus Ticinenſis edidit in 4. lib.ſent.

Frater Gulielmus Fulginas D. Bonauenturæ opera in compendium redegit.

Frater Gulielmus Lamarenſis Anglus ſcripſit ſuper 4. ſent. Correctoriū ſancti Thomæ, Additiones in ſanctum Bonauenturam, lecturas ſcolaſticas, anno 1340.

Frater Gulielmus Ocham Anglicus Ioanniſq; Scoti auditor, eiuſq; doctrinæ oppugnator acerrimus,iuxta nominis etymologiam bellicoſus, cum galeæ nomenclaturā contineat, ſcripſit in 4. ſent. lib. & quodlibeta, & varia opuſcula.

Frater Gulielmus Varro Anglicus Ioānis Scoti præceptor ſcripſit in 4.ſent.& quæſtiones ordinarias in opera Ariſt. Floruit anno 1270.

Frater Guliemus Rubion Cathalonius ſcripſit ſuper 4. ſent. lib.Claruit anno 1333.

Frater Gulielmus Vorilio Brito conuentus Diuanni ſcripſit in 4. ſent. opus præclarum, & quædam alia.

Frater Gulielmus Vuoderfordenſis Anglus ſcripſit aduerſus Vuitcleffum, declarationum

tionum lib. 1. contra 18. articulos, & alia præclara opuſcula.

Frater Gutierrus Treius Placentia Hiſpanica oriundus elaborauit Commentarios in Euangelia, anno 1550.

Frater Helmanus Teutonicus de Nechemburg ſcripſit ſermones de tempore.

Frater Henricus Herpius, vel de Hierp, Prouinciæ Coloniæ, ingenio præſtans, & clarus eloquio, iuris Pontificij non ignarus, ſcripſit de miſtica Theologia tam ſpeculatiua, quàm affectiua, & librum de decem præceptis, ſpeculum perfectionis, & quædam alia. Claruit ſub Friderico anno 1460.

Frater Henricus Helmeſius Germipolitanus, ſummę Colonienſis Eccleſiæ Concionator inſignis, conſcripſit in omnes Epiſtolas, & Euangelia tomos quinque miro artificio, & eruditione concinnatos anno 1550.

Frater Henricus à monte Iardino Ianuenſis edidit Commentarios in Ioannem, & Euangelia.

Frater Henricus Regius Paderbonenſis redegit Biblia ordine alphabetico.

Frater Henricus de Vuerlis Teutonicus Prouinciæ Colonienſis ſcripſit ſuper 4. ſent. de poteſtate Eccleſiæ, ſermones varios, & alia plura, anno 1440.

F. Hermannus Brucken Nortuſianus edidit ſermones de ſanctis ꝓprios, & cõmunes.

Frater Hieremias Vtinenſis edidit expoſitionem lucidam in quoſdam Pſalmos, in Orationem Hieremiæ Profetæ, & in Canticum Zachariæ ſermone vernaculo.

Frater Hieronymus Balbanus edidit conciones decem lingua Hetruſca, & tractatum de Oratione.

Frater Hieronymus Breſighellenſis edidit quandam concionem ſermone vernaculo de ſacro Iubilei anno.

Frater Hieronymus Gadius Bononienſis ſcripſit luculenter in quodlibeta Scoti.

Frater Hieronymus Girellus Brixianus Theologus, & Philoſophus inſignis ſcripſit de primò cognito, & de ſpeciebus intelligibilibus, & expoſitionem lucidam in diſputationes Auerrois contra Algazelem, quæ adhuc deſiderantur.

Frater Hieronymus Leopolitanus Eccleſiaſtes, & lector in vrbe Cracouia Polonici Regni Regia, omnes Bibliorum libros Polonica lingua conuertit. Claruit ſub Carolo V. anno 1536.

Frater Hieronymus Maripetrus Venetus edidit ſpiritualem Petrarcham.

Frater Hieronymus Mengus Vitellianenſis edidit compendium de arte Exorciſtica ſermone vernaculo, & flagellum Dæmonum.

Frater Hieronymus Piſtorienſis edidit ſuper Formalitates Scoti, & quaſdam conciones lingua Hetruſca.

Frater Hugo de Caſtronouo edidit de finali Iudicio in Theologia, & de Antichriſto, in 4. lib. ſent.

F. Hugo de Digna edidit notabilem expoſitionem ſuper Regulam beati Franciſci.

Frater Hugo de Manceſtria Anglus Prouincialisq́; Angliæ ſcripſit contra quendam impoſtorem iuſſu Philippi Francorum Regis, & Compendium Theologiæ, anno 1294.

F. Huggarius Piſthienſis edidit ſermones, qui inſcribuntur Biga ſalutis, anno 1497.

Frater Hugo Stelſtadt Teutonicus beati Bonauenturæ interpres.

Erater Iacobus Aſculanus Picens varios edidit ſermones.

Frater Iacobus Brancus ex Alba Ligur edidit opuſculum per concluſiones in omnes libros Ariſtotelis.

Frater Iacobus de Caſa edidit tractatum de conceptu Virginali.

Frater Iacobus Laudenſis Theologus, & Summiſta citatur in Angelica.

F. Iacobinus Malafoſſa Bargenſis Metaphyſicus, & Theologus ſuo tempore clariſſimus ſcripſit doctos Commentarios in primum Ioannis Scoti, & quaſdam precationes ad ſacrum Concilium Tridentinum.

Frater Iacobus Alexandrinus edidit in naturalem Philoſophiam Ariſt.

Frater Iacobus Florentinus redegit in meliorem formam Summam Raynerij Piſani.

Frater Iacobus de Maſſa ſcripſit hiſtoriam montis Aluernæ.

Frater Iacobus Paniſcocti Melfitenſis ſcripſit opus prolixum in Pſal. 14. interrupto

dialogo, item de articulis fidei. Claruit anno 1535.
Frater Iacobus de ſancto Giminiano conſcripſit ſermones de tempore.
Frater Iacobus à Spinello edidit ſuper 4. lib. ſent. & in vniuerſa Biblia.
Frater Iacobus à Triſanto elaborauit 32. Quadrageſimalia, & multos ſermones
tam dominicales, quàm de tempore, & de ſanctis.
Beatus Iacoponus Tudertinus edidit quædam opuſcula Latina, & Hetruſca lingua
laude digna.
Frater Ianus Lacinius Calaber Phycroneus edidit pretioſam Margaritam nouellam
de pretioſiſſimo Philoſophorum lapide.
Frater Ioannes Anglicus expoſuit vniuerſalia Scoti.
Frater Ioannes Argumanes Hiſpanus compilauit Tractatum de valore indulgen-
tiarum lingua Hiſpanica.
Frater Ioannes Baſolius ſcripſit candidiſſimè ſuper 4. lib. ſent.
F. Ioannes Bruncaldal, vel Blomendal Teutonicus Philoſophus, & Prędicator egre-
gius ſcripſit ſermones de tempore lib. 1. de ſanctis lib. 1. per Quadrageſimam lib. 1. Cla-
ruit anno 1330.
Frater Ioannes Camers Commentarium edidit in tabulam Cæbetis, ſcripſitq; anno-
tationes in Feneſtellam, caſtigationes Plinianas, primus enim conſcripſit Indicem in
Plinium, ſcripſit alia quædam anno 1528.
Frater Ioannes Canonicus Ioannis Scoti auditor, Philoſophus, Theologus, & Iuris
conſultus, ſcripſit ſuper 4. ſent. & Commentarios in lib. Ariſt. & alia, anno 1320.
B. Ioannes Capiſtranus ſcripſit de Cupiditate lib. 3. contra Huſcitas lib. 1. ſermones
varios lib. 1. de Paſſione Domini lib. 1. & epiſtolas nonnullas.
Frater Ioannes à Caſali varias contexuit quæſtiones in Philoſophia, & Theologia.
Frater Ioannes de Colonia Agrippina edidit poſtillā hyemalem, & æſtiualē in 4. ſent.
Frater Ioannes Concilij Gallus multa concinnauit, interfuitq; ſacro ſancto Concilio
Tridentino.
Frater Ioannes à Dauentria Miniſter Prouinciæ Coloniæ edidit exigim abſolutiſſi-
mam errorum, qui ſunt in confeſſione Lutherana, & Apologiam.
Frater Ioannes Delphinus è Caſali maiore multa edidit opuſcula, de rerum euentu,
de cœlibatu, de poteſtate Papæ, de cœleſtibus globis ad Camillum Paleotum, de me-
thodo, & quædam alia.
Frater Ioannes Dunſius Scotus vir admirādę eruditionis ſubtilitate prędituss, ob di-
cendi obſcuritatem Græcè (Scotinos) dictus, quod olim Heraclito cognomen fuit;
ferunt per diem interdum, & amplius immobilem ſediſſe mente, & ſenſibus ſopitis,
aut certè procul à corpore aberrantibus, atq; ita demum ab hominibus eius rei ignaris
pro defuncto elatum, ſcripſit in 4. ſent. libros, & quodlibeta, commentarios in Euange-
lia, in Epiſtolam ad Romanos, ſermones de tempore. Hic ſcholam Pariſienſem (velut
alter Apollo) magnoperè illuſtrauit, & mirùm cùm nomine, & re fuerit ſubtilis; in
nullo tamen à Pariſienſi vniuerſitate fuit notatus. Claruit anno 1308. obijtq; Colonię
Agrippinæ apud Minores, cuius epitaphium extat.

Scotia me genuit, Anglia me ſuſcepit.
Gallia me docuit, Colonia me tenet.

Frater Ioannes de Erfordia Teutonicus edidit tabulam Iuris, Summam de caſibus,
in literis diuinis illuminatus, & peritus fuit.
Frater Ioannes Durandus, ſiue Duren Teutonicus edidit ſermones de tempore, Qua-
drageſimale, de ſeptem peccatis mortalibus, & multa alia præclara opuſcula.
F. Ioannes de Fabbrica edidit tractatum de indulgentijs pro animabus in Purgatorio.
Frater Ioannes Ferus Latinè, & Germanicè multa conſcripſit in libros noui, & veteris
Teſtamenri, & alia multa.
Frater Ioannes de Fonte Lector in monte Peſſulano edidit Concluſiones in 4. ſent. lib.
F. Ioan. Garię Toloſan⁹ Doctor inſignis vniuerſitatis Toloſanę aliqua edidit opuſc.
Frater Ioannes Gauinetus concinnauit librum, qui dicitur amicus Medicorum, &
opuſculum, quod, Enarrant, inſcribitur.

Frater

F. Ioannes Genſius Quaia Parmenſis edidit librum de ciuitate Chriſti, & Roſarium.

Frater Ioannes Gritsch Baſileenſis ſcripſit ſermones de tempore per Quadrageſimã.

Frater Ioannes Krauenam Teutonicus quædam conſcripſit tempore Pij II. Pont.

Frater Ioannes Lagienus illuſtrauit ſermones B. patris Auguſtini.

Frater Ioannes Mappellus Mediolanenſis fecit tabulam vtilem ſuper conformitates Bartholomæi de Piſis.

Frater Ioannes Merdigius Teutonicus concionator egregius ſcripſit ſermones de tempore lib. II. de ſanctis lib. II. per Quadrageſimam lib. I.

Frater Ioannes Perrinus Doctor Pariſienſis edidit de diſpenſatione Ordinis Minorũ.

Frater Ioannes Rennamam Teutonicus ſcripſit defenſorium ſui, de Paſſione Domini ſermones varios, & alia complura.

Frater Ioannes Rioche Britannus ſcripſit Compendium temporum, & Hiſtoriam ab Aſcenſione Chriſti vſq; ad annum 1576.

Frater Ioannes Richardi Epiſcopus Draconenſis edidit Compendium Theologiæ.

Frater Ioannes à Ripa Tranſonum Picens, qui ſuo hortatu Græcos redegit ad ſanctę ſedis obedientiam, ſcripſit ſermones de tempore, & de ſanctis.

F. Ioannes Roijardus Antuerpienſis ſcripſit homilias iuxta literam in omnia Euangelia Quadrageſimalia medio inter veteres, & ſcholaſticos ſtylo, anno 1540.

Frater Ioannes à Fonte edidit libellum ſuper Marcum, & quædam alia opuſcula vulgari ſermone.

Frater Ioannes de Rupella Aquitanus Magiſter Pariſienſis ſcripſit quędam opuſcula, Summam virtutum & vitiorum, ſermonesq́; Dominicales.

Frater Ioannes Pupeciſſa, præter ea quæ in lib. ſent. ſunt accuratè ſcripta, multa prędixit euentura ſpiritu quodam prophetico, anno 1340.

Frater Ioannes de ſancto Geminiano edidit quaſdam meditationes in Euangelia.

Frater Ioannes Salon Valentinus edidit de emendatione Romani Calendarij, & de Paſchalis ſolemnitatis reductione.

Frater Ioannes à Saxonia Teutonicus edidit ſummam Iuris, ſermones de tempore, & de ſanctis, anno 1550.

Frater Ioannes Standitius Anglicus ſctipſit aduerſus Eraſmi verſiones noui Teſtamẽti, anno 1520.

Frater Ioannes Tirlandi ſcripſit officium quinq; Martyrum noſtri Ordinis, Berardi ſcilicet & ſociorum.

Frater Ioannes Tyſſington Anglicus ſcripſit contra Vuicleffi confeſſionem, de Sacramentis lib. vnum, de confeſſione auriculari, & alia.

F. Ioannes Vallonus à Iuuenatio Apulus edidit declarationes marginales in Formalitates Scoti.

F. Ioannes Vigerius Ianuenſis edidit lucidam lecturam in primum lib. ſent. Scoti.

Frater Ioannes Antonius Fauentinus Eccleſiaſtes noſtro tempore clariſſimus edidit quaſdam meditationes ſermone vernaculo non minus doctas, quàm vtiles, & alia.

Frater Ioannes Maria Velmatius Bagnacauallenſis edidit opus, metro exametro, inſcriptum Chriſtiados.

Frater Ioſephus Angles Valentinus Epiſcopus Boſſanẽſis librum intitulatum Flores Theologicarum quæſtionum ſuper quartum librum Sententiarum legentibus proficuũ, & ad promouenda ſtudia Theologiæ valde vtilem compoſuit.

Frater Lãdulphus Caracciolus Neapolitanus, Archiepiſcopusq; Amalphitanus ſcripſit ſuper 4. ſent. in 4. Euangelia, in epiſtolam ad Hebræos, in Zachariam Prophetam, & ſermones de tempore.

Frater Laurentius Maſterillus Fulginas opus Hymnorum ſacrorum edidit.

Frater Leonardus Giphonenſis ſcripſit egregiam lecturam ſuper Cantica Canticorũ, ſuper 4. ſent. libros, ſermones varios, & ſummam notabilem.

Frater Lucas Aſſiſinas edidit opuſculum quoddam, cùm eſſet Regens Pariſijs.

Frater Lucas Bitontinus edidit ſuper Euangelia, & Epiſtolas Quadrageſimales. Habentur Florentiæ manu ſcriptæ in bibli. ſanctæ Crucis.

Frater Lucas Paciolus ex Burgo ſancti Sepulchri omnem penè rationem Mathematicæ diſciplinæ complexus eſt, de diuina proportione compendium, & alia inſignia opuſcula contexuit.

Frater Lucas Paduanus diui Antonij diſcipulus, iugi ſtudio exercitatus, ſcripſit ſermones de tempore, & de ſanctis; habentur Paduæ manu ſcripti in bibl. Franciſcanorũ patrum Conuentualium.

Frater Ludouicus de Lyrano edidit ſermones feriales per totum annum, commune ſanctorum, & multa alia.

Frater Ludouicus ex Filicaia Florẽtinus edidit vitam B. Franciſci carmine Hetruſco.

Frater Ludouicus Tifernas (cognomento Philoſophus) edidit hortulum Religionis ſermone vernaculo.

Frater Mamotreptus à Regio Lepidi edidit Dictionarium omnium Bibliorum, quod rudibus clericis veluti mammam exhibuit.

Frater Marcus Blancus Salodienſis, alumnusq; fratris Franciſci Lichetti, compilauit tractatum de ſecundis intentionibus.

Frater Marcus Oliſſiponenſis edidit chronica Religionis lingua Hiſpanica digeſta in tria volumina.

Frater Marcus de Summa Ripa Lector vniuerſalis Taurini edidit Quadrageſimale, quod inſcribitur, Bonum quaternarium ſummæ Ripæ.

Frater Marcus Vlmenſis Hermannus edidit Dictionarium in ſcriptura ſacra.

Frater Matthæus Siluegius Catanenſis Siculus edidit compendium in omnes libros naturales Ariſt.

Frarer Matthias Bellintanus Salodienſis edidit lingua vernacula tractatum de oratione mentali.

Frater Matthias Doringus edidit Reſpublicas defenſiuas pro Nicolao Lyrenſi, cuius auditor fuit, contra Paulum Burgenſem.

Frater Matthias Feliſius Brovvershauius edidit eruditam, & catholicam elucidationem inſtitutionis Chriſtianæ, & ſuper Decalogum.

Frater Mauritius Hibernicus poſtillauit totam doctrinam Ioannis Scoti, & eius vniuerſalia ſubtiliſſimè commentatus eſt, edidit etiam Dictionarium ſacræ ſcripturæ.

Frater Maximianus Beniamus Cremenſis edidit quaſdam orationes.

Frater Melchior Parmenſis edidit interrupto dialogo tractatum de Anima lingua Hetruſca.

Frater Michaël de Charcano Mediolanenſis Theologus, & declamator celebris, in ſermonibus vehemens, edidit de decem præceptis, & ſermones vtiles.

Frater Michaël Medina Hiſpanus, Theologusq; Regius, edidit Chriſtianam Paræneſim, & tractatum de Indulgentijs, & in 14. Articulos Simboli Apoſtolorum, & de Purgatorio, de recta fide & alia multa.

Frater Monaldus Iuſtinopolitanus Dalmata Theologus, & Iuriſconſultus ſcripſit ſummam Iuris canonici, quæſtiones in 4. ſent. ſermones varios lib. 1.

Frater Nicolaus ab Aquæ villa edidit ſermones de Natiuitate, de ſanctis, & per totum anni circulum.

Frater Nicolaus ab Auximo Picens compoſuit ſupplementum ordine alphabetico, & ſummam.

Frater Nicolaus Goran ſcripſit docta quædam in lib. ſent. & ſacram ſcripturam.

Frater Nicolaus Bonetus edidit Philoſophiam naturalem.

Frater Nicolaus Grandis ſacratiſſimæ facultatis Theologus ſcripſit ad Franciſcum Gallorum Regem, in duas Epiſtolas B. Pauli, ad Romanos, & ad Hebræos elegantes Commentarios, anno 1546.

Frater Nicolaus Herbron ſcripſit Latino ſermone enarrationes Euangeliorum quadrageſimaliũ, apud Coloniam Agrippinam Germanica lingua declaratas, & in Pſal. 78. enarrationem lamentatoriam.

Frater Nicolaus Lackmam Teutonicus edidit in 4. ſent. de tempore, & alia plura non abijciendæ lectionis.

Frater

Frater Nicolaus à Lyra ex Normandię oppido,genere Iudæus Hebraicarũ literarum ab incunabulis ſtudioſus, & ad perfectum inſtructus, vera,pura,& germana intelligentia edidit libros 85. Claruit anno 1320. Obijt Pariſijs, ſepultus in capitulo conuentus.

Frater Nicolaus Mutius Venetus edidit ſuper Gregorium opus diſtinctum per materias, anno 1238.

Frater Nicolaus de Nijſe Gallus concionator ſuo tẽpore celeberrimus ſcripſit Compendium ſuper 4. ſent. ſermones de tempore, gemmam prędicantium.

Frater Nicolaus de Orbellis Prouinciæ Turoniæ ſcripſit præclara quædam in 4. lib. ſent. & Commentarios penè in omnes Ariſt. libros, & de caſibus conſcientiæ, & alia.

Frater Nicolaus Rochã ſcripſit de Concilijs generalibus,ſermones,& quædam alia.

Frater Nicolaus Tacitus Zigenius ex Diſtemio oppido Brabantię edidit ad Iuliũ III. caſtigationes in nouum Teſtamentum ſub titulo Epanorthotes, item ſcholia in nouum Teſtamentum.

Frater Nicolaus de Torga ſcripſit de adoratione nominis Ieſu Chriſti aduerſus Petrũ Vigmanum monachum Vratiſlauienſem.

Frater Nicolaus Veronenſis Vmber edidit Quadrageſimale, & Dietarium ſalutis ſuper Epiſtolas Quadrageſimales.

Frater Octauianus Pręconius Meſſanenſis ſcripſit ſummam de ſacramentis, & de paſſione Chriſti ſermone vernaculo.

Frater Oliuerius Maillardus Britannus edidit duo Quadrageſimalia, & alia.

Frater Oſualdus Vicarius Prouincię Vngarię edidit quartam partem operis Pelbarti morte conſilium eius peruertente.

Frater Paduanus de Graſſis Barolita ſcripſit Enchiridion ſcholaſticum, & contradictiones in Quodlibeta Scoti, & concilium Pauli de ijs quæ ſpecie tenus inter ſe pugnare videntur.

Frater Pelbartus Themeſſuuar edidit ſermones de tempore,Dominicales, de ſanctis, Quadrageſimale Triplex, quod Stellarium B. Virginis appellant, Pomerium, & in 3. lib. ſent.

Frater Petrus Aureoli Verberius Archiepiſcopus Aquenſis ſcripſit ſtylo ſcholaſtico compendium omnium ſanctorum Voluminum, ſuper 4.ſent. ſermones de tempore,item librum qui tranſcribitur Roſæ diſtinctionum.

Frater Petrus de colle Teutonicus ſcripſit de auctoritate Concilij, in lib. ſent. ſermones varios. Claruit anno 1440.

Frater Petrus de Cornibus Doctor Pariſienſis multa ſcripſit,quę tamen deſiderantur, anno 1555.

Frater Petrus Galatinus Apulus doctor inſignis, Hebraicarum literarum non ignarus ſcripſit eruditiſſimè de Archanis catholicæ veritatis contra Hebræos,& multa alia opera, quæ habentur Romæ in bibl. Aracœli manu ſcripta.

Frater Petrus Ioannes edidit Poſtillas in omnem ferè diuinam ſcripturam.

Frater Petrus Paulus de Potentia Apulus edidit quandã quæſtionẽ de matrimonio.

Frater Petrus Reginaldus edidit Speculum finalis retributionis, de gaudijs piorum, & pœnis malorum.

Frater Petrus Rodulphius Tuſſignanenſis ſacræ Theologiæ Magiſter, ac ſanctæ Inquiſitionis Romæ conſultor,nec non & vir doctiſſimus,ſumma eloquentia, ac ſumma ingenij dexteritate edidit ſeraphicę Religionis hiſtoriã in tres tomos diſtinctã:vbi totius Ordinis fundamenta, nec non inſtituta, & viros qui in eadem Religione floruerunt, & ab hac ætate habentur fœliciſſimè narrat: item Dictionarium pauperum Lugduni impreſſum:item conciones viginti vernaculo ſermone explicatas ſuper beatę Virginis canticum, & in ſeptem verba quæ Chriſtus in cruce protulit: item homilias centum Latinas in ſeptem Dauidis pſalmos, quos pœnitentiales vocant: item de Chriſtiano oratore libros tres, & alia quædam.

Frater Petrus de Saxonia edidit ſummam caſuum, ſermones de tempore, & de ſanctis lib. 1.

Frater Petrus Thomas edidit tractatum Formalitatum ad mentem Scotiſtarum,

quandam Epiſtolam ad infantem Aragoniæ de conceptione B. Virginis.

Frater Petrus de Trabibus edidit ſuper primum lib. ſent.

Frater Philippus à Monte Calerio ſcripſit ſermones de tempore, de ſanctis, & Quadrageſimale.

Frater Philippus Varagius edidit flores totius Theologiæ.

Frater Philippus Diez edidit quadruplex Quadrageſimale, & totidem Aduentuale, inſuper & Dominicale,& de ſanctis ſermones plurimos.

Frater Philippus Vlteran edidit Concordantias Euangeliorum, & Homilias 14. Habentur manu ſcriptæ Florentiæ in bibl.ſancti Marci.

B. Pontius Corbonellus poſtillam edidit in vtrumq; Teſtamentum.

Frater Raymundus Actgerij ex ciuitate Miniatenſi edidit in Polytica Ariſt.

Frater Richardus Cenomani Doctor Pariſienſis doctiſſimè ſcripſit in Pſalterium, & alia nonnulla.

Frater Richardus Mediauillanus in ſacris literis, Philoſophia, & Iure Canonico egregiè doctus, Doctor copioſus, & ſolidus ſcripſit luculenter ſuper 4. ſent. ſuper diſtinctiones decretalium lib. 1. de ordine iudiciorum, in Epiſtolas Pauli lib. 4. in quatuor Euangelia lib. 4. de conceptione B. Virginis, & quædam alia.

Frater Robertus Caracciolus à Licio Epiſcopus Liciēſis ſcripſit multa præclara opuſcula, ſermones de tempore, de laudibus ſanctorum, de pœnitentia, & de peccatis.

Frater Robertus Eliphar ſcripſit quæſtiones ſuper 4. ſent. quæſtiones ordinarias lib. 1. lecturas Theologiæ lib. 1.

Frater Robertus Meſſier edidit ſermones vtiles ſuper Epiſtolas, & Euangelia Quadrageſimalia.

Frater Robertus de Ruſſia ſcripſit ad Haymonem Anglicum in Regulam ſancti Franciſci, ſermones varios, ſuper ſent. & quædam alia.

Frater Rogerius Bacchonitanus Doctor Oſoniēſis ſcripſit ſuper 4. ſent. in lib. Naturales, & Morales Ariſt. compendium ſtudij Theologici, de Nicromanticis imaginibus, pronoſtica de ſyderum curſu, regimina cœleſtium, de vera Aſtronomia, & alia præclara, anno 1280.

Frater Salimbenus de Salimbenis Parmenſis contexuit hiſtorias ſui temporis,& chronica Italiæ vſque ad annum 1280.

Frater Samuel Caſſinenſis edidit opus inſcriptum liber Iſagogicus.

Frater Seraphinus Cumiranus Feltrenſis edidit tomos duos contradictionum veteris, & noui Teſtamenti.

Frater Silueſter Roſſanenſis edidit tractatum contemplatiuum de ſanguine Chriſti.

Frater Simon Pontanus Doctor Pariſienſis edidit hiſtoriam catholicam, Dialecticam, & alia varia opuſcula.

Frater Stephanus Brulifer Doctor Pariſienſis ſcripſit Reportata in 4. ſent. lib. diui Bonauenturæ, de timore ſeruili, & alijs donis omnipotentis Dei.

Frater Theodoricus de Obſenbruck Teutonicus Prouinciæ Coloniæ edidit de paſſione Domini, manuale ſimplicium, & de exercitio interiori.

Frater Thomas de Ales Anglicus ſcripſit diſputationes ſcholaſticas, ſermones Dominicales, & vitam B. Mariæ Virginis.

Frater Thomas de Cellano edidit duas ſequentias, quarum principia ſunt: Fregit victor virtualis, & ſanctitatis noua ſigna, ſcripſit etiam librum de vita, & miraculis beati Franciſci.

Frater Thomas ab Auximio Picens ſcripſit Quadrageſimale, & clipeum Eccleſiæ, & quædam alia.

Frater Thomas Murner Argentinus multa edidit opuſcula, præſertim calendarium, in quo Lutheranorum mores ſecundum circulum Zodiacum graphicè depingit.

Frater Thomas de Spinoſa Hiſpanus illuſtrium virorum tum Græcorum, tum quoque Romanorum vitas ex Plutarcho in compendium, ipſiſſimis ſibi iconibus appoſitis, vernacula lingua redegit, præloq; mandauit.

Frater Tilmanus de Hachenberg Teutonicus ſcripſit ſermone de ſanctis, & alia.

Frater

Frater Vbertinus à Caſali ſcripſit volumen ingens, quod prænotauit arborem vitæ Crucifixi ad vniuerſos Chriſti fideles, in Apoc. de ſeptem ſtatibus iuxta ſeptem viſiones.
Frater Vrbanus Bellunenſis edidit inſtitutiones Grammaticas in linguam Græcam.
Frater Xpophorus Moreno Valentinus Miniſter Prouinciȩ Valentiæ, ac Eccleſiaſtes hoc noſtro tempore inſignis edidit lingua Hiſpana librũ de claritate ſimplicium in duas partes diuiſum, & alterum de itinerario in cœlum, & tertium de vita, & actibus B.P. Nicolai Factoris etiam Minoritæ & Valentini.

De Franciſcani Ordinis excellentia.

QVANTOPERE Deus opt.max.ſeraphicum hunc Ordinem dilexerit vel ſaltem ex ipſis ſanctis, atq; beatis hîc ſubijciendis, quos ſibi ex eo ſeligere dignatus eſt, liquidò conſtat. Nec tamen velim quis exiſtimet me omnes in medium adduxiſſe; ſed quòd plures me fugerint, quàm ad meam notitiam peruenerint. Quis enim dubitet apud Tartaros, Danos, Anglos, Scotos, Hybernos, Dalmatas, aliasq; nationes, vel Turcæ immani Chriſtiani nominis hoſti miſerrimè ſubiectas, vel in hæreſim turpiſſimè collapſas, apud quas olim ſacra hæc Religio ſummoperè floruit, & modò vix eius veſtigium apparet, plures patres ſanctitate inſignes, Deoq; gratos fuiſſe, qui ſanctorum collegio excepti ſint? quiq; miraculis tum in vita, tum quoque in morte claruerint? Nullus ſanè, ſi huius ſacræ Philadelphiæ inſtitutionem candido animo, apertiſq; oculis cõtemplatus ſit. Quorum tamen nomina, atq; memorias vel infidelium, aut hæreticorum nequitia, vel patrum, qui eorum vitam, atq; geſta ad poſteros ſcripto tranſmitterent, vituperabilis oſcitantia abſorbuit. Interim tamen cuperem, vt quiſquis ille ſit, hunc noſtrum qualemcunq; laborem boni conſulat, defectumq;, ſi quis fuerit, æquè ferat, atq; Altiſſimo mecum, pro tanta miſericordia, atq; erga hunc Ordinem beneuolentia, debitas gratias agat. Ne autem debitum ordinem, atq; ſeriem in ſanctorum, atq; beatorum enumeratione & diſpoſitione inuertiſſe, ex craſſa quadam ignorantia videamur, pium lectorem ante omnia præmonitum volumus, id noſtro animo inſediſſe, vt videlicet primo loco tum ſanctos, tum quoque ſanctas ſiue primi, ſiue ſecundi, ſiue etiam tertij Ordinis beatiſſimi patris noſtri Frãciſci reliquorum catalogo à ſummis Pontificibus aſcriptos; Secundo verò Minoritas beatos alphabetico ordine: ſed Tertio tum ecundi, tum quoque tertij Ordinis beatas mixtim: atqui quarto Tertiarios: ſed quinto & vltimo loco vt Martyres, ſiue in Europa, ſiue etiam in nouo mundo apud Indos cùm Occiduos, tum quoq; Orientales, martyrij laurea pro Chriſti Seruatoris fide laureatos, ſtatueremus collocaremuſq;.

Sacri Ordinis Minorum ſancti diuorum catalogo aſcripti.

S. BERARDVS martyr.
S. Petrus martyr.
S. Accurſius martyr.
S. Adiutus martyr.
S. Otho martyr.
S. Daniel martyr.
S. Angelus martyr.
S. Samuel martyr.
S. Donulus martyr.
S. Leo martyr.
S. Nicolaus martyr.
S. Hugolinus martyr.

Horum quinque primi Marrochij, ſeptem verò poſtremi Ceptæ in Affrica ſub Saracenis martyrij palmam aſſequuti ſunt.

S. Bonauentura Epiſcopus, & confeſſor.
S. Ludouicus Epiſcopus & confeſſor.
S. Antonius de Padua confeſſor.
S. Bernardinus confeſſor.
S. Iuo presbyter.
S. Ludouicus Francorum Rex confeſſor.
S. Elzearius confeſſor.
S. Clara virgo Clariſſarum Primipila.
S. Eliſabetha vidua & Tertiaria.

Seraphici

Seraphici Ordinis Beati.

B. ACCVRSIVS laicus vitæ ſanctitate clarus.
B. Adam Ruffus præclaris miraculis corruſcans, obijt Barij apud Apulos.
B. Adamus Catharæ ſepultus.
B. Adolphus Rilonij humatus.
B. Adolphus Comes.
B. Agnellus Piſanus primus Angliæ Miniſter, & almi Pariſienſis conuentus primus fundator, Oxoniæ apud Anglos ſitus eſt.
B. Aldemarius à Felſinio iacet in loco Figiaci apud Aquitanos, qui mortuus cœcos, & à dæmonibus vexatos curauit.
B. Aldobrandinus de Amanatis Florentinus Salmanaſtræ Perſidis obijt, miraculisq; claruit glorioſo martyrio coronatus.
B. Albertus à Sartiano miraculis clariſſimus.
B. Alexander de Ales conſummatus theologus Pariſijs tumulatus.
B. Alphonſus Boroxius iacet Occaniæ.
B. Alphonſus Sartor vir integerrimus.
B. Amadeus Luſitanus Mediolani ſepultus.
B. Ambroſius à Maſſa, qui iacet in conuentu Vrbeuetano, viuens & mortuus miraculis inſignis.
B. Angelus à monte Leone obijt clarus miraculis apud montem Compatrium.
B. Angelus de Clauaſio vir doctiſſimus Cunij humatus.
B. Angelus Tancredi Reatinus primò miles, deinde ſocius beati patris Franciſci Aſſiſij in eccleſia ſancti Franciſci, non longè à tumulo B. patris conditus eſt, qui ſigna, & miracula viuens, atque mortuus edidit.
B. Andreas cognomento Dulcis iacet Arimini.
Beatus Andreas de Comitibus Anagninus nepos Alexandri IIII. Pont. poſthabita Cardinalitia dignitate ſanctè vixit, obijtq; miraculis clarus, iacet in loco Pilei propè Anagniam.
B. Andreas Hiſpellas miraculorum multitudine cunctis admirabilis iacet Hiſpelli.
B. Andreas Vngarus in ciuitate Bidinij Regni Bulgarorũ martyrio coronatus obijt.
B. Andreas Adriæ ſepultus.
B. Andreas Albanenſis Berberiæ tumulatus.
B. Andreas Mediolanenſis Argenghæ Orientis martyrio coronatur.
B. Antonius Nurſiæ ſepultus miraculis claruit.
B. Antonius de Roſate Mediolanenſis, pro Chriſti fide à Saracenis inter aſſeres per medium ſectus, glorioſo martyrio conſummauit agonem.
B. Antonius Tegrinus Piſanus, qui viuens ſigna fecit, obijt glorioſè in monte Luco in agro Spoletano.
B. Antonius Dirrachienſis Archiepiſcopus Dirrachij quoq; ſepultus.
B. Antonius Ferrarienſis iacet Cotiniolæ.
B. Antonius Burgenſis Toleti ſepulturam nactus eſt.
B. Auguſtinus Aſſiſinas primus Prouinciæ Terræ laboris Miniſter obijt Neapoli ea ipſa hora, qua beatus Franciſcus Aſſiſij.
B. Barbarus vir ſanctitate vitæ clarus, ac ſocius beati patris Franciſci.
B. Bartholomæus Puccius iacet glorioſus in loco montis Politiani Tuſciæ.
B. Bartholomæus Martinozzi à monte Politiano, apud Cayrum Babilonis, pro fide martyrio coronatur.
B. Barbarus in eccleſia ſanctæ Mariæ de Angelis prope Aſſiſiũ (vt fertur) ſepultus.
B. Belingerius à monte Acuto extat Ianuæ ſignis præclarus.
B. Benedictus Apulus Bidinij in Bulgaria martyr.
Beatus Benedictus Aretinus ſpiritu prophetico clarus obijt Aretij apud Minores; qui cùm eſſet Antiochiæ Miniſter, fertur detuliſſe Aretium Danielis Prophetæ digitum ex Babilone.

B.Bene-

B. Benedictus à Mugello Tuſciæ, qui multa præclara fecit, ſitus eſt Florentiæ.
B. Benedictus Hidropicus eximius Philoſophus Blucanij ſepultus.
B. Benedictus à Græccio vir deuotiſſimus.
B. Benedictus beatæ Virginis ſtudioſiſſimus Effordiæ ſepultus.
B. Bencaſa Tudertinus in Prouincia ſancti Iacobi tumulatus.
B. Benuenutus Eugubinus vitæ ſanctitate clarus, ſpretis mundi huius illecebris, beatiq; Franciſci veſtigijs hærens, miraculis clarus, iacet Corneti apud Apulos.
B. Benuenutus vir deuotus, miraculisq; glorioſus obijt, Recineti apud Picenos.
B. Benuenutus laicus Mantuæ tumulatus.
B. Bentiuola miraculis inſignis obijt in conuentu ſancti Seuerini Prouinciȩ Marchiȩ.
B. Bertrandus à Bolega magnȩ ſanctitatis vir, atq; perfectionis, obijt Arelatæ in Prouincia Prouinciæ.
B. Bertrandus vir humillimus.
B. Bernardus iacet in loco Maſſæ, qui fuit miraculis glorioſus.
B. Bernardus ex Quintaualle Aſſiſinas vir vtiq; probatiſſimus, beatiſſimiq; patris Franciſci primogenitus, obijt Aſſiſij, & in eccleſia ſancti Franciſci ſepultus eſt.
Beatus Bernardus Viritandius in eccleſia ſanctæ Mariæ de Angelis prope Aſſiſium tumulatus.
B. Bernardus Vigilantis de Vida ſocius beati patris Franciſci.
B. Bernardinus Feltrius ſpiritu prophetico plenus, & miraculis inſignis, iacet in loco ſancti Iacobi prope Ticinium.
B. Bertuldus inſignis prȩdicator Ratisbonæ humatus.
B. Bonifacius de Riparolo, in quo floruit virginitas, obijt Ianuæ.
B. Bonitius ſocius beati patris Franciſci obijt Bononiæ, ibiq; ſepultus.
B. Chariſſimus Clodienſis, vna cum alijs, Venetijs claret.
B. Cathalanus paupertatis zelantiſſimus Auximij ſepultus.
B. Catellanus martyr Valentiæ humatus.
B. Cherubinus Spoletanus.
B. Clemens vir miræ perfectionis, & ſanctitatis iacet in ſacro Aluernæ loco.
Beatus Colinus olim Argentinæ Miniſter, miraculis clarus, iacet Spiræ, apud Germanos ſuperiores.
B. Conradus martyr cognomento de Alijs ob Chriſti fidem à Saracenis in Paleſtinæ partibus decollatus eſt.
B. Conradus martyrio in Pruſſia coronatus.
B. Conradus Stonglem Kirijs humatus.
B. Conradus, Pater vulgò dictus, Hildiſen ſepultus.
B. Conradus vir ſanctiſſimus iacet in Prouincia Auſtriæ.
B. Conradus magnis miraculis inſignis iacet Aſculi.
B. Conſtantinus ex S. Conſtantino ſocius beati patris Franciſci miraculis claruit.
B. Conradus Offidanus Picens ſanctitate inſignis, qui mortuos quinq; ſuſcitauit, cuiuſq; tunica deuotionis cauſa ſeruatur in ſacro Aluernȩ loco, obijt anno 1306. dum prȩdicaret apud Inſulam Romanam (quȩ Baſtia dicitur) propè ciuitatem Aſſiſij: eius corpus ibidem conditum fuit. Verùm dum bellum inter Peruſinos, & Aſſiſinates vigeret, Peruſium tranſlatum eſt, ibiq; in ſacrario eccleſiȩ ſancti Franciſci in arca lignea crebris corruſcans miraculis quieſcit.
B. Damianus Patauinus vir inſignis.
B. Dauid vir vtiq; deuotiſſimns Auguſtæ Vindelicorum ſitus eſt.
B. Demetrius in Thana martyrio clarus.
B. Deodatus Toleti ſepulturam nactus eſt.
B. Dominicus vir egregius iacet in loco ſancti Marini apud Picenos.
B. Donatus Ferrarienſis obijt in conuentu caſtri Florentini apud Hetruſcos.
B. Drodo, cui (vt fertur) Angelus ſeruiuit in Miſſa, obijt Viennæ Allobrogenſium, vulgò Delphinato.
B. Ægidius Aſſiſinas ſocius beati patris Franciſci, qui ſpiritu prophetico clarus multa, ac

ta, ac magna ſui in Deum mutui amoris indicia,& ſigna dedit,obijt Peruſij anno 1272. iacetq; ibidem in eccleſia Minorum.

B. Aegidius de Capocijs vir magnæ ſanctitatis quieſcit Aſſiſij.

B. Aegidius Regienſis obijt Tuderti.

B. Electus prophetico ſpiritu inſignis iacet Aſſiſij.

B. Electus vir ſanctiſſimus Romæ in conuentu Aracœlitano humatus.

B. alius Electus Dienſij tumulatus.

B. quoq; Electus laicus Narbonæ ſepultus.

B. itidem Electus Miſſiæ ſitus eſt.

B. alius Electus iacet Rilonij.

B. alius Electus mortuus, atq; ibidem ſepultus.

B. Electus Kirenſis Guardianus iacet Kirijs.

B. Electus miraculis clarus ibidem quoq; ſitus eſt.

B. Electus iuuenis Bremæ tumulatus.

B. Electus laicus martyrio coronatus.

B. Electus ſpiritu prophetico clarus, qui in ſuo tranſitu lætitiæ, atq; claræ ſanctitatis ſignum dedit, apud Cœnomanos Prouinciæ Turoniæ ſepultus eſt.

B. alter Electus, cui (vt fertur) Chriſtus in columbæ ſpecie apparuit, Meſſanæ miraculis illuſtris ſitus eſt.

B. Erethdus Magdelburgij ſepultus.

B. Erueus miraculis inſignis iacet Toleti.

B. Ferdinandus vir deuotiſſimus.

B. Fidentius paupertatis amantiſſimus dormit Patauij.

B. Franciſcus ab Alexandria à Saracenis martyrio coronatus iacet Amalechij.

B. Franciſcus Dyrrachinus, qui ſeptem annis panem non guſtauit, & ſignis inclytus fuit, iacet Vriæ apud Apulos.

B. Franciſcus nobilis ſacerdos apud Brutios ſepultus eſt.

B. Franciſcus Fabrianenſis miraculis clarus iacet Fabriani in Piceno.

B. Franciſcus de Maleficijs Florentinus obijt glorioſus in inſula Corſicæ.

B. Franciſcus laicus Pauperculus vulgò dictus iacet Venetijs.

B. Franciſcus Picens iacet Arghenghæ martyrio clarus.

B. Gallus lector deuotus,cuius ſanctitas tanta extitit, vt puluis ex eius ſepulchro hauſtus infirmos ſanauerit, iacet Strigonij in Vngaria.

B. Gandulphus, qui viuens plura fecit miracula, iacet in loco Politij apud Siculos.

B. Gentilis Picens, ab infidelibus martyr effectus, ſepultus eſt Venetijs.

B. Gerardus Mutinenſis Prædicator inſignis obijt Mutinæ.

B. Gerardus vir deuotiſſimus Princidauiæ tumulatus eſt.

B. Gerardus à Valentia oppido Padi, ex nobili Cagnolorum familia oriundus, vir quidem idiota, ſed ſanctitate vitæ notiſſimus, obijt Panormi, ibidemq; ſepultus eſt,cuius brachium Piſis apud Minoritas aſſeruatur.

B. Gilbertus vir humillimus Manderburgij humatus eſt.

B. Gundiſaluus Hiſpanus in Ægipto martyr.

B. alter Gundiſaluus Sanchius vir deuotiſſimus Auriæ obijt.

B. Gratianus ex Prouincia Romana, qui multa præclara egit, iacet Auximi.

B. Gratianus B. Ægidij ſocius iacet in loco montis Vlmi in Piceno.

B. Gregorius de Iadera in Bulgaria martyrio clarus.

B. Gualterus Pictauienſis (licet inuitus) Epiſcopus cœcos illuminauit, & multa alia ſigna fecit, quiq; plurimos à quatriduana febre liberat, vitæ ſanctitate,& doctrina clàruit,obijt Pictauij in Prouincia Turoniæ.

B. Guido laicus humilitate inſignis Aſſiſij tumulatus eſt.

B. Gulielmus ſibi ſimillimus iacet Viennę.

Beatus Gulielmus Anglicus beati P. Franciſci diſcipulus viuens miraculis claruit, obijtq; Aſſiſij.

B. Alter Gulielmus iacet miraculis clarus in ſancto Africano apud Aquitanos.

B.Guliel-

B. Gulielmus ſtrenuus Minorita Amoniaci obijt, humatuſq; eſt.
B. Gulielmus à Cordella iacet in loco Tuſcanellæ in Hetruria.
B. Gulielmus à Cortimilio Liguriæ miraculis clarus iacet Bononiæ.
B. Gulielmus à Radicophano Prouincię Tuſcię, in cuius capitis vertice viſus eſt ignis accenſus, iacet in ſacro Aluernæ loco.
B. Gulielmus Coronatus iacet Tuderti ſanctitate inſignis, qui Ioannem à Muro Cardinalem à morbo ſuis precibus liberauit, & duos mortuos ſuſcitauit.
B. Guido Volſinenſis ſitus eſt in loco Columbarij apud Hetruſcos.
B. Guido ſocius B. P. Franciſci iacet Cortonæ in cathedrali eccleſia.
B. Guido Senenſis miraculis clarus.
B. Guido prophetico ſpiritu illuſtris, atq; oratione inſignis iacet Vitonij in Vmbria.
B. Guido de Spathis, qui clauum in paſſionis Chriſti memoriam gerebat, iacet Bononiæ in eccleſia ſancti Franciſci.
B. Haſſus Tarraconis ſepultus.
B. Henricus Rex Cypri.
B. Henricus Teutonicus vir perfectiſſimus Carauillæ ſitus eſt.
B. Henricus Africanus apud Brabantos ſepulturam eſt aſſequutus.
B. Hermannus iacet Fulginij, qui viuens, & mortuus miraculis claruit.
B. Hermannus de Gerſtaghen Germanus obijt miraculis clarus in Mulufen.
B. Hoggerius Saxo Ardenagi tumulatus eſt.
B. Hudo vita, & miraculis inſignis iacet Nuſſariæ.
B. Hugo vita ſublimis, & doctrina illuſtris Maſſiliæ quieſcit.
B. Humilis vir deuotiſſimus Bruforcij ſitus eſt.
B. Humilis Peruſinus obijt Florentiæ.
B. Iacobus à Bario Apulorum obijt in loco Puppij, in Cluſentino Tuſciæ.
B. Iacobus à ſancto Nicolao miraculis clarus iacet Compluti.
B. Iacobus Aſſiſinas iacet in loco Fogiæ apud Apulos.
B. Iacobus Vngarellius vir doctiſſimus Forliuij tumulatus.
B. Iacobus ex Falerono Picens obijt Muliani in Piceno multis miraculis clarus.
B. Iacobus Prouinciæ Saxoniæ Cuſtos Manderburgij ſepultus.
Beatus Iacobus Picens (vulgò della Marcha) ſitus eſt Neapoli apud ſanctam Mariam de Noua.
B. Iacobus Tudertinus Tuderti quoq; quieſcit.
B. Iacobus Patauinus in Tanna Saracenorum vrbe pro Chriſto occiſus eſt.
B. Iacobus Syriæ Cuſtos martyrio clarus.
B. Iacobus paupertatis zelantiſſimus in eccleſia ſanctę Mariæ de Angelis propè Aſſiſium ſepultus.
Beatus Iacobus laicus poſt obitum miraculis clarus iacet Tifernij in eccleſia ſancti Franciſci.
B. Iacoponus Tudertinus vir mirandæ ſanctitatis quieſcit in eccleſia ſanctæ Claræ propè Tudertum.
B. Ioannes ab Aluerna ſanctitate clarus.
Beatus alter Ioannes obijt Cæſarauguſtæ, apud Tarraconenſem Hiſpaniam martyrio coronatus.
B. Ioannes à ſancto Conſtantino in eccleſia ſanctæ Mariæ de Angelis propè Aſſiſium humatus.
B. Ioannes ab Auellino ciuitate Terræ laboris, qui mortuus miraculis claruit, iacet in loco ſanctæ Illuminatæ in agro Tudertino.
B. Ioannes Vngariæ Miniſter Villæ Francæ apud Vngaros ſitus.
B. Ioannes Bartholi iacet Arimini glorioſus.
Beatus Ioannes à Neapoli Diaconus à Rege Gazę, pro Chriſti fide, martyrio coronatus eſt.
B. Ioannes à Bucca Panormi requieſcit.
B. Ioannes Aſtur vir deuotiſſimus Aſturicæ, quæ Aſturum ciuitas eſt, ſepultus eſt.

Beatus

B. Ioannes à Capiſtrano ex Brutiorum opido non longè ab Aquila, Chriſtianæ Religionis Prędicator inſignis,& accerrimus vitiorū oppugnator in Stiria,& Charinthia miraculis claruit. Accolæ eius veſtimenti fimbriam,dum viueret,contingere affectabant, & hodie ab Vngaris maximè colitur ob ſtupenda miracula, quæ Deus opt. max. anno Dominicæ incarnationis 1450. apud Belgradum,in die beatæ Mariæ Magdalenæ,dimicantibus Chriſtianis contra infideles,operari ob eius merita dignatus eſt.

Beatus Ioannes Cuſtos Carauillæ ſepultus eſt.

Beatus Ioannes Etheus Hiſpanus Infantis Aragoniæ Confeſſor, vnà cum Gundiſaluo ſocio,apud Cayrum glorioſè martyrium compleuit.

Beatus Ioannes Piernius apud Brabantos tumulatus.

Beatus Ioannes Firmanus Picens, vir ſanctitate vitæ mirabilis, iacet in ſacro Aluernæ loco.

Beatus Ioannes vir ſanctiſſimus Vrimbuthij ſepultus.

Beatus Ioannes de Laudibus in ſancto Geminiano in Hetruria,qui viuens beati patris Franciſci laterale vulnus tangere meruit, Bitonij in Vmbria glorioſè quieſcit.

Beatus Ioannes vir deuotiſſimus Oſemij ſitus eſt.

Beatus Ioannes Neapolitanus martyrij agonem in Syria conſummauit.

Beatus Ioannes à Gatfordio vir manſuetiſſimus in Prouincia Daciæ requieſcit.

Beatus Ioannes Parēs Florentinus,primus Franciſcani Ordinis Generalis poſt beatū patrem Franciſcum, vir non minus eruditus,quàm ſanctus,qui inſtituit nullum fratrē appellandum Magiſtrum,quiq; nudis pedibus religionis cauſa Ordinem viſitauit, atq; corpus Dominicum in argentea pixide reponendum iuſſit. qui tandem à Gregorio IX. Pont.max. cui apprimè notus erat,Romam miſſus,vt Romanos ad S.R.E. obedientiam reduceret, prædictione Tiberinæ inundationis eos ad præfatam obedientiam præſtandam adegit.

Beatus Ioannes à Barfordio in Prouincia Daciæ miraculis inſignis ſitus eſt.

Beatus Ioannes Parmenſis Generalis Miniſter,ſcientia & religione clarus,iacet Camerini,in eccleſia ſancti Franciſci.

Beatus Ioannes à Gautfordio,apud Hibernos ſepultus eſt.

Beatus Ioannes Pecham Anglicus, atq; Cantuarienſis Archiepiſcopus, obijt Cantuariæ in Anglia miraculis inſignis.

Beatus Ioannes à Vafordio apud Hibernos ſepulturam aſſequutus eſt.

Beatus Ioannes de Penna ſancti Ioannis in Piceno iacet ibidem.

Beatus Ioannes Armeniæ Rex ſanctiſſimè obijt.

B. Ioannes Simplex, quem viuentem beatus pater Franciſcus ſanctum nuncupauit.

Beatus Ioannes Hortulanus vir humillimus.

Beatus Ioannes ex ciuitate Stenical apud Germanos ſuperiores, primo canonicus in eccleſia cathedrali Moguntina, deinde Spiritus ſancti zelo accenſus, poſt habitis mundi huius illecebris, Minorum habitum induit, in quo ſanctè vixit, & mortuus miracula fecit:Obijt Spiræ,anno Domini.1245.

Beatus Ioannes de Rupella vir paupertatis zelantiſſimus.

Beatus Ioannes ſanctitate,& miraculis præclarus obijt Syracuſis in Sicilia.

Beatus Ioannes Tentalben in loco ſanctæ Illuminatæ in agro Tudertino cœcum illuminauit.

Beatus Ioannes Valeis,vel Galenſis, Arbor vitæ nuncupatus, in fine huius humanæ vitæ conſtitutus, cum diù ſine loquela permanſiſſet,cœpit lætus dicere,ad Patriam pergo,& ità abdormiuit in Domino.

Beatus Ioannes ex Vallibus,quem Deus crebris illuſtrauit miraculis, obijt in loco Piſtiæ in valle Spoletana.

Beatus Iordanus laicus atq; humillimus iacet Vectorinij.

Beatus Iordanus Italus atq; deuotiſſimus requieſcit Manderburgij.

Beatus Ioſeph vir mitiſſimus iacet Florentiæ.

Beatus Iulianus Teutonicus vir miræ ſanctitatis obijt Pariſijs miraculis clarus. Hic vitam beati patris Franciſci,& beati Antonij,quò ad cantum,& quò ad antiphonas,verſus &

ſus,& reſponſoria,vna vel altera antiphona demptis,cùm eſſet in Regis Francorum aula Magiſter cantus,eleganter compoſuit.

Beatus Iuniperus ſocius beati patris Franciſci obijt Romæ in conuentu Aracœli.

Beatus Landus Tarentinus Apuliæ Miniſter ſignis claruit Andriæ in Apulia.

Beatus Leo Mediolanenſis Archiepiſcopus ſtrenuæ ſanctitatis vir iacet Lignani in Ducatu Mediolanenſi.

Beatus Leo beati patris Franciſci Confeſſor,& Scriba,qui fuit in ſacro Aluernæ monte,dum beatus pater ſacra ſtigmata ſuſciperet,Aſſiſij conditus eſt.Huic benedixit beatus pater Franciſcus his verbis:Benedicat tibi Dominus,& cuſtodiat te, oſtendat faciem ſuã tibi,& miſereatur tui,conuertat vultum ſuum ad te, & det tibi pacem,Dominus benedicat fratrem Leonem. Hæc verba habentur in ſacro conuentu Aſſiſinate manu beati patris ſcripta,vnà cum laude,cuius principium eſt: Tu es ſanctus.

Beatus Leonardus Fulginas obijt Priuerni.

Beatus Lupus vir ſanctiſſimus Burgis apud Minores ſepultus eſt.

Beatus Lucolphus ſumma honeſtate præditus iacet Manderburgij.

Beatus Lucidus venerandæ ſenectutis vir in Piceno tumulatus.

B. Lucas diui patris Antonij Patauini ſocius,atq; vir doctiſſimus Patauij quieſcit.

Beatus Marcus laicus vir humillimus Corneclanij tumulatus.

Beatus Marcus Fantuccius Bononienſis Placentiæ ſepultus.

Beatus Marcuatus miræ perfectionis religioſus iacet Vranslauiæ.

Beatus Martinus Narnienſis ſumma prudentia præditus.

Beatus Martinus Ruizius incredibili religione inſignis quieſcit Toleti.

Beatus Maſſæus, qui viuens miracula fecit, obijt in loco Murri in Piceno.

Beatus Maſſæus Marinianus Aſſiſij ſepultus.

Beatus Matthæus Fauentinus Bononiæ in eccleſia ſancti Franciſci conditus eſt ſignis illuſtris.

Beatus alter Matthæus miraculis inſignis iacet Fulginei.

Beatus Matthæus ſanctitate præclarus ex monte Rubbiano agri Piceni iacet ibidem.

B. itidem Matthæus mira ſanctitate plenus in Nigroponte tumulatus eſt.

B.Etiam Matthæus Baſchius Picens, Venetijs in conuentu ſancti Franciſci de Vinea ſepultus,claret miraculis.

B.etiam Matthæus ſignis perſpicuus quieſcit Narniæ.

B. Michaël à Carcano vir prudentiſſimus.

B. Michaël Albanenſis ſanctitate ſtrenuus Cheroneſij humatus.

B. Michaël,qui aquam in vinum mutauit, iacet Viennæ apud Allobroges.

B. Maximus vir ſanctiſſimus Occaniæ occubuit.

B. Monaldus Arghengæ martyrio coronatus vitam terminauit.

B. Monaldus, qui prædicante beato Antonio de titulo Crucis, vidit beatum Franciſcum ad oſtium capituli, iacet in loco Arelatenſi.

B. alter Monaldus virtutibus clarus ex agro Piceno quieſcit Iuſtinopoli.

B. Moricus Paruulus ac ſocius beati patris Franciſci, qui languore graui laborans in xenodochio Parenteſi propè Aſſiſium,primò Cruciferorum Ordinem profeſſus,deinde ſola tunica contentus pauperem vitam duxit,obijt in Vrbe veteri, inibiq; iacet.

B. Nicolaus, cognomento Pater noſter (nam à quolibet vnum Pater noſter petere ſolitus erat)ſignis clarus obijt Meuaniæ in Vmbria.

B. Nicolaus laicus vir humillimus quieſcit Peruſij.

B. Nicolaus à Bononia vir vtiq; manſuetiſſimus obdormit ibidem.

B. alter Nicolaus miraculis inſignis iacet Miſliæ.

B. Nicolaus Aſſiſinas cuius vitæ ſanctitatem eius miracula teſtantur.

B. Odoricus Forlicienſis vir ſanctus, atq; deuotus, qui Aſiam, & Indiam zelo fidei euangelizando peragrauit, in conuentu Vtinenſi fœliciter obdormiuit in Domino:quique in Patriarchatu Aquileienſi inter ſanctos relatus eſt, & ſanctorum quatuor martyrum corpora, de ciuitate Heroues ad ſuperiorem Indiam in ciuitatem Carram,non ſine ingenti miraculo per mare tranſtulit.

B. Oliuerius Maillardi religione, atq; ſanctitate inſigis.
B. Otho miraculis clarus Polæ ſepultus.
Beatus Otho in ciuitate Alberſtader virtutibus inſignis ſitus eſt.
B. Pacificus Picens primò Poëta ſui æui celebris, Rex verſuum appellatus, atq; à Friderico Imperatore laurea donatus, primus Franciæ Miniſter, virtutibus atq; ſanctitate plenus obdormiuit in Domino.
Beatus Paſchaſius, ſiue Paſchalis Hiſpanus, martyr apud Tartaros in ciuitate Amalech, occubuit.
B. Paulus Picens religione illuſtris ſanctiſſimè quieuit.
B. Paulus, qui viuens miracula fecit, iacet Arquatæ Diœceſis Nurſinæ.
B. Pax Theatinus iacet Caſſiæ in Vmbria.
B. Pelegrinus à Falerono Bononiæ ſtudens, prædicante beato patre Franciſco, conuerſus ad Religionem ibi ſanctè vixit, & glorioſus obijt.
B. Petrus Cathaneus Aſſiſinas B. P. Franciſci diſcipulus, atq; ſocius, qui, relicto ſeculari canonicatu, atq; patrimonio pauperibus diſtributo, Minoribus adiungi voluit, ſanctiſſimamq; vitam duxit, atq; Aſſiſij moriens, in conuentu ſanctæ Mariæ de Portiuncula ſepultus eſt.
B. Petrus à Galliendo obijt Tuderti clarus.
B. Petrus à Regalada Hiſpanus miræ ſanctitatis vir, atq; Regularis Obſeruantię apud Hiſpanos author, virtutibus inſignis ſanctiſſimè quieuit.
B. Petrus Villacretius ſumma religione præditus, atq; præcedentis Magiſter ſanctiſſimè quoq; quieuit.
B. Petrus Podianus vir ex omni parte perfectus.
B. Petrus à monte Vlmi, qui multos ab infirmitatibus curauit, iacet Tuderti.
B. Petrus à Sylua Hiſpanus vir modeſtiſſimus fœliciſſimè vitam terminauit.
B. Petrus à Monticulo iacet in loco Siroli in Piceno.
B. Petrus à Sanctojo Euangelicæ paupertatis zelantiſſimus, miraculisq; illuſtris obdormiuit in Domino.
Beatus Petrus martyr, hæreticæ prauitatis Inquiſitor ab hæreticis occiſus, Valentiæ ſepultus eſt.
B. alter Petrus miraculis celebris iacet Trani.
B. Petrus miræ perfectionis, & ſanctitatis obijt in Nigroponte.
B. Petrus Calaber vir modeſtiſſimus apud ſuos Calabros ſarcina carnis ſolutus eſt.
B. Petrus à Podio Agni Piceni, qui multa fecit miracula, iacet Interamnę non longè ab Aſculo.
Beatus Petrus vir vtiq; omnibus ſuis numeris abſolutus apud Brabantos obdormiuit in Domino.
B. Petrus Senenſis in Tanna Saracenorum vrbe martyrio coronatus.
B. Petrus Nicolaus Factor Valentinus ante, & poſt obitam mortem miraculis clarus, migrauit è vita anno 1583. ſepultusq; fuit Valentiæ in monaſterio S. Marię à Ieſu.
B. Philippus longus beati patris Franciſci ſocius ſanctiſſimè quieuit.
B. Philippus de Aquerijs Aquenſis magnis & crebris miraculis claret Neapoli in eccleſia ſanctæ Claræ.
Beatus Philippus laicus, qui multa fecit ſigna, quieſcit clarus in monte Ilcino Prouinciæ Tuſciæ.
B. Pontius Carbonellus, ſancti Ludouici præceptor, iacet glorioſus Barcinonis.
B: Produs vir humilis, atq; modeſtus glorioſus occubuit.
B. Raymundus ex Prouincia occubuit Amalech Tartarorum martyrio coronatus.
B. Raymundus, ab hæreticis ob Chriſti fidem occiſus, iacet Toloſæ.
B. Rainerius laicus miraculis clarus, & miræ deuotionis vir, qui infirmos plurimos ſuis precibus curauit, iacet in Burgo ſancti Sepulchri.
B. Raynaldus Reatinus quieſcit in Compatrio.
B. Raphaël Teutonicus Mirandulæ tumulatus.
B. Rizerius à Mutina. B. P. Franciſci ſocius, & miraculis ornatus.

B. Rigaldus vir vtiq; admirabilis Aureliaci humatus.
B. Richardus, qui multos ægrotos ſanauit, iacet Calataieroni in Sicilia.
B. Rodulphus vir deuotus quieſcit in loco ſancti Odomari apud Belgas.
B. Relandinus à Florentia miraculis illuſtris ante & poſt mortem.
B. Rogerius, quem Gregorius IX. verè ſanctum appellauit, & eius memoriam apud Tudertum celebrari præcepit, iacet Tuderti.
B. Ruffinus Sipij Aſſiſinas beatæ Claræ conſanguineus, orationis & contemplationis prerogatiua ſublimis.
B. Saluator laicus Cathalanus miraculis clarus.
B. Sanctus ſanctitate vtiq; inſignis obdormiuit Villæ Franchæ.
B. Sabbatinus, ſocius B. P. Franciſci ſanctiſſimus, requieſcit Romæ in conuentu Aracœlitano.
B. Sanctus pœnitentiæ amantiſſimus Scotaneti ſitus eſt.
B. Segrianus qui viuens, & mortuus miracula fecit.
B. Senſus laicus vir humillimus Peruſij tumulatus.
B. Seuerinus maxima modeſtia præditus.
B. Silueſter Aſſiſinas ſocius B.P. Franciſci, vir ſimplex, & miræ perfectionis, iacet Aſſiſij in eccleſia beati patris.
B. Simon Armenius, qui miracula viuens, & mortuus fecit iacet Meſſanę.
B. Simon à Campo Regali virtutibus illuſtris Ternij tumulatus.
B. Simon Aſſiſinas, cuius vita fuit ſpeculum ſanctitatis, & virtutis.
Beatus Simon ex Collazono iacet Spoleti, qui multa ſigna oſtendit, & maxima ſanctitate claruit.
B. Simon vir vtiq; doctiſſimus iacet Manderburgij.
B. Simon à Torſiano obdormit Ameriæ miraculis clarus.
B. Simon Turoniæ Miniſter, in cuius ore ſpiritus ſanctus in columbæ ſpecie viſus eſt, requieſcit Pictauij apud Turones.
Beatus Sigiſmundus, ſanctitate, & miraculis inſignis, obijt in ſylua Melphitana apud Apulos.
B. Soldanerius, qui moribus atq; doctrina fulſit, Viterbij ſitus eſt.
B. Staniſlaus, altæ contemplationis, & ſanctitatis vir, in Domino quieuit.
B. Stephanus Aquitanus, hæreticæ prauitati inquiſitor, Toloſæ ab hæreticis occiſus, corona martyrij meruit ſublimari.
Beatus Stephanus Vngarus, in ciuitate Sarraim Tartarorum martyrio affectus, in cœlum euolauit.
B. Tartericus, vir ex omni parte perfectus, Auguſtę Vindelicorum ſepulturam adeptus eſt.
B. Theobaldus Aſſiſinas iacet in ciuitate Hortenſi.
B. alter Theobaldus glorioſus iacet Spoleti.
B. Theodoricus humilitate inſignis Aldenardi apud Belgas ſepultus eſt.
B. Theodoricus Saxo, prudentia ſingulari præditus, Miſniæ tumulatus.
B. Thomas miræ ſanctitatis vir iacet Eugubij.
B. Thomas Fulginas martyrij palmam Bidinij apud Bulgaros aſſequutus eſt.
B. Thomas Hibernicus, qui religionis cauſa pollicem ſibi amputauit, ne ad celebrandum cogneretur, miraculis claret Aquilæ.
B. Thomas Tolentinas in Tanna Saracenorum ciuitate martyrio laureatus eſt.
B. Tobias, prophetico ſpiritu plenus, iacet Procenij in Prouincia Romana.
B. Valentinus Narnienſis multis clarus miraculis.
B. Venantius laicus vir ſanctiſſimus Pariſijs humatus.
B. Ventura, paupertatis amator, atq; charitate plenus, iacet Peruſij.
B. Vincentius laicus, ſumma humilitate pręditus, in eccleſia ſancti Iuliani prope Aquilam ſepultus eſt.
B. Voiſlaus in Pruſſia, martyrij palmam conſequutus, migrauit ad aſtra.

Secundi, atq; Tertij Ordinis ſancti Patris Franciſci beatæ.

B. AGNES ab Aſſiſio beatæ Claræ ſoror vitæ ſanctitate illuſtris.

B. Agnes Bohema Orechij Bohemiæ Regis filia, Friderico ſecundo Germanorum Imperatori nupta, iacet apud Pragam miraculis clara.

B. Blancha Philippi Pulchri Francorum Regis primogenita.

B. Catharina Bononienſis, cuius corpus incorruptum perſeuerat, in eccleſia corporis Chriſti Bononiæ.

B. Clara ex Monte Falchio, ſignis illuſtris, iacet ibidem.

B. Clara à Viterbio virgo prudentiſſima.

B. Clara Mantuana honeſtiſſima.

B. Coleta Rodulphi Imperatoris filia.

B. Conſtantia Friderici Imperatoris neptis, atq; Petri Aragonum Regis vxor.

B. Eliſabetha Oſorio ſumma honeſtate prędita.

B. Eleonora Quinnionia tum ſanguine, tum quoq; virtutibus clara.

B. Franciſca à Contreras præcedenti per omnia ſimillima

B. Helena Paduana iacet Patauij miraculis ornata.

B. Hortulana Aſſiſinas beatarum Claræ, atq; Agnetis ſororum mater pientiſſima, vitæq; ſanctitate celebris.

B. Humiliana nobilis Florentina ex Circulorum familia ſignis illuſtris.

B. Ioanna Rodriguez profundiſſima humilitate inſignis.

B. Ioanna à Cruce maxima in Deum pietate honeſtata.

B. Maria à Toleto natalibus, atq; virtutibus illuſtriſſima.

B. Maria à Mendoza eiſdem dotibus exornata.

B. Marianna profundiſſima humilitate dotata.

B. Magdalena à ſancto Antonio virgo deuotiſſima.

B. Margarita à Cortonio magnis, illuſtribusq; miraculis celeberrima.

B. Melchiades virtutibus clariſſima.

B. Michelina Piſaurenſis, quę multis adhuc Piſauri fulget miraculis.

B. Philippa à Sotto maior mira modeſtia, atq; humilitate exornata.

B. Roſa Viterbienſis, quæ Viterbij iacet, coruſcatq; miraculis.

B. Salomè Poloniæ Regis filia, atq; deuotiſſima.

B. Sanchia Ruperti Neapolitanorum Regis vxor, poſt obitum ſanctę Claræ habitum induit, et vitæ ſanctitate profecit.

B. Vrſula à Conceptione ſui ſtatus zelantiſſima.

B. Ziugua B. Eliſabethæ ſoror germana, quæ viuens, & mortua miraculis claruit.

B. Angela à Fulgineo contemplationi deditiſſima, quę per duodecim continuos annos nihil cibi admiſit, ſed ſacra tantum Euchariſtia contenta fuit.

B. Apollonia Bononienſis, in pauperes omnino benefica, atq; pia miraculis inſignis, iacet Bononiæ in conuentu ſanctiſſimæ Annunciationis.

Beata Blancha Franciæ Regina, atque ſancti Ludouici Francorum Regis mater, miraculis celebris.

B. Eliſabetha Romanorum Imperatrix, Caroli eius nominis IIII. Francorum Regis, & Germanorum Imperatoris vxor, miraculis copioſa.

B. Beatrix à Ruſconibus Mediolanenſis miraculis copioſa iacet in eccleſia ſancti Angeli, Mediolani.

B. Bona Mulier à Podio Bonitio B. Lucheſij vxor virtutibus inſignis.

B. Mea Senenſis virtutibus illuſtris.

B. Paſqualina à Fulgineo miraculis celebris.

Beati ex tertio B. P. Franciſci Ordine.

B. ALEXANDER à Peruſio inſigni pietate præditus

B. Bonitius Volaterranus miraculis clarus.

B. Bartholus à ſancto Geminiano vir ſanctiſſimus.
B. Carolus à monte Feltrio virtutibus inſignis.
B. Gualterus Epiſcopus Taruiſinus miraculis celebris.
B. Iacobus à Laude Pompeia ſacerdos miraculis corruſcauit.
B. Ioannes Vrbinas vir integerrimus, atq; virtutibus illuſtris.
B. Ioannes Rauennas plura miracula edidit.
B. Lucheſius à Podiobonitio Hetruſcus miraculis copioſus, cuius corpus in Minoritico conuentu montis Imperialis prope Podium bonitium ſepultum eſt.
B. Lucius primus inter pœnitentes Tertiarios miraculis clarus.
Beatus Landonus à monte Feltrio in maxima veneratione, ob virtutes quas operabatur, habitus.
B. Nicoluccius Senenſis vir integerrimus, atq; miraculis corruſcans.
B. Petrus Romanus, ſub Soldano ob Chriſti fidem, martyrio coronatus.
B. Petrus Petinarius Senenſis vitæ ſanctitate illuſtris.
B. Petrus à Colle præcedenti per omnia ſimilis.
B. Robertus Ariminenſium Dominus natalibus, atq; miraculis illuſtris.
B. Richardus Foſſambrunenſis Epiſcopus, virq; ſanctiſſimus.
B. Thomaſinus vir ſtrenuæ ſanctitatis, qui dum oraret in die omnium ſanctorum, ab ortu ſolis vſq; ad eius occaſum, factus eſt in extaſi.
B. Torellus Puppianus vir omnibus ſuis numeris abſolutus.

Sacri Ordinis Minorum martyres, diuerſis in partibus hoc noſtro æuo, ob Chriſti fidem paſſi, & primò quidem in Prouincia Franciæ.

B. PATER Dionyſius Pontanus ſeptuagenarius in Prouincia Franciæ, anno 1563. vtroq; oculo ab hęreticis orbatus, ac plurimis tormentis afflictus, obdormiuit in Domino.

B. pater Nicolaus à Lotharingia ibidem, dum verbum Dei populo proponeret, lingua è ceruice extracta, in confeſſione veræ fidei ſpiritum emiſit.

B. pater Ludouicus Grippius ibidem, manuali tormento in ore ab hęretico diploſo, martyr occubuit.

Beatus pater Petrus Pichet ibidem, eadem hęreticorum rabie graſſante, martyrij palmam obtinuit.

Beatus pater Petrus Hoës Prædicator, hæreticorum gladijs trucidatus, martyrium conſummauit.

B. pater Ioannes Benedictus ibidem, in forum adductus, ſublimiq; trabi ſuſpenſus, in gyrum circum Crucem illudentibus hæreticis, ſpiritum glorioſè emiſit.

In Prouincia Franciæ Pariſinæ.

B. PATER Nicolaus Trieti in conuentu pietatis, tormenti ictu, martyrium illuſtre ſubijt.

Beatus pater Ioannes Liot ſacerdos, & octogenarius ſub ijſdem martyrij agonem conſummauit.

B. pater Oliuerius Iulianus ferè ſeptuagenarius eadem in Prouincia, in Romanæ Eccleſiæ confeſſione, varijs excruciatus tormentis, martyrij curſum abſoluit.

B. pater Ioannes Bruſo ab hæreticis manuali tormento occiſus.

B. pater Dominicus Godar in conuentu Sagienſi, in quo & præcedens, martyrij palmam obtinuit.

B. ſoror Ioanna parua in conuentu Maritaniæ eiusdem Prouincię, plumbeis ſpherulis occiſa, migrauit ad ſponſum.

In Prouincia Turoniæ Pictauienſis.

B. PATER Petrus Odius in conuentu Radulphiorum Prouinciæ Turoniæ Pictauienſis, ſub impijſſimis hæreticis, animam Creatori reddidit.

B. pater Iulianus Gileer in conuentu Roſarum eiuſdem Prouinciæ ab ijſdem, ob fidei conſtantiam, crudeliſſimè necatus eſt.

B. pater Ioannes Giuidrius ſacerdos inclytus eadem morte occubuit.

B. pater Rodulphus Giamet ſacerdos in conuentu Magdunenſi, ob eandem cauſam, ab hæreticis martyrio coronatus eſt.

B. pater Ioannes à Luſia ſenio confectus, in conuentu Pulgerij eiuſdem Prouinciæ ab hæreticis iu gulatus, ad cœleſtia Regna migrauit.

In Prouincia Turoniæ.

B. PATER Petrus Coſetus ab hæreticis captus, paloq; alligatus, tormentorum ictibus ad martyrij palmam peruenit.

B. Pater Gulielmus Cunctiuius in cœnobio Salmutij martyr euaſit.

In Prouincia ſancti Bonauenturæ.

B. PATER Iacobus Garæ conuentus ſancti Bonauenturæ Lugdunenſis Guardianus, per tres menſes pane tantùm & aqua ſuſtentatus, vltimò brachijs confractis, præceps in Rodanum fluuium deijcitur.

B. pater Paulus Vaſcellator omnem hæreticorum crudelitatem expertus, tormento in eius os exploſo, ęternam requiem conſequutus eſt.

Alij duo beati patres naribus, labijs, atq; auribus abſciſſis, erutiſq; oculis, ac multis tormentorum ictibus laniati glorioriofo martyrio coronati ſunt.

Quædam eiuſdem Prouinciæ monacha, cùm in hæreticorum manus incidiſſet, multis gladijs, ac tormentis, adeò fuit expauefacta, vt ex omnibus eius corporis partibus ſanguis effluxerit, ac ſic glorioſa ad ſponſum peruenerit.

In Prouincia Aquitaniæ Reformatorum.

B. PATER Guardianus conuentus Vauri ab impijſſimis hæreticis pro Chriſto occiſus.

B. Gerardus Molmerius ſimul cum decem alijs patribus, ac fratribus, per hæreticorum manus, glorioſè fatis interiêre.

Diuerſis alijs in Franciæ partibus.

B. PATER Andreas Montanus quinquaginta quinq; annos natus, in Baioſenſis Prouincia ob Chriſti fidem, ab hæreticis occiſus eſt.

B. Frater Petrus 25. annorum, ab hæreticis plumbeis glandibus ictus, martyrio ibidem coronatus fuit.

B. pater Andreas Guez ex conuentu Bernacenſi ab hæreticis tractus, gladioq; ſauciatus, nec non & à ferociſſimo equo per loca deuia, carduiſq; plœna ad duo milliaria raptatus, animam cœlo reddidit.

B. pater Gulielmus Souchier, in conuentu Gallonienſi ab hæreticis, dum ipſorum impietatem conſtanter incuſaret, gladijs confoditur.

B. pater Petrus Gofet venerandæ ſenectutis vir, anno Domini. 1563. ab hæreticis in Giriaco ex arce ſuſpenditur.

B. pater Gulielmus Montanus ibidem, laqueo ad ijſdem hæreticis iniecto, vitam glorioſè finiuit.

B. pater Iulianus à Maigneu ab ijſdem eodem in loco vita priuatur.

B. pater Ioannes Bunius ab ipſiſmet hæreticis crudeliſſimè pro Chriſti cõfeſſione martyrio ibidem, anno Domini. 1563. coronatus eſt.

B. pater Ioannes à Mer diaconus, manibus, maxillis, nariburſq; ad hæreticis ſibi præciſis, ac in rapidum flumen proiectus, ibidem tormentorum glandibus confoſſus, Chriſti martyr euaſit.

B. pater

B.pater Gentianus Cordier in conuentu Belliaco, anno 1562. hæreticorum gladijs transfigitur.

B. pater Aegidius Cottereau ab ijſdem in flumen mergitur.

B. pater Gulielmus Bourgugne ſub ijſdem manibus vitam terminauit.

B. pater Gratianus Moyſant eodem mortis genere è viuis ſublatus eſt.

B. pater Clemens Galloys, varijs tormentis eodem tempore ab hæreticis exagitatus, huic ſæculo vale dixit.

B. pater Franciſcus Durdaniæ, anno Domini 1564. in conuentu ſancti Martini Telliaci, cum eſſet eius loci Guardianus, ab hæreticis truculentiſſimè occiſus.

B. pater Ioannes Tixier eiuſdem quoq; conuentus Guardianus, poſt elapſum quinquennium, ab ijſdem ibidem opprimitur.

B.pater Franciſcus Butault, plumbeis globulis in eum ab hæreticis vi tormentorum proiectis, martyrij palmam adeptus eſt.

B. pater Ioannes Hiroleau, in Angoulemenſium oppido, cùm eſſet illius conuentus Lector, præciſis ab hæreticis virilibus, vitam æternam aſſequutus eſt.

B. pater Ioannes Aprilis octogenarius, bipenne ibidem in capite ab ijſdem percuſſus, animam exhalauit.

B. pater Michaël Grillet eiuſdem loci Guardianus, apud Dominicanos ex arbore ab hæreticis ſuſpenſus, aſtra petijt.

B. pater Petrus Boonneau ibidem quoque, ex alia arbore ab ijſdem ſuſpenſus, vitam glorioſè terminauit.

B. pater Gulielmus Benac Buricenſis Guardianus apud Aquitanos, in vmbilico hęretico gladio transfixus, ad aſtra euolauit.

B. pater Bernardinus à Molmerio conuentus ſancti Antonij in Aquitania Guardianus, capite ad humeros vſque per hæreticos ſciſſo, martyrij palmam promeruit.

B. pater Ioannes Tougne ex conuentu Mirabello, anno 1568. innumeris vulneribus pro orthodoxa fide ad hæreticis occiſus eſt.

B. pater Nicolaus Clementeau ibidem, ab hæreticis extra ciuitatis mœnia factus, atq; ex arbore ſuſpenſus, ab ijſdem ferreis globulis tranſuerberatur.

B. pater Ioannes Beouoiſin, ſiue Bellouacenſis monialium Confeſſarius, ab hæreticis occiſus, atq; in flumen Ligerim proiectus eſt.

B.pater Ludouicus omnino decrepitus ab impijſſimo quodam Stephano Martini hęretico in Bononienſi Diœceſi occiſus.

B.pater Balthaſar in conuentu Nemetenſi apud montem Peſſulanum ab hæreticis in puteū iacitur, indeq; extractus, ab ijsdem ad animę vſq; efflationem excarnificatus eſt.

B. pater Ioannes Couſetus præcedentis conſobrinus pugionis ictu pectore tranſfoſſus eſt.

B. quidam frater laicus eodem prorſus in loco, ab ijſdem hæreticis iteratis gladij ictibus percuſſus, animam cœlo reddidit.

B. pater Bernardinus à Turga in conuentu S. Macharij apud Aquitanos anno 1565. ſub eorundem manibus martyrij palmam aſſequutus eſt.

B.pater Bernardinus de Alencho idem mortis genus ſubijt.

B. pater Bernardus Geneſius laicus profeſſus, in confeſſione catholica perſeuerans, poſt multa tormenta in Garumnam flumen ab hęreticis demerſus, vitam beatā poſſidet.

In Prouincia Germaniæ inferioris apud Belgas.

B. PATER Cornelius Diſtemienſis monialium Confeſſarius &
B. pater Ioannes à Nardis ſacerdos, &
B. pater Ludouicus Votes inſignis Prædicator, &
B. frater Adrianus Gandenſis laicus profeſſus, &
B. frater Engelbertus Terburchenſis quoq; laicus, &
B. pater Daniel Aredon Alchmarienſis Guardianus, ſub impijſſimo Principe Auriaco, pro conſtanti Ieſu Chriſti confeſſione 23. Iunij anno Domini 1572. in oppido Encuſiæ iugulati ſunt.

B. pater

B. pater Nicolaus Pichius Gorcomienſis Guardianus, &
B. pater Hieronymus Vuertenſis eius Vicarius, &
B. pater Guilaldus Danus ſacerdos, & octogenarius, &
B. pater Nicaſius Heſius vir vtiq; doctiſſimus, &
B. pater Theodoricus Eindemus ſacerdos, &
B. pater Antonius Hormaër prædicator, &
B. pater Godefridus Meruel quoque prædicator, &
B. pater Franciſcus Bruxellenſis itidem concionator, &
B. frater Petrus ab Aſcha laicus profeſſus, &
B. frater Cornelius Tertiarius ſiue familiaris, Gorcomij ab hęreticis capti, atq; Brilã deducti, 7. Iulij eiuſdem anni 1572. pro fide catholica, ſub præfato Principe Auriaco, martyres euaſerunt.

B. pater Gulielmus à Gouda in ciuitate montis ſanctæ Gertrudis 4. ſeptembris, anno 1572. pro Chriſti nomine, martyr efficitur.

B. frater Ioannes ex Amſtelrodamo oriundus, atq; diaconus, dum ad ſuum Dieſtenſe collegium reuertitur, in itinere, anno Domini 1579. martyr occubuit.

B. pater Ioannes Puteanus Louanium relinquens, vt Thenas ſe conferret, anno quoque 1579. ab hæreticis in via necatur.

B. pater Ioannes Gray Scotus, ac ſeptuagenarius, in monaſterio Minorum Bruxellenſi, ab hæreticis, anno eodem captus martyr ante Euchariſtiæ ſacramentum euadit.

B. frater Iacobus Scurremans, dum cum obedientiæ merito Ruremundam tenderet, in via per hæreticorum manus martyr obdormiuit in Domino.

In Prouincia Flandriæ apud eoſdem Belgas.

B. PATER cognomento Pius conuentus Minoritici Athenſis Vicarius, dum Atho Gandauũ ad Miniſtrũ properat, in via ab hæreticis martyrio coronatur.

B. pater Gulielmus Holſt, inter medios fines Gandenſium, atq; Brugarum, per hæreticorum manus interijt martyr coronatus.

B. pater Ioannes Pennemans, dum peracta concione in inſula Scluſenſi ad Scluſenſem conuentum reuertitur, ab hæreticis iugulatur.

B. pater Andreas de la Dick Dixmudę ab hęreticis, ob fidei cauſam, morte affectus eſt.

His tamen & plures alij annumerari poſſent, ſi eorum nomina non ignorarentur.

In Anglia.

B. PATER Hugo Rieheus Cantuarienſis Guardianus, & P. F. Richardus Riſbeus Richinotenſis Guardianus, ex Henrici eius nominis VIII. Angliæ Regis præcepto, anno Domini 1534. pro Chriſti nomine occiſi ſunt.

B. pater Antonius Brorbeus doctiſſimus, anno Domini 1538. de eiuſdem Regis mandato variè afflictus, atque cingulo quo cingebatur ſtrangulatus, ob defenſionem Chriſtianæ fidei, fuit.

B. pater Thomas Cortus inſignis Prędicator, pro fide catholica, eodem anno occiſus.

B. frater Ioannes Foreſtus, eò quòd Reginæ Anglorum Catharinæ à confeſſionibus fuiſſet, & reliquis confidentius reſtitiſſe Regis Henrici Primatui Eccleſiæ Anglicanę dicebatur, Londini in campo Fabro ad furcas duas duabus catenis ad brachia colligatis attollebatur, ſuppoſitoq; lento ad pedes igne, miſerabili ſpectaculo, ad mortem vſque crudeliſſimè torrebatur. In cuius etiam maiorem contumeliam, imaginem quandam, ſiue ſtatuam ligneam ex Vualia allatam, eò quòd nimio populi concurſu celebrari dicebatur, vnà cum illo impijſſimus Rex comburendam curauit anno 1538.

Beati alij triginta dico patres, qui carceribus, ob fidem catholicam, præfati Henrici Regis iuſſu mancipati erant, famis, frigoriſq; aſperitatem non ferentes, dies ſuos glorioſè in ipſo captiuitatis loco finiuerunt.

In

In Hibernia.

B. PATER Patritius Hælius Epiſcopus Mianoënſis, &
B. pater Connacius à Ruuerche eius ſocius, atq; ſacerdos, in Hibernia ſub Gulielmo Dari equite, ac Regni Hiberniç Prorege, in ciuitate Limirenſi pro fide catholica illuſtre martyrium ſubiêre.

Apud Indos Occidentales.

B. PATER Bernardus Coſin Gallus primus omnium à Chichimecis, qui Indi gentiles ſunt, illuſtri martyrio coronatus fuit.
B. pater Ioannes à Tapia ab Indis Guachichillis, anno Domini 1556. pro Chriſti fide occiſus eſt.
B. pater Ioannes Clauſus, Capotiani conuentus apud Indos Guardianus, ad Zacatecas Indos gentiles, vt eos conuerteret, pertranſiens, ab ijſdem ſagittis confoſſus eſt.
B. pater Ludouicus Villalupus ab Indis Chichimecis, ob fidei prædicationem anno 1582. occiſus fuit.
B. pater Ioannes à ſancta Maria Cathalanus, &
B. pater Franciſcus Lopetius, ambo ſacerdotes, &
B. frater Auguſtinus laicus profeſſus, anno Domini 1580. ob fidei confeſſionem, à barbaris, varijs tormentorum ſupplicijs necati ſunt.
B. pater Ioannes à Padilia ſub ijſdem, atq; ob eandem cauſam, anno Domini 1539. martyr euaſit.
B. pater Ioannes Calerus aliàs de Spirituſancto, per Indorum manus anno 1541. martyrij palmam adeptus eſt.
B. pater Antonius à Cuellar cuiuſdam conuentus Guardianus, dum à prædicatione reuertitur, ſagittis ab illis barbaris tranſuerberatur.
B. pater Frãciſcus Laurentius ab ijſdẽ Infidelibus, ob Chriſti fidem, telis confoditur,
B. pater Paulus de Azeuedo Luſitanus idem mortis genus, eadem prorſus de cauſa ab ijſdem ſuſtulit.
B. frater Ioannes ab Herrera laicus non diſſimili modo ſecum occubuit.
B. pater Franciſcus Donzelus Guardianus, atq;
B. pater Petrus Burgenſis eius ſocius, ſub Indis Chichimecis poſt plurima perpeſſa tormenta, Chriſti martyres euaſêre.
B. quidam pater ſenior atq; ſacerdos, &
B. quidam alter frater iuuenis clericus, eiuſq; ſocius, anno Domini 1555. ſub ijſdem Chichimecis Indis, pro catholicæ fidei defenſione glorioſiſſimè occubuêre.

Apud Indos Orientales.

B. PATER Melchior Vlyſſiponenſis Cuſtodiæ S. Thomæ Cuſtos, Iafanapatani barbarorum ſagittis, ob fidei prędicationem, confoditur.
B. pater Franciſcus ſacerdos Manicis, quæ Caphrorum patria eſt, à gentilibus, ea quoq; de cauſa, occiſus eſt.
B. pater Stephan' ſacerdos Cochimũ adnauigãs, à barbaris Malauarib' opprimitur.
B. pater Martinus Guardienſis etiam ſacerdos, capite truncatus, ſub ijſdem Malauaribus, martyr euaſit.
B. pater Ioannes Eluaſius Cochimij Guardianus, &
B. pater Sixtus ſacerdos à Malauaribus quoq;, quibus Chriſtiana fides odioſiſſima eſt, in mari opprimuntur.
B. frater Ioannes cleric' ab ijſdẽ Malauaribus, ob fidei cõfeſſionẽ, in mari occiditur.
B. frater Antonius laicus profeſſus, in Chaulica obſidione gentiliũ, gladijs occubuit.
Beati duo patres quorum nomina ignorantur, in Zeilamica inſula à gentilibus, ob fidei cauſam, occiſi ſunt.

Alij quoq; duo beati patres, quorum etiam propria nomina me latent, à Malauaribus quoq; Indis occiſi, vitam glorioſè terminarunt.

Sunt & plures alij beati martyres, quorum meminit Franciſcanæ hiſtoriæ author, reuerendiſſimus videlicet pater frater Marcus Vlyſſiponenſis Portuenſis Epiſcopus, ideoq; eos ſilentio petranſeundos cenſui.

De Ordinis Minoritici munijs, eorumq; auctoritate, deq; ijs, quæ mediatè, autimmediatè Generali Miniſtro ſubſunt.

HIC igitur ſeraphicus Ordo tot martyribus, beatis, ſanctis, viris doctis atq; Eccleſiaſtica dignitate celeberrimis omnino illuſtris, ne aliqua ex parte imperfectus videretur, diuerſis etiam munijs eius gubernationem concernētibus exornatur. Generalatus videlicet, Generalis Commiſſariatus, Prouincialatus, Cuſtodiatus, Guardianatus, et alijs quamplurimis: quæ tamen quòd non ita magni ſint momenti, prætereunda iudicaui. Generalatus quidem, vt vniuerſi eius fratres, atq; ſorores vnum ex ſe ipſis habeant, cui in omnibus, & per omnia pareant, ſubiectiq; ſint quiq; totius Franciſcanæ nauis clauum gubernet dirigatq;. Generalis Commiſſariatus vt altera familia, Vltramontana ſcilicet, aut Citramontana, quando Generalis Miniſteriatus penes alteram eſſe contigerit, iuxta Leonis X. Pont. max. decretum, (de quo ſupra) proximum prælatum habeat, qui Generalis Miniſtri apud eam vices gerat, quiq; eadem auctoritate, (niſi ſibi ab ipſo reſtricta, coarctataq; ſit) qua et ille, polleat. Prouincialatus, ſiue Prouincialis Miniſteriatus, ne Prouinciæ acephalæ videantur, ſed vt ab vno proximoq; capite fœlicius regantur. Cuſtodiatus, vt is, qui ea dignitate inſignitus fuerit, vel Prouincialis munere ſi immediatè, vt Terrę ſanctæ vel Albaniæ Cuſtos, patri Generali ſubſit, fungatur: vel vt conuentibus ſibi commiſſis, ſub Miniſtri tamen correctione, (de Cuſtodijs Prouincialibus Miniſtris omnino ſubiectis, non autem de ijs, quæ ad Patres Reformatos ſpectant, ſit ſermo) diligentius præſit. Sed Guardianatus, vt cuilibet conuentui ſuperior, qui rei benè gerendæ intendat, proprius, præſens atq; immediatus ſit. Ex ijs tamen, quæ ad Franciſcanam œconomiam attinent, quædam mediatè quædam verò immediatè totius Ordinis patri Generali ſubſunt. Huius vltimi generis ſunt Terræ ſanctę Cuſtodia, Aracœlitanus conuentus, almum Pariſienſe cœnobium, tria Neapolitana monialium monaſteria, videlicet ſanctæ Claræ, ſanctæ Mariæ Magdalenæ, atq; ſanctæ Mariæ Aegyptiacæ, Sacroſanctæ eccleſiæ Lateranenſis Pœnitentiaria, atq; Madritenſis pauperum Clariſſarum de prima Regula conuentus. Hæc quidem ita Generali Miniſtro parent, vt nullam alicuius Miniſtri Prouincialis viſitationem, aut correctionem, niſi vel ipſius Generalis, vel eius, quem ille ſpecialiter deſtinauerit, admittant. Cœtera verò omnia, licet præfati Generalis Miniſtri dictis audiant, peculiaribus tamen Prouincialibus Miniſtris ſubſunt, obediuntq;. His itaq; vtcunq; prælibatis, reliquum eſt, vt de ijs, quæ Generali Miniſtro immediatè ſubduntur, & primò quidem de Terræ ſanctæ locis ſiue Cuſtodia, quæ iure optimo principem locum obtinet, agamus; ac tum demùm ad ſingulas Citramontanæ familiæ Prouincias deueniamus.

Terræ ſancta loca ſiue Cuſtodia.

PLVRIMA haud dubiè de locis Terræ ſanctæ, in qua Deus opt. max. pro ſua tantùm infinita miſericordia atq; miſeratione, nullis penitus noſtris meritis id exigentibus, humanam ſalutem operari dignatus eſt, in medium afferre poſſemus, ſi fratribus noſtris ea petentibus frequentior cum Turcis conſuetudo eſſet, ſiq; longiorem in illis moram traherent. Sed ea eſt etiam, ab his difficultatibus, fratrum incuria, atq; ſupina negligentia, quibus rerum notabilium prætermiſſio religio eſt, vt deficientibus nobis tum ſeniorum fideli, indubiaq; traditione, tum quoq; monumentis, ea ſilentio prætерire cogamur quæ notatu digniſſima ſunt. Quapropter non parum fecerimus ſi ea, quæ curioſorum eò accedentium oculis ſeſe offerunt, retulerimus. Habet igitur ſacra

noſtra Religio Hieroſolymis quatuor præcipua loca ſeu monaſteria, videlicet montem Sion, Bethlehē, ſacroſanctū Reparatoris Chriſti ſepulchrū, ac itidē glorioſæ Virg. Marię ſepulchrum in valle Ioſaphat: quę ante ducentos viginti ſex annos, à fratribus noſtris, bona fide, ac pacificè poſſeſſa, occupataq; ſunt. Qua de iuſta poſſeſſione extat in ſacri montis Sion archiuis bulla, qua habetur, quòd dominus Ioannes Gradenſis Patriarcha, qui & Hieroſolymitanus quoq; Patriarcha fuit, à Martino V. Pont. max. delegatus Commiſſarius, poſt irrefragabilia multorum omni exceptione maiorum teſtimonia, contra Ordinis noſtri ęmulos, ac cōtradictores tulit ſententiā in eccleſia cathedrali ſancti Petri Mantuanæ ciuitatis, anno Dñi 1420. in fratrū Minorum fauorem pronunciando, ſententiando, & diffiniendo; quòd quatuor præfata monaſteria pleno, optimoq; iure ad Ordinem noſtrum ſpectabant & pertinebant. Quòdq; etiam præſcriptionis iure noſtra erant: eò quòd fratres iam ante ſexaginta annos ea nullo penitus refragante, bona fide poſſediſſent. Quam quidem ſententiam, vt plenius ex præfata bulla apud fratres aſſeruata conſtat, prędictus Martinus V. omnes defectus, ſi qui fortè interueniſſent, ſupplendo confirmauit, ratāq; habuit. Poſſidemus itaq; pacifice præmemorata illa quatuor monaſteria. Primò Sedis Apoſtolicæ, de cuius auctoritate non eſt penitus ambigendum, conceſſione. Secundò præſcriptionis iure: Nam cum quadraginta annorum poſſeſſio, bona fide habita, plenum ius poſſidenti tribuat, vt habetur l. ad aures C. de Præſcriptionibus, multò magis poſſeſſio 220. annorum id confert. Tertiò ratione ſententiæ à Papæ Delegato latæ, quæ maximæ auctoritatis, maximèq; authentica eſt. Nam vt ex l. ſanè C. de officio Delegati, atq; ex c. vltimo diſt. 93. liquidò edocemur, Delegatus vicē Delegātis gerit, & ſi Pontificius ſit, eodem honore, quo ſummus ipſe Pontifex inſigniendus venit. Ex præfatis Terræ ſanctæ monaſterijs, tanquam ex equo Troiano, permulti emerſerunt fratres, qui vitam cùm doctrina pariter copulantes, multum frugis in Dominicum horreum aduexerunt: quorum nomina vti credere pium eſt, in libro vitæ ſcripta ſunt. Quod pleriq; ſummi Pontifices conſiderantes, plurima priuilegia (vt inferius patebit) cùm reuerendo patri Guardiano montis Sion, tum eius fratribus, in orthodoxæ fidei fauorem, contulerunt. Inter quos fuere Alexander IIII. Calixtus III. Clem. V. Eugenius IIII. Gregorius XI. Innocentius IIII. Innocentius VI. Ioannes XXII. Martinus V. Nicolaus V. Sixtus IIII. & Vrbanus V. quorum bullæ cum authentico originali aſſeruantur in archiuis ſacri montis Sion.

Primum priuilegium. Abſoluere poſſunt fratres, ex Eugenij IIII. facultate à quibuſcunq; caſibus, et excommunicationibus, ab apoſtaſia, ab infidelitate, à ſchiſmate, et ab omnibus peccatis, præterquàm à falſificatione Apoſtolicarum literarum.

Secundum priuilegium. Baptizare poſſunt fratres, ex Clemente V. Innocentio V. & Ioanne XXII. in locis infidelium, & diſpenſare.

Tertium priuilegium. Confiteri poſſunt fratres, ex Calixto III. ſacerdotibus ſæcularibus in abſentia fratrum.

Quartum priuilegium. Diſpenſare poſſunt, ex Clem. V. Innoc. IIII. Ioan. XXII. & Gregorio XI. cum irregularibus.

Quintum priuilegium. Fratres diſpēſare poſſunt, ex Clem. V. Innoc. IIII. Ioan. XXII. & Greg. XI. in 12. caſibus diſpenſatione indigentibus.

Sextum Priuilegium. Poſſunt expellere Chriſtianos male viuentes per cenſuram Eccleſiaſticam, ex Clem. V. Inno. IIII. et Ioan. XXII.

Septimum priuilegium. Poſſunt recipere noua loca in partibus Orientis, ex Greg. IX. Inno. IIII. Clem. V. & Ioann. XXII.

Octauum priuilegium. Poſſunt ordines recipere à quocunq; Epiſcopo catholico extra tempora ſtatuta, ex Nicolao V.

Nonum priuilegium. Poſſunt emere neceſſaria pro eorum neceſſitatibus occurrentibus, item commutare, & vendere non neceſſaria, & cogere Procuratores ad computum, ex Calixto III.

Decimum priuilegium. Guardianus montis Sion habet auctoritatem Delegati in partibus Orientis, ex Calixto III.

Vndecimum priuilegium. Guardianus poteſt diſpenſare in aliquibus ſuper rigore

Regulæ ſecundum loca, tempora, & neceſſitatem, ex Calixto III.

Duodecimum priuilegium. Guardianus,ex Calixto III. poteſt retinere capſam eleemoſinæ apud ſe.

Tertiumdecimum priuilegiũ.Fratres,ex Clem.V. Innoc.IIII. & Ioan. XXII.poſſunt vota commutare, demptis Hieroſolymitano, SS. Petri et Pauli, & Religionis votis.

Quartumdecimum priuileginm. Poſſunt, ex Clem. V. Innoc. IIII. Ioanne. XXII. participare cum excommunicatis, hæreticis, ſchiſmaticis, & infidelibus.

Quintumdecimum priuilegium. Guardianus montis Sion, ex Calixto III. poteſt ad ſe vocare fratres voluntarios de alijs Prouincijs abſq; conſenſu Miniſtrorum.

Sextumdecimum priuilegium. Guardianus,ex Calixto III. habet auctoritatem ſuper ſacerdotes ſeculares, & laicos etiam.

Decimumſeptimum priuilegium. Fratres, ex Martino V. & Calixto III. poſſunt ante diem celebrare, parcè tamen.

Multa ſunt & alia priuilegia,quę breuitatis cauſa ſubticeo. Nunc ad dignitates dictorum quatuor conuentuum, & primò quidem montis Sion, in quo plurima, eaq; miranda opera Chriſtus mundi Redemptor fecit, tranſeamus.

De conuentu montis Sion. Conu. I.

HABITARANT fratres noſtri plurimis annis pacificè ſatis in ſacro conuentu montis Sion, donec videlicet impijſſimi Turcæ,peſſimo genio ducti, circa annum Dominicæ incarnationis 1550. quæſito colore, quòd Dauidis ſepulchrum ibi eſſet, eos pepulerunt: quapropter de alio monaſterio intra ciuitatis Hieroſolymitanæ mœnia ſibi prouidere coacti ſunt:Nempè de conuentu ſancti Saluatoris,qui ad alterius nationis Chriſtianos prius pertinebat, in quo frequentius vigintiquinque fratres commorantur. Hæc facilè eſt percenſere quàm ægrè fratres noſtri huiuſcemmodi eiectionem tulerint; cùm ſacer ille mons Sion, qui non procul à Hieroſolymitanis muris diſtat,modoq; Turcarum delubrum (proh dolor) effectum eſt, plurimis ſacroſanctis myſterijs à Chriſto Domino dignatus ſit. Ibi enim ſuorum diſcipulorum pedes lauit; Tremendum Euchariſtiæ ſacramentum, in vltima illa, atq; celeberrima cœna inſtituit; Suisq; diſcipulis, atq; etiam Thomæ poſt dies octo apparuit; Ibidemq; ſpiritus ſanctus ſuper Apoſtolos deſcendit; Et diuus Matthias ab eiſdem ſorte fuit electus;Et beatus Iacobus minor ab ipſiſmet Hieroſolymitanus Epiſcopus extitit creatus; Et beata virgo Maria, per continuos quatuordecim annos, ab Aſcenſione dilectiſſimi filij ſui manſit, & ex hoc ſęculo migrans in cœlum aſſumpta eſt; Prima etiam mundi eccleſia ibi fuit; Et beatus Ioannes Euangeliſta miſſam coram beata Virgine Maria ſæpius celebrauit; Et beatus Stephanus protomartyr cum Gamaliele, Nicodemo, atq; Abibone, ſecunda vice ſepultus fuit; Et paſchalis agnus extitit aſſatus. Ibi quoque Chriſtus Dominus, glorioſa eius matre præſente, ſuis Apoſtolis ſæpius prædicauit; Et in eodem loco alapa percuſſus eſt; atq; tribus Marijs poſt ſuam glorioſam Reſurrectionem,dicens Auete &c. apparuit; Ibidemq; fuit oratorium beatæ Virginis glorioſæ poſt filij Aſcenſionem; Et Rex Dauid,eiusq; filius Salomon ſepulti ſunt; Nec non & Iudęi beatæ Virginis corpus,quando Apoſtoli illud ad ſepulchrum deferebant, rapere voluerunt. Inſuper ibi eſt locus,vbi Petrus Apoſtolorum Princeps, poſt trinam negationem, fleuit amare; Et diuus Iacobus maior decollatus ibidem fuit. Ac tandem inde Chriſtus Dominus Diſcipulos ſuos per vniuerſum mundum miſit dicens: prædicate Euangelium omni creaturæ &c. Quibus omnibus conſideratis, non immeritò locus hic vocatur ſacer mons Sion. Qui etiam à Propheta celebratus eſt, quando dixit, de Sion exibit lex &c. & à plurimis ſummis Pontificibus maximis gratijs, & indulgentijs cumulatus eſt. Quæ tamen omnes ad nouum ſancti Saluatoris monaſterium (de quo ſupra) ſimul cum ipſis fratribus, ex Apoſtolicæ ſedis auctoritate, tranſlatæ ſunt.

A

De conuentu ſancti Sepulchri. Conu. II.

CONSVRGIT, intra eiuſdem Hieroſolymitanæ ciuitatis mœnia, prægrandis quædam eccleſia, in qua ſex Chriſtianorum nationes ſeparatim commorantur, diuinumq; in ſuis idiomatibus perſoluunt officium. Ibi quoq; tres, vel quatuor ex noſtris fratribus perpetuò perſeuerant, quibus ſubſequentia loca curæ ſunt. Nempè ſacellum, in quo Chriſtus Dominus cruci affixus fuit. Et ſecundum ſacellum, vbi eiuſdem mundi Seruatoris corpus aromatibus conditum extitit. Et tertium, in quo ſanctiſſimum eiuſdem Reparatoris ſepulchrum adhuc cernere licet, & in quo nullus à Minoritis fratribus, vel abſq; eorum peculari licentia, (dummodo Latino idiomate, & ritu celebret)
B rem diuinam facere poteſt. Et quartum idq; pulcherrimum ſacellum, vbi idem mundi Redemptor Chriſtus chariſſimæ ſuæ matri poſt reſurrectionem apparuit; & magna pars eius columnæ, ad quam ipſe idem Dominus alligatus, flagellatusq; fuit, adhuc perſeuerat: & ibi fratres diuinum peragunt officium. Et hinc cùm fratribus, tum quoq; peregrinis, ſiue comedendi, ſiue dormiendi, ſiue alterius rei faciendæ cauſa ad Franciſcanæ domus penetraliora patet acceſſus. Sunt quoq; iiſdem fratribus curæ quoddam altare extra præcedentis ſacelli ambitum eo in loco erectum, in quo Saluator Chriſtus beatæ Mariæ Magdalenæ, poſt eius mortem, in hortulani ſpecie proſpiciendum ſeſe obtulit. Et locus vbi ſanctiſſima Chriſti crux, quouſq; à ſancta Helena Conſtantini matre inuenta fuit, delituit. Qui adeò ſubterraneus eſt, vt per quadraginta gradus eò deſcendi debeat. In quo & bina altaria erecta ſunt. In præfatæ verò ſcalæ meditullio ad ima de-
C ſcendentibus ſacellum quoddam beatæ Helenæ ſacrum occurrit, in quo plenaria omnium delictorum indulgentia, in accedentium ipſum fauorem, ex Apoſtolica auctoritate conceſſa eſt. Sunt præterea eadem in eccleſia deuotiſſima quædam loca à fidelibus maxima veneratione proſequenda, videlicet digniſſimus ille Caluariæ mons, in quo Chriſtus Dei filius pro totius mundi ſalute crucifixus eſt. Et vbi idem Dominus in dilectiſſimæ matris ſuæ manibus reclinatus fuit. Et cappella quædam beatæ Virgini dicata, vbi Chriſtus eius filius ſibi apparuit. Et carcer vbi idem Chriſtus ante crucifixionem poſitus extitit. Et locus, vbi eiuſdem veſtimenta à militibus diuiſa fuerunt. Item & alius locus, in quo corona, lancea, atq; claui inuenta ſunt. Præterea & alius locus, in quo Adę caput inuentum eſt. Eſt etiam & alia pars columnæ, ad quam Chriſtus deriſus, facie velatus, atq; ſpinis coronatus extitit. Ac tandem ibi eſt medium terræ habitabilis, iuxta
D multorum opinionem, vt verificetur Dauidicum illud oraculum. Operatus eſt ſalutem in medio terræ, Pſal. 73. quæ tamen noſtri iuris minimè ſunt, ſed ad alios diuerſarum nationum Chriſtianos pertinent.

De conuentu Bethlehemitico. Conu. III.

AD quintũ milliare à pręfata Hieroſolymorum ciuitate occurrit percelebris illa, ac multis nominibus celebranda Bethlehem, domus panis Latinè interpretata, in qua diuinus ille panis pro nobis immolandus, atq; à nobis ſummendus, Chriſtus videlicet Dominus, non materialibus mortalium, aut Angelorum manibus compoſitus, ſed diuina ſpiritus ſancti operatione, ex diuina humanaq; naturis hypoſtaticos vnitis conſtãs,
E naſci dignatus eſt. Ibi enim ædificata conſpicitur magna quædam atq; pulcherrima eccleſia beatiſſimæ Virgini Mariæ ſacra, à Mauris tamen atq; Turcis iniuſtiſſimè occupata, ſed plurimis priuilegijs (vt inferius dicemus) illuſtris. Per hanc igitur fratrum noſtrorum conuentus beatæ Catharinæ dicatus, atq; ab octo fratribus vt plurimùm inhabitatus, petitur, qui ſibi omnino contiguus eſt, atq; vnica tantum ferrea porta ab ea diſtinguitur. In qua quidem beatæ Mariæ eccleſia cripta eſt, vbi dulciſſimus ille puer Ieſus pro nobis naſci voluit: & locus vbi tres Magi Reges ad Chriſtum puerum adorandum ſe cum muneribus præpararunt. Et alius locus, vbi ſtella illis diſparuit. Et alius locus, vbi idem Chriſtus circumciſus fuit, & nomen eius, prius ab Angelo impoſitum, vocatum eſt Ieſus. Ibidem etiam eſt ſanctorum Innocentium ſepulchrum. Inſuper & ſan-

ctorum Hieronymi, eiuſq; diſcipuli Euſebij, nec non & Paulæ, eiuſq; filiæ Euſtochij A
ſepulturæ; & cubiculum, in quo idem diuus Hieronymus ſacra tranſtulit Biblia, ſunt.
Ac tandem eccleſia ſancti Nicolai, ibiq; cripta eſt, in qua beata Virgo cum puero Ieſu
Herodis Regis tyrannidem fugiens latuiſſe fertur: cuius terra miracula operatur. Ex-
tra Bethlehem verò eccleſia ſanctorum Angelorum eſt, vbi paſtoribus excubātibus glo-
ria in altiſſimis Deo ijdem decantarunt: & Tecua, vbi duodecim Prophetarum ſepul-
chrum eſt. Et eius ſancti Simeonis domus, qui Chriſtum Dominum in manibus accepit,
lapideoq; cultro, iuxta Hebraicum morem, circuncidit. Et Therebinti arbor, ſub qua
beata Virgo Maria requieuit. Et Rachelis ſepulcrum. Nec non & locus, ex quo Ange-
lus Abacuch Prophetam in Babylonem traiecit. Inſuper & ſunt tres ciſternæ, vbi ſtella
Magis reapparuit. B

De conuentu vallis Ioſaphat. Conu. IIII.

VALLIS hæc Ioſaphat montem Olíueti à Hieroſolymorum ciuitate diſtinguit:
ea inquam eſt, in qua finale, tremendumq; mundi iudicium à Chriſto Domino
habendum eſt. In hac igitur valle pulcherrima eccleſia ad noſtros fratres ſpectans con-
ſtructa eſt: quam famoſa quædam ſepulchra, atq; alia memoratu digniſſima commen-
datiſſimam reddunt. Ibi namq; eſt ſacroſanctum ſepulchrum glorioſæ Virginis Mariæ
omnino ſubterraneum, in quo, licèt aliarum nationum Chriſtiani proprias lampades
habeant, easq; oleo confoueant, nullus tamen alius à fratribus noſtris ibi celebrare po-
teſt. Ibi quoq; ſunt ſepulchra ſanctorum Ioachim, & Annæ eius vxoris, & ſancti Ioſeph C
deiparæ Virginis caſtiſſimi ſponſi. Eſt & etiam ibi locus, vbi beatus protomartyr Ste-
phanus lapidatus fuit. In ipſo verò montis Olíueti iugulo ædificata eſt altera eccleſia,
in qua vnius pedis Chriſti ſeruatoris veſtigium viuo lapidi, dum Apoſtolis, & Virgine
glorioſa concernentibus, in cœlum aſſumptus eſt, & nubes ſuſcepit illum ab oculis eo-
rum, impreſſum adhuc perſeuerat: Quam quidem eccleſiam, licèt Turcę eam in idolo-
rum templum pro viribus traſferre voluerint, adhuc fratres noſtri, per Dei gratiam,
pacificè poſſident. Neutra tamen præfatarum eccleſiarum à fratribus inhabitatur. Sed
cùm ad eos ſpectent, illarum cura ſolicitudoq; ipſis incumbit. In hac eadem valle Ioſa-
phat eſt torrens Cedron, ſub cuius ponte per multum temporis ſpacium, (vt fertur)
ſanctiſſimæ crucis lignum ſtetit. Et deſcendentibus ab ea ad vallem Siloë fons occurrit,
de quo Propheta aliquando dixit: Vidi aquam egredientem de templo à latere dextro. Et D
in eodē fonte beata Virgo pueri Ieſu panniculos lauit, cuius aqua à febre liberat. Hacq;
de cauſa & à Mauris, & ab ipſis quoq; Turcis maximè frequentatur. Eſt etiam & ibi
fons Siloë, vbi cœcus à Chriſto Domino illuminatus fuit. Præterea ibi Eſaias Propheta
ſectus, occiſus, atq; ſepultus eſt: à cuius ſepultura non longè diſtant Haceldama ager
ſanguinis triginta argenteis emptus. Et locus vbi Apoſtoli tempore paſſionis Chriſti de-
lituerunt. A milliari verò ab eius eccleſia, quæ in ſummitate montis Olíueti conſtructa
eſt, Bethania diſtat, quæ olim ad beatos Lazarum, Martham, atq; Mariam Magdale-
nam eius ſorores pertinuit. Inibiq; eccleſia quædam conſtructa eſt, cuius ius ad noſtros
fratres pertinet, & in ea præfati beati Lazari ſepulchrum, ex quo ad vitam à Chriſto
Domino reuocatus eſt, conſpicere licet.

De conuentu Baruth. Conu. V. E

VLTRA præfata quatuor loca, mōtis ſcilicet Sion ſiue potius S. Saluatoris, S. Se-
pulchri, Bethlehē, & vallis Ioſaphat, ſunt & alia ad nos ſpectātia: inter quæ eſt mo-
naſteriū nomine Baruth in Syria Damaſci, quod Martinus V. Pont. max. cum omnibus
iuribus, pertinētijs, oblationibus, & emolumētis inde prouenientibus, in fratrum ſuſten-
tationem, noſtro Ordini in perpetuum donauit: prout pleniusin eius bulla continetur.
In eo ſiquidem monaſterio fratres noſtri, non abſq; maximo fidei catholicæ fructu, &
emolumento, per multa tempora habitarunt. Sed poſtquā emporium inde ſublatum eſt
& mercimonium, atq; in Alappiam (vulgò Aleppo) tranſlatum, mercatoribus
inde

A inde recedentibus, receſſerunt & fratres noſtri, cùm nulli eſſent, qui illis victum ſuppeditarent. Sunt & alia monaſteria in iſtis partibus; ſed ad fratres tum Græcos, tum Armenos, tum quoq; Syros pertinent: qui omnes ſub Regula diui patris Baſilij degunt, aſperam ſatis vitam, atq; pauperem, ob infidelium cohabitationem, ducentes.

De conuentu Perenſi. *Conu. VI.*

PAVCIS ab hinc annis eccleſia quædam ſanctiſſimæ Virgini Mariæ de Drape dicata atq; Peræ, propè Conſtantinopolim celebrem ciuitatem, ſita patri Terræ ſanctæ Guardiano à nobili quadam Greca oblata eſt. Quam & Gregorius XIII. Pont. max. vltimo ſui Pontificatus anno ſibi confirmauit. Hanc igitur ſacram ædem, quæ omnimodam minabatur ruinam, is pater, qui tunc Hieroſolymis Guardianum agebat, pro
B modulo reſarciuit, reſtaurauitq;, atq; conſtructa domo in monaſterij formam redegit: eoq; decem fratres, de cætero moraturos, tranſmiſit, qui illius patriæ Chriſtianis, præcipuè verò captiuis maximo ſolamini, atq; adiumento ſunt.

Nunc ad alia Terræ ſanctæ loca quorum, vice Sedis Apoſtolicæ Hieroſolymitanus Guardianus gubernator eſt, & quæ à fratribus noſtris, ijs peregrinis, qui ex partibus Occidentalibus numeroſè illùc confluunt, gratanti animo oſtenduntur, redeamus. Primus locus, qui peregrinis è mari egreſſis ſeſe offert, Ioppe eſt, vbi contritis, & confeſſis datur ex Apoſtolica auctoritate plenaria omnium peccatorum remiſſio. Ibiq; Apoſtolus Petrus Thabitam à morte ſuſcitauit. Deinde ciuitas Lidde, duobus à Rhama milliaribus diſtans, vbi idem Apoſtolorum Coryphæus Æneam paralyticum ſanauit,
C protinus occurrit. Tum Rhama, in qua domus in xenodochij modum, ad aduentantes fratres, peregrinoſq; hoſpitio excipiendos, erecta eſt, cuius poſſeſſio ad patrem Hieroſolymorum Guardianum ſpectat, cura verò cuidam Græco, mercede ab eodem Guardiano conducto incumbit, venitur. Tum deniq; Emaus, vbi duo diſcipuli Dominum in panis fractione cognouerunt, occurrit, & ibi eſt ſepulchrum ſancti Cleophæ. Eſt etiam in via Machabæorum ciuitas, Modin dicta, & Ramatha quoq; ciuitas, in qua Ioſeph, qui Chriſtum ſepeliuit, natus fuit, & Silo vbi Samuelis Prophetæ ſepulchrum conſpicitur.

De eccleſia ciuitatis Nazareth.

SPECTAT quoq; ad fratres noſtros ea eccleſia, quę apud ciuitatẽ Nazareth eo ipſo in loco, in quo glorioſiſſima Virgo Maria ab Archãgelo Gabriele, Deiq; opt. max.
D paranympho ſalutata fuit, atq; mundi Redemptorem concepit, ædificata eſt: licèt à nullo fratrum, ſed ab vno tantùm Græco, qui eius mundandæ, diſponendæ, atq; lampadarum concinnandarum, accepta pro labore mercede, curam gerit, inhabitetur.

De montis Oliueti prærogatiuis.

EST primò hoc in monte Oliueti eccleſia ſancti Iacobi minoris, vbi Chriſtus illi in die reſurrectionis apparuit: Deinde Zachariæ Prophetæ ſepulchrum: Præterea locus, vbi beata virgo Maria, ex ſacrorum eiuſdem montis locorum viſitatione defatigata, pauſare ſolita erat: Inſuper & locus, vbi Chriſtus futurum iudicium prædixit: Item Bethſage: Item vbi Angelus Gabriel beatæ virgini Mariæ palmam præſentauit, ſibiq; ſuæ aſſumptionis diem prænunciauit: Item locus, vbi Chriſtus fleuit ſuper ciui-
E tatem: Item antrum, in quo Chriſtus ter orauit, & ſudorem ſanguinis emiſit: Item locus, vbi Chriſtus fuit captus, & ligatus: Item locus, vbi Petrus abſcidit Malcho auriculam. Tum demum eccleſia, de qua ſupra.

De Bethania.

IBI eſt domus Simonis leproſi. Item locus vbi Chriſtus fremens fleuit, & alia de quibus ſupra.

De Jordane.

DOMVS ſancti Ioachim patris beatæ Virginis: Item locus, vbi homo ille deſcendens ab Hieruſalem in Hierico incidit in latrones: Item mons Quarantenæ, vbi Chriſtus ieiunauit quadraginta diebus: Item Monaſterium ſancti Ioannis Baptiſtæ: Itẽ

locus vbi Chriſtus à Ioanne baptizatus eſt: Item monaſterium ſancti Hieronymi in vaſta ſolitudine: Item mare mortuum, vbi ſubuerſa eſt Sodoma, ibi ſunt. Vltra Iordanem eſt deſertum beatæ Mariæ Aegyptiacæ. A

De montana Judææ.

EST ibi Monaſterium ſanctę Crucis, vbi creuit cedrus, vnum de lignis crucis Chriſti. Item eccleſia ſancti Ioannis Baptiſtæ, vbi natus fuit. Item domus Zachariæ, vbi beata Virgo ſalutauit Eliſabeth, & compoſuit Magnificat. Item deſertum ſancti Ioannis Baptiſtæ, vbi pœnitentiam egit. Item vicus Anathoth vbi natus fuit Hieremias Propheta. B

De Ebron.

IN valle Mambre eſt locus, vbi Abraham tres videns ſanctiſſimam Trinitatem adorauit. Item cripta vbi Adam, & Eua pœnitentiam egerunt & commiſſum planxerunt peccatum. Item campus Damaſcenus vbi Adam fuit plaſmatus. Ex terra illa fiunt coronæ, quæ apud Chriſtianos, Mauros, Turcas & Arabes ſunt in magna æſtimatione. Item eſt locus vbi Cain occidit Abel fratrem ſuum. Item ſpelunca duplex vbi Abraham, Sara, Iſaac, & Iacob ſepulti ſunt.

Nazareth. C

IN Elbir eſt locus, vbi Virgo Maria & Ioſeph cognouerunt puerum Ieſum non eſſe in comitatu. Item ciuitas Sichar, quæ nunc dicitur Napuloſa: ibiq; propè puteus Samaritanæ. Item ciuitas Behtuliæ, de qua erat Iudith. Item caſtrum Zanim, vbi Chriſtus mundauit decem leproſos. Item Naim vbi ſuſcitauit filium viduæ. Item ciuitas Nazareth, vbi eſt locus in quo Gabriel virginem ſalutauit. Item eſt fons, de quo Chriſtus portabat aquam matri ſuæ. Item eſt mons Thabor, vbi Chriſtus transfiguratus eſt. Item locus, vbi Chriſtus filiam Archiſynagogi à morte ſuſcitauit. Item alius mons, vbi 4000. hominum ſatiauit. Item Cana Galilææ, vbi aquam in vinum mutauit. Item ciuitas Sydon, vbi mulier dixit, beatus venter qui te portauit. Item vbi Chriſtus ſanauit filiam Chananææ. Item ciuitas Capharnaum, & ciuitas Tiberiadis, vbi Chriſtus D multa miracula fecit.

Damaſcus.

AD vnum milliare eſt locus, vbi Chriſtus Paulo dixit: Saule Saule &c. Item in muro ciuitatis eſt feneſtra, per quam diuus Paulus ſubmiſſus fuit in ſporta. Item eſt eccleſia vbi diuus Paulus fuit baptizatus. Item domus Ananiæ.

De Hieruſalem.

SVNT etiam à locis, de quibus ſupra, Hieroſolymis eccleſia B. Virginis Mariæ, vbi E fuit præſentata, & literas didicit. Itē eccleſia, vbi natus eſt ſanctus Ioannes Euangeliſta. Item carcer S. Petri. Itē domus Veronicæ. Itē domus diuitis Epulonis. Item triuium vbi Iudęi angariauerunt Simonem Cyrenæum, vt tolleret crucem Chriſti. Ibidem Chriſtus dixit mulieribus; filiæ Hieruſalem &c. Item eſt capella, vbi beata virgo Maria ſpaſmum paſſa eſt, & gladius doloris cor eius transfixit, dum videret dulciſſimum filium crucem portantem inter duos latrones. Item domus Pilati, vbi Chriſtus flagellatus, coronatus, & condemnatus fuit. Item domus Herodis, vbi fuit deriſus. Item eccleſia ſanctæ Annæ, vbi beata virgo concepta fuit. Item porta aurea, per quam Chriſtus intrauit in die Palmarum. Item probatica Piſcina. Item templum Salomonis. Item porta ſancti Stephani, per quam eductus fuit ad lapidandum. Item domus Annæ, & iuxta eam

A eam eſt oliua,ad quam Chriſtus fuit ligatus. Item domus Caiphæ, & vbi Petrus Chriſtum negauit, & vbi gallus cantauit.

De locis ſanctis apud Aegyptum.

PRIMO occurrit ciuitas Gazæ, in qua Sanſon obijt. In monte Sinai eſt eccleſia ſanctæ Mariæ de Rubo,in qua requieſcit corpus beatæ Catharinæ. Ibidem eſt locus, vbi apparuit Dominus Moyſi in medio rubi. In medio montis Sinai eſt locus, vbi Elias Propheta egit pœnitentiam. Item in cacumine montis eſt locus, vbi Deus dedit Moyſi duas tabulas decem mandatorum. Ad radices montis eſt eccleſia 40. martyrum. Eſt alius mons, vbi eſt petra Oreb, de qua emanarunt aquæ largiſſimæ. Item ad vnam dietam
B eſt mare rubrum. Item ibi prope eſt locus, vbi erant duodecim fontes aquarum, & ſeptuaginta palmæ.

De Alexandria.

IBI eſt locus,vbi ſancta Catharina fuit martyrizata. Item vbi ſanctus Marcus, cùm Miſſam celebraret, à paganis occiſus eſt.

De Cayro.

EST locus, vbi eſt eccleſia ſanctæ Mariæ de Columna,in qua ſepultum fuit corpus beatæ Barbaræ. Item eſt fons, vbi virgo Maria lauabat panniculos pueri Ieſu cùm
C eſſet in Aegypto, eiuſq; aqua eſt dulciſſima, quam pagani habent in maxima reuerentia, quia curat varias infirmitates, & propter tactum pueri Ieſu, & ibi erecta eſt quædam capella. Ibi etiam creuit vinea balſami mirifici odoris. Ibi ſunt monaſteria ſancti Pauli primi eremitæ, Antonij, Macharij,& aliorum plurimorum. Ad quadraginta milliaria à Maſſara ſiue Cayro eſt locus Elmarath, vbi eſt capella, in qua virgo Maria ſtetit ſeptem annis cum puero Ieſu, & fit feſtum eius in die palmarum.

De Syria.

EST ciuitas Antiochiæ,vbi beatus Petrus ſeptem annis prædicauit, ſummitatemq;
D capitis eius Infideles in contumeliam abraſerunt. Apud Barutum, quod Cappadocia dicitur, ſanctus Georgius draconem interfecit.

Hæc ſunt præcipua loca ſancta tam Terræ ſanctę, quàm extra: ad quæ peregrini cum obedientia reuerendi patris Guardiani ſacri montis Sion, nunc verò ſancti Saluatoris proficiſcuntur oraturi; in quibus à pluribus ſanctiſſimis Pontificibus magnæ indulgentiæ ſunt conceſſæ, vt patet in bullis eorum. Præfatus pater Guardianus quotannis mittit aliquot fratres prædicatores, & confeſſores Alexandriam & Cayrum, tum in Syriam, in Aleppo, & Tripolim, qui verbo, & exemplo multos ad ſagenam Euangelicam perducere conantur.

De martyribus Terræ ſanctæ.

E
NEC defuêre Franciſcani, qui hanc Terram ſanctiſſimam ſuo ſanguine pro Chriſti fide ſparſo illuſtriorem redderent: nam vt accepi à teſtibus omni exceptione maioribus, à viginti ſex annis, vel circiter tres Prouinciæ Baſilicatæ fratres apud Damaſcum, poſt multa & varia tormenta à Saracenis eis illata, martyrium pro Chriſto conſtanter pertulerunt; quorum hiſtoria (vt accepimus) in præmemorata Baſilicatæ Prouincia extat. Fuit præterea & alius quidam Ordinis noſtri frater laicus, qui poſtquàm per humanam fragilitatem & Turcarum timorem fidem abnegaſſet, tandem in ſe reuerſus, & à patre Guardiano Hieroſolymitano accepta benedictione, in templo Salomonis coram innumera Turcarum & Maurorum caterua Chriſtum liberè prædicans ad martyrij palmam peruenit.

Non pigebit his annectere Hiſpanam quandã mulierem, nomine Mariam, quæ duodecim ab hinc annis, fidei feruore accenſa, in ipſo die palmarum crucem per totam ciuitatem Hieruſalem portans, ac Mahumeticam impietatem miſeris ipſis Turcis exprobrans, in rogum ignis ardentis iniecta ante atrium ſancti ſepulchri, inuicto pectore, martyrium ſubijt, non ſine maxima tum virorum, tum quoque mulierum infidelium admiratione: quòd Chriſtiana muliercula tam conſtanter pro ſua fide ad martyrium properaret. Eius oſſa, & cineres poſtea Mauri, & Turcę Chriſtianis magno precio vendiderunt. Fuerunt pleriq; & alij martyres, quorum nomina, tum ob raram (vt prædiximus) cum Turcis conſuetudinem, tum etiam ob frequentem familiæ conuentus Hieroſolymitani mutationem, nos latent; eorum tamen nomina in libro vitæ ſcripta ſunt. A

B

De his quæ à nouo Terræ ſanctæ Guardiano, dum eam cum commiſſa ſibi familia petit, exponenda veniunt, deq; his quæ occurrunt difficultatibus.

EXISTIMO me rem omnino ingratam minimè facturum, ſi paucis, quibus expenſis, quibusq; difficultatibus, fratres noſtri Hieroſolymam tranſmittantur, ibidemq; ſuſtententur, tradidero: eaq; de cauſa præcedentibus quæ ſequuntur adijcere volui. Cum primùm igitur, vel in Capitulo generali, vel à Generali totius noſtri inſtituti Miniſtro, Hieroſolymitanus Guardianus inſtituitur, is ſummi Pontificis præſentiam, ab eo omnium priuilegiorum, gratiarum, atq; indulgentiarum ſuis prædeceſſoribus à Sede Apoſtolica conceſſarum confirmationem petiturus, benedictionemq; acceptu- C rus, accedit: Quibus obtentis Venetias cum vniuerſa familia ſecum, pro eius tempore, Hieroſolymis commoratura, quæ quadragenarium numerum ad minus claudit, ex tempore petit. Dumq; nauigium, quo transfretare poſſit, operitur, ſimul cum Hieroſolymitanis Procuratoribus ibidem degentibus, quæ ſibi tum pro viatico, tum quoque pro captanda Turcarum beneuolentia, atq; tranſigenda Hieroſolymis vita, neceſſaria ſunt, puta vinum, caſeum, ſalſas carnes, panem nauticum, piſces, pannum pro fratribus induendis, cereos, tedas, atq; cereas candelas albas pro miſſarum celebratione, ſacrum oleum pro baptizandis, atq; chriſmate ſignandis, nec non & pro extrema vnctione, tum Aleppi, tum Alexandriæ, tum Tripolis, tum Peræ, tum quoq; Hieroſolymis inungendis, ſericum, purpuram, finiſſimumq; pannum, atq; plurima alia D Turcis, pro munuſculis, diſtribuere, maximo precio ex eleemoſinis tum in Italia, tum in Francia, tum quoque in Hiſpania, maximo labore acquiſitis comparat. Quibus debitè diſpoſitis, conſcenſaq; naui vel conductitia, vel gratis à pijs mercatoribus ſibi oblata, vel Ioppen, vel Tripolim Suriacum rectà contendit. Quo peruentus, nuncium in Rhama, ad Turcium exactorem, (vulgo Elemi) atq; ad Subaſſam, qui Sanzachi ſiue Gubernatoris vicem gerit, ſaluum conductum, quo liberè eam patriam ingredi poſſit, ab ijs petiturus, deſtinat; aliumq; ſiue eundem Hieroſolymam ad Guardianum officio functum quoque tranſmittit, vt is adiunctis ſibi Turcicæ linguæ interpretibus, quos vulgo Turcimanos vocant, de animalibus conductitijs, quæ ſarcinas è naui eductas Hieroſolymam deuehant, opportunè prouideat, Ioppemq; perducat. Obtento itaq; ſaluo conducto, impedimentisq; expoſitis, omnium tum bonorum, tum quoq; fratrum E exactio regijs officiarijs, non quidem ea, quæ à magno Turca impoſita eſt, ſed quæ illis pro libito fuerit, è veſtigio penditur: ita vt abſq; precioſis ſex, tum ſericeis, tum quoque purpureis veſtimentis, illis vltro, ſed pro antiqua, eaq; neceſſaria conſuetudine, oblatis, ad quadringentos ferè aureos coronatos exponi debeant. Peruentus verò non abſq; periculo, atq; maximo labore, ad Hieroſolymorum portam, nouus Guardianus Turcicos officiarios ad ſe vocat, qui tum eius, tum quoq; fratrum ſecum venientium, atq; aliorum ſecularium, ſi qui ſint, nomina libro aſcribant, ſeq; ad conuentum vſq; ſancti Saluatoris deducãt, inibiq; cunctam ſuppellectilẽ rimentur. Quorũ tanta eſt libertas, tãtaq; procacitas, vt impunè, quicqd ſibi libuerit, nemine contradicẽte, accipere poſſint. Sequenti verò die vterq; Guardianus, ſimul cum interpretibus Hieroſolymitanos Satrapas acce-

A pas accedens illis & ſericeas veſtes, atq; purpureas, nec non et plurimas pecunias ad captandam eorum beneuolentiam pro more offert, porrigitq;. Quibus ritè diſpoſitis, Guardianus officio functus, ſimul cum antiqua familia Tripolim Suriacum nauim, qua in Italiam traijciat, præſtolaturus petit. Poteſt nihilominus nouus Guardianus vel aliquem ex antiquioribus fratribus ſibi neceſſarium penes ſe retinere, vel aliquem ex recentioribus, ſi minus ſibi arriſerit, & minori adiumento futurus ſit remittere. Deinde tum œconomiæ benè diſponendæ, tum quoq; ſui muneris exequutioni diligentius intendit. Et primò quidem Vicarium, qui eius vices gerat; niſi fortè illum Venetijs creârit, inſtituit. Poſtmodùm alterum fratrem in Guardianum, ſeptem ſibi adiunctis fratribus, eligit, qui Franciſcano Bethlehemitico conuentui per annum præſit; cui omnia ad victum neceſſaria pro ſe ſuisq; fratribus ex Hieroſolymitano conuentu tranſmittun-
B tur. Ad ſacroſanctum verò Chriſti ſepulchrum binos ſacerdotes, binosq; laicos fratres deſtinat, qui per integrum trimeſtre clauſi omnino ibidem, niſi infirmitas vrgeat, perſeuerant, victumq; carceratorum more, ſingulis diebus manè & veſpere, ex conuentu ſancti Saluatoris per feneſtrellam ſiue rotam recipiunt. Tum demum ex ijs, qui ſuperſunt, fratribus Aleppum quatuor, quorum alter ad Chriſtianos mercatores, illius loci accolas, ſacras habet conciones. Tripolim Suriacum binos: & quando nationis Gallicanæ conſul, qui illius gentis mercatoribus præeſt, iusq; dicit, proprium ſacellanum habere cupit, ternos: & Alexandriam quoq; totidem fratres mittit: qui coram Chriſtianis, illis in locis degentibus, rem diuinam faciant, illorumq; confeſſiones excipiant, atq; pueros baptizent, nec non et illis alia ſacramenta miniſtrent. Quorum opera aliquæ etiam eleemoſinæ his locis ſanctis obueniunt.

C

De almo Pariſienſi conuentu.

CERTVM eſt (vt de conuentus Pariſienſis initijs dicamus) vel ad finem Pontificatus Innocentij III. anno Dñi 1216. vel initio Honorij III. anno Dñi 1217. Inſtituti noſtri fratres Pariſios appuliſſe, illicq; à quibuſdam pijs viris (vt nunquam ſuis ſeruis Chriſtus patitur aliquid deeſſe) humanè et benignè acceptos eſſe. Aſſeruantur etenim in eiuſdem conuentus archiuis duo eiuſdem formę diplomata data Viterbij iiij. cal. Iunij, anno ſupradicti Honorij IIII. quibus idē ſummus Pontifex fratres Minores tanquàm verè fideles, religioſos viros, vitæ Apoſtolicæ ſectatores, & à ſancta Sede Apoſtolica probatos Archiepiſcopo Senonenſi, ac Epiſcopo Pariſienſi, alijsq; eius
D Prouinciæ Suffraganeis impenſius commendat. Ex quibus ſatis manifeſtum eſt, eoſdem fratres iam aliquot antea annis Franciam peruaſiſſe, ac Lutetiam Pariſiorum incoluiſſe. Certa autem domo ac templo, quo ſacra facerent, eoſdem per annos aliquot caruiſſe, inde facilè colligitur, quòd idem Honorius anno Pontificatus x. Reate ad Epiſcopum Pariſienſem miſſo ſpeciatim diplomate eundem hortatus eſt, deinde iuſſit, vt ſineret fratres Minores cum altari portatili, ſeu viatico Miſſas celebrare in omnibus tum ciuitatis, tum Diœceſis ſuæ eccleſijs, ſeruato interim in cunctis parochiarum iure. Quorſum autem aræ portatiles, ſi fixas firmasq; in proprio templo habuiſſent? Diploma in conuentus cartophilatio tenuimus, & perlegimus. At Principum, Antiſtitum, ciuiumq; Pariſienſium inſignis ac toto orbe celebrata pietas, diù non tulit S. patris Franciſci diſcipulos proprio monaſterio carere. Deus namq;, qui auibus cœli nidos paterna pro-
E uidentia concedit, Simonis Abbatis S. Germani à pratis, fratrumq; illius animos flexit, vt hoſpitiolum intra portam ciuitatis, & eccleſiam SS. Coſmæ & Damiani puſillo Franciſcanorum gregi ad habitandum impertirent. Extant enim literæ domini Vvilhelmi Epiſcopi Pariſienſis in eiuſdem Abbatiæ D. Germani tabellario, ſcriptæ anno Domini 1230. menſe Maio, quibus vniuerſis, ad quos ſpectat, notum facit, ſuperius nominatum Abbatem de fratrum ſuorum conſenſu quendam locum (cuius fundus, & proprietas ad eos pertinebat) cum domibus ibidem conſtructis diuinæ pietatis intuitu dilectis in Chriſto fratribus Minoribus commodaſſe, vt ibidem tanquam hoſpites manerent: atq; etiam his legibus, vt nec campanas, nec cœmeterium, nec altare ſacratum niſi portatile, nec capellam ſacratam haberent: ſaluo deniq; in omnibus iure parochialis eccle-

lis eccleſiæ SS. Coſmæ & Damiani, cuius patronatus ad idem monaſterium ſancti Ger- A
mani pertinebat. Illic ergo ſimplicium fratrum Minorum plantula primò inſita & con-
ſtituta radices egit, creuit, & roborata eſt aliquot annis, inſtar Abrahami in terra alie-
na in tabernaculis & caſulis expectando ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus eſt,
agnoſcentes ſe verè hoſpites & peregrinos eſſe ſuper terram. Ideò commentitiam fabu-
lam eſſe apparet, illos aliquando collegiũ Nauarræ ſeu Campaniæ incoluiſſe: cùm inſu-
per nec dum illud ipſum conſtructum fuiſſet. Tunc autem in Gallijs regnandi finem fe-
cit Philippus Auguſtus cui ſucceſſit Ludouicus huius nominis IIII. qui Francis tan-
tùm tribus annis præfuit, annoq́; Domini 1227. è vita migrauit, & ſanctus Ludouicus
filius eius in Francorum Regem vnctus & inauguratus eſt. Hic pijſſimæ matris Blan-
chæ ſtudio Chriſtianis præceptis ac moribus imbuendus diuorum Franciſci ac Domini-
ci diſcipulis ac fratribus, tunc magna pietatis laude Pariſijs florentibus, atq; non minus B
Principum, quàm vulgarium animos in ſui admirationem concitantibus traditus
fuit, veluti ſcriptis editis teſtantur Gaufredus de Bello loco huic Regi à confeſſionibus,
Martinus Polonus Ciſtercienſis, Robertus Gaguinus, & Paulus Æmilius. Rex porrò
vt in eos gratus eſſet, per quos profecerat, prædictum locum, in quo diximus fratres Mi-
nores moram præcariò tantum traxiſſe, ab Abbate & monachis S. Germani multo ære
comparatum illis ad habitandum perpetuò conceſſit. Regiæ literæ ſignis ac ſigillis
communitæ, datæq́; anno Domini 1234. menſe Aprili, in eodem S. Germani à Pratis
monaſterio ſeruantur. Et vt totum hoc venditionis, emptionis, & conceſſionis nego-
tium ſanctius ac firmius eſſet, etiam ipſius Eccleſiæ ſummi Pontificis iudiciũ interceſſit.
Is erat Gregorius huius nominis IX. qui diplomate dato Interamnæ iij. nonas Iunij,
Pontificatus ſui anno x. (initio rogat, deinde hortatur, deniq; pro ſua in omnes Chri- C
ſtianos auctoritate diſtrictè præcipit Abbati & monachis S. Germani à Pratis, vt amicis
ſpiritualibus fratrum Minorum iuſto pretio vendant tantum terrę intus & extra muros
ciuitatis Pariſienſis, quantum Epiſcopi Siluanectenſis prudenti iudicio videretur neceſ-
ſarium pro conuentus illorum conſtructione. Sed quoniam creſcente in dies fratrum nu
mero, locus deſignatus nimis poſtmodum anguſtus viſus eſt, alijs rurſum literis datis
Laterani vj. Idus Decembris, Pontificatus ſui anno xiiij. idem Chriſtiani gregis ſupre-
mus Paſtor conceſſit fratrum noſtrorum amicis, vt aliàs item terras tum intra, tum
extra muros vrbis poſitas, & ad prænominatum monaſterium S. Germani ſpectantes
compararent, & conuentus fratrum noſtrorum amplificationi dederent. Illic itaq;, id
eſt in terris ac locis ad Abbatem præfatũ prius attinentibus, poſtmodùm autem à Chri- D
ſtianiſſimo, ſimulq́; ſanctiſſimo Rege Francorum Ludouico, alijsq́; aliquot pijs Lute-
tianis ciuibus (quorum nomina ſunt in libro vitæ) comparatis: quantum à porta olim
de Cubardo, nunc à S. Germano appellata, ad portã ferè D. Michaëlis intra iuxtaq́; mu
ros ciuitatis extenduntur, & ex altera parte collegijs Burgundiæ, Iuſtitiæ, Haricuriæ,
ædeq́; SS. Coſmæ & Damiani finiuntur, ſuccedente tempore conſtructũ & erectum fuit,
quod nunc Pariſijs extat Franciſcanorũ monaſteriũ & collegiũ. Vt verò dilatandi locũ
finis eſſet, literis publicis ſuper hac re confectis anno Domini 1240. F. Robertus Prouin-
ciæ Frãciæ Miniſter, totusq́; conuẽtus Pariſienſis, quẽ etiã vnà regebat, Abbati & reli-
gioſis S. Germani ſanctè iurauerũt & ꝓmiſerunt, terminos eiuſdẽ conuẽtus ſuper eorũ
terris & dominijs nunquã vlterius proferre. Sũt & alię in conuẽtus ſacrario, quibus fra-
ter Dionyſius conuẽtus Pariſiẽſis Guardianus conteſtatur vniuerſum fundũ ab Abbate E
receptum ab omnibus omnino cenſibus liberum, & humano commertio exemptum
(quod vulgò amortiſatum dicitur) eſſe. Ad hæc Philippus Rex Francorum cogno-
mento Pulcher, D. Ludouici ex filio nepos, anno Domini 1298. quandam viam (Ruel-
lam vocant literæ publicæ de hoc confectæ) retrò domum fratrum, prout à porta D.
Michaëlis (quæ à Dæmonibus adiacẽs caſtrum viridis vallis infeſtantibus porta inferni
tunc dicebatur) vſque ad aliam portam extenſam, in ſui conuentus amplificationem,
intra illius ſepta claudendam, & ab ipſis ac ſucceſſoribus in perpetuum poſſidendam
contulit. Poſtremò, cùm anno Domini 1561. bellis ciuilibus ab hæreticis Hugonoſtis in
Regem, patriam, & Eccleſiam excitatis omnia in Gallijs feruerent, animaduerterentq́;
Ordines ac ciues Pariſienſis vrbis ex ſupradicto fratrum noſtrorum conuentu, tanquam

ex equo

A ex equo Troiano plurimos, eoſdemq; ſpiritualibus armis inſtructiſſimos milites. ac fidei catholicæ acerrimos propugnatores quotidie prodire, qui tum in eadem ciuitate Regia, tum in cunctis alijs finibus Regni, graſſantibus hęreſeon miniſtris & ſatellitibus conſtanter ſe opponerent; gratitudinis gratia eiuſdem conuentus hortos, qui valetudinario adiacent, alterius horti non aſpernandæ longitudinis adiectione & donatione liberaliter adauxerunt.

Proprio templo, aris fixis, campanis, ac cœmeterio fratres noſtros Pariſienſes aliquandiu caruiſſe, ſuperius diximus, atq; id fortaſſe per 12. annos, & quod excurrere poteſt, ideſt vſq; ad initia Regni B. Ludouici. Attamen anno Domini 1245. iam magna ex parte erectum & conſtructum ibidem fuiſſe, vel inde certiſſimum eſt, quòd Alexander Alenſis inſignis eius Ordinis Theologus, ac collegij Lector viam vniuerſæ carnis B ingreſſus, in media ſacra æde fratrum Minorum Pariſienſium honorifica ſepultura donatus fuerit. Illius fundamenta iecerant (opînor) fratres tum religioſiſſimi populi Pariſienſis, tum maximè ſanctiſſimi Regis, & liberaliſſimæ matris eius Blanchæ Reginæ auſpicijs & eleemoſynis. Scripſit namq; de eiuſdem Principis in omnes pauperes præſertim verò fratres noſtros liberalitate D. G. de Bello loco. Quamuis nulli indigenti ſua benignitate non ferret opem, illis tamen qui diuino cultui, & ſaluti animarum vacarent liberalius & crebrius eleemoſynas præſtabat. Solebatq; dicere nonnunquam familiaribus ſuis de magnis illis eleemoſynis, quas quotannis Pariſijs in fratres Dominicanos & Franciſcanos conferebat: O Deus, quàm benè collocatæ ſunt hæ eleemoſynæ in tot tantosq; fratres ex toto terrarum Orbe Lutetiam aduentantes, vt quod hîc ex diuinis ſcripturis hauriunt, in totum mundum effundant in honorem Dei, & ſalutem animarum. C Verum ſuſcepta ab eodem Rege bella aduerſus Tholoſates, Alarchianos, Armoricos, & Anglos, expeditio deniq; tranſmarina pro Terra ſancta aduerſus Saracenos largitionibus modū imponentes opus templi fęliciter inceptum intermittere coëgerūt.

Interea quoque plurimos, eosq; & domeſticos, & accerrimos hoſtes fratribus excitauit Sathanas perpetuus ſanctorum aduerſarius; qui publicis concionibus, & lectionibus, immo & libris editis, non ſolum beneficorum animos à fratribus abalienare nitebantur, verùm & ſanctiſſimæ paupertatis quam obſeruabant profeſſionem, inſectabantur, & damnabant. Sed quis Alexandro Alenſe, atque diſcipulis eius Ioanne Ruppellano, Bonauentura à Balneo regio propugnantibus ac defendentibus, votiuam paupertatem potuiſſet expugnare? Lis itaq; poſt multa certamina ſupremo ſacrarum cauſarū iudici, ac totius Eccleſiæ Pontifici dirimenda relinquitur. Cauſis ergo hinc inde diſcuſ-D ſis Alexander huius nominis IIII. diplomate dato Anagniæ xiiij. cal. Nouembris pontificatus ſui anno ſecundo, hortatus eſt Regem Franciæ, vt faueret Archiepiſcopis Rothomagenſi & Turonenſi, atque Epiſcopo Pariſienſi, quibus ſeuerè caſtigarent præcipiebat illos, qui ſeu priuatim, ſeu publicè fratres Minores & Prædicatores diffamabant, dicētes eos non eſſe in via ſalutis propter votum paupertatis, neq; officia diuina in eorum eccleſijs audienda, nec illos poſſe confeſſiones audire, & abſolutionem pœnitentibus impartiri, aut ad populum conciones habere &c. Iubet item eoſdem detractores cogendos ad priuatam & publicam recantationem ſub interminatione anathematis & interdicti. Alio rurſum diplomate idem ſummus Pontifex libellum Gulielmi de Sancto amore contra fratres editum tanquam iniquum, ſceleſtum, & execrabilem condemnauit, & Vulcano tradidit. Inſuper vt aliquandiu intermiſſum eccleſiæ Fratrum Pariſienſium E opus piorum ciuium eleemoſynis perficeretur, conceſſit idem Pontifex vnum annum & 40. dies indulgentiarum his qui eccleſiam illorum viſitarent in SS. Franciſci, Antonij, & Claræ feſtiuitatibus ac octauis. Idem rurſum bulla data Anagniæ, anno Pontificatus iiij. conceſſit accedentibus ad conciones fratrum Minorum in conuentu Pariſienſi pro qualibet vice quadraginta dies indulgentiarum de pœnitentijs ſibi iniunctis. Sed neq; ſic magnæ molis & impenſarum templum citò potuit perfici: verùm cùm ex Aegypto, Syriaq; redijſſet Chriſtianiſſimus Rex Ludouicus, Minoribus & Prædicatoribus (id affirmat Paulus Æmilius) non dum ad culmen perductas ſacras ædes planè abſoluit. Hoc autem circa annum à Chiſto nato 1262. contigiſſe idcirco exiſtimauerim, quod Vrbanus IIII. anno ſui Pontificatus ij. diplomate dato, in veteri Vrbe, ipſum Regem

Francorum

Francorum laudat vehementer, quòd in domo fratrum Minorum Pariſienſium de no- A
uo,nec ſine magnis ſumptibus,eccleſiam conſtruxerit, in cuius dedicatione indulgētias
dari poſtularet. Concedit autem ad eiuſdem Regis inſtantiam eis qui ab ipſo die conſe-
crationis vſq; ad 4. menſes eandē eccleſiam viſitarent 3. annos & totidē quadragenas.
Illis quoq; qui in dedicationis anniuerſario die, & vſq; ad octauas ad eandem accede-
rent annuatim, vnum annum & 40. dies indulgentiarum. Pares rurſum indulgentias
conceſſerunt poſtea Clemens IIII. & Nicolaus IIII. veluti in eorum literis in huius lo-
ci archiuo aſſeruatis continetur. Sedente itaq; in cathedra B.Petri Vrbano IIII.& Fran-
cis imperante D. Ludouico, Franciſcanorum Pariſienſium templum ſolemni ritu, ac
incredibili populorum frequentia Deo opt. max.in memoriā B.Marię Magdalenes viij.
Idus Iunij conſecratum & dedicatum eſt. Habet porrò longitudinis ſupra 320. pedes,
latitudinis ſupra nonaginta. Chorum à naui pulpitum, ligneum quidem illud, ſed ma- B
ximum & perpulchrum,aliquot ligneis affabrè factis columnis innixum,ſecernebat. In
illud Reges, Reginas, Principes, Cardinales, Senatores non rarò conſcendere, ac diu-
tius reſidere conſpexerunt plurimi,quatenus aliquantum à turbis ſemoti, inde ſacris
fratrum pſalmodijs, ſuauiq; tot vocum concentu animos paſcerent, & rebus diuinis in-
tereſſent. Quin frequenter quoq; concepto deuotionis ſpiritu, accitis ad ſe aliquot
patribus, commiſſa peccata humiliter confitebantur, abſolutione donabantur, & cor-
pori ac ſanguini Chriſti ex ara illic erecta communicabant. In chori medio multa Re-
gum, Reginarum, ac heroum extabant ſepulchra, quæ ſuo loco commemorabimus.
Templi parietes exornabant dependentia vexilla plurima,clypei, galeæ, manicæ mili-
tares, atq; gentiliciæ imagines fortiſſimorum militum,Ducum,Imperatorum, qui pro C
patrijs legibus, & finibus Regni ſtrenuè ſe geſſerant,morienteſq; in eodem loco ſepeliri
cupiuerant. Chorum quoq; vndiq; circundabant 25. ſacella partim muris, partim li-
gnis affabrè factis inter ſe, & ab eodem choro diſtincta. In quolibet ſacello erecta erat
ara, ſimulq; abacus tam elegantibus ac precioſis Chriſti,Deiparæ, Apoſtolorum, Mar-
tyrum, aliorumq; ſanctorum, in quorum memoriam dicata erant figuris decoratus,vt
& religionem ſimul & admirationem pijs ſpectatoribus incuterent. Muros veſtiebant
ligneæ tabulæ magno artificio compactæ, nec deerant ſcamna & ſedilia his aptiſſima,
qui vel genibus precari, vel peccata ſua confiteri, vt ab his abſoluerentur, cupiebant.
Nauis templi innumeris penè ſepulchris ad terram depreſſis ſtrata erat, multis hincin-
de epitaphijs Gallicis & Latinis in ære aut lapidibus inſculptis, muros atq; columnas
exornantibus. Incredibili frequentia populi quotidie replebatur ſacræ rei cauſa. Sin- D
gulis Dominicis ac feſtiuis diebus ſelectus ex ordine ſtudentium ſacerdos, nonnunquam
Baccalaureus, aut Doctor de ſuggeſtu ad populum de Euangelio concionabatur. Atq;
hæc de templi ædificio atq; ornatu.

At ſanctiſſimum & ornatiſſimum hoc templum (proh ſancte Deus) numinis iram &
vltionem in ſua capita accerſentibus peccatis ſuis hominibus,poſt 300.& quod excurrit,
annos, ideſt 1580. 19. Nouembris omnino exarſit: idq; tanto ardore, vt nec campana-
rum metallum inter rudera inueniri, nec ſacri libri, mappæ, aulæa, vela, imagines,
ſacræ reliquiæ, quæ in thecis religioſè ſeruabantur,incendio eripi potuerint. Sed & co-
lumnæ lapideæ iuſtæ ſatis craſſitiei, quibus templum innitebatur, vna cum baſibus, ac
ſupernis fornicibus. Inſuper & plurima Principum ſepulchra marmorea & alabaſtrina
flammarum vi partim in cineres redacta,partim aſſulosè ac minutatim confracta fue- E
runt. Quin etiam duo magnæ molis & impenſarum pulpita ænea, ex quorum vno Epi-
ſtola, ex altero Euangelium in ſacris myſterijs recitabatur vnà cum quinq; columnis
æneis, & elegantibus ſuis epiſtylijs, quibus præcipuum altare circundabatur, magna
ex parte calore liquefactæ & fuſæ ſunt. Atq; hæc omnia intra duas horas, nimirum ab
hora nona veſpertina vſq; ad vndecimam, flammarum voracitate abſumpta. An fla-
gitioſa ſocordia eorum, qui tum domui præerant, & facibus candeliſq; cereis extin-
guendis non ſatis inuigilarent, id infortunium acciderit: an verò ab hæreticis Hugo-
noſtis,qui à 20.annis viginti millia ſacrarum ædium in Gallijs ſuccenderunt,huic quoq;
ſubiectum fuerit incendium, hactenus ignoratum. Deus tandem aliquando videbit iu-
dicabitq;.Mirabile autem immo verò miſerabile dictu eſt, quāto gaudio debacchati ſint,
quantoſq;

A quantoſq; ingeminarint tremulos naſo criſpante cachinnos Caluiniani, & pſeudo Chriſtiani, cùm huius diuini templi conflagrationis fama Gallias peruaſit. Dixiſſes rediuiuos filios Edom in die vaſtationis Hieruſalem iterum exultare, & percupere non hanc ſolum Franciſcanorum domum, ſed & alias omnes funditus euerſas, & exinanitas. Pro Babylonicis ſacrilegis eos iure accepiſſes, cùm incenderent ſanctuarium Domini, & prius à ſe pollutum allliderent in terram. Gloriabantur qui Dominum in ſeruis ſuis oderant in medio deſolati ſanctuarij, ac ſi erectis trophæis de Chriſto, qui ibi colebatur, ſuperbè triumpharent. Atq; hæc quidem impij. Pij vero omnes tam lugubri ſpectaculo attoniti ſtupebant, gemebant, atq; adhuc grauioris calamitatis præſagitionem eſſe metuebant. Singuli conſcientiarum ſuarum latebras diſcutientes peccata ſua omni humilitate & contritione fatebantur, atq; diuinam miſerationem implorantes iudicia Domini
B iuſtiſſima humiliter agnoſcebant. Orabant inſuper toto pectore, vt propter ſemetipſum ſerenam faciem ſuam iterum oſtenderet ſuper ſanctuarium ſuum vaſtatum & deſolatum: recordaretur teſtamenti ſui, memor eſſet congregationis, quam poſſederat ab initio: non relinqueret diutius virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum: templumq; in quo toties nomen ſuum inuocatum, & prædicatum fuerat reparari iuberet.

Deus itaq; tot precibus exoratus, memorq; clementiæ ac bonitatis ſuæ, Regis, Principum, Pontificum, Senatorum ac ciuium Pariſienſium continuò flexit animos, vt mox de noua templi Franciſcanorum inſtauratione cogitarent. Igitur Præfecti, & Decurionum vrbis publica conſtitutione ac expenſa, totius templi ſolum adeò eruderatum eſt, vt euerri facilè poſſet. Deinde ſequentis anni media Quadrageſima, D. Chriſtophoro Thuano ſummo Senatus Pariſienſis Præſide, omnium maximè negocium procurante,
C primoq; fundamentorum iaciente lapidem, inſtaurata fuit & conſtabilita prima lapidea columna: annoq; vertente tandem omnes vſq; ad triginta, pro qualibet in cæmento, lapidibus ſectis, & artificium opera, ſolutis centum Gallicis aureis. Conquerentibus frequenter apud Præſidem fratribus, quòd nullæ pecuniæ ſupereſſent, magna conſtantia reſpondebat: Bono animo eſtote, Dominus prouidebit, ſubeſt illi cùm voluerit poſſe. Sequenti anno, quinque aureorum millia in architectos eximia liberalitate conferente Chriſtianiſſimo Rege Henrico, totius chori & ſacellorum vtrinque claudentium lignaria fabrica dedolata, compacta, & ſuper muros erecta fuit. Anno proximo videlicet 1583. communibus piorum ciuium largitionibus, & mulctis, quæ à Senatu quibuſdam reis irrogabantur, & ad tam pium opus applicabantur, præeleganti tecto ardoſio eiuſdem chori ambitus & ſacella, quæ ad meridiem ſpectant, vniuerſa cooperta
D & tecta. Inſuper interna ſeu concaua pars chori lectiſſimis aſſerculis incruſtata & laqueata eſt. Tam proſperè procedente opere ſummoperè delectatus Chriſtianiſſimus Rex, diſtractis rurſum pictoribus mille & cētum aureis, totā eiuſdē chori intimā crepidinem voluit cœruleo colore depingi, ſparſis hincinde innumeris flammis igneis, interiectiſq; multis lilijs aureis, H. deniq; prima nominis ſui litera fulgenti diademate redimita. Sequentem vſq; ad tertiam trabem partem Catharina Medices Regum mater, ſuis quoq; coloribus, characteribus, & familiaribus teſſeris illuſtrari curauit, ſolutis in hunc finem trecentis aureis. Supererant viginti & tres ingentes feneſtræ, quibus chorus illuminatur, vitro obducendæ. Huic quoq; operi liberalitatem ſuam impendit Chriſtianiſſimus Rex, quando ſecunda equitum Torquatorum ordinis Spiritus ſancti creatione, ex his quos erogat militibus ſtipendijs, mille & octingentos aureos,
E ſumma eorundem nobilium conſenſione & propenſione acceptos, in hoc opus inſumi curàuit. Atq; vt tantæ liberalitatis aliquod inſigne honoris, aliquodq; monimentum laudis extaret, depicto in principe feneſtra Spiritus ſancti in Apoſtolos aduentu: in ſequentibus ſui ipſius, matris, vxoris, fratris, Reginæ Scotiæ, Reginæ Eliſabethæ, Principum à ſtemmate Regio, Cardinalium, Epiſcoporum, heroumq; icones & inſignia gentilitia, inſuper Actuum Apoſtolorum tabulas benè pictas collocari in bono lumine pręcepit. Erectā demū maiorem aram lectiſſimus ac pijſſimus D. Iulianus à S. Germano Cæſarienſis Epiſcopus, & Pariſienſis coadiutor, Deo in primis, deinde in beatæ Mariæ Magdalenes, & B. martyris Sebaſtiani memoriam dedicauit, anno Domini 1583. die Decembris 21. incredibili piorum omnium exultatione, & lætitia. Eadem die ſanctiſſima Eucha-

ma Euchariſtia ad cultum fidelium, infirmantiumq; promptum ſubſidium reſeruari A
ſolita, peracta circa conuentum publica luſtratione, honeſtiſſimo altaris loco repoſita
eſt: ac deinceps canonicæ matutinæ & veſpertinæ preces, aliaq; diuina officia à fratri-
bus ibidem perſolui inceperunt. Cathedræ ligneæ, quæ chorum vtrinq; exornent, tali in
dies artificio compinguntur, vt tandem aliquando (ſuperis laus, et beneficis gratiarum
actio) nos verè dicturos ſperemus & confidamus: Maior eſt gloria nouiſſimæ huius
domus, pluſquàm primæ. Sic Dominus poſt tempeſtatem tranquillum facit, & poſt
lachrymationem & fletum exultationem infundit. Sed hactenus de huius templi prio-
re, poſterioreq; inſtauratione ac ornatu. Cætera perſequamur.

Chori mediam partem claſuramq; occupabant plurima Regum, Reginarum, Princi-
pum, Epiſcoporum operoſa ſepulchra: qui vt veteres Patriarchæ in Hebron terræ pro-
pter Chriſtum ſancta portiuncula, ſic iſti in pauperum fratrum Minorum ſacro domi- B
cilio habuerant ſepeliri in votis. Audierant enim Chryſoſtomi, ideſt oris illius verè au-
rei, & aliorum patrum concionibus, magnis encomijs celebratam fuiſſe magnorum Im-
peratoruu Conſtantini, Conſtantis, Valentiniani, ac Theodoſij pietatem, qui corpo-
ra ſua vel in oſtijs baſilicarum Apoſtolorum, & martyrum ſepeliri, pro re ſancta & vti-
li, duxerant. Didicerant ſanctiſſimos theologos Auguſtinum, & Paulinum conſtanter
docuiſſe, prouiſum ſepeliendis corporibus apud memoriam ſanctorum locum, bonæ
affectionis eſſe erga funera ſuorum: ad hoc vt dum recolunt vbi ſunt poſita eorum quos
diligunt corpora, eiſdem ſanctis illos tanquam patronis ſuſceptos, apud Dominum
adiuuandos orando commendent. Erant itaq; primo loco duo ſepulchra ſibi à latere
coherentia altitudinis 4. pedum, longitudinis ferè 7. ex marmore nigro cum duarum C
heroidum alabaſtrinis effigiebus, quarum vnius epitaphium fuit: Hîc iacet Dña Maria
Franciæ Regina, vxor Regis Philippi filij diui Ludouici, Ducis Brabantij filia: quæ
obijt 1321. menſis Ianuarij 12. Alterius autem: Hîc ſepulta eſt Domina Ioanna Regi-
na Franciæ & Nauarræ, Comitiſſa Briæ & Campaniæ, vxor Regis Philippi cognomen-
to Pulchri: quæ obijt anno Domini 1304. Aprilis die 2. In huius porrò ſarcophago cùm
ruderibus templum purgaretur, reperta eſt corona tenuiſſimo ferro paulum inaura-
to compacta, annulus verè aureus, fuſi quoq; argentei. Demum eſt tabella plumbea in
qua hæc inſculpta fuerant: Ioanna Dei gratia Franciæ & Nauarræ Regina, Campaniæ
Briæq; Comitiſſa Palatina, anno 33. ætatis ſuæ inchoato à feſto B. Hilarij 1304. die 2.
Aprilis feria ſexta, apud næmus Vicenarum diem clauſit extremum; ſepulta verò fuit
Dominica ſequenti, in paſſione Domini, Pariſijs apud fratres Minores, regnante Illu- D
ſtriſſimo Principe Philippo Dei gratia Francorum Rege eius domino ac marito, cuius
anima ſit in pace. Quæ regnauit cum dicto domino ſuo per ſpacium viginti annorum,
trium menſium, & nouem dierum. Sequebantur pari ordine duo alia ſepulchra mar-
morea cum duabus alabaſtrinis effigiebus iacentibus deſuper; prior erat viri, poſterior
mulieris corda habentium præ manibus, ſine vlla inſcriptione. Horum verò inſignia
erant Gallicorum liliorum flores cum vitta deſuper tranſuerſim collocata. Tertiò erat
tumulus ex marmore, & heroidis ſupra iacentis imagine ex alabaſtro, cum hac inſcri-
ptione: Condita eſt hoc loco domina Ioanna Franciæ & Nauarræ Regina, Burgundiæ
& Artheſij Comitiſſa; quæ vitam cum morte commutauit anno Domini 1329. menſis
Ianuarij 21. Alterum ad latus eius ſepulchrum hanc ſcripturam habebat: Cor Regis
Philippi cognomento Longi eiuſdem ſponſi Regis Francię & Nauarræ, filij Regis Phi- E
lippi Pulchri hoc loco conditum eſt. Viuere autem deſijt anno Domini 1321. Ianuarij
die 3. Quarto loco erant duo tumuli marmorei cum duarum Reginarũ formis ex alaba-
ſtro. In priore ſcriptum erat: Cor Dominę Ioannę Francię & Nauarræ Reginæ vxo-
ris Regis Caroli filij Philippi Pulchri. Obijt autem 1370. die quarta Martij. In poſte-
riore verò, Cor Dominæ Blanchę filiæ Regis Philippi, apud Longum campum monia-
lis anno Domini 1318. hoc terræ ſanctæ loco conditum fuit, anno Domini 1358. Apri-
lis die 26. Quintum locum occupant ſepulchra Mathildis filię Comitis à S. Paulo, vxo-
ris Caroli filij Francorum Regis, ac Valeſiorum, Alenconiorum, Carnutum, & Ande-
degauenſium Comitis: quæ obijt 1358. die Octobris 3. Deinde alterius heroidis, cuius
imago veſte ſanctimoniali tegebatur. Epitaphium nullum adiacebat. Sexto ſepul-
chrum

A chrum marmoreum,& figuram alabaſtrinam habebat Blācha filia ſancti Ludouici Re-
gis Francorum, quæ Ferrando Regi Caſtulonenſium nupſerat. Iuxta quā ſepulchrum
habebat Ludouicus de Valoys, filius Caroli Comitis Alenconiorum,Carnutum,& An-
degauenſium: qui ex hac vita migrauerat anno Domini 1329. die ij. Nouembris.Dein-
de in eodem quoque chori meditullio ad duos pedes erectus erat tumulus Alberti Car-
porū Principis cum ſtatua ex ære Cyprio,quæ ſola incendio ſuperfuit. Inſculptum erat
huic iſtud epitaphium. Alberto Pio de Sabaudia Carpenſium Principi, Franciſci Regis
fortunam ſequuto, quem prudentia clariſſimum reddidit, doctrina fecit immortalem,
& vera pietas cęlo inſeruit.Hęredes męſtiſſ.poſuerūt, anno Dñi 1535. vixit annos quin-
quaginta quinq;.Extabāt rurſus ibidē plura alia Archiepiſcoporum,Epiſcoporū,Nobi-
liū,& Senatorū ſepulchra partim erecta,partim humi depreſſa, quęſigillatim enumerá-
B re prolixius fuiſſet.Satis ergo ſit hæc illuſtriora commemoraſſe, vt ad alia properemus.

Multa quoq; extabant in templo, atq; nunc extant in capitulo & clauſtro ſepulchra
patrum & Doctorum, qui iam ab initio Ordinis, & huius conuentus, vtrumq; pietate
& doctrina non parùm exornauerant. Atq; imprimis ſub magno illo pulpito ligneo,
quod diximus chorum à naui diſterminaſſe, iuxta ſacellum D. Franciſco ſacrum, ſatis
ingens ſaxum erectum erat, in quo inſculpta erat effigies pijſſimi patris,ac celeberrimi
Doctoris Alexandri Alenſis cum huiuſmodi verſibus illo ſæculo vulgatis & receptis.

Gloria Doctorum, decus & flos Philoſophorum,
Auctor ſcriptorum vir Alexander variorum,
Norma modernorum, fons veri lux aliorum,
Inclytus Anglorum Archileuita, ſed horum,
C *Spretor cunctorum, fratrum collega Minorum*
Factus egenorum, fit primus Doctor eorum.

Et poſtea. Obijt autem anno incarnationis Dominicæ 1245. xij. cal. Septembris.

In tabella quoque muro appenſa adſcripti ſunt hi verſus, quorum commemoratio
omnibus ideò iucunda erit, quòd illius ortum, vitam, magiſterium, religionis ingreſ-
ſum, ſtudia, beatum deniq; finem ſatis eleganter comprehendat.

Qui tibi maiorum repetis monumenta per orbem,
Patris Alexandri geſta viator habe.
Hic placito Superum prognatus gente Britannæ,
Protinus à puero flexit ad aſtra gradum.
Non Gazæ meminit, nec auorum rura licetur.
D *Pectore in eximio ſola Minerua ſedet.*
Ergo freta emenſus, & vaſtos æquoris amnes,
Se totum ad ſtudium Pariſienſe tulit.
Quo vel Socraticos, vel ſummos quoſq; Platones
Ingenio facilè dexteriore præit.
Inde polum, & cælos, & quæ ſuper aſtra geruntur
Rimatus, didicit abdita facta Dei.
Sic tandem & meritis, & digna laude probatus,
Doctrinæ & verbi fit ſator atq; pater.
Aſt vbi theologis pugnax ſententia venit,
Acciperet Minor ſigna magiſterij;
E *(Nullus enim ſacri Doctoris ſigna ferentem,*
Ex grege Franciſci viderat orbis adhuc.)
Magnus Alexander cui mens perſancta fuiſſet,
Ac deuota diu, & religioſa Deo:
Ipſe ego (mox inquit) certamina litis iniquæ
Compeſcam, non erit cui ſuus obſtet amor.
It vir, & induitur palla vilente Minorum:
Quiq; Magiſter erat, fit pius ecce Minor.
Nos quid obeſt (dixit) humilem geſtare togellam,
Qui pariter gerimus nomen onuſq; patris?

Quid contra impediat ſublimi in nomine mentem A
Cordigeros fratres continuiſſe piam?
Diſcipulos Chriſti, quibus eſt luſtrare popellos,
Quis ferat ignaros iuſſa docere Dei?
Non tumet irrigua cœleſti flumine virtus:
Nec ſeſe extollit, cui Deus auctor adeſt.
Mens humilis, purgata dolo, conſerua Deorum
Nec fama augeſcit, nec iacet, ima colens.
Iam primùm poſthac Doctor fraterculus ibo
Veſte ſub hac minimus, parta trophæa gerens.
Dixerat, hinc patuit Franciſci ſemper alumnus, B
Laurea Doctorum, qui tot vt aſtra micant.
Tum demum ex ſuperis captum geminare talentum
Nec torperet iners prouidus inſtituit.
At ſchola ſacrorum quia nil ſatis ordine norat;
(Cuncta quidem incertis ſparſa fuère locis)
Hic prudens opifex multa celeberrimus arte.
Compage & neruis conſolidauit opus.
Primus in articulos diuina volumina duxit:
Artis & in morem retulit acta ſenûm.
Quo duce præmonitus in prælia diuus Aquinas,
Quot quot & vſq; legis fortius arma gerunt. C
Nec quiſquam adueniet, quamuis ars creſcit in horas,
Tam mente integra qui ſenis orſa latret.
Hauriet hinc potius veluti de fonte liquorem:
Et tanquam exemplar præferet vſq; virûm.
Hæc breuibus dixi: quæ cætera multa ſuperſunt,
Non vacat vt noris, qui citus ire pergas
Clauditur hoc ſaxo famam ſortitus abundè
Doctor Alexander iunctus in axe Deo.
Si quis honos meritis, ſi qui virtute coluntur,
Hunc animo præfer, hunc venerare patrem.
Ne ſorde & culpa pigritêre per otia deſes D
Nanciſci ſtudio, quæ Minor iſte refert.

In proſpectu maioris aræ, chori ferè medio, terræ conditus fuit R.P.F.Bonifacius de Cæua Doctor, qui diu ſtrenuèq; laborauerat pro reformatione conuentuum Prouinciæ Francię Turonię, D.Bonauenturæ, & conuētus Pariſiēſis. Huiuſmodi epitaphiū eius tumulo adſcriptū fuit. Fratris Bonifacij de Cęua clariſſ. natalibus orti, omniq; diſciplinarū gloria eminentiſſ. ac Prouincię Frācię ordinis Minorū Miniſtri præſtantiſſ. hîc ſita ſunt oſſa 1517. Aprilis 12. Prouinciā Francię rexit anno Dñi 1507.1508. 1509. 1510. vt ex diplomatibus liquet. Huic coniuncta erat marmorea ſepultura R.P.Gulielmi Hiceti Doctoris; qui pietate & doctrina celebris pluribus annis conuentum Pariſienſem, deinde Prouinciam Franciæ laudabiliter rexerat. Hoc autem epitaphium habebat.

Hìc tegitur paſtor longè vigilantior Argo: E
Quem reuocat plebs, & Minor Ordo gemit
Vox populo dulcis, doctrina, modeſtia, Iuris
Diuini interpres, Theologia, iacent.
Hoc ne terra foret cœleſti clarior aula
Et celeri in ſuperas nube receptus opes.

Animam Deo reddidit 1522. die 8. Auguſti. Erant quoq; ſub eodem lapide repoſita duorum venerandorum patrum & Doctorum corpora. Prioris multa doctrina & pietate inſtructi nomen erat F. Petrus à Cornibus conuentus Belnenſis Prouinciæ D. Bonauenturæ. Poſterioris F.Iacobus Hugonis Carolo IX.Regi Francorum à concionibus, ſimulq; pro eo apud Philippum Regem Hiſpaniarum ſemel legatus. Ad dexteram præ-

cipui

A cipui altaris ſuis tumulis mādati ſunt pij & eruditi patres ac Doctores Iacobus Dumon-
ſtier, Gulielmus Hugoti, Samuel Menouſt, Franciſcusq; Volantius, quorum duo
priores Prouinciæ Franciæ, & poſtea conuentui Pariſienſi præfecti fuerant: poſteriores
Prouinciæ Turoniæ. Refert D. Aluarus libro de planctu Eccleſiæ, & poſt eum Auctor
firmamenti trium ordinum R. P. Gundiſaluum in ſacra Theologia Magiſtrum Prouin-
ciæ D. Iacobi in Hiſpania, Miniſtrum Generalem electum in Capitulo Aſliſij anno 1304.
viſitando conuentum Pariſienſem, diem extremum ibidem clauſiſſe anno 1314. atq;
paulò poſt mortem, in eodem conuentu, in viſione quibuſdam fratribus glorioſum ap-
paruiſſe. Clauſtrum ingredientibus mox ad leuam occurrit tumulus cui inſcribitur: Ho-
norandus pater frater Iulianus Britonis ordinis Minorum conuentus Cenomanenſis,
à confeſſionibus Mariæ Reginæ Francorum. Obijt anno Domini 1291. Hinc ad capi-
B tuli locum pergentibus ſuo ordine octo ſepulchra lapidea priorum patrum occurrunt,
quorū inſculptę caputiorū formę ſatis indicant ętatem B. Bonauenturę vel ęquaſſe, vel
pręceſſiſſe. Inſcriptiones adeò pedibus tranſeuntiū ſunt attritę, vt integrè legi nequeāt.

In medio Capituli terræ conditum fuit corpus doctiſſimi, & pijſſimi patris ac docto-
ris F. Nicolai Lyrani ſub præmagno lapide, in cuius circumferentia hæc inſculpta
ſunt: Hic iacet F. Nicolaus de Lyra ſacræ Theologiæ venerabilis Doctor, cuius vitæ &
doctrinæ fama diffuſa eſt per diuerſa mūdi climata. Poſtillauit enim Bibliaad literam,
à principio vſq; ad finem. Is enim Prouinciæ Franciæ alumnus in conuentu Vernolien-
ſi, cuſtodiæ Normaniæ habitum Minorum accepit, quem honorificè exemplariterq; an-
nis 68. portauit, mortēq; obijt anno Dñi 1340. die 23. menſis Octobris. E regione in mu-
C ro ſurſum affixa eſt tabella marmorea, in qua literis aureis ſequētes verſus inciſi ſunt.

Ne me me ignores, properans, dum plurima luſtras,
Qui ſum ex his noſces, quæ pede buſta teris.
Lyra breuis vicus, Normana in gente celebris,
Prima michi vitæ ianua, ſorsq; fuit.
Nulla diu mundi tenuit veſania natum
Protinus euaſi religione Minor.
Vernolium admiſit currentem ad ſacra tyronem,
Et Chriſti docuit me domitare iugo.
Vt tamen ad mores legis doctrina beatæ.
Adyta planaret ſimplicitatis iter,
D *Artibus ipſe pijs, & Chriſti dogmate frætus*
Pariſijs excepi ſacra Magiſterij.
Et mox quæq; vetus, & quæq; recentior affert
Pagina, Chriſticolis ſplendidiora dedi.
Litera nempè nimis, quæ quondam obſcura iacebat,
Omnes per partes clara labore meo eſt.
Et quos ſæpe locos occidens litera tradit,
Hos typicè humanis actibus exhibui.
Extat in Hebræos ſanctiſsima condita turris,
Noſtrum opus, haud nullis communienda petris.
E *Inſuper & noſtri releguntur ſæpe libelli*
Quos in ſenſa Petri quatuor arte tuli.
Eſt quoq; quodlibetis non irrita gloria noſtris,
In quæ tu iuſtus arbiter eſſe potes.
Non tulit hæc ultra vitam perferre merendo,
Omnipotens Dominus, quo ſumus & morimur.
A cruce tu cuius numeres ſi mille trecentos,
Adiungens vnà quatuor & decades,
Illo me rapuit mors omnibus æmula ſæclo
Cùm micat Octobris terna vigena dies.
Iam quo tendis. Nicolai illectus amore?
Quo Doctore tibi lex reſerata patet?

Atq; hæc de honorando patre & Magiſtro Lyrano: ex quibus liquet quoſdam Coſmographos turpiter hallucinari, quando illum nunc Flandrum, nunc Batauum, mox quoq; Anglum faciunt. A

Lyrano adiacet ad dexteram alius tumulus, cui hæc adſcripta ſunt: Hîc iacet nobilis ac prudens Dominus Matthæus de Trye eques, Dominus de Moncy, qui ſingulari deuotione motus voluit, ac requiſiuit hoc in loco recondi in forma & habitu fratrum Minorum iiij. die Ianuarij, anno Domini 1360. Inter duas lapideas columnas quibus ædificium innititur, iacent duo ex ordine quondam aſſumpti Epiſcopi. Super vnius tumulo ſcriptum eſt. Hîc iacet R. in Chriſto pater & Dominus F. Ioannes Arnaldi de Prouincia Turoniæ, conuentus Niorti quondam Epiſcopus Sannatenſis, ſacræ Theologiæ Doctor eximius, ac ſuis temporibus hiſtoricus præmaximus, Confeſſorq; illuſtriſſimi principis Ioannis primi Ducis Bituriæ, qui obijt anno Domini 1416. die Maij ſexta. In alterius ſepulchro nullum ſcriptum ſupereſt. B

Inter priorem lapideam columnam & parietem ſacrarij repoſitum eſt corpus V. P. & Doctoris F. Gulielmi Superbi cum hac in circuitu lapidis ſuperpoſiti ſcriptura: Hoc tumulo iacet literis ac moribus ſanè conſpicuus Magiſter Gulielmus Superbi Thureyeñ. oriundus, conuentus Baiocenſis, olim regens huius ſacri conuentus, & Normaniæ Cuſtos, qui anno à Dominica incarnatione 1510. naturæ debitum exoluit die xx. Menſis Auguſti. Inciſi rurſum ſunt ibidem hi verſus.

Flebile tempus adeſt, ploret gemebunda Minorum
Turba: virum extinctum defleat omnis homo.
Flere licet, plorare poteſt Normana propago, C
Quæ dederat nobis hunc probitate virum.
O truculenta nimis mors, ô ſæuiſsima nempè
Quæ ingenio doctos non ſinit eſſe diu.
Hic poterat longos vitam conferre per annos
Hunc cupiente Deo, ſed rapis ante diem.
Semper adhuc viuas, viuas Guilelme Superbi:
Quo illuſtrata fuit religioſa domus.

Eodem in capitulo terræ mandatum eſt corpus religioſiſſimi ac doctiſſ. F. Simonis Fontani Doctoris ac Lectoris Theologi Prouinciæ Franciæ conuentus Senonenſis: cuius epitaphium tale eſt.

Fons ego cæleſti manans de fonte profudi D
Quas poto è ſacri gurgite fontis aquas.
Has ſibi dum ſitiens haurit fons, areo, ſed ſic
Vt redeam ad fontis prima alimenta mei.
Iam raptus viuo Chriſti me proluo fonte
Quo michi quæ fuerat deſinit eſſe ſitis.

Obijt 18. Septembris 1557. Atq; hęc de ſacris pręcipuiſq; patrū & fratrum Ordinis noſtri ſepulturis in conuentu Pariſienſi: de reliquis ædificijs dicamus.

Tanta fuit Chriſtianiſſimi, & ſanctiſſimi Regis Ludouici in Deum pietas, & de ſeruulis eius fratribus Minoribus bene merendi voluntas, vt præter eximium templum quod deſcripſimus, aliud quoq; eidem coherens, eiusdemq; ſtructuræ maximum & firmiſſimum ædificium conſtrui curauerit, in quo primùm ſacrarium, quo res ſacræ aſſeruari ſolent continetur. Illud lapidibus politis ſectiſq; conſtructum, ac firmiſſima teſtudine concameratum, & repagulis vndiq; ſeptum, cuſtodiendis ſacris veſtibus, linteaminibus, libris, candelabris, thuribulis, calicibus, pixidibus, & precioſis ſanctorum reliquiarum thecis, tutiſſimum locum præbet. E

Sunt ibi quoq; plurima ſummorum Pontificum diplomata, quibus vel quoſdam Ordinis ſanctos referunt in numero diuorum, vel eximiam in fratres animi propenſionem declarant, vel totum ſodalitium aduerſus impugnatores communiunt, vel quibuſdam condonationibus ex beneficijs exornāt. Horum quædam commemoraſſe vtile erit. Duo ſunt Gregorij IX. alterū datū Peruſij, Pontificatus ſui anno ij. alterū Laterani anno iiij. Quibus B. Franciſcum propter eximiam vitæ ſanctitatem, & præclara tum in vita cùm

poſt

A poſt mortem edita miracula, ſanctorum Confeſſorum adſcribit catalogo, præcipiens vniuerſis fidelibus diem eius feſtum celebrare iiij. nonas Octobris. Aliud eſt Alexandri IIII. datum Anagniæ pontificatus ſui anno primo, quo confirmat, probatq; ſacra Chriſti patientis ſtigmata eiuſdem beati patris manibus, pedibus, ac lateri verè impreſſa fuiſſe, eademq; ſeſe percepiſſe ac contrectaſſe, cum in minoribus agens familiarem cum ſanctiſſimo viro conſuetudinem contraxiſſet. Sũt & de eadem ipſa re Gregorij IX. & Nicolai IIII. authenticæ literæ. Eſt præterea bulla Gregorij IX. data Spoleti xvj.cal. Iulij, pontificatus ſui anno vj. qua enumeratis B. Antonij Paduani virtutibus, meritis, laboribus, miraculis deniq; ante & poſt mortem ab eodem factis, illum inter beatos cęli ciues Confeſſores annumerat, iubetq; diem feſtum memoriæ eius dicatum, ſingulis annis celebrandum eſſe idibus Iunij. Inſuper ijs, qui ſepulchrum eius illa die, & per B octauam viſitauerint, vnum annum de pœnitentijs iniunctis relaxat. Extant quoque literæ authenticæ Alexandri IIII. datæ Anagniæ vj.cal.Octobris, quibus B.Claram virginem refert in numerum beatarum. Clementis quoq; IIII. datæ Peruſij v. idus Octobris, Pontificatus anno primo, quibus omnibus verè pęnitentibus, qui eccleſias fratrum Minorum inuiſerint diebus dedicationum B. Mariæ Deiparæ, ſanctorum Franciſci, Antonij, & Claræ, aliorumq; ſanctorum, in quorum memoriam præcipua altaria conſtructa ſunt, centum dies de pœnitentijs iniunctis condonat. Idem quoque vnius anni & quadraginta dierum indulgentias his confert, qui in eccleſiam fratrum Minorum conuentus Pariſienſis religionis gratia venerint in eiuſdem anniuerſario dedicationis die, bulla data Viterbij, anno pontificatus tertiò. Idem rurſus alia bulla data Romæ apud ſanctum Petrum ij. cal. Maij, anno Pontificatus primo, vniuerſos fratres Minores C eximit à cuiuſcunq; alterius à ſummo Pontifice ſubiectione: quin & eorum libros, loca, & vniuerſa bona terrena ſub ſolius Papæ dominio conſtituit, vſum autem illis impertit. Inſuper diplomate dato Anagniæ iiij. cal. Nouenbris, anno ſui Pontificatus ſecundo, hortatur Regem Francorum, vt faueat Rothomagenſi, & Turonenſi Archiepiſcopis, & Pariſienſi Epiſcopo, quibus iniunxerat, vt ſeuerè caſtigarent illos, qui ſeu priuatim, ſeu publicè fratres Minores & Prædicatores diffamabant, dicentes illos non eſſe in via ſalutis, diuina officia in eorum templis non eſſe audienda, nec illos poſſe confeſſiones ad ſe venientium audire, aut ad populum concionari. Idem quoq; ſuis literis Apoſtolicis pręſtiterunt Gregorius IX. Benedictus XI. Clemens IIII. & Innocentius IIII. Quin & Innocentius IIII. diplomate dato Peruſij vij. cal. Auguſti, anno Pontificatus x. eximit omnes conuentus fratrum Minorum ab omni decimarum ſolutione ex his terræ D fructibus, qui in hortis & ſeptis illorum naſcuntur. Aſſeruatur quoq; bulla data Laterani, qua Alexander IIII. anno ſui Pontificatus ſecundo conceſſit fratribus Minoribus conuentus Pariſienſis tum in Miſſis priuatis, tum cum nota cantatis dicere Gloria in excelſis &c. & proſas competentes, non obſtante ſtatuto capituli Generalis Metis celebrati, quo id prohibitum fuerat. Habentur quoq; ibidem publicæ literæ Vrbani IIII. datæ Viterbij xj. cal. Decembris, anno ſui Pontificatus primo, quibus P. Guardiani, cęterorumq; fratrum conuentus Pariſienſis precibus ſeſe commendat: eiſdemq; omnem beneuolentiam, & ſanctæ ſedis Apoſtolicæ fauorem pollicetur. Eſt & tranſuptum literarum Martini IIII. quibus permiſit conuentibus noſtris habere procuratores ſeu ſyndicos, qui eleemoſynas eorum nomine procurent, recipiant, ac in vſus neceſſarios diſtribuant. Cuſtoditur etiam bulla Gregorij IX. data Viterbij iij. nonas Maij, anno ſui E Pontificatus xj. qua diſtrictè mandat Archiepiſcopis, Epiſcopis, Decanis, & Plebanis, vt fratres Minores ſinant concionari ad populum, eundemq; dicti Ordinis ſacerdotibus peccata ſua confiteri, abſolutionemq; percipere. Extat quoq; Innocentij IIII. bullæ tranſumptum, qua conceditur fratribus ſacerdotibus ſacrum facere, confeſſiones audire, & concionari in parochijs, etiam ſi reluctentur Parochi. Idem Innocentius, diplomate dato Laterani iij.cal. Iunij, prohibet vniuerſis ab ordine alienis habitum fratrum Minorum, aut alium eidem aliquo modo ſimilem deferre, aliàs cenſuram Eccleſiæ incurrent. Eſt deniq; bulla Leonis X. data Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo piſcatoris, die vndecima Aprilis, anno Domini 1518. qua ſub excommunicationis latę ſententiæ interminatione prohibet fratribus Conuentualibus, ne verbo, aut facto mole-

ſti ſint fratribus de Obſeruantia : Sed omnino ſeruent bullam concordię inter eos conſti- A
tutam hucuſq; de ſummorum Pontificum diplomatibus.
Vno pariete à ſacrario diſterminatur capitulum longitudinis pedũ 76.latitudinis 55.
quo feria ij.iiij.& vj.omnes fratres conueniunt commendationes benefactorum auditu-
ri,& ſuffragia publica pro viuis & defunctis perſoluturi. Deinde culpas coram pręfecto
humiliter agnoſcunt, & pro cuiuſq; conditione aut defectibus pœnitentiam ſuſcipi-
unt. In hoc veluti loco ſacro erectis tribus aris officium diuinum noctu dieq; celebra-
tum fuit annis quatuor ſuperioribus; ideſt à templi conflagratione ad chori nouiſſimi
inſtaurationem. In eodem quoq; iam ab initio ſub lapidibus politis, & quadratis terrę
condita fuerunt multa multorum doctiſſimorum, & pijſſimorum patrum corpora,qui,
dum vixerunt, doctrina & virtute toti Eccleſię catholicę & ordini Minorum decori fue-
runt & ornamento. Horum quidam ob eximiam pietatem & ſingularem ſcientiam à B
Regibus, Reginis, & ſummis Franciæ Principibus aſciti fuerunt, vt illis eſſent à ſacris
confeſſionibus, & concionibus, alij ad Epiſcoporum gradum & ſolicitudinem, alij ſo-
litudine ſua contenti, poſt quàm multos annos publicè legendo & docendo in eodem
conuentu laborauerunt, animabus Creatori ſuo redditis, ibidem corporibus ſepulturæ
locum ſuſceperunt. Præcipuos ſuo loco commemorauimus.
Capitulum rurſum muro ad meridiem coniungitur aula ſpatioſa,quę ante annos 60.
totius collegij ſchola Theologica fuit, alijs autem poſtea longè amplioribus, elegan-
tioribus & commodioribus conſtructis, humilioribus vſibus adaptatur. Atq; hæ tres
ædes in inferiore maximi illius ædificij parte continentur. In ſuperiorem autem partem
aliquot ex ligno gypſoq; gradibus conſcendentibus,occurrunt duæ cellæ,ex quibus ve- C
luti ex certis ſpeculis maior pars conuentus videri poteſt, atq; id circo à Guardianis vt
plurimùm incoluntur. Succedunt quatuor ordines cellularum decenter ſibi partim co-
hærentium, partim infra ſupraq; poſitarum. In primo ordine dormitorium ingredien-
tibus ad dextram ſunt 13. ſubter poſitæ, totidemq; ſecundo ordine ſupra poſitæ, qua-
rum omnium feneſtræ ad occidentem conuentus clauſtrum reſpiciunt. Tertius ordo ad
leuam conſtitutus 15. cellulas infernè continet, ſupernè verò tantùm 8. quæ quia ſu-
biectis paulò ſunt latiores & ameniores Doctoribus, & Prælectoribus collegij conce-
duntur. Harum proſpectus eſt ad Orientem, & maius conuentus atrium, quod curiam
vocant. Eſt rurſum à patte clauſtri ad hoc ædificium appendix,in quo 12. ſunt cellulæ,
quæ vt plurimum Cantoribus tribuuntur,quòd ex his ſit breuior & facilior ad templum
deſcenſus. Sicq; in hoc dormitorio 73. patrum ſtudentum cellulas reperies. Clau- D
ſtrum quidem templi longitudine clauditur, ab Oriente nunc memorato ædificio,capi-
tulo, & dormitorio, à meridie porrò vilibus caſulis ligneis & ſtramineis olim finieba-
tur; at nunc præalto & maximo ex lapidibus quadratis & ſectis cæmentoq; conſtructo
ædificio, quod tres alios ordines cellularum patrum in Theologia ſtudentum elegan-
ter ſibi ſuperpoſitarum comprehendit. Inferior pars, quæ dormitorium Conceptionis
B. Deiparæ à fratribus nuncupatur 18. continet cubicula : media quæ à natiuitatæ eiuſ-
dem immaculatæ Virginis denominatur 20. patrum ſtudentum cubiculis locum præ-
bet. Quibus ſi addideris duo alia cubicula in extremis templi partibus relicta ſexageſi-
mum cubiculorum numerum perfeceris.
Totius ædificij fundamenta iecit P.Nicolaus Grandis Prouinciæ D.Bonauēturæ,licèt
Lutetiæ ortus,qui multis vigilijs,ſtudijs,& pręlectionibus gradũ Doctoratus in Pariſieñ. E
facultate promeruit,conuentui aliquot annis pręfuit,& doctiſſimis in Epiſtolas B. Pau-
li ad Romanos, & ad Hebræos relictis commentarijs fœlicem poſteris ſuis memoriam
reliquit. Opus perpetuauit P. Richardus Cenomanus conuentus Carnotenſis Prouincię
Franciæ, qui & ipſe eximia virtute & ſapientia Doctoris lauream adeptus, perdoctis
in Pſalmos commentationibus, & aliquot alijs ſcriptionibus, inter pios & doctos ſcri-
ptores Eccleſiaſticos meruit computari. Ædificio extremam manum adiecit P. Guilel-
mus Hugot & ipſe Prouinciæ Franciæ, conuentus Meldenſis, ac Doctor Theologus,
cùm tribus annis conuentui Pariſienſi pręfuiſſet. Conuentum communi magnaq; ianua
ingredientibus patet area ſatis quidem lata,ſed magis oblonga,quæ alijs quinque cellu-
larum ordinibus omni ex parte circumcingitur. Primò ab Occidente illis,quas diximus
capitulo

A capitulo ſuperpoſitas. Secundò à parte murorum ciuitatis qui proximè adiacent, 19. cubiculis. A parte valetudinarij Communis 8. à parte Orientis 16. à parte Septemtrionis, & ſacrarij alijs 14. His omnibus ſi addideris alia 14. cubicula, quæ quia ad hortum conuentus orientemq; conuertuntur, Baccalaureis vt plurimùm conceduntur 81. patrum ſtudentum in Theologia, Baccalaureorum, & Magiſtrorum cellas reperies. Numerus itaq; vniuerſarum cellularum erit 214. quæ adeo maxima totius anni parte patribus ſtudentibus refertę ſunt, vt frequēter recens ad ſtudium accedentes oporteat recedere, ac tantiſper expectare, quoadusq; aliquis ſuæ Prouinciæ præfinitum ſtudij tempus abſoluerit. Cellæ vt plurimùm 14. aut 15. pedum ſunt longitudinis, totidemq; latitudinis.

Quia vix, imo ne vix quidem fieri poteſt, vt in tam conferta frequentiq; fratrum mul- B titudine, nonnulli aduerſa valetudine laborent, diuina prouidentia, & Heroidum Gallicarum beneficijs, illis de ampliſſimo, & commodiſſimo Valetudinario iam dudum prouiſum eſt. Nam illuſtriſſ. D. Ioanna, Franciæ & Nauarræ quondam Regina (quemadmodum veſtibulo affixæ vnà cum precatricis Heroidis effigie, duæ tabellæ marmoreæ docent) filia D. Ludouici filij Regis Franciæ, & Comitis Ebroicenſis, vxor autem Caroli 4. Francorum & Nauarrorum Regis, anno Domini 1341. ſuis expenſis conſtrui curauit ampliſſimam & firmiſſimam domum, in qua hæc pro fratribus infirmis colligendis peropportuna diuerſoria continentur. Imprimis duo ampliſſima cœnacula, in quorum priore decem ſatis ampla cubilia ſunt, in quibus ægri omni humanitate colliguntur & fouentur: in poſteriore, qui conualeſcunt, prandent, deambulant, & C defecta longis ægritudinibus corpora aliquantò liberius recreant. Primo cœnaculo ad Orientem adiacet honeſtum & ſacrum ſacellum, quo qui poſſunt ex infirmis quotidie ſacris vel operantur, vel interſunt. Secundo verò ad Occidentem, officina medica & vnguentaria in vſus infirmorum. Superiorem domus partem occupat primo ordine cella, quæ peſtilentia, aut alio quouis contagioſo morbo laborantibus deputata eſt. Deinde altera aula quatuordecim grabatis referta, vnà cum perhoneſto ſacello, in quo res diuina fit, cum id exigit infirmorum numerus. Sunt rurſum & aliæ tres cellæ iuxta poſitæ, in quarum qualibet lectulis tot infirmi commodiſſimè iacere poſſunt. Cùm autem Regula præſcribat: Si qui fratrum in infirmitatem ceciderit alij fratres debēt ei ſeruire, ſicut vellent ſibi ſeruiri: magna ſemper fuit cura de illis. Medicus namq; totius vrbis optimus, & ordinis amantiſſimus ſeligitur, qui totius collegij communibus ſtipendijs D perceptis ſingulis diebus ſemel, aliquoties etiam ſecundò & tertiò ſingulos infirmos viſitet, eisq; proſpiciat. Inuigilat toti Valetudinario probatæ vitæ frater laicus, rurſum quoſdam alios quantum opus ęſtimatur ſub ſe habens laicos, qui infirmis ad nutum inſeruiant. Viſuntur quoq; omni fermè hora à confratribus & amicis, quantum quiſq; charitate præditus eſt. Præſtò eſt in ſuperius nominato ſacello ſacrum Oleum infirmorum, quo iuxta Apoſtolum à presbytero vnguntur in nomine Domini, cùm opportunum ac neceſſarium videtur. Quoniam verò aër purus ac tenuis ſaluberrimum ſpiritum præbet hominibus, Dei beneficio ac piorum hominum eleemoſynis, ita infirmis noſtris proſpectum eſt, vt quatuor hortulos ſatis amœnos omni ex parte Valetudinarij habeant, vbi ſe oblectare ſine interpellatoribus poſſunt. Ab hac autem domo ad conuentus aream redeuntibus occurrunt ſub duplici dormitorio conſtructæ quatuor ho- E neſtiſſimæ cellæ: in tribus clari viri, qui ad nos diuertunt hoſpitio recipiuntur: in quarta Syndicus (iuxta Martini IIII. conceſſionem) eleemoſynas procuret, recipiat, diſtribuat, & ſingulis menſibus dati & accepti reddat rationem, vnà cum ſeruo ſuo habitat. Sequitur ampliſſ. Tonſtrina, in qua quolibet ſaltem menſe tondunt fratres de religioſo more barbam & capillos. Duę quoq; ſubijciuntur cellæ, quas incolunt qui conuentus inſtrumentis, & accepti, expenſiq; tabulis & rei domeſticæ inuigilant.

Hinc ad dexteram proſpiciētibus duo patent itinera, quibus vel ſub dio, vel ſub tegumento, vt placuerit, ad maiores ſcholas pergitur, relicto ad eandem partem horto vitibus è pergulis ſuſpenſis, varijsq; herbarijs ſatis amœno, amplo autem longitudine pedum 199. latitudine 142. Sunt autem ſcholæ eius formę vt in tota Pariſienſi vniuerſitate, omnium iudicio, nullæ ſint ampliores, elegantiores clarioresq;, quippequæ ſine vllis inte-

lis interiora domus ſuffulcientibus aliquasq́; offundentibus tenebras columnis 76. pe- A
des habeant longitudinis, latitudinis verò 46. vndecim autem maximis feneſtris col-
luſtrentur vndiq;. In his ampliſſimus erectus eſt ſuggeſtus,ex quo Doctores pro lectio-
nibus dicunt: & alius inferior ex quo ſuo ordine Baccalaurei,plurimis ordinatim diſtri-
butis ſedilibus pro diſcipulis & auditoribus. Conueniunt autem horis matutinis ad le-
ctiones duas de Theologia, quæ præſertim in ſpeculationibus, & quæſtionibus verſa-
tur: & pomeridianis, ad totidem in quibus de ſacris ſcripturis diſſeritur. Prioribus vt
plurimùm Baccalaurei, poſterioribus ſemper Doctores eiuſdem ordinis præficiuntur.
Studentes patres quotidie à quarta veſpertina in quintam in eiſdem ſcholis de præfatis
ſuis lectionibus diſputant, quolibet illorum ſuo ordine reſpondente, alijs aduerſus eum
diſputātibus.Fiunt quoq; ſemel qualibet hebdomada publicę de theſibus affixis diſputa-
tiones, vno propugnante, cæteris pro ordine diſſerentibus, quodam ſemper Baccalau- B
reo Præſide,cæteris Doctoribus & Magiſtris, cùm opus eſt,dicētibus ac diiudicantibus.

Vt autem omnia ordine fierent, nec multitudo confuſionem pareret, à reuerendiſſi-
mis P. Ioanne Piſſotto Parmenſi & Caluo totius Sodalitij Generalibus Miniſtris ſanci-
tum eſt, ſimulq́; à Franciſco primo Rege Francorum authenticis literis datis in caſtel-
lo Fontis bellæ-aquæ 27. Decembris 1543. ſupræmoq́; Senatu Pariſieñ. ratum habi-
tum, vt tres præcipuæ Regni Franciæ Prouinciæ ad obſeruantiam Regularem refor-
matæ,quibusq; ſolis conuentus adminiſtratio credita eſt, maiorem numerum patrum
ſtudentum illuc mitterent. Prouincia Franciæ 40. Prouincia Turoniæ 20. Prouin-
cia Burgundiæ (quæ nunc D. Bonauenturæ dicitur) viginti: quælibet autem aliarum
Galliæ Prouinciarum, vt Franciæ Pariſienſis, Turoniæ Pictauienſis, Aquitaniæ anti-
quioris, & ſancti Ludouici 8. Prouincia Aquitaniæ reformatæ 5. Prouincia Britaniæ to- C
tidem: Extranei à Regno 25. Prouincia ſancti Andreæ, quæ à Franciæ Prouincia di-
ſiuncta eſt, ex noſtra conſtitutione mittere poteſt ad præfatum ſtudium 4. dumtaxat.
Numerus itaq; patrum Theologiæ incumbentium ex iure poteſt eſſe 150. abſq; Docto-
ribus, Baccalaureis, Cantoribus, alijsq́; conuentus officiarijs, qui vt plurimùm nu-
merum ſuperant 50. Gratia verò & facilitate eorum qui præſunt, quælibet Prouincia
pręfixum ſibi numerum longè frequentius excedit, quàm imminuat.

Porrò ex patribus ſtudentibus trium præcipuarum Prouinciarum,videlicet Franciæ,
Turoniæ, & D. Bonauenturæ duo quotannis ſeliguntur, qui à R.P. Generali acceptis
literis, ad lecturas publicas Magiſtri ſententiarum: & poſt aliquot annos tota ſpectante
vniuerſitate publicas diſputationes, ac reſponſiones Tentatiuæ, Sorbonæ, maioris, &
minoris ordinariæ, quodlibetorum, & veſperiarum habitas, Doctoris laurea in aula D
R. D. Epiſcopi Pariſienſis in ſignum honoris & reuerentiæ donentur. Vnus, ad quem
ſpectat Philoſophiæ curſum integrum fratribus iuuenibus prælegere, iure ordinario
& antiquo: alter ordinario quidem, ſed nouo, ideſt diplomatis à Paulo III. conceſſi
anno Domini 1549.ad hoc munus prouehitur: indeq́; efficitur,vt in quolibet candida-
torum Theologorum ordine (licentiam communiter appellamus) ideſt quolibet bien-
nio 4. ſaltem Franciſcani his gradibus & honoribus augeantur. Nam aliquot alij, ſed
ex eiſdem ſolum tribus Prouincijs, aut domini Decani aliorumq́; Doctorum beneuo-
lentia,aut Principum & Pontificum fauore, ad eandem dignitatem promouentur in-
terdùm. Quoniam autem pręfatus conuentus Pariſienſis non ita pridem ad Prouinciam
Franciæ omnino pertinebat,effectum eſt, vt eadem ſola tot ex ſtudentibus ſuis iure anti- E
quo ordinario prouehat, quot aliæ duæ: ius autem nouum ſeu diplomatis cum eiſdem
æqualiter diuidat.

Cæterùm vnde ortum ſit ius illud antiquum, & qui ab initio, ac deinceps eodem vſi,
proprijs ſtudijs, laboribus, & meritis in Eccleſia & ſodalitio celebres euaſerint, dictu fa-
cilè nec iniucundū.Conſtat enim ex Vincentij continuatore lib. 31. Bergomenſi lib. 13.
Volaterrano,Sabellico,Authore libri,qui dicitur fundamentum trium Ordinum & epi-
taphio Alexandri Alenſis, eundem Alexandrum,natione Anglum, vtriusq; Iuris pro-
feſſorem, Theologiæ deniq; Doctorem clariſſimum,ante annum Domini 1240. relicto
ſęculo, veſte, domo, moribus ac profeſſione Franciſcanis fratribus adhæſiſſe, in con-
uentu Pariſienſi. Occaſionem huiuſmodi referunt. Inſigni pietate in B. Deiparam affe-
ctus,

A ctus, vouerat ſe cuncta poſſibilia facturum, quę quis in illius nomine & gratia ab eo poſtulaſſet. Hoc autem cum fratribus Dominicanis per quoſdam pios viros innotuiſſet, duos ex ſuo cœtu ad eum miſiſſe, qui virum B. Virginis nomine ac obteſtatione rogarent, vt in eorum ordinem tranſiret. Sed cùm ad colloquium ventum eſt, præcipuę ſuæ legationis obliti, tantum de rebus alijs loquuti receſſerunt: Idemq; & ſecunda & tertia legatione contigit. Tum pij illi admonitores, quòd res non ſuccederet pertæſi duobus fratribus Minoribus, qui tum in vico ædibus domini Alexandri proximo eleemoſynas colligebant, negotium aperiunt. Fratres nulla inter poſita cunctatione, ad illius ianuam properant, pulſant, occurrentem pijſſimum Doctorem beatiſſimæ Virginis Matris Domini noſtri fauore interpellant, vt ordinem D. P. Franciſci ſua doctrina, pietate, & profeſſione illuſtrare dignaretur. Dictum illico factum. Tunc ſcholæ pu-
B blicæ in conuentu apertæ, & tantus auditorum ex omnibus ordinibus ad viri prælectiones concurſus, vt vix dici queat. Videbatur cum Franciſcana profeſſione neſcio quid ardoris ſeraphici induiſſe, quo diſcipulos ſuos ad incredibile ſtudium pietatis & literarũ diuinarũ accenderet. In his Gerſon, Stephanus Bruleferus, auctor fundamenti trium ordinum, epitaphium deniq; eiuſdem Alexandri beatum Thomam Aquinatem Doctorem verè Angelicum, annumerãt: quod & vetuſtiſſima pictura in pariete capituli fratrum Minorunt Pariſienſium, in quo docebat, adeò euidenter comprobat, vt nec Balæus, nec Centuriatores Magdeburgenſes hæretici, quantumuis ſancti viri gloriæ inuideant, ac famæ detrahant, id negare ſint auſi. Paralippomena quoq; Abbatis Vrſpergenſis referunt hunc anno 1238. diſputationi Pariſienſi de pluralitate beneficiorum interfuiſſe, ſuamq; de ea ſententiam dixiſſe: quod in Alexandri noſtri tempus penitus incidit. Itaq; fratris Alexandri Alenſis primi inter fratres Minores Doctoris pietate ac
C celebritate permoti ſacræ facultatis Theologiæ Pariſienſis proceres virum monent rogantq;, vt quem ex ſuis diſcipulis fratribusq; aptiorem noſſet eidem facultati quotannis præſentaret ad libros Sententiarum perlegendos, & inſignia Doctoris Theologi tandem pro laboribus accipienda. Is ſecum perpendens quantum hoc ad Eccleſiæ obſequium, & ordinis decus pertineret, orationibus ad Deum præmiſſis reuelatione didicit F. Ioannem de Rupella huic rei valde idoneum. Is igitur multis laboribus, ſtudijs, virtutibus, & ſcriptis publicè editis clarus, ſecundus in ordine Doctor Pariſienſis euaſit. Tertius S. Bonauentura, qui & Euſtachius dictus eſt natione Tuſcus, patria Balneo reginus, Minorum poſtea Miniſter Generalis, dehinc Epiſcopus Albanenſis, atq; S.R.E. Presbyter Cardinalis per Gregorium X. creatus. Huius pietas & ingenium Ale-
D xandro Alenſi tantoperè placuit vt ſæpè diceret: In fratre Bonauentura non videtur Adam peccaſſe. Gerſon quoq; de eodem ſcripſit: Neſcio ſi vnquàm talem Doctorem ſicut Bonauenturam, habuerit ſtudium Pariſienſe. Platina refert Clementem IIII. eiuſdem doctrina mirificè delectatum. Bergomenſis lib. 13. refert eum mortem cum vita æterna commutaſſe anno 1274. Lugduni, quo Gregorius X. Concilium Oecumenicum ex Latinis Græciſq; congregauerat. Vincentij continuator lib. 31. addit cor eiuſdem anno 1482. adhuc integrum inuentum fuiſſe, redacto in cineres reliquo corpore. Hugonoſtici rabie Caluiniana perciti precioſas eiuſdem reliquias flammis conſumpſerunt, fauillis poſtea in Rhodanum ſparſis anno 1562.

His duobus ad hæc vſque tempora plurimi alij alijs clariores ſucceſſerunt, quorum enumeratio quia minus neceſſaria eſt, paucis contenti erimus. Itaq; in ſuperiorum loco
E repoſiti ſunt. F. Ioannes Guala ſeu Vvala, qui ob omnium ferè diſciplinarum encyclopediam (Bartholomęo Piſano, Bergomenſi, & Trithemio referentibus) ter maximus habitus eſt. Gualtherus Brugenſis primùm Prouinciæ Turoniæ Miniſter, poſtea Pictauenſis Epiſcopus, qui Alexandri IIII. iuſſu multa conſcripſit, veluti teſtantur Bergomenſis & Trithemius. Chronica Flandrorum affirmant eum miraculis claruiſſe. Richardus re & nomine Minorita, ob præclaras animi dotes, factus poſtea Rhemenſis Archiepiſcopus. Haimo de Feuersham Anglus, qui inter Ariſtotelicos Ariſtoteliſſimus (id affirmat Lelander) habitus eſt, demumq; à Gregorio X. ad Græcos Legatus miſſus, Anagniæ rediens diem clauſit extremum. Nicolaus Bryto Innocentij IIII. à confeſſionibus, poſtea ciuitatis Aſſiſienſis Epiſcopus. Ioannes de Parma Bononienſis, qui de ſtudio Pa-

dio Pariſienſi, vbi ſententias legerat, anno Domini 1248. Pontificatus Innocentij anno iiij. in Generalem totius ordinis Moderatorem & patrem electus eſt, plurimaq; miracula fertur edidiſſe. Radulphum Colemburgum Minoritam adiungit Ioannes Lelander, quem vult Oxonij primò, deinde Pariſijs literis ſacris non ſolùm operam dediſſe, ſed & alijs publicè, magnaq; laude prælegiſſe, circa annum Domini 1270. Huic connectunt Rogerum Baconum, Græcè & Hebraicè doctum, qui ob incredibilem ingenij vim ſui ſæculi miraculum dictus eſt. Obijt autem anno 1284. Eodem tempore floruit quoque in conuentu Pariſienſi Richardus de Media villa, natione Brito, vtriuſq; Iuris peritiſſimus, & ſacræ Theologiæ Doctor præſtantiſſimus. Ibidem paulò antea, anno nimirum 1270. Gulielmus Varro, qui primùm Oxonij, poſtea Pariſijs ſcholaſticis lecturis præfuit, & vtramq; Philoſophiam non parum illuſtrauit. Ex eius ſchola prouenit Ioannes Duns ab oppido, quo ortus eſt, ſic dictus, natione Scotus. Is vbi Oxonij aliquanto tempore docuiſſet, ſingulari ingenij acumine ac ſubtilitate tantam ſui famam & admirationem excitauit, vt Lutetiam vocaretur, vbi laurea Magiſterij accepta, cathedram Theologam cum tanto prouentu tenuit, vt ex eiuſdem ſchola plurimi, ij deniq; doctiſſimi viri in ordine prodierint. Tandem Coloniam Agrippinam viſendi, docendiq; gratia pergens, ibidem obijt anno Domini 1308. magno ſui fratribus ac diſcipulis relicto deſiderio. Huius Doctoris re ipſa ſubtiliſſimi auditores, & poſtea cathedræ Pariſienſis Rectores & Doctores fuerunt Franciſcus Maronis, qui magna ingenij dexteritate ac fidentia, primus actum illum Sorbonium inchoauit, quo ſine Præſide, ſine cibo & potu, ſine vllis inducijs, ab hora quinta matutina ad ſeptimam vſq; veſpertinam, in ampliſſimo vrbis, imò etiam Orbis theatro, de ſummis Theologiæ & Philoſophiæ capitibus diſſerendum ac reſpondendum eſt. Hinc quoq; factum vt Baccalaureus ex familia Franciſcana ſtatas eas diſputationes (quæ à collegio Sorbonico Sorbonicæ vocantur) quotannis primus omnium auſpicetur. Maronis in ſchola Scoti condiſcipuli fuerunt, & gradum Magiſterij in eadem facultate adepti ſunt Petrus Aureoli, poſtea Aquenſis Archiepiſcopus. Gulielmus Ocham, qui Pariſijs docendo & ſcribendo claruit circa annum Domini 1330. reliquum vitæ in Germania dicitur conſumpſiſſe. Ioannes de Ripa, ingenij tam præſtantis vir, vt ante annum ætatis trigeſimum, quatuor Sententiarum libros publicè perlegerit, & Doctoris Theologi in facultate Pariſienſi lauream acceperit. Godefridus de Fontibus, Doctor venerãdus appellatus, & Cuſtodiæ Pariſienſis Cuſtos inſtitutus. Hugo de Nouo caſtro, Doctoris ſubtilis præceptoris ſui doctrinæ accerrimus propugnator. Antonius Andreas Aragonius, & ipſe Scoticæ diſciplinæ eximius defenſor. Aluarus Pelagius natione Hiſpanus, vtriuſq; Iuris & Theologię profeſſor, Ioãnis XXII. Pœnitentiarius, demumq; Syluenſis Epiſcopus, atq; S.R.E. Cardinalis; librorum de planctu Eccleſiæ auctor. Ioannes Canonicus, & ipſe quondam Scoti auditor ac æmulator, qui in Pariſienſi ſchola docendo & ſcribendo vitam vſq; ad annum Domini 1320. protraxit. Hucuſq; de Scoti diſcipulis.

Inter cæteros viros pietate & literis inſignes, qui poſtea in ſchola noſtra & facultate Pariſienſi enituerunt, toto orbe Chriſtiano celeberrimus eſt Nicolaus Lyranus, Prouinciæ Francię, Cuſtodię Normanię, conuentus Vernolienſis; de quo conſtans fama eſt, quod Hebræis parentibus ortus ſit. Cùm verò mater puerperij illius diuturnioribus moleſtijs conflictaretur, à Chriſtianis mulierculis admonita & perſuaſa, magna religione ſe ipſam, fœtumq; ſuum Religioni Chriſtianæ obſtrinxit & conſecrauit, ſi cum illo ſalua euaderet. Continuò verò Nicolaum noſtrum fœliciſſimè enixa, ſanctè vota Ieſu Chriſto reddidit. Floruit ex eadem Prouincia & Cuſtodia Rigaldus Gallicus, qui ob ſingularem pietatem & eximiam doctrinam, in Archiepiſcopum Rothomagenſem, totius Normaniæ primatem aſſumptus eſt. Ibidem rurſus enituit & cathedram rexit ante pontificatum Dominus Petrus de Candia, qui poſtea Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, poſtremoq; in ſedem B.Petri collocatus, Alexander V. appellatus eſt. Dehinc Franciſcus de Marchia, Petrus de Aquila, Alexander de Saxonia, Iacobus de Aſculo, Adam de Mariſco, Alexander de Alexandria, Petrus Ioannis, Pontius Carbonellus, Iacobus Spinellus, Bartholomæus Anglicus, Ioannes Pechanus, Gulielmus Maranus, Robertus Baſtienſis, Stephanus Bruleferus, Euſtachius de Curia, Antonius Farine-

A Farinerius,Bonifacius Cæuanus, Petrus Chambonius, & alij abſq; numero, ſacris ſtudijs ibidem prefuerunt, & Doctorum inſignia ſumpſerunt. Narrat inſuper auctor fundamenti trium Ordinum fratrem Raymundum de Prouincia Prouinciæ (à Græcorum colonia, Phocœa quondam dictę) in capitulo Reatino anno 1289. in patrem ac Rectorem Generalem totius Ordinis electum, ad preces Regis Franciæ, cum Pariſijs Capitulum generale cogeret, cathedram gradumq; Magiſterij in Theologica facultate ſuſcepiſſe. Noſtra memoria religione & ſcriptis illuſtres ex eodem Ordine & gradu emerſerunt patres Petrus à Cornibus, Richardus Cenomanus, Nicolaus Grandis, Gulielmus Bernardus, Ioannes Conſilium, Simon Fontanus, & Franciſcus Daheyus.

Nec velim quis exiſtimet trium Prouinciarum, ſcilicet Franciæ, Turoniæ, atq; ſancti Bonauenturæ patres huiuſmodi dignitate, & honore pacificè, & abſq; vlla con-
B tradictione potitos fuiſſe, nam Gulielmus quidam de ſancto Amore, & manipulares in ipſis initijs omnium quos potuerant animos in fratres noſtros incitauerunt, vt non tantùm hoc gradu deijcerentur, verùm & funditus delerentur. Acceſſit paulò poſt tumultus Pariſijs exortus inter ciues & ſcholaſticos adeò grauis,& multorū cędibus cruentus, vt hi de transferendo in Angliam ſtudio relicta Lutetia ſeriò conſultarent. Cùm his conſilijs nollent fratres acquieſcere, nec ſcholaſticis aduerſus Lutetianos tumultuantibus adeſſe, illos è ſcholis publicis & facultatis conſortio ſemotos, publicè legere aut diſſerere prohibuerunt. Re ad ſummum Pontificem Innocentium IIII. delata, calendis Iulij anno Pontificatus ſui vndecimo, qui in Chriſti annum 1354. incidit,grauiſſimis ad vniuerſitatis Rectorem, Doctores, & Proceres miſſis literis, auctoritate Apoſtolica præcepit,vt Magiſtros Minores & Pędicatores à ſuo conſortio per iniuriam eie-
C ctos reſtituerent, horum lectionibus publicis ſcholaſticos ſæculares adeſſe permitterent, & ſine vlla difficultate aut cunctatione ad priſtinum ſtatum gradumq; reſumerent. Idem rurſus altera bulla data Aſſiſij vij. cal. Septembris eodem anno, Magiſtros & vniuerſitatem Pariſienſem hortatus eſt, deinde iuſſit, non tantùm moleſtos non eſſe Magiſtris fratrum Minorum & Prædicatorum, ſed eoſdem omni potius humanitate & amicitia fouere: & vt hoc omnino præſtarent, Epiſcopos Siluanectenſem & Ebroicenſem inuigilare & proſpicere præcepit. Perlegimus & aliud paulò antiquius diploma, quo idem Pontifex anno ſummi ſacerdotij ſui ſecundo conſtituit, vt eiuſdem Theologicæ facultatis & ſcholę publicę,& diſputationes ſacræ,& honorabiles gradus fratribus Minoribus & Pędicatoribus cū alijs liberi & communes eſſent. Innocētij in Cathedra Petri ſucceſſor Alexander IIII. literis ad Epiſcopum Pariſienſem datis Anagniæ vj.
D calen. Iulij Pontificatus ſui anno v. quendam Guillotum nationis Picardorum facultatis artium apparitorem, tanquàm ſeditioſum, mandatorum ſedis Apoſtolicæ contemptorem, ac ſalutis ſuæ immemorem,Chriſtianorum ſacra communione interdixit, ac in perpetuum omni officio publico priuauit, eò quòd B. Thomam Aquinatem Doctorem actu concionantem contumelijs affeciſſet, ſimulq; ſcholaſticos & Rectores artium incitaſſet, vt fratres Minores & Prædicatores à ſacræ facultatis conſortio exploderent. Alijs rurſum literis datis Viterbij vj. Nonas Octobris, anno ſui Pontificatus iij. teſtatur Odonem de Duaco, & Chriſtianum Bellouacenſem Romam ad ſe vocatos, de omnibus quæ in fratres effutiuerant palinodiam ceciniſſe, ac ſacro magnoq; iureiurando ſeſe obſtrinxiſſe ad reſtituendum in ſocieratem Doctorum facultatis Theologicæ Thomam de Aquino, Bonauenturam, & alios Magiſtros ordinis Minorum & Prædi-
E catorum, quos magna iniuria paulò ante reiecerant.

Quanta verò vtilitas, quantum decus ac ornamentum toti reipublicæ Chriſtianæ ex hoc fratrum Minorum conuentu acceſſerit, manifeſtant imprimis lectiones aſſiduæ, quibus ſemper duo, nonnunquàm tres, aut quatuor (prout per tempus & rationem Præfectis Ordinis expedire videtur) in maximo, & præcellentiſſimo hoc collegio præficiuntur. Cæteri ad vnum omnes mox vt hunc gradum conſequuti ſunt, vel Theologicum curſum abſoluerunt, ſuas Prouincias ædesq; repetunt, vt quod ex eius vniuerſitatis vberrimis fontibus hauſerunt, ſuis popularibus propinent. Hinc in vniuerſa Gallia vix ciuitatem vnam aut aliquod inſigne oppidum inuenies, in quo Franciſcanus Theologus Pariſienſis Aduentus & Quadrageſimæ ſacris diebus, imò & præcipuis anni feſti-

uitatibus,

uitatibus, incredibili animarum lucro non concionetur. Vix vnum conuentum, ex quo A non prodeant 6. 10. aut 12. Euangelicæ doctrinæ pręcones. Rurſus ante omnium oculos poſiti ſunt, ingentiq; vtilitate perleguntur Doctoris Alexandri Alenſis 4. libri ſummæ Theologicæ, quos iubente Innocentio IIII. edidit. Item Compendium Theologiæ in ſex libros diſtributum: & in vniuerſa Biblia perdocti Commentarij. Extant etiam D. Bonauenturæ in 4. libros Sententiarum vtiliſſimæ quæſtiones, Commentaria in Geneſim, Eccleſiaſtem, Lucam, & Ioannem; atq; trecenta opuſcula aliquot magnis voluminibus compręhenſa. Doctoris Lyrani ſcripta catholici exoſculantur, hęretici laudant, Iudęi mirantur. Petrus Ioannis, & Pontius Carbonellus, magno labore ac induſtria, omnes veteris ac noui teſtamenti libros ſuis lucubrationibus explicauerunt. Guilielmus Varro vnà cum libris ſententiarum, vniuerſa Ariſtotelis opera commentationibus illuſttauit. Et quoniam cæterorum quos ſuperiori capite enumerauimus ſcripta in B ſuis bibliothecis ſatis abundè connumerant Trithemius, Ferrerius Senenſis, noſterq; catalogus eorum meminit, ideò conſultò ſuperſedemus. Redeuntibus à ſcholis ad templum occurrit ad dexteram aula (refectorium communiter appellamus) quæ amplitudine, elegantiaq; vix in tota ciuitate parem habet. Eſt enim longitudinis pedum 208. latitudinis verò 60. inſuper firmiſſima ſelectorum lapidum ſtructura, & altiſſimis columnis forinſecus vndiq; munita, & circumſepta. Aſcenſus in eam patet aſcenſu 7. graduum, altiſſimaq; porta: colluſtratur autem omni ex parte 30. duplicibus, lateq; patentibus feneſtris, in quibus omnium fermè Principum Chriſtianorum gentilitia inſignia viſuntur. Murorum interior pars lignis vndiq; veſtitur, & ſcamnis ornatur: his adiacent 14. prælongæ menſæ, in quibus cibi tempore recumbunt ſacerdotes: medium C autem occupāt duodecim fratribus iuuenibus dicatæ. Sunt etiam illic opportunis locis diſtributa promptuaria, vinaria, panaria, piſcaria, & carnaria; ex quibus fratres laici tanta promptitudine cibos recumbentibus adminiſtrant, vt intra breuis horæ ſpacium quadringenti, & eò amplius fratres, abſolutis benedictionibus, prandio vel cœna, iam ſurgant ad gratiarum actiones.

Pars ſuperior, ac media totius ædificij 180. ligneis grabatis fratrum iuuenum dicata eſt: quibus alia 42. propter aduentantium copioſiorem numerum, anno 1584. adiuncta fuêre, adeò vt eorum numerus ad 222. excreuerit. Illa in duodecim ordines, treſq; hierarchias concinnè diſtributa ſunt: & vt ordine omnia fiant, eiſdem iuuenibus præfectus P. Vicarius ex vna parte, Confeſſarius ex altera diſtinctas ibidem cellas habent, ex quibus quicquid fit, aut dicitur in tanta multitudine facilè percipiunt, diurnis D. ac nocturnis horis omni occaſioni adſunt, & omnia, iuxta præſcriptas à patribus conſtitutiones, prudenter moderantur.

Ex hac ſuperiori parte paucis gradibus deſcēdentibus, pręſto ſunt hinc ampliſſimum calefactorium, inde elegans aula, in qua ſingulis feriarum noctibus, duæ fratrum iuuenum partes diuinum officium perſoluunt; tertia ſuo ordine templi chorum petente. Feſtis autem diebus omnes ſimul tenentur templo adeſſe.

Poſt deſcenſum plurium aliorum graduum, ordine ſuo per claſſes diſtinctæ ſunt eorundem iuuenum fratrum quatuor oppidò elegantes ſcholæ: in quarum prima ars Grammatices, in ſecunda Rethorices, in tertia Logices, iu quarta vnà cum libris Magiſtri ſententiarum, Phyſica Ariſtotelis à ſelectis ex ordine Baccalaureis ter quoq; die prælegitur. A prandio ad tertiam horam aut lectionum repetitiones fiunt, aut ſuo tempore publicè de arte, quam quiſq; profitetur, diſputationes inſtituūtur. Aduenientium E ad hæc ſtudia frequens numerus fratrum effecit, vt quinta claſſis in aula ſuperiori aptaretur, in qua imbecilliores Grammaticę pręceptis diligentius imbuerentur. Peracto ad hæc ſtudia proſequenda conſtituto tempore, ſuas Prouincias, conuentuſq; natiuos repetunt, quoaduſq; ſacro ſacerdotio initientur, & poſt aliquot annos, per licentiam patrum ſuorum ad Theologica ſtudia redeant. Verum de his iam ſatis.

Porrò quę, qualiſue fuerit, ante reformationem à R. P. Generale Ægidio Delphino de Ameria factam, tanti collegij ac conuentus politica adminiſtratio, non dum ſatis mihi perſpectum, atq; exploratum eſt. Hęc ſolummodo comperta, & certa habeo, nimirum, quòd ille erat ex numero conuentuum Prouinciæ Francię, ac Cuſtodiæ Pariſienſis,

A ſis, proinde ſubiectus viſitationi Prouincialis illius, & adminiſtratus à Guardiano, qui ex eadem ſola Prouincia ſeligebatur. Nam pater Petrus à Cornibus Doctor primus omnium ex Prouincia D. Bonauenturæ, huic conuentui præfectus fuit circa annum Domini 1529. quantum ex antiquioribus eiuſdem Prouinciæ patribus, & chartis conuentus colligi potuit. Primus verò ex Prouincia Turoniæ fuit frater Iacobus Dautry conuẽtus Bleſenſis, qui tunc vniuerſę Gallię reformatiſſimus habebatur. In huius quoq; rei fidem, tot Guardiani, atq; iuris antiqui ordinarij Baccalaurei ex vnica, & ſupradicta Francię Prouincia aſſumuntur, & promouentur, quot ex alijs duabus. Inſuper oportet Baccalaureum Biblicum, ex quacunq; Prouincia fuerit, non niſi Prouincialis Franciæ literis, & auctoritate, ad hunc gradum & ordinem promoueri. Deniq; quoties Capitulum prouinciale illius cogitur, ad illud ex conuentu Pariſienſi Diſcretus pater able-
B gatur, qui & hanc primam conuentus Pariſienſis conditionem agnoſcat, & quæ huic neceſſaria ſunt, procuret.

Deinde ſatis liquet ex libro fundamẽti trium ordinum 4. ſaltem Capitula totius ordinis generalia ibidem coacta fuiſſe. Primum anno Domini 1264. eiuſdem ordinis Rectore vniuerſali ſancto Bonauentura, Vrbano IIII. ſummo Pont. Romano adhuc ſuperſtite. Secundum anno Domini 1266. aut 67. ſub eodem R. P. Generali iam in cathedra B. Petri ſedente Clemente IIII. Tertium anno Domini 1292. totius ſodalitij noſtri ſummo Moderatore patre Raymundo Gaufredo Prouinciæ Prouinciæ, quæ nunc Maſſilię, & S. Ludouici nuncupatur. Quartum anno domini 1329. Pontificatus D. Ioannis XXII. anno 13. in quo pater Geraldus Odo Prouincię Aquitaniæ electus fuit in totius Ordinis patrem & Miniſtrum Genęralem. De alijs nihil mihi compertum.

C Cùm verò ad annum 1502. Conuẽtualium more illic vt in alijs Gallię Congregationibus viueretur, adueniens cum Apoſtolica, ſimulq; Ludouici huius nominis XII. atq; ſupremi Senatus Pariſienſis Regia auctoritate, R. P. Ægidius Delphinus ſacræ Theologię Magiſter, ac totius noſtri Ordinis Generalis Miniſter maiorem partem conuentuũ trium Galliæ Prouinciarum, videlicet Franciæ, Turoniæ, ac ſancti Bonauenturæ, atq; inter hos omnium maximè conuentum Pariſienſem, ad Obſeruantiam Regularem fœliciter reduxit. Vt autem huic conuentui pro viribus proſpicerent, ſibiq; in poſterum conſeruarent, patres Prouinciæ Francię illius adminiſtrationis, ac iuris partem conceſſerunt aliarum duarum Prouinciarum Turonię, atq; ſancti Bonauenturę patribus. Peracta verò reformatione, conſtituit idem reuerendiſſimus quòd nec Miniſter Franciæ,
D nec aliquis Commiſſarius, qui mitteretur ad iſtam Prouinciam, habeat aliquam auctoritatem ſuper fratres huius conuentus, niſi inquantum Commiſſarius cum Guardiano voluerit. Similiter hũc conuentũ nullo modo ſubiacere Capitulo prouinciali, nec decretis eius. Inſtituit autem primum à dicta reformatione Guardianum Magiſtrum Iacobum Dautry Prouinciæ Turoniæ conuentus Bleſenſis, reliquitq; à ſe reformatis tribus Prouincijs conuentum regendum. Ordinauit rurſum, quòd poſt terminum trium annorum præſidente reuerendiſſimo pater Generale Miniſtro, ſi adſit, vel eius Commiſſario, fiat noui Guardiani electio: ad cuius electionem ſolùm ij patres ſtudentes, qui integrum annum ſui curſus præfato in conuentu expleuerint, vocem actiuam (de ſacerdotibus loquor, nam iuuenes voce omnino carent) habent. Non poſſunt autem eligi niſi patres conuentuum reformatorum Prouinciæ Franciæ, Turoniæ, & ſancti Bonauen-
E turæ: confirmatio autem eius ſpectet ad Generalem Miniſtrum. Quę omnia, aliaq; plurima, quæ prolixitatis vitandæ gratia prætermitto, propria ſyngrapha, ordiniſq; ſigillo pro more confirmauit: & pręcipuorum Ordinis patrum paulò poſt ad Comitia generalia Romę coactorum ſententijs (vti fertur) corroborata eſſe voluit. Cœterum conſtituto, & corfirmato ex vna Prouinciarum Guardiano, ne vnus tanti collegij negotijs obruatur, in partem curæ ac ſolicitudinis aduocantur ex duabus alijs Prouincijs duo grauiſſimi patres, quorum vnus ſacerdotum Vicarius couſtituitur, alter fratribus iuuenibus præſertim inuigilat. Res arduæ ac difficiles à toto Diſcretorio, cui aut Commiſſarius, aut Guardianus præſidet, diiudicantur. Illud autem conſtat eodem Commiſſario, aut Guardiano, Doctoribus, & Baccalaureis actu legentibus, duobus Vicarijs, patre ſeniore, & antiquiore ſtudente quarumlibet aliarum Regni Franciæ Prouin-

ciarum, videlicet Franciæ Pariſienſis, Turoniæ Pictauienſis, Britanniæ, vtriuſq; Aquitaniæ, & Maſſiliæ ſiue ſancti Ludouici, coram quibus rationes totius rei œconomicæ ſingulis quibuſq; menſibus à Syndico, & cæteris miniſtris redduntur. A

Sumptus autem conuentus accedere poſſunt ad quinquaginta Francicos modios tritici, quorum ferè triginta, tum in pane qui à fratribus laicis per vicos colligitur, tum in frumento à pijs viris, & Abbatijs dato conuentui, gratis ſuppeditantur. Vini expenduntur per annum fermè quadringenta modia Pariſienſia. Lignorum pro infirmis, piſtoribus, culina, Syndico, hoſpitibus, Magiſtris, ſtudentibus, iuuenibuſq; fouendis, precium trecentos quinquaginta coronatos aureos frequenter ſuperat. Lanioni pro carnibus miniſtratis toto anno 1583. perſolutę fuerunt ſupra mille quingentos aureos. Inſtaurationum tectorum, murorum, hortorum, ratio ſingularis ac præciſa vix reddi poteſt. In ſumma verè ſtupendum diuinæ prouidentiæ miraculum, ac ſingulare opus eſſe B fatentur omnes, tam frequens collegium fratrum (quibus ex Regula nihil omnino poſſidere fas eſt) nullis redditibus ſubnixum, ſartum tectum ſeruari, & conſeruari, & ſemper florere poſſit. Coronidem deniq; addit famoſo huic collegio generale noſtræ Regularis Obſeruantiæ Capitulum, anno Dominicæ incarnationis 1579. in ipſo celebratum: in quo ego, licèt immeritus, communi patrum ſuffragio in Generalem Miniſtrum electus fui.

De conuentu Sanctæ Mariæ de Aracœli Romæ.

CVM ſacer hic locus in Capitolini montis ſummitate ędificatus ſit, non abs re erit, C ſi paucis, quid ſibi mons Capitolinus, & à quo primò habitatus fuerit ediſſeruerimus. Primum igitur ædificium Romæ præ omnibus alijs erectum (ſi Marci Portij Catonis Romani, atq; antiquiſſimi hiſtoriographi, cuius meminit Dionyſius Halicarnaſęus, verbis ſtare velimus (fuit Capitolium, ſiue arx Capitolina, ſuiq; authorem habuit, vel Saturnum ij. Sabatium videlicet Sagam, à quo & Saturnia per multum temporis, ſicut & tota circũquaq; regio, dicta eſt: vel primũ Saturnũ, Chameſenuum videlicet, qui fuit Cham filius eiuſdem Noë, quem pater Noë, quadrifons Ianus alio nomine vocitatus, ab eo pepulit. Mihi autem ſecunda opinio maximè probatur, fuiſſe videlicet Capitolium à Cham, ideſt à Saturno Chameſenuo, non autem à Saturno Sabatio ædificatum. Dicitur autem Capitolium, ſiue mons Capitolinus, iuxta præfati Marci Portij Catonis D ſententiam, à capite quodam inuento ſanguine perfuſo, atq; fluente, dum Iouini templi fundamenta iaceret Princeps Tarquinius. Nam antea Tarpeius à Tarpeia virgine Veſtali, Sabinorum ſcutis ibi interfecta, ſeu obruta, aboleto Saturni nomine, dicebatur: vel ſecundùm alios à mundi capite, quòd ibi Conſules, atq; Senatores, quibus totius Orbis cura, atq; regimen incumbebat, conuenirent, commorarenturq;. Cuius facies altis, atq; firmiſſimis muris, ſuper montis faſtigium, vitro atq; auro vndiq; contectis, miriſq; operibus laqueatis venuſtabatur. Intra ipſius autem arcis ambitum palatium fuit auro, argento, atq; lapidibus precioſis opere vario exornatum: Ita vt omnibus, & ſingulis gentibus ſeſe in admirationem, atq; in ſpeculum oſtenderet. Honeſtabatur autem huiuſmodi arx plurimis (licèt idolorum) templis. Nam in eius ſummitate templum fuit cuidam porticui innixum, Iunoniq; Monetæ dicatum: Ad alteram verò fori partem E aliud templum Veſtæ, & Cereri ſacrum exurgebat: vbi & pagani Pontifices ſedem obtinebant, & Senatores cultum Cæſarem in cathedra, per ſex dies in menſe Martio poſuêre. Iuxta forum verò publicum templum fuit Herculis: ſed in Tarpeio Aſylis aliud templum dicatum erat, vbi & Caius Iulius Cæſar à Senatu oppreſſus extitit. Atqui ex altera parte Capitolij templum fuit Iunonis: Et vbi nunc ſacer hic conuentus ſanctiſſimæ Virgini Mariæ de Aracœli dicatus exurgit, bina conſtiterunt idolorum templa Senatorio palatio adiuncta, ſcilicet Phebi & Carmentis, & antiquiſſimum templum Iouis Feretrij, vbi Octauianus Cæſar Auguſtus vidit viſionem, de qua inferius. Hic igitur conuentus, qui affabrè ex polito lapide conſtructus, atq; elegantiſſimè ædificatus eſt, peculiari quodam iure, atque prærogatiua ſpectat ad S. P. Q. R. tum quia ædi-

A ficatus in ſupercilio montis Capitolini, tum etiam quia creditus fuit ab Eugenio Quarto Pontifex max. anno Pontificatus eiuſdem quintodecimo, cuſtodiæ, atque protectioni illuſtrium dominorum Conſeruatorum eiuſdem Romani Senatus, vt ex eius bullis, quæ in cubiculo patris Vicarij eiuſdem Aracœlitani conuentus ſeruantur, patet. Pertinuit tamen olim locus hic ad monachos diui patris Benedicti: ſed anno Dominicę incarnationis 1251. Pontificatus verò Innocentij anno 8. ab eodem Pontifice Innocentio IIII. antequã ſeiungerentur fratres Frãciſcani Conuentuales ab eiuſdem Ordinis Obſeruantibus, tranſlatus fuit ab ipſis Benedictinis ad Minoritas, tum demum ab Eugenio IIII. Pont. max. Pontificatus eiuſdem anno xv. fratribus Obſeruantibus Minoribus in habitationem conceſſus fuit, vt ex binis bullis ab ipſo ſuper hoc datis, de quibus ſupra, patet.

B Inter multa præclara, quæ hoc in conuentu exiſtunt, illud eſt præclariſſimum, nempè imago glorioſæ Virginis Mariæ depicta à beato Euangeliſta Luca, quæ plurima, eaq; inſignia edidit, editq; in dies miracula: præcipuè tamen tempore Gregorij Papæ I. nam laborante ipſa vrbe Romana grauiſſima peſte, cùm ex mandato ſummi Pontificis præfata imago proceſſionaliter à proprio loco vſq; ad Vaticanum deferretur, iamq; pontem, cui Adriani moles iuncta eſt, tangeret, viſus eſt Angelus quidam in ſummitate molis gladium euaginatum, ſanguinolẽtumq; tenens, & auditus eſt chorus Angelorum circumaſtantium hanc deuotiſſimam antiphonam concinens: Regina cęli lętare, alleluia. Quia quem meruiſti portare, alleluia. Reſurrexit ſicut dixit, alleluia. (refert enim imago ipſa Virginem glorioſam, dum iuxta crucem ſtaret, corpusq; filij ſui dilectiſſimi exanime doleret.) Cui ſubiunxit ſummus Pontifex, qui proceſſioni intererat, Ora pro
C nobis Deum, alleluia. Statimq; morbus ceſſauit. In cuius rei memoriam eo ipſo in loco, in quo Angelus apparuit, conſtituta fuit alia quædam Angelica, ſed lapidea figura. Accidit quoq;, vt anno Domini 1388. eadem de cauſa, nempe ob peſtem, quæ ſummopere in Vrbe præfata graſſabatur, qua ictus primus omnium occubuit Pelagius tunc ſummus Pontifex, ex præcepto Nicolai Papæ III. ſecundò præfata imago deportaretur ad ſanctum Petrum in Vaticano, cumq; ad ipſummet pontem applicuiſſet, lapideus Angelus, de quo ſupra, terq; quaterq; ſe ad Virginis glorioſæ imaginem, vt plures animaduerterunt, inclinauit. Quapropter hæc imago in maxima veneratione apud populum Romanum, cæteroſq; eius Vrbis accolas eſt. Numerus eorum fratrum, qui hunc incolunt locum, centenarius eſt, quorum duo Theologiam ſpeculatiuam prælegunt. Requieſcunt hoc in conuentu plura ſanctorum corpora, nempè beati Iuniperi,
D & beati Electi ſociorum beatiſſimi patris Franciſci, quorum ſanctitas, probataq; vita, cùm omnibus ſint in confeſſo, non erunt hìc mihi repetendæ. Iacent præterea ibidem corpora ſanctæ Helenæ Imperatricis cui ſanctiſſimę crucis inuentio aſcribitur. Iacent quoq; corpora ſanctorum martyrum Arthemij, Abundi, atq; Abundantij in ſepulchro quodam porfideo, cui imminet altare quod Aracœli dicitur: in quo videlicet Tiburtina Sibilla Octauiano Imperatori, Auguſtoq; Cæſari Virginem glorioſam aureo circulo inſedentem iuxta ſolem, puerumq; vlnis geſtantem oſtendit dicens, caueret ne ſibi Ara, tanquam potẽtiori, à Senatu Romano erigeretur, atq; inter Deos ſe connumerari pateretur, cùm illa Virgo longè potentiorem ſe enixa eſſet, atq, Aracœli exiſteret. Ex qua viſione perterritus, admirationeq; perfuſus Imperator futuro Regi eam Aram erexit, thuraq; adoleuit: vnde Aracœli nomen traxit is locus, primaq; Ara extitit. Aſſeruan-
E tur debita cum reuerentia hoc in loco pars ſanctiſſimæ Crucis Chriſti Domini, altera ex ſpinis coronæ eiuſdem, & ſpongiæ fragmentum, qua myrrhatum vinum Saluatori ſitienti oblatum fuit. Item corpus glorioſi Papæ & martyris Stephani, caput ſancti Vrbani Papæ & martyris, caput ſancti Adriani martyris, caput ſanctę Martinæ martyris, brachium ſancti Laurentij martyris, brachium præfati ſancti Adriani martyris, & brachium ſancti Nerei martyris. Eſt præterea præfatum altare quod Aracœli dicitur hoc priuilegio à ſummis Pontificibus donatum, vt per Miſſarum beneficium fidelium animę à Purgatorij pœnis liberentur. Gaudetq; plenaria omnium peccatorum indulgentia, in fauorem ipſum diebus Aſſumptionis, Conceptionis, atq; Natiuitatis glorioſæ Virginis, nec non & natalitijs ſanctorum patrum Antonij Paduani, Ludouici Epiſcopi,

atq; Bernardini accedentium. Cùm locus hîc Aracœlitanus in Capitolini montis iugulo ſitus ſit, vt acceſſus ad eum familiarior redderetur, ea lapidea ſcala, ex 120. gradibus conſtans, quæ templo Quirino, ſub Romanis gentilibus, olim deſeruiebat, ſibi applicata fuit, per ipſamq; fideles eccleſiam petunt. A præfatis verò ſanctorum corporibus tumulata ſunt quoq; hac in ſacra æde corpora beatorum (vt credere pium eſt) fratrum, Bonauenturę Velitrenſis laici, atq; fratris Thomę Corſici quoq; laici: quorum prior plurima ſpiritu prophetico prędixit, puerumq; mortuum, quem matri ſuę precibus à Deo obtinuerat, ad vitam ſuis orationibus reuocauit: Atqui poſterior cœco ad ſanctiſſimæ crucis ſignum lumen reſtituit. Fuit præterea illorum vterq; charitate feruidus, in oratione aſſiduus, atq; profundiſſima humilitate prędītus. A

Colophonem huic Aracœlitano conuētui additurus omnes ſummorum Pontificum bullas, omniaq; Apoſtolica breuia, atq; tranſumpta, authentica tamen, in eius archiuis aſſeruata, ordine alphabetico (ſpreta interim antiquitatis ſerie, vt facilius inueniri poſſint) in medium adducam. Id tamen ita præſtare conabor, ne ea legenti oneroſior ſim. Aſſeruatur itaq;, quædam bulla Alexandri IIII. Pont. max. data Anagniæ xvij. cal. Nouembris, anno ſui Pontificatus primo; ne fratres noſtri ad proferendam, pronunciandam, vel exequendam contra ſæculares Principes, vel Communitates ſententiam, abſq; ſpeciali Apoſtolicę ſedis mādato, ab aliquo Eccleſiaſtico Pręſule cogi poſſint. Et alia bulla eiuſdem Alexandri IIII. data Laterani idibus Maij, anno ſui Pontificatus ij. vt Franciſcani quoſcunq; alios fideles defunctos ab vſurarijs, excommunicatis vel interdicto irretitis, in ſuis eccleſijs ſepelire poſſint. Et alia bulla eiuſdem Alexandri IIII. data Viterbij v. cal. Martij, anno ſui Pontificatus IIII. cuius virtute fideles Aracœlitanum hoc templum in feſtiuitatibus beatæ Virginis Mariæ, atq; ſanctæ Helenæ viſitantes centum dies de iniunctis ſibi pœnitentijs promerentur. Et alia bulla eiuſdem Alexandri IIII. data Viterbij iij. nonas Aprilis eodem anno, ne Epiſcopi Minoritas quoquo modo moleſtent. Et alia bulla eiuſdem Alexandri IIII. data Anagniæ vj. cal. Octobris, anno ſui Pontificatus v. qua patrum Benedictinorum ex Aracœlitano hoc conuentu per Innocentium IIII. ſummum Pontificem eiectio, atq; fratrum Minorum eorum loco per eundem ſubrogatio, & ad eoſdem tum finium, tum quoq; cæterorum pertinentium, per Anacletum ſummum itidem Paſtorem declaratio confirmantur. Et alia bulla eiuſdem Alexandri IIII. data ibidem xv. cal. Octobris, eodem ſui Pontificatus anno v. vt noſtri Ordinis Prælati fratres apoſtatas, in quocunq; habitu ſint, excommunicare, capere, ligare, carceribuſq; tradere; inuocato etiam, ſi opus fuerit, ad hoc auxilio brachij ſęcularis, liberè poſſint. Et alia bulla Bonifacij Papæ VIII. data Romæ apud ſanctum Petrum pridie idus Nouembris, anno ſui Pontificatus j. vt Franciſcani ab Epiſcopis rogati monialium monaſteria ingredi poſſint. Et alia bulla eiuſdem Bonifacij VIII. data ibidem eiſdem die, atq; anno, vt Franciſcanorum prælati in correctionibus iuris apices ſeruare non teneantur, ſed Ordinis ſtatuta ſequi poſſint, vtq; inferioribus iuxta eadem correptis appellationis beneficium denegetur. Et alia bulla Clementis IIII. Pont. max. data Peruſij xvij. cal. Iulij, anno ſui Pontificatus primo, vt Minoritæ ab Epiſcopis ad ſacras confeſſiones audiendas admiſſi, etiam ijs vita functis, donec aliud à ſucceſſoribus prouiſum fuerit, fidelium confeſſiones excipere quæant. Et alia bulla eiuſdem Clementis IIII. data Viterbij xj. cal. Februarij, anno ſui Pontificatus iij. vt Epiſcopi eos nouitios, qui probationis anno fratrum profeſſorum habitum ſcienter detulerunt, eoq; relicto poſtea ſęculum repetierint, per Eccleſiaſticas cenſuras ad Religionis Obſeruantiam compellant. Et alia bulla eiuſdem quoq; Clementis IIII. data ibidem Nonis Ianuarij eodem anno, ne patres Dominicani Franciſcanos, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, abſq; eorundem prælatorum facultate, recipiant. Et alia bulla Clementis VII. ſummi Pontificis, data Romæ apud ſanctum Petrum x. cal. Octobris, anno Dominicæ incarnationis 1524. ſui verò Pontificatus anno primo, qua renunciatio conuentus ſancti Hieronymi de Vrbe in Confraternitatis ſanctiſſimæ Trinitatis fauorem per Franciſcanos facta approbatur, ijſdemq; conceditur, vt ſi præfixę in ipſa leges à pręfata Confraternitate minimè ſeruentur, huiuſmodi conuentum propria auctoritate repetere poſſint. Et alia bulla eiuſdem Eugenij IIII. data ibidem viij. idus Ianuarij,

B C D E

A nuarij, anno Domini 1444. Pontificatus verò ſui xiiij. vt Iudices ſuper cauſas fratrum huius Aracœlitani, atq; ſancti Franciſci trans Tiberim conuentuum conſtituti, absq; ſtrepitu, & absq; iudicii (vt ipſiſſimis bullæ verbis vtar) figura, terminis abbreuiatis, atq; ſola facti veritate inſpecta procedant. Et alia bulla eiuſdem Eugenii iiij.data ibidem ijſdem prorſus anno & die, vt huius Aracœlitani conuentus Procuratores,ſiue Syndici omnes redditus, cæteraq; bona ad Conuentuales Franciſcanos patres, ibidem prius commorantes, attinentia in eiuſdem domus reparatione, atq; Obſeruantum eiuſdem Ordinis fratrum, qui præfatis Conuentualibus ſucceſſêre, vſibus expendant, expenſarumque computum eiſdem Obſeruantibus reddant. Et alia bulla eiuſdem Eugenij IIII. data ibidem viij. cal. Maij, anno Domini 1445. Pontificatus verò ſui xv. qua illuſtriſſimis reuerendiſſimisq; S. R. E. Cardinalibus Fauentino, atq;Andegauenſi B iniungitur, vt Obſeruãtes Franciſcanos Conuentualibus hoc in Aracœlitano conuentu ſuffectos,ab eorundem Conuentualium, & à quorumcunq; aliorum incurſu, dum ſibi vita comes fuerit, tueantur. Et alia bulla eiuſdem quoq; Eugenij IIII. data ibidem, atq; eodem prorſus anno, ſed nonis Iunij; vt vrbis Romanæ Senator, Conſeruatores, atq; Regionum capita Franciſcanos Obſeruantes huius Aracœli conuentus habitatores à quouis inſultu perpetuò protegant, eiuſdemq; monaſterij patrocinium ſuſcipiant. Et alia bulla Gregorij IX. Pont. max. data Aſſiſij nonis Iunij, anno ſui Pontificatus ij. vt Minoritæ Obſeruantes habere oratoria, atq; in ipſis cum viatico altari rem diuinam facere poſſint. Et alia bulla eiuſdem Gregorij IX. data Peruſij viij. cal. Octobris, eodem anno,vt cuncti fideles diem beati patris Franciſci feſtiuè colere teneantur. Et alia bulla eiuſdem Gregorij IX.data Anagnię xvj.cal.Martij,anno ſui Pontificatus vj.vt Epiſcopi, C aliiq; ſuperiores prælati eoſdem fratres à quauis excommunicationis ſententia abſoluere, & cum eis ſuper qualibet irregularitate contracta diſpenſare in propriis Diœceſibus poſſint, dum tamen exceſſus, quorum cauſa ea pœna inflicta eſt, adeò graues non ſint, vt meritò pro ijs Apoſtolica ſedes accedenda veniat. Et alia bulla eiuſdem Gregorii IX. data Laterani xvj. cal.Iunii,anno ſui Pontificatus vii. vt iidem fratres, in Infidelium terris conſtituti, cum excommunicatis conuerſari, eoſdemq;, dummodo Latini ſint, & Romano Pontifici obediant, ab huiuſmodi excommunicationis vinculo abſoluere poſſint. Et alia bulla eiuſdem Gregorii IX. data Peruſii xiv. cal. Iunii, anno ſui Pontificatus ix.ne Ciſtercienſes monachi fratres Minores abſq; ſedis Apoſtolicę,vel propriorum prælatorum licentia recipiant, vtq; absq; huiuſmodi facultate receptos expellant. Et alia bulla eiuſdem Gregorii IX. data Interamnæ vj. idus Iulij, anno ſui Pontifi-D catus X. vt nouitii à Dominicanorum Ordine exire poſſint. Et alia bulla eiuſdem Gregorij IX. data Reatis iij. idus Iulij eodem anno, vt nullus Ordinis Minorum nouitius ante exactum probationis annum ad profeſſionem recipi poſſit. Et alia bulla eiuſdem Gregorii IX. data Laterani ix. cal.Martii,anno ſui Pontificatus xiv. ne Epiſcopi manualem obedientiam à Minoritis exigere poſſint. Et alia bulla eiuſden Gregorii IX. data ibidem nonis Maii, eodem anno; vt noſtri fratres apud infideles degentes fideles quocunq; excommunicationis vinculo innodatos abſoluere poſſint. Et alia bulla eiuſdem Gregorii IX. data ibidem pridie idus Decembris eodem anno, vt prælati Ordinis noſtri ſubditos ſibi fratres tam nouitios, quàm profeſſos ab excommunicationis vinculo abſoluere poſſint, dummodo exceſſus adeò grauis non ſit &c. vt ſupra. Et alia bulla eiuſdem Gregorii IX. data ibidem xi. cal. Decembris eodem anno præcedentis confir-E matoria. Et alia bulla eiuſdem Gregorii IX. data ibidem eodem prorſus die & anno, vt nullus alius à Minorita eius habitu, vel ſibi ſimili vti poſſit, vtq; ſi quis eum detulerit, is per Eccleſiaſticas cenſuras ad eius depoſitionem per Ordinarios compellatur. Et alia bulla eiuſdem Gregorii IX. data ibidem eodem prorſus anno & die, alterius bullæ Alexandri IIII. confirmatoria: qua videlicet Ordinis noſtri prælatis licet fratres ſibi ſubditos delinquentes excommunicare, capere, ligare, carceribusque tradere, &c. vt ſupra. Et alia bulla eiuſdem Gregorii IX. data eodem anno, vt nullus Ordinis noſtri nouitius ante probationis annum ad profeſſionem admittatur, nullusque poſt profeſſionem emiſſam habitum relinquere poſſit, vtque nullus alterius Religionis prælatus huiuſmodi habitum relinquentem recipiat, & vt taliter receptum proprius prę-

latus excommunicationis ſententia ferire poſſit. Et alia bulla eiuſdem Gregorij IX. data Laterani xj. cal. Ianuarij eodem anno, vt Prouinciales Miniſtri accitis ſibi Diffinitoribus, in ſuis prouincialibus comitijs prædicatores inſtituere poſſint. Et alia bulla eiuſdem Gregorij IX. data ibidem viij. idus Iunij anno ſui Pontificatus xv. vt Generalis, atq; Prouinciales noſtri Ordinis Miniſtri in ſuis Prouincijs de Diſcretorum conſilio (de Prouincialibus loquor, nam Generalis huiuſmodi legibus non aſtringitur) fratres ſibi ſubditos à qualibet excommunicatione, & irregularitate tam pòſt, quàm ante ingreſſum Religionis contracta abſoluere poſſint. Et alia bulla eiuſdẽ Gregorij IX. data ibidẽ xij. cal. Iulij eodem anno, vt fratres noſtri in locis interdictis commorari, & ab eorum accolis, licèt interdictis ſiue excommunicatione irretitis, eleemoſynas petere poſſint. Et alia bulla Gregorij XIII. ſummi itidem Pontificis, data Romæ apud ſanctum Petrum cal. Decembris, anno Domini 1582. Pontificatus verò ſui anno x. qua Minoriticus conuẽtus Caprariolę erectus Romanę Prouincię fratribus conceditur. Et alia bulla Honorij III. ſummi quoq; Pontificis data Viterbij iiij. idus Decembris, anno ſui Pontificatus iiij. vt nullus nouitius apud nos ante probationis annum expletum ad profeſſionem recipiatur. Et alia bulla Honorij IIII. Pont. itidem max. data Romæ apud ſanctam Sabinam v. cal. Decembris, anno ſui Pontificatus primo, ne Clariſſæ ſorores ad decimas Curatis pendendas teneantur. Et alia bulla Innocentij IIII. ſummi quoq; Pontificis, data apud ciuitatem Caſtellanam xv. cal. Iulij eodem anno, vt nullus nouitius apud nos ante expletum probationis annum ad profeſſionem recipiatur, vtq; huiuſmodi profeſſio (ſi fortè contingat) nullius ſit valoris: inſuper & vt huiuſmodi profeſſionem accipiens ab officio ſuſpendatur, & à prælatis grauiter puniatur. Et alia bulla eiuſdem Innocentij IIII. data ibidem x. cal. Iulij eodem anno, vt nouitij intra probationis annum habitum relinquere, ac propria remeare poſſint. Et alia bulla eiuſdem Innocentij IIII. data Lugduni xij. cal. Auguſti, anno ſui Pontificatus iij. ne Epiſcopi, ſiue quicunq; alij prælati Minoritas quoquo modo grauent, quòd ſi ſecus faxint iniungitur Archiepiſcopo Piſano, & Anconitano, Tudertinoq; Epiſcopis, vt eos coërceant. Et alia bulla eiuſdem Innocentij IIII. data ibidem xvij. cal. Septembris eodem anno, ne Minoritæ ab Ordine expulſi ad ſacras militias, ſiue Ordines armis contra infideles vtẽtes tranſire poſſint. Et alia bulla eiuſdem Innocentij IIII. data ibidem xviij. cal. Septembris eodem anno, vt diſcoli Minoritæ ad quẽcunq; alium Ordinem, præterquàm ad illum cuius alumni armis contra infideles vtuntur, à ſuis ſuperioribus dimitti poſſint. Et alia bulla eiuſdem Innocentij IIII. data ibidem iij. cal. Octobris eodem anno; ne Epiſcopi Minoritas prædicatores ab huiuſmodi muneris exequutione impediant, ſed vt potius ipſis aſſiſtant: ſi tamen eos quæſtuare contingat, vt ab Epiſcopis huiuſmodi quæſtuarij capiantur puniantur'q;. Et alia bulla eiuſdem Innocentij IIII. data ibidem xvij. cal. Septembris anno ſui Pontificatus iiij. vt Generalis Miniſter quoſcunq; ſibi ſubditos fratres, etiam procerum obſæquiis deſtinatos, dummodo ij Apoſtolicis à latere Legatis minimè inſeruiãt, viſitare, atq; corrigere poſſit. Et alia bulla eiuſdem Innocentij IIII. data Lugduni vi. cal. Iulij, anno ſui Pontificatus vij. vt Benedictini patres Aracęlitano huic loco cedant, ipſiſq; Franciſcani ſuccedant. Et alia bulla eiuſdem Innocentij IIII. data ibidem iiij. idus Iulij eodem anno, qua duobus illuſtriſſimis S.R.E. Cardinalibus præfatorum patrum Benedictinorum ex Aracœli conuentu expulſio, atque Franciſcanorum eorum loco introductio committitur. Et alia bulla Ioannis xxij. Pont. quoq; max. data Auinioni iiij. idus Nouembris, anno ſui Pontificatus ix. in qua quædam ſtatuta Minoriticum ſtatum concernentia continentur: inſuper declaratur, quòd fratrum Minorum vſus ſit iuris, non autem facti. Et Franciſcanæ Regulæ declaratio per eundẽ Ioannẽ XXII. facta ibidẽ vj. idus Decẽb. anno ſui Pont. vij. quę ab his verbis exorditur: Ad conditorem canonũ &c. in qua & videre licebit quo pacto pręfati Minores rebus tũ mobilibus, tũ quoq; immobilibus vti valeãt. Et alia bulla Martini V. ſummi itidẽ Pont. data apud Veterẽ Vrbẽ xv. cal. Febr. an. ſui Põtificatus ij. vt Frãciſcanę Religionis Procuratores, ſiue Syndici circa ea quę, fratribus ex teſtamẽto relinquuntur, in iudicio, tum quoq; extra idipſum, ac ſi ad ſe pertinerent, facere poſſint. Et alia bulla eiuſdem Martini V. data Romę apud ſanctum Petrum vij. idus Aprilis, anno ſui Pontificatus ix. vt Minoritæ à reuerendiſſimo An-

A mo Angelo Epiſcopo Pręneſtino,& Iacobo à Columna Præneſtem,ad Fratricellos inde
pellendos, ac eccleſiam ſancti Blaſij in Franciſcanum conuentum promouendam voca-
ti,id ex Apoſtolica auctoritate exequi poſſent. Et alia bulla eiuſdē Martini V. data Ro-
mæ xiij. cal. Februarij, anno ſui Pontificatus xij. ne Romanæ ciuitatis Senator,Con-
ſeruatores, aut alij, quicunq; illi fuerint Iudices, hoc in Aracœlitano conuentu ius
dicant. Et alia bulla eiuſdem quoq; Martini V. data ibidem v. idus Decembris, eodem
ſui Pontificatus anno, vt Franciſcanorum prælati tum fratres, tum quoq; ſorores de
tertia beati patris Franciſci Regula viſitent, atque corrigant, illisque ſacramenta mi-
niſtrent. Et alia bulla Nicolai III. Pont. quoque max. data Suriani xix.cal.Septembris
anno ſui Pontificatus ij. qua beatiſſimi patris noſtri Franciſci Regula declaratur. Eius
verò exordium huiuſmodi eſt: Exijt qui ſeminat ſeminare &c. Et alia bulla eiuſdem Ni-
B colai III. data ibidem xij. cal. eiuſdem menſis, eodemq; anno, qua Minorum Regu-
la de verbo ad verbum inſerta confirmatur. Et alia bulla eiuſdem Nicolai III.data ibi-
dem viij. cal. eiuſdem menſis, atq; eodem anno,qua teſtimoniales literę à Gregorio IX.
Pont. max. de ſacris B. P. noſtri Franciſci ſtigmatibus latæ confirmantur. Et alia bulla
Nicolai V. Pont. itidem max. data Romæ apud ſanctum Petrum,anno Dominicæ nati-
uitatis 1449.ſui verò Pontificatus iij.vt Minoritę Obſeruantes loco ſanctę Marię de Pa-
latiolo, ſibi à patre Priore, cęterisq; fratribus Carthuſianis monaſterij ſanctæ Crucis in
Hieruſalem de Vrbe,cum omnibus ad ſe pertinentibus,conceſſo frui queant. Et vnionis
bulla à Pio II. Pont. quoq; max. Romæ apud ſanctum Petrum v. idus Octobris, anno
Dominicæ incarnationis 1458. & ſui Pontificatus primo edita, in qua tres aliæ bullę ab
Eugenio IIII.Calixto III.atq; Nicolao III.expeditę inſeruntur,confirmanturq;: Inſu-
C per & Vicarij Generales tam Vltra, quàm Citramontani à Prouincialibus Vicarijs, &
Cuſtodibus electi rati habentur: præterea & vt abſentum vocalium, pro eorundem Ob-
ſeruantum Capitulis voces ſuppleri poſſint, conceditur. Et alia bulla Sixti IIII. Pont.
etiam max. data Romæ apud ſanctum Petrum xiij. cal. Decembris, Pontificatus verò
ſui anno iiij. vt Aracœli templum in diebus Natalis atque Circumciſionis Dominicę,
ſanctorumq; patrum Bernardini de Senis, & Antonij de Padua viſitantes, dummodo
peccata per ſacramentalem confeſſionem abſterſerint, plenariam eorundem indulgen-
tiam conſequantur,vtq; confeſſores à patre huiuſmet loci Guardiano deputati ab omni
exceſſu,niſi ſummo Pontifici reſeruatus fuerit,accedentes abſoluere poſſint. Et alia bul-
la eiuſdem Sixti IIII. data in Minoritico conuentu ſanctæ Mariæ de Palatiolo (cuius ſu-
D pra meminimus) xj. cal. Octobris, anno Domini 1475. & Pontificatus ſui v. quatenus
ſemotis quibuſdam oneribus, atq; conditionibus, vt videlicet Minoritæ Carthuſianos
patres ad ſe ibidem declinantes hoſpitio reciperent, & huic ſimilibus à præfatis Carthu-
ſianis eidē Palatioli conuētui, in ipſius collatione impoſitis,Frāciſcani Obſeruātes eius
habitatores eo liberè,atq; abſq; vllo grauamine fruerentur. Et alia bulla eiuſdem Six-
ti IIII. data Romę apud ſanctum Petrum iij. nonas Octobris, anno Domini 1479. Pon-
tificatus verò ſui ix.qua glorioſiſſimæ Virginis Marię imago hoc in Aracœli conuentu
erecta,atq; Romano populo celeberrima, & omnia ſibi à fidelibus oblata, eorumq; ius
Minoritis eiuſdem loci habitatoribus, non autem Confalonis ſocietati, ſiue Confrater-
nitati ibidem conſtitutę,tribuuntur. Et aurea eiuſdem Sixti IIII.bulla data Romę apud
ſanctum Petrum vij. idus Decembris, anno Domini 1471. Pontificatus verò ſui primo,
E qua omnia priuilegia Franciſcanis à ſuis prædeceſſoribus conceſſa confirmantur,robo-
ranturq;. Et quædam à Calixto III. ſummo Pontif. in contrarium edita infirmantur,
anullanturq;.

Aſſeruantur præterea eodem in tabellario & ſequentia ſummorum Pontificum Apo-
ſtolica breuia. Nempè quoddam breue Alexandri VI. Pont. max. datum Romæ apud
ſanctum Petrum ſub annulo piſcatoris xxiij. Iulii,anno Domini 1495.ſui verò Pontifica
tus iij. vt noſtri fratres locum ſancti Franciſci Sermonetæ erectum, atq; vltrò ſibi obla-
tum ex Apoſtolica auctoritate accipiant. Et aliud breue eiuſdem Alexandri VI. datum
ibidē vj. Iunij, anno Domini 1498. ſui verò Pontificatus vij.vt Ciſmontana Franciſca-
norum Obſeruantum familia omnibus gratijs,indulgentijs,immunitatibus,priuilegijs,
atq; libertatibus Vltramontanę conceſſis gaudeat.Et aliud breue eiuſdē Alexandri VI.

datum ibidem 24. Iulij,anno Domini 1501. Pontificatus verò ſui 9. vt Clariſſæ tam de A
prima, quàm de ſecunda Regula, & Tertiariæ quoq; ſorores Franciſcanæ à pendendis
decimis immunes ſint. Et aliud breue eiuſdem Alexandri VI. datum ibidem 5. Aprilis,
anno Domini 1502.ſui verò Pontificatus x.ne Obſeruantes Franciſcani ad eiuſdem Or-
dinis Conuentuales tranſeuntes vel ratione ſui, vel etiam conuentus proprijs parenti-
bus, vel alijs propinquis,ex teſtamento vel ab inteſtato iuxta priuilegium Conuentua-
libus conceſſum, ſuccedere poſſint. Et aliud breue Clementis VII. Pont. itidem max.
datum Romæ 23.Nouembris,anno Domini 1526.vt fratrum Minorum Regularis Ob-
ſeruantiæ Prouinciales Miniſtri in ſuis Prouincijs & locorum Guardiani,aſcitis ſibi pa-
tribus Diſcretis, in ſuis diſtrictibus de bonis ſibi ex teſtamẽto legatis ſemel tantùm cum
hæredibus, mediante tamen Syndico, componere (vt ipſiſſimis verbis vtar) poſſint.
Et aliud breue eiuſdem Clementis vij. datum ibidem 14. Auguſti, anno Domini 1527. B
Pontificatus verò ſui iiij. ne epidimiæ morbo infecti ſub excommunicationis latæ ſen-
tentiæ, atq; mille ducatorum (quo ad eos qui Romanæ Eccleſiæ in temporalibus ſub-
ſunt)pœna,in Franciſcanorum Obſeruantum domos ab aliquo introducantur.Et aliud
breue eiuſdem Clementis VII.datum ibidem 17.Aprilis eodem anno,ne huius Aracœ-
litani conuentus eccleſia in poſterum S. R. E. Cardinalibus pro titulo deſeruiat.Et aliud
breue eiuſdem quoq; Clementis vij datum ibidem 23. Maij,anno ſui Pontificatus ix. vt
moniales de prima, & ſecunda beatæ virginis Claræ Regula, atq; etiam Tertiariæ ſo-
rores Franciſcanæ à qualibet decima curatis debita, atq; etiam à quacunq; exactione
pro Terræ ſanctæ ſubſidio impoſita immunes ſint.Et aliud breue Innocentij VIII.ſum-
mi itidem Pontificis datum ibidẽ 11.Iulij anno Domini 1482. ſui verò Pontificatus iij. C
quo huius Aracœli conuentus habitatores à quarta funerali tum Parochis, tum quoq;
Epiſcopis debita eximuntur. Et aliud breue eiuſdem Innocẽtij VIII. datum ibidem 11.
Iulij,anno Dñi 1483.Pontif. verò ſui anno iij. ne Minoritę huius Aracęlitani conuẽtus
inquilini quartã funeralem,ſiue Parochialem, ſiue etiã Epiſcopalem ſoluere teneantur.
Et aliud breue Iulij II. Pont.quoq; max. datum ibidẽ 12.Februarij,anno Domini 1508.
Pontificatus verò ſui v. vt frater Hieronymus Tornielus Ciſmontanæ Obſeruantis fa-
miliæ Generalis Vicarius alijq; fratres à ſe pro fabrica ſancti Petri deputati abſoluere,&
diſpenſare in caſibus ibi expreſſis cum fidelibus poſſint. Et aliud breue eiuſdem Iulij II.
datum ibidem 4. Maij, anno Domini 1508. Pontificatus verò ſui v. vt Franciſcani Ob-
ſeruantes Prouincię Romanę Crognetanum conuentum à ſe derelictum,ſub excommu-
nicationis pœna, & in virtute ſanctę Obedientiæ,reſumant. Et aliud breue eiuſdem Iu- D
lij II.datum ibidem 18.Februarij,anno Domini 1510.Pontificatus verò ſui vij. vt Con-
uentuales, & Obſeruantes Franciſcani quæcunq; loca ſiue monaſteria monialium, &
eiuſdem Ordinis Tertiariorum poſſident, in pace poſſideant, licèt prius alteri ordini
mancipata extiterint: vtq́; Obſeruantes præfati ad Conuentuales, niſi petita à ſuperio-
ribus licentia atq; inſcriptis obtenta, tranſire non poſſint: vt autem Conuentuales ad
Obſeruantes tranſire valeant ſatis ſit illis licentiam à ſuperioribus petiuiſſe, licèt eam
non obtinuerint: vtq́; tandem Clareni, Amadei, atq; de Capucio, ſiue de ſancto Euan-
gelio infra annum, vel ad Conuentuales, vel ad Obſeruantes tranſeant: & ſi qui ex eis
ab ordine per Apoſtolicas literas exempti fuerint,infra quinq; menſes vel in iſtorum vel
in illorum familiam concedant. Et aliud breue Sixti V. Pont. max. datum Romę apud
ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris,die 28.Ianuarij anno Domini 1586.Pontif.verò E
ſui anno primo, quo, exempla Pauli III. & Iulij III. etiam Romanorum Pontif. præ-
deceſſorum ſuorum ſequutus de nouo auctoritate Apoſtolica diſtrictius interdicit tam
fratribus Capuccinis,ne quenquam fratrum de Obſeruãtia ad eos quouis habitu,& qua-
cunque de cauſa tranſeuntem, ſine ſua aut Romani Pontificis pro tempore exiſtentis li-
centia ſpeciali, per literas Apoſtolicas expreſſam & in ſpetie, non autem per clauſulas
generales idem importantes præſentis prohibitionis mentionem,& derogationem con-
tinentes, aut Generalis vel Prouincialiũ Miniſtrorum fratrum de Obſeruantia licentia
in ſcriptis obtenta, admittere, recipere, & retinere, quàm fratribus de Obſeruantia ne
quiſquam eorum ad Congregationem Capuccinorum,ſine huiuſmodi licentia, ſe tranſ-
ferre præſumant. In ſingulos verò Prælatos Capuccinorum, & fratres de Obſeruantia,
qui in

A qui in pręmiſſis quoquomodo contrauenerint, excommunicationis ſentētiam fert, eosq́; omnibus & quibuſcunq; dignitatibus, adminiſtrationibus & officijs priuat, & ad futura, & ad quoſcunq; actus legitimos exercendos inhabiles reddit. Et aliud breue Iulij II. datum Bononiæ 22. Nouembris eodem anno, alteri breui à ſe in gratiam fratris Reginaldi Gratiani à Cotiniola expediti omnino oppoſitum: vt videlicet loca Franciſcanis Obſeruantibus in Generali Capitulo à fratribus conceſſa firma ſint, maneantq́;. Et aliud breue eiuſdem Iulij II. datum ibidem 15. Decembris, eodem anno Pontificatus verò ſui viij. ne fratres Amadei calepodia nudis pedibus coram ſęcularibus, ſub excommunicationis, pœna deferre poſſint. Et aliud breue Leonis X. ſummi itidem Pontificis datum ibidem vltima Ianuarii, anno Domini 1515. Pontificatus verò ſui ij. vt Carmelitani Conuentuales loco ſanctæ Mariæ de quiete (vulgo ripoſo) prope Tuſcanellam
B oppidum ex tempore cedant, ſibiq́; Franciſcani Obſeruantes ſuccedant. Et aliud breue eiuſdem Leonis X. datum ibidem 14. Februarij, anno Domini 1517. Pontificatus verò ſui iiij. ne Clariſſæ ſorores tam de prima, quàm de ſecunda Regula vel decimas, vel collectas ſoluant. Et aliud breue eiuſdem Leonis X. datum ibidem 14. Maij, Pontificatus verò ſui v. vt quorumcunq; Inſtitutorum Mendicantium Generales & Vicarij Generales, atq; etiam illi, quibus ab ijſdem commiſſum fuerit, fratres ſibi ſubditos à quouis crimine, atq; exceſſu, iuxta Sixti IIII. declarationem, abſoluere poſſint. Et aliud breue eiuſdem Leonis X. datum ibidem ijſdem die, atq; anno, quo omnia & ſingula priuilegia Franciſcanis Obſeruantibus à ſuis prędeceſſoribus, atq; etiam à ſe antea conceſſa confirmantur. Et aliud breue eiuſdem Leonis X. datum 3. Iunij anno Domini 1521. Pontificatus verò ſui ix. vt xenodochium prope Nageram, ciuitatem Calaguritanæ Diœ-
C ceſis à Doctore Petro de Arez ædificatum, & ab eius vxore, atq; eiuſdem nominis filio & hærede Franciſcanis Obſeruantibus in habitationem conceſſum, penes eoſdem fratres maneat: & Minoriticus conuentus ab illuſtriſſimo Antonio Manriquez Nagerenſium Duce, cæteroq́; populo, intra eiuſdem ciuitatis mœnia conſtructus, & à patribus Benedictinis, per diffinitiuam ſententiam, ab ijſdem fratribus Franciſcanis ablatus, in pauperum xenodochium transferatur. Et aliud quoq; breue Nicolai V. ſummi Pont. datum ibidem v. idus Februarij, anno Domini 1448. ſui verò Pontificatus ij. vt frater Antonius Saſſonius, Franciſcanæ Regularis Obſeruantiæ alumnus, fratrum eiuſdem Ordinis conuentum Neapolis à ſereniſſima Sanchia Neapolitanorum Regina erectum, atq; monaſterio ſanctæ Claræ contiguum ab ijſdem fratribus, legitimis tamen de
D cauſis, derelictum, ac prophanis vſibus deſtinatum, ex ſereniſſimi Alphonſi Aragonij Neapolitanorum Regis facultate, inſuper & liberalitate reædificare poſſit. Et aliud breue Pauli III. ſummi itidem Pontificis datum Tuſculi 11. Maij, anno Domini 1538. ſui verò Pontificatus v. vt nullus, quacunq; licèt dignitate & honore præfulgidus, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, ſuſpenſionis, atq; interdicti pœnis, triginta volumina à venerabili patre fratre Petro Galatino edita, atq; in huius Aracœlitani conuētus bibliotheca aſſeruata inde vel ad tempus, niſi eorundem imprimēdorum cauſa, idq; Apoſtolica auctoritate, amouere præſumat: vtq; eiuſdem loci Guardianus ſolicitam eorum curam gerat. Et aliud breue Sixti IIII. Pont. quoq; max. datum ibidem vltima Maij, anno Domini 1472. ſui verò Pontificatus primo, vt Minoritæ Obſeruantes conuentum Fundis erectum ſibiq́; oblatum in virtute ſanctæ obedientiæ accipiant, occupentq́;. Et
E aliud breue eiuſdem Sixti IIII. datum ibidem 13. Auguſti, anno Domini 1474. ſui verò Pontificatus iij. vt vineæ, atq; prædia à Iacobo Lælio huic Aracœli conuentui ex teſtamento ea lege, ne venderentur, relicta, pro dormitorij reparatione alienari poſſent. Et aliud breue eiuſdem Sixti IIII. datum ibidem 13. Nouembris, anno Domini 1480. vt Franciſcani Obſeruantes Ciſmontani, vel per compromiſſum, vel per ſcrutinium in ſuis electionibus procedere poſſint. Et aliud breue eiuſdem Sixti IIII. datum ibidem 7. Auguſti, anno Dñi 1481. ſui verò Pontificatus x. vt ijdem Franciſcani cuiuſcunq; hereditarię ſucceſſionis ſiue ex teſtamēto, ſiue ab inteſtato incapaces ſint. Et aliud breue eiuſdem Sixti IIII. datum ibidē eodem die, atq; anno, vt feſtum quinq; Martyrū Franciſcanorū Berardi videlicet, Petri, Accurſij Adiuti, atq; Othonis duplex à Minoritis celebrari poſſit. Et aliud breue eiuſdem quoq; Sixti IV. datum ibidem 8. Nouembris, anno Dñi 1481.

ſui verò

ſui verò Pontificatus ij. vt Franciſcani Obſeruantes, ex obtentu alicuius gratiæ à Sede A
Apoſtolica, non cenſeantur à prælatorum obedientia liberi.
Sunt quoq; hoc in ipſo tabellario alia quamplurima breuia Apoſtolica, quæ tamen
minus ad noſtram rem pertinent, ideoq́; ea ſilentio præterire, eorumq́; loco ſubſequen-
tia aliorum breuium Apoſtolicorum tranſumpta (quæ ſunt in triplici differentia, vt le-
genti facilè conſtabit) ſubtexere volui. Adhærent igitur præcedentibus Apoſtolicis
breuibus quæ ſequuntur tranſumpta ſtanneo ſigillo, cera, atq; corda rubeis communita.
Tranſumptum videlicet Clementis VII. Pont. max. datum Romę xvj. cal. Decembris,
anno Domini 1532. Pontificatus verò ſui ix. vt Prouinciales Obſeruantum Franciſca-
norum Miniſtri his, qui ſub nomine Recollectorum ſtrictius vtcunq; victitare cupiunt
quatuor, vel quinq; loca, in quibus commorari poſſint, deſignent; vtq́; ijdem Recol-
lecti præfata loca ſibi conceſſa precioſioribus iocalibus ſpoliare poſſint: vtq́; ijdem Re- B
collecti à Miniſtris inde inuiti ammoueri non quæant; ſi tamen eorum Cuſtodis aſſen-
ſus in Prouinciali Capitulo acceſſerit, amoueantur: poſſint tamen interim à prædictis
Miniſtris viſitari, atq; corrigi. Eorum quoq; Cuſtos, qui ab ijſdem Recollectis eligen-
dus veniat, Prouinciale Capitulum, vt fratrum ſibi creditorum neceſſitates patribus
inſinuet, accedere poteſt. Cauetur quoq;, vt eorundem Guardiani, atq; Diſcreti pro-
uincialia Obſeruantum Capitula accedant, inibiq; vocem tum actiuam, tum quoq; paſ-
ſiuam habeāt: vtq́; præmemoratus Cuſtos domos ſibi commiſſas infra annum viſitare,
earumq́; Guardianos priuare, atq; ammouere quęat, & eius acta Prouincialis Miniſter
confirmare teneatur. Itidem vt ipſe Cuſtos Guardianum etiam alicuius conuentus age-
re poſſit. Et aliud tranſumptum Iulij II. Pontif. itidem max. actum Bononiæ 15. De-
cembris anno Domini 1510. vt nullus alius ab Obſeruante Minorita calepodia deferre C
poſſit. Et aliud tranſumptum eiuſdem Iulij II. actum Romæ 18. Februarij, eodem an-
no, vt fratres Amadei calepodia deponant. Et aliud tranſumptum Leonis X. Pont. quoq;
max. actum Romæ, anno Domini 1520. vt nullus, ſub excommunicationis latę ſenten-
tiæ & quingentorum aureorum, ſi Apoſtolicæ Sedi in temporalibus pareat, pœnis, ab
aliquo Minorita Obſeruante aliquod vectigalis genus exigere præſumat. Et aliud tran-
ſumptum Pauli III. ſummi itidem Pontificis actum Romæ prima Iulij, anno Domi-
ni 1555. quo cuncta priuilegia Obſeruantibus Minoritis à ſuis prædeceſſoribus con-
ceſſa confirmantur. Et aliud tranſumptum Sixti IIII. Pont. quoq; max. actum ibidē 11.
Iulij, anno Domini 1475. vt Minoritæ Obſeruātes ſacras quorumcunq; ad ſe confluen-
tium confeſſiones recipere, eiſq́; abſolutionis beneficium, etiam ſi caſus Epiſcopalis
intercedat, impertiri, atq; Euchariſtię ſacramentum (dempto tamen Dominicæ reſur- D
rectionis die) miniſtrare quęant. Adiacent quoq; præcedentibus tranſumptis & alia ſi-
gillis ex alba cera extrinſecus, rubea verò intrinſecus compactis corroborata: quoddā
nempè tranſumptū Bonifacij VIII. ſummi etiā Pontificis, actum Romæ xij cal. Martij.
anno ſui Pont. vj. vt fratres Minores ſe Epiſcopis, in quorū Diœceſibus commorantur,
pro ſacris confeſſionibus audiendis pręſentare teneantur: quòd ſi eos ad huiuſmodi mu-
nus admittere noluerint etiam, illis id denegantibus, eas excipere poſſint. Et aliud tran-
ſumptum Bonifacij IX. Pont. itidem max. actum ibidem 26. Maij, anno Domini 1390.
vt Franciſcanorum Generalis, atq; Prouinciales Clariſſis ſororibus ius dicant, eaſq́;
corrigant, atq; viſitent. Et aliud tranſumptum Ioannis XXII. Pont. quoq; max. actum
Auinioni nonis Octobris, anno Domini 1317. vt electio vilitatis (quo ad fratrum indu- E
menta) longitudinis, latitudinis, atq; coloris panni penes eorum Miniſtros, de Diſcre-
torum tamen conſilio, ſit: vtq́; ſubditi, in his quæ expreſsè in Regula minime conti-
nentur, ſuorum ſuperiorum dicto audiant. Et aliud tranſumptam Pauli II. Pont. itidem
max. actum ibidem xij. cal. Decembris anno ſui Pontificatus ij. quo cuncta priuilegia
Minoritis à ſummis Pontificibus antea conceſſa confirmantur. Et aliud tranſumptum
Pij II. Pont. quoq; max. actum ibidem xj. cal. Iulij ſui verò Pont. anno ij. vt nullus Frā-
ciſcanus Hieroſolimytana loca, abſq; ſpeciali ſui prælati facultate, petere poſſit. Et
aliud tranſumptum eiuſdem Pij II. continēs Eugenianam bullam atq; Franciſcanorum
Obſeruantū ſtatū, viuendiq́; modū exponēs. Adhæret tandē pręmiſſis Apoſtolicis literis
& aliud Clementis VII. ſummi Pont. tranſumptum ligneo ſigillo, atq; rubea cera com-
munitum,

A munitum, & Romæ 21. Decembris, anno verò Domini 1525. actum, quo Clariſſæ, atq; etiam Tertiariæ Franciſcani Ordinis ſorores à quarumcunq; decimarum, primitiarum, vel etiam cenſuum ſolutione immunes redduntur.

Exornatur pręterea ſacra hęc domus lapide Angelici veſtigio pedis inſignito, dum beatæ Virginis imago tempore peſtis, ſub Gregorio I. ſummo Pont. (vt præfati ſumus) ad Vaticanum proceſſionaliter deferretur, ſibiq; Angelorum chorus ex Adriani mole deuotam illam antiphonam: Regina cœli lætare alleluia, &c. decantaret. Qui quidem lapis ei columnæ quæ Aræcœli proximior eſt adhæret. Et ſepultura illuſtriſſimi Ioannis Sabellij S.R.E. Diaconi Cardinalis. Item funeribus illuſtriſſimi Ludouici à Libreto natione Galli, ac tituli SS. Petri & Marcellini etiam Cardinalis, qui obijt die 4. Septembris 1465. ac iuxta maiorem portam ad eius tamen leuam, tumulatus eſt: & reuerendiſ-
B ſimi patris fratris Matthæi ab Aquaſpartha etiam Minoritæ, ac S.R.E. Presbyteri Cardinalis: & illuſtriſſimi Iuliani Cæſarini huius nominis ij. ac S.R.E. Diaconi Cardinalis: & Alexandri itidem Cæſarini tituli ſanctæ Mariæ inuiolatæ Presbyteri Cardinalis, Hiſpaniæq; Protectoris: & illuſtriſſimi Andreæ de Valle Epiſcopi Prænestini, ac tituli ſanctæ Priſcæ presbyteri Cardinalis: Et reuerendiſſimi patris fratris Clementis à Monelia Minoritæ, ac tituli iſtius eccleſiæ Cardinalis, qui cùm totius Minoritici Ordinis clauum teneret à Paulo IIII. ſummo Pontifice, ob eximias eius virtutes, ad Cardinalitiam dignitatem promotus fuit: & illuſtriſſimi Alexandri Criuelli tituli iſtiusmet eccleſiæ Cardinalis, ac Ordinis noſtri Viceprotectoris: Et ſereniſſimæ cuiuſdam Catharinæ Boſnenſium Reginæ: atq; illuſtriſſimi Lucæ Sabellij Vrbis Romanæ Senatoris, ac Honorij III. Pont. max. patris. Atq; etiam R.P.F. Alexandri ab Alexandria ſacræ Theologiæ Do-
C ctoris, totius ordinis Minorum Generalis Miniſtri. Sunt præterea hac in eadem eccleſia quamplurima alia illuſtrium heroum mauſolæa, quę tamẽ breuitati ſtudẽs prętermitto.

De monaſterio corporis Chriſti, ſiue ſanctæ Claræ Neapolis.

IN Regia atq; nobiliſſima ciuitate Neapolitana, quę illius Regni principatum obtinet, exurgit pręgrandis quędam, atq; famoſa eccleſia ſanctiſſimo corpori Chriſti dicata, licèt vulgò nomine ſanctę Clarę appellitetur, affabrè conſtructa. Cui bina cohęrent monaſteria, alterum quidem Clariſſarum Vrbaniſtarum, alterum verò Franciſcanorum Obſeruantum. Quod verò monialibus deſeruit, cuiuis alteri totius Neapolitani Regni monialium monaſterio tum magnitudinis, tum diuitiarum, tum quoq; no-
D bilitatis palmam facillimè prępipit. Nec mirum ſanè cùm Regia fundatio ſit. Nam ſereniſſimus Robertus, Caroli Regis Sicilię tertio genitus, ac ſancti Ludouici Tholoſani Epiſcopi vterinus frater, vt primùm à Clemente V. Pont. max. Neapolitano Regno, anno à Chriſto ſeruatore nato 1310. inueſtitus fuit, vnà cum Sanchia Aragona Regina, eiuſq; legitima vxore, ob maximam deuotionem, qua illorum vterq; Franciſcanam Religionem, Clariſſamq; ſobolem proſequebatur, eodem anno, qui eius Regni primus fuit, auguſtiſſimo huic operi fœliciſſimum initium dedit, illudq; ſuis ſumptibus, infra triginta annorum ſpatium, ad optatum finem perduxit, atq; plurimis tum Regijs, tum quoq; Pontificijs priuilegijs, quorum tamen plœna notitia, ob duplicem huius domus combuſtionem, quarũ altera anno Domini 1508. altera verò anno 1561. contigit, in qua quicquid ſcripturarum in archiuis aſſeruabatur, voracibus flammis ab-
E ſumptum eſt, haberi minimè poteſt, cumulauit. Minorem tamen Apoſtolicorum, quàm Regiorum indultorum iacturam ſacra hæc domus incurrit. Nam Iulius III. Pont. max. quemadmodum ex plumbea eius bulla in huius loci tabellario aſſeruata liquidò conſtat, anno Dominicæ incarnationis 1552. Pontificatus verò ſui iij. ad eius ſororis, quæ tunc loci Abbatiſſam agebat, ſupplicem inſtantiam, reuerendiſſimo Nicoterenſi Epiſcopo, atq; perdeuoto viro Benedicto ab Ariano Neapolitanæ matricis eccleſię canonico, vt apud antiquiores, fideq; digniores Neapolitanos ciues de huiuſmodi priuilegijs, atq; Apoſtolicis indulgentijs quàm diligentiſſimè inquirerent, & quicquid certi ea de re inuenire poſſent, publicis inſtrumentis à publicis quoq; Notarijs confectis, mandarent, pro paſtorali cura commiſit. Quod cùm diligentiſſimè exequuti eſſent,

Pius

Pius IIII. Pont.max.anno Domini 1462. Pontificatus verò ſui iiij.edita plumbea bulla, A
quę adhuc apud moniales extat,ad humiles ſororis Laurę Columbę,tunc iſtius conuentus Abbatiſſę, quicquid indulgentiarum, aut priuilegiorum Pontificiorũ loco conceſſorum, illi inueſtigare potuerũt, confirmauit,ac pro ſua in religioſos atq; religioſas animi propenſione, & in tanti Regis fundatorisq; gratiam, liberaliſſimè conceſſit. Quorum tenor ſequitur. Quot quot vtriuſq; ſexus fideles confeſſi re, aut voto, hanc ſanctę Claræ eccleſiam ſequentibus diebus viſitauerint, plenariam omnium ſuorum peccatorum indulgentiam conſequentur: idq; ipſum pro defunctis, per modum ſuffragij, adipiſci poterunt. Nempè in feſto ſanctiſſimi corporis Chriſti,& per eius octauam. In feſto natalis ſanctiſſimi patris noſtri Franciſci, atq; in reliquis eius feſtiuitatibus: In omnibus ſolemnitatibus beatiſſimæ Virginis Marię, ac ſancti Ludouici Epiſcopi Ordinis Minorum. In feſto Portiunculæ, quod celebratur 2. Auguſti cuiuſlibet anni. Gaudet in- B
ſuper ſacra hęc ædes omnibus indulgentijs conceſſis fratrum Minorum eccleſijs.

Nec ſilentio prętermittam antiquiſſimam quandam cęremoniã ab huius loci erectione ad vſq; præſens tempus obſeruatam, cùm in eius dignitatem & gloriam cedat. Deferenti ſiquidem Neapolitano Archiepiſcopo ſub precioſiſſima vmbella venerabile, ac ſacroſanctum Chriſti corpus ab eccleſia ciuitatis matrice, ipſo die quo eius feſtum à fidelibus ſolemniter celebratur, ac portæ huius templi cum ſolemniſſima pompa, atq; celeberrima proceſſione appropinquanti, obuiat pater loci Guardianus cum cæteris fratribus ſacris veſtimentis paratus, ſumptoq; de manu Diaconi thuribulo ſanctiſſimæ Euchariſtiæ thus adhibet,ac reuerendiſſimo Archiepiſcopo ad ſummum vſq; altare congreſſus, cum primùm panis ille Angelorum ab Archiepiſcopo precioſiſſimę cuidam ar- C
genteæ arculæ committitur, ſacris coram toto illo celeberrimo cœtu ſolemniſſimè operatur.Cumq; primùm ad propitiatorię illius hoſtię eleuationem peruenitur,eò redit proceſſio vnde venerat. Olim tamen moris fuit, vt Guardianus venerabile Chriſti Corpus in ipſo hoſtij limine de manu Archiepiſcopi ſumeret, ipſumq; ad altare vſq; deferret: ſed impræſentiarum eius loco incenſa propinat.

Vt autem cætera, quæ de hoc loco dicenda veniunt,ordine proſequamur, aliqua nobis de huius auguſtiſſimi templi pręrogatiuis dicenda veniunt.Et primò quidem de ſummo eius altari. Id namq; ex albo, finiſſimoq; marmore conſtat,plurimisq; iconibus affabrè ſculptis tum Deiparæ Virginis, tum quoq; Apoſtolorum atq; B. Franciſci, nec non & aliorum ſanctorum elegantiſſimè exornatur: Præcipuè verò duabus marmoreis columnis, quę ex ampliſſimo Salomonis templo allatę feruntur. Adiacet pręterea ſibi eius D
fundatoris,Roberti ſcilicet Regis, marmoreum, elegantiſſimumq; ſepulchrum cum duplici ipſius effigie, altera quidem Minoritico habitu induta atq; iacente, altera verò pro Regia maieſtate ſedente: cui ſequens ſubeſt verſus.

Cernite Robertum Regem virtute refertum.

Ad ſiniſtram verò præfati ſummi altaris cernere licet & aliam ſepulturam Caroli præmemorati Regis Roberti primogeniti, Calabriæq; Ducis, nec non & patris in Regno Neapolitano Vicarij generalis; cuius æquitas, iuſtitia, manſuetudo, atq; humanitas incredibiles fuêre, quemadmodum lupus & agnus eius ſepulchro inſculpti, ſimulq; ex eodem vaſe comedentes, typicè ſatis indicant. Quorum ſignificatio ea eſt: Ob præfati videlicet Caroli adminiſtratam iuſtitiam malos omnino pacificè bonis ſuo tempore conuixiſſe. Huic ſepulchro contiguum eſt & aliud etiam marmoreum, quo Ioannæ E
Neapolitani Regni Reginæ corpus reconditum eſt. Huius tanta fuit crudelitas, atque inhumanitas,vt proprium virum (prout Neapolitanæ referunt hiſtoriæ) Andreazzum Caroli Martelli filium, ex maxima inſolentia, ſuſpendi, necariq; ſericeo laqueo, proprijs manibus contexto,curauerit. Quam tamen impietatem Deus opt. max. inultam minimè reliquit: cùm & ipſa idem mortis genus (ſuſpendium videlicet) ex mandato Caroli defuncti Andreazzi fratris,ignominioſè ſatis ſubierit. Erectæ quoq; ſunt ad præmemorati altaris dexteram binæ elaboratæ ſepulturæ,in quarum viciniori ſereniſſimæ Mariæ Conſtantinopolitanæ Imperatricis, atq; Dirrachij Duciſſæ corpus iacet: in altero verò Agneris, Conſtantinopolitanę quoq; Imperatricis, atq; Clementiæ Caroli Duraganę Ducis filię,corpora humata ſunt.Diſtinguuntur tamen ab inuicẽ prędictę ſepul-

turæ

A turę marmorea quadam ara, cui ipſius fundatoris, Thomę ſcilicet Reſaliti nobilis Florentini imago ſuppoſita eſt. Inſignitur & alijs plurimis heroum, heroidumq́; ſepulchris ſacra hæc ędes, quę, anno à Chriſti natiuitate 1340. viuentibus adhuc eius fundatoribus Roberto Rege, atq; Sanchia, conſecrata eſt, quorum vnum, aut alterum in medium adducemus. Ad ſiniſtram namq; principalioris portæ, qua templum petitur, magnificum quoddam ſepulchrum cum his verſibus occurrit.

Præmia ſi meritis donant condigna ſupernis,
Hic meruit ſuperum poſt ſua facta locum.
Dum vixit virtute micans, bonus, atq; modeſtus,
Secretus Regis conſiliator erat.
Publica ſemper amans Antonius iſte vocatus,
B *De Penna dictus, quem tegit iſte lapis.*

Hæret quoq; ſiniſtræ portæ minori marmoreum aliud ſepulchrum, cui ſpecioſa quędam ſculpta iuuencula ſuperſedet, ſequenteſq; verſus inciſi ſunt.

Nata heu miſerum miſero michi nata parenti,
Vnicus vt fieres vnica nata dolor.
Nam tibi dumq; virum, tedas, thalamumq; parabam,
Funera, & inferias anxius ecce paro.
Debuimus tecum poni, materq;, Paterq;,
Vt tribus hæc miſeris vrna parata foret.
At nos perpetui gemitus, tu nata ſepulchri
Eſto hæres, cœli ſic vbi iura volunt.

C Antonię fil. chariſſ. quę Hieronymo Granatę iuueni deſtinata vxor, ann. nondum xiiij. impleuerat, Ioan. Guadinus & Eliodora Boſſa parentes infeliciſſ. poſ. rapta ex eorum complexibus anno ſal. M. D. X X X. pridie cal. Ian.

In tertio ſacello à principaliori porta ſiniſtrorſum duę ſepulturę ſunt, quarum altera viri, altera verò vxoris oſſa tegit. Sed inferiorē primi partem ſequentes verſus exornant.

Magnanimus, ſapiens, inſignis, prouidus, vnus
Clauditur hoc ſaxo, non fama, carne ſepultus.
Rautia quem genuit, clara & generoſa propago:
Magnificos qui eduxit annos, ſibi Rautia tellus.
Mente Deum veritus Raymundus & ipſe verendus,
Non terrena fuit, potius cœleſtis imago.
D *Soletiq; Comes, Regni Goamerius huius*
Militiæq; decus, virtutis amator, & omnes
Iure bonos coluit ad cœlica Regna vocatus
Mille fluunt anni C C C L X X.
Quinque ſimul poſitis inditio dena, terq; V.
Auguſtus tunc menſis erat, tunc quinta dieſq;.

Secundi verò inferiorem portionem ſuppoſita carmina occupant.

Iam tenet aſtrigeras ſedes terrena relinquens,
Extremis ſubuecta locis, cœloq; locata.
Quam premit hic tumulus, tantùm benè iuncta marito,
Quantùm carminibus celebrat lapis ipſe propinquus.
E *Hæc ſpeculum vitæ fuit, hæc regula morum,*
Caſta, humilis, miſerans cunctis, manſueta modeſta,
Fœmina non fragilis, ſed verius alma virago.
Hæc, & Iſabella celebri ſic nomine dicta.
Deq; à pia charum traxit cognomen auorum
Francia quos genuit, memorat conqueſtaq; Regni
Mortua non moritur, quia famam dat ſibi virtus,
Mille fluunt anni C C C L X X.
Quinque ſimul poſitis inditio tertia dena
Iulius hanc rapuit decima poſt quarta dieſq;.

Honeſtatur inſuper famoſum hoc templum, quod monialium monaſterium à fra- A
trum conuentu (licèt iſtis atq; illis commune ſit.) induſtrioſè ſecernit, plurimis ſan-
ctorum reliquijs : nempe altero pede ſancti Andreæ Apoſtoli, quem præfati fundatores
anno Domini 1319. ab illuſtriſſimo Carolo Triſco, Innocentij V. ſummi Pontificis ne-
pote dono acceperunt : brachio, coſta, atq; habitus parte ſancti Ludouici Epiſcopi &
Confeſſoris : alia coſta S. Eliſabethæ Vngarorũ Regis filiæ : quibuſdam crinibus glorio-
ſæ ſemperq; Virginis Mariæ : capite ſanctæ Chriſtinæ virginis & martyris : atq; corpo-
re beati patris Philippi Aquerij Ordinis Minorum, qui cùm Minoriticæ Religionis ha-
bitum in Prouincia tunc Maſſiliæ ſiue Prouinciæ, nunc autem ſancti Ludouici, ſum-
pſiſſet, atq; ex Generalis Miniſtri mandato, vt monialibus à ſacris confeſſionibus eſſet,
ad hunc conuentum conuolaſſet, & ſanctum Elzearium Ariani Comitem eiuſq; cha-
riſſimam vxorem Delphinam ſuis concionibus ad caſtitatem ſeruandam, Deoq; fœli- B
cius inſeruiendum impulit, & plurimis, tum fratribus, tum quoq; monialibus, ac etiã
laicis ſecularibus viam ſalutis oſtendit. Fuit hic beatus pater ſpiritu prophetico donatus,
atque incredibili patientia (vt alter Iob meritò dici poſſet) præditus. Cùm enim per tri-
ginta continuos annos, diutino languore, atque vehementiſſimis doloribus conflicta-
retur, nunquam aliquid ſtultum ex eius ore prodijt, ſed illud tantùm audiebatur: Sit
nomen Domini benedictum. Quamobrem cùm primum, iuxta eius prædictionem, ex
hac vita migraſſet, & ipſius vlcera, quæ prius tetro quodam odore circunſtantes offen-
dere aſſueuerant, ſuauiſſimam fragrantiam emisêre, & eius caro mollem omnino, al-
bam, tractabilemq;, licèt primitus ſuffuſca, contractaq; eſſet, ſe omnibus præbuit, &
miraculis clarere cœpit. Cuius corpus cùm in ſacello beatæ virgini Claræ dicato, in quo C
per Miſſarum beneficium, ex Gregorij XIII. ſummi Pontificis conceſſione, fidelium
animæ ex purgatorij pœnis liberantur, honorificè ſatis tumulatum eſſet, anxiæ de tan-
to pignore ſorores, ne aliquando furto inde ſurriperetur, curarunt, vt ad ipſarum cœ-
meterium, ſuperpoſita ſibi nucea arca, transferretur. Et hæc quidem de eccleſia vtriq;
conuentui communi, quæ adeò elegans, adeoq; magnifica, atque ſumptuoſa conſur-
git, vt vix exprimi queat. Conſtat ſiquidem ex polito, quadratoq; lapide, plumboq;
eius tectum veſtitur, atq; plurimis, iiſq; pulcherrimis ſacellis, nec non & (vt prædixi-
mus) heroum mauſolæis exornatur. Nunc autem ad monialium domum tranſeamus.

Hæc ſane domus capaciſſima eſt, commodèq; ſatis 250. ſorores Clariſſas Vrbaniſtas
excipit, atq; ex largiſſimis redditibus, ſibi à ſereniſſima Sanchia Regina fundatrice re-
lictis, alit: cuius inſtitutione & lege is numerus trãſgredi minimè poteſt: ſed vt aliqua D
virgo ad nouitiatus habitum admitti poſſit, alia prius ex profeſſis è vita exceſſiſſe debet.
Monialium verò receptio ex præfatæ fundatricis decreto ad Neapolitani Regni Reges
ſpectat. Fratrum etiam conuentus commodiſſimus eſt, omnibusq; ſuis numeris, atq;
officinis perficitur. In quo ex mandato eiuſdem fundatricis, quæ Ruberto Regi ſuper-
uixit, 50. fratres minores commorari tenentur, licèt impręſentiarum 25. tantùm inha-
bitent. Quibus præfatę eccleſię cura incumbit. Horum alter Guardianum agit, aliquot
verò alij (ad id tamen munus à Generali Ordini acciti) ſororibus, à ſacris confeſſioni-
bus ſunt : reliqui autem, vel ſacris, ſi ſacerdotes ſint, operantur, vel communibus hu-
milioribus obſequijs, ſi laici ſint, inuigilant. Debent tamen victum, iuxta fundatorum
voluntatem, ex mendicatione ſibi acquirere, quod ſi minus cõmodè id pręſtare queãt,
tunc illis neceſſaria à monialibus ſubminiſtranda veniunt. Succeſſu verò temporis, fe- E
rentibus id ſororum prouentibus, legitimis de cauſis, conſultiſſimè decretum eſt, vt tã
monialibus, quàm fratribus, à loci Abbatiſſa de victu & amictu prouideatur. Subfue-
runt pręfatæ ſorores patribus Franciſcanis Conuentualibus, ſed anno 1568. ex manda
to ſanctiſſimi Pij Papę V. ad inſtantiam tamen Philippi huius nominis II. Hiſpaniarum
Regis, ab ijs ad Obſeruantes eiuſdem Ordinis deuolutę ſunt. Extat adhuc pręfati Pij V.
breue, datum Romæ anno ſuperius dicto. A quo & decretum fuit, vt tantus hic monia-
lium, fratrumq; conuentus, cum alijs duobus ſibi adiacentibus (de quibus paulò infe-
rius) Generali totius Ordinis Miniſtro immediatè ſubeſſet, nulliuſq; Prouincię terminis
circumſcriberetur. Et hæc de vtraque tum monialium, tum quoque fratrum domo,
atque de communi eccleſia dicta ſunto.

A

De monaſterio ſanctæ Mariæ Magdalenæ Neapolis.

SERENISSIMA, ſimulatq; pientiſſima Sanchia Regina(de qua paulò ſuperius) ſollicita omnino de animarum ſalute, cupiensq;, ad inſtar illius Patriarchæ Noë, alteram arcam ędificare,in qua peccatrices mulieres,de peccatorum diluuio ereptæ,ſaluæ fierent: poſtquam virginibus ex legitimo toro procreatis de optimo loco, nempè de conuentu ſanctæ Claræ (cuius ſupra meminimus) prouidiſſet, huic monaſterio beatæ Mariæ Magdalenæ ſacro, impetrata prius à Ioanne XXII.Pont.max.facultate, anno à partu Virgineo 1324. ex Regio,peculiariq; patrimonio,intra nobiliſſimæ ciuitatis Neapolitanæ mœnia, vt mulierculis in peccato exiſtentibus de idoneo, peropportunoq; lo-
B co prouideret, fœliciſſimum initium dedit, atq; ad optatum vſq; finem perduxit, nec non & abundantibus redditibus dotauit.Cuius quidem pijſſimæ Reginæ tantus fuit huiuſcemodi mulieicularum ſaluandarum zelus, vt earum domos non fuerit aſpernata, nec dedignata ſit (ſi cuidam inſtrumento publico in membranula ſcripto, atq; manu cuiuſdam Mondini Auerſani Neapolitani ciuis, publiciq; Notarij ſubſcripto, eiusq; ſigillo communito,cuius initium eſt: Ioannes miſeratione diuina Neapolitanus Archiepiſcopus honorabilibus,& religioſis viris Miniſtris Prouincialibus Prouinciæ Terræ laboris,ac eorum Vicarijs præſentibus & futuris &c. fides adhibenda ſit)illis tum lachrymis, tum verbis, ſanctiſſimisque adhortationibus ſuadere, quatenus relicta huiuſcemodi infami, atq; periculoſa vita, monaſterium à ſe conſtructum intrare, Deoq; opt. max. moribus,ac viuendi genere in melius commutatis, fœlicius inſeruire vellent. Nec
C tamen oleum (vt aiunt) & operam eo in negocio humillima Regina perdidit. Nam decennio ab huiuſmodi fundatione, anno videlicet Domini 1334. ex 182. fœminis, quæ hunc conuentum eius ſuaſu atq; monitu ingreſſæ fuerant, 166. in præfati Archiepiſcopi Neapolitani manibus ſolemne votum de religioſo more, vt ex præmemorato inſtrumento conſtat, emiſerunt. Voluit tamen præfata fundatrix,vt hic locus fratrum Minorum curæ, atq; correctioni perpetuò ſubeſſet; eaq; de cauſa præfatum Ioannem Archiepiſcopum Neapolitanum rogauit, vt ſuo, ſuorumq; ſucceſſorum nomine iuri, quod ſibi, illisq; ad conuentum erat, vel eſſe poterat, liberaliter renunciaret. Cuius pijs votis pius quoq; Archiepiſcopus annuens, Narnienſi Epiſcopo generali eius Vicario id negocij commiſit: qui eius nomine, anno Domini 1341. huiuſmodi iuri, ea lege renunciauit,vt quotannis ſacræ huius ædis moniales vnam ceræ libram Neapolitanę ma-
D trici eccleſiæ, in feſto beatæ Mariæ Magdalenæ, penderent. Huius renunciationis literæ prędicti Narnienſis epiſcopi,atq; totius Neapolitani Eccleſiaſtici capituli manu ſubſcriptæ, ſub datum Neapoli anno Domini 1341. adhuc in ſororum cartophilacio perſeuerant. Literas vidimus, atq; perlegimus. Quo quidem tempore adeò ſororum numerus creuerat, vt trinam centuriam clauderet. Quas & Clemens VI. Pont.max. virtute cuiuſdam Apoſtolici breuis dati Auinioni, anno ſui Pontificatus primo,à decimis, atq; quibuſcunq; exactionibus tum Regijs, tum quoq; Pontificijs ſoluendis immunes omnino reddidit.Inſuper & fratrum Guardiano, eiusq; ſucceſſoribus (adiacet ſiquidē conuentui domus, in qua minorita quidam Guardianus cum tribus monialium Confeſſarijs, atq; duobus alijs fratribus commoratur, qui tum eccleſiæ, tum quoq; fratrum ſibi ſubditorum curam gerit) ſequenti anno, ſecundo videlicet ab eius Pontificatu, conceſ-
E ſit, vt pręfatarum ſororum ſacras confeſſiones excipere, atq; eas à quocunq; exceſſu, etiam Sedi Apoſtolicę reſeruato, ſalutari impoſita pœnitentia, abſoluere poſſet. Huiuſmodi conceſſionis breue, datum Villę nouę Auinionenſis Diœceſis, atq; in huius loci tabellario aſſeruatum tenuimus legimusq;.

Huius ſacrę domus ſorores Auguſtiniani Ordinis habitu, atque profeſſione vtuntur, dumq; ſolemne votum emittunt curę, correctioni, atq; ſubiectioni fratrum Minorum ſe deuouent.Qua etiam de cauſa cingulum,ſiue cordam beatiſſimi P.Franciſci deferunt. Quæ & eandem cum præcedentibus Clariſſis conditionem ſubeunt, ſicut & ſubſequentes,de quibus paulò inferius.Primò ſiquidem Franciſcanis Conuentualibus ſubfuerunt, ſed ab anno 1568. ex decreto Pij V. Pont.max.eiuſdem Ordinis Obſeruantibus ſubſunt.

Earum eccleſia, quæ affabrè conſtructa, atq; elegantiſſimè depicta eſt, conſecrata extitit, eiusq; feſtum, atq; conſecrationis ſolemnitas ipſo die beatę Mariæ Magdalenæ celebratur. A

Nec ſibi deſunt ſanctorum reliquię, cùm altero ex digitis eiuſdem beatæ Mariæ Magdalenæ, atq; ampulla ſanguine S. Stephani prothomartyris referta religioſiſſimè honeſtetur. Licèt enim is fuerit præfatæ fundatricis Reginæ ſcopus, vt conuentus hic excipiendis meretriculis, quæ in meliorem vitæ frugem inhiarent, perpetuò deſeruiret, nihilominus tamen nullę pœnitus ad huiuſmodi habitum recipiuntur niſi honoſtę tantùm virgines: nec aliquo pacto conſtat, à quo tempore conuentus à præfatis peccatricibus fœminis ad virgines tranſierit, & cuius auctoritate id effectum ſit. Commorantur deniq; frequentius hoc in monaſterio 140. ſorores. B

De monaſterio S. Mariæ Ægiptiacæ Neapolis.

ANIMADVERTENS deuotiſſima Sanchia Regina (cuius ſuperius mentio facta eſt) quot, quantiq; fructus in Dominicum horreum ex pijs eius ſuaſionibus, atq; adhortationibus inferrentur, quodq; eos diuæ Mariæ Magdalenes conuentus à ſe paulò ante conſtructus capere non poſſet, adiecit, vt & ſacrum aliud monaſterium ad eaſdem mulierculas excipiendas, quæ relicta turpi atq; infami vita ad Deum conuerti cuperent, ex proprijs facultatibus, ædificaret. Obtenta itaq; prius Apoſtolica auctoritate, anno à lætabunda Chriſti natiuitate 1335. intra præfatæ ciuitatis Neapolitanæ ſepta hunc conuentum in honorem ſanctæ Marię Ægiptiacæ conſtrui, ſufficientibusq; redditibus inſtrui curauit. Qui quidem præcedenti per omnia ſimilis eſt. Nam eius ſorores, quæ numero ſunt 90. diui patris Auguſtini Regulam ſolemniter profitentur, Auguſtinianoq; habitu, & Franciſcana corda vtuntur, atq; Minoritis fratribus ex ſolemni ſponſione ſubſunt. Cùm autem & hic locus, quemadmodum & præcedens, Neapolitani Archiepiſcopi dictis, ex ordinaria auctoritate, audire teneretur, egit prędicta Regina Sanchia apud Ioannem, tunc Archiepiſcopum Neapolitanum, atq; apud reliquum matricis eiuſdem ciuitatem eccleſiæ capitulum, vt cuicunq; iuri quod ſibi ad ipſum eſſe poſſet, in Minorum fratrum fauorem ſpontaneè cederet. Quam etiam ceſſionem Clemens VI. Pont. max. edito Apoſtolico breui ſub datum Auinioni, anno Dominicæ incarnationis 1342. Pontificatus verò eiuſdē primo, cui & contractus inter vtrāq; partem conſtitutus inſertus eſt, ratam habuit, confirmauitq;. Tenentur nihilominus ſacræ huius ædis ſorores quotannis in feſto diuæ Mariæ Ægiptiacæ vnam ceræ libram in ſummo Neapolitanę ciuitatis templo, in huiuſcemmodi recepti beneficij memoriam, ex pacto atq; conuentione, pendere, Parùm tamen obfuit quin eæ mulierculæ, quæ ſtatim ab huius domus fundatione receptę fuerunt, tantę recluſionis pertęſę, atq; priorem, licèt inhoneſtam vitam ſuſpirantes ſæculum repeterent: ſed ne peſſimum huiuſmodi propoſitum exequutioni mandarent, feruentiſſimæ beati patris Philippi Aquerij (cuius ſupra meminimus) predicationes, inſtantesq; adhortationes impediêre. Cùm enim certo certius conſtet hoc monaſterium eis meretriculis, quæ pœnitentiæ agendę gratia ipſum ingredi cupiebant, à ſui exordio mancipatum, atq; ab eiſdem, ex præfatæ Sanchię Reginę fundatricis voto, inhabitatum fuiſſe, incertum tamē omnino eſt, à quo tempore excipiendis honeſtis virginibus, quibus impræſentiarum ſolummodo patet, illis prætermiſſis deſeruiat. C D E

Sacræ huius domus eccleſia conſecrata eſt, ſubſequentibusq; ſanctorum reliquijs inſignitur: nempe altero ex digitis ſanctę Marię Ægiptiacę, quadam cranij parte ſanctæ Margaretæ virginis & martyris, altera ſanctę Aldegondis, alia quoq; ſanctæ Iulianę, atq; itidem alia ſanctæ Bibianę virginum & martyrum, nec non & venerando capite eiuſdem ſanctę Marię Ægiptiacę, quod ante ſeptuaginta annos ſororibus ab incognito quodam ſacerdote ſęculari dono datum fuit: quod tamen, licèt nullę extent teſtimoniales literę, crebra miracula, quę per ipſum Deus opt. max. operari dignatur, commendatiſſimum reddunt, inſinuantq; non commentitium, ſed verum glorioſę peccatricis pręfatę caput eſſe. Ex quibus vnum tantùm in huius teſtimonium veritatis adducam.

Antiquiſſimi

A Antiquiſſimi moris eſt, vt venerabile hoc caput ſingulis annis à primis veſperis diei feſti ſanctæ Marię Ægiptiacę, vſq; ad diei octaui ſolis occaſum argentea theca contectum, ſummo altari à fidelibus proſpiciendum, venerandumq; committatur: vtq; pręfatis diebus elapſis à loci Guardiano monialibus ſacrario recondendum reddatur. Cùmq; anno à Virgineo partu. 1542. pater frater Iacobus Matalonicus Franciſcanus Conuentualis, huius tūc loci Guardianus, ſacris veſtimentis indutus incenſa huic ſacro capiti, de religioſo more, ipſo die octauæ propinaret, intra ſe hęſitare, atq; dicere cœpit: Quis nouit ſit ne hoc caput alicuius ſanctę vel alterius potius, cuius tantus honor minimè debeatur. Et ecce ex tempore ammiſſa loquela adeò grauiter, atq; miſerè agitari, conflictariq; cœpit, vt ipſum quàm breuiſſimè moriturum exiſtimaſſes. Commoto itaq; populo, qui ad ſolemnitatem conuenerat, atq; de tantę rei nouitatę ſtupefacto, accurrit B frater Cęſar à Gaiazo monialium Confeſſarius, pręſagoq; animo clamitare cœpit, firmiſſimè credo hoc verū eſſe caput ſanctæ Marię Ægiptiacę, ſumptamq; ex ipſo aquam, quam de induſtria infuderat, patienti obtulit: qua hauſta illicò conualuit, ſuamq; incredulitatem publicè faſſus eſt. A quo etiam tempore tantum hoc pignus maiori in veneratione à fidelibus haberi cœpit.

Paret quoq; immediatè conuentus hic Generali Obſeruantis Franciſcani Ordinis Miniſtro ab anno 1568. ex cuius mandato tres fratres ſororum miniſterio inuigilant, quorum duo illis à ſacris confeſſionibus ſunt, & eorum alter Guardianatus munere fungitur. Paruit tamen olim Franciſcanis patribus Conuentualibus, ſicut & duo pręcedentes conuentus, cum omnibus vna ſimul & eadem ſors, ex fundatorum lege, ſit. Et C hæc quidem de tribus monialium monaſterijs Neapoli conſtructis, atq; totius Ordinis Generali Miniſtro immediatè ſubactis. Supereſt igitur vt de Lateranenſi Pœnitentiaria prius, ac tum demun de Madritenſi monialium excalciatarum monaſterio agamus.

De Pœnitentiaria ſacroſanctæ Lateranenſis eccleſiæ.

HÆC ſacroſancta Lateranenſis eccleſia (quam inclytæ memoriæ Canſtantinus Imperator in ſuo Lateranēſi palatio, ſub Saluatoris vocabulo, conſtruxit) inter omnes alias tum Vrbis, tum quoq; vniuerſi Orbis eccleſias, ac baſilicas principē locum obtinet. Ipſa enim eſt præcipua Romanorum Pontificum Sedes: cum in palatio ſibi contiguo, per mille continuos annos, à ſancto ſcilicet Syluestro Papa, qui primus illud con- D didit, vſq; ad Clementis V. Pontificatum, qui Romanam curiam in Galliam tranſuexit, commorati ſint. Cęterum Gregorius XI. qui Romam Petri ſedem ex Auinione reduxit & qui ei ſucceſsêre ſummi Pontifices, relicto Laterano ad Patriarchium prope ſanctum Petrum in Vaticano, ſe tranſtulêre. Baſilicæ porrò Lateranenſis obſequio, propter ſupremam Romani Pontificis ibidem tunc commorantis maieſtatem, dignitatemq;, ſeptem Epiſcopi ex finitimis Romanæ Vrbis oppidis, qui ſinguljs hebdomadæ diebus ſinguli vel præſente, aut abſente Papa, ſuper maximam eius aram diuina perſoluerent, vel Pontifici ſolemnibus, ſtatisq; diebus ſacra facienti aſſiſterent, determinati ſunt. Atq; hanc ob cauſam hi ſeptem Epiſcopi, quòd Romani Pontificis miniſterio, ſpeciali quodam iure, inter cęteros Epiſcopos deputati eſſent, Epiſcopi Cardinales, ideſt principales appellati ſunt vt refert Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Stephani Papę IIII. Huiuſ- E modi fuerunt Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis. Epiſcopus Cardinalis Syluæ Candidæ, aliàs ſanctæ Rufinæ, (cuius ſedes deficientibus incolis eccleſiæ Portuenſi ſibi vicinæ à Calixto II. vnita fuit.) Epiſcopus Cardinalis Portuenſis, Epiſcopus Cardinalis Sabinus, Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus, Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus, & Epiſcopus Cardinalis Albanus. Horum opera Romanus Pontifex in inſtruenda Eccleſia, tunc maximè pullulante, vtebatur: cùm ſibi ipſe ſolus conſulere non poſſet. Summi itaq; rerum, animarum ſcilicet curandarum negocium, pręfatis Epiſcopis commiſſa cùm eſſet, hi, idq; ex munere, hac in eccleſia Lateranenſi & ſacramenta adminiſtrabant, & orationi, & verbi miniſterio ſimul cum Pontifice Romano vacabant & ſacras Chriſti fidelium ex omnibus Orbis partibus, pro peccatorum expiatione, Romam confluentium confeſſiones, illis interim pro commiſſis ſalutarem, debitamq; pœnitentiam, ex au-

ctoritate Apostolica, iniungentes vnde & Pœnitentiariorum munus nobis prodijt, ex- A
cipiebant.

Eſt igitur Pœnitentiarij munus ab antiquo hac in eccleſia inſtitutum. Sed quod olim
Presbyteri Cardinales præſtabant, hoc impræſentiarum ſacerdotes, nulla Eccleſiaſtica
dignitate, ab ea quæ Pœnitentiaria dicitur, inſigniti, ex eadem Apoſtolica facultate,
exequuntur. Quos tanquam Cardinalium in tanto munere ſucceſſores, Romani Ponti-
fices ſuos veros, immediatos, & indubitatos capellanos, familiares, continuosq; com-
menſales effecerunt: & pro talibus verè, & abſq; omni fictione haberi, teneri, & repu-
tari præceperunt, & omnibus, atq; ſingulis priuilegijs, exemptionibus, honoribus, qui-
bus cæteri Romanorum Pontificum capellani & familiares, continuiq; commenſales
gaudent, & ipſi potiuntur. A præfatis verò temporibus, quibus huiuſmodi ſacerdotes
illuſtriſſimis Cardinalibus in Pœnitentiarię officio ſucceſsêre, vſq; ad tempora fœl. rec. B
Pij V. Pont. max. eorum vndecim hac in Lateranenſi eccleſia perpetuò perſeuerarunt:
quorum quatuor ſacras Italorum, duo Germanorum, Hiſpanorum vnus, alter Gallo-
rum, alter Vngarorum, alter Anglicorum, & alter tum Polonorum, tum quoque Illy-
ricorum confeſſiones excipere tenebantur. Recipiebat interim quilibet eorum in ſingu-
los menſes ex Apoſtolico ærario quindecim florenos auri (vt vocant) de Camera pro
victu, & vigintiquinque in quolibet feſto Reſurrectionis Dominicæ, atq; totidem in
lætabunda Chriſti natiuitate pro amictu. Sed is Pœnitentiariorum numerus à præfato
ſummo Pontifice Pio V. anno ſui Pontificatus iij. imminutus, atq; ad ſenariam quanti-
tatem redactus extitit. Voluit tamen pientiſſimus ipſe Pontifex, memor eius reuelatio-
nis factę Innocētio III. ſummo itidem Pontifici, vt prememorati Pœnitentiarij ex Fran- C
ciſcano Obſeruanti Ordine aſſumerentur. Quibus nihilominus & octo cellulas, atq;
neceſſarias officinas in antiquo Lateranenſi palatio, licèt maiori ex parte collapſo, ex-
trui, & victum, atq; amictum ex Apoſtolico eodem ærarjo tribui curauit. Commoran-
tur deniq; hoc in Lateranēſi loco octo Franciſcani fratres, quorum ſex ſacris confeſſio-
nibus excipiendis, ex Apoſtolica auctoritate, atq; ſub Pœnitentiariorum officio, va-
cant: reliqui verò duo, qui & laici profeſſi ſunt, horum obſequijs inuigilant. Ex his
tamen omnibus alter Præſidentis officio, vt cæteris præſit, fungitur. Sed omnes, ſimul
atq; hic locus Generali totius noſtri Ordinis Miniſtro, in his quæ eorum profeſſionem
concernunt, in reliquis verò, quæ ad iniunctum ſibi munus ſpectant, ei illuſtriſſimo Car-
dinali, qui Pœnitentiarij maioris munere fungitur, immediatè ſubduntur.

Ne autem pręfatam reuelationem Innocētio III. factam ſilentio pręterire videamur, D
eam leuiſſimo ſtylo perſtringemus. Cùm enim ſeraphicus pater Franciſcus commiſſum
ſibi gregem ad duodenarium numerum perduxiſſet, Romamq; præoſtenſæ ſibi à Deo
opt. max. Regulæ, quam & breui ſermone conſcripſerat, confirmationem á ſummo
Paſtore Innocentio III. impetraturus properaret, iamq; eius muris cum fœcunda pro-
le appropinquaret, vidit per ſomnium ſummus ipſe Pontifex Lateranenſem baſilicam
ruinæ omnino propinquam: quam tamen pauperculus quidam homo, modicus, atq;
deſpectus proprio ſubmiſſo dorſo, ne caderet, ſuſtentabat. Cumq; ſequenti luce famu-
lus Dei Franciſcus coram ſummo Pontifice ſuum obtenturus intentum comparuiſſet,
atq; vigilantiſſimus Paſtor animi candorem, mundi contemptum, paupertatis zelum,
animarum ſalutem, atq; in Altiſſimum pietatem in homine adamuſſim contemplatus
eſſet: verè inquit hic eſt ille pauper à me in ſomnis præuiſus, qui opere, atq; doctrina E
Chriſti Eccleſiam ne corruat, ſuſtentabit. Proinde, incredibili ad ipſum deuotione con-
cepta, & eius petitioni libens ſubſcripſit, & Regulam approbauit & mandatum de præ-
dicanda pœnitentia ſibi, ſuiſq; alumnis dedit, & poſtulata cuncta conceſſit, ac tandem
ſe in poſterum plura conceſſurū ſpopondit. Licèt enim huiuſmodi ſomniū à Pontifice vi-
ſum catholicę toti Eccleſiæ aſcribendum potius veniat: cùm Minoriticum Ordinem ac-
cerrimum ſui propugnatorem, atq; ſtrenuum defenſorem, vt Franciſcana Chronica
legenti facillimè conſtabit, perpetuò habuerit: poteſt nihilominus & huic materiali ec-
cleſię Lateranenſi applicari. Nam Nicolaus IV. Pont. max. atq; vir ſanctiſſimus eius
tum anteriorem, tum quoq; poſteriorem partes omnimodam minitantes ruinam refe-
cit, reſtaurauit, immo potius à fundamentis reædificauit, & chorum vermiculato em-
blemate

A blemate ex teſſellis inſitijs aptato exornari curauit; & ſacroſanctum Saluatoris Chriſti vultum integrum omnino eodem in loco, vbi prius Romano populo in eccleſiæ iſtius conſecratione mirabiliter ſe conſpiciendum obtulerat, reponi fecit: prout ſequentia carmina præfato choro inciſa facilè indicant.

Tertius Eccleſiæ pater Innocentius hora,
Qua ſeſe dederat ſomno, nutare ruinæ
Hanc videt Eccleſiam; mox vir pannoſus, & aſper,
Deſpectusq; humerum ſupponens ſuſtinet illam.
At pater euigilans Franciſcum proſpicit, atq;
Verè eſt hic, inquit, quem vidimus, iſte ruentem
Eccleſiamq;, fidemq; ferret: ſic ille petitis
B *Cunctis conceſſis liber, lætusq; receſſit.*
Franciſci proles primus de ſorte Minorum
Hironymus quarti Nicolai nomine ſurgens,
Romanus Præſul partes circumſpicit huius
Eccleſiæ, certa iam dependère ruina,
Ante, retròq; leuat, deſtructa reformat, & ornat,
Et fundamentis partem componit ab imis.
Poſtremò quæ prima Dei veneranda refulſit
Viſibus humanis facies hæc integra ſiſtens,
Quo fuerat, ſteteratq;, ſitu relocatur eodem.
Præſidis ecce tui Deus hæc amplectere vota,
C *Quæ tibi perſoluit domus huius ornando decorem,*
Serua mirifica cœlo, terraq; beatum
Effice, nec manibus tradas hunc hoſtis iniqui
Ingrediens populus deuotus munera ſumat,
Quæ bonus hic Paſtor dedit indulgendo benignè:
Et larga pietate pater peccata remittens.

Anno ab incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti M. CCXCI. Pontificatus eiuſdem Domini Nicolai Papæ anno iij.

Iuſſerat inſuper (vt præfati ſumus) ſanctiſſimus Pontifex Nicolaus IV. ſuperiorem chori abſidem quibuſdam glorioſiſſimæ virginis Mariæ, ſanctorum Apoſtolorum, Patriarchæ Franciſci, atq; beati patris Antonij Paduani imaginibus muſeatis, ſiue vermi-D culatis exornari: atqui eius ſucceſſor Bonifacius Papa VIII. indignè ferens beatorum patrum Franciſci atq; Antonij icones cæteris admixtos, alteram, nempe diui Antonij obliterari, eradiq; pręcepit. Quod faber quidã murarius exequuturus, cùm primùm malleũ eius cucullæ applicuiſſet, tanta vi inde propulſus, atq; ad terrã illiſus fuit, vt ab omnibus vita functus exiſtimaretur. Idq; vt primùm Bonifacio ſummo Pontifici relatũ fuiſſet, ſubiecit: ſinamus Sanctũ; nam ſi aduerſus eũ pugnare velimus, plus iacturæ, quàm lucri reportabimus. Huius hiſtorię veſtigiũ ne aliquis commentũ exiſtimet, extat adhuc eodẽ in loco. Pręterea cum hęc ipſa Lateranenſis eccleſia, anno Dominicæ incarnationis 1308. Clemente V. ſummo Pontifice, ac reliqua Romana curia in Gallijs agentibus fortuitò conflagraſſet, ita vt vorax flamma nec palatio ſibi contiguo, nec canonicorum clauſtro, nec exteriori porticui, nec etiam precioſiſſimæ eius ſuppellectili pepercerit, Sixtus IIII. E Pont. max. ac profeſſione Franciſcanus, eam, poſt aliqualem reparationem à ſummis Pontificibus Clemente V. Gregorio XI. Martino V. atq; Eugenio IIII. factam, à tanta ruina, atq; infortunio vindicauit. Nam & baſilicam omni ex parte refecit, & eius latera ſtrauit & opus Lateranenſis fabricę inſtituit, eiq; operi binos canonicos Lateranẽſes, totidem Romanos ciues, atq; vnum Epiſcopum Romæ agentem præfecit, & antiquiſſimum omniũ Cardinaliũ eius Protectorẽ creauit & plurimas, eaſq; maximas indulgentias ijs, qui manus adiutrices tanto operi porrigerent, edita bulla ſub datũ Romę anno Dñi 1475. ſui vero Pontificatus iiij. cuius exẽplar cuidã lapidi huius eccleſię inciſum adhuc perſeuerat, ex Apoſtolica liberalitate, conceſſit: ac tandem turrim, ex qua campanæ pendent, ruinam minitantem, ac præ vetuſtate collabentem opportunè refecit.

Tum

Tum demum nouiſſimis his diebus ſanctiſſimus dominus noſter Sixtus diuina prouidentia Papę V. atq; eiuſdem Franciſcanę Religionis alumnus, cum primùm ad Pontificiæ dignitatis culmen, maxima Dei bonitate atq; in nos miſericordia, aſſumptus eſſet, ac prima Maij, anno Domini 1585. vniuerſo cœtu Cardineo, ac vniuerſa Romana curia ſtipatus, ſummi Pontificatus poſſeſſionem hac in Lateranenſi eccleſia de more accepiſſet, præcepit, vt ſumptuoſum palatium ſummis Pontificibus excipiendis accommodum, atq; huic eccleſiæ, quæ peculiaris eorum ſponſa eſt, omnino contiguum, ex tempore ædificaretur. Quod & quàm diligentiſſimè præſtatur. Vnde & maxima antiqui illius ſplendoris, atq; priſtinæ dignitatis ſacræ Lateranenſis domus nobis ſpes affulget. Tum demum pręfati fratres Pęnitentiarij quę ſibi ex munere incumbunt, non abſq; maximo fidelium accedentium emolumento, fideliſſimè exequuntur. A B

De monaſterio S. Mariæ de Conſolatione Madriti.

PROPRIÆ natiuitatis domum ad Eccleſiaſticam dignitatem promotura sereniſſima, pariter ac pientiſſima Ioanna Auſtriaca Caroli V. Germanorum Imperatoris ac Hiſpaniæ Regis filia, nec non & inuictiſſimi, ſimulatq; potentiſſimi, & de catholica Eccleſia optimè meriti Philippi huius nominis II. ac vniuerſæ eiuſdem Hiſpanię Regis vterina ſoror, eam 15. menſis Auguſti anno verò Dominicæ incarnationis 1559. perſoluto prius iuſto precio, emit. Et ab octo religioſis de prima beatę Virginis Clarę Regula ſororibus ex Gandienſi conuentu, Apoſtolica ſibi auctoritate fauente, eductis, inſuper & ab alijs tribus eiſdem de nouo adiunctis inhabitandam: ac tandem in pulcherrimam eccleſiam Regio elaboratā ædificio, ſub titulo ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ de Conſolatione, transferendam curauit. Cui & pulcherrimum, atq; triginta tribus continendis ſororibus auguſtiſſimum conuentum, inſuper & ampliſſimam domum Regia maieſtate dignam adiungi voluit. Inſtituit præterea ſereniſſima eadem fundatrix certum ſacellanorum numerum, qui decantandis hac in eccleſia miſſis quàm diligentiſſimè inuigilarent: quibus & ſufficientes annuos redditus conſtituit. Monialibus verò quæ trigeſimumtertium numerum excedere non poſſunt, quòd primæ Regulæ beatæ virginis Clarę aſtrictæ ſint, nihil penitus annui redditus reliquit. Quarum nihilominus tanta eſt nobilitas, (pętermitto interim eximiam earum ſanctitatem, maximam religionem, atq; optimum viuendi modum) vt à plurimis Hiſpanorum heroum filiabus, etiam ſereniſſimæ Marię Auſtriacæ Germanorum Imperatricis filiam, atq; præfati Philippi Regis ex ſorore neptē, ſacręq; eidē Religioni mancipatam ſecum habeant. C D

Huius ſacræ domus eccleſia, quæ & elegantiſſima, atq; lapidea eſt, ita diſpoſita fuit, vt ſummum eius altare locum in quo eius fundatrix ſacro regenerationis lauacro mundata extitit, ex eiuſdem mandato obtinuerit. Quæ præterea precioſiſſimis ornamentis, plurimiſq; vaſis tum aureis, tum quoq; argenteis diuino cultui deſtinatis, & elegantiſſimis ſacellis, picturis, atq; imaginibus, necnon & fomoſiſſimo mauſolæo, quo fundatricis corpus reconditum eſt, ac demum ſacroſanctis ſubſequentibus reliquijs, pluſquam dici poſſit, exornatur. Nempe 50. capitibus, plurimiſq; oſſibus earum Virginum atq; martyrum, quæ ſub vexillo beatæ Vrſulæ aliquando militarunt: quibus permixta ſunt veneranda quoq; beatæ Eliſabethæ Vngariæ Regis filiæ, S. Hermagoræ, atq; ſanctæ Chriſtinæ capita: quæ omnia ſummi altaris tergus occupant, & ab eadem fundatrice dono data fuēre. Et altera ex maxillis ſanctæ Vrſulæ, & quodam oſſe S. Deonoti eius patris, atq; parte cranij S. Sebaſtiani martyris, criſtallina arca recluſis, & à Paulo IIII. ſummo Pontifice eidem fundatrici tranſmiſſis. Et corpore vnius ex ſanctis Innocentibus pro Chriſto ab impio Herode occiſis, & quamplurimis aliorum oſſibus precioſa arcula reconditis, atq; à præfata ſereniſſima Maria Auſtriaca Germanorum Imperatrice, eiuſdemq; fundatricis ſorore liberaliſſimè collatis. Altero ex digitis beati Ioannis Baptiſtæ, atq; altera ex ſpinis Dominicæ coronæ, & plurimis particulis ſanctiſſimæ crucis Chriſti in quibuſdam diſtinctis tabellis, ſed aureis, aſſeruatis. Capite, ſpatula, atq; quibuſdam oſſibus beatæ Agnetis Vngarorum Regis filiæ à Rodulpho Germanorum Imperatore eidem fundatrici oblatis, atq; argentea capſula reconditis. Capite ſancti Petri mar- E

A tri martyris, & oſſibus ſanctorum Chriſtophori, Vincentij, Leopoldi, Alexandri, Laurentij, Gregorij, Pantaleonis, atq; Sigiſmundi martyrum. Inſuper & oſſibus 40. millium martyrum, plurimorumq; Apoſtolorum, ac ſanctarum Apolloniæ, & Margaretę virginum atq; martyrum, nec non & 10. millium martyrum, beatæq; Mariæ Magdalenæ, atq; veſtimentis ſancti Ioannis Baptiſtæ: quæ omnia arcula quædam maximæ æſtimationis aurea excipit, ac præfata Imperatrix dono dedit. Quibuſdam etiam oſſibus ſanctorum Apoſtolorum Andreæ, & Bartholomæi, ſanctorumq; martyrum Mauritij, Vrſulæ, & Apolloniæ, atq; S. Hieronymi Eccleſiæ Doctoris: quæ alia quædam arcula, ſed argentea inaurata, honorificè continet. Quibuſdam oſſibus S. Margaretæ, atq; aliorum ſanctorum, in alia eiuſdem generis arcula cuſtoditis. Plurimis particulis ſanctiſſimæ crucis Chriſti, & alia ſpina coronę eiuſdem alabaſtrina cruce recon-
B ditis. Corpore S. Victoris martyris ex Thebæorum legione, ac 12. capitibus, plurimisq; oſſibus vndecim millium virginum: quę argentea alia arcula aſſeruat, & sereniſſima Anna pręfati Philippi Regis vxor maxima religione dedit. Plurimis particulis Dominicæ crucis aurea theca recluſis, & ab eadem Regina collatis. Alijs oſſibus ſanctorum Marci Papæ & maryris, Gregorij itidem Papæ, Mauritij martyris, Baſilij magni, Ioachimi Abbatis, atq; beatæ Clare Virginis, in quinque argenteis brachijs diſtinctis. Quodam pede vnius ex ſanctis Innocentibus, alia particula ſanctiſſimæ crucis Chriſti, plurimisq; oſſibus ex vndecim millibus virginum, in argenteis duobus loculis aſſeruatis. Alijs quoq, oſſibus S. Thomæ Apoſtoli, ſanctorumq; Colmani martyris, Gereonis martyris, Blaſij Epiſcopi & martyris, Mauritij martyris, Tiburtij, & Suſannæ martyrum, Agapiti martyris, Priſcæ virginis & martyris, Ceciliæ virginis atq; martyris, Bal-
C binæ itidem virginis & martyris, Pinoſæ virginis etiam & martyris, S. Vrſulæ, & aliarum ſociarum virginum quoque & martyrum S. Ludouici Epiſcopi & Confeſſoris, atq; ſanctarum, Helenæ Conſtantini matris, & Eliſabethæ Regis Vngarorum filiæ: quę omnia trina vaſcula in calicum morem elaborata aſſeruant. Duabus ſpinis Dominicæ coronæ, in chriſtallinis duabus columnis aſſeruatis. Proximè præcedentes reliquias eidem fundatrici dono dedit præfata eius ſoror Germanorum Imperatrix. Corpore beati Valerij Treuerenſium Epiſcopi, atq; Apoſtoli Petri diſcipuli præcioſa arca recondito, Quodam oſſe beati Stephani prothomartyris, alio etiam oſſe S. Georgij martyris, molari dente beati Bartholomæi Apoſtoli, binis oſſibus ſanctorum Martini Epiſcopi, & Vidonis Abbatis, diſtinctis in locellis cuſtoditis. Plurimis eriam particulis ſanctiſſimæ cru-
D cis Chriſti aurea cruce reconditis. Ac tandem innumeris diuerſorum ſanctorum reliquijs argentea olla recluſis.

Primæ partis finis.



SECVNDA

SECVNDA HVIVS OPERIS PARS

omnes Prouincias,

OMNESQVE TVM FRATRVM, tum quoque ſororum Citramontanæ familiæ conuentus continens.

Prouincia Sancti Franciſci.

C PROVINCIA hæc ſancti Franciſci ex Hetruria Vmbriaq́; participat, quia verò plures in Vmbria, quàm in Hetruria conuentus obtinet, prioris ad tempus nomen retinuit, poſterioris verò contempſit, ſed ſucceſſu temporis vtriuſq; poſthabito, ſancti Franciſci titulum ſibi aſciuit: idq́; conſultiſſimè, atq; optimo iure, quo & principatum inter reliquas totius noſtri Inſtituti Prouincias tenet. In ea enim beatus pater pauperumq́; Patriarcha Franciſcus primum totius Minoritici fundamenti lapidem iecit. Non tamen conſtat, quo primo tempore certo in Prouinciam erecta fuerit, licèt ambigere non liceat, eam id honoris atq; dignitatis, per aliquot annos ante ſeptimum generaliſſimum Capitulum (de quo ſupra) ſub Vicarijs tamen Prouincialibus, aſſequutum fuiſſe. Certiſſimum tamen eſt, eius primum Pro-
D uincialem Miniſtrum ab huiuſmodi ſeptimo generali Capitulo egiſſe venerabilem patrem fratrem Cherubinum Ternenſem, maximæ vtiq́; religionis atq; ſanctitatis virum. Huius igitur Prouinciæ, quæ ex 50. fratrum conuentibus, atq; 22. monialium monaſterijs conſtat, maius ſigillum diui patris Franciſci ſimulacrum Chriſtum crucifixum dextera tenentis, literasq́; S. atq; F. eius lateribus aſtantes, nec non & ſequentia verba: SIGILLVM PROVINCIÆ SANCTI FRANCISCI in orbem imprimit. Sequentem verò ſeraphici patris noſtri Franciſci imaginem iconicè depictam ſibi, tum quòd ab eo primitus fundata, ſummeq́; dilecta, tum quoq; quòd omnium Prouinciarum (vt præfati ſumus) primiceria ſit, præponere volui.

De conuentu Sanctæ Mariæ de Angelis prope Aſſiſium. Conu. I.

E CVM ſeraphicus pater Franciſcus, poſt Regulæ confirmationem, nullum haberet certum, deſtinatumq́; locum in quem tum ipſe, tum eius fratres conuenire, & in quo moram trahere poſſent, à deuotiſſimo quodam Abbate conuentus ſancti Benedicti Aſſiſinatis locum, vnico tantùm milliari ab Aſſiſio diſtantem, ad monachos quidem pertinentem, ſed omnino derelictum, qui paſtoribus tempore niuis & pluuiarum excipiendis tantummodo deſeruiebat, opportunè obtinuit. Cui ex prima institutione ſanctæ Mariæ de Portiuncula, eò quòd parua illa Domini portio, nempè diuus pater Franciſcus cum vndecim ſibi ſocijs adhærentibus, vt in chronicis Franciſcanis latius patet, ibi primò pedem fixerit: quodq́; ipſe futurus eſſet caput & origo puſilli gregis Dominici, videlicet Franciſcani Ordinis, nomen inditum eſt, ſed poſtea ob Angelorum eò

accedentium frequentia de Angelis, ſiue Angelorum agnomen acceſſit. Eius haud du- A
biè prærogatiuas non facilè quis referet. In eo namq; ſeraphicus pater Franciſcus ſua-
uiſſimo Chriſti Seruatoris noſtri, eiusq; ſanctiſſimæ matris colloquio ſæpius dignatus
eſt: præcipuè verò quando ſummam illam, maximamq; cunctorum exceſſuum indul-
gentiam omnibus ipſum ritè diſpoſiteq; accedentibus ab ipſomet Chriſto Domino pro
qualibet ſecunda die menſis Auguſti, impetrauit, ea tamẽ addita lege, vt eius Vicarium,
qui tunc Honorius I I I. erat, adiret, & ab eo ſuo nomine præfatam indulgentiam pete-
ret. Quod & beatus pater fecit. Tranſiturus quoq; idem Patriarcha Franciſcus ex hac
mortali vita ad Regna cœleſtia, ad hunc locum deferri voluit, vt vbi per Virginem Dei
matrem perfectionis, & gratiæ ſpiritum conceperat, ibidem, debito naturæ ſoluto, æter-
nam ſuorum laborum retributionem acciperet. Præterea iuxta ſummum huius eccleſiæ
altare, ad ſacrarij latus, ac peculiari quodam in ſacello, eiuſdem Seraphici patris cor, B
quemadmodum & ipſe viuens præceperat, facto proculdubio oſtendens quòd mortuus
quoq; hunc locum præ cæteris eſſet dilecturus, humatum eſt. Non longè etiam ab eo-
dem altari fulgentiſſimum illud ſydus, Clariſſarumq; Primipila, ſanctiſſima ſcilicet
virgo Clara, crine tonſo coram caterua Domini nupſit æterno Sponſo. Sub altero inſu-
per huius ſancti templi ſacello extat adhuc pulpitus, ex quo ſanctiſſimus pater Franci-
ſcus cum ſeptem alijs Epiſcopis præfatas indulgẽtias, coram frequentiſſimo populo, prę-
dicauit diuulgauitq;: quem & ſæculares omnes maxima proſequuntur reuerẽtia. Pręci-
puum deinde huius loci ſacellum à roſis, quas ſanctiſſimus pater Franciſcus intempeſta
nocte inter confertiſſimas, pungentesq; vepres ex tẽpore exortas conſpexit, denomina-
tionem ſumit, diciturq; roſarum ſacellum. In eo ſiquidem beato patri feruentius oranti
inuidens Dæmon apparuit, ſuadereq; niſus eſt, ne citra modum miſerum corpuſculum C
vigilijs affligeret, attereretq;, quòd clementiſſimus Deus grauiſſimè offenderetur, dum
corpori neceſſaria ſubtrahuntur: quandoquidem ita corpus ſomno, quemadmodum
& cibo nutriretur. Cuius calumniam atq; vafritiem pręſentiens prudentiſſimus pater,
propinquam veprem, eccleſiæq; contiguam petens in ea volutari cœpit dicens: Præſtat
amice (ſic enim aliquando corpus appellare aſſueuerat) acerbiſſimos paſſionis Chriſti
Domini dolores experiri, quàm doloſis Sathanæ figmentis obedire. Quo facto, cùm
pręfatus locus cœleſti quodam lumine illuſtraretur, (erat enim atra nox) inter ipſas ſpi-
nas plurimæ diuerſi coloris roſæ apparuerunt. Deniq; ſuper huius eccleſiæ tectum eſt
quædam ſculpta Virginis glorioſæ imago, cuius vlnis paruulus Ieſus inſedet. Hunc ſe-
mel atq; iterum ſtantem, populumq;, qui lucrandarum indulgentiarum gratia tem-
plum ingrediebatur, benedicentem vidit quidam Baldus Eugubinus, relictoq; ex tem- D
pore ſæculo fratribus adiungi voluit: inter quos & laudabiliter ſanctiſſimeq; 50. & eò
amplius, annis vixit. Sed quid in referendis huius ſacri loci dignitatibus immorer, cum
præ cæteris, ob eius excellentiam, à beato Franciſco dilectus ſit? Ego enim ne prolixi-
tatis notam incurram his paucis contentus ero: pręſertim, cùm in Franciſcanis Chro-
nicis ſatis ſuperq; de ipſis agatur.

Obierunt hoc in loco atq; ſepulti ſunt plures viri famoſi, omniq; virtutum genere re-
ferti, quorum aliquot hîc ſubijciam. Et primo quidem loco inſignem beatumq; patrem
Petrum de Catanio Aſſiſinatem, matricisq; eccleſiæ Aſſiſienſis Canonicum, qui Cano-
nicatu, cæterisq; beneficijs, atq; temporalibus bonis quibus affluebat poſthabitis, pau-
peribusq; iuxta Euangelicum conſilium erogatis, patri pauperum beato Frãciſco adhę-
ſit: atque ob eius maturitatem, probatosq; mores, in Capitulo generali Aſſiſij celebrato E
eidem ſeraphico patri in officio Generalatus ſuffectus fuit. De quo illud legitur, quòd
cùm poſt eius tranſitũ multa, eaq; pręclara ederet miracula, nec poſſent fratres, ob popu-
li ad eius ſepulchrum aduentantis frequentiã, ſpiritui liberius vacare, ea de re apud bea-
tiſſimum Franciſcum tunc longius in quodam antro agentem conqueſti ſunt: quam-
obrem ſanctiſſimus pater diſcipuli defuncti mauſolæum petens, ei in virtute ſanctę obe-
dientiæ præcepit, vt ab operandis miraculis ceſſaret. Mira res, non ſecus ac ſi adhuc viue-
ret ſibi obtemperauit obedientiſſimus diſcipulus. Secundo verò loco beatum patrem
Barbarum profundiſſimæ paupertatis amatorem, qui vnus ex primis 12. diſcipulis Se-
raphici patris, maximeq; ab eo, ob ſummam pauperiem quam colebat, dilectus fuit.

A Tertio loco beatum Iacobum, qui dum quadam nocte orationi intenderet, animam patris Franciſci cœlos in modum ſplendidiſſimæ ſtellæ petentem vidit, & ab eo die à prędicandis tanti patris & magiſtri laudibus non ceſſauit. Quarto loco beatum patrem Ioannem Lucenſem, qui in omni genere virtutum, præcipuè verò in paupertate clariſſimus fuit. Deinde beatum patrem Stephanum Narnienſem, cuius perfectiſſima, ardentiſſimaq; charitas erga Deum & proximum omnibus fuit in confeſſo. Tum demum ſexto & vltimo loco ſubijciam beatum patrem Ioannem Simplicem, qui ſupra modum in omnibus ſanctiſſimum patrem Franciſcum ita imitari ſtuduit, vt meritò ab ipſo alter ego appellari potuiſſet: tanta erat eius humilitas, paupertas, oratio, atq; perfectio. Potuiſſem & alios 10. patres vita inſignes, atq; hoc in eodem loco ſepultos in medium adducere, niſi prolixitatis incurrendæ timor me retardaſſet, qui omnes diui patris Franciſci animam cœlos ſcandentem viderunt.

B Quia verò locus hic ſanctæ Marię de Angelis, quem octoginta ferè fratres frequentius incolũt, maiori ex parte minabatur ruinam, reparatus, imò potius, anno Dñi 1498. reędificatus fuit. Aſſeruantur in cubiculo patris Guardiani plures Pontificię bullæ cùm loci, tum quoq; totius noſtri Ordinis priuilegia concernentes. Nec minori cura, & diligentia aliquantulum ſanguinis ſacrorum ſtigmatum Seraphici patris, aliquot crines beatæ Claræ, quædam reliquiæ terrę ſanctæ, nec non & aſſer cui exanime corpus eiuſdem ſanctiſſimi patris ſuper poſitum fuit, à fratribus cuſtodiuntur.

De conuentu ſancti Damiani. Conu. II.

C QVANTÆ dignitatis ſit conuentus hic diuo Damiano ſacer, qui dimidio tantum milliari ab Aſſiſio diſtat, Ordinis noſtri chronica ſatis ſuperq; indicant. Hîc ſiquidem beata Clara ſuæ religionis fundamenta iecit, diuq; cum ſibi commiſſo grege commorata eſt: Vnde & Damianitarum nomen Clariſſæ ſorores ante eius obitum traxerunt. Hîc itidem oranti beato Franciſco loquuta fuit Seruatoris Chriſti Crucifixi imago dicens: Vade Franciſce repara domum meam, quæ labitur. Et adhuc inuiſere licet feneſtellam, in quam beatus pater pecuniam ad eccleſiæ ædificationem, ſacerdote eam recipere formidante, proiecit. Extant quoq; ibidem duo loca, in quorum altero beatus Franciſcus, in ſuæ conuerſionis exordio, latens patris iræ locum dedit, in altero verò beata Clara preces fundere, diuinumq; officium cum reliquis ſororibus perſoluere ſolita erat.

D Pertinuit quoq; ſacra hæc ædes ad eoſdem monachos, ad quos & præcedens, & ab eorum pio Abbate Seraphico quoq; patri maxima liberalitate conceſſa fuit. Cumq; anno à ſalutifera Chriſti natiuitate 1360. omnimodam minaretur ruinam, á venerabili patre Gentili, ſiue Paulutio (fuit enim binomius) de VangocijsFulginate reparata, reſtaurataq; eſt. Iacet hoc in loco ſepultus venerabilis beatusq; pater Antonius à Stronconio Franciſcanæ olim familiæ decus & ornamentum, cuius vita ſanctiſſima, & mors in conſpectu Dñi precioſa fuit; vt ex euentu liquidò conſtat. Abnuente ſiquidem patre Guardiano piorũ quorumdam fratrum votis, qui tãti patris oſſa exhumata, atq; in eminentiori loco honeſtius collocata cupiebant, ingens quædam flamma ex eius ſepulchro protinus, non abſq; maxima omnium admiratione, erupit: qua conſpecta vt ſacrum corpus exhumaretur, nobilioriq; tumulo reconderetur curauit quanto citius is, qui non

E ita pridem tergiuerſabatur: Dumq; hauſta terra venerabile corpus educeretur, carnea quædam recentiſſima, atq; pulcherrima roſa in altera eius manu, præter ſpem apparuit. Iacent quoq; ibidem plures alij ſancti patres, quorum vita exemplaris fuit: præcipuè verò beati Sabini de Campello, qui alter illorum eſt.

Cuſtodiuntur præterea in huius ſancti templi ſacrario ſacroſanctæ aliquot reliquiæ: nempè pars ligni ſanctiſſimæ crucis Chriſti, quam beatus Bonauentura ſanctæ virgini Claræ dono dediſſe fertur, alter ex digitis beati Apoſtoli Bartholomęi, aliquantulum ſanguinis beati patris Iacobi de Marchia, plura ſanctorum martyrum oſſa, Terræ ſanctæ partes aliquot, breuiarium beati patris Bonauenturæ, eiuſdem calix atq; pixis, quibus & ad celebrandum, & ad ſacroſanctam Euchariſtiam aſſeruandam vtebatur, & qui-

dam pileolus beati patris Antonij à Stronconio. Huius monaſterij fratres denarium A numerum claudunt.

De Conuentu Carceris S. Franciſci. *Conu. III.*

IN monte Subatio, qui ſecundo ab Aſſiſio diſtat milliari, quidam conuentus, cui Carcer Sancti Franciſci nomen eſt, cuiq; adiacentes populi maximè afficiuntur, exurgit. Hunc Seraphicus pater á præfato conuentus ſancti Benedicti Abbate ante omnes alios obtinuit, hunc quoq; quòd in eo poſt frequentes tentationes, ſpiritualeſq; cum Dęmone luctas, de quibus victoriam retulit, ſingularis ſtrenuusq; athleta euaſerit, intimè dilexit. Nec ſatis fuiſſet Sathanæ tanto patri inſidiatum eſſe, niſi & etiam eius charſſimo diſcipulo, beato ſcilicet patri Ruffino, pedicas laqueoſq;, hoc in eodem loco tetendiſſet. B Huic namq; ſemel in lucis Angelum ſe transformans, & ſecundò Crucifixi formam induens apparuit, ſibiq; ne Franciſcum Petri Bernardonis filium, quòd tartareis ſupplicijs deſtinatus, adiudicatusq; eſſet, ſequi vellet, ꝓ viribus ſuadere conatus eſt. Sed fruſtra.

Inter cætera verò quæ hanc ſacram ædem commendatiſſimam, celebrioremq; reddunt potiſſima ſunt, cubiculum beati Patriarchæ Franciſci; eiuſdem ſacellum in quo continuò orationi vacabat: lapideus lectulus, cui idem defatigatus omnino laſſusq; decumbebat aliquando, ligneum ceruical quo vtebatur: fons ipſius patris precibus à Deo impetratus, qui ſcaturientibus venis largiſſimas propinat miniſtratq; aquas: oratorium præfati beati patris Ruffini: & aliud quoq; oratorium beati itidem patris Bernardi à Quintavalle.

Cùm autem tantus hic locus à patribus Conuentualibus ob aliqua eius incommoda C derelictus, circa annum Domini 1360. ruinam minaretur, opera atq; ſolicitudine prędicti beati fratris Gentilis à Fulgineo ab ea vindicatus eſt, ita vt octo fratres eius accolas commodè excipere poſſit.

Inſignitur quoq; hæc ſacra domus ſequentibus ſanctorum reliquijs, videlicet ſanguine ſacrorum ſtigmatum ſeraphici patris: particula crocei ſerici, qua beatus pater Leo defluentem ex ſacris ſtigmatibus præfatis ſanguinem excipere ſolitus erat: pixide qua beatus pater Franciſcus ſacro ſanctum corporis Chriſti ſacramentum recondere aſſueuerat: calice, ex quo poſt ſacram communionem idem pater lauatorium hauriebat: bacillo cui ipſemet itinerans innitebatur, parte cuiuſdam habitus eiuſdem; & cilicio beatæ virginis Claræ.

De conuentu ſancti Franciſci de Monte iuxta Peruſium. *Conu. IV.* D

CONVENTVS hic diuo patri Franciſco ſacer in cuiuſdam montis iugulo, aliquantulum á porta ſancti Angeli Peruſinæ ciuitatis, ſitus eſt, in eoq; 55. franciſcani fratres Obſeruantes commorantur. Subfuit tamen olim fratribus quibuſdam de Franciſcana familia malè ſentientibus, atq; mordicus affirmãtibus eam iuxta profeſſionem factam, ac ſolemne votum emiſſum minimè viuere. Quapropter fratres de opinione Clauaſina dicti ſunt. Cum quibus beatus pater Gentilis ſiue Paulutius Fulginas in arenam deſcendens, eos euidentiſſimis rationibus, ac efficaciſſimis argumentis perſtrinxit, atq; palinodiam canere coëgit: qua etiam de cauſa ipſis pulſis hic locus præfato patri Paulucio, eiusq; fratribus à Peruſinis ciuibus, ex Apoſtolica auctoritate, anno à E partu Virgineo 1535. collatus fuit, & ab eo temporis Obſeruanti familiæ deſeruit. In eius archiuo plurimæ Apoſtolicæ literæ á diuerſis Põtificibus ſummis ad diuerſa quoq; negocia tum fratrum particularia, tum etiam Ordinis communia, datæ diligentiſſimè aſſeruantur. Harum aliæ á Paulo III. & á Paulo IIII. ſummis Pontificibus expeditæ ſunt, quibus Franciſcani Obſeruantes & Clariſſę moniales à cuiuſcunq; ſiue teſtamenti ſiue legati ipſis relicti quarta pendenda eximuntur: & aliæ á Sixto IIII. Eugenio IIII. Nicolao V. Paulo II. Pio II. Calixto III. & Pio V. ſummis itidem Pontificibus datæ ſunt, quas, quòd parum aut certè nihil ad præſens negocium agant, data opera, prætermittere, atq; ad ſacra pignora, quæ in huius conuentus eccleſia repoſita ſunt, tranſire decreui.

A re decreui. Et primò quidem ad corpus venerabilis patris Bernardini á Gualdo iſtius olim Prouinciæ Miniſtri, cuius fœlix anima, vt primùm corporis ergaſtulum egreſſa eſt, venerabili quoq; patri fratri Bartholomæo de Ciuitate Caſtellana Prouinciæ Vicario á ſe ante mortem conſtituto, fulgentiſſima, atq; incredibili ſplendore circumfulſa apparuit, illumq; de ſua beatitudine certiſſimum reddidit. Deinde verò ad ſacra oſſa ſummę ſanctitatis viri ac patris fratris Ludouici Teuthonici, qui ob eius ſingulares virtutes, præcipuè verò paupertatem, caſtitatem, diuiniq; officij zelum, quibus maximè claruit, Deo gratiſſimus extitit: quiq; inter orandum inter condenſas arbores á terra abſtractus, atq; in altum eleuatus, ſæpius à fratribus viſus eſt: & cuius animam cœlos petentem in ipſo tranſitu vidit beatus pater Franciſcus Papienſis. Eſt præterea hoc in loco puteus quidam ſaluberrimis manantibusq; aquis abundans, quę peregrinis accolisq; gratiſſi-
B mæ ſapidiſſimęq; ſunt, quęq; à febribus patientes ſępius liberant. Hę ſiquidem dum fratres egeſta terra puteum profundius penetrare curant, ad tactum baculi, quem beatus pater Ægidius Aſſiſinas manu geſtabat, largius mirabiliterq; eruperunt. Huc ſemel ſanctus Ludouicus Francorum Rex inclytus beatum patrem Ægidium Aſſiſinatem viſitaturus acceſſit: cumq; alter alteri incognitus oĩno eſſet, cũ primùm ſanctus Rex venerabili ſeni appropinquaſſet, in mutuos amplexus ruerunt, atq; cordibus tantùm mutuò colloquuti (nam verborum nullus fuit vſus) illorum quiſq; in propria ſe recepit. A ſacris patrum cineribus, quibus ſacra hæc ædes abundat, quadam ſacroſancti ſanguinis gutta ex Seruatoris noſtri Chriſti præputio defluxa, atq; cuidam tabellæ impreſſa, elegantiſſimè honeſtatur. Hanc nobilis quidam Venetus penes ſe habebat, cumq; plurimis incommodis afflictaretur, exiſtimans ea ſibi tanquam indigno ob tantæ reliquiæ
C detentionem obuenire, eam cuidam patri ac fratri Ioſepho Peruſino Venetijs tunc prędicanti, honeſtiori, atq; decentiori in loco collocandam liberaliſſimè contulit. Cumq; in monaſterio montis Lucis cuſtodiretur ſoror quędam de tantę reliquię veritate ſubdubitans, eam digito tangere auſa eſt, cuius veſtigium adeò manſit impreſſum, vt vſq; impręſentiarum perſeueret. Sunt & alię Sanctorum reliquiæ, inſuper & baculus quidam diui patris Bernardini de Senis ad cuius contactum plures á diuerſis lãguoribus liberãtur.

De conuentu S. Hieronymi Peruſiis. Conu. V.

PROPE portam ſancti Petri eiuſdem Peruſinæ ciuitatis, expenſis & beneficio pij Senatus locus hic diuo Hieronymo ſacer ędificatus, fratribusq; Franciſcanis Obſer-
D uantibns, anno Incarnationis Dominicæ 1502. collatus fuit. A quibus tamen (neſcio qua de cauſa) ad eiuſdem Ordinis Clarenos deuenit, ſed ijs poſt aliquantulum temporis loco pulſis, ad eoſdem Obſeruantes, anno 1568. opera tamen R. P. F. Ioſephi de Citerna, tunc iſtius Prouinciæ Miniſtri, ſub R.P.F. Aloyſio Puteo totius Ordinis Generali Miniſtro, atq; ex ſanctiſſimi Domini Pij V. Pont. max. mandato, redijt. Quam 15. fratres vt plurimùm inhabitant.

De conuentu S. Pauli extra Spoletum. Conu. VI.

CONVENTVS hic extra muros ciuitatis Spoletanæ ſitus, atque diuo Apoſtolo Paulo ſacratus 18. fratres iuxta communem Prouinciæ calculum, continet,
E annoq; ſalutis humanę 1134. die verò Menſis Auguſti 26. pręſentibus reuerendiſſimis heroibus Conſtantinopolitano Patriarcha, Tuſculano Epiſcopo, Meſſanenſi itidem Epiſcopo, plurimiſq; alijs præclaris grauiſſimiſq; viris, à Gregorio IX. ſummo Pontifice conſecratus fuit. In eiuſq; honorem idem Gregorius omnibus ipſum orationis cauſa à die conſecrationis vſq; ad Archangeli Michaëlis feſtum ingredientibus 2400. annos de iniunctis pœnitentijs indulſit. Hic eſt locus ille de quo ſummus idem Pontifex dialogo ſui operis 6. refert, quòd cum Arianus quidam Epiſcopus ipſum ianuis clauſis, pro Ariano more, conſecrare intenderet, eius portæ ſe ipſis mirabiliter patefactę, lampadesq; lumine quodam cœleſti ſuperueniente accenſę ſunt, atq; Epiſcopus viſum amiſit. Inter reliquos verò ſanctitate inſignes, qui in huius monaſterij eccleſia tumulati

ſunt, longè enituêre venerandæ ſanctitatis pater Cherubinus Spoletanus, verbi Dei prædicator inſignis, qui plurimos à toto ſalutis ſcopo aberrantes in perfectionis viam, ſacris ſuis concionibus, reduxit, quiq; in omni virtutum genere claruit, & venerabilis pater Ioſephus Eugubinus, vir vtiq; ex omni parte perfectus, per quem Franciſcana Religio plurimum incrementi recepit, quiq;, iuxta beati patris Franciſci Papienſis prędictionem, huius ſacræ ædis primum Guardianum egit. Aſſeruantur deniq; in huius loci ſacrario binę tuniculę, altera quidem beati patris Bernardini de Senis, ſed altera beati ſimiliter patris Iacobi de Marchia, ex quibus plures infirmi optatam hauriunt ſalutē. A

De conuentu S. Franciſci in monte Luco Spoleti. Conu. VII.

IN ſummitate eius Spoletani montis, qui mons Lucus ab incolis appellatur, atq; inter confertas arbores conuentus hic ſeraphico patri ſacratus, in quo 8. fratres commorantur, artificioſè exurgit. Qui quidem iuxta receptiſſimam, atq; indubiam traditionem, à beato patre Franciſco acceptus, atq; primò ædificatus eſt. Diem Domini in eius eccleſia præſtolantur venerabilis beatusq; pater Demetrius Inſuber, qui cum ex Vngarica expeditione in propria ſe reciperet, quarto à Zara maritimo portu milliari, dum adhuc in mari eſſet, circa tertiam noctis horam, funeſtam quandam vocem importunè ſic clamantem audiuit: Strue ignem, nam Caligarus Zarenſis mortuus eſt, (erat enim hic miſer publicus fœnerator) quapropter Zaram peruentus, atq; de miſeranda, quæ eadem tertia noctis hora contigerat, illius morte certior factus, vitam in melius commutare propoſuit, atq; ſuſcepto in hoc conuentu Religionis habitu, tantopere in omni virtutum genere profecit, vt moriens plura ediderit miracula. Eius corpus in beati patris Franciſci Papienſis ſacello honorificè cuſtoditur: Et ſingularis ſanctitatis pater Antonius de Zegrinis Piſanus, de cuius virtutibus atq; exemplari vita cùm latius in Franciſcanis chronicis agatur, non eſt quod in ijs referēdis diutius immoremur: Ac tandem beatus pater Franciſcus Papienſis, qui ſecularis duxit exercitum, ſtrenueq; militauit, ſed religioſus multò fœlicius, ſub Chriſto Principe atq; omnium Regum potentiſſimo Rege, ſtipendia meruit. Is enim ob ſummam humilitatem qua præditus fuit, & ob continuam orationem cui perpetuò intendebat, cæterasq; omnes virtutes quas diligentiſſimè coluit, cum beatis regnare exiſtimatur, honorificeq; in ſacello ſancti Bernardini tumulatus eſt. B C

De tertio conuentu fratrum Minorum Spoletano. Conu. VIII. D

IN eiuſdem ferè montis Spoletani finibus tertius quidā locus beatiſſimo patri Franciſco dicatus, quem frequentius 10. fratres occupant, conſtructus eſt: Cuius ſitum ſpectabilis vir, Spoletanusq; ciuis Antonius de Cecilijs fratribus liberaliſſimè contulit, ſed quod eius reliquum eſt ædificij piorum eleemoſynæ, eorundem fratrum induſtria atque indefeſſo labore acquiſitæ, præſtiterunt. Obtemperauit aliquando ſacer hic conuentus fratribus Franciſcani Ordinis Clarenis, ſed ijs ex ſanctiſſimi Pij V. Pont. max. mandato Regulari Obſeruantię mancipatis ſub R. P. F. Aloyſio Puteo Generali Miniſtro, anno Incarnationis Dominicæ 1568. huic Prouinciæ ſubactus fuit.

De conuentu S. Bartholomæi propè Fulgineum. Conu. IX. E

INCREDIBILIS haud dubiè fuit illuſtris atq; deuotiſſimi Nicolai de Trincis Fulginatis in Franciſcanam Obſeruantem familiam pietas, & beneuolentia, cùm anno à partu Virgineo 1450. ſacrum hoc monaſterium in beati Bartholomæi Apoſtoli honorem, quod 18. fratres communiter inhabitant, ad tertium lapidem à Foro Flaminio, (vulgò verò Foligno) ex proprijs tantùm liberalibusq; facultatibus, ædificari curarit. In quo deuotiſſimus, miræq; ſanctitatis pater Franciſcus Brixienſis, non absq; aſſequutæ beatitudinis opinione, tumulatus eſt. Cuius ad proximos, fideiq; domeſticos tanta extitit charitas, vt ſi alicuius minus verè pœnitentis ſacram confeſſionem ſibi aliquando

A quando excipere contigiſſet, ita lacrymis obruebatur, vt ipſum ad perfectam pœnitentiam, iuſtamq; erratorum compunctionem adegerit. Cumq; à quodam ſibi familiari fratre ſemel importunius, quid ipſe aliorum peccata, atq; impœnitentiam curaret, quaue de cauſa tantopere fleret interrogaretur, reſpondit: Cuiusq; veri fidelis eſſe in Deum opt.max.offenſiones, & piacula commiſſa deflere, atq; cuiq; maximè verò Minoritæ, qui populi peccata comederet, de proximo ſuo mandatum eſſe. Agebat ſemel inſignis hic pater Cæſiẽſis eremitorij Guardianum,magnaq; fames conuicinos populos inuaſerat, quapropter pauperum multitudo aliquid panis acceptura,vt famelico ventri ſatisfaceret,ipſum moroſius præmebat,vrgebatq;: ipſe verò nihil magis exterritus inuicto pectore quicquid ad manus habere poterat, illis liberaliſſimè erogabat. Cumq; die quadam nihil panis fratribus ad reficienda corpora penitus reliquiſſet, ſed quantum ex B mendicatione acquiſierant id totum pauperibus diſtribuiſſet, ad orationem illicò confugit, tantumq; panis cœlitus immiſſi ab omnium largitore ſuis precibus impetrauit,vt ſibi fratribus, ac etiam confluentibus egenis longè ſuffecerit. A quo etiam tempore maximam ſanctitatis opinionem ſibi acquiſiuit. De reliquis eius virtutibus,profundiſſima ſcilicet humilitate, feruentiſſima oratione, ſummaq; paupertate, quibus ſummè enituit, non eſt quòd impreſentiarum agam, cùm ex prædictis facilè coniectari quæant, valeantq;.

De conuentu S. Joannis Tiferni. Conu. X.

AD mille paſſus extra Ciuitatis Caſtellanę,Tiferni aliàs,mœnia conuentus hic,in C quo iuxta Prouinciæ deſcriptionem 15. fratres altiſſimo famulantur, in honorem ſancti Ioannis conſtructus eſt. Eius ſitum perdeuotus quidam Schalochienſis Abbas Benedictini Ordinis alumnus,anno reparationis humanę 1473.pauperculis fratribus,non minus liberaliter,quàm piè contulit: ſed quod reliquum eſt operis,id munificentia atq; communibus Ciuitatis Caſtellanæ ſumptibus ſuperędificatum eſt.Idq; conſenſu atq; auctoritate Sixti IIII. Pont. max. cuius Apoſtolicæ literæ, hac de re datæ atq; conceſſæ in huius loci cartophilacio diligentius aſſeruantur.

De conuentu ſanctæ Crucis Bonæ Quietis. Conu. XI.

IN cuiuſdam nęmoroſi montis cliuo, atq; ad duo milliaria vltra eandem ciuitatem D Caſtellanam ſiue Tifernum, hoc monaſterium ſanctæ Cruci Bonæ Quietis (vulgò di buon ripoſo) ſacratum, in quo 7. fratres commorantur, eleganter conſurgit: ſuiq; authorem perdeuotum illuſtremq; Chriſtianum Guelfutium ex parte agnoſcit, cùm & ſitum contulerit & eccleſiam peculiaribus ſuis ſumptibus ædificauerit. Structuræ verò reſiduum neminem alium à fratribus, quorum ſolerti diligentia atq; mendicatione, eſſe accepit, ſui patronum ſuſpicit. Fuit ſemper hic locus,eſtq; omnino,ob eius quietem, vnde & nomen traxit, orationi accommodus; quamobrem perplures patres ac fratres Deo gratos peperit: inter quos non infimum locum tenet ſummæ religionis frater Paulus Aſſiſinas profeſſione laicus, qui hoc in loco ſepultus eſt, cuiq; mortis horam clementiſſimus Deus reuelare voluit. Nam cùm infirmus lectulo decumberet, infirmariusq; caſu abeſſet, ſurrexit ex tempore, fratrumq; dormitorium petens inuentum in- E firmarium, qui frater Maſſæus dicebatur, rogauit, vt ſe comitaretur, quòd ſibi protinus emigrandum foret ab hac vita. Quibus ſimul valetudinarium accedentibus, lectulum ex tempore ingreſſus animam ſuo Creatori commendare cępit, illamq; non ita poſt multum temporis ſibi reddidit. Quod & diuinæ reuelationi á fratribus aſcriptum fuit. Nec mirum cum ſimplex, deuotus, ſuiq; ſtatus zelantiſſimus eſſet.

De conuentu ſanctæ Mariæ Magdalenes Biturgiæ. Conu. XII.

CVM ob imminentia bella antiquior conuentus, qui aliquantulum à mœnijs diſtabat, ſuperuenienteq; hoſte Biturgienſi (vulgò borgo di ſan ſepolchro) negociũ

faceſſere poterat tum ciuibus, tum quoq; fratribus in id ipſum conuenientibus, dirutus, A
ſoloq; æquatus eſſet, nouiſſimus iſte in honorem ſanctæ Mariæ Magdalenes tum ex precio, quod ex eius ſitu hortisq; diuenditis obuenit, tum quoq; ex eleemoſynis vndequaq; collectis, alio in loco tutiori minusq; obnoxio, anno à ſalutifera Chriſti natiuitate 1530. Pontificatus verò Clementis VII. ex cuius facultate huiuſmodi tranſlatio contigit 6. ædificatus eſt: in quo 14. fratres Altiſſimo famulantur, inſeruiuntq;. Ex hac mortali vita migrarunt, & ad patres hoc in loco appoſiti ſunt præſtantiſſimi, ſimulatq; deuotiſſimi fratres Petrus Peruſinus, & Chriſtophorus Papienſis ambo laici, amboq; paupertatis, humilitatis, patientiæ, laborum, atq; continentiæ ſummi amatores; qui dum viuerent & Deo atq; hominibus, ob eorum inculpatam vitam, gratiſſimi fuêre. Primi conuentus antiquitas ex obedientialibus quibuſdam literis beati Ioannis Capiſtrani ad patrem fratrem Antonium Ariminenſem huius tunc Prouinciæ Vicarium Prouin- B
cialem tranſmiſſis, ac in cubiculo patris Guardiani diligenter aſſeruatis, quibus ſibi de eo acceptando atq; conſtruendo mandatum dabat, liquidò ſatis conſtat.

De conuentu ſanctæ Mariæ de Gratijs Interamnæ. Conu. XIII.

AD trecentos paſſus ab Interamnenſi ciuitate, in loco quodam accliuiori, hoc monaſterium glorioſiſſimæ Dei genitrici Mariæ de Gratijs ſacrum tum ex publicis, tum quoq; ex priuatis piorum ciuiũ eleemoſynis, anno Dominicę Incarnationis 1472. ex fœlicis recordationis ſanctiſſimi Sixti Papæ IIII. auctoritate conſtructũ, fratribusq; ad perpetuam habitationem collatum eſt: quorum 16. continuò ibidem perſeuerant, C
Philoſophicisq; literis vacant. Hunc locum tum Interamnenſibus, tum quoq; conuicinis populis commendatiſſimum reddit B. Virginis Mariæ imago ibidem erecta, quę miraculis coruſcat.

De conuentu ſanctæ Mariæ Aureæ. Conu. XIIII.

SESQVIMILLIARI tantùm à pręcedenti conuentu exurgit & alius in honorẽ S. Mariæ Aureæ (vulgò del Oro) ex fidelium eleemoſynis conſtructus, contemplationiq; omnino adaptatus, quẽ beatus pater Bernardinus de Senis, ex Eugenij IIII. Pont. max. facultate, quemadmodum ex tranſumpto cuiuſdam Apoſtolici eiuſdem Eugenij IIII. breuis dati anno 1434. die verò menſis Septembris 13. in eius tabellario aſſer- D
uato patentiſſimè conſtat, anno à lætabunda Chriſti natiuitate 1458. obtinuit, ædificariq; curauit, quemq; 9. fratres incolunt. Vt autem præfato tranſumpto maior adhiberetur fides, Senenſis Epiſcopatus ſigillum, & doctiſſimi viri Malateſtæ de Cantaneis Iuris vtriusq; Doctoris, atq; reuerendiſſimi Domini Caroli Senenſis Epiſcopi generalis Vicarij, & Iacobi Nuccini publici Tifernatis Notarij man⁹ ſibi apponi curarũt fratres.

De conuentu Annunciationis B. Mariæ Nurſiæ. Conu. XV.

PERICLITANTI, atq; ruinam minitanti antiquiori cuidam conuentui ſuffectus eſt hic Annunciationi ſanctiſſimæ Virginis Mariæ ſacer, circa annum à Virgineo eiuſdem partu 1524. ex publicis ciuium facultatibus, non quidem eodem in loco, E
ſed in alio commodiori, atq; ciuitatis Nurſinæ mœnijs viciniori, ad quem fratres, quorum 20. ibidem continuò perſeuerãt, ex venerabilis patris fratris Bernardini Fulginatis tunc huius Prouinciæ ob Prouincialis Miniſtri abſentiam Vicarij mandato ſe tranſtulêre. In antiquiori præfato monaſterio diem clauſit extremum, ſepultusq; fuit miræ ſanctitatis beatusq; frater Honofrius Sarzanenſis laicus, atq; ſeraphici patris Franciſci impiger imitator, cui à paupertate, abſtinentia, humilitate, atq; ardentiſſima charitate nihil vnquam gratius fuit quapropter & ſpiritu prophetico à Deo opt. max. donatus fuit, quo & multa certiſſimè prædixit, & innumeris tum viuus, tum quoq; mortuus claruit miraculis. Nurſini igitur ciues, qui incredibili in tantum virum deuotione ferebantur, quiq; ſuas ad Deum preces eius interceſſione exauditas iri maximè cõfidebant,

A fidebant, ne eius ſacra oſſa profanationis periculo exponerentur, ipſa ex ſpectabilis viri Caroli Saraceni Pontificij iuris Doctoris peritiſſimi, atq; Nurſini Epiſcopi Vicarij pręſtantiſſimi conceſſione, ſolemni coacta proceſſione, religiosè inde exhumata, ad nouum hunc locum tranſtulerunt, honeſtiſſimoq; tumulo collocarunt. Adiacet huic ſepulchro & aliud, quo beati fratris Ioannucij de Valleterrena quoq; laici, præcedentis diſcipuli atq; indefeſſi æmulatoris, venerabile corpus continetur. Huius tanta fuit humilitas, tanta paupertas, atq; in perferendis laboribus infirmitatibusq; patientia, vt vix explicari poſſint, & conſultius duxerim meam inſufficientiam ſilentio confiteri, quàm temeraria præſumptione in tanti viri merita impingere. Fuit præterea hic frater prophetico ſpiritu, ſicut & eius præceptor, inſignitus, quo & certiſſimam ſui obitus horam patri Guardiano à ſe ſciſcitanti, & alia plurima prænuntiauit. Eius corpus ſimu-
B latq; beati fratris Honofrij Sarzanenſis, ad Nurſinorum inſtantiam, quibus in maxima veneratione vterq; eſt, prope ſummum altare honorificè quieſcit.

De conuentu S. Mariæ de monte Sancto, Tuderti. *Conu. XVI.*

TVDERTINI ciues Clariſſarum monialium ſecuritati & rebus conſulturi, atq; Franciſcanis fratribus proſpecturi, conuentum beatæ Mariæ de monte Sancto ſacratum, atq; aliquantulum à mœnijs Tudertinæ ciuitatis conſtructum, nec non & præfatarum ſororum obſequio mancipatum, illis primò introductis atq; ad tutiorem locum tranſlatis, prædictis fratribus, ex Innocenij VIII. Pont. max. beneplacito & aſſenſu, anno à ſalutifera Chriſti natiuitate 1488. Pontificatus verò ipſius iiij. in habita-
C tionem & vſum contulerunt. A quo etiam tempore eorum 18. diuinis ibidem laudibus incumbunt.

De conuentu S. Jacobi etiam Tuderti. *Conu. XVII.*

OBSEQVITVR etiam Franciſcanis fratribus hoc monaſterium diuo Apoſtolo Iacobo ſacratum, atq; in iugulo cuiuſdam montis Tiberino flumini imminentis, nec longè à præfata Tudertina ciuitate diſtantis ſitum, ad quod tum fratres tum quoq; ſæculares, ob grauiſſimos probatosq; viros, qui perpetuò ibidem habitarunt, atq; ob quandam glorioſæ Virginis Mariæ imaginem ſummo altari depictam, quæ ab anno Dominicæ Incarnationis 1428. innumeris, vt plurimæ tabellæ in eius gyro appenſæ fa-
D cilè indicant, miraculis coruſcat, maxima feruntur deuotione. Sumpſit originem ſacra hæc domus, quam 7. fratres inhabitant, anno ſalutis humanæ 1404. ſuiq; fundatorem agnoſcit nobiliſſimum Tudertinum ciuem Nicolaum de Vffreduzit, qui ex mera tantùm in Franciſcanam familiam deuotione, atq; in Deum pietate, quicquid ad eius promotionem opus fuit, vltroneè erogauit, expoſuitq;.

De conuentu S. Martini Treuij. *Conu. XVIII*

CVM perdeuotus, pientiſſimusq; quidam Abbas monaſterij ſancti Petri in Boario ſufficientem ſitum ad huius Franciſcani conuentus ædificationem ex maxima de-
E uotione, non longè à Treuio Vmbriæ oppido, ex Sixti IIII. Pont. max. cuius id munus erat, conceſſione, & auctoritate, liberaliter obtuliſſet contuliſſetq;, Treuienſis communitas quod reliquum fuit ad pręfati conuentus perfectionem ædificij, ex publicis bonis, anno à partu Virgineo 1479. Pontificatus verò eiuſdem Sixti IIII. ſuperſtruxit, perfecitq;, atq; titulo ſancti Martini inſigniri voluit. Commorantur vt plurimum hoc in loco 12. fratres.

De conuentu S. Mariæ de Plano Narniæ. *Conu. XIX.*

ILLVSTRIS pijſſimusq; Angelus de Cęſis Narnienſis ciuis peculiare aliquod obſequium Deiparæ Virgini, cui deuotiſſimus erat, præſtiturus, ac ſuos conciues ſin-

gulari beneficio ſibi deuincturus, ſacellum eidem glorioſæ Virgini dicatum, atq; propè A
eiuſdem ciuitatis muros ſitum, quod miracula à quadam beatæ Virginis imagine ibi-
dem patrata celeberrimum commendatiſſimumq; reddebant, in monaſterij formam
transferre, atq; Franciſcanis Obſeruantibus tradere decreuit. Pium igitur hoc propoſi-
tum exequutioni mandaturus Sixto IIII. Pont. max. quàm humillimè ſupplicauit, vt
ſibi per eum huiuſmodi præmeditatum conuentum ædificare liceret. Quod cum impe-
traſſet, vt ex eius bulla data anno Dominicæ incarnationis 1483. Pontificatus verò
ſui xij. atq; in fratrum archiuo aſſeruata ſatis conſtat, nullo intermiſſo tempore, quod
cogitarat præſtitit. Ædificatum itaq; circa prædictum annum ex proprijs facultatibus
in honorem ſanctæ Mariæ de Plano hoc ſacrum monaſterium, quod plerumq; 8. fratres
occupant, quodq; ſæcularibus, ob frequentia miracula ibidem à præmemorata beatæ
Virginis imagine edita commendatiſſimum eſt, ipſum huic Prouinciæ mancipauit. B
Cumq; temporis ſucceſſu in Clarenorum fratrum (de quibus ſupra) poteſtatem deue-
niſſet, Obſeruanti familiæ ex mandato Pij V. ſummi Pontificis, anno ſuperius citato,
videlicet 1568. reſtitutum fuit.

De conuentu S. Hieronymi etiam Narniæ. Conu. XX.

CVM anno à mundo redempto 1489. tantum terræ & ſitus, quantum ad honeſti
vnius conuentus ædificationem ſat eſſet, ab illuſtri, pijſſimaq; Mancinellorum
familia, non procul à Narnia Vmbrica ciuitate, quæ ſibi patria erat, ex proprijs præ-
dijs, atq; ex pia quadam æmulatione collatum eſſet, reuerendiſſimus pariterq; illuſtriſ-
ſimus Dominus Bernardus de Erulis Spoletanus Epiſcopus, atq; Apoſtolicę ſedis Cardi- C
nalis, id ſibi iniunctum munus exiſtimans, hoc monaſterium in honorem ſancti Hiero-
nymi Eccleſiæ Doctoris, annuente ſanctiſſimo Domino Sixto IIII. Pont. max. prout ex
Apoſtolicis eius literis in fratrum cartophilacio aſſeruatis liquidò patet, ſuis ſumptibus
ibidem conſtrui, perficiq; curauit. Quod 14. fratres plerumq; inhabitant:

De conuentu S. Joannis Baptiſtæ Ameriæ. Conu. XXI.

CONVENTVS hic diuo Ioanni Baptiſtæ Dominico Præcurſori ſacratus, qui
intra Ameriæ Vmbricæ ciuitatis mœnia exurgit, ex publicis priuatiſq; piorum ci-
uium eleemoſynis, atq; ex Apoſtolica auctoritate, circa annum Dominicæ Incarna- D
tionis 1469. ſi Apoſtolicis Pauli II. Pont. max. literis anno Pontificatus eius ij. datis,
quæ in fratrum cartophilacio aſſeruantur, fides adhibenda ſit, conſtrui cœpit ijſdemq;
auſpicijs abſolutus eſt. Qui Seraphici patris Franciſci imaginem iconicè depictam vi-
dere deſiderauerit, hunc locum à 10. fratribus inhabitatũ petat, ſibiq; factum ſatis ſciat,
ſi eam, quæ telæ graphicis lineamentis impreſſa eſt, quæq; ab Amerianis maximè fit,
pœnitus introſpexerit.

De conuentu Annunciationis B. Virginis. Conu. XXII.

DECIMO milliari à præfata ciuitate Ameria alius conuentus fęliciſſimę Dei ge-
nitricis Annunciationi ſacratus, atq; à 7. fratribus vt plurimùm inhabitatus exur E
git, qui ſumptibus atq; munificentia ſpectabilis viri, ac Ameriani ciuis, Angeli de Pe-
ſiegnanis, anno Dominicæ incarnationis 1460. ædificatus fuit. In quo quidem conuen-
tu ſepulti iacent paris ſanctitatis, atq; religionis patres, frater videlicet Paulus Capeto-
nius, cuius tanta fuit abſtinentia, vt pane tantùm & aqua attritum vigilijs corpuſculum
reficeret, tantaq; ſimplicitas, vt ea propter hominibus, non quidem Deo, à quo ma-
gnifiebat, contemptui eſſet, & pater Franciſcus Ouarius, qui pluribus diebus antequam
naturę debitum exolueret, dum adhuc optimè valeret, ſuo Guardiano certiſſimam mor
tis horam prædixit. Eius etiam ſepultura, in inculpatæ vitæ teſtimonium, dum fortè
fortuna reſeraretur, tantam, talemq; violarum fragrantiam exhalauit, vt omnes cir-
cunſtãtes mirum in modum recrearit: Cuius rei cauſam inquiſituri fratres eam ingreſ-

A ſi ſunt, præfatiq; patris Franciſci corpus integrum omnino, atq; incorruptum, ac ſub eius capite violarum plantulam floridam, ſuauiſſimeq; redolentem inuenerunt. Quod proculdubio miraculo aſcribi debet, cùm menſis Auguſti finis inſtaret. Vt noſter Deus mirabilis in ſanctis ſuis, atq; ſanctiſſimus in omnibus operibus ſuis, qui eius ſeruulis ob breues momentaneosq; labores præmia confert æterna, prædicandus veniat.

De conuentu Sancti Hieronymi Eugubij. Conu. XXIII.

CONSVRGIT adprimum lapidem ab Vmbrica ciuitate Eugubio nemoroſus quidam collis, in cuius cliuo conuentus hic diuo Hieronymo dicatus, qui educandis, inſtruendisq; fratribus tyronibus deſeruit, quiq; 18. fratres commodiſſimè continet, eleganter conſtructus eſt. Locus hic à patribus Auguſtinianis ex eleemoſynis maxima induſtria acquiſitis primò ædificatus fuit; ſed oborto inter ipſos ob eius regimen atq; adminiſtrationem irreparabili ſchiſmate, ijs loco pulſis, cuidam Confraternitati, ſiue ſocietati diui patris Auguſtini, ex reuerendiſſimi Domini Balthaſaris Tuſculani Epiſcopi ſententia, adiudicatus extitit. A qua tandem ex Martini V. atq; Eugenij IIII. ſummorum Pontificum conceſſione & beneplacito, quorum Apoſtolica breuia in ipſius conuentus tabellario adhuc conſeruantur, Franciſcanis Obſeruantibus liberaliter oblatus, collatusq; eſt. Quicquid inſuper iuris, priuilegij, atq; exemptionis ſibi erat, id totum virtute cuiuſdam Apoſtolici breuis præfati Eugenij IIII. anno Dominicæ Incarnationis 1436. die verò menſis Maij 9. ſed Pontificatus eiuſdem anno vj. ad illuſtriſſimi Domini Guidantonij Vrbinatum Ducis inſtantiam dati, integrum inuiolatumq;, remanſit. Hoc in loco, in cuius ſacrario tunicula quædam beati patris Ioannis de Capiſtrano religioſè cuſtoditur, Seraphicus pater Franciſcus mulierem defunctam ad vitam reuocauit. Ob cuius amorem deuoti fideles Baptiſta Philippus, atq; Hieronymus de Biſcazaribus Eugubini ciues, maiorem adiacentis ſyluæ partem fratribus dono dederūt.

De conuentu ſanctiſſimi Crucifixi Citernæ: Conu. XXIV.

VOLENS omnipotens Deus ob eius miſerationes, quarum non eſt numerus, ſingularia mortalibus beneficia præſtare, ex depictæ Crucifixi imaginis latere ſanguinem eduxit, quem accurrentes lacertæ auidius contentioſeq; ſugebant. Quo viſo miraculo Citernenſes oppidani ædiculam vbi hoc contigerat, vnico tantùm milliari ab D oppido Citerna diſtantem, inq; ſanctiſſimi Crucifixi honorem erectam in paruulum conuentum, ad 4. aut 5. Franciſcanorum habitationem, ex communibus facultatibus, pro eorum modulo promouere curarunt. Cumq; is locus ob eius incapacitatem, maximamq; anguſtiam nec fratribus, nec etiam fidelibus ad poſcēda beneficia, quorum plurima ibidem à Deo opt. max. conferebantur, accedentibus faceret ſatis, pius ſimulatq; deuotus Angelus Proſper ex Citerna oriundus, maiorem ſuarum facultatum partem ad eius ampliationē moriens ex teſtamento reliquit. Ex ijs igitur adeò protractus eſt, vt 10. fratres, qui diuinis continuò ſunt in excubijs, ne dum Euangelicus ille Dominus venerit, eos ocio torpentes inueniat, illisq; ſuccenſeat, ſed vt potius pro fideli vigilia mercedem cum fœnore reddat, facilè ſatisq; commodè capiat.

E *De conuentu ſanctæ Mariæ de Pietate Sepis. Conu. XXV.*

EGREDIENTIBVS Sepem Vmbricum oppidum (vulgò Fratta) occurrit hoc monaſterium beatiſſimæ Mariæ de Pietate ſacrum, quod 15. fratres plerumq; inhabitāt, maioriq; ex parte Sepienſis Communitas ex publicis facultatibus, anno à Chriſto Seruatore nato 1481. exædificari curauit. Maiori ex parte dixerim, quòd eccleſia ſumptibus perdeuoti Bartholomæi Buſelli à Nello Sepienſis, atq; Peruſini ciuis conſtructa ſit. Cuius adhuc ſucceſſores ſollicitam eius curam gerunt, fratribusq; in omni euentu præſtò ſunt.

De Conuentu S. Mariæ de Gratijs Caſciæ. *Conu.* *XXVI.*

PRISCI illi Regularis Obſeruantiæ authores ſanctiſſimiq; patres, cùm non ſe lateret quantum incommodi, quantumq; detrimenti ſæcularium conſuetudo, frequensq; concurſus religioſis adferat, atq; quantum à diuinarum rerum contemplatione retrahat, ſic ſuos erigebant conuentus, vt illis, laicis videlicet pro charitatis debito opportunè adeſſe poſſent, & propriæ quieti conſulerent. Cùm igitur beatus pater Ioannes Capiſtranus, præfatæ Regularis Obſeruantiæ anteſignanus, atq; pro Citramontana familia propugnator acerrimus eius Vicarium Generalem ageret, multipliciq; experientia huiuſmodi incommoda didiciſſet, nunquàm, vel certè rarò conuentum, niſi ad vnum vel alterum milliare ab hominum frequentia, admiſit: quemadmodum ex ijs B omnibus, qui vel eius auctoritate accepti, aut ædificati ſunt, præcipuè verò ex præſenti, à pia Communitate Caſcenſi ex publicis prouentibus, atq; ex eius conſenſu, in cuiuſdam monticuli ſupercilio, ad mille paſſus ab oppido Caſcia (vulgò) dicto in honorem ſanctiſſimæ Virginis Mariæ de Gratijs, circa annum Dominicæ Incarnationis 1450. ædificatum, manifeſtum ſatis euadit. Qui quidem ita ſitus eſt, vt nec eius diſtantia præfatis ſæcularibus obſit, nec propinquitas prouectioribus fratribus contemplationi deditis, aut certè nouitijs benè inſtruendis, quorum obſequio mancipatus eſt, impedimento eſſe poſſit. Degunt hoc in loco 10. fratres diligentiſſimeq; tuniculam quandam beati patris Ambroſij à Miliano cuſtodiunt. Beatus hic pater, dum quinto hinc milliari apud montem Leoninum oppidum ſacras conciones ad populum per Quadrageſimam haberet, ſarcina carnis ſolutus migrauit ad aſtra, & in Franciſcanorum Conuentualium eiuſdem oppidi monaſterio ſepultus miraculis coruſcat. C

De conuentu S. Bartholomæi propè montem Floridum. *Conu. XXVII.*

VT experimento, quod ſuperius diximus, manifeſtum euadat, in medium prodeat hic conuentus diuo Apoſtolo Bartholomæo ſacer, atq; communibus ſumptibus oppidi montis Floridi ædificatus, nec non à beato patre Gentili ſiue Paulutio de Vangotijs Fulginate admiſſus: qui vno ad minus milliari ab oppidi ſeptis diſtat, & ita ab hominum frequentia ſemotus eſt, vt orandi ſpatium atq; opportunitatem 7. fratribus eius accolis facillimè miniſtret, & nihilominus occurrentibus oppidanorum neceſſitatibus D ex tempore adſit. Dum Iulius II. Pont. max. ſemel iſtac iter faceret, atq; ad hunc locum orationis cauſa diuerteret, plenariam ſibi, perpetuamq; peccatorum indulgentiam in fauorem omnium fidelium eam à primis veſperis vſq; ad ſolis occaſum feſtiuitatis ſancti Bartholomæi Apoſtoli accedentium, ad inſtantiam venerandi patris fratris Honorij Fulginatis tunc Guardiani, præſentibus illuſtriſſimis atq; reuerendiſſimis dominis titulorum ſanctæ Priſcæ, ſanctæ Anaſtaſiæ, ſancti Adriani, atq; ſanctæ Mariæ in Porticu S. R. E. Cardinalibus, liberaliſſimè conceſſit: cuius conceſſionis Apoſtolicę literę in huius conuentus archiuo aſſeruantur. Adiacet præterea huic monaſterio ſacellum, in quo beatus pater Ioannes de Valle requieſcit, qui nec latum vnguem à ſua profeſſione vnquam deceſſit, nec quicquam magis à paupertate, humilitate, obedientia, atq; charitate dilexit: cuiusq; vita adeò exemplaris, adeoq; rectæ rationi conformis fuit, vt E vix referri queat: quamobrem preſtantius duxi eam ſilentio præterire, quàm balbutiendo circa eius relationem in pluribus deficere: præſertim cum miracula ab ipſo patrata eam ſatis ſuperq; prodant, manifeſtentq;.

De conuentu S. Ioannis Baptiſtæ Nuceriæ. *Conu. XXVIII.*

CVRANTIBVS Clarenis patribus, maximeq; ſollicitantibus conuentus hic diuo Ioanni Baptiſtę ſacer, atq; ad mille paſſus à Nuceria ciuitate in editiore cuiuſdam colliculi parte ſitus, quem 7. fratres frequentius incolunt, communibus Nucerinæ ciuitatis ſumptibus, circa annum à lætabunda Chriſti Natiuitate 1500. ædificatus extitit

A extitit. Sed præfatis patribus ad Regularem (vt ſuperius diximus) Obſeruantiam reductis, huic Prouinciæ ſub R. P. F. Aloyſio Puteo noſtri Inſtituti Generali Miniſtro ex Apoſtolica auctoritate adiectus fuit.

De conuentu Annunciationis B. Mariæ Gualdi. Conu. XXIX.

HIC locus à mœnijs eius oppidi, quod (Gualdo) Italicè nuncupatur, aliquantulum ſitus, opera atq; communibus Gualdenſium ſumptibus, ſub reuerendiſſimo Domino Antonio Portuenſi Epiſcopo, atq; S. R. E. Cardinali, necnon perpetuo Gualdenſi Gubernatore & moderatore, ex conceſſione tamen Leonis X Pont. max. vt ex Apoſtolicis eius literis, anno ſui Pontificatus ix. datis, atq; in huiuſmet loci archiuo
B aſſeruatis liquidò conſtat, conſtructus, ſanctiſſimæq; Annunciationi beatæ ſemper Virginis Dei genitricis Mariæ ſacratus, atq; à venerando patre fratre Bernardino Gualdenſi primò occupatus fuit.

De conuentu S. Antonij de Padua Betonij. Conu. XXX.

INNIXI fratres indulto & conceſſioni Alexandri VI. ſummi Pontificis, cuius Apoſtolicę literę ſub datũ Romæ anno ſui Pontificatus ij. in archiuo aſſeruãtur, hunc conuentum beato patri Antonio de Padua ſacrum non longè à Bettonio, quod Vmbrię oppidum eſt, ex Bettonienſium tum publicis, tum quoq; priuatis facultatibus, anno à mundo redempto 1494. ædificari curarunt: in quo ex Miniſtri huius Prouinciæ decre-
C to 10. fratres commorantur, Altiſſimoq; inſeruiunt.

De conuentu S. Fortunati montis Falcij. Conu. XXXI.

CONSTITIT olim non procul ab oppido monte Falco (Italicè nuncupato) ędicula quædam ſub titulo ſancti Fortunati, derelicta quidem, ſed redditibus vtcunq; abundans, cuius cura reuerendiſſimo Domino Latino Tranenſi Archiepiſcopo incumbebat. Hanc igitur in iuſtum monaſterium promouere cupiens deuota Communitas, Martino V. ſummo Pontifici, vt id ſibi ex redditibus inde prouenientibus, atq; in pręfati reuerendiſſimi Latini emolumentis cedentibus liceret, quàm humiliter ſupplicauit:
D & accepta pro votis facultate, cui Eugenius IIII. Pont. quoq; max. ſubſcripſit, tum ex præfatis redditibus, tum quoq; ex quibuſdam alijs bonis à deuoto Almerico de monte Falcio ad id opus ex teſtamento relictis, hoc monaſterium, ſub antiquiore ſancti Fortunati inuocatione, circa annum à lætabunda Chriſti Natiuitate 1443. eleganter ſatis conſtruxit, Franciſcanisq; Obſeruantibus, quorum 12. ibidem impreſentiarum vſq; perſeuerant in habitationem conceſſit. Tribus beatorum còrporibus ſacra hæc ædes decoratur, Fortunati ſcilicet, in cuius honorem antiquius ſacellum à reuerendiſſimo quodam Spoletano Epiſcopo conſecratum fuerat, Seueri à Martanis viri ſanctiſſimi eiuſdẽ ſacelli authoris atq; fundatoris, & patris Franciſci à Stronconio Franciſcani, cuius ſanctitas tanta extitit, vt Deus opt. max. plura per eum miracula operari dignatus ſit. Licet tertius hic beatus pater in magna ſit veneratione apud montis Falcij accolas, primi
E tamen duo tanquàm peculiares patroni & aduocati, peculiari quodam deuotionis, atq; honoris genere ab ijſdem coluntur.

De conuentu S. Franciſci propè Stronconis caſtellum. Conu. XXXII.

CVM anno ſalutis humanæ 1328. conuentus quidam in honorem Seraphici patris Franciſci è veſtigio eius oppidi, quod Stronconis caſtellum appellitatur, ex publicis, priuatisq; oppidanorum eleemoſynis, pro eorum modulo, ædificatus, fratribusq; Franciſcanis Conuentualibus collatus fuiſſet, ab ijsdem, quòd commodæ ipſorum habitationi minus faueret, poſt aliquantulum temporis derelictus eſt. Cui ruinæ ſimul atq; Stronconienſium deuotioni compatiens beatus Paulutius de Vangotijs, ipſum denuò re-

nuò re-

nuò reſumpſit, reſarciuit, atq; Obſeruantibus eiuſdem Religionis fratribus inſtruxit. Et A
meritò quidem, cum deuotiſſima quædam glorioſæ Virginis imago ibidem erecta plurimis coruſcet miraculis, & apud conuicinos populos in maxima ſit veneratione. Commorantur deniq; hoc in loco 10. fratres, ſeduloq; Altiſſimo obſequuntur.

De conuentu S. Simeonis ibidem. Conu. XXXIII.

MILLE paſſibus á pręcedẽti monaſterio exurgit & aliud beato Simeoni ſacrum, quod frequentius 10. fratres inhabitant: eius ſitum venerabiles canonici collegialis eccleſiæ pręfati oppidi caſtelli Stronconis liberaliſſimè contulerunt: ſed quicquid ædificij acceſſit, reliquæ Communitatis ſumptibus conſtructum eſt. Cùm autem huiuſmodi conuentus ex omni parte perfectus Clarenis religioſis collatus, atq; ab iiſdem plu- B
rimis annis occupatus fuiſſet, ijs ex mandato ſummi Pontificis Pij V. (vt ſupra ſæpius meminimus) reformatis, atq; Franciſcanis Obſeruantibus permixtis, cęteris huius Prouinciæ locis adiunctus eſt.

De conuentu S. Franciſci propè caſtellum Lunianum Conu. XXXIV.

DVM ſemel Seraphicus pater Franciſcus hunc locum pertrãſiens ad proximam ſyl uam, tanquam qui ſolitudine potius quàm populi frequentia oblectaretur, quieſcendi gratia diuertiſſet, atq; eius accolæ ad eum confluxiſſent, omni poſtpoſita quiete illis prędicare cœpit. Et ecce lupus, Sathanæ opera ex nęmoris penetralioribus ad concionis locum impulſus, arreptum puerulum ipſum breui voraturus ad interiora trahere C
nititur: idq; cum beatus pater conſpexiſſet, cœtui ſilentium indicens, anſeri caſu oberranti, vt arreptum ex lupi faucibus puerum incolumen ſibi reſtitueret, pręcepit. Quod & illa ex tempore, non abſq; maxima omnium admiratione pręſtitit. Ab eo igitur tempore deuotus ille populus ex tam admirabili euentu permotus conuentum hunc pręmeditari cœpit. Atq; defuncto beato patre Franciſco, interq; ſanctos relato, & præcogitatum monaſterium tum ex communibus facultatibus in medium collatis, tum etiam ex priuatis, ipſi eidem ſacrum, in medio nęmore vbi id contigerat, conſtruxit, & eius fratribus, quorum 10. vſq; in hodiernam diem ibidem perſeuerant, ad perpetuum, pacificumq; vſum ſummis votis contulit. Inſuper & lege cauit, vt anniuerſarius eius dies tum ipſis, tum quoq; eius poſteris feſtus omnino eſſet, & Senatus qui pro tempore oppidi curam gereret ſummo ſacro ibidem intereſſet, muneraq; offerret. Quod & inuiolabiliter D
vſq; impræſentiarum obſeruatum eſt. Nec infructuoſè quidem, cum plura à Deo optimo maximo tum ſpiritualia, tum quoq; corporalia beneficia eius ſanctiſſimi patris meritis indies obtineat, impetretq;. Nec ſanctorum reliquijs nęmoroſus hic locellus caret, cum altera ſanctæ Margaretæ manu, & lapide Seruatoris Chriſti ſanguine illito, & quibuſdam veſtimẽtis beatæ virginis Claræ, quibus mirum in modum commendatur, necnon & corpore beati patris Raphaëlis Nurſini, beati etiam patris Ambroſini Mediolanenſis olim diſcipuli exornetur, qui ob eius ſingulares virtutes, atq; eximiam ſanctitatem ſpiritu prophetico donatus fuit, quo & ſui obitus diem, & plurima alia, quę infallibiliter euenerunt, multò antea prædixit.

De conuentu S. Franciſci propè Sumenum lacum. Conu. XXXV. E

INTER inconſtantes mediaſq; Sumeni, ſiue Peruſini lacus vndas inſula quædam exurgit, quæ, Seraphico patre Franciſco adhuc in viuis agente, inhabitata erat. Ad hãc cùm beatus ipſe pater liberius orandi, atq; Quadrageſimæ cuiuſdam perfectius celebrandi cauſa traijcere cuperet, nec abſq; ligni adminiculo id efficere poſſet, nauclerum ſibi oblatũ, vt ſe eò ſcapha tranſueheret obnixè rogauit, votiq; compos effectus, eidẽ, vt poſt quadrageſimum elapſum diem ad ſe in continentem reuehendum rediret, ſupplicauit. Animaduerterat interim ſcapharius quod ſanctiſſimus pater nihil aliud obſonij, aut cibi ab vnico tantum pane ſecum detuliſſet. Reuerſus igitur ſtatuta die iuxta condictum di-
midiatum

A midiatum adhuc panem ſibi reſiduum inuenit. Quod cum Peruſinis ſuis conciuibus retuliſſet eorum iam conceptam erga patrem deuotionem magis magiſq; excitauit, affectuſq; impulit, vt ſibi è viuis ſublato conuentum hũc, quem plerumq; 14. fratres inhabitant, in eius honorem atq; memoriam, ex publicis communis Peruſinæ ciuitatis ſumptibus, in altera præfatę Inſulæ parte, anno à partu Virgineo 1328. exædificarent. Sed cùm poſt alicuius temporis curriculum is locus ruinam minaretur, à nobili Peruſinaq; Burgarutiorum familia, anno Dominicæ Incarnationis 1480. reſarcitus, immo potius reædificatus fuit. In cuius ſacrario alterum ex diui Apoſtoli Andreæ brachijs, inſuper & tunicula quædam, atq; pileolus diui patris Bernardini de Senis debita cum reuerentia cuſtodiuntur. Adiacet prætcrea huic loco fons quidam, qui ſitienti olim beatiſſimo patri Franciſco, à quo & nomẽ traxit, aquam liberaliter miniſtrare ſolitus erat,
B quiq; febricitantes ſępius optatæ ſoſpitati reſtituit.

De conuentu S. Hieronymi Spolij. *Conu. XXXVI.*

EX ſingulari deuotione, qua illuſtris Bracius Ballionius patria Peruſinus, tum in Seraphicum patrem Franciſcum, tum quoq; in eius fœcundam piamq; prolem ferebatur, ſacrum hoc monaſterium, quod 10. fratres vt plurimùm occupant, in cuiuſdam colliculi cliuo, prope oppidum, quod Spello materna Italorum lingua dicitur, anno à fœliciſſima Chriſti Natiuitate 1494. liberaliſſimis ſuis ſumptibus cõſtrui fecit.

De conuentu S. Catharinæ ibidem. *Conu. XXXVII.*

PRÆFATI Bracij Ballionij pietatem imitata & ipſa quoq; pia Spolienſis communitas, conuentum hunc beatæ Catharinæ virgini & martyri ſanctiſſimæ dica-
C tum, ſecundo milliari ab eorum præfato oppido Spolio, in næmoroſi cuiuſdam, atq; amœni montis medio, anno humanæ reparationis 1502. ex publicis facultatibus ædificari, Clareniſq; religioſis tradi curauit. Sed ijs exauthoratis, atq; in Regularem Obſeruantiam à Pio V. ſummo Pontifice, anno Domini 1568. tranſire iuſſis, cæterorum huius Prouinciæ locorum catalogo aſcriptus eſt, ab eoq; temporis à 7. Obſeruantibus Minoritis plerumq; inhabitatur.

De conuentu Annunciationis B. Virginis Beuaniæ.

BEVANIENSIS pia communitas, vt intemeratæ Deiparæq; Virgini glorioſæ, atq; beato patri Franciſco, in quos ſpeciali quadam deuotione fertur, gratum aliquod obſequium præſtaret, obtenta prius ab Innocentio VIII. Pont. max. facultate, cuius Apoſtolicum breue Romæ, anno ſui Pontificatus iij. datum adhuc à fratribus aſ-
D ſeruatur, atq; ſitu è patribus Benedictinis eius monaſterij, quod de Viuo ſaxo nuncupatur, quorum id munus erat, ſufficienti ęre comparato, hanc ſacram ædem ſimulatq; conuentum vſibus Franciſcanorum Obſeruantum, quorum 9. ibidem perſeuerant, perpetuò mancipandum in honorem & gloriam ſanctiſſimæ Annunciationis beatæ Virginis Mariæ, vnico tantum milliari ab eius oppido Beuania, in eminentiori cuiuſdam monticuli parte, ex communibus prouentibus atq; facultatibus, anno Dominicæ Natiuitatis 1487. erigi iuſſit.

De conuentu Annunciationis B. Mariæ in Cæſienſi deſerto. *XXXVIII.*

PROMINET in Cæſienſi deſerto eleuatus quidam atq; aſperrimus mons, quem, quòd agendæ pœnitentiæ, atq; diuinorum myſteriorum contemplationi maximè
E deſeruiret, Seraphicus pater Franciſcus frequentare ſolitus erat, humiliq; caſula ex arbuſtorum ramis contexta contra frigoris inclementiam exornauit. Hanc igitur beatus Paulutius Fulginas, tanquam tyronibus educandis fratribus, religioſeq; inſtruendis omnino accommodam, in tanti patris gratiam, ex eleemoſynis vndequaq; acquiſitis, intra paupertatis humilitatiſq; limites, anno à partu Virgineo 1355. in iuſtum conuentum promouit, atq; lætabundæ Dei genitricis Mariæ Annunciationi dicauit. Hoc itaq; in loco, quem 18. fratres inhabitant, inuiſere licet ſpeluncam, quam ſibi orationis meditationiſq; gratia beatus pater Franciſcus delegerat, & bina oratoria: alterum quidem beati patris Bernardini de Senis, ſed alterum beati itidem patris Franciſci Papienſis. Vltimus hic beatus pater huius loci diutinus accola fuit, in eoq; quamplurima edidit

mirabilia, inſuper & Angelum forma indutum humana in excellentiſſimæ ſuę charita- A
tis teſtimonium aliquando pauit, & lupo ſibi familiariſſimo aſellum neceſſarijs pro fratribus onuſtum domum reducendum ſæpius commiſit. In huius deniq; ſacræ domus eccleſia deuotiſſima quædam beatæ Virginis imago eſt, quæ nouitium fratrem ſibi deuotiſſimum ab ipſo ſalutata aliquando reſalutauit: in cuius etiam ſacrario beati patris Iacobi Picentis bacillus, inſuper & pileolus, atq; corda beati quoq; patris Bernardini de Senis religioſè ſeruantur.

De conuentu S. Bernardini apud montem Francum Conu. XL.

PERTRANSIENS ſemel beatus pater Bernardinus de Senis oppidum, cui mons Francus nomē eſt, fami ſatisfacturus bucellam panis à paupercula quadam muliere ex charitate petijt, qua reſpondente compati ſe quidem illi, ſed quòd id minus præſtet B
panis penuriam, qua laboraret in cauſa eſſe, ſubiecit, vt audacter peteret arculam, & ſi quid reſidui foret ſibi erogaret. Cuius dictis annuens pia mulier, arcam, quam non ita ante multum temporis vacuam reliquerat, panibus refertam inuenit, atq; ex illis quantum beato patri ſat fuit liberaliter tribuit. Quo tanto per oppidum diffamato miraculo, quotquot erant eius accolæ profectum iam Sanctum celeri paſſu, vt benedictionem de eius manibus acciperent, inſequuti ſunt. Quibus ad lapidis ictum ab oppido conſpectis pedem fixit, atq; habita ex tempore cum maximo ſpiritus feruore ſacra concione illis ſuaſit, vt ſi ſibi ſuisq; poſteris conſultum cuperent, Frāciſcanis ſuis fratribus domicilium eodem in loco erigerent. Quo itaq; vita functo, atq; inter cœlicolas relato, præfata montis Franci communitas ſuis rebus proſpectura, obtenta prius à Nicolao V. ſummo Pontifice humaniſſima facultate, hoc cęnobium eidem beato patri Bernardino ſacrum, in loco ab ipſomet aſſignato, in quo & pedis eiuſdem veſtigium adhuc cernere licet, ex C
communibus bonis, anno Dominicæ incarnationis 1454. à fundamentis ad apicem vſq; ædificari, fratribusq; quorum 9. ibidem commorantur inſtrui curauit.

De conuentu S. Mariæ de Spineto Conu. XLI.

IN oppidorum Collelogij Ripaluellæ Diœceſis Oruietenſis, atq; Montis caſtri Tudertinę Diœceſis confinibus, inter confertiſſimas quercus conuētus hic glorioſiſſimæ Virgini Mariæ de Spineto ſacratus, in quo 20. fratres vt plurimū commorantur, anno Dñicæ incarnationis 1498. ab illuſtri ſpectabiliq; viro Monaldo Berardi de Monaldeſchis Oruietenſi ciue, ſumma liberalitate cum pietate coniuncta, ex proprio patrimonio ędificatus fuit. Qui quidē conuentus nouitijs fratribus inſtruendis, edocendisq; apprimè deſeruit, reuerendiſſimoq; Domino Monaldo de Monaldeſchis Aſculano Epiſcopo, D
plurimisq; alijs ex eadem ſtirpe procedentibus ſepulturas miniſtrat.

De conuentu S. Angeli de Pantanellis. Conu. XLII.

CVM illuſtre Baſelenſium genus à domeſticis diſſenſionibus, quibus turpiter, miſerrimeq; quatiebatur, opera Seraphici patris Franciſci vindicatum fuiſſet, ne tanti recepti beneficij immemor haberetur, hoc ſacrum monaſterium in honorem & laudem ſemperq; Virginis Mariæ de Spineto, tum eidem beato patri, qui in viuis adhuc agebat, tum quoq; eius fratribus, in Baſelenſi eorum territorio, iuxta Tiberis celeberrimi fluuij marginem, inter condenſas arbores, ex communibus facultatibus, anno à Chriſto Seruatore nato 1216. ædificari curauit. Cum autem tum ob temporis vetuſtatem, tum quoq; ob interſcalarem fratrum habitationem omnimodæ ruinæ appropinquaret hic locus, atq; morum difformationibus pateret, à beato patre Bernardino de E
Senis reformatus, atq; refectus, ſiue potius reædificatus fuit. Cuius aliquando beatus pater Iacobus Tudertinus inhabitator extitit: & in quo plurima cantica compoſuit; atq; quoddam ſpecu beatiſſimo patri Franciſco familiariſſimum inuiſere licet.

De conuentu S. Mariæ de Ferneto. Conu. XLIII.

EX precedentibus facilè quis intelliget, quanto affectu quātaq; beneuolentia Benedictinus Ordo in Seraphicam Religionem, præcipuè verò in eius authorem, beatum videlicet patrem Franciſcum primæuis, vereq; fœliciſſimis illis ſui exordij temporibus ferretur. Is namq; ſanctæ Marię Angelorum, atq; ſancti Damiani, aliquotq; alios, etſi

A etſi informes, locellos (vt præfati ſumus) non minus liberaliter quàm piè ſibi contulit. Is etiam pauperculos itinerantes Minoritas ad eumq; diuertentes humaniſſimo hoſpitio ſemper excepit. Isq; tandem hũc quoq; conuentum beatiſſimę virgini Marię de Ferneto ſacrũ, atq; quinto milliari ab vrbe Peruſio diſtantẽ, Columbellęq; pago adiacẽtẽ, quoad ſitum ſaltem, eidem Seraphico patri Franciſco conceſſit. In quo glorioſi martyris Iuſtini corpus reconditum eſt: & ſacellum: vbi beatus ipſe pater Franciſcus, dum Angelus cum fratre Elia, cui idem pater Religionis deſertionem ob eius innatam ſuperbiam longè antequàm eueniret prædixit, colloquuturus deſcendit, orationi totis viribus inſtabat adhuc inuiſere licet: & quidam lapis continuarum ipſiusmet patris Franciſci geniculationum veſtigijs, cedente teneræ carni duriſſimo marmore, inſignitus perſeuerat; & 7. fratres conuiuunt.

B *De conuentu S. Bartholomæi propè Cibottolam. Conu. XLIV.*

MILLIARI ab oppido quod Cibottola (vulgò) dicitur, attinetq; ad Peruſinum Comitatum, in denſa quadam querceaq; ſylua, conuentus hic diuo Apoſtolo Bartholomęo ſacer, tyronibusq; fratribus educandis atq; ſacris cęremonijs imbuendis mancipatus, in quo 16. fratres diuinis intenti laudibus agunt, circa annum Dominicæ Incarnationis 1480. conſtructus eſt. Hinc patet, quám egregiè fallantur ij, qui huiuſmodi conſtructionem ſub beato patre Bonauentura Generali tunc totius Ordinis Miniſtro accidiſſe, eumq; hoc in eodem loco ſacram Theologiam docuiſſe mordicus aſſerunt. Cùm eius mors ducentis annis illam præceſſerit. Cùm enim Cibottolanus quidam iuuenis de homicidio, quod nullatenus perpetrarat, tormentorum vi conuictus in craſtinum, diffi-
C nitiua ſententia contra ipſum lata, decapitandus veniret, ſe beato Ludouico Francorum Regi, qui nuper è viuis exceſſerat, miraculisq; coruſcabat, ex intimis pręcordijs commendauit: & ecce dum circa medium noctis lectulo decumbens, ex nimia animi amaritudine atq; funeſtis imaginationibus defatigatus, obdormit, compedibus, catenaq; vinctus ad hunc locum, propè ſummum altare, transfertur; quẽ cum fratres matutinis horis interfuturi, ex inſperato, vidiſſent, atq; à profundiſſimo ſomno; cui immergebatur, excitaſſent, ſtupefactus & conterritus ſui, totiusq; rei geſtæ, atq; gerendæ rationem reddidit. Sequenti verò die accedens pater loci Guardianus Peruſinum ſenatum, ſidiq; rei euentum aperiens, & innocenti iuueni liberationem impetrauit, & beato Ludouico laudem gloriamq; acquiſiuit. Nam ab eo tempore præfatus ſanctus hoc in ſacro monaſterio ſpeciali quodam honoris genere coli cœpit.

D *De conuentu S. Angeli de Monte. Conu. XLV.*

ILLVSTRIS, deuotusq; dominus Blandinus de Blandinis, ex mera tantùm deuotione, qua in Seraphicum patrem Franciſcum eiusq; filios ferebatur, hanc ſacram ædem à 9. fratribus plerumq; occupatam, in honorem ſancti Angeli de Monte, non longè ab oppido, quod Caſtel della Pieue Italico idiomate nuncupatur, ex domeſticis proprijsq; facultatibus, anno à ſalutifera mundi Redemptione 1521. ædificandam, abſoluendamq; quàm diligentiſſimè curauit.

De conuentu S. Antonij Pacciani. Conu. XLVI.

ANIMADVERTENS illuſtriſſimus dominus Braccius Ballionus, antiquioris Pacciani Comes vtriusq; oppidi, Pacciani videlicet, atq; Panicalis, deuotio-
E nem ad Franciſcanam Religionem, neutriusq; pijſſimis votis defuturus, ſitum, quem in iſtius atq; illius meditullio optimo iure poſſidebat, & ipſe fratribus Minoribus deuotiſſimus ad vnius conuentus ędificationem liberaliſſimè contulit. Itaq; hac tanta opportunitate nacta vtraq; Communitas, collatis in medium ex communibus publicisq; prouentibus pro rata neceſſarijs, huic ſacro monaſterio, beato Antonio de Padua dicato, atq; ab 8. fratribus inculto, anno à partu Virgineo 1496. fœlix initium dedit, fœlicioremq; temporis ſucceſſu colophonem addidit. Conueniunt diebus feſtiuis amborum oppidorum accolæ ferè omnes hoc in loco ſacris interfuturi, eò quod & ipſe ad excitandam in Deum mentem aptiſſimus ſit, & in vtriusq; illorum finibus conſtitutus neutri ſit oneri, ſed potius recreationi.

De conuentu S. Mariæ de ScarZola. *Conu. XLVII.* A

EX incredibili deuotione, qua pientiſſimi Comites Marſciani Peruſinæ Diœceſis
in beatiſſimum patrem Franciſcum, eiusq; Ordinem ferebãtur, hunc conuentũ 10.
continendis fratribus omnino accommodum, in honorem ſanctiſſimæ Dei genitri-
cis Mariæ de Scarzola vnico tantùm milliari à monte Iouio, ex proprijs facultatibus
conſtrui curarunt: quem & Seraphicus ipſe pater, cum adhuc in viuis ageret, omnium
primus occupauit, beatusq; pater Paulutius à Fulgineo, poſt aliquorum annorum cur-
ricula, ab imminente ruina opportunè liberauit.

De conuentu S. Franciſci de Specu. *Conu. XLVIII.*

SPIRITVALIVM conſolationum immiſſiones fœlicius excepturus Dei famu-
lus, ac pauperum pater Franciſcus, ſolitaria loca, atq; ab hominum frequentia lon- B
gè ſemota quęrere ſolitus erat, hęcq; inuenta præ alijs amplectebatur, diligebatq;. In-
ter cætera verò familiariora familiariſſimum ſibi fuit Specu, quod propè caſtellum
ſancti Vrbani Narnienſis Comitatus, in aſperrimo quodam monte, occurrit. Nam &
ibi diutius commoratus eſt, & dum ſemel graui conflictaretur infirmitate, aliquidq;
Muſices ad oblectandum, excitandumq; in Deum animum audire exoptaret, Angelus
lyram plectro ſuauiſſimè pulſans, quod eremus denegabat ſibi ex tempore præſtitit: &
iterum eadem paſſione grauius laborans, cum propriæ naturæ imbecillitatem percipe-
ret, viniq; aliquantulum ad eam corroborandam affectaret, nec omnino adeſſet, hau-
ſtam ex ciſterna aquam ſigno crucis benedixit, ac diuina virtute in optimum vinum
conuertit, quo epoto ex tempore conualuit. Ac tandem eccleſiam, ſimulatq; cubicu-
lum, quæ adhuc inuiſere licet, pro paupertatis modulo ædificauit. Hunc quoq; locum C
maximè, ob ſui ſolitudinem diligentes inhabitarunt beati patres Antonius de Padua,
atq; Bernardinus de Senis, binisq; pauperculis oratorijs exornarunt: quorum vtrumq;
vnà cum Specu, in quo beatus pater Franciſcus contemplationi vacare aſſueuerat vſq;
in pręſentem diem perſeuerat. Quicquid verò ædificij à prędictis hîc eſt, beato patri Ber-
nardino de Senis debetur, qui conuentulum, vti nunc eſt, ſub titulo ſancti patris Fran-
ciſci conſtrui curauit, inſtituitq;, vt inſtruendis nouitijs deſeruiret, quod & mordicus
obſeruatur. Habitauit etiam diui hoc in loco beatus pater Petrus Arietenſis, diemq;,
anno Domini 1464. clauſit extremum, cuius corpus integrum omnino atq; incorru-
ptum adhuc perſeuerat. Nec mirùm, cùm in perpetuis vigilijs, ieiunijs, orationibus,
atque contemplationibus, vſque ad vltimum halitum, vitam egerit. Adiacens huic
ſacræ domui patria, cùm ſolitaria, atq; ſterilis ſit, difficulter ſatis 7. fratres enutrit, D
quorum maior pars (vt præfati ſumus, addiſcendis ſacris cœremonijs, atq; Franciſca-
nis ritibus vacat.

De conuentu S. Antonij propè Piſcinnianum. *XLIX.*

ADDIACET oppido Piſcinniano Spoletanæ Diœceſis næmoroſus ſatiſque
amœnus collis, in cuius iugulo, inter condenſas arbores, ædificato ſibi tugurio-
lo, habitarunt olim anachoritæ, quo tamen relicto aliò ſe tranſtulerunt. Oppidani igi-
tur ne deuotus hic locus, ſic deſertus atq; inhabitatus ruinam pateretur, impetrata à
reuerendiſſimo Domino Ioanne de monte Falabio Spoletano Epiſcopo, cuius id mu-
nus erat, facultate, eum in iuſtum conuentum beato patri Antonio de Padua dica-
tum, ex proprijs tum communibus, tum quoq; priuatis facultatibus, anno Domini- E
cæ Incarnationis 1360. promoueri, fratribusq; Franciſcanis inſtrui curarunt. Acceſſit
quoq; huiuſmodi ædificationi auctoritas Vrbani V. Pont. max. cuius Apoſtolicæ literę
in huius loci archiuo aſſeruantur. Quibus adiunctæ ſunt & aliæ datæ ab Eugenio IIII.
ſummo itidem Pontifice, anno Domini 1444. Pontificatus verò ſui iiij. ad beatum pa-
trem Ioannem Capiſtranum, quibus 14. accipiendi, quacunq; in Prouincia liberet,
poteſtatem ſibi faciebat: inſuper & omnia priuilegia à ſede Apoſtolica concedi conſue-
ta conferebat: quæ etiam omnibus ſuis benefactoribus, atq; huiuſmodi conuentuum
collatoribus, aut fundatoribus communia eſſe voluit. Commorantur, vt plurimum,
hoc in monaſterio 7. fratres.

De conuentu

A *De conuentu Virginis glorioſæ de monte Sancto. Conu. vlt.*

QVINQVAGESIMVM, ac vltimum locum hac in Prouincia tenet is conuentus, qui ſecundo milliari ab vrbe Nurſia, in honorem ſanctiſſimæ Mariæ de monte Sancto erectus à 5. tantùm fratribus incolitur, quiq; iuxta receptiſſimam antiquorum traditionem ab oppidanis ſancti Pelegrini, ex publicis facultatibus, conſtructus eſt. Sed cùm ad fratres Clarenos pertineret, ijs in Regularem Obſeruantiam ex Pij V. ſummi Pontificis mandato tranſeuntibus, tranſiuit quoq; & ipſe in huius Prouinciæ ius. Sequuntur monaſteria monialium.

De monaſterio monialium ſanctæ Mariæ montis Lucis Peruſiæ. Mon. I.

MORIENS illuſtris Glotto Monaldus ciuis Peruſinus illuſtriſſimo, ac reuerendiſſimo domino Hugoni Presbytero Cardinali, atq; Epiſcopo Velletrienſi, nec B non & Sedis Apoſtolicæ Peruſino Legato, qui & poſtea Pontifex maximus creatus, Gregorius IX. dici voluit, fundum ex teſtamento ea lege, aliquantulum à ciuitatis Peruſinę męnijs diſtās, reliquit, vt ſanctimonialium Clariſſarum monaſterium in Dei, eiuſq; ſanctiſſimæ Genitricis honorem, ibidem ſuperædificaret; quod & ille, pro ſua in Deum pietate, atq; in defunctum beneuolentia, Sedis Apoſtolicæ nomine, ſub Honorio III. ſummo Pontifice, anno à partu Virgineo 1208. liberaliſſimè præſtitit. Sed cum is conuentus, qui ſanctiſſimæ Mariæ montis Lucis ſacratus euaſit, à recto Religionis tramite aliquantulum deflexiſſet, à beato Ioanne Capiſtrano, tunc vniuerſæ Ciſmontanæ familiæ Generali Vicario, cum alijs plurimis, anno Domini 1448. ſub Nicolao V. Pont. reformatus, atq; ſub ſecunda beatæ virginis Claræ Regula redactus eſt, ſub qua & vſq; C in præſens maxima cum laude eius ſorores vixerunt. Sunt autem numero 80., penesq; ſe habent quandam beati patris Franciſci Papienſis tuniculam.

De monaſterio ſancti Antonij de Padua Peruſiæ. Mon. II.

CONSVRGIT & aliud ſanctimonialium monaſterium, beato patri Antonio de Padua ſacrum, ſumptibus perdeuoti Bartholomęi de Maſſolis Peruſini ciuis, intra eiuſdem ciuitatis mœnia, anno Dominicæ Incarnationis 1440. ex ſummi tamen Pontificis Eugenij IIII. facultate, ædificatum, quod plerumq; 55. ſorores Tertiariæ, ſiuæ de Tertia beati patris Franciſci Regula occupant.

De monaſterio ſancti Pontiani Spoleti. Mon. III.

CVM Benedictinæ quædam moniales ſancti Pontiani conuentum, extra Spoletanę ciuitatis mœnia ſitum, inhabitarent, aliquantulumq; licentioſè, minusq; religio- D ſè viuerent, à Leone X. Pont. max. ad inſtantes tamen Spoletanorum preces tranſmiſſis eò quibuſdam Clariſſis ſororibus, quæ earum corruptos mores reformarent, componerentq;, atq; ipſas Clariſſis ritibus & cœremonijs imbuerent, quotquot erant ad habitum, & Regulam beatæ virginis Claræ ſecundam, anno Domini 1521. redactæ ſunt. Et iure quidem; cùm hoc in loco, quem impreſentiarum 60. ſorores incolunt, beati Pontiani martyris, Peruſinæ ciuitatis patroni corpus, inſuper & vnius ex ſanctis Innocentibus caput, nec nō & pars eius peluis in qua Chriſtus Dominus Diſcipulorum eius pedes lauit, atq; Crucifixus quidam, qui beati Benedicti ſocio loquutus fertur, honorificentiſſimè aſſeruentur.

De monaſterio ſanctæ Mariæ Tranſtiberinæ. Mon. IV.

E OPERA, & communibus opibus Ciuitatis Caſtellanæ hoc monaſterium ſanctiſſimæ Mariæ Tranſtiberinæ dicatum, quod vt plurimum 40. ſorores Clariſſæ, ſed Vrbaniſtæ, occupant, intra eiuſdem ciuitatis mœnia, anno humanæ ſalutis 1536. ædificatum, atq; à venerando patre fratre Laurentio Eugubino cæteris Prouinciæ iſtius monaſterijs annumeratum extitit.

De monaſterio Paradiſi eiuſdem. Mon. V.

CONSTRVCTVM eſt & aliud ſecundum monialium, ſed de Tertio diui patris Franciſci Ordine, monaſterium intra præfatæ Ciuitatis Caſtellanæ muros, ſub titulo Paradiſi, ex communibus priuatiſq; piorum ciuium eleemoſynis; quod 40. pauperes ſorores, absq; vllius rei immobilis poſſeſſione, inhabitant.

De monaſterio ſanctæ Ceciliæ ibidem. *Mon. VI.* A

EST quoq; & tertium 50. earundem Tertiariarum ſororum monaſteriũ intra eiuſdem ciuitatis Caſtellanæ ſepta contentum, atq; beatæ Ceciliæ ſacrum; primò quidem à deuota quadam Margareta, eiuſq; Caſſandra filia, & alijs duabus pijs fœminis; anno humanæ ſalutis 1422. ædificatum; ſed poſtmodum à ſorore Cecilia Fucci reparatum, amplificatumq;. Hinc prodiêre ſorores, quæ eiuſdem Ordinis conuentui in Citorio Romanæ vrbis monte ſito initium dedêre.

De monaſterio ſanctæ Luciæ Foroflaminij. *Mon. VII.*

HOC monaſterium beatę virgini & martyri Luciæ ſacrum, quod Foroflaminij, aliàs Fulginei conſpicitur, atq; à 62. ſororibus de prima beatæ virginis Claræ Regula inhabitatur, principatum inter reliquos eiuſdem ciuitatis conuentus facilè obtinet, B atq; alterum ex brachijs diui Apoſtoli Andreæ religioſiſſimè cuſtodit, ſuiq; authorem ciuitatis ſenatum agnoſcit.

De monaſterio S. Claudij ibidem. *Mon. VIII.*

PRÆCEDENS monaſterium ſequitur aliud in honorem diui Claudij ibidem erectum, quod olim ad Benedictinas ſorores ſpectauit, ſed ab anno Domini 1502. in Clariſſarum Vrbaniſtarum ius tranſijt, illiſq;, quę numero ſunt 60. modò paret.

De monaſterio S. Agnetis ibidem. *Mon. IX.*

TERTIVM hoc monaſterium Fulginei quoq; erectum, atq; ſanctę Agneti dicatum, qnod 56. ſorores de Tertio beati patris Franciſci Ordine incolunt, ſui auctricem agnoſcit beatam Margaretam eiuſdem Ordinis ſororem, miraculiſq; illuſtrem, C cuius corpus ibidem ſepultum integrum omnino, ac incorruptum adhuc perſeuerat.

De monaſterio S. Annæ ibidem. *Mon. X.*

HOC deniq; quartum monaſterium, Foroflaminij etiam erectum, beatęq; Annę ſacratum, atq; à 40. Tertiarijs beati patris Franciſci ſororibus occupatum, à beata ſorore Angelina Corbarię olim Comitiſſa, miraculis quoq; inſigni, anno à partu Virgineo 1405. conſtructum fuit.

De monaſterio S. Catharinæ Biturgiæ. *Mon XI.*

CVM anno humanæ ſalutis 1420. conuentus hic beatæ Catharinæ ſacer à Biturgiano ſenatu, ex publicis prouentibus, ædificatus, Tertiarijſq; præfatis ſororibus traditus eſſet, temporis ſucceſſu, eis in ſecundam beatæ Claræ Regulam, ex Apoſto- D lica auctoritate, verba facere compulſis, ad Vrbaniſtas ſorores ex eiuſdem ſenatus voto, tranſijt: quarum 46. ibidem commorantur.

De monaſterio Trinitatis ſanctiſſimæ Eugubij. *Mon. XII.*

SI eius monaſterij, quod Eugubij in honorem ſanctiſſimæ Trinitatis ædificatum eſt, & à 60. Vrbaniſtis ſororibus Clariſſis inhabitatur, authorem peculiarem ſiue fundatorem quęſieris, nullum penitus inuenies, cùm ex diuerſis piorum ciuium eleęmoſynis, atq; ex aduentantium ſororum dotibus paulatim ædificatum ſit.

De monaſterio S. Proculi Ternis. *Mon. XIII.*

SVBEST curæ fratrum Minorum Obſeruantum conuentus monialium Vrbaniſtarum, ſiue de ſecunda beatæ Claræ Regula, qui in ciuitate Ternenſi, ſumptibus E eiuſdem ciuitatis communibus, anno Dominicæ incarnationis 1518. fabricatus fuit, quiq; 30. ſorores continet.

De monaſterio S. Crucis Narnij. *Mon XIV.*

CONVENTVS hic ſanctiſſimæ Cruci ſacer, Narnijq; erectus, in quo 56. Clariſſæ moniales Vrbaniſtæ degunt, à duobus vterinis fratribus, quorum alter beato patri Franciſco, alter verò diuo Auguſtino deuotus erat ex communi patrimonio conſtructus, atq; monialibus traditus fuit. Quæ cum vtriuſq; deuotioni ſatisfacere vellent, Diui Auguſtini Regulam ſub Franciſcano tamen habitu profitebantur. Quarum abuſui reuerendiſſimus Narnienſis Epiſcopus ex piorum ciuium voto occurrere volens, eas ad ſu-

A ad ſuſcipiendam ſolemniterq; profitendam beatæ virginis Claræ ſecundam Regulam, atq; ad obedientiam franciſcanis Fratribus pręſtandam coëgit.

De monaſterio montis Chriſti Tuderti. Mon. XV.

NON procul à Tudertinæ ciuitatis vallo conſpicere licet hoc ſacrarum virginum ſecundæ beatæ virginis Claræ Regulæ aſtrictarum monaſterium, quod olim ad patres Benedictinos pertinuit, montiſq; Chriſti titulo inſignitur, atq; à 40. ſororibus inhabitatur. Qua verò de cauſa à prædictis patribus ad ſorores tranſlatum fuerit, non ſatis conſtat. Id tamen, anno Domini 1520. contigiſſe liquidò patet.

De monaſterio Pacis Nurſiæ. Mon. XVI.

INTRA Nurſinæ ciuitatis ambitum à pio eius ſenatu, ex publicis facultatibus,
B fauente ſibi Apoſtolica auctoritate, hoc ſacrum monaſterium Paci dicatum, anno à ſalutifera Seruatoris Chriſti natiuitate 1518. ædificatum, Vrbaniſtiſq; monialibus Clariſſis, quarum 40. ibidem perſeuerant, vt ibidem vera pace fruerentur, in perpetuam habitationem traditum eſt.

De monaſterio S. Claræ ibidem. Mon. XVII

EXTAT quoq; & aliud monialium, ſed de Tertio beati patris Franciſci Ordine, monaſterium ibidem conſtructum, beatęq; virgini Clarę ſacratum, quod à beata Lucia eiuſdem Ordinis religioſa, miraculiſq; copioſa originem duxiſſe certiſſimè fertur. Præfatæ verò ſororis beatæ corpus hoc in ipſo loco, quem frequentius 30. ſorores inhabitant, humatum eſt, & in maxima veneratione à fidelibus habetur.

C *De monaſterio Conceptionis Benedictinarum Aſsiſij. Mon. XVIII.*

CONVENTVS hic immaculatæ glorioſiſſimæ virginis Conceptioni ſacer, qui Aſſiſij ſubſiſtit, & à 37. Tertiarijs ſororibus (de quibus ſupra) occupatur, à deuota quadam ſorore Benedicta Peruſina, à qua etiam denominationem traxit, anno Dominicæ Incarnationis 1512. ædificatus fuit.

De monaſterio S. Andreæ ibidem. Mon. XIX.

ALIVD quoq; occupant monaſterium, ſed beato Andreę Apoſtolo dicatum, pręfatæ ſorores Tertiariæ, numero 17. Aſſiſij, quòd ea propter à religioſiſſima eiuſdem Ordinis ſorore Ioanna Baptiſta Tudertina, anno Domini 1513. conſtructum eſt.

De monaſterio S. Leonardi in monte Calco. Mon. XX.

D MONSFALCVS Vmbriæ oppidum eſt, atq; ſeraphicæ Religioni addictiſſimũ, vt vel ſaltem ex effectibus coniectari licet. Nam eius accolis, quibus non ſuperſunt Creſi opes, non ſat fuiſſe videbatur fratribus Franciſcanis conuentum extruxiſſe, niſi etiam & eiuſdem Ordinis ſororibus monaſterium ędificarent. Quapropter hanc ſacram ædem, quam 33. Tertiariæ ſorores incolunt, in honorem ſancti Leonardi, ex communibus facultatibus, anno Domini 1502. erigi, perficiq; curarunt.

De monaſterio S. Catharinæ Bethonæ. Mon. XXI.

FVIT olim Bethonę mulier quædã nomine Donia Ioannis Eriſpolti Peruſini legitima vxor Franciſcanęq; Religioni addictiſſima, quæ vidua ex viri morte relicta, quicquid bonorum poſſidebat in iſtius conuentus ædificationem, anno Domini 1439.
E inſumpſit, ipſumq; ex omni parte perfectum, atq; beatæ Catharinæ ſacratum Tertiarijs ſororibus in habitationem liberaliſſimè contulit: Quæ vtique in tantam multitudinem excreuerunt, vt quadrageſimum numerum ſępius attingant.

De monaſterio S. Claræ caſtelli Lugnani. Mon. XXII.

CVM honorabiles quatuor matronæ oppidi caſtelli Lugnani incolæ, ex viris, quibus nupſerant, liberos minimè ſuſcepiſſent, Seraphicoq; Ordini ſupra modum afficerentur, collatis in medium omnibus facultatibus, Tertiariarumq; ſororum habitu ſumpto, hunc conuentum, quem 18. eiuſdem Ordinis ſorores modò incolunt, in honorem beatæ virginis Claræ, anno Domini 1470. ædificarunt, ipſumq; cum quibuſdam alijs honeſtis fœminis ingreſſæ ſanctiſſimè, eo in habitu, vſq; ad vltimum vitæ terminum perſeuerarunt.


PROVINCIA ROMANA.
Super hanc petram edificabo ecclesiam meam.

Prouincia

HÆC Romana Prouincia olim, ſub beato patre Bonauentura totius Ordinis Generali Miniſtro, latius quàm impreſentiarum patuit, cùm ex ſeptem Cuſtodijs tunc temporis conſtans 50. fratrum conuentus complexa fuerit, modò verò ſoluta huiuſcemodi Cuſtodiarum diuiſione 39. tantùm contineat. Meritò nihilominus ſecundum inter cæteras locum obtinet, cùm & à beatiſſimo patre Franciſco (non quidem ſub Prouinciæ titulo) originem duxerit, & Romam famoſiſſimam Vrbem, totiusq; mundi caput & principem, atque Chriſti Seruatoris Vicarij ſedem, complectatur. Qua etiam de cauſa diui Petri Apoſtolorum, Principis claues Pontificiamq; mitram, pro inſignijs, ſibi
B præponere volui. Floruit præterea à temporibus beatorum patrum Bernardini de Senis, atq; Ioannis à Capiſtrano ad hoc noſtrum vſq; æuum viris ſanctiſſimis, Euangelicæq; paupertatis zelantiſſimis, qui eius amore & gratia Epiſcopales, immo & Cardinalitias dignitates vltrò oblatas viriliter reſpuentes, elegerũt potius ſub Chriſto paupere pauperem vitam ducere, quàm dignitatibus inſigniti fallacibus diuitijs implicari, deſponſatæq; ſibi paupertati fidem fallere. Huius Prouinciæ legibus plurimis annis ſub iacuit Aracœlitanus conuentus, atq; inter cœteros principatum obtinuit: donec tandem ex Gregorij XIII. ſummi Pontificis diſpoſitione ab eis ſolutus, atq; extra quamcumq; Prouinciam factus, Generali totius Ordinis Miniſtro parere iuſſus eſt. Maius ſigillum, quo Romanæ Prouinciæ Miniſter pro ſibi crediti muneris exequutione vtitur, Franciſcani Inſtituti confirmationem, nempe Seraphicum patrem Franciſcum iunctis
C ad pectus manibus, genuflexumq; ac ſtellis circundatum, coram ſummo Pontifice ſibi aſtante atq; benedicente, manuq; ſiniſtra crucem tenente, necnon & ſequentes literas S. P. R. Confirmatio Regulæ fratrum Minorum, ſphericè papyro inducit. Sequuturi igitur inſtitutum ordinem à monaſterio ſancti Franciſci Tranſtiberini Romæ erecto, quòd inter 39. fratrum, & 14. ſanctimonialium conuentus, quibus vniuerſa hæc Prouincia abſoluitur, principem locum obtinet, his paucis præmiſſis exordiemur.

De conuentu S. Franciſci Tranſtiberini Romæ. Conu. I.

VBI prius, toti Orbi dominantibus Romanis, ex altera Tiberis famoſiſſimi fluminis parte, quæ & Tranſtiberina nuncupatur, Claudij huius nominis primi
D Romanorumq; Imperatoris (fuerunt namq; duo Claudij, quorum alter, qui & hic eſt, tredecim annis & octo menſibus imperauit, patriaq; Lugdunenſis, ac Calicula patruus fuit, alter verò vnico tantùm anno & nouem menſibus principatus eſt, atq; ex Dardania originem habuit (palatium, cui & Romanorum nauale adiacebat, pluribus annis ſubſtitit, temporis verò ſucceſſu, ſub Chriſtianis Principibus, parua eccleſia in honorem ſancti Blaſij, & xenodochium ad pauperes, peregrinosq; excipiendos conſtructa extitêre: quorum dominium, atq; proprietas penes Benedictinos patres conuentus ſanctorum Coſmæ & Damiani inquilinos erat. Ad hoc igitur hoſpitale Seraphicus ipſe pater Franciſcus Romæ agens diuertere aſſolebat, prout cellula adhuc perſeuerans facillimè indicat. Erectum ergo eius filij atq; diſcipuli Romæ conuentum, hunc locum tanquam eorum patri gratiſſimum, & à prædictis patribus Benedictinis, & à ſanctiſſimo Domi-
E no Gregorio IX. Pont. max. quemadmodum ex pijſſimo quodam eius Apoſtolico breui, dato Peruſij anno à Chriſto Seruatore in terris nato 1229. Pontificatus verò eius anno iij. atq; in huius loci archiuis quàm diligentiſſimè aſſeruato manifeſtum euadit, eodem anno, qui quartus à tanti patris morte fuit, humaniſſimè impetrarunt; quem & illuſtriſſimi Amuilaræ (vulgò dell'Anguillara) Comites, ſub inuocatione ſancti Franciſci, proprijs ſumptibus ad monaſterij dignitatem prouexêre. Idq; eorum arma eccleſiæ parietibus inciſa ſatis ſuperq; produnt. Quorum tanta extitit deuotio, vt illorum alter in Tertium eiuſdem Seraphici patris Ordinem verba fecerit, & moriens ſub humili pauimento in huius eccleſiæ ingreſſu, atq; in Minoritico Tertiariorum habitu ſepeliri voluerit.

Antequam ad huius ſacræ ædis prærogatiuas deueniamus,fratrum huius Prouinciæ A
Reformatorum inſtitutionem, inſtitutionisq; tempus & cauſam hîc curſim referre libet, quamuis horum in prima noſtri operis parte aliqualem mentionem fecerimus. Nam hæc domus 20. Reformatis fratribus deſeruit,primamq; ſedem,non ſolum in hac Prouincia, verum & inter cæteras totius Italiæ reformatas domos facillimè obtinet. Anno itaq; Domini 1532. cùm quidam Franciſcani patres Obſeruantes, quorum Primipilus fuit pater ac frater Matthæus Baſcius cuidam ſorori Clementis VII. Pont. max. chariſſimus, ſe ex præfati ſummi Pontificis mandato ab Obſeruãtia Regulari ſubtraxiſſent, ſibiq; nouum viuendi,induendiq; modum,ſub Capuccinorum nomine,prę-ſcripſiſſent, venerabiles patres frater Stephanus à Molina, ac frater Bernardinus ab Aſtia,iſtius Prouinciæ alumni, optimiq; nominis religioſi, bullam quandam, quæ ab his verbis exorditur: In ſuprema militãtis Eccleſiæ ſpecula &c.ab eodem Clemente VII. B
ijſdem temporibus impetrarunt, qua Citramontanæ cuilibet Prouinciæ quinque, vel ſex domos, in quibus aliquot fratres, (quos Reformatos appellare libuit) ſub arctiori viuendi modo degere poſſent, eligendi facultas data eſt. vt in ſtrictiorem vitam inhiantibus de locis, in quibus multò fœlicius, multoq; ſtrictius quàm apud præfatos Capuccinos conuiuere,altiſſimoq; iuxta ſuę Regulę profeſſionem & puritatem inſeruire poſſent, opportunè prouideretur: Ne dilabentibus ad huiuſmodi nouum Capuccinorum Inſtitutum aliquibus (prout eſt mortalium ingenium ad nouitates procliue)Regularis Obſeruantia aliquid detrimenti pateretur. Hincq; erectis hac in Prouincia quibuſdam religioſis domibus, Reformatio originem duxit, atq; ad cæteras Italiæ Prouincias deriuauit. Cuius alumni, licet ſtrictius aſperiusq; viuant, totius tamen Ordinis Generalis Miniſtri,immo & Prouincialis eius Prouinciæ cuius finibus circumſcribuntur, ferulæ, ſed ſub proprio Cuſtode qui peculiarem eorum curam gerit,libentiſſimè ſubiacent. C

Nunc verò ad huius loci pruilegia deuenientes, primò cuiuſdam eius ſacelli ab illuſtri, Romanaq; Matthæorum familia ædificati meminiſſe placet. Cum enim Seraphicus ipſe pater à quodam eius ſtirpis ſibi familiariſſimo, pariterq; ditiſſimo ſemel ad prãdium inuitatus eſſet, eiuſq; domum accedens pauperum cateruam, pro foribus,ex oblatis eleemoſynis comedentem offendiſſet,cum ipſis diſcumbens comedere cœpit: Cui tamen ſuperueniens ipſe nobilis,qui fortè domo aberat, ſuccenſere cœpit inquiens: Præſtaret domi honorificè, quàm in publica uia cum pauperibus & mendicis contemptibiliter comedere. At illi beatus Franciſcus; Quid mihi iraſceris, cùm idipſum,quod magiſter noſter Chriſtus fecerit,& ipſe faciã.Quibus auditis pręcepit nobilis ille ſeruis ſuis, D
vt ſtratis in ipſa via menſis cibi protinus inferrentur, ibidemq; cum beato patre, cæteriſq; egenis manducare voluit: atq; maiore in Dei famulum deuotione concepta præfatum ſacellum ex proprijs facultatibus, in ipſa templi prima erectione conſtrui fecit. In quo corpus beatæ Ludouicæ de Alberthonis Romanæ, ſanguine quidem illuſtris, ſed miraculis illuſtrioris, ſepultum eſt: Cuius tanta fuit ad Chriſti pauperes miſericordia, & charitas, vt panibus illis erogandis tum aureos, tum quoq; argenteos nummos inter ſubigendum immiſcuerit, negotium interim Domino committens, vt ipſe iuxta maiorem cuiuſlibet neceſſitatem eorum diſtributionem dirigere dignaretur. Extat prę-terea (vt prędiximus) beati patris cellula: & fructifera quædam atq; pulcherrima malus medica eiuſdem manibus in horto, qui capaciſſimus amœnuſq; eſt, plantata,cuius fructus, ex parte qua arbori annectitur, quinque pinnis in coronæ modum diſpoſitis, E
quæ ſacrarum eius ſtigmatum numerum atq; myſterium hauddubiè præſeferunt, elegantiſſimè, ne potius dicam mirabiliter exornatur: quoddamq; altare, ex Apoſtolica auctoritate, hoc priuilegio donatum, vt quicunq; ſacerdos miſſam pro defunctis ibidẽ celebrauerit, vnam animam ex Purgatorij pœnis liberet: & certus dotium numerus à deuotiſſima Confalonis Confraternitate,pro vndecim pauperibus virginibus matrimonio iungendis, aſſignatus, atq; ipſo die Seraphici patris Franciſci cuiuſlibet anni ab illuſtriſſimo Franciſcani Ordinis Protectore erogandus.

De conuentu

A

De conuentu S. Petri in monte Aureo ibidem. Conu. II.

MONS Aureus, qui & Ianiculus, tertius mons eſt, qui extra Romã olim habitatus fuit, nomenq; à Iano, ideſt Noë Patriarcha hęreditauit. Inibi ſiquidem ille in Europam traijciens, vt Chamo ſibi irreuerenti filio reſiſteret, eiusq; incompoſitos mores reformaret, perpetuam ſedem fixit, caſtrumq; ædificauit, atq; primus Hetruriæ Rex extitit, primusq;, qui ianuas, claues, & duodecim faſces, quibus poſtea Romani Magiſtratus pro inſignijs vſi ſunt, ad muneris honeſtatem, decorem, & maieſtatem adinuenit inſtituitq;. Non tamen ſolus regnauit, ſed Sabatium Sagam, quem ab Armenia ſoluturus primum eius patriæ Pontificem crearat, à Nino Rege diuexatum, eiusq; perB ſequutione, in Europam transfretare coactum, ſibi in Regni collegam coaptauit, ſecumq; ſimul Regni ſedem, & ſceptrum tenuit. Huius Sabatij filius Sabus fuit, qui primus Sabinis nomen dedit, regiumq; diadema, ex Sabatij inſtitutione, apud eos obtinuit. Ab hoc Sabo Sabellica Romana, nobilisq; proſapia originem duxiſſe fertur; quæ in Sabinia plurimis adhuc caſtris atq; oppidis potitur. Eſt igitur huiuſcemodi Ianiculus mons & morte, atq; ſepultura, tum Noë, tum Sabatij Hetruriæ (vt præfati ſumus) Regum, tum quoq; Crani eiuſdem Noë filij, celebris omnino atq; illuſtris. Quem tamen multò illuſtriorem reddunt præſens eccleſia, adiunctumq; monaſterium beato Apoſtolo Petro ſacratum, quod Catholici Hiſpaniæ Reges Ferdinandus, eiusq; legitima vxor Eliſabetha, reſtaurata prius, atq; à ruinis vindicata eius eccleſia, proprijs ſumptibus, ex beati patris Amadei conſilio, ędificari curarunt. Suaſerat ſiquidem illis beaC tus is pater, vt ſi maſculinam prolem, cuius deſiderio maximè tenebantur, à Deo opt. max. impetratam cuperent, hanc ſacram ædem, à quodam Rege Gallorum à fundamentis erectam, ſemiq; conſtructam atq; derelictam, ſoluto prius iuſto pretio, in tanti Apoſtoli honorem ex voto perficerent, ſibiq; conuentum coædificarent. Quod & illi voti compotes effecti, eiusq; curam patribus Amadeis committentes, ex tempore præſtiterunt. Quibus vſq; ad Pij V. Pont. max. tempora ſubfuit. Illis tamen exauctoratis, atq; in Regularem Obſeruantiam, ex eius mandato, tranſeuntibus, tranſiuit & ipſa in huius Prouinciæ ius. Cuius amœnitas, capacitas, ſalubritas, atq; pulchritudo maxima profectò eſt. Cùm eccleſia ipſa plurimis, ijſq; pulcherrimis ſaccellis, atq; picturis exornetur, conuentusq; contiguus 40. fratres commodiſſimè capiat, & adiacens locus hortis, arboribusq; oppletus ſit, ac tandem eccleſia atq; monaſterium in accliui D conſtituta puriſſimo aëre, atq; purgato gaudeant. Ingredientibus præterea primum clauſtrum occurrit ſacellum eodem in loco, ex quo Apoſtolus Petrus cruci affixus ad cœlos euolauit, ſphericè conſtructum, cui Paulus III. Pont. max. plenariam indulgentiam, in fidelium ipſum à Dominica in paſſione vſq. ad octauam reſurrectionis Dominicæ accedentium fauorem, conceſſit, atq; ſpeciale hoc priuilegium impertitus eſt, vt quiſquis ſacerdos miſſam pro defunctis in eius altari celebrauerit, vnam animam ex Purgatorij pœnis eruat. Extat & aliud ſacellum, ſed in eccleſia erectum huiuſcemodi Apoſtolica conceſſione donatum.

De conuentu S. Bartholomæi etiam ibidem. Conu. III.

E

CVM Romani oeſtro perciti, poſt pulſum ab vrbe Roma Tarquinium ſuperbum Regnoq; deiectum, atq; eius facultates Diris ſacratas, immiſſis in eius ampliſſimas ſegetes, quæ in campo Martio latè patebant, plurimis meſſoribus, vniuerſam meſſem in manipulos redactam Tiberinis aquis commiſiſſent, lapidesq;, ne alicui ad margines deflectens vſui eſſe poſſet, ſed potius aquis obruta deperiret furioſius ſibi immiſiſſent tũ ex ea, tum quoq; ex aggeſtis ruderibus, iuxta Titi Liuij Patauini ſententiam, agger quidam in modum inſulæ, in medio Tiberi, prominere cœpit. Quem poſtea ijdem Romani lapidibus, firmiſſimoq; cęmento ſtabilientes, atq; ad nauis inſtar prouehentes, duplici templo, altero quidem Ioui Licaonio, altero verò Æſculapio dicato, exornarunt: dupliciq; itidem nomine, Licaoniæ ſcilicet, atq; Tiberniæ inſulę inſigniuêre.

Hanc

Hanc Marcus Curio Ædilis, ac Quintus Lapis, prout ex antiquiſſimis literis cuidam la- A
pidi eiuſdem pontis inciſis liquidò conſtat, conſtructo pulcherrimo lapideoq́; ponte,
continenti, quæ vrbem reſpiciebat, iunxêre, & primus Valens, Valentinianusq́; Impe-
ratores, ex altera parte, quæ ad Ianiculum vergit, conſimili ædificato ponte firmiori
terræ vniuerunt. Vnde & quatuor capitum vterq́; pons, à quatuor ſcilicet Principibus
ſui authoribus nomen, inſigniaq́; hæreditauit: licet à primæua ſui erectione alter Fa-
britius, alter verò Cæſtius dictus ſit.

Expiaturus igitur Gelaſius Pont. max. huiusq́; nominis II. hanc eandem inſulam,
templum diuo Bartholomæo Apoſtolo ſacrum in ea erigi curauit: quod tamen tempo-
ris ſucceſſu, adiuncto ſibi monaſterio, inhabitarunt patres Clareni. Quibus tandem ad
Regularem Obſeruantiam redactis fratres noſtri, ſub Pio V. ſummo Pontifice, ſucceſ-
ſêre. Eſt autem ſacra hæc ædes, quam 18. fratres frequentius inhabitant, populo Ro- B
mano celeberrima, tum ob indulgētias ſibi á ſummis Pontificibus conceſſas, tum quoq;
ob ſacroſanctas reliquias ibidem aſſeruatas. Nam & mille annorum indulgentia per
ſingulos dies, qui tamen quadrageſimalibus, dominicis, atq; cæteris feſtiuis diebus
duplicantur, & plenaria per nouem illos continuos, qui à primis veſperis feſtiuitatis
pręfati Apoſtoli ſequuntur, in fidelium beneficium gaudet: & ſacris corporibus eiuſdem
diui Bartholomæi, ſanctorumq́; Paulini Epiſcopi & confeſſoris, Alberti confeſſoris,
Marcellini atq; Superantij martyrum venuſtatur. Primum quidem corpus, videlicet
beati Barholomæi Beneuento Romam ab Othone huius nominis II. pientiſſimoq; Im-
peratore tranſlatum eſt: ſed quatuor poſteriora in puteo è regione ſummi altaris effoſſo
adinuenta fuêre. Sunt præterea in huius loci ſacrario bina ſanctorum Simonis & Iudæ
Apoſtolorum brachia, atq; ſancti Iacobi itidem Apoſtoli mentum, inſuper & plures C
alię diuerſorum ſanctorum reliquię. Cúm autem anno Dominicę Incarnationis 1557.
ſub Iulio III. ſummo Pontifice, inundante Tibere, quicquid ab eccleſia erat ædificij
inſanis aquis ceſſiſſet, ne tantum pignus, corpus videlicet beati Barholomæi periret,
aquarumq́; iniuriæ exponeretur, ab hac eccleſia ad ſancti Petri in Vaticano baſilicam,
ex Pontificio mandato, tranſlatum eſt. Sed reſtaurato monaſterio, firmiusq́; ſtabilito,
atq; Paulo IIII. Pontifice itidem maximo ad totius eccleſiæ militantis clauum ſedente,
antiquiori huic loco reſtitutum extitit.

De conuentu ſanctæ Mariæ de Paradiſo Viterbij. *Conu. IV.*

VITERBIVM, quod & Hetruria à veteribus nuncupatur, antiquiſſima ciui-
tas eſt, & plurium heroum, videlicet Noë ſiue Iani, Comeri Oëni Tuſciæ Regis, D
Itali, Heſperi, atq; Herculis, qui & Iupiter Oſiris, habitatione inſignis, & Deſiderij
Longobardorum Regis, á quo Viterbium nomen obtinuit, ædificatione illuſtris, &
thermarum abundantia ſalubris, præfatiq; Herculis caſtrum extitit olim. Ad ducentos
igitur paſſus ab hac nobili ciuitate ædificatus conſpicitur conuentus quidam ſanctiſſi-
mæ Mariæ de Paradiſo ſacratus, quem viginti fratres noſtri vt plurimùm inhabitant.
Hunc ad Ciſtercienſes moniales aliquando pertinuiſſe, & ab eis ad fratres noſtros, ſub
venerabili patre fratre Iacobo Reatino, huius tunc Prouinciæ Vicario Prouinciali, ab
illuſtriſſimo domino Ioanne Florentino S.R.E. Cardinale, menſis Iulij 2. anno verò à
Chriſto ſeruatore in terris nato 1439. ſed Pontificatus Eugenij IV. ſummi Pontificis ix.
ex eiuſdem tamen ſummi Paſtoris mandato, tranſlatum fuiſſe certiſſimis monumentis,
indubiaq́; traditione edocemur. In cuius eccleſia plures patres ſanctitate inſignes tumu- E
lati ſunt. Quorum alter, licèt à plurimis annis vita functus, integer adhuc omnino,
atq; incorruptus in quadam chori ſepultura perſeuerat: alius verò ſuperiori anno, ſci-
licet 1584. dum caſu effoſſa terra ſepulchrum aperiretur, eodem modo ſuauiterq́; fra-
grans ex inſperato apparuit. Extatq́; imago quædam Virginis glorioſæ deuotiſſima,
quę plurimis coruſcat miraculis, ac præcipuè fęminis in puerperio periclitantibus adeſt.
Quapropter ſancta Maria de Partu paſſim nuncupatur. Inſuper & fideles per ſacramen-
talem confeſſionem expiati, à ſabbato in Albis vſq; ad ſolis dominici ſequentis diei oc-
caſum, ex ſummi Pontificis Gregorij XIII. conceſſione liberali, plenariam per ſingu-
los annos indulgentiam, ad perpetuam rei memoriam, aſſequuntur.

De conuentu

A *De conuentu ſanctiſſimæ Trinitatis Orbeti. Conu. V.*

ANNVENTE Martino V. Pont.max. vt ex quadam bulla Eugenij IV. eius ſucceſſoris data 18. Maij, anno Dominicæ Incarnationis 1445. Pontificatus verò eiuſdem 14. quæ adhuc habetur, ſatis patet, hic locus ſanctiſſimæ atq; indiuiduæ Trinitati dicatus, atq; ad primum lapidem ab Orbeto antiqua ſatis ciuitate conſtructus à ſenatu, ſimul & à deuoto Orbetenſi clero, anno Domini 1429. aliò inde tranſlatis quibuſdam Benedictinis monialibus eius incolis, fratribus noſtris in perpetuum vſum, conceſſus fuit. Illumq; eorum 20. ab eo temporis commodiſſimè,tum ob loci capacitatem ciuiumq; deuotionem, tum quoq; ob hortorum amœnitatem & copiam, aquarumq; abundantiam inhabitant.

B *De conuentu S. Mariæ maioris Tiburis. Conu. VI.*

CVM quædam Benedictinę moniales Tiburis degentes,neſcio quibus de cauſis,Tiburtinis exoſæ eſſent, ſuffectis ſibi, anno à Seraphici patris morte 25. ex Alexandri IIII. Pont. max. decreto, cuius bulla anno ſui Pontificatus ij. data adhuc in huius loci patris Guardiani cubiculo diligenter cuſtoditur, patribus Franciſcanis Conuentualibus, loco, qui ſanctæ Marię maiori ſacratus erat, motæ ſunt. Sed ijſdem patribus à Pio II. Pont.max. aliò tranſlatis, præfatus conuentus, (de quo impræſentiarum agimus) ex Apoſtolica eius auctoritate, fratribus noſtris conceſſus, atq; à ſummo Pontifice Nicolao IIII. eius ſucceſſore confirmatus extitit. Eorum diplomata adhuc ſuperſunt. Eccleſia, præfato Pio II. Tiburis agente, à quodam Epiſcopo Sardo conſecrata fuit, & pulcherrima, atq; plurimis miraculis inſigni Deiparæ Virginis imagine,
C quodamq; altari priuilegiato, in quo fidelium animæ per Miſſarum ſacrificia ex purgatorij pœnis liberantur, atq; pallio beatiſſimi patris Franciſci venuſtatur. Fuit olim Tiburtina ciuitas, ob aëris ſalubritatem, lociq; amœnitatem, veteribus Romanis,pręcipuè verò Adriano Imperatori, vt eius villæ veſtigia adhuc indicant, familiariſſima, & à Vergilio famoſo Poëta,ob Tiburtinæ ſibyllæ natiuitatem, ſummè celebrata. Quam & Deſiderius Imperator duplici muro cinxit. Commorantur deniq; hoc in monaſterio, quod (vt præfati ſummus) beatæ Mariæ maiori ſacratum euaſit, licèt frequentius beato patri Franciſco à Tiburtinis tribuatur, 18. fratres, qui diuinis intenti excubijs, optimè apud omnes audiunt.

De conuentu ſancti Laurentij Velitrarum. Conu. VII.

D SACRA hęc ædes,quę intra muros Velitrarum,inſignis olim Volſcorum ciuitatis, atq; Octauiæ gentis origine illuſtris, in honorem ſancti Laurentij martyris conſurgit, & ab 18. fratribus inhabitatur, antiqua ſatis eſt: cùm à 120. eoq; amplius annis Franciſcanę Regularis Obſeruantiæ obſequijs à ſummo Pontifice Pio II. mancipata ſit. Cuius apoſtolicum diploma hac ipſa de cauſa,anno Dominicę incarnationis 1460. Romæ expeditum in huiuſmet loci cartophilacio aſſeruatur.

De conuentu ſancti Antonij montis Reatis. Conu. VIII.

STVPEFACTI Reatini ciues ex plurimis miraculis, quæ beatus pater Franciſcus adhuc viuens apud ipſos edidit,ac ſibi, fœcundæq; ſuæ proli mirum in modum affecti, hunc locum beato patri Antonio dicatum, ac tyronibus religioſis, in omni pietate, Dei timore,& monaſticis ritibus apprimè educandis omnino idoneum, quem 18.
E fratres commodiſſimè inhabitant, ex conceſſione Sixti IIII. Pont. max. cuius Apoſtolicum breue ſub datum Romæ 18. menſis Nouembris, anno Dominicæ incarnationis 1474. Pontificatus verò ſui iiij. in cubiculo patris Guardiani diligentius cuſtoditur, communibus publiciſq; ſumptibus, ad centum paſſus à Reate Vmbrica, communiq; eorum ciuitate, in amœni cuiuſdam collis cliuo extrui curarunt.

De conuentu ſancti Franciſci Præneſtis. Con IX.

PRÆNESTE, ſiue Præneſtis Latij oppidum edito in loco, naturaq; munito ſitum eſt, & ita dictum, vel quia à Pręneſto conditore Latini filio, Vlyſſis & Circes nepote, vel à loci ſitu,quòd montibus præſtet. Vnde & altum Pręneſte ab aliquibus dicitur. Intra eius ergo vallum,ij qui Fratricelli olim dicti ſunt,maleq; de fide catholica

ſenſerunt, hunc locum beatiſſimo patri Franciſco ſacrum, per aliquot annos, occuparunt. Quem tandem noſtri fratres, ijs pulſis, ex Martini V. Pont. max. conceſſione, & poteſtate ſibi anno ſui Pontificatus 9. vt eius bulla in Aracœli archiuo aſſeruata liquidò conſtat, humaniſſimè facta, obtinuerunt. Creditur tamen conuentus hic communibus oppidanorum facultatibus ędificatus. Idq; eorum ad 12. fratres eius accolas humanitas facillimè indicat. A

De conuentu ſancti Franciſci Choræ. Conu. X.

OBTENTA prius, anno à partu Virgineo 1521. à Clemente VII. ſummo Pontifice Apoſtolica actoritate, pia Chorenſis communitas, ex ſingulari tantum deuotione qua in Franciſcanam ferebatur familiam, hunc conuentum beatiſſimo patri Franciſco ſacrum, non longè ab eius communi oppido Chora, quod in Latio ſitum eſt, B ex publicis prouentibus, ad commodam 10. fratrum habitationem, circa præfata tempora, conſtrui fecit. Apoſtolicum verò prædictæ conceſſionis breue, datum anno Pontificatus eiuſdem Clementis VII. in Chorenſi tabellario diligenter aſſeruatur.

De conuentu ſancti Martini Verularum. Conu. XI.

SACRA hæc ædes, in honorem ſancti Martini Verulis erecta, ſatis antiqua eſt, cùm ſub Honorio II. Pont. max. anno à lætabunda Chriſti Natiuitate 1127. menſis verò Auguſti 22. à reuerendiſſimo Læto Verulanenſium Epiſcopo conſecrata extiterit. Erectionis tamen ipſius certum tempus, aut author inueſtigari minimè potuit. Conſtat nihilominus eã plurimis annis à Benedictinis monialibus occupatam, ab eiſq; quibuſdam de cauſis aliò traſlatis ad fratres noſtros, ſub beato patre Ioanne Capiſtrano, tunc vniuerſæ Ciſmontanæ obſeruantis familiæ Generali Vicario, ex Nicolai V. C ſummi Pontificis diſpoſitione 3. Februarij, anno Domini 1449. Pontificatus verò eiuſdem Nicolai iij. tranſlatam fuiſſe. Minoriticam vitam hoc in monaſterio agunt 18. fratres, ac inter reliquas ſanctorum reliquias palliolum pręfati beati Ioannis Capiſtrani, plurimis pellendis languoribus à fidelium corporibus remedium peropportunum, religioſius in ſacrario cuſtodiunt.

De conuentu ſancti Franciſci Sermoneti. Conu. XII.

AD duo milliaria à Caſtro Baſſano, ſiue Baſſeano, vbi magnus Saturnus, qui & Abirides Cretenſium Rex, Iouis eius filij perſecutionem fugiens delituiſſe dicitur, D à quo & Latium, quòd ea in patria latuerit, ſic appellatum euaſit, in collis cuiuſdam amœni cliuo, atq; ad 500. paſſus à Sermoneto Latino oppido, hoc monaſterium beatiſſimo patri Franciſco ſacratum ab illuſtriſſimo Gulielmo Caëtano, cui præfatum oppidum Sermonetum ſuberat, ex Apoſtolica auctoritate ædificatum, capaciſſimiſq; hortis & nęmore donatum fuit. Cuius pietatem, ſingularemq; in Franciſcanam Religionem beneuolentiam ſequuti eius ſucceſſores, ſummis beneficijs & eleemoſynis 16. fratres eius habitatores perpetuò proſequuti ſunt, atq; in hodiernum vſq; diem proſequuntur. Qui Apoſtolicum huiuſmodi conceſſionis breue videre deſiderauerit, huius loci cartophilacium conſulat.

De conuentu ſancti Franciſci Sublaci. Conu. XIII. E

EX quibuſdã reuerendiſſimi Angeli Viterbienſis Epiſcopi, atq; Ioannis XXII. Pont. max. Vicarij literis, datis 8. menſis Decẽbris, anno Dominicæ Incarnationis 1327. Pontificatus verò præfati ſummi Pontificis Ioannis 8. atq; in cubiculo patris Guardiani aſſeruatis, quibus 40. anni de iniunctis pœnitentijs omnibus hanc ſacram ædem, beatiſſimo patri Franciſco dicatam, atq; piæ communitatis ſumptibus, (vt ex quibuſdam indicijs colligi poteſt) non longè ab oppido Sublaco conſtructam, in ſanctorum Franciſci, Antonij de Padua, & Claræ feſtiuitatibus, atq; in die conſecrationis eiuſdem ingredientibus, remittuntur, ipſam fuiſſe conſecratam liquidò conſtat. Sed quo certo tempore, vel cuius auctoritate tum ipſa, tum quoque adiunctus conuentus, qui 18. fratribus inſeruit, ædificari cœperint, id ſanè nullo pacto inueniri potuit.

De conuentu

A *De conuentu ſancti Franciſci Ciuitellæ. Conu. XIV.*

CONVENTVS hic Seraphico patri Franciſco ſacratus, ac propè oppidum Ciuitellam extructus, patribus Franciſcanis Conuentualibus hoſpitio excipiēdis, ex conceſſione Calixti III. Pont. max. viuæ vocis oraculo facta, olim inſeruiuit. Temporis verò ſucceſſu, ex Apoſtolica Pij II. Pontificis itidem maximi auctoritate, cuius breue datum Romæ 16. Decembris, anno à ſalutifera Chriſti Natiuitate 1438. Pontificatus verò eiuſdem anno j. in cubiculo patris Guardiani eius Minoritici conuentus, qui propè Palumbariam (de quo tamen inferius) conſurgit vſq; in præſens perſeuerat, huius Romanę Prouinciæ patribus adiudicatus eſt. Non tamen ea in forma quam modò præſefert, ſed in pauperculi tantùm hoſpitioli figura. A qua tandem fratrum opera atq; ſolicitudine, oppidanorumq; munificentia, in iuſtum monaſteriolum tranſlatus
B eſt: Ita vt commode ſatis 8. fratres capere poſſit. Quibus bina capita ibidem aſſeruata maxima in veneratione ſunt, quòd duorum beati patris Franciſci ſociorum fuiſſe tum à fratribus, tum quoq; ſęcularibus mordicus aſſeuerentur.

De conuentu ſancti Angeli vallis Montonæ. Conu. XV.

VALLIS Montona Latij pagus eſt, à montibus quibus ferè conſepitur ſic dictus, ſpectatq; ad Romanam, nobilemq; Comitum proſapiam, ex qua plures ſummi Pontifices, plurimiq; Cardinales, tanquam ex equo Troiano, olim prodiêre. E regione ergo ipſius conuentus hic ſancto Angelo ſacratus, qui & antiquitus Abbatia ſub Benedictinis patribus fuit, in accliuiori cuiuſdam ſpecioſi, næmoroſiq; collis parte conſurgit. Quem præfata Comitum familia, ad quam patronatus ius attinet, ex Apoſtoli-
C ca auctoritate, à prædictis patribus Benedictinis ad noſtros fratres, quorum 10. ibidem modò commorantur, transferri curauit. Cuius eccleſia, quæ & pulcherrima eſt, tum ob plurimas indulgentias ſibi à diuerſis ſummis Pontificibus, præſertim in feſto Archangeli Michaëlis, conceſſas, tum ob alterum ex diui patris Antonij digitis, tum quoq; ob quendam diuæ Apolloniæ virginis & martyris dentem ibidem aſſeruatos, à circumuicinis populis, & ab eiuſdem pagi inquilinis maximè frequentatur.

De conuentu ſanctæ Mariæ Palatioli. Conu. XVI.

AD quatuor millia paſſuum à Tuſculo inſigni olim Latij ciuitate, quam ſummi Pontifices, quòd Frederico Ahenobardo Imperatori Pontifici bellum inferenti auxilio fuiſſent Tuſculani, ad tantam calamitatem redegerunt, vt obſcurus nunc vicus ſit, dicaturq; à Romanis Friſcatum: atq; ad radices Albani montis, eo ipſo in loco
D in quo Alba longa, à ſitu porrectæ in dorſo vrbis ſic dicta, olim ab Aſcanio ædificata extitit, inter condenſas arbores conuentus hic ſanctiſſimæ Dei genitrici Mariæ ſacer, quem quidam Stephanus, cuius patria & familia omnino ignorantur, multis ab hinc annis ædificauit, fratribusq; Cartuſianis in habitationem conceſſit, ac Martinus V. Pont. max. ijs aliò tranſlatis fratribus noſtris ex Apoſtolica auctoritate mancipauit, artificioſè ſatis ſitus eſt. Imminet præterea profundiſſimo cuidam lacui, eiusq; eccleſia conſecrata eſt: ſed à quo, vel quando id ſibi contigerit nequaquam aſſequi potuit. In egreſſu verò eccleſiæ ad dexteram antiquiſſimum cuiuſdam Romani Conſulis, ſed gentilis, eiusq; coniugis mauſolæum occurrit, in quo anno à Chriſto Seruatore nato 1576. theſaurus non aſpernandus fortè fortuna repertus fuit. Commorantur deniq; hoc in loco 10. fratres, atq; ex laborioſa mendicatione, quòd ſyluaticus omnino ſit, diſtetq;
E à proximiori oppido duobus milliarijs; victum acquirunt.

De conuentu S. Franciſci Palumbariæ. Conu. XVII.

EX maxima deuotione, qua incolæ pagi Palumbariæ in feſtum dedicationis ſanctæ Mariæ ad niues feruntur, qua etiam de cauſa & is dies feſtiuus, nundinisq; percelebris apud eos eſt, & ædiculam eidem feſtiuitati ſacratam, non longè à Minoritico conuentu ædificari curarunt, & ipſum conuentum, qui vnico tantùm milliari ab eorum pago diſtat, & re vera beatiſſimo patri Franciſco dicatus eſt, eodem prorſus nomine appellant. Hic itaq; conuentus, qui ab 8. fratribus inhabitatur, ab illuſtriſſimo Iacobo Sabellio eiuſdem pagi temporali domino, ex proprijs facultatibus conſtructus, & à

Pio I I. Pont. max. quemadmodum ex eius Apoſtolico breui in eiuſdem monaſterij archiuo diligentius aſſeruato patentiſſimè conſtat, fratribus noſtris collatus fuit. Cuius eccleſiam reuerendiſſimus pater frater Ioannes Bitontinus dignitate quidem Epiſcopus, ſed profeſſione Minorita, de religioſo more conſecrauit. Subſtitit olim ad mille paſſus ab hoc loco famoſum Aureliani atq; Philippi Imperatorum palatium, ſub cuius ruinis, quarum adhuc veſtigia apparent, plura vaſa tum aurea, tum argentea, tum quoque ænea, plurimaq; numiſmata ſuperioribus annis reperta fuêre. A

De conuentu S. Pauli Podij Donadei. Conu. XVIII.

DETVRBATIS ex Apoſtolica auctoritate, legitimas ob cauſas, Benedictinis quibuſdam monialibus de monaſterio, quod apud Podium Donadei (vulgò Poggio natiuo) antiquiſſimum oppidum diu incoluerant, alioq; tranſmiſſis, ne locus ab eis derelictus, debito honore priuatus, prophanationi, ruinæq; exponeretur, fratribus noſtris, ex eadem auctoritate, atq; ex oppidanorum beneplacito, ante centum annos, ſi ſeniorum traditioni ſtandum ſit, conceſſus fuit. Quorum 10. vt plurimum ibidem commorantur. B

De conuentu S. Iacobi Podij Buſconis. Conu. XIX.

IMMINET alteri Reatinæ vallis parti ſaxoſus quidã mons Seraphico patri Franciſco olim familiariſſimus, prout cubitorum, pedum, capitisq; eius veſtigia viuo lapidi, ſupra naturam, impreſſa, ſacellumq; ibidem erectum manifeſtè ſatis indicant. Hunc ergo, poſt plurimas Dæmonis tentationes ſuperatas, celebresq; victorias de eo reportatas, certus ex diuina reuelatione de ante actorum peccatorum remiſſione ibidem factus beatus idem pater, Minoritici alicuius conuentus vicinitate, in tantorum beneficiorum gratiam & memoriam, decorare voluit. Quapropter fauẽtibus ſibi accolarum eius oppidi, quod Latinè Podium Buſconis, Italicè verò Poggio Baſtone nuncupatur, atq; in valle Reatina non longè à præfato monte conſurgit, pijs eleemoſynis, hanc ſacram ædem, quam vt plurimum 7. fratres inhabitant, in honorem ſancti Iacobi Apoſtoli ædificari curauit. Hic eſt ille locus, quem chronicorum Ordinis noſtri author ſub nomine eremitorij miris encomijs celebrat, quemq; beati patris Ægidij receptio & nouitiatus commendatiſſimum reddunt. Extant quoq; prædicto in monte Dæmonis veſtigia ſaxo, dum gigantis phantaſtica forma indutus beatum Franciſcum à Feruenti oratione horribili ſuo conſpectu auertere nititur, impreſſa. Quibus proximum eſt ſacellum, eodem in loco, in quo beatiſſimus idem pater de peccatorum condonatione certior factus eſt, conſtructum. C D

De conuentu S. Mariæ de Prato Campaniani. Conu. XX.

CAMPANIANVM, ſiue potius Capinianum (vulgò verò Campagnano) à Capena ſic dictum, antiquiſſimum oppidum eſt, diſtatq; ab Vrbe Roma 16. milliaribus. Sed multò minus à Veio, ſiue Lartheniano Veientum Regia, quam Romani Marci Furij Camilli ſuaſu demoliti, depopulatiq; ſunt, olim diſtauit; cùm vix ad vnum lapidem ab ea ſeiunctum fuerit. Huius igitur oppidi habitatores, ex maxima qua in Franciſcanam familiam deuotione ferebantur, multis retrò annis, hunc conuentum beatiſſimæ Virgini Mariæ de Prato ſacrum, ad 200. paſſus ab eorum communi oppido, in accliuiori quodam loco ædificari, præfatiq; Ordinis fratribus tradi curarunt. Cuius Conuentuales cùm ibidem diù commorati fuiſſent, eiuſdem inſtituti Obſeruantibus, ex Apoſtolica auctoritate, anno Dominicæ Incarnationis 1488. cedentes aliò ſe tranſtulerunt. Eſt ſacra hæc ædes, quam 12. religioſi frequentius occupant, Capinianis commendatiſſima, atque corpore beati fratris Stephani profeſſione laici elegantiſſimè exornatur. E

De conuentu S. Mariæ Secundæ Morlupi. Conu. XXI.

SEMI tantùm ab oppido Morlupo, ſed decimo quarto ab vrbe Roma milliari conuentus hic beatiſſimæ Mariæ Secundæ ſacratus exurgit: quem illuſtriſſimus, pariterq; reuerendiſſimus Aldobrandinus Vrſinus eiuſdem oppidi temporalis dominus, ac

Nicoſianus

A Nicoſianus Epiſcopus, anno à lætabunda Chriſti Natiuitate 1500. proprijs ſumptibus, ex Apoſtolica auctoritate, ex modico tuguriolo ſiue eremitorio in iuſtum conuentum transferri curauit, quemq; ab eo temporis 9. fratres inhabitant. Additus eſt autem titulo ſecundarius numerus, eò quòd deuotiſſima glorioſiſſimæ Virginis imago ibidem exiſtens, quę & conuentui nomen dedit, & Morlupanis conuicinisq; populis, ob frequentia miracula, in maxima veneratione eſt, ſecũdo loco à beato Euangeliſta Luca depicta extiterit. Siquis verò nos ſomnium, aut ſenile commentum hac in re referre exiſtimauerit, teſtimonium cuidam lapidi huius eccleſiæ impreſſum legere non grauetur, idq; ita eſſe procul dubio percipiet.

De conuentu ſanctæ Mariæ de Lilijs Manlianæ. *Conu. XXII.*

B PROPE Manlianam Tuſcorum olim vrbem, hodie vero ſummorum Pontificum villam, conſurgit conuentus hic beatiſſimę Virgini Mariæ de Lilijs ſacratus, atq; ab 8. tantum fratribus inhabitatus: qui patres Clarenos ſui fundatores atq; authores agnoſcit. Cùm eorum opera & ſolicitudine, ex pijs tum Manlianenſium, tum quoq; adiacentium populorum eleemoſynis, à 100. annis & vltra, longè à ſęcularium conſortio, pro illorum patrum more, ædificatus fuerit. Sed illis in Franciſcanam Regularem Obſeruantiam, ex Pij V. Pont. max. mandato, tranſeuntibus, tranſiuit & ipſe in huius Prouinciæ catalogum. Retinuit nihilominus ſanctitatis rem atq; nomen, cùm ea propter non minus hodie quàm olim à ſæcularibus frequentetur.

De conuentu ſancti Bernardini Ortarum. *Conu. XXIII.*

IN Tuſciæ confinibus, atq; ex altera Tiberis famoſi fluuij parte, eodem in loco in
C quo olim antiquiſſima ciuitas Cita, ab Italo Attalao ſeu Chiti eius fundatore & habitatore ſic dicta, conſtiterat, conuentus hic beato patri Bernardino de Senis dicatus ſubſiſtit. Cuius longitudo adiunctis hortis, & ſylua muris cincta milliare complet, ſitus verò accliuis eſt, atq; ex altera parte Ortanum, ſiue Ortam Hetruſcam ciuitatem, nec longè à ſe diſtantem, Tiberimq; flumen, ex altera Vmbriam, Naremq; fluuium, & ex alteram Sabiniam ſibi ferè conterminas proſpicit. Eius verò primus author atq; fundator beatus pater Bernardinus de Senis fuit: cùm ad eius feruentiſſimam prædicationem Ortani ciues ędiculam ſimul & monaſteriolum ex publicis prouentibus ibidem ædificauerint. Quod tamen ruinam minitans pius quidam Dominicus Sanctus Ortanus quoque ciuis, ſub Pio II. Pont. max. ſuis ſumptibus refecit, reſtaurauit, ampliauitq;. Idq; ita eſſe teſtantur huiuſmodi literæ cuidam lapidi huius eccleſiæ inciſæ.
D Tempore diui Ieſu Chriſti anno Domini M.CCCCLXIII. Pontificatus Pij Papæ II. menſe Maij die 22. Dominicus Sanctus ſancto Bernardino hanc ſanctam domum ſua impenſa inſtitui mandauit. Ex Orta ciuitate oriundi fuêre beatus pater Benignus de Ortis Panormi Minoritico in conuentu ſepultus, & beatus quoq; pater Ioannes Ortanus in Aracœlitano monaſterio humatus. Præterea ſancti Michaëlis apparitio Ortanis ciuibus ex voto feſtiua eſt. Nam laborantibus illis aquæ penuria, ſegetibusq; ea propter pereuntibus, cùm caſu ea die beatus pater Vngarellus Apoſtolicus prædicator, atque Prouinciæ ſancti Antonij alumnus in foro ad populum ſacram concionem haberet, ſibi ſuaſit, vt ſi abundantem pluuiam è cœlis demiſſam cuperent, ſe ad huiuſmodi diem feſtiuè in perpetuum celebrandum ex voto obſtringerent. Quo facto tantus aquarum imber ex tempore decidit, vt præſenti neceſſitati abundantiſſimè, atq; peropportunè
E obuiam itum ſit. Ad quintum milliare à præfata ciuitate Orta inuiſere adhuc licet inclytæ, ſed dirutæ ciuitatis Meoniæ à Tyrrheno Meone olim conditæ veſtigia: & ad ſecundum, ſphericum quendam lacum, paruulum quidem, ſed omnino mirabilem, qui ſingulis ſex horis creſcit decreſcitq;, adeò vt in accremento maxima cum agilitate & facilitate molendini rotas in gyro voluat, & in decremento retrocedentibus per occultos meatus aquis nudam arenam oſtendat: & inter ęſtuandum modò carbones, titiones, cineres, buffones, teſtudinesq; ex intimis propellit, modò verò aquam rubeam, pallentem, nigram, croceamq; emittit, ita vt ſua diuerſitate diſcolorem quoq; Tiberim fluuium reddat, & mortales admiratione perfundat. Commorantur deniq; hoc in monaſterio 10. fratres.

De conuentu S. Franciſci Corythi. *Conu. XXIV.* A

QVEMADMODVM ex Apoſtolico quodam Iulij II. Pont. max. breue, dato apud Ciuitatem Veterem anno Dominicæ Incarnationis 1510. Pontificatus verò eius vij. ſed menſis Martij die 15. liquidò conſtat, conuentus hic beatiſſimo patri Frãciſco ſacratus, quem 13. fratres, frequentius inhabitant, publicis ſumptibus à deuoto Senatu, in meditullio ciuitatis Corythi, aliàs Crogneti, (vulgò verò Corneto) circa eadem tempora conſtructus, abſolutusq; fuit. In quo glorioſi martyris Agapiti caput honorificè reconditur, & à ſæcularibus frequentatur.

De conuentu S. Franciſci Canini. *Conu. XXV.*

CANINVM ſiue potius Tuſſaninum (nam ex ruinis Tuſſananę antiquiſſimę ciuitatis, ſicut & Tuſcanella propinquum oppidum, ædificatum fuit, & ab eadem, ſicut, & illa, denominationem aliquando accepit) Hetruriæ pagus eſt, ſpectatq; ad nobiliſſimam Farneſiorum familiam. A qua ante aliquot annos, non longè à præfato pago, hic conuentus beatiſſimo patri Franciſco dicatus, atq; ad 10. fratres ſui accolas commodiſſimè excipiendos omnino idoneus, ſumma liberalitate conſtructus fuit: & largiſſimas eleemoſynas tum ad fratres induendos, tum ad eorum quotidianas neceſſitates ſubleuandas, tum quoq; ad Prouincialia Commitia, quoties ſeſe occaſio offert, ibidem celebranda in dies accipit. B

De conuentu Inſulæ Biſentinæ. *Conu. XXVI.*

E MEDIO lacu Volſinio amœna quædam inſula, cui Biſentina nomen eſt, exurgit, quam Malaſſuntæ Gottorum Reginæ, eiusq; filij (ſi Procopio Gottorum hiſtoriographo fides adhibenda ſit) ſepulchra celebrem reddunt. Hanc cùm reuerendiſſimus Onufrius Sinueſſanus montis Faliſcorum (vulgò monte Fiaſcone) Epiſcopus à religioſis viris inhabitatam cuperet, Eugenio IIII. ſummo Pontifici, vt eam Franciſcanis Obſeruantibus concederet, illisq; vnius ibidem conuentus erigendi facultatem faceret, ſupplicauit. Quo tandem annuente conuentus hic diuis Iacobo Apoſtolo, atq; Chriſtophoro martyri ſacratus, ex diuerſis piorum eleemoſynis, præcipuè verò illuſtriſſimę Farneſiorum familiæ, ab ijſdem, circa annum Dominicæ Incarnationis 1441. in amœniori totius inſulæ parte conſtructus eſt. Adiunctæ quoq; ſunt illi ſeptem ædiculæ, ſub Franciſci, Gregorij, Pij, Concordiæ, aliorumq; ſanctorum titulis, quibus Pius II. Pont. max. indulgentias ſeptem Romanæ Vrbis eccleſijs à diuerſis ſummis Pontificibus conceſſas impertitus eſt: Quas & Paulus Papa III. edito Apoſtolico breui, ſub datum Romæ 20. menſis Martij Pontificatus eius anno vj. confirmauit. Sui patronam agnoſcit hic locus illuſtriſſimam Farneſiorum familiam, plurimosq; eorum honorificè tumulatos continet: atq; maiori ex parte 8. Fratres eius accolas ex pijs eius eleemoſynis alit. C D

De conuentu S. Franciſci Pitiliani. *Conu. XXVII.*

IS fuit affectus, eaq; beneuolentia illuſtriſſimorum Ludouici Vrſini, eiusq; chariſſimæ coniugis Iuliæ Comitis in Obſeruantem Franciſcanam familiam, vt communibus, proprijsq; ſumptibus, (niſi literę fornici chori inſculptæ nos fallant) ſemi tantum milliari ab eorum oppido Pitiliano, hunc conuentum in honorem Seraphici patris Franciſci, ad commodiſſimam 8. fratrum habitationem, ædificari curarint.

De conuentu ſancti Petri Scanſani. *Conu. XXVIII.* E

RIMANTI mihi cartophilaciũ huius conuentus, qui non procul ab oppido Scanſano ſub inuocatione ſancti Petri conſurgit, quiq; à 7. fratribus inhabitatur, occurrit cuiuſdam Apoſtolici breuis tranſumptum, anno Dominicę Incarnationis 1507. Pontificatus verò Iulij II. anno ij. actum, quo illuſtris quidam heros ex Sfortianorum familia genus deducens eius author traditur, aſſeruiturq;.

De conuentu ſancti Rochi Farneſii. *Conu. XXIX.*

APVD oppidum Farneſium, cui amplus ingensq; campus Germanorum olim, Ligurumq; (quos Cato in ſuis fragmentis gigantes vocat) cede, & exterminio, ſub Hercule, eiusq; filio Lamone, igne, lapidibusq; è cœlo demiſſis, celebris omnino atq;

A atq; inſignis adiacet, hoc monaſterium in honorẽ ſancti Rochi, ex Apoſtolica Pij IIII. Pont. max. auctoritate ſibi anno à Virgineo partu 1560. Pontificatus verò eiuſdem ij. facta, illuſtriſſima, ſimulatq; deuotiſſima Iulia Aquauiua, quocunq; alio ſecluſo fauore, ſed proprijs tantum ſumptibus ædificari curauit. Cui idem ſummus Pontifex plenariam omnium peccatorum indulgentiam, perpetuò duraturã, edita Apoſtolico breui ſub datum Romæ 15. Iulij, anno Domini 1562. à primis veſperis ſancti Rochi vſq; ad ſolis occaſum ſequentis diei feſti, in fauorem ipſum accedentium, conceſſit. Commorantur frequentius hoc in loco 8. fratres.

De conuentu ſanctæ Mariæ de Conſolatione Caprarolæ. Conu. XXX.

CAPRAROLA antiquiſſimum Hetruſcorum oppidum eſt, illuſtriſſimiq; Alexandri Farneſij S.R.E. Cardinalis atq; Apoſtolicæ Sedis Vicecancellarij imperio B ſubeſt. Cuius habitatores, cùm maximo deſiderio fratrum Minorum tenerentur, impetrata prius à Pio IIII. ſummo Pontifice facultate, hunc conuentum ſanctiſſimæ Mariæ de Conſolatione ſacrum, in ipſo oppidi meditullio, anno à ſalutifera Chriſti natiuitate 1562. ad 8. fratrum habitationem, ex communibus facultatibus conſtrui curarunt. Idq; tanta contentione & æmulatione, vt non prius à cœpto opere ceſſatum fuerit quàm vltima artificis manus ſibi appoſita ſit. In huius oppidi territorio, ſcaturientibus continuò aquis, emergit celebris ille Elbius lacus, qui & lacus Vici, ab vltimo Lharte, ſiue Rege Elbio, Tyrreniq; patre, ſic dictus.

De conuentu S. Antonij Ciſternæ. Conu. XXXI.

CISTERNA Latij oppidum eſt 26. milliarijs ab Vrbe diſtans, attinetq; ad nobi-C liſſimam Caëtanorum familiam. Quorum alter illuſtriſſimus ſcilicet Bonifacius Caëtanus S. R. E. Cardinalis, ex Apoſtolica auctoritate ſibi à Gregorio XIII. ſummo Pontifice, anno à mundo redempto 1572. facta, ſacrum hoc monaſterium, in honorem ſancti Antonij Abbatis, ſuis ſumptibus, non procul à præfato oppido ædificari fecit. Huiuſmodi Apoſtolicæ conceſſionis bulla in archiuo huius loci, quem 7. fratres vt plurimùm incolunt, diligentius aſſeruatur. Cui adiuncta eſt & alia eiuſdem Gregorij XIII. data 20. Septembris, anno Domini 1576. qua, ad perpetuam rei memoriam, plenaria omnium peccatorũ indulgentia ijs, qui à primis veſperis feſti diui Antonij Abbatis vſq; ad ſolis occaſum ſequentis diei hanc ſacram ædem viſitauerint, ex Apoſtolica largitione conceditur.

De conuentu S. Mariæ Foreſtæ. Conu. XXXII.

D ADMIRANTIBVS Reatinis ciuibus beatiſſimi patris Franciſci virtutem ac ſanctitatem, ſummeq; celebrantibus, quòd ex paucis racemulis, ex ſæcularis cuiuſdam ſacerdotis vinea reſiduis plus vini, quàm exeſa à frequenti populo vua præſtare potuiſſet, expreſſiſſet, in id vniuerſus Reatinæ ciuitatis ſenatus coiuit, vt ex publicis facultatibus, eodem prorſus in loco vbi id acciderat, tertio nempè milliari ab ipſa vrbe, tum ſibi, tum quoq; eius fratribus, in honorem tamen ſanctiſſimę Mariæ Virginis de Foreſta, hic conuentus ædificaretur. Quod & opere complens curauit, vt 7. ad minus Franciſcani religioſi perpetuò ibidem commorarentur. Quem tamen à patribus Clarenis diu occupatum, poſteaq; ſub Pio V. Pont. max. ab ijſdem derelictum, reuerendiſſimus quidam Reatinus Epiſcopus Ordini noſtro addictiſſimus, ne ruinæ iniurijs E exponeretur, huic Prouinciæ adiungendum curauit.

De conuentu ſancti Syluestri montis Soractis. Conu. XXXIII.

SORACTIS Phaliſcorum mons eſt, Apollini olim ſacer: Hinc Virgilius. *Summe Deus, ſancti cuſtos Soractis Apollo.* Nunc verò beato Syluestro ſummo Pontifici, quòd in eo perſequutionis fugiendæ cauſa tempore Conſtãtini Imperatoris latitauerit, dicatus eſt. Antiquam igitur eccleſiam eidem beato Pontifici maximo ſacratam, adiunctumq; ſibi domicilium præfato in monte conſtructum illuſtriſſimus Alexander Farneſius S. R. E. Cardinalis, (de quo ſupra) Apoſtolica ſibi fauente auctoritate, huic Prouinciæ, ante ſexennium liberaliſſimè contulit. A quo etiam tempore 6. eius fratres inibi commorantur. Nec prærogatiuis caret ſacer hic mons, cum ibidem præfati ſancti

Syluestri

Syluestri cubile, ſanctiq; Gregorij etiam Papæ oratorium, & ſancti Nonneſij miraculum, cuius idem diuus Gregorius in ſuis dialogis meminit, inuiſere adhuc liceat. A

De conuentu ſancti Liberati apud ſanctum Angelum. Conu. XXXIV.

CONVENTVS hic diuo Liberato ſacer, ac iuxta oppidum ſancti Angeli ex parte conſtructus, neophitus omnino eſt, ſuiq; fundatricem, atq; auctricem agnoſcit illuſtriſſimam Victoriam de Valle Marchioniſſam. Ob cuius tantùm ſingularem in noſtrum Ordinem beneuolentiam & animi perpenſionem, licèt minus deſeruiat, ab huius Prouinciæ patribus admiſſus, atq; quinque fratribus inſtructus eſt.

De conuentu ſanctæ Mariæ de Gratijs Scandriliæ. Conu. XXXV.

IN cliuo cuiuſdam monticuli pagis quinque circumcincti, quorum remotior vix tertio milliari diſtat, vbi olim eremitorium quoddam ſub titulo ſanctiſſimæ Trinitatis B ſubſtiterat, beatusq; pater Amadeus (cuius ſupra meminimus) ſanctiſſimè vixerat, maximamq; pœnitentiam egerat, conuẽtus hic glorioſiſſimæ Virgini Mariæ de Gratijs ſacratus, opibus & opera illuſtriſſimi domini Raymundi Vrſini Grauinenſium Ducis, atq; Nerulanorum Comitis, ex conceſſione tamen Sixti IIII. Pont. max. eidem patri Amadeo, vt ex quodam inſtrumento in tabellario huius loci aſſeruato liquidò conſtat facta, circa annum Dominicę Incarnationis 1480. ædificari cœpit, omnibusq; ſuis numeris, non ita poſt multum temporis, abſolutus eſt. Diſtat autem hic locus à pago Scandrilia, à quo tanquam à nobiliori, ſibiq; viciniori denominationem accepit, licèt à pluribus locus Ponticelli dicatur, duobus milliarijs, & à ſui erectione vſq; ad annum Domini 1566. Amadeis patribus ſubfuit. Quo quidem anno, ex Pij V. ſummi Pontificis mandato, ad inſtantes tamen illuſtriſſimorum Flauij Vrſini S. R. E. Cardinalis, atq; C Virgilij quoq; Vrſini preces, ab ijs ad huius Prouinciæ fratres deuolutus eſt. Et ab eo temporis illorum 10. ibi conuiuunt, ſolicitoq; cultu imaginem quandam glorioſiſſimæ Deiparę Virginis miraculis celeberrimam, & à fidelibus ſæcularibus (præcipuè verò feria ſecunda poſt Penthecoſten, in qua quotquot ipſam ritè diſpoſiti viſitauerint, plenariam ſuorum exceſſuum indulgentiam, ex Apoſtolica liberalitate, conſequentur) maximè frequentatam, atq; ab eodem patre Amadeo ex diuina (vt fertur) reuelatione inuentam, huicq; ſacræ ædi adiudicatam, proſequuntur. Inuiſere adhuc licet hoc in loco eiuſdem patris Amadei & cellulam, & mantellum, ad cuius contactum, diuina operante virtute, plures à diuerſis languoribus curantur, liberanturq;.

De conuentu ſancti Franciſci fontis Columbæ. Conu. XXXVI. D

SECVNDO milliari à Reate Vmbrica ciuitate, Italiæq; vmbilico, atq; in ipſa valle Reatina, ſed in cuiuſdam monticuli cliuo, conuentus hic Seraphico patri Franciſco ſacratus, ac maiori ex parte ab eodem patre conſtructus ſurrigit. Cuius eccleſiam illuſtriſſimus dominus Almannus S. R. E. Cardinalis 19. Menſis Iulij, anno Dominicę Incarnationis 1450. de religioſo more conſecrauit. Hic eſt celebris ille locus in quo dictante ſpiritu ſancto Minorum Regula ab eodem beato patre conſcripta, & patre fratre Helia tunc vniuerſi Franciſcani Ordinis Generali Vicario pluribusq; alijs Miniſtris Prouincialibus contra eam conſpirantibus, à toto Ordine voce interim è cœlo delapſa, vt ipſam ſimpliciter acceptarent, admitterentq;, approbata, admiſſaq; fuit. Quantę autẽ æſtimationis ſacra hęc domus apud conuicinos populos tum ob exemplarẽ eius accolarum vitam, qui numero ſunt 10. reformationiq; ſtudent, tum quoque ob diutinam E beati patris Franciſci ibidem habitationem, ſit, non facilè eſt percenſere. Cùm enim pręgrandis quædam arbor ſacello eiuſdem diui patris imminens, niuibusq; onuſta ruinam minaretur, anxiusq; venerandę caniciei pater frater Stephanus à Molina tunc loci Guardianus eam amotam cuperet, ne ſua ruina vniuerſum templum conquaſſaret, quotquot in gyro fuerunt ruſtici eò, vt eam ſucciderent, conuenerunt. Cùmq; nihil, aut certè parunt proficerent, eſſetq; res plena periculo, pius ipſe pater Guardianus, conuocatis cœteris fratribus, ad orationem confugit. Et ecce dum nihil minus cogitant, nullo impellente, adeò ſuauiter, adeoq; blandè arbor tecto adhæſit, vt vllo abſq; diſcrimine, & abſq; vnius tegulæ iactura, inde amota, ſucciſaq; ſit. Quod in cauſa fuit vt & euentus miraculo tribueretur, & ſæcularium deuotio ſupra modum excreſceret. Accedit quoq;

A dit quoq; & curationum beneficium, quod meritis beati patris Thomæ de Scarlino ad contactum eius habitus, quem fratres diligentiſſimè cuſtodiunt, ipſisq; neceſſitatis tempore applicant, in dies recipiunt.

De conuentu S. Franciſci Gretij. Conu. XXXVII.

LICET nullum in ſcriptis teſtimonium, nullaq; Pontificia extet bulla, quę nos de huius loci fundatione, qui Seraphico patri Franciſco dicatus Grecchia (vulgo) dicitur, certiores reddant, indubia tamen traditione quibuſdamq; veſtigijs, mœnijs ſcilicet atq; refectorio, in quo beatus ipſe pater ſæpius cum ſuis refectionem ſumpſit, edocemur, ipſum ab eo occupatum, habitatum, maioriq; ex parte erectum fuiſſe. Inter cœtera verò loca Seraphico patri familiariora præſens ſanè, quem 10. Reformati fratres
B inhabitant, familiariſſimus fuit tum ob Reatinæ vallis, in qua ſedem obtinet, ſolitudinem, amœnitatem, atq; pauperiem tum ob incompoſitos accolarum mores, quibus componendis, reformandiſq; maximè, diligentiusq; ſtudebat: tum etiam quòd hic ipſa Dominicę Natiuitatis nocte, dum ſacrum Euangelium ſolemniter coram frequenti populo in prima Miſſa pronunciaret, puerum Ieſum, in præſepio proprijs manibus elaborato, pannis inuolutum, atq; reclinatum conſpexit. Inuiſere quoq; licet hoc in loco carcerem in quo beatus pater Ioannes de Parma, ex ſancti patris Bonauenturę tunc vniuerſi Inſtituti Generalis Miniſtri mandato, recluſus fuit. Et ſacellum in quo beato eidem patri Ioanni Parmenſi celebrare cupienti adfuit Angelus humana forma indutus, qui ſibi celebranti miniſtrauit: Et ferramenta ad hoſtias conficiendas, quæ ſecum, dum itineraretur, diuus pater Franciſcus in manica deferre conſueuerat, vt
C pauperculis ſacerdotibus, in miniſtrandis ſibi panibus ad Miſſas celebrandas, vel ſaltem inſeruire poſſet. Tanta erat ipſius ſancti patris ad illos deuotio. Et ſanctiſſimæ crucis Chriſti particulam, aliquotq; reliquias ſancti Matthiæ Apoſtoli, atque ſanctæ Mariæ Magdalenes. Necnon & crinium, cilicij, habitusq; partes beatiſſimi patris Franciſci, integrumq; præfati beati patris Ioannis Parmenſis habitum. Accidit vt ceruus læthali vulnere ictus, ſtatimq; moriturus hunc locum ingrederetur, cuius carnibus pauperculi fratres, qui nihil penitus, quo inſtantia bacchanalia exculentius celebrarent, habebant, ventri aliqualiter indulſerunt.

De conuentu ſancti Franciſci Rocchæ Antimi. Conu. XXXVIII.

HIC conuentus, qui propè oppidum Roccham Antimi (vulgò verò Roccha antiqua) beatiſſimo patri Franciſco ſacratus occurrit, 8. quoq; Reformatis huius
D Prouinciæ patribus deſeruit, atq; ab illuſtriſſimo Vrſino de Vrſinis, ex Nicolai V. Pont. max. conceſſione, cuius bulla penes eoſdem fratres eſt, circa annum Dñicæ Incarnationis 1454. à fundamentis ad apicem vſq; ædificatus fuit. Cuius amœnitas, ſolitudo, atq; diſpoſitio ſui habitatores ad deuotionem, ſimulatq; cœleſtium contemplationem prouocant. Sub eo verò ſuggeſtu, ex quo in eccleſia ad populum aliquando ſacra habetur concio, venerabilis patris Martini Guſmanij natione Hiſpani corpus in Domino requieſcit. Hic nanq; cum Caroli V. inuictiſſimi Imperatoris accerſecomes fuiſſet, huiusq; mundi tædio affectus Franciſcanam Religionem ingreſſus eſſet, talem tantamq; à ſuiſmet conſanguineis, humani generis hoſte id excitante, perſequutionem perpeſſus eſt, vt Hiſpaniam deſerere, atq; ad hanc Prouinciam ſe transferre, ſi rebus ſuis conſultum
E cuperet, coactus ſit. In qua adeò ſanctè adeoq; exemplariter, inter Reformatos patres vixit, vt obitus ſui diem prænoſſe meruerit, atq; cuidam venerabili patri Stephano à Molina glorioſus poſt mortem apparuerit. Quapropter ab omnibus tum fratribus, tum quoq; ſęcularibus in maxima veneratione habetur. Eius etiam pileolus (vt plurimis in confeſſo eſt) languidi cuiuſdam capiti impoſitus eum à graui infirmitate, ex tempore, liberauit. Iacet quoq; eadem in Eccleſia ſummæ ſinceritatis, profundiſſimæq; humilitatis, nec minoris apud inquilinos à præcedenti ęſtimationis, frater Antonius de Puteofidone Tertiarius, qui licet nobilis diuesq; ſupra modum eſſet, ſpretis tamen omnibus huius ſæculi vanitatibus & illecebris, maluit pauperculis fratribus adiungi, illiſq; deſeruire, ac ſub Chriſto paupere pauperem, Minoriticamq;, ſub vili habitu, vitam, quietamq; ducere, quàm ſub locuplete mundo mollibus, præcioſiſq; veſtimentis indutus ſuæ ſalutis diſcrimen ſubire.

De conuentu

De conuentu S. Franciſci Nazani. Conu. XXXIX. A

NON deſunt qui aſſerant hoc ſacrum monaſterium beatiſſimo patri Franciſco di-
catum, ac in media quadam ſylua ſitum à beato Antonio de Padua fuiſſe constru-
ctum. Idq; profectò humilis loci ſtructura, ſedes, atq; ſolitudo, quæ omnia animum in
Deum excitant, ipſiq; beato patri gratiſſima ſemper fuêre, (ſi indicijs aliquando adhę-
rere liceat) teſtantur. Quicquid tamen ſit, ipſum ex pijs adiacentium populorum elee-
moſynis ſemel, atq; ſecundò eſſe erectum manifeſtiſſimum eſt. Ceſſit ſiquidem poſt pri-
mam ſui ædificationem maximo cuidam terremotui, cui illa patria maximè patet, atq;
dilabentibus ad terram inualidis muris, ſolo æquatum eſt. Cui malo applicaturi reme-
dium præfati populi, ipſum ex ſtabiliori materia, firmioribusq; parietibus reædificari
curarunt. Hoc in loco diem clauſit extremum ſummæ religionis, doctrinæ, atq; ſan-
ctitatis pater frater Stephanus à Molina (cuius ſuperius curſim meminimus) natione B
Hiſpanus, atq; Minoriticæ Reformationis hac in Prouincia Romana, immo & per vni-
uerſam Italiam author, & inſtitutor: cuius corpus fortuitò poſt elapſum biennium ef-
foſſa terra exhumatum, ob ſummam humilitatem, caſtitatem, obedientiam, cæteraſq;
virtutes, quas mirificè excoluit, vitæq; candorem, imputre omnino atq; incorruptum
inuentum eſt. Qua etiam de cauſa tum apud Reformatos huius ſacræ ædis fratres, qui
frequentius ſunt 8. tum quoq; apud ſęculares, in maxima veneratione eſt. Plura etiam
alia de hac antiquiſſima domo dicere poſſemus, ſi ſcripturę vel fratrum incuria, vel fre-
quenti terremotu deperditæ ſupereſſent.

De monaſterio SS. Coſmæ & Damiani Romæ. Mon. I.

CVM ſub ſtrenuis Ordinis noſtris Reformatoribus, Regularisq; Obſeruãtiæ apud C
Ciſmontanos (vt præfati ſumus) authoribus, beatis videlicet patribus Bernardino
de Senis, ac Ioanne Capiſtrano, nobiles quædam, atq; deuotæ virgines ex Sulmone Pe-
lignorum ciuitate apud Brutios oriundæ, proprijs laribus, charaq; patria relictis, Fo-
rum Flaminij (vulgò Foligno) ſe contuliſſent, ibidemq; conſtructo ex communibus fa-
cultatibus monaſteriolo, ſub habitu, atq; ſecunda beatæ virginis Claræ Regula (quam
Vrbaniſtam vocant) ſanctiſſimè, laudabiliterq; aliquandiu vixiſſent, tum Peruſini, tum
quoq; Romani ciues aliquot ex eis, vt conſtruendis à ſe conuentibus præeſſent, aduen-
tanteſq; ad eos iuuenculas optimis moribus, religioſiſq; ritibus imbuerent, ex Apoſto-
lica auctoritate, ad ſe adduci curarunt. Cùmq; ſacra ſanctæ Apolloniæ de Oliua ædes
in vrbe aſſignata, ob ſui anguſtiam, minus illis faueret, Sixtus IIII. Pont. max. an-
no Iubilei, Dominicæ videlicet Incarnationis 1475. Benedictinorum patrum conuen- D
tum Tranſtiberim, ſub ſanctorum Coſmæ & Damiani inuocatione, eo videlicet in loco
in quo olim Caij Iulij Cæſaris Naumachia, ideſt ſphericus lacus naualibus ludis exer-
cendis deſtinatus, conſtiterat, erectum, ampliſſimis hortis, abundantibusq; redditibus,
atq; eleganti eccleſia ſibi adiunctis, in meliorem, capacioremq; formam transferri, eiſq;
tradi curauit. Inſuper & profundiſſimi cuiuſdam putei inſaluberrimas aquas ſigno cru-
cis correxit, potabileſq; reddidit. Ab eo igitur tempore ſacra hæc domus, ex qua tan-
quam ex equo Troiano plura ſanctimonialium ſeminaria, famoſaq; monaſteria, ſcili-
cet ſancti Laurentij panis Pernæ in Vrbe, Simonis & Iudæ Viterbij, ſanctæ Claræ Or-
beti, atq; ſanctæ Mariæ de Gratijs Ciuitatis Caſtellanæ prôdierunt, ſororibus Clariſſis,
ſed Vrbaniſtis, deſeruit: quarum religio, & ſanctitas vix exprimi poſſunt. Vnde & earũ
plurimæ, nõ abſq; ſanctitatis nota, ex hac vita ad aſtra migrarũt. Sunt autẽ numero 60. E

De monaſterio S. Laurentij panis Pernæ Romæ. Mon. II.

IN altera Exquilini, Biſidatiq; montis parte, qui non ipſam naturam, ſed Tullum
Hoſtilium Romanorum Regem (ſi Tito Liuio auris accommodanda veniat) ſui au-
thorem habuit, vbi Olimpiades thermæ, quæ & ab aliquibus Nouatianæ dictæ ſunt,
Apolliniſq; templum, ac Decij Imperatoris palatium præextiterant, ſtrenuuſq; Chri-
ſti athleta Laurentius in craticula aſſatus, glorioſo martyrio coronatus fuit, eccleſia
quędam in eiuſdem ſancti martyris honorem à fidelibus Chriſtianis conſtructa eſt. Quę
tandem à Longobardis poſtea ad terram deiecta, à pientiſſimo quodam Santulo Hur-
ſino presbytero, ſub eodem prorſus titulo reædificata extitit. Cui & panis Pernę cogno-
men à ſequenti euentu euenit. Laborabat ſiquidem, dum fortè fortuna ædificaretur,

A vrbs Roma maxima panis penuria: cumq; latomis, cæterisq; cœmentarijs conque-
rentibus, ac cœpti operis deſertionem, niſi ſibi de pane prouideretur, minitantibus,
anxius presbyter cunctas domos luſtraret, in cuiuſdam pauperculæ mulieris, nomine
Pernæ, furnum eccleſiæ contiguum, quem adhuc ſub eadem cernere licet, incidit,
inibiq; derelictum, magnęq;quantitatis, atq; excellentiſſimæ albedinis panem, ad nul-
lum tamen ſpectantem, inuenit. Quem tamen acceptum,atq; in partes diuiſum opera-
rijs diſtribuit. Quibus omnibus optimè refectis tantum reſidui fuit, vt ad aliquot dies
illis ſuffecerit. Quod miraculo (vt par erat) tribuens pius ipſe Santulus voluit, vt præ-
fata eccleſia diui Laurentij panis Pernæ in poſterum appellitaretur. Excreſcentibus ve-
rò mirum in modum præfati monaſterij ſanctorum Coſmæ & Damiani ſororibus, an-
no à Chriſto Seruatore nato 1517. ex conceſſione tamē Leonis X. Pont. max. illarū 12.
B adiunctis ſibi quamplurimis ſęcularibus virginibus,quę Religioni mācipari cupiebant,
atq; in earum Abbatiſſam electa nobiliſſima, pariterq; religioſiſſima ſorore Violante
Sabellica, huicmet eccleſiæ, quam & pro modulo refecerunt, hoc monaſterium anne-
xuêre, ad ipſumq; ſe tranſtulerunt. Quarum auſpicijs adeò excreuit, vt ſuo progeni-
tori tum elegantiæ, tum magnitudinis, tum nobilitatis atq; reddituum, tum quoq;
nominis (nullo interim pacto ſibi,in his quæ Religionem concernunt, vel in minimo,
cedens) palmā facillimè præripiat, & 80. Vrbaniſtas moniales Clariſſas,& vltra conti-
neat.Plures ꝑterea SS.reliquię in huius ſacri monaſterij eccleſia honorificētiſſimè recō-
ditæ ſunt: altera videlicet ex diui Philippi Apoſtoli maxillis, SS. Criſpini & Criſpiniani
corpora,itidem ſancti Marmenei martyris corpus, altera ex S. Brigitæ ſcapulis, S. Hip-
polyti martyris caput,quidam S. Lucij dens,pinguedinis, oſſium, carniumq; beati Lau-
rentij eius patroni partes, inſuper & craticula in qua aſſatus fuit, atq; beatæ cuiuſdam
C ſororis Margaretæ de illuſtriſſima Columnę proſapia oriundæ venerabile corpus.

De monaſterio S. Syluestri in campo ibidem. Con. III.

VBI olim Domitiani Imperatoris thermæ, atq; naumachia præextiterant, atq;
propè eiuſdem Domitiani arcum, qui communiter Portugalliæ nuncupatur, ec-
cleſia quædam à Simaco Pontifice maximo, huiusq; nominis primo, in honorem ſan-
cti Sylueſtri in campo ædificata fuit, quam poſtea refectam, atq; maiori ex parte reſar-
citam,adiuncto ſibi capaciſſimo monaſterio,ex Apoſtolica auctoritate,Clariſſę monia-
les Vrbaniſtæ inhabitarunt,atq; in pręſentem vſq; diem 40.earum occupant,& ſacrum
Seruatoris noſtri Chriſti ſudarium ad Abagarum Regem ab eodē tranſmiſſum,ſanctiq;
Ioannis Baptiſtæ caput cuſtodiunt. Sunt quoq; & plura ſanctorum corpora in huius
D conuētus eccleſia honorificè recondita,quorū nomina prolixitatis vitādæ ergò reticeo.

De monaſterio S. Apolloniæ de Oliua ibidem. Con. IV.

EA regio,quæ ex altera Tiberini fluminis parte ad Ianiculū tendit, plurimis olim
nominibus appellata fuit. Nā ab aliquibus Tiberinū caſtrum ab alijs verò Taber-
na emerita,ꝙ à Romano ſenatu emeritis militibus in habitationē cōceſſa fuerit,ab alijs
autē Rauenatū ciuitas, quòd à Rauennatibus militibus,maiori ex parte, inhabitaretur,
dicebatur. In hac ergo regione, iuxta famoſum ſanctæ Mariæ Tranſtiberinæ templū,
ex quo per 24. continuas horas in ipſo Dominicę Natiuitatis die ad fluuium vſq; Tibe-
rim oleū, ſcaturiētibus ex quodā fonticulo abundātiſſimis venis, emanauit,bina ſororū
Tertiariarum monaſteria, alterū quidem S.Margaretæ ſacrū,alterū verò beatę Apollo-
nię(de quo impręſentiarū)dicatū,cōſtructa ſunt.Sed in hoc 20.tantū ſorores inhabitāt.
E

De monaſterio S. Margaretæ de Scala ibidem. Mon. V.

A PRÆCEDENTI monaſterio vix 100. paſſus diſtat hic conuentus beatæ
Margaretę de Scala ſacer,quem 30. Tertiariæ ſorores inhabitant.Et ſicut vtriusq;
fundator ignoratur,ita quoq; amborū eadē pęnitus eſt conditio. Nā iſtius ſicut & illius
moniales à Pio V.Pont. max.maioris honeſtatis atq; religionis cauſa, ad quartū (clau-
ſurę ſcilicet)votū emittēdū coactę ſunt: & vtraq; domus maximis indulgētijs,adueniēte
ſuæ patronæ atque tutelaris die feſto, ſingulis annis ex Apoſtolica conceſſione gaudet.

De Monaſterio ſancti Jacobi Moractæ ibidem. Mon. VI.

CVPIENS Pius V. Pont. max. omne periculum à Tertiarijs ſororibus longè ex-
ploſum, eas ad clauſuram ſeruandam, (vt ſupra tetigimus) edito Apoſtolico bre-
ui, conſul-

ui,cõſultiſſimè adegit.Cũq; cerneret illas diuerſis in monaſteriolis diſtinctas pauperta- A
te premi,vixq; domi poſſe cõtineri,vt ſimul iunctę facilius coaleſcerẽt, neceſſitatibusq;
obuiarẽt,atq; clauſurã ſeruarẽt,ex quatuor locellis vnũ conflare decreuit. Quamobrem
quotquot erãt huiuſmodi ſorores in conuẽtu S.Eliſabethę,atq; in alijs duobus ſibi ſimi-
libus,ad hunc locũ diuo Iacobo Moractę,ſiue de Moractis ſacrũ atq; propè fontẽ Treij,
ſiue aquam Virginem in Vrbe ſitum,transferri,cęterisq; ibidem pręexiſtentibus adiun-
gi curauit. Quæ omnes ſimul annumeratæ quinquagenarium numerum complent.

De monaſterio ſancti Bernardini ibidem. Mon. VII.

EXTAT & aliud Tertiariarum monaſterium in Vrbe pręcedenti perſimile, bea-
toq; patri Bernardino de Senis dicatum, atq; à 20. ſororibus vel circiter inhabita-
tum, quod inter duas eccleſias, ſancti Adriani videlicet, & ſancti Saluatoris,ſiue Spolij
Chriſti, ab inconſutili Seruatoris noſtri Chriſti tunica diu ibidem aſſeruata,ſic dictam, B
atq; propè eum locum,quem famoſum Romanorum ærarium olim obtinuit, ſitum eſt.

De monaſterio S.Crucis ſiue Montis Citorij etiam Romæ. Mon VIII.

FVERVNT olim in monte Citorio,qui & cãpus Martius,à citatis olim Romanis
pro Tribunorũ electione ſic dicto,nõ longè à Curtio lacu,Antoniniq; Pij columna,
bina Tertiariarũ parua, ſibiq; contigua monaſteria, quę etiam ex Pij V. ſummi Pontifi-
cis mandato, permixtis ſimulq; iunctis ſororibus,quę numero ſunt 30. & vltra,in vnũ,
idq; ſatis capax atq; ipſis continẽdis omnino idoneum,ſub titulo S.Crucis, redacta ſunt.

De monaſterio S. Bernardini Viterbij. Mon. IX.

CVM beatus pater Bernardinus de Senis quadrageſimales Viterbij conciones ha-
beret, à Viterbienſi ſenatu obnixè rogatus fuit, vt ſororum de Tertio Seraphici C
patris Franciſci Ordine monaſterium, ex auctoritate ſibi à ſummo Pontifice facta,
apud ſe erigere vellet. Cuius deniq; votis beatus pater annuens,quatuor eiuſdem Inſti-
tuti moniales, nempè ſorores Terentiam, Roſatam, Lætitiam, atq; Orificam ex Ful-
ginate conuentu, cuius tunc pręcipua laus eo in Ordine erat, euocauit, illiſq; eccleſiam
ſanctæ Agnetis Viterbienſibus muris cinctam, atq; à pręfato ſenatu oblatam, in habi-
tationem contulit. Quarum fama permoti tum Viterbienſes, tum quoq; alij fideles
quamplurimi,proprias ei filias mancipandas,atq; notabilia bona conferenda curarunt.
A primo tamen ſuæ habitationis tempore vſq; ad ſancti Bernardini mortem,eius inqui-
linæ pauperes ſanctæ Agnetis ſorores paſſim nuncupatæ fuerunt. Sed eo patre inter
ſanctos relato, antiquiori titulo mutato, moniales ſancti Bernardini in poſterum dici D
voluernnt. Quo etiam nomine earum eccleſia gaudet. Poſſet hauddubiè citra aliorum
eiuſdem Inſtituti conuentuum iniuriam tum nobilitatis, tum elegantiæ, tum quoq;
ſanctimonię atq; numeroſitatis (continet ſiquidem 80. ſacras virgines, eoq; amplius)
palma ſibi concedi. Cuius eccleſia quadam coſta glorioſi martyris Laurentij, pileoloq;
B.P.Ioannis Capiſtrani,atq; corda B. Bernardini de Senis honeſtatur: plurimiſq; priui-
legijs tum temporalibus,tum quoq; ſpiritualibus ſibi à ſummis Pont. Eugenio IV. Ni-
colao V.Calixto III.Pio II.Paulo II.Paulo itidẽ III.conceſſis elegãtiſſimè honeſtatur.

De monaſterio SS. Simonis & Iudæ ibidem. Mon. X.

ACCIDIT anno Chriſti 1333. Ioanne XXII.Pont.max.ſedente,vt quibuſdam
ſororibus de Tertio B.P.Franciſci Ordine in peculiari quadam domo Viterbii ha- E
bitantibus, ij fratres Armenij,atq; Ordinis B P. Baſilii alumni, qui monaſterium SS. Si-
monis & Iudæ ibidem incolebant, nunquam reuerſuri recederent, & præfatum eorum
monaſterium, Viterbienſibus id maximè ſolicitantibus, ex Apoſtolica auctoritate, prę-
dictis monialibus conferretur, vbi poſtquam per 160. annos commoratæ fuiſſent, ex
mãdato Alexãdri VI Pont.max.ab 8.Clariſſis monialibus ex conuẽtu SS.Coſmę & Da-
miani de vrbe eductis, eoq; trãſmiſſis,reformatæ,atq; in Regulã B.Claræ verba facere,
inſuper & clauſurã ex ſolemni voto promittere coactę ſunt. Eius bulla,data anno Do-
mini 1492. in huius loci archiuo aſſeruatur. Cui adiacent aliæ duæ. Altera quidem
Sixti IIII. Pont. max. data anno 1473. qua ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœ-
na omnibus Pontificijs officiarijs Viterbij agentibus interdicitur, ne quoquo modo hu-
ius loci ſo rores moleſtare,aut diuexare præſumant.Et alia Leonis X.ſummi itidem Pon
tificis,

A tificis, data anno 1517. qua prȩfatȩ huius loci ſorores à qualibet decima pendenda eximuntur. Ex hoc religioſo monaſterio prodiêre, anno Dñi 1508. octo ſorores, vt B. Claræ conuentū Orbeti erectū fundarent, monaſticisq; ritibus aduentātes inſtruerent. Totidē quoq; prodierūt anno 1507. vt idipſum Clariſſarū conuentui Romæ, ſub inuocatione S. Syluestri, conſtructo præſtarent. Nec SS. reliquijs carent huius loci ſorores, quȩ numero ſunt 60. cùm penes ſe habeant veli B. V. Mariȩ particulā, aliquot oſſa ex SS. Innocentibus, ampullā ſanguine S. Martini Papæ & martyris refertā, habitus B. P. Frãciſci partē, & mãtelli B. Clarȩ tantundē: inſuper & plures alias reliqas, ſed abſq; noībus, & titulis.

De monaſterio S. Michaelis Archangeli Tiburis. Mon. XI.

TIBVRTINIS id maximè cupientibus, atq; ſolicitantibus antiquior ſancti Ioannis Caſtriueteris eccleſia muris Tiburtinæ ciuitatis circundata, in iuſtum mo-
B naſterium, ſub inuocatione S. Michaëlis Archangeli, anno à Chriſto nato 1543. euaſit. Cuius primæ fundatrices fuêre religioſiſſimæ ſorores Euangeliſta à Sublacu, Eliſabetha Verulenſis, Agatha à Paliano, atq; aliæ duæ, quȩ omnes ex religioſiſſimo conuentu ſancti Laurentij panis Pernæ de Vrbe eductæ, huic præſenti initium dedêre fœliciſſimum, adeoq; bonis moribus, ſanctiſſimisq; cœremonijs aduentantes virgines imbuerunt, vt plurima eiuſdem Inſtituti loca longè poſt ſe relinquat. Harum ſacrarum virginum prima, nempe ſoror Euangeliſta ſanctorum Laurentij, atq; Hippolyti martyrum præſentia, pluribusq; diuinis immiſſionibus, ob profundiſſimam humilitatem, maximamq; patientiam, atq; alias, quas ſummè coluit, virtutes, dignari meruit. Inhabitatur deniq; hic locus à 35. monialibus de prima beatæ virginis Claræ Regula.

De monaſterio ſanctæ Eliſabethæ Tiburis. Mon. XII.

C CVM honeſtiſſima quædam, nobilisq; matrona, nomine Ludouica Maraconia, ac patria Tiburtina ex viri morte cū vnica tantū fęminea prole, cui quoq; Ludouica nomē fuit, vidua remãſiſſet, nolletq; eius filia viro copulari, ſed mallet, religioſis virginibus coniungi: pia mater propriā habitationis domū, ex domeſtico patrimonio, in hoc ſacrū monaſteriū Tiburtinis mœnijs cinctū, ſub titulo S. Eliſabethæ, circa annū 1464. promouendā, atq; huic Romanæ Prouinciæ, Apoſtolica ſibi auctoritate fauēte, adijciendā curauit; atq; Tertiariarū Ordinis B.P. Franciſci ſororibus habitū vnà cū ſibi adhærēti filia induta, ipſamq; ingreſſa huic ſacrȩ ædi fęliciſſimū dedit initiū. Cuius pietatē cū plurimæ aliæ virgines, honeſtæq; matronæ inuitatȩ fuiſſent, ſibiq; adhęſiſſent, neophita domus mirū in modū florere cœpit, atq; intra breuiſſimi tēporis ſpatiū optimū nomē aſſe-
D quuta eſt. Qđ vſq; impſentiarū retinēs 25. eiuſdē Ordinis ſorores cōmodiſſimè cōtinet.

De monaſterio ſanctæ Claræ Reatis. Mon. XIII.

NISI nos libellus quidā manuſcriptus de hui⁹ loci, q cęteris Reatinis monaſterijs, iure antiquitatis prȩferendus venit, certiores reddidiſſet, in ęquiuoco ſanè (vt aiūt) laboraſſemus. Nā alijs eius origo à 100. annis, alijs verò à 200. deducitur. Id tamē dubij huiuſce libelli teſtimonio è medio tollitur. Ex quo quidē edocemur præſentē conuentū, qui B.V. Clarȩ ſacer exiſtit, atq; muris Reatinȩ ciuitatis circumſcribitur, à 200. annis & vltra, ſub pauperrimis quibuſdam Tertiarijs ſororibus Franciſcanis initium ſumpſiſſe. Quibus deniq; mirum in modum multiplicatis, aliquot eiuſdē Ordinis religioſæ ex ſanctæ Annæ monaſterio Fori Flaminij erecto, allatȩ ſunt, quȩ ipſis perfectionis viā oſten-
E derent. Quarum deniq; auſpicijs hic locus tantopere creuit, vt 60. ſorores contineat, & altera ex ſagittis, quibus diuus martyr Sebaſtianus confixus fuit, & beati patris Bernardini de Senis baculo, atq; beati itidem patris Pauli Franciſcani palliolo exornetur.

De monaſtario S. Claræ Orbeti. Mon. XIV.

QVINQVAGINTA ſacræ virgines Clariſſæ, ſed Vrbaniſtæ, quȩ hoc ſacrum monaſterium in honorem ſanctæ Claræ Orbeti (de quo ſupra) erectum, impreſentiarum incolunt, religioſas eiuſdem Ordinis, ac conuentus ſanctorum Coſmæ & Damiani de Vrbe ſorores, à quibus olim prodierunt, tanquam fundatrices, ſuſpiciūt, veneranturq;. Quarum etiam veſtigijs inhærentes optimè apud Orbetenſes audiunt.



Prouincia

A

Prouincia Marchiæ.

MARCHIÆ Prouincia ab ea Italiæ portione, Marchia videlicet ſiue, vt
antiquis placet, Piceno, quæ ſibi contingit ita dicta, atq; in totius Heſpe-
riæ vmbilico ferè conſtituta, ad Septētrionem vergit: eiusq; longitudo ad
centum triginta milliaria, latitudo verò ad quinquaginta tantum proten-
ditur, atq; montem Apenninum à Meridie, Adriaticum mare ab Aquilo-
ne, Vmbriam ſimulatq; Hetruriam ab Occidente, Brutios verò ab Oriente contermi-
nos habet. Maridaq; inſuper & Truento fluminibus, iſto quidem à ſolis ortu, ſed illo
ab eius occaſu clauditur. Hæc igitur Prouincia plurimis olim grauiſſimis viris, atq; bea-
tis patribus fratribusq; illuſtris, nullam aliam ſui genitricem, ſiue auctricem agnoſcit,
B nullamq; etiam aliam nobis peperit, ſed ſua tantum ſorte contenta, quam à Seraphico
patre Franciſco ſe accepiſſe fatetur, ſuis ſe pellibus continet. Conſtat præterea ex 57.
fratrum conuentibus, atq; ex 15. ſanctimonialium monaſterijs, de quibus latius ſuo cu-
iusq; loco (pro ſolito more) agemus. Maius eius ſigillum Deiparæ Virginis imaginem
ſub tricamerato fornice ſtantem, puerumq; Ieſum in vlnis geſtantem, ſub cuius pedi-
bus pauperum Patriarcha Franciſcus genuflexus, manibusq; ad pectus iunctis ſupplex
orat, necnon & ſequentes literas: Sigillum R.P. Miniſtri Prouinciȩ Marchiæ, orbicula-
riter imprimit. Ea tamē de cauſa ſibi ſimulachrum glorioſiſſimæ Virginis Mariæ de Lo-
reto præponere volui, quòd Lauretana domus, quæ in toto terrarum orbe famoſiſſima
eſt, ſuis finibus circumſcribatur.

C

De conuentu ſancti Franciſci altioris Anconæ. Conu. I.

CONSCENSVRVS Seraphicus pater Frāciſcus ſub Honorio III. Pont. max.
anno Dominicæ Incarnationis 1220. Anconæ, quæ Piceni maritima mercalisq;
ciuitas, nec non & metropolis eſt, nauim, vt in Ægyptum ad Soldanum Orthodoxæ
fidei prædicandæ, martyrijq; ſubeundi ergò transfretaret, Anconitanum ſenatum ro-
gauit, vt ſibi, ſuisq; fratribus conuentum ibidem erigere vellet: qui pro ſua in patrem,
piamq; eius prolem pietate, dicto ex tempore audiens, curauit vt ex ære publico intra
eiuſdem ciuitatis vallum, in loco quodam eminentiori, vnde & gratiſſimus, tum ad
Adriaticum mare, tum ad vniuerſam vrbem, tum quoq; ad omnem circumquaque
regionem, præcipuè verò ad portum, patet proſpectus, non longè ab ipſa ciuitatis mu-
D nitione ſiue caſtro, conuentus hic, qui poſt eiuſdem Seraphici patris mortem eidem ſa-
cratus euaſit, magnificè, auguſteq; ſatis conſtrueretur, ædificareturq;. Cumq; idem pa-
ter ex ſua peregrinatione rediens Anconem appuliſſet, cœptumq; opus nondum tamen
perfectum perluſtraſſet, ipſum, quòd paupertatis metam excederet, reſtringi atq; ſic in
compendium redactum abſolui ab eodem ſenatu curauit. Quo & in ſtatu per ducentos
ferè annos ſubſtitit, fratribusq; commodè ſatis inſeruiuit. Circa annum tamen huma-
næ ſalutis 1425. deuotus hic locus à beato nobiliq; patre Gabriele Anconitano Ferret-
to refectus, ampliatus, atq; in eam, quam modò induit formam, tranſlatus eſt. Cui ſuc-
cedens venerandus pater frater Bernardinus Anconitanus ex eadem Ferretorum nobili
familia prognatus, nobiliſſimum ſacellum glorioſiſſimæ Virginis Mariæ Aſſumptioni
ſacrum, vbi & plurima contingunt miracula, adiecit, quod & Anconitani ſenatus ob-
E ſequijs perpetuò mancipauit. Quapropter ſingulis Aſſumptionis diebus feſtiuis, concur-
rente vniuerſa ciuium multitudine, ſolemniſſimè ſummum ibi celebratur ſacrum, ac
poſt celeberrimam ſupplicationem ſacra ad populū habetur concio. Cognominatur au-
tem ſacra hæc domus, quā amœna quædam ſylua elegantiſſimè exornat, & 30. fratres
inhabitāt, nec non & Philoſophica, Theologicaq; ſcholȩ commendatiſſimā reddunt, al-
tior, tum à ſitus altitudine, in qua fundata toti imminet ciuitati, tum quoq; ad diſtinctio-
nē eius monaſterij, quod patribus Frāciſcanis Conuētualibus deſeruit, nomineq; S. Frā-
ciſci de Scala nuncupatur. Diem clauſit extremū hoc in monaſterio præfatus pater Ga-
briel Ferrettus ſiue Anconitanus, ſub Calixto III. Pont. max. ſepultusq; fuit de reli-
gioſo more ſub humili antiquioris eccleſiæ pauimento (habet ſiquidem conuentus

iſte duas eccleſias, nouam ſcilicet & veterem, iſtam quidem ſub beato patre Franciſco A ædificatam, illam verò ab iſtomet beato patre conſtructam) cumq; mirum in modum miraculis coruſcaret, præfatus ſummus Pontifex Calixtus III. beato patri Iacobo à monte Prandone huiuſmodi miraculorum diſquirendorum negocium commiſit: qui iniuncto muneri facturus ſatis Anconem contēdit, omniaq; quàm diligentiſſimè rimatus, integrum libellum de eius morte atq; miraculis conſcripſit, relictoq; eius exemplari in huius loci archiuo, quod & vſq; impreſentiarum perſeuerat, Romam repedauit, illumq; Pont. max. obtulit. Quo perlecto pręcepit, vt exhumatum eius corpus in loco eminentiori nobilioriq;, ſed abſq; pompa, collocaretur. Fratres igitur illud, iuxta Pontificis mandatum, ad præparatum ſibi ex polito lapide ſepulchrum, quod præcipuam præfatæ antiquioris eccleſiæ portam ingredientibus ad leuam occurrit, protinus tranſtulerunt: Inibiq; per quandam feneſtellam ex induſtria fabrefactam inte- B grum omnino, & imputre adhuc conſpicitur, cuius fragrantia ſuauiſſimusq; odor accedentes mirabiliter recreat. Calixtinam bullam de huiuſmodi tranſlatione facienda qui perlegere deſiderauerit, fratrum archiuum petat.

De conuentu Annunciationis B. Mariæ Aſcoli. *Conu. II.*

ABSVMPTIS à conſummente flamma, quæ olim Ciuicam domum in fauillam redegit, omnibus ſcripturis ad antiquorum traditionem recurrere oportet. A qua tamen edocemur Minoriticum hunc locum glorioſæ Annunciationi ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ ſacrum, atq; intra Aſculanæ ciuitatis mœnia ſitum, ex publicis ciuium prouentibus eo in loco, in quo olim Polimij Aſculani Regis palatium ſubſtitit, C ædificatum fuiſſe: qui quidem locus amœnus eſt atq; accliuis, caſtroq; vicinus, vnde & maior ciuitatis pars proſpici facillimè poteſt. Conſtat etiam ex eadem traditione hoc monaſterium aliquando ad quoſdam monachos pertinuiſſe, ſed cuius fuerint Ordinis, quouè tempore ab ijs ad Franciſcanos tranſlatum ſit, vel cuius Pontificis auctoritate id contigerit, ex ea nullo pacto haberi potuit. Quapropter his ſuperſedere decreui, ſi paucula prius de Aſculanæ ciuitatis ſitu, & dignitate, atq; de fratrum numero dixerim. Commorantur igitur in hac ſacra domo 23. fratres, ſacrorumq; Canonum ſtudio ſedulò incumbunt. Ipſa verò ciuitas, quæ & antiquiſſima eſt, & ad Picenum ſpectat, olimq; Arpinum (niſi veterum quorundam authorum teſtimonium nos fallit) dicebatur, duplici flumine alluitur, cingiturq;, Caſtellano ſcilicet, & Truento, qui Pi- D cenum à Neapolitano Regno diſterminat, diſtinguitq;, quo quidem vtroq; flumine, & munitiſſimo caſtro in eodem erecto, fœcundior, fortior, atq; elegantior redditur.

De conuentu S. Sabini ibidem. *Conu. III.*

AEDIFICARAT olim Aſculanus ſenatus, ad mille paſſus ab eius ciuitate vltra Truentum flumē, in Regno quidem Neapolitano, ſed in Aſculano territorio, in ſupercilio eminentis cuiuſdam amœni montis, cui collis Columbarius nomen eſt, monialibus Benedictinis hoc monaſterium beato Sabino dicatum, vti certiſſima traditio certius aſſerit (nam exuſtis vti prædiximus ſcripturis, ad eam, tanquam ad tutiſſimū aſylum, confugere neceſſum eſt) ex publico ærario: Cumq; earum fama ob huiuſmodi ſolitudinem periclitaretur, curauit, vt ædificato ad earundem habitationem ex eodem E ærario alio intra ciuitatis muros nouo monaſterio, hoc quod antiquius erat fratribus noſtris, penſa in ſingulos annos præfatis ſororibus vnica tantum ceræ libra, in vſum & habitationem traderetur, & ſorores ad illud transferrentur. De qua quidem tranſlatione extat adhuc penes eaſdem moniales Pontificia quædam bulla, ſiue potius eius bullæ authenticum tranſumptum. Licèt ſacra hæc ædes, quam frequentius 6. fratres inhabitant, inter montes ædificata ſit, nihilominus tamen ita diſpoſita, vt eius accolę ex vna parte totam ciuitatem, ex altera patentiſſimos Neapolitani Regni campos, atq; præter labentem Truentum flumen, & ex altera mare ad quindecim milliaria inde diſtans facillimè, atque delectabiliter contueri poſſint. Mirabile dictu eſt, quanta in hunc locum, atque in ſanctum Sabinum eius patronum deuotione Aſculani ciues, præſertim verò mulieres

A mulieres ferantur ; quam vel hinc ſaltem colligere licet. Nam & puerolos ſemineces poſtpoſitis medicis in dies ſummo altari exponunt, beatoq; Sabino offerunt, quos & rediuiuos ſæpe ſæpius recipiunt, & frequentiſſima vota in neceſſitatibus promiſſa fideliter reddunt, & eccleſiam ſumma cum deuotione frequentant, atque tandem fratribus neceſſaria liberaliter miniſtrant.

De conuentu ſancti Georgij ibidem. Conu. IV.

AD ſecundum milliare ab eadem Aſculana ciuitate Meridiem verſus, non longè à præfati fluminis Caſtellani margine, in loco quodam accliuiori & nemoroſo, conuentus hic diuo Georgio in Granitis ſacer ædificatus eſt. Cuius antiquitas ob ſcripturarum
B conflagrationem penitus ignoratur. Conſtructus tamen aſſeritur à communitate Aſculana, ex publicis redditibus, in gratiam Clarenorum fratrum, ſub quibus & fuit vſque ad annum Domini 1568. quo ijs reformatis, atq; Regulari Obſeruantię mancipatis huic Prouinciæ acceſſit. Dicitur autem in Granitis à circunſtante regione huiuſcemodi nomine nuncupata. Aſculanorum ad hunc locum deuotio tantò maior eſt, quantò is magis ab eorum ciuitate diſtat, quantòq; ob frequentia miracula à beato Georgio martyre, cuius pollex cum alijs plurimis Terræ ſanctæ reliquijs ibidem religiosè aſſeruatur, edita illuſtrior redditur, ac deniq; quantò magis ab 8. fratribus eius accolis diligentius, fideliusq; Altiſſimo inſeruitur.

C
De conuentu ſanctæ Mariæ Gratiarum montis Prandonij. Conu. V.

LICET pagi montis Prandonij pia communitas diuitijs minimè afflueret, ſed pauperie potius præmeretur, nihiloſecius conuentum hunc ſanctiſſimæ Mariæ de Gratijs ſacrum, communibus ſumptibus ex facultate Nicolai V. Pont. max. anno à lætabunda Chriſti Natiuitate 1449. ad primum lapidem à communi pago præfato, in cuiuſdam delitioſi collis iugulo, atq; in ſui compatriotæ beati ſcilicet patris Iacobi à monte Prandone ſiue Prandonio gratiam ædificari curauit, illumq; omni ex parte perfectum ſibi tradidit, nec minus liberaliter 14. fratres eius incolas pauit. Cuius pietatem ſequuta, quæ ſibi vſq; impreſentiarum ſucceſſit, nihil magis quàm eorum neceſſitates curat. Locus hic amœnus eſt omnino, contemplationiq; aptiſſimus, nam & ſolitudine atq; ampliſſimis hortis ex vna parte, & pulcherrimo conſitoq; querceto
D ex altera gaudet, duobusq; tantum milliarijs à præfato Truento flumine diſtat. In eius etiam ſummo altari fuſilis quædam beatæ Virginis Mariæ imago erecta conſiſtit, quæ plurimis coruſcat miraculis. Hanc præmemoratus beatus pater Iacobus ex vrbe Roma religioſiſſimè contulit, & conuicini populi maxima veneratione proſequuntur. In archiuo verò & Nicolai V. ſummi Pontificis bulla data Fabriani 22. Auguſti, anno Domini 1449. quæ huius ſacræ ædis ædificationem concernit, & eius bullæ, quæ ad beati patris Bernardini de Senis canonizationem ſpectat, authenticum tranſumptum fideliſſimè aſſeruantur. Atqui in ſacrario beati patris Iacobi à monte Prandone habitus, capucium, mantellus, quo Dæmones ab obſeſſorum corporibus fugantur, calendarium, diurnale, breuiarium, pluresq; libri, & Pontificiæ commiſſiones ad ipſum
E datæ, inſuper & beati Ioannis Capiſtrani mantellus cuſtodiuntur. Honeſtatur præterea ſacra hæc domus deuotiſſimo quodam Crucifixo, & pulcherrima Deiparæ Virginis imagine in tabella depicta, ex qua fideles plura referunt beneficia. Vtraq; hæc imago ad eundem beatum patrem Iacobum ſpectauit. Tum demum & ex conceſſione præfati ſummi Pontificis Nicolai V. ad perpetuam rei memoriam, quicunq; in ſanctiſſimæ Dei genitricis, ſanctorumq; Franciſci, Antonij, Ludouici, Bernardini atq; Clarę feſtiuitatibus hoc templũ viſitauerit, manusq; adiutrices ꝑ eius conſeruatione porrexerit, quinq; annorũ, totidemq; quadragenarũ indulgentiã promerebitur. De laudabili, inuiolabiliq; more aſſueuerunt huius monaſterij patres ac fratres ſingulis diebus poſt Completorium deuotã hanc ſubſequentem antiphonam, ſimul & verſum cũ oratione, in honorẽ pręfati B.P. Iacobi de Marchia, ſiue de monte Prãdone decãtare, Antiphona.

Gemma lucens paupertatis, roſa rubens charitatis, martyr deſiderio, vas totius puritatis, A *ſpeculumq; caſtitatis, præconum gloria; Decus morum & Minorum, prædicator verbi Dei, extirpator hæreſum, tu forma ſanctitatis Iacobe beatiſſime. ℣. Ora pro nobis beate Iacobe. ℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.* Oratio. *Deus qui prædicationibus beati Iacobi Eccleſiam tuam erudire dignatus es, eius nos quæſumus tribue meritis adiuuari, cuius commemoratione lætamur. Per Chriſtum dominum noſtrum. Amen.* Profecto ſi vellemus omnes Apoſtolicas literas pro diuerſis munijs obeundis, ad prȩfatum beatum patrem Iacobum à diuerſis ſummis Pontificibus tranſmiſſas, hocq; in loco aſſeruatas, in medium adducere, prolixitatis notam minimè effugeremus: quapropter qui eas videre deſiderauerit, fratrum eius accolarum archiuum cōſulat, ſibiq; plus quàm ſatisfactum eſſe intelliget. De ipſius autem vita, moribus, & ſanctitate, non eſt quòd imprȩſentiarum agamus, cum de his à reuerendiſſimo patre fratre Marco Olyſſiponenſi Minorita, Portuenſiq; B apud Luſitanos Epiſcopo, in 3. ſui operis parte abundanter dictum ſit.

De conuentu S. Franciſci Offidæ. Conu. VI.

CONVENTIONE inter Offidanum ſenatum atq; venerabilem patrem fratrem Thomam ab Auximo, huius tunc Prouinciæ Vicarium Prouincialem, anno Dominicæ Incarnationis 1515. facta, vt quoties ille conuentum exædificaſſet, iſte fratres ad eius habitationem miniſtraret, ſanctiſſimus Dominus Leo Papa X. vtriuſq; votis ſatisfacturus, editis Apoſtolicis literis ſub datum Florentiæ 3. Februarij anno Domini 1515. conceſſit, vt beatæ Claræ monaſterium intra Offidani oppidi muros erectum, ex eiuſdem redditibus in iuſtum fratrum Minorum conuentum promoueretur, vtq; C fratres eius incolæ ijſdem gratijs atq; priuilegijs, quibus cætera huius Prouinciæ loca gaudent, fruerentur. Earum ergo literarum ſeriei innixus Offidanus ſenatus, ſoluto tamen prius monialibus iuſto pretio, ſacram hanc ædem, quam 13. fratres inhabitant, in honorem ſancti patris Franciſci, circa præfata tempora, ex publicis facultatibus conſtrui, præfatoq; patri fratri Thomæ iuxta condictum, inſtruendam tradere ſtuduit. Curauit quoq; Offidana communitas vt quotquot ſanctorum reliquiæ penes præfatas moniales erant, fratribus diligenter cuſtodiendæ remanerent. Eæ tamen ſunt particula ligni ſanctiſſimȩ crucis Chriſti, aliquot ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli oſſa, lactis, veli, atq; crinium glorioſiſſimȩ Virginis Marię, aliquantulum cunabulorum Saluatoris noſtri Chriſti, inſuper & arundinis, quæ ſibi improperioſè paſſionis tempore oblata fuit, fragmentulum argentea in quadam cruce incluſæ: quarum vim D atq; virtutē tempeſtatis tempore, tū fratres tū quoq; ſæculares fructuoſè experiuntur.

De conuentu ſanctæ Mariæ Magdalenæ Ripæ Tranſonis ſiue Cupramontanæ. Conu. VII.

CONSTITERAT olim non longè à Cupramontana Vmbrica ciuitate (vulgò Ripatranſone) xenodochium quoddam pauperibus, peregriniſq; excipiendis deſtinatum, cui adiuncta erat eccleſia beatæ Mariæ Magdalenæ ſacra, idq; cùm pius Cupramontanus ſenatus in Minoriticum monaſterium tranſlatum cuperet, Alexandro VI. Pont. max. vt huiuſmodi tranſlatio à ſe fieri poſſet, anno à ſalutifera Chriſti Natiuitate 1495. humiliter ſupplicauit, obtentoq; eius aſſenſu, quod diu deſiderauerat E fideliſſimæ exequutioni mandans, hunc conuentum, quem 16. fratres inhabitant, ſub antiquiori titulo ſanctæ Mariæ Magdalenes, intra breuiſſimi temporis ſpatium, ex publicis facultatibus, capaciſſimis hortis atq; eleganti ſylua ſibi adiunctis, ædificauit. Impetrauit præterea vt omnibus priuilegijs, gratijs atq; indulgentijs, quibus antiquum hoſpitale ex conceſſione plurium illuſtriſſimorum S. R. E. Cardinalium, præcipuè verò reuerendiſſimi D. Dominici tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem Cardinalis, atq; Sedis Apoſtolicæ in Piceno Legati; necnon & Firmanæ eccleſiæ Adminiſtratoris & Principis, olim gaudere aſſueuerat, frueretur quoq; & hoc nouum à ſe conſtructum cœnobium. Quorum tamen priuilegiorum, atq; gratiarum, quòd in huius loci cartophilacio teſti-

A cio teſtimoniales eorum literæ aſſeruentur, quodq; ab his, quæ communiter à Legatis & Epiſcopis concedi aſſueuerunt, minimè differant, nullam impræſentiarum mentionem facere volui. Sed hoc tantum adijcere libuit, aliquantulos ſcilicet beatæ Mariæ Magdalenæ crines ab eodem illuſtriſſimo Cardinali Dominico dono datos, & digiti eiuſdem ſanctæ partem in huius ſacrę ædis ſacrario maxima cùm veneratione cuſtodiri. Hanc ſiquidem beatam peccatricem Cupramontani ciues ſibi in patronam, & peculiarem aduocatam elegerunt, atq; ſpeciali quodam honoris genere proſequuntur: & meritò quidem cùm plurima ab eadem, vt tabellæ parietibus affixæ facillimè indicant, beneficia referant. Dum olim Cupramontana ciuitas ab inimicis ſtrictiſſimè obſideretur, ſeq; beatæ huic ſanctæ ex intimo cordis commendaſſet, duæ columbæ ex ſacra hac æde egreſſæ, atq; Annunciationis eccleſiam intra ciuitatis mœnia ſitam iteratò petentes,
B reportandam de hoſte victoriam præſagiuerunt, qua obtenta binas argenteas columbas fabrefieri, illarumq; alteram in præfata Annunciationis eccleſia, alteram verò hoc in ipſo loco collocari iuſſit, atq; ſtabili lege cauit, vt ſingulis annis in eiuſdem beatæ feſto proceſſionaliter circumferrentur. Quod & inuiolabiliter obſeruatur.

De conuentu Annunciationis B. Mariæ Firmi. Conu. VIII.

CVM primùm Firmana communitas poſt multas preces à beato patre Iacobo Picente ſiue de Marchia impetraſſet, vt conuentum à ſe erigendum acceptare vellet, collatis ex publico ærario mille aureis coronatis, ſacrum hoc monaſterium in honorem fœliciſſimæ Annunciationis Dei genitricis Marię, ad quinquaginta paſſus ab eius ciui-
C tate Firmo, circa annum Dominicæ incarnationis 1450. ædificare cępit. Cumq; ea pecuniarum ſumma ad operis perfectionem minimè ſufficeret, perdeuotus Antonius Lucenſis Firmanus ciuis, atq; Syndicus totidem aureos nummos ex teſtamento ad huiuſmodi operis conſummationem legauit, ex quibus quicquid deſiderabatur perfectum eſt. Fuit igitur ſacra hæc ædes circa annum Domini 1460. abſoluta, fratribusq; tradita, atq; à reuerendiſſimo D. Reatino Firmano Epiſcopo, anno ſalutis humanę 1473. ſub Sixto IV. ſummo Pontifice conſecrata, in qua 26. fratres commorantur, ſequenteſq; ſacroſanctæ reliquiæ debita cum reuerentia cuſtodiuntur: Oſſium ſcilicet particulæ ſanctorum Apoſtolorum Petri, Pauli, Andreæ, atq; Bartholomæi, nec non & ſanctorum Innocentum: inſuper & beatorum Stephani prothomartyris, Polycarpi martyris, Leonis Papæ & martyris, Ioannis Papæ & martyris, Marcelli Papę & martyris,
D Blaſij martyris, Thomæ Cantuarienſis martyris, Ioannis & Pauli martyrum, Nerei & Achilei martyrum, Vincentij martyris, Deſiderij martyris, Aquilini martyris, Victorini martyris, Agapiti martyris, Mercurij martyris, Antonini martyris, Valentini martyris, atq; ſanctarum Suſannæ, Barbaræ, Agathæ, Anaſtaſiæ atq; Iulianæ virginum & martyrum: Præterea & corpus beati patris Nicolai Firmani, quod breui honeſtiori recondetur ſepulchro, & aliquot crines beati patris Iacobi de Marchia. Ac tũ demum extat ſacellũ eidem Annũciationi ſacrum, pulcherrimaq; beatæ Virginis imagine, quæ plurimis coruſcat miraculis, diciturq; à beato Luca Euãgeliſta depicta, atq; altera ex ſpinis, ex quibus Seruatoris Chriſti corona contexta fuit elegãtiſſimè exornatũ.

E
De conuentu S. Mariæ de Jeſu apud S. Lupidium. Conu. IX.

HOC tantum poſt diligentiſſimam indagationem obtinere potui, hunc ſcilicet conuentum beatiſſimæ Mariæ de Ieſu ſacrum, qui ducentis paſſibus à ſancto Lupidio Piceni feraciſſimo oppido diſtat, ab eius communitate tum ex publicis, tum quoq; ex priuatis eleemoſynis ædificatum fuiſſe. Sed cuius auctoritate, vel quo tempore id acciderit, deficientibus ſcripturis, nihilq; certi ſeniorum traditione aſſerente, nullo pacto aſſequi valui. Ipſe tamen conuentus eleganter ſatis conſtructus eſt, & 16. fratres eius inquilinos commodiſſimè capit, atq; ad ſe aduentantium mirum in modum deuotionem excitat, offerentibus interioris clauſtri parietibus eorum oculis vniuerſam beatiſſimi patris Franciſci vitam graphicè depictam.

De conuentu

De conuentu S. Mariæ de Monte Ciuitatis Nouæ. Con. X. A

CONVENTVS hic beatæ Mariæ de Monte ſacratus,ac prope Ciuitatē Nouam
eiuſdem Piceni opulens oppidum ſitus, qui duodecim Reformatos fratres conti
net, neophitus omnino eſt,nihilq; ea propter memorabile, quod ad poſteros tr anſmitte-
re poſſimus, miniſtrat: Eſt nihilominus tum apud oppidanos, tum quoq apud conue-
nas, ob exemplarem fratrum vitam, in maxima veneratione, eoſq; ad ſibi neceſſaria
liberaliſſimè ſuppeditanda ſummoperè allicit, atq; piam præfati oppidi communitatem
ſui auctricem agnoſcit.

De conuentu ſancti Antonij Montis ſancti. Conu. X I. B

CVM venerandus pater frater Thomas ab Auximo tunc huius Prouincię Vicarius
Prouincialis, pię communitatis oppidi Montis ſancti ſatisfacturus votis,cuiuſdam
à ſe ædificandi conuentus deſiderium patribus (quorum intererat) in prouinciali Ca-
pitulo Forani, anno Dominicæ Incarnationis 1497. celebrato propoſuiſſet, eorumq;
aſſenſum impetraſſet, 17. Menſis Aprilis eiuſdem anni, adiunctis ſibi aliquibus fratri-
bus, præfatiq; oppidi ſenioribus, locum huiuſmodi ædificando conuentui,ad centum
paſſus ab ipſo oppido, deſignauit, inibiq; venerandus pater frater Bernardinus à ſancto
Geneſio, qui patri Thomæ in Vicariatus Prouincialis officio ſucceſſit, ſequenti bien-
nio, in octaua S. Antonij de Padua 20. videlicet die Menſis Iunij, anno Domini 1499.
cum maxima ſolemnitate de religioſo more crucem fixit, atq; futurum monaſterium
eidem beato Antonio ſacrauit, ac tandem 22. Nouembris eiuſdem anni currentis pri- C
mus, fundamentaliſq; totius ædificij lapis iactus, ac non ita poſt multum temporis ſo-
lerti oppidanorum cura vltimus quoq; additus eſt. Ne autem aliquid ad huiuſmodi opus
deeſſe videretur, acceſſit quoq; poteſtas præſtantiſſimi Domini Ioannis de Serninis,
reuerendiſſimi F. Piccolominei S. R. E. Cardinalis, atq; Firmane Eccleſię perpetui Ad-
miniſtratoris generalis tunc Vicarij, nec non & Alexandri V I. ſummi Pontificis hac in
parte Commiſſarij, Iudiciſq; delegati, ipſis oppidanis de huiuſmodi ædificando con-
uentu facta, cuius literę 11. Nouembris anno Domoni 1500. datæ in huius loci,quē 12.
Reformati fratres incolunt, archiuo diligentiſſimè aſſeruantur. Ergaſtulo carnis ſolu-
ti hinc ad aſtra migrarunt eodem & vno anno, qui à Chriſti Natiuitate fuit 1571. mirę
ſanctitatis,venerabileſq; patres Ludouicus à Pieroſara Diœceſis Fabrianæ pago,& Bar- D
tholomæus ab Offida Picenti oppido, prouectæ quidem ætatis ambo, cum octogena-
rium ad minus annum eorum vterq; clauſerit, amboq; maxima religione inſignes.

De conuentu S. Franciſci Siroli. Conu. XII.

CONVENTVS hic Seraphico patri Franciſco ſacer, qui maritimis Anconita-
ni maris fluctibus alluitur, diſtatq; à Sirolo, Anconitanæ Diœceſis pago,paſſibus
centum, atq; totidem à Sirolano caſtro, antiquiſſimus eſt, cum ab eodem beato patre
Franciſco acceptus, primoq; occupatus ſit. Quod ſi quis inficiari contenderit,arbori
ſaltem ab eodem patre è veſtigio eius eccleſiæ plantatæ, atq; adhuc virentibus folijs
perſeueranti, quæ beati Franciſci ab omnibus nuncupatur, quoddamq; ceraſorum ge- E
nus conuicinis populis venerabile, atq; appetibile producit, fidem adhibeat; certoq;
ſciat ipſum ab illuſtri quodam Comite Alberto, cuius cognomen penitus ignoratur,
non quidem iuxta præſentem, ſed iuxta aliam multò humiliorem formam ædificatum
fuiſſe. Hoc igitur in loco, quem frequentius 8. fratres occupant, diem clauſit extre-
mum venerandæ ſanctitatis pater Petrus à Monticulo, (vulgò Montecchio) qui à cir-
cumuicinis populis vt ſanctus colitur,& habetur,diciturq; plurima ædidiſſe miracula.
Hocq; aſſerere videtur ſequens epitaphium primo altari præcipuam eccleſiæ portam
ingredientibus, templiq; dextram tenentibus occurrenti inciſum videlicet: Hic iacet
beatus Petrus de Monticulo. Quod tamen cum illis aſſeuerare minimè auſim, cum de-
bito teſtimonio careant. Quicquid tamen ſit aliorum eſto iudicium non meum.

De conuentu

A
De conuentu Annunciationis Auximi. *Conu. XIII.*

EVGENIO IV. Pontifice maximo adhuc in viuis agente, deuotus Auximienſis
ſenatus ex Apoſtolica auctoritate conuẽtum quendam in honorem Annunciatio-
nis glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, aliquantulum ab antiquiſſima eius ciuitate Auximo
Septentrionem verſus, ex publicis prouentibus, anno humanæ Salutis 1439. ædifica-
uit, beatoq; patri Iacobo à Marchia, cui ob ſingularem ſanctitatem maximè afficieba-
tur, in ſui ſuorumq; fratrum vſum, conceſſit. Sed cùm eius habitatio fratrum ſaluti
minus faueret, præfata pia communitas, contemptis antiquioribus ſumptibus, hunc
ſecundum ſub eodem prorſus titulo, atq; ex communibus iiſdem facultatibus, acce-
dente prius reuerendiſſimi domini Paridis Caſtelficardij Auximienſis Epiſcopi faculta-
B te, in næmoroſo quodam, ſaluberrimo, ac amœno colle, prope eiuſdem ciuitatis mu-
ros, ſed ad Meridiem, ſub Alexandro VI. ſummo Pontifice, circa annum Domini 1496.
conſtruere, iiſdemq; fratribus, quorum 16. ibidem commorantur, tradere non formi-
dauit. Cuius templum reuerendiſſimus dominus Antonius Sinibaldus Auximienſis
Epiſcopus ſolemniſſimè conſecrauit, eiuſq; ſummum altare ſanctorum Andreæ Apo-
ſtoli, Laurentij martyris, atq; Fabiani itidem martyris honorandis reliquijs, quibus
& teſtimoniales adiunctæ literæ fidem faciunt, elegantiſſimè exornauit.

De conuentu ſanctæ Mariæ de Varano Recanati. *Conu. XIV.*

RECANATVM ciuitas eſt, tertioq; tantum milliari à Lauretana ſanctiſſimæ
C Dei genitricis celeberrima domo diſtat. Iſtam ergo vrbem egreſſis vt Lauretum
contendant, ſtatim occurrit hic conuentus beatę Mariæ de Varano ſacer, quem reueren-
diſſimus Nicolaus de Actis ex Forliuio oriundus, Recanatẽſiſq; Epiſcopus, ſuis ſum-
ptibus ædificauit, fratribusq; noſtris ea tantum ſub lege tradidit, vt ſibi quotannis mor-
tuorum officium ſolemniter perſoluerent: quod & illi plurimis Miſſarum ſacrificijs ad-
iunctis fideliſſimè præſtant. Inſtituit quoq; pientiſſimus idem Epiſcopus nobilem
quandam ſanctę Lucię Confraternitatem Recanati erectam vniuerſorum ad ſe ſpectan-
tium hęredem, ſibiq; iniunxit, vt certam panni menſuram, pro præfatis fratribus ami-
ciendis, & alia quædam iiſdem neceſſaria in ſingulos annos erogaret. Clemens VII.
Pont. max. eleemoſynis ſacræ domus Lauretanæ prouidè conſulturus edita bulla, quæ
adhuc in huius loci archiuo aſſeruatur, eius patri Guardiano pro tempore exiſtenti prę-
D cepit, vt alteram ex tribus gazophylacij clauibus penes ſe continuò haberet, vtq; ſe
abſente & inconſulto, nequaquam aſſeruata in eo pecunia à Lauretano Gubernatore,
& à Recanatenſis ſenatus deputatis, penes quos alię duæ eiuſdem gazophylacij claues
ſunt, depromi poſſet. Commorantur deniq; in hac ſacra æde 20. fratres, quorum alte-
ra pars ſacrę Theologiæ, altera verò Philoſophię ſub duplici Pręlectore ſedulò incũbit.

De conuentu S. Franciſci Mordiuallis. *Conu. XV.*

CONSVLTVRI Mordiuallenſes oppidani fratrum ſaluti, atq; neceſſitatibus,
neglecto antiquiori quodam conuẽtu à ſuis prædeceſſoribus antiquitus conſtru-
cto, quòd inſalubris eſſet, longiuſq; ab eorum opulenti oppido Mordiualle diſtaret,
E adiecerunt vt hunc in cliuo cuiuſdam collis, qui non minus eleganter, quàm artificioſè
è medio vnius vallis, atq; inter Potentiam, Chientumq; Picentes fluuios conſurgit, vixq;
triginta paſſibus ab oppido diſtat, ex communibus bonis, priuatiſq; piorum eleemoſy-
nis, in honorem beatiſſimi patris Franciſci ædificarent. Cuius templum cum ex quo-
dam infortunio arſerit, denuò ab iiſdem oppidanis reædificatur. In qua conflagratione
illud mirabile accidit, quod ſcilicet argentea ſacroſanctæ Euchariſtiæ cuſtodia ad calo-
ris vim liquefacta, omninoq; ſoluta, atq; ſummo altari, licet lapideo, eadem prorſus
de cauſa in fruſta redacto, poſt decem dies venerabile ſanctiſſimi corporis Chriſti ſacra-
mentum, dum fortè pauimentum ruderibus expediretur, integrum omnino, atq; inta-
ctum, corporalibusq; obuolutum, ſub ipſo altari inuentum eſt. Quod cùm Pio IV. Pon-
tifici

tifici maximo innotuiſſet , pręcepit idem Pontifex, vt diligentiſſimè tanti euentus veri- A
tas diſquireretur , ac certior de ea factus , omnibus Chriſti fidelibus per ſacram confeſ-
ſionē ab exceſſibus purgatis,hancq; eccleſiam à primis veſperis vſq; ad ſecūdas diei 17.
ac itidem diei 26. menſis Aprilis ingredientibus , ſuasq; preces fundentibus , plenariam omnium peccatorum indulgentiam , ad perpetuam rei memoriam , conceſſit . Ex hoc oppido Mordiualli originem duxit reuerendiſſimus pater frater Ioannes Minius ſiue de Muro , 14. noſtri Inſtituti Generalis Miniſter , qui beatum patrem Ludouicum Toloſanum poſtea Epiſcopum ad Ordinem recepit , atq; ſanctę Romanæ eccleſiæ Presbyter Cardinalis creatus fuit . Conuiuunt tandem hoc in monaſterio , in cuius eccleſia corpus beati patris Maſſæi ſocij olim beatiſſimi patris Franciſci requieſcit, 14. fratres optimaq; aura , atq; amœniſſimo ſitu gaudent . B

De conuentu Puritatis apud ſanctum Juſtum . Conu. XVI .

PERTINVIT olim conuentus hic Puritati ſacer ad patres Clarenos , à quibus, vt ſuperius aliquotiens dictum eſt , ex ſummi Pontificis Pij V . mandato,ad noſtros fratres , anno Dominicæ Incarnationis 1568. tranſlatus fuit . Sed cum longius ab oppido , cui ſanctus Iuſtus nomen eſt,diſtet , minusq; tum fratribus , tum quoq; oppidanis , quippe qui libentiſſimè diuino officio , atq; Miſſarum ſolemnijs apud eos intereſſent , inſeruiat , decreuit pia præfati oppidi communitas hoc loco derelicto , vel potius demolito , alium vel intra oppidi ſepta , vel prope eius vallum , ex communibus facultatibus quamcitiſſimè ædificare : eaq; propter , quę ad id pręſtandum neceſſaria ſunt,congerere cœpit , qua etiam de cauſa his ſuperſedere decreui , ſi pius fratrum numerum C tradidero , qui quinarius tantum eſt .

De conuentu Dominæ noſtræ de Monte montis Vlmei . Conu. XVII .

OBTENTA à Iulio II. Pont. max. Apoſtolica auctoritate,cuius bulla ſub datum Romæ 5. Iulij , anno Dominicæ Incarnationis 1510. ſupereſt adhuc , pia oppidi montis Vlmei Firmanæ Dięceſis communitas,tum ex eorum publicis priuatisq; facultatibus , tū quoq; ex eleemoſynis fratrum induſtria aliunde acquiſitis , ſacrum hoc monaſterium , in honorem Dominæ noſtræ de Monte , ad 50. paſſus ab ipſo oppido, in cuiuſdam nęmoroſi , elegantiſſimiq; collis iugulo, pręfato anno 1510. ædificare cœpit : atq; ante biennium elapſum , tanta fuit eius ad fratres deuotio,ad optatum finem perdu- D xit . In cuius eccleſia infraſcriptæ ſanctorum reliquiæ debita cum veneratione cuſtodiuntur : nempè quidam crinis glorioſę , ſemperq; Virginis Mariæ,paruula crux ex ea, in qua Chriſtus Dominus pro humani generis ſalute pependit fabrefacta , aliquot oſſium partes ſanctorum Ioannis Baptiſtæ, Laurentij martyris , & Cornelij quoq; martyris , nec non & ſanctarum Catharinæ , Barbaræ , Vrſulæ , & Agathæ virginum & martyrum, ac demum ex habitibus ſanctorum patris Franciſci , atq; Eliſabethæ filiæ Regis Vngariæ . Has reliquias ex Belgio cum ſuis literis teſtimonialibus allatas huic loco , quem 12. fratres incolunt , dono dedit pater ac frater Thomas huius Prouincię alumnus , atq; ex oppido montis Vlmei oriundus .

De conuentu ſanctæ Columbæ Moliani . Conu. XVIII . E

INCLINATVS ad inſtantes Molianenſis piæ communitatis preces ſummus Pontifex Paulus III. ſpeciali edito breui conceſſit , vt locus aliquis fratribus noſtris continendis idoneus Moliani , quod Diœceſis Firmanæ oppidum eſt , ædificari poſſet . Quapropter præfata communitas hunc conuentum ſanctę Columbę ſacrum , ad quadraginta ferè paſſus ab oppido , è regione eius portæ , quę mare reſpicit,ſupra eleuatum quendam , atq; amœnum colliculum , anno Pontificatus eiuſdem Pauli III. 14. ex publicis facultatibus conſtruere cœpit. Cumq; huiuſmodi opus aliqualem progreſſum feciſſet , parum abfuit,quin optato fine careret, ſoloq; æquaretur . Nam commotis oppidanis ,

A danis, atq; ad defectionem à Pontifice, ob ſtatum atq; dominium à Firmo Picente ciuitate ablatum, inclinatis, plurimum diſcriminis, ſi fortè hoſtis ſuperueniret, oppido allatarum videbatur. Sed rebus pacificè, atq; pro vtriuſq; partis voto compoſitis, à tanto periculo ereptum, inſuper & optato fine potitum eſt. Vnde & fratribus, quorum 10. ibidem commorantur, & oppidanis, qui ſpeciali quadam beneuolentia, & deuotione in ipſum, eiuſq; habitatores feruntur, maximum acceſſit gaudium. Nec reliquijs caret ſacra hæc ædes, cum apud ſe particulas portæ aureæ Hieroſolymitanæ, columnę ad quam Chriſtus Dominus flagellatus, eiuſq; loci in quo ipſe idem captus fuit, & eius præſepis, atq; ſepulchri habeat.

De conuentu ſancti Franciſci Maſſæ. Conu. XIX.

B

MASSA, à Romana nobiliq; Maximorum familia Maxima olim dicta, pagus eſt, paruus quidam, ſed pro ſuo modulo opulentiſſimus Firmanæq; iuriſdictioni ſubactus. Hunc igitur cùm eius accolę exornare vellent, pręſentem conuentum beatiſſimo patri Franciſco ſacrum, licet à primæua ſui inſtitutione Annunciationi beatæ Virginis Mariæ dicatum, ſuperſtite adhuc Seraphico ipſo patre, in accliuiori parte cuiuſdam næmoroſi montis, à ſubiecta valle mons Stalius dicti, ex communibus bonis liberaliſſimè conſtrui curarunt. Quem frequentius elapſis temporibus 20. fratres incoluêre, licet modò à 12. tantum patribus Reformatis inhabitetur. Diſtat autem à pago quingentis tantum paſſibus, atq; ob eius ſolitudinem, & amœnitatem, inſuper & ob ſubiectum flumen Lethę, non quidem illud, quod apud inferos Poëtę fabuloſè eſſe tradunt, C ſed ipſo multò iucundius, atq; delectabilius, diuinorum myſteriorum contemplationi fauet, ſęculareſq; ad ſe frequentandum ſummoperè prouocat. Gaudet præterea ſacra hæc ædes plurimis gratijs, priuilegijs, atq; indulgentijs ſibi à ſummis Pontificibus Alexandro IV. Innocentio itidem IV. Nicolao III. Vrbano IV. Clemente etiam IV. Gregorio IX. Nicolao IV. & Gregorio XIII. liberaliſſimè conceſſis. Et quid mirum cum iuxta receptiſſimam ſeniorum traditionem à beato patre Franciſco primò accepta, & ex parte, aſtantibus ſibi chariſſimis ſocijs beatis patribus Maſſęo & Ruffino, fabricata ſit? Inſuper & exornetur particula quadam ſanctiſſimæ crucis Chriſti, & aliquibus capillis beatiſſimi patris Franciſci, nec non & pulcherrima beatæ Virginis imaginę. De qua id certiſſimè fertur, quòd cùm ad mandatum cuiuſdam Nicolai Macatelij ex Aquila Bruciorum ciuitate Molianum, quæ ſibi patria erat, deferretur, caſuq; huius loci D fines attingeret, nullo pacto equus, cui ſuperpoſita erat, additis etiam plurimis verberibus, & ictibus, progredi voluit, ſed velociſſimo curſu eccleſiam petens ante eius portam genua flexit. Quo viſo miraculo præfatus Nicolaus imaginem huic loco vltroneè obtulit, atq; ſuper quoddam altare poni curauit, & ab eo temporis, in tante rei memoriam, atq; teſtimonium, Molianenſis communitas, ipſo Epiphaniæ feſto cuiuſlibet anni, ſummum ſacrum ibidem ſolemniter celebrari curat.

De conuentu Dominæ noſtræ de Planitie Seruiliani. Conu. XX.

CONVENTVS hic ſanctiſſimæ Dominæ noſtræ de Planitie ſacer, atque ſeſqui E milliari à pago Seruiliano Firmanæ Diœceſis, in crepidine eius fluuij, qui (Tanna) Italicè nuncupatur, ſitus, cùm per aliquot annos antea, tum ex publicis, tum quoq; ex priuatis Seruilianorum piorumq; aliorum fidelium facultatibus conſtrui cœpiſſet, anno à lętabunda Chriſti natiuitate 1578. abſolutus, hui uſq; Prouinciæ fratribus, quorum 10. perpetuò continet conceſſus fuit. Qui licet modicus ſit, particula tamen ſanctiſſimæ crucis Chriſti, ac quibuſdam ſanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum, Laurentij martyris, Gualteri itidem martyris, atq; Theodoræ virginis & martyris ſacroſanctis reliquijs exornatur, plurimiſq; indulgentijs, ſibi tum à Calixto III. Pont. max. tum quoq; à plurimis alijs Epiſcopis, & Cardinalibus, in fidelium eam accedentium, atq; ſuis eleemoſynis pro ædificij manutenentia iuuantium fa uorem conceſſis gaudet.

De conuentu

De conuentu ſancti Joannis de Saxo Montisfalconis. Conu. XXI. A

HOC ſacrum monaſterium in honorem ſancti Ioannis de Saxo, atq; ad mille tan-
tum paſſus ab oppido Montefalcone erectum, ab ingenti quodam ſaxo amœniſ-
ſima ſyluula veſtito, ſuper quod ædificatum eſt, denominationem accepit, ac à bea-
tiſſimo patre Franciſco exordium ſumpſiſſe iudubia traditione fertur. Idq; humilis
loci ſtructura, & diſpoſitio, quæ ſolitaria, atq; ſylueſtris iuxta eiuſdem Seraphici pa-
tris mentem omnino eſt, firmiſſimè teſtantur. Continuit tamen ſacra hæc ædes
olim 20. fratres, eoſq; pro religioſo more commodè ſatis ſuſtentauit. Sed circumui-
cina eius patria ad pauperiem vergente vix 10. modò fert. In meditullio autem eius
ſyluæ, quæ præfatum ſaxum amœniſſimè veſtit, fonticulus quidam perenni aqua-
rum ſcaturigine fœcundus erumpit, ſuiq; auctorem, à quo & nomen hæreditauit, B
beatum patrem Franciſcum agnoſcit. Cuius epota aqua febres pellit, alioſq; morbos
pro accedentium deuotione curat.

De conuentu B. Mariæ de Girono Montisfortini. Conu. XXII.

EX ruinis eius caſtri, quod olim in eminentiori oppidi Montisfortini parte conſti-
terat, atq; ex communibus facultatibus, eodemq; prorſus in loco, deuota Mon-
tisfortini communitas hunc conuentum beatiſſimæ Mariæ de Girono ſacrum ædificare
cœpit: idq; vt ſibi liceret à ſummo Pontifice Paulo III. anno Dominicæ Incarnatio-
nis 1549. cuius facultas in forma bullæ conceſſa adhuc ſupereſt, oportunè obtinuit.
Cumq; ipſum ſemiconſtructum fratribus tradidiſſet, conſtructione ſuperſedit. Qua- C
propter fratres, quodq; eius habitatio deficientibus cellulis minus commoda foret,
ſibi vale dixerunt. Euocati autem ſub perficiendi operis pollicitatione à præfata com-
munitate, reuerti non recuſarunt. Qua tamen minus quod promiſerat præſtante, ad
alios conuentus iteratò dilapſi ſunt. Sicq; factum eſt vt ſæpius acceptus, ſæpiuſq; de-
relictus ſit locus iſte. Sed vltimis his diebus ad inſtantes oppidanorum preces à patri-
bus Prouinciæ reaſſumptus, & 8. tantum fratribus inſtructus fuit. Cuius ædificium
tanta diligentia tantaq; ſolicitudine ex publicis oppidi facultatibus promouetur, vt
breui 20. ad minus religioſis inſtruendus veniat.

De conuentu ſanctæ Mariæ de Sylua Amigdali. Conu. XXIII.

ASSVEVERANT patres Clareni, qui & Anachoritæ aliquando ea de cauſa D
dicti ſunt, ſuos conuentus in ſyluis, atq; ſolitudinibus primæuis ſuis temporibus
conſtruere; prout ex præcedentibus, atq; etiam ex præſenti beatiſſimæ Mariæ de Sylua
ſacro colligi poteſt. Qui & ſeſquimilliari ab Amigdalo Picente oppido diſtat, & in
media quadam ſylua conſtitutus eſt. Reformatis igitur anno Domini 1568. (vt ſupe-
rius ſæpius meminimus) præfatis patribus Clarenis, hic locus in huius Prouinciæ ius
tranſijt, & ab eo temporis 6. eius fratribus obſequitur, 12. breui obſequuturus. Nam
ea eſt oppidanorum ad fratres deuotio, & propenſio, vt libentiſſimè, maximaq; cura
eius reparationi atq;, ampliationi intendant.

De conuentu S. Jacobi in Salino Gualdi. Conu. XXIV.

CONSTRVXERAT olim Gualdenſis pia communitas ad quingentos paſſus E
ab eius oppido Gualdo Firmanæ & Camerinenſis Diœceſium hunc conuentum
beato Iacobo Apoſtolo ſacrum, quem 7. fratres quòd nunquam perfectus fuerit, tan-
tum inhabitant. Sed deuotiſſima quadam glorioſiſſimæ Virginis Mariæ imagine, in
quadam eccleſia oppido proximiore miraculis coruſcante, vt hic locus ad præfatam
eccleſiam, quæ in honorem ſanctæ Mariæ de Gratijs erecta eſt, cultus ſibi augendi gra-
tia transferretur, reuerendiſſimo domino Dominico Pinello Epiſcopo, atq; Principi
Firmano, nunc S.R.E.Cardinali, huiuſq; Prouinciæ patribus ſupplicauit. Quamobrem
in Prouinciali congregatione Senogalliæ anno Domini 1580. habita, à patribus quorũ
id munus erat, accedente tamen præfati reuerendiſſimi Epiſcopi conſenſu, decretum eſt
vt huiuſmodi tranſlatio fieret. Ab eo igitur tempore quicquid antiquioris perficiendi

conuentus

A conuentus cauſa à præfata communitate impendendum fuerat, id totum in hunc nouum promouendum conſummitur.

De conuentu S. Liberati apud S. Liberatum. Conu. XXV.

HIC quoq; locus ſancto Liberato ſacer olim ad patres Clarenos pertinuit, & ab ijs ad noſtros fratres tranſlatus eſt. In qua quidem tranſlatione dilabentibus eorũ plurimis vel ad patres Franciſcanos Conuentuales, vel ad alias Prouincias, quicquid ſcripturarum in eius archiuo aſſeruabatur, deperijt omnino. Vnde & ipſius antiquitas atq; fundatio pęnitus ignorantur. Obtinet tamen ſitum in quadam ſolitudine, ſubeſtq; iuriſdictioni ſancti Geneſij oppidi Picentis, à quo quinq; diſtat milliaribus, & ab oppido Sarnano tribus: Qua etiam de cauſa contemplatiuæ agendæ vitæ maximè fauet, plurimoſq; patres vita atq; virtutibus inſignes nobis peperit: inter quos fuit beatus pater Li-
B beratus profeſſione Clarenus, à quo adiacens regio nomen vſurpauit. Beatus hic pater clariſſimis ortus natalibus miraculis claruit, diciturq; tum à fratribus, tum quoq; à circumuicinis ſæcularibus, in huius ſacrę domus eccleſia ſepultus, à quibus & ſepulturę locus oſtenditur, mordicuſq; affirmatur ſanctitatis titulum ſibi à ſummo quodam Pontifice viuæ vocis oraculo collatum fuiſſe, & ab eo temporis tum conuentum, tum quoq; proximum ſibi territorium nomine ſancti Liberati inſignita euaſiſſe. Volunt iſti quòd ſummus iſte Pontifex viſis eius miraculis dixerit, hic venerabilis pater non tantum beatus, ſed & ſanctus optimo iure appellandus venit. Sed quis iſte Pontifex fuerit ignoratur omnino. Qua etiam de cauſa nihil certi hac de re affirmare auſim. Commorantur hoc in monaſterio 8. fratres tantùm.

De conuentu ſanctæ Mariæ Magdalenæ de Specu. Conu. XXVI.

C CVPIENTIBVS quibuſdam Clarenis patribus locellum aliquem ſibi in ſolitudine erigere, ex tempore adfuêre Camerinenſes aliquot nobiles, qui eccleſiam beatæ Mariæ Magdalenæ ſacram in accliui cuiuſdam montis, qui Fiaſtræ fluuio imminet, inuiuſq; ferè atq; inacceſſibilis eſt, & ſub Camerinenſi Diœceſi conſtitutus tribus milliaribus à proximiori pago Montealto diſtat, contiguumq; tuguriolum communibus ſumptibus conſtruxêre. Cui ob eius aſperitatem tum fratres, tum quoq; ſæculares nomen Specu indiderunt. Continet nihilominus 7. fratres, eoſq; ob oppidorum, pagorumq; diſtantiam non abſq; labore ſuſtentat: quapropter ſępius ab ijs derelictus, & plurimis ſanctorum reliquijs ſpoliatus eſt. Opitulatur præterea, cùm ſylueſtris omnino ſit, fratribus contemplationi deditis, atq; anachoriticam vitam, vt Altiſſimo plenis affectibus obſequantur, affectantibus.

D *De conuentu S. Franciſci Colſani. Conu. XXVII.*

QVOD hic conuentus beatiſſimo patri Franciſco ſacer, qui in pagorum Campi rotundi, atq; Ceſſa palumbi Camerinenſis Diœceſis confinibus conſtructus eſt, Seraphicum ipſum patrẽ ſui fundatorem, atq; auctorem habuerit, tum ipſa ſtructura, quæ humilis incurioſaq; eſt, tum fons ſibi propinquus, qui diui Franciſci dicitur, ab eoq; foſſus inuentuſq; aſſeritur, tum quoq; ſeniorum traditio, quę intrepidè hoc ipſum aſſeuerat, ſimul teſtatur. Eius verò ſitus Colphanum appellatur, amœnaq; ſylua in gyro veſtitur, quæ hunc locum elegantiſſimum commendatiſſimumq; reddit. Accedunt quoq; ad eius decorem prefatus diui patris Franciſci fonticulus in media ſylua ſituatus, & Fiaſtra placidus fluuius, qui eiuſdem ſyluæ oram dilabentibus limphys alluit, & corpus beati patris Franciſci à Caldariola in eius eccleſia ſepultum, quod apud con-
E uicinos paganos ob frequentia miracula, quæ Deus opt. max. ob eius merita in eorum fauorem indies operari dignatur, in maxima veneratione eſt, ſuauiſſimamq; quandam fragrantiam ex ſe emittit. Hoc igitur in monaſterio, licèt ſolitario campeſtriq; in loco conſtituto, 12. fratres commorantur, quibus adiacentes pagi neceſſaria ad victum, atq; amictum ſatis liberaliter ſubminiſtrant.

De conuentu B. Mariæ Ceſſoloni. Conu. XXVIII.

CONVENTVS hic beatiſſimæ Virgini Marię dicatus, licèt à Tolentino Picenti nobiliq; oppido ſeſqui tantum milliari diſtet, à proximo tamen ſibi fluuio Ceſſolone denominationem accepit. Cuius ſtructura modica omnino atq; incapax eſt, ac 5.

tantum fratres continet, plures aliquando contentura. Nam ab eo temporis, quo Cla- A
renis patribus eius fundatoribus loco cedentibus in huius prouinciæ fratrum ius ceſſit,
non ita parum accrementi accepit, ſuppeditantibus interim Tolentinis quæ neceſſa-
ria ſunt, quorum quoq; pijs eleemoſynis à fundamentis olim erecta extitit.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs apud S. Seuerinum. Conu. XXIX.

SANCTI Seuerini Picens oppidum à ciuitatis titulo, quo olim inſignitum fuit, plu-
rimis ſibi ſuperuenientibus infortunijs excidit, diſtatq́; à Camerino ſeptem millia-
rijs, ac partim in planicie, partim verò in accliui ſitum eſt. Ad quingentos ergo paſſus
ab eo ſacrum hoc monaſterium in honorem ſanctiſſimæ Mariæ de Gratijs erectum ſe-
dem accepit, & ab innumeris miraculis, quæ in eius eccleſia à deuotiſſima quadam glo-
rioſiſſimæ eiuſdem Virginis imagine patrantur, Gratiarum cognomen accepit. Cuius
antiquitas ab anno Dominicæ Incarnationis 1434. computanda venit: quo ex Euge- B
nij IV. Pont. max. facultate, quemadmodum ex eius bulla Florentiæ anno iiij. ſui Pon-
tificatus expedita, atq; in huius loci archiuis aſſeruata liquidò conſtat, tranſmiſſis aliò
duabus Benedictinis, ſiue (vt alijs placet) Auguſtinianis monialibus eius accolis, (per-
tinuerat olim ſacra hæc domus ad huiuſmodi ſorores, quæ tamen ſuccreſcentibus, graſ-
ſantibuſq́; bellis omnimodam minabatur ruinam) in beati patris Gabrielis Anconita-
ni huius tunc Prouinciæ Vicarij poteſtatem venit. Cuius ſolicitudine & cura à præfata
ruina vindicatum extitit, ita vt commodè 14. fratres capere poſſit. Nam de victu &
amictu nulla pœnitus quæſtio eſt, ſubminiſtrantibus ſibi interim oppidanis quæ neceſ-
ſaria ſunt maxima cum liberalitate. Habitarãt, priuſquã hic locus occuparetur, fratres
aliũ montoſum quidẽ, ac ferè inacceſſum, nec non & in medijs finibus oppidorũ Mat- C
tellicæ, Cinguli, atq; S. Seuerini, ad prærupti montis S. Vicini radices couſtitutum, quẽ
tamen tum ſuis, tum quoq; oppidanorum S. Seuerini rebus conſulturi dereliquerunt.

De conuentu ſancti Franciſci Camerini. Conu. XXX.

OBTINVERANT olim patres noſtri conuentum alium intra ciuitatis Came-
rini mœnia, eo videlicet in loco, in quo impręſentiarum munitio ſubſiſtit, quem ta-
men huiuſmodi munitionis conſtruendæ cauſa, morem ciuibus geſturi, deſerere com-
pulſi ſunt. Qui quidem ciues, ne & ijs iniuriam feciſſe viderentur, & ſe eorum conſor-
tio priuarent, pacto prius cum patribus Franciſcanis Conuentualibus conſtituto, & il-
lis de eo, quod prius ad præfatos patres Conuentuales intra eiuſdem ciuitatis muros
attinebat, monaſterio, & iſtis de alio commodiori prouiderũt. Exurgit autẽ hic noſter D
conuẽtus non longè ab ipſo ciuitatis muro, continetq́; 20. fratres, quorũ maior pars ſub
vnico prælectore Philoſophicis literis incũbit, & conterminus eſt Prouinciæ S. Frãciſci,
quo etiã titulo inſignitur. In eius eccleſia corpus B. Ioannis Parmẽſis ſeptimi totius no-
ſtri Inſtituti Generalis Miniſtri, ac ſacrę Theologię Magiſtri reqeſcit. Beatus hic pater,
cũ ex Nicolai IV. Pont. max beneplacito ad infideles p̄dicandi Euãgelij ergô traiectio-
nem pararet, caſuq́; Camerinum applicuiſſet, à pueris, cęteraq́; plebe, licèt ignotus, ſan-
ctus tamẽ appellari cępit, & hũc conuentũ ingreſſus, cũ adhuc benè valeret, corã fratrũ
multitudine ꝓphetico ſpiritu inſtantẽ ſibi mortẽ p̄dixit, inquiens: Hæc requies mea &c.
Qua (vt prænunciauerat) ſuperueniẽte miraculis illico coruſcare cœpit. Nã & cœcis vi-
ſum, & ſurdis auditum, & plurimis ęgrotis atq; de vita deſperantibus optatam ſoſpita-
tẽ reſtituit. Lapideum eius ſepulchrũ ingredientibus per principẽ portã templũ ad leuã E
propè altare ſanctiſſimo Crucifixo ſacrũ, ipſa ara vtcunq; eminẽtius, occurrit. In altero
verò huiuſmet eccleſiæ altari ad honorẽ immaculatæ Virginis glorioſæ Conceptionis
erecto corpus B.P. Petri Molianici miraculis illuſtris honorificè reconditũ eſt: quod ſo-
lemni pompa, & ꝓceſſione ex antiquiori loco ad hũc nouũ tranſlatũ fuit. In qua quidẽ
trãſlatione illud mirabile accidit. Cũ enim clerus, ac poſt eũ ciuitatis ſenatus ad feretrũ,
quo ſacrũ pignus deferẽdum erat, manus honoris cauſa admouiſſet, neuter ipſorũ illud
mouere potuit. Quapropter & iſte atq; ille ad patrẽ Guardianũ, cęteroſq́; fratres conuer
ſus, oĩnoq́; ſtupefactus inquijt. Adeſtote & vos patres, adiutriceſq́; manus extẽdite, nam
hic ſanctus nos vt indignos aſpernatur. Cumq́; primùm fratres acceſſiſſent, vt leuiſſimũ
onus eleuarũt, & ad vſq; præparatũ ſibi locũ detulerũt. Et hoc ita certũ eſt, vt nihil cer-
tius apud Camerinẽſes, q̃ ipſum ꝑ traditionẽ à ſuis p̄deceſſoribus acceperũt, eſſe poſſit.

De conuentu

A *De conuentu ſancti Franciſci, aliàs Experimenti. Conu. XXXI.*

PERICVLVM facturi Camerinenſes ciues morum, vitæq; noſtrorum fratrum, eis hũc conuentulũ ad mille paſſus ab eorũ communi ciuitate Camerino ex publicis facultatibus conſtrui curarunt, quẽ & ab huiuſmodi experiẽtia (Spermento) quod latinè experimentum ſonat, vocari voluerunt. Cumq; in ipſis nihil niſi ſanctum, bonum, atq; laudabile aduertiſſent, conſtructo intra ciuitatis muros alio ſub titulo S. Frãciſci conuẽtu, & 6. tantum eorũ hoc in loco relictis, reliquos ad ſe introduxerunt. Nec propterea iſtis aliquid deeſſe patiuntur, cum æquè liberaliter ſibi ac alijs neceſſaria ſubminiſtrent.

De conuentu S. Franciſci Matellicæ. Conu. XXXII.

NON deſunt qui aſſerant hunc conuentum beatiſſimo patri Frãciſco ſacrum, atq; intra muros oppidi Matellicæ ſitum, quem 25. fratres vt plurimum inhabitant, ab B ipſomet patre acceptum, fundatumq; fuiſſe: quibus tamen nec ſcriptura aliqua, neq; certa indicia fidem aſtruunt, ſed tantum quædam non ita probabilis traditio fauet. Pertinuit nihilominus aliquando ad Franciſcanos patres Conuentuales, à quibus ex mandato ſummi Pontificis Leonis X. anno à Virgineo partu 1518. ad noſtros deuolutus eſt; idq; opera pijſſimi Matelicani ſenatus, qui & ipſum ex communibus prouentibus olim conſtrui fecit, & ſolicitã eius adhuc curã gerit, & ſanctiſſimæ crucis Chriſti particulã, quaſdamq; alias ſanctorũ reliquias ibidẽ aſſeruatas incredibili deuotione proſequitur.

De conuentu S. Ioannis propè Matellicam. Conu. XXXIII.

AD mille paſſus ab eodẽ oppido Matellica, verſus S. Vicini montẽ occurrit & alius conuẽtus diuo Ioãni ſacratus, modicus quidẽ & anguſtus cùm 5. tantũ fratres vt C plurimũ contineat, ſed contẽplationi, ſpiritualiq; vitæ ducendæ omnino accommodus. Hũc patres Clareni ex eleemoſynis, non abſq; labore & induſtria acquiſitis, olim conſtruxerũt, diuq; inhabitarũt; ſed trãſeuntibus ijs, tẽpore ſuperius iterũ atq; iterũ repetito, à Clareniſmo ad Obſeruantiã Regularẽ, trãſiuit quoq; ipſe in huius Prouinciæ ius.

De conuentu S. Mariæ de valle Saxea Fabriani. Conu. XXXIV.

AD quartum lapidem à nobili oppido Fabriano, atq; ad Appenini montis radices conuentus hic beatiſſimæ Mariæ de valle Saxea, à ſaxorum multitudine, qua vicinus mons ſcatet, ſiue ab eius fundatore, cui Saxo cognomen fuit, ſic dicta, ſacratus, ſub Bonifacio IX. Pont. max. à Benedictinis monialibus, quibus tunc parebat, ad noſtros fratres tranſlatus eſt. Fuerat olim locus hic munitio, ſiue fortalitium ſtipendia- D rijs militibus deſtinatum, illisq; pulſis Benedictinis ſororibus, quibus per trecentos annos paruit, ab illius patriæ domino ex nobili Saxorum familia producto, patronatus ſibi iure ſeruato, collatum eſt: ſed ingraueſcente bello, quòd huiuſmodi habitatio minus tuta eſſet, præfatæ ſorores eo relicto, Fabrianum ſe contulerunt, inibiq; alio monaſterio ædificato pedem fixêre. Quamobrem illuſtris Chiauellus de Chiauellis præfati patroni ſucceſſor, poſt plurimos annos, ducentis nummis aureis monialium Abbatiſſæ pro loco ſolutis, ipſum fratribus noſtris liberaliſſimè contulit. Quem & ipſi fratres recrudeſcente adhuc bello, plurima incommoda atq; pericula vitaturi, ad tempus deſeruerunt. Quod autem ita ſe res habeat, ex Apoſtolicis eiuſdem Bonifacij IX. literis liquidò conſtat. Cuius etiam teſtimonio beatus pater Franciſcus huius acceptandi conuentus ſiue eremitorij author, atq; etiam inhabitator fuit. Quem poſtea beati patres E Bernardinus de Senis, Iacobus Picens ſiue de Marchia, Ioannes Capiſtranus, atq; Marcus à ſancta Maria in Gallo præfati patris Iacobi indiuiduus comes, pluresq; alij ſanctiſſimi patres ſequuti ſunt. Nam ea eſt huius loci diſpoſitio, & ſors, vt nunquam huiuſcemodi patribus careat. Dum ſemel huius eremitorij fratres niuibus obſeſſi fame prę merentur, orationiq; vacarent, Fabriani hæc vox ab aëre delapſa audita eſt. Ecquid ſtertitis Fabrianenſes fame interim fratribus eremitorij pereuntibus? ſtatimq; pia Fabrianenſis communitas, aperta manibus via, quicquid neceſſum fuit illis miniſtrauit. Quos tamen non oſcitantes, neq; ad ignem ocio torpentes, ſed ante venerabile ſacramentum, ſequentesq; ſacroſanctas reliquias, quas incredibili veneratione proſequuntur, videlicet lapillos quoſdam ex Seruatoris Chriſti ſepulchro, ex columna ad quam

idem alligatus fuit, ex loco vbi ipſemet ieiunauit, ex porta aurea atq; ex ſanctiſſimæ A
eius genitricis ſepulchro depromptos, aliasq; plures, quas deformatis præ vetuſtate
earum titulis hîc referre non poſſumus, inuenit. Commorantur frequentius hoc in ere-
mitorio 10. fratres, quorum maior pars tyronica eſt.

De conuentu Annunciationis B. Virginis Fabriani. *Conu. XXXV.*

AD inſtantes Fabrianenſium preces inclinatus Innocentius VIII. ſummus Pon-
tifex, anno Dominicæ Incarnationis 1488. Pontificatus verò ſui vij. hoc mona-
ſterium fœliciſſimæ Annunciationi ſanctiſſimæ Virginis Mariæ ſacrum, atq; ad mo-
niales ſancti Ramoldi attinens, quod quinquaginta tantum paſſibus ab oppido Fabria-
no Camerinenſis Diœceſis diſtat, fratribus noſtris liberaliſſimè conceſſit. Voluitq;,
vt omnibus priuilegijs, gratijsq;, quibus cæteri huius Prouinciæ conuentus gauderent, B
ipſum quoq; potiretur. Inſuper & vt ab omnium monialium prædictarum ſubiectione
eſſet immune. Eius bina breuia hac de re conceſſa in huius loci archiuo aſſeruantur.
Commorantur hoc in monaſterio 14. fratres, peneſq; ſe habent infraſcriptorum ſan-
ctorum reliquias, videlicet Petri, Pauli, Andreæ, & Iacobi Apoſtolorum, Fabiani,
Sebaſtiani, Laurentij, Coſmæ, Damiani, Stephani, Victorini, Blaſij, atq; ſanctorum
Innocentum martyrum, Claræ, Catharinæ, Margaretæ, atq; Lucię virginum & mar-
tyrum; inſuper & particulas quaſdam ſanctiſſimæ crucis Chriſti, eiuſq; cœnaculi, in
quo cum ſuis diſcipulis ad patrem tranſiturus vltimò idem Dominus cœnauit. Pe-
perit nobis oppidum Fabrianum plures patres vita inſignes, ac ſcientia claros, inter
quos longè enituerunt beatus pater Ioannes ex nobili Germanicaq; Henricorum fami-
lia progenitus, atq; beatus Venantius beati patris Iacobi de Marchia (vt præfati ſumus) C
gratiſſimus comes & ſocius. Inter cętera quæ noſtri patres huic oppido pręſtiterunt, illa
ſunt pręcipua, mons ſcilicet pietatis in eo, opera venerabilis cuiuſdã patris fratris Anto-
nij ſocij beati patris Marci à Monte ſanctæ Marię in Gallo, erectus: & famoſum xenodo-
chium in honorem ſanctiſſimæ Mariæ de Ieſu inſtante beato patre Iacobo à Marchia
ibidem conſtructum, in quo habitus, tunica, tunicula, mantellus, atq; galerus eiuſdem
beati patris diligentiſſimè cuſtodiuntur. Vt autem quæ diximus manifeſtiora euadant,
non pigebit hic referre ipſiſſima verba in anteriori exedra eius eccleſiæ, quæ præfato
hoſpitali annexa eſt, inciſa, quę talia ſunt. Anno gratię MCCCCLVI. Calixto III.
Pont. max. Marino Vrſino Archiepiſcopo Tarentino agri Piceni Pręſide primum lapi-
dem inferente, Iacobo ex Minorum Ordine prædicante, ſub duodecim Rectorum gu- D
bernatione, communi totius Fabrianenſis oppidi conſenſu, ex tribus hoſpitalibus hoc
vnum ſub nomine beatæ Mariæ Ieſu conſtructum eſt.

De conuentu ſancti Jacobi Maſſacij. *Conu. XXXVI.*

EXTINCTVRVS Martinus V. Pont. max. Fratricellorum pernicioſam ſectã,
quæ Maſſacij mirum in modum pullularat, ædiculam quandã beato Iacobo Apo-
ſtolo ſacram, ac vnico milliari à Maſſacio Picenti oppido diſtantem, quam vnus tantũ
Camaldulenſis frater occupabat, à Camaldulenſium obſequio, cuiuſdam Apoſtolici
breuis tenore eximens, Ordini noſtro ad inſtantiam beati patris Iacobi à Marchia ſub-
egit: cui & conceſſit vt illam in iuſtum conuentum promouere poſſet. Quod & ille tum
ex Maſſaciorum eleemoſynis, tum quoq; ex multiplici aliorum largitione præſtitit. Ab E
eoq; temporis hic conuentus ſub antiquiori titulo huic Prouinciæ deſeruit, eiuſq; 16.
Reformatos fratres impræſentiarum optimè capit, ſuſtinetq;. Vt autem quod Marti-
nus V. conceſſerat ratum, firmumq; maneret, eius decreto triplici edito Apoſtolico
breui ſubſcripſit Nicolaus Papa V. anno Dominicæ Incarnationis 1450. aliquotq; prę-
terea indulgentias ad perpetuam rei memoriam huic loco impertitus eſt. In quo ſub al-
tari ſanctiſſimi Crucifixi ſepultus iacet beatus pater Ioannes à Fabriano, qui 11. menſis
Martij, anno Domini 1539. è viuis ſublatus, cœlicolis adiunctus eſt, quiq; plurimos à
diuerſis languoribus ſanctiſſimæ crucis ſigno liberauit, ac aliquot alia miracula edidit.
Ne autem harum lector hallucinetur, eum admonitum volumus, hũc ſcilicet conuentũ
trinomium eſſe, cum modò diui Iacobi ædes, modò Maſſacij eremitorium, modò verò
diui

A diui Ioannis templum nuncupetur, ſed beato tantùm Apoſtolo Iacobo à ſui origine ſacratum fuiſſe.

De conuentu ſancti Jacobi Cinguli. Conu. XXXVII.

CVM pia Cingulana communitas ab Eugenio IV. Pont. max. vnius Minoritici conuentus apud ſe conſtruendi facultatem, anno Dominicæ Incarnationis 1446. impetraſſet, illumq; non ita poſt multum temporis ad quinquaginta paſſus ab oppido eius Cingulo, ex communibus facultatibus, in amœno quodam ac ſaluberrimo ſitu ædificaſſet, vt eius eccleſia beato Iacobo Apoſtolo, cui deuotiſſima erat, ſacraretur curauit. Quod & beato patri Iacobo à Marchia, qui tunc fortè aderat, huiuſmodiq; operis author fuerat, cæteriſq; patribus gratiſſimum fuit. Præcepit tamen ſummus idem Pontifex, vt moniales ſanctæ Catharinæ, quæ hunc locum prius incolebant, ad alium conuentum ſibi gratum, oppidiq; ſumptibus conſtruendum transferrentur. Quod & fideliſſimè exequutum extitit. Solicita nihilominus pia Cingulana communitas de noſtrorum fratrum quiete, ſubdubitanſq; ne aliquando vel ab ipſis monialibus, quibus tamē abundè ſatisfactum fuerat, vel ab alio quopiam, ſub veri vel apparentis iuris prætextu moleſtarentur, vel loco deturbarentur, Nicolaum V. Pontificem quoq; maximum ſupplex rogauit, vt quicquid eius prædeceſſor Eugenius IV. conceſſerat ipſe proprio calculo approbare dignaretur. Qui pro ſua in nos, atq; in Cingulanos beneuolentia, expedito Apoſtolico breui ſub datum Romę apud ſanctum Petrum 5. Iulij anno Domini 1452. Pontificatus verò ſui anno vj id libentiſſimè conceſſit. Inſuper & hūc locum, quem plerumq; 16. Reformati fratres inhabitant, in omnibus & per omnia noſtræ Religioni ſubegit, ac à quouis alio iure immunem & liberum eſſe voluit.

De conuentu ſanctæ Mariæ de Valcenegia. Conu. XXXVIII.

SEMPER equidem ſui ſimilis fuit Montechiana communitas: Nam quo zelo & ſolicitudine, circa annum Dominicæ Incarnationis. 1450. hunc conuentum ſanctiſſimæ Dei genitrici Mariæ de Valceriegia dicatum, ex publicis facultatibus, atq; ex Apoſtolica auctoritate, ad ſecundum milliare ab eius oppido, cui Italicè Montechio nomen eſt, ædificauit, ea prorſus cura & diligentia ipſum per centum & triginta annos, eoq; amplius, ſuſtentauit, refecit, reparauitq;, immo & qua charitate patres Clarenos primos eius habitatores complexa fuit, ea etiam & eorum ſucceſſores, fratres videlicet noſtros, proſequitur eiſq; omnia, tum ad victum, tum ad amictum, tū quoq; ad continuos excipiendos hoſpites neceſſaria liberaliſſimè ſuppeditat. Poſſet hauddubiè hic locus, ſi D & habitationis, & ſubminiſtrati victus ratio habeatur, plures fratres continere, ſed ea eſt aduentantium hoſpitum frequentia, qui vel peregrinationis ergô Lauretanam ſanctiſſimæ Dei genitricis domum petunt, vel ex Hetruria alijſq; patrijs ſoluentes Romā contendunt, vt ſi ipſis conſultum cupiant, huius Prouinciæ proceres vltra 7. ibi commorari minimè patiantur.

De conuentu ſanctæ Crucis Maceratæ. Conu. XXIX.

CVM aliquandiu fratres noſtri conuentulum quendam longiuſculus à ciuitate Macerata, cui ne totius Piceni metropolis ſit, Ancona vrbs impedimento eſt, diſtātem, atq; ſumptibus eius ſenatus ædificatum habitaſſent, pluraq; incommoda ob aëris intemperiem inibi ſuſtinuiſſent, opera atq; ſolicitudine, tum præfati ſenatus, tum quoq; E nobilis Criſporum familiæ, ab ijs erepti ſunt. Nam illuſtriſſimo Cardinale Farneſio totius agri Piceni Legato, qui & poſtea ſummus Pontifex electus Paulus III. dici voluit, ac Iulio II. Pont. max. ad totius eccleſiæ militantis clauum ſedente, ipſis inſtantibus, ex Apoſtolica auctoritate, ad hunc locum, quem modò obtinent, amœnum omnino, atq; ſaluberrimum, trecentiſq; tantum paſſibus ab ipſa ciuitate ſecluſum, tranſlati fuēre. Ipſe verò conuentus in huiuſmodi tranſlatione antiquum nomē amittens, nouū acquiſiuit; cùm primùm beatiſſimo P. Franciſco dicatus, poſtea ſanctiſſimę cruci, à quadam cruce ſacroſanctis Hieroſolymitanæ terræ reliquijs referta, ſibiq; tunc temporis à venerabili quodam patre fratre Baptiſta Frontone dono data, (ni fallor) ſacratus euaſerit. In quo tandem 20. fratres commorantur, quorum altera pars ſacræ Theologiæ, altera verò Philoſophiæ, ſub peritiſſimis prælectoribus ſedulò incumbit.

De conuentu S. Franciſci Forani. Conu. XL. A

QVOD hic conuentus beatiſſimo patri Franciſco ſacratus, atq; ad ſeſquimilliare à Pignano Picente oppido, in media quadam confertiſſima ſylua ſitus, eundẽ Seraphicum patrem ſui authorem, fundatoremq; habuerit, & loci diſpoſitio & fonticulus longiuſculus ab eo effoſſus eidemq; dicatus, & certiſſima oppidanorum traditio teſtantur. Sed quo certo tempore id contigerit, non ſatis conſtat. Huius loci inhabitator aliquando fuit beatus pater Conradus Offidanus, hîcq; puerum Ieſum de glorioſiſſimę Virginis manibus ad iactum lapidis ab eccleſia accipere meruit. In cuius rei teſtimoniũ, & veritatem, fratres ædiculam eodem in loco, anno Domini 1443. ædificari curarunt; in qua patres Reformati huius nunc monaſterij incolæ, qui numero ſunt 18. ſingulis diebus primum glorioſiſſimæ Virginis nocturnum, eiusq; litanias deuotiſſimè perſoluunt. B De qua ædicula id certiſſimè fertur. Cùm enim pater Guardianus depictam ibi cuperet glorioſiſſimæ Virginis imaginem, eaq; de cauſa pictorem conduxiſſet, illeq; plurimis eius faciebus depictis, atq; iiſdem, quòd nec ſibi nec patri Guardiano ſatisfacerent, obliteratis, anxius obdormiuiſſet, apparuit ſequenti die manè eius imago graphicè, ac omnium oculis pulcherrimè abſoluta. Qua de re mirum in modum à populis frequentatur, plurimisq; ſummorum Pontificum gratijs fruitur.

De conuentu ſanctæ Mariæ de Populo Montilbodij. Conu. XLI.

PERTÆSA Montilbodiana communitas cohabitationem patrum Clarenorum, Leoni X. Pont max. ſupplicauit, vt ijs pulſis conuentum ad quingentos paſſus ab eius oppido Montilbodio diſtantem, beatiſſimæq; Virgini Mariæ ſacratum, quem multis C retrò annis illis communibus ſumptibus ædificarat, Obſeruantiæ Regulari mancipare liceret. Quo tandẽ inſtanti eorum petitioni, anno à lætabũda Chriſti natiuitate 1516. annuente, poſt elapſum biennium, quod eius refectioni ampliationiq; inſeruiuit, ipſum noſtris fratribus omni ex parte reſtauratum, adeò vt 14. commodiſſimè capiat, ex animo contulit. Quibus & omnia neceſſaria ad nutum ſubminiſtrat.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Senogalliæ. Conu. XLII.

IMPETRATVRVS illuſtriſſimus Ioannes à Ruuere Sixti IV. ſummi Pontificis nepos, Romæ, Senogalliæq; Præfectus, Soranus Dux, atq; illuſtriſſimi Franciſci Mariæ Vrbinatum quoq; Ducis pater, prolem, quæ ſibi ſuccederet (laborabat ſiquidem ſterilitate) Deo opt. max. ſe ex voto obſtrinxit, vt ſi eam obtineret, fratribus D Minoribus Regularis Obſeruantiæ conuentum ædificaturus eſſet. Voti igitur compos effectus, antiquiorem ædiculam omnimodæ ruinæ proximam, atq; in media ſylua ad mille paſſus à Senogallia Picente ciuitate, fluctibusq; Adriatici maris expoſita, ſitam anno Dominicæ Incarnationis 1491. ſuis ſumptibus in ſatis amplum commodumq; conuentum promouit, atq; ſanctiſſimæ Dei genitrici Mariæ de Gratijs ſacrauit, inibiq; moriens in habitu Franciſcano ſepeliri voluit. Quantus autem populorum concurſus ad ſacram hanc ædem, quam 20. religioſi frequentius inhabitant, ſolemnioribus diebus, præſertim verò Paſchalibus ferijs ſit, vix exprimi poſſet, cùm aliquando ad 12. Confraternitates ex diuerſis pagis ſua vota perſoluturæ ſimul conueniant.

De conuentu ſancti Franciſci Corinaldi. Conu. XLIII. E

SATISFACTVRVS ſummus Pontifex Pius V. inſtantiſſimæ Corinaldenſis communitatis ſupplicationi, hunc conuentum Seraphico patri Franciſco ſacrum, atq; vallo oppidi Corinaldi proximum, à patribus Franciſcanis Conuentualibus quibus multis annis paruerat, ad noſtros fratres, cum omnibus ad ſe pertinentibus, tranſtulit, huicq; Prouinciæ ſubiecit. Cuius tanta eſt capacitas, atq; commoditas, vt 20. fratres vllo abſq; grauamine contineat, illisq; & ocium, & opportunitatẽ Philoſophicis vacandi literis ſubminiſtret. Inter cætera quæ hunc locum maximè commendant, non infimum locum tenet venerabilis quædam crux ſequentibus reliquijs exornata: Videlicet aliquot oſſibus ſanctorum Stephani prothomartyris, Geruaſij martyris, Martini

A Pontificis & confeſſoris, atq; Anaſtaſiæ virginis ac martyris, quibuſdamq; particulis Hieroſolymitani templi, eorumq; locorum, in quibus Chriſtus Dominus in agonia factus ſanguinem ſudauit, alligatusq; ab impijs carnificibus flagellatus fuit, atq; crucifixus, ſepultusq; eſt, atq; etiam ſepulchrorum beatiſſimæ virginis glorioſæ Mariæ, ſanctæq; Catharinæ virginis & martyris.

De conuentu ſanctæ Mariæ de Miſericordia. Conu. XLIV.

CVM illuſtris Mariottus Saianus prole careret, cultusq; diuini promouendi ſtudioſiſſimus eſſet, vnum aliquem conuentum fratrum noſtrorum obſequio mancipandum ex proprijs facultatibus, quibus abundabat, ædificare ſtatuit. Cùmq; Adriani VI. Pontificis maximi auctoritas, fauorq; hac in re ſibi aſpirarent, anno à mundi re-B demptione 1523. hanc ſacram ædem in honorem ſanctæ Mariæ de Miſericordia tumultuario opere ex ceſpite tantum, atq; terra, ad trecentos paſſus à pago, cui Collis nomen eſt, conſtrui curauit: vt vel ſic duodecim fratres ipſo adhuc ſuperſtite capere, contine-req; poſſet. Ex ergaſtulo tamen carnis ad aſtra migraturus; condito teſtamento cauit, vt ex bonis eius quicquid terra ad tempus ſuppleuerat, id totum coctus later, atq; politus lapis occuparent. Vnde factum eſt vt hic locus in pulcherrimum monaſterium euaſerit. Ad cuius ornatum capaces horti, adiacensq; nemus plurimum agunt.

De conuentu S. Mariæ Nouæ Fani Fortunæ. Conu. XLV.

FANVM Fortunæ Agri Piceni vrbs eſt, in littore Adriatico, inter Piſaurum & Senogalliam, non longè à Metauro amne ſita, atq; à pulcherrimo Fortunæ tem-C plo in ea olim erecto ſic dicta. Aliquantulum igitur ab hac ciuitate, iuxta prefatum fluuium Metaurum, atq; Adriaticum littus, fratres noſtri conuentulum ſub titulo ſanctæ Mariæ in Ponte primæuis Seraphicæ Religionis noſtræ temporibus, fauente ſibi Fanenſi ſenatu ędificarant. Sed cum is locus eorum ſaluti ob aëris intemperiem mirum in modum obeſſet, ad alium ciuitati viciniorem, multoq; elegantiorem, piorum etiam ciuium communibus eleemoſynis fabricatum, poſt aliquot annos ſe tranſtulerunt. Graſſantibus verò inteſtinis bellis atq; diſſidijs in ipſa ciuitate, dum ciuium pars huic factioni, altera verò alteri deſeruit, & hæc illam pellit, atq; verſa vice ab illa iſta pellitur, cùm fratres diuerſis calamitatibus agitarentur, plurimiſq; militum iniurijs expoſiti eſſent, curauit pia communitas, vt ſancti Saluatoris parochia intra muros erecta, atq; ad patres Anconitani montis Camaldulenſes attinens, ſeruato interim ſibi paſtorali iure, D in conuentum, ſub titulo ſanctæ Mariæ Nouæ, promoueretur, illisq; traderetur. Ab eo itaq; temporis 20. Franciſcani Obſeruantes hanc ſacram ædem occupant, ſummamq; Fanenſium erga ſe beneuolētiam penitius experti ſunt. Non tamen propterea hic locus parochiæ dignitatem amiſit, cum ſæcularis quidam ſacerdos, à patribus Camaldulenſibus deſignatus, quæ paſtoralis officij ſunt in ea exerceat.

De conuentu S. Ioannis Baptiſtæ Piſauri. Conu. XLVI.

CVM antiquus fratrum noſtrorum conuentus inter Iſaurum fluuium atq; Piſaurum ciuitatem ſitus, communibusq; Piſaurienſium ſumptibus ædificatus, impedimento eſſet ne vrbs ipſa vallo, atq; aggere communiri poſſet, curauit ſolicitus ſenatus, vt fauente ſibi Pauli III. Pont. max. auctoritate, cuius bullam, ſub datum Romæ v. E cal. Aprilis, anno Domini 1537. Pontificatus verò ſui anno ij. in præſenti loco adhuc cernere licet, eo demolito alius ex publicis prouentibus, intra ipſa mœnia, conſtrueretur. Poſt elaſpum itaq; ſeptennium, anno ſcilicet 1543. empto ex communibus, tum illuſtriſſimi Guidobaldi à Ruuere V. Vrbinatum Ducis atq; Franciſci Mariæ itidem Ducis legitimi filij, tum quoq; deuotę Piſaurienſis communitatis, facultatibus capaciſſimo ſitu, hoc ſacrum monaſterium in honorem ſancti Ioannis Baptiſtę Dominici Pręcurſoris ædificari cœpit. Cuius fundamentalem lapidem illuſtriſſima Iulia Varana, præfati Ducis Guidobaldi vxor, de religioſo more poſuit. Quod verò reliquum eſt ædificij communibus illuſtriſſimorum Ducum, atq; piæ communitatis ſumptibus ſuperſtructum eſt. Idq; tanta magnificentia, atq; ſumptuoſitate, vt eorum manus ſæpius à Pro-

uinciæ

uinciæ patribus, ne ſolitus paupertatis modus excederetur, comprimendæ venerint. A Quorum tandem opera effectum eſt, vt in pulcherrimum, debitumq; conuentum emerſerit, commodiſſimeq; 30. fratres vel circiter, eius accolas capiat. In huius ſacræ domus eccleſia, quæ elegantiſſima eſt, altare ſanctiſſimo Crucifixo dicatum, ob continua miracula quæ ibi contingunt, atq; ob ſingulare priuilegium quo à ſummo Pontifice Gregorio XIII. donatum fuit, vt videlicet fidelium animæ à purgatorij pœnis per Miſſarum ſolemnia ibidem facta liberentur, maxima deuotione à fidelibus frequentatur.

De conuentu S. Mariæ de Scotaneto montis Barochij. Conu. XLVII.

AD mille paſſus ab oppido monte Barochio in eiuſdem confinibus, atq; eius oppidi quod vulgò (Montegiano) nuncupatur, conuentus hic ſanctæ Mariæ de Scotaneto, licet communiter Montis Barochij locus appellitetur, ſacratus, in næmoroſi cuiuſdam, atq; delicioſi montis iugulo ſituatus eſt, qui, ſi ſeniorum traditioni fidem adhibere debeamus, à beato patre Franciſco, vel ſaltem ab aliquo alio contemporaneo patre, eius tamen iuſſu, ædificatus fuit: Neq; hoc incredibile eſt, cùm ea propter ſæculares ſibi ſummoperè afficiantur, maximaq; charitate, & beneuolentia 22. fratres eius habitatores proſequantur. Si tamen hoc verum ſit, neutiquam in vno & eodem ſtatu à ſui origine vſq; impræſentiarum perſeuerauit: cùm primitus ſanctiſſimis illis patribus noſtræ Religionis zelotibus deſeruierit, deinde verò Franciſcanis Conuentualibus ſubfuerit, ac poſtremò ab illis ad noſtros fratres tranſlatus ſit. Ad leuam eccleſiæ, ſi per præcipuum eius oſtium fueris ingreſſus, tumulatus tibi occurret beatus frater Sanctus, profeſſione quidem laicus, ſed meritis opimus, qui tum in vita, tum quoq; in morte miraculis ea propter claruit. B C

De conuentu Annunciationis B. M. Foroſempronij. Conu. XLVIII.

VT omnibus in propatulo eſſet quanta deuotione pij antiquiſſimæ ciuitatis Foroſempronij (vulgò verò Foſſambrone) ciues in fœliciſſimam Deiparę Virginis Annunciationem ferrentur, hoc ſacrum monaſterium ad 200. paſſus ab eorum ciuitate, non longè à celeberrimo fluuio Metauro, anno à Virgineo partu 1472. ex publicis bonis in eius honorem ædificari curarunt. Cui & pulcherrimos hortos, amœnamq; ſyluam addiderunt. Cùm autem eorum deuotio, tum ad ſacroſanctam B. V. Annunciationem, tum quoq; ad hunc locum in dies magis magiſq; excreſceret, ſummus Pontifex Gregorius XIII. illam pro viribus promoturus, omnibus ipſum à primis veſperis diei præfatę Annunciationis feſti vſq; ad ſequentis ſolis occaſum ingredientibus, ſuaſq; ad Altiſſimum preces fundẽtibus, omnium peccatorum plenariam indulgẽtiam in perpetuum duraturam 27. Februarij, anno Dominicæ Incarnationis 1577. Pontificatus verò ſui anno v. ex pientiſſima liberalitate conceſſit: inſuper & indulſit, vt quicunq; ſacerdos, ſiue ſęcularis, ſiue etiã regularis, in altero huius eccleſię altari ſanctiſſimo Crucifixo dicato Miſſam pro aliqua fideli anima in Purgatorio exiſtẽte celebrauerit, eam à pœnis, quas pro exceſſibus hoc in ſęculo commiſſis pati contigerit, ex tempore liberet. Quo fit vt 20. fratres commodiſſimè hîc cõmorari poſſint, & vllo abſq; grauamine eorum iuniores Grammaticalibus rudimentis imbuantur. D

De conuentu S. Georgij Contis Robij. Conu. XLIX.

AN hic connentus diuo Georgio martyri ſacratus atq; in confinijs pagorũ Moterolis, Montiſq; veteris ſitus, iſtius potius quàm illius iuriſdictioni ſubſit adhuc lis ſub Iudice eſt. Nihilominus tamen illuſtres Montis veteris Comites exiſtimantes eius ſitũ ad ſe pertinere ipſum multis ab hinc annis, vbi nunc eſt, ex proprijs facultatibus ędificari curarunt, in eoq; peculiare ſacellum pro ſuis corporibus humandis ſibi elegerunt, in quo & eorũ aliquot ſepulti ſunt. Quo autẽ certo tempore conſtructus fuerit, nullo pacto conſtat. Sed ſi eius ſtructuram atq; formam attenderis, tibi antiquus ſatis videbitur. Cui tamen ad decorem, deuotionemq;, tum accedentium, tum quoq; inhabitantium augendam nihil penitus deeſt: cùm ſuper colliculum ſitus amœniſſima ſylua cingatur, & maxima quiete gaudeat. Qua etiam de cauſa nouitijs fratribus æducandis deſeruit, qui profeſſis annumeratis ſunt numerò 14. E

A *De conuentu ſancti Martini Roccha contratæ. Conu. L.*

CVM fratres noſtri vnum vel alterum locum B. P. Antonio ſacratum, intra mœnia opulentiſſimi oppidi Roccha contratæ, ex ſummi Pontificis Pauli III. auctoritate per quadriennium & vltra occupaſſent, neuterq; eorum quieti conſuleret, de alio ſibi extra ſepta eligendo agere cœperunt. Quibus morem geſtura pia eius communitas Paulo IIII. Pont. max. ſupplicauit, vt eius votis annuere dignaretur. Quo tandem annuente, hunc conuentum diuo Martino dicatum, quem 14. fratres inhabitant, ad mille paſſus ab oppidi vallo, ex publicis prouentibus, anno à ſalutifera Chriſti Natiuitate 1557. illis quoq; ædificari curauit. In cuius archiuo Apoſtolicum Pontificię conceſſionis breue adhuc inuiſere licet. Inter primos huius ſacræ ædis accolas vnus fuit miræ
B ſanctitatis pater ac frater Pacificus ex Roccha contratæ oriundus, cuius corpus, vt circumuicinorum populorum aduentantium deuotioni fieret ſatis, biduo inhumatum permanſit, accedentibus continuò fidelibus, vt vel eius habitum tangerent, vel pedes deoſcularentur, quibus eius beatitudo certiſſima eſt.

De conuentu ſanctæ Mariæ de Pace Sentini. Conu. LI.

SENTINVM nobile oppidum, atq; montoſum eſt, appellaturq; vulgò Saſſoferrato. Cuius gens licèt pugnax, bellicoſaq; ſit, viris tamen religioſis, præcipuè verò noſtratibus, maximè afficitur. Cùm enim vnius Minoritici conuentus apud ſe ędificandi maximo teneretur deſiderio, Iulio II. Pont. max. qui totius Eccleſiæ militantis gubernaculum tenebat, vt ea ſibi facultas concederetur, quàm humiliter ſupplicauit. Quo
C annuente conuentum hunc ſanctiſſimæ Dei genitrici Marię de Pace ſacrum, ad centum paſſus ab oppido, ſupra eleuatum quendam atq; næmoroſum colliculum, ex communibus prouentibus, ex tempore couſtrui fecit. Vt autem fratrum habitatio commodius, fœliciusq; abſolueretur, deuota fœmina Cherubina Alberia Sentinenſis eccleſiam proprijs ſumptibus ædificauit. Cuius pietatem ſequuta eius conterranea Bernardina de Humanis, plurima quoq; ad totius operis conſummationẽ ex domeſtico peculio liberaliſſimè contulit. Iſtarum ergo matronarum, atq; Sentinenſis communitatis, inſuper & nobilis cuiuſdam Philippi pijs eleemoſynis ſacra hæc ædes, quam frequentius 10. fratres incolunt, inchoata abſolutaq; eſt.

De conuentu S. Bernardini Vrbini. Conu. LII.

D AEDIFICATVRVS illuſtriſſimus Comes montis Feltrij Guidantonius Feltrius conuentum Seraphicæ noſtrę Religioni, cui tum ipſe, tum quoq; eius vterina ſoror Anna Feltria ſummopere afficiebatur, prope Vrbinum Vmbrię antiquam nobilemq; ciuitatem, fundum parochiæ diui Donati continguum, atq; ad Abbatiam ſanctę Crucis de Auellana Eugubinæ Diœceſis attinentem, ab eius Abbate Petro Serrano ſufficienti ære comparauit, præſentiq; conuentui ſub titulo ſancti patris Bernardini de Senis, ex Martini V. Pont. max. auctoritate, anno à partu Virgineo 1425. initium dedit: quem tamen immatura morte præuentus abſoluere nequiuit. Quapropter legitimus eius filius Guidantonius quoq; Feltrius, primus Vrbinatum Dux, quod charus pater præſtare nequiuerat ad debitum finem adducere contendit. Et ecce dum ſolertius id exequi curat, à quibuſdam Vrbinatibus proditoriè occiditur. Cui ſuccedens frater
E eius naturalis Fridericus Feltrius ſecundus Vrbinatum Dux, patris, ac fratris pijs votis ſatisfacturus inchoatum hunc locum magnificè ſatis, ac pro tanti Principis ſplendore omnibus ſuis numeris abſoluit. Ne autem antiquior parochialis eccleſia, quę ſub titulo ſancti Donati hoc in ipſo loco erecta erat, omnino aboleretur, conſtitutum fuit, vt Parochus quidam ſęcularis quæ ſunt paſtoralis officij exerceret, fratres verò, qui frequentius ſunt 25. diuini cultus curam gererent. Hæc igitur ſacra ædes, quæ vnico milliari ab Vrbe diſtat, celebratione eius Capituli generalis, in quo anno Dominicæ Incarnationis 1475. pater ac frater Franciſcus Sanſon in totius Minoritici noſtri Inſtituti Generalem M niſtrum electus fuit, & illuſtriſſimorum, vtriuſq; Guidantonij Feltrij, patris ſcilicet ac filij, Fridericiq; Feltrij, ac Guidobaldi Feltri Ducum Vrbinatum, quorum
ſepulchra

ſepulcra diſtincta inuiſuntur , atq; aliorum eiuſdem familię heroum funere eſt omninò A
inſignis . Eiusq; ius patronatus ad illuſtriſſimos , pariterq; excellentiſſimos Vrbini Du-
ces ſpectat . Qui licet ex alia ſtirpe (Ruuerica videlicet) producti , hoc quoq; monaſte-
rium ſimul cum ipſo Ducatu obtinuerunt .

De conuentu ſancti Joannis Baptiſtæ Caſtri Durantij . Conu. LIII.

PROPRIAM vexationem redempturi fratres noſtri antiquum locum , quem
longiuſculus à fluuio Metauro in media quadam quercea,delicioſaq; ſylua obtine-
bant , deſerere coacti ſunt . Nam ea erat quorundam ſæcularium,pręſertim verò ruſti-
corum inſolentia , vt ipſis inuictis integras arbores ſuccidere,ac ſyluam vaſtare pro libi-
to non vererentur , Quamobrem ſibi , atq; etiam illi conſulturi , quicquid iuris obtine-
bant in excellentiſſimum Franciſcum Mariam à Ruuere Vrbini Ducem tranſtulerunt , B
atq; hunc conuentum diuo Ioanni Baptiſtæ ſacrum ſumptibus , & liberalitate illuſtris
familię Brancaleonis , in territorio Abbatiæ caſtri Durantij , atq; in quadam peninſu-
la , inter prędictum Metaurum Voterenamq; fluuios , conſtrui curarunt . Quem 10.
fratres inhabitant , pluraq; nobilium Brancaleonum ſepulchra eleganter exornant .

De conuentu S. Mariæ de Angelis . Conu. LIV.

CVM illuſtriſſima Eliſabetha Gonzaga Vrbini Duciſſa,atq; ex morte illuſtriſſimi
Guidobaldi Feltrij huius nominis primi vidua relicta,oppidiq; ſancti Angeli in Va-
do pia communitas Tertiarijs quibuſdam ſororibus proſpectui cuperent , maximaq;
beneuolentia in Franciſcanam Obſeruantem familiam ferrentur,vnius apud ſe Minori-
tici ędificandi monaſterij facultatē à Iulio II.Pont. max. 11. Iunij,anno Domini 1511. C
obtinuerūt . Cumq; aliquandiu inter præfatam communitatem reuerendumq; patrem
fratrem Thomam ab Auximo huius tunc Prouinciæ Miniſtrum de ſitu controuerſum
eſſet , contendēte iſto vt mille paſſibus ad minus ab oppido erigeretur huiuſmodi mona-
ſterium , quatenus eius frater Deo opt. max. liberius vacare poſſent : illa verò contra-
dicente , atq; affectante vt vel intra muros , vel ſaltem prope oppidi vallum ædificare-
tur , ne ob nimiam diſtantiam ab eo frequentando retraherentur ; opera atq; interuen-
tione illuſtriſſimæ præfatæ Duciſſæ præſens locus,quingentis tantum paſſibus ab oppi-
do diſtans , electus eſt,atq; communi vtriuſq; partis conſenſu hic conuentus ſanctiſſimę
Mariæ de Angelis ſacratus , quem 12. fratres inhabitant , ex publico ærario ſuperædi-
ficatus extitit . D

De conuentu ſancti Franciſci Montis Florentini . Conu. LV.

DEFICIENTIBVS præ vetuſtate ſcripturis , contradicentibusq; inter ſe ſæ-
cularibus,quam potius partem eligam penitus ignoro . Nam alij dicunt hunc con-
uentum beatiſſimo patri Franciſco ſacratum , atq; in media ſylua, ad tertium lapidem
à Saxo Simonis,erectum,primitus à beato ipſo patre Frauciſco prope pagum Caſtella-
num fuiſſe conſtructum , ac temporis ſucceſſu , derelicto ab incolis pago, ipſo adhuc ſu-
perſtite ad hunc locum eſſe tranſlatum. Alij verò huiuſmodi tranſlationem penitus ne-
gant , mordicusq; aſſerunt eum hac in ſylua ſedem opera præfati Seraphici patris pri-
mitus accepiſſe . Voluntq; ipſum non à fundamentis ædificatum , ſed reſarcitum à fra-
tribus tantummodò fuiſſe : cùm monialibus prius inſeruierit , quibus tamen à conuici-
nis populis abundè ſatisfactum ſit . Quicquid tamen ſit, extat quædam bulla Innocen- E
tij IV. Pont. max. in huius loci archiuo aſſeruata , data Auinioni 4. Octobris , anno
Domini 1248. qua fratribus vnius conſtruendi monaſterij , nulla penitus , ſiue tranſla-
tionis , ſiue ſitus , ſiue etiam monialium facta mentione,poteſtas ſit . Et hæc tantùm de
hac ſacra ęde , quam 20. fratres inhabitant , referre poſſumus .

De conuentu ſanctæ Mariæ de Oliua Maciani . Conu. LVI.

QVANTA fuerit pagi Maciani ad fratres noſtros deuotio hinc liquidò patet :
Quòd cùm pauperie laboret , eos ſumptus quos in ędificando quodam locello fe-
cerat , quòd is fratribus non deſeruiret , omnino contempſerit , atq; alios multò maio-
res expo-

A res expoſuerit, vt tandem hunc conuentum B. Mariæ de Oliua ſacratum, quem 12. fratres occupant, non longè à fluuio Marida, in loco quodam commodiori, atq; ſalubriori, ex poteſtate Iulij III. Pont. max. facta 7. Iulij, anno Domini 1553. Pontificatus verò ſui anno iiij. ijſdem erigerent.

De conuentu S. Antonij Montismaij. Conu. LVII.

CONVENTVS hic B. Antonio Abbati ſacratus, atq; prope pagum Montem maium Montisfeltrenſis Diœceſis ſitus, ſumptibus, pijsq; adiacentium, pagorum ac R. D. Ioannis Franciſci Hormanij Vallenſis Epiſcopi eleemoſynis, atq; ex facultate ſummi Pontificis Pauli III. cuius bulla data Romæ apud S. Petrum 20. Decembris, anno Dñi 1543. Pont. verò ſui anno x. adhuc extat, circa prædicta tempora ædificari

B cœpit. Cuius eccleſiam R. D. Ioannes Franciſcus Soromanus Montisfeltrenſis Epiſcopus, anno Domini 1567. conſecrauit, ac ſummum altare SS. Apoſtolorum Pauli & Bartholomæi, nec non & Donati Epiſcopi atq; martyris ſacroſanctis reliquijs exornauit. Gaudet præterea ſacra hęc ędes ex munificentia Gregorij XIII. Pont. max. altari quodam priuilegiato in fauorem fidelium defunctorum: & deuotiſſima Confraternitate ſanctiſſimi Roſarij ex eiuſdem Gregorij XIII. diſpenſatione ibidem erecta: atq; à 10. fratribus tantùm inhabitatur.

De monaſterio S. Mariæ nouæ Anconæ. Mon. I.

CVM Benedictinę quędam moniales hoc monaſterium ſanctæ Marię nouę ſacratum, atq; muris Anconitanæ ciuitatis circumcinctum tanquam minus capax,

C minusq; idoneum, alio interim commodiori in honorem S. Bartholomęi intra eiuſdem ciuitatis mœnia ſibi constructo, Diocęſano Epiſcopo liberè reliquiſſent, ac Tertiariæ aliquot Franciſcanę ſorores, quatenus ſibi concederetur, ſuppliciter inſtarent, à pientiſſimo Epiſcopo illis conceſſum eſt. Quod vt firmius ſtabiliretur, acceſſit quoq; & Eugenij IV. Pont. max. auctoritas facta anno Chriſti 1443. Cumq; poſt aliquantulum temporis vellent prædictæ Tertiariæ arctiori vitæ aſtringi, huius Prouinciæ patres rogarunt, vt, tranſmiſſis ad ſe aliquibus Clariſſis ſororibus, quæ ſe earum ritibus & cæremonijs imbuerent, ſibi velum, ac tranſlationem ab huiuſmodi Tertio S. Franciſci Ordine ad primam B. virginis Claræ Regulam concedere vellent. Quibus illi annuentes, conſulto prius ſummo Pontifice, eductas 4. ſummæ religionis ſorores ex ſacro monaſterio Corporis Chriſti Piſaurienſi ad eas inſtruendas tranſmiſerunt. Commorantur

D itaq; hoc in loco 60. Clariſſæ ſorores, maximaq; cum reuerentia cuſtodiunt B. Vrſulę virginis & martyris caput, & trium Tertiariarum prædictarum oſſa. Quarum corpora cùm integra perſeuerarent, maximiq; à ſororibus fierent, voluit quędam Abbatiſſa, ex monialium tamen conſenſu, ea ex ſuis locellis exhumata ad honorarius ſepulchrum transferre. Dumq; ea pro religioſo more lauari, atq; ad ſolem exſiccari curat, conſumpta protinus carne ipſa tantum nuda oſſa remanſerunt. Quæ nihilominus in pulcherrimam arcam inferri, atq; in editiorem locum ſtatui fecit.

De monaſterio ſanctæ Margaretæ Arpini. Mon. II.

SACRA hæc ædes antiquiſſima eſt, cùm anno Domini 1390. à pijſſima quadam Vitarella Arpinate, ex mera tantum deuotione, qua & in B. Margaretam Virgi-

E nem atq; martyrem, & in Tertiarias Franciſcanas ſorores ferebatur, intra Arpinum antiquiſſimam ciuitatem, (vulgò verò Aſcoli) in eiuſdem ſanctæ honorem ædificata, præfatisq; Tertiarijs ſororibus collata fuerit. Quarum religio atq; ſanctitas tanta eſt, vt in expiabile peccatum ſit aliquid de eis obloqui. Commorantur ibi 50. & S. crucis particulam & habitum, ſimul atq; capucium beati patris Iacobi Picentis cuſtodiunt.

De monaſterio S. Franciſci Cupramontanæ. Mon. III.

CVM moniales quędam liberius, quàm par eſſet, Cupramontanę in conuentu ſancti Franciſci viuerent, idq; ſummo Pontifici Leoni X. per eius ciuitatis ſenatum innotuiſſet, pręcepit vigilantiſſimus ipſe Paſtor, edito Apoſtolico breui ſub datum Palis Por-

lis Portuenſis Diœceſis 17. Aprilis, anno Dominicæ Incarnationis 1521. Pontificatus A
verò ſui anno ix. vt ijs loco pulſis aliæ ex ordine Frãciſcano ſibi ſubrogarentur, huiusq́;
Prouinciæ Miniſtro ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna iniunxit, vt illarum
curam abſq; aliqua ſiue appellatione, ſiue tergiuerſatione, ex tempore ſuſciperet. Ad-
ductis itaq; aliunde quibuſdam ſororibus de Tertio ordine Seraphici, P. Franciſci,
Apoſtolico breui & ab antiquioribus loci monialibus, & à R. P. F. Benedicto à ſancto
Geneſio tunc Prouinciali Miniſtro obtemperatum eſt. Cùmq; & illę ſtrictiori vitę man-
cipari cuperent, idq́; Prouinciæ patribus, atq; etiam Cupramontanis gratiſſimum eſſet,
allatis ex Firmano monaſterio aliquot Clariſſis de prima Regula, quę eas docerent in-
ſtruerentq́;, omnes ſimul in primam B. Claræ Regulam tranſierunt: Inibiq́; per 30. ferè
annos ſanctiſſimè conuixerunt. Sed anno Domini 1557. vigente bello inter Paulũ IV.
Pont. max. & Philippum huius nominis II. Hiſpaniarum Regem, quòd is locus com- B
muniendę ciuitati impedimento eſſet, ſolo æquatus eſt, eiusq́; ſorores ad xenodochium
ſanctæ Mariæ Magdalenes tranſlatæ fuerunt. Vbi & earum 24. impræſentiarum com-
morantur, quaſdamq́; particulas S. Crucis Chriſti, ſpineę eiuſdem coronę, atq; indu-
ſij Dei genitricis Mariæ diligentiſſimè cuſtodiunt.

De monaſterio ſanctæ Mariæ de Gratijs Firmi. Mon. IV.

TRANSITVRA pientiſſima fęmina Iacoba, Leonardi quondam Firmani legi-
tima vxor, ex hac mortali vita ad empyrea Regna, quicquid bonorum poſſidebat
pro vnius monaſterij ædificatione ex teſtamento, ſub hac lege, legauit, vt videlicet ibi-
dem perpetuò Clariſſæ ſorores, nullæq́; aliæ ab eis, commorarentur, vtq; illarum Fran- C
ciſcani patres Obſeruantes tantum curam gererent. Ex eius igitur bonis hoc ſacrum
monaſterium ſanctiſſimę Mariæ de Gratijs ſacrum, atq; muris Firmanæ ciuitatis cir-
cumſcriptum, quod 55. ſorores inhabitant, anno 1501. ſub Iulio II. Pont. max. ædi-
ficatum fuit.

De monaſterio ſancti Stephani Recanati. Mon. V.

PROVT ex quibuſdam coniecturis colligi poteſt, hoc ſacrum monaſterium B. Ste-
phano, à præexiſtente ibidem quadam ædicula, dicatum, atq; mœnijs ciuita-
tis Recanati, à parte interiori, continguum quod 60. Clariſſę moniales de prima (vt
aiunt) Regula commodiſſimè incolunt, ex publicis eiuſdem vrbis prouentibus, circa
annum 1530. à deuoto eius ſenatu conſtructum eſt. Licèt non ante primum Auguſti D
anni Domini 1535. inhabitatum fuerit.

De monaſterio S. Nicolai Auximi. Mon. VI.

CONSTRVCTO ſequenti anno, ſcilicet 1536. in honorem S. Nicolai, intra
Auximienſis ciuitatis muros hoc ſacro monaſterio, aliquot Clariſſę moniales Ob-
ſeruantiſſimæ ex Anconitano, atq; Piſaurienſi monaſterijs allatę, iuxta conceſſionem
Clemẽtis VII. ſummi Pontificis, cuius bulla 13. Octobris Pontificatus verò ſui anno vj.
expedita adhuc ſupereſt, fœliciſſimum ſibi initium dederunt. Adeò vt eius ſucceſſores
hodierna die pietatem cum religione copulantes ſexageſimum numerum compleant.

De monaſterio Sanctiſſ. Annunciationis S. Seuerini. Mon. VII. E

CONVENTVS hic ſanctiſſimæ Annunciationi B. Dei genitricis Mariæ ſacer,
atq; in editiore oppidi ſancti Seuerini parte erectus, quem 23. Clariſſæ occupant,
antiquiſſimus profectò eſt, licet deperditis prę vetuſtate ſcripturis certum ſuæ fundatio-
nis tempus minimè conſtet. Deſeruiuit tamen à ſui origine vſq; ad annum 1519. Ter-
tiarijs Franciſcanis ſororibus, quo, ex auctoritate Leonis X. Pont. max. illis in primam
beatæ virginis Clare Regulam verba facientibus, ad Clarenum Ordinem tranſijt: licet
ex conceſſione Martini V. Eugenij IV. Pij. II. Pauli itidem II. quorum bullæ in eius
archiuo aſſeruantur, omnibus priuilegijs, fauoribus, & gratijs, quibus ille gaudere aſ-
ſolet, prius frueretur. Habet prętereà hic locus duplicem eccleſiam, alteram quidem
paruam, & antiquiorem, ſimulq́; cum reliquo monaſterio ædificatam: alteram verò
magis

A magis capacem, nouam, multoq; elegantiorem, & illuſtriſſimi cuiuſdam oppidi S. Se-
uerini Comitis ſumptibus conſtructam. Sed illa, antiquior ſcilicet, monialibus tantùm
inſeruit. Atqui iſta & illis, atq; etiam ſæcularibus obſequitur.

De monaſterio S. Claræ Camerini. Mon. VIII.

VT eadem prorſus Camerinenſium beneuolentia, quæ plurimis ſignis paten-
tiſſimiſque indicijs in nos ipſos manifeſtata fuerat, in noſtri Ordinis monia-
les quoq; elucerct, quemadmodum & nobis duplicem apud ſe conuentum ædificaue-
rant, ita quoq; & bina illis monaſteria conſtrui curarunt. Horum alterum (de quo im-
præſentiarum) beatæ Virgini Claræ ſacratum euaſit, primoq; Tertiarijs Franciſcanis
ſororibus deſeruiuit, ſed anno Domini 1419. ex Apoſtolica auctoritate, quòd ciuitatis
B vallo cingeretur, ab ijs ad Clariſſas primæ Regulæ ſorores deuolutum eſt, illisq; à no-
biliſſima ſorore Baptiſta Varana Camerinenſium Ducis germana de alio loco prouiſũ,
atq; abundantiſſimè ſatisfactum fuit. Cohabitauit pientiſſima hæc ſoror aliquibus an-
nis Clariſſis ſororibus monaſterij Vrbinatis, quoaduſq; videlicet ſacra hęc ędes ex pro-
prijs ſuis facultatibus in meliorem formam redigeretur, qua tandem redacta, adductis
ſecum duabus ex illis quæ ſe ipſam cæterasq; inſtruerent, communem vitam atq; Regu-
lam profeſſa eſt. Cuius fœliciſſimis auſpicijs eò dignitatis atq; magnitudinis deuenit
hic locus, vt inter totius Prouinciæ præcipuos connumerandus veniat, atq; 46. monia-
les optimè capiat. Quæ omni cum reuerentia alteram ex ſpinis, quibus ſacroſanctum
Criſti caput punctum fuit, oſſium S. Matthiæ Apoſtoli particulam, alteram ex SS. In-
nocentum coſtis, S. Euſtachij martyris maxillam, digitum S. Catharinæ virginis &
C martyris, dentesq; aliquot & crines S. Conſtantiæ virginis quoq; & martyris aſſeruãt.

De monaſterio S. Eliſabethæ ibidem. Mon. IX.

HOC alterum atq; ſecundum monaſterium (de quo paulò ſuperius) à deuota qua-
dam Sophia Varana nobili Camerinenſi, atq; Tertij Franciſcani Ordinis alum-
na, in editiori totius ciuitatis parte erectum eſt, præcedenti quidem antiquius, ſed mul-
to anguſtius, cum 33. tantum eiuſdem Regulæ ſorores contineat. De cuius antiquitate
fundatione, atq; prærogatiuis, abſumptis bello, ciuitatis depopulatione, atq; loci ob
peſtem deſertione eius ſcripturis nihil aliud tradere poſſumus.

De monaſterio B. Matthiæ Matellicæ. Mon. X.

D A SACRO pignore, corpore videlicet beatæ ſororis Matthiæ, ibidem honeſtiſſi-
mè tumulato hoc ſacrum monaſterium Matellicę erectum, quod 60. Clariſſę mo-
niales, vel circiter inhabitant, eidem ſacratum euaſit, cùm prius diuæ Mariæ Magda-
lenæ dicatum fuiſſet. Fuit beata ſoror Matthia ex Matellica oriunda, atq; ex illuſtri
Nazaręorum familia propagata: Quæ cum à Gentili Nazaręo atq; Sibylla eius paren-
tibus, Matellicanisq; ditiſſimis ciuibus ingenuo cuidam iuueni matrimonio iungenda
breuiſſimè foret, inſalutato (vt aiunt) hoſpite ad ſacrum hoc monaſterium Clarenum
habitum indutura conuolauit. Sed cùm illum ſibi ipſius cognata, quæ tunc fortè Ab-
batiſſam agebat, omninò denegaſſet, proprijs manibus crines totondit, præcioſasq; ve-
ſtes abiecit, atq; detritas, vilesq; cinericei coloris induit, ſuperuenientemq; furibun-
dum, atq; amentem præ dolore patrem talibus, tamq; efficacibus verbis, tantaq; ſeni-
E li prudentia excepit, vt illum, licet paulò ante tormenta & cedes minitantem, niſi pro-
poſitum deſereret, ad factum æquè ferendum, comprobandumq; coëgerit. De cuius
tandem conſenſu monaſtico habitu induta, poſt tranſactum maxima cum laude proba-
tionis annum, ſolemne Clariſſarum votum in manibus R. D. Camerinenſis Epiſcopi
emiſit. Et vt paucis concludam, tanta fuit eius ſanctitas, tantaq; prudentia, vt exce-
dente eius cognata, lociq; Abbatiſſa è viuis, omnium monialium conſenſu, licèt inuita
ſibi in officio ſuffecta fuerit. Quod & tanta dexteritate exequuta extitit, vt ſibi gloriam,
quam tamen omninò fugiebat, & monialibus maximam conſolationem acquiſierit. De
eius verò moribus, vita, atq; virtutibus id ſolum dicam, quòd incomparabiles, Deoq;
opt. max. gratiſſimæ fuerint. Prout argumento eſſe poſſunt plura eius miracula, tum

in vita, tum quoq; in morte edita: Nam & viuens Matellicanum quendam iuuenem A
nomine Maſchionem Beneuenutum ſeminecem ad eius matris preces ſanitati reſtituit,
& mortua plurimos claudos rectificauit, cœcos illuminauit, ſurdiſq; optatum auditum
reddidit, atq; alios à diuerſis languoribus liberauit.

De monaſterio S. Honofrij Fabriani. Mon. XI.

VNDE hoc ſacrum monaſterium Fabriani erectum, in quo 50. Clariſſæ ſorores commorantur, tot nomina traxerit, non facilè conſtat. Nam à Pio II. Pont. max. vt ex quadam eius bulla in ſororum archiuo aſſeruata liquet, diui Honofrij monaſterium appellatur. Ab alijs verò ſancti Hieronymi conuentus dicitur. Sed ab alijs, & frequentius, pauperum monialium domus nuncupatur. Atqui eius ſolemnitas ipſo die B. Barnabæ Apoſtoli celebratur. Exiſtimarim proculdubio huiuſcemodi titulos vel ab B
altaribus ibidem erectis, vel ab aliqua ædicula præexiſtente ſibi obueniſſe. Dicuntur tamen eius habitatrices pauperes ſorores, non quòd ex mendicatione tantum, vel ex eleemoſynis victitent, ſed quòd aliorum monaſteriorum reſpectu parum poſſideant, eximamq; dotem, dum recipiuntur, ſecum afferant. Sed ſi de eius antiquitate loquamur, à ducentis annis & vltra, connumeranda venit: licet à principio Tertiarijs Franciſcanis ſororibus & poſtea Clariſſis monialibus ſubfuerit.

De monaſterio ſancti Bernardini Foroſempronij. Mon. XII.

CVM illuſtriſſima Eliſabetha Gonzaga Vrbini Duciſſa, pro ſua tantum in Deum pietate, atq; in religioſos beneuolentia, hoc ſacrum monaſterium B.P. Bernardino de Senis dicatum, ad Tertiariarum ſororum habitationem magnificè ſatis, anno 1511. C
ex proprio patrimonio Foroſempronij ædificare cępiſſet, immaturaq; morte pręuenta, quod piè ſtatuerat, complere minimè potuiſſet, pius ciuitatis ſenatus, pro ſua in eam fide, atq; in præfatas ſorores charitate, ex publicis prouentibus quicquid ad operis perfectionem deſiderabatur, liberaliſſimè præſtitit. Sicq; diuina cooperante prouidentia factum eſt, vt hic locus omnibus ſuis numeris abſolutus fuerit, optimeq; capiat 40. prædictas ſorores Tertiarias.

De monaſterio Corporis Domini Piſauri. Mon. XIII.

CONTINGEBANT ſe olim mutuò intra Piſaurianæ Ciuitatis mœnia duo Clariſſarum monaſteria, alterum quidem Dominico corpori ſacrum, alterum verò B. Claræ dicatum. Sed iſtud Conuentualibus Franciſcanis parebat, atqui illud eiuſdem ordinis Obſeruantibus obſequebatur. Cùmq; vtrarumq; ſororum mores inter ſeſe maximè diſſentirent, poſſentq; omnes ſimul iunctę fęlicius coaleſcere, a ſenatu illis huiuſmodi optio data eſt, vt vel contigui monaſterij monialibus Obſeruātibus iungerentur, vel loco cedentes proprios lares repeterent. Eligentibus verò illis ſecundam conditionem, præfatus S. Claræ conuentus, ex Apoſtolica auctoritate, à prædicto Piſaurienſi ſenatu monaſterio Corporis Dominici annexus fuit; & quicquid in eo continebatur, atq; ad ipſum, ſiue ſtabile, ſiue mobile attinebat, in alterius ius tranſijt, ſimulq; cum bonorum, domuſq; accremento creuit & ſororum religio atq; ſanctitas. Quæ cum 60. ſint numero bina beatarum monialium corpora, videlicet Fœlicis, & Seraphinæ penes ſe obſeruant. Quarum altera, beata ſcilicet ſoror Fœlix, cum vtroq; charo, nobiliq; parente Mediolani, orbata remanſiſſet, alteri eius vterinæ ſorori, atq; cuidam germano E
fratri, vt bonis communibus pijs locis pauperibuſq; erogatis Religionem ingredi vellent, ſuaſit. Effecto itaq; illo Franciſcano, iſtæ Clariſſarum habitum in ſacro ſanctæ Vrſulæ monaſterio Mediolani induerūt. In quo beata ſoror Fœlix 25. annis continuis ſimplicem monialem, & 15. alijs Abbatiſſam ſtrenuè egit. Eius verò ſoror quatuor tantum annis ſuperuixit. Cumq; illuſtriſſima Baptiſta Malateſta, eiuſq; filia Eliſabetha, S. Claræ monaſterium (de quo impræſentiarum) Piſauri erigerent, illudq; pijs ſororibus inſtructum exoptarent, beatā hanc Fœlicem à Vicario Ordinis noſtri Generali impetrarunt. Cuius præcepto obſequutura pia ſoror Piſaurum ſe tranſtulit, huiuſq; loci primā Abbatiſſam per integrum quadriennium egit. In quo & præfatæ illuſtriſſimæ Eliſabethæ ſa-

A thæ ſanitatem ſuis precibus ſemel ab Altiſſimo obtinuit, & plurima adhuc ventura, quæ tamen certiſſimè poſtea acciderunt, prophetico ſpiritu prædixit. Quo tandem quadriennio elapſo, anno Dominicæ Incarnationis 1444. animam cęlo reddidit, plurimisq; miraculis claruit. Quapropter ex communi ſarcophago exhumata honeſtiſſima quadam in arca recondita fuit: in qua integra omnino ſtans, atq; incorrupta plurimis diebus in ſacriſtia perſeuerauit. Atqui beata ſoror Seraphina, ex nobiliſſima Columnæ familia originem trahens, cuidam Alexandro Piſauri olim Domino temporali nupta fuit. Cuius infamem, liberioremq; vitam dum illa grauius carperet, eius odium incurrit, atq; poſt plurima vitę proprię ſuperata diſcrimina ſacrum hoc monaſterium ingredi ab eodem compulſa eſt: in quo cum aliquandiu in habitu ſæculari, honeſtiſſimo tamen, conuerſata fuiſſet, Religionis tandem habitum induens in eo per 18. continuos annos ſanctiſſimè vixit. Quamobrem ex hac vita migrans maximum ſui deſide-
B rium, maximamq; ſanctitatis opinionem cæteris ſororibus reliquit. Eius ſimul atque beatæ ſororis Fœlicis corpus, ex ſacriſtia ad bina mauſolæa ex marmore in arcum, ad vtrunq; chori latus, affabrè ædificata, proprijsq; ſumptibus abſoluta, transferri curarunt illuſtriſſimi Guidobaldus, eiusq; legitima vxor Victoria Farneſia Vrbini pientiſſimi Duces.

De monaſterio ſanctæ Claræ Vrbini. *Mon.* *XIV.*

NIHIL penitus proprij poſſidet ſacrum hoc monaſterium Vrbini ſub titulo ſanctæ Claræ erectũ, ſed munificentia, atq; liberalitate excellentiſſimi Ducis Vrbina-
C tum 40. ſorores Clariſſę de prima Regula eius incolę ſuſtentãtur. Quibus carnes, niſi infirmitatis cauſa, omnino interdictæ ſunt. Eius fundatrix fuit illuſtriſſima ſoror Clara Federici Vrbinatum Ducis filia, atq; Guidobaldi itidem Ducis ſoror, quę ex morte cuiuſdam Malateſtæ Ariminenſium temporalis Domini vidua cum vna tantum fœminea prole relicta, Vrbinum repetens, hanc ſacram domum, tunc exiguam omnino, ac à paucis ſororibus habitatam ingreſſa eſt. Cumq; poſt aliquot annos chara eius filia, adhuc tenella virgo, carne ſoluta ad aſtra migraſſet, quicquid ſibi vel ex propria, vel ex filię dote contingebat in huius loci promotionem inſumpſit: ſumptoq; Religionis habitu cæteris ſororibus adiungi voluit. In quarum eccleſia ſub ſummo altari corpus beati patris Dominici Leoneſij in Domino requieſcit. Cuius ſanctitatem, editaq; miracula, vota in eius ſepulturæ gyro appenſa maniféſtiſſimè Indicant.

D *De monaſterio S. Bernardini apud S. Angelum in Vado.* *Mon. XV.*

ANNO Dominicæ Incarnationis 1484. Innocentio VIII. ſummo Pontifice militantis eccleſiæ clauum tenente, atq; Guidobaldo huius nominis primo, ſub Ducali titulo Vrbinatibus imperante, honeſtæ 10. matronæ perfectiorem vitam affectantes ex ſimul congeſtis bonis exiguam quandam domum, intra muros oppidi ſancti Angeli in Vado, compararunt, illiq; eccleſiolam in honorem ſancti patris Bernardini, dormitorium, cæterasq; neceſſarias officinas coædificarunt; atq; eam ingreſſæ Angelicam potius quàm humanam vitam ducebant. Quas illuſtriſſima Eliſabetha Gonzaga (cuius ſuperius meminimus) optimo earum odore attracta, omni beneficiorum,
E atq; fauorum genere, quoad vixit, proſequuta eſt. Inſuper & curauit, vt noſtri fratres ſolicitam earundem curam gererent. Aſſeruantur deniq; hoc in loco particulæ veli ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ, atq; oſſium ſancti Ioannis Baptiſtæ, ſancti Stephani prothomartyris, ſancti Laurentij martyris, ſancti Vincentij quoq; martyris, ſancti Antonij de Padua, beatæ Mariæ Magdalenes, atq; beatæ Luciæ virginis & martyris: Inſuper & plures aliæ reliquiæ Terræ ſanctæ, & ex veſtimentis beati patris noſtri Franciſci, & ex velo beatæ Virginis Claræ.



PROVINCIA

PROVINCIA TVSCIAE.

A TVSCIÆ Prouincia, ſi primæuum eius exordium attendas, antiquiſſima, atque Prouinciæ ſancti Franciſci contemporanea eſt. Si verò temporis, à quo ſibi peculiaris Prouinciæ nomen, titulumq; aſciuit, rationem habueris, eius vetuſtas à ducentis annis, pauloq; amplius, cùm anno Dominicæ Incarnationis 1390. à præfata ſancti Franciſci Prouincia diuulſa ſit, tibi computanda veniet. Nec tamen ſibi ſemper ſimilis fuit: cùm modò in plures partes atq; Prouincias diuiſa, modò verò iteratò vnita fuerit. Anno ſiquidem à partu Virgineo 1523. Adriano VI. Pont.max. atque reuerendiſſimo patre fratre Franciſco Angelorum totius noſtri Ordinis Generali Miniſtro, ex Apoſtolica præfati Adriani VI. ſummi Pont. auctoritate, prout ex eius diplomate dato Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo piſcatoris, die vltima Iulij, anno Domini 1523. Pontificatus verò ſui anno primo,
B quod ab his verbis exorditur: Dilecti filij ſalutem & Apoſtolicam benedictionem ad hoc circa Regularis Obſeruantiæ profeſſores eò diligentius paternæ ſolicitudinis vices impendimus, quò fœcundius illorum Religio fructum in eos affert ſalutarem, & laudabilibus in Domino poſſint iugiter proficere incrementis &c. liquidò conſtat, in generali Capitulo Burgis apud Hiſpanos, præfato anno 1523. celebrato in duas nempe in Senenſem, atq; Tuſciam diuiſa extitit. Poſtmodum verò, anno Domini 1526. in generali Capitulo apud ſanctam Mariam de Angelis Prouinciæ ſancti Franciſci ſub eodē reuerendiſſimo patre fratre Franciſco Angelorum Generali Miniſtro eius Præſide habito, ex patrum, quorum id munus erat conſenſu, ea quæ Senenſis dicebatur in duas quoque, nempe in Senenſem, atque Lucenſem diſſecta eſt. In qua quidem diuiſione ſequentes conuentus ſancti videlicet Franciſci Lucæ, ſancti Cerbonij, ſancti Franciſci
C de Burgo, ſancti Franciſci de Barga, ſancti Franciſci apud caſtrum nouum de Carfaniana, ſancti Franciſci Fiuizani, ſancti Franciſci Villæfranchæ, ſancti Franciſci Maſſæ, atq; ſancti Franciſci Petræ ſanctæ Prouinciæ Lucenſi: atqui Senenſi Prouinciæ quæ ſequuntur monaſteria, Senenſe ſcilicet, Sartianicum, Cetonenſe, Montisfellonici, Valliſuiridis, ſanctæ Floræ, Columbarij, Groſſetanum, Nauis, Scarlinicum, Maſſenſe, Radicodolenſe, atq; id quod Senæ longæ erectum eſt obuenêre. Tandem poſt aliquot annos interiectos præfata Lucenſis Prouincia Tuſciæ iteratò vnita eſt. Quam denique & Senenſis ſequuta, anno Dominicæ Incarnationis 1561. vtrique adiungi voluit. Sicq; quæ in plures reſciſſa videbatur, ex illis omnibus denuò conflata, integra perſeuerat. Hæc igitur Tuſciæ Prouincia, licèt quartum inter Citramontanas obtineat locum, nemini tamen antiquiorum, ſiue magnitudinis, ſiue nobilitatis, ſiue etiam doctrinæ palmam
D concedet. Nam 51. fratrum, monialium verò 24. conuentibus abſoluitur, famoſiſſimasq; totius Hætruriæ ciuitates, atq; ſacrum, multisq; nominibus celebrandum Aluernæ montem (qua etiam de cauſa ſacra Seraphici patris noſtri Franciſci ſtigmata illi in eo impreſſa ſibi præponere volui) complectitur: atq; plures viros ſcientia, ſanctitate, atque religione præſtantiſſimos nobis peperit. Cuius ſigillum eiuſdem beatiſſimi patris imaginem genuflexi, præfataq; ſacroſancta ſtigmata à Seraph recipientis, atque beatum Bernardinum de Senis ſub eius pedibus genua flectentem, manusq; ad pectus iungentem, cuius tergo ternæ hærent mitræ, nec non & ſequentes literas. S. MINISTRI PROVINCIÆ THVSCIÆ in orbem imprimit. Et hæc quidem de eius antiquitate, inſignijs, atque prærogatiuis in genere dicta ſunto. Nunc
E autem ad ſingularia cuiuſlibet conuentus deſcendentes, primò nobis ab eo, qui Feſulis erectus eſt, tanquam ab antiquiori auſpicandum erit.

De conuentu S. Franciſci montis Feſularum. Conu. I.

CVM venerabilis, religioſiſſimusq; pater frater Paulus de Beuegnato Regularis Obſeruantiæ inclytus propugnator, poſt multos exantlatos pro ea tuenda promouendaq; labores, ſenio, infirmitatibusq; conficeretur, de ſibi eligendo ſucceſſore, qui

inceptum opus ad finem perduceret, cogitare cœpit. Inuentum itaq; virum ſecundum A
cor ſuum, ſibiq; per omnia ſimilem, nempè beatum patrem Ioannem à Stronconio ſi-
bi ſuffecit, illiq; pauperculi, atq; puſilli per Hetruriam errantis Franciſcani gregis
Obſeruantis curam demandauit. Ille verò Florentiam nobiliſſimam ciuitatem, to-
tiuſq; Tuſciæ facilè principem, ex conſenſu tamen Miniſtri Prouincialis, qui Conuen-
tualis erat, petens feruentiſſimis, pariterq; doctiſſimis ſuis concionibus Florentinos ci-
ues ad vnius conuentus, pro ſuis fratribus excipiendis, ædificationem impulit. Agenti-
bus igitur Florentinis, atq; inter ſe de huiuſmodi monaſterij conſtructione, & loco di-
ſceptantibus, nobilis quidam, atq; deuotus Thomas de Palatio ſororum Auguſtinen-
ſium cœnobium, ad tertium milliare à Florentia in monte Feſularum ſitum, atq; bea-
tiſſimæ Mariæ de Flore, ſiue eiuſdem glorioſę Virginis Annunciationi ſacrum, in me-
dium propoſuit. Quibus tamen eam in ſententiam coëuntibus; vt videlicet ſororibus B
pulſis, is locus Obſeruantiæ manciparetur: quòd præfatis monialibus iniuriam fieri
exiſtimaret, reſtitit prædictus pater Ioannes à Stronconio. Accedente tamen Bonifa-
cij IX. ſummi Pontificis mandato & conſenſu, vt ex eius bulla 8. Februarij, anno Do-
minicæ Incarnationis 1390. ea propter data, facillimè conſtat, præmemoratiſq; mo-
nialibus ad conuentum de Lepo, propè Florentiam, honorificè tranſlatis, pijs Floren-
tinorum votis annuere decreuit. Vnde & ab eo temporis, ab anno videlicet 184. à no-
ſtri Ordinis inſtitutione, ſacra hæc ædes, quam prædictus pater Ioannes à Stronconio
in humiliorem formam redigi curauit, commutato tamen Annunciationis nomine in
ſancti Franciſci titulum, Regulari Obſeruantiæ mancipata euaſit. Huius loci eccleſia à
pientiſſimo, ſimulq; reuerendiſſimo Antonio de Barais, Samacenſi Epiſcopo, anno à
Chriſto Seruatore nato 1516. die verò menſis Octobris 19. in honorem (vt præfati ſu- C
mus) beati patris noſtri Franciſci conſecrata extitit. Cuius quidem Epiſcopi ad Sera-
phicum noſtrum Ordinem tanta fuit deuotio, vt Epiſcopali dignitate relicta, de Leo-
nis X. Pont. max manibus Franciſcanum habitum ſumpſerit, atq; coram reuerendiſſi-
mo patre fratre Chriſtophoro à Forliuio, Citramontanæ tunc regularis Obſeruantiæ
Vicario Generali ſolemne votum emiſerit. Hic denique conuentus, quem 18. fratres
inhabitant, primus omnium eſt eorum, qui hac in Prouincia, atq; vigeſimus tertius qui
vniuerſo in Ordine noſtro, Regulari Obſeruantiæ ſubfuerunt: beatumq; patrem Tho-
mam de Scarlino, atq; plurimos alios viros vita inſignes nobis protulit, necnon & bea-
tum fratrem Sebaſtianum Florentinum, glorioſumq; martyrem humatum continet.
Hic cùm eſſet iuuenis elegantiſſimus, vinumq; oſtiatim Florentiæ de religioſo more,
peteret, ab inhoneſtis duabus mulierculis, ſub eleemoſynæ ſibi faciendæ prætextu, ad D
penetraliora domus introductus eſt: cumq; ab eis de impudico actu ſolicitatus, earum
libidini acquieſcere nollet, ab eiſdem occiſus, occulteq; ſepultus eſt: Re tamen ſecretò
per illaſmet patri Guardiano patefacta, inde exhumatus ad præſentis conuentus eccle-
ſiam delatus, inibiq; honorificè ſepultus eſt.

De conuentu ſanctæ Margaretæ Cortonij. Conu. II.

CONVENTVS hic beatæ Margaretæ ſacer, qui Cortonij ſurrigit, olim ad mo-
nachos diui Baſilij pertinuit quibus cùm ſucceſſu temporis ſæculares ſacerdotes
ſucceſſiſſent, ab ijs ad Franciſcanos Obſeruantes, tunc omnino neophitos deuolutus
eſt. In quo frequentius 20. fratres commorantur, requieſcitq; corpus beatę Margaretę E
à Cortonio, de Tertio beati patris Franciſci Ordine: quæ plurimis miraculis claret.
Eius corpus aliunde exhumatum, anno Domini 1580. ad nouum ſepulchrum ſibi pro-
pe ſummum altare erectum tranſlatum eſt. Quieſcunt quoq; ibidem corpora venera-
bilium patrum fratris Iuliani de Cortonio, qui ob eius ſingulares dotes, ac vitæ integri-
tatem Prouinciç Tuſciç Prouincialis Vicarius tertiò creatus eſt: & fratris Iacobi à Cor-
tonio feruentiſſimi concionatoris, atq; orationi ſacræ deditiſſimi, qui plura propheti-
co ſpiritu afflatus futura certiſſimè prędixit. Nam & Seggianis, per triginta annos an-
tea tribulationes, atq; calamitates ipſis imminentes prænunciauit, & petulanti cuidam
iuueni in eum pro ſuggeſtu verba facientem malum medicum iacienti violentam mor-
tem

A tem proximè inſtantem, quæ & ſubſequuta eſt, prę̨ſignificauit: & fratris Andreæ a Cortonio, paupertatis Euangelicæ obſeruantiſſimi, atq; beati patris Bernardini de Senis integerrimi ſocij, qui centenarius cum maxima ſanctitatis opinione diem claudẽs extremum, mortem multò ante præuidit. Nec ſilentio prætereundum exiſtimo, quid hac in ciuitate Cortoniana in principio naſcentis Obſeruantię contigerit. Vir quidam fratres execrabatur, eius verò vxor illis addictiſſima erat: cùmq; ille ex peculiari vinea defecati vini, poſt biennium vendendi, dolium repleuiſſet, illa toto eius curriculo, eo inſcio, fratribus, tum ad bibendum, tum quoq; ad celebrandum ex eo miniſtrauit. Aduentante verò venditionis die anxia mulier ad fratres, vt pro ſe orarent, accurrit: & ecce dum exhauſtum ferè vas à viro detegitur, exuberare cœpit. Cuius myſterij cauſam poſtquam ipſe cognouit deuotiſſimus euaſit, inſuper & vineam hoſpitali cuidam Cortonienſi ea B lege moriens ex teſtamento reliquit, vt fratribus certas vini menſuras ſingulis annis in eleemoſynam traderet.

De conuentu Columbarij. *Conu. III.*

LOCVS hic trinomius eſt, nam ab alijs Annunciationis glorioſæ Virginis, ab alijs ſancti Franciſci, ab alijs verò Columbarij conuentus appellatur. Eſtq; antiquiſſimus, & in maxima veneratione perpetuò habitus: tum quia à Seraphico patre Frãciſco primò acceptus, & ex parte ædificatus: tum quia ab eodem, atq; à beato patre Bernardino de Senis diu habitatus: tum quia in medio nęmoris ſitus, atq; ab hominum frequentia ſemotus, contemplationi maximè deſeruit: tum etiam quia ex eo, tanquam ex equo C Troiano, plures viri graues, ſuęq; profeſſionis obſeruantiſſimi prodière. Hîc ſiquidem beatus Bernardinus ſolemne votum emiſit, primum ſacrum fecit, primamq; concionem ad populum habuit, & à vocis impedimento, cuius cauſa minus idoneus ad conciones reddebatur, miraculosè liberatus fuit. Et venerabilis pater Philippus à Caſtella Hiſpanus, vir vtiq; omni virtutum genere ornatiſſimus, qui beatum patrem Antonium de Padua ex Hiſpania in Italiam vſq; comitatus eſt, hanc ſibi domum elegit, in qua ad mortem vſq; perſeueraret, ſanctiſſimamq; vitam duceret. Cuius tamen corpus clanculò exhumatum ad montem Ilcinium tranſlatum fuit. Et frater Onofrius Seggianus in oratione, atq; diuinis meditationibus exercitatiſſimus, qui ob innatam prudentiam, atq; ſingulares virtutes nouitiorum, atq; iuuenum fratrum præſtantiſſimum, plurimis annis, egit inſtructorem, quorum vnus extitit beatus pater Ioannes à Capiſtrano, hu- D ius loci accola diu fuit, hincq; Nurſiam petens, ibi in loco veteri, anno Domini 1463. vniuerſæ carnis viam ingreſſus aſſiduis miraculis claruit. Et beatus pater Guido à Saluena, qui, dum adhuc nouitium ageret, dulciſſimo Chriſti colloquio dignari meruit, cuiusq; corpus in huius ſacrę ædis eccleſia quieſcit, diutius hoc in loco commoratus eſt. Moris fuit olim patribus noſtris, quibus conuentus hic, ab anno Dominicæ Incarnationis 1400. imprę̨ſentiarum vſq; deſeruit, à carnibus abſtinere, eaq; de cauſa earum vſus raro ab ipſis admittebatur. Cùm igitur inſtantibus bacchanalijs cuperent huius loci fratres recreationis ergô aliquantulum genio indulgere, carnibusq; veſci, ea tamen lege, ne alię, ab ijs quæ fortuitò offerrentur penitus admitterentur, prę̨grandis quędam Aquila Damulam vnguibus tenens eorum tecto inſedit, continuisq; clangoribus fratres ad eius contuitum excitauit. Quibus tamen proſpicientibus, atq; rei nouitatem E ſummè admirantibus prædam dimiſit, ſtatimq; euolauit. Illi verò rem miraculo tribuentes, redditis prius Deo opt. max. de religioſo more, debitis gratiarum actionibus, huiuſcemodi oblata occaſione benè vſi ſunt: Qui vt plurimũ denariũ numerũ attingunt.

De conuentu ſancti Bernardini Capriolæ. *Conu. IV.*

CVM beatus pater Bernardinus Columbarij ageret, ſibiq;, ac fratribus ſuis Senenſis ciuitas ſæpius accedẽda foret, cuperetq; locum aliquem Vrbi proximiorem, ſed à ciuium frequentia ſemotum, occupare, eremitorium diuo Onofrio de Capriola ſacrum, quod vnico tantum milliari à Senarum ciuitate diſtabat, atq; ad hoſpitale ſanctæ Ma-

ctæ Mariæ de Scala eiuſdem ciuitatis pertinebat, à magiſtro Ioanne Columbino eius re- A
ctore impetrauit, atq; erectis dormitoriolo, & humili quadam eccleſia, ſibi ſuorumq;
fratrum vſibus adaptauit. Poſtmodum verò frater quidam Petrus Paulus Senenſis, dum
Tuſciæ Prouinciam regeret, anno Domini 1473. inuitis ſenioribus patribus, eam ſolo
æquandam, atq; aliam multò celebriorem eius loco reædificandam, in honorem ſancti
patris Bernardini, curauit: temporisq; progreſſu Senenſes ciues demolito antiquiori,
ſibiq; contiguo couentu, alium anguſtiorem, atq; elegantiorem, tum publicis, tū quoq;
priuatis ſumptibus erexerunt. Quieſcunt in altero huius eccleſiæ ſacello diuo Antonio
dicato plurima ſpectabilium patrum corpora: nempè venerabilis patris ac fratris Vin-
centij de Senis, qui beati patris Bernardini ſocius atq; eidem gratiſſimus fuit, obijtq;
mortem anno à Chriſto Seruatore nato 1442. Et patris Mariani Senenſis, qui, ob eius
ſanctimoniam, atq; pietatem, à Pio II. Pont. max. in Illirycum, prædicationis Euan- B
gelicæ ergô, miſſus eſt, & hoc in loco, anno Domini 1476. ex hac vita ad mundi crea-
torem migrauit: Et fratris Ludouici de Senis laici, qui ſpeculum honeſtatis, obedientiæ,
atq; paupertatis omnibus extitit, annoq; 1483. huic ſæculo nequam vale dixit. Et bea-
ti patris Pauli Theutoni genere quidem nobilis, ſed virtutibus, atq; ſanctitate multò
nobilioris, qui ob eius inculpatam vitam, candidosq; mores præſentia, & alloquio bea-
tiſſimæ Virginis Mariæ aliquando potiri meruit, atq; anno à mundi redemptione 1483.
mortali vita exutus miraculis claruit: Et patris Petri Latini Senenſis, qui charitatem
cum cæteris virtutibus copulauit, quiq; obuiam pauperem leproſum, ad ſuæ tunicæ
contactum, à lepra mundauit: Et beati patris Ioannis Franciſci Belantis, qui poſt mor-
tem plurimis claruit miraculis: Et ſingularis, atq; ſtrenui patris fratris Bartholomæi
Lucenſis, qui ob eius puriſſimos mores creatus à patribus ſecundò huius Prouinciæ Vi- C
carius Prouincialis, atq; totius Ordinis Diffinitor, nec non eiuſdem Vicarius Generalis,
anno ſalutis humanæ 1500. obdormiuit in Domino: Et ſingularis prudentiæ, atq; do-
ctrinæ patris Thimothei de Caſoli, qui huiuſce etiam Prouinciæ Vicarius Prouincia-
lis bis extitit, atq; tandem totius Ordinis Generalis Commiſſarius effectus, hoc quoq;
in eodem loco laudabilem oppetijt mortem. In huius loci ſacrario tunica, habitus, ca-
pucium, mantellus, ſandalia, breuiarium atq; roſarium beati patri Bernardini, nec
non ſigillum, quo dum eſſet Vicarius Generalis vtebatur, diligenter aſſeruantur. In
archiuo verò ſequentes Apoſtolicæ literæ cuſtodiuntur. Nempe bulla canonizationis
beati ipſius patris Bernardini de Senis, data à ſummo Pontifice Nicolao V. anno Iubi-
lei 1450. & bulla Eugenij IV. Pont. max. qua doctrina ſancti Bernardini, dum ad- D
huc in viuis ageret, approbatur. Et breue quoddam priuilegiorum ſancti Bernardini.
Et aliud breue Leonis X. Pont. max. concordiæ bullæ confirmatorium, in fauorem Ob-
ſeruantiæ Regularis Franciſcanæ datum. Et aliud breue Alexandri Papæ VI. vt Mini-
ſtri poſſint fratres incorrigibiles ab Ordine expellere. Et aliud breue Leonis Papæ X. vt
Franciſcani Obſeruantes Conuentualibus præferantur. Et Leonis X. concordiæ, vnio-
nisq; bulla. Et libellus, ex membranulis compactus, atq; notariorum chyrographis
munitus, quo viginti miracula ab eodem diuo Bernardino, poſt eius mortem, patrata
continentur. Et bibliotheca eiuſdem beati patris propria manu conſcripta.

De conuentu ſancti Joannis Aretij. Conu. V.

E

CONVENTVS hic diuo Ioanni ſacer duobus tantum milliaribus ab Aretio
Hetruriæ ciuitate diſtat, & à beato patre Bernardino de Senis, anno Dominicæ
Incarnationis 1405. receptus fuit: Qui licèt ſtructura humilis, modicusq; ſit, eſt tamen
duorum, vel trium fratrum religione inſignium ſepultura illuſtris, ſatisq; celebris, vi-
delicet fratris Angeli de Ciuitella laici, atq; fratris Ioannis Riccij quoq; laici: quorum
vterq;, ob ſingularem prudentiam, dexteritatem, vitæq; ſanctimoniam, atq; reliquas
virtutes huiuſce Prouinciæ Vicarium Prouincialem egit. Sed frater Ioannes Riccius
monachis ſancti Saluij prope Florentiam, & Vallis Vmbroſæ, nec non & fratribus Or-
dinis Seruorum montis Aſinarij præfuit. Qui omnes ob eius ſingularem gubernandi
gratiam ſe illi corrigendos, atq; regendos commiſerunt. His annumerandus venit ve-
nerabilis

A nerabilis pater fratrer Antonius Nerus Aretinus, qui prius Conuentualis, atq; ſacræ Theologię Magiſter exiſtens, publicè Pariſijs Petrum Lombardum Sententiarum magiſtrum diſertè luculentiſſimeq; expoſuit, & opuſcula quædam, proprio Marte elaborata, ſuper eundem edidit. Is enim prioribus patribus relictis, atq; Obſeruantiæ mancipatus hoc in loco, quem frequentius 30. fratres inhabitant, animam, non abſq; ſanctitatis opinione, exhalauit.

De conuentu S. Luchesij prope Podium bonitium. *Conu. VI.*

EVNTIBVS Florentia Senas, in ipſa ferè media via, oppidum occurrit Bonitij podium ſiue Podium bonitiū nomine, cui caſtrum Podium, Imperiale appellatum, B imminet, è cuius regione, ad quingentos paſſus à præfato oppido, ędicula quędam beatæ Mariæ ſacrata olim conſtructa fuit. Cumq; circa annum Dominicæ Incarnationis 1220. ijs in partibus Seraphici patris Franciſci fama magis magiſq; diuulgaretur, prædicta ædicula, adiuncto ſibi domicilio, ab eius oppidi ſenatu, confecto etiam publico donationis inſtrumento, quod in oppidanorum tabellario cuſtoditur, Franciſcanę familiæ conceſſa fuit. Succedentibus verò annis, cùm plurimæ eleemoſynæ ad beati Lucheſij, de Tertio eiuſdem beati patris Franciſci Ordine, ſepulchrum ibidem erectum à fidelibus offerrentur (coruſcabat ſiquidem maximis miraculis) pulchra ſatis eccleſia, demolito antiquiori ſacello, in honorem ſanctorum Franciſci, & Lucheſij, ex eis conſtructa, atq; ipſum monaſterium ampliatum, reſarcitumq; eſt. Locus hic (ſi receptiſſimæ ſeniorum traditioni fidem adhibere liceat) ad patres noſtri Ordinis Conuentuales C aliquando pertinuit, à quibus tamen, ex Apoſtolica auctoritate, inſtantibus oppidanis, ad Obſeruantes tunc temporis maximè florentes, ſub beato patre Bernardino de Senis, ſequenti de cauſa, tranſlatus eſt. Præerat fortè eo temporis loco quidam Guardianus plus æquo auaritię deditus, qui centum aureos in peculiares ſuos vſus conuertendos ſub quodam proprij cubiculi latere abdiderat: cumq; caſu die quadam hora pomeridiana oppidum peteret, tres equites, iuxta facies aſſumptas, ſibi notos in itinere offendit, illoſq; comiter ad cœnam, & hoſpitium inuitauit: quibus annuentibus domum repetijt, omniaq; neceſſaria ad eos humaniſſimè excipiendos quàm diligentiſſimè præparauit. Illis tamen plus iuſto immorantibus, cùm quibuſdam ſibi amicis fratribus diſcubuit, opipareq; cœnatus eſt. Altera verò die, cùm neq; nocturnis, neq; diurnis, neq; etiam prandio adfuiſſet, fratres refracto oſtio, vt quid in cauſa eſſet reſcirent, D eius cubiculum ingreſſi ſunt, miſerumq; hominem extra grabatum, nudum, ex percuſſionibus & verberibus liuidum, humi iacentem, atq; laterem pecuniæ cuſtodem ore tangentem inuenerunt. Quibus miſerum huiuſmodi ſpectaculum maximè admirantibus, alter eorum, qui ſibi ſocius heſterna die fuerat, quid illis cum tribus equitibus in via accidiſſet referre cœpit: alius verò non abs re eſſe, quòd ſic pronus ore interim lateri impreſſo iaceret, ſubiecit: quamobrē ſuſpicioni cedentes laterem amouere, terramq; effodere cœperunt. Dumq; minus cogitarent, latitans pecunia apparuit. Quod in cauſa fuit, vt & tres pręfatos equites dæmones fuiſſe qui miſerum hominem in commiſſę culpæ pœnam noctù ſuffocaſſent, ipſi certiſſimè ſuſpicarentur, & vt re, minus tamen cautè, diuulgata, ipſis pulſis ad oppidanorum inſtantiam, eorum habitatio (vt præfati ſumus) ad Obſeruantes deuolueretur. Exornatur huius monaſterij eccleſia, quibuſdam E ſanctorum corporibus, beati ſcilicet Lucheſij, qui plurimis claruit miraculis: cuius caput cùm in ſacriſtia à fratribus honorificè ſeruaretur, ad Gregorij X. Pont. max. fortuitò inde tranſeuntis præceptum in ignem proiectum eſt, quo tamen ſe ipſo inde exiliente præcepit Pontifex, vt ipſum fratres proceſſionaliter geſtare poſſent. A quo tempore ſingulis annis, eo die Dominico, qui paſſioni Saluatoris dicatus eſt, conueniētibus populo, & clero, cum maxima veneratione à conuentu ad oppidum vſq; defertur, indeq; ad proprium locum reducitur. Et venerabilis patris fratris Bartholomæi de Colle, qui à beato patre Ioanne Capiſtrano Peruſij in publica platea cum alijs pluribus ſcholaribus, atq; Doctoribus Seraphicæ Religionis Franciſcanæ habitu indutus fuit, & in ſacro monaſterio montis Sion Guardianum aliquando egit, ac tandem, anno Domini 1478. hoc in

hoc in loco bonis operibus plenus migrauit ad Dominũ. Et profundiſſimæ humilitatis, A
atq; contemplationis viri fratris Marchionis à Cortonio laici, qui aliquando tædio
mendicationis affectus, quòd propter eam à contemplandis diuinis myſterijs auocare-
tur, ad Cartuſianos tranſire decreuerat, ſed correptus à Domino, atq; præmonitus
quòd obedientiam mallet quàm ſacrificium, adeò ſe mendicationi dedidit, vt nihil ſi-
bi dulcius ipſa ab eo tempore accidere potuerit. Et incredibilis ſanctitatis patris Fran-
ciſci à ſancto Stephano, cui, cum beato patri Bernardino de Feltro, montis pietatis in
ciuitate Lucenſe erectionem meditanti, aliquot eius ciues tergiuerſarentur, ac beatus
ipſe pater ferè de aſſequendo negotio deſperaret, Chriſtus Dominus præfati montis in-
ſtitutionem abſq; dubio futuram reuelauit, præcepitq;, vt prædictum beatum patrem
Bernardinum de Feltro hac de re certiorem redderet. Hanc tandem domum 14. fra- B
tres inhabitant.

De conuentu S. Laurentij Bibienæ. Conu. VII.

DESCENDENTIBVS ex ſacro Aluernæ monte, Florentiamq; Hetruriæ me-
tropolim rectà tendẽtibus, oppidum Bibiena obuium eſt, in quo Bibienicus ſena-
tus, ad fratres eiuſdem ſacri montis commodius excipiendos, hoſpitium erexerat: cui
cùm eccleſia quædam diuo Laurentio ſacra ferè contigua eſſet, præfatus ſenatus, ex
conſenſu reuerendiſſimi patris fratris Antonij de Pyreto, totius Ordinis Minorum Ge-
neralis Miniſtri, annuentibus tamen Alexandro V. Pont. max. atq; eius ſucceſſore Io-
anne XXIII. quibus & Martinus V. ſummus itidem Pontifex ſubſcripſit, circa annum
Domini 1410. integrum ex vtroq; conuentum conflari iuſſit. Agebat tunc temporis C
his in partibus paruulorum quorundam nobilium pedagogum modeſtus quidam vir
Iacobus de monte Prandone, qui & beatus Iacobus de Marchia poſtea dictus eſt. Hic
cùm fratribus familiariſſimus eſſet, eorum vſus conſilio ſęculo vale dixit, atq; Aſſiſij
in conuentu beatę Marię de Angelis, Franciſcano habitu indutus, adeò ſe in humilita-
te, voluntaria paupertate, diuinarum rerum contemplatione, vitæ auſteritate, ſacris
literis, cæteriſq; virtutibus mirabiliter exercuit, vt breui in maximum virum, atq; ſan-
ctiſſimum euaſerit: ita vt vix illud æuum alium ſibi ſimilem habuerit. Commorantur
deniq; hoc in monaſterio 12. fratres Minores.

De conuentu S. Franciſci Piſtorij. Conu. VIII. D

AD ſecundum lapidem à ciuitate Piſtorio, in loco qui Cechrinus olim nuncupa-
batur, ex conceſſione Gregorij XII. Pont. max. anno humanę reparationis 1414.
facta, ſub beato patre fratre Ioanne à Stronconio, tunc Vicario Obſeruantis familiæ
Generali, conuentus hic beatiſſimo patri Franciſco dicatus à nobili quodam Florenti-
no ciue Iuliano Panciarichio, ex proprijs facultatibus, auguſtè ſatis pro illius temporis
exigentia, conſtructus fuit. Qui tamen modò inter ſimpliciores, atq; pauperiores hu-
ius Prouinciæ conuentus connumerandus venit. In huius monaſterij eccleſia ſepultus
eſt venerabilis, atq; profundiſſimæ contemplationis pater frater Alexander Veronen-
ſis ſacerdos, qui ob eius inculpatam vitam infirmum quendam, dum adhuc viueret,
ſigno crucis curare, atq; dæmones ſibi inſtantius inſidiantes propellere meruit, & ali-
quando inter orandũ raptus, atq; à terra in altũ eleuatus à plurimis fratribus viſus eſt. E

De conuentu Saluatoris Florentiæ. Conu. IX.

AB ineunte Obſeruantia ad pręſentia vſq; tempora fratres noſtri quatuor Floren-
tię loca occuparunt. Videlicet hoſpitium Miſericordiæ, quod in eremitarum de
Tertio Ordine beati patris Franciſci ius ceſſit, cuius tamen hîc nullam mentionem fa-
ciemus: & conuentum ſancti Saluatoris extra portam ſancti Miniati: & monaſterium
omnium ſanctorum: atq; ſacram ſanctæ Catharinæ ædem, de quibus per ordinem di-
cemus. Fuit igitur Florentiæ nobilis quidam ciuis Lucas Iacobi de Tuſo, qui, ob ſin-
gularem

A gularem eius in Franciſcanos deuotionem, fundum à ſe extra præfatam ſancti Miniati
portam poſſeſſum, ijſdem ad vnius conuentus ædificationem contulit. Accedente ve-
rò poſtmodum conſenſu ſummi Pontificis Gregorij XII. cuius bulla data 20. Februarij,
anno Domini 1417. adhuc ſubſiſtit, pater Nicolaus Vſainus Prouinciæ Tuſciæ pro re-
uerendo patre Ioanne Stronconio, Obſeruantiæ apud Ciſmontanos Vicario Generali,
Commiſſarius huic conuentui, ſub titulo ſancti Saluatoris, initium dedit. Qui tamen
temporis ſucceſſu ex communibus, atq; priuatis accedentibus eleemoſynis, iuxta pri-
mæuæ illius paupertatis normam abſolutus fuit. Creſcente verò fratrum numero, ma-
gnificus Coſmas Medices nobilis Florentinus, qui ſummo amore eos complectebatur
illuſtrem quendam, atq; auguſtum conuentum, alio in loco commodiori, ſalubriori,
atq; amœniori, ſuis ſumptibus, ea intentione erigi curauit, vt ijſdem traderetur. Qui-
B bus tamen, ob paupertatis zelum, renuentibus is locus, qui Abbatia Feſulana nuncu-
pabatur, Canonicis regularibus diui patris Auguſtini ab eo collatus eſt. Nihilominus
tamen nobilis Caſtellus Quarateſius ciuis quoq; Florentinus, licèt illis renitentibus
atq; inuitis, eccleſiam aliam, antiquiori demolita, multò celebriorem atq; elegantio-
rem, ex domeſticis facultatibus ædificauit: quam tamen ijſdem reclamantibus, pro vo-
to abſoluere nequiuit. Quamobrem moriens ex teſtamento bona ſua eidem reliquit, vt,
annuentibus aliquando fratribus, ex ijſdem bonis perficeretur. Defunctis igitur Fran-
ciſcanę illius antiquæ Obſeruanciæ zelatoribus præfata eccleſia, anno Domini 1490.
opera illuſtriſſimi Laurētij Medices, omnibus ſuis numeris abſoluta eſt: atq; 22. Aprilis,
anno Domini 1504. à reuerendiſſimo Epiſcopo Vagienſi, qui & conſcenſo ſuggeſtu,
habituq; quo beatus ipſe Frāciſcus, dum ſacra reciperet ſtigmata, indutus erat explica-
C to, concionem feruentiſſimam, pariterq; doctiſſimam ad populum habuit, in Saluato-
ris mundi, atq; beati patris Franciſci honorem conſecrata extitit. Floruit itaq; tunc
temporis ſacra hæc ædes ſtructuræ pulchritudine, ędificiorum mole, copioſo fratrum
numero atq; plurimorum illuſtrium Minoritarum ſepulturis. Sed proph dolor adeò
ruinæ ceſſit, vt vix 6. fratres modò continere poſſit. Notabilium verò patrum corpora
quæ in huius cœnobij eccleſia quieſcunt, hęc ſunt: Præſtantiſſimi ſcilicet patris fra-
tris Nicolai Vganij beati patris Bernardini de Senis gratiſſimi ſocij, Prouinciæq; olim
Vicarij Prouincialis corpus, qui cùm eſſet ditiſſimus in ſæculo, conſtructa ex proprijs
facultatibus Senenſi Sapientia, Franciſcanam Religionem ingreſſus eſt. Et corpus bea-
ti patris Hieronymi de Stufa, qui primò laicorum fratrum habitu indutus, poſtmo-
dumq; à beato patre Thoma de Scarlino, inuitus omnino, ad clericatum, atq; ad ſa-
D cerdotium vſq; promotus, ac tandem concionator effectus, præſtantiſſimis quibuſq; Ita-
liæ prædicatoribus palmam præripuit, plurimiſq; miraculis coruſcauit. Et corpus in-
comparabilis patris Andreæ de Collo, qui primum ſacri montis Aluernę Guardianum
egit, & cum maxima ſanctitatis opinione 10. Maij, anno 1476. hoc in loco obdormiuit
in Domino. Et ſummę ſimplicitatis fratris Dominici Campenſis corpus, qui cum diſci-
pulus beati patris Thomæ de Scarlino fuiſſet, nec latum vnguem ab eius veſtigijs vn-
quam deuiaſſet, plenus ſanctis operibus, anno Domini 1440. vitam terminauit. Et
ſanctiſſimorum riualium corpora, patris videlicet Benedicti Florentini ſacerdotis, &
fratris Illuminati laici, quorum vterq; beati patris Thomæ de Scarlino ingenuus diſci-
pulus, atq; ſectator fuit. Et incredibilis abſtinentiæ fratris Balthaſaris à Florentia laici
corpus, qui anno Domini 1493. tempore Capituli generalis hoc in eodem loco celebra-
E ti, diem clauſit extremum, multaq; ſpiritu prophetico futura, nempe bella, famem,
peſtes, monarchiarumq; ſubuerſiones certiſſimè prædixit. Et ſanctiſſimæ paupertatis
maximi cultoris fratris Gaſparis de Barga laici, corpus, qui toto vitę ſuæ curriculo om-
nipotenti Deo fideliſſimè ſeruiuit, ac ſacra Hieroſolymorum loca, mira cum deuotio-
ne, luſtrauit nec non & in ſua inculpatæ vitæ teſtimonium puerum quendam animam
agentem integrè ſoſpitati, ex tempore, reſtituit. Et corpus venerabilis patris fratris Ber-
nardi Scarlatenſis, qui ob eius ſingulares virtutes cœleſtibus plurimis viſionibus à Deo
immiſſis conſolari meruit. Et corpus doctiſſimi, acutiſſimiq; patris fratris Euangeliſtę
à Cortonio, qui ſumma in excipiendis confeſſionibus ſacramentalibus gratia donatus
fuit: cuiq; Florentiæ agenti mirabilis ſeſe obtulit caſus. Erat namq; ibidem vſurarius
quidam

quidam magnus, & ad mortem infirmus,qui à nemine induci poterat,vt peccata com- A
miſſa per confeſſionem ſacramentalem dilueret, precibus tamen quorundam neceſſa-
riorum coactus præfatum patrem Euangeliſtam vocari iuſſit. Et ecce ex tempore præ
foribus vſurarij aſtant duo viri habitibus Auguſtinianis induti, qui ſe infirmum conſo-
lari, atq; eius confeſſionem excipere velle inſimulant,qui tandem ad eum intromiſſi
oſtium poſt ſe claudunt, aduenientiq; patri Euangeliſtæ in via occurrunt,ſibiq; vt alijs
intendat, quandoquidem infirmo melius ſit, ſuadent: quamobrem pater Euangeliſta
relicto propoſito ad alia ſe conuertit. Eo tamen poſtmodum reuerſo,vt malè habentem
viſitaret, ſolareturq;, pulſatur ad oſtium, cumq; nec fratres, nec infirmus reſponde-
rent,fores refractæ ſunt,nullusq; eorum penitus comparuit. Ex quo eos fuiſſe dęmones B
monaſtico habitu indutos, qui impœnitentis illius hominis corpus ad Tartara, vt ibi-
dem ſepeliretur, aſportarunt, facillimè coniectauerunt. Iacent quoq; plurimorum
aliorum ſpectabilium patrum corpora, qui doctrina, pietate, ſanctitate,atq; religionis
zelo claruerunt. Quorum tamen oſſa, quòd omnimodam hic locus minetur ruinam,
conſultiſſimè ad proximè ſequentem transferrentur: ne tantorum virorum reliquiæ,
atq; venerandi cineres malè pereant, peſſumq; eant.

De conuentu Omnium ſanctorum Florentiæ. *Conu. X.*

ANNO à Chriſti natiuitate 1561. Minores Obſeruantes relicto, ex conceſſione
Pij IV. Pont. max. ſanctę Catharinæ loco, ad quem eorum plurimi præcedentis C
conuentus habitatores, anno Domini 1538. ſe tranſtulerant, hoc monaſterium Omni-
bus ſanctis ſacrum, ex eleemoſynis Coſmæ Medices, Eleonorę eius vxoris,atq; Franci-
ſci vtriuſq; filij magnorum Hetruriæ Ducum reparari, ampliari, atq; ferè reædificari
curarunt, imò & occuparunt. Eſt ergo hæc inter Franciſcanas domos Florentinas his
temporibus illuſtrior,nobilior, atq; celebrior. Cùm (vt præfati ſumus) ædes ſancti Sal-
uatoris 6. tantum patres & fratres, domus autem ſanctæ Catharinæ nullum penitus,&
hæc 80. eoq; amplius, contineat, habitumq;, quo beatus pater Franciſcus indutus in
ſacro Aluernæ monte præcioſa illa Stigmata recepit, & ſancti Calixti martyris caput,
beatiq; patris Cherubini de Spoleto habitum,nec non & mantellum beati patris Ber-
nardini de Feltro fideliſſimè cuſtodiat. In huius deniq; loci archiuo ſequentes Pontifi-
ciæ bullæ aſſeruantur: videlicet bulla canonizationis ſancti Antonij de Padua, data à D
Gregorio IX.Pont.max. Et aliæ duæ plumbatæ, Alexandri IV.& eiuſdem Gregorij IX.
ſummorum Pontificum, quorum vtraq; data eſt in ſacrorum Stigmatum beati patris
Franciſci fauorem. Et alia bulla plumbata Gregorij Papæ X. cuius vigore loca ſancti
Franciſci Piſtorij, atq; ſancti Saluatoris propè Florentiam recepta fuêre. Et alia bulla
data à Leone X. contra Martinum Lutherum Hæreſiarcham. Et bina tranſumpta au-
thentica extracta ex duabus bullis eiuſdem Leonis X. Concordię videlicet, atq; vnio-
nis. Et aliud tranſumptum authenticum cuiuſdam bullæ Martini V. ſummi Pon-
tificis, vt fratres Minores procuratores inſtituere valeant. Et aliud tranſumptum alte-
rius bullæ Sixti Papæ IV. vt ſorores & fratres Tertiarij, ſiue de Tertio Ordine beati
Franciſci patribus eiuſdem Obſeruantibus ſubſint. Et aliud tranſumptum cuiuſdam
bullę eiuſdem Sixti IV. vt fratres Minores feſtum quinq; Martyrum ſui Ordinis, Acur- E
ſij videlicet & ſociorum celebrare poſſint. Quo ad locum verò ſanctæ Catharinæ, de
quo ſuperius egimus, cùm à fratribus derelictus ſit, hæc tantum quæ ſequuntur dixiſſe
ſufficiat. Cùm enim conuentus Saluatoris (de quo ſupra) ruinam minaretur,fratres eo
ferè deſerto, ad inſtantiam excellentiſſimi Coſmæ Medices ſecundi Hetruriæ Ducis,
ad Eccleſiam quandam diuæ Catharinæ dicatam, atq; inter caſtrum & portam ſancti
Galli ciuitatis Florentinæ ſitam, anno à Chriſto nato 1538. ſe tranſtulerunt. Quam ta-
men cùm plurimis ędificijs exornaſſent, quòd ipſis minus deſeruiret,ad eiuſdem Coſmę
Medices Ducis votum, atq; ex conceſſione Pij VI. Pont. max. (vt ſuperius tetigimus)
deſeruerunt,& ad præſens Omniū ſanctorū locū,anno 1571. conuolarunt. Quem tandē
reuerēdi patres frater Bernardus Draconcinius pręfati Coſmę confeſſarius, Prouincięq;
Miniſter, & frater Maſſęus Bardius, qui ſereniſſimo Franciſco Hetrurię magno Duci à
confeſſionibus quoq; eſt,& frater Petrus Gobbius à Florentia mirabiliter promouerūt.

A *De conuentu montis Muri propè Scarlinum. Conu. XI.*

CVM beatus pater Thomas à Florentia, alias de Scarlino in Prouincijs ſancti Angeli, atq; Calabriæ Prouincialem Vicarium egiſſet, ſummiq; Pontificis auctoritate, cuius vices gerebat, fultus quoſdam religioſos malè audientes, Fraterculosq;, ſiue Fratricellos paſſim nuncupatos, anno Domini 1420. ex quodam loco ad tertium milliare à pago Scarlino diſtāte, pepuliſſet, eū ſibi, ſuisq; fratribus, ſeruata tamē paupertatis norma, ex Apoſtolica eadē auctoritate, atq; ex domini Popilonienſis, cuius intererat, beneplacito in habitationē adaptauit: quē, quòd contēplationi aptiſſimus eſſet, adeò dilexit, vt quod ſibi vitę reliquum fuit, ibidē coſumere, atq; Scarlini cognomē ab eo emēdicare voluerit. Cumq; pubeſcēte iam Regulari Obſeruātia fratres Minores, tanquā pauperū ędificiorū tędio affecti, ad pulchriores, atq; auguſtiores locorū ſtructuras aſpirarēt, timēs frater Gaſpar à Florētia, prędicti beati patris Thomę olim ſocius, ne hic locus tāquā pauper & inconditus deſpiceretur, eū, anno à Chriſto nato 1470. in pulchriorē, atq; capaciorē formā redigi curauit. His igitur ſucceſſibus fratres in maxima quiete, atq; trāquillitate hoc in loco à ſuę erectionis tēpore vſq; ad 16. Maij anni Domini 1539. perſeuerarunt: qua die à Turcica claſſe eius Guardianus, cęteriq; fratres capti ſunt. Quapropter, ne eius accolę huiuſcemodi periculo amplius exponerētur, domus in fortalicij formam redacta eſt. Nihilominus tamē Turcica claſſe, anno Domini 1566. iterum in Italiam reuerſa fratres, ne ſimilem ſubire cogerentur conditionem, eam omnino deſeruerunt. Quam tamen ego in Capitulo prouinciali Podij bonitij, anno Domini 1580. celebrato, ne prophanationi pateret, reſumendā curaui. Aſſueuerant edocti fratres à præfato beato Thoma de Scarlino ſingulis noctibus poſt matutinas huius loci chorum proceſſionaliter exire, eoq; ordine ad quandam vſq; plateam procedere, indeq; diuiſi ſingulariter tuguriola quędam ex ramuſculis contexta orationis vacādæ ergô petere, inibiq; ad auroram vſq; contemplationi vacare. Volens itaq; Dominus Deus oſtendere quàm grata ſibi foret huiuſmodi conſuetudo, pręgrandes quoſdam lupos eò immiſit, qui fratribus aſſociati, non ſecus ac māſueti agniculi, ſecum per id temporis ſpacium perſeuerabant. Sed ab eo temporis quo, ex quadam negligentia, is laudabilis mos prętermiſſus eſt, pręfati lupi nunquam amplius ibi viſi ſunt. Laborabāt etiam fratres plurimum propter locorum diſtantiam in deferendis ad locum, tum eleemoſynis, tum quoq; alijs rebus neceſſarijs, quibus compatiens beatus ipſe pater Thomas ceruo ſibi obuio imperauit, vt fratribus in ijs fideliſſimè deſeruiret. Mira res, ceruus ille, non ſecus atq; māſuetiſſimus aſellus ipſis eo in munere, donec à quodā venatore confoſſus occubuit, obſequutus eſt. Inter ſingulares, ac pręſtantiores viros, qui hoc in loco in Domino obdormierūt, atq; in eccleſia ſanctę Firmę ſepulti ſunt, longè emicuêre venerabiles atq; religioſiſſimi patres frater Ladiſlaus Vngarus ex Regia proſapia oriundus, vir vtiq; integerrimus: & frater Polidorus Romanus, qui relicta Senatoria trabea, liberisq; contemptis, Deo opt. max. fęlicius inſeruiuit: & frater Gaſpar de Florentia, qui pręfati patris Thomę de Scarlino ſocius amantiſſimus fuit: & frater Marius Maſſainus, eiuſdem quoq; patris diſcipulus: hi omnes ſingulari quadam ſanctitatis pręrogatiua illuſtres omnino fuêre. Moris erat apud antiquos illos Obſeruantes patres à carnibus, aliqua fratrum induſtria acquiſitis, penitus abſtinere, quapropter inuidus dæmon, aſumpta humana figura, obſequio Popilonienſis domini, qui huius loci fratres ex intimis pręcordijs diligebat, ſe mancipauit, ſibiq; ſuaſit, vt illis carnes aliquando tranſmitteret. Demandatam igitur ſibi à præfato domino eius rei curā fideliſſimè, atq; ſępius, quàm par eſſet, dæmon exequebatur. Sed fratribus, quòd antiquum rigorem ex frequentiori carnium vſu ex parte remitti cernerent, id ægrè ferentibus loci Guardianus, qui tunc prædictus pater Gaſpar à Florentia erat, in latentis fraudis ſuſpicionem venire cępit, Popilonienſemq; dominum accedens dæmonem carnium ferendarum miniſtrum accerſiri iubet: cumq; eum ſæpius vnde veniſſet, quaue ex patria originē duceret, interrogaſſet, hoc retulit reſponſum, videri quidem ſibi moleſtum, atq; moroſum hominem, qui ab eo patriam, atq; progeniem vi extorquere velit. Cui Guardianus. Hoc fecerim quia te dæmonem exiſtimo. Tunc dæmon ad dominum verſus cum maxima bile ait. Eſto beneficus his ingratis hominibus, qui

B, C, D, E

bus, qui probra, atq; iniurias ob recepta beneficia facillimè referunt. Hiſq; dictis cum maximo ſtrepitu, atque fragore ex eorum conſpectu euanuit. Quamobrem dominus ipſe Populonienſis ſummè perterritus, fratres maiori in honore, præcipuè tamē patrem Guardianum, in poſterum habuit. Atqui fratres, ob detectam Sathanicam malitiam, immenſas Deo grates reddidêre, cautioresq; poſtmodum effecti ſunt. Huius nunc loci accolæ ſenarium numerum non excedunt. A

De conuentu ſancti Benedicti Nauis. Conu. XII.

PERTINVIT quoque hic locus ad Fratricellos, quorum ſupra meminimus, quibus tamen ex Apoſtolica auctoritate ab eodem B.P.Thoma de Scarlino pulſis, anno humanæ ſalutis 1425. cæterorum locorum huius Prouinciæ catalogo aſcriptus fuit; In quorū tamē expulſione, licet locus ipſe modicus eſſet & omnino pauper, tum ab ipſis Fratricellis, tū quoq; ab eorum fautoribus plurimas, easq; grauiſſimas, perſequutiones perpeſſus eſt beatus Thomas de Scarlino. Quibus tandem ſedatis ibidem in ſancta pace quieuit frater Andreas à Groſſeto, vir ſanè venerabilis, dilectusq; Deo & hominibus, nec non & honeſtatis, atq; ſanctiſſimè obedientiæ ſpeculum; qui inter orandum abſtractus à terra ſepiſſimè viſus eſt, tanquam ille qui terrena faſtidiens in cęlum inhiabat. Agebat hoc in conuentu nouitium, ſuperſtite adhuc B.P.Thoma de Scarlino, nobilis quidā iuuenis Florentinus, qui, vitæ ac paupertatis Minoriticæ tædio affectus, ſæculi, atq; eius illecebrarum repetitionē meditabatur: & ecce dum ante venerabile Euchariſtiæ ſacramentū pro more genua flectit, ſomno corripitur, factusq; in extaſim vidit Chriſtum dominum ſibi improperantem, quòd ſe relicto mundum ſequi mallet: ingratus interim opprobrijs, flagellis, paupertati, nuditati, atq; amariſſimę paſſioni quam pro ſe, atq; reliquo genere humano liberando perpeſſus eſſet. Qui tamē à ſomno excitatus, atq; ad ſaniorem mentem reuerſus, rem totam patribus prodidit, veniamq; expetens conſtantiſſimè poſtmodum in Ordine perſeuerauit, atque ſanctiſſimam vitam duxit. Hoc tandem in conuentu decem fratres commorantur. B C

De conuentu S. Crucis propè Piſas. Conu. XIII.

NOBILIS quidam Florentinus ciuis, nomine Petrus Neretus, emptum à monialibus ſancti Saluatoris ciuitatis Piſarum capaciſſimum fundum patri Angelo à Ciuitella, Prouinciæ Tuſcię Vicario Prouinciali, ad vnius conuentus ædificationem liberaliſſimè contulit: inſuper & optimam pecuniarum ſummam ad operis promotionē erogauit. Cuius pietatem eius ſucceſſores immitati, huic loco benefici perpetuò fuêre. Quamobrem iure optimo eius patroni dici poſſunt. Acceptauit autem hoc monaſteriū præfatus pater Angelus ex apoſtolica facultate ſibi à beato patre Bernardino de Senis commiſſa, cui Martinus V.Pont. max. conceſſerat, vt quæcunq; ſibi loca pro fratrum Obſeruantum habitatione oblata acceptare poſſet. Hac itaq; in domo, quæ aliquantulum extra Piſas ſita eſt, atq; 30. fratres commodiſſimè continet, mortem obijt, anno à mundi redemptione 1481. optimæ memoriæ pater frater Antonius de S.Ioanne diſertiſſimus Concionator, ſuiq; ſtatus ac profeſſionis zelantiſſimus, qui in Franciſcanæ Regulæ puritatem maximè inhians, breue quoddam à Sede apoſtolica, quo ſibi ad ſui, atq; aliorum quadraginta eiuſdem ingenij fratrum habitationem, aliquot loca, in quibus Minoriticam Regulam, quacunq; Pontificia declaratione, ſiue noua conſtitutione ſemotis, iuxta nudum literę ſenſum, tum ipſe, tum quoque illi ſeruare poſſent, liberè acceptare liceret impetrauit. Sed huiuſmodi deſideriū, ſanctumq; propoſitū, ob occurrētia quędā ardua impedimēta, exequutione caruit. Quāobrē, quod reliquū ſibi vitę fuit, hoc in monaſterio laudabiliter, atq; ſanctiſſimè trāſegit, vitāq; cū morte commutās ab omnibus, pręcipuè tamen à Piſanis ciuibus, quorū quiſq; particulā aliquā ex eius ſiue indumētis, ſiue crinibus venerationis ergô habere curauit, ſanctus, Deoq; charus habitus eſt. D E

De conuentu nemoris de Mugello. Conu. XIV.

NOBILES quidam, ac pijſſimi ciues Florentini, ex Vbaldinorum proſapia originem ducentes, ob ſuam in monaſticos viros beneuolentiam, atq; pietatem, in meditullio

A meditullio cuiuſdam nęmoris, vnico tantum milliari à Scarparia Hetruſco oppido, ab inſigni verò ciuitate Florentia quatuordecim, vel circiter diſtantis, anno à Chriſti Natiuitate ſexcenteſimo, monaſterium quoddam ad fratres Ordinis diui Baſilij excipiendos, ſuis ſumptibus erexerunt. Quod tamen ijs deficientibus à diuerſis Anachoretis occupatum extitit: donec tandem, circa annum Domini 1212. á quibuſdam præfatorum fundatorum ſucceſſoribus Seraphico patri Franciſco collatum fuit. A quo quidem tempore vſq; ad annum 1349. Franciſcanis fratribus, maximè tamen Conuentualibus paruit. Quo plurimis ex ijs peſte abſumptis, quòd vix maiora loca conſeruare poſſent, inter alios conuentus hic quoq; deſertus eſt. De quo quidem actum eſſet, niſi illuſtris Coſmas Medices Franciſcani Inſtituti amantiſſimus, poſt plurimas poſſeſſiones à prædictis Vbaldinis emptas, ſumptuoſumq; palatium non procul ab ipſo nemore conſtru-
B ctum, ipſum ab eiuſdem Ordinis Obſeruantibus occupari curaſſet. Prædicti itaq; patres Obſeruantes virtute eius bullæ Martinianæ (cuius ſupra meminimus) hunc conuentum, anno à mundi reparatione 1420. vel circiter, ingreſſi ſunt, ipſumq; & à proxima imminente ruina, ſumptibus tamen præfati Coſmæ Medices, præſeruarunt, & plurimis adiectis ædificijs occuparunt: ita vt commodè 18. fratres continere valeat. Hæc igitur ſacra ædes multis nominibus laudanda venit: tum quia antiquiſſima, cùm à mille ferè annis exordium ſumpſerit: tum quia à beatiſſimo patre Franciſco Ordini ſubacta & acquiſita: tum quia præſentia duorum ſummorum Pontificum, qui & eidem plurimas gratias atq; indulgentias in mortalium fauorem impertiti ſunt, honeſtata: tum etiam quia ab hominum frequentia ſemota, orationi, contemplationi, ac ſacræ lectioni plurimùm fauet. Hunc quoq; locum intimè dilexit beatus pater Bonauentura,
C & ad ipſum ſæpius diuertere aſſueuerat, in eoq; exiſtens vtenſilibus coquinæ abluendis, licèt Pariſienſis Doctor & totius Seraphici Inſtituti Generalis Miniſter, intentus, Cardineum galerum, & Albanenſis Epiſcopatus dignitatem à ſummo Pontifice Gregorio X. ſibi tranſmiſſa accepit. Qui, nequaquam ea propter commotus, non prius Pontificios legatos admiſit, quám cœptum abluendi opus expleſſet. Immo ad id vſque tempus oblatum galerum ex proximioris arboris ramuſculo appendere iuſſit. Cumq; huius loci fratres, pro more, completorium ante cœnam perſoluere ſoliti eſſent, atq; ex tanti patris promotione læti ad refectorium cœnaturi, eo minimè ex obliuione perſoluto, conueniſſent, & ab ipſo de completorij ſatisfactione interrogati culpam humiliter faſſi eſſent, non prius menſæ accubuit, quàm diuinum penſum cum illis in choro accuraſſet. A quo etiam tempore ea hoc in loco conſuetudo inoleuit, vt non prius com-
D pletorium à fratribus dicatur, quàm campanę ſignum, pro ſalutanda veſpertino tempore Virgine glorioſa, audiatur. Huius ſacræ domus eccleſia à reuerendiſſimo domino Leonardo Medices Epiſcopo Forliuienſi 23. Octobris anno Domini 1520. conſecrata fuit: licèt conſecrationis dies, ob populi frequentiam, Dominica prima menſis Maij cuiuſq; anni celebretur: quò etiam die accedentes maxima indulgentia ſibi à ſummo Pontifice Eugenio IV. dum caſu iſtac Ferrariam verſus iter faceret, conceſſa gaudent. Eſt præterea hic locus, licèt modicus, atq; ſyluaticus, celebratione tertij Capituli generalis Ciſmontanę Familiæ Obſeruantis Franciſcanę, quę anno Domini 1449. contigit, factaq; fuit expenſis pręfati Coſmæ Medices, omnino illuſtris. In qua quidem illud contigit: Cum enim ob Vicarij Generalis deponendi infirmitatem vltra 15. dies Capitulum protenderetur, miſſis duobus patribus rogauit eum reliquus cœtus, ne moleſtè fer-
E ret, ſi per caſtella, proximioreſq; pagos ſibi in poſterum neceſſaria quęreret. Cui pius Coſmas reſpondit, vt bono animo eſſet, nihilq; curaret, quandoquidem illi, & ſi ad plurimos dies protraherentur huiuſmodi Commitia, nihil penitus defuturum eſſet. Quod etiam facto comprobauit. Quo quidem in Capitulo, cui etiam beatus pater Albertus de Sartiano interfuit, beatus pater Ioannes de Capiſtrano in Generalem Vicarium electus eſt. Quieſcunt tandem hoc in ipſo loco plurimi patres, quorum nomina, ob eorum integerrimam vitam, candidiſſimoſq; mores, in libro vitæ ſcripta eſſe piè credimus. Inter eos verò venerabilis pater Ioannes à Peruſia, huius Prouincię, dum adhuc Prouincię ſancti Franciſci adiuncta eſſet, Vicarius aliquando Prouincialis: & pater Benedictus de Gauoraccio Theologus conſummatus, qui & pœnitentiæ perfectioris

agendæ ergò ab inſtituto diui patris Auguſtini Ordinis Eremitarum, cui aliquando A
mancipatus fuit, ad hoc Seraphicum conuolauit: & pater Meus ſiue Bartholomæus à Florentia ſacerdos, vir vtiq; puriſſimus atq; ſimpliciſſimus, cui etiam auiculæ ad nutum parebant, & ignis, quo ſemel cauterizandus erat, non ſecus atq; beatiſſimo patri Franciſco contigit, innatum ſibi temperans calorem leniſſimè vlcus adustulauit, ſerpentemq; morbum, ne vltra progrederetur, cohibuit, præſtantiores fuêre.

De conuentu S. Franciſci montis Caroli. *Conu. XV.*

CONSTRVXERAT olim Florentinus quidam ciuis nomine Carolus de Ricaſolis recreationis ergò ruralem domum propè pagum ſancti Ioannis de Valdarno, in cliuo cuiuſdam montis, cui & Caroli nomen indidit. Cumq; Franciſcanę Obſeruanti familiæ addictiſſimus eſſet, eam, ſufficienti ſibi fundo adiuncto, ad iuſti alicuius conuentus ædificationem illius fratribus liberaliſſimè contulit. Immo & conuentum ipſum proprijs impenſis erexit. Quem tandem fratres de mandato beati patris Bernardini de Senis acceptarunt, atq; in præſens vſq; occupant. Huius aliquando loci accola fuit profundiſſimæ humilitatis, atq; ſummæ charitatis frater Angelus de Groppina laicus, qui conuentione prius cum vxore facta, vt illa ſanctimonialium monaſterium, quod Camolia noncupabatur Florentiæ, ingrederetur, ipſe ſimul cum communi prole maſculina Franciſcanum habitum induit, ſolemniq; voto emiſſo Angelicam in eo potius, quàm humanam vitam duxit: ac tandem vterq; illorum bonis operibus plenus hoc in conuentu, quem 14. fratres inhabitant, anno Dominicæ Incarnationis 1498. huic mortali vitæ vale dixit. Ex præfato pago ſancti Ioannis de Valdarno oriundus fuit religioſiſſimus pater frater Antonius à ſancto Ioanne, cuius ſuperius 13. huius Prouinciæ loco meminimus. Pertinuit quoq; ad hanc Prouinciam conuentus ſancti Franciſci à Ghiareto in valle Arnenſi, non procul à pago Terra noua, ſitus: quem beatus pater Franciſcus acceptarat, atq; ex parte erexerat, necnon & fonticulo, cuius epota aqua varios morbos pellebat, illuſtrarat. Qui cùm à patribus Conuentualibus prius habitatus, poſteaq; derelictus eſſet, anno à Chriſto Seruatore nato 1428. auctoritate Martini V. Pont. max. à venerabili patre fratre Angelo de Ciuitella, huius Prouinciæ tunc Vicario Prouinciali denuò reaſſumptus eſt. Sed cùm circumuicini populi, ſolemnioris cuiuſdam feſtiuitatis celebrandæ cauſa, quotannis ſtatuta die eò conuenirent, atq; ex inueterata quadam, vituperabiliq; conſuetudine præ foribus eccleſiæ, per integrum diem, choreas ducerent, tripudijsq; minus honeſtis vacarent, nec quoquo pacto à ſupplicibus fratribus prohiberi poſſent, ex mandato diui patris Bernardini de Senis denuò deſertus fuit, ſicq; in præſentem vſq; diem remanſit.

De conuentu S. Chriſtophori Caſtilionis Aretini. *Conu. XVI.*

CVM fratres, ex facultate facta diuo patri Bernardino de Senis à Martino V. Pont. max. (cuius ſæpius ſupra meminimus) locum ſibi, non procul à pago Caſtilione Aretino, oblatum acceptaſſent, illuſtris Thomas Fiacherinus, eiuſdem pagi temporalis Dominus, inibi ſuis ſumptibus iuſtum conuentum pro fratrum voto ſuperædificauit: Quem tamen, fratrum numero creſcente, alijsq; temporibus ſuccedentibus, ex eleemoſynis vndequaq; collectis Prouinciæ fratres augeri, dilatariq; curarunt. Dum enim deuotiſſimus quidam frater laicus nomine Ægidius à Florentia, inſtante ſolemni quadam feſtiuitate, ab huius loci Guardiano de mundanda via, qua ſyluula petitur, tertiò præmonitus eſſet, atq; ſpreto præcepto ad conſuetam orationem, ſe Deo rem multò gratiorem facturum exiſtimans, conuertiſſet, poſt abſolutas in choro matutinas à dæmone humana ſpecie induto per ſcapulas in altum quaſi præcipitandus aſſumitur, quo tamen miſerè, fortiuſq; clamante, atq; auxilium contra malignum hoſtem petente, accurrit frater Matthæus à ſancto Ioanne, qui orationi quoq; intentus non longè aberat, & arrepta confratris tibia eum remorari conatur. Atqui ſubridens dæmon vtrunq; facilius ad ſe trahebat. Quibus tamen in huiuſcemodi anguſtijs conſtitutis adfuit

A tis adfuit pater Guardianus, qui nondum à choro diſceſſerat, illisq; luſtrali aſperſis aqua diabolo per ſanctam obedientiam, vt ſibi ſuos fratres atque ſubditos ex tempore reſtitueret, præcepit. Quo facto, ipſis fortiter ad terram illiſis, euanuit. Frater verò Ægidius à Florentia, qui ex illa ruina, atq; concepto timore grauem contraxit infirmitatem, quantò gratior Deo ſit obedientia quàm ſacrificium ſuo malo didicit. Quapropter ſe in illa in poſterum maximè exercens, tantopere in huiuſmodi virtute profecit, vt viuenti ſibi vix ſimilis inueniri potuerit, & moriens in conuentu ſancti Saluatoris Florentiæ maximam de ſua ſanctitate opinionem reliquerit. Hoc in eodem loco, quē frequentius 14. fratres inhabitant, quieſcunt venerandi, atq; omni virtutum genere ornati patres F. Ioannes Antonius de Parma, cuius in oratione aſſiduitas incredibilis fuit: & frater Georgius ab Erballio laicus, necnon dilectiſſimus beati patris Thomæ de Scarlino diſcipulus: & frater Franciſcus à Caſtrodurante, qui cum in cubiculo ora-
B tioni intenderet, vidit in ſpiritu per reuelationem mulierem quādam fratribus ſummè beneficam, quæ ex quadam triſtitia in profundum deſperationis emerſa, clauſo oſtio ſuſpendium ſibi parabat, ad quam ex licentia patris Guardiani accurrens, eam ab huiuſmodi diſcrimine protinus liberauit, grauiusq; correptam ſanæ menti reſtituit.

De conuentu ſacri montis Aluernæ. Conu. XVII.

IMPEDITVRI olim Romani ne Annibal Carthaginienſis Amilcaris filius, atq; ſtrenuus Pęnorū Dux, poſt ſuperatos maxima induſtria Alpes, vlterius progrederetur, quoddā caſtrū ſub iunioris Cluſij nomine ad Cluſij Hetruſcę ciuitatis differentiam,
C ad mille paſſus à monte Aluernæ, in ipſa Caſentina valle conſtruendum, communiendumq; curarunt. Quod tamen, poſt plurimas annorum centurias cum adiacente regione, in illuſtriſſimi cuiuſdam Orlandi Chatanij Comitis ius, hæreditaria ſucceſſione, deuenit. Cùm itaq; temporalis oppidi S. Leonis Dominus equeſtri dignitate inſigniendus veniret, pluresq; nobiles, atq; inter eos præfatus Comes Orlandus honoris ergò ad eum confluxiſſent, adfuit quoq; & Seraphicus pater Franciſcus, qui, poſt ſolemnia de equeſtri more celebrata, ex editiori loco, pro eccleſiæ præfati oppidi foribus, ad populum de ſacro Euangelio verba habuit. Cuius verbis ſummopere delectatus præfatus Comes Orlandus, & maiore animi propenſione in ſanctum ferri cœpit, & illi Aluernæ montem pro ſui ſuorumq; fratrum habitatione liberaliſſimè obtulit. A quo & ea lege admiſſus fuit, ſi videlicet diuinorum myſteriorum contemplationi, atq; mo-
D naſticæ ducendæ vitæ deſeruiret. Quapropter binos ſocios eò miſit, qui & præfatum montem adamuſſim luſtrarent, & locum ædificando conuentui idoneum ſeligerent. Qui quidem ex loci amœnitate, ſolitudine atq; oportunitate mirum in modum allecti, pauperrimum quoddam tuguriolum ex ſylueſtri materia ſibi ſtatim conſtruendum curarunt, vbi & aliquandiu commorati ſunt. Reuerſo verò poſtmodum Seraphico patre ex infidelium partibus, ſuoq; oppetendi martyrij deſiderio ex diuina prouidentia fruſtrato, cùm plures patres ac fratres, & inter illos duo eius ſocij (de quibus ſupra) in conuentu ſanctæ Mariæ de Angelis propè Aſſiſium ei obuiam iuiſſent, atq; ille plura de montis Aluernæ prærogatiuis audiuiſſet, eò ſe ſtatim conferre decreuit. Comitatus igitur duobus illis ſocijs, ad montem appulit, & quandam cellulam iuxta antiquiſſimam fagum ſibi extruxit. Eſt enim prętatus Aluernæ mons amęniſſimus, maximisq;
E arboribus veſtitus, atq; duplici famoſo flumine, Tiberi nempe, atq; Arno alluitur. Pręterea pœnitentiæ agendę, atq; contemplatiuæ ducendę vitę ſummopere fauet: quamobrem, quodq; Chriſti ſeruatoris noſtri, glorioſiſſimæ Virginis eius matris, plurimorumq; Angelorum, atq; ſanctorum præſentia, & beatiſſimi patris Franciſci, atq; plurimorum aliorum ſanctiſſimorum patrum habitatione dignatus fuerit: inſuper & quòd idem Seraphicus pater ſacra in eo ſtigmata receperit, ſanctus optimo iure appellatur. Iuſſit pręterea præfatus Comes Orlandus ſiue Rolandus Cathanius paruam quandam eccleſiam S. Marię de Angelis ſacram, iuxta formam Seraphico patri Franciſco à glorioſiſſima Virgine, ſanctisq; Ioanne Baptiſta, atq; Ioanne Euangeliſta traditam, qua etiam de cauſa quædam ſuffragia ad eorum honorem atq; laudem in ſacrorum ſtigmatum ſa-

cello ſingulis diebus à fratribus decantantur, eodem in monte ad fratrum eius habita- A torum vſum ædificari : quę & antiquior dicitur. Cùm enim fratrum habitatio, creſcente populi ad hunc locum deuotione, aduentantes fideles capere minimè poſſet, poſt vigintiſex à morte Seraphici patris annos, pro vt ex Apoſtolico quodam Innocentij IV. diplomate dato Lugduni 17. menſis Nouembris, anno Domini 1252. ſatis conſtat, ex diuerſis eleemoſynis extendi, ampliariq; cœpit. Alexander verò IV. ſummus Pontifex, qui ſacrum hunc Aluernæ montem ſumma veneratione, ob ſacra ſtigmata Seraphico patri ibidem impreſſa, proſequebatur, ne vel in aliquo, Aſſiſinati S. Marię de Angelis eccleſiæ cederet, ſed vt eiuſdem ſaltim eſſet æſtimationis, atq; auctoritatis apud omnes cum illa, tum eum, tum quoq; eccleſiam (de qua ſupra) ibidem ædificatam à ſeptem Epiſcopis nempe Aretino, Vrbinate, Florentino, Aſſiſinate, Peruſino, Tifernate, atq; Feſulanò de Chriſtiano more benedici, atq; conſecrari voluit, qui omnes maxima B tum nobilium, tum quoq; populorum multitudine ſtipati 20. menſis Auguſti ſummo ſtudio ſummaq; diligentia præfati ſummi Pontificis voluntati fecêre ſatis. Nam poſt conſecratam eccleſiam, vniuerſum in gyro montem equitando benedixerunt. In cuius rei memoriam anniuerſaria eius conſecrationis dies circumuicinis populis ſolemniſſima eſt. Aderat quoq; præfatis Epiſcopis beatus pater Bonauentura totius noſtri Ordinis Generalatus munere inſignitus.

Cùm autem præfatus mons in Conuentualium Franciſcanorum patrum ius ceſſiſſet, nobilis Franciſci Cathanij Tertij Franciſcani Ordinis alumni, atq; prę fati Comitis Cluſenſis Orlandi, ſiue Rolandi legitimi ſucceſſoris opera, anno Dominicę Incarnationis 1430. ſedente Martino V. ſummo Pont. ad Obſeruantes deuolutus eſt. Mortuo verò præfato Martino V. ad eoſdem Conuentuales redijt. Tandem anno Domini 1431. Eu- C genio IV. ad ſummum Pontificatum euecto, id magno Coſma Medice, vniuerſaq; Florentina Republica maximè ſolicitantibus, poſt primum generale Capitulum Bononiæ in conuentu S. Pauli de Monte ab Obſeruantibus Citramontanis patribus celebratum, ad præfatos patres Obſeruantes per Reuerendiſſimum patrem fratrem Gulielmum de Caſſali Franciſcani totius Ordinis Generalem Miniſtrum regreſſus eſt. A quibus in hodiernam vſq; diem pacificè occupatur: verum tamẽ eſt quòd prę memorati Obſeruantes in huiuſmodi regreſſus exordio à circumadiacentis patriæ hominibus ob amicitiam, qua patribus Conuentualibus maximè iuncti erant, plures moleſtias, iniurias, atq; probra (prætermitto interim extremam omnium rerum penuriam, qua maximè laborabant) perpeſſi fuerint, donec eorum protectio, cura, atq; defenſio Florentino ſenatui D à ſummo eodem Pont. Eugenio IV. commiſſa extiterit. Qui eam ex animo acceptans illius exequutionẽ lanificum Cõſulibus demandauit. Illi verò tribus creatis Conſeruatoribus inſignijsq; tum præmemorati Pont. Eugenij, tum Florentini ſenatus, tum proprij quoq; officij monaſterij foribus affixis, creditos fratres ab omni prorſus vexatione, atq; humana moleſtia immunes reddidêre.

Eccleſię (de qua ſupra) chorus ex lignis à fratribus anno Domini 1465. fabrefactus fuit. Ipſa verò eccleſia à pientiſſimo quodam Dominico Bartoli anno 1486. ex eadem materia, ea tamen lege à fratribus poſita, exornata extitit, ne quid eius formæ immutaretur, neuè quid accrementi acciperet: ne & ipſi malè perirent, prout & tres ſibi mutuo ſuccedentes Guardiani quòd eam ampliare, atq; in aliam formam ab ea quæ à glorioſa Virgine, ſanctiſq; Ioanne Baptiſta, atq; Ioanne Euangeliſta (de quibus ſupra) Se- E raphico patri tradita fuerat, transferre attentaſſent, malè perierant. Quod & in cauſa extitit, vt præfata eccleſia in eodem ſemper ſtatu permanſerit, atq; in maxima ab omnibus veneratione habeatur. His accedit quòd Seruatoris noſtri Chriſti, glorioſæ eius matris, plurimorumq; Angelorum, atq; ſanctorum præſentia ſæpius dignata ſit. Qua etiam de cauſa ſingulis diebus Sabbatinis Miſſa de Conceptione eiuſdẽ Virginis glorioſę in ea à fratribus ſolemniter celebratur. Hanc quoq; ſacram ædem ſibi in ſepulturam elegit præfatus Comes Rolandus Cathanius eius fundator, ad quem plures alij heroës, ſanctiq; fratres appoſiti ſunt. Adhæret huic eccleſiæ turris continendis campanis deſtinata, quæ & moderniori templo (de quo inferius) deſeruit. Hanc præfatus Dominicus Bartholi Florentinus ciuis ſuis ſumptibus à fundamentis ædificauit, annoq; Dñi 1490. abſoluit.

A abſoluit. Maiorem verò campanam, quæ & ad præfatum Comitem Rolandum pertinuerat, illuſtriſſimus Laurentius Medices Leonis X. Pont. max. pater loco conferendam curauit. Id ſacellum, quod paſſim Cardinalis dicitur, fuit prima beati Franciſci cellula à præfato Comite Rolando ſub maxima quadam fago (vt ſupra meminimus) ędificata, poſtmodum verò ab illuſtriſſima Catharina Ruberti Petrę malę Comitis vxore, ex maxima in beatum ipſum patrem deuotione, in eam formam, quam modò induit, tranſlata. Dicitur autem Cardinalis à cineribus illuſtriſſimi Galeotti de Vbertinis Aretini Petræ malæ Comitis, ac S. R. E. Cardinalis ibi reconditis.

Fornici eius portæ, quod ſequitur epitaphium, inciſum eſt. Anno Domini 1225. beatus Franciſcus ſub hac arbore ſæpe cum gratiarum actione, & lętitia ſpiritus comedit. Et circa feſtum exaltationis ſanctæ crucis Seraph ei in huius montis latere, vbi nunc
B eſt cella Crucifixi, apparuit: & ex tunc corpori eius ſtigmata Domini Ieſu Chriſti mirabiliter impreſſa fuerunt. In eiuſdem ſacelli penetralioribus quadratus lapis ferrea crate contectus exiſtit, ex quo beatus pater Franciſcus ſæpius refectionem ſumpſit, & ſupra quem, dum in inferiori huiuſmet ſacelli parte, quæ diuæ Mariæ Magdalenæ ſacra eſt, inſtantius oraret, atq; à Deo quid de ſua Religione poſt eius mortem futurum, quis eam confortaturus, quis correcturus, quiſue ſe pro ea oraturus eſſet, ſupplex peteret, Chriſtum Dominum ſedentem conſpexit, ſibiq; quæ ſequuntur reſpondentem audiuit. Quod videlicet ſacra eius Religio ad vltimum vſq; iudicij diẽ perſeueratura eſſet, quòd quicunq; eam dilexerit, licèt maximus peccator exiſtat, miſericordiam tandem à ſe in fine conſequetur, quòd quiſquis illam perſecutus fuerit, niſi pœnitentiam egerit, hac luce diù minimè fruetur, quodq; nullus eius alumnus, qui malè in ea vixerit, diu in mor-
C tali peccato perſeuerare poterit: nam vel is proprium crimen confeſſus emendabitur, vel eo detecto ſibi vale dicet. Adiecit quoq; Dominus & aliud, quòd tamen beatus ipſe pater, quòd ſe fortè contingeret, præ humilitate reticuit. Creditur tamen, idq; ex quadam reuelatione beato Leoni eius ſocio poſt patris mortẽ facta, illud vniuerſale quoddam flagellum à Deo mortalibus per Italiam poſt eius mortem immittendum concernuiſſe, quod tamen eius meritis, ſi fortè peccatores vitam ad meliorem frugem corrigerent, differre ſtatuerat. Quod & ſtatim ab eius morte ſequutum eſt. Nam tanta fames vniuerſam peruaſit Italiam, vt miſeri homines non ſolum herbis, ſed & arborum corticibus pro cibo vſi fuerint. Vnde & tanta clades ſequuta eſt, vt nihil à mortis imagine vbiq; appareret. Cùm igitur præfatus pater Leo pręfatam menſam mappula de ſolito more hora prandij contegere vellet, prohibuit beatus pater ſubijciens. Noli chariſſi-
D mè frater iſta facere, ſed menſam primò aqua, deinde vino, poſtmodum lacte, rurſus oleo, ac tandem balſamo lauare ſatagito: quandoquidem Chriſtus Dominus in ea ſedere, mihique, quę audies, reuelare dignatus eſt. Et à primo exorſus ad quartum vſq; progreſſus fuit: nam quintum (vt prædiximus) ſibi reſeruauit. Præfatæ menſæ quæ ſequuntur verba, inciſa ſunt. Menſa beati Franciſci, ſuper quam habuit mirabiles apparitiones, ſanctificanſq; ipſam effudit oleum deſuper dicens: Hîc eſt ara Dei. Subſtitit autem in ſacrario præfata menſa ducentis ferè annis, cumq; vix fratres prohibere poſſent, ne ſæculares è longinquo aduentãtes eius aliquid auferrent, ne tandem in nihilum redigeretur, inde ad hunc locum tranſlata, atq; ferrea crate (vt prædiximus) communita eſt. Huius deniq; ſacelli inferior pars, beatę Marię Magdalenę dicata euaſit, tum quòd eius imagine inſignita fuerit, tum quoq; quòd beata ipſa peccatrix deuoto cuidam pa-
E tri Mariano à Lugo ibidem ſæpius apparuerit.

Dum quadam die Seraphicus pater per huius ſacri montis ſalebras aliquem locum contemplationi opportunum quæſiturus diſcurreret, quendam ſaxum quaſi artificiosè ad inſtar cubiculi ſciſſum, non longè à præfata eius cellula vidit, quem ingreſſus, atq; adamuſſim, poſt ſeptem Dauidicorum pœnitentialium pſalmorum recitationem, contemplatus, ſummo eius opificis ſciendi deſiderio flagrare cœpit: nam inferior eius pars pauimenti, ſuperior verò, quæ & rimulam recipiendæ luci accommodam habet, tecti affabrè elaborati formam præſefert, & ecce, dum huiuſmodi deſiderio inſtantius vacaret, adfuit illi Angelus, qui & ſibi dixit præfatum lapidem in Chriſti Seruatoris morte cum cæteris petris ſciſſum fuiſſe. Quamobrem ſumma eum in poſterum veneratione proſequutus

proſequutus extitit, ſæpiuſq; ad eum contemplationi vacaturus, atq; diuinas immiſſio- A
nes recepturus declinauit.

Illuſtriſſimus (vt ad ſacri huius loci fundatores, atq; benefactores redeamus) Simon Guidonis Battifolij, atq; Puppij Comitis filius, Hætruriæq; heros vtrunq; ſacrorum ſtigmatum ſacellum, atq; quinq; cubicula intra ædiculas diuo Antonio Abbati, atq; S. Sebaſtiano martyri ſacras quinq; ſacerdotibus, quibus & victum, & amictum, ne mendicationis ergò egredi cogerentur, continendis accommoda ſuis ſumptibus, ex maxima, qua in beatum patrem Franciſcum ferebatur deuotione, ędificari curauit. Prę-fati verò fratres diuino tantùm celebrando officio, continuiſq; meditationibus vacabãt, atq; inter reliquos ſanctitate inſignes ad id munus exequendum à Generali totius noſtri Ordinis Miniſtro ſeligebantur. De quorum numero B. pater Corradus Offidanus Prouinciæ Marchiæ alumnus aliquando fuit. Is enim cùm inuitus eò fuiſſet deſtinatus, B ſeq; tãta habitatione indignum iudicaret, à perdeuota ſorore Beneuenuta Anconitana de Tertio Franciſcanorum Ordine, atq; ſanctiſſima fœmina per literas petijt, vt ſe inde à Generali Miniſtro amouendum curaret. Cui illa ſuaſit, vt pedem figeret, quandoquidem id gratiſſimum Deo futurum, ſibiq; bene ſucceſſurum eſſe. Idq; profectò rei euentus comprobauit: Nam & Deus opt. max. quinq; mortuos ad eius preces huic mortali vitæ reſtituit, ſibiq; glorioſa Virgo in die purificationis eius apparuit, atq; puerum Ieſum proprijs vlnis excipiendum obtulit. Perſeuerauit autem huiuſmodi quinque ſacerdotum ſucceſſio quouſq; Seraphicus Ordo aliquantulum à recto tramite declinare cœpit. A quo etiam tempore pręfatæ cellulæ ruinæ expoſitæ ſunt. Quamobrem vt primùm hic locus ab Eugenio IV. Pont. max. Obſeruanti familiæ (vt præfati ſumus) collatus extitit, huiuſcemodi ſacerdotum habitatione abrogata, ſtatutum, idq; conſultò, C à patribus fuit, vt ſingulis diebus res diuina in ſacrorum ſtigmatum ſacello ab vno ſacerdotum fieret: vtq; ſingulis quoq; diebus veſpertino tempore omnes ſimul huius loci fratres proceſſionaliter ad idem ſacellum glorioſiſſimę Virginis nocturnum (hunc benedictam vocant) alta voce perſoluentes pergerent. Quod quidem eidem Virgini glorioſæ gratiſſimum extitit: Nam ſemel ex altiſſima quadam fago, inter ædiculam diui Antonij Abbatis dicatam, atq; illam quæ Cardinalis dicitur ſurrigente religioſos eò tendentes benedicere viſa eſt. Cumq; pręfata proceſſio ex nimia niuium multitudine quodam die à fratribus prætermiſſa fuiſſet, plura diuerſi generis animalia à veteri eccleſia ad pręfatum ſacellum vſq; bina & bina, ad proceſſionis inſtar, procedere, ſequenti nocte viſa ſunt. Quod cùm fratres reſciuiſſent, huiuſcemodi proceſſionem perpetuò habendam, licèt tempeſtas magis magiſq; ſęuiret, firmiſſimè ſtatuerunt. Qua etiam de cauſa Cle- D mens VII. Pont. max. ſingulis fratribus, qui ei interſunt, plenariam omnium peccatorum indulgentiam viuæ vocis oraculo conceſſit.

Sanctæ verò crucis ſacellum, quod & ſecunda beati patris cellula fuit, à fratribus Leone, Angelo atq; Maſſæo eius, ſocis ex lignis, terra, atq; arborum folijs primitus ædificatum extitit. Hoc præ cæteris beatus pater ſummopere dilexit, atq; ad celebrandam Angelorum Quadrageſimam, plenioribuſq; affectibus Deo vacandum in habitationem elegit. Qua etiam de cauſa pręfatis ſocijs præcepit, ne eò ſe quęſituri aliquando accederent. Vni nihilominus patri Leoni ad ipſum, vel aquam & panem pro refectione beato patri miniſtraturus, vel matutinas horas ſecum perſoluturus patebat acceſſus. Hîc ſępius beatus pater Franciſcus ab eodem patre Leone inter orandum raptus, atq; in aëra etiam ſuper altiſſimas arbores eleuatus viſus eſt. Hîc quoq; aſturem ſibi familia- E riſſimum habuit, qui ſe ad canonicas perſoluendas horas ſingulis diebus excitabat. His igitur de cauſis, quodq; tanto patri addictiſſimus eſſet, præfatus Simon Florentinus heros huiuſmodi cellulam in iuſtum ſacellum ſub titulo S. Crucis, anno Dominicæ Incarnationis 1264. transferrendam curauit. Idq; ſequentes literæ ibidem inciſæ facilè indicant. Anno Domini 1264. feria quinta poſt feſtum aſſumptionis glorioſę Virginis Mariæ Comes Simon filius illuſtris viri Comitis Guidonis, Dei gratia in Tuſcia Palatinus, fecit fundari iſtud oratorium ad honorem beati Franciſci, vt ipſe, cui in loco iſto Seraph apparuit, ſub anno Domini 1225. infra octauas natiuitatis eiuſdem Virginis, & corpori eius impreſſit ſtigmata Ieſu Chriſti, conſignet eum gratia ſpiritus ſancti. Ex

eius verò

A eius verò fornice quæ ſequuntur carmina legere licet.

His quondam diui Franciſci hæc cella ſecunda
Extitit in ſcopulis, nunc verò dicta Ducis
Hic quater arcta decem illi dies ieiunia ſoluit
Ordinis Angelici ductus honore ſacri.

Conſtruxerat ſibi beatiſſimus P. Franciſcus non longè ab hoc ipſo ſacello, dum adhuc
intra cellulæ limites teneretur, ſub procera quadam fago oratorium, in quo integras
in oratione noctes conſummere aſſueuerat. Ad hoc igitur in feſto exaltationis S. Cru-
cis paululum ante auroram orationis ergô perrecturus, maxima luce circumfulſus in
B ipſo medio itinere Chriſtum Dominum in Seraph ſpecie ex aëre ſibi apparentem, atq;
ſacra ſtigmata imprimentem vidit. Fratres verò, ne locus tanto myſterio dignus mor-
talium pedibus tereretur, ipſum ferrea crate contegendum curarunt. Quam tamen per-
deuota quędam fœmina Eliſabetha cuiuſdam Angeli de Bardis legitima vxor honoris
cauſa inde ammoueri, atq; aliam omnino æneam, anno Domini 1536. ſibi ſubrogari
fecit. Nec facilè populorum ad ſacrorum ſtigmatum ſacellum, quod & Comes Simon
(de quo ſupra) elegantiſſimè exornandum curauit, & in quo quinque lampades per-
petuò lucent, deuotio, ob ſacra ſtigmata ibidē recepta, exprimi poſſet. Ad ipſum ſiqui-
dem perpetuò Chriſti fideles ſua vota perſoluturi confluunt, plurimaq; inde beneficia
à Deo opt. max. meritis tanti patris referunt. Adauget pręterea huiuſmodi deuotio-
nem veſpertinus (vt prædiximus) fratrum acceſſus, qui ſingulis noctibus à completo-
C rio perdeuotas quaſdam antiphonas in beatę Virginis Marię, ſanctorum Angelorum,
Ioannis Euangeliſtæ, Ioannis Baptiſtæ, Hieronymi, atq; beati Franciſci honorem ibi-
dem deuotiſſimæ decantant: præſertim eam, quæ ab his verbis exorditur: Cœlorum
candor ſplēduit &c. & illā quæ ab his verbis auſpicatur: Crucis hîc apparet hoſtia &c.
Harum alteram nempe cœlorum candor &c. quę in officio beati patris Franciſci habe-
tur, illuſtriſſimus pariter ac reuerendiſſimus Raginaldus Rauennatum Archiepi-
ſcopus iuncto ſibi reuerendiſſimo Aldobrandino Aretinorum Epiſcopo ſacrum hunc
Aluernæ montem, ex maxima in beatum Franciſcum deuotione concepta, viſitaturus
anno Domini 1310. petijſſet, fratres, vt ſibi præfatum ſanctæ Crucis ſacellum conſecra-
re liceret, exorauit. Quibus deniq; annuentibus ipſum 5. menſis Auguſti eiuſdem an-
D ni, cum maxima cordis lætitia, de Chriſtiano more conſecrauit, atq; ſanctiſſimę Cru-
ci, ſanctis Angelis, cæteriſq; cœleſtibus ſpiritibus, atq; beato patri Franciſco dicauit:
Inſuper & omnibus Chriſti fidelibus illud in præfatorum ſanctorum feſtiuitatibus, atq;
per eorum octauas accedentibus integrum ànnum de iniunctis pęnitentijs, ex Apoſto-
lica auctoritate, remiſit. Poſtmodum verò Reuerendiſſimus pater frater Angelus Fe-
duccius à Bibiena Piſaurienſium Epiſcopus præfatum montem accedens, præmemorati
ſacelli ſacrorum ſtigmatum maius altare 25. Ianuarij, anno Domini 1375. ex facülta-
te tamen Reuerendiſſimi Ioannis Albergotij Aretinorum Epiſcopi, cuius eæ partes
erant, licentia, ad Dei, beatæ Virginis Mariæ, S. Pauli Apoſtoli, cuius conuerſio ea-
dem die celebrabatur, beati patris Franciſci, beati Ludouici Epiſcopi, beati Antonij
Paduani, atq, beatæ Claræ honorem ſacrauit, & octoginta indulgentiarum dies omni-
E bus, id ſacellum in qualibet præfatorū ſanctorum feſtiuitate viſitantibus, conceſſit, atq;
aliquot ſanctorum Ioannis Baptiſtæ, & Sebaſtiani oſſa, aliquotq; beati Bartholomæi
Apoſtoli crines eidem altari dono dedit. Pręterea ſummi Pontifices Bonifacius IX. Six-
tus IV. & Innocentius VIII. prout ex eorum diplomatibus in pręſentis loci archiuis aſ-
ſeruatis liquidò conſtat, omnibus Chriſtianis, qui ſacrorum ſtigmatum ſacellum, atq;
ambas, nouam ſcilicet, atq; veterem eccleſias in ſacrorum ſtigmatum feſto viſitàuerit,
dummodo commiſſa peccata per ſacram confeſſionem abſterſerint, eam indulgentiam
plenariam, quæ eccleſię S. Mariæ de Angelis prope Aſſiſium in feſto Portiunculę, nem-
pe ſecunda cuiuſlibet menſis Auguſti in eorundem fauorem conceſſa eſt, ex Apoſtolica
auctoritate impertiuntur. Supra præfatum ſacrorum ſtigmatum ſacellum rimā quan-
dam inuiſere licet, vbi beatus pater Franciſcus ſæpius oraſſe creditur, & beatus pater
Leo eius ſecretarius, ſocius, atq; confeſſarius quodam oratorio conſtructo plures, eaſq;
mirabiles reuelationes habuit. Diſtinguebatur tamen pręfatum oratorium ab eo ſacello
altiſſima

altiſſima quadam fago, quam inſolens quidam miles tantum ſacellum ſua ruina de- A
moliturus, anno Dominicæ Incarnationis 1498. ex mera tantùm malitia ſuccidit. Sed
ea fuit Dei opt. max. bonitas, vt arbor ad aliam partem inclinata, nihil penitus detri-
menti eidem intulerit.

Non longè ab hac ipſa ſacrorum ſtigmatum ęde, verſus inferiorem partem, aliud ora-
torium beato patri Bonauenturæ ſacrum ſubſiſtit, quod maxima fideles deuotione
proſequuntur. Hæret ſiquidem ferè ei loco, in quo Seraphicus pater Franciſcus ſacra
ſtigmata accepturus genua flexit. Dicitur autem beati Bonauenturæ, non quòd ab ipſo
ædificatum ſit, ſed quòd ad illud beatus ipſe pater, dum Generalatus officio fungere-
tur, ſępe ſępius oraturus diuerterit. Cùm beatus P. Antonius de Padua poſt generale Ca-
pitulum Aſſiſij celebratum, in quo corporis beati patris Franciſci tranſlatio facta eſt,
hunc ſacrum montem ſibi in habitationem elegiſſet, nullo pacto induci potuit, vt ſe- B
cunda beati patris Franciſci cellula, quòd ſe ea indignum iudicaret, vteretur: ſed aliam
ad eius latus ſibi conſtruendam curauit, in qua & ſermonum librum ad Gregorij IX.
Pont. max. inſtantiam compoſuit. Hanc pręfatus Simon Comes ſacrorum ſtigmatum,
atq; ſanctæ Crucis ſacella ædificaturus, intra eorum fundamenta, concluſit. Vnde & ſa-
celli ſancti Antonij de Padua nomen acquiſiuit.

Inuiſere quoq; licet hoc in ſacro monte quoddam ſpecu, quo ſe beatus pater Fran-
ciſcus, contemplationi vacaturus, recipere aſſueuerat, & ex quo inuidens ſibi dæmon
eum præcipitare viſus eſt. Sed ſaxus alioquin durus, ita ſe beato patri mollem, tracta-
bilemq; præbuit, vt & digitos in eo imprimere, & eius apprehenſione huiuſmodi præ-
cipitationem euadere potuerit. Digitorum veſtigia plurimis annis ibidem perſeuera-
runt, quæ tamen poſtea ferro ceſſerunt. Poſt aliquot verò annos, cum quidam frater C
viam, qua præfatum ſpecu petebatur, hominum greſſibus faciliorem, atq; familia-
riorem reddere contenderet, ab eodem dæmone inde præcipitatus fuit. Cumq; fratres
feretro, ac cruce ſumptis eò tenderent, vt defunctum correligioſum ſepulturæ trade-
rent, eum incolumen omnino, atq; canticum Te Deum laudamus cantantem in gra-
tiarum actionem inuenerunt. Quibus & ille faſſus eſt, ſe meritis beati patris Franciſci,
cuius in tanta ruina fauorem ex intimis præcordijs imploraſſet, mortem euaſiſſe. Præ-
fatum ſpecu, ob Seraphici patris reuerentiam, honeſtaturus perdeuotus Angelus Bac-
cius Aretinus ciuis, ſacellum in honorem ſancti Sebaſtiani, anno Domini 1480. eo ſcili-
cet tempore, quo grauiſſima peſtis vniuerſam Italiam peruaſit, ad fratris cuiuſdam
Laurentij à Fabriano, cui vulgò Zacchæus nomen fuit, inſtantiam, ibidem ædifican- D
dum curauit. Ad cuius dextrum latus plurima antiquiorum patrum hoc in loco de-
functorum oſſa recondita ſunt. Hæc dum ex cœmeterio exhumata, vt in honorificen-
tiores quatuor ſepulturas, ea de cauſa erectas, inferrentur, diligentius congeruntur,
nubecula quadam ex tempore orta per diem, atque ſequenti nocte igneo globo conte-
cta fuêre. Quamobrem ijs ſepulchris prætermiſſis, præſenti loco, vt in maiori vene-
ratione haberentur, donata ſunt.

Subſtat ſacello ſancti Antonij Abbatis ſecretum beati patris Franciſci oratorium, in
quo ſemotus ab alijs orare ſolitus erat. Huic hæret locus beati Franciſci lectulus vulgò
appellitatus, eò quòd ſuper eum defatigata ex continua genuflexione, atque oratione
membra neceſſario ſomno aliquādo refecerit. Hunc illuſtriſſimus Petrus Ioannis Pau-
li de Vrſinis, cùm omnium membrorum contractionem ex grauiſſima infirmitate E
incurriſſet, fœlici euentu ſequenti, in ſacellum diuo Antonio Abbati ſacrum, an-
no Dominicæ incarnationis 1440. erexit. Cùm enim is heros (vt prædiximus) om-
nino contractus propriorum membrorum vſum amiſiſſet, omniaq; neceſſaria remedia,
ſed humana recipiendæ ſanitati priſtinæ adhibuiſſet, nec eam aſſequutus eſſet, ad hunc
ſacrum Aluernæ montem, ex maxima qua beatum Franciſcum proſequebatur deuotio-
ne, deferri, atq; per cuncta loca, in quibus beatus idem pater aliquando ſubſtitiſſet,
circumferri voluit, ac tandem ad hoc oratorium delatus, atque præfato in lectulo re-
clinatus, poſt præmiſſam orationem, voti compos effectus eſt. Quamobrem, ne ali-
quando à tanto patre ingratitudinis argueretur, præmemoratum ſancti Antonij ſacel-
lum ibidem proprijs ſumptibus, ex tempore ædificari, atq; ſequentes literas cum gen-
tilicijs

A tilicijs propriæ familiæ inſignijs eius portæ incidi curauit. Hoc opus fieri fecit Petrus Ioannis Pauli de Vrſinis de Vrbe, olim Capitaneus generalis populi Florentini.

Prope hanc ſacram ædem ſubſtitit aliquando fagus (cuius ſupra meminimus) ex qua Virgo glorioſa fratres benedixit, cui alia eiuſdem generis arbor ſucceſſit, quę ſcaturientibus venis aquam ad pellendos oculorum morbos ſalutarem perpetuò miniſtrat. Ad latus eius portę, qua ſylua petitur, deuotiſſimum aliud occurrit ſacellum ab illuſtriſſimo quodam Comite Franciſco ex parte ædificatum, atq; ab eius vxore Alexandra, anno Domini 1532. omnibus numeris abſolutum. Atqui illud, quod campanarum turri vicinum eſt, à perdeuoto Iacobo Franciſci à Stronconio, diuo Stephano protomartyri eius tutelari, etiam pro parte conſtructum, atq; ab eius ſucceſſoribus, anno 1550. abſolutum extitit.

B In cliuo verò eius colliculi, qui ſupra ſacrorum ſtigmatum ſacellum eleuatur, alia quoq; ſurrigit ſacra domus beato patri Ioanni ab Aluerna dicata. Fuit ſiquidem beatus is pater religioſiſſimus, ſanctiſſimamq; vitam in ieiunio, contemplatione, atq; pęnitentia perpetuis, per plurimos annos, hoc in ſacro monte, præſertim verò in præfato colliculo, vbi & ligneam cellulam, in prætactam ſacram ædem tranſlatam, ſibi conſtruxerat, atq; omnino angelicam duxit. Inſuper & Aluernæ cognomen, cùm primò Firmanus cognominaretur, ex diuturna montis habitatione contraxit. Strauerat præterea beatus idem pater Ioannes iuxta præfatum ſacellum deambulationis ergò ſemitam, quę ad altiſſimam fagum terminabatur. Cumq; quadam die diuinis meditationibus intentus per eam obambularet, oculorumq; aciem in crucem eidem arbori à ſe affixam direxiſſet, Chriſtum Dominum in ea grauiori paſſu gradientem ex tempore vidit. Ad ſacroſan-
C ctos cuius pedes prouolutus, cùm ſemel atq; ſecundò erratorum veniam ab eo ſibi dari ſupplex expoſtulaſſet, nec reſponſum aliquod retuliſſet, tertiò ipſum iuxta arborem ſequutus, interim corpore in terra demiſſo, eandem petitionem repetijt, ac tandē votum aſſequutus, diuinos pedes, manus, ac ſacroſanctum laterale vulnus deoſculari meruit. Quapropter ſumma lætitia perfuſus, ac in extaſim factus eſt. Quo inter ſæculares diuulgato, tanta eis ad præfatam fagum inceſſit religio, atq; deuotio, vt nullo pacto à fratribus prohiberi potuerint, quin eam omnino decorticarint. Eoq; tandem factum eſt, vt cortice denudata perierit. Pater igitur ac frater Angelus Raſſinas ſacri huius loci Guardianus, ne tanta populorum deuotio aliquando euaneſceret, ipſam ſuccidendam atq; inibi ſacrum quoddam ſacellum, anno reſtitutæ ſalutis 1518. ædificandum curauit. Cuius altare eiuſdem arboris trunco innititur.

D Cùm enim antiquior (cuius ſupra meminimus) eccleſia maximis anguſtijs teneretur, nec accedentem populum, nec fratres huius loci habitatores capere poſſet, illuſtriſſimi pariter ac pientiſſimi heroës Tarlatus Petræmalæ Comes, eiuſq; legitima vxor Ioanna S. Floræ Comitiſſa, qui Tertio Franciſcanorum Ordini aſcribi voluerunt, ex maxima in beatum patrem Franciſcum, eiuſq; fœcundam prolem deuotione, aliam multò capaciorem, multoq; elegantiorem, ſub glorioſæ Virginis tutela, ſuis ſumptibus à fundamentis erigendam curarunt. Idq; ſequentes literæ fornici principalioris eius portę impreſſę ſatis indicant. Anno Domini 1348. nobilis miles dominus Tarlatus de Petramala, & domina Comitiſſa Ioanna de S. Flora vxor eius ædificari fecerunt iſtam eccleſiam ad honorem beatæ Mariæ ſemper Virginis. Sed cùm immatura morte præuenti, quod piè ac ſanctè propoſuerant executioni mandare minimè potuiſſent, ſuis hæredibus, vt
E mille aureos coronatos ad eius perfectionem, ac vigintiquinque ſingulis annis in feſto beatiſſimi patris Franciſci ad fratres induendos penderent, ex teſtamento præcepêre. Quibus nihilominus tergiuerſantibus, ac tantorum parentum votis minimè annuentibus, lanificum Conſules (de quibus ſupra) tum ex proprijs, tum ex acquiſitis & à ſe & à fratribus eleemoſynis eam & perfici, & abſolui anno Domini 1497. fecerunt. Cuius princeps ſacellum illuſtriſſimus Franciſcus Medices, anno Domini 1457. ex proprijs facultatibus prius conſtruxerat.

In huius modernioris eccleſię ſacrario quę ſequuntur ſacroſanctę reliquię religioſius aſſeruantur. Nempè tres paruę cruces ex eius ligno, in qua Chriſtus Dominus pro nobis pependit, fabrefactę, atq; chriſtallina cruce reconditę. Alia itidem Dominicę crucis parti-

cis particula, & inconſutilis Dominicæ veſtis pars. Ex linteo quo Chriſtus Dominus, A
adhuc infantulus cùm eſſet,inuolutus fuit. Ex purpureo veſtimento eiuſdem.Ex lectu-
lo vbi idem in deſerto aliquando iacuit. Ex loco vbi orauit,quando ſanguineum humo-
rem emiſit. Ex lapide in quo diſcipulorum pedes lauaturus genua flexit. Ex columna
ad quam idem Chriſtus alligatus pro nobis flagellari voluit. Ex ſepulchro eiuſdem.
Ex lapide Dominico ſanguine intincto. Ex pelui in quo diſcipulorum pedes lauit. Ex
linteo quo ſe eos lauaturus præcinxit. Ex menſa in qua cum iiſdem vltimam cœnam
fecit. Ex veſtimentis, ex cunabulo atq; ex eiuſdem Chriſti Domini præſepio. Ex arca
veteris teſtamenti. Ex lapide in quo beata Virgo ſedebat, quando Spiritus ſanctus in
columbæ ſpecie ſuper eam, atq; ſupra Apoſtolorum ſingulos in feſto Pentecoſtes de-
ſcendit. Ex crinibus, lacte, ſepulchro, atq; veſtimentis eiuſdem beatæ Virginis Mariæ.
Ex crinibus ſancti Ioannis Euangeliſtæ, atq; ex manna ſepulchri eiuſdem. Ex oſſibus B
ſancti Ioannis Baptiſtæ, atq; ex lapide ſuper quem decollatus fuit. Item ex oſſibus
ſanctorum Petri, Pauli, Iacobi fratris Domini, Andreæ, Thomæ, Barnabæ, Bartho-
lomæi, atq; Matthiæ Apoſtolorum. Ex oſſibus quoq; ſanctorum Innocentum, atq;
ſancti Simeonis. Ex oſſibus etiam ſanctorum Stephani prothomartyris, Laurentij
martyris, Fœlicis Papæ & martyris, Anaſtaſij, Fœliciſſimi, Agapiti, Valentini, Ci-
riaci, Quadraginta martyrum, Bonifacij, Iuliani, Stephani Papæ & martyris, Dona-
ti, Fœlicis, Vrbani, Porphyrij, Mauritij, Clementis, Nicolai, Blaſij, Alexij, atq;
Hilarionis. Ex crinibus, ſanguine, tunica, atq; corda beati patris Franciſci. Ex corda
quoq; & barba ſancti Bernardi Abbatis. Ex oſſibus, & veſtimento ſanctæ Mariæ Mag-
dalenæ, atq; ex oſſibus SS. Agnetis,Praxedis,Fœlicitatis,Potentianæ, Ceciliæ, Sabinæ,
Petronillæ, Scolaſticæ, Euphemiæ, Ruffinæ, Margaretæ, Victoriæ, Conſtantiæ,Co- C
lumbæ, atq; vnius ex vndecim millibus virginum & martyrum. Ex tunica, crinibus,
& velo beatæ Claræ virginis. Ex caſula & cilicio ſancti Martini Epiſcopi. Ex virga Aa-
ronis. Ex terra ex qua Adam protoplaſtus formatus fuit. Ex manna filijs Iſraël cœli-
tus collato. Aſſeruantur præterea in eodem ſacrario paſtoralis diui Thomæ Cantua-
rienſis Epiſcopi baculus,lignea ſcutella ex qua beatus pater Franciſcus comedere aſſue-
uerat, & criſtallinus cyathus ex quo idem pater in menſa præfati Comitis Rolandi ali-
quãdo bibit,habitus inſuper & cilicij eiuſdem pars,tuniculæ quoq;, atq; mantelli S.Lu-
douici Epiſcopi & confeſſoris particulæ, & cingulum præmemorati Comitis Rolandi,
quo aliquando beatus pater Franciſcus præcinctus fuit, & iſte Comes ab ilium dolore
liberatus extitit, & quamplurimæ aliæ reliquiæ, vt ſunt beatorum patrum Bernardini
de Feltro,atq; aliorum tum cordæ,tum habitus,tum quoque tunicularum partes,quas D
breuitati ſtudens ſigillatim referre nolui. Et hæc dicta ſunto de eccleſia,ſacellis,ſancto-
rum reliquijs, atq; deuotis montis huius ſacri locis.

Vt autem aliqua de reliquo eius ædificio dicamus, curioſum lectorem præmonitum
cupimus, vt meminerit antiquiores fratres noſtros nihil minus ab ædificiorum mole,
atq; ſuperbia, quod ſanctiſſimæ paupertati contradiceret, curaſſe: eaq; de cauſa pau-
perculis vt plurimùm tuguriolis ex vili materia compactis fuiſſe contentos: prout &
primi huius ſacri montis habitatores extitêre. Quibus humilis caſula vel ſtramine, vel
arborum frondibus contecta, vel excauata rupis habitatio fuit. Cùm autem fratrum
numerus in dies magis magiſq; creſceret, nec ea viuendi forma,quòd hic locus frigidiſ-
ſimus ſit, omnibus arrideret, ſumma tum fratrum, tum quoq; præfatorum Conſulum
cura, atq; diligentia quædam domus, pro maiori parte lignea contra aëris, frigoriſq; E
inclemẽtiam ad communem fratrum habitationem iuxta moderniorem eccleſiam 26.
anno à beatiſſimi patris Franciſci morte ædificata extitit. Quæ tamen anno à partu
Virgineo 1472. cùm illuſtriſſimus pariterq; reuerendiſſimus Franciſcus Piccolomi-
neus Senarum Cardinalis, qui poſtmodum ſummus Pontifex creatus Pius III. appel-
lari voluit, hunc Aluernæ montem deuotionis ergô petere decreuiſſet, aliquotq; fa-
mulos, qui neceſſaria præpararent, præmiſiſſet, eorundem incuria flagrare cœpit.
Cùmq; vorax flamma, tertia eius parte abſumpta, etiam illi,cui vniuerſa tum fratrum,
tum præfati Cardinalis illuſtriſſimi ſuppellex credita fuerat, minaretur incendium, ge-
nuflexi fratres diui Laurentij auxilium implorare cœperunt, ſe illi ex voto aſtringen-

A tes, vt ſi flamma ſuppelectili, atq; reliquijs adhuc permanentibus parceret, eius commemoratio ſingulis diebus ab eis facienda veniret. Qua pollicitatione facta, beatus Laurentius illis ex medio igne, qui & ſtatim extinctus eſt, apparuit. Et ab eo temporis, nullo die prætermiſſo, eius commemoratio fit. Atqui præfati lanificum Conſules fratrum opera maximè adiuti, conſtructis ex lapide muris, vt ſimilem caſum facilius euadere poſſent, huiuſcemodi damnum quantocitius reparandum curarunt.

Quod verò reliquum eſt ædificij plurimos ſui authores habuit. Nam noua infirmaria, eiusq; refectorium, aromataria, atq; vterq; xyſtus liberaliſſimis sereniſſimorum Hætruriæ Ducum Coſmæ Medices, atq; legitimæ eius vxoris Eleonoræ à Toleto ſumB ptibus anno Dominicæ Incarnationis 1549. conſtructa fuêre. Bibliotheca verò, quæ & ſatis copioſa eſt, ex diuerſis benefactorum eleemoſynis in eam formam, quam modò præſefert, anno Domini 1557. tranſlata extitit. Atqui commune fratrum refectorium, & superędificatum dormitorium ex liberali Ioannis cuiuſdam ab Antiqua (vulgò della Vecchia) Aretini ciuis elargitione multo ante, nempe anno Domini 1518. huic loco acceſsêre. His annectenda venit pulcherrima ciſterna, eaque aquarum capaciſſima, quæ præfato anno 1518. fabricari cœpit, & anno 1522. ſolerti fratrum diligentia abſoluta fuit.

Hoc etiam quòd ſequitur tanquam notatu dignum præcedentibus adijcere volui. Imminet cuidam dormitorij cubiculo patris Angeli, ſiue Agnelli à Piſis imago graphicè depicta, inter cuius manus huiuſmodi obedientiam muro affixam, atq; ſibi à beatiſſiC mo patre Franciſco traſmiſſam, eiuſq; manibus ſcriptam legere licet. Ego frater Franciſcus de Aſſiſio Miniſter Generalis pręcipio tibi fratri Agnello de Piſa per obediētiam, vt vadas ad Angliam, & ibi facias officium Miniſteriatus. Frater Franciſcus de Aſſiſio. Eſt præterea ſacra hæc domus illuſtris Capitulo quodam generali ibidem, anno Dominicę Incarnationis 1484. celebrato, in quo beatus pater Angelus de Clauaſio tertiò familiæ Obſeruantis Franciſcanæ Generalis Vicarius electus fuit, & Congregatione alia generali intermedia ſumptibus ſereniſſimi Coſmæ Medices ſecundi Florentiæ Ducis habita, in qua, anno à mundi redemptione 1563. reuerendiſſimus pater frater Aloyſius Puteus, qui & poſtmodum totius Franciſcani Inſtituti Generalis Miniſter, Commiſſarius Generalis Ciſmontanus creatus fuit, omnino illuſtris.

D Maior profectò, quàm par ſit, nobis hiſtoria texenda foret, ſi omnes gratias, immunitates, atq; priuilegia huius ſacro loco conceſſa impræſentiarum referre vellemus. Nihilominus tamen, ne ipſa ex quadam oſcitantia prætermiſiſſe videamur, aliqua ex plurimis in medium adducemus. Fuit igitur ſacer hic Aluernæ locus primò à patre luminum ſpeciali quodam priuilegio donatus, cùm à nullo ante beatiſſimi patris Franciſci aduentum præoccupatus fuerit, ac ſi tantis myſterijs in Seraphico ipſo patre, in eo complendis, ex mera induſtria ab æterno prædeſtinatus, deputatusq; eſſet. Fuit & ab eius filio, quem & vniuerſorum diuinus pater hæredem inſtituit, maximo fauore non ſemel ſed multoties cumulatus, cùm vel ſua corporali præſentia dignatur, vel ſacra ſtigmata in eiuſdem Seraphici patris Franciſci corpore ſuſcipit. Fuit & à tertia in diuinis perſona, ſpirituſancto videlicet ſummè honeſtatus, cùm ſacro eius igne tum Seraphicus E ipſe pater, tum quoq; plurimi alij patres ac fratres in ipſo inflammati fuerint. Fuit & à glorioſiſſima Virgine Deipara ſingulari gratia inſignitus, dū vel eius pręſentia fruitur, vel antiquioris conſtruendę eccleſiæ formam ab ea recipit, vel ipſam ſuos fratres ex arbore (vt proloquuti ſumus) benedicentem contuetur. Fuit deniq; & ab Angelis viſibili forma ſæpe ſæpius viſitatus, & à pleriſq; ſummis Pontificibus, Cardinalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, atq; Eccleſiaſticis Primatibus multiplici beneficio, in Chriſti fidelium ſe accedentium fauorem (vt infra dicemus, & ex Apoſtolicis, reliquisq; literis in huiuſmet loci archiuis aſſeruatis liquido conſtat) dignatus. Gregorius ſiquidem IX. Pont. max. dimidiam pœnæ partem commiſſis criminibus debitam ex Apoſtolica auctoritate remittit ijs, qui vel ſacrum hunc montem, vel eccleſiam in eo erectam in ſacrorum ſtigmatum feſtiuitate deuotè viſitauerint. Eius plumbea bulla ab his verbis auſpicatur: Seraphin volabant iuxta prophetam &c. Innocentius IV. Pont. itidem max. plumbeę cuiuſdam bullę datę Lugduni, anno ſui Pontificatus viij. virtute hunc ſacrum

montem,quem & ſanctum appellat in ſui protectionem recipit . Et Apoſtolicorum duo- A
rum breuium ibidem , eodemq; anno datorum tenore quadraginta dies de iniunctis pę-
nitentijs relaxat ijs , qui vel eius eccleſiam in beatiſſimi patris Franciſci ſolemnitate vi-
ſitauerint , vel eleemoſynas pro eiuſdem fratrum ſuſtentatione liberaliter erogauerint .
Alexander Papa IV. virtute cuiuſdam Apoſtolici breuis dati , anno ſui Pontificatus j.
cuius initium eſt : Si nouæ militiæ &c. omnibus tum Guardianis , tum miniſtris , tum
quoque fratribus patribusq; præcipit,ne vel hunc locum aliquando deſerant,vel ipſum
aut in toto , aut etiam in parte demoliri permittant . Idem Alexander IV. Apoſtolico
breui anno ſui Pontificatus ij. edito , cuius exordium eſt : Ad promerenda ſempiterna
gaudia &c. centum dies de iniunctis pœnitentijs remittit omnibus , & ſingulis , qui ſa-
cri huius montis eccleſiam in ſanctorum Franciſci , Antonij,& Claræ feſtiuitatibus,vel
per earum octauas viſitauerint . Idem quoq; Alexander IV . virtute alterius Apoſto- B
lici breuis dati anno ſui Pontificatus iij. cuius initium eſt : Sanctorum meritis inclyta
gaudia &c. centum alios dies ſatisfactioni adiudicatos relaxat ijs , qui præfatam eccle-
ſiam in glorioſiſſimæ Virginis Mariæ ſolemnitatibus , aut per earum octauas acceſſe-
rint . Idem etiam Alexander IV. dato alio breui Apoſtolico anno ſui Pontificatus vj.
quod ab his verbis exorditur : Olim dum &c. tum Miniſtro,tum quoque cæteris huius
Tuſciæ Prouinciæ patribus fratribusq; exiſtentibus, ac pro tempore futuris ex Apoſto-
lica auctoritate præcipit , ne vel ſacrum hunc locum aliquando relinquant , neue inde
vel campanas , vel ornamenta , vel libros amoueant , alioq; deducant : inſuper & eiuſ-
dem loci habitatoribus , vt ſericeis paramentis ad diuinum cultum vti poſſint , conce-
dit . Nicolaus IV. ſummus itidem Pontifex datis ſuis literis quarum initium eſt : Licet C
ſit is,de cuius munere venit &c.Annum & quadragenam de iniunctis pœnitentijs con-
donat ijs , qui præmemoratam eccleſiam in diebus ſanctis Franciſco , Antonio , atque
Claræ ſacris , vel per eorum octauas viſitauerint . Benedictus XII. ſummus quoq; Pon-
tifex ex maxima , qua in ſacra patris Franciſci ſtigmata , atq; in hunc montem fereba-
tur , deuotione , vniuerſo Ordini Franciſcano , vt pręfatorum ſtigmatum ſacrorum fe-
ſtum duplicatis antiphonis (id duplex maius appellant) celebrare poſſit , liberaliſſimè
conceſſit . Bonifacius Papa IX. expedita plumbea bulla , cuius principium eſt : Splen-
dor paternæ gloriæ &c. ijs Chriſti fidelibus , qui prædictam eccleſiam 17. menſis Se-
ptembris , quæ dies ſacris Seraphici patris ſtigmatibus dicata eſt , deuotè acceſſerint ,
eandem prorſus indulgentiam , quam viſitantes ſacram ſanctę Marię de Angelis prope
Aſſiſium ædem 2. menſis Auguſti promerentur , ex Apoſtolica auctoritate impertitur. D
Hanc indulgentiam expedita plumbea bulla,cuius exordium eſt:Dudum ſiquidem &c.
Sixtus Papa IV. anno ſui Pontificatus v. confirmauit,illudq; addidit,vt huius Prouin-
ciæ Miniſter , vel Vicarius , & in horum abſentia præſentis loci Guardianus , per qua-
triduum ante præfatorum ſtigmatum ſacrorum feſtū,idoneos quoſdam patres in Con-
feſſarios , qui eadem prorſus auctoritate , qua Vaticani minores Confeſſarij erga pœ-
nitentes pollent,erga hunc locum accedentes , confiteriq; volentes fungi poſſint , ſeli-
gere valeat. Innocentius VIII. ſummus quoq; Pontifex plumbeæ cuiuſdam bullæ datæ
anno ſui Pontificatus iij. tenore , quæ ab his verbis exorditur : Paſtoris æterni &c. Six-
ti IV. conceſſioni ſubſcribit: Inſuper & auctoritatem Confeſſarijs factam ad omnes ca-
ſus Epiſcopis,ſiue à iure,ſiue à conſuetudine reſeruatos extendit:& etiā concedit vt prę- E
fata indulgētia tum in veteri , tum quoq; in noua ſacri huius montis eccleſia à fidelibus
promereri poſſit , & vt quęcunq; vota, Religionis, Compoſtellano,caſtitatis,atq; Hie-
roſolymitano demptis , commutare poſſint : vtq; & ſacramenta miniſtrare , atq; mor-
tuos apud ſe ſepelire valeant,ex Apoſtolica auctoritate concedit . Nicolaus tandem V.
Pont.etiam max.plumbea bulla,cuius principium eſt: Inter cæteros &c. anno ſui Pon-
tificatus v. expedita , quatuordecim annos , ac totidem quadragenas de iniunctis pœ-
nitentijs remittit ijs , qui adiutrices manus pro vtriuſque iſtius loci eccleſiæ , ac con-
uentus conſeruatione porrexerint . Illuſtriſſimus Napoleô tituli ſancti Adriani Cardi-
nalis centum quadraginta dies de iniunctis pœnitentijs remittit ijs omnibus , qui pro-
pria peccata confeſſi ſanctæ Mariæ eccleſiam hoc in ſacro monte erectam viſitaue-
rint . Idipſum quoque vel ſacrorum ſtigmatum ſacellum accedentibus , vel ſacram
concionem

A concionem hoc in eodem monte audientibus impertitur. Fratribus inſuper iſtius loci habitatoribus poteſtatem facit, vt ſibi, dum extra montem concionantur, aſſiſtentibus quadraginta dies de eiſdem pœnitentijs remittere valeant. Ac tandem omnibus annonam huiuſmet loci religioſis afferentibus centum dies de præfatis pœnitentijs condonat. Illuſtriſſimus etiam Mattheus S. R. E. Cardinalis, ac Epiſcopus Portuenſis, nec non & Apoſtolicus Legatus centum dies de eiſdem pœnitentijs relaxat cuiuis Chriſtifideli, qui præfatam huius ſacri montis eccleſiam in quacunq; beatæ Virginis Marię, SS. Franciſci, Antonij de Padua, & Claræ virginis ſolemnitate, vel in die conſecrationis eius, vel in Paraſceue deuotè viſitauerit. Idipſum quoq; concedit illuſtriſſimus Marcus tituli S. Marci Cardinalis, ac Aquileienſis Patriarcha ijs, qui eandem eccleſiam vel in Paraſceue, vel Dominica palmarum, vel feria ij. poſt Paſcha, vel prima menſis Augu-
B ſti, vel in eius conſecratione acceſſerint, vel eleemoſynas aut pro conſeruando ędificio, vel pro comparandis ornamentis erogauerint. Reuerendiſſimus Marcellinus Aretinorum Epiſcopus quadraginta dies de iniunctis pœnitentijs condonat ijs, qui ſua liberalitate huius loci fratres proſequuti fuerint. Idipſum facit reuerendiſſimus Gulielmus eorundem Aretinorum Epiſcopus, qui & eandem gratiam prædictum locum viſitantibus concedit. Præcedentibus duobus Epiſcopis ſubſcribit reuerendiſſimus Guido à Petramala Aretinus quoq; Epiſcopus. Pręfatam indulgentiam duplicat in eorum fauorem, qui ſacrum hunc montem deuotionis ergô acceſſerint, ſacrorumq; ſtigmatum ſacellum viſitauerint, reuerendiſſimus Angelus Piſaurienſis Epiſcopus. Reuerendiſſimus Pizzimanus Feltrenſis Epiſcopus huius ſacri montis cacumen petentibus, ne tantum laboris in caſſum ſubierint, quadraginta quoq; dies de iniunctis pœnitentijs remit-
C tit. Reuerendiſſimus verò Gulielmus Vbertinus Aretinorum Epiſcopus datis Bibienæ literis 21. menſis Iulij, anno Domini 1275. quarum exordium eſt: Quoniam ad hoc debet niti humana fragilitas &c. ne aliqua mulier hoc in ſacro monte pernoctare, neue aliquis vir in nocte conſecrationis eiuſdem montis, vt tripudia, commeſſationes, laſciui cantus, atq; plurimæ aliæ diſſolutiones olim introductæ euitarentur, ibidem commorari, neue etiam aliquis, quicunq; ille fuerit, abſq; peculiari vel huius loci Guardiani, vel eius Vicarij facultate arborem in eo præcidere, vel præciſum inde aſportare aliquo pacto præſumat ſub graui interminatione præcipit.

Hunc deniq; ſacrum montem quamplurimi heroës, atq; heroinę, Duces, Principes Reges, Reginæ, atq; Imperatores ſua pręſentia honeſtarunt: De quorum numero fuêre ſereniſſimus pariterq; pientiſſimus Henricus huius nominis VII. Romanorumq;
D Imperator, qui datis ſub huiuſmodi initio literis: Henricus Dei gratia Romanorum Imperator &c. ipſum in ſui protectionem, atq; tutelam ſuſcepit. Et ſereniſſima Ioanna Franciæ Regina. Et ſereniſſimi Hieroſolymorum, atq; vtriuſq; Siciliæ Reges Robertus & eius vxor Sanchia cum Carolo Calabriæ Duce eorum primogenito. Et ſereniſſima Ioanna Græcorum Imperatrix, quæ ſumma huius montis religione tacta ad ipſum, atq; ad locum S. Mariæ de Angelis prope Aſſiſium inuiſenda Conſtantinopoli ſoluit, & ad propria poſt tantam peregrinationem reuerſa, carniſq; ergaſtulo ſoluta proprium corpus Aſſiſium transferendum, atq; ibidem in eccleſia S. Franciſci tumulandum ex teſtamento voluit, cauitq;. Vt autem paucis multa perſtringam, nouerit curioſus lector inter præcipuos huius ſacri montis, atq; conuentus, ſacellorumq; in eo erectorum benefactores ſibi annumerãdos ſereniſſimos Hetrurię magnos Duces Coſmã,
E eiuſq; legetimã vxorem Eleonoram à Toleto, eorumq; vſq; impræſentiarum ſucceſſores. Quod & eorundem gentilicia inſignia, tum ædificijs, tum ſacris veſtibus, tum iocalibus diuino cultui deſtinatis, tum quoq; libris impreſſa facilè indicant. Ex plurimis tamen ſanctiſſimis patribus ac fratribus, qui in huius monaſterij eccleſia ſepulti ſunt, ne legentibus tædioſior ſim, aliquot tantùm in medium adducam, illos videlicet, qui peculiari aliqua prærogatiua claruerunt. Et primo quidem loco patrem Laurentium à Fabriano, Zacchæum ob ſtaturæ breuitatem paſſim vocitatum, qui fuit ſacerdotio, profundiſſima humilitate, charitate, ardentiſſima oratione atq; ſumma abſtinentia inſignis. Deinde obedientiſſimum fratrem Bernardinum ab Aluerna laicum, qui 83. annis in maxima paupertate, vitæ auſteritate, atq; perfectione hoc in loco Deo

opt. max. inſeruiuit, Virginiſq; virginum,ac beatiſſimi patris Franciſci, necnon & plu- A
rimorum aliorum ſanctorum præſentia, antequam animam cœlo redderet, dignatus
eſt. Poſtremo verò loco deuotiſſimum fratrem Marianum à Luco quoq; laicum,quem
diabolus aſſumpta felis, vel alterius animalis irrationalis forma, ab oratione, cui in-
ſtantiſſimus fuit, auertere, ſed fruſtra, maxima contentione nitebatur.

De conuentu ſancti Franciſci propè Caſtrum nouum Carfaniani. Conu. XVIII.

CVM beatus pater Herculanus vnum aliquem conuentum pro ſe ſuiſq; fratribus
propè Caſtrum nouum de Carfaniano erigere cuperet, nec illius patriæ gentis fa- B
uor ſibi adeſſet, ad incolas Caſtelli de Pieue,quod duobus tantùm milliaribus à Caſtro
nouo diſtat, ſe conuertit, atq; pro ſuggeſtu præſago ſpiritu illis prædixit, nunquam ſe
peſte ex infecto aëre,niſi fortè aliunde contracta,laboraturos,ſi ſibi ad vnius conuentus
erectionem fundum apud ſe liberaliter conferrent. Cuius ſponſione commoti homines
illi, eum B. patri,anno Domini 1435.libentiſſimè conceſſerunt.Ille igitur voti compos
effectus,ex cœmento, lapidibus, impolitiſq; lignis, opere tumultuario, cui etiam bea-
tus P. Iacobus à Papia viriliter adfuit, præſentem conuentum, humilem ſatis atq; pau-
perem,iuxta priſcorum patrum morem, in B.P. Franciſci honorem extruxit. Nec exi-
ſtimandum eſt pijſſimum Deum tanti patris promiſſis defuiſſe: cùm laborantibus ſæ-
pius ab eo temporis conuicinis populis peſtifera lue, præfatum Caſtellum de Pieue in-
tactum ſemper, atq; liberum omnino remanſerit. Deerat fortè ad huiuſmodi conuen- C
tus ædificationem aqua, & ecce dum, poſt præmiſſam à fratribus orationem, terra ef-
foditur, tanta aquarum ſcaturigo erupit, vt non ſolum promouendo operi ſuffecerit,
ſed etiam & fratribus eius loci accolis,atq; plurimis alijs ad potum, alioſq; neceſſarios
vſus ſatisfecerit. Prædictus verò B. P. Herculanus, poſt plurimos in receptione ſacro-
rum locorum Terræ ſanctæ exantlatos labores, diem ſuæ vitæ extremum hoc in loco
ſanctiſſimè clauſit. Cuius corpus cùm per quinquennium continuum,ob operis imper-
fectionem, aquarum ſtillicidijs patuiſſet, incorruptum omnino, atq; imputre inuen-
tum eſt:quamobrem inde exhumatum ad maius ſacellum tranſlatum extitit.Hunc bea-
tum patrem poſtmodum ſequutus fuit præmemoratus beatus pater Iacobus de Papia,
maximæ perfectionis atq; orationis vir; qui continuas noctes omnino inſomnes con-
templationi intentus ducere ſolitus erat, & ſæpius per tres, & quatuor dies nihil peni- D
tus cibi admiſit. Fuerat aliquando beatus hic pater in ſæculo miles, ſed eo viuendi mo-
do,hortatu beati patris Herculani derelicto, Chriſti ſeruatoris militiæ,ſub Seraphici pa-
tris Franciſci vexillo, aſcribi voluit; in qua ſub eiuſdem beati patris diſciplina adeò
profecit, vt in ſanctiſſimum virum euaſerit. Quamobrem plurimis miraculis clarere
meruit, & licèt literarum ignarus eſſet, ſacræ tamen ſcripturæ arcana penetrauit: Ita
vt plures Doctores, dum Peruſij ageret, ex eius ore, tanquam ex certiſſimo oraculo,
ſæpius penderint. Hic igitur tantus pater octogenarius hoc in loco,quem 14. fratres
incolunt, migrauit ad Dominum, & ab omnibus vt beatus veneratur.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs propè Bargam. Conu. XIX. E

APOSTOLICIS literis ab Eugenio IV. ſummo Pontifice, anno Dominicæ
Incarnationis 1434.datis ſibi fauentibus,fratres noſtri locum quendam exiguum
paupertatiq; ſatis conſonum in honorem beati patris Franciſci, longiuſculus vtcunq;
à Barga oppido,Lucenſi iuriſdictioni ſubacto, conſtruxerant. Sed cùm ob aëris intem-
periem illis nocumenti eſſet, eo derelicto,ad alium multò commodiorem, ſalubriorem,
atq; oppido viciniorem, ex oppidanorum conſenſu, anno Domini 1471. ſe tranſtule-
runt. Nec ſilentio prætereunda venit Bargenſis populi deuotio; cui non ſatis fuiſſe vi-
debatur fundum contuliſſe, ſufficienteſq; eleemoſynas, tum publicas, tum quoq;
priuatas ad operis promotionem erogaſſe, niſi & feſtiuis diebus in lapidibus, ligniſq;,
ex an-

A ex antiquiori deſerto loco ad hunc de nouo conſtruendum, deferendis, ſumma etiam alacritate fratribus deſeruiſſet, adfuiſſetq;. Cuius tandem opera, atq; ſumptibus, breui ſacra hęc domus, licèt modica, quam tamen 14. fratres commodiſſimè inhabitant, in laudem, & gloriam ſanctiſſimæ natiuitatis beatiſſimæ Virginis Mariæ, ſiue (vt alijs placet) beatæ Mariæ de Gratijs erecta, atq; omnino abſoluta extitit. Sub ipſo altari natiuitati glorioſæ Virginis ſacro beati patris Ludouici de Barga, qui Religionis habitum de manu patris Herculani ſuſcepit, quiq; tanta in proximum charitate prædítus fuit, vt nihil aliud ab animarum ſalute ſitire videretur, venerandi cineres reconditi ſunt. Beatus hic pater per agros diſcurrens ruſticos diſtinguendis ſulcis intentos ad pœnitentiam, maximè tamen ad ſacram peccatorum confeſſionem faciendam, obnixè hortabatur. Quòd ſi illorum quiſpiam aliquando ſibi confiteri voluiſſet, eum aratri ſtiuæ innixus patientiſſimè audiebat. Et ſi aliquis pudore perfuſus aliquod pec-
B catum ſubticuiſſet, id beatus pater per reuelationem prænoſcens, huiuſcemodi hominem miris cautelis ad eius manifeſtationem alliciebat. Infirmis & maximè peſte laborantibus præſtiſſimò aderat, quibus etiam omnia ſacramenta miniſtrans ſepultutæ beneficium, dum opus eſſet, proprijs manibus exhibebat. Ita vt in quadam peſte 700. & vltra, defunctorum corpora, ſe tantum ſocio iuuante ſepelierit. Quapropter & miraculis adhuc viuens claruit. Nam & puerum defunctum ſuis precibus ad vitam reuocauit, & deficiente cymba rapidiſſimum fluuium, ſtrato ſub pedibus mantello, vnà cum ſocio fœliciſſimè traiecit. Obijt quoq; hoc in eodem loco, anno 1489. ſummæ ſanctitatis vir, ac beatus pater Franciſcus de Barga, qui etiam in ſuæ inculpatæ vitæ teſtimonium miraculis fuit illuſtris.

C

De conuentu Palci propè Pratum. *Conu. XX.*

ILLVSTRISSIMVS Comes Franciſcus Marci de Patino, ob maximam qua Minores Obſeruantes proſequebatur beneuolentiam, peculiarem recreationis domum, in cliuo cuiuſdam montis ſitam, reliquaq; omnia ad ſe pertinentia ipſis ad vnius conuentus ædificationem liberaliſſimè reliquit. Illi verò, ne in paupertatem impingerent, domum quidem, atq; aliqua bona ad monaſterij conſtructionem neceſſaria, cæteris interim relictis, acceptarunt. Itaq; anno à Chriſti natiuitate 1439. ex conceſſione Eugenij IV. Pont. max. cuius bulla data 11. Ianuarij eiuſdem anni adhuc extat, præfata Comitis Franciſci domus, fauentibus ſibi domeſticis eius bonis, in pulchrum,
D ſatiſq; capax monaſterium, atq; continendis viginti fratribus eius accolis omnino idoneum, euecta eſt. Hæc igitur ſacra domus quiete, ſaluberrimaq; aura gaudet: cùm in iugulo cuiuſdam montis (vt præfati ſumus) ſita puriſſimo aëri expoſita ſit, & mille paſſibus ad minus à proximiori oppido Prato diſtet. Honeſtatur quoq; venerabilium quorundam patrum funeribus, qui vocationi ſuæ reſpondentes, maximam apud Deum & homines laudem adepti ſunt. Horum anteſignanus fuit inſignis pater frater Angelus de Florentia, cuius gratia in ſolandis afflictis, ſacriſq; confeſſionibus excipiendis vix explicari poteſt. Secundus verò pater ac frater Bernardus Echeſius Pratenſis deuotiſſimus quidem, ac beati Euſtachij martyris diligentiſſimus cultor, à quo etiam ſæpius viſitari meruit. Accidit vt huius loci fratribus maxima panis inopia ſemel laborantibus, nec oppidum præ niuium multitudine accedere valentibus, Guardia-
E nus, habita prius ad eos de diuina prouidentia, atq; miſericordia breui collatiuncula, ad orationem cum reliquo cœtu confugerit, qua vix abſoluta, promptuaria panibus redundare cœperunt, quibus tandem famelici ventres, poſt debitas gratiarum actiones Deo opt. max. ob eius ſingularem prouidentiam & miſerationem de religioſo more relatas, refecti ſunt. Commorantur deniq; hoc in Palcenſi cœnobio viginti fratres, qui, miniſtrantibus ſibi ijs populis quæ ad victum & amictum neceſſaria ſunt, commodiſſimè viuunt.

A

De conuentu S. Cerbonij extra Lucam. Conu. XXI.

LOCVS hic ad Ciſtercienſes moniales ſpectauit, quibus, quòd in dies magis magisq; deficerent, ad ſanctæ Chriſtinæ Ordinis Benedictini monaſterium tranſlatis, fratribus Franciſcanis Obſeruantibus, in gratiam venerabilis patris Herculani, (cuius ſupra meminimus) quòd à Deo opt. max. dum ibidem per quadrageſimam concionaretur, ne Lucenſis ciuitas à Florentino exercitu, à quo graui obſidione præmebatur, vi expugnaretur, ſuis precibus obtinuiſſet, ſummis votis collatus eſt. Ne verò id ex propria Lucēſium auctoritate accidiſſe exiſtimaretur, ſummi quoq; Pontificis Eugenij IV. auctoritas, & conſenſus huiuſcemodi tranſlationi acceſſit. Petens itaq; reuerendus pater frater Ioannes diſcalciatus, tunc huiuſce Prouinciæ Vicarius Prouincialis, B anno Dominicæ Incarnationis 1540. Lucam, Hetruriæ liberam ciuitatem, hāc ædem diuo Cerbonio ſacram, ac ſecundo ferè milliari ab ipſa Vrbe diſtantem, ſibi à Lucenſibus oblatam, primus omnium, ex Apoſtolica auctoritate, occupauit. Cùm autem aliqua de huiuſmodi occupatione difficultas religionis ergô oborta eſſet, ſibi, virtute cuiuſdam nouæ facultatis Eugenianæ in membrana ſcriptæ, ac beato patri Bernardino de Senis, tunc familiæ Franciſcanæ Obſeruantis Vicario Generali, factæ, atq; eidem per reuerendiſſimum dominum Danielem, Epiſcopum Concordienſem, Apoſtolicæq; Sedis Theſaurarium tranſmiſſæ, denuò conceſſa extitit. Quam poſtea, editis ea de re bullis, ſummi Pontifices Pius II. atq; Paulus II. ſuis calculis approbarunt. Hæ duæ Pontificiæ bullę, ſimul & alia Eugenij papæ IV. (de qua ſupra) in huius loci archiuis fideliſſimè aſſeruantur. Huius loci eccleſia, ſi humanæ traditioni fides habenda ſit, conſecrata eſt, eiusq; conſecrationis feſtum die 13. Iulij celebratur. Sed à quo, vel quando C id ſibi contigerit non ſatis conſtat. Pietatis mons, qui ad pauperum ſubſidium atq; ſolamen Lucæ erectus eſt, beatum patrem Bernardinum de Feltro, huius olim cœnobij inquilinum, authorem habuit, qui eum, iuxta formam ſibi à Deo per reuelationem pręſcriptam, erigendum curauit. Iacet deniq; ſepultum hoc in conuentu corpus venerabilis ac beati patris Chriſtophori Criuelli natione Mediolanenſis, qui cùm in ſæculo aliquando militaſſet, fuiſſetq; exercitus cuiuſdam Patriarchæ Capitaneus, ſiue Dux, ſumpto de manibus beati patris Bernardini de Senis Franciſcano habitu, tantopere humilitati, abſtinentiæ, paupertati, obedientiæ, caſtitati, cæterisq; virtutibus ſtuduit, vt qui inſignis ſæculi miles extiterat, inſignior Chriſti athleta euaſerit, ſuisq; orationibus, D omnium delictorum in ſęculo perpetratorum veniam à patre miſericordiarum impetrauerit, atq; id ſibi reuelari meruerit. Cuius corpus cùm plurimis annis iuxta eccleſię valuas humatum extitiſſet, aquarumq; ſtillicidijs patuiſſet, inde nihilominus effoſſum, imputre, integrum, incorruptum, ac ſuauiſſimè redolens apparuit. Et quid mirum, cùm viuens atq; mortuus miraculis claruerit? Moram trahunt hoc in loco vt plurimum ſexdecim fratres.

De conuentu S. Franciſci propè Citonium. Conu. XXII.

HIC locus Cluſenſe iuriſdictione circumſcribitur, (eſt autem Cluſium Hetruriæ ciuitas, atq; Porſennæ Hetruſcorum Regis ſepultura inſignis) primoq; à Seraphico patre Franciſco occupatus, penes patres Conuentuales diu permanſit, donec videlicet à beato patre Bernardino de Senis, tunc Obſeruantis familiæ Vicario Generali, E ijs ex Apoſtolica auctoritate loco motis, Obſeruantiæ adiectus eſt. Hoc itaq; in conuentu Deus opt. max. per ſibi ſeruum ac beatum fratrem Ægidium plura miracula operatus fuit. Iacetq; venerabilis pater ac verè beatus frater Guido eiuſdem beati patris Ægidij ſocius. Cuius oſſa cum diu ſub humili maioris ſacelli pauimento latuiſſent, à fratribus exhumata, ac ligneæ thecæ commiſſa, ſuper altare quod eidem maiori ſacello ſubeſt, honorificè recondita ſunt. Fuit hic pater Cluſenſis aliquando canonicus, vt in chronicis noſtri Ordinis latiùs continetur, ſed ſpreta ea dignitate ſacco indui, pauperemq; Chriſtum cum cæteris pauperibus ſequi, quàm diuiti mundo, eiusq; honoribus adhærere

A adhærere maluit, huncq; locum ſibi in ſepulturam elegit: tum quia diuinis excipiendis immiſſionibus aptiſſimus: tum etiam quia eius magiſtro ac ſocio, beato nempè patri Ægidio fauorabilis fuit. Hîc ſiquidem ille multigenis à Deo virtutibus inſignitus, eiusq; ſuauiſſimo colloquio potitus eſt. Inſuper & duplicem Heliæ ſpiritum, quo multa prædixit, diuinitus accepit. Et quid mirum, cum hoc in monaſterio regularis diſciplina, monaſticusq; rigor perpetuò floruerint? Quod & in cauſa fuit, vt plures hinc ſanctiſſimi viri, maximaq; ſanctitate, pietate, charitate, ac diuino zelo præditi prodierint. Horum alter fuit Chriſto amabilis, ac per omnia obſequentiſſimus frater Petrus Gallus, profeſſione laicus, qui cùm charitate, obedientia, ſumma paupertate, ac continua contemplatione & oratione ſplendeſceret, prout plures ex eius ore inſtante morte didicerunt, Virginis glorioſæ, eiusq; dulciſſimi filij, diui patris Franciſci, ſan-
B cti Ioannis Euangeliſtæ, ac beatæ Catharinæ ſuauiſſima præſentia dignatus eſt. Alius verò fuit venerabilis ac beatus pater frater Petrus de Treguanda Senenſis, præcedenti in omnibus ſimillimus, atq; eximius prędicator, qui ex Conuentuali factus Obſeruans, perfectioni adeò ſtuduit, vt prophetico ſpiritu decorari meruerit, pluraq; miracula tum viuens, tum quoq; mortuus ediderit. Prædixit ſiquidem aduentum Regis Galliarum in Italiam, plurimasq; patrum Obſeruantum tribulationes, & præſſuras, quæ certiſſimè illis ſuperuenêre: atq; non paucis cœcis viſum, ſurdis auditum, atq; dæmoniacis liberationem ſuis meritis à Deo opt.max.impetrauit, adeſtq; modò epilenticis. In huiuſmet loci tabellario ſexdecim Pontificiæ bullæ à ſummo Pont. Eugenio IV. ad venerabilem patrem fratrem Albertum à Sartiano tranſmiſſę cuſtodiuntur: quibus illum ad Indos Orientales, ad Æthiopes, & ad alia plurima loca, Apoſtolica auctoritate, de-
C legauit. Atqui in ſacrario pars ligni S.Crucis Chriſti, altera ex ſpinis eius ſacratiſſimæ næ, quoddam Virginis glorioſæ velum, pileolus diui Bernardini, pluresq; aliæ reliquiæ, quas, ne legenti ſim oneroſus, ſciens prætermitto, diligenter aſſeruantur. Habitant deniq; hoc in loco 12. fratres.

De conuentu S. Hieronymi propè Volaterram. Conu. XXII.

CONVENTVS hic diuo Hieronymo eccleſiæ Doctori ſacer, ac prope Volaterram Hetruſcam ciuitatem ſitus, à venerabili atq; eximiæ ſanctitatis patre fratre Ludouico Senenſi, tunc huiuſce Prouinciæ Vicario Prouinciali, anno à Chriſti natiuitate 1445. in Capitulo Feſulis celebrato receptus, atq; reliquorum Prouinciæ loco-
D rum albo aſcriptus fuit: cùm ſibi à reuerendiſſimo Volaterrano Epiſcopo, aſtantibus vtroq; ſenatu, eccleſiaſtico ſcilicet ac ſæculari, nec non venerabili patre fratre Iacobo Bladio, illis temporibus Prouinciæ Tuſciæ Miniſtro, ac plurimis alijs Conuentualibus patribus, vltroneè oblatus eſſet. Cuius ſtructura, licèt tunc temporis humilior, atq; paupertati ſanctæ conformior, elegans ſatis, atq; magnifica impræſentiarum eſt, adeò vt 18. fratres commodè capiat. Eius verò eccleſia expenſis ſenioris ac magnifici Coſmæ Medices extructa fuit. Cuius ſacrarium precioſa, ac pulcherrima cruce argentea in qua pars ligni ſanctæ crucis recluſa aſſeritur, licèt hoc non ſatis conſtet, ſupra modum exornatur. Licèt pluribus patribus ac fratribus ſanctitate inſignibus locus hic ſepulturam miniſtrauerit, trium tamen fratrum laicorum, quos eadem virtus, nempe profundiſſima humilitas verè ſocios germanosq; fecit, impræſentiarum tantum meminerim.
E Et primo quidem loco fratris Michaëlis Volaterrani, qui humilitatem cum oratione coniungens, Deo gratiſſimus extitit, ac centenarius in bona pace, bonisq; operibus plenus requieuit. Deinde verò fratris Auguſtini Volaterrani, quoq; laici, præcedenti per omnia ſimilis, quem extra mentem factum, atq; à terra eleuatum inter orandum, tanta erat eius orationis vis, plures viderunt. Ac poſtremo fratris Benedicti à ſancto Lorino, aliàs Hortulani, etiam laici: Qui ob vitæ aſperitatem, atq; extremam, ſed merè voluntariam, omnium rerum paupertatem, ſummamq; ſimplicitatem, tam à fratribus, quàm etiam à ſæcularibus, adhuc viuens, in maxima veneratione habitus eſt.

A

De conuentu S. Bernardini propè Maſſam. Conu. XXIV.

DVM beatus Ioannes Capiſtranus Generalem totius familiæ Obſeruantis Franciſcanæ Vicarium ageret, anno videlicet à Chriſto Seruatore nato 1445. diuus pater Bernardinus de Senis, eò quòd ex Maſſa, quę Tyrrheni litoris ciuitas eſt, oriundus, atq; ad decimum tertium vſq; ſuæ ætatis annum educatus, nec non & grammaticalibus literis imbutus eſſet, ibidem, tanquam ſibi pro huiuſmodi receptis beneficijs gratias redditurus, per Quadrageſimam concionatus fuit, ſacriſq; concionibus abſolutis à charis ſuis conciuibus petijt, vt fratribus ſuis conuentum apud ſe erigi curarent. Quod & è veſtigio impetrauit. Cumq; Aquilam Brutiorum vrbem profectus, breui inter iecto temporis interuallo, ibi vniuerſæ carnis viam eſſet ingreſſus, agereturq; de ipſius incul- B patæ vitæ probatione, & examinatione, exiſtimans Maſſenſis ſenatus ipſum breui ſanctorum catalogo aſcribendum, inchoatum à ſe opus, nempè hunc conuentum, accelerauit, eiuſq; eccleſiam multò citius, quàm cogitarat, abſoluit, atq; eidem ante ipſius beati patris canonizationem ſacrauit. Quamobrem inter reliquas, quæ diui Bernardini nomine inſigniuntur, iure optimo primatum obtinet. Subiacet hic conuentus inſaluberrimo aëri, eaq; de cauſa, cùm ſæpius in prouincialibus huiuſce Prouinciæ Capitulis ventillatum eſſet, vt fratres eo derelicto ad alia loca migrarent, id tandem ſemel concluſum eſt, ac per aliquantulum temporis ſpacium habitatoribus caruit. Sed Maſſenſi ſenatu ſuppliciter inſtante, vt denuò à fratribus incoleretur, in ſequenti Capitulo, anno Domini 1580. celebrato, à patribus decretum fuit, vt 7. tantum fratres, qui locum occuparent, eò remitterentur. Habent Maſſenſes quandam beati patris Bernardini tu- C nicam, quam, ipſo feſtiuitatis eius die, ex matrice eorum eccleſia proceſſionaliter allatam, per huius monaſterij templum, atq; clauſtra circumferunt.

De conuentu S. Bernardini iuxta Senam longam. Conu. XXV.

CVM anno à mundi redemptione 1449. ab Ordinis verò inſtitutione 243. in ſecundo generali Capitulo patrum Obſeruantum pientiſſimus, ac verè beatus pater frater Ioannes Capiſtranus Generalis eorum Vicarius electus eſſet, Romamq;, vt ſancti patris Bernardini canonizationem ſolicitaret, feſtino gradu peteret, Senis à perdeuoto viro Mariano Senenſi I. V. Doctore, vt ſibi aliquem locum ad ſuorum fratrum habitationem eo in itinere deligeret, rogatus fuit. Cuius precibus inclinatus beatus pater ſi- D tum quendam, non longè à Sena longa, Hetruriæ oppido, ex Apoſtolica facultate ſibi à Romano Pontifice facta, ei operi deſtinauit. Cui præfatus Doctor hunc conuentum in honorem ſanctę Marię de monte Balbino, ex proprijs facultatibus, superędificauit. Sed beato patre Bernardino in ſanctorum catalogum relato, hic locus ſibi ſacratus euaſit. Cuius fratres, qui numero ſunt 12. pileolum eiuſdem patris in maxima veneratione habent, atq; ipſo dedicationis die proceſſionaliter circumferunt. Hoc tandem in monaſterio venerabilis pater frater Marcus Pecorarius ſarcina carnis ſolutus ad aſtra migrauit. Cuius deuotio atq; humilitas cum charitate coniuncta incredibiles fuêre.

De conuentu ſancti Franciſci Lucæ. Conu. XXVI.

E

CONVENTVS hic Seraphico patri Franciſco ſacer, qui intra Lucenſis ciuitatis mœnia ſurrigit, ob ſui antiquitatem, atq; craſſam fratrum incuriam, certum ſui authorem exhibere non poteſt. Sed ſi ex diuerſis eius ſacellis aliquid certi coniectare liceat, ex communibus, atq; priuatis Lucenſium eleemoſynis erectus videtur. Attamen eius originis tempus nos omnino fugit. Hoc autem ex triplici Apoſtolico breui Nicolai Papę V. ad patrem Iulianum à Cortonio huius tunc Prouincię Vicarium Prouincialem tranſmiſſo nobis certiſſimum eſt. Eum videlicet olim ad Minores Conuentuales ſpectaſſe, atq; opera & ſolicitudine probati ac docti patris fratris Pauli Iouiæ ſacræ Theologiæ Magiſtri, anno à Chriſto Seruatore nato 1454. à Franciſcano autem Ordine condito

A ne condito 248. ab ijs ad noſtros Obſeruantes deuolutum eſſe. Cuius eccleſia conſecrata habetur. Nam in eius archiuo inuenire licet Apoſtolicum breue Iulij II. Pont. max. datum anno ſui Pontificatus ij. quo fratri Ludouico Barbanio, tunc huius loci Guardiano, eius conſecrationis ab aliquo Epiſcopo faciendæ cura benignè committitur. Sed quo die, quoue menſe, aut anno conſecrata fuerit ſcripto non patet. In huius tamen ſacrario ſequentes ſanctorum reliquiæ aſſeruantur: Nempe ex cranio diui Ioannis Baptiſtæ, ex oſſibus beatorū Apoſtolorum Pauli, Iacobi, & Bartholomęi, ex indumento beati Apoſtoli Andreæ, ex cruce in qua is paſſus fuit, ex velo glorioſę Virginis Marię, ex eiuſdem veſte, ex oſſibus diui Laurentij martyris, ex ligno ſanctiſſimę crucis Chriſti, ex ſan-
B guine diuæ Mariæ Magdalenæ, ex oſſibus ſancti Chriſtophori, ex tunicis beati patris Franciſci, beati patris Ludouici Epiſcopi, & beatæ Claræ Reginæ Hieroſolymitanæ ex eius capite, & quidam digitus à Lucenſibus maxima in veneratione habitus & à fratribus diligenter cuſtoditus ſancti Gherardi. Sunt præterea ibidem bina ſanctorum capita, & plures aliæ diuorum reliquiæ, ſed ſine teſtimonio, quæ tamen veneratione non carent. Iacent deniq; in huius ſacræ domus baſilica probatæ, ac integerrimæ vitæ patres frater Hieronymus Gallus, & frater Bernardinus de Bibiena, ambo ſacerdotes, amboq; pientiſſimi, atq; veræ religionis, paupertatis, nec non & reliquarum virtutum ſectatores, qui ea propter cum cœlicolis beari exiſtimantur. His annectitur venerabilis pater frater Paulus Iouię, de quo ſupra, cuius oſſa cùm alibi obliuioni ferè tradita, & ſepulta eſſent, Chriſtophorus quidam Sanctinus Lucenſis ciuis inde exhumata ſub ſummo al-
C tari honorificentius ſe collocaturum ſpopondit, ſi eius meritis à quotidiana febre, qua grauiſſimè à multis diebus affligtabatur, liberaretur. Soſpitatem igitur ex voto aſſequutus, quod promiſerat fideliſſimè adimpleuit. A quo etiam tempore maximam ſanctitatis opinionem adeptus eſt. Commorantur frequentius hoc in loco 50. fratres qui, die, noctuq; diuinis laudibus intendunt.

De conuentu S. Mariæ de Fontecaſtello prope montem Politianum. Conu. XXVII.

CVM pientiſſimus montis Politiani, quæ Hetruriæ ciuitas eſt, deuotusq; ſenatus Eugenij IV. ſummi Pontificis in ſe beneuolentiam, animiq; propenſionem non ſe-
D mel, immo potius ſæpè ſæpiſſimè expertus fuiſſet, ſuę beatitudini, anno à Virgineo partu 1440. quàm humillimè ſupplicauit, vt Franciſcanum conuentum ad propriæ ciuitatis radices, ſub nomine B. Mariæ de Fontecaſtello conſtructum Franciſcanæ Regulari Obſeruantiæ, cui & iſte, atq; ille addictiſſimus erat, mancipare, dignaretur. Vigilantiſſimus itaq; paſtor venerabili patri fratri Ioanni de Capiſtrano Apoſtolici cuiuſdam breuis tenore præcepit, quatenus aliquot fratres ſibi ſubditos ſeligeret, qui locum occuparent. Cumq; is pater, pro ſummi Pont. voto, quoſdam fratres eò tranſmiſiſſet, illi, quòd aëris intemperies, ac loci inſalubritas minus eis faueret, inuitè ſatis ibidem commorati ſunt. Fuit igitur conuentus hic Obſeruantię Regulari adiudicatus, anno Domini 1445. quem frater Ægidius Florentinus profeſſione laicus, cùm illi populo acceptiſ-
E ſimus eſſet maiori ex parte promouit, quemq; 18. fratres commodiſſimè incolunt. Produxit nobis Politiana ciuitas plures viros ſanctitate illuſtres, ſcientia claros, atq; honoribus inſignes, de quorum numero fuêre Angelus ille Politianus, vir vtiq; doctiſſimus: & Marcellus II. ſummus Pontifex: & beatus pater Ioannes Martinotius, qui pro Chriſti fide in quadro Babylonis, anno Dominicæ Incarnationis 1345. glorioſo martyrio coronatus eſt: & beatus quoq; pater Bartholomæus Martinotius, ac præcedenti affinis, qui pro Chriſtiana confeſſione prope eiuſdem Babylonis Memphim (vulgò Cayro) à capite ad fœmora vſq; ſectus, ſub Saracenorum manibus martyr euaſit: & beatus pater Bartholomæus Pucci, Franciſci qui vxorem, liberos, cęteraq; temporalia bona pro Chriſto dimittens, pauperculis Franciſcanis, eorum habitu indutus, adiungi voluit, ac tandem adeò ſub eis profecit, vt poſt mortem miraculis claruerit: & venerabilis pater Franciſcus Petri & Gori, inclytus ſui temporis concionator, atq; deuotiſſimus vir, ſuper cuius caput tres micantes ſtellulę inter concionandum apparuêre ex quibus, tan-

bus, tanquam ex certiſſimo præſagio, certiſſimum ſui obitus diem præuidit, aſtantiq; A
coronæ, de ſuggeſtu, prædixit. Fuit etiam tantus hic pater prophetico ſpiritu dotatus, quo plures calamitates,pluraq; incommoda,quæ certiſſimè ſubſequuta ſunt, tum Romæ,tum quoq; Florentię famoſis Italiæ ciuitatibus prænunciauit.Eius corpus,cui prægrandis lapis eius effigie graphicè elaborata, ac præfatis tribus ſtellis inſignitus ſuperpoſitus eſt,in eccleſia S. Crucis in Hieruſalem Florentiæ erecta tumulatum iacet. Quod & Florentinis,ob aliqua miracula ab eo patrata,in maxima veneratione eſt.Et B.F.Angelinus Daneſius,de Tertio (niſi nos vulgaris fallit opinio)Seraphici P.Franciſci Ordine,ac in eccleſia S. Frãciſci huiuſmet ciuitatis miraculis opimus honorificè tumulatus. Et ſummæ Religionis P.Philippus profeſſione Auguſtinianus:qui diẽ in Hiſpania clauſit extremum,ac in maxima æſtimatione in ſui funeris loco habetur.Et B.Agnes Dominicani Ordinis alumna,cui & eccleſia hac in ipſa Politiana vrbe erecta eſt. Huius B.Virginis mauſolæum ibidem extructum cùm eius pedem deoſculatura B. Catharina de Senis petijſſet, eum ſibi porrigi, prout in martyrologio plenius continetur, miraculosè conſpexit.Qui omnia miracula à præfatis Franciſcanis patribus patrata noſſe deſideret, publicum montis Politiani tabellarium conſulat. B

De conuentu S. Ludouici collis Vitoli propè Piſciam. Conu. XXVIII.

TANTA eſt eius collis,in quo hic conuentus diuo Ludouico Epiſcopo ſacer ſitus eſt,ſalubritas,tantaq; aëris temperies, vt ab ijs collis vitæ appellari meruerit, licèt corrupto vocabulo collis Vitoli nuncupetur: atq; antiquiores patres ad hanc ſacram ædem ibidem conſtruendam, quamuis mille paſſibus à Piſcia Hetruſco oppido diſtet, pellexerint. Quorum primus, & anteſignanus fuit venerabilis P.F.Vincentius Gallus, C
vir egregius, atq; de Franciſcana Obſeruanti Religione optimè meritus, qui oblatum ſibi à nobili Coruaiorum familia fundum tum ex eiuſdem, tum quoq; ex aliorum Peſcienſium eleemoſynis,in pulchrum,ſatiſq; 14. continendis fratribus commodum monaſterium,relicto interim Coruaijs tanquam præcipuis benefactoribus, patronatus iure, promouit. Mortalem vitam terminauêre hoc in loco inſignes religioſi F. Iacobus de Camerata laicus; qui ante ſui obitum quorundam aliorum fratrum vltimum diem prædixit, quamobrem, ac propter ſummam eius integritatem,cum cœlicolis beari exiſtimatur: & venerabilis P.F.Vincentius Burgundus,vigilantiſſimus tunc Guardianus, qui dum feruentius coram venerabilis Euchariſtiæ ſacramento oraret,& ſuæ petitionis reſponſum mirabiliter accepit, & Dei Angelum proprijs oculis conſpexit.

De conuentu S. Franciſci Sartiani. Conu. XXIX. D

CVM Sartianitarum affectus in Obſeruantes patres maximè ferretur, iſq; in dies magis magiſq; excreſceret, omnibus neruis ab eis curatum eſt, vt patrum Conuentualium conuentus beatiſſimo P. Franciſco ſacratus,nec longè à Sartiano, communi eorum atq; Hetruſco oppido ſitus,ad illos tranſiret. Renitentibus tamen Obſeruantibus, ac iurgij vitandi gratia omnino contradicentibus, illorum proceres interceſſione, atq; fauore reuerendiſſimi domini Franciſci Piccolominei vſi,ſummo Pontifici Iulio II. ſupplicarunt, vt quod ſummis votis ipſi affectarant, eius mandato perficeretur. Quamobrem zelantiſſimus paſtor venerabili patri fratri Ludouico de Senis,huius tunc Prouinciæ Vicario in virtute ſanctæ obedientiæ præcepit, vt quàm primum pulſis Conuentualibus ipſorum conuentum,aſcito ſecum certo fratrum numero, occuparet, atq; E
in poſterum retineret. Cuius breue, ſub datum Romæ 3. Ianuarij anni 1463. in huiuſmet loci cartophilacio habetur.Succedente verò poſtea in Pontificatu Paulo III. Conuentuales patres præfatum ſibi conuentum à ſummo Pontifice reſtitui petierunt. Sed contradicente mordicus populo Sartianenſi loci poſſeſſio in proximo fratrum Obſeruantum Capitulo,additis quibuſdam articulis fratrum quietem concernentibus, in eorum fauorem confirmata fuit. Huius monaſterij alumnus fuit venerabilis, ac beatus P.F.Albertus de Sartiano, qui plurimis functus legationibus pontificijs (vt ſuperius leui pede tetigimus)Mediolani obdormiuit in Domino,ibiq; apud conuentum S.Angeli, anno Domini 1450. ſepultus eſt.Cuius anima à B.Ioanne de Capiſtrano æthera petens viſa eſt.

A viſa eſt. Peperit quoq; locus hic plures religioſos virtutibus illuſtres, atq; Minoriticæ Religionis ſtrenuos propugnatores: quorum aliqui ibidem requieſcunt, alij verò alibi iuxta ſuperuenientis mortis euentum.

De conuentu S. Franciſci Maſſæ. Conu. XXX.

CONCESSVS fuit Prouinciæ Tuſcię locus hic B. Fräciſco ſacer, ac prope Maſſam Tyrrheni litoris ciuitatem ſitus 8. Februarij anni Dñi 1476. ab illuſtriſſimo domino Iacobo de Malaſpina eiuſdẽ ciuitatis Marchione: cùm prius proprijs eius ſumptibus à fundamentis ad apicem vſq; conſtructus eſſet, & à venerabili P. F. Barnaba Senenſi, tunc Serzanenſi Guardiano, virtute cuiuſdam Apoſtolici breuis, ſibi ad hoc à Papa Sixto IV. conceſſi, receptus fuit. Eſt igitur conuentus hic altero prope eandem ciuitatẽ erecto modernior, cùm ille, anno Dñi 1445. iſte verò anno 1476. ędificatus, huicq; B Prouinciæ adiectus fuerit. Prҫterea iſte illuſtriſſimum tantùm Iacobum Marchionem (vt præfati ſumus) ſui authorem agnoſcit: qua etiam de cauſa tum ipſi, tum quoq; eius ſucceſſoribus humandis, ſepeliendisq;, peculiari patronatus iure, deſeruit, ac ſtatutam eleemoſynam, ſibi à fundatore ex teſtamento, tum ad oleum pro confouendis lampadibus, vinumq; pro Miſſarum celebratione, atq; triticum pro fratrum alimẽto emendum, tum quoq; ad neceſſaria ornamenta pro diuino cultu comparanda, relictã, in ſingulos annos recipit. Ille verò Maſſenſem ſenatum ſibi beneficum in ſui erectione expertus eſt. Cuidam huius eccleſiæ altari ſummus Pontifex Gregorius XIII. hoc ſingulare priuilegium, ex Apoſtolica auctoritate, atq; in illuſtriſſimi Alberici Cibi Maſſenſium Principis gratiam conceſſit, vt quicunq; ſacerdos ibidem pro anima in Purgatorij pœnis exiſten- C te Miſſæ ſacrificium Altiſſimo obtulerit, eã protinus ex tanta afflictione liberet. Si quis autem nos carpẽdos exiſtimet, quòd Maſſenſium Dominũ modò Marchionem, modò Principem appellauerimus: ſibi dictum putet hoc à nobis artificiosè effectum, vt ſciat præfatos dominos ad tempora vſq; Pij V. Pont. max. Marchionum titulo tantum gauiſos fuiſſe, poſtmodum verò Principum, & hoc ex eiuſdem Pontificis gratia.

De conuentu S. Viualdi in Antro rotundo. Conu. XXXI.

HIC Viualdus, à quo prҫſens conuẽtus nomẽ hҫreditauit, B. Bartholi à S. Geminiano diſcipulus extitit: quorum vterq; ex oppido S. Geminiani oriundus, & vterq; Tertio diui P. Franciſci Inſtituto aſtrictus fuit. Cumq; B. Bartolus mortem obijſſet, eius D diſcipulus Viualdus in Antrũ rotundũ, pҫnitẽtię agendę ergò, ſe contulit: vbi & aſperrimam, ſtrictiſſimamq; vitam, ob Chriſti amorem, duxit. Tandem ſenio, laboribus, ac vigilijs confectus obdormiuit quoq; & ipſe in Domino, ſtatimq; miraculis coruſcare cœpit. Quamobrem eius loci incolæ ſacellum, ſiue potius eremitorium ibidem in eius honorem erigentes, ipſum patribus huius Prouinciæ Obſeruantibus, anno Domini 1499. in habitationem contulêre. Ea tamen lege, vt imagines diuorum Laurentij, Leonardi, & Verdiani, quos ipſi tanquam peculiares patronos venerantur, in eccleſia depingi curarent. Cùm autem hoc in loco omnia Dominicę paſſionis myſteria affabrè, modoq; Hieroſolymitano elaborata, plurimaq; perpulchra, atq; deuotiſſima ſacella inuenirentur, cuperentq; inquilini illa ſibi peculiari quodam iure adiudicata, contradicentibus ſibi fratribus, non parum diſſidij inter vtroſq; obortum eſt. Quod extincturus Leo X. Pont. E max. edito diplomate cauit, vt quicquid prius ad eremitorium diui Viualdi ſpectarat, id totum in ius fratrum cederet. Hoc autem ſub certis legibus, atq; conditionibus, ex Clementis VII. Pont. max ſententia limitatum eſt, vt ex diuerſis ſcripturis in huius loci tabellario aſſeruatis ſatis conſtat. In id ſæculares ac fratres conuenerant, vt cùm primùm iſti conuentum ex acquiſitis eleemoſynis perficerent, diui Viualdi corpus, quod penes ſe in matrice eccleſia habebant, ab illis reciperent: præſtantibus tamen fratribus, qui numero ſunt 14. quod ſpoponderant, ſæculares fidem fefellerunt, alteramq; tantum ex eius maxillis contulêre: quam nihilominus patienter, ac omni cum deuotione recipientes, vſq; in prҫſens honorificentiſſimè cuſtodiunt. Conceſſit tandem Leo X. ſeptem annos indulgẽtiarum ijs omnibus, qui ad quodlibet altare iſtius eccleſię ſemel Pater noſter ſemelq; Aue Maria in die Natalis Dñi cum duobus ſequentibus diebus, in Die Reſurre-

ctionis

ctionis eiuſdē cum duobus ſequentibus, in die Pēthecoſtes cum duobus quoq; ſequenti- A
bus, prima die menſis Maij, feria vj. in Paraſceue, in feſto diui Franciſci, atq; in omnibus
feſtiuitatibus glorioſæ ſemperq; Virginis Dei genitricis Mariæ, deuotè perſoluerint.

De conuentu Natiuitatis B. Mariæ Groſſeti. Conu. XXXII.

ANNO à mundi redemptione 1482. & ab Ordine inſtituto 276. cùm ad primum lapidem à Groſſeto, Hetruſca ciuitate, quædam glorioſæ Virginis imago in humili quadam ædicula miraculis coruſcaret, is fuit Groſſetani ſenatus zelus eaq; pietas, vt tum ex publicis prouentibus, tum quoq; ex frequentibus eleemoſynis à fidelibus oblatis, pręfatam ædiculam, cultus, deuotioniſq; augendæ ergô, ſub titulo Natiuitatis glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, in iuſtum conuentum, atq; 10. continendis fratribus omnino idoneum promoueri, fratribuſq; noſtris tradi curarit. A quo etiam tem- B
pore, ſicut populorum deuotio ad huiuſmodi imaginem, eiuſq; domum creuit, ita quoq; & miraculorum multitudo aucta eſt.

De conuentu Aſſumptionis B. Mariæ propè Empolim. Conu. XXXIII.

CVM apud Empolim Hetruriæ quoq; oppidum, atq; in fluminis Arni crepidine ſitum, plures eccleſias atrox bellum adeò abſumpſiſſet, vt nullo pacto, vel certè ſatis difficulter, poſt ipſius Empolitani oppidi reædificationem, reparari poſſent, venerabili patri fratri Vincentio Gallo, alijſq; fratribus Obſeruantibus à Sixto IV. atq; Innocentio VIII. ſummis Pontificibus, editis Apoſtolicis breuibus, vt ijs omnino demolitis, ex earum materia nouum vnum conuentum, ſub Aſſumptionis glorioſæ Virginis Mariæ, ſanctorumq; Franciſci, Luciæ virginis, Donati, atq; Laurentij titulis, eò quòd C
demolitæ eccleſiæ his ſanctis dedicatæ fuiſſent, conſtruere poſſent, conceſſum eſt. Quod & præfatus pater frater Vincentius Gallus, cæteriq;, quibus id demandatum fuerat, cum maximo Empolitanorum applauſu, anno Domini 1482. quàm diligentiſſimè præſtiterunt. Sunt tamen qui aſſerant hunc conuentum expenſis Adimarorum nobilium ciuium Florentinorum extructum fuiſſe: idq; eorum inſignia eius foribus affixa indicare videntur. Sed exiſtimarim hoc ideò eueniſſe, quod huiuſmodi opus ſuis eleemoſynis bona ex parte promouerint. Obijt mortem hoc in monaſterio, quod 14. fratres incolunt, anno Dominicæ Incarnationis 1510. venerabilis, omniq; ſanctitate inſignis pater frater Bartholomęus de Anglario: qui humilitatem, caſtitatem, obedientiam, ſilentium, extremam paupertatem, cęteraſq; virtutes omnibus diebus vitę ſuę adeò coluit, vt cęleſtis potiusquàm terrenus homo apparuerit. Quamobrem à fratribus, atq; D
etiam à ſæcularibus ſanctus, vereq; beatus habetur. Fuit quoq; hic vir in oratione aſſiduus, atq; feruentiſſimus, ita vt ſępius inter orandum à terra abſtractus, & in aëre ſubleuatus viſus ſit. Aſſueuerat enim deuotus hic pater, dum ageret in monte Aluernæ, accedere ſingulis noctibus ſacellum B. F. Ioannis, cumq; omnia denſiſſimis tenebris nocte quadam perfunderentur, ita vt abſq; præſentiſſimo vitæ periculo eò ſe conferre non poſſet, adfuêre illi è veſtigio duo Angeli, qui accenſis facibus viam ſibi commoſtrarent. Quo deniq; mortuo, omnes eius corpus, atq; habitū deoſculaturi ad feretrū accurrebāt.

De conuentu S. Michaelis propè Feſulas. Conu. XXXIV.

ACCEPTVS fuit hic locus à venerabili P. F. Franciſco Aretino, tunc Prouincię Tuſciæ Vicario 18. Aprilis, anno Dñi 1483. ab origine verò Franciſcani Ordi- E
nis 277. in quodam Capitulo Feſulis celebrato, atq; à ſibi vicino fonte (Doccia vulgô) appellatus euaſit. Sub quo etiam nomine ędificari cœperat, anno Dñi 1414. à quodam F. Franciſco de Tertio Seraphici patris Ordine, qui Peccator paſſim nuncupabatur, cùm fundum ſibi pius quidam Nicolaus de Rubio liberaliter contuliſſet, immo & eius, ac quorundam aliorum Tertiariorum habitatio fuit. Quibus tamen vita functis ſucceſſerunt fratres Franciſcani Conuentuales. Sed cum is locus illis minus arrideret, agereturq; inter ſucceſſores præfati Nicolai de Rubio (ad quos eius ius patronatus ſpectabat) de introducendis eorum loco Amadeis, diffinitum fuit præfato in Capitulo Feſulano, vt ab Obſeruantibus quibus Feſulis alius erat conuentus, occuparetur. Ne in tam breui

ſpatio

A ſpatio Amadei,& Obſeruantes congrederentur. Qui licèt in habitu conſentirent,in moribus tamen,& vita maximè diſſentiebant. Mortem obijt, atq; ſepultus eſt hoc in conuentu, plenus dierum, omniq; ſanctitate clarus, venerabilis frater Petrus de Scarperia laicus,qui ad 85. vſq; ætatis ſuę annum hortum,ne otio tepeſceret,excoluit. Cuius anima ab omnibus inter cœlicolas connumeratur. Hic deniq; locus bis ab Obſeruantibus derelictus, totiesq; ab ijſdem reaſſumptus fuit, & aliquando à 12. aliquando à 10. aliquando à 2. tantum,& aliquando à nullo (vt pręfati ſumus) inhabitatus eſt. Eius verò eccleſia conſecrata extitit, ipſiusq; conſecrationis feſtum 6. Martij celebratur. Sed à quo, quando, vel quomodo id factum ſit, penitus ignoratur.

B *De conuentu S. Franciſci propè Fiuizanum.* *Conu. XXXV.*

FIVIZANENSES, ne & deuotioni in Franciſcanam Obſeruantem familiam à multis diebus conceptæ tergiuerſari,& B. Pelegrino,cui olim deditiſſimi fuerant, deeſſe videretur,ędiculam in eius honorem,longiuſculus à communi eorum oppido Fiuizano,erectam, plurimis tum publicis, tum quoq; priuatis, eleemoſynis in medium collatis, in Minoriticum monaſterium,ſub Seraphici patris Franciſci inuocatione, promoueri,inibiq; peculiare ſacellum,in pręfati B. Pelegrini honorem,erigi curarunt. Quibus tamen Florentina, nobiliſq; Pillorum familia,prout ex eius inſignijs,maiori ſacello affixis,facilè edocemur,opportunè affuit. Ne autem aliquid,ad pij huiuſmodi operis perfectionem, deeſſe videretur, acceſſit quoq; & Sedis Apoſtolicę auctoritas, qua freti fratres noſtri in Capitulo Florentiæ,ſub venerabili P. F. Franciſco Brandi, huius tunc Prouinciæ Vicario Prouinciali celebrato,& hunc locum ſibi à Fiuizanenſibus oblatum,anno Domini 1490. acceptarunt, & certum fratrum numerum, qui vt plurimum duodenarius eſt, ſibi aſſignarunt.

C

De conuentu ſanctiſsimæ Trinitatis apud S. Floram. *Conu. XXXVI.*

CVM ſummus quidam Pont. nomine Gregorius,iuxta angelicam pręmonitionem ſibi factam,à lepra,qua infectus erat,ad eius aquæ contactum,quę ſcaturientibus venis ex fonticulo quodam, oppido ſanctę Florę vicino, profluit, mundaretur, non minimę capacitatis vaſculum arena refertum ſibi afferri iuſſit, totq; annorum indulgētiam, in recepti beneficij memoriã,accedentibus ædiculam,præfato fonti contiguam,quolibet anniuerſario ſuæ mundationis die conceſſit, quot arenæ eo in vaſe continerentur. Hoc

D autem ita eſſe huius patriæ inquilini mordicus,atq; intrepidè aſſerunt: quibus & huiuſmet rei hiſtoria,præmemorati ſacelli parietibus depicta,fidem facit. Dies verò huiuſmodi indulgentijs conſequendis aſſignata ea eſt,quæ ſanctiſſimæ Trinitati ſacrata euaſit. Cùm igitur ſacra hæc ædicula a diuerſis ſibi ſuccedentibus anachoretis inhabitaretur,in eam venêre ſententiam oppidani,vt ædicula in elegantiorem formam erigeretur,& Obſeruantibus Franciſcanis traderetur. Quod vt facilius impetrare poſſent,illuſtriſſimi Simonis,oppidi ſanctę Florę Comitis interceſſione apud huius Prouinciæ patres vſi ſunt. Quibus illi,pro tanti viri in noſtrum Ordinem pietate,ac eorundem in eundem beneuolentia,ex animo annuentes, huiuſmodi ſibi factam oblationem in Capitulo prouinciali Aretino,anno Dominicæ Incarnationis 1490. celebrato,virtute tamen cuiuſdam Apo-

E ſtolici breuis,hac ipſa de re ab Innocentio VIII. ſummo Pontifice venerabili P. F. Franciſco Brandi,Prouincię Vicario tranſmiſſi,acceptarunt. Atqui pientiſſimus Comes tanti meriti palmã oppidanis pręrepturus,præmemoratũ eremitoriũ,ſuis tantũ ſumptibus, in iuſtũ conuentũ,ſub titulo SS. Trinitatis,ad commodiſſimam 12. fratrũ habitationẽ, promouit, atq; moriens in eius eccleſia Minoritico habitu indutus ſepeliri voluit.

De conuentu S. Crucis iuxta S. Caſsianum. *Conu. XXXVII.*

ASSVEVERAT plebeius quidam,ſed pius omnino,oppidi S. Caſſiani accola, Hieronymus Caſtrutius nomine,omnes Franciſcanos Obſeruantes,ſiue concionis habendæ ergò, ſiue quacunq; alia ex cauſa eò diuertentes,proprio hoſpitio humaniſſimè excipere: qui tamen à fratribus perſuaſus domum, ad quam liberius declinare poſſent, intra oppidi mœnia ſuis ſumptibus, illis emit, omnibusq; neceſſarijs inſtruxit. Cumq; ex frequenti fratrum conſuetudine, atq; viuendi modo allecti, quotquot erant

reliqui oppidani conuentum ſibi aliquantulum à muris,ex publicis facultatibus,erigere A
vellent,maximam ſibi factam iri iniuriam exiſtimans præfatus Caſtrutius,ſi huiuſmodi opus ab alio potius,quàm à ſe præſtaretur,fundum ex tempore emit,congeſtiſq; neceſſarijs,monaſterium ibidem 12.continendis fratribus accommodum,cui & capaciſſimos hortos, amœnamq; ſyluam adiecit,non minus liberaliter,quàm piè ædificari curauit, ac tandem omnibus ſuis numeris abſolutum fratribus obtulit. Qui, in prouincialibus comitijs Podibonitij anno Dominicæ Incarnationis 1492. celebratis, illud ſibi acceptandum,conſultiſſimè decreuerũt. Voluit tamẽ pręfatus Caſtrutius,vt eius adinuenta inſignia,quæ nihil aliud ab hoc nomine Chiſtianus continebant,parietibus affigerentur.Quibus contigua ſunt Caroli VIII. Francorum Regis ſtemmata: quòd illac Neapolim verſus, vt illud Regnum ſuo ſubiungeret imperio, tranſiens certam pecuniarum ſummam ad refectorij conſtructionem contulerit. Ne autem huiuſmet Ordinis monia- B
libus idem Caſtrutius defuiſſe videretur,pręfatum hoſpitium,muris ſancti Caſſiani circumſcriptum,in conuentum quoq; promouit: illicq; 5. aut 6. neptes, adductis aliunde ex patrum auctoritate duabus, vel tribus Clariſſis ſororibus,quę illas edocerent,collocauit. Sed cùm ingruente bello, ne militum iniuriæ exponerentur, quotquot erant ad tutiora loca per prouidos patres tranſlatæ fuiſſent, imperfectuſq; adhuc locus eorum quieti non adeò ſatisfaceret,diſtributis pro rata eius bonis,alijſq;,ad quos conuolarant conuentibus adiudicatis, ibidem ſubſiſtere coactæ ſunt. Qua etiam de cauſa præfatum hoſpicium ad fratres retroceſſit. Huius loci eccleſia licèt, à pręgrandi cruce ibidem ante eius ædificationem in futuri monaſterij ſignum erecta, paſſim ab omnibus ſanctiſſimæ Cruci dicetur,attamen in ſancti patris Franciſci honorem à quodam Epiſcopo conſecrata extitit. Quis tamen ille fuerit,non ſatis conſtat.Quia verò huiuſmodi crucis ere- C
ctio ipſo Aſſumptionis glorioſiſſimæ Virginis die contigit, pius fundator opiparum prandium fratribus qualibet anniuerſaria eiuſdem feſtiuitatis die, quamdiu vixit, liberaliſſimè exhibuit. Quod & à ſuis ſucceſſoribus, relicta eis certa redditũum quantitate ex teſtamento, obſeruari voluit,

De conuentu S. Franciſci Fluuiani. Conu. XXXVIII.

IPSOMET anno,quo Podibonitij huius Prouinciæ Capitulum,ſub venerabili P. F. Hieronymo à Cortonio,celebratũ fuit,anno ſcilicet à Chriſto Seruatore nato 1492. ſimul cum ſuperiore ſancti Caſſiani conuentu acceptatus fuit à patribus & hic, prope Fluuianum Hetrurię oppidum,à deuota eius communitate,ex publicis prouẽtibus,atq; ex Innocentij VIII. ſummi Pontificis auctoritate, cuius Apoſtolicum breue anno ſui D
Pontificatus viij. datum,in huius loci cartophilacio adhuc perſeuerat,poſtmodum ædificandus, Quorum patrum aſſenſum cum primùm ſibi præſtitum intellexiſſent Fluuianenſes,vt pollicitis ſtarent, hanc ſacram ædem,Seraphico P. Franciſco ſacram,longiuſculus ab oppido,in loco quodã amœno,ſalubri,atq; quietiſſimo,qua etiã de cauſa 12. Reformatis fratribus ad nutum inſeruit,à fundamentis ad apicem vſq;,breuiſſimo tempore,conſtruxerunt,eiuſq; ſolicitam curam gerentes,fratres omni beneficiorum,atq; fauorum genere, ab ipſo erectionis die vſq; impræſentiarum,proſequuti ſunt. Nec mirum ſanè, cum & ab eis optimum,ad inſtituendos mores,vitamq; ducendam exemplum, & à Seraphico eorum patre plura beneficia indies reportent, quorum vnum in medium adducere libet. Cùm 7.homines,imminente iam tenebricoſa,grandinoſaq; nocte,ex altera parte lacus oppido vicini eſſent,nulluſq; Scapharius,qui ſe ad alterum litus traijceret,opportunè adeſſet, beatiſſimi patris Franciſci auxilium vnanimiter implorare cœperunt.Dumq; feruentius inſtant nauicula, quæ fortè è regione ſub ancoris erat,ſe ipſa E
ſoluta,nulloq; impellente, poſt vnius milliaris emenſionem,ad ipſos peruenit,quos tamen exceptos, abſq; vllo reduce, optato continenti reſtituit.

De conuentu S. Franciſci montis Catherini propè Radicodolim. Conu. XXXIX.

COEPERAT B.P.Thomas à Florentia, vel (vt alij volunt) à Scarlino, vt inſolentibus illius patriæ hominibus adeſſe poſſet, conuentum quendam vnico tanti milliarũ

A milliari ab oppido Radicodoli erigere, anno Dominicæ Natiuitatis 1424. Sed cùm illi inuidia potius, quàm pietate, vel amicitia erga fratres affecti, eis neq; eleemoſynas ad vitæ ſuſtentationem, neq; neceſſaria ad conuentus ſtructuram miniſtrare vellent, illac pertranſiens S.P.Bernardinus, tunc Ciſmontanæ Regularis Obſeruantiæ Vicarius Generalis, certiorq; de Radicodolenſium inhumanitate, atq; fratrum ſuorum incommodis factus, præcepit beato Thomæ, cæteriſq; fratribus, vt præmemoratum locum, licèt maiori ex parte erectum, ex tempore deſererent: quod & iuxta eius præceptum, atq; mandatum adimpletum eſt. Quorum præſentiam cùm ſibi omnino neceſſariam exiſtimarent Radicodolenſes, facti pœnitentiam præſeferentes, proteſtanteſq;, obnixis precibus, à Prouinciæ patribus petierunt, vt miſſis aliquot fratribus, inchoatum apud ſe opus perficere vellent. Quæ tamen petitio, in iuſtam præcedentium peccatorum punitionem, nullo pacto à proceribus, quorum intererat, admiſſa fuit. Poſt tranſactos verò 50. annos; cùm Capitulum totius Ordinis generale, immo & iſtius Prouinciæ prouinciale Florentiæ celebraretur, inſtantibus adhuc ſuppliciter Radicodolenſibus, præfatus locus à præfato P.F.Hieronymo à Cortonio, Prouinciali tunc Miniſtro, denuò receptus eſt. Sed cùm eius ſtructura parum ad rem pertineret, eo diuendito, alius multò elegantior, & auguſtior, ac 12. continendis fratribus aptior, in loco commodiori ſumptibus Radicodolenſis ſenatus, in honorem B.P.Franciſci, à fundamentis ad apicem vſque conſtructus eſt. Qui quidem conuentus, licèt paruus, ſaluberrimus tamen, amœniſſimiſq; eſt, atq; plures alios longè poſt ſe relinquit.

B

De conuentu S. Mariæ de Gratijs propè Petram ſanctam. Conu. XL.

C ANNO à Chriſto ſeruatore nato 1420. cùm nobiles quidam, ex Rubeorum familia, oppidi Petræ ſanctæ inquilini, cuidam F. Franciſco Aſſiſinati, de Tertio diui patris Franciſci Inſtituto, aliqua bona contuliſſent, ille eremitoriolum, dimidio tantum milliari à Petra ſancta diſtans, conſtruendum curauit, cui & nomen ſanctæ Mariæ de Gratijs indidit. Erat enim hoc tugurium ratione ſitus amœniſſimum, atq; ſaluberrimum, cui etiam Eugenius IV. Pont.max. plurimas indulgentias, in fauorem eorum, qui in feſto Aſſumptionis eiuſdem Deiparæ Virginis ipſum, præuia peccatorum ſacramentali confeſſione, deuotè viſitarent, ex Apoſtolica largitione, conceſſit. Conceſſionis bulla adhuc extat, ſub datum anno Domini 1438. Sed quodam F. Petro, eiuſdem Tertij Ordinis alumno, præcedentiſq; fratris Franciſci ſucceſſore, ipſi, atq; omnibus iuribus ad ſe pertinentibus, in communitatis prædicti oppidi Petræ ſanctæ fauorem renunciante, præfatum eremitorium, ex conceſſione Alexandri VI. & Iulij II. max. Pontificum, vt ex eorum Apoſtolicis breuibus, penes huius loci fratres aſſeruatis, manifeſtum euadit, huius Prouinciæ Obſeruantibus ab eadem, pro vnius conuentus conſtructione, collatum fuit. Cùm igitur præfatæ communitatis liberalitate, & munificentia conuentus quidam, in honorem ſanctæ Mariæ de Gratijs, à fratribus conſtructus eſſet, alteraq; dormitorij pars, à præter labente aqua nimium humectata, ruinam minaretur, licèt amœniori, ſalubriorìq; in loco conſtitutus, derelictus, ac pro alio inſalubri, minuſq; grato commutatus extitit. Antiquiori itaq; monaſterio demolito, tum ex eius materia, tum quoq; ex ſuperuenientibus eleemoſynis, hoc nouum, quod nondum perfectum eſt, nec fortè ob aëris intemperiem, peſſimumq; eius ſitum, idipſum tum fratribus, tum quoq; ſæcularibus cupientibus, abſoluetur, titulo interim S. Mariæ de Gratijs in B.P.Franciſci nomen commutato, longiuſculus ab eo ædificari cœpit. Commorantur nihilominus in eo 12. fratres. Cùm plurimis, ijſq; pauperibus hoſpitalibus Petra ſancta abundaret, curarunt eius inquilini, Apoſtolica ſibi auctoritate fauente, vt ijs omnibus demolitis, quorum cura, patronatuſq; ius ad Petrę ſanctæ communitatem ſpectabat, vnũ tantum xenodochium, ſub titulo omnium ſanctorum, atq; vnum Clariſſarum monialium cęnobiũ, in honorẽ S.Leonis, de quo paucula ſuo loco dicemus, erigerentur.

D

E

De conuentu S. Franciſci Villæ Francæ. Conu. XLI.

DE huius conuentus fundatoribus, vel quomodo, aut quando ædificatus, acceptuſq; ſit, nihil certi habetur. Si tamen ex quibuſdam indicijs coniectare liceat:

antequã Tuſcię Prouincia ab altera diui patris Frãciſci diuideretur,fundatus,erectusq́; A
ab illuſtriſſimis Marchionibus de Malaſpina,ſaltim ex parte , extitit . Hoc enim eorum
ſepulchra ibidem erecta facillimè inſinuant . Conuentus autem ipſe nec dum vltimam
artificis manum expertus eſt. Inhabitatur nihilominus interim à 12. fratribus .

De conuentu SS. Coſmæ & Damiani Aximæ. Conu. XLII.

VT fert vulgus , vbi modò conuentus hic conſtructus eſt , monaſterium quoddam
monialium olim præextitit . Sed cuius Ordinis fuerint,quouè tranſlatæ ſint,nul-
lum apparet veſtigium, nullaq; traditione,aut ſcripto conſtat . Hoc nihilominus patet:
quòd videlicet Leone X.Pont.max.Aximam(vulgò Anciſa)appulſo,vt Florentiam na-
tiuam ciuitatem peteret,in id Aximenſis ſenatus conuenit, vt præfatum monaſterium ,
ſaltem ædicula,quæ ex eius ruinis ſub titulo S. Mariæ de Axima ſupererat , cum conti-
guo domicilio à ſe, pro Franciſcanorum aduentantium receptione,conſtructo , in iu- B
ſtum conuentum , ex Apoſtolica auctoritate , quandoquidem tanta ſe illis occaſio of-
ferrebat , promoueretur . Certior itaq; ea de re factus ſummus Pontifex , piæ eius peti-
tioni , atq; deſiderio ſub ea conditione annuendum cenſuit , dummodò ſcilicet S. Marię
titulus in ſanctorum Coſmæ & Damiani nomen transferretur . Quo tamen præfatam
conditionem ex animo acceptante , voluit pientiſſimus Paſtor,vt ſe adhuc præſente in
futuri conuentus loco crux , de religioſo more , figeretur . Inſuper & ipſis fratribus tan-
tum terræ ſpatium largitus eſt , quantum ſibi , ſana conſcientia , ad hortos , officinas ,
cæteraq; neceſſaria opus eſſet . Præterea viuæ vocis oraculo indulgentiam omnium
peccatorum plenariam omnibus Chriſti fidelibus , qui confeſſi & contriti feria ſecun-
da Reſurrectionis Dominicæ hunc conuentum deuotè viſitauerint , ex Apoſtolica lar- C
gitione , conceſſit . Quam tamen plenariam indulgentiam poſteà Clemens VII. Pont.
max. 6. Februarij , anno Domini 1524. Pontificatus verò eiuſdem anno primo , vt ex
eius breui in huius loci ſacriſtia diligenter aſſeruato ſatis patet , confirmauit . Eccleſia
tandem & eius altare maius à reuerendiſſimo patre fratre Bonauentura Dalmata
Franciſcano , atq; Cruenſi Epiſcopo , die 28. Ianuarij anni Domini 1538. conſecrata
fuêre . Atqui conuentus à 12. fratribus inhabitatur .

De conuentu S. Mariæ à S. Romano iuxta Montopolim. Conu. XLIII.

HVIVS conuentus beatæ Marię à ſancto Romano ſacri, qui propè Montopolim,
Hetruriæ oppidum,conſurgit, fundationem , atq; antiquitatem curioſius inueſti-
gantes , didicimus diui Romani nomen , non ab aliquo ſancto ibidem ſepulto , ſed à D
quodam antiquo eiuſdem nominis caſtro eodem in loco conſtructo , modoq; funditus
euerſo , ſibi obueniſſe , cuius tamen rei nullum aliud à vulgari illius populi traditione
extat teſtimonium . Quicquid tamen ſit , præfatus hic locus , cum tribus ſibi adiacenti-
bus terræ menſuris , ex indulto Leonis X. Pont. max. dato anno Domini 1518. quod
adhuc perſeuerat , fratribus huius Prouinciæ Obſeruantibus à Montopolitano ſenatu ,
iiſdem temporibus , liberaliſſimè collatus fuit . Pium tamen horum lectorem præmo-
nitum cupimus , quòd ſcilicet hoc in eodem loco eccleſia quædam beatæ Virgini Ma-
riæ à ſancto Valiano ſacra , quam & fratres ædificijs , ſacellisq; elegantiſſimè exorna-
runt , antiquitus conſtiterit . Vnde etiam miror , quare potius ſancti Romani à vicino
caſtro , quàm ſancti Valiani ab antiquiori baſilica ſibi connexa,conuentus hic , quem
frequentius 18. fratres inhabitant , nomen acceperit . Ferunt huius patriæ ſeniores , E
Virginis glorioſæ imaginem cuidam puellæ paſcendis ouiculis intentæ , atq; antiquio-
rem eccleſiam, fundendarum precum cauſa ingredi ſolitæ , loquutam fuiſſe ; eaq; de
cauſa populi deuotionẽ excitatã eſſe , atq; plurimas eleemoſynas loco obueniſſe : inſu-
per & Montopolitano ſenatui de huiuſmodi eccleſiæ promotione ſerius cogitanti Mi-
norum Obſeruantum laudabilem conuerſationem in mentem veniſſe , ſtatimq; ab eo
decretum eſſe , vt erigendi ſibi ex oblatis , atq; in poſterum offerendis eleemoſynis ,
iuſtum vnum conuentum præfatæ eccleſiæ contiguum , vt tandem ſolemniori cultu
præfata imago veneraretur , plena ipſis facultas daretur . Hi nullum alium à præfato
ſenatu eius patronum conſtituunt . Huius tandem loci eccleſia conſecrata eſt , eiusq́;
conſecra-

A conſecrationis dies j. cuiuſlibet mẽſis Maij Dñica celebratur. Aſſumptionis tamẽ B. virginis Mariæ, Natiuitatis, atq; Annuntiationis eiuſdẽ dies conuicinis populis, immo & Montopolitanis multò ſolemniores ſunt: in quibus, ob frequẽtia miracula, quæ ibidem meritis eiuſdem Virg. Deus opt. max. operari dignatur, innumeri confluunt mortales.

De conu. S. Mariæ à Cerbariolo prope parochiam S. Stephani. Conu. XLIV.

VOCABATVR olim locus hic ſancti Pauli eremitorium, primoq; à ſeraphico patre noſtro Franciſco occupatus, poſtmodum à beato patre Antonio de Padua, à quo & Cerbarioli (vulgò Cerbaiuolo) nomen acquiſiuit, inhabitatus fuit. Cumq; patribus Conuentualibus diu ſubfuiſſet, Obſeruantibus à communitate pagi ſancti Stephani, traditus eſt. Præfata verò traditio à ſummo Pontifice Leone X. antiquo nomine S. Franciſci in titulum B. Mariæ à Cerbariolo commutato, confirmata B extitit. Huius loci patronatũ obtinet præfata communitas S. Stephani, eiuſq; feſtum diẽ maxima cum lœtitia atq; ſolemnitate Dominica infra octauã beati patris Antonij, ob eius cubiculum ibidem adhuc perſiſtens, licèt in ſacellum transformatum, celebrat. Hoc deniq; in loco, quem 12. fratres inhabitant, idem beatus pater Antonius mirificè in oratione, atq; contemplatione profecit. Eſt enim incultus, horriduſq; locus.

De conuentu montis Cellonici. Conu. XLV.

PAVLOPOST huius Prouinciꝫ diuiſionem, quando videlicet in Senenſem, atq; Tuſciam Prouincias, ex generalis Capituli Burgis celebrati decreto, atq; ex Pontificia authoritate, anno Domini 1523. diſſecta fuit, patres Senenſes, ex conceſſione & C indulto Clementis VII. Pont. max. vt ex ipſius breui dato anno Domini 1528. Pontificatus verò eius anno v. & aſſeruato in huius loci archiuo liquidò patet, venerabili verò patre fratre Bernardino de Ptolomeis Senenſi ad Prouinciꝫ clauum ſedẽte, hunc locum ſibi in habitationem ſumpſerunt. Qui tamen cùm ſit paruus, & modicus octo tantùm fratres continet, quos etiam ob illius patriæ ſterilitatem vix alere poteſt.

De conuentu S. Franciſci extra Pontem Aſſeuæ. Conu. XLVI.

NISI nos coniecturæ fallunt, hic locus, beatiſſimo patri Franciſco ſacer, ac longiuſculus à Ponte Aſſeuæ Hetruſco oppido diſtans, anno Dominicæ incarnationis 1519. vel ſequenti initium ſumpſit, prꝫcedentiq; contemporaneus eſt. Cuius ſitum nobilis quidam Florentinus, cognomine Arnolphinus, ex parte contulit. Quòd verò D tum ipſius, tum quoq; erecti ædificij reliquum eſt, id ſolers fratrum cura præſtitit, pluraq; proculdubio præſtitiſſet, ſi eius habitatio ipſis cordi eſſet. Nec tamen huiuſmodi incuria illis imputanda, aut probro danda venit: Cùm inundantibus ſemel aquis, atq; ex montium cacuminibus impetuoſius profluentibus, eorum eccleſia, quam & dormitorij bona pars ſequuta eſt, à fundamentis euerſa, ſoloq; ꝫquata fuerit. Quapropter quicquid illis ad operis conſummationem erogandum fuerat, id totum pro alterius eccleſiꝫ conſtructione in loco tutiori impendendum venit. Atqui dormitorium, eleemoſynis minimè ſuppetentibus, adhuc irreparatũ manet. Frequentatur nihilominus hic conuentus à ſæcularibus, illiſq;, ob huiuſcemodi euentum, commendatiſſimus omnino eſt. Cùm enim exæſtuantes aquæ, mirumq; in modum inundantes, quibus hæc patria ob montium vicinitatem maximè patet, nihil intactum in eccleſia reliquiſE ſent, ſed omnia inuoluentes rapido curſu ſecum aſportaſſent, ligneus quidam Crucifixus cꝫteris admixtus ad ſecundũ milliare, verſa ad hunc locum facie, ſubſtitit. Cumq; iteratò hoc ſibi, eadem prorſus de cauſa, contigiſſet, iſtius patriꝫ inquilini factum miraculo aſcribẽtes, imaginemq; maxima religione, ſolemniq; pompa ad propria reducẽtes, ipſam peculiari quodã cultu ab eo tẽporis venerari, pauperculiſq; fratribus, qui vt plurimũ ſunt 10. numero, neceſſaria diligẽtius miniſtrare, ac locũ frequẽtare cꝫperũt.

De conuentu S. Mariæ Pulchri aſpectus, ſiue de Saxo. Conu. XLVII.

ANNO à Natiuitate Domini 1478. & à noſtri Ordinis origine 281. menſis verò Ianuarij 2. die, venerabilis pater Petrus Paulus Senenſis, qui & Barbarubea,

tunc Prouinciæ Tuſciæ Vicarius, eremitorium ſanctæ Mariæ pulchri aſpectus (vulgò A
Beluedere) alias de Saxo, cum omnibus ad ſe pertinentibus, ſibi à deuota Cetonenſi
communitate, quòd eremitæ tertij Ordinis diui patris Franciſci eius incolę penitus de-
feciſſent, vltrò ea lege oblatum, vt fratres eum locum occupantes fratrem Nicolaum,
& fratrem Simonem vtrunque laicum, vtrunq; Cetonenſem, & vtrunq; tertio Ordi-
ni beati patris Franciſci mancipatum, quandiu viuerent, alere tenerentur, & vt diui-
num officium ritè & debitè perſoluerent, ex animo admiſit, Prouinciæq; adiecit. Hoc
totum ex ſcripturis, authenticiſq; inſtrumētis apud eoſdem Cetonenſes aſſeruatis li-
quidò patet. Præfatum eremitorium ab illuſtriſſimo Nicolao Comite Peruſino, circa
annum Domini 1367. ædificatum extitit, qui natiuo ſolo, nobiliq; eius proſapia ſpre-
tis, atq; ſoli Deo placere ſtudens, habitum tertij Ordinis beati Franciſci ſuſcepit, ip-
ſumq; eremitorium, cum tribus annexis eccleſijs, proprijs ſumptibus erexit, ibidemq; B
quibuſdam eiuſdem Inſtituti fratribus humillimè conuixit. Qui omnes ſub tanto duce
vſq; ad noſtrum fratrum aduētum ſtrenuè, atq; cum maxima ſæcularium laude mi-
litarunt. Ex tribus verò eccleſijs eremitorio annexis (quarum ſuprà meminimus), quę
infimum tenet locum beatæ Marię virgini, quæ medium ſanctiſſimo mundi totius
Saluatori, ſed quæ ſupremum diuæ Marię Magdalenes ſacrata euaſit. Huic poſtremę
Innocentius VII. Pont. max. dum Vetulonij ageret, quemadmodum ex plumbea eius
bulla ibidem aſſeruata, atq; anno ſui Pontificatus ij. expedita, manifeſtum eſt, pro om-
nibus ipſam in eiuſdem beatę Marię Magdalenę feſto viſitantibus, atq; eleemoſynam
pro eius reparatione elargientibus, ſeptem annos indulgentiarum cum totidem Qua-
rantenis, ex apoſtolica authoritate, conceſſit. Commorantur vt plurimùm hoc in mo- C
naſterio, vel potius eremitorio 8. aut 10. fratres, vel ſub proprij Guardiani, vel Vica-
rij à Guardiano conuentus ſancti Franciſci prope Cetonium electi, vel Commiſſarij
in prouinciali Capitulo inſtituti cura, prout temporis neceſſitas id exigere videtur.

De conuentu S. Franciſci Burgi Lucenſis. *Conu. XLVIII.*

CVM primùm patres Lucenſes, ſeruatis ſibi ijs conuētibus, qui Lucenſi territorio
circunſcribebātur, à cæteris Hetruſcis eò fine, ex apoſtolica authoritate, ſeiuncti
fuiſſent, vt peculiarem Prouinciam erigerent, hunc conuentum, beatiſſimo P. Frāci-
ſco ſacrum, ex licentia Clementis VII. Pont. max. prout ex eius apoſtolico breui, da-
to anno Domini 1523. Pontificatus verò ſui anno primo, atq; etiam die menſis Fe-
bruarij prima, ſatis patet, & ex piorum eleemoſynis in pago, cui Burgus Lucenſis no-
men eſt, ædificandum ſuſceperunt. Sed eleemoſynis non ita ad nutum ſuppetentibus, D
non prius ante annum Domini 1526. erectum extitit, moram interim trahentibus in
quodam eiuſdem pagi hoſpitiolo, ſanctiſſimo Crucifixo dicato, fratribus: quod tan-
dem, ex eorundem aſſenſu & beneplacito, in inſignis cuiuſdam Confraternitatis ius
ea lege ceſſit, quoties fratribus liberet ibidem, abſq; vlla prorſus difficultate, cele-
brare poſſent. Ædificato igitur (vt præfati ſumus) hoc ſacro loco, cuius eccleſia à
reuerendiſſimo quodam Lucenſi Epiſcopo 18. Octobris anni Domini 1568. conſecra-
ta extitit, ex plurimorum munificentia & facultatibus, fratrum opera, non abſq; ma-
ximo labore, acquiſitis, atq; ex eorundem induſtria, cùm alius lateribus coquendis,
alius verò calci conficiendæ, & alius lapidibus dolandis, ſecandiſq; totis viribus incu-
buerit, nullum ſui peculiarem patronum eius inquilini, qui vt plurimùm ſunt quin-
quaginta, agnoſcunt: licèt maius ſacellum ad nobilem quandam eius familiam ſpectet. E
Cùm id iuris non ex integra eius ædificatione, ſed ex alio quopiam beneficio fratribus
collato, vel ex aliquá pecuniaria ſumma ad operis promotionē erogata, ſibi acceſſerit.

De conuentu S. Saluatoris Ilbenſis Inſulæ. *Conu. XLIX.*

QVVM sereniſſimus Coſmas Medices magnus Hetruriæ Dux portum Ferra-
rium apud Ilbam, Tyrrheni maris Inſulam, occupaſſet, inibiq; aliquot caſtra
ſiue munitiones ad Turcarum, cæterorumq; piratarum inſolentiam, excurtioneſq;
compeſcendas conſtruxiſſet: ne militibus ibidem degentibus, ac reliquo populo eius
portus inquilino ſacerdotes, qui rem diuinam facerent, ſacraſq; eorum confeſſiones
exciperent,

A exciperent, atq; pro ſuggeſtu conciones haberent, aliquando deeſſent, Franciſcanos aliquot fratres, qui ibidem habitare vellent, ab huius Prouinciæ proceribus, quorum ex munere intererat, petijt, ſeq; illis victum & amictum, iuxta morem eorum collegarum, quos ſapientia Piſana alit, immo & conuentum omnibus numeris abſolutum daturum ſpopondit. Cuius pijs votis annuens venerabilis pater frater Berardus Draconcinius, Prouinciæ Tuſciæ tunc Miniſter, qui antequam ad huiuſmodi munus eueheretur, eidem Duci Coſmæ à ſacris confeſſionibus fuerat, quendam Vicarium cum vno patre Prædicatore, duobusq; alijs fratribus, qui conuentui futuro initium præberent, poſſeſſionemq; capeſſerent, ad præfatum portus Ferrarij locum, ex Prouinciæ patrum conſenſu, tranſmiſit, deſtinauitq;. In proximo verò ſubſequenti Capitulo prouinciali, quidam pater eius loci Guardianus, qui fratribus pleniori iure præeſſet
B creatus fuit. Atqui conuentus nondum perfectus eſt, idq; incuria & negligentia eorum, qui operibus illius loci promouendis ſuperintendunt. Interim pientiſſimus Coſmas huic conuentui aliqua iocalia aurea, & argentea ſatis pretioſa, vt ſunt candelabra, thuribula, calices, patenæ hisq; ſimilia ad futuræ eccleſię miniſterium contulit. Quod ſi huius domus ſtructura ipſis correſponderet, eſſet quidem pulcherrima, ſed longè diſtat ab eo, idq; (vti dictum eſt) officiariorum Ducalium auaritia, atq; impietate, qui potius rebus prophanis, propriæq; vtilitati, quàm obſequio diuino ſtudent. Sepultus iacet hoc in conuentu, quem 12. fratres inhabitant, frater quidam laicus nomine Baptiſta de Rotano, cui, quandiu vixit, nihil charius à paupertate, humilitate, charitate, obedientia, cæterisq; virtutibus, quæ hominem Deo carum efficiunt, in hac mortali vita fuit. Quamobrem maximum ſui deſiderium, maxi-
C mumq; ſanctitatis nomen omnibus ſibi notis reliquit.

De conuentu S. Petri in Balneo. *Conu. L.*

COGEBANTVR pauperculi montis Aluernæ fratres, quoties oppidum ſancti Petri in Balneo illis petendarum eleemoſynarum ergò accedēdum erat, alijq; itinerantes, qui vel Aſſiſium, vel Romam, vel etiam ſacrum ipſum montem deuotionis gratia petebant, aut ad publica hoſpitia diuertere, aut de domo in domum tranſire, quod vtrunq; religioſæ honeſtati minus congruebat. Quibus proſpectura Balneenſis pia communitas, ex ſenatus conſulto decreuit, vt hoſpitium, adiunctaq; eccleſia communibus ſumptibus apud ſe erigerentur, ad quæ huiuſmodi fratres liberè, tamquam ad propria, declinare poſſent. Accedente itaq; Clementis VII. Pont. max conſenſu, vt
D ex eius apoſtolico breui dato 29. Nouembris, anno Domini 1523. Pontificatus verò ſui anno primo, quod hoc in loco habetur ſatis patet, præmeditato operi, ſed frigidius quàm par erat, incumbi cœpit. Reuerendiſſimo verò patre fratre Aloyſio Puteo, totius generale Miniſtro prouinciale huius Prouincię Capitulū apud montē Aluernę celebrante, Balneenſes per deſtinatos legatos ab eo, cæterisq; capitularibus patribus obnixè petierunt, quatenus aliquot fratres, qui futuri conuentus ab ipſis ædificandi curam gererent, quamtotius mitterentur. Quamobrem reuerendiſſimus idem pater, cæteriq; capitulares duos fratres huiuſmodi operi præfecerunt, qui magno oppidanorum iubilo, atq; applauſu excepti, commiſſum ſibi munus diligentiſſimè exequuti ſunt. Nondum tamen ædificium vltimam artificis manum expertum eſt, licèt, ſuppeditante abundantius communitate, quę neceſſaria ſunt, nihil aut diligentiæ, aut ſoli-
E citudinis prætermittatur. Maximi quidem nominis eſt locus hic, cùm apud Balneenſes, tum quoq; apud omnes circumquaq; vicinos, qui ſtatutis diebus vota ſua Domino reddituri, eò conueniunt, fratribusq;, qui 10. ſunt numero, diligentiusq; omnes ſcripturas eum concernētes cuſtodiunt, pro viribus adſunt. Eius autem eccleſia à reuerendiſſimo quodam Salaminenſi Epiſcopo, Franciſcani Ordinis alumno 5. Septembris, anno Domini 1568. ex Pij V. ſummi Pontificis authoritate, atq; ex reuerendiſſimi Sarſitanis Epiſcopi, cui id ex munere incumbebat, conſenſu, nec non & ex reuerendiſſimi Balneenſis Abbatis beneplacito conſecrata extitit: qui altare quidem maius immaculatæ Conceptioni Virginis glorioſæ, reliquum verò templi beatiſſimo patri Franciſco dicauit: inſuper & pręcepit, vt huiuſmodi conſecrationis dies qualibet prima menſis

Septem-

Septembris Dominica celebraretur, ſibiq́; indulgentias, quas Epiſcopi in huiuſmodi A
ſolemnitatibus elargiri aſſueuerunt, conceſſit.

De conuentu S. Crucis Anglarij. Conu. LI.

REVERENDISSIMO patre fratre Aloyſio Puteo ad totius Franciſcani Or-
dinis clauum ſedente, prouincialiaq; huius Prouinciæ Comitia apud ſacrum
Aluernæ montem celebrante, Minoriticus antiquior Anglarienſis conuentus, quòd in-
commodus, atq; inſalubris minus fratribus deſeruiret, nimiumq; ab Anglario Hetru-
riæ oppido diſtaret, tum ex patrum capitularium voto, tum quoq; ex Anglarienſium
beneplacito, omnino dimiſſus, atq; hic, ſanctiſſimæ Cruci ſacer, pientiſſimi cuiuſdam
Zanobij ſumptibus, intra Anglarienſis mœnia, de nouo ædificandus admiſſus eſt. Is
ſiquidem Zanobius, cùm anno à Chriſti natiuitate 1499. morti appropinquaret, pro- B
priam matrem nomine Iuditham, ea lege, vniuerſorum hęredem ex teſtamento inſti-
tuit, vt ex ijs bonis conuentum vnum, diuo patri Franciſco ſacrum, ad fratrum Mino-
rum habitationem Anglarij conſtruendum curaret. Quod & fideliſſimè pia hęres exe-
quuta eſt. Abſoluto itaq; iuxta teſtatoris præceptum cœnobio, eò ſe fratres, prout re-
uerendiſſimus Generalis decreuerat, contulêre, quorum 10. ibidem commodiſſimè
morantur. Cupienti verò Anglarienſi ſenatui, pro viribusq́; contendenti, vt antiquior
quoq; locus, à fratribus repeteretur, cùm minus ab illis aſſentiretur, is patribus Car-
melitanis, jd ſummis votis affectantibus, traditus eſt.

De monaſterio S. Lini Papæ & martyris Volaterræ. Mon. I.

SVBIACET correctioni, atq; curæ fratrum huius Prouinciæ Clariſſarum, ſed C
Vrbaniſtarum, monaſterium intra Volaterranæ antiquiſſimæ in Hetruria ciuita-
tis mœnia à nobiliſſimo, ac de Franciſcana Religione optimè merito, Raphaële Maf-
feo eiuſdem ciuitatis alumno, viro probitate, literis, ac virtute omnibus claro, ex pro-
prijs ſumptibus à fundamentis conſtructum: cùm enim ibi quarundam virginum,
atque viduarum ſub tertio diui P. Franciſci Ordine militantiū paruum hoſpitiū exiſte-
ret, præfatus Raphaël, contiguis domibus, & ædificijs emptis, illud in ſatis amplum,
ac centū & viginti monialium capax monaſterium, inq; eam, qua nunc cernitur, for-
mam euexit, clauſtra, hortos & ædificia ipſius murorum ambitu clauſit, ac à Leone X.
Pont. max. conſtructionē hanc comprobari, & moniales ibi degentes ad ſecundā B. vir-
ginis Claræ Regulā admittendā teneri obtinuit. Eccleſiā quoq; monaſterio cohęren-
tem exædificauit: quæ S. Lino Papæ & martyri, qui eiuſdem Volaterranæ ciuitatis
antiquitus municeps, & oriundus Petro in Pontificatu ſucceſſit, dicata euaſit, in D
eaq; memoratus Raphaël moriens ſepulturę tradi voluit, ibiq́; à R. Mario fratre Ca-
ualicenſi Epiſcopo perhonorifico marmoreo ſepulchro tumulatus extitit. Hoc mo-
naſterium tales, tantoſque progreſſus fecit, vt inter præcipua huius Prouinciæ loca
computandum, connumerandumq; veniat, pluresq́; ſacras virgines Deo caras pepe-
rerit. Inter quas primum locum obtinuêre beata ſoror Maria de Burgo: cuius humili-
tas, & oratio continua vix exprimi poſſent. Et beata ſoror Apollonia Pighineſia Vola-
terrana, quæ cùm viuens ſcaturientibus ex eius vlceribus vermiculis, tetro odore ap-
proximantes inficeret, mortua tamen ſuauiſſimè fragrauit. Petierat ſiquidem ſanctiſ-
ſima ſoror, vt dolores, quos beatus pater Franciſcus in ſacris ſtigmatibus ſenſerat, ipſa
quoq; ſentire mereretur. Quod cùm impetraſſet conſtantiſſimè, ſimul atq; patientiſ- E
ſimè, quoad vixit, ſuſtinuit. Et beata ſoror Clara Paluia, quę dum feruentius oraret,
vidit in ſpiritu ipſa die Paraſceues, anno Domini 1564. Chriſtum Dominum ad co-
lumnam alligatum. Et beata Eufraſia Volaterrana: quæ tam in vita, quàm in morte
plurimis claruit miraculis, atq; prophetico ſpiritu donata fuit. Et beata ſoror Cecilia
Volaterrana. Et beata ſoror Andrea de Bandinis: nec non & beata ſoror Domicilla de
Falconinis. Eſt igitur hic locus deuotiſſimus, ſæcularibusq́; valde venerabilis: tum ob
præfata beatarū ſororum corpora, tum ob optimam reliquarū monialium famam, tum
quoq; propter ſequentes ſanctorum reliquias, quas penes ſe honorificentiſſimè cuſto-
diūt, beatorū videlicet Laurētij, Lini, Gryſogoni, & Anaſtaſię, atq; ob eius partē veli, in
quo ſacrum Chriſti corpus obuolutum fuit, ligniq́; ſanctiſſimę Crucis duas particulas.

De conuentu

A *De monaſterio S. Michaelis Lucæ. Mon. II.*

PRÆCEDENS monaſterium, iuxta antiquitatis ſeriem, ſequitur id, quod Lucæ ſub titulo ſancti Michaëlis, ſumptibus atq; opera nobilis cuiuſdam Catharinæ Sbarræ Lucenſis, circa annum Domini 1454. ædificatum fuit. Hęc ſiquidem Catharina, cùm à legitimo eius viro vidua, ditiſſima, & abſq; liberis relicta eſſet, conſilio venerabilis patris fratris Pauli Iouiæ vſa, in cuiuſdam nobilis fœminæ, de Tertio diui patris Frãciſci Ordine, ſocietatem tranſijt: & non poſt multum temporis effecta quoq; eſt & ipſa Tertiaria. Vt tandem fœlicius Deo vacare poſſent, ambo ſimul clauſuram, obedientiam, paupertatem, & caſtitatem, anno à Chriſto nato 1460. ſolemniter vouerunt, ſummisq; precibus à ſummo Pontifice Pio II. anno Domini 1467. ſecunda verò die menſis Septembris, vt ſub norma & Regula beatæ Claræ ſecunda, eodem in loco, B viuere poſſent, impetrarunt. Huius loci eccleſia, in cuius ſacrario altera diui Amatoris confeſſoris manus, pluresq; aliæ ſanctorum reliquię cuſtodiuntur, conſecrata eſt, eiusq; conſecrationis feſtum 21. menſis Iulij celebratur. Non tamen conſtat quando, vel à quo conſecrata fuerit. Gaudet præterea plurimis gratijs, & indulgentijs ſibi à Pontificibus ſummis Pio II. Sixto IV. & Gregorio XIII. conceſſis: eiusq; conuentus à 130. ſororibus inhabitatur.

De monaſterio S. Hieronymi montis Politiani. Mon. III.

NE pius montis Politiani ſenatus deuotis quibuſdam fœminis, quæ Tertio Seraphici patris Franciſci Inſtituto aſtringi cupiebant, deeſſe videretur, hoc monaſte- C rium diuo Hieronymo ſacrum, impetrata prius à Romano Pontifice facultate, ex communi ærario, anno à Chriſto Seruatore in terris nato 1513. intra eiuſdem montis Politiani Hetruſcæ ciuitatis mœnia illis ædificari curauit, eiusq; curam huius Prouinciæ patribus commiſit: quorum diligentia, atq; ſolicitudine adeò excreuit, vt 40. eius Ordinis ſorores modò contineat.

De monaſterio S. Claræ Piſciæ. Mon. IV.

DEVOTISSIMA quædam Catharina Bartholomæi Piſcienſis, binas eius neptes ex aſſe hæredes, ea lege, inſtituit vt ex obueniente hæreditate monialium monaſterium, intra Piſciæ ambitum, conſtrui curarent. Quę auię mandatum non minus piè, quàm diligenter exequutioni mandantes, hunc conuentum beatæ Claræ ſacrum, D quem 56. ſorores ſub Tertio Seraphici patris Ordine commodiſſimè inhabitant, ex facultate ſummi Pontificis Alexandri VI. anno Domini 1502. conſtituto ſibi in loco, ex acquiſita hæreditate eleganter ſatis erexerunt, perfeceruntq;.

De monaſterio S. Claræ Maſſæ. Mon. V.

ILLVSTRISSIMI Maſſenſes Principes, ob eorum ſingularem pietatem, atq; in vtriuſq; ſexus Seraphici patris Franciſci piam ſobolem ſuperexcellentem beneuolentiam, hunc conuentum beatæ Virgini Claræ dicatum, in quo primæua illa regularis Clariſſarum diſciplina patentiſſimè relucet, ex domeſtico, atq; familiari patrimonio, intra ciuitatis Maſſæ ſepta, erigi fecerunt, abundantibusq; redditibus, & prædijs dotarunt, atq; huius Prouinciæ patrum correctioni, & diſciplinæ ſubegerunt, quem 34. E ſorores incolunt.

De monaſterio S. Mariæ propè Codipontem. Mon. VI.

AD quartum lapidem ab oppido Fiuizano, non tamen longè à pago Codiponte, conſiſtit & aliud quoddam monialium Tertiariarum monaſterium glorioſę, ſemperq; Virgini Mariæ ſacrum, atq; à 30. ſororibus occupatum, nec non & curæ patris Guardiani conuentus ſancti Franciſci de Fiuizano commiſſum. Quapropter is patrem confeſſarium apud ſe commorantem quater, aut quinquies in anno, miniſtrandorum ſacramentorum ergò, omnesq; fratres ſimul vel eius loci feſtiuitatis celebrandæ cauſa, vel alicuius ſepeliendæ gratia, eò tranſmittere tenetur.

De mona-

A

De monaſterio S. Leonis Petræ ſanctæ. Mon. VII.

OPPIDI Petræ ſanctæ communitas (vt ſupra, dum de conuentu fratrum eiuſdem loci ageremus, leuiter tetigimus) deſtructis, ex conſenſu tamen Leonis X. Pont. max. omnibus eius oppidi xenodochijs, famoſum quoddam hoſpitale in honorem omnium ſanctorum, atq; hoc monaſterium diuo Leoni dicatum, vtriuſq; tamen ſibi patronatus iure ſeruato, circa annum Dominicæ Incarnationis 1530. ex communibus facultatibus, conſtitutis interim ſibi ſufficientibus redditibus, ædificari curauit. Id tamen diſcriminis inter vtrumq; eſſe voluit, vt ſcilicet hoſpitalis ſolicitudo penes ſe maneret, ſed huius conuentus cura iſtius Prouinciç patribus incũberet. Cuius etiã determinationi, & decreto Leo X. Pont. max. ſubſcripſit. Inhabitatur hic locus à 26. ſororibus. B

De monaſterio S. Claræ parochiæ S. Stephani. Mon. VIII.

OPPIDVM eſt in Hetruria, cui vulgò (la Pieue ſan Stefano) nomen eſt, intra cuius ambitum monaſterium quoddam pauperum Clariſſarum, in beatæ Virginis Claræ honorem, ſurrigit. Eius fundatorem, ſi quæſieris, nullum alium ab oppidi communitate inuenies: qua etiam de cauſa patronatus iure potitur. Cùm tamen præfatæ moniales, quæ vt plurimum tricenarium numerum non excedunt, paupertate prærentur, ſecumq; à ſummo Pontifice Pio V. diſpenſatum eſſet, vt earum ſex victui, atq; amictui neceſſaria diligenti mendicatione quæſituræ, loci clauſtra egredi poſſent, huiuſmodi quidem gratia, atq; Apoſtolica diſpenſatione ad tempus frui voluerunt, C ne tantam ſummi Pontificis erga ſe humanitatem, paternumq; affectum aſpernari viderentur. Cui tandem, poſtquam ſibi pro debita reuerentia ſatisfeciſſent, renunciantes, maluerunt omnes denuò recludi, ſicq; à Deo opt. max. remedium præſtolari, quàm ſoluto earum rigore, id ab hominibus expetere.

De monaſterio S. Claræ Florentiæ. Mon. IX.

MONASTERIVM ſanctæ Claræ Florentiæ erectum, ab antiquo fundatum fertur, inhabiturq; à 100. Clariſſis ſororibus de prima regula.

De monaſterio S. Georgij ibidem. Mon. X.

EST & aliud monaſterium Florentiæ quoque erectum, & à 100. Tertiarijs ſororibus Franciſcanis, ſub titulo ſancti Georgij, inhabitatum, quod & à plurimis annis exſtructum aſſeritur. D

De monaſterio S. Vrſulæ ibidem. Mon. XI.

SVRRIGIT & ſecundum earundem Tertiariarum ſororum, quæ frequentius ſunt 112. numero, monaſterium Florentiæ, ſub inuocatione ſanctæ Vrſulæ extructum, cuius vetuſtas ex eius ædificio liquet.

De monaſterio Fulginate ibidem. Mon. XII.

SVBSISTIT tandem & hoc tertium monaſterium Florentiæ, à 115. ſororibus de Tertia beati patris Franciſci Regula inhabitatum, quod duobus proximè præcedẽtibus, & antiquitate, & titulo præferendum venit: cùm à primæuis illis Fulginatibus Tertiarijs ſororibus (de quibus in Prouincia ſancti Franciſci latius egimus) fundatum, Fulginei quoq; nomen ab eis hæreditauerit. E

De monaſterijs S. Claræ, atq; paupercularum ſororum Cortonij. Mon. XIII. & XIV.

DVPLICI ſanctimonialium monaſterio Cortonium, Hetruſca ciuitas, exornatur, altero quidem beatæ virgini Claræ ſacrato, quod & Targi vulgò dicitur, & à 50.

A à 50. Clariſſis ſororibus inhabitato, (de quo impręſentiarum) altero verò ab 80. Franciſcanis ſororibus Tertiarijs inculto, à quibus ſibi nomen obuenit: cum paſſim paupercularum ſororum conuentus dicatur.

De monaſterio S. Claræ Aretij. Mon. XV.

MONASTERIVM ſanctæ Claræ Aretij ædificatum, & à 60. Clariſſis ſororibus inhabitatum, vt ſtructura demonſtrat, & literæ ibidem exiſtentes enodant, ſatis antiquum eſt.

De monaſterio S. Georgij Prati. Mon. XVI.

MONASTERIVM ſancti Georgij, quod Prati (de quo ſupra) ſurrigit, & à 150. ſororibus occupatur, antiquitate non caret, ſuaſq; accolas, ex voto ab
B eiſdem emiſſo, propria ſepta præterire non patitur.

De monaſterio S. Claræ Sartiani. Mon. XVII.

IDEM prorſus efficit id monaſterium, quod Sartiani, ſub inuocatione ſanctæ Claræ, ædificatum cernitur, & ab 8. ſororibus, non quidem Tertiarijs, ſed Clariſſis Vrbaniſtis inhabitatur.

De monaſterio S. Claræ S. Ioannis. Mon. XVIII.

INTRA mœnia eius oppidi, cui ſanctus Ioannes vallis Arni nomen eſt, erectum perſeuerat præſens monaſterium beatæ virgini Claræ dicatum, & à 40. Clariſſis
C monialibus incultum.

De monaſterio S. Bernardini Caſtrinoui. Mon. XIX.

MONASTERIVM Franciſcanarum ſororum Tertiariarum, quod muris oppidi Caſtrinoui, ſub inuocatione ſancti Bernardini, circumſcribitur, & ab earum 30. occupatur, communibus oppidanorum ſumptibus ab antiquo extructum habetur.

De monaſterio S. Bernardini Bargæ. Mon. XX.

SVBSISTIT & aliud earundem Tertiariarum monaſterium Bargæ erectum, ac beato patri Bernardino ſacrum, quod vt plurimum 40. ſorores inhabitant.

D *De monaſterio S. Hieronymi Caſtilionis. Mon. XXI.*

AD eaſdem quoq; Tertiarias ſorores ſpectat id monaſterium, quod intra oppidi Caſtilionis mœnia, ſub inuocatione ſancti Hieronymi, ædificatum conſpicitur, & ab earum 50. commodè ſatis inhabitatur.

De monaſterio S. Michaelis Angeli Cianciani. Mon. XXII.

AEDIFICARANT ſibi, circa annum Dominicæ Incarnationis 1540. Tertiariæ quædam ſorores Franciſcanæ, tum ex priuatis, tum quoq; ex publicis oppidi Cianciani facultatibus, intra eiuſdem oppidi ſepta monaſterium quoddam ſub titulo ſancti Michaëlis Angeli 30. continendis ſororibus ſatis capax. Cumq; graſſante
E in Hetruria inter Henricum Gallorum Regem, atq; Philippum huius nominis II. Hiſpanorum Regem, immo & inter Florentinos atq; Senenſes cruentiſſimo bello, quicquid ædificij promotum fuerat ſolo æquatum eſſet, compoſita inter iſtos atq; illos pace, quod infeſtiſſimo bello ceſſerat priſtinæ gloriæ, ex iiſdem facultatibus, poſt elapſum à prima ædificatione decennium, reſtitutum eſt. Acceſſit igitur huic Prouinciæ præſens conuentus, quem frequentius 30. ſorores de Tertio Seraphici patris Franciſci Ordine occupant, circa annum à partu Virgineo 1550.



PROVINCIA

PROVINCIA BONONIAE.

B BONONIÆ Prouincia, & dignitatis atq; antiquitatis iure, meritò quintum locum inter cæteras Citramontanas obtinet : cùm non ita pridem poſt Prouinciȩ Tuſciȩ erectionem, & ipſa quoq; Prouinciæ nomen acquiſierit, & plurimis viris religioſis, ſanctitate inſignibus, doctrina fulgentibus, experientia maturis, atq; gubernatione prudentiſſimis, quorum aliqui Generalis Vicariatus apud Citramontanos Obſeruantes, alij Generalis Miniſteriatus in vniuerſo Seraphici patris Franciſci Ordine, alij Commiſſariatus quoq; Generalis, alij verò tum Epiſcopatus & Archiepiſcopatus, tũ Patriarchatus, tum quoq; Cardinalatus munere cum maxima laude functi ſunt, olim floruerit, ita vt iure optimo omnes in ſui admirationem rapiat. Sed quid eius tantam dignitatem, atq; prærogatiuas miremur, cum optimam totius Italiæ portionem, nempè Æmiliæ, atq; Galliæ Ciſalpinæ partem aſſequuta, Bononiam quoq; famoſiſſimam ciuitatem, legumq; nutricem,
C atq; ſanctitatis pietatisq; ſpeculum, vnde & nomen traxit, ſuis finibus claudat? Qua etiam de cauſa olim, per antonomaſiam, ab omnibus ſapientia nuncupata extitit. Abſoluitur pręterea 33. fratrum atq; 17. ſanctimonialiũ conuentibus, ex quibus plures religioſi, atq; religioſæ ſuæ profeſſionis zelotes, atq; pietate illuſtres, prodiêre. Præſertim accerrimus ille Regularis Obſeruantiæ propugnator, beatus videlicet Marcus à Bononia, atq; beata Catharina à Bononia, inclyti Bononienſis monaſterij Corporis Chriſti fundatrix, necnon & primi beatæ Claræ inſtituti ſtrenua tutelaris: quos etiam tanquam huius Prouinciæ patronos ſibi, iconicè depictos, pręferre volui. Continet quoq; aliquot fratrum hoſpitiola, quorum tamen, quòd parui momenti ſint, nulla aut certè breuiſſima mentio fiet. Eius deniq; maius ſigillum, vt cœptum ordinem teneamus, Seruatoris noſtri Chriſti imaginem, complicatis brachijs, cruciq; ſcapulis adherẽtem, atq; extra ſepulchrum ad fœmora vſq; prominentem, nec non & Seraphicum patrem
D Franciſcum ſub eo genuflexum, iunctiſq; manibus exorantem, cum his literis: SIGILLVM MINISTRI PROVINCIÆ BONONIÆ orbiculatim imprimit. His igitur vtcunq; prælibatis, ad ſingulos huius Prouinciæ conuentus, & primò quidem loco ad eum, qui non procul à pago Verruculo conſtructus eſt, deueniamus.

De conuentu Crucis S. Franciſci de Villa. Conu. I.

PRÆCEDENS itaq; locus, qui Cruci beati patris Franciſci de Villa dicatus, vnico tantùm milliari à pago Verruculo, Ariminenſis diœceſis, diſtat, amœnus ſatiſq; capax, atq; tum apud fratres, tum quoq; apud ſæculares: quòd primus omnium à receptione ſacri montis Aluernȩ noſtro Ordini acceſſerit: quòd à beatiſſimo patre Frãciſco diu habitatus, ſacriſq; ſuis concionibus honeſtatus fuerit: quòd eiuſdem cellula
E ibidem adhuc perſeueret, qua etiam de cauſa ſingulis calendis Auguſti à conuicinis populis maximè frequentatur: quodq; probatiſſimis, ſanctiſſimiſq; patribus perpetuò deſeruierit, in maxima veneratione eſt. Hic etiam garrientes inter vmbroſas arbores auiculæ, quòd eidem patri, ſacris meditationibus intento, impedimento eſſent, ab eo correptæ, atq; ſilere iuſſæ, ſibi ad nutum & ex tempore paruerunt, indeq; ſub ſilentio recedentes, nunquam amplius vel ipſæ, vel aliȩ ſibi ſimiles ibidem viſæ ſunt: & tres arbores, nempe laurum in primo totius ædificij clauſtro, & cupreſſum in ſecundo, atq; oleam in prato, beatiſſimi eiuſdem patris manibus plantatas, inuiſere licet. Hanc ſacram domum, cuius eccleſia à reuerendiſſimo domino Nicolao, montis Coruini Epiſcopo, 16. Iunij, anno Domini 1400. conſecrata extitit, cùm primi illi noſtræ Religio-

nis patres, à ſua receptione vſq; ad ſummi Pontificis Ioannis XXII. tempora, vlla abſq; A
temporis interruptione, occupaſſent, atq; patres Conuentuales, alia interim ſibi intra Verruculum ædificata, deſeruiſſent, patres tandem Obſeruantes, cùm primùm ab illis ſeiuncti eſſent, ex apoſtolica auctoritate repetierunt, reſumpſeruntq́;, atq; in hodiernum vſq; diem, ſub huius Prouinciæ auſpicijs, retinent. Plurimæ profectò ſcripturę, rerum geſtarum monumenta, atq; Pontificia diplomata loci fundatorem, certumq́; fundationis tempus concernentia in huius ſacræ ædis archiuis aſſeruabantur, quæ tamen (proh dolor) omnia ab importuno milite, eo tempore, quo Leo X. Pont. max. Franciſcum Mariam Vrbinatum Ducem, iuſtiſſimis de cauſis, bello diuexabat, vel diſcerpta, vel Vulcano tradita ſunt. Conſtat nihilominus, tum ex quibuſdam indicijs, tum quoq; ex ſeniorum traditione, pios quoſdam Verruculenſes ex Fœrinorum familia, maiorem fundi partem, pro ſua in Franciſcanos beneuolentia & pietate, ad huius mona- B
ſterij ædificationem contuliſſe. Sacrilegam tamen militis manum, fratrum ſolertia, euasêre aliquot oſſa beati patris Ioannis Capiſtrani, atq; beati itidem patris Innocentij Carpenſis, inſuper & tuniculæ beati patris Bernardini de Senis particula, quæ omnia in ſacrario cuſtodiuntur. Incolitur hic locus ab 18. fratribus.

De conuentu ſancti Pauli de monte Bononiæ. Conu. II.

VT huius loci, qui quidem antiquiſſimus eſt, originem altius repetamus, id noſſe oportet, beatum ſcilicet patrem Franciſcum, ſtatim ab eius Regulæ confirmatione, quam ab Innocentio III. ſummo Pontifice accepit, in id omnino incubuiſſe, vt videlicet Seraphicum Ordinem propagaret, fidelibusq; pro viribus adeſſet, atq; eos ad C
pęnitentiam peccatorum faciendam alliceret. Quapropter chariſſimos ſibi adhærentes ſocios ad diuerſas mundi partes deſtinauit. Cumq́; integerrimum patrem fratrem Bernardum à Quintaualle Bononiam trãſmiſiſſet, illius ciuitatis populus nouum habitum, viuendiq; modum admiratus, eum ſtultum, atq; amentem facillimè reputauit. Cognita tamen viri tum ſanctitate, tum quoq; prudentia ſententiam mutauit, ſibiq; adhęrere non exhorruit: atq; ſuperueniente poſtmodum beatiſſimo patre Franciſco, licèt multò vilioribus veſtimentis induto, non iam in eo habitus nouitatem, ſed potius columbinam illam ſimplicitatem, atq; occultam ſub vili palliolo ſanctitatem admiratus eſt, ſibiq; bina loca, alterum quidem intra ciuitatis clauſtra, alterum verò ad vnicum milliare ab eius vallo, ſupra editum quendam atq; næmoroſum collem, (de quo impræſentiarum) non minus liberaliter, quàm piè contulit. Quorum is, qui muris cin- D
gebatur, eidem Seraphico patri ſacratus euaſit, Conuentualibusq́; patribus paret, ſed is qui montem aſſequutus eſt, licèt ſedem mutauerit, (ſucceſſerat quidem prius cuidã eremitorio, atq; ex vili materia, tumultuario opere, iuxta ſtrictiſſimæ paupertatis normam, conſtructus, pauciſſimos fratres, idq́; ſatis incommodè, capiebat, quapropter Minoritica Religione mirum in modum creſcente, ex Alexandri V. Pont. max. auctoritate, atq; ex ſumma Bononienſium liberalitate, longiuſculus inde tranſlatus, multò elegantior, atq; auguſtior extructus fuit) nomine ſancti Pauli inſignitur, Regulariq; Obſeruantiæ ſubeſt. Qui cùm præ vetuſtate ruinam minaretur, ſummi Pontificis Gregorij XIII. ſumptibus reſarcitus, reparatusq; non ita pridem extitit. Hoc igitur in loco, qui ob eius ſolitudinem, tranquillitatem, atq; amœnitatem contemplationi aptiſſimus eſt, quiq; à 16. fratribus inhabitatur, plures viri graues ſanctitate, doctrina atq; E
religione conſpicui claruêre. Horum primus fuit beatus Antonius de Padua, cuius ſanctitas omnibus in propatulo eſt. Secundus venerabilis pater ac frater Iacobus de Primadicijs, patria Bononienſis: qui, vt plures Pontificię bullæ in eius fauorem ab Eugenio IV. Pont. max. diuerſis temporibus datę, atq; in huius ſacrę ædis archiuis aſſeruatæ conteſtantur, plurimis apoſtolicis legationibus functus eſt: inter quas illa fuit pręclariſſima, quam in Palęſtina exercuit. Qui tandem apoſtolici Prædicatoris, apoſtolici Commiſſarij, apoſtolici quoq; Viſitatoris, atq; Ciſmontani Generalis Vicarij muneribus feliciſſimè functus, hoc ipſo in loco vniuerſæ carnis viam ingreſſus, atq; ſepulturam in media eccleſia nactus eſt. Tertius verò ſingularis doctrinæ, ſanctitatis, atq;

A facundiæ vir, venerabiliſq; pater frater Franciſcus de Platea, patria quoq; Bononienſis, qui ob morum grauitatem, maximamq́; dicendi vim apoſtolicus, per vniuerſam Italiam, Nuncius, atq; eiuſdem Sedis apoſtolicæ Prædicator, per totum orbem, ab Eugenio IV. ſummo Pontifice creatus, inſtitutusq́; extitit: quiq́; maximis gratijs, fauoribus, atq; priuilegijs à Nicolao V. Pont. quoq; max. vt eius bullę Eugenianis admixtæ, atq; in præfato archiuo diligentius cuſtoditæ, facillimè indicant, cumulatus, atq; meritis opimus hoc in eodem loco mortuus, ſepultusq́; fuit.

Præmemoratus huius loci archiuus ſequentes apoſtolicas literas ſibi creditas continet: quandam videlicet Sixti IV. Pont. max. bullam, Romæ v. Nonas Octobris, anno Domini 1472. datam, vt dies Seraphico patri Franciſco ſacratus feſtiuè à fidelibus trãſigatur. Et alteram ab eodem ſummo Paſtore 12. Februarij, anno Domini 1475. expe-
B ditam, qua reuerendo patri fratri Petro à Neapoli Generali, tunc Ciſmontanæ Obſeruantis familię Vicario committitur, ſiue potius conceditur, quatenus vnum ex ſibi ſubditis fratribus ad Infidelium partes, maximè tamen ad Antiochenſis Patriarchatus Maronitas hæreticos, ſub apoſtolici Commiſſarij titulo, tranſmittere poſſit, qui eiuſmodi farinæ homines ad ſaniorem mentem reuerti cupientes, ab omni exceſſu, immo & cenſura, etiam apoſtolicæ Sedi reſeruata, præter quàm ab homicidio voluntario, & ab ea, quæ ex bigamia contrahitur, irregularitate, abſoluere valeat. Et aliam eiuſdem Sixti IV. qua pater Marinus à Cataro, Regularis Obſeruantię alumnus, apoſtolicus Nuncius inſtituitur, atq; ad Perſiæ Regnum pro negotijs ſedem apoſtolicam concernentibus, cum plenaria abſoluendi à quocunq; exceſſu, licèt grauiſſimo, eius patrię homines poteſtate, tranſmittitur. Et tranſumptum authenticum cuiuſdam bullæ eiuſdem
C Sixti IV. datæ Romę, ſub annulo piſcatoris die 7. Auguſti 1481. qua fratribus Minoribus facultas celebrandi officij quinque martyrum eiuſdem Ordinis ex apoſtolica auctoritate conceditur. Et tranſumptum aliud authenticum alterius bullę eiuſdem Sixti IV. datæ anno Domini 1481. qua fratres Minores Obſeruantes cuiuſcunq; hæreditariæ ſucceſſionis incapaces declarat, idq́; ex eorum profeſſione & voto. Et tranſumpta trium bullarum, diuerſis temporibus datarum, videlicet Eugenij IV. 27. Ianuarij, anno Domini 1444. & Pauli II. 29. Martij, 1452. & eiuſdem 20. Nouembris, anno Domini 1465. ne Minores Obſeruantes ad vectigalium, ſiue gabellarum ſolutionem quoquo modo teneantur. Et aliud tranſumptum alterius bullæ ſummi Pontificis Gregorij IX. datæ Suriani viij. cal. Septembris, Pontificatus verò eius anno ij. qua ſacra ſtig-
D mata Seraphici patris Franciſci approbantur, commendanturq́;. Et tria alia tranſumpta trium bullarum Pij II. Pont. max. quarum prima data fuit xv. cal. Auguſti, anno Domini 1461. ſecunda Leodij die 3. Decembris 1462. tertia verò 28. Aprilis, anno Incarnationis Dominicę 1464. quibus non eſſe contra fidem declarat, aſſerere Redemptorem noſtrum veri eius ſacratiſſimi ſanguinis partem aliquam, in ſuæ amariſſimæ paſſionis memoriam, in terris reliquiſſe. Et hoc in fauorem beati patris Iacobi de Marchia Franciſcani: qui ob eius propoſitionis aſſertionem, tanquam alicuius noui dogmatis inuentor, inquiſitus aliquando ab hęreticę prauitatis Inquiſitoribus fuerat. Cui etiam determinationi, vt ſcandalis, quæ ea de cauſa inter patres Dominicanos atq; Minoritas oriri poterant, omnis amputaretur anſa, prohibitoriè ſubiunxit, ne aliquis in poſterum pro ſuggeſtu prędicare, vel aſſerere auderet, eſſet ne, vel non ſanguis ille, de
E quo controuertebatur, idem ipſe qui è Chriſti Domini ſacratiſſimo corpore exiuit.

In ſacrario autem ex ſequentibus ſanctorum reliquijs inuenire licet. Ex ſacratiſſimis nempe capillis Domini noſtri Ieſu Chriſti: ex ſancta illius cruce: ex ſpongia eiuſdem: ex ſancto Petro Apoſtolo eiuſq; cruce: ex ſancto Paulo itidem Apoſtolo: ex ſancto Marco Euangeliſta: ex lapidibus Caluarij montis, eorumq́; locorum, vbi præſepe Chriſti Domini poſitum fuerat, vbi ad patrem orauit, vbi captus fuit, vbi Pilatus populo dixit: Ecce homo: ex oſſibus ſanctorum Stephani protomartyris, Theopontij vnius ex 40. martyribus, alterius ex 10. millibus martyrum, Dionyſij Areopagitæ, Apollinaris & de eius ſanguine, ſancti Cypriani, ſancti Ambroſij, ſancti Petri Rauennatis, ſancti Ioannis Chryſoſtomi, ſancti Barbatiani, Conſtantini Imperatoris, ſanctæ Barbaræ, ſanctæ Catharinæ, ſanctæ Theodoſiæ, vnius ex 11. millibus virginum, ſanctæ Catharinæ de

Senis, ſanctæ Claræ, ſanctæ Mariæ Magdalenæ, ex ligno portæ aureæ, ex tunicis ſancti patris Franciſci, ſancti Antonij de Padua, ſancti Bernardini, ſancti Ludouici Epiſcopi, ſanctę Claræ, atq; beatorum patrum Bernardi ſocij ſancti patris Franciſci, Ioannis de Capiſtrano, atq; Ægidij, inſuper & manum alterius ex ſanctis Innocentibus. Sunt quoq; & aliæ plures diuorum reliquiæ, quas breuitati ſtudentes, ex conſulto prętermittere voluimus. A

Hoc tamen, licèt longiores ſimus, nobis prætermittendum non eſt. Quòd videlicet cùm diuinus ille prædicator, beatus ſcilicet pater Bernardinus de Senis, cui nihil dulcius, nihilq; ſuauius ipſo ſanctiſſimo nomine Ieſu erat, ſacras ad Bononienſem populum, apud ſanctum Petronium, quæ matrix eius populi eccleſia eſt, conciones haberet, venerandum illud nomen, literis aureis tabellæ impreſſum, ſummo altari affigi iuſſit. Quamobrem à quibuſdam calumniatoribus accuſatus, Romæ malè audire cœpit, ſiniſtræq; de ſe ſuſpitioni, ob rei nouitatem, anſam miniſtrauit. Sed cognita per ſummum Pontificem Eugenium IV. qui tunc ad militantis Eccleſię gubernaculum ſedebat, tanti viri ſanctitate, atq; recta in Deum fide, huiuſmodi factum in ſummam eius laudem ceſſit. Interim verò quidam prædicti patris Bernardini æmulus, quòd eius acta, salubriaq; monita minus ſibi arriderent, præfatam tabellam auferri, eiuſq; loco Crucifixi imaginem erigi iuſſit. Qui tamen ab eodem Pontifice Eugenio grauiter per epiſtolam correptus, eam loco reſtituere, ac eiuſdem Crucifixi venerando capiti affigere coactus eſt. Cuius quidem epiſtolæ tranſumptum, à tergo eiuſdem imaginis poſitum, vſq; in hodiernũ diem perſeuerat. Ipſa verò imago, ſimul & tabella, pręmemorati Eugenij IV. Pont. max. iuſſu, ex ſancti Petronij templo ad hoc diui Pauli de monte tranſlatę fuerũt, quibus & ſequentes literæ ſuppoſitę ſunt. Hæc duo ſigna noſtræ ſalutis inſignia, imago Crucifixi, & nomen, in quo ſalui ſumus, debito honore à toto clero huius almæ ciuitatis Bononiæ, ab eccleſia ſancti Petronij huc delata ſunt, iuſſu Eugenij IV. tunc temporis Pont. max. B C

De conuentu S. Franciſci Bobij. *Conu.* III.

BOBIVM Inſubriæ ciuitas, atq; Mediolanenſium Duci ſubiecta, inter eos altiſſimos montes, qui Placentiæ fines à Mediolanenſibus terminis diſtinguunt, in pulcherrima quadã valle ſedem obtinet, Trebiaq; celebri, Romanorumq; ſanguine illuſtri, flumine alluitur. Extra iſtius igitur ciuitatis muros conuentus hic, Seraphico patri Franciſco ſacer, atq; à 12. fratribus inhabitatus, exurgit: qui ſanè antiquiſſimus eſt, atq; eidem Seraphico patri coëuus: cùm, indubia ſeniorum traditione, ab eo aliquando inhabitatus fuerit. Innititur verò huiuſmodi traditio duabus Pontificijs bullis in huius loci tabellario aſſeruatis: Quarum altera à Nicolao III. ſummo Pontifice 30. anno à morte diui patris Franciſci, altera verò ab Alexandro IV. Pont. itidem max. iij. tantum anno poſt eiuſdem patris mortem, data fuit: & vtraq; huius ſacræ ædis, tanquam omnino perfectæ, retroq; ædificatæ mentionem facit. Licèt enim in huiuſmodi negocio præfatę bullę conueniant, diuerſas tamen materias concernunt. Nam ea quę Alexandri IV. eſt, id tantum ex propoſito, prętendit: ne videlicet quis fratribus Minoribus impedimento eſſe poſſit, ſiue pręſumat, quominus ſepulturę tradere valeant eos, qui ſuis in eccleſijs humari cupiunt. Sed ea quę à Nicolao Romę xv. cal. Aprilis Pontificatus verò ſui anno viij. edita fuit, omnibus hanc eccleſiam in feſtiuitatibus ſanctorum Franciſci, Antonij de Padua, atq; beatę Clarę, & per eorum octauas accedentibus, dummodo per ſacram confeſſionem conſcientias terſerint, vnum annum & 40. dies de iniuncta ſibi pœnitentia pro qualibet vice relaxat. D E

De conuentu ſancti Spiritus Ferrariæ. *Conu.* IV.

EO temporis, quo Franciſcani patres Obſeruantes à Conuentualibus ſeiuncti ſunt, anno videlicet à Chriſto ſeruatore nato 1391. quoddam celebre monaſterium, ſub inuocatione ſancti Spiritus, extra inclytę ciuitatis Ferrarię muros, ad pręfatorum Obſeruantum

A ſeruantum vſum, ędificatum fuit. Sed cùm is locus eam ciuitatem imbecilliorem redderet, poſſetq; aliquando ab inimicis occupatus, Ferrarienſibus faceſſere negocium, ex mandato eorum Ducis, Alfonſi ſcilicet Eſtenſis eius nominis primi, ſolo æquatus eſt, ac paulopoſt, empto prius ab illuſtriſſimo Comite Alexandro de Sagrato ſufficienti ſitu, intra eiuſdem ciuitatis mœnia, ſacra hæc ædes, ex demolitæ materia, atq; ſub eodem penitus ſancti Spiritus inuocatione, opera tamen atq; ſumptibus præmemorati Alfonſi Ducis, multò auguſtior, multoq; celebrior præcedente conſtrui cœpit. Quę tamen licèt maiori ex parte erecta, ob immaturam ipſius Ducis mortem, tunc temporis debito fine caruit, quo nihilominus non ita pridem potita eſt; quamquam eius eccleſia imperfecta adhuc maneat, aliquando tamen Deo duce perficienda. Gaudet interim duobus altaribus (vt aiunt) priuilegiatis, altero quidem immaculatę Virginis ſanctiſſimę
B Conceptioni, altero verò Chriſto Domino cruci affixo dicatis: in quibus ex ſpeciali ſanctiſſimi domini Gregorij XIII. Pont. max. priuilegio, per Miſſarum ſacrificia, fideliũ defunctorum animæ ex Purgatorij pœnis liberantur. Ipſius verò ſacrarium ſequentes ſanctorum reliquias cuſtodit: ſanctiſſimæ ſcilicet crucis Chriſti particulam, & eius columnæ, ad quam idem Chriſtus Dominus flagellis pro nobis cædendus alligari voluit, fragmentulum. Commorantur deniq; hoc in loco 35. fratres, quorum duo ſacram alijs Theologiam legunt.

De conuentu S. Mariæ Gratiarum Arimini. Conu. V.

ARIMINENSES ciues, ne ſacris frequentiſſimisq; beatorum patrum Franci-
C ſci, atq; Antonij de Padua concionibus, quibus à plurimis vitijs ad virtutes, atq; ad meliorem vitę frugem reuocati fuerant, ingrati viderentur, hanc ſacram ædem, ſub ſanctiſſimæ Mariæ Gratiarum titulo, circa annũ à lætabunda Chriſti Natiuitate 1391. in cuiuſdam collis, cui Medius olim, modò verò Scolca nomen eſt, iugulo, ex Bonifacij tamen IX. ſummi Pontificis auctoritate, atq; ex publicis ſumptibus, non longè à communi eorum ciuitate Arimino, ad Franciſcanæ Religionis vſum ædificari curarũt: quam R.P.F. Henricus ab Aſtia totius Minoritici Ordinis Generalis Miniſter acceptãs, cæterorum huius Prouinciæ conuentuum catalogo aſcripſit. Eius verò eccleſiam reuerendiſſimi Hieronymus Ariminenſis Epiſcopus, atq; Ioãnes Montisfeltrij itidem Epiſcopus, die prima Octobris, anno autem Domini 1430. ſedente Martino V. Pont. max. elargitis ſibi pro more indulgentijs, conſecrarunt. Frequentatur hæc ſacra domus,
D ſummaq; veneratione à Chriſti fidelibus, ob imaginem quandam Annũtiationis beatæ Mariæ Virginis ibi depictam, colitur: quòd Deus opt. max. meritis eiuſdem ſacratiſſimæ Virginis, plurima beneficia, eaq; omnino mirabilia, indies ibidem ipſis præſtare dignetur. Hanc imaginem intrepidè aſſerunt Ariminenſes à pictore quodam, ſibi aſtante Angelo, atq; ſe docente, quibus coloribus lineanda, quibusq; lineis deſcribenda foret, depictam. Quod an ita ſit Deus nouit. Sed cum orthodoxæ fidei non repugnet, piè credi poteſt. Honeſtatur pręterea hic locus, quem 15. fratres inhabitant, ſequentium ſanctorum reliquijs, nempè glorioſiſſimæ ſemperq; Virginis Marię, Petri, & Pauli, atq; Bartholomęi Apoſtolorum, Victoris martyris, Antonij Abbatis, Marię Magdalenę, Catharinę virginis & martyris, Ioannis Baptiſtę, Thomę apoſtoli, Benedicti Abbatis, Blaſij Epiſcopi & martyris, Ioannis Chryſoſtomi, Simeonis, Margaretę, Iacobi mi-
E noris, Cypriani, Laurentij, Floriani, Nicolai, atq; Agathę: inſuper & particulis ſanctiſſimę crucis Chriſti, atq; ſancti ſepulchri eiuſdem, necnon & beati patris Bernardini de Senis mantello, atq; quadam beati itidem patris Iacobi Picentis tunicula.

De conuentu S. Hieronymi Foroliuij. Conu. VI.

QVANTA beneuolentia Martinus V. Pont. max. noſtram Regularem Obſeruantiam proſequutus fuerit, quantoq; ſtudio eius dignitatem, atq; leges defenderit, ex præcedentibus plus ſatis conſtat. Quamobrem ijs iterum repetendis non immorabor. Sed hæc tantum adijciam, quòd cum venerabilem patrem fratrem Iaco-

bum de Primadicijs, egregium Obſeruantiæ propugnatorem, (cuius ſupra memini- A
mus) ob ſingularem viri ſanctitatem & zelum, intimè diligeret, duorum ſibi erigen-
dorum conuentuum, vbicunq; vellet, facultatem, edita bulla ſub datum anno Do-
mini 1421. vltrò conceſſit. Qua ille fretus, ſacram hanc domum, quam frequentius 20.
fratres inhabitant, intra Foroliuij, quæ Æmiliæ ciuitas eſt, ambitum, ex publicis, ſi-
mul atq; priuatis eius ciuitatis eleemoſynis, præſertim Franciſcæ Ordelaffiæ, atq; cu-
iuſdam Pini Foroliuienſium ciuium, circa eadem tempora, in honorẽ diui Hieronymi
ædificari curauit. Dexteræ eius ſacelli, quod in huius loci eccleſia immaculatæ Con-
ceptioni beatæ Virginis Mariæ ſacratum eſt, beati patris Iacobi Vagarelli, patria Pa-
duani, qui doctiſſimus pariter & excellentiſſimus prędicator extitit, quiq́; Angelicam
ſummam ſuis additionibus colluſtrauit, ſepulchrũ ſequẽti epitaphio exornatũ, adiacet.

Hîc iacet corpus beati Iacobi Vagarelli de Padua Ordinis Minorum Regularis Obſeruantiæ, B
obijt MDXVII. Nec ſanctorum reliquijs deſtituitur ſacer hic locus: cùm altera ex
coſtis ſancti Appollinaris martyris, dimidia itidem coſta ſancti Sauini Epiſcopi &
martyris, quodam oſſe ſancti Brabatiani Archiepiſcopi & confeſſoris, parte cerebri
ſancti Simachi Romani martyris, aliquot oſſibus ſancti Clementis Papæ & martyris,
atq; tunicula beati patris Ioannis Capiſtrani religioſiſſimè exornetur. Ex hac ciuitate
oriundus fuit reuerẽdiſſimus pater frater Chriſtophorus Homaglius, aliàs à Forliuio,
qui Prouincialis huius Prouinciæ Vicariatus officio primò functus, Generaliſq́; totius
Citramontanæ familiæ Vicarius poſtmodum creatus, atq; deinde in ſeptimo generaliſ-
ſimo Capitulo, Romæ, anno Domini 1517. celebrato, eo videlicet temporis, quo to-
tius Franciſcani Ordinis ſigillum, atq; Generalis Miniſteriatus à patribus Conuentua-
libus ad Obſeruantes, ex Apoſtolica auctoritate, tranſlata ſunt, Generalis Miniſter C
electus, Cardinalitia tandem dignitate à Leone X. ſummo Pontifice inſignitus fuit.
In huius tandem loci tabellario inuenire licet authenticum tranſumptum cuiuſdam
Apoſtolici breuis Innocentij Papæ VIII. dati Romæ ſub annulo Piſcatoris 7. Decem-
bris, anno Domini 1486. in fauorem beati patris Bernardini de Feltro, quo Pietatis
mons à ſe Mantuæ, ad pauperum ſubuentionem, erectus, ratus habetur, ſimul atque
contra obganientes confirmatur.

De conuentu Annunciationis beatæ Mariæ Parmæ. Conu. VI.

PARMA Inſubrum ciuitas, atq; inter Placentiam & Cremonam ſita, à præterla-
bente fluuio Parma nomen ſibi vſurpauit, fuitq́; olim inſignis natiuitate Macrobij, D
viri vtiq; ingenio & doctrina præſtantiſſimi, atq; Caſſij poëtæ Laureati. Ad aliquot
itaq; paſſus ab hac antiqua ciuitate, monaſterium quoddam monialium diui Baſilij ali-
quandiu ſubſtitit, quod tamen minitantibus ruinam ædificijs, ab ijs deſertum, dereli-
ctumq́; fuit. Anno verò 40. ab huiuſmodi deſtitutione, qui fuit 4019. ſupra 1000. eius
redditus Parmenſi Epiſcopo, reuendiſſimo ſcilicet Bernardo Carpenſi, à Martino V.
Pont. max. collati fuêre: fundus autem, atq; quicquid ædificij ſuperſtructum erat, id
totum, ex Eugenij IV. Pont. quoq; max. auctoritate, ad inſtantiam tamen reueren-
diſſimi Delphini Epiſcopi Parmenſis, anno Domini 1434. in fratrum noſtrorum ius
ceſſit. Eius bulla ad venerabilem patrem fratrem Iacobum de Primadicijs directa, atq;
Florentiæ 9. Februarij, eiuſdem anni 1434. expedita, in huius loci cartophilacio adhuc E
perſeuerat. Fuit igitur præfatus monialium locus, tum prædicti patris Iacobi, tum
quoq; aliorum fratrum cura & ſolicitudine reſarcitus, omninoq́; refectus, atq; Annun-
ciationi ſanctiſſimæ Mariæ Virginis ſacratus, nec non & huic Prouinciæ adiectus: cui
& per 112. integros annos inſeruiuit. Sed crudeſcente in Italia bello, quòd is locus, ſu-
peruenientibus hoſtibus, ciuitati nocumento eſſe poſſet, anno à ſalutifera Chriſti nati-
uitate 1549. per illuſtriſſimum Petrum Ludouicum Farneſium Parmæ, Placentiæq́;
Ducem, non abſq́; maximo ciuium dolore, dirutus, ſoloq́; æquatus eſt. Deuotus ve-
rò quidam eccleſię ſanctorum Geruaſij & Protaſij parochus, nomine Ioannes de Riua,
cùm ex intimis præcordijs Franciſcanum Ordinem diligeret, ne eius alumnis Parma
deſtitueretur, ipſos fratres domo pulſos, proprijs hoſpitio atq; templo humaniſſimè
excepit:

A excepit: immo & à ſummo Pontifice Paulo I I I. vt ibidem perpetuò habitarent, impetrauit. Cùm tamen fratres ibidem, honeſto ſibi domicilio conſtructo, per aliquot annos, ſub titulo ſanctiſſimæ Annunciationis commorati eſſent, pinguiore illis aſpirante fortuna, nouum alium conuentum, ex auctoritate ſummi Pontificis Pij V. anno Dominicæ Incarnationis 1566. die verò 9. menſis Maij, conſtruere cœperunt. Cui excellentiſſimus Octauius Farneſius Parmenſis Dux, atq; reuerendiſſimus Epiſcopus de Brugneſo, tunc Parmenſis ſuffraganeus, coram plurimis proceribus, deuotisq; ciuibus, iacto primo atq; fundamentali lapide, fœliciſſimum initium dedêre. Nam breui tempore maiori ex parte conſtructus eſt, & à 24. fratribus inhabitatur. Gaudet interim eius eccleſia altari quodam (vt aiunt) priuilegiato, in quo ex conceſſione ſummi Pontificis Gregorij XIII. facta 20. Auguſti, anno Domini 1577. per Miſſarum celebrationem, fi-
B delium animæ ex Purgatorij pœnis liberantur. Honeſtatur præterea quodam oſſe ſancti Hominis boni, atq; tunica beati patris Bernardini de Senis, nec non & ſepultura reuerendiſſimi patris fratris Pauli Piſſoti, aliàs de Parma, qui totius Ordinis Minorũ Miniſter Generalis aliquando fuit: cui & hoc epitaphiũ quidã eius nepotes apponi iuſſerunt.

Paulo Piſſoto Parmenſi Lud. Piſſ. f. vniuerſi Ordinis Minorum Miniſt. Gener. ſapientiſſ. Theologo; vita æq. ac ſcientia rariſſ. Nep. IIII. è gente Zandemaria auunculo B. M. P. Obijt anno ſal. MDXXXIV. Aetatis ſuæ LIV. M. ix. D. xi. vij. Id. Nou.

De conuentu S. Angeli Cremonæ. Conu. VIII.

C SVMMA Cremonenſium ciuium in Franciſcanam familiam beneuolentia, inſtanteſq; eorundem preces fecerunt, vt Eugenius IV. Pont. max. tribus bullis, diuerſis tamen temporibus datis, videlicet annis Domini 1438. & 1439. atq; 1447. vnius Minoritici conuentus ædificandi illis facultatem impertitus ſit. Qua deniq; obtenta, monaſterium diuo Angelo ſacrum in ſuburbio omnium ſanctorum, prope eandem ciuitatem Cremonam, ex publicis facultatibus, circa præfata tempora, ij conſtrui, huiuſq; Prouinciæ patribus tradi curarunt. Qui poſtquàm per nonaginta continuos annos ibidem commorati eſſent, vigente bello inter Carolum V. Imperatorem Hiſpaniarumq; Regem, atq; Franciſcum Galliarum quoq; Regem, & Venetam Rempublicam, præfato loco, quòd ciuitatis fortitudinem eneruaret, quodq; eius munitioni obeſſet, funditus euerſo, aliò commigrare coacti ſunt. Cumq; per octo annos, eoq; amplius, in nobilis
D cuiuſdam Cremonenſis domo moram traxiſſent, à reuerendo Hieronymo Pellizario, prioratus ſanctorum Coſmæ & Damiani Commendatario proprio, eoq; humaniſſimo, hoſpitio, quod præfatæ ſanctorum Coſmæ & Damiani eccleſiæ adiacebat, anno Domini 1534. excepti, eoq; tandem donati fuêre. Cui donationi ſubſcribens Paulus III. Pont. max. edito Apoſtolico breui ſub datum 8. Decembris eiuſdem anni 1534. ijſdem fratribus conceſſit, vt præfatas domum atq; eccleſiam, muris Cremonenſibus circumſcriptas, in iuſtum, commodumq; conuentum, ſub titulo ſancti Angeli, promouere, transferreq; poſſent. Quod & illi, fauentibus ſibi pijs Cremonenſium eleemoſynis, quàm diligentiſſimè prẹſtiterunt. Itaq; hæc ſacra domus, diuo Angelo dicata, quẹ intra ciuitatis Cremonæ ſepta, auguſtè ſatis, atq; magnificè ſurrigit, anno à Chriſto nato 1553. omnibus ſuis numeris abſoluta fuit: in qua commodiſſimè 30. fratres vt plurimùm
E commorantur. Cuius eccleſia, ſi eius originem attendas, antiquiſſima eſt: cùm ante nongentos annos, prout ex epitaphio cuiuſdam ſepulturẹ ibidem erectẹ, facillimè conſtat, erecta fuerit. Idq; etiam teſtatur indulgentia perpetua in feſto ſanctorum Coſmæ & Damiani à ſummo Pontifice Gregorio VIII. ex ſequenti cauſa, ſibi conceſſa. Cùm enim præfatus Pontifex Gregorius, ob impudentiam Gilberti Archiepiſcopi Rauennatis, qui aſpirante ſibi Imperatoris Henrici aura, in tantam veſaniam proruperat, vt ſummum Pontificatum vſurpare præſumeret, grauiſſimè affligetur, ſolemnem ſupplicationem, ob huiuſmodi ſchiſmatis diſſolutionem, Romæ in eccleſia ſanctorum Coſmæ & Damiani indixit, votiq; compos effectus, ne præfatis ſanctis, quorum interceſſione id aſſequutus videbatur, ingratus eſſet, omnibus eccleſijs in ipſorum honorem per totum Orbem vſq; in illud tempus erectis, de quarum numero hẹc fuit vna, prẹfatam indulgentiam

dulgentiam elargitus eſt. Inter cæteras huius ſacrę domus imagines ea, quę Chriſtum Dominum cruci affixum repræſentat, quòd cuidam pictori loquuta dicatur, Cremonenſibus venerabilior eſt: cuius pedibus ſequentia verba ſubſunt: Victor mortis & Inferni. Huius igitur imaginis, reliquiarumq; ſanctorum Coſmæ, Damiani, Babillę, atq; Simpliciani cauſa, hic locus, in quo eximiæ ſanctitatis viri, ac venerabilis patris Damiani de Padua corpus ſepultum eſt, præfatorumq; ſummorum Pontificum literæ ſuperius nominatę aſſeruantur, mirum in modum à fidelibus frequentatur. A

De conuentu S. Spiritus Regij Lepidi. *Conu.* IX.

BONVS ille ſanctitatis atq; religionis odor, qui ex Franciſcanis hortis, tempore ineuntis Obſeruantię Regularis exhalabat, adeò ſerpſit, adeoq; diffuſus eſt, vt omnes penè ciuitates, oppida, atq; pagos ſua ſanctitate refecerit, recrearitq;, atq; ad Minoriticorum conuentuum ędificationem allexerit, prout argumento eſſe poſſunt omnes, tum Hetrurię, tum Æmilię, tum quoq; Piceni, atq; Latij vrbes, minoraq; loca, quorum vix vnum abſq; huiuſmodi monaſterio inuenies. Non igitur mirum eſſe debet, ſi Regium Lepidum, Gallię Ciſalpinę antiquiſſima ciuitas, Franciſcanum quoq; cœnobium apud ſe ędificandum curarit, idq; dirutum denuò, alio tamen in loco conſtrui fecerit. Cum enim, anno Dominicę Incarnationis 1438. auctoritate Eugenij IV. Pont. max. ſibi fauente, conuentum quendã ſanctiſſimo Spiritui ſacrum ex communi ęrario, non procul à ſuis muris, ſatis eleganter, ſatisq; magnificè eodem in loco, in quo monaſterium Ordinis ſancti Marci de Mantua præextiterat, ex Prioris, cæterorumq; monachorum conſenſu, erigi curaſſet, fratribusq; tradidiſſet: isq; oborto inter Gallorum Hiſpaniorumq; Reges, atq; inter diuiſos Italos iſti aut illi parti adhærentes, bello, ne ciuitati nocumento aliquando eſſet, ſub Iulio III. Pont. max. ex mandato excellentiſſimi Herculis Eſtenſis Ferrarienſium Regienſiumq; Ducis, huius nominis II. ſolo ęquatus eſſet, non diſtulir & hunc ſecundum eidem ſanctiſſimo Spiritui ſacrum, ex publicis quoq; facultatibus, intra mœnia tamen, ad commodam 20. fratrum habitationem conſtruere, ſiue potius reficere. Nam deuotus, piusq; Caprianus Palauicinus, nobilis Ianuenſis, atq; Abbatiæ ſanctæ Mariæ de Marula Commendatarius, cùm pauperculos fratres loco pulſos in propriũ hoſpitiũ, atq; eccleſiã recepiſſet, eam ab illo, quòd fratribus vſui futura eſſet, cũ hortis, adiacentibusq; ædificijs, ex prẹfati Iulij III. auctoritate, iuſto interim Regienſes perſoluto pretio compararunt, atque in monaſticę domus formam redegerunt: quibus etiam pro viribus, oportuneq; affuit illuſtriſſima Liuia Palauicina, cùm maius ſacellum proprijs ſumptibus ædificari fecerit. Maxima veneratione proſequuntur Regienſes pileolum quendam beati patris Bernardini de Senis, in huius loci ſacriſtia aſſeruatum, quod, ad pellendos quoſcunq; capitis dolores, infirmis applicatum plurimùm conferat. B C D

De conuentu S. Hieronymi Fauentiæ. *Conu.* X.

EVGENIVS IV. ſummus Pontifex, vt illuſtrium Guidatij Aſtorgij, & Ioannis Galeatij vterinorum fratrum, nec non & piorum ciuium Fauentinorum iuſtis votis faceret ſatis, edito Apoſtolico diplomate, anno à mundi reparatione 1444. Fauentino ſenatui conceſſit, vt antiquiori eccleſia ſanctæ Perpetuæ, quę ad Prioratum ſancti Marci de Mantua pertinebat, quæq; ad ruinam properabat, demolita, fratribus Franciſcanis Obſeruantibus conuentum eodem in loco parare, atq; erigere poſſent. Qui tandem, collatis in medium neceſſarijs, hoc monaſteriũ diuo Hieronymo ſacrum, & ab 18. fratribus inhabitatum, aliquantulum extra Fauentiam Flaminiæ ciuitatem, à primis fundamentis erectum, ad finem vſq; perduxerunt. Cumq; patronatus ius penes præfatos Aſtorgium, Ioannem Galeatium, atq; Guidatium manſiſſet, Aſtorgius iunior Manfedri Galeatij filius & ſucceſſor, atq; Fauentiæ Dominus temporalis ſuorum patris, atq prędeceſſorum pietatem, & deuotionem ſequutus, ſub Paulo II. Pont. max. coràm Fauentinis ſenatu, & clero prædicto patronatus iuri renunciauit, publiceq; proteſtatus E

A teſtatus eſt ſacram hanc domum, cui & hortos adiunxit, ad Franciſcanam familiam Obſeruantem pleno iure, omninoq; pertinere. Quam etiam illuſtriſſimus, pariterq; reuerendiſſimus Fridericus Manfredi, Fauentinus Epiſcopus, pulcherrimo quodam ſacello, diuo Hieronymo ſacro, proprijsq; ſumptibus erecto, anno Domini 1483. elegantiſſimè illuſtrauit.

De conuentu Annunciationis beatæ Mariæ Cæſenæ. Conu. XI.

QVVM Abbas quidam Benedictinus, eiusq; monachi iuri, quo eccleſiam ſancti Laurentij poſſidebant, in fratrum Minorum Obſeruantum fauorem ceſſiſſent, noſtri fratres, ex facultate Eugenij IV. Pont. max. ſibi anno Domini 1444. facta, & à B ſummo Pontifice Pio II. anno à Chriſti Natiuitate 1458. ad illuſtriſſimi Malateſtæ de Malateſtis inſtantiam, confirmata, hunc conuentum Annunciationi ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariç ſacrum, ex pijs Cçſenenſis ſenatus, aliorumq; benefactorum eleemoſynis, aliquantulum à Cæſena, Aemiliæ ciuitate, eodem videlicet in loco, vbi prius Eccleſia ſancti Laurentij extiterat, erigendum curarunt. Cuius eccleſia 27. Septembris, anni Domini 1472. à reuerendiſſimo quodam Reatino Epiſcopo conſecrata fuit. Qui & ſub eius ſummo altari aliquot venerandas ſanctorum Petri, & Bartholomæi Apoſtolorum, atq; Blaſij, Chriſtophori, Apollinariſq; martyrum reliquias recondidit. Hunc tandem locum, qui amœnus, capax, atq; commodiſſimus eſt, 18. vt plurimum fratres inhabitant.

C *De conuentu S. Nicolai Carpi. Conu. XII.*

EO temporis, quo Nicolaus V. Pont. max. Eccleſiæ Petri clauum tenebat, anno videlicet Domini 1449. impetrata eius facultate, prout ex eiuſdem Apoſtolico breui dato 30. Octobris prædicti anni, quod in huius loci archiuis aſſeruatur, luculentiſſimè patet, illuſtriſſimi Albertus Pius, atq; Galeatius Pius vterini fratres, nec non Carpenſes Domini temporales, ob eorum in Frãciſcanam Obſeruantem ſobolem maximũ affectum, ſingularemq; beneuolentiã atq; deuotionẽ, hoc monaſteriũ diuo Nicolao ſacrũ; quod 16. fratres occupant, ad eius vſum, non procul ab oppido Carpo, eodem prorſus in loco, in quo ædicula quædam, in præfati diui Nicolai honorem, conſtiterat, ex D communibus facultatibus, auguſtè ſatis, atq; comptè nimis, ædificari fecerunt. Sed prædicto oppido, ob aduentantium accolarum frequentiam, dilatato, atq; aggeribus, valloq; cincto, locus hic, qui prius muris excludebatur, ijſdem modo circumſcribitur. Cuius eccleſia à reuerendiſſimo patre fratre Theodoro Pio Minorita, ac Monopolitano Epiſcopo, die 26. Aprilis, anno verò Domini 1522. conſecrata extitit, reuerendiſſimorumq; patrum Vaſcheræ, & Alexandrini Franciſcanorum, nec non Epiſcoporum, atq; beati patris Stephani Galli Minoritæ, viri vtiq; ſanctiſſimi, qui 27. Aprilis 1484. viam vniuerſæ carnis fuit ingreſſus, oſſa tegit. Hac eadem in eccleſia illuſtriſſimi Leonellus Pius Carpenſis Comes, ac pater prænominati Alberti Pij, viri vtiq; doctiſſimi atq; catholiciſſimi, qui apologiam quandam aduerſus Eraſmum Rotherodamum ſcripſit, generaleq; totius Franciſcani Inſtituti Capitulum ſuis impenſis hoc in cœno-E bio celebrauit, editaq; à doctiſſimis patribus, Gratiano & Paulo Minoritis in Ioannem Duns Scotum opera, ijsdem, prælo mandari fecit, ac tandem Pariſijs moriens in almo eius ciuitatis Franciſcano conuentu ſepeliri voluit, cui & æneum, atq; religioſum ſatis mauſolæum in medio choro erectum eſt, atq; Leonellus Pius eius nominis II. illuſtriſſimiq; etiam Rodulphi Pij Cardinalis Carpenſis, atq; Obſeruantis Franciſcani Ordinis ſapientiſſimi Protectoris pater, ſumptuoſo quodam ſepulchro, non longe à porta, qua templum petitur, tumulati iacent.

De conuentu S. Bernardini de Burgonouo. Conu. XIII.

NEC minus commendanda venit illuſtriſſimi Lazari Arcelij, Valtidonenſis Comitis deuotio, quàm præcedentium Comitum pietas. Cùm & is, ex eadem prorſus in

ſus in Franciſcanos Obſeruantes ſingulari beneuolentia atq; affectu, hanc quoq; ſacram ædem, beato patri Bernardino ſacrã, & à 12. fratribus incultam, ex domeſtico peculio, aliquantulum ab oppido Burgonouo, Placentinæ diœceſis 17. menſis Octobris, anno verò Domini 1450. à fundamentis erigi, breuiſſimiq; temporis ſucceſſu omnibus ſuis numeris abſolui curarit. Quę quidem ſacra domus plures nobis doctiſſimos patres, atq; grauiſſimos viros peperit: Reuerendum nempe (vt alios interim miſſos faciam) patrem de Valle, qui cùm reuerendiſſimi patris fratris Franciſci Lichetti non ſurdus auditor aliquando fuiſſet, poſt functum hac in Prouincia Miniſteriatus Prouincialis munus, & in Romana curia Procuratoris officium, ad Generalis Commiſſariatus Citramontanæ familiæ dignitatem promoueri meruit: Atq; R.P.F. Aloyſium Puteum, virum vtiq; doctiſſimum, atq; vniuerſi Ordinis Franciſcani Generalē Miniſtrum: eiusq; vterinum fratrem, venerandum ſcilicet patrem Archangelum, agnomine ſibi à voluntaria paupertate, quam accuratiſſimè coluit, ab omnibus indito Pannoſum, vulgò verò lo ſtracciato, qui Hebraicæ linguæ peritiſſimus fuit, librumq; de nomine Ieſu doctiſſimum, atq; alium apologeticum in fauorem illuſtriſſimi Ioannis Pici Mirandulæ Comitis, ex ea ſcientia, quam diligens diſcipulus ex doctiſſimi pręceptoris, venerabilis ſcilicet patris fratris Georgij Veneti, atq; Harmoniæ mundi auctoris pectore hauſerat, luculentiſſimè edidit. A B

De conuentu S. Mariæ montis Oliueti Caſtri Arquati. Conu. XIV.

CISTERCIENSIBVS quibuſdã monialibus proprio monaſterio, diuo martyri Dionyſio ſacro, quod illis non longè à Caſtro Arquato, Inſubrum oppido, atq; Placentinæ diœceſis erat, ad inſtantes excellentiſſimi Franciſci Sfortiæ eius nominis II. Mediolanenſium Ducis, eiusq; oppidi Domini temporalis, atq; Arquatenſis communitatis preces, ex Nicolai V. Pont. max. iuſſu, legitimis tamen de cauſis, pulſis, alioq; migrare coactis, præfatum monaſterium, ex apoſtolica eiuſdem ſummi Pontificis auctoritate, in fratrum noſtrorum ius, anno à Chriſto Seruatore nato 1452. ceſſit. Cumq; maiori ex parte ruinam minaretur, pijs Arquatenſium ſumptibus, ſub nouo tamen titulo ſanctę Mariæ montis Oliueti, auctum, reſarcitum, mirumq; in modum colluſtratum extitit. Cuius eccleſiæ, ad deuotam illuſtriſſimæ Catharinæ Sfortię, ſanctæ Floræ nobilis Comitiſſæ petitionem, ſummus Pontifex Gregorius XIII. vt ex eius breui Apoſtolico, dato Romæ 7. Maij, anno 1576. Pontificatus verò ſui anno iiij. quod ab huius loci fratribus ſimul cum Apoſtolicis Nicolai V. literis cuſtoditur, liquido patet, plenariam indulgentiam, in fauorem eam accedentium, ſingulis diebus feſtiuis Natiuitatis beatæ Mariæ Virginis, conceſſit: atq; ſummum eius altare ſequenti priuilegio donauit, vt videlicet per Miſſarum ſacrificium fidelium animæ è Purgatorio igne ibidem liberentur. Huius tandem loci fratres inquilini vicenarium numerum non excedunt. C D

De conuentu S. Franciſci Plebis. Conu. XV.

CVM deuota fœmina Antonia de Bonellis certam pecunię ſummã, ad vnius Franciſcani conuentus ædificationem, ex teſtamento legaſſet, perdeuotæ oppidorum Plebis, atq; Centi communitates, adiunctis his quæ deſiderabantur, hoc cœnobium, Seraphico patri Franciſco ſacrum, & à 12. fratribus occupatum, ex Nicolai V. Pont. max. aſſenſu, anno ſalutis humanæ 1452. aliquantulum à præfato oppido Plebe, in margine Rheni fluminis, dempto maiori ſacello, quod peculiaribus quorundam Centonum ſumptibus conſtructum eſt, ædificari curarunt. Nec prius ab opere deſtiterunt, quàm eius eccleſia à reuerendiſſimo quodam Epiſcopo, cuius nomen nos omnino fugit, conſecrata fuerit. Contigit autem ſibi huiuſmodi conſecratio 16. Octobris, anno Domini 1519. Quicquid verò ſcripturarum ad huius loci negocium, ab his quæ dicta ſunt, deſiderari poterit, Centonicæ communitatis archiuis fideliſſimè miniſtrabit. E

A *De conuentu S. Franciſci Mirandulæ. Conu. XVI.*

MIRANDVLA oppidum eſt, paruum quidem, ſed cæterorum, immo & ciuitatum totius ferè Galliæ Ciſalpinæ munitiſſimum, intra cuius ambitum eccleſia extat antiqua ſatis, atq; à diuerſis inhabitata. Primò quidem à ſæcularibus ſacerdotibus, deinde à Franciſcanis Conuentualibus, ac tum demum ab eiuſdem Ordinis Obſeruantibus. Ad quos, illuſtriſſimis huiuſce oppidi Mirandulæ Dominis temporalibus maximè ſupplicantibus, quorum etiam munificentia adiunctum ſibi monaſterium maiori ex parte conſtructum fuit, ex Calixti III. Pont. max. mandato, anno humanæ ſalutis 1455. vltimò deuolutum eſt, modoq; ſpectat. Huius loci eccleſia, quæ beatiſſimo patri
B Franciſco dicata extitit, cuiusq; anniuerſaria conſecrationis dies 19. cuiuſuis menſis Aprilis celebratur, plurimis, ijsq; elegantiſſimis mauſolæis, in quibus plures ex illuſtriſſima Picorum proſapia, eiuſdemq; oppidi Mirandulæ Domini temporales reconditi ſunt, atq; altari quodam à Gregorio XIII. ſummo Pontifice, in fidelium defunctorum fauorem atq; refrigerium, priuilegiato, necnon & ſequentibus ſanctorum reliquijs exornatur: Videlicet capite ſanctę Hilarię olim Cypri Reginę, parte brachij ſancti Ludouici Francorum Regis, oſſibusq; ſanctorum Iacobi minoris ac Thomæ Apoſtolorum, Stephani protomartyris, Antonij de Padua confeſſoris, vnius ex vndecim millibus virginum, Victorij Papę & martyris, Eufemię virginis & martyris, vnius ex ſanctis Innocentibus, Sergij Papę, Eutropij, Criſtinę, atq; Mauritij Thebęi martyris. Hunc quoq; locum, quem 14. fratres inhabitant, ab his ſacroſanctis reliquijs, commenda-
C tiſſimum reddunt beati patres Raphaël Teutonicus, qui obijt anno 1494. atq; Innocentius de Carpo, cuius benedicta anima, anno Domini 1530. ad aſtra migrauit. Hi ambo beati patres plurimis poſt mortem claruêre miraculis, atq; hoc in eodem loco ſepulti ſunt.

De conuentu Annunciationis B. Mariæ Bononiæ. Conu. XVII.

BONONIENSES ciues, vt facilius, opportuniusq; fratrum Obſeruantum opera, tum in ſacris confeſſionibus faciendis, tum in concionibus audiendis, tum quoque in conſilijs excipiendis, vti poſſent, à ſummo Pontifice Sixto IV. alterius Minoritici conuentus, propè muros, licet à parte exteriori, ędificandi (diſtat namq; ſancti Pau-
D li locus, de quo ſupra, longiuſculus à ciuitate) facultatem impetrarunt. Quamobrem tum ex publicis, tum quoq; ex priuatis eleemoſynis, hunc conuentum Annunciationi ſanctiſſimę Dei genitricis Marię ſacrum, quem 60. fratres incolunt, ad totidem paſſus à porta ſancti Mammoli, anno à mundi redemptione 1475. erigi curarunt. Ad cuius quoq; promotionem Bentiuolia, Felcinia, atq; Mangiolia illuſtres familię Bononienſes plurima contulerunt. In altera huius ſacrę domus capella beatę Apollonię, miraculis omnino illuſtris, venerabile corpus ſepultum eſt, cui ſequentia carmina adiacent.

Condita capſa eſt hac ſoror Apollonia dignè,
Quam, quæ iam fecit, firmant miracula ſanctam,
Nupta prius ciui, ſed poſt vidua ipſa manſit,
Franciſci tandem ſeſe veſte induit almi.

E Ad latus verò ſummi altaris dextrum, quod ſacro decantando Euangelio deſtinatur, reuerendiſſimus pater frater Aloyſius Puteus de Burgonouo, totius Minoritici Inſtituti Generalis olim Miniſter tumulatus exiſtit: cuius ſepulchrum ſequens ornat epitaphium.

Frater Aloyſius Puteus Burgonouanus, ex Minoribus Obſeruantibus, hîc ſitus eſt.

Quem omnes, qui aliquam eruditionis famam in familia ſua attulerunt, magiſtrum, qui Rempublicam Franciſcanam adminiſtrarunt, exemplũ ſibi præcipuum aſciuerunt. Qui verò concilio Tridentino interfuerunt, quò ille à Pio IV. Pont. max. miſſus adfuit, vtramq; doctrinæ & ſapientiæ laudem mirificè comprobarunt. Qui Prouincialia & Generalia munera tamdiu exercuit, tot Italiæ ſuggeſtus concionibus celebrauit, Scotum tanta diligentia, & voce & ſcriptis explicuit,

vt vix

vt vix vllam horam vacuam, aut meditando, cum aſſiduè ageret, aut agendo cum perpetuò me- A
ditaretur habuiſſe, videatur. Demum ieiunijs, vigilijs, peregrinationibus, ſtudijs magis quàm
ætate confectus, grauibus apoplexiæ, per quatuor annos, incommodis, diuexatus, Chriſtianæ
patientiæ nobile nobis exemplum reliquit.

Obijt ix. Nouembris MDLXXX. Aetatis ſuæ anno LXXIII.

Tanto viro benemerenti frater Hieronymus Immolenſis hunc P.

Cui, vt tanti patris in Religione progreſſus paucis perſtringamus, hæc adijcere li-
bet. Quòd videlicet, anno Domini 1541. huius Prouinciæ diffinitor inſtitutus, atq; an-
no 1551. eiuſdem Prouincialis Miniſter electus ſit, ac anno 1563. Generalis Commiſ-
ſarius Citramontanę familię ex patrum voto effectus, ad totius tandem Franciſcani Or-
dinis Generalis Miniſteriatus dignitatem, anno Domini 1565. aſcenderit. De cuius
etiam doctrina atq; ſcientia hæc tantum dixiſſe ſufficiat: quòd fuerit inter doctos do- B
ctiſſimus, atq; inter Scotizãtes ſubtiliſſimus, quodq́; continuis ſuis laboribus, lucubra-
tionibus, atq; prælectionibus, plurimos, eoſq́; doctiſſimos diſcipulos poſt ſe reliquerit.

De conuentu S. Mariæ de Angelis Buxeti. Conu. XVIII.

BVXETVM Ciſalpinę Gallię oppidum eſt, attinetq́;, ſub Marchionatus titulo,
ad illuſtriſſimam Palauicinorum familiam, cuius deuotiſſimi Marchiones Ioan-
nes Ludouicus eius nominis primus, atq; eiuſdem vterinus frater Pallauicinus, cum
maximo Minorum Obſeruantum deſiderio tenerentur, à ſummo Pontifice Sixto IV.
ſuppliciter petierunt, quatenus meditantibus ſibi Franciſcani vnius conuentus conſtru-
ctionem, annuere dignaretur. Quo tandem pro votis, quemadmodum ex quadam eius C
bulla 15. mẽſis Octobris, anno Domini 1474. data, hocq́; in loco aſſeruata, liquidò con-
ſtat, annuente, hanc ſacram ædem, quam vt plurimum 15. fratres incolunt, in hono-
rem benedictæ ſemperq́; Virginis Mariæ de Angelis, intra pręfati oppidi Buxeti ſepta,
communibus ſumptibus, atq; comptè ſatis, circa eadem tempora à fundamentis ad
verticem vſq; ædificari, perficiq́; curarunt.

De conuentu SS. Ceciliæ & Margaretæ Mutinæ. Conu. XIX.

CONSTITERAT olim extra Mutinam, Romanorum olim coloniam, atq;
Ciſalpinę quoq; Gallię in Flaminia ciuitatem, quoddam monialium Benedictina-
rum cœnobium, in honorem ſanctę Cecilię erectum, quod tamen ab eiſdem derelictum, D
in monachorum diui patris Benedicti præfatæ ciuitatis poteſtatẽ, ſub Martino V. Pont.
max. anno Domini 1428. tranſijt. A quibus tandem, ne ſic deſertum peſſum ire con-
tingeret, ad noſtrates, tum ex eorundem monachorum, tum quoq; ex Mutinenſis ſe-
natus conſenſu, deuolutum eſt. Cuius quoq; liberalitate, & munificentia, maiori ex
parte reſarcitum, ſiue potius refectum, atq; in multò meliorem, commodioremq́; for-
mam, redactum extitit. Cumq́; ibidem quietiſſimè, atq; commodiſſimè (erat enim ele-
gantiſſimus amœniſſimuſq́; locus) pauperculi fratres, ad illuſtriſſimi Ferrarienſium
Ducis Herculis huius nominis II. vſq; tempora, commorati fuiſſent, ipſius iuſſu, quòd
munitioni Mutinenſis ciuitatis is locus negocium faceſſere videretur, quodq́; bella in
Italia paſſim exercerentur, eo demolito, aliò commigrare compelluntur. Quibus per
incertas ſedes errãtibus ſummopere compatiens deuotus, ſimul atq; pius Antonius Bo- E
ninus mutinenſis canonicus, atq; eccleſiæ S. Margaretæ eiuſdem ciuitatis Parochus pa-
rochialẽ ſibi creditã eccleſiã ipſis tradendam, atq; in monaſteriũ transferrendã curauit.
Quam tamen illi, abſq; apoſtolicæ Sedis auctoritate, acceptare renuerunt. Accedente
verò poſtmodum Pauli III. Pont. max. aſſenſu, cuius bulla 8. Maij, anno Domini 1538.
hac de re data adhuc extat, eam & acceptarunt, & ex liberaliſſimis reuerendiſſimi An-
tonij Fiordibellij, Lauellẽſis Epiſcopi, eiuſq́; vterini fratris Ludouici Fiordibellij nobi-
liſſimi Mutinenſis, atq; piorum aliorum ciuium eleemoſynis, ſuis vſibus adaptarunt.
Sed cùm præ vetuſtate ad terram vergeret, facultaſq́; tum ſummi Pontificis Grego-
rij XIII. tum quoq; eorum qui deſiderari poterant, præ manibus adeſſet, ea demolita
alia no-

A alia noua, in ſanctarum Ceciliæ atq; Margaretæ honorem, multo auguſtior multoq; elegantior conſtructa, atq; ædificato iam monaſterio annexa fuit. Coram ſummo huius eccleſiæ altari, honeſto quodam in ſepulchro, humata iacent præfati reuerendiſſimi Epiſcopi Lauellenſis, eiuſq; fratris corpora. Extat quoq; deuotiſſima quædam beatiſſimæ Virginis imago, à præfato reuerendiſſimo Lauellenſi Epiſcopo dono data, quam pictor quidam clanculo, ex ea quæ Romæ apud ſanctam Mariam maiorem religioſius colitur, ad viuum extractam, ſibi contulerat. In Minoritica verò patrum huiuſcemet ciuitatis Conuentualium eccleſia, Seraphico patri Franciſco ſacra, corpora venerabilium patrum Gerardi, Prędicatoris eximij, atq; Thomę de Ferignano, totius Ordinis Generalis aliquãdo Miniſtri, & Patriarchæ Gradẽſis, necnon Epiſcopi atq; Cardinalis Tuſculani, in pace quieſcunt: quorũ animę, ob eorũ eximias virtutes, ſingularẽq; ſanctitatem, inter beatos ab omnibus beari exiſtimantur. Commorantur hoc in loco 15. fratres. B

De conuentu S. Apollinaris Rauennæ. Conu. XX.

RAVENNA, Sabinorum olim Colonia, ciuitas eſt Æmilię antiquiſſima, atq; ad Maris Adriatici litus poſita, quam Deus opt. max. tantoperè dilexit, vt ad eam beatum Apollinarem martyrem glorioſum, nec non principis Apoſtolorum Petri diſcipulum, Epiſcopum, atq; ſanctiſſimi ſui Euangelij præconem deſtinauerit, ſibiq; vndecim Archiepiſcopos, nempe Calocerium, Elexadium, Martianum, Daſum, Adeſeſim, Marcellinum, Portum, Proculum, Liberium, Seuerum, atq; Agapitum, quorum omnium corpora ſub ſummo matricis eius eccleſiæ altari honorifice ſepulta ſunt; diuino numine in columbę ſpecie afflante, ſucceſſiuè pręficiendos voluerit. Extra iſtius C ergo vrbis mœnia Minores Obſeruantes locum quendam, ſub titulo ſancti Mamonis, ab anno Dominicæ Incarnationis 1488. vſq; ad annum 1512. occuparunt. Sed eo, ob frequentes militum incurſus atq; moleſtias, derelicto ad ſancti Apollinaris eccleſiam, intra eiuſdem ciuitatis muros, à patribus Benedictinis conceſſam, ſe tranſtulerunt, monaſteriumq;, ex ſummi Pontificis Leonis X. indulto, cuius dipploma, datum Romæ 6. Iulij, Pontificatus verò eiuſdem anno primo, adhuc extat, atq; ex prioris derelicti loci materia, fauentibus ſibi Rauennatum eleemoſynis, accommodè ſatis ędificatum, ſibi annexuêre: in quo & vſq; in hodiernum diem, ſub eodem beati Apollinaris titulo, (retinet ſiquidem eccleſia nomen antiquum) perſeuerant. Non erit abs re (puto) ſi aliquid de ſtructura huius eccleſiæ, eiuſq; magnificentia in medium adduxerimus: cùm (niſi D me mea fallat opinio) reliquis Franciſcanis domibus celebrior ſit. Innititur ſiquidẽ 24. marmoreis columnis, quarum quęlibet altitudinis 10. cubitorum, & latitudinis 2. eſt, forinſecuſq; 13. quoq; ferè ſimilibus columnis exornatur. Intrinſecus verò pulcherrimis picturis atq; imaginibus muſeatis, ita ex teſſellis ſegmentiſq; coagmentatis, vt ipſiſſimã rem tanquã penicillo depictam repræſentẽt, elegantiſſimè colluſtratur. Quamobrem ipſam vel ſacrum, vel concionẽ audituri ingredientes ſæpius propoſito fruſtrabantur. In huius autem eccleſiæ fundatore non omnes conueniunt. Alijs quidem opinantibus eam à Iuſtiniano Imperatore, eiuſq; coniuge Theodora fabricatam eſſe: quibus eorundem ſimulacra portę principaliori imminẽtia, affabreq; opere muſeato aptata, aſtipulari videntur. Alijs verò aſſerentibus Theodoricum, Gottorum Regem, eius authorem extitiſſe: quibus ſequentia verba, in maiori ſacello olim ſcripta, licet modò præ E vetuſtate obliterata, conſentiunt. Theodoricus Rex, Gottorum fundauit hanc eccleſiam in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Quicquid tamen ſit, eam ante mille & ſexaginta annos exordium ſumpſiſſe, beatoq; Martino dicatam aliquando fuiſſe, à ſui videlicet principio ad id vſq; tempus, quo Ioannes VII. huiuſce ciuitatis Archiepiſcopus corpus beati Apollinaris, à quo & nomen acquiſiuit, ex loco, vbi prius ſepultum fuerat, ad hanc ſacram ædem tranſtulit, certiſſimum eſt. Inter cætera verò quæ hanc eccleſiam illuſtriorem reddunt, principem locum obtinent ſanctorum Apollinaris martyris eius patroni, atq; Rauennatum Antiſtitis, & Ioannis Papæ & martyris corpora, quæ quodam in marmoreo, antiquo, atq; deaurato ſepulchro recondita conſeruantur: in quo & plumbea tabella, ſequenti titulo inſignita, olim inuenta fuit. In hoc ſarcophago requieſcit corpus beatiſſimi, & ſacratiſſimi Apollinaris martyris Chriſti, collo-

catum à Ioanne Archiepiſcopo. Præfato autem ſepulchro binæ arculæ ligneæ ſancto- A
rum reliquijs refertæ, atq; vas quoddam martyrum ſanguine plenum, qui quidem
adeò rubeſcit, vt recentiſſimus omnino videatur, & ſancti Sauini Epiſcopi & marty-
ris corpus, quod cùm diu incognitum ſub terra latuiſſet, anno Domini 1266. ex reue-
latione reuerendiſſimis pariterq; pientiſſimis Richelmo Epiſcopo Liuienſi, atq; Phi-
lippo Rauennati Archiepiſcopo facta, exhumatum, atq; ad ſanctæ Catharinæ ſacel-
lum, debito cum honore, tranſlatum eſt, ſuppoſita ſunt. Atqui diui Appollinaris ca-
put his carminibus exornatum ſummo altari ſuperſtat.

Martyris à Petro miſsi caput Apollinaris eſt,
Qui Antiſtes hac primus in vrbe venit.

Adiacent quoq; ſibi Eliſei Prophetæ caput, quod ab vrbe Roma Rauennam à præfa-
to diuo Ioanne ſummo Pontifice ac martyre tranſlatum aſſeritur: & ſuperior pars cra- B
nij ſancti Sauini Epiſcopi & martyris, & quædam ſanctorum Clementis Papę & mar-
tyris, Antonij Archiepiſcopi Florentini Ordinis Prædicatorum, Petri atq; Marcellini
martyrum oſſa, inſuper & eiuſdem Ioannis Papæ & martyris caput, ad cuius baſim ſe-
quentia carmina appoſita ſunt.

Pontificis ſacrum caput eſſe Ioannis,
Qui hîc pro Chriſto in carcere obijt.

Has vltimas ſanctorũ reliquias illuſtriſſimus Cardinalis de Vrbino, vrbis Rauennę
Archiepiſcopus, atq; totius Ordinis Minorum Protector, ex huius loci ſacriſtia, vbi
prius conſeruabantur, ad ſummum altare, anno Domini 1567. transferri iuſſit. Qui-
bus etiam ſequentes, quæ anno 1579. in quodam huius eccleſiæ muro caſu repertę fue-
runt, adiunctæ ſunt. Nempe ex oſſibus ſanctorum Gregorij Papæ, Sebaſtianiq; marty- C
ris: atq; pars veſtis beatiſſimæ Virginis Mariæ. Inuiſere tandem licet hac eadem in ec-
cleſia, quam frequentius 20. fratres religioſi excolunt, marmoream quandam ſedem,
cui ſanctus Gregorius Papa, dum ſacros Ordines initiandis conferret, in Pontificali-
bus conſidebat.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Immolæ. *Conu. XXI.*

CVPIENTIBVS ex animo Immolenſibus ciuibus domum aliquam Franciſca-
nis Obſeruantibus apud ſe ędificare, pungentiſſimum addidit calcar illuſtriſſima,
nec non deuotiſſima domina Marſilia Pia, cùm, ad huius præmeditati operis exequu-
tionem, domum, fundiq; partem, ex teſtamento, legauerit. Quamobrem impetrata,
anno Dominicæ Natiuitatis 1476. à Sixto IV. Pont. max. cuius tunc partes erant, fa- D
cultate præfati ciues, ſuper erogatis ijs quæ deſiderari poterant, ex publicis facultati-
bus, conuentum hunc beatiſſimæ Virgini Marię ſacrum, non procul ab Immola,
quæ Flaminiæ ciuitas eſt, circa eadem tempora, conſtrui, perficiq; curarunt. In
cuius eccleſia imago quædam præfatæ genitricis Dei Mariæ antiqua ſatis, ſed deuotiſ-
ſima, erecta conſiſtit, ad cuius inuocationem plura, eaq; mirabilia beneficia, quorum
vnum aut alterum hîc ſubijciemus, Immolenſibus miſericors Deus præſtare dignatus
eſt. Cùm enim Immolenſis ciuitas, anno Domini 1468. fame, peſte, atq; bello labora-
ret, ſolemni ad eam facta ſupplicatione, ipſius fauore liberata eſt. Et anno 1529. dum
peſtis iterum ſæuiret, atq; proceſſionaliter die 10. Maij per omnes vicos ciuitatis cir-
cumferretur, quotquot eo morbo afflictabantur, ad eius contuitum perfectam ſoſpita-
tem conſequuti ſunt. Vnde & in gratiarum actionem huiuſcemodi appendicem ſibi ap- E
poni curarunt Immolenſes.

*Almæ Virgini iterum recepta gratia, ob peſtis ac penuriæ liberationem, omnis populus Immo-
lenſis, tantæ rei non immemor, & ad poſteros in huius Virginei ſacelli reuerentiam magis exci-
tandos, tabellam hanc deuotiſsimè dedicauit. M. D X X I X. x. Maij.*

Potitur locus hic, ex indulto Gregorij Papæ XIII. conceſſo 5. Auguſti, anno Domi-
ni 1579. huiuſmodi priuilegio, vt in altari beatæ Mariæ Virginis per Miſſarum celebra-
tionem fidelium defunctorum animæ ex Purgatorij pœnis eruantur. Occupatur hic
locus ab 18. fratribus.

De conuentu

A *De conuentu S. Franciſci Cotiniolæ. Conu. XXII.*

QVEMADMODVM ex quadam bulla Sixti IIII. Pont. max. data 4. Octobris, anno Domini 1483. Pontificatus verò eiuſdem anno 13. edocemur, dum beatus pater Angelus de Clauaſio familiæ Obſeruantis Franciſcanę Ciſmontanum ageret Generalem Vicarium, prædicti fratres, obtenta à præfato ſummo Pontifice facultate, hūc conuentum ſeraphico patri Franciſco ſacrum, ex fidelium eleemoſynis, Cotiniolę, circa eadem tempora, ædificari curarunt. Cuius quidem eccleſiam, perdeuoti cuiuſdam Ioannis Roccij Notarij publici peculiaribus ſumptibus conſtructam, reuerendiſſimus quidam Petrus, Interamneñ. Epiſcopus, die 14. Aprilis, anno Domini 1495. in honorē beati patris Franciſci, cùm prius beatiſſimæ Mariæ de Angelis dicata eſſet, conſecrauit. Cùm beatus pater Antonius Bonfadinus Ferrarienſis, ante huius loci constructionem, Cotiniolæ, anno ſalutis humanæ 1482. mortem obijſſet, atque in maiori eccleſia à
B ſæcularibus ſacerdotibus ſepulturę traditus eſſet, ad hoc tēplum de nouo ædificatum, poſt longam diglationem, licet ipſis ſacerdotibus inuitis ac renitentibus, trāſlatus, ſepulchroq; quodam marmoreo, cui & ſequens epitaphium inciſum eſt, recōditus fuit.

D. O. M. ac diuo Antonio Ferrarienſi.
Hoc Bonfadini ſaxo pia buſta teguntur
Antonij, hic viſit ſancta ſepulchra Dei,
Confeſſorq́; fuit Domini, verbumq́; Tonantis
Edocuit populos, Chriſticolasq́; fidem,
Pro meritis, heu quanta facit miracula diui
Franciſci miles, venit in aſtra poli.

C Claruit præfatus pater Antonius plurimis miraculis, tum in vita, tum etiā in morte. Nam & viuens ad crucis ſignum factum, cuiuſdam pueruli brachium conſolidauit, & mortuus innumeris mortalibus, diuerſis morbis laborantibus, integrā ſoſpitatem reſtituit. Et cùm quidam ſęcularis ſacerdos alterius quoq; ſacerdotis defuncti, ſibiq; amiciſſimi, corpus in eiuſdem beati patris ſepulchro commodius cuperet humatum, beati Antonij corpus inde extrahi, atq; in profluentem contiguam aquam proijci imperat: quod tamen adeò immobiliter terræ adhæſit, vt nec ab ipſo, nec à ſolicito pollinctore dimoueri potuerit. Quod ille miraculo (vti par erat) tribuens, ipſum intactum, atq; loco immotum reliquit. Ex hoc cœnobio, quod frequentius 12. fratres incolunt, prodiēre olim venerabilis pater frater Albertus Marcheſius à Cotiniola, vir ſanè doctiſſimus
D atq; in ſacra pagina verſatiſſimus, qui & Centiloquium pulcherrimum edidit, typiſq; mandauit, & moriens hoc in eodem loco, anno 1531. ſepultus eſt: & inſignis pater frater Bonauentura Brachius etiam à Cotiniola, qui & Quadrageſimale quoddam à ſe diligentiſſimè elaboratum prælo dedit.

De conuentu Annunciationis ſeu ſanctæ Mariæ de Gratijs apud Caſtrum Lauri. Conu. XXIII.

VT ex Epitaphio quodam colligere potuimus, locus hic, qui & binomius (vt ex titulo patet) eſt, atq; 18. fratribus deſeruit, primum ſui authorem agnoſcit illuſtriſſimum Ioannem Ludouicum Palauicinum, ob cuius tamen immaturam mortem,
E cùm imperfectus remanſiſſet, ab illuſtriſſimo Rolando Palauicino, huius nominis II. abſolutus eſt, ideoq; humandis nobiliſſimæ Palauicinicæ ſtirpis heroibus, peculiari iure, deſeruit, prout ex diuerſis mauſolęis, in ſanctiſſimæ Conceptionis ſacello ſatis curioſè erectis, manifeſtum euadit. Quorum quanta fuerit in Deum pietas ex præſenti ſaltem elogio alteri eorum inciſo facile quis noſcet.

Palauicinorum ſtirpe Rolandus, vixi, peccaui, dolui, ceſſi naturæ, anno Domini MDIX. menſe Nouembris die xvij. Animæ piæ beneuolæ ſuccurrite, breui memores, & vos morituras.

Huius itaq; conuentus eccleſia, quæ anno Domini 1495. vltimam artificis manum experta eſt, à reuerendiſſimo quodam Fabricio, Placentino Epiſcopo, anno Dominicæ incarnationis 1499. menſis verò Ianuarij die 25. in honorem Annunciationis glorioſæ

 Virginis

Virginis Mariæ conſecrata extitit : à quo & quadraginta dierum indulgentiam, in fa- A
uorem eam anniuerſario dedicationis die accedentium, obtinuit, atq; ſequẽtes ſancto-
rum reliquias dono accepit : quaſdam ſcilicet particulas ſpongię Christi Domini, veli
beatæ Virginis eius matris, ſacri ſanguinis præcurſoris eiuſdem, oſſiumq; ſanctorum
Andreæ Apoſtoli, Mariæ Magdalenæ, Stephani prothomartyris, Cypriani martyris,
Iuſtinæ martyris, atq; Artemij quoq; martyris, nec non habitus beati patris Franciſci.
Honeſtatur præterea ſacra hæc ædes corpore beati patris Nicolai Mirandulenſis Frã-
ciſcani, qui plurimis poſt mortem miraculis claruit.

De conuentu S. Franciſci Vitelliani. *Conu: XXIIII.*

VITELLIANVM, quod & vulgò Viadana, Cremonenſis quidẽ diœceſis eſt,
ſub imperio tamen ſereniſſ. Mantuanorum & Montisferratẽſium Ducis, Padoq; B
celebri flumine alluitur. Eius igitur communitas ſiue ſenatus, cùm Minoribus Obſer-
uantibus ſummoperè afficeretur, à ſummo Pontifice Alexandro VI. inſtantiſſimè pe-
tijt, vt ſibi quoque, ſicut & alijs, conuentum illis apud ſe conſtruere liceret. Quo tamen
pro voto annuente (quemadmodum ex eius diplomate dato anno Domini 1492. mẽſis
verò Septembris die 13. Pontificatus autem eius anno viij. facillimè conſtat) hanc ſa-
cram domum 15. fratribus continendis omninò accommodam, in honorem B.P. Frã-
ciſci, è præfati oppidi Vitelliani veſtigio, atq; ex communibus facultatibus, maiori ex
parte, ædificari curauit. Dixerim autem maiori ex parte, quòd plures oppidani pecu-
liares eleemoſynas, ad eiuſdem operis promotionem, liberaliſſimè contulerint: quodq;
etiam illuſtriſſimus Franciſcus Gonzaga, Mantuanus Marchio, ob innatam in Franci-
ſcanam familiam animi propenſionem atq; beneuolẽtiam, fundum iuſto pretio à Ca- C
lefforum familia emptũ, ad ipſis conuẽtus, ſimul & eccleſię ædificationem, elargitus ſit.
Quę tamen à reuerendiſſimo Luca Seriate, Cremonenſi Epiſcopo, anno Domini 1515.
die verò menſis Nouembris 4. conſecrata extitit. Ex hoc loco prodijt pater ac frater
Hieronymus Menghius Franciſcanus, qui librum, cui flagellum dęmonum titulus eſt,
ad eoſdem exorcizandos, atque ex fidelium corporibus pellendos, Latino ſermone
compoſuit, atque quoddam artis Exorciſticæ compendium vulgari lingua edidit.

De conuentu S. Mariæ de Campo Placentiæ. *Conu. XXV.*

SI omnes ſua eſſent ſorte contenti, nulluſq; auaritiæ, atq; Luciferinæ cuidam ambi-
tioni intenderet, non dubium quin miſeri mortales, profligatis bellis, & contentio- D
nibus, plurimiſq; alijs incommodis ablegatis, ſumma pace, ſumma quiete, atq; ſum-
ma tandem animi tranquillitate potirentur. Sed dum vnuſquiſq; in alterius ſubſtantiã
inhiat, ſuoſq; fines dilatare ſtudet, cõtenditque, eliminatur pax, exulat quies, atrociſ-
ſimaq; bella ſuccedunt: Quod vel hinc coniectare licet. Cùm enim Minores Obſeruan-
tes, extra portam ſancti Raymundi Placentinæ ciuitatis, monaſterium quoddam, ſi-
mulatq; eccleſiam ſatis auguſtam, atq; affabrè cõſtructam, ſub inuocatione beatiſſimæ
Mariæ de Nazareth plurimis annis quietiſſimè inhabitaſſent, diffidentibus tamen in-
ter ſe Italis, atque cruento per minorem Heſperiam bello graſſante, præfata domus, ne
ciuitatis munitioni detrimẽto aliquando eſſet, ſub Clemente VII. Pont. max anno ſa-
lutis humanæ 1527. ſolo æquata eſt. Fratres verò eius incolæ, ne per incertas ſedes va-
gari cogerentur, protinus ad parochiam ſancti Alexãdri, intra eiuſdem ciuitatis mœ- E
nia ſitam, ſibiq; vltrò oblatam, ſe tranſtulerunt. Quam tamen minus illis ſatisfacien
tem, anno Domini 1528. empto prius pro futura habitatione ſanctæ Monicæ mona-
ſterio, atq; alteri ſanctorũ Ioannis & Pauli adiuncto, deſerere coacti ſunt. Cumq; inibi
quietius morarentur, ſub Paulo III. ſummo Pont. ab illuſtriſſimo & eccellentiſſimo
Petro Ludouico Farneſio, primo Placentiæ antiquiſſimę Galliæ Togatę ciuitatis Duce,
vt ipſum Canonicis Regularibus diui P. Auguſtini in alterius compenſationem, quod
ab illis pro arcis conſtructione abſtulerat, inhabitandũ traderet, inde quoq; deturba-
ti ſunt. Quamobrem Placentinus ſenatus afflictis fratribus ſummopere compatiens,
templum beatiſſimæ Mariæ de Campania, vallo ciuitatis circumſcriptum, illis, anno
Domini 1547. tradendum curauit. Quod & ipſi gratanter acceptantes, in pulchrũ mo-
naſterium,

A naſterium,(de quo impręſentiarum nobis ſermo eſt) atq; 40. continẽdis fratribus aptiſſimum, ex diuerſis eleemoſynis promouerunt. Non tamen defuêre, qui eos inde quoq; amotos cupierint: quibus nihilominus Pauli III. Iulij quoq; III. ſummorum Pontificum, atq; eiuſdem Petri Ludouici Ducis, nec non & illuſtriſſ. Ferdinandi Gonzaga Mediolanenſis Gubernatoris auctoritas, atq; fauor fratribus exhibitus, reſtitit. Huius loci eccleſiam commendatiſſimam omnino reddunt quædam beatiſſimæ Virginis Mariæ imago, ad cuius inuocationem Deus opt. max. plura miracula edidit, innumeraq; beneficia mortalibus confert, atq; Vrbani II. Pont. max. euentus. Dum enim is pro Eudoxia eius matre defuncta, non longè ab eius ſepulchro, Miſſam de beata Virgine, hac in eccleſia celebraret, impræmeditatè præfatio, ex impulſu (vt credere licèt) ſpiritus ſancti, addidit illud: Et te in veneratione beatæ Mariæ ſemper Virginis collaudare, benedicere, & prædicare &c. & ab eo temporis, ex eiuſdem Vrbani inſtitutione, Miſſis de
B eadem beata Virgine peculiariter additur. Conſtiterat olim iuxta hunc locum ædicula quædam in ſanctarum virginum & martyrum Anaſoliæ, atq; Victoriæ honorem erecta, in qua & earum corpora condita erant: ſed cùm ædificãdo monaſterio impedimẽto eſſet, ex indulto Iulij III. Pont. max. dato Romæ 25. Maij, anno 1551. diruta eſt, atq; pręfata corpora ad honorificum ſibi paratũ hac in eadem eccleſia ſacellum trãſlata ſunt. Quarum hiſtoriam paucis hic perſtringere minimè nos pigebit. Fuêre igitur hæ ſacræ virgines Romanæ, ſibiq; inuicem amiciſſimæ, quarum Anaſolia, cùm eſſet Chriſtiana, Victoriæ adhuc Gentili, quatenus ſacro regenerationis lauacro intingi, atq; perpetuam virginitatem ſeruare vellet, pro viribus ſuadebat: quod cum Anaſolia ſe facturam, ſi virginitatem connubio præſtantiorem oſtenderet, polliceretur, aſtitit Angelus
C binas coronas, alteram quidem auream, alteram verò plumbeam, manu geſtans, qui & dixit. Quemadmodum aurum plumbo præſtat, ita & caſtitas coniugio eminentior, excellentiorq; eſt. Quibus auditis Victoria Chriſtianorum albo aſcribi voluit, & Religionem Chriſtianam publicè profiteri, qua propter virginitatem Chriſto ſponſo deuouens ſimul cum Anaſolia illuſtre martyrium, pro tanti ſponſi amore, ſub Decio Imperatore ſubire non timuit. Eſt etiam hac in eadem eccleſia puteus quidam, in quo plura ſanctorum martyrum corpora, ab impijs Chriſtianæ Religionis perſecutoribus occiſa, proiecta fuêre: vnde & ad tempus quoddam oleum confouẽdis lampadibus commodiſſimum, atq; diuerſis fidelium infirmitatibus ſanãdis omnino mirificum, ſcaturijt: quod tamen, humanæ auaritiæ demeritis id exigentibus, quæ in tantam dementiam proruperat, vt id, ſumpto pretio, etiam curandis brutis animalibus applicaret, à plurimis die-
D bus emanare ceſſauit omnino. Altare maius hoc ſingulari priuilegio, ex indulto ſummi Pontificis Gregorij XIII. dato Romæ 20. Martij 1577. quod in archiuo adhuc perſeuerat, fœliciſſimè gaudet, vt per Miſſarum ſacrificia fidelium defunctorum animæ à Purgatorij pęnis liberentur. Tanta eſt deniq; fidelium ad pręfatam glorioſæ Virginis imaginem, atq; ad hanc ſacram domum deuotio, vt etiam Clemens VII. Pont. max. ſe ei, tempore Romanæ cladis, dum in Adriani mole graui obſidione, anno Dñi 1530. à Cæſareo Caroli V. Imperatoris exercitu præmeretur, ex voto deuouerit, prout eius effigies ibidem appenſa ſatis indicat.

De conuentu S. Franciſci Brexilli. Conu. XXVI.

E CREDIDERIM hunc conuentum, qui propè Brexillum, Inſubriæ oppidum, ex diuerſis fidelium eleemoſynis 25. menſis Iunij, anno Dominicæ Incarnationis 1518. ſub R. P. F. Chriſtophoro à Forliuio, totius Franciſcani Inſtituti Generali Miniſtro, ex apoſtolica tamen Leonis X. Pont. max. auctoritate, à fundamentis erigi cępit, ijſdemq; ſubſidijs temporis decurſu abſolutus eſt, atq; eius eccleſiam, quæ poſt ſeptennium elapſum, nempè 15. Decembris, anno Domini 1525. à reuerendiſſimo quodam Fauentino Epiſcopo conſecrata extitit, ſanctiſſimæ ſemperq; Virgini Mariæ de Angelis dicata fuiſſe, ſed ab indocto vulgo, quod rem tantum iuxta eius ſuperficiem conſiderat, à Franciſcanis fratribus, eius habitatoribus, beati patris Franciſci nomine poſtea paſſim appellitata. Vnde factum eſt, vt modo ab iſtis ſanctæ Marię de Angelis,

modò verò ab illis beati Franciſci domus, tum in ſcripturis, tum quoq; inter loquen- A
dum, nuncupetur. Conuiuunt hoc in monaſterio 10. fratres.

De conuentu S. Sebaſtiani Sabiniani. Conu. XXVII.

PIA communitas Sabiniana mercedem à Deo opt. max. ob eius in pauperes Fran-
ciſcanos Obſeruantes pietatem atq; beneuolentiam, receptura, hoc monaſterium 8.
continendis fratribus capaciſſimum, ſimul atq; eccleſiam beato martyri Sebaſtiano ſa-
cram, circa annum à partu Virgineo 1521. ex communibus redditibus atq; prouenti-
bus, non procul à Sabiniano communi, atq; Galliæ Ciſalpinæ, oppido, illis ædificari
curauit. A quibus tamen interim, ſiue in ſacris confeſſionibus excipiendis, ſiue alijs
in munijs ſibi ex religioſo debito ad populum incumbentibus, tanti beneficij vices, B
pro modulo, recipit.

De conuentu S. Rochi Meldolæ. Conu. XXVIII.

DECREVERAT illuſtriſſimus Leonellus Pius, huius nominis ſecundus, cuius
ad Franciſcanos affectus incredibilis fuit, integrum conuentum, ſimul atq; eccle-
ſiam diuo Rocho ſacram, quem ſibi peculiarem patronum elegerat, ex domeſticis fa-
cultatibus, non longè à Meldola Vmbriæ oppido, ſibiq; ſubiecto, vt ſimul & ſubdito-
rum ſaluti proſpiceret, atq; itinerantibus fratribus de opportuno hoſpitio prouideret,
ędificare. Sed ne id pro voto efficeret, immatura eius mors impedimento fuit. Cùm igi-
tur alterum, nempè eccleſiam, à qua opus, anno Incarnationis Dominicæ 1521.
exorditus fuerat, præſtitiſſet; alterum, ideſt conuentum, ex hac vita decedens fra-
tribus, ex eleemoſynis non abſq; immenſo labore acquiſitis, abſoluendum reliquit: C
quem 8. fratres inhabitant.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs montis Clericuli. Conu. XXIX.

QVISQVIS ille huius Bononienſis Prouinciæ pater aut frater fuerit, qui tran-
quillitatis auidus, Deo opt. max. fœlicius inſeruire cupiat, hunc conuentum Se-
raphico patri Franciſco ſacrum, ac longiuſculus à pago monte Clericulo, Parmenſis
diœceſis, atq; Appenino monti vicino, ſitum accedat, & ſuis votis factum ſatis expe-
rietur. Eſt enim is locus quietus, commodus, & ab hominum frequentia ſemotus;
quem tamen illuſtriſſimus Marſilius Torellius, montis Clericuli Comes, pro ſua in
Franciſcanam familiam beneuolentia, proprijs ſumptibus, circa annum Dominicæ D
Natiuitatis 1530. ex indulto Clementis VII. Pont. max. maiori ex parte promouit,
atq; R. P. F. Paulus Piſſotus, poſt functum Generalis Ordinis Minorum Miniſteriatus
officium, pro ſui habitatione, vſq; ad vltimum vitæ halitum delegit. In cuius tandem
ſacrario fragmentulum quoddam eius columnæ, ad quam Apoſtolus Paulus alligatus
cæſuſq; fuit, & aliquot crines beati patris Franciſci, nec non & pars linteoli, quo pro-
fluentem ex ſacro laterali ſtigmate ſanguinem idem abſtergere aſſueuerat, fideliſſimè
aſſeruantur. Continet hic locus 8. fratres.

De conuentu S. Petri Centi. Conu. XXX.

CENTVM oppidum eſt inter Ferrariam Circumpadanam, atq; Bononiam no-
biliſſimas ciuitates ſitum: in quo conuentus hic Apoſtolo Petro ſacer, expenſiſq; E
perdeuoti magnificiq; Ioannis Spadacini Centonenſis, ex indulto tamen ſummi Pon-
tificis Pauli III. circa annum Dominicę Natiuitatis 1539. maiori ex parte conſtructus,
atq; à R.P.F.Clemēte Moneliano, tunc Bononienſis Prouinciæ Miniſtro (de quo ſupra)
reliquis huiuſce Prouinciæ conuentibus adiunctus, ſurrigit. Quem tamē patres, pręfato
anno 1539. occupantes, ex acquiſitis eleemoſynis oībus ſuis numeris abſolui, perficiq;,
maxima diligentia, atq; ſolicitudine curarunt, ita vt 14. fratres commodiſſimè capiat.

De conuentu S. Lucæ Cremonæ. Conu. XXXI.

PRÆEXTITERAT olim intra Cremonę ciuitatis mępia parochialis quędam
eccleſia, diuo Euangeliſtæ Lucæ ſacra, quam Franciſcani fratres Amadei, ex con-
ceſſione

A ceſſione Clementis VII. Pont. max. ſibi anno à Chriſto nato 1532. facta, ſuis vſibus adaptantes, cæterorum locorum Prouinciæ ſancti Petri montis Aurei albo aſcripſerunt. Qua tamen Prouincia, ex decreto ſummi Pontificis Pij V. diſſoluta, fratribusq; ipſius in Regularem Franciſcanorum Obſeruantiam tranſire compulſis, prefata eccleſia cum adiuncto ſibi monaſterio, anno reparationis humanæ 1567. in huiuſce Bononienſis Prouinciæ ius conceſſit, atq; ab 18. eiuſdem fratribus inhabitatur. Extat non procul ab huius eccleſiæ foribus quædam Saluatoris noſtri, è ſepulchro exilientis, imago, ad cuius inuocationem, ab anno 1524. vſq; in præſentem diem, plura eaq; mira beneficia confluentibus in neceſſitate fidelibus Deus opt. max. præſtare dignatur.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs propè S. Secundum. Conu. XXXII.

B PERTINVIT quoq; olim locus hic ſanctiſſimæ Dei genitrici Mariæ de Gratijs ſacratus, ac vnico tantum milliari ab oppido ſancto Secundo diſtans, quo 18. fratres commodiſſimè vtuntur, ad eoſdem patres Amadeos: cùm ab illuſtriſſimo Petro Maria de Rubeis, huius nominis primo, atq; eiuſdem oppidi ſancti Secundi Comite, ex familiaribus facultatibus, ad eorum vſum, & habitationem conſtructus fuerit. Sed anno à mundi redemptione 1567. ex præfati Pij V. Pont. max. mandato, quemadmodum & præcedens, ad Obſeruantes huius Prouinciæ patres deuolutus, ac reliquis monaſterijs annexus eſt. Cuius eccleſia altari quodam, pro eruendis ex Purgatorij pœnis per Miſſarum ſacrificium fideliũ animabus, priuilegiato, ex facultate Gregorij XIII. Pont. max. facta anno Domini 1580. gaudet.

C *De conuentu S. Franciſci Guaſtallæ. Conu. XXXIII.*

GVASTALLA Circumpadanum oppidum ad Padi celeberrimi totius Italiæ fluuij ripam ſitum eſt, attinetq; ad excellentiſſimi Principis, ſimulatq; ſtrenui Ducis Ferdinandi Gonzaga ſucceſſores. Intra cuius ſepta moniales quædam Ordinis beati patris Auguſtini conuentum olim incoluerant: quem tamen, eis aliò tranſmiſſis, illuſtriſſimus Cæſar Gonzaga, præfati Principis Ferdinandi pientiſſimus filius, quòd ex intimo corde Franciſcanis Obſeruãtibus afficeretur, ſuis ſumptibus ampliari, & in multò meliorem formam, ad eorum vſum, redigi curauit. Cui etiam, ex apoſtolico ſummi Pontificis Pij V. indulto 7. Nouembris anno 1571. Romæ, dato pinguiſſimam, eamq; annuam eleemoſynam, pro occurrentibus neceſſitatibus ex teſtamento reliquit. Inhabitatur hic locus 14. fratribus.

D A præcedentibus monaſterijs ſunt quoq; huius Prouinciæ patribus tria hoſpitia fratribus itinerantibus excipiendis ſatis accommoda. Alterum quidem Arimini ſub inuocatione ſancti patris Bernardini. Alterum Florentiolæ (de ea, quæ inter Parmam & Placentiam famoſas Galliæ Ciſalpinæ ciuitates ſedem obtinet,) ſub titulo Seraphici patris Franciſci. Tertium verò & vltimum apud oppidum, cui ſancti Petri Caſtellum nomen eſt. De quibus, quòd nihil memoratu dignum occurrat, hæc tantum dixiſſe ſufficiat. Quod videlicet primum, ex Sixti IV. ſummi Pontificis auctoritate, Ariminenſium ſumptibus, & ſecundum ex Leonis X. Pont. itidem max. conceſſione, atq; ex oppidanorum facultatibus, ſed Tertium, apoſtolica quoq; ſibi facultate fauente, ex oppidi ſancti Petri fidelium eleemoſynis, conſtructa ædificataq; ſint.

E *De monaſterio monialium Corporis Chriſti Bononiæ. Mon. I.*

MONASTERIVM eſt monialium de prima (vt aiunt) beatæ virginis Claræ Regula, ſub inuocatione Corporis Chriſti, Ferrariæ, in quo à ſui origine tanta viguit ſanctitas, tanta religio, tantus mundi contemptus, ac tantus primæue illius Clariſſarum inſtitutionis nitor, vt omnes circumquaq; vicinas ciuitates, precipuè verò Bononienſem in ſui amorem, atq; deſiderium, aut certè alterius ſibi ſimilis facilè pellexerit. Quam obrem Bononienſes ciues Illuſtriſſimi Cardinalis Beſſarionis, apoſtolici tunc Bononienſis, atq; totius Æmiliæ legati opera vſi, à Calixto III. Pont. max. ſimilis apud ſe erigendi monaſterij facultatem impetrarunt. Qua deniq; freti Abbatiam diuo Chriſtophoro ſacram, muriſq; eorum ciuitatis cinctam, atq; non ita capacem, ex publicis facultatibus

facultatibus, anno humanæ ſalutis 1455. in opportunum, atq; ſatis auguſtum conuen- A
tum, ſub titulo ſanctiſſimi Corporis Chriſti, promouerūt: & anno ſequenti, nempe 1456.
eorum nobiliores, aſcitis ſecum venerabilibus, atq; omni ſanctitate conſpicuis patribus
Ioanne Baptiſta de Leuanto, Minorum tunc Obſeruantum Vicario Generali, ac beato
Marco de Bononia, huiuſmet Prouinciæ Vicario Prouinciali, nec non & Iacobo de
Primadicijs, 16. religioſiſſimas moniales, atq; inter eas beatam Catharinam de Bono-
nia, primam huius loci Abbatiſſam, (de qua inferius) beatamq; Ioãnam de Lambertinis,
eius quoq; primam Vicariam, ex præfato Ferrarienſi cœnobio, apoſtolica ſibi fauente
auctoritate, ad hoc, tunc omnino neophitum, fundandum, inhabitandum, ac in bonis
monaſticiſq; moribus inbuendum tranſtulerunt. Quibus aduentantibus præfatus il-
luſtriſſimus Cardinalis Beſſarion, ac reuerendiſſimus Philippus Bononienſis Epiſcopus
cum vniuerſo clero, ac Bononienſi ſenatu, proceſſionaliter occurrentes, eas cum maxi- B
ma pompa, maximoq; honore 22. menſis Iulij, anno verò Domini 1456. vſq; ad ſibi
pręfatum locum deduxerunt: in quo 200. eæq; nobiliſſimæ virgines Deo ſacrę frequē-
tius commorantur. Quæ paupertatem cum cæteris virtutibus copulantes, omnibus be-
nè viuēdi norma factæ ſunt; ſummaq; veneratione proſequuntur corpus beatæ Catha-
rinæ de Bononia. Quod, neceſſarijs quibuſdam de cauſis, ab eius ſeparatione ab anima
diuerſas ſedes tenere coactum eſt. Nam primo in communi ſororum ſarcophago tumu-
latum, inde opera illuſtriſſimi Cardinalis à ſancta Cruce ad loculum in modum altaris
ſibi erectum, non procul à venerabili Euchariſtiæ ſacramento, tranſlatum fuit. Vnde
quoque, exigentibus id pijs Bononienſium deſiderijs, exhumatum, propè cratem ſedens
omnibus proſpiciendum propoſitum extitit. Cui & ſequens hæret Epitaphium.

Hoc corpus, quod cernitis incorruptum, diuæ Catharinæ Bononienſis eſt, quæ monaſterium C
iſtud prima cum paucis ædificari curauit: Quod multos annos mirabili ſanctimonia rexit & gu-
bernauit. Cum verò ex humanis deceſſiſſet, humi ſepulta fuit, cuius corpus decimo nono die poſt
ipſius exequias, maximo populi concurſu, & totius ciuitatis admiratione, integrum (vt nunc
cernitis) & odore ſuauiſſimo fragrans, repertum eſt. Multa quoq; ſigna, ſanctitatem eius
atteſtantia, ſubſequuta ſunt. Obijt anno Domini MCCCCLXIII. ix. die Martij.

Duxit originē beata hæc virgo ex ciuitate Ferraria, atq; claris orta natalibus in om-
ni virtutum genere, omniq; ſanctitate, mirum in modum claruit. Eius enim ad vene-
rabile ſacroſanctumq; Euchariſtię ſacramentum deuotio incredibilis omnino fuit, cùm
integras noctes, eaſq; plurimas inſomnes omnino illius contemplationi intēta, duxerit.
De reliquis verò eius virtutibus id tantum dixerim, quòd fuerint omni ex parte perfe-
ctæ. Quapropter, atq; in ipſius inculpatæ vitæ teſtimonium, Deus opt. max. eius corpus D
mira fragrantia, atq; cœlico quodam liquore perfudit, quo qui liniebantur, licèt gra-
uiſſimis implicarentur infirmitatibus, incolumes omnino euadebant. Reuerendiſſimus
etiam pater frater Dionyſius Paleotus Bononienſis, ac profeſſione Franciſcanus, ex
conceſſione tamen Clementis VII. Pont. max. peculiare officium à ſororibus, cùm Fer-
rarienſis præfati conuentus, tum quoq; iſtius, de quo impreſentiarum, in eius laudem,
ſingulis annis, in anniuerſario ſui obitus die decantandum, anno Domini 1526. com-
poſuit. Adiacet huic ſacro pignori corpus beatæ Ioannæ de Lambertinis eius ſociæ, atq;
primæ huius loci Vicariæ. Quod cùm in communi cœmeterio diu latuiſſet, effoſſa caſu
terra, ſuauiſſimè quoq; fragrauit: quapropter, inde exhumatum, ad locellum quen-
dam ſummo ſub altari tranſlatum eſt. Sed temporis ſucceſſu, ex eo quoq; loco eductum,
pręcedenti adiunctum fuit. Pręfatis beatarum corporibus annumerandum quoq; venit E
corpus beatę ſororis Paulę, cuius meritis illuſtriſſ. quoq; Cardinalis à S. Cruce à quo-
dam næuo, quo eius facies deformior reddebatur, mirabiliter liberatus eſt. Incedebant
olim huius loci ſorores nudis pedibus, plurimiſq;, quàm fœminea fragilitas ferre poteſt,
ieiunijs ex voto aſtringebantur: qua etiam de cauſa diuerſis, ijſq; grauiſſimis infirmi-
tatibus ſubiacebant. Quibus incommodis vt prudentiſſimus, ſimulatq; beatus pater Io-
annes Capiſtranus, Obſeruantis tunc familiæ Vicarius Generalis Citramontanus, ob-
uiaret, ab Eugenio IV. Pont. max. cuius bullæ datæ 8. Februarij, anno 1446. tranſum-
ptum authenticum in huius loci archiuo aſſeruatur, impetrauit, quatenus calepodijs
vterentur, paucioribuſq; ieiunijs obligarentur. Quarum tandem eccleſia famoſa illa in-
dulgentia,

A dulgentia, qua Aſſiſienſis Franciſcanorum Conuentualium domus fruitur, ex Apoſtolica auctoritate, quoque gaudet.

De monaſterio monialium S. Gulielmi Ferrariæ. *Mon. II.*

CVM, anno quinquageſimo primo à Minoritici Ordinis exordio, nempe 1257. à Chriſti natiuitate, ſorores quædam Clariſſæ ex conuentu ſanctæ Paulæ ſiue Corporis Chriſti, Mantuanæ ciuitatis, Ferrariam, vt ibidem conuentum eiuſdem Ordinis erigerent fundarentque, aduentaſſent, domum quandam diuo Gulielmo dicatam, atq; muris Ferrarienſis ciuitatis cinctã, ex eleemoſynis ſibi oblatis, à patribus Auguſtinianis Ordinis Eremitarum emerunt, ea tamen lege ſtatuta, vt conuentus erigendus antiquum titulum retineret. Perfectius itaq;, iuxta poſitam legem, atq; à ſororibus occupatus, eiſdem per 178. annos, ſub cura tamen patrũ Conuentualium, deſeruiuit. Cumq; B ex quadam incuria monaſticus rigor, atq; fundatricũ leges in eo ſolui cœpiſſent, anno Domini 1435. euocatis è præfato monaſterio ſanctæ Paulæ Mantuano zelotibus quibuſdam monialibus, regularis diſciplina, eò puritatis atq; nitoris, vnde deflexerat, fœliciter redijt, inſuper & conuentus in Obſeruantum curam conceſſit. Admittit nihilominus ſacra hęc domus, ex qua, tanquam ex equo Troiano, ob ſui ſanctitatem atq; religionem, plura ſacrarum virginum examina, nempe conuentus ſanctæ Mariæ de Gratijs Parmæ, ſancti Ludouici Mirandulæ, de Ripa Foroliuij, prodiêre, ex Alexandri IIII. Pont. max. diſpẽſatione, annuos redditus in cõmuni, ſine quibus, refrigeſcente iam fidelium charitate, vix ſuſtentari poſſet. Cuius eccleſia 23. menſis Aprilis, anno à mundi redẽptione 1354. à reuerendiſſimo quodam Franciſcano Epiſcopo, cognomine Guadagno, conſecrata fuit. Inter cęteras ſanctorum reliquias, quæ in huius loci ſa- C crario aſſeruantur, illa eſt celeberrima, atque præcipua, ſacratiſſimus ſcilicet Domini noſtri Ieſu Chriſti ſanguis, qui, ad cuiuſdam ſacerdotis celebrantis de eius veritate hæſitationem, adeò rubicundus apparuit, adeoq; perſeuerat, vt ipſum ex ipſiſſimis ſeruatoris venis prodijſſe hauddubiè diceres. Inhabitatur hic locus à 100. ſororibus.

De monaſterio monialium Corporis Chriſti Ferrariæ. *Mon. III.*

HOC monaſterium ſanctiſſimo Corpori Chriſti ſacrum, atq; Ferrariæ erectum, (cuius ſuperius pertrãſeundo meminimus) ſi antiquitatis ius ſeruaretur, primum proculdubio locum expoſceret: cùm nobiliſſimæ pariterq; ſanctiſſimæ Bononienſis eiuſdem Inſtituti conuentus fundatrices, beata videlicet Catharina à Bononia, atq; Ioanna de Lambertinis ex eo prodierint: & iſtud ſub Martino V. illud verò ſub Calix- D to III. Pontificibus maximis, exordiũ ſumpſerit. Huius itaq; antiquiſſimi monaſterij, quod & 100. moniales inhabitant, fundatrices fuêre aliquot religioſiſſimæ ſorores, de prima Clariſſarum Regula, ex conuentu ſanctæ Claræ Mantuano allatæ, quæ adeò altè, adeoq; profundè Euangelicæ paupertatis, obediẽtiæ, caſtitatis, monaſticæq; diſciplinæ, radices fixerunt, vt numquàm ab inimico homine, licèt in hoc totus incubuerit, euelli potuerint: immo potiùs ſibi ſuccedentium opera & diligentia excultæ, adeò ſerpſerunt, vt Bononiam vſq; peruenerint, inibiq; fœcundiſſimè pullulauerint. Quidni pullulaſſent, cùm perpetuò nobiliſſimas quaſq; Ferrariẽſes virgines, atq; inter eas aliquot excellentiſſimorum Ferrariæ Ducum legitimas filias ſe colentes habuerint? Illuſtratur huius domus interior eccleſia, in qua ſorores diuinum perſoluunt officium, plurimis, ijſq; pretioſis mauſolæis, in quibus non pauci heroës, de nobiliſſima Eſtenſium E familia, Chriſti iudicis præſtolantur aduentum. Inſuper & ligneo quodam vaſe, ex quo mundi Saluator Chriſtus Dominus, eiuſq; ſanctiſſima mater Maria virgo, atq; nutricius, ſanctus videlicet Ioſeph, eiuſdem Virginis ſponſus bibiſſe feruntur. Quod quidem ad abigendos ex poſſeſſis dæmones, capitiſq; morbos pellendos plurimum confert, & cingulo eiuſdem B. Virginis, atq; Seruatoris Chriſti veſtimentis, nec non & aliquantulo incenſo ab eodem, feria quinta in eius cœna, benedicto ſupra modum exornatur.

De monaſterio S. Bernardini Ferrariæ. *Mon. IIII.*

HOC ſacrum monialium monaſterium, diuo Bernardino dicatum, ac muris Ferrarienſis ciuitatis circumſcriptum, communibus ſumptibus excellentiſſimorum Alphonſi Eſtenſis, huius nominis primi, Ferrarienſiumq; Ducis, atque legitimæ eius

vxoris

vxoris Lucretię Borgię, anno à Chriſto nato 1510. ædificari cœpit, iiſdemq; auſpicijs, 1516. abſolutum eſt. Quo quidem tempore illuſtriſſima, atq; religioſiſſima ſoror Lucretia Borgia cum 21. ſororibus ex Corporis Chriſti huiuſce ciuitatis monaſterio, ex Leonis X. Pont. max. indulto, egreſſa, ſub habitu, atq; B. virginis Claræ Regula, fœliciſſimum ſibi dedit initium. Nam plures, eæq; nobiliſſimæ virgines, eius pietatem ſequutæ, Chriſto ſponſo, hoc in loco, nomen dederunt. Quæ & 90. ſunt numero, & maxima veneratione proſequuntur binas ſanctiſſimæ crucis Chriſti particulas, & guttam ſanguinis eiuſdem, cuidam ſorori Claræ, illuſtriſſimi Guidonis Vbaldi ſiue Guidobaldi, huius nominis primi, Vrbinatum Ducis filiæ, quæ primo Vrbini profeſſa, ex apoſtolica auctoritate, huc poſtmodo conuolauit, à Iulio II. Pont. max. dono trāſmiſſam. A

De monaſterio S. Mariæ Magdalenæ Placentiæ. Mon. V. B

CONVENTVS hic ſororum de Tertio B.P. Franciſci Ordine, qui Placentiæ, in honorem B. Mariæ Magdalenæ, erectus conſpicitur, nec antiquitate caret, nec religione vacat: cùm ab anno Dominicæ Incarnationis 1430. ſub Pio II. Pont. max. exordium ſumpſerit, atq; monialibus vita conſpicuis perpetuò abundauerit. Quamobrem à Sixto IIII. Pont. max. die menſis Maij 7. anno Domini 1482. plurimis gratijs cumulari meruit, eiuſq; inquilinæ nigro velo ab eodem donatæ ſunt. Nec abs re quidē, cùm, à ſui principio vſq; in præſentem diem, ſtrictiſſimā, inuiolatamq; clauſuram ſeruauerint. In honeſto quodam huius eccleſiæ loculo beatæ ſororis Baptiſtæ corpus ſuauiſſimè redolens, omninoq; integrum, requieſcit: cuius indicē, ſimulatq; corporalia, quibus B.P. Bernardinus de Senis ad rem diuinam peragendam vtebatur, ſorores diligentiſſimè ſeruant. Requieſcit quoq; eadem in eccleſia corpus B.P. Marci à Bononia, aliàs C de Fantucijs, nobilis quidem genere, ſed ſanctitate, atque virtutibus multò nobilioris, qui & huius Prouinciæ, immo & totius Citramontanæ Obſeruantis familiæ, ſub Generalis Vicarij titulo, gubernacula tenuit. Cuius corpus, cùm in Minoritana S. Mariæ de Nazareth huiuſmet Placentinæ ciuitatis (cuius ſupra meminimus) eccleſia ſepulturā nactus eſſet, ne ea, ex Clementis VII. ſummi Pontificis mandato demolita, prophanationis periculum ſubiret, ex eiuſdem ſummi Pontificis decreto, ad hanc ſacrā ædem tranſlatum fuit, vbi & vſq; in hodiernam diem perſeuerat. In cuius laudem deuotus quidam pater hoc edidit epitaphium, atq; fornici eius portæ, qua refectorium Minoritici conuentus Bononienſis ſanctiſſimæ Annunciationis petitur, inſcribi curauit.

Applaude & iubila, lætare Bononia, Marcus D
Hic tuus eſt ciuis, cœlica regna tenens,
Approbat hoc etenim ſignorum copia multa,
Vrbe Placentina, quæ micuère ſatis.
Hunc precibus, lachrymis, hunc implorare memento,
Vt ſummum flectat ad tua vota Deum.

De monaſterio monialium S. Bernardini Bononiæ. Conu. VI.

EXCEPERANT olim Bononienſes Seraphicum P. Franciſcum, atq; aliquot eius ſocios humili hoſpitiolo, pro patris tamen voto, licet inſalubri, ac paupercula eccleſia, fereq; derelicta, ſibi contigua, quæ & S. Maria de Pugiolis nuncupabatur, in qua tum ipſe, eiuſq; ſocij, tum quoq; eorum ſucceſſores, plurimis annis, cōmorati ſunt. Cùm autem ob eius inſalubritatem plura illis incōmoda obuenirēt, ab eis deſerta eſt. E Atqui præfati Bononienſes, ne eius memoria aliquādo periret, illam, ex facultate Clementis VII. ſummi Pontificis, communibus ſumptibus, in meliorem formam, ſub titulo S. Bernardini prius euectam, quinq; monialibus, ex R.P.F. Franciſci Quignionij, totius Minoritici Inſtituti tunc Generalis Miniſtri, auctoritate, de monaſterio Corporis Chriſti iſtiuſmet ciuitatis (cuius ſupra meminimus) eductis incolendam, boniſq; moribus, pro aduentantibus virginibus, imbuendā tradiderunt. Nec fruſtra profectò: cùm eo celebritatis, atq; dignitatis proceſſerit, vt nobilioribus totius vrbis couētibus æquiparari poſſit: cōtinet ſiquidem 110. religioſiſſimas ſorores. Dum enim aperiendis fundamentis foſſores diligentius intenderent, in tria B.P. Nicolai videlicet, Bonicij, atque

Gulielmi à Cortemilio, qui & Seraphici patris ſocius fuit, veneranda corpora, quibus &
A ſequentia epitaphia appoſita erant, ex inſperato, inciderunt.

Nicolaus primus nomine
Cæco lumen obtinuit,
Et mortuis reſtituit
Vitam deuotis precibus.

Alter verò Bonicius
Franciſci patris extitit
Conſors, dum verbis Domini
Sacram conſcripſit Regulam.

Guillermus alter nomine
Sacro pollens eloquio,
Vrbis iſtius incolas
In viam traxit Domini.

Sunt qui ex ſequentibus ibidem inuentis epitaphijs exiſtiment B. P. Guidonis de Spatis, atq; Matthæi Fauētini corpora pręcedentibus adiuncta fuiſſe, quibus plures, aſſerētes ea in conuentu S. Franciſci huius ciuitatis honorificētius recondita eſſe, contradicūt.

Matthæus preco feruidus
In horum conſtans numero,
Multas Orbis Prouincias
B *Ad huius duxit ſemitas.*

Poſtremus Guido nomine
Chriſti dolores meditans,
Et populis annuntians,
Clauum geſtabat manibus.

Tenebat ſiquidem manu beatus hic pater Guido, dum concionaretur, clauum quo ſe, atq; audientes ad amariſſimam Chriſti paſſionem prouocaret.

De monaſterio S. Mariæ de Gratijs Parmæ. Mon. VII.

SACRA hæc pauperum virginum Clariſſarum ædes, quam 90. & eò amplius, ſorores, ſub prima B. virginis Claræ Regula ſanctiſſimè incolunt, circa annū à Chriſti Natiuitate 1454. ædificari cœpit: ac tandem perfecta 4. ſororibus monaſterij Ferrarienſis S. Gulielmi credita eſt, vt aduentantes iuniores virgines ſacris moribus, mona-
C ſticisq; ritibus imbuerent. Hanc ſibi eccleſiam, nobiliſſimo mauſolæo erecto, in perpetuam ſepulturam elegit illuſtriſſima Margareta à Portugalia, ſereniſſimi Alexandri Farneſij Principis Parmenſis quondam legitima vxor.

De monaſterio Corporis Chriſti Cremonæ. Mon. VIII.

CVM pientiſſima Blancha Maria, excellētiſſimi Franciſci Sfortiæ Mediolanenſiū Ducis vxor, die 6. Maij, anno Domini 1455. à Calixto III. Pont. max. vnius ędificandæ domus, pro Clariſſis ſororibus, facultatem impetraſſet, huic conuentui, ſacroſancto Chriſti Corpori ſacrando, intra Cremonenſis ciuitatis mœnia, ex familiaribus facultalibus, fœliciſſimum dedit initium. Nam abſolutus, atq; quibuſdam ſorori-
D bus, ex monaſterio Corporis Chriſti Ferrarienſi adductis, commiſſus, adeò creuit, adeoq; floruit, vt nulli eiuſdem Inſtituti monaſterio cedere velit, & à 100. monialibus, & vltra, inhabitetur. Quæ licet, vt plurimùm, nobiliſſimę, collatis tamen in medium ſuis facultatibus, ampliſſimisq; dotibus pro conuentus reparatione, ampliatione, atque ſtructura, ſub vili habitu, atq; prima beatæ virginis Claræ Regula, omni annuo reddi-tu à ſe abdicato, omniq; rerum poſſeſſione ſpreta, Chriſto pauperi ſponſo pauperes quoq; ipſę virgines nubere voluerunt.

De monaſterio Pacis Cremonæ. Mon. IX.

CORRECTIONI quoq;, atq; viſitationi patrum huius Bononienſis Prouin-
E ciæ ſubiacet monaſterium Paci ſacrum, quod, ex conceſſione Leonis X. Pont. max. facta anno Dominicæ Incarnationis 1516. Pontificatus verò ſui anno iiij. circa eadem tempora, intra Cremonenſis ciuitatis ambitum ędificatum fuit: quodq; à 47. Clariſſis monialibus inhabitatur. Quæ tamen patribus Amadeis olim ſubfuerunt.

De monaſterio Corporis Chriſti Rauennæ. Mon. X.

DVM anno Domini 1511. peſſimi quidam viri, grauiſſimè Deum offenſuri, hoſpitale quoddam, Rauennæ erectum, ingreſſi eſſent, condictumq; facinus corā Crucifixi imagine committerent, ab eodem acriter reprehenſi, & cœpti operi ſuperſederunt

& vitam

& vitam in melius commutarunt : à quo etiam tempore præfata imago miraculis co- A ruſcare cœpit. Cùm igitur Rauennates eam maiori religione, debitoq; honore excultam cuperẽt, à Leone X. Pont. max. 5. mẽſis Februarij, anno verò à Chriſto nato 1519. impetrarunt, quatenus, demolito hoſpitali prædicto, Clariſſarum conuentum ibidem erigere poſſent. Quo tandem plubico ære abſoluto, 18. ſorores, fauente ſibi R. P. F. Frãciſci Lichetti, totius tunc Minoritici Ordinis Generalis Miniſtri auctoritate, ex ſacro Bononienſi Corporis Chriſti monaſterio eduxerunt, quæ & huic loco initium darent, aduentantesq; nouicias monaſticis ritibus, atq; regularibus moribus imbuerent. Sunt autem impræſentiarum, omnes ſimul computatæ, 60. numero.

De monſterio monialium Miſericordiæ Regij Lepidi. Mon. XI. B

RAVENNATVM pietatem ſequuti Regienſes ciues, ab eodem Leone X. Pont. max. 23. Februarij, anno Dominicæ Natiuitatis 1529. obtinuerunt, vt & ſibi ſimilem Clariſſarum conuentum conſtruere liceret : quare apoſtolica eius auctoritate freti hanc ſacram ædem Miſericordiæ dicatam, ambituq; Regij Lepidi ciuitatis cinctam, quam 45. pauperes Clariſſæ inhabitant, ex publicis facultatibus conſtruxerunt, adiectisq;, ex facultate pręfati R. Franciſci Lichetti Generalis Miniſtri, ex ſacro Cremonenſi Corporis Chriſti monaſterio 11. monialibus inhabitandum, inſtruendumq; tradiderunt. Quarum laus, atq; bonus odor adeò ſerpſit, vt plures nobiles iuuenculas, poſt ſe traxerit. Apud quas aliquot B.P. Ioannis Fauentini oſſa diligentiſſimè aſſeruantur.

De monaſterio monialium S. Mariæ de Ripa Foroliuij. Mon. XII. C

ILLVSTRISSIMVS Pinus Ordelaffius, huius nominis tertius, atq; ciuitatis Foriliuij Dominus temporalis, ob eius ad Frãciſcanos eximiam deuotionem & pietatem, hoc monaſterium, B. Mariæ de Ripa ſacrum, ad ſororum Tertiariarum B.P. Frãciſci vſum, inter eiuſdẽ Foroliuienſis ciuitatis ambitum, ex indulto Sixti IV. Pont. max. dato anno Domini 1474. à fundamentis erexit, atq; maiori ex parte promouit. In cuius gratiam reuerendiſſimus Alexander Homaglius, Foroliuienſis Epiſcopus, primum ædificij lapidem iecit. Cùm autem eius incolæ aliquantulum à recto religionis tramite deflexiſſent, aliquot eiuſdem Inſtituti ſorores ex Ferrarienſi diui Gulielmi monaſterio allatæ ſunt, quæ, ſua prudentia, atq; laudabili vita, cæteras eò, vnde exciderant, reduxêre. Conſpicitur ſuper huius eccleſiæ maius altare deuota B. V. Mariæ imago, quæ D inundante ſemel fluuio, (cui Italicè Schietta, ſiue Schiauonia nomen eſt) omniaq; ſua rapiditate vaſtante, ac euertente, ſola, non abſq; maximo miraculo, immobilis remanſit, ſibiq; reſtitit. Quamobrem 26. Martij, anno 1495. à Foroliuienſibus ex antiquiori, minus tamen honeſto, loco ad eum, quem modò obtinet, maxima cum religione tranſlata fuit, & ab eo tempore tum ab ipſis, tum quoque à ſororibus, quæ numero ſunt 70. peculiari veneratione colitur.

De monaſterio Angelorum Arimini. Mon. XIII.

QVEMADMODVM ex marmoreo quodam beatæ ſororis Claræ de Aquilatijs ſepulchro, eccleſiæ parieti inſerto, facilè colligitur, hoc Clariſſarum mona- E ſterium, beatiſſimis Angelis ſacrum, quod Arimini conſurgit, ac 70. ſororibus hoſpitiũ præbet, ante annum Dominicæ Incarnationis 1323. ſumpſit exordium. Cumq; primæuis ſuis temporibus monialibus ſancti patris Benedicti deſeruierit, nouiſſimis tamen, ijs aliò tranſlatis, ſororibus Clariſſis mancipatum eſt. Sed quando id contigerit, vel cuius auctoritate effectum fuerit, nos omnino latet. Fuit præfata beata ſoror Clara de Aquilatijs aliquando carnis illecebris dedita, atq; mundi petulantię addicta, ſed ad cor, per Dei miſericordiam, reuerſa, atq; hunc locum, ſub monaſtico Benedictino habitu, ingreſſa, adeò ſe ieiunijs, vigilijs, diſciplinis, atq; cæteris pęnitentiæ operibus dedidit, vt infra paucos annos in maximam, atq; ſanctiſſimam fœminam euaſerit : ita vt tum viuens,

A viuens, tum quoq; mortua plura, diuino ſibi afflante numine, miracula ediderit, &, recedentibus alijs ſororibus Benedictinis, ipſa ſola Clariſſis de nouo aduentantibus, ſub Regula & habitu beatæ virginis Claræ adiungi voluerit. Cuius venerando corpori, ſub eodem prorſus tumulo, corpus beatæ ſororis Francæ conſepultum eſt.

De monaſterio S. Claræ Bobij. Mon. XIV.

QVANTÆ ſanctitatis ſint 30. ſorores, quę, ſub Tertio beati patris Franciſci Ordine, monaſterium ſanctæ Claræ, Bobij erectum, inhabitant, hinc colligi poteſt. Cùm enim conuentus ſepta, ex antiqua ſua profeſſione, egredi liberrimè poſſent, ſua ſponte à Pio II. Pont. max. vt ex eius literis Mantuę primo ſui Pontificatus anno datis, B atq; ab eiſdem cuſtoditis, manifeſtiſſimè patet, ſuppliciter petierunt, vt ſibi ſub arctiſſima clauſura viuere in poſterum, ex ſolemni voto, liceret. Quod & impetrarunt, mordicuſq; obſeruant.

De monaſterio ſanctæ Claræ Carpi. Mon. XV.

ILLVSTRISSIMA, pariter ac pijſſima Camilla Pia, illuſtriſſimi quoq; Gilberti Pij à Sabaudia filia, impetratis ab Innocentio VIII. Pont. max. apoſtolicis literis, ſub datum Romæ anno Domini 1484. ex conſilio tamen beati patris Stephani Galli, (cuius aliquando meminimus) ex obueniente ſibi pinguiſſima hæreditate, hoc monaſterium beatæ Claræ ſacrum, & à 52. ſororibus Clariſſis incultum, Carpi erigendum C curauit: euocatiſq; ex ſacro Corporis Chriſti Cremonenſi cœnobio ſex religioſiſſimis monialibus, 4. Iulij anno Domini 1500. huic ſæculo, eiuſq; illecebris prius vale dicto, ipſum vnà cum illis ingreſſa eſt, atq; communem Regulam, viuendiq; modum ſolemniter profeſſa, quod reliquum ſibi vitę fuit, ſanctiſſimè tranſegit, pluraq; miracula edidit. Cuius corpus honeſtiſſimo loco reconditur. Aſſeruantur in huius loci ſacrario ſequentes, venerandæq; ſanctorum reliquiæ: Nempe quidam beati Apoſtoli Bartholomæi digitus, ligni ſanctiſſimæ Crucis Chriſti particula, ex habitu beati patris Ruffini, ſocij Seraphici patris Franciſci, & ex ſanguine cuiuſdam lignei Crucifixi, qui miraculosè, dum ab impio quodam Iudeo transfigeretur, exilijt.

De monaſterio monialium S. Ludouici Mirandulæ. Mon. XVI.

D CVM monaſterium ſancti Ludouici, quod Mirandulæ exurgit, atq; à 60. Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis incolitur, circa annum Domini 1460. ex apoſtolica auctoritate ædificatum, à quibuſdam ſororibus ex conuentu ſancti Gulielmi Ferrarienſi adductis, inhabitaretur, illuſtriſſima Blancha Maria Eſtenſis, illuſtriſſimi quoque Galleoti Pici, oppidi Mirandulæ temporalis Domini, legitima vxor, ipſum abundantiſſimis redditibus, atque pulcherrimis poſſeſſionibus, prædijſq; dotauit.

De monaſterio monialium S. Claræ Buxeti. Mon. XVII.

E COLOPHONEM huic Prouinciæ addit monaſterium, ſub titulo ſanctæ Clarę Buxeti ſubſiſtens, quod ſumptibus illuſtriſſimi Marchionis Chriſtophori Pallauicini, ſummi Pontificis Leonis X. auctoritate ſibi fauente, cuius apoſtolicum breue datum Romæ 11. Aprilis, anno verò Domini 1517. adhuc perſeuerat, à fundamentis ad apicem vſq; erectum eſt, quodq; à 40. Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis inhabitatur. Habuit hic locus ſui fundatrices nobiliſſimam, atq; religioſiſſimam ſororem Margaretam Malaſpina, aliaſq; duas ſorores, quæ ex ſacro vallis Viridis Placentino conuentu egreſſę, ipſum ſanctiſſimis moribus, atq; monaſticis ritibus apprimè informarunt. Sed cùm temporis lapſu à recta via, & primęuo inſtituto eius incolę aliquantiſper deuiaſſent, à pręſtantiſſima ſorore Margareta Pallauicina, atq; alijs quinque ſororibus ex conuentu Gratiarum Parmenſi allatis, priſtino ſtatui atq; nitori reſtitutę ſunt.


PROVINCIA
S·ANTONII
Quanto magnus es, humiliate in omnibus,
& corã Deo Inuenies gratiã. Eccli. 3.
f. ludouicꝰ de baraſas ordin. ſ. fra. excudit.

PROVINCIA

PROVINCIA SANCTI ANTONII.

A SANCTI Antonij Prouincia, licèt ſextum inter Citramontanę familiæ Prouincias locum obtineat, eſt tamen antiquiſſima, & vna inter cęteras famoſa, atq; nobiliſſima. Idq;, ſiue conuentuum numerum ſpectes, qui vtiq; ſunt 59. numero, 40. quidem fratrum, & 19. monialium: ſiue ciuitates, in quibus ij conuentus ſiti ſunt, attendas: Complectitur ſiquidem Venetias opulentiſſimam vrbē, Adriatico mari allutam, atq; anno à natali Chriſti 454. conditam, quo ſcilicet Attila Hunnorum Rex Aquileiam euertit: & Mantuam clariſſimam quoque vrbem ab Ocno filio Tyberis, & Mantûs Tireſię Thebani vatis filię, ad Mincium conditam, & à nomine matris eius Mantuam appellatam. Vnde Virgilius.

B *Ille etiam patrijs agmen ciet Ocnus ab oris,*
Fatidicæ Mantûs & Tuſci filius amnis,
Qui muros matriſq; dedit tibi Mantua nomen.

Quæ quidem ciuitas Virgilio Marone Poëtarum Principe, & familia Gonzaga ſemper virtute, ac bene factis illuſtriſſima, nūc ſub optimo & ſapientiſſimo Duce Gulielmo etiam ſereniſſima gloriatur, eiq; ex animo paret. & Paduā Venetorum Vrbē, ſoli vbertate, maximorū fluminū commoditate, ſacro pignore, corpore ſcilicet beati Antonij de Padua, quam ob cauſam, quòdq; pręterea ab eo ſibi nomen Prouinciæ vindicauerit, eius imaginem hanc ſibi Prouinciam pręferre volui, celebriq; Academia, atque doctiſſimis viris, quos huic ſæculo peperit, nempe Tito Liuio Hiſtorico celeberrimo, qui res C Romanas ſumma facundia perſcripſit, & Voluſio Poëta, qui poſt Ennium rerum geſtarum populi Romani Annales carmine deſcripſit, & Stella, Valerioq; Flacco etiam Poëtis, & Paulo Iureconſulto, atq; tādem Aſconio famoſo Rhetore, omnino inſignem illuſtremq;: & alias quamplurimas ciuitates, eaſq; nobiles, quas in medium afferre perlongum eſſet. Hęc nihilominus adijcere non pigebit, quòd videlicet Venetum territorium, eamq; regionem, cui ſupradicta domus Gonzaga ius dicit, circunſcribat, atq; conterminam habeat ſuperiorem Germaniam. Eſt præterea hæc Prouincia commodiſſima, permeatuq; facilis, cùm quanta ſit, & pedibus & nauigio luſtrari poſſit. D Hinc tandem religioſæ illæ ceremoniæ, monaſticiq; ritus Franciſcani, quos eius alumni impræſentiarum vſq; mordicus obſeruant, quiq; per vniuerſas Citramontanæ familię Prouincias longè lateq; diffuſi ſunt, fœliciſſimè prodiêre. Cuius deniq; maius ſigillum glorioſam Virginem nubecula ſubuectam, ac puerum Ieſum vtroq; brachio amplectentem, quorum pedibus Seraphicus pater Franciſcus genuflexus, ſacraq; ſtigmata à Seraphino recipiens ſubſtat, cum his literis. SIG. MINISTRI PRO. SANCTI ANTONII OR. MI. RE. OBSER. orbiculatim continet.

De conuentu S. Franciſci à Vineis Venetijs. *Conu.* I.

E VT noſtri fratres, qui conuentum S. Franciſci in deſerto (de quo inferius) incolebant, ſiue eleemoſynas Venetijs (de qua ſupra) mendicaturi, ſiue alia negocia peracturi, locum haberent, ad quem pro tempore religioſius diuertere, immo & ibidem pernoctare, dum neceſſitas vrgeret, liberius poſſent, domicilium quoddam, paupertati omnino accommodū, ibidem ſibi conſtruendum curarunt. Cùm autem, poſt tranſactos aliquot annos, pientiſſimus quidam Marcus Zianus, Venetus ciuis, vnam vel alteram domum, atq; vineam, à qua & præſens locus denominationem ſumpſit, pręfato domicilio contiguas in monaſterium erigēdas, atq; ſex religioſis viris cuiuſcunq; tamen eſſent Ordinis, dummodo pro ſe orarent, Altiſſimoq; ibidem obſequerentur,

moriens ex teſtamento, anno à Virgineo partu 1253. reliquiſſet, illæq́; tandem noſtro A
Ordini ab ijs, quorum intererat, collatæ fuiſſent, reuerendiſſimus quidam Patriarcha
Grimanus, Venetus quoq; ciuis, ac noſtris fratribus addictiſſimus, quæ ad præmemo-
rati operis perfectionem deſiderabantur, liberaliſſimè contulit. Eius itaq; opera, mu-
nificentia, atq; liberalitate, inſuper & præfati Marci Ziani ſummè commendanda pie-
tate, præmemoratum domicilium cum adiacentibus domibus, & vinea in capaciſſimũ,
atque ſatis auguſtum monaſterium, ſub titulo ſancti Franciſci de Vinea, ſtatim ab an-
no 1253. euectum eſt, in quo & 70. huius Prouinciæ fratres commodè ſatis commoran-
tur. Præfatum Marci Ziani teſtamentum, menſe Iunio anni 1253. actum, in huius loci
bibliotheca diligẽtius aſſeruatur, ex quo quæ prædiximus, maiori ex parte, collegimus:
nam ab eo nulla extat ſcriptura, quæ nos de huius monaſterij erectione certiores red-
dere poſſit. Maiori ex parte dixerim, ob præmemoratum domicilium, de quo in ſcri- B
ptis nulla penitus fit mentio, ſed quicquid retulimus, id ex receptiſſima quadam tra-
ditione didicimus. Et hæc quidem de pręſentis cœnobij fundatoribus atq; antiquitate.
Ad eius verò prærogatiuas deſcendentes, primo loco adducemus articulum alterius ex
digitis beati Pauli Apoſtoli, alteram ex ſpinis Dominicæ coronæ, particulam ſanctiſ-
ſimæ Crucis, aliam itidem particulam eius ſpongiæ, qua myrrhatum vinum Seruatori
Chriſto ex cruce pendenti, ab impio milite oblatũ fuit, alterum ex pedibus ſanctæ Ana-
ſtaſiæ, alium quoq; pedem atq; tibiale os ſanctæ Brigidæ, quibus eius ſacrarium mirũ
in modum cohoneſtatur. Tum demum afferemus in medium corpus beati patris Mat-
thæi Picentis (vulgo della Marca) hoc in eodem monaſterio honeſtiſſimo loco ſepul-
tum. Fuit pijſſimus hic pater à plurimis, dum viueret, ob profundiſſimam eius humi-
litatem, ſummamq́; patientiam atq; ſimplicitatem deſpectus, atq; deriſus, ſed poſt mor- C
tem ob frequentia miracula, quæ ad eius inuocationem euenêre (vt libellus eius vi-
tam, atq; acta continens, qui in huius loci bibliotheca diligentius cuſtoditur, facilli-
mè indicat) in maximo ab omnibus Venetis honore habetur. Accedit præſentiſſimum
atq; imminens periculum, cui præfatus pater in ſuperiorem Germaniam cum catholi-
co milite à Paulo III. Pont. max. contra Proteſtantes hæreticos miſſus, nõ ſemel, neq;
ſecundò, ſed ſæpiſſimè ſe expoſuit. Nam quoties ab vtroque exercitu, catholico ſcilicet
atque hæretico pugnandum erat, beatus is pater Crucifixum manu geſtans, fideleſq́;
milites ad pugnam pro Chriſti fide cohortans, inter bombardas, nudos enſes, atq; pilas
primus omnium verſabatur. Vnde per Dei gratiam illæſus ſemper mirabiliter exiuit.
Quod proculdubio patentiſſimum eius ſanctitatis ſignum extitit.

De conuentu S. Franciſci Patauij. *Conu. II.* D

SI mihi cum præſenti conuentu, intra Patauinæ ciuitatis mœnia erecto, nõ & mul-
tæ, & iuſtæ cauſæ amicitiæ priuatim eſſent, quæ me ad eius prærogatiuas fuſius
enarrandas, mirumq́; in modum extollendas, impellerent, repeterem ſanè quę de prę-
fata ciuitate Patauina à me, in huius Prouinciæ prohemio, dicta ſunt: quòd videlicet
celeberrima Academia inſignis, quòd agri fertilitate, ac fluminũ irrigatione celebris,
quòdq́; corpore B.P. Antonij glorioſa ſit: quæ profectò omnia me, ad id pręſtandũ, fa-
cilè conſtringerent: quod tamen faciendum minimè exiſtimo: cùm mihi tum ob cõpo-
ſitos mores, tum ob eius nobilitatem, tum quòd ob ſymbolum, quod cum natiuo mihi
ſolo habet, chariſſima ſit. Sed proh dolor, ea extitit patrum huius Prouinciæ negligen-
tia, ea deniq; incuria, vt quicquid literarũ ſiue apoſtolicarum, ſiue quarumcunq; aliarũ, E
ad celeberrimi huius conuentus fundationem atq; antiquitatem, attinentium, in eius
archiuis aſſeruabatur, miſerabiliter perierit. Quo fit, vt propoſito fruſter, atq; debito ſa-
tisfacere minimè poſſim, immo vt & veniam mihi dari exorem, quòd leuiſſimo ſtylo
ipſum depinxerim. Eſt itaq; hic conuẽtus celeberrimus, capaciſſimus, pulcherrimus,
atq; ſatis antiquus: quapropter ſecundum locum hac in prouincia optimo iure obtinet.
Illuſtratur ſiquidem plurimis, ijsq́; elegantiſſimis ſacellis, pluribusq́; ſanctorum reli-
quijs, atq; non vulgari ſtructura: inſuper & ſacræ Theoſophiæ ſtudio, cui plures fra-
tres ſub duobus Prælectoribus, ijsq́; doctiſſimis diligentius incumbunt. Si verò de fra-
trum numero agamus, is equidem non vulgaris eſt, cùm quadragenarius exiſtat.

A

De conuentu S. Franciſci Mantuæ. Conu. 11.

IMMINET famoſus hic conuentus, beatiſſimo patri Frãciſco ſacratus, licèt à primæua ſui inſtitutione (vt in vulgus fertur) Coronationi Deiparæ Virginis dicatus fuerit, Mantuano lacui, ex quo Mincius fluuius originem ducit, ac mœnium famoſæ, ſimulatq; munitiſſimæ ciuitatis Mantuanæ partem complectitur. Cuius tanta eſt capacitas, vt 80. fratres eius accolas commodiſſimè contineat, & bina Capitula noſtri Ordinis generalia, alterum quidem anno Domini 1420. celebratum, in quo R.P.F. Angelus Senenſis, Prouinciæ Tuſciæ alumnus, in Generalem miniſtrum, Martino V. Pont max. electus fuit; alterum verò anno à partu Virgineo 1540. in quo R.P.F. Ioannes Caluus,
B ſub Paulo III. Pont. max. atq; illuſtriſſimo pariter & excellentiſſimo Federico Gonzaga, primo Mantuanorum Duce, qui tamen, paulò ante præfati Capituli celebrationẽ, diem clauſit extremum, ad Generalatum promotus extitit, non grauatè ſuſtinuit. Fuit tamen hic locus à ſui exordio (ſi vulgari traditioni fidem adhibere liceat) modicè, ſatisq; anguſtè ędificatus, atq; Conuentualibus Franciſcanis patribus in habitationem traditus, ſed ſucceſſu temporis ab ijs ad eiuſdem Inſtituti Obſeruãtes deuolutus. Quando verò vel cuius auctoritate, vel ſub quo Mantuanorum Domino id contigerit, vel cuius ſumptibus præfatus conuentus ædificatus fuerit, deficientibus omnino vel præ vetuſtate, vel præ incuria ſcripturis, penitus nos latet. Vt igitur primùm præfatus conuentus ad Obſeruantes tranſijt, tum eius ecclesia, tum quoque adiacens ſibi ædificium
C ex diuerſis eleemoſynis, præcipuè verò nobiliſſimæ familiæ Gonzagæ, mirum in modum ampliata fuêre. Continet ſiquidem eccleſia ipſa vigintiquinq; ſacella, pulcherrimis iconibus exornata, quorum alterum Mantuanis, ob glorioſæ Virginis imaginem ibi depictam, atq; miraculis inſignem, commendatiſſimum eſt, alterum verò, quod Gonzaga nomine inſignitur, ſequentibus mauſolæis, affabrè elaboratis, cohoneſtatur: Nempè eo quo illuſtriſſ. Franciſcus Gonzaga, Mantuanorum Marchio, qui 30. Martij, anno Domini 1519. diem clauſit extremum, reconditus eſt. Et alio in quo illuſtriſſ. ac reuerendiſſ. Sigiſmundus Gonzaga S.R.E. Cardinalis, qui 4. Octobris, anno Dñi 1525. huic ſæculo vale dixit, in Domino quieſcit. Et alio in quo optima Margareta, cuiuſdam Federici Gonzagæ, Mantuanorum Principis, vxor, tumulata eſt: cui & ſequens epitaphium hæret.

D *Optima Margareta, ſumma Bauariæ domus gloria, conſanguineis Imperatoribus Auguſta, altera à Lampedo magnanimi Principis Federici coniunx, Euadne, Alceſteq: fidior, humo ſe condi volens, eodem auctore, hoc ſub ære quieſcit.*

Et alio in quo illuſtriſſ. Alda Eſtenſis, illuſtriſſ. Ludouici Gonzagæ, Mantuanorum Marchionis, vxor, diem Domini præſtolatur. Et alio in quo illuſtriſſ. Margareta Malateſta, cuiuſdam Galeazij Gonzagæ, ſtrenui olim militis atq; herois, coniunx, humari voluit. Adiacet præcedentibus ſepulchris & aliud abſq; tamen epitaphio. Huius ſacrę ædis eccleſia, prout ex marmoreo quodã lapide, eius parieti ad principalioris portę ſiniſtram (ab extrinſeco tamen) impreſſo, facillimè patet, conſecrata extitit, plurimiſq; indulgentijs gaudet, quemadmodum & ex ſequentibus carminibus, eidem lapidi inci-
E ſis, quisquis hęc legerit, edoceri poterit.

Mille quadringenti anni quinquaginta nouemq;,
Menſe Decembris erat, ſub luce ſecunda,
Antiſtes decus, atq; corona Veronæ,
Hermolaus, Venetijs oriundus, Barbara proles,
Hoc pater alme tibi templum Franciſce dicauit,
Cultum namq; Pio Papa præſente ſecundo
Cardinibus ſuis ter denis, Præſulibuſq;
Pluribus, ac cœtu fidei celebrante dietam,
Perpetuò Pius hanc iuſtè viſentibus ædem
Septem quadragenas, ſeptemq; inducit & annos.

aliquot beatorum patrum ac fratrum corpora ibidem ſepulta , videlicet pientiſſimi fra- A
tris Beneuenuti, beatiſſimi patris Franciſci olim ſocij : Et beati patris Sixti Mediolanen-
ſis , ſumma vtiq; humilitate , atq; charitate , inſuper & omni ſanctitate præditi , prout
miracula ab eo patrata teſtantur : Et beati patris fratris Seraphini Mantuani , famoſiſ-
ſimi olim Prædicatoris , atq; vitæ ſanctimonia inſignis ; Et deuoti patris Bartholomæi
Bergomotis , cuius ſepulturæ ſequens epitaphium appoſitum eſt .

Bartholomæo Bergomenſi homini Dei , qui obijt MDXLVI. die vltima Iulij.

& Reuerendi patris Franciſci Bazonis, ex nobili Mantuanorum familia oriundi,cu-
ius ſanctitas omnibus ſui temporis tum huius Prouinciæ patribus , tum quoq; Mantua-
nis in propatulo fuit: Et beati patris Sixti de Riparolo,cuius ſepulturæ huiuſmodi inſcri-
ptio inciſa eſt .

Sixto,qui Chriſto,& immatulatæ Conceptioni vſq; ad ſeptuaginta annos indefeſsè vigilauit, B
quicquid boni conſulunt ſperabunt , non ne viuentem putabunt , qui dum viueret , aliquando
miraculis claruit , obijt die xvij. Nouembris MDXXXIII.

Appoſitus quoq; eſt ad præfatos patres ſanctiſſimos in ipſo ingreſſu maioris ſacelli
ſub humili pauimento Reuerendiſſimus quidam aliquando noſtri Ordinis Generalis ,
qui mortem obijt 4. menſis Octobris anno verò Domini 1377.Eius tamen nomen atq;
patria , immo & Prouincia , obliteratis præ vetuſtate literis , nos omnino fugiunt .

Maius verò atq; princeps altare ſacroſanctis ſequentibus reliquijs , ſibi à Reueren-
diſſimo Philippo Bonacolſo genere Mantuano, ſed profeſſione Minorita, Tridentinoq;
Epiſcopo, atq; ſacri palatij Sacriſta , prout ex inſcriptione , cuidam lapidi à latere eiuſ-
dem altaris inciſa , manifeſtum euadit , liberaliſſimè collatis, religioſiſſimè cohoneſta-
tur , nempè ſanguine laterali ipſius Chriſti Domini , clauo quo Chriſtus Dominus cru- C
ci affixus fuit , quatuordecim particulis ſanctiſſimæ crucis , quadam cruce fabrefacta
ex eodem ſanctiſſimo ligno , duabus argenteis crucibus in quibus binę particulæ Do-
minicæ crucis cuſtodiuntur . Habetur quoq; ibidem & de ſpinea corona Chriſti duo-
bus in locis , de Chriſti interula quam ſibi eius mater glorioſa adaptauit, de faſcia Chri-
ſti , de Chriſti veſtimentis in ſortes à militibus diuiſis , de veſtimento item Chriſti duo-
bus in locis , de fimbria veſtimenti Chriſti,de Chriſti ſpongia tribus in locis , de Chriſti
menſa vbi cum diſcipulis cœnam fecit quatuor in locis , de Chriſti ſudario tribus in lo-
cis , de Chriſti ſindone vbi fuit obuolutus , de Chriſti ſandalijs duobus in locis , de cin-
gulo & cunna Chriſti , de panniculis quibus Chriſtus obuolutus fuit , de Chriſti linteo
quo præcinctus fuit in lotione pedum , de linteo qui ſuper eius veronicam ſtetit multis D
annis , de forſipe quo claui de cruce Chriſti auulſi fuēre , de fragmentis quinque pa-
num , de Chriſti ſepulchro duobus in locis , de lapide vbi Chriſtus natus eſt duobus in
locis , de lacte glorioſæ Virginis Marię tribus in locis , de veſtimentis eiuſdem Virginis
glorioſæ ſex in locis , de velo eiuſdem deiparæ Virginis quatuor in locis , de crinibus
eiuſdem immaculatę Virginis duobus in locis,de zona & ſcamno eiuſdem matris Chri-
ſti , de lecto eiuſdem ſemper Virginis Mariæ quando cœlum petijt , de virga Moyſis, de
virga Aaron , quæ fuit Papæ Gregorij XI. de ſancto Simeone iuſto tribus in locis , de
tunica eiuſdem,de Daniele Propheta, de veſtibus Gamalielis Præceptoris Pauli Apoſto-
li , de oſſibus Ioſeph ab Arimathia , de eodem Ioſeph,de ſepulchro Danielis , de oſſibus
trium puerorū in camino duobus in locis , de oſſibus Iacobi minoris Apoſtoli tribus in
locis , de cranio Philippi Apoſtoli,de maxilla eiuſdem, de coſta eiuſdem,de oſſibus eiuſ- E
dem in tribus locis,de oſſibus ſancti Bartholomęi decem in locis,de oſſibus ſancti Mat-
thæi Apoſtoli duobus in locis , de veſtimento eiuſdem , de oſſibus ſancti Simonis Apo-
ſtoli , de oſſibus ſancti Thadæi Apoſtoli quatuor in locis , de oſſibus ſancti Lucæ Euan-
geliſtæ tribus in locis , de oſſibus ſancti Barnabæ Apoſtoli tribus in locis , de coſta ſan-
cti Marci Euangeliſtæ , de oſſibus eiuſdem duobus in locis , de veſtimento eiuſdem , de
ſancto Stephano prothomartyre, de oſſibus eiuſdem decem in locis,de lapidibus quibus
fuit lapidatus, de brachio ſiue tibia S. Laurentij,de coſta eiuſdem & de eius pinguedine,
quę defluxit dū cremaretur , de carne eiuſdē,de oſſibus eiuſdē in quinq; locis, de crati-
cula eius duobus in locis, de veſtimento eiuſdē,de oſſibus S. Vincentij quatuor in locis,
de dēte S.Anaſtaſij,de brachio S.Clemētis,de oſſibus eiuſdē duobus in locis,de S. Blaſio,
de collo

A de collo eiuſdem, de oſſibus eius ſex in locis, de oſſibus ſancti Petri Dominicani, de
oſſibus ſancti Georgij in ſeptem locis, de oſſibus ſancti Fabiani quatuor in locis, de oſ-
ſibus ſancti Sebaſtiani ſex in locis, de oſſibus ſancti Iacobi interciſi, de ſancto Hippoly-
to, de capite eiuſdem, de oſſibus eiuſdem, de oſſibus familiæ eiuſdem, de oſſibus ſan-
cti Thomæ martyris duobus in locis, de oſſibus ſancti Marci martyris, de oſſibus ſan-
cti Marcelliani duobus in locis, de oſſibus ſancti Melchiadis, de oſſibus ſancti Concor-
dis, de oſſibus ſancti Sauini, de oſſibus ſancti Sixti quatuor in locis, de oſſibus ſancti
Marcellini, de oſſibus ſancti Valentini duobus in locis, de oſſibus ſancti Chryſanti
duobus in locis, de capite ſancti Geruaſij, de oſſibus eiuſdem, de oſſibus ſancti Protaſij,
de oſſibus ſancti Pancratij tribus in locis, de dente eiuſdem, de oſſibus ſancti Pancratini,
de oſſibus ſancti Fœlicis duobus in locis, de oſſibus ſancti Romani, de dente ſancti Vi-
B ctorini, de oſſibus ſancti Smaragdi, de oſſibus ſancti Bonifacij quatuor in locis, de oſ-
ſibus ſancti Olimpij, de oſſibus ſancti Irenæi, de oſſibus ſancti Martiniani, de oſſibus
ſancti Cæſarij, de oſſibus ſancti Arthemij, de oſſibus ſancti Proſperi, de oſſibus ſancti
Caſti, de oſſibus ſancti Chryſogoni tribus in locis, de oſſibus ſancti Marcelli, de oſſi-
bus ſancti Abridi, de oſſibus ſancti Theodori ſeptem in locis, de oſſibus ſancti Calixti
in quinq; locis, de oſſibus ſancti Nemeſij, de oſſibus ſancti Iuſtini, de oſſibus ſancti
Simpliciani, de oſſibus ſancti Alexandri duobus in locis, de oſſibus ſancti Vitalis, de
oſſibus ſancti Iuliani duobus in locis, de oſſibus S. Pontiani quatuor in locis, de oſſibus
S. Valeriani, de oſſibus S. Maximi, de oſſibus S. Nazarij, de oſſibus S. Dionyſij Areo-
pagitæ tribus in locis, de oſſibus S. Saturnini & eius ſociorum, de oſſibus S. Pij Papæ,
de oſſibus S. Victoris, de oſſibus S. Chriſtophori ſex in locis, de oſſibus S. Demetrij, de
C oſſibus S. Pantaleonis ſex in locis, de digito eiuſdem, de oſſibus S. Colepodij duobus
in locis, de oſſibus ſancti Agapiti quatuor in locis, de cruce eiuſdem, de oſſibus ſancti
Eraſmi, de oſſibus ſancti Euſtachij, de maxilla eiuſdem, de dente ſancti Cantiani, de
oſſibus ſancti Vrbani, de oſſibus ſancti Gorgonij, de coſta S. Cypriani, de neruis & oſ-
ſibus eiuſdem, de ſanguine eiuſdem, de oſſibus ſancti Iſidori, de oſſibus S. Quintiani,
de oſſibus S. Policaſtri, de oſſibus S. Donati duobus in locis, de oſſibus S. Creſcentiani
duobus in locis, de oſſibus S. Lini, de oſſibus S. Adaucti, de oſſibus S. Andronici duobus
in locis, de oſſibus S. Procli duobus in locis, de oſſibus S. Zepherini, de oſſibus S. Eua-
riſti, de oſſibus ſancti Timothei, de oſſibus ſanctorum Innocentum quatuor in locis,
de oſſibus ſanctorum Ioannis & Pauli tribus in locis, de oſſibus ſanctorum Fauſtini &
D Iouitæ, de oſſibus ſanctorum Chryſanti & Dariæ quatuor in locis, de oſſibus ſanctorum
Coſmę & Damiani decem in locis, de oſſibus ſanctorum Primi & Fœliciani tribus in lo-
cis, de oſſibus ſanctorum quadraginta martyrum duobus in locis, de oſſibus ſanctorum
Gordiani & Epimachi, de oſſibus ſanctorum Nerei & Achilei quatuor in locis, de oſſi-
bus ſanctorum Papię & Mauri, de oſſibus ſanctorum Marij Marthæ & filiorum, de oſ-
ſibus ſanctorum Naboris & Fœlicis, de oſſibus ſanctorum Fœliciſſimi & Agapiti qua-
tuor in locis, de oſſibus ſanctorum Firmi & Ruſtici, de oſſibus ſanctorũ Hermagorę &
Fortunati, de oſſibus ſanctorum Lucię & Geminiani, de oſſibus ſanctorum vigintiqua-
tuor martyrum, de oſſibus ſancti Ambroſij, de oſſibus S. Auguſtini, de pallio eius, de
oſſibus ſancti Gregorij quatuor in locis, de dente & eius capillis, de oſſibus S. Leonis
tribus in locis, de oſſibus S. Martini tribus in locis, de capite S. Nicolai, de oleo eiuſ-
E dem, de oſſibus eiuſdem ſeptem in locis, de oſſibus S. Ioannis Chryſoſtomi in octo locis,
de oſſibus S. Gregorij Nazianzeni, de oſſibus S. Hilarij tribus in locis, de oſſibus ſancti
Proſdocimi Epiſcopi Patauini, de oſſibus S. Zenonis duobus in locis, de oſſibus S. Procu-
li Epiſcopi Veronenſis, de oſſibus ſancti Fortunati, de oſſibus ſancti Lupicini, de oſſibus
ſancti Fulgentij, de oſſibus ſancti Aymonis, de oſſibus Euſtadij Patriarchę, de oſſibus
ſancti Athanaſij duobus in locis, de oſſibus ſancti Zerbonij, de oſſibus ſancti Britij, de
oſſibus ſancti Reguli, de oſſibus ſancti Theodoxij, de carne ſancti Franciſci, de capillis
eius tribus in locis, de barba eiuſdem, de capucio eiuſdem, de corda eiuſdem, de tuni-
ca eiuſdem quatuor in locis, de panniculo eiuſdem, de multis alijs eius reliquijs, de oſſi-
bus ſancti Antonij de Padua, de ſanguine beati Lucę eius ſocij, de veſtimento eiuſdem,
de oſſibus beati Ægidij ſocij beati Franciſci, de eius ſanguine duobus in locis, de oſſi-
bus ſancti

bus ſancti Benedicti Abbatis, de S. Sabbæ Abbatis oſſibus, de cilicio eiuſdem, de oſſi- A
bus S. Antonij abbatis duobus in locis, de oſſibus S. Pauli primi eremitæ, de oſſibus
S. Simeonis monachi, de oſſibus S. Iuliani, de oſſibus S. Elaſij tribus in locis, de oſſi-
bus S.Leonardi,de oſſibus S.Amanij,de oſſibus S.Catharinę tribus in locis,de oleo eiuſ-
dem, de dente S. Agnetis, de cineribus eiuſdem, de oſſibus eiuſdem tribus in locis, de
velo eiuſdem, de oſſibus S.Luciæ quatuor in locis,de capite S.Ceciliæ,de oſſibus eiuſdē
nouem in locis,de capite S. Barbaræ, de oſſibus eius quatuor in locis, de oſſibus, & ve-
lo ſanctę Margaretæ, de oſſibus ſanctę Agathæ, de oſſibus ſanctæ Anaſtaſiæ tribus in
locis, de oſſibus, capite, velo, cilicio & capillis ſanctæ Conſtantiæ, de oſſibus ſanctæ
Eugeniæ, de oſſibus ſanctę Criſtinæ, de oſſibus ſanctę Beatricis, de oſſibus S. Lucillæ,
de oſſibus S. Tyberiæ, de oſſibus S. Arthemiæ, de oſſibus S.Rufine, de oſſibus S.Nym-
phę,de oſſibus S.Columbę,de oſſibus S.Fœlicitatis,duobus in locis, de oſſibus S. Viuia- B
næ, de oſſibus S. Priſcæ, de oſſibus S. Valeriæ, de oſſibus S. Victorinæ, de oſſibus S.
Martinę, de oſſibus S.Paulinę,de oſſibus vndecim millium virginum, de oſſibus ſan-
ctorum Perpetuæ & Fœlicitatis, de capillis, vnguibus, tunica & velo S. Claræ, de oſ-
ſibus, capillis, & diuerſis alijs reliquijs S. Marię Magdalenę, de oſſibus S. Marthę, de
oſſibus S. Petronillæ, de oſſibus S. Marinæ, de oſſibus S. Scholaſticæ,de oſſibus S.Pra-
xedis, de ſanguine plurimorum martyrum, quem eadem S. Praxedes collegit, de oſ-
ſibus S. Balillæ, de oſſibus ſanctorum Caſſianæ & Tronicæ, de oſſibus, capillis,& cin-
gulo S.Eliſabethę,de oſſibus S.Marię Cleophę,de oſſibus S. viduę Annę de qua in Euan-
gelio fit mentio, de oſſibus S. Mariæ Ægyptiacæ tribus in locis. Eſt & alia crux parua
argentea plena diuerſis reliquijs ſine nominibus: Sunt præterea & aliæ quædam reli-
quię inuentę in ſacello reuerendiſſimi domini Cardinalis Tuſculani. Voluit autem ſe- C
peliri pręfatus Epiſcopus,harũ reliquiarũ collator,iuxta pręmemoratũ altare ſummũ.

Colophonem huic conuentui additurus,hæc tantùm de eius ſtructura dixerim,quòd
videlicet ſit magnifica,ſumptuoſa, atq; omni ex parte perfecta: Nam ſi de cellulis aga-
tur, hę ſunt centum numero, atq; per quadriuij modum elegantiſſimè diſtinctę.Si ve-
rò de clauſtris loquamur, hęc quidem ſunt bina: ſed illorum alterum tantę eſt pulchri-
dinis, atq; etiam magnitudinis, vt vix ſibi par in toto noſtro Ordine habeat. Innititur
enim quinquaginta duabus marmoreis columnis,eisq́; pulcherrimis,& ex ea parte qua
Mantuanum proſpicit lacum,xyſtum habet pulcherrimum,quo nihil amęnius, nihilq́;
delectabilius fratribus eius accolis euenire poteſt.Huic xyſto cõtigua eſt pulcherrima,
eaq́; capaciſſima Infirmaria, cui aromataria officina omnibus neceſſarijs inſtructa,
atq; pulcherrimum ſacellum, ad ſacrum pro infirmis faciendum, hęrent. Et vt paucis D
multa perſtringam, locus hic omnibus ſuis numeris abſolutiſſimus eſt, nihilq́; eorum,
quę ad perfectum monaſterium requiruntur, penitus deſiderat, immo & fratribus ſtu-
dentibus maximè fauet, cùm plurimi eorum ſub tribus Pręlectoribus ſacris literis ac
Philoſophię dent operam.

De conuentu S. Bernardini Veronæ. *Conu. IV.*

QVICVNQVE non lippis (vt aiunt) oculis ſtudium, curam atq; beneuolen-
tiam,qua Veronenſes noſtrum Ordinem, à ſui erectione in hodiernum vſq; diē,
proſequuti ſunt, contemplatus fuerit, facillimè proculdubio deprehendet, hunc con-
uentum,beato patri Bernardino de Senis ſacrum, ac Veronæ, quæ Venetiæ ciuitas eſt, E
& à Gallis, Duce Brenno à quo Brenona primò, deinde mutatis literis Verona dicta
euaſit, condita extitit, Atheſiq́; amęniſſimo fluuio,qui ex Tridētinis alpibus ortus,non
longè à foſſa Clodia, Pado totius Italię famoſiſſimo flumini miſcetur, vtiliſſimè allui-
tur,atq; Catullum, Æmilium,Magrum Poëtam,Pliniumq́; (vt aliquibus placet)nobis
peperit, eleganter ſatis conſtructum, quem vt plurimùm quinquaginta fratres com-
modiſſimè incolunt, ex communibus eorundem ſumptibus ædificatum fuiſſe. Idq́; ip-
ſum inſinuare videtur plumbea quædam bulla Nicolai V. Pont. max.data anno Domi-
nicæ Incarnationis 1452. atq; in huiuſmet loci cartophilacio aſſeruata, ex qua etiam
præſentis conuentus antiquitas, ætasq́; conſtat. Eius ſiquidem tenore præfatus ſum-
mus

A mus Pontifex Nicolaus iſtius monaſterij Veronæ erigendi fratribus noſtris facultatem impertitur. Cohoneſtatur demum hæc ſacra ædes quibuſdam crinibus glorioſæ ſemperq; Virginis Mariæ, alijs itidem crinibus Dominici præcurſoris diui Ioannis Baptiſtæ, aliquot oſſibus ſanctorum Sebaſtiani martyris, atque Vrſulæ virginis & martyris, ſanguine, dente, atque parte capucij beati patris Bernardini.

De conuentu S. Blaſij Vincentiæ. *Conu. V.*

SVBSTITIT olim conuentus hic, ſancto Blaſio dicatus, extra Vincentinæ ciuitatis mœnia, qui tamen, ne eius ciuibus, grauiſſimis imminentibus bellis, negocium aliquando faceſſeret, à Veneta Republica, cui Vincentia Venetiæ ciuitas paret, decretum fuit, vt funditus dirueretur, aliusque intra eiuſdem ciuitatis vallum, in quo
B commodè fratres commorari poſſent, ſibi ſufficeretur. Quod & anno à partu Virgineo 1530. ſub illuſtriſſimo Venetorum Duce Andrea Gritti factum extitit. Hęc omnia patent ex literis, quibus adiacēt canonizatio beati patris Bernardini, & inſtitutio montis pietatis hac in ipſa ciuitate factæ, ſub Innocentio VIII. Pont. max. anno Dñi 1486. pręfati Ducis, quæ in patris Guardiani cubiculo diligentius aſſeruantur. Ab eo igitur tempore, hoc monaſterium, ſub antiquiori titulo S. Blaſij, nobis ex communi ærario prodijt, quod & abſolutū eſt. Quòd verò præfatis demolitioni, atq; ædificationi Sedis apoſtolicæ aſſenſus acceſſerit, nulli dubium eſſe debet. Sed vbi is habeatur, penitus neſcitur. In hoc conuentu vitam ducunt communem 25. fratres, iacetq; in eius eccleſia ſepultum corpus venerabilis patris Marci Picentis (vulgo della Marca) quod à Vincentinis maxima veneratione colitur, maximiq; fit, ob tanti patris virtutes, atq; ſanctita-
C tem. Quæ ſequuntur carmina, ex plurimis, quæ eius ſepulchrum exornant, in medium afferre volui, vt ex eis, qualis fuerit huius patris vita, facilè inueſtigari poſſit.

O ſidus nuper emicans
E Paradiſi ſedibus:
O iubar clarum & rutilans,
Cunctis exortum gentibus,
Quo peccator oberritans,
Infœlix, miſer, reprobus,
Te cohortante Dominum
Conſequeretur ſuperans.
D *In ſancto Seuerino*
Virgo tibi reuelauit,
Populo Chriſtiano
Quæ prædicari voluit.
Et mandato diuino
Anima tua paruit.
Quæ plateis & in templo
Iam reuelata docuit.
Requirens cunctos iugiter
Immenſa pandis præmia
Cunctos vocabas pariter
Ad Paradiſi gaudia,
Hortaris nos alacriter
Vt relinquamus omnia,
Quæ tenent nos mortaliter,
Et ducunt per inania.
Theſaurizemus fideliter
Quæ ſunt in ſuperna gloria,
Chriſti crucis celeriter
Magna petamus munera.

De conuentu S. Franciſci à Vineis Vtini. *Conu. VI.*

QVÆCVMQVE in ſe bona eſſent, aut fortunæ beneficio (ſi ita fari liceat) tributa, aut proprio labore parta, ſibi à Deo opt. max. omnium bonorum largitore
E credita, vt aliquod ſibi obſequiū prętaret, exiſtimans nobilis, atq; pientiſſima quędam Vtinenſium familia, ſacrum monaſterium Franciſcanæ Obſeruanti familiæ, cui addictiſſima deuotiſſimaq; erat, non longè ab Vtino, quod Fori Iulij oppidū eſt, nec longè ab Aquileia diſtat, in proprijs prædijs, atq; poſſeſſionibus ædificare ſtatuit, decreuitq;. Annuente itaq; ſibi Martino V. Pont. max. cuius apoſtolicum breue ſub datū Romæ ij. cal. Iulij anno Domini 1428. in huius loci archiuis adhuc perſeuerat, præſens cœnobium, in honorem beatiſſimi patris Franciſci à Vineis, quod quidem cognomen tum à vineis in quibus fuit conſtructum, tum quoq; ad diſtinctionē alterius Franciſcani conuentus etiam Vtini, ſed intra muros erecti, atq; à patribus Conuentualibus occupati, ſibi inditum eſt, iiſdem temporibus, atque proprijs ſumptibus à fundamentis ad verticem

cem vſque, præfata Vtinenſium familia extruxit perfecitq; Ex plurimis, quę ad deuo- A
tiſſimæ cuiuſdam imaginis glorioſæ Virginis, hoc in loco depictæ, inuocationem, mi-
raculis euenêre, vnum tantùm ad eiuſdem Virginis gloriam hîc ſubijcere libuit Cum
enim deſperata à medicis, atq; ab alijs omnibus ſalute quidam nobilis lectulo decum-
beret, ſeq; huic imagini ex intimis præcordijs commendaret, apparuit illi beata Vir-
go, quæ & ſe bono animo eſſe iuſſit, & ſibi ſanitatem ex tempore reſtituit. Ex quo etiam
tempore plurimum deuotionis erga præfatam imaginem, & hunc locum Vtinenſibus
acceſſit, idq; vota tum aurea, tum quoque argentea ab ipſis oblata facillimè indicant.
Aſſeruantur denique hoc in loco, in quo & 25. fratres commorantur, pars ligni Domi-
nicę crucis, pars quoque columnæ ad quam Chriſtus Dominus alligatus fuit, & habi-
tus, tunicula, atq; capucium beati patris Ioannis Capiſtrani.

De conuentu S. Iob Venetijs. Conu. VII. B

CONCEPTAM erga Obſeruantes Franciſcanos beneuolentiam mirum in mo-
dum in Lucia Delphina, nobili Veneta, auxit primitiuus ille eorum rigor, atque
regularis diſciplinæ zelus, immo & impulit, vt ſacellum diuo Iob ſacrum, ac in paro-
chia S. Hieremiæ iuxta Canaregium, (ſic vulgò nuncupatum) Venetijs ſitum, quod
ſibi à caro parente Ioanne Contareno, hæreditario iure, obuenerat, in conuentum, eo-
dem beato Iob tutelari, iuxta facultatem ſibi à Martino V. ſummo Pontif. factam, ex
proprijs facultatibus à ſuis hæredibus euehendum moriens ex teſtamento caueret, cu-
raretq;. Cuius vltima voluntas, ſiue teſtamentum ſimul cum præfata Martini V. Pont.
max. facultate, in forma breuis facta, quę ab huiuſmodi verbis exorditur: Martinus Epi
ſcop us ſeruus ſeruorum Dei dilecto filio Primicerio eccleſiæ ſancti Marci &c. in huiuſ- C
met loci tabellario aſſeruatur. Fuit igitur hic conuētus tum ex præfatis Lucię Delphi-
næ bonis, tum quoq; ex pijs quorundam Venetorū, pręcipuè verò Chriſtophori Mau-
ri eleemoſynis, fratrum tamen diligentia acquiſitis, ſub reuerendiſſimo patre fratre
Gulielmo de Caſſali, totius noſtri Ordinis Generali Miniſtro, optimè conſtructus. Fue-
rat enim præfatus Chriſtophorus Maurus beato patri Bernardino de Senis, cùm hoc
in monaſterio prædicationis cauſa commoraretur, familiariſſimus, atque ab eo, ſe ali-
quando ad Venetæ totius Reipublicæ clauum ſeſſurū, per reuelationē didicit: quam-
obrem Venetorum Dux effectus, ac tanti præſagij memor, ne ingratitudinis aliquādo
argui poſſet, quam diu vixit noſtris fratribus deuotiſſimus, ac omnino beneficus exti-
tit, & hunc locum, quem 40. fratres commodiſſimè incolunt, ſupramodum promouit,
& moriens ante ſummum eius altare humari voluit. D

Aſſeruantur debito cum honore in huius loci ſacrario pars cranij diui Matthię Apo-
ſtoli, altera ex ſpinis Dominicæ coronæ, altera quoq; ex maxillis, cui dens hæret ſancti
Calixti Papæ, brachium S Theodori, tibia S. Stephani Papæ & martyris, & corpus diui
Lucæ Euangeliſtę, quod demptis manu & pede dextris integrum perſeuerat. Hoc ve-
nerabile pignus aliquot Franciſcani Obſeruantes, dum propriæ ſaluti conſulentes
Boſna, ob Turcarum inuaſionem excederent, ne tantorum hoſtium ludibrijs expone-
retur, conſultò, atq; religioſè ſatis Venetias traſtulerunt. Cumq; quidam frater Ber-
nardus Abbas, ac frater Lucas Prior monaſterij S. Iuſtinę Paduani, Ordinis Benedicti-
norum contenderent pręfatum diui Lucę corpus, temporibus Iuliani Apoſtatę Impe-
ratoris, è Conſtantinopoli Paduam tranſlatum, atque ibidem in pręmemorato S. Iu-
ſtinę monaſterio religioſius cuſtodiri, diffinitiua ſententia, poſt diligentem rei verita- E
tis adhibitam inquiſitionem, (vt inferius patebit) in noſtrorum fratrum fauorem à
Pio II. Pont. max. lata extitit, qua expreſſe declaratur & aſſeritur, diui Euangeliſtæ
Lucę corpus, non Paduę apud ſanctam Iuſtinam, vt Abbas & Prior pręd icti volebant,
ſed Venetijs in pręſenti conuentu aſſeruari. Pręfata Pij II. Pont. max. ſententia eadem
theca, qua beati Euangeliſtę corpus circunſcribitur, continetur. Vt autem totius prę-
fatę contentionis ſeries hæc legenti in propatulo ſit, quę ab illuſtriſſimo pariter ac re-
uerendiſſimo Beſſarione S. R. E. Cardinali ſuper hoc negotio diſquirendo, atq; diffi-
niendo à pręfato ſummo Pont. Pio II. Commiſſario inſtituto acta, atq; iuridicè deter-
minata ſint, his annectere volui.

In nomine

A In nomine Domini Amen. Nuper ſanctiſſimus in Chriſto pater & dominus noſter, dominus Pius, diuina prouidentia Papa II. quaſdam literas apoſtolicas in forma breuis annulo piſcatoris ab extra clauſas,& ſignatas,ſanas,& integras, non vitiatas, non cancellatas, neq; in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio, & ſuſpitione carentes, vt prima facie apparebat, nobis Beſſarioni, miſeratione diuina Epiſcopo Tuſculano, S. R. E. Cardinali, Patriarchę Conſtantinopolitano, apoſtolicę Sedis Legato de latere, hac in cauſa, & cauſis huiuſmodi Commiſſario apoſtolico, per certum eius Miſſum pręſentari fecit, quas nos cum ea, qua decuit, reuerentia recepimus huiuſmodi ſub tenore.

Venerabili fratri Beſſarioni Epiſcopo Tuſculano, S. R. E. Cardinali Nicęno, Sedis apoſtolicę Legato, Pius Papa II. Venerabilis frater, ſalutem & apoſtolicam benedi-B ctionem. Venit ad noſtram notitiam, relatu dilecti filij Bernardi Iuſtiniani militię, & oratoris Veneti, quod poſt lugendam direptionem Boſnenſis Regni à ſęuiſſimo Turcarum Tyranno proximè factam, fratres quidam ex Ordine Minorum Obſeruantum, fuga ſalutem quęrentes, cùm è regno illo recederent, ne vacui in Italiam redirent, venerandum corpus Lucę Euangeliſtę (vt aiunt) ſecum deportauerunt: quod cum delatum eſſet ad terras Venetorũ,ſignificata eis re,vt ſe habebat,Dux & Dominium illud, vt ſunt Religionis,pręcipuè erga ſanctorum reliquias, ſummo ſtudio, publicisq; decretis, corpus prædictum ad eorum vrbem honorificè, & ſumma cum veneratione deuehendum eſſe conſtituerunt. Cùm intentis animis huic rei ſtuderent, & corpus iam in litore Veneto apud eccleſiam S. Nicolai delatum eſſet, ſubortus eſt rumor, corpus eiuſdem Euãgeliſtę, iam inde à Iuliani apoſtatę temporibus,è Conſtantinopoli Pa-C duam tranſlatum, ibiq; collocatum fuiſſe. Propter quod cùm in dubio, & ancipiti ſint, cupiantq; huiuſmodi dubietatem ſubmoueri, ne religio fidelis populi,& veneratio ſanctarum reliquiarum intercidat, committimus, & iniungimus fraternitati tuæ, per præſentes, vt rem hanc, ea diligentia & induſtria, quibus opus eſt, inueſtigare & inquirere procures, & ſuper inde, eam prouiſionem facere, & id conſtituere, quòd veritate comperta, ad Dei honorem, & ſancti Euangeliſtæ venerationem,ac populi deuotionem cognoueris expedire. Super quibus omnibus plenam tibi auctoritate apoſtolica concedimus harum ſerie facultatem. Tibure, ſub annulo piſcatoris, die penultimo Auguſti milleſimo quadringẽteſimo ſexageſimotertio, Põtificatus noſtri anno quinto.

Quarum quidem literarũ vigore,citatione legitima, venerabili patri domino Theo-D philo Abbati ſancti Georgij maioris de Venetijs,Ordinis ſancti Benedicti, & congregationis ſanctæ Iuſtinæ, tanquam coniunctæ perſonæ, intimanda, & in valuis eccleſiæ ſancti Georgij maioris,monaſterij pędicti affigenda, ad finẽ, vt idem dominus Theophilus Abbas eandem citationem venerabili patri Bernardo Abbati, ac conuentui monaſterij eccleſiæ ſanctæ Iuſtinæ de Padua, Ordinis & congregationis prædictorum, in qua quidem eccleſia corpus ſancti Lucæ Euangeliſtæ, de quo in dictis præinſertis apoſtolicis literis fit mentio, collocatum fore aſſeritur, intimaret & notificaret pro parte illuſtriſſimi & sereniſſimi Principis Chriſtophori Mauri, Dei gratia Ducis Venetiarũ. Et hanc cauſam pro inquiſitione veritatis, dumtaxat, vt principalis proſequentis, & eam defendentis,contra eoſdem Abbates & conuentum monaſterij ſanctę Iuſtinæ,omneſq; alios, & ſingulos ſua intereſſe putantes,& in exequutione citationis huiuſmodi, E nominandos per noſtrum in hac cauſa Auditorem in forma ſolita & cõſueta, decreta, conceſſa & emiſſa. Ipſaq; exequutione debitè,prout decreta & conceſſa fuerat, demandata,comparuerunt iudicialiter coram eodem Auditore noſtro prouidus vir magiſter Iacobus de Parleonibus, aſſertus Procurator dicti Domini Chriſtophori Ducis Venetiarum, prout de ſuæ procurationis mandato legitimam promiſit facere fidem, atque etiam & poſt fecit ex vna, & eo, necnon præfatus Dominus Bernardus Abbas monaſterij ſanctę Iuſtinæ ex aduerſo principalis ſupradictus, citra tamẽ quorumcunq; procuratorum ſuorum per eum conſtitutorum, reuocationem tam ſuo, quàm conuentus præfati monaſterij, nominibus, partibus ex altera. Et idem magiſter Iacobus ipſi Domino Bernardo Abbati præſenti, terminum peremptorium,ad dicendum,& excipiendum quicquid verbo, vel in ſcriptis, contradictas præinſertas literas apoſtolicas vobis præ-

bis præſentatas, dicere ſiue excipere volebat, per dictum Auditorem noſtrum præfigi, A
& aſſignari obtinuit. In quo quidem termino comparentibus coram eodem Auditore noſtro iudicialiter eiſdem magiſtro Iacobo ex vna, & Bernardo Abbate, ac religioſo viro Luca Priore monaſterij ſanctæ Iuſtinæ prędicti, nominibus quibus ſupra, partibus ex altera, idem magiſter Iacobus accuſauit contumaciam, & aſſeruit eorundem Abbatis, & Prioris, licèt prȩſentium, nihil tamen contra prȩfatas literas apoſtolicas dicere curantium. Et vlterius libellum, ſiue ſummariam in hac cauſa petitionem, facto realiter, & in ſcriptis, ſub horum verborum ſerie, obtulit, atq; dedit.

Coram vobis reuerendiſſimo in Chriſto patre, & præſtantiſſimo domino domino Beſſarione, miſeratione diuina Epiſcopo Tuſculano, S. R. E. Cardinali, Patriarcha Conſtantinopolitano, & in ciuitate Venetiarum &c. Sedis apoſtolicæ Legato, necnon à ſanctiſſimo domino noſtro ad infraſcripta ſpecialiter delegato, &c. nomine ſereniſſi- B
mi Principis, illuſtriſſimiq; domini domini Chriſtophori Mauri, Dei gratia inclyti Venetiarũ Ducis &c. Compareo ego Iacobus de Parleonibus, Legum Doctor, & narro, dico, & expono, quòd cùm proximis diebus ſumma diligentia, & cura ipſius ſereniſſimi Principis, & illuſtriſſimi Dominij, venerandiſſimæ reliquiæ glorioſi Euangeliſtæ Lucæ, mirabiliter, & diuina in ſanctos ſuos cooperante gratia, de impiorum Turcarum manibus, poſtquàm nuper ab eis Regnum Boſnæ miſerabiliter occupatum eſt, ſeruatæ, & ad loca præfati illuſtriſſimi Dominij per quoſdam fratres Ordinis Minorum de Obſeruantia delatæ, tandem ad hanc ciuitatem ſumma omnium expectatione deuectæ fuiſſent, & in eccleſia ſancti Nicolai de litore collocatæ, eſſetq; iam de mandato eiuſdem ſereniſſimi Principis, illuſtriſſimiq; Dominij magna, & ſolemnis præparatio, iuxta morem & conſuetudinem huiuſmodi inclyti ſenatus in ſimilibus, facta, ad honorificentiſſimè, deuotiſſimeq; huiuſmodi ſanctiſſimum corpus ſuſcipiendum, atq; in C
aliquo conuenienti vrbis loco, in templo videlicet diui Bernardini, aliàs ſancti Iob nuncupato, ad totius populi, & omnium Chriſti fidelium deuotionem, ac venerationem collocandum. Quædam in vrbe ſucclamatio facta eſt, quòd iam multis retroactis temporibus, huiuſmodi Euangeliſtæ Lucæ corpus, in eccleſia ſanctæ Iuſtinæ de Padua fuiſſet, cum magna illius populi deuotione veneratum: propter quam rem, ne aliquod inter Chriſti fideles, maximè in veneratione ſanctorum corporum, ſuborrietur ſcandalum, & dubitatio, fuit, antequàm ad venerationem dicti corporis ſancti procederetur vlterius, de prædictis omnibus, prout ſe habebant, per præfatum illuſtriſſimum dominum ad ſanctitatẽ domini noſtri data notitia, vt ſanctitas ſua poſſet de opportuno remedio ſuper ijs prouidere: qui ſanctiſſimus dominus noſter, hoc audito, per D
ſuas breues literas veſtrȩ reuerendiſſimȩ dominationi commiſit, vt ſuper prȩmiſſis, quo melius fieri poſſet, inquirere, ac demum prouidere debeat, auctoritate apoſtolica, prout melius ſibi videbitur, & ad honorem Dei, & corporis ſancti Lucæ Euangeliſtæ venerationem expedire, &c. prout latius in ipſis literis continetur: ad quas me refero. Item nomine prædicto dico, & expono, cùm hoc teneatur pro certo, & indubitato, quòd corpus illius Euangeliſtȩ glorioſi fuerit à principio in terris Grecię reconditum, ac deinceps continuè in partibus illis Orientalibus diligentiſſimè ſeruatum, ſumma cum veneratione ab omnibus illis populis, ſuper omnes alias reliquias ſanctorum, veneratum, prout omnes hiſtoriæ teſtantur, & publica vox & fama omnium, quæ adhuc permanet, & viget; & certum ſit hoc ſanctiſſimum corpus, de quo nunc agitur, innumerabilia ſub ſancti Lucæ inuocatione egiſſe miracula, prout hęc omnia reuerendiſſima do- E
minatio veſtra optimè nouit, non ſolum & aſſidua lectione ſcripturarum ſanctarum, verum etiam ex viſu, & auditu, & ex publica omnium fama, tempore quo eadem reuerendiſſima dominatio veſtra in partibus illis fuit, & etiam poſt; & prout etiam nuperrimè comprobat illa diligens inquiſitio facta, & quę adhuc fit à multis magnis dominis, & communitatibus, vt has eaſdem ſanctiſſimas reliquias, tanquàm glorioſi Lucę Euangeliſtæ in ſuis locis collocandas, atq; venerandas habere poſſint, prout reuerendiſſima dominatio veſtra clarè loco, & tempore intelliget, & per conſequens, quòd diuulgatur de hoc ſanctiſſimo corpore, quod ſit in ciuitate Paduæ eſt diuulgatum, ſalua ſemper veritate, rumore quodam incerto, & quadam opinione, poſtmodum ita à nonnullis obten-

A lis obtentum, vt re ipſa nunc demonſtratur. Cùm ſit impoſſibile duo eſſe glorioſi illius
Euangeliſtæ corpora, nec vlla ſit apud aliquem certitudo, quòd corpus illud, quod in
ciuitate Paduæ (vt dicitur) pro corpore ſancti Lucæ veneratur, ſit illud; niſi quidam
rumor ita, vt dictum eſt, ſalua rei veritate, ſubortus, nullo certo auctore, nulliſq; fi-
de dignis monumentis. Cùm itaq; ita ſe habeant hæc, vt præmittitur, pro certo & in-
dubitato tenendum eſt, ſalua ſemper veritate, quę ſola nunc quęritur ad verum glo-
rioſi Lucæ Euangeliſtæ corpus cognoſcendum, ac venerandum has ſanctiſſimas reli-
quias, quæ parua manu pauperum fratrum Obſeruantinorum glorioſi Seraphici Fran-
ciſci, è medijs Turcarum enſibus, & flammis, vt Euangeliſtæ Lucæ ſeruatæ ad hanc
glorioſiſſimam, & religioſiſſimam vrbem, tanquã ad ſanctorum omnium domicilium,
mira diſpoſitione confugerunt, verè fuiſſe, & eſſe corpus, & reliquias illius glorioſi Euã-
B geliſtæ Lucę, quemadmodum ſemper ita eſſe firmiter tenuerunt, ac crediderunt, & te-
nent, & credunt omnes populi, & nationes, apud quos hactenus eiuſmodi corpus ſan-
ctiſſimum fuit. Quare peto nomine quo ſupra, per veſtram reuerendiſſimam domi-
nationem, auctoritate ei ſuper hoc à præfato ſanctiſſimo domino noſtro ſpecialiter con-
ceſſa, debere, habita informatione de huiuſmodi rei veritate, prout veſtræ reuerendiſ-
ſimę dominationi videbitur conuenire, iuxta tenorem literarum apoſtolicarum fieri,
ac prouideri, quòd præfatę ſanctiſſimæ reliquię, quę nunc in eccleſia ſancti Nicolai de
Litore, magna omnium cum expectatione, ſeruantur, poſſint, & debeant, ad honorem
Dei & glorioſi Euangeliſtæ Lucę primùm, deinde ad ipſius ſereniſſimi Principis, il-
luſtriſſimiq; Dominij, ac totius populi Veneti, omniumq; aliorum Chriſti fidelium de-
uotionem, in hac glorioſiſſima vrbe in dicto templo diui Bernardini, dignis laudibus,
C & honoribus à cunctis venerari, vt ita huic glorioſo Euangeliſtę Lucę, eodem in loco,
idem religionis honor præſtari poſſit, qui & glorioſo Euangeliſtæ Marco pręſtatur:
Vt quemadmodum Euangelica prædicatione, & doctrina pariter ad Chriſtum perue-
nire ambo meruerunt, ita & eorum corpora loci, atq; honoris pari prærogatiua in hac
vita præfulgeant, cùm ita diuinæ voluntatis eſſe credendum ſit, quoniam non ſine
cauſa, & magno myſterio factum eſt, quod tali modo eæ ſanctiſſimæ reliquiæ in hanc
vrbem peruenerunt. Super quibus omnibus & ſingulis, & alijs dependentibus, &
connexis, idem ego Iacobus peto & requiro nomine quo ſupra, per eandem ve-
ſtram reuerendiſſimam dominationem inquiri, prouideri, ac fieri debere, non tantùm
modo ſupra petito, verum etiam omni alio modo, via, iure, & forma, quibus magis
ac melius, & vtilius, fieri poteſt, ac debet, & negotij qualitas exigit, & requirit, iux-
D ta formam commiſſionis V. reuerendiſſimæ D. prout ei melius videbitur conuenire.
Et ſi aliquis legitimus contradictor ſe oppoſuerit, peto in caſu ſuccumbentiæ, eum de-
bere condemnari in expenſis litis, tam factis, quàm fiendis, de quibus proteſtor, & of-
fero me paratum, inquantum reuerendiſſima dominatio ita fieri debere mandauerit,
& opus fuerit, & ad hoc de iure aſtringar, & non aliter nec alio modo, ad dandum om-
nes probationes conuenientes, & neceſſarias, quantum ad hanc rem ſufficiat, &c. Re-
ſeruatis mihi omnibus alijs iuribus, ac rationibus proponẽdis, dicẽdis & allegandis, &c.
Ad finem ſemper tamen, & ad effectum, vt veritas inquiri poſſit, & haberi, ad cogno-
ſcendum, & venerandum veras reliquias glorioſi Euangeliſtę Lucę, cui rei & omnipo-
tens Deus, & idem ille Euangeliſta faueat & aſſiſtat.

Quo quidem libello ſicut pręmittitur oblato, ſępè dicti domini Bernardus Abbas, &
E Lucas Prior ex aduerſo principales prædicti quibus ſuprà, ac ſpectabiles, & generoſi
viri domini & magiſtri Franciſcus de Porcellinis, & Checus de Leone milites, & An-
tonius de Capitibus liſtæ doctores, oratores, & procuratores aſſerti magnificę com-
munitatis Paduanę, prout de ſuę oratorię & procurationis mandato legitimam promi-
ſerunt facere fidem, ſe pro ipſius communitatis intereſſe, comparere affirmantes, ibi-
dem pręſentes nominibus huiuſmodi in noſtram iuriſdictionem conſentientes, poſt di-
uerſas hinc inde cum dicto magiſtro Iacobo de Parleonibus factas altercationes, ſibi ter-
minum ad deliberandum, ſi huiuſmodi cauſam iuridicè defendere, litemq; conteſtari
vellent, vel ne: certis reſpectibus per eos delegatis, per pręfatum Auditorem noſtrum
pręfigi, & aſſignari obtinuerunt. Quo quidem termino occurrente, & ipſis Bernardo

Abbate,& Luca Priore , ac aſſertis oratoribus ſupradictis , coram eodem Auditore no- A
ſtro iudicialiter comparentibus , ſe cauſam, & cauſas huiuſmodi,nominibus quibus ſu-
pra, iuridicè defendere velle,aſſerentibus,litem conteſtarunt,copiamq́; libelli,ſiue ſum-
maria petitione ex aduerſo oblatis , & præinſerti ſibi decerni,& aſſignari obtinuerunt.
Et ex inde diuerſis exceptionibus ; ac quia nos voluimus, & mandauimus , ac mandari
fecimus ſępedictis hinc inde comparentibus , eò quòd hæc res nobis abſq; eo quòd ali-
quem vocare , aut ad terminorum obſeruationem procedere deberemus, ſed ſolum vt
ipſam ea diligentia,& induſtria , quibus opus eſſet inueſtigaremus,& inquireremus, ac
alias prouideremus , & conſtitueremus,prout nobis ad Dei honorem, & ſancti Euange-
liſtæ venerationem , ac populi deuotionem cognoſceremus expedire , quod ipſa res , &
cauſa , ſeu cauſæ huiuſmodi quantocius poſſibile foret expediretur , & terminaretur .
Quodq́; propterea omnes,& ſingulæ poſitiones & articuli,iura, teſtes & alia quæcunq; B
per vtramq; partem producenda , alleganda , & probanda , in diuerſis ſucceſſiuis ter-
minis , dictis ex aduerſo nominibus , quibus ſupra hinc inde comparentibus ſtatutis,ſi-
mul & ſemel producerentur , & allegarentur , replicationibus , iuribus, & monimentis
præſtitis , etiam hinc inde à pro parte vtraq; comparentibus,calumniæ iuramentis cum
omnibus & ſingulis capitulis in , & ſub calumniæ iuramento contentis , duplicationi-
bus, ac poſitionibus,& articulis pro vtraque parte iudicialiter coram præfato Auditore
noſtro exhibitis , atq; productis , in diuerſis tamen per præfatum Auditorem noſtrum
ſtatutis terminis, cum competētium dierum interuallis. Poſtmodum idem Auditor eiſ-
dem Bernardo Abbati , & Lucæ Priori , ac nonnullis alijs etiam aſſertis communitatis
Paduanæ oratoribus , prout etiam de ſuæ procurationis mandatis legitimam promiſe-
runt facere ex vna , & Iacobo de Parleonibus procuratori partibus,ex altera,certos ſuc- C
ceſſiuos peremptorios terminos competentes , cum ſimili dierum interuallo, ad dicen-
dum,& excipiendum quicquid verbo vel in ſcriptis contra poſitiones , & articulos , ac
iura & monimenta , & quæcunq; hinc inde allegatis,exhibitis,atq; productis,dicere,ſi-
ue excipere vellent , præfixit , & aſſignauit , & ipſis hinc inde in ipſis ſtatutis terminis ,
coram eodem iudicialiter,nominibus, quibus ſupra,comparentibus, & verbo partim,ac
partim facto realiter , & in ſcriptis contra poſitiones & articulos , ac iura & monimen-
ta huiuſmodi hinc inde reſpectiuè excipientibus . Ipſiſq́; poſitionibus,& articulis,prout
nobis de iure videbatur fore faciendum,etiam in diuerſis ſucceſſiuis terminis per ipſum
Auditorem aſſignatis , partim reiectis , & partim in ciuitate Venetiarum , & extra ad
probandum admiſſis,remiſſionibusq́; ſuperinde cum ſufficientibus dilationibus decre-
tis,& conceſſis , ac ſuper eiſdem poſitionibus,& articulis admiſſis , nonnullis teſtibus , D
etiam hinc inde productis , receptis , admiſſis, & in forma iuris iuratis,ac diligenter in-
terrogatis , & examinatis , eorumq́; dictis, & depoſitionibus in formam publicam reda-
ctis , ac deinde publicatis , partibuſq́; copijs eorundem,decretis,& traditis,factis etiam ,
& habitis pro vtraq; parte hinc inde verbo,& in ſcriptis publicis,& ſecretis allegationi-
bus.Finaliter quoque præfato Auditore noſtro,ex noſtra commiſſione in cauſa, & cau-
ſis huiuſmodi in præſentia præfatorum Bernardi Abbatis , & Lucæ Prioris,ac venerabi-
lis viri Iacobi Leoniſſa decretorum Doctoris,ac canonici Paduani aſſerti,eorundem Ab-
batis,& Prioris,ac conuentus,necnon communitatis Paduanæ prædictæ oratorum,per
præfatos eiuſdem communitatis aſſertos oratores , ſubſtituti ex vna, & Iacobus de Par-
leonibus procuratoris prædictorum ex altera , partibus nominibus quibus ſupra com-
parentium concludente , & pro concluſo haberi volente , vocatis etiam per nos , & ac- E
cerſitis plurimiſq́; in ciuitate Venetiarum reſidentibus Prælatis pro tunc,quibus de hu-
iuſmodi cauſæ meritis plenariam fecimus relationem , & fidelem ; ſumptiſq́; conſilijs
eorundem , tandem nos ad dicti magiſtri Iacobi de Parleonibus procuratoris inſtan-
tiam ſępè dictos dominos Bernardum Abbatem, & Lucam Priorem , ex aduerſo princi-
pales ad audiendum diffinitiuam in cauſa , & cauſis huiuſmodi in ſcriptis fieri , & pro-
mulgari ſententiam per certum familiarem noſtrum ad hoc deputatum, citari manda-
uimus , & fecimus ad certum peremptorium terminum competentem , videlicet diem,
& horam infraſcriptos , quibus aduenientibus comparentibus in iudicio coram nobis
magiſtro Iacobo de Parleonibus procuratore & Bernardo Abbate, ac Luca Priore prin
cipalibus

A cipalibus prędictis ex vtraq; parte, & nominibus eorum hinc inde quibus ſupra; idem magiſter Iacobus de Parleonibus dicto nomine procuratoris, diffinitiuam, iuxta præinſertæ ſuæ petitionis tenorem in forma ſolita & conſueta, ferri ſententiam per nos inſtanter poſtulauit. Nos tunc Beſſarion Epiſcopus, Cardinalis, Patriarcha, Legatus, & commiſſarius, ac exequutor præfatus, ad noſtram in huiuſmodi cauſa ferēdam, & promulgandam ſententiam procedendum duximus, & proceſſimus, eamq; per ea, quæ vidimus, & cognouimus, in ſcriptis tulimus & promulgauimus ſub his verbis.

Chriſti nomine inuocato pro tribunali ſedentes, & ſolum Deum præ oculis habentes, ac ſequentes & ſequi volentes, quantum poſſumus, ac debemus, formam iuris, & commiſſionis per ſanctiſſimum Dominum noſtrum nobis factæ in cauſa, inueſtigatione, inquiſitione, declaratione, & veneratione corporis ſancti Lucæ Euangeliſtæ, ac ipſas B literas apoſtolicas ſuper inde factas, prout tenemur exequutioni mandare, omnibus modo, iure, via, & forma, quibus melius poſſumus, & debemus, viſis prius, & diligenter examinatis dictis literis apoſtolicis, & earum tenore, & viſis citationibus ſpecialiter & etiam generaliter factis, illuſtriſſimo Principi domino Duci Venetiarum ex vna, & Abbati & conuentui ſanctæ Iuſtinæ de Padua parte ex altera, & alijs habentibus intereſſe, aut ſua quomodolibet intereſſe putantibus: & viſis comparitionibus, & oppoſitionibus ſuper inde factis per ſupraſcriptos: & viſis & diligenter examinatis teſtibus, & atteſtationibus teſtium in cauſa per, & inter ſupraſcriptas partes, & quamlibet earum productis: & viſo, & examinato toto proceſſu, ac omnibus hinc inde deductis, factis, & actitatis: & viſis & diligenter lectis literis, ſcripturis, priuilegijs, iuribus, monimentis, inſtrumentis, legendis, libris, & alijs per partes productis: & viſis, & auC ditis allegationibus partium in cauſa huiuſmodi hinc inde, verbo, & in ſcriptis allegatis, dictis productis, & approbatis; ac viſis, & examinatis dubijs per nos partibus ipſis datis, & earum reſponſionibus, eisq; omnibus cum debitis, & exactis inueſtigationibus, inquiſitionibus, deliberationibus, ac maturitatibus recenſitis, & conſideratis: viſis etiā multis hiſtorijs, & chronicis, quas pro huiuſmodi rei verificatione videndas eſſe cenſuimus: intellectis etiam orationibus per religioſas perſonas pro clarificatione huius rei ad Deum porrectis, & earum inſpirationibus: & habita diligenti ratione temporum, locorum, nominum, & perſonarum de Iuris prudentium conſilio, & præſertim venerabilium in Chriſto patrum Domini Patriarchæ Venetiarum, Archiepiſcopi Sipontini, & Veronenſis, Theatini, Agienſis, Equilini, Parenſis, & Bellimenſis Epiſcoporum, & D monaſteriorum ſancti Thomæ de Burgondionibus de Torcello & ſancti Gregorij de Venetijs Abbatum, ac ſanctæ Helenæ Ordinis montis Oliueti, & ſancti Andreæ Ordinis Cartuſienſis Priorum, quos omnes iteratis vicibus ſuper hoc conſuluimus, ac accedente vnanimi conſenſu omnium prædictorum, per hanc noſtram diffinitiuam ſententiam, quam ferimus in his ſcriptis, dicimus, pronunciamus, ſententiamus, decernimus, & declaramus, oſſa in eccleſia ſanctæ Iuſtinæ de Padua exiſtentia, quæ hactenus, pro oſſibus ſancti Lucæ Euangeliſtæ tenta, habita, & venerata fuerunt, non fuiſſe, nec eſſe oſſa eiuſdem ſancti Lucæ Euangeliſtæ, nec pro talibus habenda, tenenda, ſeu venerari debere: corpus verò, nuper è Regno Boſnæ delatum, & nunc in eccleſia ſancti Nicolai in litore Veneto exiſtens, & hactenus pro corpore dicti Euangeliſtæ tentum, habitum, & veneratum, pro tali, & vt tale habendum, tenendum, & venerandum eſſe, haberiq;, E teneri, reputari, & venerari debere, ipſumq; pro tali, & vt tale habemus, tenemus, reputamus, & veneramur, haberiq;, teneri, reputari, & venerari volumus, & decernimus; condemnationem partis in expenſis, & expenſarum taxationem nobis reſeruantes.

Lecta, lata, & in ſcriptis promulgata fuit præinſerta diffinitiua ſententia coram nobis, & de mandato noſtro per præſentis cauſæ Notarium, ac noſtrum, & huiuſmodi cauſæ coram nobis ſcribam infraſcriptum. Venetijs in monaſterio ſancti Georgij maioris in aula ante cameram noſtram, nobis inibi ad iura reddendum, & cauſas audiendum pro tribunali ſedentibus. Et ita promulgantibus, ſententiantibus, & declarantibus ſub anno à natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo tertio, Indictione vndecima, Die verò nona menſis Decembris, Pontificatus præfati domini noſtri Pij Papæ ſecundi anno ſexto, pręſentibus ibidem honorabilibus & prouidis viris dominis Eu-

 genio

genio Mauroceno Decretorum, Vincentio Monfort medicinarum Doctoribus, & Ni- A
colao Sagondino, præfati domini Ducis Cancellario, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpe-
cialiter, atq; rogatis. In quorum omnium & ſingulorum fidem, & teſtimonium præ-
miſſorum, præſentes literas, ſiue pręſens publicum inſtrumentum, per Notarium publi-
cum, noſtrumq;, & huiuſmodi cauſæ coram nobis ſcribam infraſcriptum, ſubſcribi, &
publicari mandauimus, noſtriq; ſigilli iuſſimus, & fecimus appenſione communiri.
Et ego Ioannes de Hecsbetim clericus, Cameratenſis diœceſis, publicus ſacra Impe-
riali auctoritate Notarius, præfatiq; reuerendiſſimi patris & domini domini Beſſa-
rionis Epiſcopi, Cardinalis, Patriarchæ, Legati, Commiſſarij, & executoris, & hu-
iuſmodi cauſæ coram eo ſcriba, quia dictæ ſententiæ diffinitiuæ pronunciatione, pro-
mulgatione, omnibusq; alijs, & ſingulis præmiſſis, dum ſic, vt præmittitur per dictum
reuerendiſſ. dominũ Commiſſariũ & executorem, ac eius Auditorem, & coram eis fie- B
rent, & agerentur, vnà cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eaq; ſic fieri vidi, &
audiui. Ideo hoc præſens publicum inſtrumentum per me innotaui, ſumptum ex inde
confeci, ſubſcripſi, publicaui, & in hanc publicam formam redegi, ſignoq;, & nomi-
ne meis ſolitis & conſuetis, vnà cum prætati reuerendiſſimi patris & domini domini
Beſſarionis, Commiſſarij, & executoris, ſigilli appenſione ſignaui, in fidem, & teſti-
monium omnium, & ſingulorum pręmiſſorum, rogatus & requiſitus. Huius deniq;
monaſterij eccleſia, beatis Iobo atq; Bernardino eius tutelaribus conſecrata extitit an-
no à partu Virgineo 1493.

De conuentu B. Mariæ de Gratijs propè Mantuam. *Conu. VIII.*

SVBSTITIT olim, ad quintum milliare à famoſa, ſimulatq; munitiſſima vrbe C
Mantua, in ipſa Mantuani lacus margine, ędicula quædam quàm humillimè con-
ſtructa, atq; glorioſæ, ſemperq; Virgini Mariæ dicata, quam pauper quidam anacho-
rita, pro ſua deuotione atq; vita facilius tranſigenda, incolebat. Cùm igitur anno à
ſalutifera mundi redẽptione 1399. tanta tamq; contagioſa lues in Mantuanos graſſare-
tur, vt homo hominem ſolo conſpectu inficeret, & nihil aliud à quadam mortis imagi-
ne per totam ciuitatem occurreret, illuſtriſſimus Ludouicus Gonzaga, Mantuanorum
Marchio, tum proprię, tum quoq; communi ſubditorum ſaluti cõſulturus, ſe ad vnius
templi, glorioſæ Virgini dicandi, conſtructionẽ ex voto aſtrinxit, ſi præfata lues à Man-
tua ſecederet. Voti itaq; compos effectus illuſtriſſimus pientiſſimusq; Marchio, tan-
tiq; beneficij recepti memor, præfatam ædiculam in pulcherrimam eccleſiam, ſub ti-
tulo ſanctæ Mariæ de Gratijs, idq; ob beneficium eius interceſſione acceptum, euexit, D
ſibiq; magnificum, atq; capaciſſimum monaſterium, quod ſtatim à Franciſcanis Ob-
ſeruantibus occupandum, inhabitandumq; curauit, quàm diligentius coædificari,
annectiq; fecit. Contigit autem id (vt præfati ſumus) circa annum Domini 1400. Pręe-
fata vero eccleſia, poſt ſeptennium ab eius euectione, nempe anno 1406. per reueren-
diſſimum quendam Epiſcopum Solanum, vt patet ex ſequentibus verbis ex tabella
quadam ibidem appenſa excerptis, conſecrata fuit. *Notum ſit quòd anno 1406. Ponti-
ficatus ſanctiſſimi D. N. Innocentij Papæ VII. anno ij. hæc eccleſia ſanctæ Mariæ Gratiarum inter
Ripaltam, & Curtatonem conſecrata fuit per reuerendiſsimum fratrem Nicòlaum de Tinctis
Epiſcopum Solanum præſentibus, & exiſtentibus reuerendiſsimis dominis Ioanne de Mantua, di-
uina miſeratione ſanctæ ſedis Gradenſis Patriarcha Venetiarum, ac Dalmatiæ Primate, & An-
tonio de Vbertis, Dei gratia Epiſcopo Mantuano, & hoc fuit die 15. Auguſti.* Huius loci eccle- E
ſia nihil penitus eorum deſiderat, quæ ad huius decorem conducere poſſunt, nam ex
omni parte perfecta, capaciſſima, atq; pulcherrimis, ijsq; plurimis ſacellis exornata,
plurimis cohoneſtatur iocalibus tum aureis, tum quoq; argenteis, plurimisq;, ijsq;
precioſiſſimis ornamentis, ad cultum diuinum deſtinatis, nec non & infinitis imagini-
bus tum cereis, tum argenteis, tum quoq; in tabellis depictis, quę omnes beneficia mor-
talibus glorioſę Virginis Marię meritis ibidem conceſſa pręſeferunt, repræſentantq;.
Eſt enim hæc baſilica inter omnes totius Italiæ tum ob miracula, quæ in dies ibi contin-
gunt, tum ob populi frequentiam illuc confluentem, qua etiam de cauſa anniuerſa-
ria eius dies, quę octaua cuiuſlibet menſis Septembris contingit, famoſis nundinis, con-
currentibus

A currentibus eò ex diuerſis partibus plurimis mercatoribus, dicata eſt, tum ob ſingularem eius ſtructuram, tum deniq; ob glorioſæ Virginis imaginem, ſimul & ſummum altarę, quę ſumptuosè atq; elegantiſſimè exornanda curauit illuſtriſſimus & excellentiſſimus heros, ſtrenuusq; miles, atq; copiarum Caroli V. Imperatoris Hiſpaniarumq; Regis Præfectus & Dux, nec non & pro eodem Mediolanenſis Ducatus Gubernator Ferdinandus Gonzaga, cuius quoq; icon ibidem graphicè depictus eſt. Honeſtatur deniq; ſacer hic locus ſacroſanctis ſequentibus reliquijs: nempe particula funis, quo Chriſtus dominus ad columnam ligatus fuit, alia quoq; particula Dominicæ crucis, fragmento eius columnæ, ad quam idem Dominus vinctus extitit, parte veli Virginis glorioſæ, oſſibus ſanctorum Ioannis Euangeliſtę, Mariæ Magdalenæ, Philemonis diſcipuli Pauli Apoſtoli, Bartholomæi Apoſtoli, Lucæ Euangeliſtæ, Coſmę martyris, Blaſij martyris,
B Gargani, Leontij, Theodori, Panthaleonis, Chriſtophori, Ardagni, Adeodati, Petri Exorciſtæ, Cypriani, Nicanoris, Lazari, Nerei, Adriani, Galli, Simeonis, Cyrilli, Anaſtaſiæ, Barbaræ, Margaretæ virginum & martyrum, atq; Marthæ viduæ, nec non ſanguine S. Ioannis Baptiſtæ Dominici præcurſoris, & Thebæorum martyrum. Plurimis etiam hęc eccleſia indulgẽtijs gaudet, quemadmodum ex ſequenti ſcriptura, ibidem aſſeruata, facillimo negocio colligitur.

Ad laudem & gloriam domini noſtri Ieſu Chriſti, eiusq; glorioſiſſimæ genitricis virginis Mariæ, matris omnium gratiarum, & ad perpetuam rei memoriam: Sanctiſsimus ac beatiſsimus in Chriſto pater & dominus, dominus Pius diuina prouidentia Papa II. qui cauſa deuotionis & ſpiritualis recreationis hanc baſilicam cum loco viſitauit, tribusq; noctibus pernoctauit, anno MCCCCLIX. ix. Octobris, & die xxi. quæ fuit Dominica poſt Miſſarum ſolemnia,
C *populo aſtante fideli, pro ſua ſolita clementia, omnibus Chriſti fidelibus, ipſam baſilicam ſiue eccleſiam viſitantibus in prima Dominica dicti menſis Octobris, & verè pœnitentibus & confeſsis, miſericorditer conceſsit ſeptem annos & totidem quarantenas de vera indulgentia, & hoc viua voce, perpetuis temporibus duratura.*

Peculiariter altare ſacratiſſimæ Virginis Mariæ indulgentia, perpetuis etiam futuris temporibus duratura, condecoratur, quemadmodum etiam ex literis ſequentibus in quadam tabula ibi exiſtente exaratis depromitur.

Pijſsimus clementiſsimusq; dominus noſter Pius, diuina prouidentia Papa II. innata ſua quadam ac particulari veneratione pariter & deuotione ſemper accenſus, ſuper hoc ſingulare altare almæ Virginis, & glorioſiſsimæ Matris, ſextadecima die Ianuarij MCCCCLX. deuotiſsimè celebrauit, & in huius memoriam quibuſcumq; ibidem celebraturis à die ſuæ celebrationis,
D *pro qualibet Miſſa trium annorum & trium quadragenarum, audituris verò Miſſam deuotè in forma Eccleſiæ ibidem conſtitutis, vnius anni ac vnius quadragenæ indulgentiam dedit, perpetuis temporibus duraturam; hoc tamen ſemper ſeruato, vt celebrans prius petat licentiam Guardiani, vel eius loco exiſtentis. Paratus autem, ante altare dicat deuotè Miſerere mei Deus, & De profundis clamaui &c. ac ter Pater noſter cum Aue Maria. Aſsiſtentes verò cæteri pro ipſa indulgentia conſequenda ſimiliter genuflexi, ante Miſſam ſepties Pater noſter cum Aue Maria deuotè perſoluant, vt meritis eiuſdem Virginis ſalutis author dulciſsimus Ieſus Chriſtus Vicarij ſui totam vitam ad ſuæ ſanctiſsimæ dirigat beneplacitum maieſtatis, demumq; animam admittat in gaudium æternitatis: quam indulgentiam viua voce conceſsit.*

De monaſterio verò id tantùm dixerim, quòd ſit pulcherrimus, abſolutiſſimus, atq;
E commodiſſimè contineat 40. fratres eius accolas.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Taruiſij. Conu. IX.

CVM & ſibi fratres noſtri conſcij eſſent, quãti Taruiſini eos facerent, & eorum erga ſe beneuolentiam ſæpius experti eſſent, non adeò proprij conuentus demolitionem, quæ circa annum Dominicæ Incarnationis 1512. Taruiſini ſenatus opera, atq; mandato contigit, ægrè tulerunt. His acceſſit, quòd eam in ciuitatis bonum, atq; vtilitatem ceſſuram, ſibiq; alterius conſtruendi occaſionem, atq; modum minimè defuturum certo certius ſcirent. Cùm itaq; antiquior eorum conuentus, qui extra Taruiſium Venetiæ ciuitatem, in honorem ſanctæ Mariæ de Ieſu, à plurimis annis conſtructus fuerat, non longius ab eius munitionibus abeſſet, poſſetq; ciuibus ſuperue-

niente hoſte negocium faceſſere, ex ſenatus conſulto, quòd vniuerſa Italia bello con- A
cuteretur, circa præfatum annum 1512. ſolo æquatus extitit. Quamobrem prædicti
fratres, conciliato prius ſibi Taruiſini ſenatus fauore, atq; apoſtolica à Leone X.Pont.
max. qui tunc temporis totius militantis Eccleſiæ clauum tenebat, facultate impetra-
ta, hunc præſentem, ſub eodem prorſus titulo ſanctæ Mariæ de Ieſu, ſed intra Tarui-
ſium, poſt annum tantùm elapſum, ex diuerſis eleemoſynis propria induſtria acquiſi-
tis, ſibi ſubrogandum, atq; eius eccleſiam, quæ pauciſſimis vniuerſo in Ordine noſtro
cedit, anno 1572. menſis verò Iulij 27. conſecrandam de religioſo more curarunt. In-
habitatur hic locus, in cuius archiuis præfata Leonis X. facultas, in forma breuis ſub
datum Romæ apud ſanctum Petrum 3. Ianuarij, anno Domini 1513. Pontificatus ve-
rò ſui anno primo facta, diligentius aſſeruatur, vt plurimùm à 23. religioſis. B

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Arcærupta. *Conu. X.*

PER diligentiam non ſtetit, quin præſentis loci fundatorem atq; originem inue-
niremus, ſed per ſcripturarum defectum, cùm nihil penitus earum in eius archiuis
aſſeruetur. Conſtat nihilominus ex Minoritici Veronenſis conuentus carthophilacio ip-
ſum primitus à beato patre Bernardino de Senis acceptum atq; occupatum, ſed ex cu-
ius oblatione id factum ſit, ex eodem reſciri minimè potuit. Exiſtimarim tamen, idq;
ex quibuſdam non vulgaribus coniecturis, præfatum locum, cùm ſexquimilliari tan-
tùm à Verona ciuitate diſtet, à Veronenſi ſenatu eidem beato patri Bernardino colla-
tum, atq; maiori ex parte conſtructum. Quod & ſub Eugenio IV. Pont. max. immo &
ex eius facultate factum eſt. Eſt autem hic conuentus, qui & à 12. fratribus inhabita- C
tur, & ipſomet gladio, quo diuus Martinus Turonenſium Epiſcopus, adhuc cathecu-
menus, proprium pallium, eius dimidium pauperi daturus, diuiſit, religioſè inſigni-
tur, binobius: cùm & ab alijs ſanctæ Mariæ de Charotta, ab alijs verò ſanctę Marię de
Gratijs titulo honeſtetur.

De conuentu S. Bernardini Tridenti. *Conu. XI.*

SVNT qui aſſerant præſentem conuentum, beato patri Bernardino, atq; aliquan-
tum à mœnibus Tridentinę ciuitatis, quæ in Alpium anguſtijs ſita, Atheſi fluuio al-
luitur, conſtructum, ab eodem patre Bernardino admiſſum, atq; erectum. Quibus ta-
men rei veritas, atq; apoſtolicum Nicolai V. ſummi Pont. breue datum Romæ xv. cal. D
Iulij, anno Dominicæ Incarnationis 1452. Pontificatus verò eiuſdem anno vj. quod ab
his verbis exorditur: Nicolaus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filijs Vicario &
vniuerſis fratribus Ordinis fratrum Minorum de Obſeruantia Prouincię ſancti Antonij
ſecundum morem &c. obſtant, aduerſanturq;. Conſtat ſiquidem ex illis, præfatum hũc
locum ex peculiaribus quorundam Tridentinorum ciuium bonis, prædicto anno Do-
mini 1452. quo quidem diuus pater Bernardinus mortuus, immo & in ſanctorum
numerum relatus erat, primò ædificari cœpiſſe. Habetur huiuſmodi breue in hu-
iuſmet loci archiuis. Experitur nihilominus ſacra hæc ædes, quam & 12. fratres com-
modiſſimè inhabitant, Tridentinum ſenatum ſibi beneficum, non ſecus ac ſi eius fun-
dator & author extitiſſet. Sacrarum reliquiarum nihil penitus aliud habet hic locus à E
pelui, in quo ſacer beati Simonis Tridentini pueri, qui à perfidis Iudeis, prout Æneas
Syluius in ſuis chronicorum chronicis fuſius meminit, in catholicæ fidei deteſtatio-
nem, atq; Dominicæ crucis contemptum extinctus fuit, ſanguis exceptus extitit.

De conuentu S. Spiritus Fori oppidi, vulgo Feltre. *Conu. XII.*

OPPORTVNAM nacta pia Feltrenſis communitas occaſionem, Nicolao V.
tunc ad totius militantis Eccleſiæ clauum ſedenti, quàm humillimè ſupplicauit, vt
ſibi Minoriticum conuentum, aliquantulum à Foro oppido, quod Venetiæ ciuitas eſt,
ex eius facultate erigere liceret. Pijs itaq; eius votis annuente ſummo Pont. prout ex
eius Apo-

A eius apoſtolico breui dato Romæ xv. cal. Iunij, anno Dominicæ Incarnationis 1452. Pontificatus verò ſui anno vj. cuius initium eſt: Nicolaus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filijs Vicario & vniuerſis fratribus Ordinis fratrum Minorum de Obſeruantia Prouinciȩ ſancti Antonij ſecundum morem dicti Ordinis &c. liquidò conſtat præfata communitas præſentem locum, quem 18. fratres pro votis incolunt, ſanctiſſimo Spiritui ſacrum, non longè à mœnibus, eodem anno 1452. currente, à fundamentis extruendum, atq; breui temporis tractu abſoluendum curauit. Ex ſupradictis ſatis manifeſtum euadit, quàm egregiè fallantur ij, qui hoc monaſterium à beato patre Bernardino de Senis ædificatum autumant: cùm (vt ſuperiori loco meminimus) beatus is pater, ſuæ erectionis tempore, iam è viuis exceſſiſſet. Ex hoc oppido oriundus fuit beatus, ſummæq; ſanctitatis vir, ac pater Bernardinus de Feltro, Franciſcanæ familiȩ olim B alumnus, cuius ſanctiſſima vita, atq; miracula eius meritis à Deo opt. max. patrata, omnibus in propatulo ſunt: quamobrem eius referendis ſuperſedebo. Aſſeruantur in huius loci ſacrario quoddam os beati Barnabæ Apoſtoli, palij pars Seraphici patris Franciſci, pars tuniculæ beati patris Bernardini de Senis, integer habitus præfati beati patris Bernardini de Feltro, atq; beati patris Ioannis à Capiſtrano pileolus: atqui in archiuis apoſtolicum Nicolai V. Pont. max. breue (de quo ſupra) diligẽtius cuſtoditur.

De conuentu S. Georgij Ciuidati. Conu. XIII.

CVM pia Ciuidatenſis communitas quarundam Benedictinarum monialium quieti, atq; conſolationi conſultura, eas ex ſancti Georgij monaſterio, quod Ciuidatis communis ciuitatis mœnibus excludebatur, ad conuentum ſanctȩ Mariæ maioris in Valle, eiuſdem ciuitatis ſeptis cinctum, anno Dominicæ Incarnationis 1453. transferendas curaſſet: ne præmemoratum monaſterium, habitatoribus ſic deſtitutum, aliquando ruinæ ſubiacere contingeret, neue profanis vſibus manciparetur, apud ſummum Pontificem Nicolaum V. ſupplex egit, vt illud ſibi Franciſcanis Prouinciæ ſancti Antonij Obſeruantibus ex apoſtolica auctoritate conferre liceret. Quo demum annuente, atq; beato patre Ioanne à Capiſtrano, Minoriticæ totius Obſeruantis familiæ, ſed Citramontane, Generalem Vicarium agente, præfatus hic locus, longiuſculus ab eiuſdem ciuitatis Ciuidatis vallo diſtans, quem & 12. fratres inhabitant, & tibiale ſancti Chriſtophori os, atq; præfati beati patris à Capiſtrano tunicula commendatiſſimum reddunt, reliquis Prouinciȩ præſentis conuentibus, eodem diuo Georgio eius tutelari, atq; eodem anno Domini 1453. adiunctus fuit.

C

D

De conuentu S. Franciſci Foſſæ Clodiæ. Conu. XIV.

AEDIFICARANT ſibi Conuentuales Franciſcani patres ante plurimos annos, aliquantulum à Foſſa Clodia (vulgò Chioggia) ciuitate, monaſterium, beatiſſimo patri Franciſco ſacrum, inibiq; aliquandiu inhabitarũt: Sed ijs ex ſummi Pont. Pij II. mandato, ad Clodienſis ſenatus petitionem, anno à Virgineo partu 1459. aliò tranſlatis, prȩfatum monaſterium in Obſeruantum eiuſdem Ordinis patrum ius eodem tempore tranſijt. Præmemoratum ſummi Pont. mandatum in forma breuis, ſub datum E Mantuȩ iiij. nonas Auguſti, anno Domini 1459. Pontificatus verò ſui anno primò, expeditum, cuius initium eſt. Pius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Magnæ deuotionis & ſinceritatis affectu &c. apud huius loci fratres, qui ſunt numero 12. habetur. Cùm autem bella apud Italos vigerent, poſſetq; huiuſmodi monaſterium quod Clodianis muris immineret, non parum detrimenti, ſuperueniente hoſte, ciuitati adferre, ex ſenatus conſulto, annuentibus tamen fratribus, ſolo ȩquatum eſt. Quamobrem præfati fratres aliud ſibi domicilium intra vrbana mœnia, Clodianis neceſſaria ſubminiſtrantibus, parare coacti ſunt. Ceſſante verò huiuſce bellorum turbine, quòd domicilium de nouo erectum anguſtijs præmeretur, ſuiſq; habitatoribus minus faueret, demolitum ſancti Franciſci monaſterium, conuenientibus eandem in ſententiam Clodianis, atq; ſumptus ſumma liberalitate erogantibus, iteratò ȩdificatum

catum

catum extitit, relicto interim vrbano domicilio ad infirmorũ, peregrinorumq; vſum. A
Præcepit quidam huius loci Guardianus omnem horti herbam, quod minus valeret,
nec fratribus vſui eſſe poſſet, immiſſo igne ſemel aduri: cumq; reliqua exuſta, quędam
eius pars intacta remanſiſſet, immo voraci flammæ viriliter reſtitiſſet, prædictus Guar-
dianus mirabilis huiuſcemodi rei cauſam inueſtigaturus, ſubmiſſam terram fodi iuſſit:
dumq; foſſor iniuncto ſibi operi diligentius intendit, pulcherrima quædam glorioſiſſi-
mæ Virginis Mariæ imago ex inſperato apparuit. Quam inde educentes honeſtiori in
huius monaſterij loco collocari curarunt. A quo etiam tempore miraculis, ijſq; non
vulgaribus, in Clodianorum fauorem coruſcat.

De conuentu S. Ioannis Baptiſtæ Campi S. Petri. *Conu. XV.* B

SVRRIGIT ad decimum à Patauio milliare caſtellum, cui Campus ſancti Petri
nomen eſt. Non longè igitur ab eo beatus pater Antonius de Padua cœleſtem po-
tius, quàm terrenam ducturus vitam, præſentem conuentum, Dominico præcurſori,
diuo ſcilicet Ioanni Baptiſtæ ſacrum, intra paupertatis limites, ex diuerſis eleemoſynis
ædificandum curauit, inibiq; diu, prout eius cubiculum, oratorium, atq; plurima ab ip-
ſo edita miracula, quæ adhuc ibidem depicta inuiſuntur, luce clarius teſtantur, maxi-
ma cum omnium admiratione egit. De cuius vita, hoc in loco tranſacta, deq; eiuſdem
mirabilibus ibidem patratis nihil impræſentiarum dicam, cùm parum, aut ferè nihil
eorum, ex craſſa quadam fratrum incuria, memorię proditum ſit. Cùm autem poſt
plurimos à beati patris Antonij morte annos præſens locus omnimodam minaretur
ruinam, liberaliſſimis cuiuſdam Georgij Ioãnis ſumptibus, reparatus atq; fermè reędi- C
ficatus extitit: Inſuper & ex ſummi Pontificis Martini V. mandato, anno Dominicæ
Incarnationis 1424. à Conuentualibus Franciſcanis patribus, quibus ſuberat, ad eiuſ-
dem Inſtituti Obſeruantes tranſlatus. A quo etiam tempore ab eorundem 12. commo-
dè ſatis inhabitatur. Prędictum verò Martini V. mandatum apoſtolici breuis formam
præſeferens, datumq; Romæ vij. idus Februarij anno Domini 1424. Pontificatus ve-
rò ſui ix. cuius primordium eſt Martinus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Venerabili
fratri Epiſcopo Taruiſino ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Pijs ſupplicum vo-
tis &c. in huius loci archiuis integrum omnino habetur.

De conuentu S. Franciſci Scledi. *Conu. XVI.* D

EX literis datis Venetijs vltima Iulij, anno verò Domini 1436. à reuerendiſſimo
Franciſco Maripetro, Dei & apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopo Vincentino, præſen-
tem locum, beatiſſimo patri Franciſco de monte Olìueti ſacrum, atq; Scledi, ex diuerſis
Scledenſium eleemoſynis erectum, à Franciſcanis Obſeruantibus, præmemorato an-
no 1436. primò acceptum, occupatumq; fuiſſe cognouimus. Aſſeruantur huiuſmodi
literæ in huius loci, qui à 12. fratribus plerumq; inhabitatur, archiuis. Non deſunt,
qui tribuant huius monaſterij ædificationem, atq; admiſſionem beato patri Bernardi-
no de Senis: quibus tamen, quòd nullum aſtipuletur monumentum, non facilè
aurem accommodauerim.

De conuentu S. Vrſulæ extra Patauium. *Conu. XVII.* E

BENEDICTINÆ quædam moniales, vt propriæ ſecuritati conſulerent, ac
animi cuidam propenſioni, qua in Franciſcanam Obſeruantem familiam maximè
ferebantur, facerent ſatis, monaſterium (de quo impræſentiarum) ad ſecundum lapi-
dem à famoſa ciuitate Patauio, à ſe ab antiquo ædificatum, conſtructo interim ſibi
altero, diuo Marco Euangeliſtæ ſacro, intra eiuſdem ciuitatis mœnia, prædictis Fran-
ciſcanis patribus, ex cuiuſdam ſummi Pontif. Bonifacij facultate, tradendum curarunt.
Huiuſmodi verò Pontificia facultas, licèt in pręſentis loci archiuis, in forma breuis ad
prędictarum monialium Abbatiſſam data, habeatur, nos tamen nec de certo eius expe-
ditionis

A ditionis tempore, nec de anno quo prefata traditio contigerit, nec quotus iſte Bonifacius fuerit certiores reddit. Exiſtimauerim nihilominus hunc conuentum à 12. religioſis frequentius inhabitatum, idq; ex certis quibuſdam indicijs, à centumquinquaginta annis plus vel minus à noſtris fratribus occupari.

De conuentu S. Danielis Leonici. Conu. XVIII.

QVA animi propenſione veteres Leonicenſes in Franciſcanam Obſeruantem familiam fuerint, quaue beneuolentia, atq; humanitate illam proſequuti ſint, ex præſenti conuentu, ſancto Danieli ſacro, atq; Leonici (vulgò Lonigo) ędificato, facillimè colligi poteſt. Licèt enim ij Creſi opes minimè haberent, non tamen prius ſibi B quieſcendum exiſtimarunt, quam à Nicolao V. ſummo Pont. Minoriticę vnius domus apud ſe ędificandę facultatem impetrarent. Qua deniq; pro votis, vt apoſtolicum eiuſdem Nicolai breue datum ſub his verbis: Nicolaus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei dilecto filio Vicario Ordinis fratrum Minorum de Obſeruantia, Prouinciæ ſancti Antonij iuxta morem &c. Romæ, cal. Februarij, anno Domini 1447. Pontificatus verò ſui anno primo, atq; in præſentis loci archiuis aſſeruatum, facillimè teſtatur, obtenta, prędictum hoc monaſterium ex publico ære, affabrè ſatis, circa præfata tempora, conſtrui, atq; omnibus numeris abſolui curarunt. A quo etiam tempore eius ſucceſſores 12. fratres, eiuſdem loci accolas, omni beneficiorũ genere, omniq; beneuolẽtia proſequuntur.

De conuentu S. Ludouici Riperij vulgò Reuere. Conu. XIX.

C ILLVSTRISSIMVS Ludouicus Gonzaga, Mantuanorum Marchio, vt erat Franciſcanæ Obſeruanti familiæ addictiſſimus, à Nicolao V. Pont. max. vt Minoriticam ædem Riperij, quod Mantuanę ditionis oppidum eſt, proprijs ſumptibus ędificare poſſet, ſupplex petijt. Annuente itaq; ſibi ſummo Paſtore, atq; pientiſſimo Pont. max. prout ex apoſtolico eius breui, dato nonis Iulij anno Domini 1452. Pontificatus verò ſui anno vj. cuius primordiũ eſt: Nicolaus Epiſcopus ſeruus ſeruorũ Dei dilecto filio Archidiacono eccleſiæ Mantuanę &c. manifeſtum euadit, hoc monaſterium, beato patri Ludouico ſacrum, à fundamentis intra præfati oppidi Riperij mœnia, ſtatim extruendum, atq; quantocitius abſoluendum curauit. Habetur præfatum breue apoſtolicum in huius loci cartophilacio, cui adiacent apoſtolicæ Alexandri VI. Pont. max. D literæ, datę anno Domini 1501. in Franciſcanorum priuilegiorum confirmationem. In ſacrario verò aliquot ſanctorum Ermagoræ martyris, Fortunati martyris, Blaſij Epiſcopi quoq; & martyris, Calixti Papæ & martyris, atq; Bonifacij itidẽ martyris oſſa religioſius cuſtodiuntur. Inhabitatur tum demum noſter hic locus à 15. fratribus.

De conuentu S. Petri in Viminario. Conu. XX.

TANTA eſt præſentis loci antiquitas, tantaq; monumentorum penuria, vt quo certo tempore, vel à quo ædificatus ſit, nullo pacto haberi potuerit. Si tamen incondito vulgo aurem accommodare velimus, à beatiſſimo patre Frãciſco primo occupatus, atq; ex viminibus, vnde & Viminarij cognomen traxit, viliq; materia con-E ſtructus fuit. Succeſſu verò temporis ex diuerſis circumadiacentium populorum eleemoſynis in eam formam, quam modò induit, tranſlatus eſt. Idq; ſanè à veritate non abhorret. Eſt autem ſitus præſens conuentus eò in loco, qui Italica lingua (Pieue di Pernumia) appellatur, diſtatq; decem à milliarjis ciuitate Patauio. Incolitur deniq; hoc monaſterium, diuo Petro in Viminario ſacrum, à 12. fratribus.

De conuentu S. Franciſci in Deſerto extra Venetias. Conu. XXI.

NEMINI dubium eſſe debet, hoc monaſterium, Seraphico patri Franciſco in Deſerto ſacrum, atq; longiuſculus à Venetijs famoſa ciuitate ſitum, ab eodem beatiſſimo

tiſſimo patre primitus occupatum, atq; conſtructum fuiſſe. Quod ſi aliquis hoc inficiari contendat, nos ei & excellentiſſimorum Lauredani, Mocenici, atq; Fuſcari Venetę Reipublicæ olim Principum, atq; Ducum, inſuper & reuerendiſſimi cuiuſdam Torcellenſis Epiſcopi literas, in huius loci archiuis aſſeruatas, immo & oratorium ſanctiſſimi eiuſdem patris manibus ibidem conſtructum, obijciemus. Præfatarum ſiquidem literarum tenore, huius loci fratribus tum Venetijs, tum quoque Torcellenſi in Epiſcopatu mendicandi atq; eleemoſynas pro fabrica promouēda conquirendi facultas conceditur. Cuius quidem gratiæ cauſa ibidem exprimitur: quòd videlicet Seraphicus pater Franciſcus huius loci author extiterit. Cùm autem præfatus locus fratres, ob ſui anguſtias, incommodè ſatis contineret, deuotus quidam Iacobus Michaël cunctorum eū bonorū hæredē, vt ex illis ampliari, atq; reædificari poſſet, anno à partu Virgineo 1233. die verò menſis Martij 4. ex teſtamento reliquit. Quod quidem teſtamentum adhuc in huius loci archiuis perſeuerat. Redactus itaq; fuit hic conuentus ex obuenta ſibi hæreditate in eam formam, quam modò præſefert, ſtatim ab anno ſupramemorato 1233. atq; poſtmodum à Conuentualibus Frāciſcanis patribus inhabitatus. Quibus denique, anno Dominicæ Incarnationis 1460. ex Pij II. Pont.max. decreto aliò tranſlatis, ad eiuſdem Inſtituti Obſeruantes deuolutus extitit. Qui prædictum ſummi Pontificis decretū, in forma breuis eodem anno 1460. expeditum, videre voluerit, huius loci, qui à 10. fratribus frequentius incolitur, tabellarium conſulat. A B

De conuentu S. Spiritus Mantuæ. Conu. XXII.

ASSIGNARAT Mantuanus ſenatus Obſeruantibus Frāciſcanis patribus, conuentus ſanctæ Mariæ de Gratijs extra Mantuam (de quo ſuperius) habitatoribus, hoſpitium quoddam ad Mantuanam ſancti Marci eccleſiam pertinens, atq; communis ciuitatis Mantuanæ mœnibus circumſcriptum, vt ibidem vel propria negotia peracturi, vel monialium conuentus Corporis Chriſti ſiue ſanctæ Paulæ ſacras confeſſiones excepturi quietius, commodiuſq; immorari poſſent. Nam ſancti Franciſci monaſterium (cuius ſupra meminimus) ad Conuentuales Franciſcanos patres eo temporis pertinebat. Ne igitur iſti, Conuentuales ſcilicet patres, continuo hoſpite grauarentur, neuè illi, Obſeruantes videlicet, ampliori monaſterio apud ſe priuarentur, ſupplicauit præfatus ſenatus Martino V. Pont.max. vt huiuſmodi hoſpitium in perfectum conuentum ſibi transferre liceret. Eorum igitur pijs votis annuente præfato Pont. max. idq; virtute cuiuſdam bullæ datæ Romæ vj. cal. Decemb. Pont. verò ſui anno iiij. præfatus hic conuentus, ſanctiſſimo Spiritui ſacratus, qui ab 18. fratribus incolitur, tum ex publicis, tum quoque ex priuatis Mantuanorū facultatibus, circa annū à Virgineo partu 1420. nobis prodijt. Præmemorata Martini V. bulla in huius loci archiuis habetur. C D

De conuentu S. Crucis Cittadellæ. Conu. XXIII.

PIISSIMI cuiuſdam Baptiſtæ Bigolini ciuis Paduani ſtudia erga Obſeruantem Franciſcanam Religionem, eiuſq; alumnos, & officia ex præſenti conuentu, ſanctiſſimæ Cruci dicato, ſatis conſtant. Is enim, Baptiſta videlicet, cùm Seraphico patri Franciſco, atque eius filijs addictiſſimus eſſet, eum ex peculiaribus facultatibus, circa annum Dominicæ Incarnationis 1460. à fundamentis ad apicem vſque conſtruendum curauit. Id tamen quod diximus nullo penitus monumento, ſed receptiſſima tantùm ſeniorum traditione conſtat. Accidit præterea Bigolinæ ſtirpis erga eundem locum beneuolentia, atq; humanitas, quæ proculdubio incredibilis exiſtit. Eſt autem conuentus hic ædificatus propè Cittadellam, Vincentinæ diœceſis oppidum, quem & 10. huius Prouincię fratres commodè ſatis inhabitant. E

De conuentu S. Agnetis Portus Gruarij. Conu. XXIV.

VT vulgaris tum ſæcularium, tum quoq; fratrum opinio vult, præſens conuentus, diuæ Agneti ſacer, atq; à 12. fratribus inhabitatus, ad moniales aliquando pertinuit,

A pertinuit, & ab ijs ad Obſeruantes Franciſcanos fratres, anno Dominicæ Incarnationis 1480. ex Sixti IV. Pont. max. decreto deuolutus fuit. Quæ tamen opinio (vt verum fatear) nullo mihi pacto arridet, tum quia cuius Ordinis iſtæ moniales fuerint oſtendere non valeat, tum quia nullum penitus huius rei veſtigium appareat, tum etiam quia apoſtolicum Sixti IV. breue (de quo ſupra) datum Romæ pridie cal. Nouembris, anno Domini 1480. atque in præſentis monaſterij archiuis aſſeruatum, nullam penitus huiuſmodi ſororum mentionem faciat. Quamobrem (ſalua pace) auſim dicere, idq; ex quibuſdam indicijs, hoc noſtrum monaſterium, cuius ſitus ad Concordienſem diœceſim ſpectat, ex diuerſis fidelium eleemoſynis conſtructum, atq; præfato anno 1480. primò à fratribus noſtris occupatum, inhabitatumq; fuiſſe.

B *De conuentu S. Mariæ de Gratijs Archi. Conu. XXV.*

INDAGANTI mihi, quis præſentis conuentus, ſanctiſſimæ Mariæ de Gratijs ſacrati, atq; ad mille paſſus extra Archum Tridentinæ diœceſis oppidum affabrè conſtructi, author fuerit, quoue tempore huic Prouinciæ acceſſerit, adfuit vulgaris quædam traditio (nam ſcripturarum, quæ aliquam huius rei mentionem faciant, nihil penitus habetur) aſſerens ipſum ab illuſtriſſimis quibuſdam Archuanorum Comitibus, à centum annis & vltra, in fratrum huius Prouinciæ gratiam à primo lapide ad vltimum vſq; ædificatum fuiſſe. Nec id ſane quis difficile crediderit, ſi eorum, qui præfatis Comitibus hæreditario iure ſucceſſerunt, in hunc locum, eiuſq; accolas, qui frequentius ſunt numero 12. beneuolentiam atq; humanitatem attendere velit.

C *De conuentu S. Antonij Liniaci. Conu. XXVI.*

VT, incrudeſcentibus in Italia bellis, prouida Venetorum Reſpublica Liniaco oppido ſatis conſuleret, Minoriticum conuentum, non longè à mœnibus ab antiquo ædificatum, quòd Liniacenſibus ſuperueniente hoſte non parum obeſſe poſſet, à fundamentis demoliendum, ſoloq; omnino æquandum, ac aliud intra eiuſdem oppidi muros, ex Leonis X. Pont. max. mandato, anno à partu Virgineo 1520. in honorem S. Antonij Abbatis, cui & antiquior dedicatus fuerat, ſubſtituendum ſubrogandumq; curauit. Præfatum Leonis X. ſummi Pontificis mandatum, in forma breuis, datum Romæ, die menſis Decembris decima, anno Dominicę Incarnationis 1520. Pontificatus
D verò ſui anno viij. quod ab his verbis exorditur: Dilecti filij ſalutem & apoſtolicam benedictionem, exponi nobis feciſtis, quòd dilecti filij &c. ex præſentis loci, quem 12. fratres ad minus incolunt, archiuis depromptum tenuimus aliquando atq; legimus.

De conuentu S. Sebaſtiani Maroſticæ. Conu. XXVII.

ACCIDIT anno Domini 1480. vt beatus pater Bernardinus de Feltro ad Maroſticanum populum ſacram haberet concionem, eorumq; animos adeò inflammaret, vt ab eo illi ſibi aliquot Franciſcanos fratres ex tempore mitti petierint, qui & locum pro votis deligerent, inibiq; conuentum, ex publicis facultatibus ſumma liberalitate à ſe erogandis, conſtruerent. Quo deniq; beato patre illis annuente, atq; qua-
E tuor optimi nominis Minoritas ad eos deſtinante, hæc ſacra ædes, diuo martyri Sebaſtiano dicata, ex conſenſu tamen Innocentij VIII. Pont. max. quam frequentius 10. fratres inhabitant, anno à partu Virgineo 1484. Maroſticanorum ſumptibus, non longè ab oppido Maroſtica, in lucem prodijt, atq; inter reliqua huius Prouinciæ loca relata extitit. Aſſeruatur in huius loci archiuis præmemoratus Innocentij VIII. conſenſus, ſub apoſtolici breuis forma expreſſus, Romæ 24. menſis Nouembris, anno Dñi 1484. Atqui in ſacrario beati pueri Laurentij martyris corpus, quod adhuc integrum perſeuerat, religioſè ſatis cuſtoditur. Hic Laurentius, cùm vix tertium ſuæ ętatis annum attigiſſet, ab impijſſimis Iudæis Maroſticæ commorantibus, maiori in hebdomada, captus, atq; in Dominicæ paſſionis contemptum cruci affixus, occiſuſq; fuit.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Plebis ſacci. Conu. XXVIII. A

CVM vterini duo fratres bona,ſibi hęreditario iure ex parentum morte obuenien-
tia , ex æquo diuiſiſſent , nihilq́; aliud à deuota quadam glorioſiſſimæ Virginis
imagine amplius diuidendum remaneret , inter ſe acrius de eius poſſeſſione contendere
cœperunt . Cùmq́; alter alteri proprium ius cedere nollet, in tantum vtriuſq; ira effer-
buit , vt alius in alium armis inſurrexerit . Quod quidam vnius tantum anni puerulus,
qui ex parentis propriæ mammis pendebat , quiq́; nec dum lallare nouerat , animad-
uertens , eos ſtatim cœptis deſiſtere , arma deponere , atq; præfatam imaginem ad ſa-
cram quandam ædiculam propè id oppidum , cui Plebs ſacci nomen eſt , ex tempore
deferri , maxima cum omnium circumaſtantium admiratione , iuſſit , aſſerens eam eſ- B
ſe glorioſiſſimæ Virginis Mariæ mentem,vt ab eorum neutro præfata imago poſſidere-
tur , ſed vt in loco iam ſuperius nominato omnibus perpetuò veneranda proponeretur .
Quo euentu permoti fratres , (de quibus ſupra) poſt redditas Deo opt.max. ac Virgi-
ni glorioſæ debitas gratiarum actiones , præmemoratam imaginem ad locum ſibi deſi-
gnatum cum maxima veneratione deferri curarunt , vbi & ſtatim miraculis coruſcare
cœpit. Cùm igitur Chriſti fidelium ad eam deuotio indies magis magiſq́; excreſceret ,
pluresq́; accederent eleemoſynę , pręfati fratres, atq; aliquot alij ſibi conſanguinei,ſuf-
ficientem ſitum conferentes , pręſentem conuentum, ſanctę Marię de Gratijs ſacratum,
& à 21. fratribus vt plurimùm incultum, ex eis inibi , ex ſummi tamen Pontificis Inno-
centij VIII. facultate , anno Dominicæ Incarnationis 1484. ædificari curarunt . Ha-
betur huiuſmodi facultas in proximè præcedentis monaſterij archiuis : Cùm eodem C
tempore , atq; ſub vnius apoſtolici breuis tenore & iſtius , atq; illius ędificandi mona-
ſterij poteſtas ab eodem Pont. max. facta ſit .

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Arzignani. Conu. XXIX.

EVASVRI Arzignanenſes grauiſſimam peſtem , qua miſerrimè affligebantur,
Deo miſericordiarum ſe ex ſolemni voto obligarunt, ſi ab ea liberari contingeret.
Aſſecuti itaq; ex diuina clementia votum,ſanctorum Rocchi atq; Sebaſtiani ædiculam
Arzignani , quod commune eorum oppidum erat , erectam in Franciſcanum conuen-
tum ex publicis facultatibus , circa annum Dominicæ Incarnationis 1494. iuxta polli-
cita , promouendam , transferendamq́; curarunt . Quibus Alexandri VI. Pont. max. D
conſenſus datus in forma breuis Romæ 14. menſis Maij , eodem anno 1494.Pontifica-
tus verò ſui anno ij. atq; in huius loci tabellario cuſtoditus , ſummo fauore acceſſit .
Exorditur autem apoſtolicum huiuſmodi breue ab his verbis : Dilectis filijs Vicario
Prouinciali & fratribus Prouincię ſancti Antonij Ordinis Minorum de Obſeruantia ſe-
cundum morem dicti Ordinis Alexander VI. &c. Aſſeruantur deniq; hoc in loco , in
quo & 12. fratres commorantur , ſacroſanctæ aliquot reliquię ex Hieroſolimis allatę .

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Glemonæ. Conu. XXX.

IS fuit perdeuotæ cuiuſdam Catharinæ Glemonenſis ad Franciſcanos Obſeruantes
affectus , vt quicquid bonorum poſſideret , illis pro præſentis conuentus ædificatio- E
ne ex teſtamento reliquerit . Aſcitis itaq; à Glemonenſibus aliquot Minoritis,præfatus
hic locus Glemonę, anno Dominicæ Incarnationis 1486. ex obuenta hæreditate ædifi-
cari cœpit , atq; breui temporis interuallo abſolutus , huiuſq́; Prouinciæ fratribus tra-
ditus eſt . Cùm tamen , deficiente Glemonenſium charitate , ſumma omnium rerum pe-
nuria fratres laborarent , ab ijſdem derelictus extitit . Quamobrem ex Glemonenſis cō-
munitatis decreto in Auguſtinenſium patrum ius ceſſit . Dum autem huiuſce Prouin-
ciæ Prouincialem Miniſtrum , anno Domini 1578. agerem , eadem Glemonenſis com-
munitas ſummis à me precibus petijt , vt aliquot fratres ad eos traſmitterem, qui & prę-
ſentem locum , ſanctiſſimæ Mariæ de grtijs ſacratum , remiſſis aliò Auguſtinianis pa-
tribus,

A tribus, iteratò reciperent, & inibi in poſterum perſeuerarent: Pollicita interim ſe omnia tum ad victum, tum quoq; ad amictum neceſſaria prędictis fratribus, qui frequentius ſunt 10. numero, ſumma liberalitate miniſtraturam. Quod & fideliſſimè præſtat. In huius deniq; monaſterij ſacrario quoddam os vnius ex ſanctis Innocentibus, & aliud itidem os ſanctæ Margaretę virginis atq; martyris, & aliquantulum ſanguinis ex vndecim millibus virginum religiosè cuſtodiuntur.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Montagnanæ. Conu. XXXI.

NE fratres noſtri ſummam beneuolentiam, ſummumq; animi affectum, quo eos Montagnanenſis communitas proſequebatur, aſpernari viderentur, ſi oblatum ſi-
B bi ab illa conuentum, apud ſe tamen ædificandum, reſpueret, à Iulio II. Pont. max. ſupplices periêre, vt eum ſibi ex apoſtolica auctoritate acceptare liceret. Annuēte itaq; eorum votis ſummo ipſo Paſtore, prout ex eius diplomate dato Romę, pridie nonas Iulij, anno Domini 1504. Pontificatus verò ſui anno primò, quod & in præſentis loci archiuis habetur, & ab his verbis exorditur: Iulius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filijs Archipresbytero de Lendenara Ferrarienſi &c. liquidò conſtat, conuentus hic glorioſiſſimæ ſemperq; virgini Mariæ de Gratijs ſacratus, tum ex publicis, tum quoque ex priuatis Montagnanenſium facultatibus, ſolerti tamen fratrum cura acquiſitis, aliquantulum à mœnibus oppidi Montagnani, præmemorato anno 1504. ædificari cœpit: nec ita poſt multum temporis ad optatum finem perductus eſt. In quo impræſentiarum vſq; 10. fratres commorantur, qui illis populis, in his quæ ſunt ſui muneris, pro
C viribus adſunt.

De conuentu S. Mariæ de Angelis Mothæ. Conu. XXXII.

QVÆSITVRVS nono menſis Martij, anno Dominicæ incarnationis 1510. deuotus quidam Mothēſis, nomine Ioannes de Liganna, conductitium ruſticum, qui aliquot olera, ſiue legumina in proprio prædiolo ſereret, dum itineraretur, obuiam ſibi eccleſiam, Virgini glorioſæ ſacratam, vt ſolitas preces Deo funderet, ingreſſus eſt. Quibus tandem perſolutis, cùm rectum iter teneret, pulcherrimam quandam Virginē, alteram eius partem, brachijs ad crucis modum complicatis, tenentē ex inſperato conſpexit. A qua & interrogatus eſt, quò pergeret, quiduè quæreret. Illi verò itineris ſui
D cauſam referenti præcepit Virgo, vt tātiſper ſubſiſteret, quòd ſtatim adfuturus eſſet homo, qui ſuis votis abundè ſatisfaceret. Certior itaq; factus ex mutuo colloquio præfatus Ioannes de Liganna quòd illa eſſet ſanctiſſima Dei mater, pronus ſtatim ad terram corruit, atq; exhibitæ irreuerentiæ, quòd id ignorans feciſſet, veniam exorauit. Cui beatiſſima Virgo: ne timeas inquit, immo conſtanti animo eſto: futurum eſt enim, vt aliquando ædicula hæc, quam orationis faciendæ cauſa ingreſſus es, in Franciſcanum conuentum transferatur. Quamobrem & hoc ipſum tuis compatriotis indicare ſatagito, illisq; pro viribus ſuggerito, vt huiuſmodi operi quantocitius ſe accingant, diligentiusq; curent, vt aliquot Minoritæ, qui ædificio præſint, ad ſe veniant. Cui tamen reſpondenti præſtò eſſe, vt cuncta adamuſſim exequatur, vale dixit glorioſa Virgo, ac ſtatim diſparuit. Reuerſus itaq; ad ſuos pręfatus Ioannes, illisq; rei geſtę ſeriem
E enarrans à plurimis derideri cœpit. Cui tamen cùm quidam Mothenſis, ſanguinis fluxu laborans, fidem adhibuiſſet, pręfatam ędiculam protinus adijt, atq;, poſt deuotam orationem pręmiſſam, exoptatam ſanitatem ex tempore impetrauit. Quamobrem & pinguiſſimam eleemoſynam (erat enim diues) ad huiuſmodi operis inchoationem liberaliſſimè contulit, & conterraneis, vt idipſum quoq; & ipſi facerent, inſtantius ſuggeſſit. Quibus deniq; aurem ſibi accommodantibus, & aliquot huius Prouincię Minoritę euocati ſunt, & pręfata ędicula in pręſentem conuentum, ſanctiſſimæ Mariæ de Angelis, ſiue (vt alij volunt) de miraculis ſacrum, quem 25. fratres frequentius inhabitant, tranſlata extitit. Nec facilè referri poſſet, quot miracula ad glorioſę Virginis inuocationem indies ibi contingant, quapropter his ſuperſedere decreui.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Conegliani. Conu. XXXIII. A

SI de præſentis loci patronatus iure quæſtio inter Coneglianenſes oriretur, id pro-
fectò non toti communitati, nec etiam plebi, ſed nobilibus quibuſdam, præcipuè
verò ex Maluoltorum, atq; Montalbanorum familijs oriundis, deberetur. Hi ſiquidem
nobiles, quorum ad Seraphicam Religionem noſtram affectus incredibilis fuit, hunc
conuentum, ſanctiſſimæ Dei genitrici Mariæ de Gratijs ſacrum, Conegliani, quod Inſu-
brum oppidum eſt, anno Dominicæ Incarnationis 1505. ex conſenſu tamen Iulij II.
Pont. max. cuius apoſtolicum breue, datum Romæ 28. Iulij, eodem anno 1505. in eius
archiuis aſſeruatur, à fundamentis extruendum, omnibusq; ſuis numeris abſoluendum,
ac inter cætera huius Prouinciæ loca referendum curarunt. Aſſeruantur hoc in loco,
in quo & 18. fratres commorantur, aliquot reliquiæ, ex Terra ſancta allatæ. B

De conuentu S. Mariæ de Conſolatione Ateſtes. Conu. XXXIV.

EX apoſtolico quodam diplomate Iulij II. Pont. max. dato Romę 22. Auguſti,
anno Domini 1506. Pontificatus verò ſui anno iij. quod & ab his verbis exorditur:
Dilecte fili ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cùm ſicut accepimus, vniuerſitas,
& homines &c. edocemur hunc conuentum, ſanctiſſimæ Mariæ de Conſolatione ſa-
crum, atq; aliquantulum à muris Ateſtini oppidi erectum, non ex publico Atteſtino-
rum ęre, neq; ex priuato alicuius peculio, ſed ex diuerſis Chriſti fidelium, maximè ve-
rò oppidi Ateſtes accolarum, eleemoſynis, fratrum diligentia perquiſitis, eodem an-
no 1506. à fundamentis ędificatum, omniq; ex parte, poſt temporis lapſum, abſolu-
tum fuiſſe. Cuius nihilominus erectio Ateſtinę communitati attribuitur: quòd illa C
communes aliquas eleemoſynas ſuppeditarit, & huius loci fratribus, qui ſunt nume-
ro 10. quoties ſeſe occaſio offert, pro viribus, atq; humaniſſime ſatis adſit.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Vallis agni. Conu. XXXV.

QVANTI ponderis, quantiq; momenti beati patris Sixti de Riparolo verba,
quę de ſacro Euangelio ad oppidi Vallis agni communitatem pro ſuggeſtu ha-
buit, fuerint, hinc colligere licet. Vix enim beatus is pater pulpitum reliquerat, cùm
à tota ſibi aſtante corona interpellari cœperit, vt locum ædificando à ſe Minoritico
conuentui deſignaret, & aliquot fratres, qui huiuſmodi operi incumberent, ad eos
tranſmitti curaret. Quo deniq; eius ſuggeſtionibus annuēte, atq; Iulio II. Pont. max.
aſſenſum præbente, præſens conuentus, ſanctiſſimæ Dei genitrici Marię de Gratijs ſacra- D
tus, tum ex publicis, tum quoq; ex priuatis oppidanorum facultatibus, anno à ſaluti-
fera Chriſti natiuitate 1511. aliquantulum à pręfato oppido Vallis agni mœnibus ędi-
ficari cœpit, ijſdemq; medijs temporis curriculo abſolutus eſt. Commorantur hoc in
monaſterio, in cuius ſacrario pars ligni Dominicę crucis, fragmentum eius columnę,
ad quam Chriſtus mundi ſeruator pro noſtris peccatis alligari voluit, atq; eiuſdem bea-
ti patris Sixti de Riparolo capucium, in cartophilacio verò pręfatum Iulij II. ſummi
Pont. diploma, ſub datum Romę 22. Iulij, eodem anno Domini 1511. Pontificatus ve-
rò ſui anno viij. diligentius aſſeruantur 12. fratres vt plurimùm.

De conuentu S. Mariæ Magdalenæ Inſulæ ſcalarum. Conu. XXXVI. E

CONSTRVXERANT olim (idq; ex charitate profectò) oppidi Inſulæ ſcala-
rũ incolę ad infirmos curandos, peregrinosq; excipiendos apud ſe xenodochiũ, il-
ludq; quibuſdam prędijs, atq; redditibus cumularant. Quod tamen eorum, quorum
intererat, incuria atq; oſcitantia ad omnimodam ruinam, circa annum Domini 1510.
vergere cœpit. Ei igitur pia eiuſdem oppidi communitas conſultura, omnem mouit la-
pidem, vt in Franciſcanum conuentum transferretur. Cùm itaq; Iulij II. Pont. max. pijs
huiuſmodi votis conſenſus acceſſiſſet, quemadmodum ex apoſtolico eius breui dato
Romæ, 22. menſis Iulij, anno Domini 1511. Pontificatus verò ſui anno viij. ac in cubi-
culo patris Guardiani aſſeruato, ſatis conſtat, pręfatũ xenodochium ſolo ęquatũ, inibiq;
præſens

A præſens monaſterium, beata Maria Magdalena eius tutelari, communibus præfati oppidi ſumptibus ſuperædificatum extitit: in quo 12. fratres frequentius commorantur.

De conuentu S. Hieronymi Aſilli. Conu. XXXVII.

AEDIFICARAT ſibi deuotus quidam Aſillēſis ſacerdos, nomine Petrus Antonius Compagnonus, anno Dominicę Incarnationis 1454. tum ad diuinum perſoluendum officium, tum quoque ad ſacrificium Miſſę celebrandum, ſuis ſumptibus ædiculā, diuo Hieronymo Eccleſiæ Doctori, quem in peculiarem ſibi patronum acceperat, ſacram, ad quingentos paſſus ab oppido Aſilli. Quam tamen cùm cæteris eius bonis Amadeis patribus Franciſcanis, Alexandro VI. Pont. max. ſedente, moriens, anno à partu Virgineo 1500. ex teſtamento ea lege reliquit, vt eam ex præfatis bonis in conuentum eueherent, inibiq; in poſterum habitarent. Quod & illi quàm diligentiſſimè præ-B ſtiterunt. Leone verò X. Pont. max. totius Eccleſię militantis clauum tenente, præfatus conuentus, qui & eidem diuo Hieronymo ſacratus euaſerat, ex eius mandato ab ijs ad Franciſcanos Obſeruantes, anno Domini 1520. tranſlatus eſt. Idq; ex eiuſdem diplomate dato Romæ, præfato anno 1520. atq; in præſentis loci archiuis aſſeruato, cuius exordium eſt: Dilecto filio Miniſtro ſancti Antonij Ordinis Minorum Regularis Obſeruantię ſecundum morem eiuſdem Ordinis Leo X. ſalutem &c. liquidò conſtat. Commorantur denique hoc in monaſterio duodecim huius Prouincię fratres.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Colloniæ. Conu. XXXVIII.

CVM Collonienſis communitas certò ſciret quos vberrimos fructus ex Frāciſcanorum Obſeruantum conuictu, quibus ex animo afficiebatur, relatura eſſet, ſum-C mo Pontifici Leoni X. tunc ad totius militantis Eccleſiæ clauum ſedenti, quàm humillimè ſupplicauit, quatenus ſibi Minoriticum conuentum ex publicis facultatibus eius apud ſe auctoritate erigere liceret. Quo deniq; apoſtolico diplomate edito, ſub datum Romæ 7. Iunij, anno Domini 1517. Pontificatus verò ſui anno v. quod & in præſentis loci tabellario aſſeruatur, & ab his verbis exorditur: Dilecti filij ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cùm ſicut exponi nobis nuper feciſtis &c. eorum ſupplicationi annuente, præſens conuentus, in honorem ſanctiſſimæ Mariæ de Gratijs, à præfata communitate Collonienſi, aliquantulum à communi oppido Collonia, ſequenti anno, nempe 1518. ex publico ærario ædificari cœpit, atq; huic Prouinciæ, reuerendiſſimo patre fratre Franciſco Lichetto totius noſtri Inſtitùti tunc Generali Miniſtro, adiectus fuit.
D Aſſeruantur ſub diligenti cura in ſacrario huius loci, in quo decem fratres frequentius commorantur, altera ex ſpinis Dominicæ coronæ, quoddam os ſanctæ Barbaræ virginis & martyris, & aliquæ aliæ reliquiæ ex Terra ſancta allatæ.

De conuentu S. Pancratij Barbariani. Conu. XXXIX.

ANNO à Virgineo partu 1500. ſummo totius Barbarianæ communitatis conſenſu, ſummoq; applauſu, immo & ex communibus eiuſdem facultatibus (tanta erat illius ad Franciſcanos deuotio, tantuſq; animi affectus) conuentus hic, pariter & eccleſia, diuo Pancratio martyri ſacra, ex apoſtolica auctoritate, à fundamentis ad verticem vſque extructa, atque Franciſcanis patribus Amadeis in habitationem collata fuēre. Quod ita eſſe ex authentico quodam inſtrumento, in eius archiuis aſſeruato, faci-E lè comprobatur. Temporis verò ſucceſſu præfatis patribus Amadeis loco cedentibus Obſeruantes huius Prouinciæ fratres ſucceſsēre. Sed quo tempore id contigerit, vel cuius auctoritate effectum ſit, nullo pacto, deficientibus omnino ſcripturis, quæ nos hac de re certiores reddere poſſint, inueſtigari potuit. Eſt nihilominus hic locus amœnus, & in cuiuſdam montis cliuo ædificatus, diſtatq; à Barbariano oppido ad mille paſſus, atque ab octo huius Prouinciæ fratribus inhabitatur.

De conuentu S. Sebaſtiani apud ſanctum Martinum. Conu. XL.

EA eſt Italorum ad Seraphicum patris Franciſci Ordinem deuotio, vt vix oppidulum per totam Italiam inuenias, in quo fratrum Minorum conuentum tibi offen-

dere non liceat: quòd ſi ſecus aliquando contigerit, id profectò fratribus tribuito, A
qui aliqua de cauſa domicilium ibidem acceptare renuerint. Cùm igitur oppidum ſan-
cti Martini ab Aggere, quod in ſpiritualibus Cremonēſi Epiſcopo, in temporalibus verò
illuſtriſſimis Marchionibus, ſacriq; Romani Imperij Principibus de antiquiſſima,
pariter ac nobiliſſima proſapia Gonzaga paret, & nemini totius Inſubriæ alteri, ſiue
amœnitatis, ſiue ſalubritatis, (gaudet ſiquidem clementiſſimo cœlo) ſiue etiam ferti-
litatis palmam facilè concedit, noſtris fratribus careret, maximoq; eorundem haben-
dorum deſiderio teneretur, atq; veterem quandam eccleſiam, diuis martyribus Fabia-
no ac Sebaſtiano ſacram, olim à deuota quadam muliere tempore peſtis ex voto ædifi-
catam, atq; de religioſo more cōſecratam, cuius conſecrationis dies anniuerſaria quar-
tadecima cuiuſlibet menſis Februarij, quæ beato Valentino ſacrata euaſit, celebratur,
apud ſe haberet: non ſibi prius eius communitas quieſcendum putauit, quàm conſtru- B
cto ad latus monaſterio, illam huius Prouinciæ fratribus in perpetuam habitationem
traderet. Euocatis itaq; ad ſe, anno Dominicæ Incarnationis 1527. ex eius Miniſtri, cæ-
terorumq; ſeniorum patrum, quorum id munus erat, conſenſu, aliquot religioſis, &
inter eos beato patre fratre Sixto de Riparolo, qui clarus miraculis Mantuę in conuen-
tu ſancti Franciſci (vt ibi tetigimus) in Domino quieſcit, & illis præfatam eccleſiam
ex apoſtolica auctoritate, & pinguem eleemoſynam ad pręmeditati conuentus ędifica-
tionem liberaliſſimè contulit. Aſſeruatur huiuſmodi apoſtolica auctoritas, in forma
breuis facta, in præſentis loci archiuis. Præfatus verò beatus pater Sixtus, vt primùm ex
oblata ſibi eleemoſyna fundum, ædificando conuentui ſufficientem, emiſſet, aliquale ſi-
bi initium dedit, atq; aliquot fratres, qui promouendo operi inſtarent, deſtinauit. Per-
ſeuerarunt itaq; eo in loco fratres octo continuis annis, ab anno ſcilicet Domini 1527. C
vſq; ad annum 1535. quo ſcilicet tempore eius Guardianus à quodā ſacrilego nebulo-
ne ſæculari vicinioris oppidi (Bozulo vulgò dicti) incola, ex mera tantùm malitia, atq;
ira, ob acceptam à præfato patre Guardiano correptionem, concepta, proditoriè oc-
ciſus fuit. Quamobrem quotquot ibi aderant fratres, derelicto penitus loco, ad alios
præſentis Prouinciæ conuentus, pro Prouincialis Miniſtri voto, declinauêre. Cùm au-
tem ex Hiſpania iam Minorita proprios iam remeaſſem lares, eſſemq; primus huius
Prouinciæ Diffinitor à patribus creatus, non potui & Illuſtriſſimis Pyrrho Gonzagæ,
Scipioni Gonzagæ Patriarchæ Hieroſolymitano, Ferdinando Gonzagæ, atq; Iulio
Cæſari Gonzagę vterinis fratribus meis, qui præfato ſancti Martini oppido ius dicunt,
principanturq;, & deuotæ eius communitati, qui fratres ſibi reſtitui ex intimis pręcor-
dijs affectabant, non morem gerere. Quamobrem in Congregatione eiuſdem Prouin- D
ciæ capitulari, Veronę à patribus, anno Domini 1577. habita, dedi operam, accedente
tamen illuſtriſſimi Cardinalis Vrbini, tunc totius noſtri Ordinis Protectoris conſenſu,
ſibiq; illuſtriſſimo Cardinale, ſimul atq; Epiſcopo Cremonenſi, cuius eę partes ex Tri-
dentini Concilij decreto erant, ſubſcribente, vt derelictus per triginta & ſeptem annos
ſancti Sebaſtiani conuentus, ab ijſdem denuo acceptaretur, reſumereturq;. Qui qui-
dem eos, ab eo temporis ex piorum pręſertim verò primogeniti vterinìq; fratris mei
eleemoſynis, progreſſus fecit, vt 12. fratres imprę̨ſentiarum ſatis commodè capiat con-
tineatq;: plures in poſterum, ſi mihi vita comes fuerit, contenturus: cùm eum vt pri-
mùm, atq; legitimum fœtum agnoſcam, primumq; eius fundamentalem lapidem ego
ipſe proprijs manibus poſuerim, in die ſancti Georgij, qui occurrit 23. Aprilis anno Do-
mini 1577. Non quidem vt primo ædificati, ſed vt ſecundò recepti. Nam primis octo E
annis nondum conuentus, ſed tugurioli, vel potius pauperculæ domus, ad tempus
permanſuræ, formam tantùm induerat. Honeſtatur deniq; huius monaſterij eccleſia
perdeuoto quodam ſacello, ſanctiſſimæ Cruci dicato, in quo progenitores mei, atq; ſe-
cundum carnem parentes, omni poſthabito faſtu, omniq; ſæculari vanitate ſpreta, quę
nihil ad rem pertinent, ſub humili pauimento tumulati ſunt. Quod quidem ſacellum
pars ſatis magna Dominicæ crucis, altera ex ſpinis Dominicæ coronæ, & vnus ex de-
narijs, quibus Chriſtus dominus impijs Iudeis à proditore Iuda venditus extitit, com-
mendatiſſimum reddunt. Has ſibi ſacras reliquias illuſtriſſima Emilia mater mea do-
no dedit: ea tamen lege poſita, vt earum dominium penes eius poſteros perpetuò ſit,
atque

A atque ab vno ad alterum hæreditario iure tranſmittatur. Ad dextrum verò ſummi altaris latus, in peculiari quodam promptuario ſequētes ſanctorum reliquiæ religioſè ſatis cuſtodiuntur: Nempe aliquot oſſa ſanctorum Matthiæ, & Bartholomæi Apoſtolorum, atq; Lucæ Euangeliſtæ: Item ſanctorum Stephani prothomartyris, & Laurentij, Fabiani, Sebaſtiani, Georgij, Chriſtophori, Martini, Calepodij, Coſmæ, & Damiani martyrum: Item ſanctorum Stephani, Blaſij, Marcelli, & Fœlicis Pontificum & martyrū: Item ſanctorum Mauritij, & aliorum Thebæorum martyrum: Item vndecim millium virginum: Item ſancti Hilarionis Abbatis, & ſancti Ludouici Regis Franciæ: Item ſanctarum Petronillæ, Helenæ Reginæ, Apolloniæ, Sabinæ, Brigidæ, atque Margaretæ: Item dens ſancti Damiani: Item particulæ quædam cilicij atq; habitus Seraphici patris noſtri Franciſci: Aliæ item particulæ habituum ſanctorum patrum Antonij de B Padua, atq; Bonauenturæ: Item tunicæ particula beati patris Bernardini de Senis: Itē bina capita alterum ex vndecim millibus Virginum, & alterum cuiuſdam martyris, ſocij ſancti Mauritij, mihi à sereniſſima heroina Maria Auſtriaca Germanorum Imperatrice, ac Philippi eius nominis II. potentiſſimi Hiſpaniarum Regis vterina ſorore, dum apud Hiſpanos pro muneris mihi iniuncti exequutione agerem, liberali dono data: Itē baculus beati Ioannis à Capiſtrano: Itē argēteus calix inauratus, mihi à præfato catholico Hiſpaniarū Rege Philippo liberaliſſimè anno 1586. collatus. Eſt ſiquidem præfato Regi mos ſingulis Epiphaniæ feſtiuitatibus offerendi tres argenteos calices deauratos: quos tamen peculiari eccleſiæ iuxta eius deuotionem dono tradendos curat. Ex his (vt præfatus ſum) alterum mihi dono tribuit. Adiacent præterea ſacroſanctis præcedentibus reliquijs & aliæ quamplurimæ, quas prolixitatis vitandæ ergò ſciens prætermitto. C In archiuis verò quæ ſequuntur apoſtolica diplomata diligētius cuſtodiuntur: Nempe quoddam Gregorij XIII. breue, quo ſororum noſtri Ordinis apud Hiſpanos monaſterijs concedit, quatenus ad ſingulas illarum decem ſæcularem ancillam applicare poſſint. Alterum Sixti V. ſummi Pont. quo omnes ordinis noſtri conuentus erectiones, fundationes, atq; collationes fratribus noſtris factas ratas habet, confirmatq;, ac ſi quiſq; illorum proprium cōfirmationis breue à ſua Beatitudine haberet. Et alia quędam apoſtolica breuia Generalatus muneris nobis iniuncti confirmationem, atq; exequutionē concernentia. His adherent omnia originalia ſcripta, ex quibus hic liber à nobis, tum vniuerſarum noſtri Ordinis Prouinciarum, tum quoque ſingulorum earundē conuentuum & monaſteriorum deſcriptiones continens, excerptus depromptusq; eſt.

D Sequuntur monaſteria monialium primæ Regulæ abſq; vllis redditibus vitam ducentium.

De monaſterio corporis Chriſti, ſiue S. Paulæ Mantuæ. Mon. I.

CVM viginti peregrinæ mulieres, honeſtiſſimæq; fœminæ, conſtructo ſibi humili tuguriolo, Mantuæ per octo continuos annos in ſumma ſanctitate victitaſſent, optimeq; apud cunctos Mantuanos audirent, illuſtriſſima heroina Paula Malateſta, illuſtriſſimi Ioānis Franciſci Gonzaga, primi Mantuanorum Marchionis, legitima vxor, ob maximā deuotionem, qua præfatas fœminas, & ingentē obſeruantiam, qua Franciſcanam Religionē, Clariſſamq; ſobolem proſequebatur, anno Dominicæ Incarnationis 1420. dictum tuguriolum proprijs ſumptibus, apoſtolica ſibi auctoritate fauente, in E iuſtum atq; pulcherrimum monaſterium, ſub duplici titulo S. Paulæ videlicet, atq; Corporis Chriſti, euehendum, atq; Clariſſas aliquot ſorores, quæ prælibatas 20. fœminas, monaſticis moribus, ac regulari diſciplina (licèt eæ religioſè viuerent, nulli tamen Regulæ ſubiacebant) imbuerent, ex Mediolanenſi S. Vrſulæ cœnobio eò transferendas, omneſq; ſimul patrum præſentis Prouincię curę committendas curauit. Ab eo igitur tempore, ſacrum hoc monaſterium, ex quo, tanquam ex equo Troiano, plura ſanctimonialium ſeminaria, celeberrimaq; cœnobia, videlicet S. Clarę de Murano Venetijs, ſanctę Clarę Veronæ, Corporis Chriſti Ferrariæ, S. Gulielmi etiam Ferrariæ, S. Claræ Taruiſij, ſanctę Marię de Angelis Forioppidi, & monialium Miſericordię Regij Lepidi, prodiêre, ſororibus ſub prima beatæ virginis Claræ Regula vitam traducentibus inſeruit, & hæc fuit in cauſa, quare pientiſſima fundatrix ampliſſimos annuos redditus ei

non conſtituerit, ſemper tamen quoad vixit, eius monialium inopiam munificentiſſi- A
mè ſubleuauit, & ſereniſſima domus Gonzaga, tantæ fœminæ munificentiam pieta-
temq; imitata, eis ſæpe ſæpius, rei familiaris difficultate laborantibus, neceſſaria ita be-
nignè ſuppeditauit, & nunc etiam impertitur, vt quoties egeſtate conflictantur afflictæ
& pauperis, propter Chriſtum, condicionis, portum certum huiuſmodi domum inue-
niant, & illud perfugium firmum experiantur, vbi ab humana ope deſtitutæ, eius opera
ſubleuentur. Tanti deniq; hæc domus ſemper iſtud monaſterium, in quo centum ſacræ
virgines commorantur, fecit, vt illi illuſtriſſimas ac religioſiſſimas ſorores Claram
Gonzaga, illuſtriſſimi Ioannis Franciſci, primi Mantuanorum Marchionis, filiam;
Pacificam Gonzaga, Victoriam Gonzaga, Angelicam Gonzaga, ab illuſtriſſimo Lu-
douico II. Mantuæ Marchione genitam, Angelam Gabrielam Gonzaga, Angelicam
Gonzaga, illuſtriſſimi Franciſci vltimi Mantuanorum Marchionis neptem, Raphaëlam B
Gonzaga, & Ludouicam Gonzaga, atq; Paulam Gonzaga, illuſtriſſimi & excellentiſſi-
mi Federici primi Ducis Mantuani vterinam ſororem, perpetuò manciparit. Hæc ſoror
Paula Gonzaga, ob ſummam humilitatem, voluntariam paupertatem, obedientiam,
cæteraſq; eius virtutes, quas mirificè excoluit, à cæteris monialibus ita maxima in ve-
neratione habebatur, vt aliquæ earum auſæ ſint affirmare, Deum opt. max. meritis hu-
iuſce ſibi chariſſimæ ſponſæ, aliquot miracula patraſſe, quapropter migrans è vita om-
nibus maximum ſui deſiderium reliquit. Inſeruiunt præfatis monialibus viginti ſoro-
res exitrices, quæ nihil aliud à mendicatione curant. Aſſeruatur deniq; hoc in loco,
cuius eccleſia conſecrata habetur, licèt conſecrationis tempus ignoretur, altera ex ſpi-
nis Dominicæ coronæ. C

De monaſterio S. Claræ Veronæ. *Mon. II.*

COEPIT præſens monaſterium, beatæ virgini Claræ Veronę erectum, anno Do-
minicæ Incarnationis 1425. ex publicis, priuatiſq; Veronenſium facultatibus
primò ædificari. Cumq; maiori ex parte perfectum eſſet, allatæ ſunt ex Mantuano
Corporis Chriſti conuentu, (de quo ſupra) annuente tamen reuerendiſſimo patre fra-
tre Antonio de Maſſa, totius tunc Franciſcani Ordinis Generali Miniſtro, aliquot ſan-
ctiſſimæ vitæ ſorores, quæ & ipſum acceptarunt, accedenteſq; iuuenculas in omni
pietate, atq; religione inſtruentes adeò promouerunt, vt 100. ad minus Clariſſas mo-
niales impræſentiarum contineat.

De monaſterio S. Bernardini Vincentiæ. *Mon. III.* D

QVO certo tempore præſens Clariſſarum monaſterium, beato patri Bernardino
ſacrum, atq; Vincentinæ ciuitatis vallo circumcinctum, erectum ſit, deficienti-
bus præ vetuſtate ſcripturis, nullo pacto inueſtigari potuit. Conſtat nihilominus, idq;
ex apoſtolico Eugenij IV. Pont. max. diplomate, in ſororum iſtius loci fauorem dato,
ipſum ante annum à partu Virgineo 1436. conſtructum fuiſſe. Aſſerunt præterea anti-
quiores huiuſmet loci religioſę, eius fundatrices ex Veronenſi S. Claræ conuentu alla-
tas eſſe: Fœliciſſimis quarum auſpicijs adeò floruit, vt 70. optimi nominis ſorores, quæ
diui patris Bernardini cilicium, mantellum, atq; tuniculam, quoſdamq; ſocios beati
patris Bernardini de Feltro, atq; ſacras aliquot reliquias, ex terra ſancta allatas, religio-
ſius obſeruant, impræſentiarum contineat. E

De monaſterio S. Claræ de Muriano Venetijs. *Mon. IV.*

CVM nobilis quædam fœmina ex Laurentij de Priulis morte vidua remanſiſſet,
huiuſq; ſæculi tædio affecta eſſet, ſe totam, ſpretis mundi illecebris, charitatis
operibus, diuinorumq; myſteriorū contemplationi omnino dedidit. Dumq; inſtantius
his intenderet, pauperculas quaſdam Clariſſas moniales Taruiſium cum obedientia-
libus literis, vt conuentum ibidem erigerent, ex Mantua applicuiſſe accepit. Quibus
vt coniungeretur ſumma diligentia curauit. Quod cum primùm vterinus eius frater
Stephanus Taruiſinus reſciuiſſet, ab Eugenio IV. ſummo Pont. impetrauit, vt eius ſo-
ror cum quibuſdam ex præfatis monialibus ſe Venetias transferre, atq; ſancti Nicolai

de Turre

A de Turre monaſterium, Benedictinis aliquot monialibus eius accolis aliò tranſlatis, inhabitare poſſet. Qua deniq; Pontificijs iuſſis parente, pręfatumq; monaſterium ingreſſa, tot ſe illi tum honeſtæ matronæ, tum quoq; nobiles virgines iunxerunt, vt intra breuiſſimi temporis ſpacium, is locus inter præcipua totius ciuitatis monaſteria referri potuerit. A quo tamen honore nondum excidit: cùm 70. eoq; amplius ſorores impręſentiarum contineat. Antiquum nihilominus ſancti Nicolai titulum amiſit, eiusq; loco S. Clarę de Muriano nomen acquiſiuit. Id verò quod diximus ex apoſtolico quodam præfati Eugenij IV. Pont. max. diplomate, dato anno à Virgineo partu 1439. atq; in præſentis loci archiuis aſſeruato, ſatis conſtat. Nec caret ſacra hæc ædes venerandis ſanctorum reliquijs: cùm capite vnius ex vndecim millibus virginum, altera ex ſpinis Dominicæ coronæ, vno ex clauis, quibus mundi Seruator cruci affixus fuit, & Dominicę
B crucis particulæ exornetur.

De monaſterio S. Franciſci de Cruce etiam Venetijs. Mon. V.

CVM aliquot monachi monaſterium ſibi Venetijs creditum quibuſdam de cauſis, anno Dominicæ Incarnationis 1470. omnino deſeruiſſent, Franciſcana quædam Tertiaria, ſoror nomine Sophia, cum chariſſima ſibi ſocia, id ne ſic derelictum aliquādo corrueret, vtq; Deo opt. max. fœlicius ibidem vacare poſſet, ex eorum, quorum intererat, conſenſu ingreſſa eſt. Cui cùm plures deuotæ fœminæ, ex optimo eius odore allectæ, adhęſiſſent, vt Eccleſiaſticis cæremonijs, atq; ſpiritualibus exercitijs fœlicius proficerent, ſororem quandam Ludouicam, profeſſione Clariſſam, ex Patauino ſancti Bernardini conuentu, ſummo Pont. Sixto IV. illis coſenſum prębente, omnes ſimul
C ad ſe adduci curarunt. Contigit autem id anno Domini 1481. Cùm igitur earum numerus mirum in modum indies augeretur, ac pręſentis monaſterij cura Franciſcanis Obſeruantibus ex apoſtolica auctoritate demandata eſſet, euocatę ſunt ex pręcedenti conuentu, nempè ſanctæ Claræ de Muriano, religioſæ quatuor ſorores, quæ ſimul cum præfata ſorore Ludouica reliquas moniales religioſos mores edocerent: vt tandem omnes ſimul apprimè inſtructæ, in beatæ virginis Claræ Regulam, ex ſolemni voto, tranſirent. Quod & factum eſt. Commorantur deniq; in hoc ſacro monaſterio, quod relicto antiquiori titulo, nomine S. Franciſci de Cruce inſignitum euaſit, 80. pauperes de prima Regula ſorores Clariſſæ, quæ Dominicæ crucis particulam, & eius columnæ, ad quam Chriſtus mundi Seruator vinctus fuit, fragmentum, aliasq; ſanctorum reliquias, & proprium Pij V. Pont. max. motum, datum anno Domini 1567. quo illis Franci-
D ſcana omnia priuilegia communicantur, quàm diligentiſſimè ac ſumma religione cuſtodiunt.

Sequuntur monaſteria Clariſſarum ſecundæ Regulæ quæ Vrbaniſtæ vocantur.

De monaſterio S. Claræ Venetijs. Mon. VI.

PRÆSENS monaſterium, Venetijs quoq; in honorem ſanctę virginis Claræ erectum, atq; à 45. Clariſſis ſororibus inhabitatum, antiquum omnino eſt, optimoq; iure præcedentibus anteponendum veniret: cùm anno Dominicę incarnationis 1234. à beata Agnete, vterina beatæ Claræ virginis ſorore, primò conſtructum fuerit, primamq; eius Abbatiſſam religioſiſſima ſoror Auria, Aſſiſij profeſſa, egerit. Quòd verò hunc locum teneat in cauſa eſt ordo à Prouincia præfixus. Id verò quod diximus
E non ſcripto, ſed certiſſima traditione conſtat. Nam quicquid monumentorum in præſentis loci cartophilacio aſſeruabatur, id totum ſimul cum monaſterio, ex maximo infortunio, conflagrauit. Quod nihilominus incommodum alter ex dentibus S. Petri Apoſtoli, alius itidem dens S. Apolloniæ, vnus ex digitis S. Andreæ Apoſtoli, & clauus quo Chriſti Seruatoris pedes cruci affixi fuêre, mirabiliter euaſerunt, ac in huius conuentus ſacrario religioſè aſſeruantur.

De monaſterio S. Claræ Mantuæ. Mon. VII.

BEATA virgine Clara adhuc in viuis agente, nempe anno Dominicæ Incarnationis 1538. hoc monaſterium, eidem virgini Clarę de Miliarino ſacrum, ad trecentos paſ-

tos paſſus à Mantua famoſa ciuitate ædificari cœpit. Cumq́; per ducentos ferè annos A
Clariſſis de ſecunda Regula, (has Vrbaniſtas vocant) Conuentualium Franciſcano-
rum patrum curæ commiſſis, ſubiacuiſſet, præmemoratæ illuſtriſſimæ Heroinæ, atq;
Mantuanorum Marchioniſſæ Paulæ Malateſtæ opera, ad Obſeruantes huius Prouinciç
patres, anno à partu Virgineo 1434. tranſlatus extitit: Inſuper & religioſiſſimis qui-
buſdam ſororibus, ex præmemorato Mediolanenſi S. Vrſulæ conuentu allatis, quæ re-
liquas ad Obſeruantum mores corrigerent, ex reuerendiſſimi patris fratris Gulielmi
de Caſſali, totius tunc noſtri Ordinis Generalis Miniſtri, decreto, commiſſus. Commo-
rantur hoc in ipſo loco 100. vel circiter Clariſſæ ſorores Vrbaniſtæ, quæ nihil eius,
quod ad commodam, eamq́; religioſam ducendam vitam requiritur, deſiderare poſ-
ſunt: cùm monaſterium redditibus, boniſq́; temporalibus abundet.

De monaſterio S. Claræ Taruiſij. Mon. VIII. B

NE, emergentibus indies nouis per Italiam bellis, Clariſſæ moniales, quæ monaſte-
rium ſanctæ Mariæ matris Domini de Cella, à tuguriolo quodam in modum cel-
læ ibidem prius erecto, in quo deuota quædam fœmina per aliquot annos aſperrimam
duxerat vitam, ſic dictum, atq; extra ciuitatis Taruiſinç muros anno Dominicæ Incar-
nationis 1244. ædificatum, inhabitabant, militum iniurijs paterent, vt ad aliud intra
eiuſdem vrbis mœnia, in honorem S. Mariæ de Ieſu (de quo impræſentiarum) ſibi de
nouo conſtruendum, ſe transferrent, ex Taruiſini ſenatus decreto cautum eſt. Ne verò
interim præfatæ ſorores à ſuperueniente hoſte opprimerentur, omnes ſimul Venetias
ad ſanctæ Mariç maioris conuentum tranſlatæ extitêre, vbi per aliquot annos commo-
ratæ ſunt: donec videlicet à Iulio II. Pont. max. apoſtolici cuiuſdam breuis tenore C
Taruiſium remeare, abſolutumq́; iam conuentum (de quo ſupra) ingredi compellun-
tur. In quo earum 50. ſub habitu & Regula beatç virginis Clarç frequentius commo-
rantur. Iulij II. ſumi Pontificis breue, cuius ſupra meminimus, quodq́; ab his verbis
auſpicatur: Dilectæ in Chriſto filiç ſalutem &c. in huius loci archiuis perſeuerat.

De monaſterio S. Mariæ Maioris Venetijs. Mon. IX.

MVLTO antequàm primus huius monaſterij fundamentalis lapis poneretur,
dum beatus pater Bernardinus de Feltro ſacras ad Venetum populum haberet
conciones, prophetico ſocijs ſpiritu prædixit, erigendum aliquando hoc in ipſo loco
ſanctimonialium monaſterium, quarum ſanctitas maxima eſſet futura. Idq́; profectò
rei euentus demonſtrauit. Aduentauit enim Venetias, anno à partu Virgineo 1436. D
deuotiſſima quædam anachoreta, nomine Catharina, cum vna tantùm ſocia, vbi & li-
gneum tuguriolum, atq; humilem eccleſiam, diuo Vincentio ſacram, ſibi contiguam,
ædificanda curauit, atq; aliquandiu ſanctiſſimè egit. Cui cùm quatuor aliç honeſtç
matronç adhçſiſſent, omneſq́; ſimul Angelicam potius, quàm humanam vitam duce-
rent, eaq́; de cauſa apud Venetos optimè audirent, accidit vt Auguſtinus quidam Ve-
netus glorioſiſſimç virginis imaginem, à beato Luca Euangeliſta (vt volunt) depictam,
penes ſe minori cum veneratione, quàm par eſſet, retineret, & ab eadem, vt honeſtio-
ri, atq; religioſiori in loco ſe collocaret, noctu moneretur: quamobrem territus Au-
guſtinus, eam ad hanc eccleſiam ſummo ſequenti mane deferendam, atq; prçfatis ſex
anachoretis (ſic enim paſſim appellitabantur) quarum ſanctitas omnibus notiſſima
erat, credendam curauit. Quo etiam factum eſt, vt antiquior ſancti Vincentij titulus E
in ſanctç Mariç Maioris nomen mutaretur. Cùm igitur prçfatarum mulierum nume-
rus mirum in modum excreſceret, illarumq́; eccleſia ob miracula, quç ibidem Virgi-
nis glorioſç meritis ad prçfatam imaginem contingebant, illuſtrior indies euaderet,
ſumma diligentia, vt prçfatum tuguriolum in iuſtum, idq́; capaciſſimum monaſterium
tum ex priuatis, tum quoq; ex publicis eleemoſynis eueheretur, vtq́; ſex moniales ex
conuentu ſanctç Clarç de Murano ſuperius citato eò transferrentur, quç reliquas eius
accolas Clariſſis moribus, religioſiſq́; ritibus imbuerent, à Veneto ſenatu curatum eſt.
Eius verò eccleſia, vetuſtiori, quòd anguſtiſſima eſſet, demolita, ſumptibus per deuoti
cuiuſdam Ludouici de Maripetris, prout ſibi à beata Virgine præceptum fuerat, ſub
antiquiori S. Mariæ Maioris titulo conſtructa extitit. Qua deniq; abſoluta præfata glo-
rioſæ

A rioſę Virg.imago,anno Dñicę Incarnationis 1501.ſereniſſ.Lauretano Venetorũ Duce, ad eã tranſlata fuit.Commorantur frequentius hoc in monaſterio 90. ſorores Clariſſæ, quæ alteram ex ſpinis Dominicæ coronæ, ſanctiſſimæ crucis Chriſti particulã, alterum ex digitis ſanctæ Agnetis,atque diui patris Bernardini cilicium religioſè obſeruant.

De monaſterio S. Bernardini Patauij. Mon. X.

QVEMADMODVM ex apoſtolicis Eugenij IV. Pont. max. literis,datis Romæ,anno Dominicę Incarnationis 1439. menſis verò Octobris die 25. ſed Pontificatus verò ſui anno ix. liquidò patet, pręſens conuentus, beato patre Bernardino de Senis eius tutelari, Patauij erectus, atq; ab 80. Clariſſis ſororibus impręſentiarum inhabitatus, ex peculiaribus pientiſſimorum Bartholomęi Vrbinatis, atq; Dorotheę à Panico legitimę eius vxoris Patauinorum ciuiũ ſumptibus,pręfato anno Domini 1439.
B ędificari cœpit, iiſdemq; ſubſidijs, anno 1446. vltimam artificis manum expertus extitit. Quo etiam tempore aliquot ſacrę virgines, Deo deuotę, ex Mantuano Corporis Chriſti conuentu ad ipſum tranſlatę fuêre, quę aduentantes nouitias in ſumma religione, ſummaq; pietate, atq; diſciplina inſtruxerunt: Inuenire licebit in huius loci archiuis præfatas Eugenij IV. literas, in ſacrario verò ſubſequentes ſanctorum reliquias: nempè alterum ex dentibus ſancti Blaſij Epiſcopi & martyris, alterum itidem dentem, atq; tunicam beati patris Bernardini de Senis, partem veli beatæ virginis Clarę, aliquod lapides ex Terra ſancta allatos, & binas tuniculas, vnam quidem beati patris Iacobi Picentis ſiue de Marchia, alteram verò beati patris Bernardini de Feltro.

De monaſterio S. Luciæ Mantuæ. Mon. XI.

C HOC ſacrum monaſterium, beata Lucia virgine atq; martyre eius tutelari, Mantuæ erectum, antiquitate non caret: cùm à ducentis, eoq; amplius annis ędificatum fuerit. Subiacuit tamen à prima ſui erectione ad annum vſq; Domini 1449. Conuentualibus Franciſcanis patribus, quo, ex apoſtolica auctoritate, eiuſdem Inſtituti Obſeruantum curæ commiſſus extitit. Eius moniales,quę & Clariſſæ de ſecunda beatę virginis Claræ Regula ſunt, nonageſimum numerum attingunt, atq; beatæ ſororis Paulę de Montealto corpus,apud ſe ſepultũ,ſumma veneratione proſequuntur. Fuit beata hæc ſoror, dum adhuc viueret, omni pietate, omniq; ſanctitate prædita: quamobrem ex ergaſtulo carnis 4. Auguſti, anno Domini 1514. egreſſa, miraculis coruſcare meruit. Huius deniq; loci eccleſia anno Domini 1522. conſecrata extitit.

De monaſterio S. Mariæ de Angelis Forioppidi, vulgò Feltre. Mon. XII.

D PROSPECTVRVS beatus pater Bernardinus de Feltro ijs virginibus,quæ Forioppidi (vulgò Feltre) relicto ſæculo Altiſſimo fœlicius vacare cuperent,ab Innocentio VIII. ſummo Pont. anno Domini 1489. ſupplex petijt, vt monaſterium ſanctæ Mariæ de Angelis ſacrum, illis,aliquantulum à muris præfati oppidi,erigere,poſſet. Quo deniq; ſummo Paſtore eius votis, edito breui apoſtolico Pontificatus verò eiuſdem anno v. quod & ab his verbis exorditur: Dilecte fili ſalutem & apoſtolicam benedictionem, exponi nobis feciſti &c. annuente, prædictus beatus pater Bernardinus de Feltro hoc ſacrum monaſterium, quod 30. Clariſſæ ſorores frequentius inhabitant, ex diuerſis Chriſti fidelium eleemoſynis erigendum, atq; aliquot moniales, quæ aduentantes nouitias religioſis moribus apprimè imbuerent, ex Mantuano Corporis Chriſti ſiue S. Paulæ conuentu ad ipſum, anno à partu Virgineo 1492. transferen-
E das curauit. Honeſtatur ſacer hic locus quodã oſſe diui Lucæ Euangeliſtæ, alio quoq; oſſe vnius ex ſanctis Innocentibus, quibuſdam crinibus & baculo beati patris Bernardini de Feltro & pulcherrimo, venerabiliq; quodam Crucifixo, propè eccleſiæ fores quodam mane, ex inſperato, inuento, qui in maxima eſt apud omnes veneratione.

De monaſterio S. Sepulchri Venetijs. Mon. XIII.

DVM Euboia, Ægei maris Inſula, quæ tam anguſto Euripo à Boeotia diuiditur, vt ponte illi coniungatur, vnde & (Negroponte) vulgò nuncupatur, ab immaniſſimis Turcis expugnaretur,nobiliſſimæ duæ fœminæ eius incolæ, quarum alteri Polixena Præmarina,alteri verò Beatrix à Rainerijs nomen erat, ſe Deo opt. max. ad Reli-

gionis

gionis ingreſſum, ſi eam calamitatem euadentes, ad Chriſtianorum plagas incolumes traijcere poſſent, ex voto obligarunt. Ereptæ itaq; à tanta rabie, atq; Venetijs remigio mirabiliter applicitæ, quod prudenter vouerant, religioſè exequi curarunt. Cùm igitur aliæ duæ matronæ, ex Venetijs oriundæ, nempè Vrſula Veneta, & Maria Canalis ſibi adheſiſſent, xenodochium quoddam peregrinis mulieribus, quæ Hieroſolymam petere cupiebant, excipiendis deſtinatum, à Veneto ſenatu obtinuêre. Cumq; poſt aliquot annos earum numerus, ex pluriũ virginum aduẽtu, mirũ in modũ excreuiſſet, hoc ſacrũ monaſteriũ, in S. Sepulchri honorem tũ ex peculiaribus bonis, tũ quoq; ex eleemoſynis vltrò ſibi oblatis, Venetijs, ſummi tamẽ Pontificis auctoritate ſibi fauẽte, à fundamentis erigendũ abſoluẽdumq; curarũt. Quod & 80. moniales de ſecũda beatę Claræ Regula (has Vrbaniſtas vocãt) commodè ſatis inhabitãt: & pars Dominicę crucis, & fragmẽtũ eius columnæ, ad quã Chriſtus Dñs alligatus fuit, & altera ex maxillis S. Nazarij martyris, & duo digiti, alter S. Rochi, alter verò S. Demetrij religioſius exornãt. Ex pręfatis huius loci fundatricibus, altera nẽpè ſoror Beatrix à Raynerijs miraculis omnino claruit: cui perſimilis fuit quædam ſoror Clara Veneta. Harum ſororum corpora in maxima veneratione tum à ſororibus, tum quoq; à ſæcularibus habentur.

A B

De monaſterio S. Mariæ de Miraculis etiam Venetijs. Mon. XIV.

CVM deuota B. Virginis imago Venetijs quadã in ędicula miraculis coruſcaret, pluresq; ſibi indies accederent eleemoſynæ, curauit inclytus Venetorũ ſenatus, vt præfata ędicula in iuſtã eccleſiã, ſub titulo S. Marię de Miraculis, eueheretur, ſibiq; cõtiguũ monaſteriũ, Clariſſis ſororibus cõtinẽdis deſtinatũ, tũ ex pręfatis eleemoſynis, tũ quoq; ex publico ærario, ex apoſtolica auctoritate, annecteretur. Quo deniq;, anno à partu Virgineo 1490. pro votis abſoluto, allatæ ſunt ex præfato conuentu S. Claræ de Muriano religioſæ aliquot ſorores, quę & eius curam gererent, & aduẽtantes iuuenculas optimis moribus, Clariſſiſq; cæremonijs atq; ritibus religioſius imbuerent, ea tamẽ lege addita, vt & Franciſcanorũ Obſeruantũ curæ ſubeſſent, & à præfato monaſterio S. Clarę de Muriano dependerẽt. A qua tamẽ dependẽtia, eorũ numero mirum in modum creſcente, per Alexandrum VI. Pont. max. anno Domini 1494. exemptę fuêre. Imminet fornici principalioris oſtij, per quod eccleſia petitur, marmorea quędã ac pulcherrima Virginis imago, quę 2. menſis Auguſti, anno verò Dñi 1581. innumeris miraculis coruſcare cœpit. Nõ deſtituitur ſacra hęc ędes ſacroſanctis reliquijs, cùm altera ex ſpinis Dñicæ coronæ, altero ex digitis B. Apollonię virg. atq; mart. parte cranij S. Margaretæ virginis quoq; & martyris, & aliquot SS. Innocentum oſſibus honeſtetur. Inhabitatur demum hic locus à 40. Clariſſis ſororibus, quæ apoſtolicum præfatæ exemptionis breue ab Alexandro VI. anno Domini 1494. datum, penes ſe in archiuis habent.

C D

De monaſterio S. Eliſabethe Mantuæ. Mon. XV.

QVONIAM quicquid ſcripturarum in præſentis loci archiuis continebatur ſuperioribus annis ab igne abſumptum fuit, certi nihil aliud in medium afferre poſſumus, niſi quòd eius ſorores Tertiarię, ſiue de tertia B.P. Franciſci Regula olim extiterint, atq; ſua ſponte, & ex mera voluntate nigrum velum ſumpſerint, clauſuramq; vouerint, quam & diligentiſſimè obſeruant, atq; ſecundę B.V. Clarę Regulę, iuxta Obſeruantum morem, ſe aſtrinxerint. Sunt autem pręfatę ſorores numero 100. vel circiter, atq; diligentiſſimè binas Dominicę coronę ſpinas, & B. P. Bernardini mantellum obſeruant. Earum verò eccleſia beatæ Eliſabethæ Hungariæ Regis filiæ dicata eſt.

E

De monaſterio S. Franciſci Vincentiæ. Mon. XVI.

EX apoſtolico Alexandri VI. Pont. max. diplomate, dato Romæ, anno Dñicę Incarnationis 1500. vltima verò Febr. ſed Pontificatus eius anno viij. quod ab his verbis exorditur: Dilecto filio Vicario Generali Ordinis fratrum Minorum Regularis Obſeruantię familię Ciſmontanę Alexander Papa VI. &c. ſatis edocemur pręſens monaſteriũ, Seraphico P. Franciſco dicatum, atq; Vincentię intra muros erectũ, pręfato anno 1500. vbi antiquum xenodochium præextiterat, ædificari cœpiſſe, ſucceſſuq; temporis omnibus ſuis numeris ex publicis Vincentinorũ eleemoſynis, maiori ex parte abſolutũ fuiſſe. Eius fundatrices, quę ſex numero fuerunt, ex proximè pręcedenti conuentu allatę feruntur, qua-

A tur, quarum cura, ſolertiq; diligentia plures ſacræ virgines ſanctitate atq; religione hoc in loco floruêre. Commorantur deniq; hoc in monaſterio 40. Clariſſæ ſorores.

De monaſterio S. Bernardini Vtini. *Mon. XVII.*

CVM deuotus quidam Vtinẽſis, nomine Iacobinus de Bainerottis, vnicum filium moriens ex teſtamento hæredem ex aſſe, ea lege, inſtituiſſet, vt ſi eum abſq; liberis decedere contingeret, Clariſſarũ monaſteriũ, diuo P. Bernardino ſacrum, Vtini, quæ ſibi patria erat, ex obueta hæreditate conſtruendũ veniret: contigit vt puer, nulla penitus poſteritate poſt ſe relicta, carnis debitũ exolueret. Quamobrẽ, qui teſtamenti executores inſtituti fuerant, præſens monaſteriũ, diuo P. Bernardino ſacrũ, in quo 25. moniales frequentius commorantur, Vtini, anno Dominicæ Incarnationis 1525. iuxta teſtatoris B voluntatem, atq; ex apoſtolica auctoritate à fundamẽtis erigendum, breuiq; temporis ſpatio abſoluendum, atq; aliquot ſacras virgines Clariſſas ex Venetis S. Mariæ maioris, S. Crucis, atq; S. Claræ de Muriano conuentibus, quæ iuuenculas nouitias in omni pietate, bonis moribus, atq; religione inſtruerent, ad ipſum adducendas curarunt. Ab aliquibus verò Terræ ſanctæ reliquijs nihil aliud memorabile præſens locus habet.

De monaſterio S. Marci Leonici. *Mon. XVIII.*

CVM monialium Ordinis S. Baſilij monaſterium, glorioſiſſimæ Virgini Mariæ de Fonte ſacrum, atq; Leonici ab antiquo ædificatum, omnimodam minaretur ruinam, eiuſq; ſorores omnino deficerent, religioſa ſoror Franciſca de Canis Leonicenſis, C quæ tunc Abbatiſſam agebat, euocatis ad ſe Leonicenſis communitatis proceribus, in eorum fauorem & præfato monaſterio, & eius iuri, atq; etiam iniuncto ſibi muneri renunciauit: ſubijciens ſe, atq; eius neptem eiuſdem loci religioſam, omnino paratas eſſe, vt in arctius Inſtitutum tranſeant, dummodo locus, à ſe illis vltrò oblatus, alicuius alterius Ordinis ſororibus conferatur. Quamobrem præfati proceres totius communitatis nomine, probatiſſimorũ prius virorum concilio vſi, præfatum monaſterium Clariſſis ſororibus, anno à partu Virgineo 1530. menſis verò Decembris 13. annuente tamen reuerendo patre fratre Franciſco Georgij, huius tunc Prouinciæ Miniſtro, conferendum, atq; religioſiſſimas aliquot ex Vincentino S. Franciſci conuentu ſorores, quæ optimis moribus aduenientes imbuerent, eò adducendas curarunt. Hæc omnia ex quibuſdam ſcripturis, in præſentis loci tabellario aſſeruatis, ſatis patent. Cùm autẽ præ- D memoratum (vt diximus) monaſterium ad terram præ vetuſtate vergeret, Leonicenſis communitas, quæ iam eius patrocinium ſumpſerat, aliud multò elegantius, multoq; maius intra communis oppidi mœnia, ex publicis facultatibus, annuente tamẽ Clemẽte VII. Pont. max. vt apoſtolicæ eius literæ, in publicis Leonicenſium archiuis aſſeruatæ, ſatis indicant, à fundamentis ad apicem vſq; in beatæ Virginis glorioſæ, atq; diui Marci Euangeliſtæ honorem conſtrui fecit, præfatiſq; Clariſſis ſororibus, quæ frequentius ſunt 40. numero, ſumma liberalitate tradidit.

De monaſterio SS. Trinitatis Tridenti. *Mon. XIX.*

PERDEVOTVS quidam Tridentinus ciuis, ac ditiſſimus, nomine Antonius à Prato, mundo, vt Deo opt. max. plenioribus affectibus vacare poſſet, vale dicturus, E domum Tridenti in monaſterij formam conſtrui curauit, vbi & aliquandiu ſanctiſſimè egit, moriturusq; ex teſtamento præcepit, vt in ampliorem commodioremq; formam tranſlata, omnibusq; ſuis numeris abſoluta, alicuius Ordinis ſororibus conferretur. Quamobrem, Clemente VII. Pont. max. ac reuerendo patre fratre Antonio Veneto, huius tunc Prouinciæ Miniſtro, aliquot ſorores ex Veronenſi ſanctæ Claræ monaſterio, anno reſtitutæ ſalutis 1533. ex apoſtolica auctoritate, à Tridentino ſenatu allatæ fuêre, quæ & ipſum occuparent, & accedentes virgines optimis moribus, atq; ritibus de religioſo more imbuerent. Sunt huius loci accolæ vt plurimùm 25. quæ ſub beatæ virginis Claræ Regula ſtrenuè militantes, alterum ex brachijs ſancti Abundi martyris, alterũ quoq; brachiũ alterius ex ſocijs S. Anaſtaſij martyris, quædam oſſa S. Chriſtophori itidẽ martyris, atq; ex vndecim millibus virginum, quàm diligẽtiſſimè cuſtodiũt.



PROVINCIA

PROVINCIA GENVAE.

A GENVÆ Prouincia latè patet: cùm Mediolanenſis Ducatus partem, Salutiarum Marchionatum Chriſtianiſſimo Francorum Regi ſubactū, Montisferrati quoq; Marchionatum sereniſſimo Mantuæ Duci ſubiectum, Pedemontanum Principatum, atq; vniuerſum Genuenſem Dominatum, à quo & nomen traxit, complectatur: & ex 62. fratrum, monialium verò 22. conuentibus conſletur. Præterea Bononienſem, Mediolanenſem, Tuſcicam, atq; ſancti Ludouici Prouincias ſibi conterminas habet: primam quidem ab Oriente, ſecundam verò à Septentrione, ſed tertiam à Meridie, atqui quartam ab Occidente. Cumq; tātopere dilatetur, antiquiſſimaq; ſit, ita vt eius origo atq; ortus penitus ignoretur, nullam aliam nobis Prouinciā peperit: ſicut & à nulla alia propagata certiſſimè creditur.
B Sunt tamen qui aſſerant, eam diui patris Franciſci temporibus ex parte (quod inficiari nollem) ſumpſiſſe exordium, atq; ſuccreſcentibus tum fratribus, tum quoq; conuentibus, mirumq; in modum vſq; ad tempora beati patris Bonauenturæ coaleſcentibus, ex eius decreto (vti ſupra tetigimus) in Prouinciam euectam fuiſſe. Cuius quidem maius ſigillum eiuſdem Seraphici patris Franciſci imaginem genuflexam, atq; ſacra ſtigmata à Seraph recipientem, cum his literis M. P. G. ſub eius genibus in orbem circumſcribit. Huius tamen ſigilli oram nullæ penitus literæ, pręter aliorum morem, exornant. Quia verò alter ex huius Prouinciæ conuentibus, nempe is qui Papię in ſan-
C cti Iacobi honorem erectus eſt, venerandum beati patris Bernardini à Feltro, quod Forumoppidum Latinè nuncupatur, honorificentiſſimè continet, eius imaginem ſibi pręponendam curauimus. His itaq; præmiſſis, nobis ad ſingulos eius conuentus (ſi propoſitum ordinem ſequi velimus) deſcendendum erit. Et primo quidem ad eum, qui prope Genuam, ſub titulo ſanctæ Mariæ de Monte, ſubſiſtit: cùm cæteris, tum antiquitatis, tum quoq; deuotionis atq; nominis palmam præripiat.

De conuentu S. Mariæ de Monte propè Genuam. Conu. I.

D SICVT ex binis Eugenij IV. Pont. max. bullis ad inſtantiam huius Prouinciæ patrum datis, quæ hoc in conuentu, Deiparæ Virgini Mariæ de Monte dicato, atq; vnico tantùm milliari à Genua, totius Luguriæ nobiliſſima ciuitate, ac facilè Principe, diſtante, ſeruantur, plus quàm liquidò patet, locus hic, circa annum Dominicæ Incarnationis 1444. ab illuſtriſſimo domino Raphaële Adurno, Rei publicæ Genuenſis Duce, ex proprijs facultatibus erectus, omnibusq; ſuis numeris abſolutus fuit: In quo 25. fratres, quorum maior pars ad nouitios ſpectat, (eſt enim locus hic inſtruendis tyronibus Franciſcanis omnino accommodus) Altiſſimo fœlicius famulantur: Inſuper & ſequentes ſanctorum reliquię cuſtodiuntur: Nempè alter ex digitis diui patris Spiridio-
E nis, inſulæ Cypri Epiſcopi: ſiniſtrum diuę Annæ matris genitricis Dei brachium: & ex oſſibus beati Andreæ Apoſtoli, atq; diui Nicolai Epiſcopi & confeſſoris. Præterea & cuiuſdam ignoti patris corpus, quod licèt à 50. annis ſepulturæ traditum ſit, imputre nihilominus, ac incorruptum perſeuerat, ſuauiſſimamq; omnigenorum florum, atq; aromatum, dum caſu effoſſa terra ſuperioribus annis detegeretur, fragrantiam emiſit. Quapropter vt beatus, ac Deo charus ab omnibus veneratur habeturq;.

De conuentu Annunciationis B. Virginis Mariæ Genuæ. Conu. II.

CVM conuentus hic, Annunciationi genitricis Dei Mariæ ſacratus, ac intra Genuenſis eiuſdem ciuitatis mœnia erectus, à patribus Humiliatis, quibus per ali-

quot annos ſubfuit, ad Franciſcanos Conuentuales deueniſſet, ab ijs tandem ad eiuſdem Ordinis Obſeruantes, anno ſalutis humanæ 1537. ex ſanctiſſimi domini Pauli III. Pont: max. mandato, anno ſui Pontificatus iv. pertranſijt: eorumq; 50. inibi in pręſentem vſq; diem perſeuerant, quorum tres cæteris ſacram prælegunt Theoſophiam. Cumq; antiquum conuentus ędificium pręvetuſtate ruinam minaretur, minusq; commodæ fratrum habitationi faueret, eo vilioribus vſibus relicto aliud multò ſumptuoſius, multoq; elegantius fratres, priuatis piorum Genuenſium ſumptibus, editiori, ſalubriori, atq; amœniori in loco, antiquiori tamen contiguo, à paucis annis ædificandum curarunt. Quod tamen licèt maiori ex parte erectum, nondum optatum finem aſſequutum eſt. Sed cùm eò conditionis, Deo duce, peruenerit, nobilioribus Religionis noſtræ monaſterijs proculdubio æquiparari poterit. Aſſeruantur in eius ſacrario bulla præfatæ tranſlationis ſiue conceſſionis, in prædictorum Obſeruantum fauorem factæ: nec non & ſubſequentes ſanctorum reliquię. Fragmentum ſcilicet crucis Seruatoris noſtri Chriſti: pars columnæ ad quam idem alligatus, ab impio milite cæſus eſt: & pars pedis, atq; manus diui Apoſtoli Pauli: & ex oſſibus beati Iacobi quoq; Apoſtoli fratriſq; domini, & diui Andreæ Apoſtoli: pars tibiæ ſancti Stephani protomartyris: pars quoq; cranij S. Ignatij Epiſcopi atq; martyris: bini dentes S. Georgij martyris: & altera ex coſtis S. Sebaſtiani itidem martyris: & aliæ permultæ reliquiæ, minimæ tamen quantitatis, quæ nihilominus debita in veneratione habentur. A B

De conuentu S. Mariæ de Pace propè Genuam. Conu. III.

ET hic quoq; conuentus, Deiparæ Virgini Mariæ de Pace ſacratus, atq; à 20. Obſeruantibus Franciſcanis, quorum alter Philoſophiam, alter verò Theologiam prædocet, inhabitatus, non procul à mœnibus eiuſdem ciuitatis Genuenſis ſubſiſtit. Qui tamen olim ad monachos Benedictinos, parochiæ ſancti Stephani tunc inquilinos attinuit. Sed ab ijs, ob meram tantum in Minoriticam ſobolem beneuolentiam, præcipuè verò à reuerendis patribus Laurentio de Fliſco, & Hibleto de Fliſco Lauaniæ Comitibus, Amadeis Franciſcanis, Prouinciæ ſancti Petri Montis aurei, conceſſus fuit. Idq; ita eſſe ex inſtrumento quodam publico, per Petrum Venetum publicum Genuenſem notarium, 11. Martij, anni Domini 1489. acto, liquidò conſtat. Quam quidem conceſſionem Innocentius VIII. Pont. max. 3. Aprilis anno Domini 1490. Pontificatus verò eiuſdem anno vj. ratam, firmamq; eſſe voluit: quemadmodum ex quadam eius bulla, in hoc ipſo conuentu aſſeruata, in quo & ſequentes ſanctorum reliquiæ habentur ſcilicet dextera manus S. Helenę matris Conſtantini Imperatoris, & altera ex ſpinis Dominicæ coronę, ſatis edocemur. Sed ipſis patribus Amadeis ex Pij V. Pont. max. mandato ad regularem Obſeruantiam adactis, hic locus Genuenſi Prouinciæ acceſſit. C D

De conuentu S. Franciſci Sarzanæ. Conu. IV.

NON procul à Sarzana Hetruſca ciuitate, licèt Genuenſibus ſubiecta, conuentus hic, Seraphico patri Franciſco ſacratus, atq; à 12. fratribus incultus qui etiam iuxta vulgarem ac communem Sarzanenſium traditionem, ab eodem beatiſſimo patre Franciſco admiſſus, acceptuſq; fuit, communibus Sarzanenſis ſenatus ſumptibus ædificatus, ſæpiuſq; reparatus eſt.

De conuentu S. Franciſci Spediæ. Conu. V. E

E regione Spediani oppidi, quod ad Genuenſem Rempublicam ſpectat, mariq; Liguſtico alluitur, conuentus hic, in honorem beatiſſimi patris Fràciſci conſtructus, atq; à 12. fratribus habitatus, ſitus eſt. Sed quando, vel cuius ſumptibus fuerit erectus, non ſatis conſtat. Exiſtimatur tamen ex communi Spedianorum ærario ædificatus.

De conuentu Annunciationis B. Mariæ Leuanti. Conu. VI.

OB ſingularem deuotionem atq; beneuolentiam, qua Leuantina communitas Franciſcanum Ordinem proſequebatur, hunc conuentum, in honorem Annuntiationis

A tiationis Deiparæ virginis Mariæ, Obſeruantibus eius alumnis, circa annum Dominicæ Incarnationis 1449. ex publicis bonis atq; prouentibus, erigi perficiq; curauit. Quē cùm venerabilis pater frater Baptiſta Talliacarne, Citramontanorum Obſeruantum Vicarius Generalis, nondum abſolutum acceptaſſet, fratrem Michaëlem Hiſpanum, inſignem theologum ſibi præfecit, qui eius promotioni, atq; perfectioni diligentius incumberet. Idq; ſatis conſtat ex publico quodam inſtrumēto extracto ex Spedianæ communitatis tabellario per quendam Franciſcum Vaſallum notarium publicum 12. Februarij, anni Domini 1578. His ergo adminiculus abſolutus, hic locus 11. fratribus hoſpitium præbet.

De conuentu S. Franciſci Moneliæ. Conu. VII.

B CONVENTVS hic, olim diuo Georgio dicatus, nunc autem Seraphico patri Franciſco ſacer, Minoribus Obſeruantibus, ex beneplacito Sixti IV. Pont. max. anno Domini 1484. die verò menſis Septembris 7. ab illuſtriſſ. atq; reuerendiſſ. Paulo de Campofregoſo, tituli ſancti Sixti Cardinali, Genuenſiq; Archiepiſcopo & Duce, atq; hac ipſa de cauſa eiuſdem Sixti IV. Commiſſario traditus: & à patre fratre Archangelo Iuſtiniano, tunc conuentus Clauarienſis Guardiano, atq; venerandi patris fratris Thadęi à Clauaro, huiuſce Genuenſis Prouinciæ tunc Vicarij Prouincialis Commiſſario, ſuſceptus extitit. Idq; ſiquis inficiari velit, apoſtolicas literas Sixti Papæ IV. in forma breuis datas, publicumq; cuiuſdam Petri à Ripalta notarij, & Archiepiſcopalis ſcribæ inſtrumentum, atq; aliud itidem publicum inſtrumentum, per quendam Paulum de Tarditis fide dignum tabellionem actum, in huius loci cartophilacio aſſeruata, con-
C ſulat, & nos vera dixiſſe ſciet. Numerus verò inquilinorum fratrum duodenarius vt plurimum cùm ſit, ſemper tamen illorum alter cæteris Grammaticam prælegit.

De conuentu S. Franciſci Clauaris. Conu. VIII.

DVM Seraphicus pater Franciſcus Gallias petiturus per Liguriam iter faceret, hunc conuentum, non procul à mœnibus Clauarienſis oppidi, ex voluntate (vti credere fas eſt) oppidanorum eiuſdem, atq; ex Innocentij IV. Pont. max. beneplacito, ædificari curauit. Qui tamen ſucceſſu temporis abſolutus, eius fundatori, eidem ſcilicet Seraphico patri ſacratus euaſit, modoq; ab 18. eius filijs, Regulari tamen Obſeruantiæ aſtrictis, commodiſſimè occupatur. Qui alterum ex digitis ſancti Antonij Abbatis, atq; binas particulas ſanctiſſimæ crucis Chriſti ſibi creditas debita veneratione pro-
D ſequuntur.

De conuentu S. Franciſci Rapalli. Conu. IX.

QVEMADMODVM ex inſtrumento quodam authentico, per Ioannem Baptiſtam Chigiſolam notarium publicum confecto, luce clarius elicitur, conuentus hic Seraphico patri Franciſco ſacer, ac intra mœnia oppidi Rapalli ſitus, quem 50. fratres inhabitant, anno ſalutis humanæ 1519. communibus Rappallenſium ſumptibus ædificatus extitit.

De conuentu S. Mariæ de Angelis Rechi. Conu. X.

E EI Liguſtico oppido, quod Recho Italicè nuncupatur, duplex imminet ædificium ſibi ferè contiguum, alterum quidem excipiendo militi contra pyratarum incurſus aptiſſimum; alterum verò 9. continendis fratribus omnino idoneum. Sed illud, quod & munitiſſimum caſtrum eſt, Genuenſem Rempublicam ſui authorem agnoſcit: iſtud verò neutiquam, ſed pium virum Michaëlem de Axeretis, cuius priuatis ſumptibus, circa annum humanæ reparationis 1490. à fundamentis ad verticem vſq; conſurrexit, ſui fundatorem habuit. Præterea iſtud ex apoſtolica auctoritate, prout ex Pontificijs bullis, publiciſq; teſtamentis, in Axereticæ familiæ archiuo aſſeruatis, liquidò patet, & initium ſumpſit, & beatiſſimæ Dei genitrici Mariæ de Angelis ſacratum euaſit: atqui illud, nulli cœlicolæ dicatum, ex propria tantum Genuenſis Reipublicæ facultate conſtructum eſt.

De conuentu S. Antonij Pellij. *Conu.* *XI.*

VIX ad quingentos paſſus ab oppido quod Pelliū nuncupatur, ſpectatq; ad Rempublicam Genuenſem, conuentus hic fratrum Minorum, in honorem ſancti Antonij Abbatis erectus, conſpicitur: in quo 6. fratres frequentius commorantur.

De conuentu S. Jacobi Sauonæ. *Conu. XII.*

A Quo, vel quando conuentus hic, diuo Apoſtolo Iacobo ſacer, ac non procul à Sabatio, ſiue Sauona Liguſtica ciuitate, maritimoq; portu erectus, in quo 10. fratres habitant, fuerit ædificatus, nec ſcripto, nec traditione conſtat. Non tamen antiquitate caret ſi eius ſtructuram ſpectes. B

De conuentu S. Mariæ de Angelis Vulturis. Conu. XIII.

NISI antiquiſſimi duo libri manu cuiuſdam patris fratris Franciſci à Vulture ſcripti, atq; Vulturinæ communitatis negotia concernentes, aſſererent hunc conuentum, Deiparę virgini Marię de Angelis dicatum, ac propè Vulturem Liguſticum quoq; oppidum erectum, anno Domini 1470. ſumptibus pręfatę communitatis conſtructum fuiſſe, idem profecto nobis, ac de præcedenti, dicendum foret. Cuius tamen fratres habitatores ſexenarium numerum non tranſgrediuntur.

De conuentu S. Bernardini Albingæ. *Conu. XIV.*

CONVENTVS hic aliquantulum ab Albinga, ſiue Albingauno Ligurum oppido maritimo, à beato patre Bernardino de Senis, (vt vulgaris fert traditio) miniſtrantibus ſibi Ingaunis Liguribus & fundum, & cætera neceſſaria, fundatus, ædificatusq; fuit: atq;, poſt ipſius mortem, ſibi quoq; ſacratus euaſit: quem vt plurimum 5. fratres inhabitant. C

De conuentu S. Mariæ de Angelis Alaſſij. *Conu. XV.*

IGNORATVR penitus quis huius conuentus, in honorem ſanctæ Marię Angelorum, atq; intra mœnia Alaſſij Liguſtici quoq; oppidi, ac maritimi portus erecti, author extiterit, quouè certo tempore is conſtructus fuerit: cùm iſtius rei nullum, neq; ſcriptum, neq; vocale teſtimonium extet. Crediderim tamen ipſum ex diuerſis, tum Alaſſianorum, tum quoq; conuicinorum populorum eleemoſynis, maximo fratrum labore (eſt enim ea patria non adeò diues) acquiſitis, ædificatum. Quorum etiam diligenti opera aliquoties reparatus, reſarcitusq; eſt: qui tamen denarium numerum non prætergrediuntur. D

De conuentu Annunciationis Virginis Mariæ apud portum Mauritium. *Conu.* *XVI.*

PROVT ex bulla quadam apoſtolica Pauli II. Pont. max. data quinto cal. Maij, anno Domini 1455. Pontificatus verò eiuſdem anno vj. quæ apud fratres adhuc extat, certius patet, conuentus hic, Annunciationi Deiparæ Virginis Mariæ ſacer, nec procul à portu Mauritio, Liguſtico etiam oppido, extructus, communibus oppidanorum ſumptibus, ex apoſtolica auctoritate, circa præfata tempora ædificatus, atq; ex eadem huic Prouinciæ adiectus fuit. Cuius 7. fratres inibi commorantur. E

De conuentu S. Mariæ de Conſolatione propè ſanctum Romulum. *Conu.* *XVII.*

NISI nos receptiſſima oppidanorum, atq; etiam fratrum fallat traditio, conuentus hic, beatiſſimæ Virgini Mariæ de Conſolatione ſacratus, atq; ad trecentos paſſus à ſancto Romulo, Ligurum quoq; & maritimo oppido, ſitus, quem 8. fratres frequentius incolunt, communibus eius oppidi ſumptibus, atq; ex apoſtoliea auctoritate, circa

A circa annum à fœliciſſimo partu Virgineo 1468.conſtructus fuit:in quo deuotiſſimus pater frater Balthaſar à Vigono diem clauſit extremũ. Cuius corpus cùm plurimis annis ſub terra delituerit, inde caſu exhumatum imputre, atq; incorruptum omnino apparuit,eodemq; modo vſq; impręſentiarum perſeuerat. Quamobrem non ſecus ac beatus, Deoq; charus ab illius patrię inquilinis veneratur coliturq;.

De Eremitorio, ſiue oratorio ſancti Romuli. Conu. XVIII.

EXTAT & aliud monaſteriolum ſiue eremitorium, ad ſecundum lapidem ab eodem oppido ſancti Romuli, in ſupercilio cuiuſdam montis ſitum, atq; ex publicis eorundem oppidanorum facultatibus, circa annum Domini 1522. in honorem eiuſdẽ ſancti ædificatum, quod à duobus tantum fratribus inhabitatur, maximaq; à conuicinis populis veneratione colitur. Eſt tamen dolendum quòd, ob loci aſperitatem, à pluribus religioſis non occupetur,cum eius ſolitudo,& amœnitas,maxima præbeant orandi ſpatia,mirumq; in modum ad diuinorum myſteriorum contemplationem alliciant.

B

De conuentu Annunciationis B. Mariæ Intimelij. Conu. XIX.

PROVIDVM canonicorum Intimelij Liguſtici,atq; maritimi oppidi collegium, ne deuota ſancti Lazari ædicula, longiuſculus ab oppido diſtans, atq; habitatore vacans, ad terram aliquando veniret: ſed vt potius eius cultus magis magiſq; augeretur; eam tum ex proprijs, tum quoq; ex alijs ab Intimeliana communitate adiunctis facultatibus, apoſtolica ſibi auctoritate fauente, in ſatis commodum, ſatiſq; 6. continendis fratribus idoneum conuentum, ſub titulo Annunciationis beatæ Mariæ ſemper

C Virginis, promouendam ædificandamq; curauit.

De conuentu Obſeruantiæ Suſpitelli. Conu. XX.

PROVT ex actis cuiuſdam Ioannis Baptiſtæ de Robertis, publici notarij ſatis patet,conuentus hic,Obſeruantiæ titulo inſignitus, ac propè Suſpitellum Liguſticum oppidum erectus, à pio quodam Suſpitellano, Gabriele de Albertis nomine Minoribus huius Prouinciæ Obſeruantibus, quoad fundum ſaltem, circa annum Domini 1480. collatus fuit: quẽ tamen Suſpitellana communitas in conuentũ,ex publico ęrario, (niſi nos vulgaris traditio fallit)non adeò auguſtè promouit:cùm 5.tantũ fratres contineat.

De conuentu S. Thomæ Taurini. Conu. XXI.

D TAVRINVM nobilis, munitiſſimaq; ciuitas optimo iure inter reliquas totius Pedemontani Principatus vrbes primatum obtinet; eſtq; ſereniſſimorum Sabaudiæ Ducum perpetua ſedes: cùm bonis omnibus affluat, & Legum, Iuriſq; Pontificij ſtudia foueat, & inſuperabili ſua munitione domeſticos habitatores ab omni violento inſultu tutiſſimos reddat. Intra huius igitur inclytæ ciuitatis mœnia ſereniſſimi Pedemontani Principes, ac Sabaudiæ Duces, Ludouicus Philibertus, eiuſq; legitima vxor Anna hunc conuentum, beato Apoſtolo Thomæ ſacrum, circa annum à ſalutifera Chriſti natiuitate 1461. virtute apoſtolici cuiuſdam diplomatis, Romæ à Pio II.Pont. max. anno ſui Pontificatus iiij. conceſſi, ex domeſticis facultatibus conſtrui curarunt: quem 15.fratres,iuxta frequentiorem prouincialis Capituli diſpoſitionem, inhabitant: quorum vnus, & aliquando alter ſacram Theologiam cæteris prælegit.

E

De conuentu S.Mariæ Gratiarum Montis Regalis. Conu. XXII.

LICET ex quotidianis eleemoſynis, perpetuiſq; beneficijs pientiſſimi ſenatus, Pedemontanæ quoq; ciuitatis Montis Regalis, erga fratres noſtros beneuolentia, ſingulariſq; affectus manifeſta minimè euaderent, ſaltem ex præſentis conuentus liberali conſtructione ſatis eluceſcerent. Cùm enim is monaſteria illis alibi erigi conſpiceret, ne ſibi minus affectus videretur, hoc quoq; cœnobium, intra præfatæ, communiſq; ciuitatis ambitum, in honorem beatiſſimæ Virginis Mariæ de Gratijs, ex publicis bonis, annuente tamen eo ſummo Pontifice, qui tunc Petri ſedem occupabat,ſatis ele-

ganter, ſatisq́; commodè 14. continendis fratribus ædificari,huicq́; Prouinciæ annecti A curauit. In cuius ſacrario os quoddam beati Apoſtoli Iacobi maioris, & beati patris Balthaſaris à Caſtro nouo venerabile corpus religioſiſſimè aſſeruantur. Meruit beatus hic pater, ob ſui ſanctitatem, incredibilemq́; vitæ candorem & puritatem, plurimis miraculis, tum in vita, tum quoq; in morte à Deo opt. max. altiſſimè honorari: idq́; tabellæ, votaq; à ſæcularibus, quibus in maxima veneratione eſt, in gyro eius corporis appenſa, certo certius commoſtrant. Extant quoq; in huius loci tabellario apoſtolicæ quædam literæ à Iulio II. ad patrem fratrem Franciſcum Zenonem, tunc familiæ Obſeruantis Citramontanæ Generalem Vicarium, & à Leone X. ad patrem fratrem Chriſtophorum à Forliuio, eodem quoq; munere fungentem, quibus ij duo patres Nuncij, atq; apoſtolici Commiſſarij, pro fabrica eccleſiæ diui Petri in Vaticano promouenda, atq; populis commendanda, à Sede apoſtolica creabantur. Has tamen literas, licèt nihil ad noſtrum propoſitum agant, in medium adducere volui, vt facilè omnibus innoteſcat quantæ tunc æſtimationis fuerint fratres noſtri apud Principes, atq; apud ipſam apoſtolicam Sedem. B

De conuentu S. Mariæ de Angelis Cunei. Conu. XXIII.

FVERAT olim apud Cuneanos ciues in maxima veneratione eremitorium, beatiſſimæ Virgini Mariæ de Angelis ſacrum, atq; vnico milliari à Cuneo Pedemontana ciuitate diſtans, ob frequentia miracula, quæ Deus opt. max. ad inuocationem venerabilis cuiuſdam imaginis eiuſdem glorioſæ Virginis ibidem operari dignabatur; à quibus patrandis nec dum, ob infinitam eius miſericordiam, ceſſauit. Cumq́; deuotus quidam Alphonſus Hiſpanus, de Tertio Seraphici patris Franciſci Ordine, cum aliquibus eiuſdem Inſtituti ſocijs eò applicuiſſet, cuperetq́; illius ædiculę obſequijs diligentius intendere, contiguum fundum à Ioanne Tortellio Cuneano ciue, anno Dominicæ Incarnationis 1434. ſibi vltrò oblatum lubens acceptauit: inibiq́; domicilium vt ex plurimis ſcripturis atq; inſtrumentis patet, tum ex eiuſdem Ioannis Tortellij, tum quoq; ex aliorum Cuneanorum eleemoſynis ſuperædificauit, pluribusq́; annis, tum ipſe cum ſuis, tum quoq; quamplures alij eiuſdem Ordinis habitarunt. Quibus tamen paulatim deficientibus, ex apoſtolica auctoritate ad Cuneani ſenatus inſtantiſſimas preces facta, fratres noſtri ſucceſsêre, pręfatumq́; domicilium in iuſtum conuentum, atq; 12. excipiendis fratribus omnino commodum, tum publicis, tum quoq; priuatis Cuneanorum ſumptibus promouendum curarunt. Cuius eccleſia, tum ob miracula, atq; ſingularia beneficia, quæ inibi indies contingunt, tum ob maximas indulgentias ſibi ab Eugenio IV. Pont. max. præmemorato anno 1434. ex apoſtolica largitione conceſſas, tum quoq; ob beati patris Angeli de Clauaſio venerabile corpus, cuius lucubrationibus illud multis nominibus celebrandum opus, Summa videlicet Angelica, debetur, ibidem honorificè tumulatum, omnibus in gyro populis in maxima veneratione eſt. C D

De conuentu S. Mariæ de Angelis Buſcæ. Conu. XXIV.

CVM venerabilis pater frater Paulus de Vigono, huius tunc Prouinciæ Commiſſarius, oblatum ſibi, non procul à Buſca Pedemontano oppido, ab eius communitate pro ædificando conuentu fuudum, tum ex apoſtolica Innocentij VIII. ſummi Pontificis auctoritate, tum quoq; ex prouincialis Capituli decreto, 15. Nouembris, anno Dominicæ Incarnationis 1490. acceptaſſet: is pater, penes quem tunc Prouinciæ ſceptrum erat, hunc conuentum, anctiſſimæ Dei genitrici Mariæ de Angelis ſacrum, quem 6. tantùm fratres inhabitãt, virtute alterius apoſtolici diplomatis, ſibi ab Alexandro VI. ſummo Pontifice 30. menſis Maij, anno verò humanæ ſalutis 1493. conceſſi, quod in fratrum tabellario aſſeruatur, ex publicis Buſcenſium facultatibus inibi, eodem anno, ſuperædificari curauit, atq; cæterorum catalogo aſcripſit. E

De conuentu

A *De conuentu Annunciationis B. Mariæ Foſſani. Conu. XXV.*

EA fuit pietas, eaq; sereniſſimi Caroli Emanuelis, Sabaudiæ Ducis ad noſtrum Ordinem deuotio, vt hunc conuentum, Annunciationi glorioſiſſimæ Dei genitricis Mariæ ſacrum, intra mœnia ciuitatis Foſſani, proprijs ſumptibus erigi, perficiq; curauerit: ac primum, fundamentalemq; eccleſiæ lapidem proprijs manibus vnà cum patre fratre Baptiſta à Cantiniano, loci Guardiano, 15. Aprilis, anno Domini 1581. iecerit, poſueritq;: Nec prius ab huiuſmodi opere promouendo deſtiterit, quàm ipſum omnibus ſuis numeris abſolutum, atq; 6. continendis fratribus accommodum viderit

De conuentu S. Franciſci Bennarij. Conu. XXVI.

B HIC conuentus, Seraphico patri Franciſco ſacratus, atq; intra ſepta Bennarij, Pedemontani oppidi, anno humanæ reparationis 1546. communibus Bennarienſiũ ſumptibus conſtructus, licèt modicus, & exiguus, cùm à 5. tantùm fratribus inhabitetur, eſt tamen ſatis religioſus, atq; apud Bennarienſes, eiuſq; vicinos in maxima veneratione; tum ob exemplarem habitantium vitam, tum quoque ob venerabile corpus illuſtriſſimæ, atq; beatæ Paulæ Gambaræ Brixienſis, eiuſdem oppidi olim Comitiſſæ, atq; tertij Seraphici patris Franciſci Ordinis alumnæ: quæ cùm viuens omni virtutum genere exornata fuerit, plurimis poſt debitum carnis ſolutum miraculis claruit.

De conuentu S. Franciſci Sauiliani. Conu. XXVII.

C DILIGENTI opera, atq; ſolerti induſtria deuoti patris fratris Clementis à Sauiliano, huius Prouinciæ alumni, conuentns hic, beatiſſimo patri Franciſco dicatus, atq; à 10. fratribus vt plurimum incultus, communibus eius conterraneorum ſumptibus, in egreſſu Sauiliani, Pedemontani quoq; oppidi, anno à lætabunda Seruatoris Chriſti natiuitate 1565. conſtructus, atq; à patribus, quorum intererat, cæterorum locorum albo aſcriptus eſt.

De conuentu S. Mariæ de Angelis Pinarolij. Conu. XXVIII.

SVAM erga Franciſcanum Ordinem pietatem, atq; beneuolentiam Pinaroliani ciues omnibus manifeſtaturi, hanc ſacram ædem, in honorem atq; laudem ſanctiſſi-
D mæ Mariæ de Angelis, adiunctumq; ſibi conuentum 10. continendis fratribus aptiſſimum, ex publicis facultatibus, non longè à Pinarolio, communi eorum atq; fortiſſima totius Pedemontanæ Prouinciç ciuitate, anno à partu Virgineo 1473. à fundamentis ad verticem vſq; conſtrui, ac quibuſdam beatarum virginũ atq; martyrum Catharinæ, & Vrſulæ venerandis oſſibus honeſtari curarunt.

De conuentu Annunciationis B. Mariæ Vigoni. Conu. XXIX.

PROSPECTVRI sereniſſimi Sabaudiæ Duces Vigonenſium ſaluti, atq; pauperculorum fratrum itinerantium neceſſitatibus conſulturi, hunc conuentum, fœliciſſimæ Annunciationi Dei genitricis Mariæ ſacrum, in quo 5. tantùm fratres con-
E uiuunt, propè eorum oppidum Vigonum, anno à Chriſto Seruatore nato 1493. ex domeſticis facultatibus conſtruendum curarunt.

De conuentu S. Mariæ de Angelis Villæ nouæ. Conu. XXX.

NON per diligentiam, nec per debitam inquiſitionem ſtetit, quin huius conuentus ſanctæ Mariæ de Angelis, intra oppidi Villæ nouæ mœnla ſiti, antiquitas, atq; fundator inueſtigarentur: ſed per traditionis, atq; ſcripturarum defectum quibus atrociſſimo, atq; diutino bello abſumptis, nihil penitus certi his de rebus haberi potuit. Exiſtimatur tamen communibus oppidanorum ſumptibus, antequam bellum inter Carolum V. Imperatorem Hiſpaniarumq; regem, ac Franciſcum Valleſium, huius

nominis

nominis primum, Francorum Regem ſæuiret, conſtructus. Cuius ædificium, licèt non adeò capax, commodum tamen hoſpitium 5. fratribus eius inquilinis ſubminiſtrat. A

De conuentu S. Georgij Cherij. *Conu.* *XXXI.*

NON eſt adeò magni momenti, ſiue nominis præſens conuentus, diuo Georgio martyri ſacratus, atq; publicis Cherienſium ſumptibus, (niſi nos fortè vulgaris traditio decipiat) intra Cherium Pedemontanum oppidum conſtructus: cùm 5. tantùm fratres contineat, nulliusq; antiquitatis ſit. Eius tamen eccleſia, quæ & ſecunda à prima totius operis conſtructione eſt, venerabili corpore beati patris Alexandri Mediolanenſis elegantiſſimè honeſtatur: quod cùm quidam latrunculi ſuffurari vellent, in paralyſim inciderunt.

De conuentu S. Bernardini Clauaſii. *Conu.* *XXXII.* B

HÆC tantùm, poſt diligentem de præſenti conuentu indagationem, referre poſſumus, quòd videlicet Clauaſij, Pedemontani oppidi, ambitu cingatur: quodq; communibus oppidanorum ſumptibus, ante 120. annos, in honorem beati patris Bernardini de Senis, ædificatus ſit: quòd etiam à 6. tantùm fratribus inhabitetur, atq; ſubſequentes ſibi commiſſas apoſtolicas literas in tabellario aſſeruet: Quandam ſcilicet bullam Innocentij VIII. Pont. max. datam Romæ iv. nonas Septembris, anno Dominicę Incarnationis 1491. Pontificatus verò eiuſdem anno iij. qua beatus pater Angelus à Clauaſio Nuncius atq; apoſtolicus Commiſſarius, cum poteſtatis plenitudine, contra Valdenſes hæreticos creatus fuit. Et alteram eiuſdem Innocentij VIII. datam ibidē paulò poſt: qua eidem beato patri Angelo facultas diſpenſandi in quocunq; affinitatis gradu prohibito, dummodo matrimonium contractum ſit, atq; etiam in bonis incertæ reſtitutioni obnoxijs, licèt per fœnerationem acquiſitis, ex apoſtolica auctoritate impertitur. Et alteram Sixti IV. Pont. max. datam ibidem xviij. cal. Ianuarij, anno Domini 1481. Pontificatus verò eiuſdem anno xj. qua idem ipſe beatus pater Angelus Nuncius ac Commiſſarius ſanctæ Cruciatæ apoſtolicus, cum poteſtate diſpenſandi circa contracta matrimonia in 3. & 4. gradu affinitatis, vel etiam conſanguinitatis, inſtituitur. C

De conuentu S. Mariæ Gratiarum Creſcentini. *Conu.* *XXXIII.*

EA fuit deuotio, eaq; beneuolentia Creſcentinianæ communitatis in Franciſcanam familiam Obſeruantem, vt ex communibus bonis, atq; prouentibus, hunc conuentum in honorem ſanctæ Marię Gratiarum, intra communis oppidi Creſcentini mœnia, ſibi ædificari curauerit: in quo 7. fratres diuinis laudibus intenti commodè ſatis morantur. D

De conuentu S. Bernardini Aſtæ. *Conu.* *XXXIV.*

SATISFACTVRVS Clemens VII. Pont. max. pijs Aſtenſium votis, hoc ſacrum monaſterium, beato patri Bernardino in meditullio Aſtenſis ciuitatis, ſumptibus ciuium maiori ex parte, erectum, atq; à Clariſſis couentualibus occupatum, ad fratres noſtros tranſlatum iri voluit. Quapropter illis aliò prius deſtinatis, 14. fratres ſucceſsêre: qui alteram ex ſpinis dominicæ coronæ, & vnius ex SS. Innocentibus brachium, atq; quendam beati Secundi digitum ſumma diligentia cuſtodiunt, debitaq; veneratione proſequuntur. Eſt enim Aſta nobilis Galliæ Ciſalpinæ ciuitas, atq; ſereniſſimis Sabaudiæ Ducibus ſubiecta: in quorum ditione 14. proximè præcedentes conuentus ſiti ſunt, reliqui verò ad primum vſq;, in Genuenſis Reipublicæ Dominatu. E

De conuentu S. Bernardini Salutiarum. *Conu.* *XXXV.*

ANTEQVAM Salutiarum ciuitas, quæ illius Marchionatus metropolis eſt, attinetq; ad Pedemontanam Prouinciam, in Francorum Regis poteſtatem veniret, conuentus hic, beato patri Bernardino ſacer, quem 7. fratres inhabitant, ab illuſtriſſimo quo-

A mo quodam Ludouico, legitimo Salutiarum Marchione, ex Sixti IV. Pont. max. ſi bi facta facultate, cuius breue ſub datum, Romæ xiv. cal. Februarij anno Domini 1473. Pontificatus verò ſui anno iij. in huius loci cartophilacio aſſeruatur, non ita longè à mœnibus ipſius ciuitatis ædificatus extitit.

De conuentu Annunciationis Beatæ Mariæ Carmaniolæ. Conu. XXXVI.

CVM primùm Alexander VI. Pont. max. cuius apoſtolicum breue datum Romæ 30. menſis Maij, anno Dominicę Natiuitatis 1493. Pontificatus verò ſui anno primo, adhuc extat, pijs, ſummeq; inſtantibus Carmaniolenſium precibus annuere B decreuiſſet: ij hunc conuentum, glorioſę Annunciationi beatiſſimę ſemperq; Virginis Mariæ ſacrum, aliquantulum ab oppidi Carmaniolæ munitionibus, ne illis aliquando negotium faceſſere poſſet, ex publicis prouentibus, quàm breuiſſimè ędificandum aggreſſi ſunt: quem tandem ad optatum finem perductum 12. huius Prouinciæ fratribus inhabitandum contulêre.

De conuentu S. Mariæ de Angelis Caſalis. Conu. XXXVII.

CVM ciuitatis Caſalis, quæ Marchionatus Montisferrati metropolis eſt, iuſſisq; excellentiſſimorum Mantuæ Ducum paret, ſenatus inchoatum hunc, ex publicis facultatibus, intra ciuitatis vallum, à ſe conuentum, in honorem ſanctiſſimæ Marię C de Angelis, intermittere videretur, venerabilis pater frater Antonius à Morano, huius tunc Prouinciæ Miniſter, ac deſertiſſimus concionator, id ſibi munus iniunctum exiſtimans, ipſum ex diuerſis, priuatisq;, tum Caſalenſium, tum quoq; aliorum eleemoſynis, maxima induſtria, maximoq; labore acquiſitis, omnibus ſuis numeris, infra breuiſſimi temporis ſpacium, abſoluit, atq; 17. fratribus inſtruxit.

De conuentu S. Bernardini Tridini. Conu. XXXVIII.

QVEM ſui fundatorem habuerit conuentus hic fratrum Minorum, diuo Bernardino ſacer, ac intra Tridini Montisferrati oppidi ſepta ſitus, aut quando fuerit ædificatus, non ſatis conſtat: cùm nulla traditio, nullumq; penitus teſtimonium hu- D ius rei vel aliquam ſaltem mentionem faciant. Quod tamen non multi fecero cùm modicus ſit, atq; 6. tantùm fratres contineat.

De conuentu S. Mauritij in territorio Conzani. XXXIX.

NE ſancti Mauritij martyris ædicula, ſiue potius eremitorium ad quintum lapidem à præfata ciuitate Caſali diſtans, atq; in loco quodam territorij Conzani nęmoroſo, ſolitario, ſatisq; amœno, atq; diuinis recipiendis immiſſionibus aptiſſimo, ſitum, iamq; ex parte collapſum, omnimodam ſubiret, experireturq; ruinam, tres fratres de Tertio Seraphici patris Franciſci Ordine, ex facta ſibi à Martino V. Pont. max. faculta- E te, ipſum, maxima cura, ſummaq; diligentia, fauentibus ſibi piorum eleemoſynis, reparandum, ſiue potius reficiendum curarũt. Quod etiam idem Martinus V. edita plumbea bulla ſnb datum Florentiæ vij. cal. Aprilis, Pontificatus verò ſui anno ij. plurimis gratijs, atq; indulgentijs extitit proſequutus. Eius apoſtolicas literas quicunque videre voluerit huius loci tabellarium petat. Sed ijs Tertiarijs deficientibus, ex eadem prorſus apoſtolica auctoritate, anno à lætabunda Chriſti Natiuitate 1419. ad Regularem Obſeruantiam, quòd ſibi ſummopere fauere videretur, deuolutum eſt. Cuius opera tales, tantosq; progreſſus fecit, vt 16. fratres, quorum maior pars ad nouitios ſpectat, continuò ſuſtineat, atq; Prouincialibus huius Prouinciæ celebrandis comitijs optimè, opportuneq; deſeruiat. In eius tandem ſacrario aliquantulum ſanguinis ſanctorum Innocentum, aliquotq; glorioſi martyris Mauritij oſſa cuſtodiuntur.

De conuentu S. Bernardini propè Montem caluum. Conu. XL.

NON procul à Montecaluo, Montisferrati oppido, extructus perſeuerat conuentus hic, ſub titulo ſancti Bernardini erectus, atq; à 8. fratribus inhabitatus: qui tamen an ab ipſius oppidi communitate, vel potius ab aliquo ſingulari oppidano ædificatus fuerit, nullo pacto indagari potuit.

De conuentu S. Bernardini Albæ Pompeiæ. Conu. XLI.

CONVENTVS fratrum Minorum, diuo patri Bernardino ſacer, ac intra mœnia antiquiſſimæ ciuitatis Albæ Pompeiæ, à Pompeio eius fundatore ſic dictæ, ſitus, circa annum Domini 1549. communibus ciuium ſumptibus (vt creditur) conſtructus fuit: quem tamen, quòd non adeò auguſtus ſit, 7. tantùm fratres inhabitant. B

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Nicææ. Conu. XLII.

CVI tantam ſcripturarum penuriam, vel fratrum oſcitantiæ ſupinæq; cuidam negligentię, vel potius Amadeorum, hinc ex ſummi Pontificis Pij V. mandato diſcedentium, malitiæ aſcribam, penitus ignoro. Conſtat enim hunc conuentum, qui propè Nicæam ſtramineam (vulgo) Nizza de la paglia, in honorem ſanctæ Mariæ de Gratijs, conſtructus eſt, antiquiſſimum eſſe, atq; monumentis apoſtolicisq; literis eius fundationem, ac prærogatiuas concernentibus olim abundaſſe, quarum nec vna quidē ſupereſt: Quapropter vulgari ſæcularium traditioni fidem accommodare cogimur. Ea enim aſſerit ipſum à beato patre Amadeo, circa annū Dominicæ Incarnationis 1476. C ad inſtantes Nicęnſium preces, non quidem conſtructum, ſed ab ipſis ædificandum admiſſum, huiuſmodiq; operi alterum ex proprijs ſocijs, cuius imago adhuc templi portæ impendet, præfectum fuiſſe. Aſſeuerat quoq; præfata traditio ſacellum, diuo Ioſeph Virginis Mariæ ſponſo ſacrum, atq; in altero huius ſacræ ædis latere ſitum; nec non & Confraternitatem ibidem erectam, anno Domini 1527. hac de cauſa exordium ſumpſiſſe. Laborabat Nicænus populus peſtifera lue, mirumq; in modum affligebatur: cumq; ſolemni voto ſe huiuſmodi ſacellum, & Confraternitatem protinus erecturum, ſi huiuſmodi calamitatem euadere poſſet, ſpopondiſſet, ex tempore voti compos effectus, pollicitis ſtetit, ac quicquid in neceſſitate conſtitutus promiſerat, proſpera vtens fortuna fideliſſimè præſtitit, atq; 10. huius loci fratribus inquilinis opportunè adeſt.

De conuentu S. Mariæ de Jeſu Montisbarrutij. Conu. XLIII. D

DVCENTIS paſſibus ab oppido, cui Monsbarrutij nomen eſt, conuentus hic, à 6. tantùm fratribus inhabitatus, in honorem ſanctæ Mariæ de Ieſu, ſiue (vt alijs placet) Aſſumptionis beatæ Mariæ, erectus conſpicitur: de cuius tamen fundatione, vel fundationis tempore nihil certi haberi potuit. Exiſtimauerim tamen ipſum communibus oppidanorum ſumptibus ante ſexaginta annos ædificatum.

De conuentu S. Mariæ Septebrij. Conu. XLIV.

PERFECTIONIS viam ingreſſuri Ioannes de Graſſis, atq; Bonagratia de Torniellis, quicquid bonorum poſſidebant, vel in Chriſti pauperum neceſſitatibus ſubleuandis, vel in huius conuentus, qui propè pagum Septebrium, ſub beatiſſimæ Mariæ Virginis inuocatione, 8. fratribus inſeruit, ędificatione, circa annum à partu Virgineo 1510. inſumpſerunt: E communemq; vitam cum cæteris Franciſcanis ex ſolemni voto profeſſi Chriſtum ſequuti ſunt. Cui & in munere ſacerdotali fideliſſimè inſeruierunt.

De conuentu S. Franciſci Aquis. Conu. XLV.

AB abundatiſſimis, ſaluberrimisq; aquis ſponte naturæ calentibus Aquarum, ſiue Aquenſis ciuitas denominationem ſumit. Cuius vterque ſenatus, Eccleſiaſticus ſcilicet

A ſcilicet atq; laicus, à Franciſcanæ Religionis origine eius alumnis addictiſſimus fuit: prout, euidentiſſimo argumento eſſe poteſt conuentus hic, Seraphico patri Franciſco ſacer atq; eiuſdem ciuitatis vallo cinctus, quem, anno Dominicæ Incarnationis 1244. à pientiſſimo canonicorum collegio, ſub nuda tantùm eccleſię forma, fratribus ſponte oblatum, reliqui ciues, ex publicis prouentibus, in iuſtum monaſterium, atq; duodecim religioſis continendis aptiſſimum, non minus diligenter, quàm liberaliter promouerunt. Eſt autem hic locus, & inquilinis, ob eius religionem, atq; quoddam beatę Vrſulæ virginis & martyris os, & aduenis, ob excellentiſſimas thermas neruorum contrationi vtiliſſimas ibidem exiſtentes, commendatiſſimus.

De conuentu S. Franciſci Charij. *Conu. XLVI.*

B AD primum lapidem ab oppido, cui Charium nomen eſt, temporalis verò Dominus ſereniſſimus Dux Mantuanus, conuentus hic Seraphico patri Franciſco dicatus ſurrigit: qui vt tritiſſima oppidanorum fert traditio, ab eodem Seraphico patre primitus acceptus, atq; ordini adiectus fuit: Quod ſi ita ſit antiquitate non caret. Mihi interim huiuſmodi traditio non improbatur, cùm ſibi & ſtructura, atq; etiam anguſtia, cùm ſeptem tantùm fratres capiat, conſentire videantur.

De conuentu S. Jacobi Papiæ. *Conu. XLVII.*

TANTA eſt huius conuentus, qui ſub tituli ſancti Iacobi, non procul ab Auguſtiniana domo, intra Papienſis inclytæ ciuitatis mœnia conſurgit, vetuſtas, tan-
C taq; hominum mortalium incuria, vt penitus & fundationis eius tempus, & fundatoris quoq; nomen ignorentur: quamobrem nihil certi hac de re tradere poſſumus, niſi quod eius ſtructura compta, auguſtaq; ſit, ac commodiſſimè triginta fratres capiat. Quorum alter ſacram Theologiam prælegit, reliqui verò vel eidem operam nauant, vel domeſtico incumbunt obſequio. Huic vitæ mortali, licèt nihil ſecum commune habuerit, vltimũ vale dixit hoc in eodem loco beatus pater Bernardinus de Feltro, anno à Chriſto nato 1494. cuius ſanctiſſimæ vitæ frequentia eius miracula, tum in vita, tum quoq; in morte edita, atq; maxima Papienſis populi ad eum deuotio, frequentiſſimuſq; concurſus, patentiſſimum reddũt teſtimonium. Originem duxit beatus hic pater ex Foro oppido (vulgò Feltro) ciuitate Æmiliana, atq; ad feruentiſſimas beati patris Iacobi Picentis conciones compunctus, Franciſcanoq; habitu indutus, tantopere ſub
D beato patre Sixto Mediolanenſi eius inſtructore, atq; morum magiſtro profecit, vt breui in maximum, perfectiſſimumq; virum euaſerit, atq; ſacris literis apprimè imbutus diſertiſſimus concionator, atq; cæterorum omnium ſui temporis prædicatorum facilè princeps extiterit. Cui pientiſſimum illud opus, nempe Pietatis montis erectio, atq; inſtitutio, pauperibus equidem ſubueniendis peropportunum remedium, debetur: Ob cuius etiam cauſam non aſpernanda incommoda perpeſſus eſt. Hic igitur tantus pater, poſt plurimos exantlatos pro Chriſti fide labores, bonis operibus plenus, miraculiſq; illuſtris, ac ſpiritu prophetico inſignis, hoc in conuentu (vt præfati ſumus) obdormiuit in Domino, atq; cum ſolemni funerali pompa, aſtante ſibi vniuerſa Papienſi ciuitate honeſto in loco ſepultus eſt.

E *De conuentu S. Crucis etiam Papiæ.* *Conu. XLVIII.*

PRÆCEDENTEM conuentum ſequitur is, qui etiam Papiæ, in honorem ſanctiſſimæ Crucis, erectus eſt, olimq; ad patres Ordinis Franciſcani Amadeos pertinuit: à quibus tamen, ex Pij V. Pont. max. mandato, ad noſtros fratres deuolutus, eorum viginti duobus, vt plurimum continendis deſeruit. Quorum alter ſacram Theoſophiam docet, alter vero vtriuſq; Philoſophiæ, rationalis ſcilicet atq; naturalis, difficultates enodat: cæteri verò, vel huiuſcemodi ſcientijs incumbunt, vel domeſticæ œconomiæ diligentius inuigilant. Licèt nec ſcripto, neq; etiam traditione conſtet, quis iſtius, atq; præcedentis loci fundator extiterit, ex quibuſdam tamen indicijs, atq; etiam ex ma-

ex maxima ciuium Papienſium ad Seraphicum noſtrum Ordinem tum deuotione,tum A
quoque beneuolentia, aſſerere auſim vtrumq; ex communi,publicoq; ærario conſtructum fuiſſe.

De conuentu S. Mariæ de Campo Binaſchi. Conu. XLIX.

EXCELLENTISSIMVS Galeatius Sfortia, Mediolanenſium Dux, ne ædicula ſancto Ruffo ſacra, atq; Chriſti fidelibus celeberrima, ducentiſq; paſſibus ab oppido Binaſcho, ſed ab inclyta, famoſaq; ciuitate Mediolano ad decem milliara diſtans, perpetuo habitatore deſtituta, aliquando peſſum iret, ruinamq;, quam minabatur, experiretur; vtq; etiam Franciſcanis Obſeruantibus, quibus addictiſſimus erat, proſpiceret, eam ex domeſtico patrimonio, circa annũ à ſalutifera Chriſti natiuitate 1379. B
annuente tamen ſibi Vrbano VI. Pont.max.in iuſtum, perfectumq; conuentum, mutato tamen antiquiori titulo ſancti Ruffi in nomen beatiſſimæ virginis Mariæ de Campo, euehendam curauit. Hoc itaq; in loco, qui frequentius ab 11. fratribus inhabitatur, mortem obijt, ſepultuſq; eſt beatus pater Balthaſar à Clauario, qui vt ſanguine erat illuſtris, (duxit ſiquidem originem ex nobiliſſima Rauaſchiorum familia) ita quoque moribus, vita, atq; miraculis clarus euaſit. Quem & plures alij patres, fauentibus ſibi & loci diſpoſitione atq; ſolitudine, ſequuti ſunt.

De conuentu S. Mariæ de Angelis Durni. Conu. L.

IS conuentus, qui vnico milliari ab oppido Durno, ſub inuocatione ſanctiſſimæ Ma- C
riæ de Angelis, conſurgit, atq; 9. fratres ſolummodo continet, nullum alium, præter venerabilem patrem fratrem Ioannem Campenſem Minoritam, ſui authorẽ agnoſcit: cùm eius diligentiſſima opera, ex fidelium eleemoſynis, non abſq; labore partis, ædificatus fuerit.

De conuentu S. Mariæ de Angelis Belgioioſi. Conu. LI.

LICET omnis amor illuſtriſſimi Caroli de Parbianis, oppidi Belgioioſi Comitis, erga Franciſcanum Ordinem ex omnibus partibus ſe oſtenderit, pręcipuè tamen in præſentis monaſterij ædificatione ſe prodidit: cùm ſecluſo quocunq; externo fauo- D
re, antiquam ædiculam, diuo Georgio ſacram, ac longiuſculus ab eius oppido Belgioioſo diſtantem, in ſatis pulchram ſatiſq; capacem eccleſiam, ex domeſticis facultatibus, ſub titulo ſanctiſſimæ Mariæ de Gratijs, apoſtolica ſibi auctoritate fauente, promouerit, ſibiq; ſatis commodum conuentum, atq; ſexdecim continendis fratribus ſatis capacem, coædificarit, venerabiliq; patri fratri Paulo à Vigono, huius tunc Prouinciæ Vicario Prouinciali, cęterorum albo aſcribendum, anno à partu Virgineo 1491. maxima liberalitate contulerit. Viget perpetuò hoc in loco, in quo altera ex dominicæ coronæ ſpinis maxima religione aſſeruatur, vel Philoſophicum, vel Theologicum ſtudium.

De conuentu S. Franciſci Nouarum. Conu. LII. E

NON poſſum non inuehi in ſupinam quandam, ac prorſus vituperabilem fratrum incuriam, atq; in aſſeruandis locorum ad ſe pertinentium ſcripturis & monumẽtis pernitioſam negligentiam: cùm ob eius cauſam vix vnius, aut alterius conuentus fundatorem, vel certum fundationis tempus inueſtigare potuerimus: prout in alijs multis, atq; etiam in pręſenti monaſterio, intra oppidi Nouarum ambitum, in honorem ſanctiſſimi patris Franciſci, erecto, atq; ab 11. fratribus inhabitato, manifeſtè apparet. Cuius nec authorem, nec antiquitatem, & ſi diligentiſſima indagine adhibita, aſſequi valuimus.

A *De conuentu S. Mariæ de Angelis Claſtigijs. Conu. LIII.*

DE patris ac fratris Stephani de Girardis ſummo ſtudio, ſummaq; diligentia erga huius Prouinciæ promotionem ſatis cognoſci poteſt, vel ſaltem ex hoc conuētu, glorioſiſſimæ Virgini Mariæ de Angelis ſacro, atq; ad primum lapidem ab oppido Claſtigio curioſius ſito: cùm, impetrata prius Neapoli apoſtolica auctoritate ab Vrbano VI. Pont.max. quarto Idus Iulij, anno Dñi 1386. Pontificatus verò ipſius anno vij. cuius bulla adhuc ſupereſt, ipſum ex cuiuſdam antiquioris eremitorij ruinis, ſumptibus tamen pijſſimi cuiuſdam Alberti à ſancto Blaſio, magnificè ſatis, pro decem fratribus excipiendis, ædificari curauerit.

B *De conuentu S. Franciſci Ripæ. Conu. LIV.*

VETVSTISSIMVS hic conuentus, in honorem ſancti patris Franciſci prope oppidum Ripam erectus, atq; ab 11. fratribus inhabitatus quando, vel à quo fuerit ædificatus, ob ſui antiquitatem, non facilè conſtat. Si tamen Ripenſibus fidem adhibere velimus, communibus ſuorum prædeceſſorum ſumptibus in lucem prodijt.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Vigueriæ. Conu. LV.

IVRE quidem conuentus hic, ſanctiſſimæ Mariæ de Gratijs ſacratus, ac ducentis paſſibus ab oppido Vigueria conſtructus, huiuſmodi titulo inſignitur, cùm eadem Dei genitrix, ad pulcherrimam ſimul atq; omnino venerabilem eius imaginem ibidem erectam, plura indies miracula edat, pluraq; Viguerienſibus beneficia præſtet. Quam-
C obrem tum illis, tum quoq; eorum vicinis commendatiſſima, atq; in maxima veneratione eſt. Fertur autem huiuſmodi locus cum adiuncta ſibi eccleſia à beato patre Bernardino de Senis primò acceptus, atq; pijs Viguerienſium eleemoſynis ædificatus: quod facilè crediderim: cùm eius ſolitudo, atq; amœnitas & deuotioni faueant, & ad orationem prouocent. Gaudet ſiquidem amplis hortis, atq; vicino querceto, quo 10. fratres eius habitatores mirum in modum recreantur.

De conuentu S. Mariæ de Pace Caſtrinoui. Conu. LVI.

PATRVM Amadeorum diſceſſum quicquid ſcripturarum in eorum archiuis aſſeruabatur ſequutum fuiſſe videtur, cùm nihil penitus earum inuenire potuerimus:
D ideoq; nihil certi, ſiue de origine iſtius conuentus ſanctæ Mariæ de Pace, qui propè oppidum Caſtrumnouum conſtructus eſt, ſiue de ipſius fundatoribus tradere poſſumus: niſi quòd eius ſtructura non adeò magnæ æſtimationis ſit, quodq; octo tantùm fratres contineat.

De conuentu S. Bernardini Salarum. Conu. LVII.

IDEM profectò de hoc conuentu, qui ſub ſancti patris Bernardini inuocatione, propè Salas oppidum conſurgit, atque à nouem fratribus tantùm inhabitatur, quod de præcedenti nobis dicendum fuiſſet, niſi fortè fortuna publicum quoddam inſtrumentum 14. menſis Auguſti, anno verò Dominicæ Natiuitatis 1452. actum, ſeſe manibus obtuliſſet, quo tandem edocemur ipſum, tum ex publicis, tum quoq; ex priuatis Sa-
E lenſium facultatibus, opera tamen venerabilis patris fratris Hieronymi Homoti, Prouincialis tunc huius Prouinciæ Vicarij, partis, circa præfata tempora conſtructum fuiſſe.

De conuentu S. Pauli Baſinianæ. Conu. LVIII.

SVRRIGIT quoq; propè oppidum Baſinianam Alexandrinæ diœceſis Minoriticus alius conuentus, diuo quidem Apoſtolo Paulo ſacer, ſed ab octo fratribus incultus, qui peculiarem alium ſui fundatorem à pio eiuſdem oppidi ſenatu neminem prorſus agnoſcit: cùm communibus ipſius ſumptibus, ex apoſtolica Innocentij VIII. Pont. max. auctoritate, circa annũ humanę reparationis 1490. erectus perfectuſq; ſit.

 A

De conuentu S. Bernardini Alexandriæ. Conu. LIX.

INTRA mœnia Alexandrinæ ciuitatis, eius inquam quæ ad Mediolanenſem Ducatum attinet, erectus conſpicitur hic conuentus, diuo patri Bernardino ſacer, atq; à quatuordecim fratibus inhabitatus, quorum alter Philoſophiam certo ſtudentum numero prælegit: cuius authorem, aut certè antiquitatem nullo pacto inueſtigare potui. Si tamen tum Eccleſiæ, tum quoq; reliqui ædificij ſtructuram attendamus, vetuſtiſſimus, & fortè eidem beato patri Bernardino coæuus apparebit.

De conuentu Annunciationis B. Mariæ ibidem. Conu. LX. B

IN ſuburbio etiam eiuſdem Alexandrinæ ciuitatis erectus conſpicitur alius quidam conuentus, glorioſæ Annuntiationi ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ dicatus, ſed præcedenti multò anguſtior, qua etiam de cauſa à ſex tantum fratribus incolitur. De cuius prærogatiuis id tantum dicere poſſumus, quòd videlicet non adeò antiquus ſit, quodq; ſuburbanorum facultatibus, quæ non adeò ſe extendunt, ædificatus fuerit, & quòd ad patres Amadeos Franciſcanos aliquando attinuerit, à quibus tandem, ex ſummi Pont. Pij V. mandato, ad noſtros fratres deuolutus extiterit.

De conuentu Annunciationis B. Mariæ Vezani. Conu. LXI.

QVEMADMODVM ex apoſtolico quodam breui Martini V. Pont. max. dato anno à partu Virgineo 1432. ab eius verò Pontificatus anno xi. facilè conſtat, conuentus hic, lętabundæ Annunciationi beatiſſimæ Virginis Mariæ dicatus, atq; vnico tantum milliari ab oppido Vezano, in loco quodam nemoroſo, plurimisq; arboribus conſito, conſtitutus, & à 9. fratribus vt plurimum occupatus, antiquiori cuidam ædiculæ, cui (Pieue di Vezzano) Italicè nomen aliquando fuit, ex apoſtolica auctoritate, atq; Vezanenſium opera ſucceſſit: cùm eorum communibus ſumptibus, fratribus tamen ſibi collaborantibus, conſtructus fuerit. C

De conuentu B. Mariæ de Fonte Feliciani. Conu. LXII.

NVMERVM omnium huius Prouinciæ conuentuum claudit is, qui propè Felicianum, Galliæ Ciſalpinæ ſed Alexandrinæ diœceſis oppidum, liberalibus, communibusq; pientiſſimorum Antonij de Zois, excellentiſſimi Medici, atq; Bartholomæi de Mutis Tertiarij, ſiue de Tertio Seraphici patris Franciſci Ordine ſumptibus, in honorem beatiſſimæ Dei genitricis Mariæ de Fonte, ex apoſtolica auctoritate, non procul à Dominicæ Incarnationis anno ſexquimilleſimo, ædificatus, abſolutusq; fuit. Quibus tamen ſtrenuè, diligenterq; collaborauit impiger pater ac frater Ioannes Carretus, cùm id munus à venerabili patre Aloyſio de Monticello, tunc Prouinciæ Vicario Prouinciali, poſt loci acceptationem 22. Menſis Maij, anno verò Domini 1502. ſibi demandatum, commiſſumq; fuerit. Commorantur deniq; hoc in monaſterio nouem fratres. D E

De ſanctimonialium locis.

CONVENTIBVS itaq; fratrum expeditis, reliquum eſt, vt ad monialium eiuſdem Prouinciæ monaſteria, quæ numero ſunt 22. pro ſolito more, deueniamus. De quibus tamen, quòd non ſit noſtri propoſiti exactam huiuſmodi locorum rationem reddere, niſi fortè id vel eorum notabilis aliquis caſus, vel ſanctitas, aut dignitas exigere videantur, quodq; nihil memorabile ſubminiſtrent, paucula eaq; leuiſſimo calamo impræſentiarum referemus.

A 1 igitur eorum omnium occurrit id, quod Geuenſis famoſę ciuitatis mœnibus clauditur, atq; diuo Apoſtolo Paulo dicatum, 60. Clariſſis ſororibus inſeruit.

2. verò monaſterium ſancti Nicolai, etiam intra ſepta eiuſdem Genuenſis ciuitatis conſtructum, in quo 53. Clariſſæ inhabitant.

3. monaſterium ſanctæ Claræ, quod milliari ab eadem Genuenſi ciuitate extructum eſt, continetq; 55. Clariſſas moniales.

4. monaſterium virginum Clariſſarum, quod Sarzanæ ædificatum eſt, & à 55. Clariſſis monialibus inhabitatur.

5. monaſterium ſanctæ Claræ, quod Clauaris adhuc perſeuerat, & à 40. quoque Clariſſis incolitur.

6. monaſterium ſanctæ Claræ, quod Sauonæ ſubſiſtit, & à 30. Clariſſis occupatur.

B 7. monaſterium ſancti Caloceri Albinganæ extructum: in quo Chriſtum ſponſum ſequuntur 20. ſanctimoniales etiam Clariſſæ.

8. monaſterium ſanctæ Claræ, quod apud Portum Mauritij (cuius ſupra dum de fratrum locis ageremus meminimus) ædificatum 16. monialibus, ſecundæ Clariſſarum Regulæ aſtrictis, hoſpitium præbet.

9. monaſterium ſanctæ Claræ apud montem Regalem erectum, in quo Domino Deo 18. eiuſdem Regulæ moniales inſeruiunt.

10. monaſterium ſanctæ Claræ, quod Sauiliani conſurgit, ac Clariſſas 23. moniales continet.

11. monaſterium ſanctæ Claræ Cunei conſtructum, ac à 30. Clariſſis occupatum.

12. monaſterium ſanctæ Claræ Salutiarum, in quo 20. quoque Clariſſæ degunt.

C 13. monaſterium ſanctæ Claræ Clauaſij, in quo 15. ſacræ virgines Clariſſæ commorantur.

14. monaſterium ſanctæ Claræ Tridini, in quo 40. moniales communem Clariſſarum vitam ducunt.

15. monaſterium ſanctæ Claræ Caſſalis, in quo 50. etiam Clariſſæ conuiuunt.

16. monaſterium ſanctæ Claræ Aſtæ, in quo 40. quoque Clariſſæ inhabitant.

17. monaſterium ſanctæ Claræ Alexandriæ erectum, atq; à 55. Clariſſis ſororibus occupatum.

18. monaſterium ſanctæ Claræ Nouari, in quo 25. Clariſſæ altiſſimo obſequuntur.

19. monaſterium ſanctæ Claræ Salis, in quo 15. eiuſdem Regulæ virgines ſequuntur agnum quocunque ierit.

D 20. ſanctæ Claræ Viguerij, in quo ſub Clara Duce Chriſto ſponſo militant viginti Clariſſæ.

21. monaſterium ſanctæ Claræ Claſtigij ædificatum, atq; à ſexdecim Clariſſis incultum.

22. atq; vltimum monaſterium occurrit Papiæ, in ſanctæ virginis Claræ honorem conſtructum, in quo 45. ſorores Clariſſæ, ſed Vrbaniſtæ, ſanctiſſimè conuiuunt, eiuſq; primiceriæ ac matris, beatæ ſcilicet Claræ veſtigijs firmiſſimè hærent.


PROVINCIA
MEDIOLANI
BEATVS LEO ARCHIEPISCOPVS MEDIOLANI.
B. MICHAEL DE CARCANO.
B. BERNARDINVS DE CAIMIS.
B. PACIFICVS DE CERANO.
B. AMADEVS.

PROVINCIA MEDIOLANI.

A PROVINCIA Mediolanenſis à Mediolano inclyta, celeberrimaq; ciuitate nomen tranhens, ſi primæuam eius inſtitutionem attendas, antiquiſſima eſt, cùm id dignitatis, atq; honoris in 16. generali Capitulo Piſis, anno à partu Virgineo 1262. ſub beato patre Bonauentura, totius noſtri Ordinis tunc Generali Miniſtro, ac præſtantiſſimo moderatore, celebrato, aſſequuta, ac in quinque Cuſtodias, nempe Mediolanenſem, Modoetianam, Brixienſem, Cumanam, atq; Vercellenſem diſtincta ſit. Si verò ſecundam, quæ, Franciſcana Regulari Obſeruantia mirum in modum pullulante, ſibi contigit, ſpectare velis, multò recentior, multoq; iunior tibi apparebit: cùm ſub beato patre Bernardino de
B Senis, Franciſcanæ Obſeruantis familię apud Citramontanos Generali Vicario, Prouinciæ titulus ſibi acceſſerit: Cuius nihilominus fœcunditas eius regionis populo, in Religionem propenſo, tanta extitit, vt Brixiæ Prouinciam ſecundò quoq;, ſicut & primò, nobis pepererit. Huic Prouinciæ, tanquam ſui tutelares, præponere volui beatos patres Amadeum, quòd Mediolani ſui Ordinis prima fundamenta iecerit: Michaëlem de Carcano, quòd famoſum hoſpitale, cui per antonomaſiam Maioris cognomen inditum eſt, ibidem inſtituerit: Pacificum de Cerano, cuius dies Cerani, ob eius ſanctitatem ac miracula, feſtiuè tranſigitur: Bernardinum de Chaimis, miraculis quoq; illuſtrem: ac Leonem vita, & miraculis clarum, necnon digniſſimum Mediolanenſium Archiepiſco-
C pum. Huius deniq; Prouinciæ, quæ ex 35. fratrum, monialium verò 15. conuentibus conſtat, maius ſigillum ſanctiſſimam glorioſæ ſemperq; Virginis Mariæ aſſumptionem, nempè ipſam virginum Virginem, quatuor Angelis ſubnixam, cœloſq; petentem, cuius pedibus luna ſubſtat, atq; ſequentes literas: SIGILLVM MINISTRI PROVINCIÆ MEDIOLANI, circum imprimit.

De conuentu S. Angeli Mediolani. *Conu. I.*

D CVM antiquior Franciſcanorum Obſeruantum conuentus, opera beati patris Bernardini de Senis, ſed pijs Mediolanenſium ſumptibus inter Comenſem atq; nouā Mediolanenſis famoſæ ciuitatis (de qua ſupra) portas ab exteriori parte ædificatus, proximum ſibi eiuſdem vrbis vallum imbecilliorem redderet, poſſetq; aliquando ab inimicis captus plurimum diſcriminis eius ciuibus afferre, ab illuſtriſſimo & excellentiſſimo Ferdinando Gonzaga, Mediolanenſis ſtatus pro C. C. Caroli V. Imperatoris, atq; Hiſpaniarum Regis maieſtate Gubernatore, id tamen præfata maieſtate imperante, anno Dominicæ Incarnationis 1551. ſolo æquatus eſt. Ne verò eius fratres tanto monaſterio priuati, Mediolanenſibus ſibi ſummè affectis, atq; de ſe omnino benemeritis à tergo relictis, ad alia loca diuerterent, illis ex regio mandato, R.P.F. Andrea In-
E ſulano totius noſtri Ordinis Generali miniſtro, atq; præfato heroë Ferdinando Gonzaga Mediolanenſis Ducatus Gubernatore, tantum terræ ſpacium intra ciuitatis ſepta ab eiuſdem deputatis (iuxta pollicitationem ſibi prius factam) collatum eſt, quantum conſtruendo monaſterio, eccleſiæq; erigendæ, atq; hortis, cæteriſq; officinis ſat eſſet: Idq; ſtatim ab antiquioris conuentus demolitione. Curarunt itaq; fratres ſtatim, idq; pijs Mediolanenſibus maximè ſolicitantibus atq; liberaliſſimas eleemoſynas offerentibus, hoc ſacrum monaſterium, eiuſq; eccleſiam, beatiſſimo Angelo dicatam, ibidē conſtruenda. Eccleſia quidem, quæ & cum alia quacunq;, licèt pulcherrima, contendere poteſt: cùm plurimis, ijſq; affabrè elaboratis ſacellis, atq; laqueari eleganter depicto exornetur, ſitq; auguſtiſſima, abſoluta eſt. Sed conuentus, qui & 100. fratres impræ-

ſentiarum continet, plures tamen temporis ſucceſſu contenturus, adhuc ſub artificum A
manibus verſatur. Quod ſi aliquando, Deo fauente, eis ſibi expediri contigerit, cuicunq; alteri, licèt famoſo, noſtri totius Inſtituti monaſterio aſſimilari poterit. Nam ſiue de fratrum cellulis, quæ impræſentiarum vſq; ſunt numero 120. ſiue de refectorio, ſiue de valetudinario, ſiue de hoſpitijs loquamur, nihil eorum, quæ ad perfectionem requiruntur, deſiderant. Sunt enim omni ex parte abſolutiſſima. His accedit ampliſſimus, atq; abundantiſſimis aquis irriguus hortus. Quamobrem tanta eſt Mediolanenſis populi ad hunc locum, licèt vtcunq; à domibus diſtantem, deuotio, maximè verò feſtiuis diebus, vt vniuerſam ciuitatem eò accedere quis facilè exiſtimauerit. Nec immeritò ſanè: cùm & diuinum officium quàm deuotiſſimè, ac maxima cum grauitate ibidem perſoluatur, & eius fratres ac patres ſanctorum filij atq; ſucceſſores ſint. Succeſſerunt ſiquidem reuerendiſſimo, atq; de noſtra Religione optimè merito patri fratri Leoni, Mediolanenſium Archiepiſcopo longè digniſſimo: & beato patri Petro ab B
Arcagnano, hæreticæ prauitatis zelantiſſimo Inquiſitori, qua etiam de cauſa ab hæreticis occiſus, vitaq; mortali priuatus fuit: & beato patri Antonio de Roſatis, qui ob Chriſtianæ fidei confeſſionem à Saracenis martyrio coronatus extitit: & doctiſſimo patri fratri Bernardo Turiano, qui totius anni Epiſtolas, & Euangelia tum ferialia, tum quoq; Dominicalia, quæ in Eccleſia catholica decantari ſolent, doctiſſimis additionibus, atq; poſtillis illuſtrauit: & ſummæ pietatis, atq; doctrinę patri fratri Petro Philareto Cretenſi, qui ad Nouarienſem Epiſcopatum euectus, ac deinde ad Mediolanenſium Archiepiſcopatum promotus, ſummo deniq; Pontificatu in Concilio Piſano potitus, Alexander V. appellari voluit: & beatis patribus Michaëli Carcano, ac Bernardino à Feltro, qui ambo ſimul & maioris huiuſce ciuitatis xenodochij, quod inter C
totius orbis famoſiora hoſpitalia connumerandum venit, & montis pietatis eiuſdem inclyti authores extitêre: & doctiſſimo patri pariterq; religioſiſſimo fratri Bernardino à Buſtis: ac tandem beato patri Bernardino de Senis, plurimisq; alijs patribus ac fratribus ſumma ſanctitate, ac religione pręditis. Hi omnes antiquioris Franciſcani conuentus (de quo ſupra) alumni atq; incolę extitêre, ipſumq; religioſis moribus, ſanctiſſimisq; ritibus ad hæc noſtra vſq; tempora incolis eius tranſmittendis imbuêre. Inter reliqua tum patrum, tum fratrum, tum quoq; aliorum nobilium, atq; popularium oſſa ex præfato antiquiori conuentu ad hunc nouum tranſlata, tranſlatum quoq; fuit mauſolæum ſimul cum cineribus beatæ cuiuſdam Ludouicæ à Ruſconibus Comitiſſæ, ac Tertij Ordinis Franciſcani alumnæ, quæ tum in vita, tum quoq; in morte miraculis claruit. Ab huiuſmodi verò cineribus, ſacrarum reliquiarum nihil aliud à quodam D
beati Laurentij oſſe, & minutulis quibuſdam alijs ſanctorum particulis in pręſenti loco aſſeruatur. Vt autem Mediolanenſibus facilior expeditiorq; ad hanc ſacram ædem pateret acceſſus, illuſtris quidam heros Mediolanenſis, nomine Rodulphus, ſuis hęredibus, vt eas vias, quę à ciuitatis corpore ad eam ducunt, ex obuenta ſibi hęreditate curioſius, diligentiusq; ſternerent, moriens ex teſtamento præcepit.

De conuentu S. Mariæ de Pace ibidem. *Conu. II.*

PRÆCEDENTEM conuentum ſequitur is, qui intra Mediolanenſis eiuſdem ciuitatis mœnia aliquantulum à porta Tuſa, ſub titulo S. Mariæ de Pace, in amœniſſimo quodam loco ſurrigit. Huius author extitit ſereniſſimus Galeatius Maria Sfortia, Mediolanenſium Dux, qui ob conceptam ad beatum patrem Amadeum (cuius ſupra prima huius operis parte fuſius meminimus) deuotionem, eũ, anno Domini 1446. E
ex apoſtolica auctoritate, à fundamentis erigendum, breuiq; temporis interuallo intericcto, abſoluendum curauit. Cuius fundamentalem lapidem reuerendiſſ. Stephanus à Foroliuio, Mediolanenſium Archiepiſcopus tum in præfati Ducis, tum quoq; in beati eiuſdem Amadei, qui præſens aderat, gratiam, tota circumſpectante ciuitate, poſuit. Eſt enim totus hic conuentus, vt & fratrum habitationem, ac eccleſiam complectitur, elegantiſſimus, omniq; ex parte abſolutus, atq; omnibus neceſſarijs officinis, amœniſſimisq; inſuper & capaciſſimis hortis gaudet. Eccleſia ſiquidem, quæ & Saluatoris noſtri Chriſti

A ſtri Chriſti vita graphicè depicta, atq; beati patris Amadei corpore, in medio choro honorificè ſepultò, exornatur, quatuordecim ſacellis ijsq; pulcherrimis, atq; capaciſſimo choro, & ſummo altari affabrè elaborato, inſuper & ſacriſtia precioſiſſimis ornamentis inſtructa, adeò perficitur, vt nihil ad eius ſiue decorem, ſiue honeſtatem deſiderari queat. Monaſterium verò ſibi contiguum triplici clauſtro, quadripartito dormitorio, quod ex ſexaginta cellulis conſtat, viginti optimis cubiculis ad hoſpites cæterosq; aduentantes excipiendos omnino idoneos, auguſtiſſimo refectorio eleganter depicto, atq; omnibus neceſſarijs officinis apprimè abſoluitur. Accedunt pręterea ad huius loci, quem & 50. fratres inhabitant, decorem, & alternum ſacræ Theologię, atq; Philoſopiæ ſtudium: & Mediolanenſium præcipuè verò nobilium tum deuotio, tum quoq; affectus, cùm ipſum & diuini audiendi officij ergô, & oblectandorum animorum cauſa maximè frequentent: & mantellus eiuſdem beati patris Amadei in ſacrario aſſeruatus, qui mulieribus, in puerperio periclitantibus, opportunè adeſt: & puteus in primo clauſtrorum ab eodem patre Amadeo effoſſus, cuius auſta cum deuotione aqua febres pellit: ac deniq; beatorum patrum Anſelmi, & Laurentij corpora præfata in eccleſia honeſtiſſimè ſepulta, ſpinæ tres Dominicę coronæ, alterum ex brachijs S. Blaſij Epiſcopi & martyris, atq; aliquot alię reliquię ex Terra ſancta aſportatę. His annumerãdum venit capitulum ſatis eleganter fabrefactum, in quo illuſtriſſimi Marchionis Aiamontani, Mediolanenſis ſtatus pro catholica Philippi huius nominis II. Hiſpaniarum Regis maieſtate Gubernatoris, corpus tumulatum eſt, ac ſingulis diebus res diuina pro tanti herois refrigerio fit. Hic denique conuentus, qui à ſui exordio ad annum vſq; à Virgineo partu 1568. Amadeis patribus inſeruiuit, ex apoſtolica Pij V. Pont. max. auctoritate in Capitulo ibidem celebrato, R. P. F. Aloyſio Puteo, totius noſtri Ordinis Generali Miniſtro, ac præfatis patribus Amadeis in omnimodam Regularem Obſeruantiam tranſeuntibus, huic Mediolanenſi Prouinciæ, præfato anno 1568. adiectus, adiudicatusq; fuit.

(B and C margin letters appear beside lines beginning "morum cauſa" and "Pont. max.")

De conuentu S. Crucis Comi. *Conu.* *III.*

INTER cætera quę hunc conuentum, ſanctiſſimę Cruci ſacrum, atq; ad primum lapidem à Como Galliæ Ciſalpinæ ciuitate, quæ olim Romanorum colonia iuxta Lucium lacum à Lucio Scipione deducta, deinde à Pompeio inſtaurata, ac poſtremo à Caio Cæſare aucta fuit, quo etiam tempore pro Como Nouumcomum appellari cœpit, vnde & eius incolæ Nouocomenſes dicti venêre, ad altiſſimi cuiuſdam montis radices ſitum, commendatiſſimum reddunt, religioſa ac verè Minoritica eorum fratrum vita, ſimplex ſed omnino religioſum eiuſdem ædificium, ac tandem eccleſia ſibi coniuncta, quæ pulcherrimis octo ſacellis abſoluitur, ac anno à Chriſto Seruatore nato. 1447. à R. Nicolao Papienſi, Nouarienſiq; Epiſcopo à ſuffragijs de Chriſtiano more conſecrata extitit, principem locum obtinent. Nam ſi de fratribus loquamur, ij profectò cæteris huius Prouinciæ religioſis rectè, ſancteq; viuendi forma facti ſunt: ſi de totius domus ſtructura incidat mentio, ea ſanè vetuſtum ædificandi modum à primæuis patribus olim obſeruatum pręſefert: ſi verò de templo ſit quæſtio, id proculdubio nihil aliud à ſanctitate redolet. Quo fit vt quemadmodum tum ex publicis, tum quoq; ex priuatis Nouocomenſium eleemoſynis, anno Dominicæ Incarnationis 1440. ædificatus fuerit, eiſdem quoq; in præſentem vſq; diem conſeruetur. Eius verò ſitum tum deuotus quidam Aloyſius à ſancto Seuerino Nouocomenſis, illuſtriſſ. atq; excellentiſſ. Philippi Mariæ Sfortiæ Mediolanenſium Ducis Capitaneus, tum quoq; quatuor vterinæ ſorores, ac honeſtiſſimæ matronæ Nouocomenſes Lucia ſcilicet, Ioanna, Florbellina, atq; Eliſabetha liberaliſſimè contulêre. Totius autem ędificij author extitit religioſus pater frater Chriſtophorus Modoetianus, qui duorũ in hac Prouincia erigendorum conuentuum facultatem ab Eugenio IV. ſummo Pontifice, præfato anno 1440. accepit: qua denique fretus antiquum quoddam ſacellum, ſanctæ Cruci ſacrum, Nouocomenſium (vt præfati ſumus) ſumptibus in præſens monaſterium transferendum curauit. Sacer hic locus, qui & largiſſimis, eisq; limpidiſſimis, atq; frigidiſſimis aquis ad omnem

ad omnem ſui vſum gaudet, à 30. fratribus tum nouitijs, tum quoq; profeſſis inhabitatur: quibus & ad victum, atq; amictum neceſſaria ſatis abundè ex maxima Nouocomenſium pietate miniſtrat. Quod & mirabile, atq; maxima commendatione dignum eſt. Nam ab eo alia viginti & vnum tum ſororum, tum quoq; fratrum Mendicantium monaſteria Comi erecta ſunt. Quibus tamen nihil ad hanc miſeram vitam honeſtè atq; religiosè tranſigendam deeſt. Honeſtatur denique ſacra hæc ædes ſequētibus reliquijs: nempè aliquot oſſibus ſanctorum Bartholomæi Apoſtoli, Ioannis Chryſoſtomi, atque Ioannis Eremitæ: quæ in altari, diuo patri Bernardino ſacro, collocatę ſunt: Inſuper & ſanctorum Stephani prothomartyris, Laurentij martyris, atq; ſanctæ Luciæ virginis quoq; & martyris, quæ in altari, diuis patribus Ludouico, atq; Antonio Paduano dicato, ſedem obtinent. Quod quidem altare huiuſmodi priuilegio ex Gregorij XIII. Pont. max. facultate & conceſſione gaudet, vt ad Miſſæ celebrationem, dummodo eius meritum alicui defuncto fideli applicetur, eius anima à Purgatorij pœnis ſoluta, cœlos rectà petat. Ad patres fratresq; huius loci defunctos deuotus quidam Mediolanenſis ciuis, nomine Rodulphus Vicemarius, appoſitus eſt. Hic dum in quandam vanagloriæ tentationem morti propinquus incidiſſet (gloriabatur ſiquidem in ſua morte, quòd ſperaret ſuum poſt obitum corpus ſummo honore à Mediolanenſibus, ob opera Chriſti pauperibus præſtita, proſequendum, atq; ſanctè venerandum) vt huiuſmodi curam popularem declinaret, ad hunc locum ſimul cum fratribus, quibus perpetuò beneficus fuerat, tumulandus ſacco contectus, atque quàm occultè fieri potuit deferri voluit.

A B

De conuentu S. Nazarij Nouariæ. Conu. IV.

C

PER diligentem ſcripturarum euolutionem non ſtetit, quin huius conuentus, diuo Nazario ſacri, ac ad trecentos paſſus à Nouaria inſubrum ciuitate, agriq; fertilitate, & hominum præſtantia inſigni, ſiti, tum fundatorem, tum quoq; certum erectionis eius tempus aſſequeremur. Sed monumentis, atq; humana quauis traditione, quæ nos ijs de rebus certiores efficere poſſent, omnino deficientibus, ad coniecturas recurrere coacti fuimus. Inter cæteras verò ea præſtantior eſt, quæ principaliori huius ſacrę ędis oſtio imminet: Nempè lapidea diui patris Bernardini imago, cui annus 1460. à lateribus hæret. Ex qua facilè colligitur hunc conuentum ante id tempus ędificatum fuiſſe. Huius coniecturæ argumento beatum patrem Ioannem Capiſtranum eius authorem plurimi eſſe volunt. Pręterea vniuerſum matricis eccleſię Nouarienſis collegium hanc ſacram ædem in feſto S.Nazarij, Miſſam ſolemniter celebraturum, proceſſionaliter petit. Ex quo plures (idq; non abs re) ſuſpicantur aliquam ędiculam ad ipſum pertinentem hoc in eodem loco olim præextitiſſe, atq; ab eodem fratribus noſtris collatam fuiſſe. Quòd verò ad eius ſtructuram, quæ firma ſatis, atq; ampliſſima eſt, attinet, ſiquis Nouarienſium erga noſtros fratres beneuolentiam, atq; animi affectum, non lippis (vt aiunt) oculis conſideret, ipſos facilè eius authores deprehendet. Eſt nihilominus hic locus, qui omni ex parte abſoluitur, capaciſſimisq; hortis, atq; neceſſarijs officinis gaudet, inſalubris omnino. Quamobrem, quodq; etiam multorum charitas refrigeſcat, à 20. tantùm fratribus inhabitatur, cùm olim 40. religioſis commodiſſimum præbuerit hoſpitium. Fertur (idq; mordicus) beatus quidam frater Antonius Laudenſis, profeſſione laicus, in huius monaſterij eccleſia ſepultus. Depoſitionis tamen eius locus minimè aſſignatur.

D E

De conuentu S. Mariæ de Bethlehem Vercellarum. Conu. V.

CVM nobilis ac deuotus quidam Vercellenſis, nomine Ianomius, poſt luſtrata omnia Terræ ſanctæ loca, Vercellas, quæ ſibi patria erat, rediſſet, vale dicturus huic ſæculo nequam, ac Deo opt. max: fœlicius obſequuturus, eremitorium quoddam ad trecentos paſſus à Vercellis, Tranſpadana Italię ciuitate, prope antiquam ędiculam, beatæ Virgini Mariæ de Betlehem ſacram, humiliter ſatis conſtruendum curauit: ini-

biq;

A biq; ſumpto eremitico habitu in maxima abſtinentia, vigilijs, atq; oratione, ad vltimum vſq; vitæ halitum perſeuerauit. Poſt aliquantulum verò temporis, cùm Vercellenſis quædam pulcherrima virgo, nomine Vgolina, virginitatem Chriſto ſponſo ſeruare decreuiſſet, atq; cruento humani generis hoſte id maximè procurante, à proprio parente ad inceſtum ſolicitaretur, prudens virgo, ne aliquando propoſito fruſtrata tantum donum amitteret, relicta paterna domo, nemineq; conſcio, ad prefatum eremitoriũ ſe recepit: vbi & per quadraginta ſeptem continuos annos ſub viliſſimo habitu, atq; effıcto maſculino ſexu, ſub Vgonis nomine in clauſa quadam cellula, ne ab aliquo videri poſſet, ex oblatis tantummodo eleemoſynis victitans, perſeuerauit. Ea igitur circa annum Domini 1300. defuncta, ac honeſto in loco, ob ſanctitatis ſigna, quæ circa eius obitum euenêre, à Vercellenſi populo eiusq; Epiſcopo, cui totius rei geſtæ ſeries à re-
B ligioſo quodam patre Dominicano, qui præfatæ virgini Vgolinæ à ſacris confeſſionibus erat, reuelata eſt, ibidem tumulata, præmemoratum eremitorium plurimis annis habitatore caruit. Erat nihilominus ædicula ſibi contigua, ob miracula, quæ meritis beatę Vgolinę ibidem contingebant, Vercellenſibus ſummè commendatiſſima. Cumq; omnimodam minaretur ruinam, ne tanta populorum ad ipſam deuotio aliquando euaneſceret, tum à Vercellenſibus, tum quoq; à reuerendiſſimo Gulielmo eorum Epiſcopo, Nicolao V. ſummo Pont. anno à partu Virgineo 1453. quatenus ſibi eam Obſeruantibus Franciſcanis fratribus, in iuſtam eccleſiam promouendam, conferre liceret, quàm humillimè ſupplicatum fuit. Quo denique apoſtolico diplomate, ſub datum viij. cal. Februarij, anno verò ſupramemorato 1453. edito, pijs eorum votis annuente, & præfata ædicula eiſdem fratribus collata, & in pulcherrimam eccleſiam, ſub antiquiori titu-
C lo S. Mariæ de Bethlehem, ex diuerſis fidelium eleemoſynis euecta extitit. Curarunt pręterea præfati fratres, reuerendiſſ. P. F. Ludouico à Vallecamonica tũc huius Prouinciæ Vicario, hoc monaſteriũ auguſtè ſatis, atq; omnibus officinis abſolutum ſibi annectendum. Quanta verò fuerit antiqua eius capacitas quantumq; eius apud Vercellenſes nomen, tum ex ſepulturis ibidem erectis, tum ex ipſa ſtructura facilè coniectari poteſt. Continebat ſiquidem eo temporis, quo hæc Prouincia florebat, nempè anno Domini 1524. 50. fratres, idq; commodiſſimè: modò verò à 20. tantum inhabitatur. Eſt nihilominus tum apud Vercellenſes, tum quoq; apud conuicinos populos in maxima veneratione, idq; ob religioſam eius incolarum vitam, atq; ob beatum patrem Antonium à Cremona ibidem ſepultum, qui multigenis meritis atq; miraculis clarus, an-
D no Domini 1575. die verò menſis Ianuarij 25. diem clauſit extremum. Feſtus huius loci dies celebratur 25. menſis Decembris, eſtq; celeberrimus tum Vercellenſibus, tum quoq; adiacentibus populis.

De conuentu S. Franciſci Laudæ. Conu. VI.

AEDIFICARANT ſibi olim fratres noſtri conuentum, diuo Ioanni ſacrum, ſupra amœniſſimum collem, arboribus à iugulo ad eius vſq; radices veſtitum, atq; ad mille paſſus à Lauda, Inſubrum ciuitate, diſtantem: vbi & per plurimos annos in maxima quiete, ſpiritus tranquillitate, atq; ſanctitatis apud ſæculares opinione deguerunt. Quia verò is locus vtcunq; à præfata ciuitate diſtabat, aliam eccleſiam ſub
E Viridarij (vulgò giardino) nomine, ex Laudenſium facultatibus ad ſacras conciones habendas, confeſſionesq; excipiendas, intra eiuſdem ciuitatis ſepta ædificari curarũt. Accidit autem temporis ſucceſſu, vt Conuentuales Franciſcani patres relicto S. Franciſci monaſterio, eiuſdemmet ciuitatis vallo circumſcripto, ad præfatum Viridarij locum, ex Laudenſis ſenatus beneplacito, atq; fratribus noſtris ſibi conſcribẽtibus, ſe contulerint. Quamobrem, quòdq; vigente bello antiquior S. Ioannis conuentus ab hoſtibus fortè captus plurimum detrimenti Laudenſibus afferre poſſet, is à fratribus Franciſcanis Obſeruantibus ex apoſtolica auctoritate derelictus, ac poſtmodum ſolo æquatus, necnon & S. Franciſci monaſterium (de quo ſupra) occupatum extitit. Vltimi huius monaſterij fundatores, licèt ſcripto non conſtet, à receptiſſima Laudenſium traditione nobilis quidam Antonius Siſſiraga, eiusq; legitima vxor Laudenſes ciues aſſeenim,

runtur . Huicq; traditioni pictura , parietibus huius eccleſiæ impreſſa,aſtipulatur . Hi A
enim (vt traditio vult) cùm liberis carerent , Ordinis Franciſcani fratres , atque ſoro-
res ſibi in filios adoptarunt . Quapropter & vtriſq; , quoad vita comes fuit , liberaliſſi-
mas eleemoſynas erogarunt , & conuentus , alterum quidem ſub titulo S. Franciſci, de
quo impræſentiarum,alterum verò ſub nomine S. Claræ,ædificari Laudæ curarunt.Sed
eo loco , in quo fratrum conuentus ſubſiſtit , ædicula quædam , diuo Nicolao ſacra ,
præextitit ; quæ tamen futuro ædificio ceſſit . Idq; authenticum inſtrumentum,per pu-
blicum Notariũ Baſſianum Morenam, anno Domini 1286. Laudæ actum,teſtificatur .
A quo etiam tempore præſentis conuentus antiquitas connumeranda venit , cùm im-
mediatè à prædicti inſtrumẽti confectione ædificatus credatur. Perſeuerauit autem ſub
Conuentualibus Franciſcanis patribus à ſuæ erectionis tempore vſq; ad annum Domi-
ni 1527. quo,ipſis aliò (vt præfati ſumus) commigrantibus, in fratrum noſtrorum ius B
ex R.P.F.Franciſci Angelorum,olim totius noſtri Ordinis Generalis Miniſtri , ſed tunc
temporis S.R.E.Cardinalis , auctoritate ceſſit . Idq; apoſtolicæ Clementis VII. Pont.
max. literæ , datæ in præfatæ auctoritatis confirmationem,anno Domini 1534. & aliæ
patentes Caroli V. Germanorum Imperatoris,atq; Hiſpaniarum Regis literæ,datæ an-
no 1543. & aliæ Mediolanenſis ſenatus , anno 1554. expeditæ , liquidò conteſtantur .
Reddunt huius loci eccleſiam celebriorem tum fratrum numerus , qui tricenarius eſt ,
tum ædificij vetuſtas , pulchritudo atq; capacitas : tum corpus beati patris Leonis Pa-
latini , noſtri Ordinis olim alumni , atq; Laudenſis Epiſcopi , qui anno Domini 1343.
carnis ergaſtulo ſolutus , aſtra petijt : tum caput S. Oltillæ virginis atq; martyris : tum
caput beati patris Michaëlis à Carcano Minoritæ , cuius etiam corpus ibidem tumu-
latum,alio à patribus Conuentualibus tranſlatum creditur : tum etiam bina mauſolęa , C
alterum quidem eius fundatoris , præfati videlicet Antonij Fiſſiraga , cui ſequens epi-
taphium hæret .

Corde time Chriſtum , corde qui conſpicis iſtum ,
Seruans iuſſa Dei , ſpem mundæ progeniei ,
Nam iacet hac parca fulgens Antonius arca
De Fiſſiraga , moriens pro lege beata ,
Nobilis, & clarus, nec egenis crux , nec auarus,
Militiæ Præſul , cunctiſq; laudibus exul ,
Vrbis curator , patriæ Laudenſis amator
Cui tu poſce Deum , veniam cœloq; trophæum .

Fuit hic heros Laudenſis ciuitatis , quam & Henrico Germanorum Imperatori poſt D
eius coronationem , vitandi belli ergò tradidit , temporalis Dominus , & Mediola-
nenſis ciuitatis Gubernator à ſenatu electus , & Florentinorũ exercitus ſemel atq; iterũ
Imperator . Sed alterum reuerendiſſ. Ioannis Fiſſiraga Epiſcopi , atq; eiuſdem funda-
toris vterini fratris . Præfatæ inſuper eccleſiæ dedicatio 22. die cuiuſq; menſis Aprilis
celebratur : ſed quando vel à quo conſecrata fuerit nullo pacto conſtat . Pertinet tan-
dem ad huius loci fratres hoſpitium , apud oppidum S. Columbani erectum,quod exci-
piendis Prædicatoribus , atq; confeſſoribus eò miſſis opportunè deſeruit . Creditur ta-
men opera eximij cuiuſdam Eccleſiaſtis nomine patris Columbani , dum adhuc fra-
tres noſtri in præfato S. Ioannis monaſterio commorarentur ædificatum .

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Vigleuani. Conu. VII. E

VIGLEVANVM Inſubrię ciuitas recreandis Ducum Mediolanenſium animis
olim inſeruiuit . Eſt enim amœniſſima, optimaq; aura , atq; cœli clementia gau-
det . Dum igitur intra oppidi limites adhuc teneretur, atq; ſereniſſimus Galeatius Sfor-
tia,Ducali titulo inſignitus,Mediolanenſibus principaretur , maximaq; Vigleuanenſi-
bus vnius apud ſe Minoritici conuentus ædificandi cupido inceſſiſſet,apud Sixtum IV.
Pont.max. vt id illis concederetur,quàm diligentiſſimè curauit . Eius deniq; facultate,
anno Dominicæ Incarnationis 1475. obtenta , præſens conuentus, ſanctiſſimæ Marię
de Gratijs ſacratus,in præfati oppidi Vigleuani ſuburbijs , ex publicis eorundem Vi-

gleuanenſium

A gleuanenſium facultatibus ędificatus extitit. Et quemadmodum ipſum oppidum, modò verò ciuitas, idq; à tempore ſereniſſimi Franciſci Sfortiæ, Mediolanenſium Ducis, oblectandis (vt prædiximus) procerum animis deſeruit: ita quoq; præſens conuentus totius huius Prouincię fratribus ac patribus conualeſcentibus ſua tum amœnitate, tum ſalubritate, tum quoq; neceſſariorum copia, vt amiſſas, atq; exeſas ex diutina infirmitate vires quantocitius reſumant, recuperentq;, ſummopere fauet. Eſt præterea hic locus, idq; ex multiplici cauſa, tum videlicet quia ab iiſdem conſtructus, tum quia amœniſſimus, omni ex parte perfectus atq; deuotiſſimus, tum quia funere beati patris Chriſtophori Mediolanenſis honeſtatus, tum etiam quia eius eccleſia 25. menſis Octobris, anno Dominicæ incarnationis 1478. à reuerendiſſimo Antonio de Latijs, illuſtriſſimi Arcimboldi Nouarienſis Epiſcopi, atq; S. R. E. Cardinalis Suffraganeo, conſecra-
B ta, Vigleuanenſibus maxima in veneratione. Iacet beatus pater Chriſtophorus Mediolanenſis (de quo ſupra) in ſacello, diuo patri Bernardino de Senis ſacrato. Commorantur vt plurimùm hoc in conuentu 18. fratres, qui apoſtolicum Sixti IV. breue datũ Romæ x. cal. Martij, anno Domini 1475. Pontificatus verò ſui anno v. eius fundationem concernens ſumma cura cuſtodiunt. Ad quos tandem id hoſpitium, diuę Annæ ſacrum, Ceraniq;, quod Nouarienſis diœceſis oppidum eſt, erectum, atq; id quod Gumbali ędificatum perſeuerat pleno iure ſpectant. In altero verò iſtorum oppidorum, nempe in eo cui Ceranum nomen eſt, beatus pater Pacificus, huius olim Prouinciæ alumnus, diem clauſit extremum, atq; in alia à pręfato hoſpitio ędicula tumulatus eſt. Quamobrem confecto inſtrumento, in eam tum fratres, tum quoq; Ceranenſes ſententiam venêre, vt eius corpus inde exhumatum ad præmemoratum hoſpitium hone-
C ſtiori loco tumulandum transferatur.

De conuentu S. Bernardini Hyporediæ. Conu. VIII.

CVM beatus pater Bernardinus de Senis poſt habitam ad Hyporedienſes ſacram concionem locum, ædificando conuentui idoneum, ab iiſdem petijſſet, nec vllo pacto impetraſſet, ſtrato ſuper Duriam fluuium paliolo ad alteram continentis partem traiecit. Quo deniq; viſo miraculo Hyporedienſis ſenatus & beatum patrem reuocandum, & ſibi ſufficientem ad tantum opus ſitum, non longè ab Hyporedia communi ciuitate, conferendum curauit. Cœpit igitur eo temporis præſens conuentus, qui & poſtmodum eidem patri Bernardino ſacratus euaſit, humiliter ſatis, pro illius tempeſta-
D tis exigentia, ædificari: ſed poſt aliquot annos Hyporedienſibus, quæ neceſſaria erant, abundè ſatis ſubminiſtrantibus, in eam euaſit perfectionem, vt omnibus ſuis numeris abſolutus, & pulcherrimam complectatur eccleſiam, & triplici clauſtro, atq; triplici itidem viridario conſtet. Complectitur præterea & amœniſſimum nemus: qua etiam de cauſa & animum ad diuinorum myſteriorum contemplationem allicit, & tyronibus Franciſcanis opportunè deſeruit. Nam ex 18. fratribus eius accolis decem ad minus huiuſmodi tyrocinio vacant.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Modoetiæ. Conu. IX.

E PLVRIMIS profectò ex cauſis titulus S. Mariæ de Gratijs præſenti conuentui, qui anno Dominicæ Incarnationis 1461. ſub ſereniſſimo Galeatio Maria Sfortia, Mediolanenſium Duce, ædificari cœpit, tum à fratribus, tum quoq; à Modoëtianis inditus eſt. Nam plurimę gratiæ, plurimaq; beneficia, vt tabellæ atq; vota, ad eius eccleſiæ parietes appenſa, facilè indicant, Chriſti fidelibus à Deo opt. max. meritis glorioſiſſimæ Virginis Mariæ ad deuotiſſimam eius imaginẽ ibidem erectam conferuntur: Et conuentus ipſe ex ſumma Hyporedienſium gratia atq; liberalitate conſtructus extitit: Et plurimis tandem gratijs atq; dotibus, nempè ſitus amplitudine, hortorum abundantia, ędificij pulchritudine, atq; aëris ſalubritate iſdem gaudet. Licèt pręfatus conuentus Modoëtiæ, quæ Inſubriæ oppidum eſt, diſtatq; Mediolano paſſibus decem millibus, erectus tum ex præfati Mediolanenſium Ducis Galeatij, tum quoq; ex priuatis atq;

atq; publicis Modoëtianorum facultatibus conſtructus fuerit, eius tamen ſitum perde- A
uoti Modoetianæ matricis eccleſiæ canonici Ioannes, Stephanus Boſcanius, Bartholo-
mæus Soldonius, Alphonſus Varanenſis, atq; Franciſcus Granus ex maxima in Fran-
ciſcanam familiam deuotione contulêre. Huius loci eccleſia conſecrata habetur: ſed
à quo id beneficij receperit ignoratur. Commorantur deniq; hoc in cœnobio 20. fratres,
qui corpus beati patris Ludouici Biaſſonis, in ſacello diui Bernardini humatum, ſum-
ma veneratione proſequuntur, atq; publicum inſtrumentum huius domus erectionem
concernens debita cura cuſtodiunt. Exorditur autem huiuſmodi inſtrumentum à ſe-
quentibus verbis: *Cum verum ſit, quòd homines & perſonæ istius terræ Modoetiæ, pro bo-
nis moribus, religioſa vita, laudabiliſſimaq; doctrina, ac bono odore exempli, quibus fratres
Obſeruantes S. Franciſci ornati ſunt, affectarent hac in terra, ſeu in territorio Modoetiæ habe-
re vnum locum, ſiue conuentum dictorum fratrum pro conſolatione & gaudio ſpirituali, ac vti-* B
litate animarum &c.

De conuentu S. Iacobi Leuci. *Conu. X.*

CVM Leucum ſit munitiſſimum oppidum, atq; militum præſidio ſubſit, datur ab
ijſdem opera, vt quicquid eius munitioni nocumēto eſſe poſſit, omnino auferatur.
Id igitur in cauſa fuit, vt antiquior huius Prouinciæ conuentus, diuo Apoſtolo Iacobo
ſacratus, ibidemq; erectus, quòd eius muris negotium faceſſere videretur, à Ioanne
Iacobo (cui vulgò Medichino pro cognomine fuit) militum Præfecto, ſolo æquaretur,
dirueretúrq;: & præſens, eodem Apoſtolo Iacobo eius tutelari, quem 20. fratres Re-
formati incolunt, remotius vtcunq;, ex diuerſis Chriſtifidelium, præſertim verò Leu- C
cenſium eleemoſynis, fratrum diligentia acquiſitis, ædificaretur. Qui quidem nec in
minimo antiquiori cedit, immo ſuis habitatoribus omni ex parte abſolutus opportunè
deſeruit. In antiquioris verò loci demolitione, id quod ſequitur, mirabile euenit. Ceſ-
ſerat ſiquidem tum eccleſia, tum reliquus conuentus arietum ictibus, atque foſſorum
impulſui: Cumq; imbecillis paries, cui binæ imagines, altera Pietatis, altera verò bea-
tæ virginis Mariæ, puerum Ieſum geſtantis, innitebantur, immotus omnino permaneret,
fortiuſq; militum vi reſiſteret, ab eorum Præfecto, Ioanne ſcilicet Iacobo, ne diuinæ
voluntati reſiſtere videretur, imperatum eſt, vt præfatus paries intactus omnino relin-
queretur. Qui tandem, creſcente poſtmodum ex huiuſmodi euentu ad ipſum Leucen-
ſium deuotione, in ædiculam, fratrum tamen huius conuentus curæ commiſſam, eue- D
ctus extitit.

De conuentu S. Bernardini Mortarij. *Conu. XI.*

MORTARII oppidum, quod olim Sylua pulchra à nemoribus quibus omnino
gebatur, nunc verò Mortarium à maxima Longobardorum mortalitate, quæ
ibi ſub Carolo magno Imperatore contigit, quando videlicet Deſiderius eorum Rex
captus, eiuſq; exercitus deletus omnino fuit, dicitur, Inſubriæ oppidum eſt, & ex par-
te ad Vigleuanienſem, ex parte verò ad Papienſem diœceſes ſpectat. Huius igitur op-
pidi ad Franciſcanam Obſeruantem familiam affectus cùm incredibilis eſſet, Minorita-
num quoddam monaſterium tum communibus, tum quoque priuatis eius ſumptibus, E
ex Nicolai V. Pont. max. cuius apoſtolicum breue, datum anno Domini 1447. ſui verò
Pontificatus primo, adhuc perſeuerat, facultate, aliquantulum à mœnibus, amœniſ-
ſimo quodam in loco, ac proceris arboribus circumcincto, ſub titulo S. Bernardini, pre-
fato anno 1447. ędificari cœpit, nec ita poſt multum temporis omnibus ſuis numeris
abſolutum extitit. Quod quidem & magnitudine, & amœnitate, & pulchritudine plu-
rima huius Prouinciæ loca ſuperabat. Sed (proh dolor) vigentibus in Inſubria bellis,
anno Domini 1559. quòd oppidi fortitudinem eneruare videretur, à preſidiario milite
maiori ex parte dirutum eſt: vnde & vix 14. fratres eius accolas impręſentiarum in octo
ſibi reſiduis cellulis continere poteſt. Eius nihilominus eccleſia, quę ruinis ſubiacet, à
reuerendiſſ. quodam Bartholomęo Cacia, Nouarienſi Epiſcopo, conſecrata fuit, &
adhuc

A adhuc à Mortarienſibus frequentatur. Fuit tamen hic conuentus aliquantulum à prę-fato anno 1447. conſtructus, atq; alteri (de quo ſupra) adiunctus. Nam creſcente indies fratrum numero, cùm primus ob ſui anguſtias ei ſatisfacere non poſſet, hic ſecundus multò auguſtior, multoq; pulchrior ex eorundem Mortarienſium facultatibus ſibi adiectus extitit.

De conuentu Annunciationis B. Mariæ Triuilij. Conu. XII.

MEMORABILE de præſenti conuentu Triuilij, ſub titulo Annunciationis B. Virginis Mariæ erecti, quod ad poſteros traſmittere poſſimus, ab hoc, quòd videlicet opera beati patris Bernardini de Senis, atq; communibus Triuilenſium ſumpti-
B bus primò ædificatus, & ab eodem beato patre, immo & à beato itidem patre Ioanne Capiſtrano diutius inhabitatus fuerit: quodq; ſuggeſtus, ex quo idem beatus pater Bernardinus ſacras ad populorũ cõciones ſępius habuit, ibidẽ adhuc perſeueret: quodq; 25. fratres contineat: quodq; tandem cuiuſdam beati patris Franciſcani, cuius tamen ſepulchrum ignoratur, funere honeſtetur, nihil aliud occurrit. Eius tamen eccleſia anno Dominicæ Incarnationis 1465. die verò menſis Septembris 15. à reuerendiſſimo quodam Pagnarino, Dulcienenſi Epiſcopo, conſecrata extitit.

De conuentu S. Bernardini Palantiæ. Conu. XIII.

C IN margine Verbani, Ciſalpinæ Galliæ lacus, qui Ticinum ex Alpibus defluentem accipiens, eundem in Padum tranſmittit, hunc impræſentiarum lacum maiorem appellant, atq; in plurium pagorum meditullio ad quingentos tantùm paſſus à pago Palantia, præſens conuentus, beato patri Bernardino ſacratus, eleganter ſatis atq; omnibus ſuis numeris abſolutus ſurrigit. Qui circa annum reſtitutæ ſalutis 1468. tum ex publicis tum quoq; ex priuatis eorundem pagorum facultatibus, atq; honeſtæ cuiuſdam fœminę de familia Morigia, atq; de Tertio Seraphici patris Franciſci Ordine, ſolerti opera, reuerendiſſimo patre fratre Antonio Vercellenſi, Prouinciæ tunc iſtius Vicario Prouinciali, ędificatus aſſeritur. Cuius amœnitatem, aëris ſalubritatem atq; circumuicinorum populorum ad ipſum deuotionem ſi impræſentiarum referre vellemus, longior profectò, quàm par ſit, nobis hiſtoria texenda veniret. Quamobrem hæc tan-
D tùm dixerim: quòd videlicet pulcherrima eccleſia, deuotiſſima, & à Chriſti fidelibus, ob miracula quæ indies ibi contingunt maximè frequentata, duplici clauſtro, commodiſſimisq; pro 15. fratrum cellulis, atq; longiſſimo ad Verbanum proſpectu gaudeat. Prętata inſuper eccleſia, anno Dominicę Incarnationis 1472. mẽſis verò Maij 31. à reuerendiſſimo Antonio de Latijs, Salodienſi Epiſcopo, atq; reuerendiſſimi Arcimboldi Nouarienſium Epiſcopi, & S. R. E. Cardinalis ſuffraganeo, qui & ſacroſanctas aliquot diuorum Bartholomæi Apoſtoli, Blaſij Epiſcopi & martyris, atq; Laurentij itidem martyris reliquias, & 40. annos indulgentiarum in Chriſti fidelium eam in eorundem SS. feſtiuitatibus accedentium fauorem, ex apoſtolica auctoritate ſibi contulit, conſecrata extitit. Prædictarum conſecrationis, atq; ędificationis monumenta in huius loci archiuis aſſeruantur. Adhæret præterea huic loco pulchrum quoddam ædificium
E à Reuerendiſſimo quodam Toteno S. R. E. Cardinali, ab antiquo ædificatum, quod & ex liberali eius donatione recreationis gratia (eſt enim amœniſſimus locus) fratribus deſeruit.

De conuentu S. Angeli Legnani. Conu. XIV.

AD decimum ſextum lapidem à Mediolano, Vareſium tendentibus pagus ſatis popopuloſus, atq; nobilis occurrit, cui Legnanum nomen eſt. Extra cuius ſepta, non tamen longè ab eis, in media quadam quercea, atq; amœniſſima ſylua, preſens conuentus, ſancto Angelo ſacratus, erectus conſpicitur. Cuius tanta eſt capacitas, amœnitas atq; pulchritudo, vt cuicunq; alteri totius Prouinciæ loco facillimè æquari

 poſſit.

poſſit. Continet nihilominus ob eorundem paucitatem 18. tantùm fratres. Præfatus A verò conuentus, ſi ſcripturis tum apoſtolicis, tum quoq; ducalibus, in eius tabellario aſſeruatis, aurem accommodare velimus, à perdeuoto atq; illuſtri Ioanne Rodulpho (cuius ſupra meminimus, atq; inferius, dum de conuentu Viridarij egerimus, latius meminerimus) tum ex Galeatij Mariæ Sfortiæ Mediolanenſium Ducis conceſſione, ſibi anno Domini 1468. facta, tum quoq; ex facultate ſibi à Paulo II. Pont. max. anno Domini 1469. impertita, à fundamentis ad apicem vſq; ædificatus, atq; reuerendo patri fratri Chriſtophoro à Vareſio, tunc huius Prouinciæ Vicario Prouinciali, anno Domini 1471. collatus extitit. Cuius eccleſiæ conſecratio licèt nec ſcripto nec traditione conſtet, eſt nihilominus hic locus, tum ob ſui celebritatem, tum quoq; ob compoſitos fratrum ibidem habitantium mores, Legnanenſibus commendatiſſimus. Præcipuam præfati pagi Legnani eccleſiam ſibi in ſepulturam elegit beatus pater Leo, Franci- B ſcani Ordinis olim alumnus, atq; Mediolanenſium Archiepiſcopus, cuius ſupra latius meminimus.

De conuentu Annunciationis B. Mariæ Vareſii. Conu. XV.

INTER cæteros ſtatus Mediolanenſis pagos Vareſium, qui & pagus eſt, connumerandus venit. Abundat ſiquidem & populo, & diuitijs, & nobilitate, & agri fertilitate, prout & præſens conuentus, Annunciationi glorioſiſſimæ Virginis Mariæ dicatus, & à 15. fratribus incultus, argumento eſſe poteſt. Qui quidem & capax ſatis eſt, & omnino perfectus, & ſuis habitatoribus neceſſaria miniſtrat. Eius ſitum, à priuatis pa- C ganis ex publico ære prius ſumptum, Vareſiana communitas fratribus contulit: ſed quod reliquum eſt ædificij tum ex peculiaribus, tum quoq; ex publicis eorundem Vareſianorum facultatibus, Paulo tamen II. Pont. max. annuente, anno à partu Virgineo 1568. erigi cœpit, ac breuiſſimo interiecto tempore vltimam artificis manum expertum fuit. Eccleſia verò, cuius fundamentalem lapidem eccleſiæ S. Victoris Vareſianæ Præpoſitus de religioſo more, toto circumſtante popu lo, eodem anno 1568. poſuit, poſt octo tranſactos annos, ſcilicet anno Domini 1576 à reuerendiſſimo Antonio de Latijs, Salodienſi Epiſcopo, conſecrata fuit. Quam ex deuotione ab antiquioribus Vareſianis ad B. P. Bernardinum de Senis ex ſequenti miraculo conceptam, ab eorum ſucceſſoribus ędificatum volunt. Cùm enim beatus is pater, poſt pacem inter plurimos nobiles Vareſianos, ſeinuicem odio proſequentes, conſtitutam, ſacram haberet D concionem, atq; à præteruolantibus columbis præpediretur, eas ſtatim & locum deſerere, & proprium columbarium repetere iuſſit. Mira res vix beatus pater mandatum dederat, quando animalia illa, aliàs irrationabilia, ei ad nutum paruêre. Et ab eo temporis nec illius generis, nec alterius volucres eo ipſo in loco viſæ ſunt.

De conuentu Annunciationis B. Mariæ Abbiatæ. Conu. XVI.

CVM Sereniſſimus Galeatius Maria Sfortia, Mediolanenſium Dux, in Galliam captus duceretur, ſe Deo opt. max. ſi ſe incolumem, atq; liberum eius fauore in patriam reduci contingeret, ad vnius Minoritani conuentus ædificationem ex voto aſtrinxit. Quamobrem, vt primùm optatis potitus, anno Domini 1469. Mediolanum E redijt, à Paulo II. Pont. max. tunc ſedente, vt quòd piè vouerat ſanctius exequi poſſet, quàm humillimè petijt. Quo deniq; apoſtolico breui, ſub his verbis: Paulus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabili fratri Epiſcopo Nouarienſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem &c. edito, annuente, hunc conuentum Annunciationi beatiſſimæ virginis Mariæ ſacrum Abbiatæ, quæ Inſubriæ oppidum eſt, diſtatq; Mediolano 14. milliarijs, ex proprijs ſtatim facultatibus erigendum, atq; poſt elapſum triennium, nempè anno Domini 1422. omnino abſolutum Sixto IV. Pont. max. apoſtolicis Pauli II. literis ſubſcribente, fratribus tradendum curauit. Cuius eccleſia à præfato reuerendiſſ. Antonio de Latijs, Salodienſi Epiſcopo, conſecrata habetur. De cuius tamen, atque de præſentis monaſterij ædificijs hæc tantùm dixiſſe ſufficiat: quod nihil ad ſui perfe-

ctionem

A ctionẽ penitus deſiderent. Gaudet præterea præfata eccleſia, idq; ex apoſtolico Sixti IV. Pont. max. diplomate, dato iij. idus Aprilis, anno Domini 1473. Pontificatus verò ſui ij. decem annorum, ac totidem quadragenarum indulgentia perpetuò valitura, in fauorem Chriſti fidelium, ipſam in feſtiuitatibus Annunciationis B. Mariæ, ac beatiſſimi patris Franciſci deuotè accedentium. Commorantur deniq; hoc in loco, in cuius archiuis præfata apoſtolica diplomata aſſeruantur 15. fratres, qui diuino cultui vigilantius intendunt.

De conuentu Annunciationis B. Mariæ Abbiatæ. Conu. XVII.

INSTITVERAT religioſus quidam pater Franciſcanus, nomine frater Pacificus Nouarienſis, ſęcularium Confraternitatem ad honorem Annunciationis B. Mariæ Soncini, qui opulentiſſimus Inſubriæ pagus eſt, euntibusq; Brixia Romanengum in medio occurrit itinere. Cumq; præfata Confraternitas opera eiuſdẽ patris indies magis, magisq; in his quæ ſunt ad Deum proficeret, plurimaq; beneficia ab eo ea de cauſa reportaret: ne tanto patri atq; Magiſtro ingrata aliquando videretur, Minoritanum quendam conuentum, tum ſibi, tum quoque cæteris fratribus ædificandũ cenſuit. Quapropter vt primũ à Paulo II. Pont. max. facultas, anno Dominicæ Incarnationis 1470. facta eſt, hoc præſens monaſterium, indito ſanctiſſimæ Annunciationis titulo, tum ex proprijs, tum quoq; ex aliorum Soncinenſium facultatibus, aliquantulum à præfato pago Soncino à fundamẽtis erigi, atq; infra decennium abſolui curauit. Cui & fundum tum hortis, tum quoq; cæteris officinis neceſſarium contulit. Traditus itaq; fuit præſens locus huius Prouinciæ patribus tum à Soncinenſi communitate, tum à temporali eius Domina illuſtriſſ. Eliſabetha Catharina, Triſtani cuiuſdam Sfortiæ Viſcontis legitima filia, anno à Chriſto Seruatore in terris nato 1480. Cuius eccleſia conſecrata habetur, eiusq; conſecrationis dies anniuerſaria 27. cuiuſlibet menſis Octobris celebratur. Huius etiam loci fratrum, qui frequentius ſunt quindecim, curæ commiſſa eſt ædicula, beatiſſimæ Mariæ de Roſa ſacrata, atq; hortorum muris cohærens, quæ Soncinenſibus conuicinisq; populis, ob frequentia miracula ad Virginis glorioſæ imaginem ibidem erectam contingentia, commendatiſſima eſt. Ex hoc celeberrimo pago Soncino Oriundus fuit R.P.F. Paulus à Soncino ſacræ Theologiæ Magiſter, ac vniuerſi Ordinis Franciſcani Generalis olim Miniſter.

De conuentu S. Franciſci apud S. Agatham. Conu. XVIII.

PRÆSENS conuentus, Seraphico patri Franciſco dicatus, atq; mœnibus ſanctæ Agathæ, (vulgò Santiâ) quod Pedemontium (vulgò Piamonte) oppidum eſt, ſereniſſimisq; Sabaudiæ Ducibus paret, circumcinctus, ſi primæuam eius conſtructionem attendas, antiquitate non caret: cùm à plurimis annis, extra præfati tamen oppidi mœnia, conſtructus, atq; poſtmodum à Gallorum exercitu ſub Henrico huius nominis II. ac Galiæ Rege ad terram deiectus, euerſusq; fuerit. Si verò ſecundam eius ædificationem, quæ & intra eiuſdem oppidi muros ſibi contigit, conſideres, multò modernior, multoq; nouior apparebit: Cùm paucis ab hinc annis oppidanorum ſumptibus ædificatus extiterit. Differt tamen hic ſecundus à primo non parum, cùm ille triplici clauſtro, capaciſſimo dormitorio, amœniſſimo nemore, atq; ampliſſimis hortis ditatus, plures fratres, idq; commodiſſimè, capere poſſet: iſte verò anguſtijs preſſus vix duodecim fratres contineat.

De conuentu Beatæ Mariæ de Miſericordia Melegnani. Conu. XIX.

CVM in prouectiorem ætatem tendens pientiſſima Blancha Maria Sfortia, Mediolanenſium Duciſſa, pro ſua in Deum pietate, ac ſumma in Seraphicum patrem Franciſcum obſeruantia, Minoriticum conuentum, diuinis obſequijs perpetuò manci-

pandum, conſtruere meditaretur, Melegnanum, Inſubrię oppidum, ad decimum lapidem à Mediolano diſtans, huic operi deſtinauit. Itaq; ſelecto inibi ſufficienti fundo, neceſſarijſq; in medium tum ex proprijs, tum quoq; ex Melegnanenſium facultatibus adductis, hoc monaſterium, beatiſſimę virgini Mariæ de Miſericordia ſacrum, à fundamentis extrui, ac omnibus ſuis numeris ex Innocentij VIII. Pont. max. facultate abſolui, inſuper & huius Prouincię patribus tradi, curauit. Cuius eccleſia ſimul cum duplici cœmeterio, quorum alterum fratribus, alterum verò ſęcularibus humandis deſeruit, à ſuffraganeo illuſtriſſimi pariter ac reuerendiſſimi Guidi Antonij Arcimboldi, Mediolanenſium Archiepiſcopi, atq; S.R.E. Cardinalis, de religioſo more ac maxima cum ſolemnitate conſecrata extitit. Cuiq; Pius IV. ſummus Pont. pleniſſimū iubileum, perpetuò valiturum, in fauorem eam feria cuiuſlibet anni ij. poſt Paſcha deuotè accedentium ex apoſtolica auctoritate conceſſit. Poteſtatem inſuper pręfatus Pontifex Pius IV. patribus huius loci Confeſſoribus pro eo iubileo aſſequendo deputatis fecit, vt ab omni exceſſu, licèt grauiſſimo, dummodo in bulla cœnę Domini minimè contineretur, abſoluere, & quoduis votum Religionis, atq; caſtitatis tantummodò demptis commutare poſſint. Pręfatum fratrum cœmeterium ſub funere honeſtat venerabilis pater frater Bernardinus de Buſtis, de quo ſupra. Commorantur deniq; hoc in loco 16. fratres.

A B

De conuentu S. Bernardini Carauagij. *Conu.* XX.

SEDENTE Sixto IV. Pont. max. immo & ex eius facultate reuerendiſſimo Ioanni Stephano Buttigelli, Cremonenſium Epiſcopo commiſſa pręſens monaſterium, beato patri Bernardino ſacrum, tum ex priuatis nobilium quorundam de familia Secchi, tum quoq; ex publicis Carauagenſium facultatibus, non procul à Carauagio Inſubrum, atq; Cremonenſis diœceſis oppido, anno à partu Virgineo 1472 ædificari cœpit, fœliciſſimiſq; ijſdem auſpicijs non ita poſt multum temporis abſolutus, atq; huic Prouinciæ traditus extitit. Eius eccleſia poſt ſeptendecim annos, nempe anno Domini 1489. die verò menſis Aprilis 5. à R. P. F. Franciſco Leone Minorita, ac Sitienſi Epiſcopo, de Chriſtiano more conſecrata fuit. Poſt tranſactos autem ab huiuſmodi ædificatione 71. annos, anno ſcilicet 1543. tum ipſa, tum quoq; ſibi adiunctus conuentus patribus huius Prouincię Reformatis, quorum 20. impræſentiarum deſeruit, ab ijs, quorum ex munere intererat, in habitationem collata fuêre.

C D

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Varalli. XXI.

SVRRIGIT in Pedemontis atq; Gallię Ciſalpinę finibus in ipſa valle Seſia, à Seſia flumine ſic appellata, inter Occidentem atq; Aquilonem, ad quinquageſimum quintum milliare à ciuitate Mediolano, amœnus quidam atq; eleuatus mons, ad cuius radices Varallum oppidum, Maſtalone fluuio allutum, ędificatum eſt. Cùm igitur beatus pater Bernardinus Caimus Mediolanenſis, poſt Guardianatus officiū in ſacro monte Sion laudabiliter functum, propriam Mediolani Prouinciam repetijſſet, quęreretq; anxius aliquem vnum locum repręſentandis Dominicę crucis myſterijs ad Terrę ſanctę inſtar idoneum, in hunc montem incidit. Quem omnino contemplatus, cùm ſibi bi magis magiſq; arrideret, eum ab eius Dominis dono ſibi dari petijt. Vt igitur primùm voti compos effectus eſt, hoc ſacrum monaſterium, beatiſſimę virgini Marię de Gratijs dicatum, dupliciq; clauſtro, dormitorio, ampliſſimis hortis, atq; neceſſarijs officinis inſtructum, inſuper & 20. fratrum habitationi omnino accommodum, in margine Maſtalonis pręfati fluuij, inter montem atq; Varallum oppidum, pręfata ędificari curauit. Conceptum pręterea deſiderium exequutioni mandaturus idem beatus pater Bernardinus in medio itinere, quod à monaſterio ad montis iugulum ducit, aliam ędiculam, Marię virginis Requiei ſacram, ad eius imitationem, quę in Caluarij montis cliuo ędificata eſt, vbi & ipſa glorioſa Virgo Chriſtum Dominum ad ſupplicij locum tendentem cum Maria Magdalena, atq; Ioanne Euangeliſta beatis viſura, doloris gladio confoſſa,

E

A confoſſa, requieuiſſe fertur, erigi iuſſit. Huic aliam, in qua Chriſti Domini ſuper Hie-
roſolymam, quòd à Romanis vallo circumcingenda, obſidenda, atq; ſolo ęquanda
veniret, fletus graphicè depictus eſt, ſed longiuſculus verſus ipſum cliuum adiecit.
Sunt pręterea hoc in ipſo mõte plures alię ſacrę ędes Dominicę paſſionis, glorioſę Vir-
ginis, atq; diuina alia myſteria repręſentantes, de quibus ſuo ordine dicemus. Harum
autem alię à pręfato beato patre Bernardino Caimo, alię verò ab alijs iſtius Prouincię
patribus ex diuerſis fidelium eleemoſynis ſucceſſu temporis conſtructę ſunt, & alię Deo
fauente ſuo tempore conſtruentur. Nondum enim opus, vt à beato ipſo patre Bernar-
dino pręſcriptum, vltimam artificis manum expertum eſt. A fratrum itaq; monaſterio
atq; duobus ſacellis (de quibus paulò ſuperius) hunc montem petentibus occurrunt in
ipſo cacumine murus in gyro ductus, atq; peramplum oſtium, duplici fonte ſuo tem-
B pore inſigniendum, atq; duobus his verſibus exornatum.

Hæc noua Hieruſalem vitam, ſummosq; labores,
Atq; Redemptoris omnia geſta refert.

Præfatum verò murum ingreſſis, quæ ſequuntur ædiculæ occurrunt. Et primò qui-
dem marmorea eccleſia, affabrè elaborata, atq; pulcherrimo porticu, marmoreis etiã
quatuor columnis innixo, inſignita, in cuius medio noſtri prothoparentes Adam &
Eua ſub arbore, & à calido ſerpente ſeducti, atq; Deus pater criminis ab eis commiſſi ra-
tionem exigens, anaglyptico opere fabrefacti, ſubſiſtunt. Deinde verò alia ædicula ad
Lauretani templi inſtar, vbi paranymphus Gabriel, ſua ad Virginem glorioſam legatio-
ne fungens, anaglypticus quoq; conſpicitur. Vlterius alia ædicula viſitationi glorio-
ſæ virginis Mariæ dicata. Hanc ſequitur alia ædicula tribus Regibus, vt puerum Ieſum
C adorantibus ſacrata. Poſt has alia ad Dominici Præſepis inſtar fabricata, conſpicitur:
in qua ſicut & in præcedentibus ea, quæ præſeferunt, myſteria anaglypha conſpiciun-
tur. Aliquantulum verò vlterius ab his gradus ſeſe offerunt, in quorum ſummitate ædi-
cula Dominicæ Circumciſioni ſacra, atq; anaglypticis imaginibus eandẽ repræſentan-
tibus exornata ſubſiſtit. Huic è vicinio opponitur alia, in qua beata Virgo puerum Ie-
ſum in vlnis geſtans, & caſtiſſimus eius ſponſus Ioſeph, vt à ſomno ab Angelo excitatus,
quatenus in Aegyptum, quòd Herodes puerum ad eum perdendum quæſiturus ſit, cũ
ſibi credita ſponſa ad tempus ſecedat, ex eodem opere compacti conſpiciuntur. In pri-
mo huius ſacelli ingreſſu mulier quædam ab immũdo ſpiritu poſſeſſa, 25. Aprilis anno
verò Domini 1585. diuina virtute liberata extitit. Ad aliquot verò paſſus ab hoc eodem
ſacello aliud ſed adhuc imperfectum Orientem verſus ſeſe offert, quod repræſentandę
D ſtragi à tyranno Herode Hieroſolymorum Rege in pueros innocentes exercitæ adiudi-
catum eſt. Deinde hunc montem accedentium obtutibus ſeſe præſentat nonum ſacel-
lum, iconibus Virginis glorioſæ, atq; fideliſſimi ſui ſponſi Ioſeph in Ægyptum fugien-
tium cohoneſtatum. Cui proximum eſt & decimum limpidiſſimo riuulo allutum, atq;
Chriſti Domini, vt à Ioanne eius præcurſore in Iordane baptizati repræſentantiũ. Hoc
ſequitur aliud in ordine vndecimum, in quo Chriſtum Dominum vt tertiò à Sathana in
deſerto tentatum, eodem anaglyptico opere fabrefactum, conſpicere licet. Duodeci-
mum numerum claudit alium ſacellum, non longè à præcedẽti diſtans, vbi idem mun-
di Seruator ad puteum cum muliere Samaritana iuxta ciuitatem Sichar confabulatur.
Hinc tenditur ad aliud Chriſtum Dominum iuxta probaticam Piſcinam obambulan-
tem, atq; hominem paralyſi per triginta octo annos laborantem integræ ſoſpitati reſti-
E tuentem repræſentans. Deinde venitur ad aliud viduæ filij, vt à Chriſto Domino iux-
ta ciuitatem Naim ad vitam reuocati hiſtoriam contenturum. Contenturum dixerim,
quòd præſens, præcedens, atq; ſubſequens ſacella imaginibus, breui tamen ibi collo-
candis, careant. Præcedenti ſacello opponitur, & aliud quintumdecimum in ordine
Dominicam transfigurationem præſeferens. Cui è diametro aſtant decimumſextum,
atq; decimumſeptimum. Horum primum Lazari ad vitam reuocationem Bethaniæ à
Chriſto ſeruatore factam: ſecundum verò eiuſdem Chriſti Domini triumphalẽ in Hie-
roſolyma, pueris Hebræorum Oſanna filio Dauid &c. acclamantibus, introitum repræ-
ſentat. Non longè ab hac probatica piſcina Salomonis templum, atq; aurea porta, per
quam ipſe Dominus in idem templum cum ſolemni pompa fuit ingreſſus, ædificanda

 veniunt.

veniunt . A præcedentibus ſacellis , atq; imaginibus occurrunt & aliæ imagines diuer- A
ſa myſteria præſeferentes . Et primo quidem loco eæ, quæ Chriſtum Dominum, eiuſq;
diſcipulos in menſa diſcumbentes , quando & eos ſacerdotes inſtituit , repræſentant.
Deinde illæ , quæ nobis eundem Chriſtum in horto orantem , atq; dicentem Abba pa-
ter &c.& Angelum eum de cœlo confortantem ſignificant.His annumerandæ veniunt
& aliæ erigendæ quidem , nondum tamen erectæ , ex quibus modum , quo idem mundi
Seruator Diſcipulorum pedes lauit , addiſcere licebit . Præfatas imagines ſequuntur
& aliæ omnino anaglypticæ tum ſub dio , tum quoq; in alio ſacello , ad Pilati domus
inſtar fabrefacto , collocatæ , Chriſtiq; ſimilitudinem præſeferentes : vt videlicet à tur-
ba capti , Pilato Pręſidi præſentati , veſtimentis à ſatellitibus exuti , ad columnam liga-
ti , Iudaico populo oſtenſi , atq; ſpinea corona redimiti . Non longè ab his imaginibus
erecta conſpicitur & alia ædicula , vbi in imagine ſe ſe præſentant Chriſtus cruce onu- B
ſtus,pannis ſpoliatus,atq; ad Caluarij montis iugulum crucifigendus à Satellitibus du-
ctus : & glorioſa Virgo eius mater intermortua , atq; à beatis Ioanne Euangeliſta &
Maria Magdalena ſuſtentata . Hinc per alios gradus ad montis cliuum aſcenditur,vbi
Dominicæ paſſionis conſumationem videre licet . Erectę ſiquidem ſunt ibi tres cruces,
ex quarum media Chriſtus Dominus , ex alijs verò duabus , vtriq; eius lateri aſſiſtenti-
bus , bini latrones , bonus ſcilicet & malus pendent . Iuxta Dominicam verò crucem à
plurima tum militum , tum quoq; Iudęorum turba circundatam glorioſa Virgo , bea-
tus Ioannes Euangeliſta , ac plures ſanctæ mulieres ſtant . Et hic quidem locus eſt de-
uotiſſimus,ac plurimis Terræ ſanctæ reliquijs exornatus. Ad huius montis radices me-
ridiem verſus alia ſubſiſtit ædicula , in qua Chriſtus Dominus vt vita functus , ac ſuper
chariſſimæ matris genua reclinatus(hanc Pietatem vulgò nuncupant) tres Marię,atq; C
beatus pater Franciſcus artificioſè ſatis depicti ſunt . Præfata verò ædicula egreſſis , ac
Occidentem verſus tendentibus , idem mundi Saluator Chriſtus omnino exanimis ſin-
done inuolutus , atq; à ſanctiſſima eius matre , Ioanne Euangeliſta , Nicodemo , atq;
Ioſepho ab Arimathia ciuitate circundatus occurrit . Eidem ędiculę porticus vicina eſt
totam hiſtoriam eleganter depictam continens , quo pacto & à quibus idem mundi pa-
cifator ad ſepulchrum ductus . Huic porticui ſepulchrum opponitur , ad eius inſtar ,
quod Hieroſolymis adhuc perſeuerat , omnino elaboratum , in quo Chriſtus Dominus
duobus Angelis ſtipatus requieſcit . Ad huius ſepulchri ſiniſtram per quandam fene-
ſtellam pręfati patris Bernardini Caimi caput loculo in pariete reconditū viſitur . Non
longè ab hoc loco alia ſe ſe offert orbicularis ędicula,atq; marmoreis columnis innixa,
vbi Chriſtus Dei hominumq; mediator,deuicta morte triumphans, Mariam Magdale- D
nam ſe attrectare,ſub his verbis: Noli me tangere,prohibet. Ad huius verò ędiculę dex-
teram planities ſpherica porticu atq; plurimis ſacellis exornata occurrit : in cuius me-
ditullio Chriſti reſurgentis imago erecta eſt,quę per ſingulas cicatrices abundātiſſimas
aquas in ſubiectum vas effundit . Quo quidem nihil gratius mortalium oculis ſe ſe obij-
cere poteſt . Aſcenditur autem ad huiuſmodi vas per quatuor gradus . E regione autem
præfatæ planiciei colliculus vtcunq; eleuatus conſpicitur , in cuius ſummitate ſacellum
ſubſiſtit , vbi Chriſtus in medio diſcipulorum , abſente Thoma, ſtans dixit : Pax vobis :
atq; iteratò, ijſdem vnanimiter ac Thoma cum illis perſeuerantibus, reuerſus eundem
ſermonem repetijt , atq; incredulum Diſcipulum , Thomam ſcilicet ſuæ incredulita-
tis arguit . Pręmemoratum ſacellum ſequuntur & alia tria : Quorum vnum Spiritus
ſancti in die Pentecoſtes ſuper Apoſtolos in columbę ſpecie deſcenſum repręſentat : Al- E
terum prænunciationem mortis glorioſiſſimæ Virginis Mariæ ſibi ab Angelo factam
præſefert : Tertium verò eiuſdem virginis mortem , ſepulchrum , atq; in cœlis aſſum-
ptionem , duodecimq; Apoſtolos continet . Et hoc,vt vota ibidem appenſa facilè com-
monſtrant , ſæcularibus commendatiſſimum eſt . Ædificanda quoq; veniunt , tum in
prætacti montis Caluarij cliuo , tum in quadam valle inter duos colliculos ſita , tum
quoq; alijs in locis aliquot aliæ ædiculæ,iam extra fundamenta poſitæ, quæ & Caiphæ
domum , & Chriſti ad inferos patres è Limbo educentis deſcenſum , & glorioſam eiuſ-
dem in cœlos aſcenſionem , & aliquot alia myſteria repræſentent . Præterea quamplu-
rimæ imagines præmemoratis adiungendæ, & plures picturæ in anaglypha conuerten-
dæ veniunt :

A dæ veniunt: cuiuſmodi ſunt quotquot icones per hunc montem viſuntur. Et hęc de ſacro hoc monte dicta ſufficiant. Vt autem ad fratrum monaſterium (de quo ſupra) inter ſacrum hunc eundem montem atq; Varallum oppidum ſitum reuertamur: Id anno à partu Virgineo 1493. omnibus ſuis numeris ex diuerſis eleemoſynis abſolutum, atq; beato patri Bernardino Caimo, huius tunc Prouincię Vicario, à Varallenſi communitate traditum fuit. Cuius eccleſia à reuerendiſſimo Iulio Golardo Salodienſi Epiſcopo, ac reuerendiſſimi Nouarienſium Epiſcopi à ſuffragijs, anno Dominicę Incarnationis 1501. die verò menſis Septembris 5. in honorem ſanctiſſimę Marię de Gratijs de religioſo more conſecrata extitit. Quę & aliquot ſanctorum Apoſtolorum Petri, Pauli, atq; Bartholomæi reliquijs, ſibi ab eodem reuerendiſſ. Iulio Golardo dono datis, elegantiſſimè honeſtatur: inſuper & quadraginta dierum indulgentia in fauorem eam in propriæ conſecrationis, ac eorundem Apoſtolorum Petri, Pauli, atq; Bartholomæi
B feſtiuitatibus ritè accedentium gaudet. Fuit quoque eccleſia (de qua ſupra) modicè tamen in montis ſummitate conſtructa, ſed auguſtis breui conſtruenda, ab eodem reuerendiſſimo Salodienſi Epiſcopo, in honorē glorioſiſſimæ eiuſdem Virginis, anno Dñi 1501. ſed die prætacti menſis Septembris 8. conſecrata. Cuius lateri ædificium ex omni parte amœnum, in quo tres fratres, præfatæ ædis obſequio intenti, perpetuò commorantur, adhęret. Hanc deniq; ſacram ædem ſtrenuus ille miles, ac Caroli V. Germanorum Imperatoris, Hiſpaniarumq; Regis Præfectus Cæſar à Neapoli moriens, qui & ſuis ſumptibus alterum ex prætactis huius ſacri montis ſacellis, vt eius imago ibidem depicta oſtendit, conſtruendum curauit, in ſepulturam elegit: & fragmentum eius columnæ ad quā Chriſtus Dominus pro nobis peccatoribus alligatus flagellari voluit, illuſtriorē reddit.
C Hæc quidem omnia à nobis ſuperius dicta tum ex literis, tum quoq; ex fidedignis monumentis, in huius monaſterij cartophilacio aſſeruatis, ſatis ſuperq; conſtāt.

De conuentu S. Mariæ de Angelis Herbæ. Conu. XXII.

EXCELLENTEM nobilis, pientiſſimiq; Galdi Carpani, eiuſq; nepotis religioſiq; ſacerdotis Leonis Carpani in Franciſcanum Ordinem beneuolentiam ſummè commendat præſens conuētus, aliquantulum ab oppido Herba, in cuiuſdam eleuati collis cliuo, beatiſſimę virgini Mariæ de Angelis erectus, cùm à patruo à fundamentis ad apicem vſq;, circa annum Dominicæ Incarnationis 1489. conſtructus, plurimis beneficijs à nepote fuerit cumulatus. Nec tamen Herbenſem communitatem ab huiuſ-
D modi opere excludere intendo: cùm certo certius conſtet ipſam plurimas eleemoſynas, ad eius conſummationem, perfectionemq; contuliſſe. Huius conuentus eccleſia, quæ & conſecrata aſſeritur, inter totius huius Prouinciæ pulchriores, elegantioreſq; numeranda venit: Nam & ſtructura pollet, & plurimis imaginibus iconicê depictis exornatur. Has pręfatus Leo Carpanus, qui quicquid bonorum poſſidebat, atq; obtinere potuit tum Romæ, tum quoq; Herbæ pauperibus erogauit, atq; voluntarius ipſe pauper propter Chriſtum effectus, inter mendicos Romę mori, & apud patres Theatinos in monte Quirinali ſepeliri voluit, ex proprijs facultatibus depingendas curauit. Commorantur deniq; hoc in monaſterio 14. fratres.

De conuentu S. Mariæ de Miſericordia Brinantiæ. Conu. XXIII.

E

IN meditullio ferè eius patriæ, quæ Monsbrinantius (vulgo Monte di Brianze) dicitur, Minoriticus hic conuentus, præcedenti contemporaneus, ac ſanctiſſimę Virgini Marię de Miſericordia ſacratus, ſurrigit: cuius ſitus, ſeu fundus, Monsrubeus olim appellatus, à nobilibus Gripporum, atq; Fomagallorum familijs ex receptiſſima traditione collatus habetur. Quod verò ædificij ſuper conſtructum eſt, id ex diuerſis conuicinorum populorum largitionibus, atq; eleemoſynis, fratrum induſtria acquiſitis, acceſſiſſe exiſtimatur. Nam ſcripturarum, quę nos hac de re certiores reddere poſſint, nihil penitus habetur. Huius loci eccleſia, quæ & pro modulo ſatis capax, ſatiſq; pulchra eſt, à reuerendiſſimo Gulielmo Corſico, Sagenenſi Epiſcopo, anno reſtitutæ ſa-

lutis 1498. conſecrata extitit. Cuius obſequio 15. fratres, præfati conuentus habitato- A
res, diligentius intendunt. Dicitur autem hæc patria Mons brinantius non ab vno aliquo monte ibi eleuato, ſed à plurimis montibus, ijsq́; fructiferis, atq; peroptimi vini feraciſſimis, qua etiam de cauſa cella Mediolani vinaria nuncupatur, quibus ea vniuerſa cingitur.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Belinzonæ. Conu. XXIV.

BELINZONA muniti ſſimum Inſubriæ oppidum, tripliciq́; caſtro cinctum, atq; Ticino flumini imminēs, ad ſereniſſimum Galeatium Mariā Viſcontem, Mediolanenſium Ducem, olim pertinuit, nunc autem ad Eluetios attinet. A viginti igitur paſſibus ab hoc oppido, atq; eo in loco qui ſylua Vaſallorum nuncupatur, hoc monaſte- B
rium, glorioſiſſimæ virgini Mariæ de Gratijs ſacrum, omniq; ex parte perfectum, ex diuerſis fidelium præcipuè verò Belinzonēſium oblationibus, circa annum Dominicę Natiuitatis 1495. conſtructum extitit. Eius verò fundus cùm à patre cuiuſdam Bartholomæi de Focis, fratrum tamen nomine, emptus eſſet, nec ſibi, deficientibus elemoſynis, ſatisfieri poſſet, tum à præfato Bartholomæo, tum quoq; ab eius fratribus huic Prouinciæ ea poſita lege collatus extitit, quatenus videlicet ab eius habitatoribus, qui vt plurimum ſunt 12. numero, per ſingulos annos duplex defunctorum officium tum pro ſe, tum quoq; pro eorum deſcendentibus atq; aſcendentibus perſolueretur. Quod & quàm diligentiſſimè ab ijſdem præſtatur. Huius loci eccleſia, quæ & omnibus ſuis numeris abſoluitur, atq; pulcherrimis ſex ſacellis conſtat, à reuerendiſſimo Iulio Ga- C
lardo Salodienſi Epiſcopo, atq; Nouarienſis Epiſcopi Suffraganeo, anno à partu Virgineo 1505. die verò menſis Septembris 5. conſecrata, ſacriſq; ſanctorum Martini Turonenſium Epiſcopi, Theodori & Antonij Abbatis reliquijs donata. Inſuper & quadraginta dierum indulgentia, pro his qui eam in proprio conſecrationis feſto viſitauerint, honeſtata fuit. Conſecrauit præterea reuerendiſſimus idem Salodienſis Epiſcopus, ijſdem anno & menſe, alterum ex præfatis ſacellum, illudq́; immaculatæ Virginis conceptioni, tribus Magis, atq; beatiſſimo patri Franciſco dicauit, atq; quibuſdam ſanctorum Theodori, Hieronymi Papienſum Epiſcopi, atq; Franciſcanorum quinq; martyrum oſſibus exornauit. Eſt præterea hæc ſacra ędes, quę & Dominici prę ſepis, eorum locorum in quibus Chriſtus Dominus ieiunauit orauitq́;, Montis Caluarij, ſepulchri glorioſæ Virginis, portæ aureæ particulis inſignitur, Belinzonenſibus, ob miracula D
quæ Virginis ſuperbenedictæ meritis ad eius imaginem ibidem erectam contingunt, commendatiſſima.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs apud oppidum S. Georgij. Conu. XXV.

QVICQVID monumentorum in præſentis loci tabellario inueniri potuit, nihil penitus aliud ab eo, quod ipſe à præfati oppidi Comitibus à fundamentis ad verticem vſq;, ex conceptis in Deum pietate atq; in Franciſcanam familiam beneuolentia, per aliquot annos ante milleſimum quadrigenteſimum à Chriſti natiuitate, ſub ſanctiſſimæ virginis Marię de Gratijs patrocinio, conſtructus fuerit, nobis ſuppeditat. E
Idq́, ſanè, licèt huiuſmodi monumenta perijſſent, eorundem fundatorum, atq; eorum ſucceſſorum tum ad locum, tum quoq; ad eius habitatores, qui frequentius ſunt 12. affectus, atq; animi propenſio facilè indicaret. Deſeruit huius monaſterij eccleſia, quæ nihil ad ſui perfectionem, quemadmodum, nec ipſum monaſterium, cum duplici clauſtro, dormitorio, cæteriſq; officinis ex more neceſſarijs conſtet, penitus deſiderat, corporibus præfatorū Comitum humandis. Idq́; iure optimo cū eos ſui authores agnoſcat.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Maleti. Conu. XXVI.

CONSTAT tum ex fideli antiquiorum monumentorum traditione, tum quoq; ex ipſis indicijs hunc conuentum, Deiparę virgini Marię de Gratijs ſacratum, atq; ad quin-

A ad quingentos paſſus à Maleto Inſubrum oppido, Atheſiq; fluuio, qui ex Tridentinis
Alpibus deſcendens ipſum Tridentum alluit, Veronamq; diuidit, ac deinde per latus
Padi paludes gradiens, non longè à Brundulo portu in Adriaticum mare influit, al-
luto ſitum, ab illuſtriſſimo quodam Galeatio Beuilacqua, Maletenſium Comite, ex vo-
to ad Deum facto, atq; ex apoſtolica Innocentij VIII. facultate, circa annum à partu
Virgineo 1486. conſtructum fuiſſe. Carebat ſiquidem liberis deuotus hic heros, nec eos
quoquo pacto ex legitima vxore Antonia Palauicina ſuſcipere poterat. Quamobrem
ſe Deo opt. max. ex voto ad huius monaſterij ædificationem aſtrinxit, ſi optatam pro-
lem eius beneficio ſuſciperet. Voti itaq; compos effectus, quod piè vouerat, fideliter pręſ-
ſtitit. Nam & ipſe conuentus omni ex parte perfectus pulcherrima eaq; capaci ſatis ec-
cleſia, ampliſſimis amœniſq; hortis, elegantiſſimis clauſtris, optimo dormitorio, atq;
B neceſſarijs officinis gaudet. Induuntur præterea huius loci fratres, qui vigeſimum nu-
merum attingunt, illuſtriſſimorum Triuultiorum temporalium oppidi Maleti Domi-
norum, qui pręfato Comiti Galeatio affinitatis ex matrimonio cum eius filia contracti,
iure ſucceſſerunt, beneficio atq; munificentia.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Lugani. Conu. XXVII.

LVGANVM Inſubrię oppidum ad Mediolanenſium Duces aliquando pertinuit,
modò verò Heluetijs paret: quibus ſtipendiorum cauſa ab ijſdem in præfatorum
Ducum caſtris meritorum, donec tandem pecunia numeraretur, creditum fuit. Ali-
quantulum itaq; ab eius mœnibus Meridiem verſus pręſens monaſterium, ſanctiſſimæ
Mariæ de Gratijs dicatum, omnibuſq; ſuis numeris abſolutum, (conſtat ſiquidem tri-
C plici clauſtro, amplo dormitorio, reliquis officinis, atq; eccleſia auguſta ſatis, gra-
phiceq; depicta) circa annum Dominicę Incarnationis 1500. ex diuerſis Luganenſium
eleemoſynis ædificatum fuit. Quo etiam tempore fratres, qui ædiculam, diuo Gotar-
do ſacram, ex eius, cuius intererat, facultate aliquandiu inhabitarant, ad ipſum, im-
poſterum ibi habitaturi, ſe receperunt. Subeſt nihilominus præfata S. Gotardi ædicula,
quæ impræſentiarum vſq; ſubſiſtit, fratrum, qui vt plurimum ſunt 12. numero, dili-
genti curæ.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Antignati. Conu. XXVIII.

CVM beatus pater Amadeus, electo ſibi in proxima ſylua pauperculo quodam tu-
D guriolo, crebras ad populum Antignati, quod Inſubrum oppidum eſt, euntibuſq;
Soncino Bergomum in via occurrit, haberet conciones, atq; quadam die ab obuia ſibi
facta muliere, quæ prandium meſſoribus deferebat, vt refectionem ſumeret, rogatus,
ſibi congredientem ſocium id pro ſe capere iuſſiſſet: quicquid ille famelico ventri ſa-
tisfacturus comederat, id totum Deus opt. max. ſua bonitate ſuppleuit. Cùm igitur
pia mulier depromptum ex ſitarchijs cibum, vt præfatis meſſoribus offerret, intactum
omnino, atq; imminutum inueniſſet, ac quicquid ſibi in via acciderat tum illis, tum
quoq; cæteris Antignatenſibus manifeſtaſſet, tanta eis ad virum Dei acceſſit deuotio,
vt non ſibi prius quieſcendum putarint, quam illi ſuiſq; fratribus conuentum apud ſe
erigerent. Accedente itaq; & ſummi Pont. & beati ipſius patris conſenſu, præſens con-
uentus, ſanctiſſimæ Mariæ de Gratijs ſacratus, tum ex publicis Antignatenſis communi-
E tatis, tum quoq; ex priuatis cuiuſdam Antonelli facultatibus, aliquantulum à præme-
morato oppido Antignato, circa annum à partu Virgineo 1487. ædificatus extitit. Fuit
nihilominus aliqualis inter Antignatenſes, contradicente illis præmemorato Antonel-
lo, de eius fundo diſceptatio. Quæ tamen, illo ad ſaniorem mentem ex contracta cor-
dis anguſtia reuerſo, euanuit. Nam ille id ſibi in tantæ contradictionis pœnam à Deo
inflictum exiſtimans & fundum, & plura bona ad operis promotionem liberaliſſimè
contulit. Vnde & hic locus perfectus omnino, atq; 10. continendis fratribus accom-
modus euaſit. Eius eccleſia, quæ & ſatis pulchra pro ſuo modulo eſt, licèt id ſcripto
minimè conſtet, cõſecrata habetur. Huius oppidi Antignati, immo & huiuſmet con-
uentus accola aliquando fuit pijſſimus pater Antonius à Piſcina, famoſus ſui temporis
Eccleſiaſtes, atq; virtutibus omnino inſignis, qui Florentiæ huic ſæculo vale dixit.

De conuentu

A

De conuentu S. Martini Clarellæ. *Conu.* XXIX.

HIC quoq; conuentus, diuo Martino Turonenſium Epiſcopo, ſiue (vt alij volunt) Annunciationi beatæ Virginis ſacratus, atq; Clarellæ, (vulgò Chiarella) quod Inſubriæ oppidum eſt, ex communibus Clarellanorum eleemoſynis erectus, à Frãciſcanis patribus Amadeis, poſt aliquot annos à præcedenti, ædificatus, & ab illis ad noſtros Obſeruantes, ex Pij V. Pont. max. decreto, anno Dñicæ Incarnationis 1568. tranſlatus extitit. Qui quidem deuotus perfectusq; eſt, atq; 10. fratres commodè ſatis capit.

De conuentu S. Mariæ Sabioncelli. *Conu.* XXX.

B

CVM deuotus quidam eremita nomine Claudus antiquiorem quandam eccleſiã, in plurium pagorum ac oppidorum medio ſitum, conſtructo ſibi contiguo domicilio, aliquandiu inhabitaſſet, illamq; ſua religioſa conuerſatione conuicinis illis populis commendatiſſimam reddidiſſet: ne eo vita functo debito priuaretur obſequio, curarũt eius patriæ nobiliores, vt Franciſcanis patribus Amadeis, qui eò petendarum eleemoſynarum cauſa diuertebãt, traderetur. Vt igitur primùm Abbatis ac monachorum monaſterij ſancti Dionyſij, quorum eæ partes erant, conſenſus acceſſit, præmemorata ædicula in iuſtam ſatis eccleſiam, beatæ Mariæ de Sabioncello ſacram, ac contiguos ſibi conuentus ex diuerſis illorum in gyro populorum eleemoſynis, fratrum tamen labore acquiſitis, ædificatus fuit. Contigit autem id, prout ex inſtrumento quodam publico ibidem aſſeruato conſtat, circa annum à partu Virgineo 1541. Præfatis verò patribus C
Amadeis in Regularem obſeruantiam, anno Domini 1568. (vt ſuperius meminimus) tranſeuntibus, tranſiuit & hic locus in conuentuum huius Prouinciæ catalogum. Pendunt nihilominus fratres huius monaſterij habitatores, qui frequentius ſunt 12. numero, proximiori curato, idq; ex conuentione, quòd præfata ædicula parochiæ ipſius finibus cingeretur, alteram incenſi, & alteram ceræ libram, ſimulatq; quatuordecim illius patriæ ſolidos in ſingulos annos. Eſt deniq; hæc eccleſia conſecrata: eaq; de cauſa, inſuper & quia plura miracula glorioſæ Virginis merito ad quandam eius imaginem ibidem erectam indies contingunt, adiacentibus populis celeberrima eſt.

De conuentu S. Mariæ in Campo. *Conu.* XXXI.

D

VT noſtris fratribus Mediolano ſoluentibus, Comumq; tendentibus de opportuno loco, ad quem liberius diuertere poſſent, in ipſo itinere prouideretur: vtq; plurimis in gyro tum pagis, tum quoque oppidis proſpiceretur, huius Prouinciæ proceres, illius patriæ nobilioribus ſummè ſibi fauentibus, atq; eleemoſynas liberaliter miniſtrãtibus, hunc conuentum, glorioſiſſimæ virgini Mariæ ſacrum, atq; à 12. fratribus inhabitatum, circa annum reſtitutæ ſalutis 1493. in plurium pagorum, atq; oppidorum meditullio, vt adiacentes fideles eò facilius, vel audiendarum concionum, vel ſacrarum confeſſionum faciendarum cauſa accedere poſſent, à fundamentis erigendum, abſoluendumq; curarunt. Id totum ex authentico quodam inſtrumento, in eius archiuis aſſeruato, liquidò conſtat. Huius loci eccleſia à reuerendiſſimo Franciſco Landini, Laudenſi Epiſcopo, anno ſalutis humanæ 1518. conſecrata extitit. E

De conuentu S. Franciſci Trecati. XXXII.

EA eſt Ticini fluminis amœnitas, piſcium feracitas, atq; commoditas, vt plures populos ad pagos, oppidaq; iuxta eius ripam conſtruenda olim allexerit. Quorum ad religioſos maximè verò ad Franciſcanos Obſeruantes, ob crebras conciones, quas tum beatus pater Bernardinus de Senis, tum quoq; beatus pater Pacificus à Cerano (cuius ſupra meminimus) ad eorum prædeceſſores habuêre, atq; ob innumera beneficia illis collata, affectus tantus eſt, vt eos omnes ad peculiares in ſuis pagis, ſiue oppidis

A oppidis conſtruendas domos, pro fratribus ad eos diuertentibus commodius atq; religioſius excipiendis impulerit. Cùm igitur Trecati, quod Nouarienſis diœceſis oppidum eſt, habitatores de eorum numero ſint, atq; S. Barbaræ domum à quibuſdam Humiliatis ſororibus prius inhabitatam, poſtea verò derelictam, eadem de cauſa per reuerendiſſimum Franciſcum Vimercatum emendam curaſſent: vt primùm reuerendiſſimus pater frater Franciſcus Lichettus, totius noſtri Ordinis olim Generalis Miniſter illac pertranſijt, eum ſummis precibus rogarunt, quatenus concedere dignaretur, vt præfata S. Barbaræ domus in Minoriticum monaſterium ſuis ſumptibus eueheretur. Cuius deniq; conſenſus vt acceſſit, & hic conuentus, beatiſſimo patri Franciſco ſacratus, intra præfati oppidi mœnia nobis prodijt, & 6. fratres eò miſſi ſunt, qui pijs Trecatenſium votis facerēt ſatis. Contigit autē id circa annum à partu Virgineo 1520.
B Quia verò ipſe conuentus, licèt omni ex parte perfectus, anguſtijs patet, 6. tantùm fratres continet.

De conuentu S. Mariæ de Miſericordia Romanengi. Conu. XXXIII.

CONVENTVS hic, beatiſſimę virgini Marię de Miſericordia ſacratus, ac Romanengi, quod Inſubrum oppidum eſt, erectus, licèt nondum vltimam artificis manum ſit expertus, antiquitate tamen minimè caret. Nam quemadmodum ex cuiuſdam nobilis Ioannis Baptiſtæ Cropellij teſtamento conſtat, ante annum Dominicę Incarnationis 1480. conſtrui cœpit. Reliquit ſiquidem illi moriens præmemoratus nobilis ad eius promotionem, eodem anno 1480. pinguiſſimam eleemoſynam. Præterea
C eius eccleſia, quæ ſatis pulchra, ſatisq; capax eſt, à reuerendiſſimo Leonardo Ceua, Bidanenſi Epiſcopo, atq; reuerendiſſimi Cremonenſium Epiſcopi Suffraganeo 23. menſis Auguſti, anno verò Domini 1556. ſolemniter conſecrata extitit. Quicquid verò tum ipſa eccleſia, tum fratrum habitatio continet ædificij, id totum Romanenganæ communitatis, præſertim verò nobilis familiæ Cropellæ ſumptibus, conſtructum aſſeritur. Numerus deniq; fratrum, hunc locum habitantium, ſeptenarius eſt.

De conuentu S. Victoris montis Baronum. Conu. XXXIV.

CVM quidam homines ligneam Deiparæ Virginis imaginem in quadam oppidi montis Baronum ædicula erectam, atq; ex diui Ambroſij Mediolanēſium Epiſco-
D pi mandato (vt indubia traditio vult) celatam, minus prudenter inde aliò transferre vellent, in cœcitatem inciderunt. Quod cum oppidanis innotuiſſet, tanta eis ad illam acceſſit deuotio, vt præfatam ædiculam, erecta ibi deuotiſſima Confraternitate, in iuſtam eccleſiam ex eius Pręſulis, cuius eæ partes erant, tum quoq; ex Mediolanenſium Ducis conſenſu, euehendam transferendamq; curarint. Quorum deniq; ſucceſſores, cùm noſtros fratres maxima proſequerentur beneuolentia, eam adiuncto ſibi prius ex communibus facultatibus monaſterio 15. continendis fratribus accommodo, huius Prouinciæ patribus ſummo omnium conſenſu contulêre. A quibus poſtmodum religioſis eiuſdem Reformatis tradita eſt.

De conuentu S. Viridarij Mediolani. XXXV.

E

VT primùm sereniſſimus Galeatius Maria Sfortia, Mediolanenſium Dux, patribus Dominicanis eccleſiam ſatis auguſtam ad conciones habendas, ſacraſq; fidelium confeſſiones excipiendas, Mediolani ſub nomine Roſę conſtruendam curauit, perdeuotus ac nobilis Ioannes Rodulphus Vicemara, (cuius ſupra in deſcriptione conuentus Legnanenſis meminimus) qui & eidem Duci familiariſſimus erat, tanquàm pius eius æmulator, quandā aliam eccleſiam, ſub titulo Viridarij ad noſtrorū fratrum vſum ibidem à fundamentis ad apicem vſq; ædificari fecit. Voluitq; illam appellari Viridarium, quòd aliam à Duce ædificatam continere poſſet, quodq; eodem in loco, vbi & amœniſſimum ſibi Viridarium fuerat, erecta eſſet. Cuius proculdubio ſtructura mirabilis

rabilis eſt. Cùm enim ſeptuaginta paſſus eius longitudo perficiat, latitudo verò quin- A
quaginta ſex, nulli penitus vel columnæ vel trabi innititur, ſed ſeptem arcubus tota
ipſius concameratio ſuſtentatur. Quo ſanè nihil pulchrius videri poteſt. Deſeruiuit au-
tem huiuſmodi eccleſia ad conciones quadrageſimali tempore à fratribus monaſterij
ſancti Angeli (de quo ſupra) habendas, atq; ad confeſſiones à fidelibus ab ijſdem ex-
cipiendas, à ſui fundatione ad hęc vſq; noſtra tempora: ita tamen vt vnus vel alter tan-
tum ibi commoraretur. Nam à quatuor cubiculis, ſiue cellulis nihil aliud ſibi hærebat.
A paucis tamen annis, nempè ab anno 1585. adeò ex Mediolanenſium eleemoſynis hu-
iuſmodi habitatio dilatata, atq; ipſa eccleſia reſarcita, ſacellisq; atq; imaginibus ex mar
more celatis atq; depictis exornata eſt, vt & nouiter constructa videatur, & 15. fra-
tres commodè ſatis præfata habitatio capere poſſit. B

Sequuntur monaſteria monialium.

De monaſterio S. Claræ Mediolani. Mon. I.

SVRRIGEBANT olim Mediolani iuxta portam nouam bina monialium mo-
naſteria, alterum quidem Humiliatarum, alterum verò Auguſtinenſium. Cùm au-
tem iſtarum plurimæ Franciſcano Ordini ſummopere afficerentur, atq; in beatæ Virgi-
nis Claræ Regulam inhiarent, illarum quadraginta quatuor ſumpto de eorum, quo-
rum intererat, conſenſu, griſeo habitu, ideſt Clariſſarum amictu, atq; communi con-
uentu, interiecto ſtabili muro, in duos diuiſo, in beatæ virginis Claræ Inſtitutum ver-
ba fecerunt. Harum itaq; monaſterium, quod beatæ Clarę in poſterum ſacratum eua- C
ſit, adeò creuit, vt centum moniales ſub prima (vt aiunt) Regula degentes, atq; ex
eleemoſynis & proprio labore, licèt pro maiori parte nobiles ſint, victitantes, commo-
dè ſatis capiat. Cùm paucis ante diebus, quàm Franciſcus huius nominis primus atq;
Gallorum Rex à Caroli V. Imperatoris exercitu non longè à Papia in bello caperetur,
quidam eius capitaneus gregario milite ſtipatus hunc locũ vi capere intenderet, iamq;
arietes eius portæ amouiſſet, tum eius Abbatiſſa, tum quoq; religioſæ ſorores, ſumpta
cruce, atq; reſerato oſtio, ſibi ex reuerendiſſ. patris fratris Pauli à Soncino, qui illis for-
tè aderat, mandato obuiam iuêre. Quibus ille viſis ſtatim ex equo ad terram ſemimor-
tuus corruit, & reliqui milites petita ab eis humiliter venia locoq; intacto abierunt.

De monaſterio Jeſu ibidem. Mon. II.

CONVIXERANT Mediolani per aliquot annos plures honeſtę ac religioſæ D
virgines ſub tertio beatiſſimi patris Franciſci Ordine: cumq; temporis ſucceſſu ad
perfectiorem vitam aſpirarent, à Pio II. ſummo Pontif. vt in ſecundam beatæ Claræ
Regulam tranſire poſſent, anno Dominæ Incarnationis 1459. impetrarunt. Euocatis
itaq; ad ſe ex præcedenti conuentu duabus ſororibus, quæ ſe tum moribus, tum quoq;
ritibus Clariſſis imbuerẽt, & in ſecundam Clariſſarum Regulam verba fecerunt, & an-
tiquum S. Eliſabethæ titulum, quo præſens monaſterium, à centum viginti ſororibus
inhabitatum, olim fuerat inſignitum, in ſanctæ Mariæ de Ieſu nomen commutandum
curarunt. Tandem anno 1472. annuente Sixto IV. ſummo Pont. beatam Claram in om-
nibus ſequi cupientes, primam eius Regulam à ſe in poſterum ſeruandam ſuſceperunt:
ſub qua in præſens vſq; perſeuerant. Aſſeruatur vtrumq; diploma Apoſtolicum, pri- E
mum quidem anno Domini 1459. Mantuæ datum, alterum verò Romæ 1472. expedi-
tum, in huius loci cartophilacio. Præſentis monaſterij, quod inter celeberrima Medio-
lanenſis vniuerſæ ciuitatis loca principem locum obtinet, eccleſia à reuerendiſſ. patre
Gulielmo Minoritici Ordinis alumno, ac Sauonenſium Epiſcopo, anno Domini 1498.
die verò menſis Februarij 21. conſecrata fuit: ac aliquot ſanctorum Innocentum, Ho-
norati, Fauſtini, Iouitæ, & Cordulæ reliquijs: inſuper & beatorum patrum Bernardi-
ni de Senis, atq; Ioannis Capiſtrani tuniculis honeſtatur. Quantæ verò ſanctitatis ſit
ſacrum hoc cœnobium precioſa religioſiſſimarum ſororum Modeſtæ à Soncino, quæ
anno Domini 1582. è viuis exceſſit, Lauræ Felicis de Saulis, quæ carnis ergaſtulo ſo-
luta anno 1585. ad aſtra migrauit, Angelæ Ceciliæ de Reinis, atq; Scholaſticæ mors
facilè

A facilè indicat. Harum ſiquidem poſtrema, ſoror ſcilicet Scholaſtica, plurimis tum in vita, tum quoq; in morte miraculis claruiſſe fertur, ideoq; aliud à communi ſororum ſarcophago ſepulchrum, nempè lateralem parietē honoris gratia, aſſequuta eſt. Penultima verò, ſoror videlicet Angela Cecilia, ſui obitus diem multò antequā eueniret præſago prædixit ſpiritu. Atqui reliquæ, duæ omni virtutum genere præditæ, maximum ſui deſiderium reliquis morientes reliquêre.

De monaſterio S. Vrſulæ ibidem. Mon. III.

CVM deuota ſimul ac nobilis quędam virgo Iacobina propriam domum, erecto ibi oratorio, eccleſiam conſecrare, atq; ibidem cum honeſtiſſimis quatuor fœminis, B ſub Auguſtinenſium ſororum Regula, in poſterum victitare, Deoq; opt. max. inſeruire cuperet, quatenus id ſibi liceret, à Roberto Viſconte, matricis eccleſiæ Mediolanenſis Archipresbytero, cuius tunc ob Archiepiſcopi abſentiam & partes erāt, ſupplex petijt. Voti igitur compos, anno Domini 1341. effecta, præfatam domum in monaſterii formam transferendam curauit, & beati patris Auguſtini Regulam, poſt elapſum probationis annum, ſimul cum ſibi adhærentibus ſocijs, ſolemniter ac de religioſo more profeſſa eſt. Cumq; temporis ſucceſſu huiuſmodi domus omnimodam minaretur ruinam, atq; eius ſororibus ſumma laborantibus inopia, nulla eius reſarciendæ ſpes affulgeret, eius calamitati ſummopere compatiens pijſſima ſimul ac diues quædam vidua ex Mediolano oriunda, nomine Catharina, ad eius reędificationem ſe ex promiſſione aſtrinxit, ſi illius habitatores in primam beatę virginis Clarę Regulam tranſire vellēt. C Quibus deniq; annuentibus, atq; Innocentio VII. ſummo Pontifice aſſenſum præbente, & domus priſtino nitori reſtituta fuit, & ipſa vidua ſimul cum cæteris monialibus in prætactam beatæ virginis Claræ Regulam verba de religioſo more fecit: Contigit autem id, anno Pontificatus præfati Innoccentij VII. primo, prout ex eius diplomate, in huius loci archiuis aſſeruato, patet. Remanſit nihilominus antiquior huius loci eccleſia, quæ & beato patri Antonio de Padua ſacrata erat, ſub anguſtijs. Quamobrem altera multò pulchrior, multoq; ſpecioſior à parte domus interiori à deuota quadam fœmina, nomine Agnete, ædificata fuit. Atqui ſereniſſima Blancha, Franciſci Sfortiæ Mediolanēſium Ducis legitima vxor, aliam à parte poſteriori, beatæ Vrſulę ſimul ac vndecim millibus eius ſocijs dicatam, ex proprijs facultatibus conſtruendam curauit: quarum vtraq; conſecrata eſt. Ipſæ verò ſorores, quæ frequentius ſunt centum numero, reli- D cta poſtmodum ex apoſtolica auctoritate prima beatæ virginis Claræ Regula, in ſecundam tranſierunt. Eſt autem hic couentus, qui & ab exteriori eccleſia denominatur, & S. Cordulæ vnius ex ſocijs ſanctæ Vrſulæ, & S. Cyriaci Papę, & aliarum quator ſanctarum capitibus exornatur, ſitus Mediolani, non longè à porta Vercellenſi.

De monaſterio ſancti Bernardini ibidem. Mon. IV.

HVIVS quoq; præſentis monaſterij, beato patri Bernardino Mediolani erecti, ſorores ſub exili numero, ac ſub diui patris Auguſtini Regula, Deo opt. max. inſeruire cœperunt. Quibus illuſtriſſima quędam heroina, nomine Floriana Criuella Vrbani ſummi Pontificis ſoror, plures redditus pluraq; bona contulit. Cumq; aliqua liberta- E te fruerentur, atq; perfectiorem ſtrictioremq; vitam omnes ſimul anhelarent, vt primùm beatus pater Bernardinus de Senis Mediolanum, ſacras ad populum conciones habiturus, applicuit, eius conſilio atq; fauore vſæ, Auguſtinenſium Inſtituto vale dicto, ad primam beatæ virginis Claræ Regulam ſe tranſtulerunt, ſub qua plurimis annis ſanctiſſimè ac ſumma cum laude perſeuerarunt. Ab aliquibus verò annis priuilegijs ab Vrbano ſummo Pontifice Clariſſis ex apoſtolica auctoritate conceſſis, ex eadem gaudent. Quæ omnes impræſentiarum centeſimum numerum vix perficiunt, cùm antiquitus centeſimum trigeſimum exceſſerint. Earum conuentus, qui & capaciſſimus eſt, omnibus ſuis numeris abſoluitur, & vtraq; eccleſia, interior ſcilicet & exterior conſecrata habetur. Inter reliquas probatæ vitæ moniales, quæ hoc in ipſo loco è viuis ex-

ceſſerunt, longè emicuit ſoror Dorothea Liſſonia à Modoëtia, cuius vita adeò Deo opt. max. grata fuit, vt & miraculis (vt teſtibus omni exceptione maioribus comprobatum eſt) poſt mortem clarere, & certam ſui tranſitus horam prænoſſe meruerit. Quo deniq; tempore hic locus erectus ſit, nullo pacto conſtat. A

De monaſterio S. Antony ibidem. Mon. V.

PRÆSENS monaſterium, beato patri Antonio ſacratū, ac Mediolani iuxta portam Romanam à parte tamen interiori ſitum, reuerendiſſimo Antonio Arcimboldo Mediolanenſium Archiepiſcopo, anno à partu Virgineo 1502. die verò menſis Auguſti 27. ſub titulo ſanctæ Mariæ de Paſſione initium ſumpſit, atq; primò à ſororibus Seruitis inhabitatum extitit. Quæ tamen poſt ſeptendecim annos elapſos, anno ſcilicet 1519. ex Leonis X. ſummi Pont. facultate primam beatę virginis Clarę Regulam, quam & vſq; impræſentiarum, quocunq; redditu à ſe longè eliminato, mordicus obſeruarunt, complexatæ ſunt. Earum numerus quadragenarius eſt, bonus verò odor ſuauis omnino, atq; optimus. Gaudet hic locus omnibus officinis atq; ædificijs ſibi neceſſarijs, ampliſſimiſq; atq; irriguis hortis, inſuper & duplici eccleſia, interiori videlicet atq; exteriori: neutra tamen illarum adhuc conſecrata eſt. Exterior interim multò pulchrior, multoq; auguſtior interiore extitit, aliquotq; ſacris ſanctarum Conſtantiæ virginis & martyris, Helenæ Imperatricis, atq; vndecim millium Virginum reliquijs honeſtatur. B

De monaſterio S. Apollinaris etiam Mediolani. Mon. VI. C

PROFECTO hoc ſacrum monaſterium, diuo Apollinari Mediolani erectum, ſi tum antiquitatem ſpectes, primum locum inter huius Prouinciæ reliqua optimo iure obtinet: Nam & centum ſorores de ſecunda (vt aiunt) beatæ virginis Claræ Regula commodiſſimè continet, & nobiliſſimis virginibus hoſpitium præbuit, & ab altera beatæ Agnetis, beatę ſcilicet Clarę ſororis, ſociarum ædificatum extitit. Quod autem hunc ſextum locum teneat in cauſa eſt Ordinis confuſio in ipſa locorū diſpoſitione ex incuria euenta. Huius conuentus chorus, atq; dormitorium ſereniſſimæ Blanchæ Viſconti Sforitæ debentur: cùm liberalibus eius ſumptibus ædificata, perfectaq; fuerint. Atqui illuſtris quędam heroina, ex Triuultiorum familia, eius eccleſiam, quę conſecrata habetur, cuiuſq; conſecrationis feſtum 14. menſis Maij celebratur, anno Domini 1512. elegantiſſimè depingendam curauit. Sacroſanctæ, quibus pręſens honeſtatur locus, reliquiæ quæ ſequuntur ſunt. Integrum videlicet S. Fauſtini corpus, altera ex coſtis S. Laurentij martyris, articulus alterius ex digitis S. Apollinaris eius patroni, ex eius ſanguine, bina capita alterum quidem S. Margaretæ ſororiæ S. Vrſulæ eiuſq; ſociæ, alterum verò S. Corbellinæ vtriuſq; ſodalis, & aliquot oſſa, licèt minima, ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, atq; S. Thomæ Cantuarienſis Epiſcopi & martyris. Sunt & aliæ ſanctorum reliquiæ, ſed ſine titulis, ideoq; eas pertranſire decreui. D

De monaſterio S. Claræ Comi. Mon. VII.

COMVM Galliæ Ciſalpinæ ciuitatem, (de qua ſupra) vt Mediolanum rectâ tendant, egreſſis in ipſo ſuburbio ſacrum hoc monaſterium occurrit, quod & diuerſis Ordinibus, atq; diuerſis quoq; patronis ſubfuit. Primò quidem Humiliatis monialibus, ſub diui Petri tutela atq; Humiliatorum patrum cura, paruit: Sed illis perfectionem anhelantibus, atq; diui patris Auguſtini Inſtitutum complexis, ad Auguſtinenſes, eodē beato Petro eius tutelari, tranſijt. Deinde verò eius ſororibus in eadem perfectione proficientibus, atq; ſub Clariſſarum habitu beatæ virginis Claræ Regulam in poſterum ſeruandam ſumentibus, in patrum Franciſcanorum, ſed Conuentualium, ius, ſub beatæ tamen Clarę patrocinio, ceſſit. Tum demum excellentiſſimo Ludouico Sfortia Mediolanenſium Duce, id, vt ſororum votis faceret ſatis, apud ſummum Pontificem Alexandrum VI. diligentius procurante, Minoritis Obſeruantibus obedientiā obtulit, promiſitq;: quam & impræſentiarū vſq; inuiolatā præſtat. Quantum verò ſub ijs patribus profecerit, & eccleſia elegantiſſimè de nouo conſtructa, & vniuerſa eius ædificia à E

ruinis

A ruinis vindicata, atq; in multò meliorem formam redacta, & ſororum numerus, qui quinquagenarius ad minus ab eo temporis eſt, teſtes eſſe poſſunt.

De monaſterio S. Claræ Nouariæ. *Mon. VIII.*

SVBFVIT quoq; hoc ſacrum monaſterium, beatæ Virgini Claræ dicatum, atq; Nouarię, anno Dominicæ Incarnationis 1467. à fundamentis erectum, diuerſorum Ordinum ſororibus, atq; diuerſis quoq; titulis. Ab eo ſiquidem anno vſq; ad certum tempus, nobis tamen & ſcripto & traditione incognitum, Auguſtinenſibus monialibus, ſub inuocatione annunciationis beatæ Virginis, ſubiacuit. Sed illis patrum Confeſſariorum penuria, quòd ij Mortario, quoties ſe ſe neceſſitas offerebat, mittendi à ſuperioribus venirent, maximè laborantibus, atq; ad ſtrictiorem vitam aſpirantibus, ab eo
B temporis impræſentiarum vſq; ſacris de ſecũda beatæ Claræ Regula virginibus, eadem virgine Clara eius tutelari, relicto tamen antiquiori Annunciationis titulo nomen dedit. A quo etiam tempore ab earum quadraginta incolitur. Honeſtatur hic locus ab aliquibus ſanctorum reliquijs, duplici maximæ venerationis pignore, beatarum videlicet ſororum Claræ, Margarethæ torniellæ, atq; Concordiæ corporibus, honeſto loco ibidem ſepultis. Quarum vtraq; & ſumma ſanctitate prædita fuit, & miraculis tum in vita, tum quoq; in morte claruit.

De monaſterio S. Claræ Vercellarum. *Mon. IX.*

CVM deuota quædã virgo nomine Barbara, atq; patria Mediolanẽſis, Clariſſarum habitũ in Mediolanenſi diui P. Bernardini monaſterio (de quo ſupra) induiſſet, atq;
C illũ tum ob graue quandã infirmitatẽ, quã adhuc nouitia contraxerat, tũ quoq; ob innumeras, quas ab immũdo ſpiritu patiebatur, tẽtationes ante voti emiſſionẽ dimiſiſſet, Vercellas (quarum ſupra meminimus) petijt, vbi & plures virgines legere & ſuere, atq; honeſtè ſancteq; conuerſari docuit: quamobrem & Vercellenſibus gratiſſima extitit. Cùm igitur earum plures eius ſuaſu mundum, eiuſq; pompã aſpernantes Chriſto ſponſo ſub religioſo habitu iungi vellent, illaq; ſe eis & magiſtram, & ſociam offerret, diui Iacobi eccleſia cum quibuſdam domibus ſibi contiguis illis in habitationem à pio Vercellenſi ſenatu oblata, collataq; extitit. Quam omnes Clariſſarum habitu indutę ſimul ingreſſæ, atq; beatæ Claræ Regulam de religioſo more ibidem profeſſæ, talem, tantumq; odorem de ſe dederunt, vt quàm plurimas alias virgines ad ſe traxerint. Cumq; poſt fœlicem præfatæ ſororis Barbaræ, quæ & miraculis ante & poſt mortem claruit,
D tranſitum quædam alia religioſiſſima ſoror Thadæa ex præfato S. Bernardini conuentu, vt cæteris præferretur, ſalutiſq; viam, per quam ambulabant, fœlicius oſtenderet, eò adducta eſſet, ſororum numerus tantopere creuit, vt longè habitationem ſuperarit. Quamobrem pijſſimus pariterq; reuerendiſſimus Vrbanus Vercellarum Epiſcopus Sixto IV. ſummo Pontifici ſupplicauit, quatenus eis monaſterium S. Gratiani mœnibus Vercellenſibus circumſcriptum, quod tunc ad Regulares diui Auguſtini canonicos attinebat, in habitationem concedere dignaretur. Quo deniq;, diplomate ſub datum Romæ, pridie nonas Maij, anno Dominicæ Incarnationis 1480. edito, annuente, pręfatus S. Gratiani locus illis traditus fuit: vbi & vſq; in præſens quadraginta Clariſſæ ſorores ſed Vrbaniſtæ commorantur: Conceſſit præterea ſummus idem Pontifex, vt relicto S. Gratiani nomine, præfatum monaſterium beatæ Virginis Claræ vocabulo in
E poſterum appellaretur. Hoc tamen, quòd eius eccleſia ſit parochialis, qua etiam de cauſa ſacramenta ibidem ab vno ſęculari ſacerdote fidelibus miniſtrantur, minimè ſeruatur, ſed antiquum adhuc titulum ſibi apud Vercellenſes retinet.

De monaſterio S. Claræ Gatinaræ. *Mon. X.*

CVM Ciſtercienſis Ordinis ſorores, quæ S. Petri monaſterium Lentæ, quod Inſubriæ oppidum eſt, diſtatq; ab oppido Gatinara, ad quatuor millia paſſuum, incolebant, indies magis magiſq; deficerent, curauit illuſtriſſimus pariter ac reuerendiſſ. Mercurius S.R.E. Cardinalis, ac Gatinarenſium Comes, apud Clementem VII. Pont. max. idq; anno à partu Virgineo 1529. vt huiuſmodi ſororum conuentu ſoluto, earũ

redditus nouo, à ſe erigendo Gatinaræ, ſub titulo ac ſecunda beatæ virginis Claræ Regula, monaſterio applicarentur, vtq; ſi quæ ex illis reſiduæ eſſent moniales ad cœnobiũ conſtruendum transferrentur. Vt igitur primùm ſummi Pontificis conſenſus acceſſit, eiuſq; bulla, ſub datum Bononiæ eodem anno 1529. menſis verò Septembris vj. cal. expedita fuit, præfatus Cardinalis Mercurius hunc conuentum, beatæ virgini Claræ ſacrum, poſitis ſibi quibuſdam conditionibus, Gatinaræ à fundamentis erigi fecit, ac pro viribus promouit. Sed ipſo immatura morte præuento, ac eius ſucceſſoribus remiſſius ſe circa eius perfectionem habentibus, quod ædificij reſiduum fuit, id totum ex superuenientium ſororum dotibus, atq; alijs eleemoſynis, earum induſtria acquiſitis, ſuppletum abſolutumq; eſt. Qua etiam de cauſa, quodq; præmemoratorum redditũum tranſlatio ſiue applicatio minimè ſequuta fuerit, conditiones ab ipſo illuſtriſſimo Cardinali poſitæ minus obſeruantur. Quia verò hic locus plurimis annis imperfectioni ſubiacuit, nec redditibus abundat, à viginti tantùm ſororibus, eiſq; de ſecunda beatæ virginis Claræ Regula inhabitatur. A B

De monaſterio S. Claræ Laudæ. *Mon. XI.*

COHABITARANT olim Laudæ intra ſed propè eius muros, honeſta quadã in domo beatæ Eliſabethæ Hungarorũ Regis filię, ſorores de Tertio Seraphici patris Franciſci Ordine numero vigintiquinq;. Cumq; ea habitatio, quòd humiditatibus, inſaluberrimoq; aëri pateret, earum ſaluti minus faueret, aliam ijſdem muris circumcinctam, multoq; ſalubriorem, ex facta ſibi à Pio II. Pont. max. facultate, anno Domini 1459. emendam curarunt. Quam & ex eiuſdem ſummi Paſtoris auctoritate in monaſterium euehentes, nomine S. Claræ appellãdam voluêre. Vt igitur primùm perfecta, atq; in monaſterij formam fuit tranſlata, ad eam ſe conferentes, ſecundam beatæ virginis Claræ Regulam, ſub Clariſſarum habitu, ac relicto Tertio Franciſcanarum Ordine, ſolemniter de religioſo more profeſſæ ſunt. Creuit autem huiuſmodi domus in tantum, licèt redditibus careat, vt aliquando centum ſorores continuerit: modò verò, ex prudenti ſuperiorum decreto, quinquaginta ad ſummum continet. Harum ſororũ vita Laudenſibus commendatiſſima eſt: cùm ad eas ſuis in neceſſitatibus aliquid à Deo opt. max. expoſtulaturi accurrant. Aſſeruatur deniq; in huius ſacræ domus archiuis apoſtolicum Pij II. breue (cuius ſupra meminimus) datum præfato anno 1459. quod & ab his verbis exorditur: Pius ſeruus ſeruorum Dei, Sedis apoſtolicæ gratioſa benignitate &c. Produxit ſacra hæc ædes perpetuò ſanctiſſimas ſorores: inter quas tamen longè emicuêre ſoror Manſueta, atq; ſoror Veronica Sommariua. Iſta ſiquidem ſæpius cum Chriſto ſponſo colloqui meruit: illa verò cum quadam die maximo ſumendæ euchariſtiæ deſiderio teneretur, ab Angelo ſibi ſacra ſinaxis miniſtrata fuit. C D

De monaſterio S. Claræ Mortarij. *Mon. XII.*

CVM eccleſia, diuo Victori ſacra, ac Mortarij, de quo ſupra, olim erecta, omnimodæ ceſſiſſet ruinæ, à monialibus monaſterij S. Caſſiani, ex facta ſibi à ſummo Pontifice Clemente VI. facultate, anno Domini 1430. reædificata, atq; hoc monaſterium, quadraginta continendis de ſecunda beatæ virginis Claræ Regula ſororibus omnino accommodum, ſibi adiunctum fuit. Quo deniq; pro maiori parte perfecto, adductæ ſunt ex Mediolanenſi S. Bernardini monaſterio tres ſorores, quæ aduentantes iuuenculas in omni pietate, atq; honeſtate inſtruerent. Longior profectò hiſtoria nobis texenda veniret, ſi ſigillatim earum ſororum, quæ virtutibus hoc in loco claruêre, impræſentiarum referre vellemus. Quamobrem hæc tantùm dixiſſe ſufficiat: quòd videlicet monaſticus rigor, auita diſciplina, atq; Regulæ nitor, hoc in cœnobio à ſui erectione ad noſtra vſq; tempora perſeuerauerint. Addam quod inter cæteras ſorores longè emicuerint ſoror Cecilia Codognola, ſoror Hippolyta à Malegnano, & ſoror Eliſabetha, quorum ſanctitas ſumma fuit. Anno verò Dominicæ Incarnationis 1507. diligenti ſororum cura, atq; diligentia ædificata fuit & alia eccleſia, beatæ virgini Claræ ſacra, & huic monaſterio adiuncta, atq; tandem anno Domini 1560. iſtarum vtraq; S. Victoris ſcilicet, atq; ſanctæ Claræ eccleſia de religioſo more conſecrata extitit. E

A

De Monaſterio S. Petri Triuilij. *Mon.* *XIII.*

EX maxima qua in Clariſſarum Ordinem ferebantur deuotione Benedictinæ ſorores, monaſterij S.Petri Triuilij, (de quo ſupra) ab antiquo erecti, accolę, antiquiori earum Regulæ vale dicentes, anno à partu Virgineo 1498. in ſecundum beatæ virginis Claræ Inſtitutum, earundem Clariſſarum habitu indutæ, verba fecerunt: ac tandem anno 1537. tum antiquiorem eccleſiam, tum quoq; quod reliquū erat ędificij reſarciendum, immo potius reædificandum curarunt. Sunt autem omnes ſimul numeratæ quadraginta quinque.

B


De monaſterio S. Claræ Legnani. *Mon.* *XIV.*

HOC ſacrum monaſterium, beatæ virgini Claræ dicatum, ac à quadraginta ſororibus de ſecunda beatę eiuſdem virginis Regula inhabitatum, nec non & Legnani (cuius ſuperius mentio facta eſt) ſitum, ab illuſtri pientiſſimoq; heroë Ioanne Rodulpho Vicemara, ſimul cum fratrum conuentu ibidem erecto, à fundamentis ad apicem vſq; ædificatum, ac ſufficientibus redditibus dotatum fuit. Conſtituit præterea idem heros Confraternitati Miſericordiæ, Mediolani erectæ, relicto ſibi ea de cauſa ſufficienti fundo, vt præfatarum ſororum quindecim, dum monaſtico habitu induuntur, ducentos coronatos in dotem erogent, pendantq;: quarum aliqua cùm primùm deceſſerit, ſibiq; alia ſubroganda veniat, quæ eadem legatione, atq; eleemoſyna gaudeat.

C

De monaſterio S. Claræ Abbiatæ. *Mon.* *XV.*

CVM quędam Ciſtercienſes moniales, conuentus S. Martini Abbiatę (de quo ſupra) erecti inquilinę, ad decimum tertium numerum redactę eſſent, cuperentq; ſereniſſimi Galeatius Maria Sfortia, eiuſq; legitima vxor Bona Maria, Mediolanenſium Duces, eas vel aliò tranſlatas, vel Clariſſarum Regulę ſubiectas, Sixto IV. Pont. max. tunc ſedenti ſupplicarunt, vt tanto deſiderio per ſe potiri aliquando poſſent. Dumq; vigilantiſſimus Paſtor rem maturiori conſilio remittit, immatura morte præuentus præfatus Galeatius Maria Dux, è viuis exceſſit. Exierant præterea tunc temporis ex
D Cremonenſi monaſterio triginta quatuor Clariſſæ ſorores eo fine, vt ſe, ſtrictioris vitæ agendæ ergò, in aliquem alium locum reciperent. Has præfati Duces in prædicto ſancti Martini loco collocatas maximè cupiebant. Sed cùm negocij expeditio à ſummo Pontificè longius differretur, conducta ſibi Vigleuani honeſta domo, ibidem ad tempus pedem fixerunt: donec videlicet tandem inſtantibus adhuc præfata Duciſſa Bona Maria, ac eius filio Ioāne Galeatio Maria, qui patri in Ducatu ſucceſſerat, Sixtus IV. quod à ſe piè petierant, illis conceſſit. Traditus itaq; fuit præfatus S. Martini conuentus ex apoſtolica Sixti IV. facultate triginta quatuor illis ſororibus, Vigleuani ad tempus agentibus, in perpetuum vſum atq; habitationem: ea tamen lege poſita, vt omnes ex tredecim illis Ciſtercienſibus in Regulam beatę Clarę tranſeuntes retinere, & alias à ſe ad alia loca diuertentes ex loci redditibus alere, quoad illis vita comes eſſet, tenerentur:
E vtq; ſuppreſſo nomine S. Martini, is locus titulo S. Claræ inſigniendus in poſterum veniret. Adeò enim præfatæ triginta quatuor ſorores illius oppidi, Abbiatæ ſcilicet virgines, compoſitis ſuis moribus, ac ſancta conuerſatione ad ſe traxerunt, vt intra breuiſſimi temporis ſpatium omnes ſimul ſorores computatæ numerum octogenarium perfecerint. Ex quarum deniq; dotibus, atq; alijs eleemoſynis, & noua eccleſia ſub titulo ſanctæ Claræ, & nouum omnino monaſterium, antiquioribus ędificijs ſolo ęquatis, ædificata fuerunt.


PROVINCIA
PRINCIPATVS
S·ANDREAS
S·MATHEVS

PROVINCIA PRINCIPATVS.

A PROVINCIA Principatus, ſi eius originem altius repetamus, ideſt ſi non vt ex ſe ſolā, & vt à Prouincia Terræ laboris ſeiunctam, ſed vt illi coniunctam atq; vnitam conſideremus, vetuſtiſſima eſt, ac totius noſtri Ordinis antiquioribus annumeranda: cùm Seraphicum ipſum patrē Franciſcum ſui inſtitutorem atq; authorem habuerit. In propatulo ſiquidem eſt eum plures vtriuſq; Prouinciæ conuentus vel proprio ſuorumq; fratrum labore erexiſſe, vel à pijs communitatibus, alijsq; benefactoribus, ac ſibi mirum in modum addictis erecta, vltroq; oblata acceptaſſe, Ordiniq; adieciſſe. De quorum numero ſunt Carinolenſis, Caietanus, atq; plures alij conuentus, de quibus ſuo loco fuſius agemus.
B Vtraq; igitur Prouincia in vnum conflata cùm latius pateret, vixq; à Prouinciali Miniſtro, iuxta receptiſſimum Religionis noſtræ morem, viſitari poſſet, quod in cauſa erat, vt inter fratres plurimæ, eæq; non contemnendę difficultates orirentur, monaſticaq; diſciplina peſſum iret, conſultiſſimè eius proceribus reliquisq; fratribus id anxius petentibus, à R. P. F. Andrea Inſulano, totius noſtri Inſtituti tunc Generali Miniſtro, anno à ſalutifera Chriſti Natiuitate 1544. in duas, Terrę videlicet laboris, ac Principatus diuiſa eſt. Quę tamen, legitimis quibuſdam de cauſis, ex eorundem patrum ac fratrum voto poſt aliquantulum temporis, iterum vnitę, anno ab eadem ſacroſancta Natiuitate 1576. prefatis cauſis ceſſantibus, denuò ſub iiſdem omnino nomi-
C nibus in prouinciali quodam Capitulo Neapoli celebrato, omnibus patribus in antiquam ſententiam iteratò coëuntibus, à R. P. F. Chriſtophoro à Capitefontium, totius etiam ſeraphici Ordinis Generali Miniſtro, ac prędeceſſore noſtro, ſeparatę ſunt. Et ab eo temporis quęlibet iſtarum proprio Prouinciali Miniſtro, peculiaribusq; Diffinitoribus vtitur, maximeq; huiuſmodi diuiſione gaudet, vnde & nos de ipſa benè ſperare facit. Quia verò Principatus Prouincia (de qua impręſentiarum) Amalpham, Picentinorum ciuitatem, in qua S. Andreæ Apoſtoli corpus, atq; Salernum, vbi etiam S. Matthęi Apoſtoli corpus ſepulti ſunt, ſuis finibus circumſcribit, eam ſacris prefatis Apoſtolorum imaginibus inſigniendam curauimus. Cuius maius ſigillum præfatos quoque
D Apoſtolos ſupra quoddam ſepulchrum ſtantes, ſeq; mutuò reſpicientes, atq; à tredecim Seraphim circundatos, nec non & ſequentes literas: SIGILLVM. MAIVS: PROVINCIÆ: PRINCIPATVS: ſphericè papyro inducit. Conſtat deniq; vniuerſa hæc Prouincia ex 25. fratrum conuentibus, quorum princeps eſt is qui Neapoli, ſub xenodochioli nomine, ſubſiſtit, atq; ex 3. ſancti monialium monaſterijs.

De conuentu S. Joachimi, ſiue Xenodochioli Neapolis. Conu. I.

QVI leges huius loci, oblationem atq; acceptationem concernentes, tum à fundatore, tum quoq; a ſupremo Minoritici Ordinis Prelato prefixas, curioſus ſcire
E voluerit, patris Guardiani cubiculum petat, obedientialesq; literas R.P.F. Ioannis Calui, tūc vniuerſi Franciſcani Ordinis Generalis Miniſtri, ibidem aſſeruatas eadem curioſitate perlegat, & ſibi ſatisfactum eſſe intelliget: quas ego, quòd parùm ad rem pertineant, ſciens pretermiſſi. Ex huiuſmodi tamen obedientialibus literis, atq; ex apoſtolico quodam breui Pauli III. Pont. max. dato Romæ 20. Februarij, anno verò à Chriſto Seruatore nato 1542. ſibiq; adiuncto, conſtat huius conuentus eccleſiam, quæ & trinomia eſt: cùm à ſummo ipſo Pontifice Dei genitricis Marię de Compaſſione, ab alijs ſancti Ioachimi; ab alijs verò, & communius Xenodochioli (vulgò Spedaletto) titulo inſigniatur, ab illuſtriſſ. Ioanna Caſtriota, ſimul cum adiuncto monaſterio, maiori ex parte, circa præfata tempora, erectam fuiſſe. Quam denique fratres, ex diuerſis eleemoſynis

moſynis,ſumma diligentia acquiſitis, paulatim ad optatum finem perduxerunt: Idip- A
ſum Deo fauente aliquando & conuentui præſtituri: licèt enim is ex parte, atq; iuxta priſcorum patrum mentem quandoq; perfectus fuerit, ſi tamen 40. fratribus eius accolis conſultum cupiat, nondum vltimam artificis manum expertus eſt, eaq́; de cauſa adhuc ſub latomis, cæmentarijs,atq; fabris lignarijs conſtitutus, indies aliquid accrementi recipit. Nec ideo,quicquid ad fratrum promotionẽ attinet,interim præmittitur: cùm bini lectores in ſingulis prouincialibus Capitulis ex patrum diſpoſitione conſtituãtur,quorum alter Philoſophiam,alter verò ſacram Theologiam 12. ſtudentibus legat. Clauditur autem hic locus muro nobiliſſimæ ciuitatis Neapolitanæ, impendetq́; ex altera parte viæ Cathalanæ, ſed ex altera Regiam viam, quæ à nobili S. Mariæ Nouæ conuentu, à quo vix 40. paſſibus diſtat, ad inexpugnabile caſtrum nouum per B
B. Virginis Coronatæ templum ducit, rectà proſpicit.

De conuentu S. Franciſci Sarni. Conu. II.

GRAVISSIMIS cauſis permotus Pius V. Pont. max. atq; à Sarnenſi ſenatu ſolicitatus, edito apoſtolico breui, ſub datum Romę 24. Nouembris, anno Domini 1570. Pontificatus verò ſui anno v. P.F. Stephano à Molina commiſit, quatenus hunc conuentum B. P. Franciſco ſacrum, atq; ſumptibus Sarnenſium, intra Sarnum Campanię ciuitatẽ erectũ, inde Franciſcanis Conuẽtualibus eius accolis aliò tranſlatis, Minoritis Ordinis eiuſdem Obſeruantibus ſubmitteret, atq; Prouinciæ Terræ laboris adijceret. Qui dicto Pontificis audiens,quicquid ſibi impoſitum fuerat,ſtrenuè ſequenti anno ab huiuſmodi commiſſione,exequutioni mandauit. Subeſt igitur hic locus,quem C
frequentius 14. fratres inhabitãt, Regulari Obſeruantię ab anno Domini 1571. ſed quo certo tempore conſtructus ſit, vel quem ſui authorem habuerit, deficientibus ſcripturis, nullo pacto conſtat. Eius tamen antiquitas facillimè ex ſtructura coniectatur. Sunt quoq; in huiuſmet loci ſacrario binæ cruces, quarum altera Terræ ſanctæ lapidibus, altera verò minutulis SS. reliquijs referta eſt, quæ tamen, obliteratis præ antiquitate inſcriptionibus, quorum ſint minimè produnt.

De conuentu S. Franciſci Stabiarum. Conu. III.

STABIARVM Campaniæ oppidi (vulgò Caſtell' à mare) calamitates atq; miſerias quis referre valeat? Cùm primò à Sylla ſociali bello deletum,ac poſtea à Campanis reædificatum, ſecundò à Gallis ſub Carolo VIII. Francorum Rege direptum,ac D
tum demum tertiò, quartò, atq; etiam quintò, ab immaniſſimis Turcis expoliatum, exuſtumq́; fuerit. Nec mirum ſanè cùm,ad Mediterranei maris litus ſitum,pyratarum inſultibus opportunè pateat. Quòd & in cauſa eſt, vt abſumptis incendio omnibus ſcripturis,nihil certi de eius conuentus fundatione, qui ſub titulo B. P. Franciſci eiuſdem oppidi muris clauditur, quiq́; eandem prorſus cum illo fortunam expertus eſt, inueſtigare potuerimus: eius tamen vetuſtas ex antiquiori ædificio ſatis conſtat. Redditurus verò de eius fundatore rationem intrepidè (licet nec ſcripto,nec traditione liqueat) dicere auſim, idq́; ex Stabianorum in nos beneuolentia,ipſum communibus eorundem ſumptibus, non ſemel, neq; ſecundò tantùm, ſed & quartò poſt primam conſtructionem reparatum, ſiue potius reædificatum fuiſſe. Quorum etiam pijs eleemoſynis commodè ſatis ſuſtentantur pater quidam ſacræ Theologiæ pręlector, ac 8. eius diſcipuli, E
nec non & pater loci Guardianus cum vno vel altero fratre.

De conuentu S. Mariæ à Chieia Vici. Conu. IV.

NON mirum quòd conuentus hic B. Dei genitrici Mariæ ſacer, atq; ex publicis Vicenſium facultatibus ſeſquimilliari ab eorum communi ciuitate Vico conſtructus, 6. tantùm fratres contineat, cùm anno Dominicę Incarnationis 1574. ex ſummi Pontificis Gregorij XIII. facultate, primùm à fundamẽtis erigi cœperit. Ea eſt tamen præfatorum Vicenſium, atq; conuicinorum tum ad locum,tum quoq; ad ſeraphicum Ordinem deuotio, vt nos de eius promotione optimè ſperare iubeat. Præfatæ conceſſionis apoſtolicum breue penes ipſos fratres inuenitur.

A *De conuentu S. Franciſci Aierolæ. Conu. V.*

NON multò melioris conditionis eſt hic conuentus, Seraphico patri Franciſco dicatus, ac ad tertium milliare ab Amalfa, Picentina ciuitate, ſed ab Aierola oppido ad vnum tantùm cum dimidio, in Coſpitis editi montis decliui, ſed ſupra prominentem ſaxum erectus, à pręcedenti: cùm & ipſe Turcicam rabiem aliquando expertus, incendium quoq; perpeſſus ſit. Quamobrem quicquid ſcripturarum continebat, vorax flamma abſumpſit, & nos, ſi aliquid certi de eius antiquitate, & origine aſſerere præſumpſerimus, hallucinari opportebit. Fuit tamen ab Aierolana communitate pro modulo reparatus, vnde & commodè ſatis 9. fratres continere valet: quibus neceſſariorum acquiſitio ob montis, viarumq;, tum accliuitatem, tum quoq; aſperitatem, beſtijs
B eò accedere ea propter non valentibus, difficillima eſt. Ad iactum lapidis ab hoc loco inuiſere licet ſpeluncam, in qua Sixtus IV. Pont. max. in minoribus conſtitutus, ſuarum perſequutionum tempore delituit: quę impręſentiarum vſq; Sixti ſpelunca à conuicinis populis nuncupatur.

De conuentu S. Franciſci Maioris. Conu. VI.

EANDEM prorſus cum duobus pręcedentibus locis fortunam expertus eſt & hic conuentus, in honorem beati patris Franciſci, non procul ab oppido Maioris (vulgò terra di Maiori) Amalfetanæ diœceſis, in litore maris erectus, cùm & ipſe quoq;
C tyrannicam Turcarum manum ſenſerit, & ab ijs incenſus omnium tum bonorum, tum quoq; ſcripturarum rapinam perpeſſus ſit. Quo factum eſt, vt quicquid memorabile in eo acciderit, nos omnino lateat. Fuit tamen, poſt acceptam huiuſmodi calamitatem, à Maiorenſibus reſarcitus reparatuſq;, à quorum etiam prædeceſſoribus, anno Domini 1405. à fundamentis creditur ædificatus. Inhabitatur deniq; à 12. fratribus, eiuſq; templum, quod ſatis auguſtum, ſatiſq; pulchrum eſt tum Maiorenſibus, tum quoq; conuicinis populis commendatiſſimum eſt.

De conuentu S. Franciſci Tramonti. Conu. VII.

D OB eam, qua in Franciſcanam familiam ferebatur, deuotionem, moriens pijſſimus Matthęus Angelus propriam domum omneſq;, quas poſſidebat, facultates, ex teſtamento noſtris fratribus, ea poſita lege, reliquit, vt ex eis conuentum, diuo Franciſco ſacrum, inter medios fines Tramontanos, ſiue pagorum eius patriæ, quæ intra montes (vulgò Tramonti) nuncupatur, ſibi ædificarent, inibiq; commorarentur, quod & illi, impetrata tamen prius à Sixto IV. Pont. max. facultate, vt ex apoſtolico eius breui, quod penes ſe pater iſtius loci Guardianus habet, ſatis patet, anno ſalutis humanæ 1474. quàm diligentiſſimè præſtiterunt. Vnde & 12. fratribus ab eo temporis ad nutum deſeruit.

E *De conuentu S. Franciſci propè Cauam. Conu. VIII.*

VICINIORES pagi eius ciuitatis, quæ vulgò Caua appellatur, conciliato ſibi prius aſſenſu, atq; fauore Alexandri VI. Pont. max. ne ſpirituali auxilio in occurrentibus neceſſitatibus deſtituerentur, hunc conuentum in honorem B. Franciſci, ex communibus facultatibus in medium congeſtis, circa annum Dominicæ Incarnationis 1500. in ſuis confinibus, ſatis eleganter ædificari curarunt: quem frequentius 25. fratres inhabitant: Quorum alter iunioribus ſacerdotibus Philoſophiam, alter verò ſacram Theologiam prælegit. Apoſtolicum Alexandri VI. breue quicunq; legere deſiderat, cuiuſdam Ferrãtis ſiue Ferdinandi Monachę, publici Notarij Cauenſis curię, archiuum petat, ſuiſq; votis factum ſatis experietur. Dum huius ſacræ ædis fundamenta effoderentur,

foderentur, ænea quędam D. Franciſci imago caſu à foſſoribus inuenta eſt: quod fundatores miraculo (vti par erat) aſcribentes voluerunt, vt eidem omnino dicaretur. A

De conuentu ſanctiſſimæ Trinitatis propè Septempedam. Conu. IX.

PRÆCEDENTIVM pagorum pietatem imitati ij populi, qui Septempedam, ſiue ſancti Seuerini patriam incolunt, conſimilem conuentum, inter medios ipſorum fines, SS. Trinitati ſacrum, ex communibus quoq; facultatibus conſtruxerunt. Sed quo certo tempore id acciderit, abſumptis igne ſcripturis, vniuerſoq; ædificio ſibi cedente, minimè inueſtigari potuit. Nec ideo piæ illæ communitates de antiqua ſuorum prædeceſſorum pietate vel latum vnguis remiſerunt: quinimmo pijs eorum veſtigijs hærentes, templum multò auguſtius, multoq; elegantius reędificarunt, B ſingulariq; hoc priuilegio à Gregorio XIII. ſummo Pontifice donari curarunt, vt videlicet per Miſſarum ſacrificium fidelium animæ, in altero eius altari, à purgatorij pœnis liberētur. Quod verò reliquum eſt ędificij, parùm à perfectione abeſt, interimq; 20. fratres commodiſſimè continet.

De conuentu S. Nicolai de Palma Salerni. Conu. X.

EX apoſtolico quodam Gregorij ſummi Pontificis breui facilè edocemur, hunc conuentum, diuo Nicolao de Palma ſacratum, ac intra Salernitanę ciuitatis muros in loco accliuiori ſitum, quem 25. fratres inhabitant, antiquitus ad monachos Benedictinos pertinuiſſe, atq; ab ipſis ad Franciſcanos fratres, ex præfati Papę Gregorij facultate, ad sereniſſimę cuiuſdam Margaretæ, Hieroſolymorum ac vtriuſq; Siciliæ Reginæ inſtantiam, facta, deuolutum fuiſſe. Sed quo id euenerit æuo, cuiuſq; ſumptibus ædificatus fuerit, vel quotus is Gregorius extiterit, præfatum breue penitus reticet: nihilq; aliud à præcedentibus, & ab eo quod Caietæ, nulla interim ſiue diei ſiue anni ſuæ expeditionis facta mentione, datum ſit, nobis indicant. C

De conuentu ſanctæ Mariæ de Pace apud Montemcoruinum. Conu. XI.

CVM olim omnes in gyro pagi eius patriæ, quæ Monſcoruinus nuncupatur, maximè inter ſeſe diſſiderent, maximaſq; fouerent inimicitias, ac horribilia homicidia in inuicem exercerent, adeoq; ſæuirent, vt publicæ humanæ occiſorum carnes in macello venirent, cogerenturq; ab occiſoribus interfectorum conſanguinei eas magno pretio emere, quidam probatæ vitæ, Franciſcanæq; familię alumnus, miſeras eorum vices maximè dolens tum ſacris concionibus, tum quoq; pijſſimis, atq; familiaribus adhortationibus, omnibus ſimul ſuaſit, vt ſi miſerandam huiuſmodi calamitatem, horrendumq; facinus, ac omnino execrabile, à ſe longè exploſum vellent, glorioſę Virgini Mariæ de Pace templum, ſimul atq; conuentum eodem in loco, in quo abominabile huiuſmodi macellum ſubſtiterat, ex communibus facultatibus erigerent. Cuius ſanis conſilijs cùm primùm illi, anno Domini 1519. annuiſſent, à tanta lue liberati ſunt. Ex hac Montiſcoruini patria genus, originemq; duxit beatus pater, ac Chriſti martyr, Nicolaus à Montecoruino, qui pro ſui reparationis nomine, & fide defendendam proprium ſanguinem glorioſè fudit. Qui eius vitam, & agonem noſſe deſideret, librum, cui Firmamentum trium Ordinum titulus eſt, conſulat. Inhabitatur vt plurimùm locus hic à 16. fratribus. D E

De conuentu ſanctiſſimæ Trinitatis Eboli. Conu. XII.

CONCEPTAM à multis annis Ebolenſium de Obſeruante Franciſcano Ordine deuotionem mirum in modum, vltimis his diebus, adauxit beati patris Antonij de Padua venerabilis imago ibidem erecta, quæ plurimis coruſcat miraculis, atq; in cauſa

A cauſa eſt,vt hic conuentus,ſanctiſſimæ Trinitati ſacer,ex publicis ſumptibus ab iiſdem, ex Innocentij tamen VIII. Pont. max. facultate, anno à mundi redemptione 1490. prope Ebolitanæ vrbis mœnia erectus, eorundem munificentia ſuſtentetur, & quoties id neceſſitas exigere videatur, reparetur. Conuiuunt igitur ſatis commodè hoc in loco 12. fratres, penesq; ſe apoſtolicum præfati Innocentij Papæ VIII. breue, loci ædificationem concernens,atq; alia duo itidem apoſtolica breuia, alterum Iulij II. alterum verò Leonis X. Pontificum maximorum, quibus à quarta funerali parochis pendenda immunes redduntur, diligentius cuſtodiunt.

De conuentu B. Mariæ de Auiliano Campaniæ. Conu. XIII.

B TRANSMIGRAVIT olim deuotiſſima quædam Dei genitricis Mariæ imago ab Auiliano, Lucaniæ (vulgò Baſilicata) oppido, à quo & cognomen ſibi acceſſit, Campaniam, quæ antiqua ſatis ciuitas eſt,eamq; Campani ciues peculiari cultu proſequuturi, eodem prorſus in loco, in quo ſubſtiterat, vnico nempè milliari à mœnibus hunc conuentum ſimul & eccleſiam, in eiuſdem ſacroſanctæ Virginis honorem, ex proprijs facultatibus erigendum,perficiendumq; curarunt: quem duodecim fratres frequentius inhabitant. Viam vniuerſæ carnis ingreſſus fuit hoc in loco venerabilis, maximæq; perfectionis pater Damianus à Campania, qui & alijs, quamdiù vixit, benè viuendi norma factus eſt, & certiſſimum ſui obitus diem confratribus multò ante prædixit: quapropter cum cœlicolis beari exiſtimatur.

C *De conuentu S. Mariæ de Paradiſo OlIueti. Conu. XIV.*

SVMPSIT primò exordium conuentus hic, ſanctiſſimæ Dei genitrici Mariæ de Paradiſo ſacer, atq; Olíueti, quod Compſanæ diœceſis oppidum eſt, ſitus, anno à Chriſto Seruatore nato 1500. idq; communibus Oliuetanorum ſumptibus, atq; ex facultate Alexandri VI. Pont.max.cuius apoſtolicum breue,ea de re datum,apud duodecim fratres eius accolas curioſè aſſeruatur. Gaudet ſacra hæc ædes plurimis ſanctorum reliquijs,& primò quidem corpore ſancti Maccharij Abbatis,nucea arca in ſacriſtia recluſo, ad quod plurimi ab immundis ſpiritibus miſerè vexati atq; afflicti liberantur: deinde verò particula quadam ſanctiſſimæ crucis Chriſti: & oſſibus ſanctorum Petri, D Pauli, atq; Andreæ Apoſtolorum, Lucæ Euangeliſtæ, Laurentij martyris,ſanctorum Innocentum, Hieronymi eximij Doctoris, Zachariæ patris Ioannis Baptiſtæ, Coſmæ & Damiani martyrum, Herculani, & ſeptuaginta martyrum, atq; ſanctarum Mariæ Magdalenæ, Annæ matris Deiparæ Virginis, Agnetis, atq; Potentianæ virginum & martyrum: item plurimis reliquijs Terræ ſanctæ, atq; eius crucis in qua diuus Andreas Apoſtolus affixus glorioſam mortem obijt: quarum cauſa plura hoc in ipſo loco miracula contingunt, prout vota & tabellæ parietibus affixæ, patentiſſimè teſtantur.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Boccini. Conu. XV.

LICET fratres plurimis affligerentur incommodis, conuentusq; ſancti Mauri E habitatio, tum ob pagorum diſtantiam, tum quoq; ob fluuiorum inundationes, quos ſæpe ſæpius,ſi tamen occurrentibus neceſſitatibus conſultum cuperent, non abſq; præſentiſſimo vitæ diſcrimine ſuperare cogebantur, omnino ſibi eſſet onerosa, nihilominus tamen, quòd à Seraphico patre Franciſco acceptus, maioriq; ex parte conſtructus, quodq; ea propter in maxima eſſet apud ſeculares æſtimatione,eum à ſui origine, ad annum vſq; Dominicæ Incarnationis 1500. ſibi retinendum putarunt: quo deniq;, refrigeſcente fidelium charitate, emergentibusq; indies nouis difficultatibus, ad hunc conuentum, ex apoſtolica auctoritate, in honorem ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ de Gratijs,à pientiſſima Boccinenſi communitate, non procul ab eius oppido Boccino, ſibi de nouo paratum, adamuſſimq; ædificatum, relicto, tranſmigrare coacti ſunt. Huius itaq; loci habitatores denarium numerum perficiunt, & à quarta quoque funerali

rali curatis pendenda, ex quodam Leonis X. Pont. max. apoſtolico breui, quemadmodum & Ebolitani fratres, immunes redduntur. A

De conuentu S. Antonij de Padua Polæ. Conu. XVI.

SANE niſi nobis liber quidam manu ſcriptus, cui memorabilia quæq; occurrentia, vt ad poſterum tranſmitti valeant, conſultiſſimè à Polano ſenatu committuntur, opportunè adfuiſſet, iſtius quoq; conuentus, qui in honorem beati patris Antonij de Padua, anno à partu Virgineo 1541. ex publicis Polanæ ciuitatis ſumptibus, non longè ab eius muris conſtrui cœpit, ac non ita poſt multum temporis abſolutus eſt, quemadmodum & plurium aliorum præcedentium, originem, atq; antiquitatem (tanta fuit noſtrorum fratrum incuria atq; negligentia) penitus ignoraſſemus. Commorantur B deniq; hoc in loco 11. & aliquando 12. fratres.

De conuentu S. Franciſci Padulæ. Conu. XVII.

EXTAT apud patres oppidi Padulæ Cartuſianos liber quidam manu ſcriptus, eccleſiæ S. Laurentij ibidem erectæ conſtructionem concernens, quo liquidò conſtat, hunc conuentum, beatiſſimo patri Franciſco ſacrum, atq; non ita longè à pręfato oppido Padula conſtructum, ſui fundatorem authoremq; habuiſſe illuſtriſſimum Ioannem Thomam Sanſeuerinum, Marſicanorum Comitem, ac Padulenſium Dominum anno à ſalutifera Chriſti natiuitate 1380. cuius profectò in Franciſcanam Religionem deuotio incredibilis fuit. C Huius loci eccleſia, tum ob candidos eius habitatorum, qui numero ſunt 12. mores, tum ob bina ſacella ibidem erecta, quorum alterum Aſſumptioni virginis glorioſæ Mariæ, alterum verò Gratijs eiuſdem, atq; beneficijs ſacratum euaſit, tum Padulanis, tum quoq; eorum vicinis commendatiſſima eſt.

De conuentu Pietatis Diani. Conu. XVIII.

ILLVSTRISSIMIS pariterq; pientiſſimis heroibus Roberto Sanſeuerino Salernitanorum Principi, atq; ſancti Seuerini Comitiſſę eius matri Franciſcanum conuentum Diani, quod ſuæ ditionis oppidum erat, ædificare cupientibus, pro voto adfuêre Benedictinæ quędam moniales, quę proprium monaſterium, Pietati ſacrum, ac Dia- D nenſibus muris cinctum, vndiq; ruinam minitans, ſibi anno Domini 1474. relinquentes, aliò migrarunt. Quod tamen præfati Principes, ex apoſtolica Sixti IV. Pont. max. ſibi facta facultate, acceptantes, omninoq; ex domeſticis facultatibus prius reficientes, aliquantulumq; ampliantes, 14. noſtræ Religionis fratribus, ſub eodem prorſus Pietatis titulo, inhabitandum contulêre. Præfatum Sixti Papæ IV. breue, ſimul atq; aliæ quædam apoſtolicæ literæ tum Leonis X. quibus fratres ab omni ſæcularium Prælatorum vexatione redimuntur, tum eiuſdem Sixti IV. quibus hanc ſacram ædem in feſto Natiuitatis glorioſæ virginis Mariæ viſitantibus, dummodò per ſacramentalem confeſſionem commiſſa peccata abſterſerint, plenaria indulgentia conceditur, tum quoq; Iulij II. ſummorum Pontificum, quibus Minoritæ Obſeruantes à quarta funerali exoluenda eximuntur, in patris Guardiani cubiculo diligentius aſſeruantur. E

De conuentu S. Antonij de Padua Laurini. Conu. XIX.

CVM primùm apoſtolica Gregorij XIII. Pont. max. auctoritas, cuius breue in cubiculo patris Guardiani aſſeruatur, tum Illuſtriſſimo Ioanni Antonio Carrafæ oppidi Lauretini Domino temporali, tum quoq; Laurinenſi communitati, 3. Februarij, anno verò à mundi redemptione 1579. aſpiraſſet, ambo ſimul, collatis pro rata in medium neceſſarijs ſumptibus, hanc ſacram ædem in honorem beati patris Antonij de Padua, ad 500. paſſus à præfato communi oppido, ædificandam curarunt. Quam tamen,

A men, quòd nondum vltimam artificis manum experta ſit, 9. tantùm fratres inhabitant, plures aliquando Deo auſpice inhabitaturi.

De conuentu S. Franciſci Ioij. Conu. XX.

ANNVENTE Paulo II. Pont. max. conuentus hic Seraphico patri Franciſco, ex communibus Ioienſium facultatibus, non procul ab eorum communi oppido Ioio, (vulgò Loioio) circa annum à lætabunda Chriſti natiuitate 1466. erectus, ſacratusq; fuit: quem 12. fratres frequentius inhabitant. Huiuſmodi verò apoſtolicæ conceſſionis breue alteri Sixti IV. quo cauetur, ne Franciſcani profeſſi ad aliam Religionem admittantur, & alteri eiuſdem, quo Franciſcanę paupertatis forma exponitur, atq; alijs duobus eiuſdem quoq; Sixti IV. ſed parum ad rem noſtram pertinentibus, in-
B ſuper & alij Leonis X. ſummorum Pontificum, quo Franciſcanæ Religioni vniuerſæ gratiæ atq; indulgentiæ, patribus in monte Carmelo degentibus à ſummis Pontificibus max. conceſſæ, communicantur, adiunctum, in cubiculo patris Guardiani huius loci fideliſſimè cuſtoditur.

De conuentu S. Franciſci Peſciottæ. Conu. XXI.

LICET nullum aliud eximię ſanctitatis, atq; in Chriſti ſeruos pietatis illuſtriſſimę Ioannæ Aragonæ, ab huius conuentus erectione, qui non procul à Peſciotta oppido, cuius & ipſa temporalis Domina fuit, in honorem ſanctiſſimi patris Franciſci erectus, certò certius ab ea, anno Domini 1522. ædificatus aſſeritur, nobis
C ſuppeteret teſtimonium, ſatis profectò eſſet, vt illam verè piam, vereq; Chriſto charam prædicaremus: Sed tot alia ab eo ſuccurrunt, vt id admirationem nos omnino inducant: præcipuè verò illud, quod Peſciottanis familiariſſiſimum, indubiumq; eſt. Dum enim immanis Turcarum ferocitas crudelius in huius oppidi Peſciottæ accolas, domos, atq; etiam templa deſæuiret, aliquotq; Turcę hanc ſacram ædem, quam & omnino ſpoliarunt, ingreſſi, eius venerabile corpus honeſta arca recluſum, quod vſque in præſens integrum perſeuerat, detexiſſent, aliquidq; ludibrij ſibi meditarentur, tantus eos terror, pauorq; inuaſit, vt illud intactum omnino, licèt denudatum, relinquere coacti ſint. A quo etiam tempore tum apud Peſciottanos, tum quoq; apud quoſq; alios in maxima veneratione eſt. Ex hoc quoq; oppido oriundus fuit conſimilis ſanctitatis pater Franciſcus à Peſciotta Franciſcanus, qui dum ex Hiero-
D ſolymis rediret, nautis eius nauis, qua vehebatur, naufragium, antequam tempeſtas exoriretur, cœlo adhuc ſereno, prædixit, eoſq; bono animo eſſe iuſſit, quandoquidem ſolus ipſe periclitaturus eſſet: quod & rei euentus comprobauit: Nam non ita poſt multum temporis, poſtquàm diligentiſſimè fratri ſibi ſocio omnes exceſſus in confeſſione detexiſſet, ſuperueniente maxima tempeſtate, nauiq; ad litus alliſa, atq; cæteris omnibus periculum euadentibus, ſolus ipſe perijt. Quem tamen mortuum, ſed flexis genibus, manibusq; complicatis ad orantis modum, iuxta litus reliqui naufragantes inuenerunt, optimoq; loco recondi curarunt. Commorantur deniq; hoc in loco decem fratres.

De conuentu Annunciationis B. Mariæ Lazaroli. Conu. XXII.

E

CVM illuſtriſſ. Ioannes Franciſcus Pudericus morti propinquus hæredibus ſuis, vt ex annuis obueniẽtis hęreditatis redditibus Franciſcanũ conuentũ, ſimul atq; eccleſiã ſibi contiguã, Annunciationi glorioſiſſimæ virginis Mariæ ſacram, propè maritimum litus, in loco, qui Lazarolus nuncupatur, conſtruerent ex teſtamento præcepiſſet, pij ſucceſſores, poſt aditam hæreditatem, hoc monaſterium in loco ſibi præſcripto, ex Iulij III. Pont. max. auctoritate, anno Dominicæ Incarnationis 1560. ſibi facta, omnino iuxta teſtatoris voluntatem conſtruendum curarunt, ac 9. fratribus inhabitandum tradiderunt: qui apoſtolicum conceſſionis breue penes ſe quàm diligentiſſimè cuſtodiunt. Nec miraculo caret: quòd cùm, inter ædificandam huius conuentus

eccleſiam, præcipuus eius architectus iuxta maritimum litus à Turcicis pyratis cape- A
retur, ſe ſeq; Virgini glorioſæ huius loci commendaſſet, ſtatim vt à claſſis Præfecto
viſus eſt, præter illius gentis morem atq; immanitatem, ob Dei amorem gratis fue-
rit libertate donatus, atq; illęſus omnino ad propria remiſſus.

De conuentu S. Franciſci Cilenti. *Conu.* *XXIII.*

CONVENTVS hic, beatiſſimo patri Frāciſco ſacer, ac inter medios pagos eius patriæ, quæ Cilentum dicitur, opera atq; ſumptibus eorundem conſtructus, quemadmodum ex eius ſtructura, ac ex vetuſtiſſimis quibuſdam ſcripturis conſtat, à beato patre Bernardino de Senis primò admiſſus, atq; circa annum Domini 1417. occupatus fuit: in quo vitam ducunt Minoriticam 12. fratres Obſeruantes; ſequenteſq; B venerandæ reliquiæ, videlicet pars ligni ſanctiſſimæ crucis Seruatoris Chriſti, fragmentulum columnæ ad quam alligatus, flagellatuſq; fuit idem Dominus, & oſſium particulæ ſanctæ Catharinæ virginis & martyris, cum quibuſdam etiam alijs Terræ ſanctæ reliquijs, ſolicitè aſſeruantur.

De conuentu S. Franciſci Altauillæ. *Conu.* *XXIV.*

PROFECTO niſi inſignia parietibus eccleſiæ impreſſa, ac lapis cuidam fornici eiuſdem appoſitus nos fallant, quandoquidem nulla neq; traditio, neq; etiam ſcriptura ſuppetit, conuentus hic ac eius eccleſia, Seraphico patri Franciſco ſacra, ad mille paſſus ab oppido Altauilla diſtantes, à ſpectabilibus Cardouiana, atq; Sanſeuerina familijs, circa annum à partu Virgineo 1435. constructæ fuerunt. Nam præfata C inſignia vtriuſq; proſapiæ ſtemmata præſeferunt. Quicquid tamen ſit, cùm nihil aliud liquidò conſtet, à 12. fratribus frequentius inhabitatur.

De conuentu S. Franciſci Caſtellutij. *Conu.* *XXV.*

EX apoſtolica auctoritate ab Eugenio IV. Pont. max. beato patri Ioanni Capiſtrano facta, (cuius ſuperius aliquoties meminimus) hunc conuentum in honorem Seraphici patris Franciſci, communibus oppidi Caſtellutij ſumptibus, non procul à præfati oppidi vallo ædificandum acceptauit, cæteriſq; patrum Obſeruantum locis, circa annum ſalutis humanę 1444. adiecit venerabilis pater frater Bernardinus à Salerno. D Quem poſtea omni ex parte perfectum duodecim fratres frequentius incoluerunt. Si cui fortè erga huiuſcemodi Eugenianæ conceſſionis veritatē ſcrupulus aliquis oboriatur, huius loci archiuum conſulat, apoſtolicumq; ipſius breue attentè legat, & eum à ſe ſtatim euulſum experietur. Commendatiſſimam reddunt hanc ſacram ædem venerabilia quædam oſſa ſanctorum Ioannis Baptiſtæ, Pauli Apoſtoli, Stephani prothomartyris, atq; Georgij, & Petri martyrum, necnon & quidam lapides ex Terra ſancta allati.

Sequuntur monaſteria monialium.

De monaſterio B. Mariæ de Pietate Maioris. *Mon.* *I.* E

PROVINCIA hęc (vt præfati ſumus) tria ſanctimonialium monaſteria complectitur, quorum primum Maioris, (de quo impræſentiarum) alterum Salerni, tertiū verò & vltimū Ioij ſurrigit. Sed pręſens, quod quadraginta ſororibus Tertiarijs ſiue de Tertio Seraphici patris Franciſci Ordine deſeruit, ac glorioſiſſimę virgini Marię de Pietate ſacratum eſt, muris oppidi Maioris cingitur, peculiaribuſq; ſumptibus peritiſſimi Medici ac eximij Doctoris Lucę Staiuani ex teſtamento legatis, ædificatum fuit: in quo ſingulari pietate, ac elegantiſſimis moribus claruit ſoror Anna Mariconna omnium huius loci ſororum anteſignana ac primigenia.

De mona-

A

De monaſterio Tertiariarum Salerni. *Mon. II.*

SVBIACET quoq; curæ huius Prouinciæ Miniſtri monaſterium Tertiariarum ſororum Franciſcanarum Salerni erectum, in quo ſub Tertio ſeraphici patris Ordine diuinis incumbunt laudibus 30. ſacræ virgines, nobiles tamen : Nam ea eſt iſtius loci inuiolabilis lex, vt nulla penitus ad habitum, & communem cum alijs profeſſionem, niſi nobilis, admittatur. Quis autem huiuſce legis conditor, vel ipſius conuentus fundator extiterit, vel à quo tempore id opus conſurrexerit, direptis, laceratis, atque exuſtis à truculento Turca omnibus ſcripturis in Salernitana illa deploranda expugnatione, nullatenus conſtat.

B Sunt quoque Salerni tria alia monialium monaſteria, quorum duo Clariſſis, ſed Vrbaniſtis, ac loci Epiſcopo ſubactis, deſeruiunt : ſed tertium, quod olim à Franciſcanis ſororibus Tertiarijs habitatum fuit, modò Dominicanis monialibus paret; & licèt Epiſcopo ſubiaceat, eius tamen ſorores, ex eiuſdem reuerendiſſimi Epiſcopi licentia, noſtri Ordinis confeſſarium habent.

De monaſterio S. Iacobi Iolij. *Mon. III.*

HOC deniq; ſacrum, ac vltimum huius Prouinciæ monaſterium, quod viginti Tertiariæ ſorores Franciſcanę inhabitant ab illuſtriſſimo Berlingerio Carrafa oppidorum Laurini, atq; Ioij temporali Domino, in honorem diui Iacobi Apoſtoli, non
C ita ante multos annos, ex domeſticis facultatibus, ad apicem vſq; ædificatum extitit.


PROVINCIA
.7.MARTIRVM
.S. DANIEL CVM SEX SOCIIS MARTIRIBVS

PROVINCIA SEPTEM MARTYRVM.

A NON vna tantum aut altera cauſa fuit, quæ me ad antiquiorem Calabriæ Prouinciam diuidendam impulit, ſed plures. Cùm enim ea regio, Calabria ſcilicet, in ſuperiorem, atq; inferiorem diſtinguatur, & accolarum iſtius mores ab ijs, quibus illius incolæ vtuntur, maximè differant, non raro fiebat, vt iſti quoque ab illis diſſentirent, & communis quoq; pax aliquando detrimentum pateretur. Pręterea ea erat eius latitudo, vt vix à Prouinciali Miniſtro pro debito viſitari, & exoriētibus difficultatibus occurri poſſet. Acceſſit deinde vtriuſq; gentis inſtantiſſima atq; rationabilis petitio, cui tergiuerſari non potui. Acceſſerunt quoque & aliæ vrgentes cauſæ, quas tamen ſilentio præterire volui. His igitur rationibus adductus, inſtantibus omnium patrum, quorum intererat, votis, eam in prouincia-
B libus Comitijs Nicaſtri 13. menſis Iulij, anno verò à Chriſto Seruatore nato 1580. celebratis, in duas, nempè Septem Martyrum, (de qua impræſentiarum) atq; Calabrię Prouincias præuia licentia Gregorij XIII. Pont. max. diſtinxi: ſed iſti inferiorem Calabrię portionem, illi verò ſuperiorem attribui. Nec propterea hæc noſtra Septem Martyrum Prouincia montuoſa omnino, ſterilis, aut aſpera, quòd ſuperior Calabria ſibi contigerit, exiſtimanda eſt, cùm plurimis, ijſq; placidiſſimis fluuijs irrigua, fertilis, permeabilis, atq; ſatis amœna ſit. Abundat nihilominus montibus, ſed fructiferis atq; feraciſſimis. Cui etiam illud adiacet, vt videlicet vtroq; mari Adriatico & Mediterraneo alluatur. Hæc igitur noſtra Prouincia, omni ex parte fœcunda, ex 21. fratrum
C conuentibus, quorum anteſignanus is eſt, qui Rhegyj in honorē Annunciationis B. Mariæ conſurgit, conſtat, pluresq; pios patres, doctos, ſuiq; ſtatus ac profeſſionis zelotes, immo & glorioſos quoq; martyres, de quorum numero ſunt beatus pater Daniel, olim Calabriæ Miniſter, eiuſq; ſocij Angelus, Samuel, Donulus, Leo, Hugolinus, atq; Nicolaus: quos etiam ſibi, veluti eius patronos, atq; nominis, tituliq; datores iconicè depictos præponendos pro ſolito more volui, Chriſto ac ſeraphicę noſtræ Religioni peperit. Eius ſigillum maius præfatos ſeptem martyres, beatum ſcilicet Danielē in medio ſtantem, pugioneq; in ſiniſtro humero confixum, atq; ſiniſtra librum, ſed dextera palmam tenentem, eiuſq; ſocios, ternos & ternos vtrumq; eius latus claudentes, & ab vmbilico tantum prominentes, lucidiſq; nubeculis innixos, atq; palmas dextris
D quoq; geſtantes, capitibuſq; pugionibus ictis: inſuper & binos ſeraphinos, alterum quidem beati Danielis capiti imminentem, ſed alterum eius pedibus ſubſtātem, ſequenteſq; literas, SIGILLVM. PROVINCIÆ. SANCTORVM. SEPTEM. MARTYRVM. CALABRIE. in gyro imprimit.

De conuentu Annunciationis B. Mariæ Rhegyi. *Conu. 1.*

RHEGYVM antiquiſſima Archiepiſcopaliſq; ciuitas, atq; in finibus agri Brutij ſita, Charybdi viciniſſima eſt: adeò vt fluctibus alluatur, Meſſanamq; famoſam Siciliæ ciuitatem è regione, ex altera ſcilicet Charybdis parte, proſpicit. Cuius tamen calamitas tanta eſt, vt iam tertio à Turcica ſuperueniente claſſe direpta, expilataq; ſit:
E quod & in cauſa eſt, vt huius conuentus, fœliciſſimæ Annunciationi glorioſiſſimæ virginis Mariæ ſacri, qui intra eius vallum ſurrigit, nec fundatorem, nec fundationis tempus vllo pacto ex aliquibus ſcripturis, Turcica rabie in tantum ſeuiente, vt omnes Vulcano ſacrarit, inueſtigare potuerimus. Si tamen ex certiſſimis indicijs aliquid coniectare liceat, præfatus hic locus, quem circiter viginti fratres inhabitant, à venerabili patre fratre Paulo Sinopolitano, beati patris Bernardini de Senis integerrimo ſocio, vel ſaltem eius opera, communibus tamen Rhegynorum ſumptibus, ſub eiuſdem beati patris Bernardini de Senis temporibus, ædificatus fuit. Hinc tranſiêre olim ad patres Capuccinos quadraginta fratres ſub patribus Ludouico, atque Bernardino ſiue Geor-

gio eorum ducibus, qui naſcenti tunc illi Religioni, ac nouellæ plantulæ; ſua doctrina, auctoritate, ac ſacris concionibus, plurimum accrementi attulêre. A

De conuentu B. Mariæ de Succurſu Scyllæ. Conu. II.

SANCTISSIMO Pio V. ad totius Eccleſiæ militantis, & reuerendiſſimo patre fratre Aloyſio Puteo ad vniuerſi Minoritici Ordinis Obſeruantis, reuerendo verò patre fratre Hieronymo à Chriſto ad Calabriæ Prouinciæ clauum ſedentibus, ſacra hęc ædes, quam frequentius decem fratres inhabitant, ab illuſtriſſimo Fabritio Ruffo, Sinopolitanorum Comite, ex incredibili in Franciſcanam familiam affectu, propè Scyllam, fabuloſum Poëtarum ſaxum, Charybdiq; ex aduerſo obiectum, in honorem ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ de Succurſu, non minus opportunè, quàm piè conſtructa eſt. B Cùm enim intermedius Charybdis, Scyllæq; locus prænauigantibus periculoſiſſimus ſit, conſtruendum veniebat è regione vnum aliquod templum, glorioſiſſimæ virgini Mariæ ſacrum, cuius auxilium ijſdem periclitantibus, ſuaq; vota inibi ſibi offerentibus, in tempore adeſſet, prout & modò adeſt. Vnde meritò Succurſus ſibi cognomen inditum eſt.

De conuentu S. Franciſci Sinopolis. Conu. III.

AMOENISSIMVS eſt profectò hic conuentus, Seraphico patri Franciſco ſacratus, ac à duodecim fratribus vt plurimum incultus, cùm duplici aquarum riuulo cinctus, atq; aliquantulum à Sinopoli oppido ſemotus, pulcherrimo proſpectu, C abundantibusq; hortis, ijsq; fœcundiſſimis, gaudeat. De cuius tamen origine, atq; authore, deficientibus omnino ſcripturis, id tantùm ex quibuſdam indicijs, atq; ſeniorum traditione referre poſſumus: quòd videlicet communibus tum Sinopolitanorum, tum quoq; eorum Comitis ſumptibus, ante centum annos conſtructus fuerit. Quod & mihi maximè probatur: Conſtat ſiquidem eum plurimis annis Frãciſcanis patribus Conuentualibus ſubiacuiſſe, ijsq; tum Sinopolitanorum, tum quoq; cuiuſdam eorum Comitis, atq; Fabritij Ruffi etiam Comitis (cuius ſuperiori loco meminimus) paterni aui, tanquam loci fundatorum opera, ex apoſtolica auctoritate, aliò abire iuſſis, ad noſtros fratres deuolutum eſſe. D

De conuentu S. Mariæ de Angelis Seminariæ. Conu. IV.

QVAMVIS inſtrumentum quoddam publicum, in fratrum fauorem Seminarię, quæ Calabriæ ciuitas eſt, anno Domini 1436. actum, nos minimè de huius conuentus erectione, erectioniſq; tempore certiores redderet, ex eius tamen ſtructura, atq; ſeniorum traditione facilè didiciſſemus, eum à præfato beato patre Paulo Sinopolitano, Seminarienſium tamen tum publicis, tum quoq; priuatis ſumptibus, ſibi fauentibus, conſtructum fuiſſe. Quod proculdubio Eugenio IV. Pont.max. ſedente contigit: Nam nec loci diſpoſitio, nec ædificium ipſum, licèt maiori ex parte reparatum, aliud quidpiam à vetuſta illa paupertate, priſcorumq; patrum humilitate præſefert. Surrigit autem hic conuentus, cuius eccleſia ſanctiſſimæ Mariæ de Angelis ſacrata euaſit, E intra præfatæ ciuitatis Seminariæ muros, ac viginti fratres commodiſſimè continet. In eius tamen ſacrario infraſcriptæ venerabiles reliquiæ ſumma veneratione aſſeruantur; videlicet particula ſanctiſſimæ crucis Chriſti, & fragmenta tum columnæ ad quam idem alligatus fuit, tum quoq; ſepulchri eiuſdem, atq; aliquot oſſa ſanctorum Petri Apoſtoli, Laurentij martyris, Gregorij Papæ, Martini Epiſcopi, Petri martyris, Sebaſtiani quoque martyris, atq; Catharinæ virginis ſimul & martyris: quas omnes pater quidam Guardianus Hieroſolymitanus, ſufficientiſſimo teſtimonio communitas, deuotionis augendæ ergò, Hieroſolymis ad hunc locum tranſmiſit.

A *De conuentu Conceptionis B. Mariæ Oppidi. Conu. V.*

EX facta ſibi facultate à Clemente VI. Pont. max. pientiſſimus, nec non illuſtriſſimus Ioannes Antonius Caracciolus hunc conuentum puriſſimæ Conceptioni Deiparæ Virginis ſacrum, intra Oppidi muros, quę Epiſcopalis ciuitas, editoq; monti contigua eſt, & ex maxima in Deum pietate, ac in glorioſam Virginem, eiusq; limpidiſſimum conceptum deuotione, proprijs ſumptibus, circa annum à lætabunda Chriſti natiuitate 1530. a fundamentis erigendum, atq; omnibus ſuis numeris abſoluendum curauit. Inſuper & à ſummo Pontifice Iulio III. inpetrauit, vt annuam quandam eleemoſynam à ſuis ſucceſſoribus perpetuò pendendam, pro huiuſmet loci fratrum, qui
B numero frequentius ſunt 15. victu & amictu ex teſtamento legare poſſet, prout & fecit. Apoſtolicum vtriuſq; ſummi Pontificis breue in iſtius monaſterij tabellario inuenire licebit.

De conuentu S. Mariæ de Angelis apud ſanctam Chriſtinam. Conu. VI.

ANNO Incarnationis Dominicæ 1567. ſub R. P. F. Chriſtophoro à Capite fontium, totius Ordinis Minorum Regularis Obſeruantiæ Generali Miniſtro, atq; ex reuerendiſſimi domini Sigiſmundi Mangiarruuæ Oppidenſis Epiſcopi conceſſione, ſumptibus tamē publicis cōmunitatis ſanctæ Chriſtinæ, quod Oppidenſis diœceſis oppi-
C dum eſt, altioriſq; cuiuſdam montis radices attingit, ſacra hæc ædes in honorem ſanctiſſimæ Mariæ de Angelis conſtructa fuit, atq; impræſentiarum à 12. fratribus inhabitatur. Cuius quidem promotioni non parum incubuit egregius pater frater Hieronymus à Chriſto, cuius ſupra mentio facta eſt.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Bouolini. Conu. VII.

AN potius ex proprijs nobilis cuiuſdam Thomæ Merulæ facultatibus, an vero ex alienis conuentus hic cum adiuncta ſibi eccleſia, qui ſub titulo ſanctæ Mariæ de Ieſu in litore Adriatici maris ſurrexit, conſtructus ſit, ſeniorum traditionibus inter ſe
D ſe pugnantibus, non ſatis conſtat. Nam alij intrepide aſſerunt mercatores quoſdam Genuenſes ex Oriente regredientes, vt imminens ſibi naufragium euaderent, ſeſe ad vnius Minoritici monaſterij conſtructionē in primo Chriſtianorū litore occurrente, ex communi voto, obligaſſe, illoſq; ſaluis mercibus, & naui ad Bouolinum oppidum, maritimumq; portum appulſos, promiſſi memores ſufficientē pecuniarum ſummam ad operis exequutionem præfato Thomæ Merulæ, ne cœptum iter diutius ſuſpenderent, contuliſſe. Vnde & hic locus aliquantulum à Bouolino Orientem verſus, nobis prodijt. Alij verò hoc inficiantur, contenduntq; anile penitus commentum eſſe, inſuper & aſſeuerant ipſum ex peculiaribus tantùm Thomæ Merulæ bonis ædificatum fuiſſe. Quicquid tamen ſit, hoc certiſſimū eſt, pręſentē ſcilicet conuentū opera ipſius Thomæ Merulę, anno à Chriſto Seruatore nato 1508. atq; ex facultate Iulij II. Pont. max. ini-
E tium, atq; etiam finem habuiſſe. Quod & apoſtolicum eiuſdem Iulij II. breue, penes 14. fratres huius loci accolas diligenter aſſeruatum, cùm ipſius tantùm Thomę, tanquam fundatoris, mentionem faciat, comprobare videtur.

De conuentu S. Franciſci Terrænouæ. Conu. VIII.

DVXIT originem beatus pater Paulus Sinopolitanus (cuius ſupra primo huius Prouincię loco pertranſeundo meminimus) ex oppido Sinopoli, de quo paulò ante: cumq; ob eius candidiſſimos mores, integerrimamq; vitam beato patri Bernardino de Senis, Generali tunc totius familiæ Franciſcanę Obſeruantis, ſed Ciſmontanæ, Vicario gratiſſimus ſocius eſſet, ad hanc terræ plagam Prouincialis Vicarius, vt oblatos
ſibi

ſibi conuentus, ex apoſtolica ſibi facta facultate, acceptaret, alioſq; de nouo erigeret, A atq; eorum fratribus præeſſet, conſultiſſimè ab eodem deſtinatus fuit. Cuius auctoritate fretus hanc ſacram ædem, beatiſſimo patri Franciſco dicatam, atq; peculiaribus Terranouenſium ſumptibus, ad prærupti cuiuſdam montis radices, ſecundo tamen milliari à Terranoua communi eorum oppido ædificatam, anno ſalutis humanæ 1444. admiſit, acceptauitq;: inſuper & contiguum conuentum eorundem opera ſibi coædificari curauit, quem 18. fratres, & ſæpius 20. incolunt. De cuius amœnitate, & deuotione non ſatis loqui poſſemus: cùm abundantiſſimis aquis irriguus, atq; ſyluis circundatus, ſui habitatores, alioſq; accedentes ad diuinorum contemplatione maximè prouocet, ſpirituſq; ad æthera eleuet. Aſſeruatur in huius loci archiuo plumbea quædã bulla, data ab Eugenio IV. Pont.max. anno Dominicæ Incarnationis 1439. & confirmata à Sixto etiam IV. atq; Clemente VII. ſummis itidem Pontificibus, qua Pro- B uincialibus Miniſtris fratrum ſibi creditorum ſolicita cura commendatur, inſuper & conceditur, vt Minores Obſeruantes mortuos apud ſe ſepelire, eorumq; exequias celebrare, atq; annuas eleemoſynas pecuniarias, & legata ex teſtamento relicta, quæ tamen in pios, neceſſarioſq; vſus exponenda veniant, recipere poſſint: ac tum demum, vt frater fratri confiteri valeat, fit facultas. In ſacrario verò altera ex ſacris Dominicæ coronæ ſpinis venerabilius cuſtoditur.

De conuentu S. Mariæ de Muſciminis Iotrinoli. *Conu. IX.*

IOTRINOLENSIS communitas ſuis conterraneis ac patribus fratri Antonio, C & frati Ludouico à Iotrinoli aliquod obſequium præſtitura, hanc ſacram ædem, ſimul atq; adiunctum ſibi conuentum in honorem ſanctæ Mariæ de Muſciminis, non procul à communi pago Iotrinoli, ex conceſſione tamen Gregorij XIII. Pont. max. cuius apoſtolicum breue penes 9. fratres eius accolas aſſeruatur, anno à partu Virgineo 1575. erigendum ædificandumq; curauit.

De conuentu Conceptionis B. Mariæ Poliſtinæ. *Conu. X.*

SI iuxta fratrum numerum cuiq; iſtius Prouinciæ conuentui proprius locus aſſignandus foret (licèt eorum antiquitas non ita nobis ſit cordi, vt nunquam iuniorem vetuſtiori anteferre velimus) profectò huic, qui propè Poliſtinam oppidum, ex Leonis X. Pont. max. facultate anno à mundi redemptione 1520. à Poliſtinate ſenatu, ex D publicis facultatibus in honorem candidiſſimæ Conceptionis glorioſæ ſemper abſq; macula Dei genitricis Mariæ conſtructus eſt, primus omnino deberetur, cùm omnes ferè alios ſtructura, atq; magnitudine, immo & fratrum numeroſitate (continet ſiquidem 30. fratres) antecellat: qua etiam de cauſa in communem totius Prouinciæ infirmariam electus eſt: & conſultiſſimè quidem, cùm in eius ferè meditullio conſtitutus opportunè ad ſe aduentantes infirmos excipiat: ſed cùm præfata antiquitatis ſeries non ſit nobis (vt prefati ſumus) à propoſito, hoc decimo loco contentus erit. Non minus tamen quàm Poliſtinatum laudanda venit patris ac fratris Philippi Taffurenſis opera, cùm plurimum quoq; ad huius conuentus promotionem præſtiterit.

E

De conuentu S. Philippi Qunquefrondibus. *Conu. XI.*

LICET hic conuentus, beato Apoſtolo Philippo ſacratus, atq; à nobiliſſima Anoiorum familia, circa annum à partu Virgineo 1445. ex facta ſibi ab Eugenio IV. Pont. max. facultate, conſtructus, nemoroſus, altiſſimiſq; montibus contiguus ſit, nihilominus tamen 12. fratribus ſui habitatoribus tum victui tum quoq; amictui neceſſaria ſatis abundè ſubminiſtrat: Nam ea eſt tum proximi oppidi Quinquefrondium, tum quoq; conuicinorum pagorum ad eum deuotio, & nihil incommodi eũ patri ſinat.

De conuentu

A

De conuentu S. Franciſci ibidem. *Conu. XII.*

QVAMVIS meminimè lateat quanta cum difficultate bina, vel etiam plura noſtri Ordinis loca in vno & eodem oppido ſubſiſtere poſſint: cùm ſibi omnis rerum proprietas denegata ſit, coganturq; quotidiana emendicatione ſibi neceſſaria quęrere: Ea tamen fuit illuſtriſſimi Fabritij Ieſſonis præfati oppidi Quinquefrondium temporalis Domini inſtantia, eaq; tum ipſius, tum quoq; Quinquefrondenſium ad noſtros fratres deuotio, vt nullo pacto, dum vniuerſi noſtri Inſtituti gubernaculum tenerem, ſibi huius ſecundi conuentus conſtructionem, iuxta conceſſionem mihi à ſummo Pont. Gregorio XIII. factam, denegare potuerim. Impetrata igitur mea facultate, atq;
B Ordinarij eiuſdem loci conſenſu accedente, prefatus Fabritius Ieſſo hanc ſacram ędem, vnà & annexum conuentum in honorem Seraphici patris Franciſci, anno Dominicæ Incarnationis 1580. non procul à prędicto oppido Quinquefrondium, ex domeſticis facultatibus, à fundamentis ad apicem vſq; ædificandam curauit: quam & 9. fratres commodiſſimè inhabitant.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Druſii. *Conu. XIII.*

CVM pientiſſima Druſienſis communitas tanquam illuſtriſſimi Fabricij Ieſſonis (cuius præcedenti loco mentio facta eſt) nobilis æmulatrix, à me alterius apud ſe conuentus erigendi facultatem eodem anno, nempè 1580. non minus inſtanter quàm
C piè petijſſet, non potui non iuſtiſſimis eius votis aſſentire. Quo deniq; aſſenſu accedente, hanc ſacram domum in honorem ſanctiſſimæ virginis Mariæ de Gratijs, non procul ab eius oppido Druſio, quod ſacræ Melitenſi militiæ paret, ex tempore à fundamentis erigendam, breuiq; temporis interuallo omnibus ſuis numeris abſoluēdam curauit.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Medamæ. *Conu. XIV.*

SEQVENTIBVS equidem, ac plurimis alijs de cauſis conuentus hic, beatiſſimæ virgini Mariæ de Gratijs ſacratus, ac propè Medamam, (vulgo Nicotara) Calabriæ ciuitatem, Mediterraneiq; maris fluctibus allutam, ſitus, in maxima veneratione apud Medamitas eſt: Tum quia à beato patre Paulo Sinopolitano, anno à par-
D tu Virgineo 1459. primò acceptus, eiuſq; opera ædificatus: tum quia eiuſdem beati patris venerabile corpus ibidem honorificè ſepultum innumeris coruſcat miraculis: tum quia quędam eiuſdem glorioſę Virginis imago, ibidem quoq; erecta, mirũ in modum mortales ad deuotionem allicit: tum deniq; quia 30. fratres eius accolæ debita cum grauitate atq; reuerentia diuinum perſoluunt officium, opportuneq; illis tum in ſacris confeſſionibus excipiendis, tum quoq; in verbi miniſterio adſunt.

De conuentu ſancti Sergij Tropeæ. *Conu. XV.*

AEDIFICARANT ſibi olim, anno ſcilicet Domini 700. quidam monachi (ni fallor) S. Baſilij, nationeq; Græci monaſterium, diuo Sergio ſacrum, in iugulo cu-
E iuſdam montis, longiuſculus à Tropea Epiſcopali, maritimaq; ciuitate, inibiq; tum ipſi, tum quoq; alij plurimi eorum ſucceſſores per aliquot annorum centurias habitarunt. Quibus tamen omnino abſumptis, ne locus habitatoribus deſtitutus, ruinæq; proximus ad terram omnino veniret, profanareturq;, venerabili cuidam patri fratri Auguſtino à Florētia, Prouincię tunc Calabrię Vicario, ad ſui ſuorumq; fratrum vſum, ex conceſſione tamen reuerendiſſimi Nicolai Tropeani Epiſcopi, cuius eę partes erant, anno à partu Virgineo 1421. à Tropeano ſenatu conceſſus, collatusq; fuit. Cuius etiã opera, iam maiori ex parte collapſus, reparatus reſarcitusq; extitit. Nec minori beneuolentia & cura decem fratres iſtius loci habitatores ab eius ſucceſſoribus, alijsq; ciuibus aluntur.

De conuentu

De conuentu Annunciationis B. Mariæ ibidem. Conu. XVI.

PIENTISSIMVS idem Tropeanus ſenatus, vt eius beneuolentia ſingulariſq; affectus in Franciſcanam Obſeruantem familiam magis, magiſq; omnibus innoteſceret, adiecit, vt & hunc quoq; conuentum, fœliciſſimę multiſq; nominibus celebrandę Annunciationi glorioſiſſimę Dei genitricis Marię ſacrum, propius Tropeam communem ciuitatem à pręcedenti, ex publicis facultatibus, circa annum ab eiuſdem ſacratiſſimæ Virginis partu 1531. à fundamentis ad apicem vſq; liberaliter ædificaret, huic Prouinciæ liberalius conferret. Cuius duodecim fratres commodiſſimè ibidem commorantur. B

De conuentu B. Mariæ de Jeſu montis Leonis. Conu. XVII.

VEL ex hac ſacra ęde, intra mœnia Montis Leonis, Calabrię oppidi, in honorem ſanctiſſimæ Mariæ de Ieſu erecta, illuſtriſſimi Hectoris Pignatelli eiuſdem oppidi temporalis Domini in Franciſcanum Inſtitutum beneuolētia, animiq; propenſio maniſeſtiſſima euadet: Cùm anno ſalutis humanæ 1533. peculiaribus eius ſumptibus, ex apoſtolica tamen Leonis X. ſummi Pontificis auctoritate adamuſſim conſtructa, elegantiſſimiſq; ſanctorum tum marmoreis, tum quoq; alabaſtrinis iconibus exornata, atq; pulcherrimo conuentu, ad commodam 10. fratrum habitationem, communita fuerit: penes quos apoſtolicum præfatæ auctoritatis breue adhuc inuenire licebit. C

De conuentu ſancti Antonij Cacuminis. Conu. XVIII.

QVAMVIS fratres conuentum ſibi extra vallum ædificatum cuperent, vt ſæcularibus expediti Deo liberius vacare poſſent, tamē illuſtriſſimus Carolus Sanſeuerinus oppidi Cacuminis (vulgò il Pizzo) pientiſſimus Comes, cuius eæ partes erant, ne Turcarum pyratarum iniurijs exponerentur eis, minimè annuendum iudicauit. Quamobrem, conciliato ſibi Superioris eorum aſſenſu, cum primùm Sixti IV. Pont. max. cuius apoſtolicum breue adhuc perſeuerat, auctoritas acceſſit, hanc ſacram ædem, beato patri Antonio de Padua dicatam, ſuis ſumptibus, intra præfati oppidi ambitum, anno Dominicæ Natiuitatis 1474. à fundamentis erigi, ac breuiſſimo D temporis interuallo abſolui curauit. Cuius tanta eſt capacitas vt 20. fratres, immo & plures, ſi adeſſent, commodiſſimè capiat.

De conuentu S. Antonij de Padua Scyllatij. Conu. XIX.

SCYLLATIVM Epiſcopalis ciuitas, atq; ad prærupti cuiuſdam montis radices ædificata, non longè diſtat ab Adriatico mari: cuius aliquando beatus pater Paulus Sinopolitanus inhabitator fuit. Conſtat ſiquidem eum iſtus Minoritici conuentus, qui intra eiuſdem ciuitatis mœnia in honorem ſancti patris Antonij de Padua ſurrigit, atq; 20. fratres frequentius continet, ante centum annos, nempè anno à partu Virgi- E neo 1488. authorem, atq; accolam fuiſſe. Sed cuius ſumptibus ædificatus fuerit, id nec ſcripto, nec traditione patet. Nihilominus, ſi ex coniecturis aliquid certi aſſeri valeat, cùm ius patronatus ipſius ad nobilem Borgiarum proſapiam ſpectet, eum ab aliquo ex eadem familia conſtructum aſſeuerare auſim.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Catanzarij. Conu. XX.

DVM beatus pater Paulus Sinopolitanus ſacras Catanzarij, quę Epiſcopalis Calabriæ ciuitas eſt, imminetq; Adriatico mari, ad populorum conciones haberet, glorioſa Dei genitrix Virgo Catanzarenſi cuidam pioq; ciui apparuit, atq; pręcepit, vt antiquum ſacellum, è regione caſtri ędificatum, in Minoriticum conuentum ſibi ſacrandum,

A crandum, ex proprijs facultatibus erigeret. Cui tamen, iniunctum munus fideliſſimè exequenti, in faciem reſtitit is, qui tunc Catanzarenſibus principabatur, inquiens: non monaſterium, ſed aggerem potius, atq; munitionem erigi, quo & eius caſtrum, atq; contiguum palatium aliquādo tandem expugnarentur: ideoq; nullo pacto paſſurum, vt huiuſmodi ædificium promoueretur. Quem tamen conueniens præfatus beatus pater Paulus, intrepidè accerrimeq; reprehendit, atq; tum de miſera eius expulſione, tum quoq; de huiuſmodi caſtri, atq; palatij, quibus maximè timuiſſet, euerſione, Catanzarenſium opera proximè inſtantibus, prophetico ſpiritu afflatus, certiorem reddidit: inſuper & adiecit, vtriusq; ædificij ruinas, quandoquidem ſacroſanctæ Virginis mandato reſtitiſſet, plurimis eccleſijs de nouo erigendis præcipuè verò Minoriticæ, quam imprudenter impedire conatus eſſet, materiam miniſtraturas. Quod omnino, B iuxta tanti patris prædictionem, euenit: Nam Catanzarenſibus ad ſeditionem, rebellionemq; ob eius tyrannidem conuerſis, & ipſe miſerrimè pulſus, dominioq; priuatus, & vtrumq; ædificium ſolo æquatum eſt, & ex eorum ruinis, conſenſu Sixti IV. Pont. max. accedente, aliquot eccleſiæ erectæ fuerunt: inter quas tamen principem locum obtinuit conuentus hic, cum adiuncto templo, ſanctiſſimæ Mariæ de Gratijs, atq; Obſeruantiæ (euaſit namq; binomium) dicato, quem præfati ciues in loco ab eadem glorioſa Virgine conſtituto, circa annum Dominicæ Incarnationis 1480. ex publicis facultatibus conſtruendum curarunt: In quo 13. fratres, & aliquando 15. commorantur, & prætactę conceſſionis Sixtinæ apoſtolicum breue inuenire licebit.

De conuentu S. Franciſci Nicaſtri. Conu. XXI.

C

VT primùm Pij IV. Pont. max. voluntas acceſſit, reuerendiſſimus Ioſue Tropeanus Epiſcopus Franciſcanos patres Conuentuales Nicaſtro, quæ Calabriæ Epiſcopalis ciuitas, montibusq; contigua eſt, legitimis tamen de cauſis, aliò transferendos, eorumq; monaſterium, ciuitatis eiuſdem muris cinctum, atq; Seraphico patri Franciſco ſacratum, fratribus eiuſdem Inſtituti Obſeruantibus, iuxta eiuſdem Pij IV. mentem, anno ſalutis humanæ 1563. tradendum curauit: ab eoq; temporis eorum quindecim, iuxta Prouincialis Miniſtri decretum ibidem commorantur: quibus tamen Nicaſtrenſes, ſumma liberalitate, victui atque amictui neceſſaria miniſtrant.

De monaſterio S. Claræ Medamæ.

D

VNICVM tantùm monialium monaſterium hęc Septem Martyrum obtinet Prouincia, idq; Vrbaniſtarum Clariſſarum, quę vt plurimum ſunt viginti numero, intra Medamę ciuitatis mœnia: quod ex pijs Medamenſium eleemoſynis, atq; ex iuuencularum aduentantium dotibus non ita pridem ædificatum exiſtimatur.


PROVINCIA
SICILIÆ
·S·AGATA
·S·LVCIA

PROVINCIA SICILIAE.

A SICILIA, Tyrrheni maris inſula, olim Romanæ reipub. cella penaria
fuit, pluribuſq; nominibus gaudet: Nam ab alijs Sicania, ab alijs verò
Trinacria à triplici promontorio, ſed ab alijs Triquetra à figura triangu-
lari, cuius vnus angulus, qui in Meridiem vergit, Pachynus dicitur: al-
ter Pelorus, qui ad Septentrionem ſpectat, & ab Italia mille quingen-
tis paſſibus diſtat: tertius Lilybæus, qui Carthaginē maximè ſpectare videtur, quemq;
ab Africæ litoribus centum viginti millibus paſſuum diſtare proditum eſt. Hæc agro
Brutio quondam adhęſiſſe, poſteaq; interfuſo mari mille quingentorum paſſuum fre-
to, iuxta columnam Rhegiam auulſa creditur: & ab Oriente, Occidente, atq; Se-
B ptentrione Tyrrheno mari, à Meridie verò Africo alluitur. Patet in longitudine à
Peloro vſq; ad Pachynum, millia paſſuum centum octoginta ſeptem: in latitudine verò
centum octoginta nouem: & rerum antiquitate cęteras antecellit, & bellis inter Ro-
manos, Carthaginienſeſq; olim geſtis illuſtris omnino eſt. Huic igitur famoſæ inſulæ
cùm venerabilis pater, celeberrimuſq; prædicator, beatus Matthæus ab Agrigento, qui
& Epiſcopus fuit, ex Hiſpania appuliſſet, pluresq; ſacris ſuis concionibus à vitijs ad
virtutes reuocaſſet, ac aliquot viri, perfectioris vitæ cupidi, ſibi adhærere cœpiſſent,
quinque conuentus, nempè Panormitanum, Meſſanenſem, Agrigentinum, Cama-
ranum atq; Calatagironenſem (de quibus ſuo loco), ex apoſtolica ſibi facta auctor ita-
te, erexit, huicq; Sicilianæ Prouinciæ initium dedit. Quæ in tantum creuit, vt ex 50.
C fratrum, & aliquot nempè 4. ſanctimonialium monaſterijs (vt infra patebit) conſtet.
Maius eius ſigillum dulciſſimū nomen Ieſu abreuiatum, crucemq; corona redimitam,
atq; è medio literæ aſpiratę in altum rectà procedentem, cui litera. A. pro baſi deſeruit,
cum huiuſmodi verſiculo. VT. IN. NOMINE. HOC. OMNE. GENV.
FLECTATVR, ſphericè imprimit. Quia verò beatę virgines & Chriſti martyres
Agatha, & Lucia ex hac inſula oriundæ fuerūt, & iſta Syracuſis, illa verò Catanę mar-
tyrij palmam aſſequuta eſt: ideoq; tanquam vniuerſæ patriæ tutelares, atq; patronæ à
Siculis coluntur, honoranturq;, earum effigies huic Prouinciæ pręponendas curaui.

De conuentu S. Mariæ de Jeſu Meſſanæ. *Conu. I.*

D CONSVLTVRI Meſſanenſes rebus, atq; honori Ciſtercienſium quarundam
monialium, quæ monaſterium B. Mariæ de Monte Carmelo, mille paſſibus à ci-
uitate Meſſana, totius Siciliæ facilè principe, diſtans, inhabitabant, atq; B. P. Matthæo
ab Agrigento, ſuiſq; fratribus, quos ſibi viciniores exoptabant, de commodo loco pro-
uiſuri, & optimum illis cœnobium, ſub titulo S. Mariæ de Monte Alto, intra eiuſdem
ciuitatis mœnia, de nouo conſtruendum, & iſtis eorum antiquum, cum omnibus ad ſe
pertinentibus, hortis videlicet, nemore, atq; officinis, ea tamen lege adiecta, vt quo-
tannis binas ceræ libras cum dimidia præfatis ſororibus penderent, circa annum Do-
minicæ incarnationis 1418. conferendum curarunt. A quo quidem tempore conuen-
tus hic, commutato ex parte antiquiori titulo, cognomine videlicet Montis Carmeli
E in nomen Ieſu, Franciſcanæ Obſeruanti familiæ, præſertim verò tyronibus eius edu-
candis, deſeruit: quorum 8. vt plurimùm 12. alijs fratribus profeſſis admixti ibidem
commorantur.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu ibidem. *Conu: II.*

CONSIDERANTES & merito Meſſanenſes quos vberrimos fructus ex
Minorum Obſeruantum familiari conuerſatione, ſacriſq; concionibus haurirent,

adiecêre, vt & ſecundum illis conuentum, ſed intra ciuitatis muros, quatenus eorum A
opera, tum in ſacris confeſſionibus faciendis, tum quoq; in ſanis conſilijs exigendis,
Miſſisq; audiendis opportunius fœliciusq; vti poſſent, ex publico ærario ædificarent.
Sed renitentibus fratribus, maximeq; contradicentibus, quòd eorum quieti, ac ſpiri-
tuali exercitio inſidias, ex tanta ſæcularium proximitate, ſtrui cernent, hoc tantùm
obtinuerunt, vt videlicet ad 100. paſſus ad minus à vallo, id operis aggrederentur:
In hanc igitur ſententiam tum iſtis, tum quoq; illis conuenientibus, hæc ſacra ædes in
honorem quoq; ſanctæ Mariæ de Ieſu, quam frequentius 50. fratres inhabitant, quo-
rum altera pars Philoſophicis literis, altera verò ſacræ Theologiæ, atqui altera œco-
nomiæ, do meſticisq; obſequijs incumbit, in loco conſtituto, ideſt 100. paſſibus à mœ-
nibus, ex publicis facultatibus, commodè ſatis conſtructa eſt. Quia verò pręfatus bea-
tus pater Matthæus ab Agrigento beatum patrem Bernardinum de Senis in omnibus B
imitari ſtuduit, ſanctiſſimiq; nominis Ieſu ſtrenuus prædicator, accerrimusq; propu-
gnator, inſuper & glorioſiſſimæ virginis Marię diligentiſſimus cultor fuit, vt illud ve-
nerabilius, honorabiliusq; Siculis, cæterisq; Chriſti fidelibus (vti par erat) pro viri-
bus redderet, & eiuſdem Ieſu matrem maximè commendaret, omnes à ſe erectos con-
uentus huiuſmodi titulo, videlicet ſanctę Marię de Ieſu, ſacrandos curauit: Cuius pie-
tatem ſequuti huius Prouinciæ patres omnes ferè alios ab eius morte conſtructos eo-
dem nomine appellandos cenſuêre.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Panormi. Conu. III.

CVM beatus pater Matthæus ab Agrigento de Panormitanorum ſalute ſolicitus C
Panormi, quæ huius quoq; inſulæ famoſa, pulcherrima, atq; ditiſſima ciuitas eſt,
ſibi ſuisq; fratribus conuentum ædificare cuperet, ciuiumq; aſſenſus adeſſet, aliqua-
lis inter vtroſq; ob loci ſitum, contendentibus iſtis, ob cauſas quoq; à Meſſanenſibus
in erectione ſecundi conuentus in medium adductas, vt intra ciuitatis muros conſtrue-
retur, renuenteq; illo, qui fratrum quieti conſultum maximè cupiebat, atq; volente,
vt aliqua intercapedo inter eos intercederet, controuerſia oborta eſt: quæ tamen, di-
uino afflante numine, euanuit: Inſtantius ſiquidem B. P. Matthæum orantem pręmo-
nuit Altiſſimus, vt vbicunq; aſellus, fratrum obſequio mancipatus, ſequenti luce, ſub
onere pedem ſponte ſiſteret, futurum monaſterium ædificandum curaret. Cumq; tum
ipſe, tum quoq; Panormitanorum plurimi beſtiolam, iuxta diuinum oraculum, tem-
pore ſtatuto ſequerentur, illaq; ad ſecundum lapidem à ciuitate, propè quoddam ve- D
tuſtum ſacellum, B. Antonio Paduano dicatum, nullo remorante ſubſtitiſſet, omnes ſi-
mul huic ſacræ ædi, B. Mariæ de Ieſu dicandæ, initium dedêre. Fuit igitur hic con-
uentus eo temporis, iuxta ſanctiſſimæ paupertatis normam, communibus Panormita-
ni ſenatus ſumptibus, abſolutus: atq; poſt aliquot annos plurimis oratorijs, ſparſim
per montem, ad cuius radices ſitus eſt, ædificatis, diuinæq; contemplationi accomodis,
ijſdem elegantiſſimè exornatus. Quamobrem plures patres doctrina inſignes, religio-
ne conſpicuos, atq; miraculis tum in vita, tum quoq; in morte illuſtres, Chriſto, atq;
ſeraphicæ huic Religioni peperit: Inter hos tamen longè emicuit præmemoratus B. P.
Matthæus ab Agrigento, cuius venerabile corpus honeſta arca tegit, atq; plurima mi-
racula tabellæ, votaq; in eius circuitu appenſa, facillimè indicant. Commorantur de-
niq; hoc in loco 12. fratres, quorum laus in eccleſia Panormitana præcipua eſt. E

De conuentu ſancti Nicolai Agrigenti. Conu. IV.

AGRIGENTINI ciues pia quadam æmulatione ducti, ne & tanto conciui,
B. videlicet P. Matthæo deeſſe viderentur, eum ad ſe accerſendum, ſibiq;, vt ob-
latum à ſe conuentum, communibus ſumptibus ædificandum, acceptaret, ſuaden-
dum omnino exiſtimarunt. Quo deniq; pijs eorum votis annuente, hæc ſacra ædes,
ad ſecundum lapidem à communi ciuitate Agrigento, iuxta eius mentem, in honorem
S. Nicolai Epiſcopi, ex publico ærario, circa annum à partu Virgineo 1426. conſtru-
cta fuit: cuius & ſolitudo, & amœnitas, atq; etiam diſpoſitio & deuotionem excitat,
& ſpiritum

A & ſpiritum ad diuinorum myſteriorum contemplationem, tum 12. fratrum eius accolarum, tum quoq; ſecularium accedentium ſummopere allicit.

De conuentu S. Viti ibidem. *Conu. V.*

CVM autem præcedens S. Nicolai conuentus, iuxta Agrigentinenſium votum, nimis ab eorum vrbe diſtaret, nec poſſent maximo abſq; incommodo diuino officio intereſſe: hunc locum ſub titulo ſancti Viti, non longius 50. paſſibus à mœnibus, ex communibus quoq; bonis, ædificari curauit Agrigentinenſis ſenatus: quem etiam maximè frequentat, ac 16. eius habitatores continuis beneficijs proſequitur.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Camari. *Conu. VI.*

ILLVSTRISSIMVS etiam Camarinus Comes præfati P. Matthæi fama permotus, non prius ab eo exorando deſtitit, quàm conuentum à ſe ædificandum B acceptauit. Cuius tandem aſſenſum cùm primùm obtinuiſſet, hanc ſacram ædem, S. Mariæ de Ieſu ſacram, anno à Chriſti natiuitate 1428. ex proprijs facultatibus, non procul à Camaro, Siciliæ oppido, à fundamentis ad verticem vſq; conſtrui curauit, & 10. fratres eius incolas, quandiu vixit, omni beneficiorum genere proſequutus eſt. Mortem oppetiuêre hoc in loco, honorificeq; ſepulti ſunt beati pater frater Andreas ab Aragonia, qui cùm in vita, tum quoq; in morte miraculis claruit: Ac P. F. Andreas Camarinus, vir vtiq; omni virtutum genere ornatus, qui & ſui obitus diem, ac rupis, ſub qua pauperculi quidam foſſores incautè laborabant, inſtantem ruinam certiſſimè prædixit, miſeriſq; illis hominibus tanti periculi vitandi cauſa extitit, & anno à partu Virgineo 1562. dieq; à ſe præfato opimis meritis cumulatus è viuis exceſſit: Et frater C Ioannes quoque Camarinus profeſſione laicus, atq; in oratione perſeuerantiſſimus, cui inuidens Dæmon plures tetendit inſidias, ſemelq;, Deo permittente, in aſſumpta ferociſſimi tauri forma, cornu ad inteſtinorum vſq; effuſionem læthaliter in ventrem infixit: quæ tamen glorioſæ Virginis imago, coram qua ille orabat, immotusq;, licèt grauiſſimè ictus, permanſit, à propria ſede deſcendens, ſibi reſtituit, vulnuſq; curauit: Et frater Antonius Æthiops Tertiarius, ac ſupra modum humillimus, charitateq; præditus, qui fratribus hîc degentibus plurimis annis fideliſſimè inſeruiuit, cuiq; octiduo, antequam carnis ergaſtulo ſolueretur, Angelus cuſtos obitus diem prænunciauit, & ad vltimum vſq; vitæ inſtans aſtitit, atq; tantam gratiam Deus opt. max. contulit, vt plura miracula mortuus ediderit.

D *De conuentu S. Mariæ de Ieſu Catalagironis.* *Conu. VII.*

CONVENTVS hic, ſanctiſſimæ Mariæ de Ieſu ſacratus, atq; ad mille paſſus à Catalagirone, Sicula ciuitate, ſitus, quintus eſt in ordine eorum, qui à B. P. Matthæo accepti fuerunt, ſuiq; fundatorem agnoſcit Catalagironenſem ſenatum: cùm eius opera, ex publico ærario, circa annum ſalutis humanæ 1422. coſtructus fuerit. Cuius ea eſt ſpecialis prærogatiua, vt à ſui origine in hunc vſq; diem nunquam aliquo religioſo Deo grato, atq; ſanctitate inſigni vacauerit, prout patentiſſimo argumento eſſe poſſunt plura beatorum patrum corpora ibidem ſepulta: præcipuè verò B. P. Antonij ſacerdotis, fratriſq; Iacobi laici: quorum vterq; ex Catalagirone oriundus fuit, totq; poſt mortem miraculis claruit, vt Syracuſanus Epiſcopus ea authenticè per publicum E Notarium excepta, libelloq; commiſſa, in Epiſcopalem Syracuſanorum archiuum inferri, atq; eorum corpora ex communi ſarcophago exhumata, quæ integra adhuc, atq; omnino incorrupta perſeuerant, honeſtiſſimo loco recondi curarit. Hic locus, quòd omnino à ſæcularibus ſemotus, quodq; religioſiſſimus, & quòd etiam officinis inſtructus maxima orandi ſpatia fratribus miniſtret, educandis in omni pietate, atq; Dei timore nouitijs continuò deſeruit: quorum 12. totidem quoq; profeſſis tum ſacerdotibus, tum quoq; laicis admixti ibidem commorantur.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Syracuſarum: *Conu. VIII.*

VT primùm Minorum Obſeruantium fama ad Syracuſanorum aures peruenit, omni poſtpoſita mora ab ijſdem data eſt opera, vt illis apud ſe quoq; conuentus

erigeretur. Annuentibus itaq; pio eorum deſiderio fratribus, apoſtolicaq; auctoritate A ſibi fauente, conuentus hic in honorem ſanctæ Mariæ de Ieſu, in eodem ferè tempore quo & præcedens, ad mille paſſus à Syracuſis nobili Siciliæ ciuitate, atq; tum Romanorum, tum quoq; Cartaginienſium bellis omnino illuſtri, ex publicis prouentibus à fundamentis ad apicem vſq; conſtructus eſt. Cumq; is locus fratrum ſaluti minus faueret (erat enim ratione ſitus inſalubris omnino) tum ex ciuium ſuaſu, tum quoque ex Pontificia facultate derelictus fuit, atq; alter multò ſalubrior, longiuſculus tamen ab vrbe, communibus ſumptibus, anno Dominicę incarnationis 1474. ſub eodẽ prorſus titulo, ſibi ſubrogatus extitit: in quo ab eo temporis impręſentiarũ vſq; 18. fratres commorati ſunt. His ad victum atq; amictum neceſſaria regium ærarium ſubminiſtrat.

De conuentu S. Franciſci Saccæ. Conu. IX. B

ETSI huius Prouinciæ fratribus nunquàm dubium fuit, quin Saccenſibus chariſſimi eſſent; id tamen quotidie magis, magiſq; perſpiciunt: præſertim verò ex ea cura, atq; indefeſſo labore, quo hunc conuentum, à ſe prius, intra muros communis ciuitatis Saccæ, in honorem Seraphici patris noſtri Franciſci ædificatum, atq; à patribus Conuentualibus aliquandiu occupatum, ad ipſos, illis aliò transmiſſis, ex apoſtolica auctoritate transferendum curarunt. His accedunt non vulgares ſumptus, quos tunc temporis in huius loci reparatione ſiue potius reædificatione fecerunt, vt 25. fratres commodè continere poſſet.

De conuentu S. Franciſci Taurominij. Conu. X.

SACCANORVM veſtigia conſectantes Taurominitani hunc conuentum, beatiſſimo patri Franciſco ſacrum, ac muris Taurominij oppidi, quod à Zanclęis olim C conditum fuit, nec procul à Drepano promontorio diſtat, à Frãciſcanis patribus Conuentualibus, quibus ad tempus paruerat, ad eiuſdem Inſtituti Obſeruantes transferendum apud ſummum Pontificem curarunt: quorum 15. regularibus præceptis tenacius inhærentes, cum maxima eius populi ædificatione, ibidem vſq; impræſentiarum perſeuerant. Hîc olim beatus pater Antonius de Padua ad Saracenos martyrij oppetendi cauſa traiecturus, aliquandiu hæſit, propriaq; manu in horto quaſdam cypreſſos, atq; malos Medicas plantauit: quæ adhuc ſuperſunt, & ad plures infirmitates ex corporibus pellendas maximè conferunt. Hîc tandem mortem obijt, ſepultuſq; fuit beatus ille pater, omniq; veneratione digniſſimus, pater inquam Cherubinus Meſſanenſis: qui D viuus, atq; etiam mortuus plurimis præfulſit miraculis, ſimul atq; coruſcat: Cuius corpus ex communi ſarcophago exhumatum, honorifico mauſolæo reconditum fuit, vbi & ab omnibus maximè colitur, frequentaturq;.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Plateæ. Conu. XI.

ADEO enim fratrum noſtrorum fama primæuis huius Prouinciæ temporibus in hac inſula diuulgari cœpit, vt quæq; ciuitas, immo & quodlibet oppidum illis apud ſe domum conſtruere vellet: prout indicio eſſe poſſunt tum ſubſequentia, tum quoque præcedentia loca, immo & præſens, Plateæ ciuitatis opera conſtructus: quæ quidem ciuitas ea in re aſſequenda omnes neruos contendit, nec prius à propoſito deſtitit, quàm id obtineret: licèt ex parte ſua ſpe fruſtrata ſit: Nam ea erat eius intentio, E vt intra vallum, vel ſaltem non longè ab ipſo, hunc conuentum, ſanctiſſimæ Mariæ de Ieſu ſacratum, erigeret. Sed contradicentibus fratribus, eum ad mille paſſus ab optato loco ex communibus facultatibus ædificare coacta eſt. Nihilominus, licèt vtcunq; diſtans, ſummopere à Plateanis frequentatur. Nec mirum ſanè cùm eius religio, atq; diſpoſitio (præſefert enim potius eremitorij, quàm monaſterij ſpeciem) & accolarum eius exemplaris vita, piorum animos maximè alliciant. Ad hũc ſiquidem locum ij fratres, qui liberius promptiuſq; Deo inſeruire affectant, habitaturi confluunt: quorũ 16. ad minus hîc continuò inuenire licebit. Hoc ipſo in loco Tertiaria quędã mulier, quæ ob vitæ integritatẽ, tum in vita, tum quoq; in morte miraculis reſplenduit, animã agens ſepeliri voluit: cuius ſepulchrũ & fratribus, & etiã Plateanis cõmendatiſſimũ eſt.

A *De conuentu S. Petri ibidem.* *Conu. XII.*

CVM quædam glorioſæ virginis Mariæ imago in ædicula ſancti Petri, quæ non procul à præfata Platearum ciuitate diſtabat, miraculis coruſcare cœpiſſet, ijsq; latius diffuſis, ex vniuerſa Siciliæ inſula mortales ſua vota oblaturi eò confluerent: hac nacta occaſione Plateani, ſub diligentioris cultus prætextu, fratres noſtros ad huiuſmodi ædiculam inhabitandam, in multò tamen elegantiorem formam redactam, compulerunt. Antiquioris itaq; voti compotes effecti, cùm primùm Prouinciæ patrum aſſenſus huiuſcemodi habitationi acceſſit, Plateani præfatam ædiculam, ſub antiquiori titulo S. Petri, in iuſtum conuentū promouendā, fratribusq; tradendā curarūt: quorū 16. eius inquilini tanta cū deuotione, quæ diuini cultus ſunt, exequuntur, vt indies tū Plateanorum, tū quoq; cæterorū aduentantiū animos magis, magisq; alliciāt, atq; hāc ſacrā domum illis commendatiorē reddant. Accedunt quoq; ad huiuſmodi deuotionē augendā B. F. Ludouici à Catalagirone, ꝓfeſſione laici, atq; ſanctiſſimi viri opima merita, quorū cauſa Deus opt. max. plurima beneficia fidelibus quotidie præſtat: Eius corpus Plateanus ſenatus honoris, atq; venerationis cauſa honeſtiſſimo loco recondendum curauit.

B

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Ferulæ. *Conu. XIII.*

CONSTRVXERANT olim Ferulani, non procul à communi oppido Ferula, tum ex proprijs, tum quoq; ex Domini eorum temporalis facultatibus, iuxta antiquorum patrum noſtrorum affectatam paupertatem, Minoriticum conuentulum in honorem ſanctiſſimæ Mariæ de Ieſu: quem & fratres, licèt incommodè ob ſui anguſtias, libenti animo aliquot annis inhabitarunt: quoaduſq; videlicet B. P. Antonius Ferulanus à Siciliæ Regina in confeſſarium coaptatus fuit. Curauit ſiquidem tunc temporis beatus is pater (qui & Reginæ, atq; etiam Regi gratiſſimus erat) vt ex Regio ærario iam quodammodo ex parte collapſus conuentus reficeretur, inſuper & ampliaretur: vnde & 14. fratres commodiſſimè capere poteſt. Ergaſtulo carnis ſolutus ad aſtra migrauit hoc in loco B. idē P. Antonius, ſepeliriq; voluit in cōmuni fratrū ſepulchro: Cui adiunctum eſt venerabile corpus beati quoq; P. Matthæi à Ferula: quorum vtriuſq; vita, ſicut ex eadem prorſus patria originem duxit, ita quoq; in omnibus ſimillima fuit, atq; omnino Angelica: Quamobrē & miraculis clarere, & vno eodēq; lapide tegi meruerūt. Vnde & fragrantiſſimus odor exhalat, quoties aliquis frater ibidem ſepeliendus venit.

C

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Caſtri Regalis. *Conu. XIV.*

D QVANTÆ fuerit æſtimationis ſpectabilis viri Stephani Chiraſij auctoritas Caſtri Regalis, quod Siciliæ oppidū eſt, facilè colligitur: cùm eius ſuaſu pia præfati oppidi cōmunitas hūc conuentū, S. Mariæ de Ieſu ſacrū, ex communibus prouentibus, ad 15. paſſus à vallo, eleganter ſatis ædificari curarit. Cuius ſitus, cùm ſolitarius ſit, educandis tyronibus, atq; in omni pietate, religioſisq; ritibus inſtruendis, opportunè ſatis deſeruit: quorum 8. ſex alijs fratribus profeſſis adiuncti, frequentius ibidem inhabitant.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Corleonis. *Conu. XV.*

TAntæ tamq; inſtātes fuère ciuium Carleonenſiū preces, vt fratres illis reſiſtere nō potuerint, & coacti quodāmodo hunc locum, Dei genitrici Mariæ de Ieſu dicatū, propè eorū ciuitatē Corleonē ſibi ædificari permiſerint. Qui tamē locus, cùm vix, ob ſui anguſtias, eos capere poſſet, tēporis ſucceſſu, diligenti opera atq; inuicto labore patrū ac fratrū Antonij de Naſo, & Andreæ Corleonenſis, protractus, & ad iuſtā vſq; metā perductus fuit. Quo fit vt 18. Minoritas commodè continere poſſit. Hîc diu habitauit, mortemq; obijt inſignis P. Paulus à Corleone: qui viuens, atq; mortuus plurimis miraculis claruit; vti huius Corleonenſis ciuitatis populus facillimè teſtatur; qui ne dum ad eius corpus, ſed & ad indumenta, immo & ad ſepulchri pulueres maxima fertur deuotione. Cuius veſtigia inſectatus deuotiſſimus quidam frater laicus eius ſocius, qui hoc in eodem loco mortuus, ſepultusq; fuit, maximum ſuæ ſanctitatis ſpecimen dedit: Cùm multos poſt dies ab eius funere elapſos, illius corpus genuflexum, incorruptum, atque complicatis manibus, facie interim ad ſummum altare verſa, inuentum ſit. Quamobrem tanquam beatus, Deoq; charus ab omnibus colitur.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Catanæ. Conu. XVI.

DIMIDIO milliari à Catana Sicula ciuitate, atq; martyrio beatę Agathę omnino illuſtri, conuentus hic, S. Mariæ de Ieſu ſacer, ex communibus ciuium facultatibus, inſtantibus tamen eorum nobilioribus, ædificatus fuit: quem B. P. Ioannis Schifićti Moacenſis venerabile corpus ibidem ſepultum, atq; 30. fratrum, quorum maior pars Philoſophicis literis ſedulò incumbit, exemplaris, religioſaq; vita commendatiſſimum reddunt. Fuit enim hic B. P. Ioannes omni virtutum genere, præcipuè verò in Deum, atq; in proximum charitate præditus: quapropter innumeris miraculis decorari meruit.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Neeti. Conu. XVII. B

NE tamen Catanenſibus cedere viderentur Neetani ciues, ſi Minoritico conuentu carerent, hunc, ad centum paſſus à communi ciuitate, Neeto, ex communibus prouentibus, etiam ſub eodem titulo ſanctæ Mariæ de Ieſu, ad eorundem Franciſcanorum vſum erigi curarunt; in quo 16. fratres diuinis laudibus incumbunt, poſſuntq; ſi velint, literis felicius vacare, cùm ſibi inſtructiſſima bibliotheca ſit. Hoc in ipſo loco ſanctiſſimam mortem obijt zelantiſſimus frater Dominicus Melitenſis laicus, tam in vita, quàm in morte miraculis clarus, cuius corpus in maxima veneratione eſt apud Neetanos.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Herbitæ. Conu. XVIII. C

CVM populus Herbitanus maxima peſte vexaretur, eo ſe voto Deo obſtrinxit, ædificaturum ſiquidem Minoriticam domum apud ſe ſi à tanta lue liberari contingeret. Succedentibus igitur pro voto rebus, hanc ſacram ædem S. Mariæ de Ieſu dicatam, ex publicis facultatibus Herbitæ, (vulgò Nicoſia) ad commodiſſimam 15. fratrum habitationem ex tempore, promiſſi memor, à fundamentis ad verticem vſq; conſtruendam curauit. Huius loci alumnus fuit religioſiſſimus ille, atq; doctiſſimus P. F. Nicolaus Herbitanus, aliàs de Nicoſia, qui Scoti difficultates in Salmanticenſi Accademia publicè pro roſtris maxima dexteritate enodauit aperuitq;: vnde maxima ſibi quoq; laus acceſſit.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Adernionis. Conu. XIX. D

OB ſingularem beneuolentiam, qua quædam Comitiſſa Adernionenſis Minoriticam proſequebatur familiam, hanc ſacram ędem in honorem B. Mariæ de Ieſu, non longè ab oppido, quod Adernio vocatur, ex priuatis facultatibus, cal. Iulii, anno verò Domini 1466. à fundamentis erexit, omnibusq; ſuis numeris abſolutam Franciſcanis Obſeruantibus inhabitandam contulit: quorum 14. vſq; in præſens ibidem commorantur, maioriq; ex parte liberaliſſimis illuſtriſſ. Comitum Adernionenſium, eiuſdem loci patronorum, eleemoſynis aluntur.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Biziniȷ. Conu. XX.

PRÆCEDENTIS Comitiſſæ deuotionem imitati Bizinienſes ciues, hunc quoq; conuentum, ſub eodem prorſus titulo S. Mariæ de Ieſu, non procul à Bizinia patria eorum ex publicis prouentibus, atq; bonis, ad eorundem fratrum vſum ædificari curarunt, in quo diuino intenti obſequio 18. fratres conuiuunt. E

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Trioclæ. Conu. XXI.

NON futuræ expenſæ, nec ſubeundus labor Trioclenſes deterruerunt, quominus, poſtquàm Franciſcanorum fama ad eos peruenit, illis, ex publicis facultatibus hanc ſacram domum, quam 14. fratres inhabitant, in honorem S. Marię de Ieſu, propè Trioclam (vulgò Randazzo) eorum ciuitatem, ædificarent, immo & ſumptus ei ædificandæ neceſſarios erogarunt, & eius accolas omni benficiorum genere vſq; in præſens proſequuti ſunt. Hæc immeritò ſanè, cùm & ab ijs optimam viuendi normam

A di normam retulerint, & plura beneficia à Deo opt. max. eorundem meritis impetrarint. Præcipuè verò beatorum patrum Gulielmi ab Intimelio, ſiue Vintimilio huius olim Prouinciæ Vicarij, ac Ludouici Catalagironenſis, nec non & B. F. Pauli Trioclenſis, ſiue à Randatio, laici profeſſi, quorum corpora optimo loco recondita hic in Chriſto quieſcunt, & à ſæcularibus, ob miracula quæ ibi contingunt, in maxima veneratione habentur.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Thermis. Conu. XXII.

VT primùm fundum ſuperædificando conuentui, ad Thermenſium inſtantiam, venerabilibus patribus ac fratribus Petro, atq; Iacobo Brunenſibus, non procul à Thermis, Sicula ciuitate, deſignatum, delectumq; extitit: Thermenſis ſenatus hanc
B ſacram ędem, S. Mariæ de Ieſu dicatam, ex communi ærario, anno à mundi redemptione 1571. Sixto IV. Pont. max. ad totius militantis Eccleſiæ clauum ſedente, eodem prorſus in loco erigendam curauit, in qua ſub Franciſcano vexillo 18. fratres Obſeruantes ſtrenuè militant.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Drepani. Conu. XXIII.

CONDITIONEM ſuam inferiorem exiſtimantes Drepanenſes quòd Drepanum eorum ciuitas, ſola ferè inter reliquas Siciliæ vrbes, Minoritico conuentu careret, hanc ſacram ædem, B. Mariæ de Ieſu dicatam, non longè à vallo, ex communibus facultatibus, conſtruendam curarunt. Sed cùm ex oppoſito caſtri poſita ſibi negotium faceſſere videretur, ſuperuenienteq; ſiue Turcica Claſſe, ſiue quocunq;
C alio externo hoſte plurimum detrimenti ciuibus allatura foret, ex regio mandato, quinquageſimo anno ab huiuſmodi conſtructione, diruta ſoloq; æquata eſt. Quamobrem fratres ad eccleſiam ſancti Iuliani Drapanenſi ambitu cinctam, atq; eiuſdem regię maieſtatis ſumptibus, prius in iuſti conuentus formam, ſub nomine tamen S. Mariæ de Ieſu redactam, tranſire coacti ſunt inibiq; eorum 20. in hodiernam vſq; diem commorantur, qui B. P. Benigni Romani habitum diligentiſſimè cuſtodiunt, eoq; ad plurimas infirmitates, ex infirmorum corporibus pellendas, vtiliter vtuntur.

De conuentu ſanctæ Mariæ de Ieſu Leontini. Conu. XXIV.

EXCITATI Leontinenſes ex tam pio Drapanenſium exemplo, ne & ipſi ſoli
D propriam ſalutem contemnere viderentur, hunc conuentum in honorem quoq; B. Mariæ de Ieſu, ac ex publicis etiam facultatibus, non procul à Leontino, patria communiq; ciuitate, circa annum à Seruatoris Chriſti natiuitate 1475. ædificandum curarunt. Cuius tamen ſitus, cùm ob conuicinas paludes, aërisq; circumſtantis craſſitiem, inſalubris omnino ſit, à 12. tantùm fratribus inhabitatur. Inuenire tamen licet in eo ſemper probatiſſimos aliquot patres, ac ſui ſtatus zelantiſſimos, quibus mori lucrum, & vita Chriſtus eſt: quiq; corporalis propriæ ſalutis obliti, quæ tantùm surſum ſunt ſapiunt.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Selinis. Conu. XXV.

LICET Selinenſes Minoritici conuentus à ſe ædificandi ſitum, intra Selinis (vulgò
E Mazzare) ciuitatis mœnia, conſultiſſimè delegiſſent, ea tamen fuit fratrum ac patrum tergiuerſatio, qui ſecularibus expediri cupiebant, vt hanc ſacram ædem, S. Mariæ de Ieſu dicatam, ac à 12. fratribus incultam, longiuſculus à præfatę ciuitatis vallo, ac in litore maris, ex publicis prouentibus, conſtruere, plurimisq; pyratarum periculis exponere coacti ſint, à quibus tamen per Dei miſericordiam liberati ſunt: vt vel hoc ſaltem exemplo patet: Nam egreſſis ſemel intempeſta nocte, poſt quàm ciuitatis portæ eſſent à cuſtodibus clauſæ, è triremibus Turcis, iſtiusq; conuentus oſtio, vt ipſum expilarent, fratresq; captiuos ducerent, omnino inſtantibus, ſacriſta præter morem ante conſuetam horam campanam pro matutinis pulſauit, qua audita ex tempore pyratæ ipſis illęſis, locoq; intacto, putantes ſe omnino detectos, ſibiq; inſidias parari timentes, ad propria vaſa ſe receperunt. Quod tamen poſtquàm, tum à fratribus,

tribus, tum quoq; à ſæcularibus reſcitum, diuinæ prouidentiæ, atq; miſerationi A
aſcriptum extitit.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Alcami. *Conu. XXVI.*

EA fuit illuſtriſſimorum Caſtellæ Præfectorum ſiue Ammirantum, nec non Mo-
hacenſium Comitum magnificentia, ea pietas, ea deniq; erga noſtros fratres li-
beralitas, vt binos ſibi conuentus in præfato Comitatu, alterum quidem Alcami (de
quo impræſentiarum) ſed alterum Mohac, (de quo paulò inferius) ex proprijs facul-
tatibus, erigi curarint. Sed præſens, qui ſanctiſſimæ Mariæ de Ieſu ſacratus euaſit,
quòd ab Alcamo, Sicula ciuitate, atq; populorum frequentia diſtet, quodq́; diuinis
recipiendis immiſſionibus, tyronibusq́; in omni pietate inſtruendis idoneus omnino
ſit, 20. fratres continet: quorum maior pars tyrocinium agit. Hoc in eodem loco diu B
habitauit, diemq́; clauſit extremũ B.P. Archangelus à Calataſimi, qui crebris tum in vi-
ta, tum quoq; in morte claruit miraculis: Cuius corpus fratres, ad inſtantiſſimas Al-
camenſium preces, è communi ſepulchro educere, ac honeſtiori marmoreoq; locu-
lo recondere coacti ſunt.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Mohac. *Conu. XXVII.*

ET ſi ſatis excellentiſſimorũ Federici Enriquez, eiuſq́; pientiſſimæ coniugis Annę
de Cabrera, Caſtellæ Ammirantum, atq; Comitum Mohac, in Deum pietas, atq;
in Franciſcanum Ordinem affectus, ex præcedentis loci conſtructione patuerit, maxi-
mè tamen in pręſentis ædificatione ſe prodidit. Non enim illis ſatis fuiſſe videbatur om-
nes ſumptus ædificio neceſſarios miniſtraſſe, annuamq; eleemoſynam ad loci repara- C
tionem, commodioremq́; fratrum habitationem à ſuis ſucceſſoribus perpetuò penden-
dam ex teſtamento legaſſe, niſi etiam, & proprias manus, ſiue in lateribus, cœmentoq́;
cœmentarijs, fabriſq; murarijs miniſtrandis, ſiue in effodienda terra ad opus admo-
uiſſent. Quorum deniq; feliciſſimis auſpicijs hæc ſacra ædes, S. Mariæ de Ieſu dicata,
atq; 20. fratribus continendis, alendiſq́; commodiſſima, non longè ab oppido Mohac
(vulgò Modica) in lucem prodijt: in quo B. P. Antonij de Giarratana venerabile cor-
pus requieſcit: Cuius vita mirabilis omnino fuit: atq; malignis ſpiritibus (cum qui-
bus perpetuò confligebat) adeò formidabilis, vt tanti viri præſentiam minimè ſuſtinen-
tes, ſæpe ſæpius ad primum huius loci conſpectum ex poſſeſſorum corporibus emigra-
rint. Claruit præterea plurimis miraculis, quibus pręſentem conuentum, in quo Phi-
loſophiæ ſtudium maximè floret, Mohacenſibus commendatiſſimum reddit. D

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Naſi. *Conu. XXVIII.*

NEC commendatione caret illuſtriſſimi Artaxij à Cardona, Guliſanenſis Comiti,
atq; oppidi Naſi Domini temporalis, in Franciſcanos Obſeruantes pietas, cùm &
hunc conuentum, B. Mariæ de Ieſu ſacrum, non ita procul à præfato oppido Naſo,
tum ex proprijs, tum quoq; ex Naſenſium facultatibus, ex ea tantùm erigi, perficiq́;
curarit, atq; tandem dolo à patribus eiuſdem Ordinis Conuentualibus occupatum ex
eorũ manibus eripuerit, ijſq; ex apoſtolica auctoritate pulſis, huic Prouincię adiecerit.
Hoc igitur ex loco, quem 14. fratres frequentius occupant, huic ſęculo vale dicens aſtra
petijt B. P. Franciſcus Galatinus, quem Deus opt. max. & viuum atq; etiam mortuũ E
plurimis miraculis exornauit.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Pactarum. *Conu. XXIX.*

OBSEQVVTVRVS reuerendiſſ. Pactenſis Epiſcopus apoſtolicis Sixti IV.
Pont. max. literis, ad inſtantem Pactenſium petitionem 7. menſis Martij, anno
verò Domini 1477. datis, quæ adhuc ſuperſunt, certum fundum non procul à ciuita-
te Pactarum ædificando Minoritico conuentui deſignauit, ſtatimq́; fratres, omni cura
omniq; diligentia, ex publicis priuatiſq; Pactenſium eleemoſynis, hanc ſacram do-
mum, ſub inuocatione B. Mariæ de Ieſu, quam 16. fratres inhabitant, eodem in loco à
fundamentis ad apicem vſq; conſtruendam curarunt.

A *De conuentu S. Mariæ de Ieſu Nari. Conu. XXX.*

CVM nobiles quidam Narenſes ex Iachettorum familia, ob ſingularē quandam in Minores Obſeruantes beneuolentiā, prædium ad ſe, extra Narenſis ciuitas mœnia, pertinens, ijſdem ad vnius conuentus ædificationem liberaliter contuliſſent, prædicti fratres tum ex communibus, tum quoq; ex priuatis Narenſium, atq; etiam aliorum circumquaq; vicinorum eleemoſynis, hunc locum, quem 16. fratres, maiori ex parte nouitij, inhabitant, in honorem Virginis Mariæ de Ieſu ſibi ædificarunt.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Politij. Conu. XXXI.

B NE fratres itinerantes, atq; Politium ciuitatem ſępe ſæpius tranſeuntes, ad publica hoſpitia diuertere cogerentur, ſed vt proprium domicilium in quod religioſè, & vti monaſticum decet decorem, ſe recipere poſſent, in promptu haberent, his pater, qui tunc huius Prouinciæ Vicarium agebat Prouincialem, vnius ibidem erigendi conuentus facultatem ab Alexandro VI. ſummo Pontifice, anno ſalutis humanæ 1501. impetrauit: inſuper & hanc ſacram domum, quam optimo iure pertanſeuntium hoſpitium appellare poſſes, ex fidelium, præcipuè verò Politienſium, eleemoſynis, in honorem S. Mariæ de Ieſu, dimidio tantùm à vallo ciuitatis milliario, quantocitius ædificari curauit. Quia verò continuo hoſpite grauatur eiuſq́;, excipiendi potiſſimùm cauſa conſtructa eſt, ab 8. tantùm fratribus inhabitatur.

De conuentu ſanctæ Annæ Iulianæ. Conu. XXXII.

C IN penetralioribus Querneæ eius ſyluæ, quæ Buſachinum, Cluſas, atq; Iulianam oppida ab inuicem diſtinguit, conuentus hic, (ne potius dicam eremitorium) beatæ Annæ ſacer, atq; educandis nouitijs (quibus ex propoſito, atq; ad nutum deſeruit) maximè idoneus, ex præfatorum oppidorum eleemoſynis, à 100. annis & vltra conſtructus fuit: Cuius quies, ſolitudo, atq; etiam amœnitas contemplationi ſummopere fauent. Quod & in cauſa eſt, vt plures patres ſanctitate conſpicui inde prodierint: de quorum numero fuêre B.P. Simon à Cataraxibetta & Bonauentura Melitenſis, qui & ipſo in loco ſepulti ſunt, plurimiſq́; miraculis coruſcarunt. Dat verò nomen huic loco, quē 12. fratres inhabitant, oppidū Iuliana, quòd præ alijs duobus ſibi proximum ſit.

D *De conuentu ſanctæ Mariæ de Ieſu apud veterem Melitæ ciuitatem. Conu. XXXIII.*

NEC Siculis tantùm finibus hæc Prouincia clauditur, cùm & Melitam inſulam, non procul à Pachino eiuſdem Siciliæ promontorio diſtantem, atq; ad ſacram S. Ioannis militiam attinentem, complectatur: Nam apud veterem Melitam, quę eiuſdem Melitenſis inſulæ ciuitas, atq; textrinis prætioſiſſimarum veſtium omnino nobilis eſt, hunc conuentum, B. Mariæ de Ieſu ſacrum, communibuſq́; ciuium eiuſdem ciuitatis ſumptibus, à plurimis annis ędificatum, obtinet. Cuius 10. fratres accolæ tum ob inculpatam, qua viuunt, vitam, tum quoq; ob ſanctiſſimos patres eorum prædeceſſores, quibus præfatus locus olim maximè floruit, optimè audiunt.

E *De conuentu S. Mariæ de Ieſu apud nouam Melitæ ciuitatem. Conu. XXXIV.*

ADEO enim Melitenſis ſuburbij munitiones, & muri repetitis bombardarum ictibus, in longa illa Turcica obſidione, ac pluſquam ferina rabie, ceſſerant, vt vix reparari, ſecundamq́; oppugnationem ſuſtinere poſſent, quamobrem conſultiſſimè ſtrenuus ille ſacræ Ioannitarū militię Magiſter, ac inſuperabilis Dux, Ioannes Valleta aliam ſibi potius ciuitatem de nouo ædificandam, quæ Turcicæ inuaſioni fortiter reſiſtere poſſet, quàm hanc ſolo ferè æquatam reſarciendam, conſultius duxit. Nec tamen, extenuato, præ belli diuturnitate atq; operis magnitudine, publico ærario, Mi-

noriticum conuentum prætermittendum ſibi fore cenſuit: immo omni ſolicitudine, A
omniq; diligentia curauit, vt hic conuentus, S. Mariæ de Ieſu ſacer, licèt vtcunq; an-
guſtus, intra præfatæ ciuitatis, cui Melita noua nomen eſt, mœnia, quàm breuiſſimè
ædificaretur, omnibusq; ſuis numeris abſolueretur, ac ab 8. fratribus incoleretur.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu oppidi S. Petri. Conu. XXXV.

ILLVSTRISSIMVS quidam oppidi ſancti Petri heros, ſiue (vt vulgari vta-
mur vocabulo) Baro, Franciſcanis Obſeruantibus addictiſſimus, cùm nullos
penitus ex cariſſima ſibi vxore liberos ſuſcepiſſet, quicquid illis ex teſtamento relictu-
rus fuerat, id totum in vnius Minoritici conuentus ædificatione conſumendum cen-
ſuit. Cuius deniq; pijſſimis votis pijſſima quoq; vxor cùm annueret, conuentus hic, B
S. Mariæ de Ieſu ſacratus, non procul à communi eorum oppido, ex communibus
quoq; eorundem facultatibus, apoſtolica ſibi auctoritate fauente conſtructus fuit,
quem 12. fratres frequentius occupant, Doeq; opt. max. fideliſſimè inſeruiunt.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Bisbonæ. XXXVI.

PARI beneuolentia, qua & præcedens heros, erga Franciſcanam familiam præ-
ditus illuſtriſſimus Comes à Luna, nunc autem Bisbonenſis Dux, prȩſentem con-
uentum, S. Mariæ de Ieſu ſacrum, ex domeſticis facultatibus, propè eius oppidum
Bisbonam, maxima liberalitate, ædificari, atq; 8. fratribus perpetuò inhabitandum
tradi curauit, quos Bisbonenſes ingenti amore ac deuotione proſequuntur.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Ficarræ. Conu. XXXVII. C

INDIGNVM planè, atq; omnino vituperabile videbatur, quòd oppidum Ficar-
ra, ex quo tot famoſi prȩdicatores Franciſcani prodierant, Minoritico conuentu,
quò vel patriotæ ſaltem, dum vel viſendorum parentum, vel habendarum concio-
num cauſa, eò accedebant, familiarius liberiusq; ſe recipere poſſent, careret. Quam-
obrem huiuſmodi probrum de medio ablaturi ijdem patres, quandam Ciſtercienſium
monachorum abbatiam ſemicollapſam, longiuſculusq; à præfato oppido Ficarra di-
ſtantem, in Minoriticum monaſterium promouendam à Leone X. Pont. max. impe-
trarunt. Cumq; ibidem per aliquot annos, quoad vſq; videlicet futuro ædificio ne-
ceſſaria perquirerent, commorati eſſent: anno tandem Domini 1514. deſtructis omni-
no antiquioribus ruinis, ſeq; operi accingentes, huic conuentui, S. Mariæ de Ieſu ſa- D
crato, atq; à 10. tantùm fratribus inhabitato, antiquiori titulo ſanctæ Dominicæ de
Monte Dei, quo prius inſignita erat, penitus abolito, initium dedêre, ipſumq; bre-
ui temporis interuallo omnibus ſuis numeris abſoluerunt: Cuius ea eſt prærogatiua,
vt præſtantiſſimis ac ſanctiſſimis viris à ſui erectione in hodiernum vſq; diem floruerit.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Aulæ. Conu. XXXVIII.

EX ſingulari deuotione & pietate, qua illuſtriſſ. Carolus Aragonus, Marchio Au-
lanus, in Franciſcanam ferebatur familiam, hunc locum, S. Mariȩ de Ieſu ſacrum,
non procul ab eius oppido Aula, ad eius vſum atq; habitationem, ſuis tantũ ſumptibus,
à fundamẽtis erigi, ac omnino perfici fecit: in quo 10. fratres cõmodè ſatis cõuiuunt. E

De conuentu S. Mariæ de Angelis Panormi. Conu. XXXIX.

QVIS vnquam putaſſet tam paruum, tamq; modicum xenodochiolum, in tam
famoſum, tamq; auguſtum conuentum euaſurum? Erexerant ſiquidem pa-
tres monaſterij ſanctæ Mariæ de Ieſu, propè Panormium, intra eiuſdem ciuitatis mœ-
nia, beneficio tamen quorundam Panormitanorum, hoſpitiolum, ſiue potius per-
paruum hoſpitale ad infirmos curandos, vbi & ſacras plurium confeſſiones ſtatutis die-
bus excipere tenebantur. Cumq; ſacras quoq; conciones ad populum ſæpius habere
cogerentur, nec propriam eccleſiam, in qua id præſtarent, haberent, à totius ciuita-
tis proceribus ex ſenatus conſulto decretum fuit, vt præfatum xenodochium in iuſtum
conuentum, vbi & fratres rem diuinam facere, & ſacras confeſſiones excipere, ac po-
pulo

A pulo prædicare poſſent, ex publicis prouentibus promoueretur. Acceſsêre quoq; huic operi peculiares quamplurimæ Panormitanorum eleemoſynæ. Prȩfatis auſpitijs hic conuentus, S. Mariæ de Angelis ſacer, conſtructus, apoſtolica tamen ſibi auctoritate fauente, in tantum creuit, vt 80. fratres inquilinos, pluresq; alios aduentantes commodiſſimè capiat, & meritò inter prȩcipua totius Prouinciæ loca connumerandus veniat. Hoc in ipſo loco, in quo Philoſophicis literis diligentiſſimè incumbitur, ad cæteros patres appoſitus fuit beatus pater Benignus Romanus, tertij huius Prouinciæ loci præcipuus fundator: qui plurima, præcipuè verò Carolo V. inuictiſſimo Germanorum Imperatori, prophetico ſpiritu afflatus prȩdixit, innumeriſq; miraculis claruit, qua etiam de cauſa in maxima eſt apud Panormitanos veneratione.

B *De conuentu S. Mariæ de Ieſu Palatioli.* *Conu.* *XL.*

CVM primùm illuſtriſſimus Artalius Aragonus, oppidi Palatioli procer ſiue Baro apoſtolicam à Clemente VII. Pont. max. facultatem impetraſſet, paruam ædiculam, in honorem S. Mariæ de Palatiolo erectam, atq; ad quingentos paſſus à præfato oppido diſtantem, in iuſtam eccleſiam, ſub titulo ſanctæ Mariæ de Ieſu, ex domeſticis tantùm facultatibus, anno à partu Virgineo 1530. tranſtulit, atq; contiguum conuentum, 14. continendis fratribus aptiſſimum, ſibi ibi ædificauit. Apoſtolicum præfati Clementis Papæ VII. breue in huius loci tabellario aſſeruatur.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu oppidi S. Luciæ. *Conu.* *XLI.*

C SIMVL vt fratrum conſenſus acceſſit, oppidi ſanctæ Luciæ inquilini, ſummo ſtudio ſummaq; diligentia, licèt Creſi opes minimè ſuppeterent, hunc conuentum, glorioſiſſimæ Virgini Mariæ de Ieſu ſacrum, non procul à vallo ex communibus bonis auguſtè ſatis pro modulo conſtrui fecerunt: Cuius quoque 8. fratres accolas omni beneuolentia, omniq; beneficiorum genere proſequuntur. Quid ni id facerent: cùm pro temporalibus ſpiritualia, ac pro caducis ſtabilia bona ab ipſis reportent?

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Cluſarum. *Conu.* *XLII.*

TANTA erat pijſſimi, pariterq; illuſtriſſimi cuiuſdam Cluſarum Comitis ad Franciſcanos, præſertim verò ad eos, qui conuentum ſanctæ Annæ prope oppidum Iulianam (cuius ſupra 32. ſecundo loco meminimus) habitabant, deuotio, tan-
D tuſq; affectus, vt perpetuò vnum, vel alterum eorum (quòd inde non longè diſtaret conuentus) penes ſe habere vellet. Cumq; id fratres, quòd eorum quieti, & ſtatui negotium faceſſere videretur, ægrè ferentes, ſibi pro viribus (licèt fruſtra) reſiſterent: ne tandem aliquando huiuſcemodi vitæ pertæſi, ſibi ſuccenſerent, ſeq; tanta conſolatione priuari contingeret, apoſtolica prius à ſummo Pontifice tunc ſedente auctoritate impetrata, ædiculam, diuo Vito ſacratam, nec procul à Cluſis eius oppido diſtantem, in ſatis capacem eccleſiam, ſub titulo S. Mariæ de Ieſu, ſuis ſumptibus promouendam, ſibiq; monaſtarium apprimè ædificatum annectendum, curauit, atq; neceſſarijs omnibus pro 8. fratrum habitatione inſtruxit.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu prope S. Angelum. *Conu.* *XLIII.*

E MINISTRANTIBVS ſibi, liberaliter ſatis pro ratione communis ſubſtantiæ, oppidanis, quæ ad vnius iuſti conuentus ædificationem neceſſaria erant, huius Prouinciæ proceres, ex facta ſibi à Sede apoſtolica liberali facultate, hanc ſacram ædem, non longè ab oppido ſancti Angeli, in honorem ſanctiſſimæ ſemperq; Virginis Mariæ de Ieſu, Pio IV. Pont. max. ſedente, à fundamentis erigendam, omnibuſq; ſuis numeris abſoluendam, atq; à 10. fratribus inhabitandam curarunt.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Inſpicefundi. *Conu.* *XLIV.*

ILLATVRI in dominicum horreum aliquot fructus ex oppido Inſpicefundi fratres noſtri, ædiculam, diuo patri Franciſco ſacram, vtcunq; à vallo diſtantem,

tem, atque à quibuſdam Tertiarijs eremitis relictam, ad inſtantiſſimas oppidanorum preces, ex publicis eorundem prouentibus, in iuſtum conuentum, ſub titulo S. Mariæ de Ieſu, promouendam, atq; ab 8. fratribus in poſterum inhabitandam curarunt. A

De conuentu S. Mariæ Magdalenæ Carini. Conu. XLV.

CVM frater quidã Matthęus Oppidanus Carinianis gratiſſimus acceptiſſimusq; eſſet, ij in eius gratiam conuentum hunc, in honorem ſanctæ Mariæ Magdalenæ, quingentis paſſibus à communi eorum oppido Carino, ex communibus quoq; facultatibus, totius interim rei gerendæ negotio ſibi commiſſo, ædificare cœperunt: Sed cùm is immatura morte præuentus ipſum imperfectum omnino, atq; vix à fundamentis emerſum reliquiſſet, operi ad tempus ſuperſederunt. Poſt aliquot tamen annos elapſos, euocatis ad ſe aliquibus fratribus, qui promouendo ædificio incumberent, omnibusq; B neceſſarijs ſibi miniſtratis, eum vltimam artificis manum experiri fecerunt: Vnde & impræſentiarum ab 8. fratribus commodè ſatis inhabitatur.

De conuentu Annunciationis B. Mariæ Raccudiæ. Conu. XLVI.

NVLLVM prorſus peculiarem patronum agnoſcit hic conuentus, feliciſſimæ Annunciationi glorioſiſſimæ ſemperq; Virginis Mariæ dicatus, ac longiuſculus ab oppido Raccudia ſitus, cùm ex plurimis eleemoſynis, vndequaq; fratrum induſtria, atq; maximo labore acquiſitis, ædificatus fuerit. Relucet tamen in eo maximè Raccudienſium liberalitas: cùm eorum beneficentia 8. fratres ipſius accolæ maiori ex parte ſuſtententur, illisq; neceſſaria maxima animi alacritate ſubminiſtrentur. C

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Caſtri Ioannis. Conu. XLVII.

LIBERALITATE, atq; pijs tum publicis, tum quoq; priuatis ciuium eleemoſynis vſi huius Prouinciæ patres, ædiculam, beatiſſimæ Mariæ à Monteſaluo ſacram, atq; non ita à Caſtro Ioannis, Sicula ciuitate diſtantem, ex Pontificia ſibi facta facultate, in conuentum 10. continuò continendis, atq; pertranſeuntibus excipiendis (id enim ex parte eos ad hoc opus aggrediendum mouit) fratribus aptiſſimum, omninoq; idoneum, ſub inuocatione ſanctę Mariæ de Ieſu, adaptarunt.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Capitij. Conu. XLVIII.

QVO affectu, quauè beneuolentia Capitiani ciues in Franciſcanam Obſeruantem D familiam ferrentur, liquidò ſatis patet: Cùm decretis ex ſenatusconſulto neceſſarijs ſumptibus, atq; ſuperintendentibus, qui futuro operi præeſſent, delectis, hanc ſacram ædem, in honorem beatiſſimæ Mariæ de Ieſu, non longè à communi ciuitate Capitio, ad commodiſſimum 10. fratrum vſum, à fundamentis ad verticem vſq; ædificandam, omnibusq; neceſſarijs officinis, atq; hortis, inſuper & ſuppellectili inſtruendam curarint, quam & deuotionis ac recreationis ſpiritualis gratia frequentant.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Summationi Conu. XLIX.

PRÆCEDENTIBVS ex pia quadam æmulatione per omnia ſimiles eſſe cupientes Summatini, alium quoq; conuentum, (de quo impræſentiarum) in honorem eiuſdem ſanctiſſimæ Mariæ de Ieſu, ex communibus etiam facultatibus, non procul ab eorum oppido Summatino, ijſdem fratribus erigi, penitusq; ędificari voluerunt, quem & illorum 8. perpetuò inhabitandum, maxima munificentia contulêre. E

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Mililli. Conu. L.

NE cœteris Siciliæ ciuitatibus atq; oppidis inferiores, atq; indeuotiores exiſtimarentur Milillenſes, quòd Franciſcanis Obſeruantibus compatriotis conuentum apud ſe minimè conſtruxiſſent, hanc ſacram ædem vltimis his diebus pro modulo ſatis honeſtam, atq; 8. excipiendis religioſis omnino accommodam, non procul ab eorum communi oppido Milillo, ex communibus facultatibus, in honorem atq; laudem beatiſſimæ

A beatiſſimæ Virginis Marię de Ieſu, à fundamentis erigendam, omnibuſq; ſuis numeris & apicibus abſoluendam, ac deniq; huius Prouinciæ albo aſcribendam curarunt.

Sequuntur monialium monaſteria.

SVNT præterea in hac Prouincia à præcedentibus fratrum locis 4. (vt prædiximus) ſanctimonialium monaſteria, quorum bina ad primam beatæ virginis Clarę Regulam, alia verò duo ad eiuſdem virginis ſecundam ſpectant: Ita tamen vt & iſta, atq; illa Prouinciali eius Miniſtro in omnibus ſubſint.

De monaſterio Clariſſarum Meſſanæ. Mon. I.

B PRIMVM igitur præfatorum monaſteriorum id eſt, quod intra ciuitatis Meſſanæ mœnia, ſub titulo Montis Virginum, ſurrigit, atq; à ſanctiſſima ſorore Euſtochio ædificatum, ſanctiſſimiſq; legibus inſtructum fuit: & ab 80. ſororibus, ſub prima beatæ virginis Claræ Regula, inhabitatur. Fuit præfata ſoror Euſtochium honeſtis orta natalibus, atq; ſumma ſanctitate, optimiſq; moribus prædita: quamobrem tum viua, tum quoq; mortua plurimis miraculis claruit, modoq; relucet: Inter quæ non infimum locum obtinet id, quod in cuiuſlibet ſororis deceſſu contingit: Cùm enim alicui eorum, ex diuina diſpoſitione, ab hac vita emigrandum eſt: excitatur, audientibus monialibus, ab interiori parte eius loculi, quo beatæ Euſtochij corpus honorificè reconditur, quidam ſtrepitus, quo de alicuius illarum obitu, ex certiſſima experientia; præmonentur: omneſq; tanquam morituræ, ad debitam præparationem excitantur: Quod
C profectò maximum diuinæ bonitatis ſignum erga hunc locum eſt.

De monaſterio Clariſſarum Catanæ. Mon. II.

EODEM quoq; titulo Montis Virginum inſignitur & hoc monaſterium Catanæ erectum, atq; à 40. ſororibus, ſub prima beatæ virginis Clarę Regula inhabitatum, cuius tamen fundator ignoratur. Hæ ſiquidem moniales, quæ & optimè, ob candidos mores maximamq; religionem, audiunt, licèt à tempore Concilij Tridentini, iuxta ſibi factam facultatem, aliquos redditus in communi, pro commodiori vita ducenda, admiſerint, in particulari tamen nunquam huiuſmodi gratia atq; facultate gaudere voluerunt.

D

De alio Clariſſarum monaſterio ibidem. Mon. III.

TERTII huius monaſterij Catanæ, in honorem tamen ſanctæ Claræ quoque erecti, atq; à 30. Clariſſis ſororibus, ſed Vrbaniſtis, inhabitati, fundator authorq; fuit deuotus quidam Antonius à Paternione, qui ex mera tantùm in Deum pietate, quicquid ingratis fortè conſanguineis relicturus fuerat, id potius (& piè quidem) in huiuſmodi opere promouendo inſumere maluit.

De monaſterio Clariſſarum S. Angeli. Mon. IV.

E NVMERVM omnium huius Prouincię locorum claudit id monaſterium, quod in oppido ſancti Angeli, ſub inuocatione beatę virginis Clarę, ſatis auguſtè ſurrigit: ſumptibuſq; cuiuſdam probi viri Blaſij Natolij ędificatum extitit: atq; à 10. tantùm Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis incolitur.

Sunt præterea hac in ipſa Prouincia 7. Tertiariorum, ſiue de Tertio beatiſſimi patris Franciſci Ordine, fratrum conuentus qui Priores, Prouincialemq; Viſitatorem ex ſe ipſis habent, atq; in prouincialibus Capitulis, iuxta normam ſibi à Pio V. Pont. max. proprio motu præſcriptam, celebratis canonicè eligunt.


PROVINCIA S. NICOLAI.
VERA EFFIGIES. S. NICOLAI MAGNI. ARCHIEPISCOPI. MIRENSIS.

PROVINCIA

PROVINCIA SANCTI NICOLAI.

A SANCTI Nicolai Prouincia, quæ & binomia eſt, ſatis patet: cùm ex 48. fratrum & 2. ſororum conuentibus conſtans, binas Regni Neapolitani Prouincias, Barenſem ſcilicet, atq; Hydruntinenſem complectatur. Vocatur etiam paſſim à ſuperiori nomine Apuliæ Prouincia, eò quòd in Apulia, quæ Italiæ regio, Adriaticoq; mari contermina, atq; inter Dauniam, & Calabriam ſita eſt, ſedem obtineat. Hæc igitur, quæ à Baſilicatæ Prouincia Bradano, & à Prouincia ſancti Angeli Ofanto fluminibus diſtinguitur, Prouinciæ Boſnę Argētinę olim Cuſtodia fuit, & ab ipſa ex patrum decreto nobis prodijt: Cuius ſigillum maius Chriſtum Dominum è ſepulchro ad fœmora vſq; prodeuntem, brachijſq;
B in crucis modum ad medium corporis diſpoſitis, ac binos Angelos ſibi aſtantes, nec non & beatum patrem Franciſcum ſub ſepulchro genibus complicatis, manibuſq; ad pectus iunctis, cum his literis eius oram ambientibus, S. FR. MINORVM. DE. OBSERVANTIA. PROVINCIÆ. S. NICOLAI. ſphericè continet. Cùm autem diui Nicolai corpus, Apulis celeberrimum, ſummeq; venerabile, Barij, quod eius finibus circumſcribitur, ſepultum (à quo & nomen ſibi vſurpauit) religioſè ſeruet, eius effigiem, antiquiori modo cultam, ſibi præponendam curaui.

De conuentu S. Catharinæ prope oppidum S. Petri Galatini. Conu. I.

C CVM oppidum ſancti Petri Galatini Hydrutinenſis diœceſis, maiori ex parte, à Græcis inhabitaretur, cogerenturq; Latini illis permixti, diuino officio, Græcorum more peracto, intereſſe, quod quidem illis ingratiſſimum, difficillimumq; erat, illuſtriſſimus Raymundus Baucius Vrſinus, Tarentinorum Princeps, eiuſdemq; oppidi temporalis Dominus, iſtorum rebus, atq; conſolationi conſulturus, hanc ſacram ædem, ſimul atq; conuentum ſibi annexum, ex domeſticis facultatibus, atq; ex apoſtolica ſibi ab Vrbano VI. Pont. max. facta facultate, in honorem ſanctæ Catharinæ virginis & martyris, cui ille deuotiſſimus ab incunabulis erat, anno Dñicæ Natiuitatis 1383. non procul ab oppido ſancti Petri Galatini ædificari, immuneq; ab Epiſcopali iuriſdictione reddi, atq; apoſtolicæ Sedi immediatè ſubdi, inſuper & Franciſcanis Prouinciæ Boſnæ
D Argentinæ fratribus apoſtolica ſibi Bonifacij IX. ſummi Pontificis, ac præfati Vrbani VI. ſucceſſoris auctoritate fauente, tradi curauit: Vt vel ſic præfati Latini tum rei diuinæ, tum quoq; canonicis alijs horis, Latino idiomate perſolutis, intereſſe, atq; Dei verbum, materna ſibi lingua propoſitum, audire poſſent: Vnde eius ſucceſſoribus patronatus iſtius loci ius meritò debetur. Aedificauit præterea pientiſſimus idem fundator ad pauperes, peregrinoſq; maxima charitate excipiendos, infirmoſq; curandos xenodochium huic monaſterio contiguum, illiuſq;, plurimis prius redditibus ditati, omnibuſq; neceſſarijs inſtructi, curam eius fratribus commiſit. Quam tamen illi, poſt fidelem iniuncti muneris exequutionem, quinquageſimo anno à pręfati hoſpitalis erectione, ex Eugenij IV. Pont. max. beneplacito, à ſe reijcientes, vt vel ſic quietius, libe-
E riuſq; Deo vacare, ſuæq; vocationi ſatisfacere poſſent, ad alios tranſtulerunt. Cumq; per centum continuos annos noſtri fratres hac domo pacificè vſi eſſent, ſuffectis ſibi Benedictinis monachis Conuentualibus, montis Oliueti paſſim appellatis, qui & conuentus ſimul & hoſpitalis curam gererent, ab Alphonſo Aragono, Neapolis Siciliæq; Rege, neſcio quibus de cauſis, deturbati, alioq; migrare coacti ſunt. Qui tamen, poſt tredecim annos elapſos, reuocati, relicta interim præfatis monachis hoſpitalis ſolicitudine, vſq; in hodiernam diem ibidem perſeuerant. Quorum numerus vt plurimum vicenerius eſt. Gaudet ſacra hęc domus plurimis priuilegijs, atq; ſanctorum reliquijs:

Videlicet indulgentia omnium peccatorum plenaria pro vniuerſis eam, in ſolemnita- A
tibus Aſcenſionis Dominicæ, atq; ſanctę Catharinę virginis accedentibus: Idq; ex ma-
xima ſummorum Pontificum, Vrbani VI. & Bonifacij IX. liberalitate: Et altero ex di-
gitis beatæ Catharinæ virginis & martyris, præfati fundatoris dentibus ab eius manu
in monte Sina auulſo: & integra maxilla ſanctæ Agathę virginis quoq; & martyris, al-
tero ex brachijs ſanctę Petronillę virginis, quodam digito ſancti Panthaleonis martyris,
alio digito ſancti Ioannis Chryſoſtomi Epiſcopi & confeſſoris, vna ex coſtis ſancti Bla-
ſij Epiſcopi & martyris, parte quadam tonſuræ ſancti Andreæ Apoſtoli, genu ſancti
Chriſtophori martyris, atq; plurimis alijs ſacroſanctis reliquijs, ſed minutulis, quas,
aliò properans, ſciens omitto. Licet præterea fratribus, ex Clementis VII. Pont. max.
indulto, circumferre proceſſionaliter per oppidum venerabile Seruatoris Chriſti cor-
pus Dominica infra octauam feſtiuitatis eiuſdem. B

De conuentu S. Franciſci Gallipolis. Conu. II.

SI de iſtius conuentus, qui Gallipolis, munitiſſimæ ciuitatis, ſub inuocatione bea-
tiſſimi patris Franciſci, conſtructus cernitur, & ab 18. fratribus occupatur, origine
agamus, antiquiſſimus proculdubio eſt: cùm ab altero ſociorum eiuſdem Seraphici
patris, opera tamen Gallipolenſium, ex certiſſima traditione, ædificatus habeatur: Si
verò de eius à patribus Franciſcanis Conuentualibus ad noſtros Obſeruantes tranſla-
tione quęſtio oriatur, eius vetuſtas ab anno ſalutis humanę 1400. computanda venit:
Cùm eo temporis, ex apoſtolica facultate, ad inſtantes illuſtriſſimi Raymundi Bau-
cij Vrſini (cuius ſuperiori loco meminimus) preces facta, ijs pulſis, reliquis Cuſtodiæ C
Boſnenſis Prouinciæ locis adiunctus ſit.

De conuentu S. Franciſci Petiliæ. Conu. III.

PETILIA, quæ & vulgò Altamura, magnæ Græciæ vrbs eſt, non procul à Li-
cinio promontorio, à Philoctete Peantis filio, Herculiſq; comite condita: Intra
cuius ambitum conuentus hic, Seraphico patri Franciſco ſacer, atq; à 15. fratribus in-
habitatus, eleganter conſurgit, qui anno à partu Virgineo 1400. communibus Peti-
lienſium ſumptibus ædificatus, abſq; dubio, creditur, atq; altero ex brachijs S. Apol-
loniæ virginis & martyris mirum in modum exornatur.

De conuentu S. Mariæ de Pace Venuſiæ. Conu. IV.

NISI nos vulgaris receptiſſimaq; ſeniorum traditio fallit, hæc ſacra ædes, B. vir- D
gini Mariæ de Pace dicata, longiuſculus à Venuſia, Appulorum Dauniorum
oppido, Horatijq; celeberrimi Poëta patria, erecta, præcedenti contemporanea eſt.
Cùm liberaliſſimis illuſtriſſimę Marię Donatæ Vrſinæ ſumptibus, anno Domini 1400.
conſtructa feratur. Quam & 10. fratres, vt plurimùm incolunt.

De conuentu S. Mariæ de Columna Trani. Conu. V.

VETVSTISSIMVS profectò eſt hic conuentus, B. virgini Mariæ de Colum-
na ſacratus, atq; inter criſpantes maris vndas, non procul à Trano ciuitate, ſi-
tus, cùm ante plurimas annorum centurias à Barbaruſſa Germanorum Imperatore ędi-
ficatus, Benedictiniſq; monachis collatus ſit: Nihilominus tamen eius antiquitas no- E
bis ab anno Dominicæ Incarnationis 1400. ſupputanda venit: cùm per id tempus à
ruinis, & incendio Turcarum ſuperuenientium opera excitato, Tranenſium ſumpti-
bus, & liberalitate vindicatus, ac omni ex parte refectus, fratribus noſtris, Benedicti-
nis interim ſuo iuri cedentibus, collatus fuerit: Quorum 10. ibidem perpetuò commo-
rantur, atq; ſequentes ſanctorum reliquias ſibi creditas, videlicet alterum ex brachijs
ſancti Stephani Papæ & martyris & aliquot oſſa ſanctorum Matthæi Apoſtoli, Feli-
cis, Coſmæ atq; Damiani matyrum, & Hilarionis Abbatis, quàm diligentiſſimè cu-
ſtodiunt. Sunt tamen qui mordicus aſſerant prædictorum ſanctorum Stephani, atq;
Hilarionis corpora hoc in loco humata eſſe: ſed hi locum minimè oſtendunt, quod ip-
ſum penitus ignorent.

De conuentu

A *De conuentu S. Franciſci Minerbini. Conu. VI.*

COMMENDAT quàm maximè pietatem illuſtriſſimi Raymundi Baucij Vrſini, Farentinorum Principis, in Obſeruantes Franciſcanos ſecunda hæc ſacra domus, in laudem atq; memoriam pauperum Patriarchæ Franciſci, non procul ab oppido Minerbino, anno humanę ſalutis 1400. à ſe erecta, ijſdemq; in perpetuum vſum, non minus liberaliter, quã piè conceſſa: Cuius quoq; beneficio eorũ 10. ibidẽ commorantur.

De conuentu S. Mariæ de Pietate Vxenti. Conu. VII.

CVM illuſtriſſima, atq; Franciſcanæ Obſeruanti familiæ addictiſſima Bauciorum proſapia, ex qua Tarentinorum Princeps Raymundus Baucis Vrſinus originem
B quoque duxit, Vxento, Salentinorum ciuitate, potiretur, hanc ſacram ædem, ſub inuocatione B. Mariæ de Pietate, anno humanæ redemptionis 1430. eleganter ſatis, ex domeſticis facultatibus intra Vxentina mœnia, ædificandam, atq; à pluribus fratribus inhabitandam curauit: quos etiam, quandiu ad eius vrbis clauum ſedit, liberaliſſimis eleemoſynis proſequuta extitit: Sed eius ſceptro ad alios tranſlato, fratribuſq; inedia obſeſſis, cùm Vxentinis non adeò magnæ opes ſint, antiquus eorum numerus ita diminutus eſt, vt ſeptenarium ſæpius non attingat. Nec tamen commendatione caret ſacer hic locus, cùm B. P. Angeli Pelitenſis ſiue ab Altamura venerabili funere exornetur: Cuius tanta fuit humilitas, tantaq; manſuetudo, vt paſſim tum à fratribus, tum quoq; à ſæcularibus ouicula nuncuparetur.

C *De conuentu S. Mariæ de Chiuiſa Bitunti. Conu. VIII.*

MINORITICVS hic conuentus, non procul à Bitunto antiquiſſima ciuitate ſitus, ac in honorem beatiſſimæ Mariæ Virginis de Chiuiſa erectus, curandis fratribus huius Prouinciæ circumquaq; vicinis, quòd ſaluberrimus, commodiſſimuſq; ſit, opportunè deſeruit: eaq; potiſſimum de cauſa inſtantibus Prouinciæ proceribus, à Bituntino ſenatu, ex publicis facultatibus, anno Dñi 1430. à fundamentis ad verticem vſq; ędificatus eſt. Continet verò vt plurimùm 20. fratres pręter aduentãtes infirmos.

De conuentu S. Franciſci Bitecti. Conu. IX.

BITECTINI ſenatus officium, cæteraq; erga noſtrum Ordinem ſtudia, vel maximè, in hac ſacra æde, in honorem Seraphici patris Franciſci, ſub Euge-
D nio IV. Pont. max. anno à mundo redempto 1433. erecta, relucent: Cùm non ſolùm eam ex communibus facultatibus, è regione communis ciuitatis Bitecti erigendam, abſoluendamq; curauerit: ſed & in hodiernam vſq; diem 12. fratres eius accolas, ſacręq; Theologiæ incumbentes, omni beneficiorum genere proſequatur. Viam vniuerſę carnis ingreſſus honeſtam hoc in loco ſepulturã nactus eſt B. F. Iacobus, natione Illyricus ac profeſſione laicus: qui procul dubio viuens ſanctiſſimis moribus, omniq; virtutũ genere præditus extitit, & mortuus innumeris claruit, claretq; miraculis: Cuius venerabile corpus, licèt à centũ annis exanime, integrum adhuc, imputre, atq; incorruptũ omnino perſeuerat, prout omnibus ipſum venerationis gratia accedentibus in confeſſo eſt.

De conuentu S. Mariæ Veteris Andriæ. Conu. X.

E
DVPLICI fungitur munere hic conuentus, in honorem glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, è veſtigio ciuitatis Andriæ erectus, atq; publicis Andrianenſium ſumptibus, ex apoſtolica Eugenij IV. Pont. max. auctoritate, anno Dominicæ Incarnationis 1438. ædificatus, valetudinarij videlicet, atq; ſtudij: Cùm & aduẽtantes huius Prouincię patres fratreſq; infirmos humaniſſimè excipiat, diligentiſſimeq; medeatur, atq; 18. ſtudentes Theologos ſub vno prælectore contineat, ſuſtentetq;.

De conuentu S. Mariæ de Angelis Atellæ. Conu. XI.

CVM fratres noſtri primùm conuentum ſanctæ Mariæ de Vite alba ſacrum, ſub Eugenio IV. Pont. max. ſibi ab Atellana communitate, longiuſculus ab Atel-

la communi eius oppido, anno Domini 1439. ædificatum,poſt aliquot annos, ob eius inſalubritatem, deſeruiſſent: Atellani, ne fratrum præſentia priuarentur, adiecêre, vt & hunc ſecundum, in honorem S. Mariæ de Angelis, multò commodiorem altero, in loco ſaniori,ſub Iulio II. Pont. illis conſtruerent. In quo 12. fratres, maiori ex parte nouitij,ꝙ ijs educādis atq; religioſis moribus inſtruendis aptiſſimus ſit,cõmorantur. A

De conuentu S. Mariæ de Templo Litij. Conu. XII.

PROSPECTVRI prouidi patres vicinorum conuentuum fratribus infirmis, hanc ędem,beatę Mariæ de Templo ſacram,aliquantulum à Litio, Apula ciuitate, ex publicis Litienſium facultatibus, anno à partu Virgineo 1440. ad eos excipiendos medendosq;, eleganter ſatis, ſatisq; opportunè ædificari curarunt. Quam 20. fratres frequentius inhabitant: mirumq; in modum & ſequentes ſacroſanctæ reliquiæ, videlicet altera ex ſpinis Dominicæ coronæ, binæ particulæ crucis, atq; clauorum Seruatoris noſtri Chriſti, aliquot oſſa ſanctorum Apoſtolorum Petri, Mathæi,atq; Thomę, quidam digitus ſancti Iacobi itidem Apoſtoli, alius quoq; digitus diui Ioannis Chryſoſtomi,alia etiã oſſa S.Laurẽtij martyris,SS Innocentũ,S.Antonij Abbatis & ſanctarũ Margaretę,& Apollonię virginum atq; martyrum,& ſacrę Theologię ſtudiũ exornãt. B

De conuentu omnium Sanctorum Melfiæ. Conu. XIII.

HIC quoq; Minoriticus conuentus, omnibus Sanctis ſacer, atq; ex apoſtolica Eugenij IV. Pont. max. auctoritate, à Melfiano ſenatu, anno Domini 1441. nons procul à Melfia, Apula quoq; ciuitate, conſtructus, curandis, pro ſua parte,infirmis, deſeruit: Quorum obſequio 14. religioſi eius inquilini, ſumma charitate ſummaq; diligentia intendunt. Diximus ſuperius pro ſua parte: eò quòd aliquot iſtius Prouincię conuentus peculiari curandorum infirmorum miniſterio mancipati ſint, habeantq; determinatum locorum numerum, ex quibus tantùm egrotos recipere teneantur. C

De conuentu S. Antonij de Padua Tarenti. Conu. XIV.

MINORITICVS hic conuentus, diuo patri Antonio ſacratus, nec procul à Tarento, magnæ Græciæ vrbe clariſſima, atq; in intimo receſſu ſinus, qui ab ea Tarenus dicitur, ſita,nec non & à Tarante Neptuni filio, à quo nomen accepit, condita, ędificatus,illuſtriſſimum Ioannem Antonium Baucium Vrſinum,Tarentinorum Principem, cuius in Franciſcanos beneuolentiæ, ſingularisq; affectus plura extant indicia,ſui authorem fundatoremq;, immo & maximum benefactorem agnoſcit: Cùm ex peculiaribus eius facultatibus,anno à ſalutifera mundi redemptione 1447. conſtructus ſit. Qui & infirmis fratribus curandis, & iunioribus ſacerdotibus,tum Philoſophicis,tum quoq; Theologicis literis imbuendis,pro ſui capacitate,& diſpoſitione, opportunè ſatis deſeruit. Eius verò accolæ vicenarium numerum attingunt. D

De conuentu S. Angeli Rubi. Conu. XV.

EX antiquioribus huius Prouinciæ locis hic eſt vnus, qui in honorem S. Angeli, ex publicis facultatibus ciuitatis Rubi, non longè à mœnibus, ante plurimos annos, conſtructus extitit. Sed cùm, graſſantibus hac in patria bellis,ab importuno milite ſolo æquatus eſſet, iterum, ſub Nicolao V. Pont. max. ab illuſtriſſimo Gabriele Vrſino de Baucio,Venuſinorum Duce, circa annum Domini 1449. ædificatus, reſarcitusq; fuit: In quo ſub Chriſto duce 12. fratres militant. E

De conuentu S. Ioannis Hydrunti. Conu. XVI.

NEC antiquitate caret hic conuẽtus diuo Ioãni ſacratus,ac cõmunibus Hydruntinenſiũ ſumptibus, non longè ab Hydrunto, extremo agri Salentini oppido ædificatus, cùm ab anno Dñicę Incarnationis 1450.ex apoſtolica auctoritate in lucẽ prodierit, & ab eo temporis 10. fratres, pluſuè minus pro temporum exigentia, contineat.

A *De conuentu ſancti Sebaſtiani Grauinæ.* *Conu. XVII.*

EIVSDEM ætatis cum præcedente eſt hic conuentus, glorioſo martyri Sebaſtiano ſacer, ac non procul à ciuitate Grauina erectus: cùm eodẽ prorſus anno 1450. ab incarnatione Dominica, ex pijs, publicisq; Grauinenſium facultatibus conſtructus ſit: Non quidẽ ſub S. Sebaſtiani, ſed ſub titulo ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ de Pace. A quo tamen ſequenti de cauſa, ex ciuium conſenſu, excidit. Laborabat ſiquidem, anno Domini 1483. vniuerſa ferè Italia peſtifera quadam, ac grauiſſima lue, à qua Grauinenſium ciuitas vt liberaretur, diuo Sebaſtiano hoc in ipſo loco ſacellum, ex communi ſolemniq; voto prius facto, ædificandum curauit. Cumq; ab eo temporis tantam cladem euaſiſſet, ne glorioſo martyri ingrata videretur, glorioſæ Virginis Mariæ de B Pace titulum in S. Sebaſtiani nomen in poſterum commutandum voluit. Cùm autem temporis ſucceſſu ab eius fundatione, contendentibus alijs eius inhabitationẽ, aliquales obortæ eſſent difficultates: fratribus noſtris, ad inſtantiã tamẽ Grauinenſiũ, à Sixto IV. Pont. max. anno Domini 1474. ad perpetuã rei memoriã conceſſus eſt. Cuius etiam beneficio 18. fratres ibidem commorantur: debitaq; cum religione aliquot oſſa diui Sebaſtiani martyris, atq; cranij partem diui Donati Epiſcopi & martyris aſſeruant.

De conuentu S. Bernardini Melfιcti. *Conu. XVIII.*

VNICO tantum anno à præcedentis fundatione, nempe 1451. præſens conuentus, B. P. Bernardino de Senis dicatus, qui & ſedem non procul à Melficto, Apula ciuitate, obtinet, ſedente tamen Nicolao V. Pont. max. ex publicis Melfictanorũ faculta-C tibus conſtructus fuit: Cuius inquilini duodecimum numerum frequentius attingunt.

De conuentu S. Mariæ Nouæ Raclæ. *Conu. XIX.*

ET hic quoq; conuentus, Deiparę Virgini Marię Nouę ſacratus, atq; prope Raclã, Apulũ oppidum, ſitus, qui & à 12. huius Prouinciæ fratribus occupatur, præcedentibus coæuus eſt: cùm anno à mundi redemptione 1453. ab illuſtriſſ. quodam Tholomæo, huiuſce oppidi Raclæ tẽporali Domino, ex mera tantum in Deum pietate, atq; in noſtrum Ordinem beneuolentia, à fundamentis ad apicem vſq; conſtructis ſit.

De conuentu S. Mariæ de Inſula Conuerſanæ. *Conu. XX.*

D OBERRANTI cuidam virgunculæ prope Conuerſanum, Apuliæ ciuitatem, cùm depicta quædam glorioſiſſimæ Virginis imago ſub ſpecu latens diuinitus reuelata fuiſſet, eaq; exhumata plurimis coruſcaret miraculis: Illuſtriſſ. Ioannes Antonius Aquauiua Vrſinus, eiuſdem Conuerſanæ ciuitatis Comes, deuotionis zelo accenſus, hunc conuentum, B. Virgini Mariæ de Inſula ſacrum, eodem prorſus loco, in quo præfata imago latuerat, ex proprijs facultatibus omnino ædificandum, fratribusq; noſtris, anno à partu Virgineo 1462. conferendum, vt vel ſic & iſtis de domicilio, & illi de ſolemniori cultu prouideret, quàm diligentiſſimè curauit. Diſtat autem paulùlum à Conuerſano ſacra hæc ædes, & ab 18. fratribus vt plurimum inhabitatur, quorum maior pars ſub vno prælectore Philoſophicis literis diligentius incumbit.

De conuentu S. Petri Barij. *Conu. XXI.*

E DEVOTISSIMVS quidam mercator Piſanus, nomine Balduinus Carattonus, tanquam Deo, atq; Barenſibus, pro diuitijs apud eos ſumma induſtria acquiſitis, gratias redditurus, hanc ſacram ædem, Principi Apoſtolorum Petro dicatam, ex acquiſitis diuitijs, intra Barij, Apulorum ciuitatis mœnia, anno à lętabunda Chriſti Seruatoris natiuitate 1436. conſtrui, atq; Obſeruantibus Franciſcanis fratribus, quibus addictiſſimus erat, ex apoſtolica ſibi facultate, tradi curauit. Hæc igitur ſacra domus ab 18. fratribus, quorum alter ſacram Theoſophiam, alter verò Philoſophiam reliquis prælegit, commodiſſimè inhabitatur. Hæc eſt illa felix ciuitas Barium, cuius ſuperius in iſtius Prouinciæ proloquio meminimus, quamq; diuus Nicolaus, Mirenſis Epiſcopus, ſibi in ſepulturam elegit.

De conuentu S. Mariæ de Angelis Caſſani. *Conu. XXII.* A

NON minus illuſtriſſimo Iulio Antonio Vrſino, Atrienſium Duci, atq; Caſſani, Apuliç oppidi, temporali Domino, quàm Caſſanenſibus debetur: cùm communibus iſtorum, atq; illius ſumptibus hæc ſacra ędes, in honorem S. Mariæ de Angelis, ex apoſtolica Pauli II. Pont. max. auctoritate, conſtructa ſit: Cuius religio inſtruendis nouitijs, quorum 6. cum alijs 7. profeſſis ibidem perſeuerant, maximè fauet. Sanctiſſimam mortem obijt hoc in loco B. F. Ioannes de Penna laicus, vir vtiq; ſui ſtatus, dum viueret, zelantiſſimus, qui prophetico ſpiritu afflatus plura pręuidit, prędixitq;.

De conuentu S. Franciſci Caſtellanettæ. *Conu. XXIII.*

MAGNO equidem Caſtellanettanorum beneficio noſter Ordo obligatur: Nam, ſedente Sixto IV. Pont. max. hanc ſacram ædem, in honorem pauperum Patriarchæ Franciſci, tum ex publicis, tum quoq; ex priuatis eleemoſynis, non longè à Caſtellanetta, Apula communiq; ciuitate, ædificari, ſibiq; omni ex parte perfectam, anno Dominicæ natiuitatis 1471. tradi curarunt: quam & 12. pluſuè minus, pro temporum ratione, commodiſſimè inhabitant. B

De conuentu S. Franciſci Caſſalisnoui. *Conu. XXIV.*

ACCESSIT quoque huic Prouinciæ, ijſdem ferè temporibus, anno nempe Domini 1474. atq; eiuſdem Sixti IV. Pont. max. auctoritate, conuentus hic, B. eidē patri Franciſco ſacratus, atq; publicis oppidanorum ſumptibus, non procul à Caſſali nouo, Apuliæ oppido, erectus; quem 12. fratres frequētius inhabitāt. Apoſtolicum huiuſce auctoritatis breue, ſub datū Romæ 20. mēſis Iunij, anno verò Dñi 1474. ſi quis videre cupiat, huius monaſterij archiuum conſulat, & ſuis votis factū ſatis experietur. C

De conuentu S Franciſci Spinæ aureæ. *Conu. XXV.*

POST elapſum tantummodo à pręcedētis erectione annum, cœpit & hic conuentus, in eiuſdem quoq; Seraphici patris Franciſci honorem, eodem Sixto IV. Pont. max. gubernante, ex communibus oppidanorum facultatibus, prope Spineam auream, Apulum oppidum, Venuſineq; iuriſdictioni ſubactum, à fundamentis erigi: qui & intra breuiſſimi temporis ſpatium vltimam artificis manum expertus, commodum 9. fratribus hoſpitium præbet.

De conuentu S. Laurentij Vigiliæ. *Conu. XXVI.* D

COMMVNI opera, communibusq; illuſtriſſimi Franciſci Baucij Vrſini, Andrienſium Ducis, oppidiq; Vigiliæ Domini temporalis, atq; Vigilienſis communitatis ſumptibus, pręfatoq; Sixto IV. Pont. max. ad militantis Eccleſiæ clauum ſedente, anno verò Dominicæ natiuitatis 1439. hæc ſacra ædes, adiunctusq; ſibi conuentus, 12. continendis fratribus aptiſſimus, ſub glorioſi martyris Laurentij inuocatione, ædificari cœperunt: ijſdemq; auſpicijs, non ita poſt multum tēporis, abſoluti ſunt.

De conuentu S. Cataldi prope Coraltum. *Conu. XXVII.*

CVM tempore vniuerſalis, contagioſæq; cuiuſdam peſtis, quæ adeò vniuerſam Italiam peruagata eſt, vt nihil intactum reliquerit, Coraltino cuidam, ſimpliciq; homini, Quirico Trambotto, reuelatū diuinitus eſſet, vt ſi Coraltum, Apuliæ oppidum, à graſſante lue liberari cuperet, eccleſiam diuo Cataldo ſacrandam, eo ipſo loco, in quo ſibi bos ſequenti luce ſub curru occumberet, communibus ſumptibus, nulla interpoſita mora, ædificandam curaret: Quod cùm ille Coraltinis prædixiſſet, alligatusq; ad currum bos ſequenti manè mortuus corruiſſet, ex tempore hæc ſacra ædes, tum ex publicis, tum quoq; ex priuatis eorum facultatibus, in honorem S. Cataldi, eodem prorſus in loco conſtructa extitit: Quam tamen cùm ſolemniori obſequio cultam affectarent, omnibus ſuis numeris abſolutam huius Prouinciæ patribus, quorum 12. ibidem commorantur, E

morantur,

A moratur, poſt 23. annum ab eius erectione, anno ſcilicet Dñicæ Incarnationis 1506. ex apoſtolica Iulij II. ſummi Pontificis auctoritate, inhabitandam contulerunt.

De conuentu S. Mariæ de Gratia Monopolis. Conu. XXVIII.

SVMMA Monopolitanorum in Franciſcanam Obſeruantem familiam beneuolentia, conceptumq; de eorum perſeuerantia iudicium fecêre, vt Innocentius VIII. ſummus Pontifex, apoſtolica etiam bulla, ſub datum Romæ 16. cal. Ianuarij, anno verò Domini 1491. expedita vnius Minoritici apud ſe conuentus erigendi facultatem illis concederet: Qua deniq; obtenta, Monopolitanus ſenatus hanc ſacram ædem, quam & 15. fratres frequentius occupant, ſanctiſſimæ ſemperq; Virgini Mariæ de Gratia dicatam, ex communibus facultatibus, eodem prorſus anno, à fundamentis erigere cœpit: Nec prius à cœpto opere ſibi abſtinendum putauit, quàm illi colophonem adderet.

De conuentu S. Antonij de Padua Neritonis. Conu. XXIX.

CVM Neritonenſis ſenatus vnius apud ſe Minoritici conuentus conſtruẽdi facultatem ab Alexandro VI. ſummo Pontifice, cuius bulla, ſub datum Romæ 6. menſis Martij, anno verò à partu Virgineo 1497. penes fratres perſeuerat, impetraſſet: nulla penitus interiecta mora hanc ſacram ædem, B. P. Antonio Paduano dicatam, ex vrbanis facultatibus Neritoni, quæ Apulorum ciuitas eſt, à fundamentis ad apicem vſq; conſtruendam, huicq; Prouinciæ adijciendam, curauit: Quam 22. fratres inhabitant: quorum alter ſacram Theologiam, alter verò Philoſophiam legit, reliqui verò à patre Guardiano, vel mixti ſtudentes, vel laici ſunt.

De conuentu S. Stephani Martinæ. Conu. XXX.

C EODEM prorſus anno Domini 1497. atq; ex eiuſdem Alexandri VI. Pont. max. auctoritate, conuentus hic, diuo Stephano prothomartyri ſacer, non longè à Martina Apuliæ oppido, ex communibus quoq; prouentibus, à perdeuota Martiniana communitate, à fundamentis erigi cœpit: qui & poſt breuiſſimi temporis interuallum abſolutus fuit: Ex quorum etiam decreto 13. fratres ibidem commorantur.

De conuentu Annunciationis B. Mariæ Hoſtumi. XXXI.

MINORITICÆ præſentis domus, quæ ſub titulo feliciſſimæ Annunciationis glorioſæ ſemperq; Vrginis Marię, prope Hoſtumum Apuliæ oppidum ſurrigit, pius Hoſtumẽſis ſenatus author extitit: Qui, obtenta prius ab Alexãdro VI. Pont. max. apoſtolica facultate, eam ſumma cura, ſummaq; diligentia, anno à lætabunda Chriſti 1499. à Pontificatus verò eiuſdem 8. ex publicis redditibus, ædificari, huicq;
D Prouinciæ adificij curauit: Quam & 15. ipſius fratres commodiſſimè incolunt.

De conuentu S. Mariæ Nouæ Terlitij. Conu. XXXII.

E regione Apuli eius oppidi, quod Terlitium nuncupatur, nec tamen longius, Franciſcanus hic conuẽtus, ſanctiſſimę Mariæ Nouæ dicatus, atq; communi opera, communibusq; Terlitianorum ſumptibus, anno ſalutis humanę ſeſquimilleſimo, ſub Alexandro VI. Pont. max. cuius quoq; aſſenſus acceſſit, ædificatus, quem & 12. fratres inhabitant, & quædam Zenonis, eiuſq; ſociorum ſacroſanctæ reliquiæ commendatiſſimum reddunt, elegantiſſimè ſurrigit.

De conuentu S. Mariæ de Paſſu Molæ. Conu. XXXIII.

MAXIMVM ſanè, & pietatis Molanæ communitatis in Deum, & beneuolen-
E tiæ in Obſeruantem Franciſcanam Religionem argumẽtum eſt ſacra hæc Minoritica domus, in honorem beatiſſimæ Mariæ de Paſſu, non procul à Mola, Apuliæ oppido, atq; Barienſi iuriſdictioni ſubacto, eleganter ſatis erecta: quam ipſamet, anno redemptionis humanæ 1503. atq; ſedente Alexandro VI. ſummo Pontifice, ex publicis facultatibus à primis fundamentis ad verticem vſq; conſtruendam, conſumendamq; curauit: quamq; 10. fratres pro voto inhabitant.

De conuentu S. Mariæ de Loreto Labelli. XXXIV.

CVM enim illuſtriſſimus Ioannes à Tuffo, primus Labellenſium Marchio Franciſcanam Obſeruantem familiam à teneris vnguiculis vnicè dilexiſſet: vt primùm Marchionatus dignitatem obtinuit, aliquod tantæ dilectionis ſpecimẽ editurus, hanc ſacram, Minoriticamq; domum, 12. continendis fratribus omnino accommodam, aliquantulum

quantulum à Labello, Apula ciuitate, ſibiq; audiente, ex domeſtico patrimonio, impetrata tamē prius à Iulio II. Pont. max. facultate, anno Dñi 1504. ædificandā curauit: Ita vt nihil eorum, quæ commodā habitationē concernunt à fratribus deſiderari poſſit. A

De conuentu S. Mariæ de Caſolis Cupertini. XXXV.

MIRIFICAM Cupertinorum erga Ordinem noſtrum beneuolentiam, non obſcurè prædicat hæc ſacra ædes, in honorem S. Mariæ de Caſulis, non procul à Cupertino, Apuliæ oppido, erecta: cùm eorum communibus ſumptibus, triennio ante quàm totius Franciſcani Ordinis ſigillum, atq; Miniſteriatus ad Obſeruantes deuolueretur, ex facta ſibi à Leone X. Pont. max. facultate, ædificata ſit.

De conuentu S. Catharinæ Forentiæ. Conu. XXXVI.

PROBATISSIMIS aliquot viris, qui promouēdo operi ſolertius inſtarent, primò delectis, atq; apoſtolica auctoritate à Leone X. Pont. max. impetrata, Forentina communitas, eiuſq; tēporalis Dominus & Princeps, hanc domū in honorē S. Catharinę virginis, ſimul & martyris, anno reparationis noſtræ 1516. ex cōmunibus facultatibus in medium collatis, non procul à Forentia, Apulo oppido, erigi, abſoluiq; curarunt: Quam tamen, ob eius anguſtias atq; incapacitatem, 8. tantùm fratres inhabitant. B

De conuentu S. Mariæ Maioris Aquauiuæ. Conu. XXXVII.

GRAVIS equidem teſtis eſt amoris ſummi illuſtriſſimi Antonij Donati Aquauiuæ Aragoni, Ioianienſium Comitis, & Aquauiuenſiū Ducis, erga noſtrum Ordinē conuentus hic, S. Mariæ Maiori ſacratus, atq; non procul ab Aquauiua, Barienſis diœceſis oppido, erectus: cùm peculiaribus eius ſumptibus, Clemente tamen VII. Pont. max. annuente, anno Incarnationis Dñi 1525. à primis fundamentis ad vltimū vſq; apicē ædificatus fuerit: In quo, quòd non adeò pateat, 8. tantùm fratres commorātur. C

De conuentu S. Andreæ Barolis. Conu. XXXVIII.

CVR enim Barolenſibus fratres noſtri tot, tamq; magnifica beneficia non gratificabuntur? Quibus non fuit ſatis Minoriticum conuentū ex vrbanis facultatibus, ante plurimos annos, longiuſculus à Baroli, communi Apulaq; ciuitate conſtruxiſſe. Nam ea ab importuno milite, graſſantibus in Apulia bellis, demolita, ſoloq; æquata, aliam multò elegantiorem, multoq; commodiorem, intra eiuſdem ciuitatis mœnia, eo loco, in quo ędicula, diuo Andreæ Apoſtolo ſacra, prę extiterat, Clemente VII. Pont. max. ſibi annuente, ex ijſdem facultatibus, ac ſub antiquiori titulo, ædificandam curarunt. Contigit autem id anno ab humano genere reparato 1528. à quo etiam tempore hic locus 18. fratribus opportunè deſeruit, quorum alter ſacram Theologiam, alter verò Philoſophiam certo ſtudentum numero prælegit. D

De conuentu S. Mariæ de Gratia Marrubij. Conu. XXXIX.

CLEMENTE VII. Pont. max. ad totius eccleſię militantis clauum ſedente, atq; ex apoſtolica eius auctoritate, prout ex diplomate dato 6. mēſis Aprilis, anno Dominicæ Incarnationis 1534. liquidò edocemur, conuentus hic, beatiſſimæ Virgini Mariæ de Gratia ſacratus, atq; non longè à Marrubio, Apulorum oppido, ſitus, Marrubienſibus interim omnia neceſſaria ſumma liberalitate conferentibus, apprimè ædificatus extitit: Quem 10. fratres, ex matura ſuperiorum diſpoſitione, inhabitant.

De conuentu S. Mariæ de Angelis Acaiæ. Conu. XL.

ILLVSTRIS Ioannes Iacobus Acaius, Acaiæ, Apulorum oppidi Dominus temporalis, omni officio ac potius pietati erga noſtrum Ordinem ſatisfacturus, hanc ſacram ædem in honorē Virginis Mariæ ac Angelorum Reginæ, annuente ſibi Pio IV. Pont. max. non procul ab Acaia oppido præfato, anno à partu Virgineo 1564. à fundamentis erigendam, breuiſſimoq; temporis tractu abſoluendam, ac tandem 9. religioſis, ſumma liberalitate ſummoq; ſtudio, inhabitandam tradidit. E

De conuentu S. Antonij de Padua Litij. Conu. XLI.

EODEM prorſus pietatis, atq; beneuolentię zelo ductus illuſtriſſ. idem Ioānes Iacobus Acaius, propriam domum, quam Litij optimo iure poſſidebat, proprijs quoque ſumptibus, ex conceſſione Pij V. Pont. max. anno verò à mundo redempto 1566. in Mino-

A in Minoriticum conuentum, 20. continendis fratribus omnino accommodum, promouendum, transformandumq; , ſub inuocatione B. P. Antonij de Padua, curauit.

De conuentu S. Mariæ de Caſſali Brunduſii. Conu. XLII.

MINORITICVS hic conuentus, B. Mariæ de Caſſali ſacratus, multis retrò annis, à Gallorũ Regibus, non longè à Brunduſio, (vti cernitur) antiquiſſima Calabriæ ciuitate, atq; maritimo portu nobiliſſima, Adriaticoq; mari alluta, & à ceruini capitis ſimilitudine ſic dicta: ex qua Romanis tritiſſimus olim fuit in Græciam tranſitus, erectus, omnibusq; ſuis numeris abſolutus fuit: Quem tamen habitatore deſtitutum R. Ioannes Carolus Bouius, præfatę ciuitatis Brunduſinæ Archiepiſcopus, 26. Aprilis anni 1568. huic Prouinciæ, liberaliter contulit: Quemq; 18. fratres incolunt.

B *De conuentu S. Mariæ de Conſtantinopoli Maſſafræ. Conu. XLIII.*

NEC ſtudium, nec liberalitas illuſtris admodum herois Franciſci Papacodæ Maſſafræ, Apulorum oppidi, atq; Motolanæ diœceſis, temporalis Domini Seraphico Ordini noſtro defuit: cùm & ipſe, anno à Chriſti natiuitate 1568. apoſtolica tamen ſibi auctoritate fauente, propriam ſuæ habitationis domum, quam intra præfati oppidi Maſſafræ ambitum obtinebat, in Minoriticum conuentum, ſub titulo S. Mariæ de Conſtantinopoli, promoueri, curarit: Quem & 10. fratres frequentius inhabitant.

De conuentu S. Ioannis Baptiſtæ Turi. Conu. XLIV.

COMMVNIBVS Turenſiũ, atq; illuſtris proceris Franciſci Moles Turi, Apuli oppidi temporalis Domini, liberaliſſimisq; ſumptibus, hæc ſacra domus, quam 11. fratres occupant, in honorem S. Ioannis Baptiſtę, nonprocul à pręfati oppidi mœnibus, C ex aſſenſu Gregorij XIII. Pont. max. anno Domini 1574. ædificari cœpit, ijſdemq; auxilijs, intra breuiſſimi temporis ſpatium (tanta fuit eorum deuotio) abſoluta eſt.

De conuentu S. Mariæ de Cruce Francauillæ. Conu. XLV.

VT primùm deuotus vir Antonius Rontius apoſtolicã facultatẽ nactus fuit, hoc ſacrũ monaſteriũ, B. Marię de Cruce dicatũ, ex proprijs facultatibus, nõ procul ab oppido Frãcauilla Brũduſinæ dięceſis conſtruendum, atq; huius Prouincię patribus, ix. cal. Febr. anno verò Domini 1575. tradendum curauit: Quod & 12. fratres inhabitant.

De conuentu S. Mariæ de Fonte ouina Rapollæ. Conu. XLVI.

HIC conuentus glorioſæ ſemperq; Virgini Marię de Fonteouina ſacratus, ac iuxta Rapollenſia mœnia, ex publicis Rapollenſium ciuium facultatibus, conſtructus, D noſter omnino fętus eſt: cùm ex noſtra facultate, primo aſſumpti miniſterij anno, qui à partu Virgineo 1581. fuit, in lucẽ prodierit. Qui cùm omnino neophitus ſit 8. tantũ fratres impræſentiatum continet, plures temporis ſucceſſu Deo auſpice contenturus.

De conuentu S. Mariæ de Conſtantinopoli Poliniani. Conu. XLVII.

PRÆSENS quoq; conuentus in honorem Dei genitricis Mariæ de Conſtantinopoli, ex communibus Polinianenſium, atq; illuſtriſſ. Ioannis Vincentij de Tolfa, eorũ tẽporalis Dñi facultatibus, aliquantulũ à Poliniano, Apula ciuitate, ædificatus, nobis aſcribẽdus venit: Nã ex noſtra etiã facultate, dũ vniuerſi Obſeruãtis Minoritici Ordinis clauum teneremus, Idibus Ianuarij, anno verò Domini eodẽ 1581. à fundamẽtis primò erigi cœpit: Qui deniq; omnibus ſuis numeris abſolutus 12. fratres modò continet.

E *De conuentu S. Mariæ de Gratia Liuerani. Conu. XLVIII.*

OMNIVM deniq; Minoriticorum huius Prouincię diui Nicolai conuentuũ claudit numerum is, qui prope Liueranum, Apuliæ oppidum, Aurienſiſq; diœceſis, ex apoſtolica nobis facta auctoritate, atq; ex communibus Liueranenſium facultatibus, Gregorio XIII. ſummo Pont. ſedente, emerſit: Qui recentiſſimus omnino cùm ſit (cœpit enim anno à Chriſti natiuitate 1581. primò ædificari) à 10. tantũ fratribus inhabitatur.

Sequuntur monaſteria monialium.

HABET quoque hæc Prouincia duo monialiũ monaſteria, vnum Vigilię in honorem S. Ludouici Epiſcopi & confeſſoris, à perdeuoto quodam Bernardo Spallutio ædificatum & à 25. monialibus inhabitatum; alterum verò Barolis erectum, in quo 12. tantùm ſorores Tertiariæ commorantur.


PROVINCIA
S. BERNARDINI
IHS
Manifeſtaui nomen tuum
Hominibus.

PROVINCIA

PROVINCIA SANCTI BERNARDINI.

A PROVINCIA hæc ſancti Bernardini, quæ & olim Pennenſis à Penna
ciuitate, beatum patrem Ioannem à Stronconio, ſtrenuum Franciſcanæ
Regularis Obſeruantiæ propugnatorem, ſui authorem veneratur. Cùm
enim beatus is pater, tempore naſcentis Obſeruantiæ, mirumq; in mo-
dum pullulantis, circa annum à lætabunda Chriſti natiuitate 1410. Mi-
noritica quatuor loca, Aquilæ, Chetis, Pennæ, atq; Montisplani, (de quibus inferius)
apud Brutios, conſtrui curaſſet: illisq; venerabilem patrem Dominicum Genuenſem,
diſertiſſimum concionatorem, ſuiq; ſtatus atq; profeſſionis mirificum zelatorem, in
B Commiſſarium præfeciſſet, tot, talesq; progreſſus huiuſmodi auſpicijs ijs in locis Re-
gularis ipſa Obſeruantia fecit, totq; alia loca præfatis acceſſerunt, vt omnia ſimul bre-
ui in Prouinciam redacta, titulo Pennæ ſiue Pennenſis inſignita euaſerint. Tempore ve-
rò quarti Capituli generaliſſimi (de quo ſupra) Mediolani, anno Domini 1457. ſub
Calixto III. Pont. max. atq; ſub patre Iacobo à Mozanica, totius Franciſcani Ordi-
nis Generali Miniſtro celebrati, præfatus Pennæ titulus, quòd corpus beati patris Ber-
nardini de Senis in altero eius conuentu, Aquilano videlicet, ſepultum eſſet, ob eius
reuerentiam, in ſancti Bernardini nomen commutatus eſt. Qua etiam de cauſa eiuſdem
ſancti imaginem, pro aliarum Prouinciarum more, ſibi præferendam volui. Confla-
C tur autem vniuerſa hæc Prouincia ex 26. fratrum, atq; 3. tantùm ſanctimonialium mo-
naſterijs: quæ omnia ſimul ſumpta tricenarium numerum dempta monade complent.
Maius eius ſigillum, vt antiquum ordinem ſequamur, integram eiuſdem beati patris
Bernardini effigiem omnino ſtantem, dexteraq; nomen IESVS, orbiculari circulo
circumſcriptum, radijsq; colluſtratum, ſed ſiniſtra librum clauſum tenentem, huiuſce-
modiq; literas intra orbem, MANIFES. ſed in circuitu ſequentes. SIGILLVM.
MINISTRI. PROVINCIE. SANCTI. BERNARDINI. continet.

De conuentu S. Bernardini Aquilæ. *Conu.* I.

D AGENTI B. P. Ioanni Capiſtrano Amiterni, quod & Aquila vulgò dicitur,
Brutiorum ciuitatis, vbi B. P. Bernardinus de Senis feliciſſimum diem clauſerat
extremum, ſpoponderant Amiternenſes erecturos ſe quidem Minoriticum monaſteriũ
in honorem tanti patris apud ſe defuncti, dummodo apoſtolica auctoritas adeſſet: Qua
tandem impetrata, atq; B. P. Ioanne Capiſtrano Cracouię apud Polonos degente, pro-
miſſi immemores, ſacellum tantùm, conuentus loco, in antiquiori fratrum Conuen-
tualium monaſterio erigere moliebantur: Quod cùm B. P. Ioannes reſciuiſſet; eos per
literas grauiter redarguit, inſtantiusq; ad pollicitationis ſibi factæ exequutionem
hortatus eſt. Quibus literis receptis, atq; in antiquiori propoſito confirmati, hanc ſa-
E cram ædem, eidem patri Bernardino ſacram, quam & 50. fratres incolunt, intra prę-
fatæ ciuitatis Amiterni mœnia, ex publico ærario eleganter, atq; magnificè ſatis con-
ſtrui, illamq; B. P. Iacobo Picenti, qui & de Marchia, Generali tunc vniuerſæ Obſer-
uantis familiæ Ciſmontanæ Vicario, anno à Chriſti natiuitate 1454. tradi curarunt.
Hac igitur in eccleſia venerabile illud pignus, corpus ſcilicet beati patris Bernardini
de Senis: qui anno Domini 1444. die vero menſis Aprilis 20. è viuis in æternum victu-
rus exceſſit: atq; à Nicolao V. Pont. max. 24. Maij, anno Domini 1450. Pontifica-
tus verò ſui anno iv. inter ſanctos relatus eſt: quiq; plurimis miraculis coruſcat, (quo-

rum tamen nullum in medium adducam, quòd abundè ab authore Chronicorum noſtri Ordinis lib. 2. 3. p. ſui operis referantur) duplici arca, altera criſtallina, altera verò argentea reconditum, atq; omnino incorruptum, eminentiori quodam in loco honorificè quieſcit. Iacet quoq; ibidem, ſed in alio, honeſto tamen loco, corpus B. F. Philippi à Carponeto laici: cuius in perferendis tribulationibus & infirmitatibus patientia, in laborando perſeuerantia, in oratione tum vocali, tum quoq; mentali aſſiduitas: erga Deum & proximum charitas: ad prælatos obedientia: ac deniq; humilitas & paupertas tanta fuit, vt vix exprimi queant: Quapropter, ne in ſingulis connumerandis legenti ſim oneroſus, id tantum cum B. P. Bernardino de Foſſa, huius noſtri Ordinis aliquando alumno, nunc verò Regni cœleſtis perpetuo accola, qui eius vitam, ſanctamq; conuerſationem diligentiſſimè conſcripſit dicam, quòd omnino irrepręhẽſibilis fuerit, quodq; vniuerſa eius vita nihil aliud à quodam miraculo extiterit. A B

De conuentu S. Iuliani ibidem. Conu. II.

VT primum reuerendiſſimus pater frater Antonius Pyretus, Romanæ Prouinciæ alumnus, in 65. generali Capitulo Argentinę, anno Domini 1405. celebrato, totius noſtri Ordinis Franciſcani Generalis Miniſter electus eſſet: iſq; beatum patrem Bernardinum de Senis, generalem totius Italię Eccleſiaſten, atq; beatum patrem Ioannem à Stronconio ſuum Commiſſarium ſuper omnes Minoritas Obſeruantes Generalem inſtituiſſet: beatus pater Ioannes (vt ſuperius pertranſeundo tetigimus) hunc Minoriticum conuentum, diuo Iuliano ſacrum, quem 12. fratres incolunt, ex peculiaribus Aquilani cuiuſdam ciuis, nomine Nuntij à Fonte, aliquantulum à præfata ciuitate Amiterno, circa annum ſalutis humanæ 1410. ædificandum curauit, ſibiq; venerabilem patrem fratrem Dominicum Genuenſem præfecit. Si quis autem nos redarguendos putauerit, quòd huic conuentui ſecundum, præcedenti verò primum locum, cùm iſti primus, illi verò ſecundus iure antiquitatis debeatur, incautè tribuerimus: hoc, noſtræ purgationis gratia, referat reſponſum, voluiſſe ſcilicet nos illum iſti, & ratione tanti pignoris, corporis ſcilicet diui patris Bernardini ſibi crediti, & etiã magnitudinis, nobilitatisq; cauſa, qua is præſtat, ex conſulto præferre. Nec tamen hic locis veneratione caret: cùm religioſiſſimus ſit, & tribus beatorum patrum corporibus ibidem ſepultis mirum in modum honeſtetur: Et primò quidem corpore beati patris Apollonij Aquilani ſacerdotis, eximijq; Prædicatoris: Qui licèt iuuenis ætate, moribus tamen atq; ſanctitate ſenex omnino deceſſit. Induit beatus hic pater noſtræ Religionis habitum in Prouincia Tuſciæ, indeq; per ſalutarem obedientiam à ſuperioribus ad hunc locum, ex quo ortum duxerat, tranſlatus, tantopere in quolibet virtutum genere, hoc in conuentu, in quo & animam ſuo creatori reſtituit, profecit, vt plurimos illius temporis patres, etiam ſanctitate inſignes, longè poſt ſe reliquerit: In cuius rei teſtimonium ſtatim à felici eius tranſitu ignea quędam, atq; perlucida columna, tecto huius loci imminens, à Tertiarijs quibuſdam ac fide dignis ſororibus viſa eſt: qua proculdubio Deus opt. max. eius vitæ candorem, animæq; gloriam ſignificare voluit. Secundò verò corpore beati fratribus Maſchij Aquilani, profeſſione laici: qui (vt refert beatus pater Bernardinus à Foſſa eius vitæ conſcriptor) vir humillimus, ſummeq; ſimpliciſſimus, atq; adeò in oratione, diuinorumq; myſteriorum contemplatione aſſiduus, feruensq; fuit, vt ſæpius à terra eleuatus, aëriq; tantum innixus à fratribus viſus ſit: Quamobrem Deo gratiſſimus extitit, prout & rei euentus comprobauit: Nã vix ſanctiſſima illa anima eius corpus deſeruerat, quando innumeris miraculis, in miſerorum ſolatium, coram frequentiſſimo cœtu qui ad eius funeralia conuenerat, coruſcare cœpit: Quæ ſi quis curioſus ſcire voluerit, libellum à B. P. Bernardino de Foſſa, editum legere non grauetur. Ac tandem corpore beati quoq; fratris Vicentij Aquilani laici, viri vtiq; ſumma ſanctitate, abſtinentia, atq; humilitate, prout omnibus huius Prouinciæ patribus, ac fratribus in confeſſo eſt, præditi: Qui & ſingulari patientia in laboribus, illatisq; iniurijs perferendis polluit: atq; in oratione vigilantiſſimus, C D E

A mus, ita vt integras noctes ijs intentus inſumeret, etiam extitit: Inſuper & ſpiritu prophetico donatus fuit: Nam ſciſcitanti à ſe Ferdinando Aragono, vtriuſq; Siciliæ Rege: num eo in bello, quod contra Romanum Pontificem gerere parabat, ſuperior euaſurus eſſet, reſpondit: nequaquam: Quapropter rebus ſuis conſuleret, & à conſerendis cum hoſte manibus omnino abſtineret: Cuius tamen ſaluberrima monita aſpernatus Rex, atque cum Pontificis copijs congreſſus, & inferior euaſit, & ſuæ incredulitatis pœnas dedit: His itaq; atq; plurimis alijs virtutibus inſignitus ex hac mortali vita, anno Dominicæ Incarnationis 1504. ad aſtra migrauit. Cuius venerabile corpus 14. anno ab huiuſmodi tranſitu, dum caſu effoſſa terra detegeretur, integrum omnino, incorruptũ, ac ſuauiſſimè redolens à fratribus inuentum, inde exhumatum, atq; nucea criſtallinaq; arca reconditum, ad peculiarem, honeſtio-
B remq; locum ab ijſdem tranſlatum eſt: Quam quidem tranſlationem accepto ferens Deus opt. max. plura mortalibus ex tempore beneficia mirabilia, quemadmodum & vota, atq; tabellæ in eius ſepulchri gyro appenſæ facilè indicant, illius meritis contulit, in dieſq; confert. Nec minus à præcedentibus corporibus huius ſacræ domus venerationem mortalibus commendant ſequentes quoq; aliorum beatorum patrum reliquiæ: Videlicet altera ex caligis beati patris Bernardini: deuotiſſima quædam Ieſu Chriſti imago tabellæ apprimè impreſſa, & mappula, quas ſecum idem beatus pater deferre aſſueuerat: mantelum, pileoluſq; beati patris Ioannis Capiſtrani, & corporalia, ſimul & burſa ad ea tegenda, quibus iſmet in Miſſæ ſacrificio vtebatur, & habitus, mantelum, pileolus, atq; calepodia prædicti beati fratris Vincentij Aquilani.

C *De conuentu S. Andreæ Teatis. Conu. III.*

SI, iuxta antiquitatis ſeriem, Minoritico huic conuentui, qui prope Teatem, Marrucinorum oppidum, ſub titulo ſancti Andreę, conſtructus cernitur, proprium locum aſſignare vellemus, præponendus profectò veniret omnium primo: cùm iſte per triginta annos ante & vltra, anno ſcilicet à mundo redempto 1420. à venerabili patre Dominico Genuenſi, (cuius ſupra meminimus) ex liberalitate, & munificentia Teatinorum, ille verò, anno 1454. conſtructus ſit. Quare autem huiuſmodi ordinem commutare voluerimus, ſatis ſuperq; præcedenti loco à nobis ratio reddita eſt: eaq; de cauſa eam minimè repetendam duximus. Ergaſtulo carnis ſolutus ex hoc loco, quem 20. fratres inhabitant, ad aſtra euolauit præfatus venerabilis pater, diſertiſ-
D ſimuſq; diuini verbi declamator, frater Dominicus Genuenſis, huius Prouinciæ, poſt beatum patrem Ioannem à Stronconio, author, ac fundator, qui moriens maximum ſui deſiderium, maximamq; ſanctitatis famam omnibus reliquit.

De conuentu S. Mariæ Penæ. Conu. IV.

CVM beatus pater Ioannes à Stronconio, eiuſq; commiſſarius pater Dominicus Genuenſis Minoriticum quendam conuentum, ſub titulo ſancti Chriſtohpori, non procul à Pena, Brutiorum ciuitate, ex diuerſis Penenſium eleemoſynis, anno Dominicæ natiuitatis 1420. conſtrui curaſſent: inibiq; fratres, per 80. ferè annos, moram traxiſſent: is tandem conuentus, quò eorum ſaluti minus faueret, derelictus, ſibiq; alius,
E ex publico Penenſium ærario, in loco eminentiori ſalubriori, ac mœnibus viciniori, ſub inuocatione ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ, ſuffectus eſt: quem vt plurimùm 13. fratres inhabitant. Mortem non abſq; maxima ſanctitatis opinione, hoc in loco obiêre venerabilis pater Ægidius Anglanus, beati patris Ioannis Capiſtrani chariſſimus ſocius atq; ſtrenuus omnium virtutum, præcipuè verò obedientiæ, paupertatis, charitatiſq; æmulator: cuius meritis quidam Colucius Maleonus, patria Penenſis, cum inſtantius ad eius ſepulchrum oraret, (vt refert beatus pater Bernardinus de Foſſa) à graui, qua laborabat, infirmitate liberatus fuit, & frater Iacobus clericus, omninoq; ætate iuuenis, ſed moribus maturiſſimus, & ſenex, qui aliqua certiſſimè, & quemadmodum poſtea euenerunt, multò ante prædixit: & frater Petrus laicus, laboris patientiſſimus,

continuæq; orationis amator : qui ſæpius eiſdem intentus à fratribus extra ſenſum, atq; à terra ſubuectus viſus eſt . A

De conuentu S. Ioannis de Rupe Montisplani. Conu. V.

HIC deniq; conuentus, qui ſub inuocatione ſancti Ioannis, non logè à rupe Montisplani, Brutiorum oppido ſurrigit, & à 12. fratribus occupatur, vltimus eſt eorum, quos, in iſtius Prouinciæ exordio, à beato patre Stronconio erectos fuiſſe commemorauimus : Idq; tum ſeniorum traditio, tum quoq; aliquot ſcripturæ in eius archiuo aſſeruatæ, patentiſſimè indicant, quæ & aſſerunt ipſum, anno à ſalutifera Chriſti Seruatoris natiuitate 1421. communibus tamen oppidanorum ſumptibus, fuiſſe ædificatum : huius ſacræ ædis accola fuit aliquando beatus pater Thomas Florentinus ſiue de Scarlino : cuius etiam habitus in ſacrario diligentiſſimè cuſtoditus, plurimos mortales, à Dæmonibus miſerrimè afflictos, liberauit, in dieſq; liberat. B

De conuentu ſancti Angeli de Pace Anſani. Conu. VI.

CVM beatus pater Ioannes Capiſtranus inter Anſanum, atq; Ortonam Brutiorum ciuitates, maximè inter ſe diſidentes, ac incendijs, continuiſq; occiſionibus ſe mutuò infentantes, tum publicis ad vtramq; habitis concionibus, tum priuatis conſilijs, ac perſuaſionibus, pacem conſtituiſſet, compoſuiſſetq; : Anſanenſis ſenatus, ob tantum beneficium acceptum, ſibi gratias relaturus, hunc conuentum, ſancto Angelo de Pace, in præfatæ reconciliationis memoriam, ſacrum, non procul ab Anſano eius ciuitate, ex publicis prouentibus, anno Dominicæ Incarnationis 1430. ædificandum, Obſeruantibuſq; Franciſcanis fratribus adiudicandum, ex apoſtolica auctoritate, curauit : Quem vt plurimum 14. fratres inhabitant : venerabilioremq; reddit corpus beati patris Hieronymi à Stronconio, Prouinciæ ſancti Franciſci olim alumni, ibidem honeſto loco ſepultum. Meruit beatus hic pater, ob ſingulares eius virtutes, mirificamq; ſanctitatem, miraculis tum viuens, tum quoq; mortuus coruſcare. C

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Ortonæ. Conu. VII.

ORTONA, Brutiorum ciuitas, ne, conſtructo iam ab Anſianenſibus, ob cauſas ſuperius dictas, Minoritico conuentu, vel pacem aſpernari videretur, vel ingratitudinis erga tantæ pacis authorem, eiuſq; Ordinem argui poſſet, quandam ędem, licèt tardiuſculus, anno ſcilicet à partu Virgineo 1440. beatiſſimo patri Franciſco ſacram, aliquantulum à mœnibus, ex communibus bonis, erigi, ædificariq; curauit. In qua viam vniuerſæ carnis, in æternum victurus, ingreſſus eſt beatus pater Blaſius Aquilanus, beati quoq; patris Ioannis Capiſtrani olim chariſſimus ſocius, omniq; virtute, religione, atq; ſanctitate ornatus : qui diuinis contemplandis myſterijs perpetuò intentus, nunquam otioſum verbum protulit : ſed quicquid, ſiue inter ſæculares, ſiue etiam inter fratres loquutus, ideſt, maxima grauitate prolatum, in Dei honorem proximiq; ædificationem ceſſit. Fratres tamen, quòd is locus minimè eorum vel ſaluti, vel quieti conſuleret, eum poſt aliquot annos deſerentes, alium intra eiuſdem ciuitatis Ortonæ mœnia, ſub inuocatione ſanctiſſimæ ſemperq; Virginis Marię de Gratijs, ex eorundem Ortonenſium facultatibus, multò commodiorem, atq; 13. continendis fratribus aptiſſimum, ſibi conſtruxerunt. Diem clauſit extremum hoc in ſecundo loco beatus pater Laurētius de Villa magna: Cuius in oratione aſſiduitas, atq; erga Deum, proximumq; charitas incredibilis fuêre : Cuiuſq; corpus, poſt quàm per 30. continuos annos ſub humo latuiſſet, incorruptum omnino, atq; integrum inuentum eſt. Quamobrem inde eductum, atq; criſtallino loculo reconditum, in ſacrario honorificentiſſimè aſſeruatur, vbi & ab Ortonenſibus ſumma veneratione colitur. In matrice Ortonenſis ciuitatis eccleſia diui Thomæ Apoſtoli corpus honorificentiſſimè quieſcit : quod tamen, ea à Turcis exuſta, illeſum ab igne miraculosè remanſit. D E

A

De conuentu S. Nicolai Sulmonis. Conu. VIII.

AD amorem, quem Sulmo, Pelignorum ciuitas, Ouidijq; Naſonis famoſiſſimi olim Poëtæ patria, atq; à Solymo Aeneæ comite eius conditore ſic dicta, erga Obſeruantem Franciſcanum Ordinem, ab eius exordio habuerat, acceſſit, & hic conuentus, diuo Nicolao ſacratus, atq; communibus eius ſumptibus, anno Dominicę Incarnationis 1443. longiuſculus à vallo ædificatus, quem 14. fratres commodè ſatis inhabitant. Dominici aduentus, diuinæq; retributionis diem, iteratò animæ vniendum, hoc in loco prę ſtolatur venerabile corpus beati patris Philippi Aquilani, ad cuius mauſolæum, eius meritis, diuina operante virtute, plurima contingunt miracula: Fuit beatus hic pater, dum viueret, acerrimus vitiorum perſequutor, & meliorum chariſmatum diligentiſſimus ſectator.

B

De conuentu ſancti Antonij de Padua Adris. Conu. IX.

EA Brutiorum ciuitas, quæ Adri vulgò nuncupatur, pro ſua in Deum pietate, ac in noſtram Religionem beneuolētia, hanc ſacram domum in honorem ſancti Antonij de Padua, non procul à proprijs muris, ex publicis prouentibus, ædificandam, ac 13. huius Prouinciæ fratribus, quibus & neceſſaria ſumma liberalitate miniſtrat, tradendam curauit. In qua maximæ olim expectationis, nec minoris ſanctitatis iuuenis, beatus ſcilicet frater Honofrius à Caramanico, clericus ſepultus iacet: Qui licèt ſecularibus, atq; etiam fratribus, ob ſingulares eius animi dotes chariſſimus, non tamen ab eis, ob nimiam iuuentam, dum viueret, benè quidem poſt mortem, cognitus fuit: Cùm plurimis eius tumulum accedentibus à morbo regio, quo & ipſe grauiſſimè laborauit, ſoſpitatem impetrauerit, indieſq; impetret.

C

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Terami. Conu. X.

ALIO feſtinans hæc tantùm de Minoritico præſenti loco, qui prope Teramum oppidum conſtructus cernitur, dixerim: quòd videlicet ex publicis Teramenſium facultatibus, in honorem & laudem glorioſæ ſemperq; Virginis Mariæ de Gratijs conſtructus fuerit: quodq; à 20. fratribus inhabitaretur: & quod etiam in maxima veneratione apud oppidanos, conuicinoſq; populos ſit.

D

De conuentu Annunciationis B. Mariæ Vrſuniæ. Conu. XI.

DVM beatus pater Ioannes Capiſtranus accelerandæ canonizationi beati patris Bernardini intentus, vltrò citroq; à Brutijs ad Romanos, & ab iſtis ad illos procederet: oblatum ſibi conuentum ab Vrſunianis, quàm breuiſſimè ædificandum, anno Dominicæ natiuitatis 1448. acceptauit, cæteriſq; adiunxit: cuius aſſenſum vt primùm illi impetraſſent: hanc ſacram ædem, feliciſſimæ Annunciationi Deiparę Virginis Mariæ dicatam, atq; à 12. fratribus frequentius incultam, ex communi ærario, ad mille paſſus ab eorum oppido Vrſunia, (vulgò Orſonia) conſtrui, neceſſarijſq; omnibus inſtrui fecerunt. Tumulatus iacet hoc in ipſo loco deuotiſſimus, ſimulatq; religioſiſſimus pater Chriſtophorus Penenſis, qui præmiſſa ad Deum oratione, cui inſtantiſſimus erat, integram atq; ex temporaneam cuidam languenti ſanitatem impetrauit.

E

De conuentu S. Bernardini Ciuitatis S. Angeli. Conu. XII.

MINORITICAM hanc domum, diuo patri Bernardino ſacram, & à 12. fratribus occupatam, atq; non longè à mœnibus Ciuitatis ſancti Angeli ſitam, de qua impræſentiarum, eiuſdem ciuitatis ſenatus, ex ſingulari quadam deuotione, apoſtolica ſibi auctoritate fauente, circa annum noſtræ redemptionis 1460. ædificandam, cæteriſq; huius Prouinciæ locis annectendam curauit: In qua mortem obijt, ſepultuſq; eſt venerabilis, deuotuſq; pater, atq; egregius ſui temporis Eccleſiaſtes, pater ſcilicet

Seraphinus Teatinus: qui licèt literarum etiam, Grammaticalium ignarus, omnes tamen ſe audientes in ſtuporem, atque admirationem adducebat: Tanta erat eius doctrina, diuinorumq; arcanorum penetratio, quam Spirituſancto dictante didicerat: quapropter meritò inter cœlicolas reputatur. A

De conuentu S. Angeli Ocræ. *Conu. XIII.*

NON equidem abs re ſacra hæc Minoritica domus in Ocræ, Foſſæq; oppidorum confinibus ſita, ſanctoq; Angelo dicata, atq; publicis, priuatiſq; vtriusq; oppidi ſumptibus, circa annum humanæ reparationis 1479. conſtructa, in tanta eſt apud conuicinos populos veneratione: Nam præter religioſam, exemplaremq; 12. fratrum accolarum vitam, quę eam commendatiſſimam reddit: triplici funere omnino venerabili honeſtatur: Beati videlicet patris Bernardini de Foſſa, viri ſanctiſſimi; pariterq; doctiſſimi, cuius vitam Antonius de Amicis Foſſanus, ſibiq; compatriota, diligentiſſimè conſcripſit: Eius corpus honeſto loco conditum, non longè à ſummo altari tumulatum eſt: Et beati quoq; patris Timothei Aquilani à Monticulo (vulgò Montechio) miraculis omnino illuſtris: Et beati itidem patris Ambroſij de Pepulo etiam Aquilani, ſocijq; beati Ioannis Capiſtrani: cuius ſanctitatem innumera miracula tum in vita, tum quoq; in morte edita luculentiſſimè produnt. B

De conuentu S. Bernardini Camplis. *Conu. XIV.*

ASCRIBENDA quoq; venit ſacra hæc domus in honorem ſancti patris Bernardini, prope oppidum (Camplis) materna Italorum lingua nuncupatum, erecta, atq; à 13. fratribus occupata, in gratiam beati patri Ioanni Capiſtrani à pia Camplenſi communitate, anno à partu Virgineo 1448. conſtructa. C

De conuentu S. Franciſci Caramanici. *Conu. XV.*

EANDEM prorſus ſuæ fundationis cauſam habuit hic conuentus, Seraphico patri Franciſco ſacer, nec longè ab oppido Caramonico ſitus, atq; à 13. fratribus inhabitatus: gratiam ſcilicet beati eiuſdem patris Ioannis Capiſtrani: ob quam illius oppidi accolæ eam, præmemorato anno Domini 1448. à fundamentis erigendam, omnibusq; ſuis numeris abſoluendam curarunt. D

De conuentu S. Franciſci Capiſtrani. *Conu. XVI.*

AEDIFICATVRA pia Capiſtranenſis communitas tãto patri ac chariſſimo compatriotæ, beato ſcilicet Ioanni Capiſtrano, apud ſe conuentum, hanc ſibi optionem dedit, vt quem commodiorem, ſalubrioremq; huiuſmodi operi futuro iudicaret, locum, eum ſibi elegeret. Anxius itaq; atq; omnino ſolicitus, de ſitus electione pater, cùm poſt aliquot dies elapſos, tanquam in biuio conſtitutus, nihil determinaſſet: quadam die inter concionandum, rem totam diuinę diſpenſationi committens per modum parenteſis ait: Is locus ædificando monaſterio mancipatus eſto: in quo præteruolantes illæ columbæ pedem primò fixerint: Quibus tandem non longè à veteri caſtro, quod Rex Deſiderius ad expugnandas Fidenas, eiusq; accolas infideles, & Saracenos opprimendos conſtruxerat, in quodam illuſtriſſimorum Celani Comitum fundo, cui Columbarium nomen erat, ſubſiſtentibus: & fundus ab illuſtriſſimis Leonello, eiusq; legitima vxore Cobella, Celani Comitibus, vltrò, in tanti patris gratiam, oblatus eſt: & hic conuentus, beatiſſimo patri Franciſco ſacer, ex communibus Capiſtranenſium facultatibus, ibidem ex tempore ædificari cœpit. Contigit autem id totum, prout ex literis in huius loci archiuo aſſeruatis patet, prima Decembris eius anni, qui à partu Virgineo fuit 1447. Alterum ex huius ſacræ domus ſacellis eidem beato patri E

dicatum

A dicatum extitit,in quo eius imago graphicè, iconicosq́; depicta,conſpicitur,plurimaq́; miracula, præcipuè verò in dæmoniacorum beneficium, contigunt: & quadam arcula ſequentes ſcripturę, atq; iocalia diligentiſſimè cuſtodiuntur: Nempe argentea crux plurimis ſanctorum reliquijs ornata: argenteus quoq; calix & eiuſdem materię patena, bina candelabra ęnea, binę ampullę ſtamneę, & bina quoq; miſſalia ex membranulis compacta,cum quibus beatus is pater miſſæ ſacrificium altiſſimo offerre conſueuerat: argentea beati patris Bernardini de Senis imago, quam isdem pater Ioannes deuotionis, memoriæq́; gratia, (fuerat ſiquidem ei contemporaneus, atq; amiciſſimus) ſecum perpetuò deferebat: Eiuſdem beati patris Ioannis breuiarium,binæ tunicułæ, bina mantela, bini pileoli, baculus, atq; par ſandaliorum: Binæ capſulæ ſanctorum reliquijs plenæ: quorum tamen nomina, vel obliteratis præ vetuſtate, vel deficientibus omnino ſcripturis, penitus ignorantur: Vndecim plumbeæ bullæ, diuerſis temporibus, & ad diuerſa negotia, eaq́; grauiſſima, ab Eugenio I V. Pont. max. ad eundem beatum patrem datæ: Aliæ tres bullæ etiam plumbeæ à Martino V. ſummo quoq; Pont. ad eundem, non eodem tempore, datæ: Quinque etiam aliæ bullæ plumbeę à Nicolao itidem V. Pont. max. & alia à Calixto Papa I I I. ad eundem beatum patrem expeditæ: Binæ literæ Alphonſi Aragoni Neapolitanorum Regis ad eundem: Ac tandem plures aliæ apoſtolicæ literæ grauiſſima negotia tum noſtræ Religionis, tum quoq; vniuerſę catholicæ fidei concernentes, à præfatis ſummis Pontificibus ad ipſum quoq; beatum patrem,ſub annulo Piſcatoris,tranſmiſſæ. Contigit autem vt,antequam huius loci templum conſtrueretur, ſummæ ſimplicitatis, ſummæq́; perfectionis vir, beatus ſcilicet frater Angelus de Canoſa laicus Capiſtrani, quod Brutiorum oppidum C eſt, moreretur,atq; ſub exequijs,quæ ſibi in matrice eiuſdem oppidi eccleſia fiebant, infirmum feretro approximantem, à graui, quo laborabat, languore, ex tempore liberaret: Quapropter & in poſterum vt ſanctus, vereq́; beatus haberi cœpit, (nec abs re quidem,cùm plura ab eo temporis miracula ediderit) & eodem in loco humatus, nunquam à ſæcularibus, vt ad fratres apponeretur, qui vt plurimùm ſunt tredecim numero, impetrari valuit.

(margin letter B beside the line beginning "cientibus")

De conuentu S. Mariæ de Cumis Ciuitellæ. Conu. XVII.

CVM vigeſimus iam tertius annus à præcedentis loci ædificatione tranſiſſet, pia eius oppidi, quod (Ciuitella di Bruzzo) Italicè nuncupatur, communitas hanc D ſacram ædem, in honorem ſanctiſſimæ atq; glorioſiſſimæ ſemper Virginis Mariæ de Cumis, aliquantulum ab oppidi vallo, ex publicis prouentibus, anno Dominicæ incarnationis 1470. conſtruendam, atq; à 12. fratribus occupandam curauit.

De conuentu S. Mariæ de Paradiſo Tocci. Conu. XVIII.

EODEM quoq; anno Domini 1470. conuentus hic, glorioſiſſimæ Dei genitrici Mariæ de Paradiſo ſacer,ac prope Toccum, Brutiorum oppidum,erectus, quē 12. fratres frequentius inhabitant, à deuota Toccenſi communitate, ex publicis facultatibus,ſumma alacritate ſummaq́; æmulatione, ædificatus extitit: Qua & in hodiernum E vſq; diem eius accolis neceſſaria ſatis liberaliter ſubminiſtrat.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Francauillæ. Conu. XIX.

VIGINTI tantùm annis ſacra hæc domus in honorem ſanctiſſimę Mariæ de Ieſu non longè à Francauilla, Brutiorum oppido, conſtructa, proximè præcedenti iunior, recentiorq́; eſt: cùm anno à ſalutifera Chriſti Seruatoris natiuitate 1490. ab eius oppidi ſenatu, ex communibus prouentibus, ædificata fuerit: Cuius etiam liberalitate 10. fratres eius incolæ maiori ex parte ſuſtentantur, amiciunturq́;

De conuentu S. Mariæ de Valle viridi Celani. Conu. XX. A

NON poſſum non iteratò dolere, iteratòq; carpere fratrum noſtrorum incuriam, ſupinamq; negligentiam: quippe qui & memorabilia patrum noſtrorum geſta ad poſteros vtiliter tranſmittenda, ſcripto mandare, & monumenta eorum fauorem concernentia in tabellarijs aſſeruare contempſerint: Quo fit vt nihil, vel certè parum, quod ad noſtros heroës attineat, in ſingulorum conuentuum deſcriptionibus referamus: Quod vel ſaltem in huius Prouinciæ locis, & maximè in præſenti, qui ſub inuocatione ſanctæ Mariæ de Valleviridi, anno Dominicæ natiuitatis 1503. à Celanẽſi communitate, longiuſculus à Celano, Brutiorum oppido, conſtructus fuit, & à 10. fratribus occupatur, patet: in quibus nihil ferè aliud à fundatoribus, atque fundationem B tempore continetur.

De conuentu S. Mariæ de Pietate Loreti. Conu. XXI.

IVRE quidem optimo Hieronymianum illud, nempe ordo præpoſterus neceſſariò commutatus, in his duobus locis, nempe præſenti ſcilicet, atq; præcedenti verificatur: Cùm hic, ſanctiſſimæ Virgini Mariæ de Pietate ſacratus, communibusq; Loretanorum ſumptibus, non procul à Loreto, communi eorum oppido, erectus, atq; illi præponendus, anno à partu Virgineo 1500. conſtructus ſit, & ille (vt ex ſuperioribus patet) iſti à 12. fratribus inculto poſtponendus, non ante annum Domini 1503. in lucem prodierit: Licèt hoc parum, quoad noſtrum propoſitum, referat, quippe qui C eorum dignitatem potius ex patrum, capitulorumq; diſpoſitione, quàm ex fundatione & origine attendamus.

De conuentu S. Mariæ de Cona Tuſsiciæ. Conu. XXII.

EADEM prorſus præſenti monaſterio, quod Tuſſicianorum liberalitate & munificentia, ſub titulo glorioſiſſimæ Virginis Mariæ de Cona, prope Tuſſiciam, Brutiorum oppidum, conſtructum eſt, & à decem fratribus inhabitatur, fieret iniuria, quę & præcedenti, ſi cuiq; loco, iuxta ſuæ fundationis tempus, propria ſedes hoc in libro tribuenda veniret: Cùm eodem prorſus anno Domini 1500. vterq; ædificatus, huicq; Prouinciæ adiectus ſit. D

De conuentu S. Mariæ à Pezzano Montorij. Conu. XXIII.

VT primùm ſub reuerendiſſ. patre fratre Aloyſio Puteo, totius noſtri Ordinis Generali Miniſtro, currente verò Dominicæ Incarnationis anno 1568. ex ſanctiſſimi domini Pij V. Pont. max. decreto, mandatum fuit, vt quotquot fratres Clareni eſſent omnes antiquiori ritu & nomine relictis, in Franciſcanam Regularem Obſeruantiam verba facerent, tranſirentq;: hæc ſacra domus, glorioſiſſimæ Virgini Mariæ de Pezzano dicata, atque ſumptibus (vt piè creditur) oppidanorum, non longè à Montorio, Brutiorum oppido, conſtructa, in huius Prouinciæ ius tranſijt: quam & decem Minores Obſeruantes, ab eo temporis, pacificè omnino inhabitant. E

De conuentu ſanctiſsimæ Mariæ Propitiani. Conu. XXIV.

ID in lucris poſitura illuſtriſſima domus Aquauiua, hoc ſacrum monaſterium in honorem Deiparæ Virginis Mariæ, non longè à Propitiano, ſibi ſubdito oppido, ex domeſticis peculiaribusq; facultatitibus, à fundamentis ad verticem vſq; ędificandum, & venerabiliq; patri fratri Ioanni à Calaſio, huius tunc Prouinciæ Miniſtro, tradendum curauit: quod ille acceptans, reliquorumq; locorum catalogo aſcribens, 8. tantum fratribus, quòd non adeò patet, inſtruxit, communiuitq;.

A

De conuentu S. Nicolai Pepuli. *Conu.* *XXV.*

HIC quoq; conuentus, diuo Nicolao ſacratus, atq; Pepulenſium (niſi nos quædam indicia fallant) ſumptibus, ante plurimos annos, prope Pepulum, eorum oppidum, ædificatus, quemadmodum & penultimus, ad Franciſcanos patres Clarenos aliquando ſpectauit: A quibus tamen ad huius Prouinciæ fratres, ſedente immo & imperante Pio V. Pont. max. eodem anno, quo & ille, tranſlatus eſt: modoq; illorum octo, & aliquando pluribus deſeruit.

De conuentu S. Antonij de Padua Palenæ. *Conu.* *XXVI.*

B HVIC igitur Prouinciæ ſancti Bernardini vale dicturi, vnum tantùm his, quæ à nobis de ea dicta ſunt, ſubijciemus, hunc videlicet conuentum, qui ex publicis Palenenſium facultatibus, prope Palenam, Brutiorum oppidum, conſtructus, ſe contuentium oculis obijcit, & à 10. fratribus vt plurimùm incolitur, anno à ſalutifera mundi redemptione 1537. primitus exordium ſumpſiſſe, atq; beato patri Antonio de Padua ſacratum eſſe.

Sequuntur monaſteria monialium.

De monaſterio Corporis Chriſti Aquilæ. *Mon.* *I.*

C PLVRA profecto de hoc ſacro monaſterio, quod ciuitatis Aquilanę muris cinctũ, ſub inuocatione ſanctiſſimi Corporis Chriſti ſurrigit, de que eius dignitate, fama, & religione dicerem, niſi me incurrendæ prolixitatis timor retardaret: Nam & magnitudine, & ſororum numeroſitate plurimis præſtat, cùm 104. ſacras virgines de prima beatæ virginis Claræ Regula commodè capiat, contineatq;: Et ſanctitate pollet, cùm quinq; beatarum ſororum corpora, videlicet beatæ ſororis Antoniæ à Florentia, quæ huius loci fundatrix primaq; Abbatiſſa extitit: & beatæ ſororis Iacobæ Aquilanæ: & beatæ ſororis Ludouicæ itidem Aquilanæ: & beatæ ſororis Bonauenturæ de Antredocho, & beatæ ſororis Paulæ Fulginatis, diſtinctis loculis, ſed honeſtis, ibidem recondita plus quam ſatis indicant: Quæ omnes miraculis claruêre, eaq; de cauſa, tum apud reliquas moniales, tum quoq; apud vniuerſos ciuitatis Amiterni accolas, in maxima
D ſunt veneratione: Ac tandem optima fama inter reliquas eiuſdem Inſtituti domos coruſcat: Quamobrem, quodq; etiam non ſit præſentis inſtituti referre quæcunq; de ſacris virginibus dici poſſent, his ſuperſedebimus.

De monaſterio S. Claræ Adris. *Mon.* *II.*

PRÆCEDENTIVM ſanctimonialium mores, atq; veſtigia maxima æmulatione ſectantur 50. eiuſdem Inſtituti ſorores: quæ in maxima pace, animorumq; conformatione, & glutino in hoc ſacro ſanctæ Claræ monaſterio, Adris erecto, conuiuunt.

E

De monaſterio S. Antonij Sulmonis. *Mon.* *III.*

NEC diſſimiles præcedentibus, neq; etiam inferiores illis ſunt 54. aliæ ſorores: quæ ſub eadem prorſus prima beatę virginis Clarę Regula, hanc ſacram domum, beato patri Antonio dicatam, Sulmoniſq; erectam, inhabitant.


PROVINCIA
SANTI
ANGELI
S·RAF HAEL

PROVINCIA SANCTI ANGELI.

A POST 30. annos ab inchoata noſtri Ordinis reformatione, (ea inquam, quæ ſub reuerendiſſimo patre fratre Thoma à Ferignano Mutinenſi, Prouincięq; Bononię alumno,atq; totius Minoritici Ordinis Generali Miniſtro, Vrbano VI. ac Gregorio XI. ſummis Pontificibus, diuerſis tamen in partibus, ac tempore ſchiſmatis ſedentibus, opera tamen beati fratris Pauli de Trincis, ſiue Paulutij Fulginatis, in conuentu ſiue potius eremitorio ſancti Bartholomæi Brulianenſi cœpit,noſtręq; Regulari Obſeruantię initium dedit) aliquot patres ac fratres (maiori ex parte Conuentuales) ſuæ Regulæ, profeſſionisq; zelotes, atq; ſtrictioris vitæ cupidi,aliquot loca nempe S. Honofrij, S. Nazarij, ſanctę Trinitatis, ſancti Saluatoris Nuceriæ, duoq; alia eremitoria, (quorum inferius meminerimus) ſub B. P. Ioanne à Stronconio, ac B. F. Thoma Florentino profeſſione laico, B vigilantiſſimis, ſtrenuisq; Ducibus, vt ibidem, iuxta Regulæ promiſſiq; ſtatus candorem, victitare poſſent, ſibi ex Prouincialium Miniſtrorum, quibus ſuberant, facultate, delegerunt. Quibus tamen mirum in modum multiplicitatis, R. P. F. Gulielmus de Caſſali, vniuerſi Ordinis ſeraphici Generalis Miniſter, ſexennio à munere ſuſcepto, nempe die 13. menſis Februarij, anno verò Domini 1431. vt ex patentibus eius literis eodem tempore in membranula datis, atq; in conuentu ſancti Martini aſſeruatis, quæ ab huiuſmodi verbis exordiuntur: In Chriſto ſibi chariſſimis Guardianis,& cæteris patribus locorũ ſancti Honofrij &c. ſatis patet, eorũ alterum in propriũ prælatum, ſub Vicarij titulo,qui tamẽ Miniſtro ſubeſſet,cũ poteſtatis plenitudine pręfuit. Cùm autẽ pręfati conuentus, cum alijs ſibi de nouo adiunctis, ad maiorem numerum perueniſſent, Prouinciæ dignitate, ſub titulo ſancti Angeli, honeſtati ſunt: Cuius quidem Prouinciæ primordialis zelus, paupertas, atq; ſanctitas tanta fuit, vt vix exprimi queat: Nec C mirum ſanè, cùm præfatum beatum fratrem Thomam à Florentia ſui authorem, habuerit. Is enim eius fratres & lanificum exercere,& hominum frequentiam fugere, & ſtrictiſſimã paupertatem cum humilitate coniunctam colere docuit: Adeò vt per plurimos annos eius diſcipuli, nullum locum acceptare voluerint, vbi huiuſmodi lanificio incumbi minimè quiret: ne tandẽ ocio torpentes aliquãdo tentationibus ſuccumberet: ex vix vllus inter eos inueniretur,qui ſacris initiari vellet: Quo & fiebat,vt ſæpius integra communitas feſtiuis diebus Miſſę auditione priuaretur. Quapropter Eugenius IV. Pont. max. ex paterno quodam affectu, alteram contemplationis, ſiue mentalis orationis horã tempori exercitio huiuſmodi deſtinato,ſingulis feſtis diebus adiecit:qua defectum,ob Miſſæ priuationem, incurrendum ſuppleret: Quam & Pius II. Pont. itidem max. confirmauit. Taceo interim ſummam eorum abſtinentiam, cùm vnica tantum, eaq; ſatis frugali, refectione per ſingulos dies attrita laboribus, vigilijsq; corpora D recrearent, profundiſſimam humilitatem, cæterasq; virtutes: quas qui olim aſſequi cupière ad hanc ſancti Angeli Prouinciam conuolarunt: De quorum numero fuère beati patres Benedictus Cremonenſis, Gaſparinus, atq; Epiphanius Inſubres: Qui ad primum eius contuitum, fratrumq; humilitate, paupertate, & ſanctitate inſuper & humili, incomptaq; locorum ſtructura perſpectis, tanquam ſpiritu ebrij omnes vno ore clamitare cœperunt: Hîc tu quidem beatiſſime pater Franciſce inhabitas, hîc certè tu coleris,atq; hîc tandem,poſt longam peregrinationem,te inuenimus, quapropter nos ad te properantes hilari animo benigniſſime pater excipe. Hęc tandem ſic benè inſtructa Prouincia ex 30. conuentibus in vniuerſum conſtat: Cuius maius ſigillum Archangelum Michaëlem pręfulgidis indutum armis, draconiq;, ſub eius pedibus ſtrato, necem gladio minitantem,atq; ſiniſtra clipeum tenentẽ,cum his literis S. P. MINISTRI.

NISTRI. PROVINCIÆ. MONTIS. S. ANGELI. ORD. MI. A
REG. OB. papyro ſphericè inducit. Quia verò Prouincia S.Michaëlis apud Hiſpanos eodē ferè ſigillo vtitur, & ſibi ea de cauſa eiuſdē Archangeli effigiē præponere voluit: ne ambarum, iſtius videlicet, atq; illius icones concurrant, licèt præſenti potius, ob eius apparitionem in Gargano monte, qui eius ambitu circumſcribitur, euentā, debeatur) huic Angeli cuſtodis, Raphaëlis videlicet, imaginem præferendam curaui.

De conuentu S. Honofrij prope Calenam. *Conu. I.*

VNVS ille fructus, qui ex præſentis loci habitatione refertur, non facilè exprimi A poteſt: cùm in limine ampliſſimæ cuiuſdam ſyluæ, atq; ad editiſſimi cuiuſdam montis radices ſitus, milliariq; cum dimidio à proximiori pago, Domo ſcilicet Calena, diſtans, maxima ſuis habitatoribus, qui vt plurimum ſunt 5. profeſſi fratres, totidemq; B nouitij, orandi ſpatia præbeat: mirumq; in modum eorum animos ad diuinorum contemplationem, ſua amœnitate, ſolitudine, quiete, ac etiam ſtructuræ humilitate alliciat: Quamobrem non immeritò (cum anachoriticus omnino ſit) B. Honofrio ſacratus exiſtit. Exiſtimatur autem opera B. P. Ioannis à Stronconio, ex diuerſis circumuicinorum populorum eleemoſynis, ædificatus: Idq; ædificiorum humilitas patentiſſimè indicat. Inter cæteros autem ſanctiſſimos P. ac F. quos anachoritica hæc domus nobis peperit, tumulatosq; continet, maximè radiarunt B. P. Ioannes Aragonus, Federici quoq; Aragoni Neapolitanorum Siculorumq; Regis nepos: vir vtiq; omni ex parte perfectus, atq; pœnitentiæ addictiſſimus: Qui Neapoli apud patruum agens, licèt plurimis milliaribus diſtaret, hunc locum omnino conflagrantem conſpexit: Quod cùm Regi retuliſſet, illeq; certior fieri cuperet: regium pedem alteri ipſius pedi ſuperimponere iuſſit: quo deniq; ſuperimpoſito, ex tempore Rex flammam fumo admixtā proprijs oculis vidit: atq; 20. domorum præfati pagi Domus Calenę tributum, ſibi exoluendum, exuſti conuentus reparationi maxima liberalitate applicuit: Et B. P. Iuſtus de Domo Calena, qui innumeris, tum in vita, tum quoq; in morte claruit miraculis. Obierunt quoq; (vt præfati ſumus) hoc in eodem loco plures alij patres ac fratres ſanctiſſimi: communemq; cum alijs ſepulturam nacti ſunt: quorum meritis, licèt eorum nomina, ſcripta tamen in libro vitæ, nos lateant, plurimi à Dæmonibus, à quibus miſerrimè torquentur, pro voto liberantur.

De conuentu S. Nazarij Moroni. *Conu. II.*

DESERVIVIT olim hic conuentus, diuo Nazario ſacratus, ac Moronenſium, D eorumq; temporalium Dominorum de domo Carrafa ſumptibus, non procul à pago Morono conſtructus, ligandis, compingendisq; choralibus vniuerſæ iſtius Prouinciæ libris: eaq; de cauſa ſeptem tantùm eius compactoriæ artis peritos fratres profeſſos, totidemq; nouitios ea imbuendos, frequentius continuit. Impræſentiarum verò, religioſis alijs rebus implicitis, 10. eorum ad ſummum continet, quorum maior pars ad nouitiatum ſpectat: nihilq; minus ab antiquo illo officio, cæteris locis præſtādo, curat. Eius tamen antiquitas ab anno Dominicæ incarnationis 1410. computanda: (eſt enim præcedenti coæuus) ſtructura verò, vt ex apoſtolico quodam Pij II. ſummi Pontificis breui conſtat, cuidam fratri Conſtantino profeſſione laico aſcribenda venit: Commune fratrum ſepulchrum, ob beneficia quæ illis, præcipuè verò dæmoniacis ibidem contingunt: atq; ob religioſiſſimorum patrum Modeſti de Ciuitate, atq; Bonauenturæ de Colloobtorto corpora, eodem in loco humata, alijsq; permixta, ſæcularibus E eſt omnino venerabile: Quibus etiam commendatiſſimum exiſtit mauſolæum B.F. Guliermi à Caſtillione laici, ob eius cineres ibi reconditos: qui plurimis infirmis, viuens adhuc, ſuis meritis ſanitatem obtinuit: & mortuus innumera miracula edidit.

De conuentu S. Bernardini Montisriſi. *Conu. III.*

FVERAT olim locus hic multò humilior à deuoto quodam religioſo P. F. Nicolao ab Oſmo in valle de Cantalupo, ex diuerſis eleemoſynis, ſub titulo ſancti Honofrij, ædificatus, atq; tum ab eo, tum quoq; à plurimis alijs fratribus incultus. Sed beato

A B. P. Bernardino de Senis inter ſanctos relato, quòd commodæ fratrum habitationi
minus faueret, ex conceſſione Pij II. Pont. max. (cuius apoſtolicum breue adhuc ſu-
pereſt) inde ad cliuum cuiuſdam collis, non longè tamen diſtantis, atq; ampliſſimæ
cuidam ſyluæ imminentis, ſub inuocatione S. Bernardini tranſlatus eſt. Cuius ſtructu-
ra, præcedenti tamen auguſtior, pulchriorq́;, oppido Morono, quod non procul ab
eo diſtat, pertinetq; ad illuſtriſſimos Piſcariæ, Hiſtonijq́; (vulgò Guaſto) Marchiones,
debetur: Cuius etiam beneficio, & liberalitate 6. fratres profeſſi, totidemq́; nouitij ibi-
dem degentes, commodè ſatis aluntur, religioſam quietamq́; vitam traducunt.

De conuentu S. Mariæ de Valleaſpera ad Teſſam. *Conu. IIII.*

NISI forte contingat nos ex quibuſdam inditijs hallucinari, hæc ſacra domus,
B B. Mariæ de Valleaſpera dicata, ac in meditullio denſiſſimi cuiuſdam ſaltus ſita, à
prænominato P. F. Nicolao ab Oſmo, ex diuerſis eleemoſynis, maximo labore acqui-
ſitis, ædificata extitit. Quod hauddubiè circa annum Domini 1430. contigit. Hoc
igitur in loco, quem frequentius 6. fratres profeſſi, totidemq́; nouitij incolunt, animam
ſuo creatori reſtituit, & ad cæteros patres ſanctitate conſpicuos appoſitus fuit B. F. Epi-
phanius Theutonicus profeſſione laicus, ad cuius baculi contactum plurimi & à
dæmonibus ſe poſſidentibus, torquentibusq́;, & à diuerſis infirmitatibus liberantur.
Fuit hic B. P. deuotiſſimus, qui contemplationis vacandę gratia, quòd ſæpius ipſi in-
tentus raperetur, ferreturq́; in extaſim, circumadiacentis ſyluæ intimiora petere aſ-
ſueuerat: vbi & tuguriolum, arcendis tantùm pluuijs atq; niuibus aptum, conſtruxerat.
Cuius tandem venerabile corpus, in tantę ſanctitatis ſignum, trigeſimo ab eius felici
C tranſitu anno, incorruptum, ſuauiſſimeq́; redolens apparuit: Quamobrem ex com-
muni ſarcophago, vbi tandiu iacuerat, exhumatum, ad alium locum multò honeſtio-
rem, deuotionis augendæ cauſa, tranſlatum fuit. Iacent quoq; hoc in ipſo loco S. qui-
dam F. profeſſione laicus, ac patria Tornaretenſis, cuius tamen proprium nomen igno-
ratur: Hic cùm tempore maximæ cuiuſdam peſtis ad conuentus, ſarcinarumq́; cuſto-
diam à cæteris fratribus ſolus relictus eſſet, ab ipſis poſtmodum, ea lue ceſſante, redeun-
tibus, genibus complicatis, erecta ceruice, extenſiſq́; in altum manibus, non ſecus ac ſi
oraret, atq; exanimis in medio dormitorio inuentus eſt: Et ſoror Ioanna, ſororq́; Ca-
tharina de Vino, ambæ Tertiariæ, ambæq́; ſanctiſſimæ fœminę: quarum vtraq;, cùm
per integrum annum hauſtum ex vaſe oleum fratribus, ſumma liberalitate, & ad lu-
cem coram venerabili Euchariſtiæ ſacramento confouendum, & ad alios vſus neceſſa-
D rios miniſtraſſet, elapſo totius anni curriculo, inexhauſtum vas, omninoq́; redundans
inuenit. Contigit quoq; hoc in eodem conuentu, vt obſeſſis copioſa niue itineribus,
fratribusq́ꝫ panis inopia laborãtibus, atq; diuino perſoluẽdo officio diligentius intentis,
caniſtrum candidiſſimis panibus refertum, nullis interim alicuius perſonæ veſtigijs ni-
ui impreſſis, iuxta oſtium à ianitore, nihil minus cogitante, inueniretur. Et bacchana-
lium tompore caper læthalis ſagittæ vulnere ictus, fratrum culinam ingrederetur, ſta-
timq́; mortuus occumberet: vt ex eius carnibus illi ventri vtcunq; indulgerent: cui ex
religioſo iſtius Prouincię more nihil penitus pararant, nullamq́; diligentiã adhibuerãt.

De conuentu S. Honofrij Hiſtonij. *Conu V.*

CVM V. P. F. Nicolao ab Oſmo aliquot ſibi, ſuiſq́; fratribus loca, hac in Prouincia,
ex apoſtolica auctoritate, erigere liceret: cuperentq́; Hiſtonienſes vnum aliquem
E Minoriticum conuentum apud ſe conſtruere: R. quidam Archiepiſcopus Theatinus
vtriuſq; votis ſatisfacturus, nemoroſi cuiuſdam, atq; ſylüatici collis, & ad quingen-
tos tantùm paſſus ab Hiſtonio, (vulgò Guaſto) nobili ciuitate diſtantis, cliuum huic
ędificando aſſignauit: Quem poſtea Hiſtonienſis ſenatus ex publicis facultatibus, à fun-
damentis, anno Dominicæ Incarnationis 1440. in honorem S. Honofrij erigens, infra
breuiſſimi temporis ſpatium omnibus ſuis numeris abſoluit. Quia verò & aëris ſalubri-
tas, & ſitus amœnitas, ac etiam medicamentorum opportunitás huic conuentui,
quem 10. fratres, curandis infirmis aptiſſimi, frequentius inhabitant, ſummopere fa-
uent, in commune huius Prouinciæ valetudinarium, electus eſt: Quem etiam com-
mendatiſſimum reddunt ſequentia pignora: Corpus videlicet B. P. ſimul atque ſanctiſ-

ſimi Epiſcopi Lorienſis, Iacobi de Petrutijs: qui paupertatem, quam vouerat, cum abſtinentia, caſtitate, charitate, cæteriſq; virtutibus copulans, nec Epiſcopus ea, quæ erant ſimplicis fratris, contempſit: nec frater ea, quæ dignitatem epiſcopalem concernebant, prætermiſit: Et vt ſe verum Franciſcanum in omnibus oſtenderet: ſicut benè valens, licèt epiſcopali dignitate præfulgidus, communem cum alijs fratribus vitam duxerat: ita quoq; ægrotans, ac moribundus hoc commune valetudinarium cum pauperculis religioſis curandus, ſepeliendusq; eligere voluit. Cuius deniq; corpus terræ mandatum, poſt plurimos annos incorruptum omnino inuentum fuit. Nec mirum ſanè: cum fideliſſimo eius patris, qui ſacramentalem illius confeſſionem excipere ſolitus erat, teſtimonio, virgo ad hanc ſacram Religionem venerit, virgoq; in æuum permanſerit: Qui hora ſui tranſitus dixiſſe fertur: Per Dei ſummam bonitatem infinitamq; miſericordiam ſaluus ſum. Diem quoq; Dominici aduentus præſtolatur hoc in eodem loco B. P. Sebaſtianus à Celenta ſacerdos: Vir vtiq; humillimus, atq; deuotiſſimus: qui adhuc viuens iuuenem ſigno crucis à grauiſſima, qua vexabatur infirmitate, liberauit: quiq; moriturus, poſt generalem peccatorum confeſſionem, eius patri Confeſſario dixit, nullius ſe mortalis criminis, à tempore quo Franciſcanam Religionem erat ingreſſus, conſcium eſſe: Cumq; ſibi ab eodem Confeſſario Dominicam paſſionem ſecundum Ioannem perlegi rogaſſet, atq; ad eum locum, & Inclinato capite emiſit ſpiritum, deuentum eſſet, animam Deo creatori reddidit: Quod anno Domini 1554. contigit. Obierunt quoq; ibidem B. P. Aloyſius à Gulioniſio, vir vtiq; ſui ſtatus, atq; profeſſionis zelantiſſimus: qui plurimos infirmos viuens adhuc miraculosè curauit: & venerabilis patres Archangelus de Agnone, Illuminatus de Slauis, Paulus de Roio, & Chriſtophorus de Campobaſſo, omnes viri ſanctiſſimi, ac religioſiſſimi.

A B C

De conuentu S. Ioannis Campibaſſi. Conu. VI.

QVOD hic conuentus, diuo Ioanni ſacratus, ac in media ſylua ad mille paſſus ab oppido Campobaſſo, oppidanorũ ſumptibus olim conſtructus, ob aquarum, cæterorumq; neceſſariorum opportunitatem, conficiendis pro vniuerſa hac Prouincia pannis pro voto deſeruiat, à 30. fratribus, quorum duo tantùm ſacerdotes, duo alij choriſtæ, reliqui verò omnes ſunt laici, qui lanam vel pectunt, vel carminant, vel texunt, inhabitatur. Qua etiam de cauſa officina Prouinciæ pannifica nuncupatur. His ſiquidem laicis fratribus, vnus quoq; laicus, in lanificio expertus, quotannis à Prouinciali Miniſtro, reliquiſq; fratribus Diffinitoribus præficitur, qui aliorum cuiq; peragendum penſum, propriumq; munus, iuxta cuiuſlibet capacitatem, & ingenium, diſtribuat, quiq; laborantibus collaboret, inuigiletq;. Pannis verò confectis, atq; expeditis, eliguntur ab eo, ex ſibi commiſſa familia, aliquot ſartores, qui vniuerſam Prouinciam luſtrantes, cuiuſq; fratris menſuram, ſiue pro habitu, ſiue pro mantelo, ſiue etiam pro tunicula, pro Prouinciæ more, accipiunt. Quibus deniq; ad propria reuerſis, ſcinduntur, pro menſurarum ratione, panni, ac ſic ſciſſi, & in ſarcinas redacti, reponuntur, donec tandem quilibet pater Guardianus, miſſo mulione, quod ſibi ſuiſq; fratribus neceſſum eſt, domum deferendum curat, vt ſibi ſubditis religioſis ſatisfaciat, tempeſtiueq; conſulat. Ad hoc autem opus peragendum Federicus, vtriuſq; Siciliæ Rex, ſuaſu B.P. Ioannis Aragoni, pro fratribus iſtius Prouinciæ induendis, certam lanæ ſummam in ſingulos annos, ex regio ærario pendendam, liberaliſſimè contulit. Cuius tamen loco, Regis officiarij vexationem, quæ ex eius conquiſitione, emptione, atq; etiam traſmiſſione ſibi accedere poterat, redempturi, 50. aureos coronatos, pro quolibet anno, erogandos aſſignarunt. Quibus temporis ſucceſſu inuictiſſimus Carolus V. Germanorum Imperator, Hiſpaniæq;, inſuper & vtriuſq; Siciliæ Rex, alios 50. addidit: ſed Philippus huius nominis II. his, ad venerabilium patrum F. Bernardini à Supino, ac F. Seraphini à Cagnano humilem ſupplicationem, alios centum ſumma liberalitate adiunxit. Recipiunt itaq; ſingulis annis huius Prouinciæ patres, ad pannos pro induendis fratribus conficiendos per amicos ſpirituales, ex regio ærario, ducentos coronatos aureos: qui omnes huiuſmodi operi fideliſſimè adiudicantur. Sepulti iacent hoc in conuentu beati patres Marcus à Bononia, vir vtiq; ſanctiſſimus, atq; angelicis

D E

A angelicis moribus prǽditus, nec non & plurimis miraculis illuſtris: & Franciſcus Aragonus, illi per omnia ſimillimus, in cuius gratiam Sixtus IV. Pont. max. indulgentiam omnium peccatorum plenariam, ſtatuta cuiuſlibet anni die, tum pro religioſis, tum quoq; pro ſæcularibus huic loco conceſſit: & Archangelus à Campobaſſo, incredibili ſanctitate exornatus. Iacent præterea alia quàm plurima religioſiſſimorum patrum ac fratrum corpora: quorum nomina, licèt nos lateant, ſcripta tamen ſunt in libro vitę. In eiuſdem verò ſacræ domus ſacrario duo fratrum defunctorum capita, non abſq; veneratione, aſſeruantur: ex quibus quidam liquor, mannæ ſimillimus, diu emanauit.

De conuentu S. Saluatoris Luceriæ. *Conu. VII.*

CONVENTVS hic, ſanctiſſimo Saluatori ſacratus, ac longiuſculus à ciuitate B Luceria ſitus, antiquiſſimus profectò eſt: cùm à multis annis à fratribus noſtri Ordinis, expenſis (vti creditur) Lucerienſium conſtructus, ac inhabitatus, & ab ijſdē poſtmodum relictus, tum demum à quodam B.P. Ioānis Capiſtrani Commiſſario reaſſumptus, eorundemq; Lucerienſium ſumptibus reſtauratus, ac ferè reædificatus ſit. Quem & 12. fratres inhabitant: & mirum in modum exornant incogniti cuiuſdam patris oſſa, ſub ſummo altari aſſeruata, cuius lingua recentiſſima adhuc perſeuerat: Et corpus B. F. Franciſci à Luceria laici, viriq; ſanctiſſimi honeſto loco reconditum: Ad cuius tumulum, ſicut & ad præcedentis loculum, plurima miracula contingunt.

De conuentu S. Bernardini Agnonis. *Conu. VIII.*

C AGNONEM oppidum egreſſi, oppoſitiq; ad quingentos paſſus collis nemoroſi, atq; amœniſſimi iugulum petentes, in hunc conuentum, B.P. Bernardino ſacrum, atq; ex publicis Agnonenſium facultatibus, anno Dominicæ incarnationis 1451. Nicolao IV. ſummo Pontifice annuente, cuius breue apoſtolicum in fratrum tabellario cuſtoditur, conſtructum incidunt: Cui, ex munere à Prouinciæ patribus iniuncto, infirmorum fratrum circumuicinorum curatio incumbit. Idq; iure profectò: cùm & aëris ſalubritas, & loci amœnitas, & pharmacorum copia, atq; capacitas ſibi omnino faueant: Qua etiam de cauſa ab vndecim tantùm fratribus charitatè prȩditis inhabitatur. Ergaſtulo carnis ſolutus ex hoc loco ad aſtra migrauit B. P. Benedictus Cremonenſis: qui mortalibus conuiuens plura miracula edidit: Nam exhauſtam aquis ciſternam ad crucis ſignum exuberare fecit: & locuſtam totas ſegetes abſumentem eodem crucis ſi-
D gno ab huius patriæ finibus propulſauit: & ſterili Principiſſæ Melphitanæ prolis fœcunditatem à Deo opt. max. ſuis precibus impetrauit: & plures dæmoniacos, alioſq; grauiſſimis detentos infirmitatibus, ad eiuſdem ſanctiſſimæ crucis ſignum, curauit: prout & impræſentiarum liberat. Obijt autē tātus hic pater anno à Chriſto nato 1537. Cui B. P. Gaſparinus, miraculis quoq; inſignis, diſtincto tamen in loculo, adiacet.

De conuentu S. Bernardini oppidi ſancti Seueri. *Conu. IX.*

AEDIFICIORVM diſpoſitio, aëris ſalubritas, neceſſariorumq; omnium opportunitas efficiunt, vt hæc ſacra ædes in honorem ſancti Bernardini, ex communibus oppidanorū facultatibus, non longè ab oppido ſancti Seueri, circa annum à par-
E tu Virgineo 1452. erecta, curandis huius Prouinciæ, pro rata, fratribus infirmis deſeruiat: Quibus inuigilant 12. fratres huiuſmodi miniſterio aſſueti. Huic mortali vitæ hoc in loco vltimum vale dixit B.P. Bernardinus à Procina, qui ſalutis animarum zelo ductus, vix vnquam à ſacris habendis concionibus reſpirauit: quiq; adhuc viuens plures infirmos, ad crucis ſignum, curauit, pluresq; alios à Dæmonibus miſerrimè vexatos, ad dulciſſimum nomen Ieſu, à tanta affiictione liberauit. Idipſum quoq; per omnia fecit B. F. Antonius de Ripa laicus, atq; omni virtutum genere ornatiſſimus: Quem & ſequuti ſunt V.P. Angelus ab Iſchitella ſacerdos, ac ſummę perfectionis vir, & F. Frāciſcus à Codonia laicus: quorū vterq; meritis opimus hoc in ipſo loco animam cœlo reddidit, atq; in communi fratrum ſarcophago, vbi & plurima eueniunt miracula, ſepultus eſt.

De conuentu S. Ioannis, ſiue S. Eremi Gulioniſii. Conu. X. A

CVM patres Carthuſiani monaſterium, ſub titulo S. Ioannis, ſiue (vt alijs placet) ſancti Eremi, vnico tantùm milliari ab oppido Gulioniſio, in nemoroſi cuiuſdam collis decliui, ante multos annos, ædificaſſent, inibiq; diu commorati fuiſſent, ipſum huius Prouinciæ proceribus, quòd ſibi minus arrideret, anno Dñicæ natiuitatis 1452. diuenditis prius venerabili Tremitenſium canonicorum collegio omnibus poſſeſſionibus, atq; redditibus ad ſe pertinentibus, coram Guardienſi Epiſcopo, ea lege tradiderunt, vt videlicet ſingulis diebus, ad eorum intentionem, ab altero eorum ſacerdote ſacrum inibi fieret. Cùm autē ea lex huius loci habitationē difficilem redderet omnino, à Pio II. Pont. max. moderata extitit, vt ſcilicet ſuppetentibus ſacerdotibus, atq; extra Capituli tempus ad id præſtandum tenerentur frates: ſecus autem nequaquam. Vitam B ducunt hoc in conuentu 10. fratres: in quo vitam hanc mortalem terminarunt, ſepultiq; ſunt, B. F. Simon de Slauis laicus, vir profectò & profundiſſima humilitate, & maxima ſanctitate clarus: qui ſuis ad Altiſſimum precibus, & infirmis ſanitatem, & dęmoniacis ab immundis ſpiritibus liberationem adhuc ſuperſtes impetrauit, modoque indies impetrat: Et B. P. Iacobus à Turre bona ſacerdos, ſuæque profeſſionis, atq; ſtatus zelantiſſimus: Et B. F. Matthæus, de Tertio Seraphici patris Franciſci Ordine: Is enim, cùm ſibi ſepulchrum apud Minores delegiſſet, atque moriens in matrice oppidi Gulioniſij eccleſia à clero ſepultus eſſet, poſt tertium ab eius funere diē, ſummo mane genuflexus, iuxta crucem, quę foribus huius conuentus proxima eſt, inuentus fuit: qui tandem, quid ſibi vellet, quidq; faceret interrogatus, reſpondit, velle ſe quidem apud fratres Franciſcanos, eo in ſepulchro, quod viuens adhuc ſibi delegerat, humari. Quamobrem à fratribus in templum illatus, honorificè ſepultus fuit. C

De conuentu S. Antonij de Padua Viſcarij. Conu. XI.

ET ſi omni tempore ſummum ſtudium, officiumq; illuſtris herois Matthæi Stendardi erga noſtrum Ordinem omnibus in propatulo fuerit, maximè tamen vltimis ſuæ vitæ temporibus enituit: quando videlicet (impetrata prius à Paulo II. Pont. max. apoſtolica auctoritate, cuius breue ſub datum 12. menſis Martij, anno Domini 1468. Pontificatus verò ſui anno v. in fratrum archiuo cuſtoditur) hoc ſacrum monaſterium, B. P. Antonio de Padua dicatum, ex proprijs tantùm facultatibus, in cliuo amœniſſimi, atq; ſyluoſi montis, ad quingentos paſſus ab oppido Viſcario (vulgò Biccaro) diſtantis, erigendum, atq; ex omni parte perfectum neceſſarijs inſtruendum curauit. D Trabea carnis exutus ex hoc loco, quem frequentius 9. fratres inhabitant, in cœlum euolauit B. F. Chriſtianus à ſancto Donato laicus: cuius ſanctitas tanta fuit, vt vnum iuuenem, lætali aſpidis venenoſi morſu ictum, ab imminente morte, ad crucis ſignum, liberare: primogenitiq; illuſtriſſimi Viſcariorum Comitis mortem, atq; futurum hac in regione aquæ diluuium, multò antequam euenirent, prædicere: atq; mortuus F. Angelum Minoritā iam vitam agentē è mortis faucibus eruere meruerit. Ad hunc B. F. appoſitus fuit incomparabilis continentiæ, orationis, atq; abſtinentiæ religioſus pater ſcilicet Ioannes ab Iſchitella: qui ob vitæ integritatem cum Deo regnare exiſtimatur.

De conuentu S. Angeli Serræ. Conu. XII.

NICOLAO V. Pont. max. ad totius Eccleſiæ militantis, & Alphonſo Aragono ad vtriuſq; Sicilię Regni, atq; reuerēdiſſimo Auronę, Epiſcopali dignitate pręfulgido, ad Laurinæ Eccleſię clauum ſedentibus, anno à Chriſti natuitate 1436. patres Ciſtercienſes monaſterij B. Virginis Mariæ de Ripaldo accolæ, hoſpitium quoddam, ſuis fratribus excipiendis omnino accommodum, non procul ab oppido Serra conſtruxerant. Quod tamen ab ijſdem derelictum, is Rex, qui tunc temporis Neapolitanis principabatur, ex facta ſibi à ſummo Pontif. Sixto IV. facultate, currente Dominicæ Incarnationis anno 1474. à patribus ac fratribus Cypriano à Troia, & Samuele à Gulioniſio præoccupandum, cæteriſq; huius Prouinciæ locis adijciendum curauit. Cumq; ob eius incapacitatem commodæ fratrum habitationi non adeò faueret, ab illuſtriſſimo E

Hannibale

A Hannibale à Louara, in eius victoriæ, quam de Nemoſiano Duce, generaliq; totius Gallici exercitus Capitaneo, deq; omnibus eius copijs, prope Carinolam, anno Domini 1503. retulit, memoriam, ex deuictorum ſpolijs ampliatum, plurimisq; officinis, atq; pulchra ſatis eccleſia, ſancto Angelo dicata, colluſtratum extitit. Inhabitatur nihiloſecius à nouem fratribus tantùm, qui deuotiſſimè Deo optimo max. inſeruiunt.

De conuentu S. Franciſci Ichitellæ. Conu. XIII.

PROFECTO ſi id, quod in vulgus ſpargitur, verum ſit, conuentus hic, Seraphico patri Franciſco ſacer, ac prope Iſchitellam oppidum erectus, antiquiſſimus eſt: Cùm eum & ab eodem B. P. primò occupatum, atq; Iſchitellarum opera, iuxta paupertatis normam, conſtructum, & à patribus Franciſcanis Conuentualibus poſt-
B modum derelictum, ac tandem ab eiuſdem Inſtituti Obſeruantibus reaſſumptum, aſſerat: Sed certum huiuſce ædificationis, deſertionis, aut reaſſumptionis tempus minimè tradit: qua etiam de cauſa, deficientibus ex alia parte ſcripturis, certi nihil aliud hac de re ſtatuere poſſumus, niſi quòd à 12. religioſiſſimis fratribus inhabitetur.

De conuentu S. Bernardini Troiæ. Conu. XIV.

CVM eo temporis, quo Lautrechus, Gallici exercitus Imperator, ex Francorum Regis mandato, ex Gallia in Italiam traiecit, atq; Neapolitano regno appulſus, aliquam eius partem, vt obuias ciuitates ſuo ſubiugaret imperio, luſtrauit: conuentus hic, S. Bernardino ſacratus, atq; olim (vt certò creditur) Troianorum ciuium ſumpti-
C bus, non longè à Troia ciuitate, ædificatus, ſimul cum omnibus, tum ſcripturis, tum quoq; memorijs, ab importuno, inſolentiq; milite Vulcano traditus ſit: nihil certi, ſiue de eius fundatoribus, ſiue etiam de fundationis ipſius tempore, tradere poſſumus: Sed ſi coniecturis, atq; etiam traditioni fidem adhibere liceat, antiquitate non caret: cùm à quodam Commiſſario B.P. Ioannis Capiſtrani primò acceptus videatur. Eius tamen ab huiuſmodi conflagratione reparatio, ſiue potius reædificatio Troiano ſenatui, atq; diligenti fratrum curæ aſcribenda venit. Quæ tamen quantæ ſit capacitatis, atq; amplitudinis, facilè quis ex fratrum numero conijcere poterit: cùm ſeptenarius tantùm ſit.

De conuentu S. Petri Cœleſtini Ripæ Limoſani. Conu. XV.

CONSTRVXERANT ſibi olim, non longè ab oppido Ripa Limoſani, Cœleſtini ſiue Benedictini reformati patres monaſterium, ſub eorum patris beati vi-
D delicet Petri Cœleſtini titulo: quod tamen, poſt alicuius temporis habitationem, aliò ſe transferentes, huius Prouinciæ patribus, ex maxima pietate, ſeruatis ſibi redditibus ad ipſum pertinentibus, perpetuò inhabitandum contulêre: Idq; vulgari tantùm, tum fratrum, tum quoq; ſæcularium teſtimonio patet: Nam authentica huiuſce donationis ſcriptura, licèt diligentiſſimè perquiſita, nullibi comparet. Duplici funere honeſtatur ſacra hæc domus, quam 9. fratres occupant: Altero B. P. Alexandri de Ripa, viri vtiq; ſanctiſſimi, atq; integerrimi, inſuper & Dæmonibus ſummè formidabilis: cùm eorum acies ſæpè ſæpiſſimè feruentiſſimis ſuis orationibus, atq; meritis fuderit, ſtraueritq;: Et altero honeſtiſſimæ, pariterq; religioſiſſimæ ſororis Franciſcæ, Tertij Ordinis Franciſcani olim alumnæ: quæ innumeras laruarum inſidias declinauit, & glorioſa de inimico Sathana trophęa ſæpius retulit, quapropter illi ſummè formidabilis fuit.

E *De conuentu S. Mariæ de Gratijs Campibaſſi. Conu. XVI.*

DE mirifico ſtudio, deq; maxima illuſtriſſimi Andreæ à Capua, Termolitanorum Ducis, ac Melfictenſium Principis, in noſtrum Ordinem beneuolentia ſatis quiſq; cognoſcere poteſt ex hoc ſacro monaſterio, B. Mariæ de Gratijs dicato: quod ille ex mera tantùm in Deum, atq; nos pietate, proprijs ſumptibus, circa annum Domini 1510. non procul ab eius oppido Campobaſſo, ſaluberrimo in loco, à fundamentis ad apicem vſq; conſtruendum curauit: Qua etiam de cauſa infirmis circumuicinorum conuentuum fratribus curandis, atq; 12. alijs religioſis continuò continendis, pro voto deſeruit: Qui ferè omnes liberalitate, atq; munificentia illuſtriſſimorum Principum Melfi-

tenſis ciuitatis, huiusq; oppidi Campibaſſi temporalium Dominorum aluntur, curan- A
turq;. Communem nacti ſunt hoc in conuentu ſepulturam B. P. Sylueſter Guidonius,
vir ſanè, dum viueret, ſanctiſſimus, ac innumeris clarus miraculis : Et B. P. Ambro-
ſius à Ciuitella, egregius ſui temporis Eccleſiaſtes,atq; ſuæ profeſſionis zelantiſſimus:
qui prophetico ſpiritu afflatus, Veſtianis ſuæ ciuitatis excidium, atq; direptionem, quã
ſub Turcica claſſe, ipſo die B. Mariæ Magdalenæ ſacro, anno Domini 1554. paſſa eſt,
ſæpè ſæpius,pro ſuggeſtu,multò ante prædixit, & certiſſimum ſuimet obitus diem, qui
& anno Domini 1476. contigit, fratribus, adhuc benè valens, prænunciauit : Et vene-
rabiles patres Gratianus à Caſtanetolo, F. Innocentius Taurinus,& F. Raphaël quoq;
Taurinus,omnes ſacerdotes, ac ſingulari doctrina, vitæq; ſanctitate, atq; gubernandi
dexteritate, qua hanc Prouinciam plurimis annis ſanctiſſimè rexerunt, apprimè præ-
diti : Et humillimus inſuper, atq; abſtinentiſſimus F. Paulus de Petra Roia, profeſſio- B
ne quidem laicus, ſed vitæ integritate, atq; morum grauitate ornatiſſimus.

De conuentu ſancti Sebaſtiani Calitri. Conu. XVII.

MINORITICVS hic conuentus, diuo martyri Sebaſtiano dicatus, ac ad ra-
dices eius montis cui Calitrum oppidum ſuperędificatum eſt,ſitus,ab anno Do-
mini 1480. ſuam antiquitatem deducit : Cùm eo temporis ab illuſtriſſ. Ieſualdo, Venu-
ſinarum Principe, ac oppidi huius Calitri temporali Domino, ex mera tantùm libera-
litate, qua & eius ſucceſſores 8. fratres eius accolas proſequuntur, conſtructus fuerit.
Hoc igitur in conuentu ex hac mortali vita migrauit V. P. F. Thomas de Peſcopaga-
no ſacerdos : vir ſanè zelantiſſimus,nec non perpetuæ orationi, dum viueret, deditiſſi-
mus : In quo ſepulta quoque iacet illuſtriſſ. Sueua Gonzæ Comitiſſa, legitimaq; Fa- C
bricij Ieſualdi Comitis vxor : cuius ac pauperes miſericordia, & ad domeſticos, cæte-
roſq; manſuetudo, atq; ad Deum pietas, incredibiles admirabileſq; fuêre.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu prope oppidum S. Martini. Conu. XVIII.

NE quis de Marini à Rita erga ſibi vterinũ fratrem,ac religioſiſſ. P.Petrũ à S. Mar-
tino officioſo ſtudio dubitare poſſet, is hunc conuentum,B.Marię de Ieſu ſacrum,
ſeſquimilliari à ſancto Martino, in meditullio amœni cuiuſdam nemoris, ex proprijs
facultatibus, in tanti fratris gratiam, non ſecus ac ſi ſibi parentare vellet, anno ſalu-
tis humanæ 1490. à fundamentis erigi curauit : abſoluiſſetq;, niſi immatura morte
præuentus,operi piè incepto ſuperſedere coactus fuiſſet : Quod tamen ſic intermiſſum, D
illuſtriſſimi Vincentius, atq; Ferdinandus à Capua, vterq; Termolitarum Dux, ex
domeſticis bonis,atq; ex reuerendiſſimi patris Iacobi de Petrutijs, Larinenſis Epiſcopi,
ac profeſſione Minoritę,facultate ſibi facta,promouentes, ad iuſtã vſq; metã perduxêre.
Abſoluto igitur huiuſmodi ædificio, ac à 14. fratribus inhabitato, primus omnium oc-
cubuit præfatus pater Petrus à S. Martino,cuius ſanctitas tanta extitit, vt plurimis inte-
gram ſoſpitatem ab Altiſſimo impetrare meruerit : Hunc ſequutus eſt humillimus, ac
ſanctiſſimæ paupertatis amantiſſimus, frater Angelus de Slauis laicus : Sepeliri quoq;
voluit hoc in eodem loco illuſtriſſima pariterq; pientiſſima Victoria à S.Seuerino,Ter-
molitarũ olim Ducíſſa,cuius in Chriſti pauperes miſericordia,atq; in Deũ pietas incre-
dibiles fuêre. Aſſeruantur in huius loci archiuo aliquot apoſtolica breuia, ſed minus
ad noſtram rem pertinentia: Aſſeruatur & priuilegium Gregorij XIII. Pont. max. quo E
in altero huius ſacræ ædis altari, per Miſſarum ſacrificium, fidelium animæ à Purga-
torij pœnis liberantur : Et quodam breue Pij II. Pont. max. datum 6. Septembris, Pon-
tificatus verò eius anno ſexto, quo huius Prouinciæ patres ac fratres feſtiuis diebus ab
audiendo ſacro eximuntur:dummodo ſacerdotis copia non adſit,& eo die alteram ora-
tionis mentalis horam duabus,ex patrum decreto inſtitutis,adijciant : & plenaria pec-
catorum indulgentia eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Angelis Aſſiſinati in feſto Portiunculæ
conceſſa ijſdem quoq; conceditur, ſi tamen ſingulis diebus primæ hebdomadæ menſis
Auguſti vnam etiam præfatæ orationis mentalis horam duabus illis (de quibus paulò
ſupra) adiunxerint, quod libentiſſimo animo deuotiſſimi illius æui fratres præſtarunt.

De conuentu

A *De conuentu S. Mariæ de Gratijs Sergnij.* *Conu. XIX.*

OFFICIVM Sergnienſis ſenatus erga huius Prouinciæ patres, cæteraq; eiuſdem ſtudia, vel ſaltem ex hac ſacra æde, glorioſiſſimæ Virgini Mariæ de Gratijs dicata, quam ille in cliuo cuiuſdam collis, non ſatis eleuati, ſed pulcherrimi, prope Sergnium ciuitatem, anno à partu Virgineo 1506. ad eorum vſum, atq; habitationem, omnino conſtrui curauit, liquidò patent. Præterea is tanta cura, tantaq; ſolicitudine 12. fratribus eius accolis neceſſaria ſubminiſtrat, vt illis maxima Philoſophicis incumbendi literis ſpatia præbeat, (eſt enim hic locus Artium ſtudio deputatus) & huiuſmodi erga eos beneuolentiam plus quàm ſatis manifeſtet, itta vt lippis etiam (vt aiunt) oculis id percipi queat. Præ cæteris religioſis hoc in loco tumulatis commendandus maximè venit V.P.F. Bernardinus à Ruuonigro, cuius profunda humilitas, ardentiſſima charitas,
B atq; in oratione aſſiduitas vix exprimi queunt: Cui adiacet illuſtriſſimus, ſimul & pijſſimus Angelus Storrens, oppidi caſtri Petroſi olim temporalis Dominus, atq; Tertij Ordinis Seraphici patris alumnus: cui B.P. Franciſcus, pridiè quàm ex hac mortali vita migraret, apparuit, certoq; condonationem ſuorum exceſſuum, ob eximiam charitatem, in Chriſti pauperes exercitam, ex diuina diſpenſatione reuelauit.

De conuentu ſancti Antonij prope pagum S. Boni. *Conu. XX.*

TANTA enim eſt magnitudo meritorũ illuſtriſſimi Marini Caraccioli, Bucchianicorum Marchionis, erga noſtrum Ordinem, vt vix exprimi queat, & conſultius duxerim ea ſilentio præterire, quàm in eorum enumeratione deficere: Is enim pientiſ-
C ſimus heros hunc conuentum, ad mille paſſus ab eius oppido ſancto Bono, in peramplæ cuiuſdam ſyluæ aditu, ex domeſticis tantùm facultatibus, eius alumnis, anno ſalutis humanæ 1500. in honorem S.P. Antonij de Padua ædificauit, omnibusq; neceſſarijs inſtruxit: inſuper & 8. fratres eius accolas, immo & vniuerſos Franciſcani Inſtituti ſectatores omni fauorum, atq; beneficiorum genere pro viribus proſequutus extitit. Diem clauſit extremum hoc in loco abſtinentiſſimus frater Franciſcus de Oratino laicus: qui, ob eius ſingulares virtutes, vitæq; candorem, in maxima fuit apud omnes, dum viueret, æſtimatione, qua tamen modò non caret.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Apeneſtis. *Conu. XXI.*

SVMMA in Deum pietas, ſummaq; Radimuſcæ Illyrici in Chriſti pauperes miſe-
D ricordia effecerunt, vt is, ex domeſticis facultatibus, hanc ſacram Minoriticam ædem, in honorem ſanctiſſimæ Virginis Mariæ de Gratijs, ad 500. paſſus ab Apeneſte, (vulgò Manfredonia) erigeret, huiusq; Prouinciæ patribus in perpetuam habitationẽ concederet: Quod quidem, ex facta ſibi ab illuſtriſſimo Antonio de Monte S.R.E. Cardinali, atq; Sipontino Archiepiſcopo, facultate, anno Dñicæ Incarnationis 1509. contigit. Licèt enim hic conuentus plures, ob eius capacitatem, continere poſſet, ab 8. tamen fratribus tantùm, ob eorum penuriam, inhabitatur: In quo & eius fundator, pręfatus ſcilicet Radimuſca humatus eſt. Hic cùm proditoriè à quodam ſibi ſeruo occiſus, atq; hoc in loco tumulatus eſſet, per plurimas noctes ſibi ſuccedentes, aliquot luminaria eius ſepulchro imminentia viſa ſunt: Quod profectò eius bonitatis, atq; ſalutis patentiſſimum extitit ſignum.

E *De conuentu S. Mariæ Magdalenæ Sangri.* *Conu. XXII.*

SVIS rebus conſultura Sangrenſis pia communitas, antiquum xenodochium pauperibus, peregrinisq; excipiendis deſtinatum, atq; à ſuis prædeceſſoribus, vltra Sangrum fluuium, non longè à communi oppido Sangro, ædificatum, in Minoriticum Monaſterium (de quo impræſentiarum) omnibus ſuis numeris abſolutum, ex facta ſibi à R. Manfredo Canophilo, Triuentino Epiſcopo, facultate, circa annum humanę redemptionis 1510. promouendum, reliquisq; huius Prouincię locis adijciẽdum, atq; à 10. fratribus, quibus confiteri, quorumq; exemplo, atq; adhortationibus ad meliorem vitæ frugem incitari poſſet, ſummo ſtudio, ſummaq; diligentia curauit.

Huic

Huic lacrymarum valli vltimum valle dixerunt hoc in eodem loco optimæ indolis A adoleſcens ac F. Franciſcus à Ripa clericus: qui,in anteactæ vitæ teſtimonium, obuios ſibi Angelos, qui ſe in cœleſtia tabernacula deducerent, in ipſo tranſitu habuit: quorum fulgore cellula, cum omnium circumaſtantiũ admiratione, mirum in modum reſplenduit: Et F. Petrus de Ferrazano laicus, qui adhuc viuens ſuauiſſimo Chriſti Seruatoris colloquio, ob inclytas eius virtutes, dignari meruit.

De conuentu S. Mariæ à Laureto Caſtri Curi. Conu. XXIII.

SI iuxta iacta, anno Dñicæ Incarnationis 1510. ab illuſtriſſimo Federico Pannono fundamenta, reliquum ædificium perficiundum fuiſſet, profectò hic conuentus, ſanctiſſimæ Dei genitrici Mariæ à Laureto ſacratus, nec longe à Caſtro Curi oppido diſtans, multò magis pateret, quàm facit. Quod autem non tam late pateat, nec ſuperior eius ſtructura imis fundamentis correſpondeat, in cauſa eſt immatura præfati B Federici Pannoni mors: Qua ſuperueniente, huius Prouinciæ patres, qui domos ſibi intra paupertatis limites conſtrui affectant, & ab omni ſumptuoſitate, magnaq; ædificij mole adhorrent, ipſum ex eleemoſynis vndequaq;, præſertim verò ex propinquiori oppido ſuperius nominato acquiſitis, multò anguſtius, quàm præfata fundamenta patiebantur, erigi perficiq; curarunt: Ita vt vix 10. fratres commodè continere poſſit: Quod & in cauſa eſt, vt à 7. tantùm frequentius inhabitetur.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Caſtri Forliuij. Conu. XXIV.

CVM religioſus quidam Diſcalciatus paſſim nuncupatus, impetrato prius fundo à matrice eccleſia eius oppidi, quod (Caſtel' di Forli) vulgò nuncupatur, ædiculam, ſub inuocatione ſanctiſſimæ Mariæ de Gratijs, ex diuerſis eleemoſynis in mona- C ſterij formam, circa annum Dominicæ Incarnationis 1515. ſibi ac quibuſdam alijs fratribus ſui imitatoribus conſtruxiſſet, illumq; iſti, per orbem diſperſi poſt eius mortem, omnino deſeruiſſent: tum oppidani, quorum liberalitate quicquid ædificij ſupererat debebatur: tum quoq; illuſtriſſimus Bartholomæus Carrafa, temporalis eorundem Dominus, collato prius præfatæ matrici eccleſiæ, in præſtiti fundi compenſationem, ſufficienti terræ ſpatio, curarunt(ne ſic tandem habitatore deſtitutus, ruinam pateretur hic locus) vt huius Prouincię patribus conferretur: Quorum 8. ibidem vſq; impręſentiarũ pacificè,nec minus quietè inhabitant: cùm in ingreſſu cuiuſdã ſyluę ſitus, & ab hominum frequentia ſemotus, nihil illis aut impedimenti, aut tumultus afferat.

De conuentu S. Mariæ de Stignano. Conu. XXV. D

EANDEM prorſus conditionem ſubijt hic conuentus, glorioſiſſimæ Virgini Mariæ ſacratus, atq; ad Angeli ſiue Gargani montis radices in valle Stignana ſitus, quam & præcedens: Cùm & à præfato fratre Saluatore Diſcalciato, circa eundem annum Domini 1515. ædificatus, & ab eius confratribus derelictus, ac tandem huius Prouinciæ patribus, præfatæ vallis Stignanæ incolis id maximè curantibus, collatus ſit: Qui nihilominus, cùm ab indeuotis, ruſticiſq; quibuſdam ſæcularibus moleſtarentur, pacificam eius poſſeſſionem, plenumq; ius à ſummo Pontifice Pio IV. anno Domini 1561. Pontificatus verò ſui anno primo, virtute cuiuſdam apoſtolici breuis, quod apud 12. accolas diligenter aſſeruantur, obtinuerunt, impetraruntq;. A quo etiam tempore maxima quiete, ſanctoq; ocio perfruuntur: Eſt enim hic locus ſolita- E rius, atq; nemoroſus, contemplationiq; accommodus, nec non & pijs ſæcularibus conuicinis commendatiſſimus, ob frequentia miracula, quæ ad quandam glorioſiſſimæ Virginis imaginem indies ibi contingunt: atq; ob inculpatam 12. fratrum vitam: de quorum numero fuit F. Ludouicus à Croneto laicus, qui, ob eius ſummam ſimplicitatem continuamq; orationem, Dæmonibus formidabilis fuit.

De conuentu S. Franciſci Celentiæ. Conu. XXVI.

ET hic quoq; conuentus, beatiſſimo patri Franciſco ſacratus, atq; ad mille paſſus ab oppido Celentia, (vulgo Celenza) in decliui cuiuſdam collis ſitus, à F. Saluatore

tore

A tore Diſcalciato, ex multiplici eleemoſyna ædificatus, atq; à ſuis, eo defuncto, derelictus, circa annum Domini 1510. extitit. Quamobrem illuſtriſſimus quidam heres, ex nobili Gambacurtarum familia oriundus, atq; præfati oppidi Celentiæ temporalis Dominus, eum ſtatim ab huiuſmodi deſertione huic Prouinciæ adiudicandum curauit. Quem & 9. fratres inhabitāt, & ſuo funere illuſtrat eximiæ ſanctitatis frater Leo Lechenſis laicus, atq; ſuæ profeſſionis olim zelantiſſimus: qui ibidem diem clauſit extremum.

De conuentu S. Antonij de Padua Illiciti. Conu. XXVII.

ILLVSTRISSIMVS is Piccolomineus Aragonus, Illicitorum Marchio, qui anno Dominicę Incarnationis 1510. iiſdem principabatur omni officio, omniq; pietate, hunc conuentum, B. P. Antonio de Padua ſacrum, non longè ab Illicito oppido, B ad patrum huius Prouinciæ vſum, ex domeſticis facultatibus, conſtruendum, atq; ante præfatum annum 1510. tranſactum abſoluendum curauit. Qui licèt plures fratres mirum in modum, tum fundatoris ſucceſſorum liberalitate & munificentia, tum quoq; loci capacitate ſibi fauentibus, continere poſſet, ab eorum 7. tantùm inhabitatur.

De conuentu Sanctiſſimæ Trinitatis Supini. Conu. XXVIII.

AD illuſtriſſimi Bartholomæi à Capua, Altæuillæ Comitis, ac nobiliſſimi herois animi magnitudinem, cæteraſq; virtutes, acceſſit (vt nihil ſibi deeſſe videretur) & in Deum pietas, atq; in ſeraphicum noſtrum Ordinem ſumma beneuolentia: quibus incitatus hanc ſacram ędem in honorem ſanctiſſimę atq; indiuiduę Trinitatis, non procul à Supino eius oppido, currente anno Dominicæ Incarnationis 1519. erigen- C dam, ac infra breuiſſimi temporis ſpatium, ex proprijs facultatibus, magnificè ſatis, iuxta huius Prouinciæ morem, abſoluendam curauit: Quam frequentius 16. fratres inhabitant, quorū alter cæteris ad huiuſmodi munus electis ſacram Theoſophiā legit.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Foggiæ. Conu. XXIX.

PIENTISSIMA communitas Foggiana ex quadam amoris, beneuolentiæq; abundantia erga ſeraphicum Ordinem, præcipuè verò erga huius Prouinciæ alumnos, hoc ſacrum monaſterium in honorem glorioſiſſimæ Virginis Mariæ de Ieſu, non longè ab eius oppido Foggia, circa annum Dominicæ natiuitatis 1510. à fundamētis ad apicē vſq; conſtrui curauit: Eodēq; amoris effectu 12. fratribus eius inquilinis, tum ad victum, tum quoq; ad amictum neceſſaria ſuppeditat. Eo ipſo anno quo fratres noſtri D hunc locum ingreſſi ſunt, mortem obijt ſanctiſſimus quidam pater, cuius tamen nomen, ob reprehenſibilem, craſſamq; reliquorum incuriam, penitus ignoratur: Hic plures infirmos ſigno crucis curauit: plurimoſq; Dæmones è fidelium corporibus, eodem pharmaco vſus, longiùs propulſauit, atq; tartara repetere compulit.

De conuentu S. Ioannis in Lamis. Conu. XXX.

CISTERCIENSIBVS patribus aliò profectis, ne hoc ſacrum monaſterium, in honorem ſancti Ioannis in Lamis, ſiue (vt alijs placet) beati Matthæi Euangeliſtæ, ab ijs ante plurimos annos, in Gargani montis ſolitudine ædificatum, ac poſt diutinam eius habitationem derelictum, aliquando tandem collaberetur, ad terramq; veniret, illuſtriſſimus Vincentius Carrafa, ſacrę Ioannitarum militiæ alumnus, Pan- E nonięq; Prior, atq; huiuſmet loci Commendatarius à ſummo Pontifice Gregorio XIII. anno à ſalutifera mundi redemptione 1578. ſed ſexto à ſui Pontificatus exordio, impetrauit: vt quicquid iuris præfatis cœnobitis eſſe poterat, id ad huius Prouinciæ fratres transferretur. Quo facto ipſum, primò pro eius exigētia, reparatū, ab 11. religioſis inhabitandum curauit. Si quiſpiam ex circumuicinis rabie laborans ſumpto ex lampade, quæ in ſacello B. Euangeliſtæ Matthæi continuò lucet, oleo læſam partem linierit, ex tempore ab huiuſmodi paſſione liberatur. Prodeſt quoq; idem remedium animantibus ratione carentibus, eoq; morbo laborantibus. Quod haddubiè in cauſa eſt, vt ſacra hæc ædes, modò diuo Ioanni, modò verò B. Matthæo, cuius etiam digitus in ſacrario diligentiſſimè aſſeruatur, pro cuiuſq; arbitrio, dicetur, conſecreturq;.



PROVINCIA

PROVINCIA DALMATIAE.

A DALMATIÆ Prouincia, quæ 15. locum inter reliquas Ciſmontanę
familiæ Prouincias obtinet, atq; ſub R. P. F. Gerardo Odonis, totius Mi-
noritici Ordinis Generali Miniſtro, initium ſumpſit, & à Boſnæ Prouin-
cia nobis prodijt, centum millibus paſſuum à Venetijs famoſiſſima, ſimul
atq; potentiſſima Adriatici maris ciuitate diſtat. Complectiturq; Dalma-
tiam (vulgò Schiauonia) Illyrici regionem; Iſtriam Italiæ portionem, atq; Illyrio
poſt flexum Adriatici ſinus conterminam: & eam Liburniæ partem, quæ ſupra eiuſ-
dem Adriatici ſinus receſſum intra vtramq;, Dalmatiam ſcilicet atq; Iſtriam ſita eſt,
Auſtriæq; Archiducum ditioni ſubiacet, & à Liburno quoddam Attico ſic dicta, eua-
ſit. Omnes tamen eius conuentus, qui ſunt 23. numero, 19. quidem fratrum,
ſed ſanctimonialium 4. in ipſa Venetæ Reipublicæ ditione ſedem obtinent. Alluitur
B præterea quanta eſt Adriatico mari, & vnicam fratrum centuriam cum dimidia alte-
rius parte continet: Cuius maius ſigillum B. Hieronymum deſertiſſimum virum, ca-
tholicæq; Eccleſiæ lumen, ſimul atq; Doctorem, atq; hæreticorum olim inſectatorem
acerrimum, coram Crucifixo genuflexum, nudum, pectusq; lapide percutientem:
inſuper & familiariſſimum ſibi leonem, ſequentesq; literas, eius oram omnino am-
bientes: HOC. EST. SIGILLVM. MAGNVM. PROVINCIÆ.
DALMATIÆ. orbiculatim, idq; ex apoſtolici cuiuſdã breuis decreto, papyro in-
ducit: Eiuſdem quoq; beati Hieronymi imaginẽ, quòd is Stridone in Dalmatia natus
ſit, minimeq; dubitem eũ huius Prouincię patrociniũ ſuſcepiſſe, ſibi pręponendã volui.

De conuentu S. Annæ Iuſtinopolis. Conu. I.

ISTRIA Italiæ Regio poſt flexum Adriatici ſinus Illyrico contermina eſt, com-
C plectiturq; à Phormione, nunc Tiſano fluuio, ad Banoticum ſinum vſq;, in quo
Arſia amnis decurrens Iſtriam ab Illyrio dirimit, in latitudine quidem 60. paſſuum
millia, ſed in circuitu 125. millia, & famoſiſſimæ Venetorum Reipublicæ maiori ex
parte ſubiacet. Huius Regionis metropolis ciuitas Iuſtinopolis eſt, à Iuſtino Impera-
tore eius conditore ſic dicta: in qua Minoriticus hic conuentus, communibus Iuſtino-
politanorum ſumptibus, ab antiquo, ſub inuocatione ſanctiſſimæ Mariæ de Angelis
ædificatus, poſtmodum verò ante 100. annos, ex Iuſtinopolitani cuiuſdam nobilis fa-
cultatibus reſarcitus, reparatus, ac in elegantiorem, maioremq; formam, ſub ſanctæ
Annæ virginis glorioſæ genitricis nomine, quo ab omnibus appellatur, ex ſummi ta-
men Pontificis facultate, tranſlatus extitit: qui & à 12. fratribus vt plurimùm occupa-
tur. Non deſtituitur prærogatiuis Iuſtinopolitana ciuitas, quę & antiquiſſima eſt, cùm
ſacris ſanctorum Nazarij Epiſcopi & martyris, Alexãdri confeſſoris, atq; Eliæ corpori-
D bus ſupramodum decoretur, plurimumq; illi circumuicinæ communitates deferant.

De conuentu S. Bernardini Pyrani. Conu. II.

AD decimum lapidem à præfata ciuitate Iuſtinopolitana, ac in ipſo maris litore oppidum Pyranum, ab eius habitatoribus, qui pyraticam olim artem exercebant, ſic dictum, conſtructum conſpicitur: Huius accolę ab omni otio abhorrent, conficiendoq; ſali præſertim incumbunt, ac ſumma in Franciſcanum Ordinem deuotione feruntur: ex qua ante 100. annos, hoc monaſterium, diuo Bernardino de Senis ſacrum, ex publico ærario, ad mille tamen paſſus à præfato oppido conſtrui curarunt. Quorum pietate ſequuti eorum ſucceſſores, 10. fratres eius habitatores ſumma liberalitate, ſummisq; beneficijs proſequuntur, eisq; omnia neceſſaria ſuppeditant.

De conuentu Conceptionis B. Virginis Montonæ. *Conu. III.* A

MONTONA Iſtriæ oppidum eſt, diſtatq; à mari 10. millibus paſſuum: cumq; in amœni cuiuſdam collis cliuo ædificatum ſit, pergratum, atq; longiſſimum proſpectum ſuis habitatoribus miniſtrat: quorum ad noſtrum Ordinem deuotio, atq; in Deum pietas tanta eſt, vt ex ea, ante 20. annos, atq; ex reuerendiſſ. Parenzanenſis Epiſcopi facultate, hanc ſacram domum Minoriticam, ab 8. fratribus inhabitatam, in honorem Conceptionis Dei genitricis Mariæ, intra communes muros, communibus quoque ſumptibus, à fundamentis erexerit: noſq; de felici eius fine benè ſperare iubeat.

De conuentu S. Andreæ Rubini. *Conu. IV.*

AD mille paſſus à Rubino (vulgò Rouingo) Iſtriæ quoq; oppido, atq; inter criſpantes maris vndas, nemoroſus quidam, atq; amœnus ſcopulus, cuius circuitus mille quoq; paſſus complectitur, ſurrigit, in cuius iugulo conuentus hic, Apoſtolo Andreæ ſacratus, circa annum à partu Virgineo 1550. à Rubinenſi ſenatu, non minus liberaliter quàm piè ædificatus extitit. Quia verò hic locus, qui à 12. fratribus occupatur, ſumma quiete, ſummaq; tranquillitate gaudet, diuinis immiſſionibus recipiendis feliciſſimè deſeruit. Summa quoq; deuotione feruntur Rubinenſes in corpus B. Euphemiæ virginis & martyris, quod in matrice eorum eccleſia honorificè tumulatum eſt. B

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Orſanis. *Conu. V.*

SEDEM obtinent præcedentes quatuor conuentus in Iſtria, de qua ſuperius, quibus etiam annumerandus venit & præſens, qui à reuerendiſſ. Parenzanenſi Epiſcopo, ſub titulo S. Mariæ de Gratijs, ex incredibili quadam in Franciſcanum Ordinem deuotione, ante ſexennium, à fundamentis extrui cœpit, breuiq; Deo auſpice abſoluetur. Inhabitatur interim à 6. fratribus tantùm, à pluribus ſuo tẽpore hauddubiè inhabitandus: Nã ea eſt eius fundatoris ſolicitudo, vt nobis multò plura ab his promittat. C

De conuentu S. Franciſci Abſoris. *Conu. VI.*

ADNAVIGANTIBVS Adriaticum ſinum vltra Quarnarium, nautis, ob continua pericula, celeberrimum locum, portus occurrit, in quo Seraphicus pater Franciſcus, dum Terræ ſanctæ loca peteret, triremi vectus, aliquandiu ſubſtitit, vnde & ſancti Franciſci nomen ſibi obuenit. Ab hoc igitur portu Orſaris, antiquiſſima, vt eius ruinæ adhuc inſinuant, ciuitas aliquantulum diſtat, à paucis habitatoribus, ob aëris intemperiem, inculta, ſed conuicinis populis, ob ſancti Gaudentij martyris corpus ibidem ſepultum, celeberrima, inſuper & commendatiſſima: Cuius nobiliſſima quædam ciuis, atq; matrona, ſeraphicę Religioni addictiſſima, hoc ſacrũ monaſteriũ, à 10. fratribus incultum, in honorem beati eiuſdem patris Franciſci, ad mille paſſus ab eius mœnibus, ac iuxta maritimum litus, circa annum Dominicæ Incarnationis 1490. à fundamentis ad verticem vſq;, ſuis ſumptibus erigi, perficiq; diligentiſſimè curauit. D

De conuentu S. Mariæ de Caſtiglione Veglæ. *Conu. VII.*

VEGLA (vulgò Vegia) inſularis, atq; antiqua ſatis ciuitas eſt, pertinuitq; olim ad nobiliſſimam Frangipanenſem familiam: ſed à 120. annis potentiſſimæ Venetorum Reipublicæ paret. Ad tertium lapidem ab hac ciuitate Vegla pulcherrima, amplaq;, atq; maximè habitata vallis conſpicitur, è cuius ferè meditullio nemoroſus quidam, atq; arboribus omnino veſtitus collis in altum exurgit: in quo olim Benedictinorum patrum monaſterium, per plurimos annos, ſubſtitit, quod & à præfata Frangipanenſium familia, circa annum Dominicæ natiuitatis 1460. reparatum, ac ferè ſub titulo ſanctæ Mariæ à Caſtilione reædificatum, inſuper & huic Prouinciæ, cæteris eius adiungendum locis, adiectum extitit. Inhabitatur interim hic locus à 12. fratribus, ipſiſq;, ob ſui amœnitatem atq; quietem, maximam orandi occaſionem miniſtrat. E

De conuentu

A *De conuentu S. Euphemiæ Arbæ. Conu. VIII.*

ARBA Scardoniæ inſulæ, quæ Illyrico adiacet, vrbs eſt, plurimisq; ſanctorum reliquijs, præcipuè verò venerando ſancti Chriſtophori martyris capite decoratur: Cuius aliquot ciues, claris orti natalibus, cùm ſumma in Franciſcanam Religionem deuotione ferrentur, hoc ſacrum monaſterium, quod 10. fratres frequentius inhabitant, in honorem ſanctæ Euphemiæ, licèt ab alijs beato Bernardinò ſacretur, circa annum Domini 1490. in amœniſſimæ cuiuſdam ſyluæ veſtibulo, atq; ſecūdo ab ipſa ciuitate milliari, à fundamētis erigi, omnibusq; ſuis numeris abſolui curarunt.

De conuentu Dominæ noſtræ de Pago Curici. Conu. IX.

B CVRICVM (vulgò Pago) inſulare oppidum eſt, hocq; duplex, vetus ſcilicet atq; nouum: ſed iſtud habitatum, illud verò habitatore deſtitutum: Ne igitur prægrandis, atq; pulcherrima ex polito lapide fabrefacta eccleſia, Dominæ noſtræ de Pago ſacrata, prope Curicum antiquum à multis annis conſtructa, atq; Curicenſibus celeberrima, debito cultu, ob populi abſentiam, priuaretur, ruinæq; aliquando ſubiaceret, fratribus noſtris à Curicenſi ſenatu, ex reuerendiſſimi tamen Zarenſis Archiepiſcopi facultate, collata extitit: Cui & nobilis quidam Curicenſis pulchrum ſatis monaſterium (de quo inpræſentiarum) 10. continendis fratribus idoneum, ex proprijs facultatibus maxima munificentia atq; pietate coædificauit.

De conuentu S. Hieronymi Vgliani, ſiue Oelani. Conu. X.

C PERTINET quoq; ad huius Prouinciæ patres is conuentus, qui, ſub inuocatione ſancti Hieronymi, è mari egreſſis, atq; Oclanum ſiue Vglianum, inſulare oppidum, petentibus, prope eius vallum occurrit: quiq; à reuerendiſſimo quodam Begnano Epiſcopo, cuius etiam corpus ibidem honorificentiſſimè tumulatum eſt, ab antiquo conſtructus extitit: Incolitur hic locus à 10. fratribus.

De conuentu S. Dumni, ſiue Doimi Paſmanij. Conu. XII.

COLITVR peculiari quadam veneratione à Paſmanienſibus ſanctus Dumnus, ideoq; ſacrā hanc Minoriticā ædē 8. fratribus, apud ſe perpetuò commoraturis, ex peculiaribus facultatibus, ad mille paſſus à præfato oppido Paſmanio, (vulgò Paſmani) ac in cliuo cuiuſdā ſcopuli, maritimis fluctibus imminētis, ędificatura illuſtris familia Clococichia à Banouina eam diuo eidem Dumno ſacrandam curauit: Quòd hic locus capax, commodusq; ſit, celebrandis huius Prouinciæ comitijs ſæpius deſeruiuit.

D

De conuentu S. Franciſci Iaderæ. Conu. XII.

IADERA (vulgò Zara) Illyricorum ciuitas, atq; Dalmatiæ metropolis, princepsq; eſt: paruitq; ante 200. annos Vngarorum Regi, ſed ab eo temporis inclytæ Venetorum Reipublicæ obſequitur. Hanc ciuitatem, idq; profectò aliquod epitaphia, atq; ſepulchra hoc in conuentu, ante 300. annos erecta facillimè indicant, beatiſſimus pater Franciſcus Hieroſolymam, cæteraq; ſancta loca petens, in propria perſona viſitauit, præſensq; monaſterium, quod ſibi temporis ſucceſſu ſacratum euaſit, pro primæuæ illius paupertatis exigentia, ex Iaderenſium facultatibus fundauit. Quod tamen, cùm in famoſum, atq; auguſtum monaſterium plurimis fratribus continendis aptum, euaſiſſet, à Venetis, quòd erigendæ cuidam munitioni impedimento eſſet, ſolo, maiori ex parte, æquatum eſt, ita vt vix 15. fratres eius accolas commodè continere valeat. Aſſeruantur nihilominus in eius archiuis apoſtolicæ ſequentes literæ, plumbeo ſigillo communitę: Et primo quidem bulla quædam Alexandri Papę IV. ne Epiſcopi, vel quiuis alij Prælati bonorum Minoritis ex teſtamento relictorum quartam exigant: Item alia eiuſdem, cuius initium eſt: Nimis iniqua &c. Et alia eiuſdem, vt loca fratribus relicta in eorum vſum conuertantur: Et alia eiuſdem, vt Miniſtri poſſint cum fratribns ſibi ſubditis diſpenſare in caſibus iuxta formam Epiſcopis reſcriptam: Et alia eiuſdem, vt Miniſtri poſſint fratribus electis, vel poſtulatis ad dignitatem Ec-

E

cleſiaſticam facultatem concedere , quatenus ad eam aſſumantur : Et alia eiuſdem , vt A
præfati Miniſtri eos fratres,qui Epiſcopis noſtri Ordinis adſunt,viſitare,atq; loco amo-
uere valeant : Et alia eiuſdem , ne alterius Ordinis Prælati noſtri Inſtituti apoſtatas pe-
nes ſe retinere queant : Et alia eiuſdem , qua cuncta priuilegia,Ordini noſtro à ſuis præ-
deceſſoribus Innocentio IV. & Gregorio IX. conceſſa,confirmantur : Et alia eiuſdem ,
vt fratres Minores volentes apud ſe ſepeliri ſepultura , idq́; liberrimè, donare poſſint :
Et alia eiuſdem , vt fratres ab excommunicationis ſententia per ſuos Prælatos abſolui
valeant : Et alia eiuſdem , vt fratres ad ſæculares Eccleſiaſticas dignitates aſſumpti,li-
bros Ordini reſtituere teneantur : Et alia eiuſdem , vt Prouinciales Miniſtri ab excom-
municationibus , quas incurrerint , per eorum Confeſſarios abſolui queant : Et alia
eiuſdem , vt Iaderenſis , atq; Antiuarenſis Archiepiſcopi Prouinciæ Dalmatiæ fratri-
bus patrocinentur : Et alia eiuſdem,ne Minoritæ Epiſcopis obedientiam promittere te- B
neantur : Et alia eiuſdem , ne fratres cogantur ad ea , quæ cauſas per Delegatos , vel
Ordinarios diſcutiendas contingunt : Et alia eiuſdem reuocatoria alterius dipploma-
tis Innocentij Papæ IV. qua fratribus certæ quædam leges, quoad ſacras confeſſiones
excipiendas , concionesq́; habendas , præſcribuntur : Et alia eiuſdem, qua centum dies
de iniunctis pœnitentijs remittuntur ijs , qui Minoriticas domus in ſanctorum Fran-
ciſci , atq; Antonij de Padua feſtiuitatibus viſitauerint : Et alia Benedicti Papæ VIII.
qua Minoritæ à cuiuſuis Prælati ſæcularis iuriſdictione eximuntur : Et alia Benedi-
cti X I. qua priuilegiorum noſtri Ordinis defenſores ſtatuuntur : Et alia eiuſdem , vt
noſtri fratres concionari , confeſſionesq́; excipere , atq; defunctos ſæculares apud ſe ſe-
pelire poſſint:Et alia Benedicti Papę XII. ad hæreticæ prauitatis Inquiſitorem per Dal-
mariam directa , qua Fratricellorum vita condemnatur : Et alia Bonifacij Papæ VIII. C
cui Mare magnum titulus eſt : Et alia eiuſdem,vt Minorum Prælati fratres ſibi ſubditos
punire poſſint , vtq́; appellationis beneficium illis minimè faueat : Et alia eiuſdem ,
vt Prouincialis Miniſter Prouinciæ Boſnæ, vel eius Vicarius duos ſibi ſubditos fratres
hæreticæ prauitatis Inquiſitores ſuper Raguſiam , Boſnam , Dalmatiam , Croatiam ,
atq; Iſtriam inſtituere valeat : Et alia Bonifatij Papæ IX. vt Slauoniæ Prouincia , titulo
antiquiori relicto , Dalmatiæ Prouincia , in poſterum appellanda veniat : vtq́; iconice
diui Hieroymi pro ſigillo vtatur : Et alia eiuſdem ad Stamnenſem Epiſcopum directa :
Et alia eiuſdem , qua conuentus Cabinicenſis ſancti Saluatoris tranſlatio ad fratres no-
ſtros facta confirmantur : Et alia Clementis Papæ IV. contra violatores,tum locorum,
tum quoq; fratrum Franciſcanorum : Et alia eiuſdem , qua centum dies de iniunctis
pœnitentijs relaxantur ijs , qui in feſtiuitatibus glorioſæ Virginis , ſanctorum Franci- D
ſci , & Antonij de Padua , beatæ Claræ , & aliorum ſanctorum , ſiue ſanctarum, quibus
Franciſcana templa , vel altaria in eis erecta dicata fuerint , atq; in ſolemnitatibus de-
dicationum noſtras domos viſitauerint . Et alia Gregorij Papæ IX. ne Legati , ſiue De-
legati poſſint Minoritas ad ſæculares cauſas audiendas compellere : Et alia eiuſdem ,
qua pœna Prælatorum literas falſantibus infligenda ſtatuitur : Et alia eiuſdem , qua
beatiſſimus pater Franciſcus ſanctorum catalogo aſcribitur : Et alia eiuſdem , ne Iade-
renſis Archiepiſcopus Minoritas quouis pacto moleſtare præſumat : Et alia Honorij
Papæ III. vt Iaderenſis Archiepiſcopus ſacræ Theologiæ ſtudium Iaderæ erigendum
curet : Et alia eiuſdem ad canonicos , atq; Suffraganeum Iaderenſis eccleſiæ directa ,
vt vigeſimam Eccleſiaſticorum prouentuum portionem pro Terrę ſanctæ manu tenē- E
tia pendere teneantur : Et alia Honorij Papæ IV. vt Minoritę,ſi diœceſanus Epiſcopus
id facere contempſerit , vel noluerit, quemcunq; alium Epiſcopum vocare poſſint,qui
vel primum totius fundamenti lapidem benedicat,vel eccleſiam,aut altaria conſecret :
Et alia Innocentij Papæ IV. vt nullus a fratribus Minoritico habitu vel ſibi ſimili vti
poſſit : Et alia eiuſdem , qua Franciſcana Regula exponitur : Et alia eiuſdem, vt Pro-
uinciales Miniſtri cum ſuis fratribus , iuxta formam tum epiſcopis , tum quoq; Ar-
chiepiſcopis à Sede apoſtolica præſcriptam , diſpenſare poſſint : Et alia eiuſdem , qua
Minoritis munus prædicandæ bullæ ſanctæ Crucis contra hæreticos demandatur : Et
alia eiuſdem , vt fratres Minores in excommunicatorum terris commorari , atq; elee-
moſynas ab eis petere poſſint:Et alia Ioannis Papæ XXII. qua Inquiſitorum hæreticæ
prauita-

A prauitatis munus per Dalmatiam ſtatuitur: Et alia eiuſdem, qua idem munus confir-
matur: Et alia eiuſdem, ne patres Dominicani eo munere in eadem Prouincia fungi
poſſint: Et alia eiuſdem, vt patres Dominicani ad huiuſmodi munus in eadem Prouin-
cia aſſumpti, fratres Minores ſibi in coadiutores aſciſcere poſſint: Item alia eiuſdem, vt
Vngariæ Rex ab Inquiſitoribus fidei præmonitus, ſibi contra hæreticos Dalmatas opi-
tulari teneatur: Et alia eiuſdem, vt huius Prouinciæ fratres Scardonæ locum, vltrò
ſibi oblatum, acceptare poſſint: Et alia Martini Papæ V. vt fratres Minores Procu-
tores, ſiue ſyndicos inſtituere valeant: Et alia eiuſdem, qua Franciſcani Ordinis con-
ſeruatores conſtituuntur: Et alia Nicolai Papæ III. qua Franciſcana Regula confir-
matur: Et alia eiuſdem, qua priuilegia ſacris Seraphici patris ſtigmatibus à prædeceſ-
ſoribus conceſſa, inſuper & eius canonizatio confirmantur: Et alia Nicolai Papæ IV.
B qua priuilegia Franciſcano Ordini à ſuis prædeceſſoribus impertita rata habentur: Et
alia eiuſdem, ne Franciſcani apoſtatæ ad aliquam dignitatem promoueri poſſint: Et
alia eiuſdem, vt fratres noſtri interdicti tempore, propria peccata confiteri, & alia ſa-
cramenta recipere, inſuper & celebrare valeant: Et alia eiuſdem, qua fidei Inquiſito-
res, per Boſnam inſtituuntur: præcipiturq; vt qui eo munere in Dalmatia funguntur,
Illyricum idioma caleant: Et alia eiuſdem, qua annus & quadragena de iniunctis pœ-
nitentijs remittuntur ijs, qui Minoriticum hunc Iaderenſem conuentum, in glorioſæ
Virginis, & ſanctorum Franciſci, atq; Antonij de Padua ſolemnitatibus, perq; earum
octauas viſitauerint: Et alia eiuſdem, qua ſubuentio contra Saracenos fidelibus com-
mendatur: Et alia Vrbani Papæ V. ad Dalmatiæ Archiepiſcopos directa, ne hęreticis
mercimonium in ſuis diœceſibus exercere permittant: Et alia eiuſdem ad Iaderenſem
C Archiepiſcopum deſtinata, vt Minoritæ Abbatis munere in conuentu ſanctorum Coſ-
mæ & Damiani Dalmatino fungi queant: Et alia eiuſdem ad quendam Minoritam
Coſmam Iaderenſem tranſmiſſa, vt ad Infidelium partes traijcere, ſecumq; 50. fratres
prædicatores conducere poſſit: qui omnes gentis illius conuerſioni intendant. Aſſer-
uantur præterea & alia quàm plurima literarum tranſumpta, quæ tamen, quod non
ita magni momenti ſint, in medium afferre nolui, vitandæ prolixitatis gratia.

De conuentu S. Crucis Crappanij. *Conu. XIII.*

CRAPPANIVM nudus olim ſcopulus fuit, duo millia paſſuum in orbem con-
tinens, atq; à Sibenico Illyrica ciuitate 7. milliarijs diſtans: Hunc Sibeniciani qui-
dam nobiles, circa annū à natiuitate Domini 1430. fratribus noſtris ſumma liberalita-
D te conceſſerunt, donoq; dederunt, vt ibidem conuentum ſimul atq; eccleſiam in ho-
norem ſanctæ Crucis ſibi ædificarent: prout & ab illis præſtitum eſt: cumq; per multos,
annos ijdem fratres pręfato ſcopulo liberè & abſq; alio habitatore potiti eſſent, plures
Illyrici Turcicam rabiem declinaturi, quòd is locus munitiſſimus eſſet, eos rogarunt,
vt ſe ad huiuſmodi ſcopuli habitationem admiterre vellent: Quibus tandem annuenti-
bus centum ad minus domus in quibus quingentę animę tutò commorātur, ibidem ere-
ctę fuère. Commorantur itaq; hoc in conuentu octo fratres.

De conuentu S. Mariæ de Paludibus Epetij. *Conu. XIV.*

EPETIVM (vulgo Spalato) antiquiſſima continentis ciuitas eſt, fuitq; olim
Dioclitiani Imperatoris habitatio, immo ex eius ędibus, quę auguſtiſſimę, atq; al-
E tiſſimæ erant, præfata ciuitas conſtructa extitit: ita vt idem ipſe murus, qui præfatas
ædes ambiebat, ciuitatem ipſam circumſcribat. Cùm autem præfatus Imperator vl-
tra quàm dici poſſit in Chriſti fideles, atq; ſtrenuos athletas ſæuierit, plura ſanctorum
martyrum corpora Epetij tumulata creduntur: de quorum numero fuit corpus ſancti
Dumni, ſiue Doimi Epiſcopi & martyris, quod in matrice Epetiana eccleſia, quæ &
idolorum templum extitit, honorifico loco reconditum eſt. Ad mille itaq; paſſus à prę-
fata ciuitate Epetio, in quodam munitiſſimo loco, ob continuas Turcarum excurſio-
nes, conuentus hic, ſanctiſſimæ Mariæ de Paludibus, ex communibus Epetianorum fa-
cultatibus, ab antiquo ædificatus extitit: quem & 8. fratres plerumq; inhabitant. Ex-
tat è regione iſtius loci inexpugnabile quoddam Turcarum caſtrum, Chriſtianis olim

ſubactum,ex quo tanquam ex equo Troiano, plurimi Turcę indies prodeunt,qui hanc A
circumquaq; regionem infeſtiſſimis armis, depopulationibus, atq; combuſtionibus diuexant, infeſtantq;, ſuosq; habitatores quotidianis moleſtijs afficiunt.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Phariæ. Conu. XV.

PHARIA, tum alteri ex inſulis quæ Adriatico mari circumſcribũtur, tum quoq; ciuitati ibidem erectæ commune nomen eſt: Idq; efficit, vt plures ſæpius modò inſulam pro ciuitate, modo verò ciuitatem pro inſula ſumentes, in æquiuoco laborent. Iuxta Phariam igitur ciuitatem, ac in ipſo litore maris, conuentus hic, glorioſiſſimæ Virgini Mariæ de Gratijs ſacratus, quem & 12. fratres inhabitant, ante plurimos annos, ex publicis Pharienſium facultatibus ædificatus fuit. Cumq; à Turcis combuſtus fuiſſet, ab ijſdem Pharienſibus multo elegantior, multoq; auguſtior reædificatus extitit. B

De conuentu S. Mariæ Corzulæ. Conu. XVI.

CVM Corzulani ſacerdotum penuria laborarẽt, cuperentq; ſupramodum à Frãciſcanis in fidei plenius inſtrui, hanc ſacram domum in honorem ſanctæ Marię de Gratijs, ad ſecundum lapidem à Corzula, inſulari ciuitate, in cuiuſdam ſcopuli iugulo, ex publicis prouentibus illis ædificandam, abſoluendamq; curarunt: Cumq; ſuperioribus annis, graſſante inter Turcas atq; Chriſtianos ſæuiſſimo bello, ab huiuſmodi fidei Chriſtianæ hoſtibus exuſta eſſet, ab ijſdem Corzulanis, nacta commodiori opportunitate, iteratò ex polito, atq; finiſſimo lapide ædificata fuit. Summa veneratione feruntur Corzulani in duplicem huius loci imaginem, alteram quidem glorioſiſſimæ ſemperq; Virginis Mariæ, alteram verò dilectiſſimi eius filij cruci affixi. Cumq; C
vigente præfato bello, vtriq; ſummopere timerent, tum iſtam, tum quoq; illam Corzulam deduci curarunt. Accidit interim vt, inſtante hoſte, quotquot erant Corzulani homines, relictis mulieribus, atque deſerta ciuitate fugam capeſſerent: quo tamen euentu eorum fœminæ nihil magis territæ, ac totam ſpem in huiuſmodi imaginibus ponentes, tanta conſtantia, tantisq; viribus Turcis reſtitêre, vt illos loco cedere, atq; pedem referre coëgerint, nec non & glorioſam de eis victoriam retulerint. A quo etiam tempore Corzulanis ad huiuſmodi imagines deuotio mirum in modum accreuit. Inhabitatur deniq; ſacer hic locus à 10. fratribus.

De conuentu S. Bernardini Aſcriuij. Conu. XVII.

ASCRIVIVM (vulgò Cataro) Liburniæ antiquiſſima ciuitas Caſtronouo, in- D
ſuperabili immaniſſimorum Turcarum munitioni, vicina eſt: & ab ijſdem fidei orthodoxę hoſtibus vndiq; cingitur. Cùm igitur eius ſenatus Minoriticum quoddam monaſterium, aliquantulum ab eius mœnibus, ab antiquo ædificari curaſſet, idq;, ſuperueniente eodem Turcico hoſte, dirutum, ſoloq; æquatum eſſet, ne Aſcriuienſis populus eo fructu, quem ex Minoritarum cohabitatione referebat, priuari contingeret, neuè 10. eius incolæ fratres tantorum hoſtium ludibrijs, atq; iniurijs iteratò exponerentur, effecit pius idem ſenatus, vt monialium Franciſcanarum Conuentualium conuentus, intra eiuſdem ciuitatis Aſcriuij muros erectus, ac beatæ Claræ dicatus, ijſdẽ fratribus, tranſlatis interim aliò ſororibus præfatis, atq; antiquiori ſanctæ Claræ titulo in beati Bernardini nomen commutato, adaptaretur, conferreturq;. Quod autem Aſcriuium munitiſſima ciuitas, licèt Turcis vndiq; cincta, perpetuò in officio manſe- E
rit, & nunquam hoſti ceſſerit, in cauſa profectò ſunt plures ſanctorum reliquiæ ibidem reconditæ, ac ſummo in honore ab Aſcriuienſibus habitæ, præcipuè verò corpus beati Triphonis martyris.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Scopuli. Conu. XVIII.

EIVS oppidi, quod Scopulus nuncupatur, pia communitas Aſcriuienſium, à quibus non multum diſtat, pietatem æmulata, hunc conuentum, cœlorum Imperatrici beatæ videlicet Mariæ Virgini de Gratijs ſacrum, licèt non adeò auguſtum, ſatis tamen honeſtum, atq; 6. capiendis fratribus omnino accommodum, tum ex communibus, tum

A bus, tum quoque ex peculiaribus oppidanorum facultatibus, ſecundò apud ſe conſtrui, perficiq́; curauit: Cùm enim à ſuperueniente Turcica claſſe ſemel exuſtus, direptusq́; extiterit, denuo à pio Scopulenſi populo reædificatus fuit: Cui tamen fratres minimè ſunt ingrati: nam quocunq; vitæ diſcrimine, tum à Turcis, tum quoq; à Raſcianis, quibus is populus ſubiectus eſt, ſibi imminente longè poſthabito, vt Sedis apoſtolicæ mandatis faciant ſatis, eum tum verbo, tum quoq; exemplo in orthodoxa fide continent.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Buduæ. *Conu. XIX.*

PRÆCEDENTI per omnia ſimilis eſt hic conuentus, qui Buduæ, ſub inuocatione eiuſdem glorioſiſſimæ Virginis Mariæ de Gratijs, ſurrigit: Cùm nec illum antiquitate, nec magnitudine, nec etiam conditione excedat: nec plures fratres contineat: nec alium ſui authorem à Buduenſi ſenatu, cuius opera, atq; facultatibus ſecun-
B dò quoq; conſtructus extitit, penitus agnoſcat. Fuit enim ſicut & præcedens monaſterium à Turcico hoſte dirutus, atq; igni traditus ſimul cum ipſo oppido Budua. Cuius habitatores fortiſſimi ſunt, atq; Turcis terribiles, cum quibus ſingulis horis manus conſerere coguntur. Quanta deniq; ſit huius Prouinciæ calamitas, cuius fratres vix, abſq; præſentiſſimo, vitę diſcrimine, à loco in locum tranſmigrare poſſint, vel ſaltē vnico hoc exemplo liquet: Cùm enim R. P. Ambroſius Apſarenſis, Franciſcani Ordinis alumnus, atq; Antiuarenſis Epiſcopus, qui frequentius Buduæ reſidet, Antiuarum, viſitandarum ouium ſibi creditarum gratia, petijſſet, inibiq́; ad populum ſacram, pro ſuggeſtu, concionem haberet, à truculentiſſimis Turcis captus, carceribus mancipatus, attrociſſimeq́; flagellis cæſus extitit: parumq́; abſuit, quòd in Mahometum eorum le-
C gis authorem inuectus eſſet, eiusq́; ſathanicam doctrinam damnaſſet, quin ignibus exurendus traderetur.

Sequuntur monaſteria monialium.

De monaſterio S. Antonij Arbæ. *Mon. I.*

HABET etiam hæc Dalmatię Prouincia 4. ſanctimonialium monaſteria ſub Regula beatæ virginis Claræ victitantium. Alterum quidem, ſiue primum apud Arbam ciuitatem, ſub titulo ſancti Antonij, quod 12. tantùm continet moniales.

De monaſterio S. Claræ Epetij. *Mon. II.*

SECVNDVM verò monaſterium eſt id, quod ſub titulo S. virginis Claræ Epetij
D conſtructum cernitur: & à 15. Clariſſis ſororibus, Vrbaniſtis tamen inhabitatur.

De monaſterio S. Mariæ de Angelis. *Mon. III.*

ATQVI tertium monialium huius Prouinciæ monaſterium adhuc (laus ſuperis) Aſcriuij, (vulgò verò Catari) qui Liburnica ciuitas eſt, ſub inuocatione S. Mariæ de Angelis perſeuerat: & à 12. Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis occupatur.

De monaſterio ſanctiſſimæ Crucis ibidem. *Mon. IV.*

VLTIMVM ſanctimonialium monaſterium obtinet Prouincia hęc intra Aſcriuienſis eiuſdem ciuitatis mœnia, ſanctiſſimæ quidem Cruci ſacrum, ſed à 16. Clariſſis ſororibus incultum: Quæ proculdubio omnes, ob earum pietatem, religionem,
E atq; vitam optimis moribus inſtitutam, tum apud huius Prouinciæ patres, tum quoq; apud reliquos ſæculares optimè audiunt.


PROVINCIA CANDIÆ
S · TITVS · EPISCOPVS · ET · MAR

PROVINCIA CANDIAE.

A CANDIA, quæ & Creta, inſula eſt in medio ponto ſita, atq; fama centum
vrbium, Minotauriciq; labyrinthi olim clara: quæ à Septentrione Aegeo
alluitur ſimul & Cretico pelago, ab Auſtro Lybico, ad Occidentem Ae-
gilam & Cytheram ſpectat, ad Orientem verò Carpathon. Habet in lon-
gitudine ducenta millia ſeptuaginta paſſuum, in latitudine quinquaginta
millia, & in circuitu quingenta octogintanouem millia. Inſignes in ea vrbes ſunt Cor-
tyna, Cydon, atq; Gnoſſus Minois regia, & Strabonis Coſmographi patria. Nullum
penitus noxium animal gignit, optimiq; vini fertiliſſima eſt. Cumq; tam latè pateat,
ac tot prærogatiuis gaudeat, Minoritica tamen Prouincia in ea erecta (quæ olim, Græ-
cis nondum ſubactis, ex tribus Cuſtodijs, Eubæana ſcilicet, Clarentina, atq; Thebana
conflata, ſub Romaniæ titulo latius patuit) ex duodecim tantùm fratrum, & duobus
monialium conuentibus modò conſtat: quorum aliqui eius limites tranſgrediuntur, vt
B ſunt Zacinthinus, Chius, atq; Corcyricus. Cumq; tres conuentus, nempè S. Franciſci
Cytei, S. itidem Franciſci Cydonis, atq; S. Antonij de Padua Chareſij ad Clarentinam
ſpectarent Cuſtodiam, quòd longius ab alijs abeſſent, quodq; eorum fratres ſtrictiorē
à reliquis vitam ducere vellent (parebat ſiquidem vniuerſa Prouincia Franciſcanis pa-
tribus Conuentualibus) peculiaris Cuſtodiæ, Candiæ ſcilicet, titulo, atq; dignitate, ſub
Nicolao V. Pōt. max. anno Dñi 1449. donati ſunt. Illiſq; V. P. F. Hieronymus à Florētia,
ſub præſtantiſſ. Franciſco Foſcareno, Venetorum Duce, in Vicarium ſiue Cuſtodem
præfectus fuit. Erectis verò poſtmodum alijs 4. monaſterijs, abiecto Cuſtodiæ nomine,
Prouinciæ honorem ex patrum decreto ſibi aſciuit. Quo tamen certo tempore id conti-
gerit, nullo pacto inueſtigari potuit. Paret vniuerſa regio, in qua hæc noſtra Prouin-
cia ſita eſt, potentiſſimæ Venetorum Reipublicæ: Cuius maius ſigillū S. Ioannis Bapti-
C ſtæ ſtantis, ſiniſtraq; crucis vexillum tenentis, ac duplici ſtella capiti, ac dextro hume-
ro imminente irradiati effigiem cum his literis: SIGILLVM. PROVINCIÆ.
CANDIÆ. in orbem imprimit. Curaui autem diui Titi, Apoſtoli Pauli olim diſci-
puli, imaginem ſibi præponi, quòd is à Cretenſibus, ob Epiſcopale munus quod apud
ipſos vigilantiſſimè geſſit, ſummo honore, ſummaq; veneratione colatur.

De conuentu S. Franciſci Cytei. Conu. I.

MINORITICVS hic conuentus, patri Franciſco ſacratus, atq; Cytei, (vulgò
Candia) nobilis, antiquiſſimæq; ciuitatis vallo circumſcriptus, qui & ſumptibus
pijſſimorū Petri, atq; Franciſci à Gradhanigho vterinorum fratrum, qui & relicto ſæ-
culo, Minoriticoq; habitu ſumpto, ſanctiſſimè vixerunt, ſub patribus Conuentualibus
conſtructus extitit, nullo fratrum numero aſtringitur: Cùm aliquādo 40. aliquando 30.
& aliquando multò plures, pro aduentantiū, vel recedentium numero, contineat: Cùm
D enim Cyteum maritima ciuitas ſit, optatumq; portum fratribus peregrinis, qui vel Ve-
netijs ſoluentes Hieroſolymam petunt, vel Terræ ſanctæ locis vale dicentes proprias
repetunt Prouincias, pro voto miniſtret, contingatq; illos diutius ibidem immorari,
vel etiam tædio maris affectos ad tempus, intermiſſo itinere, ſubſiſtere, modò à pluribus,
modò verò à paucioribus incolitur. Huius ſacræ ædis ſacellum, S. Franciſco dicatum, ab
eodem Seraphico patre ædificatum aſſeritur, dum ad Soldanum, orthodoxæ fidei præ-
dicandæ cauſa, pergeret: quamobrem in maxima eſt apud Cyteanos veneratione.

De conuentu S. Ioannis ibidem. Conu. II.

SVNT etiam à præcedenti 3. alia monaſteria ſub diuerſis inuocationibus Cytei ere-
cta: quorum præſens, Ioanni Baptiſtæ ſacrum, ac communibus Cyteanorum ſum-

ptibus,

ptibus, ſub patribus iiſdem Conuentualibus, ex hoſpitio Franciſcanis Obſeruantibus, A cæteriſq; Hieroſolymitanis peregrinis excipiendis deſtinato, in iuſtum conuentū tranſlatum, eiuſdem ciuitatis vallo circumſcribitur: & à 14. fratribus, plus, minuſuè, pro aduentantium, recedentiumq; ratione, quemadmodum & præcedens, inhabitatur: Reliqua verò præfato excluduntur vallo.

De conuentu S. Antony de Padua ibidem. Conu. III.

NON procul ab eadem ciuitate Cyteo, in territorio Chareſarum (lingua verò Cretenſi Chares) ac prope pagum Sumetum, pago Platipochio, ex quo Alexander V. Pont. max. profeſſione Minorita, qui & antea Petrus Philaretus, originem duxit, vicinum, conuentus hic, D. P. Antonio de Padua ſacer, atq; ex Cyteanorum liberalitate, ſub patribus Conuentualibus, conſtructus, inſuper & à 5. fratribus inhabitatus, ſurrigit: B Quem præfatorum fundatorum ſucceſſores, ob memoriam tanti patris compatriotæ, ac ſummi Pontificis, Alexandri videlicet V. ſumma veneratione, ſummiſq; beneficijs proſequuntur. Subſiſtit non procul ab hoc loco munitiſſimum caſtrum nomine Mirabellum, quod maximum barathrum, vbi olim famoſa ciuitas conſtitit quæ dehiſcente terra eius ima petijt, à mari diſtinguit: vnde & ſecundum nomen, nempe ſummerſæ ciuitatis caſtrum ſibi acquiſiuit.

De conuentu S. Mariæ de Angelis Gnoßi. Conu. IV.

AD vigeſimumquintum lapidem à præfata ciuitate Cyteo, nec procul à Gnoſſo, Cretica quoq; vrbe, cuius olim diuus Titus, Apoſtoli Pauli diſcipulus, ſanctiſſimum egit Epiſcopum, conuentus hic, S. Mariæ de Angelis ſacratus, ſurrigit: quem fra- C ter Demetrius à Mithelene, profeſſioneq; laicus, ex pijs Gnoſſenſiū eleemoſynis, ſumma diligentia acquiſitis, circa annum à partu Virgineo 1450. (ſi tamen ſeniorum traditioni ſtandum ſit) à fundamentis ad apicem vſq; conſtruendum curauit: quemq; 6. fratres frequentius occupant. Pręfatæ verò ciuitatis Gnoſſi, quam & pretioſiſſimi marmoris fodinæ, & Minotauri labyrinthus ſibi vicinus, commendatiſſimam reddunt, vix impræſentiarum ſuperſunt ruinæ. Deſeruiunt maximè 4. præcedentia loca fratribus noſtris excipiendis, ad tempuſq; continendis, dum, vel Hieroſolymam petunt, vel Italiam repetituri (vt præfati ſumus) eam relinquunt.

De conuentu S. Athanaſii Rethymi. Conu. V.

CONSTRVXERAT, ſub Franciſcanis patribus Conuētualibus pius Rethy- D menſis ſenatus, vt aduentantibus peregrinis fratribus proſpiceret, ex publicis ciuium facultatibus Minoriticum quoddam monaſteriū, ſub titulo ſancti Athanaſij, aliquantulum à mœnibus Rethymi, illudq; à 6. fratribus inhabitandum curauit: Quod tamen ſub Pio V. Pont. max. eius inquilinis à ſuperuenientibus Turcis in ſeruitutem redactis, combuſtum, deſtructumq;, maiori ex parte, fuit. Quamobrem per aliquot annos habitatoribus vacauit. An verò à paucis diebus, conſtituta atq; firmata inter Venetos atq; Turcas pace, reſarcitum, reparatum fuerit me omnino latet.

De conuentu S. Franciſci ibidem. Conu. VI

COMBVSTO igitur ab immaniſſimis Turcis pręcedenti conuentu, illuſtris Barochiorum familia, pręſertim Iacobus, Franciſcus, Aloyſius, atq; Georgius Ba- E rochij, hoc Minoriticum monaſterium, in honorem ſanctiſſimi patris Franciſci, intra Rethymum pręfatam ciuitatem, circa annum Dominicę Incarnationis 1530. à ſe ędificari cœptum, ſumma diligentia, ſummaq; cura accellerauit, ne fratres hoſpitio deſtituti à ſe omnino recederent. Quod deniq;, nondum ex omni parte abſolutum, ab octo fratribus inhabitandum curauit. Idq; in cauſa futurum exiſtimo, ne pręcedens ſacra domus reædificetur: & vt hęc Prouincia vndecim tantū loca in poſterū habeat.

De conuentu S. Franciſci Cydonis. Conu. VII.

HAVD abſimilis fuit Cydoniorum pietas, atq; beneuolentia in Obſeruantem Franciſcanam familiam Cyteanorum in eandem affectui: cùm & ipſi triplex monaſterium

A naſterium eius alumnis: alterum quidem patrum Conuentualium temporibus, ſub titulo ſancti Franciſci, intra communis ciuitatis, Cydonis videlicet, mœnia: alia verò duo ſub alijs titulis (de quibus infra) conſtruendum curarint. Eſt autem Cydon (quę & vulgò Canea) inſignis Cretę ciuitas, à qua mala Cydonia in Italiam aduecta feruntur, & ſumma liberalitate omnia neceſſaria 18. fratribus huius loci accolis miniſtrantur.

De conuentu S. Saluatoris ibidem. *Conu. VIII.*

CINGITVR etiam muris Cydonijs hæc ſacra domus in honorem S. Saluatoris erecta: quam & deuotus idem Cydonius ſenatus conſtrui fecit: & 9. Obſeruantis Minoritici Ordinis fratres inhabitant, Deoq; opt. max. famulantur.

De conuentu S. Georgij extra Cydonem. *Conu. IX.*

B ALIQVOT huius Prouinciæ fratres arctioris vitæ cupidi, vt plenioribus affectibus Deo vacare poſſent, hoc ſacrum monaſterium, in honorem S. Georgij martyris, ad 30. lapidem à præfata ciuitate Cydone, in loco quodam ſolitario, horroris, vaſtæq; ſolitudinis, cui nomen Valſamachia, à nobiliſſimis viris, germanisq; fratribus, Georgio Polano, atq; Sancto itidem Polano patria Venetis: quorum iſte noſtrum Ordinem ingreſſus, ſacerdotio honeſtari meruit, & ille Tertiarijs B. P. Franciſci adiungi voluit, circa annum Domini 1530. conſtruendum, abſoluendum curarunt.

De conuentu S. Mariæ Zacynthi. *Conu. X.*

IN nemoroſa inſula Zacyntho, (vulgò Zante) quæ è medio fluctu Ionij maris apparens occidentali Peloponneſi lateri adiacet: atq; in eiuſdem prorſus nominis ciui-
C tate conſtructus fuerat quidam conuentus, S. Mariæ dicatus: quemcommunibus eiusmet ciuitatis ſumptibus, anno 1540. ædificatum accepimus: quemq; 6. vel 8. & aliquando 10. fratres, prout aduentantium occaſio poſtulabat, commodè ſatis inhabitabant. Cùm autem vigente inter Venetos, atq; Turcas grauiſſimo bello, ab iſtis, anno Domini 1568. exuſtus fuerit, hic præſens extra præfatæ ciuitatis Zacynthi mœnia, in ipſo litore maris, eorundem Zacynthinorum ſumptibus, atq; ſub eodem prorſus ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ titulo, iuxta alterius exuſti capacitatem conſtructus eſt.

De conuentu S. Antonij de Padua Chios. *Conu. XI.*

CVM Minoritanus conuentus in inſula Chio, (vulgò Sio) quæ Ioniæ adiacens, Ae-
D geo mari cingitur, Pelleneoq; monte, atq; finiſſimo marmore nobilitatur, olim conſtructus, atq; Prouinciæ Genuenſi ſubactus, ab immaniſſimis Turcis direptus, exuſtusq; fuiſſet, 8. fratres eius accolæ ad ædiculam S. Antonij, non longè ab eo diſtantem, ex eorum, quorum intererat, conſenſu ſe transferentes, tuguriolum, potius quàm iuſtũ conuentum ibidem ex Chioniorum eleemoſynis ædificandum curarunt.


De conuentu S. Rochi Corcyræ. *Conu. XII.*

AD iſtam quoq; Candiæ Prouinciam ſpectat hic conuentus, diuo Rocho ſacratus, atq; Corcyræ, quæ Ionij maris inſula, & Vliſſis naufragio, & Alcinoi hortis clara olim extitit, erectus: Quem, niſi nos traditio fallit, Corcyrenſes ex communibus facultatibus, in gratiam cuiuſdam fratris Angeli Albanenſis, profeſſione laici, anno Do-
E mini 1554. conſtruxêre. Paret autem Corcyra, quæ Corfu vulgò nuncupatur, potentiſſimæ Venetorum Reipublicæ, cuius liberalitate 9. fratres potiſſimùm aluntur.

Subſtitit olim Rhodi, quæ inſularis ciuitas eſt, dum adhuc ſacræ Ioannitarum militiæ pareret, Minoriticus alius huius Prouinciæ conuentus: qui tamen à Turcis, ea inſula atq; ciuitate expugnatis, omnimodam ruinam expertus extitit.

De monaſterijs monialium.

SVBSVNT quoq; huic Prouincię duo ſororum de Tertio Seraphici patris Franciſci Ordine monaſteria: quorum alterum Cytei ſub inuocatione ſancti Hieronymi ſurrigit, & à 20. ſacris virginibus inhabitatur: alterum verò Rethymi conſiſtit, & à totidem ſanctimonialibus, Deo die noctuq; inſeruientibus, incolitur.



PROVINCIA

PROVINCIA
BOSNAE CROATIAE.

A HÆC Boſnæ Croatię Prouincia,ſub Clemente VI. Pont.max,ac ſub R.P.F
Gerardo Odonis, vniuerſi Ordinis Franciſcani Generali Miniſtro, Banno
verò Stephano Vngariæ Rege,atq; circa annum à partu Virgineo 1339.
exordium ſumpſit. Cùm enim R. is P. Iadram ſiue Iaderam, Dalmatiæ
ciuitatem,applicuiſſet, didiciſſetq́; inibi vniuerſam Boſnę regionem à Ma-
nichæis, ſiue Patarenis hæreticis adeò occupari, opprimiq́;, vt vix vllum catholicæ fi-
dei veſtigium appareret: maximo diuini honoris, ſaluandarumq́; animarum zelo du-
ctus, quibuſdam doctiſſimis, ſanctiſſimisq́; patribus ſibi aſcitis,Boſnam intrepido ani-
mo ingreſſus eſt: Vbi ſacris ſuis concionibus, priuatisq́; adhortationibus tantum effe-
cit, vt maiorem illius patrię nobilitatis partem, intra breuiſſimi temporis ſpatium,à pe-
ſtifero illo errore ad orthodoxę fidei veritatem reuocauerit. Inde verò ad alias partes,
vt iniuncto ſibi Generalatus officio ſatisfaceret, ſoluturus,aliquot conuentus erexit,il-
B losq́; zelantiſſimis patribus ac fratribus, ex Italiæ partibus adductis, inſtruxit: ac tan-
dem in Vicariam redactos, quendam V.P.F. Peregrinum in Prælatum ſibi præfecit.
Quorum deniq; patrũ opera, plura alia monaſteria ædificata fuêre: Minoriticaq́; Reli-
gio per vniuerſam Boſnam, Bulgariam, Raſciam, Bazaratham, Valachiam,Seruiam,
Dalmatiam, atq; Illyricum longè lateq́; diffuſa, vſq; ad Vngaros penetrauit: Nam
Prouincia hæc Boſnæ 7. olim Cuſtodias, nempe ſanctę Catharinæ virginis apud Apu-
los, Vngarię, Cettini, Terſathi, atq; Corbauię, aliasq́; duas complexa eſt. Sed, proh
dolor, noſtris id exigentibus peccatis, maiore harum cuſtodiarum parte ſoluta, vni-
uerſa ferè regio, in qua erectæ fuerant, archityranno Turcarum Imperatori, licèt in-
uita, paret. Poſt elapſos verò 68. annos ab huiuſmodi præfati R. P. Gerardi Odonis,
in Boſnam ingreſſu, anno Domini 1407. ad eaſdem partes ex Italia traiecit quidam
C V. P. F. Bartholomæus ab Aluerna, qui per 40. continuos annos Minoriticã familiam
ibidem degentem rexit, ac tandem eorum conuentus peculiaris Prouinciæ titulo, ſub
vniuerſali nomine Boſnæ, honeſtari curauit. Cùm igitur huius Prouinciæ bona pars,
ea videlicet quæ ad Boſnæ regnum pertinebat, à truculentiſſimo Turca vi expugnata
eſſet: nec valerent patres ex Croatia in Boſnam, abſq; præſentiſſimo vitæ diſcrimine,
traijcere,cœpit inter Franciſcanos Croatię proceres agi,licèt Boſnenſibus renitentibus,
de ipſius Prouinciæ diuiſione. Re tandem, poſt longam ancipitemq́; diſceptationem,
ad generale Capitulum Aquilæ, quæ Brutiorum ciuitas eſt, anno Domini 1495. ſub
R. P. F. Franciſco Sanſone, Generali Miniſtro, celebratum, delata, tum ex eiuſdem
R. P. Generalis tum quoq; ex aliorum patrum, quorum intererat, decreto, quidam
V. P. F. Bernardinus de Chaimis,patria Mediolanenſis,in Commiſſariũ inſtitutus crea-
tusq́; fuit, qui rem totam ſerio diſcuteret, litemq́; inter vtroſq; patres dirimeret. Is
D verò diligenti habito examine, hanc pro tribunali agens, anno Domini 1496. in con-
uentu ſanctæ Mariæ de Gratijs apud Leſinam ciuitatem, diffinitiuam protulit ſenten-
tiam, quam & venerabiles patres F. Hieronymus Tornielus, ac F. Chriſtophorus à
Forliuio, Generales Citramontanæ Obſeruantis familiæ Vicarij, ſucceſſiuè confirma-
runt: vt videlicet patres Croatiæ comitia ſuis in partibus, abſq; patribus Boſnenſibus,
celebrare, vtq́; idipſum patres Boſnenſes ſuis in locis, pręſtare valerent. Cui ſententiæ
ſubſcribens V. P.F. Chriſtophorus à Forliuio,in Capitulo generali Citramontano Aſſi-
ſij, anno Domini 1514.celebrato, addidit: vt tum iſti, tum quoq; illi patres, ſuos con-
uentus in peculiares Prouincias, ſub arbitrarijs nominibus in proximioribus Capitulis
prouincialibus erigere poſſent. Quibus annuentibus, vtraq; Prouincia Boſnæ nomine
nuncupata euaſit. Differt tamen altera ab altera penes cognomen: nam ea quæ Croa-

tianis

tianis deſeruit, Boſnæ Croatiæ, ſiue Coruatiæ Prouincia apellitatur: Illa verò quæ à Boſnenſibus incolitur, Boſnæ Argentinæ Prouincia dicitur. Hęc itaq; Boſnę Croatię Prouincia olim florentiſſima, atq; ex plurimis conuentibus conſtans, Turcis eam patriam tyrannicè ſubiugantibus, adeò anguſtijs ceſſit, vt 7. tantùm loca modò obtineat: quorum etiam aliqua ab alijs Prouincijs (vt infra patebit) emendicare coacta eſt. Vnde meritò illud Annæ Prophetiſſę 1. Reg. 2. de ipſa dici poteſt: Et quę multos habebat filios infirmata eſt. Vtitur nihilominus, pro maiori ſigillo, cruce, ac ſpinea corona ex ſuperiori eius parte pendente, & B.P.Franciſco genuflexo, manibusq; complicatis, cui ſequentes literę S. BOSNÆ. CROATIÆ. ſemicirculo incluſæ imminent, atq; hoc in orbem titulo, O. CRVX. AVE. SPES. VNICA. eleganter ſatis exornato. Quoniam verò nullum peculiarem ſanctum, quem patronum ſibi pręponere poſſemus, ad manus habere potuimus, eandem prorſus crucem, vt in ſigillo ſculptam, illi præferendam curauimus: reddentes interim Deo opt. max. gratias pro his quę, indefeſſo labore maximaq; ſolicitudine, impetraui mus. A B

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Terſathi. Conu. I.

QVONIAM Minoriticus conuentus Terſathi, quæ Vngariæ ciuitas eſt, erectus, inter reliqua huius Prouinciæ loca principatum obtinet, minusq; Turcarum iniurijs patet, ab eo, tamquam à digniori, oxordiri voluimus. Fuit enim præfatus is locus familiaribus Martini de Frangepanibus, natione Pannonij, ſumptibus, ex facultate tamen Nicolai V. Pont. max. anno 1453. à fundamentis ad apicem vſq; ædificatus: Inſuper & quibuſdam poſſeſſionibus, annuisq; eleemoſynis ab eodem, annuente tamē pręfato ſummo Pontifice Nicolao V. ac à quibuſdā alijs eius ſucceſſoribus, quorū apoſtolica breuia penes 12. huius loci fratres aſſeruantur, vtcunq; dotatus. Quod & ſi noſtræ profeſſionis nitori contradicere videatur, à ſummis tamen Pontificibus, ob illius patriæ calamitates, atq; indeuotionem, conceditur: Vt vel ſic religioſi, licèt obſeruantiſſimi, ſuſtentari, ac ibidem perſeuerare poſſint. Eſt nihilominus ſatis magna ad hanc ſacram ædem Pannoniorum deuotio, atq; frequentia, tum ob crebra miracula, quæ ibi contingunt, tum quoque ob priuilegiatum altare ibidem erectum. C

De conuentu S. Franciſci Segniæ. Conu. II.

PRÆCEPERAT, edito diplomate, idq; ad procerum Pannoniæ petitionem, Paulus II. Pont. max. vt patres Franciſcani Conuentuales monaſterium, D. Franciſco ſacrum, ac non longè à Segnia conſtructum, quod obtinebant, aliò ſe transferentes, Franciſcanis Obſeruantibus traderent. Cumq; id illi, ad annum vſq; Dominicæ natiuitatis 1478. facere renuiſſent, Sixtus IV. ſummus itidē Pont. eos præfato anno, inſtāte ſereniſſ. Matthia Vniade Vngariæ, Boëmiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, atq; Slauoniæ Rege, Pauli II. iuſſis parere coëgit. Vtriuſq; Pont. max. bullæ apud 10. fratres cuſtodiūtur. D

De conuentu S. Goriciæ prope Caſtrum Suſedium. Conu. III.

NVNCVPATVR paſſim hic conuentus ab oppido in quo conſtructus perſeuerat, non autem à ſancto cui ſacratus extitit: Cùm is D. Petrus Apoſtolus, & nō S. Goritia ſit: eum tamen, vt vulgo conformaremur, ab iſta & non ab illo denominandum cenſuimus: licèt & in honorem eiuſdem Principis Apoſtolorum à R. quodā Epiſcopo Zagrabienſi, currente anno Domini 1527. conſecratus extiterit. Præfatū verò conuentum, quem 10. fratres inhabitant, deuotus quidam Stephanus Sijlaius de Shazio Illyricus, ſuis ſumptibus, non procul à S. Goritia, anno Domini 1517. erigendū curauit. E

De conuentu S. Leonardi Zagrabiæ. Conu. IV.

NON longè à Zagrabia, Illyricorum Epiſcopali ciuitate, erectus conſpicitur hic conuentus, S. Leonardo ſacratus: quem illuſtriſſ. Petrus Erdeodius, Magiarcherchius Comes, ex domeſticis facultatibus, anno 1531. à primo ad vltimum vſq; lapidē erigi, eiusq; eccleſiam conſecrari curauit. Quæ quidem eccleſia contingentibus ibidem indies, tum in infirmorū, tum quoq; in dęmoniacorū fauorē, innumeris miraculis, ſęcularibus commendatiſſima eſt: Quorum beneficio 10. fratres ibidem commodè aluntur.

A *De conuentu S. Leonardi apud Nouam ciuitatem. Conu. V.*

AEDIFICARAT, anno Dominicę natiuitatis 1472. deuotiſſima quędam matrona, nomine Eliſabetha Chernoualia, ex proprijs facultatibus, hunc conuentum, diuo Leonardo ſacrum, non procul à Noua ciuitate, in Carniolenſi Ducatu ſita, ea lege, vt Minoritanæ Auſtriæ Prouinciæ adijceretur: cuius etiam eccleſiam reuerendiſſimus quidam Epiſcopus de Chriſtiano more conſecrauit: Cumq; pręfatę Prouinciæ, iuxta fundatricis decretum atq; voluntatem, per aliquot annos deſeruiſſet, illius Prouinciæ patres, quòd ſibi non adeò neceſſarius, ob fratrum penuriam, eſſet, quodq; deſtructis, ingneq; conſumptis huius Prouinciæ monaſterijs, eius religioſi per incertas ſedes diuagari cogerentur, eum ſibi ex fraterna charitate conferendum cenſuêre: A
B quo etiam tempore eorum 8. ibidem commorantur.

De conuentu Viſitationis B. Mariæ Piſinij. Conu. VI.

PISINIVM Hiſtriæ oppidum eſt, Dalmatiæq; Prouinciæ finibus circumſcribitur, eaq; de cauſa Minoriticus hic conuentus, Viſitationi ſuperbenedictę, ſemperq; Virginis Mariæ ſacer, atq; intra eiuſdem oppidi mœnia, ex Sixti IV. Pont. max. conceſſione, anno Dominicæ Incarnationis 1481. facta, tum Piſinienſium, tum quoq; eorum Comitis ſumptibus ædificatus, Dalmatiæ Prouinciæ olim ſubiacuit. A qua tamen, anno Domini 1559. inſtante ſereniſſimo Ferdinando Pannoniorum, Boëmorumq; Rege, ac Germanorum Imperatore, nec non Caroli V. itidem Imperatoris vterino fratre, ad hanc Prouinciam, ex patrum tum huius, tum quoq; illius conſenſu, deuolutus
C eſt: Quam deniq; tranſlationem Capituli generalis, Aquilę, anno ſequenti, nempe 1560. ſub venerabili patre fratre Angelo Auerſano, eius præſide, celebrati, patres firmam, ratamq; habuêre. Commorantur vt plurimùm hoc in loco 8. fratres.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Feriiul. Conu. VII.

NON abs re Minoriticus hic conuentus, qui non procul à Goritiæ caſtro, in oppido, cui Ferijul ſupra villam Salcam nomen eſt, ſatis honeſtè ſurrigit, glorioſiſſimæ Virgini Mariæ de Gratijs ſacratus euaſit: Cùm ad eius inuocationem crebra indies ibidem miracula contingant: Qua etiam de cauſa præfatus hic locus, oppidanorum ſumptibus, circa annum à partu Virgineo 1544. conſtructus, atq; ab 8. fratribus inhabitatus, in maxima eſt apud fideles veneratione. Cùm autem per 22. annos ſæcu-
D laribus ſacerdotibus ſubiacuiſſet, huic Prouinciæ, anno Domini 1566. opera atq; ſolicitudine ſereniſſimi Caroli Auſtriaci Archiducis Auſtrię, ſub reuerendiſſimo patre fratre Aloyſio Puteo, totius noſtri Ordinis Generali Miniſtro, adiectus fuit.

HÆC tantũ 7. loca, ex quamplurimis alijs, quæ vel ab immaniſſimis Turcis, vel à ſanguinarijs hæreticis exuſta, ſoloq; æquata fuêre, vel imminẽtibus ab ijſdẽ hoſtibus periculis minimè inhabitantur, vt ſunt locus de Tninio in Regno Croatiæ, locus ſancti Ioannis ſub Caſtro Vduigna ibidem, locus Scardonæ ibidem, locus Carini ibidem, locus Iaijcæ ibidem, locus Ottotk ibidem, locus Zrinij ibidem, locus Haſtrouicæ ibidem, locus Bihchij ibidem, locus Slunij ibidem, locus Stinicnijakij ibidem, locus Cettini etiam ibidem, locus Cobac in Regno Slauoniæ, locus Duoriſchiæ ibidem, atq; locus Cliſiæ in Regno Dalmatiæ, ex quibus omnibus florentiſſima olim hæc Boſ-
E næ Croatiæ Prouincia abſoluebatur, proh dolor, nobis hodie ſuperſunt.

Sunt etiam & alia quamplurima loca, prædictis de cauſis, ab ijs patribus diuerſis in Regnis derelicta, quę cùm parum ad rem pertineant, ne prolixior ſim, ſciens prętermitto. In ſupradictis vero inhabitatis conuentibus 60. patres, fratreſq; plus minusuè reperiuntur, ex quorum numero octo tantum Prædicatorum munere funguntur. Cæterum Prouincia hęc monialium monaſterijs omnino caret: habetq; adhuc aliquas ſanctorum reliquias in eccleſiarum ſacrarijs, debita cum reuerentia, aſſeruatas, pluresq; ſummorum Pontificum bullas, atq; regia priuilegia Prouincię dignitatem atq; immunitates concernentia, licèt multò plura à Turcis atq; etiam ab hæreticis, quibus hæc patria ſcatet, vel lacerata, vel combuſta ſint.



PROVINCIA

PROVINCIA AVSTRIAE.

A IN propatulo eſt Franciſcanum Inſtitutum in Auſtriam, & alias ſibi anne-
xas regiones inuectum, & propagatum fuiſſe, eo tempore,quo adhuc bea-
tus Franciſcus vitales carperet auras, vitaq; hac potiretur mortali,vt aper-
tiſſimè videre eſt multis in huius Prouinciæ ampliſſimis monaſterijs tum
fratrum, tum ſanctimonialium ſanctæ Claræ,præſertim verò in præcipuis
duobus illis Viennenſibus, in quorum altero, ad ſanctam nimirum Crucem, fratres in
hodiernam vſq; lucem commorantur, in altero verò habitabant ſorores ſanctæ Claræ,
quæ tamen cùm ante quinquaginta annos quaſi omnes defeciſſent, ex eo ciuium ho-
B ſpitale factum eſt, ſorores autem ſuperſtites tranſlatæ ſunt ad ſanctam Annam:Quibus
ibidem defunctis, poſſeſſionem, vineas, ſyluas & oppida impetrarunt patres Societa-
tis Ieſu. Obſeruantiam verò iſtius Franciſcani noſtri Inſtituti ſacram quis introduxe-
rit in hanc Prouinciam, quisq; author, & quo anno id factum ſit, iam dicetur: Anno
ſiquidem Domini 1451. beatus pater Ioannes Capiſtranus, Ciſmontanæ Obſeruantis
Minoriticæ familiæ Generalis Vicarius, atq; hæreticæ prauitatis generalis quoque In-
quiſitor,Legatus fuit Nicolai Papæ V. ad ſacram Cæſaream maieſtatem Friderici III.
Hic cùm præclarè ſeſe geſſiſſet, Huſſitarum ſectam & verbo, & ſcriptis maxima con-
ſtantia & integritate refutaſſet,multa millia ad gremium ſanctę matris Eccleſię Roma-
C næ reduxiſſet, de Chriſtiani nominis hoſte, infenſiſſimo ſcilicet Turca trina vice ante
Belgradum victoriam planè diuinam reportaſſet, & multa alia, eaq; præclara & illu-
ſtria, in Rempublicam Chriſtianam merita conferens, quibus omnes in admirabilem
amorem, admirationemq; pertraxiſſet, tum & illud etiam ſingulare & diuinum egit,
quòd videlicet ſibi ab initio ingreſſus ſui in Germaniam imprimis reformãdæ Religio-
nis Franciſcanæ ſtudium delegerit, ad religionisq; res vndequaq; fluctuantes illuc ſe
verterit, vbi grauior imminebat tempeſtas & periculum. Nauauit itaq; operam omnẽ,
vt vbiq; locorum ſacram propagaret Obſeruantiam, monaſteria Chriſtifidelium elee-
moſynis & opera conſtrueret noua, bonæ indolis tyrones ad Ordinem reciperet,vete-
ra & collapſa reſtauraret,Religioniq; priſtinum reſtitueret nitorem. Quæ omnia quàm
D ſedulò præſtiterit, quantosq: exantlauerit labores, docet rei effectus, monſtrat mona-
ſteriorum copia, oſtenditq; fratrum multitudo. Hoc in negocio duos habuit ſocios,vi-
ros vtiq; & dexteritate ingenij,& integritate vitæ excellentiſſimos,fratrem ſcilicet Ga-
brielem Veronenſem, & fratrem Chriſtophorum Variſium: Qui etiam ad eadem pa-
tranda pro vtraq; Religione tum Chriſtiana, tum Franciſcana, quanto ſtudio adniſi
fuerint,eſt difficile dictu. Hoc nihilominus vnicum referam, alterum horum, fratrem
nimirum Gabrielem, qui paſſim (ſed malè) Veronenſis nuncupatur, cùm re vera fue-
rit natione Mutinenſis, atq; ex nobili Rangonum familia prodierit, in Agrienſem Epi-
ſcopum, deinde S. R. E. Cardinalem à Sanctiſſimo D.N. Sixto IV. Pont. max. anno
E Domini 1486. electum, atq; vita functum Romæ in altero Aracœlitani conuentus ſa-
cello,B. P. Bonauenturæ ſacrato, & à ſe eleganter ſatis constructo, vbi & impræſentia-
rum vſq; quieſcit, tumulatum fuiſſe: Quia verò Prouincia iſta Auſtriaca fuit latiſſima
& ſpacioſiſſima: comprehendebat namq; Auſtriam, Pannoniam ſuperiorem olim di-
ctam, quæ Germaniæ ad Danubium famoſiſſimum flumen regio eſt, Viennamq; ciui-
tatem, frequentibus Turcarum oppugnationibus nobilitatam, metropolim habet, &
Poloniam, & Boëmiam,ingens item erat monaſteriorum numerus:ideo ob has,aliasq;
iam non enumerandas cauſas in tres Prouincias (prout etiam ante introductam Obſer-

uantiam erat)diſtincta fuit: in Auſtriacam ſcilicet, quæ habet ſub ſe regiones tres Stiriã videlicet, Carinthiam atq; Carniolam: deinde in Boëmicam, cui adiuncta eſt & Morauia, & Syleſia: vltimo in Polonicam, cui etiam multi Ducatus & regiones parent. Hæc autem partitio, ſiue diſtinctio Prouinciæ facta eſt anno 1467. die 15. Octobris in conuentu Cracouienſi, vbi in hodiernam vſq; diem pluſquam 80. fratres manent, per Sanctiſſimum D. N. Paulum Papam II. ad inſtantiam patrum. Denunciata eſt autem hæc diuiſio & promulgata in Synodo Cracouienſi per reuerendum patrem fratrem Petrũ de Neapoli Generalem Ciſmontanæ Obſeruantis familiæ Franciſcanæ Vicarium. Hæc igitur Auſtriæ Prouincia, quæ olim ampliſſimè patuit, plurimisq; abundauit tum fratrum, tum quoq; monialium monaſterijs, exulceratis hiſce temporibus quinq; tantùm loca obtinet: Et quod peius eſt obſeſſis ab hæreticis itineribus ad illorum pauciſſimos patet acceſſus, prout ex ſequentibus liquidò conſtat: nam demptis tribus primis monaſterijs, Viennenſi videlicet, Nouiburgenſi, atq; Græcenſi, reliqui impenetrabiles ſunt: niſi fortè ſe quis manifeſtiſſimo obijcere velit vitæ diſcrimini: Quod & in cauſa eſt, vt nihil, vel certè parum de eorum antiquitate, erectionibus, aut memorabilibus in medium afferre poſſimus. Quamobrem pium Lectorem rogatum cupimus, vt his paucis contentus non nobis, ſed temporum calamitati atq; miſeriæ huiuſmodi defectus culpam imputet. Vtitur nihilominus huius Prouinciæ Miniſter, de Minoritico more, ad muneris ſibi iniuncti executionem, ſigillo, cui beati patris Ioannis Capiſtrani ſtantis, ſiniſtraq; apertum librum, ſed dextra crucifixum tenentis imago cum hiſce in orbem literis: SIGILLVM. PROVINCIE. AVSTRIE. FRATRVM. MINORVM. REGVLAR. OBSERVANTIE. impreſſa eſt. Superſtat præterea eiuſdem imaginis capiti nomen IESVS ſolaribus radijs in gyro colluſtratum, pedibus verò frater quidam Minorita genuflexus complicatis manibus ſubſtat, ſed ſiniſtro eius lateri hic numerus 1452. aſtat. Eundem deniq; beatum Ioannem Capiſtranum huic Prouinciæ patronum, tutelaremq; præponimus, tum quòd ab eo fundata, tum quòd maius eius ſigillum (vt proloquuti ſumus) ipſius icone honeſtetur, tum quoq; quòd à Chriſti fidelibus eius patriæ, cuius finibus ipſa circumſcribitur, beatus is pater maximî fiat. Conſtat deniq; vniuerſa hæc Prouincia ex quinque fratrum, & vno tantùm ſororum conuentibus.

A B C

De Minoritico conuentu Viennæ. Conu. I.

VT primùm beatus pater Ioannes Capiſtranus Viennam Auſtriæ cum Nicolai V. Pont. max. ad Fridericum eius nominis III. Germanorum Imperatorem mandatis applicuit, atq; ſeptem Auſtriacos bonæ expectationis iuuenes Minoritico habitu induit, cæterorumq; Franciſcanorum catalogo adſcripſit, præfatus Imperator, apoſtolica ſibi auctoritate fauente, elegantiſſimum monaſterium atq; capaciſſimum ad ſanctum Theobaldum longioſculus à pręfata ciuitate Vienna à fundamentis extruendum, omnibusq; ſuis numeris abſoluendum curauit. Quod & aliquando 200. patres ac fratres inhabitarunt: Eo tamen per Turcas, infeſtiſſimos Chriſtiani nominis hoſtes, Carolo V. Germanorum Imperatore, in Viennenſi obſidione diruto, ſoloq; æquato, aliud intra Viennenſis eiuſdem ciuitatis muros erectũ (de quo impræſentiarum) à Ferdinando, Germanorum etiam Imperatore, eiuſq; nominis primo, qui Carolo V. Imperatoria in dignitate ſucceſſit, huius Prouinciæ patribus collatum extitit. Cuius quidem fundũ Viennenſis Senatus liberaliſſimè obtulit, contulitq;: Sed quod reliquum eſt ædificij id tum priuatis, tum quoq; publicis ciuium eleemoſynis conſtructum fuit. Pręfatum verò monaſterium, quod & tunicula beati Ioannis Capiſtrani honeſtatur, licèt anguſtijs præmatur 40. nihilominus, vel circiter fratres impræſentiarum commodiſſimè continet. Plures tamen aliquando continuit: antequàm videlicet grauiſſima peſtis, quæ totam ferè ſuperiorem Germaniam peruaſit, infecitq;, eorum 30. infra trimeſte abſumeret, atq; è medio tolleret.

D E

De conuentu

A

De conuentu Nauiburgenſi. Conu. II.

MINORITICVS hic conuentus, qui & ad Danubij famoſiſſimi fluminis marginem erectus perſeuerat, amœniſſimus ſanè eſt,& ex publicis Nouiburgenſium ciuium facultatibus ab antiquo conſtructus extitit. Habet præterea altare in diuæ Annę honorē, multa arte elaboratum,quòd cū Turcæ ſimul cū conuentu,atq; vniuerſa eccleſia immiſſo igne comburere adniterentur, Deus opt. max. ipſum ab omni damno & combuſtione ſeruatum voluit. Reliqua verò ab immaniſſimo Turca vlla abſq; pietate combuſta,ſummo fratrum, qui frequentius ſunt duodecim numero,labore,atq; pijs ciuium eleemoſynis reædificata,reſarcitaq; ſunt.A cętero pręfatus hic con-
B uentus eſt tum deuotus, tum maxima venuſtate condecoratus: Ampliſſimus ſiquidem ille Danubius (cuius iam meminimus) iuxta ipſum præterfluit: ita quòd fratres ex cellulis tum remiges, tum quoq; nautas hinc inde nauigantes, inſuper & latiſſimos campos, vberrima Vineta, ſyluulas ac monticulos omni ex parte amœnos, delectabileſq;, arboribuſq; veſtitos inſpicere valeant.

De conuentu Græcenſi. Conu. III.

GRÆCENSIS hic conuētus,quemadmodum & Labacenſis,ad Conuentuales Franciſcanos patres aliquando ſpectauit, & ab ipſis, ſicut & ille, ad eiuſdem Inſtituti Obſeruātes ex apoſtolica auctoritate deflexit. Id tamē diſcriminis inter vtrumq;
C eſt, quòd iſti, Græcenſi videlicet, ſub Friderico III. Germanorum Imperatore, illi verò, Labacenſi ſcilicet, ſub Maximiliano etiam Imperatore, qui Friderico immediate ſucceſſit, huiuſmodi tranſlatio contigerit. Præterea quòd præfatus Labacenſis ſolo ęquatus, fratribuſq; deſtitutus ſit, Gręcenſis verò, licèt maiori ex parte ruinam minitetur, adhuc conſiſtat,& à 10. religioſis occupetur. Pientiſſimus tamen heros Carolus Auſtriæ Archidux, ex maxima beneuolentia, qua in noſtram Religionem fertur, & collapſa reſtaurare, & huiuſmodi ruinis obuiam ire promiſit, idq; quamdilligentiſſimè præſtat.

De conuentu Hippolitano. Conu: IV.

D PRÆSENTIS monaſterij, qui & amœniſſimus eſt,& à famoſo quodam flumine alluitur, Hippoliti, quæ Auſtriæ ciuitas eſt, eleganter ſatis ſatiſq; auguſtè erecti author,quo ad fundum ſaltem,reuerendiſſimus quidam Paſſauienſis Epiſcopus certo certius aſſeritur. Quicquid verò ædificij ſuperædificandum extitit, id proculdubio pientiſſimis ciuibus Hippolitanis debetur. Perſeuerant adhuc hoc in conuentu, idq; per Dei bonitatem, octo fratres.

De conuentu Landeuiſiano. Conu. V.

PRÆSENS Landeuiſianus (vulgò Lancdeuuitz) conuentus in ſyluula quadam amœniſſima, idq; pijs circumuicinorum populorum eleemoſynis, erectus, à ſere-
E niſſima pariterq; pientiſſima Principe, Auſtriæq; Archiducis Caroli vxore, ex Bauarica ſtirpe prognata, ſuperioribus annis reſarcitus, refectuſq; fuit. Vnde & commodiſſimè octo fratres, & aliquando plures, impræſentiarum continet. Gaudet à cętero eius eccleſia pulcherrima quadam Deiparæ Virginis imagine, ad quam plura indies miracula contingunt. Qua etiam de cauſa illis populis commendatiſſima eſt.

Sunt ab his quinq; & alij duo conuentus: alter quidem Heuſtatelij, quod Carniolę oppidum eſt, erectus, ſed à Croatis patribus inhabitatus: alter verò Langeſlai, quod Auſtriæ oppidum eſt, ædificatus, qui tamen, quod vallo & perennibus aquis circundatus arte, atq; natura munitiſſimus ſit,oppidanis in fortiſſimum propugnaculum peropportunè deſeruit. Præcedentia verò monaſteria, immo & Egemburgenſe, in Au-

 ſtria,

ſtria, Catzelſdorfienſe ibidem, Puppingenſe ibidem, Stainenſe ibidem, Veldſpergenſe ibidem, Enzeſdorfienſe ibidem, atq; Paradiſi, quod & à reuerendiſſimo quodam Paſſauienſi Epiſcopo, quoad fundum ſaltem, ibidem ideſt in Auſtria erectum extitit: & Indemburgenſe in Stiria, & Labacumenſe cum alijs duobus in Carniola: inſuper & Rudolfuerdienſe, Volfagenſe, Leubſanicum, atq; Tridaunum, pluraq; alia, quorum adhuc extant, ſed fratribus, qui ſe incolant, carent, alia verò vel à Turcis olim, vel ab hæreticis non ita à multis annis diruta, ſoloq; æquata ſunt, elegantiſſimè, & maximis ſumptibus pro maiori parte ab ipſis oppidanis in locis ſaluberrimis, atq; amœniſſimis exædificata ſunt. A

Præterea cùm nobilis quidam Sueuus, curiæ ſereniſſimæ Gallorum Reginæ Eliſabethæ Auſtriacæ ſupremus Præfectus, nouum vnum conuentum, huic Prouinciæ infra quadriennium adijciendum, hoc anno 1586. quatuor milliaribus à ciuitate Vienna ædificare decreuiſſet, promiſiſſetq;, deuota atq; pientiſſima eius vxor, idq; à Seraphico patre Franciſco in ſomnijs ſępius pręmonita, huiuſmodi ędificationem ex voto, eius tamen viro annuente, accellerare ſtatuit. Inſuper & alius conuentus cæterorum catalogo adſcribendus eo in oppido, cui (Vuintpaſſing) Germanicè nomen eſt, nouiſſimis his diebus ex diuerſis fidelium eleemoſynis conſtrui cœpit. Quo fit, vt de his duobus locis benè ſperare debeamus, immo & de quamplurimis alijs omnino derelictis, (quorum ſupra meminimus) cum Catholicæ fidei negotium iſtis in partibus, per Dei gratiam, vtcunq; proſperetur. B

De Clariſſarum monaſterio Viennæ.

C

REGIVM Viennenſe monaſterium pro Clariſſis monialibus à ſereniſſima & verè pientiſſima Galliarum Regina, atq; Auſtriæ Archiduciſſa, Eliſabetha Auſtriaca vidua, ex morte Caroli eius nominis IX. Francorum Regis relicta, magnificè conſtructum, atq; huic Prouinciæ adiectum, anno ſuperiori, nempe à Chriſto Seruatore nato 1586. perfectum, abſolutumq; fuit. Ad quod, tamen monaſticis ritibus, atq; omni pietate imbuendum, aliquot eiuſdem Ordinis ſorores, ex Clariſſarum conuentu Monachij erecto, quod ad Argentinæ Prouinciam ſpectat, ex apoſtolica Gregorij XIII. Pont. max. auctoritate mihi ipſi facta, eductas, eò transferendas curaui. Inhabitatur interim à 30. Vrbaniſtis ſororibus Clariſſis, atq; particula ſatis magna Dominicę crucis, corpore S. Chriſtinæ virginis & martyris, tunicula beati patris Bernardini de Senis, atq; poculo, ex quo beatus pater Ioannes Capiſtranus bibere aſſueuerat, elegantiſſimè honeſtatur. Et hæc quidem de huius Prouinciæ exordio, progreſſu, viciſſitudine atq; tum fratrum, tum quoq; monialium monaſterijs. D

Quæ ſequuntur notatu digna, atq; præclariora heroicorum quorundam patrum ac fratrum, qui pręcęteris tum ſanctitate, tum genere, tum quoq; rebus geſtis pręclarè floruêre, ex quibuſdam huius Prouincię annalibus manuſcriptis excerpta ſunt.

Frater Rodulphus Archidux Auſtriæ, ſereniſſimi Sigiſmundi Archiducis quoq; Auſtrię filius, huic ſæculo nequam ſub Minoritico habitu vale dicto, vitam cum morte mutauit in conuentu Græcenſi Stiriæ, anno Domini 1507. natus tamen Oenipontis in Tirolenſi Comitatu.

Frater Archangelus de Anſpang, vir admirandæ religionis, carnibus, & piſcibus nunquam fuit vſus, & nunquam ridere, nec iraſci viſus eſt: poſt mortem eius facies pulchrior apparuit, quàm in vita. E

Frater Bartholomæus Tachouienſis exultans expirauit.

Frater Andreas de Leûbs, vir mira pietate & doctrina præditus, vnus de electis primis Prouinciæ lapidibus, exiſtens Prouincialis Miniſter, conuentus omnes in Auſtria, Stiria, Carinthia, Carniola, Boëmia, Morauia, Syleſia, Polonia, Ruſſia & cætera pedes inuiſit, decemq; dies in extrema ſua infirmitate ab omni alimento abſtinuit.

Frater Amedeus, qui noſtris his temporibus exulceratis, in quibus Lutherana hæreſis graſſari cœpit, mirum in modum floruit, fuit ardentiſſimi zeli vir, atq; Concionator

A nator feruentiſſimus, inſuper & multoties inter orandum, expanſis in aëra manibus ſubleuatus extitit.

Frater Methardus miræ eruditionis vir, atq; Ferdinandi Germanorum Imperatoris Concionator, necnon & Lautherani dogmatis accerrimus oppugnator, non abſq; ſanctitatis opinione diem clauſit extremum.

Octodecim huius Prouinciæ fratres in Paradiſi loco, tribus milliaribus à Vienna Auſtrię diſtante, acerbiſſimum martyrij genus ſubierunt. Cùm primùm enim Turcę ipſumlocum inuaſiſſent, è veſtigio fratres truculenter aggreſſi, eos necauerunt.

Fratres numero duo in Ratzels dorfio prope nouam ciuitatem ante ſacrum altare ab immaniſſimo Turca capite truncati ſunt. Reliquorum verò patrum ac fratrum, qui ſanctitate, generis nobilitate, & eruditione hac in Prouincia claruêre, infinitus eſt
B numerus.

B. etiam pater Ioannes Capiſtranus hac eadem in Prouincia multa miraculorum centena, dum ſacras conciones, quibus 30. aliquando hominum millia interfuêre, in publica platea Viennę haberet, diuina virtute edidit: inſuper & ſeptem mortuos ad vitam reuocauit. In omnibus præterea Germaniæ ciuitatibus, cum maxima omnium admiratione, concurſu, & miraculorum operatione fuit concionatus: præſertim verò Auguſtæ Vindelicorum, Spiræ, Vormatiæ, Norimbergæ, Ratiſponæ, Erfordiæ, Bambergæ atq; Lipſiæ: Idipſum quoq; præſtitit in multis Vngariæ, Boëmiæ, atq; Syleſiæ vrbibus. Turcis etiam fuit flagellum, & virga ferrea. Trina ſiquidem vice author extitit, vt relicta in Chriſtianorum manibus ante Belgradum victoria, receptui canerent, atq; multis deſideratis, turpi fuga ſibi conſulerent. Quia tamen de admirabili
C eius vita, geſtis & ſanctitate integer extat libellus, hæc de præclaris ipſius virtutibus dicta ſufficiant.



PROVINCIA

PROVINCIA BOEMIAE.

A HÆC Boëmiæ Prouincia cum Auſtriæ (vt ibi meminimus) atq; Poloniæ Prouincijs vno & eodem tempore, nempe anno à partu Virgineo 1451. ſub vno tantùm capite initium ſumpſit. Cùm enim B. P. Ioannes Capiſtranus, Franciſcanæ Obſeruantis familiæ Ciſmontanæ Generalis Vicarius, à Nicolao V. Pont. max. generalis hæreticæ prauitatis Inquiſitor in ſuperiorem Germaniã deſtinatus eſſet, efficaciſſimis atq; doctiſſimis ſuis concionibus tum in Auſtria, tum in Polonia, tum quoq; in Boëmia atq; in adiacentibus Prouincijs plures à vitijs ad virtutes conuertit, pluresq; etiam optimæ expectationis iuuenes Franciſcanæ Religioni peperit, ac tandem plures conuentus in diuerſis earundem Prouinciarum locis erexit. His autem conuentibus in Prouinciam redactis, modò alter ex ſocijs eiuſdem B. P. modò V.P.F. Gabriel Rangonus Mutinenſis, dictus paſſim (ſed perperã) Veronenſis (de quo in Prouinciæ Auſtriacæ proëmio fuſius) modò verò aliquis alius B probatæ vitæ pater vel Italus, vel Septentrionalis per 16. continuos annos, Prouincialis Vicarij titulo inſignitus, præfuit. Cumq; huiuſmodi conuentus mirum in modum excreſcerent, atq; fratrum numerus non ita vulgariter augeretur, tum à R.P.F. Baptiſta de Leuanto, Generali familiæ Obſeruantis Ciſmontanæ Vicario nouiter electo, tum quoq; à cæteris patribus, quorum ex munere interessat, in generali Capitulo Mantuæ, eodem anno à partu Virgineo 1467. legitimè coacto, decretum fuit, vt præfata Prouincia in tres, nempe in Polonicã, Auſtriacam atq; Boëmicam diuideretur. Quamobrẽ R.P.F. Petrus de Neapoli, cui B.P. Angelus de Clauaſio tunc Prouincię Genuę Vicarius adiunctus eſt, in Commiſſariũ generalem ex apoſtolica Pauli II. Pont. max. auctoritate ab eodem R.P.F. Baptiſta de Leuanto electus, atq; in ſuperiorẽ Germaniã, vt generalis Capituli decretum executioni mandaret, deſtinatus eſt. Qui quidem aduocatis omnibus, C quorum intereſſet, patribus Cracouię, pręmemoratam Prouinciam in tres (prout pręfati ſumus) iuxta Mantuani generalis Capituli decretum Minoritico in Cracouienſi conuentu, eodem anno 1467. diſtinxit, atq; diuiſit. Nec tamen vna & eadem ſors eis omnibus accidit; cùm Prouinciæ Auſtriacæ religioſus pater frater Bonauentura Bauarus, & Prouinciæ Poloniæ inſignis pater ac frater Marianus Polonus Vicarij Prouinciales præfecti ſint: Prouinciæ verò Boëmiæ, quæ & Morauiam atq; Syleſiam complectebatur, nullus penitus Prouincialis Vicarius prælatus fuerit: Sed per integrum biennium ſub patre fratre Ioanne à Miſna eius tantùm Commiſſario manere coacta fuerit. Quapropter non modica tribulatio, nec modica triſtitia Boëmis patribus acceſſit. Hos deniq; conſolaturus admirandæ religionis pater frater Criſtophorus à Variſio, qui & illis diu conuixerat, præfueratq;, antequam Hieroſolymam obedientiæ facturus ſatis peteret, huiuſmodi epiſtolam ad eos direxit, deditq;.

D *Venerabilis pater, religioſiq; patres & fratres in Chriſto dilectiſsimi commendatione præmiſſa cum omni complacendi promptitudine. Cùm dudum in mente firmaſſem vobiſcum viuere & mori, & vſq; ad mortem in bono & malo, in proſperitatibus & aduerſitatibus vobiſcum perſeuerare propter curam à beato patre fratre Ioãne de Capiſtrano mihi, adhuc in ætate iuuenili conſtituto, impoſitam, & propter nimiam dilectionem, quam ad vos conceperam, pro qua etiam natiuam Prouinciam velut exilium mihi reputabam, & amplius non Italicum, ſed Alemanicum me natione putabam. Præuentus tamen obedientia per R. P. Vicarium Generalem mihi commiſſa, à vobis patribus & fratribus meis in Chriſto Ieſu dilectiſsimis, & ab his regionibus veſtris in breui recedere nitendo. Et ſicut cùm magno gaudio & lætitia cum charitatibus veſtris pluribus annis conuerſatus ſum: ita cum magno gaudio & lætitia, ex quo per obedientiam vocor, recedo, auxiliante altiſsimo terram ſanctam, in qua Saluator noſter pro peccatis noſtris mortuus eſt,*

primùm,

primùm viſitare intendo, vbi & in pace vitam finire deſidero: niſi Deus, in cuius manu viæ A
hominis poſitæ ſunt, aliud de me decreuerit. Nouit ipſe, qui nihil ignorat, quòd ante receſſum
meum vos omnes libentiſsimè viderem, alloquerer pariter, & in charitatis vinculis amplexa-
rer: ſed longitudo viarum, & hyemale tempus me retrahunt. His accedit intolerabilis angu-
ſtia mentis ex futura ſeparatione contracta, quæ mutuam conſolationem & viſionem proculdu-
bio impediret. Ne tamen tanquam fur à charitatibus veſtris recedere videar, volui vobiſcum his
ſcriptis vale dicere. Quæ precor cum charitate, & mentis ſinceritate ſuſcipite; quia fortè vlti-
ma erunt hæc, quæ ego iam ſcribo, & vobis cariſsimis fratribus meis mitto. Imprimis igitur
patres & fratres mei in Chriſto Ieſu dilectiſsimi, charitatibus veſtris immenſas refero gratiarũ
actiones pro ea fide, charitate, dilectione, confidentia, amicitia & beneuolentia, quam erga me
indignum ſeruulum veſtrum ſemper habuiſtis. Fateor enim quòd nunquam talia erga vos pro-
meruerim. Similiter charitatibus veſtris regratior de magna ſolicitudine & prouiſione, quam
exhibuiſtis in infirmitatibus meis: licèt enim graues ægritudines corporis (vt vos ipſi noſtis) B
perpeſſus ſim, fateor tamen, & nunquam aliter dicturus ſum, quòd diligenter, abundanter, &
cum maxima charitate in omnibus neceſsitatibus meis mihi prouidiſtis: nec ego tantis beneficijs
quoquo modo ſufficio vices rependere. Sed omnipotens Deus, qui nullum bonum irremunera-
tum dimittit, impoſsibilitatem meam ſuppleat, & vices dignetur rependere. Quia (vt noſtis)
per plures annos in Ordinis officijs fui, & in multis tanquam homo errare potui, qualitercunq;
communitatem veſtram, vel aliquem veſtrum verbo, vel facto offendi, genuflexus coram omni-
bus vobis, & coram quolibet veſtrum humiliter, & ex toto corde veniam peto, rogans præterea,
vt propter amorem Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti mihi parcere dignemini in omnibus, in quibus
vos omnes, aut veſtrum aliquem verbo vel opere ſcandalizaſſem: nam humiliter culpam meam
coram omnibus vobis, & coram ſingulis recognoſco: & affectuoſiſsimè charitates veſtras geni- C
bus ad terram demiſsis exoro, quòd ſi aliqua bona, quæ certè pauca fuerunt, & ſunt, in me co-
gnouerint, illa amplecti velint. De defectibus autem, negligentijs, inſufficientijs & malis
exemplis meis obliuiſcantur. Super omnia patres & fratres chariſsimi, deuotiones veſtras ſup-
plex exoro, ne mei, qui vobiſcum iuuentutem, corpus, & omnem corporis valetudinem conſum-
pſi, in orationibus veſtris obliuiſci velitis. Si namq; ab orationibus veſtris derelictus fue-
ro, ſcio quod malè ſtabo. O quoties per feruentes orationes veſtras à mortis faucibus eru-
tus ſum! O quoties à multis periculis animæ & corporis liberatus ſum! Et præcipuè cordia-
liſsimi patres, cùm audieritis obitum meum, qui (vt credo) in proximo eſt, animam
meam recomendo vobis. Cæterum charitates veſtras ad vnionem, concordiam, pacem &
mutuam charitatem exhortor. Vſque modo, ſi fuerint inter vos aliquæ diſcordiæ vel ri-
xæ, potuit eſſe excuſatio propter amplitudinem Prouinciæ, propter diuerſitatem nationum, D
& propter Prælatos alienos. Nunc autem quælibet natio partem ſuam habet; Prælato connatiuo
gaudet, omniaq; impedimenta ceſſant; vnde nulla amplius apud Deum & homines vobis excu-
ſatio relinquitur, ſi concordes non eritis. Quod vlterius ſcribam, ignoro: niſi quòd ſupra ſcri-
pſi: ſi aliquem veſtrum verbo, vel facto offendi, conturbaui, vel moleſtaui, aut per malam vi-
tam ſcandalizaui, aut malum exemplum præbui, iterum atq; iterum dico culpam meam, & hu-
militer rogo vos omnes, & quemlibet veſtrum, vt mihi parcere dignemini. Recomendo au-
tem vos Deo omnipotenti, beatiſsimæ virgini Mariæ, beato Franciſco, & B. patri fundato-
ri veſtro Ioanni de Capiſtrano, vt vos conſeruare dignetur in ſancta vocatione & profeſsione
veſtra, viuendo in obedientia, paupertate & caſtitate, & in alijs bonis, & ſanctis ordinatio-
nibus, & inſtitutis veſtris: & præcipuè in ſanctiſsima oratione, quæ eſt clauis totius ſacræ Ob-
ſeruantiæ noſtræ, & qua perdita omnia alia euaneſcunt. Ego quocunq; iero ſemper vos omnes E
in corde meo portabo. Valete dulciſsimi & cordialiſsimi patres & fratres, & in orationi-
bus veſtris mementote mei. Ex hoc loco ſanctæ Radegundis die 22. Ianuarij 1468.

Poſt elapſum verò biennium, nempe anno Domini 1469. per mortem reuerendiſſimi patris fratris Baptiſtæ de Leuanto, Vicarij Generalis, (de quo ſupra) coactum fuit generale Capitulum patrum Obſeruantum Citramontanorum in inſula Biſentina Prouinciæ Romæ, inibiq; beatus pater Marcus à Bononia ſibi in Generalis Vicariatus officio, ſummo omnium conſenſu, ſuffectus extitit. Adfuerunt huiuſmodi Capitulo & duo huius Prouinciæ patres, fratres ſcilicet Ioannes de Miſna, & Franciſcus Budiſſeimus: iſtè quidem vt eius Diſcretus, ille verò vt Commiſſarius. Qui tamen vltimum inter om-

ter om-

A ter omnes vocales locum tenuerunt. His igitur duobus fratribus maximè ſolicitanti-
bus, decretum fuit à prȩfati Capituli patribus, vt Syleſiæ, Morauiæ atq; Boemiæ con-
uentus ad Prouinciæ honorem ſub Boëmiæ titulo promouerentur. Quamobrem vt pri-
mùm auctoritas præfato acceſſit decreto, miſſus fuit religioſus quidam pater frater Lu-
douicus in Commiſſarium, vt & Capitulum celebraret, & huiuſmodi Prouinciam eri-
geret. Qui tandem eò peruentus, præfato anno Domini 1469. die verò Septembris 17.
quæ ſacris Seraphici patris Franciſci ſtigmatibus dicata euaſit, Vratiſlauiæ Minoriti-
co in conuentu, iniunctum ſibi munus fideliſſimè eſt exequutus, ac eximiæ religionis
patrem fratrem Petrum de Balgothz in primū huius Prouinciæ Vicarium Prouincia-
lem elegit. Hunc poſtmodum reuerendiſſimus Rodulphus Vratiſlauienſis Epiſcopus,
ac apoſtolicæ Sedis Legatus, ex iniuncto ſibi à ſummo Pontifice munere confirmauit.
B Prodijt igitur nobis primùm hæc Prouincia Boëmiæ, quæ & ex 29. conuentibus olim
conſtans, octo tantùm imprȩſentiarum continet, anno Domini 1469. Cuius quidem
maius ſigillum beati patris Bernardini à Feltro, ſiniſtra crucis vexillum, atq; dextra me-
dium hominem, quod pietatis ſymbolum eſt, tenentis imaginem, atq; ſequentes literas.
SIGILLVM. MINISTRI. PROVINCIE. BOHEMIE. in orbem
imprimit. Quòd verò ſanctus Vinceſlaus Boëmorum aliquando Dux extiterit, ideo
hanc Prouinciam ei dicatā volui. His igitur de huius Boëmicȩ Prouinciȩ exordio, atq;
ſucceſſu vtcumq; prȩlibatis, reliquum eſt, vt ad cuiuſq; conuentus deſcriptionem, &
antiquitatem deueniamus: ſi tamen prius curioſum lectorem prȩmonuerimus, roga-
uerimuſq;, vt hoc noſtro qualicunq; labore contentus ſit, certòq; ſciat, nos non abſq;
maxima difficultate ea, quæ à nobis tum de ipſa Prouincia in communi, tum quoq; de
C eius conuentibus in particulari dicta ſunt, aſſequutos fuiſſe.

De conuentu S. Ambroſij Pragæ. Conu. I.

VARIA profectò, ſatiſq; diuerſa fuit præſentis conuentus viciſſitudo, cùm Pra-
gæ, quæ Boëmorum regia eſt, ſub inuocatione diui Ambroſij ex diuerſis fidelium
eleemoſynis, anno Dominicȩ Incarnationis 1460. erectus, omnibuſq; ſuis numeris
abſolutus, atq; ab huius Prouinciæ fratribus per octiennium pacificè occupatus, ab ijs,
ob iniurias atq; moleſtias ab hæreticis ſibi illatas, anno 1468. derelictus fuerit: atq;
Vladiſlao Boëmorum Rege, Polonorumq; Regis primogenito, id maxime ſolicitante,
anno 1482. quo & B. Bonauentura in ſanctorum numerum relatus eſt, & Sixtus IV.
Pontifex max. plura huic Prouinciȩ priuilegia edito diplomate impertitus extitit:
D denuò ab ijſdem reaſſumptus, ab ipſis tandem met fratribus ab hæreticis variè, mi-
rumq; in modum diuexatis, anno 1483. ſecundò deſertus extiterit. Nec tamen prȩ-
fatis fratribus ſecūdus receſſus vt primus contigit, cùm ille tutus omnino, iſte verò tur-
bulentus atq; periculoſus eis extiterit: Nam hȩretici, vt primùm Pragenſis ciuitatis con-
ſules, alioſq; aliquot ciues, atq; deuotiſſimum, nec non de noſtra Religione optimè me-
ritum Cahanem, huius conuentus Syndicum, ob Catholicȩ fidei confeſſionem trucu-
lentiſſimè necarunt, ad conuentum tumultuariè pergentes, & omnes eius officinas,
atq; reliqui ædificij partem ſolo æquarunt, & octo fratres eiuſmet accolas, opprobrijs,
iniurijs, atq; percuſſionibus ſaturatos, maxima vi, maximoq; furore è ciuitate eiecerūt:
parumq; abfuit, quin eorum omnium iugula mucrone reſoluerent.

E *De conuentu S. Bernardini Brunæ. Conu. II.*

PRÆSENS conuentus, beato patri Bernardino de Senis, Brunæ, quæ Morauiȩ ci-
uitas eſt, tum ex priuatis, tum quoq; ex publicis ciuium facultatibus, anno à par-
tu Virgineo 1451. ſatis eleganter erectus, adhuc per Dei gratiam perſeuerat, & à 12.
huius Prouinciæ fratribus inhabitatur. Qua etiam de cauſa plurium prouincialium co-
mitiorum celebratione inſignis eſt: In eo ſiquidem venerabilis pater, ac ſingularis eru-
ditionis frater Paulus de Morauia in Prouincialem huius Prouinciæ Vicarium, anno
Domini 1477. à patribus capitulariter congregatis electus fuit: atq; anno 1491. die ve-
rò menſis Martij 19. diem clauſit extremum. Fuit hic pater indefeſſus, atq; acerrimus
hæreticorum Huſſitarum, Beccardorumq;, de quibus etiam plurimas, eaſq; glorio-
ſas reue-

ſas reuexit victorias oppugnator, inſectatorq́; : Præterea & quatuor libellos, erroribus A
refertiſſimos, à ſciolo quodam Medico hęreſi infecto, nomine Georgio, editos, per Viennenſis almæ vniuerſitatis Theologos, anno Domini 1486. condemnandos, ignibusq́; tradendos curauit. Qua etiam de cauſa quodq́; diſertiſſimus atq; doctiſſimus eſſet, apoſtolicus Boëmorum Prędicator à ſummo Pontifice creatus extitit: Cuius deniq; corpus in huius loci eccleſia pręgrandi lapide tegitur. Fuerunt quoq; electi hoc in eodem conuentu in Prouinciales huius met Prouinciæ Vicarios venerabiles, atq; admirandæ religionis patres frater Alexander Iauorienſis, frater Ludouicus de Turre Prouinciæ S. Antonij alumnus, frater Antonius Luperchius, atq; frater Victorinus à Pruſia.

De conuentu S. Bernardini Vratiſlauiæ. *Conu. III.*

CONVENTVS hic, beato patri Bernardino de Senis ſacratus, atq; Vratiſlauię B quæ Syleſię ciuitas eſt, olim erectus, duplicem obtinuit ſedem: Nam anno reſtitutę ſalutis 1453. ex diuerſis ciuium eleemoſynis à fundamentis primò extructus, atq; opera doctiſſimi patris fratris Iacobi Glogouiani, qui anno Domini 1487. in Prouincialem huius Prouinciæ Vicarium electus fuit, poſt elapſos quindecim annos abſolutus, ad alium poſtmodum ſitum tranſlatus extitit. Qui tandem cùm per aliquot annos noſtris fratribus deſeruiſſet, atq; duplicis Capituli prouincialis, in quorum vtroq;, altero quidem anno Domini 1489. altero verò anno 1495. habitis venerabilis pater frater Antonius Luperchius in Prouincialem huius Prouinciæ Vicarium electus fuit, celebratione inſignis euaſiſſet, poſt aliquot annos elapſos, ab hęreticis, fratribus interim fuga ſibi conſulentibus, ſolo æquatus eſt. Hoc in ipſo conuentu reuerendiſſimus Ioannes Olomuczenſium Epiſcopus ex maxima in Deum pietate, atq; propriæ ſaluti conſulturus, ipſo die Pentecoſtes, anno verò Domini 1492. poſtquam coram frequentiſſimo populo in pontificalibus ſacris fuiſſet operatus, epiſcopali dignitati atq; cæteris mundi honoribus, non abſq; maxima omnium admiratione & ædificatione, vale dicto, Minoriticum habitum de manu patris ac fratris Alexandri Iauorenſis tunc Gardiani quàm humillimè ſuſcepit, atq; huic noſtræ philadelphiæ nomen dedit. Fuit tamen pientiſſimus hic Epiſcopus humanioribus, diuinisq́; literis apprimè eruditus, & aulicis in negotijs ſatis verſatus: quippe qui ſereniſſimi Vngarorum Regis Matthæi perſonam plurimis in comitijs præ ſe tulerit, atq; pro eodem tum apud Fridericum III. Germanorum Imperatorem, tum apud Francorum Polonorumq́; Reges, tum quoq; & apud plures alios Principes honorificis legationibus functus fuerit. Præterea diuitijs, atq; tum animi, tum quoq; corporis dotibus cæ- D teros omnes ſui temporis Germanos Epiſcopos longè anteiuit. Hoc tandem in conuentu mortem obijt, idq́; anno à Chriſto ſeruatore nato 1494. pijſſimus P.F. Alexander Iauorenſis (de quo ſupra) cuius manſuetudo atq; benignitas incredibiles fuêre. Polluit præterea religioſus hic pater conſilio, vnde & Prouinciæ Magiſter appellari meruit.

De conuentibus Conceptionis B. Virginis, atq; S. Bernardini Olomuczij. *Conu. IV. & V.*

OLOMVCZIVM epiſcopalis Morauię ciuitas eſt, olimq́; ſeraphicam noſtram Religionem omni beneficiorum genere, omniq́; humanitate atq; beneuolentia E proſequuta extitit: nam anno Domini 1453. duos conuentus, (de quibus impræſentiarum) alterum quidem immaculatæ Conceptioni Virginis glorioſæ propria inter ſepta, alterum verò, beato patri Bernardino de Senis aliquantulum à mœnibus ex communibus facultatibus erigendos, atq; huic Prouinciæ adijciendos curauit. Præfati tamen conuentus, hæretica prauitate ſupra modum in Boëmia graſſante, à ſanguinarijs, hęreticis diruti, ſoloq́; æquati ſunt: eorum interim fratribus hic inde diſperſis. Alter iſtorum conuentuum, nempe is qui Conceptioni Virginis glorioſæ dicatus erat, triplicis Capituli Prouincialis celebratione illuſtris fuit: in quorū altero, anno Domini 1485. celebrato eximiæ religionis pater frater Alexander Iouarienſis, Sed in eo, quod anno Domini 1492. habitum extitit, pręſtantiſſimus pater frater Paulinus Lembergetius

A bergetius in Prouinciales huius Prouinciæ Vicarios electi fuêre. Hoc in Capitulo vltimo, omni ſanctitate omniq; virtute prǽditus, pater frater Ioannes de Miſna (cuius aliquando meminimus) dum cæteris patribus, ex munere adeſſet, diem clauſit extremum, atq; prǽfato in conuentu Conceptionis beatę virginis honorificè tumulatus fuit.

De conuentu B. Virginis Mariæ Pilznæ. *Conu. VI.*

LICET Pilzna, Boëmiorum ciuitas, hæreticis circumquaq; obſideatur, hunc nihilominus conuentum, ſub glorioſiſſimæ Virginis tutela, ab antiquioribus ſuis accolis, anno Dominicæ natiuitatis 1460. à fundamentis ad vſq; apicem constructum, illæſum adhuc per Dei gratiam, atq; ab omni iniuria immunē conſeruat: inſuper & 12.
B fratres eius habitatores ſummis beneficijs, ſummoq; amore proſequitur.

De conuentu SS. Petri & Pauli Gogloviæ. *Conu. VII.*

GOGLOVIA ciuitas duplex eſt, maior ſcilicet & minor: vtraq; tamen Syleſiæ finibus circumſcribitur. Cùm igitur maioris Goglouię habitatores quendam conuentum, beatiſſimis Apoſtolis Petro & Paulo ſacrum, ex publicis facultatibus, anno à partu Virgineo 1465. erigēdum, huiusq; Prouincię patribus tradendum curaſſent, eum, quòd ciuitati, bello inter ciues atq; hæreticos exorto, nocumento eſſe poſſet, Ioannes de Sagano Dux per eoſdem fratres demoliendum, atq; ad terram deijciendum, anno Domini 1480. voluit. Pace tamen inter vtroſque anno Domini 1488. conſtituta, præfatus conuentus tum ex priuatis, tum quoque ex publicis ciuium facultatibus alio in loco commodiori, atq; tutiori, ſub eorundem Apoſtolorum tutela, reædificatus extitit, & à duodecim fratribus commodè ſatis inhabitatur.
C

De conuentu S. Barbaræ Oppaniæ. *Conu. VIII.*

DVM adhuc Oppanienſes in fidè à maioribus tradita conſtantes eſſent, Pontificisq; max. dictis audirent, Minoriticum conuentum, beatæ virgini & martyri Barbaræ ſacrum, intra Oppaniam communem ciuitatem, quæ in Morauiæ atq; Syleſiæ finibus ſurrigit, ex publicis prouentibus, anno Domini 1473. ſatis elègantér, ſatisq; comptè extrui, atq; Franciſcanis fratribus inſtrui curarunt. Sed huiuſmodi fide ex maxima animi leuitate relegata, ſacra prophanis miſcentes, & præfatum conuentum demoliti ſunt, & eius habitatores, qui frequentius erant 20. numero, loco deturbarunt, la-
D ceſſiueruntq;. Trina olim Comitia prouincialia hoc in ipſo conuentu celebrata fuêre, alia quidem anno Domini 1474. in quibus egregius pater frater Iacobus Glogouienſis, alia 1486. in quibus zelantiſſimus pater frater Paulus à Morauia, & alia anno Domini 1499. in quibus, omni religione & pietate prǽditus, pater frater Iacobus à Gruppia in Prouinciales huius Prouinciæ Vicarios electi ſunt.

De conuentu S. Franciſci Zinoimæ. *Conu. IX.*

DVM adhuc inter catholicos atq; hæreticos cruentiſſimum in Boëmia bellum ingraueſceret, conuētus hic, Seraphico patri Franciſco ſacratus, tum ex priuatis, tum quoq; ex publicis Zinoimenſium ſumptibus, ex apoſtolica tamen ſibi à Paulo II. Pont. max. facta facultate, anno à partu Virgineo 1470. Zinoimæ, quæ Boëmorum ciuitas
E eſt, extrui cœpit, breuiq; temporis interiectu abſolutus extitit. Licèt enim huius monaſterij fratres, qui frequentius ſunt 15. numero, maximis ſæpius periculis, ob Catholicæ fidei cauſam, expoſiti fuerint, nihil tamen detrimenti ex ſumma Dei opt. max. bonitate & miſericordia impræſentiarum vſq; perpeſſi ſunt. Duo prouincialia Comitia hoc in conuentu celebrarunt huius Prouinciæ patres, alia quidem anno Domini 1479. alia verò anno 1490. Sed in iſtis venerabilem patrem fratrem Antonium Gipetium, in illis verò præſtantiſſimum patrem fratrem Paulum à Morauia in Prouinciales Vicarios canonicè elegerunt. Contulit præterea, idq; prǽfato anno 1490. Innocentius VIII. Pont. max. huic Prouinciæ plura priuilegia, pluresq; fauores: apoſtolicum eius breue ab his verbis exorditur: Exponi nobis feciſtis &c.

De conuentu ſanctiſſimæ Trinitatis Ligenictij. *Conu. X.* A

CONVENTVS hic Ligenictij, quæ Boëmorum ciuitas eſt, anno à partu Virgineo 1475. ex publicis ciuium facultatibus, in ſanctiſſimæ Trinitatis honorem, erectus, omninoq; abſolutus, inſignis aliquando fuit celebratione vnius Capituli prouincialis, in quo religioſiſſimus pater frater Iacobus Gruppianus in Prouincialem iſtius Prouinciæ Vicarium, anno Domini 1500. euectus extitit. Sed (proph dolor) ita impræſentiarum hæreticorum opera deturbatus, deiectusq; iacet, vt conuentus faciem omnino immutarit, atq; in macerię cauernam tranſierit. Annumerandus venit hic locus alijs nouem, quos huius Prouincię patribus ex apoſtolica Sixti IV. Pont. max. auctoritate facta, pręfato anno 1475. in Syleſię, atq; Boëmiæ partibus erigere licuit. Vt autem huiuſmodi auctoritas omnibus in propatulo ſit, eam in medium adducere volui. Cuius deniq; ipſiſſima verba ſunt. Sixtus Papa, dilecti filij, ſalutem & apoſtolicam benedictionem: humilibus ſupplicationibus veſtris paternè in Domino annuentes, confidentesq;, quòd aſſiſtente vobis diuina gratia, lucrum animarum facere, & multos ab erroribus verbo reuocare poteritis, ex modo facultatem atq; licentiam per dilectum filium noſtrum Marcum ſancti Marci Presbyterum Cardinalem, Patriarcham Aquileienſem, cùm in partibus iſtis Legati de latere officio fungeretur, ſuper receptione decem locorum, ſeu terrenorum pro illis conſtruendis in Prouincia Boëmiæ, & in partibus Syleſiæ vobis datam, tenore præſentium auctoritate apoſtolica in omnibus & per omnia confirmamus: &, quatenus opus ſit, denuò huiuſmodi licentiam & facultatem damus, concedimus & elargimur. Eademq; auctoritate decernimus, vt in participando cùm hæreticis & excommunicatis, in diuinis præſertim, vbi illos non poteſtis commodè euitare, nullum conſcientiæ onus ſubeatis, nullasq; cenſuras eccleſiaſticas incurratis: ſententias quaſcunq; atq; cenſuras in ipſos hæreticos, quo ad vos dum taxat, ſuſpendentes, conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, & alijs in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunq;. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 29. Martij 1475. Pontificatus verò noſtri anno quarto. B C

De conuentu S. Crucis Niſſæ. *Conu. XI.*

QVOD hic conuentus, ſanctiſſimæ Cruci dicatus, atq; Niſſæ, anno Dominicæ Incarnationis 1475. ex publicis Niſſenſiū facultatibus erectus, ab hæreticis direptus deſtructusq; fuerit, vixq; eius ruinæ impręſentiarum perſeuerēt, nihil aliud ad his referre poſſumus, quòd videlicet duorum prouincialium Capitulorum celebratione inſignis aliquando extiterit: In quorum primo venerabilis frater Paulus à Morauia, annò Domini 1478. in ſecundo verò inſignis frater Paulinus Lembergetius, anno Domini 1491. in Prouinciales huius Prouinciæ Vicarios electi fuēre. D

De conuentu S. Barbaræ Oppoliæ. *Conu. XII.*

VT primum Oppolienſes apoſtolicam ab Eugenio IV. Pont. max. facultatem impetrarunt, hunc conuentum, B. Barbaræ dicatum, Oppoliæ, quæ Syleſiæ finibus excluditur, ex communibus facultatibus erigi fecerunt. Contigit autem id anno Domini 1473. Sed eorum ſucceſſores in hæreſim lapſi, quod illi piè præſtiterant, impiè ſatis, atq; contra omne fas, demoliti ſunt, & in cineres redegerunt.

De conuentu S. Nicolai Bithi. *Conu. XIII.* E

EANDEM penitus fortunam expertus fuit Minoriticus conuentus Bithi, quę Syleſiæ ciuitas eſt, in honorem S. Nicolai erectus: cùm à Catholicis Bithenſibus anno Domini 1453. eleganter ſatis, communibusq; ſumptibus erectus, ab eorum ſucceſſoribus, hæreſi tamen infectis, poſtmodum ad terram deiectus ſit.

De conuentu S. Mariæ Rozelij. *Conu. XIV.*

NEQVE hic conuentus Rozelij in honorem S. Mariæ virginis, anno à partu Virgineo 1453. conſtructus impias hæreticorum manus euaſit: cùm eorum opera poſtmodum ad terram deiectus, fratribusq; priuatus fuerit.

De conuentu

A

De conuentu S. Aegidij Clupſizij. Conu. XV.

CLVPSIZIVM Syleriæ oppidum eſt, intra cuius ambitum cùm Minoriticus quidam conuentus diuo Aegidio Abbati, anno à mundi redemptione 1453. ex publicis facultatibus à pijs Catholicisq; oppidanis erectus fuiſſet, à quibuſdam alijs alterius farinæ Clupſizienſibus, impijs omnino atque hæreticis, poſt elapſos aliquot annos, deſtructus, demolitusq; extitit.

De conuentu ſanctorum Viti & Modeſti Gemniczij. Conu. XVI.

B

INTER præcipuos huius Prouinciæ conuentus ſedem aliquando obtinuit hoc monaſterium, à fundamentis ad apicem vſq; ex publicis Gemniczienſium facultatibus Gemniczij, anno humanæ reparationis 1455. in honorem ſanctorum Viti & Modeſti, erectum, cùm duplex prouinciale Capitulum ſuſtinuerit: alterum quidem anno Domini 1471. in quo eximiæ religionis pater frater Iacobus Glogonienſis in Prouincialem huius Prouinciæ Vicarium electus fuit: alterum verò anno Domini 1496. in quo, conſimilis præcedenti, omnino pater frater Ambroſius Lembergetius ad eandem dignitatem, atq; ad eundem prorſus honorem, ne potius dicam onus, promotus extitit. Hic deniq; pater Ambroſius rediens ex generali Capitulo, Mediolani celebrato, Vincentiæ Minoritico in conuentu, anno Domini 1498. diem clauſit extremum.

C

De conuentu ſanctarum Mariæ Magdalenæ atq; Eliſabethæ Taccouiæ. Conu. XVII.

NON ita vulgares Deo opt. max. grates reddendæ veniunt, quòd præſens conuentus, SS. Mariæ Magdalenæ atq; Eliſabethæ ſacratus, & Taccouianæ ciuitatis, quæ Boëmiæ finibus excluditur, muris circumſcriptus, integer adhuc perſeueret, ſanguinariasq; hæreticorum manus euaſerit, cùm non paucæ ſibi inſidiæ ab illis ſtructæ fuerint. Fuit autem ex publicis Taccouenſium facultatibus à fundamentis ad verticem vſque conſtructus, idq; anno Dominicæ incarnationis 1466. atq; impræſentiarum à 15. fratribus commodè ſatis & pro voto inhabitatur.

D

De conuentu ſanctorum 14. Auxiliatorum Cadani. Conu. XVIII.

HOC ſacrum monaſterium 14. ſanctis Auxiliatoribus Cadani erectus, atq; à 15. fratribus per Dei bonitatem impræſentiarum vſq; inhabitatus, ex publicis Cadanenſium facultatibus, anno reſtitutæ ſalutis 1473. conſtructus perfectusq; extitit: idq; ex facta ſibi ab illuſtriſſimo Marco tituli ſancti Marci presbytero Cardinali, nec non & pro Sixto IV. Pont. max. apud Boëmos à latere Legato, facultate.

De conuentu omnium Sanctorum Gruppiæ. Conu. XIX.

E

CONSISTIT quoq;, (laus ſuperis) idq; piorum ciuium opera atq; ſolicitudine, & hic conuentus, omnibus Sanctis dicatus, atq; Gruppiæ ex publicis Gruppianorum facultatibus, ab anno Dominicæ incarnationis 1474. conſtructus, nec non & à 15. fratribus inhabitatus. Qui quidem ex auctoritate reuerendiſſimo Rodulpho, Vratiſlauienſium Epiſcopo, atq; apoſtolico Legato à ſummo Pont. Sixto IV. commiſſa, huic Prouinciæ acceſſit. Nec facilè quis referre poſſet, quos labores huius Prouinciæ fratres ſubeant, quantumq; eo in opere deſudent, vt Gruppianos, alioquin ſibi beneficos, in officio atq; in fide Catholica contineant.

De conuentu S. Georgij Glocſii. *Conu. XX.* A

SATISFACTVRVS venerabilis ac religioſiſſimus pater frater Paulus à Morauia pijs Glocſienſium votis, hũc conuentum, diuo Georgio martyri ſacrum, ex eorundem facultatibus Glocſij, quod Boëmorum oppidum eſt, anno à mundi redemptione 1475. ædificandum curauit, ad eumq́; fratres numero 15. qui tum verbo, tum quoq; exemplo fideles in omni pietate atq; religione inſtruerent, cùm primùm tranſmiſit. Hæreſi tamen iſtis in partibus mirum in modum graſſante, ſanguinariorum hæreticorum rabiei, atq; furori præfatus hic conuentus ceſſit: Quo deniq; factum eſt, vt fratribus impræſentiarum deſtituatur.

De conuentu ſanctiſſimæ Trinitatis Teſthenij. *Conu. XXI.* B

AEDIFICATVS fuit hic conuentus, ſanctiſſimæ Trinitati dicatus, intra Teſthenium Syleſiæ oppidum, anno à partu Virgineo 1476. idq́; ex publicis Teſthenienſium facultatibus atq; opera venerabilis, præſtantiſſimiq́; patris fratris Iacobi Gruppiani. Sed cum per aliquot annos 18. huius Prouinciæ fratribus pro voto deſſeruiſſet, ab impijſſimis tandem hæreticis in nihilum redactus eſt.

De conuentu S. Catharinæ Nouæ domus. *Conu. XXII.*

NEC latum vnguem vſq; impræſens per Dei gratiam Nouę domus, quod Boëmorum oppidum eſt, habitatores à pijs parentibus degenerarũt, cùm præſentem conuentum ſub beatæ Virginis & martyris Catharinæ tutela ab illis, anno Dominicæ Incarnationis 1475. erectum illæſum, omniſq́; hęreticorum iniuriæ expertum, in hanc vſq; diem conſeruent, atq; 12. fratres eius incolas ſummo affectu, ſumma beneuolentia, ac ſummis deniq; beneficijs proſequantur. C

De conuentu B. Mariæ atq; S. Andreæ Iauorij. *Conu. XXIII.*

LONGE aliter profectò huius noſtri temporis Iauorenſibus, quàm Nouæ domus accolis contigit: cùm iſti traditam à parentibus fidem impræſens vſq; mordicus teneant, & Minoriticum conuentum ab illis (vt præfati ſumus) ab antiquo ædificatum conſeruare, atq; ab omni iniuria tutari adnitantur: iſti verò & monaſterium glorioſæ Virgini Mariæ, atq; diuo Andreæ Apoſtolo Iauorij, quæ Syleſiæ ciuitas eſt, à ſuis prædeceſſoribus, anno Domini 1489. non minus piè, quam religioſè erectum, omnino profanauerint atq; ad terram deiecerint, nec non & Catholicam fidem, ſibi ab ijſdem ſummopere commendatam, deſerentes impię hęreſi, ex quadam animi inconſtantia, adhęſerint. D

De conuentu Aſſumptionis B. Mariæ Bechinæ. *Conu. XXIV.*

PRÆSAGIRE ſanè videbantur patres Bechinenſium leuitatem atq; inconſtantiam, cùm conuentum ab illis in Aſſumptionis B. Virginis honorem Bechinę, quę Boëmorum ciuitas eſt, communibus ſumptibus ędificandũ eo in prouinciali Capitulo, quod Zinoimę, anno Dominicę Incarnationis 1490. celebrarunt, pro viribus acceptare renuerent: Nam pręfatus conuentus, qui & anno Domini 1491. perfectus, & à 15. fratribus inhabitatus extitit, ab ijſdem Bechinenſibus hæreſi infectis, pulſis interim religioſis, non ita poſt multum temporis ad terram deiectus fuit. E

De conuentu S. Mariæ de deſerto Recſedorfii. *Conu. XXV.*

EO in ipſo anno, quo eximię ſanctitates pater frater Chriſtophorus à Variſio, B. patris Ioannis Capiſtrani olim ſocius, atq; vnus ex fundamentalibus huius Prouincię lapidibus Mediolani in conuentu S. Angeli viam vniuerſę carnis ingreſſus eſt, nempe anno à partu Virgineo 1491. præſens conuentus, glorioſiſſimę Virgini Marię de Deſerto ſacratus, à Recſedorfianis longiuſculus à Recſerdoſio Syleſię oppido ex communibus

A nibus facultatibus ædificatus,atq; à venerabili patre fratre Alexandro Iouarenſi,ex pa-
tris Vicarij Prouincialis commiſſione, admiſſus, nec non & à 18. huius Prouinciæ fra-
tribus inhabitatus fuit.Sed (proh dolor) poſt elapſos aliquot annos,à nouatoribus qui-
buſdam hæreticis pro maiori parte dirutus extitit. Qua tandem de cauſa pauperculi
fratres fuga ſibi conſulentes ad alia huius Prouinciæ loca declinarunt.

De conuentu S. Venciſlai Rattiboriæ. *Conu. XXVI.*

PRÆSENS conuentus,ſancto Venciſlao inclyto Boëmorum Duci, cui tanquam
eius patrono hanc Prouinciam ſtatuere voluimus, Rattiboriæ,quod Syleſiæ oppi-
dum eſt, ex communibus Rattiborienſium, Catholicorum tamen, facultatibus, anno
B reſtitutæ ſalutis 1491. à fundamentis ad apicem vſq; ædificatus, atq; ab huius Prouin-
ciç patribus in Capitulo Raedichij eodem anno celebrato admiſſus, religioſiſq; inſtru-
ctus à quibuſdam alijs Rattiborienſibus hæreſi intinctis, non ita poſt multum tempo-
ris ab eius conſtructione, ad terram deiectus, profanatuſq; extitit.

De conuentu B. Mariæ Raedichij. *Conu. XXVII.*

QVOD olim, nempe anno Domini 1491. reuerendiſſimus Ioannes Olmucſen-
tium Epiſcopus, qui & relicta epiſcopali dignitate in Franciſcanam (vt ſupra
meminimus) tranſijt Religionem, alijq; quàmplures Raëdichiani,non minus libera-
liter quàm piè,præſtiterant, id impij quidam eiuſdem nationis,ſed non eiuſdem farinç
hæretici tyrannicè abſtulêre. Ædificarant ſiquidem illi Raëdichij, quæ Morauiæ ci-
C uitas eſt, conuentum, (de quo impræſentiarum) Deiparæ Virgini ſacrum, eumq; fra-
tribus inſtruendum curarunt:atqui iſti & fratres opprobrijs prius ſaturatos inde expu-
lerunt, & ipſum conuentum profanis vſibus manciparunt.

De conuentu S. Michaelis Horaeſdiouicſij. *Conu. XXVIII.*

NEQVE hic conuentus, Archangelo Michaëli dicatus, atq; Horaeſdiouicſij,
quod Boëmorum oppidum eſt elegantiſſimè olim conſtructus, impias hæretico-
rum manus euaſit: cùm ex catholicorum præfati oppidi incolarum eleemoſynis atq;
liberalitate, anno Dominicæ natiuitatis 1492. à primo ad vltimum vſq; lapidem ædi-
ficatus, à ſacrilegis quibuſdam eiuſdem oppidi hæreticis, poſt vnam vel alteram an-
D norum decadam, deſtructus, atq; ad terram deiectus fuerit.

De conuentu S. Annæ Camecſij. *Conu. XXIX.*

NEC tantillum à propoſito Camecſiani deſtitêre. Cùm enim ipſis inuitis, ac ma-
ximè contradicentibus, (guſtarant ſiquidem poculum ſibi ab hçreticis propina-
tum) Vladiſlaus Boëmorum Rex pijs Reuerendiſſimi Ioannis Olomucſenſium olim
Epiſcopi, ac tunc temporis Franciſcani, ſuaſionibus atq; votis acquieſcens, Minoriti-
cum conuentum Camecſij, quod Syleſiæ oppidum eſt, anno Domini 1492. ædifican-
dum decreuiſſet, curaſſetq;; vt primum hæreticorum res iſtis in partibus proſperari cç-
E perunt, illi & 20. fratres eius accolas, omni dicterio, ſcommate, atq; conuicio pro-
ſequuti ſunt, indeq; eiecerunt, & ipſam conuentum pro maiori parte dirutum in pro-
prium vſum conuerterunt.



PROVINCIA

PROVINCIA POLONIAE.

A BEATVS Ioannes Capiſtranus cùm apud Boëmos & Auſtriacos ex ſuis feruentiſſimis concionibus vberrimos fructus reportaſſet, multaq; præclariſſimè egiſſet, Cracouiam Polonici Regni ciuitatem, aliarumq; principem, atq; regiam, anno Domini 1453. accitus ab Illuſtriſſimo Sbigneo, Cracouienſi Epiſcopo, ac S.R.E. Cardinali, ſe contulit: Cui ante ciuitatis ingreſſum à ſereniſſimo Caſimiro, Polonorum Rege, eiusq; matre Regina Sophia, à Cardinali præfato, à clero, ab aulicis, ac ab vniuerſo denique Cracouienſi populo, cum maxima pompa obuiam itum eſt; atq; ſic honorificentiſſimè introducto, ac in foro, & hyberno tempore in ſacra æde S. Virginis Mariæ ſuggeſtu erecto, quotidie per interpretem ad populum conciones habebat. Talis igitur tantusq; fructus ex pio huiuſmodi exercitio Dei Eccleſiæ obuenit, vt nobiles, cæteriq; Cracouienſes, antiquis moribus reformatis, taxillos, aleas, globulos, & alia id genus multa, quibus ludere, tem-
B pusq; inaniter conterere aſſueuerant, in publico foro ingenti erecta, accenſaq; pyra, vulcano tradiderint. Et quid mirum: cùm beatus is pater plures infirmos à diuerſis languoribus ſigno crucis coram illis curauerit? pluribusq; cœcis viſum, ſurdisq; auditum reſtituerit? ac plurimos dęmoniacos, eodem prorſus antidoto vſus, ab immundis ſpiritibus liberauerit? Vnde meritò quàmplurimæ litere à Rege, alijsq; Polonorum proceribus, poſt eius obitum, tum ad ſummum Pontificem, tum quoq; ad Cæſaream maieſtatem de eius vita, atq; miraculis datæ ſunt: Quibus illos rogatos volebant, vt tantus pater ſanctorum catalogo aſcriberetur. Aſſeruantur præfatæ literæ in ſacello, quod ſibi in Minoritico ſancti Franciſci conuentu, prope Capiſtranum, Brutiorum oppidum, erectum eſt. Id quoq; boni ex doctiſſimis beati eiuſdem patris prædicationibus, ſanctiſſimisq; adhortationibus acceſſit, vt centum Poloni infra id tempus Franciſcanum habi-
C tum induerint: Vtq; præfatus Cardinalis Sbigneus Minoriticum locum ſibi ſuisq; fratribus Cracouiæ erigendũ curauerit. Quo facto plurimorum nobilium animos ad idipſum alijs in locis præſtandum excitauit: huicq; Prouinciæ Poloniæ, ex 26. fratrum conuentibus modò conſtanti, initium dedit. Cuius ſigillum maius glorioſam Virginem Mariam ſtantem, dexteraq; puerulum Ieſum ſuſtinentem, atq; ſolaribus omnino radijs amictam, cum his literis: SIGILLVM. MINISTRI. PROVINCIE. POLONIE. circulariter imprimit. Si quis autem ſcire deſiderat, quare nos ſanctum Staniſlaum huic Prouinciæ præferendum curauerimus, id referat reſponſum: quia is ſanctus in peculiarem patronum, aduocatumq; à Polonis electus, ſingulari quodam honore ab iiſdem colitur. Quoniam verò (vt pium lectorem præmonuimus) nobis has regiones luſtrare minimè licuit, atq; is pater, cui deſcribendæ huius Prouinciæ munus demandatum fuerat, neſcio qua ratione ductus, quàm plurima notatu digniſ-
D ſima prætermittere voluit, hæc pauca à nobis non absq; labore ſelecta, atq; hîc annotata, quisquis ille ſit, vt gratanti animo excipiat, boniq; conſulat obſecramus.

De conuentu S. Bernardini Cracouiæ. Conu. I.

PROSEQVEBATVR illuſtriſſimus Cardinalis Sbigneus beatum patrem Iohannem Capiſtranum, eiusq; fratres maxima humanitate, maximaq; beneuolentia: inſuper & locum aliquem illis Cracouiæ erectum cupiebat: idq; ſuis tantùm impenſis. Quamobrem obtenta, anno à Chriſto nato 1454. ab eius fratre germano, illuſtriſſimo ſcilicet Ioanne de Oleſzaieza, Palatino Sandomirienſe, intra Cracouienſis præfatæ ciuitatis mœnia, ſufficienti area, ligneam eccleſiam ex tempore, opere ſatis tumultuario, (timebat ſiquidem pientiſſimus præſul ne tanta occaſio è proprijs manibus,

bus, idipſum plurimis alijs præſtare affectantibus, elaberetur) ibidem ædificandam,ac iacto ſtatim fundamento,chorum ex coctili latere perficiendum curauit.Cui,tamen reliqui operis abſolutionem meditanti, immatura mors obſtitit. Quapropter deuotus loci procurator, nomine Martenbelſius eccleſiam ſuis ſumptibus, & fratres conuentum, ex eleemoſynis, ſumma liberalitate ſibi à Cracouienſibus collatis, conſtruxêre. Nam Dugloſſius cui à moriente Cardinali ex teſtamento iniunctum fuerat, vt ex relicta hæreditate quicquid deſiderabatur perficeret:nihil minus ab eius vltima voluntate(quantum ad hoc ſaltim) exequenda curauit: Satis interim ſibi fore exiſtimans, ſi alias eccleſias, piaq; loca erigeret: prout & fecit. Antiquior tamen lignea eccleſia à præfato Cardinale, antequam è viuis excederet,in honorem beati patris Bernardini conſecrata extitit. Suſceperat ſtatim ab ingreſſu Cracouienſi beatus pater Capiſtranus ad Ordinem duos fratres germanos, patria Cracouienſes, atq; ſanguine illuſtres: quorum alteri Albertus,alteri verò Cluniacus nomen fuit: Cumq; eorum communis,naturaliſq; pater Albertum lacrymis, atq; blanditijs à Religione euocatum,Cluniaco interim in propoſito perſeuerante, ſeduxiſſet: prophetico beatus pater Capiſtranus ſpiritu Alberto plurimas miſerias, atq; calamitates imminentes, & patri miſeram, violentamq; mortem breui ſequuturam, ſed Cluniaco perſeuerantiam, maximamq; animi quietem ob factum prædixit. Quod & rei euentus comprobauit: Nam Cluniacus per triginta annos & vltra, ad vltimum vſq; vitæ finem, ſanctiſſimè noſtris fratribus conuixit: & pater miſerè in Pruſſia,ante elapſum annum, interemptus, & Albertus ſumma ægeſtate, ſummiſq; infortunijs, quoad vixit, agitatus fuit. Iiſdem quoque temporibus beatus idem Capiſtranus Caſimiro Polonorum Regi conſuluerat, vt ſi rebus ſuis proſpectum cuperet, Iudæos, quibus maximè fauebat, longius ablegaret, ſuiq; Regni finibus excluderet: Quem tamen tanti patris ſana conſilia paruipendentem plura incommoda, intra breuiſſimi temporis ſpatium, ſequuta ſunt: Nam Prutenis fortiſſimis eius militibus ab hoſte iuxta Choijniczam ſuperatis, fereq; deletis, tum ipſe Rex, tum quoque reliquus exercitus diſperſus, atque fugatus, diſſolutis interim omnibus ordinibus, fuga ſibi conſulere coacti fuêre. Et circa Vratiſlauiam conſimilem ferè cladem illorum vterq; expertus eſt. Eodem quoque tempore, anno ſcilicet Domini 1454. cùm maxima lis, atq; contentio inter præfatum Sbigneum Cardinalem, atq; reuerendiſſimum Ioannem Sirotoſlium, Gneznenſem Archiepiſcopum, ob ſacramenti adminiſtrationem, (erat enim Caſimirus Rex ducturus in vxorem coram vniuerſo Cracouienſi populo ſereniſſimam Reginam Eliſabetham, contendebatq; præfatorum Antiſtitum vterq; ad ſe huiuſmodi ſacramenti adminiſtrationem pertinere) exorta eſſet de Regis, & vtriuſq; Præſulis, ac reliquorum procerum conſenſu huiuſmodi functio beato patri Ioanni Capiſtrano, tanquam apoſtolicæ Sedis Legato, demandata extitit. Cumq; illæ Polonicę linguæ ignarus id exequi non poſſet, ſuas vices illuſtriſſimo Cardinali commiſit: Qui, vt tanti patris interpres, Regem Reginæ ſacramentaliter coniunxit, & Gneznenſis Archiepiſcopus id æquo animo ferens, Miſſam de ſpiritu ſancto coram ſponſis, reliquoq; cœtu, ſolemniſſimè celebrauit. Quo & vniuerſa digladiatio euanuit, & circumſtantibus ſatisfactum extitit. Sepulti iacent hoc in loco deuotiſſimi patres Leonardus, vir vtiq; ſanctiſſimus, apprimeq; doctus, ac omni virtutum genere ornatus, qui Guardianus hoc ipſo in conuentu exiſtens Tertiariam ſororem Franciſcanam ob oculi cœcitate, ſuis ad Deum precibus, liberauit, & minimum quadrantem in hac lacrymarum valle exoluiſſe piè creditur: Et pater Simon à Lipnicza, pudiciſſimus, humillimus, abſtinentiſſimus, atq; dulciſſimi nominis Ieſu admirabilis cultor, & prædicator: cuius gratia, vti alter beatus pater Bernardinus de Senis, cauillationes, & impoſturas perpeti meruit. His venerabilis pater Hieroſolymam peregrinationis cauſa petiturus, Franciſcanam Regulam, cuius zelantiſſimus fuit, memoriter didicit, vt ſi fortè manu ſcriptam, quam ſecum ſemper habebat,ſępiuſq; lectitabat, ſibi à Saracenis auferri contingeret, altera in memoria ſculpta ſupereſſet, ad quam, tanquam ad lydium lapidem ſuas actiones probaret. Mortuus tandem miraculis coruſcare cœpit: Nam iuuenem ſibi ex voto oblatum, è mortis amaræ faucibus erutum, ſanitati reſtituit: & puellam à nolente patre caſu occiſam, atq; eius ſepulchro expoſitam, ad

A tam, ad vitam reuocauit: plura alia beneficia, quæ omnia libello manu ſcripto commendata ſunt, Cracouienſibus præſtitit. Quibus eius ſepulchrum, ante ſummum huius ſacræ ædis altare ſitum, commendatiſſimum eſt: Et frater Alexius laicus: cuius tanta fuit abſtinentia, vt ſemel tantùm in hebdomada cibum admiſerit: tantaq; in oratione perſeuerantia, vt quicquid ſibi ab incumbente munere ſupererit, id totum in ea inſumpſerit. Commorantur hoc in conuentu frequentius 100. fratres.

De conuentu S. Annæ Vuarſſauiæ. *Conu. II.*

INVITARAT Caſimirus Rex ad eius nuptias illuſtriſſimam, atq; deuotiſſimam Annam, Maſſouiæ Duciſſam, quæ ſacris beati patris Ioannis Capiſtrani aſſueta concionibus maximam de Franciſcana Religione deuotionem concepit. Quamobrem
B Regi Caſimiro, eiusq; ſponſæ Eliſabethæ, atq; matri Sophiæ (de qua paulo ſuperius) Vuarſſauiam repetitura vale prius dicto, 6. fratres à præfato beato patre Ioanne, qui erigendo à ſe conuentui inuigilarent, Vuarſauienſiq; populo Dei verbum proponerent, impetrauit: quos & itineris comites habere voluit. Ad deſtinatum igitur locum appulſa, & aëram, Vuarſſauienſibus muris cinctam, ad futurum opus contulit, & conuentum ſimul atq; eccleſiam ex lateribus, magnificè ſatis pro illius temporis exigentia, ſuis ſumptibus, eodem anno Domini 1454. ſuperædificauit, eiusq; eccleſiam in ſepulturam elegit. Cumq; vniuerſum ædificium, poſt 60. annos elapſos, fortè fortuna flammæ, igniq; cum maiori ciuitatis parte ceſſiſſet, à præfatæ Duciſſæ Annæ nepotibus, chorus verò à reuerendiſſimo Ioanne Lubranskio Poſnanienſi Epiſcopo, ſed quod reliquum fuit conuentus, & officinarum à fratribus ipſis ex pijs Vuarſcouien-
C ſium eleemoſynis, reædificata fuêre. Inter reliquos præſtantiſſimos patres, qui pro cęlo terrena hoc in loco commutarunt, longè emicuêre venerabilis pater, ac omni ſanctitate conſpicuus, pater inquam Ludouicus de Varka, diſertiſſimus prædicator: Qui in ſuæ inculpatæ vitæ teſtimonium, ſtatim à deceſſu pellificem quendam miſerum, qui proprium guttur deſperationis baratro immerſus, veru, vt animam Satanæ traderet, transfixerat, atq; ad cor reuerſus ſe ex intimo animi affectu tanti patris precibus commendarat, iam animam agentem, atq; ad eius ſepulchrum allatum, ex tempore curauit & è mortis manibus eripuit: Et honeſtam matronam grauiſſima pedum infirmitate correptam, cùm primum illa viſitando eius ſepulchro votum emiſiſſet, à tanta afflictione liberauit. Plura quoq; miracula edidit beatus hic pater, quorum inſignia eius tumulum aliquando exornarunt: Et beatus pater Ladiſlaus à Gelnono, natione Pan-
D nonius; vir etiam ſanctiſſimus, atq; inſignis concionator: Qui Scytis ferociſſimis (quos vt compatriotas habebat, cùm ex illis Pannonij originem ducant) catholicam fidem prædicaturus, non timuit vſq; ad Moſchouiæ regiam penetrare, eoq; in itinere, in quo & mortuum aſellum, deferendis ſarcinulis deputatum, ad vitam ſuis precibus reuocauit, plura opprobria, plurimasq; moleſtias ferre: Ab eo tamen propoſito exequendo per magnum Moſchouitarum Ducem Schiſmaticum, cui Scytæ parent, prohibitus eſt. Plura præterea alia miracula, quorum tabellæ, in circuitu ſepulturæ ipſius appenſæ, adhuc conſpiciuntur, & plura opuſcula, eaq; deuotionem excitantia, atq; pietatem, tum Latino, tum quoque Polonico ſermone: nec non & ſequentes rithmos.

Anno Chriſti milleno quadrin: ſexin: ſecundo,
Ad vincula ſancti Petri accepi vincula clauſtri,
E *Me Petrus genuit in Gelnono, Petrus & almus*
Clauſtro me clauſit, vinclaq; mea tulit,
Grates Deo reddo, cantando cum Citharista:
Dirupiſti mea vincula, alme Deus,
Gratia ſit miſero, vt perſoluam vota mea,
Vt benè perſoluam, gratia ſit miſero.

propriam conuerſionem, propriamq; vitam concernentes edidit: Et beatus frater Nicolaus à Coſtikio, profeſſione quidem laicus, ſed moribus, ac ſanctitate illuſtris: Qui ob profundiſſimam eius humilitatem, atq; ſimplicitatem paſſer ab omnibus paſſim appellitabatur: Quiq; poſt mortem fratrem quendam ab epilentico morbo, quo grauiſſimè torquebatur,

torquebatur, liberauit: & alium fratrem Aegidium nouitium de profeſſione, ob grauem pedum infirmitatem omnino, contradicentibus fratribus, deſperantem, etiam à tanta afflictione exemit: & alia quàmplurima miracula fecit. Manent hoc in loco commodè ſatis 50. fratres, quorum bona pars ad nouitios ſpectat. A

De conuentu S. Franciſci Poſnaniæ. *Conu. III.*

CRESCENTE indies populi ad fratres noſtros deuotione, venerabilis pater frater Gabriel Veronenſis, qui beato patri Capiſtrano ex Italia in Poloniam vſq; congreſſus fuerat, tria ſibi oblata à diuerſis ſenatibus, anno Domini 1457. loca infra vnam tantùm hebdomadam acceptauit: Alterum quidem Poſnaniæ, (de quo impræſentiarum), alium verò Coſtenij, & alium Frauſtatij, de quibus paulò inferius. Sed qui Poſnaniæ ſurrigit plures ſui authores habuit: Nam fundum cui ſuperædificatus exiſtit, deuotus Poſnanienſis ciuis Matthias Czarnius ſumma liberalitate contulit: eccleſiam B verò reuerendiſſimus Andreas, Poſnanienſis Epiſcopus, conſtruendam curauit. Atqui clauſtrum, & quod ædificij reliquum eſt, eiuſdem ciuitatis Poſnaniæ ciues, primò quidem ex aſſeribus, ſed poſtmodum ex cocto, firmoq; latere erigi fecerunt. Cùm autem eſſet hic locus omnium malorum ſentina, innumeras impoſturas, plurimaq; improperia pauperculi fratres à ciuibus, Satana id procurante, paſſi ſunt, patientiſſimeq; ſuſtinuêre. Quibus nihilominus inuidens inimicus ipſe homo, ſæpè ſæpius quibuſdam lotricibus, iuxta hunc locum, in fratris forma pleno die apparuit, atq; eas ad illicitum concubitum, poſt plura obſcœna verba, verendorumq; nuditatem, tum pollicitationibus, tum quoq; perſuaſionibus ſolicitauit, vt vel ſic fratres redderet exoſos: Cumq; illę deuoto cuidam Andreę Reijo, huius loci Guardiano, hominis impudicitiam retuliſſent, iuſſit is omnes ſibi ſubditos fratres ad ſe venire, vt tanti facinoris perpetrator, per C earum inſinuationem deprehenſus, iuſtas commiſſi ſceleris pœnas daret. Sed cùm is nullo pacto comparuiſſet (quonam modo Belial inter Angelos lucis comparêre auſus eſſet?) conſuluit Guardianus mulierculis, vt ſi iteratò ille adeſſet, taliaq; perpetraret, appræhenſum ad ſe deducerent, vt iuxta condignum plecteretur. Apparet denuò, eademq; nefanda repetit: vtq; primò lotrices extenſa manu eum tenere volunt, in aſinum conuerſus cum maximo cachinno, atq; fœtore, ſtupentibus illis, proximæ aquæ inſilijt, ſtatimq; diſparuit. Quo euentu non modica laus fratribus, aliâs eapropter malè audientibus, acceſſit. Diem clauſerunt extremum hoc in loco, à 60. fratribus vt plurimum inhabitato, venerabilis pater frater Nicolaus à Coſlicio, diſertiſſimus prędicator, atq; ſinceriſſimus vir, miraculiſq; poſt mortem clarus: qui ſepulturam in horto, iuxta antiquiorem beatæ Annæ ædiculam, cùm adeptus eſſet, eius oſſa ad eccleſiam D tranſlata, atq; honeſtiſſimo loco recondita ſunt: Et frater Michaël Cantor qui ob vitę integritatem, candidiſſimosq; mores, vltimum ſui exitus diem multò ante noſſe meruit, confratribusq; prædixit.

De conuentu Aſſumptionis B. Mariæ Coſtenij. *Conu. IV.*

COSTENIENSIS ſenatus, vt primùm fratrum noſtrorum famam audiuit, ne fortè ab alijs præuentus, earum præſentia carere cogeretur, à præfato patre fratre Gabriele Veronenſi ſummis precibus obtinuit, vt Minoriticum conuentum ſibi, ſuiſq; fratribus à ſe Coſtenij, quæ Polonorum ciuitas eſt, ædificandum acceptaret. Quo deniq; annuente, emptam aream in iuſtum monaſterium, in quo 20. fratres conuiuunt, E ex publicis facultatibus, promouendam, fratribusq;, quibus neceſſaria ſumma liberalitate miniſtrat, inſtruendam curauit. In cuius eccleſia venerabilis pater Bernardinus, vir vtiq; caſtiſſimus, ac ſummè religioſus, nec non & Dæmonibus, ob eius ſanctimoniam, omnino formidabilis requieſcit.

De Minoritico conuentu Frauſtatij. *Conu. V.*

COSTENIENSIVM pietatem ſectantes Frauſtatiani, quibus ſumma beneuolentia, ſummusq; affectus ad nouellum Ordinem Franciſcanum, ſed Obſeruantem, erat, hoc monaſterium, quod 20. fratribus commodum præbebat hoſpitium, eius

alumnis

A alumnis Fauſtatij, quæ Poloniæ ciuitas eſt, ex præfati patris Gabrielis Veronenſis vo-
to, ædificandum curarunt. Quod tamen in fauillam, ex inopinato quodam caſu, re-
dactum, habitatoribus modò caret. Affulget tamen eius reędificandi aliqualis ſpes, ci-
uium interim animis in noſtros fratres propenſis.

De Minoritico conuentu Cobilini. Conu. VI.

CVPIEBAT ſummoperè pater ac frater Gabriel Veronenſis, (cuius ſupra me-
minimus) probris quibuſdam ciuibus Cobilinenſibus id maximè ſolicitantibus,
locum ſuis fratribus Cobilini erectum. Cui tamen ne votum aſſequeretur, tum reue-
rendiſſimus Ioannes Szironeſlius, Gneſnenſis Archiepiſcopus, cui Cobilinum in ſpi-
B ritualibus parebat, tum quoq; reliquum canonicorum collegium obſiſtebant. Cùm
autem venerabilis pater frater Climacus, cum ſibi vterino fratre Alberto, qui Mino-
riticum habitum iam exuerat, patriq; interempto, iuxta beati patris Ioannis Capiſtra-
ni vaticinum, in hęreditate ſucceſſerat, ac communi matre adhuc ſuperſtite, pro patre
Gabriele, quatenus voti compos efficeretur, intercederent, præfati Archiepiſcopus,
atq; canonici, mutata priori ſententia, & aſſenſum ad huiuſmodi ædificandum con-
uentum præbuerunt, & ſitum non procul à matrice Cobilinenſi eccleſia, non minus
liberaliter quàm piè elargiti ſunt. Contigit autem id circa annum Dominicæ natiuita-
tis 1478. Impetratis igitur pro deſiderio & conſenſu, atq; etiam ſitu, poſt redditas
de ciuili more gratiarum actiones, præfatus pater Gabriel Veronenſis, Minoriticum
hoc monaſterium, ab 18. fratribus inhabitatum, ex diuerſis tum publicis, tum quoq; pri-
C uatis Cobilinenſium eleemoſynis, honeſtè ſatis conſtruendum curauit. Quam tandem
conſtructionem Sixtus IV. Pont. max. diplomate, quod à fratribus coſtoditur, ratam,
firmamq; habuit. Hoc in loco Cobilinenſi, honeſto tumulo eius oſſa excipiente, re-
quieſcit ſummæ ſimplicitatis, ac profundiſſimæ humilitatis pater frater Iuſtinus: Cui
Chriſtus dominus paulò ante mortem apparens bono animo eſſe præcepit: quando-
quidem ſe in exantlatorum laborum præmium habiturus eſſet.

De conuentu S. Mariæ ad Niues Tarnouiæ. Conu. VII.

CVM enim aliquot patres noſtri Ordinis Obſeruantes, ex ſuperiori Germania
oriundi, à Caſimiro Poloniæ Rege ædificandorum ſibi conuentuum in Pruſſia fa-
D cultatem petijſſent, idq; minus inpetraſſent, in exorbitantia quædam verba prorupe-
runt. Quamobrem ex mandato regio toto Poloniæ regno quotquot erant Teuthones
fratres eiecti, atq; propria remeare coacti ſunt. Quo & factum eſt, vt plures deuoti Po-
loni ſuis conterraneis, quibus nulla intercedit cum Germanis neceſſitudo, conuentus
apud ſe erigerent. Inter hos autem fuêre pientiſſimi Ioannes Amor à Tarnouia, ac
vterinus eius frater Raphaël à Tarnouia Cracouienſis eccleſię canonicus: qui Tarno-
uiæ, quæ Poloniæ ciuitas eſt, hoc Minoriticum monaſterium, circa annum à partu
Virgineo 1480. ex domeſticis, communibuſq; facultatibus erigi, perficiq; fecerunt:
fratribuſq; eius accolis, qui frequentius ſunt 22. numero neceſſaria, quoad eis vita co-
mes fuit, ſumma liberalitate, ſummoq; affectu miniſtrarunt. Huic mortali vitæ vlti-
mum hoc in loco vale dixit maximæ expectationis iuuenis, ac frater Victorinus, diaco-
E nio tantùm initiatus: Qui cùm eſſet ditiſſimus, nobiliſſimus, atq; vnus ex primoribus
Regni Polonici proceribus, his omnibus ſpretis, Minoriticum habitum pro Chriſti
amore induit, in eoq;, quamdiu vixit, adeò profecit, vt omnes ſuos confratres coëta-
neos longè ſuperarit, ac tandem vita functus, cum ſanctis (vt piè creditur) lucidas ſe-
des petierit, acceperitq;.

De conuentu S. Bernardini Lublini. Conu. VIII.

PRÆFATO venerabili patri fratri Gabrieli Veronenſi, huius tunc exorientis
Prouinciæ Vicario, fundus ad vnius Minoritici conuentus ædificationem, à perde-
uoto

uoto quodam Doctore liberaliſſime collatus cùm fuiſſet, præmemoratus Poloniæ Rex A
Caſimirus opimam eleemoſynam ad operis promotionem, eadem prorſus liberalitate, contulit. Ex qua tandem, atq; ex plurimis alijs à Lublinenſibus elargitis Minoriticum præſens monaſterium, primò quidem ligneum, circa annũ humanæ reparationis 1480. deinde verò eccleſia ex cocto latere anno 1496. ac tum demum vniuerſus Conuentus, currente anno 1519. ad continuas Tartarorum incurſiones ex polito lapide Lublini, quæ Polonorum vrbs eſt, conſtructa fuêre. Commorantur hoc in loco viginti fratres.

De conuentu S. Andreæ Leopoli. Conu. IX.

QVANTA fuerit magnifici Andreæ Odrouaſſij, Podolicæ regionis pro Caſimiro Rege Gubernatoris, atq; Leopolenſis Capitanei, ad Franciſcanos Obſeruantes deuotio, & beneuolentia hinc liquidò conſtat. Reſiſtebat fratribus is Archiepiſcopus, B
qui tunc Leopolenſi eccleſiæ præerat, reſiſtebant quoq; & eius canonici, nulloq; pacto aſſentiri volebant, vt Minoriticus conuentus Leopoli, quæ Ruſſiæ Ciuitas eſt, ab ijs erigeretur. Quos tamen ille precibus, miroq; artificio deuictos, ſententiam mutare, atq; aſſenſum ad futuri conuentus ædificationem præſtare coëgit. Præterea empta ſufficienti area, & eccleſiam, atq; vniuerſum conuentum ſuis tantùm ſumptibus conſtruxit, venerabiliq; patri Gabrieli Veronenſi contulit. Cumq; clauſtrum, atq; maior cæterarum officinarũ pars, immiſſo à ſchiſmaticis Ruthenis, ex mera malitia & in fratres odio, igne, conflagraſſent, ab eodem Andrea Odrouaſſio, id tantùm à fratribus expetente, vt ſe Altiſſimo in ſuis orationibus commendarent, eadem liberalitate reædificata fuêre. Mortem obijt hoc in ipſo loco, in quo 40. fratres conuiuunt, beatus pater Ioannes de Ducla: qui viuus omni virtutum genere claruit, & mortuus miracula edidit: C
Nam honeſtam matronam, ſibi peccata confiteri aſſuetam, ab oculorum cœcitate, qua per decennium laborauerat, ſuis meritis liberauit: & plurimos infirmos ſanitati reſtituit. Quamobrem eius oſſa, poſt plurimos annos, ex huius Prouinciæ Miniſtri mandato, exhumata, honeſto loco, inter duos parietes, recondita ſunt.

De conuentu S. Barbaræ Pizeuorſcij. Conu. X.

MINORITICI huius loci Pizeuorſcij, quę Ruſſię Ciuitas eſt, erecti templum, ſacrarium, maioremq; dormitorij partem, ac refectorium ſuis ſumptibus ſtrenuus heros Iaroſlaus Pizeuorſcius, Polonici totius Regni Mareſcallus, circa annum à ſalutifera mundi redemptione 1489. ædificanda curauit. Quod verò ſupereſt ædificij, id fratres ex ciuium eleemoſynis liberaliſſimè collatis abſoluerunt. Subiacet hæc Ruſſiæ D
regio continuis Turcarum, Tartarorumq; excurſionibus, incendijs, atq; rapinis: Quamobrem pij Pizeuorſcenſes fratribus, atq; ſacris vaſis, reliquæq; ſuppellectili maximè timentes, præſens monaſterium, à 25. fratribus incultum, vallo, aggeribus, atq; profundiſſimis foueis communierunt. Quibus huiuſcemodi prædonum inſultus ſæpius propulſati, atq; anteuerſi ſunt.

De conuentu S. Annæ Caliſii. Conu. XI.

TANTA fuit reuerendiſſimi Ioannis Gnoſczinſlij, Gneſnenſis Archiepiſcopi, ad primæuos illos noſtræ Religionis patres deuotio, vt illis ſæpius dicere ſoleret: Vos profectò rationem pro me reddetis, ſi ego peccator veſtris orationibus, in quibus maximè confido, minimè ſaluer. Et præſentem conuentum, muris Caliſinæ ciuitatis cin- E
ctum, & à 20. fratribus occupatum, ex familiaribus facultatibus, circa annum humanæ reparationis 1486. à fundamentis ad apicem vſq;, ijſdem erigendum, perficiendumq; curarit.

De conuentu Diuiſionis Apoſtolorum Coli. Conu. XII.

AEDIFICASSET hauddubiè & templum, ac etiam vniuerſum hunc conuentum pientiſſimus heros Ioannes Hinczius à Rogono, Sendomirienſis Caſtellanus, atq; ciuitatis Colenſis Capitaneus, niſi fratres obſtitiſſent. Qui neſciõ quo zelo ducti, eum vltra progredi prohibuerunt: mallentes id ex diuerſorũ eleemoſynis ſummo labore

A mo labore acquiſitis, quàm ex vnius liberalitate perfici. Non ſecus ac ſi ſatius iſtud, quàm illud eſſet. Nam deuotiſſimus is procer, & fundum intra Colenſis vrbis mœnia emerat, & eccleſiam, optimamq; domus partem, iacto firmiſſimo fundamento, maiori ex parte, ex ſecto lapide, atq; cocto latere promouerat. Nihilominus quod ille intra breuiſſimi temporis ſpatium præſtare decreuerat, nec valuit id fratres infra viginti annos, non abſq; maximo labore (& meritò in tantæ ingratitudinis pœnam) præſtiterunt. Vnde conuentus hic omnibus ſuis numeris abſolutus euaſit, & ab octodecim fratribus, die noctuq; Deo opt. max. inſeruientibus, occupatur.

De conuentu Natiuitatis B. Mariæ Varthæ. Conu. XIII.

CVM, circa annum Dominicæ incarnationis 1480. pius quidam Polonus nomine Darmopichius fundum, conſtruendo conuentui deſtinatum, Varthæ, quod
B Poloniæ oppidum eſt, propria pecunia emiſſet, ac patri fratri Mariano, tunc huius Prouinciæ Vicario, contuliſſet: illuſtris heros Gerardus Brudzenius canonicus hoc ſacrum monaſterium, maiori ex parte ligneum, ſimul atq; eccleſiam ſuis ſumptibus ibidem ſuperædificauit, fratribusq; in perpetuam habitationem contulit. Cumq; infra decennium bis omne ſimul ædificium conflagraſſet, agereturq; à patribus in quodam prouinciali Capitulo de omnimoda eius deſertione, deuotus frater Paulus de Vartha, ſuis compatriotis ex charitate compatiens, ab iiſdem flexis genibus petijt, vt illud ſibi lapideum, vel ſaltem lateritium denuò conſtruere liceret. Qua deniq; ſibi facta facultate, infra triennium quod pollicitus fuerat, ſolertiſſimè, atq; maxima ſolicitudine præſtitit. Ab eo igitur tempore, nempe ab anno Domini 1490. fratres, qui numero ſunt 16. multò commodius, multoq; ab incendio tutius hoc in loco commorantur. In quo pau-
C pertatis ſanctiſſimæ cultor, ac ſuæ Regulæ zelantiſſimus pater frater Melchiſedech, beato patri Ioanni Capiſtrano contemporaneus, ac ſtrenuus collaborator ſecundi aduentus Dominici diem ſub humili pauimento præſtolatur. Hic diem ſui obitus à Deo opt. max. quem ſumma veneratione, ſummoq; timore coluerat, reſcire meruit: maximumq; deſiderium omnibus tum fratribus, tum quoq; ſęcularibus moriens reliquit.

De conuentu S. Franciſci Vilnæ. Conu. XIV.

AEDIFICASSET ſanè Caſimirus Poloniæ Rex (cuius ſupra aliquoties meminimus) in ſingulis ciuitatibus, oppidis, atq; etiam pagis ſibi ſubditis fratribus noſtris conuentus, ſi tamen opportunitas adfuiſſet. Tanta fuit eius Principis ad illos deuotio, tantaq; animi propenſio. Is enim ab alijs monaſterijs, quę erigenda curauit,
D hoc quoq; præſens Vilnæ, quæ magnæ Lithuanię ciuitas eſt, primò quidem ligneum, vt, quo ſe fratres recipere poſſent, ad manus haberent, ac tum demum lateritium conſtrui fecit. Sed malitia, atq; peruerſitate tum cœmentariorum, tum quoq; latomorum factum eſt, vt intra breuiſſimum tempus aliqua ex parte corruerit. Quapropter fratres, ne aliquando à falſo imbecilliq; ædificio collabente incautè opprimerentur, ipſum ad fundamenta vſq; demoliri, iterumq; ex firmiſſimo lapide, cocto latere, ac cœmento, ſuppeditantibus interim Vilnenſibus, quæ neceſſaria erant, reædificari fecerunt: Ab eoq; temporis firmiſſimè perſeuerat. Tumulatus iacet hoc in loco, in quo ſexaginta fratres manent, religioſiſſimus pater Staniſlaus Huijmacenſis: qui à beato patre Ioanne Capiſtrano Minoritico habitu indutus, in omni virtute, ac perfectione ad vltimum vſq; vitæ ſuæ terminum profecit, tantumq; patrem, ſui ſtatus authorem, pro
E viribus imitari ſtuduit: Quapropter cum beatis beari piè creditur.

De conuentu S. Bartholomæi Louitij. Conu. XV.

AEDIFICAVIT præfatus reuerendiſſimus Ioannes Gneſnenſis Archiepiſcopus poſt locum noſtrum Caliſienſem, & hunc Minoriticum conuentum Louitij, quæ Polonorum ciuitas eſt, ex lignis tantùm, hoc fine, vt ſe eò fratres ad tempus continere poſſent: donec ſcilicet vniuerſum ædificium, amotis aſſeribus, ex lapidibus, atq; lateribus conſtruendum curaret. Quod cum immatura morte præuentus præſtare minimè potuiſſet, id fratres ex diuerſis eleemoſynis, licèt infra prolixioris temporis ſpa-

 tium

tium quàm ille in mente præfixerat, contulerunt. Vix profectò tanti præſulis in noſtrum Ordinem humanitas, atq; affectus explicari poſſent: Quippe qui nihil aduerſi, nihilq; ſiniſtri ſiue de ipſo, ſiue etiam de eius alumnis audire poterat: quiq; eorum præcibus ſe maximè commendatum cupiebat. Mortem obijt hoc in loco, in quo 20. fratres morantur, deuotiſſimus pater frater Ioannes Smolha: qui ſuis orationibus amiſſum à decennio viſum cuidam patri, Dominicanorum Priori, reſtituit, Deoq; opt. max. gratiſſimus extitit. A

De conuentu S. Catharinæ Radomiæ. *Conu. XVI.*

HOC quoq; Minoriticum monaſterium liberalitate, ac munificentia ſereniſſimi Caſimiri, Poloniæ Regis, circa annum Dominicæ Incarnationis 1480. Radomiæ, maiori ex parte, conſtructum fuit. Cumq; ſuperiori ædificij pars lignea eſſet, ne B ſuperuenientes Turcæ, Tartari, aut Vallachij, qui bis ad minus per annum vniuerſam Ruſſiam, Poloniam, Lithuaniam, atq; Lubliniam rapinis, depopulationibus, atq; incendijs infeſtabant, vel immiſſo igne fratrum locum comburerent, vel leui inſultu caperent, Radomienſis ſenatus eam ex fortiſſimo lapide conſtruendam, atq; aggere, vallo, & propugnaculis communiendam curauit. Quo quidem pauperculis fratribus, immo & ſæcularibus ſæpius cauſa ſalutis fuit, atq; libertatis. Manent hoc in loco vigintitres fratres.

De conuentu B. Mariæ Virginis Caunæ. *Conu. XVII.*

MINORITICVS hic conuentus, Caunæ quę Lithuanię ciuitas eſt, intra mœnia nec procul à munitiſſimo Caſtro erectus, plures ſui authores habuit. Nam C illuſtris Stanchoniſius, Palatinus Trocenſis, ex Regis Caſimiri conſenſu fundum, ſiue eius ſitum eontulit: & quidam mercator egregiam pecuniarum ſummam ad eccleſiæ ædificationem elargitus eſt: Caunenſis verò ſenatus quod reliquum eſt ædificij ex publicis facultatibus abſoluit. Cumq; primò ex lignis, aſſeribusq; conſtructus, poſtmodum ex latere ædificari cœpiſſet, contradicentibus Lithuanis, quòd caſtro ſibi propinquo negotium faceſſere videretur, quodq; ipſa Caunenſis ciuitas lignea quoq; eſſet, maxima inter illos, atq; fratres, eorumq; fautores altercatio exorta fuit. Quæ tamen poſtea, ædificatis quoq; ex firmo lapide ciuitatis mœnibus, opera ſereniſſimi Alexandri Lithuaniæ magni Ducis, ac poſtmodum Poloniæ Regis, dirempta, ſedataq; eſt, & locus, qui à 25. fratribus occupatur, pro maiori parte, ex lateribus conſtabilitus extitit. D

De Minoritico conuentu Opatony. *Conu. XVIII.*

CVM circa annum Dominicæ Incarnationis 1480. eccleſia quędam parrochialis, tranſlato prius baptiſterio ad matricem eccleſiam Opatonienſem, Opatonij, quæ Polonorum ciuitas eſt, fratribus à pientiſſimo Præſule Ioanne Chreſſoroſcio, atq; ab vtroq; canonicorum Collegio, penes quod id iuris erat, Cracouienſi, ſcilicet atq; Opatonienſi, inſtantibus maximè pijſſimis viris, ac de noſtra Religione optimè meritis Ioanne Tarlo, plurimis dignitatibus eccleſiaſticis, ſanguine, ac Caſimiri Regis familiaritate & conſuetudine illuſtri, ac Michoroſchio Opatonienſis eccleſiæ Præpoſito, in perpetuum vſum collata eſſet, inſurrexerunt, poſt pacificam aliquorum menſium habitationem, quidam Canoroſchius, atq; aliquot alij ſacerdotes ſeculares, quorum E liberior viuendi modus fratrum de ſuggeſtu correctiones, ac optimam eorum apud ſæculares famam ferre non poterat: qui omnibus velis, (vt aiunt) atq; remis illos loco eijcere, ac deturbare, miris ſibi calumnijs atq; mendacijs impoſitis, conati ſunt. Quamobrem pauperculi ij religioſi per nouem continuos annos ſupra modum afflicti, diuexatiq; fuêre. Donec tandem re diligentiſſimè per reuerendiſſimum Cracouienſem Epiſcopum examinata, pacifica eiuſdem parrochialis eccleſiæ profeſſio iiſdem fratribus, virtute cuiuſdam diffinitiuæ ſententiæ pro tribunali adiudicata fuit: & miſer ille Canoroſchius, contrariæ factionis Princeps à quibuſdam ſibi inimicis trucidatus, ac membratim ferè diſcerptus extitit. Sedatis igitur huiuſmodi turbinibus, ac tempeſtatibus, Minoriticus conuentus, præfatæ parrochiali eccleſiæ annexus, ex diuerſis fidelium, præcipuè

A cipuè verò Anaſtaſij Badſinæ, atq; Ioannis Schiorchij Opatonenſium ciuium eleemoſynis ædificatus fuit: Præfatus verò Ioannes Tarlus, ſpretis huius ſęculi pompis, atq; honoribus, quibus (vt præfati ſumus) maximè fulgebat, ſumptoq; noſtræ Religionis habitu, atq; emiſſo ſolemni voto, Hieroſolymam petijt, ac tandem in monte Sion poſt deuotiſſimam illorum locorum viſitationem, meritis opimus diem clauſit extremum. Morantur hoc in loco 26. fratres.

De conuentu S. Catharinæ Samborij. *Conu. XIX.*

PROCESSERANT ferè in diebus ſuis illuſtres, ſimul atq; pijſſimi Ioannes Odrouaſſius, eiusq; legitima vxor, nulloſq; liberos, quos diuitiarum hæredes inſtituerent, poſt longam cohabitationem ex ſe mutuò ſuſceperant. Quamobrem Minoriticum hoc monaſterium, Sȧmborij, quæ Poloniæ ciuitas eſt, ex communibus diuitijs, B quibus maximè abundabant, affabrè ſatis, atq; ex ſtabili lapide conſtruendum curarunt. Dumq; minus de prole cogitarent, meritis beatiſſimi patris Franciſci, atq; aſſiduis eius alumnorum orationibus apud Altiſſimum intercedentibus, illa in vltima ætate duos filios, atq; filiam ex viro concepit, peperitq;. Quamobrem & huius loci bibliothecam libris, & officinas omnibus neceſſarijs inſtruendas, & fratribus, qui vt plurimùm ſunt 30. numero, quoad vita comes fuit victum, atq; amictum, in tanti beneficij gratiam, atq; memoriam, liberaliſſimè ſubminiſtrandum curarunt.

De conuentu S. Catharinæ in Eremo. *Conu. XX.*

C POSTQVAM fortiſſimus miles nomine Ioaglauechius ſtrenuè ſatis ſub Polonorum Rege Iagellone, per multos annos, in Podolio militaſſet, ibidemq; eiuſdem Regis Pręfectum ſumma cum laude egiſſet, huiuſcemodi honorum tædio affectus, eremiticam vitam meditari cœpit. Quamobrem Regi vale dicto, atq; ædicula quadam in ſolitudine ſita à Cracouienſi Epiſcopo, cuius id munus erat, impetrata, eò ſecum quibuſdā ſęcularibus de Caluo monte ſacerdotibus, quibus vſq; ad exitū ſanctiſſimè conuixit, in poſterum, ſub eremitico pauperrimoq; habitu, moraturus contulit. Præfatam verò ædiculam, ex diuerſis eleemoſynis, atq; à ex proprijs bonis, ampliandam, turriq; communiendam, atq; à reuerendiſſimo Cracouienſi Epiſcopo, in honorem ſanctę Catharinę de Eremo conſecrandam, curauit. Quam & quibuſdā eiuſdem glorioſæ virginis oſſibus, atq; oleo ex eius ſepulchro in monte Sinai emanente exornauit. Cui deniq; vita functo, cùm quidam Paulus Lanchus anachorita ſacerdoti-
D bus, Caluum montem repetentibus, ſucceſſiſſet, inibiq; per quadraginta continuos annos commoratus eſſet, is præfatum locum, ſumpta aliquali mercede à reuerendiſſimo Ioanne Chreſſocoſchio, Cracouienſi Epiſcopo, huius Prouincię fratribus, anno à partu Virgineo 1520. ex animo conceſſit, tradiditq;. Quam idem pijſſimus Præſul Ioannes Creſſocoſchius ſuis ſumptibus in iuſtum monaſterium promouendum ſumma diligentia curauit. Manent hoc in loco 16. fratres.

De conuentu Duodecim Apoſtolorum Tijcocȥini. *Conu. XXI.*

EX maxima in Deum pietate, atq; in Franciſcanum Ordinem beneuolentia pius ac ſupramodum illuſtris heros Martinus Ganſtolchius, Palatinus Trocenſis, nullum ad huius Minoritici conuentus, qui Tijcoczini, quod Poloniæ oppidum eſt, affa-
E brè ſurrigit, ædificationem admittere voluit cooperatorem. Sed ſolus, anno Domini 1419. fundum, domum, cæteraq; ædificia ex domeſtico patrimonio præſtitit: omniaq; ad commodam fratrum habitationem, atq; ad cultum diuinum neceſſaria liberaliſſimè contulit. Cuius etiam tantus fuit in fratres affectus, vt illis nunquam, ſiue in menſa, ſiue etiam in domo, quoad vixit carere voluerit: Et Chiorum, Præfecti illius patriæ officio ex Caſimiri Polonorum Regis mandato functurus, petens, fratres ſecum deduxerit. Quibus tum ipſe, tum quoq; pijſſima eius ſoror Alexandra, quę poſt modum Tertium beati patris Franciſci Ordinem profeſſa eſt, benefici perpetuò fuêre. Commorantur frequentius hoc in loco 15. fratres.

De Minoritico conuentu Bidgoſtiæ. *Conu.* XXII. A

CVM non longè à Caſtro, quod Bidgoſtiæ Polonæ ciuitati imminet, plura inter vepres, atq; arbuſta, ibidē ſua ſponte naſcētia, perpetrarētur facinora, atq; piacula, deuotus quidā ſutor cognomine Miſlo, quibuſdā crucibus ibidē erectis, ſpirituq; pręſago frequētius dicebat: Tempus veniet, in quo hoc in eodem loco Chriſtus dominus religioſiſſimè colatur, huiuſmodiq; mala hinc procul eliminentur. Qui ea propter vt delirus & amens ab omnibus habebatur. Poſt plurimos verò annos, eo ſcilicet, qui à partu Virgineo erat. 1480. ſereniſſimus Caſimirus Poloniæ Rex reuerendiſſimo Sbigneo, Voladiſlacoienſi Epiſcopo commiſit, vt Bidgoſtiæ fratribus noſtris locum, pro ædificando conuentu ſimul atq; eccleſia, deſignaret. Cumq; ab eo patribus optio data eſſet, ij, licèt inuito Caſtri Capitaneo, locum à Miſlo ſutore prædictum elegerunt, ac in iuſtum monaſterium, ex diuerſis fidelium eleemoſynis, atq; ex regia Caſimiri liberalitate, euexerunt. In quo peſte correptus mortem obijt, anno Domini 1497. ſimpliciſſimus, atq; deuotiſſimus frater Blaſius Lithuanus, profeſſione laicus: qui proprijs manibus maiorem huius loci partem conſtruxit. B

De Minoritico conuentu Potocenſi. *Conu.* XXIII.

POTOCIA, magnæ Lithuaniæ ciuitas eſt, cuius inquilini, ſicut & reliquæ illius regionis, maiori ex parte ſchiſmatici, & etiam pagani, idolatræq; ſunt. Quibus conuertendis, atq; ad catholicæ fidei agnitionem reducendis, ſereniſſimus pariter ac pijſſimus Alexander, magnus Lithuaniæ Dux, qui & Polonię Rex poſtmodum extitit, maximè incubuit, inſudauitq;. Cùm igitur Franciſcana Regularis Obſeruantia, per beatum patrem Ioannem Capiſtranum in Poloniam introducta, fęcundiſſimis radicibus per florentiſſimum illud regnum mirum in modum ſerperet, curauit vigilantiſſimus ipſe Princeps, vt euocatis, anno Domini 1498. in Lithuaniam aliquibus fratribus, Potociæ Minoriticus hic conuentus, ex propria liberalitate, atq; munificentia conſtrueretur. Quo deniq; conſtructo (impetrata prius à Sede apoſtolica ea ipſa auctoritate, qua Terræ ſanctæ Guardianus, ac Boſnæ tum Croatiæ, tum quoq; Argentinę Prouinciarum fratres, in matrimonij materia funguntur) incredibile eſt quot Ruthenos, quot Potocianos, quotq; Lithuanos, fauentibus ſibi maximis eiuſdem magni Ducis Alexandri priuilegijs & literis, ij à ſchiſmate reuocauerint, apoſtolicæq; Sedis obedientiæ ſubmiſerint: quotq; infideles paganos ſacro baptiſmate intinxerint: & quot à vitijs adductos virtutibus mancipauerint: Nam ſęcularium ſacerdotum nullus eſt his in partibus vſus. Qua propter ipſi fratres parrochorum officio funguntur. Cumq; hic locus quartò à ſuperueniente Moſchouita, ante plurimos annos, combuſtus fuerit, quartò quoq; à Potocianis reædificatus extitit. Sæpius tamen inter huius Prouinciæ patres ventilatum eſt: num hic conuentus, ob imminentia ſibi à Moſchouitis, Tartariſq; pericula, deſerendus omnino veniret: Sed ſemper, ob Potociorum in religioſos beneuolentiam, atq; obedientiæ promptitudinem, ac ob fructum catholicæ Eccleſiæ inde ex ſchiſmaticorum, paganorumq; conuerſione obuenientem, negatiua pars ab ijſdem concluſa eſt. Ab anno verò Domini 1563. quo ipſa ciuitas Potocia, Polocenſe Caſtrum, atq; etiam eonuentus à Tartaris, Moſchouitiſq;, qui ſub magno Moſchouię Duce ſtipendia merebantur, combuſta, & quinque fratres, cæteris fuga ſibi conſulentibus, crudeliter necati, trucidatiq; fuêre, penitus habitatore caret, nec aliqua ex parte reædificari cœpit. Quare crediderim ſic deſtructum perpetuò remanſurum. D E

De Minoritico conuentu Schapenſi. *Conu.* XXIV.

REVERENDISSIMO Plocēſe Epiſcopo, eiuſq; canonicis licèt ſubmurmurantibus, ægreq; ferentibus, Minoriticus hic conuentus, anno Dominicæ natiuitatis 1498. apoſtolica ſibi auctoritate fauente, Schapenij, quod Plocenſis Epiſcopatus oppidum eſt, à reuerendiſſimo Nicolao, Chelmenſi Epiſcopo, bis ædificatus extitit. Primò quidem opere ſatis tumultuario ligneus, ſecundò verò omnino lapideus, atq;

lateribus.

A lateribus. Qui quidem deuotiſſimus Præſul nullum penitus adiutorem, ad tanti operis
promotionem, admittere voluit, ſed vniuerſum ędificium, vniuerſamq; ſuppellectilem,
tum diuino cultui deſtinandam, tum quoq; fratrum vſibus mancipādam, ipſe ſolus ex
familiaribus bonis abundantiſſimè præſtitit. Inſuper & ſuorum progenitorum cine-
res, atq; oſſa, ex licentia Plocenſis eiuſdem Epiſcopi, cui id ex munere incumbebat, ex
parrochiali huius Schapenſis oppidi eccleſia, in qua tumulata aſſeruabantur, ad hoc,
à ſe conſtructum, monaſterium transferri curauit. Hic locus (vt certiſſima traditione,
atq; ſcripto teſtimonio habetur) à glorioſiſſima Virgine Maria, multò antequam con-
ſtrueretur, in Minoriticum conuentum ſelectus fuit. Præextitit ſiquidem magnus quidā
lapis intus, foris, atq; per vniuerſas venulas crucibus inſignitus, ita vt in quolibet eius
fragmentulo crux impreſſa appareret: cumq; aliquis iuxta ipſum pertranſiens aliquid
B turpe vel proferret, vel ageret, vel ebrietate teneretur, ſtatim ex temporaneo morbo
correptus, vel ſiniſtro caſui ſubiacens, ſuæ temeritatis pœnas dabat. Quod tamen vn-
de veniret ignorabatur. Anno deniq; Domini 1497. quo grauiſſima peſtis vniuerſam
Poloniam peruaſit, miſerrimeq; afflixit, apparuit eodem in loco ſimplici cuidam, ac
pauperculo homini beata Virgo Maria, ſibiq; dixit ædificandam fore ibidem ſacram
domum, ac à quibuſdam pauperculis religioſis inhabitandam, in qua eius filius dili-
gentiſſimè atq; gratanter coleretur. Cui tamen homini talia reuelanti fides adhibita
extitit, atq; Crucifixi imago, ſimul & ſacellum ibidem erecta fuêre. Vbi & plurima
contigerunt miracula. Plurimi tamen huiuſmodi reuelationem, atq; miracula deri-
dentes, eaq; caſui potius quàm diuinæ diſpenſationi tribuentes, ſuæ temeritatis pœnas
dederunt: Donec tandem ſuperuenientibus noſtris fratribus, quod ab illo ſimplici ho-
C mine prædictum fuerat ſucceſſit. Lapis verò ille crucibus ſignatus, quòd fratribus di-
uino intentis officio, contendentibus peregrinis, vt particulas ſecum aſportarent, im-
pedimento eſſet, ab ijſdem fundamento eccleſiæ ſuppoſitus extitit.

De Minoritico conuentu Caſimiriæ. *Conu. XXV.*

MINORITICVS hic conuentus, qui Caſimiriæ Poloniæ oppidi conſpicitur,
à reuerendiſſimo Ioanne Lubranſchio, Poſnanienſi Epiſcopo, ſeraphicæq; no-
ſtræ Religioni amiciſſimo, atq; addictiſſimo, maiori ex parte, circa annum à partu Vir-
gineo 1580. ædificatus, neceſſarijſq; inſtructus fuit: immo & ſi vita illi comes fuiſſet,
vltimam artificis manum ſub eodem expertus eſſet: tanta erat hominis ad noſtros fra-
D tres beneuolentia, tantaq; liberalitas: Qua & illis viuens eleemoſynas ad victum, &
amictum ſufficientes miniſtrauit. Ne tamen opus imperfectum remaneret, pia matrona
Biechoroſchia effecit: Quæ optimam auri ſummam, tum pro complenda ſtructura,
tum quoque pro libris choralibus, ſacriſq; paramentis atq; vaſis comparandis, ſumma
liberalitate, contulit: Cuius etiam pietatem ſequuti quàmplurimi Caſimirienſes, oc-
currentes fratrum neceſſitatibus, illas ſuis eleemoſynis ſubleuant.

De Minoritico conuentu Lubauæ. *Conu. XXVI.*

HABITARANT olim aliquot noſtri fratres Lubauæ, quæ Pruſſiæ ciuitas eſt,
in quodam conuentu, honeſto ſatis, licèt modico, quem tamen legitimis de cauſis
E deſeruerunt. Cùm autem reuerendiſſimus Culmenſis Epiſcopus, atq; Lubauenſes ma-
ximo iterum habendorum fratrum deſiderio tenerentur, idq; vt ſibi concederemus re-
uerendiſſimus idem Epiſcopus, apoſtolici etiā apud Polonos Legati intereeſſione vſus,
à nobis petijſſet, non potuimus non pijs eius votis aſſentiri. Quamobrem datis in offi-
cij noſtri principio ad reuerendum patrem Nicolaum Buſchium, tunc huius Prouinciæ
Miniſtrum literis, curauimus, vt aliquot ex noſtris fratribus præfatum conuentum,
ibidem in poſterum habitaturi, repeterent. Quos præfatus Culmenſis Præſul, repara-
to etiam, prout neceſſitas exigebat, ædificio, omni beneuolentia, omniq; beneficio-
rum genere proſequitur. Tenet ſiquidem pientiſſimus is dominus non infimum inter
noſtræ Religionis amicos & fautores locum.


PROVINCIA
CORSICÆ
·S·IVLIA·

PROVINCIA CORSICAE.

A SI antiquiſſimæ ſimul atq; receptiſſimæ ſeniorũ traditioni aurem accommodare velimus, hæc Corſicæ Prouincia nullum alium ſui authorem à beatiſſimo patre Franciſco agnoſcit: Nam eius ſigillum litera Thau, cui à dextro latere huiuſcemodi characteres IESVS, à ſiniſtro verò ſequentes CHRISTVS; atqui à capite literæ M. à baſi C. à dextris paulò tamen ſuperius S. ſed à ſiniſtris in eadem linea P. ſunt, ſibi ab eodem patre, per venerabilem patrem ac fratrem Ioannem Parentem, qui & eius fundamenta feliciſſimè iecit, tranſmiſſa, inſignitur. Occupat autem præfata Thau litera, decem ſtellulis, à præfatis literis circumſepta, meditullium ſigilli: cuius ambitum ſequentes quoque ✠ SIGILLVM. ✠ PROVINCIÆ. CORSICÆ ✠ ORDINIS. MINORVM. RE. OB. exornant. Hæc igitur Prouincia (quæ ſicut à nulla alia nobis prodijt, ita quoq; nullam penitus ex ſe produxit) latius olim patuit: cùm in Sardinia, Libici maris inſula, montis Raſi locum olim obtinuerit: Modò verò ſuis ſe pellibus continet: cùm Corſicæ inſulæ finibus circumſcribatur. Abſoluitur præterea vniuerſa Prouincia ex 30. fratrum (nam monialium nullus ibi eſt vſus) conuentibus: quorum 24. adhuc ſubſiſtunt, reliqui verò ſex ruinæ, vel à Turcis, vel à Gallis excitatæ, ceſſerunt. Quandoquidem inſulæ Corſicæ mentio incidit, non puto abs re futurum, ſi eam breui ſtylo depinxerimus. Eſt igitur Corſica, Liguſtici maris inſula, longa paſſum 150. M. lata autem 50. ſexaginta circiter ſtadijs à præfata inſula Sardinia diſtans. Tota malignè colitur: quòd aſpera ſit, & multis in locis inacceſſibilis: peroptimi tamen vini ferax eſt. Quam & à quadam Bubulci ancilla, cui Corſæ nomen erat, appellatam volunt. Cuius incolæ Corſi nuncupantur: qui omnes, ſicut & eorum patria, potentiſſimæ Genuenſium Reipublicæ parent. Sanctæ Iuliæ imaginem ea propter huic Prouinciæ præferendam curaui, quòd eam Corſi, tanquam vniuerſæ inſulæ patronam, proſequantur.

C

De conuentu S. Franciſci Syracuſani Portus. *Conu. I.*

AD mille paſſus à Syracuſano Portu (vulgò Bonifacio) fortiſſima totius inſulæ Corſicæ ciuitate, conſtructus olim permanſit Minoriticus quidam conuentus, diuo Iuliano ſacratus, ac non longè à noſtri Ordinis exordio erectus. Cuius tamen author, atq; certum fundationis tempus ignorantur. Exiſtimatur tamẽ, beatiſſimo patre Franciſco adhuc ſuperſtite, quòd cæteris huius Prouinciæ locis antiquior fuerit, ædificatus. Quo tamen, ante aliquot annorum centurias, ab immaniſſimis Turcis exuſto, ſoloq; æquato, hic præſens, cuius etiam origo, atq; certus fundator inueſtigari minimè potuerunt, licèt eius antiquitas, ex quodam lapide, veteri ciſternæ adaptato, ab anno Dominicæ incarnationis 1304. ad minus deduci poſſit, intra caſtri mœnia ex communibus (vti creditur) facultatibus conſtructus extitit. Qui tandem, Genuenſibus munitioni, cuius muris cingitur, maximè timentibus, habitatoribus, ab anno Domini 1560. vacat. Nam fratribus aliò commigrantibus murium habitatio effectus eſt.

D

De conuentu S. Franciſci Caliculæ. *Conu. II.*

PRÆCEDENTEM conuentum antiquitatis iure ſequebatur is, qui non longè à Calicula (vulgò Calui) Corſica ciuitate, ſub titulo ſanctiſſimi patris Franciſci, ſurrigebat: Cuius etiam certum erectionis tempus, ſicut & certus eius fundator, ignorantur. Ex hac ciuitate originem duxit R. P. F. Ioannes Caluus, totius noſtri inſtituti olim Generalis Miniſter, qui, ob ſummam eruditionẽ, qua polluit, Legatione apud Franciæ, Portugaliæq; Reges, ex Pauli III. Pont. mandato functus Tridenti obijt.

De conuentu S. Franciſci in Sylua. *Conu. III.* A

AD quartum lapidem ab eo maritimo portu, cui Gerulatus nomen eſt, in denſa quadam ſylua conſpicere licuit olim deuotiſſimam domum, B. P. Franciſco dicatam, educandiſq; nouitijs, atq; ſanctiſſimis viris producendis, omnino accommodam: Cuius tamen, (proh dolor) vniuerſa circumquaq; regione à truculentis Turcis atq; militibus Gallis ferro olim ignibuſq; vaſtata, vix vllæ modò reliquiæ ſuperſunt. Excepit olim hic locus, diuq; honorificè ſeruauit venerabile corpus beati patris Franciſci de Maleficijs, genere Florentini, atq; natalibus illuſtris, ſed ſanctitate illuſtriſſimi: cuius Conformitatum author Confor. 2. meminit.

De conuentu ſeu hoſpitio Biblia. *Conu. IV.* B

BIBLIÆ, quæ ad Arcis (vulgò della Roccha) Comitatum attinet, conuentum ſibi fratres ſub nomine Hoſpitij olim conſtruxerant: qui tamen poſt diutinam habitationē, vniuerſa circumquaq; regione ferro ignibuſq; ab extraneo milite vaſtata, ab ijſdem derelictus, ruinam maiori ex parte perpeſſus eſt. In cuius tamen eccleſia beati cuiuſdam patris Martini oſſa tumulata iacent: Is ſiquidem beatus pater fidelibus, à malignis ſpiritibus diuexatis, præcipuè verò ab anno Domini 1568. opportunè adeſt: Nam & Ioannem quendam Capaccinum patria Corſum, & Cortincam Ioannis Baiucij vxorem, & Raphaëlem Bradum equidem à Dæmonibus miſerrimè afflictos, atq; ad eius ſepulchrum adductos, ſpiritibus huiuſmodi nequiſſimis procul profligatis, ſuaſq; tartareas ſedes repetere compulſis, liberauit. Quapropter Corſi quotquot habent dæmoniacos hunc locum petere compellunt. C

De conuentu Montis Raſi Sardiniæ. *Conu. V.*

IS conuentus qui in inſula Sardiniæ erectus, Franciſcanis patribus Conuentualibus modò paret, ab Obſeruantibus huius Prouinciæ patribus olim 5. loco conſtructus, occupatuſq; fuit. Quando verò ab iſtis ad illos tranſierit, non ſatis conſtat.

De conuentu S. Franciſci apud S. Florentium. *Conu. VI.*

MINORITICVS ſancti Franciſci conuentus, cui antiquitatis prærogatiua, 6. hac in Prouincia locus debebatur, non longè à Corſica ſancti Florentij ciuitate, atq; Nebienſis Epiſcopatus metropoli, olim erectus, Genuenſi exercitu, in ipſa præfatæ ciuitatis obſidione, demolitus, ſoloq; æquatus extitit. His igitur 6. locis orbata Corſicæ Prouincia 24. tantùm cœnobia modò continet. D

De conuentu S. Franciſci Nuntiæ. *Conu. VII.*

ABSVMPTIS præ vetuſtate ſcripturis, nullo pacto inueſtigari potuit quo certo tempore, vel à quibus Minoriticus hic conuentus, B. Patri Franciſco ſacratus, ac in ipſo litore maris, non procul à caſtro Nuntia ſitus, quem 7. fratres inhabitant, ędificatus fuerit. Facilè tamen crediderim ipſum ex diuerſis fidelium eleemoſynis conſtructum fuiſſe. Ex hoc monaſterio ad aſtra migrauit B. F. Marianus Brandius laicus: in cuius ſanctitatis teſtimonium, & eius corpus poſt elapſum à morte biennium, ex antiquo ſepulchro exhumatum, incorruptum omnino apparuit, & Deus opt. max. plura mortalibus, præcipuè verò dæmoniacis, beneficia pręſtare dignatus eſt. E

De conuentu S. Franciſci Biguliæ. *Conu. VIII.*

VICENTELLO ab Iſtria inſulæ Corſicæ tyranno adhuc ſuperſtite, ac anno à partu Virgineo 1432. hoc monaſterium, Seraphico patri Franciſco, non longè ab oppido Bigulia, erectum fuiſſe ex quodam lapide eccleſię foribus imminente liquidò conſtat: Sed cuius opera id contigerit, nullis extantibus ſcripturis, penitus ignoratur. Eſt tamen hic locus, in quo 7. commorantur fratres, circumuicinis populis commendatiſſimus, ob V. P. F. Pauli à Bigulia, eximij olim concionatoris, funus: ad cuius ſepulchrum paupercula mulier à Dæmone vexata, varijſq; languoribus detenta, atq; ad ge-

A neratiónem inepta, omnino eius meritis deſiderabili prole fœcundata, priſtinæq; ſanitati reſtituta, atq; ab immundo ſpiritu liberata fuit. Quod in cauſa extitit vt à Corſis, vt ſanctus, Deoq; charus in poſterum coleretur.

De conuentu S. Franciſci Caſinchiæ. Conu. IX.

NVLLVM prorſus teſtimonium, quo de huius conuentus, B. P. Franciſco ſacrati, ac prope Venzoloſcam Corſicum oppidum ſiti, fundatore, ſiue fundationis tempore certiores reddamur, extat. Nihilq; aliud de eius prærogatiuis dicere poſſumus, niſi quod ab 8. fratribus inhabitetur, & corporibus beatorum fratrum Vincentij à Venaco laici, atq; Franciſci à Venzolaſca itidem laici mirum in modum exornetur: Quę vnum atq; idem ſepulchrum aſſociata continet. Horum beatorum fratrum prior, licèt B in vita pauperrimus, vilis, atq; deſpectiſſimus haberetur, in morte tamen ditiſſimus, atq; glorioſus apparuit: Nam ſtatim poſt felicem illum tranſitum fulgentiſſima quædam ſtella, cuius radijs, atq; ſplendore vniuerſus locus colluſtrabatur, in eius cubiculi feneſtella ab omnibus ferè Venzolaſcanis viſa fuit. Qua viſione territi, ad fratrum monaſterium protinus concurrerunt, euentusq; cauſam diligentius inueſtigantes, præfati beati fratris animam cœlos, in micantis ſtellæ modum, petiuiſſe inuenerunt. Poſterior verò, B. F. Franciſcus à Venzolaſca, ex maxima quadam humilitate infimis officijs perpetuò intendere voluit: Qua propter à Deo opt. max. omnium bonorum largitore, tum in vita, tum quoq; in morte exaltari meruit. Mundauit ſiquidem adhuc viuens crucis ſigno fœminam quandam, nomine Mariam Franciſcam, legitimam Ambroſij de Epiſcopatu filiam, atq; Grifij Venzolaſcani vxorem, à grauiſſima lepra, qua infecta C erat: Et cuiuſdam Pauli Venzolaſcani filiam à Dæmone, eodem pharmaco vſus, liberauit. Mortuus verò ipſa die 20. Iulij, anno Domini 1570. cuidam Matthiæ, de Tertio Seraphici patris Franciſci Ordine, omnino cœcutienti, perfectum oculorum viſum reſtituit: Et plurimos è Dæmonum poteſtate, à quibus mortaliter contorquebantur, eripuit.

De conuentu S. Franciſci Alexiani. Conu. X.

DISSIDENTIBVS inter ſe Petricagianis, mutuasq; cędes, rapinas, aliaq; huiuſmodi flagitia exercentibus, hic conuentus, qui primò ſub titulo ſancti Franciſci ad ſecundum lapidem à Petricagio, Corſico oppido, in humili quodam, inſaluberrimoq; loco ſubſtitit, ac ea propter ad alium eminentiorem, ſalubriorem, præfatoq; oppido viciniorem, cui nomen Alexianum, tranſlatus extitit, vix 6. fratres continere D poterat: tanta erat horum populorum indeuotio: Cùm autem intempeſta quadam nocte, duæ voces in aëre auditæ fuiſſent: quarum altera fortiter clamitabat, claude, dele, atq; diſſipa: altera verò fortius reſpondebat, non poſſum, duobus fraterculis diſcalciatis validiſſimè mihi reſiſtẽtibus, (vacabant fortè tunc temporis duo frates laici orationi, miſeramq; Petricagionorum conditionem dolentes, eorum conuerſionem Altiſſimo ſummis affectibus commendabant) adeò illius populi ad hunc locum deuotio creuit, vt ſi plurium habitatorum capax eſſet, illos commodiſſimè, Petricagianis neceſſaria ſibi abundè miniſtrantibus, alere poſſet. Hoc autem ex fideliſſima quadam traditione ita certum eſt, vt grande piaculum ſit, vel tantillum in eo hæſitare. Vigente, anno Domini 1354. à quo huius monaſterij antiquitas expiſcari valet, in hac inſula Iuuenali peſtifera hæreſi, quidam frater Minor, cuius nomen penitus ignoratur, ab eius ſecta- E toribus, ob catholicæ fidei cauſam martyrio coronatus, hocq; in loco ſepultus fuit. In quo & corpus B. F. Stephani à Renoſo laici, viriq; ſanctiſſimi, atq; miraculis illuſtris requieſcit: & pulcherrima quędã Virginis Marię imago, ſęcularibus, ob innumera beneficia, quæ ad deuotam eius inuocationẽ recipiũt, commendatiſſima, erecta conſiſtit.

De conuentu S. Franciſci Ornani. Conu. XI.

QVOTIES oppidi ſanctæ Mariæ de Ornano habitatores vel infirmitate, vel aliqua alia tribulatione præmuntur, Minoritici huius loci, qui non procul ab eo, ſub inuocatione S. Franciſci, ſurrigit, fratrum ſarcophagum deuotè petunt, ſępiusq; optata referunt. Quod proculdubio patentiſſimum alicuius beati patris, ſiue fratris ibidem ſepulti.

ſepulti indicium eſt. Exiſtimatur præterea hic conuentus,quem frequentius 10. fratres A
inhabitant,ante aliquot annorum centurias,à præfati oppidi ſenatu ex publicis facultatibus conſtructus: Idq; eius ſtructura indicare videtur. Sed quo certo anno id euenerit, nec ſcripto nec verbo tradito conſtat.

De conuentu S. Franciſci Nebienſis. Conu. XII.

ALIAM profectò, ab ea quam modò obtinet, ſedem Minoriticæ huic ſacræ ædi conſtituerant ante 200.annos Olettani,eamq; multò deterioris conditionis.Quã tamen, diuina diſpenſatione ſibi contradicente, deferere coacti ſunt: Nam quicquid ædificij ibidem per diem promouebatur, id ſequenti nocte corruebat, & quicquid etiã ſiue cœmenti, ſiue laterum aut lapidum, ſiue alterius materiei ibi aſportandum curabatur, id totum ſequenti luce ad præſentem ſitum, qui vnico tantùm milliari ab oppido Oletta diſtat, tranſlatum inueniebant. Quapropter diuinæ voluntati morem gerentes,ſententiam mutare, atq; conuentum, vbi modò eſt, ædificare conſtituerunt. Cuius tamẽ certa antiquitas,deficiẽtibus ſcripturis,nos latet. Habetur nihilominus ante 200. annos (vt præfati ſumus) conſtructus: Idq; ex depicta ſummi altaris imagine, quæ anno Domini 1392.ibidem poſita fuit. Commorantur hoc in loco vt plurimùm 9.fratres. B

De conuentu S. Franciſci Marianæ. Conu. XIII.

QVONIAM quicquid ſcripturarum in præcedentium, atq; præſentis locorum archiuis continebatur id, vel fratrum incuria perijt, vel ab importuno milite, vigente olim hac in inſula bello,diſcerptum,diſſipatumq; extitit,nihil certi de ipſorum, ſiue fundatoribus, ſiue fundationum temporibus tradere potuimus, neq; poſſumus: C
Quas ob res, vel ad traditiones, ſi quæ ſint, vel ad indicia recurrere cogimur. Quibus deniq; intenti,inuenimus hanc ſacram ædem, B.P.Franciſco dicatam, atq; in duorum oppidorũ,Burgi videlicet atq; Luciani confinibus, ex publicis amborum facultatibus ædificatam, circa annum Dominicæ natiuitatis 1477. exordium ſumpſiſſe. Hoc itaq; in loco,quem 7. fratres incolunt, diem clauſit extremum F. Marianus à Muro laicus; vir vtiq; ſanctiſſimus, ac omni virtute præditus: qui ob miranda, quæ olim patrauit, opera, cœlicolis ab omnibus præfati vtriuſq; oppidi habitatoribus annumeratur.

De conuentu S. Franciſci Aregnani. Conu. XIV.

ANNO à Chriſto nato 1456. primus huius ſacrę domus lapis à prȩfato F. Mariano à Muro,atq; à P. F.Matthȩo de Ochiatana poſitus,atq; ex communibus oppidi Corbariæ de Balana facultatibus,quicquid ſuperædificatum eſt, præſtitum extitit. D
Diſtat autem hæc ſacra domus, in qua 8. fratres commorantur, à præfato oppido non ita multum,& B. Franciſco de Aregno,à ſitu quem occupat,dicata extitit. In qua huic lacrymarum valli vltimum vale dixit B. F. Ambroſius à Corbaria laicus; cuius humilitas, patientia, oratio, ac deniq; ſanctitas incredibiles fuêre. Hic cùm anno Domini 1565. gregarium militem, qui cum ſuo Duce ſiue Capitaneo, confeſſionis faciendæ gratia, in hebdomada ſancta hunc conuentum petierat,olera ex horto pro libito legentem corripuiſſet, ab eodem irato, ac penè amente opprobrijs primò ac dicterijs laceſſitus, percuſſus, atq; per caputium, vt ad terram deijceretur, arreptus eſt. Sed venerandæ canitiei ſenex, licèt nonagenarius ac omnino decrepitus, immotus omnino permanſit: immo tot crutiatus, totq; dolores miſerum militem, in tantȩ temeritatis E
pœnam, ex tempore inuaſerunt, vt per terram miſerè volutatus,nuſquam requiem inuenire,nec à ſuo Capitaneo, ſiue ab alijs nouendecim commilitonibus, qui ſibi quoq; aderant, contineri poſſet. Quo tanto ſpectaculo, ac iuſta Dei omnipotentis punitione territi, quotquot aderant, præfatum fratrem Ambroſium, qui ſe ſtatim in cubiculum receperat, accerſendum, vt pro delinquente, ſibiq; iniurio homine oraret, curarunt. Qui vt primùm acceſſit, facto ſuper afflictum ſigno crucis, eum ab huiuſmodi pœna liberauit,ſibiq; violentam mortem,ante quindenam imminentem,prædixit. Quæ & ſubſequuta eſt: Nam dum miſer cum alio ſibi commilitone in taberna verba haberet, ab eo occiſus extitit.Alium quoq; iuuenem, 12.annos natum,à grauiſſima infirmitate,eodem ſigno

A dem ſigno crucis liberauit. Ex hoc quoq; oppido à Corbaria originem duxit B. F. Thomas à ſancto Antonio Corſus, qui in vita, atq; etiam in morte miraculis clarus, Romę in Aracœlitano conuentu in Domino obdormiuit, ibidemq; ſepultus eſt.

De conuentu S. Franciſci Curtis. Conu. XV.

CVRTIENSES omnia commoda, omneſq; facultates, quibus & hoc ſacrum monaſterium, Seraphico patri Franciſco dicatum, ac prope Curtim Corſicum oppidum erectum, ædificarent, eiuſq; ſarta tecta tueri poſſent, in his vectigalibus conſtituerunt, quæ operibus eiuſdem oppidi publicis debentur: Nam ea eſt eorum ad noſtrum Ordinem deuotio, vt nihil magis ab eo curare videantur. Licuit olim ex conceſſione Eugenij IV. Pont.max. V.P. F. Matthęo à Venzolana, tunc huius Prouincię Mi-
B niſtro, viuæ vocis oraculo facta, cuius tenor eiuſdem patris manu ſcriptus in loci archiuo aſſeruatur, omnibus huiuſce Prouincię fratribus, quocunq; excommunicationis vinculo innodatis, dummodo ea excommunicationis ſententia ab ipſomet ſummo Pontifice nominatim lata non fuerit, tum in diuinis, tum quoq; extra eadē communicare. Quę quidē conceſſio anno Dñi 1445. die verò menſis Maij 6. data fuit. Commorantur deniq; hoc in loco 8. fratres, quē altera ex S. Guliermi coſtis commendatiſſimū reddit.

De conuentu S. Franciſci Brandi. Conu. XVI.

DE illuſtrium Brandorum ſtudio erga Seraphicam Religionem noſtram cognoſci poteſt ex hac ſacra æde, quam illi ex domeſticis tantùm facultatibus, ij. cal. Februarij, anno verò Domini 1474. à fundamentis, in honorem S. Franciſci, ac prope
C Brandum oppidum, eorum ditioni ſubactum, erigendam, ſucceſſuq; temporis omnibus ſuis numeris abſoluendā, neceſſarijſq; inſtruendā curarūt: quamq; 7. fratres inhabitāt.

De conuentu S. Franciſci Vici. Conu. XVII.

SIXTI IV. Pont. max. ſedente, aſſenſumq; iij. cal. Iulij, anno Domini 1481. Pontificatus verò ſui vij. præbente, V.P.F. Guliermo à Speluncato, ſacræ Theologiæ Iuriſq; canonici Doctore, huius Prouinciæ ſub titulo Prouincialis Vicarij moderatore, hæc ædes B. Franciſco ſacra, ex peculiaribus illuſtriſſ. Ioannis Pauli à Legha, tunc vniuerſæ Corſicæ Comitis, atq; Principis facultatibus, prope Vicum oppidum, ædificari cœpit: atq; eo immatura morte ſublato eiuſdem Leghanæ familiæ ſumptibus abſoluta eſt. Audiuit optimè ob vitæ integritatem, atq; profundiſſimam ſcientiam apud
D Corſos, aliaſq; nationes, præcipuè verò apud Sixtum IV. ſummum Pontificem, is V.P. Guliermus à Speluncato: eaq; de cauſa ab eodem ſummo paſtore Sagonēſis Epiſcopus, ac eccleſiæ S.Mariæ Maioris de vrbe Vicarius extitit inſtitutus: inſuper & plenariam indulgentiam in fauorem ſacræ ædis S.Mariæ de Laureto oppidi Caſinchæ impetrauit. Quam & coram 115. millibus inſulariū Corſorum publicauit. Hic deniq; tantus, quòd factioni præfati Comitis Ioannis Pauli à Legha adhæreret, inſimulatus Corſica exulare coactus fuit. Tædio igitur ſęcularium rerum, atque tantæ mutabilitatis effectus, Romam petijt, præfatiſq; honoribus, de Pont. max. conſenſu renuntians, Minoriticam vitam, atq; quietem repetijt. In qua ſpiritu prophetico, miraculiſq;, quorum hîc vnum ſubijciam, clarus, Romæ, anno Domini 1490. in Domino obdormiuit. Agebat fortè Saſſaris, quæ inſulæ Sardiniæ ciuitas eſt, Eccleſiaſtem præfatus P. Guliermus,
E dum nobilis matrona, alba tamen, ex coniuge quoq; albo, nigrum, Æthiopiq; ſimillimum, filium pareret, ſibiq; commiſſum cum ſeruo Æthiope adulterium falsò imponeretur. Quapropter de rei veritate certior effectus (conceperat ſiquidem præfata matrona ex proprio, legitimoq; viro, ſed inter concipiendum intentos mentis oculos in quendam Aethiopem, domeſticumq; ſeruum habuerat, & ex vehementi illa imaginatione nigrum concepit) vtrumq; coniugem, infantulum, ac Aethiopem in media totius Saſſarenſis populi corona ſtare iuſſit. Tuncq; de ſuggeſtu infantulo in nomine Ieſu Chriſti præcepit, vt ſe ipſo abſq; alicuius adiutorio proprium patrem peteret. Vixq; verba compleuerat, quando puerulus, aliâs ad ambulandum ineptus, (vix enim menſem compleuerat) relicto Æthiope ad matronæ maritum cum maximo omnium ſtupore

pore perrexit. Quo facto viri ſuſpitio euanuit, mulierq; à tanto crimine immunis euaſit,& viro Dei maxima laus acceſſit. Commorantur hoc in conuentu 10. fratres. A

De conuentu S. Franciſci Orezzæ. Conu. XVIII.

IN meditullio eius regionis, quæ Corſica lingua (Orezza) nuncupatur, ac iuxta oppidum, cui Peſrucis nomen eſt, hoc monaſterium, quod 7. fratres aut 9. inhabitant, in B.P.Franciſci honorem, iiij. idus Aprilis, anno verò Domini 1485. ſumptibus Orezzanorum ædificari cœpit: ac pauciſſimos intra annos abſolutus extitit. Ad cuius fratrum commune ſepulchrum plures infirmi à languoribus ſuis curantur.

De conuentu S. Franciſci Pini. Conu. XIX.

EX impetrata ab Innocentio VIII. Pont.max.facultate hic conuentus, B.P. Franciſco dicatus, atq; à 7. religioſis inhabitatus, anno Domini 1486. non procul à Pino, ædificari cœpit, & abſolutus eſt. Diem clauſit extremum, anno Domini 1566. hoc in loco B.F.Bernardinus à Prauoli Balania laicus, cuius corpus cùm, tertio ab eius tranſitu anno, incorruptum inuentum eſſet, peculiari quadam veneratione coli cœpit: Nec immeritò ſanè; cùm viuens adhuc (vt ex fidedignis teſtibus habetur) iuuenem podagra grauiſſimè laborantem, ad manuum contactum, à tanta afflictione liberauerit. B

De conuentu S. Franciſci Tuuani. Conu. XX.

EO in loco, qui (Tuuani) vulgò dicitur, hic conuentus, Seraphico patri Franciſco ſacratus, atq; à 7. fratribus incultus, erectus conſpicitur: Sed quomodo, quando, vel à quo conſtructus fuerit inueſtigari non potuit. Ad fratrum tamen huius loci commune ſepulchrum plures infirmi, pluresq; dæmoniaci optata referunt.

De conuentu S. Franciſci Cannaris. Conu. XXI. C

CANNARENSI piæ communitati ſacra hæc Franciſcana domus, in honorem B. P. Franciſci, non procul ab oppido Cannari erecta, aſcribenda venit: Cùm eam, ex facta ſibi à Iulio II. Pont. max. facultate, à fundamentis ad apicem vſq;, anno 1506. erigendam, perficiendamq; curauerit. Commorantur hoc in loco 8. fratres.

De conuentu S. Franciſci Tallæ. Conu. XXII.

NVLLO etſi graui impedimento, nulloq; negotio à propoſito quod de ædificando quodam conuentu conceperat pijſſimus Renucius, eius oppidi, quod vulgò (Rocca) dicitur, temporalis Dominus, abduci potuit. Quinnimo quo maiores ſe illi difficultates offerebant, eo promptior ad aggrediendum, perficiendumq; præmeditatum opus reddebatur. Is itaq;, nacta primùm opportunitate, hanc ædem, B.Franciſco ſacram, ac 10. capiendis fratribus commodiſſimã, ex re familiari à fundamẽtis ad verticem vſq; conſtruendam curauit. In qua in Dño requieſcit corpus B.P.Iuliani à Bonifacio ſacerdotis: cuius meritis Deus opt.max.ipſo die natiuitatis Virg.Mariæ fœminã, nomine Syrenam, cuiuſdam Orlanduccij Corſi vxorem, à maligno ſpiritu liberauit, & aliã mulierẽ nomine Thomaſinã à paralyſi, qua grauiſſimè laborabat, curauit. Quãobrẽ præfati P. Iuliani corpus, quod poſt octienniũ ab eius morte adhuc integrũ perſeuerabat, ex communi fratrũ ſarcophago exhumatũ, peculiari quodã loco reconditũ eſt. D

De conuentu S. Franciſci Campilauri. Conu. XXIII.

CVM Campilaureana communitas Minoribus conuentum Obſeruantibus apud ſe ædificatum cuperet, atq; inter ſeſe, imò inter ſe quoq; ac fratres de commodiori eligendo loco controuerteretur, ij patres, qui tunc fortè aderant, communem ſupplicationem vniuerſo populo, pro loco iuxta Dei placitum eligendo, indixerunt. Cùmq; omnes ſimul ſtatuta die proceſſionaliter procederent, obuius quidam bos, nihil minus ab ipſis timens, immotus, licèt tota procedente caterua, permanſit. Quod animaduertens P. F. Auguſtinus à Renoſo Tauaniæ, pauliſperq; ſubſiſtens, tertiò coram tota multitudine præfato boui in nomine Trinitatis, beatæ Mariæ, atq; B. Franciſci imperauit, vt ex tempore ſurgens locũ ædificando conuentui illis indicaret. Qui quidem bos è veſtigio exiliens, ac aliquantulũ lento gradu procedẽs, eo in ipſo loco, in quo modò conuentus hic, B.Franciſco ſacratus, conſtructus cernitur, ſubſtitit: nec inde quo quo modo dimoueri potuit. Quod omnes diuinæ diſpoſitioni tribuentes, libenti animo eum E

A moeum ſitum ædificando monaſterio elegerunt. Præſto quoq; fuit huiuſce conſtructioni aſſenſus S. D. Iulij II. Pont. max. Commorantur hoc in loco octo fratres.

De conuentu S. Franciſci Alciprati. Conu. XXIIII.

PIÆ oppidorum Alciprati, ac Montis maioris communitates conuentum, in loco vtriq; commodo, iuxta factam ſibi à Iulio II. Pont. max. facultatem, ædificaturæ, ſitum, cui Alcipratum nomen eſt, in amborum oppidorum confinibus conſtitutum, ac ad mille paſſus ab vtroq; diſtantem, elegerunt, inibiq; hanc ſacram ædem, ab 8. fratribus inhabitatam, anno Domini 1509. communibus ſumptibus, ex æquo in mediũ collatis, conſtruendam curarunt. Ad quam, id maximè ſolicitante P. F. Sancto à Corbaria, tunc Guardiano, cineres B. P. Franciſci de Maleficijs ex conuentu B S. Franciſci Syluæ cum maxima ſæcularium, fratrumq; frequentia tranſlati fuère.

De conuentu S. Franciſci Medianæ. Conu. XXV.

CVIVS Pont. max. indulto, quouè tempore, aut cuius ſumptibus hic conuentus, B. P. Franciſco, ad mille paſſus ab oppido Sarla, erectus, in lucem prodierit, nullo pacto haberi potuit. Exiſtimatur tamen ex communibus Sarlenſium facultatibus ædificatus: quorum quoq; pijs eleemoſynis 9. fratres eius inquilini ſuſtentantur.

De conuentu S. Franciſci Baſtitæ. Conu. XXVI.

BASTITENSIVM ſtudium fratribus noſtris minime defuit, cùm & ex communibus eorum facultatibus, pontificia interim ſibi facultate fauente, hic conuentus, quem vt plurimùm 16. fratres occupant, anno à Chriſto nato 1510. in hono- C rem S. Franciſci, non longè ab eorum oppido Baſtita erectus, conſtructusq; fuerit.

De conuentu S. Franciſci Cacciæ. Conu. XXVII.

EODEM prorſus anno, quo præcedens conuentus in lucem prodijt, nempe 1510. conſtructus fuit & iſte: Sed diuerſis expenſis, atq; alio in loco, ſumptibus ſcilicet eorum populorum, qui patriam (vulgò) Caccia nuncupatam incolunt, atq; in meditullio eiuſdem regionis. Nomen tamen & iſti, atq; illi commune eſt: Cùm vterq; beatiſſimo patri Franciſco ſacratus euaſerit. Numerus verò fratrum ſexenarius eſt.

De conuentu S. Franciſci Aroliani. Conu. XXVIII.

EA fuit Arolianenſium, atq; temporalis eorum Domini ad Religionem noſtram deuotio, vt communibus ſumptibus hanc ſacram ædem, quam 8. fratres frequen- D tius occupant, prope Arolianum oppidum, erigi curarint. Quam P. F. Thomas Orezanus, tunc huius Prouinciæ Miniſter, acceptans, reliquorũ locorũ catalogo aſcripſit.

De conuentu ſanctiſſimæ Trinitatis Baſteriæ. Conu. XXIX.

FVIT olim in hac inſula deuotiſſima quædam fœmina, nomine Florocula Tertiaria, quæ impetrata, anno Domini 1473. à Sixto IIII. Pont. max. facultate, 5. Tertiariarum ſororum monaſteria, in diuerſis eiuſdem inſulæ partibus, conſtruere inſtituerat: Cùmq; hoc Baſteriæ promouiſſet, immatura morte ſublata eſt. Quapropter Baſterienſes, ne huiuſmodi labor debito fine careret, à ſummo Pont. Paulo III. anno 1535. impetrarunt, vt cœptum à Florocula opus, eorum ſumptibus abſolutũ, Franciſcanis fratribus in vſum traderetur. Vt igitur primùm conuentus vltimam artificis manũ fuiſſet E expertus, cæteris Prouinciæ locis annumeratus extitit: quem & 9. fratres inhabitant.

De conuentu S. Franciſci Sarræ. Conu. XXX.

COLOPHONEM addit huic Prouinciȩ hic conuentus, Seraphico P. Franciſco ſacratus, ac vnico tantùm milliari à Tiuano, Corſorum oppido, erectus: quem Tiuanenſis pia communitas, ex impetrata, v. cal. Auguſti, anno verò Domini 1547. à Paulo III. ſummo Pont. facultate, communibus ſumptibus, à fundamẽtis ad verticem vſq; erigendum curauit. Cùm igitur ſex primi huius Prouinciæ conuentus habitatoribus deſtituantur, nec aliqua eorum reædificandorum ſpes affulgeat: eam potius 24. quàm 30. locis abſolui dicemus. De monialibus autem hic nulla eſt quæſtio, cùm nec vnum quidem monaſterium Prouincia ipſa contineat.



PROVINCIA

PROVINCIA RAGVSII.

A RAGVSII Prouincia, à Raguſio nobiliori illius patriæ ciuitate, quæ ex
Epidauri Limyræ ruinis fabricata ſibi ſucceſſit, ſic dicta, Illyrico mari à
fronte alluitur, à tergo verò Dalmatiæ, ac Boſnæ Argentinæ Prouincijs
cingitur. Hæc cùm ex apoſtolica Nicolai V. ſummi Pontificis auctoritate,
facta anno Domini 1447. die verò Menſis Aprilis 21. cuius diploma adhuc
ſupereſt, à Boſnæ Prouincia, ſimul cum Dalmatiæ Cuſtodia, cuius pars fuerat, deſciui-
ſcet, ac in peculiarem Prouinciam, ſimul cum illa, ſub Dalmatiæ titulo euaſiſſet: poſt
plurimos annos ab iſta quoq;, nempe à Dalmatiæ Prouincia, ſequenti de cauſa, receſ-
ſit, ac in Prouinciam quoq;, ſub Raguſij nomine, emerſit. Præferebantur ferè ſemper,
tum propter doctrinam, tum quoq; propter generis nobilitatem, in Miniſteriatus offi-
cio, cæteriſq; Religionis munijs Dalmatinis religioſis Raguſini patres: cumq; id illi
moleſtè ferrent, curarunt, ne quis Raguſinus pater Dalmatino conuentui præfici poſ-
B ſet. Quod cum Raguſini reſciuiſſent, tanquam ſibi vices repẽdentes, dederunt operam,
ne aliquis ftater Dalmata ad Guardianatus officiũ apud ſe in poſterum promouendus
veniret. Id autem ſub doctiſſimo, & V.P.F. Seraphino Zamagno, tunc Prouinciæ Mini-
ſtro, contigit. Cùm autem nec Raguſini Prouincialem Miniſtrum natione Dalmatam,
nec Dalmatę Raguſinum huiuſmodi munere inſignitum ferre vellent, ac ſic diſſecta, di-
uiſaq; Prouincia peſſum iret, quotquot erant in Raguſina ditione conuentus à reliqua
Prouincia deficientes, peculiarem ſibi Miniſtrum elegerunt: Idq; ex apoſtolica (vt cre-
ditur) auctoritate: Nam quo certo tempore, vel ex cuius facultate id factum ſit, mini-
mè conſtat. Perficitur itaq; vniuerſa hæc Raguſij Prouincia ex 9. fratrum, monialium
verò 2. locis: quorum Prouincialis Miniſter ſequenti ſigillo vtitur: Imagine ſcilicet
Seruatoris Chriſti nuda, ſtante, manibuſq; complicatis, lymphis ad fœmora vſque
immerſa, cuius capiti ſpiritus ſanctus in columbæ ſpecie ſuperſtat, pedibus verò genu-
C flexus P. Franciſcus, ac iunctis ad pectus manibus ſubſtat; ſed ab vtroq; latere vnicus
Angelus aſtat: Quam tandem ſequentes litere. SIGILLVM. MINISTRI.
PROVINCIÆ. RAGVSII. orbiculatim ornant. Nec mihi ſuccenſebit (exi-
ſtimo) pius Lector, quòd huic Prouinciæ diui Blaſij imaginem præponendam curaue-
rim: cùm is ciuitatis Raguſij Archiepiſcopus aliquando fuerit, modoq; à Raguſinis,
vt peculiaris patronus, colatur, ſumma obſeruantia, ac maxima veneratione.

De conuentu S. Franciſci Raguſii. Conu. I.

EREXERANT, poſt aliquot annos ab exordio noſtræ Religionis, Raguſini cõ-
uentum aliquantulum ab eorum ciuitate Raguſio: quem & deſcendente Oroſio,
Seruiæ Rege, vt eos debellaret, ne ab hoſte captus ipſis negotium faceſſeret, ad terram
D deiecêre. Cùm autem is, re infecta, atq; obſidione ſoluta, in propria remeaſſet, alter con-
uentus ex Ioannis XXII. ſummi Pontificis auctoritate, anno Domini 1317. intra eiuſ-
dem Raguſinæ ciuitatis mœnia, in honorem S.P. Franciſci ab ijſdem ædificatus eſt. Id
autem ita eſſe, ex publico quodam inſtrumento, in huius loci archiuo curioſius aſſerua-
to, liquidò conſtat. Deſeruiuit præterea hoc monaſterium, quod 30. fratres frequen-
tius inhabitant, patribus Franciſcanis Conuentualibus atq; Obſeruantibus ſimul, dein-
deq;, recedentibus iſtis, antùm illis: ac tum demum, anno à partu Virgineo 1480. præfa-
tis Raguſinis id maximè procurantibus, illis aliò migrare iuſſis, ad iſtos, nempe ad Ob-
ſeruantes redijt: Quibus & vſq; in præſentem diem paret. Viget hoc in loco philoſophi-
cum ſtudium, atq; in altero eius clauſtri ſacello venerabilis, pariterq; nobiliſſimi pa-

tris fratris Euangeliſtæ Balionij oſſa tumulata iacent: Cuius quanta fuerit virtus, religio, zelus atq; eruditio, ex ſequenti epitaphio ipſis adiacente, manifeſtiſſimè conſtat. A

Balionum ſoboles, Peruſinaq;, quem penè omnis
Regula luſtrandæ Religionis erat.
Qui docuit populos Euangeliſta beatus,
Raguſinam moriens conſecrat hoſpes humum.
Cùmq; pijs precibus paſsim miracula præſtet,
Dat quoq; reliquias vberiora ſuas.

In ſacrario autem aliquot ſanctorum Laurentij martyris, Catharinæ, atq; Margaretæ virg. & mart. reliquiæ aſſeruantur. Sed coram ſummo altari erectus perſeuerat ligneus, magnusq; Crucifixus, cuius vtriq; lateri ſingulus aſtat Angelus, ex eadem materia fabrefactus, manuq; turibulum tenens, quæ duo turibula in ſolemnioribus feſtiuitatibus, atq; in notabilis alicuius euentus proximè inſtantis ſignum, vt certiſſima experientia comprobatum eſt, ſe ipſis, nulloq; penitus impellente, non ſecus ac ſi à duobus acolythis illi de religioſo more turificaretur, mouentur: Dicunturq; à B. P. Iacobo Picente appoſita: Qui etiã hæc verba dixiſſe fertur: Aliquando hi Angeli miracula faciẽt. B

De conuentu S. Nicolai Stamni. Conu. II.

STAMNVM ciuitas eſt, diſtatq; à Raguſio 30. milliarijs, & ad prærupti cuiuſdam, editiq; montis radices Septentrionem verſus ſita, inſalubri, peſſimaq; infeſtatur aura. Hæc igitur ciuitas, atq; adiacens regio, cùm ante 250. annos ſchiſmaticis, Patarenisq; ſcateret hæreticis, Boſnenſium quorundam patrum opera, à tanta lue liberata extitit. Ii enim zelantiſſimi patres, ædificato ſibi, anno Domini 1349. hoc conuentu in honorem S. Nicolai, nulli neq; labori, neq; periculo pepercerunt, quoadusq; huiuſmodi malis longè profligatis, Stamnenſem, atq; vicinum populum ad ſanam mentem reuocarint, ac S. R. E. obedientiæ ſubdiderint. Idq; in cauſa fuit, vt hic locus, quem vt plurimum 8. fratres incolunt, Prouinciæ Boſnæ Argentinæ, plurimis annis, ſubfuerit: atq; ab aliquibus ſummis Pontificibus eius fratribus miniſtrandorum fidelibus ſacramentorũ facultas conceſſa ſit. Diem clauſerunt extremũ B. P. Andreas à Sardinia, atq; B. P. Ioannes ab Anglia, quorum vterq; cùm Illyrici idiomatis ignarus eſſet, Illyricè tamen, ſpiritu ſancto dictante, concionabatur, & miracula edidiſſe fertur. Nam quidã nobilis, effectus ex quadam infirmitate cœcus, admotis ex eorum ſepulchro ad oculos pulueribus, viſum recepit. Aſſeruantur deniq; hoc in monaſterio altera manus S. Georgij martyris, & altera S. Ladiſlai itidem martyris, ac Vngariæ Regis, vnus ex digitis S. Theodori martyris, & fragmentulum eius columnæ ad quã Chriſtus flagellatus extitit. C D

De conuentu S. Sabinæ Daſſæ. Conu. III.

QVANTI Sabinus Betaldus nobilis Raguſinus Ordinem noſtrum fecerit, teſtis eſt hic conuentus, S. Sabino dicatus, atq; in cliuo amœni collis Daſſæ, ad 3. milliare à Raguſio ſitus: quem is circa annum Dñi 1370. ſumma pietate, ex proprijs facultatibus, conſtruendũ curauit: & moriens vniuerſorum bonorum hæredẽ inſtituit: In cuius eccleſiæ meditullio erecta extitit pulcherrima quædam Crucifixi imago, Raguſinis, ob miracula, quæ ibi contingunt, omnino venerabilis. Præfati verò collis Daſſæ orbem 10. ſacella ſiue oratoria, à diuerſis Raguſinis ciuibus erecta, elegantiſſimè cingunt: quæ & ipſum locum celebriorem reddunt: Quam & adauget 12. fratrum huius loci accolarũ ſolicitudo: qui, ſemel ad minus per hebdomadam, in illorũ altero ſacris operatur. Vtuntur præterea hi fratres ad diuerſos morbos, malignosq; ſpiritus ex fideliũ corporibus pellẽdos, vel habitu beati patris Bernardini de Senis, vel altero habitu beati patris Frãciſci de Paula, Ordinis Minimorum inſtitutoris: quos penes ſe diligentiſſimè cuſtodiũt. E

De conuentu S. Franciſci Ombulæ. Conu. IV.

VACATVRI fratres plenioribus affectibus diuinorum myſteriorum contemplationibus, hanc ædem, in honorem B. Franciſci, ad 4. lapidem à Raguſio, in ipſo litore maris, atq; ad cuiuſdam montis radices Septentrionẽ verſus, circa annum à partu Vir-

A tu Virgineo 1393. ædificari curarunt. Quæ quidem domus, ob ſui tranquillitatem, contemplationi, atq; ſpiritui maximè fauet. Sed cùm longiuſculus (vt præfati ſumus) à ciuitate diſtet, anguſtijsq; arctetur, à quinque fratribus tantùm inhabitatur.

De conuentu S. Hieronymi Slani. Conu. V.

SEXENNIO à præcedentis loci erectione, nempe anno Domini 1399. hic conuentus, diuo Hieronymo ſacer, atq; in eodem litore maris ſitus, à fundamentis ad apicem vſq;, conſtructus fuit. Cuius ſitus Slanum Illyrica lingua nuncupatur, atq; 9. fratrum eius accolarum ſaluti maximè conſulit. Hinc non multum diſtat Chriſtiani quidam, Popouani appellati, atq; tyrannico Turcarum Imperio ſubacti, quibus duo huius loci patres prædicatores, ex plurium ſummorũ Pont. indulto, ſacramenta miniſtrãt,
B verbum Dei proponunt, atq; in his, quæ animæ ſalutem concernunt, opportunè adſunt.

De conuentu S. Blaſii Canalium. Conu. VI.

NIHIL minus quàm Turcicam rabiem pertimeſcentes huius Prouinciæ patres, hanc ædem, S. Blaſio ſacram, ex diuerſis eleemoſynis, in amœna quadam valle, circa annum Domini 1427. conſtruendam curarunt. Quæ tamen, Turcarum imperio per huius plagæ terras diffuſo, quòd 6. tantùm milliari à mari, & 18. à Raguſio diſtet, plura incommoda ab ijs catholicę fidei hoſtibus perpetitur: Ea nihilominus conſtantiſſimo animo, ob Chriſti amorem, 6. fratres huius loci accolæ ſuperant.

De conuentu S. Mariæ prope Corſolas. Conu. VII.

C CVM deuotiſſima quædam B. Mariæ imago in cuiuſdam amœni collis ſupercilio non longè à mari fortè fortuna inuenta eſſet, illaq; miraculis coruſcare cœpiſſet, Corzulani (ſic enim viciniores populi appellantur) hanc domum, eidem B. Virgini dicandam, eo ipſo in loco, in quo pręfata imago apparuerat, anno Domini 1470. ædificandam, perficiendam, atq; 5. huius Prouincię fratribus tradendam curarunt.

De conuentu S. Mariæ Inſulæ Mediæ. Conu. VIII.

A SITV Medię nomen deduxit ea inſula, in qua hic conuentus, B. Mariæ ſacer, ædificatus ſubſiſtit. Cùm enim inter alias duas inſulas, & hæc tertia è mari ſatis comptè emergat, alteramq; ab altera diſtinguat, Mediæ nomen obtinuit. In ea igitur 700. fidelium domos, & hanc ædem, quam 7. fratres occupant, apprimè conſtru-
D ctas conſpicere licèt. Quis verò huius ſacri monaſterij author fuerit non ſatis conſtat.

De conuentu S. Mariæ ad Niues Epidauri. Conu. IX.

AD ſextum lapidem à Raguſio, ac prope Epidauri, antiquiſſimę ciuitatis, ruinas, conuentus hic virgini, Marię ad Niues ſacratus, ex Innocentij VIII. Pont. max. facultate, facta anno Domini 1590. à piiſſimo Franciſco Boccio Raguſino ędificatus, atq; huic Prouinciæ, vt à 5. huius fratribus incoleretur, adiectus fuit. Ad quem tum Raguſini, tum conuicini populi, ſed præcipuè nautæ maxima deuotione feruntur.

EO quod patria hæc Raguſina ſit vtcumq; ſterilis, triticoq; minimè abundet, huius Prouinciæ patribus à potentiſſimo catholicoq; Hiſpaniarum Rege Philippo, huiuſce nominis II. ſumma pietate, ſummaq; liberalitate conceſſum eſt, vt ex
E Apulia 15. currus frumento onuſtos (ſoluto tamen iuſto pretio) per ſingulos annos educere, atq; Raguſium aduehere queant, vt tandem facta diſtributione debita, inde ad ſingula eorum loca facilius tranſmitti valeant. Regium huiuſce conceſſionis diploma, datum Madriti, apud Hiſpanos, 9. Iulij, anno verò Domini 1561. in Minoritico conuentu huius Prouinciæ Raguſino diligentius aſſeruatur.

Sequuntur monaſteria monialium.

CONTINET quoq; hæc Prouinca duo Clariſſarum monaſteria, ex pijs Raguſinorum ſumptibus Raguſij erecta, quorum vnum, beatæ Claræ dicatum, a 65. monialibus occupatur: Alterum verò, diuo Petro ſacrum, à 20. virginibus inhabitatur.



PROVINCIA

PROVINCIA BRIXIAE.

A BRIXIÆ Prouincia Mediolanenſi olim vnita fuit, à qua tamen, Veneta id Republica, ſuis rebus maximè conſultura, in cuius ditione ex 33. fratrum conuentibus, quibus omnino abſoluitur, 27. obtinet, procurante (verebatur enim ne eius ciuitates, & oppida, Mediolanenſibus oppoſita, ab aliquo alienigena ſiue fratre, ſiue ſæculari, ſpecie tamen fratris, Mediolanenſibus proderentur) dum bellum inter eam atque eorundem Mediolanenſium Ducem ſæuiret, Sixto IV. Pont. max. ſedente, & à Chriſti natiuitate, ex eiuſdem tamen ſummi Pont. facultate, anno 1471. diuiſa eſt. Hæc ab Oriente S. Antonij, ab Occidente Mediolanenſi, atq; à Meridie Bononienſi Prouincijs contermina eſt. A Septentrione verò nullam prorſus Prouinciam, ſed editiſſimos montes, quibus ex Italia in ſuperiorem Germaniam itur, tantummodo reſpicit. Eius latitudo, quę à Piſcheria Veronenſi oppido, vſq; Endennam Bergomatum oppidum ſummenda venit, 67. milliaria: longitudo verò, cuius fines ſunt Caſale maius, Cremonenſe oppidum, atq; ad Padi fluminis famoſi ripam ſitum, & Burnum Brixienſe oppidum, 90. milliaria continent. Complectitur præterea hæc Prouincia 3. ciuitates, Brixiam ſcilicet, Bergomum, atq; Cremam: & 4. lacus piſcium feraciſſimos, nempe Benacum, Iſchium, Endennium ſiue Spinonium, atq; Idrim: & 5. flumina, Cliſim videlicet, Mellam, Serrim, Oleum, atq; Bremum. Vtebatur olim huius Prouinciæ Miniſter quodam ſigillo, cui diui Apollonij Epiſcopi, & SS. martyrum Fauſtini & Iouitæ imagines, cum eorundem nominibus, nulla interim Prouincię ipſius facta mentione, inciſę exiſtebant. Sed cùm ea prorſus de cauſa aliarum Prouinciarum patribus contemptui eſſet, is qui ſuperioribus hiſce diebus ad eiuſdem Prouincię clauum ſedebat, ſigillum mulltò elegantius, ex patrum conſenſu, efformandum curauit. Cuius inſignia ſunt, Chriſtus dominus cruci C affixus, & glorioſa eius Mater, & B. Euangeliſta Ioannes omnino ſtantes: quorum iſte crucis leuam, illa verò dexteram tenet. Eiuſdem autem crucis titulum ſol, & luna, ſed quod reliquum eſt eius plures ſtellæ exornant. Sub cuius etiam baſi genuflexus Patriarcha Franciſcus, inter duas arbores, ac brachijs in crucis modum extenſis, tanquam admiratione perfuſus orat. Eius deniq; ſigilli oram ſequentes literæ, de noſtro more, ambiunt: videlicet. SIGILLVM. ✠ PROVINCIÆ. ✠ BRIXIÆ. ✠ ORDINIS ✠ FRATRVM ✠ MINORVM ✠ OBS. Sunt enim Brixiæ ciuitatis, à qua, tanquam à digniori, Prouincia etiam ipſa ſibi nomen aſciuit, patroni beati martyres Fauſtinus & Iouita, eaq; de cauſa illos ſibi graphicè depictos præferre volui. Continet præterea hæc Prouincia decem monialium monaſteria.

B

De conuentu S. Ioſephi Brixiæ. Conu. I.

D INTER reliquas Venetæ Reipub. ſubactas ciuitates Brixia, Tranſpadana vrbs, atq; à Cœnomanibus condita, non infimum locum tenet: Eſt ſiquidem opulentiſſima, ferriq; mineralibus abundat, & ad 100. milliaria eius territorium protenditur. Cuius pinguiſſima arua (tanta eſt eius planities) fontium fluminumq; aquis, quibus maximè ſcatent, dum opus eſt, irrigantur. Cùm igitur hæc ciuitas bello, circa annum Dominicæ Incarnationis 1517. quateretur, duæq; eccleſiæ, diuis Apollonio atq; Roccho ſacræ, quòd extra mœnia ſitæ, peropportunum hoſtibus latibulum miniſtrarent, negotiumq; aliquando ciuibus faceſſere poſſent, ex ſenatus decreto, annuente tamen Leone X. Pont. max. euerſæ penitus fuiſſent, hic conuentus, ijſdem ſanctis atq; B. Ioſepho ſacrandus, ex earum materia, iuxta præfati Leonis X. præſcriptum, intra eiuſ-

tra eiuſdem Brixianæ ciuitatis muros, eleganter ſatis, ſatisq; auguſtè conſtructus extitit. Nam & longitudine, & latitudine, atq; etiam pulchritudine cæteras antecellit eccleſias: eaq; de cauſa etiam ipſa cathedrali eccleſia Brixianis frequentior eſt: Cuius chorus, ſimulatq; reliquæ domus refectorium, atq; etiam dormitorium ita à paucis diebus refecta, reſtaurataq; ſunt, vt omnibus huius Prouinciæ locis palmam facilè præripiat. Incolitur præterea hic locus à 40. fratribus, & aliquando à 50. interdum verò à 60. pro vt ſeſe occaſio offert: Quapropter primum ſibi locum aſſignare voluimus. Templum verò die 4. Octobris, anno tamen Domini 1519. à R. Matthia Vgono ex Brixia oriundo, atq; Epiſcopo Famaguſtano, vtroq; Brixienſi ſenatu, Eccleſiaſtico ſcilicet atq; laico aſtante, in honorem SS. Apollonij, Rocchi, atq; Ioſephi dedicatum fuit. Qui quidem pientiſſimus Epiſcopus crucem, SS. reliquijs refertam, eius ſacrario moriens, ex teſtamento, anno Domini 1536. die verò menſis Iunij 27. legauit: & apud fratres in eccleſia à ſe conſecrata humari voluit: inſuper & bibliothecam doctiſſimo libello à ſe edito ſed manu ſcripto, cui vitiorum liber titulus eſt, locupletauit. A B

In huius loci archiuo inuenire licet apoſtolicum Sixti IV. breue, quo Franciſcanis fratribus ſucceſſio ab inteſtato interdicitur: Et aliud Alexandri Papæ VI. breue, quo Minorum Miniſtris, ac Guardianis aliquorum ſibi caſuum reſeruatio, à quibus nullus inferior ab eis abſoluere poſſit, conceditur: & Franciſcanis è Religione egreſſis hæreditaria ſucceſſio prohibetur: & fratribus noſtris Illyricũ habitantibus facultas datur, vt nauigantibus Pœnitentiæ, atq; Euchariſtiæ ſacramenta, ex apoſtolica auctoritate, miniſtrare poſſint: Et aliud eiuſdem Alexandri breue, quo huius noſtri Inſtituti Generali, ac etiã Prouincialibus Miniſtris fratres incorrigibiles, dummodo maior Capituli pars conſenſerit, habitu ſpoliare, ac ab Ordine expellere licet: Et Leonis Papæ X. bullam, qua huius monaſterij fratribus hortus extra mœnia cum ędificandi ibidem ſacelli facultate conceditur: Et apoſtolicarum eiuſdem Leonis X. literarum tranſumptum, quo interdictum Minoriticas comprehendens eccleſias diffuſè præſcribitur: Et aliud quoq; eiuſdem Leonis X. tranſumptum, quo præcipitur, vt fratres noſtri eum in proceſſionibus alijsq; publicis actibus locum habeant, quem & Conuentuales Franciſcani patres, ante ſeparationem ab Obſeruantibus, obtinebant: Et aliud eiuſdem Leonis X. indultum, quo præfatas SS. Apollonij, atq; Rocchi eccleſias demoliri, hancq; ſancti Ioſephi Brixianis conſtruere liberum fuit. Ac tandem quoddam Clementis VII. ſummi Pontif. tranſumptum, quo fratrum noſtrorum Miniſtris Prouincialibus, ſimul atq; Guardianis ſemel redigendi ad certam pecuniarum ſummam legata ſibi ex teſtamentis relicta, ex conuentione cum teſtatorum hæredibus facta, dummodo id per Procuratores fiat, & neceſſitas expoſtulet, facultas conceditur. Sub ſeptimo huius ſacræ ædis altare, portam ingreſſis ad leuam occurrente, quod Apoſtolo Andreæ ſacrum exiſtit, SS. Siluini, XII. Brixienſis Epiſcopi, atq; Ruſtitiani, XXII. eiuſdem Brixiæ ciuitatis Epiſcopi corpora recondita ſunt: quibus duæ tabellæ propria nomina exprimentia adiacent. Hæc ſacra pignora, cùm in eccleſia diui Apollonij humata eſſent, ne ea demolita prophanationi exponerentur, ad hunc locum, ex Leonis X. ſummi Pontificis mandato, tranſlata fuêre. Sub ara verò, diuo Roccho erecta, corpus S. Vrſicini, Brixienſis quoq; Epiſcopi, iacet. Atqui beatus pater Franciſcus ab Aragonia parietem primi ſacelli, quod iuxta clauſtri oſtium ad dexteram occurrit, pro ſepultura adeptus eſt. C D

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Bergomi. *Conu. II.* E

BERGOMVM Tranſpadana ciuitas, ob ciuium peregrinationem, quos eius ſterilitas aliò tranſmigrare cogit, omnibus notiſſima eſt: Qui licèt rerum inopes, in Chriſti tamen pauperes, præſertim verò in religioſos, liberaliſſimi ſunt, prout hic conuentus, ex eorum ſumptibus, circa annum Dominicæ Incarnationis 1422. ſed extra antiqua ipſius vrbis mœnia, ædificatus facillimè indicat: Cuius ſitum deuotus quidam Bergomas, Petrus ab Alſano nomine B. P. Bernardino contulit. Authenticum præfatæ collationis inſtrumentum, actum Bergomi 27. Iunij, anno Domini 1422. imò & apoſtolicum Sixti IV. Pont. max. breue, ſub datum Romæ 12. cal. Martij, anno Domini

A mini 1471. Pontificatus verò ſui primo, cuius virtute hæc Prouincia à Mediolanenſi ſeiuncta eſt, in huius ſacræ ædis archiuo aſſeruantur. In cuius etiam ſacrario altera ex ſpinis Dominicæ coronæ, fragmentulum Dominici etiam præſepis, aliquantulum ex thure puero Ieſu à Magis oblato, & aliquot SS. Andreæ Apoſtoli, Cyriaci, Vrbani, Romaniq; martyrum, Benedicti Abbatis, ſanctæ Agathæ virginis & martyris, atq; vndecim millium virginum oſſa, ſumma veneratione, cuſtodiuntur. Huius deniq; monaſterij tanta eſt capacitas, vt 35. fratres frequẽtius contineat, plures etiam ſi adeſſent commodè contentura. Diem hoc in loco clauſit extremum, anno Domini 1460. B. P. Daniel à Nimbro, miraculis illuſtris; quemadmodum & libellus quidam, cui titulus Bergomẽſis vinea, & chirographum, inſuper & ſigillum cuiuſdam apud Bergomates Inquiſitoris, ibidem appoſita, liquidò conteſtantur. A parte huius ſancti templi poſteriore inuiſere licet Chriſti Domini ſeruatoris noſtri, crucem baiulantis, imaginem, quæ ſuB perioribus annis, quadrageſimali tamen tempore, miraculis coruſcare cœpit, adeò vt vndique fideles ad eam confluerent. Ex quorum etiam oblationibus, ara, ſacellumq;, ad Miſſas celebrandas, ibidem ſatis eleganter conſtructa ſunt. Cuius quidem deuotionis, atq; miraculorum hæc fuit origo: Dum caſu die quadam fortius plueret, ac quidã adoleſcens, qui adhuc ſupereſt, celeriori gradu pluuiæ vitandæ cauſa illâc pertranſiret, oculorum aciem fortè fortuna in huiuſmodi Chriſti imaginem direxit, ſanguinemq; ex ſacro eius capite profluentem conſpexit: quapropter ſui oblitus, ac genuflexus clamitare cœpit, miraculum, miſericordia, & his ſimilia. Quod cum conuicini audiſſent, atq; ad eundem locum tenderent, vniuerſa ciuitas commota fuit. Re tamen ad illuſtriſſimum Borromeum, Mediolanenſium Archiepiſcopum, atq; S. R. E. Cardinalem, nec non tunc diœceſis Bergomatis apoſtolicum Viſitatorẽ, delata, Bergomum is accedens, C atq; ſuperſtitionem, ſub ſpecie pietatis latentem, prudenter pertimeſcens, iubet ſacellum de nouo erectũ deſtrui. Cùmq; Bergomas ſenatus eius imperio reſiſteret, aſſereretq; vniuerſam ciuitatem commouendam, atq; facilè in ſeditionem proruptura͂, quòd maxima in huiuſmodi locum deuotione, ac religione ferretur, ſubiecit grandæuus quidam, ac pius Bergomatis eccleſiæ canonicus, maturiori conſilio eo in negotio procedendum fore: inſuper & recentiſſimum huiuſmodi miraculum in medium adduxit: Pauperculam ſcilicet mulierem, à quindecim annis claudam, viribuſq; omnino exhauſtam, quæ & pro optata ſalute aſſequẽda, quicquid bonorum obtinebat, conſumpſerat, ac depauperata omnino ad commune ciuitatis xenodochium ſe contulerat, poſt Miſſæ eo in ſacello auditionem, ac voti à ſe emiſſi ſolutionem, integram ſoſpitatem ex tempore, toto circunſpectante populo, aſſequutam fuiſſe. Quapropter præfatus CardinaD lis Borromeus, diligenti de huiuſmodi miraculo examine habito, eiuſq; veritate comperta, à propoſito deſtitit, ſuaq; etiam vota præfatæ imagini humillimè obtulit.

De conuentu S. Mariæ Coronatæ Martinengi. Conu. III.

QVANTA fuerit illuſtriſſimi, ſimulatq; pientiſſimi Bartholomæi Caleonis, Venetorum Ducis, ad Chriſti ſeruos, deuotio, ex tribus monaſterijs, à ſe conſtructis, liquidò patet. Quorum alterum, ſub nomine Baſella, euntibus ab hoc oppido Martinengo Bergomum, medio in itinere, occurrit, Dominicaniſq; patribus deſeruit: alterum verò intra huiuſmet oppidi ſepta, ſub inuocatione S. Claræ, ſurrigit, & à Clariſſis ſororibus inhabitatur: ſed tertium ijſdem muris cinctum, & S. Mariæ Coronatæ ſacrum, à 12. fratribus incolitur. Ædificauit quoq; pijſſimus idem Bartholomæus BerE gomi xenodochium famoſiſſimum, quod & nomine Miſericordiæ inſigniendũ, ac plurimis opibus, redditibuſq; dotandum curauit. Multa etiam & alia his ſimilia beneficia præſtitit, quæ tamen, quòd non ſint præſentis ſpeculationis, prætermittenda cenſui. Hoc tamen vnum ſilentio non præteribo, quòd videlicet huius loci ſacriſtiam pretioſiſſimis ornamentis, aureiſq; calicibus, & argenteis, inſuper & alijs iocalibus, atq; cæteras conuentus officinas omnibus neceſſarijs abundè inſtruxerit. Cui deniq;, ad pium huiuſmodi opus præſtandum, Sixti IIII. Pont. max. auctoritas, cuius apoſtolicum breue, ſub datum apud ſanctum Petrum Romæ 18. Septembris, anno Domini 1475. Pontificatus verò ſui v. in huius loci archiuo aſſeruatur, affectu paterno fauit.

De conuentu S. Mariæ Endennæ. Conu. IV. A

ENDENNA oppidum 12. millibus paſſuum à Bergomo diſtat, ſitumq; eſt in media ſteriliq; valle Brembana, eaq; de cauſa, quotquot ibi commorantur, pauperie præmuntur. Olim quidem, plurimis mercatoribus ibi degentibus, melius illis fratribusq; noſtris erat: quibus tamen vel mortuis, vel aliò profectis, & iſti atq; etiam illi, quoad victum, cæteraq; vitæ neceſſaria dant pœnas: Nam ea vallis nec vini, nec tritici, nec etiam fructuum ferax eſt, nec, à quibuſdam paſcuis, boni aliud quidquam habet. Prope hoc igitur oppidum præfati mercatores hanc ſacram ædem, ex Innocentij IV. ſummi Pont. auctoritate, in honorem Deiparæ virginis Mariæ, circa annum à partu Virgineo 1488. à fundamẽtis ad apicem vſq; extruendam curarunt: quam 5. tantùm fratres, ſuperioribus de cauſis, miſerrimè inhabitant. B

De conuentu S. Mariæ de Pace Alſani. Conu. V.

ALSANVM mediocre oppidum eſt, Bergomoq; ad 14. paſſuum diſtat, cuius etiam iuriſdictioni ſubiacet. Cumq; opibus non abundet, Minoriticum tamen conuentum, ſub titulo B. Mariæ de Pace, apud ſe habet, ac 8. fratres eius habitatores omni beneuolentia, omniq; liberalitate proſequitur. Cuius ſitum ab Alſanenſib us collatum olim fuiſſe nouimus. Sed quis erecti ibidem ædificij, quod nondum vltimam artificis manum expertum eſt, author fuerit, non ſatis conſtat. Crediderim tamen illud ex Alſanenſium, aliorumq; eleemoſynis, fratrum diligentia conquiſitis, promotum. Huius patriæ aër ſalubris omnino, temperatusq; eſt, ac hominum ſaluti ſummopere confert, eiusq; incolæ prudentes ſunt, ac religioſorum obſeruantiſſimi. C

De conuentu beatæ Mariæ Gandini. conu. VI.

GANDINVM Tranſpadanum oppidum eſt, diſtatq; à Bergomo eius metropoli 15. millibus paſſuum, cuius accolæ plus cæteris lanifico incumbunt. Vix enim vnus inter eos inuenitur, qui huiuſmodi opificio non ſtudeat. Alius ſiquidem lanam lauat, alius mundat, ille vngit, iſte fila ex colo deducit: hic eadem fila contorquet, net, orditur, texit, componit, atq; adaptat. Qui verò ditiores ſunt, diuerſi coloris pannum ad nundinas, totiusq; Italiæ, imò & Germaniæ ſuperioris emporia, deferendum curant. Quo fit vt ipſorum oppidum cæteris Bergomatibus diuitiarum palmam facilè præripiat. Sunt etiam Gandinenſes religioſis addictiſſimi, ſummeq; benefici; prout argumento eſſe poſſunt hoc ſacrum monaſterium, B. virgini Mariæ dicatum, communibusq; eorum ſumptibus ædificatum, atq; 18. fratres eius inquilini: qui eos in omni euentu, atq; in omni neceſſitate ſibi promptiſſimos experiuntur. Conſtructum fuit hoc monaſterium auctoritate Sixti IIII. Pont. max. anno Dñi 1481. D

De conuentu S. Mauritij prope Iſchium. Conu. VII.

DELICIOSVS re vera, atq; ſaluberrimus eſt hic conuentus, diuo Mauritio ſacratus, & à 12. fratribus incultus: Cùm in iugulo cuiuſdam ſcopuli, ad marginem Iſchij lacus, ſitus, optima aura, pulcherrimoq; proſpectu gaudeat. Hinc enim Camonicæ vallis planitiem, Oleo flumine allutam iſtinc, verò Iſchium lacum piſcibus abundantiſſimum, perpetuoq; nauigabilem: atqui illinc editiſſimos montes niuibus, tum in æſtate, tum quoq; in hyeme albeſcentes, amœniſſimè proſpicit. Præterea tanta eſt hoc in loco aëris tenuitas, vt cuiuſuis generis catarrum longius ab hominum capitibus propellat, humanasq; aetates abſq; morbo longius deducat. Quapropter inſulæ tantùm Gardæ in tota hac Prouincia ſiue de amœnitate ſiue de ſalubritate, ſiue etiam de rerum copia agamus, cedit. Huius igitur amœniſſimi conuentus authores fuêre Lucrenſes, qui eum, ex facta ſibi facultate, vt ex publico quodam inſtrumento, acto 21. Aprilis, anno Domini 1448. atq; in eius tabellario aſſeruato, liquido conſtat, à fundamentis erigendum, omnibusq; ſuis numeris, ſumma liberalitate, abſoluendum curarunt: qua & eius fratres, vſq; in hodiernum diem, proſequuntur. Diſtat hic locus tum à Bergomo, tum quoq; à Brixia triginta millibus paſſuum. E

De conuentu

A *De conuentu S. Mariæ Lucris. Conu. VIII.*

DISTAT præcedens S. Mauritij conuentus à Lucris, Tranſpadano oppido, mille paſſibus ad minus: ſed præſens, S. Mariæ ſacratus, mœnibus eiuſdem oppidi cingitur. Vtriuſq; tamen vnus & idem author fuit, nempe pia Lucrenſis communitas. Sed hic multò maior, multòq; auguſtior illo eſt, facileq; conuentui S. Ioſephi comparari poſſet, licèt, Lucrenſibus ſumma omnium rerum penuria laborantibus, vixq; neceſſaria Religioſis ſubminiſtrantibus, 14. tantùm fratres modò contineat. Eadem ſiquidem eſt Lucrenſium, atq; Endenſium (quorum ſupra meminimus) conditio: nam ſicut plurimi olim, ijq; ditiſſimi mercatores iſtis conuixerunt, ſucceſſuq; temporis ad alia loca dilapſi ſunt, ita quoq; & illis: qui tandem ab eis diſcedentes, om-
B nes ſecum diuitias aſportarunt. Ablato enim à Lucrenſibus mercimonio, vt fame præmantur neceſſe eſt: Nam ipſa patria, ſicut & Endenſis, ſterilis omnino, atq; infructuoſa eſt. Hinc fit vt ſummo labore, ſummaq; difficultate, tum iſtius tum quoq; illius, ſancti ſcilicet Mauritij conuentus, fratribus neceſſaria ſuppeditent, & vtriq; inopia laborent.

De conuentu S. Bernardini Cremæ. Conu. IX.

CREMA Tranſpadana, nouaq; vrbs eſt, muro, vallo, atq; ſcaturienſibus aquis munitiſſima: inſuper & ciuium generoſitate, atq; in ſapientes propenſione, & liberalitate clariſſima. Quam & à Cremando, quòd Cremenſis quidam ligneum Crucifixum aliquando combuſſerit, Cremæ nomen ſortitam volunt aliqui. Quod tamen mihi minimè probatur: ſed magis arridet, id quod in Brixienſibus chronicis contine-
C tur: Quoſdam ſcilicet catholicos Patraſſianos, eorum ciuitate Patraſſo, quæ in Mediolanenſi territorio aliquando ſubſtitit, ob hæreticam prauitatem ibi ſæuientem, funditus euerſa, ne illi aſſentiri viderentur, patrijs laribus, proprijsq; Penatibus relictis, ad hunc locum ſe contuliſſe, atq; huic ciuitati Cremæ initium dediſſe. Si tamen aliqui Cremam à cremando dictam velint: quòd eius ciues charitate in Deum, & proximum, pietate in pauperes, fidelitate in proprium Principem, atq; in noſtros fratres affectu crementur, ab his minimè diſſentio. Nam id eorum deuotio, liberalitas, atq; in noſtrum Ordinem munificentia facillimè indicant. Cùm enim quendam conuentum, ſub inuocatione S. Bernardini, circa annũ Domini 1455. ex conceſſione Eugenij IIII, ſummi Pontificis, aliquantulum à mœnibus erigere cœpiſſent, atq; eum, ſæuiente inter Venetos & Mediolanenſes bello, ne hoſtium inſidijs paterent, funditus euertiſ-
D ſent, hunc, atq; alterum (de quo paulò inferius) eius ſucceſſores, ex facta ſibi, anno Domini 1515. à Leone X. Pont. max. facultate, intra eiuſdem ciuitatis muros, ſub eadem ſancti Bernardini inuocatione, conſtruendos curarunt. Apoſtolicum præfatæ conceſſionis breue penes octodecim fratres huius loci accolas maxima cura aſſeruatur.

De conuentu S. Mariæ Planengi. Conu. X.

PLANENGVM pagus eſt, diſtatq; à Crema ad duo millia paſſuum: cuius tanta eſt pauperies, vt nec proprium curatum, qui ſibi ſacramenta miniſtret, alere poſſit. Ei deniq; conſulturus, ac propriæ deuotioni ſatisfacturus pius Cremenſis ſenatus, hanc ſacram ædem, ex facta ſibi à Martino V. Pont. max. facultate, in B. Mariæ, anno ſui Pontificatus primo, à fundamentis ad verticem vſq; extruendam
E curauit. Non quidem ex Planengenſium, ſed ex proprijs facultatibus. Octo fratres eius inquilini, qui & pijs Cremenſium largitionibus aluntur, Cremenſis Epiſcopi facultate, à quo & annuã eleemoſynã eapropter recipiunt, Parochi officio viciſſim Planẽgi fungũtur: eiusq; paganis ſacramenta miniſtrant, & Dei verbũ de ſuggeſtu proponũt.

De conuentu S. Franciſci de Pace Vrceæ. Conu. XI.

VRCEVM Brixienſis diœceſis oppidum eſt, Brixia quidẽ 20. millibus paſſuum diſtans, & inſuperabili fouea, aquiſq; perennibus, ac firmiſſimo aggere, propugnaculiſq; munitiſſimum. In quo ex impetrata, anno Domini 1486. à ſummo tunc Pontifice ſedente, atq; à Ludouico XI. Francorum Rege, eodem tempore Mdiolanen-

ſibus

ſibus imperante, facultate, Vrceana communitas hanc ſacram ædem, ſub inuocatione B.P.Franciſci de Pace, communibus ſumptibus, atq; eleganter ſatis conſtrui fecit. Affluit hæc patria peroptimo ſubtiliſſimoq; lino: quapropter fratres huius loci accolæ, qui numero ſunt 18. hyemali tempore, à mulierculis huiuſmodi linum adaptātibus mirum in modum diuexantur, inquietanturq;. Eo in pariete, qui ſacellum immaculatæ Conceptionis Virginis glorioſæ à ſacello vndecim millium virginum diſtinguit, fruſtū eius columnæ, ad quam Chriſtus dominus pro nobis alligari voluit, aſſeruatur. Ad leuam verò ſummi altaris, in quadam fabrefacta feneſtella, pars ſanctiſſimæ crucis eiuſdē Seruatoris Chriſti cuſtoditur. Atqui in ſacrario ſacroſancta aliquot SS. Pauli Apoſtoli, Marij martyris, Maximi itidē marty. oſſa, atq; particula crucis boni Latronis habent. A

De conuentu S. Mariæ de Aguzano. Conu. XII. B

DISTAT à ſuperiore loco hic conuentus, B.Mariæ de Aguzano ſacratus, bis mille paſſibus: qui, iuxta ſeniorum traditionem, à B.P.Bernardino de Senis primò occupatus fuit. Idq; & aliquot eius imagines, anno Domini 1438. depictæ, & ipſius diſpoſitio loci, qui ſolitarius, ab hominum frequentia ſemotus, & denſiſſimis quercubus conſitus eſt, ſatis indicant. Amabat ſiquidem beatus ipſe pater Bernardinus, ſicut & alij eius temporis religioſi, ſyluatica huiuſmodi loca. Continet nihilominus hæc ſacra ædes 12. fratres, illisq; neceſſaria, licèt ſatis frugaliter, miniſtrat: quam ſcaturientes vndique aquæ amœniorem, aduentantibusq; populis commendatiorem reddunt.

De conuentu S. Bernardini Clararum. Conu. XIII.

QVAMVIS Clarenſis communitas diuitijs minimè affluat, imò potius ægeſtate, vniuerſa eius ditione lapidibus penè obruta, qua etiā de cauſa plus milij, quàm tritici ſubminiſtrat, opprimatur: hunc nihilominus conuentum, B. P. Bernardino de Senis ſacrum, ex facta ſibi, anno Domini 1457. à Nicolao V.Pont.max.facultate, vnico tantùm milliari à communi eius oppido Claris, quod Brixienſi iuriſdictioni ſubiacet, communibus ſumptibus extruendum, V.P.F.Bonauenturæ à Plantanidis, tunc Mediolanenſis Prouinciæ Vicario, vt cæterorum catalogo aſcriberetur, conferendum curauit. Cuius capacitas tāta eſt, vt commodè 14.fratres continere valeat. Aquis tantùm abundat adiacens huic domui patria, quibus prata facillimè irrigari, adaquariq; poſſunt. C

De conuentu S. Bernardini Herbuſci. Conu. XIIII.

ROGATVS B.P.Amadeus à deuotis quibuſdam Brixienſibus hunc conuentum, B.P.Bernardino ſacrum, ac eorundem ſumptibus, maiori ex parte, prope Herbuſcum Brixienſis diœceſis pagum, extructum, & 14. milliarijs Brixia diſtantem, ex ſummi Pontificis auctoritate, anno à partu Virgineo 1465. accepit, promouitq;. Idq; ita eſſe ex libro, cui titulus vita B.P.Amadei eſt, facillimè conſtat. Profectò ſi hæc patria adeò tritici, quemadmodum & vini ferax eſſet, pinguior 14. fratribus huius loci accolis arrideret fortuna, quàm impræſentiarum arridet: Cùm panem ex frumento, ordeo, leguminibusq; ſubactum, eumq; non absq; maximo labore emendicatum, comedere cogantur: Qui interim ſacras quaſdam S.Pantaleonis martyris reliquias, nec non & fragmentum eius columnæ, ad quam Chriſtus Dominus alligatus fuit, inſuper & particulam Dominici ſepulchri, maxima veneratione & obſeruantia, cuſtodiunt. D

De conuentu Annunciationis B. Mariæ Burni. Conu. XV.

HIC quoq; conuentus, Annunciationi virginis Mariæ ſacer, ac in valle Camonica, longiuſculus ab oppido Burno, conſtructus, à B. P. Amadeo, ex apoſtolica facta facultate, acceptus fuit. Qui poſt ipſius mortem, Paulo II. Pont. max. annuente, cuius literæ in forma breuis datæ apud S. Petrum cal. Auguſti, Pontificatus verò ſui anno v. in huius loci tabellario aſſeruantur, à fratribus Petro, ac Ioanne Bernardo, de Tertio Seraphici patris Franciſci Ordine, maiori ex parte, atq; ex diuerſis eleemoſynis, maximo labore partis, promotus, inhabitatusq; fuit. Sed ijs vita functis, in huius Prouinciæ ius, Burnenſibus id maximè ſolicitantibus, ceſſit. Eſt enim hic lo-

A cus 12. fratribus eius accolis difficillimus; cum eis, quocumq; pergere velint, aſcendendum ſit: eaq; de cauſa illlis conceditur, vt triticum, tempore meſſis, per areas, emendicatum, in horreum inferre poſſint, vt inde ſuis neceſſitatibus ſatisfacere queant.

De conuentu S. Mariæ de Brixianore Caſtrueli. Conu. XVI.

CASTRVLEVM oppidum ad Cremonenſem diœceſim ſpectat, diſtatq; à Cremona, antiquiſſima Galliæ Ciſalpinæ vrbe, 18. milliarijs, & à Placentia, Galliæ Togatæ ciuitate, totidem, ſed à Brixia 6. tantùm. Longiuſculus igitur ab hoc oppido excellentiſſima Blandſmaria, Mediolanenſium Duciſſa, ob ſummam in Deum pietatem ac in Franciſcanos beneuolentiam, hunc, conuentum, B. Marię de Brixianore, quem 18. fratres frequentius inhabitant, ſacrum, ex Pij II. ſummi Pont. facultate, circa annum
B Domini 1461. erigendum, perficiendumq; curauit. Huius loci accola aliquando fuit B. P. Amadeus, hicq; duplicem Elię ſpiritum imbibit: prout eius oratorium, atq; eremiticæ quædam cellulæ, quæ adhuc ſuperſunt, facilè indicant. Beatorum patrum Franciſci, atq; Laurentij corpora hac in eccleſia requieſcunt, quorum ſanctitas conuicinis populis in propatulo eſt. Nec huius loci habitatio, in cuius archiuo apoſtolicum Pij II. breue, eius fundationem concernens, aſſeruatur, fratribus præcedente facilior eſt: cùm panem ad vitæ ſuſtentationem neceſſarium, per viciniora loca, vijs interim niuibus, luto, atq; aquis obſeſſis, quotidie hoſtiatim emendicare cogantur.

De conuentu S. Mariæ de Angelis Pratalbuini. Conu. XVII.

LICET Pratalbuinum, Tranſpadanum oppidum, à Brixia 20. & à Cremona 14.
C tantùm milliaribus diſtet, Brixienſi tamen iuriſdictioni ſubeſt. Ad ſecundum igitur lapidem ab hoc oppido conſtructus perſeuerat hic conuentus, virgini Marię de Angelis ſacratus: cuius author inueſtigari minimè potuit. Sunt tamen, qui aſſerant, eum communibus præfati oppidi ſumptibus ædificatum fuiſſe. Quod an ita ſit ex ſcripturis, quas illuſtris familia Gambara penes ſe habet, facillimè expiſcari poſſet. Inhabitatur interim ſacra hæc domus à 22. fratribus: quibus vitæ neceſſaria abundè ſatis miniſtrat. Nec mirum ſanè, cùm adiacens patria fertilis ſit omnino, & eius inquilini noſtræ Religioni, pluſquam dici poſſit, afficiantur, fratresq; ingenti amore proſequantur.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Quintiani. Conu. XVIII.

CVM oppidi Quintiani, quod 20. millibus paſſuũ à Brixia diſtat, attinetq; ad eius
D diœceſim, habitatores B. P. Amadei, eiusq; ſociorum ſanctitatem, & vitam accepiſſent, vnius apud ſe erigendi conuentus facultatem, per quendam Theodorum, eorum Archipresbyterum, à Paulo II. Pont. max. obtinuerunt. Qua deniq;, apoſtolicarum duplicium literarum, quarum aliæ vij. cal. Maij, anno verò Domini 1468. ſed Pontificatus ſui v. aliæ autem iij. nonas Nouembris eiuſdem anni, expeditæ fuerunt virtute, obtenta, hanc ſacram ædem, in honorem S. Mariæ de Gratijs, prope pręfatum commune oppidum Quintianum, ex publicis facultatibus, è veſtigio omnino ædificandam curarunt. Quam & 16. fratres inhabitant: & ſequentes ſanctorum reliquiæ celebriorem reddunt: Nempe SS. Philippi, atq; Iacobi Apoſtolorum, S. Io. Euangeliſtæ, SS. Dionyſij martyris, Ioannis Papæ & martyris, Mauritij martyris, Tran-
E quillini martyris, atq; S. Alberti itidem martyris: & SS. Roſæ, Sophiæ, atq; Agathæ virginum & martyrum: & particulæ quædam Dominici præſepis, Dominici itidem ſepulchri, domus Lauretanæ, Zonæ ſancti Ioannis Baptiſtæ, pallioli, atq; habitus ſancti Bonauenturæ Cardinalis, & pallioli etiam, ac cilicij beati patris Amadei.

De conuentu S. Mariæ de Curtemilia Rebecci. Conu. XIX.

ET ſi minimum omnium huius Prouinciæ monaſteriorum ſit id, quod prope Rebeccum oppidum, in honorem S. Mariæ de Curtemilia, à Rebeccanis conſtructum extitit: cùm 5. ad ſummum fratres, interdum verò 4. & frequentius 2. ob ædificij imperfectionem, tantùm contineat. Minimè tamen eapropter aſpernandum contemnendumq; venit. Subminiſtrat ſiquidem honeſtè ſatis eius habitatoribus omnia

ad victum, atq; amictum neceſſaria. Diſtat præfatum oppidum Rebeccum ab vrbe Brixia 21. milliarijs, ſed à Cremona, cuius iuriſdictioni ſubeſt, nouem tantùm. Sunt tamen aliqui, qui ſub dubio conſtituunt huius loci ædificationem: An videlicet à Rebeccanis, vel potius ex peculiaribus alicuius eleemoſynis erectus conſtructusq; ſit. A

De conuentu S. Bernardini Inſulæ Douarenſium. Conu. XX.

PARVIT olim hæc inſula illuſtri Douarenſium familiæ, à qua & nomen vſurpauit. Ab ea tamen, poſt aliquot annos, ad illuſtriſſimam Gonzagarum proſapiam deflexit. Cauſa autem quare id acciderit, cùm non ſit præſentis ſpeculationis, in medium afferre nolui. Cùm autem hæc inſula, quæ 18. milliaribus à Cremona, Galliæ Ciſalpinæ ciuitate, diſtat, præfatæ Douarenſium familiæ ſubeſſet, tantùm ab ea publici beneficij cauſa retulit fundi, quantum huic conuentui, elegantiſſimè conſtruendo, colluſtrandoq; ſat eſſet: Nam à ſolo tum eccleſiæ, tum quoq; monaſterio, ac cæteris officinis neceſſario, tantum terræ reſiduum fuit, quantum peramœno prato, nemori, atq; capaciſſimis hortis ſuffecerit. Vnde quanta fuerit illuſtrium illorum fundatorum atq; heroum ad noſtrum Ordinem deuotio, quantaq; animi perpenſio, facillimè colligi poteſt. Huius quoq; loci eccleſia, quæ & elegantiſſima eſt, contiguumq; habet clauſtrum omnino ſumptuoſum, ab iiſdem Douarenſibus eleganter ſatis, ſatisq; magnificè, pro oppidanorum conditione, conſtructa fuit. Idq; & eorum inſignia, atq; gentilitia nomina, antiquo cuidam ſepulchro impreſſa, facillimè indicāt: imò & liquido commonſtrāt eorū & ad Deum pietatem, atq; ad Franciſcanam Religionē, tum ſingularem beneuolentiam, tum quoque intimum affectum. Paret verò modò præfata Douarenſium inſula illuſtriſſimo Ferdinando Gonzaga S. Imperij Marchioni & Principi, ac germano fratri meo, cuius ad Deum pietatem, ac pro exaltanda fide catholica zelum, nec nō & in religioſos, maximè verò noſtri Ordinis, procliuitatem, & ſanguis in Belgio aduerſus hæreticos votifragoſq; effuſus, & acta ipſa probent, cæteriq; extranei narrent, ne interim ſanguini atq; carni plus æquo indulgere videar. Commorantur deniq; hoc in conuentu, qui amœniſſimus eſt, 18. fratres, qui tum ab oppidanis, tum quoq; ab eorum Principe ſatis liberaliter aluntur, ſuſtentanturq;, omnibus neceſſarijs inſtruuntur. B C

De conuentu S. Mariæ de Populo Riparoli. Conu. XXI.

PARET Riparolum in ſpiritualibus quidem Cremonenſi Epiſcopo, ſed in temporalibus ſtrenuo heroi ac Duci Veſpaſiano Gonzaga cuius matrix eccleſia, cùm longius à fidelium domibus diſtaret, alia primùm in eius meditullio ædificata venerabili patri ac fratri Euangeliſtæ à Caſali, ad illuſtriſſimi tamen Federici Gonzaga, Mantuanorum Marchionis, inſtantiam, anno Dominicæ incarnationis 1516. à deuoto Thoma Roſello Riparolenſi Archipresbytero collata fuit. Cui etiam collationi Beſſus Duarenſis, reuerendiſſimi Hieronymi Taruiſini, Cremonenſis tunc Epiſcopi, generalis Vicarius ſubſcripſit. Accedente demum Adriani VI. ac Clementis VII. ſummorum Pontificum auctoritate, quorum apoſtolica breuia in huius loci archiuis aſſeruantur, præfata matrix eccleſia, tum ex eiuſdem illuſtriſſimi Federici Marchionis, tum ex Riparolenſium eleemoſynis, opera tamen fratrum, in iuſtum conuentum promota eſt: quam & octo fratres commodè ſatis (eſt enim patria hæc omnium frugum, præſertim verò frumenti & vini feraciſſima) inhabitant, Deoq; deuotiſſimè famulantur. D E

De conuentu S. Mariæ de Piſcibuslißis Caluatoni. Conu. XXII.

SVBSTITERAT olim ad mille paſſus ab oppido Caluatono, Cremonēſis diœceſis, atq; ad iactum lapidis ab Oleo flumine, ædicula quædam ſanctiſſimæ Mariæ de Piſcibusliſſis ſacra, atq; conuicinis populis, ob eiuſdem glorioſæ Virginis imaginem ibidem erectam, miraculiſq; inſignem, celeberrima, ſed Caluatonianæ Præpoſituræ annexa. Hanc Caluatoniana communitas, vt illuſtriorem redderet, perpetuiſq; miniſtris, qui ſolicitam eius curam gererent, inſtrueret, Innocentio VIII. ſummo Pontifici ſupplicauit, vt ſibi concedere dignaretur, quatenus, ex apoſtolica ipſius auctoritate, eam ſibi in Minoritanum conuentum promouere liceret. Quo deniq; pijs eius votis annuente,

A nuente,præfata communitas, tum ex publicis, tum quoq; ex priuatis eleemoſynis, & ædiculam,ſub antiquiori titulo, ampliauit,& annexum ſibi conuentum, octo continēdis fratribus commodiſſimum,conſtruxit,& Præpoſito, cui id debebatur,abundè ſatisfecit,atq; integrum conuentum,ſic omnino conſtructum, huic Prouinciæ adijciendum curauit. Apoſtolicum Innocentij VIII. breue,ſub datum 20. Iulij,anno Domini 1490. ſed Pontificatus ipſius vj.in huius loci archiuo cuſtoditur.Nec tędebit me vnum ex plurimis miraculis à præfata imagine editis, in tantæ Virginis gloriam, hîc referre. Cùm, ſuperioribus diebus,quædam materfamilias bulliēs lixiuium ſuper filiolæ ſibi adhærentis caput incautè fudiſſet, deſperaretq; de puellæ vita,eam protinus huic imagini deuouit. Mirabile dictu. Vix votum anxia mater emiſerat,quando virgunculam incolumem omnino,atq; illęſam recepit.Hocq; verum eſſe appenſa imagini tabella commonſtrat.

B *De conuentu S. Franciſci Aſulæ.* *Conu.* *XXIII.*

ASVLA nobiliſſimum ac ditiſſimum oppidum eſt, ſubſtatq; Brixienſi diœceſi: à cuius matrice 27. millibus paſſuum diſtat.Huius incolæ,licèt maximè inter ſe diſſideant, ſeſeq; mutuò occidant, miſerrimeq; trucident,vel Iuri ciuili,vel canonico,vel Chirurgiæ,vel arti Medicę,vel Philoſophicis literis,vel mercimonio,vel artibus mechanicis incumbunt, ita vt vix vnus inter tot reperiri poſſit, qui ocio tepeſcat. Vnde meritò ciuitatis honorem ſibi vſurpare poſſet. Nec Aſulanis in Franciſcanos deuotio deeſt: Nam illis, anno Domini 1451. ſub B.P. Ioanne Capiſtrano,tunc vniuerſæ Obſeruantis familiæ Vicario Generali, pulcherrimum conuentum,non longè à mœnibus,ex Nicolai V. Pont.max.facultate,erigendum curarunt. Quem tamen, ſexennio ab eius fundaC tione,quòd oppido tempore belli, ob eius vicinitatem,notabile damnum inferre quiret, is Dux,qui tunc Venetis præerat,funditus euertendum, ſoloq; æquandum voluit. Nihilominus legitima eius communitatis proles, ac pia imitatrix, hunc ſecundum, ſub inuocatione B.P.Franciſci,anno ſalutis humanæ 1543.ex communibus facultatibus,ac intra eiuſdē oppidi mœnia,quem & 16.fratres occupant,conſtrui,perficiq; fecit. In cuius ſacrario ſequentes ſanctorum reliquiæ,debita cum reuerentia, aſſeruantur: videlicet particulæ,maxillæ S.Ioannis Baptiſtæ, vnius coſtæ S. Pauli Apoſtoli,capitis S. Andreæ Apoſtoli,crucis ſancti Petri itidem Apoſtoli, & coſtæ etiam S. Lucæ Euangeliſtæ: quidā dens S.Mariæ Magdalenæ,alter dens S.Catharinæ virginis & martyris: aliquot oſſa ſanctorum Laurentij, atq; Sebaſtiani martyrum, & ſanctorum Vrſulæ, atq; Iuſtinæ virginum ac martyrum: aliquot crines, & partes tunicæ,atq; cilicij beatæ Claræ.

D

De conuentu S. Franciſci Iſchij. *Conu.* *XXIIII.*

CONVENTVS hic, beatiſſimo patri Franciſco ſacratus, ac longiuſculus ab Iſchio, Brixienſis diœceſis oppido,in margine tamen Iſchij lacus ſitus,antiquiſſimus profectò eſt: cùm in libro Conformitatum eius mentio fiat: & à beatiſſimo eodem patre Franciſco certò certius acceptus feratur.Inſalubri nihilominus aura gaudet: eaq; de cauſa aliquoties derelictus extitit, & vix inueniuntur fratres, quorum numerus vt plurimum ſeptenarius eſt, qui inibi commorari velint. Creditur tamen communibus Iſchianorum ſumptibus conſtructus. Hunc locum ſibi, ſuiſq; fratribus à reuerendiſſimo patre fratre Franciſco à Ruuere Sauonenſi, totius Minoritici Inſtituti Genera-

E li Miniſtro, ac poſtmodum Pont. max. obtinuit beatus pater Amadeus, inibiq; cum illis aliquandiu habitauit. Sed poſtmodum ab ijs ad huius Prouincię patres deuolutus eſt. Aliam quoque eccleſiam, glorioſiſſimæ virgini Mariæ dicatam, ac Iſchianis muris cinctam, occupant huius ſacræ ædis fratres, in qua ſingulis diebus, ex conuentione cum Iacobo de Vldefredis Iſchienſi, atque Mediolanenſium Ducis Capitaneo facta, vnam ad minus Miſſam celebrare tenentur: Qua etiam de cauſa annuam quandam eleemoſynam à præfato fundatore, ex apoſtolica auctoritate, relictam recipiunt, prout ex publico quodam inſtrumento, acto 7. Iulij, anno Domini 1360. atq; in huius loci cartophilacio aſſeruato,liquet: Cui ahærent duo apoſtolica breuia,diuerſis temporibus,& à diuerſis ſummis Pontificibus data: Alterum

quidem ab Innocentio VIII. quo huius conuentus poſſeſſio ſtabilitur: ſed alterum à Clemente VII. ſub datum menſis Martij 22. anno verò Domini 1528. quo huiuſmodi conuētio approbatur, confirmaturq;. Præfatā eccleſiam pius ipſe fundator conſtruendam curauit, eò quòd Iſchiani ſacellum ad rem diuinam audiendam non haberent. A

De conuentu S. Pauli inſulæ Iſchi. Conu. XXV.

DIFFICILLIMA ſanè eſt huius conuentus S. Pauli habitatio fratribus, cùm ab ipſo nihil penitus ſiue ædificij, ſiue etiam humanæ conuerſationis in inſula Iſchia, in cuius meditullio ſurrigit, inueniatur: coganturq; ij, qui vt plurimum ſunt 6. numero, nauigio atq; remis omnia ſibi neceſſaria quærere: Nam hæc inſula, aquis Iſchiani lacus vndiq; cincta, longius à continente diſtat: Vnde meritò huius Prouinciæ Miniſtri dicere poſſunt, hoc opus, hic labor eſt, renitentibus pro viribus ſubditis, B ne ad hūc locū deſtinētur, quoties eius familia ſtatuēda venit. Et quid mirum cum à piſcibus, qui tamen ſunt ſapidiſſimi, nihil aliud hæc inſula miniſtret? & panis, qui per ſingulos dies mēdicandus venit, eius habitatoribus, tumeſcētibus aquis, ſæpius ad manducandū deſit? A quo tamen, vel quādo hoc monaſteriū cōſtructū fuerit, minimè conſtat.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Inſulæ Gardæ. Conu. XXVI.

ANTIQVISSIMVS profectò eſt hic conuentus, B. Mariæ de Ieſu dicatus, ac in inſula Gardæ, quæ ex medijs vndis lacus Benacenſis ſurrigit, ſitus: cùm à beatiſſimo P. Franciſco, prout ex quibuſdam literis ſeraphici Doctoris, ac beati patris Bonauenturæ, quarum tranſumpta, & in huius loci, atq; etiam in Brixienſis monaſterij archiuis aſſeruantur, ſatis patet, occupatus fuerit. Ex præfatis literis, à quatuor etiam ſibi ſuccedentibus noſtri Ordinis Generalis Miniſtris confirmatis, poſſunt huius monaſterij fratres, & Mozambani, & per ſingula oppida, atq; pagos Veronenſis diœceſis, ad Benacenſis tamen lacus ripas ſitos, neceſſaria emendicare. Subſtitit olim in hac inſula Gardæ, prout dirutæ eccleſiæ, præaltæ turres, ac antiquiſſimorum ſepulchrorum veſtigia commonſtrant, pulcherrimum oppidum, quod tamen ob pyraticam artem, quam eius incolæ in tranſeuntes, ac conuicinos populos exercebant, funditus fuit euerſum. Exiſtimarim facilè hanc ædem, quem 20. fratres inhabitant, ex eius ruinis, accedentibus tamen pijs conuicinorum, tum pagorum, tum quoq; oppidorum eleemoſynis, conſtructam, qua nihil aliud habitationis in hac inſula inuenire licet: ſed ea tota, quæ mille paſſus in orbem continet, fratribus paret. Facillimè tamen eam campis Elyſijs comparauerim: Nam ibi, aëris temperie, atq; ſalubritate illis maximè fauente, nunquam homines ſeneſcunt, raroq; infirmitatibus grauantur, imò potius vegeta ſemper ætate fruuntur. Hæc proceris ficuum, atq; oliuarum arboribus decoratur: Hæcq; malis Punicis, maliſq; Medicis, atq; citris maximè abundat. In eminentiori verò eius parte ædicula quædam, S. Margaretę dicata, erecta adhuc perſeuerat, quæ tribus Epiſcopis, Tridentino ſcilicet, Brixienſi, atq; Veronenſi ſubeſt. Cui tantæ profunditatis aqua adhæret, vt neſciat demiſſus cum plumbo funis eius inuenire finem. Ex altera verò eius parte horridam cauernam conſpicere licet, quam, contemplationis vacādę gratia, diuus Bernardinus frequentare aſſueuerat. Ad hanc etiam inſulā, tanta eſt eius amœnitas, animi oblectandi, vel amiſſę ſalutis recuperandę gratia, plures heroës, æſtiuali præſertim tempore, ſe conferunt. Ac tandem hoc in ipſo conuentu, qui, ante S. Bernardini tempora, eremitorium beati Franciſci de Gargano nuncupabatur, reuerendiſſimus pariterq; doctiſſimus P. F. Franciſcus Lichettus, totius Minoritici Inſtituti Generalis Miniſter, 30. diſcipulorum, eoq; amplius, gymnaſium tenuit: quibus Metaphiſicam, ſacramq; Theologiam, ex Scoto Doctore ſubtili, feliciſſimè perlegit. Quorum ſinguli vel lectores peritiſſimi, vel prędicatores diſertiſſimi euaſerunt.

De conuentu S. Bernardini Salodij. Conu. XXVII.

VNIVERSÆ Salodianę Riparię Salodiū, oppidū Brixianę iuriſdictiōi ſubactū, atq; in ripa Benacēſis lacus ſitū, caputq; exiſtit: cū ſibi plures pagi pareant, inibiq; vniuerſæ illius regionis iudiciaria ſedes conſtituta ſit. Cuius inquilini opibus, ꝙ mercimonio va-

A nio vacent, abundant: atq; maxima in Deum pietate, & in pauperes, præcipue verò Franciſcanos, liberalitate feruntur. Qui verò optimates habentur Iuri ciuili vacant, bonasq; literas profitentur. Vniuerſi tamen amicos ſumma proſequuntur beneuolentia, inimicis verò, niſi prius bili ſatisfecerint, minimè parcere nouerunt: licèt quouis tempore lœti, familiares, affabilesq; ſint ſupramodum. Hi ergo Salodiani hoc monaſterium, diuo Bernardino ſacrum, atq; ab 18. fratribus inhabitatum, Salodij, ab huius Prouinciæ patribus, ex proprijs eleemoſynis ſumma liberalitate collatis, circa annum Dominicæ natiuitatis 1476. erigendum, conſtruendumq; curauerunt.

De conuentu S. Mariæ Gauardi. Conu. XXVIII.

SERAPHICI patris Franciſci Regulam adamuſſim ſeruare cupientibus Minoriticus hic locus, S. Mariæ ſacratus, ac Gauardi, quod Brixienſis diœceſis oppidum B eſt, diſtatq; Brixia 15. millibus paſſuum, erectus, aptiſſimus eſt: cùm tota in gyro patria, lapidibus pene obruta, frumenti præterea, oleiq;, atq; aliarum rerum penuria quibus laborat, paupertatis ſeruandæ atq; merẽdi anſam præbeant. Abundat nihilominus vino. Sed miraculo tribuendum venit, ſi quicquid vel vites produxerint, vel terra germinauerit, aëris malitia, vel exorta ex tempore tempeſtas non abſtulerint. Præterea aëris ſalubritate gaudet: eiusq; inquilini Deum timent, nulliq; malum pro malo reddunt, ſed ſua ſorte, licèt non adeò proſpera, contenti, quicquid habent Chriſti pauperibus, maxima liberalitate, erogant. Qua & hunc locum, ab 8. fratribus incultum, ſub Iulio II. Pont. max. atq; ex eius facultate, prout ipſius apoſtolicum breue, in eius archiuo aſſeruatũ, oſtendit, à fundamentis ad apicem vſq; erigendum curarunt.

C *De conuentu S. Mariæ Fraxino Piſceriæ. Conu. XXIX.*

IN extrema Benacenſis lacus parte, vnde Mincius fluuius exordium ſumit, Piſceria, à piſcando (quod incredibilis piſcium copia ibi capiatur) ſic dicta, atq; muniſſimum oppidum ſurrigit. Cuius tamen aër, ob ſcaturientes largiſſimè aquas, inſaluberrimus eſt. Id croceus tum virorum, tum quoq; mulierum color ſatis indicat. Cùm igitur, anno Domini 1511. deuotiſſima Dei genitricis Mariæ imago, ad mille paſſus ab hoc oppido, inter cuiuſdam fraxini arboris ramos, ex inſperato apparuiſſet, ſtatimq; miraculis coruſcare cœpiſſet, Piſcerienſi communitati ab illuſtriſſimo Marco Cornelio S.R.E. ac tituli ſanctæ Mariæ in Porticu Cardinali, idq; anno Domini 1514. conceſſum eſt, vt eodem in loco, tum ex proprijs, tum quoq; ex oblatis ab alijs Chriſti fidelibus eleemoſynis, ædiculam, eidem glorioſæ Virgini ſacrandã, iuxta votum, dum-D modo ſacerdoti, qui eius curam gereret, certam mercedem conſtitueret, erigere poſſet. Expedita deniq; huiuſmodi eccleſia, Piſcerienſibusq; eam in ſententiam euntibus, vt Minoriticus conuentus ibidem conſtrueretur, Leo X. Pont. max. ſibi omnino annuendum cenſuit. Cuius apoſtolicum breue, quod & in præſens vſq; perſeuerat, cùm primùm 14. menſis Ianuarij, anno Dñi 1518. in lucem prodijſſet, præfato Cardinali illuſtriſſimo maximè inſtãte, hic conuentus prẹmemoratæ eccleſię, ſub inuocatione B. Mariæ de Fraxino, omnino abſolutæ, adiunctus, annexusq; eſt: quẽ & 10. fratres inhabitãt.

De conuentu Annunciationis B. Mariæ Lonati. Conu. XXX.

LONATVM oppidum Mantuanorũ Principi olim paruit, modò verò dictis Venetæ Reipublicæ audit: Ita tamen vt Brixienſi ſenatui in temporalibus, ſed Veronenſi Epiſcopo, licèt 15. tantùm milliaribus Brixia diſtet, in ſpiritualibus ſubſit. Eius ha-E bitatores laborioſi ſunt, atq; agriculturæ, cùm feraciſſimis campis gaudeant, perpetuò vacant: antiquamq; fidem, atq; beneuolentiam in Mantuanorum Ducem adhuc ſeruant. Qua etiam de cauſa ab omni exactione cæteris impoſita, dum Mantuã ingrediuntur, immunes, ex Principis liberalitate, redduntur: ac quibuſdam alijs priuilegijs fruuntur. Hi deniq; cum Venzagum oppidum propria pecunia emiſſent, eiusq; domos, ſimul atq; eccleſias euertiſſent, ac mandatum à ſummo Pontifice, tunc ſedente, de Minoritico conuentu, apud ſe erigendo, & 12. fratribus proprijs ſumptibus ibidem ſuſtentandis, in tantæ temeritatis pœnam, accepiſſent: hanc ſacram domum, in honorem lætabundæ Annunciationis beatæ ſemperq; virginis Mariæ, octodecim fratribus continendis omnino accommodam, ex proprijs facultatibus, conſtruendam curarunt.

De conuentu S. Mariæ à Laureto Caſtilioni. Conu. XXXI. A

CVM illuſtriſſimus,paritérq; pientiſſimus Ludouicus Gonzaga Caſtilionenſium, Caſtrogufredorum, ac Solfrinenſium Marchio, Caſtilioni, quod Brixienſis diœceſis oppidum eſt, diſtatq; Brixia 18. milliarijs, eccleſiam in honorem B. Mariæ à Laureto, ac contigui ſibi conuentus partem, ex proprijs facultatibus, conſtruenda curaſſet, illiſq; pratum, atq; hortum adiunxiſſet: ea ſibi vltrò oblata,huius Prouinciç patres,anno Domini 1534. ex facta ſibi à R.Matthia Hugone,Famaguſtano Epiſcopo, ac illuſtriſſimi Franciſci Cornelij Brixienſis itidem Epiſcopi, ac S. R. E. Cardinalis Vicario facultate, acceptarunt, reliquorumq; locorum catalogo aſcribenda, atq; ex eiuſdem fundatoris, ſuorumq; ſucceſſorum, atq; aliorum fidelium liberalitate, abſoluenda curarunt. Quæ & octo fratres commodiſſimè incolunt, Deoq; ibidē inſeruiunt. B

De conuentu B. Mariæ Gaidi. Conu. XXXII.

EXISTIMATVR hic conuentus, S. Mariæ ſacratus, à Gaidenſibus erectus: Sed certum eius erectionis tempus ignoratur. Eſt hic locus, quem frequentius 14. fratres occupant, eius habitatoribus, ob aëris inſalubritatem, ingratiſſimus: Nec abs re profectò, cùm ſuperiori bus annis 4. Guardiani, ab alijs fratribus, intra breuiſſimi temporis ſpatiu m immatura morte ſublati ſint. Abundat nihilominus Gaidum, Brixienſis diœceſis oppidum,optimo vino, cæteriſq; ad victum & voluptatem neceſſarijs.

De conuentu S. Mariæ de Angelis Gardoni. Conu. XXXIII. C

GARDONVM Brixienſis diœceſis oppidum eſt,& ferri fodinis abundat, cuius inquilini ferri miniſterio vacant: Nam illud alij fodiunt, alij ſubmiſſo igne in fornace colant, alij purgant, diſtendunt, ferreiſq; malleis die noctuq; contundunt. Vnde non minimus excitatur ſtrepitus. Ij ergo ferrei homines, quod ſemel à Lutheranis imbiberunt,hæreticæ prauitatis virus tenaciſſimè retinent, qua etiam de cauſa fidei Inquiſitorũ carceres Brixiæ conſtituti nunquam Gardonenſi habitatore carent. Apud quos etiam homines conuentus hic,S.Mariæ de Angelis ſacratus,honeſtè ſatis ſurrigit, & 7. fratres continet:qui adiacentium pagorum eleemoſynis ſuſtentantur aluntúrq;.

Sequuntur monaſteria monialium.

De monaſterio S. Claræ nouæ Brixiæ. Mon. I.

CONSTAT quoq; hæc Brixiæ Prouincia ex 10. monialium monaſterijs: quorum maior pars ad Clariſſas, minor verò ad Tertiarias ſorores ſpectat. Eorum verò quæ Clariſſis deſeruiũt, duo intra Brixiæ muros,ſed reliqua alijs in locis ſurrigũt. Sed ex his, quæ Brixiæ ſubſiſtunt, alterum diuo Chriſtophoro ſiue diuæ Claræ nouæ ſacrum eſt, & à 75. virginibus,de prima B. virginis Clarę Regula, inhabitatur, alterum verò, de quo ſtatim, alij diuo dicatur, & à minori ſororum numero incolitur. D

De monaſterio S. Marthæ ibidem. Mon. II.

MODERNIOR pręcedente eſt locus iſte,& à minori ſororũ, licet eiuſdē generis, numero occupatur. Subeſt quidem 44. Clariſſis, de prima Regula B.virg. Clarę, & per aliquot annos poſt ipſum, ſub inuocatione S. Marthę conſtructus extitit. E

De monaſterio S. Mariæ de Roſis Bergomi. Mon. III.

IN eminentiori Bergomatis ciuitatis parte 60. pauperum Clariſſarum, de prima B. virginis Claræ Regula,monaſteriũ,ſub titulo S.Mariæ de Roſis, ſurrigit; quod quã miraculosè conſtructum ſit paucis enarrabo: Cùm duo mercatores, ex ea Galliæ portione, quæ Normannia nuncupatur, oriundi, intempeſta quadam,atra, ac tenebricoſa nocte,longiuſculus à Bergomo, per ſyluas errarent,pelliq; ſuæ,ne à feris dilaniarentur, maximè timerent, ſe, ex communi voto, ad vnius eccleſiæ conſtructionem, ſi id periculi euaderent,atq; Bergomum incolumes appellerent,obligarunt. Qui ſtatim,poſt emiſſum votum,ſemitam quandam albeſcentem,ac luce colluſtratam, ex inſperato, in media

A media ſylua conſpicientes, eamq; ſequuti, poſt breuiſſimi temporis ſpatium Bergomū applicuerunt. Ingreſſiq; turrim ſemiconſtructam, vt quod reliquum erat noctis ibi ſub tecto tranſigerent, (non enim erat illis diuerſorij opportunitas) dum ſimul de explendo quantocitius voto, ne ingratitudinis arguerentur, agerent, glorioſam Virginē, proprijs vlnis puerum Ieſum geſtantem, roſeoq; circo innixam videre, meruerunt. Quibus omnibus Brixienſi Epiſcopo per ordinem relatis, ac per ipſum Martino V. ſummo Pontifici renūciatis, ab eodē ſummo Paſtore decretū eſt, vt eo ipſo in loco, in quo beata Virgo ſeſe conſpiciendam obtulerat, promiſſa à præfatis mercatoribus eccleſia, ſub titulo S. Mariæ de Roſis, conſtrueretur. Quod & ab ipſis fideliſſimè præſtitum fuit. Cùmq; poſt aliquot annos vir, atq; vxor Bergomates, genere clari, atq; opibus affluentes, plus æquo carni, ſanguiniq; indulgerent, vanaq; mulier ſolicitius diſcriminandis crinibus, exornandoq; capiti intenderet, 4. Dæmones, tum capiti, tum quoq; humeri, B inſidentes, per oppoſitum ſibi ſpeculum, conſpexit. Quo horribili ſpectaculo territa, in faciem corruit, remq; totam superuenienti viro aperuit. Territi ergo ambo ex huiuſmodi rei euentu, vitam in melius commutare ſtudent, duas cellulas in præfata S. Mariæ de Roſis eccleſia conſtruendas curāt, inibiq; in perpetua paupertate, atq; oratione, vſq; ad vltimum vitæ halitum, ſanctiſſimè perſeuerant: ac tandem vita functi, cùm iunctis manibus, genibusq; flexis inuenti fuiſſent, eadem in eccleſia honorificè tumulati ſunt; quorum ſucceſſu permotę aliquot ſanctæ mulieres, idem prorſus viuendi genus ibidem ſequutæ fuêre. Quæ tandem anno Domini 1434. à ſuperueniente beato P. Bernardino Clariſſarum habitu indui voluerunt: in quo, & ſub prima beatæ Virginis Claræ Regula, poſt emiſſum ſolemne votum, ſanctiſſimè conuixêre.

C *De monaſterio S. Claræ Martinengi.* *Mon. IIII.*

INTRA oppidi Martinengi mœnia erectum conſpicere licet, in honorem S. Clarę, hoc 4. Clariſſarum monaſterium: quod & nobilium quarundam fœminarum, ac ſibi inuicem ſuccedentium monialium ſumptibus paulatim conſtructum, & ab illuſtriſſimo Bartholomæo Coleone, Venetorū Duce (cuius ſupra meminimus) ex parte, etiam ædificatum, ac ſufficientibus redditibus dotatum fuit: & à 30. ſororibus inhabitatur. Hunc locum Bergomas præcedens conuentus nobis peperit.

De monaſterio S. Claræ Lucris. *Mon. V.*

NVLLI penitus huius Prouinciæ loco, ſi de ſanctitate, de religione, ac de inuiolata paupertate agamus, cedit hoc ſacrum Clariſſarum monaſterium, quod Lucris, D ſub inuocatione S. virginis Claræ, ſurrigit, & à 30. pauperibus ſororibus incolitur.

De monaſterio S. Claræ Cremæ. *Mon. VI.*

SPECTAT quoq; ad hanc Prouinciam id Clariſſarum de ſecūda Regula monaſterium, quod Cremēſis ciuitatis ambitu circūſcribitur, & 53. ſororibus inhabitatur.

De monaſterio S. Claræ Vrceæ. *Mon. VII.*

PRÆCEDENTEM locum, antiquitatis iure, ſequitur is, qui Vrceæ, ſub titulo S. Claræ, conſtructus eſt, & à 26. Clariſſis, de prima tamen Regula, ſanctè incolitur.

De monaſterio S. Claræ Caſalis maioris. *Mon. VIII.*

CASALE maius, Galliæ Ciſalpinę oppidum, illuſtriſſimorum Piſcariæ Marchionum imperio ſubeſt, atq; in Padi margine ſitum eſt. Intra cuius ſepta hoc monaſte- E rium, B. Claræ ſacrum, atq; à 30. ſororibus Vrbaniſtis inhabitatum ſurrigit. Quarum in Deū pietas, atq; impropriā profeſſionē zelus, & obſeruantia incredibiles omnino ſunt.

De monaſterio S. Claræ Aſulæ. *Mon. IX.*

NONVM locū inter reliqua monialiū monaſteria obtinet hęc domus, quę Aſulę, ſub inuocatione S. Claræ ædificata conſpicitur, & à 26. virginibus inhabitatur.

De monaſterio S. Mariæ ad Eliſabetham Cluſoni *Mon. X.*

GANDINO ad 10. millia paſſuum Cluſonum pagus diſtat, qui cupri fodinis abundat, editisq; montibus circumſcribitur, atq; Bergomati iuriſdictioni ſubiacet: inſuper & hoc monaſterium à 28. ſororibus Tertiarijs inhabitatum continet.



PROVINCIA

PROVINCIA BASILICATAE.

A NON ita contemnendum faceſſebant negocium 8.vel ad ſummum 10.conuentus,apud Lucanos,Italiæ populos è Samnitibus, infeſtiſſimis olim Romanorum hoſtibus,oriundos,& à Picentinis Silaro,à Brutijs verò Lao fluminibus diremptos,erecti,Vicarijs Prouinciatum Terræ laboris, ac S. Nicolai, quibus ſuberant, Prouincialibus, imò vtriuſq; Miniſteriatum, ob viarum difficultates, atq; ab alijs locis diſtantiam, difficillimum omnino reddebant. Quapropter ij patres, de communi conſenſu, atq; ſententia, B. P. Angelo à Clauaſio, tunc vniuerſæ Obſeruantis familiæ Ciſmontanæ Vicario Generali,per literas,vt huiuſmodi conuentus in peculiarem Prouinciam promouere, illiſq; proprium Vicariū Prouincialem, qui fœlicius eorum curam gereret, præficere vellet, quàm humillimè ſupplicarunt. Quorum iuſtiſſimis votis annuens tantus pater, conſulto tamen prius ſummo Pontifice Innocentio VIII. qui tunc ad militantis Eccleſiæ clauum ſedebat, probatos quoſdam patres Bononienſes,anno Domini 1484. eò tranſmiſit,qui & huiuſmo-
B di 10. loca in Prouinciam,ſub Baſilicatæ titulo, erigerent, & ea ciuilioribus, ſanctiſſimiſq; moribus imbuerent. Qui dicto audientes,omnia ad eius nutum exequuti fuêre. Prodijt igitur nobis hæc Baſilicatæ Prouincia ex S. Nicolai,atq; Terræ laboris Prouincijs: idq; anno Domini 1484. Quæ in tantum excreuit, vt modo 25. fratrum, & vnum ſanctimonialium monaſteria contineat. Vtitur etiam proprio ſigillo, cui glorioſa virgo Maria in ſede reclinatoria ſedens, puerumq; Ieſum dextro brachio ſuſtinens,ac genuflexus, ſupplexq;,ad dextrum quoq; eius latus,pater Franciſcus,ſequenteſq; literæ, SIGILLVM PROVINCIÆ BASILICATÆ inciſæ ſunt.Eiuſdem quoq; glorioſæ virginis Mariæ de Vrſuleo imaginem (cuius inferius 12. loco meminerimus) ſibi præponendā volui: quòd ſit in ea vniuerſa,ob frequentia miracula quibus coruſcat, celeberrima, atq; omnibus tum fratribus, tum quoq; ſæcularibus commendatiſſima.

C *De conuentu S. Antonij de Padua Tricarici. Conu. I.*

AD plura,eaq; ſingularia beneficia,quæ huius Prouinciæ patres ab illuſtriſſ. Hieronymo,Berettæ (vulgò Biſignano) Principe, ac Tricarienſium Comite,acceperunt,acceſſit & præſentis conuentus conſtructio. Cùm enim pientiſſimus is heros noſtrum Ordinem, ſuoſq; Tricaricenſes ex æquo, idq; ſummè diligeret, atq; tum iſtis, tum quoq; illi conſultum cuperet, hanc ſacram domum,aliquantulum à ciuitatis Tricarici mœnibus,ex facta ſibi à Sixto IIII. Pont. max. facultate, anno Domini 1479. in honorem S. Antonij de Padua, conſtruendam curauit: ac 20. fratres eius accolas, quandiu ſibi comes vita fuit, omni beneuolentia liberalitateq; proſequutus extit.

De conuentu S. Mariæ de ſepulchro Potentiæ. Conu. II.

D INDIGNVM omnino reputans illuſtriſſimus is Comes, qui Potentianis, anno Domini 1488. principabatur, quòd ædicula B. Mariæ ſacra,ac propè Potentiam ciuitatem erecta,miraculis illuſtris, vnius vel alterius anachoritæ, curæ committeretur, eam, euocatis ad ſe aliquibus ex noſtris fratribus, qui operi intenderent,ex proprijs facultatibus, in iuſtum perfectumq; monaſterium, ac 20. continendis religioſis commodiſſimum, præfato anno 1488. ſub inuocatione ſanctæ Mariæ de ſepulchro,promouendum curauit. Prælegitur hoc in loco, quòd neceſſarijs abundet, tum Philoſophia, tum quoque ſacra Theologia: habeturq; quoddam os ſancti Patritij, quod dæmoniacis, ac à ſerpentibus ictis, atq; rabie laborantibus, ſi aqua, cui immerſum fuerit, ab ijs epota ſit, maximè confert, ac intra breue temporis ſpatium eos curat.

De conuentu S. Franciſci Buxenti. *Conu. III.* A

EO quòd Buxentum (vulgò Policaſtro) Lucanorum ciuitas, ſimul atq; præſens conuentus in honorem B. Franciſci, ante 100. annos, ab illuſtriſſimo quodam Buxentinorum Comite, non procul, ab ipſius ciuitatis vallo ædificatus, ac ab 8. fratribus incultus, Turcicam rabiem, ſimul atq; incendium ab ijs fidei catholicæ hoſtibus excitatum, ſepius experti ſint, nihil penitus ſcripturarum inueniri potuit, quo de certo ipſius fundationis tempore, vel de certo fundatoris nomine, inſtrueremur: Quamobrem his ſuperſedere, & his paucis de ſpectantibus ad ipſum contenti eſſe cogimur.

De conuentu S. Franciſci Milionici. *Conu. IIII.*

MINORITICVS hic locus, qui communibus oppidi Milionici ſumptibus, B intra eius ſepta, anno Domini 1439. conſtructus extitit, vnus eſt eorum, qui Prouinciæ S. Nicolai olim ſubfuerunt. Idq; ex quadam bulla Eugenij IIII. Pont. max. data x. cal. Iunij Pontificatus verò ſui anno ix. quæ in huius loci archiuo aſſeruatur, liquidò patet: Adiacent præfatæ bullæ aliquot alia ſummorum itidem Pontificum diplomata, nempe Clementis VII. Pauli III. atq; Gregorij XIII. ſed ad diuerſa negotia data. Diplomate ſiquidem Clementis VII. cauetur, vt ad tot expenſas vitandas, Citramontani fratres noſtri ratum habere teneantur id totum, quod in generalibus Capitulis Vltramontanis decretum fuerit: & è conuerſo, vt ſcilicet Vltramontani, id, quod à Citramontanis in comitijs generalibus ſtabilitum ſit, amplecti teneantur. Apoſtolicis verò Pauli III. literis priuilegia Tertiarijs noſtræ Religionis fratribus à Sixto IIII. alijsq; ſummis Pontificibus cōceſſa confirmātur. Sed diplomate Gregorij XIII. C huius loci fratribus, qui numero ſunt 18. immaculatæ Conceptionis Deiparę Virginis Confraternitatem apud ſe erigere: inſuper & vt aliquod vnum altare, in quo fidelium animæ, per Miſſarum ſolemnia, ex Purgatorij pœnis liberentur, eligere poſſint, ex apoſtolica auctoritate, conceditur. Quarto milliari ab hoc oppido Milionico, quod ad Acherontinam diœceſim ſpectat, in oppido Pomarico beatiſſimus pater Franciſcus puellam vita functam, toto circumſpectante populo, ad vitam reuocauit.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Vigiani. *Conu. V.*

QVÆ Vigianenſium voluntas, humanitas, atq; beneuolentia erga fratres noſtros ante 100. annos fuerit, ſatis profectò ſuperq; indicat hic conuentus, ſanctiſſimæ Mariæ de Ieſu ſacratus, ac communibus eorū ſumptibus, anno Domini 1478. D ex conceſſione tamen Sixti IIII. ſummi Pontificis, non procul à Vagiano oppido, ædificatus, quem 18. fratres, pro voto, tanta eſt eius capacitas, inhabitant. Hi ex pijs Vigianenſium eleemoſynis, maiori ex parte, aluntur, & abundè ſatis ſuſtentantur.

De conuentu S. Franciſci Turſii. *Conu. VI.*

SEXTVS hic locus ſiue conuentus, qui prope Turſium, Anglonenſis diœceſis ciuitatem, ſurrigit, ab illuſtriſſimo quodam Turſienſium Comite, cuius in Franciſcanos humanitas, atq; beneuolentia incredibiles fuêre, circa annum humanæ ſalutis 1441. ex facta tamen ſibi ab Eugenio IIII. Pont. max. poteſtate, conſtructus, ſanctiq; Nicolai Prouinciæ adiectus fuit. A qua tandem (vt proloquuti ſumus) ad hanc deflexit. Commorantur frequentius hoc in monaſterio 18. fratres, Deoq; famulantur. E

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Oppidi. *Conu. VII.*

HIC quoq; conuentus non longè ab Oppido, (ſic enim proprio vocatur nomine) Acherontinæ diœceſis oppido, ex communibus Oppidenſium facultatibus, circa annum Dominicę Incarnationis 1482. conſtructus, ac ſanctiſſimę ſemperq; virgini Mariæ de Ieſu ſacratus, quem & 15. fratres, vt plurimum, incolunt, ex ſancti Nicolai Prouincia huic præſenti, inter reliquos, acceſſit, inter illosq; annumeratus fuit.

De conuentu S. Franciſci apud S. Martinum. *Conu. VIII.*

QVAMVIS pagus S. Martini, qui ad Anglonenſem diœceſim ſpectat, non adeò diuitijs affluat, non tamen ideo timuit hoc monaſterium à ſe communibus ſumptibus,

A ſumptibus,circa annum humanæ redemptionis 1512. non longè à domibus, in honorem B. Franciſci, ædificatum, ac fortuito caſu collapſum, poſt aliquot annos, ex communibus quoq; facultatibus, reædificare, firmioriq; lapide communire, ac 12. fratribus continendis aptare. Immo potius hoc ſecundum multò operoſius, multoq; auguſtius, poſthabito quocunq; ſumptu, conſtruendum abſoluendumq; curauit.

De conuentu S. Mariæ ad niues Laurentiani. Conu. IX.

QVANTVM Laurentinianorum ſtudium extiterit ſeraphicę noſtrę Religionis fouendæ, vel etiam augendæ, vel hoc vno ſaltem argumento patet: Licèt enim paupertate potius, quàm diuitijs affluerent, nihilominus tamen hoc ſacrum monaſterium, in honorem S. Mariæ ad niues, prope commune oppidum Laurentianum, circa annum Dominicæ natiuitatis 1512. ex facta ſibi tamen à ſummo Pontifice facultate,
B publicis, priuatiſq; ſumptibus erigendum, perficiendumq; curarunt. Quibus etiam 15. fratres eius accolas, ſumma liberalitate, ſuſtentant. Mortem obijt hoc in conuentu B. F. Ægidius Laurentinianus, profeſſione laicus: vir ſanè ſanctiſſimus, atq; omni virtutum genere præditus. Qui plurimis, ſuis precibus, integram, optatamq; ſoſpitatem impetrauit: plurimiſq; certiſſimè ſequuturę mortis diem, atq; alia futura prędixit. Cuius corpus, cum ſexennio, aqua perfuſum, ſub humidiſſima humo latuiſſet, imputre omnino, atq; illæſum ſe fratribus, dum caſu aliud cuiuſdã defuncti fratris ſibi adiungere vellent, conſpiciendũ præbuit. Quamobrem ab ijs inde exhumatũ, honeſtiori loco reconditum eſt. A qua etiam die in maximo à Laurentinianis honore habetur.

De conuentu S. Franciſci Petræpretiatæ. Conu. X.

C VT primùm Sixtus IIII. Pont. max. edito apoſtolico breui, ſub datum Romæ anno ſui Pontificatus iij. conſenſum præbuit, deuota oppidi Petræpretiatæ communitas hanc ædem, in honorem B. Franciſci, ex communibus facultatibus, non longè ab ipſo oppido, à fundamentis ad verticem vſq; conſtruendam curauit. Contigit autem id anno à Chriſti natiuitate 1474. A quo etiam tempore 14. fratres hoc in loco commorantur: qui & ſanctiſſimæ crucis Chriſti particulam, aliquantulum ex cingulo glorioſiſſimæ virg. Marię, aliquot guttas ſanguinis diui Pauli Apoſtoli, alterũ ex digitis diui Iacobi itidẽ Apoſtoli, atq; vnum ex dẽtibus S. Silueſtri Papæ in ſacrario cuſtodiunt.

De conuentu S. Antonij de Padua Hoſtiliani. Conu. XI.

HIC verò conuentus, qui prope Hoſtilianum oppidum, ſub inuocatione B. Antonij de Padua, erectus cernitur, anno ſequenti, nempe anno Domini 1475. ex eiuſ-
D dem Sixti IIII. ſummi Pont. facultate, ab illuſtriſſimo Eligio, Hoſtilianenſium Principe, ac Alianenſium Comite, ex ſumma in Deum pietate, ac in noſtrum Ordinem deuotione conſtructus fuit. In quo 18. fratres commorantur, & quædam glorioſiſſimæ virginis Mariæ de ſuccurſu imago miraculis coruſcat, vt ex tabellis appenſis elicitur.

De conuentu S. Mariæ de Vrſuleo. Conu. XII.

QVVM in oppido Carbonio Fraticellorum hæreſis vigere cœpiſſet, plurimiq; ex Carbonianis ſibi adhærerent, deuotiſſima quædam glorioſæ Virginis imago, quę in eorum matrice eccleſia plurimis annis conſtiterat, ijs, in tanti facinoris pœnam, relictis, ad confines oppidorum S. Archangeli, atq; Arcis nouæ, (vulgo Rocca noua) vbi fortè fortuna duo peregrini, natione Galli, quorum alteri Vrſus, alteri verò Leo nomen erat, pœnitentiæ agendæ gratia, paucos ante dies pedem fixerant, ſe
E contulit. Cùmq; inuenta ab ijſdem Carbonianis, eam ſollicite quęrẽtibus, ad eccleſiam à ſe deſertam reducta eſſet, præfatos confines ſequenti nocte repetijt. Vbi verò id Carbonianis iteratò innotuiſſet, non ſunt auſi eam loco mouere, ſed factum propriæ culpæ tribuentes, ædiculam ibi conſtruendam, curarunt. Cuius etiam cura præfatis Vrſo atq; Leoni anachoritis commiſerunt. A quibus & cognomen traxit. Nam ab ijs S. Maria de Vrſuleo à conuicinis poſtea populis dicta euaſit. Cœpit pręterea præfata glorioſæ Virginis imago plurimis, ijſq; notabilibus, miraculis coruſcare: quamobrem populorum ad huiuſmodi ædiculam deuotio indies magis, magiſq; adaugebatur, ita vt de extruendo ibi vno aliquo fratrum conuentu cogitare inciperent. Cupiens igitur pientiſſimus Eligius, Hoſtilianenſium Princeps atq; Alſanenſium Comes, tanti meriti palmam

mam illis præreptam, vt primùm prædicti eremitæ Vrſus, atq; Leo diem clausêre extremum, Sixto IIII. Pontifici max. ſupplicauit, vt huiuſmodi ædiculam in iuſtum Franciſcanorum conuentum, ex apoſtolica auctoritate, ſibi promouere liceret. Quo tandem pijs eius votis, edito apoſtolico breui, annuente, is heros præſentem conuentum, ſub titulo S. Mariæ de Vrſuleo, 23. fratribus continendis accomodum, ex proprijs tantùm facultatibus, erigi curauit. Diſtat autem hic locus, qui & ſyluaticus, nemoroſusq; eſt, à præfato oppido Carbonio 12. millibus paſſuum, plurimiq; ab adiacentibus populis, ob miracula, quæ ibi contingũt, fit: Exornatur præterea hic locus particula quadam Dñicæ crucis, & altera ex ſpinis Dominicæ itidẽ coronæ. Poſſunt deniq; huius monaſterij fratres, ex Leonis X. Pont. max. indulto, dummodo ſacerdotum copia non adſit, vnico ſacro pluribus, licèt præfixam eleemoſynam elargientibus, ſatisfacere. A

De conuentu S. Antonij de Padua Titi. Conu. XIII. B

SVMMA beneuolentia, perpetuumq; Titienſium de huius Prouinciæ patrum ſingulari virtute iuditium fecit, vt ij, impetrata prius à Leone X. Pont. max. auctoritate, hanc ædem, quam & frequentius 16. fratres inhabitant, in honorem S. Antonij de Padua, ex publicis facultatibus, anno à partu Virgineo 1514. extruendam, & P. F. Ioanni Franciſco à Potentia, vt cæteris adiungeretur, conferendam curarent. Peculiarem huius domus curam gerit B. P. Antonius: cùm plura, eaq; ſingularia, beneficia eam accedentibus, ſeq; coram eius imagine interpellantibus indies præſtet, conferatq;

De conuentu S. Franciſci Piſtitij. Conu. XIIII.

OB incredibilem deuotionem, qua in Franciſcanam ferebatur familiã Antonius Triſtanus, Piſtitianus Tabellio, hanc ſacram domum, B. Franciſco dicatã, ex conceſſione Alexandri VI. erigi, perficiq; fecit. Nullum præterea coadiutorem pius ipſe fundator admittere voluit; ſed quicquid impenſarum inſumptum eſt, id totum ex peculiaribus eius bonis liberaliſſimè prodijt. Ex quibus etiam & officinas, atq; cellulas, duodecim continendis fratribus idoneas, omnibus rebus neceſſarijs inſtruxit. C

De conuentu S. Bernardini Laureæ. Conu. XV.

SVMMO officio, imò potius pietate erga noſtrũ Ordinem, Laureana communitas hoc monaſterium, B. P. Bernardino ſacrum, ex facta ſibi à Iulio II. Pont. max. facultate, prope Lauream, Policaſtrenſis diœceſis oppidum, anno humanæ ſalutis 1507. à fundamentis erigendũ curauit. Conuentus verò ſexdecim fratres commodiſſimè continet.

De conuentu S. Antonij de Padua Riuellij. Conu. XVI.

ANNO Domini 1515. atq; Leone X. Pont. max. ſedente, inſuper & ex eius conceſſione, prout bulla data Romæ 30. menſis Ianuarij, Pontificatus verò eiuſdem anno 2. facillimè indicat, conuentus hic, B. P. Antonio ſacratus, à pientiſſima Riuelliana communitate, è regione eius oppidi Riuellij, atq; ex communibus publicisq; prouentibus, conſtructus fuit. Quem & 14. fratres commodiſſimè inhabitant. D

De conuentu S. Franciſci Salandriæ. Conu. XVII.

TAMETSI pia Salandrienſis communitas coadiutorem ab huius conuẽtus erectione exploſum cuperet, non potuit tamẽ non admittere illuſtriſſ. Franciſcum de Riuerteris, temporalem eius Dominum. Quamobrem, quod illa ſe ſola præſtare affectabat, id communibus vtriusq; ſumptibus effectum eſt. Anno itaq; Domini 1542. annuente Paulo III. Pont. max. hæc ſacra domus, quam vt plurimùm 25. fratres incolunt, ex mixtis tum illuſtriſſimi Franciſci de Reuerteris, tum quoq; Saladrienſis ſenatus facultatibus, non procul à Salandria, Tricaricenſis diœceſis oppido, in honorem B. Franciſci erecta eſt. Prælegitur hoc in loco, tum Philoſophia, tum quoq; ſacra Theologia. E

De conuentu S. Franciſci Aietæ. Conu. XVIII.

PIA Aietenſis communitas, ne ſeraphicæ Religioni noſtræ negligentiæ nomine ſuſpecta redderetur, primùm à Leone X. Pont. max. facultatẽ obtinuit, hoc ſacrũ monaſteriũ in honorẽ B. Frãciſci, prope Aietã eius oppidũ, atq; Caſſanẽſi iuriſdictioni, in ſpiritualibus, ſubiectũ, ex cõmuni ærario, anno Dñi 1520. à fundamẽtis extruẽdũ, & V. P. F. Nicolao Auriẽſi, cõferẽdũ curauit. In quo diuinis intẽti laudibus 10. fratres cõmorãtur.

A *De conuentu Annunciationis B. Virginis. Carbonij. Conu. XIX.*

CARBONIENSIS communitas, ne ſeraphico Ordini noſtro, cui aliquando, ob Fraticellorum, cui adhæſerat, hæreſim, iniuria fuerat, adhuc irata videretur, atq; in ſuæ purgationis teſtimonium, cùm primùm, anno Domini 1547. ſedente verò Paulo III. Pont. max ſibi à generali Vicario Anglonenſi facultas facta eſt, hunc conuentum, Annunciationi Dei genitricis Mariæ ſacrum, ex communibus facultatibus, prope Carbonium eius oppidum, erigi fecit, & à 12. fratribus occupari curauit.

De conuentu Annunciationis B. Mariæ Burgentij. Conu. XX.

EX huius ſaltem Prouincię diſpoſitione liquidò conſtat, quàm parui locorum antiquitatem faciamus. Cuius quidem rei cauſa eſt, quòd non omnium fundatio, atq; B fundationis tempus nobis innoteſcāt; quòdq; potius ſeriem à patribus ſibi præfixam, quàm ex vetuſtate debitam attendamus. Hæc dixerimus, quòd hic conuentus Annunciationi virginis Mariæ ſacratus, atq; prope Burgentium, (vulgò Brienza) Marſicanæ diœceſis oppidum, anno à partu Virgineo 1525. ex conceſſione tamen Clementis VII. Pont. max. ædificatus, vetuſtior ſit præcedente. Conuiuunt hoc in loco 13. fratres.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Arcis Imperialis. Conu. XXI.

QVEMADMODVM ex bulla quadā Pij IIII. Pont. max. quæ penes 10. fratres huius loci inquilinos exiſtit, facillimè edocemur, præſens conuētus, S. Mariæ de Gratijs ſacratus, ac prope oppidū, cui Arx Imperialis (vulgò vero Rocca Imperiale) nomē, metropolis verò Anglonenſiū eſt, erectus, à deuotiſſima eiuſdem oppidi communitate, publicorum prouentuum adminiculo, circa annum Dñi 1560. extructus extitit.

C *De conuentu S. Mariæ de Conſolatione Marathea. Conu. XXII.*

CVM honeſtiſſima communitas Maratheana religioſo P. F. Ruffino à Milionico ſummè afficeretur, hanc ſacram ædem, S. Mariæ de Conſolatione dicatam, circa annum Domini 1574. ex publicis facultatibus, non procul à Marathea, Caſſanenſis diœceſis oppido, in eius gratiam, ædificandam curauit: Quam & 10. fratres ab eo temporis inhabitant. Adfuit huiuſmodi ædificationi ſummi Pontificis Gregorij XIII. auctoritas: cuius bulla, data Romę Pont. verò ſui anno 2. in huius loci cartophilacio aſſeruatur.

De conuentu Natiuitatis B. Mariæ Caſtellutij. Conu. XXIII.

RELIGIOSA oppidi Caſtellutij communitas Maratheanæ communitatis pietatem, ſimili pietate, præuentura, hoc monaſterium, Natiuitati glorioſiſſimæ D virginis Mariæ dicatum, ex facta ſibi à Gregorio XIII. facultate, prope præfatum oppidum, circa annum Dominicæ Incarnationis 1573. à fundamentis conſtruendum, abſoluendumq; curauit. Suſtinet autem commodiſſimè hic conuentus decem fratres.

De conuentu B. Mariæ de Marſici Veteris. Conu. XXIIII.

MARSICVM duplex eſt, alterum quidem vetus, alterū verò nouū, ſed iſtud ciuitatis dignitate nobilitatur, Epiſcopaliſque ſedes exiſtit: illud verò oppidum tantummodo eſt, atq; iſti in ſpiritualibus ſubiectum. Cuius nihilominus communitas ex beneplacito Pij V. Pont. max. atq; anno 1566. præſentem conuentum, beatiſſimæ virgini Mariæ de Conſtantinopoli ſacrum, non procul à communis oppidi muris, erigendum, perficiendumq; curauit. In quo decem fratres conuiuunt.

E *De conuentu Annunciationis B. Mariæ Caſtelli Turturini. Conu. XXV.*

OMNIVM locorum huius Prouinciæ numerum claudit is qui prope Caſtrum Turturinum, à deuota eius communitate, ex Gregorij XIII. Pont. max. facultate, anno à mundi redemptione 1578. in honorem Annunciationis B. virginis Mariæ conſtructus, perfectusq; eſt. Cuius incolę fratres denarium numerum non excedunt.

De monaſterio monialium S. Lucæ Potentiæ.

HOC ſacrum monialium monaſterium, quod intra Potentianæ ciuitatis mœnia, in honorem S. Lucę Euangeliſtæ erectum cernitur, & à vigintiquinque Clariſſis ſororibus inhabitatur, ex indulto Pauli III. Pont. max. atq; communibus Potentianorum ſumptibus maiori ex parte à fundamentis extructum abſolutumq; extitit.



PROVINCIA

PROVINCIA
VNGARIAE SALVATORIS.

A NE nobis ſuccenſeat, nec ægrè ferat (obſecramus) pius lector, quòd tam
leui pede per præſentem, ac per duas ſubſequentes Prouincias tranſcurre-
rimus: Nam, ijs vel ſub Turcarum potentiſſimorum Chriſtiani nominis
hoſtium poteſtate redactis, vel ab hæreticis iniuſtè poſſeſſis, nullo pacto
(& ſi quacumq; adhibita ſolicitudine, ac diligentia) nobis licuit, vel ali-
quem fratrem eò tranſmittere, qui conuentuum noſtrorum memorabilia feliciori
Minerua deſcriberet, vel inde euocare, qui vel ſaltem verbotenus nos de eis felicius
certiores redderet: Imò potius eſt quòd nobis de his, (licèt paucis, gratanti tamen
animo oblatis) aliquales gratias agat: Cùm ea, non abſq; immenſo labore, aſſequi po-
tuerimus. His igitur in noſtri defenſionem vtcumq; præmiſſis, quæ de hac Prouintia
acceperimus paucis enarremus. Antiquior ſanè eſt hæc Prouincia, quàm credi poſſit.
Conſtat enim fratres noſtros in Vngariam à ſereniſſimo pariterq; pientiſſimo, Vn-
B garorum Rege, Bela, huius nominis IIII. circa annum à lætabunda Chriſti Seruatoris
noſtri natiuitate 1240. introductos fuiſſe, eumq; illis, ingenti beneuolentia ac volun-
tate, plures conuentus erexiſſe, de quorum numero fuit Strigonienſis, quem, inſtau-
rata Strigonio, Pannonię nobiliſſima ciuitate, ac reliquarũ totius illius regni principe,
quæ à Cadan Tartarorum potentiſſimo Rege vaſtata fuerat, magniſicè ſatis, ac vt
regiam decebat dignitatem, à fundamentis ad verticem vſq; conſtruxit, omnibusq;
numeris abſolutum, ac beatiſſimæ ſemperq; virgini Dei genitrici Mariæ dedicatum,
fratribus noſtris, vt ab illis incoleretur, liberaliſſimè contulit: in cuius eccleſia ſepul-
chrum ex marmore rubro ædificari fecit, in quo ſereniſſimæ Mariæ eius coniugis, ac
Imperatoris Gręcorũ filię, atq; etiam Belæ eius filij primogeniti corpora honorificè ſa-
tis ſatisq; ſepulta fuêre: & ipſe quoq; anno incarnationis Dominicæ 1275. ex hac luce
in Budenſi inſula migrans, præcepit, vt Strigonium, poſt obitam mortem, corpus ſuum
C afferretur, & in præfato ſepulchro ſepeliretur. Cuius corpus exhumatum reuerendiſ-
ſimus quidam Philippus Strigonienſis Archiepiſcopus, ſuauiſſima illius memoria per-
citus (fuerat namq; probus Princeps, pius atq; religioſus, etſi bello infortunatus) ex
hac ſacra æde, vſurpata facultate, in matricem eccleſiam tranſtulit, vt regiam regio cor-
pore ędem honeſtaret. Id cùm iniquiſſimo animo Franciſcani tuliſſent, ad Romanum
Pontificem, tamquam ad ſupremum Iudicem, appellarunt, & agitata diu in Romana
curia cauſa, tandem definitum fuit, vt ereptum corpus Regis Belæ in præfatam ædem
fratrum Minorum pręnominatus reuerendiſſimus Archiepiſcopus referret, & ſepul-
chro, è quo ſublatum fuerat, reſtitueret. Huius præſtantiſſimi Regis, ac etiam ſereniſſi-
morum Stephani huius nominis V. eius filij, & Ladiſlai huius nominis IIII. eius nepo-
tis, & aliorum Vngarię pientiſſimorũ Regum, auſpitijs, tantopere hæc Prouincia cre-
uit, vt ex 72. fratrum monaſterijs aliquando conſtiterit. Quorum tamen, (proh dolor)
D noſtris id peccatis maximè exigentibus, alijs interim vel ab hæreticis, quibus ea pa-
tria ſcatet, vel à Turcis aut exuſtis, aut dirutis, ſoloq; ęquatis, aut in proprios vſus
conuerſis, vix quatuor (de quibus paulò inferius) ſuperſunt. Quando autem Prouinciæ
ſibi nomen, dignitatemq; aſciuerit, vel quis primus eius fundator fuerit, nullo modo
inueſtigari valuit. Exiſtimarim nihilominus eam ab aliquibus patribus natione Italis,
quorum tũc ſanctitas, atq; religio incredibiles fuêre, primò fundatam, quemadmodum
& reformatam, ac ad Obſeruantiam Regularem per Franciſcanorum Obſeruantum
decus ſplendidiſſimum, beatum ſcilicet Ioannem Capiſtranum, eiusq; religioſiſſimos
ſocios, circa annum Dominicę natiuitatis 1455. redactam certò ſcimus. Curaui præte-
rea Saluatoris noſtri Chriſti imaginem huic Prouincię pręponendam, eò quòd Deus

opt. max. anno eiuſdem natiuitatis Dominicę 1456. menſis verò Auguſti die octaua, A
quę glorioſę Transfigurationi eius Seruatoris noſtri Chriſti ſacra eſt, pauciſſimis millibus Chriſtianorũ, ſub beato patre Ioanne Capiſtrano, eorum vexillifero, ac ſtrenuo Duce, ad Albam Gręcam ſiue Thaurinum, vulgò Belgrado, aduerſus centum quinquaginta millia Turcarum, tum equitum, tum quoque peditum, ad inuocationem ſanctiſſimi nominis Ieſu, quod & Saluator interpretatur, glorioſam victoriam miraculosè conceſſerit; quę vt clarius nobis innoteſcat, ex Antonio Bonfinio, rerum Vngaricarum diligentiſſimo ſcriptore libro viij. Decadis iij. annotare non pigebit: Mahumetem, ex Othomanni genere ſeptimum Turcarum Regem, Conſtantinopoli, non ſine maximo Chriſtianæ reipublicę luctu, anno à partu Virgineo 1453. expugnata, hoc Gręcorum imperio nimis elatum, ſpes multò maiores concepiſſe, & in Europam, vt eam ſuo ſubiugaret imperio, ſe cum ingenti exercitu tranſtuliſſe. Quod vt Nicolaus V. catholicæ Eccleſiæ pientiſſimus Paſtor reſciuit, cùm Pannonijs admodum, Myſijsq; timeret, quibus amiſſis, iam de Chriſtiana republica actum eſſe arbitrabatur, ſacroſanctæ militiæ ſaluberrimum promulgauit edictum: quo quidem, omnes qui ſanctiſſimæ crucis teſſeram in Turcas vltrò ſumerent, gratuitaq; ſtipendia facerent, integra delictorum omnium impunitate donauit; quin & beatum Ioannem Capiſtranum, virum ſanctiſſimum, & ad excitandos ad id populos, dicendi copia, & vitæ probitate, nimis idoneum, in Germanos, Vngaros, Polonosq; miſit, vt ad ſalutarem expeditionem, ſacris declamationibus, homines hortaretur; qui ſacra peregrinatione ſuſcepta, cùm Padum traijcere vellet, & à portitore pertinaciſſimè repelleretur, eò quòd interdicta è Franciſcano dogmate pecunia careret, quam pro naulo largiri poſſet, in difuſſum ſuper vndas mantelum cum ſocijs conſedit, & veluti quadam naufragij tabula, in ripam alteram, non ſine auari ſtupore portitoris, diuina ope tutò tranſlatus eſt. Cùm in C
Auſtriam & Germaniam veniſſet, Minoritanam Obſeruantiam mirificè propagauit, multaq; in Noricis, Germanis, Sarmatis, & Pannonibus monaſteria conſtruxit, languentemq; iam Dei timorem, cultumq; diuinum inſtaurauit, & non mediocrem exercitum Cruceſignatorum ex his regionibus ad hanc expeditionem conflauit. Sed cùm illuſtriſſimus Ioannes Coruinus, Biſtricienſis Comes, Vngariæ pater, vindexq; Chriſtiani nominis, ad exhibendum Regi Vngarorum Ladiſlao, huius nominis V. Viennam profectus, beati patris Ioanni Capiſtrani ſanctitatem præguſtaſſet, & ad inferendum Turcis bellum ab eo, veluti à diuino interprete, inflammaretur, compoſitis ibi rebus, illum in Vngariam ſecum duxit, vt alter humanis, alter verò diuinis rebus niteretur. Rumor mox affertur Mahumetem, iam ſuperato Hemo, per Triballos & Iſtrum, D
centum & quinquaginta hominum millia ad obſidendam Albam Græcam ducere. Illuſtriſſimus verò Ioannes Coruinus & beatus Ioannes Capiſtranus, forti animo, cum ſuo vterq; exercitu properant. Obſidetur Alba, & barbarus Imperator oppugnationem adoritur, quatit die noctuq; mœnia, nihil ciuibus ocij iam concedit. Beatus verò pater Capiſtranus ex aduerſo Crucifixum amplexus, ac ſupplex ad ſalutare prælium ſuos hortatur, diuinamq; opem illis promittit. Pientiſſimus verò Coruinus etiam cum ſuis accerrimè præliabatur; pugna, adueniente nocte, interrumpitur, & ſummo manè reintegratur, poſt vltimum tandem conflictum, qui quatuor & viginti horis ſine intermiſſione vlla durauit, præfatus Mahumetes Imperator quadraginta militum millia, pauciſſimis interim Chriſtianis trucidatis, deſiderauit, omnia tormenti bella amiſit, & vſq; adeò ingemuit, vt venenum prę vitæ moleſtia propinari ſibi iuſ- E
ſerit: quod cùm amici recuſarent, timidus, demiſſus atq; pectore ſaucius ſub papilla, incenſis caſtris, turpem fugam arripuit, neq; tam elatus animo venerat, quàm conſternatus abijt; & qui ſe terrorem orbis edixerat appellari, à parua manu fuſus fugatusq; fuit. Hæc quidem percelebris victoria virtuti diuinæ, abſq; vllo dubio, aſcribenda venit: cùm ea die multa mortuorum corpora ſine vulnere comperta fuerint, quæ diuina potius quàm humana vi cecidiſſe omnes arbitrati ſunt: ex qua quidem & maxima Vngaris ad Saluatoris imaginem, & ad tremendum nomen Ieſu acceſſit deuotio. Vtitur etiam huius Prouinciæ Miniſter ad iniuncti ſibi muneris exequutionem maiori ſigillo, cui huiuſcemodi Dominicæ paſſionis inſignia impreſſa ſunt, nempe Crux clauo ad

vtrumq;

A vtrumq; brachium confixa, ſpineaq; corona in ſuprema parte redimita: cuius etiam vertici titulus, ſcilicet. I. N. R. I. appenſus eſt: Et columna, ad quam idem Dominus & Redemptor noſter Ieſus Chriſtus alligari, atq; flagellum quo pro nobis flagellari voluit. Quæ tamen ita diſpoſita ſunt, vt illud prætatæ Crucis leuam, illa vero dexteram teneat. Ad baſim deniq; eiuſdem Crucis genuflexus Patriarcha Franciſcus, iunctis ad pectus manibus, orat. Totius deniq; ſigilli oram ambiunt huiuſmodi literæ. SIGIL. PROVINCIÆ. VNGA. SALVATO. OR. MI. RE. OBSEB.

De conuentu Giungienſi. *Conu. I.*

B IN oppido Giungio, quod decem millibus paſſuum à Curta, (vulgò Buda) Vngariæ olim regia diſtat, Turcarumq; tyrannide modò præmitur, Minoriticus hic conuentus adhuc perſeuerat: in quo 6. fratres ſacerdotes, vnus iuuenis, atq; quinque laici commorantur. Qui quidem Sacerdotes, proprijs Curatis deficientibus, ex apoſtolica auctoritate, Parochorum munere, apud catholicos, non abſq; fructu, atq; præſentiſſimo vitæ diſcrimine, funguntur. A quibus viciſſim vitæ neceſſaria, ſumma liberalitate ſubminiſtrata, recipiunt. Fuerat hic locus in ea contra Turcas expeditione, deplorandoq; conflictu, in quo Ludouicus, Vngarorum Rex, atq; Caroli V. Germanorum Imperatoris, Hiſpaniæq; Regis ſororius, fuſo, fugatoq; eius exercitu, infœliciſſimè, ſed tamen ſtrenuè perijt, à Turcis omnino exuſtus: ſed poſtea à catholicis eleganter ſatis, pro eorum ſubſtantijs atq; conditione, reædificatus extitit.

C *De conuentu Zedſedenſi.* *Conu. II.*

ZEDSEDIVM Vngariæ ciuitas eſt, atq; à plurimis catholicis inhabitata, ſed Turcæ imperio miſerrimè ſubiecta: in qua Minoriticum hoc monaſteriũ, à quatuor tantùm fratribus incultum, adhuc per Dei gratiam, ſubſiſtit. Quod eandem prorſus calamitatem: atque combuſtionem eodem prorſus tempore à Turcis exercitas, quas & præcedens perpeſſum eſt. Et ſicut illud, ita quoq; & iſtud, non tamen omnino, à fidelibus ibidem permanentibus, temporis ſucceſſu, reſtauratum fuit. Imbuunt quoq; & huius loci fratres catholicos fidei myſterijs, ſibiq;, Parochorum more, ſacramenta miniſtrant: quorum etiam eleemoſynis ſuſtentantur.

D *De conuentu Zacholenſi.* *Conu. III.*

EXTAT & tertium monaſterium Zacholſæ, quę vltima ſuperioris Vngarię ciuitas eſt, ſubeſtq; Chriſtianorum imperio, erectum, atq; à quinq; fratribus inhabitatum: quod cum omnimodam combuſtionem, atq; ruinam, circa annum Dominicę incarnationis 1530. ſubijſſet, per triginta, eoq; amplius, annos, habitatore caruit. Sed poſtmodum, circa annum Domini 1560. à fidelibus reparatum, reſarcitumq; eodem (vt pręfati ſumus) dignari meruit, ab illiſq; præfati fratres aluntur ſuſtentanturq;.

De conuentu Cſichienſi. *Conu. IIII.*

E VLTIMVM deniq; huius deſolatę Prouincię monaſterium, ea in regione, quę Cſichienſis dicitur, Dacięq; (vulgò Tranſiluania) contermina eſt, moderatè ſurrigit: quod iam ſecundò, ob graſſantia bella, à fratribus derelictum, totieſq; reaſſumptum extitit. Iſtius loci, quem duo tantùm religioſi impræſentiarum inhabitant, ſicut & aliorum, nullæ penitus ſuppetunt ſcripturæ, quæ nos de eorum fundatoribus, aut erectionum temporibus certiores reddere poſſint. Cùm eæ omnes, vel ſimul cum conuentibus exuſtę, vel ab hæreticis, aut à Turcis diſcerptæ, laceratæq; ſint. Quamobrem pium lectorem rogatum cupimus, vt his paucis contentus ſit: noſtrumq; qualemcunq; laborem boni conſulat, gratantiq; animo, quo & ſibi à nobis proponitur, offerturq; acceptet.



PROVINCIA

PROVINCIA
BOSNAE ARGENTIAE.

A POSTQVAM R.P.F. Gerardus Odonis, totius Minoritici Ordinis Generalis Miniſter, (vt in procemio Prouinciæ Boſnæ Croatiæ leui ſtylo tegimus) iacto prius Iaderæ eiuſdem Ordinis fundamento, plurimisq; Dalmatis ad fidem à Patarenorum erroribus reuocatis, Italiam, circa annum Domini 1342. repetijt, aliquot patres, tum eiuſdem fidei, tum quoq; ſuæ Religionis propagandæ zelo ducti, Boſnam ſe contulerunt, indeq; per Raſciam, Baſaratham, atq; Bulgariam, non abſq; maximo animarum fructu, & vitæ diſcrimine, tranſeuntes, ad vltimos vſq; Vngariæ fines penetrarunt. Quorum licèt plurimi in tanta Prouincia, tum à Patarenis hæreticis, quibus illa patria tunc ſcatebat, tum quoq; à Turcis illuſtri martyrio coronati eſſent, non tamẽ ideò alij, ſiue ab Euangelica prædicatione, ſiue à ſacri baptiſmatis collatione deſtiterunt: imò potius tamquam generoſi leones ignem ſpirantes, factiq; Diabolo, ac membris eius terribiles, diuino interim numine, ac ſereniſſimi Ludouici Vngariæ Regis fauore ſibi aſſiſtentibus, ad 90. Valachiorum,
B ſiue Myſnienſium, Seruianorum, Illyricorum, aliorumq; hominum, ſiue ſchiſmaticorũ, ſiue hæreticorum millia baptiſmali aqua abluerunt: pluresq; Minoriticos conuentus apud eoſdem erexerunt. His igitur auſpicijs hæc Boſnæ Argentinæ Prouincia in tantũ, eo tempore, creuit, vt ſeptem cuſtodias: ſcilicet Croatiæ, quæ in Prouinciam euaſit, Alphatiæ, Baſileæ, Bauariæ, Laci, Sueuiæ, atq; Reni: & 60. loca: inſuper & plures Religioſorum centurias complexata ſit: atq; ab Adriatico mari vſq; ad portam Bulgariæ ferream ſuos terminos produxerit. Sed (proh dolor) impræſentiarum tota ea patria vel à Turcis ſubiecta, vel ab hæreticis occupata, adeò perſtringitur, vt vix iuſtam cuſtodiam perficiat, cùm ex 14. tantùm conuentibus conſtet, & 80. tantùm fratres contineat. Et cogantur ipſi fratres, (niſi de ipſa Prouincia actum omnino cupiant) 8. aut 9. annorũ paruulos, quos Grammaticalibus rudimentis, humanioribusq; literis imbuãt,
C recipere, illosq; ex emendicatis eleemoſynis plurimis annis ſuſtentare: Nam Latinæ linguæ nullus penitus (Turcis id ſolerter, atq; cautè prohibentibus) apud ſeculares, niſi tantum apud fratres vſus eſt: benè quidem Turcicæ, quam illi, erectis gymnaſijs, maxima cura edocent. Neq; huic miſeriæ per exterorum fratrum tranſmiſſionem ſubueniri poteſt: Nam Turcica natio, cùm inſolens, ſuſpicioſa, atq; indomita ſit, ſi aliquos apud ſe extraneos Religioſos deprehenderet, ſtatim eos exploratores diceret, eaq; de cauſa, vt ſe Chriſtianis traducerent, aduentaſſe aſſeueraret. Quod & in cauſa eſſet, vt tum indigenis, tum quoq; alienigenis fratribus malè ſuccederet. Sed neceſſarium eſt omnino, vt quicunq; fratrum hanc Prouinciam petere cupiat, is Illyricã linguam optimè calleat. Præterea nullum penitus aliud, à noſtris monaſterijs, templum hac in patria erectum cernitur: pauciſſimiq; à fratribus inueniuntur ſacerdotes. Quamobrem coguntur ij Parochorum munere fungi. Quibus, ex plurium ſummorum Pontificum
D facultate, licet coram fidelibus in priuatis domibus, & in campis, pręſertim nundinarum tempore ſacra facere, eisq; baptiſmi, pœnitentiæ, Euchariſtiæ, matrimonij, atq; etiam extremæ vnctionis ſacramẽta miniſtrare. His ergo omnibus de cauſis neceſſum eſt, vt fratres Illyricũ idioma, quod iſtius regionis genti commune eſt, optimè norint. Difficillimum ſanè eſſet, ſi omnes calamitates, omnesq; iniurias fratribus iſtius Prouincię à Turcis illatas impręſentiarum referre vellemus. Quamobrem hæc tantùm dixiſſe ſufficiat, quòd in perpetuo vitæ diſcrimine verſentur: ac ſæpè, ſæpiſſimè ab ijs (præſertim dũ vino immerguntur) percutiãtur, vt ſibi cereas cãdelas, azimosq;, quibus ſacrificãt, panes porrigãt. Qui licèt ſe rarò domi contineant, continuoq; per pagos, & oppida Curatorum munere functuri diſcurrãt, officio tamen iniũcto, tanta eſt fidelium multitudo,

multitudo, tantaq; ſacerdotum penuria, ſatisfacere minimè poſſunt. Quapropter co- A
guntur ſæpius pij parentes, qui ſuos paruulos ab originali labe liberos cupiunt, eos per
40. milliaria, vt regenerationis lauacro à fratribus abluantur, deferre. Hæc igitur Pro-
uincia cùm ex diffinitiua ſentētia V. P. F. Bernardini de Chaimis, cui id muneris à R. P.
F. Franciſco Sanſone, totius Ordinis Generali Miniſtro commiſſum erat, anno Domi-
ni 1496. à Croatiæ cuſtodia ſeiuncta eſſet, tum ex R. P. F. Chriſtophori à Forliuio, tum
quoq; ex aliorum, quorum intererat, patrum, generalis Capituli Aquilani decreto,
habito anno Domini 1514. cui & Leo X. Pont. max. ſubſcripſit, anno Domini 1517.
in Prouinciam, ſub titulo Boſnæ Argentinæ, euaſit. Licèt enim huius patriæ fideles
à Turcis in omnibus alijs, quæ Religionem concernunt, diſſideant, cum eis tamen in
hoc vno, videlicet in Eliæ Prophetæ, cuius natalitius dies, tum iſtis, tum quoq; illis ce-
leberrimus eſt, veneratione conueniunt. Qua etiam de cauſa eius imaginem, tamquam B
huius Patroni, ſibi præferendam volui. Huius deniq; Prouinciæ maius ſigillum Chri-
ſtum crucifixum, cuius ſacro capiti eius titulus, nempe I. N. R. I. crucis vertici af-
fixus, ſol, luna, atq; 6. ſtellulæ imminent: tergo verò ciuitas Hieroſolymorum cum
his literis IERVSALEM. hæret: atq; Angelum eiuſdem Crucis baſim amplexan-
tem, cum his characteribus: SIGILLVM. PROVINCIÆ. ARGENTI-
NÆ. BOSNÆ. in orbem imprimit. Libet, antequam ad ſingulos huius Prouin-
cię conuētus deſcēdamus, omnia priuilegia ſibi à ſummo Pont. Ioanne XXII. anno Do-
minicæ incarnationis 1392. conceſſa, atq; à Martino V. Eugenio IIII. alijsq; ſummis
itidem Pontificibus confirmata, hîc paucis referre. Quorum 1. eſt, *vt fratres Boſnenſes
apud Saracenos, Paganos, GattanZanos, Gothos, Ruthhenos, Alanos, Græcos, Bulgaros, Cumanos,
Hiberos, Iacobitas, aliasq; infidelium nationes, tum Orientis, tum Aquilonis, tum quoq; alterius* C
*cuiuſuis regionis, ex apoſtolica auctoritate, prædicare poſsint. 2. Vt præfati fratres poſsint
cum quibuſcumq; excommunicatis, in verbo, diuino officio, cibo, ſalutatione, atq; alijs neceſ-
ſarijs, præterquam in crimine, communicare. 3. Vt poſsint in ſupradictis regionibus idola-
tras, cæterosq; infideles ad fidem conuerti cupientes, in forma, ab Eccleſia Romana præfixa, ba-
ptiZare. 4. Vt poſsint hæreticos, atq; ſchiſmaticos catholicæ fidei reſtituere, eosq; abſoluere,
& reconciliare. 5. Vt poſsint eiſdem in regionibus (extra quas nulla eſt eis auctoritas) con-
ferre confirmationis ſacramentum: dummodo catholici Epiſcopi copia non adſit. 6. Vt poſsint
vti antiquis chriſmate, atq; oleo ſacro in confirmationis, ſiue extremæ vnctionis collatione,
vbi nouum haberi non valeat. 7. Vt poſsint etiam minoribus quatuor ordinibus initiare.
9. Vt poſsint ad fidei vnitatem redeuntes à quocunq, excommunicationis vinculo abſoluere.
10. Vt poſsint diſpenſare in irregularitate, ſiue per receptionem ſacrorum ordinum ſub excom-* D
*municatione, ſiue per Miſſæ, aut diuini officij celebrationem coram excommunicatis, contracta.
11. Vt poſsint diſpenſare etiam in irregularitatibus per collationem, vel receptionem ſacro-
rum ordinum extra tempora, vel per receptionem eorundem ante legitimam ætatem, vel abſq;
licentia proprij Ordinarij, vel per ſaltum, contractis. 12. Vt poſsint diſpenſare cum ijs, qui
in ſacris conſtituti matrimonium contraxerunt, quatenus eorundem ordinum exequutione vti
valeant. 13. Vt poſsint diſpenſare cum his, qui contraxerunt matrimonium in quocumque
gradu prohibito à lege poſitiua, ſecus ſi à lege diuina. 14. Vt poſsint diſpenſare cum hæreticis,
ſchiſmaticis, atq; ijs, qui fidem negarunt, (reuerſis tamen ad fidei catholicæ vnitatem) quate-
nus poſsint ſuis conſanguineis, licèt infidelibus, cohabitare. 15. Vt poſsint etiam diſpenſa-
re cum clericis, ad Sedis apoſtolicæ obedientiam redeuntibus, quatenus clericali priuilegio gau-
deant. 16. Vt poſsint fratres quorumcumq; fidelium, præfatis in regionibus exiſtentium, ſa-* E
*cramentales excipere confeſsiones, eisq;, poſt impertitam abſolutionem, ſalutarem iniungere
pœnitentiam. 17. Vt poſsint excommunicatos quoſlibet, ſiue à iure, ſiue à iudice, dummodo
iniuriam, illatumq; parti damnum reſarciant, abſoluere. 18. Vt poſsint diſpenſare ſuper ir-
regularitatibus, ijs in caſibus, in quibus poſſunt apoſtolicæ Sedis Legati diſpenſare. 19. Vt
poſsint diſpenſare cum clericis natalium defectum patientibus, dummodo ex adulterino, ince-
ſtuoſo, vel ſacrilego concubitu procreati non ſint, (niſi fortè Religionem ingredi velint) vel
genitalibus non careant. 20. Vt poſsint diſpenſare cum apoſtatis, ſiue à fide, ſiue à Religio-
ne, eosq;, vel ſanctæ matri Eccleſiæ, vel proprio Ordini reconciliare. 21. Vt poſsint abſolue-
re ab homicidio, ſiue clerici, ſiue religioſi, ſiue alterius cuiuſuis perſonæ inferioris ab his.*

22. Vt

A *22. Vt poſſint eccleſias de nouo erigere, ac prophanatas, ſiuè violatas reconciliare. 23. Vt poſſint præfatis eccleſiis paſtores, Rectoresq; præficere: illisq; redditus conſtituere. 24. Vt poſſint diſpenſare cum nouiter conuerſis à Paganiſmo, vel à ſchiſmate ad fidei catholicæ vnitatem, quatenus cum proprijs vxoribus, licèt eadem labe infectis, habitare valeant, prætérquam in caſibus à lege diuina vetitis. 25. Vt poſſint in caſibus matrimonialibus ius dicere. 26. Vt poſſint diſcordes, per Eccleſiaſticas cenſuras, compellere, quatenus in communem pacem conſentiant. 27. Vt poſſint cœmeteria benedicere. 28. Vt poſſint indulgentias (prudenter tamen) conferre. 29. Vt poſſint quoduis votum commutare. 30. Vt poſſint, vbi Epiſcopi copia non ſuppetit, ſacerdotales veſtes, altarium pallas, corporalia, portatilia altaria, imò & immobilia, atq; calices benedicere. 31. Vt poſſint abſoluere eos, qui prohibita à ſacris eanonibus infidelibus contulêre. 32. Vt poſſint proprias domos relinquere, commutare, aut alienare,*
B *aliasq; de nouo erigere, atq; acceptare, prout eis, iuxta fidei vtilitatem, melius expedire videbitur: non obſtantibus quibuſcumq; prohibitionibus, licèt contrarijs. 33. Vt poſſint deniq; fratres (quod de ſacerdotibus tantùm intelligendum volo) ea quæcumque facere, quæ ad diuini cultus, atq; orthodoxæ fidei augmentum ſibi conducere videbuntur. Quæ quidem priuilegia, ex plumbea quadam bulla præfati Ioannis XXII. data Auinioni x. cal. Nouembris, anno verò Domini 1350. ſed Pontificatus ſui vi. atq; in loco Oſorenſi olim aſſeruata, ſatis conſtant.*

De conuentu S. Mariæ Argentinæ. Conu. I.

HIC conuẽtus, B. Mariæ ſacratus, atq; antiquitus à pientiſſimo quodã Boſnæ Rege, Argẽtinę, conſtructus, primus olim cęterorũ fuit, atq; huic Prouincię nomẽ dedit: impræſentiarũ verò Argentinenſibus Chriſtianis, ob Turcarum inſolentiam, aliò
C profectis, nouiſſimis annumerari poteſt: Cùm tres tantùm fratres contineat: vixq; eos, argenti fodinis, quibus hæc patria abundat, in Turcarum atq; Seruianorum poteſtatem redactis, alere valeat. Huic quoq; malo accedit, vt cùm præfatus Boſnæ Rex huius loci templum magnificè ſatis, pro regia maieſtate, conſtruxiſſet, ſibiq; monaſteriolum, tanto ædificio indignum, coædificaſſet: fratres ipſi in primo Turcarum ingreſſu id ex diuerſis eleemoſynis à fidelibus ſumma liberalitate oblatis, atq; ex præfatis argenti fodinis acquiſitis, in iuſtum conuentum, pro tantæ ecceleſiæ exigentia, promouerent. Quapropter plures moleſtias ab ipſo Turcarum Imperatore perpeſſi ſunt. Quas vt redimerent, 600. aureorum coronatorum ſummam pendere debuerunt.

De conuentu S. Ioannis Baptiſtæ Curiæ Banni. Conu. II.

PROPE pagum Sutiſchen, in quo plures Chriſtiani Turcis conuiuunt, nec longè
D à Curia Banni, quæ olim totius Boſnæ regia fuit, modò verò Turcarum immanitate ruinis cædit, conuentus hic, S. Ioãni Baptiſtę ſacratus, in ipſo huius Prouinciæ exordio, à fidelibus conſtructus: ac temporis ſucceſſu, à ſereniſſimo Thoma, Boſnenſium Rege, ampliatus fuit. Poſtquam verò florentiſſimum hoc Boſnę Regnum in Turcarum poteſtatem conceſſit, ex mera tantùm malitia, anno Domini 1524. ſimul cum tribus alijs ab ijſdem funditus euerſus extitit: ita vt nec lapis ſupra lapidem remanſerit. In qua quidem euerſione tanta tribulatio pauperculos fratres ſequuta eſt, vt plures eorum cæſi, alijq; vulnerati fuerint: alij verò fuga ſibi coſuluerint: Ea tamen ceſſante, ſolutis primò 900. coronatis aureis Turcarum præfectis conuentus, eodem in loco, atq; ex antiquioris demoliti materia, ſub eadem prorſus S. Ioan. inuocatione, à fratribus reædificatus eſt: quem 9. eorum occupant. Erecta conſpicitur hoc in loco lignea quæ-
E dam, atq; prægrandis Crux, à B. P. Bernardino olim (vt fertur) fabrefacta: quæ aëreas tempeſtates miraculosè depellit, Dæmonibusq; omnino formidabilis eſt.

De conuentu S. Spiritus Foinizæ. Conu. III.

CVM Turcica perſequutio in Boſnenſes Chriſtianos, præcipuè verò in religioſos, magis, magisq; ſæuiret: ijq; nouis exactionibus indies grauarentur: pauperculi fratres conuentum multis retrò annis, prope oppidum Foinizam, (vulgò Huoniza) in honorem S. Spiritus ædificatum, quòd plurimis Turcarum iniurijs expoſitus eſſet, deſerendum, atq; aliud, ſub eadem prorſus S. Spiritus inuocatione, ex altera eiuſdem oppidi parte, in quodam tutiori loco, conſtruendum curarunt. Quibus Foinizenſes Chriſtiani, præſertim verò illi, qui argenti fodinis ſuperintendebant, Turcisq; cohabitabant,

bitabant, (occupatur ſiquidem oppidum Foiniza mixtim à Turcis,atq; à Chriſtianis) A adfuerunt. Inter cætera, quæ hanc ſacram domum fidelibus commendatiſſimam reddunt, ſunt corpus beati cuiuſdam patris Angeli, ſanctiſſimi vtiq; viri;qui vt Chriſtianos, in primæua illa Turcarum perſequutione, in fide catholica contineret, nulli periculo pepercit.Quod cùm,poſt plurimos annos ab eius tumulatione, integrum omnino,acincorruptum inuentum eſſet,à fratribus inde exhumatũ,honeſtiori,loco reconditũ eſt.Vbi & Deus plura Foinizanis beneficia meritis eiuſdem B.P.conferre dignatur.

De conuentu S. Mariæ Plumbi. Conu. IIII.

IN ſuburbio eius oppidi, quod Plumbum dicitur, & à Turcis ſimul atq; fidelibus inhabitatur, erecta fuit olim eccleſia in honorem S. Mariæ: cui fratres paruum conuentum annectendum curarunt. Diſtat ab hoc loco ędicula quędam,eidem Virgini ſacra, cuius etiam fratres, qui numero ſunt 7. ſicut & proprij monaſterij ſollicitam curam gerunt. Ad hanc ſiquidem infideles quoque, Bulgari, Seruij, Raſſij, Albani, B atq; etiam Turcæ, ſingulis annis, in feſto Aſſumptionis Virginis, ob ſtupenda opera, quæ ad inuocationem cuiuſdam imaginis eiuſdē Virginis ibidē contingunt, confluũt.

De conuentu S. Nicolai Viſochy. Conu. V.

DEVOTISSIMVS quidā Michaël Oſtoides,qui & Pauper,ob ſummā,qua in Chriſti pauperes ferebatur,deuotionem,paſſim appellitabatur,hoc monaſterium, S.Nicolao dicatum,ex proprijs facultatibus,anno 1450. prope ciuitatem Viſochij,conſtruendum curauit.Cuius templum cùm fratres,quòd anguſtius eſſet,dilataſſent,Turcæ, ipſum funditus euerterunt.Poſt aliquantulũ verò temporis, ſoluta prius Turcis pecuniarum ſumma, ab ijſdem fratribus,qui vt plurimùm ſunt 5. numero reædificatum extitit: Apparent quoq; non longè à Viſochio Franciſcani alterius monaſterij ruinæ, C quod à Patarenis hęreticis,trucidatis primò ibidē Minoritis,ſolo ęquatũ eſt. A quo etiā tempore ſępius noctu à fidelibus in ipſis ruinis quędā candelę accenſæ conſpiciuntur.

De conuentu S. Catharinæ Creſceui. Conu. VI.

EGREDIENTIBVS ſuburbiũ eius oppidi,qđ Illyrica lingua (Creſceuo)nuncupatur,quoddā monaſteriũ,diuę Catharinę ſacrũ,in quo 6.fratres ſuſtentātur,occurrit:quod quidā Boſnæ Rex,à fundamētis ad verticē vſq; extrui fecit. Quo tamē tēpore, vel ſub quo Rege, id acciderit,nō ſatis cōſtat. Id tñ cũ à Turcis ad terrā deiectũ eſſet, à fratribus reædificatum extitit. Conſequuntur, ex apoſtolica auctoritate, quotquot fideles hanc ſacrā ædem,à primis veſperis diei feſti S. Catharinæ vſq; ad occaſuum ſolis ſequentis diei,ritè diſpoſiti,ingrediuntur,plenariam omnium peccatorũ indulgentiam. D

De conuentu S. Mariæ Salinarum Superiorum. Conu. VII.

CVM noſtri fratres,in primo Turcarũ ingreſſu,de proprio conuentu, quem prope ciuitatem (Suich) Illyrica lingua nuncupatam, nec longè à Salinis ſuperioribus obtinebant, ab ijſdem deturbati eſſent, illuſtris Comes Paulus Sijchius à Sultano Solymanno Othomanno,Turcarum Imperatore,impetrauit, vt præfati fratres, alium locum, in quo victitarent, erigere poſſent. Præterea & hoc monaſterium,S. Mariæ dicatum, quodam in loco deſerto, qui materna eius patriæ lingua (Gradouuarh) nuncupatur, illis qui vt plurimùm ſunt 7. anno Domini 1541. ex proprijs facultatibus, conſtrui fecit. Eo ipſo tempore, quo fratres ex priori conuentu deturbati fuêre,Turcarum pueri corpus B. P. Petri Sloiutri omnino integrum, tum bacillis,tum quoq; cultris per- E cuſsêre,dilacerarũtq;: quapropter pręfatus Comes ipſum inde noctu raptũ,proprioq; equo impoſitum, per medios Turcas, ſomno oppreſſos, ad propriam domum, indeq; cum luminaribus, ac ſolemni fidelium proceſſione, ad præſentem hunc conuentum tranſtulit. Vbi & ab ijſdem fidelibus ſumma veneratione colitur, miraculiſq; coruſcat. Hinc non longè diſtat ciuitas (Suonich) ab Illyricis nuncupata, in qua celebre Franciſcanorum monaſterium olim ſubſtitit: quod tamen, pulſis fratribus, in Turcarum ius, atq; delubrum tranſijt. Quo expulſionis die, cùm Turca quidam glorioſæ Virginis imaginem lancea percuſſiſſet, ex ea continuò, admirantibus ſtupentibuſq; cæteris Turcis, ſanguis profluit: ipſeq; percuſſor amens effectus, in propinquum flu-

uium

A uium ſe præcipitem dedit: ſtatimq; tũ ipſe, tũ quoq;, cui inſidebat, equus in marmoreã
ſtatuam conuerſi ſunt, quę & aliquando, ſecedentibus aquis, ſe conſpiciendam præbet.

De conuentu S. Mariæ ſiue S. Petri Salinarum inferiorum. Conu. VIII.

EST apud Salinas inferiores capaciſſimus quidam pagus, in quo pauciſſimi Chri-
ſtiani quàmplurimis cohabitant Turcis, & incredibiles ab ijs perpetiuntur mole-
ſtias. Iuxta hunc igitur pagum prægrandis quædam eccleſia, in honorem B. Mariæ,
ſiue (vt alijs placet) ſancti Petri erecta, adiunctusq; ſibi conuentus olim ſubſtitêre. Quẽ
tamẽ fratres, plurimas Turcarũ inſolentias declinaturi, deſerendum, atq; alium, prope
Modrizam, extruendum cenſuerunt. Cumq; id, vnico tantùm fratre, qui paucorum
illorum Chriſti fidelium curam gereret, ibidem relicto, exequutioni mandaſſent, præ-
B fata eccleſia, ſimul atq; conuentus, immiſſo anno 1580. à Turcicis pueris igne, confla-
grarunt: iamq;, per Dei gratiam, reædificata ſunt, & à ſex fratribus inhabitantur. Al-
luebatur olim vniuerſum id ędificium fluminis Boſnę lymphis, quapropter & ab his in-
credibilia damna ſuſtinere cogebatur. Quæ cùm ſummo Pontifici à fratribus relata eſ-
ſent, præcepit is fluuio in virtute obedientiæ, vt ab huiuſmodi damnis omnino abſti-
neret. Mirabile dictu! Statim fluuius, relictis antiquioris decurſus veſtigijs, ad mille
paſſus & vltra retrocedens, iter ſuum per aliam viam, ſinuoſo volumine, direxit.

De conuentu S. Eliæ Modrizæ. Conu. IX.

CVM S. Eliæ eccleſia, adiunctusq; ſibi conuẽtus à Turcis exuſta eſſent, fratres eius
habitatores, qui numero erant 6. ex Turcarum Imperatoris voluntate, nouã domũ
abſq; tamen eccleſia (nam illis templũ de nouo ędificare, vbi prius non præfuerit, mini-
mè permittitur) prope Modrizam, à plurimis deuotis Chriſtianis inhabitatam, anno
C Dñi 1579. erigendã curarunt. Quam & poſt quadriennium, ex ſumma Gregorij XIII.
liberalitate, abſoluerunt. Cuius nihilominus habitatio ipſis fratribus incommoda eſt:
cùm celebrationis gratia præfatã S. Eliæ eccleſiã longius diſtantem petere teneantur.

De conuentu S. Pauli Viſouachij. Conu. X.

TERTIO milliari ab antiquiſſima Chriſtianorũ vrbe Scardona, modò verò exi-
gua, & 10. à Sibenico, Venetorum ciuitate, in media fluminis Carchę inſula, Viſo-
uachium appellata, hic conuentus, S. Apoſtolo Paulo ſacer, atq; ab 8. fratribus inhabi-
tatus, ſurrigit. Quem Auguſtiniani patres ante plurimos annos à fundamentis extruen-
dũ curarunt. Quibus tñ, Turcarũ opera, pulſis, ad noſtros deuolutus eſt: Certiſſima tra-
ditione habetur, quòd nullus vnquã mortaliũ, licèt præſentiſſimũ periculũ ſubierit, in
D eo præfati fluminis ſpatio, qđ ſacra hæc domus reſpicit, inſanis obrutus aquis perierit.

De conuentu S. Mariæ Macharſchæ. Conu. XI.

AD litus maris, nec longè à Pharia, Venetorũ inſula, ſed 8. milliari à quodã Tur-
carum caſtro, prope Macharſcham, hic conuentus virgini Mariæ ſacratus, anno
Domini 1518. à fratribus conſtructus fuit. Quem tamen Veneti, quòd ſibi tempore bel-
li negociũ faceſſere poſſet, deſtruxerũt, & poſt ipſos Turcę, immiſſo igne, oĩno combuſ-
ſerũt. Sed, pace inter eoſdẽ cõſtituta, ab huius Prouincię patribus, ex bonis tamẽ Martini
Glubicichij Plumbenſis, reędificatus eſt. Cõmorantur vt plurimũ hoc in loco 7. fratres.

De conuentu S. Mariæ Saſtrugi. Conu. XII.

MILLIARII 18. à prȩfato oppido Macharaſcha, atq; in eiuſdem maris litore,
E longiuſculus tamen à Chriſtianorum oppidis, eo in loco, qui Illyrica lingua (Sa-
ſtrug) nuncupatur, hoc monaſterium, in quo ſex fratres commorantur, conſtructũ eſt.

De conuentu S. Petri Ramæ. Conu. XIII.

HIC conuentus, Apoſtolo Petro Ramę ſacratus, iuxta quandã vetuſtiſſimam ec-
cleſiam, deſerto in loco, ab huius Prouincię patribus, anno à Chriſto Seruatore
nato 1500. conſtructus fuit. Quapropter fratres eius incolę, qui frequentius ſunt 6. nu-
mero, plurimis exponuntur periculis: prout aliquando experti ſunt. Nam ſemel,
quotquot ibi commorabantur, ab efferatis Turcis illuſtre martyrium ſubiêre.

De conuentu S. Chriſtophori prope Velicam. Conu. XIIII.

MILLIARI quarto à Poſſegenſi Illyricorum ciuitate prope Velicam hic con-
uentus conſtructus eſt, & à quinque fratribus noſtris inhabitatur.



PROVINCIA

PROVINCIA
VNGARIAE S. MARIAE.

EODEM prorſus tempore, quo & Prouincia Vngariæ Saluatoris, nempe anno Domini 1240. præſens Vngariæ S. Mariæ Prouincia oxordium ſumpſit. Cùm ſibi prius vnita, & ab ea poſtmodum, tum fratrum tum quoq; conuentuum numero mirum in modum creſcente, ex patrum decreto, diuiſa ſit. Tanta enim eius fœcunditas, Vngarorum regno eo temporis florente, fuit, vt ex octo cuſtodijs, nẽpe Iaueríenſi, Zagrabienſi, Zirimienſi, Quinqueeccleſienſi, Strigonienſi, Agrienſi, Tranſyluanica, atq; Albienſi conſtiterit, neceſſumq; fuerit (ſi tamen ſibi conſultum cuperent) eam in duas (vt præfati ſumus) Prouincias diuidere. Sed quo id tempore, vel ſub quo Generali totius noſtri Ordinis Miniſtro contigerit minimè conſtat. Sunt tamen qui aſſerant, idq; ex vno vel altero ipſius conuentu, à B. (vt vulgaris fert traditio) P. Franciſco, vel eius iuſſu, conſtructo, hanc Prouinciam, eodem B.P. adhuc ſuperſtite, initiũ habuiſſe. Quod tamen mihi minimè probatur: Cùm certò certius cõſtet fratres noſtros ſub Bela huius nominis IIII. Vngarorũ Rege, (vt in prooemio Prouinciæ Vngarię Saluatoris curſim tetigimus) à quo humaniſſimè excepti fuêre, primùm in Vngariã deſcendiſſe. Idq; antiquorũ conuentuũ ſtructura, ab eodem Rege Bela erecta, facillimè indicat. Aſſerunt pręterea ijdem B.P. Franciſcum hãc Vngarię plagam in propria perſona luſtraſſe, quod tamen falſum omnino (niſi diligentes vitæ, atq; geſtorum ipſius ſcriptores, quod tamen nec cogitare velim, nos fallunt) exiſtimarim. Hæc itaq; Prouincia multò latius olim, quàm impræſentiarum, patuit. Complexa ſiquidem fuit Nazienghenſem, Nagiolazianum, Zemlenſem, Rednechianũ, Francauillenſem, atq; Demetrianum conuentus, ad Zirimienſem cuſtodiam iam diu pertinentes: atq; finibus Epiſcopatus ſancti Hirenei circumſcriptos. Quos tamen Turcica rabies, in Conſtantinopolitanæ ciuitatis expugnatione, funditus euertit, demolitaq; eſt. Retinet nihilominus adhuc quinquaginta & tria religioſorum, atq; religioſarum itidem vnum loca, (de quibus paulò inferius) licèt eorum plura ab vno, aut altero tantùm, idq; ad tempus, fratre occupata, potius deſerta, quàm inhabitata videantur; diciq; meritò poſſint. Non eſt autem quòd diligens lector à nobis vel fratrum cuiuſq; loci numerum, vel proprium eius nomen, ſiue titulum, vel aliquid aliud à breuiſſima quadam, nimiſq; compendioſa deſcriptione exigat: Cùm aliquem fratrem, qui eius memorabilia feliciori ſtilo deſcriberet, eò, abſq; præſentiſſimo vitæ ipſius diſcrimine, itineribus interim à Turcis, atq; ab hæreticis omnino obſeſſis, tranſmittere non licuerit: nec aliud penitus (licèt per diligentiam non ſteterit) ab his, quæ ſequuntur, ad manus habere valuerimus. Huius deniq; Prouinciæ ſigillum glorioſiſſimæ virginis Mariæ, dilectiſſimiq; eius filij, ſiniſtro eiuſdem fœmori inſidentis, imagines, non quidem ſtantes, ſed ſub concamerato tabernaculo ſedentes, aliaſq; duas regio cultu ornatas, genuflexas, ac præcedentium pedibus, ſub diſtincto tamen circulo, ſuppoſitas: quarum alteri, ei videlicet, quæ dexteram tenet, huiuſmodi literæ (R E X) à tergo ſunt: ei verò, quæ ſiniſtram occupat, ſequentes, (D V X) eodem prorſus modo, quo præcedentes, diſpoſitæ adhærent: &, qui ſequuntur, characteres, S. FRATRVM. MINOR℞. MINISTRACIONIS. PROVINCIÆ. VNGARIÆ. S. M. orbiculatim, pro aliorum ſigillorum more, imprimit. Licèt plures alij ſancti mihi occurrerint, quos optimo iure huic Prouinciæ præponere potuiſſem: nihilominus tamen ijs ſanctam Eliſabetham, graphicè depictam, quòd Andreæ Vngariæ Regis filia: quodq; Tertiariarum noſtri Ordinis ſororum Primipila fuerit: quòdq; eam ſuorum compatriotarum, præſertim verò Franciſcanorum, apud Altiſſimum, patrocinium ſumpſiſſe minimè dubitem, præferre volui.

Sequuntur huius Prouinciæ conuentus.

1 BVDENSIS conuẽtus, S. Ioanni Euangeliſtę ſacer, à sereniſſimo Bela, huius nominis IIII. Vngarorum Rege, anno Domini 1270. regio ædificio conſtructus fuit: in cuius eccleſiæ loco quodam eminentiori ſepulti iacent V.P.F. Petrus, iſtius aliquando Prouinciæ Miniſter, qui poſt mortem, in ſuæ inculpatæ vitæ teſtimonium, cœcum illuminauit: & V.P.F. Ioannes, iſtiusmet Prouinciæ Miniſter etiam, qui præfatum patrem Petrum, graui morbo laborantem, ſibiq́; deuotum, ſanitati ex tempore reſtituit.

2 INSVLÆ Leporum, quæ prope Budam, Vngarię metropolim, exiſtit, conuentus ab eodem Rege Bela, & à Stephano eius filio, circa eundem annũ Domini, erectus fuit.

3 STRIGONIENSIS conu. per eundem quoq; pientiſſimum Belam, qui ibidẽ cum Regina atq; liberis ſepeliri voluit, anno à partu Virgineo 1275. fundatus extitit.

4 ALBENSIS conu. ædificatus fuit, anno 1280. per Ladiſlaũ IIII. Vngariæ Regẽ.

5 POSONIENSIS conu. per eundem Ladiſlaum, cùm eodem anno Incarnationis Chriſti 1580. ab Othocari Boëmorum Regis cæde reuerteretur, conſtructus extitit.

6 SEGVSDIENSIS conu. ex diuerſis fidelium eleemoſynis, circa annum Dominicæ reſurrectionis 1795. ſub Andrea huius nominis III. Vngarorũ Rege, fundatus eſt.

7 ETORBONACHENSIS conu. per præfatũ Andreã Regẽ, an. 1294. erigitur.

8 SICAMBRIENSIS conu. ædicula olim extitit, quę tamen ex diuerſis accolarum eleemoſynis in Minoritanum monaſterium euaſit, anno à partu Virgineo 1301.

9 QVINQVEECCLESIENSIS conu. per illuſtrem Cherodorium familiam fundatus, ac per fratres noſtros, anno Domini 1301. primò inhabitatus fertur.

10 BACHIENSIS conu. Templariorum domus olim fuiſſe fertur, quem fratres noſtri, ex eorum, quorum intererat, facultate, anno Domini 1301. primò occuparunt.

11 BANENSIS conu. à Cruciferis patribus, ad noſtros eodẽ an. 1301. deuolutus eſt.

12 ZEGEDIENSIS conu. à fratribus, ex diuerſis eleemoſynis, circa annũ Domini 1305. humiliter fundatus, per sereniſſ. Eliſabethã Vngarorũ Reginã decoratus extitit.

13 VARADIENSIS conu. eodẽ anno 1301. à fratribus noſtris inhabitari cœpit.

14 NITRIENSIS conu. eodẽ prorſus anno 1301. fratribus noſtris collatus extitit.

15 TRINCIENSIS licèt à plurimis annis fundatus, an. tñ 1301. fratribus cõceſſus fuit.

16 FAVRIENSIS conu. ab antiquo etiam fundatus, eodem prorſus anno 1301. à fratribus noſtris occupatus, ac poſtmodum à V. P. F. Ioanne Senenſi reformatus fuit.

17 LIPPENSIS conu. à sereniſſ. Eliſabetha, Vngariæ Regina, in honorẽ S. Ludouici Tholoſani Epiſcopi, ac eius conſanguinei, anno à partu Virgineo 1327. ædificatus eſt.

18 BISTRICIENSIS conu. parochialis olim eccleſia fuit, ſed ſenatus & Epiſcopi opera in monaſterij formã redacta, fratribus noſtris, anno 1336. ab ijſdem collata fuit.

19 ROBRECIMINICVS conu. eccleſia ſoluta olim fuit, vt ex eius ſtructura facilè perpenditur, per illuſtrem tamen Iacobum ſtrenuum militem in quam modò induit formam redactus, ſub Carolo Vngarorũ Rege, anno 1312. huic Prouinciæ adiectus eſt.

20 SOPRONIENSIS conu. licèt nõ ante annũ 1340. à fratribus acceptus, vnus tñ ex antiquioribus huius Prouincię eſt; in quo & Prouincialia eius comitia celebrabãtur.

21 ZEMENICHIVS conu. ꝑ nobilẽ quandã matronã, anno 1351. conſtructus fuit: quę cùm ex vltima mariti voluntate palatiũ conſtruêre teneretur, quod in prophano huiuſmodi ædificio cõſumptura erat, id totũ, ex facta ſibi à Sede apoſtolica facultate, ĩ p̄ſentis ſacri conuẽtus promotione piè erogandũ cenſuit, idq́; opere liberaliſſimè adimpleuit.

22 BERECHSASIENSIS conu. per sereniſſimam Eliſabetham Vngariæ Reginam, ac præcedentis poſteram, anno Dñicæ Incarnationis 1370. ædificatus extitit.

23 VARASDIENSIS conu. qui & patrum Cruciferorũ aliquando fuit, à tempore Seraphici patris Ftanciſci habitus dicitur. Quod an ita ſit aliorum eſto iuditium.

24 NECHSENIVS conu. ex diuerſis fidelium eleemoſynis circa annũ Dñi 1373. fundatus, ac tandem poſt aliquot annos à V. P. F. Gregorio Dobſanio reformatus eſt.

25 LVBREGANVS conu. proximè præcedenti contemporaneus eſt, cùm eodem prorſus anno Domini 1373. à deuotiſſimo quodam Ioanne Guz conſtructus fuerit.

26 CHESTELIANVS ſumptibus illuſtriſſ. Stephani Vayuodę, an. 1386. erigitur.

CHANI-

27 CHANISINVS conu. per deuotum Ioannem Caniſinum, ex maxima qua noſtrum Ordinem proſequebatur beneuolentia, anno Domini 1428. fundatus extitit.

28 FORISICVLORVM, Tranſiluaniæ oppidi, conu. ſub V.P.F. Paulo à Zeocſio, huius Prouinciæ Miniſtro, anno Domini 1446. ex diuerſis eleemoſynis ædificatus eſt.

29 POTHOCSIENSIS conu. eodem anno 1446. ac ſub eodem patre fratre Paulo Zeocſio Miniſtro, ex Phothocſienſium diuerſis eleemoſynis erectus, perfectusq; eſt.

30 ZECHENIVS conu. per deuotum quendam Franconem, dum adhuc doctus P. F. Fabianus de Igal huius Prouinciæ ſceptrũ teneret, anno 1452. fundatus eſt.

31 ZAGRABIENSIS conu. à tempore B.P. Franciſci fundatus dicitur; quem & idem pater (vt aliqui volunt) in propria perſona viſitauit: & poſtea vndiq; ruinam minitantem reſtaurarunt ex diuerſis eleemoſynis patres Gregorius Cuſtos, atq; Ortolſus.

32 ZVDLACHIVS conu. ex diuerſis fidelium eleemoſynis, opera tamen cuiuſdam fratris Petri Racſij partis, circa annum Domini 1488. ædificatus, abſolutusq; eſt.

33 ZINCHIVS conu. à quodam patre fratre Bartholomæo, ex Zinchienſium eleemoſynis, maxima liberalitate oblatis, pro maiori parte erectus, perfectusq; fuit.

34 POCHAFALVIVS conu. eremitis S. Pauli olim ſubiacuit, à quibus tamen cùm derelictus, deſertusq; fuiſſet, in huius infeliciſſimę Prouinciæ ius ceſſit.

35 CHAPRONSCHIVS conu. per Banum Herium, Vngarorum Regem, fundatus aſſeritur, quem tamen Eliſabetha eorundem Regina reſarciuit, reſtaurauitq;.

36 POSEGANVS conu. Poſeganorum ſumptibus ab antiquo ædificatus eſt.

37 CASTANIENSIS conu. ab antiquo etiam fundatus, ac præcedenti (niſi nos plura indicia fallunt) coæuus, in fratrum noſtrorum ius à pluribus annis tranſijt.

38 VEREOCSIANVS alterius Ordinis fuiſſe fertur, ad noſtrũ tamẽ deuolutus eſt.

39 ARACHIENSIS conu. monachorũ olim abbatia fuit: huic tamẽ Prouincię, vt literę ibidẽ exiſtentes enodãt, per Reginã Eliſabethã, ſumma liberalitate, reformatus eſt.

40 ZASVARENSIS in Zaſuara, Tranſiluaniæ ciuitate, erectus olim à præfata Eliſabetha, illæſus omnino, & à 4. fratribus, Turcis id permittentibus, inhabitatus eſt.

41 CIBINIENSIS parochialis eccleſia fuiſſe creditur, & fratribus noſtris conceſſa eſt.

42 TELEGDIENSIS Tẽplariorum fuit, ac per quẽdã Archiepiſcopũ nobis reſtauratus.

43 ZACHMARICVS conu. per Reginam Eliſabetham fundatus extitit.

44 CASSOVIENSIS fundatus eſſe creditur per illuſtres heroës de genere Prinij.

45 VARANENSIS conu. à magnifico domino Riuolt, ob deſtructionem conu. Caniſienſis, tempore ſereniſſimi Matthiæ Regis Vngarorum fundatus extitit.

46 LEVCHOVIENSIS ab antiquo fundat' eſt cũ apparatu cõdecẽti: ſed à quo ignorat'.

47 AGRIENSIS conu. per Cletũ Epiſcopũ circa tẽpora B. Franciſci fundatus eſt.

48 LYRNAVIENSIS abbatia fuit quem Ludouicus Rex huic Prouincię reſtaurauit.

49 LIPICHIANVS conu. per illuſtriſſ. Comitẽ Donchium, ſub Carolo Vngarorũ Rege fundatus eſt, vt literę ipſius Comitis, in huius loci archiuo aſſeruatæ, teſtantur.

50 LEIOCHENSIS conu. per R. quendam Ioannem Archiepiſcopum, qui ex illuſtri Caniſienſium familia originem traxit, conſtructus, omninoq; perfectus extitit.

51 FERRIENSIS conu. monachorũ abbatia prius fuit, quę cũ ruinę, ab his derelicta, proxima eſſet, per illuſtrem Caniſienſium familiam huic Prouinciæ reſtauratur.

52 SABARIENSIS excipiendis curandisq; pauperibus infirmis olim deſeruiuit, ſed R. Colomani Epiſcopi tempore, atq; ex eiuſdem facultate, annuente tamen Sabarienſi ſenatu, per V. P. F. Ioannem Senenſem in conuentus formam redigitur.

53 VILACHENSIS per illuſtriſſ. Vgimum Ducem fundatus eſt: qui maledictionem orbitatis filiorum poſteris ſuis imprecatus fuiſſe dicitur, ſi à noſtris fratribus, eorum opera, auferretur. Quod & in Laurentio Duce manifeſtius adimpletum eſſe conſpicitur. Nunc autem inſolentiſſimi Turcæ (proh dolor) hunc locum poſſident.

De monaſterio Clariſſarum in Sicambria.

CONVENTVS ſororum ſanctæ Claræ, & earum eccleſia, Apoſtolorum principi Petro dicata, per deuotiſſimam, ſimul & religioſiſſimam Eliſabetham, Vngariæ Reginam, quæ obijt, anno Dominicæ incarnationis 1380. in Sicambria, (cuius ſupra meminimus) auguſtè ſatis, parum ante eius mortem, fundata ſunt.


P. TERRAE
LABORIS
B. IACOBVS DE MARCHIA

PROVINCIA TERRAE LABORIS.

A PROVINCIA Terræ laboris, quæ & Neapolitana vulgò appellatur, antiquiſſima ſanè eſt, & ſtatim à noſtræ Religionis exordio, per ipſummet beatiſſimum patrē Franciſcum ex parte erecta, ſi primęuam eius inſtitutionem, & illam, vt Prouinciæ Principatus (de qua ſuperius) permixtam, attendas, ſumpſit initium. Erexit namq; præfatus P. plures in ea conuentus, quorum aliqui (vt inferius patebit) ſub patris eius Miniſtri cura adhuc perſeuerant, alij verò vel prædictæ Principatus Prouinciæ ſubſunt, vel Conuentualibus Franciſcanis patribus parent: pluraq; ibidem miracula edidit, ac diutius habitauit: Hacq; de cauſa huius Prouinciæ ſigillum Seraphici eiuſdem P. Franciſci, ſiniſtra quidem librum, ſed dextera crucem tenentis, ac ſtellulis omnino circundati, iconem, in ſui meditullio: ſed in gyro huiuſmodi literas. ✠ SIGILLVM. MAGNVM. PROVINCIÆ. TERRÆ. LABORIS. continet. Quòd autem hunc locum inter reliquas teneat, in cauſa eſt eius à Principatus Prouincia diuiſio, ab eiuſdem patri-
B bus iteratò petita, atq; obtenta: Semel quidem ſub R.P.F. Andrea Inſulano, totius noſtri Ordinis Generali Miniſtro, anno à partu Virgineo 1544. Secundò verò ſub R. P. F. Chriſtophoro à Capitefontium, eiuſdem quoq; Ordinis Generali Miniſtro, anno Domini 1576. Hæc itaq; Prouincia, antequam in duas, in præſentem videlicet, ac in Principatus Prouinciam diuideretur, ampliſſima extitit: & ante totius noſtri Ordinis diuiſionem, R.P.F. Leonardum de Giffonibus, Generalem eius Miniſtrum, plurimosq; ſacræ Theologiæ Magiſtros nobis peperit. Quorum celeberrimus fuit pater ac frater Landulphus Neapolitanus, ſacrę Theoſophiæ magiſter, ac poſtmodum Amalphetanus Archiepiſcopus inſtitutus: qui Doctoris Ioannis Duns Scoti ſubtiliſſimam doctrinam ſequutus, copiosè quidem, ac ſatis eleganter in 4. libros Sententiarum ſcripſit. Modò verò ſtrictius patet: cùm ex 31. fratrum, & 9. ſororum conuentibus (de quibus ſuo ordine
C inferius) tantùm conſtet. Quorum tamen maior pars in ciuitatibus, celeberrimisq; oppidis ſita eſt. Cùm autem celeberrimus totius huius Prouinciæ conuentus, is nempe qui ſub inuocatione ſanctæ Mariæ Nouæ Neapolis ſurrigit, venerabile corpus beati Iacobi Picentis ſiue de Marchia, cum admirabili totius ciuitatis deuotione ac reuerentia, contineat, ipſum beatum Iacobum, graphicè depictum, ſibi præferendum curaui.

De conuentu S. Mariæ Nouæ Neapolis. Conu. I.

VT primùm Carolus, primus Andegauenſiū Comes, anno Domini 1265. Neapolitani Regni ſceptro, atq; diademate ab Vrbano IIII. ſummo Pont. inueſtitus eſſet, omnesq; eius ciuitates ſuo ſubiugaſſet imperio, habitationis Caſtri Capuani, quòd ingrata, minusq; tuta eſſet, pertæſus, aliud fortius, atq; amœnius fortalitium ſibi ædificandum cenſuit. Cùmq; Minoriticus conuentus, à B.P. Franciſco in honorem S. Mariæ, in ipſo litore maris, nec longè à portu Neapolitano, erectus, ſibi, tamquam omnium lo-
D corum commodiſſimus, atq; amœniſſimus, eſſet oblatus, eum aliò transferendum, inibiq; regium, ex omni parte communitum, ædificandum decreuit. Vrgente itaq; regio mandato, prędictus conuentus dirutus eſt: inſuper & ex eius materia pręſens, intra Neapolitanæ ciuitatis mœnia, multò tamen auguſtior, multoq;, pro tanti Regis maieſtate, elegantior altero, anno à partu Virgineo 1268. quinquageſimo videlicet anno à tranſitu B.P. Franciſci, conſtructus eſt. Ad quem omnia prioris ornamenta, omniaq; ad fratres ſpectantia, præterea & ibidem ſepultorum oſſa, præſertim verò B.P. Auguſtini Aſſiſinatis, primi huius Prouinciæ Miniſtri, (licèt Conformitatum author aliud ſentire videatur) tranſlata ſunt. Voluit præterea præfatus Rex Carolus, vt hic locus glorioſiſſimæ virgini Mariæ Nouæ dicaretur, & munitio à ſe extructa Caſtrum nouum

appellaretur. Fuit hæc ſacra domus Neapolitanis, à prima ſui erectione, celeberrima, A plurimoſq; ſui promotores habuit. Quibus tamen illuſtriſſimus ſimul atq; ſtrenuus, Catholicorum Hiſpaniæ Regum, Ferdinandi videlicet atq; Eliſabethæ Præfectus, Gundiſaluus Fernandez à Corduba palmam præripuit. Hic ſiquidem peramplum ſacellum, plurimis ſacellulis colluſtratum, ex quadrato atq; polito lapide, in ea ædificandum curauit: in quo & corpus B.P.Iacobi à Marchia recondi,& Lauthrecum,Gallicarum copiarum olim Ducem, ſumptuoſo ſibi ſepulchro erecto, humari voluit. Poſſet optimo iure hoc ſacellum ſecunda eccleſia dici, cùm plures alias & capacitate,& religione,& elegantia,& etiam ſacris ornamentis ſuperet. In ea enim 5. ad minus ſacella erecta conſpiciuntur. Quorum maiori ſiue principi corpus B. P. Iacobi à Marchia, criſtallina reconditum arca,ſuperſtat: & ſacriſtia ſacris veſtibus, ſacriſq; referta vaſis adiacet. Ad quod etiam Neapolitanus populus, ob tanti patris reliquias, incredibili B deuotione fertur. Et quid mirum: cùm is & ſanctitate, atq; religione in vita floruerit. & pluſquàm ter mille miraculis, prout libellus manuſcriptus, atq; in præfata ſacriſtia aſſeruatus, facillimè teſtatur, in morte coruſcauerit? Hic ſiquidem B. P. nihil minus à terrenis honoribus fecit: quemadmodum & facto oſtendit, quando oblatam Mediolanenſis Archiepiſcopatus dignitatem declinaturus, fugam arripuit. Præterea tanta paupertate,atq; charitate,tantaq; in Deũ atq; homines pietate præditus fuit,vt nec facilè exprimi, nec faciliùs credi poſſit. Tum demum apoſtolica, pro ſummis Pontificibus Nicolao V. Calixto III. atq; Pio II. legatione, in Vngaria, Macedonia, alijſq; infidelium Prouincijs functus, plurimos ad Chriſti fidem conuertit. Habet hic conuentus prægrande quoddam, pulcherrimum, atq; auguſtiſſimum valetudinarium, in quo iſtius Prouinciæ, imò & adiacentium Prouinciarum infirmi fratres ſumma charitate curantur; cui adiuncta eſt opulens,omniq; ex parte capaciſſima pharmacorum C officina, in qua quicquid ab infirmis deſiderari poteſt, ad manũ inuenitur. Hac plures Neapolitani familiariſſimè, inſuper & vtiliſſimè, quòd pharmacha recentiſſima, nulloq; pacto deprauata ſint, vtuntur, quorum gratitudine atq; liberalitate, quicquid opus eſt,facillimè exquiritur. De cætero verò huius præſentis conuentus ædificio id ſolum dicam, quòd regium omnino, ac pluſquàm Franciſcanam deceat paupertatem, magnificum, ſumptuoſumq; ſit: quodq; centum quinquaginta fratres commodiſſimè capiat, frequentiuſq; contineat. Horum non aſpernanda pars ſub triplici eruditiſſimo lectore, vel ſacræ Theologiæ, vel Philoſophiæ, vel Grammaticæ arti feliciſſimè incumbit. In communi verò fratrum ſacrario altera ex ſpinis Dominicæ coronæ, altera quoq; ex coſtis diui Bonauenturæ, & pes, manuſq; cuiuſdam incogniti ſancti, D ſumma religione aſſeruãtur. Gaudet tum demum communis eccleſia altare quodam priuilegiato, in quo, per Miſſæ ſacrificium, fidelium animæ, ex apoſtolica Gregorij XIII. ſummi Pontificis largitione, ex Purgatorij pœnis eruuntur, liberanturq;.

De conuentu S. Crucis ibidem. Conu. II.

SERENISSIMA ſimul atq; religioſiſſima Sanchia Aragonia, vtriuſq; Siciliæ Regina, cuius pietas, atq; zelus ſuperius in deſcriptione conuentuum ſanctarum Claræ, Mariæ Magdalenæ, atq; Mariæ Ægyptiacæ, iſtiuſmet Neapolitanæ ciuitatis ſatis, ſuperq; conſtant, vt primùm à matrimonialibus legibus, per Roberti eius legitimi viri, ac Neapolitanorum Regis, mortem, ſoluta fuiſſet, quicquid diuitiarum, aut vitæ ſibi reſiduum fuit,id totum circa pauperes, piaq; loca, atq; miſericordiæ opera inſumendum curauit: Nam & præfata ſanctarum Mariæ Magdalenæ, ac Mariæ E Ægyptiacæ loca, & hoc monaſterium, ſanctæ Cruci dicatum, muris quidem ciuitatis tunc excluſum, ſed modò circumſcriptum, regio ædificio conſtruxit, & ſufficientiſſimis redditibus locupletauit. Cumq; hunc locum à Clariſſis monialibus inhabitandum curaſſet, ſumpto prius, anno Domini 1344. de manibus R. P. F. Fortanerij Vaſallij, Ordinis tunc Generalis Miniſtri, earundem ſororum habitu, ipſum cum honeſtis alijs matronis ingreſſa eſt: In quo, & vſq; ad vltimum vitæ halitum, ſanctiſſimè vixit,& moriens, iuxta ſummum altare, ſepeliri voluit. Habitarunt hoc in loco huiuſmodi moniales plurimis annis. Quæ tamen vigentibus hac in patria bellis, quòd extra ciui-

A tra ciuitatis mœnia (vt præfati ſumus) ſitum eſſet, ne militum iniuriæ exponerentur,
opera ſereniſſimæ Ioannæ, huius nominis ſecundæ, atq; Neapolitanorum Reginæ, ad
famoſum S. Claræ monaſterium iſtiuſmet ciuitatis tranſlatæ fuerunt. Quapropter hic
locus per aliquot annos habitatore vacauit. Anno tamen Domini 1443. ne tantum
ædificium ſic derelictum aliquando collaberetur, plurimis prius priuilegijs donatum,
fratribus noſtris à ſereniſſimo Alphonſo Aragonio, huius nominis primo, ac vtriuſq;
Siciliæ Rege, collatum fuit. Voluit enim pientiſſimus is Rex, vt regium ſacellum eſſet,
eiuſq; fratres habitatores regiorum ſacellanorum munere fungerentur: inſuper & vt
ex regio ærario alerentur, induerenturq́;. Quòd, licèt à Nicolao V. Pont. max. ſibi
conceſſum, & à Federico Neapolitanorum Rege, prefati Regis Alphonſi ſucceſſore, con.
firmatum eſſet: nihilominus tamen nullo pacto ab iſtorum poſteris ſeruatur: ſed co-
B guntur 25. fratres eius habitatores, ſolicita cura, ſolicitaq́; emendicatione ſibi, tũ ad vi-
ctũ, tũ quoq; ad amictũ neceſſaria quęrere. Eſt interim regio Senatui Neapolitano cura
de eius ſartatectis, ſi tamẽ per fratres ſolicitetur, ne potius dicam precibus compellatur.

De conuentu SS. Trinitatis ibidem. Conu. III.

HIC conuentus, ſanctiſſimæ Trinitati ſacratus, atq; à 20. fratribus incultus, præ-
cedenti ferè contiguus eſt: cùm ab eo intermedio tantùm horto diſtinguatur:
fuitq́; olim hoſpitium eorum fratrum, qui præfatis monialibus Clariſſis monaſterij
ſanctæ Crucis, tum in Miſſis decantandis, tum in ſacris confeſſionibus excipiendis, tum
quoq; in ſacramentis miniſtrandis, inſeruiebant. In ſuæ erectionis exordio hic locus ne-
quaquam ab illo ſeiunctus extitit: ſed erat tamquam quid ſibi acceſſorium, atq; ad vnã,
C eandemq́; familiam, atq; œconomiam, ad quam & ille, pertinens. Poſt verò prædictarũ
ſororum receſſum, facta eſt huiuſmodi locorum diſtinctio, habetq́; tum iſte, tum quoq;
ille peculiarem familiam, propriũq; Guardianum. Hîc B. P. Iacobus de Marchia diu ha-
bitauit, propriumq́; cubiculum, quod adhuc à nullo penitus occupatũ perſeuerat, ob-
tinuit. Hîcq; exiſtens deuotiſſimam illã, atq; illuſtrem nobilium Neapolitanorũ Con-
fraternitatem, quæ, albis veſtimentis vſa, extremo ſupplicio, ob commiſſa delicta, ex
Iudicis ſententia, puniendos comitatur, hortatur, atq; eorum cineres & oſſa in die Pa-
raſceues cuiuſlibet anni colligit, debitoq; cum honore in ſacello huic muneri deputa-
to, ſepelienda curat, religioſè erexit. Cùm itaq; præfatus hic locus in ſui primordio
humilis omnino eſſet, ruinamq́; minaretur, à perdeuoto, illuſtriq; Neapolitano ciue
Anello Bozabruto, anno Domini 1546. ampliatus, in altũ erectus, atq; reſtauratus fuit.
D Cui tamẽ timendũ eſt ne, detectis, ob publicę viæ apertionẽ eius fundamentis, aëris atq;
pluuiarũ iniuriæ expoſitis, niſi opportunè tãto diſcrimini occurratur, ruinam patiatur.

De conuentu S. Mariæ de monte Caluario ibidem. Conu. IIII.

CONVENTVS hic virgini Marię de monte Caluario ſacratus, ac in edito Nea-
politanæ ciuitatis loco ſitus, pulcherrimus profectò eſt, optimaq; aura gaudet. Nec
alicui ex præcedentibus, dempto primo loco, cedere vellet: licèt ipſis multò recentior,
multoq; iunior ſit: cùm primùm anno Domini 1560. ex diuerſis fidelium eleemoſynis,
ædificari cœperit. Vltimam tamen artificis manũ expertus eſt, commodiſſimeq; con-
tinet 30. fratres: quorum bona pars ad nouitios attinet. Cùm autem neophitus ſit, nihil
aliud memorabile poſteris tranſmittendũ nobis miniſtrat ab illuſtri Conceptionis vir-
E ginis Mariæ Confraternitate, ibidem erecta: cui centum millia hominum aſcripti ſunt.
Horum ſeptingenti ad minus titulares, ideſt Marchionatus, Ducatus, Comitatus, Prin-
cipatus, aut Baronatus, titulo inſigniti ſunt: Tanta eſt Neapolitanis, præcipuè verò no-
bilibus, ad immaculatam virginis Mariæ Conceptionem deuotio. Eſt propterea ſacra
hæc ædes ſæcularibus celeberrima, atq; omnino commendatiſſima.

De conuentu S. Mariæ de Angelis ibidem. Conu. V.

CVM anno à partu Virgineo 1581. agerem Neapoli, non potui non aſſentire plu-
rium nobilium, ac de noſtra Religione optimè meritorum, votis, qui hunc conuen-
tum, ſuperbenedictæ virgini Mariæ de Angelis ſacrum, extra portã ſancti Ianuarij eiuſ-
dem

dem Neapolitanæ ciuitatis erectum cupiebant. Quibus licèt tunc temporis id, ſi bono modo facere potuiſſem, ex animo, quòd opus quàm difficilè, ob cæteros conuentus ibidem conſtructos, mihi videretur, denegaſſem, nunc tamen gratias ago: cùm maxima, ob loci amœnitatem, aëris ſalubritatem, ac conuicinorum nobilium ad eum deuotionem, eius perfectionis breui futuræ ſpes affulgeat. Inhabitatur interim à ſeptem fratribus: qui promouendo huiuſmodi operi (eſt ſiquidem adhuc ſacra hæc ædes ſub artificum manibus) diligenter ſatis inuigilant, intenduntq;. A

De conuentu S. Franciſci Fundorum. Conu. VI.

AD centum paſſus à Fundis, Campaniæ ciuitate inter Terracinam, atq; Caietam ſita, hic conuentus, B.P. Franciſco ſacratus, ab illuſtriſſimo Honorato Caietano, huius nominis primo, ac Fundorum Comite, circa annum humanæ ſalutis 1400. conſtructus, patribusq; Franciſcanis Conuentualibus traditus fuit. Sed anno 1477. ab illuſtriſſimo quoq; Honorato Caietano, eius nominis ſecundo, ac etiam Fundorum Comite, ex facta ſibi à Sixto IIII. Pont. max. facultate, cuius bulla in huius loci tabellario aſſeruatur, ad Regularem Obſeruantiam tranſlatus eſt. Cui & impræſentiarum vſq; deſeruit. Inhabitatur tamen à 10. iſtius Prouinciæ fratribus tantùm, licèt multò plures alere poſſet: cùm Fundanus ager tritico, optimoq; vino abundet: & eius populus noſtro Ordini maximè afficiantur: Sed à maiori fratrũ numero ea propter non habitatur, quòd in ipſo itinere, qua Roma Neapolim itur, ſitus continuo hoſpite grauetur. B

De conuentu S. Franciſci Caietæ. Conu. VII.

CAIETA antiquiſſima ciuitas, atq; ob adiacentem portum famoſa, ſi Virgilio Maroni fides adhibenda veniat, ab Ænea Troiano, in memoriam propriæ nutricis Caietæ ibidem defunctæ, ſimul atq; ſepultę condita eſt. Hanc ciuitatem B.P. Franciſcus in propria perſona viſitauit, ſuisq; concionibus dignam fecit, atq; conuentu, anno Domini 1240. locupletauit. In cuius erectione illud memorabile accidit. Acceſſerat B. ipſe P. ciuitatem (diſtat ſiquidem hic locus licèt mœnibus minimè excludatur, à ſæcularium domibus aliquantulum) mendicaturus, vt operarijs ſatisfaceret: interimq; faber quidam lignarius, dum incautius ſub ipſa contignatione verſaretur, à ruente trabe opprimitur, extinguiturq;, atq; ad propriam domum exanimis omnino defertur. Quod cum B.P. didiciſſet, eius domum petens ſibi, iam feretro impoſito, coram funebri multitudine, facto ſuper illum ſigno crucis, in Chriſti nomine imperat, vt incolumis ſtatim ſurgat, ſecumq; laboraturus pergat. Vixq; ſermonem expleuerat, quando, qui ad ſepulturam deferendus erat, tamquam à ſomno excitatus, ſurrexit, omnibusq; admirantibus, B. P. congreſſus intermiſſum opus repetijt. Quod & in cauſa fuit, vt Caietani ciues magis, magisq; B. P. afficerentur, ſibiq; adeſſent, vt felicius cœptam à ſe domum ad finem perduceret. Hanc quæ & temporis ſucceſſu eidem ſacrata euaſit, B. ipſe P. quòd paupertatis limites minimè excederet, quodq; in cliuo iuxta amœnum nemus ſita, atq; ab hominum frequentia ſemota, orandi ſpatia præberet, ſummè dilexit. Gaudet præſens conuentus duplici eccleſia, maiori ſcilicet, & minori. Sed iſtam, quę modo Hiſpano militi pręſidiario pro ſacello deſeruit, beatus pater Franciſcus conſtruxit: illam verò sereniſſimus Carolus, huius nominis II. ac vtriuſq; Sicilię Rex, ſanctiq; patris Ludouici vterinus frater, regio ædificio, anno Domini 1294. ædificandam curauit. In qua & illud contigit: Caietanus quidam fœnerator cùm, nulla penitus facta bonorum reſtitutione, diem clauſiſſet extremum, atq; in huius eccleſia ſacello, B. P. Antonio dicato, humari voluiſſet: circa medium ſubſequentis noctis horribiles duo homines ad fratris Sacriſtæ oſtium pulſantes ſibi imperarunt, vt ſumptis calice & ſtola, ſe ſtatim ſequeretur. Quo tandem ſequente omnes ſimul miſeri illius hominis ſepulchrũ accedunt, atq; ex tempore cadauer exanime exhumantes, eius occiput illorum alter pugno percutit, ſacramq; Euchariſtiam in calicem, ad fętidum os per Sacriſtam admotum exilire compulit: ad ſtatim ambo ſimul Tartarei homines illi miſerabile corpus, patefacta ſibi ex tempore in pariete feneſtra, quæ adhuc conſpicitur, ad Tartara perpetuis ignibus puniendum, per aëra detulerunt. Hoc enim Caietanis ita certum eſt, vt nihil

C D E

A nihil certius eſſe poſſit. Aliud quoq; mirabile duobus laicis fratribus hoc in ipſo loco
euenit: Præparauerant ſe iſti, pro modulo, ad ſacram communionem cum cæteris
fratribus, de religioſo more, in die cœnæ Domini faciendam: cumq; nihil minus co-
gitarent, à loci Guardiano (vrgebat ſiquidem neceſſitas) panem mendicaturi, in ciuita-
tem mittuntur. Qui tandem domum tardius reuerſi, cùm & diuinum officium perſolu-
tum, & reliquos fratres menſæ aſſidentes inueniſſent, ſacellum, vbi venerabile Chri-
ſti Seruatoris corpus de more aſſeruabatur, contempta refectione, petunt, ibiq; ſuas
vices, quòd ſacra communione in tanta ſolemnitate priuarentur, miſerrimè dolentes,
gemitibus, ac ſingultibus anxius vacabant. Dumq; nihil minus cogitarent, ex ipſa
arcula, qua ſacroſancta Euchariſtia recondebatur, grauiſſimus quidam pulcherrimus,
ac compoſitus iuuenis proſilijt, qui aſſerens ſe Chriſtum Dominum eſſe, eorum vtriq;
B ſacram communionem porrexit, ſtatimq; locum, vnde prodierat, repetijt. Extant ad-
huc veſtigia pedum ipſius pauimento eius ſacelli, in quo hoc contigit, impreſſa, atq;
ferreis craticulis contecta: Inſuper & hiſtoria ipſa parieti depicta adhuc inuiſitur. Ipſi
verò laici fratres meritis opimi hoc in eodem loco obierunt, ſepultiq; ſunt. Inter cæte-
ras ſacrę huius ædis prærogatiuas eæ ſunt præcipuè: Caput videlicet vnius ex vndecim
millibus virginum dumus in quo beatiſſimus pater Franciſcus carnis petulantiam,
dum acrius ſtimularetur, refrenaturus ſe volutauit: à quo etiam tempore mollis om-
nino, ac lenis, & abſq; pungentibus ſpinis ſe contrectandum cæteris præbuit, pulcher-
rimusq; adhuc perſeuerat: Et malus Medica, quã beatiſſimus idẽ pater Franciſcus pro-
prijs manibus plantauerat. Hæc tamẽ, quòd ſæculares, deuotionis gratia ſe ab ea decor-
ticanda non temperarent, cortice omnino denudata perijt, exſiccataq; eſt. Commoran-
C tur deniq; hoc in conuentu, qui ad Conuentuales Franciſcanos patres aliquando per-
tinuit: & ab ijs, anno Domini 1456. inſtante tamen Alphonſo Aragonio, Neapolita-
norum Rege, ad noſtros tranſlatus eſt, 20. fratres tantùm, licèt multò plures capere
poſſet, quòd maritima, pauperimaq; ciuitas vix illis neceſſaria ſubminiſtrare poſſit.

De conuentu S. Agathæ prope Caietam. *Conu. VIII.*

HIC conuentus, diuę Agathę ſacratus, ac ad tertium lapidem à ciuitate Caieta, ſu-
pra editum montem, ſitus, à quibuſdam anachoretis Tertiarijs, ex facultatibus ta-
men Caietani cuiuſdam Epiſcopi, qui & eius eccleſiam, poſt decennium ab erectione,
nempe anno à partu Virgineo 1337. conſecrauit, circa annum Domini 1327. ædifica-
D tus fuit. Quibus tamen, ex mandato Bonifacij IX. ſummi Pont. ad inſtantiam ſereniſ-
ſimæ Margaretæ, Caroli Dyrrachiani Neapolitanorum Regis olim vxoris, quę ſe cum
duabus liberis, maioris ſecuritatis cauſa, belli tempore Caietam contulerat, dato, inde
pulſis, ad Conuentuales Franciſcanos patres, anno humanæ ſalutis 1395. delatus eſt.
A quibus etiam, eodem tempore, quo & præcedens, atq; præfato Rege Alphonſo ſo-
licitante, ad noſtros fratres tranſijt. Hoc in ipſo loco, in quo 5. tantùm fratres ſub pro-
prio Guardiano degunt, moram traxit olim B. P. Bernardinus, plurimaq; miracula
Deus opt. max. ob merita beatæ Agathæ edit, & aliquot oſſa SS. Iacobi interciſi, Chri-
ſtophori, atq; Criſpi martyrum, atq; S. Helenæ: inſuper & aliquot crines S. Dorotheæ
virg. & mart. nec non & aliquantulũ ex ſanguinę SS. Lucię, & Chriſtinę aſſeruantur.

E *De conuentu S. Franciſci Minturnarum.* *Conu. IX.*

ILLVSTRISS. Rodericus Caietanus, Fundorum atq; Minturnarum (vulgò
Traietto) Comes, hunc conuentum, B. P. Franciſco ſacrum, ob eius in Franciſcanos
deuotionem, anno à partu Virgineo 1363. prope Minturnas, Campaniæ oppidum, ædi-
ficandum, atq; eiſdem fratribus, ex apoſtolica auctoritate, tradendum curauit. Quem
tamen eius ſucceſſor, ac præfatorum oppidorum Comes, illuſtriſſ. Honoratus Caieta-
nus plurimis ædificijs, ex domeſticis facultatibus, nobilitatum, anno 1479. ex eadẽ apo-
ſtolica auctoritate ſibi facta, ab his patribus ad Franciſcanæ regularis Obſeruantiæ fra-
tres tranſtulit. Fuit hic locus ſimul cum oppido olim ab immaniſſimis Turcis dire-
ptus, atq; maiori ex parte exuſtus, ideoq; impræſentiarum 9. tantùm fratres continet.

De conuentu S. Franciſci Mondragonij. Conu. X. A

ILLVSTRISSIMVS Antonius Carrafa, Stuenorum (vulgò Stilliano) Princeps, ac oppidi Mondragonij Dux, Franciſcanis, quibus addictiſſimus erat, conuẽtum ędificaturus, ædiculam, Annunciationi beatiſſimæ virginis Mariæ ſacratam, atq; præfati oppidi Mondragonij muris cinctam, ab eius ſenatu, cuius eę partes erant, impetrauit, atq; anno Dominicæ Incarnationis 1480. ex proprijs facultatibus, in iuſtum conuentum, ſub inuocatione B. P. Franciſci, promouit: quem & octo fratres commodè ſatis inhabitant: Et aliquot oſſa ſancti Lucæ Euangeliſtæ, ſanctorumq; martyrum Stephani, Sebaſtiani, Bonifacij, Saturnini, Maximi, atq; Vrſulę, commendatiſſimum reddunt. Accidit vt homo quidam, ex Mondragonio oppido oriundus, inter rixandum ab inimicis occideretur; quem tamen fratres, quòd abſq; confeſſione, atq; eo in ſtatu deceſſiſſet, extra eccleſiam ſepeliendum curarunt. Hunc cùm eius cognati noctu inde exhumatum in ſepulchrum nouum, vno tantùm, vel altero fratre conſcio intuliſſent, tantus ab eo temporis, tum in fratrum dormitorio, tum quoq; in cęteris locis, pręſertim verò nocturno tempore, tumultus, tantusq; ſtrepitus à Dæmonibus exortus fuit, vt pauperculi religioſi non auderent, niſi bini, aut trini eccleſiam, vel alia ſibi neceſſaria loca accedere. Quod cùm R. Bernardino, Capranienſi Epiſcopo, relatum eſſet, voluit is quadam nocte eius rei periculum facere. Cumq; per experientiam, quæ ſibi retulerant, didiciſſet, ſolemne ſacrum, pontificalibus veſtimentis indutus, in medio dormitorio fecit: ibidemq; pręgrandem crucem erigẽs, totum dormitoriũ exorcizauit, luſtraliq; aqua, de religioſo more, aſperſit: inſuper & pręfati defuncti oſſa, extra eccleſię ſepta, in loco prophano humari pręcepit. Quo facto tantus fragor, tantusq; ſtrepitus ceſſauit: maligniq; illi ſpiritus à diuexandis, terrendisq; fratribus in poſterum ſeipſos abſtinuerunt. B C

De conuentu S. Franciſci Carinolæ ſiue Caleni. Conu. XI.

QVATVOR millibus paſſuum ab oppido Mondragonio ſubſiſtit ciuitas Carinola ſiue Calenum: in qua B.P. Franciſcus diu habitauit, pluraq; miracula edidit: ac præſentem conuentum, B. Ioanni Baptiſtæ ſacrum, erexit. Qui tamen poſt ipſius mortem à Carinolanis, ob eorum in eum beneuolentiam, eidem B.P. dicatus eſt: Vnde & conuentus ſancti Franciſci paſſim appellatur: In quo eiuſdem beati patris cellula; malusq; Medica arbor, quæ, tripartito ſtipite è terra exurgens, pulcherrimum ſui ipſius proſpectum præbet, ab eodem plantata, perſeuerant. Præfata arbor hunc à ſui exordio ordinem perpetuò ſeruauit, vt alternis annis quiſq; ſtipes, alijs duobus interim quieſcentibus, fructum ferat. Cuius etiam fructus ad plurimos morbos pellendos confert: præſertim ſi eius cortex aquæ admixtus epotetur. Hîc etiam conſpicere licet iuniperum arborem à B.P. Iunipero plantatam, quæ in eius inobedientię pęnam, nec latum vnguem, à die quo terræ infixa eſt, creuit. Dum enim præfatus B. F. Iuniperus ei plantandæ intenderet, vocatusq; à Seraphico patre quouſq; cœptum perfeciſſet opus, parere detrectaſſet, maledixit B. Franciſcus arbori, quòd eius cauſa ſalutaris obedientia detrimentum paſſa eſſet, eiq; præcepit, ne in poſterum creſceret, ſed vt in ea prorſus quantitate, vt ſalutare alijs eſſet exemplum, perpetuò maneret, prout & factum eſt. Hoc deniq; in conuẽtu, quẽ, ob aëris inſalubritatẽ, 12. tantũ fratres inhabitare ſoliti ſunt, doctiſſ. P. Occhã, ſubtiliſſ. Doctoris Scoti olim diſcipulus, mortẽ obijt, ſepultusq; eſt. Deſeruit impręſentiarũ p̄fatus hic locus inchoatę cuidã huius Prouincię fratrũ reformationi. D E

De conuentu S. Franciſci Aruncæ. Conu. XII.

CVM B.P. Bernardinus conuentum ſibi, ſuisq; fratribus Aruncæ (vulgò Seſſa) ab illuſtriſſ. Antonio Marzano, Aruncanorum Duce, ædificatum, paupertatis terminos excedere intellexiſſet, ſibi ſupplicauit, ne eum, quòd ſuo ſtatui repugnaret, acceptare cogeretur. Cui pientiſſimus heros, ex animo annuens, alium, ſub inuocatione S. Franciſci, 200. paſſibus à præfata ciuitate Arunca, humiliori ſtructura conſtrui, anno Dominicæ natiuitatis 1433. curauit. Quem & beatus idem pater Bernardinus libentiſſimè admiſit. Commorantur frequentius hoc in loco, in quo & eius fundator ſub

A humili pauimento (ſuperbo quouis mauſolæo longè poſthabito) moriens tumulari
voluit, & immaculatæ Conceptionis glorioſæ virginis Mariæ Confraternitas erecta
eſt, 10. fratres: quibus tamen & ſitus amœnitas, & ciuium beneuolentia maximè fauet.

De conuentu S. Mariæ de fontibus Arcis Monfi[?]icæ. Conu. XIII.

CVM deuotiſſima quædam Virginis imago aliquandiu prope fontem, inter denſas quercus, latuiſſet, ſeſeq; deuoto paſtori, eum fontem accedere ſolito, prodidiſſet: tanta vtriq; oppidi Arcis Monficinæ ſenatui, ſæculari videlicet, atq; Eccleſiaſtico ad eam deuotio inceſſit, vt ædiculam ſibi, ſub eiuſdem Virginis inuocatione, ex communibus facultatibus, ædificandam curarit. Cumq; indies miraculis coruſcaret, ac fidelium deuotio magis, magiſq; excreſceret, vt perenni cultu coleretur, præfata ædi-
B cula, R. quodam Theanenſium Epiſcopo id maximè ſolicitante, ex eiſdem facultatibus, atq; ex Eugenij IIII. Pont. max. conceſſione, anno tamen Domini 1448. in iuſtum monaſterium euecta, huiuſq; Prouinciç patribus collata extitit. Quorũ 22. ibidem adhuc perſeuerant. Extat huiuſmodi conceſſionis bulla in huius loci archiuo. Qua etiam cauetur, ne Theanenſis Epiſcopus, in tantæ imaginis honorem, baptizatos ſacro chriſmate alibi conſignare poſſit, quàm hoc in loco. Idipſum prçcepit Paulus III. Pont. quoq; max. Honeſtatur præterea ſacra hæc domus ſacroſanctis quibuſdam ſanctorum Sixti Papæ & martyris, Bernardi Abbatis, atq; Seueri reliquijs.

De conuentu S. Franciſci Caſtelli Pratenſis. Conu. XIIII.

QVANTOPERE illuſtriſſ. Carolus Pandonius ſeraphicæ Religioni noſtræ
C affectus fuerit, vel ex hoc ſaltem intelligi poteſt: proſequutus enim is fuerat à teneris vnguiculis eius alumnos omni beneuolentia, nihilominus tamen ad prouectiorem çtatem peruentus, nihil interim eius conſuetudinis prætermittens, hanc ſacram ædem in honorem S. Franciſci, prope Pratenſe Caſtellum, Campaniæ pagum, ijſdem, anno ſalutis 1460. çdificari curauit. Cuius templum, anno Domini 1480. à R. quodam Epiſcopo Borano conſecratum fuit. Commorantur vt plurimùm hoc in loco 8. fratres.

De conuentu S. Antonij Theani. Conu. XV.

CVM perdeuotus, ac nobilis Ludouicus Gallucius, Theanenſis ciuis, quemadmodum ex plumbea quadam Martini V. Pont. max. bulla data, anno ſui Pontificatus x. conſtat, ſufficientem fundum ad vnius conuentus conſtructionem, nonminus
D liberaliter, quàm piè, ad mille paſſus à Theano, Campaniæ ciuitate, contuliſſet: illuſtriſſ. Ioannes Antonius Marzanius, Theanenſium, Aruncanorumq; Dux, atq; pius Theanenſis ſenatus hanc ſacram ædem, in honorem S. Antonij de Padua, à fundamẽtis, anno 1428. ex communibus facultatibus extruendam, & S. Bernardino conferendã curarũt. Quã & 12. fratres inhabitant. Duplici de cauſa hic locus Theanẽſibus commẽdatiſſimus redditur: Primò quidẽ ob innumera miracula, quç Deus opt. max. meritis, B. Antonij Paduani, in eo edere dignatur: Secundò verò ob deuotiſſimam immaculatæ Conceptionis ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ Confraternitatẽ ibidem erectam.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Caiatij. Conu. XVI.

E HIC conuentus S. Mariæ de Gratijs ſacratus, ac mille paſſibus à Caiatio, Campaniæ ciuitate diſtans, antequàm monaſterij dignitate inſigniretur, plures ſui habitatores habuit. Primò quidem venerabilem Hieronymum Fortunatum Capuanum, regularem canonicum Ordinis diui patris Auguſtini: à quo & ſub ſimplici ſacelli forma, anno Domini 1492. extructus fuit. Deinde verò duos anachoretas Tertiarios. His tamẽ poſtremis vita functis, ibidẽq; ſepultis, ab illuſtriſſ. Diana Rẽta, Caiatienſiũ Comitiſſa, ac reliquo eius ciuitatis ſenatu, penes quos huiuſmodi ſacelli ius patronatus remanſerat, annuente interim Alexãdro VI. ſummo Pont. cuius bulla, ſub datũ Romç anno Domini 1496. Pontificatus verò ſui anno ij. in huius loci cartophilacio aſſeruatur, in conuentũ euecta, atq; huic Prouinciç adiecta eſt. Cuius 8. fratres ibidẽ cõmorantur.

De conuentu

De conuentu S. Catharinæ Capuæ. Conu. XVII. A

OCCVPARANT, ante 100. annos, huius Prouinciæ patres locum quendam, diuo Eligio dicatum, ac in medio ciuitatis Capuanæ, Campaniæ olim vrbis pręſtantiſſimæ, ac à camporum latitudine ſic dictę, quam & Vulturnus amnis præterfluit, foro ſitum. Quem tamen, quòd ciuium familiaritatibus plus æquo pateret, ex Leonis X. Pont. max. facultate, deſerentes, hunc præſentem, in eiuſdem ciuitatis egreſſu, ſub inuocatione S. Catharinæ, ex pijs Capuanorum eleemoſynis, à fundamentis ad verticem vſq; extruendum curarunt. Neq; id pientiſſimus ipſe ſenatus egrè tulit, imò quicquid ad huiuſmodi operis promotionẽ neceſſum fuit, ſumma liberalitate, miniſtrauit. Qua & impręſentiarũ dormitorij, atq; clauſtri partẽ, quæ ruinæ approximabat, reſtaurat. Eſt enim Capuanus populus Franciſcanæ Religioni addictiſſimus. Commorantur deniq; B hoc in monaſterio, in quo pia Conceptionis B. Virginis Confraternitas eſt, 18. fratres.

De conuentu S. Mariæ Magdalenes Attellæ. Conu. XVIII.

AEDIFICARAT olim quidam Neapolitanorum Rex Attellę, (vulgò Auerſa) quæ Campaniæ ciuitas eſt, mediumq; iter inter Neapolim & Capuam occupat, xenodochium curandis infirmis, contagioſo morbo laborantibus, deſtinatum, ea tamen poſita lege, vt quot quot ad ipſum diuerterent, Attellanorum ſumptibus curarentur. Cumq; Attellanus ſenatus, ob confluentium ęgrotorum numerum, ſupra modum grauaretur, maximoq; habendorum fratrum Minorum deſiderio teneretur, à præfato Rege, inſtante interim, atq; annuente eiuſdem vrbis Epiſcopo, obtinuit, quatenus huiuſmodi xenodochium in Minoritanũ conuentum ſibi transferre liceret. Comparatis itaq; C ad huiuſmodi operis exequutionem neceſſarijs, præfatus ſenatus hunc conuentum, in honorem beatę Marię Magdalenes, circa annum 1420. extruendum, huicq; Prouincię annumerandũ curauit. Quem tamen R. P. F. Angelus Auerſanus, Ciſmontanæ familiæ generalis Commiſſarius, poſtmodumq; totius Ordinis, ob promotionem R. P. F. Clementis à Monelia Generalis Miniſtri ad Cardinalatum, Generalis Vicarius, ac tandem Tranenſis Archiepiſcopus mirum in modum reſtaurauit, ampliauit, elegantiq; ędificio illuſtrauit, ac ſuo funere nobilitauit. Cõmorãtur hoc in cęnobio 20. fratres.

De conuentu S. Ioannis Baptiſtæ Puteolis. Conu. XIX.

HVNC conuentum, diuo Ioanni Baptiſtę ſacrum, ac 300. paſſibus à Puteolis, Cãpanię oppido, Romanorumq; ędificijs olim illuſtri, diſtantem, quem & 10. fratres inhabitant, illuſtriſſimus Ioannes Thomas Carrafa, Mattalonenſium Comes, primus omnium, circa annum Domini 1472. à fundamentis extruendum curauit. Sed D cùm ob continuos terremotus, quibus ea patria ſubiacet, (eſt enim vndiq; cauernoſa, aëriſq; copiam intra eius viſcera excipit, qui tamen vehementius, vel ab alio, vel à ſulphureis exhalationibus impulſus, cùm obſiſtenſibus diuerſis anfractibus, ex tempore, cedere non valeat, terram quatit, commouetq;) ad ruinam tenderet, ab illuſtriſſimo Petro à Toleto, pro C. C. Caroli V. Imperatoris, ac Hiſpanię Regis maieſtate, apud Neapolitanos viceſgerente, anno Domini 1500. reſarcitus, ac à ruinis vindicatus fuit. Quem alter ex digitis Dominci præcurſoris, & immaculatæ Conceptionis Confraternitas ibidem erecta commendatiſſimum, dignumq; veneratione reddunt.

De conuentu S. Franciſci Surrenti. Conu. XX. E

CVM beatus pater Antonius, Ordinis diui patris Benedicti alumnus, ac monachorum eiuſdem Inſtituti aliquando Abbas, quoddam ſpecu, prope maritimum litus, ac longiuſculus à Surrento, Cãpanię oppido, pęnitentię agendę gratia, ſibi in habitationem delegiſſet: contiguam vineam, ſimul atq; ſacellum, S. Martino ſacrum, tum recreationis, tum quoq; celebrationis cauſa, anno Domini 600. plantari, ædificariq; ſtuduit. Quo tamen vita functo, Surrentinus ſenatus, ne huiuſmodi opus, vel prophanaretur, vel ab Ordine alienaretur, pulcherrimum Benedictinarum monialium monaſterium, in præfatæ vineæ meditullio, ex communi ærario, conſtruendum, ipſumq; ſacellum in com-

A in commodam patris earum Confeſſarij habitationem promouendum curauit. Cùmq; is locus, quòd oppidi vallo excluſus eſſet, maximis periculis, præcipuè verò Turcarũ incurſibus pateret, prĕfatę moniales ad alium ſibi intra mœnia, ex præfati ſenatus mandato, paratum tranſlatæ ſunt: ipſeq́; fratribus Franciſcanis, antequam Obſeruantes à Conuentualibus ſeiungerentur, collatus extitit. Facta verò huiuſmodi diuiſione penes Conuentuales remāſit. Quibus deniq;, ad Surrentinorũ inſtantiā, aliò ſecedentibus, Obſeruantibus; traditus eſt. Huius loci accola aliqñ fuit B.P. Iacobus Picens, hîcq; aliqua miracula edidit. Cuius fratres, q vt plurimũ sũt 10. regijs ciſternis, ex facultate ſibi à Ferdināđo Aragonio, Neapolitanorũ Rege, facta, anno Dñi 1469. liberrimè vti poſſunt.

De conuentu Turris Græci. Conu. XXI.

B CONVENTVS hic, qui ſub inuocatione S. Franciſci, prope Turrim Græci, Campaniæ oppidum, communibus oppidanorum ſumptibus, erigitur, neophytus omnino eſt: cùm ex facultate R.P.F. à Capite fontium, prima menſis Maij, anno verò Dñi 1578. à fundamentis extrui cœperit. Abſoluetur tñ Deo auſpice, quàm breuiſſimè. De quo etiam, ob eius ſalubritatem, amœnumq́; ſitum, plura ſibi huius Prouinciæ patres, p̃cipuę verò conualeſcētibus infirmis, pollicētur. Inhabitatur interim à 6. fratribus.

De conuentu S. Mariæ de Puteo Suſuuij. Conu. XXII.

CVM fortè ſus ſacellum, beatæ Luciæ ſacrum, longiuſculusq́; à Suſuuio, (vulgò Somma) Campaniæ, optimiq́; vini feraciſſima ciuitate, diſtans, reſeratis foribus fuiſſet ingreſſus, rictuq́; lapideam quandam laminam confregiſſet, apparuerunt ex tēpore ſubterranea duo ſacella, imaginibus virginis Mariæ vndequaq; exornata. Quod C cùm admirantibus interim atq; ſtupentibus Suſuuianis, ſereniſſima Ioanna, Siciliæ Regina, ac ex morte Ferdinandi Aragonij Regis, legitimi eius viri vidua relicta, quę tunc Suſuuij agebat, reſciuiſſet, præfatum ſacellum, à Nolano Epiſcopo, cuius iuriſdictioni ſubiacebat, reddito ſibi interim æquiualenti pretio, impetrauit, illudq́;, ex apoſtolica auctoritate ſibi à Iulio II. facta, in conuentum Sanctæ Mariæ, cui illa deuotiſſima erat, promouit, fratribusq́; Franciſcanis Obſeruantibus contulit. Quem & eorum viginti, quorum maior pars Philoſophiæ dat operam, pro voto inhabitant. Eius Eccleſia à Reuerend. P. F. Aurelio Griano, Minoritici Ordinis alumno, atque Epiſcopo, decimoquinto menſis Martij, anno Domini 1575. conſecrata extitit.

De conuentu S. Viti Mariliani. Conu. XXIII.

D HVNC conuentum, diuo Vito martyri ſacrum, illuſtriſſ. Albericus Carrafa, Marilianenſium Comes, prope Marilianum, Campaniæ oppidum, eo fine conſtruendum curauerat, vt Franciſcanis Conuentualibus perpetuò deſeruiret. Cuius tamen conſilium ſuperuenientes aliquot cauſæ fregerunt: Quamobrem Alexandro VI. ſummo Pontifici ſupplicauit, vt ijs alio primùm tranſmiſſis, ſibi Obſeruantes huius Prouinciæ, fratres ſubrogare liceret. Quo deniq;, vt eius bulla data Romæ 15. Iunij, anno Domini 1499. facillimè indicat, annuente, eodem anno ipſum ab ijs patribus ad noſtros fratres tranſtulit. Eſt hic locus, quem 15. fratres inhabitant, tum Marilianenſibus, tum quoq; conuicinis populis, ob miracula quæ à Deo opt.max. meritis B. Viti ibidē patrantur, commendatiſſimus: Nam quiſquis rabie affectus eum petit, ſtatim liberatur. Accedit quoq; ad hanc deuotionem augendā pars S. crucis Chriſti in eius ſacrario cuſtodita.

E *De conuentu S. Angeli Nolæ. Conu. XXIIII.*

PRÆSENTIS conuentus erectio, diuina potius quàm humana dici poteſt: cùm enim illuſtriſſ. Raymundus Vrſinus, Salernitanorum Princeps, & Nolanorum Comes, antiquiſſimam, ac penè collabentem diui Laurentij ædiculam, quæ longiuſculus à Nola, mediterranea Campaniæ ciuitate, diſtabat, eius alumnis in conuentum erigere affectaret: atq; huiuſcemodi operi ſe ſtrenuè accinxiſſet: quicquid ædificij per diem ab operarijs promouebatur, id totum ſequenti nocte corruebat. Quamobrem pientiſſimus Princeps, ſtupentibus interim, ob tantæ rei nouitatem, Nolanis, ſe ad orationem, intermiſſo ad tempus opere, conuertens, Deum præcabatur, vt ſibi locum huiuſmodi con-

uentus conſtruendo à ſe acceptum oſtendere dignaretur : Et ecce dum latomi prægran- A
dem lapidem ex lapicidina excindere conantur, pulcherrimum Angelũ ex ære fuſum,
prætioſumq; anulum altera manu tenentem, inter duos ſibi inuicem confibulatos lapi-
des, inueniunt: Quem cùm deuotiſſimo Principi Raymundo præſentaſſent, ſibiq; rei
euentum ea, qua acciderat, ſerie narraſſent, intellexit eum locum præmeditato ędificio
à Deo opt. max. delectum eſſe. Quapropter, nulla interiecta mora, & terram effodere, &
altiſſima fundamenta iacere, & hoc deniq; monaſterium, B. Michaëli Archangelo ſiue
(vt vulgò placet) S. Angelo, in præfati Angeli à lapicidis inuenti memoriam, dicatũ,
anno Dñi, 1445. extrui, ac omnibus neceſſarijs inſtrui curauit. Cuius quidẽ monaſterij
quanta ſit ſalubritas, ac quanta deniq; elegantia, vix verbis exprimi poteſt. Accedit &
funus eius fundatoris, præfati ſcilicet Principis Raymundi, qui, pro ſua humilitate,
quocunq; ſumptuoſo ſepulchro ſpreto, ſub humili pauimento ſepeliri voluit. Accedit B
& ipſe æneus Angelus inuentus, (de quo ſupra) qui in eius ſacriſtia diligenter aſſerua-
tur. Accedit & corpus B. F. Regynaldi laici, qui miraculis tum in vita, tum quoq; in
morte, claruit. Quod cùm per aliquot annos communem cum alijs fratribus defun-
ctis ſepulturam nactum eſſet, à V. P. F. Ioanne Thomacello, huius tunc Prouinciæ
Vicario, ad inſtantiam tamen vtriuſq; ſenatus Nolani, ſęcularis ſcilicet, atq; Eccleſia-
ſtici, inde, anno Domini 1486. exhumatum, honeſtiſſimo loco reconditum eſt. Acce-
dunt denique plures indulgentiæ ab illuſtriſſimo pariterq; reuerendiſſ. Latino Vrſino
S. R. E. Cardinali, atq; Pij II. Pont. max. Legato, huic loco conceſſæ. Quæ om-
nia præſentem conuentum, à 20. fratribus inhabitatum, commendatiſſimum reddunt.

De conuentu S. Ioannis de Parco Lauri. Conu. XXV. C

VRBANO VI. Pont. max. ſedente: imò & ex eius voluntate, cõuentus hic diuo
Ioanni de Parco ſacer, quem & 15. fratres, vt plurimùm, inhabitant, ab illuſtriſſ.
Nicolao Vrſino, Nolanorum Comite, circa annum à partu Virgineo 1383. prope Lau-
rum Campaniæ oppidum, quod ſibi in temporalibus parebat, extructus fuit. Parebat hic
locus, antequam Franciſcani conuentuales ab Obſeruantibus, ſub Leone X. ſeiunge-
rentur, patribus Conuentualibus: ſed poſt ipſam diuiſionem, quòd huius Prouinciæ
patribus conduceret, ac vitam à ſæcularibus abſtractam ducere cupientibus, ob ſui
amœnitatem, atq; diſpoſitionem maximè faueret, in Obſeruantum ius ceſſit. In quo
& plures religioſi ſepulti ſunt. Horum anteſignanus fuit B. P. Petrus ab Aierola:
qui cùm, poſt functum Vicariatus huius Prouinciæ officium, ob eius grauiſſimos mo-
res, in nouitiorum præſentis loci magiſtrum electus eſſet, ſequens edidit miraculum: D
Præmebatur vehentiſſima ſiti, inter itinerandum, nouitius frater ſibi cõgrediens, quod
cùm is P. reſciuiſſet, ab obuio caupone aliquantulum vini ex charitate petijt: quo tan-
dem denegante, proximumq; puteum, vt ſiti abundè ſatisfacere poſſent, oſtendente,
ambo puteum acceſſere, hauſtamq; aquam cùm pater ſigno crucis benedixiſſet, in vi-
num conuertit. Quod tantum miraculum cùm auarus caupo (qui præſens aderat)
animaduertiſſet, ſpopondit ſe Franciſcanis fratribus, ad ſe declinantibus, nihil in poſte-
rum denegaturum. Idq;, quandiu vixit, liberaliſſimè exequutus eſt. Imò & moriens,
idipſum ſuis poſteris, ex teſtamento, præcepit. Hunc ſequutus fuit maximæ ſanctita-
tis vir, P. F. Nicolaus (vulgò verò Cola) Thomacellus: Qui cùm eſſet nobiliſſimus,
atq; Alphonſo Aragonio, Neapolitanorum Regi, gratiſſimus, ſpretis mundi honori-
bus, ac regijs fauoribus, cum vterino ſibi fratre, P. Ioanne Thomacello, Franciſcanum E
habitum induit, in eoq; ſanctè vixit. Huic nouitiorum magiſtrum ſemel agenti diuini-
tus reuelatum fuit, quod vnus ex eius diſcipulis, genere nobilis, quòd humiliora Ordi-
nis miniſteria execraretur, nulloq; pacto animum ad vtenſilia abluenda appellere poſ-
ſet, Religionis habitum exuere vellet. Quamobrem anxius pater obuiam ſibi factus, ho-
minem precatur, vt propria peccata ſacerdoti confiteri velit: cui tamen detrectanti pro-
prij cordis ſecretum aperit: charitatiuèq; ſuadet, hortaturq;, vt ſacram confeſſionem
accedat, propoſitumq; mutet, ac rem totam Deo opt. max. commendet. Quapropter
territus nouitius, quòd huiuſmodi negotium ſibi ſoli apertum exiſtimaret, imperata ſibi
à patre facit, huiuſmodiq; tentationem depellit, ac in poſterum humillimus euaſit.

De con-

A *De conuentu Annunciationis B. Mariæ Auellæ. Conu. XXVI.*

CONVENTVS hic, Annunciationi glorioſiſſimæ virginis Mariæ ſacratus, ac prope Auellam, Campanorum oppidum, ſitus, communibus tum illuſtriſſ. Caroli Spinelli, Seminarienſium Ducis, tum communitatis Auellanæ ſumptibus, ex conceſſione tamen R. Nolanorum Epiſcopi, cuius eæ partes erant, anno humanæ redemptionis 1564. primùm à fundamentis extrui cępit. Qui tamen, quòd nondum vltimam artificis manum expertus ſit, 8. tantùm fratres impræſentiarum continet.

De conuentu S. Mariæ in Iugo prope Arpaiam. Conu. XXVII.

B CONVENTVS, S. Mariæ in Iugo ſacratus, ac prope Arpaiam, Campanorum pagum, erectus, illuſtrem Alphonſum à Gueuara, præfati pagi Dominum, ſui fundatorē agnoſcit: cùm ex ſolis eius facultatibus extructus ſit. Habitatur ab 8. fratribus.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs montis Sarchij. Conu. XXVIII.

HOC ſacrum monaſterium in honorem beatiſſimæ ſemperq; Virginis Mariæ de gratijs, prope montem Sarchium, ab illuſtriſſ. Carolo Carrafa, eiuſdem oppidi Marchione, anno à Chriſto ſeruatore nato 1480. extructum eſt, de ſeruitq; 12. fratribus.

De conuentu Annunciationis B. Mariæ Vitulani. Conu. XIX.

C CVM B. P. Bernardinus Vitulani, quod Campaniæ oppidum eſt, per aliquot dies, concionatus fuiſſet, receſſumq; aliò pararet, ab eius oppidi habitatoribus, vt locū conuentui à ſe erigendo deligeret, obnixè rogatus eſt. Quo deniq; pijs eorum votis annuente, hoc monaſterium, Annunciationi B. Mariæ dicatum, ex communi ærario, in deſignato à ſe loco extrui cœpit. Commorantur hoc in loco decem fratres, quem commendatiſſimum reddit imago ſancti Antonij Paduani miraculis celeberrima.

De conuentu S. Laurentij Beneuenti. Conu. XXX.

CVM adiacens patria bellorū turbine quateretur, ne Benedictinæ moniales, vallo ciuitatis excluſæ, militum ludibrio exponerentur, Beneuentani ijs monaſterium, intra mœnia, conſtruendum curarunt. Quod illæ petentes, antiquum ſibi à R. quodam Henrico, Beneuentanorum Epiſcopo, extra eadē, anno Dominicæ incarnationis 1157. ſub titulo ſancti Laurentij ædificatum, abſq; habitatore reliquerunt, quo & per mul-
D tos annos caruit. Cùmq; anno Domini 1450. ad ruinam tenderet, ex publicis Beneuentanæ ciuitatis, quæ Hirpinorum Colonia fuit, & à Diomede condita fertur, facultatibus reſtauratum, nec non & Minoritis collatum fuit, in quo decem morantur.

De conuentu S. Franciſci Ariani. Conu. XXXI.

HIC conuentus, ſancto Franciſco ſacer, ab antiquo ad patres Conuentuales pertinuit, ſed à Pio II. illuſtriſſ. Henrico atque Cobella eius vxore id maximè procurantibus, ad noſtros, anno 1463. translatus eſt: quorum decem ibidem commorantur.

De monaſterio S. Mariæ de Ieſu Neapolis. Mon. I.

E CVM duæ ſorores Tertiariæ, ob ſæuientem Neapolis peſtem, proprium S. Hieronymi monaſterium, cum cæteris egreſſæ fuiſſent, eaq; ceſſante in ſtrictiorem vitam inhiarent, hoc cænobium, S. Mariæ de Ieſu ſacrum, ac Neapolitanæ ciuitatis vallo cinctum, humiliter ſatis ædificarunt; inibiq;, ſub habitu primaq; S. Claræ Regula, antiquiori viuendi modo relicto, cum quibuſdam alijs ſororibus ſibi adhærentibus ad finem vſque perſeuerarunt. Quibus cùm Ioanna II. Neapolitanorum Regina, ob eximiam ſanctitatem, ſummopere afficeretur, earum monaſterium ampliauit. Nec ea propter vel illæ, vel earum ſequaces latum vnguem à primo illo rigore, primaq; ſanctimonia, aut regulari diſciplina diſceſſerunt. Quapropter apud Neapolitanos optimè audiunt. Sunt autem numero 60. penesq; ſe habent caput ſancti Bonifacij martyris, partem brachij S. Honoriæ, & dentem S. Apolloniæ virginum ſimulatq; martyrum,

De monaſterio S. Hieronymi Auerſæ. *Mon. II.* A

HOC etiam monaſterium, Auerſę, ſub inuocatione S. Hieronymi, erectum, duas ſorores Tertiarias, Iuliam ſcilicet, atq; Philippellã, patria Auerſanas, ſui fundatrices, circa annum Domini 1498. habuit. Hæ ſiquidem perfectiorem vitam anhelantes, ipſum tum ex proprijs facultatibus, tum quoq; ex diuerſis eleemoſynis, conſtrui curarunt: inibiq; ſumptis habitu, ac prima S. Claræ Regula, ad vltimum vſq; vitæ halitum conuixerunt: Quarum feliciſſimis auſpicijs adeò & ſororum numero, & ſanctitate, atq; etiam nobilitate creuit, vt earum 40. commodè contineat: & cœteris religioſè viuendi norma factum ſit: & nulli in his, quæ ingenuitatem concernunt, cedere velit. Hinc tandem, tamquam ex equo Troiano, plures ſacræ virgines prodiêre, quæ neophytis alijs conuentibus leges dederunt, eiuſq; tyrunculas virgines optimis moribus inſtruxerunt.

De monaſterio S. Antonij Neapolis. *Mon. III.* B

PRÆSENS monaſterium, S. Antonio Paduano ſacrum, ac muris Neapolitanæ ciuitatis circumſcriptum, nobis ex conuentu S. Marię de Ieſu prodijt. Ex quo cùm ſoror quędam Paula ſanctitate inſignis, ex facta ſibi facultate, anno Domini 1556. egreſſa eſſet, ipſum ex diuerſis fidelium eleemoſynis à fundamentis extrui curauit. Quibus tamen ab eius morte deficientibus, nondum vltimam artificis manum expertum eſt. Qua etiam de cauſa 40. Clariſſæ ſorores eius habitatrices, quæ etiam ſumma paupertate, nihil aliud præfato loco à pane, atq; lignis in communi ſibi miniſtrante, prȩmuntur, plura patiuntur incommoda. Pendũt interim, quotquot earum ingrediuntur, integrã, pro cæterorum conuentuum more, dotem: quæ erigendo ædificio penitus adiudicatur.

De monaſterio S. Franciſci ibidem. *Mon. IIII.*

INCLYTVS Neapolitanorum Rex Robertus, poſtquam S. Claræ monaſterium Neapolis erexiſſet, adiecit, vt domum ſibi vicinam, vnica tantùm via intermedia, in qua Clariſſæ aliquot moniales morarentur, quæ diſtribuendis in pauperum vſum regijs eleemoſynis tantùm intenderent, anno 1320. è regione conſtrueret. Quo tamen vita functo, præfatiſq; eleemoſynis ceſſantibus, præfata domus oneri potius, quàm adiumento monialibus eſſe cœpit. Accidit præterea vt, anno Domini 1325. Franciſcana quędam Tertiaria ſoror Aſſiſio Neapolim veniret, & S. Franciſci vitã telæ depictam ſecum deferret, Neapolitaniſq; tum matronis, tum quoq; viris oſtenderet. Ex cuius contuitu tot vtriſq; ad huiuſmodi ſororis Ordinem deuotio acceſſit, vt ſibi, ſuoq; inſtituto conuentum apud ſe erectum cuperent. Emptam igitur ex diuerſis eleemoſynis præfatam domum à Clariſſis monialibus, aliquot ex nobilioribus Neapolitanis in capaciſſimum monaſterium promouerunt; ſibiq; pulcherrimam eccleſiam, ſub titulo S. Franciſci, coædificandam, atq; prædictæ ſorori Tertiariæ, plurimiſq; alijs ſibi adhærentibus tradendam curarunt. Habitant impræſentiarum hoc in loco 60. ſorores religioſiſſimæ, pariterq; nobiliſſimæ, Tertiariæ: quæ penes ſe habent corpus beatæ ſororis Magdalenæ à Conſtantio, nobiliſſimæ vtiq; fœminæ, atq; miraculis tum in vita, tum quoq; in morte illuſtris: quæ cùm Neapolis orta eſſet, atq; in præmemorato S. Claræ monaſterio monaſticum habitum induiſſet, vna inter alias à Rege Roberto, vt eleemoſynis diſtribuendis inuigilaret, ſelecta, diem hoc in ipſo conuentu clauſit extremum: atq; in inferiori eius choro ſepulta eſt. Extat eius mauſolæum omnino lapideũ, atq; à terra vtcumq; eleuatum. Habent prȩterea prædictæ ſorores in ſacrario aliquot oſſa SS. Vincentij atq; Anaſtaſij, Clementis Papæ & mart. Blaſij Epiſcopi atq; mart. Zenonis Epiſcopi. D E

De monaſterio S. Hieronymi ibidem. *Mon. V.*

EST præcedenti ſimillimum monaſterium etiam Neapolis, ſub inuocatione diui Hieronymi erectum, quod 60. ſorores, genere nobiles, atq; religione illuſtres, ſub tertio B. P. Frãciſci Ordine, inhabitãt: atq; pientiſſimus Io. Dominicus Mancus, Neapolitanę matricis eccleſię canonicus, ex illuſtriſſ. Ioãnis S.R.E. Cardinalis, atq; Sedis apoſtolicę Legati, cuius breue à præfatis monialibus aſſeruatur, facultate, à fundamẽtis erexit.

De monaſterio S. Spiritus Nolæ. *Mon. VI.*

PIA communitas Nolana illuſtriſſ. Raymundi Vrſini eius Comitis, ac Salernitanorum Principis pietatem imitata videtur: Nam ſicut ille primo, ita quoq; & iſta tertio Ordi-

A tio Ordini à B. Franciſco inſtituto conſuluit. Extruxit ſiquidem hoc monaſterium, ſanctiſſimo Spiritui dicatum, intra communis oppidi Nolæ, videlicet, mœnia, à fundamentis ad culmen vſq; ex facultate ſibi à Clemente VII. Pont. max. anno Domini 1529. facta. Quod & 30. Franciſcanæ ſorores Tertiariæ commodiſſimè inhabitant.

De monaſterio S. Annæ Aruncæ. Mon. VII.

SACRA hæc ædes, Aruncæ, ſub inuocatione S. Annæ ſurrigit, & à 22. Franciſcanis ſororibus Tertiarijs incolitur, ab illuſtriſſ. quodam Aruncanorum Duce, ſub ſimplicis tantùm ſacelli forma, primitus ædificata extitit. Sed poſtmodum, anno ſcilicet à partu Virgineo 1471. accedente tamen Sixti IIII. Pont. max. facultate, prout apoſtolicum eius breue à præfatis ſororibus cuſtoditum facillimè indicat, ab eodem in iuſtum conuentum promota eſt. Quem & alter ex digitis beatæ Annæ, & particula cru-
B cis Chriſti religioſiſſimè exornant, commendatiſſimamq; Aruncanis reddunt.

De monaſterio S. Montani Caietæ. Mon. VIII.

SPECTAT quoq; ad hanc Prouinciam id monaſterium, quod in editiore ferè totius Caietanæ ciuitatis parte, ſub titulo S. Montani, erectum cernitur, atq; à 30. ſororibus Tertiarijs inhabitatur. Quarum in Deum pietas, in propriam Regulam obſeruantia, atq; prompta erga prælatos obedientia, incredibilis omnino eſt. Aſſeruatur in huius loci ſacrario alterum ex brachijs S. Montani: à quo & nomen ſibi obueniſſe exiſtimo. Fuit hic Montanus ille centurio, qui præſens Chriſti Seruatoris paſſioni, viſis ijs mirabilibus, quæ eius cauſa contingebant, dixit, verè filius Dei erat iſte.

De monaſterio Conceptionis glorioſæ Virgini Neapolis. Mon. IX.

C CVM illuſtriſſimus Petrus à Toleto Villa francæ Marchio, atq; Regni Siciliæ citra pharum (hoc Neapolitanum Regnum vulgò vocant) Prorex, ex regio ærario atq; de ſummi Pont. Clementis VII. licentia, inſignem eccleſiam ſub titulo S. Iacobi, atq; contiguum ſibi hoſpitale pro curandis infirmis Hiſpanis Neapolis ędificanda, atq; ſufficientibus redditibus locupletanda curaſſet: illuſtriſſimus Petrus Gironius Oſſunæ Dux, atq; eiuſdem Regni Prorex, nec non & cæteri pręfatorum hoſpitalis & eccleſię adminiſtratores à ſummo Pontifice Gregorio XIII. idq; idibus Martij, anno verò Domini 1583. impetrarunt, vt adiunctus præfatis hoſpitali & eccleſiæ immaculatę Virginis Conceptionis conuentus, atq; ex eorundem prouentibus, iuxta facultatem eidē Petro à Toleto à Clemente VII. factam, conſtructus à ſacris virginibus, ſub Conceptioniſtico habitu, mantelo videlicet ceruleo, habitu & ſcapulari albis, velo nigro atq; vir-
D ginis imagine ſcutulo incluſa ad pectus, impoſterum inhabitaretur: vtq; totius Ordinis Generali Miniſtro, & in eius abſentia Prouinciali Obſeruantum Franciſcanorū Prouinciæ Terrę laboris Miniſtro, immediatè ſubderetur. Sanctiſſimus poſtmodum Sixtus V. Pont. max. quæ ab eius prædeceſſore Gregorio XIII. conceſſa fuerant, edito apoſtolico breui confirmans, præcepit atq; voluit, vt tum præfatus conuentus, qui & plurimis gratijs, atq; priuilegijs ſibi ab vtroq; ſummo Pontifice conceſſis gaudet, tum diui Iacobi eccleſia, tum quoq; hoſpitale ſibi cōtigua apoſtolico Nuncio Neapolis, pro tempore exiſtēti, in his, quę ad epiſcopalis muneris exequutionem, circa ipſa, ex ſacri œcumenici Tridentini Concilij decreto ſpectant, omnino ſubiacerent. Idq; ea propter, ne Neapolitanorum Archiepiſcopo quoquo modo ſubſint: neue is aliquid iuris in ea exercere, aut habere poſſit, præſumatq;. Vt igitur primùm ex Hiſpania reuerſus Neapo-
E lim, anno Domini 1584. acceſſi, aliquot virgines, pręfato Conceptioniſtico habitu prius publicè in eccleſia diui Iacobi à me indutas, in prælmemoratū Conceptionis conuentum ex Gregorij XIII. Pont. max. mandato, ipſo die purificationis Virginis intuli; atq; immaculatæ Conceptionis Regulam, qua eiuſdem Ordinis ſorores in Hiſpania vtuntur, ſeruandam tradidi. Qui primam harum monialium inſtitutionem, atq; progreſſus noſſe voluerit, tertiam huius operis partem conſulat, atq; ex his, quæ in Prouinciæ Caſtellæ deſcriptione fuſius dicta ſunt, ſibi factum ſatis intelliget. Ab his autem Conceptioniſtis monialibus nullæ penitus aliæ in Italia inueniuntur. Commorantur interim hoc in conuentu 20. ſorores, quæ temporis ſucceſſu, Deo tamen fauente, plures tum ſecum, tum quoq; alibi habebunt ſocias.



PROVINCIA

PROVINCIA TYROLENSIS.

A PROVINCIA hæc neophyta, quæ à Comitatu Tyrolis (in medijs Al-
pibus, qua Tridento itur in Germaniam) mineris auri, argenti, argenti
viui, ferri, plumbi, ſalisq; concoctione (vt Vuolfgangus Lazius, genea-
logiæ Auſtriacæ diligentiſſimus ſcriptor, teſtatur) quàm fœcundiſſimo,
ac ſereniſſimis Archiducibus Auſtriæ ſubacto, etiam Tyrolenſis nuncu-
patur, cępit anno à lœtabunda Reparatoris noſtri Chriſti natiuitate 1580. menſis Maij
die 12. hac occaſione: Videbat ſereniſſimus pariter ac pientiſſimus Ferdinandus, Ferdi-
nandi Imperatoris inuictiſſimi filius, Auſtriæ Archidux, ac Tyrolis Comes, conuentus
ſeraphici Ordinis noſtri in Germania, Vngaria, Boëmia, Croatia, Dalmatia, Auſtria,
Brabantia, Lutzenburgo, Carinthia, Morauia, Luſatia, Habsburgo, Flandria, Goritia ac
in alijs illius regionis locis conſtructos, indies magis, ac magis negligi, iuſto fratrum nu-
mero deſtitui, & collabi vniuerſa: quamobrem ob ſummū amorem, quo fratres noſtros
proſequebatur (nam ſereniſſimi Principes Auſtriaci ſemper fuêre ſeraphico Ordini
B Franciſcano deuotiſſimi, addictiſſimiq;) obtinuit à ſummo Pontifice Gregorio XIII.
inſuper & à nobis, vt ex monaſterijs ſuæ ditionis, inſtituti tamen de Obſeruantia Regu-
lari, vtriuſq; ſexus noua Prouincia inſtitueretur, erigereturq;. Dato igitur ſuper hac re
breui apoſtolico venerabili ac docto patri fratri Henrico Sedulio Cliuienſi, id temporis
ex Prouincia inferioris Germaniæ, propter infeſtiſſimos illos tumultus bellicos, illic
exortos, exulanti, is religioſus pater monaſteria infraſcripta, anno eodē in vnā prouin-
ciā redegit, erexitq;. Porrò inſtrumēta vnionis cuiuſq; monaſterij, data ſub ſigillis, aſcri
ptisq; nominibus ſingulorū locorū, aſſeruantur in archiuis conuentus S. Crucis ciuita-
tis Oeniponte, quę vulgò Imſprug nuncupatur. Cæterū huius Prouinciæ Tyrolenſis ſi-
gillū maius, crucē imprimit ſatis magnā, cuius vtriq; brachio & pedi tres ſūt claui affi-
xi, ſed tranſuerſa ad ipſius caput tabella ſequentibus colluſtratur literis. I. N. R. I. Ad
C pręfatę autē crucis pedē genuflexus, manibusq; iunctis, ſed extēſis, pauperū Patriarcha
Franciſcus. Sigilli tandem oram, quæ perpulchra eſt, ſequentes literæ ambiunt SI-
GILLVM MINISTRI PROVINCIÆ TYROLENSIS FRA-
TRVM MINORVM DE OBSER. Hæc igitur Tyrolenſis Prouincia
ex 4. tantùm fratrum conuentibus, & ex duobus Clariſſarum de ſecūda Regula mona-
ſterijs, atq; ex vno Tertiariorum fratrum loco conſtat. Habet etiam 16. ſororum con-
gregationes de Tertia Regula diui patris Franciſci in Sueuia, ſub cura & regimine hu-
ius Prouinciæ patrum degentium, quas tamen, quia parum ad rem conducunt, ſilentio
præteribimus. Præterea quia ſereniſſ. pariter ac pientiſſima domus Auſtriaca S. Leopol-
dum, qui licèt diuitijs afflueret, Marchionatusq; titulo fulgeret, nihil minus à caducis
honoribus, fallacibusq; bonis fecit, & deſpiciens mundum, terrenaq; triumphans ad
veras cęli diuitias aſpirauit, nobis feliciſſimè peperit, eum huic nouellæ Prouincię, quę
D ferè tota eius capiti, ſereniſſ. Archiduci videlicet Auſtrię, paret, præponere volui.

De conuentu S. Crucis Oeniponte. *Conu. I.*

CONVENTVS ſanctæ Crucis Oeniponte, quod à pręter labente flumine Oëno, & ponte ſuperſtructo, Germanicè dicitur Inſprug, primum locum, in gratiam præfati ſereniſſimi ac pientiſſimi Ferdinandi Archiducis, Prouinciæ authoris, à nobis obtinuit, dum eſſemus Oeniponte, anno Dominicę Incarnationis 1582. menſe Februario: tametſi tempore poſtremus ſit omnium: Nam ædificatum fuit circa annum Dominicæ natiuitatis ſexageſimum ſupra milleſimum quingenteſimum, ab Auguſtæ memorię Ferdinando, Romanorum imperatore, fratre illius inuictiſſimi ac omni laude di-

gniſſimi

gniſſimi Caroli huius nominis V. nepote Maximiliani huius nominis primi, & prone- A
pote Federici huius nominis III. etiam Romanorum Imperatorum, & filio Philippi
huius nominis primi, Hiſpaniarum Regis. Aiunt enim præſtantiſſimum Imperatorem
Maximilianum primum, Auſtriaci nominis propagatorem eximium, atq; Auſtriacę di-
tionis dignitatisq́; propugnatorem accerrimum, poſt quàmplurima bella, quę aduerſus
ſereniſſimos pariter ac potentiſſimos Galliæ Reges Carolum, Ludouicum & Franci-
ſcum, Venetos, Palatinos ac Heluetios geſſit, quibus ſemper, vt author eſt præfatus
Vuolfgangus Lazius, propria perſona interfuit, ac manu non ſemel gnauiter pugna-
uit, atq; etiam poſt varia diſcrimina, quorum bellorum gratia perpeſſus eſt, decreuiſ-
ſe, vti collegium canonicorum, aut monaſterium aliquod extrueretur. Ipſum ſanè
Dauidem imitabatur, qui poſt multam ſanguinis effuſionem, multas victorias de hoſte
relatas, Deum placaturus, eiq́; acturus gratias, templum ædificare ſtatuerat. Cæte- B
rum id opus dilatum fuit ad vſq; Ferdinãdum Cæſarem auguſtiſſimum, feliciſſimumq́;
ſupradictum. Paulò poſt, & ſub mortem Ferdinandi, duce quodam Epiſcopo ad con-
uentum hunc adducti ſunt quidam religioſiſſimi patres Itali, tanto cum gaudio pien-
tiſſimi Imperatoris, vt non dubitarit tunc libentius mori, quòd fratres noſtros (quos
complectebatur, appellabatq́; ceu medullam totius Chriſtianitatis) diù deſideratos,
habere potuerit. Porrò auctoritate reuerendiſſimi patris fratris Franciſci Zamoræ, eá
tempeſtate totius Ordinis Franciſcani Generalis Miniſtri, monaſterium vnitum fuit al-
mæ Prouinciæ ſancti Antonij. Patres Itali manſerunt circa decennium. Deinde neſcio
qua factione fratrum Germanorum is locus ſeiungebatur à Prouincia ſancti Antonij,
vt vniretur Prouinciæ Argentinæ ſuperioris Germaniæ. Deniq; anno Dominicæ incar-
nationis 1580. vt ab initio diximus, ad petitionem præfati ſereniſſimi Archiducis Ferdi- C
nandi diremptus à Prouincia Argentina, primum locum tenet in noua Prouincia Ty-
rolenſi & à 25. fratribus inhabitatur: videtur in oratorio monaſterij mauſolęũ Maximi-
liani huius noĩs primi, Germanorũ Imperatoris, toto orbe multo celeberrimũ, & artifi-
cioſiſſimũ: quo ex Neapoli Auſtrię eiuſdẽ cineres opportuno tẽpore transferri debent.

De conuentu S. Martini Friburgi Briſgoiæ. *Conu. II.*

FRIBVRGVM vrbs duplex eſt, vna in Briſgoia, altera in Vcthlandia, in illa
verò quæ in Briſgoia ſita eſt, hic conuentus, ſancto Martino Epiſcopo Turo-
nenſi dedicatus, conſtructus reperitur, qui meritò inter monaſteria huius Prouinciæ
ſecundum locum obtinere debet: nam quoad fuerat in Prouincia Argentinenſi ibidem
ſemper primum locum obtinuit. Eſt enim conuentus antiquiſſimus: Nam ſacellum D
ſancti Martini, cum adiuncto palatio, quod nunc fratribus in habitationem deſeruit,
videtur, ferè ipſis temporibus Seraphici patris noſtri Franciſci, Ordini eſſe oblatum, à
Comitibus Friburgenſibus. Vix credi poteſt, quàm multi heroës, & nobiles viri, Or-
dinem ibi acceperint: quorum ſepulchra, & memorias etiã nunc videre licet. Fuit au-
tem locus olim ditiſſimus, oppulentiſſimusq́;, quando videlicet à Conuentualibus pa-
tribus Franciſcanis inhabitabatur. Sed opera ſanctæ memoriæ Leonis Papæ X. Pontifi-
cis maximi, & Maximiliani I. Imperatoris reformatus fuit, reuerendo patre fratre Ga-
ſparo Schatgeijer, Prouinciali Miniſtro Argentinenſi ſuperioris Germaniæ, anno Do-
mini 1515. bona eonuentus tradebantur Magiſtratui, qui viciſſim iuſtum fratrum nu-
merum, qui denarius eſt, ſuſtentare paratus eſt, quando mendicitate neceſſaria ac-
quirere non poſſent. In archiuo conuentus aſſeruantur plurima diplomata, & ſcriptu- E
ræ, quæ pro bona parte ex conuentu Baſileenſi apportata ſunt, quando fratres à Lu-
theranis expellebantur. Præterea in ea ciuitate eſt celebris Academia adeò, vt ſi fratres
rectè omnia inſtituerent, ibidẽ multò commodiſſimè ſtudium Prouinciæ haberi queat.
Quod igitur in tabula illa Prouinciæ facta à nobis Oeniponte, conuentus Friburgen-
ſis in ordine vltimum locum acceperit, emendandum venit. Nam in initio non potue-
runt res Prouinciæ ſtatim cognoſci, nec ritè, vt decebat, diſponi, ac ordinari.

De monaſterio Bulzani. *Mon. III.*

MONASTERIVM Bulzani, quod Germani Potze vocant, & à duodecim fra-
tribus incolitur, olim fuit Prouinciæ Auſtriæ: eſt autem antiquum. Aiunt ſan-
ctum

A ctum Franciſcum eò aliquoties veniſſe, dum adhuc mercaturam exerceret: Nam Bulzanum celeberrimum eſt emporium, frequentatum ab Italis, & Germanis: Olim monaſterium hoc alij religioſi inhabitarunt, poſtea patres Conuentuales Franciſcani: reformatum tandem fuit à reuerendiſſimo patre fratre Licheto totius Minoritani inſtituti Generali Miniſtro. Commodiſſimè poſſet hic locus vniri Prouinciç ſancti Antonij, nam à ciuitate Tridentina diſtat circiter triginta milliaria tantùm.

De conuentu Zuuatzy. Conu. IIII.

ZVVATZII, (qui eſt pagus elegantiſſimus, & populoſiſſimus plus minus interuallo quinque Leucarum ab Oeniponte ſeiunctus) eſt conuentus, paruus quidem, ſed tam commodus, & pulcher, vt vix alter ſimilis reperiri poſſit. Fuit autem conſtructus circa annum Domini 1517. ab ipſis foſſoribus mineralium. Eſt enim ibi ar-
B genti fodina copioſiſſima. Iſti metallarij deuotiſſimi ſunt diui Franciſci, & fratres noſtros, qui vt plurimùm ſunt duodecim, pro bona parte, ſuſtentant, illisq; omnia neceſſaria, maxima liberalitate ingentiq; animi affectu, ſubminiſtrant. In initiò pertinuit ad Prouinciam Auſtriæ locus iſte Zuuatzenſis, nunc autem ad Tyrolenſem ſpectat.

De monaſterio Clariſſarum Brixinæ. Mon. I.

MONASTERIVM ſanctæ Claræ Brixinæ vetuſtiſſimum eſt, ædificatum in honorem S. Eliſabeth, paulò poſt tempora ſanctæ Claræ: de quo illud memoratu dignum hîc aſcribendum eſt. Quando Dux Sigiſmundus, propter certa negotia, fuerat excommunicatus: ne Principi ab Eccleſia reſecto communicarent, pij & religioſi quiq;, relicta Tyroli, ſe conferebant aliò. Sorores verò noſtræ conceſſerunt ad ciuita-
C tem Sueuiæ Vlmam. Ibi adeò profecerunt ſanctis moribus: vt iuxta oppidum ſibi ædificaretur eiuſdem Ordinis monaſterium, quod etiam nunc manet: tametſi gubernetur à Lutherano Magiſtratu Vlmenſi: Sefflinga illi nomen eſt. Porrò reconciliato Duce prædicto Eccleſiæ, ſorores Brixinenſes domum ſuam redierunt. At Prouincia Argentinenſis tunc ſorores in ſuam curam ſuſcepit: nam antea erant ſub Prouincia Auſtriæ.

De monaſterio Clariſſarum Friburgi. Mon. II.

DE monaſterio ſanctæ Claræ Friburgenſi dicitur, quòd fratrum fuerit Carmelitarum. Aliquoties locus conflagrauit, & multa monimenta deſiderantur: fuitq; olim Prouinciæ Argentinenſis, nunc ad hanc Tyrolenſem Prouinciam pertinet.

D
De conuentu fratrum Tertiariorum Beruſtayn.

NIHIL notatu dignum continet locus hic fratrum de tertia Regula beati patris Franciſci, nihilq; penitus, quod ad poſteros tranſmitti poſſit: quamobrem ad breuem quandam relationem ſororum Tertiariarum tranſibimus.

Vel ex ſolis iſtis Congregationibus Tertiariarum videre eſt, quanta olim fuerit pietas, & religio in Germania: Vix inuenitur aliquis pagus egregius, in quo non ſit domus ſororum de tertia Regula. Horum inſtitutum tale eſt: Propter fratrum noſtrorum abſentiam, pro confeſſoribus habent paſtores villarum parochialium: Habitant ferè iuxta eccleſias, quas etiam inuiſæ intrare poſſunt: ibi etiam peculiarem locum poſſident. Rariſſimæ ſunt velatæ, & quæ clauſuram obſeruant: Nam cù m ſint pauperes, ægros colere debent, manu & arte, potiſſimum textrina, victum quærunt. Quamob-
E rē egregiam laudē ſibi parant, vt mirum ſit, quòd inter medios hæreticos habitantes, rariſſimè occaſionem alicuius ſcandali præbeant. Sunt autē iſtæ Congregationes in illis Sueuiæ partibus, quæ ſubſunt Archiduci Auſtriæ. Erantq; primitus ſub viſitatione Miniſtri Argentinenſis. Et hæc de origine & auſpicijs Prouinciæ Tyrolenſis dixiſſe ſuffecerit: quæ ſi paulo felicius proceſſiſſent, humano iudicio fuiſſet ſpes Germaniæ Prouincias rectius potuiſſe inſtitui, loca noſtra derelicta recuperari, alia nonnulla reformari, quo aliquibus dominis nihil poterat gratius contingere. Sed hæc iudicio diuino relinquenda ſunt. Eſt verò periculum, omnia monaſteria Germaniæ mox collapſura, aut relicta iri, niſi aduigiletur diligentius, accuratiusq; ab his quorum intereſt.


PROVINCIA
CALABRIÆ
S. FRANCISCVS DE PAVLA

PROVINCIA CALABRIAE.

A CALABRIA extrema Italiæ regio eſt, peninſulæ formam referens, cuius Iſthmus eſt vnius diei via, quæ à Tarento Brunduſium ducit. Alijs nominibus Meſſapia, & Salentina, & Peucetia dicta eſt. Oppida eius præcipua ſunt Brunduſium, & Hydruntum totius Italiæ extremum. Licèt hæc finibus Prouinciæ ſancti Nicolai circumſcribantur. Nam alia eſt ratio Prouinciarum apud ſæculares, & alia apud nos: Quippe qui commodum gubernandi modū, potius quàm vel linguarum varietatem, vel regionum diuiſionem (licèt hæc, dummodo bono modo fieri poſſit, minimè prætermittantur) attendamus. In hac igitur extrema Italiæ regione duas obtinet noſter Ordo Prouincias: alteram Septem martyribus Franciſcanis, Danieli ſcilicet, eiusq; ſocijs ſacram: alteram verò Calabriæ nomine inſignitam. Vtraq; tamen antiquiſſima eſt, atq; B. Franciſco contemporanea: cùm eum ſui authorem habuerit: non quidem vt ab inuicem diuiſa, ſed vt ſimul iuncta: Nam vt ex prooemio præfatæ Prouinciæ Septem martyrum conſtat, legitimis quibuſdam cau-
B ſis id maximè expoſcentibus, anno à partu Virgineo 1580. in Capitulo prouinciali Nicaſtri celebrato, primùm à me, ſub præmemoratis nominibus, diſtincta extitit. Conſtat itaq; præſens Prouincia, quæ inferiorem Calabriæ portionem ſortita eſt, ex 22. fratrum, & vno monialium conuentibus: huiuſmodiq; inſignijs, integra ſcilicet columna flagello cincta, cui à latere dextro N. à ſiniſtro verò R. literæ aſtant, in ſigillo vtitur. Sigilli verò orbem ſequentes etiam literæ ✠ HOC. EST. SIGILLVM. PROVINCIÆ. CALABRIÆ. ambiunt. Cùm enim Prouinciæ Septem martyrum præfatos martyres Danielem, qui primus Calabriæ Miniſter extitit, eiusq; ſocios præpoſuerim, huic præſenti beatum patrem Franciſcum de Paula, Ordinis Minimorum inſtitutorem, quòd nouitius in Ordine noſtro aliquando extiterit; quòdq; ex Calabria oriundus fuerit, quē Calabri maxima veneratione proſequūtur, prǽferre mihi viſum eſt.

C *De conuentu Annunciationis B. Mariæ apud S. Nocitum.* *Conu. I.*

INTER cæteros huius Prouinciæ conuentus principem obtinet locū is, qui in honorem Annunciationis B. Mariæ, prope oppidum ſancti Nociti, ab illuſtriſſimo quadam Cotronienſium Marchioniſſa, anno 1300. ædificatus fuit, & adhuc ſubſiſtit. Quia verò modicus eſt, & à 5. tantùm fratribus inhabitatur, vltimis aſcribitur. Diem tamen clauſit extremum hoc in loco P. F. Matthæus Citrarius ſacerdos: qui cùm adhuc benè valeret, præſago (vt creditur) ſpiritu, patri Guardiano humiliter ſupplicauit, vt ſibi poſt ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſumptionem, extremæ Vnctionis ſacramentum miniſtrare vellet. Quo tamen, quòd benè omnino valeret, denegante, ſubiecit, vt ex charitate accelerarét: quandoquidem poſt primum campanæ pulſum, quo fideles ad ſalutandā, veſpertino tempore, virginem glorioſam monentur, ſibi ex hac vita ad ſuū Creatorem
D emigrandum foret. Idq; certiſſimus rei euentus comprobauit. Cùm enim poſt peracta circa eum omnia, quæ ad tantum iter neceſſaria ſunt, primus campanæ pulſus, poſt ſolis occaſum, auditus fuit, religioſiſſimus is pater viatico, extremaq; Vnctione præmunitus, ac meritis opimus, animam exhalauit, & ad patres appoſitus eſt.

De conuentu S. Franciſci apud S. Marcum. *Conu. II.*

NON futuri ſumptus, nec ſubeundus labor pium ciuitatis S. Marci ſenatum deterruêre: quo minus conuentum apud ſe erigeret: imò quò magis pauperie grauabatur, tantò alacrius ſe operi accinxit. Comparatis itaq; ex communi ærario omnibus neceſſarijs, apoſtolicaq; facultate obtenta, hoc monaſterium, B. Franciſco dicatum,

circa

circa annum à partu Virgineo 1320. à fundamentis extruendum, ac Conuentualibus A
patribus tradendum curauit, anno Dñi 1517. quibus aliò tranſlatis patres eiuſdem Ordinis Obſeruantes ſuffecti ſunt. A quo etiam tempore hic locus à 10. eius Inſtituti fratribus inhabitatur: qui corpus beati patris Franciſci à S. Marco, honeſta arca in ſacrario reconditum, quàm diligentiſſime cuſtodiunt, illumq; veneratione proſequuntur.

De conuentu S. Franciſci Beretræ. Conu. III.

HIC quoq; conuentus, B. Franciſco ſacer, atq; prope Beretram, (vulgò Biſignano) Calabriæ oppidum, à Beretranis, circa annum 1380. ędificatus, ad Conuẽtuales patres pertinuit: quibus & per 60. annos ſubfuit. Sed tandem ab ijs, Beretranis id à Sede apoſtolica obnixè expoſcentibus, ad noſtros Obſeruantes, anno à partu Virgineo 1441. tranſlatus eſt. Quorum 13. in præſentem vſq; diem ibidem perſeuerant. B

De conuentu S. Franciſci prope Agellum. Conu. IIII.

PROPRIAM in Deum pietatem, ac in Franciſcanos Obſeruantes beneuolentiam commendaturus illuſtriſſ. Franciſcus Sicarra, Agellanorum Comes, hoc ſacrum ipſis monaſterium, in honorem B. P. Franciſci, anno Domini 1450. non longè ab Agello, erigi fecit. In cuius quidem monaſterij gratiam Sixtus IIII. Pont. max. edito diplomate, quod penes 7. fratres huiuſmet loci habitatores manet, 5. annorum ac totidem quadragenarum indulgẽtiam impertitus eſt omnibus ijs, qui eius templum ritè diſpoſiti, in ſolemnitatibus vel Natalis, vel Reſurrectionis, vel Aſcenſionis Chriſti Seruatoris noſtri, vel Penthecoſtes, vel itidem Natiuitatis, vel Aſſumptionis glorioſæ Virginis eius matris, vel ſanctorum patrum Franciſci, atq; Bernardini de Senis, C
vel etiam proprię dedicationis viſitauerint. Viam vniuerſę carnis ingreſſus, ſepulturam hoc in loco adeptus eſt humillimus, ac deuotiſſimus, nec non (vt piè creditur) beatus frater Martinus Beretranus laicus, qui plurimos ad ſignum crucis, atq; ad aquæ benedictæ aſperſionem à ſpiritibus immundis, ac à diuerſis languoribus liberauit: & primogeniti Comitum Agellanorũ mortem, licèt longius euentam, in ſpiritu vidit. Pertranſibat ſiquidem fortè deuotus frater Agellanũ forum: cùmq; præfatos Comites lætos omnino, ac tripudijs vacantes, ob præfatum primogenitum Neapolim ad Regem trãſmiſſum, quòd inde ſibi benè futurum ſperarent, conſpiceret, dixit: Miſerrimi, ſi quid vobis hac ipſa hora acciderit reſciretis, alia proculdubio mente præditi eſſetis. Vos quidem nunc ridetis, ſed non ita poſt multum temporis, quem viuum exiſtimatis, mortuum, quemadmodũ & eius famuli hoc temporis momento Neapolis faciunt, amarè flebitis. D
Idq; rei euentus coprobauit: Nam & filius eodẽ prorſus die Neapolis vita functus fuit, & eius parentes de tanto infortunio certiores redditi, gaudium verterunt in luctum.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Meſuracæ. Conu. V.

HIC conuentus, S. Marię de Gratijs ſacer, & à 7. fratribus inhabitatus, auctoritate Martini V. anno 1429. conſtructus fuit à Meſuracano ſenatu: in cuius ſacrario brachium S. Zenonis mart. aſſeruatur; & in eccleſia corpus B. F. Petri à Belcaſtro laici, quod poſt multos annos ab eius trãſitu incorruptum inuentum eſt, & ob hanc cauſam in honeſtiori loco collocatũ fuit. Plura quoq; hoc in ipſo loco miracula edidit beatus pater Matthęus Meſuracanus, cuius inferius meminerimus. Cùm enim, anno Domini 1525. eccleſia populi multitudinem non capiente, pro eius foribus ſub arbore E
concionaretur: nec cicadæ, quibus arbor ſcatebat, ab ingrato cantu ceſſarent, illis coram toto cœtu, in Spiritus ſancti virtute præcepit, vt ſtatim obmuteſcerent: nec ante abſolutam concionem huiuſmodi concentum repeterent. Mirabilis res: Vix pater præceptum dederat, & iam illæ à concinendo ceſſarant, nec ante præfixum ſibi tempus auditæ ſunt. Præterea accenſam fornacem, ipſam refecturus, ingredi non timuit: vnde etiam illæſus omnino exiuit. Inſuper & duriores, informioreſq; lapides ſigno crucis molliores ſæpius reddidit, atq; dolauit, ita vt vllo alio abſq; adminiculo operi admoueri, adaptariq; potuerint. Quapropter à deuotis Meſuracanis maxima in veneratione habetur, illiſq; in ſuis neceſſitatibus ſuccurrit, patrocinaturq;.

A *De conuentu S. Mariæ de gratijs Buxenti. Conu. VI.*

BVXENTINVS ſenatus, ne in Deum pietatis, atque in Franciſcanos beneuolentiæ palmã Meſuracanis concedere videretur, vt primùm ab Eugenio IIII. ſummo Pont. anno à partu Virgineo 1431. facultatem obtinere potuit, hoc Minoriticum monaſterium, eidem beatiſſimæ virgini Mariæ de gratijs ſacrum, non longè ab eius ciuitate Buxento, (vulgò Policaſtro) ex communibus bonis ædificandum, perficiendumq; curauit. Quod & 12. fratres, hoc præſenti tempore, occupant. In huius loci ſacrario inuenire licet apoſtolicum præfati Eugenij IIII. breue, ſub datum 27. Auguſti, anno Domini 1431. ſed Pontificatus ipſius primo, quod eius conſtructionem concernit; & alteram ex ſpinis Dominicæ coronæ, à ſereniſſima quadam Franciæ Regina venerabili patri Dionyſio Sacco Buxentino, qui ſibi à ſacris confeſſionibus fuit, B dono datam: prout teſtimoniales literæ ſibi hærẽtes facilè indicant, ad cuius contactum plures dæmoniaci à ſpiritibus immundis liberati, pluresq; infirmi à diuerſis languoribus curati ſunt, ob quam cauſam ab inquilinis maxima in veneratione habetur.

De conuentu S. Franciſci Conſentiæ. Conu. VII.

TAMETSI nihil Conſentino ſenatui fuit optatius, quàm vt Conuentuales Franciſcanos patres penes ſe haberet, qua etiam de cauſa hunc illis conuentum, ſeraphico patri Franciſco ſacrum, non ita poſt multum temporis ab Ordinis exordio, ex comuni ærario, Conſentiæ, erigi fecit, eius tamen poſteri (neſcio quibus de cauſis adducti) illos, ex apoſtolica auctoritate, anno Domini 1434. inde aliò transferendos, atq; C locum, quem ab eo temporis quadraginta fratres occupant, Obſeruantibus eiuſdem Inſtituti religioſis tradendum curarunt. In cuius eccleſia ſepulti iacent religioſiſſimi, atq; omni commendatione digniſſimi, fratres, profeſſione quidem laici, ſed ſanctitate conſpicui, Antonius Citrarius, Angelus Conſentinus, ac Zachæus quoq; Conſentinus. Dum enim frater Zachæus in ſepulchro fratris Angeli ſepeliendus veniret, præfati fratris Angeli corpus, quod ab aliquibus annis tumulatum fuerat, cunctis fratribus circumſpectantibus, ſummèq; admirantibus, retrocedens, corpori fratris Zachæi, cui in vita amiciſſimus fuerat, locum dedit. In ſacrario verò corpus beati fratris Ioannis à Caſtrovillari Diaconi, atq; ſanctiſſimi viri, ſumma veneratione cuſtoditur. Atqui in cartophilacio ſequẽtia priuilegia, ſequentesq; apoſtolicæ literæ, à diuerſis tamen Pontificibus ſummis datæ, inueniuntur: Videlicet quædam bulla Gregorij IX. D Pont. max. data 13. Decembris, anno ſui Pontificatus 14. ne quis Franciſcanorum habitum deferre præſumat: quòd ſiquis ſecus fecerit, ne propterea Minorita exiſtimetur: vtq; Epiſcopi, à fratribus requiſiti, huiuſmodi habitum deferentes ad eius depoſitionem compellant. Et alia bulla eiuſdem Gregorij IX. expedita 23. Iulij, anno ſui Pontificatus 15. vt Minoritæ in excommunicatorum oppidis hoſpitari, & ab ijſdem eleemoſynas petere queant: Et alia bulla eiuſdem Gregorij IX. acta 19. Iulij, ſexto ſui Pontificatus anno, qua beatum patrem Antonium de Padua ſanctorum catalogo aſcribit: & eius ſepulchrum in die natalis ipſius, vel per ſubſequentem octauam viſitantibus, dummodo per ſacram confeſſionem peccata abſterſerint, vnum annum de iniunctis pœnitentijs remittit. Et alia bulla Innocẽtij Papæ IIII. data 23. menſis Maij, Pontificatus verò E ſui anno 2. ne aliquis Minorita ad Epiſcopatum, vel ad quamcumq; aliam ſęcularem vel Eccleſiaſticam dignitatem, abſq; proprij Generalis Miniſtri, vel ſaltem Prouincialis facultate aſſumi poſſit. Et aliud breue eiuſdem Innocentij IIII. datum 14. Ianuarij, tertio ſui Pontificatus anno, vt Minoritæ ſuis in eccleſijs, ianuis tamen clauſis, & abſq; campanæ pulſu, Miſſas, diuinumq; officiũ tempore interdicti celebrare poſſint. Et aliud breue eiuſdem Innocẽtij IIII. datum 17. Septembris, tertio quoq; ſui Pontificatus anno, quo Franciſcani ab omni Ordinariorum grauamine, atq; ſubiectione tum temporali, tum quoq; ſpirituali eximuntur: ijſdemq; cõceditur, vt ſacroſanctum Euchariſtię ſacramentum ſuis in eccleſijs conſeruare, ibidemq; ſæculares defunctos ſepelire queant: Et aliud breue eiuſdem quoq; Innocentij IIII. datum 21. Iunij, anno ſui Pontificatus 4.

quo Minoribus religioſis interdicitur, ne ad Ciſtercienſes tranſire poſſint. Et aliud breue A
Alexandri IIII. ſummi Pontificis, datum 5. Auguſti, Pontificatus ſui anno 2. ne Franciſcani ab apoſtolicis Legatis compelli poſſint, vt Ordinariorum Iudicum officio fungantur. Et aliud breue eiuſdem Alexandri IIII. datum 22. Octobris, eodem Pontificatus ſui anno 2. quo Prouinciales Minorum Miniſtri fratres ſibi ſubditos à quacunq; irregularitate, atq; excommunicatione abſoluere poſſunt, dummodo tamen exceſſus, ob cuius cauſam huiuſmodi pœna incurritur, adeò enormis non fuerit, vt ad Sedem apoſtolicam ſit recurrendum: Et aliud breue eiuſdem Alexandri IV. datum 17. Februarij, anno ſui Pontificatus 3. quo Prouinciales Franciſcanorũ Miniſtri, aſcitis ſibi patribus Diffinitoribus, fratres ſibi ſubiectos examinare, approbare, ac diuini verbi præcones inſtituere poſſunt. Et aliud breue eiuſdem Alexandri IV. vt Minoritæ à quocunque Epiſcopo ad ſacros Ordines promoueri valeant. Et aliud breue Clemẽtis Papæ IV. B
datum 11. Octobris, anno tamen ſui Pontificatus primo, quo omnibus ſummum huius eccleſiæ altare in die dedicationis ipſius, atq; in omnibus ſolemnitatibus glorioſiſſimæ virginis Mariæ, & omnium ſanctorum, atq; B. Antonij de Padua, & S. Claræ viſitantibus, dummodo abſolutionis beneficium à ſacerdote obtinuerint, centũ anni de iniunctis pœnitentijs relaxantur. Et alia bulla eiuſdem Clementis IV. data 13. Iulij, eodem ſui Pontificatus anno primo, qua pœna maioris excommunicationis feriuntur quotquot fratrum Minorum conuentus, eccleſias, ſiue cœmeteria, in toto vel in parte, demoliti fuerint: ſiue ijſdem violentiam aliquam intulerint. Quibus etiam abſolutionis beneficium ab huiuſmodi excommunicatione à nemine prorſus, præter quàm in articulo mortis, niſi à Sede apoſtolica impertiri quit. Et aliud priuilegium ab eodem Clemente IV. in forma breuis, datum 21. Decembris, Pontificatus verò ſui eodem prorſus anno primo, quo, ex apoſtolica auctoritate, prohibetur, ne aliquod monaſteriũ, cuiuſcunq; ſit Ordinis, intra 300. vlnas à Minoritarum conuentibus ædificari poſſit. C
Quod etiam priuilegium Clemens VII. Pontif. quoq; max. edito apoſtolico breui, ſub datum 12. Aprilis, anno verò Domini 1532. ratum habuit, confirmauitq;. Et aliud breue Martini V. Pont. max. datum 15. Februarij, annò ſui Pontificatus 2. quo fratrũ Minorum Miniſtri atq; Cuſtodes Procuratores ſiue Syndicos conſtituere poſſunt. Et alia bulla Eugenij Papæ IIII. expedita 7. Decembris, anno verò Dominicæ incarnationis 1437. qua pœna excommunicationis maioris plectuntur quotquot Clariſſarum monaſteria, abſq; apoſtolicæ Sedis auctoritate, ingrediuntur, nec ab ea, niſi ab eadem Sede apoſtolica, dummodo in articulo mortis conſtituti non ſint, abſolui poſſunt. Et alia bulla Pauli II. Pont. max. data 21. Decembris, anno Domini 1465. quo omnes D
gratiæ, omniaq; priuilegia fratribus Minoribus à ſummis Pontificibus antea conceſſa confirmantur. Et alia bulla eiuſdem Pauli II. data vltima Martij, anno Domini 1466. ne quis Franciſcanus Obſeruans, ſub excommunicationis pœna, ipſo facto incurrenda, ad patres eiuſdem Ordinis Conuentuales tranſire præſumat: Neuè aliquis ſubditus Franciſcanus, abſq; Generalis Miniſtri, vel ſaltem Prouincialis facultate nouum conuentum erigat, vel acceptet. Et aliud breue Sixti IIII. ſummi Pontificis, datum 5. Ianuarij, anno Domini 1471. quo fratres, ac ſorores de Tertio Seraphici patris Franciſci ordine patrum Minorum curæ atq; correctioni ſubduntur, committunturq;. Et alia bulla eiuſdem Iulij II. Pont. max. data 9. Iulij, anno Domini 1510. ne fratres Minores ad Minimos, abſq; ſpeciali Sedis apoſtolicæ licentia, tranſire poſſint. Et alia bulla Pauli Papæ IIII. data prima Iulij, anno Domini 1555. qua is omnia priuilegia, tum Obſeruantibus Franciſcanis, tum eiuſdem Inſtituti Tertiarijs, tum quoq; Clariſſis à quocunque Pontif. max. conceſſa confirmat. Idipſum quoque Pius IIII. Pont. itidem max. edito diplomate, quod in huius etiam loci tabellario habetur, ſub datum 27. Aprilis, anno Domini 1561. ſumma liberalitate præſtitit, largituſq; fuit. E

De conuentu S. Bernardini Manteæ. *Conu. VIII.*

PRODIIT nobis hic conuentus, B. P. Bernardino de Senis ſacratus, ac longiuſculus à Mantea, Calabriæ oppido, ſitus, circa annum à partu Virgineo 1436. ex facultate Eugenij IIII. ſummi Pontificis, cuius diploma, datum 24. Septembris, anno Domini

A Domini 1435. in eius ſacrario aſſeruatur: atq; ex liberalitate Manteani ſenatus. Quem tamen pater ac frater Antonius à Valentia, huius tunc Prouinciæ Vicarius Prouincialis acceptans, cæteris locis addidit, nouemq; fratres vt plurimùm occupant, ac corpus beati Antonij Scozetti Manteani, miraculisq; tum in vita, tum quoq; in morte clariſſimi, elegantiſſimè exornat. Qui miranda opera, ab hoc beato viro patrata, ſcire deſiderat, vitam beati patris Franciſci de Paula conſulat, ſibiq; abundè ſatisfaciet.

De conuentu S. Franciſci Cariati. Conu. IX.

ILLVSTRIS herois Bonacurſij Capiſacci ſtudia erga noſtrum ordinem, atq; officia, ex præſenti ſaltem conuentu, ſeraphico patri Franciſco ſacro, atque Cariati, quod Calabriæ oppidum eſt, erecto, quem is, ex facta ſibi ab Eugenio IIII. Pont. max.
B facultate, circa annum Dominicæ incarnationis 1440. commodè ſatis ad 4. fratrum habitationem, à fundamentis extruendum curauit, omnibus in propatulo eſſe poſſunt. Quamobrem ijs referendis non immorabor. Hoc tamen in loco, licèt anguſto, beatus frater Thomas Rendanus profeſſione laicus iacet: cuius humilitas, ſinceritas, ſanctiſſimiq; mores adeò omnipotēti Deo grata extitēre, vt per ipſum, adhuc in viuis agentem, plura miracula, quorum Rendani teſtes ſunt, edere voluerit. Præterea religioſiſſimus hic frater inſtantem ſibi mortem, licèt optimè valeret, præſago ſpiritu prænoſcens, extremæ Vnctionis ſacramentū ſibi à patre loci Guardiano conferri ex tempore voluit. Cùmq; Dominicam paſſionem, ſe audiente, perlegi expoſtulaſſet, vt primùm ad eū locum (& inclinato capite emiſit ſpiritū) eſſet deuentum, animā ſuo Creatori, cunctis fratribus id ſummè admirātibus, reddidit. Eugeniana facultas (de qua ſupra) in for
C ma bullę, ſub datū 10. Ianuarij, anno Dñi 1441. facta à fundatoris hęredibus aſſeruatur.

De conuentu S. Bernardini Roſſani. Conu. X.

MINORITICVS hic conuentus, diuo patri Bernardino ſacratus, Roſſaniq;, quæ Calabriæ ciuitas eſt, ſitus, reuerendiſſimum patrem, ac Roſſanenſium Epiſcopum, fratrem Matthæum Rhegynum, eiuſdem beati patris Bernardini ſocium aliquando gratiſſimum, circa annum à partu Virgineo 1452. ſui fundatorem habuit. In cuius erectione id mirabile contigit. Occupabatur Roſſanum eo tempore à Græcis, ibidemq; diuinum officium, ac Miſſæ ſacrificium ab eiuſdem generis ſacerdotibus, Græco idiomate perficiebatur. Quod cùm tantus Antiſtes ægrè ferret, cuperetq; ea omnia
D Latina lingua, ac iuxta S. R. E. ritum, præſtari, Græcos ſacerdotes à matrice eccleſia pepulit, atq; ad peculiarem quandam eccleſiam compulit, ijſdemq; Latinos ſacrificulos, qui rem diuinam, de Latino more, coram populo facerent, diuinumq; officium perſoluerent, ſuffecit. Quapropter exaſperati Græci nihil penitus ad huius monaſterij, quod tunc præfati Præſulis opera erigebatur, ædificationem conferre volebant: imò potius quicquid ædificij à pijs Latinis per diem promouebatur, id totum ab illis noctu demoliebatur. Vlturus igitur Deus opt. max. tantum ſcelus, huiuſmodi ſacrilegos hac pœna mulctauit, vt quotquot fætus ex earum fœminis in lucem prodirent, aliqua monſtruoſitate, quod nunquam illis antea acciderat, notarentur. Quibus malis meliores effecti, atq; ad ſaniorem reuerſi mentem Greci, tanti facinoris commiſſi veniam à pientiſſimo eorum Epiſcopo ſuppliciter expoſtularunt, ſeſeq; ad huius
E conuentus, beato patri Bernardino ſacrandi, omnimodam conſtructionem ex communi ſolemniq; voto aſtrinxerunt. A quo etiam tempore huiuſmodi flagellum, atq; monſtruoſitas ab eis receſſit. In cuius recepti beneficij gratiarum actionem, illi, quod piè ſpoponderant, religioſius reddentes, omnibus primogenitis Bernardini nomen imponendum curarunt. Mortem obijt, anno Domini 1540. hoc in loco venerabilis, ac probatiſſimæ vitæ, pater frater Petrus de Padulis, qui illuſtriſſimæ Beretranorum Principiſſæ, cui à ſacris confeſſionibus erat, inſtantem proprij obitus diem, cùm adhuc benè valeret, certiſſimè prædixit. Quo deniq; ſuperueniēte, eius anima, in præfulgidę cuiuſdam ſtellæ forma, cœlos, Roſſanenſium Gubernatore alijſq; grauiſſimis viris id contuentibus, petijt. Eius deniq; corpus, poſt plurimos ab obitu dies, multò tractabilius, multò pulchrius, à fratribus, qui vt plurimùm ſunt octo numero, inuentum eſt,

De conuentu S. Bernardini Morani. *Conu. XI.* A

CVM illuſtriſſimus Antonius Sanſeuerinus, Marcanenſium Dux, huius Prouin-
ciæ patribus fratribusq;, propter excellentes virtutes, præſertim verò extremam
paupertatem deditiſſimus eſſet, hunc illis conuentum, beato patri Bernardino ſacrum,
ex facta ſibi à Nicolao V. ſummo Pont. facultate, cuius apoſtolicum diploma, ſub
datum 31. Maij, anno verò Domini 1452. in huiuſmet loci archiuis aſſeruatur, atq; ex
domeſticis bonis, prope Moranum, Calabriæ ſibi ſubiectum oppidum, circa pręfata
tempora, à fundamentis erigi, omninoq; perfici curauit. Quē & 12. fratres inhabitāt.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Citrarij. *Conu. XII.*

SVMMO amore erga ſeraphicam Religionem noſtram impulſus Citrarienſis ſena- B
tus, præſentem conuentum, in honorem ſanctiſſimæ virginis Mariæ de Gratijs,
ex obtenta à Sede apoſtolica auctoritate, atq; ex communibus prouentibus, prope Ci-
tranum, Calabriæ oppidum, circa annum à lætabunda Chriſti natiuitate 1454. con-
ſtrui, perficiq; fecit: in quo 7. fratres commodè conuiuunt, Deoq; opt. max. famulātur.

De conuentu Annunciationis B. Mariæ Caſſoboni. *Conu. XIII.*

CASSOBONICA communitas ſancta conſuetudine, ſingulariq; doctrina bea-
ti patris Matthæi à Meſuraca ſummopere delectata, vt primùm à ſummo Pontifi-
ce Leone X. facultatem obtinuit, hunc conuentum, feliciſſimæ Annunciationi beatiſſi-
mæ virginis Mariæ ſacrum, ſibi ſuisq; fratribus, non longè à Caſſobono, Calabro com-
muniq; pago, ex publicis prouentibus ędificari, omnibusq; neceſſarijs inſtrui curauit. C
Contigit autem hoc anno à præfata Annunciatione 1519. quo etiam tempore præme-
morata Leonis X. facultas, quæ, ſub apoſtolici breuis forma, in huius loci ſacrario cu-
ſtoditur, expedita fuit. Conuiuunt frequentius hoc in monaſterio ſeptem fratres.

De conuentu Obſeruantiæ Cotronij. *Conu. XIIII.*

TANTA fuit beneuolentia, tantusq; affectus nobilis ac magnifici Nardi Lucife-
ri Cotronienſis ciuis in Franciſcanam familiam, vt ex proprjis ac peculiaribus
facultatibus, hunc ſibi conuentum, ſub titulo Obſeruantiæ, Cotronij, quæ Calabro-
rum ciuitas eſt, circa incarnationis Dominicæ annum 1520. erigi, perficiq; fecerit.
Quam deniq; beatus pater Matthæus à Meſſuraca admiſit, cæterisq; huius Prouinciæ D
locis adiunxit: ac ſeptem fratres pro votis occupant, Altiſſimoq; ibidem inſeruiunt.

De conuentu Obſeruantiæ Tabernæ. *Conu. XV.*

DE Lauernianorū beneuolentia erga ſeraphicum Ordinem, & ſi ex quotidianis be-
neficijs facilè cognoſci poſſit, facilius tamen ex hac ſacra æde, Obſeruantię dicata,
atq; ab eorum prędeceſſoribus, prope Lauernium, Calabrorum oppidum, circa annū
Dominicæ Incarnationis 1521. conſtructa, perpenditur. Eſt enim ſatis elegās: atq; om-
ni ex parte perfecta, & inter præcipuas totius Prouinciæ domos computāda venit. Cō-
tinet præterea 13. fratres: quod vix vni, aut alteri reliquarum contingit. Eius etiam ec-
cleſia, eorundem Lauernianorum opera, hoc priuilegio à ſummo Pontifice Grego- E
rio XIII. donata extitit, vt in altari, Archangelo Michaëli dicato, per Miſſę ſacrificium
fidelium animę ex Purgatorij pœnis liberentur. Fuit autem conceſſum huiuſmodi pri-
uilegium, prout ex apoſtolico breui, quod in ſacrario aſſeruatur, liquidò conſtat, vl-
tima Octobris, anno verò Domini 1579. Eadem in eccleſia ſepultus iacet beatus pater
Matthæus à Meſſuraca: cuius pietas, abſtinentia, humilitas, paupertas, atq; prompta
obedientia incredibiles fuêre. Quapropter tum in vita, tum quoq; in morte miraculis
clarere meruit. Nam & Fauſtinam quandam Dodonicam, patria Lauernianam, à gra-
uiſſima, qua laborabat, paralyſi ſtatim ab obitu liberauit: ac plurimis alijs infirmis
eius ſepulchrum deuotè accedentibus amiſſam ſoſpitatem reſtituit.

De con-

A *De conuentu Obſeruantiæ Cropanij.* *Conu. XVI.*

NEC commendatione caret Cropanienſium pietas, in Franciſcanam familiam cùm & ipſi quoq; hoc ſacrum monaſterium, eidem Obſeruantiæ dicatum, ex facta ſibi à Clemente VII. ſummo Pont. poteſtate, communibus ſumpti bus, circa annum Dominicæ Incarnationis 1532. prope Cropanium, Calabriæ opp idum, inchoari, perficiq; curarint: quem & ſex fratres commodiſſimè incolunt. Habetur huiuſmodi Clementinæ poteſtatis breue, ſub datum Romæ 26. menſis Aprilis, anno verò Domini 1531. in huius loci ſacrario.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Rendæ. *Conu. XVII.*

B RENDANA communitas hunc conuentum, ſanctiſſimæ Dei genitrici Mariæ de Gratijs ſacrum, atq; à 7. fratribus inhabitatum, circa annũ Dominicæ natiuitatis 1533. non longè à Renda, Calabrorum oppido, ſedente Clemente VII. Pont. max. cępit, perfecitq;. Hoc autẽ ita eſſe apoſtolicũ eiuſdẽ Clemẽtis VII. breue, datũ 11. mẽſis Maij, an. Dñi 1532. atq; in huiuſmet loci tabellario aſſeruatũ patentiſſimè cõmonſtrat.

De conuentu S. Franciſci Sturnorum. *Conu. XVIII.*

AD alia quàmplurima beneficia à pio Sturnenſi Senatu ſeraphicæ Religioni noſtræ collata accedit & conuẽtus hic, beatiſſimo patri Franciſco ſacer, & ab 8. fratribus incultus, quem is, ex mera tantum deuotione, circa annum Dominicæ incarnationis 1478. Sixto IIII. Pont. max. in totius Eccleſiæ militantis ſpecula poſito, prope Sturnos, Calabriæ ciuitatem, à fundamentis extruendum, perficiendumq; curauit. Animam cœlo reddidit hoc in ipſo loco, 6. menſis Auguſti, anno verò Domini 1534. probatiſſimus, ſimul atq; religioſiſſimus pater Hieronymus à Meſuraca, cui Chriſtus Dominus horam ſui tranſitus reuelare dignatus eſt. Cùm enim adhuc benè valeret, nihilq; à ſe longius ipſa morte exiſtimaretur, patrem Guardianum rogauit, vt, aſcitis ſibi omnibus fratribus, proprium cubiculum peteret, ſeſeq; ibidem prębſtolaretur. Quo facto genuflexus, ac fune ad collum religato, ab omnibus circumaſtantibus, quòd ſibi breuiſſimè aliò emigrandum foret, mali cuiuſuis præſtiti exempli, aut offenſionis illatæ ſuppliciter veniam exorauit. Cùmq; præfatus Guardianus huiuſmodi tranſmigrationis cauſam à ſe, ex impoſita obedientia, exquiſijſſet, ſubiecit: propriam ſibi mortem, ante Miſſarum ſacrificij finem, eodem die futuram, à Chriſto Domino, coram Virgine gloriosa eius matre, ac Seraphico patre Franciſco, reuelatam fuiſſe. Idq; rei euentus comprobauit. Nam paulò antequàm vltimum ſacrum abſolueretur, in proprio cubiculo, extra lectulum genuflexus, exanimis tamen, vultibusq; ad ſydera eleuatis, à fratribus inuentus eſt. Accidit quoq; hoc in eodem loco, anno Domini 1488. vt deuotiſſimo patre, ac celeberrimo concionatore, fratre Bernardino Rendano de ſacro Euangelio coram populo ediſſerente, maxima exoriretur tempeſtas. Cùmq; aſtans cœtus proprię pelli, quòd templum adhuc ſub artificibus eſſet, timens, propria, relicta interim concione, remeare contenderet: eum optimus pater bono animo eſſe, pedemq; figere, ac ſecum ſalutationem angelicam, atq; Dominicam orationem alta voce ſemel perſoluere iuſſit. Qua tandem perſoluta, tanta oborta tempeſtas ex tempore euanuit, diſſolutaq; eſt: ac ipſe pater ſubiecit. Nunc nunc faber ille lignarius, Magiſter Ottolinus, ille inquam, qui pro viribus ſacræ huius domus erectionem retardare, ac impedire conabatur, è viuis, eorum, quæ vel benè, vel male in hac vita egit, rationem, coram iuſtiſſimo Iudice redditurus, exceſſit. Statimq; eius funeris ſignum à campana datum ab omnibus, licèt ad mille paſſus diſtaret, auditum fuit.

De conuentu S. Mariæ de Gratijs Caſſani. *Conu. XIX.*

ILLVSTRISSIMORVM Beretræ (vulgò Biſignano) Principum erga ſeraphicam Religionem noſtram ſtudia, atq; officia in plurimis operis iſtius locis eluceſcunt: præſertim verò in hoc præſenti conuentu, ſanctiſſimæ virgini Mariæ de Gratijs ſacrato. Quem pientiſſimus, ſimul atq; illuſtriſſimus Petrus Antonius Sanſeuerinus, Beretra-

Beretranorum quoque Princeps, ex facta ſibi à Iulio III. Pont. max. facultate, circa A
annum Dominicæ natiuitatis 1551. ſumma pietate, ſummaq; liberalitate, à funda-
mentis ad apicem vſq;, prope Caſſanum, Calabrorum ſibiq; ſubditum oppidum, ex-
truendum curauit. Continet hæc ſacra domus, idq; ſatis commodè, 10. fratres, in
quorum tabellario præfati ſummi Pont. Iulij III. bullam loci erectionem concernen-
tem inuenire licebit. Huius oppidi accolæ Franciſcanos amore proſequuntur.

De conuentu S. Mariæ de Angelis Ruliani. Conu. XX.

MINORITICVM monaſterium, ſanctiſſimæ virgini Mariæ de Angelis ſa-
crum, nec procul à Ruliano, Calabrorum oppido, erectum, pia Rulianenſis com-
munitas, ex maxima in Deum pietate, ac in Minoritas propenſione, circa annum Do-
mini 1569. incœpit, perfecitq;: quod & octo fratres pro votis inhabitant, incoluntq;. B

De conuentu Annunciationis B. Mariæ Dipiniani. Conu. XXI.

A QVO vel quando, vel ex cuius ſummi Pontificis conceſſione, conuentus hic,
feliciſſimæ Annunciationi glorioſæ virginis Mariæ ſacratus, ac prope Dipinia-
num, Calabrorum oppidum, ſitus, fuerit conſtructus, non ſatis, ob ſui vetuſtatem, con-
ſtat. Æſtimatur tamen communibus Dipinianenſium ſumptibus ab antiquo ædifica-
tus: occupatur interim à decem huius Prouinciæ fratribus, Deo opt. max. famulātibus.

De conuentu S. Franciſci Fluuij frigidi. Conu. XXII.

IDEM quoq; eſto iudicium de pręſenti Minoritico conuentu, in honorem Seraphi-
ci patris Franciſci, prope Calabriæ oppidum, cui Fluuius frigidus nomen adiacet, C
erecto, ac de pręcedenti: cùm de eius origine, ac fundatore, ob eius quoq; antiquita-
tem, nihil inueſtigari potuerit, eum ſcilicet à pia eiuſdem oppidi communitate anti-
quitus conſtructum fuiſſe. Quorum etiam pijs eleemoſynis decem eius incolæ fratres,
pro noſtræ paupertatis ratione, ſuſtentantur, commodiſſimèq; aluntur.

De monaſterio S. Catharinæ Tabernæ.

SATISFACTVRVS pro ſua humanitate ſummus Pontif. Gregorius XIII.
pijs Tabernenſium votis, edito apoſtolico breui, cauit, vt duæ moniales de prima
beatę virginis Clarę Regula, nempè ſoror Lauinia, atq; ſoror Tiberia, ex conuentu Me-
damenſi educerentur: quę monaſterium ſanctę Catharinę virginis, à Tabernenſi ſena-
tu olim, intra mœnia proprię ciuitatis Tabernę, conſtructum, & à Tertiarijs beati pa- D
tris Franciſci ſororibus inhabitatum, reformarent, ſuoq; Ordini ſubigerent. Quarum
quidem Tertiariarum alię, ſumpto Clariſſarum habitu, ibidem manſerunt, alię verò
propria remearunt. Contigit autem hoc primo anno Pontificatus Gregorij XIII.
Numerus monialium hunc locum incolentium vicenarius eſt. Qui proculdubio pręſ-
fatis fundatricibus aſcribendus venit: cùm earum auſpicijs, atq; ſuauiſſimis, religioſiſ-
ſimisq; moribus tales tantosq; progreſſus fecerit. His igitur viginti quatuor conuen-
tibus vniuerſa hęc Calabrię Prouincia, quę vltimum inter reliquas Citramontanas ob-
tinet locum, omnino abſoluitur.

CVSTODIA ALBANIAE.

A ALBANIA Græciæ regio, quæ primò Moloſſia, & Epirus, in qua olim
Pyrrhus regnauit, & à Chaone Heleni fratre Chaonia dicta eſt: ab Occi-
dente Ionio mari, ab Oriente Achaia,& à Septentrione Macedonia termi-
natur. Macedoniæ verò metropolis eſt ciuitas Eribea (vulgò Chroia) ſtre-
nuiſſimi illius Ducis Georgij Caſtrioti olim ſedes: qui per quadraginta
continuos annos contra Sultanum Selimum,potentiſſimum Turcarum Imperatorem,
bellum accerrimè,atq; proſpera fortuna geſſit:Quiq; Turcis adeò formidabilis extitit,
vt ab illis per antonomaſiam, Turcica lingua, Scandembergh, ideſt Georgius Rex
diceretur. Quo tamen vita functo,quicquid apud Macedones eius parebat imperio;pre-
ualentibus, ob tanti Ducis abſentiam, Turcis, id totum ditioni præfati Imperatoris
Selimi acceſſit. Quod & in cauſa fuit, vt plures Franciſcani conuentus,per Macedoniã
antiquitus ædificati,ſolo æquarentur, omnimodamq; paterentur ruinam, ac Mino-
B ritica Macedoniæ Prouincia tanta dignitate, tantoq; honore excidens, in Cuſtodiam
redigeretur. Subeſt nihilominus, (vt præfati ſumus) in præteritæ dignitatis memo-
riam, immediatè Miniſtro totius Ordinis Generali,nullumq; alium ab eo (licèt ex
quinq; tantùm conuentibus conſtet) ſuperiorem in Ordine agnoſcit: peculiariq; gau-
det ſigillo. Quod quidem glorioſæ ſemperq; virginis Mariæ imaginem, cancellatis
brachijs ſedentem, ſanctumq; ſpiritum,ab alto in columbæ ſpeciæ demiſſum,ſuſcipien-
tem: cuius ſacrato capiti literæ A. G. P. ſuperſtant: pedibus verò ſanctus quidam Epi-
ſcopus in pontificalibus ad fœmora vſq; è ſigilli orbe procedens, literasq; S. B. à late-
ribus,à dextro quidem latere literam S. à ſiniſtro verò literam B. habens,ſubſtat: atqui
è regione libellus pulpitui innixus aſtat: nec non ſequentes literas,eius orbem circum-
ſcribentes. SIGILLVM. COMMISSARII. PROVINCIÆ. MACE-
DONIÆ. ORDI. MINOR. REGVLAR. OBSER. imprimit. Quia
C verò,huius Cuſtodiæ alumnis ad nos traijcere, nobiſq; ad eos, abſq; præſentiſſimo vi-
tæ diſcrimine, penetrare non valentibus,vix, poſt adhibitam omnem diligentiam,quę
ſequuntur ad manus habere potuimus, pium lectorem rogatum cupimus, & vt breuiſ-
ſima infraſcriptorum conuentuum deſcriptione contentus ſit. Certus interim, quòd ſi
aliquid aliud, eorum dignitatem concernens,impetrate potuiſſemus, id ſibi libentiſſi-
mo animo, atque ingenti animi affectu obtuliſſemus, in mediumq; propoſuiſſemus.

De conuentu S. Mariæ Sebaſtæ. *Conu. I.*

APVD Sebaſtam, nunc qiudem oppidum, olim verò ciuitatem, conſtructa ad-
huc perſeuerat ſacra hæc Minoritica ædes in honorem glorioſiſſimæ ſemperq;
virginis Mariæ: in qua inter infideles fidelem vitam ducunt decem Obſeruantes Fran-
D ciſcani fratres, atq; fideles eius oppidi accolas in fide confirmant: à quibus, maxima
liberalitate, ad vitę ſuſtentationem neceſſaria recipiunt. Qua etiam liberalitate illimet
ipſum monaſterium conſtruxiſſe, & omnibus rebus neceſſarijs inſtruxiſſe creduntur.

De conuentu S. Mariæ Aleſſiæ. *Conu. II.*

ALESSIA eius Græciæ regionis, quæ mons Niger appellatur,metropolitana ci-
uitas eſt, Drinoq; fluuio alluitur. Cuius habitatores, ſacro initiati baptiſmate,
hoc ſacrum monaſterium,ſanctiſſimæ Dei genitrici Mariæ dicatum, ex communibus
facultatibus, antequàm Turcis ſubeſſent, intra ciuitatis mœnia ædificarunt. Quod
& impræſentiarum octo fratres inhabitant,ipſiq; fideles ſacro interfuturi, atq; Dei ver-
bum audituri frequentant, ex quo ingentes fructus ſpirituales reportant.

De con-

De conuentu S. Saluatoris Rubici. *Conu. III.*

TVRCICAM rabiem (laus ſuperis) vſq; impræſentiarum euaſit hæc Franciſcana domus, Rubicenſium ſumptibus, ante multos annos, in honorem Saluatoris mundi Domini noſtri Ieſu Chriſti, ac intra Rubicum, commune eorum oppidum, ædificata. Quam ſeptem fratres commodè ſatis inhabitant, quos maxima veneratione, atq; beneuolentia proſequuntur hi Chriſtiani, qui Turcis admixti, Rubicum atq; adiacentes pagos incolunt, quibus fratres Franciſcani ſacramenta miniſtrant.

De conuentu S. Petri Memellij. *Conu. IIII.*

NON ita paruo ſolatio ſunt Memellianis ſeptem Franciſcani fratres, qui hunc conuentum, in honorem Principis Apoſtolorum Petri, retroactis temporibus, B
intra Memellium, Macedonicum oppidum, erectum inhabitant. Cùm illis ſpiritualia pro temporalibus miniſtrent: atq; rectam viuendi normam, iuxta quam, impolluta fide catholica, tutò incedere poſſint, tum verbo, tum quoq; exemplo præſcribant. Quibus tamen illi minimè ſunt ingrati: cùm pro ſubſtantiæ modulo, omnia neceſſaria, ſatis liberaliter, illis miniſtrent, eoſq; maximo amore & obſeruantia proſequantur.

De conuentu S. Mariæ Rhodonij. *Conu. V.*

QVANTVM ſpiritualis emolumenti Rhodonienſes ex octo Obſeruantũ Franciſcanorum fratrum cohabitatione referant, non facilè explicari poteſt: Cùm iſti nec laboribus, nec imminentibus ſibi à Turcis, truculentiſſimis catholicæ fidei hoſtibus, periculis parcant, vt illos, tum ſacris publiciſq; concionibus, tum priuatis adhortationibus, tum quoq; optimo viuendi genere in orthodoxa, atq; auita fide contineant. C
Nec tamen ea propter adiacentium populorum fidelium ſalutem contemnunt: cùm altera pars eorum perpetuò domi, quæ intra Rhodonium, Macedonum oppidum, ſub inuocatione ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ ſurrigit, vt illis adſit, ſe contineat, & altera, vt iſtis opituletur, per pagos diſcurrat, vt illis ſacramenta adminiſtret.

Secundæ partis finis.

TERTIA HVIVS OPERIS PARS

omnes Prouincias,

OMNESQVE TVM FRATRVM,
tum quoque ſororum Vltramontanæ familiæ
conuentus complectens,

Exceptis his quæ in partibus Indiarum continentur.



RPJCB

PROVINCIA

PROVINCIA FRANCIAE.

A PROVINCIA Franciæ, cæterarum totius Franciſcani Inſtituti Prouinciarum apud Vltramontanos prima, à nulla alia genita, ſed eius, quę Franciæ Pariſienſis nomen ſortita eſt, pro bona parte, alterius verò quæ S. Andreæ, ab anno Domini 1559. nuncupata extitit, ex integro genitrix agnoſcitur: Iſtam etenim parturiuit electo illic primo Miniſtro V.P.F. Sebaſtiano Vuillemart, Doctore Cadomenſe: Idq; cogente ex apoſtolica auctoritate Philippo Rege Hiſpaniarum II. & annuente Henrico Rege Galliarum etiam II. eiſdemq; aſtipulantibus R.P.F. Franciſco à Zamora Hiſpano, tunc temporis Generali Miniſtro, & Magiſtro ac P.F. Bernardino Pollet eiuſdem Prouinciæ Franciæ Miniſtro. Fœcun-
B diſſima hæc Franciæ Prouincia, tamquam pia mater, multos eoſq; pientiſſimos variarum regionum ambabus vlnis amplectitur filios: vtpotè Campanos, Picardos, Lotharingos, Normannos, Burgundos, Francos, & ex Bryæ, Belciæq; regionibus non paucos. Præterea inſignis hæc Prouincia ei, quæ S. Bonauenturæ dicitur, ex vna parte, ex altera verò ei, quæ nuncupatur Turoniæ, vicina, erecta fuit totius noſtri Ordinis inclyto fundatore beatiſſimo Franciſco adhuc ſuperſtite: quæ etiam primum ſuum prouincialem Miniſtrum habuit vnum ex ſocijs præfati B. P. quippe qui (authore diuo Bonauentura) poſtquam fuiſſet curioſa ſectatus, in beatiſſimo patre viſis portentis haud
C vulgaribus, verborum ignitorum ipſius virtute compunctus, ſæculi vanitatibus ex animo deſpectis, profeſſione ſolemni tanto patri adhæſit. Quem intuens maxima cum animi alacritate B. P. ab inquietudine mundi moleſta toto cordis affectu ad Chriſti pacem conuerſum, fratrem Pacificum nominauit: illumq;, ob multiplicem gratiam à Domino Deo acceptam, maximè idoneum iudicans, onus Miniſteriatus in hac Prouincia, vt in proœmio Prouinciæ Turoniæ fuſius patebit, primum ſubire coëgit. Et creditur eidem ſigillum, quo hucuſq; vſi ſunt ſui Miniſteriatus ſequaces, tradidiſſe: quod quidem habet impreſſam imaginem S. Petri Apoſtolorum Coryphæi ſtantem inter duo lilia, in dextera clauem, & in leua librum tenentem, cum his circumpoſitis verbis. SIGIL.
D FRATRVM MINORVM PROVINCIÆ FRANCIÆ. Conſtat deniq; hæc Franciæ Prouinciæ 5. Cuſtodijs, Campaniæ ſcilicet, Rhemenſi, Pariſienſi, Normanniæ, & Picardiæ; 39. conuentus fratrum, 13. Clariſſarum, & 5. Tertiariarum amplectentibus. Quia verò S. Ludouicus Francorum Rex plurium huius Prouinciæ conuentuum, præcipuè verò almi Pariſienſis, qui ſibi aliquando ſubiacuit, inclytus fundator extitit, eius iconem graphicè depictum ſibi præferendum curaui.

De conuentu SS. Ioannis Euang. & Mariæ Magd. Trecis. Conu. I.

CVM enim ex Ordinibus fratrum Prædicatorum, ac Minorum nonnullos, tum
E ſanctitate, tum eruditione conſpicuos in Franciam emiſiſſet Gregorius IX. Pont. max. ad excitandos Chriſtianorum principum animos, vt fidelibus ſocijs in terra ſancta aduerſus Saracenos, alioſq; infideles maximè laborantibus ſuccurrerent, anno ſcilicet Chriſti 1237. feliciter ſuccedente huiuſmodi expeditione, Theobaldus huius nominis IIII. dictus Poſthumus, Campaniæ, ac Bryæ Comes XIII. Palatinus, ac Rex Nauarræ, fratres Minores benignè excipiens, in loco extra (attamen prope) muros ciuitatis Trecenſis, quæ tunc dicebatur Cæſaris, qui quidem locus hodie S. Trinitatis nuncupatur, collocauit: vbi manſerunt circiter 20. annos, eò quòd locum de Brocia intra ciuitatis mœnia à præfato Rege & Comite, (qui vtriuſq; loci dominio gaudebat) ſibi amore Chriſti collatum, ædificare prohiberentur à Decano, & capitulo eccleſiæ collegiatæ S. Stephani, & à quibuſdam alijs ſacerdotibus, ob annuos redditus à poſſeſſoribus

domorum illic exiſtentium ſibi debitos, vt videre eſt ex literis Officialis Trecenſis, anno Domini 1248. probè ſigillatis, & fratris Ioannis tunc Guardiani, totiusq́; conuentus, anno Domini 1250. confectis. Verùm prædicti Theobaldi Regis & Comitis filius, & ſucceſſor inclytus Theobaldus huius nominis V. anno Domini 1259. per ciues, quos pro fratribus procuratores inſtituit, omnes domos illas cum adiacēte ſolo proprijs comparauit pecunijs, vbi conuentum ædificare cœpit à ponte Sequanæ fluuij, iuxta thermas, quas mulierum vocant, ad turrim regiam vſq;, & vicum cui nomen eſt veteris Romæ, vt videre eſt ex literis non paucis probè ſigillatis ab eiſdem Officiali, Decano, & capitulo emanatis. Porrò hanc loci de Brocia emptionem, & donationem, (vbi antea morabantur Iudæi) nec non præfati conuentus erectionem, ac manutentionem probarunt & confirmarunt patentibus ſuis literis, quibus etiam maiora ſuorum inſignium ſigilla appendi iuſſerunt, ſubſcripti Reges Henricus ſuperioris Theobaldi frater, Rex Nauarræ, Campaniæ, & Bryæ Comes Palatinus, anno Domini 1271. menſe Septembri Trecis: Philippus Pulcher Francorum Rex, qui præfati Henrici vnicam filiam nomine Ioannam duxit vxorem, anno Domini 1299. die Mercurij poſt Epiphaniam apud Caſtrum nouum ſuper Ligerim. Ludouicus Huttinus eius filius & ſucceſſor, Trecis 10. die Septembris, anno Domini 1312. & Pontiſaræ 7. Maij 1316. quo anno obijt Carolus V. Francorum Rex, ſapiens cognominatus, die 17. Septembris, anno 1378. plateam horti, & viam tempore belli factam inter conuentum & turrim regiam, totumq́; ſpatium vſq; ad fundum eiuſdem turris reſtitui fecit. Carolus VI. ſuperioris filius & ſucceſſor eoſdem fratres exemptos eſſe voluit ab omnibus exactionibus in introitu portarum ciuitatis Trecenſis, per quæ empta, vel ſibi per eleemoſynam data vina tranſirent ad conuentum pro ſe, ſuisq́; famulis tantùm: imò præcepit ſuis Officiarijs, vt reddi curarent quædam vaſa argentea eccleſiaſtica, quę nonnulli exactores ab eis, quaſi pro regio iure ſoluendo, abſtulerant; eoſdemq́; fratres pro huiuſmodi ſolutione vexari, aut perturbari nnmquam paterentur: Datæ literę Trecis, anno Domini 1385. menſe Nouembri, regni ſui anno vj. Carolus VII. huius filius & hęres prędicta ratificauit, ac annuum cenſum ſolidorũ 7. ex horto conuentus ſibi debitum remiſit per literas datas Turonibus; in Ianuario, anno 1435. regni ſui anno xiiij. Franciſcus Valeſius, huius nominis primus, annuum cenſum 40. ſolidorum pro parte horti conuentus debitum remiſit, ac de rationibus, ſeu computis regijs deleri fecit, ſolo pietatis intuitu motus, literas etiam manu propria ſignauit in caſtro de Fontainelleau mēſe Auguſto, anno 1519. & regni ſui v. Eccleſia huius venerabilis conuentus, numeris omnibus abſolutiſſimi, nec non ſtudio Theoſophiæ cœleſtis inſigniti, ædificata cernitur, primò cura Alexandri Papæ IIII. vt videre eſt ex bulla eiuſdem data Anagniæ, etiam ſub plumbo, 14. Iunij, anno ſalutis reſtitutæ 1259. Pontificatus ſui anno v. ad Epiſcopum Trecenſem directa his verbis: *Cum primarium lapidem pro eccleſia fratrum Minorum de ciuitate Trecenſi proprijs manibus benedixerimus, fraternitatem tuam rogamus per apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus ipſum lapidem in eccleſia ipſa honorificè, ſicut decet, ſine obſtaculo difficultatis apponas: & omnibus verè pœnitentibus, & confeſsis, die appoſitionis eius, ad eandem eccleſiam conuenientibus, vnius anni & 40. dierum, auctoritate noſtra, largiaris indulgentiam.* Hoc mandatum eodem anno 1259. expleuit Nicolaus 64. Epiſcopus Trecenſis. Præfata hæc eccleſia (fragmento non paruo Dominicæ crucis, nec non venerabilibus reliquijs S. Ioannis Euangeliſtæ, S. Ludouici Epiſcopi, S. Bernardini, SS. Catharinæ, & Barbaræ, atq; Margaretæ virg. & mart. & aliorum plurimorum ſanctorum inſignis) diuino cultui conſecrata, ab hæreticis intacta manet præſidio diſcipuli à Chriſto Domino dilecti S. Ioannis Euangeliſtæ, & S. Mariæ Magdalenæ titularium eius. Ex ſummario priuilegiorum tribus Ordinibus conceſſorum, contento in firmamento eorundem, colligitur in hoc celebri conuentu Trecenſi diplomatum apoſtolicorum ſub plumbo 19. originalia haberi, cum quibus ſub fideli cuſtodia ſeruatur illud, quod Mare magnum vocatur. Ex hoc conuentu, tamquam ex ſacro virtutum, bonarumq́; literarum ſeminario, prodierunt patres penè innumerabiles moribus, & eruditione inſignes, quorum multi, tum Pariſijs, cùm in alijs Franciæ facultatibus Theologicis laurea magiſtrali donati ſunt: qui fermè omnes Prouinciæ, & plurimis conuentibus laudabiliter præfuerunt. Cæterum

A rum Prædicatores ſuo tempore eximij ad diuerſos eiuſdem Prouinciæ locos & conuentus tranſmiſſi, ob ſingularem pietatem, eruditionem, & eloquentiam, populis Galliarum chariſſimi fuerunt. Fratres ad minus 60. quondam in hoc conuentu vixerunt: nunc verò charitate refrigeſcente, viuunt numero 30. quorum 12. Euangelicæ veritatis Concionatores ſunt: Hic conuētus & 6. immediate ſequētes ad Cuſtodiā Campanię ſpectāt.

De conuentu S. Catharinæ Altiſsiodori. *Conu. II.*

CELEBERRIMI cœnobij fratrum Minorum in ciuitate, quę ab omni ferè æuo Altiſſiodorum, quaſi alta ſedes Deorum eſt nuncupata, conſtructi memoriale habetur ſculptum in cuprea tabella, ad dexteram nauis eccleſiæ, cura honorandi quondam P. Doctoriſq; eruditiſſimi, fratris Hilarij Cogny, dicti cœnobij alumni, & Guar-
B diani poſita paucis his verbis: *Beatus pater Franciſcus, totus vir ſeraphicus, diuinitus fratrum Minorum Ordinem orſus eſt, anno à partu Virgineo 1206. Tum demum carne ſolutus fato conceſsit, & cœlis ſpiritum reddidit iiij. nonas Octobris, anno mundi redempti 1226. Fratres autem ipſius Inſtituti hoc quod cernitur terræ conſeptum beneficio & authoritate illuſtriſsimæ Principis Maltidis Altiſsiodorenſis, atq; Niuernenſis Comitiſſæ primò incoluerunt, anno Dominicæ incarnationis 1252. menſis Aprilis die prima.* Sed (proh dolor) hoc tantum cœnobium flammis ardentiſſimis perijt, anno 1425. Iunij die 8. Vbi verò pſeudo Chriſtiani inſigni ſtropha pręfatam hanc Altiſſiodorenſem ciuitatem, anno 1567. menſis Septembris 27. ſacras ædes, atq; monaſteria funditus profligarunt: & ſanctuaria conſpurcarunt, id temporis prędictum hoc cęnobium, inter cętera totius Prouincię celeberrimum, inconfuſos lapidum aceruos mutauerunt. Verùm vbi iuſtus Dominus ſuos Altiſſiodo-
C renſes mira ſua prouidentia libertati orthodoxæ reddere dignatus eſt, anno 1568. menſe Aprilis, fratres ſui ſtatus memores, priſtinæq; ſuæ Franciſcanæ ſolitudinis feruentiſſimi zelatores, adeò ſui cœnobij reparationi inſudarunt, quòd breui ſpatio viſum ſit (cunctis etiam diitoribus admirantibus) non tam reſtauratum, quàm renouatum: ne dum in officinis neceſſarijs, ſed maximè in eccleſia cernitur: quæ & ſi ſacrilega hæreticorum manu maneat permultis diuerſorum ſanctorum reliquijs, iocalibus, vaſis tum argenteis, tum aureis, infinitiſq; ornamentis nudata: ſtat tamen diuinis obſequijs dicata ſub patronatu & nomine S. Catharinæ virginis & mart. cuius imago in leua ſummi altaris colitur. Deo opt. max. inſeruiunt in hoc celeberrimo cœnobio fratres, vt in pluribus, numero 27. quorum 12. verbo veritatis & ſalutis incumbunt.

D *De conuentu S. Ioannis Baptiſtæ Senonibus.* *Conu. III.*

CIVITAS Senonenſis, (quæ eſt metropolis) vetuſtiorum hiſtoricorum multiplici teſtimonio, prima inter cæteras omnium Galliarum vrbes ædificata fuit, & ex illis prioribus, quæ viuente B. Petro Apoſtolo fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti ſuſceperunt, prior cenſetur: ita incredibili animi affectu Minoritas ſuſcepiſſe fertur, quùm etiam vix dimidia Gallia virtutum illius odorem ſubolfeciſſet, vt Ordinis Franciſcani ſtudioſos alumnos in laudabili numero amplexata ſit, & exceperit in conuentum extra (quamuis iuxta) fores, quas hodie communes vocant, ſibi ædificatum, ante annum 1282. prout videre eſt ex literis Philippi, nutu diuino Francorum Regis Chriſtianiſſimi, ſigillo inſigniori, in cera viridi, filis ſericeis appenſo, authenticis. In hoc conuentu fratres morati ſunt vſq; ad annum redempti ſæculi 1360. tantùm: eò quòd timo-
E re Anglorum ſolo adequatus fuerit, loco cuius continuò (ſed infra ciuitatis mœnia) alius longè celebrior conſtructus cernitur inuictiſſimi Ioannis Francorum Regis nutu, ſed deuotione ſingulari, liberalitateq; generoſi domini Ioannis de Diciaco Senonenſis ciuis, ſibi ſtipulante ex animo dilectiſſima coniuge. Huius conuentus vndequaq; perfecti eccleſia, octo ſacellis aſſociata, imaginibus atq; picturis deuotiſſimis inſignis, ſed multorum ſanctorum ſacris reliquijs inſignior, diuinis obſequijs conſecrata fuit, ſanctiſſimo Ioanne Baptiſta titulari, anno Domini 1579. menſis Nouembris 19. miniſterio R. P. F. Chriſtophori à Capitefontiū, Cæſarienſis Archiepiſcopi, Ordinis Minorum, & eiuſdem paulò ante Generalis Miniſtri, nec non illuſtriſſ. domini Nicolai de Pelue S.R.E. Cardinalis, ac Senonenſis Archiepiſcopi, à ſuffragijs: idq; ſedē apoſtolicam te-

nẽte Gregorio XIII. Pont. max. regnante Henrico III. Gallorum Chriſtianiſſimo Rege. In archiuis ſacrarij conſeruantur diplomata varia non pauca & plumbata, ſed quæ Trecis, & in omnibus fermè conuentibus habentur. Ex hoc conuentu à prima ſui conſtructione ad hæc vſq; noſtra tempora prodierunt patres & Doctores perplures moribus & eruditione conſpicui: inter quos exprimere minimè pigebit V. P. in ſacra Theologia Doctorem, immortali memoria dignum, F. Simonem Fontanum. Hic contra pſeudochriſtianos, maximeq; Lutheranos, dum ſuperſtes eſſet, tum diſputationibus, cùm ſcriptis animo indefeſſo aduerſatus eſt. Vixerunt quondam in præfato hoc conuentu fratres numero pluſquam 50. poſtquàm verò (proh dolor) refriguit charitas multorum, & eorundem abundauit iniquitas, imminutus eſt numerus, & factus eſt hodie 40. horum 12. ſunt diuini ſeminis ſagaciſſimi ac diligentiſſimi ſatores. A

De conuentu S. Crucis Vezeliaci. Conu. IIII. B

IN decliuo montis, (Scorpionis quondam dicti) in cuius cacumine constructa manet celebris vrbs Vezeliacenſis, iuxta ſed extra portam, quæ hactenus S. Crucis nuncupata eſt, ædificatum fuit monaſterium fratrum Minoritarum vndequaq; abſolutum liberalitate generoſi herois de Caſtaluce, vulgò Chaſtelux, dicti monaſterij præcipui fundatoris: procurantibus pientiſſimis patribus fratribus Pacifico huius almæ Prouinciç primo Miniſtro, ac Ludouico, B. P. Franciſci ſocijs, ipſoq; beatiſſimo patre adhuc in terris agente. Huius monaſterij eccleſia, bona parte reliquiarum confeſſoris Chriſti S. Fiacrij decorata, diuinis cultibus dedicata fuit ſub titulo Crucis Dominicæ, miniſterio R. P. Alberti, eccleſiæ Bethlehemiticæ Præſulis digniſſimi, anno Dñi 1491. Hæc cum toto monaſterio, omni ſuppellectili hæreticorum ſacrilega manu ſublata, inſtigante humanæ ſalutis inimico, circa annum Domini 1568. funditus fuit euerſa, quç nunc vtcumq; reparata videtur cura ſolerti eorum patrum, qui dicto monaſterio præfuerunt. Vixerunt hoc in monaſterio diu fratres numero 25. hodie verò ſunt 7. quorũ 4. ſunt Prędicatores diſertiſſimi catholicę veritatis, cęteri ſunt choriſtæ deuotiſſimi. C

De conuentu S. Michaelis Sezanij. Conu. V.

CONVENTVS Sezanienſis, diœceſis Trecenſis, non inuenitur fundatio neq; fundator, quòd bellorum infortunijs totus ſit euerſus incendio. Conſtat autem per bullam apoſtolicam, qua 5. Cardinales S. R. E. varias & multiplices indulgentias fidelium populis contulerunt, quibus prouocarentur ad adminiſtranda ſubſidia fratribus in conuentus reparationem, ſub R. P. F. Angelo de Peruſio totius Ordinis generali Miniſtro, anno Domini 1459. Pontificatus Pij II. anno primo. Inuenitur & monumentum veteris chartæ, qua conſtat Pont. max. Vrbanum admiſiſſe cum benedictione tranſlationem domus ſeu conuentus, vel magis amplificationem commodiorem, requirente, & poſſeſſionem agri donante ſereniſſ. Rege Nauarræ, Campaniæ & Briæ Comite Palatino. Habetur aliud teſtimonium authenticum Eccleſiaſticæ curiæ Senonenſis de bulla Benedicti XI. Pont. max. ad Archiepiſcopum Rhemenſem, & Epiſcopos Tullenſem & Pariſienſem, quibus mandatur, vt ſolicitam curam habeant, ne fratres Minores, & Prædicatores quomodolibet impediantur à libera verbi Dei adminiſtratione, & ſacramentalium confeſſionum auditione. Habetur inſuper ab eadem Senonenſi curia teſtimonium breuis apoſtolici, quo Martinus V. Pont. max. concedit liberam poteſtatem Miniſtris tum Generalibus, cùm Prouincialibus, & Cuſtodibus inſtituendi Procuratores, œconomos, ſyndicos, adminiſtratores, & actores rerum omnium, vel in teſtamentis, vel aliàs fratribus, aut conuentibus donatarum. Contigit anno Domini 1568. graſſantibus per vniuerſam eccleſiam Gallicanã hæreticis Hugnoſticis, perſonasq;, & domos Eccleſiaſticas, & maximè Regulares inſectantibus, conuentum hunc incendio datum, & propè totum redactum in cineres, relictis tantùm quibuſdam templi murorum fundamentis. Ab hinc autem reparatum, & quaſi totum renouatũ cura diligenti perdocti P. Ludouici Priuey Doctoris Theologi, tunc Cuſtodiæ Campaniæ Cuſtodis. In medio chori eccleſiæ (diuino cultui S. Michaële Archangelo patrono conſecratæ) coram ſummo altari cernitur ſepulchrum V. P. F. Iuliani D E

Formont

A Formont in ſacra Theologia profeſſoris ſuo tempore, ob inſignem pietatem, vtriuſq; Philoſophiæ peritiam, & ſingularis eloquentiæ candorem nominatiſſimi, in quarum dotum memoriam lapidi ſuperpoſito inſcribitur: *Magis Angelus quàm homo*. Præfatus conuentus hodie eſt ſexdecim fratrum, quorum quinque ſunt eximij Prædicatores.

De conuentu S. Annæ iuxta Ioniuillam. *Conu. VI.*

IONIVILLA Cathalaunenſis diœceſis, & principatus illuſtriſſimæ familiæ Guiſianæ locus præcipuus, vrbs profectò non mediocris nominis, à Ionio quodam viro illuſtri ſic nuncupata, quòd primus illam ædificare cœperit: idq; ſupra Matronam famæ non vulgaris flumen, ſupra cuius ripam ſatis altam, vinea quadam interpoſita, ab vrbe præfata vnico milliari, in loco prioratus S. Amæ Ordinis S. Benedicti, à
B monaſterio S. Vrbani præfati Ordinis dependentis, annuentibus illuſtriſſ. domino Carolo Cardinali à Lotharingia, dicti monaſterij digniſſimo Abbate, cæteriſq; religioſis capitulariter congregatis, ſtipulante etiam R. Hieronymo Epiſcopo, & Comite Cathalaunenſi, factus eſt conuentus fratrum Minorum Prouinciæ Franciæ, Cuſtodiæq; Campaniæ, anno Domini 1567. ab illuſtriſſ. ac pientiſſima Antonia à Borbonio Duciſſa Guiſiana potente quidem diuitijs, ſed Chriſti paupertate inſigniori: qua nulla vnquam ad dilectionē Inſtituti ſeraphici fortius efferbuit, quæ & cupiditate incredibili in diſtribuendis opibus perpetuò ardebat, & nihil prius animo cogitaſſe fertur, quàm quo pacto diſtractis in pauperum, & maximè Franciſcanorum alimenta rebus, expeditius Deo ſoli obſequeretur. Diem obijt extremum, anno Domini 1583. Inter chartas in archiuis conuentus conſeruatas, ſyngraphis apoſtolicorum notariorū authēticas, habetur
C originale diplomatis apoſtolici plumbati, quo conſtat eccleſię viſitatores, & benefactores magnas lucrari indulgentias: conuiuunt hîc 10. fratres, quorū 4. ſunt Prædicatores.

De conuentu S. Margaretæ Pruuini. *Conu. VII.*

SICVTI inter cæteras Comitatus Brię vrbes Pruuinenſis, Senonēſis dięceſis, haud quaquam exigua eſt, ita & conuentus fratrum Minorum in medio illius ſitus non mediocris nominis eſt, profectò deuotioni, & comtemplationi apprimè commodus. Præterea eius eccleſia prægrandis, multiſq; ſacellis, imaginibus, varijſq;, & deuotis picturis celebris. Clauſtro inſuper cum capitulo, dormitorijs, refectorio, curia quadrata, fonte excellenti iugiter manante, hortis omnis generis arboribus conſitis abſoluitur. Præfati huius conuentus eccleſia ab initio Deo opt. ſacra ſuæ maieſtatis cultui dedicata
D fuit, B. Margareta virgine & martyre titulari, miniſterio cuiuſdam R. Meldenſis Epiſcopi, proprio annuente Paſtore, anno Domini 1395. bona parte ſacrarum reliquiarū S. Mauritij martyris conſpicua. Antiquitas venerabilis huius conuentus conſtat ex ſepulchris varijs, tam in eccleſia, quàm in clauſtro, & capitulo habitis ante annum 326. In ſacrario habetur diploma apoſtolicum ſanctiſſimi Honorij cum plumbo, quo paterna ſolicitudine annuit toti Ordini, vt ſi diœceſani à toto Ordine requiſiti primum lapidem in eccleſijs, vel oratorijs ponere, eccleſias, vel oratoria, ac etiam altaria conſecrare, & cœmeteria benedicere denegauerint, vel id facere vltra quatuor menſes diſtulerint, nos ad quoſcunq; maluerimus Epiſcopos, gratiam & communionem apoſtolicæ Sedis habentes, pro ijs rebus peragendis recurrere poſſumus: quibus etiam licitum erit
E executioni demandare quæcunq; in hac bulla continentur: Viuunt in hoc celebri conuentu, ſub obſeruantia regulari, fratres 24. quorū 7. ſunt ſacri Euāgelij pręcones eximij.

De conuentu S. Ioannis Baptiſtæ Rhemis. *Conu. VIII.*

NVLLVM exhibetur validum inſtrumentum, quo docere valeamus ſumptuoſi conuentus Rhemenſis, qui ſicut & 6. immediate ſequētes ad Rhemēſem Cuſtodiā ſpectat, antiquitatem: quippe qui anno 1451. conflagarit. Verùm habētur illic nonnulla monumenta, quorum antiquiſſimum poſitum fuiſſe legitur, anno Domini 1250. Ipſe tamen conuentus adeò decorus, tum in eccleſia, cùm cæteris ædificijs cernitur, vt vix pulchrior illo in tota habeatur Prouincia; hoc autem deuotione, & expenſis, primò cuiuſdam pientiſſimæ matronæ, cuius ignorantur genus, patria, & nomen. In cu-

brare

ius gratiam, ratione tanti beneficij, tenentur fratres ſingulis hebdomadibus vnam celebrare Miſſam, quod factum fuit conſentiente V. P.F. Petro Quatreſoli Doctore theologo, tunc Prouinciæ Franciæ Miniſtro: Secundò pijſſimi Alberici, inſignis eccleſiæ Rhemenſis canonici, qui bibliothecam cum clauſtro etiam à fundamentis ædificari fecit. Eccleſia conſecrata fertur traditione viuæ vocis ſeniorũ dicti conuẽtus, titulari B. Ioanne Baptiſta. Cuſtodiuntur in archiuis ſacrarij breuia apoſtolica 11. quorum ſumma per ordinem ſequitur: 1. Eſt ſanctiſſimi Pontificis, Innocentij IIII. quo nulli permittitur habitum fratrum Minorum, aut ei conſimilem, deferre: Ita vt frater Minor credi poſſit, abſq; mandato Sedis apoſtolicæ ſpeciali. 2. Quod eiecti ab Ordine poſſint de licentia Miniſtri ad alium Ordinem ſe transferre, & eſt eiuſdem Innocentij IIII. 3. Eſt præfati Innocentij IIII. quo Miniſtri prouinciales poſſunt & ſuos fratres, & ad Ordinem venientes ab excommunicationis vinculo ſoluere. 4. Eſt etiam Innocentij prædicti, quo inhibetur Dominicanis fratribus ſub excommunicationis ſententia, ne Ordini noſtro obligatos voto, ſeu iuramento recipiant. 5. Eſt Eugenij IIII. quo poſſunt Miniſtri prouinciales, & Cuſtodes, inſtituere & creare œconomos, procuratores, & ſyndicos. 6. Eſt iam memorati Innocentij: quo ſi fratres dixerint officium cum extraneis non teneantur aliud dicere. 7. Eiuſdem Innocentij Summi Pontificis: quo monet Archipræſulem Rhemenſem ſuper pace reformanda inter fratres, & capitulum epiſcopalem eccleſiæ collegiatæ ſancti Simphoriani ciuitatis Rhemenſis. 8. eiuſdem Innocentij IIII. quo contra Regulam licet Miniſtris Prouincialibus, aſſumptis ſecum Diffinitoribus, in Comitijs prouincialibus congregatis, fratres examinare, & idoneis officium prædicationis committere. 9. Eiuſdem Innocentij: quo exponitur priuilegium de receptione obligatorum ſuorum. 10. Sepius dicti Innocentij: quo Generalis, & Prouinciales Miniſtri auctoritate apoſtolicæ Sedis poſſunt apoſtatas ab Ordine excommunicare, capere, & ligare, & carceribus mancipare. 11. Eſt Benedicti XI. quo fratres Minores cum ſuis locis eximuntur à quacunq; iuriſdictione, ſiue quorumcunq; prælatorum correctione, ſed ſolis ſummis Pontificibus ſubijciuntur immediatè: Incipit: Inter cæteros Ordines. In hoc celebri conuentu viuunt Domino Deo, non ſuo ventri ſeruientes, fratres 22. ex quibus 4. habentur Euangelicæ veritatis declamatores.

De conuentu SS. Petri, & Pauli Metis. Conu. IX.

IN ciuitate quondam imperiali, nunc autem ſub Regis Francorum ditione facta, Metenſi, ſuperioris Germaniæ, adeò floruit Seraphici B. Franciſci Ordo, vt illo adhuc in terris agente quædam, ſucceſſu verò temporis plura vtriuſq; ſexus, & familię ædificata fuerint cœnobia: duo fratrum, & totidem vtriuſq; Regulę ſororum. Horum aliud, quod fuit Prouinciæ Franciæ, Pariſianæ, ſolo adæquatum manet ab annis ad minus 30. Quod autem ſpectat ad Prouinciam hanc Franciæ in eminentiori loco totius ciuitatis ſtat, nulla prorſus exhibens documenta de ſuæ erectionis tempore, multominus de præcipuis ſuis fundatoribus; ſolùm videre eſt ex tumbarum ſuperpoſitis epitaphijs ab anno Domini 1257. ibidem hominum honorabilium corpora ſepulturæ fuiſſe tradita. Verùm non tam fratrum, quàm ſæcularium relatu dicitur, quòd quidam pius canonicus ſupremæ Metenſis eccleſiæ, Deo & B. Franciſco deuotus, ad inſtar beati Antonij Paduani à canonicatu ad Franciſcanam Religionem euolauit; vbi eiuratis cum ſæculo dicti ſui canonicatus haud exiguis prouentibus, Regulam S. Franciſci profeſſus eſt: multis facultatibus (quibus tamquam primus fundator ſolum comparauit, vbi conuentũ poſtea ædificauit) apoſtolicę conuerſationis nuditatem pręponens, cœleſtis regni ſpem animo concipiẽs, vt Chriſto Domino placeret, cuius corpus contemporanei fratres honorabili dederunt ſepulturę, anno Dñi 1285. poſteri verò eius animę benè precantur.

Huius ampliſſimi conuẽtus prægrandis eccleſia, cum fornicibus lapideis conſtructa, famulatui diuino conſecrata creditur, numeroſis diuerſorum ſanctorum reliquijs conſpicua, ſub titulo SS. Apoſtolorum Petri & Pauli. Vixerunt diu in hoc conuentu ſub obſeruantia diſciplinę Regularis, pluſquàm 60. fratres: poſtquàm verò multorum refrigiut charitas, imminutus eſt numerus: qui factus eſt hodie fratrũ 13. quorũ 10. ſunt ſacerdotes, cęteri iuuenes, & laici. Ex ſacerdotibus verò tres ſunt cęleſtis eloquij miniſtri.

De conuentu

A *De conuentu S. Lamberti Virduni.* *Conu. X.*

CIVITAS Virdunenſis, ab annis circiter 30. ex Imperiali vi armorum inuictiſſimi Regis Francorum Gallica facta, ſuper Moſam (inſigne etiam apud inferiores Germanos flumen) ædificata, fide cæteriſq; tam theologicis, cùm cardinalibus, atq; moralibus virtutibus conſpicua, intra ſui ſepta, tamquam pia Religionis catholicę mater, nec non vitæ apoſtolicæ æmulatrix feruentiſſima in ſuo gremio nutrit, & fouet monachorum, tam poſſidentium, quàm Mendicantium cœnobia non pauca: Inter quæ vnum habetur fratrum Cordigerorum ſiue Minoritarum dictum, quo maximè decoratur. Cuius antiquitatis, ſi deſideretur, cognitio liquidò conſtat, & ſi non inſtrumentalibus literis, illud anno Domini 1255. extitiſſe conſtructum: habentur ſiquidem & in B eccleſia, & in clauſtris diuerſa fidelium mortuorum monumenta anno iam tacto poſita. Verùm non facilè cognoſcitur (omni deficiente valido inſtrumento) cuius, vel quorum ſumptibus huiuſmodi cœnobium ſit extructum. Relatu tamen R. Pręſidis Virdunenſis, maximè auctoritatis viri, imò & multorum proborum ſeniorum fidedignorum fertur ciuem quendam Virdunenſem, religione pium, ſanguineq; clarum, cognomento de Porta, primum porrexiſſe manus adiutrices, magna cum deuotione, & cum ardenti charitate, in ſtructura tanti cœnobij. Huius præfati ciuis ingenua ſoboles tanto fuit in Ordinem deuotionis zelo ſuccenſa, vt nequaquam ab incepto ædificio quieuerit, donec extremam appoſuerit manum; quod maximè liqueſcit ex eo quòd impenſa ingenti ſed zelo ardentiori, filius prædicti ciuis, Simon ſcilicet de Porta, qua-C tuor clauſtri vias, imò totum clauſtrum fornicibus lapideis, opere exquiſitiſſimo extruendum curauerit. Eccleſia (ante cuius valuas eſt quædam platea, quam claudunt tres amplæ porticus, in quibus interdum fiunt conciones ad populum, ſępius verò ſupplicationes publicæ) dedicata cenſetur titulari B. Lamberto, cuius ſanctis reliquijs multum inſignis eſt. In ſacello S. Sepulchri Saluatoris noſtri lapide ingenti perbellè polito, teritur corpus humatum R. P. F. Franciſci Chailletti, Doctoris theologi, & eccleſię Calcedonenſis Epiſcopi, nec non reuerendiſſimorum Epiſcoporum, primò Virdunenſis, deinde Leodienſis à ſuffragijs, antea inſtituti Franciſcani, & Cuſtodię Lotharingię, quę nunc Rhemenſis vocatur, Cuſtodis, & huius conuentus Guardiani. Qui, vt celebrior poſteritati eius eſſet memoria, ędē ſacrā, & cultū diuinū auxit iocalibus, & ornamētis pretioſis. Seruiūt Dño Deo in hoc cęnobio fratres, ſub obſeruantia diuinorū pręceptorū, & obediētia Regulę fratrū Minorū, numero 12. quorū 4. ſunt Pręedicatores.

D *De conuentu S. Bonauenturæ Sueſſionis.* *Conu. XI.*

SVESSIO (quaſi ſuauis ſeſſio) ciuitas eſt in valle delicioſiſſima, ſupra Axonam celebris famę flumen ſita, titulo Regni quondam donata, nunc verò inſulę Francię non poſtremus honos, multis eccleſijs, tum collegiatis, cùm parochialibus inſignis: ſed ſupra plurimas totius Chriſtianitatis eccleſias multitudine copioſa venerabiliū reliquiarum infinitorum ſanctorum martyrum, Epiſcoporum, confeſſorum, atq; virginum inſignior, Franciſcanis fratribus adeò fuit dedita, vt eodem anno, quo dicti Ordinis coryphęus, S. ſcilicet Franciſcus, à Gregorio IX. ſummo Pontifice, in ſanctorum album relatus eſt, anno ſcilicet Domini 1228. illos exceperit. Cui iuxta, (extra tamē) valuas nouas conuentum, mira cum cordis lętitia, vndequaq; expletum, ędificauit. In E quo Deo opt. max. ſeruierunt vſq; ad annum Domini 1414. quo, irruente bellorum ſęuitia, omnino dirutus fuit. Fratribus verò hinc inde vagantibus data fuit quędam domus, qua (auctoritate iuſtitię) priuatus & expoliatus meritò fuerat Anſelmus quidam cognomento Baionet, eo quod Burgundorum Duci omnem, quem potuerat, fauorem exhibuerat, patrię interim proditor perditiſſimus. In hac autem domo iam dicti fratres, iuxta ſuę profeſſionis tenorē, Chriſto domino famulati ſunt vſq; ad annum Domini 1418. Reclamantibus autem pręmorati Anſelmi hęredibus, coacti ſunt famuli Dei ſecedere. Quorum miſertus generoſiſſimus quidam ordinis regij miles Ioannes ſcilicet de Brumis, ſolo charitatis intuitu, quoddam hoſpitium in vico Caniſtrarię ſitum dedit eis, vbi diligentius quo potuit fieri, eccleſiam, clauſtrum, dormitorium,

reliquaſq;

reliquasq; conuentus neceſſarias officinas extruxerunt, & ibidem moram fecerunt, A
ſuę Regulę perpetuò memores, vſque ad annum Domini 1430. Cùm autem eſſet huiuſmodi mora intra ſepta clauſtri canonicorum, hanc illis ægrè ferentibus, oportuit fratres denuò abire. Qui more bidentium ſine murmure ad menſam Domini oſtiatim (iuxta inſigne Regulæ documentum) recurrerunt: vbi multis à Chriſtifidelibus collectis eleemoſynis, R. P. F. Ioanne Mileto, Sueſſionenſi Præſule, præcipuo largitore; cuius etiam miniſterio præfatæ duæ ædes numini diuino conſecratæ fuerunt, aliam domum, cum adiacentibus locis cuiuſdam nobilis, & militis ordinis regij domini Ferrici de Cuiſe, in parœcia noſtræ Dominæ in Vineis prope ciuitatis forum, per manus amicorum ſpiritualium compararunt, vbi celeri dexteritate nouum conuentum excitarunt. Verùm (proh dolor) anno perſecutionis Hugnoſticæ, furentibus more rabidorum canum hæreticis, hoc conuentu omnino ſubuerſo, omniq; ſuppellectili ſpoliato, egredi, & conuentus viciniores petere fratribus operepretium fuit. B Eodem tamen anno, Dei miſeratione, atq; edicti regiæ maieſtatis beneficio, illuc remearunt fugitiui fratres: vbi tanto affectu nouæ ſtructuræ operam dederunt, vt paucis admodum diebus interiectis, non tam reparatus quàm renouatus viſus ſit, facultatibus tamen, & miſericordia primò R. Caroli Ruſſiati Sueſſionēſis Antiſtitis. Secundò illuſtriſſ. Principis, ac archicœnobij noſtræ dominæ Sueſſionenſis primiceriæ digniſſimę, Catharinę à Borbonio: Tertiò pientiſſimæ domicellæ Margaretæ de Ceruio (vulgò dictæ de Incourt): Poſtremò domini Ioannis de Goſſet Iuriſconſulti famatiſſimi, in dicta ciuitate Præpoſiti, atq; in foro iudiciali pro regia maieſtate generalis locum tenentis, ſibi aſſentiente dilectiſſima vxore Anna de Ranis. Titularis eccleſiæ dudum conſecratæ eſt B. Bonauentura Doctor ſeraphicus. In capſa lignea habentur incluſa fideliter, & integrè cuſtodita, breuia apoſtolica numero 11. C quorū aliud eſt Gregorij IX. quo inhibetur quorumcumq; Ordinum prælatis, ne vorifragos Minoritas excipere, & ſecum retinere præſumant. 2. eſt Nicolai IIII. indulgētias vnius anni, & 40. dierum collatas ędem ſacram conuentus viſitantibus in diebus feſtiuis beatiſſimæ Virginis matris Dei, SS. Franciſci & Antonij Paduani continens. 3. eſt Martini IIII. contra violentias, tum fratribus, cùm conuentibus inferentes, & vltimas voluntates impedientes. Reliqua 8. ſunt Innocentij IIII. per quorum aliud apoſtatæ nequeunt, nec debent confeſſiones audire, neq; verbum Dei diſſeminare. Sequenti, quod eſt 5. inhibetur, ne aliquis ad profeſſionem Franciſcanam admittatur niſi toto vno anno in probatione perſtiterit. 6. præcipit Archiepiſcopis, præſulibus, cæteriſq; paſtoribus, & prælatis, vt non tantùm excommunicatos apoſtatas vitent, ſed etiam quotieſcunq; fuerint requiſiti, eos tales denuncient. D
7. Miniſtri poſſunt abſoluere de iniectione manuum, tam ante quàm poſt Religionis ingreſſum. 8. Miniſtris prouincialibus præcipitur pauperibus dominabus, ſub priore Regula S. Clarę viuentibus in Francia, de patribus confeſſoribus prouidere. 9. facultate donat Miniſtros prouinciales, ſecum aſſumptis Diffinitoribus in Capitulo legitimè congregatis, inſtituendi Prædicatores. 10. eſt ad Abbates & conuentus Ciſtercienſis Ordinis, quo illis inhibetur apoſtatas Franciſcanos retinere. Vltimum eſt de ſepulturis. In hoc renouato conuētu Deo obſequūtur fratres 17. ex quibus 7. ſunt Cōcionatores.

De conuentu SS Pauli Apoſt. & Laurentij mar. Cathalauni. Conu. XII.

CATHALAVNENSIS ciuitas Campaniæ Gallicanæ, propter Matronam, E
qua tota vallis, in qua ſita eſt, irrigatur, adeò frumentoſa eſt, vt nedum Campanię, & totius Franciæ, ſed & vicinarum regionum horreum frumentarium ritè vocetur. Locuples profectò temporalibus vitæ pereunti neceſſarijs: at vitæ permanenti ſpiritualibus maximè proficuis multò locupletior. Reſtant ſiquidem hucuſq; maximo cum ſplēdore priſtinorum Cathalaunenſium veſtigia pietatis eximiæ, ac charitatis ardentiſſimę memorabilia, non tantùm in cathedrali (B. Stephano ſacra) ac alijs collegiatis eccleſijs, ſed & in multis monachorum, & monialium tam poſſidentium, quàm Mendicantium monaſterijs, maximè verò in conuentu intra, ſed propè, ciuitatis muros conſtructo, ante annum Dn̄i 1251. Ordini fratrū Minorum conceſſo. Id verum eſſe ex conteſtantibus quorundam venerabilium canonicorum authenticis chartis: primò domini

Pagani,

A Pagani,ſupremæ eccleſiæ Decani : Secundò Magiſtri Stepani dictæ eccleſiæ canonici, curiæq; Cathalaunẽſis Officialis: Poſtea Magiſtri Thomæ de Sarreio eccleſiæ B. Mariæ in Vallibus canonici, & Cathalaunenſis Archidiaconi colligitur, quibus poſteritati notum fit, quòd cappellani præfatæ S. Stephani eccleſiæ vendiderint vnanimiter honorabili cuidam Cathalaunenſi ciui, nomine Rogerio, Prouiſori & Procuratori fabricæ eccleſiæ & domus fratrum Minorum, nomine eiuſdem eccleſiæ & domus, 56. ſolidos cenſuales, quos ijdem capellani habere ſolebant, aſſignatos ſuper plures domos in macello ſitas in platea, quam nunc poſſident prædicti fratres, quæ omnia facta fuêre anno Domini 1251. Singulares & præcipui huius conuentus fundatores fuerunt pijſſimus quidam Cathalauneñ. municeps, cui nomen erat Michaël de Papelart, & eius chariſſima coniux Margareta de Leſſon, quorum animæ ſupra cœlos aſſumptæ centuplo liberalitatis ſuæ gaudent; corporibus interim in medio capituli iacentibus, diemq; optatam in ſpe bona expectantibus, coopertis diuerſis lapidibus, alteri quorum in dextra poſito impreſſa eſt effigies viri, ambabus manibus ſculptam eccleſiam tenentis, cum hac circumſcriptione: *Hic iacet Michael de Papelart, qui ſuis temporalibus bonis ædificauit capellam, dormitoria, valetudinarium, & culinam huius conuentus, qui & animam exhalauit anno Domini 1258.* Ei autem, qui in leua poſitus eſt, ſculpta eſt imago mulieris, ſimiliter præ manibus ædem habentis, cum circumpoſitis his verbis: *Hic quieſcit Margareta de Leſſon marito mitis, & humilis corde, pauperibus omnibus, ſed Euangelicis potiſſimùm in vita, & in morte multum liberalis, quæ Deo ſpiritum reddidit, anno Virginei partus 1254.* Eccleſia celebri parte capitis beati Huberti confeſſoris dedicata tenetur, patronis SS. Paulo Apoſtolo atq; Laurentio martyre, ſed à quo tempore, & cuius Præſulis officio neſcitur. In ſacrario habentur, quæ ſequuntur, bullæ: Prima eſt Innocentij IIII. qua conceduntur 40. dies indulgentiarum benefactoribus manus adiutrices porrigentibus pro ædificatione, & conſeruatione frabicæ huius conuentus. Secunda (quæ eſt Honorij IIII.) declarantur nullius valoris eſſe quæ pacta, & facta ſunt per Prælatos Ordinis cum alijs clericis, vel laicis in præiudicium priuilegiorum dicto Ordini conceſſorum. 3. eſt dicti Innocentij, quæ fratribus Minoribus permittit oratoria habere, in quibus cum viatico altari poſſunt ſacra perficere, omni parochiali iure eccleſijs parochialibus reſeruato. 4. eſt Clementis Pont. max. huius nominis IIII. qua inhibetur quibuſcunq; Mendicantibus religioſis, ne audeant aliqua ædificare loca infra ſpacium 300. cannarum ab eccleſijs & conuentibus fratrum Minorum. 5. eſt Alexandri IIII. qua monet eccleſiæ Prælatos, ne de eleemoſynis, à Chriſtifidelibus Franciſcanis collatis, aliquid aut parum, aut multum, quocunq; prætextu, exigere præſumant, ſed onera paupertatis eorum de bonorum ſuorũ ſubſidijs potius releuent. 6. quæ eſt Martini IIII. vult, quod Miniſtri generales, & prouinciales, ac Cuſtodes poſſint aliquem nominare, etiam ſæcularem, qui auctoritate eccleſiæ valeat coërcere ad bona, fratribus Minoribus legata, eiſdem fratribus reddenda. Domino deſeruiunt in hoc conuẽtu fratres 16. ex quibus 10. ſunt ſacerdotes, quorum 6. ſunt verbi diuini egregij ac fructiferi annunciatores.

De conuentu S. Ioannis Baptiſtæ Compendij. *Conu. XIII.*

CHRISTIANISSIMA deuotione S. Ludouici Galliarum Regis, beato Frãciſco eiusq; familiæ ſemper deuoti, inſignior pars conuentus, qui hucuſq; habetur celebris in vrbe Compendienſi, diœceſis Sueſſionenſis, fuit extructa, anno Domini 1245. Reliqua verò temporum ſucceſſu, probatiſſimorum patrum, qui quondam ibi floruerunt, zelo, & ſagaci æconomia perfecta manet. Cum literis præfati S. Ludouici in ſacriſta diligenter incluſis cuſtoditur Innocentij Papæ IIII. breue, quo tota ſancti Franciſci ſacra proles, vbiq; terrarum degens, poſſit (ſubmiſſa voce tamen) in ſuis eccleſijs, clauſis ianuis, non pulſatis campanis, excluſis etiam quibuſlibet excommunicatis diuina officia celebrare tempore generalis interdicti. S. Ioanni Baptiſtę titulari eccleſia huius conuentus eſt conſecrata, ab anno Domini 1343. à R. P. F. Matthæo Ordinis Minorum, diuino nutu Orgenchenſi Epiſcopo, permiſſione R. Guillelmi Sueſſionenſis Epiſcopi. Viuunt in hoc conuentu fratres 18. quorũ 6. ſunt Prædicatores, ſinceritatisq; Euangelicæ ęmulatores ſtrenui, reliqui ſunt choriſtæ Deo addictiſſimi.

De con-

De conuentu S. Mariæ, ac SS. Petri & Pauli Lauduni. Conu. XIIII. A

QVVM fragrantiſſimus Frãciſcanorum odor inter pijſſimos Regni Galliarum
Chriſticolas paulatim creſceret, non mediocrem nactus eſt gratiam coram oculis
præſtantiſſimorum canonicorum ciuitatis Laudunenſis, (quæ, vix abſcondi poteſt, in
cacumine excelſi montis ſita) ſiquidem ante annum 1234. pietatis intuitu fratribus
Minoribus conceſſerunt quoddam ſolum in ſuburbanis verſus campos S. Martini, vbi
pręfatorum fratrum œconomia ſagaci conſtructum fuit primũ cœnobium, in quo mo-
rati ſunt Deo opt. max. cultui deditiſſimi 35. annos. Videntes autem ſe non poſſe hoc in
loco Regulam, quam profeſſi fuerant, ſpiritualiter obſeruare, arbitrantes ſe beatiores
fore, ſi (iuxta vetus adagium) ciuitatis eſſent incolæ, hanc ingreſſi ſunt, licèt proceri-
bus, & ciuibus Laudunenſibus id egrè ferentibus. Verùm chriſtianiſſimi Francorum B
Regis, moderni cœnobij præcipui fundatoris, vrgente iuſſione admiſſi ſunt, vbi vocatis
vicinarum ciuitatum latomis (qui enim habebantur ad manum, veluti familiares & do-
meſtici, non audebant metu procerum nec malleum tãgere pro cœnobij ſtructura) vna
manu ædificantibus, altera verò, gladio armata, ſeſe & fratres defendentibus, mira cum
diligentia cœnobium (cœleſtis Theoſophiæ meditationi maximè conueniens) extruxe-
runt, vndequaq; completum, anno Domini 1269. Cuius ædem diuinis perficiendis de-
dicauit, ſub patronatu B. Dei genitricis Mariæ, necnon SS. Apoſtolorum Petri & Pauli,
R. Ioannes Fenozienſis Epiſcopus, anno Domini 1360. Sub diligenti cuſtodia habentur
in cubiculo patris Guardiani ſummorum quorundã Pontificum litteræ, originalia pri-
uilegiorum toti Ordini indultorum continentes, quę etiam Trecis, Mettis, Cadomi, &
in pluribus alijs conſeruantur conuentibus. In cœmeterijs huius ſpectabilis cœnobij C
varia ſunt ſtudioſorum hominum monumenta, inter quę conſpicitur pientiſſimi bene-
factoris Guillelmi de Harſeguy, ſuis diebus peritiſſimi Medici, ſepulchrum, marmoreis
lapidibus opere pręclaro perfectum, cinctura ferrea omni ex parte clauſum; in cu-
ius ſuperpoſito lapide circumſcriptum eſt huiuſmodi epitaphium: *Inferius iacet ſepul-
tus vir magnæ ſcientiæ Magiſter Guillelmus de Harſeguy, in artibus, & Medicina eximius Ma-
giſter, & ſolemnis Philoſophus, qui diem clauſit extremum, die decima menſis Iulij, anni Do-
mini 1393.* In pręta cti lapidis ſuperficie eſt impreſſa effigies Doctoris in cathedra magi-
ſtrali ſedentis, librumq; apertum prę manibus habentis, ac quę ſequuntur verba ex eo-
dem legentis: *Eſſentiæ elementorum manent in mixto, accidentia variantur, puta caliditas,
& frigiditas, ſiccitas autem, & humiditas ſunt materia.* Supereſt alter marmoreus lapis
ſuggeſtum prædicatoriũ, dicto ſepulchro contiguum, perficiens, in quo teſtimonia pie- D
tatis inſignis, liberalitatiſq; eximiæ dicti defuncti, ſub hac verborum forma, leguntur:
*Vniuerſis notum ſit, quòd famoſus, & ſcientificus vir Magiſter Guillelmus de Harſeguy, quon-
dam Magiſter in Medicina, & maximus Philoſophus, hic tumulatus, huius diœceſis oriundus,
ad deuotas orationes, & ſuffragia ſpiritualia cleri, & populi Laudunenſis ſuam gerens affectio-
nem ſingularem, vt illis mediantibus ſalutem & redemptionem animæ ſuæ conſequi mereatur,
de bonis ſuis temporalibus, ſibi à Deo conceſſis, ipſa temporalia in ſpiritualibus voluit commuta-
ri, & diſponi conſilio executorum ſuorum mediante, per hunc modum, videlicet quòd ex vna par-
te quinque calices auri puri, quorum maior ponderis quatuor marcharum cum dimidia auri, vnà
cum vndecim centum francis aureis eccleſiæ Laudunenſi, & quatuor alij, quorum quilibet eſſet
ponderis trium marcharum auri cum dimidia, eccleſiis conuentualibus ſanctorum Vincentij,
Martini, Ioannis, & fratrum Minorum huius villæ donarentur ſingulis eccleſiis ipſis ad laudẽ, E
& honorem perpetuis temporibus duraturi. Et ex alia parte nonnullis eccleſiis tam collegiatis,
quàm parochialibus, ne dum Laudunenſibus, ſed & alibi, & alijs locis, ac pluribus, & diuerſis
perſonis, tam eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus per ſuos exequutores factæ fuerunt largifluæ elee-
moſynæ: ſic & in tantum, quòd vltra prædicta hæc in communi, ad reparationem murorum,
turriũ, et foſſatorũ dictam villam ambientium, in ſumma ſex millium florenorum aureorum fran-
corum, & amplius abundauit.* Obſequuntur Domino Deo & ſanctiſſimæ ac ſacratiſſimę
virgini Mariæ, necnon ſanctiſſimis Apoſtolis Petro & Paulo, quibus præfata eccleſia
(vt diximus) conſecrata eſt, in hoc conuentu fratres quindecim, quorum quinque ſunt
ſacroſancti ac ſaluberrimi Euangelij diligentiſſimi atq; egregij Prædicatores.

A *De conuentu Minoritico Carnoti.* *Conu. XV.*

CIVITAS Carnotenſis,Belciç Regionis primalux,poſt Chriſtum,& ſanctiſſimã eius genitricem Virginem, cui parituræ, ſublucentibus adhuc penultimæ ætatis temporibus,ædificata fuit excellentiſſima ædes,in qua præfatæ Dei genitricis linea camiſia,miraculis prope innumeris inſignis, à Chriſtifidelibus,illuc vndequaq; cõfluentibus,non vulgaribus afficitur honoribus,B. patriarcham Franciſcum,eiusq; Ordinem ſacerrimum, totis cordis affectibus, illo adhuc ſuperſtite, adeò amplexata eſt, vt conuentum cæteris ſuis concuſtodialibus honoratiorem fratribus Minoribus tum pietate, cùm charitate haud exiguis,in ſuburbanis, & prope ſpartarum fores conſtruxerit.Hic ſemel, & iterum variorum bellorum iniurijs traditus flammis,totus (murorum fundamentis exceptis) in cineres eſt redactus. Tandem iteratò circa annum Domini 1568. B hæreticis Hugunoſticis Carnotum obſidentibus funditus eſt euerſus. Verùm, quemadmodum Carnotenſes ab amore Chriſti, & eius matris honore nuſquam defecerunt, ſic nec à reuerentia ſeraphico Patriarchæ primitus præſtituta deflexerunt.Quinimo deuotione ſingulari, impenſiſq; non mediocribus multorum, maximè tamen illuſtris, ac generoſi herois à Verriginaco, necnon pientiſſimæ dominæ de Villabona comparatus eſt locus intra præfatæ ciuitatis mœnia, in quo ſagaci œconomia bonæ memoriæ V. P. F. Petri Morſelini; conuentus Pruuinenſis alumni,poſita fuêre eius,qui nunc eſt, prima fundamenta. Huius pijſſimum zelum pari ſagacitate ſecutus eſt pedibus, manibusq; venerandæ caniciei P. F. Mennas Iacobus,qui dictis fundamentis laudabile addidit incrementũ. Viuunt hoc in nouo conuentu,qui ſicut & 5. immediatè ſequentes ad C cuſtodiã Pariſienſem attinet,25.fratres inter quos 10. ſunt diuini ſeminis ſatores.Obliuioni nullo modo debet dari martyrium (cuius odor vbiq; redolet) duorum probatiſſimæ conuerſationis patrum,huiuſce Carnotenſis conuentus filiorum, quibus nomina, erant Ludouicus Balleyus, & Ludouicus Panetius. Hi cùm ex obedientia morarentur, vnus in conuentu Meldenſi, alter in Stampenſi gladio nephandiſſimorum Hugnoſticorum, cum cordis incredibili magnanimitate occubuerunt, & in Domino quieuerunt.

De conuentu S. Iacobi Siluanecti. *Conu. XVI.*

ANNO, quo ſub Gregorio IX. ſummo Pontifice ſanctorum albo aſcriptus eſt militiæ minorum Dux inclytus B. Franciſcus, videlicet 1228. in ſuburbijs ciuitatis Siluanectenſis, infra limites parœciæ Apoſtolorum Principis Petri, conceſſa eſt D pietatis intuitu fratribus Minoribus capella, diuo prothomartyri Stephano dicata, in qua, iuxta votum, annis 15. cum Dei gloria, proximiq; ædificatione non minima diuina perfecerunt. Tranſactis verò dictis 15. annis, tempore quo florebat venerabilis pater F. Gaudefredus de Bria, almæ Prouinciæ Franciæ Miniſter, nec non Regulæ S. Franciſci interpres probatiſſimus,de dictis parœcia,& loco tranſlati ſunt infra metas eius ædis, quæ eſt S. Gononefæ ſacra: vbi primò eoq; præcipuo benefactore illuſtriſſimo Neuello de Chanerciacho,milite Ordinis regij ſtrenuiſſimo conuentus, quo adhuc gaudent fratres Minores, eſt erectus. Cuius eccleſia (vna coſtarum Doctoris ſeraphici Bonauenturç inſignis) famulatui diuino dedicata eſt beatiſſimo Iacobo maiore Chriſti Apoſtolo titulari, naui prius conſtructa affectu ſincero beatæ memoriç Simonis Bonneti, diuina clementia tunc prçdictç ciuitatis Antiſtitis, nunc è regione ſupremi altaris ſe- E pulti. In hoc celebri conuentu Deo ſeruiũt fratres decẽ & nouem perfectionis,ſuçq; vocationis zelatores integerrimi, quorum ſeptem ſunt diuini verbi prçcones indefeſſi.

De conuentu B. Mariæ Magdalenæ Meldis. *Conu. XVII.*

IN ſuburbio, & pro foribus ſancti Nicolai ciuitatis Meldenſis, quæ eſt Comitatus Briç, ac ſupra Matronam flumen çdificata, habetur conuentus fratrum Minorum, eccleſia prçgrandi, clauſtro, dormitorijs, nonnuliſq; alijs neceſſarijs officinis plenè completus,ab anno Chriſti Domini 1248. prout liquidò conſtat ex diplomatibus apoſtolicis in archiuis conſeruatis, ſumptibus primò (vt traditione vetuſtiorum dicti conuentus fertur) municipis cuiuſdam Meldenſis, cœleſti benedictione opulentiſſimi, no-

mine Ioannis Roze:ſecundò inſigni pietate ſanctiſſimæ Blanchæ,ſancti Ludouici Francorum Regis filiæ, ſuaſu probatiſſimi patris F. Adriani, qui ei erat à confeſſionibus. A
Huius conuentus eccleſia, cum duobus ſacellis dedicata tenetur, ſub patronatu beatę Mariæ Magdalenæ, cuius imago in leua ſummi altaris piè colitur. Inter varia diuerſorum diplomatum tranſumpta habetur illic breue plumbatū Alexandri IIII. quo centum dies indulgentiarum concedūtur Chriſticolis omnibus corde deuoto, largaq; manu præfatam eccleſiam viſitantibus in præcipuis feſtiuitatibus ſanctorum ſeraphici Ordinis. Seruiunt Deo viuo & vero die noctuq;, ingenti animi alacritate, ac maxima deuotione, in hoc conuentu fratres 26. quorum 10. ſunt ſacri Euangelij annunciatores.

De conuentu S. Ioannis Baptiſtæ Stampis. Conu. XVIII.

IN vrbe Stampenſi, regionis Belciæ, Senonenſiſq; diœceſis, extitit erectus conuentus, fratrum Minorum Ordini ſacer, ante annum 1240. vt liquet ex multarum tumbarum ſupraſcriptis epitaphijs, deuotione ſereniſſimę Blanchę Reginæ Frācorum, ac S. Ludouici matris. Eccleſia, ſacellis aliquot venerabilis, conſecrata fertur beato Ioanne Baptiſta patrono. In hoc conuentu, cum mentis & corporis delectabili quiete, Domino ſeruiuit Minorum fratrum memorabilis numerus à primæua ſui ædificatione vſq; ad annum, quo Hugnoſtici pſeudochriſtiani Stampenſium ſacras ædes funditus deſtruxerunt, tunc enim temporis præfatus conuentus in confuſos lapidum aceruos mutatus eſt. Verùm Dei bonitate, Regiſq; Francorum prouidentia, compoſitis ſeditionibus, victiſq; Eccleſiæ Chriſti aduerſarijs, Stampenſes, laudabili cum diligentia, conuentum ſolo fermè adæquatum, ſplendori primæuo reddiderunt, fratribus eiuſdem conuentus alumnis id procurantibus. Viuunt illic hodie, diuinis alacri mente dediti, fratres numero 22. ex quibus 9. ſunt veritatis catholicæ zelantiſſimi concionatores. Sub immaniſſima Hugnoſticorum perſecutione V. P. F. Ludouicus de Plana, claro natus ſanguine, pro Chriſti gloria inuictiſſimo animo martyrium compleuit, qui erat huius Stampeñ. conuentus alumnus, ex eoq; magnos fructus ſpirituales reportauit. B C

De conuentu S. Bonauenturæ Meduntæ. Conu. XIX.

ANTE annum reſtitutæ ſalutis 1234. ſecus fluminis Sequanæ decurſum, quarto ab vrbe Medunta (Carnotenſis diœceſis) lapide, ædificatus fuit conuentus, Ordini ſeraphico dicatus, charitate ardēti primò generoſiſſ. Nicolai dicti le Char militis: cuius literę ſuo ſigillo in cera viridi appenſo authenticę, in archiuis dicti conuētus conſeruātur integrę. Secūdò inclyti herois Roberti Cati militis, vt conſtat literis ſimiliter authēticis. Tertio Ioannis dicti Rhemenſis, p̄fatę vrbis Meduntę ciuis, & Eudelinę eius vxoris chariſſimæ, qui feruenti, qua fratribus Minoribus afficiebātur, dilectione prædicto conuentui dederunt cum vinea ſibi vicina quintam omnium ſuorum bonorum partem, quod liquidò conſtat literis ſuo ſigillo in cera viridi appenſo munitis, actis & datis anno ſalutis æternæ 1292. menſe Ianuario. In hoc conuentu moram fecit Doctor ſeraphicus S. Bonauentura, vbi cæleſti afflatus numine omnium diuinornm ſuorum voluminum maiorem edidit partem, qui præfati conuentus tanta angebatur ſolicitudine, vt illud paterno commendaret affectu, nedum maiori, ſed & toti dictæ vrbis Meduntenſis communitati, vt videre eſt ex literis patris fratri Petri, tunc temporis Francię Miniſtri, quarum tenor ſequitur: *In Chriſto ſibi dilectis maiori Meduntenſi, & communitati eiuſdem villæ frater Petrus Minorum fratrum in Francia Miniſter & ſeruus ſalutem, & pacem in Domino ſempiternam. De voluntate reuerendi patris noſtri fratris Bonauenturæ generalis Miniſtri volumus, & acceptamus, quòd ſub dominio, & patronatu communitatis veſtræ locus fratrum Minorum de Medunta ſupponatur, fratres autem loci, & ipſum locum veſtræ in Domino recommēdamus charitati: Datum Attribati tempore prouincialis Capituli, anno Domini 1268.* Inter nonnullas huius conuentus chartas habetur cum varijs diuerſorum priuilegiorum, toti Ordini conceſſorum, tranſumptis breue Alexandri IIII. quo 100. dies indulgentiarum concedūtur Chriſti fidelibus omnibus, qui piè, & charitatiuè viſitauerint ędem, ſanctiſſimò Bonauenturę ſacram, eiuſdēq; reliquijs inſignem, in feſtiuitatibus SS. Franciſci, Antonij & Claræ virginis. Seruatur in dictæ ædis muro, ſub craticula D E

ferrea,

A ferrea, lapis incluſus, quem aiunt ſeraphicum Doctorem pro puluinari habuiſſe in ſuis meditationibus, & ſtudijs aſſiduis. In hoc Meduntenſi conuentu meritis & interceſſione confeſſoris Chriſti beati Bernardini, anno 1454. factū fuit prodigiū ſuper abortiua puella non vulgare. Vita enim corporali accepta, protinus per lauachrum regenerationis ſpiritualem ſuſcepit vitam Bernardina vocata: paulò pòſt animam Deo, qui dederat, reddidit, vita cœleſti immortalitate plena in perpetuas æternitates gauiſurā. Huius miraculi publicum extat inſtrumentum Officialis Archidiaconi Piſſiacenſis, nedum ſuæ curię ſigillo, ſed & ſyngraphis publicorum, & iuratorum Notariorum, imò etiam & multorum religioſorum, & ſęcularium vtriuſq; ſexus fide dignorum, authenticum, datum & actum Meduntæ in eccleſia collegiata beatæ Mariæ de Medunta circa altare ſancti Pauli gentium Doctoris, anno ſupra nominato. Viuunt in hoc conuentu
B Domino Ieſu Chriſto ſeruientes fratres 24. quorum 10. ſunt concionatores.

De conuentu Ennetenſi. Conu. XX.

ANNO Domini 1580. celebre iuxta caſtrum Enneti, Carnotenſis diœceſis, & ſuper ripam Vrę fluminis ædificari cœpit hic conuentus, eximia deuotione illuſtriſſimi, & ſanguine regio clari herois Ducis Daumale, qui quidem etiā in dies incrementum accipit ſolerti fratrum cura. Conuiuunt interim hoc in loco 7. fratres: quorum tres ſunt diuini pabuli diſpenſatores fideliſſimi, maxima charitate prędití.

De conuentu SS. Petri & Pauli Apoſtolorum Baiocij. Conu. XXI.

C BAIOCARVM ſeu Bellucaſiorum ciuitas, in extremis penè Normanniæ finibus antiquiſſima eſt, vtpote cuius ciues à Iulio Cæſare numerantur in fortiſſimis Cœltis, qui patriæ libertatem vindicare, & Romanorum iugum excutere enixiſſimè conati ſunt. Hi cùm diuinum Domini noſtri Ieſu Chriſti Euangelium toto orbe ſpargeretur, diuum Exuperium, ſibi à S. Clemente Apoſtolorum coadiutore, & ſucceſſore miſſum, veluti cœleſtium oraculorum præconem, veræ pietatis Doctorem, ac primum Epiſcopum ſuſceperūt, circa annum Domini 94. qui eos cum tota vicinitate Chriſtianis ſacris initiauit, & conſecrauit. Ille poſtea poteſtatis & doctrinæ in eadem diœceſi ad hunc vſq; annum 1587. ſucceſſores Præſules 52. habuit, quorum 11. maiori ex parte, ex eò loco oriundi, in ſanctorum catalogum adſcripti ſunt. Protulit rurſum eadem ciuitas viros, ob inſignem vitæ ſanctimoniam, beatorum addictos conſortio, Marculphum, Ebrulfum, & Gaufredum obſeruatione vitæ monaſticæ, Reuerentium ſacerdo-
D tio, & Spaſium martyrio claros. Cæterum cùm à B. P. Franciſco inſtitutus Ordo, per omnes huius Occidentis plagas diffunderetur, contigit vnum eius ſodalitij patrem, Lombardum origine, nomine Gregorium, qui aliquandiu cum ſanctiſſimo viro vitam religioſam duxerat, in Baiocarum ciuitatem vſq; penetrare. Huius ſacris concionibus mirificè delectati, ac monaſticæ conuerſationis exemplis capti ciues, vt eiuſdem Inſtituti fratres in poſterum collegium penes ſe haberent, eiſdem monaſterium in finibus ſuis, coniunctis animis, erigere decreuerunt. Ad id autem ſatis amplum, commodumq; in fundo ſuo locum ad ciuitatis Meridiem, primumq; lapidem, magna alacritate ac liberalitate contulit principis eccleſię canonicus Arrienſis nuncupatus: omni cenſu, ſeruituteq; ſibi debitis exemit illuſtris Baro à Campignero: probauit ſuis diplomati-
E bus Epiſcopus, & vnà cùm clero, ciuibus, & vicinis nobilibus, ſuis eleemoſynis tanta animi propenſione cœnobium conſtruxerunt, vt intra paucos annos, nimirum anno 1222. beato Franciſco adhuc in terris agente, iam multorum fratrum habitationi aptum eſſet ac commodum. Locum adeò amplificauerunt, poſtmodum pij viri, circa annum Domini 1271. 1284. & 1363. aliquot hortorum agrorumq; ſuorum donationibus, vti ex literis, inſtrumentiſq; publicis, quę ibidem aſſeruantur, manifeſtum eſt, vt nunc totius monaſterij ſpatium, firmiſſimis altiſq; muris omni ex parte concluſum, ſupra 24. iugera terrę complectatur. Horum maior pars lignis pomiferis conſita eſt. Altera ędificia plurima continet, quę nunc ſingillatim, ſtrictim tamen recenſebimus. Imprimis inſigne templum quadratis, ſectiſq; lapidibus conſtructum, quem ſexdecim maximæ, triplicatęq; feneſtrę omni ex parte colluſtrant. Vitrum earum

exornant diuerſę diuerſorum ſanctorum depictę imagines, vnà cum piorum virorum, A
qui eas contulerunt, inſignibus gentilitijs. Chori potior ara memorię beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli dicata eſt; quinq; verò alię in diuerſis ſacellis, recordationis nominis Ieſu, beatiſſimę Deiparę, S. Antonij Paduani, S. Bonauenturę, S. Fidei virginis & martyris erectæ & conſecratæ fuerunt. Porrò vniuerſa hæc tēpli ſtructura conſummata, & diuino cultui dedicata fuit, anno Domini 1265. Eſt enim in cartophilacio eiuſdem conuentus diploma, pontificio ſigillo munitum, quo Clemens IIII. anno Pontificatus primo, eccleſiam illam honrificè (inquit) conſummatam, in proximo dedicandam, ipſo dedicationis die accedentibus & viſitantibus vnum annum, & 40. dies de iniuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxat. Iis verò, qui per octauas eiuſdem dedicationis acceſſerint, centum dies. Chorum non ita pridem exornabant 80. ligneæ cathredæ, duobus diſtinctæ ordinibus; vt & maiorem aram aliquot cupreæ co- B
lumnæ, cum lectiſſimis epiſtylijs. Extabant quoq; in eiuſdem chori ſiniſtra parte quatuor operoſa ſepulchra, cum totidem Principum corporibus ſuperpoſitis, ac cum eorundem armatis effigiebus. Horum nomina nullibi reperi: inſignia gentilitia erant illuſtriſſ. Aurelianenſium. Erant quoq; in ſacello, S. Fidei nuncupatot, res aliæ nobiliſſ. virorū ſepulchrales imagines: quorum animæ ſint in ſorte iuſtorum, & memoriæ in benedictionibus: Sepulchra namq; iſta omnia, & corporum figuras Caluiniani peſtilentiſſimi hæretici, cùm totius illius quondā florentiſſimæ Prouinciæ tēpla vaſtarent, anno 1561. malleis contuderunt. Superſunt autem, tum in eodem choro, tum in naui, clauſtro, capitulo, aliquot Epiſcoporum, Doctorum, nobilium ſepulchrales lapides in terram depreſſi, quorum inſcriptiones, temporum lapſu pedumq; greſſibus detritę, iam legi nequeunt. Vnius tantum, nimirum beati patris Gregorij, qui omnium fra- C
trum noſtrorum primus illuc appulit, & in ingreſſu capituli ſepulturæ locum accepit, hoc compræhenſum epitaphium, minùs licèt elegantioribus verſiculis, illo tamen ſæculo vſitatis, in antiquitatis gratiam ſubiungere in medium mihi viſum fuit.

Hìc ſub tumba inferius: Iacet frater Gregorius:
Sancti Franciſci ſocius: Nationeq; Lombardus:
Parcat ei Altiſsimus.

Atq; hæc de templi conſtructione, conſecratione, ornatu, ſacriſq; ſepulturis. Ad dexteram templi adiacet aliud ædificium; cuius pars inferior hæc comprehendit: Sacrariū, in quo ſancta vaſa, veſtes, & alia ad diuinum officium neceſſaria conſeruantur. In eodem, antequam ab hæreticis Hugnoſticis expilaretur, repoſitæ erant ſequentes venerandæ ſanctorum reliquiæ, thecis argenteis, vel mundiſſimis vaſculis, ac pretioſis lin- D
theaminibus incluſæ: Fruſtulum veræ crucis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Eiuſdem præſepis, atq; ſepulchri fragmenta. De beatiſſimæ Virginis ſepulchro, peplo, veſtibus, zona ſegmenta quædam. De oſſibus SS. Apoſtolorum Petri, Pauli, Andreæ, Philippi, Iacobi, & Bartholomæi. De oſſibus SS. Magdalenes, Agnetis, & vndecim millium virginum. Item SS. martyrum Vincentij, & Chriſtophori. Ex cilicio & corda S. Franciſci. Ex velo & capillis S. Claræ. Pileus S. Ludouici Francorum Regis. Ex ſancti Ludouici Epiſcopi Tholoſani oſſibus, habitu, capillis, ſepulchro, & cilicio. Ibidem rurſum erat in archiuis diploma Clementis IIII. datum Peruſij x. cal. Iunij, anno Pontificatus primo, cuius ſuperius meminimus. Diploma quoq; Nicolai IIII. quo beati patris Franciſci ſtigmata ſacra confirmabantur. Aliud rurſum diploma Radulphi Albanenſis Epiſcopi, & Sedis apoſtolicę in Francia Legati, anno Domini 1260. quo indulgentias 40. E
dierum impertiebatur his qui eccleſiam fratrum Minorum, quæ tunc inſtaurabatur, viſitarent. Seruabantur rurſum quædam mandata Epiſcopi Baiocenſis, data anno Domini 1241. & 1256. fratribus eiuſdem conuentus, pro ſacris concionibus habendis, confeſſionibuſq; pœnitentium per totam diœceſim audiendis. Hic conuētus plurimos fratres ſanctimonia & eruditione inſignes nobis peperit: Ex quibus quatuor dumtaxat celebres Theologos Doctores commemorabimus, nimirū Guilelmum Aucupē, (Gallicè Loiſeleur) Leobinum Colleuillanum, Ioannem de Mara, Gulielmum ſolo cognomine Superbum. Quorū primus, ſua pietate & eruditione meruit in Epiſcopū Abehonenſis eccleſiæ coaptari, demumq; in eiuſdem conuentus medio choro locum accipere ſepulturæ.

A ſepulturæ. Huius baculus paſtoralis, trabea, mitella, & reliqua Pontificis inſignia, antequã ab hæreticis deuaſtaretur conuẽtus, ibidẽ aſſeruata habebantur. Poſtremus, cùm reformationi eiuſdem monaſterij plurimam operam dediſſet, anno Domini 1506. & Cuſtodiæ Normanniæ Præfectus, in conuẽtu Pariſienſi nihilominus Regentis (ſic enim primum ordinariumq; in Theologia lectorem nuncupant) munus grauiter obiret, ibi vitam iſtam cum altera commutauit, & in medio capituli terræ conditus fuit. Ad hæc è ſepulchrorum formis, & inſcriptionibus colligitur quatuor eiuſdem monaſterij patres ſacrorum Hieroſolymorum peregrinationes diuerſis temporibus ſubijſſe, & ad ſuos redijſſe incolumes. Nec ſilentio præterire licet duos pijſſimos eiuſdem conuentus patres, qui pro fidei catholicæ aſſertione ab hæreticis Hugnoſtis trucidati, fortiſſimo martyrio & Ordinem, & patriam, & Eccleſiam plurimùm illuſtrarunt: alter Andreas de Monte, alter Petrus Berot vocabatur. Quoniam verò martyrium eorum iam alibi deſcriptũ
B eſt, in eo recenſendo non erimus prolixiores. Notandum porrò idem monaſterium perſecutione Hugnoſtica ſemel & iterum direptum fuiſſe. Primò, anno Domini 1561. à quibuſdam vicinis nobilibus & conciuibus, Caluinianis erroribus conſpurcatis & faſcinatis. Secũdò, anno 1562. à Collignij & Bezę ſatellitibus, cum fracti fugatiq; in campis Druydum, in illam maritimam oram confugiſſent, vt auxiliares copias ex Anglia reciperent. Nunc diuina ope, piorum virorum eleemoſynis, & proborum patrum, qui huic præfuerunt, laboribus, ſatis commodę reparatum eſt. Superſunt fratres 24. qui in eo ſacræ Religionis vota emiſerunt: ex quibus vndecim vtriuſq; Philoſophiæ ſtudio Pariſijs, magnis laboribus, aſſiduiſq; vigilijs, exacto, periti ſunt verbi Dei præcones.

De conuentu S. Ioannis Baptiſtæ Ebroicis. Conu. XXII.

C INGENVIS benefactricibus Ioanna de Allis, & eius filia Ioanna, inclyti Henrici dicti de parte Dei coniuge dilectiſſima & pijſſima, ædificatus fuit conuẽtus in altero ſuburbiorum ciuitatis Ebroicenſis; ante annum mundi redempti 1270. vt liquet quibuſdam literis Officialis Curiæ Ebroicenſis hoc anno confectis. Huius conuentus eccleſia diuinis peragendis, patrono beatiſſimo Ioanne Baptiſta, dedicata, tumultibus bellicis Anglorum in cineres fuit redacta, anno à Chriſto nato 1381. protinus tamen reſtaurata religioſa ſolicitudine illibatæ vitæ patris fratris Roberti Contain Doctoris Theologi, conuẽtus Rothomagenſis alumni, ſed Ebroicenſis tunc Guardiani. Viuunt Ebroicis Regularis obſeruantiæ obſeruatores fratres 18. ex quibus 9. ſunt diuini verbi præcones. Anno Domini 1563. ſub perſecutione Hugnoſtica charas Deo red-
D diderunt animas duo venerandæ ſenectutis viri ferè octogenarij, huius celebris conuentus alumni, patres Dionyſius de Ponte, & Ludouicus le Grip: quorũ prior confeſſarius, effoſſis oculis, capite cõquaſſato, ac penè toto varijs plagis affecto corpore, copia cruoris incredibili paſſionis locum ornauit. Poſterior Eccleſiaſtes egregius ac pius, in cœmeterio diui Dionyſij, deſertoribus etiam tyrannis obuius, plumbo tranſuerberato gutture, occubuit. Quorum corpora à confratribus poſt meridiem eius diei, quo pro Chriſti gloria paſſi ſunt, collecta religioſeq; curata in clauſtro conuentus humata, gloriam futuræ reſurrectionis cum palma ſui glorioſiſſimi martyrij præſtolantur.

De conuentu S. Ioannis Baptiſtæ Cadomi. Conu. XXIII.

E CADOMVM (quaſi Caij domum) vrbs eſt in plana Campania ſita, diœceſis Baiocenſis, vniuerſitate ſcientiarum humanarum & diuinarum celebris, quæ virtutum omnium, maximè verò paupertatis (& ſi ditiſſima) adeò amatrix ab omni æuo extitit, vt cum mira animi lœtitia, pauperes indiſcriminatim, ſed vultu hilariori euangelicos vitæ apoſtolicę ſequaces fouerit, maximeq; Frãciſcanis fratribus ſuæ charitatis viſcera, amore incredibili, ab anno Domini 1262. hucuſq; effundere minimè piguerit: dicto enim Ordini Franciſcano, anno nunc nunc memorato, ædificatus fuit conuentus, ſuo ſtatui maximè conueniens, & omnibus ſuis partibus abſolutiſſimus. Cadomenſium omnium beneuolentia, ſed pręcipua benefactrice ingenua Beletiorum familia, cuius inſignior pars in capitulo dicti conuentus ſepulta iacet, prout docet epitaphium, in alto muro ingreſſus dicti capituli poſitum, his verbis: *Hic iacent Guilelmus Beleth, & Hoberta*

eius coniux chariſsima, cum Magiſtro Ionne Beletio, & eius vxore, cumq; alio domino Ioan- A
ne Beletio, qui bonorum ſuorum temporalium largitate, maximo cum diuini cultus deſiderio, prio-
ra huius conuentus poſuêre fundamenta, eis bene precemini. Extant in prænominato con-
uentu literæ cuiuſdam venerabilis ciuis Cadomenſis Thomę le Carrior, datę anno prę-
fato, donationem cuiuſdam plateæ quinq; pedum communis menſuræ, pro acceſſu fa-
ciliori fratrum in conuentum, conteſtantes. Eccleſia, olim multis, tum ſanctorum re-
liquijs, cùm iocalibus & ornamentis inſignis, dedicata fuit, Ioanne Baptiſta patrono,
nunc autem Hugnoſticorum apoſtatarum tumultu in pomorum cuſtodiam, ſicut ma-
ior pars officinarum in aceruum lapidum, redacta eſt. Morantur in hoc conuētu, domi-
no Deo famulantes, fratres viginti numero: quorum decem ſunt prædicatores.

De conuentu S. Ioannis Baptiſtæ Bernaij. Conu. XXIIII. B

ANNO ab obitu inclyti Ducis fratrum Minorum 49. apud Bernaium vrbem, in
valle pingui ſitam, montibus omni ex parte circumuallatam, Normannię Du-
catus, Lexouienſisq; diœceſis, conſtructum fuit cœnobium in gratiam Minoritarum,
piæ conuerſationis coryphæi ſeraphici ſequacium, communi pietate plurium præfa-
tæ vrbis incolarum, Chriſto ſimul ac beato Franciſco deuotorum: maximè autem
largitate regia chriſtianiſſimi Philippi Francorum Regis, cuius beneficentię monu-
mentum, ſigillo maiori ſuæ maieſtatis in viridi cera authenticum, filis ſericeis appen-
ſum, in archiuis iam dicti cœnobij conſeruatum extat, illius deuotionem exprimens.
Cum hiſce monimentis habentur Sedis apoſtolicæ plurium diplomatum tranſumpta, à
multis Officialibus diuerſorum epiſcopatuum confecta, quorum originalia plumbea
in multis Prouincię conuentibus cuſtodiuntur illęſa. Huius cœnobij eccleſia pontifica- C
li immunitate, nonnullisq; indulgentijs, cæterarum more donata, nec non reliquijs
S. Ioannis Baptiſtæ, SS. Innocentium, 11. millium virginum celebris, diuino famula-
tui dedicata eſt, memorato Chriſti præcurſore patrono. Quùm in partibus Normanniæ
graſſarentur in Chriſtifideles, & maximè Franciſcanos hæretici Hugnoſtici, & veluti
leones rugientes Bernaium inuaderent, ex pijſſimo fratrum Minorum grege ouiculas
deglutire ſathanico anhelitu cupientes, coacti dicti fratres fuerunt egredi etiam vrbem
partim amicorum conſilio, partim metu mortis, cuius ſolius imaginem ob oculos
poſitam cernebant, memores nihilominus Dei timoris, Chriſti honoris, Eccleſiæ ca-
tholicæ ædificationis, propriæq; ſalutis. Horum vnus religioſæ conuerſationis, ac pro-
batiſſimæ vitæ pater frater Andreas de Guelz, pluſquam ſexagenarius, vt alter Eleaza-
rus, compunctus animo, tactusq; doloris corde intrinſecus, fugam nimia puſillanimi- D
tate conceptam execratus, ſeipſum proditionis accuſans, & pro Chriſti gloria, nedum
teneri & ligari, ſed martyrio coronari toto affectu deſiderans, omni ſua primæua ti-
miditate eiurata, forti factus animo vrbem redijt: in cuius ſuburbio crudeli hęreticorum
gladio necatus in flumen vicinum proijcitur. Catholicorum tandem pietate ab aquis
aſſumptus, ſepulturæ decenti traditus eſt, in oppido beati Albini prope Bernaium ad
duo milliaria, anno Domini 1566. In angulo clauſtri huiuſce honorabilis cœnobij ver-
ſus eccleſiam ſeruatur cathreda concionatoria, in qua ferunt beatum Bernardinum Se-
nenſem concionatum fuiſſe ſacroſanctum Dei verbum, venerabileq; nomen Domini,
cum ſpiritus feruore vix imitabili, Bernaijcenſibus ciuibus toto tempore aduentus, &
quadrageſimę manifeſtaſſe: vnde fructus ingens, copioſaq; ſeges ſubſequuta eſt ad Dei,
præfatiq; ſancti honorem, Religionis Franciſcanę decus, necnon multorum fidelium E
vtilitatem: anno ſiquidem 1453. in ſepè dicta Bernaijcenſi vrbe, meritis & precibus ſan-
cti Bernardini, ſtupendum factū fuit ſuper iuuenē nondum quinquennem miraculum,
cuius narratio ſequitur. Scalam ſcanderat dicti iuuenis mater, vt poma in horreo recon-
dita pro pueris pacificandis & recreandis aſſumeret, & eis præſentaret: hanc protinus
ſenior trium ſuorum puerorum ſecutus eſt, hunc cùm vidiſſet adoleſcentior (de quo
orditur ſermo) continuò ſcandit, ad ſummitatem ſcalæ peruentus veſtem talarem pe-
de preſſit, quo facto lapſus in terrā interijt. Mater lapſu audito, à maiori gnato ſciſcita-
ta eſt: quid audio? Num cecidit frater? Illa fremens, & vehementi affecta dolore, ve-
lociſſimo ſaltu ſeſe iuxta gnatum occiſum recepit, quo inter vlnas triſti amplexu ſu-
ſcepto,

A ſcepto, plorans & eiulans omni deſtituta conſolatore mœſtiſſima mater ſuper lectulum
cadauer reclinauit: poſitis verò luminibus verſus fratrum Minorum cœnobium, greſſus
dirigit recordata canonizationis beati Chriſti confeſſoris Bernardini Romæ per Nico-
laum Pontificẽ ſummum, anno iubilei 1450. Meminerat etiam cuiuſdam prodigij pre-
cibus dicti ſancti ſupra quandam iuuenculam nuperrimè facti: quam enim molendini
rota necauerat, priſtinis vitæ & ſanitati reſtituit. Cùm hæc & ijs ſimilia meditaretur,
credit, & ſperat tanti viri ſuffragijs ſimile portentum ſuper defunctum filium poſſe di-
uina virtute conferri. Hoc miraculum, & quamplurima alia de ſancto audiuerat in ec-
cleſia dicti cœnobij prædicari, in qua quidem eccleſia nuper ſtatuta fuerat imago præ-
fati ſancti, ad quam multi populi confluebant cum deuotione maxima, & veneratione.
Cùm autem afflicta mater deſolaretur, audita fuit à vicinis, & amicis, quæ cùm eiulan-
B tem ſic audirẽt, repentina incitatione ſeipſas mutuò vocantes congregarunt, eandemq;
adeuntes reprehenderunt, quòd inaniter fleret, Deumq;, & ſanctos pro vita pueri reſtau-
randa inuocaret, atq; iteratam vitam ſperaret, dicentes: corpus mortuum humari petit.
Coram quibus vicinis (earum dictis minimè acquieſcens) vouit ſe filium ſuum ad
dictam eccleſiam delaturam, pro diuino auxilio, & ſancti ſubſidio implorando, confi-
dens de Dei auxilio, deuotionis accenſa iter arripuit, puerumq; defunctum brachijs
geſtans, profecta eſt. Vtq; primùm ad conuentum peruenit fratribus ſupplicauit, vt
preces funderent ad ſanctum, quatenus apud Deum pro vita ſuo gnato reſtituẽda inter-
cederet. Qui, audita eius ſupplicatione, ſtatuentes cadauer ſuper altare, ſancto dicatum,
iuxta ſuggeſtum in dictę eccleſię medio erectum, huiuſmodiq; preces deuotas fuderunt:
C *Gaudet Ordo Minorum Franciſci noua plantula &c.* cum verſiculo & oratiòne. Tunc
vna ex concomitantibus vicinis adijt altare, & amplexatum iuuenem ſic allocuta eſt:
O mi puer quę ſum ego? cui ille: matrina mea chariſſima: Hac reſponſione audita, om-
nes Deum laudauerunt & ſanctum. Chriſto omnium Seruatori famulantur in hoc cœ-
nobio fratres numero viginti, ex quibus ſex ſunt veritatis euangelicæ prædicatores.

De conuentu S. Eligij Vernoni. Conu. XXVI.

SVPRA muros, & iuxta Biſiacas fores vrbis Vernonis, Neuſtrię Ducatus, & Ebroij-
cenſis diœceſis, admiſſi ſunt ſancti Franciſci filij fratres Minores, anno à partu Vir-
gineo 1248. vbi, in totius Franciſcani ordinis fauorem, extructus fuit conuentus, ſtru-
ctura quidem lapidum excellens, ſed vita exemplari, doctrinaq; ſalutari fratrum in eo
commorantium multò excellentior, id verò multiplicium latomorum ſolerti œcono-
D mia & zelo chriſtianiſſimo, regiaq; liberalitate ſanctiſſimi Ludouici Gallorum Re-
gis inuictiſſimi, prout quiſq; ex ſequentibus facilè perpendere poterit. Siquidem ex ve-
tuſtioribus chartis, ſicuti in nulla ſui parte viciatis, ita fideli diligentia in ſacrario con-
ſeruatis, hæc conſtant luce clariora. Et quia neminem iſta (perpetua recordatione di-
gniſſima) volumus latere, vnã formã actorũ publicorum liberalitatis pręcipuorum hu-
ius conuẽtus fundatorum in medium adducere nequaquam pigebit: *Vniuerſis præſentes
literas inſpecturis, vel audituris Ioannes de Sarceio armiger ſalutem in Domino. Noueritis, quòd
ego penitus dimiſi 60. ſolidos Pariſienſes annui redditus, quos percipiebam ſupra domum, quæ
fuit Magiſtri de Sarcophagis, vbi nunc fratres Minores habitant in municipio Vernonenſi:
Ita quod nec ego, nec aliquis hæredum meorum poterimus aliquid in dicto redditu qualitercunq;
E de cætero reclamare, pro qua relaxatione recepi vigintiquinq; libras Pariſienſes, quas felicis
recordationis Ludouicus Rex Francorum dederat ad hoc ſpecialiter faciendum. Datum anno
Domini 1271.* Philippus huius ſanctiſſimi Ludouici ſucceſſor, nedum Regni ſed &
pietatis verus hæres liberalitati paternæ ſubſcribens, in fauorem dictorum fratrum Mi-
norum multò plura dedit, vt videre eſt duplici inſtrumento regiæ ſuæ Maieſtatis ma-
gno ſigillo in cera viridi filis ſericeis appenſo roborato, facto & dato anno 1286. Et
quia vt à priſcis dictum fuit, *Regis ad exemplum totus componitur orbis*, nobiles non
pauci tantorum Monarcharum liberalitatem æmulati, in ſuſtentationem præfatorum
fratrum, temporalia miſericorditer erogarunt, vt æterna metere mererentur. Horum
vnus fuit illuſtris heros Matthęus de Crepicordio miles ſtrenuus, qui concurrente aſ-
ſenſu Mileſendis coniugis ſuæ chariſſimæ, & Ioannis Richardi fratris, dedit dicto con-
uentui

uentui in augmentum eleemoſynę, quam prius erogarat Iſabella mater eius defuncta, A
iugerem terræ perpetuò in manu mortua tenendum, quod ratum iri voluit inſtrumen-
to quinq; ſigillis in cera appenſis, dato anno redemptionis æternæ 1248. Alter fuit lau-
dabilis memoriæ Ioannes de Pormor Vernonicus municeps, qui, annuente Eremburgi
vxore ſua dilectiſſima cęterisq́; ſuis hæredibus, dedit vnam domum iure hæreditario
in perpetuum poſſidendā, quod firmum fieri apud quoſcunq; iuſſit literis publicis, du-
plici ſigillo roboratis, actis & datis anno Virginei partus 1260. Cæteros benefactores
nominatim recenſere tædium pareret. Relatu antiquiorum fertur, primum fundatorē
beatum Ludouicum eo extitiſſe animo erga fratres, quòd propriam domum in præfatū
conuentum commutarit: in caſtro enim conuentui vicino ſæpius moram trahens, per
porticum deambulatorium, tum die, cùm noctu diuinis aderat officijs. Inter prætacta
inſtrumenta Regum habetur, cum multiplicibus tranſumptis priuilegiorum, toti Ordi- B
ni à diuerſis ſummis Pontificibus conceſſum, quorum originalia in multis alijs conuē-
tibus ſeruantur, breue apoſtolicum Alexandri IIII. quo Chriſticolis pœnitentibus &
confeſſis, ex miſericordia omnipotentis Dei, cum authoritate beatorum Apoſtolorum
Petri & Pauli, de iniuncta ſibi pœnitētia centum dies miſericorditer relaxantur, modò
pio corde & liberali manu in diebus feſtiuis ſanctorum Ordinis Franciſcani eccleſiam
huius conuentus, ſancto Eligio Pontifice patrono dedicatam, viſitauerint. Hodie in hoc
conuentu morantur, diuino cultui addicti, fratres 18. quorum 8. ſunt concionatores.

De conuentu S. Andreæ Apoſtoli Vernolij. Conu. XXVI.

VERNOLIVM vrbs eſt Ducatus Normanniæ, Regionis Perchiæ, diœceſisq́;
Ebroicenſis, quæ ardentiſſimi amoris pignora ſacro Minorum Ordini contulit, C
cùm anno Domini 1310. eiuſdem alumnos in laudabili quantitate grato exceperint
animo: in quorum gratiam iuxta Franciæ valuas ædificatus fuit conuentus, authore
Ludouico chriſtianiſſimo Francorum & Nauarrę Rege. Hoc conteſtantibus dicti Re-
gis literis eccleſia huiuſce Vernolienſis conuētus (ſacerrimis oſſibus ſancti Andreę Apo-
ſtoli ſui patroni celebris) dedicata tenetur. Anno Domini 1513. motu Anglorum to-
tus penè conuentus in cineres eſt redactus, verùm paulò pòſt, reparatione facta ædifi-
ciorum, ſuſcepta eſt reformatio fratrum, qui omni eiurata ſui ſtatus, vitæ, & morum
corruptione, Capitulum prouinciale (quinq; interiectis annis) maxima charitate ex-
ceperunt. Ex hoc reformato conuentu, à prima ſui conſtructione ad hūc vſq; diem, pro-
dierunt (ſicuti & ex omnibus) patres & Doctores plurimi moribus, & eruditione
inſignes: quorum aliqui Miniſteriatus, alij Guardianatus, perplures verò lectora- D
tus tum in Pariſienſi cœnobio, cùm in alijs Prouinciæ conuentibus laudabiliter admo-
dum functi ſunt. Inter quos exprimere minimè pigebit honorandum patrem, Docto-
remq́; mirabilem, fratrem Nicolaum de Lyra, Normanniæ ſplendorem, ex Iudæis pa-
rentibus, in oppido Lyræ vetuſtioris commorantibus, oriundum. Hic inter Theologos
eminentiſſimus claruit, egregius doctrina, & eloquentia grauis. Qui contra Iudæorum
impietatem diſputationibus, concionibus, & ſcriptis animo indefeſſo aduerſatus eſt.
nouum, & vetus Teſtamentum in eorum contumeliam, & opprobrium, perpetuamq́;
confuſionem plurimis voluminibus diligenti cura eſt commentatus. Qua de re, velut
alter Apollo florens, nomen eius meritò per vniuerſum orbem celeberrimum effulſit.
Hunc primò Iudæorum Doctorem fuiſſe ferunt, ac linguæ eorum peritiſſimum: qui,
(nutu diuini numinis omnes ſaluos fieri volentis) tamquam roſa de ſpinis ortus, ex E
peritiſſimo Hebræo conuerſus ad Chriſtum, in hoc conuentu habitu fratrum Mino-
rum ſuſcepto, Franciſcanam Religionem eſt profeſſus. In eo enim hodie leguntur ſua-
rum lucubrationum, quæ propria manu ſcripſit, vetuſtiora exemplaria, in quorum
alterius, & vt probabile eſt, in omnium ſuorum codicum fine, hæc propria eius manu
ſcripta leguntur: *Ego Deo optimo max. gratias ago, qui mihi gratiam ſcribendi, ſecundum
modulum ingenij mei, ſuper omnes libros in Biblia contentos dedit, & quoniam probabiliter ti-
meo in pluribus defeciſſe, tum propter magnitudinem operis, cùm propter ſcientiæ meæ paruita-
tem, ideo de defectibus veniam poſtulo, & de alijs ad laudandum Deum mecum legentes inui-
to, deprecans humiliter & deuotè, vt apud Dominum me velint ſuis orationibus adiuuare.*

Quod

A *Quod actum eſt Pariſiis, anno Domini 1330.* Vbi cùm omnium mœrore animam exhalauit, cuius corpus honorificè, vt ibi annotauimus, ſepultum eſt in medio capituli conuentus Pariſienſis. Anima eius in pace quieſcat. Beatiſſimi Patriachæ Franciſci veſtigia ad vnguem ſequuntur in hoc conuentu fratres numero decem & ſeptem quorum vndecim ſunt ſacerdotes, & ex illis decem ſunt euangelicæ gratiæ annunciatores.

De conuentu S. Mariæ Magdalenes Faleziј. Conu. XXVII.

CHRISTIANISSIMORVM Franciæ Regum Ludouici, & Philippi eius filij, necnon eiuſdem regni, & Angliæ Regis, & Hiberniæ Domini Henrici zelo, ſed primo motore inclyto domino Petro de Ponte Oilleij ędificatus fuit conuentus fratrum Minorum in vrbe Faleziæ, Ducatus Normanniæ, Sagienſiſq; diœceſis, ante annum 1288. vt probant literę regiæ ſigillo inſigniori ſuæ Maieſtatis munitæ. Eccleſia diuinis obſequijs, S. Maria Magdalena titulari, dedicata, perfidorum hæreticorum Hugnoſticorum ſacrilegio nedum polluta, ſed multis ſanctorum reliquijs, iocalibuſq; tum argenteis, cùm aureis ſpoliata, imò immanitate pluſquam Scytica nebulonum apoſtatarum dictorum demolita, atq; diruta fuit, non ſolum in mortuis, ſed (quod ſiccis oculis dici nequit) in viuis lapidibus: nam anno Domini 1561. quo ſolutus eſt Sathanas in perniciem eccleſiæ Gallicanæ, omnes fratres Falezienſes foras miſerunt, duobus deuotiſſimis ſacerdotibus, & prædicatoribus feruentiſſimis demptis, quos crudeliſſimis tormentis affectos immaniſſimè necarunt: nomen ſeniori erat frater Matthæus Picquetus, iuniori verò frater Ioannes Benedictus. Anno verò ſubſequente, profligatis Hugnoſticis hæreticis, beneficio edicti regij, fratres ſuæ profeſſionis nedum memores ſed ardentiſſimi zelatores, omni depoſito metu reuerſi ſunt in locum conuentus, vbi protinus cum maximo diuini cultus amore & ardore manus appoſuerunt, nullum non mouentes lapidem, quo tantarum demolitionum inſudarent reſtaurationi. Hos multum iuuit feruentiſſima deuotio optimi patris fratris Thomæ Colnij concionatoris egregij. Satagunt certam ſuam facere electionem per bona opera in hoc conuentu fratres duodecim, quorum ſeptem ſunt ſalubris verbi diuini concionatores.

De conuentu Bellouaci. Conu. XXVIII.

CONVENTVS Bellouacenſis, qui ſicut & 12. ſequentes ad cuſtodiam Picardiæ ſpectat, in ciuitate Bellouacēſi ſitus, de ſuæ conſtructionis tempore, vel auctoribus nullas poteſt inſtrumentales, aut certas chartas exhibere (licèt illic extiterint variæ, etiam pontificiæ) ob id quòd hæreticorum Hugnoſticorum, vſq; ad ciuitatis Pariſienſis obſidionem graſſantium, metu, anno ſæculi redempti 1560. archam omnium inſigniorum rerum chartas continentem, in antrum ſubterraneum occultauerint: vbi rancido mucore tandem adeò ſunt omnia corroſa, vt nihil ex eis legi, vel colligi poſſit. Conſtat interim ex vetuſtiorum ſcutorum tam pictis, quàm ſculptis formis, extructum fuiſſe pietate & facultatibus ſereniſſimæ cuiuſdam Reginæ Caſtellæ. Conſtat etiam ex monumentorum circumpoſitis epitaphijs, ab anno Domini 1270. ibidē apud fratres corpora variarum vtriuſq; ſexus perſonarum memorabilium ſepulta. Inter totius Prouinciæ Franciæ conuentus Bellouacenſis eſt celebratiſſimus profeſſorum in eo multitudine: numerantur enim ex eo ſuperſtites 80. quorum pars potior nunc in conuentu moratur, & ex eis 18. ſunt ſeminis cœleſtis ſagaciſſimi, diligentiſſimiq; ſatores.

E *De conuentu B. virginis Mariæ de Gardia. Conu. XXIX.*

CONVENTVS noſtræ Dominæ de Gardia, diœceſis Bellouacenſis, ædificatus fuit ſub Ludouico XI. chriſtianiſſimo Francorum Rege: qui regnare cœpit anno Domini 1461. zelo religioſi viri Rodulphi de Putphaliza domeſtici fideliſſimi familię illuſtriſſimæ Borbonianę. Poſt exactā enim maiorē vitæ partem in militia, reliquum vitæ ætatis in ſylua nomine de Hez ſibi delegit. In cuius nemoris parte, velut colendæ pietati conuenientiore, ſub habitu propè Franciſcano degens, conſecutus eſt ab illuſtriſſimo Principe Petro Borbonio, Comite Claromontenſi, fauores & media quibus extrueretur: cuius eccleſia conſecrata fuit per R. Abbatem Frigidimontis, tunc Epiſcopum

ſcopum Nazarenæ eccleſię,ſub titulo virginis Mariæ;his omnibus annuente Sixto IIII. Pont. max. vt patet in bulla, quæ in archiuis dicti conuentus manet integra. In dicto conuentu viuunt 25. fratres: quorum decem ſunt ſacri Euangelij prædicatores. A

De conuentu SS. Apoſt. Andreæ, & Ioannis Ambiani. Conu. XXX.

CIVITAS Ambianenſis munitiſſima totius Picardiæ prima laus iure cenſetur, iuxta cuius fores, (vbi nunc canonicorum Regularium S. Auguſtini nobile extat monaſterium (anno reparatæ ſalutis 337. B. Martinus adhuc cathecumenus, poſtea Turonenſis Antiſtites factus, Chriſto in paupere dimidiam chlamydem contulit. Hæc ciuitas tantum reuerentiæ, & fauoris ſeraphico Ordini impertita eſt, vt trino Ordini triplex monaſterium extruxerit: poſtremum ſororibus Tertiarijs B. Eliſabethæ Regis Vngariæ filiæ, ſequacibus, Prouinciæ Franciæ Pariſienſis, factum. Alterum pauperibus B monialibus, ſub ſtrictiore Regula ſanctæ Claræ, iuxta reformationem beatæ Coletæ Boylettæ. Primum verò, fratribus Minoribus Cuſtodiæ Normanniæ factum, in paræcia ſancti Remigij ſitum, ante annos 232. In cuius archiuis apud ſacrarium habitis, ſub diligenti cuſtodia, habentur, cum tranſumptis ſigillorum diuerſorum Officialium munimine validis, diplomata pontificia, etiam plumbata nonnulla, ſed quæ vbiq; Prouinciæ locorum paſſim habeantur. Eccleſia (cuius chorus impenſis generoſi Ioannis Villani naui eſt additus) diuinis obſequijs dedicata manet, titularibus SS. Apoſtolis Andrea, & Ioanne Euangeliſta. Huius eccleſiæ ornatus conſtat ſex deuotiſſimis ſacellis imaginibus, & picturis refertis: quorum alterum noſtræ Dominæ de gratia conſecratum eſt, quòd ibi maximis honoribus afficiatur imago beatiſſimę Chriſti matris ſimillima ei, quā aſſerunt beatum Lucam Medicum, & Pictorem excellentiſſimum ſuis die- C bus pinxiſſe, quę quidē imago inſignis eſt, & multis maximi valoris circūhabitis gemmis & margaritis, ſed longè inſignior venerabilibus ibidem reconditis reliquijs. Venerantur enim illic cum crucis, & coronæ ſpineæ non modico fragmento reliquiæ SS. Andreæ & Iacobi maioris Apoſtolorum, Lucæ Euangeliſtæ, Laurentij, Clementis, Georgij, Chriſtophori martyrum, Nicolai Epiſcopi, Agathæ, Agnetis, Chriſtinæ, Margaretæ virginum & martyrum, atq; beatæ Mariæ Magdalenes. In dextera iam dicti chori tumulatum eſt corpus R. P. F. Nicolai Sutoris Eboracenſis Epiſcopi, ſanctæ Theologiæ Doctoris, Minorum Ordinis & huius Ambianēſis conuentus alumni, & benefactoris perpetua memoria digniſſimi, qui mortis debitū ſoluit, anno Domini 1517. Alius extitit benefactor uullo pacto obliuioni committendus, nobilis videlicet dominus & Magiſter Adrianus de Hennencourt, eccleſiæ Ambianenſis decanus, cuius cu- D ra ſolerti, & eleemoſyna non tenui, melior clauſtri pars ędificata eſt. Ex hoc venerabili conuentu, veluti ex horto cœlitus culto, prodière plantulæ, flores, & fructus non communes, quorum odor ſuauiſſimus vbiq; terrarum redolet, homines ſcilicet nominis nuſquam perituri, patres & Doctores celeberrimi, quorum vita exemplari, & doctrina ſalutari, in dies Dei ædificatur eccleſia: Horum multi cum Chriſto in pace quieuerunt, quibus dignus non erat mundus: qui in maligno poſitus eſt: ex quibus ſilere indignum foret venerabilem P. F. Bernardinum Pollet in ſacra pagina profeſſorem ſubtiliſſimum: qui duplici triennio, cum omnium applauſu permaximo, hanc Franciæ Prouinciam rexit, Lectoris officio apud Lutætiam Pariſiorum multis annis, pro multiplici à patre luminum ſuſcepta gratia, & cum ingenti fructu, functus eſt: Diem clauſit vltimum cùm conuentui Sueſſionenſi præeſſet. In hoc conuentu viuunt fratres E decem & ſeptem: quorum duodecim ſunt ſacerdotes, & ex illis ſeptem concionatores.

De conuentu S. Mariæ Magdalenes Abbatiſuillæ. Conu. XXXI.

IN vrbe Abbatiſuillæ, diœceſis Ambianenſis, iuxta Lancearum pontem, conuentus fratrum Minorum, hodie vndequaq; completus, ędificari cœpit, anno ab obitu inclyti Ducis ſancti Franciſci, ſeraphici Inſtituti fundatoris eximij 13. Summa celebri flumine pro maiori parte cinctus, quod manifeſtum euadit ex literis cuiuſdam Antonij, tunc temporis Ambianenſis Epiſcopi, ſigillo eiuſdem communitis. Extant in archiuis ſacrarij dicti conuentus non ſolū præfatæ literę, verùm & aliæ chartæ non minus

antiquę,

A antiquæ,quàm authenticæ hoc ipſum conteſtantes. Fertur autem traditione antiquio-
rum patrum, prædictum conuentum paulatim ædificatum fuiſſe vigili cura variorum
benefactorum, ſed deuotione eximia pinguiq; eleemoſyna illuſtrium dominorum de
Caux, prout docent eiuſdem familiæ inſignia pro foribus eccleſiæ non ſolum, ſed &
vbiq; locorum totius conuentus impreſſa. Deinde pientiſſimi cuiuſdam Domini Guil-
lelmi Bombergi non minus facultatibus & diuitijs, quàm pietate & deuotione, poten-
tis Ordinis regij equitis ſtrenui; cuius corpus in ſaxeo locello, in medio capituli, ſub
tumba marmorea nigra iacet. Habentur, & ſub fideli cuſtodia conſeruantur,cum mul-
tis alijs dicti conuentus validis monumentis diplomata aliquot, videlicet 4. priuilegia
de indulgentijs à ſummis Pontificibus dicto conuentui, imò toti Ordini, eiuſq; bene-
factoribus conceſſis. 1. eſt ſpeciale pro conuentu prædicto Abbatiſuillæ de vno anno
B & 40. diebus. 2. eſt generale toti Ordini de centum diebus. Cætera duo pro dicto
conuentu de 40. diebus. Duo alia de confeſſionibus audiendis. Aliud habetur parti-
culare de exēptione noua per Nicolaum ex ſacro Ordine noſtro aſſumptum. Tria alia
extant fœlicis recordationis Alexandri IIII. cum tranſcripto non ſigillato de exem-
ptione veteri. Aliud cuſtoditur pari diligentia, quod Maremagnum vocatur. Aliud
eſt de approbatione miraculorū beatiſſimi Franciſci,& maximè de eiuſdem ſacris ſtig-
matibus. Aliud contra violatores eccleſiarum noſtrarum. Aliud ne pauperes religio-
ſi ædificent iuxta nos infra ſpatium 300. cannarum. Alia duo priuilegia à ſacrario ex-
hibentur eiuſdem tenoris, quæ ſunt de approbatione ſtatus, & mendicitate Ordinis,&
contra detrahentes, qui coguntur reuocare huiuſmodi maledicta ſua: & de confeſſio-
nibus audiendis, etiam Prælatis inferioribus inuitis. Alia duo ſunt, quorum vnum
C eſt Alexandri', aliud Gregorij contra fratrum Minorum oppreſſores: deq; cœmeterio
habendo. Aliud legitur Innocentij, quòd de hortis, & virgultis fratrum non debentur
decimę,& quòd poſſumus miniſtrare ſacramenta eccleſiaſtica eis qui nobis obſequun-
tur,& eos in cœmeterijs noſtris ſepelire. Aliud Alexandri,ne poſſint fratres cogi ad ci-
tationes faciendas,vel commiſſiones recipiendas. Aliud præterea ſupereſt Innocentij:
nequis exigat portionem canonicam pro luminaribus, & ornamentis, &c. Eccleſia
huius conuentus venerabilibus reliquijs ſanctorum Chriſti martyrū Vincentij,& Chri-
ſtophori, atq; beatæ Rolandæ virginis conſpicua,dedicata eſt,ſanctiſſima Maria Mag-
dalena titulari. Ex hoc conuentu prodiêre patres præſtantiſſimi,& Doctores celeberri-
mi,ex quibus extitit vnus perpetua laude digniſſimus, frater Ioannes Mabillæ Doctor
inſignis, & peritiſſimus Theologus, qui poſt quam non minus diu,quàm vtiliter apud
D Lutœciam Pariſiorum ſtudentibus de ſacra Theologia prælegiſſet,toto triennio lauda-
biliter Prouinciam Franciæ rexit; tandem reſtaurata optimis quibuſq; omnium fermè
Doctorum voluminibus bibliotheca, animam Deo, à quo acceperat,reddidit, corpore
in archicœnobio monialium Longi campi,in quo è viuis exceſſerat,inhumato. Viuunt
in hoc conuentu fratres 14. quorum 6. ſunt verbi diuini feruentiſſimi prædicatores.

De conuentu S. Catharinæ Mediæ curiæ. *Conu. XXXII.*

CONVENTVS Mediæ curiæ, diœceſis Nouiomenſis,omni ex parte perfectus,
ædificatus eſt, anno à Chriſto nato 1423. benefactore ſingulari generoſiſſimo Ge-
rardo Pathiæ,oppidorū Montis mortis in Bria,& Medię curię in Normannia Domino.
Nulla extant in hoc conuentu dictæ ædificationis monumenta, nullaq; breuia apoſto-
E lica:ſola ſuperſunt generoſitatis præfati fundatoris inſignia vbiq; affixa, maximè in or-
namentis, & paramentis eccleſiæ pretioſiſſimis. Dicitur à patribus ſenioribus, huius
conuentus alumnis, eccleſiam dedicatam fuiſſe ſub titulo & patronatu ſanctæ Catha-
rinæ virginis & martyris. Diuinis obſequijs omnibus horis tum diurnis, cùm noctur-
nis adſunt fratres numero 7. quorum 4. præcones habentur euangelicæ veritatis.

De conuentu S. Mariæ de Angelis Royæ. *Conu. XXXIII.*

ROYENSIS conuentus, diœceſis Ambianenſis,cultui diuino accommodatiſſi-
mus habetur,prope, ſed extra muros vrbis Royæ officin is completus venerabilis
& deuotiſſimi municipis, imò & ſuis diebus maioris dictæ vrbis Royenſis Radulphi
le Puthier

le Puthier ſumptibus non modicis. Cuius etiam deuotione haud exigua eccleſia, duobus deuotiſſimis aſſociata capellis, dedicata eſt ſub titulo beatæ Mariæ de Angelis, donata bona parte reliquiarũ corporis beati Fiacrij confeſſoris. In medio chori dictę eccleſię ſub pulpito iacet totius huius conuentus præfatus fundator, tumba marmorea contectus, cũ hac inſcriptione: *Anno Domini 1250. hoc lapide contectus eſt Radulphus le Puthier, huius conuentus primus fundator.* Extra eccleſiam coram ipſa ianua habetur ſepultura cuiuſdã venerabilis patris, quẽ aiunt etiam ſæculares vnũ fuiſſe ex ſocijs B. P. Franciſci: dictę autẽ ſepulturę ſciptura, pręnimia vetuſtate, adeò deleta eſt, vt nullo modo legi valeat: ob bellorum namq; tumultus varios periêre inſtrumenta quæq;. Morantur in hoc conuentu fratres quindecim ex quibus 7. ſunt euangelicæ gratiæ annunciatores. A

De conuentu Nouiomenſi. Conu. XXXIIII.

PRIORIS conuentus in ſuburbijs ciuitatis Nouiomenſis quondam ædificati, ſuo tempore in vita, & numero fratrum celeberrimi, nulla reſtant veſtigia, cuius etiam neq; fundatorum inueniuntur nomina, quòd conſtet bellorum iniuria totus euerſus incendio, graſſantibus Burgundis in Galliarum Regnum, & pręcipuè in Picardię partes. Quę deſtructio contigit anno Domini 1551. Ex omni ſupellectili pręfati conuentus, ſolo adequati, reſtat martyrologium, in quo legitur obijſſe ſanctę, ac celebris memoriæ V. P. F. Ioannes Presbyter, ex Beluacenſi ciuitate oriundus, ſed Nouiomi Franciſcanus factus, anno Domini 1230. Ab illa autem euerſione deplorabili illicò pio zelo, diligentiaq; ſolerti proborum quorundam patrum dicti conuentus, (quorum, vt memoria cum laudibus perſeuerat, nomina exprimere non inconuenit) fratrum Laurentij Maigret, & Ioannis Heruy, Carolo huius nominis IX. Regni Galliarum Rege Chriſtianiſſimo primo, & ſingulari fundatore, poſterior, qui nunc eſt, cœpit ædificari intra, & ſi propè dictæ ciuitatis muros. In medio chori eccleſiæ nondum dedicatæ, è regione ſummi altaris habetur probatiſſimi patris Roberti, olim huius almæ Prouinciæ Miniſtri, ſepulchrum, ex antiquo conuentu in nouum tranſlatum: cuius epitaphiũ ſculptum fuiſſe legitur, anno Domini 1242. In hoc conuentu degunt, diuinis laudibus animo indefeſſo dediti, fratres 16. ex quibus 6. ſunt catholicæ veritatis propugnatores. B C

De conuentu S. Franciſci Peronæ. Conu. XXXV.

POSTQVAM Minoritanæ familiæ Dux inclytus ſanctus Frãciſcus morte præclara ſæculum hoc nequam deſeruit, pro tanto patre nati ſunt in Gallijs filij fratres Minores penè innumeri, & maximè in Picardiæ partibus, nominatim apud Peronam, Nouiomenſis diœceſis, vrbem munitiſſimam, præfatæq; Prouinciæ Picardiæ non poſtremam gloriam: iuxta cuius fores ſancti Saluatoris nuncupatas prædictis fratribus erectus fuit conuentus, ſumptibus non exiguis, ſed longè maiori deuotione illuſtrium virorum, necnon pientiſſimorum heroum Longæ vallis, & Haplin curiæ præcipuorũ benefactorum, quorum alter ſolum proprio comparauit ære, alter verò maiorem ædificiorum partem, ſolo pietatis intuitu, pro remedio animæ ſuæ, & anteceſſorum ſuorum dedit. Huius conuentus eccleſia miniſterio R. Odonis, Præſulis Tuſtulani, apoſtolicæq; Sedis Legati dedicata fuit B. P. Frãciſco patrono, anno Virginei partus 1246. vt teſtatur charta inſtrumentalis eiuſdem Antiſtitis, qua etiam de omnipotẽtis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate, dictam eccleſiam pio animo, manuq; liberali viſitantibus in anniuerſario die dedicationis ipſius, vſq; ad ſeptem dies immediatè ſequentes, 40. dies de iniunctis ſibi pœnitentijs miſericorditer relaxantur. Verùm (proh dolor) anno Domini 1536. irruente bellorum ſæuitia & maioris periculi timore inuadente, de mandato Ducis Vindomienſis, regia poteſtate hoc in negocio fungentis, dictus conuentus, quòd vrbe huic Peronæ à parte hoſtium vicinus erat, pro maiore ſui parte deſtructus eſt, & tandem funditus euerſus, quòd omnimodam videretur vrbi afferre iacturam, aduerſariorum ſuperueniente congreſſu. Vbi liquidò conſtat fratres maximum incurriſſe detrimentum, nedum loci, imò etiam vtriuſq; ſupellectilis, ac omnium deniq; rerum ſuarum, cùm dicti conuentus eccleſia, clauſtrum, dormitorium, bibliotheca cum reliquis officinis neceſſarijs D E

diruta

A diruta fuerint, & omnia diſtracta. Illę verò præfatam ruinam ægrè ferentibus,ex eleemoſynis oſtiatim emendicatis plateam,intra dictæ vrbis mœnia,ſibi per manus amicorum ſpiritualium compararunt, in qua cum ſagaci æconomia, pariq; diligentia, nouam ecclesiam, noua dormitoria, omnia deniq; noua ędificari curarunt. Ex hoc conuentu prodijt indelebilis memoriæ V. P. F. Iacobus du Montier, Doctor Theologus, qui triennio conuētum Pariſienſem,ſed ſexennio Prouinciam Franciæ,omnibus & ſingulis gratus,rexit. Tritum eſt, & omnium vetuſtiorum Peronenſium ciuium communi voce fertur in hoc conuentu celebri deſtructo piè,& ſanctè aliquandiu vixiſſe vnum ex diſcipulis B. P. Franciſci, cuius obitus multis claruit miraculis,quamobrem poſtulatione inſtanti præſtantiſſimorum dominorum canonicorum ſepulturam honeſtiſſimam habuit in celebriori eccleſia, quæ eſt beato Furſæo ſacra. Hodie hoc in conuentu B Deo optimo maximo famulantur fratres duodecim,quorum duo ſunt prædicatores.

De conuentu S.Franciſci apud S. Quintinum. Conu. XXXVI.

IN vrbe ſancti Quintini, Nouiomenſis diœceſis (quæ à primæua ſui conſtructione Auguſta vocata fuerat,vt creditur, ab Auguſto Cæſare, nunc, quòd ab anno 1213. in maxima veneratione habeantur illic ſacræ reliquiæ Chriſti martyris beati Quintini, illius nomen ſortita eſt) in honorem coryphęi noſtri beati Franciſci ędificatus fuit conuentus,numeris omnibus abſolutiſſimus,ante annum 1270. benefactrice ſingulari illuſtriſſima Maria de Sarto, cuius corpus in medio eccleſię, patrono B.Franciſco dedicatę, humatū iacet,ingenti lapide ſuperpoſito,in cuius ſuperficie ſequētes legūtur verſus.

Laude micans varia dominarum gemma Maria:
C *Prædominans Sarto, loculo nunc conditur arcto:*
Forma, genus, mores, cuius comitantur honores:
Vos eius memores fratres eſtote Minores:
Litus ægenorum, nutrix, & mater eorum:
Propria ſubiecit, & eis communia fecit.

Inuida mors ſuo illam telo percuſsit, & ſæculum hoc in maligna poſitum cum gaudio deſeruit, anno Incarnationis Dominicæ 1271. in craſtino ſancti Matthæi. Hic conuētus diù pluribus gauiſus eſt diplomatibus, quorum nec vnicum exhibere valet, eò quòd flammis omnia fuere tradita,dicta vrbe ab ingenti exercitu Philippi Hiſpaniarū Regis catholici obſeſſa, & tādem victa,& capta,anno Domini 1557. menſe Auguſti.In hoc conuētu ſummo Creatori multū miſericordi obſequuntur fratres 8. ex quibus 3. ſunt prædicatores.

D *De conuentu Annunciationis B.Mariæ Dulendij. Conu XXXVII.*

ANNO à Chriſto incarnato 1453. in ſuburbio, & ſubter inexpugnabile oppidi Dulendij, diœceſis Ambianenſis, caſtrum, cura liberali, & ſolicitudine deuotiſſima generoſi herois Philippi de Sauenſes, Ordinis regij equitis, inuictiſſimiq; Burgundiæ Ducis conſiliarij,integrè, & omni ex parte perfectus extitit fratrum Minoritarū conuentus,ſolo primitus empto ſumptibus nō minimis illuſtris Domini Montis Calidi,eiuſdem conuentus fundatoris præcipui, ac apud fratres noſtros Pariſienſes ſepulti in ſacello Sepulchri,quod extrui fecerat iuxta exēplar à ſe in propria perſona Hieroſolymis conſpectum. Præfato verò conuentu gauiſi ſunt fratres noſtri, annuentibus, & omnem fauorem impēdentibus ſummo Pontifice, & Chriſtianiſſimo Galliarum Rege, E eccleſia interim diuinæ Maieſtatis debitis cultibus conſecrata, protectrice beatiſſima virgine Dei genitrice Maria, ſub titulo Annūciationis eiuſdem,venerabilibus plurimorum ſanctorum reliquijs,in iocalibus maximi pretij reconditis conſpicua, nunc autem eorundem ſacrilegis hæreticorum manibus ſpoliata, imò ijſdem furentibus hæreticis flammis tradita, & in cineres (dirutis remanentibus muris) redacta,anno 1562. At religioſiſſimo probatiſſimorum patrum, qui ab eadem ruina dicto conuentui,ex iniuncto ſibi munere, pręfuerunt, honeſtè, quantum fieri potuit, inſtaurata, & fermè priſtino ſplendori reddita cernitur. Conſeruantur in arca ſacrarij, inter vetuſtiora acta,aliquę ſummorum Pont bullæ,ſed quæ in maiori conuentuū noſtrorū parte habentur. In hoc conuentu cōmorantur 9. fratres,quorū 7.ſunt ſacerdotes, & ex his 3. concionatores.

De conuentu Minoritico Blangiaci. *Conu. XXXVIII.* A

INGENVVS heros Ioannes Malcacæus Baro, ſtrennuusq; Ordinis regij miles tanto fuit (dum ſuperſtes eſſet) in ſeraphicum Ordinem dilectionis igne ſuccenſus: vt ei, in omnibus fermè ſui dominij locis, cœnobia rerum æternarum ſanctę meditationi conueniẽtia, proprijs ſumptibus ædificari curauerit in Ambianenſi epiſcopatu: Quorum vnum habetur iuxta Blangiacienſis pagum, numeris quibuſlibet abſolutum, anno Domini 1499. prout teſtantur nonnullæ literæ, inter chartas conuentus Abbatiſuillæ repertas. Huius cœnobij eccleſia, nullis ſanctorum reliquijs donata, nedum dedicata fertur, ſed tantùm benedicta. Clauſtrum verò conſtructum dicitur beneficio pientiſſimi cuiuſdam viri, qui vulgò Beau viſaige nuncupabatur. Viuunt hoc in cœnobio 5. fratres: quorum duo ſunt diuini verbi egregij ac præſtantiſſimi prædicatores. B

De conuentu Dominæ noſtræ de Pietate Meleaci. *Conu. XXXIX.*

ALTERVM cœnobiũ, S. Mariæ de Pietate dicatũ, anno 1483. apud oppidũ Malleacenſe, Ambianeñ. diœceſis, à præfato heroë Maleacæo conſtructum fuit: quod cùm anno 1554. ruinæ militum Hiſpanorum, & anno 1562. ſubuerſioni ſæuiſſimorum Hugnoſticorum ſubiacuiſſet, à generoſiſſima ſtirpe dicti fundatoris, quę in hoc conuẽtu, in quo 10. fratres commorãtur, quorũ 4. prędicatores ſunt, ſepelitur, reſtauratum eſt.

De conuentu Minoritico Petræpontis *Conu. XL.*

IVXTA Petræpontis oppidum Ambianenſis diœceſis ſupereſt (eodem domino Maleacæo authore) Minoriticus locus, in quo, ex obedientia ſibi impoſita, morantur duo fratres: quorum alter Præſidens nuncupatur, vt plurimùm Prædicator electus, cœleſtis frumenti granũ oppidatim diſſeminans, & quæ decent ſanã doctrinã loquẽs. C

De monaſterio S. Catharinæ prope Pruuinum. *Mon. I.*

SERENISSIMVS Theobaldus, huius nominis IIII. ad ſeptimum lapidem à Pruuino, in medio monte, à multis annis, ſanctæ Catharinæ dicato, hoc monaſterium conſtruendum, monialibusq; S. Clarę Vrbaniſtis tradendum, anno 1237. curauit. Huius Theobaldi inclyta proles Theobaldus V. bonorumq; illius verus hæres, liberalitati paternæ, nedum aſtipulatus eſt, ſed & multò plura adiecit: incrementum anhelans, maximè diuini cultus, in prænominato monaſterio, quod adeò toto vitæ ſuæ curſu dilexit, vt in eo poſt mortem corpus ſuum ſepeliri voluerit. Dictum monaſterium, D anno Domini 1560. incendio deplorabili, ità exinanitum etiam vſq; ad fundamenta, & omni ſupellectili adeò nudatum fuit, vt coactæ fuerint ſorores aliquandiu caſtrum, in loco totius vrbis eminentiori ſitum, magiſtratu ciuili permittente, inhabitare. Veruntamen, non poſt multos dies, viribus vtcumq; reſumptis, prudens ſoror Barbara Colomnæ, tunc monaſterij Abbatiſſa manum admouit, Deo opem ferente, vt reſtauratrix fieret ſumptibus non modicis, ſed multò pluribus laboribus, tantarum præfati monaſterij ruinarum. Quibus (vt licuerat) reparatis, protinus reuerſæ ſunt ſorores, vbi vix ſeptem annos quieuerunt, quin viderẽt vix reparatum monaſterium, furentibus per Galliarum regnum hæreticis, penitus in cineres redactum, quod compulit pauperculas priſtrinum pro refugio petere caſtrum. Sed continuò ſagacitate, & æconomia admirabili ſororis Margaretæ de Bylli (ex nobili familia de Prunay) tunc Abbatiſſæ præ- E fatum monaſterium, non tam reſtauratum, quàm renouatum cernitur. Huius eccleſia, & ſi non dedicatai, nſignis tamen manet inſigniori fragmento capitis S. Firmidinæ, & quæ bona parte S. crucis. In hoc monaſterio Domino famulantur triginta ſorores.

De mon. S. Ludouici Francorum Regis Nogenti Netandi. *Mon. II.*

MONASTERIVM Clariſſarum ſororum Vrbaniſtarum conſtructum fuit in vrbe Nogenti Hertandi, diœceſis Sueſſionenſis, anno Domini 1299. benefactrice ſereniſſima Blancha, Regina Nauarræ, atq; Campaniæ, & Bryæ Comitiſſa, pientiſſimo Henrico Regi Nauarræ primò deſponſata, ſecundò verò Edmondo Henrici Regis Anglorum

A glorum filio nupta. Huius filia Ioanna Ebroycenſis Nauarræ Regina, chriſtianiſſimiq; Francorum Regis Caroli, filij Philippi Pulchri ſuo tempore vxor, eodem quo religioſiſſima parens zelo ducta, dictæ matris pijſſimam voluntatem, nedum confirmauit, ſed & propriorum bonorum largiflua donatrix multùm amplificauit, prout teſtantur chartæ vetuſtiores, quæ in archiuis monaſterij hucusq; ſunt cuſtoditæ. Eremitici huius monaſterij Eccleſia Dei omnipotentis obſequio fuit conſecrata, tutore ſancto Ludouico Francorum Rege. In ea deuotè honorantur venerabiles reliquiæ ſanctæ Benedictæ martyris, quæ vt olim multis claruit miraculis, ita tenetur ex vndecim millibus virginum vna. In eadem alabaſtrinum filiæ fundatricis ſereniſſimæ monumentum habetur. Chriſto dilectiſſimo ſponſo miniſtrant ex animo ſorores numero viginti.

De monaſterio S. Eliſabethæ Rhemis. *Mon. III.*

B SPECTABILE monaſterium Clariſſarum monialium Vrbaniſtarum in chriſtianiſſima ciuitate Rhemenſi ædificatum primitus fertur beneficio, & muneribus cuiuſdam dictæ ciuitatis Archipræſulis, cuius nomen obliuioni datum manet. Omnia enim præfati monaſterij vetuſtiora inſtrumenta incendio abſumpta fuerunt, ſub anno Domini 1413. Eccleſia dedicata tenetur, ſancta Eliſabetha filia Vngarorum Regis titulari. Viuunt (communiter) in hac ſpectabili domo ſorores profeſſæ numero 20.

De monaſterio SS. Claræ, & Barbaræ virg. Verduni. *Mon. IIII.*

PRIOR fundatrix deuoti monaſterij ſororum ſanctæ Claræ Vrbaniſtarum ædificati in ciuitate Verdunenſi fuit pientiſſima quædam domina nobilis genere, ſed
C ſanctitate nobilior, quæ in eodem poſtea, tum habitu cùm vita verè ſoror (tamquam vna cæterarum effecta) Agatha nuncupata. Altera fuit eiuſdem Inſtituti ſoror Sarra. Hoc verò ante annum 1293. prout videre eſt ex libro obituum præfati monaſterij, contigit. Eccleſia dedicata fuit, ſub nominibus ſanctarum Claræ virginis, & Barbaræ virg. & mar. miniſterio R. Franciſci Calcedonenſis Epiſcopi, noſtri quondã Ordinis alumni, anno Domini 1379. Chriſto domino obſequuntur in hoc monaſterio 9. tantùm ſorores.

De Clariſſarum monaſterio Nouicaſtri. *Mon. V.*

NOVVM caſtrum vrbs eſt in Ducatu Lotharingiæ haud parum celebris, Tullenſis diœceſis, Francorum Regno propinquiſſima, intra cuius mœnia, anno poſtremæ ætatis 1297. eximia deuotione, impenſa non leui pientiſſimi ſimul ac ſereniſ-
D ſimi Ferrici Lotharingiæ Ducis comparatus eſt locus, in quo ſolicitudine chriſtiana ædificatum eſt hoc monaſterium, redditibus annuis non aſpernandis dotatum. Inſuper & ex cœnobio ſanctę Catharinæ Pruuienſi allata eſt deuotiſſima quædam ſoror (cuius nominis, & ſi non famę memoria perijt) ſanctimonialibus præficienda, aſſenſu accedente inclytę Margaretę prępati Ferrici Ducis coniugis, ac Regis Nauarrę filię, Duciſſę Lotharingię. Quorum deuotę donationi (pluribus additis temporalibus bonis) conſenſerunt ſucceſſores eiuſdem Ducatus inuictiſſimiq; Duces Theobaldus, & Radulphus. Quorum prior eccleſiam ædificauit: quę poſtea cum ſummo altari miniſterio reuerendiſſimi Ioannis eccleſię Tullenſis Epiſcopi diuinis obſequijs conſecrata extitit, ſub titulo beatiſſimę in cęlum ſupra choros Angelorum aſſumptę, anno à partu Virgineo 1300. Alter verò inter cętera dedit prępatis ſanctimonialibus
E annuatim oprimam ſalis quantitatem. In huius monaſterij archiuis conſeruantur ſummorum Pontificum indulta, ſeu apoſtolica breuia, quibus pręcipitur multis & diuerſis Pręſulibus, vt ſępe nominatis ſanctimonialibus omne pręſtent auxilium, quo (omni decimarum exactione adempta) liberè bonis temporalibus ſibi à benefactoribus conceſſis vti, & gaudere liceat, iuxta tenorem apoſtolici indulti, ab Vrbano IIII. collati. Viuunt Domino Deo viuo & vero in hoc monaſterio ſanctimoniales numero triginta.

De monaſterio SS. Coſmæ, & Damiani Mettis. *Mon. VI.*

IN deſcenſu loci eminentioris ciuitatis Mettenſis, iuxta quem maior fratrum conuentus ædificatus eſt, longè ab illo quantum iactus eſt lapidis, conſtructum hacte-

nus manet monaſterium ſororum ſanctæ Claræ Vrbaniſtarum, veteri ſubuerſo, quod extiterat erectum, anno Domini 1258. Eccleſia conſecrata fuit, (vt videre eſt ex literis reuerendiſſimi Mettenſis Epiſcopi) patronis Coſma & Damiano martyribus, dente beatæ Claræ virginis conſpicua: imò & diuerſorum ſanctorum, ignotorum tamen, reliquijs celebris. Inter quas multa cum reuerentia ſeruatur corporale cum burſa, quod proprijs manibus confecit, dum ſuperſtes eſſet, beata Clara, & eo vtitur dum ſacra perficit in præcipuis anni feſtiuitatibus venerabilis ſororum pater & confeſſarius. Viuunt quàm ſtudioſiſſimè in hoc monaſterio diuinis laudibus intentæ ſorores viginti. A

De monaſterio S. Claræ Pontiſmonſionis. Mon. VII.

PONTISMONSIONIS vrbs, Ducatus Lotharingiæ haud vltimum decus, ſupra Moſellam, famæ non vulgaris flumen, ſita, eccleſijs, collegijs, diuerſisq; cœnobijs, ſed præcipuè monaſterio reformatiſſimo monacharum ſtrictioris Regulæ ſanctæ Claræ, ſub reformatione beatæ Coletæ, celebris. Anno ſiquidem ſalutis æternæ 1447. quo pretioſa morte beata Coleta apud Gandauenſes (ſpiritu in cœlum ſublato corpus traditum fuit ſepulturæ, extructum aſſeritur hoc monaſterium iuxta prefatum flumen, ſolis interpoſitis mœnibus, omni ex parte completum. Intra cuius ſepta receptæ ſunt (cum omnium eiuſdem loci Chriſticolarum applauſu non minimo, hora ſecunda pomeridiana diei ſancto Matthæo Apoſtolo & Euangeliſtæ ſacræ) ſorores in copioſo numero, præcipuo authore, & benefactore ſereniſſ. Renato Regni Siciliæ & Hieruſalem Rege tum pijſſimo, cùm inuictiſſimo: ſingulari eius deuotioni, liberalitatiq; non exiguę aſſentientibus pientiſſimis Iſabella à Lotharingia eius coniuge chariſſima, & Margareta Bauariæ matre eiuſdem, hac tamen conditione poſita, vt ſi inclytus Dux eius maritus prior è viuis decederet, ipſa in conſortium prædictarum monacharum tranſiret, à quibus ſub ſuæ Regulæ profeſſione excipienda veniret. Quod tamen aliter accidit, præmatura morte ſuperueniente, ac monaſterij nondum completis ædificijs. Hunc conuentum ingreſſa eſt anno à partu Virgineo 1519. pijſſima, ac ſereniſſ. Philippa de Geldræ, Regni Siciliæ Regina, habituq;, & velo aſſumptis, ita generis nobilitatem ſanctitate ſuperauit, vt nulla penitus Religionis officia, quãuis viliſſima, aſpernata ſit. Hæc cùm adhuc in terris pro adipiſcẽdis cœleſtibus laboraret, ſingulari, quo perpetuò ardebat, diuini cultus deſiderio, ſed inclytæ ſobolis multis ſumptibus, duplex ſacellum conſtrui curauit: immaculatæ Conceptioni Virginis Deiparæ dicatum: aliud in choro fratrum duplici cinctura, exteriori ſcilicet ferrea, interiori verò cuprea, circundatũ: aliud verò (vt relatu accepi) in clauſtro ſororum, in quorũ medio, poſt mortẽ, ſepulta eſt. Eius ſepultura, miro artificio ex marmoreis lapidibus hinc & inde fabrefacta videtur. Eccleſia inſigni fragmento Dñicę crucis cum quantitate ſanguinis Saluatoris noſtri, & lactis Genitricis eiuſdẽ conſpicua, miniſterio pręſulis Tullẽſis eiuſdẽ loci diœceſani dedicata eſt, B. virgine Clara titulari. Deo opt. max. obſequuntur in hoc monaſterio ſorores 30. B C D

De monaſt. Humilitatis Virginis apud Longum Campum. Mon. VIII.

INFRA huiuſce venerabilis Cuſtodiæ Pariſienſis fines duo extant archicœnobia ſororum ſanctæ Claræ Vrbaniſtarum celebria, vnum quod humilitatis noſtræ Dominæ à Longo Campo nuncupatur, diœceſis Pariſienſis, & prope Lutœtiam Pariſiorum ad quatuor milliaria ædificatum, anno redemptionis æternæ 1260. authore ſancto Ludouico inuictiſſimo Francorum Rege, inſtigante tamen ſereniſſima, ſimul ac pientiſſima beata Iſabella dicti ſancti Ludouici Regis vnica ſorore: cuius ſepultura, infinitis miraculis conſpicua, habetur in medio Eccleſiæ (ſub patronatu humilitatis noſtræ Dominæ dedicatæ) verſus leuam. In hoc celebri archicœnobio floruerunt quondam ſanctimoniales ſummam generis nobilitatem ſanctitate vitæ ſuperantes, ſorores Blancha, filia Regis Nauarræ, Magdalena generoſiſſimi Principis Franciſci Ducis Britanniæ, ſoror, Ioanna, & Margareta filię potentiſſimi Godefredi Brabantij. Viuunt illic hodie, Deo in timore ſeruientes, eidemq; cum tremore exultantes, ſorores numero 40. Chriſto ſeruatori ſumma cum humilitate commori gaudentes: quibus adſunt in cœleſtibus, & diuinis diſtribuendis tres patres, quorum duo ſunt prædicatores. E

De mona-

A *De monaſterio S. Marcelli Pariſiis. Mon. IX.*

ALIVD archicœnobium ſororum ſancti Marcelli dicitur, quod in ſuburbio Pariſino, ſancto Marcello ſacrato, ædificatum eſt, eodem fundatore, quo prius tactũ videlicet Longi Campi monaſterium. Eccleſia diuinis perficiendis conſecrata tenetur, titularibus ſancto Stephano prothomartyre, & ſancta Agnete virgine & martyre. Numerus ſororum eſt tricenarius ſextus. His famulantur à confeſſionibus audiendis, ſacris perficiendis tres patres, ex quibus duo ſunt diſertiſſimi Theologi, gregem dominicum diuini verbi pabulo recreantes, in illoq; magnum fructum ſpiritualem facientes.

De monaſterio B. Mariæ ac S. Ioannis Baptiſtæ Rothomagi. Mon. X.

B DVCATVS Normanniæ metropolitana ciuitas eſt Rothomagum, ſenatu doctiſſimo, prudentiſſimis viris, qui toti Normanniæ ius dicunt, ditiſſimis deniq; mercatoribus, ob quorum traiectiones nomen eius longè, lateq; ad multas gentes eſt cognitum, inſignis, ſed copia monaſteriorum ſexus vtriuſq; Mendicantium, & poſſidentium multò inſignior. Inter quæ eſt monaſterium medij ſeu ſecundi Ordinis, pauperum ſcilicet dominarum prioris Regulæ ſanctæ Claræ, ſub reformatione anguſtiori, ſed non minus ſancta, beatæ Coletæ Boylettæ, iuxta fores Hilarianas & intra eccleſiæ parochialis beati Viuiani fines ſitum, anno a Virgineo partu 1483. ædificatum, tum deuotione, cùm charitate eximia, primò generoſi cuiuſdam Ioannis de Stonanilla, militis regij Ordinis, Domini de Torciaco & Blamuilla, nec non inclytæ Franciſcæ de Rupefoucandi eius vxoris dilectiſſimæ, Dominæq; Montis Daſonis & ſanctę Maurę. C Quod tamen nemo inficias ire poterit, qui præfatorum fundatorum literas inſtrumentales, imò conceſſiones duorum ſummorum Pontificum, totidemq; Francorum Regũ harum ſanctimonialium benefactorum, ſuper hoc confectas, vtrorumq; ſigillis validas perlegere dignatus fuerit. Habentur præfatæ literæ in huius monaſterij archiuis: quorum originalia manent apud pauperes Clariſſas Gandenſes. Eccleſia (in cuius medio, coram ſupremo altari conditum eſt corpus pręfati fundatoris de Torciaco) diuinis cultibus conſecrata eſt, titularibus ſanctiſſima Maria virgine Ieſu Chriſti genitrice, & ſanctiſſimo Ioanne Baptiſta eiuſdem Chriſti præcurſore, quæ etiam celebris habetur quantitate vix numerabili venerabilium reliquiarum in cruce argentea non mediocris valoris olim, nunc autem in capſa lignea honorificè reconditarum: & ſi ſanctorum quorum ſunt reliquiæ nomina incognita ſint, non minus illorum mors in conſpectu D Domini eſt pretioſa, quorum etiam memoria cũ perpetuis laudibus manet. Seruiunt Domino Deo, tũ die cùm nocte in hoc reformatiſſimo monaſterio ſorores numero 26.

De monaſterio S. Ioannis Baptiſtæ Moncelli. Mon. XI.

IN limitibus præfatæ Cuſtodiæ Viromandiæ, iuxta oppidum Pontis ſanctæ Maxentiæ, Bellouacenſis diœceſis, habetur monaſterium Moncelli, aut potius Montis cœli, ſororum ſanctę Clarę Vrbaniſtarum, quod anno Domini 1336. Philippus Pulcher Frãcorum Rex chriſtianiſſimus ędificari curauit. Non tamen fuit ſuis tunc numeris abſolutum: ſed id ſibi contigit ſub eiuſdẽ Regni chriſtianiſſimo Rege Philippo Valeſio, ſub quo pręſente, ſimulq; ſibi coaſtantibus Regina, Principibus, & illuſtrioribus regni heroibus, aſſumptis ex ſingulis præfatorum trium monaſteriorum, Pruuinenſis ſcilicet, E Longi Campi, & ſancti Marcelli, quatuor ſororibus, inſtituta, & cum illis introducta eſt Abbatiſſa ſoror Petronilla de Troya, quæ ob eam, quam ibi duxit ſanctiſſimam vitam, laudabili admodũ memoria ab omnibus huius monaſterij ſororibus maximè colitur. Inter inſigniores huius loci ſorores fuit filia Comitis Bolonienſis, ſoror Margareta à Bolonia: cuius frater illuſtriſſimus Cardinalis Guido à Bolonia ſacram ædem dedicauit, ſub nomine ſanctiſſimi præcurſoris Dominici Ioannis Baptiſtæ, præſentibus Rege, Regina, cęteriſq; aulicis. Anno Domini 1526. totum hoc monaſterium incendio, flammiſq; abſumptum eſt, & (exceptis aliquot muris) in cineres redactum. Sed regijs, & aliorum facultatibus nunc reſtauratum, & tanto ſplendori reſtitutum, vt inter elegantiora, ac nobiliora huius Prouinciæ monaſteria connumerari poſſit. Conſtat antiquio-

rum ſororum fide, & teſtimonio, hoc monaſterium quondam honoratum fuiſſe pontificijs, ijsq; plumbatis, bullis triginta tribus, quibus varia priuilegia, tum monaſterio priuata, tum quoq; cæteris communia conceſſa ſunt. Quæ omnes incendio ceſſerunt. Habetur deniq; hoc in loco corpus beatæ virginis Marcellinæ arcula reconditũ. Hæc vna fuit ex 11. millibus virginum. Huius oſſa tempore præmemorati incendij (ipſa nihilominus arcula cum reliqua totius monaſterij ſuppellectile prorſus exuſta) intacta reperta ſunt. Reliquiarum aliarum nihil inſigne à particula Dominicæ crucis habetur. A

De monaſterio SS. Georgij mart. & Claræ virg. Ambiani. Mon. XII.

BEATISSIMO Franciſco ſeraphici Inſtituti fundatori eximio, nec non eius vtriuſq; ſexus proli ciues Ambianenſes adeò affecti ſunt, vt intra munitiſſimæ ciuitatis mœnia, ambabus vlnis, & toto cordis affectu, ſuſceperint nedum priorem & poſteriorem Ordines, quos ipſe cœleſti monitu inſtructus ordinarat, ſed & medium, pauperum ſcilicet Dominarum, ſub reformatione beatæ Coletæ Gandenſis viuentium: quibus ædificatum eſt deuotiſſimum monaſterium, pietate ac ſumptibus generoſiſſimi quondam Philippi de Sauenſes, Burgundiæ Ducis prudentiſſimi Conſiliarij, eiuſdẽ deuotioni, ac liberalitati ſtipulante chariſſima ſimul ac pientiſſima ſua coniuge: ſubſcribentibus tum demum donationi vtriuſq; ſummo Pontifice Romano, Epiſcopo, ac Decano cum Capitulo Ambianenſibus: Immo etiam omnem fauorem hoc in negocio neceſſarium ſubminiſtrantibus Chriſtianiſſimis Galliarum Rege atq; Regina. Quorum voluntas fuit, (prout docent inſtrumentales chartæ maioribus eorundem ſigillis communitæ) vt memoratæ ſanctimoniales omnibus immunitatibus, reliquo earum Ordini conceſſis, in perpetuum gauderent. Eccleſia prænominati monaſterij deuotiſſimarum imaginum abundantia venerabilis, ſed pretioſiſſimarum reliquiarum martyris Chriſti ſancti Sebaſtiani venerabilior, diuinis obſequijs conſecrata eſt, ſub patronatu ſancti Georgij martyris, & ſanctæ Claræ virginis. In cuius dextera honorificè ſepultus iacet (donec dies eius optata veniat) eximius noſtri Ordinis benefactor, ac miles Torquatus, illuſtris Adrianus Maleaceus. Inter inſigniores reformatiſſimi huius monaſterij ſorores piè & ſanctè, ſupra id quod dici poteſt, vixit sereniſſimi Iacobi Regni Siciliæ Regis filia, nempe ſoror Maria à Borbonio: quæ beatæ Coletæ, nedum contemporanea, verùm etiam angelicæ eius conuerſationis pia extitit æmulatrix. Deo opt. max. hoc in monaſterio famulantur die noctuq; ſorores circiter triginta. B C

De monaſterio S. Barbaræ Peronæ. Mon. XIII. D

MVNICIPIBVS Peronenſibus adeò gratus fuit Ordinis Franciſcani odor, vt cum priori, fratrum videlicet Minorum Ordine, ſecundum (vtpotè pauperum Dominarum ſtrictioris Regulæ ſuæ matris ſanctæ Claræ, ſub reformatione beatæ Coletæ) intra munitiſſimę vrbis mœnia ſuſceperint: vbi & monaſterium profeſſioni earundem aptiſſimum, diuerſorum benefactorum, præſertim verò ſingulari generoſi, ac pientiſſimi Philippi à Crepicordio Regis Francorum Chriſtianiſſimi equitis, atq; Conſiliarij, nec non in Artheſiæ Comitatu & alijs Picardiæ partibus locum tenentis, regijq; exercitus generalis Capitanei pietate, anno Domini 1482. conſtructum extitit: ſicuti conſtat ex ſanctiſſimi Sixti IIII. publico diplomate ſuper hoc confecto, anno Domini 1481. plumbeo ſigillo filis ſericeis, rubei & crocei colorum, appenſo, atq; ex literis Ludouici Francorum Regis Chriſtianiſſimi ſigillo maiori regiæ ſuæ Maieſtatis communitis. Huius monaſterij eccleſia tribus ſacellis decorata famulatui diuino dedicata eſt, ſub nomine B. Barbarę virg. & mart. Numerus huius loci ſororũ vicenarius eſt. E

De monaſterio ſororum Tertiariarum Chauniaci. Conu. XIIII.

OB ſingularem beneuolentiam, qua duas vterinas ſorores, easq; Tertiarias, Eliſabetham & Mariam Cornuail proſequuta eſt, dum in terris ageret, ſereniſſima Eliſabetha à Vienna, locum in oppido Chauniaci Nouiomẽſis diœceſis ſumptibus proprijs acquiſiuit, quem & pia charitate prefatis, alijsq; ſororibus Tertij Ordinis Franciſcani conceſſit in obſequium tum Chriſti, tum pauperum membrorum eius, nullo tamẽ

pacto

A pacto renitēte reuerendiſſ. Nouiomēſi Prçſule, vt conſtat ex literis prçmemoratæ fundatricis, datis anno Dñi 1520. Ibidem viuuut ſex ſorores (vt præfati ſumus) Tertiariæ.

De monaſterio Tertiariarum ſororum Bertholij. Mon. XV.

ZELO, quo indies magis, ac magis vritur in Chriſti, & pauperum eius obſequiū religioſa ſoror Margareta Parmentier Tertiaria, inſtanti ſua poſtulatione à regia Maieſtate dono accepit locum apud Bertholium oppidum, in quo vigilanti cura, ſumptibusq; à Chriſti fidelibus emendicatis domum ſimul & ſacellum ædificauit, pijs ſororis eiuſdē votis ſtipulante dicti oppidi Antiſtite, illuſtriſſ. ſcilicet Cardinale Borboniēſi, vt teſtātur literç regiç, datç an. Dñi 1566. Dño Deo ſeruiūt hoc in loco 5. ſorores.

B *De monaſterio Tertiariarum ſororum in oppido ſancti Iuſti. Mon. XVI.*

OBTENTV ac inſtanti petitione præfatç ſororis Margaretæ Parmentier, conceſſit, regia liberalitate, Chriſtianiſſimus Francorum Rex Carolus nonus Regi Chriſto, Regisq; quondam Vngarorum filiæ S. Eliſabethæ ſororibus, quas Tertiarias Franciſcanas vocant, tum Deo cùm pauperibus eius membris obſequentibus, locum quendam in oppido ſancti Iuſti diœceſis Bellouacenſis, annuente eiuſdem diœceſis Antiſtite. Quem tamen maximè dirutum prædicta ſoror Margareta, œconomia ſolerti, adeò à fundamentis inſtaurauit, vt illic commodè commorari queant nouem ſo-
C rores eiuſdē Ordinis. Hoc conteſtantur regiç Maieſtatis literç, datç anno Domini 1572.

De monaſterio Tertiariarum ſororum Firmitatis Milonis. Mon. XVII.

IN terminis conuentus Sueſſionenſis duæ ſunt domus xenodochiales, vna in vrbe Firmitatis Minolis: (de qua impreſentiarum) alia in Vlchei pago, pro quarum regimine, beneuolentia vtriuſq; loci incolarum, admiſſæ ſunt ſorores Tertiariæ Franciſcanæ, vbi eleemoſynis, & charitatis ſubſidijs, à Chriſti fidelibus acceptis, ædificarunt capellas, dormitoria, & refectoria, quibus aduentantes ſingulis quibusq; horis pauperes mira cum charitate excipiuntur, ibidemq; ex itinere fatigati refocillantur ac recreantur, etſi valetudine vtuntur aduerſa ex eiuſdem itineris labore, medicamentis ſani efficiuntur. Viuunt hodie in priori domo ſorores 12. Deoq; fideliſſimè famulantur.

D *De monaſterio Tertiariarum Vlchei. Mon. XVIII.*

HIC ſecundus locus pauperibus etiam excipiendis mancipatus, ac Vlchei, qui Sueſſionenſis diœceſis pagus eſt, conſtructus, ex fidelium quoq; eleemoſynis çdificatus, ante aliquot annos, extitit, inhabitaturq; à duabus tantùm Tertiarijs ſororibus Franciſcanis, quæ pauperibus aduentantibus maxima charitate, ingentiq; diligentia inſeruiunt, eisq; neceſſaria, liberaliſſimè ſubminiſtrant, ſicq; his bonis operibus Deo optimo maximo acceptiſſimis, gratiſſimisq; certam ſuam vocationem, totis viribus, animoq; indefeſſo, facere nituntur, interim aduentum Domini præſtolantes.



PROVIN·

PROVINCIA
FRANCIAE PARISIENSIS.

A EO ipſo tempore quo cœpit Ordo Minorum in Gallijs florere, cœperunt &
conuentus conſtrui, cœpit & in Prouincias Ordo ille diſtribui, cœpit de-
niq; & Franciç Pariſienſis Prouincia initium ſumere. Perſeuerauerunt prę-
terea in ea fratres in Obſeruantia regulari multis annis. Sed cùm eorum
plurimi à recto viuendi tramite aliquantulum deflexiſſent, qui ſui ſtatus
zelotes erant ad ſacrum Conſtantienſe Concilium, quod anno Domini 1411. celebra-
tum fuit, (vt ſuperius prælibauimus) huiuſmodi malis obuiaturi, rebuſq; ſuis conſul-
turi confugerunt, eiuſq; patres obnixè rogarunt, vt eis iuxta Franciſcanæ Regulæ ni-
torem,in poſterum viuere liceret.Quibus cùm pręfati patres annuiſſent,propriorumq;
B Prælatorum ſub titulo prouincialium Vicariorum eligendi facultatem dediſſent, vt à
patribus Prouinciæ Franciæ, quibus permixti erant, diſcriminarentur, huic Prouin-
cię Pariſienſis cognomen indiderunt. A quo etiam tempore illa(de qua paulò ſuperius)
Franciæ Prouincia extitit nuncupata. Hæc noſtra Prouincia complectebatur olim
Flandriam, & Artheſiam & alias regiones, quæ ditioni catholici Hiſpaniarum Regis
ſubiacent: verùm graſſante inter Francorum & Hiſpaniarum Reges cruentiſſimo bel-
lo,nec valētibus fratribus tutò à loco in locum progredi, de patrum conſenſu Flandria
in peculiarem Prouinciam erecta fuit: ſicq; à Franciç Pariſienſis Prouincia defecit. Hu-
ius Prouinciæ conuentus,qui numero 54. fratrum ſcilicet 22.& ſororum 32.valde ſunt
C ab inuicem diſſiti: nam illorum pars Normanniam obtinet:altera Vaſtinenſem agrum,
& Galliæ Campaniam aſſequitur: altera Lotharingiam: altera deniq; Viromandiam
ſiue Picardiam complectitur, prout ex ſingulis eorum deſcriptionibus manifeſtum eua-
dit. Vtitur hæc Prouincia pro maiori ſigillo ſeruatoris noſtri Chriſti,è ſepulchro ad fœ-
mora vſq; prominentis, imagine: cuius lateribus ſingulis aſtant Angeli: pedibus verò
beatiſſimus pater Franciſcus ſub concamerato ædificio genuflexus, expanſiſq; mani-
bus ſubſtat: ſed capiti lilium ſuperſtat: atqui ſigilli oram ſequentes literæ: SIGIL.
MINISTRI.F.MINORVM.PROVINCIÆ.FRANCIÆ PARISI.1549.
circūſcribūt. Ne tandē hāc Prouinciā patrono deſtitutā reliquiſſe videremur, ſibi S. El-
D zearium,de Tertio Seraphici P.noſtri Franciſci Ordine,ab ea oriundū,pręponere volui.

De conuentu S. Leonardi Sagij. Conu. I.

CVM beatiſſimus pater Franciſcus in ſalutem animarum inhians fratres ſuos ad
diuerſas orbis plagas deſtinaſſet,quatuor eius fratres Deo auſpice Sagium, quæ
Normanniæ ciuitas eſt,applicuêre,ſanctiſſimumq; eius Epiſcopum Godezrandū,aliâs
Gaufridum conuenientes,locum in quo morari, Dominoq; famulari poſſent ab eo hu-
militer popoſcerunt,qui illorum modeſtiam, & animi feruorem alta mente reuoluēs,
E ex hocq; perpendens quantum emolumenti fidelium animabus, tum ex eorum hone-
ſta,atq; religioſa conuerſatione, tum ex doctrina & orationibus accedere poſſet,lubens
illos humaniſſimè excepit, ſibiq; in ea ciuitate locum in quo oratorium erigerent
conceſſit. Quod & ipſemet Epiſcopus ad Dei honorem,ſub nomine S. Ioannis Baptiſtæ,
Dominici præcurſoris,anno Domini 1223.menſis Iunij 12. conſecrauit:& in hodiernā
vſq; diem integrum, atq; operandis ſacris deſtinatum, perſeuerat. Anno tamen 1226.
ædificata fuit eccleſia maior, & conſecrata, eius tutelari S. Leonardo Abbate, opera
atq; ſumptibus Philippi Francorum Regis, patris diui Ludouici eiuſdē quoq; nationis
Regis inclyti: ac poſtea anno Domini 1252. menſis Maij 24. ſpineæ coronæ Seruatoris
noſtri,ad inſtantiam præfati Ludouici Galliarū Regis Chriſtianiſſimi, poſtquā à tranſ-
marina expeditione reuerſus eſſet, ſibiq; alteram ſpinam, quæ etiam in dicta eccleſia
vſq;

vſq; impræſentiarum religioſè colitur, ex præfata corona liberaliſſimè contuliſſet, con- A
ſecrata extitit. Eius teſtimoniales literæ, datæ Lutœtiæ Pariſiorum, anno à partu Vir-
gineo 1259. in feſto S. Remigij, in huius conuentus archiuis aſſeruantur. Conceſſit etiam
ſanctus idem Ludouicus huic conuentui dimidiam fluuij Orſichij, quòd eius muros
allueret, portionem, vt in poſterum ſuum iter per medium eius teneret. Quam quidem
donationem confirmauit Carolus VII. Francorum Rex Chriſtianiſſimus: & hunc
conuentum in ſui, ſuorumq; ſucceſſorum protectionem recepit. Extant literæ datæ
Argentonij, anno Domini 1450. regni verò eius 28. In huius conuentus ſacrario præ-
fata Dominicæ coronę ſpina, & altera ex coſtis ſancti Laurentij martyris ſumma vene-
ratione coluntur. Cuſtodiuntur præterea in huius loci tabellario quędam bulla Six-
ti IIII. Pont. max. qua fratribus Minoribus, imò & ſæcularibus, diem B. P. Franciſci
feſtiuè tranſigentibus, plenaria conceditur indulgentia: Et alia bulla Gregorij Papę IX. B
qua cunctis alijs à Franciſcanis Ordinis S. Franciſci habitus interdicitur: idq; ſub pœ-
na excommunicationis. Data fuit huiuſmodi bulla Romæ apud Lateranum ſub plum-
beo ſigillo, anno ſui Pontificatus xiiij. Et alia bulla Innocētij IIII. qua concedit plena-
riam indulgentiam omnibus confeſſis, & verè pœnitentibus, qui eccleſiam fratrum
Minorum Sagienſem in die feſto coronæ Dominicę, dedicationis eius, & S. Antonij
Paduani, data Laterani Pontificatus ſui anno ij. Et alia bulla Nicolai Papæ IIII. qua
declarat fratres Minores immunes ab Ordinariorum iuriſdictione, atq; immediatè cū
ſuis locis ſanctæ Sedi apoſtolicæ ſubiectos eſſe: eſtq; data huiuſmodi bulla Romę apud
S. Petrum ij. cal. Maij, anno Domini 1467. Multi percelebres fratres ex hoc conuentu
prodiêre, præſertim 12. illi qui cum ſuo Guardiano generalem Conſtantienſem Syno-
dum pro tuenda ſacri Ordinis Minoritici Obſeruātia regulari, quouis poſtpoſito itine- C
ris labore petierunt. Hos ſequuti ſunt reuerendi patres fratres Ioannes Sylueſtri, &
frater Germanus Aubert, ſanctitate atq; ſcientia conſpicui. Horum prior ſexennio fa-
miliam Obſeruantem Vltramontanam generalis Vicarius, triennio prouincialis Vica-
rius Toloſæ Prouinciam, quam modo antiquioris Aquitaniæ vocant, & ſexennio hanc
Francię Pariſienſis laudabiliter rexit. Alter Commiſſarij generalis munere apud Vltra-
montanos patres ſemel, & prouincialis Miniſteriatus officio hac in Prouincia tertiò
functus eſt. Et V. P. F. Ioannes à S: Martino, qui per 12. continuos annos Guardianus
& Patriarcha Hieroſolymitanus exiſtens, ſemel atq; ſecundò pro ſummo Pontifice, &
Galliarum Rege, apud Turcarum Imperatorem honorifica legatione functus fuit: &
negotijs feliciter expeditis, Pariſijs in Auemariano monaſterio diem clauſit extremum.
Hoc noſtro ſęculo glorioſum martyrium pro Chriſti fide oppetiuêre venerabiles patres D
frater Ioannes Bourges octogenarius in parœcia S. Petri de Riparia, Ducatus Norman-
nię, diœceſiſq; Lexouienſis 18. menſis Martij, anno Domini 1562. qui à Caluiniſtis
hæreticis ſpherulis traiectus interijt: eius corpus in huius loci capitulo honorificè tu-
mulatum eſt: Et eius diſcipulus frater Stephanus du Barquel, ex diœceſis Sangienſis
parœcia Burgunica nobili genere ortus, ac vir doctiſſimus, qui à Caluinianis ijſdem
hęreticis in conuentu præhenſus, & ad ſecūdum lapidem à Sagienſi ciuitate deductus,
ibi plurimis confoſſus vulneribus glorioſè interijt. Paſſus eſt anno Domini 1569. & hoc
in eodem loco religioſè ſepultus. Hunc conuentum, qui & ſepultura alterius ex ſocijs
S. Franciſci, nomine Ægidius, honeſtatur, cùm 50. ad minus fratres incolere ſoliti eſ-
ſent, à 20. annis bello, & peſte ſupramodum ſæuientibus, 30. tantùm inhabitant.

De conuentu S. Ioannis Baptiſtæ Varennæ. Conu. II. E

ILLVSTRIS Ludouicus à Bauoduce S. R. E. Cardinalis, Epiſcopuſq; Portuenſis,
tum proprijs, tum quoq; cuiuſdam Varennenſis ciuis, cuius nomen reſciri minimè
potuit, liberalioribus ſumptibus, hunc conuentum pro fratrum Minorum Obſeruantū
habitatione, anno Dominicæ Incarnationis 1415. erexit: primò quidem in parte Occi-
dentali & extra muros oppidi Varennarum. Verùm quoniam ob frequentes aquarum
innundationes eius incolatus difficilior reddebatur, eum ad partem eiuſdem oppidi
Orientalem, anno 1417. transferrendum curauit: quem & à fundamentis ad apicem
vſq; conſtruxit. Cuius constructionem fœl. mem. Ioannes XXIII. Pont. max. expedi-

ta bulla

A ta bulla ſub datum Bononiæ ſecundo idus Septembris anno Domini 1415. ratam habuit. Tranſlationem verò Martinus V. cuius bulla data fuit Conſtantiæ tertio nonas Ianuarij anno ſui Pontificatus quinto, comprobauit. Habentur præfatæ bullę in huius loci archiuis. Idem illuſtriſſimus Cardinalis à Bauoduce huius conuentus eccleſiam conſecrauit, dedicauitq; beato Ioanni Baptiſtæ Dominico præcurſori: cuius dedicationis anniuerſaria dies Dominica quarta poſt Paſcha celebratur. Honeſtauit præterea illam idem illuſtriſſ. Cardinalis ſacro vnius virginis & martyris, ex cœtu 11. millium virginum, capite, quod magna Chriſti fidelium frequentia colitur. Hic deniq; locus, qui perpetuò regulari Obſeruantiæ obſecundatus eſt, à 12. fratribus vt plurimùm incolitur.

De conuentu S. Clementis Rothomagij. *Conu. III.*

B CIRCA Minoritici Inſtituti initia aliquot eius fratres Rothomagum Prouinciæ Normanniæ metropolim, & nobiliſſimum Galliæ emporium, applicuêre, vbi & perbenignè ſuſcepti in clauſtro diui Marci Euangeliſtæ, & eius eccleſia per aliquot annos in magna ſanctitate, & regulari Obſeruantia moram traxêre. Ex quo tandem loco R. Odonis Archiepiſcopi Rothomagenſis ſuaſu & aſſenſu egreſſi, ad eccleſiā diui Clementis, prope viam Templariorum ſitam, anno Domini 1246. conuolarunt. Quia verò ea erat parochialis eccleſia, R. frater Odo Rigaldus Minorita, qui prædicto Archiepiſcopo Odoni in Archiepiſcopatu ſucceſſerat, parochianis per proximas S. Stephani, & S. Martini prope pontem parochiales eccleſias diſtributis, illis eccleſiam omnino dimiſit. Cui quoq; Nicolaus de Lunda auratus eques, ad quem patronatus eius eccleſiæ ius pertinebat ex animo ſubſcripſit: idq; approbantibus ſereniſſima Blancha Franco-
C rum Regina, & diuo Ludouico eius filio, eorundemq; Francorum Rege. Succeſſu verò temporis fauentibus ſibi præfatis Regina Blancha, eiusq; filio diuo Ludouico, qui perennem fontem monaſterio conceſſêre, ac Macthilde de Stonteuile, quæ tres domos, & proximam plateam, addita ſufficienti eleemoſyna, liberaliſſimè contulit: & nobili heroë Guillermo Camerario Francauillæ, plurimisq; alijs pientiſſimis viris: præcipuè verò R.P.F. Odone Rigault Ordinis Franciſcani alumno, atq; Rothomagenſi Archiepiſcopo, præfati fratres celeberrimum hūc conuentum ſibi coœdificarunt. Cui & Chriſtianiſſ. Francorum Reges Philippus Valeſius, Ioannes huius nominis primus, & Carolus V. omnimodam immunitatem conceſſerunt. Præfata eccleſia, multis annis ante Ordinis Minorum inſtitutionem, ad Dei, & S. Clementis Papę & martyris honorem, dedicata fuerat. Locus hic abſolutiſſimus eſt, & omni ex parte perfectus, ſiue eius ſtructu-
D ram, ſiue dormitoria, ſiue bibliothecam, ſiue clauſtrum, ſiue duo capitula, ſiue etiā refectorium, cæterasq; officinas ſpectes: quapropter 70. fratribus eius accolis commodiſſimum præbet hoſpitium. Hic deniq; conuentus ab Obſeruantibus Franciſcanis ad patres eiuſdem Inſtituti Conuentuales, anno Dñi 1460. deuolutus eſt: ſed anno 1501. ex mandato Alexandri VI. ſummi Pont. opera tamen illuſtriſſimi Georgij ab Ambaſia S. R. E. Cardinalis, Rothomagenſisq; Archiepiſcopi, ac apoſtolicæ Sedis per vniuerſam Galliam à latere Legati, ab iſtis ad eoſdem Obſeruantes, annuente Ludouico XI. Francorum Rege, redijt. Ex hoc conuentu prodiêre R.P.F. Odo Rigault, qui propter egregias eius virtutes ad Archiepiſcopatū Rothomagenſem euectus fuit: & R.P.F. Franciſcus Lotharingus Sidoniēſis Epiſcopus, virq; doctiſſimus: & V.P.F. Nicolaus de Nijſe pietate, ac ſcientia illuſtris, qui, poſt plurima Ordinis munia, quàm diligētiſſimè functa,
E hoc in eodem loco 18. menſis Maij, anno Domini 1509. non abſq; ſanctitatis nota, diem clauſit extremum, ſepultus in medio capitulo: qui & aliqua edidit opuſcula.

De conuentu S. Iacobi Apoſtoli Pontiſaræ. *Conu. IIII.*

SERENISS. Blanchæ diui Ludouici Francorum Regis inclytæ matris opera, atque liberaliſſimis ſumptibus Minoriticus quidam conuētus, diuo Iacobo Apoſtolo ſacer, in ſuburbijs ciuitatis Pontiſaræ, quæ ad 14. lapidem à Lutetia Pariſiorum diſtat, anno Domini. 1255. ædificatus extitit. Cùm autem Pontiſarenſes eorum vrbi, propter continuas Anglorum incurſiones, (vigebat ſiquidem eo temporis cruentiſſimum inter Francorum, atque Anglorum Reges bellum) ſummoperè timerent, ab ijſdem, anno reſtitutæ

ſtitutæ ſalutis 1358. ſolo æquatus extitit. Sed collatis intra eiuſdem ciuitatis mœnia à A
pijſſimis viris vterinis fratribus, ac Pontiſarenſibus ciuibus Ioanne Iuueni, Roberto,
atque Guillermo quibuſdam domibus, annuenteque Innocentio Pontifice max. ac Ca-
rolo V. Gallorum Rege, & Roberto Beccihelouinij, in Normannia Abbate, quibuſdam
iuribus, ad ſe ſpectantibus, ſpontè cedentibus, biēnio ſequenti, nēpe anno Domini 1360.
præſens conuētus à fratribus ædificari cœpit: nec ita poſt multum temporis abſolutus
fuit. Ceſſit quoq; hic locus in patrum Franciſcanorum Conuentualium ius, ſed anno
Domini 1501. ex mādato Alexandri VI. Pont. max. opera tamē præfati Illuſtriſſ. Geor-
gij ab Ambaſia Rothomagenſis Archiepiſc. ac S.R.E. Cardinalis, nec non & Sedis apo-
ſtolicæ Legati, ad eiuſdem Inſtituti Obſeruantes, quibus vſq; impræſentiarum deſeruit,
retroceſſit. In iſtius loci eccleſia, quæ à R. Minorita quodam Epiſcopo, R. quoq; Bello-
uacenſis Epiſcopi ſuffraganeo, in honorem ſancti Iacobi Apoſt. anno Dñi 1515. conſe- B
crata extitit, ſequentes ſanctorum reliquiæ, nempe altera ex coſtis diui Bonauenturæ,
& alia itidem ex coſtis S. Barbaræ virg. & mar. atq; Dominicæ crucis particula quàm
religioſè aſſeruantur. Coram ſummo præfatę eccleſiæ altari præmemorati Georgij ab
Ambaſia S.R.E. Cardinalis cor ſepultum eſt: cuius quoq; ſepulchrum non longè ab eo
loco cernitur. In capitulo verò corpus B. F. Ioannis Coignet quieſcit: ad cuius merita
Deus plura miracula operari dignatus eſt. Hunc locum 40. fratres inhabitant.

De conuentu B. Mariæ & S. Antonij Paduani Noui caſtri. Conu. V.

EXIMIAM in Deum pietatem, ac ſummam in Franciſcanam Religionem bene-
uolentiam poſteris commendaturi sereniſſimi Lotharingiæ Ptincipes, & Bari Du-
ces Matthæus atq; Federicus, hunc conuentum, Deiparæ virg. Marię, ac diuo Antonio C
Paduano ſacrum, eius alumnis, anno à partu Virgineo. 1261. intra oppidi Noui caſtri,
quod ad Lotharingos ſpectat, mœnia magnificè ſatis à fundamentis erexêre: nec prius
operi ſuperſederunt, quàm vltimam artificis manum, anno Domini 1270. experiretur.
Annuêre ex animo piæ huic ædificationi R. Gilonius Tullenſis Epiſc. atq; reuerendiſſ.
itidem Catalonēſis Epiſc. Nam eæ amborum partes erāt. Nec minor fuit pietas sereniſſ.
Lotharingię Ducum Ioānis, ac Caroli eius filij: qui & huiuſmodi conuentum à ſe per-
petuò protegendum ſuſceperunt, & ſibi ſubditis imperarunt, vt eius fratres omni bene-
uolentia, omniq; fauore proſequerentur. Eccleſia, in cuius ſacrario altera ex ſpinis Do
minicę coronæ, aliquantulum ex lacte B. Virginis, duæ particulę Dominicæ crucis, &
aliquot oſſa diuæ Columbæ virg. aſſeruantur, Dei genitrici Mariæ, ac diuo Antonio de
Padua, (vt præfati ſumus) anno Domini 1270. conſecrata extitit. Cùm autem hic locus D
ad patres Franciſcanos Conuentuales defeciſſet, opera sereniſſ. Renati Regis Sicilię, ex
apoſtolica auctoritate, anno à partu Virgineo 1500. ad eiuſdem Ordinis Obſeruantes
redijt, atque huic Prouinciæ, ex mandato Iulij II. Pontificis maximi, anno Domi-
ni 1507. adiectus extitit: quem & in pręſentiarum viginti fratres inhabitant.

De conuentu S. Eliſabethæ Tulli. Conu. VI.

ADIECIT eadem pietate permotus sereniſſimus Federicus Lotharingiæ Dux,
de quo ſupra, vt & hunc conuentum, ſanctæ Eliſabethæ ſacrum, anno Dominicæ
natiuitatis 1272. ijſdem fratribus Minoribus, quibus ſummè afficiebatur, Tulli, quæ
Lotharingiæ ciuitas eſt, ædificaret. Cui tamen, collatis in medium pro rata ſumpti-
bus, adfuêre illuſtris heros, ac dominus de Lenoncourt eques, & R. Tullenſis Epiſcopus E
cæteriq; eiuſdem eccleſiæ canonici. Quorum pietatem imitantes eorum ſucceſſores
ipſum locum, eiuſq; incolas, qui vt plurimum ſunt numero 20. ſuis largiſſimis eleemo-
ſynis confouent proſequunturq;. Huius conuentus eccleſia, anno Domini 1274. à quo-
dam Tullenſi Epiſcopo, præfata S. Eliſabetha eius tutelari, conſecrata extitit: quam
pars S. crucis Chriſti, & inſtructiſſima bibliotheca commendatiſſimam reddunt.

De conuentu B. Mariæ ac B. Franciſci Grandiſuillæ. Conu. VII.

QVVM Phillippus Francorum Rex Chriſtianiſſ. inſulam Chanſonenſem, quæ
diœceſi Conſtantienſi ſubiacet, diſtatq; ab vrbe Grandiſuillæ 10. milliaribus, fra-
tribus

A tribus noſtris, anno Domini 1343. conceſſiſſet, eisq; pinguem ſatis eleemoſynam ad vnius conuentus erectionem contuliſſet: illi, omni poſtpoſita mora, annuentibus tamen Coſtantienſi Epiſcopo, & Clemente VI. ſummo Pont. Minoriticam quandam ędem in præfata inſula, non ita poſt multum temporis ab huiuſmodi conceſſione, conſtruendā curarunt. Quę tamen, anno Domini 1543. poſtquam ſecundò à milite Anglo plurimū detrimenti perpeſſa eſſet, fratribus mirum in modum, ab eodem, tertiò ſuperueniēte, variè excruciatis, expoliata extitit. Quapropter pauperculi fratres ſuis rebus conſulturi eam deſerendam cenſuerunt: atq; à pio quodam Iacobo Pigeonio Grandiſuillano proprio, eoq; humaniſſimo, hoſpitio, in ſuburbijs præfatæ ciuitatis Grandiſuillæ excepti, ibidem per tres continuos annos commorati ſunt. Quibus tandem exactis perdeuota matrona, ac illuſtres fœminæ Iacquelina à Touteuilla, & Adriana eius filia emptum
B Grandiſuillæ proprio ære fundum fratribus, ad alterius conuentus ædificationem, anno Domini 1546. liberaliſſimè contulêre. Illi verò obtenta, tum à R. Philippo de Coſſe Conſtantienſi Epiſcopo, tum quoq; à Paulo III. ſummo Pont. humaniſſima facultate hoc ſacrum monaſterium, B. Mariæ ac B. P. Franciſco dicatum, à fundamentis ex diuerſis eleemoſynis Grandiſuillę erigendum, abſoluendumq;, imò & eccleſiam à R. quodā Porphyrienſi Epiſcopo, ac Conſtantienſis R. Præſulis ſuffraganeo, anno Dñi 1547. conſecrandam, præfatis ſanctis eius titularibus, quamdiligentiſſimè curarunt: quam & tres particulæ Dominicæ crucis honeſtant. Inhabitatur hic locus à 23. religioſis.

De conuentu S. Ioannis Baptiſtæ Vici. *Conu. VIII.*

C REVERENDIS. Conradus Mettenſis Epiſcopus fratribus Minoritis, quibus ſummopere afficiebatur, proſpecturus, Tertiariarum ſororum Franciſcanarum, quæ in arctiorem vitam inhiantes in Clariſſarum Regulam alio in loco verba fecerant, derelictū Vici quæ Lotharingię vrbs eſt, diſtatq; Mettis Germanica ciuitate 20. milliarijs, atq; eius iuriſdictioni ſubeſt, monaſteriū, prius tamē à ſe reſarcitū, ac in meliorē cōmodiorēq; formā redactum, de Martini V. ſummi Pont. auctoritate illis, anno à Chriſto ſeruatore nato 1420. menſis verò Febr. die 12. liberaliſſimè contulit: quem & immunē ab omni exactione eſſe, atq; huic Prouinciæ ſubeſſe voluit. Huius loci, quē 13. fratres incolunt, eccleſia conſecrata ex indubia traditione habetur: ſed quo certo tempore, vel cuius Antiſtitis miniſterio id ſibi cōtigerit, inueſtigari, deficiētibus ſcripturis, minimè potuit. Paret Vicus ciuitas tum in ſpiritualibus, tum quoq; in temporalibus Mettenſi Epiſcopo: eaq; de cauſa hic locus à quacumq; exactione ab eius fundatore eximi potuit.

D

De conuentu S. Laurentij Boloniæ. *Conu. IX.*

SERENISS. Philippus Burgundiæ, Lothi, Brabantiæ, Limburgiq; Princeps, Flandriæ Dux, Artheſiæ, Boloniæq; Comes, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, & Namurci Palatinus, ac ſacri quoq; Imperij Marchio, Bolonienſesq; ciues, quibus vna eademq; mens, atq; deuotio ad Franciſcanam Obſeruantem familiam erat, ſibi fundum ad ſuperædificandum ibidem conuentum, in ſuburbijs, ſiue potius in inferiori oppido Bolonia, 24. menſis Iulij, anno Dominicę natiuitatis 1444. liberaliſſimè conceſſerunt. Cumq; aliquot eius patres, quod à ſe maximè deſiderabatur, quamdiligentiſſimè pręſtitiſſent, ibidemq; tum ipſi tum quoq; eius ſucceſſores, per plurimos annos, ad Bolonienſium votum commorati eſſent, à ſuperueniente Anglicana claſſe, plurimis pri-
E mùm diuexati verberibus, ac opprobrijs ſaturati, loco deturbati ſunt. Sed præfata ciuitate Bolonia in Henrici II. Gallorum Regis poteſtatē poſt ſexennium redacta, præfatus conuentus illis fuit redditus. A quo deniq; per hæreticos Hugnoſticos, anno Domini 1569. pulſi cùm eſſent, ſibi, catholicis ſuperuenientibus ac præualentibus, reſtituti ſunt. Nec interim parum detrimenti ſacra hæc domus ab huiuſmodi hoſtibus perpeſſa eſt, cùm ab ijſdem expilata, ac pro maiori parte euerſa ſit: licèt impræſentiarum diligenter refecta, reſarcitaq; fuerit. Huius loci eccleſia à R. quodam Moriuenſi Epiſcopo in honorem S. Laurentij mart. conſecrata extitit: qui & 40. dies de iniunctis pœnitentijs eā viſitātibus in die conſecrationis, quæ Dñica poſt octauā Apoſt. Petri, & Pauli, ſingulis annis cōtigit, liberaliſſimè admiſit. Incolitur deniq; hoc cœnobiū à 20. fratribus.

De conuentu B. Mariæ Miricuriæ. Conu. X. A

PIISSIMVS quidam Miricurianus Richardus Fauard nomine, Miricurię, quæ Lotharingiæ ciuitas eſt, Minoriticum hoc monaſterium, ex proprijs facultatibus, fauente ſibi Nicolai V. ſummi Pontificis, ac Renati Sicilię Regis auctoritate, anno à Chriſto in terris nato. 1447. ædificandum, abſoluendumq; curauit. Cuius eccleſia à R. quodam Tullenſi epiſcopo 13. Februarij, anno Domini 1451. in honorem glorioſæ ſemperq; virginis Mariæ conſecrata fuit. Incolitur ſacra hæc domus, in cuius archiuis aſſeruatur bulla quædam Pij II. Pont. max. data 16. Ianuarij, anno Domini 1458. qua prohibetur, ne quis fratres Minores à ſacris concionibus, ad populum habendis, impedire præſumat, à viginti fratribus vt plurimum, qui ibidem Deo fideliſſimè famulantur.

De conuentu S. Ludouici Regis Valloniarum. Conu. XI. B

OCCVPARANT fratres noſtri de venerabilis cuiuſdam Thomæ, monaſterij ſancti Vigoris de Seuaſeio Abbatis, conſenſu, anno à partu Virgineo 1424. ſancti Maculphi inſulam, Baiocenſi iuriſdictioni ſubiectam, inibiq;, extructo monaſterio, per aliquot annos commorati fuêre. Sed tum aquarum inundationibus, tum quoque importunis pyratis ſibi indies negocium faceſſentibus, eam deſerere, ſeſeq; aliò recipere coacti ſunt. Adfuit autem illis ex tempore illuſtris Guillermus le Telier Lutuniere Baro, qui proprium hortum prope Valonias Normāniæ ciuitatem ſitum, ad cuiuſdam domicilij conſtructionem ſibi quamliberaliſſimè contulit. Cùm enim loci anguſtijs præmerentur, illuſtriſſ. Ludouicus à Borbonio Ruſſilionenſis Comes ac Francię Ammiras, necnon Valoniarum temporalis Dominus emptum, pręfato horto contiguum, eumq; capaciſſimum, fundum in iuſtum conuentū, Paulo II. Pont. Max. ac Ludouico XI. Francorum Rege ſibi annuentibus, anno Dñicę incarnationis 1477. promouit, pręfatisq; fratribus in perpetuam habitationem contulit. Acceſſit quoq; huiuſmodi conſtructioni aſſenſus R. Conſtantienſis Epiſcopi, cuius iuriſdictioni Valloniarum ciuitas ſubiacet. Eccleſiam huius loci, cuius bibliotheca optimis libris abundat, ac fratrum numerus quadragenarius eſt, R. quidam Ioannes Ianopolitanus Epiſcopus in honorem S. Ludouici Francorum Regis conſecrauit: quam & Dominicę crucis particula commendatiſſimam reddit. Cùm V. P. F. Gulielmus Seruaſerius, huius cōuentus Vicarius, in Caluiniſtas hęreticos, toti Gallię infenſiſſimos hoſtes, acrius pro concionatoris munere inueheretur, ab ijsdem depręhenſus, cōuicijsq;, opprobrijs, atq; plagis ſaturatus, tum demum ſub eorum manibus, 18. Iunij anno Dñi 1562. illuſtre martyrium ſubijt. Voluit pręfatus huius loci fundator Ludouicus à Borbonio, extructo ſibi ſumptuoſiſſimo mauſolæo in choro, quaſi fratribus diuino officio intētis perpetuò adfuturus, religioſè ſepeliri. C D

De conuentu S. Marthæ prope Voſagum montem. Conu. XII.

NE Sereniſſ. Nicolaus Lotharingię, ac Calabriæ Dux, cuius ad Franciſcanam obſeruantem familiam deuotio incredibilis fuit, eius alumnis auguſtiorem conuentum ad montis Voſagi radices, ac prope pagum Bauonum Tullenſis dioceſis, (de qua ſupra) iuxta ſibi factam, anno Dñi 1472. à Sixto IIII. Pont. max. facultatem, erigeret, in cauſa extitit eorum affectata paupertas, ac humilis ædificiorum ſtructura, qua nihil illis gratius accidere poterat. Quamobrem ſuccreſcenti fratrum numero conſulturus pijſſimus quidam Nicolaus Cachetius, huiuſmodi conuentum ſuis ſumptibus ampliauit, ac in multò commodiorem formam redegit: Vnde meritò eius fundator dici poteſt. Huius loci eccleſia, quę ſacroſanctis SS. Sebaſtiani, Blaſij, Damiani martyrum, Antonij Abbatis, Leonardi, & Leodegarij confeſſ. Marthæ virginis, Catharinæ, atque Barbaræ itidem virginū inſuper & martyrum, 11. milliū virginum, atq; decem millium martyrum honeſtatur: atq; centum dierum indulgentia in fauorem eam in præfatorum ſanctorum feſtiuitatibus, inſuper & in diuorum Franciſci, Antonij Paduani, Bonauenturæ, ac Ludouici Epiſcopi, Petri, Berardi, Accurſij, Adiuti, atq; Othonis martyrum Minoritarum ſolemnitatibus accedētium, ex illuſtriſſimi Raymūdi S.R.E. Cardinalis, ac Gurcenſis Epiſcopi liberalitate, & conceſſione gaudet, in honorem S. Marthæ virginis, anno E

à mundo

A à mundo redempto 1474. conſecrata extitit: eiuſq; conſecrationis dies Dominica tertia poſt Paſcha cuiuſq; anni celebratur. Cùm deuotiſſimus R. P. Claudius Roletus ſacerdos, huiusq; cœnobij alumnus, à viſitandis diui Quirini liminibus rediret, ipſo die inuentionis S. crucis anni Domini 1575. in Caluiniſtas hæreticos incidit; à quibus tandem, poſt plura ludibria atq; tormenta perpeſſa, illuſtri martyrio, pro catholicæ fidei confeſſione coronatus eſt. Incolitur vt plurimum hic locus à 12. religioſis viris, qui ibidē diu noctuq; Deo optimo maximo inſeruiunt, & ei diuinas laudes, ſecundum formā præſcriptā à catholica ac apoſtolica Eccleſia Romana, ingenti iubilo decantāt.

De conuentu S. Ludouici Epiſcopi Ligneij. Conu. XIII.

B QVÆCVNQVE in ſe bona eſſent, aut ſucceſſionis iure tributa, aut proprio labore parta, Deo opt. max. atq; B. P. Franciſco, cui deuotiſſimus erat, aſcribens illuſtriſſ. Georgius à Trimouilla, Ligneij, quod Barenſis Ducatus oppidum eſt, digniſſimus Comes, antiquum quoddam eremitorium, Ligneianis muris excluſum, in conuentum, licèt anguſtum, anno Domini 1479. erexit, Minoribusq; fratribus, tamquam eorum Patriarchæ ſeraphico gratias pro collato beneficio redditurus, tradidit. Cumq; illuſtriſſ. Ludouicus à Borbonio, Ruſſilionenſis Comes, atq; ex regia ſancti Ludouici Epiſcopi ſtirpe progenitus, ſibi in Ligneiano Comitatu ſucceſſiſſet, tanti cognati fratribus proſpecturus, illis intra eiuſdē oppidi Ligneij mœnia, multò auguſtius, atq; elegantius cœnobium ex religioſiſſ. P. F. Emerici Cheindenij Minoritæ, ac Nuncij, & Commiſſarij apoſtolicæ Sedis in Gallijs, & illuſtriſſ. Iuliani S. R. E. Cardinalis, Epiſcopiq; Sabinenſis, atq; per vniuerſam Galliam à latere Legati, imò & ex Sixti IIII.
C Pont. max. facultate, anno humanæ ſalutis 1482. tum ex proprijs, tum quoque ex oppidanorum facultatibus, à fundamentis ad apicem vſque extruendum: atque diuo Ludouico Epiſcopo, per reuerendiſſimum Ioannem Buxetum titularem Epiſcopum, ac reuerendiſſimi quoq; Epiſcopi Tullenſis ſuffraganeum, anno reſtitutæ ſalutis 1485. conſecrandum curauit: quod frequentius 16. fratres incolunt, ibiq; Deum laudant.

De conuentu Annunciationis B. Mariæ Nanceij. Conu. XIIII.

SERENISSIMI Renati Siciliæ Regis, ac Lotharingiæ, Calabriæq; Ducis ſtudium Franciſcanæ Obſeruanti familiæ non defuit, cùm ſibi conuentum Nanceij, quæ Lotharingiæ ciuitas eſt, prope ipſam Regiam, anno à partu Virgineo 1482. ex facultate tamen Sixti IIII. Pont. max. Ludouico XI. Chriſtianiſſimo in Gallijs re-
D gnante, magnificè ſatis, ac 30. continendis fratribus omnino idoneum, ſuis ſumptibus extruendum, abſoluendum, ac omnibus officinis, & neceſſarijs inſtruendum curauerit. Eius eccleſiam, beatiſſima ſemperq; virgine Dei genitrice Maria, diuisq; Nicolao Epiſcopo, atq; Renato confeſſore titularibus conſecrauit reuerendiſſimus quidā Tullenſis Epiſcopus: in qua & ſequentes ſacroſanctæ reliquiæ honorificè aſſeruātur: nempe particula quædam Dominicæ crucis, eius peluis in qua Chriſtus Dominus diſcipulorum pedes lauit altera pars, quoddam os ſancti Ioannis Baptiſtæ, alter ex digitis diui Mauritij Thebęorum Ducis, caput ſancti Euentij Thebæi atque martyris, cranium ſanctæ Margaretæ vnius ex vndecim millibus virginum, brachium ſanctæ Bienæ virginis atq; Regis Vngariæ filiæ, quoddam os vnius ex ſanctis Innocentibus, & aliquot etiam oſſa ſancti Lutiuonij Treuerēſium Archiepiſcopi. Huius quoque loci templum,
E ſibi ſumptuoſis mauſolęis erectis, in ſepulturam elegerunt præfatus ſereniſſimus fundator, ac pientiſſimi pariterq; ſereniſſimi Antonius Lotharingiæ Dux, qui hæreticos Lutheranos iuſto prælio, tertiò nempę Lauernæ, Lœſtani, atq; Cheruilierij, anno a lœtabunda Chriſti Saluatoris noſtri natiuitate 1625. fudit, ſtrauit, fugauitq;: Et Claudia de Valois Caroli Lotharingiæ Ducis vxor, ac Henrici huius nominis ſecundi, Francorumq; Regis filia: & Nicolaus à Lotharingia Validimontis Comes, eiusq; duæ vxores Margareta Egmōdana, & Ioanna à Sabaudia: & Renata à Borbonio, eiusq; filia, ac duo filij: ac tandem illuſtriſſimus Ioannes Cardinalis à Lotharingia. Aſſeruantur deniq; in huius loci archiuis vnionis bulla Iulij II. Pont. max. & alia Leonis X. ſummi quoq; Pont. quibus Tullenſis, atq; Nouicaſtri conuētus huic Prouinciç vniun-

 tur.

tur.Et alia bulla Clemētis Papæ VII.qua præfato Antonio Lotharingię Duci victoriam A
de Lutherano hoſte relatam congratulatur,ſibiq; ac eius aulicis, imò & omnibus Nan-
ceianis plœnariam omnium peccatorum indulgentiam liberaliſſimè impertitur.

De conuentu ſeu eremitorio S. Trinitatis. Conu. XV.

EREXERANT ſibi 4. eremitæ Tertiarij, ex ſereniſſimi Renati Hieroſolymo-
rum atq; Siciliæ Regis, Lotharingiæq; atq; Andegauenſium Ducis facultate ere-
mitorium quoddam, S. Trinitati ſacrū, ſyluoſo quodam in loco,circa annum à partu
Virgineo 1462. Cumq; eius habitationis eos tæderet,illud poſt elapſum trienniū, nem-
pe anno Domini 1469.Obſeruantibus Minoritis à prefato Rege Renato tradi curarūt.
Cuius traditioni eius filius & heres ſereniſſimus Renatus Lotharingię Dux,atq; nurus
Iolanda,anno reſtitutæ ſalutis 1480. ſumma pietate,ſummaq; beneuolentia ſubſcripſê- B
re. Gaudet hic locus, qui & à 10. fratribus inhabitatur, quiq; plurimos viros grauiſſi-
mos, ſuiq; ſtatus zelotes, ob ſui diſpoſitionem, huic Prouinciæ peperit, 200. dierum
indulgentia,ſibi à 20. S. R. E. Cardinalibus conceſſa, in fauorem eum,in S. Trinitatis,
Epiphaniæ, Apoſtolorum Petri & Pauli, Mariæ Magdalenæ, Dominicæ Natiuitatis,
Annunciationis B. Mariæ, ac feriæ ſecundæ poſt Paſcha ſolemnitatibus viſitantium,
ac manus adiutrices pro eius fabrica porrigentiū.Huius deniq; conuētus eccleſia con-
ſecrata habetur:ſed quādo vel à quo cōſecrata fuerit,nec ſcripto nec traditione cōſtat.

De conuentu S. Mariæ de Angelis Pontiſaudomari. Conu. XVI.

ET ſi omni tempore ſummorum ſtudiorum, eximiæq; beneuolentiæ Chriſtianiſſ.
Ludouici XI. Francorum Regis erga Franciſcanam Obſeruantem familiam indi- C
cia omnibus in propatulo fuerint, maximè tamen enituêre in huius præſentis conuen-
tus ædificatione, quem is, anno Domini 1413. infra mœnia Pontiſaudomari, quæ
Normanniæ oppidum eſt, à fundamentis erigendum curauit. Cùmq; ab eo,immatura
morte præuento,abſolui minimè potuerit, ab eius filio & hærede Carolo huius nomi-
nis VIII. adamuſſim perfectus, huiusq; Prouinciæ fratribus collatus extitit. Huic
erectioni atq; collationi ex animo annuit Sixtus IIII. Pont.max.Inhabitatur hic lo-
cus à 25.fratribus,cuius eccleſia, anno Dñi 1509.die verò mēſis Iunij 5.ab illuſtriſſ.Ga-
briele Veneur S.R.E.Cardinale,ac Lexouienſi Epõ,in honorē S.Mariæ de Angelis, ſan-
ctorūq; Michaëlis Archāgeli, ac Patriarchę Frāciſci conſecrata de religioſo more fuit.

De conuentu S. Ioannis ſanctorumq; omniū Maſſeriarum. Conu. XVII. D

ILLVSTRISSIMVS Princeps Ioannes Brabātię,Lothieri,ac Lemburgi Dux,
Niuernenſiumq; Comes, conuentum in gratiam proprij legitimiq; filij Philippi à
Burgundia, qui,chariſſima eius vxore Maria de Roie defuncta, Franciſcanorum Reli-
gionem profeſſus fuerat, ædificaturus, ab Innocentio VIII. ſummo Pont. vt id ſibi li-
ceret, facultatem quàm humillimè petijt. Qua tamen,anno à mundo redempto 1489.
pro votis obtenta, hoc monaſterium, diuo Ioanni Euangeliſtæ ac omnibus ſanctis,licèt
Bethlehemiticus locus communiter appelletur,ſacrū,proprijs ſumptibus ſtatim à pon-
tificia conceſſione, ad 200. paſſus à munitiſſimo oppido Maſſeria ſiue Maſſerijs con-
ſtruxit: Cuius Guardianum præfatus frater Philippus eius filius, per 35. continuos an-
nos, ſtrenuè egit. Eius corpus in ſacello diui Philippi, in quo & chariſſima eius vxor E
Maria de Roie tumulata fuerat, honorificè quieſcit. Huius deniq; loci, quem 30. vel
circiter fratres inhabitant, eccleſia à reuerendiſſimo Petro Sidonienſi Epiſcopo, ac
Remenſis Archiepiſcopi ſuffraganeo, anno Domini 1504. conſecrata extitit: in qua &
magna capitis ſancti Andreæ Apoſtoli pars, & integrum ſancti Vitalis caput, ac ſancti
Bonauenturæ digitus, cum alijs ſanctorum reliquijs aſſeruantur. Cui quoque illu-
ſtriſſimus Guliermus Remenſis Archiepiſcopus, ac S.R.E. Cardinalis in fauorem eam
accedentium,in Aſſumptionis beatæ Mariæ virginis, ſanctæ Annæ, ſancti Ioſeph, ſan-
ctorum Philippi & Iacobi, ac propriæ dedicationis ſolemnitatibus, centum & quadra-
ginta dies de iniunctis pœnitentijs remiſit: dummodo preces ad Deum fuderint, adiu-
tricesq; manus pro eius fabrica porrexerint.

De con-

A *De conuentu S. Antonij de Padua Caſtri Theodorici.* *Conu. XVIII.*

QVA cura fuerit illuſtriſſ. Antonius S. Menechaldis Comes, ac Caſtri Theodori-
ci, quod Matrona fluuius interfluit, Dominus temporalis, erga id quod ad Fran-
ciſcanæ Regularis Obſeruantiæ promotionem attinebat, vel hinc coniectare licebit.
Ædificauit ſiquidem ſibi ad radices munitionis præfati oppidi Caſtri Theodorici, ſed in
tra eius mœnia, conuentum, diuo Antonio de Padua ſacrum, ex Innocentij VIII. Pont.
max. facultate, anno Dñi 1492. quem & omnibus neceſſarijs, aſtantibus ſibi Petro Flo-
reto ac Ioanne Balhamo, inſtruxit, ac fonte perenni decorauit. Huius loci eccleſiam,
quam & R. P. F. Ioannes Miletus Minorita, Sueſſionenſis Epiſcopus, anno Dñi 1496.
conſecrauit, os menti S. Catharinæ virginis & martyris, atque Dominici ſepulchri ſa-
B cellum commendatiſſimam reddunt: quemadmodum & ipſum conuentum viginti
duo fratres eius incolæ, ac bibliotheca præſtantiſſima, optimis plurimiſq; libris referta.

De conuentu S. Michaelis Archangeli Viriæ. *Conu. XIX.*

DE pientiſſimorum Thomæ Burdegalenſis, eiuſq; legitimæ vxoris Ioannæ Begen-
ſis Virienſium ciuium ſtudio erga promotionem, & augumētum ſeraphicæ Reli-
gionis Franciſcanę ſatis cognoſcitur ex liberali collatione fundi, quem ij, anno à mun-
do redempto 1481. die verò menſis Septembris 15. ad Minoritici unius conuentus con-
ſtructionē, Viriæ quæ Normanniæ inferioris ciuitas eſt, addita quoq; ſatis pingui elee-
moſyna, fratribus noſtris contulêre. Quorū deniq; auſpicijs, ac Chriſtianiſſimi Franco-
rum Regis Caroli huius nominis VIII. nec non & Virienſium aliquorū ciuium libera-
C litate, annuente tamen Innocentio VIII. ſummo Pontif. præſens monaſterium, Archan-
gelo Michaëli ſacrum, poſt decennium, nempe anno Dñi 1491. omnibus ſuis numeris
abſolutum extitit. Quod quidem monaſterium, cuius eccleſia à R. Guiliermo Porphy-
rienſi Epiſcopo, de conſenſu tamen R. Baiocenſis Epiſcopi, cuius eæ partes erant, anno
humanæ ſalutis 1500. die verò menſis Maij 20. in S. Michaëlis Archang. honorem con-
ſecrata extitit, plures patres atq; fratres vita, moribus, religione, fideiq; cōſtātia con-
ſpicuos nobis peperit: inter quos ſubſequentes illuſtre martyrium pro apoſtolicę Sedis
defenſione ſubiêre: Nempe V. P. F. Petrus Goſſet Virienſis, qui adoleſcēs ſacram Mino-
rum Religionem profeſſus, ac in illa optimè inſtructus, nec non ſacerdotij, atq; euāge-
lici prędicatoris munijs inſignitus, ab Hugnoſticis hęreticis ſuſpenſus, vitæ huic morta-
li, in ęternum victurus, vale dixit: Et V. P. F. Iulianus Maignenſis nobilis ſacerdos, qui ab
D ijſdem hæreticis Viriæ comprehenſus, ac plurimis primùm ininrijs, grauiſſimiſq; tor-
mentis exagitatus, ſuffocatus tandem, anno Dñi 1568. menſis verò Septembris die 3. in
Domino obdormiuit: Et conſtantiſſimus frater Ioannes Mecenſis diaconus, qui eodem
die atque anno, ſub eorundem hęreticorum manibus, poſt plurima perpeſſa ludibria,
plumbea glande traiectus, martyrij palmam adeptus eſt: Et V. P. F. Ioannes Buni ſacer-
dos, qui eorundem hęreticorum gladijs confoſſus, eodem die atq; anno, quo duo pręce-
dētes, diem clauſit extremum. His adijciendus venit, omni laude digniſſimus, P. F. Gui-
liermus de Monte magno ſacerdos, qui ab ijſdem Hugnoſticis hęreticis captus, atq; na-
ribus, auriculiſq; orbatus, poſtremò repetitis bellicorum tormentorum ictibus confoſ-
ſus, animā exhalauit. Hoc ipſo anno 1568. Montis Gomerij Comes, peſtilentiſſimus hæ-
reticus, cum pleriſq; ſuę factionis militibus, ne potius dicam ſatellitibus, Viriam vrbem
E dolo ingreſſus, poſt maximam catholicorum cędem, hunc conuentum iniecto igne ſuc-
cendit, funditusq; euertit: ea tantùm de cauſa, quòd plurimi eius patres, ac ſtrenui con-
cionatores in Hugnoſticos, atq; Caluiniſtas hęreticos, tamquam in homines ſanguina-
rios, atq; Sathanę miniſtros, liberè pro ſuggeſtu inuecti eſſent, fidelibusq; ſuggeſſiſſent,
vt ab illis, eorumq; peſtifera doctrina omnino cauerent. Prętere a is idem Comes, qui-
buſdam ſanctorum reliquijs igne iniecto, argenteas earum thecas ac calices, tū aureos,
tum quoque argenteos in ſui, ſuorumq; ſequacium vſum conuertit. A quibus tamen
Deus opt. max. iuſtiſſimas pœnas in hoc ſęculo exegit: cùm ij omnes ad vnum cum
ſuo Duce, aut fame, aut gladio, aut infami ſuſpendio perierint. Inſtauratur nihilominus
hic locus, qui & à 30. fratribus inhabitatur, ſumma eorundem cura ſummaq; diligētia.

De conuentu S. Mariæ de Pietate Malarumherbarum. Conu. XX. A

PRÆMEDITANTIBVS fratribus noſtris Minoritici vnius conuentus conſtructionem prope Seſiacum, Aurelianenſis diœceſis oppidum, ex tempore adfuit illuſtriſſ. ac excellen. Ludouicus à Grauilla Franciæ Ammiras, qui ad 300. paſſus à pręfato oppido, atq; ad proprij caſtri radices, iuxta præterlabentis cuiuſdam riuuli marginem, hoc ſacrum monaſterium, Dominę noſtrę de Pietate dicatum, anno à partu Virgineo 1494. Carolo VII. Rege Francis iura dicente, ac Alexandro VI. ſummo Pontif. in beati Apoſtoli Petri cathedra ſedente, qui & anno Domini 1495. huiuſmodi conuentus conſtructionem ratam habuit, illis à fundamentis erexit: nec prius à cœpto opere deſtitit, quàm vltimam artificis manum experiretur. Eius eccleſia conſecrata habetur, ſed à quo Antiſtite, vel quo id ſibi tempore contigerit, exuſtis ab Hugnoſticis ſimul cũ hoc ipſo conuentu omnibus ſcripturis, penitus ignoratur. B Euaſit nihilominus violentas præfatorum hæreticorum manus pars quædam ligni Dominicæ crucis, quæ adhuc in ſacrario religioſè aſſeruatur. Manet adhuc conuentus ipſe, qui & amœniſſimus eſt, ampliſſimisq; gaudet hortis, & ab 18. fratribus inhabitatur, irreparatus omnino, eiusq; rei in cauſa eſt ciuile Francorum bellum, tumultuantibus indies hæreticis, atq; catholicis negociũ faceſſentibus. Quòd ſi huiuſmodi tumultus ſedarentur, haud dubiè præfati fundatoris ſucceſſores, qui & noſtro Ordini ſummè afficiuntur, ipſum reſarcirent. Pepercerunt interim hæretici, dum locum comburerent, cuidam eius ſacello, quòd præfati fundatoris, eiusq; ſucceſſorum ſepulchrum alabaſtrinum ibidem eſſet erectum. Hocq; ſacello fratres pro choro atq; eccleſia vtuntur, ibidemq; Deo laudes decantant.

De conuentu Bethlehemitico Maſſerijs Conu. XXI. C

ILLVSTRISS. atq; excellentiſſ. Principes Ludouicus Gonzaga, Niuernenſium atq; Rethellenſium Dux &c. eiusq; legitima vxor Henrica à Cliuia (Gallicè de Cleues) quorum laus Franciſcana in eccleſia præcipua eſt, ſuperioribus diebus cum reuerendo patre huius Prouinciæ Miniſtro, cæterisq; Diffinitoribus, quorum ex munere intererat, pacti ſunt Minoriticum conuentum, ex proprijs facultatibus, ad nonum lapidẽ à Maſſerijs, nobili munitaq; ciuitate, in fundo, cui Caſſina nomen eſt, ædificare, huicq; Prouinciæ adijcere, ſi tamen ab ipſis, quæ ſequuntur, leges obſeruentur: Si videlicet præfatus à ſe conſtruendus conuentus perpetuò à 12. fratribus inhabitetur, quorum ſex ad minus ſacerdotio fulgeant. Si ſingulis ſecundis ferijs cuiusq; hebdomadis, vel alia, ſi ſecunda legitimo impedimento teneatur, defunctorum officium pro ipſis fundatoribus celebretur. D Si in choro poſt laudes, ſextam, veſperas, completorium atq; ſummum ſacrum quandam collectam, viuentibus ipſis fundatoribus, & aliam, ijſdem defunctis, ſingulis diebus ijdem fratres recitauerint. Habentur hæ collectæ in pactionis huiuſmodi literis. Si, exigente id neceſſitate, in oppidis atq; pagis, ædificando conuentui nouo vicinis, alijsq; ijſdem fundatoribus ſubiectis locis, ſacras ad populum conciones fratres habuerint. Si deniq; diſtributis & iſti, atq; Bethlehemitico Minorum conuentui, prope Maſſerias præfatam ciuitatem erecto, pro rata eleemoſynis, (volunt enim præfati fundatores, vt nouus hic conuentus, ſub vnius Vicarij regimine, à præfato Maſſerienſi conuentu omnino dependeat, & vt iſtius Guardianus illius Vicario cæterisq; fratribus ius dicat: volunt præterea, vt quæuis eleemoſynæ, ab vtriuſq; loci fratribus emendicatæ, communes ſint, atq; pro rata portione vtriq; conuentui diſtribuantur) calices, iocalia E atq; ornamẽta, ab ipſis pręſenti cœnobio collata, intacta omnino atq; loco immota manſerint. Venientibus igitur huiuſce Prouincię patribus in eandem cum illuſtriſſ. Principibus præfatis ſententiam, ſibiq; annuentibus, illi biennio ſuperiore, nempe 1585. hoc ſacrum monaſterium, cui Bethlehem nomen inditum volunt, in loco iuxta condictum ſtatuto à fundamentis erigendum eo ingenio curarunt, vt ipſum breui vltimam artificis manum experiri faciant. Cui & ſyluam, non longè inde diſtantem, pro ſcindendis neceſſarijs lignis, atq; certam tritici eleemoſynam à ſe, ſuisq; poſteris infallibiliter in ſingulos annos erogandam aſſignarunt. Seruarunt præterea ſibi, ac ſuis ſucceſſoribus præfati fundatores patronatus huiuſce loci ius. Pręfatæ tum demum pactionis ſiue contra-

A tractus authenticæ literæ, cum in præſentis loci, tum quoq; in præfatorum fundato-
rum archiuis diligentius aſſeruantur. Præfati fundatores fratres amore proſequuntur.

De Minoritico conuentu Niuernenſi. *Conu. XXII.*

NIVERNENSIS conuentus in ciuitate eiuſdem nominis & Epiſcopali ſede,
primùm quidem constructus extra muros iuxta portam de Ardillerijs, fuit anno
Dñi 1358. propter bella inter Reges Franciç & Angliç deſtructus, ſoloq; çquatus fuit.
Tunc enim, ob bella, omnia ſuburbia & eccleſiæ extra muros deſtruebantur. Sicq; fra-
tres eam ob cauſam ſine conuentu, & conuenienti domicilio quinque integris annis
manſerunt. Vnde illuſtriſſ. Margareta, filia Philippi quondam Regis Franciæ, & Bur-
gundiæ, Attrebati ac Flandriæ Comitiſſa, maximo pietatis intuitu, vnicum à ſe filium
B genitum, Ludouicum ſcilicet Flandrenſium & Niuernenſium Comitem rogauit, vt qui
fuerat in pueritia in prædicto fratrum loco piè & Chriſtianè enutritus ac educatus, per
viſcera miſericordiæ Dei noſtri eis compateretur, & charitate eis ſubueniret: præſer-
tim cùm eſſet Niuernenſium Comes, & à Iolanda clariſſ. quondam eorundem Niuer-
nenſium Comitiſſa, apud fratres ſepulta, originem duceret. Inſuper & vt eius oſſa ex
deſtructo loco, aliò intra muros ſuæ Niuernenſis ciuitatis transferret, ibiq; conuen-
tum fratrum Minorum erigeret & ædificari curaret. Precibus itaq; maternis acquie-
ſcens vir generoſiſſimus, ac minimè ingratus filius, prædictis fratribus locum in pro-
prio caſtro Niuernenſi dedit, in fundo, qui Gloriette vulgò dicitur, anno Domini 1363.
Hunc locum intrauerunt primò fratres & incoluerunt 16. menſis Aprilis, anno quo
C ſupra. Quem & Benedixit R. P. F. Ioannes Epiſcopus Cuſtodienſis die Iouis poſt Aſcen-
ſionem Domini, videlicet 18. die menſis Maij præmemorati anni. Procurauit autem id
ac impetrauit V. P. F. Ioannes Pinaudi, qui tunc illuſtriſſ. Comitiſſç à ſacris confeſſio-
nibus erat. Extat etiam coram maiori altare eiuſdem conuentus prædictç Iolandæ hu-
iuſmodi epitaphium, quo eius præſtantiſſimæ ac præclariſſimæ dotes manifeſtantur.

Hîc iacet (vt cernis) lapidis ſub pondere grandis,
Quondam Niuernis Comitiſſa potens Iolandis,
Iuſta fuit, ſtabilis, conſultaq; mitis, honeſta,
Compatiens, humilis, ſapiens, deuota, modeſta,
Eius nec merita caperent laudes, neq; petra,
Sitq; procul à tetra caligine, regnet in æthera,
Mœſtis ſolamen erat hæc, miſeriſq; iuuamen,
D *Sit tibi ſolamen trinus & vnus. Amen.* *Obijt anno Domini 1280.* Pro loci am-
pliatione aliqui ciues domos contulerunt: vnde eius eccleſia ſatis eleganter ædificari
cœpit. Cuius fundamenta iacta ſunt anno 1381. menſe Iunio poſt octauas Corporis
Chriſti. Cæterùm hic conuentus, à 20. fratribus frequentius incultus, à ſui erectione
vſq; ad annum Domini 1586. Prouinciæ Turoniæ patribus ſubiacuit. Sed cùm excel-
lentiſſ. ac de Chriſtiana religione optimè meritus, heros Ludouicus Gonzaga Niuernen-
ſium Dux, qui plurimum ſanguinis cum Hugnoſticis, Caluiniſtiſq; hæreticis pro ca-
tholicæ fidei defenſione manus non ſemel, neq; ſecundò, ſed ſæpius conſerens fudit, in
Prouinciæ Franciæ Pariſienſis patres voluntatis inclinatione propenderet, cuperetq;
eum illis ſubactum, vt tandem i lli ex voto ſuccederet, à ſanctiſſ. D. Sixto V. Pont.
max. apoſtolici cuiuſdam breuis, dati Romæ apud S. Marcum 25. Octobris, anno Do-
E mini 1586. anno ſui Pontificatus ij. atq; ad reuerendiſſimum Niuernenſium Epiſco-
pum directi medio impetrauit. Tranſlatus igitur fuit prçfatus hic conuentus à Prouin-
cia Turoniæ ad hanc Franciæ Pariſienſis Prouinciam, anno ſuperius nominato 1586.
Cuius tranſlationis apoſtolicam breue in eius archiuis accuratiſſimè aſſeruatur.

De monaſterio SS. Ferrucij atq; Ferreoli Mettis. *Mon. I.*

CVM ſacrç aliquot virgines, de prima beatç virginis Clarç Regula, ex Brabantia,
annuente tamen Sixto IIII. Pont. max. Mettas, quæ ſuperioris Germaniæ ciuitas
eſt, appuliſſent, præparatumq; ſibi à perdeuoto Ioanne de Gournai Mettenſi ciue, qui
& Minorita effectus eſt, monaſterium, per 67. annos, ab anno videlicet Domini 1481.
vſq; ad

vſq; ad annum 1558. religioſiſſimè habitaſſent, inde poſtquam huiuſmodi ciuitas in A Gallorum poteſtatem venit, ſumpta occaſione, quòd earum monaſterium ciuitatis fortitudinem eneruaret, deturbatæ, ac per incertas ſedes diuagari coactæ ſunt: Nam in ſanctiſſimæ Trinitatis eccleſia exceptæ, inde ad parochialem SS. Ferrucij atq; Ferreoli eccleſiam tranſire compelluntur: vbi tum propter loci anguſtias, tum quoq; propter alia quamplurima incommoda, miſerrimam vitam per plurimos annos duxêre. Fuit nihilominus huiuſmodi eccleſia illis à canonicis S. Theobaldi, Frãciſco Gallorum Rege id expetente, liberaliter conceſſa. Ex hoc loco, in quo 25. ſorores inhabitant, prodiêre olim aliquot ſanctiſſimæ moniales, quæ Barenſe, Alanconienſe, atq; Pariſienſe monaſteria ſanctiſſimè fundarunt. Earũ eccleſia, cùm parochialis fuerit, conſecrata habetur.

De monaſterio S. Claræ aliàs Auemariano Pariſiis. Mon. II.

B

ERREXERAT deuotiſſimus ſimul atq; ſanctiſſ. Ludouicus Francorum Rex honeſtis quibuſdam fœminis (quas vulgò Bighinas vocant) in S. Pauli parœcia, Pariſienſis ciuitatis, ſatis capax monaſterium, vt felicius ibidem Deo famularentur. Quibus tamen ad Ludouici XI. Gallorum Regis vſq; tempora ibidem perſeuerantibus, atq; ad ternarium tantùm numerum redactis, earum domus, ipſis nihilominus conſentientibus, à prefato Ludouico XI. Rege ad ſorores de tertio ſeraphici patris Frãciſci Ordine tranſlata, ac huius Prouinciæ prouinciali Vicario ſubiecta extitit. Cumq; præfatæ Tertiariæ ſorores in perfectiorem, atq; ſtrictiorem vitam, nempe in primam beatæ Virginis Claræ Regulam inhiarent, annuente Innocentio ſummo Pont. aliquot eiuſdem Inſtituti ſanctimoniales ex Mettẽſi conuentu, anno à Chriſto nato 1484. menſis verò Ianuarij tertio idus, eductæ, ad hunc præſentem tranſlatæ ſunt, vt eius habitatrices, cæterasq; aduentantes virgines, Clariſſis ritibus atq; cœremonijs imbuerent. Quibus sereniſſima Caroleta Francorum Regina, atq; præmemorati Ludouici XI. legitima vxor, nec non & Caroli VIII. ſtrenui Gallorum Regis mater, monaſterium proprijs ſumptibus ampliandum, neceſſarijsq; officinis colluſtrandum curauit. Cui quoq; prædictus Carolus VIII. Minoriticum conuentum coædificauit, volens vt 12. fratres ſacerdotes, tresq; laici, atq; aliquot famuli ſæculares, (hos familiares vocant) quorum alter Confeſſarij officio apud moniales, & ſuperioris munere apud fratres fungeretur, reliqui verò decantandis in eccleſia, vtriſq; communi, Miſſis, ac conquirendis pro vtraq; familia eleemoſynis vacarent, ibidem commorarentur. Prouidæ huius Regis ſanctioni ſubſcripſit Henricus II. Galliarum Rex. Huius monaſterij eccleſiam, in qua os quoddam S. Lucæ Euangeliſtæ, pars menti diuæ Ceciliæ virg. & mart. caput diui Adriani D vterini fratris S. Anaſtaſiæ, tibia S. Candidæ, alter ex digitis S. Ioannis Chryſoſtomi, brachium S. Chriſtinæ virg. atq; mart. pes alterius ex SS. Innocentibus, tria capita ſanctarum virg. atq; mart. Margaretæ, Odillæ, & Pacificæ de 11. millium virginum cœtu, & aliæ quamplurimæ ſanctorũ reliquiæ debita cum reuerentia aſſeruantur, R. Dionyſius Pariſienſis Epiſcopus, atq; Antiochenus Patriarcha, anno Dominicæ incarnationis 1481. menſis verò Martij die 18. in beatiſſimæ virginis Mariæ honorem conſecrauit, ſibiq; 80. dies indulgentiarum pro eam in propriæ dedicationis feſto accedentibus liberaliter conceſſit. Hic deniq; locus, qui & religioſiſſimus eſt, optimeq; apud Pariſienſes audit, à 55. Clariſſis ſororibus inhabitatur, quarum miniſterio 15. fratres (vt præfati ſumus) in proximo conuentu, religioſiſſimam vitam ducentes, intendunt.

De monaſterio S. Michaelis Archangeli Bariducis. Mon. III.

E

PROPRIÆ ſaluti conſultura perdeuota Maria Traual, aliâs du Luc, vidua ex Martini Traual morte relicta, ex proprijs facultatibus, quę largiores erant, ſacrum monaſterium, ſub prima beatæ virgines Claræ Regula, Bariducis, annuentibus tamen Innocentio VIII. ſummo Pont. atq; ſereniſſ. Renato Siciliæ Rege, anno à Chriſto Seruatore nato 1583. à fundamentis extruendum, atq; infra triennij ſpatium abſoluendum omnino curauit. Quod tamen cum alijs ſanctiſſ. ſororibus aliundè euocatis, atq; alijs virginibus de nouo accedentibus ingreſſa, ibidem per 24. continuos annos religioſiſſimè atq; ſanctiſſimè conuixit. Huic monaſterio, cuius eccleſiam R. quidam Tullenſis Epi-

A ſis Epiſcopus, ſub inuocatione S. Michaëlis Archangeli, anno reſtitutæ ſalutis 1487.
conſecrauit, atq; caput S. Amoris martyris, vnius ex 11. millibus virginum, & coſtę pars
S. Margaretæ, de earumdem virginum ſocietate, commedatiſſimam reddunt. Leo X.
Pont. max. aliquot gratias conceſſit, quas tamen, quòd nihil aut certè parum ad rem
pertineant, data opera in mediũ adferre nolui. Obſequũtur Deo opt. max. hoc in eodẽ
loco 22. ſorores Clariſſæ de prima (vt præfati ſumus) beatæ virginis Claræ Regula.

De monaſterio Mauritaniæ apud Vnellos. Mon IIII.

CVPIENTIBVS quibuſdam Tertiarijs, ſeu Franciſcanis ſororibus in arctiorem atq; perfectiorem vitam tranſire, adfuit illicò, atq; pro votis, illuſtriſſ. pariter ac pientiſſ. Princeps Margareta à Lotharingia, illuſtriſſ. Caroli Alenconienſium Ducis, atq; Vnellorum Comitis mater, quæ emptum Mauritaniæ, quæ Vnellorum op-
B pidum eſt, capaciſſ. fundum, ſtrenuo heroi Ioanni à Monte Boſſerio cum pinguiſſima
eleemoſyna, anno Dominicæ natiuitatis 1502. contulit, vt ibidem, neceſſarijs ſuperadditis, conueniens monaſterium ædificandum curaret. Quo deniq;, poſt elapſum ſeptennium, nempe anno Domini 1509. abſoluto, præfatæ ſorores Tertiariæ ad ipſum, de ſummi Pont. Leonis X. facultate ſe transferentes, in primam beatæ virginis Claræ Regulam verba fecerunt, ſeſeq; curæ huius Prouinciæ Miniſtri commiſêre: in quo & ſanctiſſimè vſq; in præſens perſeuerarunt. Earum eccleſiam, in cuius ſacrario pars ligni Dominicæ crucis, atq; os quoddam S. Stephani prothomartyris religiosè aſſeruantur, R. Iacobus de Silli Sagienſis Epiſcopus, de religioſo more, conſecrauit. Cùm Hugno-
C ſtici hæretici omnia penes ſacra loca horrendis cædibus fœdarent, atq; Mauritaniam,
Duce Gaſpare Coligneo Franciæ Ammirante, infeſtiſſimis ſignis ingreſſi fuiſſent, ſoror Margareta parua, ex Rothomago orienda, in ſanguinarias illorum manus incidit: cumq; eorum libidini, atq; procacitati aſſentire nollet, ab ijſdem, feris in hoc immanioribus, diro mucrone confoſſa eſt, ſicq; palmam glorioſi martyrij eſt aſſecuta.

De monaſterio Annunciationis B. virginis Argentonij. Mon. V.

HVIC ſæculo nequam vale dictura illuſtriſſima Princeps Margareta à Lotharingia, Alenconienſium Duciſſa, atq; illuſtriſſ. nec non & religioſiſſimi Renati Alenconienſium quoq; Ducis legitima quondam vxor, poſtquam Mauritanicum, (de quo paulò ſupra) Alenconienſe, Caſtri Villanij, atq; Caſtri Gunterij monaſteria Clariſſis ſororibus ædificaſſet, hoc quoq; quintum, Annunciationi virginis Marię ſacrum,
D Argentonij, quæ Normanniæ oppidum eſt, circa annum Dominicæ natiuitatis 1517.
ex proprijs quoq; facultatibus, Leone X. Pont. max. atq; Carolo à Lotharingia Alenconienſium Duce proprio filio ſibi annuentibus, conſtruendum, atq; ad ipſum Franciſcanas quaſdam Tertiarias ſorores Argentonij, quodã in xenodochio degẽtes, tranſferendas curauit. Quibus tamen perfectiorem viuendi modum anhelantes, præfatus Leo X. ſummus Pontif. expedita plumbea bulla, ſub datum Romę anno Domini 1524. menſis verò Octobris iiij. idus, quæ & adhuc in huius loci archiuis perſeuerat, conceſſit, vt in beatæ virginis Claræ Regulam, ab Vrbano ſummo Pont. modificatam, vnde & Vrbaniſtæ dictæ veniunt, tranſirent: prout & fecerunt. Huius monaſterij eccleſia, in cuius maioris ſacello, iuxta locum pronunciandæ Epiſtolæ deputatum, illuſtriſſ. præfatæ Margaretę à Lotharingia corpus honorificè quieſcit, à R. Iacobo de Silli Sagienſi Epi-
E ſcopo (de quo ſupra) in honorem Annunciationis Deiparæ Virginis (vt præfati ſumus)
conſecrata extitit: in qua & caput vnius ex 11. millibus virginum religiosè cuſtoditur. Commorantur tandem hoc in monaſterio 35. religioſiſſimę virgines Clariſſæ.

De monaſterio S. Claræ Alenconij. Mon. VI.

SANE, ſi debita antiquitatis ſeries à nobis ſeruanda veniret, Alenconienſis hic monialium conuentus pręcedenti pręponendus fuiſſet: cùm ille (vt pręfati ſumus) ab illuſtriſſ. Principe Margareta à Lotharingia, Alenconienſium Duciſſa, anno Virginei partus 1517. iſte verò per 19. annos antea, nempe anno Domini 1498. Alenconij, quæ Normãnię ciuitas eſt, ſub titulo S. virginis Clarę, ab eadem pientiſſima fundatrice, Alexandro

xandro VI. ſummo Pont. ſedente, imò & annuente ædificatus fuerit. Sed cùm præfata antiquitatis ſeries nobis, qui vel vrbium dignitatem, vel locum à prouincialibus Capitulis cuiq; præfixum, potius attendimus, à propoſito non ſit, nihil aut certè parum refert, quòd illum iſti, aut iſtum illi præferamus. Huius ſacri conuentus, quem & 40. ſorores Clariſſę ſub reformatione beatæ Coletæ frequentius inhabitant, eccleſia à R. Iacobo de Silli Sagienſi Epiſcopo, anno Domini 1499. menſis verò Auguſti die 11. conſecrata extitit: quam & duę Dominicę crucis particulę, atq; caput S. Sapientię virg. & mart. quæ illuſtre cum cæteris virginibus martyrium apud Coloniam Agrippinam ſubijt, inſigniorem reddunt. Plures profectò ſorores vita illuſtres, moribus inſignes, atq; ſanctitate conſpicuæ in hoc ſacro monaſterio, in quo monaſtica diſciplina, atq; Regulæ candor mordicus ſeruantur, diem non abſq; ſanctitatis nota clauſêre extremum. Ex harum numero fuêre ſoror Agnes Viotte tertium Seraphici patris Franciſci Ordinem primitus, ſed poſtmodum primam beatæ virginis Claræ Regulam profeſſa: quæ plurimas, eaſq; glorioſas, de Sathana victorias retulit. Cuius deniq; corpus, licèt humidiſſimo loco tumulatum, poſt 12. annos integrum omnino, incorruptum, atq; ſuauiſſima fragrantia reſperſum, fuit inuentum. Idipſum quoq; contigit pijſſimarum ſororum Gabrielæ à Nozai, atq; Mariæ Clementij corporibus: cùm poſterius poſt ſeptendecim annos ab eius funere, prius verò poſt vigeſimum ab eodem euentu, omnino redolentia, atq; integra, & vlla abſq; corruptionis læſione apparuerint. His monialibus fideliter inſeruiunt 10. huius Prouinciæ patres ac fratres, quorum alter iſtis præeſt, atq; monialibus à ſacrisconfeſſionibus eſt: reliqui verò ſacris tum faciendis, tum quoq; ſolemniter celebrandis, atq; eleemoſynis pro vtraq; familia perquirendis quamdiligentiſſimè intendunt, ſicq; in vinea Domini fideliſſimè laborant.

De monaſterio Clariſſarum Deſiræ. Mon. VII.

VT primùm illuſtriſſimus, ſimulatq; excellentiſſimus heros Ludouicus Gonzaga Niuernenſium Rethellenſiumq; Dux à ſanctiſſimo Domino Sixto V. Pontifice maximo impetrauit, vt Minoriticus Niuernenſis conuentus, Prouinciæ Turonię patribus olim ſubiectus, cæterorum locorum Prouinciæ Franciæ Pariſienſis albo aſcriberetur, eiuſq; cura reuerendo patri eiuſdem Prouinciæ Franciæ Pariſienſis Miniſtro committeretur: adiecit, vt ab eodem ſanctiſſimo Domino Sixto Papa V. obtineret, quatenus Clariſſarum monaſterium Deſiræ, quæ Niuernenſis diœceſis oppidum eſt, diſtatq; à Niuernio viginti & vno millibus paſſuum, ab antiquo erectum, & à 25. ſororibus (vt præfati ſumus) Clariſſis frequentius inhabitatum, nec non curæ reuerendi patris Prouinciæ ſancti Bonauenturæ, à ſui erectione ad hæc vſq; noſtra tempora, commiſſum, reliquis ſororum præfatæ Prouinciæ Franciæ Pariſienſis monaſterijs annecteretur. Quod & apoſtolici cuiuſdam breuis, dati Romæ apud ſanctum Marcum 3. menſis Octobris, anno à ſalutifera ſeruatoris Chriſti natiuitate 1586. Pontificatus verò ſanctiſſimi eiuſdem Pontificis maximi Sixti V. 2. virtute pro votis aſſequutus eſt. Qua etiam de cauſa nos præfatum Deſiderenſe Clariſſarum monaſterium, pientiſſimis oppidanorum ſumptibus (vt creditur) ædificatum, tamquam legitimè, atq; conſultiſſimè à Prouincia ſancti Bonauenturæ ad hanc Franciæ Pariſienſis Prouinciam tranſlatum, hîc ſubiectum voluimus. Qui apoſtolicum huiuſcemodi tranſlationis diploma videre deſiderauerit, præſentis monaſterij archiuos, conſulat ſibiq; ſatisfactum experietur.

De Tertiariarum monaſterio Deyzuchy. Mon. VIII.

SERENISSIMI Renati Hieroſolymorum, atq; Siciliæ Regis magnificētia, accedente tamen ſummi Pontificis tunc ſedentis aſſenſu, præſens conuentus, quem & decem Sorores de tertio ſeraphici patris Franciſci Ordine inhabitant, in pago Deijzichio Mettenſis diœceſis, circa annum Dominicæ incarnationis 1413. conſtructus extitit. Cui, quòd eius incolæ, tum infirmis, tum quoque peſte laborantibus opportunè adſint, Mettenſis Epiſcopus, atq; quod cleri reliquum eſt plura priuilegia contulit.

De mon. SS. Marthæ, Eliſabethæq; Caſtri Salinarum. Mon. IX.

PIISSIMI Chriſti fideles Robertus Morcelius, eiuſq; legitima vxor Itillona Quacatia, atq; Titianus Boucher, facturi ſibi amicos, qui ſe in ęterna tabernacula reciperent

A ciperent, hoc ſacrum monaſterium, 20. Frãciſcanis ſororibus Tertiarijs continendis accommodum omnino, ex collatis in medium proprijs facultatibus in Caſtro ſalinarum, quod Mettentis diœceſis oppidum eſt, ſubeſtq; ſereniſſimis Lotharingiæ Ducibus, circa annum à Chriſto in terris nato 1418. à fundamentis extruendum, ſuiſq; numeris abſoluendum curarũt. Eius eccleſia, ipſo die omnium ſanctorum anni Dominici 1479. à R. Deſiderio Natali Epiſcopo Pamadenſi, atque Mettẽſi Epiſcopo à ſuffragijs, ſanctis Martha virgine, atque Eliſabetha Vngariæ Regis filia eius titularibus, conſecrata extitit: gaudetque, ex Leonis X. Pontifice maximi liberalitate, omnibus priuilegijs, atque fauoribus Tertiariarum ſororũ Ordini à ſuis prędeceſſoribus antea cõceſſis, atq; à ſucceſſoribus in poſterum concedendis; inſuper & eleganti Dominicæ crucis particula religioſiſſimè exornatur, quæ ab omnibus ſanctimonialibus præfatis ſummè veneratur.

B *De monaſterio Tertiariarum Monſteroly. Mon. X.*

CONSVLTVRI deuotiſſimi Ioannes Bourſius in vtroq; Iure licentiatus, atq; itidem Ioannes Hulotus, eiuſq; chariſſima vxor Monſterolij, quod Viromandorum, atq; Ambianenſis diœceſis oppidum eſt, infirmis, quippe qui ex Archita Tarentino non ſibi, ſed charæ potius patriæ natos fuiſſe didicerant, hoc monaſterium, viginti Tertiarijs ſororibus Franciſcanis excipiendis idoneum, ſuis ſumptibus, anno Domini 1458. ædificandum curarunt. Cùmq; immatura morte pręuenti, eius eccleſiam, quam & plura ſanctæ Genouefæ virginis oſſa, & aliquot beati patris Franciſci reliquiæ eleganter exornant, abſoluere nequiuiſſent, R. Nicolaus de Pelue, tunc Ambianenſis Epiſcopus, ſufficientem eleemoſynam ad eius conſummationẽ & perfectionẽ, anno Dñicæ incar nationis 1559. poſt profligatũ à Gallorũ, atq; Hiſpanorum Regibus bellum, ſumma liberalitate (eſt enim in pauperes, præcipuè religioſos munificentiſſimus) contulit.

C

De monaſterio S. Eliſabethæ Abbatisuillæ. Mon. XI.

CONSTRVXERANT ſibi honeſtæ quædam fœminæ (Biguinæ vulgò nuncupatæ) Abbatisuillæ, quæ Viromandorum ciuitas eſt, ſatis conueniens monaſterium, ibidemq; tum ipſæ, tum quoque aliquæ earum ſequaces, per aliquot annos commoratæ ſunt. Cùmque eis deficientibus, locus habitatore deſtitueretur, prouidi ciues communibus neceſſitatibus conſulturi, ſorores aliquot tertio beatiſſimi patris Franciſci Inſtituto aſtrictæ, eò aliunde, ex eorum quorum intererat facultate, anno Domini 1456. transferendas curarũt. Quæ ob præſtitum fidele obſequium, præfatos ciues adeo

D in ſui beneuolentiam traxerunt, vt ſibi, licèt ſint quadraginta numero, vllo abſque grauamine, imò libentiſſimè neceſſaria miniſtrent. Præfatam translationem, vt ex eius diplomate, dato xj. calen. Aprilis, Pontificatus verò ſui anno iiij. liquidò conſtat, ratam habuit confirmauitq; Sixtus IIII. Pont. max. qui & hunc locum huius Prouinciæ Miniſtro ſubeſſe voluit. Huius deniq; monaſterij eccleſia, in cuius ſacrario duo capita ex 10. millibus martyrum, & ſacra ſanctorum Euſtachij, Suſannæ, Iulianæ, atque Margaretæ ex vndecim millium virginum atque martyrum cœtu capita, item duo alia capita ex tredecim millibus martyrum, & cranei pars ſanctę Vrſulę virginis & martyris, & quoddam os S. Adriani, atq; S. Eliadis brachium, inferior S. Adiuti martyris mandicula, atq; de lacte B. virginis Mariæ cum teſtimonialibus, eiſq; authenticis literis, fideliter aſſeruantur, in Dei atq; S. Eliſabethæ honorem conſecrata habetur.

E Sed per quem, vel quo certo tempore id ſibi euenerit, memoria penitus excidit.

De mon. SS. Michaelis, Pauli Apoſt. & Franciſci Olmæ. Mon. XII.

VT primùm Sixtus IIII. Pont. max. anno Dominicę Incarnationis 1472. illuſtri, ac pientiſſimo Gerardo de Huracourt Olmenſis oppidi temporali Domino, atq; Nacianenſi Baliuo, nec non & Lotharingiæ Ducis conſiliario, tria monaſteria Tertiarijs ſororibus Franciſcanis ædificandi per Lotharingiam facultatem feciſſet, atq; pontificiæ huiuſcemodi conceſſioni, tum ſereniſſimus Nicolaus Lotharingiæ Dux, tum quoque R. Antonius à Nouo caſtro Tullenſis Epiſcopus ſubſcripſiſſent, hoc monaſterium, ad continendas viginti ſorores aptiſſimum, præfatus Gerardus ex proprijs facultatibus,

tatibus,intra Olmi oppidi mœnia,ſtatim à pontificio indultu ædificari fecit. Cuius ec- A
cleſiam quidam R. Tullenſis Epiſcopi,cui Olma in ſpiritualibus ſubeſt,ſuffraganeus,in
ſanctorum Michaëlis Archangeli, Pauli Apoſtoli,atque patris Franciſci honorem, de
religioſo more, conſecrauit: ac ſacroſanctæ ſequentes reliquiæ, nempe altera ex ſpinis
Dominicæ coronæ, Dominicę itidem crucis particula, & aliquot ſanctorum Hilarij
Epiſcopi, atque Stephani prothomartyris oſſa commendatiſſimam reddunt.

De monaſterio B. Mariæ ac S. Ludouici Regis Bellouaci. Mon. XIII.

CONSTRVXERAT ſanctiſſimus Gallorum Rex Ludouicus Bellouaci, quæ
Picardiæ ſiue Normandiæ ciuitas eſt, Biguinis (de quibus ſupra) monaſterium.
Quod tamen, eis temporis ſucceſſu omnino deficientibus, ad ruinam tendere cœpit.
Quamobrem Bellouacenſis ſenatus tum illi, tum quoq; ſibi proſpecturus, à Chriſtia- B
niſſimo Francorum Rege Ludouico XI. ſupplex,anno Domini 1480. petijt,concedere
dignaretur, quatenus huiuſmodi monaſterium ſibi ex regia facultate ad Tertiarias ſo-
rores Franciſcanas transferre liceret. Quo deniq; annuente, ac adductis 11. ſororibus
ex eiuſdem Ordinis monaſterio, Abbatiſuillæ erecto, hic locus in præfatarum ſoro-
rum Tertiariarum ius tranſijt. Quibus quotquot ab eo temporis fuêre Bellouacenſes
Epiſcopi, tum propter earum ſanctimoniam, tum quoq; propter diligentem, quam
circa infirmos gerunt, curam, benefici extitêre: & Leo X. Pont. max. anno Dñi 1515.
conceſſit, quiſquis ſacerdos, ſiue is ſæcularis, ſiue regularis fuerit,ſacras earum con-
feſſiones exceperit,omnibus priuilegijs,Minoritico Ordini conceſſis,gaudeat.Huius ſa-
cræ domus eccleſiam, quam & purpureæ veſtis Dominicæ pars, & Dominicæ itidem
crucis particula, & altera ex coſtis S. Ludouici Francorum Regis, & pars menti S. Eli- C
ſabethæ vnius ex 11. millibus virginum, ac 40. Tertiariæ ſorores Franciſcanę,eius ac-
colæ, commendatiſſimam reddunt, reuerendiſſimus Ludouicus de Villers, aliàs Inſu-
lenſis ad Dei honorem, beata interim virgine Maria,atq; S. Ludouico Francorum Re-
ge eius tutelaribus,7.menſis Auguſti anno verò Domini 1529.conſecrauit: ac 40. dies
eã in feſto propriæ dedicationis viſitãtibus, atq; liberalibus eleemoſynis proſequẽtibus
de iniunctis pęnitentijs remiſit. Pręfatas Tertiarias ciues in Dño Ieſu Chriſto diligunt.

De monaſterio B. Mariæ,ac S. Eliſabethæ apud S. Quintinũ. Mon. XIIII.

QVONIAM, debellata per Philippum huius nominis ſecundum atq; Hiſpa-
niarum Regem, & exercitum eius,Emanuele Philiberto Allobrogum Duce,prę-
fati exercitus Principe atque Præfecto, ſancti Quintini ciuitate,quæ totius Viroman- D
dię metropolis eſt, quicquid ſcripturarum; aut monumẽtorum in archiuis contineba-
tur, militari ſæuitia atque impietate deperijt, quo certo tempore hoc ſacrum monaſte-
rium, 30. Tertiarijs ſororibus Frãciſcanis excipiendis omnino idoneum, atq; à pręfatis
ciuibus,præſertim verò à nobilibus familijs de Mouy, atq; de Sciſchay ædificatum in-
tra præfatæ vrbis mœnia,fuerit conſtructum minimè inueſtigare potuimus. Hoc nihi-
lominus certiſſimum eſt,hunc ſcilicet locum à præfatis militibus maiori ex parte diru-
tum,ab ijſdem ciuibus, diligenti tamen ſororum opera, reſarcitum, ac penè reædifi-
catum fuiſſe: nec non & eius eccleſiam à reuerendiſſimo Ioanne Montracs Ruſſio-
nenſi Epiſcopo, ac R. Nouiomenſis Præſulis ſuffraganeo conſecratam extitiſſe.

De monaſterio S. Nicolai Ambiani. Mon. XV. E

CVM pijſſimus Aegidius Rauinius, atq; eius legitima vxor Nicolaa Ambianen-
ſes ciues xenodochium ad pauperes tum excipiendos, tum quoque curandos, ſi-
biq; eccleſiam, atq; monaſterium omnino contigua Ambiani, quæ Picardiæ vrbs eſt,
anno reſtitutæ ſalutis 1481. ex communibus facultatibus erigendum, atq; Tertiarias
aliquot ſorores Franciſcanas ad ipſum transferendas curaſſent,eę,quę numero ſunt 30.
eoq; amplius, illud ſumma cura, ſummaq; diligentia, & ampliarunt, & in meliorem
formam redegerunt. Quibus Sixtus IIII. Pont. max. expedita bulla ſub datum Romę
nonis Septẽbris, anno verò Domini 1483. omnia priuilegia, omneſq; fauores,Minori-
tico Ordini cõceſſa, liberaliſſimè impertitus eſt. Cui & Leo ſummus Pont. ſubſcri-
pſit,

A pſit. Huius loci Eccleſia conſecrata habetur miniſterio R. Nicolai Lagrencij Hebronenſis Epiſcopi, atq; reuerendiſſimo Ambianenſi Pręſuli à ſuffragijs, in honorem ſancti Nicolai Epiſcopi & confeſſoris: in cuius ſacrario ſancti Romani Rothomagenſis Archiepiſcopi vertex, & pars cranii S. Stephani prothomartyris, nec non & brachium ſanctæ Eliſabethæ Vngariæ Regis filiæ religioſiſſimè ac fideliſſimè aſſeruantur.

De monaſterio S. Catharinæ Boloniæ. Mon. XVI.

EXVSTIS ab Angelo milite omnibus literis atq; ſcripturis, quę in vrbis Boloniæ tabellarijs continebantur, nihil penitus de prima pręſentis conuentus erectione, ſcilicet à quo, vel quando extructus fuerit, haberi potuit. Conſtat tamē ipſum ante centum quadraginta annos initium habuiſſe, ibidemq; per multum temporis ſpacium aliquot
B Tertiarias ſorores Franciſcanas inhabitaſſe. Quę tamen à præfato milite Angelo loco deturbatę, atq; eiectæ, poſtquam per aliquor annos per incertas ſedes diuagatę fuiſſent, præfata ciuitate Bolonia, quæ Oceano mari alluitur, atq; ad Normannos ſpectat, in Henrici II. Gallorum Regis poteſtatem proſpero Marte redacta, Anglis interim inde pulſis, tum præfati Hērici Regis liberalitate atq; fauore, tum quoq; Bolonienſium beneficio, & propriū hoc monaſterium, diuę Catharinæ virg. & mart. ſacrū, repetiêre, & ipſum fermè euerſum reędificarunt. Sūt autē pręfatę moniales numero viginti.

De monaſterio S. Mariæ Magdalenæ Dulendij. Mon. XVII.

QVOD Dulendiana communitas Biguinis (de quibus ſupra ſemel atq; iterum) ab aliquibus annis, Dulendii, quod Viromandię oppidum eſt, ſacrum monaſte-
C rium erexerat, id in multò elegantiorem formam prius redactum, illis maximè deficientibus, ex ſummi Pontificis Innocentii VIII. facultate, ad Tertiarias ſorores Franciſcanas, anno Dominicæ incarnationis 1488. transferendum curauit. A quo quidem tempore 25. eiuſdem Inſtituti ſorores, maxima cum laude, ac infirmorum vtilitate, quibus curandis pręcipuè inuigilant, vt plurimùm ibidem commorantur. Quarum denique eccleſia capite S. Fabianæ, quæ vna fuit ex vndecim millium virginum cœtu, inſignis, à R. quodam Hebronenſi Epiſcopo, anno virginei partus 1550. conſecrata extitit.

De monaſterio S. Ludouici Epiſcopi Montis deſiderij. Mon. XVIII.

ILLVSTRIS, pijſſimaq; Iacoba de Launoy oppidorū Ploiron & Rembeſcourt (Gallicè nuncupatorum) temporalis Domina, vt primùm ex morte illuſtris Herois,
D ac chariſſimi viri Ludouici Dailli vidua relicta eſſet, eam dotem, quam à parentibus pro contrahendo matrimonio acceperat, conſtructioni vnius ſororum monaſterij, nihil interim gratiarum actionis, aut auræ popularis ab hoc ſæculo nequam deſiderans, adiudicauit. Obtenta itaq; anno humanæ ſalutis 1485. tum à R. Ambianenſium Epiſcopo, cuius eæ partes erant, tum à Gallorum Rege eo temporis regnante, tum quoq; à Pariſienſi ſenatu pro votis facultate, hoc monaſterium diuo Ludouico Tholoſatum Epiſcopo ſacrum, Montisdeſiderij, quod Viromandorum oppidum eſt, atq; Ambianēſi Epiſcopo in ſpiritualibus paret, à fundamentis ad apicem vſq; extrui, atque à Tertiarijs ſororibus Franciſcanis inhabitari curauit. Quarum 25. curandis infirmis potiſſimum intentæ, qua etiam de cauſa oppidanis gratiſſimæ ſunt, ibidem commodiſſimè conuiuunt. In huius loci ſacrario, cuius eccleſiam Ambianenſium Epiſcopus Franciſcus Hal
E uinius, anno Domini 1509. cōſecrauit, alter ex digitis S. Huberti, immo & aliquot eiuſdem ſancti, ac diui Blaſij Epiſcopi & martyris oſſa religioſè aſſeruātur, cuſtodiunturq;.

De monaſterio S. Eliſabethæ Roiæ. Mon. XVIIII.

HOC tantùm de præſentis Monaſterij Roiæ, quod Viromandorum oppidum eſt, erecti prærogatiuis dicere poſſumus, quòd videlicet anno Dominicæ incarnationis 1480. de Caroli VIII. Francorū Regis conſenſu, deq; diœceſani Epiſcopi facultate ædificatum: quòdq; à reuerendiſſimo quodam Hebronenſi Epiſcopo eius eccleſia, nō ita poſt multum temporis, ad Dei omnipotentis gloriam & laudē, interim Eliſabetha ſereniſſimi atq; etiam Chriſtianiſſimi Andreę Vngarorum quondam Regis ſanctiſſima filia

ma filia eius patrona, conſecrata fuerit: quòdq; tandem ab vndecim ſanctimonialibus A de tertio ſeraphici patris Franciſci Ordine inhabitetur. Sed peculiari cuius opera, aut ſumptibus id ſibi contigerit, penitus ignoratur. Si tamen Roienſium beneuolentiam atque affectum largasq; eleemoſynas, quas eis munificentiſſimè tribuunt, liberaliſſimeq; elargiuntur, erga præfatas ſorores ſpectare velimus, eos huiuſcemodi loci fundatores, authores, atq; etiam conſeruatores facilè coniectabimus, depræhendemusq;.

De monaſterio B. virginis, atq; S. Annæ eius matris Ruæ. Mon. XX.

RVA (Gallicè verò Rue) Normandorum, atq; Ambianenſis diœceſis oppidum Oceano imminet mari. Cuius communitas conterraneis infirmis conſultura, hoc ſacrum monaſterium, glorioſiſſimæ virgini Mariæ, atq; eius genitrici diuæ Annæ dicatum, de reuerendiſſimi Ambianenſis Epiſcopi, atq; de propriæ matricis eccleſiæ Rectoris aſſenſu, & auctoritate, anno à partu Virgineo 1489. ex communi ærario, intra communes quoque muros, à fundamentis extruendum, omnibus ſuis numeris abſoluendum, atq; duodecim Tertiarijs ſororibus Franciſcanis tradendum curauit. Qui quidem numerus vſque impræſentiarum perſeuerat. Huius loci eccleſia à reuerendiſſimo quodam Ambianenſium Epiſcopo conſecrata habetur: inſuper & ſacroſanctis ſequentibus reliquijs, in eius ſacrario aſſeruatis, capite videlicet ſanctæ Chriſtianę virginis atque martyris, quæ ſancti Clodouçi Regis, ac ſanctiſſimæ eius vxoris Blandinæ filia creditur, ſimulq; cum beata Vrſula ac alijs virginibus illuſtri martyrio coronata extitit, atque cranij parte S. Appolloniæ virginis & martyris religioſiſſimè honeſtatur. B

De monaſterio S. Antonij de Padua Luneuillæ. Mon. XXI. C

INTER cætera quæ ſereniſſimus Siciliæ Rex, ac Lotharingiæ Dux Renatus Franciſcano Ordini contulit beneficia, id quod Tertiarijs ſororibus Frāciſcanis Luneuillæ, quod Lotharingiæ oppidum eſt, non minus liberaliter, quàm piè contulit, ſanè non in fimum obtinet locum. Extruxit ſiquidem illis, annuente tamen Sixto IIII. Pont. max. anno à Chriſto ſeruatore in terris nato 1481. intra præfati oppidi mœnia optimum ex proprijs facultatibus monaſterium, atque 25. continendis monialibus omnino idoneum. Cuius deniq; eccleſiam reuerendiſſimus Ioannes à Sorzeio Chriſtopolitanus Epiſcopus, anno Domini 1494. menſis verò Maij 20. in ſancti Antonij Paduani honorem conſecrauit, benedixitq;: & pars ligni ſanctiſſimæ crucis Chriſti, vniusq; ex vndecim millium virginum caput, & pars menti ſanctæ Catharinæ de Senis, atq; quoddam os S. Chriſtophori martyris Chriſti fidelibus commendatiſſimam reddunt. D

De monaſterio B. Mariæ virginis Nanceij. Mon. XXII.

CONSTRVXERAT, pro ſua in Deum pietate, atq; in pauperes, infirmosq; miſericordia ſereniſſimus Carolus Lotharingiæ Dux Nanceij, quæ Lotharingiæ ciuitas eſt, pulchrum ſatis xenodochium, atq; huiuſcemodi hominibus excipiendis curandisq; accommodum, ſub B. Marię virginis inuocatione. Quod tamen, ex adminiſtratorum incuria, atq; vituperabili negligētia, maiori ex parte collapſum, ſereniſſimus Renatus Siciliæ Rex (de quo paulò ſuperius) liberalibus ſuis ſumptibus perficiendum, ac omnino reparandum, imò & in monaſterij formam redigendum, inſuper & Tertiarijs ſororibus Franciſcanis, quarum quindecim ibidem vſq; impræſentiarum perſeuerant, anno Dominicæ Incarnationis 1495. conferendum curauit. Huius deniq; monaſterij eccleſiam plurimis priuilegijs ab aliquibus ſummis Pontificibus, dum adhuc intra hoſpitalis limites teneretur, honeſtatam reuerendiſſimus quidam Tullēſis Epiſcopus conſecrauit: quam & duo ex 11. millibus virginum capita ſummopere exornant. E

De monaſterio S. Nicolai Meluduni. Mon. XXIII.

EANDEM quoq; conditionem ſubijt hoc ſacrum monaſterium, diuo Nicolao dicatum, atq; intra muros antiquiſſimę ciuitatis Meludunenſis à S. Ludouico Francorum Rege olim ædificatum. Cùm enim ibidem hoſpitale ad curandos infirmos ſanctiſſimus is Rex conſtruxiſſet, illudq; ex eorum, quorum intererat, ſupina negligentia ad

A tia ad terram vergeret, Chriſtianiſſimus Francorũ Rex Ludouicus huius nominis XI. illud, anno Dominicæ Incarnationis 1494. reparandum, atq; à ruinis vindicandum, inſuper & adiũcto ſibi honeſto monaſterio ſanctimonialibus de tertio ſeraphici ac beatiſſimi patris noſtri Franciſci Ordine, quę aduentantium infirmorum ſolicitam curam gererent, eosq; charitatis ac miſericordiæ officijs diligenter proſequerentur, reuerendiſſimo interim Triſtanno à Salazar Senonenſi Archiepiſcopo, atq; Germaniæ, Galliarumq; Primate, pro votis annuente, tradendum curauit. Cuius eccleſiam fortuitò pollutam reuerẽdiſſimus pater frater Chriſtophorus à Capitefontium, prędeceſſor noſter, Cæſarienſisq; Archiepiſcopus, atq; Senonenſis ſuffraganeus, anno Dñi 1580. expiauit, ac in honorem beati Nicolai Myrenſis Archiepiſcopi ſacrauit: inſuper & 40. dies de iniunctis pœnitentijs omnibus eam in die propriæ dedicationis viſitantibus, adiutriceſq; manus pro eius reparatione porrigentibus, liberaliter remiſit. Incolitur ſacer hic
B locus ab octo tantùm monialibus, quæ partem menti ſancti Antonij Abbatis, per quam Deus ter optimus maximus Meludunenſibus plura beneficia conferre dignatus eſt, & quotidie liberaliſſimè impertitur, & quoddam os ſancti Blaſij Epiſcopi & martyris quamdiligentiſſimè, ac debita cum reuerentia cuſtodiunt, religioſeq; venerantur.

De Tertiariarum monaſterio Berneij. *Mon. XXIIII.*

AEDIFICARAT quoq; ſanctus Ludouicus Francorũ Rex, pro ſua in Deum pietate, ac in infirmos animi propenſione, quoddam iſtis excipiendis hoſpitale in oppido Berneio. Cumq; id, ſuperintendentium incuria, omnimodam minaretur ruinam, à Chriſtianiſſimo Francorum Rege Ludouico XI. fermè reædificatum, atq; Tertiarijs ſororibus Franciſcanis, in perpetuum vſum & habitationem, collatum extitit.
C Quarum quidem ſororum numerus, licèt ſeptenarius tantummodo ſit, deuotio tamen tanta eſt, vt etiam, cum maximo proprię vitę diſcrimine, peſte ſublatos contrectare atq; ſepelire non reformident. Vnde & colligi facilè poteſt, quo pacto circa eoſdem, vita adhuc comite, prefato morbo laborantes, ſe habeant, quauè animi teneritudine omnia neceſſaria eis ſubminiſtrent. An earum eccleſia ſit conſecrata penitus ignoratur.

De monaſterio S. Gabrielis Archangeli Nouicaſtri. *Mon. XXV.*

CVM huiuſmodi Tertiariæ ſorores animi erga ſe propenſionem, atq; beneuolentiam præmemorati ſereniſſimi ac Chriſtianiſſimi Ludouici XI. Francorum Regis ſemel atq; iterum expertæ fuiſſent, adiecêre, vt & hoc ſacrum monaſterium, ſancto Archangelo Michaëli dicatum, de eius regia liberalitate ac munificentia plurimùm ſibi
D pollicentes, Nouicaſtri, quod Normanniæ oppidum eſt, ac reuerendiſſimo Rothomagenſi Archiepiſcopo in ſpiritualibus audit, erigerent, ædificarentq;. Quas deniq; ſpes de tanto ac tam pientiſſimo Rege concepta minimè fefellit: Nam eius auſpicijs quod prudenter propoſuerant, prudentius exequutæ ſunt. Huius loci eccleſia conſecrata habetur, ſed quis eius conſecrationis author fuerit penitus ignoratur. Deſeruiunt præfatæ ſorores de tertio Seraphici patris noſtri Franciſci Ordine, quæ numero ſunt 12. ex regio mandato leproſis, cui proculdubio iniuncto muneri pro votis ſatisfaciunt: nam illis pluſquam materno affectu obſequuntur, illiſq; omnia neceſſaria liberaliſſimè ſubminiſtrant: qua propter oppidani eas maximè venerantur, amoreq; proſequuntur.

De monaſterio S. Ioannis Baptiſtæ Braij. *Mon. XXVI.*

E CVM deuotiſſima ſimul atq; nobiliſſima matrona Dauſſemont ad maturiorem ætatem tenderet, aliquod Deo opt. max. ac beatiſſimo patri Franciſco obſequium præſtitura, hoc monaſterium diuo Ioanni Baptiſtæ Dominico præcurſori ſacrum, atq; decem monialibus continendis idoneum, Tertiarijs ſororibus Franciſcanis, ex proprijs ab antiquo facultatibus Braij, quod nobile eſt oppidum, Summaq; fluuio alluitur, conſtrui fecit. Quia verò hic locus ex quodam infortunio conflagrauit, & quicquid in eius archiuis literarum continebatur, flammis abſumptum eſt, nihil certi de huiuſcemodi conſtructionis tempore tradere poſſumus. Conſtant nihilominus eum eſſe, & Ambia-

nenſi, & Roienſi monaſterijs antiquiorem, cùm illorum fundatrices hinc aſſumptæ ſint. Eius eccleſia conſecrata habetur, in cuius ſacrario aliquot oſſa ſancti Iuliani Cenomanenſium Epiſcopi, quæ incendium euaſerunt, fideliter cuſtodiuntur. A

De monaſterio S. Saluatoris Gorneij. Mon. XXVII.

AEDIFICARANT illuſtriſſimi pariter ac pientiſſimi quidam Normanniæ Duces Gorneij, quod Normannorum præſtantiſſimum ac notiſſimum oppidum eſt, Tertiarijs ſororibus Franciſcanis ſacrum hoc monaſterium, illudq; ſibi tradi curarunt. Quo nihilominus cùm ex Caroli VII. Francorum Regis mandato, quibuſdam ex cauſis, eiectæ fuiſſent, eidem, anno Dominicæ Incarnationis 1523. ex eius Regis, qui tunc Gallis ius dicebat, præcepto, reſtitutæ ſunt, ibidemq; vſq; impræſentiarum earum 6. honeſtiſſimè perſeuerant. Quarum eccleſia à reuerendiſſimo quodam Hipponenſi Epiſcopo, ad Domini noſtri Ieſu Chriſti Saluatoris mundi honorem, conſecrata extitit, atq; capite S. Agonidæ virginis & martyris condecoratur. B

De monaſterio B. Mariæ virginis Grandiſuillagij. Mon. XXVIII.

CVM pauperculæ quædam Tertiariæ ſorores, ob continuos militum incurſus, ac bellorum ſæuitiam, ſancti Pauli monaſterium, in Viromandia erectum, deſerere coactæ fuiſſent, ne hinc inde diuagari cogerentur, atq; iniurijs militum expoſitæ periculi tandem aliquid ſubirent, hanc ſacram ædem, Franciſco huius nominis primo, ac Gallorum Rege Chriſtianiſſimo, annuente, imò & ſibi fauente, Grandiſuillagij, quod Viromandię oppidum eſt, ex diuerſis fidelium eleemoſynis, anno humanæ ſalutis 1541. à fundamentis ad apicem vſq; ędificari curarunt. Cuius eccleſiam reuerendiſſimus quidam Hebronenſis Epiſcopus, atq; Ambianenſium Præſulis ſuffraganeus, ſub beatæ ſemperq; virginis Dei genitrici Mariæ patrocinio, conſecrauit ac benedixit: & pars humeri ſancti Lamberti, atque aliquot oſſa ſanctæ Barbaræ virginis & martyris fidelibus commendatiſſimam reddunt. Inhabitatur tandem ſacra hęc ędes à 20. ſororibus de tertio (vt pręfati ſumus) beatiſſimi patris Franciſci Ordine, quæ die noctuq; diuinas laudes altiſſimo ac omnipotenti Deo decantant, eiq; fideliſſimè famulantur. C

De monaſterio S. Margaretæ Trienſi ſiue Trys. Mon. XXIX.

SVMMA pietate atq; beneuolentia, qua in Tertiarias ſorores Franciſcanas ferebatur illuſtriſſima pariter atq; pientiſſima heroina Iaquelina de Stonteuille impulſa, hoc illis ſacrum monaſterium Trijs, quod Normanniæ oppidum eſt, ſpectatq; ad Rothomagenſem diœceſim, ædificari, atq; illuſtriſſimo, ac reuerendiſſimo Georgio ab Ambaſia S.R.E. Cardinali (de quo ſupra) ſibi annuente, omnes ædiculæ S. Margaretæ, cuius patronatus ius ad ſe ſpectabat, redditus applicari curauit. Quos etiam illuſtriſſima atq; etiam pientiſſima Adriana, Duciſſa de Stonteuille, ac oppidi S. Pauli Comitiſſa, domo atq; prædio ſibi adiunctis, ea lege, anno à lætabunda Chriſti ſeruatoris natiuitate 1551. adauxit, vt pro ſe, eiuſq; chariſſima gnata Maria à Borbonio ad Deum ter opt. max. preces funderent. Huius ſacræ domus eccleſia, cuius duæ tantùm ſanctimoniales impræſentiarum curam gerunt, ad honorem ſanctæ Margaretæ virginis & martyris conſecrata habetur. Quando verò id ſibi acciderit memoria penitus excidit. D

De monaſterio ſanctæ Mariæ virginis, ac ſancti Eutropi prope Cantum lupi. Mon. XXX. E

CVM ſereniſſima pariter ac pientiſſima Ioanna, Franciæ atq; Nauarræ Regina, hoc monaſterium Annunciatarijs ſororibus, prope caſtrum, cui Cantus lupi nomen eſt, conſtruendum curaſſet, idq; bellorum iniuria, atq; militum petulantia dirutum, & à monialibus deſertum, derelictumq; fuiſſet, illuſtris ac pijſſimus Nicolaus à Nouo oppido (Gallicè Neufuillè) torquatus eques, ac Franciſco huius nominis primo Gallorum Regi Chriſtianiſſimo à ſecretis, ne omnino peſſum iret, ſumma pieta-

te atq;

A te atque obſeruantia,qua in ſanctiſſimam Virginem & ſanctum Eutropium ferebatur, illud anno Dominicæ incarnationis 1521. præfato Franciſco Rege, ac illuſtriſſimo & reuerendiſſimo Georgio ab Ambaſia S. R. E. Cardinale, ac Sedis apoſtolicæ in Gallijs Legato ſibi annuentibus,refici,imò potius reædificari,atq; à præfatis ſororibus Annunciatarijs,quas in Domino Ieſu Chriſto maximè diligebat, inhabitari curauit. Hoc docent literæ in huius loci archiuis aſſeruatæ: quibus & adiuncta ſunt duo Pontificia diplomata, aliud Iulij II. aliud verò Leonis X. ſummorum Pontificum,quibus ſororum Annunciationis beatę Marię virginis Ordo confirmatur. Horum poſterius anno Domini 1517. prius verò anno 1506. datum fuit. Huius loci eccleſiam reuerendiſſimus quidam Carolus Epiſcopus Megarenſis, de licentia tamen illuſtriſſimi Pariſienſium Pręſulis,ac Sanctæ Romanæ Eccleſię Cardinalis,Ioannis Bellaij,glorioſiſſima Dei genitrice B Maria, ac S. Eutropio eius tutelaribus,anno à Chriſto in terris nato 1544. conſecrauit: & Gallorum plures hydropiſi laborantes ſumma cum deuotione frequentant: atq; vigintæ duæ ſorores religioſa ac ſancta ſua conuerſatione commẽdatiſſimam reddunt.

De monaſt. Annunciationis B. Mariæ prope Ligneium. Mon. XXXI.

SATISFACTVRVS piiſſimis illuſtriſſimæ heroidis Margaritæ à Sabaudia votis illuſtriſſimus pariter ac pientiſſimus Antonius à Lucemburgo Brianẽſium atq; Ligneianorum Comes, hanc ſacram ædem, Annunciationi beatæ virginis Mariæ dicatam, atq; à reuerendiſſimo quodam Clemente Chriſtopolitano Epiſcopo, ac Tullenſium Præſulis ſuffraganeo, anno Dominicæ Incarnationis 1555. menſis verò Septembris 18. conſecratam,ſuis ſumptibus prope Ligneium, Tullenſis diœceſis oppidum,anno C Domini 1554. à fundamentis extruendam, omnibusq; numeris abſoluendam curauit. Quam quidem conſtructionem Pius IIII.& Pius V. ſummi Pont. accepto tulerunt concedentes,vt huius loci Annunciatariæ ſorores, quæ numero vt plurimum ſunt 15. omnibus gratijs atq; fauoribus,earũ Ordini à ſuis prędeceſſoribus conceſſis,frui queãt.

De Clariſſarum monaſterio Giſortij. Mon. XXXII.

NOVISSIMVM huius Prouincię locũ optimo iure aſſignauimus huic monaſterio præſenti, quòd primùm anno Dominicæ Incarnationis 1577. exordium ſumpſerit, quodq; à duabus tantùm ſororibus Clariſſis inhabitetur,quòdq; tandem ſub artificum manibus conſtitutum,eccleſiam nondum conſecratam habeat. Cuius tamen origo huiuſcemodi eſt. Ædificarat S. Ludouicus Francorum Rex Giſortij, quod D Rothomagenſis Archiepiſcopatus oppidum eſt, xenodochium quoddam pauperibus excipiendis, atq; curandis languentibus deſtinatum: quod tamen cùm ex ſuperintendentum incuria ruinæ approximaret, à Chriſtianiſſimo Francorum Rege Henrico huius nominis III. inſtantibus maximè Giſortianis,præfatis ſororibus collatum extitit: & à reuerendiſſimo patre fratre Chriſtophoro à Capitefontium,totius tunc noſtri Ordinis generali Miniſtro ac prædeceſſore noſtro, nunc autem Cæſarienſi Archiepiſcopo benemerito huic Franciæ Pariſienſis Prouinciæ adiectum ſuperadiunctumq; fuit.



PROVIN-

PROVINCIA CASTELLAE.

A INTER auguſtiores, atq; antiquiores Prouincias extremę totius Heſperiæ Franciſcanas, ea, quæ Caſtellæ titulo inſignitur, locum primum ſemper obtinuit: Nam & plures Cuſtodias, quæ omnes in Prouincias temporis ſucceſſu euaſerunt, ſibi annexas habuit, & ab Aragoniæ, atq; Portugaliæ Regnis, quod reliquum eſt Hiſpaniæ complexa eſt. Siquidem, ante Franciſcani Ordinis reformationem, Toletanam, Hiſpalenſem, Murcianam, Segobienſem, Victorianam, Burgenſem, Numantinam, atq; Palentinam Cuſtodias continuit. Poſt Concilium verò Conſtantienſe, eo videlicet temporis, quo Franciſcana Regularis Obſeruantia fuſiùs dilatari cœpit, ex Toletana, Burgenſe, Cantabrica, Santojana, Tribu-
B lenſe (vulgò del Abrojo) Murciana, Bætica ſiue Granatenſe, Canarienſe ſiue Fortunatarum inſularum, atq; Angelorum Cuſtodijs conſtitit: & à Cantabricis ad Gaditanos vſq; populos in longum protendebatur: in latum verò à Celtiberorum confinibus ad terminos vſque, qui Luſitaniam ab antiquiori Caſtella diuidunt, procedebat. Sed ſubtractis ab ea præfatis Cuſtodijs, atq; in Prouincias euectis, multò ſtrictius modò, ſub nobiliori Caſtellæ titulo, patet. Nec ideo ab antiquo illo ſplendore vel latum vnguem excidit: nec tantæ fœcunditatis nomen aut gloriam amiſit: cùm eam omnes vt ſui genitricem, legitimamq; parentem venerentur, & ſuſpiciant. Situm obtinet hæc Caſtellæ Prouincia in Regno Toletano: cuius tanta eſt antiquitas, tãtaq; nobilitas, vt nullam aliam
C in tota Hiſpania ſe aut antiquiorem, aut certè nobiliorem agnoſcat. Nam & Madritenſem Minoriticum eius conuentum Seraphicus ipſe pater Franciſcus, anno humanæ ſalutis 1213. dum Hiſpaniam peragraret, fundauit: & V. P. F. Ioannes Parens ab eodem B. patre, propagandę Religionis gratia, ad Hiſpaniam deſtinatus, ſecundum conuentũ Toleti, apud S. Antonium, iuxta notata ab authore Franciſcanorũ Chronicorum. p. 2. lib. 1. c. 21. ædificauit, & Hiſpanica Franciſcani Ordinis reformatio in Toletana Cuſtodia, tamquã reliquarũ primipila, & anteſignana, anno à Chriſto ſeruatore nato 1366. initium, B. P. F. Petro Villacretio auctore, qui locum ſanctæ Mariæ de Saliceto præfato anno 1366. conſtruxit, optimiſq; moribus, atq; ſanctiſſimis Regularis Obſeruãtiæ riti-
D bus, in quibus ſub huius Prouinciæ auſpicijs vſq; in præſens perſeuerat, conſtabiliuit; & ædificatis ſub eadem viuendi norma Aquilariæ, atq; Tribuli cœnobijs, quæ ad Conceptionis Prouinciam ſpectant, in Minoritico conuentu oppidi Peñafiel vulgò dicti, diem clauſit extremũ, feliciſſimè ſumpſit. Cùm autẽ, anno humanæ Redẽptionis 1517. ſummus Pontifex Leo X. Obſeruantiæ Regularis fautor indefeſſus, eam tot beneficijs, gratijs, atq; fauoribus honeſtaſſet, pręmemoratæ Cuſtodiæ, quæ mirum in modum monaſterijs abundabant, Toletana dempta, vt tanti Pontificis in Obſeruantiam Regularem beneuolentiam in ſe quoq; experirentur, ſibi ſupplicarunt, vt ſe Prouinciarum titulo inſignire dignaretur. Quod & ſumma liberalitate præſtitit. Cuſtodia verò
E Toletana, quæ ſola omnino remanſerat, cùm ab alijs ſeiungi minimè petijſſet, & antiquum Prouinciæ Caſtellæ nomen retinuit: &, iuxta ſtatutorum generalium decretum, antiquitate, præcedentia, alijsq; fauoribus, & gratijs, antiquitus Prouinciæ Caſtellæ conceſſis, gaudet. Extẽditur itaq; hæc Prouincia in longum ad 60. leucas, ſiue 180. milliaria, ſed in latum multò minus patet: circumſcribiturq; omnino à Regno Toletano, ſiue noua Caſtella, ſiue (vt & alijs placet) Prouincia Carpentana: & conterminas habet Conceptionis, Angelorum, Bęticam, Murcianam ſiue Carthaginenſem, Aragonenſem, & ſancti Gabrielis Prouincias. Eius caput, primaq; domus, licèt origine ſit Madritenſe (vt præfati ſumus) poſterior, eſt conuentus ſancti Ioannis Regum Toleti à Catholicis, pientiſſimisq; Ferdinando & Eliſabetha Hiſpaniæ Regibus auguſtiſſimè, atq; elegantiſſimè

tiſſimè extructus. Nec immeritò ſanè : cùm ciuitas ipſa Toletana antiquiſſima, & an- A
te bis mille annos à Terentio, vel(vt alij volunt) à Tholemone & Bruto, ſtrenuis Duci-
bus Romanis à fundamentis erecta, inter cœteras Hiſpaniæ ciuitates nobiliſſima ſit.
Fuit præterea olim Gothorum Regum ſedes : qui ne dum Hiſpaniæ, ſed etiam Galliæ
Gothicæ principabantur: ideoq; iure optimo non tantum Caſtellæ nouę, ſiue Toletani
Regni primatum, ſed & totius Hiſpaniæ, atq; etiam Galliæ Gothicæ principatum ali-
quando obtinuit. Quamobrem R. Rodericus, Toletanus Archiepiſcopus, in Concilio
generali Lateranenſi, poſt acutam atq; prolixam diſputationem, ab eius Præſide Inno-
centio III. Pont. max. omnium Hiſpaniæ Epiſcoporum, atq; Archiepiſcoporum Pri-
mas declaratus eſt: quo etiam titulo eius ſucceſſores potiti ſunt, & vſq; in præſens, vlla
abſq; contradictione, gaudent. Quid verò prohibuiſſet, quominus id aſſequeretur, cùm,
præter præfatam antiquitatem, & loci dignitatem, Archiepiſcopus Toletanus vltra B
200. coronatorum millia, ſingulis annis, redditũ iure recipiat? Eſt etiam præfata To-
letana ciuitas illuſtris Conciliorum nationalium celebratione, quibus vniuerſi Hiſpa-
niæ, atq; Galliæ Gothicę Epiſcopi, & Archiepiſcopi interfuêre : quæ omnia à Sede apo-
ſtolica approbationem, atq; confirmationem receperunt. Eſt eius deniq; tanta æſtima-
tio, vt non ſolum à Chriſtianis Hiſpaniæ Regibus, ſed etiam à Mauris, eo videlicet tem-
poris, quo pulſis Chriſti fidelibus, ea patria potiti fuêre, maximo in pretio, eiusq; re-
gionis caput, caſtrum, atq; princeps habita ſit: adeò vt, qui eã occuparet, totius Hiſpa-
niæ Dominium facillimè ſibi polliceretur. Quo etiam factum eſt, vt eius arma Impera-
torem, mundum altera manu tenentem, contineãt: Cuius quidem ſitus vniuerſæ Hiſpa-
niæ medium obtinet : & ſicut Hieroſolymitana ciuitas terræ vmbilicus appellata ali-
quando extitit, ita quoq; & Toletana vrbs Hiſpaniæ vmbilicus nuncupari poteſt. Quæ C
iuxta Ptholomæi ſententiam, Virginis ſigno, quod Zodiaci circuli ſextã occupat man-
ſionem, ſubiacet, & Arcticum polum ad 40. duos gradus ſupra ſe eleuatum habet, allui-
turq; aurifero fluuio Tago, qui eam amœniorem, atq; fœcundiorem reddit. Continet
deniq; hæc noſtra Caſtellę Prouincia 28. fratrum conuentus, quorum alter collegij
fungitur officio: & 38. diuerſi generis ſanctimonialium monaſteria, de quibus ſuo loco
agemus. Huius maius ſigillum ipſiſſima Regni Caſtellæ arma, nempe leonem & ca-
ſtrum, ſcuto inferiore parte diuiſo incluſa, imprimit: ſed leo eius leuam, caſtrum verò
dexteram tenet. Superiorem autem partem B.P. Franciſcus genuflexus, atq; à ſeraph
ſacra ſtigmata in Aluernæ monte recipiens, cui ſocius ſopore oppreſſus aſtat, omnino
occupat. Sigilli verò inſcriptio orbicularis hęc eſt. SIGILLVM MINISTRI
PROVIN. FRATRVM MINORVM OBSER. PROV. CAST. Pri- D
mus omniũ, qui Obſeruantibus Franciſcanis ex prouincialis Miniſteriatus munere in
Prouincia Caſtellæ ius dixit, fuit V.P.F. Alphonſus Boroxius, vir vtiq; religioſiſſimus,
ac maturo præditus conſilio, qui à patribus Toletanæ, Hiſpalenſis, Sanctojanæ, Bur-
genſis, atq; Murcianæ Cuſtodiarum in conuentu S. Iuliani de Capraria capitulariter
congregatis, communi ſuffragio, in Miniſtrum, ex apoſtolica Leonis X. auctoritate, an-
no Domini 1517. facta, electus eſt. Anno verò à Chriſti incarnatione 1479. ex indulto
Sixti IIII. Pont. max. Sanctojana Cuſtodia, à Caſtellæ Prouincia dehiſcens, in Prouin-
ciam euaſit: atq; hæc prima fuit aliarum omnium Cuſtodiarum, quæ ab hac Prouincia
defecerunt. Fuit aliquando inter Caſtellanam & Burgenſem Prouincias maxima de
antiquitate, de ſigillo, atq; de Prouinciæ Caſtellæ titulo altercatio. Contendentibus
nempe Burgenſis Prouinciæ patribus, idq; adductis in medium non paucis rationibus, E
hęc omnia eorum Prouinciæ pleno iure deberi. Et Caſtellanis ſibi contradicentibus,
mordicusq; aſſerentibus ad ſe potius quàm ad illos ea attinere. Hæc autem diſceptatio,
poſt diligentem omnium vtriuſq; partis rationum examinationem, à patribus quorum
intererat, lata in huius Prouinciæ fauorem diffinitiua ſententia, è medio ſublata eſt.
Sed antequàm huiuſmodi digladiatio exoriretur, anno ſcilicet Domini 1499. ijs in pro-
uincialibus Comitijs, quę in oppido Almazanio celebrata fuêre, Hiſpalenſis Cuſtodia,
ex omnium patrum ſententia, in Prouinciam euaſit, Bęticæq; nomen ſibi aſciuit: Et poſt
ſexdecim annos, nempe anno à Chriſto Seruatore nato 1515. præfata Burgenſis Cuſto-
dia in prouinciali Capitulo Guadalfagarę habito, ex conceſſione ſibi à duobus capitu-
lis

A lis generalibus, quorum alterum Lauallis in Gallia Celtica, alterum verò Antuerpiæ in Gallia Belgica celebratum fuit, facta: nec non & ex indulto Leonis X. Pont. max. in Prouinciam quoque euecta eſt. Ea tamen lege, iuramento, ſponſionibusq; firmata, vt Burgenſis appellanda foret: vtq; numquam vel Caſtellæ titulum vſurpare, vel de antiquitate, de ſigillo, aut de dignitate cum Caſtellę Prouincia contendere præſumeret. Cùmq; in generali Capitulo Romæ, ſub Leone X. Pont. max. celebrato, ex patrum Capitularium decreto, Angelorum Cuſtodiæ aſſumendi ſibi Prouinciæ honorem poteſtas facta eſſet: & in generali quoq; Capitulo Lugduni, ob promotionem R. P. F. Chriſtophori à Forliuio, totius noſtri Ordinis generalis Miniſtri, ad Cardinalatum, anno Domini 1518. habito, R. P. F. Franciſco Lichetto, generali quoq; Miniſtro ibidem electo, à cæteris patribus commiſſum fuiſſet, vt, ſi id ſibi Hiſpaniam penetranti conſultum videretur,
B Murcianam Cuſtodiam in Prouinciam quoq; promoueret. Ea in generali patrum Vltramontanorum Congregatione, quæ Toleti, anno Domini 1519. habita eſt, tum Angelorum, tum quoq; Murciana Cuſtodia ad Prouinciæ dignitatem, ſub præfato R. P. F. Franciſco Lichetto, ac admodum reuerendo P. F. Nicolao Gilberti Commiſſario generali Vltramontano ibidem electo, promota fuit. Cui quoq; promotioni Leo X. Pont. max. ſubſcripſit, ac Murcianæ Prouinciæ conceſſit, vt, pro eius libito, & id nominis retineret, vel Carthaginēſis nouum aſſumeret. Per id quoq; tempus Tribulenſis, ſiue Domus Dei Cuſtodia à Caſtellę Prouincia diſcedens, Santojanæ Prouinciæ, quę impræſentiarum Conceptionis dicitur, reiecto Cuſtodiæ titulo, adiungi voluit. Cùm autem Toletana Cuſtodia immobilis perpetuò permanſiſſet, cæteriſq; à ſe recedentibus, nunquam ab eis diuelli petierit, ne ipſa ſola inter tot Cuſtodias, ſub florentiſſima Ca-
C ſtellę Prouincia olim militantes, Prouinciæ titulo priuaretur, à patribus, quorum id munus erat, in præfata generali Congregatione Toletana decretum fuit, vt ad Prouinciæ gradum aſcenderet: vtq; ipſa ſola Caſtellæ titulo, ſigillo, antiquitate, dignitate, gratijs, fauoribus, atq; priuilegijs, vniuerſæ olim Caſtellæ Prouinciæ debitis, nemine contradicente, potiretur. Et hæc quidem de origine huius Prouincię, deq; eius progreſſu & auſpicijs notanda occurrunt. Quæ tamen maiori ex parte in archiuis eius monaſterij, quod ſub inuocatione ſancti Ioannis Regum Toleti ſurrigit, Hiſpanico idiomate habentur. De quo nobis ſermo ſtatim habendus erit, ſi primùm toti huic Prouinciæ patronum, pro more ſolito, conſtituerimus. Is enim eſt beatus frater Didacus à ſancto Nicolao: quem ideo ſibi præponendum voluimus, quòd eius alumnus aliquando fuerit; quòdq; in Complutenſi conuentu (de quo inferius) tumulatus, innumeris miraculis
D coruſcet; quòdque tandem in maxima veneratione à Toletani totius Regni accolis, cuius finibus vniuerſa hęc terminatur Prouincia, habeatur, ſummopereq; colatur.

De conuentu S. Ioannis Regum Toleti. *Conu. I.*

LEGIONIS atq; Caſtellæ Regnorum Ferdinando, qui & Sanctus dictus eſt, ſceptra tenente, anno à ſeruatoris noſtri Chriſti natiuitate 1218. S. Dominicus charitatis zelo accenſus, & propagandæ Religionis ſuæ cupidus, cuius approbationem, atq; confirmationem à ſummo Pontifice Honorio III. Romę acceperat, commendatitijsq; eiuſdem Pont. max. literis fretus, Burgenſem ciuitatem acceſſit, præfatumq; Ferdinandum Regem ibidem agentem conueniens, huiuſmodi ſibi literas quàm humillimè tradidit: à quo & humaniſſimè exceptus, & plurimis fauoribus, atq; gratijs honeſta-
E tus extitit. Paulò tamen ante, ſuperſtitibus adhuc præfati Ferdinandi Regis parentibus, Alphonſo videlicet, Legionis Rege, atq; Berenguela eius vxore, vnicaq; Toleti, & Caſtellę Regnorum hærede; V. P. F. Ioannes Parens à S. P. Franciſco, ſuæ Regulæ diuulgandæ, atq; ſeraphicæ Religionis ampliandę cauſa, quę ab eodem Honorio III. confirmata fuerat, in Hiſpaniam Commiſſarius tranſmiſſus, eandem Burgenſem vrbem applicuerat, literiſq; in ſui fauorē à pręfato Honorio III. plurimiſq; Cardinalibus conceſſis pręmemoratis Alphonſo, & Berenguelę Regibus, eorumq; filio, & hęredi Ferdinando traditis, ab ijſdem prędicandi, domoſq; per vniuerſam eorum ditionem ędificandi facultatem acceperat. Hinc conſtat, quàm egregiè fallantur ij, qui aſſerunt beatos patres Dominicum, & Franciſcum ſimul Burgenſem ciuitatem fuiſſe ingreſſos, ſimulq; apoſtolicas

apoſtolicas ſuarum Religionum commendatitias literas ſancto Regi Ferdinando exhibuiſſe. Quibus aſſentiri videntur lapideæ quædam imagines, portæ matricis eccleſiæ Burgenſis imminentes, quarum altera ſancti Regis Ferdinandi formam præſefert, aliæ verò duę beatorum Dominici & Franciſci, eidem Regi. S.R.E. literas offerentium, perſonas repræſentant. Sed hoc ex pictoria ac ſculptoria quadam licentia prouenit. Liquidò enim ex Franciſcanis, alijsq; chronicis conſtat B.P. Frāciſcum, anno Domini 1213. ex Gallijs in Hiſpaniam traieciſſe, ſtatimq;, ſalutato beati Iacobi Apoſtoli mauſoleo, ex Compoſtella per Luſitanos Italiam repetijſſe: & præfatum ſanctum Regem Ferdinandum, non ante annum Dominicę Incarnationis 1217. per patris Alphonſi mortem Regni ſceptrum accepiſſe. Verum tamen eſt, quòd ſacrę beatorum patrum Dominici & Franciſci Religiones iſtius Ferdinandi Regis fauore, atq; auſpicijs in Legionis, Toleti, atq; Caſtellę Regnis florere cœperūt: Nā is beatum Dominicum, atq; V.P.F. Ioannem Parentem, ex Ciuitate Caſtellana oriundum, beatiq; patris Franciſci Commiſſarium, Burgis (diuerſis tamen temporibus vt præfati ſumus) humaniſſimè excepit, plurimisq; obſequijs proſequutus extitit. Inſuper & vtriuſq; ſacræ Religionis plantandæ, latiusq; diſſeminandæ illis poteſtatem fecit. A quo tandem recedens præfatus P. Ioannes Parens aliquot fratres Toletum miſit, qui noſtræ Religionis ſemina ibidem iacerent. Qui eò appulſi, ædiculam ſemi dirutam, cui vulgò (Baſtida) nomen erat, non procul ab eius muris diſtantem, licèt alij eam diui Antonij eccleſiam fuiſſe aſſeuerent, occupantes, ibidem per aliquale tempus in maxima paupertate, regulari diſciplina, atq; ſanctitate perſeuerarunt. Quùm autem eorum duo Toletum die quadam, eleemoſynam petituri, acceſſiſſent, atq; fortè fortuna ad forum, in quo plures equites, ac reliquum vulgus tauros diuexebant, perueniſſent, à quodam nobili, tamquam per iocum atq; ludibrium, audierunt, habituros ſe quidem dono & taurum, & ipſam plateā, ſi in medium prorumpentes taurum, ferocius poſt homines curſitantem, caperent, remorarenturq;. Cùmq; eius dictis plures circumaſtantes nobiles ridiculosè ſubſcripſiſſent, eorum alter, præmiſſa oratione, atq; de Dei bonitate, in cuius honorem & gloriam id ceſſurum ſperaret, omnino confiſus, ad taurum rectà contendit, atq; vtroq; cornu præhenſum ſubſiſtere iuſſit, coëgitq;. Quo tanto ſpectaculo commotus Toletanus ſenatus, cuius id munus erat, ipſis fratribus & taurum, & plateam, iuxta factam pollicitationem, liberaliſſimè tradidit. Illi verò ex adminiſtratis eleemoſynis, eodem in loco, vbi modò immaculatæ Conceptionis conuentus ſubſiſtit, qui non longè à Regia aberat, domicilium quoddam, iuxta primæuę illius ſanctæ paupertatis normam, erigi, ædificariq; curarūt; quem tamen sereniſſima Maria Caſtellæ, atq; Toleti Regina, & Regis Sanchij, cui Ferox cognomen fuit, legitima vxor, quodam à ſe viſo miraculo, cuius ſtatim meminerimus, perterrita, proprijs ſumptibus, adiuncta etiam ſibi Regiæ parte, mirum in modum ampliauit, auxitq;. Sedebat namq; die quadam præfata Regina ad feneſtram ſolitaria, dumq; verſus fratrum monaſterium proſpiceret, caniſtrum panibus plenum è cœlo demitti, atq; à viro quodam exceptum fratribus offerri vidit. Laborabant ſiquidem tūc temporis maxima panis inopia fratres, refectionisq; hora inſtabat. Qua rei nouitate perculſa Regina, poſtquàm illius panis particeps effecta, ac eius guſtu ſuauiſſimè recreata extitit, & conuentū (vt pręfati ſumus) illuſtrauit, & fratres, quos prius vt nouatores deſpiciebat, aſpernabaturq; diligere, atq; frequētiſſimis eleemoſynis proſequi cępit.

Hoc itaq; in loco perſeuerarunt fratres ad 267. annos: ſed non ſibi ſemper ſimiles. Primò quidem religioſiſſimè, ac iuxta normam à B. P. Franciſco præſcriptam, ſine aliquo videlicet proprio, & in perfectiſſima caſtitate, atq; obedientia. Deinde verò quibuſdam pontificijs diſpenſationibus innixi, & redditus admittere, & in laxiorem quandam viuendi formam tranſire cœperunt: quapropter obedientia, caſtitas, paupertas, atq; reliquę virtutes, à priſcis illis patribus diligentiſſimè excultę, plurimum detrimenti paſſæ ſunt. Cui incommodo vt obuiaret B. P. Petrus Villacretius, poſtquam in pœnitentiæ paleſtra ſe mirum in modum (vt præfati ſumus) exercuiſſet, conuentum ſanctæ Mariæ de Saliceto in vaſta quadam ſolitudine, ac ſyluatico loco ædificauit: in eoq; Franciſcanum Inſtitutum pro viribus priſtino nitori reſtituere ſategit, atq; plures fratres ſui ſequaces auito in illo viuendi genere ſolidauit, inſtruxit, confirmauitq;.

Cùm

A Cùm autem poſt Conſtantienſe Concilium aliquot Franciſcani Obſeruantes ad hanc
Toletanam ciuitatem tenellam illam plantam propagaturi conuolaſſent, ex eius no-
bilium beneplacito, præfatam ſancti Antonij eccleſiam, in qua & primæui illi noſtræ
Religionis laboratores indefeſſi habitarant, incoluerunt: quam & per 57. continuos
annos pacificè occuparunt: pluribusq; annis occupaſſent, niſi Catholici Hiſpaniæ Re-
ges Ferdinandus, eiusq; legitima vxor Eliſabetha eos & illum relinquere, & ad mo-
naſterium S. Ioannis Regum Toleti, à ſe regio ædificio extructum, ſe transferre coë-
giſſent. Principabatur tunc temporis Toletanę Cuſtodiæ, ſub Cuſtodis, ac Vicarij pro-
uincialis Commiſſarij muneribus, egregius P.F. Ioannes à Toloſa, ex cuius decreto hu-
iuſmodi translatio contigit: & fratres defunctorum correligioſorum oſſa, annuente Il-
luſtriſſ. Nicolao Franco, S.R.E. Cardinali, atq; apoſtolico in Hiſpaniæ Regnis à latere
B Legato, ex communi derelictæ eccleſiæ ſarcophago exhumata, ſolemni pompa, atq; re-
ligioſo cultu, ad nouam ſibi oblatam ædē, 22. Februarij anno Domini 1477. tranſpor-
tarunt. Inueſtiganti verò mihi quare præfati Reges magnificum hoc templum ædifica-
ri voluerint, ea ſe ſe obtulit ratio: votum ſcilicet de eo conſtruendo emiſſum, ſi Deus
opt. max. victoriam illis aduerſus Granatenſes Mauros, eorumq; Regem, contra quos
tunc bellum gerebant, concedere dignaretur. Sunt tamen qui aſſerant id quidem ex
voto, non hoc in bello, ſed in eo, quod contra Alphonſum Portugaliæ Regem, de quo
& celebrem victoriam prope Taurum, antiquioris Caſtellæ ciuitatem retulêre, com-
miſerunt, emiſſo obueniſſe. Mihi tamen prima ratio maximè probatur: Cui & aſtipulari
videntur catenæ, atq; compedes externis huius templi parietibus appenſi, quibus Chri-
C ſtianos Malachæ detentos, atq; ab ijſdem Regibus liberatos, aliquando fuiſſe vinctos
nulli dubium eſt. Quicquid tamen ſit: decreuerant ipſi Reges Catholici hunc conuen-
tum ſibi in ſepulturam eligere, eaq; de cauſa eum tam magnificè, tamq; ſumptuoſè
conſtrui curarunt. Tranſactis autem ab huiuſmodi tranſmigratione 15. annis, cùm mo-
res, licèt honeſti, patrum Conuentualium, qui Toletanum ſancti Franciſci conuentum,
de quo ſupra, inhabitabant, ipſis Regibus minimè arriderent, ab eiſdem cautum fuit: vt
quotquot ex illis in Obſeruantum familiam tranſire vellent, manerent quidem: qui ve-
rò nollent è veſtigiò loco cederēt. Quibus deniq; obtēperantibus, prędictus ſancti Fran-
ciſci locus penes aliquot patres Conuentuales, Obſeruantes tamen effectos, per qua-
driennium manſit. Quo tandem elapſo quotquot ibi aderant, ex eorumdem Catholico-
rum Regum mandato, ad hoc cœnobium, vt cœteris iungerentur, fieretq; ex illis om-
nibus vna familia, vnumq; corpus, commigrare compulſi ſunt: & eorum locus monia-
D libus immaculatæ Conceptionis collatus extitit.

Conuentus hic, ſiue elegantiſſimam eius eccleſiam, ſiue capaciſſimum chorum,
ſiue clauſtra, ſiue inſtructiſſimam bibliothecam, ſiue reliquam eius ſtructu-
ram, cuius ſingulæ partes pientiſſimam illam, vereq; catholicam, atque mul-
tis nominibus laudandam ſuorum fundatorum maieſtatem prædicant, diligenter ſpe-
ctes, inter celeberrima totius Frāciſcani Ordinis ædificia annumerari poteſt. Et vt pau-
cis multa perſtringam, nihil penitus ad eius ſiue decorem, ſiue perfectionem deſidera-
tur: imò potius ex omni parte perfectus regiam tantorum fundatorum dignitatem prę-
ſefert. Habet enim quatuor pulcherrima clauſtra, ex finiſſimo marmore fabrefacta, ac
pulcherrimis exornata imaginibus: Quorum alteri regia quædam domus, parua qui-
dem ſed artificioſè elaborata, innititur. Hæc cum, anno Dominicę incarnationis 1553.
E ex quodam infortunio conflagraſſet, pientiſſimi ſenatus Toletani, atq; religioſiſſimi,
pariterq; illuſtriſſimi canonicorum collegij opera, infra breuiſſimi temporis ſpacium,
multò elegantior, multoq; ſpecioſior reædificata extitit. In qua quidem conflagratio-
ne Toletana in fratres noſtros, atq; in hanc domum pietas, & beneuolentia ſupra mo-
dum elucuit. Cùm enim vorax flamma toti ædificio comminaretur, pijſſimorum ci-
uium ſolertia, atq; indefeſſo labore factum eſt, ne vltra prędictæ Regiæ limites progre-
deretur: Habet præterea auguſtiſſimum templum plurimis, ijſq; ſpecioſiſſimis, ſacellis
docoratum: cui adhæret ſacrarium precioſiſſimis ornamentis, plurimisq; vaſis tum
aureis, tum quoq; argenteis diuino cultui deſtinatis, refertum. Habet deniq; cunctas ſi-
bi neceſſarias officinas, omnibus, quæ ad commodam fratrum habitationem requirun-
tur

tur,inſtructiſſimas. Qua etiam de cauſa locus hic 100. fratres ad minus continet. Quorum 24. ſub duobus doctiſſimis prælectoribus, diuinis literis incumbunt. Reliqui verò vel ſacras fidelium excipiunt confeſſiones: vel pro ſuggeſtu aliquid de ſacro Euangelio populo proponunt: vel diuinas laudes in choro, ſonora voce,decantant. Fuit præfata Regina Eliſabetha diuo Ioanni Euangeliſtæ deuotiſſima, eumq;,quoad vixit, ſpeciali quodã religionis genere coluit: eaq; de cauſa hãc ſacrã ædẽ ſibi dicandã curauit. A

Primus ſæcularis, qui Minoriticum habitum hoc in loco induit, (quicquid fratres conuentus ſanctæ Mariæ de Saliceto obganniant) fuit R.P.F.Franciſcus Ximenius. Is enim cùm eſſet doctiſſimus, atq; in vtroq; Iure, ciuili ſcilicet atq; canonico verſatiſſimus, cuiuſdam Epiſcopi (vt infra patebit) iudicem agebat: ſed eius vitæ tædio affectus illi vale dicens, atq; omnes ſæculi pompas aſpernatus, pauperculis fratribus, vt pauperem Chriſtum ſub Franciſco Duce ſequeretur, adiungi voluit. Cuius tamen tanta fuit pietas, tantaq; religio, atq; prudentia, vt ad Toletani Archiepiſcopatus dignitatem (licèt inuitus,omninoq; renitens) aſſumptus ſit: atq; totius Hiſpaniæ Proregem ſecundò egerit: de quo tamen fuſius vtcumq; ſuo loco agemus. B

Pluribus hauddubiè grauiſſimis patribus, atq; religione inſignibus ſepulturam miniſtrauit hic locus, quorum tamen nomina, ex repræhenſibili quadam noſtrorum fratrum negligentia, nos fugiunt. Ad quos nihilominus, anno Domini 1490. appoſitus fuit V. P. F. Michaël de Buſto: qui,ob eius virtutes, vitæ integritatem,compoſitos mores, atq; maximam religionem,ab omnibus,quoad vixit, in ſumma veneratione habitus eſt, & poſt mortem ſummè deſideratus fuit. Aſſeruatur præfato in ſacrario altera manus beati patris Martini Ruizij: de cuius tamen vita, morte, atq; miraculis in deſcriptione conuentus ſanctiſſimæ Conceptionis huiuſce ciuitatis Toletanæ aliquantulum agemus. Gaudet tum demum ſacra hæc ædes altari quodam (vt aiunt) priuilegiato, idq; in ſacello ſancti Antonij de Padua erectum eſt, in quo, ex indulto Gregorij XIII. Pont. max. fidelium animæ, per Miſſæ ſacrificium, à Purgatorij pœnis liberantur: & pleniſſimo iubileo, ſiue indulgentia plenaria, quam aſſequuntur quotquot eam à primis veſperis feſtiuitatis diui Ioannis ante portam latinam, ad occaſum vſq; ſolis ſequentis diei, ritè tamen per ſacram præcedentem confeſſionem atq; communionem diſpoſiti,viſitauerint: quapropter ad eam illo die magnus populi fit concurſus. C

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Compluti. Conu. II.

SI quis eius amoris, atq; beneuolentiæ, qua illuſtriſſ. Alphonſus Carrillus Toletanorum Archiepiſcopus V. P. F. Ioannem Peñaluerium, ſtrenuum Franciſcanæ Regularis Obſeruantiæ propugnatorem, eiuſq; Confeſſarium, inſuper & vniuerſum Ordinem Minoriticum proſequutus fuerit, experimentum facere cupiat, vel hunc ſaltem conuentum,glorioſiſſimæ virgini Mariæ ſacrum, ac Complutenſis nobiliſſimæ ciuitatis cinctum muris,præ oculis ſibi proponat: quem is, ex facta ſibi, anno Dominicæ Incarnationis 1456. ab Eugenio IIII. Pont. max. facultate, ſuis ſumptibus, à fundamentis, in vtriuſq; gratiam, extruendum curauit: atq; omnibus neceſſarijs inſtructum V. P. F. Alphonſo Boroxio, tunc Prouinciæ Caſtellæ Vicario prouinciali, à quo & virtute cuiuſdam Eugeniani diplomatis, quo Franciſcanis Obſeruantibus,tunc fœcundiſſimè per Hiſpaniam pullulantibus, 15. erigendorum conuentuum, 5. in S. Iacobi, 5. in Aragoniæ, & 5. in Caſtellæ Prouincijs poteſtas fiebat, admiſſus acceptuſq; fuit, cæteris annectendum locis,ſumma liberalitate, tradidit. Parochiam verò, quę ibidem, ſub inuocatione eiuſdem Virginis glorioſæ, præextiterat, ne fratribus aliquando negocium faceſſeret, ad ſancti Ioannis ædiculam, non ita multum inde diſtantem, ex capituli, atq; canonicorum Toletanæ matricis eccleſiæ, quorum intererat, voto ac beneplacito, cum omnibus ad ſe pertinentibus, tranſtulit. Cùm autem pientiſſimus Præſul Deiparæ Virgini deuotiſſimus eſſet, nec præfatæ ædiculæ iniuriam fieri vellet, antiquum vtriq; nomen, addito tamen huic conuentui dulciſſimo agnomine Ieſu, reliquit. Quia verò poſſet aliquando alicui huius nominis, atq; tituli S. Mariæ de Ieſu, quo plures Franciſcani conuentus in Siciliæ, Valentiæ, atq; Cathaloniæ Prouincijs nuncupantur, cauſę atq; originis cognoſcendi deſiderium irrepere, conſultum fore duximus

D (margin, beside "gularis Obſeruantiæ") · E (margin, beside "ſub inuocatione")

A duximus,ſi paucis hic noſtram ea de re ſententiam ferremus,eiusq́; votis faceremus ſatis.Ea enim eſt.Cùm S.Bernardinus beatiſſimæ Dei genitrici Mariæ deuotiſſimus, atq; ſanctiſſimi nominis Ieſu,eiusq́; dignitatis propugnator acerrimus,& pręco indefeſſus, plures calumnias, pluresq́ue moleſtias, ob eius in publicis diſputationibus atque ſacris concionibus defenſionem, à quibuſdam æmulis perpeſſus eſſet:ac tandem, diuina ſibi aſpirante aura, glorioſam victoriam, atque triumphum de huiuſmodi conflictu retuliſſet, tum ipſe, tum eius diſcipuli atque ſequaces ijs monaſterijs, quę eo temporis erigi contigit, præfatum ſanctæ Mariæ de Ieſu nomen, in tanti beneficij recepti gratiam,imponi curarunt. Inhabitatur frequentius ſacer hic locus à centum vel circiter religioſis: quorũ 40.ſub duobus prælectoribus ſcholaſticę S. Bonauenturæ Theoſophiæ dant operam,communesq́; Complutenſis Academiæ ſcholas, tũ lectionibus, tum
B quoq; publicis diſputationibus interfuturi, frequentãt. Licèt ſcripto non conſtet, quot quiquè patres aut fratres,vitæ ſanctimonia conſpicui,mortem hoc in monaſterio obierint,certa tamen,atq; indubia traditione conſtat,eorum plures in eo ſolo, quàm in reliquis totius huius Prouinciæ locis diem clauſiſſe extremum,ſepultosq́; eſſe. Liquet enim pręfatum illuſtriſſ.Alphonſum Carrillum,vel à ſummo Pontifice,vel à totius Minoritici Ordinis generali Miniſtro literas obtinuiſſe, quibus ſibi quemuis ex huius Prouinciæ Cuſtodijs patrem aut fratrem,regulari Obſeruantię aſtrictum, vel virtutibus inſignem, vel ſcientia & moribus clarum,vel quacunq; alia prærogatiua fulgentem,ad hunc conuentum euocare licebat. Quorum deniq; plurimi huic ſæculo ibidem vale dixerunt. Horum alter fuit beatus Didacus à ſancto Nicolao, vir vtiq; eo temporis, ob ſui ſanctitatem,omnibus notiſſimus:qui ex Hiſpalenſi Cuſtodia,iuſſu V.P.F. Roderici ab Occa-
C nia ad hunc locum ſe contulit. Aduertendum tamen eſt obiter, ne & nos in quorũdam hiſtoriographorum errorem incidiſſe putemur, præfatum videlicet fratrem Rodericum huius Prouinciæ gubernaculum eo temporis minimè tenuiſſe, (vt aliqui falsò autumant)cùm id penes V.P.Alphonſum Boroxium fuerit: ſed eum potius,vel ab ipſo patre Alphonſo Boroxio Commiſſarium in Bæticam Cuſtodiam,cui is,alijs implicitus negocijs,intereſſe nõ poterat,deſtinatum: vel toti prouincię,quando anno Dñi 1450. pleniſſimo Iubileo,atq; canonizationis S.Bernardini,cui ter mille octingenti patres ac fratres Franciſcani Obſeruantes ex omnibus terræ plagis adfuère,& ipſe quoq; interfuturus Romam petijt,ab eodem,ſub Commiſſarij titulo,præfectum. A die igitur (vt vnde deflexit ſermo eò redeat) quo beatus frater Didacus à ſancto Nicolao hunc àppulit conuentum vſq; ad vltimum vitæ halitum,ſanctiſſimè in eo perſeuerauit: vbi & hono-
D rifica reconditus arca, in proprio ſacello ſibi ſacro, in eadem glorioſus carne reſurrecturus,diem Domini præſtolatur. Cuius vitam atq; miracula, licèt apprimè, optimoq́; ſtylo depinxerit 3.p.ſuorum Chronic.R.P.F.Marcus ab Olyſſipone, Portuenſis in Portugalia Epiſcopus, atq; profeſſione Franciſcanus, pauca nihilominus, ſed ab eo intacta,impræſentiarũ,in eius laudẽ,recenſere non pigebit, quòd nõ abs re futurũ ſperem.

Fuit igitur beatus Didacus à S. Nicolao Bæticus, atq; ex pago S. Nicolai, qui inter Conſtantinam,atq; Caſſaliam Bætica oppida itinerantibus occurrit,oriundus.Cùmq; innatam quandam pietatem, atq; humilitatem ab incunabulis ad iuuentam vſq; ſeruaſſet, ſęcularibus negocijs, atq; occupationibus vale dicens, in anachoriticam vitam inhians, quodam in eremitorio aliquamdiu commoratus eſt, vbi ſtrenuè in omni virtutum genere, ac ſpiritualibus exercitijs ſe exercuit.Inde verò, longè perfectiorem vi-
E tam anhelans,ad conuentum S.Franciſci de Arrizafa, ſeſquimilliari à Corduba diſtantem,ſe contulit;ibiq; ſumpto Franciſcano habitu, ac communem cum alijs fratribus vitam, Regulamq́; profeſſus, tantopere in paupertate, prompta ac voluntaria obedientia,puriſſima caſtitate,feruenti oratione,in Deum & proximum charitate,rerum diuinarum contemplatione,atq; regulari Obſeruãtia profecit, vt cœteros confratres longè poſt ſe reliquerit.Fuit quidem cuiuſuis ſcientiæ ignarus, cùm literis operã numquam dederit,ſed eorum,quę animarum ſalutem, vitęq; benè & catholicè inſtituendæ rationem concernunt,adeò,diuino ſibi afflante numine,conſcius, vt doctiſſimos quoſq; ſuperarit.Ad eum ſiquidem conſulendum omnes,tamquam ad diuinum oraculum,in rebus arduis,ſerioribus negocijs, atq; quouis grauiori diſcrimine confugiebant. Flagra-

uit aliquando, vt beatus alter Antonius de Padua, maximo ſubeundi, pro Chriſti fide A eiusq; amore, martyrij deſiderio: quamobrem ad inſulas Fortunatas, nondum fidelium armis omnino edomitas, vt illis neophytis Chriſtianis, alijsq; eius gentis nondum conuerſis, ſed in Gentiliſmo adhuc perſeuerantibus, Chriſti ſeruatoris Euangelium, atq; fidem prædicaret, omni diſcrimine poſthabito, traiecit, factusq; inſulæ Fortisuenturæ, quæ vna ex Fortunatis eſt, Guardianus, ſuis efficaciſſimis prædicationibus, ſaluberrimis conſilijs, atq; ſanctiſſimo viuendi modo, plurimos efferatos illius patriæ homines, atq; Idolorum cultui deditiſſimos, à tam pernitioſis ſuperſtitionibus ad purum vnius veri Dei cultum auocauit, atq; ſuauiſſimo Chriſti iugo ſubdere colla coëgit. Et cùm audiſſet ſupereſſe adhuc quoſdam barbaros, truculentosq; viros alijs in inſulis, qui antiquum ritum mordicus tenentes, Euangelio, eiusq; annunciatoribus reſiſterent, ad eos transfretare decreuit: vt vel eos ad Chriſtum conuerteret, vel ſub eorum manibus ſpiritum, pro ſui Redemptoris amore, efflaret. B Itaq; naui conſcenſa, dum virilius intentum proſequitur, ab aduerſis ventis, importunaq; ſæui maris tēpeſtate prohibitus eſt: quãobrem deſertam iam à ſe Fortiſuenturæ inſulam repetere cogitur, vbi vberrimos fructus in Dominicum intulit horreum. Inſtabat eo tēporis annus Iubilei 1450. quo Romam adeuntes, pręmiſſa ſacramentali confeſſione, ſumptaq; ſacra ſynaxi, pleniſſimam omnium tranſgreſſionum indulgentiam conſequi poterant. Quamobrem Hiſpaniam repetens, cum fratre Alphonſo Caſtrenſi ſibi ſocio itineri ſe accinxit, Vrbemq; ingreſſus, cũ maxima deuotione & humilitate, loca illa ſancta viſitauit, atq; canonizationi S. Bernardini cum alijs tribusmillibus, atq; octingentis fratribus Frãciſcanis Obſeruantibus, (vt ſuperius tetigimus) interfuit. Cùmq; illorum plurimi, ob aëris mutationem, perpeſſosq; in itinere labores, Romæ in morbum incidiſſent, eorum curam ſibi C ſumendam fore ſtatuens, ſe totum eorum obſequio, cum maxima charitate, ſpiritusq; hilaritate, vir Dei mancipauit. Ferebatur ſiquidem compaſſiua quadam teneritudine ad infirmos, nihilq; ſibi gratius accidere poterat, quàm illis adeſſe, inſeruire, & opitulari. Conſumpto verò in huiuſmodi charitatis opere, cum omni ſolicitudine & pietate, trimeſtri, & vltrà, Hiſpaniam repedauit, ac in conuentu S. Mariæ de Saliceto huius Prouincię Caſtellæ in maxima vitę aſperitate, corporisq; maceratione, prout reſidua quędam veſtigia adhuc facilè indicãt, aliquamdiu deguit, ac tandem Complutum petens, quod ſibi reliquum vitæ fuit, hoc in conuentu, cum maxima omnium admiratione, atq; ædificatione, ſanctiſſimè tranſegit. Quis vnquam eius ad pauperes & infirmos, quorum ſępius tabida vlcera proprijs manibus, ex maxima charitate, terſit, proprioq; ore deoſculatus eſt, referre valeat? Quis eius ſingularem affectum ad Chriſti crucem, cuius ſi- D gno plura miracula patrauit, exprimere queat? Ego quidem ingenuè fateor, id non eſſe mearum virium, ideoq; ſilentio imbecillitati meæ conſulendum exiſtimo. Si quis autem eius vitam, atq; miracula, authentica tamen, atq; fide dignorum teſtimonio virorum, inſuper & regiorum, apoſtolicorumq; tabellionum calculo comprobata, adamuſſim, curioſiusq; noſſe deſiderat, tertiam partem Franciſcanorum chronicorum, à præfato R. Portuenſi Epiſcopo editorum, conſulat, & ſibi ſatis ſuperq; factum experietur: Nam quantum ad me attinet præſenti operi abundè me conſuluiſſe exiſtimauerim, ſi vnum, vel alterum in medium produxero. Præſentiens itaq; beatus frater Didacus vltimum ſuę vitæ terminum, inſtantemq; ſui tranſitus horam, S. Franciſci veſtigia ſequutus, à patre tunc loci Guardiano habitum, cordam, atq; alia, quę ex Franciſcano more E tunc temporis peti ſolent, quàm humillimè ſibi concedi rogauit: deinde ſumptam crucem, cuius ſemper deuotiſſimus, atq; amantiſſimus fuit, qua etiam de cauſa crucem manu geſtans depingitur, cum maximis lacrymis, profundiſſimisque ſuſpirijs deoſculari cœpit: cùmq; aliquantiſper reſpiraſſet, in hæc verba prorupit: *Dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera, quæ ſola fuiſti digna ſuſtinere Regem cœlorum & Dominum*. Quibus tandem abſolutis, ſanctiſſimam illam animam, ex corporis ergaſtulo ſolutam, die Sabbati, quæ fuit 13. Nouembris anni Domini 1464. ſuo Creatori reſtituit. Eius caro, cùm prius ieiunijs, vigilijs, diſciplinis, macerationibus, atq; alijs plurimis pœnalitatibus ſummè attrita, ſubnigra, contracta, atq; aſperrima eſſet, ſtatim poſt mortem alba, mollis, ſplendida, omninoq; tractabilis apparuit: adeò vt viuere potius, quàm è mortalibus

A libus exceſſiſſe videretur. Cuius feliciſſimum tranſitum, vt primùm quotquot ſiue ciues, ſiue ſtudentes & exteri Compluti agebant reſciuiſſent, ad funeris locum conuolantes, eius corpus tangere, & deoſculari contendebant: ſtatimq; Deus opt. max. vt manifeſtè oſtenderet, quàm ſibi eius anima grata eſſet, ad ipſius inuocationem & claudis, debilibusq; membrorum rectificationem, & ſurdis auditum, & plurimis alijs diuerſis infirmitatibus detentis integram ſoſpitatem conceſſit. Illud tamen præ cæteris ſilentio prætereundum non eſt, quòd laborante grauiſſima paralyſi iuuencula quadam Complutenſi, ita vt omnino contracta corporis vſum non haberet, cùm per 9. continuos dies ad beati fratris ſepulchrum feruentius oraſſet, ex inſperato incolumis omnino euaſit. Adde quod sereniſſimus Princeps Carolus, inuictiſſimi atq; catholici Philippi eius nomini ſecundi, Hiſpaniarumq; Regis primogenitus, cùm ex quodam caſu in grauiſſimam infirmitatem Compluti incidiſſet: ita vt omnes Medici de eius ſalute deB ſperarent, nihilq; aliud præter eius mortem operirentur, ſe ex intimo corde B. F. Didaco commendauit, cumq; reſerato eius loculo, ad Principis præſentiam tantum pignus allatum eſſet, immediatè, præter omnium ſpem, conualeſcere cœpit: Vnde & maxima lætitia toti Hiſpaniæ ſubſequuta fuit. Adijciam & tertium: quòd videlicet, cùm poſt generalis Toletanæ Congregationis celebrationem, aliqua verba cùm præfato catholico Philippo Hiſpaniarũ Rege Madriti de huius ſancti canonizatione feciſſem, illismet diebus, nempe 2. Auguſti, anno à Chriſto ſeruatore nato 1583. mulier quædam nomine Maria Perez, ex morte Ioannis de Berruguilia vidua relicta, oppidiq; Daganzo Toletanæ diœceſis incola, quæ dimidiam corporis partem emortuam omnino, grauiq; paralyſi oppreſſam habebat, & vix, contracta ex eodem morbo eius lingua, loqui poterat, ſancti fratris ſepulchrum ad præcedentis iuuenculę inſtar per continuos 9. dies, maxima
C cum fiducia, orationisq; perſeuerantia frequentauit: ac tandem die eiuſdem menſis Auguſti 10. quæ S. Laurentio ſacra eſt, poſt grauem ſomnum, quo ibidem correpta fuit, integram ſoſpitatem, atq; valetudinem conſequuta eſt. Quod quidem ſingulari, atq; maximo miraculo ab omnibus tributum extitit: Quod ſcilicet Deus opt. max. cùm multis retrò diebus à patrandis meritò huius ſancti mirabilibus ceſſaſſet, eo temporis, quo de eius canonizatione agebatur, quaſi vellet manifeſtiſſimè oſtendere, eam ſibi fore gratiſſimam, tã inſigne, tamq; celebre opus operari dignatus ſit: Quod vt oĩ prorſus ſuſpitione careat, ſufficiẽtiſſimis ac oĩ exceptione maioribus examinatis ea de re teſtibus, à generali Vicario Complutẽſi mirabilibus eiuſdẽ beati fratris operibus adiunctũ fuit.

Hoc in eodem conuentu ſepultus eſt bonæ memoriæ, ac ſummæ ſanctitatis vir, frater Alphonſus Sartor, qui ob eximias eius virtutes ſpiritu prophetico, quo & multa
D prædixit, à Deo opt. max. inſigniri meruit. Quod cùm illuſtriſſ. ac R. Alphonſus Carrillus Toletanus Archiepiſcopus, cuius ſupra meminimus, reſciuiſſet, ab eo ſummis precibus exegit, vt quis ſibi in Archiepiſcopatu ſufficiendus foret, reuelare vellet. Cui tandem, poſt præmiſſam orationem, cui inſtantiſſimus erat, annuens, habiturum ſe quidem illuſtriſſ. ac R. Petrum Gonzalez à Mendoza, Epiſcopum tunc Palentinum ſui ſucceſſorem prædixit. Quo nihil ingratius petenti accidere poterat: cùm eum riualem, atq; æmulum haberet. Idq; nihilominus rei euentus comprobauit. Præcedenti fratri adiacet non minoris ſanctitatis, nec minoris religionis P. F. Ioannes Peñaluerius, quem ob eius compoſitos mores, vitæq; puritatem, intimè dilexit, atq; vt ſibi à confeſſionibus eſſet, elegit præfatus illuſtriſſimus Alphonſus Carrillus, imò & ad eius ſua-
E ſum, (vt proloquuti ſumus) præſentem conuentum ædificauit, & ſecundum Paterniani (vt ſuo loco dicemus) erigere cœpit. Nec tamen nobis prætereundus venit V. P. F. Franciſcus à Turribus, qui mortem anno à Chriſto nato 1580. obiens, in huius loci capitulo ſepultus eſt: Nam is, dum viueret, religioſiſſimam vitam duxit, ſuiq; ſtatus ac profeſſionis obſeruantiſſimus extitit. Vinum verò, aut carnes, niſi vrgentiſſima in neceſſitate, nunquam admiſit: paupertatem præterea & caſtitatem, quàm diligentiſſimè coluit. Cumq; prædicationis apoſtolicæ officio functurus vniuerſam ferè Hiſpaniam peragrarit, aſellum, aut aliquod aliud iumenti genus nunquàm admiſit, ſed pedes perpetuò inceſſit. Paſtoribus, atq; ruſticis libentiſſimè concionabatur, quòd huiuſce ſpirituali pabulo egere eos certò ſciret. His & etiam, vt à iuramentis, peierationibus,

maledictionibus, atq; choræis cum mulieribus ducendis, quæ peccata huiuſmodi hominum generi communia, atq; familariſſima ſunt, abſtinerent, pro viribus ſuadere conabatur. Eius igitur funeri, ob huiuſmodi aliasq; quamplurimas, quibus claruit, dotes, vniuerſa Complutenſis ciuitas interfuit, eumq; beatum, Deoq; charum plenis buccis prædicat, atq; eius vel habitus, vel crinium, vel cordæ particulam, non ſecus ac ſacroſanctas reliquias, accipere contendit. A

Poſtquam R. ille, nec non & religioſiſſimus P. F. Franciſcus Ximenius Toletanæ matricis Eccleſiæ Archiepiſcopus, ac Franciſcani Inſtituti alumnus, & decus Complutenſem erexit Academiam, plures bonæ indolis, optimæq; expectationis, atq; ingenui adoleſcentes eò, literis operam daturi, confluxêre, indiesq; confluunt: quorum ſemper aliqui, diuino afflati ſpiritu, noſtræ philadelphiæ aſſociari cupiunt: quapropter in Comitijs quibuſdam prouincialibus huius loci Guardiano nouitiorum fratrum recipiendorum poteſtas conſultiſſimè facta eſt. Ex hoc ſiquidem muſæo prodiêre olim, quotidieq; prodeunt religioſiſſimi, atq; doctiſſimi patres, qui reliquam Prouinciam, imò & vniuerſum Ordinem ſuis moribus, nobilitate, atq; doctrina ſummè illuſtrarunt, indiesq; magis, magisq; illuſtrant. Hoc in conuentu Minoritici Ordinis lac ſuxêre reuerendus P. F. Ioannes Alagonius, ex regia Aragonum ſtirpe originem ducens, atq; huius Prouinciæ aliquando Miniſter: & doctiſſimus P. F. Didacus à Stunnica, amantiſſimus olim præceptor meus, ac filius illuſtriſſimi Ioannis à Stunnica maioris Cōmendatarij Caſtellæ, nec non frater illuſtriſſimorū Ludouici Requeſenij, & Ioannis à Stunnica, quorum vterq; vnus poſt alium, maior Caſtellæ Commendatarius fuit: & reuerendus P. F. Antonius à Mendoza illuſtriſſimi Marchionis de Zenete filius, ac excellentiſſimi Ducis de Infantado vterinus frater, nec non huius Prouinciæ Miniſter, primusq; Vltramontanæ familiæ Diffinitor: & reuerendus P. F. Antonius Manriquius illuſtriſſ. Marchionis de Guardia filius, atq; totius Vltramontanæ familiæ generalis Commiſſarius optimè meritus. Hîc quoq; & ego, tanquam abortiuus, mei nouitiatus incunabula tranſegi: cùm in eo 16. Maij anno Domini 1562. Minoriticum habitū induerim: qui licèt immeritus, diuina tamen diſpenſante bonitate, totius Obſeruantis Franciſcani Ordinis clauum aliquando tenui. Inuenire adhuc licèt in huius ſacræ domus archiuis literas à Toletanæ matricis eccleſiæ capitulo ad illuſtriſſimum Alphonſum Carrillum eius Archiepiſcopum miſſas, quibus alijs à ſe miſſis reſpondet, ſibiq; libentiſſimè huiuſce conuētus ædificandi, atq; parochiæ ſanctæ Mariæ ad ſancti Ioannis eremitorium (vt ſuperius meminimus) transferrendi, poteſtatem facit: Imò illum obnixè, & quàm humillimè rogat, vt ſe quantotius huiuſce operi accingat, quòd illud ad Dei honorem & gloriam, atq; ad plurimorum Iudęorum & Maurorum, quibus tunc Complutum ſcatebat, conuerſionem ceſſurum certò ſciret. Qui quidem illuſtriſſ. Archiepiſcopus, ob maximam, qua erga hunc locum eiusq; fratres & patres ferebatur, beneuolentiam, in medio maiori ſacello ſepeliri voluit. Cui alabaſtrinum quoddam mauſolæum, mira arte, miroq; artificio elaboratum, ac Archiepiſcopali ſtatua, plurimisq; alabaſtrinis imaginibus elegantiſſimè exornatum, nec non ſequenti inſignitum epitaphio poſitum eſt. *Sepulchrum reuerendiſsimi, admodumq; magnifici domini, glorioſæ memoriæ, Alphonſi Carrilli, Toletani Archiepiſcopi, huiusq; monaſterij fundatoris, qui vixit Archiepiſcopus 35. annis 5. menſibus, & 10 diebus; mortuusq; eſt in hoc Complutenſi oppido prima Iunij anno Domini 1482. ætatis verò ſuæ anno 62. menſe 10. atq; die 20.* Suppeditauit inſuper reuerendiſſimus hic Archiepiſcopus, quandiu vixit, huius loci patribus ac fratribus largiſſimas eleemoſynas, omniaq; tam ad diuinorum cultum, quàm ad alias officinas neceſſaria, puta calices, paramenta, cruces, aurea vaſa atq; argentea, chorales, eosq; pulcherrimos libros, ſupellectilem, vtenſilia, hisq; ſimilia, libentiſſimè dedit.

B C D E

De collegio Apoſtolorum Petri & Pauli ibidem. *Conn. III.*

ILLVSTRISSIMVS ille, ac miris laudandus encomijs, P. F. Franciſcus Ximenius Toletanus Archiepiſcopus, necnon S.R.E. Cardinalis, atq; generalis Hiſpaniarum Inquiſitor duo, ſed coniuncta, collegia, maius videlicet, diuo Ildephonſo dicatum, & minus, ſanctiſſimis Apoſtolis Petro & Paulo ſacrum, iſtud quidē vt duodecim Franciſcanis

A ciſcanis ſtudentibus, eorum Guardiano, duobusq; laicis fratribus deſeruiat, illud verò vt ſęcularibus collegis ſit vſui, Copluti, quæ nouæ Caſtellæ ciuitas eſt, proprijs ſumptibus, pro ſua in ſacras literas, earumq; profeſſores animi propenſione, magnificè ſatis, ſatisq; eleganter erigi curauit, atq; ampliſſimis redditibus dotauit. Ita tamen vt eorum poſſeſſio, diſpenſatio, atq; proprietas penes ſęculares ſancti Ildephonſi collegas, quos & maiores vocari voluit, omnino ſit. Qui nihilominus prædictis 15. fratribus SS. Apoſtolorum Petri & Pauli collegis victum, amictum, neceſſariaq; omnia pro valetudine tum tuenda, tum quoq; aſſequenda, quoties ſe ſe occaſio offert, liberaliter & abundè miniſtrare tenentur. Statuit præterea præfatus Illuſtriſſ. Archiepiſcopus, vt ex 12. his collegis fratribus 5. ad hanc Caſtellæ Prouinciã pertineant, cœteri verò 7. ex certis atq; determinatis quibuſdam Hiſpaniæ Prouincijs aſſumantur. Luſitanis interim fratribus, cùm tunc temporis Portugaliæ Regnum proprio Regi paruerit, eaq; fundatoris mens B extiterit, vt huiuſmodi collegium earum ſolummodo Prouinciarum, quæ Hiſpaniæ Regibus tunc temporis parebant, alumnis pateat, nullum ius, nullaq; penitus ad ipſum actio eſt. Non tamen aſſeuerare auſim hunc duodenarium collegarum numerum inuiolabilem perpetuò manſiſſe, ita vt numquam maior extiterit: cùm hoc, non abſq; fundamento, quibuſdam in prouincialibus huius Prouinciæ Comitijs ventillatum fuerit. Ideoq; huiuſmodi lis ſub iudice maneat, quouſque certius aliquid ea de re occurrat. Ex hoc igitur minori collegio, tamquam ex vberrimo fonte, plures dimanarunt riuuli, qui ſua fœcunditate vniuerſas Hiſpaniæ Prouincias colluſtrarunt, & ab omni ignorantiæ ignominia vindicarũt. Nec puto abs re futurum, cùm quicquid de huiuſmodi colC legio dicendum videbatur, paucis perſtrinxerimus, ſi breui ſtylo eius fnndatoris, videlicet P. F. Franciſci Ximenij vitam, mores, atq; progreſſus quoq; depinxerimus. Erat itaque celeberrimus Antiſtes R.P. F. Franciſcus Ximenius Ciſnerius non vulgaris æſtimationis apud ſeculares, cùm adhuc cum illis ſęcularem duceret vitam. Nam in vtroque Iure peritiſſimus fuit. Quamobrem & ad Seguntinæ eccleſiæ canonicatum, maioremq; capellaniam aſſumptus: & ab illuſtriſſimo Petro Gonzaluo Mendozio eiuſdem eccleſię Præſule epiſcopalis Iudex creatus eſt. Quibus tamen honoribus poſthabitis, quòd Deo opt. max. liberius, feliciusq; inſeruire cuperet, Toletum accedens Franciſcanæ Religionis habitum in S. Ioannis Regum conuentu, anno Domini 1477. humillimè induit: primusq; eius ſacræ domus nouitius frater (vt præfati ſumus) extitit. Tranſacto verò, maxima cum laude, ac omnium patrum ędificatione nouitiatus, probationisq; anno, in arctiorem, quietioremq; vitam inhians, ad Caſtanetum, Toletanę tunc D Cuſtodiæ, modò verò huius Prouinciæ Caſtellę conuentum 22. milliaribus à Toleto diſtantem, atq; inter aſperrimos montes, denſamq; ſyluam ſitum, ſe contulit. Qui quidem conuentus, ob loci ſolitudinem, (diſtat ſiquidem ad 5. lapidem à proximiori pago) reformationi ſiue recollectioni huius Prouinciæ perpetuò deſeruit. Cùmq; ad mille paſſus à reliqua fratrum habitatione, adiuncto ſibi fratre ſocio, cellulam ſuper ſcopulum, ac inter denſiores arbores, ex viminibus atq; luto, opere tnmultuario, atq; impolito, fabricaſſet, in eadem vigilijs, orationibus, ieiunijs, corporis macerationi, diuinorum librorum lectioni, atq; cœleſtibus meditationibus intentus, ferè ſemper commorabatur. A quo etiam tempore vſq; in hodiernam diem præfatus ſcopulus, qui demolita cellula adhuc perſeuerat, à paſtoribus ibidem cum ſuis gregibus errantibus fratris cella nuncupatur. Habebat nihilominus commune cum alijs fratribus intra conuentus ſepta cuE biculum ex pręcedentis materia omnino compactum: quod ſepulchri potius, ob eius anguſtias, quàm humanæ habitationis imaginem præſeferebat. Poſt elapſos verò aliquot annos, ad eiuſdem Toletanę Cuſtodiæ conuentum, beatæ Mariæ de Saliceto ſacrum, & Caſtaneto non abſimilem, ex ſuperiorum facultate tranſijt: ac vtriuſq; Guardianum egit. In quibus adeò in omni ſanctitate, præcipuè verò in ſacris meditationibus profecit, vt nihil mmune co cum hominibus habere videretur. Communis eius cibus panis abſque pulmento, potus verò ſimplex aqua erat. Accidit autem ijs temporibus, anno videlicet Domini 1492. vt pulſis, debellatiſq; Mauris, atque Granatenſi Regno à catholicis Hiſpaniæ Regibus Ferdinando eiuſque coniuge Eliſabetha expugnato, reuerendiſſ. pater F. Ferdinandus Talabricanus, Abulenſis Epiſcopus, eorumq;

confeſſarius, matricis eccleſiæ Granatenſis Archiepiſcopus crearetur. Cùmq; præfata A
Regina Eliſabetha ſuæ conſcientiæ, cuius diligentiſſimam gerebat curam, conſultura,
vnum aliquem patrem Franciſcanum, experientia doctum, prudentia & conſilio matu-
rum, atq; vitæ ſanctimonia conſpicuum, qui ſibi à confeſſionibus eſſet, præteritiq; vices
ſuppleret, anxiè quereret, atq; huiuſmodi hominis inueſtigandi curam illuſtriſſimo Pe
tro Gonzaluo Mendozio Epiſcopo Siguntino, atq; Archiepiſcopo Hiſpalenſi, nec non
S.R.E. Cardinali, cuius ſupra meminimus, demandaſſet: is modeſtiæ, atque honeſtatis
cum maturitate coniunctæ, necnon & ſanctitatis ac pœnitentię huius patris, eius olim
Iudicis, memor, eum, tamquam tanto munere digniſſimum, Reginæ propoſuit. Accer-
ſitus igitur frater Franciſcus Ximenius, qui per id tempus Guardianatus officio apud
præfatum conuentum S. Marię de Saliceto fungebatur, tantopere ſua prudentia, graui-
tate, maturitate, morum compoſitione, atq; venerabili aſpectu Reginam in ſui deſide- B
rium traxit, vt ſtatim ab ęa in confeſſarium cooptatus ſit. Quod munus cùm diu acce-
ptare recuſaſſet, inſtantibus tamen Rege atq; Regina, ea lege admiſit: ne ſcilicet aulam
ſequi, aut in ea commorari cogeretur: ſed vt ſuum repetens conuentum, quoties opus
eſſet, excipiendarum confeſſionum cauſa Regiam accederet. Non poſſum tamen ſatis
mirari quorundam hiſtoriographorum craſſam ignorantiam, qui, neſcio quibus ad-
ducti rationibus, aſſerere audēt patrem Franciſcum Ximenium, ex morte patris ac fra-
tris Ioannis à Toloſa, regii (vt ipſi volunt) olim confeſſarij, (quod mihi nullo pacto
probatur) ad huiuſmodi confeſſariatus officium aſſumptum eſſe: cùm liquidò conſtet
præfatum fratrem Ioannem à Toloſa non tantùm eo ipſo tempore, ſed etiam multò
poſt in viuis egiſſe. Nam anno Domini 1495. ex promotione eiuſdem patris fratris
Franciſci Ximenij, qui tunc Vicarium Prouinciæ Caſtellæ agebat prouincialem, ad To- C
letanum Archiepiſcopatum, ſuffectus ſibi fuit prædictus frater Ioannes à Toloſa. Adde
quòd anno Domini 1502. ad idem munus iteratò fuerit aſſumptus. Reuerſo igitur pa-
tre Ximenio ex aula, celebrata fuêre in conuentu S. Stephani, prope Burgenſem ciuita-
tem, Prouinciæ Caſtellæ Comitia prouincialia, quibus præmemoratus P. F. Ioannes à
Toloſa, Vicarius tunc prouincialis, præfuit: & ſibi, omnium patrum capitularium ſuf-
fragio, pater Ximenius, licèt abſens, in officio ſucceſſit. Quod quidem onus gratanter
acceptauit admiſitq;, non quidē ob eius dignitatem, cùm nihil minus ſibi cordi eſſet,
ſed quòd eius exercendi occaſione à frequentanda curia, quod ſibi ingratiſſimum om-
nino erat & oneroſum, diſtineretur. Aſſumpto itaq; ſibi ſocio V.P.F. Franciſco Ruizio,
viro equidem religioſo, graui, ac experientia prędito, Bęticam tunc Prouinciæ Caſtel-
læ Cuſtodiam pedes petijt. Cùmq; ad Herculeas columnas (vulgò Zibilterra) perueniſ- D
ſet, Africanum ſibi oppoſitum litus à Mauris poſſeſſum contemplatus, ad inſtar ſera-
phici patris Franciſci, ſubeundi pro Chriſti fide martyrij deſiderio flagrare cœpit: de-
creuitq; in Mauritaniam Tingintanam traijcere, vt infidelibus illis populis, Fezij atq;
Tetuani incolis, Chriſti fidem, eiuſq; ſanctiſſimum Euangelium prædicaret. Ne verò
id opere compleuerit, in cauſa fuit Tertiaria quædam Franciſcana religioſa, ſanctiſſi-
maq; mulier, quę ob eius vitæ puritatem, multa, domino ſibi ea reuelante, prænouerat.
Hanc cùm pijſſimus pater Ximenius, ne aliquid contra Dei beneplacitum attentare
pręſumeret, conſuluiſſet, ab ea, ne huiuſmodi propoſitum exequutioni mandaret, quòd
ſe Deus opt. max. alijs, ijſq; grauiſſimis negocijs, in quibus & martyrij vim ſæpius ex-
periri facilè poſſet, reſeruaret, auerſus retardatuſq; eſt. Obijt interim mortem illuſtriſ-
ſimus Petrus Gonzaluus Mēdozius Toletanus Archiepiſcopus (cuius ſæpe ſæpius me- E
minimus) ſibiq; pater Ximenius, ex apoſtolica auctoritate, inſtantibus tamen Regina
Eliſabetha, ac ſupremo Hiſpaniarum ſenatu, in tanta dignitate ſuffectus eſt. Apoſtoli-
cas tamen literas, huiuſmodi promotionem concernentes, ſibi ab ipſa met Regina obla-
tas ille, tamquam œſtro percitus, quòd propriæ quieti, monaſticæq; vitæ deſerendæ
viam ſtrui cerneret, acceptare recuſauit, imò ijs in Reginę manibus relictis, atque ex
tēpore Regia, Madritoq;, vbi tunc curia agebat, excedens, propriū Saliceti conuentum
remeauit. Quapropter triſtis effecta ſupra modū Regina, ac ex tanta viri in cōtemnen-
dis honoribus conſtantia ſummè attonita, duos ex ſibi familiarioribus, qui eū Madritū
reducerent, ſibiq;, vt eius votis annueret, electioniq; conſentiret, ſuaderent, poſt ſe

miſit

A miſit. Qui licèt reuerſus, vt Reginæ deſiderio faceret ſatis, Archiepiſcopatum tamen acceptare noluit, quoaduſq; id ſibi, poſt elapſum ſemeſtre, ab eodem ſummo Pontifice ſecundò, adiuncto etiam ſanctæ obedientiæ merito, imperatum fuit. Creatus eſt igitur R. P. F. Franciſcus Ximenius, anno Domini 1495. Toletanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus: ac non poſt multum temporis factus quoq; extitit generalis Religioſorum omnium, per vniuerſam Hiſpaniam, Reformator: itidem & generalis hæreticæ prauitatis Inquiſitor: ac tum demum, opera catholici Regis Ferdinandi, iam ex chariſſima ſibi defuncta vxore Regina Eliſabetha vidui relicti, S. Romanę Eccleſiæ Cardinalis. Quarũ tamen dignitatũ occaſione nihil penitus de ſolito eius rigore, atq; regulari diſciplina, aut etiam de ſolita humanitate remiſit, nihilq; turgiditatis, aut ambitionis induit, nihilq; corpori indulſit: ſed intra ſolitæ humilitatis, atq; pœnitentiæ limites ſe continens, omnia Franciſcanæ Regulæ ieiunia quàm diligentiſſimè obſeruauit, à telæ ſiue
B lini vſu, etiam grauiſſima infirmitate oppreſſus, abſtinuit, omneq; verbum ocioſum, atq; ipſam ocioſitatem longè à ſe propulſauit. Lectioni verò ſacrorum librorum adeò fuit intentus, vt eam, niſi ob grauiſſima negocia, nunquam intermiſerit. Interim tamen nihil eorum, quæ vel ouium ſibi creditarum ſalutem, vel iniunctum ſibi munus concernebant, prætermiſit. Academiam præterea Complutenſem, eamq; ſupra modum inſignem, ſuis ſumptibus ipſe fundauit, atq; pinguiſſimis redditibus dotauit. collegia etiam (vt præfati ſumus) ſancti Ildephonſi, atq; SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, nec non & quaſdam alias domos pro ſacerdotibus, alijsq; pauperioribus ſtudentibus is met conſtruxit: quibus ad victum & amictum neceſſaria à maiori collegio S. Ildephonſi ſubminiſtrari voluit. Ædificauit ab his & pulcherrimum Franciſcanum con-
C uentum apud Turrislacunæ oppidum, quod ſibi patria fuit: Clariſſarum cœnobium Compluti: & duæ ſanctimonialium de tertio Ordine beati patris Franciſci, eaq; pulcherrima monaſteria, ſub nomine & titulo S. Ioannis de pœnitentia: alterum quidem ibidem: alterum verò Toleti: quibus adiunxit & duo nobilium iuuencularum, ſed pauperum, collegia. Quibus omnibus ſufficientiſſimos prouentus reliquit, vt & iſtæ, virgines ſcilicet ſęculares quoaduſq; vel nuberent, vel Religionem ingrederentur, ali poſſent; & illæ nempè ſorores nutrirentur. Præcedentibus annumerandum venit tertium aliud monialium eiuſdem tertij Ordinis monaſterium Illeſcis, quod eſt Toletanæ diœceſis oppidum, ab eodem extructum. Reparauit quoq;, & auxit collegialem Complutenſem eccleſiam, SS. Iuſto & Paſtori dicatam, in qua plures canonicatus, pluresq; alias præbendas ſiue dignitates, quas Hiſpani rationes vocant, ibidem inſtituit: ac firmiſſi-
D ma lege ſtatuit, ne aliquis ad illius eccleſiæ canonicatum promoueri poſſit, qui Doctoratus titulo non fuerit inſignitus: itidem ne aliquis ad rationem admittatur, niſi prius artium Magiſteriatum fuerit conſequutus. Reformauit, atq; à plurimis abuſibus omnes vtriuſq; Caſtellæ conuentus tam fratrum, quàm monachorum, quàm etiam monialium vindicauit. Vt quotquot erant Mauri in Granatenſi Regno ad Chriſti fidem, abiurato Mahumetiſmo, conuerterentur, hic ipſe heros, poſt multos eo in opere exantlatos labores, effecit. Bibliorum quadrilinguium, quæ vel Complutenſia, vel Cardinalitia paſſim nuncupantur, plurimis nominibus laudanda, iuxta Hebraicam veritatem, verſio huic celeberrimo Antiſtiti tribuenda venit. Qui peritiſſimos quoſq; in linguis Hebraica, Græca, Syriaca ſiue Caldaica, atq; Latina, ex diuerſis terræ plagis, ad tanti operis editionem, non abſq; maximis impenſis, plurimiſq; laboribus, aſciuit,
E atq; pretioſis muneribus, & honoribus cumulauit. Quod quidem fuit celeberrimum opus, & tanto Principe dignum. Coacto ſuis ſumptibus optimo exercitu ad Afros penetrauit, plurimiſq; illorum pulſis, atq; occiſis, Oranum ciuitatem, cum maxima gloria, & incomparabili honore cœpit. Quæ & vſq; in hodiernum diem à Chriſtianis, non abſq; maxima Barbarorum pernicie, occupatur. Bis Hiſpanię Regnorum Gubernator, & Prorex extitit: quo in officio hominis prudentia, magnanimitas, generoſa indoles, atq; iuſtitia mirè elucuerunt. Deniq; plenus dierum in ſancta pace, atq; ſenectute bona, cum inuictiſſimo Carolo eius nominis V. Germanorum Imperatori, atq; Hiſpaniarum legitimo Regi obuiam iret, in oppido Roenſi, omnibus ſui maximum relinquẽs deſiderium, huic infelici ſæculo vltimum vale dixit, æthereaſq; ſedes, vt piè nobis cre-

dere

dere licèt, ſuorum laborum mercedem ab Altiſſimo accepturus petijt. Cuius corpuſculum, ieiunijs, vigilijs, atq; curis mirè extenuatum, Complutum ab eius familiaribus delatum, in maiori ſacello eius eccleſiæ, quæ collegio S. Ildephonſi adiacet, honorificè ſepultum, atq; alabaſtrino quodam ſepulchro, eleganti quidem artificio fabrefacto, reconditum extitit. Quod tamen, ſi tanti viri munia, honores, dignitates, functiones, atq; merita ſpectes, potius humilitatem quandam Chriſtianam, ac verè Minoriticam, quàm humanam aliquam ambitionem præſefert. Hæc tantùm ex huius Archipræſulis excellentiſſimi vita, & geſtis colligere voluimus, ne contra noſtrum inſtitutum modum exceſſiſſe videamur. Qui verò, his minimè cōtētus, eius vitam perfectius noſſe voluerit Aluari Gomecij hiſtoriam conſulat, hoc interim certò ſciēs, quòd multa ſibi adhuc deſideranda manebunt. Nam tot, tamq; illuſtres eius virtutes, mores, atq; actiones extitêre, vt vix eloquio, atq; ſtylo humanis proferri, & depingi valeāt. A B

De conuentu S. Franciſci Guadalfagiaræ. *Conu. IIII.*

NON longè à mœnibus ciuitatis Gaudalfagiaræ, quæ excellētiſſimorum Ducum de Infantado paret imperio, in loco quodam accliui, amœno, atq; aquarum ſcaturigine fœcundo, Minoriticum hoc monaſterium, diuo Ioanni Bapiſtæ ſiue (vt vulgo placet) B. P. Franciſco ſacrum, ſatis eleganter, ſatisq; comptè extructum eſt. Cuius ea eſt antiquitas, eaq; ſcripturarum penuria, vt à quo vel qua tempeſtate fuerit erectum, liquidò non conſtet. Quamobrem ad ſeniorum receptiſſimam eius ciuitatis traditionem, tamquam ad ſacram anchoram, recurrentes, ipſum olim ad Templarios pertinuiſſe, & ab ijs ad Franciſcanos Conuentuales deuolutum inuenimus. Quæ quidem traditio mihi maximè probatur: præſertim quòd altare in eius capitulo erectum, in quo C plures lapideæ imagines, more Tēplariorum comptæ, ab antiquo inſculptæ ſunt, fidem ſibi adhibere videatur. Cui tamen obuiare videtur altera ex prȩfatis imaginibus, Franciſcano fune præcincta, Minoriticoq; habitu culta. Licèt & hoc facilè dilui poſſet, ſi id curioſæ alicuius Guardiani operæ aſcribere voluerimus; qui huiuſmodi metamorphoſim faciendam curauerit. Quid enim prohibuit lapidem, ſcalpello, malleoloq; facilè cedentem, diuerſas in figuras à perito ſtatuario transformari? Nihil equidem. Sed ſi minus noſtra hæc imaginatio alicui arriſerit, adducat is in medium de huius ſacræ domus fundatione aliquid certius, quod ſe facturum non facilè crediderim, & ei libentiſſimè auſcultabimus. Hoc ergo monaſterium, quod 6. fratres commodiſſimè inhabitant, antiquitus à patribus Franciſcanis Conuentualibus, vt plures ſcripturæ, in eius archiuis aſſeruatæ, facillimè indicant, occupatum, plurimiſq; ædificijs colluſtratum D extitit. Nam eius eccleſia, longè tamen ignobiliori forma ab ea quam modò præſefert induta, hos patres ſui authores habuit. In cuius præcipuo, ac maiori ſacello illuſtriſſimi Marchiones de Santilliana tumulari voluerunt, eiuſq; legitimi ſucceſſores, illuſtriſſimi ſcilcet, pariterq; excellentiſſimi Duces de Infantado ſepeliuntur. Cùm itaq; illuſtriſſimus Marchio Innicus à Mendoza eandem cum illis ſepulturam nactus eſſet, eius filius reuerendiſſimus Petrus Gonzaluus à Mendoza Toletanus Archiepiſcopus, nec non & S. R. E. Cardinalis (de quo ſupra) iuſta tanto parenti redditurus, prȩfatam eccleſiam longè elegantiorem, longeq; auguſtiorem ſibi ædificandam fore putauit. Qua propter, neceſſarijs expenſis in medium productis, negocium cœmentarijs, latomis, atq; fabris lignarijs commiſit. Qui cupiditati atq; emolumento, potius quàm debito, & ſtructuræ firmitati ſtudentes, eam debilius, atq; infirmius, quàm par erat, E extruxêre. Vnde non ita poſt multum temporis maiori ex parte ad terram venit. Quo nihilominus caſu, imperterritus illuſtriſſ. heros eam ſecundò, ſuis ſumptibus, multò firmiorem, iuxta exteriorem apparentiam, atq; humanum iudicium, erigi curauit. Quæ tamen, non ita poſt multum temporis, eamdem prorſus cum priore fortunam ſubijt. Aſſeuerantibus verò, idq; legitimè probantibus fratribus, ſpopondiſſe quidem ſibi præfatum Toletanum Archiepiſcopum, toties ſe præfatam eccleſiam reædificaturum, quoties ruinam experiretur, donec tandem in eam formam, elegantiam, atq; ſtabilitatem euaderet, quam Pinciana S. Benedicti eccleſia haberet, tertiò ex ijs illuſtriſſimi Præſulis facultatibus, quæ ex eius morte ſuperfuerant, apprimè, eleganterq;,

vt modo

A vt modò apparet, fabrefacta eſt.. Quas ob res iure optimo præfati Duces de Infantado, prædictorum Marchionum de Santilliana, atq; illuſtriſſimi Dominici Innici à Mendoza quoq; Marchionis legitimi hæredes & ſucceſſores, ipſius iure patronatus gaudent, potiunturq; : & in mauſoleo affabrè extructo, quod in medio maiori ſacello(vt præfati ſumus)exurgit,humari merentur:licèt eorum beneuolentia,liberalitas,atq; erga huius loci fratres magnificentia,quæ incredibiles ſunt, idipſum minimè mererentur. Quum enim illuſtriſſimus Innicus Lopetius à Mendoza, Marchio Santillanicus,maximo fratrum Minorum Obſeruantum deſiderio teneretur, cuperetq; hunc conuentum à patribus Conuẽtualibus ad ipſos translatum:id à ſummo Pontifice Calixto III. ſibi concedi quamhumiliter petijt,atq; tenore cuiuſdam apoſtolici breuis,dati anno Dominicæ Incarnationis 1455.cuius initium eſt,Calixtus Pontifex &c. Pro noſtro ingẽti labore &c.
B impetrauit. Cùmq; aliud breue,cum eo è diametro pugnans, quod in conuentu S. Antonij de Capraria huiuſmet Prouinciæ vſq; in præſens perſeuerat, pręfati Conuẽtuales patres ab eodem Calixto Pont.max. obtinuiſſent: quo ſub grauiſſimis interminationibus,eccleſiaſticisq; cenſuris prædicto Marchioni præcipiebatur, ne aliquo pacto eos loco pellere,perturbare,aut inquietare præſumeret,vel attentaret:ea tamen fuit iſtius nobiliſſimi Marchionis ſolicitudo,is deniq; apud eundem ſummum Pontificem fauor, vt eiuſdẽ auctoritate, prioribus interim ſuis literis reuocatis,præmemoratos patres Franciſcanos Obſeruantes, anno ſuperius citato 1455.iuxta votum loco reſtituerit. Huius reſtitutionis meminit Franciſcanus ille liber,cui Monumentum Ordinis titulus eſt. Peperit perpetuò hic locus, à ſuæ reformationis tempore ad noſtrum vſq; æuũ, viros ſtrenuos, ſuiq; ſtatus ac profeſſionis zelantiſſimos, nec non & de Franciſcana Religione
C optimè meritos. Sereniſſimo Ioanne huius nominis II.in Hiſpanijs regnante, atq; ſegetibus præ ſiccitate areſcentibus, Guadalfagiarenſis ſenatus pluuiam à Deo opt. max. ſuppliciter petiturus, ſolemnem ſupplicationem ad ædiculam S. Dominici foro contiguam populo indixit. Cùmq; ſtatuta die deuotus quidam pater Franciſcanus concionem de ſacro Euangelio pro ſuggeſtu haberet, facta quadam apoſtrophe,ſuũ ad Deum ſermonem conuertit,ac tanta fiducia,tantoq; ſpiritu,feruore,atq; lacrymis miſericordiam & imbrium abundantiam ab eo petijt, vt quotquot aderant in gemitus, ſuſpiria, atq; lacrymas ex quadam teneritudine prorumperent, atq; cum maxima deuotione, affectu,cordiumq; compunctione Deum oraret, quatenus ſibi loquentem ſeruũ exaudire dignaretur. Mirabile dictu! Apparuit è veſtigio ſupra ipſius Concionatoris caput prægrandis quædam, ignea, atq; ſplendidiſſima crux: ſtatimq; & mugire tonitrua,&
D multiplicari fulgura,& tam largæ, ſuperuenientibus nubibus, aquæ dilabi cœperunt, vt vix populus fuga ſibi conſulere potuerit, & inſtanti neceſſitati ſatis, ſuperq; itum ſit obuiam; & terra, cuius arentia,ſitibundaq; viſcera adurenti Soli paulò ante patebant, abundantibus recreata lymphis, faciem mutarit, pallentiaq; arua ſuo humore reuireſcere fecerit.Quod reſciens Rex Ioãnes ſibi timere cępit,ac datis ad B. P.F.Vincentium Ferrerium,qui tunc in viuis agebat, literis, quibus ipſum de omnibus,quæ acciderant certiorem reddebat,quid ſibi foret agendum anxius rogauit. Cui B.P. reſcribens, ſaluberrima quædam monita ad diuinam Maieſtatem placandam præſcripſit. Extat adhuc eius epiſtola Madriti in Auguſtinienſium conuentu apud doctiſſimum P. F. Ferdinandum à Caſtello, catholici Philippi eius nominis II.vniuerſæ Hiſpaniæ Regis diſertiſſimum Eccleſiaſten. Adiacent reliquis ſcripturis, quæ in huius loci archiuis aſſeruantur,
E patentes quædam ſereniſſ.Ioannis Hiſpaniæ Regis(de quo paulò ſuperius) literæ, quibus præcipit, vt natalitius ſeraphici patris Franciſci dies feſtiuè ab omnibus ſibi ſubditis tranſigatur. Sepultus iacet in huius ſacræ domus eccleſia V.P. F. Antonius à Corduba, vir vtiq; doctiſſimus, atq; ſuæ profeſſionis obſeruantiſſimus;ad quem, tamquam ad certiſſimum quoddam oraculum, in dubijs conſcientiæ caſibus ex omnibus Hiſpaniæ partibus accurrebant.De quibus etiam doctiſſimam ſummam Hiſpanico idiomate edidit,vt doctis atq; indoctis communis eſſet. Hic pater numquàm, vel certè raro, proſpera ſibi aſpirante valetudine,à matutinis, quibus continuò, niſi graui conflictatus infirmitate,intererat,lectulum repetijt: ſed diuerſis euoluendis libris,quod noctis reliquum fuit,inſumpſit.Gaudet tandem ſacrum hoc,atq; pulcherrimum monaſterium clementi

cœlo,

cœlo ſaluberrimaq; aura, atq; optima bibliotheca, plurimiſq; libris referta; quam maiori ex parte reuerendiſſimus pater frater Franciſcus Ximenius Toletanus Archiepiſcopus, deq; omnibus viris doctis optimè meritus, inſtruxit: & plurimis, ijsq; precioſis, ornamentis & vaſis tum aureis, tum quoq; argenteis, ad diuinum cultum, ſacroſanctumq; miniſterium attinentibus; quæ omnia illluſtriſſimi & excellentiſſ. Duces de Infantado eius patroni dono dedêre: ac quodam capite alterius ex 11. millibus virginũ A

De conuentu S. Franciſci Madriti. Conu. V.

COGIMVR, quoties nullæ ſuppetunt ſcripturæ, quæ nos de locorum erectione certiores reddere poſſint, ad vulgarẽ ſeniorum traditionẽ recurrere: nã ea ſanè maximæ eſt apud hiſtoriographos dignitatis: & ſi ab ijs, qui hiſtorias texere conãtur, repelli cõtigerit, eos in multis cœcutire, imò potius à toto ſcopo aberrare neceſſum eſt. Quod vel maximè nobis eueniret, quibus raro; imò rariſſimè monumẽta ad noſtram rẽ attinẽtia, ob vituperabilem fratrũ incuriam, ſuccurrũt. Cùm igitur, poſt omnẽ motum lapidẽ iteratamq; archiuorũ euolutionẽ, nihil certi de huius Frãciſcani conuẽtus, qui Madriti, nõ longè ab eius mœnibus, ſub titulo S. Frãciſci erectus cõſpicitur, quiq; à 100. fratribus, ſi hoſpites continuò aduentantes enumerẽtur, inhabitatur, inuenire potuiſſemus, conſultiſſimũ fore duximus, ſi Madritẽſiũ ſeniores cõſuleremus. A quibus tandẽ retulimus eũ à B. P. F. Frãciſco primitus occupatũ, atq; pro ſolitæ paupertatis more extructũ. Hoc tamẽ adeò illis certum exiſtit, vt id inficiari, aut in dubium vertere nephas ſit, atq; inexpiabile piaculum. Quod & in cauſa eſt, vt tum ipſi loco, tum quoq; eius habitatoribus afficiantur, faueantq;: & vt procurantibus fratribus, ob aëris inſalubritatem, fluminiſq; proximitatem, cuius exhalationes peſſimæ ſunt, eius deſertionem, atq; ad alium ſitum multò ſalubriorem tranſlationem, Madritenſis ſenatus perpetuò reſtiterit, ſeſeq; oppoſuerit: aſſerens rem inhoneſtam, atq; vituperio plenam fore, ſi filij & ſucceſſores domum ſibi à tanto patre relictam, quauis etiam vrgentiſſima de cauſa, deſererent. Huic etiam traditioni aſtipulatur is fonticulus, qui inter duos huius ſacræ ædis populos ſcaturiens, beatiſſimo patri Franciſco ab omnibus Madritenſibus aſcribitur. Aſſerunt enim beatum ipſum patrem, vt primum Madritenſe oppidum applicuiſſet, tentorium ibidem fixiſſe, atq; tuguriolum pro ſui, ſuorumq; ſociorum habitatione, ex pauperrima, viliq; materia conſtruxiſſe. Ex his itaq; conſtat ſacrum hoc monaſterium antiquiſſimum eſſe, & à 370. eoq; amplius, annis initium ſumpſiſſe. Quod tamen, cùm iuxta priſcam illam Franciſcanam formam, vt aliqua eius veſtigia adhuc commonſtrant, conſtructum eſſet, atq; ſub ea diu permanſiſſet, temporis lapſu in multò elegantiorem, multoq; auguſtiorem, ſuppeditantibus interim Regibus, magnatibus, atq; Madritenſibus oppidanis, quæ ad eius promotionem neceſſaria erant, tranſlatum eſt. Nec facilè alicui ex cæteris Madritenſibus monaſterijs (tanta eſt oppidanorum ad eum beneuolentia, animiq; propenſio) cederet, niſi quædam antiquioris illius paternæ domus ſibi auguſtius, atq; iuxta architecticam normam debitè ædificando maximo eſt impedimento, huius Prouinciæ patres cohiberet. Ad dextrum maioris ſacelli latus, ſacro decantando Euangelio deſtinatum, ſereniſſimæ Reginæ Ioannæ, Henrici eius nominis IIII. atq; Caſtellæ Regis legitimę vxoris corpus, alabaſtrino quodam, atq; pulcherrimo mauſolæo reconditur. E veſtigio verò, ideſt ad ſiniſtrum eiuſdem ſacelli cornu, epiſtolæ pronunciandæ deputatum, illuſtriſſimi herois Henrici à Villena corpus, ſub nobili alio ſepulchro tumulatum eſt. Iacent quoq; alijs in loculis plures alij nobiles, & in conuentuali ſarcophago tot patres ac fratres, vt facilè cæteris, qui in reliqua hac Prouincia diem clauſerunt extremum, æquentur: nam (vt prædiximus) peſſimus hunc locum, ob peſtilentes præterlabentis fluuij exhalationes, conſequitur aër: In ſacello tandem, quod inter ſacrarium atq; ſummum altare occurrit, ſpectatq; ad nobilem Luxanorum familiã, diuæ Margaretæ virg. & mart. caput, pluresq; aliæ ſanctorũ, minimæ tñ quantitatis, reliquiæ aſſeruãtur.

De conuentu Dominæ noſtræ de Saliceto. Conu. VI.

MIRABITVR fortè curioſus lector, cùm alium ordinem in conuentibus enumerandis, diſponendiſq; à nobis obſeruatum animaduerterit, ab eo, quem Prouincia

A uincia hæc in ſuis Comitijs tenere conſueuit. Sed mirari protinus deſinet, ſi huiuſmodi diuerſitatis cauſam acceperit. Prouincia ſiquidem dignitatis, atq; magnificentiæ, non autem primæuæ locorum antiquitatis, & originis rationem in eorum enumeratione habet. Nos verò, ea neglecta, hiſtoriæ felicius texendæ, atq; tempori, à quo monaſteria ipſa erecta fuêre, in huius Prouinciæ deſcriptione, ſecus verò in alijs quàmplurimis, inſiſtimus. Cùm igitur præſens conuentus, beatiſſimæ ſemperq; virgini Dominæ noſtræ de Saliceto ſacratus, antiquioribus huius Prouinciæ locis annumerandus veniat, & Madritenſi tantùm (de quo ſupra) antiquitatis iure cedat, hanc ſibi ſextam ſedem, licèt aliam multò infirmiorem in capitularibus (vt vocant) diffinitionum tabulis obtineat, aſſignare voluimus. Vt autem eius originem, atq; vetuſtatem altius repetamus, hiſtoriam quandam ab huius patriæ ſenioribus ad poſteros, maxima ſolicitudine atq; religione ad hæc noſtra vſq; tempora, tanquam per manus, fideliſſimè
B tranſmiſſam, referre non pigebit: Quòd videlicet ſolus, ſiue fundus in quo pręſens conuentus ſubſiſtit, quique ſalebroſus, ſylueſtris, atq; montoſus omnino eſt, olim ad Hieroſolymitanos milites pertinuerit: quorum duo cùm die quadam venerationis gratia eum petiuiſſent, maximaque imbrium, fulgurum, atque tonitruum tempeſtate circumuenirentur, opprimerenturq;, ſe quàm humillimè ſeruatori Chriſto, eiusq; glorioſæ matri commendarunt. Cùmq; orationi anxius inſtarent, ipſa Virgo virginum, maximo amicta ſplendore, qui è medio cuiuſdam ſalicis ex tempore proruperat, illis apparuit, bonoq; animo eſſe præcepit. Qui deniq; milites è tanti periculi manibus erepti, ne de ingratitudine ab ipſa Dei genitrice aliquando arguerentur, ædiculam quandam ad
C eius honorem in ipſo prorſus apparitionis loco, qui vtrumq; terminum Peñaluerij, atq; Tendiliæ oppidorum complectitur, conſtruendam, atq; ſuper præfatæ ſalicis truncum altare erigendum, & ab arbore præciſa Saliceti cognomen ſibi imponendum curarunt. Cùm ergo venerabilis pater ac frater Petrus Villacretius, ſtrenuus regularis Obſeruantiæ propugnator (de quo in prima huius operis parte) ſpecu, in quo per 20. continuos annos vigilijs, ieiunijs, carnis macerationi, atq; orationi intentus delituerat, egreſſus eſſet, & per loca ſolitaria, nemoroſa, mœroribus, atq; diuinæ contemplationi amica, ſitum aliquem, in quo Obſeruantiæ regularis futuræ ſemina felicius iacere poſſet, ſibi quærens anxius, oberraret, in hoc eremitoriũ fortè fortuna incidit. Quod apprimè contemplatus, illud, tamquam tanto negocio peropportunum, ſibi ſuisq; aſſeclis ſumendum cenſuit. Quod tamen cùm ab ijs, quorum intererat, impetraſſet, eò ſe, anno à Chriſto ſeruatore nato 1376. cum quibuſdam ſibi chariſſimis ſocijs, eiuſ-
D demq; regularis Obſeruantiæ amantiſſimis, contulit. Et ab eo temporis vſq; impræſentiarum ſacra hæc domus, quam 24. fratres inhabitant, huius Prouinciæ recollectioni ſiue reformationi deſeruit: eſtq; prima omnium Obſeruantum Franciſcanarum ædium Hiſpanicarum, & fortè Vltramontanarum: Nam hîc primùm, poſt admiſſos in Ordine redditus, venerabilis præfatus pater frater Petrus Villacretius priſcum illum viuendi modum, à noſtris patribus obſeruatum, poſterisq; traditum repetere, priuilegijsq;, & indultis, quæ Franciſcanæ Regulæ rigorem relaxare videbantur, renunciare, atq; ſanctiſſimæ illius euangelicæ paupertatis radices altius figere cœpit. Ex quibus tot fœcundi palmites, totq; vberrimi fructus prodiêre, vt Antipodas quoq; ipſos ſua dulcedine, & ſuauitate refecerint, recrearintq;. Nec mirum ſanè: cùm terram adeò fœcundam, diligentiſſimosq; ſui operarios nacti fuerint. Hæc ſacra domus, licèt inter
E confertiſſimas arbores, aſperrimosq; montes ſedem obtineat, maximè tamen à Chriſti fidelibus, ob innumera miracula, quę meritis glorioſiſſimę virginis Mariæ, ad eius imaginem ibidem erectam contingunt, ſtatutis diebus frequentatur: quorum plurima intuentium oculis depicta occurrunt. Intra huiuſmet ſacræ ædis ſepta, atq; inter denſiſſima dumeta conſpicere licet deuotiſſima quinq; eremitoria, ex conuicinorum arbuſtorum ramuſculis contexta, in quibus totidem fratres orationi, vigilijs, ſtrictiſſimo ieiunio, aſperrimis diſciplinis, atq; perpetuò ſilentio intenti ferè ſemper commorantur. Quamobrem licèt, ob ſupinam fratrum negligentiam, quæ excuſationem non admittit, eorum nomina nobis ignota ſint, audacter tamen aſſerere auſim, plures hîc religioſos viros, Deo charos, quàm in cæteris totius Prouinciæ locis vitam terminaſſe.

Nam

Nam inter fodiendam terram aliquot defunctorũ patrum corpora integra, incorrupta, ſuauiſſimeq; redolentia, caſu inuenta ſunt. Quod abſq; dubio magnũ ſanctitatis ſignũ eſt. Addam quòd aliquibus religioſis Deo deuotis, dum feruẽtius orationi inſtarent, reuelatum ſit, hũc locum plurimis ſanctorum corporibus honeſtari: Quibus annumerandus venit religioſiſſimus pater frater Didacus à Barahona, vir vtiq; de omni virtutum genere optimè meritus: qui, tẽpore naſcentis Obſeruãtię regularis, huius cœnobij Guardianum vigilantiſſimum egit: quiq;, ob vitæ candorem, miraculis tum in vita, tũ quoq; in morte claruit, ſepultusq; eſt in communi fratrum ſarcophago. Eandem quoq; ſepulturam adeptus fuit venerabilis pater frater Petrus à Gamarra huius etiam loci aliquãdo Guardianus, atq; morum candore, & bonis operibus illuſtris: ad cuius feliciſſimũ tranſitum deuotus quidam pater, qui tunc Deo opt. max. plenis vacabat affectibus, coronam quandã mirè ſplendentem è cœlo demitti, huiusq; inſignis patris capiti imponi vidit. Hîc quoq; diuinum illum ſpiritum, quo plenus erat, imbibit reuerẽdiſſimus pater frater Franciſcus Ximenius, ſeq; in omni virtutum genere, non abſq; maxima omnium admiratione, in altero præfatorum eremitoriorum exercuit, atq; Guardianum agebat, quando à ſereniſſima atq; catholica Regina Eliſabetha in ſui Confeſſarium electus eſt. Dum foſſores quidam terram altius exhumarent, inuenta eſt ab ijs argentea quædam imago, ſed inaurata, cui duo illi Hieroſolymitani equites, huius ædificij primi fundatores, ante virginis glorioſæ imaginem, in ſalice ſibi apparentem, genuflexi inſculpti ſunt: quam ipſi ad fundamenti radices, in tanti beneficij accepti memoriam, iaci hauddubiè curarunt. Inter cæteras huius loci ſcripturas aſſeruantur humillima quædam reuerendiſſimi patris fratris Franciſci Angelorum, ſiue de Angelis, totius Franciſci Inſtituti generalis Miniſtri, renunciatio, qua ex apoſtolica Clementis VII. Pont. max. auctoritate ſibi, anno Domini 1527. facta, Generalatus officio renunciat, atq; reuerendum admodum patrem fratrem Petrum de Calzena totius eiuſdem Ordinis Commiſſarium generalem inſtituit, vt liberius & expeditius ad Carolum V. Hiſpaniarum Regem, ac Germaniæ inuictiſſimum Imperatorem, ad quem iteratò eadem de cauſa fuerat deſtinatus, pacem inter ipſum & præfatum Clementem ſummum Pontificẽ compoſiturus, pergere poſſet. Et patẽtes quædã literæ Ioãnis eius nominis II. Caſtellæq; Regis, quibus fratres Minores Obſeruãtes ab omni vectigali, naulo pro fluminum ſiue pontiũ traiectione ſoluendo, atq; à quacũq; alia regia exactione eximũtur.

De conuentu S. Antonij ſiue S. Iuliani de Capraria. Conu. VII.

SI quibuſdam Gallis, Anglis, atq; Germanis hiſtoriographis cœcam fidem adhibere vellemus, ea vtiq;, quæ de conuentus Dominæ noſtræ de Saliceto proximè præcedentis antiquitate à nobis dicta ſunt, retractare cogeremur. Ii ſiquidem omnes in eam manibus, pedibusq; (vt aiunt) eunt ſententiam, pręſentem ſcilicet conuentum ſancti Iuliani ſiue ſancti Antonij de Capraria (eſt enim binomius) omnibus alijs huius Prouinciæ locis antiquiorem eſſe: Minoriticumq; Occanienſe monaſterium (de quo infra) primum atq; immediatum poſt ipſum obtinere locum. Qui tamen egregiè falluntur: Nam certo certius conſtat præcedentem locum, anno Domini 1366. ſub venerabili præfatoq; patre fratre Petro Villacretio erectum, hunc verò, non ante annum Domini 1400. ab eius diſcipulis extructum, & Occanienſem conuentum, circa annum 1440. opera venerabilis patris fratris Alphonſi Boroxij ædificatum fuiſſe. Cùm ergo ſacra ædes Salicetana. 34. annis hanc, & iſta Occanienſem. 40. alijs annis præceſſerit, iudicet prudens lector, quę potius, noſtra ſcilicet, vel illorum ſtet ſententia: & quis ex tribus his locis alteri præferendus veniat, ſitq; alijs antiquior. Inueſtiganti verò mihi ſolicitè erroris iſtorũ cauſam, ea, quæ ſequitur, ſeſe obtulit. Poſtquàm enim Eugenius. IIII. Pont. max. pro ſua in regularem Obſeruantiam, tunc mirè pullulantem, beneuolentia, atque paterna pietate, dipplomate cauiſſet, vt eius alumni, conuentu in Prouincijs habito, earum ſinguli vnum aliquem ex eorum numero patrem, vita ac moribus probatum, qui ſub titulo Vicarij prouincialis cæteris præeſſet, illosq; iuxta ritum regeret, corrigeret, atq; gubernaret, pręficere poſſent. Prouinciæ Caſtellæ patres, licèt per eius Cuſtodias diuiſi, hoc in monaſterio ſancti Antonij de Capraria, anno à mundi redemptione

A ptione 1447. capitulariter conuenêre, communibusq; ſuffragijs venerabilem patrem fratrem Alphonſum Boroxium ſui Vicarium prouincialem crearunt. Quod quidem Capitulum primum omnium eorum fuit, quæ à patribus Obſeruantibus in vniuerſa Hiſpania celebrata ſunt: extititq; plurimorum patrum grauiſſimorum, atq; ſanctitate inſignium præſentia celeberrimum: Eaq; de cauſa, quod ſibi dignitatis, atq; honoris gratia debebatur, id ab huiuſmodi authoribus antiquitatis iure tributum eſt. Quicquid tamen ipſis errandi cauſa fuerit, inter Hiſpanas omnes Franciſcanas domos, imò & Vltramontanas, quæ, ab introductis in Ordine ſeraphico redditibus, Obſeruantiæ regulari mancipatæ ſunt, præfata ædes Dominæ noſtræ de Saliceto principem obtinet locum, ſibi iure optimo primiceriatus munus debetur. His igitur vtcumq; enodatis ſiue potius prælibatis, ad huius noſtri conuentus de Capraria deſcriptionem accedamus.
B Conſtiterat antiquitus decimo milliari ab oppido Buitrago Hiſpanicè dicto, quod ad illuſtriſſimos, atq; excellentiſſimos Duces de Infantado ſpectat, à pagulo verò Capraria ad primi lapidis ſignum, inter duos editos, niuoſoſq; montes, ædicula quædam ſiue potius eremitorium, in honorem S. Iuliani erectum: hoc primitiui illi Obſeruantes patres ſolitudinum, atq; inuiorum locorum amatores, quippe qui ſoli Deo placere, illiq; liberius vacare ſtudebant, circa annum Domini 1400. ſicuti ex Eugeniana quadam bulla, data in huius loci, eiusq; accolarum fauorē, anno Domini 1435. quæ adhuc extat, facilè edocemur, ſuis vſibus minus comptè, ſed ſatis religiosè adaptantes occuparūt. Quia verò beato patri Antonio à fratibus dicatum extitit, & antiquum eremitorium diuo Iuliano ſacratum fuerat, binomium euaſit. Hincq; euenit, vt modò diui Iuliani, modò verò diui Antonij conuentus paſſim vocitetur, ſed Caprariæ cognomen
C à viciniori pagulo ſibi impoſitum eſt. Situm obtinet ſacer hic locus, quem viginti fratres Recollecti inhabitant, inter frequentes aſperrimosque montes (vt dictum eſt) hominumq; ſæcularium frequentiæ minimè patet: quamobrem diuinis rebus, atque myſterjs contemplandis, nec non & huius Prouinciæ reformationi opportunè deſeruit. Inbuebantur olim hoc in conuentu, ob eius opportuniatem atque quietem, grammaticalibus, humanioribusque literis iuniores huius Prouinciæ fratres, de quorum numero ego aliquando fui. Sed ab anno Domini 1570. ad inſtantem, deuotamque illuſtriſſimi pariter ac excellentiſsimi Innici Lopetij à Mendoza, Ducis de Infantado, petitionem, huiuſmodi ſtudio, ac literario exercitio diſſoluto, Prouinciæ Recollectio à patribus ſibi ſuffecta eſt. Quæ adeò excreuit, adeoq; profecit, vt nulli penitus eorum locorum, quibus huiuſmodi laudabilis viuendi modus viget, ſiue ſanctitatis, ſiue regularis
D diſciplinæ, ſiue etiam aſperitatis palmam concedat. Gaudet hoc monaſterium aliquibus priuilegijs ſibi, ſub titulo & nomine oratorij, à diuerſis Caſtellæ Regibus conceſſis, & confirmatis, de quibus, poſtquàm ſuccintè ſatis, & compendioſiori ſtylo rationem reddiderimus, quare potius hic locus ab huiuſmodi Regibus oratorium, & non conuētus appelletur, fuſius agemus. Abhorrebant antiqui illi patres Recollecti ab omni pompoſo, atq; elato ædificio, eorumq; præcipuus ſcopus diuinarum rerum meditatio, perpetuum ſilentium, carnisq; maceratio erat, quas ob res nec chorum, nec cantum curantes, horas canonicas ſigillatim perſoluebant, atq; in ſuis cellulis, quæ frequentius vel criptæ, vel ſpecu, vel tuguriola ex humili materia contexta erant, ſe perpetuò continebant, indeq; ſtatutis horis egredientes, ad ædiculam ſiue paruum ſacellum, quod oratorium appellabant, Miſſam audituri pergebant: qua tandem perſoluta
E ad propria remeabant. De cibo verò, & potu nulla eis erat penitus quæſtio, nullaq; ſollicitudo, cùm hunc fontes vel propinquiores riuuli, illum verò terra virens ſibi miniſtrarent. Indeq; euenit, vt eorum eccleſiæ oratoria ſiue eremitoria, communi vocabulo, quo & Reges in patentibus ſuis literis vſi ſunt, nuncuparentur. Aliorum autem patrum Obſeruantum, qui Recollectioni minimè intendentes orationem mentalem, aliaq; huiuſmodi pia exercitia non prætermittunt, non eadem eſt ratio; Nam ij cùm non ſibi tantum viuere, ſed & alijs proficere cupiant, auguſtiores ædes, in quibus diuinum officium ſolemniter, & cum cantu perſoluere, conciones ad populum habere, atq; fideliū confeſſiones excipere poſſent, erigi paſſi ſunt, atq; curarūt: quas & eccleſias vocari voluerūt. Et hęc eſt tota huius diſcriminis ratio, quare iſtorū domus eccl eſię, il-

orũ verò oratoria ſiue eremitoria dicãtur. Hẽricus III. Caſtellę Rex huius loci fratribus conceſſit, vt per quindecim milliariũ ſpatium, in terminis Segobiẽſis ciuitatis, atq; oppidorum Vzeda & Buitrago Hiſpanicè nuncupatorum, venari, piſcari, atq; ligna ſibi ſiue ad combuſtionem, ſiue ad ædificationem neceſſaria præſcindere poſſent. Quam conceſſionem confirmarunt Ioannes II. Caſtellæ Rex, Ferdinandus & eius vxor Eliſabetha catholici, Hiſpaniæq; Reges, ſereniſſima Ioanna eiuſdẽ Hiſpaniæ Regina, eiusq; filius, & ſucceſſor Carolus huius nominis V. Germanorum Imperator, atq; ipſius filius Philippus II. vniuerſæ maioris Heſperię Rex. In medio maioris ſacelli ſepultus iacet reuerẽdiſſ. Archiepiſcopi Toletani patris ac fratris Frãciſci Ximenij pater. Et vt vnico verbo, quæ de hoc loco dicenda forent perſtringamus, habet hæc ſacra domus plures ſibi benefactores: ſed inter illos longè eminent illuſtriſſ. Duces de Infantado, qui maxima cura & ſollicitudine, quæ fratribus neceſſaria ſunt, maiori ex parte, ſubminiſtrãt. A B

De conuentu Dominæ noſtræ de Spe Occaniæ. Conu. VIII.

EXISTIMARAM profectò inuenturum me in huius loci archiuis aliquas, imò potius plurimas ſcripturas, ad ipſius fundationem attinentes, quibus facilè eorum errorem, qui conuentum Dominæ noſtræ de Saliceto iſto poſteriorem aſſerunt, conuellerem. Sed longè me mea fefellit opinio, cùm nihil ferè eorum quæ deſiderauveram inuenire potuerim. Quapropter his ſuperſedere, & quæ de huius ſacræ domus fundatione, atq; de huius authoribus inueſtigauerim, breuibus referre cogor. Cupiens igitur beatus pater frater Petrus Villacretius (de quo ſuperius ſæpius egimus) vt Franciſcana regularis Obſeruantia ad omnipotentis Dei laudem, fideliumq; ſalutem latius diffunderetur, aliquot ex ſequacibus, proprijsq; diſcipulis ſelegit, qui, iuxta præſcriptam à ſe normam, naſcentes illos palmites propagarent, excolerentq;: vt tandem eorum, ſibiq; ſimilium opera in fœcundam aliquando, iuſtamq; vineam prodirent, atque ſuccreſcerent. Qui dicto audientes, tantiq; patris ac præceptoris ſaluberrimi veſtigijs propenſius inhærentes, mandatum fideliſſimè exequuti ſunt. Ex ijs ergo diſcipulis alij præcedentem ſancti Iuliani de Capraria locum inter ſaxa, & ſcopulos conſtruxerunt: alij verò conſimilem prope Occaniam oppidũ nacti ſitum, huic ſacræ ædi, non quidem eo in loco vbi modò ſubſiſtit, ſed in alio aſperiori (vti infra dicemus) circa annum à ſalutifera Chriſti natiuitate 1420. feliciſſimum dedêre initium. Habet Occania contiguos ſibi quoſdam aſperrimos montes, ſylueſtribusq; indutos arboribus, atq; fœcundis, quos conſpicati cùm eſſent illi patres, ad eorum intimiora ſibi penetrandum fore ſtatuerunt. Itaq; mira arte, ſummaq; vi & indefeſſo labore, aperta ſibi via in altero illorum cliuo, excauata prius ſub rupe humo, oratorium, ſiue potius ſpecu in honorem ſancti Michaëlis fabricarunt. Nam ab effoſſa manibus terra, nihil penitus aliud artificioſum ibi videbatur, ſed quicquid prouida dederat natura omnino perſeuerabat: ita vt præter montem, ſpecu, atq; dumeta, nihil aliud prorſus appareret. Inibi ergo in eiuſdem criptæ penetralioribus, deuotiſſimum quoddam Chriſti ſepulchrum, conuenientibus ornatum imaginibus, atq; altare ad ſacrum faciendum conſtruxêre. Erexerunt præterea in gyro huius ſpeluncæ ipſi fratres, imo potius ex arbuſtorum ramis contexerunt octo cellulas, in quibus diuiſim commorabantur, Deoq; opt. max. in vigilijs, ieiunijs, aſperrimis diſciplinis, atq; perpetua oratione inſeruiebant. Ad quorum optimum odorem, optimumq; exemplũ plurimi, ſeculo, laxioriq; viuendi modo relictis, eorum philadelphiæ aſſociati ſunt. Inter hos fuit venerabilis pater frater Alphonſus Boroxius Franciſcanus, Conuentualis quidem profeſſione, ſed viuendi genere ſtrenuus regularis eiuſdem Franciſcanæ Obſeruantiæ cultor & propagator. Hic cùm eſſet ſacræ Theologiæ Doctor frequentes habebat ad populum conciones: quamobrem eius ſanctitatis, ſpiritus, atq; feruoris fama per vniuerſam Hiſpaniam diuulgari cœpit. Vnde & Reges, & magnates, reliquumq; vulgus ad eum, tamquam ad diuinum oraculum, in occurrentibus ſibi neceſſitatibus, reſponſa, atq; remedia relaturi recurrebant. Celebrato deniq; Capitulo patrum Obſeruantum Prouincię Caſtellæ, in conuentu ſancti Iuliani de Capraria, vt in præcedenti loco inſinuauimus, pater Alphonſus Boroxius in primum eiuſdem familiæ Vicarium prouincialem electus, atq; per quindecim continuos annos eo offi- C D E

A eo officio functus eſt. Cuius quidem patris induſtria, ac diligentia mirum in modum primitiua illa ſeraphici Ordinis reformatio excreuit. Pertinet oppidum Occania ad nobilem S. Iacobi militiam, cuius Præfecti ſacrum hunc locum maxima ſemper beneuolentia proſequuti ſunt: Pręcipuè verò Henricus Ferdinandi Aragoniæ Regis filius: qui eius incolis, ob loci ſterilitatem plurimaq; alia incommoda, maximè compatiens, illis conuentum ſimul & eccleſiam in media valle, quæ inter aſperrimos montes ſita eſt, proprius ipſum oppidum, anno 1440. propijs ſumptibus ædificari, ſimulq; accedente apoſtolica auctoritate, V. P. F. Petro Villacretio, atq; Alphonſo Boroxio conceſſa eiſdem tradi curauit. Cuius deuotionem ſequuti illuſtriſſimi heroës Ioannes Pachiecus eiuſdem militiæ Magiſter, ac Villienicus Marchio, & Alphonſus de Cardenas pręfatæ quoq; militiæ Magiſter, & Ferdinandus Guſmanius Commendatarius maior Calatrauianus, & Gutierrus à Cardenas Legionenſis maior Commendatarius, nec B non Gonzaluus Cachonius Quæſtor, & primus catholicorum Hiſpaniæ Regum Ferdinandi, eiusq; legitimæ coniugis Eliſabethæ Oeconomus, hanc ipſam domum mirum in modum exornarunt. Sed inter omnes hos proceres longè enituit pietas, atq; liberalitatis catholicæ Hiſpaniarum Reginæ Eliſabethę, quę domum ſibi contiguam, quam vſq; in hodiernum diem Reginæ domum vocant, anno Domini 1500. conſtrui curauit. Quam poſtea catholicus totius Hiſpaniæ Rex Philippus II. anno Domini 1563. à fundamentis ferè reædificauit. Inſuper pientiſſimus is Rex huius monaſterij fratres, qui numero ſunt 50. continuis atque largiſſimis ſuis eleemoſynis refouet. Quia verò illuſtriſſ. Eliſabetha à Mendoza, eiusq; filia Eliſabetha Cachonia eccleſiam ſuis ſumptibus ampliarunt, patronatus ius, quoad maius ſacellum, acquiſierunt. Eo temporis, quo C præfata eccleſia ampliata extitit, corpus V.P. F. Alphonſi Boroxij, quod peculiari ſepulchro recondebatur, inde iuſſu præfati ſereniſſimi, atq; catholici Regis Philippi effoſſum, ad mauſolęum, prope locum ſacro Euangelio ſolemniter decantando deputatum, honeſtè ſatis conſtructum, tranſlatum eſt, inibiq; modò quieſcit. Ad cuius pedes arcula quædam in antiquiori eius ſepulchro inuenta, ac humanam manum optimè redolentem, ſed ignotam, pluresq; literas ſibi à plerisq; Principibus tum eccleſiaſticis, tum quoque ſæcularibus tranſmiſſas continens, appoſita eſt. Deniq; Sixtus IIII. Pont. max. huius loci fratribus, cuiuſdam breuis virtute conceſſit, vt quoties antiquum ſacellum S.Michaëlis, adiunctasq; 8. cellulas (de quibus ſuperius egimus) viſitauerint, omnium exceſſuum plenariam indulgentiam promereantur. Cuius breuis initium hoc eſt. Quia audiuimus fuiſſe cellulas quorundā hominū probatiſſimæ vitæ &c. Idipſum D quoq; coceſſit catholicis Hiſpanię Regibus Ferdinādo, & Eliſabethę eius vxori, eorūq; domeſticis, atq; illuſtriſſ. Innico Lopetio à Mendoza Tendiliæ Comiti, dum pro ijſdem Regibus legatione apud ſe fungeretur in Romana curia, Innocētius VIII. Pont. max.

De conuentu S. Mariæ de Caſtaneto. Conu. IX.

AB vrbe Toletana 18. milliari & 6. à proximiori pago, inter confertiſſimas ſyluas, aſperrimosq; montes, qui ſolis apris, damulis, ceruis, alijſq; id genus feris patēt, conſtructum eſt hoc monaſterium, S. Mariæ de Caſtaneto ſacrum, quod 20. fratres Recollecti inhabitant: quorum nullus, etſi officio ſit Eccleſiaſtes, ad populum habet conciones, ſed eorum cuilibet, ex vetuſtiſſimo huius conuentus more, vitæ tantùm contemplatiuæ, pœnitentiæque, ac pijs exercitijs ſe dedit. Conſtiterat antiquitus hoc in E eodem loco eremitorium quoddam, ſub eodē prorſus titulo S. Mariæ de Caſtaneto erectum, in quo duo illi anachoritæ, qui Hieronymiano Ordini apud Hiſpanos initium dedêre, aliquando commorati ſunt, pœnitentiamque egerunt. Sed ab ijs derelictum, cùm eius patronatus, atque proprietas ad nobiles, deuotoſque Chriſti fideles Ioannem Ramirium à Guſmanio, eiuſque legitimam coniugem Ioannam Palomeque pertineret, cuidam V.P.F. Garſiæ à Roales Conuentuali Franciſcano, eiuſq; 8. aſſeclis, anno à Chriſti ſalutifera natiuitate 1415. eo videlicet temporis, quo in Eccleſia catholica maximum, atque periculoſum ſchiſma vigebat, ab ijſdē, ex auctoritate Benedicti. XIII. qui ſummo Pontificatu in Hiſpania potiebatur, collatum fuit. Anno verò Domini 1445. quo regularis Obſeruantia pullulare incipiebat, ijs loco cedentibus, à pientiſſimo

viro Ioanne Guſmanio, præcedentis Ioannis Ramirij filio, & hærede, ex apoſtolica auctoritate, ad patres Obſeruantes tranſlatum eſt. Conceſſit pius hic heros V. P. F. Alphonſo Boroxio, qui tunc Vicarij generalis Vltramontani Commiſſarium agebat, quiq; hunc locum acceptauit, non tantùm ipſum eremitorium, ſed & proprias rurales domos ſibi contiguas, atque tantum terræ ſpatium, quantum ad commodiſſimam conuentus conſtructionem opus eſſet. Inſuper elargitus eſt plura, eaque optima, ornamenta, nec non & alia vaſa, & vtenſilia ad cultum diuinum, remq; domeſticam neceſſaria. Quamobrem maioris ſacelli patronatum optimo ſibi, ſuiſque poſteris iure ſeruauit: licèt poſtea à nobili viro Franciſco Rogiano, (vulgò de Rojas) qui huiuſmodi ius patronatus ad ſe, ratione prædij in quo ſacra hæc domus ſita eſt, pertinere contendit, in controuerſiam vocatum fuerit. Plurima etiam ad huius cœnobij ædificationem contulit illuſtriſſimus dominus Didacus Pachieco Villenicus Marchio: eiuſq; eccleſiã ſuis ſumptibus ex integro conſtruxit. Hæc vna eſt ex huius Prouinciæ domibus, quæ (vt præfati ſumus) reformationi, ſiue Recollectioni deſeruiunt: tantoq; in illa plus cœteris proficit, quantò à ſęcularium frequentia plus illis eſt ſequeſtrata, atque ſemota: quæ & à caſtaneis arboribus, quibus ad maximam vſque diſtantiam circundatur, Caſtaneti cognomen ſortita eſt: Intra eiuſq; ſepta 5. aut 6. ædiculas, ad eremitoriorum formã extructas, conſpicere licet, in quibus fratres in ſtrictiſſimo panis tantùm & aquæ ieiunio, diſciplinis, atque cœleſtibus meditationibus ſe exercent, ſuamq; carnem legi ſpiritus ſubijciunt. Tandem, vt paucis multa, quæ de cœleſtis huius muſæi, eiuſque accolarum virtutibus dicenda mihi forent, perſtringam: eſt locus hic cœleſtis quędam imago, Angelorum potius quàm hominum incolatus, & quædam beatifica quies in terris conſtituta: quapropter à ſummo Pontifice Martino V. ſummis honoribus, & priuilegijs cumulari meruit: quẽadmodum ipſius bullæ, in eius archiuis diligentet cuſtoditę, apertiſſimè indicant. Hoc in loco habitauit aliquando R. P. F. Ftanciſcus Ximenius Toletanus Archiepiſcopus, qui vt liberius Deo vacare poſſet, in adiacentis ſyluæ penetralioribus vimineum ſibi tuguriolum, ſimplici luto illitum, conſtruxerat, ibique angelicam potius, quàm humanam duxit vitam. Nec caret ſacra hæc domus ſanctorum reliquijs: cùm duobus inſigniatur rubentibus ſeruatoris noſtri Chriſti ſanguine, atque pungentibus illis ſpinis, ex quibus contexta fuit ea corona, quæ tremendo ſummeq; venerando eius capiti impoſita extitit; atque quibuſdam alijs oſſibus, & ſanctorũ ſanctarumq; capitibus, quæ ob ſingularem eius ad locum deuotionem & affectũ dono dedit illuſtris domina Eleonora ab Aualos, olim ſereniſſimæ Germanorum Imperatricis Mariæ Auſtriacę domicella. Hîc tandem habitauit aliquando religioſiſſimus F. F. Didacus de Lumbreras ſacerdos: vir vtique maximæ ſanctitatis, atque pœnitentiæ: qui multis annis in quadam ſpelunca, huic conuentui vicina, pane tantùm & aqua, atque quibuſdam herbulis contentus, Deo opt. max. in maxima vitæ aſperitate inſeruiuit: quique, Deo ſibi reuelãte, diem ſui obitus multò ante præſciuit. Mortem obijt Toleti, ſepultuſq; eſt in conuentus Ioannis Regum tantus hic pater, poſtquam per aliquot annos præfati R. P. F. Franciſci Ximenij inſtructorem, optimumque magiſtrum hoc in monaſterio S. Mariæ de Caſtaneto egiſſet. Cuius tranſitum Toletani ciues cùm reſciuiſſent, omnes ad eius exequias confluxêre, vt cordæ, vel habitus particulam accipere poſſent. Tanta fuit iſtius venerabilis patris opinio, tantumq; nomen apud eos, à quibus cognoſcebatur.

De conuentu S. Franciſci Talabricæ. *Conu. X.*

TOLETANA Cuſtodia, quæ, vt latius in huius Prouinciæ exordio diſſeruimus, in Caſtellæ Prouinciam euaſit, ex 5. tantùm fratrum conuentibus conflabatur, Toletano videlicet, Madritenſi, Talabricano, Guadalfagiarenſi, atque Regienſi ſiue Ciuitatisregiæ. Horum verò aliqui in ſtrictiſſima obſeruantia, atque primitiua illa Franciſcana paupertate fundati fuêre: de quorum numero ſunt Madritenſis, ſancti Ioannis Regum, & hic noſter locus, ſi tamen receptiſſimæ Talabricenſium ſeniorum traditioni, atque certiſſimis coniecturis fidem adhibere fas ſit. Reliqui verò, nempe Guadalfagiarenſis, atque Regienſis ſub laxiori viuendi norma à patribus Franciſcanis Conuentualibus primitus ædificati fuêre. Sed temporis ſucceſſu & iſti, & illi præ-

A illi præfatis patribus Conuentualibus paruêre, & ab ijs ad Minores Obſeruantes ſummorum Pontificum decretis deuoluti ſunt, illisq; modò ſubſunt. Habuit ergo conuentus hic, beatiſſimo patri Franciſco ſacer, quem 40. fratres incolunt, primam ſui originem à quibuſdam patribus primęuæ illius Franciſcanæ reformationis, atq; Obſeruantiæ regularis cultoribus extra Talabricam ciuitatem, prope auriferi Tagi præterlabentis fluuii marginem: quemadmodum extantes adhuc ruinæ, & aquæductus, qui ab ipſo flumine ad interiora vſq; domus procedēs, aquam fratribus miniſtrabat, quiq; Excalceatorum fratrum nuncupabatur, facillimè commonſtrant; Cùmq; per aliquot annos patribus Conuentualibus deſeruiſſet, proſpecturus R. P. F. Ferdinandus à Talabrica, profeſſione quidē Hieronymianus, ſed dignitate primus, poſt debellatos expugnatosq; Mauros, Granatenſis Archiepiſcopus, qui & sereniſſimæ atq; catholicæ Eliſabethæ Hiſpaniæ Reginæ à confeſſionibus fuit, fratribus eiuſdem Ordinis Obſeruanti-
B bus, quibus ſummopere afficiebatur, ſanctæ Leocadiæ eccleſiam prope Talabricanæ ciuitatis mœnia, ſed à parte interiori ſitam, vbi eius parentum corpora humata fuerant, ex auctotitate ſummi Pontif. Innocentij VIII. atq; ex licentia illuſtriſſ. Gonzalui à Mendoza Toletani Archiepiſcopi, nec non S. R. E. Cardinalis, cuius tunc iuriſdictioni Talabrica ſubijciebatur, nec non & ex Parochi eius eccleſiæ, cuius id munus erat, beneplacito, in iuſtum conuentum, ſuis liberaliſſimis ſumptibus promouit, atq; ijſdem in habitationem tradidit. Parochia verò cum omnibus ad ſe pertinētibus ad eremitorium ſiue ædem S. Eugeniæ, non procul inde diſtantem, translata extitit. Poſt elapſos verò pauciſſimos annos ab huiuſmodi translatione R. P. F. Franciſcus Ximenius Toleta-
C nus Archiepiſcopus, Hiſpaniarum Cardinalis, Inquiſitor generalis, atq; vniuerſorum Ordinum tum monialium, tum fratrum, tum quoq; monachorum per Hiſpaniam, catholicis Regibus tunc ſubditam, generalis Reformator, in generali illa prima Frāciſcanorum Conuentualium reformatione, ex ſummi Pontificis auctoritate, ad catholicorum Regum Ferdinandi, eiusq; coniugis Eliſabethæ inſtantiam, facta, cuius ipſe exequutor fuit, patres Conuentuales ex antiquo conuentu deturbauit, eorumq; redditus, poſſeſſiones, atq; hæreditates, quæ admodum pingues erant, Parochorum Talabricenſium capitulo contulit. Quibus deniq; conuentus omnino deſtitutus, non ita poſt multum temporis, corruit, atq; ex eius ruinis eremitorium, ſub inuocatione S. Mariæ Magdalenæ coſtructum fuit. Poſt 30. autem annos à præfatorum patrum expulſione, huius loci pater Guardianus, fraterna pietate ductus, ne tantorum patrum, atq; ſacerdotum venerandi cineres viatorum pedibus paterent, prophanarenturq;, à Leone X. Pont.
D max. impetrauit, quatenus exhumata ex antiquiori ſarcophago huiuſmodi oſſa, ad nouum conuentum denuò ſub humo recondienda, ſibi transferre liceret. Quod &, tota ſibi applaudente ciuitate, præſtitit. Sacelli maioris patronatum, de eorum patrum, ad quos ſpectabat, conſenſu, illuſtriſſ. ac reuerendiſſ. Ioanni Suarez à Caruajalio Lucenſi Epiſcopo, (Hiſpanicè de Lugo) eiuſq; ſucceſſoribus reuerendus P. F. Antonius ab Aranda, tunc huius Prouinciæ Miniſter, anno Domini 1548. peracto inter eos publico atq; authentico inſtrumento, quod in huius conuentus archiuis aſſeruatur, ex mutuo pacto, atq; conuentione contulit. Sepultus eſt hoc in conuentu fratet Ioannes à Spinula, Hiſpanicè della Zarzuela, profeſſione quidem humilis laicus, ſed vita, & moribus longè præſtantiſſimus, qui & miracula, ante & poſt obitam mortem, feciſſe perhibetur.

E *De conuentu S. Franciſci Ciuitatis regiæ.* *Conu. XI.*

EA eſt ſeniorum huius Ciuitatisregiæ coniecturalis opinio (nam quicquid ſcripturarum erat, habitantium incuria perijt) hunc ſcilicet conuentum, B. P. Franciſco ſacrum, qui intra ipſius vrbis mœnia exurgit, antiquiſſimum eſſe, atq; ah Alphonſo huius nominis XI. Caſtellæ & Legionis Rege à fundamentis erectum, ſed à Sanchio Rege ſancto, eiusq; matre Berenguela omnibus ſuis numeris abſolutum fuiſſe. Huic opinioni fidem aſtruere videntur regia arma, eccleſiæ parietibus affixa: & ſtructuræ nobilitas, quæ regia omnino eſt: & eiuſdem ciuitatis per præfatum Alphonſum Regem promotio. Nihilominus ij egregiè falluntur: nam, vt prælegentibus Hiſpanicas hiſtorias in confeſſo eſſe poterit, Rex Caſtellæ Sanchius, atq; eius mater Berenguela præfa-

tum Regem Alphonſum XI. præceſſerunt. Quicquid tamen ſit, quandoquidem nihil aliud certi hac de re ſuppetit, hic locus antiquiſſimus, atque antiquiori Talabricano conuentui coæuus eſt: Nam ſi Franciſcanis ſcriptoribus fides adhibenda veniat, hic idem vnus eſt ex primis illis 5. qui Toletanam Cuſtodiam olim perficiebant. Si ſtructuram quoq; attendas, eius proculdubio vetuſtatem ſtatim depræhendes. Sed quis eius author fuerit, quoq; certo tempore, vel cuius auctoritate exordium ſumpſerit, abſumptis omnino (vt præfati ſumus) eius ſcripturis, nulloq; inſtrumento, nullaq; certa traditione ſuppetentibus, non facilè eſt indagare. Huius monaſterij eccleſia, quæ omnimodam minatur ruinam, & iam ex parte collapſa eſt, altari quodam priuilegiato, in fidelium defunctorum beneficium, gaudet: plurimisq; ſacellis, atq; nobilium aulicorum mauſolęis honeſtatur. Nam eo temporis quo Bætica Mauris parebat, Caſtellæ, atq; Legionis Reges hac in ciuitate, quæ barbaris illis tyrannis oppoſita erat, frequentius reſidebant. Paruit deniq; olim hoc cœnobium, quod vt plurimum 40. fratres inhabitant, patribus Franciſcanis Conuentualibus: quibus tamen, ex catholicorum Regum Ferdinandi, eiusq; coniugis Eliſabethæ mandato, loco cedentibus, in fratrum eiuſdem Ordinis, ſed Obſeruantum, ius ceſſit: ex deturbatis verò, vnus inter alios remanſit P. F. Petrus Ahumada, beatiſſ. Virginis glorioſæ deuotiſſimus, ſuæq; profeſſionis zelãtiſſimus: quamobrem moriẽs, maximũ ſui deſideriũ reliqt, atq; honorificè hoc in eodẽ loco ſepultus eſt. A B

De conuentu S. Mariæ de gratia Paternianæ. Conu. XII.

EX indubitatis, certiſſimisq; coniecturis, & indicijs luce clarioribus facillimè colligitur, hunc conuentum, S. Dei genitrici Mariæ de gratia ſacrum, qui è regione mœniũ oppidi Paternianæ exurgit, atq; à 40. fratribus vt plurimùm incolitur, ante 150. annos ſumpſiſſe exordium: Nam & à religioſiſſimo P. F. Ioanne Peñaluerio ædificatus, & à præſtantiſſimo P. F. Alphonſo Boroxio, tunc Prouinciæ Caſtellæ Vicario prouinciali cœteris eiuſdem Prouinciæ monaſterijs adiectus fuit. Obtinuerat tamen in ſui primordio alium ſitum, ſeſquimilliari ab oppido diſtantem, eo ſcilicet in loco, qui Mororum vallis Latinè nuncupatur, Hiſpanice verò Val de Morales. Sed cùm ea ſedes diſcipulis præfati patris Alphonſi Boroxij, qui primi eius authores fuerunt, minus ad corporalem ſalutem conduceret, opera præmemorati patris Ioannis Peñaluerij ad locum, quem modò obtinet, tranſlatus extitit. Parebat eo temporis Paterniana, ſiue Paternianum, quod recenſioris Caſtellæ oppidum eſt, ſacræ Calatrauenſis militiæ Magiſtris: eaq; de cauſa illuſtriſſimus Petrus Gironius, qui ea tunc dignitate potiebatur, ſuaſu R. Alphonſi Carrillij Toletani Archiepiſcopi, eiusq; patrui, & auctoritate Pij II. Pont. max. cuius breue, datum Romæ, anno à mundo redempto 1460. ab eius verò Pontificatu anno 2. adhuc extat, ſacram hanc ædem à fundamentis, eam profectò abſoluturus, ex domeſticis facultatibus erigere cœpit: quo tamen immatura morte ſublato, eius cognatus, pariterq; illuſtriſſ. Rodericus Gironius, qui ſibi in Calatrauenſi Magiſterio ſucceſſerat, monitu præfati R. Archiepiſcopi Toletani, cuius quoque nepos erat, opus iam cœptum ad finem vſq; promouit, perduxitq;. Quùm autem illuſtriſſ. Didacus à Meudoza, eiusq; vxor Anna à Zerda præfatum oppidum Paternianam emiſſent, huius ſacræ domus maius ſacellũ à primo ad vltimum vſq; lapidem elegantiſſimè conſtrui, ac quibuſdam vaſis, diuino cultui deſtinatis, exornari curarunt. His deniq; noſtris temporibus longè emicuit pia illuſtriſſimorum Roderici Gomezuli à ſylua, eiusq; legitimæ vxoris Annæ à Mendoza & Zerda Ebolitanorum Principum deuotio: qui vt primùm, numerata prius iuſta pecunia, eiuſdem oppidi Paternianæ poſſeſſionẽ, proprietatemq; adepti eſſent, & huius ſacri loci ædificium mirè colluſtrarunt, & eius fratribus accolis largiſſimis ſuis eleemoſynis adfuerunt, & ſacrarium ſacro quodam vnius ex vndecim millibus virginum, quæ pro Chriſti fide martyrium ſubiêre, capite cohoneſtarunt. C D E

De conuentu Dominæ noſtræ de Oliua. Conu. XIII.

INTER medios fines pagorum Nominchiar, atq; Rechas Hiſpanicè nuncupatorum, ſacra hęc domus, ſanctiſſimę Dominę noſtræ de Oliua dicata ſubſiſtit, quã 34. fratres, quorum maior pars Grammaticalibus rudimentis incumbit, frequentius inhabitant:

bitant:

A bitant: Eſt enim Muſis accommoda ſatis: cùm à proximiori pago ad mille paſſus, &
vltra diſtet. Dicitur autem de Oliua, à quadam eiuſdem nominis prægrandi, antiquiſ-
ſima, necnon & elegantiſſima arbore, quæ præ foribus eccleſiæ, virentibus ſemper
folijs, conſiſtit. Licèt hic locus antiquiſſimus ſit, atq; omnino memorabilis, nihil ta-
men certi, vel omnino parum de eius origine & fundatione, abſumptis olim à deuo-
rante flamma omnibus eius ſcripturis, expiſcari valui. Fama eſt, eaq; ſatis vulgaris,
ſed receptiſſima, imaginem glorioſæ Virginis ſemel ex quadam oliua hoc in loco
cuidam apparuiſſe (quis tamen ille fuerit, vel quo tempore id acciderit, non facilè eſt
indagare) eaq; rei nouitate, frequentibusq; miraculis permotos conuicinos paganos,
eremitoriolum, in eiuſdem beatæ Virginis honorem, conſtruxiſſe, atq; cuidam deuoto
eremitę inhabitandum contuliſſe: Ioannemq; eius nominis II. Caſtellæq; Regem, cùm
B intempeſta nocte, ſuisq; ſequacibus amiſſis, ex venatione rediens ad ipſum diuertiſſet,
atq; ſatis humaniter, pro modulo, à præfato eremita exceptus eſſet, ſuaſu cuiuſdam
aulici, qui ſibi fortè aderat, id in fratrum Minorum de Obſeruantia conuentum pro-
mouendum curaſſe. Extruxit igitur (vt iſti volunt) Rex eccleſiam, illamq; proprijs
armis exornandam curauit: ſed quod reliquum erat ædificij, eius aulici præſtiterunt.
Atqui catholici Hiſpaniæ Reges Ferdinandus, eiusq; coniunx Eliſabetha alterum ex
clauſtris, poſt aliquot annos, refici curarunt. Aderat fortè præfato Regi Ioanni no-
bilis quidam Aluarus à Luna Caſtellæ Comeſtabilis, atq; militiæ ſancti Iacobi Magi-
ſter, qui conſilium de ædificanda eccleſia Regi dederat: hic maioris ſacelli patronatum
pro quodam Gottore ſibi famulo à Rege petijt, & impetrauit: atq; ab eo tempore eius
ſucceſſores, qui in hodiernum vſq; diem perſeuerant, huius iure potiuntur. Frequen-
C tatur maximè ſacra hæc domus à deuotis ſæcularibus, ob miracula quæ, ad beatæ Vir-
ginis ſanctiſſimæ merita, à Deo opt. max. in fidelium ſolatium atq; fauorem, indies
patrantur: ibiq; plura iocalia, ac pretioſa veſtimenta, ad diuinum cultum pertinen-
tia, & largiſſimas eleemoſynas contulit, quoad vixit, illuſtris pariter ac deuotiſſima
Eliſabetha à Saa, illius egregij, nobiliſq; Poëtæ Petri Laſſi à Vega quondam vxor, Sed
& ſereniſſima Maria Auſtriaca Germanorum Imperatrix, atq; inuictiſſimi Philippi
eius nominis II. Hiſpaniarumq; potentiſſimi Regis vterina ſoror, ad præfatæ Eliſabe-
thæ piam petitionem, huic eidem loco maximæ æſtimationis ornamenta, ad peragen-
dam rem diuinam, atq; duo ex 11. millibus virginum capita, cum quibuſdam alijs
ſanctorum reliquijs, ex Boëmia tranſmiſit: quæ omnes in maxima ſunt apud hos po-
pulos veneratione. Igitur vt ex probabilibus indicijs coniectare valui, eſt domus hæc
D antiqua ſatis, atq; à diſcipulis pientiſſimi P. F. Alphonſi Boroxij primitus occupata.

De conuentu S. Franciſci Pinti. Conu. XIIII.

NIHIL penitus intactum reliqui, vt huius conuẽtus originem, & antiquitatem è
tenebris eruerem: ſed deficientibus ſcripturis, oppidaniſq; diuerſa ea de re ſentien-
tibus, nihil, aut certè parum profeci. Fert enim vulgaris fama, hunc locum, B. P. Franci-
ſco ſacrum, atq; ad fines oppidi Pinti ſitum, quem 30. fratres frequentius occupant, ad
Templarios aliquando pertinuiſſe. Sed qui huic ſententiæ acquieſcunt, toto (vt aiunt)
cœlo errant. Alij verò, & certius, huius ſacræ domus authores tradunt diſcipulos, vel
ſaltẽ ſequaces V.P.F. Alphonſi Boroxij: Quod quidẽ plurimis, pręcipuè verò mihi maxi
mè probatur: cui Dñorũ huiuſce oppidi ſcripturas luſtrãti vna inter alias occurrit, quæ
E P. F. Antonium Legionenſem huius loci Guardianum egiſſe, anno Domini 1480. con-
ſtituit. Cùm igitur in confeſſo ſit, priſcis illis Franciſcanæ naſcentis Obſeruantię tempo-
ribus, neophytos eius conuentus, ob fratrum paucitatem, non à Guardianis, ſed vel à Vi-
carijs, vel à Præſidentibus fuiſſe rectos, quis dubitat hunc locum per 20. annos ad mi-
nus ante prædictum tempus fuiſſe conſtructum: quo ſcilicet tempore pater Alphon-
ſus Boroxius eiusq; diſcipuli maximè florebant. Fuit igitur conuentus hic ædificatus
(niſi me mea fallit opinio coniecturalis) circa annum Domini 1460. Vt verò quod aſſe-
rimus, manifeſtius appareat, breuibus quæ ſolerti adhibita cura accepimus, his ſubij-
ciemus. Occurrebant olim in huius oppidi egreſſu duo eremitoria, alterum quidem
S. Michaëli ſacrum, alterum verò S. Chriſtophoro dicatum: & hæc medio interpoſito

itinere

itinere, quod Sanctorum nuncupabatur, ab inuicem diſtinguebantur. Quod quidem A
Sanctorum nomen ſibi, ſicut & contiguo prato, à Franciſcanis Obſeruantibus, qui communi vocabulo Sancti tunc tēporis à plebe, quemadmodum & patres Ieſuitæ Apoſtoli apud Luſitanos dicebantur, inde ſæpius pertranſeuntibus, atq; ad patrem Alphonſum Boroxium, tunc Prouinciæ Caſtellæ prouincialem Vicarium, diuerſis de cauſis, tendentibus obuenit. Cùm igitur præfati Franciſcani patres ſæpius ad ædiculam S. Michaëlis hoſpitij gratia diuerterent, inibiq; celebrarent, oppidani ex eorum viuendi modo, atq; religioſa conuerſatione allecti, illam ipſis ad futuri conuentus ędificationem, ſimul & eremitorium S. Chriſtophori cum adiacente ſitu, liberaliſſimè contulerunt. Qui vtroq; demolito ſacello, ex congeſta in vnum vtriusq; materia, atq; eorundem oppidanorum pijs eleemoſynis, hoc monaſterium, circa annum Domini 1460. (vt præfati ſumus) conſtruxêre. Cuius eccleſia ab Henrico eius nominis IIII. Caſtellæq; B
Rege ędificata traditur. Eius verò maius ſacellum illuſtris Gomezulus Carrillus, huius oppidi Pinti temporalis Dominus, non longè ab anno Domini 1518. ſuis ſumptibus à fundamentis erexit. A quo etiam tempore tam ſibi, quàm eius ſucceſſoribus, in peculiarem ſepulturam deſeruit. Exornatur tandē ſacra hæc domus duobus capitibus ex 11. millibus virginum & cruce quadam argentea, pluribus ſanctorum reliquijs referta: cui incluſa quoq; eſt paruula crux, ex illo ſanctiſſimo ligno, in quo mundi Seruator pependit, affabrè compacta. Quam argenteam crucem illuſtriſſ. Marchio Almenarenſis, dum pro catholico Rege Hiſpaniarum Philippo huius nominis II. apud Maxilianum eius quoq; nominis II. atq; Germanorum Imperatorem legatione fungeretur, ab eodem Maximiliano dono accepit, eiusq; genero, huius oppidi Pinti temporali Domino, liberaliſſimè contulit: à quo huius monaſterij eccleſiæ pientiſſimè oblata fuit. C

De conuentu Dominæ noſtræ Excalceatorum Scalonæ. Conu. XV.

LICET hic conuentus in capitularibus congregationibus primum obtineat locum, is tamen non antiquitatis iure, ſed Capituli prouincialis ibidem celebrati priuilegio ſibi debetur. Conſtat enim ipſum ab illuſtriſſ. Didaco Pachieco Villenenſi Marchione, atq; oppidi Scalone Domino temporali, anno Dominicæ incarnationis 1502. ex Alexandri VI. Pont. max. auctoritate, cuius bulla adhuc in huius loci archiuis perſeuerat, ædificatum fuiſſe. Qui quidem ſummus Pontifex præfato Marchioni conceſſit, vt translato ad alium locum autiquiori quodam eremitorio, hoc monaſterium, ſanctiſſimæ Dominæ noſtræ Excalceatorum ſacrandum, quod frequentius 30. ftatres inhabitant, ibidem exædificare poſſet: prout & fecit. Cùm autem pręfatus Marchio cele- D
brem, ac deuotam fidelium Confraternitatem, quæ à 300. & vltra annis ibidem perſeuerabat, ab antiquo illo eremitorio ad nouum monaſterium translatā maximè cuperet, ſibiq; à cōfratribus in facie reſtitū eſſet: vt id ſibi liceret, prędicto ſum. Pōt. Alexādro VI. ſupplicauit. Quamobrem ille edito hac de re apoſtolico diplomate cauit, vt omnino ea Confraternitas ad Minoriticā ædem trāsferretur, atq; antiquū ſacellū ad noui ædificij promotionē penitus demoliretur: quod & fideliſſimè mandatū exequutioni extitit. Voluit autem Alexander Papa VI. hanc domum peculiari hoc Excalceatorum vocabulo inſigniri à priſcis illis Obſeruantibus Franciſcanis patribus, quibus pedum excalceatio pro religione, atq; voto tunc erat. Licebat præfato Marchioni Villenico, ex pontificia auctoritate, hanc à ſe conſtructam ædem, cui mallet ex Minoriticis conuicinis Cuſtodijs tribuere: qui cognita Toletanæ Cuſtodiæ religione & ſanctitate, illam ſibi adijciendam ac V.P.F. Petro Balcazaro, tūc patris Ioannis à Toloſa Vicarij prouincialis Commiſſario, conferendam cenſuit. Contulit præterea prædictus Didacus Pachiecus plura vaſa aurea, & argentea, necnon & quamplurima ornamenta, ad cultum diuinum neceſſaria, inſuper & largiſſimas eleemoſynas, quibus fratres commodè nutriri poſſent: quatenus minus de earum acquiſitione ſoliciti, Deo opt. max. liberius expeditiusq; vacarent. Fuit deniq; tanta iſtius herois ad fratres deuotio tantusq; affectus, vt nihil aliud ab eorum commodo quæſijſſe videatur, ita vt etiam poſt mortem ex teſtamento illis per modum eleemoſynę argenteum nummum, dimidiamq; tritici menſuram, in ſingulos dies reliquerit. Cuius pietatem imitatus etiam eius nepos Franciſcus Pachiecus, Villenicus

A nicus quoq; Marchio alium adiunxit argenteum nummum, aliamq; mediam tritici menſuram. Recipiunt itaq; huius loci fratres ſingulis diebus ab horum dominorum ſucceſſoribus integram tritici menſuram, duosq; argenteos denarios in eleemoſynam. Ne autem præmemorato Didaco Pachieco Villenico Marchioni, atq; Excalonico Duci aliquid ad conſumatam pietatem deeſſe videretur, omnia huius Prouinciæ Caſtellę Capitula patrum Obſeruantum prouincialia, ſiue etiam generalia Capitula in Caſtellę Prouincia celebrari in poſterū contingeret, ſuorum ſucceſſorum ſumptibus celebrarentur: patribusq; ac fratribus ſupplicauit, vt ſi commodè fieri poſſet, ne alibi quàm in ſua ditione huiuſmodi Comitia habere vellent. Quod tamen ita temperauit, vt fratribus eligendi capitularis loci facultatem liberam eſſe voluerit, licèt eius ſucceſſorum expenſis habenda forent. Itaq; ab anno Domini 1524. vſq; ad hunc præſentem, qui
B eſt 1587. quot quot in hac Prouincia Caſtellæ Conuentus à patribus habiti ſunt, illuſtriſſimorum Villenicorū Marchionum facultatibus & liberalitate celebrati extiterūt.

De conuentu S. Antonij Mondexaris. Conu. XVI.

POSTQVAM illuſtriſſ. Innicus Lopetius à Mendoza, ſecundus Tendiliæ Comes, atq; Mondexaranus Marchio, qui & apud ſummum Pontificem Innocentium VIII. & Ferdinandum Aragoniæ Neapolitanorum Regem, cæterosq; Italiæ Potentatus, pro catholicis Hiſpaniæ Regibus Ferdinando eiusq; coniuge Eliſabetha legatione fungebatur, pacem inter præfatos Principes dexterrimè ſtatuiſſet, compoſuiſſetq;, à prædicto Innocentio VIII. Minoritici cuiuſdam erigendi conuentus facultatem, anno Domini 1486. impetrauit. Quapropter in Hiſpaniam, re feliciter expedita,
C reuerſus, ex communibus tum ipſius, tum quoq; eius vterini fratris, R. ſcilicet Petri Gonzalui à Mendoza, Gienenſis Epiſcopi, atque Patriarchæ, nec non & S. R. E. Cardinalis facultatibus, hoc monaſterium, B. P. Antonio ſacrum, ac intra oppidi Mondexarani mœnia ſitum, quod communiter 30. fratres incolunt, magnificè ſatis ędificari curauit: plurimisq;, ijsq; pretioſis, ornamentis ſibi à præfato Rege Neapolitano dono datis, alijsq; aureis, atq; argenteis vaſis, ad rem diuinam peragendam neceſſarijs, ditauit. Potitur præterea domus hæc plurimis indulgentijs, ſibi à præmemorato Innocentio Papa VIII. in fauorem eam debitè ac deuotè in feſtiuitatibus immaculatæ conceptionis Virginis glorioſæ, ſanctorumq; patrum Franciſci, & Antonij Paduani accedentium, conceſſis. Gaudetq; pinguiſſimis huius oppidi Marchionum eleemoſynis: quamobrem inſtruendis fratribus iunioribus in grammaticalibus diſciplinis appri-
D mè deſeruit. Honeſtatur inſuper altari quodam, in fidelium defunctorum ſolatium, priuilegiato, ex conceſſione Gregorij XIII. Pont. max. Eius verò maius ſacellum, humandis præfatorum Marchionum, eorumq; prolium, & conſanguineorum corporibus inſeruit. Contulit quoq; præfatus Innocentius VIII. Pont. max. illuſtriſſimo domino Innico Lopetio à Mendoza præter ea, quæ ſuperius diximus, enſem pulcherrimum ſequentibus literis, ex vtraq; parte exornatum. Ex altera quidem. *Innocentius Papa VIII. anno ſui Pont. vi.* Ex altera verò *Gladius defenſionis totius populi Chriſtiani.* Qui quidē enſis ab eius ſucceſſoribus in maxima veneratione habetur, atq; ad poſteros, inter pretioſiſſima quoq; alia iocalia, maxima religione, iure progenituræ tranſmittitur.

De conuentu S. Franciſci de Cruce Centumfontibus Conu. XVII.

E DVM V. P. F. Ioannes à Toloſa Prouinciæ Caſtellę Vicarium ageret prouincialem, luſtrandarumq; reliquarum Cuſtodiarum cauſa, Toletanam, Cuſtodiam P. F. Didaco à Balcazar, Minoritici Madritenſis conuentus tunc Guardiano, ſub Commiſſariatus titulo, credidiſſet, illuſtriſſ. pariterq; pientiſſimus dominus Ioannes à Sylua Centifotanus Comes, domum ſimul atq; eccleſiam ſibi connexam, in honorem B. P. Franciſci, à ſe ex ſummi Pontificis Innocentij VIII. auctoritate, prope oppidum Centumfontes ædificatam, cuius ſummi Pontificis bulla 2. Ianuarij anno Incarnationis Dominicæ 1484. data, adhuc ſupereſt, præfato P. F. Didaco à Balcazar obtulit: quam & ille 30. Apriilis, anno verò à Chriſto natiuitate 1488. ſummi Pontificis iuſſu compulſus acceptauit, cæterisq; eiuſdem Cuſtodiæ conuentibus annexuit. Reſplenduit

duit autem mirum in modum præmemorati Comitis pietas,atque in Franciſcanam fa- A
miliam ſingularis deuotio,non ſolum in huius conuentus,quem 25. fratres commodiſſimè inhabitant,eleganti ſtructura, ſed & in reliquis omnibus, quę ad eius ornatum, atque ad ſubleuandam fratrum neceſſitatem deſiderari poterant. Nam & ſacriſtiam aureis,argenteiſque calicibus,& vaſis, nec non & pretioſis ornamentis, ad illud propitiatorium ſacrificium,ſoli Deo viuenti offerendum,inſigniuit,& bibliothecam optimis abundantibuſque libris inſtruxit, & chorum omnibus neceſſarijs, atque choralibus libris donauit, & largiſſimas eius incolis eleemoſynas, quoad vixit,elargitus eſt. Cuius quoque pietatem imitatus illuſtriſſ. dominus Franciſcus à Sylua eius filius, atque ſucceſſor, qui, ob eius ſingularem prudentiam atque maturitatem, pro inuictiſſimo Imperatore, atque Hiſpaniarum Rege Carolo eius nominis V. in Vrbe legatione functus eſt, quicquid à patre, immatura morte præuento, circa huius ſacræ ædis perfe- B
ctionem prætermiſſum fuerat, abundantiſſimè pientiſſimeq; ſuppleuit, abſoluitque.

De conuentu S. Franciſci Turrigij. Conu. XVIII.

AD 200. paſſus ab oppido Turrigio, Toletanæ diœceſis,exurgit celebre quoddam ac omnino magnificum fratrum Minorum monaſterium, ſub inuocatione ſanctiſſimæ Mariæ de Ieſu,licèt communiter diuo Franciſco ſacratum,quod à 40. religioſis commodiſſimè incolitur,atque ex Alexandri VI. Pont. max. auctoritate, anno à ſalutifera Chriſti natiuitate 1492. ab illuſtriſſimis ſimulatque deuotiſſimis dominis Gutierro de Cardenas,maiore Legionēſi Commendatario, eiuſque legitima coniuge Tireſia Henriquez ædificari cœpit, ſuique complemētum, eorundē heroum auſpicijs, anno Domini 1502. quod,pro tanti operis ſtructura impoſſibile videtur,accepit, atque V. C
P.F. Ioanni à Toloſa tunc Prouinciæ Caſtellæ Vicario prouinciali, anno ſequēti, nempe 1503. traditum fuit. Manſit ſacræ huius ædis patronatus ius penes eius auctores, eorumque ſucceſſores, illuſtriſſimos ſcilicet Duces de Macheda,quamobrem ſummum eius ſacellum ſolis illis humandis deſeruit: Vnde & elegantiſſimis, atque ſumptuoſiſſimis mauſolęis inſignitur. In eius ſiquidem medio nobile quoddam alabaſtrinum, iaſpideumque ſepulchrum, 12 leonibus artificioſiſſimè innixum,exurgit, in quo pręmemoratorum fundatorum corpora iacent. Ad eiuſdem verò latera alia quædam,minoris tamen æſtimationis,inuiſere licet. Moris eſt apud eos, qui magnificum aliquod ædificium erigere moliuntur,proijciendi in ptimo eius fundamento nummum aliquem aureum,ſiue argenteum,ſuam effigiem,ſuumque nomen præſeferentem: & hoc vel ad futuri operis nobilitatem inſinuandam,vel ad ſui memoriam poſteris tranſmittendam. Sic D
illuſtriſſimus hic dominus Gutierrus à Cardenas, ſub primo huius magnificentiſſimæ ſtruendæ domus lapide,aureas quaſdam,non paruæ æſtimationis,imagines recondi iuſſit, quibus & tanti, tamque celeberrimi opificij patentiſſimum præbuit indicium, & ſuam pietatem, atque nomen immortalitati conſecrauit. Licèt eo temporis feliciſſima ſęcula ſuccederent,omniaque vili compararentur: paruoque operarij ære contenti eſſent:nihilominus tamen vltra 130.aureorum coronatorum millia in huius monaſterij ſtructura conſumpta ſunt. Quid tamen mirum,cùm nulli alteri Franciſcanę domui,ſiue etiam de ſancti Ioannis Regum Toletana agatur, ad cuius exemplar,ne dicā æmulationem,conſtructum extitit, aliqua ex parte cedatur? & vix hoc infelici noſtro ſęculo aliud ſibi ſimile, numeratis 600. millibus coronatis aureis exædificari poſſit. Nam ſi E
vniuerſam ſpectes eccleſiam,eam aureo contectam facillimè iudicabis: ſi verò clauſtra, atque quicquid ædificij reſiduum eſt contempleris, mirari non deſines: cùm id ex optimo,fortiſſimo,atque polito lapide fabrefactum conſpicias: ſi denique eius contignationem,capacitatem,diſpoſitionem, atque pulchritudinem conſideres, tunc in tanti, tamque generoſi fundatoris animi conſiderationem rapieris. Ego quidem & ipſum opus regium,potiuſquàm priuatum, & eius potius auctores, omni memoria dignos iudico. Qui his neutiquam contenti, & domum ad ſui, ſuorumque domeſticorum habitationem, monaſterio contiguam, ædificarunt, & fratribus, pro tanti cœnobij exigentia, quæ ſibi neceſſaria forent liberaliſſimè ſubminiſtrarunt. Nam plurimos, eoſque pulcherrimos chorales libros,ad diuinum perſoluendum officium,contulēre: & ſacriſtiam

pretio-

A pretioſiſſimis ornamentis, calicibus, crucibus, atq; alijs quamplurimis vaſis, tum aureis, tum quoq; argenteis, ad diuinum illud, nec non ſacroſanctum Miſſæ peragendum ſacrificium exornarunt: ac tum deniq; & largiſſimas tritici, ordei, atq; pecuniarum eleemoſynas, ad carnes pro fratrum ſuſtentatione emendas, erogarunt, atq; à ſuis poſteris erogandas conſtituerunt: licèt refrigeſcente charitate maiori ex parte diminutæ ſint. Quia verò impoſſibile foret recenſere, quod tapetia tum lanea, tum quoque ſericea, quot calices aureos, atque argenteos, quot cruces ex eadem materia, quotque eiuſdem generis vaſa, pientiſſimi huius ſacræ domus fundatores, ad ſacrum perficiendum miniſterium contulerint, his ſuperſedendum decreui. Hoc tamen vnum adijciam, quòd videlicet R.P.F. Franciſcus Angelorum totius Minoritici Inſtituti generalis Miniſter, cùm ſemel hunc conuentum viſitaret, tantamque vaſorũ, & ſupellectilis abun-
B dantiam contemplatus eſſet, quadam Minoriticæ paupertatis religione tactus, effecit, vt illuſtriſſima domina Tireſia Henriquez, quæ ex viri morte vidua remanſerat, bonam eius partem reſumeret, atque in alios pios vſus conuerteret. Nihilominus tamen, quæ ſibi ſatis ſuperque neceſſaria erant, conuentus retinuit. Conſtruxerunt præterea & hi nobiliſſimi fundatores egregiam, ſub ſanctiſſimi ſacramenti titulo, collegialem eccleſiam, intra eiuſdem oppidi Turrigij mœnia, quam & plurimis capellanijs, ſufficientibuſque redditibus exornarunt: & peramplum quoddam xenodochium ad vlceroſos, atque Gallico morbo tactos, curandos, quod non longè ab hoc monaſterio diſtat: & ſacellum cum adiuncta ſibi ſacriſtia, quod auguſtiſſimo Euchariſtiæ ſacramento dicatum eſt, in eccleſia S. Laurentij in Damaſo de Vrbe. Auſim quoque aſſerere, præfatam dominam Tireſiam deuotiſſimæ, atque nobiliſſimæ Confraternitatis ſanctiſſimi eiuſdem
C ſacramenti ibidem erectæ auctricem fuiſſe. Quamplurima alia eccleſiaſtica ædificia, quæ ne tædioſior ſim prætermittenda cenſui, extruenda curarunt præfati fundatores. Hæc tamen in medium, ex plurimis adferre volui, vt tantorum Chriſti fidelium, pientiſſimorumq; heroum deuotio hæc attentè legentibus innoteſceret, manifeſtaque fieret.

De conuentu ſanctiſſimæ Matris Dei Turrislacunæ. Conu. XIX.

NOVERAT illuſtriſſimus ille P. F. Franciſcus Ximenius Franciſcanæ philadelphiæ decus, ac Toletanæ eccleſiæ Archiepiſcopus, nec non S. R. E. Cardinalis, ſe iuxta celeberrimam illam Architæ Tatentini ſententiam, non ſibi ſoli, ſed & alijs atque præcipuè compatriotis natum eſſe: ideoque nacta opportunitate, aliquantulum ab oppido Turrislacunæ, quod ſibi patria erat, ex domeſticis facultatibus, circa annum Domi-
D nicæ incarnationis 1510. atque ex ſummi Pontificis Iulij II. auctoritate, hunc conuentum, ſanctiſſimæ Virgini Dominæ noſtrę ſacrum, atque ad 40. fratres, qui doctrina, verbo, atque exemplo, eiuſdem oppidi populo adeſſent, atque prodeſſent capeſſendos idoneum, ædificari curauit. Cùmque ſibi immatura morte præueniendo maximè timens, opus acceleraſſet, extructa ſemel eccleſia, quòd imbecillioris eſſet ſtructuræ, omnino corruit. Quamobrem eam ſecundò firmiorem, multoq; elegantiorem erigi, atque reædificari fecit, pulcherrimiſque ſacellis, & picturis exornauit. Sed & ſacriſtiam aureis argenteiſque vaſis, nec non & pretioſis ornamentis, ad diuinum cultum neceſſarijs, ditauit. Chorum verò atque bibliothecam choralibus, atque alijs elegantiſſimis libris inſtruxit, ac tum demum reliquas huius monaſterij officinas, omnibus, quæ ſibi, ad commodam fratrum habitationem opus erant dotauit. Quapropter inſtruendis iuniori-
E bus fratribus in Philoſophica ſcientia hic locus apprimè deſeruit. Et hìc ego eius lac per quadriennium ſuxi. Ne autem præmemoratus Antiſtes, atque fundator aliquid, quod ad fratrum atque compatriotarum commodum pertineret, prætermiſiſſe videretur, & fontem longiuſculus ſcaturientem, per continuos canales, atque ſcyphones, ad conuentum vſque perduxit, ac per eius officinas diſtinctis fiſtulis diſtribuit: & quinquies mille tritici menſuras proprio ære comparauit, atque in domum ad id deſtinatam, quam Poſitum vocant, inferri iuſſit, vt inde viritim, per ſingulos annos, pauperibus, iuxta pijſſimum pretiũ, diſtribuatur, ne ſi fortè pluris emere cogantur, plus æquo grauentur Quod quidem Chriſtiani, atque religioſi viri opus fuit. Inter reliqua huius loci ſacella illud eſt celeberrimum, atque à conuicinis populis maximè frequẽtatum, quod Chriſto Redem-
ptori

ptori cruci affixo ſacrum eſt : cùm propter beneficia, quæ ibi à mundi Saluatore reci- A
piunt, tum quoque ob ſingulare priuilegium, ſibi à ſanctiſſimo domino Gregorio XIII.
ſummo Pontifice impertitum: quo, ad cuiuſlibet Miſſæ celebrationem, anima aliqua ex
Purgatorij pœnis liberatur. Et primum poſt hoc locum tenet alterum, beato Ioanni
Baptiſtæ præcurſori dicatum, ad cuius viſitationem in feſto natiuitatis eiuſdem ritè ac-
cedentes, plenariam ſuorum exceſſuum indulgentiam ex pontificia liberalitate conſe-
quuntur. Idque ipſum promerentur, altera cuiuſlibet anni die, huiuſmet monaſterij ca-
pitulum viſitantes. Obierunt mortem hoc in conuentu deuotiſſimus pariterque ze-
lantiſſimus P.F. Franciſcus Ortiſius, concionatorum ſui temporis facilè princeps: quam-
obrem eorum Monarcha ab omnibus communi vocabulo appellitabatur. Qui per 13.
continuos annos ſe domi, meditationi, lectioni, vel exercitio ſpirituali intentus, conti-
nuit, nihilque magis quàm hominum frequentiam, præcipuè verò ſęcularium, atque B
colloquia fugiebat: Et V. P. F. Didacus à Stunnica, aliquando magiſter meus, atque
præceptor, de quo vniuerſus Ordo Franciſcanus, ob ſingulares eius dotes, atque emi-
nentes virtutes, plura ſibi pollicebatur. Qui cùm nobiliſſimus eſſet, nihil magis quàm
humilitatē affectabat, libenterq; omnigenis humilitatis officijs ſe implicabat. Obijt qui-
dem ætate iuuenis, ſed maturitate, vitæque ſanctimonia ſatis ſenex: Cuius corpus, cùm
hîc ſepultum eſſet, eius vterini fratres, quorum nobilitas, ſanguiniſque claritas omni-
bus in propatulo eſt, ex apoſtolica Pij V. Pont. max. auctoritate, ad paternũ ſepulchrũ,
in nobiliſſima ciuitate Barcinonenſi conſtructum, tranſtulerunt. Aſſeruantur in huius
loci archiuis quidam donationis contractus, quo Illuſtriſſimus P. F. Franciſcus Xime-
nius eremitorium de Capite nuncupatum, huius cœnobij fratribus confert: quatenus
ibidem aliquot ſui Inſtituti Tertiarios fratres conſtituere valeant: Et Leonis X. Pont. C
max. bulla, quam concordiæ inter Conuentuales, & Obſeruantes Franciſcanos nuncu-
pāt, data anno à lętabũda Chriſti Natiuitate milleſimo quingenteſimo decimoſeptimo.

De conuentu ſanctiſſimæ matris Dei Orapeſſæ. Conu. XX.

SI conuentuum tum fratrum, tum quoque monialium ſtructuram & capacitatem:
ſi cœli clementiam: ſi patriæ fertilitatem: ſi lectorum, & concionatorum copiam:
ſi denique vtriuſq; ſexus religioſorum nobilitatem ſpectes, hæc Caſtellæ Prouincia nul-
li alteri cedit: imò inter præcipuas totius Franciſcani Inſtituti Prouincias facillimè cō-
numeranda venit: quemadmodum & ex præcedentibus atque ſequētibus conſtat: Nam
nullum locum inuenies, qui affabrè non ſit conſtructus, atque ingenuis fratribus & do-
ctis non abundet: vt vel ſaltem argumento eſſe poteſt hic conuentus, ſanctiſſimæ matri D
Dei ſacer, atque ad 200. paſſus ab oppido Orapeſſa Abulenſis diœceſis ſitus: quem illu-
ſtriſſ. Franciſcus Aluarez à Toleto Orapeſſanus Comes ex domeſtico patrimonio, an-
no à mundi redemptione 1519. annuente R.P.F. Franciſco Ruizio, profeſſione quidem
Franciſcano, ſed titulo & dignitate Abulenſi Epiſcopo ædificari curauit. Eſt hic locus
non minus elegans, quàm capax & amœnus: cùm ex lapide polito conſtet, & 26. fra-
tres ſui inquilinos commodiſſimè capiat, atque auguſtiſſimis, fructiferiſque hortis, nec
non irriguis pratis abundet: ita vt nihil ad monaſticam vitam commodè tranſigendam
deſiderari videatur. Nec tamen facilè erit percenſere deuotionem, tum huius ſacræ do-
mus fundatoris, tum quoque eius ſucceſſorum, cùm nihil magis cordi habere videan-
tur, quàm eius, ſuique habitatorum curam. Contulit ſibi quidem præfatus heros Fran-
ciſcus Aluarez à Toleto cuncta, quæ ſiue ad cultum diuinum, ſiue ad œconomiam ne- E
ceſſaria erant: nempè aurea, argenteaq; vaſa, & id genus plures calices: necnon pretioſiſ-
ſima ornamenta ad tremendum illud, ac omnino ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium faciē-
dum, & quamplurimos libros ad chorum atque bibliothecam adamuſſim inſtruendã,
& 200. tritici, ordei verò 100. menſuras in ſingulos annos: aliaſque quamplurimas elee-
moſynas ad fratrum victum & amictum. Et hæc omnia, imò & multò plura eius ſuc-
ceſſores liberaliſſimè vſque in præſens contulêre, atque conferunt. Quis referre valeat
iſtorum Comitum ſolicitudinem, diligētiam, atq; liberalitatem in exornandis tapetibus,
monaſterio, & eccleſia: in cōferenda cera, pro ipſius magnificētia neceſſaria, in excipiē-
dis Franciſcanis quibuſcunq; Prȩlatis ad hũc conuentũ confluētibus, atq; in ſubleuãdis
quoti-

A quotidianis fratrum indigentijs? Nullus equidem, niſi plus æquo immorari cupiat, velitq;,quod abs re noſtra omnino eſt: cùm breuitati potius, quàm prolixitati ſtudeamus. Quamobrem alijs prætermiſſis, quæ ad rem non pertinent, hæc tantùm ad iſtorum heroum beneuolentiam, atq; affectum in Franciſcanam familiam commendandum addijciam. Cùm enim eius prædeceſſores duplici ſepultura gauiſi fuiſſent, atq; illarum vtraq; ſibi potiri liceret: altera quidem in Iuſtiano cœnobio(Hiſpanicè Iuſta) apud Hieronymianos patres,octaua leuca à ciuitate Placentina:altera verò in matrice Orapeſſana eccleſia: voluit pientiſſimus fundator præfatus Franciſcus Aluarez à Toleto,vt eius matris illuſtriſſimæ ſcilicet dominæ Mariæ Pachieco,quę & ſingulariſſima huius domus benefactrix fuit, & vxoris illuſtriſſimæ videlicet dominæ Mariæ à Figueroa,atq; ipſiuſmet corpora,poſtquã naturę debitum exoluiſſent,nec non & eorum,qui
B ſibi in poſterum ſucceſſuri forent,omnia in huius loci maiori ſacello humarentur. Imò & præſentibus R. P. F. Andrea Inſulano,totius Franciſcani Ordinis generali Miniſtro, & huius Prouinciæ tum reuerendo P. Miniſtro prouinciali, tum quoq; alijs quamplurimis patribus ac fratribus, eius prædeceſſorum oſſa, ex antiquiori Orapeſſano ſepulchro exhumata, cum ſolemni pompa,anno Domini 1548. in huius ſacræ ædis nouum, paratumq; ſepulchrum intulit, humauitq;. Potitur deniq; hoc ſacrum monaſterium parua quadam cruce,ex illo ſanctiſſimo ligno in quo Chriſtus Dominus mũdi Redemptor pro nobis liberandis pependit, elegantiſſimè fabrefacta, atq; optimo auro, pretioſisq; gemmis exornata, ad quam viſendã, in feſtiuitatibus ſanctiſſimę crucis tum Orapeſſani,tum quoq; conuicini pagani confluũt, indeq; quamplurima beneficia referũt.

C *De conuentu Dominæ noſtræ de Angelis Eſcamillæ.* *Conu.* XXI.

QVIA ſemper fratres noſtri animaduerterunt ſtudioſè illuſtriſſ. pariterq; pijſſimum Ferdinãdum à Sylua Centifontanum Comitem,atq; oppidi Eſcamillę Conchenſis diœceſis temporalem Dominum, operam dare, vt nequid ſiue operæ, ſiue fauoris, ſiue etiam beneuolentiæ propriæ illis deeſſet, propterea non dubitarunt eum interpellare, vt ſibi conuentum, præſenti Prouinciæ ſubmittendum, non longè à præfato oppido Eſcamilla, quòd is pauperculis religioſis itinerantibus, ac de loco in locum tranſeuntibus,commodiſſimus, imò verò neceſſarius omnino eſſet, conſtruere vellet. Qui quidem heros & nobiliſſimus Comes, vt erat noſtræ Religioni addictiſſimus, atq; in Chriſti pauperes liberaliſſimus, nec tantillum ſibi eo in officio pręſtando immorandum putauit. Quapropter,apoſtolica ſibi auctoritate fauente, præſentem locum, circa
D annum à partu Virgineo 1523. prope ſupra memoratum oppidum Eſcamillam, ſub titulo ſanctiſſimæ Dominæ noſtræ de Angelis,à fundamentis erigendum, atq; temporis decurſu omni ex parte abſoluendum,nec non & R. P. F. Franciſco Angelorum, Minoritici totius Inſtituti tunc generali Miniſtro,ſumma liberalitate conferendum,curauit. Quem ille,anno Dominicæ incarnationis 1525. ex animo acceptans,in reliquorum huius Prouinciæ cœnobiorum numerum retulit. Eſt autem ſacra hæc domus, pro ſui capacitate, atq; diſpoſitione, nec non & oppidanorum conditione, ſatis eleganter conſtructa,omnibusq; ſibi tum ad diuinum cultum,tum quoq; ad commodam incolarum habitationẽ neceſſarijs ab inclyto eius fundatore omnino inſtructa,quam & 16.fratres, Eſcamillanis ſupramodũ gratiſſimi, à quibus tũ ad victũ, tũ quoq; ad amictũ neceſſaria pro modulo referũt,ſumma animi quiete, ſummaq; pace inhabitãt. Quod ſanè in cau-
E ſa eſt,vt ſęculariũ beneuolẽtia,animiq; in eos propẽſio magis,magiſq; indies augeatur.

De conuentu S. Franciſci Metymnæ Cœli. *Conu.* XXII.

ANIMADVERTENS pijſſimus, ac de noſtra Religione optimè meritus pater frater Didacus Ciſnerius, huius tunc Prouinciæ Miniſter, quantum emolumenti, quantumq; fructus ſæculares ex noſtrorum fratrum cohabitatione referrent, quantumq; mores ad frugem corrigerent,deuotiſſimam ſimul atq; illuſtriſſimam heroinam Mariam à Sylua, Metymnę Cœli Duciſſam ſolicitare non deſtitit,quouſq; conceptum ab aliquibus annis in mente conuentum ædificaret. Itaq; illa, vt in Franciſcanos voluntatis inclinatione propendebat, pijs tanti patris perſuaſionibus acquieſcens,

atque fauenti ſibi apoſtolicæ auctoritati innixa, præſens monaſterium, Seraphico patri A
Franciſco ſacrum, ad radices eius montis, cui oppidum Methymna cœli imminet à pri-
mis fundamentis, anno à ſalutifera Chriſti natiuitate 1527. extrui fecit, atq; præmemo-
rato P.F. Didaco Ciſnerio prouinciali Miniſtro obtulit. Quē ille admittens cęteris Pro-
uinciæ locis annexuit. Nec facilè erit recenſere Methymnenſiū erga hunc locum, eiusq́;
incolas, qui frequentius ſunt numero 22. beneuolentiā atq; deuotionem, quippe qui nec
labori, nec difficultatibus (diſtat ſiquidem hic locus ab oppido ad 1500. paſſus, inſuper
& difficili, atque accliui via alterum ab altero diſtinguitur) parcant, vt diuino officio
apud eos interſint. Quia verò hic locus niuibus, humiditati, atque perpetuę caligini, prę-
ſertim brumali tempore, expoſitus eſt, atque ab inſalubri infeſtatur aura, licèt alia ex
parte amęnus ſit, gaudeatq́; abundantiſſimis lymphis, ridentibuſq́; pratis, atque ir-
riguis hortis, fratribus eſt omnino exoſus: qui vt facilius ibidem contineri valeant, ali- B
quo ſemper debent ſtudiorum genere allici: Eaque de cauſa à Prouinciæ Miniſtris cu-
ratur, vt hîc perpetuò Grammatices rudimenta perlegantur. Adeſt etiam illis illuſtriſ-
ſimorum Ducum liberalitas, atque magnificentia, qui nihil eorum, quæ vel ad propriam
conſolationem, vel ad eorum neceſſitatem ſubleuandam conducere videntur, vm-
quàm prætermittunt, indiesq́; domum ipſam nouis ædificijs colluſtrant, exornantq́;.

De conuentu S. Petri Cogolluti. Conu. XXIII.

EO anno, quo ex ſummi Pontificis, atq; ex regię catholicęq́; maieſtatis Philippi eius
nominis II. Hiſpaniarumq́; Regis mādato, ob mortē illuſt. Archiepiſcopi Toletani,
illuſtris heros Gomezulus Tello Gironius Toletani Archiepiſcopatus moderationē ac-
cepit, anno videlicet 1553. illuſtriſſ. Ioānes à Zerda, Methymnæ cęli Dux atq; oppidi C
Cogolludo Hiſpanicè nuncupati Marchio, à R.P.F. Clemēte Moneliano, totius Frāciſca-
nę Religionis generali Miniſtro, aliquot fratres, qui ędificādo à ſe cōuentui initiū darēt,
impetrauit. Itaq; pręſentibus, ex pręfati generalis Miniſtri mādato R.P. Petro à Bouadil-
lia tūc huius Prouincię Miniſtro ac V.P.F. Andrea Caruajalio Minoritici conuentus S.
Mariæ de Ieſu Complutenſis Guardiano, plurimiſq́; alijs patribus ac fratribus, 29. mēſis
Iulij pręfati anni 1557. hoc ipſo in loco in quo modò cōuētus hic, beato Apoſtolo Petro
ſacer, non longè ab oppido conſtructus eſt, erectū fuit altare quoddā, ibiq́; ſummo decā-
tato ſacro, atq;, atq; habita ad populū cōcione, & loci poſſeſſio accepta, & futuri mona-
ſterij fundamēta iacta fuêre. Nemini tamen dubium eſſe debet, quin illuſtriſſimus Dux
huiuſmodi conuentus ædificandi facultatem à præmemorato Gomezulo Tello Giro-
nio, cuius tunc eæ partes erant, cùm oppidum Cogollutum ad Toletanam ſpectet diœ- D
ceſim, cui ille ex pontificio, atque regio mandato præerat, impetrauerit. Fuit ergo ſacra
hæc domus pro oppidi exigentia, ſumptibus tamen præfati Ducis, eleganter, commo-
deq́; ſatis ad duodecim fratres ſui accolas continendos & alēdos ędificata, atq; perfecta.

De conuentu S. Franciſci Puebla de Montalban. Conu. XXIIII.

AD quintā leucam, à regia ciuitate Toleto exurgit oppidū quoddam, cui Puebla de
Montalban Hiſpanicè nomen eſt: cuiusq́; extrema męnia ab aurifero pręterlabēte
Tago alluūtur. Ex quorū aduerſo, cū illuſtr. Domina Catharina Pachieco, illuſtriſſimi
quoq; Alphonſi Telles Gironij, eiuſdē oppidi tēporalis Domini vterina; ſoror domum
quandā ſatis ſuperq́; amplā poſſideret, eā ex facultate Licētiati Buſto de Villegas, penes
quē tūc tēporis Toletani Archiepiſcopatus moderatio, ob Archiepiſcopi abſentiā, ex re- E
gio mādato erat, Minoriticā eccleſiā conſecrauit: quā & R.P.F. Ioānes Lilius, tūc huius
Prouincię Miniſter, anno Dominicę incarnationis 1560. miſſo P.F. Antonio de Aluarez,
qui cōſtruēdo conuētui prę eſſet, illā acceptauit, cęteriſq́; Prouincię locis adiūxit. Sum-
ptibus itaq; atq; operatū pręfatę Catharinę Pachieco, tū oppidani ſenatus, tū quoq; pri
uatorū benefactorū, necnō & ſedula pręfati patris Antonij diligētia, ea domus in iuſtū,
atque pro ſui diſpoſitione in ſatis elegantē conuentū breui tēpore euaſit, ita vt 15. fratres
ibidem commodiſſimè commorari queant. Quibus nihil penitus ad victum, atque ami-
ctū, ſubminiſtrantibus interim oppidanis, atq; conuicinis pagis quę neceſſaria ſunt ſatis
abundè, deeſt: Nam ea eſt illorum populorum ad fratres deuotio, vt vix exprimi queat.

A Gaudet huius loci eccleſia,quæ,ob ſui pulchritudinem,licèt non ſit adeò magna, ad deuotionem prouocat, altare quodam priuilegiato, in quo ex ſanctiſſimi domini Gregorij XIII. Pont.max.liberalitate atque miſeratione,ad cuiuſque Miſſæ celebrationem, vna anima ex Purgatorij pœnis liberatur, dummodo pro ipſa ſacroſancta fiat oblatio.

De conuentu S. Franciſci Colmenar de Oreia Conu. XXV.

QVVM illuſtriſſimus dominus Bernardinus de Cardenas oppidi, Colmenar de Oreja materna Hiſpanorum lingua nũcupati, Toletanæ diœceſis temporalis Dominus, eius communitatem in Franciſcanam Obſeruantem familiam, cui & ipſe addictiſſimus erat, procliuem omnino cerneret, domum eiuſque contiguum ſitum, à vinculo omnino immunem, quam ibidem poſſidebat, ad vnius conuentus ædificationem fratribus liberaliſſimè contulit, itaque obtenta à Licentiato Buſto de Villegas (cuius ſupra meminimus) facultate, anno à Chriſto ſeruatore in terris nato 1560. præfata domus in pulcherrimi monaſterij formam, ſub inuocatione beatiſſimi patris Franciſci redigi cœpit. Quam & reuerendus pater frater Ioannes Lilius, huius Prouinciæ Miniſter acceptauit, ac reliquis, quæ ſuæ incumbebant curæ, coniunxit. Contulit, præterea quæ diximus, ad huiuſmodi ædificationem præmemoratus fundator plures eleemoſynas. Cuius quoque filia, & vnica hæres, illuſtriſſima ſcilicet Ludouica de Cardenas, Paternianæ Duciſſa, tanti patris pietatem ſequuta fratribus ædificantibus liberaliſſimè adeſt. Sed mirum in modum elucet deuotio, atque magnificentia huius oppidi ſenatus, qui ſummo ſtudio ſummoque fauore huiuſmodi opus promoueri curat. Vnde aſſerere auſim intrepidè hanc ſacram ædem primatum inter eas omnes, quæ à 40. annis hac in Prouincia erectæ ſunt, facillimè obtenturam. Commorantur denique hoc in monaſterio 15. fratres, plures tamen, cùm opus ad perfectionẽ adductũ fuerit, habitaturi: quibus omnia ad nutum neceſſaria & ab oppidanis & à circumuicinis populis ſubminiſtrãtur.

De conuentu Dominæ noſtræ de Victoria Villareio. Conu. XXVI.

POSTQVAM ſereniſſimus dominus Ioannes ab Auſtria inuictiſſimi Caroli V. Germanorum Imperatoris filius, necnon potentiſſimi atque catholici Regis Hiſpaniarum Philippi eius nominis ſecundi frater, fuſa fugataque ad Lepantum Turcica claſſe, glorioſam de immani illo Chriſtiani nominis inimico victoriam retuliſſet, eius Primipilus, illuſtriſſimus videlicet Ludouicus à Stunnica & Requeſenius, maior Caſtellæ Commendatarius, tanti beneficij cœlitus collati memor, ne ingratitudinis nota apud Altiſſimum inureretur, hunc cõuentum, ſanctiſſimæ Dominæ noſtræ de Victoria ſacrum, quem 12. fratres incolunt, apud oppidum, Villarejo Hiſpanicè nuncupatum, Toletanæ diœceſis, proprijs ſumptibus, ex facultate Licentiati Buſto de Villegas, cui Toletani Archiepiſcopatus cura tunc ex regio mandato incumbebat, circa annum Dominicæ incarnationis 1572 ædificari curauit. Quem & optima bibliotheca, choralibus libris plurimiſque vaſis, & calicibus aureis, & argenteis, necnon & ornamentis, ad cultum diuinum neceſſarijs, inſtruxit. Inſuper & à ſummo Pontifice Pio eius nominis V. iubileum pleniſſimum, ac perpetuò duraturum, in fauorem ritè huius ſacræ ædis templũ accedentium, ſeptima cuiuſlibet menſis Octobris die, quo & Turcica claſſis debellata fuit, & huius domus feſtiuitas, in eius memoriam agitur, impetrauit. Præterea ad eius piam inſtantiam, ex prædicti Pont.max.Pij V. indulto, quod & ſanctiſſimus dominus Gregorius XIII. Pont. quoque max. pro ſua in defunctos fideles paterna pietate, confirmauit, in ſummo huius loci altare ad cuiuſlibet Miſſæ celebrationem, dummodo eius ſibi meritum applicetur, vna anima ex Purgatorij terribilibus pœnis liberatur.

De conuentu Dominæ noſtræ de Conceptione Carrion. Conu. XXVII.

CVM perdeuoti Chriſti fideles Petrus Narangius, eiuſque legitima vxor Catharina Lopetia, oppidi Carrion vulgò nuncupati, Toletanæ diœceſis accolæ, in diebus ſuis proceſſiſſent, nec liberos ex ſe inuicem ſuſcepiſſent, quod charis communibuſque gnatis relinquendum fuerat, id de communi conſenſu, in pios vſus conuertere ſtatuerunt. Quamobrem impetrata prius à catholica Regis Hiſpaniarũ Philippi, eius

nominis II.maieſtate, cui ex munere incumbebat,(ſubiacet enim in temporalibus oppidum Carrion nobili Calatrauenſi militiæ, cuius Rex ipſe eſt adminiſtrator & Magiſter) atque à Licentiato Buſto de Villegas,qui ex eiuſdem Regis mandato (vti prædiximus) Toletanum Archiepiſcopatum ad tẽpus moderabatur,facultate,antiquum quoddam eremitorium, ſanctiſſimæ Dominæ noſtræ de Conceptione ſacrum, ex communibus facultatibus,quæ pro eorum conditione pinguiſſimæ erant,ſub antiquiori titulo, in hunc Minoriticum conuentum, quem tredecim fratres inhabitant, circa annum à ſanctiſſima Chriſti incarnatione 1575.promoueri curarunt. Qui licèt neophytus ſit,paucis tamen in his, quæ ad commodam fratrum habitationem neceſſaria ſunt, cedit: Nam ea eſt iſtius oppidi, circumuicinorumque pagorum ad hunc locum pia deuotio, pia beneuolentia,atq; pius animi affectus,vt nihil magis, quàm ipſum curare videant. A

De conuentu S. Franciſci Moræ. Conu. XXVIII. B

NOVISSIMVM, idque iure optimo,tenet locum conuentus hic,diuo Eugenio, ſiue vt vulgus vult,beatiſſimo pauperum Patriarchę Franciſco ſacer,qui non longè ab oppido Mora,Toletanæ diœceſis,exurgit:Nam præter eius incapacitatem, atque anguſtias, necdum perfectus eſt,nec huiuſmodi perfectionis acquirendæ ſpes aliqua ſibi affulget: Siquidem oppidanorum charitas refriguit, quæ (vt verum ingenuè fatear) nunquam incaluit:& primitiuus ille ſui fundatoris motus,quo eum erigere cœpit,lentè ſatis procedit: ita vt de eius promotione ferè deſperetur. Perſeuerant nihiloſecius in eo 12.fratres,idque inuitè ſatis,ob plurima quę ibi patiuntur incommoda.Nec mirum, cùm ea ſit humanæ naturæ conditio, vt miſeriam quiſque pro virili refugiat, atque execretur. Sui tamen authorem atque fundatorem agnoſcit hic locus nobiliſſimum C virum Franciſcum à Rogia, Hiſpanicè verò de Rojas, præfati oppidi Moræ Dominum temporalem:qui anno à mundi redemptione 1571.eum,collato ſufficienti fundo,ex facultate perdocti illius Licentiati Buſto de Villegas (cuius ſupra ſæpius meminimus) à fundamentis erigere cœpit,atque venerabili,pariterque doctiſſimo P.F.Antonio à Corduba, tunc huius Prouinciæ Commiſſario obtulit. Sed is, quòd Guadalfagiaræ maximis teneretur occupationibus, commiſſo admodum reuerendo patri fratri Franciſco à Guſmanio huiuſmodi domus acceptandæ negocio, illã eminus admiſit,cęteriſq; Prouincię locis connexuit.Atqui præfatus P.F. Frãciſcus Guſmanius, iuxta ſibi cõmiſſam prouinciã,eius poſſeſſionẽ 20.menſis Maij,anno à mũdi reparatione 1571. accepit.

De monaſterio Clariſſarum S. Eliſabethæ Regiæ Toleti. Mon. I. D

CONSTAT ex ſupradictis hanc Caſtellæ Prouinciam ex 28. fratrum conuentibus,atque 920.fratribus conflari:quorum 200.ſacras habent ad populum ex munere conciones,& 30.ad minus, vel Philoſophiam, vel ſacram prælegerunt diuerſis in locis Theoſophiam,vt meritò, quæ de huius Prouinciæ dignitate curſim ſatis, dum de Minoritico Orapeſſano conuentu ageremus, ſuperius diximus, ſtatuere atque aſſerere valeamus.His igitur vtcumque prælibatis,ad monialium monaſteria,quæ numero ſunt 38. quæque nec in nobilitate,nec in regulari diſciplina, nec etiam in vitæ ſanctimonia ſacrarum virginum alicuius Prouinciæ domibus cedunt, nobis tranſeundum eſt. Ex quibus id primùm occurrit, quod intra Toletanæ ciuitatis mœnia,ſub titulo S. Eliſabethæ Regiæ conſurgit. Cùm igitur illuſtriſſimus heros Petrus Suarez à Toleto, eiuſque coniunx Ioanna Guſmania,oppidi Pinti Domini temporales,Mariam à Toleto ex legitimo toro ſuſcepiſſent, tam optimis pijſque moribus imbui curarunt, atque adultam iam effectam,contra virginis votum,quòd cęlibatum, potius quàm connubium affectaret,oppidi Carpij temporali Domino Garſiæ Mendez à Sottomaior matrimonio iunxerunt. In quo cùm per integrum ſeptennium, ob viri aſperitatem, plures difficultates atque anguſtias perpeſſa fuiſſet, ex eiuſdem viri conſenſu paternos repetijt lares. Cùm verò non poſt multum temporis, eius ex hac vita tranſitum accepiſſet, Deo opt. max. atque charitatis operibus liberius vacare cœpit. Itaque calceos exuta, atque viliſſimis, cilicineiſque veſtimentis induta, matutinis horis cum vna tantùm ſibi ſimili pediſſequa noctu intererat, ieiunijs, vigilijs, atque diſciplinis corpus affligebat, E

gebat,

A gebat, & xenodochia, vlceroſorum præcipuè, atque eorum qui contagioſo morbo infecti erant, ſumma cura frequentabat: imò & Miſericordiæ hoſpitali cuius obſequio ſe omnibus manciparat, quicquid patrimonij habuerat, id in pauperum, infirmorumque vſum conſummendum liberaliſſimè erogauit. Sed dum grauiſſima conflictaretur infirmitate, diuinitus admonita eſt, vt ſi ſuam aliarumque plurimarum fœminarum animas ſaluas cuperet, monaſterium fundaret, inibique vitam duceret. Cùmque de huiuſmodi monitu ſolicita, ædificandi vnius alicuius conuentus modum quæreret, catholici Hiſpaniarum Reges, Ferdinandus eiuſque vxor Eliſabetha Toletum applicuêre: qui cognita tantæ fœminæ & ſanctitate & pio propoſito, pecnliares domos, quas intra eius ciuitatis mœnia poſſidebāt, ſibi maxima liberalitate, ad huiuſmodi monaſterij erectionē, contulêre. Vnde & Regium ſibi nomen aſciuit Obtenta igitur à Regibus domo, cùm ex B nobiliſſimæ dominæ Ioannæ à Toleto vterinę eius ſororis eleemoſynis, tum ex reſiduis eius facultatibus, tum quoque ex plurimorum ciuium liberalitate præfata Maria à Toleto eam in conuētus formam, breui tempore, redegit: quā & ibidem ſub perpetua clauſura deinceps manſura, cùm duabus alijs honeſtiſſimis fęminis, anno à Chriſti ſeruatoris natiuitate 1477. ætatis verò ſuæ 40. ingreſſa eſt. Cuius denique auſpicijs, ea domus adeò excreuit, vt cœteris huiuſce ciuitatis monialium conuentibus palmam facilè præripiat, & vltra 60. ſacras virgines Clariſſas Vrbaniſtas commodiſſimè contineat. Verum eſt tamen quòd tertio Ordini beati patris Franciſci, quem S. Eliſabethæ vulgò nuncupant, primitus eæ virgines ſubiacuerint Quæ denique arctioris vitæ cupidæ, tertio anno ab earū ingreſſu, Innoc. VIII. Pont. max. ſupplicarunt, vt ſibi & clauſuram, & beatæ virginis Claræ Regulam ex eius beneplacito profiteri liceret. Quod & ſua ſanctitas, com-C miſſo huiuſmodi negocio illuſtr. domino Iuliano S. R. E. Cardinali, & Oſtienſi Epiſcopo, qui tunc Franciſcani Ordinis Protectorem agebat, conceſſit, atq; omnes gratias, priuilegia, & immunitates, cęteris Ordinis eiuſdē monialibus coceſſas, impertitus eſt. Deſiderabatur tantùm ad huius ſacræ domus perfectionē eccleſia, quamobrem præfati Reges catholici, anno à mundi redēptione 1483. ab eodē ſummo Pontifice Innoc. VIII. & ab illuſtr. & Reuerend. Petro Gonzaluo à Mendoza, tunc Toletano Archiepiſcopo, obtinuêre, vt eccleſia S. Antolini, uæ huic loco propinquiſſima erat, conuentui annecteretur, & parochia, quæ ibidem fundata erat ad S. Marci baſilicā transferretur. Quod & factum exitit. Cùmq; in antiquiori S. Antolini, eccleſia ſepulta eſſet illuſtr. domina Agnes ab Aiala, vxor quondam Didaci Fernandez Caſtellæ Mareſcalli & catholici Hiſpaniarū Regis Ferdinandi auia, necnon & præfatæ fundatricis Mariæ à Toleto propinquiſſi-D ma cognata, eiuſq; ſepulchrum chori partem obtinuiſſet: quando ſereniſſ. Princeps Eliſabetha, præfatorum Regū catholicorum primogenita, quæ Cæſarauguſtæ diem clauſit extremum, in eo dem choro ſub humili pauimento, inter ſorores, iuxta eiuſdē defunctæ votum & petitionē, ſepeliri debuit, pręmemoratę dominæ Agnetis ab Aiala exhumata oſſa, ad ſibi pparatū, in maiori ſacello mauſolęū, trāſlata ſunt, inibiq; perſeuerāt. Ex hac religioſiſſima domo plures ſanctimoniales, quę vel alia monaſteria fundarūt, vel ab abuſibus, & laxiori viuendi modo ea vindicarūt prodière. Siquidem Clariſſarum Orapeſſanus, Madrigalenſis, atq; Metinæcęlitanus conuentus iſtius loci moniales ſui fundatrices habuerunt. Et Occanienſe, Guadalfagaritanum, S. Claræ, atq; immaculatæ coceptionis Toletana monaſteria ab iſtiuſmet domus ſacris virginibus reformata, & in meliorē ordinem redacta fuère. Obijt tandem mortem hoc in loco pręfata ſoror Maria à Toleto 5. E Iulij anno Domini 1507. cùm per 30. continuos annos Altiſſimo in ſumma paupertate, obedientia, vitæ puritate, & ſalutari pęnitentia famulata, atque diuerſis munijs præſertim verò Abbatiſſæ laudabiliter functa eſſet. Cuius mortē ſicut & vitā plurimis miraculis, quorū hîc vnū, vel alterum referre non pigebit, illuſtrare dignatus eſt Deus opt. max. Traxit hæc beata mulier originē ex nobiliſſimu Toletanorū familia, ex qua excellētiſſimi quoq; Duces Albani, Orapeſſani Comites, necnō plures alij Hiſpani heroës prodeūt: iūctaq; fuit inuitè ſatis coniugio nobiliſſimo viro Garſię Mēdez à Sotto maior, à quo tamē, ex illius morte, ſoluta charitatis operibus, quibus à teneris vnguiculis addictiſſima fuerat, maximè tamen pauperibus, infirmiſq; inuiſendis, atq; curādis vacare cępit: ita vt die noctuq;, à Toletano Miſericordię hoſpitali nō recederet: ſed miſerorū obſequio intē-

ta,humilitatis exemplum Toletanis nobilibus facta ſit. Quorum aliqui ab eo temporis, A
erecta pia quadam Confraternitate, hebdomadatim infirmis eius xenodochij diligen-
tiſſimè inſeruiunt. Prætereo interim,ne prolixior ſim, eius vigilias, continua ieiunia,
carnis afflictiones,feruentem orationem, cœteraſque virtutes, quibus ſummopere cla-
ruit:ob quas multa,diuino afflata ſpiritu,prænoſſe meruit.Prædixit ſiquidem Maurorũ
Granatenſium debellationem, illiuſq; Regni expugnationem:& plures ſuperſtitiones,
atque maleficia, quibus Chriſtiani, ob Maurorum atque Iudęorum conuictum, in Hi-
ſpanijs intenti erant, reuelauit. Quæ cum catholicis Regibus Ferdinando, atque eius
coniugi Eliſabethæ innotuiſſent,Segobiam ab ijſdem euocata eſt. Qui tandem de om-
nibus certiores ab ea effecti,vt tantis malis occurrerent,ſanctiſſimam hæreticæ prauita-
tis inquiſitionem per vniuerſam Hiſpaniam inſtituerunt. Inter reliquas verò,quas no-
biliſſima hæc fœmina coluit, virtutes, humilitas mirum in modum reſplenduit. Poſt- B
quàm enim quicquid ſibi ex dote obuenerat, orphanis, pauperibus, atque infirmis ero-
gaſſet,ita vt nihil ſibi reſidui foret,non erubuit,vt vel ſic haberet quid egentibus pręſta-
re poſſet, oſtiatim emendicare, atque oblatum proprijs manibus, proprioque dorſo ad
hoſpitale deferre. Qua etiam de cauſa plurimas ab eius conſanguineis,& à propria ma-
tre perſequutiones,ſcommata,dicteria,acque iniurias perpeſſa eſt:ita vt alij ſtultam,alij
impudentem, & alij progeniei opprobrium vocitarent. Quæ tamen illa, vt Chriſtum
lucrifaceret,æquo animo ac hilari fronte tulit: donec tandem, obtenta à catholicis Re-
gibus domo, (vt ſupra meminimus) monaſterium iuxta diuinam præmonitionem, in-
greſſa eſt : in quo demum ab omnibus in maxima veneratione habita fuit. Cùm au-
tem compaſſiua quadam teneritudine,circa curſus ſui finem,in Chriſti amariſſimã paſ-
ſionem ferretur,rogauit Deum,vt ſe quoque acerbiſſimorum illorum dolorum partici- C
pem facere dignaretur. Et ecce ab eo temporis ſenſit corpus ſuum membratim quaſi
diſcerpi,atque in fruſta concidi:ita vt grauiſſimè conflictaretur, nullamq; requiem in-
uenire poſſet. Quæ tamen omnia patientiſſimè,imò hilari ſemper vultu,per integrum
annum,cum maxima gratiarum actione, pertulit. Sciebat enim virtutem in infirmita-
te perfici. Ad cuius tandem peruenta finem,ex peſtiferæ glandis ictu,poſtquã ſæpè ſæ-
piſſimè illos Pſalmiſtæ verſiculos repetijſſet: *In manus tuas domine commendo ſpiritum
meum: & in pace in idipſum dormiam, & requieſcam: & hæc requies mea in ſæculum ſæculi:
& vias tuas domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me*: atque omnes ſibi aſtantes ſo-
rores,quæ numero erant 30. materno benedixiſſet affectu, animam Creatori reddidit.
Cuius corpus ieiunijs,macerationibus,atque vigilijs antea attritum, atque omnino ſuf-
fuſcum, album ſtatim, tractabile,atque ſuauiter redolens apparuit: ita vt dormientem D
illam potius quàm mortuam exiſtimaſſes: eodemque modo vſque in præſentem diem
perſeuerat. A cuius feliciſſimo tranſitu immediatè eius beatitudinis ſigna apparere cę-
perunt:Nam ſororibus circa eius funus occupatis, ſemel, ſecundò, atque tertiò auditus
eſt ab illis ſuauiſſimus quidam concentus,hauddubiè angelicus. Et eius anima ſplendi-
diſſimo contecta amictu,atque cœleſti quadam proceſſione aſſociata,aſtantibus ſibi ab
vtroque latere beata Clara,atq; beata Eliſabetha, à deuoto quodam patre Iordane Do-
minicano,Toletani conuentus Matris Dei Confeſſario,qui tunc fortè orationi inſtabat,
quique rem poſtea ſub iuramento prodidit, cœlum conſcendere viſa fuit. Et quidam
ſacerdos,cùm ex alterius tibiæ contractione vix incedere poſſet, ſe huic beatæ ſorori ex
intimis præcordijs commendauit, eiuſque meritis integræ ſoſpitati reſtitutus eſt. Alia
quoque fœmina grauiter infirma,ad ipſius tuniculę contactum,ſtatim conualuit. Quæ- E
dam etiam iuuencula ſterilis,cùm in delirium incidiſſet, eius anxia mater impetratum
à monialibus huius ſanctæ velum inſanæ filiæ capiti admouit, atque ipſo facto mentis
ſerenitatem,imò & prolis fœcunditatem,temporis ſucceſſu,aſſequuta eſt. Adeſt tum de-
mum hæc Chriſti ſponſa ſterilibus mulieribus, ſi eius cingulo ventrem deuotè circum-
cinxerint: prout rei euentus, atque longa experientia ſatis comprobarunt. Hæc tamen
paruula,ex multis alijs,miracula,quia ſufficienti teſtium numero comprobata ſunt,hîc
referre voluimus:vt Deus opt. max. in ſuis ſanctis glorificetur, & huius ſanctæ ſororis
merita hæc legentibus innoteſcant. Obijt quoque mortem hoc in ipſo conuentu, anno
Dominicæ incarnationis 1505. deuotiſſima ſoror Ioanna Rodriguez ſocia, diſcipula,

A atq; præfatæ ſorori Mariæ à Toleto perſimilis omnino. Iſtius parentes, cùm eſſent nobiles Toletani, Deoq; ſummè deuoti, nec prolem ex ſe inuicem ſuſcipere poſſent, ſe Altiſſimo ex voto obligaturos, erectum ſe quidem collegium in honorem immaculatæ Conceptionis glorioſæ Virginis, atq; ibidem 12. iuuenculas proprijs ſumptibus nutrituros, ſi eam aſſequerentur: qua tandem impetrata, quæ & præſens ſoror Ioanna fuit, & promiſſis ſteterunt, & eam cum alijs puellis in collegio à ſe extructo educandam curarunt. Quæ cùm ſeptennis Miſſam audiret, vidit manum quandam, ſimul & crucem, ſanguine intinctam, ex celebrantis hoſtia egredientem, indeq; ad ſe procedentẽ, ex qua viſione territa, atq; ferrè exanimis ad lectulum delata eſt, & ab eo tempore mira quadam teneritudine in Chriſti amariſſimã paſſionem ferri cœpit. Circa cuius meditationem cùm intenſius occuparetur, frequentiſſimos raptus paſſa eſt. Paupertatem etiam, atq; humilitatem, ad ſuæ Magiſtræ inſtar, ſummopere coluit, atq; beatum Ioannem
B Euangeliſtam ſibi familiariſſimum habuit. Quo etiam magiſtro plura, quæ inter meditandum diuinitus addiſcere meruit, ſcripto tradidit: quorum adhuc aliqua extant. Quod & miraculo minimè caret. Nam ab his nihil aliud vmquam ſcripſit, cùm ſcribere minimè noſſet. Moriens itaq; anno præmemorato, poſtquam legitimè certaſſet, curſum conſumaſſet, fidemq; ſeruaſſet, maximum ſui deſideriũ, atq; ſanctitatis famã & ſororibus, atque ſæcularibus reliquit: ita vt eius patrocinium apud Deum implorauerint.

De monaſterio S. Claræ Regiæ ibidem. *Mon. II.*

QVIA beata Clara, ſumpto de manibus diui patris Franciſci habitu monaſtico, ac crine ad eccleſiam beatiſſimæ Mariæ de Angelis deuotiſſimam tonſo, in con-
C uentu ſancti Damiani, ex ſeraphici patris conſilio, tamquam in cauerna maceriç gemebunda, ſimplexq; columba nidificans, virginum Chriſti collegium genuit, monaſterium ſacrum inſtituit, pauperumq; dominarum Ordinem inchoauit, eiusq; ſequaces Damianitæ ſorores vulgò nuncupatæ ſunt. Quo etiam nomine, in prima ſui inſtitutione, huius ſacræ ædis virgines appellabantur: prout ex reuerendiſſimi Roderici Toletani Archiepiſcopi Hiſpaniarum Primatis, ac ſummi Pontificis per earum Regna vices gerentis ſcripta conceſſione, quç adhuc in huius loci archiuis perſeuerat, facillimè conſtat. Cùm igitur præfatæ virginis Claræ, Ordinisq; à ſe inſtituti fama per Hiſpaniam diuulgaretur, plures virgines eius illuſtri exemplo commotæ, huic ſæculo nequam valedicentes, illius ſacræ philadelphiæ aſſociatæ ſunt. Inter has fuêre nobiles quædam Toletanæ, quæ conſtructa, anno Domini 1250. ex prçfati Archiepiſcopi licentia, quam
D & Innocentius VIII. Pont max. anno Dominicæ Incarnationis 1254. confirmauit, quadam domo in honorem ſanctæ Mariæ extra ciuitatis mœnia, ac in valle ſanctç Suſannæ prope eiuſdem nominis ædiculã, ibidem ſub Regula beati patris Benedicti (quòd nondum beatç Clarç norma ſummi Pontificis calculo approbata, nec ipſa ſanctorum catalogo aſcripta eſſet) atq; ſub patrum Minorum cura & diſciplina recluſæ, per 122. annos, maxima cum laude perſeuerarunt. Donec tandem illuſtris, pientiſſimaq; domina Maria Melendez, Guttieri Telez Meneſij quondam legitima vxor, ob ſingularẽ deuotionem, qua in Clariſſarum Ordinem ferebatur, indignum omnino iudicans, vt tantæ virgines muris excluderentur, ex ſummi Pontificis Gregorij XI. conceſſione ſibi, anno à mundi redemptione 1371. facta, proprias domos, quas Toleti intra eius muros poſſidebat, in monaſterij formam redactas, atque honeſtis redditibus dotatas,
E præfatis monialibus, quæ 30. numero erant, inhabitandas poſſidendasq;, anno Domini 1374. liberaliſſimè contulit. Quibus etiam poſt obitum quicquid ſibi patrimonij reſiduum fuerat, ex teſtamento reliquit. Illæ verò antiquiori æde relicta, ad hoc nouum ſibi præparatum monaſterium, quod ſub titulo ſanctæ Claræ Regiæ intra Toletana mœnia exurgit, præfato anno 1344. ſe tranſtulerunt. Succedentibus verò quibuſdam annis, duæ Caſtellæ Regis Henrici eius nominis II. legitimæ filiæ, ex ſacrarum virginum iſtarum optimo odore allectæ, mundum eiusq; illecebras poſt ſe relinquentes, illis in habitu, profeſſione, modoq; viuendi, coniungi voluerunt. Quç & proprijs ſumptibus, locum annuis redditibus, atq; ædificijs mirum in modum colluſtrarunt. Ita vt ſeptuaginta moniales ſui accolas commodiſſimè & alere, atq; capere poſſit. Et

ſit. Et ab iſtarum ingreſſu Regium ſibi nomen aſciuit. Sepultæ ſunt hæ regiæ virgines A in medio huius monaſterij choro, quibus quædam earum neptis, quæ plurimis annis huius loci Abbatiſſam egit, & quidã Argionicus Dux, diſtinctis tamẽ in locellis, adiuncti ſunt. Honeſtatur deniq; ſacer hic ſororum muſęus altera ex ſpinis dominicę coronę, & quodam capite alterius ex vndecim millibus virginum, & quibuſdam alijs ſanctorum reliquijs, nec non & ſequentibus priuilegijs: Nempe quodam breui Martini V. Pont. max. dato Florentię, anno ſui Pontificatus ij. quo Abbatiſſæ conceditur, vt iuxta gratiam ſibi primitus à totius Franciſcani Ordinis generali Miniſtro factam, vnum aliquem Franciſcanum patrem, qui conuentum viſitet, atq; in ſpiritualibus, temporalibusq; regat, & gubernet, ad libitum eligere poſſit. Et altero Innocentij Papæ VI. dato Auinioni, anno Pontificatus eiuſdem iiij. quo cœnobij ſorores à cuiuſlibet apoſtolici Nuncij viſitatione, & ab exactionibus, quas Ciſtercienſes, Benedictinæ, atq; Auguſtinianæ ſorores ijſdem pro ſui viſitatione pendere aſſeuerant, immunes omnino B reddidit. Et alio quoq; ſummi Pontificis Clementis VI. apoſtolico breui, quo à pendenda cuiuſcunq; rei, & fructuum primitia ſiue decima Curantis præcipuè verò Parocho eccleſiæ S. Vincentij, intra cuius parochiæ fines hic locus conſiſtit, eius ſorores eximit. Non enim verebatur huiuſmodi Parochus ſorores, exacto ab eis iuramento de renũciando cuiuis apoſtolico indulto, etiam in earũ fauorẽ contra huiuſmodi ſolutionẽ à quouis ſummo Ponrifice lato, ad præfatam decimæ, & primitiarum erogationem compellere.

De monaſterio S. Claræ Guadalfagiaræ. *Mon. III.*

VIXIT Guadalfagiarę æra 1350. nobilis quędã, atq; Frãciſcani Ordinis vtriuſq; ſexus deuotiſſima fœmina, nomine Maria Fernandez Coronel, vxor quondam C cuiuſdam Ioannis à Zerda. Hæc cùm ſereniſſimæ Mariæ Caſtellæ Reginæ, Regiſq; Sanchij, cui Ferox agnomen fuit, vxoris, atq; communis iſtorum filiæ Eliſabethę morum magiſtra fuiſſet, à præfata Eliſabetha, quæ Guadalfagiaræ principabatur, magnificam quandam domum, Guadalfagiarenſibus muris circumſcriptam, pluresq; alias diuitias, tum ab ea, tum quoq; ab eius matre impetrauit, quibus prædictam ædem in peramplum auguſtiſſimumq; monaſterium, ſub titulo beatæ virginis Claræ, atq; ex Clementis V. Pont. max. licentia, ſibi ad inſtantiam pręmemoratæ Reginę Marię, anno à Chriſto ſeruatore nato 1307. facta, tranſtulit: ipſumq; plurimis præſidijs, poſſeſſionibus, atq; redditibus locupletauit, ac muneribus ampliſſimis, anno Domini 1312. exornauit: Adeò vt inter celeberrimos Clariſſarum conuentus locum obtineat, atq; 66. ſorores commodiſſimè capiat. Quia verò ſuperius Æræ mentionẽ fecimus, ne cui igno- D tum eius nomen hæſitandi præbeat anſam, breuibus huius vocabuli etymologiam atq; originem deſcribemus. Æra enim temporis nomen eſt, idemq;, quod annus omnino ſignificat, ſuiq; ab æræ, quod Octauianus Cæſar Auguſtus Romanorum, imò totius orbis Princeps, 38. anno ante Chriſti natiuitatem ſignauit, denominationem accepit: quamobrem computanda venit ab anno 38. antequam Chriſtus Dominus in terris naſceretur. Dum igitur dicimus ſuperius Æra 1350. idem eſt ac ſi diceremus, anno à mundi redemptione 1312. à quo etiam tempore ſacra hæc domus exordium ſumpſit. Ne tamen eorum quæ diximus, ſcrupulus aliquis iſtius loci ſcripturas legentibus ſubrepat: cùm eius fundationem præfatæ Eliſabethæ Sanchij Caſtellæ Regis filiæ, & non Mariæ Fernandez tribuant, pertranſeundo adnotare voluimus, prædictas ſcripturas, ideo Eliſabethæ, potius quàm Mariæ Fernandez fundatricis mentionem feciſſe, quòd quicquid E ædificij erectum, vel reddituum relictum fuerit, id totum ex Reginæ, eiusq; filiæ Eliſabethæ liberalitate (vt ſuperius pertranſeundo tetigimus) prouenerit. Potitur ſacra hæc domus plurimis priuilegijs, exemptionibus, atq; gratijs, ſibi tum à ſummis Pontificibus, tum etiam à Caſtellæ Regibus, in fundatricis gratiam, conceſſis, & confirmatis, quæ tamen, vitandę prolixitatis gratia, ſciens prętermitto. Habuit pręfata fundatrix Maria Coronel aliquando virum, ex eoq; filium & filiam ſuſcepit. Quorum mauſoleum ad dexterum maioris ſacelli latus, ſacro decãtando Euangelio deputatum ſepultura eſt: fœmina verò, quæ Tauri Clariſſarum habitum profeſſa fuerat, atq; inde tranſlata huius monaſterij Abbatiſſam plurimis egerat annis, ad præfati maioris ſacelli le-

uam

A quam tumulata eſt. Sed ipſa medium ſibi chorum in ſepulturam elegit. Mirum tamen eſt, quòd cùm à 250. eoq; amplius annis & mater & filia ex hac vita migrarint, vtriuſq; corpus adeò tractabile, integrum, atq; incorruptum perſeuerat, vt & à pauciſſimis horis vita functum videatur, & indui, atq; exui, ad monialium libitum, patiatur. Ne tamen ad huius celeberrimi monaſterij decorem aliquid deſiderari poſſet, ſequentes ſanctorum reliquiæ ſibi collatæ ſunt: videlicet fruſtulum pretioſiſſimę crucis Chriſti ſeruatoris noſtri, paruula quædam ampulla ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ lacte referta, aliquot capilli eiuſdem beatæ Virginis, duo capita ex vndecim millibus illis virginibus, quæ beatam Vrſulam ſequutę ſunt, & quamplurimę alię, quorum teſtimoniales literę ab excellentiſſimis Ducibus de Infantado quàmdiligentiſſimè cuſtodiuntur.

De monaſterio S. Claræ ſiue Viſitationis Madriti. Mon. IIII.

B NON immeritò conuentus hic, beatę Clarę, vel (vt alij volunt) ſanctiſſimę Viſitationi glorioſę ſemperq; virginis Mariæ ſacer, atq; intra mœnia oppidi Madriti erectus, quartum obtinet locum: cùm à ſuæ erectionis tempore regulari Obſeruantię perpetuò mancipatus fuerit, nec vnquam ad laxiorē viuendi modum declinauerit. Nam inter cæteras conditiones, quas eius nobiliſſima fundatrix Catharina Nuñeſia, illuſtriſq; Alphonſi Aluarez à Toleto Caſtellæ Regis Henrici Quæſtoris legitima vxor, cum venerabili patre fratre Alphonſo Complutenſi, Cuſtodiæ tunc Toletanæ Cuſtode, ac Vicarij prouincialis Prouinciæ Caſtellę, fortè abſentis, Commiſſario, nec non & cum ipſis ſororibus pacta eſt, ea fuit pręcipua, vt nunquam à regulari Obſeruantia C diſcederent. Conſtruxit itaq; ſacram hanc domum pręfata fundatrix, illamq; honeſtis redditibus, omnibusq; neceſſarijs, ex ſummi Pontificis Pauli II. auctoritate, anno à ſalutifera Chriſti natiuitate 1460. exornauit, atq; pręmemoratis monialibus, poſt elapſum ab eo tempore quadriennium, ſeruato ſibi eiuſq; poſteris patronatus iure, nulloq; penitus grauamine illis impoſito, inhabitandam contulit. Quę adeò in ſanctitate, optima fama, atq; ſororum numero creuit, vt vltra earum 60. contineat, nulliq; alteri penitus cedat. Aſſeruantur hoc in loco duo ſanctarum capita, alterum ſanctę Chriſtinę, & alterum vnius ex 11. millibus virginum, quæ pro Chriſto martyrium ſubiêre.

De monaſterio Salutationis ſiue Matris Dei Madriti. Mon. V.

SANE, dum huius ſacrę ędis monumenta alta mente reuoluo, non poſſum non ſatis mirari pietatem, atq; merum eius fundatorum, illuſtris videlicet Petri Zapate, D Methymnę Tarritanę Cōmendatarij, illiuſq; legitimę coniugis Catharinę Lando, propagandę Religonis zelum: qui cùm ex communibus bonis, atq; ex reuerendiſſimi Nicolai Franci Parinthinenſis Epiſcopi, atq; apoſtolici per vniuerſam Hiſpaniam à latere Legati, facultate ſibi, anno à mundi redemptione 1469. facta, ſacrum hoc monaſterium, Salutationi ſanctiſſimę Dei genitricis Marię dicatū, in Madritenſi quodam pago Rejas Hiſpanicè nuncupato, à fundamentis ad apicem vſq; erigi, abundantibusq; redditibus, atq; omnibus tum ad rē domeſticam, tum quoq; ad cultum diuinum neceſſarijs exornari curarint, nihil penitus grauaminis, nihilq; oneris, à patronatus iure, quod ſibi ſuiſq; poſteris ſeruarunt, monialibus ipſum habitaturis reliquerint. Quod ſecus plurimis alijs ſacrarum virginum conuentibus euenit: cùm vel certum virginum numerum abſque dotibus recipere, vel Miſſas decantare, vel aliquid ſimile, ex loci funda- E tione peragere teneantur. Conſtructa itaq; domo, atq; perfecta, allatę ſunt ex cœnobio S. Mariæ de valle Zaffarenſi (Hiſpanicè de Cafra) religioſiſſimæ quinq; moniales, quarum duæ fundatrici ſorores fuerunt, vt aduentātes iuuēculas optimis moribus, monaſticiſq; ritibus imbuerēt. Quarum bonus odor adeò exhalauit, totq; nobiles virgunculas allexit, vt non ita poſt multum temporis præcipuis etiam huius Prouinciæ conuentibus facillimè æquari potuerit. Sed cùm ob pagi anguſtias, atq; aëris intemperiem plurimis incommodis, atq; infirmitatibus ſorores conflictarentur, eo loco, in quo per ſexaginta quatuor continuos annos religioſiſſimè perſeuerarant, ex ſummi Pontificis Iulij III. auctoritate, relicto, anno Dominicæ incarnationis 1551. ad alium muris oppidi Madriti circumſeptum (de quo impræſentiarum) ſe tranſtulêre. Præerat tunc temporis

Poris vniuerſo regularis Obſeruantiæ Franciſcano Ordini reuerendiſſimus pater frater A
Andreas Inſulanus, ex cuius quoque beneplacito prefata tranſlatio facta eſt. Commorantur deniq; hoc in monaſterio, quod binomium eſt, ſi fundatorum voluntati ſtandum ſit: cùm ipſum Salutationi Dominę noſtrę ſacrandum voluerint, licèt communiori vocabulo Sanctiſſimæ Matri Conſtantinopolitanę, à quadam eiuſdem virginis deuotiſſima imagine ibidem erecta, quę miraculis coruſcat, dicetur, ſexaginta virgines Deo ſacræ ſub habitu & norma beatæ virginis Claræ quarum, laus Madritenſibus, ob deuotã diuini officij celebrationẽ atq; religioſam earũ conuerſationẽ commendatiſſima eſt.

De Clariſſarum monaſterio S. Mariæ de Ieſu Occaniæ. *Mon. VI.*

QVONIAM oppidum Occania ſacrę nobiliq; diui Iacobi Militię in temporalibus, in ſpiritualibus verò Toletano Archiepiſcopo paret, deuota piaq; fœmina B
Catharina Roman, vidua ex Doctoris Nuñeſij eius coniugis morte relicta, catholico Hiſpaniarum Regi Ferdinando, præfatæ Militiæ adminiſtratori, atq; reuerendiſſimo patri fratri Franciſco Ximenio, tunc illius eccleſiæ Archiepiſcopo digniſſimo, nec non Hiſpaniarum Cardinali, anno à ſalutifera Chriſti natiuitate 1515. ſupplicauit, quatenus propriam domum, Occanienſibus muris circumſeptam, in monaſterij formam, atq; in honorem ſanctiſſimæ Mariæ de Ieſu redigere, nec non & ad ipſam Tertiarias quaſdam diui patris Franciſci ſorores, eodem in oppido, ſed in anguſtiori domo commorantes, emiſſo prius voto de ſeruanda in poſterum beatæ virginis Claræ Regula, ſibi transferre liceret: idq; facillimè iuxta votum impetrauit, atq; exequuta eſt. Cùm autem eius loci anguſtia ſororibus, quæ ob earum optimam famam, mirum in modum multiplicari cœperant, minus faueret, impedimentoq; illarum fœcunditati eſſet, ab C
inuictiſſimo Carolo eius nominis V. Germanorum Imperatore, atq; Hiſpaniarum Rege, qui eius Auo Ferdinando in prefata diui Iacobi militari adminiſtratione ſucceſſerat, & ab illuſtriſſimo pariter ac reuerendiſſimo Alphonſo à Fonſeca, Toletano Archiepiſcopo impetrarunt, vt, eo derelicto, ſe in alium auguſtiorẽ, multò commodiorem, ſeruato tamen antiquiori titulo, conferre poſſent. Mirum eſt, nec facilè dictu, quàm religioſè, quamq; compoſitè ſacræ hæ virgines ibi, & hoc in nouiſſimo loco conuixerint, & quam odoris fragrantiam de ſe dederint. Quamobrem intrepidè aſſerere auſim, quòd ſi adeò in temporalibus, ac in ſpiritualibus profeciſſent, multos profectò poſt ſe etiam celeberrimos atq; ditiſſimos ſanctimonialium conuentus reliquiſſent. Sua nihilominus ſorte, ſuaq; paupertate contentæ, Deo opt. max. quàm feliciſſimè inſeruiunt, & maxima in veneratione habent caput ſanctæ Neſtoriæ, quæ vna fuit ex vndecim millibus illis virginum, quæ pro Chriſti fide, eiusq; ſanctiſſimi nominis confeſſione, ſimul D
cum ſua primiceria beata ſcilicet Vrſula vitam cum glorioſa morte commutarunt. Hanc ſacram reliquiam ſorores, quæ numero ſunt 45. ab imperatoria regiaq; Eliſabethæ, præfati Caroli V. coniugis maieſtatæ, quę incredibili quodam affectu in ſacram hanc ædem, eiusq; accolas ferebatur, liberaliſſimo ac pientiſſimo dono acceperunt.

De monaſterio S. Claræ Compluti. *Mon. VII.*

ANIMADVERTENS circumſpectiſſimus ille, atq; reuerendiſſ. pater frater Franciſcus Ximenius, Toletanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus & decus, dum fortè ædificando ſancti Ildephonſi collegio (cuius ſupra meminimus) Compluti intẽderet, quanto cum ſui pudoris, atq; famę diſcrimine, inter frequentiſſimos ſtudentes, atq; E
iuniorum collegia Tertiariæ quædam ſorores (quas vulgus honeſtas ſiue beatas nuncupat) Compluti, in eccleſia ſanctę Libertatę, cui poſtmodum ſancti Bernardi templum ſucceſſit, atq; in præſens vſq; perſeuerat, verſarentur, ſuaſit eis, vt beatæ virginis Clarę habitu & velo ſumptis, emiſſoq; ſolemni Clariſſarum voto, ſe ad monaſterium ab ipſo conſtruendum, ſufficientibusq; redditibus dotandum, inde transferrent. Quibus tandem annuentibus, præfatus Antiſtes hunc conuentum, beatæ virginis Claræ ſacrum, atq; intra Complutenſis ambitum ciuitatis contentum, anno Dominicæ Incarnationis 1515. eo videlicet temporis, quo reuerendiſſ. P. F. Franciſcus Angelorum totius Minoritici Inſtituti Vltramontani, ſub titulo Commiſſarij generalis clauum tenebat, ex

domeſticis

A domeſticis facultatibus, erigi curauit. Quem tamen immatura morte præuentus, nec
perficere nec dotare potuit. Quamobrē ſua ſpe fraudatæ ſorores, quæ numero frequen-
tius ſunt quadraginta, pauperem ſatis vitam ducunt: & perdeuotus quidam Ferdinan-
dus Diaz, Complutenſis Archipresbyter, eccleſiam, quæ ad monaſterij complemētum
ſummopere deſiderabatur, ſuis ſumptibus conſtrui fecit: eiusque patronatus iure ſibi ſer-
uato ex hac vita migrans, in illius maiori ſacello ſepeliri, ibidemq; requieſcere voluit.

De monaſterio S. Eliſabethæ Methymnæ Cœli. Mon. VIII.

QVIA illa cōceſſio acceptandi abſq; Ordinarij beneplacito & conſenſu quęcun-
que loca ſibi à Regibus, Principibus, Ducibus &c. oblata (de qua ſuperius egi-
mus) facta fratribus Minoribus de Obſeruantia à ſummis Pontificibus Leone X. & Iu-
B lio II. extenditur etiam ad Monialium ijſdem fratribus ſubditarum loca, ea propter R.
P. F. Didacus Ciſnerius, huius Prouinciæ Miniſter, hunc conuentum, ab illuſtriſſima Ma-
ria à Sylua, Oppidi Methymnæ Cœli Duciſſa, ad Clariſſarum monialium vſum, & ha-
bitationem, intra eiuſdem oppidi mœnia, ſub titulo ſanctæ Eliſabethæ conſtructum, ſi-
bique oblatum, prima Iulij anni Domini 1528. abſque Ordinarij facultate acceptauit,
cæterisque Prouinciæ monaſterijs adiunxit, atque ad ipſius inſtructionem, & ædifica-
tionem, quatuor optimi nominis moniales, quarum altera, Eliſabetha videlicet à Tole-
to, illuſtriſſimi Comitis Orapeſſani vterina ſoror erat, primamque ſacræ huius domus
Abbatiſſam egit, ex religioſiſſimo ſanctæ Eliſabethæ Regiæ Toletano conuentu venire
iuſſit. Illæ verò, pro munere ſibi iniuncto, confluentes iuuenculas optimis moribus, ſan-
ctiſſimisque ritibus adamuſſim imbuentes, & locum, & proprium nomen ſummopere
C illuſtrarunt. Commorantur denique hoc in monaſterio 25. ſorores, ſub habitu, & re-
gulari beatæ virginis Claræ diſciplina, debitaque cum veneratione S. Eulaliæ virginis
& martyris caput, quæ vna fuit ex 11. illis millibus virginum, quę pro ſalutifera Chri-
ſti confeſſione propriū ſanguinem fuderunt, atq; alias ſanctorum reliquias, ſibi ab illu-
ſtriſſimo Ferdinādo à Zerda Ducis oppidi, huiuſce vterino fratre dono datas, cuſtodiūt.

De monaſterio S Michaelis Regij Toleti. Mon. IX.

NOVERANT illuſtres, deuotique Chriſti fideles Didacus Lopetius à Toleto,
eiusque fideliſſima coniunx Maria à ſancta Cruce, quantopere id, quod cognatis,
atque ſanguine coniunctis, iuxta vſitatum morem, relinquendum ex teſtamento fuerat,
in pios vſus conſummere, atque conuertere præſtaret. Iccirco, cùm nullo penitus libe-
D ros ex matrimonio ſuſcepiſſent, vnum aliquem conuentum, ad monialium vſum, ex eo
à ſe ipſis ædificandum, exiſtimarunt. Itaque conſtructo ex Ordinarij licentia præmedi-
tato monaſterio, neceſſarijsque inſtructo, atq; duabus aduocatis ſororibus ex loco ſan-
ctæ Mariæ de Cruce, quæ aduentantes nouitias monaſticis moribus, atq; regulari Ter-
tiariarum Ordinis ſancti Franciſci diſciplina (erant enim duæ illæ ſorores de Tertio, vt
vocant, Ordine Franciſcano) imbuerent, tredecim honeſtas, nobilesque fœminas ibi-
dem recipi curarunt. Quum autem, poſt aliquantulum temporis, præfata fundatrix ex
viri morte vidua remanſiſſet, collatis in medium omnibus bonis, eodemque habitu ſum-
pto, communem vitam, atque Religionem, cum alijs profeſſa eſt, atque loci Abbatiſſa
poſtmodum electa, id munus quàm diligentiſſimè exercuit. Cùmque omnes ſimul ſtri-
ctiori, atque perfectiori vitæ aſtringi cuperent, beatæ virginis Claræ Regulam ſibi aſ-
E ſumendam ſtatuerunt. Quapropter ex eius licentia, cuius eæ partes erant, Clariſſarum
velo aſſumpto, præfatam Regulam, anno 13. à prima loci erectione, ſolemniter profeſſæ
ſunt. Acceſſit ad huius loci promotionem, vt dum eius fundator, Didacus videlicet Lo-
petius à Toleto morti appropinquaret, duobus eius fratribus Ferdinādo Aluarez à To-
leto, qui catholicis Hiſpaniæ Regibus Ferdinando & Eliſabethæ à ſecretis erat, ac Ioan-
ni Aluarez à Toleto proprij teſtamenti condiendi vices commiſerit, inſtantiusque in-
iunxerit, vt ex eius hæreditate, hanc ſacram ædem pro virili promouerent. Qui liben-
tiſſimè dicto audientes, eam mirum in modum, plurimis conuicinis domibus, tum ex
fundatoris, tum quoque ex proprio peculio emptis, accedente tamen licentia reueren-
diſſimi Leonardi S.R.E. ac tituli ſanctæ Suſannæ Cardinalis, necnon & Sedis apoſtoli-
cæ Pę-

cæ Pęnitentiarij,cui id à ſummo Pontifice Leone X.viuę vocis oraculo commiſſum fuerat,ampliarunt,pinguiſſimisq; redditibus locupletarunt.Quamobrem illius patronatus ius ſibi,ſuisq; poſteris,pręfatus Ioannes Aluarez à Toleto ſeruauit: & eius frater Ferdinãdus,quòd ex regia liberalitate, & magnificentia plura ad eius perfectionẽ contuliſſet eam ſancti Michaëlis Regij titulo inſigniendam voluit,cùm prius S.Michaëlis Angelorum nomine appellitaretur.Idq; tamquam gratias pro accepto beneficio Regibus relaturus.Obijt præfatus fundator Didacus Lopetius, anno à mundo redempto 1504. atq; in medio maiori ſacello tumulatus eſt.Ipſa verò domus,quã impræſentiarũ 50.moniales Clariſſæ inhabitant, poſt elapſos 16. annos, omnibus ſuis numeris abſoluta extitit. A

De monaſterio S. Mariæ Angelorum Madriti. Mon. X.

EXVRGIT impræſentiarum ad nobiliorem oppidi Madriti portionem,neophytus quidam Clariſſarum monialium conuentus,ſub titulo S.Marię de Angelis:qui cùm vltimam artificis manum expertus fuerit,plurimos abſq; dubio eorũ, qui alicuius ſunt nominis,longè poſt ſe relinquet. Nam ea fuit eius fundatricis, illuſtriſſimæ videlicet dominæ Eleonoræ Maſcareniæ,potentiſſimi Regis Hiſpaniarum Philippi, eius nominis ſecundi,atq; eius primogeniti Caroli Principis,olim nutricis diligentia, eaq; ſolicitudo vt nihil penitus eorum prætermiſerit, quæ ad eius perfectionem conducere potuerint.Siquidem,empto prius capaciſſimo ſolo,elegantiſſimam domum, atq; eccleſiã à primis fundamentis,ex optimo firmiſſimoq; lapide, atq; ex licentia ſummi Pontificis Pij IIII.cuius apoſtolicum breue adhuc extat,ibidem ſuperſtrui curauit: atque bis mille coronatis aureis,in ſingulos annos recipiendis,locupletauit,ditauitq;.Quæ licèt ex parte imperfectæ ſint,perficientur nihilominus breuì. Præterea ſacriſtiam plurimis ijsque pretioſis ornamentis, calicibus,vaſis,& iocalibus,tum aureis,tum quoque argenteis, ad diuinum cultum neceſſarijs inſtruxit.Tum demum,vt nihil ſibi decoris,patrocinij,atq; fauoris,deeſſe poſſet,eius patronatus ius,ad præfati Regis Philippi maieſtatem, eiuſque poſteros transferri voluit.Cępit ędificari domus hæc,quam 30. ſorores modò inhabitãt, plures tamen ſuo tempore inhabitaturæ,anno à ſalutifera Chriſti natiuitate 1564.& anno 1565. die verò menſis Ianuarij 21. à patribus huius Prouinciæ, in Comitijs prouincialibus Scalonæ,ſub R.P.F.Alphonſo Ferrerio,R.P.F.Franciſci Zamoræ,totius Franciſcani Inſtituti generalis Miniſtri,per Hiſpaniã Comiſſario celebratis, receptus, aliorumq; catalogo aſcriptus eſt. Cuius primæ fundatrices fuêre ſeptem religioſiſſimę moniales,ex Abulenſi Clariſſarũ monaſterio,cui nomẽ S.Maria eſt,Prouincia verò ea, quæ immaculatę virginis Conceptioni ſacratur,allatę. Quę apud Madritẽſem populũ adeò benè audiũt,vt quiſq; ſuã virginem illis aſſociatam cupiat. Honeſtatur tandẽ ſacrũ hoc virginum collegium 12. capitibus earum virginum, quæ cum beata Vrſula glorioſum oppetiuêre martyrium,& altero ſanctæ Agnetis virginis & martyris brachio, alijsque quibuſdam ſanctorum reliquijs, quas quidem præfata fundatrix ab Imperatoria Mariæ Auſtriacæ maieſtate dono accepit, liberaliſſimeque ſuo huic dilecto loco contulit. B C D

De monaſterio Tertiariarum S. Mariæ de Cruce. Mon. XI.

HVCVSQVE egimus de monaſterijs Clariſſarum, ſiue ſecundi Seraphici patris Franciſci Ordinis huius Prouinciæ, quæ numero ſunt decem, continentq; quingentas & vltra ſorores, easq; profeſſas: nam de nouitijs, cùm liberum ſit illis, vel maternos lares durante probationis anno repetere: vel manere, non eſt nobis quæſtio. Nunc autem de ſororum Tertiariarum, ſiue Tertij eiuſdem beati patris Franciſci Ordinis conuentibus,qui numerum decimumtertium complent, nobis agendum erit. Inueſtiganti igitur mihi rationem, quare ex tribus Ordinibus à Seraphico patre Franciſco inſtitutis, hic qui tertius & vltimus eſt tantopere, ſororum ſaltem numero,in vtraque Germania, ſuperiore ſcilicet ac inferiore, in Italia, Cantabria, & præcipuè in hac Prouincia olim floruerit, & modò non tam latè pateat, hæc occurrit. Quum enim hoc Inſtitutum in maximo ſpiritu, mundiq; contemptu, abſque clauſura, & abſque ſequendæ communitatis debito,fundari cœpiſſet, nec ad eius aſſequutionem ea, quæ ad cæterarum monialium vitam benè inſtituendam neceſſaria ſunt, requirerentur: puta E

A ampla ædificia, officinarum ambitio, annuorum redituum certa quantitas, eccleſię ad rem diuinam audiendam, horasq; canonicas, pro debita honeſtate, perſoluendas, & id genus alia, quæ breuitatis cauſa prætermitto: imò potius poſſent ſub humili habitu huiuſcemodi ſorores, & fratrum eccleſias, ſacro diuinoq; interfuturæ officio, accedere: & victum, atq; amictum vel arte, vel oſtiaria emendicatione comparare: & in anguſta, vulgariq; domo ſuæ profeſſioni ſatisfacere, quotquot virgines, ſiue etiam pauperes viduæ ſuam pudicitiam Deo opt. max. ſub honeſto habitu, atq; aliquali libertate, conſecrare, eidemq; liberius vacare cupiebant, huic Ordini mancipabantur. Cùm autem huiuſmodi libertatis cauſa, & earum caſtitas, & etiam fama periclitarentur: & cæterarum monialium recluſarum, tamquam è diametro poſitarum, nomẽ melius meliusq;, indies audiret, maior illarum pars, vel promiſſa ex ſolemni voto clauſura, ſuas domos B in monaſteriorum formam redigi curarunt, ac tandem ſucceſſu temporis, ſumpto Clariſſarum velo, in illarum Regulam verba fecerunt: vel rectà ad eaſdem tranſierunt: & in Hiſpania, poſt generalem illam omnium eccleſiaſticorum Ordinum reformationem, per catholicos eius Reges Ferdinandum & Eliſabetham quàm religioſiſſimè factam, cuius reuerendiſſimus pater frater Franciſcus Ximenius Toletanus Archiepiſcopus, ac S. R. E. Cardinalis, nec non & generalis Inquiſitor, diligentiſſimus exequutor fuit, vel ad præfatas Clariſſas vel ad Conceptioniſtas ſorores, quarum Ordo tunc pullulare incipiebat, ſe contulerunt. Remanſit nihilominus in antiqua ſua vocatione conuentus hic, ſanctiſſimæ Mariæ de Cruce ſacer, ac quingentis paſſibus à pago Cuba Toletanæ diœceſis ſitus, quem 38. ſub præfato tertio diui P. Franciſci Ordine incolunt. Eſt enim C ex eorum numero, qui prius communes honeſtarum mulierum domus fuêre, ac poſtea in monaſteria erectæ ſunt. Nam fœminæ quædam Deum timentes, ad cuiuſdam miraculi (de quo paulò inferius) famam, Cubã ex diuerſis conuicinis pagis conuenêre, ibiq; modica conducta domo, atq; in communi viuentes, eo vſq; perſeuerarunt, quo ex emendicatis eleemoſynis, atq; ex communibus in medium collatis bonis, contiguum loci huius eccleſiæ conuentulũ fabricari curarunt. Quo tandẽ perfecto ad ipſum inhabitandum, anno Domini 1459. conuolarunt. Vagabantur nihilominus, cùm reddituũ nihil penitus haberent, per pagos & oppida, neceſſaria ſibi ex mendicitatæ acquiſituræ, in eoq; viuendi genere perſtitêre, donec opera cuiuſdam ſororis (cui Ioanna de Cruce nomen erat) inuiolabili clauſuræ, ſeruato tamen à ſe ſemel accepto Inſtituto, tertio videlicet Franciſcano Ordini, ſe ex ſolemni voto obligarunt.

Vt igitur ad huius loci fundationem (quæ miraculoſa omnino eſt) deueniamus: Noſ- D ſe opportet Virginem glorioſam, anno ab eius Virgineo partu 1449. cuidam 13. annorum iuuenculæ nomine Agneti, ac Alphonſi cuiuſdam Martinez, eiusq; coniugis Mariæ Sanchez pagi Cubani accolarum filiæ, dum porcorum gregi inuigilaret, apparuiſſe, illiq; mandaſſe, vt Cubanis diceret, ſi à diuino imminente flagello immunes eſſe cuperent, ad Deum per iuſtam erratorum pœnitentiam conuerterentur. Quod cùm illa iuxta præceptum exequuta eſſet, nihilq; apud eos profeciſſet, apparuit illi beata Virgo ſecundò & tertiò, totiesq; idem mandatum dedit. Qua tamen nihil, ſicut & primò, ob eorum incredulitatem, referẽte, ſe quartò ei prodidit ſanctiſſima Dei genitrix, atq; illius pollicem ad ſupremam brachij partem contrahens, eadem denuò repetere iuſſit. Quam deniq; cùm ſic contractam vidiſſent Cubani, ex tanto rei euentu commoueri cœperunt; ac aſcito Parhoco, qui tunc fortè eos luſtrari aqua, poſt abſolutum ſa- E crum, ex more aſpergebat, nudis pedibus, ſaccisq;, pro pœnitentum laudabili conſuetudine induti, proceſſionaliter, ac maxima cum deuotione, lacrymarumq; effuſione, puellæ ductrici congreſſi ſunt, donec ad locum in quo ſanctiſſima Deipara virgo ſe illi manifeſtauerat, perueniſſent. Dumq; aliquantulum ſubſiſterent, illis relictis, cœpit prædicta Agnes feſtino incedere gradu. Et cum à proceſſionis directore, qui crucem, in apparitionis loco figendam, caſu deferebat, quò procederet interrogaretur, reſpondit ſe ad beatam Virginem properare, (vocauerat ſiquidem eam ex aëre, nemine tamen eorum id percipiente, pijſſima Dei mater) at ille, impoſita ſibi cruce, puellam dimiſit. Quam accipiens cœli Regina propria defixit manu, iuuenculæq; iniunxit, diceret Cubanis, vt ſibi eccleſiam, eodem in loco ſub titulo ſanctæ Mariæ de Cruce, erigi curarent.

Illis igitur ad locum peruentis, & crux humi defixa, & amborum beatæ Virginis pe- A
dum veſtigia arenę impreſſa apparuerunt. Quę cùm quamhumillimè venerati eſſent,
plures infirmos à diuerſis languoribus, ad contactum arenæ inde collectæ miraculosè
liberarunt, & eccleſiæ ædificandæ ſe accinxerunt. Præerat tunc temporis Toletanæ
eccleſię reuerendiſſimus Alphonſus Carrillus, penes quem ex officio collatio aucto-
ritatis eius erigendæ erat. Ad eum ergo cùm eius impetrandæ cauſa Cubani veniſſent,
Illeſcarum Archipræsbytero, atq; Madritenſi Vicario præcepit is, vt ad locum perge-
rent, diligentiq; adhibita indagine inueſtigarent, num ea, quæ illi homines aſſererent,
ita ſe haberēt. Qui dicto audiētes, atq; omnia, pro mādatis voto, iurisq; exigētia, quamdi-
ligentiſſimè ſcrutantes, inuenerunt eos nec vel in minimo à puriſſima veritate deuiaſſe.
Quāobrē pius Antiſtes, conſtruēdæ iſtius eccleſię facultatē impertitus eſt. Illi verò cùm
ex eorū facultatibus, tū quoq; ex innumeris aduentātibus eleemoſynis (ea enim erat po-
pulorū ad tātę nouitatis famā deuotio, atq; liberalitas, is deniq; concurſus, & miraculo- B
rū frequentia, vt nulla penitus eſſet de pecunijs, ſiue de alijs, ad ædificiū neceſſarijs quæ-
ſtio) huius ſacræ ædis templū, infra annū, feliciſſimè extruxerunt. Conſtructa igitur ec-
cleſia, mulieres illæ (de quibus ſupra) conuentulum ſibi contiguum coædificari cura-
runt. Cumq; per 30. continuos annos ibidem perſeueraſſent, aduentauit ex inſpera-
to honeſta quædam iuuencula, nomine Ioanna, cui beata Virgo ſuaſerat, vt ſe ad hoc
monaſterium Deo in poſterum famulatura conferret: ſororesq; cum lacrymis rogare
cœpit, vt ſe in earum conſortium admittere vellent. Quæ tandem ab illis recepta, totius
ſanctitatis forma omnibus facta eſt: adeoq; in omni virtutum genere profecit, vt facil-
limè ſuę vocationis auctricem prodiderit, & ad clauum domus tenendum electa fuerit.
Quo accepto ſororibus ex tempore ſuaſit, vt totius rei domeſticæ cogitatum in Domi- C
no iactantes, ſeq; omnino illi credentes, egrediendi libertati, qua gaudebant, ex ſolem-
ni voto renunciarent, quatenus diuinorum contemplationi myſteriorum plenius vaca-
re poſſent. Cuius deniq; opera factum eſt, vt ab eo tempore, quartum quoque votum
huius loci religioſæ emiſerint. Nec defuit Deus opt. max. ancillis ſuis: quinimo excita-
uit ſtatim R. P. F. Franciſcum Ximenium Toletanum Archiepiſcopum, qui audita
tantarum fœminarum virtute, ex apoſtolica auctoritate pagi Cubani beneficiū earum
monaſterio annexuit, copioſasq; eleemoſynas contulit. Erat tunc temporis nomen hu-
ius ſanctiſſimæ ſororis Ioannæ per vniuerſam Hiſpaniam celeberrimum: quamobrem
ex diuerſis partibus nobiliſſimi quoque viri ad eam confluebant, ſeq; atq; eorum gra-
uiſſima negotia ab ea omnipotenti Deo commendari maximè exoptabant. Inter hos
fuêre inuictiſſimus Germanorum Imperator Carolus V. & magnus ille Capitaneus D
Gonzaluus Fernandez à Corduba, qui etiam eius cauſa conuentū ipſum pretioſiſſimis
muneribus, atq; redditibus proſequuti ſunt. Sed inter cæteros longè emicuit pietas illu-
ſtrium dominorū Petri Zapatę Oſorij, eiusq; coniugis Tireſiæ à Cardenas: qui quouſq;
vixerunt, vniuerſo ſororum collegio benefici omnino fuerunt. Præterea præfata Tire-
ſia, ex viri morte vidua derelicta, illis coniungi, ac moriens ad leuam ſummi altaris
ſepeliri voluit, maiusq; ſacellum ſui hæredem ex aſſe inſtituit. Quo deniq; omnino per-
fecto, tantum ex eius bonis ſuperfuit, vt inde 300. aureos coronatos in ſingulos an-
nos facillimè recipiat hæc ſacra domus. Cui etiam potentiſſimus, atq; catholicus Hi-
ſpaniarum Rex Phillippus II. orationum eius accolarum particeps fieri cupiens, pin-
guiſſimam ad eas eleemoſynam pro domus perfectione tranſmiſit. Quia verò extat li-
ber, in quo omnia miracula, tum à glorioſiſſima virgine Maria, tū quoq; à beata Ioan- E
na, hoc in loco patrata, ex authentico teſtimonio collecta ſunt, his ſuperſedere decreui.

De monaſterio S. Ioannis de Pœnitentia Toleti. Mon. XIII.

INTER cætera memorabilia, quæ R. P. F. Franciſcus Ximenius Toletanus Archiepiſcopus, ac S.R.E. Cardinal, is nobis reliquit, illud ſanè fuiſſet celeberrimū niſi inuida mors obſtitiſſet, quod circa huius conuentus ædificationem, atq; fundationem moliebatur. Decreuerat ſiquidem pijſſimus ille Antiſtes ædificare monaſterium 50. ſororum Tertiariarum, ſub titulo ſancti Ioannis de Pœnitentia, illiq; honeſtarum, ac pauperum 200. virginum collegium adiungere: quæ ſexennio ad minus, expenſis eiuſ-

dem

A dem domus à ſe conſtituendis, ac reliquendis, alerentur, ac à 4. contigui conuentus monialibus inſtruerentur: quatenus optimis imbutæ moribus, præfinito tempore elapſo, vel nuptui honeſtiſſimè traderentur, vel Religionis habitum induerent: quibus etiam certa dos aſſignanda fuerat. Quamobrem tanti operis molimen, anno à Chriſti natiuitate 1511. aggreſſus, intra Toletana mœnia, non longè à SS. Iuſti & Paſtoris parochia, hanc ſacram ædem, quam 63. ſorores Tertiariæ inhabitant, ſub præfato titulo, magnificè ſatis conſtruere cœpit. Ne tamen aliquid temerè præſumpſiſſe, aut attentaſſe videretur, id ſibi licere Leoni X. Pont. max. qui tunc Petri nauiculæ gubernaculum tenebat, ſupplicauit. Qui pijs eius votis ex integro annuens, illi expedita bulla, ſub datum Romæ anno Domini 1514. conceſſit, vt prædicta monialium monaſterium, ac virginum collegium conſtruere, ac illis aut 4. beneficia ſimplicia, ſiue cura-
B ta, pluſuè minus, iuxta proprium arbitrium, annectere, atq; 1500. coronatos aureos in ſingulos annos, ex proprijs facultatibus relinquere, ac ſpontaneis conſtitutionibus vtriusq; domus œconomiam, atq; conuerſationem concernentibus, communire poſſet. Quod tamen ille immatura morte præoccupatus, prout nobiliſſimo animo incœperat, perficere nequiuit. Quod indiuiduus eius olim comes, ac gratiſſimus ſocius, nec non R. P. F. Franciſcus Ruizius, Abulenſis Epiſcopus, cui defuncti animus & voluntas in propatulo erāt, à pręmemorato ſummo Pontifice Leone X. quamhumillimè petijt, vt quod ille adipſci non potuerat, ſibi præſtare liceret. Nec ſua eum ſpes fefellit: nam quicquid pientiſſimo Archiepiſcopo à ſummo Pontifice conceſſum fuerat, id quoq; virtute cuiuſdam bullæ, datæ anno Domini 1518. ex eadem auctoritate, conceſſum eſt. Qua tandem facultate fretus, & ſtructuram abſoluit, & quod ſupplendum
C fuerat, adimpleuit. Verum eſt tamen, quòd ob immaturam reuerendiſſimi Archiepiſcopi mortem, iuuencularum recipiendarum numerus, mirum in modum imminutus ſit. Cùm enim ex Leonis X. conceſſione, iuxta Archiepiſcopi mentem, ducentæ ad minus futuræ eſſent, atq; ex cuiuſdam breuis Pij V. Pont. max diſpenſatione, ad 24. numerum redactæ ſint, imminutis ex œconomorum malitia, atq; improuida aliquarum Abbatiſſarum diſpenſatione, ſupramodum redditibus, decimũ octauum numerum impræſentiarum non excedunt. Recipiunt nihilominus præfatæ ſorores ex beneficijs à R. Archiepiſcopo conuentui annexis, atq; ex redditibus fundatoris pecunia comparatis, 2500. frumenti menſuras, nec non 1500. coronatos aureos ad minus in ſingulos annos: Inſuper & 500. alios, apoſtolica illis auctoritate fauente, ex ijs cui iuuencularum dotibus deſtinati fuerant. Ipſe verò R. P. F. Franciſcus Ruizius, Abulenſis Epi-
D ſcopus, ex monialium, atq; Abbatiſſæ huius loci ſpotanea voluntate in maiori ſacello, ſub elegantiſſimo quodam alabaſtrino mauſolæo ſepultus eſt. Quod quidem ſacellum plurimis vaſis, calicibus, crucibus, iocalibusq; tum aureis, tum quoq; argenteis, nec non optimis, abundantibusq; ornamentis, ad rem diuinam peragendam, locupletauit: atq; 6. capellanijs à 6. ſæcularibus ſacerdotibus inſeruiendis, inſtruxit. Præfatarum verò capellaniarum, atq; aliorum officiorum, puta Sacriſtæ, Organici, & his ſimilium collatio, nec non quorundam pecuniarum portionum, prædictis ſæcularibus virginibus elargiendarum, diſtributio, penes loci Abbatiſſam ſunt. Ad quæ omnia præfatus Abulenſis Epiſcopus 1500. annuos coronatos aureos reliquit. Mirabere equidem ſi conſtitutiones ab his monialibus ſeruandas, tum à R. Archiepiſcopo, tum ab eius ſocio, pariter ac reuerendiſſ. Epiſcopo factas perlegeris. Nam ijs calceorum, telæ,
E atq; carnium vſus, ills interdicitur: qui tamen, ob euitandas plurimas infirmitates, primitus ſuſtinere cogebantur, ex apoſtolica diſpenſatione, eiſdem modò conceditur. Præterea oratio, ieiunium, atq; diſciplina, aſſidua eis eſſe debebant: quę nihilominus modò ex eadem apoſtolica auctoritate temperata ſunt, atq; ad Franciſcanorum Obſeruantum normam redacta: ſecundum quam etiam religioſiſſimam vitam tranſigunt.

De monaſterio S. Ioannis de Pœnitentia Compluti. Mon. XIIII.

NISI nos vulgaris fama, manifeſtaq; quædam indicia fallunt, eo fine R. P. F. Franciſcus Ximenius hunc conuentum, diuo Ioanni de Pœnitētia ſacrum, quē 33. ſorores Tertiariæ incolunt, intra Complutenſis mœnia ciuitatis, ſuis ſumptibus ædifi-

cauit, dotauitq́;, vt Rectori collegij S. Ildephonſi, cuius ipſe quoq; author fuit, illum submitteret: Nã vtriusq́; loci ſtatuta communia ſunt. Sicut enim illius collegij alumni, atq; commenſales, ita nec iſtius ſacræ domus ſorores, tricenarium tertium numerum, ex præfati R. P. lege excedere poſſunt. Pręterea ſicut nullus ibi admittitur, qui Iudæorũ, vel Maurorũ macula infectus ſit, ita quoq; neq; hîc. Sed quòd hoc ſuum intẽtum exequutioni minime mãdauerit, inopinata, atq; immatura eius mors fuit in cauſa. Subfuit nihilominus ex fundatoris decreto, cui poſtquã per integros 20. annos paruiſſet, à Clemente VII. Pont. max. cuius breue in huius loci archiuis cuſtoditur, impetrarunt ſorores, vt ipſi vale dicto, Franciſcanis fratribus de Obſeruantia de cætero ſubderentur. A quo etiam tempore, ab anno ſcilicet Domini 1528. cæteris Prouincię locis annumeratus extitit. Eidem prorſus rigori, atq; eiſdem penitus conſtitutionibus, quibus ſacræ virgines præcedentis conuentus, nempe S. Ioannis de Pœnitentia Toletani ſubiacebant, ſubdebantur & iſtæ: eademq́; omnino pontificia diſpenſatio fauet impræſentiarum iſtis, atq; illis. Curauit quoq; conſtrui præfatus R. P. F. Franciſcus Ximenius collegium quoddam, ſub titulo S. Eliſabethæ, huic monaſterio omnino contiguum, illudq́; ſufficiẽtibus redditibus eo fine dotauit, vt certus honeſtarum virginum, ſed pauperum, numerus ibidem recipiatur, vtq́; ex illis ad tempus alatur, atq; à tribus boni nominis, exempliq́; ſororibus, ſibi cohabitantibus, in omni pietate & morum honeſtate inſtruatur. Ex iſtis quæ, poſt præfixum à fundatore tempus, ſub monaſtico habitu, ad contiguum conuentum Deo famulaturæ tranſire cupiunt, gratis, dummodo ſit locus, ex fundatoria conſtitutione recipiendæ veniunt. Quæ verò in nuptias inhiant, certam pecuniarum ſummam, iure dotis ex conſimili conſtitutione recipiunt. Cuius quidem collegij optima fama allectatus catholicus Hiſpaniarum Rex Philippus II. ſelectas plures virgunculas, anno Domini 1555. eò mittendas ac compoſitis moribus ſimul cum alijs imbuendas, conſtitutis interim ſufficienti alimento, atq; 400. coronatis earũ cuilibet, ſiue monialis eſſe ſtatuat, ſiue nuptias affectet, ſtatuto tẽpore digniſſimè ac pientiſſimè curauit. Quod quidẽ pijſſimũ atq; verè catholici Regis opus fuit.

A B C

De monaſterio Conceptionis matris Dei Illeſcis. Mon. XV.

LICET plures ex ſubſequentibus conuentibus, ſint iſto multò antiquiores, ei tamen hunc locum aſſignare volui, tum quòd communem Ordinem cum duobus proximè præcedentibus ſortitus ſit, tum etiam, quòd iſtius, atq; illorum vnus & idem author fuerit. Extitit enim & hic quoq; fundatus ab eodem R. P. F. Franciſco Ximenio Toletano Archiepiſcopo, anno à Chriſto ſeruatore nato 1517. eo videlicet quo viam vniuerſę carnis fuit ingreſſus. Quamobrem nihil aliud ſibi ab ædificio debet. Debuiſſet tamen abſq; dubio, & ſufficientes redditus, & multò plura ſibi ab ipſo, ſi vita comes fuiſſet, elargienda? Nam is fuerat eius ſcopus, dum opus aggrederetur, vt non ſolum monaſterium conſtrueret, ſed vt & conſtructum ſufficienter, pro numero monialium, ibidem conſtituendarum dotaret. Habitatur nihilominus à 30. ſororibus Tertiarijs, quæ ſui primas fundatrices, atq; magiſtras agnoſcunt tres religioſiſſimas moniales, ex deuotiſſimo conuentu S. Mariæ de Cruce (cuius ſupra meminimus) adductas. Curarũt ſummopere aliquãdo huius Prouincię patres, vt ſacrę hę virgines, ſumpto velo, clauſurã quoq; à ſe de cætero ſeruandã vouerẽt. Illę vero dolũ ſub pietatis ſpecie latentẽ ſuſpicãtes, aliquidq́; nouitatis ſibi ab ijs ſtrui timẽtes, Pio V. Pont. max. ſcripſerunt, vtrũ per huiuſmodi veli ſumptionẽ, ad aliquid aliud, ab eo quod ex antiquo voto promiſerãt, tenerẽtur. Qui dato etiã apoſtolico breui, eis reſcripſit, bono animo eſſent, clauſuramq́; promitterẽt, atq; velũ acciperẽt, quandoquidẽ ex huiuſmodi acceptione, nihil penitus nouæ obligationis, nec vnius etiã tantùm Aue Maria, ab ea, qua per emiſſum primum votum, tenebantur, illis accederet. Qua de re certiores effectæ, omni metu longè profligato, & clauſuram intrepidè vouerunt, & velum ſub R. P. F. Chriſtophoro à Capitefontium totius Franciſcani Ordinis generali Miniſtro, ac prædeceſſore noſtro libentiſſimè admiſerunt. Prima huius loci Abbatiſſa, vna fuit ex illis tribus, quæ ex monaſterio ſanctæ Mariæ de Cruce allatæ fuêre, nomine Agnes à Conceptione cui conſanguinitas cum fundatore interceſſit: cuiusque ſanctitas tanta fuit, vt plura

D E

A plura Deo ſibi reuelante, prænoſſe meruerit: quamobrem & in vita, & in morte in maxima veneratione habita eſt. Honeſtatur tandem huius loci ſacrarium altero ex digitis ſanctæ Vrſulæ, & quadam ſpatula vnius ex vndecim millibus eius ſocijs, quas reliquias sereniſſima Imperatrix Maria ab Auſtria dono dedit. Alias quoque contulit eius filia, pariter ac ſereniſſima Hiſpaniarum Regina Anna ab Auſtria, quarum nomina, prolixitatis, quæ mihi minimè quadrat, vitandæ cauſa, ſciens prætermitto.

De monaſterio Dominæ noſtræ Planitiei Almagri. Mon. XVI.

DVM R.P.F. Franciſcus Ximenius catholicæ maieſtati Reginæ Eliſabethæ à confeſſionibus eſſet, conuentusq; ſanctæ Mariæ de Saliceto adhuc Guardianum ageret, deuota quædam fœmina nomine Catharina Sanchez, prædictæ Reginæ, eiusq; viro
B Ferdinando Hiſpaniarum Regi, tamquam legitimis adminiſtratoribus nobilis militiæ Calatrauenſis, cuius caput Almagrum oppidum eſt, vt ſibi, alijsq; ſex honeſtiſſimis fœminis, ſub habitu & tertio B.P. Franciſci Ordine, in quadam domo à ſe prope antiquam S. Mariæ de Planitie ædiculam, cui quoq; pauperum, atq; infirmorum xenodochiū contiguum erat, ædificanda, commorari liceret, quamhumillimè ſupplicauit. Quapropter dato dipplomate præfati Reges, anno à Virgineo partu 1492. eidem P.F. Franciſco Ximenio commiſerunt, vt Almagrum accedens, prædictæ ſupplicanti huiuſmodi conuentus ædificādi locum, prope memoratam S. Mariæ eccleſiā aſſignaret, eccleſiamq; ipſam domui annectendā conferret. Cui quoq; mandato illuſtr. Petrus Gonzaluus à Mendoza Toletanus Archiepiſcopus, cuius eæ partes erant, (ſpectat enim Almagrum ad Toletanam diœceſim) ſubſcripſit. Voluerūt etiā prædicti Reges, literasq; patentes (quæ adhuc
C apud huius loci moniales extant) hac dere dederunt, vt prædictæ, atq; ab eis futuræ ſorores Archiepiſcopo Toletano, tamquam loci Ordinario, parerent, neuè ab huius Prouinciæ Miniſtro, ſiue etiam à totius Ordinis generali Miniſtro, aliqua ex cauſa, viſitarentur, corrigerēturuè. Inſuper cauerūt, vt contigui hoſpitalis cura monialibus incūberet. Fuit itaq; conuentus hic, quē 40. Tertiariæ ſorores inhabitāt, intra oppidi Almagri muros ædificatus, atq; prædictæ eccleſiæ S. Mariæ de Planitie, cuius quoq; nomē retinuit, adiūctus, circa annū Domini 1493. multisq; annis Archiepiſcopo Toletano ſubiectus. Succeſſu verò tēporis, ex apoſtolica auctoritate ab eo ſubtractus, F. Franciſcanorū curæ ſe credidit. Quando tamē id contigerit, nec ſcripto, nec traditione conſtat. Extat nihilominus ſcriptura quædā ab huius Prouinciæ Miniſtro, & Diffinitoribus acta, an. Dñi 1533. qua monialibus cuiuſdā acceptādæ capellaniæ facultas fit. Ex qua patet eo iā tēporis ip-
D ſas ab Ordinarij iuriſdictione liberas, immunesq; fuiſſe. Fuit aliquādo, & ſæpius inter huius loci ſorores, atq; prædicti xenodochij confratres, maxima de eccleſia earū quæſtio: ꝓtendētibus iſtis, atq; illis eius proprietatē, atq; poſſeſſionē. Quāobrē catholici Hiſpaniarū Reges, ad quos militiæ Calatrauēſis adminiſtratio ſpectat, prolata in monialiū fauorē diffinitiua ſententia, ſuas patentes literas, quæ adhuc in huius loci archiuo perſeuerant, eis quā humaniſſimè dederūt. His tandē impoſiturus finē, hoc tantū annectā, ꝙ videlicet hic locus, pro tāto ſacrarū virginū numero, pauperrimus ſit, plurimisq; neceſſitatib. pateat.

De monaſterio Conceptionis Dominæ noſtræ oppidi Viſus. Mon. XVII.

PARET oppidū Viſus, in ſpiritualibus quidē, R. Eccleſiæ Toletanæ Archiepiſcopo, in temporalibus verò nobili Calatrauenſi militiæ. Ideoq; honeſti, pariterq; pij Chri-
E ſti fideles, Ioannes Martinez Montaraſius, eiusq; legitima coniunx Catharina Lopetia oppidi eiuſdē inquilini, cum ætate iam prouecti bonis abundarent, nec per totū ſui matrimonij curriculū communes charosq; liberos ex ſe inuicē procreaſſent, decreuiſſentq; ex eiſdem facultatibus & xenodochium, & conuētum, & etiam eccleſiam ſibi contiguā, in honorem immaculatæ Conceptionis ſanctiſſimæ matris Dei ibidem conſtruere, eius piæ voluntatis, atque intentionis exequendæ facultatem ab illuſtriſſ. Petro Gonzaluo à Mendoza, Archiepiſcopo tunc Toletano, ac Hiſpaniarum Cardinale, atque ab ſtrenuo pariterq; nobiliſſimo equite Garſia Lopetio ſacræ Calatrauenſis militiæ Magiſtro (nondum ea dignitas in Regium ius ceſſerat) petiêre. Qua tandem aſſequuta, hunc conuentum, ſanctiſſimæ Conceptioni Dominæ noſtræ dicatum, quem 23. Franciſcanæ ſorores

Tertiariæ occupant, intra præfati oppidi Viſus ſepta, anno à ſalutifera mundi redem- A
ptione 1488. ædificari curarunt, honeſtisq; redditibus, atq; alijs neceſſarijs pro mo-
dulo inſtruxerunt. Quem & eodem anno reuerendus P. F. Ioannes à Toloſa, huius
tunc Prouinciæ Vicarius prouincialis, in cæterorum Prouinciæ locorum admiſit con-
ſortium, eorumq; aſcripſit albo; vt verò quòd publicæ vtilitati præſtare decreuerant,
ſtabilius permaneret, pręfati fundatores, Innocentio VIII. ſummo Pontifici, qui tunc
vniuerſæ Eccleſiæ orthodoxæ præerat, humiliter ſupplicarunt, vt id quoq; ſuo calculo
approbare dignaretur. Qui tandem paterna vſus clemētia, ac pietate, eodē anno 1488.
apoſtolicum expediuit breue, quo præfatorum xenodochij, eccleſiæ atq; conuētus con-
ſtructionem approbat, concedit, atq; commendat: Inſuper & pauperibus eodem in
hoſpitali è vita egredientibus plenariam omnium exceſſuum perpetratorum indulgen-
tiam impertitur. Ipſa verò Catharina Lopetia, ex communi pacto, atq; condicto, ad- B
iunctis ſibi honeſtis aliquot iuuenculis, vnà cum illis & habitum, & tertium diui pa-
tris Franciſci Ordinem, in poſterum ſibi ſeruandum ſuſcepit, monaſteriumq; ingreſſa,
in eo ſanctę vixit, ſanctiſſimeq; vitā finiuit. Cui nec in minimo abſimilis fuit vir eius Io-
annes Martinez, qui ſumpto quoq; pręfati tertij Ordinis habitu, eiusq; Regulā ſeruare
pollicitus, quod ſibi reliquū vitę fuit in paupertate & pęnitētia, Chriſti amore, tranſegit.

De monaſt. ſanctiſſimæ Conceptionis oppidi Daimiel. Mon. XVIII.

NVLLA penitus ſcriptura, quæ de huius loci certo fundationis tempore, deq;
conceſſa huiuſmodi erigendi ædificij auctoritate nos certiores redderet, inueniri
potuit: eaq; de cauſa, ad humanam traditionem, tamquam ad ſacram ancoram con-
fugere coacti ſumus. Ea enim eſt oppidi Daimiel vulgò nuncupati incolarum indubi- C
tata traditio, hunc videlicet conuentum, iuxta eccleſiam S. Conceptionis glorioſæ Vir-
ginis, quæ ad ipſum oppidum ſpectat, ædificatum, quem & 24. ſorores de tertio B. P.
Franciſci Ordine inhabitant, à quodam militiæ Calatrauenſis equite, atq; huius op-
pidi Commendatario, nomine Alphonſo Caluillio ab antiquo conſtructum fuiſſe. Qui
cùm eſſet vir deuotus, ac Roderico Lopetio Calatrauenſis Militiæ olim Magiſtro, qui
ante 100. annos è viuis exceſſit, familiariſſimus, hunc locum proprijs ſumptibus con-
ſtructum, præfatæ eccleſiæ medio tranſitu, quo eius inquilinæ ſorores ſecretò ad eam
ſacris interfuturæ, ſe conferrent, facillimè iunxit. Cùm autem quidam eiuſdem Mili-
tiæ eques, ac oppidi Almagri Gubernator, malitia potius, quàm bono zelo ductus, poſt
aliquot annos facultatem, qua fratæ huiuſmodi tranſitu gauderent, importunius à
ſororibus peteret, nec eam illæ oſtendere poſſent, ipſum ex tempore demoliri iuſſit. D
Quapropter paupercul ū quoddam, ac modicum cubiculum in oratorium ad tempus
promouentes ibidem diuinum perſoluêre officium. Quod tandem religioſa ſoror Ca-
tharina Euangeliſta ex eodem oppido oriunda, præfati fundatoris conſanguinea, ex
domeſticorum, atq; conſanguineorum liberalitate, anno Domini 1573. in ſatis am-
plā, ſatisq; pulchrā eccleſiā, duplici choro, ſuperiori ſcilicet, atq; inferiori inſignitā, ſub
eodē ſanctiſſimæ Conceptionis titulo redegit. Erat eo tēporis præfata ſoror Catharina
Euangeliſta huius loci Abbatiſſa, optimeq; apud omnes, ob eius cōpoſitos mores, viteq;
ſanctitatē, audiebat, quod etiam fuit in cauſa, vt opus ipſum feliciter aggrederetur, feli-
cius promoueret, ac tandem feliciſſimè ad finem vſq; intra paucos menſes perduceret.

De monaſterio S. Annæ Toleti. Mon. XIX. E

QVAM verum ſit illud triuiale, quod paſſim vulgò fertur, *concordia videlicet res
paruas creſcere &c.* vel hunc ſaltem colligi poteſt: quòd cùm Toleti, circa annum
à Virgineo partu 1510. honeſtæ quædam fœminæ 3. aut 4. numero ad ſummum, qua-
rum altera ex Occaniæ oriunda Maria Gonzalua nuncupabatur, ſub habitu Franciſca-
narum ſororum Tertiariarum, honeſtè ſatis, atq; in maxima pace, animorumq; con-
ſenſu victitarent: collatumq; ſibi eſſet cubiculum quoddam in domo Ducis de Mache-
da, atq; ſe illis perſimiles duæ mulieres, anno Domini 1513. coniunxiſſent, omnesq;
ſimul religioſiſſimè viuerent: ac tandem venerabilis patris fratris Ioannis de Mar-
quina, qui tunc Toletanæ præerat Cuſtodiæ ſuaſu communem cæterarum eiuſ-
dem

A dem Inſtituti ſororum viuendi modum aggreſſæ fuiſſent: emptam prius ab honeſta
quadam fœmina,cui Diues nomen erat,tum ex aduentantium dotibus,tum ex ijs, quæ
propria induſtria, arte, atque labore acquiſierant (nam quicquid habere poterant, in
medium libentiſſimè conferebant) domum muris Toletanæ ciuitatis circumſcriptam,
anno Dominicæ incarnationis 1521.illam eccleſia, alijsq; neceſſarijs officinis ſibi coæ-
dificatis,intra breuiſſimi temporis ſpatium,in iuſti conuentus formam,ſub titulo S.An-
næ,redegerunt,atque R.P.F.Andreę Ecigiano,huius Prouincię tunc Miniſtro, ſubege-
runt.Qui eam ex apoſtolica Iulij II.Leonisq; X.ſummorum Pontificum auctoritate,ac-
cepto ferens cæterorum conuentuum albo aſcripſit. Quot verò,& quales progreſſus,tũ
in bona fama,tum in ſororum numero,tum quoque in optimo viuendi genere ſacra hæc
domus fecerit,non facilè explicari poteſt:quapropter hæc tantùm dixerim,quòd pau-
B cis eiuſdem Ordinis domibus huius Prouinciæ ſaltem cedat,& 50.ſorores,Tertianæ cõ-
modiſſimè contineat:plures etiam temporis ſucceſſu Deo opt. max.auſpice cõtentura.

De monaſterio S. Antonij Paduani Toleti. Mon. XX.

VALE dictura huius mundi illecebris, eiusq; inanibus pompis deuota piaq; fœ-
mina Maria Gonzalua à Fonte quibuſdam ſibi amiciſſimis mulieribus, eodemq;
ingenio,quo & illa,præditis ſuggeſſit,vt vulgari,curioſoq; habitu relicto,vnà ſecum,&
honeſto quodam indumenti genere,& frugali menſa vti vellent. Tum demum pulla ve-
ſte induta in honeſtam quandam domum,ſimul cum illis ſe recipiens, ad tempus ibidẽ
quam honeſtiſſimè eiſdem commorata eſt. Sed omnibus illis arctiorem,perfectioremq;
viuendi modum ſimul anhelantibus ſuaſit R.P.F.Franciſcus Angelorum, qui tunc hu-
C ius Prouinciæ Vicarium agebat prouincialem, ac poſtmodum in totius Minoritici In-
ſtituti Miniſtrum generalem euectus fuit,vt ad habitum,atque tertium diui patris Fran-
ciſci Ordinem tranſirent: quod & illæ fecerunt, ac per integrum decennium eodem in
loco commoratæ ſunt. Quo tamen elapſo, præfata Maria Gonzalua à Fonte ad em-
ptam, ex facta ſibi à R. P. F. Franciſco Ximenio Toletano Archiepiſcopo poteſtate do-
mum,quæ præfatæ ciuitatis Toletanæ vallo circumſcribitur, & ad quendam Ferdinan-
dum ab Aualos attinebat,parochiæq; S.Thomæ vicina eſt, anno Domini 1514. vnà cũ
ſibi adhærentibus ſororibus ſe tranſtulit. Quam denique in iuſtum monaſterium,ſub in-
uocatione S.Antonij Paduani,ſubminiſtrante ſibi interim, quæ neceſſaria fuerant illu-
ſtri domina Catharina de Fonte eius matertera,promouit. Commorantur ibidem quin-
quaginta Tertiariæ ſorores ſub arctiſſima clauſura: quarum cura huius Prouinciæ Mi-
D niſtris prouincialibus,ab eodẽ anno milleſimo quingẽteſimo decimoquarto incumbit.

De monaſterio Dominæ noſtræ de Bethlehẽ Centũfontibus. Mon. XXI.

QVO amore, qua charitate, qua denique beneuolentia illuſtriſſ. heros Ferdinan-
dus à Sylua Centifontanus Comes illuſtriſſimam Comitiſſam,ſibi connubio iun-
ctam,proſequutus fuerit,hinc coniectare licet: quòd ea è viuis exceſſa,licèt adhuc iuue-
nis,ad ſecundas nuptias tranſire noluerit:& cupientibus illius virginibus, atque pediſ-
ſequis Religionem ingredi, monaſterium, in quo Deo iuxta votum inſeruire poſſent
proprijs ſumptibus,in defunctæ vxoris gratiam conſtruendum cenſuit. Extabat eo tem-
poris,intra oppidi Centifontani mœnia, ædicula beatiſſimæ Dominæ noſtræ de Fonte
ſacra, in qua eiuſdem ſanctiſſimæ Virginis plurimis miraculis coruſcabat: hanc itaque
E præfatus Comes,ex Clementis VII.Pont.max.auctoritate,anno incarnationis Domini-
cæ 1525.in iuſtũ monaſteriũ,ſub inuocatione ſanctiſſimæ Dominæ noſtræ de Bethlehẽ,
quod 28.ſorores de Tertianæ inhabitant,pientiſſimè promouit:operamq; dedit,vt alta-
re,in quo prædicta Virginis imago primitus conſiſtebat,primum locum inter cętera à ſe
conſtructa obtineret. Cùmq; allatas ex conuentu S.Ioannis de pęnitentia Toletano re-
ligioſiſſimas duas ſorores,vt futuris monialibus præeſſent, easq; monaſticis ritibus re-
gulariq; diſciplina imbuerent,proprio caſtro quam humaniſſimè excepiſſet, atque per
13.continuos menſes omni beneficiorum genere, ſummaq; beneuolentia proſequutus
eſſet, eas eodem anno 1527. ſimul cum cęteris defunctæ Comitiſſæ domicellis, ac alijs
quibuſdam virginibus,iam habitu Tertiariarum ſororum indutis, cum ſolemni pom-
pa,atque

pa atque proceſſione , ad iam paratum,omnibusq; tum ad cultum diuinum, tum ad rē A
domeſticam neceſſarijs abundantiſſimè inſtructum,locum deduxit. Extruxit quoque illuſtriſſimus idem Comes ad preces illuſtriſſimæ pariter ac religioſiſſimæ eius ſororis Eliſabethæ à Sylua,quæ etiam Tertiaria fuit,licèt ſe domi contineret paternæ,pauperū virginum collegium, huic conuentui contiguum,ſed ab eo omnino diſtinctum, quamuis adeò artificioſè diſpoſitum,vt eadem eccleſia vtrique loco commodiſſimè inſeruiat. Recipit huiuſmodi collegiū in ſingulos annos ex annexis ſibi quibuſdam à Paulo III. ſummo Pontifice beneficijs mille coronatos aureos.Cui etiam quicquid redditaum, atque bonorum præfata domina Eliſabetha poſſidebat, ex teſtamento reliquit: & plura alia bona à nobiliſſimis quibuſdam fœminis ſibi vel amicitia, vel ſanguine coniunctis acquiſiuit.Poſtquam certus virginum numerus per aliquot annos honeſtè ſatis vitæ neceſſaria eo in collegio receperit,ex eiuſdem redditibus vel honeſtis viris collocatur , vel B
ad habitum hoc in conuentu recipitur.Curam pręfati collegij gerunt tres probatiſſimę ſorores:quæ eius habitatrices in omni pietate, morum grauitate, atque religioſa conuerſatione inſtruunt. Impetrauit præterea pientiſſimus idem Comes ab eodem ſummo Pontifice Paulo III.dum apud eum in Romana curia pro inuictiſſimo Carolo V.Imperatore,ac Hiſpaniarum Rege nobiliſſima fungeretur legatione,pleniſſimum,atque perpetuum iubileum pro ijs omnibus, qui à primis veſperis cuiuſlibet diei feſti glorioſiſſimæ,ſemperq; virginis Mariæ,ad occaſum vſque ſolis ſequentis diei, hanc Bethlehemiticam eccleſiam viſitauerint, inibiq; ſemel Angelicam ſalutationem, atque orationem Dominicam perſoluerint:Inſuper & obtinuit,vt per totam octauam Purificationis eiuſdem Dei genitricis Mariæ vna anima, ad cuiuſuis Miſſæ in ſummo eius altari celebrationem,ex Purgatorij pœnis liberetur: quapropter complures tunc ibi celebrantur. C

De monaſterio S. Martini oppidi Valliſeccleſiarum. *Mon. XXII.*

CVM deuotus quidam ſacerdos,nomine Franciſcus Ruizius, oppidiq; S. Martini de Valleeccleſiarum oriundus, bonis vtcunq; abundaret, velletq; ex eis ſibi amicos facere,qui ſe in æterna tabernacula reciperent,Tertiarijs ſororibus proprijs ſumptibus monaſteriū conſtruendum meditari cępit.Quapropter conductis operarijs,neceſſarijsq; in medium adductis,hunc conuentū,immaculatę virginis Conceptioni ſacrū,quē 20.ſorores Tertiariæ incolunt,intra præfati oppidi S. Martini męnia,anno à partu Virgineo 1530.auſpicatus eſt.Cùmq; opus anno 1543.aliquantulum promouiſſet, R.P.F. Antonium à Cruce,tunc huius Prouinciæ miniſtrum Illeſcis conueniens,illi locum à ſe vtcunque ædificatum,omnino tamen perficiendum, inſuper & pro modulo dotandum D
obtulit, ac tādem conſtitutis quibuſdam legibus,à ſororibus perpetuò obſeruandis,tradidit. Deſiderabatur nihilominus ad operis perfectionem apoſtolica auctoritas, quapropter Paulo III.Pont.max.ſupplicatum eſt, vt huiuſmodi ædificationem, atque conuentus erectionem, ratam habere dignaretur. Qui denique,ob ſingularem qua Franciſcanum Ordinem proſequebatur beneuolentiam,expedita bulla,ſub datum Romæ anno Domini 1545.ſupplicanti humaniſſimè annuit. Eo itaque anno quædam moniales aliunde allatæ,quæ per continuos octo menſes in fundatoris domo commoratæ fuerāt, aliquibus ſibi adiunctis virginibus,habitu monaſtico induendis, quę nouo ædificio initium darent,hunc locum,nondum omnibus ſuis numeris abſolutū,ingreſſæ ſunt. Aedificarat prædictus ſacerdos pro ſuæ ſubſtantiæ modulo anguſtiſſimam eccleſiam, ac ſibi conſimilem chorum:inſuper & ſorores pro redditaum ſibi relictorum tenuitate intolerabilibus conſtitutionibus grauarat: quamobrem ſi rebus ſuis conſultum cuperent,locum deſerere cogebantur: ſin minus plurima incommoda ſibi ſuſtinenda fuerant. Dum igitur tamquam in biuio conſtitutæ, de ſaniori conſilio cogitant, deuotus quidam Antonius Mudarra,Palentinæ matricis eccleſiæ Decanus,nouam eccleſiam multò auguſtiorem, multoq; elegantiorem, nouumq; chorum, ex mera tantùm in Deum pietate,illis conſtruit,necnon & 200.tritici menſuras,& 200.aureos coronatos in ſingulos annos ex teſtamento relinquit.Cùmq; pijſſimus hic vir ſorores tot beneficijs cumulauerit, nihil aliud ab eis exegit, niſi vt ius ſibi patronatus eccleſię à ſe constructæ concedentes, ſe in maiori eius ſacello ſepeliri paterentur.Quod & illæ libentiſſimè præſtiterunt, atque an-

tiquiori

A tiquiori ædicula derelicta,quòd illis vſui minimè eſſet, hac moderniori, ab eo temporis,commodiſſimè vtuntur.Ne verò ingratitudinis argui poſſent,præfati Frãciſci Ruizij corpus,ex veteri ſepultura exhumatum,in huius recentioris eccleſiæ præcipuum ſacellum inferri,atque ad præfati Decani dexterã,honeſtiſſimè tumulari curarunt. Vtebãtur antiquitus huius monaſterij ſorores,ex primitiua earum inſtitutione,ſimplici habitu Franciſcano abſque velo nigro: illud tamen,perſuaſæ à R.P.F. Franciſco Zamorẽſi totius Ordinis Minorũ generali Miniſtro, anno Domini 1560. de eius manibus ſumpſerunt.Gaudet ſacra hæc domus ſequentibus ſacroſanctis reliquijs, ſibi à patre atque eximio Doctore Didaco ab Auellaneda Societatis Ieſu alumno, prout teſtimoniales ac patentes ſereniſſimæ Imperatricis Mariæ de Auſtria literæ teſtantur,dono datis: Nempe ampulla quadam,virgineo ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ lacte referta, & quodã B capite vnius ex illis 11.millibus virginum,quæ pro Chriſti amore ſanguinem fuderunt.

De monaſterio Annunciationis oppidi Grinionij. *Mon. XXIII.*

VT primùm exequendi pijſſimi deſiderij,multò iam antè concepti, poteſtas ab illuſtriſſ. Alphonſo à Fonſeca Toletano Archiepiſcopo, cui id ex munere incumbebat,facta eſt, nihil penitus prætermiſſum eſt in eo exequendo,quod poſitum eſſet,aut in pecuniarum erogatione,aut in neceſſariorum conquiſitione à pijſſimo ſimul ac prę̃ſtãtiſſimo Roderico de Biuar,Doctore in vtroque iure.Quinimò omni adhibita diligentia, propriam domum,quam Grinionij,quod Toletanæ diœceſis oppidum eſt, optimo iure poſſidebat,ad perfectiſſimi conuẽtus formam,intra biennium,nempe ab anno incarnationis Dominicæ 1523. vſque ad annum 1525. redigi, omnibusq; neceſſarijs inſtrui C curauit:ac pręterea omnibus ſuis bonis,tam mobilibus, quàm immobilibus dotatam R. P. F. Didaco Ciſnerio, tunc huius Prouinciæ Miniſtro liberaliſſimè tradidit. Adduci quoque curauit 10. menſis Maij, anno Domini 1525. pius ipſe fundator ex monaſterio Dominæ noſtræ de Planitie Almagrenſi,cuius ſuperius mentio facta eſt,duas religioſiſſimas moniales,quarum altera Franciſca à S. Anna ibidem,atque in conuentu S. Ioannis de Pœnitentia Toletano,Abbatiſſæ munus laudabiliter exercuerat, vt huic à ſe conſtructæ domui,in honorem ſanctiſſimæ Annunciationis beatæ ſemperq; virginis Marię exordium darent, atque aduentantes ad ſe virgines bonis moribus, regularibusq; ritibus,& cęremonijs imbuerent.Egit quoque primam huius loci Abbatiſſam pręfata ſoror Franciſca à S. Anna, quæ ſequuta in omnibus fundatoris voluntatem & ſtatuta (fecerat quidem ille quaſdam conſtitutiones à ſororibus,quoad nouitiarum receptionẽ, ob-D ſeruandas,ſibiq; ea de cauſa,ius loci patronatus ſeruauerat) aliquot virgines ad habitũ, atque communem profeſſionẽ admiſit.Commorantur deniq; hoc in loco,ſub habitu,& tertio B.P.Franciſci Ordine 33.ſacrę virgines:quarũ vita,& fama adeò bene apud eccleſiaſticos,ſęcularesq; à ſui exordio ad præſens vſq; tẽpus audiuit, vt vix explicari queat.

De monaſterio S. Spiritus Fonſalidæ. *Mon. XXIIII.*

VLTIMVM, idq; iure optimo, obtinet locum conuentus hic,ſanctiſſimo Spiritui ſacer, atque intra muros oppidi Fonſalidæ ſitus, quem 20. ſorores Tertiariæ incolunt:Nam & nouiſſimè conſtructus eſt,& ab alijs omnibus eiuſdem Inſtituti,& ſororum numero,& ædificiorum mole & elegantia,& redditũum quantitate longè ſuperatur.Nec mirum ſanè,cùm à deuoto quodam ſęculari ſacerdote, ex oppido Fonſalidæ E oriundo,nomine Ferdinando Alphonſo,diuitijs non adeò abundante,pro eius ſubſtantię exigentia ædificatus fuerit. Quem tamen patres ac fratres Alphonſus Manriquius, ac Ludouicus Complutenſis huiuſce Prouinciæ alumni,nomine,& vice R.P.F.Antonij de Cruce,Prouinciæ tũc Miniſtri,25.Octobris, anno à ſanctiſſima Chriſti natiuitate 1533. acceptarunt,cęterorumq; Prouinciæ monaſteriorũ albo aſcripſerunt.Adductæ fuerunt nihilominus ad fundatoris inſtantiam tres probatiſſimæ moniales ex conuentu immaculatæ Conceptionis Illeſcarum: Quarum altera, Maria Chriſti nomine, prima huius loci Abbatiſſa fuit,alijsq; omnibus ſummæ humilitatis,religionis,atque pietatis extitit exemplar.Non poſſunt huius ſacræ ędis ſorores,ex ipſius fundatoris lege vti velo nigro, ſicut nec præcedentis conuentus Grinionenſis moniales:cùm & illis,& iſtis vna & eadẽ ſit poſita

ſit poſita ſanctio. Quid verò vtrarumq; fundatores ad id conſtituendum mouerit, me omnino latet. Ex his quæ præcedunt, ſatis conſtat Tertiariarum ſororum monaſteria, quæ huius Prouinciæ Miniſtro ſubſunt, 13. numerum claudere, atque 460. virgines ſacras, ſolemniq; voto aſtrictas continere. Nunc ergo reliquum eſt, vt ad conuentus monialium immaculatæ Conceptionis, qui numero ſunt quatuordecim, ſi Prouinciæ huius colophonem addere velimus, tranſeamus. Quia verò inter omnes, is, qui Toleti elegãtiſſimè exurgit, principatum obtinet, ab eo nobis exordiendũ auſpicandumq; erit. A

De monaſterio immaculatæ Conceptionis Toleti. Mon. XXV.

AEDIFICARANT eo temporis catholici Hiſpaniæ Reges Ferdinãdus eiusq; legitima coniunx Eliſabetha, intra Toletanæ ciuitatis mœnia, elegantiſſimũ Minoriticum conuentum, ſub titulo S. Ioannis Regum, eo fine, vt hac vita functi, ibidem ſepelirentur: eumq; patribus Franciſcanis Obſeruantibus tradi curarunt. Cumq; paulò antè, ex apoſtolica auctoritate ad præfatorum Regum inſtantiam facta, patres Franciſcani Conuentuales vel loco cedere, vel regularem Obſeruantiam ſubire cogerentur: atque eorum conuentus, B. P. Franciſco dicatus, in præfatorum patrum Obſeruantum ius conceſſiſſet, ne Toletana ciuitas duplici Minoritarum Obſeruantum conuentu grauaretur, huius Prouinciæ patres, in quodam capitulo apud Ciuitatemregiam, anno Domini 1501. celebrato, ſtatuêre, vt S. Franciſci monaſterio derelicto, atque neophytis ſororibus Conceptioniſtis, iuxta præmemoratæ Reginæ Eliſabethæ votum, tradito, alter, qui diuo Ioanni Regum ſacratus erat, retineretur. Quod tãdem executioni mandatum, atque à ſummo Pont. Iulio II. approbatum fuit. Itaq; præfatæ ſorores, deſerto antiquiori loco, qui tãdem, opera & ſumptibus illuſtr. Petri Gonzalui à Mendoza Toletani Archiepiſcopi, in egregium euaſit xenodochium, ad collatum ſibi à fratribus conuentum, mutato eius antiquo nomine in nouum Conceptionis titulum, ſe tranſtulêre, ibidemq; vſque in præſens ſanctiſſimè perſeuerarunt. Inter omnes igitur huius Inſtituti conuentus, hic qui Toleti ſub titulo S. Conceptionis exurgit, quiq; à 66. ſacris virginibus incolitur, primatum tenet, tum quia primus omnium ædificatus, tum quia ab eo, tamquam ex fœcundiſſima ac nobili radice, conuẽtus Turrigianus, Conchenſis, Maquedanus, Olmedicus, Locronienſis, atque Paternianus, qui omnes iſtius loci ſorores primas ſui fundatrices, atque magiſtras habuerunt, prodière: tum quia in monialium numero reliquis copioſior, tum denique quia fundatricis oſſa, præfatæ videlicet ſororis Beatricis à Sylua eius chori ſiniſtra fideliſſimè cuſtodit: & ſacrarium caput vnius ex 11. millibus virginũ, & quædam ſanctorum Zenonis, & Saturnini oſſa cum maxima religione aſſeruat.

B C D

De monaſterio Conceptionis Turrigij. Mon. XXVI.

SECVNDVM locum obtinet conuentus hic, ſanctiſſimæ quoque Conceptioni ſacratus, quem pia herois Tireſia Henriquez intra oppidi Turrigij ambitum, ſuis ſumptibus, ex Iulij II. Pont. max. facultate, ſibi anno à Chriſti natiuitate 1507. facta, ædificauit, quemq; trigintaquinque moniales, ſub habitu & norma eiuſdem immaculatæ Conceptionis, incolunt. Non fuit tamen hæc prima earum ſedes, ſed ædicula quædam, ſanctæ Catharinæ dicata, in iuſtum nihilominus monaſterium, ex eiuſdem Iulij II. indulto, à præfata fundatrice erecta. Quam denique, quòd aquæ penuria laboraret, ſecundo anno ab eius obtentu relinquentes, ad præſentem locum conuolarunt. Deſerta verò ab eis domus excipiendis pauperibus, ac peregrinis, necnon & curandis infirmis, ab eo temporis, ex eiuſdem fundatricis liberalitate deſeruit. Floruit perpetuò hic conuentus maxima ſanctitate, pœnitentia, atque regulari diſciplina, nobiliſſimoſque nobis edidit fœtus, nempè Madritenſe, Almerianum, Vſacricum, Guadalfagarianum, Populare, Berlangenſe, atque Peñarandicum eiuſdem Inſtituti cœnobia. Quæ omnia ab iſtius loci ſororibus fundata, optimiſque moribus, atque monaſticis ritibus imbuta ſunt. Honeſtatur denique hic locus altera ex ſpinis, quibus ſacrum ſeruatoris Chriſti caput punctum fuit, & quibuſdam alijs ſanctorum reliquijs, ſibi ab illuſtriſſimo Almazanico Marchione dono datis: nam is pientiſſimus heros præfatis ſanctimonialibus, ob earũ ſanctitatẽ, addictiſſimus atq; deuotiſſimus erat. E

A *De monaſterio Conceptionis Maquedæ.* *Mon. XXVII.*

EANDEM prorſus ſui fundatricem, eamdemq́; parentem habet hic conuentus,
immaculatę Conceptioni ſanctiſſimæ matris Dei ſacer, qui ambitu oppidi Maque-
dæ Toletanæ diœceſis circumſcribitur, quiq́; à 35. ſororibus eiuſdem Inſtituti inhabita-
tur, quas & præcedens conuentus habuit. Nam & à præfata Tireſia Henriquez, eiuſdē
oppidi temporali Domina, ex ſummi Pontificis Iulij II. auctoritate, ſibi anno Dominicę
incarnationis 1507. conceſſa, eodem in loco in quo prius ſancti Petri parochia conſtite-
rat, ædificatus, & à monialibus ſacræ Conceptioniſtæ ædis Toletanæ fundatus extitit.
In cuius quidē archiuis bulla illa ſummi Pontificis Iulij II. cuius ſuperius, dum de mo-
naſterio Conceptiouis Toletano ageremus, pertranſeundo meminimus, aſſeruatur: qua
B videlicet ipſe Pontifex huius Inſtituti moniales Ciſtercienſium, atque Clariſſarum, imò
& à quocunque alio Ordine eximens, eas præſcriptis ſibi quibuſdam ad modum Regu-
læ ſtatutis, fratrum Minorum Obſeruantum curæ commiſit. Cuius quoque ſubmiſſio-
nis rationem ibidem reddit Pontifex ipſe inquiens: *Congruum omnino, atque rationi con-
ſonum eſſe, vt fratres, qui, ob immaculatam Deiparæ virginis Conceptionem tuendam atque de-
fendendam, tot labores, atque difficultates perpeſsi eſſent, illius ſanctiſsimi nominis, & profeſsio-
nis ſororum curam gererent.* Continet etiam præfata eadem bulla plures gratias, fauores,
atque priuilegia, quibus ipſe ſummus Pontifex ſacrum hoc Inſtitutum, tunc primò na-
ſcens, ac mirum in mod pullulās ſumma beneuolentia ac paterna pietate proſequitur.

De monaſterio Conceptionis Scalonæ. *Mon. XXVIII.*

C QVVM virgines quædam, ſoli Deo viuere cupientes ſpretis nuptijs, ſe domi, ſub
cuiuſdam antiquioris, atque honeſtiſſimæ matronæ diſciplina, & cuſtodia, conti-
nerent, inibiq́; communem atque laudabilem vitam ducerent, pientiſſimus Didacus Pa
chieco Villenicus Marchio earū bona fama, morigeraq́; vita ſummè allectatus, eis per
patrem tunc Minoritici conuentus eius loci Guardianum ſuaſit, vt ea ſęculari domo re-
licta, ad monaſterium, ſibi eius ſumptibus parandum, transferrent: promiſitq́; daturum
ſe quidem operam, vt duæ eius legitimæ filiæ, ſimul cum dotibus ſibi ex vtroque parente
obuenientibus, eandem conuentum ingrederentur, prout & fecit. Vt igitur primùm ea-
rum virginum conſenſus acceſſit, prędatus Marchio hoc ſacrum cœnobium in honorem
Anunciationis B. Mariæ, intra mœnia oppidi Scalonæ elegantiſſimè, necnon magnifi-
centiſſimè conſtruendum, circa annum à 1527. ſumma diligentia curauit. Quo deniq́;
D abſoluto, præfatæ virgines ſumpto Conceptioniſtico habitu, atque aſcitis ſecum amba-
bus præfati fundatoris filiabus, eò ſe, ſub S. Conceptionis Regula in poſterum victuræ,
contulerunt. Promouêre nihilominus ipſum, mirumq́; in modum ſumptuoſo ædificio,
ex obueniente ſibi hæreditaria portione, exornarunt, inſuper & honeſtis redditibus lo-
cupletarunt prędatæ eiuſdem fundatoris filiæ: ſoror ſcilicet Franciſca, atque ſoror Ioan-
na Pachieco. Quibus accedens pia heroina Antonia Pachieco, alterius Didaci Pachieco,
Villenici quoque Marchionis filia, ſummum ſacellum, atque elegantiſſimum mauſo-
lęum ex pinguiſſima eius dote in eo erigi, ibidemq́; corpus eius vterini fratris Franciſci
Pachieco Villenici Marchionis inferri curauit. Locus hic, qui ferè ſemper ab aliquibus
ſororibus de nobiliſſima Pachiecorum ſtirpe inhabitatur, nullum alium ſui progenito-
rem à patre illo Franciſcani conuentus Guardiano, agnouit: qui primas illas virgines,
E quarum altera, ſoror videlicet Franciſca Guaſcina, ob vitæ aſperitatem, atque angeli-
cam conuerſationem, non abſque ſanctitatis opinione, mortem obijt, in omni religioſo
ritu, monaſticaq́; diſciplina, ac diuino officio apprimè inſtruxit. Commorantur deni-
que in hac ſacra æde triginta ſeptem ſorores, maximaq́; deuotione in alteram ex ſpinis
ſacroſanctæ Chriſti coronæ feruntur: quam ab illuſtriſſimo fundatore dono acceperunt.

De monaſterio Conceptionis Madriti. *Mon. XXIX.*

CVM deuoti Chriſti fideles Archidiaconus quidam Methymnę cœli, atque Maria Mexia ex oppido Madriti oriūda, aliquot bona ex teſtamēto ea lege, ſeparatim tamē, reliquiſſent, vt ex eis monaſterium, ſanctiſſimę Conceptioni virgini Mariæ ſacrum, conſtrue-

conſtrueretur, nec ea diuiſim ſumpta, defunctorũ votis ſatisfacere valerent R.P.F.Franciſcus Ximenius, qui tunc Toletanæ eccleſiæ, cui Madritum in ſpiritualibus ſubeſt, diligentiſsimè præerat, edito dipplomate cauit, vt ex præfatis bonis in vnum coaceruatis, eccleſia S. Petri in monaſterium, ſub Conceptionis virginis titulo, iuxta teſtatorum mentem, promoueretur. Quod eſt factum fuit. Acceſsit huiuſmodi dipplomati confirmatio Iulij II. ſummi Pontif. in forma breuius facta, ſub datum Romæ anno Domini 1512. Extructo igitur præfato monaſterio adductæ ſunt ex conuentu eiuſdem Inſtituti Toletano duæ ſacræ virgines, quæ aduentantibus ſororibus præeſſent, atq; quid ſibi facto opus eſſet religioſè oſtenderent. Cùm verò is locus ſororum neceſſitatibus minus ſatis faceret, oblatusq; eſſet illis alter multò auguſtior, multoq; elegantior à deuotiſſima Beatrice Galindo Ferdinandi Ramirez, qui catholicis Hiſpaniæ Regibus Ferdinando, eiusq; coniugi Eliſabethæ à ſecretis fuit, legitima vxor, illæ impetrata prius tũ à præfato R.P.F.Franciſco Ximenio, tum quoque à Iulio II.Pont.max.facultate, eo derelicto ad nouum ſibi oblatum ſe tranſtulerunt. Capit commodiſſimè is locus 43. moniales eius accolas: eidemq; S.Conceptioni B. Virginis ſacratus euaſit: atque intra oppidi Madriti muros ſedem obtinet. Cuius tamen ius patronatus, præfata fundatrix ſibi, ſuisq; poſteris ſeruauit. Decoratur deniq; ſacra hæc domus ſacris tribus capitibus totidẽ virginũ ex ſodalitio S. Vrſulæ: quæ ſibi pientiſſima Germanorũ Imperatrix Maria ab Auſtria, catholici Hiſpaniarũ Regis Philippi II. vterina ſoror, liberaliſſimo dono dedit.

A B

De monaſterio Conceptionis Talabricæ. Mon. XXX.

PROVT ex antiquiſſimis ſcripturis accepimus, ſacra hęc domus, immaculatę virginis Conceptioni dicata, quæ Talabricæ conſurgit, quæq; 58. moniales eiuſdẽ Ordinis continet, à 200. annis, & vltrà, ſi primæuã eius originem ſpectes, exordium ſumpſit: non quidem ſub eodem habitu, atq; eodem in loco, ſed ſub diuerſis. Primitus enim Tertiarijs S. Franciſci ſororibus, ac prope S. Michaëlis parochiam, inſeruiuit, deinde verò inde ad locum, quem modò obtinet, tranſlata, Conceptioniſtis obſequuta eſt. Cùm enim aliquot Tertiariæ ſorores Franciſcanæ domum quandam ſatis auguſtam, ac altiſſimæ cuiuſdam contiguæ turris proſpectibus patentem, prope præfatam S. Michaëlis parochiam poſſiderent, perſuaſionibus cuiuſdam ſororis Mariæ à Canillo, eiuſdem Ordinis, ſed conuentus S. Mariæ de Planitie, cuius ſupra mentionem fecimus, quæ fortè fortuna Talabricam appulerat, annuentes, antiquioribus inſtituto & habitu relictis, in S. Conceptionis Regulam verba fecerunt: ſeq; ad conuentum eius opera, ſed perdeuotæ nobilisq; matronæ Mariæ ab Aiala ſumptibus conſtructum tranſtulerunt. Quibus ipſæ, tum etiam in ipſa tranſlatione, tum catholici Hiſpaniæ Reges Ferdinandus, eiusq; vzor Eliſabetha, qui tunc fortè Talabricæ aderant, tunc quoque vniuerſa curia, ac reliquus populus Talabricanus 16. Octobris anno à Virgineo partu 1515. proceſſionaliter congreſſi ſunt, ac poſt elapſum annum cum dimidio Tertiariarum habitum, atque Regulam, cum Conceptioniſtarum norma, & amictu commutarunt. Nam ad id vſq; tempus antiquam Regulam, antiquumq; habitum retinuerant. Inter cęteras huius loci ſcripturas eſt breue quoddam Benedicti XIII. quo Tertiarijs monialibus Franciſcanis indulget, vt in mortis articulo, ab omni culpa commiſſa, atque à pœna ſibi correſpondente abſolui poſſint, dummodo ſingulis ſextis ferijs, per integrum annum, ieiunauerint: ſi verò ex voto, vel ex eccleſiæ præcepto, aliqua earum die ad ieiunium teneantur, vult, vt per alterius diei abſtinentiam, quod ex legitimo impedimento præſtare non potuerant, diligenter ſuppleant. Aſſeruantur denique in huius ædis ſacrario parua crux, ex illius ſanctiſſimæ crucis ligno, in qua Chriſtus Dominus pro mundi ſalute pependit, fabrefacta, & ſacrum quoddam caput vnius ex vndecim millibus virginum, quę pro Chriſto paſſę ſunt.

C D E

De mon. Concep. apud oppidũ de la Puebla de Montalban. Mon. XXXI.

QVVM illuſtriſſ. Ioannes Pachiecus, oppidi de la Puebla de Montalban Hiſpanicè nuncupati, quod ad 15. lapidem à regia ciuitate Toleto diſtat, eiusque iuriſdictioni ſubeſt, temporalis Dominus, orationi feruentius ſemel inſtaret, nec vllam adhuc ex eius legitima, atque nobiliſſima coniuge Eleonora Chiaconia prolem ſuſcepiſſet,

quandam

A quandam eius filiam religioſo habitu indutam,tãquam per reuelationem vidit:ex qua
viſione aliquod monialium monaſterium à ſe ædificandum fore exiſtimauit. Quapro-
pter hunc conuentum,quẽ 32.ſacræ virgines,ſub habitu & Regula virginis Conceptio-
nis occupant,in pręfati oppidi de la Puebla accliuiori parte,ex ſummi Pontificis Leonis
X.auctoritate,ſibi anno Domini 1522.facta,circa idem tempus ædificari curauit. Quem
nihilominus non ipſe,ſed eius pater Alphonſus Tellez huius Prouinciæ patribus obtu-
lit.Quod tamen non abs re dixerim: nam pontificium conceſſionis dipploma præfatũ
Ioannem Pachieco huius loci authorem fuiſſe aſſerit: & conuentio cum Prouinciæ pa-
tribus de ipſo acceptando facta prædictum Alphonſum Tellez eiuſdem fundatorem ex
quodam tabellionis (ni fallor) errore conſtituit. Dum verò opus felicius promouere-
tur, præmemorata Ioannis Pachieco vxor concepit,peperitq; filam, nomine Ludouicã
B Fagiardo,quæ iuxta paternam viſionẽ,huius ſacræ ædis religioſa fuit. Nec ſilentio præ-
teribo,id quod circa huius domus fundationem acciderit. Erat eo temporis in conuẽtu
Conceptionis Turrigiano deuotiſſima,ſimul atq; religioſiſſima quædam monialis,no-
mine Maria Calderon,hanc ſibi concedi,vt monaſterio præeſſet, iusq; ſororibus diceret
eodem ſimul tempore à ſummo Pontifice Leone X.hic noſter Ioannes Pachieco, & pien
tiſſimus Orapeſſanus Comes,qui etiam alium eiuſdem Ordinis conuentũ Orapeſſæ con
ſtruebat,inſtantius petiêre. Quapropter ſummus Pontifex,vt ab ipſis, qui & potentes &
conſanguinei erant, omnis prorſus contendendi anſa procul pelleretur,ſtatuit,vt cuius
tabellarius citius cum mandatis ad Hiſpaniam appelleret, ille eam ſui monaſterij fun-
datricem haberet.Præcurrente igitur nuncio illuſtriſſ.Ioannis Pachieco, præfata ſoror
Maria Calderon, quæ ob eius religioſam vitam cum maxima ſanctitatis opinione diem
C hic clauſit extremum,cum alijs 7. monialibus ex conuentu Turrigiano ad hũc noſtrum
tranſlata extitit.Nec illud etiam tacebo, quòd conuenientibus hoc in loco R.P.F.Aloy-
ſio Puteo totius Ordinis Minorũ generali Miniſtro,ac fratre Franciſco Guſmanio eiuſ-
dem Ordinis,ſed familiæ Vltramontano Commiſſario quoque generali, vt Abbatiſſam
eligerent,cùm humillima quædam ſoror,quæ ſæpius eo munere functa fuerat, ſe iterũ
eligendam fore præſentiret,malletq; ſubeſſe,quàm præeſſe, vnica tantùm ſibi amiciſſi-
ma ſorore conſcia,ſub quodam altare,quouſq; electio fieret,deliteſcere curauit. Cumq;
conſentiẽtibus in eam omnibus ſororibus à R.P.Generali appellaretur,nec compareret,
iniunctum eſt ab eo, vt quæ eius latibulum ſciret, ipſum per obedientiam prodêre tene-
retur:quamobrem compulſa ſecretaria ſoror factum protinus reuelauit. Educta igitur
ex loculo triſtis omnino,ac lacrymoſa, vix compelli potuit,vt iniunctum munus acce-
ptaret.Dignum certè viris religioſis exemplum,quod ab ipſis imitari debeat. Huius lo-
D ci patronatus penes oppidi Comites,qui ex illuſtriſſ. Pachiecorum familia deſcendunt,
eſt: tum quia ab eorum prædeceſſore Ioanne videlicet Pachieco ædificatus, tum etiam
quia ab illuſtriſſimo Petro Pachieco Seguntino Epiſcopo,ac S R.E.Cardinali, eiuſdem
eccleſia apprimè,atque elegantiſſimè extructa eſt.Is enim illuſtriſſimus Antiſtes,anne-
xis ex apoſtolica auctoritate quibuſdam eccleſiaſticis beneficijs, ſacro huic monaſterio
400.tritici menſuras,ac 1400.aureos coronatos in ſingulos annos,poſitis certis,ſed gra-
uiſſimis legibus,vt videlicet 9.moniales,ad Patroni pro tempore exiſtẽtis libitum, abſq;
dotibus ſorores recipiãt,quibus vita functis totidem ſuccedant:vtq; vna ſoror perpetuò
coram venerabili ſacramento orationi inſtet,& alijs his ſimilibus,reliquit.Quibus etiam
ex cauſis à ſummis Pontificibus Paulo III. ac Iulio III. eundem patronatum præfatus
E Antiſtes obtinuit,ac maius ſacellum ſepeliendis,tum ipſius,tum quoque Comitum prę-
fati oppidi de la Puebla, ex quibus ipſe originem ducebat,corporibus perpetuò manci-
pauit:inſuper & corpus præfatæ venerabilis ſororis Marię Calderon,ex choro ad alaba-
ſtrinum,atque pretiorum ſibi eodem in maiori ſacello pręparatum mauſolęum,ob con-
ceptum de ipſius ſanctitate opinionem,trãſferri curauit. Reliquit etiam huic ſacræ do-
mui,quę duobus ex 11.millibus virginum capitibus,atque altero capite vnius ſanctæ ſo
roris Franciſcanæ,necnon plurimis alijs ſanctorum reliquijs exornatur illuſtriſſima Pe
tronilla Pachieco Andradę Marchioniſſa,abſque vllo prorſus grauamine, 800. aureos
coronatos in ſingulos annos. Quiſquis tandem ſacerdos in die commemorationis
omnium fidelium defunctorum, in huius loci eccleſia celebrare voluerit,ex Pauli III.

Pont.max.conceſſione,ad inſtantiam præfati illuſtriſſimi ac reuerendiſſimi Cardinalis Petri Pachieco facta, ſecundò in fidelium defunctorum beneficium ſacrificare poterit. A

De monaſterio Conceptionis Orapeſſæ. Mon. XXXII.

COEPERAT pia heroina Mencia à Toleto,Coriani Comitis legitima filia,intra Orapeſſani oppidi mœnia,hunc conuentum,virginis Conceptioni ſacrum, circa annum Domini 1520.ędificare.Cùmq; expoſitis 5000.coronatis aureis ipſum opus imperfectũ reliquiſſet,pius heros Franciſcus Aluarez à Toleto,Orapeſſanus Comes,quod ſibi deerat,adamuſſim anno Domini 1523. præſtitit. Eaq; de cauſa patronatus ius ſibi ſuisq; poſteris retinuit,ac R.P.F.Andreæ Ecigiano, tũc huius Prouincię Miniſtro,conuentũ liberaliſſimè obtulit. Anno verò 1532. eius legitima filia Maria à Toleto ipſum ingreſſa,quicquid ſupellectilis,ac dotis,quæ quidẽ pinguiſſima erat,à parentibus acceperat,in mediũ ea lege contulit,vt 9.iuuenculæ,quas ſecum adduxerat,gratis reciperẽtur.Quibus nihilominus defunctis totidem,à loci patrono aſſignandæ,eadem lege, ſuccederent.Sui fundatrices agnoſcit hic locus deuotiſſimas ſorores Catharinam à Buſto, Eliſabetham ab Aquila,ac Catharinam Brizenno, quæ ex conuentu Conceptionis Maquedano ad hunc,ex fundatoris voto,conuolarunt. Quamuis huius ſacri muſæi patronatus ad Orapeſſanos Comites ſpectet,ex liberali tamen fundatoris indulgentia, atque conceſſione,quotquot ex eius vterino fratre,illuſtriſſimo videlicet Ludouico à Toleto, deſcendũt,in eius maiori ſacello humantur.Inter quos ſunt ipſemet Ludouicus, & quidam eius ſucceſſor Ferdinandus à Toleto ſęcularis ſacerdos: vir vtique omni virtutum genere ornatus,ac eximius verbi Dei præco:qui etiam, ob maximam, qua fulgebat,humilitatem, cardinalitiam dignitatem,ſibi vltrò à ſanctiſſimo Domino noſtro Gregorio XIII. oblatam,conſtantiſſimè atque humiliter acceptare recuſauit:vt tandem nihil ſibi ad decorem deeſſe videretur,honeſtatur hæc ſacra domus, quam tringinta duę ſorores incolunt,particula eius tituli triumphalis,qui ſanctiſſimæ Cruci ſeruatoris noſtri Chriſti appoſitus fuit,& quodã eſſe diui Bartholomęi Apoſtoli,& quibuſdam crinibus beatę Mariæ Magdalenæ,necnon ſacroſancti Conſtantis martyris capite, & alio capite vnius ex vndecim millibus virginum,cui nomen Sapientia fuit,& quibuſdam oſſibus aliarum virginum eiuſdem ſocietatis, atque plurimis alijs ſanctorum reliquijs, quæ præmemoratus illuſtriſſimus Cardinalis Pachieco pio heroi Didaco à Toleto eius conſanguineo, ac Orapeſſani Comitis vterino fratri Romæ, dum ibi ageret, liberaliſſimo dono dedit. B C

De monaſterio Conceptionis Ciuitatisregiæ. Mon. XXXIII. D

CVM quædam Tertiariæ ſorores Franciſcanæ domum minus capacem, minusq; commodam, imò plurimis difficultatibus expoſitam apud Ciuitatemregiam occuparent,eiusque deſertionem, ſiue potius commutationem, pro alia ſibi commodiori meditarentur,deuotus quidam ciuis nomine Ludouicus à Marmore, regius Tabellio, earum anguſtias ægrè ferens, amplam quandam ædem ſuis ſumptibus emit, eamq;,in monaſterij formam omnino redactam,illis in habitationem contulit.Quę tandem,tanti beneficij grates pro modulo redditura, cùm præfatum Ludouicum à Marmore immaculatæ virginis ſanctiſſimæ Conceptioni deuotiſſimum agnoſcerent, in eius gratiã, antiquioribus habitu & norma relictis, in ſacram monialium Conceptioniſtarum philadelphiam tranſierunt, atque diuendita vetere domo, ad ſibi paratum, atque ſanctiſſimæ Mariæ de Ieſu dicatum monaſterium, anno à ſalutifera Chriſti ſeruatoris noſtri natiuitate 1527. ſe contulêre. Sunt autem præfatæ ſorores numero quadraginta, honeſtamque,ſed ſatis frugalem vitam ducunt,ſub quibuſdam ſtatutis ac conditionibus omnino moderatis, ſibi à loci pientiſſimo atque munificentiſſimo fundatore præſcriptis. E

De monaſterio Conceptionis Guadalfagiaræ. Mon. XXXIIII.

VT aliqua ex parte ſingulari deuotioni, qua in immaculatam ſanctiſſimæ virginis Conceptionem ferebantur,illuſtriſſimi Petrus Gometius à Ciuitateregia,eiuſque dilectiſſima coniunx Catharina Arias facerent ſatis, hunc conuentum in honorem ſancti Acacij, intra ciuitatis Guadalfagiaræ mœnia, ex communibus facultatibus,

anno

A anno Domini 1532.ædificari,atque adductis ex Conceptioniſtico conuentu Turrigiano religioſiſſimis 5.ſororibus, optimis moribus imbui curarunt. Qui quidem conuentus cùm prius à pauciſſimis ſororibus inhabitari cœpiſſet, optimo tamen eius odore latè diffuſo, tot virgines confluxêre, vt plurimæ paſſæ ſint ſepulſam. Inhabitatur nihilominus à 52.monialibus Ordinis eiuſdem Conceptionis:quæ ſequentes ſanctorum reliquias,nempe duo SS.Matthæi, atque Philippi Apoſtolorum oſſa, & caput S. Acacij martyris,aliaq; quædam oſſa SS.Blaſij,Mauritij,& SS.Innocentium,diligentiſſimè cuſtodiunt. Ne verò ſterilitas maledictum ſacrum hoc monaſterium incurriſſe videretur tria eiuſdem Ordinis cœnobia, videlicet Turrislacunæ, Eſcaritiarum, atque Complutenſe nobis ſua fœcunditate peperit,quæ religioſiſſimum nomen aſſecuta ſunt.

De monaſterio Conceptionis Compluti. Mon. XXXV.

B QVIA conuentus hic,B.Vrſulæ ſacer,qui à 24.monialibus Ordinis Conceptionis inhabitatur,murisq; Complutenſis ciuitatis ambitur,omnino neophytus eſt:cùm ab anno tantùm Do.1573.exordium ſumpſerit: nihil aliud nobis memoria dignum miniſtrat, ab eo quod,ſub R.P.F.Chriſtophoro à capite fontium, totius noſtri Ordinis generali Miniſtro,à perdeuoto quodã Gutierro à Zetina,Complutenſis S.Iuſti eccleſię canonico,ędificatus fuerit:ac ſacro quodã vnius ex 11.millib. virginũ capite inſigniatur.

De monaſterio Conceptionis Turrislacunæ. Mon. XXXVI.

HIC locus,puriſſimę virg.Conceptioni ſacer,ac oppidi Turrislacunæ muris circũ-
C cinctus,quem 30.ſorores,ſub habitu & Regula eiuſdem Conceptionis inhabitant, vnus eſt ex illis, quos nobis ſuperior Guadalfagiarenſis conuentus peperit. Cùm enim deuotiſſimi Ferdinandus Bernardus,eiusq; vxor Guiomar à Berzoſa ipſum ex communibus bonis,atque ex facultate ſummi Pontificis Pij IIII. anno Domini 1562. conſtrui curaſſent,quatuor religioſiſſimas ſorores ex præfato Guadalfagiarẽſi monaſterio euocarunt, quæ ſacrandas Deo iuuenculas, optimis moribus, imbuerent, inſtruerentq;.

De monaſterio Conceptionis Paternianæ. Mon. XXXVII.

INTER cœtera memorabilia,quæ pientiſſima Princeps Anna à Zerda, atq; Mendoza ex morte illuſtr.Roderici Gomezuli à Sylua Principis Ebolitani, atque Paternianæ Ducis vidua relicta,præſtitit,illud quidem fuit inſigne opus, huius videlicet domus erectio:quę anno Domini 1576.intra oppidi Paternianæ ambitum,facta eſt.Cui ne
D aliquid ad decorẽ deeſſe videretur, curauit præfata fundatrix,vt ex ſacro S.Conceptionis Toletano conuentu 4. ſorores adducerentur, quæ ſibi feliciſſimum darent initium. Quarũ auſpicijs adeò proſperatus eſt locus hic, vt 24.Cõceptioniſticas moniales imprę-ſentiarum contineat:plures etiam ſuo tẽpore contenturus.Qui tandem virginis Conceptioni ſacratus,quodã vnius,ex 11. millibus virginum capite elegantiſſimè exornatur.

De monaſterio Conceptionis Eſcaritiarum. Mon. XXXVIII.

ESCARITIÆ, ſiue Eſcaritia oppidum eſt Toletanæ diœceſis, olimq; pijſſimo Nicolao Polo paruit.Is cùm propriam domum,quam intra eius ambitum poſſidebat,in conuentum promouere affectaret, vt id ſibi liceret, ab illuſtri domino Gomezulo Gironio Toletani Archiepiſcopatus tunc Gubernatore, penes quem ea erat auctoritas,
E anno à partu Virgineo 1567.impetrauit.Qua denique habita,anno 1567.facultate pulcherrimum hoc monaſterium,ſub titulo S.Conceptionis,conſtruxit: ſufficientibusque redditibus locupletauit:atque omnibus neceſſarijs inſtruxit.Cùmq; præſcriptis,ex conſilio P.F.Antonij à Corduba,huius tunc Prouinciæ Miniſtri,quibuſdam legibus,ab eius accolis in poſterum ſeruandis,ipſum P.F.Ioanni à Lilio Prouinciæ Miniſtro,vt cœterorum conuentũ catalogo annecteretur,anno Domini 1570.ſua ſponte obtuliſſet.3.ſacras virgines ex conuentu Guadalfagiarenſe Conceptioniſtico,ſeruato tamen ſibi,ſuiſq; poſteris patronatus iure,vt locum incolerent,eiuſq; 6.filias virgines,quę eidem Religioni mancipari cupiebant, necnon & reliquas aduentantes iuuenculas optimis moribus,cęteriſque ad eam vitam tranſigendam neceſſarijs imbuerent, ex tempore adduxit.



PROVIN-

PROVINCIA
SAXONIAE S. CRVCIS.

A ANTIQVISSIMA fuit hæc Prouincia, olim octauum inter alias locum
poſſidens, atq; numero 12. Cuſtodiarum & 76. couentuum illuſtris: dum
videlicet Germani vnius, veræ, catholicæ, Romanæq; Eccleſiæ veri eſ-
ſent alumni. Totam enim Germaniam ſub nomime Teutoniæ comple-
ctens, omnes alias Franciſcanas Prouincias & amplitudine, & fratrum
numero longè antecellebat. Viris pręterea pietate, doctrina & vitę ſanctitate plurimũ
cohoneſtabatur, prout, dum floreret, glorioſa illorum ſepulchra paſſim & vbiq; te-
ſtabantur: præcipuè in conuentibus & locis Bremenſi, in quo corpus deuotiſſimi fra-
tris Electi, qui dum caneret illud Euangelij: *Aſcendo ad patrem meum & patrem veſtrum*:
B obdormiuit in Domino: Vermeburcenſi, in quo beatus Ioannes: Hildeſemenſi, vbi pater
Conradus cognomento Sanctus: Miſnenſi, vbi pater Odoricus Saxo: Oſſemenſi, in quo
ſanctus pater Ioannes in vita, & poſt mortem miraculis clarus: Candeburgenſi, vbi ho-
norandus ille pater Simon primus ſacræ Theologiæ hac in Prouincia Lector, & frater
Iacobus Taruiſinus ſecundus eiuſdem Cuſtos: Saxonienſi, in quo frater Iordanis de
Italia: Erdfordienſi, in quo frater Benedictus Marię virgini deuotiſſimus: Kercẽſi, vbi fra-
ter Amadeus de Stongelem miraculis clarus: Lumbergenſi, vbi F. Electus Guardianus, &
frater Electus Procurator: Pruſienſi, in quo ſanctus Conradus martyr, & frater Voiſ-
C laus quoq; martyr: Vurisburienſi, in quo frater Ioannes ſanctitate clariſſimus: Oſſe-
menſi, in quo frater Ioannes miraculis inſignis: Muenſcemienſi, in quo frater Herman-
nus de Gerſtagẽ, beato patri noſtro Franciſco in effigie ſimillimus: Halberſtadenſi, in
quo frater Otho etiam miraculis clarus in Domino quieſcũt Et multi alij diuerſis alijs
in locis iacent dormiunt, atq; ſecundum Dñi Ieſu Chriſti aduentum præſtolantur.
Cùm Angelicus vir, (vt ad iſtius Prouinciæ inſtitutionem redeamus) pauperumq; Pa-
triarcha Frãciſcus, diuino cerneret indicio ſe, ſuoſq; religioſiſſimos ſocios pro aliorum
ſalute vocatos, anno à lætabunda Chriſti natiuitate 1217. Honorio III. Pontifice maxi-
mo Eccleſiam Dei gubernante in Capitulo generali Aſſiſij apud S. Mariam de Portiun-
D cula celebrato, deſignauit Prouincias, earum Miniſtros inſtituit, illoſq; cùm fratribus
ad omnes regiones, vbi fides Chriſti colebatur, deſtinauit. In Teutoniam miſſus fuit
beatus pater Ioannes de Penna cum 60. fratribus, quibus illam Prouinciam aggredien-
tibus, cùm quidam occurriſſent, rogaſſentq; an hoſpitari vellent, illos Germanicè
ja, quod Latinè ſonat jta, reſpondentes perhumaniter exceperũt, & eis cibum & potum
ſubminiſtrarunt: quare cùm Teutonicum idioma ignorarent, pręfatam reſponſionem
cuicunq; interrogationi accomodare ſtatuerunt, arbitrantes ſemper ex illa ſimiles elee-
moſynas reportaturos, & huiuſcemodi beneficijs proſequendos fore. Attamen contra
euenit: nam alijs percontantibus, an hæretici eſſent, & ad auertendam à fide catholica
E Teutoniam illuc acceſſiſſent, cùm ſuum ſtatutum reſponſum in medium proferrent, ab
ipſis non ſolum comprehẽſi, & in vincula coniecti ſunt, ſed etiam ludibria publica, atq;
varia ſupplicia ſubierunt. Quare in Germania ſe nihil proficere conſpicientes, in Ita-
liam remearunt, narrantes confratribus, ea quæ in Germania fuerant perpeſſi. Ex quo
euentu Teutonia tale nomen apud fratres ſibi vendicauit, vt nullus niſi martyrij deſide-
rio flagrãs illuc conferre ſe vellet, & aliqui Deũ precarentur, vt illos à ſæuitia Teutoni-
corum liberare dignaretur, (de quorum numero fuit præfatus frater Iordanis de Italia)
opinantes tantam eſſe eorũ ferocitatem, vt ad illã perferendã vires eis non ſuppeterẽt.
Sicq; tota illa prima miſſio elumbis fuit, & eneruata, nullumq; fructum ex ſe produxit.
Rogat interim dominum meſſis ſacer ſeraphicuſq; Ordo fratrum Minorum, ne deſinat
mittere operarios in meſſem ſuam. Proinde nulla habita ratione tam oſtenſæ ingrati-

tudinis, quòd videlicet Teutonia exploſos habuerit fratres, anno ſubſequenti beatiſ- A
ſimus pater Franciſcus, de illorum ſalute mirificè anxius, in illo celeberrimo Capitulo generali, cui quinq; millia fratrum interfuêre, apud ſanctam Mariam de Portiuncula celebrato, denuò in Germaniam fratres mittere decreuit, & quia ob nimiam debilitatem, qua tunc temporis laborabat, omnia per patrem fratrem Eliam fratribus capitulariter congregatis proponebat, ſedēs in expeditione illius Capituli ad pedes eius per tunicam illum traxit, mentemq; ſuam illi apperuit. Erigens ſe præfatus pater frater Elias, quæ audierat à ſeraphico patre in medium propoſuit, affirmans: Fratrem (ſic enim per antonomaſiam pauperum Patriarcha nuncupabatur) velle peculiaribus fauoribus eos proſequi, qui zelo Dei & animarum ſalute ducti, in Germaniam ſe conferrent. Surrexerunt illico Spiritus ſancti motu 90. patres ac fratres, quorum caput & Miniſter inſtitutus fuit beatus pater Cæſarius, qui, ſumma deuotione atq; pietate tactus, Ordinem B
ſancti Franciſci ingreſſus fuerat: Quem cernens ſeraphicus pater tot donis & virtutibus cumulatum, illi Regulam, quam ipſe prius ſimplicibus verbis conceperat, tradidit verbis euangelicis adornandam: Quod dictus P. Cæſarius doctè ac venuſtè eſt exequutus, ſub anno Domini 1219. Itaq; præfatus pater Cæſarius cum ſuis iter ingreſſus eſt: inter quos patres frater Palmerius, frater Hilarius de monte Gargano oriundus, frater Iordanis de Phano, omnes viri exemplaris vitæ, miræq; eruditionis fuerunt. Quorum deniq; ſtudio & zelo in Teutonia Ordo beati patris Franciſci initia ſumpſit, & altiores radices iecit. Nec cœptis defuit dictus pater Cæſarius, imò ex prouinciali Capitulo Auguſtę Vindelicorū celebrato, patres ac fratres non paucos, omnium virtutum ſtemmate claros, ad Prouincias regiones & fines Teutoniæ miſit. Fratrem quippe Ioannem de Plano, & fratrem Barnabam eximios prædicatores Herbipolim, qui in Moguntiam, Spiram, Argentinam, Coloniam & infinitas alias vrbes penetrantes, pœnitentiam omnibus ſuadebant, plurimoſq; à vitijs atq; erroribus ad virtutes, ſanamq; mentem reuocarunt. Miſſi ſunt præterea ab illo Capitulo Auguſtano à pręfato patre Cæſario frater Iordanis de Phano cum alijs duobus ſocijs Abrahamo & Conſtantino in Saltzburgum, vbi à reuerendiſſimo Epiſcopo illius loci honorificè ſuſcepti fuêre: & frater Ioſeph cum tribus alijs ſocijs Ratisbonam. Ipſe interim beatus pater Cæſarius negotium ſuis aſſiduis precibus Deo omnipotenti commendans mores, & veſtigia antiquorum piorumq; patrum ſequebatur. Cui etiam non fuit ſatis à remotis partibus fratres in Teutoniam ad propagandum Minorum Ordinem adducere: quinimo Hiperbolis cùm ageret, plures alumnos, pluresq; filios eidem Ordini enixus eſt. Inter quos ipſo die, diuo Andreæ Apoſtolo dicato, anno verò Dominicæ natiuitatis 1221. doctum quendam D
iuuenē, cui Andreę nomē ob Apoſtoli reuerētiā impoſuit, ad Ordinē ſuſcepit. Hic ad ſacerdotij faſtigiū, atq; prædicationis munus promotus, Saxoniæ Cuſtos euaſit. Recepit etiam & fratrē laicū deuotiſſimū nomine Rodogerium: qui poſtmodū Guardianatus officium in Halberſtadēſi conuētu glorioſè eſt exequutus. Hic B. Eliſabethā ſereniſſ. Andreę Vngarię Regis filiā, atq; Ludouico Lantgrauio Turingię in coniugē copulatā, caſtitatem, humilitatem & patientiam ſeruare, in oratione vigilare, atq; bonis operibus inſudare docuit. Præterea & alium fratrem laicum, omni virtute præditum, eidem Ordini adiecit. Aucto igitur Minorū numero, iactiſq; in Teutonia firmiſſimis fundamētis, prouinciale Capitulum Vormaciæ per pręfatum patrem Cęſarium celebratum extitit. Cumq; locus præ ſui anguſtia eius celebrationi minimè faueret, media chori cathedralis eccleſiæ Vormacienſis pars fratribus ab eius canonicis, ac reliquo capitulo ex maxima charitate collata fuit. Pater interim Cæſarius maximo beatiſſimi patris Franciſci, cæterorumq; patrum, in valle Spoletana commorantium, videndorum deſiderio æſtuans, poſt celebratum Capitulum, atq; res omnes in Teutonia optimè compoſitas, aſſumpto ſocio patre ſcilicet ac fratre Symone filio illuſtriſſ. Comitiſſæ de Colozano, & patre fratre Thoma de Cælano Vicario inſtituto Aſſiſium, licèt aſſuetis laboribus plurimùm debilitatus, petijt. Vbi & à ſeraphico patre quamhumaniſſimè receptus, & à Miniſteriatus officio in Capitulo ibidem in Portiunculæ feſto, anno Domini 1223. celebrato abſolutus fuit. Cui pater ac frater Albertus Piſanus eodem anno in officio ſucceſſit. Hic Minoriticum Ordinem in Teutonica fœcundiſſimè pullulantem cernens,

pręfati

A prȩfati patris Çȩſarij veſtigijs hȩrens, aliquot fratres propagandi Ordinis gratia in Turingiã ad Rhenũ miſit, quibus patrem Iordanem Magdeburgenſem Guardianum prȩpoſuit. Applicuerunt itaq; prȩfati patres Erdfordiã ipſo die beati Martini Turonẽſium Epiſcopi, paulò poſt impreſſa beatiſſimo patri Franciſco ſacra ſtigmata. Hic pater Albertus Teutoniam petens, aliquot viros graues, atq; de noſtra Religione optimè meritos, inſuper apprimè eruditos, ex Italia ſecũ duxit: Ex horum numero fuêre frater Martinus à Mediolano, ac frater Iacobus Taruiſinus, qui plurium locorum in Teutonia Cuſtodes ſtrenuè egerunt. Hi enim vt primùm Hildeſem Teutonicam ciuitatem ſunt ingreſſi, tum ob morum compoſitionem, tum quoq; ob vitæ ſanctimoniam à reuerendiſſimo Conrado Hildeſemẽſi Epiſcopo, ac de ſacra Theologia benè merito, humaniſſimo hoſpitio excepti ſunt. Peracta verò cum maximo tum cleri, tum quoq; ſæcularis ſenatus concurſu, atq; applauſu ſacra concione, venerabilis pater Ioannes
B de Plano Carpenſis Saxoniæ Cuſtos conſtituitur. Fratribus interim per regiones illas diuini verbi ſemina felicius mittentibus, plurimi Teutones, ijq; nobiliſſimi, atq; doctiſſimi corde compuncti, mundiq; illecebris omnino poſthabitis, ad ſacram Franciſcanorum Religionem conuolarunt. Inter hos fuêre inclytus Comitis Popogardiæ filius nomine Berardus, atq; dignitate canonicus: Albertus præcipuus gymnaſij ciuitatis Hildeſemenſis Præpoſitus & lector: atque ſtrenuus quondam miles Adolphus. Quorũ conuerſio non parũ laudis ſacro attulit Ordini. Fuerũt etiã miſſi ſub iſto Cuſtode, fratre ſcilicet Ioanne de Plano, ampliandæ Religionis cauſa tum Solonam, tum Alberſtadium, tum quoq; Magdeburgum aliquot fratres & religione, & vitæ candore præditi. Interim celebratur Capitulum, & prætactus pater Ioannes de Plano à Cuſto-
C diatus officio abſoluitur, fratre Iacobo Taruiſino ſibi ſuccedente. Hic religioſiſſimus pater mox in muneris ſibi iniuncti auſpicijs in Magdeburgenſis conuentus ædificationem totus incubuit. Cuius eccleſiam reuerendiſſimus Albertus Magdeburgenſium Archiepiſcopus conſecrauit. Obijt tamẽ eodem in loco, non poſt multum temporis ab huiuſmodi conſecratione, præfatus pater Iacobus Taruiſinus. Cùmq; fratres nondum ſepeliendorum defunctorum locum haberent, ad prȩfatum Hildeſemenſem Epiſcopum recurrerunt ſupplices, vt eorum patrem vita functum humi de religioſo more tradendum curaret. Decumbebat fortè fortuna eo temporis pijſſimus, atque fratribus addictiſſimus Antiſtes lecto, ſibiq; in ſomnis prædictum patrem Iacobum albis veſtibus indutum, cœloſq; petentem conſpicere, atq; vocem ſibi dicentem: vade ſepelias illum audire viſus eſt. Et ecce præ eius cubiculi foribus adeſt famulus, qui ſe de
D patris tranſitu, atq; humili fratrum ſupplicatione certiorem redderet. Quamobrem lectum, dulceſq; plumas relinquens, conuentum petijt, atq; defuncti patris corpus ad nouum conuentum in noua quoq; ciuitate Magdeburgo erectum (eſt ſiquidem Magdeburgum duplex nouum ſcilicet & vetus, & in vtroq; fratribus monaſterium ædificatum fuerat) transferendum curauit, ſibiq; iuſta, pro ſua in religioſos animi propenſione, ſtudio atq; beneuolentia fecit. Eius tamen oſſa, poſt aliquot annos ad conuentum in veteri Magdeburgo, anno Domini 1239. conſtructum tranſlata fuêre: vbi & honorifico loco recondita ſunt. A cætero per totam ſuperiorem Germaniam ſeraphicus Ordo noſter mirum in modũ ſuas extendit radices, propagatuſq; eſt: Nam paſſim & vbiq; tum in ciuitatibus, tum quoq; in oppidis eius fratribus, à Chriſtifidelibus ingenti omnium deuotione, & liberaliſſima eleemoſynarum largitione conuentus erigebantur:
E Nam in Ebotenſi ciuitate vnus, in vrbe Lubecenſi alius, & in Erdfordiana ciuitate alius deuotiſſimi cuiuſdam Henrici Plebani eccleſiæ S. Bartholomæi, atq; plurium, quorundam nobilium fauore, patre tamen Iordane de Phano (cuius ſupra meminimus) ſtipulante, à fundamentis ad verticem vſq; ædificatus extitit. Præterea anno à partu Virgineo 1230. à patre Cuſtode miſſi fuerunt fratres Northuſen, & quamhumaniſſimè ab eius incolis excepti fuêre, & hortum, atq; domunculam pro erigendo conuentu ab ijſdem ſumma liberalitate receperunt: Eodem tempore à deuotiſſimo, atq; inclyto Molhuſtenſi Comite decem fratribus, qui Molhuſtum cum obedientialibus literis, ob ampliandæ Religionis cauſam, ingreſſi fuerant, propria domus cum adiacente horto in monaſterium euehenda collata extitit. A qua tamen poſt annum ab huiuſmodi col-

latione

latione expulſi fuêre. Cùm itaq; omnes ſimul ad hoſpitale diuertiſſent,neq; diu ibidem, ob loci pedorem, atq; infirmorum moroſitatem, commorari poſſent, quadam in area cœnobium ex Molhuſtenſium conſenſu erexêre. Anno verò Domini 1232. cùm illuſtriſſimus Ottho Dux in ſomnis præmonitus eſſet,vt fratribus griſeo habitu indutis, ſibi aliquando occurſuris, faueret, atq; egreſſus domum duos Minoritas oſtiatim mendicantes in itinere offendiſſet, præhabiti ſomnij memor illis,tum eccleſiam,beatę virgini Mariæ ſacram, tum quoq; monaſterium in amœni cuiuſdam monticuli cliuo ædificari fecit. Deinde venerabili patre ac fratre Simone Anglico,tertio huius Prouincię Miniſtro,frater Banonus,vir vtiq; doctiſſimus,primus ſacrę Theologię Lector inſtituitur, pluresq; fratres ac patres in Boëmiam, Vngariam,Poloniam, Daciã, Turingiam,atq; Magdeburgum in Germania ſuperiori eccleſias,atq; domos erecturi mittuntur.Beatus pater Franciſcus ſanctorum catalogo hoc tempore aſcribitur.Anno inſuper Dñi 1244. Scamemburgenſium Comes,erecto prius Minoritico Chilenſi conuentu, in eiuſdẽ Ordinis Chamburgẽſi monaſterio de proprię vxoris,quę pientiſſima erat,Deoq; etiam inſeruire percupiebat,conſenſu,fit Frãciſcanus. Demum Minoriticus Gothẽſis locus, anno à lætabunda Chriſti ſeruatoris noſtri natiuitate 1246. Periẽſis in noua ciuitate Brãdenburgo, anno redemptionis generis humani 1262. Gripſuualdenſis, anno à Virgineo partu 1263. Barbonenſis, anno Domini 1264. Vittembergenſis,anno à Virginali conceptione 1266. Bundinenſis,atque Francfordienſis, anno Ieſu Chriſti Domini noſtri 1269. Augremontenſis,atq; Prẽnſtoquẽſis,anno Domini 1270.ex diuerſis fidelium tum heroum,tum quoq; popularium eleemoſynis conſtruuntur,perficiunturq;.Anno verò eiuſdẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti 1284. inclyti patres frater Corradus Saxo, atq; frater Stephanus Vngarus in Ormeria iuxta Caſpios montes glorioſo martyrio, pro catholicæ fidei confeſſione,occubuerunt. Hęc Teutoniæ Prouincia in primo Capitulo à patre fratre Alberto Piſano, anno à natiuitate Chriſti 1223. Spiræ celebrato ob ſui latitudinẽ in Franconiæ, Bauariæ & Sueuiæ,Coloniæ,atq; Saxoniæ diſtributa fuit: & tandem anno Domini 1230. in Capitulo generali Romæ celebrato,in quo præfatus pater frater Albertus Piſanus in totius Minoritici inſtituti generalẽ Miniſtrum cooptatus fuit,ob ſui maiorem extenſionem,in Argentinam videlicet,quę & ſuperioris Germanię dicta euaſit,& in Saxoniam,atq; etiam Coloniam diuiſa atq; diſſecta fuit.Pręterea temporis ſucceſſu Prouincia Argentinæ in Argentinenſem atq; Auſtriacam, Saxoniæ verò Prouincia in Saxonicam ſancti Ioannis Baptiſtę & Saxonicam S. Crucis ſubdiuiſa fuit. prouinciales Miniſtri, qui ab Ordine ibidem erecto vſq; ad annum Domini 1421. quo Brandẽburgi Regularis Obſeruantia primò introducta fuit, & à beato patre Ioãne Capiſtrano eius alumno ac accerrimo propugnatore, quãdo in illas partes ſe contulit, mirum in modum propagata, Saxonię Prouinciam rexerunt,gubernaruntq;, fuerunt numero triginta ſeptem. Hos ſequuti ſunt prouinciales Vicarij ſibi inuicem ſuccedentes vigintiquinq;. Quibus deniq; duo tantùm prouinciales Miniſtri, à tempore quo Ordinis ſigilla, atq; Miniſteriatuum tituli Regulari Obſeruantiæ tradita ſunt, ſucceſſerunt nempe R P. Andreas Ebroncius,anno Domini 1518. electus, & R. P. frater Henricus Marcardius anno Domini 1521. ad Miniſteriatus dignitatẽ aſſumptus. Sub quo (proh dolor)anno Dñi 1524.omnes ferè Frãciſcani fratres à Lutheranis hæreticis expulſi,cęſi atq; miſerrimè afflicti, & eorum loca occupata fuerunt. Sicq; miſerrimè iacet deſolata atq; merore confecta antiquiſſima, ampliſſima atq; florentiſſima Saxoniæ Prouincia.

Nec vellẽ imputaret nobis diligẽs curioſusq; lector, quòd in huius Prouincię deſcriptione aliũ ab aſſueto in reliquis Prouincijs ordine ſeruauerimus. Nã & ſi diligẽtiſſima adhibita cura,nihil penitus de conuẽtuũ erectione,fundatoribus, aut memorabilibus ad manus habere potuimus: ſed quę ĩ mediũ adduximus inexhauſto labore cõparauimus. Qua etiã de cauſa, nõ eſt quòd à nobis reſcire ſperet, quot adhuc Minoritica ſiue fratrũ, ſiue monialiũ loca in Saxonia ſubſiſtãt,perſeuerentq;. Nam obſeſſis ab hæreticis omnibus itineribus,neq; nobis ad illos, neq; illis ad nos vllus patet acceſſus. Nihilominus tñ ex conuẽtibus,q ab vna ad aliã capitularẽ congregationẽ deſiderati ſunt, qualis nũc ſit huius Prouinciæ facies facilè deprehendet.In Capitulari ſiquidẽ Congregatione Hallẽſi in monaſterio, anno 1535. celebrata, qui ſequuntur conuentus ſubſiſtebant: nempe

Hallen-

A *Hallenſis*,	*CeltZenſis*,	*Stathaganenſis*,	*Guſtroenſis*,
Brandenburgenſis,	*Magdeburgenſis*,	*Luneburgenſis*,	*Oſteroedenſis*,
Augermundenſis,	*Egrenſis*,	*Gandeſhemenſis*,	*Gripſuualdenſis*,
Rigenſis,	*ZutterbutZenſis*;	*Montis S. Mariæ*,	*Suuerinenſis*.
Lypſenſis,	*Kempnitzenſis*,	*Schluſigenſis*,	

In ſecunda verò congregatione, quæ Brandenburgi, anno Domini 1538. habita eſt, ſubſcripta monaſteria deſiderata fuêre, nempè: *Rigenſe, Celtzenſe, Luneburgenſe, Gandeſhemenſe, Montis S. Mariæ, atque Oſterodenſe*. In tertia congregatione in conuētu Stathaganenſi, anno Domini 1544. coacta, ſequentes conuentus ab alijs minus inuenti ſunt, nēpe: *Lypſenſis, Magdeburgenſis, Kempnitzenſis, & Guſtroenſis*. In congregatione Halberſtadij habita, quæ ſequuntur loca, vel ſolo æquata, vel ab impijſſimis hæreticis conſpur-
B cata, atque occupata fuerant, puta: *Brandenburgenſis, Egrenſis, Stathaganenſis, Schluſigenſis*. Atqui in quarta, quæ etiam Halberſtadij, anno Dominicæ incarnationis 1559. celebrata fuit, quæ ſequuntur monaſteria perierant, nempe: *Grypſuualdenſe, Suuerinenſeq;*. Verum tamen eſt, quòd interdum aliqua ex pręfatis locis recuperata fuerunt: quę tamē poſtea in hæreticorum ius ſiue tyrannidem potius redierunt. Vt autem curioſus lector florētiſſimæ huius Prouinciæ vices magis dolere poſſit, eorum monaſteriorum, ex quibus, ante annum ſeruatoris noſtri Chriſti 1518. antè videlicet, quàm peſtilentiſſima impijſſimi illius apoſtatæ Martini Lutheri hæreſis in Germania exoriretur, ſerperetq; conſtabat, catalogum, atq; numerum in medium adducere non grauabimur. Conſtabat ſiquidem ex 41. conuentibus, quorū aliqui perpulchris ædificijs condecorabantur, nēpe:

In Saxonia.	*Egrenſi*,	*Lemſellenſi*,	*Guſtroenſis*,
C *Stathaganenſi*,	*Stainelncenſi*,	*Velinenſi*,	*Oſtoroedenſis*,
Brandenburgenſi,	*Luſicenſi*,	In Pruſia.	*Montis S. Eliſabethæ*,
Iſennacenſi,	*GutbatZenſi*,	*Vueloenſi*,	*Dilſenſis*,
Augermundenſi,	*Vuynſenſi*,	*Salneldenſi*,	*Montis regij*,
Arnſtendenſi,	*Kempnitzenſi*,	*Lanenbingenſi*,	*Grypſuualdenſis*;
SaltZenſi,	*Luneburgenſi*,	His enumeratis ann.	Anno 1524. ſequētes.
Vuimarienſi,	*Lypſenſi*,	Do. 1512. & 1513.	*Nuſemenſis*,
Celtzenſi,	*ZutterbutZenſi*,	adiuncti ſunt.	*Dantershemenſis*,
Hallenſi,	In Liuonia.	*Gandeshemenſis*,	*Schleſeuuicenſis*,
Magdeburgenſi,	*Rigenſi*,	*Montis S. Mariæ*	*Kilonenſis*,
Gottingenſi,	*Terpatenſi*,	*Schluſigenſis*,	*Suſtrucenſis*,

D Et hæc quidē de huius Prouinciæ origine, auſpicijs, progreſſu atq; pręſenti ſtatu. Cui vt colophonē addamus, ſolūmodo dixerim, quòd maius eius ſigillū Chriſtū Dominum cruci affixū, cuius dextro lateri ſol obſcuratus, & paulò inferius ſeraphicus pater Franciſcus, genibus flexis, complicatisq; ad pectus ſupplicibus manibus, à ſiniſtro verò tenebroſa luna, ac aliquantulū inferius eiuſdē Chriſti facies linteo impreſſa (hanc vulgò Veronicā, ſiue vultū ſanctū appellant) hærent, capiti autē titulus, vt à Pilato poſitus, ſuperſtat, ſequentesq; literas: S. MINISTRI. PROVIN. SAXO. SANCTÆ. CRV. REGVLAR. OBSER. OR. FRATRVM. MINORVM in gyro continet. Huic deniq; Prouinciæ Caroli magni effigiē, quòd is Saxones ad Chriſti fidē ſuſcipiendam armis, belloq; compulerit; quodq; eis cauſa ſalutis fuerit, præponendam volui. Fuit & ſecunda Saxoniæ S. Ioannis Baptiſtæ Prouincia huic omnino contigua, quæ tamen ferè
E extincta habetur: quamobrē impræſentiarū nihil de ea dicemus, niſi quod hæreticorum tyrannidi, atq; rabiei, eius fratribus hinc inde diſperſis profligatisq;, ceſſerit. Ita vt quæ ex antiquioribus bellis ſuperfuerint ſacræ domus, vel habitatoribus vacuæ ruinā minitētur: vel ab iniuſtis poſſeſſoribus teneātur. Non ceſſant interim pauperculi ipſi fratres, qui ex copioſo olim numero reſidui ſunt, licèt ſub caprinis pellibus deliteſcētes, à ſacramentorū miniſterio: imò quoties in campis, vel in ſęcularium penetralioribus ſeſe occaſio offert, vel coram Chriſti fidelibus & Orthodoxis ſacris operantur, vel ſacras eorum confeſſiones excipiunt, vel illis aliquid de ſacro Euangelio proponunt, vel etiam eorum exanima corpora ſepulturis de Chriſtiano more tradunt. Quibus denique exercitijs victum atque amictum in proprij vultus ſudore acquirunt, merenturque.



PROVIN-

PROVINCIA TVRONIAE.

A PROVINCIA Turonię Ordinis Minorũ de Obſeruantia in Francię Re-
gno ſimul cum Prouincijs Franciæ & Burgundię naſcentis Ordinis exor-
dio germinare cœpit. Cùm enim S. Franciſcus Ordinem ſuum in Vltra-
montanas propagare ſtuderet regiones, celebrato, anno Dñi 1212. Aſſiſij
apud S. Mariam de Portiuncula in feſto Pentecoſtes generali Capitulo, in-
deq; miſſis in Galliarum partes quibuſdam ſuę familię fratribus, probitate ac induſtria
vtiq; pręcipuis, ibi Ordinis ſui multis in locis propagines extendit. Verùm Prouinciarũ
Miniſtros necdum Ordo habuerat, propter fratrũ, & domiciliorum eis conſtructorum
paucitatem, donec anno Domini 1215. ſub Innocentio III. præfato Pontifice, celebra-
B tum fuit Romæ Lateranenſe Concilium generale, in quo ab Eccleſia receptus, appro-
batus, & confirmatus eſt Ordo prædictus. Quod cùm vir beatus intellexiſſet, eodem an-
no ſuis fratribus loco & tempore prænominatis generale Capitulum denuò indixit. In
eo tunc primum inſtituti ſunt Prouinciales Miniſtri: qui cum prædicatoribus, alijsq;
fratribus inde progreſſi, in vniuerſas propemodum Chriſtiani orbis Prouincias effuſi
ſunt: nam hactenus, qui cæteris præerant, Guardiani ſeu locorum Cuſtodes nuncupa-
bantur. Porrò B. P. Franciſcus anno Domini 1217. terminato iam Concilio Lateranẽ-
ſi, & Innocentio PP. viam vniuerſæ carnis ingreſſo, eiq; Honorio in Pontificatu ſucce-
C dente, V. P. F. Pacificum vitæ integritate, & regulari Obſeruantia valdè conſpicuum,
vniuerſis fratribus in toto Franciæ Regno degentibus Miniſtrum cum poteſtatis pleni-
tudine præfecit, eidemq; Prouinciam vniuerſam Franciæ regendam comiſit. Pariſios
itaq; profectus cum alijs quibuſdam, Guardianum de nouo ibi inſtituit: nam primus
eius loci Guardianus, videlicet frater Agnellus Piſanus, Angliæ Miniſter fuerat
inſtitutus. Cùmq; conuentum Pariſienſem ritè diſpoſuiſſet, ad viſitanda reliquorum
domicilia fratrum, quæ tunc pauca erant, & exigua ſeſe accingit. Tum deinceps ſolus
vniuerſam Francię Prouinciam adminiſtrauit, ac poſt eũ ſui ſucceſſores, donec facta eſt
Prouinciarum diuiſio. Cæterùm anno Domini 1271. cum reputatione, fratrum multi-
D tudine, monaſteriorumq; eiſdem exſtructorum numero, aucta plurimùm Franciſcana
Religio exiſteret: R. P. Generalis S. Bonauenturæ ſolertia, præſente S. D. Gregorio X.
Pont. max. facta eſt Prouinciarum Gallicarum diſtinctio. Vna enim quæ totius Fran-
ciæ fuerat, atq; vnius Miniſtri moderamine regebatur, in tres diſtincta, videlicet Fran-
ciæ, Turoniæ, & Burgundiæ, tribus eſt aſſignata Miniſtris, qui ſuarum Prouinciarum
curam ſuſcipientes, eas, vt tunc diuiſæ ſunt, perſeueranter, & ſucceſſiuè hactenus ad-
miniſtrarunt. Non tamen putandum eſt Prouinciam Franciæ ambas magis reliquas
peperiſſe, quam illam ambæ reliquæ, cùm (vt dictum eſt) in Gallijs ſimul exortę ſint,
ac ſimul ab inuicem diſtinctæ. Nec rurſus exiſtimandum eſt Prouinciam Aquitanicam
E quicquã cum alijs tribus commune vſquam habuiſſe; cum illa à ſuę erectionis exordio,
Miniſtrum ſpecialem habuerit, nempe fratrem Chriſtophorum columbinæ ſimplicita-
tis virum, eò tempore, quo in Ordine primùm inſtituti ſunt prouinciales Miniſtri. His
paucis de origine, incremento erectione & diſtinctione trium Gallicarum Prouincia-
rum prælibatis, nunc de Prouincia Turoniæ nobis ſermo ſpecialiter inſtituendus eſt.
Illa ampliſſimos terrarum tractus in Franciæ regno obtinet. Porrigitur namq; in lon-
gitudinem 300. milliariorum, in latitudinem vero 140. ad minus. A parte Orientali
Burgundiæ Prouincię (quæ nunc S. Bonauenturæ dicitur) adiacet: à parte Occidenta-
li mari Britannico: ab Auſtro Aquitaniæ cohæret: A Septentrione in territorio termi-
natur Cænomanico. Fines ergo illius ſunt à conuentus Niuernienſi ad Cori zopiten-
ſem in Britannica: & à Rupella rurſus ad Caſtridunum. Turonia autem ſortita eſt no-

men

men ab Archiepiſcopatu Turonenſi,in quo ſedit Apoſtolis compar ſanctiſſimus Marti- A
nus. Qua in ciuitate Turonica ſitus eſt ampliſſimus,& antiquiſſimus conuentus, vbi maximè viguit à principio reformationis diſciplina. In quinque cuſtodias diſtribuitur præſens Prouincia, in Aurelianẽſem ſcilicet,Bituricẽſem,Britanicã,Pictauenſem,& Xãctonẽſem. Aurelianenſis 5.fratrum monaſteria habet,& 1.monialium. Bituricenſis 9.habuit fratrum, 2.verò monialium. Britannica 8.habet fratrum,& 2.monialium. Pictauẽſis 7.conuentus fratrum amplectitur. Xanctonenſis verò 8.fratrum,ante tumultus bellicos ad hæreticis in illis partibus excitatos,habebat olim conuentus,& 1.monialium in Rupella. Aliàs inſuper longè plurima habuit fratrum monaſteria:ſed ab annis plus minus 80.à recentiorum Prouinciarum patribus occupata ſunt. Huius Prouinciæ ſigillum maius impreſſionem habet imaginis S. Martini Turonenſis Archiepiſcopi,ornamentis pontificalibus induti, ad modum celebrantis,cum globi ignei ſculptura,in eius calicem B
labentis, & tribus ei ſtellulis imminentibus, ad cuius pedes tenuiſſima hominis effigies in modum orantis expreſſa cernitur. Eius autem ſuperſcriptio eſt hæc: SIGILLVM MINISTRI PROVINCIÆ TVRONIÆ. Huic Prouinciæ ea propter diuum Martinum præponere volui,quòd eius patrociniũ ſuſcepiſſe exiſtimetur, quodq; Turonẽſem Epiſcopum egerit,quodq; tãdem maius ſigillum eius imaginem imprimat.

De conuentus Minoritico Aurelianis. *Conu. I.*

PRIMA igitur huius Prouinciæ Cuſtodia eſt Aurelianenſis: Cuius primus conuẽtus eſt in florentiſſima ciuitate Aurelia, in Ligeris fluuij margine ad latus Aquilonis ædificata. Primùm extra vrbis muros conuentus erat,verùm circa annum Do. 1429.
Anglis ciuitatem ex ea parte,nempe Aquilonari, obſidentibus,omninò deſtructus fuit, C
funditusq; euerſus. Tandem Anglis ſoluta obſidione in ſuos fines ex Francia fugatis, rurſus circa annum Dom. 1456.in eodem loco cœpit reædificari, vt quodam veteri conſtat inſtrumento illius temporis,in eodem conuẽtu reperto. Cùm autem laxata fuiſſent vrbis ſpatia,& præſertim in ea parte,intra eius mœnia recluſus eſt, & integer permanſit vſque ad annum Domini 1563. Quo videlicet tempore ſeditioſi Caluiniſtæ ciuitatem tyrannicè occupantes prædictum conuentum cum omnibus ſacris locis incenderunt,ac demoliti ſunt. Ipſius interim amplitudo & elegantia ex eius ruinis vtcumq; deprehenditur. Ex eo nihilominus tempore reparata ſunt quædam domicilia admodum pauca,& valde exigua, quapropter nunc à paucis incolitur fratribus. In illo enim dumtaxat fratres 16.habitant,videlicet ſacerdotes 11.reliqui profeſſi 5. Iſtius conuentus eccleſia,pri-
ma omnium quæ in vrbe ſunt,poſt deſtructionem,vili quidem ſchemate,& nihil prope- D
modum priſtini ſplendoris præſeferente,vrgente neceſſitate reparata eſt, R.P.F.Philippi Picardi eiuſdem Ordinis,Prouinciæ quæ Turoniæ Pictauenſis dicitur alumni, tunc Aurelienſium ciuium prædicatoris egregij,& catholicæ veritatis propugnatoris acerrimi,ſtudio ac diligentia,necnon in publicis concionibus crebra frequentiq; exhortatione,cùm præſertim in tota vrbe nullus locus aptior eſſet,& qui celerius minorisq; poſſet reſtitui. Vbi poſtmodum iugiter prædicans 12.circiter annis,tandem anno Dom. 1571. dum actu concionaretur,apoplexia correptus,ab hac deceſſit vita, die S.Ioanni Euãgeliſtæ ac Theologo ſacra. Sepultus eſt in naui eccleſiæ prope cathedram prædicationis: cuius tumulum ænea ſtatua,eius effigiem repræſentante ad modum iacentis Minoritæ, ciues honorarunt. In illo Aurelianorum conuentu,tempore primorum tumultuum, an-
no Dom. 1562. fratres 6.ab hæreticis incluſi & vallati,multis diebus fame afflicti, dein- E
de intoxicato pane extincti ſunt. Nullas nunc præter pauculas habet reliquias, particulam ſcilicet exiguam ligni ſanctæ crucis, alteram item brachij ſancti Bonauenturæ.

De conuentu Annunciationis B. Mariæ Cenomariorum. *Conu. II.*

SECVNDVS Cuſtodiæ Aurelianenſis conuentus ſitus eſt extra, ſed prope muros vrbis Cenomaniæ,totius diœceſis primariæ:cuius cathedralis eccleſia memoriæ ſanctiſſimi Iuliani Cenomanorum primi Præſulis,à S.Clemente Pont.Rom.ordinati, conſecrata eſt. Igitur cum B.Franciſcus fratres ſuos in Tranſalpinas Prouincias diſpergere cœpiſſet, Gaufridus de Lauale,ex illuſtriſſima domo & familia Laualenſis ortus, eiuſdẽ

A eccleſiæ canonicus : vir vtique prædiues , magnæq́; apud Reges Franciæ & Angliæ au-
ctoritatis, maximæq́; verò in Deum & Eccleſiam deuotionis & zeli : audito beati Fran-
ciſci & fratrum ſuorum ſanctitatis rumore , cum literis ſupplicibus, anno domini 1209.
expreſſum tabellarium direxit ad beatum Franciſcum , quatenus duos ſaltem ſuorum
fratrum Cenomanos mittere dignaretur , promittens ſe eos benignè accepturum , il-
lisq́; apud quoſcunque poſſet fauorem impetraturúm . Quibus perlectis literis beatus
vir, lætus effectus,ex ſupra dicto generali Capitulo, nempe anno domini 1209. celebra-
to, V. P. F. Electum ſingulari prudentia , morumq́; honeſtate præditum , literis optimè
eruditum , vnà cum altero fratre (cuius nomen nobis ignotum eſt) cum obedientiali-
libus literis Cenomanos tranſmiſit. Vbi & à præfato Gaufrido gratanter excepti , atque
ab eodem reuerend. Hamelino Cenomanenſi Epiſcopo præſentati ſunt . Quos ille pa-
B terno affectu amplexatus,in domo ſua Epiſcopali eis hoſpitium decreuit . Volebāt quo-
que præfati Epiſcopus & Gaufridus eos ſuis alere expenſis , verùm illi ſuæ profeſſionis
memores,maluerunt de eleemoſynis viuere. Morabātur interim in Epiſcopio, Domino
Deo multa cum deuotione ſeruientes , & diuinum officium in cathedrali eccleſia reci-
tantes.Reliquum verò temporis,aut infirmorum obſequio,aut pręedicationibus,vel ho-
neſtis laboribus impēdebant. Plurimi ciuium omnis ſtatus & conditionis conſiderantes
ipſorum fratrum vitæ ſimplicitatem, Euangelicæ paupertatis æmulationem , & viuen-
di normam planè Euangelicam,relicto ſęculo,ſeſe habitu & vita illis adiunxerunt. Tan
tusq́; ante completum annum 1210.fuit eorum numerus,vt conuentus dici mereretur,
non à monaſterij ædificio,ſed à fratrum multitudinis conuentione . Quorum Guardia-
nus ſemper extitit præfatus frater Electus,quoad vixit. Multiplicato ita fratrum nume-
C ro,dicti Epiſcopus & Gaufridus foris prope vrbis muros locum monaſterio ædificando
ſatis opportunum contemplati , illicò Gaufridus ad Reginam Berengariam Regis An-
glorum Ioannis coniugem,tunc Cenomanorum Comitiſſam proficiſcitur,ab eaq́;,cùm
religioſiſſima eſſet & deuotiſſima , præſignatū locū de conſenſu dicti Regis facilè obti-
net.Sed quoniā propter quaſdā ſimultates crebra inter Philippū Regem Francorum, &
dictum Regem Anglorum Ioannem bella concitabantur, ad annum vſq; 1215.dilata eſt
monaſterij iſtius ædificatio.Cùm enim multis ante prælijs conflictati fuiſſent , tādemq́;
Philippus,fractis Anglorū viribus,ſuperior euaſiſſet,eosq́; è Frāciæ finibus profligaſſet,
omnium Prouinciarum in ea contentarum potitus eſt,& propterea ab omnibus Augu-
ſtus eſt nominatus.Et cū Princeps eſſet Chriſtianiſſimus,pręfatā Berengarię donationē,
præfati Gaufridi poſtulatione , approbauit & confirmauit . Igitur conuentus Cenoma-
D nenſis Berengaria fundatrix extitit:vtpotè quæ prima omniū dederat fundum.Sed ma-
gis Philippus Rex Francorum,in cuius ditionē & poteſtatē antè dicti conuētus conſtru-
ctionē Comitatus cum multis alijs obuenerat Cenomanenſis . Studio tamen & expenſis
dicti Gaufridi (aliqua tamen ex parte ſuffragantibus patriæ nobilibus , & ciuibus , fra-
tribusq́; in eo laborantibus) anno Do.1215.cępit conuentus ædificari. Sed quorundam
Eccleſię Prælatorū in Cenomanenſem Epiſcopū murmure exorto,quòd tā facilè fratres
huiuſmodi abſq; literis apoſtolicis recepiſſet, atq; eis prope ſuas ædes monaſterium ex-
truere permitteret , opus vtcumq; retardatū eſt,nec ante annum Do. 1227. Regni verò
S.Ludouici primū,conſummari potuit. Completū eſt itaq; conuētus Cenomanēſis ædi-
ficiū ſecundū omnes ſuas partes anno Do.1228.poſt tranſitū verò S.Franciſci ſecundo.
Poſtmodū fratrū Minorum eccleſia ab ipſo Gaufrido tunc Cenomanēſi Præſule , Domi-
E nica 3.poſt Paſcha anni Do.1232.ſub nomine Annūciationis B.virginis Mariæ dedicata
& conſecrata eſt:In qua & ipſe ſepultus eſt,anno Do.1233. Hoc inſuper liquidò conſtat
ꝙ Philippus Valeſius Francorū Rex , & filius ſororis S. Ludouici Epiſc Toloſani Ord.
Minorū ſpecialē huic conuētui deuotionē habuerit,qui authenticis literis,apud S.Germa
nū in Laya,13.Septēb.anni 1331.expeditis,datisq́; ſtatuit,& decreuit Miſſam in honorē
dicti S.Ludouici, ſingulis hebdomadibus perpetuò in conuentu iſto ſolēniter decantari .
Quod diligēter à fratribus obſeruatur.Graſſante tandē impia hæreticorū Hugnoſticorū
rabie, anno 1562.ignis voracis applicatione conuētus iſte irreparabiliter conflagrauit ,
primusq́; omniū, q̃ ĩ Gallijs incēdio perierūt, exuſtus eſt.Cuius deſtructio magni cuiuſ-
dā oppidi ruinas ac refert:tanta extitit olim ędificiorū amplitudo : tāta itē fuit fratrū in

eo conuentu commorantium multitudo, vt ſexagenarium numerum excederet. Nunc A
propter habitationis incommoditatem, & cellarum paucitatem fratres circiter 28. ha-
bitant,ibiq; morantur 19. ſacetdotes,omnes quidem (tribus quatuoruè exceptis) præ-
dicatores:reliqui iuuenes.Speciales reliquiæ,de hæreticorum manibus elapſæ,ſunt de li-
gno ſanctæ crucis quatuor particulæ, in crucæ aurea incluſæ: de capillis beatæ Mariæ
virginis: de brachio ſancti Eligij: de cilicio ſancti Franciſci: de ſancta Barbara, & inte-
grum menti ſancti Sebaſtiani martyris,nuper conuentui donatum:de ſancto Gulielmo,
& alijs nobis incognitis.Quæ omnes in theſauro ſacriſtię huius conuentus aſſeruantur.

De conuentu Minoritico Bleſis. Conu. III.

TERTIVS Cuſtodiæ Aurelianenſis conuentus eſt Bleſis, quæ vrbs ſuper Lige-
ris fluuij ripam ædificata eſt. Ille à principio extra vrbis muros, in parte Septen- B
trionali conditus fuerat. A quo, vel quo tempore, aut qua occaſione non compertum
eſt.Sed circa annum Do.1429.tumultu Anglico deſtructus fuit,& ſolo æquatus adeò,vt
pauciſſima ex eo veſtigia appareant in loco qui etiam Anglia dicitur: quoniam ex eo
loco Angli ciuitatem obſederunt.Poſtmodum circa annũ Dñi 1456. illuſtriſſ. Princeps
Aurelianenſis & Bleſenſis Comitiſſa intra vrbis ambitum, emptis primùm à ciuibus
multorum ædificiorũ ſpatijs,ſumptibus ſuis ipſum ædificari curauit. Cuius eccleſia mu-
ris ciuitatis in latere Septentrionis immediatè connectitur. Rurſus tamen anno Dom.
1568.tumultuoſo hæreticorum furore exuſtus eſt,omniq; ex parte deſtructus.Nunc ve-
rò honorãdi P.ac Magiſtri Ioannis Bourguegnon prædicatoris eximij,atque ipſius con
uentus nunc etiam Guardiani,cura & diligentia,magna ex parte reparatus,fratres cir-
citer 20.ibidem commorantes continet.Ex eodem conuentu V. P. ac Magiſter Iacobus C
Daultry prodijt,qui primus poſt reformationẽ conuẽtus Pariſienſis multis annis Guar-
dianus eundẽ ſtrenuè gubernauit.Alia perinde ſcitu neceſſaria de illo conuentu deſide-
rantur, quæ,ob authenticorum inſtrumentorum conflagrationem,reſciri nequeunt.

De conuentu vtriuſque S. Ioannis Vindocini. Conu. IIII.

QVARTVS Cuſtodiæ Aurelianenſis conuentus eſt Vindocini,quod eſt oppidũ
diœceſis Carnotenſis,in fluuij Lidi margine conditum. Vbi in monaſterio S.Tri-
nitatis pretioſiſſima Domini noſtri lacryma, quam ipſe ante ſuſcitatum Lazarum fle-
uiſſe legitur, honorificentiſſimè ſeruatur. Non longe ab illo in latere Aquilonari extat
conuentus S.Franciſci. Cuius tamen eccleſia in honorem & memoriam SS. Ioannis Ba-
ptiſtæ & Ioannis Euangeliſtæ conſecrata eſt. In quo nunc fratres circiter 12. habitant, D
quorum ſex ſunt prędicatores.Huius fundatrix fuit quędam Angliæ Regina,quam Be-
rengariam fuiſſe (cuius ſupra meminimus) à vero non abhorret. Eius obitus legitur in
calẽdario cuiuſdam vetuſtiſſimi Collectarij manu ſcripto. Vnde liquidò conſtat conuẽ-
tum illum fuiſſe conditum S.Franciſco adhuc viuente,aut ſaltem paulò poſt eius obitũ.
Cuius eccleſia a R.Godefredo Cenomanenſi Epiſcopo (de quo etiam ſupra) anno Do.
1249.(vt in præfato calendario reperitur)dedicata fuit.Authentico item inſtrumento,
Latinè conſcripto, cuiuſdam Bochardi Vindocinenſis Comitis ſigillo obſignato, anno
Dñi.1269. fratribus Minoribus ſuæ villæ Vindocinenſis idem Comes concedit clauſurã
aluei,ex Lido fluuio medios conuẽtus hortos percurrẽtis, vt videlicet ſuos pannos intra
conuẽtus ſecreta poſſint abluere,ne id indecorè cum publicis lotricibus, & ſæcularibus E
facere cogerentur.Affirmant cuiuſdam fratris ſocij S.Franciſci nomine Maſſæi fortè il-
lius Marigneni,& qui cum B.Franciſco in Gallias primũ venire diſpoſuerat, corpus in
naui eccleſiæ ſepultũ eſſe in ſacello,quod nũc vocant S.Bernardini: vbi plerumq; mira-
cula fieri perhibent.Quorundã ſanctorũ reliquias conuentus iſte habet:Nẽpe de brachio
S.Marci Euãg.de capite S.Andreę Apoſt.aliaſq; plurimorũ ſanctorũ nobis incognitorũ.

De conuentu Minoritico Caſtridunij. Conu. V.

QVINTVS Aurelianenſis Cuſtodię conuẽtus extat Caſtridunij in dięceſi Car-
notenſi, in ſuburbio S.Valeriani.In eo oppido ad latus Aquilonis ſuper Lidi flu-
uij ripam eſt elegantiſſimum Dunenſis Principis caſtrum, à quo Caſtridunienſem
ſortitur

A ſortitur denominationem,quia verò montibus magna ex parte conuentus cingitur, cũ ingens imber ceciderit,tanta aquarum innundatione alluitur,vt niſi gurges ibi exiſtens aquam pluuiam exciperet,atque ſubterraneis meatibus,vniuerſum oppidi medium penetrantibus,ſuo impetu in Lidum fluuium eijceret, ſæpenumero obrueretur. Attamen anno Do.1580.& 1581.tanta cecidit aquarum abundantia, vt gurges vniuerſas glutire non valens,in conuentus planitiem refuderit:totumq; illius ambitum obtexerit. Vnde effectum eſt,vt omnia inſtrumenta, quæ de conuentus origine & erectione nobis fidem facere,vel inſtruere poſſent, tanto fortè diluuio perierunt, ſi tamen quædam fuiſſent ab hæreticorum,qui anno Do.1568.conuentum expilauerant, eiusq; eccleſiam incenderant,furore ſeu incendio dimiſſa. Ornamenta inſuper eccleſiæ quamplurima,cũ omnibus libris,quorum vſus eſt pro cantu in eccleſia, nimio illius diluuij madore penè
B computruerunt,& emarcuerunt,quæ tamen ab hæreticorum rapina per amicos catholicos præſeruata fuerant. Antiquitatem tamen eius ex tribus ſepulchris ſeu tumulis in clauſtro, propè ingreſſum capituli exiſtẽtibus,arguere,ſeu demonſtrare poſſumus. Antiquiſſima enim ſunt illa, literis Gothicis deſcripta,ſed penè præ vetuſtate eraſa. Primũ eſt Margaretæ de S.Auito,anno domini 1252. Alterum Gaufridi de S. Auito, anno domini 1262.Tertium Goſſelini de S.Auito, anno 1272. Illi fortè conuentum illum fundarunt,vel ædificari curarunt.Cæterum à fratribus 12.inhabitatus,ſex ſacerdotibus,ijſdemq; prædicatoribus,reliquis autem iuuenibus. Quæ præcedũt loca ad Aurelianenſem Cuſtodiam pertinent, quæ vero ſequuntur nouem ad Bituricenſem Cuſtodiã attinent.

De conuentu S.Sebaſtiani Andegauis. Conu. VI.

C HÆC Bituricenſis Cuſtodia 8.fratrum conuentus habet, 2.verò monialium. Vocatur autem ex illis primus fratrum conuentus Andegauenſis, in celebri ciuitate,ac vniuerſitate eiuſce nominis,ſitus & conſtructus.Cuius eccleſia in memoriam S.Sebaſtiani dedicata eſt,vulgò autem appellatur conuentus ſancti Franciſci, initio quidem à Templarijs incolebatur. Quibus extinctis in Regno Franciæ Rex aliquot fratres noſtri Ordinis in locis & domibus eorum ſubrogauit. Feruntq; patres prædicti loci quendam fuiſſe fratrem Hugonem ſocium, ſeu contemporaneum S.P.N.Franciſci, qui primus locum acceptarit.Quo ex tempore multi nobiles,Ordini noſtro bene affecti,locum auxerunt. Ex quibus D. Mauricius de Credonio eques regius elegans ſacellum in eccleſia conuentus ædificari curauit,in quo & ſepultus eſt.Obijt autem anno 1287.Auxit inſuper eundem conuentum domina Iſabella Dauaugour, Vicecomitiſſa de Iouarico
D in habitu S.Claræ ibidem inhumata.Rex deniq; ſereniſſimus Siciliæ & Hieruſalem,Andegauenſiſq; Dux Renatus,magnificentiſſimum in honorem Dei & B. Bernardini memoriam,ſacellum excitauit, fierique mandauit. In quo poſt ſuum ac coniugis Ioannæ de Laual heroinæ mulieris obitum,vtriuſque corpus ſepeliendum & recondendum voluit ac ordinauit.Qui anno Dom.1444.Iulij 10.diem clauſit extremum.Habitant ibi ſimul fratres circiter triginta quinque ſacerdotes pariter ac iuuenes. In archiuis cuius plura ſummorum Pontificum diplomata,ſeu bullę,de quibus in firmamento trium Ordinum parte 2. tracta. 2. mentio habetur. Siquidem Martinus papa IIII. facultatem Miniſtris ac Cuſtodibus conceſſit nominandi procuratores & ſyndicos, qui nomine Romanæ Eccleſiæ petant,quæ fratribus legata fuerint:data apud Vrbem Veterem 15. cal. Februarij Pontificatus ſui anno ij. originale extat Andegauis. Alexãder papa IIII.
E ordinauit,quòd parochiales prębyteri non impediant populum ad loca fratrum deuotionis gratia conuenire: datum Neapoli 11.cal.Ianuarij Pontificatus ſui anno 1. Habetur ibidem originale.Innocentius papa IIII. permittit fratribus Minoribus,vt tempore generalis interdicti,& in terris excommunicatorum celebrare,& neceſſaria recipere valeant: data Laterani 11.cal.Decẽbris Pont.ſui anno 1. Clemens papa IIII. declarauit infringentes,ſeu violãtes loca fratrũ Minorum excommunicatos eſſe: datũ Peruſij 3.cal. Iulij Pont.ſui anno 3.Nicolaus papa V.in fauorẽ illuſtr.Principis,ac ſereniſ.Siciliç Regis Renati,qui ſacellũ (cuius ſupra meminimus) ad Dei honorẽ,& D.Bernardini memo tiã ędificari curauerat,conceſſit omnibus verè pęnitẽtibus,qui in feſtiuitate ipſius dictũ ſacellũ viſitauerint 7.annos, & totidẽ quadragenas de iniunctis ſibi pęnitentijs: datum

Romæ apud ſanctum Petrū, anno Domini 1452. tertio cal. Maij, Pontificatus ſui anno 6. In eodem conuentu ſeruantur plures reliquiæ ſanctorum: de ſpinea Domini noſtri corona: de S. P. N. Franciſci habitu: de capite ſancti Sebaſtiani: de ſancto Chriſtophoro: de ſancto Mauricio: de ſancta Margareta: de brachio ſancti Bonauenturæ: de coſta ſancti Leonardi: de pelle ſancti Bartholomæi: de ligno ſanctæ Crucis. Ibi videtur manica integra tunicę ſancti Bernardini, & zona qua præfatus beatus pater cingebatur. A

De conuentu Minoritico Salmuri. *Conu. VII.*

ALTER conuentus eſt Salmuri, quod eſt oppidum in Ducatu Andegauenſi, ac Epiſcopatu, intra muros vrbis ædificatus, in quo viginti quinque fratres morantur. Ex quibus 10. ſunt prædicatores, reliqui profeſſi. Qui quidem conuentus à Templarijs primò inhabitatus, tum demum, his à Regno Franciæ exterminatis, à fratre Maſſęo ſancti Franciſci ſocio, ſeu contemporaneo, acceptatus, & habitatus fuit. Qui obijt & ſepultus eſt in ſacriſtia anno Domini 1280. Extat ibi copia bullæ aureæ à diuo Sixto papa IIII. data Romæ apud ſanctum Petrum, anno Domini 1479. ſeptimo cal. Auguſti, Pontificatus ſui anno octauo. Inter reliquias habetur digitus vnus ſancti Ludouici Epiſcopi Toletani Ordinis noſtri, & zona beatiſſimæ virginis Dei genitricis Marię. B

De conuentu Minoritico Turonis. *Conu. VIII.*

TERTIVS Bituricenſis Cuſtodiæ conuentus appellatur Turonenſis, à quo & tota Prouincia denominationem ſortita, in Archiepiſcopali ciuitate incluſus & conſtructus, à Templarijs quidem incolebatur, ſed poſtmodum à Franciſcanis religioſis ad Chriſtianiſſimorum Franciæ Regum deuotas, piasq; conſtitutiones habitatus fuit. Vbi viginti quatuor fratres inſimul morantur: inter quos octo ſunt prædicatores, reliqui ſacerdotes & iuuenes. Et quoniam ſęuiſſimarum perſecutionum, per hæreticos in Gallijs ſuſcitaturum, temporibus omnia inſtrumenta authentica deperierunt, nihil ſpecialius de fundatoribus & benefactoribus primis dicti loci dici, vel commemorari poteſt: niſi quòd quædam bulla ibi habetur exemptionis & immunitatis conceſſæ fratribus à S.D.N. Nicolao papa IIII. qua declarat fratres Minores nulli niſi papę ſubijci, data Romę apud S. Petrū xij. cal. Maij, Pontificatus ſui anno 1. Anno 1413. quinto cal. Aprilis obdormiuit in domino pia & ſancta domina Maria de Sille, in habitu noſtri Inſtituti ibi tumulata, è regione maioris altaris, multis in hunc vſque diem clara miraculis, vt patet in eius legenda. Nondum tamen eſt inter ſanctos relata, ſeu (vt loquuntur) canonizata. Anno verò Do. 1578. tempore perſecutionis ſecundæ in catholicos religioſos præſertim, ab hæreticis in territorio Bleſenſi interfectus eſt V. P. F. Ioannes Voyſin quondā Guardianus Turonēſis ibidem profeſſus, ex honeſta familia Turonis natus, dominarum de Guiſchia confeſſor tunc, & prædicator, qui poſt diros cruciatus, membraq; præciſa, in fluuium Ligerim demerſus, diuino nutu ad præfatam Turonicam ciuitatem appulit, è regione ſuæ parœciæ, nec vltrà progreſſus, à ſuis tandem conſanguineis agnitus, in prędicti conuentus eccleſia honorificè maxima cleri, populiq; Turonenſium frequentia ſepultus eſt. De reliquijs ſanctorum (cùm ab hæreticis exuſtæ fuerint) nulla hîc habetur mentio. Quare ad alios conuentus properabit narratio, ſi tamen prius immaturam mei fratris mortem, quæ Turonis contigit, celeri calamo depinxerim. Voluiſſem ſanè, vt alius, quatenus eius dotes, & in Deum pietas hæc legentibus innoteſcerent, vterini fratris mei, ſcilicet domini Alphonſi Gonzaga, qui contra Hugnoſticos hæreticos infeliciſſimis his temporibus in Galliæ Regno, alioquin de Chriſtiana religione optimè merito, exortos proprijs ſtipendijs cum plurimis alijs Italis ſanguine claris, ob Chriſti fidem defendendam, atque ab omni iniuria vindicandam, ſub Chriſtianiſſimi Gallorum Regis ſignis militaturus, cùm in caſtris morbum contraxiſſet, Turonem celebrem Galliæ ciuitatem deferri voluit: vbi exceſſibus per ſacramentalem confeſſionem expiatis, atque viatico extra lectulum genibus ad terram demiſſis ſumpto, menſe Septembri anno verò Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono animam ſuo Creatori reſtituit, mortem deſcriberet: cùm id mihi, ne ſanguini & carni indulſiſſe videar, minimè liceat. Eius interim corpus in patrum Auguſtinenſium C D E

A ſtinenſium Ordinis Eremitarum eccleſia è regione ſacelli, diuo Sebaſtiano ſacrati, cum ſolemni pompa ſepultus eſt:cuius anima per Dei miſericordiam in pace quieſcat.

De conu. SS. Ioannis Euang. & Mariæ Magdalenæ Loxarum. *I X.*

LOXENSIS conuentus, extra vrbis muros poſiti, fluuio Ligerio circumuoluti, fundator alius quàm Rex Franciæ non reperitur. Auxit autem conuentum illuſtris Franciſcus de Rouij, eques Torquatus. Eius loci eccleſia anno Domini 1237. per R. Iahellon Turonenſium Archiepiſcopum in honorem Dei, ac ſancti Ioannis Euangeliſtæ, necnon & beatæ Mariæ Magdalenæ memoriam dedicata eſt. Cùm in illa per annos octo fratres antea Miſſam celebraſſent. Manent eo in conuentu octodecim fratres. Reliquiæ quæ in huius eccleſiæ ſacrario religioſiſſimè aſſeruantur ſanctæ Mariæ Mag-
B dalenæ & S. Sebaſtiani, extremum itẽ digiti ſancti Chodoaldi, ex ſtirpe Regia nati, ſunt.

De conuentu SS. Iacobi & Chriſtophori Iſſolduuij. *Conu. X.*

ISSOLDVVIENSIS conuentus extra oppidi muros ſitus eſt Cuius eccleſia in memoriam ſanctorum Iacobi & Chriſtophori dedicata eſt, anno à ſalutifera mundi redemptione 1260. Huius conuentus fundator fuit Dominus de Chauuignij. Cumque fuerit ab hæreticis noſtra tempeſtate per tumultus bellicos depredatus, ac deuaſtatus, pauca de eius erectione, & alijs notatu dignis comperta ſunt, quandoquidem authentica inſtrumenta, quæ id edocerent, perierunt, cum ſanctorum reliquijs, quæ illic aſſeruabantur. Superſuit tamen aliqua pars reliquiarum ſancti Sebaſtiani. Habitant autem ibi, ob loci maximam incommoditatem & deplorandam ruinã, tantùm 5. fratres.
C

De conuentu S. Franciſci Biturigum. *Conu. XXI.*

NON longè ab Exolduno ſita eſt metropolitana ciuitas, ac vniuerſitas Bituricenſis Archiepiſcopalis ſedes, quæ toti Cuſtodiæ nomen dedit, in qua conuentus noſter, domini Frãciſci vulgò nuncupatus, incluſus eſt, anno Domini 1228. ab illuſtriſſimo D. de Chauuignij (cuius immediatè mentio habita eſt) magna ex parte erectus & fundatus. Is enim, dum viueret, Ordini noſtro valdè deuotus, templi chorum, aliaq; ædificia profratrum mora & habitatione conſtrui curauit: & vt fundator eodem in loco ſepeliri voluit, qui anno Domini 1270. obijt. Poſt cuius deceſſum D. Ioanna de Viercon mulier ſancta, & verè pia, iam inchoatum templi ædificium à choro ad finem vſque ſuis ſumptibus perfecit ac compleuit. Quem locum impetrauit acceptauitque V. P. F. Maſſæus
D beatiſſimi Franciſci P. N. ſocius, & contemporaneus, à prænominato D. de Chauuignij clariſſimo viro. Eccleſia verò in honorem Dei, & ſanctorum Andreæ, & Ioannis Euangeliſtæ memoriam, anno Domini 1260. dedicata fuit, menſis Aprilis 21. Incolitur autem conuentus hoc tempore à duodecim circiter fratribus. Traditione à patribus didicimus venerabilem P. Maſſęum (de quo ſupra) Biturigibus nedum multis diebus habitaſſe, verumetiam ibi concionatum fuiſſe. Cumq; non conſtet eum diem ſuum ibi clauſiſſe, ac ſepultum fuiſſe, longè veriſimillimum eſt (quandoquidem non diſcordant temporum ſupputationes) eundem eſſe quem in ſacriſtia conuentus Salmurenſis, anno Domini 1280. ſepultum fuiſſe ſupra commemorauimus. Prædicauit inſuper in dicta Biturigum metropoli, atque ad hæreticorum confuſionem, & Catholicorum corroborationem ſingulare in IESV CHRISTI virtute ædidit miraculum D. Anto-
E nius Paduanus, quo de ſtupendo prodigio in eiuſdem ſancti vita, & Ordinis antiquis monimentis ſeu chronicis expreſsè & nominatim memoria habetur. Factum autem eſt miraculum in cæmiterio ſancti Petri de Guillard. Ad perpetuam verò rei memoriam ex eo tempore excitatum eſt, ac ędificatũ ibidem ſacellum, D. Antonio Paduano ſacrum. In præfato Bituricenſi conuentu aliquot indulta ſeu priuilegia à ſummis Pontificibus Ordini noſtro conceſſa habentur. Verbi gratia, quòd fratres Minores ſint exempti. Item quòd poſſint aliorum audire confeſſiones nempe ſęcularium. Quodq; à ſacerdotibus religioſis abſoluti non teneantur iterum à ſuis curatis, ſeu Paſtoribus parocchiarum abſolutionem petere & accipere. Aduerſus quendam dogmatiſtam, qui dicebat neque Deum neque Papam (ſtantę canone, omnis vtriuſque ſexus in Concilio generali

Lateranenſi edito) concedere poſſe vni ex Ordine Mendicantium ſacerdoti generalem A
poteſtatem abſoluendi in foro conſcientiæ ſęcularem ſibi confeſſum, quin à proprio Curato abſolutionem antè, vel pòſt accepiſſet. Ideoque coram ſanctiſſimo D.N.Papa euocatus, palinodiam cantare ſeque retractare iuſſus eſt, ac condemnatus. De quo & in Extrauagantibus mentio habetur ſpecialis. Qui quidem dogmatiſta (ſi ſatis memini) Ioannes de Polliaco vocabatur, vir vtique nouarum opinionum amicus.

De conuentibus Vaſtini, ac montis Ioannis. Conu. XII. & XIII.

SVNT & alij duo conuentus fratrum, qui ob tumultus bellicos non habitantur: cùm penè omnia ibi vaſtata ſint. Vnus vocatur de Vaſtino: alter verò montis Ioannis: de quibus nihil dignum memoria compertum extat. His itaque prætermiſſis: ad Britannicam Cuſtodiā deſcribendam, ac res ſpectantes ad illā exarandas, pergimus. B

De conuentu Minoritico Nanetis. Conu. XIIII.

CVSTODIÆ Britannię primus qui occurrit, ſeque offert, vocatur Nanetenſis conuentus, in celebri vrbe Naneto, ac vniuerſitate, intra muros conſtructus, cura & expenſis clariſſimi viri Gulielmi de Rieux, & Annæ à Maſcolio eius vxoris, anno Do. 1296. In quo hodie triginta duo fratres ſimul habitant. Ex quibus duo ſunt lectores tam in ſacris, quàm humanioribus literis. In illo Ordinem profeſſus fuerat bonæ memoriæ honorandus ſacræ Theologiæ in facultate Pariſienſi Doctor, eiuſdemq; loci vigilantiſſimus olim Guardianus, necnon iſtius Turoniæ Prouinciæ Miniſter magiſter ac P. Iulianus Dauid, cuius inſignis eruditionis apud Hiſpanos, in Valliſoletano generali Capitulo, & apud Italos in Romano etiā generali Capitulo, ſplendor refulſit, famaq; C
apud exteras nationes percrebuit. Ex cuius ſchola, & diſciplina Lutetię Pariſiorū, tāquā ex equo Troiano, literatiſſimi, & optimi prodierunt diſcipuli, qui & ſucceſſione quadam non interrupta ibidem iuuentutem bonis literis, ac moribus imbuerunt, inſtituerunt, ac rexerunt hactenus. Qui circa annum Domini 1573. obdormiuit in Domino Nanetis, in templo ſeu eccleſia fratrum Minorum honorificè conditus. Habentur ibidem ſanctorum reliquiæ, veluti caput ſanctæ Vrſulæ: digitus ſancti Bonauenturæ: ſpina ex D. N. corona decerpta, vndecim item millium virginum aliquot oſſa.

De conuentu Minoritico Burginoni. Conu. XV.

AD ſalinas maris poſitus eſt antiquiſſimus conuentus Burginoni. Quis verò ipſum ædificauerit, & fundarit, docebit antiqua vetuſtaq; ſepultura in choro, maiori altari propinqua. In cuius circuitu ſic ſcribitur: *Hîc iacet Dominus Gerardus à Maſcolio Burginoni poſſeſſor, & domina Eleonora Tonarcenſis eius vxor, qui hunc conuentum fundarunt, & baſilicam conſtrui curarunt, & fratres Minores in illum introduxerunt, anno Domini 1332. Die verò menſis Octobris 10. Præfatus vero Dominus Gerardus fato ceſsit anno Domini 1343. Vxor autem eius obijt anno Domini 1363. Februarij 27.* Habitant tantùm nunc ibi ſex fratres. Quo ex loco interim quidam grauiſſimi viri olim prodierunt, ſicut habet vetus admodum martyrologij ſcriptum, vbi ſic legitur: *Obijt bonæ memoriæ magiſter N. P. ac F. Ioannes Amicus huius conuentus alumnus, quondam huius Prouinciæ Miniſter, tandem Epiſcopus Bethlemitanus, poſtmodum verò Sarlatenſis, anno Domini 1410.* Multæ quidem ſunt ſanctorum reliquiæ ibi, ſed nomina ignorantur. Extat etiam Ioannis XXII. priuilegij bulla concedentis indulgentiſq; fratribus dicti loci, vt poſſint bona mobilia & immobilia poſſidere, propter regionis illius ſterilitatem. Terra ſiquidem illa verſa eſt in ſalſuginem, nec aliqua producit ſemina, ad vitam traducendā neceſſaria, ſale excepto.

De conuentu S. Franciſci de Sylua. Conu. XVI.

EST & alius eiuſdem Cuſtodiæ conuentus, dictus Fulgeriarum, in denſiſſimo nemore erectus, iuſſu clariſſimi Britannorum Ducis Ioannis, idq; obtentu, ac induſtria Magiſtri Gulielmi Vorrillonis Dinannici conuentus alumni, & Ducis illius confeſſarij, anno Domini 1464. Vocatur autem conuentus S. Franciſci de Sylua. Manent ibi ferè ſemper 26. fratres: inter quos duo ſunt lectores, in Theologicis literis vnus, alter

vero

A verò in grammaticis. Reliquiæ nullæ ibi ſanctorum præter illas, quæ in dedicatione & altarium conſecratione recondi ſolitæ ſunt. Nullæ item pontificiæ literæ ſeu bullæ.

De conuentu S. Iacobi Redonij. Conu. XVII.

REDONENSIS ciuitas ac Epiſcopalis ſedes, locusq; ampliſſimi Britāniæ ſenatus, ſeu parlamēti, intra ſua mœnia, muroſuè fratrum Minorum celeberrimū conuentum continet, à Britanniæ Ducibus conſtructum, erectumq; ab annis circiter 300. in altiori loco ciuitatis. Cuius ſtructura ſuperba, magnificaq;, & elegans videtur. Eccleſia verò dicata eſt D. Iacobo minori. Interim tamen appellatur conuentus S. Franciſci. Ferunt quendam eiuſdem loci fratrem Radulphum nomine ibi ſepultum: cui viuo ſacrū facienti, & Miſſam celebranti, adſtabant & miniſtrabant Angeli. Quoad reliquias, videtur ibi particula S Crucis, digitus S. Catharinę, & coſta vna S. Andreæ, inſuper & capſula
B quædam reliquiarum vndecim millium virginum. De literis porrò huius conuentus nihil certi ſcribere poſſumus, quoniam ſacrarium, in quo aſſeruabantur, incendio conflagrauit, & ſolo æquatum eſt, ſicq; igni conſumptę ſunt literę. Fratres ſunt ibi triginta.

De conuentu S. Franciſci Venetarum. Conu. XVIII.

VENETENSIS conuentus in Venetarum ciuitate, & Epiſcopali ſede, littori maris adiacenti, vetuſtiſſimo ſanè (cuius etiam in commentarijs ſuis Iulius Cęſar meminit) loco, intra eius muros extructus, fundatorem habuit generoſiſſimum ac pium Arthurum, ſecundum Britanniæ Ducem: qui anno Domini 1265. vixit. Cuius tumulus in medio chori poſitus ſcripturam habet penè obliteratam, vt vix, ac ne vix quidem legi
C poſſit. Neſcitur itaque tempus, vel annus ſui obitus. Ferunt interim quamplures hunc Ducem monaſterium hoc erexiſſe. Quod verò ſimilius eſſe videtur: Nam & ipſius inſignia eccleſiæ parietibus circumquaque inſcripta ſunt. Quæ quidem eccleſia à R. Guidone Venetenſium Epiſcopo, anno Domini 1265. dedicata eſt. Vocatur autem conuentus S. Franciſci: in quo etiamnum hodie manent 22. fratres: ex quibus alter prælegit iuuenibus, reliqui ſunt prædicatores, ſacerdotes, profeſſi, & nouitij. Eſt ibi bulla Clementis IIII. qua anathemate ferit eos omnes, qui fratres Minores in ſuis conuentibus infeſtant. Habentur etiam in hoc conuentu quædam Apoſtolorum Petri, & Pauli reliquię. Huius vrbis Venetenſis incolæ, ante annos 40. lue inguinaria, morbouè peſtifero grauiter oppreſſi, vt liberarentur, periculumq; euaderēt, ſacellum, titulo noſtrę Dominæ de virtutibus inſignitum, ibi extruxerūt, ſicq; votorum, ac deſideriorū cōpotes redditi ſunt.

D *De cōu. S. Frāc. ſeu Dominæ noſtræ de virtutibus Dinanni. Conu. XIX.*

DINNANVM vrbs pulcherrima in Epiſcopatu S. Maclouij conuentum habet diui Franciſci elegantiſſimum: cuius erectio, ſanctaq; eiuſdem conuentus deſtinatio, ſeu legatio, ſequenti patebit hiſtoria. Anno igitur Domini 1241. cùm S. Gallorū Rex Ludouicus, maxima ſui Regni magnatum, ac procerum multitudine ſtipatus in Turcas, & Saracenos ſe conferret, excelſus & generoſus Baro Dauaulgour, qui magna fide, ac pietate votum Domino & diuo Franciſco fecit, pollicitus, ſi de ſuis, vel potius Chriſti Chriſtianorumque omnium iuratis hoſtibus triumpharent, ſe Dinanni, ex proprio palatio fratrum Minorum cœnobium ædificaturum, atque Franciſcani Ordinis habitum ſuſcepturum, ſi ſaluus Rex, & incolumis, totusq; exercitus ad patriam redirent.
E Quo in gemitu, ei Patriarcha ſanctus Franciſcus apparuit dicens, ne Chriſti milites animum deſponderent, futurumq; illis auxilium à Deo repromiſit. Quo peracto bello, dominus Dauaulgour deoſculatis Chriſtianiſſimi Francorum Regis manibus, huic ſęculo nequam, & pompis eius nuncium remittens, & abrenuntians, à beato Bonauentura habitu D. Franciſci ſuſcepto, Dinannum redijt, ibique, vt promiſerat, magnificentiſſimum conuentum erexit, qui à cunctis noſtra Domina de virtutibus nuncupatur. Hanc porrò imaginem noſtræ Dominæ de virtutibus miſerat ad præfatum fundatorem ſeraphicus Doctor Bonauentura, vt ex archiuis liquet. In eo autem conuentu laude, memoriaq; dignam vitam protrahens in Domino tandem obdormiuit, ac diem clauſit extremum. Sunt ibi commorantes triginta quinque fratres, Deo optimo max. inſeruientes.

De con-

De conuentu S. Franciſci Guingampij: *Conu. XX.* A

AD reliquos conuentus huius Cuſtodiæ in inferiori Britannia ſitos properantes, prope vrbis Guingamp communiter appellatæ mœnia, in parœcia & prioratu ſancti Saluatoris Epiſcopatus Trecorenſis, ſitus eſt fratrum Minorum conuentus, nomine ſancti Franciſci, quem Guydo II. filius Arthuri II. Britannorum Ducis, Comesq; de Pentheuure erigi fecit, vaſtiſſimum quidem, & ampliſſimum: & fratres Minores illum inhabitare cœperunt, anno Domini 1283. in quo communiter 14. fratres manent, & morantur. Inter quos 5. ſunt prędicatores & vnus lector. Ibiq; requieſcunt multorum Britanniæ Ducum corpora: Inter quos vnus, videlicet Carolus Bleſenſis, ob merita vitæq; ſanctimoniam, & auſteritatem, poſt obitum colitur vt ſanctus, & in numerum ſanctorum creditur relatus à ſucceſſore Gregorij XI. Id comprobat delegata commiſſio patri ac fratri Radulpho Procuratori eiuſdem Guingampenſis conuẽtus, qua Romam adiret impetraturus ab Vrbano V. ſummo Pontifice prefati Ducis ſancti canonizationem. Extat & bulla ipſius Vrbani, xvj. cal. Septẽbris Pontificatus ſui anno vij. qua affirmat ſe vehemẽter ſolicitatum à proceribus cùm ſęcularibus, tum eccleſiaſticis, maximè verò à Carolo VI. Francorum Rege, vt teſtantur literæ ipſius commendatitiæ prænominato P. Radulpho collatæ, quatenus curaret præfatum Carolum Bleſenſem in ſanctorum referri numerum, ac catalogum. Et vt de eius vita & miraculis in propatulo eſſet veritas, ſuper hoc negotio deputatos commiſit Vrbanus V. Epiſcopum ſcilicet Baiocenſem, Abbatem maioris monaſterij iuxta Turones, & S. Albinum Andegauenſem. Gregorius verò XI. ijs adiunxit Archiepiſcopum Rothomagenſem. Hæc ſunt Caroli Britannorum Ducis canonizationis teſtimonia. Qua de re conſulendi ſunt grauiſſimi hiſtorię Francię, & Annalium ſcriptores Froiſſardus, Guaguinus lib. 9. & Paulus Æmilius, Dutillet in ſuo Chronico, Polydorus Virgilius hiſtoriæ Anglorum lib. 19. & moderni Iheuet, & Belleforeſt in ſua Coſmographia. Clarum quoq; euadit ex informationibus factis ſuper canonizatione S. Iuonis ipſum tertij Ordinis habitum ſuſcepiſſe in conuentu Guingampenſi. Habentur etiam multæ ſanctorum reliquię, pręſertim S. Ludouici Toloſani Epiſcopi, ſculptura ſigilli conuentus effigiem ipſius refert, de coſta S. Chriſtophori martyris, de S. Marco Papa, SS. Eleutherij, Pontiani, Nerei, Achillei, & Pancratij martyrum. S. Dorotheæ virg. & mart. S. Viti mart. S. Petri exorciſtæ, S. Marcellini presbyteri, de dente B. Hieronymi, S. Petri Alexandrini, S. Laurentij mart. ſanctorum Protaſij & Geruaſi martyrum, S. Cæſarij mart. de capite & brachio S. Lidam confeſſ. SS. Coſmæ & Damiani martyrum S. Blaſij Epiſcopi & mart. de brachio B. Mathęi Apoſtoli, S. Anaſtaſię, S. Marię Magdalenę, SS. Apoſtolorũ Petri & Pauli, de brachio B. Bartholomæi Apoſtoli, de dente S. Vincentij mart. de brachio Zachariæ prophetæ, de purpurea veſte D. N. de corda B. Franciſci, de tunica B. Clarę & aliorum ſanctorum, quorum Deus ipſe nomina ſcit. Quæ quidem reliquiæ per reuerendiſſimũ Epiſcopum Ierracenenſem viſę, & plenius non ſemel fuerunt approbatæ. Quas conuentui Guingampenſi dedit Henricus Ducis Britannię filius, ea interim lege, quòd de ipſis reliquijs nullo vnquã tẽpore aliquis fratrum alienare, aut diſtribuere præſumat abſq; licentia ſereniſſ. Principis D. Marię Dei gratia Hieruſalẽ, atq; Siciliæ Reginę ſororis noſtrę, illuſtris & chariſſimi fratris noſtri Ioãnis Comitis de Pẽteuure, noſtra quoq; & hęredũ noſtrorũ, ait & ſtatuit pręnominatus Henricus. Hę autẽ donationis literę cõſcriptę ſunt ab eodẽ Henrico in conſeruationem prędictarũ reliquiarũ anno Dñi 1388.

(Margin letters: B, C, D, E)

De conuentu S. Mariæ Magdalenæ Corizopiti. *Conu. XXI.*

IN ciuitate Corizopiti, vulgò Kimper nuncupata, & in caſtro fundatoris erectus eſt conuentus Corizopitenſis. Porrò clariſſimus vir, & magnificus Baro Dominus à Ponte, noſtri Ordinis amantiſſimus, eiuſdem ab omnibus affirmatur fundator. Baſilica huius conuentus primò nomine S. Ioannis Baptiſtæ fuit inſignita, & fertur ibi Templarios aliquando habitaſſe. Rurſus ſub nomine S. Mariæ Magdalenæ, à reuerendiſſimo Renato Corizopitẽſium Epiſcopo, & conuentus huius alumno, anno Domini 1232. dedicata eſt. Cui in Epiſcopatu ſucceſſit venerabilis pater Guydo, qui Venetis ſepultus

eſt. Eo-

A eſt. Eodem tempore floruit frater Ioannes diſcalciatus, Patriarchæ noſtri Franciſci ſocius, qui in eo conuentu obijt, & in ſacello S. Antonij extat eius ſepultura, craticulis ferreis circumſepta. Qui verò capitis dolore diuexantur, in illius tumulũ caput ſuum intromittunt, ſicq; à morbo uindicati illinc abeunt. Videtur item ibi caput S. Turij Corizopitenſium quondam Epiſcopi. Habetur etiam ille agnus Dei, quem ſecum deferebat B. Ludouicus noſtri Ordinis ſacer Pontifex. Eſt ibidem illius cingulum, ſeu corda, & mulieres parturientes grauibus afflictæ doloribus, appoſitis illa agni Dei effigie, vel imagine, & corda, mox à tantis liberantur anguſtijs Multorum inſuper ſanctorum viſuntur reliquiæ, quorum nomina ignorantur; nihilominus tamẽ maximè venerantur.

De conuentu S. Catharinæ Pictauij. *Conu. XXII.*

B CVSTODIA Pictauienſis penultima totius prouinciæ, à celeberrima Pictauorũ ciuitate, & vniuerſitate nomen ſortita, ſeptem habet complectiturq; conuentus, in Aquitaniæ partibus ſita, & collocata, vnde fit vt, ob graſſantia bella, quæ in Gallia potiſſimum Aquitanica diu fuerunt, vniuerſi penè conuentus ab hęreticis perduellibus incendio funditus deuaſtati, ſoloq; æquati ſint, pauca perinde de illorum origine, erectione, & fundatione, alijsq; ſcitu neceſſarijs, hæc Chronica complectuntur: cùm authentica inſtrumenta, & originalia omnino perierint, & quàmplurimi fratres, qui alios his de rebus edocere potuiſſent, à catholicæ Religionis, ac monachiſmi oſoribus, iuratisq; hoſtibus interfecti fuerint Paucula tamen ex quamplurimis delibantes, excerpentesq; ad Pictauienſem conuentum, totius Cuſtodiæ præcipuum magisq; integrum, atq; in totius Pictauiæ metropoli poſitum, ſtylum conuertimus, qui quidem, intra ciuitatis C muros concluſus, ædificari cæpit, viuentibus Hugone, & Guidone à Leziginaco eiuſdem loci fundatoribus, quo autem anno, vel tempore id euenerit, vel à quo primitius impetratus acceptatusq; fuerit fratre, quamuis ſedulò inueſtigatum ſit, tamen ex manuſcriptis exẽplaribus, ſeu originalibus conuentus dicti loci minimè patuit. Conſtat autem illum in quodam ſacello, D. O. M. beatæq; Catharinæ virgini & martyri dicato, erectum fuiſſe, quaſi in ciuitatis medio, & prope palatium regium, vnde fit, vt dictum cœnobium præfatam martyrem ſemper habeat patronam. Interim circa annum Domini 1267. Pictauorum Comes Alphonſus nomine S. Ludouici Francorum Regis germanus & frater, permultis donis & beneficijs auxit, ex quo iſtius conuentus antiquitas demõſtratur. Adde quòd locus, in quo morabãtur quidã dicti fratres de Sacco, fauore ſanctiſſimi D. Gregorij X. fratribus Minoribus, ad ampliationem ſeu augmen-D tum conuentus ipſorum, collatus eſt. Qui præfati ſummi Pontificis iuſſu Lugduni aboliti & condemnati fuerunt. Conuentus ſupramemoratus ita ampliatus, olim à fratribus Minoribus quaſi 60. numero incolebatur: (quemadmodum è cellis dormitorij colligere eſt facilè) nunc verò, ob fratrum paucitatem, 20. duntaxat ibi commorãtur. Inter quos cuſtos ac Guardianus F. Iacobus Symier multa collapſa inſtaurauit, ſuaq; diligẽtia reſarciri curauit, & pro curauit. Quinq; ſub ſe prædicatores is habet, ex quibus vnus iuniores fratres Grammaticæ elementa docet. Reliqui ſunt ſacerdotes, ac profeſſi. Quo ex conuentu præclari ingenio, ac vitæ ſanctimonia viri, noſtra etiam ætate prodierunt: inter quos, omnium inſtar memoria, laudeq; digniſſimus habetur R. P. ac Epiſcopus Hebron, Pictauorum Epiſcopi Suffraganeus, Frater Hilarius Choun, qui in Capitulo prouinciali Pictauij celebrato electus Prouincialis, prudenter, & ſanctè hanc modera-E tus eſt, rexitq; Prouinciam. Obijt autem Pictauij, ibidem ſepultus. Extant ibi quædam reliquiæ, vt portio aliqua Crucis viuificæ, de pallio B. P. Franciſci, & aliç. Non prætermittendus eſt huius loci alumnus, & meritiſſimus Pictauienſis ciuitatis Epiſcopus B. Gualterus de Brugis, qui ſub R. P. Bona gratia, tunc generali Miniſtro electus Miniſter Turonie, ad Epiſcopatus tandem faſtigium à diuina prouidentia, & Sede apoſtolica aſſumptus eſt, S. Theologiæ Doctor egregius, & ſolemnis: quiq; ſuper ſententias eruditiſſimè commentatus eſt. Cuius uita, ac miracula exactè in Chronicis, Hiſpano idiomate conſcriptis, cùm de viris illuſtribus Ordinis noſtri mentio habetur, deſcribuntur; Meminit eiuſdem Raphaël Volaterranus. Super eius caput, in eximiæ cuiuſdam ſimplicitatis, innocentiæ, & ſanctitatis ſignificationem, nòn ſemel columba apparuit, dum ſacra miniſtra-

miniſtraret.Quamplurimi eiuſdem meritis & precibus à febre quartana conualuerunt, deq; paralyſi,alijsq; morbis. Quidam etiam comitiali morbo, ſiue epilepſia affectus ſanitati priſtinæ eſt reſtitutus.Huius ſepulchrum iuxta altare maius eccleſię fratrum Minorum viſitur,& à multis fidelibus, eius opem ad Dominum implorātibus, deuotè viſitatur. Eſt etiam iuxta refectorium dicti conuentus domuncula, ſiue cubiculum titulo S.Gualteri nuncupatum. Cætera quæ ad eiuſdem ſancti commendationem faciunt,& ab eo pręclarè in vita,& poſt mortem geſta copioſius in prius commemoratis authoribus explicantur. Suffecerit nobis ſi Volaterrani grauiſſimum hîc producamus teſtimonium. Is igitur author Apologiæ lib. 21. de claris viris Ord. D. Franciſci ſic commentatur. *GVALTERIVS BVRGENSIS Miniſter Turoniæ,quem ob ſanctitatem prodigijs clarere dicunt,magnumq; æs alienum benignè pauperibus faciendo contraxiſſe,cùm ſummus eſſet Theologus, multaq, ſcripſiſſet,ac inuitus Præſul Pictauienſis crearetur, venit in litē pro iure ſuæ Eccleſiæ cum Archiepiſcopo, & metropolitano ſuo Burdigalenſi Præſule, qui paulò pòſt ſummus Pontifex creatus nomine Clementis V. hunc aduerſarium ſuum Præſulatu deiecit.* Superſunt reſtantque, vt huic Prouinciæ finem imponamus,ſex Cuſtodię Pictauienſis conuentus deſcribendi, atq; exarandi,qui his pręnotātur peculiaribus nominibus,nempe.

Conuentus Hyortij.	*Conu. XXIII.*
Conuentus S. Maxentij.	*Conu. XXIIII.*
Conuentus Partiniaci.	*Conu. XXV.*
Conuentus Caſtriberaldi.	*Conu. XXVI.*
Conuentus Iuliodunivel Loſduni.	*Conu. XXVII.*
Conuentus Thouarci.	*Conu. XXVIII.*

IN quibus aliqui fratres etiam nunc commorantur, ſed quia pauci ſunt, ob demolitionem locorum,quæ per hæreticos hiſce turbulentiſſimis temporibus accidit, ideo de his ſilere potius duxi,quàm pauca dicere.Quorundam tamen fratrum,qui bellorum ciuilium graſſante perſecutione pro Chriſti fide, ac nomine mortem ſubierunt,nomina recenſenda meritò ſunt. Hyorti itaq; ſuæ fidei profeſſionem, & teſtimonium reddidit reuerendus P. ac Magiſter, Cuſtosq;, Ruellon cognomine: Loſduni autem reuerendus P. Michaël Deſmans: & venerabilis pater frater Ioannes Demalay, nobilibus, atq; claris parentibus ortus: & denique pater frater Iuo Boyer S. Theologiæ Licētiatus.

Conuentus S.Franciſci Engoliſmæ. Conu. XXVIIII.

CVSTODIA omnium poſtrema Xantonica dicitur. Hæc in Aquitanica Gallia, olim ditionis Anglorum,nunc verò, & quidem antiquiſſimo iure, Regis Francorum Chriſtianiſſimi, ſita eſt. Nacta autem nomen Xantonicum, ab vrbe Xantonarum Epiſcopali ſede, ad fluuium Carentonam,quæ in extremis partibus Prouinciæ iſtius, fertilibus agris,& regijs vrbibus, & ciuitatibus, abundanti ſolo collocata eſt. Continebat olim octo fratrum monaſteria, atq; vnum dominarum ſororum S. Claræ Vrbaniſtarum (vt loquuntur) in arce & munitiſſimo regioq; oppido ſeu vrbe, vulgò la Rochelle nuncupata. Nunc verò illa graſſante bello ciuili,potiſſimum in Aquitania, ſunt vniuerſa (dempto vno Engoliſmenſi ſcilicet) ab hæreticis diruta,incenſa,& euerſa, fratribus,qui in illis erant,varijs cruciatibus in Chriſti odium excarnificatis, & mortem ab illis fortiter perpeſſis.Quorum vtiq; mors in conſpectu Domini pretioſa eſt. Primus igitur huius cuſtodiæ Conuentus eſt ille,qui intra muros Engoliſmę,quæ eſt vrbs in montis cacumine,ſuper quem ædificata eſt,poſita,& ſedes Epiſcopalis,atq; Carētona fluuio alluta,ſurrigit.Qui ædificari cœpit,anno Domini 1282. viuente Hugone à Lezigniaco, Comite tunc Engoliſmenſi.Quem tamen poſtea Ordini noſtro auxit valde deuotus dominus,& Comes à Rupefucaldi,Gallicè la Rochefocault, nomine Guido. Ideoque præcipuus dicti cœnobij fundator habetur.Illiusq; ſpecialis,tutelarisq; patronus eſt S.Clemens diui Pauli diſcipulus, ac Apoſtolorum Coriphæi diui Petri tertius ſucceſſor. Cùm dictus Guido de la Rochefoucault, prolem maſculam ex coniuge ſibi cariſſima minimè ſuſcepiſſet, atque adeò de ſucceſſore ſibi hærede deſperaret, exemplo Patriarchæ

A chæ D. Abrahæ, contra ſpem in ſpem credens, & in Domino confiſus votum emiſit, vt ſi prolem hæredem acciperet, in beneficij accepti gratiam memoriam perpetuò Franciſcus nominaretur, quicũq; ius primogenituræ in eius ditionibus, & poſteritate ſortiretur. Voti itaq; factus cõpos D. Frãciſci (cui ſpecialiter deuotus erat) precibus, eius ſodalitio & Ordini conuentum Engoliſmenſem erigi, conſtruiq; curauit. Cuius corpus humatum fuit ante maius altare, quod ab initio erectum fuerat, vbi nunc valuæ, ſeu oſtia ſunt eccleſiæ à conuentus amplificatione, quæ poſt centum fermè annos contigit. Siquidem Beatrix quædam Engoliſmæ Comitiſſa, Ordini D. Franciſci deuotiſſima, vt eccleſia longè amplior ac elegantior, ſplendidiorq; ędificaretur, augereturq; conuẽtus ſtudiosè curauit. Quæ circa annum Domini 1328. diem clauſit extremum. Tumulo autem conditum fuit eiuſdem corpus in præmemorata eccleſia ante altare maius, &
B circa annum 1562. feruente bello ciuili. Eiuſdem Beatricis à Britannia (hoc enim fuit ei cognomen) ſepulchro aperto repertum fuit corpus, non inuolutum ſindone, ſed ſacco coriaceo vndiq; compactum, & conſutum. Dictorum fidem faciunt, quæ Engoliſmæ aſſeruantur literæ, anno Domini 1564. conſcriptæ, V. P. F. Ioanne Thenaudi Doctore Theologo dicti conuentus tunc Guardiano, poſtea verò Mellinenſi apud Cenomanos Abbate, ex ſanctę Sedis diſpenſatione. In dicto conuẽtu primitus erant fratres 35. ſimul commorantes, quod conijci poteſt ex numero totidem cellarum dormitorij, nunc quidem maiore ex parte dirutarum. Modò verò manent ibi 8. tantùm, ex quibus vnus eſt lector, qui etiam iuuenibus Grammaticæ incunabula, & rudimenta prælegit. In archiuis conuentus aliquot literæ pontificię reperiuntur. Quarum alię ſunt à Gregorio IX. Pontifice ſummo ſui Pontificatus anno vj. conceſſæ, priuilegia ſepulturæ
C fratrum continentes. Alteræ autem à ſanctiſſimo Clemente IIII. Pontificatus ſui anno j. conceſſæ, vetantes ne fratrum mœnia vel domicilia infringantur, violenturque. Tranſcriptũ habetur Pictauij, anno Dominicę incarnationis 1430. Pontificatus Martini V. anno iiij. Aliæ quoq; extant, ne fratres cogi poſſint à cætero intereſſe alicui cauſæ, niſi ſit fidei, datę Romæ iij. cal. Iunij ſub Innocentio IIII. Pontificatus ſui anno primo. Hunc conuentum toto decennio prudentiſſimè rexit bonæ memorię, & eximię eruditionis Doctor Theologus in vniuerſitate Pictauienſi venerabilis. P. F. Iacobus Magnelotus prædicator, & ſui ſæculi phœnix, huius Cuſtodiæ meritiſſimus Cuſtos, qui anno à lætabunda Chriſti ſeruatoris noſtri natiuitate 1557. menſe Septembri obdormiuit in Domino, ibidem ſub lampade honorificè ſepultus. Eius cineres & oſſa ab impijſſimis hæreticis effoſſa, ac exhumata, impio quodam ſacrilegio indigniſſimè contrectata ſunt,
D ac diſperſa. Cùm etiam, circa annum Domini noſtri 1568. vrbe ab hoſtibus & perduellionis reis capta, venerand. pater frater Michaël Grelet Xanctonenſis Cuſtos, Guardianuſq; Engoliſmenſis (cuius memoria in benedictione eſt), ac domini Ioannis de la Rochefaucault maioris monaſterij Abbatis (cuius anima pace fruatur æterna) concionator ac confeſſor, ad furcas damnatus fuit. Qui cùm ad ſupplicij locum duceretur, Gaſparo de Colligny, Galliarũ Ammiranti (vt loquuntur) prædixit, quòd inſtar Iezabelis è feneſtra deijciendus, ſicq; mortem oppetiturus eſſet. Atq; ita ei accidit, circa annum Dominicæ incarnationis 1573. menſis Auguſti 24. Lutetiæ Pariſiorum. Is enim adhuc palpitans, mortiq; vicinus per feneſtras deiectus eſt, eiuſq; cadauer per vrbis compita & angiportus tractum à pueris, omniq; ludibrio expoſitũ, iuſtas Deo æquiſſimo ſcelerum, ac impietatis vindici dedit pœnas, prout ſibi viuo (vt dictum eſt) à præ-
E fato patre, ac glorioſiſſimo Chriſti martyre fuerat prænunciatum, nec ſine prophetico ſpiritu in ſcala, ſeu gradibus ſupplicij ingenuè prædictũ. Alter Petrus Boneau vocatus, ciuitatis Engoliſmẽſis prædicator ordinarius ſacræ Theologiæ eruditiſſimus Doctor, in facultate Pictauienſi (qua in vrbe Ordinem profeſſus fuerat) morti ſimiliter adiudicatus, paulò antequam è carcere educeretur, mortis ſuæ præſcius, ijs, qui ſecum clauſi tenebãtur, prædixit fore, qui ſe perderent iam iam venturos. Quo adhuc loquẽte, adſunt illi Satanici miniſtri, qui cum ingenti impietate, ac in fidem Catholicam odio ducti, ad ſupplicium atq; mortem quærunt: Et ſanctiſſimus pater qui diu podagra laborauerat, ac ſi nullum præſentiret dolorem, ingenti animi lętitia affectus, ad furcas rapitur, ſuis pedibus iter ingreſſus, ſicq; hanc miſeram vitam glorioſa morte commutauit in æternam bea-

nam beatamq́; . Cuius corpus poſt duorum ferè annorum ſpatium ita repertum eſt in- A
corruptum, ac integrum (cruribus tamen fractis) perinde ac ſi recens humi traditum, &
terrę commendatum fuiſſet. Atq; è loco patibuli, in quo ingloriosè iacuerat, in capitu-
lo prædicti conuentus, magna cleri ac populi frequentia, repoſitum eſt. Alij duo probi
patres eiuſdem loci, nempe frater Ioannes Virolault tunc lector ibidem, ac frater Ioan-
nes Aprilis, diu etiam lector, vterq́; ſanè egregius concionator, neci ab hęreticis tradi-
tus eſt, prior quidē genitalibus abſciſſis: ô barbarā, & plus quàm Turcicā carnificinā!
Poſterior vero ceruicibus haſtis cōminutis. Sicq́; martyriū ſuū ambo coſummauerunt,
atq; ſui ſanguinis effuſione illuſtre fidei teſtimonium Ieſu Chriſto domino dederunt.

De conuentu S. Coſmæ Cognaeu. Conu. XXX.

COGNAEV vrbs regia ad fluuium Carentonam ſita, in Ducatu Engoliſmenſi,
ac diœceſi Xantonenſi, habuit non ita pridem extra muros conuentum fratrum B
Minorum impenſis & ſumptibus pijſſimi herois domini Vgonis le Brun à Lezigniaco
(de quo etiam ſupra non ita dudum) Domini Cognaënſis, & Engoliſmæ Comitis, cir-
ca annum humanæ reparationis 1288. aut circiter, conſtructum. Qui non multò pòſt
functus vita in eodem Cognaënſi conuentu, quem conſtrui curauerat, & fundauerat,
fuit ſepultus ante maius altare chori. Patronus autem dicti conuentus erat D. Coſmas
S. Damiani frater. Nunc autem locus omnino deſolatus, & funditus euerſus eſt ab im-
pijſſimis hęreticis. Attamē aliqui fratres morātur intra mœnia vrbis, in domo dicta Cor
Chriſti, quę olim fuerat conuentui legata à nobilibus Viuiano à Caſtro, & Bernardo à
Burdigala, eo fine, vt fratres eorum ac ſuorum animas perpetuò apud Deum haberent
commendatas, celebrarentq́; cunctis ſextis ferijs Miſſam pro defunctis. In eo domicilio
nūc tres tantū patres cōmorantur ſub obedientia Guardiani, qui officio eſt prędicator. C

De conuentu S. Franciſci Xantoni. Conu. XXXI.

XANTONVM vrbs regia ad fluuium Carentonam, metropolis Prouinciæ Xan-
tonicæ, conuentum habuit D. Franciſci extra vrbem in ſuburbijs Viuianis: Qui
modò dirutus eſt & ſolo æquatus. Nulli itaq; ibi morantur fratres, quòd ſit inhabitabi-
lis locus Quare ſuperſedentes pluribus deſcribendis, hoc vnum dumtaxat commemo-
rabitur, quod eſt obſeruatione dignum: martyrium, inquam, P. F. Mirambeau: Qui ab
hęreticis, vrbe Xantonica capta, velut alter Petrus à quatuor quaternionibus mili-
tum, haſtis conficiendus in medium productus, pugionibus punctus, interijt. Fortes mili
tes ſcilicet, qui tanto apparatu, in tam imbecillem, ac iuuenem hominem, ſed probum,
ſed pium, ſed in fide (quæ vincit mundum) victorioſum, ac inuincibilem, ſæuire non eru- D
buerunt: ô pluſquam parricidas immanesq́; beluas! qui cæteris impijs ac deſtandis fa-
cinoribus, ab ipſis immaniſsimè perpetratis, hoc vnum addere voluerunt, vt euidentiſ-
ſimo argumento declararent, quanto odio fratres Minores, ſanctiſſimi Romani Ponti-
ficis auctoritatem, ac ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ fidem ſuo ſanguine vſq; ad glorio-
ſam mortem proteſtantes, defendentes, ac confirmantes, proſequerentur.

De Minoritico conuētu & Clariſſarū monaſterijs Rupellæ. Cōu. XXXII.

RVPELLA vrbs ſimiliter regia, ad mare Oceanum ſita, duos conuentus habuit.
Alter erat in vrbe, fratrum ſcilicet: alius autem conuentus monialium diuæ Cla-
rę, intra vrbem quoq; concluſus erat in loco, D. Margaretę dicato. Prior, eo quòd ab hę- E
reticis vrbs detineatur, nedum dirutus eſt, ſed eo in loco collegium, in quo in hæretica
prauitate catechizantur ſeu inſtruuntur adoleſcentes, filijq́; hæreticorum, erectum, in-
ſtructumq́; eſt. Poſterior autem, quia catholicorum ſacrę ędes deſolatæ & deuaſtatæ
ſunt, ad diuina officia & Religionis exercitium, omnibus in vniuerſum catholicis &
orthodoxis deſeruit. Quem locum ſibi pretio compararunt & redemerunt. Inuentæ
ſunt ibi literæ, quibus continetur non eſſe contrarium fidei, aliquid ſanguinis Chriſti in
terram fuſi pro ſalute hominum remanſiſſe. Quæ quęſtio cùm multorum animos per-
mouiſſet, non ſolum ordinis Eccleſiaſtici (vt ijſdem literis continetur) ſed etiam ſæcula-
ris, tandem Lutetiæ Pariſiorum deciſa à facultate Theologiæ fuit & diſſoluta, ac ſupra

memorata

A memorata concluſio, ſiue articulus declaratus, & diffinitus tempore Nicolai V. Papæ Pontificatus ſui, anno ſecundo. Idq; circa annũ ab incarnatione noſtri Domini 1448.

De conuentu Minoritico Oleronis. Conu. XXXIII.

OLERON inſula eſt omni ex parte Oceano cincta, à Rupella plus minus quinq; leucis diſtans. Habuit olim conuentum F. Minorum, diligentia generoſi & nobilis domini Pontenſis conſtructum. Quo tempore ignoratur, cùm ibi omnia, vt Rupellę, demptis parietibus, hæreticorum rabie & furore ſint euerſa. Ideoq; dictus conuentus, longo tempore ſine fratribus manſit. Nunc autem ex ordinatione nouiſſimi Capituli, anno Domini 1584. menſis Iulij octaua, Aurelianis celebrati, à V. P. ac M. Hylaret, tũc Prouinciali ac noſtro Commiſſario, nouiter inſtitutus eſt dicti loci Oleronis Guar-B dianus F. Ioannes Maigret, ſi quomodo fieri poſſit, vt fratres ibidem ſe recipiant, ac habitent Domino famulaturi, & Eccleſiæ Dei inſeruituri. Maiora, & ampliora deſcriberentur, ſi ſalua manſiſſent originalia dictorum locorum: attamen Vulcano tradita fuêre.

De conuentu S. Ioannis Angeriæ. Conu. XXXIIII.

ANGERIA vrbs regia, ad fluuium Vulturnum ſita, conuẽtum olim habuit fratrum Minorum, S. Ioannis Angeriatenſis dictum, intra mœnia. Nunc autem inhabitabilis, deſertusq; locus eſt. Habitatur autem vrbs à perfidis, eſtq; velut arx & aſylum, ſeu propugnaculum, ac receptaculum rebellium & perduellium hęreticorum.

De Minoritico conuentu Barbezilij. Conu. XXXV.

C BARBEZILIVM oppidum eſt ſupra fluuiũ dictum Nay, in Xantonica Cuſtodia, quod iure hæreditario euenit vni ex Dominis à Rupefucaldi. Habuit olim extra muros ſecus viam regiam, qua itur verſus munitiſſimam, & ob negotiationum varietatem, portumq; maris clariſſimam ciuitatem Burdigalenſem, totius Aquitaniæ metropolim, conuentum F. Minorum, eodem fundatore, ac pari tempore, quo conuentus Engoliſmenſis, de quo ſupra. Cæterum omnia ſunt (proh dolor) vi bellorum penitus deſtructa. Quamplures olim fratres eruditiſſimi, ſanctiſſimi, & qui apud omnes optimè audiebant, & magnum nomen ſibi acquiſierant, commòrabantur, vitamque tranſigebant: Nunc temporis tamen omnino inhabitabilis eſt locus, & ab impijſſimis, peſtilentiſſimisque hæreticis omnino dirutus conſpurcatusque, nec ob Hugnoſticorum ibi commorantium multitudinem, ac ſæuitiam, tuta atq; ſecura eſſet ibi habitatio.

D

De conuentu SS Franciſci & Dominici Pontis. Conu. XXXVI.

PONS à multitudine pontium dictus locus, vel ex nomine Domini à Ponte, ſupra amnem Senonam ſitus eſt, omni ex parte olim muro cinctus, conuentum ſanctorũ patrum Franciſci ac Dominici habuit olim extra muros vrbis. Conuentus fratrum Minorum fundatores primi fuerunt Domini Pontuenſes, vt ex ſepultura iuxta altare maius conſtat, quæ in hunc vſq; diem permanet. Qui ſolo planè æquatus eſt, & factus inhabitabilis. Nihilominus ad conſeruationem, & Religionis propagationem, ex ordinatione Aurelianenſis Capituli nuperrimè celebrati (vt ſupra tetigimus) deſignatus eſt eiusloci Guardianus, cùm licebit tutò illic manere. Reperitur ibi tranſcriptum bullæ Leonis X. datæ Romæ, anno Dominicæ natiuitatis 1513. v. cal. Iulij, Pontificatus
E ſui anno j. apud ſanctum Petrum, continentis plenam liberationem à pœna & culpa conceſſam his, qui noſtri Inſtituti domos, clauſtra, ſepta, ædesq; ſacras ædificauerint, & auxerint, ædificari atq; augeri curauerint, ac procurauerint. Habentur inſuper aliæ literę in membrana deſcriptæ, duobus ſigillis appenſis, quibus continetur, quaſdam reliquias ſancti ac ſeraphici Doctoris Bonauenturæ fuiſſe illuc aſportatas Lugduno Galliarum, diligentia venerandi patris fratris Stephani Pariſeti noſtri Ordinis, ſacræq; Theologiæ eximij profeſſoris, conuentus Lugdunenſis Guardiani, ac Prouincię Burgundiæ (quæ modò S. Bonauenturæ vocitatur) olim Miniſtri, circa annum Dominicæ incarnationis 1490. mẽſis Octobris 18. Poſtremò extat etiam ibi conceſſio Epiſcopi Xãtonenſis pro Confraternitatę beatiſſimæ, ſemperq; virginis genitricis

Dei marię:quæ celebrabatur magna cum deuotione ibidem quotannis 15.Auguſti,die Aſſumptioni eiuſdem Dei parę virginis ſacra. Quę conceſſio data eſt circa annum reparationis generis humani 1535. Eodem in loco,diuæ virginis Mariæ precibus, ac meritis,quàmplurima, eaq; magna, fiunt miracula, ac Deo optimo maximo, eiusq; ſacerrimæ ac immaculatę genitrici, vota offerentes à cunctis eximuntur periculis, & de infirmitatibus,quibus laborabāt cōualeſcentes,priſtinę,& deſideratæ redduntur valetudini. A

De monaſterio S. Mariæ virginis Guyſchiæ. Mon. I.

NON multum procul, ſed quinq; duntaxat paſſuū millibus à Bleſis,monaſterium ſororum ſanctæ virginis Claræ, ſub Regula & indulto Vrbani Pontificis maximi viuentium ac poſſidentium,quod Guyſchia vocatur, ſitum eſt,Cuſtodiæ beatiſſimæ virginis Mariæ ſacratum, à fluuio Ligeri mille circiter paſſibus diſtans. Fundatum eſt autem à Principe illuſtriſſimo ac pientiſſimo Ioanne de Chaſtillon Bleſenſi Comite,& ab illuſtriſſima pariter ac pientiſſima Alide ipſius cariſſima coniuge, atq; eorum expenſis ædificatum,anno ſalutis noſtræ ſupra milleſimum ducēteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, menſe Martio, poſt beatiſſimi patris noſtri Franciſci tranſitum annis 58. & S.Claræ virginis 25. vt literæ fundationis eiuſdem monaſterij luculentiſſimè indicant. Ex veteri manuſcripto, quod in fine Regulæ monialium eiuſdem monaſterij habetur, colligitur, quòd cùm ille Comes religioſiſſimus Princeps eſſet,eidem in ſomnis reuelatum eſt, vt monaſterium curaret ædificari.At cùm de loco dubitaret,rubi ardentis ſigno,à paſtoribus illic exiſtentibus conſpecto,oſtenſum eſt.In eodem enim loco,vbi maius altare eccleſiæ erectum eſt, primùm reperta eſt parua glorioſæ virg. Mariæ imago, quæ vſq; nunc in choro ſororum erecta cernitur,maximaq; in deuotione habetur.Deinde lapis,ex quo confecta eſt altaris tabula. Aedificato itaq; ibidem monaſterio, ſacroſanctæ Sedis apoſtolicæ auctoritate(vt authentica indicant inſtrumenta iſtius monaſterij) in illud ſorores 50.introduxit, quibus, vnà cum multis priuilegijs, annuos redditus,ad vitæ ſuſtentationem neceſſarios,perpetuò munificentiſſimè pientiſſimeq; legauit. Prima huic monaſterio præfecta eſt Abbatiſſa religioſiſſima ſoror Iuliana de Trecis, monaſterij de Longo campo nuncupati ſoror profeſſa, In iſto monaſterio ſimul nunc commorantur 35.moniales.Multa ibi miracula per glorioſę virginis Mariæ merita facta fuiſſe,& plerumq; fieri commemorantur.Quorum conſideratione permotus ſummus Pontifex Nicolaus huius nominis IIII. indulgentias multas omnibus dicti monaſterij eccleſiam de uotè uiſitantibus paterna liberalitate conceſſit, in feſtis beatiſſimæ virginis Mariæ, eorumq; octauis,& in anniuerſario dedicationis illius, vt ex duabus bullis eiuſdem Pontificis ſummi, quæ in archiuis monaſterij aſſeruantur, perſpicuum eſt. Vna quidem data Reate,anno ſui Pontificatus 2. altera verò Romæ eodem anno ſui Pōtificatus.Nonnullas ſanctorum reliquias habet iſtud monaſterium: quarum præcipuę ſunt de cruce Domini noſtri;de ſancto Andrea, de capillis beatæ Mariæ Magdalenæ; & de ſancto ac ſeraphico Doctore Bonauentura. Fundatoris ſepulchrum,ex atro marmore cum ſtatua eiuſdem,inſtar equitis armati ſuperiacentis confectum, ante maius altare cum circumſcriptione Gallica cernitur,à quo præfatum altare non parum condecoratur ornaturq;. B C D

De Clariſſarum monaſterio Bituricum. Mon. II.

IN eodem Bituricum celebri ciuitate eſt etiam monaſterium ſororum S.Claræ,quod initio conſtructum,ædificatumq; fuit, ac impetratum & acceptatum à beata ſorore Coleta,quæ anno à lætabunda Ghriſti natiuitate 1470. à pientiſſimo D. Cadoit, tunc noſtræ Dominæ de Salles Priore, deinde Bituricenſi Archiepiſcopo obtinuit locum & fundum quendam in vico Arenarum intra mœnia vrbis,impenſis eiuſdem domini comparatum, cum Chriſtianiſſimi Francorum Regis licētia,quem ad ſororum S.Claræ habitationē conſtrui curauit.Sed morte præuentus opus imperfectū reliquit,& dn̄s magni cenſus & nominis tunc temporis,Iacobus cor,vulgò Iacques Coeur dictus,inchoatum ad finem vſq; perduxit ædificium, atq; dominas pauperes ſorores ibi incluſas collocauit,& ſuper libros, qui choro ad pſalmodiam deſeruirent,ſua inſignia, ac in communibus clauibus D.Iacobi imaguncul am apponi voluit,vt eius integrum nomen,ac cognomen E

A men omnibus, tamquam fundatoris præcipui innoteſceret, & memorabile eſſet. Nimirum. *Iacobus Coeur.* Manent eodem in conuentu circiter ſorores viginti quinq; numero.

De monaſterio SS. Petri & Pauli Apoſtolorum Deſizij. Monaſt. III.

IN territorio Niuernenſi, oppido Deſizes nuncupato, intra illius mœnia & muros, iuxta caſtrum Niuernẽſium Ducum, ad ripam fluuij Ligeris, ſitum eſt monaſterium ſororum S. Claræ: cuius fundatores præcipui ac primi fuerunt præfati Comites illuſtriſſimi ſeu Duces Niuernenſes. Illud, inter reformatos conuentus dominarum pauperum à beata matre Coleta, ſi non primas, ſaltem ſecundas facilè tenet. Auctum autem eſt & ampliatum ab illuſtriſſima pariter ac pientiſſima Maria de Albret Comitiſſa Niuernenſi, & Druydum oppidi, eiusq; filio clariſſimo domino Franciſco de Cleues. Cuius
B eccleſia à reuerendiſſimo in Chriſto patre Niuernenſe Epiſcopo in ſanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum memoriam dedicata, & conſecrata eſt. Numerus ſororum ibidem commorantium, & Chriſto earũ dilectiſſimo ſponſo inſeruientiũ, ad 30. vſque peruenit.

De Clariſſarum monaſterio Nanetis. Mon. IIII.

NANETIS quoq; intra muros extat monaſterium ſororum ſanctæ Claræ de prima eius Regula à beata ſorore, & matre Coleta reformatarum, ſtudio & ſolicitudine præcelſi viri, & domini Petri de Rieua, olim Britanniæ Ducis, ædificatum, anno Dominicæ natiuitatis 1325. vocaturq; conuentus ſanctæ Claræ. Ibique communiter degũt incluſæ, vitamq; religioſiſſimã ac laude dignã tranſigunt, vigintiquinq; ſorores.

C *De monaſterio S. Claræ prope S. Dinannum. Mon. V.*

NON procul hinc diſtat ſororum ſanctæ Claræ, per quandam ſororem Coletam nomine, Ordinis eiuſdem monialem, reformatarum, conuentus, & monaſterium ad numerum decimum octauum ſub perpetua clauſura, in capella S. Catharinæ de Dinanno, & illi circunſtanti loco Maclonienſis diœceſis, in ditione nobiliſſimi viri, ac Ducis Britanniæ Franciſci, qui iuxta diploma ſanctiſſimi Sixti Papæ IIII. datum Romæ apud S. Petrum, anno Dominicæ natiuitatis 1480. idibus Decembris, Pontificatus ſui anno 10. illud ipſum S. Claræ monaſterium excitauit, & conſtrui curauit cum eccleſia, campanili, clauſtro, cœmiterio, hortalicijs, alijsq; ad id neceſſarijs officinis, & inhabitandum ſororibus dedit, ſpecialem gerens ad Ordinem S. Claræ deuotionis affectum. Habetur eiuſdem Sixti PP. bulla ibidem, quam non neceſſe habuimus hîc tranſcribere.



PROVIN-

PROVINCIA
TVRONIAE PICTAVIENSIS.

A PROVINCIA Turoniæ Pictauienſis, in ampliſſimo Ordinis noſtri Vl-
tramontani ſtatu ſeptimum ordinem, ſuo quodam ac peculiari iure, ſibi
maximè vendicat. Ea enim eſt, quę cęteris Galliarum Prouincijs diſcipli-
nę regularis habenas, ac reformationē induxit, ac puriorem illam Regu-
lę Minorum Obſeruationem vnanimi voto amplexa eſt, vt etiam propte-
rea ad SS. Synodum Conſtantienſem, anno Domini 1415. dare literas ſupplices non
erubuerit. Cuius fratres in reſarcienda puriori Regulæ obſeruatione per multos annos
laborauerunt in Gallijs. Quorum exemplum & reliquæ Galliarum Prouinciæ imitatę
magna laude fuerunt. Antè ſiquidem SS. Synodum Conſtantienſem, magna pietatis &
B ſanctimoniæ exiſtimatione, florebant fratres in conuentibus Mirabelli, Laualis, Cliſſij
Ambaſiæ, Fontiniaci comitis, Bercorij, Cholleti, & alijs permultis, vt in ſuæ probita-
tis fauorem plures ſummi Pontifices plurima eis beneficia, & gratias elargiri non fue-
rint dedignati, quorum diplomata per conuentus aſſeruantur. Vnde per antonoma-
ſiam ſancta fuit appellata, quòd odore & opinione ſanctitatis ſuæ Gallos etiamnum
reſperſerit. At (proh dolor) diu Francorum bellis & procellis non ita pridem ſic di-
uexata eſt, vt vix Prouinciæ illius ampliſſimę aliquod nunc ſpecimen habeat, quando
in illius pręſertim fratres, ac cęnobia inanis hęteticorum furor, ac bellorum impetus de-
bachari, ac inſanire viſi fuerint. Nam ex 24. conuentibus (quos & ampliſſimos, & fœ-
C cundiſſimos genuerat) 12. dati ſunt ignibus. Cæterorum verò perpauci bellorum pro-
cellas euadere potuerunt, vt præter tectum & parietes nihil in eis integri relictum fue-
rit. Quanta verò diligentia patres deſudarint in reſtaurandis hæreticorum ruinis, te-
ſtantur conuentus Mirabelli, Fontiniaci, Cholleti, Cliſſij, quorum aliqui bis confla-
grati, denuò etiam ædificati fuerunt, qui tamen vix colorem ſuum ſemel amiſſum, aut
ſpeciem priſtinam, tandem recuperarunt. Ac tollerandum eſſet fortaſſis, niſi & in fra-
tres noſtros hoſtilis furor deſæuiſſet. Præterquam enim quòd fratres ſub vitæ ſuæ peri-
culo conuentus ſuos non auſi ſint ingredi, ac fugæ ſeſe mandantes miſerè occubuerint
D plurimi, alij ſuæ fidei & religionis palmam ad cœlos vſq; euexerint. A quibus bellis
orta eſt, tum demum ea, quam modò cernimus, Prouinciæ diſſipatio, & fratrum penu-
ria. Ea verò cùm in ampliſſimo Gallorum imperij vmbilico ſita ſit, longè lateq; diſten-
ditur per Turones, Aurelianos, Bituriges, Pictones, Xantones, Angoliſmos, Armari-
cos, Andegauos, Cenomanos. Ab Oriente Francos: ab Occidente Britannos mino-
res: à Meridie Aquitannos: ab Aquilone Neuſtrios ſeu Northmannos. In omnibus au-
tem huius Prouinciæ finibus, ſeu partibus patria fertilis eſt, & bonis omnibus tempo-
ralibus abundat, ita vt non difficilè ea, quæ ad vitæ cultum ſpectant, ſibi compararent
fratres, ſi pax ſua Eccleſiæ, orbiq; Gallico à Domino Deo optimo maximo reſtituere-
E tur. Et quod maius eſt homines ſunt valdè mites & ſociales, ac Religionis catholicæ
feruidi cultores. Et ij quidem fratribus diui Franciſci deuotiſſimi. Cuius Prouinciæ
conuentus, ſi de his, quos fratres inhabitant, fiat ſermo, ſunt 24. ſi verò de illis, in qui-
bus ſanctimoniales morantur, oriatur quæſtio, ſunt numero 4. vt ipſam legenti mani-
feſtum fiet. Eius ſigillum maius Chriſtum cruci affixum, lateri cuius dextro doloroſa
mater, ſiniſtro verò dilectus Euangeliſta Ioannes aſtant, ſed pedibus beatus pater Fran-
ciſcus genuflexus, expanſiſq; manibus ſubſtat, cum his verbis: S. MINISTRI
PROVINCIALIS TVRONIÆ PICTAVIENSIS. in orbem im-
primit. Duos autem noſtri Ordinis Religioſos, alterum quidem ſacerdotem, ac con-
uentus ſancti Martini Guardianum, nomine fratrem Franciſcum Drubadauię, alterum
verò laicum, nomine fratrem Franciſcum Brutum huic Prouinciæ præponere volui,

quòd illuſtre in ea martyrium pro Chriſtianæ fidei confeſſione, atq; auctoritatis ſacroſanctæ Sedis apoſtolicę Romanę cōfirmatione, firmiter, maximaq; conſtātia ſubierint. A

De conuentu Minoritico Mirabellenſi. Conu. I.

CONVENTVS Mirabellēſis ordine primus in catalogo conuentuū huius Prouincię meritò ſcribitur, eò quòd omnium, qui in eadem Prouincia inſtituti ſunt, vt multò antiquiſſimus, ita & longè celeberrimus & florentiſſimus extitit. Quod enim plurimis monimentis comprobatur, & pro certo creditur, circa tempora ſeraphici ac P. noſtri Franciſci inclytū ac nobilē heroëm Rodulphum de Briſaio è terra Saracenorū duos ſecum diui patris noſtri ſocios adduxiſſe, quibus & in ſuo proprio caſtro oppidi Mirabelli hunc conuentum ædificandum curaſſe. In quo deinceps patres Conuentuales Franciſcani commorati ſunt, quibus tandem aliò commigrantibus in eorum vicem B alij fratres, ſub Obſeruantia regulari viuere cupiētes, ſuffecti ſunt. Hoc autem tunc accidiſſe legimus, quando ſcilicet aliquot fratres (vt ſuperius prima parte meminimus) à Magiſtro Ioanne Philippi, Prouincię Turoniæ prouinciali Miniſtro, locum in quo pacificè & quietè ſalutem ſuam operari poſſent, ſecundum Regulę promiſſę puritatem, poſtularunt. Qui dictis fratribus conuentum prædictum Mirabelli conceſſit, vnumq; ex ipſis tribus fratribus Guardianum conſtituit & ordinauit, anno Domini 1384. Quo tempore noſtra regularis Obſeruantia in Turoniæ Pictauienſis Prouincia florere, atq; eluceſcere cœpit. Deinde in breui temporis ſpatio adeò creuit, vt tempore Conſtantienſis Concilij iam ad duodenarium numerum conuentuum peruenerit. In qua tandem Synodo in Prouinciam erecta, eiq; ſpecialis Vicarij eligendi poteſtas eſt conceſſa. Hic igitur conuentus huius Prouinciæ primus omnium & antiquiſſimus extitit, qui non C modò tempore, ſed etiam dignitate omnes anteceſſit. Qui ſitus eſt in dicto oppido Mirabelli in Epiſcopatu Pictauienſi, feraciſſima ac vberrima totius Galliæ regione. Ædificatus olim ab illuſtriſſimo præfato Rodulpho de Breſaio: his tamen nouiſſimis ac infeliciſſimis, in quæ deuenimus, temporibus, quibus iam ab hinc 25. annos, tumultus bellici à ſeditioſis hæreticis Caluiniſtis nouæ ſectæ excitati ſunt, idem conuentus ab hęreticis bis ſucceſus eſt, & ſimul cum illo conflagrarunt omnia monimēta. Reliquiæ etiā omnes conculcatę, & omnino incendio traditæ, ac deperditæ ſunt cæterę res ſacrę. Necdum hæc tanta immanitas ſatis fuit hæreticorum placandis impotentibus animis, ſed eò inſaniæ proceſſit, euaſit atq; prorupit, vt infinitis tormentis, atq; preſſuris excruciatos fratres noſtros interfecerint. Inter quos duo imprimis religioſi & ſacerdotes (digni ſunt quos memoriæ ſempiternæ commendemus) fratres Nicolaus Clementeau, & Ioannes Thorignê. Qui mortem viriliter ſuſtinere potius, quàm ſacroſanctæ Euchariſtiæ D ſacramentum abiurare elegerunt; ſicq; tandem crudeliter enecati, illuſtre fidei teſtimonium Chriſto domino dederunt. Idem conuentus nunc tandem deuotione Chriſtianiſſimi Principis, regio ſanguine orti, Ludouici inquam à Borbonio, Ducis à Montepenſerio denuò ædificatus fuit, anno Domini 1577. In quo licèt viginti religioſi propter fertilitatem iſtius regionis communiter & commodè degere ſoliti eſſent ante ſeditiones, & hæreſim Galliæ; tamen hac infelici tempeſtate habitant ſolum octo fratres, & maximè ob penuriam fratrum. Habetq; Guardianum, lectorem ſacræ Theologiæ, Magiſtrum iuuenum, & duos prædicatores, qui omnes Deo fideliter famulantur.

De conuentu Minoritico Laualenſi. Conu. II. E

CONVENTVS Laualēſis ordine 2. ſitus eſt in extremis finibus Epiſcopatus Cenomanenſis verſus ſuperiorem Britanniam in ſuburbio S. Martini (vt vulgò nuncupatur) ad partem Occidentalem ipſius vrbis Laualenſis. Ædificatus à pijſſimo Guidone Laualēſi, & Ioanna eius vxore circa annum Domini 1396. eiſdemq; poſtquam huic ſęculo valedixerunt, ſepulturam miniſtrauit. Recondita ſunt eorum corpora corā maiori altari ſub tumbis æreis auratis. Introducti ſunt autem fratres de Obſeruantia in hūc conuentum per dominos Abbates de Cleremonte & de Bellabrancha, vt patet per bullā fundationis dicti conuentus, datam ſub plumbo Auinioni, à Benedicto XIII. Quæ in eodem habetur conuentu. Idem conuentus nunc tādem ampliſſimus effectus eſt, cuius ampla

A pla quidem & ſublimia ædificia tum labore ac prouidētia fratrũ,tum præſertim,ob prædictorum fratrum odorem , nomenq; bonum liberalitate fidelium excitata , conſtructa fuerunt.In quo habentur quatuordecim fontes irrigui,ſtructura & fabrica maxima conſtantes.Cuius aqua per canales in omnium conuentus officinarum ſubſidium decurrẽs, non ſolum ipſi conuentui decorem,aut ſplendorem maximum , ſed etiam incredibilem commoditatem affert.Seruantur in archiuis eiuſdem conuentus literæ apoſtolicæ , ſeu priuilegia multa à Pontificibus delata , imprimis quæ ſequuntur.Literæ in membrana, quibus conſtat quomodo fratres & ſorores tertij Ordinis poſſunt recipere ſacramẽtum altaris à quocunque,excepto feſto Paſchæ. Aliæ literæ Regis Caroli , ad petitionem Regis Siciliæ & Hieruſalem,ac domini Laualenſis conceſſæ reuerendo P.F.Thomæ de Curia Vicario generali tam in ſui fauorem,quàm cęterorum fratrum Obſeruantiæ,maximè Prouinciæ Franciæ Pariſienſis,Prouinciæ Turoniæ Pictauienſis,ac Prouinciæ Bur-
B gundiæ. Quibus literis ſatis amplificè commendatur perfectio illa inclyta ac ſingularis fratrum Obſeruantiæ. Hiſdemq; prohibitio facta eſt Prouincialibus quibuſlibet, ne vllo modo fratres Obſeruantinos inquietarent,atque perturbarent.Datę prædictæ literæ regiæ Lutetiæ Pariſiorum,die 17.Martij anno Domini 1409. & Regni dicti Caroli Regis anno 3. In hoc conuentu habentur reliquiæ S. Laurentij , Iuliani Epiſcopi Cenomanenſis, Vincentij,Thomę Cantuarienſis,Iuonis,Catharinæ,Margaretæ,Claræ,ac 11. millium virg.Quarum reliquiarum catalogus eſt in tabula coram imagine Crucifixi in naui eccleſiæ . Idem conuentus habet communiter quadraginta quinque fratres,quorum duo ſunt ſacræ Theologiæ ac Philoſophiæ lectores , decem vero prædicatores .

De conuentu Minoritico Caſtrirodulphi. Conu. III.

C CONVENTVS Caſtrirodulphi ſitus in dicto oppido , vnde nomen ſortitus eſt , verſus Meridiem in finibus Archiepiſcopatus Bituricenſis, ſui fundatorem agnoſcit præpotentem ac generoſum virum Guilelmum de Caluiniaco,temporalem eiuſdẽ oppidi Dominum . Qui (vt monimentis proditum eſt) in hunc conuentum ſecum adduxerat ex Italia vnum ex ſocijs B.P.noſtri Franciſci nomine Bonocontrum,patrem venerabilem,ac omni virtute conſpicuum.Qui veluti lapis primarius extitit huius venerabilis conuentus,& in vita & poſt mortem claruit miraculis,& ſepultus eſt in naui eccleſiæ verſus vrbem,anno Domini 1230 Anno vero Domini 1260. obijt præfatus Guilelmus de Caluiniaco Panormi.Cuius cor huc deportatum in choro eccleſię honorificè ſepultum eſt.Ex eodem autem Guilelmo oriundus eſt Guido à Caluiniaco dicti oppidi Ca
D ſtrirodulphi Dominus,& Brociæ Vicecomes, nobiliumq; gemma , qui iuſtitiæ adminiſtrator,ſanctimoniæ & maximè caſtitatis ſectator, diutinus in viduitate,pijsq; operibus perſeuerans,iure optimo vocatus pater , tutor ſeu defenſor, ac ſummus amator pauperũ Chriſti,hunc præfatum conuentum indicibili labore, impendijsq; reformauit,ſeu reformandum curauit, in vera ſcilicet ac ſincera religionis B.P.noſtri Franciſci Obſeruatione.Itaq; patribus Conuentualibus Franciſcanis,huius loci accolis,aliò tranſlatis,in vicem eorum introducti ſunt fratres de Obſeruantia vulgò nuncupati,vt planè nobis conſtat bullis apoſtolicis à Nicolao papa V. fratribus Obſeruãtinis conceſſis,ex reſcriptione præfati Domini Guidonis de Caluiniaco & Vicecomitis de Brocia.Item mandato regio in executionem earundem literarum apoſtolicarum obtento,& impetrato ab eodẽ Guidone de Caluiniaco . Quo dicti fratres de Obſeruantia intromiſſi ſunt in poſſeſſionẽ
E dicti conuentus,anno Domini 1460.Quæ prædictæ literæ ſeruantur in archiuis eiuſdẽ conuentus.Multæ verò aliæ,quæ priuilegia continebant,deſiderãtur,quoniam ſuperioribus bellis,ac ſeditionibus Galliæ,anno Domini 1560. omnibus ſuis monimentis cum ſacris reliquijs,& eccleſiaſticis ornamentis à ſanguinarijs hæreticis ſpoliatus fuit. Multa præterea ſupplicia horrẽda perpeſſi ſunt fratres miſerrimo illo temporum ſtatu, quorum pleriq; pro fide Chriſti martyrio occubuerunt . Digni profectò quorum memoriã poſteritati commendemus,quia charitas hoc à nobis expoſtulat . Inter quos P.F. Petrus Odion tunc lector eiuſdem conuẽtus in quodam caſtello,Oſan vocitato,exceptus hoſpitio,ab hæreticis inſidioſè trucidatus eſt.Nec pòſt multò V.P.F. Guido Germanus eiuſdẽ conuentus tunc Guardianus meritiſſimus in oppidulo S. Genulphi à Caſtroradulpho

diſtante

diſtãte ſeptem leucis, ab ijſdem viris ſanguinũ,& doloſis truculenter interfectus eſt. Hęc eſt vera fraternitas,quę pro fide Chriſti effuſo ſanguine palmã triumphalem reportauit. Hic conuentus habet communiter 20. fratres, imprimiſq; lectorem, & 5. prædicatores. A

De conuentu Minoritico Bercorij. *Conu. IIII.*

BERCORII conuentus ſitus eſt in dicto oppido Bercorij in Epiſcopatu Maleacenſi in Pictauia,ædificatuſq; opera,& impenſis cuiuſdam pijſſimi viri nuncupati Gallicè de Chiche, accolæ dicti oppidi, & ſororis eius Coletæ,quæ erat de tertio Ordine B. Franc.ex auctoritate tamen & conceſſione Benedicti papæ XIII. anno ſui Pontificatus i j.ſed Dominicæ incarnationis 1404.Poſtea verò Ioannes de Bellomonte nobilis,& illuſtris vir, ſimul ac Mathurina eiuſdem coniux, qui erant præfati oppidi temporales Domini,& pietate ac deuotione inter ſe coniunctiſſimi,eundẽ conuentum amœno quodam viridario amplificè decorarunt. Seruantur huius loci in archiuis hęc in primis quę ſequuntur. Ac primùm bullæ Benedicti papæ XIII. & Clementis V. quibus præcipitur reformatio conuentuum Turoniæ,datæ ſub plumbo Baſileæ,anno Domini 1439.Conuentus etiam bis conflagratus eſt, qui vix adhuc diligentia fratrum ex integro ædificari potuit. In quo licèt anteà commodè habitarent viginti fratres, quia ſitus eſt in patria fertili, tamen propter ædificiorum deſtructionem modò vt plurimum habentur decem fratres, quorum vnus eſt lector ſacræ Theologiæ, & quatuor prædicatores. B

De conuentu Minoritico Fontiniacicomitis. *Conu. V.*

CONVENTVS Fontiniacicomitis ſitus eſt in ſuburbijs eiuſdem oppidi Maleacenſis diœceſis in Pictauia,fundatus atque conſtructus per nobiles Dominos de Ardennes,ante Concilij Conſtantienſis tempora, ſed poſteriori memoria ſeditionum Galliæ iam per quatuor vices deſtructus eſt,atque funditus euerſus ab hæreticis, qui maiori ex parte regionem illam occupant,atque deuaſtant.Nullæ igitur literæ,aut reliquiæ requirendæ ſunt, quia nec ſuperfuerunt poſt miſerrimam euerſionem dicti conuẽtus. Qui vix dum ab integro, quantumlibet accurata diligentia fratrum ædificari potuit. In quo iam habitare vt plurimum poſſunt octo fratres. Habetque vnum lectorem ſacræ Theologiæ, & tres prædicatores, licèt ante deſtructionem nullum celebriorem illo haberet hæc Prouincia, quippe qui magno fratrum eruditiſſimorum numero abundaret. C

De conuentu Minoritico Cholleti. *Conu. VI.*

CONVENTVS Cholleti ſitus eſt in dicto oppidulo Cholleti, in dicta regione ampliſſima Pictauienſi, ac in extremis Epiſcopatus Maleacenſis finibus. Cuius quondã fundatrix extitit illuſtriſſima Maria de Montalays, Domina eiuſdẽ loci Cholleti & Montis Ioannis,quæ Ordini noſtro ſummè deuota & affecta erat. Idem conuẽtus ædificatus fuit,anno à Chriſto nato 1406. auctoritate Benedicti papæ XIII. vt patet ex bulla conceſſionis in regia ciuitate Maſſiliæ,data ſub ſigillo plumbeo, anno quo ſupra. Qua voluit ſummus Pontifex fratres, conuentum ipſum habitaturos, omnibus priuilegijs frui,& gaudere, in illud vſque tẽpus per ſummos Epiſcopos conceſſis, & in poſterũ concedendis. Fratres ibidem introducti fuère cum ſolenni ſupplicatione, anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptimo, prima Aduentus Dominica, præſentibus eadem fundatricę cum filijs Ioanne & Regnaldo,Dominis poſtea Montis Ioannis: Aſſiſtente etiam Officiali diœceſano. In ſuperioribus verò ſeditionibus Galliæ, anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo demolitus fuit hic conuẽtus ab hæreticis, vbi etiam duo noſtri fratres magna fide, & incredibili conſtantia pro confeſſione Chriſtianæ, apoſtolicę, & Romanę religionis crudeliſſimum, ſed tamen glorioſiſſimum finem ſuſtinuerunt. Nunc verò tandem dictus conuentus labore & induſtria fratrum, ac piorum fidelium eleemoſynis fermè à fundamentis reædificatus eſt, & hodiè ſatis commodè habitatur à fratribus, qui ibidem diurnas ac nocturnas laudes decantant, quos ibidem Deus optimus maximus ad gloriam nominis ſui conſeruat. Habetq; cõmuniter quindecim fratres, quorũ alter eſt lector, & quatuor ſunt concionatores,qui ex ſuis eruditiſſimis,pientiſſimiſq; concionibus magnos fructus reportant. D E

A *De conuentu Minoritico Cliſsij.* *Conu. VII.*

CONVENTVS Cliſſij ſitus eſt in ſuburbijs eiuſdem oppiduli Nannetenſis,dię-
ceſis in Britannia minore,verſus Occidentem. Cuius pientiſſimus fundator extitit
clariſſimus Oliuerius de Cliſſio,qui ędificauit dictum conuentum,anno Domini 1410.
auctoritate Benedicti XIII. triennio ante Concilium Conſtantienſe. Idem conuentus
non minorem,quam alij,paſſus eſt direptionem,ſeu ruinam. Reliquiæ ſiquidem & lite-
ræ omnes deperierunt in conflagratione dicti conuentus. Nunc verò pietate & munifi-
centia municipiũ eiuſdem oppidi,ac imprimis illuſtr. Comitis à Virtute,& primi Baro-
nis Britanniæ,ac Cliſſienſium temporalis Domini, idem conuẽtus iterum ædificatus eſt
ab ijſdẽ fratribus, qui magna laude & ſui æſtimatione hactenus ibidem conuerſati ſunt.
B Habetq; conuentus communiter 15. fratres,quorum 4. ſunt diuini verbi annũciatores.

De conuentu Minoritico Ambaſiæ. *Conu. VIII.*

AMBASIÆ conuentus ſedem obtinet in ſuburbio eiuſdem vrbis Ambaſiæ, quæ
dicitur vulgò S. Dionyſij ſuburbium,ſuper Ligerim fluuium verſus Occidentem
in Archiepiſcopatu Turonenſi,regione totius Galliæ amœniſſima,& ſaluberrima. In
hac vrbe Ambaſia,quòd cœli ſalubritate,atque optima aëris temperie donata ſit, ſępè
ſæpius Francorum Reges moram trahunt, propriasq; proles tenerioribus ætatis ſuæ
annis enutriri curant. Quæ quidem ciuitas à Turonenſi oppulentiſſimo,atque celeber-
rima quoque ciuitate ſeptem tantùm leucis diſtat. Fundator huius conuentus extitit
olim pius dominus Petrus de Thouars,Comes eiuſdem vrbis Ambaſiæ,qui ipſum ædifi-
C candũ curauit,annò Domini 1412. auctoritate Benedicti papæ XIII. biennio ante Con-
cilium Conſtantienſe. Idemq; prædictus fundator eundem conuentum amplificè deco-
rauit, in quo tandem moriens ſepeliri voluit, atque nunc octodecim fratres habitant,
quorum vnus eſt lector, & ſex prædicatores. Inſuper & aſſeruatur media pars alte-
rius ex clauis, quibus Chriſtus Dominus cruci,pro ſalute generis humani affixus eſt.

De conuentu Minoritico Sauenay. *Conu. IX.*

SAVENAII conuentus ſitus eſt in dicto oppidulo Sauenaij, Nannetenſis diœceſis
Britanniæ ſuperioris propè Ligerim fluuium,à mari Oceano diſtante 4. leucis. Fun
dator eius aſſeritur illuſtriſſimus Ioannes Britanniæ ſuperioris Dux, qui ſumma pie-
tate compulſus,eum ædificãdum curauit,anno Domini 1418. Martino V. ſummo Pon-
D tifice ſedente, & annuẽte,Pontificatus ſui anno ij. vt patet ex bulla Romæ data ſuo plũ-
bo anno ſupradicto. Habet communiter 15. fratres,& inter illos quinque prædicatores.

De Minoritico conuentu Olonæ. *Conu. X.*

CONVENTVS Olonę in inferiori Pictauia dięceſis Luxouienſis, à portu quo-
dam celeberrimo maris, qui vulgò dicitur portus Sabulorum Olonæ, diſtans ſe-
mileuca, qui propter oram maritimam amœniſſimus aſpectu, ac mirum in modum
oculos paſcit & oblectat,ſui fundatores habuit pijſſimos heroës de la Trimouille,& Pe-
trum Royrandum. Hic tandem conuentus miſerrimo illo tempore,quo tota Gallia bel-
lis ciuilibus conflagrabat, incendio traditus eſt, videlicet anno Domini 1468. ab hæ-
reticis, quibus tota penè regio iſta infeſtatur. Tamen in hac tanta malorum colluuie,
E non omnino pietas quorundam fidelium extincta eſt,quin etiam redoluit aliquid cha-
ritatis,quę fratres noſtros reuocauit in dictum conuentum. Qui deniq; diligentia ſua
effecerunt, vt iam ab hinc duodecim annis aliqua ſaltem ex parte reparatus ſit, quo ta-
men nullum antea celebriorem hæc Prouincia habebat. In eo nunc habitare poſſunt
duodecim fratres, quorum quatuor ſunt ſaluberrimi verbi Euangelici prædicatores.

De conuentu Minoritico Enſeniſij. *Conu. XI.*

ENSENISII ſitus eſt in dicto oppido dięceſis Nannetenſis in ſuperiore Britan-
nia iuxta ampliſſimum fluuium Ligerim,regione vtique locorum amœnitate, aë-
ris temperie,& terræ fertilitate prædita,inter duas celeberrimas vrbes, Andegauenſem
videlicet,

videlicet,& Nanetēſem,medium quaſi iter habens.Fuit autem conſtructus,anno à Chri- A
ſto nato 1448. à nobiliſſima Ioanna de Harricuria , quondam vxore & conſorte am-
pliſſimi Domini Bertrandi di Rieux,& à pijſſimo heroë eius filio Franciſco de Rieux,
Enſeniſij Barone,Dominoq; de Rieux,Rupis fortis,ac Caſtribriandi . Bulla conceſſionis
dictæ fundationis data fuit Romæ à Nicolao Papa eius nominis V.anno quo ſupra,quę
adhuc in conuentu ſeruatur.Præcipitur namque in ea,expreſſo ſummi Pontificis man-
dato,Miniſtro Prouinciæ Turoniæ,ac eius Vicario,ne fratres, qui Obſeruantiæ nomen
non dederint,corpori communitatis prædicti conuentus coniungāt,vt appareat ab ini-
tio ſuæ fundationis Obſeruantiæ dedicatum fuiſſe. Sub qua norma multi antiqui patres
ibidem vitam degentes non ſolum ſibi nomen (à tota poſteritate celebratum) perturie-
runt,verùm etiam in Dei Eccleſia,ac Religione ſua innumerabiles fecêre progreſſus.Itē
habetur in archiuis huius loci bulla,quæ aurea nuncupatur , priuilegia Mendicantibus B
omnibus indulta continens , inter quos fratres Minores de Obſeruantia particulariter
cenſentur.Sunt aliæ literæ à ſummo Pontifice Iulio II.datæ ſub ſigillo ceræ viridis,Vi-
cario generali de Obſeruantia miſſæ. Quibus prohibetur fratribus eiuſdem Inſtituti, ne
ad Clauſtrales trāſeant , abſque ſuorum ſuperiorum licentia in ſcriptis obtenta.Ipſis au
tem Clauſtralibus permittitur,vt ad Obſeruantinam vitam ſe conferre poſſint,petita li-
centia licèt non obtenta . Quæ literæ perlectæ fuerunt in curia Epiſcopi Pariſienſis , ex
mandato ſummi Pontificis die 9.menſis Iulij,anno Domini 1509.Inuenitur etiam con-
firmatio regulæ fratrum de pœnitentia tertij Ordinis S. Franc.ſub ſigillo cæræ viridis,
per ſummos Pontifices Nicolaum III.Clementē IIII. & Ioannem XXII.exhibita.Illu-
ſtratur deinceps prædictus conuentus bulla quadam indulgentiarum,in forma Iubilęi
à Gregorio XIII.Pontifice maximo conceſſa,precibus venerandorum patrum ac fratrū C
Ioannis,ac Ludouici Benedicti germanorum fratrum, data Romæ ſub annulo Piſcatoris
die 28.Aprilis anno Domini 1576. Qua omnibus contritis atque confeſſis , qui à primis
veſperis feſti S. Barnabæ apoſtoli vſque ad ſolis occaſum diei feſti ſequentis,eccleſiam
monaſterij ingreſſi fuerint, ibidem deuotè ac humiliter pro Chriſtianorum Regū con-
cordia,hæreſum extirpatione,& S. matris Eccleſiæ exaltatione oraturi, omnium pecca-
torum conceditur remiſſio.Accepta & approbata fuit prædicta bulla ab Epiſcopo diœce-
ſano.Decoratio atq; ornamentum huius percelebris domus magis,ac magis commēda-
tur à reliquijs SS.quantitate fermè infinitis,ac ſanctitate præclariſſimis.Extat namque
ibi paruula quædam pars (ſatis tamen approbata) S. crucis, in qua Redemptor huma-
ni generis ſalutem noſtram operatus eſt.Habetur etiā de ſpinea corona,ac clamide coc-
cinea.Aliquid de S.Paulo:de S.Luca Euangeliſta: de S.Maria Magdalena: de S. Stepha- D
no protomartyre:de vno Innocentium:de S.Sebaſtiano:de S.Chriſtophoro: de S. Eutro-
pio:de S.Agapyto martyre:de S.Cherino:de S.Barbara:de ſanctiſſimis Albina, Cecilia &
Sabina.Eſt ibi pars capitis S.Georgij martyris.Eſt dens S.Laurentij.Habetur etiam pars
habitus S. Frāciſci. Corda S.Bernardini.De reliquijs ſanctorum Antonij Paduani,Bona-
uenturæ,ac virginis Claræ . In choro conuentus coram maiore ara eſt ſepulchrum fun-
datorum,è marmoreis lapidibus (in Gallia ſatis raris) nigris & albis , tanta artificij in-
genioſitate confectum , vt omni admiratione dignum ſit , nec ſimile habeatur in tota
Prouincia . In hoc autem monaſterio habitant viginti quinque fratres , è quibus ſe-
ptem gaudent prædicatorum munere . Cæterorum verò maior pars continuis vacat
lectionibus vtriuſq; Philoſophiæ,diuinæ ſcilicet & humanæ . Sunt etiam earum lectores
eruditiſſimi , & pro inſtituenda iuuentute humaniorum literarum profeſſores eximij . E

De conuentu Minoritico Argentonij. Conu. XII.

CONVENTVS Argentonij ſitus eſt in dicto oppido,ſuper Croſæ flumen in ex-
tremis finibus Archiepiſcopatus Bituricenſis, iuxta aliud oppidulum S.Marcellum
nuncupatum , eò quòd in ipſo diuorum martyrum Marcelli & Anaſtaſij,pro Chriſto
Argentonij martyrio coronatorū iij.cal.Iulij corpora honorificè requieſcant.Fundator
huius conuentus quondam extitit generoſus heros Guido de Caluiniaco,qui ipſum ædi
ficauit, auctoritate Calixti papæ III. vt patet ex bulla fundationis,quæ in eius archiuis
ſeruatur . Multæ verò literæ priuilegiales deſiderantur : nonnullæ item reliquiæ ,

A quæ perierunt:quas nimirum impia hæreticorum manus diripuit, atque lacerauit. Nunc verò fundator habetur liberaliſſimus Princeps ac illuſtriſſimus Dux à Monte-penſerio, eiuſdem oppidi Argentonij temporalis Dominus,atque totius noſtri Ordinis fautor propenſiſſimus. In hoc deniq; loco ſatis commodè conuiuunt 20. fratres, quorũ imprimis vnus eſt ſacræ Theologię eruditiſſimus lector, & alij quinq; pręcatores.

De conuentu Minoritico Magduni. Conu. XIII.

CONVENTVS Magduni eſt in ſuburbio dicti oppidi Magduni,ab opulentiſſima ciuitate Aurelia diſtantis quinq; leucis,prope Ligerim flumen ampliſſimum in regione feraciſſima.Fundatus partim per Epiſcopum Aurelianenſem, partim per quendam nobiliſſimum heroëm de la Trimouille. Decoratur fonte quodam per meatus di-
B uerſos abundè ſcaturiente. Nec verò poteſt illius decor, atq; ſplendor priſtinus magis commendari,aut proprijs illuſtrari monimentis,cùm ijs omnibus ab hęreticis ſpoliatus & priuatus ſit. Fuit præterea conflagratus, ita vt remanſerit pauper rebus,pauperior reliquijs,pauperrimus iocalibus. Sed quod magis lugendum eſt, (ſi memoriam fratrum noſtrorum cum charitate vſurpare liceat) tunc fratres noſtri,qui in hac miſerrima temporum conditione degebant in eo,infinitas iniurias & calamitates ab ipſorum hæreticorum tyrannide paſſi ſunt,& æquiſſimè coacti fugę ſeſe tradere.Inter quos vnus religioſè memoriæ animis noſtris primus occurrit,nẽpe V.P.F. Ioãnes Teudriqui,qui cũ eſſet prædicator eximius, & ſæpè in dicto oppido Magduni verbum diuinum populo fideliter annunciaſſet,idcirco ab hæreticis deprænhenſus,& tandem miris tormentis afflictus,
C pro fide ac religione catholica conſtantiſſimo animo martyrij coronam expetens,crudeliſſimum vitæ finem ſuſtinuit.Hic tandem locus paulatim cum ſummo labore,& accurata diligentia fratrum, tum eleemoſynis piorum catholicorum reparari cœpit. Sed imprimis nobis commendandus venit generoſiſſimus Princeps,ac de catholica Religione optimè meritus, Dux Niuernenſium Ludouicus Gonzaga,qui miſeriam,inopiamq; fratrum planè perſpiciens,atq; conſiderans quòd nullum ſacrum haberent locum,niſi direptum (baſilica tum ab hæreticis diruta)vbi vehementiſſimis cœli tempeſtatibus expoſiti,diù noctuq; diuinum cultum,ac officium ſolemniter celebrare ſoliti eſſent. Tum inquam Princeps ille,cultus diuini imprimis amator, & miſericordia erga fratres adductus, impenſas non modicas facere non timuit, quibus ſacellum quoddam præclarum ædificandum curauit. Vbi hodie fratres deuotiſſimè diurnas ac nocturnas laudes
D decantant,atq; ibi fideliſſimè Deo opt.max.famulantur.Qui ſunt numero quindecim.

De conuentu Minoritico Fontis. Conu. XIIII.

CONVENTVS Fontis ſitus eſt in Epiſcopatu Xanctonenſi iuxta vrbem Rupellæ,omnium hæreticorum Gallię fortiſſimum propugnaculum,ac fundatus à quibuſdam dominis de Dure; ſed tempore ſeditionum,atq; tumultuum Galliæ ab hæreticis funditus dirutus & euerſus, necdum reædificatus eſt. Profectò eſſet incredibile memoratu,quanta immanitate & ſęuitia, quantaq; petulantia egerint iſti nouorum dogmatum aſſertores,atq; hęretici in fratres noſtros, cùm eodem deſtructionis tempore,ac die maximè efferberet eorum furor in ſacerdotes, ac religioſos.Eſt igitur hic conuentus hac miſerrima tempeſtate ab omni virtute,atq; penè fide aliena, maximè in hac regio-
E ne,(proh dolor) deſtitutus fratribus,& à peſtilentiſſimis impijsq; hæreticis occupatus.

De conuentu Minoritico Vertolij. Conu. XV.

CONVENTVS Vertolij ordine 15. ſitus eſt in eodem oppidulo Vertolij, diœceſis Pictauienſis, in parua quadam inſula Carathonæ amnis cuiuſdam, qui ipſum circunfluit & alluit: quapropter pluribus ijſq; perennibus fontibus decoratur. Eius fundatores fuëre quondam Guido de Rupe,& Franciſca eiuſdem coniunx. Quo autem tempore ædificatus fuerit,iam non planè conſtat,propterea quòd memoriales literę direptæ ſint ab hæreticis,à quibus etiam expulſi ſunt fratres,& Miniſtri hęreſeos illuc introducti ibidem remanſerunt cum vxoribus & liberis ſuis. Qui tandem (pace cum hęreticis conſtituta) inde receſſerunt, & rurſum illuc intromiſſi fratres noſtri, iuxta eius pacis

cis edictum. Qui (laus ſuperis) nunc ibidem viuunt, & morantur pacificè, ſub cuſtodia & protectione pientiſſimorum Comitis de Rupe, & Principis de Marſillac. Sunt autem præfati fratres numero decẽ, ex quorũ cohabitatione catholici fructus reportãt. A

De Minoritico conuentu Fixæ. Conu. XVI.

CONVENTVS Fixę ſitus eſt in eodem oppido, ac Epiſcopatu Andegauẽſi iuxta fluuium Ligerim, inter antiquiſſimas ciuitates Cenomanenſem videlicet, & Andegauenſem, in regione fertilitate, & aëris ſerenitate imprimis prædita. Quem ędificandum curarunt illuſtriſſimus Princeps Renatus Dux Alenconij, Comesq; eius patriæ, quæ Gallicè Duperche appellatur, idemq; Par Franciæ: ſimul & ampliſſima Margareta à Lothoringia eiuſdem coniunx. Cùm enim ipſi ſanctiſſimi matrimonij vinculo colligati liberis carerent, poſtquam iam per quatuor annos cum ſumma dilectione & pace ſimul vixiſſent, hoc ſanctiſſimum votum fecerunt, ſe in honorem ſancti Franciſci (cuius Ordinem maximo proſequebantur amore) domum ſacram dedicaturos, ſi proles aliqua dignatione diuina ſibi concederetur. Quorum voto cùm Deus tandem annuiſſet, eisq; progeniem dediſſet, quæ bonis ſuis ſuccederet, nempe filium, & duas filias, tum ambo vno conſenſu in reuerentiam B.P. noſtri Franciſci, ſuis impenſis, id quod vouerant pręſtiterunt, anno Domini 1488. ex conceſſione tamen Innocentij Papæ VIII. Data autem fuit bulla Romæ, anno quo ſupra, & quinto cal. Auguſti. Magno verò conatu elaborauerunt prædicti fundatores, vt non niſi Obſeruantini fratres in prædictum conuentum inducerent. Quos ſumus Pontifex omnibus voluit frui priuilegijs, quæ in genere vel in ſpecie dicto Ordini conceſſa erant, vel in futurum concederentur. Decoratur hic locus, qui & à viginti fratribus incolitur, plurimis ſanctorum reliquijs. Eſt namq; ibi aliquid de S. Bartholomæo, de S. Martino, de S. Hylarione, de S. Alexio, de S Quintino, de S. Maria Magdalena, de S. Iuſtina, de S. Agatha, de S. Margareta, de habitu S. Frãciſci, de S. Bonauẽtura. Eſt etiã ibi pars paruula verę crucis, & alię quãplurimę. B C

De Minoritico conuentu Robineriarum. Conu. XVII.

CONVENTVS Robineriarũ ſitus in nemore iuxta vrbẽ voluenti, in Epiſcopatu Pictauiẽſi, ab illuſtriſſ. Gallię familia de Longueuille fundatus fuit, anno 1520. Et quoniam hic conuentus ſuperioribus ſeditionum temporibus conflagratus, & combuſtus ab hæreticis extitit, idcirco non poſſumus certum aliquod teſtimonium, vel de ædificationis occaſione, vel de miraculis perpetratis, vel de reliquijs ſanctis in medium proferre. Quamuis enim iam per 16. aut 17. annos conuentus deſertus manſerit, & ibidem nullus frater habitauerit: nunc tamen fauore Domini de Longueuille, & plurimorum fidelium, qui reparationem dicti conuẽtus mirum in modum exoptant, ibidem hodie duo fratres ſacerdotes cum duobus aut tribus laicis, & quinq; nouicijs inhabitãt. D

De Minoritico conuentu Crollaij. Conu. XVIII.

CONVENTVS Crollaij non tamen poſtremum in Prouincia locum hactenus obtinuit, tum propter loci piam ſolitudinem, tum propter Principum viciniam, tum deniq; propter regionis fertilitatem. Is enim in Archiepiſcopatu Turonenſi, ad oram ſtagni Crolaiani (vnde conuentui nomen eſt inditum) in decliui trium montium ſitus, amœnisq; fontibus, atq; irriguis gaudet. Iure præterea optimo eremi prius nomen ſubijt, quòd pręter ſyluarum denſiſſimarum viciniam, cętera circunſtantia ad mille paſſus, & horrida, & inculta, & deſertiſſima ſint. Reliquum verò regionis vberrimũ eſt ſolũ, vt ſi aliud ſit in Gallijs. Anno Dñi 1439. à nobilibus Ioanne Marquier & Maria de Gauberriere Dominis de la Rocheyon cõſtructus eſt. Sed anno Dñi 1569. à Germanis, quos Reiſtros vocant, ita dilapidatus, & conflagratus eſt, vt per incendium omnia monimenta ſanctorum & reliquiæ perierint. Inhabitatur nihilominus à 12. fratribus, illisq; neceſſaria miniſtrat. Seruantur tamen adhuc quædam literæ Sixti Papæ IIII. Datæ Romæ ſub plumbo anno Domini 1472. quinto nonas Octobris. Quibus ſummus Pontifex relaxat omnibus Chriſti fidelibus deuotè & piè feſtum B. P. noſtri Franciſci annuatim celebrantibus decẽ annos, & totidẽ quadragenas de iniunctis pœnitẽtijs, E

De con-

A *De Minoritico conuentu Fulgerij.* *Conu. XIX.*

CONVENTVS Fulgerij, ſitus prope Dianam fluuium, diſtat ab vrbe Pictauienſi octo leucis. Cuius prima fundatrix quondam extitit domina Ioanna de Maillè, anno Domini 1428. poſtea fratrum opera hic locus ſuperędificatus extitit. Cumq; eccleſia conueniens deſideraretur, à pio heroë Ludouico de la Barre peditatus Franciæ Præfecto, qui deinde ſub vexillo S. Franciſci militauit, eiusq; habitum induit, ſumma liberalitate præſtita fuit. Idem tamen conuentus incendio comſumptus eſt ab hæreticis, ita vt nulla monimenta, & reliquiæ ſuperfuerint. Nec tamen ſatis commodè reædificatus eſt. Ideo ſolùm habet octo fratres, quorum tres ſunt Euangelici prædicatores.

B *De Minoritico conuentu Balmetæ.* *Conu. XX.*

CONVENTVS Balmetæ, omnium, qui in eadem Prouincia ſuperſunt, celeberrimus & florentiſſimus eſt. Is enim fabrica, & ſtructura propemodum incredibili, in rupe duriſſima & difficillima, ad Andium metropolim in aſpectu ipſius vrbis, & in ipſius Meduanæ maximi Andegauiæ fluuij littore, loco peramœno, & tantam præ ſe ferente iucunditatem, vt omnium viſitantium non tantum oculos paſcat, ſed etiam animos male affectos admodum reficiat. Qui quidem ſitus eſt in feraciſsima, & optima totius Galliæ regione Andegauenſis dięceſis, iuxta Ligerim fluuium ampliſſimum. Hunc ædificauit ſereniſſimus, ac optimus Princeps Renatus Dei gratia Hieruſalem & Siciliæ Rex, & Andegauiæ & Barri Dux, Prouinciæ, Forcaquerij ac Pedemontis Comes, ſub nomine eremitorij, ob reuerentiam Dei & beatæ Mariæ Magdalenes, inſtar loci de Balma,
C qui in regione Prouinciæ ſitus eſt: vt illi fratres Minores de Obſeruantia diu noctuq; diuinum officium celebrarent, vt conſtat eiuſdem Regis diplomate, dato in domo ſua de Chanſeio, die penultima menſis Ianuarij, anno Domini 1456. ſignato manu illius propria: Quam fundationem ſuo diplomate probauit Paulus II. anno Domini 1467. vj. idus Decembris. Baſilicam prædicti conuentus ornauit prędictus ſereniſſimus Princeps reliquijs ſacris, videlicet de ligno crucis ſalutiferæ, de ſpina coronæ, de lancea, qua perforatum fuit latus Chriſti; de veſtimentis beatæ Mariæ, vno oſſe beatæ Mariæ Magdalenes, in paruo cado criſtallino circulis aureis religato, quibuſdamq; capillis eiuſdem, in ampulla vitrea, & cuſtodia eburnea incluſis. Quas reliquias maxima pompa, & pręclara ſecum hominum, imprimis verò prædictorum Epiſcoporum, ac dominæ Iolandæ prædicti Principis filiæ, ac plurimorum tum nobilium, tum procerum, tum plebis
D frequentia, ab arce Studium ad Balmetam vſq; aſportari pedetētim, ac in eadem baſilica perpetuò conſeruandas recondi curauit præfatus Rex Renatus, vt manifeſtum eſt triplicis literis eorundem Epiſcoporum, datis ſub maiori ſigillo loco, die, & anno præſcriptis. Quia verò prędictam Balmetam in eremitorium conſtruxerat prędictus Princeps ea lege, vt illic diuinum officium perſolueretur ſine cantu, ſupplicantibus fratribus eiuſdem conuentus, obtinuit à Leone Papa X. præſentibus illuſtriſſ. Cardinalibus tituli SS. quatuor coronatorum, & S. Mariæ in Nauicula, de Medices nuncupato, & plurimis alijs, frater Ioannes de Coſta in curia Romana generalis Commiſſarius, die 28. menſis Maij, anno Domini 1517. vt pro Guardiani ordinatione liberè fratres diuinum officiū cū cantu perſoluere poſſint, vt conſtat prędicti Cōmiſſarij literis, datis ſub ſigno & maiore ſigillo eiuſdem, anno quo ſupra, die vero 6. menſis Iunij. Ac propterea anno
E Domini 1518. pridiæ Paſchæ in eodem conuentu officium diuinum cum cantu perſolui cœpit. Idem conuentus, vt plurimum, habitatur à 20. fratribus. Habetq; Guardianum, lectorem, & 5. concionatores, qui ab initio conditi conuentus hactenus in tanta hominum exiſtimatione verſati ſunt, vt nullus ſit illo propemodum celebrior. Quod teſtatur illius magnifica, ſancta, & aſſidua Principum, nobilium, vniuerſæ deniq; plebis Andegauenſis cum ſumma ædificatione frequens viſitatio, & eleemoſynarum largitio.

De Minoritico conuentu apud S. Martinum. *Conu. XXI.*

CONVENTVS S. Martini eſt in nemore denſiſſimo, adeò ſolitarius, vt iure optimo eremus potius nuncupetur, quàm conuentus, ſitus in minori Britannia

dioeceſis Nanetenſis. Fundatus fuit quondam à quodam Domino de Caſtro Driando, A
qui fratribus dicti conuentus vſum in ſylua ſua perpetuum conceſſit. Cuius tamen no-
men proprium nobis eſt ignotum, ſicut & tempus fundationis. Hic enim conuentus
ab hæreticis incendio conſumptus, atq; etiam ſpoliatus fuit omnibus reliquijs, & literis.
Cuius tamen baſilica, quæ funditus euerſa fuit, nunc iterũ ędificata eſt, ſumma & accu-
rata diligentia, atq; induſtria fratrum, qui ibidẽ diu noctuq; (Deo protegente & conſer-
uante illos) officium diuinũ celebrant, licèt nondum ab hæreticorum inſidijs omnino
liberentur, quibus quotidie expoſiti ſunt. A quibus antea ſceleratiſſimè, ac inſidio-
ſiſſimè tractati, conuentum dolo ſuccenſum deſeruerunt. Inter quos nonnullos oc-
ciſos eſſe, non ſine dolore meminimus. Atq; imprimis V. P. frater Drouadeyne ſtatus
ſui obſeruantiſſimus, & in literarum diſciplina eruditiſſimus, vnà cum fratre Franci-
ſco Butault laico, ardentiſſimis (vt multi referunt) carbonibus iniectus eſt, anno Do- B
mini 1562. Deinde pòſt alius quidam V. P. Ioannes Tiſſerius Guardianus meritiſſimus,
violento plumbo enecatus eſt, cuius poſtea corpus in profundum putei proiectum exti-
tit. In hoc conuentu propter loci deſtructionem habitant vt plurimùm decem fratres.

De Minoritico conuentu S. Thomæ de Bodelio. *Conu. XXII.*

CONVENTVS S. Thomæ de Bodelio ſitus eſt in dioeceſi Venetenſi ſuperioris
Britanniæ, prope caſtrum Rupisfortis verſus Occidentem. Eius fundator habetur
dominus Ioannes de Rieux Mareſchalis Britanniæ. Cuius corpus in conuentu Enſeni-
ſij honorificè ſepultum eſt. Hic conuentus conſtructus eſt anno Domini 1440. Nullæ
literæ, aut ſanctorum reliquiæ nobis ſuperſunt, quoniam hæretici his omnibus ſpolia-
runt hunc locum. In quo habitãt modò, vt plurimum, quindecim religioſiſſimi fratres. C

De Minoritico conuentu Cloſenſi. *Conu. XXIII.*

CONVENTVS à Cloſis eſt in extremis finibus Archiepiſcopatus Bituricenſis
verſus Occidentem: Qui quidem ruſticus eſt, & campeſtris, in nemore ſitus pro-
pe quoddam caſtellum, quod vulgò appellatur à Cloſis, vnde conuentus ipſe nomen
ſortitus eſt. Fuit autem ædificatus circa annum Domini 1466. à nobiliſſimo Andrea
de Caluiniaco, qui verus protector pauperum Chriſti olim fuit. Tempore ſeditio-
num, & tumultuum Galliæ ab hæreticis conflagratus, poſtea ab integro, pietate pientiſ-
mi Principis ac Ducis à Montepenſerio Ludouici à Borbonio, qui & Dominus eſt dicti
caſtri à Cloſis, reædificatus extitit. Seruantur in ſacrario dicti conuentus reliquiæ de
S. Radegonda: de 11. mil. virg. de S. Iuliana: de diuerſis locis Terrę ſanctę. In quo re- D
ſidẽt tãtùm 3. ſacerdotes cũ Guardiano & 5. alijs fratribus tũ iuuenibus, tũ quoq; laicis.

De conuentu B. Mariæ de Angelis. *Conu. XXIIII.*

CONVENTVS B. Mariæ Angelorum ſitus in Epiſcopatu Andegauenſi opti-
ma, nobiliſſimaq; totius Galliæ regione, prope nemus Caſtrimorticrolij, ampliſ-
ſimo & amoeniſſimo, viridario hortulisq; arboribus conſitis, atq; perbellè munitus. Lo-
cus peramoenus, vt ſi quis alius ſit in hac Prouincia: & amplificè conſtructus eſt. Fun-
dator huius conuentus quondã extitit generoſus Dominus de Rohan Mareſchalis Frã-
ciæ. Qui tanta pietate erga beatã Mariam de Angelis permotus erat, vt in honorẽ eiuſ-
dem, impenſis ampliſſimis, ædificarit hunc conuentum, ex conceſſione tamen Alexan-
dri Papæ VI. ſub diplomate dato, anno Domini 1500. pridiæ cal. Aprilis, ſui Pontifica- E
tus anno viij. Baſilicã decorauit R. Chriſtophorus Humaius S.R.E. Cardinalis: qui 100.
dies indulgẽtiarum omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus, verè poenitentibus, & confeſ-
ſis, ſeu propoſitum confitendi habentibus, qui præfatam eccleſiam ſingulis diebus de-
uotè viſitauerint, miſericorditer relaxauit. Idipſum datum eſt tempore Leonis Papa X.
Pontificatus ſui anno 6. Dñicæ verò natiuitatis 1519. Maxima aut deuotione, ac cele-
britate à fidelibus, illuc vndiq; confluentibus, viſitatur eccleſia, in qua piè ſeruãtur reli-
quię, ſcilicet de coronę Chriſti pretioſa ſpina; de ſepulchro S. Catharinæ; de altari S. Io-
annis Euang. de vera cruce, in parua cruce aurea benè repoſita. Habitant nunc in
hoc conuentu propter penuriam fratrum 12. fratres, quorum tres ſunt prædicatores.

A *De monaſt. decẽ Beneplacitorum, ſeu virtutũ B. Mariæ Biturig. Mon. I.*

MONASTERIVM, titulo Annunciationis beatæ Mariæ, Ordinis decem Beneplacitorũ, ſeu virtutum ſacratiſſimæ Virginis ſitus eſt Biturigibus, iuxta muros ipſius vrbis. Cuius olim fundatrix pientiſſima Ioanna à Francia, filia Regis Ludouici XI. ſoror Regis Caroli VIII. & coniunx Regis Ludouici XII. fuit. Quæ omnibus naturæ dotibus, ac virtutibus illuſtrata, ſoli Deo ſeruire, cætera contemnere, ab ineunte ætate conſtituit. Nam (quod admiratione dignum eſt) quùm annos quinque ſolùm attigiſſet, iam aſſiduis in eccleſia precibus uacabat, cæteris exercitationibus uanis ex alto cõtemptis: adeò vt omnes cogitationes, omniaq; ſtudia ſua in Deo figeret, & locaret, adeoq; feruens erat in oratione, vt mente ſurſum, quaſi inter choros Angelorum ra-
B peretur. Atq; imprimis ardentiſſima dilectione filij Dei, & genitricis eius Virginis deuotione incẽſa, matrem miſericordiæ deprecari ſolita erat, vt ſibi perpetuò adeſſet, qua duce ſemper id ageret, quo maieſtati filij ſui, quem vnicum animæ ſuæ ſponſum deſiderabat, gratiſſimam ſeſe redderet. Cùm autem quadam die incredibili feruore preces huiuſmodi ſacratiſſimæ Virgini offerret, ab illa reuelationem hanc accepit, futurum aliquando diem, priuſquam ex hac vita diſcederet, cùm fundatura Religionem eſſet, ex qua beata illa Virgo maximum obſequium, commodum, & honorem reciperet. Qua reuelatione ſibi facta, inflammatum eſt adeò cor illius puellæ, vt ſtatim ab ætate ſex annorum in animum induxerit ſubiectum reuelationis adimplere, quamprimùm ad liberam ætatem perueniſſet. Iam tanta virtute, prudentia & maturitate, tamquam ſpiritualibus theſauris, animam ſuam decorabat, imprimiſq; orationis ac deuotionis ſanctiſſi-
C ma exercitia ſectabatur: vt cùm hæc, & alia præclara de filia ſua maieſtas Regis patris ſui reſciret, ſtatim voluerit ei prouidere de optimo confeſſario, cuius conſilijs ſanctiſſimis quotidiè magis ad amorem Dei inflãmaretur. At repentè paruula confugiens ad orationem, & ſeſe totam Deo commendans, inſpiratione diuina, delegit ſibi confeſſarium V. P. F. Gabrielem Mariam, tum Guardianum conuentus Ambaſiæ, qui fidelibus exhortationibus ſuis aſſiduis illam vehementius, quàm credi poſſit, ad pietatem excitabat. Ac tandem effectum eſt, vt ſicut corpore exterius creſcebat, ita ſpiritualiter & interius quotidiè magis excreſceret, & proficeret indies, ac de virtute in virtutem procederet. Quod intelligens regia maieſtas eius pater, cùm iam apta viro & nubilis annis eſſet, eam matrimonio dedit nobiliſſimo Duci Oreliæ Ludouico de Sabaudia, qui eandem ſibi deſponſauit in facie Eccleſiæ. Qui quidem Dux poſt deceſſum Regis Ludouici XI. ſo-
D ceri ſui, & fratris dictæ ſponſæ ſuæ Regis Caroli VIII. obtinuit ſucceſſorio iure coronam Regni Franciæ, tamquam proximior Princeps ſanguinis, cuius prædeceſſores ſui nullum hæredem maſculum, qui poſſet in Regno ſuccedere reliquiſſent. At verò ſanctiſſima illa heroina cùm 20. iàm annos caſtè permanſiſſet cum dicto eius coniuge, & ab eo (licèt immeritò) ſæpè iniurioſius tractata, (quam Rex Carolus frater eius vindicare uolẽs, dictũ Ducẽ incarcerari fecit in fortiſſima turri Biturigibus ædificata,) ab eo inquam Duce ac coniuge libellum repudij accepit. Quam ſeparationem à Sede apoſtolica obtinuit, cùm Rex ſacratus fuiſſet, quòd is mordicus aſſereret ſe eã inuitam in vxorem duxiſſe, vt videlicet patris furorem, ac odium declinaret: ſeq; illam numquam fuiſſe amore proſequutum, ſed potius maleuolentia quadam, imò potius illam fuiſſe eius mentem, dum matrimonium cõtraheret, vt nullo pacto ad eam ingrederetur, ſed vt con-
E nubium, Rege Carolo extincto, nullius eſſet valoris. Accipit igitur Rex in vxorem ſereniſſimam Annam à Britannia vnicam Britannici Ducatus hæredem, quòd eam Prouinciam Regis coronæ annexam maximè cuperet. Volens igitur pientiſſima Ioanna à Francia hanc Religionem erigere ac ſtabilire, quam inſpirante ſacra Virgine ab ætate ſex annorum fundare, in Eccleſia Dei conſtituerat, imprimis dictam reuelationem patefecit præfato patri cõfeſſario. Cui pater ſapientiſſimè reſpõdit, nõ modò id ſanctũ eſſe deſiderium, ſed etiam animæ ſuæ meritorium & ſalutate, ac Eccleſię ſanctæ Dei vtile, quod à Spiritu ſancto procedere nullatenus dubitaret. Quamobrem hoc ſanctum cœnobium virginum vnà cum fratrum aliquo numero, ſufficienti prouentu aſſignato, fundauit, adhibito conſilio præfati patris fratris Gabrielis Aue Mariæ, qui iuxta eius pe-

 titionem

titionem Regulam futurę Religionis, Annunciationis videlicet beatę Marię, ſeu decem A
Beneplacitorum, aut virtutum eiuſdem ſacratiſſimæ Virginis feliciter compoſuit. Qui deinde Romam delegatus ab eadem, vt eiuſdem Regulæ approbationem à ſummo Pontifice obtineret, eam non abſq; maximo labore, ab Alexandro VI. ſummo Pontifice 12. Februarij, anno Domini 1501. plurimis ſibi ex apoſtolica auctoritate adiunctis, conceſſisq; fauoribus & gratijs impetrauit. Sibiq; proprium nomen, ab eodem ſummo Pontifice inditum, acquiſiuit. Vocabatur ſiquidem prius frater Nicolaus Giſberti, poſtmodũ verò frater Gabriel Aue Maria appellatus euaſit. Poſtquã igitur hęc Regula confirmata fuit, illuſtriſſ. Ioanna profeſſionem eiuſdem Regulę ſolennem fecit, præſentibus Epiſcopo Albienſi, & alijs illuſtriſſimis viris, ac V.P.F. Gabriele Aue Maria, qui & elegantiſſimam, ac ſanctiſſimam exhortationem habuit. Cuius aſſiduis præceptis, & conſilijs eadem fundatrix cum ſororibus ſuis ſeſe totam commiſit. Porrò nunc beata B
in cœlis laureata perpetuò cum beatis Deo fruitur, defuncta die 5. Februarij, anno iucundæ incarnationis Domini 1504. Cuius ſacrum pignus honorificè ſepultum eſt, miraculis clarẽs, vt teſtatur illius epitaphium, quod in omnibus cœnobijs Ordinis ſui à filiabus legitur, in die anniuerſarij eiuſdem defunctæ, vt obiectum ſemper ob oculos mentis habeant, quo ad imitationem tam heroicæ vitæ excitentur. Poſt cuius deceſſum baſilica huius monaſterij dedicata fuit per illuſtriſſ. Cardinalem Georgium de Ambaſia, tunc à Sede apoſtolica in Galijs legatum, anno Domini 1520. diligentia tamen præfati V.P. Gabrielis Aue Marię, qui hunc conuentum per aliquot annos feliciter gubernauit. Tãdem poſt celebria in Ordine acta ad Dei laudem, Eccleſiæ, & Ordinis ædificationem poſt conuentuum in partibus diuerſis conſtructionem, & noſtrę Religionis propagationem, Prouincialis Prouinciæ Aquitaniæ Toloſanæ, Obſeruantis tamen, & poſtea ge- C
neralis Commiſſarius Vltramontanæ familiæ, plenus bonis diebus, operibusq;, Ruthenæ in pace quieuit anno Domini 1531. die 27. Auguſti. In archiuis dicti conuentus ſeruantur literæ, quæ ſequuntur, apoſtolicæ. Imprimis bulla Alexandri Papæ VI. qua approbat Regulam dictæ Religionis decem Beneplacitonum ſeu virtutum virg. Mariæ, eamq; decorat, ac munit maximis priuilegijs & indulgentijs. Et ſpeciali gratia voluit fratres, ac ſorores dicti Ordinis tam præſentes, quàm futuras plenariè, & pacificè gaudere omnibus, & ſingulis priuilegijs, immunitatibus, & exemptionibus olim à ſummis Pontificibus conceſſis, & in futurum concedendis, Ordini fratrum Minorum. Data fuit anno incarnationis Dominicæ 1501. Pontificatus verò ſui anno decimo. Cui ſuffragati ſunt ſummi Pontifices Iulius II. & Leo X. vt patet ex bullis, quæ etiam ibidem cuſtodiuntur. Huius loci baſilicam decorarũt illuſtriſſimi Cardinales plurimis alijs priuile- D
gijs. Nempe Georgius de Ambaſia præsbyter Cardinalis, ac in Regno Franciæ, nonnullisq; alijs Prouincijs apoſtolicæ Sedis Legatus de latere, qui apoſtolica auctoritate declarauit religioſas dicti conuentus ab omni iuriſdictione, & ſuperioritate Ordinarij, & cuiuſuis alterius exemptas eſſe, easq; penitus exemit. Idem Cardinalis omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus vtriuſq; ſexus verè pœnitentibus, & confeſſis qui dictã eccleſiam in omnibus B. Mariæ, ac S. Ioſeph, ipſius eccleſiæ dedicationis feſtiuitatibus, à primis veſperis, vſq; ad ſecundas veſperas incluſiuè, deuotè viſitauerint, annuatim pro ſingulis feſtiuitatibus & diebus peractis, quibus id fecerint tres annos & totidem quadragenas, de iniunctis pœnitentijs relaxat, perpetuis futuris temporibus duraturis, ſuis literis datis ſub plumbo anno 1506. Item illuſtriſſimus Cardinalis Chriſtophorus Humaius declarat ſorores Religionis virginis Mariæ debere perpetuò gubernari à fratribus E
Minoribus Obſeruantiæ, literis Romæ datis, anno Domini 1518. die 19. Auguſti. Extant alię quędam literę à reuerendiſſimo patre fratre Paulo de Parma Miniſtro quondam generali fratrum Minorum: quibus declaratur, quomodo iuxta prædictas literas apoſtolicas iſtud ipſum concluſum fuerit in Capitulo generali celebrato in conuentu Panormitano, die Pentecoſtes, anno Domini 1519. Quas idem R.P. ſcripſit dictis ſororibus huius conuentus. Reliquiæ verò, quæ hoc in conuentu habentur, ſunt paruula quædam oſſa SS. Stephani, Laurentij, Sebaſtiani, Fulgentij, Guilelmi Archiepiſcopi: Et SS. Barbaræ & Apolloniæ. Pręterea caput S. Aluernæ vnius ex 11. millibus virginũ. Idem cõuentus 48. religioſiſſimas virgines perenni clauſura feliciſſimè cuſtodit, & continet.

De Mona-

A *De monaſterio S. Claræ de Patientia Lauális.* *Mon. II.*

MONASTERIVM ſanctimonialium S. Claræ dictum de Patientia, quod habitatur à ſororibus, quæ Leoniſtæ dicuntur, ſuntq́; numero 30. ſitum eſt in ſuburbio vrbis Laualenſis, eſtq́; præclara ædificij ſtructura ornatiſſimum. Fundatores huius conuentus quondam extiterunt dominus Nicolaus Comen Laualenſis, cum cariſſima eius vxore Margareta à Lotharingia. Quibus Leo X. Pont. max. aſſēſum prębuit. Eius loci ſorores fuêre quondã Tertiariæ, egrediq́; poterant, poſtea tamen patrũ conuentus S. Franc. eiuſdē ciuitatis monitis, clauſurã vouerunt, quam deinceps ſemper profeſſæ ſunt.

De monaſterio Tertiariarum Caſtrigunterij. *Mon. III.*

B CONVENTVS ſanctimonialium tertij Ordinis Franciſcani, ſitus in ſuburbijs oppidi Caſtrigunterij, ac ab ipſo oppido Meduanæ amnis interiectione diſtinctus, ædificatus fuit, anno Domini 1507. Cuius primæua fundatrix extitit pia heroina Margareta, quondã Alenconij Duciſſa. Quę omnia bona ſuã dedit, vt ſibi compararet euangelicam illam pretioſam margaritam, gloriam nempe æternam. Hæc igitur nobiliſſima herois illuſtr. coniuge ſuo Alenconij Ducè, anno 1492. orbata, ac ſpreto natiuo genere, mundoq́;, ac voluptatibus omnibus conculcatis, verè vidua tantùm inhiabat in Deum, & inſtabat obſecrationibus & orationibus nocte ac die, ac bonis ſanctiſq́; operibus pro viribus intendebat. Nam, vt opera miſericordiæ exerceret erga pauperes, emit quandam domum, vbi omnes mendicos, afflictos, nudos & languidos reciperet: quibus omnibus modis ſubueniebat. Honoris autem, cultusq́; diuini ita ſolicita erat, vt nihil magis curare
C videretur. Cuius denique pientiſſimæ fęminæ deuotio ſatis enituit ex conſtructione tum monaſteriorum, tum eccleſiarum, tum quoque & hoſpitalium: Nam paulò poſt deceſſum defuncti ſponſi, monaſterium ædificandum curauit in honorem Dei, & beatæ Claræ Alenconij iuxta caſtrum dictæ vrbis, vt commodius conuerſari poſſet cum dicti monaſterij ſororibus: quæ ex monaſterio Pariſienſi ſororum S. Claræ, quod paſſim Aue Maria nuncupatur, eò tranſlatæ fuerant. Deinde cum ſingulari quadam, & ſpeciali proſequeretur dilectione S. Eliſabetham, curauit, vt Tertiarias Frãciſcanas ſorores in hoſpitali Mortiniaco à ſe erecto haberet. Adiecit præterea, vt hoſpitale Caſtrigunterij, quod Andagauenſis dięceſis oppidum erectum eſt, earundem Tertiariarum ſororum miniſterio adiudicaret: prout & fecit: nam Caſtrigunterienſibus oppidanis iuri, quod in præfatũ
D hoſpitale habebant, in eius fauorem cedentibus, atque adductis ex præfato Mortiniaco conuentu aliquibus ſororibus, & illis prædicti xenodochij curam commiſit, atque opportunum conuētum cum eccleſia, hoſpitali contiguum ædificauit. Hoc deniq́; monaſterium multis priuilegijs, à ſummis Pontificibus impertitis, honeſtatur. Imprimis Paulus III. ſuo diplomate, anno Domini 1534. declarauit præfatas ſanctimoniales gaudere omnibus priuilegijs, fratribus ac ſororibus eiuſdem tertij Ordinis à ſuis prædeceſſoribus conceſſis. Sedente præterea Alexandro papa VI. anno ſui Pontificatus ſecundo, 12. Cardinales relaxarunt, vnuſquiſque eorum, centum dies indulgentiarum omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui præfati monaſterij baſilicam, Dei & ſancti Iuliani Epiſcopi nomine erectam, annuatim viſitauerint, in ſingulis videlicet diebus Veneris, Dominicis, feriæ ſecundæ poſt Chriſti Reſurrectionem,
E & Pentecoſtes, die aſſumptionis beatæ Mariæ virginis, necnon & ipſius eccleſiæ dedicationis feſtiuitatibus: idque à primis veſperis vſque ad ſecundas diei ſubſequentis.

De monaſterio monialium Xampeniaci. *Mon. IIII.*

CONVENTVS ſororum titulo S. Mariæ bonæ ſpei ſitus prope caſtrum Xampeniacum, in dięceſi Pictauienſi fundatus extitit, atque dotatus à pientiſſimo Principe & Duce Montiſpēſerij Ludouico à Borbonio, ex regio ſanguine orto, auctoritate tamen papæ Pij huius nominis V. anno Do. 1565. Tuncq́; introductæ ſunt hunc in locum 16. religioſæ ex præcedenti monaſterio Caſtrigunterij. Sunt præterea hac in Prouincia 5. domus Tertiariarum, quæ tamē ab hæreticis dirutæ & conflagratæ ſunt, ita vt hodie à paucis ſororibus habitētur, quia illarum nonnullę ad ſuorũ parentũ domos diuetterũt.



PROVIN-

PROVINCIA ARAGONIAE.

A CVM ſeraphicus pater Franciſcus poſt generale illud Capitulum, à ſtoreis,
quibus fratres pro tentorijs, atque cubilibus vſi ſunt, ſtorearum vulgò di-
ctum, Aſſiſij in conuentu S. Mariȩ de Angelis, anno à partu Virgineo 1219.
à ſe celebratum, in quo quinque fratrum millia conuenêre, tum diuini ho-
noris promouendi zelo, tum quoque ſuæ Religionis propagandæ gratia,
illorum plures ad diuerſas orbis plagas deſtinaſſet: ex centum & decem, qui ab eo in Hi-
ſpaniam ſub beato patre Ioanne Parente Miniſtro miſſi ſunt, (vt vult quidam auctor an-
tiquiſſimus noſtri Ordinis) decem cum ipſomet beato patre Cȩſarauguſtam, quæ Tar-
raconenſis Hiſpaniæ celebris ciuitas eſt, circa feſtum aſſumptionis Deiparȩ virginis Ma
riæ eiuſdem anni 1219. applicuêre. Qui eius ciuitatis Archiepiſcopo, ac vtrique ſenatui,
B ſȩculari ſcilicet atque eccleſiaſtico, (vti par erat) ſe præſentantes, benignè ab eis rece-
pti ſunt, ſtatamq; diem, in qua coram ſe conuenirent, atque quid vellent felicius propo-
nerent, retulerunt. Qua tandem iuxta condictum adueniente, beatus ipſe Ioannes Parēs,
decem ſuis ſocijs ſtipatus, in celeberrimæ illius coronæ medium deſcendit, atque in hæc
verba maxima cum humilitate, ac religione prorupit: *Patres conſcripti, atque de catholica
religione optimè meriti, Deus opt. max. qui dilectiſsimi filij ſui Ieſu Chriſti ſponſæ, catholicæ vi-
delicet Eccleſiæ in omni tribulatione, atque in quacunque neceſsitate opportunè adeſt, nouiſsimis,
ac verè calamitoſis his temporibus, hominem quendā, ſcientia vacuum, idiotam, ſimplicem, ac mer
cimonijs implicitum, cuiuſdamq; Petri Bernardonis Aſsiſinatis filium, nomine Franciſcum, qui
mundo ſalutis viam oſtenderet, pœnitentiamq; ſuaderet, ſeligere dignatus eſt. Is igitur tanti pa-*
C *tris ac Domini dicto audiens, omnibus mundi illecebris longè poſthabitis, ſe totum paupertati, hu-
militati, atque omnium deſpectui commiſit: inſuper & quoſdam eiuſdem mentis homines, qui ſe
in omnibus ſequerentur, elegit. Qui adeò, auſpice Deo, creuerūt, vt non ita ante multos dies mille-
ſimum numerum quintò repetitum exceſſerint. Quod ſanè miraculo nō caret: cùm huiuſmodi ele-
ctio à tredecim tantùm annis contigerit. Cupiens præterea is pater noſter Franciſcus, qui & ſum
mam Pont. max. Honorij III. (vt vobis videre licebit) humanitatem, atque paternam beneuolen
tiam in approbatione Regulæ, à ſe, Spiritu ſancto dictante, præſcriptæ, & eximium illuſtriſsimo-
rum S.R.E. Cardinalium in eiuſdem Regulæ commendatione affectum expertus eſt, huiuſmodi vo
catione facere ſatis, præfatos viros ſibi adhærentes, (de quorum numero & nos ſumus) qui vitia
carpant, virtutes commendent, Chriſtum ſequi, eiusq; præceptis mortales parere doceant, tum ad*
D *Germanos, tum ad Gallos, tum ad alias orbis partes, tum quoque ad celeberrimam hanc ciuitatem
delegauit. Vos igitur exoratos cupimus, vt ſi noſtra conuerſatio vobis arriſerit, nobis aliquod ho-
ſpitiolum, vbi & diuinum penſum peragere, in poſterum victitare, atque tanti patris voto annue-
re poſsimus, aſsignare dignemini. Nec id vobis (oro) difficile ſit: nam nihil minus à diuitijs, &
bonis veſtris exoptamus. Victum ſiquidem neceſſarium, qui & parciſsimus eſt, & vilem amictum
vel corporalis labor, vel oſtiaria emendicatio ſuppeditabit.* Quibus dictis depromptas ex ma-
nica tum præfati ſummi Pont. Honorij III. tum quoque plurium S.R.E. Cardinalium
commendatitias literas, præfato Cæſarauguſtanorum Archiepiſcopo, ac cȩtero conceſ-
ſui perlegendas obtulit. Illi verò hominis ſpiritum, humilitatem, atque habitum ſummè
admirantes, ab eo inſtantius petierunt, vt, ſi quas haberet à ſuo patre literas, eis oſtende-
E ret. Tunc beatus pater Ioannes ipſiſſimum earum literarum, quas ſeraphicus pater Frā-
ciſcus ſuis fratribus ad prædicandum, atque conuentus per orbem ædificandum miſſis,
ad Prouinciarum Magiſtratus, atque Epiſcopos dederat, tranſumptum, cuius formalia
verba ſequuntur, tradidit. *Vniuerſis Poteſtatibus, & Conſulibus, Iudicibus, atque Rectoribus
vbique terrarum & omnibus alijs, ad quos literæ iſtæ peruenerint, frater Franciſcus veſter in
Domino Deo ſeruus, paruulus ac deſpectus, ſalutem & pacem omnibus vobis optans. Conſiderate*

& videte

& videte quoniam dies mortis appropinquat. Rogo ergo vos cum reuerentia, ſicut poſſum, ne pro- A
pter curas, & ſolicitudines huius ſæculi, quas habetis, Dominum obliuioni tradatis, & à mandatis
eius declinetis: quia omnes illi, qui eum obliuioni tradunt, & à mandatis eius declinant, maledi-
ctiſunt, & ab eo obliuioni tradentur: & cùm venerit dies mortis, omnia, quæ putabant habere, au-
ferentur ab eis. Et quantò ſapientiores & potentiores fuerint in hoc ſæculo, tanto maiora tormen-
ta ſuſtinebunt in inferno. Vnde firmiter conſulo vobis Dominis meis, vt omni cura & ſolicitudi-
ne poſthabitis: & ſanctiſſimum corpus, & ſanctiſſimum ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti
in eius ſancta commemoratione benignè recipiatis. Et tantum honorem in populo vobis commiſſo
Domino conferatis, vt quolibet ſero annuncietur per nuncium, vel per aliud ſignum, quo omnipo-
tenti Domino Deo ab vniuerſo populo laudes & gratiæ referantur. Etſi hoc non feceritis, ſciatis
vos debere coram Domino Deo veſtro Ieſu Chriſto in die iudicij reddere rationem. Hoc ſcriptum
qui apud ſe retinuerint, & obſeruauerint illud, à Domino Deo ſe nouerint benedictos. His B
literis perlectis, tantus eorum omnium ad patrem Franciſcum affectus inceſſit animos,
tantaq; ad beatum patrem Ioannem, eiusque ſocios inceſſit beneuolentia, vt ſtatim
de conferenda illis habitatione inter ſe egerint, atque domos quaſdam, ſemi tamen diru
tas, iuxta Iberi fluminis marginem, aliquantulum à ciuitate ſitas, ipſo die, beato patri
Auguſtino dicato, contulerint: vbi & per aliquot annos cum maxima laude, atque po-
pulorum ædificatione commorati ſunt. Cùm itaque huiuſmodi, atque ſimilibus auſpi-
cijs Franciſcana Religio magis, magiſq; apud Hiſpanos augeretur, indiesq; noui conuē-
tus ædificarentur, ij patres, quorum ex munere intererat, in quodam Capitulo Numan-
tię celebrato, vniuerſam Hiſpaniam in tres Prouincias, Caſtellæ videlicet, quę omnia fe-
rè Caſtellæ monaſteria complectebatur, S. Iacobi, quæ Portugaliæ, Galleciæ & Legio-
nis Regna, ac etiā veteris Caſtellę portionem ambiebat, atque Aragonię, quę ad Valen- C
tiæ, Cathalonię, Nauarræ, atque Balearium inſularum Regna ſe extendebat, diuiſerunt,
diſtinxeruntq;. Creſcente verò adhuc & fratrum, & monialium numero, Aragoniæ Pro-
uincia (de qua impræſentiarum) ſecundò diſſecta eſt. Primò quidem à ſeptuaginta
annis & vltrà: quando videlicet Maioricarum Cuſtodia ab ea diſcedens Prouinciæ di-
gnitatem aſſumpſit. Secundò verò in generali Capitulo, Aquilę apud Brutios celebrato,
vbi reuerend. P. F. Franciſcus Zamora in generalem totius Ordinis Miniſtrum electus
fuit: quando & à Cathaloniæ, & Valentiæ Prouincijs, retento antiquiori Aragoniæ ti-
tulo, ſeiuncta extitit. Monaſteria autem in Nauarræ Regno erecta, quæ ſibi adhęrebant,
temporis ſucceſſu, alijs Prouincijs à noſtræ Religionis proceribus adiecta fuêre. A cęte-
ro hæc Aragoniæ Prouincia, quæ ex nouendecim fratrum, & nouem monialium con-
uentibus conflatur, ſigillo, cui Franciſcanæ Regulæ confirmatio, nempe ſummus Ponti- D
fex ipſam Regulam præ manibus habens, cui duo Cardinales ab vtroque latere aſtant,
capiti Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie ſuperſtat, & pedibus beatus pater Franciſcus
genuflexus, & gentilicia Regni Aragoniæ inſignia ſubſtant: atque ſequentes literæ: SI-
GILLVM. PROVINCIÆ. ARAGONIÆ. F. MINORVM. DE. OBSERVAN-
TIA, in orbem inciſæ ſunt, pro Miniſteriatus exequutione vtitur. Cui denique beatos
patres Ioannema tque Petrum, à ſeraphico patre in Hiſpaniam tranſmiſſos, ibiq; mar-
tyrio coronatos, atque in Turolienſi huius met Prouinciæ conuentu honeſtiſſimè ſe-
pultos, tamquā eius patronos non abs re, ſed legitimis cauſis innixus, præponere volui.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Cæſarauguſtæ. Conu. I.

NICOLAO V. Pont. max. atq; Alphonſo Aragonū Rege, anno verò Dominicæ E
incarnationis 1447. duo fratres Regularis Obſeruantiæ alumni Cæſarauguſtam,
quæ Tarraconenſis Hiſpanię (vt præfati ſumus) nobilis, famoſaq; ciuitas eſt, brumali
tempore applicuêre. Cumq; non eſſet illis locus in diuerſorio, ad ædiculam quandā cen-
tum paſſibus ab eius vallo, ex altera Iberi fluminis parte ſitam, diuerterunt. Cùm autem,
vigente frigore, quadam nocte ex proximiori vitium ſtrue vnum, vel alterum faſcicu-
lum, quo frigoris aſperitatem ſtructo igne temperare poſſent, maxima neceſſitate com-
pulſi accepiſſent: accidit, vt aliquot ſcintillę, à vento propulſę, vniuerſam è vicinio ſtruē
incenderint. Quod vt nobilis quidam Cęſarauguſtanus nomine Petrus Ferriz tum eius,
tum quoque adiacentis vineę dominus, primùm reſciuit, pręmemoratos fratres tamquā
huiuſmodi

A huiuſmodi incendij authores omni dicteriorum, atq; iniuriarum genere laceſſiuit, proſequutusq; eſt. Quamobrem Deus Opt. max. irrogatæ pauperculis religioſis iniuriæ vltor effectus, huiuſmodi vineam, immiſſo ſequenti vere æſtu, exſiccauit. Quo euentu præmemoratus Petrus Ferriz ad ſaniorem mentem reuerſus, ipſos fratres, vt ſibi parcerent, proq; ſe Deum deprecarentur, obnixè rogauit. Mirabile dictu! Vt primùm illi eius votis annuêre, pręfata vinea, reuireſcentibus folijs, priſtinę gloriæ, priſtinoq; decori reſtituta eſt. Tanto igitur miraculo per eundem Petrum Ferriz diuulgato, Cæſarauguſtanus ſenatus præmemorato Alphonſo eius Regi, vt à Nicolao V. ſummo Pont. tunc ſedente vnius à ſe Minoritici conuentus ædificandi facultatem impetrare vellet, obnixè ſupplicauit. Quo denique ſummo Pontifice ad Regis inſtantiam annuente, prout ex apoſtolicis literis, in huius loci tabellario aſſeruatis, ſatis liquet, præſens conuentus, S. Mariæ de B Ieſu ſacratus, eodem in loco, quo præfata ædicula præextiterat, à pientiſſimo Cæſarauguſtano ſenatu, quem & in omni euentu, ac neceſſitate ſui amantiſſimum, atque patronum ſummè beneficum experitur, ex publico ærario, anno à partu Virgineo 1449. à fundamentis extrui cœpit, atque breuiſſimo temporis interuallo, omnibus ſuis numeris abſolutus extitit. Cui & nobilis heros Petrus Ferriz, alterius (de quo ſupra) filius, atq; hæres, & pientiſſima eius mater Maria de Agñon, ob conceptam ad fratres deuotionē, prædictam vineam ſumma liberalitate contulêre. Obtinet autem præſens conuentus, qui & à 60. fratribus inhabitatur, primum hac in Prouincia locum, non quòd primus omnium ædificatus ſit: ſed quòd à ſui erectione impræſentiarum vſque Regulari Obſeruantiæ deſeruierit: quodq; elegantiſſimè conſtructus, atque omni ex parte perfectus grauiſſimis viris, atque omni Religione, & ſanctitate præditis, quorum vnum vel alterum in mediū C adducam, perpetuò floruerit. Hîc namque deuotiſſimus frater Bartholomęus profeſſione laicus, atque Vadiniæ (vulgò Victoria) oriundus, diu vixit, mortuus, ſepultusq; eſt. Qui dum viueret, profundiſſima humilitate, ardentiſſima charitate, atque præſago ſpiritu pręditus fuit. Præterea orationi, cui etiam intentus ſępè ſępiſſimè rapiebatur, adeò aſſuetus extitit, vt nihil illi familiarius, dulciusq; fuerit. Hunc ſequutus eſt tum in vita, tum quoque in morte, & alius eximiæ ſanctitatis frater laicus, nomine Ioannes Gometius, in quo ad Deum, atque ad proximum charitas mirum in modum emicuit. Vterq; iſtorum tum à fratribus, tum quoque à ſæcularibus vt ſanctus, & vt Deo charus, dum viueret, habitus fuit, atque impræſentiarum habetur. Honeſtatur denique ſacra hæc ædes particula Dominicæ crucis, & quibuſdam alijs ſanctis reliquijs, ſed tantùm ſine titulis.

D *De conuentu S: Franciſci ibidem.* *Conu. II.*

CVPIENS Cęſarauguſtanus ſenatus, vt decem illi patres, beati patris Ioannis Parentis ſocij, (de quibus in huius Prouinciæ proęmio) cominus ſibi adeſſent, quēdam locum, nouo ædificando conuentui accommodum, intra Cęſarauguſtanę ciuitatis mœnia, poſt aliquot annos ab eorum ingreſſu, illis deſignauit, contulitq;. Vbi & ab ijſdem præſens conuentus ſub titulo S. Franciſci, tum ex publicis, tum quoque ex priuatis eleemoſynis, intra tamen paupertatis limites, ędificari cœpit. Qui tēporis ſucceſſu adeò creuit, ampliatusq; eſt, vt cuicunque alteri, licèt percelebri, adæquari poſſit. Vt autem ad eius erectionem redeamus; licèt enim pręfati fratres, atque aliquot alij ſibi adhęrentes, ad hunc locum de nouo ędificatum ſe tranſtuliſſent, ne tamen antiquioris monaſterij eccleſia diuino cultu deſtitueretur, priuareturq;, certum fratrum numerum, qui E diuinis laudibus die noctuq; intenderent, ibidem reliquerunt. Pręterea cùm nouus conuentus neceſſarijs officinis inſtruendus veniret, maioremq; religioſorū partem incommodè ſatis contineret, ædiculas quaſdam, vetuſtiori annexas, demoliendas, atque ex earum materia, quod in nouo deſiderabatur, extruendum curarunt. Dum verò iſta geruntur, aliquot patres Auguſtiniani Cęſarauguſtam, anno Dominicę incarnationis 1286. & ipſi monaſterium ędificaturi applicuerunt. Quamobrem ipſis, atque Cęſarauguſtano ſenatu maximè inſtantibus, antiquior Minorum conuētus, ſexageſimo ſeptimo anno à prima eius ędificatione, nempe anno Domini 1286. ſub certis legibus, quę tamen inuiolabiliter obſeruantur, pręfatis patribus Auguſtinianis à noſtris traditus extitit. Ne verò beatorum patrum Agni, atque Bernardi à Viridante corpora ibidem ſepulta à ſe derelicta vi-

ęta viderentur,ea ad noui monaſterij eccleſiam in feſto Apoſtolorum Philippi,atque Ia- A
cobi eiuſdem anni 1286. maxima cum ſolemnitate, atque nobili proceſſione tranſlata
fuêre.Quo quidem die,toto circumaſtante populo,eorum beatorum patrum meritis,&
mulieri,quę à 50.annis oculorum vſum amiſerat,lumen extitit reſtitutum,& altera mu-
lier cocles oculi rectitudinem aſſequuta eſt.Horum alter vocabatur frater Agnus, qui
primus omnium,cùm eſſet genere nobilis, atque dignitate canonicus, vocareturq; Lu-
pus Ferdinandus Dain, ſpretis huiuſmodi honoribus, Franciſcanæ Religionis habitum
Cæſarauguſtæ ſuſcepit, atque pauperculis fratribus adiunctus eſt. Hic denique à Mini-
ſtro eius prouinciali Romam ad Gregorium IX. ſummum Pont. ob quædam negocia,
Religionis ſtatum concernentia,miſſus,tanta tum apud ipſum ſummum Pont. tũ quo-
que apud illuſtr. Cardinales ſanctitatis opinione polluit, vt & ab omnibus maxima in
veneratione habitus ſit,& Hieroſolymam accedendi facultatem à ſummo ipſo Paſtore B
petens,id,quod ſequitur,reſpõſum retulerit: Vade fili,concedo tibi quod poſtulas,dum
tamen non vt lupus, ſed vt agnus pergas. A quo etiam tempore non frater Lupus, ſed
frater Agnus dici voluit. Præfata tamen facultate gaudere nequiuit. Cùm enim per id
tempus Marrochiorum Antiſtes vita functus eſſet,pluresq; eam dignitatem ſibi confer-
ri ſupplicarent,reſpondit ſummus Pontifex:certè iam eſt alterius, quem nuper de lupo
fecimus agnum, & ideo dignum eſt, vt de agno faciamus Paſtorem luporum. Et me-
ritò:nam Marrochiani ipſis lupis in Chriſtianos ſæuiores ſunt. Hisq; dictis ſummus ip-
ſe Pontifex patrem Agnum ad Marrochiorum Epiſcopatum promouit. Quam ille (li-
cèt inuitus) dignitatem acceptans,relicta interim Hieroſolymorum peregrinatione,ad
oues ſibi commiſſas ex tempore perrexit: quibus per aliquot annos ſanctiſſimè, & non
abſque fructu, inſuper & gratiſſimus adeò, vt illud Eſaiæ: *Habitabit lupus cum agno, & C
puer paruulus minabit eos*, de ipſis verificari potuerit,præfuit.Sed cùm is huiuſmodi Mar-
rochianos obſtinatiſſimos in abominabili ſua ſecta, atque vitijs irretitos plus æquo cer-
neret,nec eos ab huiuſmodi peſte ad ſalutis ſemitam reuocare poſſet,tædio affectus,atq;
Franciſcanam paupertatem anhelans, à ſummo Pont.tunc ſedente,vt Epiſcopatui vale
dicere, Hieroſolymam petere, atque propriam Prouinciam repetere poſſet, ſupplex pe-
tijt.Voti igitur compos effectus, poſt plurimos exantlatos in huiuſmodi peregrinatio-
ne labores,alteram ex coſtis,atque quoddam os S.Matthiæ Apoſtoli, caput vnius ex SS.
Innocentibus,aliquotq; alias SS.reliquias,quas & loco contulit,ſecum deferens,ad an-
tiquiorem Minorum conuentum, Cæſarauguſtæ erectum, (de quo in huius Prouinciæ
prooemio) ſe tranſtulit: vbi & quàm diu ſibi comes vita fuit,ſanctè commoratus,atque
ſanctius vita functus eſt.Eius corpus fratres honeſto loco tumulandum curarunt.Vnde D
& ad præſens monaſterium (vt prædiximus) tranſlatum extitit. Alter verò frater Ber-
nardus à Viridante appellatus fuit. Beatus hic pater fuit vnus ex illis decem, qui cum
beato patre Ioanne Parente Cæſarauguſtam ingreſſi ſunt. Cumq; maxima infirmitate
detentus glorioſis quinque martyribus Franciſcanis, qui ex antiquiori Cæſarauguſta-
no fratrum Minorum conuentu egreſſi,apud Marrochium impiorum gladijs pro Chri-
ſti fide occubuerunt,congredi minimè potuiſſet, tanta maceratione, tanta abſtinentia,
tot vigilijs, ac tot denique pœnalitatibus proprium corpus afflixit, vt quod tyrannus
præſtare nequiuerit,ille ſuo Marte,diuino tamen fauore fretus,aſſequutus ſit. Elucuêre
mirum in modum hoc in beato patre humilitas,orationis aſſiduitas,cui ſæpius intentus
in tertium cœlum, vt alter Paulus, rapiebatur, charitas,atque ſui contemptus. Quibus E
denique virtutibus tanta apud Deum, atque apud homines gratia polluit, vt viuens ac
mortuus plurimis claruerit miraculis,atque à fratribus ſeparatim ab alijs religioſis ho
neſto in loco ſepultus ſit. A quo tandem cum præfato patre Agno ad hunc S. Franciſci
conuentum (vt prælibauimus) tranſlatus extitit. Horum amborum patrum corpora,
præcipuè vero beati patris Agni, licèt à 300. annis ſepulta,maiori ex parte integra per-
ſeuerant. Duobus his patribus annectendus venit beatus frater Nicolaus de Orbita lai-
cus ibidem ſepultus,cuius corpus,licèt à 330.annis exanime,incorruptum adhuc perſe-
uerat.Abſoluitur (vt de ipſius ędificatione aliquid dicamus) pręſens monaſterium du-
plici clauſtro,eoq; elegantiſſimo, duplicíq; dormitorio, plurimis atq; capaciſſimis of-
ficinis,pulcherrimo choro,atque ampliſſima,omninoq; decora eccleſia.Hęc anno Do-
mini

A mini 1286.ſereniſſ. Aragoniæ Infantis Petri ſumptibus à fundamentis ædificari cœpit, atque anno à partu Virgineo 1399.tum ex ſereniſſimæ Reginæ Aragonum Tireſiæ,tũ quoq; ex aliorum facultatibus abſoluta extitit.Nec mirũ ſanè,cùm eius longitudo 240, latitudo verò 75. pedes contineat:& plurimis,iisq; ſumptuoſiſſimis,ſacellis exornata, fabrorum incuria ſemel ad terram venerit, atque iteratò multò elegantior, multoque firmior reædificata extiterit. Accedit ad huius ſacræ ædis decorem,atque commendationem ſitus ipſe, in quo ædificata eſt, qui plurimorum martyrum,pro Chriſti fide à gentilibus Romanis ibidem olim occiſorum,ſanguine reſperſus, atque ſacratus extitit.Commorãtur deniq; Altiſſimoq; famulãtur,hoc in monaſterio octuaginta fratres.

De conuentu S.Franciſci Turiaſſonis. *Conu. III.*

B QVAMVIS nihil intactum reliquerim,quatenus præſentis conuentus,in beatiſſimi patris Franciſci honorem, ad 50. paſſus à Turiaſſone, (vulgò Tarazona) Celtiberorum ciuitate,erecti,authores,certumq; eius fundationis tempus è tenebris eruta poſteris proderem,nihil tamen profeci.Nam nec tantillum penitus ſiue ſcripturarũ, ſiue certæ traditionis eſt, quod nos ea de re certiores reddere valuerit. Nihilominus tamẽ ex pictura quadam eius clauſtro impreſſa, cui numerus 1399.adhæret,eius antiquitas quodammodo expiſcari quit. Præterea ſunt qui aſſerant (quibus tamen non adeò aſſentior) ipſum à trecentis annis & vltrà ædificatum fuiſſe. Quibus nihilominus imago beatiſſ.P. Franc.ad Capucini cuiuſdã inſtar fabrefacta,principaliori portæ imminẽs, cui & ſocius eodẽ modo cultus adhęret,aſtipulari videtur.Id tamẽ,quod ſequitur certiſſimũ eſt:hoc.ſ.monaſteriũ,à 28.fratrib: inhabitatũ,ad Conuẽtuales Franciſcanos patres
C olim pertinuiſſe,& ab eis in prima reformatione Hiſpanica ad noſtros fratres deflexiſſe.

De conuentu S.Franciſci Bilbilis. *Conu. IIII.*

PROPE vallum, à parte tamen interiori, Bilbilis Celtiberorum in Hiſpania Tarraconenſi ad Salonem fluuium oppidi,ferri temperatura, atque Marcialis Poëtæ famoſi natiuitate nobilis,præſens conuentus, beatiſſimo patri Franciſco ſacratus,atque à 40.fratribus incultus,ſurrigit.Cuius tamen fundatores,atque certum erectionis tempus penitus ignorantur.Conſtat nihilominus,idq; ex grauiſſimis Hiſtoriographis, Caſtellæ Regem Petrum Crudelem,dum bella inter ipſum atque Aragoniæ Regem vigerent, Bilbilim oppidum,hoc expugnato monaſterio,anno à partu Virgineo 1364.ingreſſum fuiſſe & occupaſſe. Habetur præterea,idq; ex fide dignis monumentis, nobilis heros Gon-
D zaluus Linianus, oppidi Cetinæ tunc Dominus temporalis, eius eccleſiæ non ita diu poſt huiuſmodi expugnationem fundator:In qua & moriens,erecto ſibi eleganti mauſolęo,ſepeliri voluit.Ex his igitur quanta ſit huius loci antiquitas,facilè quis intelligere poterit.Mortem obijt hoc in monaſterio, in quo ſacræ Theologiæ ſtudiũ perpetuò viget. atque in communi fratrum ſarcophago eximiæ ſanctitatis pater frater Caſulla ſepultus eſt, qui ob excellentes, quibus pollebat, virtutes, ab omnibus tum fratribus, tum quoque ſæcularibus ſanctus,Deoq; carus habitus eſt. Fuit ſiquidem inter humiles humillimus,inter pauperiores pauperrimus, atque inter caſtiſſimos ſummè (ſi ita fari liceat) caſtiſſimus.Quamobrem cum Iob dicere potuit: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ne cogitarem quidem de virgine.* Quo ad cœteras verò eius virtutes hoc tantùm dixerim, quòd nihil penitus ad earum perfectionem deſiderari potuerit. Hinc factum eſt, vt vni-
E uerſum oppidum ad eius funus confluxerit: & alter crines, alter verò vel habitus,vel cordę partem in reliquiam à ſe ſummè venerandam atq; colendã,accipere contenderit.

De conuentu S.Franciſci Oſcæ. *Conu. V.*

ID tantùm,poſt adhibitam omnem curam,inuenire potui:hoc ſcilicet monaſterium, beatiſſimo patri Franc.Oſcę,quod Tarraconenſis Hiſpaniæ in tractu Illergetum oppidum eſt erectum,atq; a 22.fratribus inhabitatum,ad Conuentuales Franciſcanos patres olim pertinuiſſe,& ab eis ad noſtros Obſeruantes dimanaſſe. Quando autem id contigerit,vel quo certo tempore, aut a quo ædificatum fuerit, nullo pacto inueſtigari potuit. Ex quodam tamen monumento, in eius archiuis, ſubdatum, anno Domini 1304.

ni 1304. aſſeruato, ipſum eo tempore & conſtructum,& abſolutum fuiſſe,ſatis conſtat. A
Præterea ſi ſeniorum traditioni, cui & antiquiſſima ſepulcra,in eius clauſtro erecta, fi-
dem aſtruunt,aurem accommodare velimus, eius antiquitas ab anno Dominicę incar-
nationis 1280 nobis computanda venit. Inter cætera, parui tamen momenti, monu-
menta, atq; priuilegia huius loci tabellario credita, illud ab Aragoniæ Regibus Mar-
tino, atq; eius vterino fratre Ioanne,17. Ianuarij, anno Domini 1398. datum inueni-
tur, quo immaculatæ virginis glorioſæ Conceptionis dies ab omnibus ſibi ſubditis,ſub
grauiſſimis pœnis,in trãſgreſſores infligẽdis,feſtiuè trãſigendus, colẽdusq; præcipitur.

De conuentu S. Franciſci Borgiæ. Conu. VI.

EX quodam contractu inter præſentis loci fratres, atq; Borgianæ matricis eccleſiæ
canonicos, Barcinonis 26. menſis Maij, anno Domini 1365. acto,eius antiquitas B
quodammodo colligitur: nam ab eo nihil penitus ſiue traditionis,ſiue ſcripturarũ,quod
nos de eius ædificatione, vel etiam authoribus certiores reddere poſſit, penitus inue-
nitur. Exiſtimarim tamen, idq; ex ciuium ad eius habitatores, qui frequentius ſunt 20.
numero,affectu, tum ex publicis,tum quoq; ex priuatis eorundem ciuium facultatibus
conſtructum fuiſſe. Surrigit autem,ſub beatiſſimi patris noſtri Franciſci inuocatione,ad
quinquaginta paſſus à Borgia ciuitate, à cuius incolis maxima deuotione viſitatur.

De conuentu S. Franciſci Darocæ. Conu. VII.

TANTVM abeſt,vt(licèt omnes cartophilacij ſcripturas diligentius euoluendas
curauerim)aliquid certi de præſentis conuentus, qui ſeraphico patri Franciſco di
catus, atq; à 28. fratribus,vt plurimũ,incultus ad triginta paſſus à ciuitate Daroca ſur- C
rigit,fundatione, aut fundatoribus inuenire potuerim. Extat nihilominus inter præfa-
tas ſcripturas quædam à ſereniſſimo Iacobo huius nominis primo Aragonum Rege,
data Bilbilis 10. Iulij,anno à partu Virgineo 1225. qua certam ſalis quantitatem, à mo
naſterij de Petra religioſis, præſentis loci incolis, per ſingulos annos, piẽtiſſimus is Rex
pendendam ſtatuit. Cùm igitur eo temporis conuentus ipſe abſolutus omnino præſu-
matur, eius ætas ab annis 350. ad minus computanda veniet. Hæc Darocenſis ciuitas
pretioſiſſimis quibuſdam corporalibus feliciſſimè gaudet, ſummeq; exornatur, in qui-
bus hoſtiam,quam ſacerdos inter ſacrificandum conſecrauerat,& ſuperuenientibus ho-
ſtibus,inuolutam panniculo cãdido,ſub lapidè repoſuerat,inuenit in carnẽ conuerſam,
& pãniculo adhærẽtem,cùm victores Chriſtiani à prælio reuerterentur,quę quidem res D
admirabilis & pro magno celebrata miraculo fuit,effecitq; vt Darocam vrbem feliciſſi-
mam,illuſtrem,ac memoria dignam,vtq; à maxima populorum frequentia viſitaretur.

De conuentu S. Franciſci Iaccæ. Conu. VIII.

SANE, niſi quædam Innocentij IIII. Pont. max. bulla data Lugduni, anno à partu
Virgineo 1246. Pontificatus verò ſui anno 4. atq; cœteris ſcripturis,in præſentis lo-
ci cartophilacio aſſeruatis,per mixta,qua 40. dies de iniunctis pœnitentijs ijs omnibus,
qui adiutrices pro eius ædificatione manus porrexerint, remittuntur,ad manus veniſ-
ſet,nihil profectò certi de ipſius fundatione,vel fundatoribus tradere potuiſſemus. Ex
ea ſiquidem ipſum tum ex publicis,tum quoq; ex priuatis Iaccenſium facultatibus, cir
ca præfatum Domini annum 1246. conſtructum fuiſſe ſatis conſtat. Præterea eo ipſo E
loco,nempe 50. paſſibus à ciuitate Iacca,in quo præſens monaſterium, beatiſſimo pa-
tre Franciſco eius tutelarij, ſubſiſtit,pręextitiſſe olim parochialem quandam eccleſiam,
beato Apoſtolo Paulo ſacram, ex fide digna quadam traditione didicimus. Natalitius
ſeraphici Doctoris Bonauenturæ dies, atq; etiam dies ſacris beati patris Franciſci ſtig-
matibus dicatus, tum vniuerſo matricis eccleſiæ Iaccenſis canonicorum collegio, tum
laico ſenatui, tum quoq; cœteris ciuibus ex ſolemni voto feſtiui, celeberrimiq; ſunt.
Imò & omnes iſti à præfata matrice eccleſia ad hunc vſq; locum prædictis diebus, per
ſingulos annos proceſſionaliter procedere,ſolemnemq; Miſſam ibidem audire, atq; ſa-
cerdoti ſacrificanti duos cereos offerre tenentur. Idq;, quòd cõflagrante vniuerſa Iac-
cenſium ciuitate, in beati patris Bonauenturæ feſto, emiſſo huiuſmodi voto, ſtatim
incen-

A incendium ceſſauerit: Præterea quòd pereuntibus ſingulis annis, ob grandinum tempeſtates, Iaccenſium ſegetibus, à tanta clade emiſſo ſimili voto liberati ſint. Commorãtur deniq; hoc in loco 20. fratres, quibus hoſtiatim mēdicãtibus Iaccēſes liberaliter adſunt.

De conuentu S. Franciſci Barbaſtri. *Conu.* *IX.*

PRÆSENS conuentus, beatiſſimo patri Franciſco ſacratus, atq; in ſuburbijs ciuitatis Barbaſtri erectus, inſuper & à 20. fratribus inhabitatus, à trecentis vel circiter annis, nēpe circa annum Domini 1290. conſtructus exiſtimatur. Idq; ex ſcriptura quadam 28. Auguſti, anno à partu Virgineo 1320. acta, atque in patris Guardiani cubiculo diligentius cuſtodia, facilimè conſtat. Aſſueuerat mulier quædam, ex Barbaſtro oriunda, confiteri patri huius conuentus Vicario. Cumq; vita functa ad ipſius eccle-
B ſiam tumulanda deferretur, erecto aliquantulum capite præfatum patrem Vicarium corã tota illa funebri caterua his verbis acceſsiuit: Audi pater peccatum meū: tuncq; accedens Vicarius quid illa vellet audiuit. Quo facto mulier vt prius defuncta feretro decubuit: ac tandem poſt aliquantulum temporis eius exanime corpus terræ mandatum eſt. Interim p̄fatus Vicarius galero, atq; baculo ſumptis, nemineq; prorſus ſalutato, loco ceſſit, nec amplius viſus eſt. In cuius tamen rei memoriam, vti omnino contigerat, huiuſmodi euentus in iſtius monaſterij eccleſia artificioſè ſatis depictus extitit, inibiq; diu perſeuerauit. Nec deſunt adhuc fratres, qui huiuſmodi picturam proprijs oculis viderint. Huius ciuitatis accolæ ſancto Franciſco deditiſſimi ſunt.

De conuentu S. Franciſci Turolij. *Conu. X.*

C CVM beati patres frater Ioannes ſacerdos, atque frater Petrus laicus profeſſus relicta poſt ſe, anno à partu Virgineo 1220. Cæſarauguſta nobili, celebrique ciuitate (cuius ſupra meminimus) Valentiam Chriſti fidem Mauris eius accolis prædicaturi, iuxta datum ſibi à beatiſſimo ac ſeraphico patre Franciſco mandatum, tenderent, Turolium Aragoniæ ciuitatem, quæ Turrupia ſiue Tintana olim appellabatur, à sereniſſimo Alphonſo ſeu Ildephonſo Raymundi Principis Aragoniæ filio, Aragonum Rege & Barcinonæ Comite (vt Roderico Toletano & Franciſco Taraphæ placet) conditam, applicuêre. Cumq; eius populum ſibi ſupra modum affectum cernerent, extructis duabus ex vili materia cellulis, iuxta ædiculam, beato Apoſtolo Bartholomęo ſacram, pedem ibidem ad tempus fixêre. Qui tamen, poſt elapſum decennium, Va-
D lentiam muneri ſibi iniuncto ſatisfacturi, appulſi, cum in Mahumetanam legem publicè inuecti eſſent, illamq; prælato ſibi ſacro Euangelio damnaſſent, ab Azoto ſiue (vt alij volunt) Zeitabuzeit Valentiæ Rege, qui & poſtea Chriſtianus effectus ſub Chriſti vexillo ſtrenuè militauit, multaque præclarè geſſit, opprobrijs, atq; diuerſis iniurijs primò ſaturati, 29. Auguſti, anno verò Dominicæ incarnationis ducenteſimo trigeſimo primo ſupra milleſimum, capite truncati ſunt. Quorum reliquiæ demptis capitibus à Chriſtianis honorificè ibidem ſepultæ, atq; poſtea ad hanc vrbem Turolium ex ſereniſſimi Iacobi huius nominis primi Aragonum Regis, Barcinonenſiumq; Comitis mandato, qui fortunatus atq; felicis memoriæ, ob res p̄clariſſimè geſtas, appellatus ab omnibus eſt: nam imprimis inſulas Baleares, expulſis illinc impijs Saracenis, pridie cal. Februarij anni Domini 1226. recuperauit; poſtea verò quarto vide-
E licet cal. Octobris anni Dominicæ natiuitatis 1238. fugatis Mauris Valentiam vrbem, prouinciamq; Murcię vſq; ad nouam Carthaginem adeptus eſt, ſuoq; adiūxit Regno, translatæ fuerunt. Ne igitur huiuſmodi cellulę habitatore deſtitutę aliquando corruerent, Turolienſes, qui & in beatos patres præfatos, atq; in reliquos Franciſcanos ſumma deuotione atq; animi affectu maximo ferebantur, ex eis aliquot, qui Minoriticum conuentum erigerent, ſecumq; habitarent, vt ex eorum cohabitatione fructus ſpirituales reportare poſſent, ad ſe mitti curarunt. Quo tamen certo anno id factum ſit, non ſatis conſtat. Exiſtimarim nihilominus, idq; ex patentiſſimis coniecturis præfatam beati Bartholomæi ædiculam in hoc ſacrum monaſterium, quod 24. fratres frequentius inhabitant, ex diuerſis Turolenſium eleemoſynis, circa annum Domini 1225. tranſlatam extitiſſe. Cuius ſitus 30. tantùm paſſibus à præfata ciuitate Turolio diſtat. Hone-

ſtatur huius loci eccleſia, quam reuerendiſſimus, pariterq; pietiſſimus Garſias Cæſarau- A
guſtanus Archiepiſcopus ædificandam curauit, ſacris præfatorum patrum beatorum reliquijs, quorum meritis Deus ter optimus maximus quamplurima miracula patrare dignatus eſt. Inſuper condecoratur particula illius crucis, in qua Redemptor noſter Ieſus Chriſtus pro noſtrorum peccatorum expiatione pependit. Tandem altera ex ſpinis, quę ſacroſanctum, ac omni ex parte venerandū Chriſti caput pupugerunt, exornatur.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Ergauicæ. Conu. XI.

NON ſumptus, non etiam labor pijſſimum Andream Viues, erudititiſſimum in arte Medicea Doctorem, atque apoſtolicæ Sedis Protonotarium terruêre, quo minus hoc ſacrum monaſterium, ſub inuocatione ſanctiſſimæ Mariæ de Ieſu in Ergauicæ, Regni Aragoniæ oppidi, quod vulgo Alcañis nuncupatur, &, vt annotat Ioannes Vaſæus, B
olim Epiſcopum habuit, ſuburbijs, anno reſtitutæ ſalutis 1528. à fundamētis ad apicem vſque conſtrueret. Commorantur hoc in monaſterio, die noctuq; Altiſſimo Domino famulātes, diurnas nocturnasq; laudes ipſi per ſoluentes, viginti fratres, vt plurimū, quos oppidani magno amore proſequuntur, eisq; hoſtiatim mendicantibus liberaliſſimè neceſſaria ſubminiſtrant. Hæc autē & concionibus & confeſſionibus fratres repenſant.

De conuentu S. Franciſci Montionis. Conu. XII.

PROVT ex reuerendiſſimi cuiuſdam Bernardi Tarraconenſium Archiepiſcopi literis, datis 19. Septembris anno Dominicæ natiuitatis 1280. edocemur, pręſens monaſterium, beatiſſimo patri Franciſco ſacrum, licèt à ſui erectioneglorioſiſſimæ, ſem- C
perq; virgini Dei genitrici Mariæ dicatum, quod 30. tātùm paſſibus à Montione, Hiſpaniæ Tarraconenſis oppido, diſtat, & à Conuentualibus Franciſcanis patribus ſub Pio V. Pont. max. ad 20. fratres huius Prouinciæ Recollectos tranſlatum extitit, ante annum à partu Virgineo 1280. ex diuerſis, vt credere licet, fidelium eleemoſynis exordium ſumpſit. Conſtituuntur ſiquidem huiuſmodi literis à reuerendiſſimo Archiepiſcopo, idq; ex illuſtriſſimi ac reuerendiſſimi Matthęi S.R.E. Cardinalis, atq; Franciſcani Ordinis tunc Protectoris commiſſione, eius ſyndici, atque procuratores. Ab his tamen literis nihil penitus aliud ſiue ſcripturarum, ſiue traditionis habere potuimus, quo de certo erectionis tempore certiores redderemur. Præterea cùm huius loci eccleſia a ſui origine Deiparæ virgini Mariæ, vt ex reuerendiſſimi cuiuſdam Gulielmi Tarraconēſium Archiepiſcopi literis, datis Ilerdę 17. Februarij, anno Domini 1314. quibus 40. dies de iniūctis pęnitē- D
tijs ijs, qui eleemoſynas pro eius reędificatione contulerint, elargitiq; fuerint, ex apoſtolica auctoritate remittūtur, ſatis patet, ſacrata euaſerit, neſcio quid factū ſit, quòd paſſim ab omnibus tum fratribus, tum quoq; ſęcularibus nomine S. Frāc. appelletur. Quicquid tamē ſit, eius ſacrarium media ſpina Dominicę coronæ quam religioſiſſimè exornatur.

De conuentu S. Catharinæ Cariniena. Conu. XIII.

SI receptiſſimæ Carinienenſium traditioni fidem adhibere velimus, beatus pater Bernardinus de Senis Carinienam, Tarraconenſis Hiſpaniæ oppidum, anno à lætabunda Chriſti Saluatoris noſtri natiuitate quadrigenteſimo quadrageſimo quinto ſupra milleſimum, appulſus, in amęnum quendam collem, ad tertium lapidem ab ipſo oppido diſtantem, cum vno aut altero religioſiſſimo ſocio ſeceſſit, ibiq; tuguriolo, atq; ora- E
torio ex humili materia erectis, ad tempus ſubſtitit. Quo denique recedente, Carinienenſis ſenatus, ne tantus locus habitatore deſtitutus prophanis vſibus aliquādo pateret, pręſens monaſteriū, ſub titulo S. Catharinę virginis & martyris, tum ex publicis, tum quoque ex priuatis facultatibus ibidem ædificandum curauit. Hic locus, quòd à ſæcularibus ſequeſtratus, quodq; optimis moribus, atque regulari diſciplina imbutus ſit, grauiſſimis religioſis, atque omni ſanctitate præditis perpetuò floruit. Inter hos autem eximiæ religionis pater frater Didacus Diſcalciatus longè emicuit. Cuius humilitas, charitas, patiētia, atque religio cum cœteris virtutibus coniuncta incredibilis fuit. Quamobrem & viuens ab omnibus in maxima æſtimatione habitus extitit, & moriens peculiari ſepulcro recondi meruit. Oppidani 16. religioſiſſimos patres ac fratres, huius monaſterij accolas,

A colas,omni genere beneficiorũ proſequuntur, ipſiſq; in omnibus neceſſitatibus adſunt.

De conuentu S. Franciſci Exeæ equitum. *Conu. XIIII.*

AD lapidis iactum ab oppido,cui Exea equitum nomen eſt,præſens conuẽtus,beatiſſimo ac ſeraphico patri Franciſco erectus,atque à 16. fratribus inhabitatus,extitit.Qui cùm plurimis annis Conuentualibus Franciſcanis patribus ſubfuerit,ab eis tãdem ad noſtros fratres ex apoſtolica auctoritate tranſlatus extitit.Eius tamen fundatio, atque author,deficientibus ſcripturis, nos omnino latent: licèt ex quodam teſtamento in archiuis aſſeruato, quod anno Dominicæ incarnationis milleſimo trigenteſimo vndecimo in ipſius fauorem conditum fuit, eius antiquitas haberi quodammodo poſſit. Ex ea ſiquidem, ipſum tunc temporis perfectum, abſolutumque fuiſſe ſatis conſtat.

B *De conuentu S. Chriſtophori Alpartilij.* *Conu. XV.*

AEDIFICARANT olim recreationis ergô Conuentuales Franciſcani patres Bilbilenſis conuentus incolæ,ædiculam quandam,ſiue potius eremitorium, diuo Chriſtophoro ſacrum, in amœni cuiuſdam montis, mille quingentis paſſibus ad oppido Alpartilio diſtantis,decliuio.Sed præfatis patribus loco cedentibus, atque eiuſdem Inſtituti Obſeruantibus ſibi ſubrogatis, præfatum eremitorium deuotiſſimi cuiuſdam patris fratris Inici opera, circa annum Dominicæ natiuitatis 1500. in iuſtum conuentum euaſit.A quo etiam tempore 16.huius Prouinciæ religioſiſſimis patribus ac fratribus deſeruit.Quia verò is locus deuotioni,atque diuinarum rerum contemplationi maximè fauet, Recollectis eiuſdem à proceribus adiudicatus extitit, illiſq; impræſentiarũ C ſubeſt.Cùm quodam tempore huius loci fratres,obſeſſis niue itineribus, maxima cõflictarẽtur inedia, eorum alter,ſuperatis itinerum difficultatibus, Alpartilium,ad generoſi,pientiſſimiq; Frãciſci à Luna temporalis eius Domini ædes conuolauit,inſtantemq; confratrum neceſſitatem eius œconomo patefecit.Cumq; panes è furno deferẽdos anxius præſtolaretur,à pręfato heroë Franciſco,quid ſibi ageret,quidq; ſibi vellet interrogatur.Illo verò ſui aduentus cauſam referente,præcepit Dominus,vt quicquid panis domi inueniri poſſet,ſibi ex tempore traderetur.Cùm autem œconomus nec bucellam ſupereſſe reſpondiſſet,iuſſit ſtatim ille omnia domus promptuaria diligentius luſtrari: Et ecce dum nihil minus ſperatur, ea omnia panibus redundare inueniuntur. Quibus denique & famelicis fratrum inteſtinis ſatisfactum eſt. Ne igitur tanti miraculi memoria aliquando periret, iuſſit præfatus heros Frãciſcus illud,fidedignis teſtibus adhi- D bitis,à publico Notario ſcripto excipi, ſicq; effectum eſt, alboq; mandatũ,exaratumq;.

De conuentu Dominæ noſtræ de Monlora. *Conu. XVI.*

FACILE perſpicitur ex præſenti monaſterio, Dominæ noſtræ de Monlora ſacrato,atque in editi cuiuſdam montis cacumine,ad mille quingentos paſſus ab oppido Luna,erecto,quod ſemper pijſſimus Michaël Torrerius Cæſarauguſtanus ciuis ſtuduerit,& ſe à fratribus noſtris plurimi fieri,& illos intelligere,quàm ſibi carus eſſet.Is ſiquidem ædiculam quandam, Dominæ noſtræ ſacram, ex facultate ſibi ab Alexandro VI. ſummo Pont.facta in iuſtum,atque continẽdis 16.fratribus omnino accommodum conuentum (de quo impræſentiarum) ex proprijs tantùm facultatibus,anno reparationis humanæ 1500.euehendum curauit,atque eius accolis, quandiu vixit,beneficus extitit, E largiſſimaſq; eleemoſynas elargitus eſt. Aſſeruatur huiuſmodi apoſtolica conceſſio in forma bullæ,data Romę 18.menſis Martij,anno verò Dominicę incarnationis 1500.in patris Guardiani cubiculo.Eſt hoc monaſterium (bona tamen omnium pace dixerim) vnum ex totius Prouinciæ deuotioribus,atque amœnioribus, in cuius ſacrario cuiuſdã beati patris Didaci Minoritæ os aſſeruatur. Hoc ſi aqua perfundatur,& illa armenta reſpergi contigerit,à quauis infirmitate liberantur. Qua etiam de cauſa præſens locus paſtoribus celeberrimus eſt. His annectere libet miraculum,quod (ni fallor) anno à Dominica natiuitate 1578.in proximiori oppido Erla contigit. Erat ibi quædam matrona, huic loco eiuſq; fratribus deuotiſſima:atqui eius vir nihil magis quàm & iſtos, & illum oderat.Cùm igitur maxima vigente in his partibus fame,deuota mulier pauperculis re-

ligioſis ad futura, refertum panibus caniſtrum in propria perſona illis obtuliſſet, atque A
reuerſus domum vir eam apud fratres eſſe didiciſſet, vt primùm redijt, illam primò, at-
que ſecundò pugione confodere conatus eſt: Sed fruſtra: nam deficientibus ſibi viribus,
atque huiuſmodi pugione è manibus labente, quod impiè propoſuerat, exequutioni
mandare nequiuit. Quod tamen ille diuinæ voluntati aſcribens, & proprium crimen
alteri ex fratribus ſacerdotibus in confeſſione detexit, & quicquid ſiniſtræ ſuſpicionis
de pudica coniuge conceperat, longè à ſe abiecit, & fratres atque eorum conuentum
omni beneficiorum genere in poſterum, non abſq; omniũ admiratione, proſequutus eſt.

De conuentu Dominæ noſtræ de Angelis Ixary. Conu. XVII.

CVM pia heroina Timbor Capraria, cuiuſdam Lezarenſium Ducis vxor, ampliſſi-
mam pecuniarum ſummam ad vnius Clariſſarum monaſterij ædificationẽ ex te- B
ſtamento piẽtiſſimè, liberaliſſimeq; legaſſet, nec eius ſucceſſores ex quadã incuria, quod
illa pijſſimè præceperat, exequutioni mandaſſent, illuſtriſſimus Ludouicus de Ixar,
qui teſtatrici poſt aliquot annos elapſos hæreditario iure ſucceſſerat, huiuſmodi monia-
liũ, quibus addictiſſimus erat, ingentiq; animi affectu eas proſequebatur, monaſteriũ, in
Franciſcanorum fratrum conuentum, ad inſtantes pientiſſimæ heroinæ Beatricis Alago
niæ Belchitenſium Comitiſſæ preces commutare decreuit. Obtenta itaque apoſtolica
auctoritate, præſentẽ conuẽtum, Dominæ noſtræ de Angelis ſacrum, præfatus heros Lu
douicus de Ixar ad mille paſſus ab oppido Ixario, (vulgo Ixar) anno à partu Virgineo
1524. tũ ex acquiſito huiuſmodi legato, tũ quoq; ex peculiaribus alijs facultatibus, à fun
damẽtis ad apicẽ vſq;, extruendũ, abſoluẽdumq; curauit. Cui quoq; tũ ipſe, tũ quoq; eius
ſucceſſores in omni euẽtu, omniq; neceſſitate & adfuerunt, & adſunt. Inhabitatur inte- C
rim hic locus à 16. Recollectis fratrib. optimeq; apud oẽs, ob inculpatã eorũ vitã, audit.

De conuentu S. Saluatoris Pinæ. Conu. XVIII.

CVM pientiſſimus heros Blaſcus Alagonius Saſtagenſium Comes præſentem con-
uentum, ſancto Saluatori dicatum, atque à 16. religioſis frequentius incultum, in
medio foro oppidi Pinæ, anno à Chriſto ſeruatore nato 1530. à fundamentis eo fine, vt
ipſum perficeret, & in maiori eius ſacello vita functus ſepeliretur, exædificandum cu-
raſſet: immatura morte præuentus, & cœptum opus imperfectum relinquere coactus
fuit, & ad patres ſuos in Cæſarauguſtana S. Mariæ de Columna (vulgò del Pilar) eccle-
ſia apponi voluit. Quapropter generoſa domina Anna ab Eſpes, ex eius morte vidua re-
licta, quod eius vir piè incœperat abſolutura, pręfati conuentus eccleſiam, atq; neceſſa- D
riores officinas quãtocitius perfici, atque defuncti coniugis oſſa ex maiorum eius ſepul-
cro, licèt canonicis maximè renitentibus, ad præcipuum ſacræ huius ędis ſacellum, ex
apoſtolica ſibi facta poteſtate, anno Domini 1539. transferri fecit. Cumq; ſuperuenien-
te morte, nec ipſa nec eius hęres atq; filius dominus Artalus Alagonius huiuſmodi opus
ad perfectionem adducere potuiſſent, pientiſſimus ſimul atq; illuſtriſſimus Artalus Ala-
gonius Saſtagenſium Comes, beatiſ. P. Franciſci deuotiſſimus, qui illis hæreditario iure
ſucceſſit, eiusq; cariſſima coniunx Ludouica ab Heredia, qui ex intimis præcordijs Frã-
ciſcanos fratres diligunt, ijsq; in omnibus neceſſitatibus liberaliſſimè adſunt, quod ab
illis minus pręſtari potuit, abundãtiſſimè ſuppleuêre. Nã & conuentũ, ſimulatq; eius ec
cleſiã omnibus ſuis numeris abſoluerũt, & hortos ampliarũt, & ſacriſtiã ſacris vaſis, pre-
tioſiſſimisq; ad cultũ diuinũ ornamentis, & bibliothecã libris, ac deniq; cęteras officinas E
omnibus neceſſarijs inſtruxêre. Quia verò hic locus iuxta antiquiorẽ quandã S. Saluato
ris eccleſiã, ſub ſummo cuius altare plurimis annis hydria oleo, ad plures pellẽdos lan-
guores ſalutifero, redundauit, ędificata extitit, eodẽ S. Saluatoris titulo inſignitus euaſit.

De conuentu S. Franciſci Sarinienæ. Conu. XIX.

LICET nulla traditio, nullaq; extent monumẽta, quę nos de eius authoribus, aut
certo erectionis tempore certiores reddant, exiſtimatur nihilominus, idque ex ipſa
ſtructura, atq; Sarinienenſium ad eum beneuolentia, hic conuentus Montionenſi (cuius
ſupra meminimus) omnino contẽporaneus, atq; ex publicis oppidi Sarinienę, à cuius mę-

nibus

A nibus non multum diſtat, facultatibus conſtructus. Cuius habitatio, tum ob eius capaci-
tatē, tum ob amplos, amœnosq́;, quibus gaudet hortos, tum quoque ob aquarum abun-
dantiam, 16. fratribus eius accolis gratiſſima eſt. Ergaſtulo carnis ſolutus hinc, relicto in
præſentis loci eccleſia corpore, idq́ue in florida ætate, ne malitia mutaret intellectum
eius, aut fictio deciperet animam illius, ad aſtra migrauit eximiæ ſanctitatis, atque reli-
gionis frater Michaël Moronus laicus profeſſus: cuius ſimplicitas incomparabilis, hu-
militas profundiſſima, oratio feruens, charitas ardentiſſima, atque obedientia prom-
ptiſſima extitêre. Quamobrem moriens maximum tum fratribus, tum quoque ſæcula-
ribus ſui deſiderium, maximamq́; ſanctitatis opinionem reliquit. Pertinuit autem hic
conuentus ad patres Conuentuales Franciſcanos Prouinciæ Aragoniæ, quæ ex ſeptem
Cuſtodijs, nempe Barcinonenſi, Ilerdenſi, Cæſarauguſtana, Maioricenſi, Valentina, Na-
B uarrenſi, atque Saranienſi conflabatur, cuius patres hoc in conuentu, anno à natiuitate
Domini 1566. vel circiter ſuum vltimum capitulum celebrarunt: anno verò ſequenti, ex
indulto Pij V. Pont. Max. ad inſtantiam Catholici Regis Philippi II. hic conuentus ſicut
& reliqui pręfatę Prouincię ad eiuſdem Inſtituti Obſeruantes patres tranſlatus extitit.

De monaſterio S. Catharinæ Cæſarauguſtæ. Mon. I.

CVM illuſtriſſ. atque pientiſſima Ermiſenda à Silis beatę virginis Claræ, eiuſque
ſororum nomen, famamq́; accepiſſet, hoc ſacrum monaſterium, beatæ Catharinæ
virgini dicatum, à Clariſſis inhabitandum, ex facta ſibi à Gregorio IX. ſummo Pont. fa-
cultate, Cæſarauguſtæ, anno à partu Virgineo 1235. à fundamentis ad verticem vſque
ædificandum curauit. Cuius ſanctitas à ſui erectione impræſentiarum vſque tanta ſem-
C per extitit, vt plures ſorores ad alios conuentus tum erigendos, tum quoque bonis mori-
bus inſtruendos, ex eo prodierint. Cùm autem, vt receptiſſima, atque certiſſima traditio-
ne patet, duæ huius loci moniales Aſſiſium benedictionem tum earum, tum quoque cœ-
terarum ſororum nomine, à beata Clara adhuc ſuperſtite accepturæ, petijſſent, ab ea,
quòd ſpreta clauſura (vt aliqui volunt) tantum iter emenſæ eſſent, vel (vt alijs placet)
quòd redditus in communi haberent, repulſam paſſę fuerunt. Huius monaſterij eccleſiā,
quòd maximis pateret anguſtijs, à ſereniſſimo Aragonū Rege Iacobo, ex maxima qua
in beatam Claram ferebatur deuotione, ampliata, eleganterq́; exornata extitit. Vt autē,
quæ de huius monaſterij ſanctitate diximus, clarius innoteſcant, aliquot ſorores in eo
ſepultas, quæ peculiari aliqua prærogatiua emicuerunt, in medium adducemus: Nempe
ſororem Magdalenam Magaloniam, cuius vita perpetua oratio, atque contemplatio ex-
D titit, qua etiam de cauſa plures moleſtias a Dęmone pertulit. Et ſororem Mariam Lope-
tiam à Viel, quæ, ob vitæ ſanctimoniam, multa prænoſſe meruit. Et ſororem Mariam Lo
rienam, cuius ſilentium, abſtinentia atque charitas incredibiles fuêre. Et ſororem Ange-
lam à Verueto, quæ Chriſtum Dominum in elegantiſſimi pueruli forma in ſacroſancta
hoſtia proprijs oculis intuita eſt. Poſſem quoque & alias plurimas his annectere, quas ta-
men breuitati ſtudēs prætermitto. Honeſtatur pręterea, ab harum ſororum corporibus,
ſacra hæc ædes, quæ à ſexaginta Clariſſis inhabitatur, duobus capitibus duarum virgi-
num atque martyrum, ſanctarum videlicet Conſtantiæ, atque Catharinæ ex vndecim
millium virginum conſortio, & particula ſanctiſſimæ crucis, atque particula itidem
vnius ſpinæ, qua ſacrum Chriſti caput pūctum fuit, & lapidea quadā glorioſiſſimæ vir-
E ginis imagine in clauſtro erecta, quæ miraculis coruſcat, in maximaq́; eſt veneratione.

De monaſterio Hieroſolymorum ibidem. Mon. II.

EXTAT & aliud Clariſſarum, ſed de prima beatæ virginis Claræ Regula mona-
ſterium Cæſarauguſtę, ſub Hieroſolymorum inuocatione, non longè à pręcedenti,
ac prope Regium hoſpitale, ex Alexandri VI. Pont. max. facultate, anno reſtitutę ſalutis
1496. erectum, quod ab antiquo à Franciſcanis quibuſdam Tertiarijs ſororibus inhabi-
tatum, ac poſtmodum ad præfatas Clariſſas nobilis herois Ioannis Colomæ ſumptibus,
& opera ſub elegantiori, atque capaciori forma, ſereniſſimis atque Catholicis Ferdinan-
do & Eliſabetha Aragoniæ Regibus, tranſlatum extitit. Sunt autem huiuſmodi Clariſ-
ſæ ſorores quadraginta numero, Chriſtumq́; pauperem, & ipſæ Euangelicæ pauperta-
Ooo 3 tis ſecta-

tis ſectatrices ſequuntur, atq; apoſtolicum Alexandri VI. diploma (de quo ſupra) datum Romæ 18. menſis Iunij, anno verò Domini 1496. in archiuis, in ſacrario verò particulam Dominicæ crucis, aliquotq; ſanctorum reliquias diligentius cuſtodiunt. A

De Monaſterio Dominæ noſtræ de Altabaſio ibidem. *Mon. III.*

IS Clariſſarum Vrbaniſtarum conuentus, qui Cæſarauguſtæ, ex altera Iberi fluminis parte, nō longe ab ipſo ponte, ſub inuocatione Dominæ noſtrę de Altabaſio, ſurrigit, & à 40. ſororibus frequentius inhabitatur, anno à mundi redēptione 1526. à fundamentis ædificatus, atque ſequenti anno 1527. à religioſis primò occupatus extitit.

De Monaſterio S. Claræ Bilbilis. *Mon. IIII.*

PRÆSENS monaſterium, beatæ virgini Claræ ſacrum, atq; à 40. Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis incultum, ſi primæuam eius fundationem ſpectes, antiquiſſimum eſt. Conſtat ſiquidem ex quibuſdam literis, in eius fauorem ad Bilbilenſem ſenatum à ſereniſs. Aragonum Rege Iacobo, (cuius ſupra ſemel, atq; iterum meminimus) 12. mēſis Nouembris, anno verò Dominicæ incarnationis 1249. datis, ipſum eo temporis omnibus ſuis numeris, ſub beatæ Agnetis inuocatione, abſolutum fuiſſe. Si verò ſecundam eius ædificationem attendas, eius tibi antiquitas ab anno Domini 1336. computanda veniet: Nam primò extra Bilbilenſis præfatæ ciuitatis mœnia ædificatum, à ſuperueniente Petri crudelis Caſtellæ, Legionisq; Regis exercitu expugnatum, maioriq; ex parte dirutum extitit: poſtmodum verò, anno ſcilicet præfato 1336. ſereniſſimorum Aragoniæ Regum Petri, eiusq; coniugis Leonoræ ſumptibus, atq; opera inter præfatæ ciuitatis ambitum reędificatum, prędijs atq; redditibus ditatum, atq; certis legibus ſtabilitum fuit. Id tamen diſcriminis inter vtramq; ædificationem eſt: quòd iſtius ſecundæ ſcilicet fundator, atq; certum fundationis tempus tradi poſſit: illius verò primæ videlicet neutiquam. Præterea primi cōuentus eccleſia diuæ Agneti: ſecundi verò beatæ virgini Claræ ſacrata extitit. Poſt aliquantulum verò temporis, cùm Benedictus XIII. duas ſorores huiuſmet loci accolas inuiſurus Bilbilem petijſſet, eccleſiam à præfato Rege Petro ædificatam in earum gratiam ampliandam, atq; in meliorem elegantioremq; formam transferēdam curauit. Qui pleniorem eorū, quæ diximus inſtructionē deſiderauerit, pręſentis cōuentus archiuos conſulat, & ſibi ſatisfactū experietur. B C

De monaſterio S. Catherinæ Turolij. *Mon. V.*

QVANTA fuerit ſereniſſimæ, pariter ac pientiſſimæ Leonoræ ſereniſſimi Petri huius nominis quarti coniugis, ac filiæ ſereniſſimi Regis Siculorum, ad Deum pietas, quantaq; ad Clariſſas deuotio, hinc facilè coniectare licet. Cùm enim prędictis ſororibus conuentum Bilbilis, anno Domini 1336. præfato ſereniſſimo Petro Regi eius coniugi, à quo ſummè diligebatur, eò quod ei peperiſſet dilectiſſimum Principem Ioānem, qui poſtea in Regno ei ſucceſſit, & Martinum, qui Dux Montis albi effectus fuit, & Leonoram, quæ nupſit ſereniſſimo Principi Ioanni Caſtellæ Regis filio, pręcata eſt, vt regiam, quam Turolij erexerat, quando oppidum Turolium ciuitatis titulis, & inſignibus ornauit, ei concedere dignaretur, ad hoc vt ipſam in monaſterij formam, ſub inuocatione beatæ virginis & martyris Catharinæ, redigeret; cuius votis annuēte piētiſſimo Rege, ipſa quod piè cogitauerat, anno à partu Virgineo 1369. pijſſimè opere adimpleuit, & monaſteriū omnibus numeris abſolutum, & ampliſſimis dotatū, ac cumulatum redditibus, Clariſſis monialibus, quibus addictiſſima erat, inhabitandum tradidit. Obtinuit præterea à Gregorio XI. Pont. max. facultatem, vt huius conuentus, qui & à 40. Clariſſis ſororibus inhabitatur, Abbatiſſa paſtorali baculo vti poſſet. Habetur huiuſmodi apoſtolica facultas ſub datum Auinionis, ſexto nonas Maij, Pōtificatus verò præfati Gregorij XI. anno 2. cum alijs quamplurimis tùm pontificijs, tùm quoque regijs priuilegijs in præſentis loci archiuis. Habentur & in eiuſdem ſacrario Dominicæ crucis particula, & cordæ, qua ſeraphicus pater noſter Franciſcus pręcingi aſſueuerat, bona pars. Hoc monaſterium, à ſuæ erectionis exordio vſq; ad tempora ſanctiſſimi Pij V. Pontificis maximi, curæ & viſitationi patrum Conuentualium Franciſcanorum D E

commiſſum

A commiſſum fuit,ſed,anno à Chriſti natiuitate 1567.præfatis patribus,ex indulto præmemorati Pontificis, ad inſtantiam potētiſſimi ac verè catholici Regis Philippi huius nominis ſecundi,expedito,ad regularem Obſeruātiam redactis, & moniales huius cōuentus reformatę fuêre,earumq; cura patribus Minoritis Obſeruātibus tradita extitit.

De monaſterio S. Luciæ Barbaſtri. *Mon. VI.*

CVM deuota piaq; fœmina Ioanna Lunela quæcunq; poſſidebat bona Barbaſtriano ſenatui ea lege,vt Clariſſis ſororibus monaſterium apud ſe erigendum curaret, moriens ex teſtamento pientiſſimè reliquiſſet; is delecto prius iuxta quandam eccleſiam, ſanctæ Luciæ virgini atque martyri dicatam, ſufficienti fundo, pręſentem conuentum tum ex præfatis bonis, tum quoq; ex communibus facultatibus B ibidē,anno à Chriſto ſeruatore nato 1560. ſuperædificari fecit, ac poſtmodū à Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis inhabitari voluit. Sunt autē huiuſmodi ſorores numero viginti.

De monaſterio S. Claræ Oſcæ. *Mon. VII.*

PRÆSENS monaſterium,B.virgini Claræ dicatū,atq; ad iactum lapidis ab Oſca ciuitate ſitum,nullū alium ab Oſcenſe ſenatu ſui authorē, fundatoremq; agnoſcit: cùm ex publico ærario ab antiquo ædificatum fuerit.Qua etiam de cauſa quoties ab earum ſyndico, ſiue œconomo dati atq; accepti ratio reddēda venit, aliquis à præfato ſenatu deputatus huiuſmodi rationi intereſſe tenetur. Subfuerunt eius habitatrices, quæ frequentius ſunt 25. numero, atq; ſub ſecunda beatæ virginis Claræ Regula militant, à ſui origine ad multū vſq; temporis Conuentualibus Frāciſcanis patribus:ſed ab vlti- C ma eorundem reformatione patris Miniſtri huius Prouinciæ dictis audiunt,parentq;.

De Conceptioniſtarum monaſterio Turiaſſonis. *Mon. VIII.*

NON ita vulgariter Turiaſſonēſis pientiſſimi ſenatus ad immaculatā glorioſiſſimæ, ſemperq; virginis Dei genitricis Marię Conceptionem deuotio commēdanda venit:imò potius multis nominibus laudanda extolendaq;,cū is ſacrū hoc monaſterium, eidem glorioſæ virginis Conceptioni dicatum, ex facta ſibi à Iulio III. Pont. max.poteſtate, publicis ſumptibus,anno à partu Virgineo 1549. intra communis ciuitatis mœnia à fundamētis erigi,omnibusq; ſuis numeris abſolui pientiſſimè, atq; munificentiſſimè fecerit, atq; à 23. ſororibus ſub eiuſdem ſanctiſſimæ Conceptionis Ordine militantibus, & omnipotenti Deo famulantibus,inhabitandū perpetuò cōtulerit.

D

De monaſterio Montis ſancti. *Mon. IX.*

LONGIOR profectò nobis hiſtoria, & fortè ad nauſeam vſq;, texenda veniret, ſi præſentis monaſterij originem,eiuſq; erectionis cauſas omnes referre vellemus. Quamobrem eas leuiori ſtylo depingentes, quantò compēdioſius fieri poterit, quæ dicendæ forent in medium adducemus.Vt igitur ad rem deueniamus.Cùm Ioannes quidam Ferrarius iniuſtè ad ſupplicium deferretur,pręſago ſpiritu coram tota ſibi aſtante corona dixit,futurum aliquādo tempus, quo in oppoſiti collis ſupercilio glorioſæ Virginis imago inuenienda,atq; ibidem ſacrarum virginum monaſteriū ædificandū venirent.Poſt ſexenniū verò elapſum, dum quidā alius Ioannes Ferrarius infra aſſumptionis B.V.Mariæ octauā,anno Dñi 1526.duos arietes ad natiuū ſibi oppidum, cui (Vil- E larluengo) Hiſpanicè nomē eſt,minaret,lapideam,paruę tamē quantitatis,imaginē eo ipſo loco,ab altero Ioāne Ferrario pręd icto, ex inſperato inuenit,atq; in propriā domū intulit. Quod tamē cùm matricis eius oppidi Præpoſito innotuiſſet, eā cū maximo veneratione,atq; ſolemni pompa ad eiuſdē eccleſię ſacrariū deducendā curauit. Memor præterea tum ipſe, tū quoq; reliqua eius oppidi communitas præſagij Ioānis Ferrarij eo ipſo loco,in quo inuēta fuerat,eremitoriū,ac poſtmodū monaſteriū ſub Montis ſancti titulo,ex communibus facultatibus erigi fecerūt,ac Tertiarijs quatuor Frāciſcanis ſororibus, eiſq; religioſiſſimis,ex Valētino quodā conuētu allatis, q̄bus & ipſam imaginem credidêre,inhabitandū tradiderūt: Cuius ſanè ſanctitas tanta eſt,vt vix explicari poſſit. Sunt autem eius ſorores omnes ſimul computatæ numero vigintiquinque.


PROVINCIA
ARGENTINENSIS.
BEATVS TERTERICVS
PRIMVS MIN. PRO: ARGENTINÆ.
BEATVS IACOBVS DE PORTA.

PROVIN-

PROVINCIA ARGENTINAE.

HÆC Argentinenſis Prouincia, iure optimo, à nobiliſſima, atq; imperatoria vrbe Argentorato, ſiue Argentina (vulgò Strasburg) ſibi nomen vendicauit: nam huiuſmodi vrbs cœteras inter omnes imperatorias principatum obtinet; omnibus bonis temporalibus abundat; ſumptuoſiſſima turri, quæ inter ſeptem mundi miracula olim numerata fuiſſet: nunc autem totius Teutoniæ ſpectaculum, & ornamentum cenſetur, ſupra modum exornatur; & fratres noſtros ab ipſo Franciſcanæ Religionis exordio, conſtructo illis, ſub anno Dominicæ incarnationis 1228. intra ſui ambitum, celeberrimo monaſterio, quam humaniſſimè excepit, omniq; beneficiorum genere proſequuta extitit. Præterea hæc ipſa Argentinenſis Prouincia Franconiæ, Bauariæ, Sueuiæ atq; Alſatiæ Cuſtodias, ex quibus, & adiunctis ſibi Coloniæ, atq; Saxoniæ Cuſtodijs florentiſſima Teutoniæ Prouincia, à religioſiſſimis, erudiſſimisq; patribus fratribus Cæſareo Spirenſi & Alberto Piſano (vt in Prouincia Saxoniæ S. Crucis fuſius meminimus) conflata extitit, olim complexabatur, nunc verò non tam latè patet: cùm 15. tantùm vtriusq; ſexus religioſorum monaſteria, fratrum ſcilicet 8. & monialium 7. contineat. Quæ autem reliqua erant tum fratrum, tum quoq; ſororum loca à ſanguinarijs hæreticis, quibus hęc patria ſcatet, vel ſolo æquata, vel in prophanos, impiosq; vſus conuerſa fuêre. Quod ſanè maximè dolendum eſt: Nam ea in illis relucebat ædificiorũ moles, ea ſanctitas, ea religio, ea deniq; doctrina & ſcientia, vt facilè inter celebriora totius noſtri Ordinis monaſteria referenda venirent. Nec interim cruentas hæreticorum manus euaſit Argentinenſis conuentus, qui & toti Prouinciæ (vt præfati ſumus) nomen dedit, imò in cineres ab ijs redactus extitit. Retinuit nihilominus antiquum hæc Prouincia nomen: ne interim priſcis illis Argentinenſibus, quibus ſe plurimùm teneri nouerat, iniuriam feciſſe; neuè eius recuperandæ ſpem omnino amiſiſſe videretur. Dum itaq; catholica fides iſtis in partibus mirũ in modum floreret, (vt ad noſtram regularem Obſeruantiam deueniamus) miſſus fuit ex Turoniæ Prouincia, idq; ſub anno Domini 1426. in Teutoniam religioſiſſimus pater, ac de Franciſcana regulari Obſeruantia optimè meritus, frater Nicolaus Karoli, qui plurimos ſibi collatos conuentus eiuſdem regularis Obſeruantiæ moribus, atq; ritibus informauit; quiq; plurimos alios ſub illius auſpicijs de nouo erexit; quiq; tãdem plurium Franciſcanorum vitam ad frugem correxit. Cumq; is pater diligentius in vinea Domini Sabaoth laboraret, beatus pater Ioannes Capiſtranus peropportunè ad has partes aduenit, ſeq; illi adiunxit. Ipſe namq;, cùm in omnibus Teutoniæ ciuitatibus & oppidis, non ſecus ac Angelus Domini exciperetur; cumq; tot, tantisq; miraculis coruſcaret, ita vt infirmi, ad veſtimentorum eius contactum, ex tempore conualeſcerent, adeò doctiſſimis atq; feruentiſſimis ſuis concionibus eam excoluit, vt vberrimos fructus, infra breuiſſimi temporis ſpatium, ex illa retulerit. Nam ex vnica tantùm Bambergenſi ciuite 60. ingenuos atq; bonæ indolis adoleſcentes, quorum 30. cum eleganti, atq; ad inſtruendos, bonisq; moribus imbuendos tyrones aptiſſima epiſtola, Nurnbergam miſit, ad Ordinem recepit, & ex eleemoſynis ſibi à fidelibus oblatis aliquot alios conconuentus à fundamentis conſtruxit; alios verò iam omnino erectos, atq; vltroneè ſibi oblatos, illis adiunxit. Horum itaq; præſtantiſſimorum patrum opera, atq; indefeſſo labore Argentinenſis Prouincia, ſub Frãciſcanę Obſeruantiæ auſpicijs, primùm in lucẽ prodire cœpit; atq; tales progreſſus fecit, vt cuicumq; alteri, florẽtiſſimę licèt, comparãda veniret: ſed (proh dolor) eò miſeriarum, eoq; calamitatis, infeliciſſimis his noſtris temporibus, hæreticorum opera deuenit, vt inter poſteriores locum obtineat, & ex diametro cum priſtino illo ſplendore pugnet. Quod ſi quis nos eius gloriæ inuidiſſe

exiſtimet,

exiſtimet,tempora temporibus comparet, iungatq́;, & facillimè addiſcet, nos nec latum vnguē à veritate deuiaſſe. Vt enim ex Chronicorum noſtri ordinis authore, R. ſcilicet P. F. Marco ab Olyſippone conſtat, hæc Prouincia ſub anno Dñi 1517. ex 26. fratrum conuentibus conſtans, mille ad minus religioſos continebat: nunc verò vix 150. producere poteſt. Quando autē primùm præfata hęc Prouincia, vt Obſeruantibus ſubacta, ad tantam dignitatem euecta fuerit, nec ſcripto, nec traditione conſtat. Exiſtimauerim nihilominus, idq́; ex non vulgaribus quibuſdam indicijs, eam ſub Eugenio IIII. Pont. max. huiuſmodi honorem aſſequutam fuiſſe. Cuius maius ſigillū Chriſtum Dñm genuflexum, iunctisq́; ad pectus manibus, in horto orantem, atq; huiuſmodi verba, Và pater non mea voluntas, proferentem, Apoſtolosq́; Petrum, Iacobum, & Ioannē dormientes, quorū capitibus, quę ſequuntur literæ, Apoſtoli dormiunt, ſuperſtant, necnon & ſequētes literas S. MINISTRI FRATRVM MINORVM ARGENTINÆ. iconicè, ſphericeq́; imprimit. Cęterū, quòd beati patres Tertericus, primus huius Prouinciæ Miniſter, miraculis clarus, atq; Auguſtæ Vindelicorum ſepulturam nactus, & Iacobus de Porta, miraculis etiam inſignis, atque Baſileæ tumulatus, huiuſmet Prouinciæ alumni extiterint, eam ſibi dicatam volui: quamobrem vtriuſq; beati patris, ac zelantiſſimi religioſi, iconem, graphicè depictum, illi præponendū volui.

A

B

De conuentu S. Franciſci Monaci. Conu. I.

FACTVRVS ſatis ſereniſſimus pariter ac piētiſſimus Bauariæ Dux Ludouicus, Rheniq; Comes Palatinus ei deuotioni ac pietati, qua in ſeraphicum patrē Franciſcum, eiusq́; ſequaces ferebatur, hoc monaſterium Monaci, quæ totius Bauariæ metropolis eſt, non procul à proprio caſtro, ex domeſticis facultatibus, à primis fundamētis ad vltimum vſq; lapidem, ſub anno à Chriſti natiuitate 1289. ædificari iuſſit, ac omnibus tādem ſuis numeris abſolutum Minoritis fratribus, in perpetuum vſum, atq; habitationem, collatum voluit. Cuius poſtmodum monaſterij eccleſiam R. Embo Friſingenſis Epiſcopus, Dñica prima poſt SS. Apoſtolorum Philippi & Iacobi feſtū, anno verò Dñi 1294. præſentibus Rodulpho & Ludouico Bauariæ Ducibus, totaq́; inſpectāte ciuitate, de religioſo more benedixit, conſecrauitq́;. Eaq; conſecratione peracta, pontificalibus (vt erat) indutus & pedes, præfatisq́; Bauariæ Ducibus, & ciuitate ſe ſequentibus, ad Eremitarum S. Auguſtini cœnobium (tanta erat huius præſtantiſſimi Præſulis ad religioſos Mendicantes deuotio, tantusq́; animi affectus) perrexit, eiusq́; cœmeteriū maxima cum ſolemnitate benedixit. Cùm autem, ſub anno Dñi 1327. die verò menſis Februarij 14. tertia, Monacenſis ciuitatis pars, cum præfato caſtro, & hoc noſtro conuentu, vniuerſaq; eius re familiari, ex quodam infortunio, arſiſſet, pauperculi fratres per incertas Prouinciæ ſedes diuagari coacti ſunt; donec tandem pientiſſimus miſericordiarum Deus eorum miſertus, verè catholicorum fratrumq́; vterinorum, ac Monacēſium ciuium, Gabrielis ſcilicet Ridlerij, ac Vincentij Ridlerij animos ad alterius conuentus ædificationem flexit. Hi ſiquidem monaſterium omnino incineratū, atq; in fauillam redactum, communibus ſumptibus, ſub anno Dñi 1380. à tanta ruina vindicandum, omnibusq́; neceſſarijs inſtructum, fratribus ad propria reuocatis conferēdum, atq; demùm eius eccleſiā pulcherrimis iconibus, & Dñico ſepulchro ſupra modum elegantiſſimo exornatam, à R.P. fratre Alberto Salonenſium Epiſcopo, ac profeſſione Minorita, in ſanctiſſimæ Trinitatis, B. Mariæ virginis, SS. Apoſtolorum, ac beatorum patrum Franciſci, & Antonij Paduani honorem, ſub anno reſtitutæ ſalutis 1385. conſecrandam curarunt. Huic eccleſiæ Bonifacius IX. Pont. max. anno Dñi 1401. Pontificatus verò ſui 12. in eorum fideliū, qui eam confeſſi, & ſacra Euchariſtia refecti, in feſto S. Petri ad Vincula, & per tres dies ſequētes, deuotè viſitauerint, fauorē, eandem prorſus plenariā indulgentiā, monaſterio S. Mariæ de Angelis prope Aſſiſiū, (hanc de Portiuncula nuncupant) à ſecundis veſperis diei feſti S. Petri ad Vincula vſq; ad diei ſequentis ſolis occaſum, à ſummis Pontificibus cōceſſam, ex paterna pietate, atq; ad præfati Gabrielis Ridlerij inſtantiam, impertitus eſt. Præfatorum verò fundatorum alter, Gabriel ſcilicet Ridlerius, in omni euentu opportunè adfuit: alter verò, Vincentius nempe Ridlerius, relicto ſæculo, atq; eius illecebris, pauperculisq́; fratribus,

C

D

E

A fratribus, ſub Minoritico habitu adiunctus,Chriſtum pauperem ſequi voluit. Sub cu-
ius tandem vexillo adeò profecit, vt in pręſtantiſſimum religioſum,atq; doctiſſimum
tum Philoſophiæ, tum quoq; Theologiæ lectorem, ac tandem in Bauariæ Cuſtodem
euaſerit. Obijt mortem, atq; in huius loci eccleſia ſepultus eſt tantus hic pater, ſub
anno Domini 1408. cui R. P. F. Michaël à Seſena generalis olim totius noſtri Ordi-
nis Miniſter, & R. P. F. Albertus Solonenſium Epiſcopus, & Nominalium princeps
frater Gulielmus Ocham Franciſcanus & doctiſſimus pater frater Bonagratia à Per-
gamo V. I. D. & P. F. Gaſpar Scatzgerus Cuſtos Bauarię & Guardianus Monacen-
ſis, qui multis æditis operibus accerrimè hæreſim Lutheranam, ſub primis eius initijs,
impugnauit, diemq; extremum clauſit, anno Domini 1527. diſtinctis tamen in ſepul-
cris, hærent. Eadem in eccleſia, honeſtiſſimo tamen loco, corpus beati patris Mar-
B quardi de Meiſmaler, qui poſt diutinam grauiſſimamq; infirmitatem, cùm ſanctiſſi-
mè obijſſet, & cœcum illuminauit,& contractum hominem priſtinę rectificationi re-
ſtituit, ac plurimis alijs miraculis claruit, reconditum eſt. Pertinuit deniq; hic con-
uentus,à ſecunda ſui erectione ad annum vſq; Domini 1480.ad Conuentuales Franci-
ſcanos patres: ſed ijs ex præfati ſummi Pontificis,ad pientiſſimi tamē Bauariæ Ducis,
atq; Federici Germanorum Imperatoris generi inſtantiam,alio tranſlatis, ad huius
Prouinciæ Obſeruantes deflexit. Cuius incolæ quadragenarium numerū attingunt.

De Minoritico conuentu Ingolſtadienſi. Conu. II.

INGOLSTADIVM præſtantiſſima Bauariæ ciuitas, iuxta Danubiū flumen
ſita, atque florentiſſima Academia illuſtris,ſtatim à Franciſcanę Religionis exor-
C dio, ſolerti pientiſſimorum Ludouici & Annæ à Polonia eius coniugis Bauariæ Du-
cum opera, Minoritas amplexata eſt. Hi namq; heroës,de R. Hildeprandi Aichſta-
diani Epiſcopi(cuius eæ partes erant)conſenſu,Minoriticum monaſteriū, non longè à
præfatæ ciuitatis mœnibus, anno 1245. conſtrui curarunt, tanti interim operis exe-
cutorem conſtituentes perdeuotum Vibrordum Rorbarchium Ingolſtadienſium Iu-
dicem, atq; Præfectum: qui infra breuiſſimi temporis ſpatium magnificè ſatis abſol-
ui fecit, fratribusq; tradidit. Subiacuit tamen huiuſmodi conuentus ad annum vſq;
Domini 1466. Conuentualibus patribus: ſed ijs,pręſtantiſſimi Principis atq; Bauarię
Ducis Ludouici opera, aliò tranſlatis, ad fratres huius Prouinciæ Obſeruantes de-
clinauit. Inhabitatur à cætero hic conuentus à 30. religioſis, quorum maior pars di-
uinis atq; humanis literis ſedulam nauat operam, publicasq; Ingolſtadienſes ſcholas
D vel lectiones auditura, vel de propoſitis theſibus diſputatura, frequentat: inſuper &
reuerendiſſimi patris fratris Gulielmi Berto generalis Vltramontanæ familiæ Vi-
carij, qui, anno Domini 1481. iniuncti verò muneris 3. maximum ſui deſiderium
(erat enim bonus pater)omnibus relinquēs, ex hac vita migrauit,funere honeſtatur.

De Minoritico conuentu Landshutenſi. Conu. III.

VT primùm inclytus heros henricus Ludouico fratri vterino Bauarico in Du-
catu ſucceſſit, ne interim ſibi deuotionis,atq; beneuolentiæ erga Franciſcanos
palmā ceſſiſſe videretur, emptā Landshutæ, quæ Bauariæ ciuitas eſt, aream ad con-
uētus dignitatē promouit, atq; Minoritis, ſub anno Dominicæ incarnationis 1280.
tradidit. Cumq; huiuſmodi conuentus ad annum vſq; Domini 1466. Conuentua-
E libus patribus ſubiacuiſſet, Ludouico ad Bauariæ Ducatum aſſumpto, ex Pauli II.
Pont. max. decreto ad Obſeruantes fratres tranſlatus extitit. In quo deniq; 30. fra-
tres inhabitant, ſepultusq; iacet religioſiſſimus ſimul atq; doctiſſimus pater frater
Conradus Nocylkeimus, quondam Bauariæ Cuſtos, qui Commentarios in beati
Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ Apocalypſim luculentiſſimè edidit, compoſuitq;.

De Minoritico conuentu Bambergenſi. Conu. IIII.

BAMBERGA ſeu potius Babēberga nobilis Franconiæ ciuitas, adeò ab incly-
to Henrico eius nominis I. Germanorū Imperatore, Bauariæ Duce, atq; inter
ſanctos relato, qui cum caſtiſſima Imperatrice Kunegunde ſibi coniuge cœlibē vitā
duxit,

duxit,dilecta extitit,vt ſub anno Dñi 1006.cathedrali eccleſia,atq; ſumptuoſis ędificijs A locupletata fuerit. Apud hanc igitur ciuitatē conſtructus perſeuerat Minoriticus hic conuentus, à 24. fratribus frequentius incultus; cuius tamen prima erectio penitus ignoratur. Fuit nihilominus,ſicut & præcedentes, à Conuentualibus Franciſcanis patribus ad huius Prouinciæ Obſeruantes deuolutus; idq; ſub anno 1460. per reuerendiſſimum Georgium Bambergenſem Epiſcopum, ac generalem omnium vtriuſque ſexus religioſorū, in ſua diœceſi degentiū,Reformatorē ex Pij II. Pont.max.auctoritate.

De Minoritico Fremebergenſi conuentu. Conu. V.

CVM deuotus quidam anachorita nomine Henricus Mulhuſerius,vt liberius Deo vacare poſſet,ligneam ſibi ędiculam in Fremebergenſis montis latere prope Badā Helueticam ciuitatem,ſub anno à partu Virgineo 1411.ex diuerſis fideliū eleemoſynis B conſtrui; atq; poſt elapſum biennium,à R.quodam Epiſcopo ad ſanctiſs. Trinitatis honorem,virginis Mariæ,& B.Vrſulę memoriam,conſecrari curaſſet; aliquotq; poſtmodum viri,eodem ingenio præditi,ſe illi adiunxiſſent,eam tandem firmiſſimo lapide cōmuniri, atq; domum in monaſterij formam redactā tum ſui, tum quoq; ſociorum habitationi accommodatiſſimam,ſibi annecti fecit. Cumq;,præfato anachorita vita functo,huiuſmodi hominum congregatio diſſoluta,atq; eorum domus habitatore deſtituta eſſet; ne pij tamen aliquando tanti viri conatus peſſum irent, pijſſimus Iacobus Badenſium Marchio,huiuſmodi domū,ſimulatq; eccleſiam V. P. F. Nicolao Karoli,prouinciali tunc huius Prouinciæ Vicario,cæteris locis adijciendam,ex apoſtolica ſibi auctoritate facta, tradidit, & ab eo temporis impræſentiarum vſque Franciſcanæ regulari Obſeruantiæ deſeruit: nunc autē 3.fratres ibi morantur,antea verò multo plures. C

De Minoritico Kelhemmenſi conuentu. Conu. VI.

CONSTRVXERAT ſibi Antonius quidam à Septē caſtris Tertiarij, idq; ſub anno Domini 2450. nō procul à Kelhemmo Bauariæ oppido, vbi Altmonius fluuius patentiſſimis faucibus in Danubium influit, ſub rupe tuguriolum ad eremitorij inſtar: inibiq; per aliquot annos inhabitauit. Dumq; perfectiorem vitam hanelat, eo relicto,Viennam Auſtriæ ſe confert, vbi & Franciſcanæ Religionis habitum in Minoritico Paradiſi conuētu induit. Cùm autem,huiuſmodi habitu reiecto,antiquum domicilium remeare contenderet, à latronibus graſſatoribusq; truculenter in itinere occiditur.Generoſi itaq; Bauariæ Duces Ioannes atq; Sigiſmundus,ne præfatum tuguriolum,cui pulcherrima ædicula,diuo Nicolao Epiſcopo ſacra,adiuncta erat,prophanis D vſibus pateret,ipſum Obſeruantibus huius Prouinciæ fratribus, 19. menſis Iulij,anno Dñi 1454. ex apoſtolica Nicolai V.Pont.max.facultate adiudicandū,atq; in monaſterij formam ex proprijs facultatibus transferendū,curarunt. Verumtamē cùm is locus continuis vtriuſq; fluuij exhalationibus obnoxius eſſet,ab habitatoribus,id tamē maximè ſolicitantibus pręfatis Ducibus,poſt 17.annos derelictus,atq; Tertiarijs quibuſdam Franciſcanis traditus eſt. Ipſi interim fratres noſtri alium conuentum,multò elegantiorem,à ſe deſerto, ſibi à præmemoratis Ducibus in iugulo montis S. Michaëlis, non longè ab ipſo oppido Kelhemmo,ædificatum petierunt. Idq; tamen non citra contradictionem illis accidit: Nam,repugnantibus Ratiſponenſi Epiſcopo, atq; Kelhemmenſi clero,ſemel & iterum loco cedere coacti ſunt. Donec tandem re per Pium II. Pont.max.cognita,& iſtis fratribus ſcilicet pacifica loci habitatio collata, & illis Epiſ- E copo videlicet & clero perpetuum ſilentium impoſitum eſt. Cæterùm ſecundus hic locus,in ſancti Michaëlis monte conſtructus, à quatuor tantùm religioſis inhabitatur.

De Minoritico Saliſburgenſi conuentu. Conu. VII.

CIRCA annum à Chriſto Saluatore nato 540. diuus Rupertus Vormacienſium Epiſcopus,à regia Francorum ſtirpe oriūdus,cum 12. diſcipulis ad Bauaros profectus,Ratiſponæ Theodorum Ducē cum aulicis,reliquoq; populo baptizauit: indeq; Noricum penetrans,quamplurimos ſacris ſuis concionibus ad fidem conuertit, Chriſtoq; peperit. Cumq; ad Iauarium flumen peruentus, Iauariam florentiſſimam quondam

dam

A dam ciuitatem collapſam,virgultisq; opertam inueniſſet, eius reædificationi ſe accinxit.Quamobrem impetrata prius à præfato Bauarorum Duce Theodoro facultate,eam eruderandam,arboribus expediendam,ampliſſima eccleſia, Apoſtolo Petro ſacra, plurimisq; alijs ædificijs illuſtrandam,ac tandem Salisburgum appellãdam curauit. Cumq; poſt 163.annos elapſos,nempe anno Domini 803.Archiepiſcopalis ſedes ex ciuitate Patauio ad eam,Caroli magni Imperatoris iuſſu,tranſlata eſſet, ad tantam dignitatis atq; honoris excellentiam hęc noſtra Salisburgenſis ciuitas peruenit,vt cuicunq; alteri Germanicæ vrbi facilè æquari poſſit. Intra huius igitur ciuitatis męnia,ac intra S.Petri monaſterium Benedictinũ,& parochialem eccleſiam, ſanctiſſimæ Virgini dicatam, vbi antea moniales Ordinis ſancti Benedicti commorabantur,R.Ioannes Iacobus piæ memoriæ Archiepiſcopus Saliburgenſis,ac Sedis apoſtolicæ Legatus, anno Domini 1583. locum fratribus Minoritis Obſeruantibus conceſſit, vbi 9. eorum morantes, fideliumque
B operariorum (habent enim ibi largiſſimam animarum meſſem) tum concionando, tũ confeſſiones audiendo munere fungentes,multos, iam à peſtilentiſſima hæreſi conuerterũt; quos accuratè & viriliter in vinea Dñi Sabaoth laborãtes conſpiciẽs R.Georgius modernus Archiepiſcopus omnib. & amoris & beneuolẽtię officijs intimè proſequitur.

De conuentu Minoritico Hachingenſi. Conu. VIII.

TVM propriæ, tum quoque ſuorum ſubditorum ſaluti opportunè conſulturus zelantiſſimus, ac de Chriſtiana religione optimè meritus Comes Fridericus Hohenzolenſis,hoc monaſterium,diuo Lucio ſacrum,ſuperiori anno,nempe 1586.ex domeſticis facultatibus Hachingenij,quod ſuperioris Germaniæ oppidum eſt,VVittembergen-
C ſemq; Ducatum,Lutherana peſte longè infectum,attingit,à fundamẽtis extrui,huiusq; Prouincię fratribus,quatenus ſuis ſacris concionibus,atq; adhortationibus Hachingenſes, conuicinosq; populos in officio contineant, rapacesq; lupos, Lutheranos ſcilicet longius à Dñico grege abigant,propulſentq;,ac tãdem ſalutis viam ſibi oſtendãt, tradi curauit.Nec facilè referri poteſt,quàm opportunè hic locus ędificatus ſit:Nã peſtilentiſſima Tubingenſis Academia,ex qua,tamquã ex omniũ malorũ ſentina, purulentũ Lutheranę hęreſis virus continuò prodit,duobus tantũ germanicis milliaribus ab Hachingenio diſtat: atq; in id omnino incũbit, vt eius accolas in ſuã pluſquam Satanicã trahat ſententiam.Cui deniq; malo 10.fratres huius loci accolę quãdiligentiſſimè occurrunt.

De monaſterio S. Iacobi in Anger. Mon. I.

D EX illis religioſis,qui cum V.P.F.Cæſareo Spirenſi (vt in Prouincia Saxoniæ ſanctæ Crucis fuſius meminimus) à B.P.Franciſco in ſuperiorem Germaniam, propagandæ Religionis ergô,miſſi fuerãt,vnus fuit frater Caſtmus. Is cùm eſſet religioſiſſimus, ſuiq; ſtatus zelantiſſimus, inſuper & Monacenſibus ea de cauſa gratiſſimus, ſacellum diuo Iacobo in Anger Monaci ab antiquo erectum, ab eis facillimè impetrauit, illudq; infra breuiſſimi temporis ſpatium, ex diuerſis fidelium eleemoſynis ſibi ſumma liberalitate oblatis,ad iuſti conuẽtus dignitatem promouit: ac per aliquot annos vnà cum ſocijs ſat commodè inhabitauit. Accidit verò poſtmodum,ſub anno ſcilicet Domini 1284. vt nobiliſſimæ, pariterq; religioſiſſimæ duæ ſorores Clariſſæ ex Seflingenſi conuentu (cuius infra meminimus) Monacum conuolarent,maximoq; huiuſmodi conuẽtus habendi deſiderio arderent. Quod vt primùm generoſo heroi Ludouico Bauarorum Duci
E innotuit:is,vt ſingulari quadam voluntatis inclinatione tum in Franciſcanos,tum quoque in Clariſſas propendebat,& fratribus aliud monaſterium iuxta proprium caſtrum, ſiue munitionem (vt ſupra patuit) à fundamentis multò ſumptuoſius,multoq; elegantius conſtruendum, & ſacram diui Iacobi domum præmemoratis Clariſſis conferendã curauit. Ab eo itaque temporis impræſentiarum vſque hic locus Clariſſis ſororibus deſeruit:& licèt Conuentualibus Franciſcanis fratribus aliquando ſubiacuerit,paret tamẽ modò Minoritis Obſeruantibus:& à 40.religioſis vt plurimum incolitur. Ex hoc monaſterio,dum ad totius Ordinis clauum ſederem,ſub anno Domini 1580. quatuor religioſas ſorores ad conuentum Viennæ,à ſereniſ.Eliſabetha Francię olim Regina ædificatũ, quatenus iuniores virgines religioſis moribus ritibusq; imbuerent,transferẽdas curaui.

De monaſterio Clariſſarum Seſlingenſi. *Mon. II.* A

CVM pauperum omnium Dominarum primiceria, beata ſcilicet virgo Clara, diuino ſpiritu afflata, ſe ſibiq; adhærentes ſorores, non tantùm pro propria, ſed etiã pro aliarum ſalute vocatas certò ſciret, earum aliquot vitæ ſanctimonia inſignes, plurimisq; dotibus illuſtres, ſub anno reſtitutę ſalutis 1238. in ſuperiorem Germaniam, inſtitutæ à ſe Religionis propagandæ cauſa, miſit. Illæ igitur vt primùm Vlmam inſignẽ Sueuiæ vrbem, ad Danubij ripam ſitam, applicuerunt, ab Vlmenſibus gratiſſimè exceptæ ſunt: & monaſterium, cui poſtea famoſum hoſpitale, beatæ Eliſabethę ſacrum, ſucceſſit, ex diuerſis fidelium eleemoſynis apud eos conſtruxêre: atque S. Auguſtini Regula, & alijs conſtitutionibus (nondum enim Clariſſarum Regula à Sede apoſtolica confirmationem acceperat) à beata virgine Clara editis, communiendũ curarunt. Cumq; B huiuſmodi monaſterium incommodum omnino euaſiſſet, (erat enim ſęcularium frequentiæ, à qua illæ maximè abhorrebant, ſupra modum expoſitum) & de eius deſertione à ſororibus ſerius ageretur, generoſus heros Hartmannus, eiusq; cariſſima vxor Dillingenſium Comites aliud eis cœnobium, extra præfatæ ciuitatis mœnia, in loco, qui Seſlingen nuncupatur, in natiuitatis glorioſæ Virginis honorẽ communibus ſumptibus, ex ſingulari quadam in Deum pietate, atque in eas beneuolentia, idq; ſub anno Dominicę incarnationis 1258. ædificarunt, ſufficientibus redditibus ad commodã 72. ſororum ſuſtentationem locupletarunt. Floruit hoc in loco à ſui erectione ad Alexandri V. Pont. max. vſque tempora ſupra modum religio. qua etiam de cauſa idem Pontifex omnes gratias, omnesq; indulgentias, S. Damiani monaſterio prope Aſſiſium erecto, à ſuis prædeceſſoribus conceſſas, ei ex apoſtolica liberalitate impertitus eſt. Sed cũ C poſt aliquot annos elapſos eius habitatrices à recto tramite aliquantulum deuiaſſent, eò vnde deflexerant, paſtorali Sixti IIII. Pont. max. cura, ſub anno Do. 1484. redierunt. Hunc denique conuentum ſui parentem atque authorem agnoſcunt Nurnbergenſe, Pfullingenſe, atque Monacenſe monaſteria: cùm ab iſtius ſororibus illa fundata ſint.

De Monaſterio Clariſſarum Nurnbergenſi. *Mon. III.*

AD eminentiorem aſpirantes virtutem honeſtæ quædam fœminæ, quæ Nurnbergæ ſub beati patris Auguſtini Regula, ac quibuſdam conſtitutionibus Gulielmi Pariſienſis Doctoris, à Gregorio IX. Pont. max. confirmatis, ad tempus militarant, in B. virginis Claræ Regulam, ex Ioannis XXI. Pont. max. auctoritate tranſiêre. Vt autem feliciores in ea progreſſus facere poſſent, religioſas aliquot ſorores ex proximè præcedẽ- D ti Seſlingenſi conuentu ad ſe adduci curarunt. Cumq; poſtmodum laxiorem vtcumq; viuendi normam (vt eſt humanum ingenium ad noxiam quandam libertatem procliue) ſibi pręſcripſiſſent, à Nicolao V. Pont. max. ſub anno Domini 1452. eò, vnde deciderant, reductæ, atque Obſeruantibus huius Prouinciæ fratribus commiſſæ ſunt. Sed cùm earum aliquot id ægerrimè ferrent, beatus pater Ioannes Capiſtranus, qui Nurnbergam, Nortgoię metropolim, ac mercimonio inſignem (in agro namq; ſterili ac arenoſo ſita, induſtrios, vigilantiſſimosq; producit alumnos) per id tempus fortè fortuna appulerat, eas ſacris ſuis concionibus, atq; priuatis adhortationibus, in officio continuit, confirmauitq;: vnde & hoc monaſterium ad tempus omni ſanctitate, ac copioſo ſororũ rum numero floruit. Sed (proh dolor) Nurnberga in hæreſim miſerrimè lapſa, præfatum hoc monaſterium omnimodam minitatur ruinam, ſummaque pauperie labo- E rant, vixq; 2. ſorores Clariſſas iam ſenio confectas infelici hac noſtra tempeſtate continet: inſuper & timendum eſt, ne paucos intra annos, quemadmodum & olim Minoriticus Nurnbergenſis conuentus, ſolo ab impijſſimis & inhumanis hæreticis æquetur.

De Monaſterio Clariſſarum Pfullingenſi. *Mon. IIII.*

GENEROSÆ heroinæ Irmegilda & Męchtildis, pro ea qua in Clariſſas ſorores ferebantur deuotione & pietate, anno Dñicę incarna. 1250. prope Pfullingen, eis monaſterium conſtrui curarunt, & omnibus numeris abſolutum, & quibuſdam earum ex monaſterio Seſlingenſi adductis inhabitandum conſulerunt, quarum ſancta conuerſatione

A ſatione allectæ, & ipſæ anno Domini 1278.præfatum monaſterium aggreſſæ ſunt,ibiq́;
voto Religionis S. Claræ emiſſo, vſque ad vltimum vitæ halitum ſanctiſſimè vixerunt.

De monaſterio Clariſſarum Bambergenſi. Mon. V.

CVM Clariſſarum nomen in ſuperiori Germania celeberrimum eſſet, honeſtiſſi-
ma virgo Catharina Zoluermia hoc eis monaſterium,ex pinguiſſima hæreditate
ab vtroque ſibi parente relicta,Bambergæ quę Bauarię ciuitas eſt,ſub anno à partu Vir-
gineo 1341.à fundamentis ad apicem vſque ædificandum,tradendumq́; curauit. Quæ
quidē ſorores cùm Conuentualiũ Franciſcanorum patrum curę,ab huius loci erectione
ad annũ vſq; Do.1460.ſubiacuiſſent:patrũ iſtius Prouincię Obſeruantũ correctioni,atq;
reformationi per R.Georgiũ Scanēbreghium,idq́; ex apoſtolica ſibi facta poteſtate,per
B id tēpus commiſſæ ſunt. Præterea Huſſitis truculētiſſimis hæreticis Bauariam,ſub anno
Domini 1429.tumultuosè inuadentibus,miſerrimeq́; vaſtantibus,pręfatę huius loci ſo-
rores Clariſſæ, Vrbaniſtæ tamen, relicto conuentu ad Nurnbergenſe monaſterium (de
quo ſupra) propriæ ſaluti conſulturæ conuolarunt: præmemoratis verò Huſſitis Ba-
uaria excedentibus,illæ in propria remearunt: ſuntq́ue impræſentiarum numero 30.

De monaſterio Clariſſarum Halsbachenſi. Mon. VI.

MONASTERIVM hoc Halſbachæ, quæ ſuperioris Germaniæ ciuitas eſt,
erectum ad Benedictinas ſorores (niſi nos vulgaris,receptiſſima tamen fallat tra-
ditio) aliquando pertinuit:& ab eis ab Clariſſas moniales Halsbachenſis ſenatus ope-
ra,idq́; ex Martini IIII.Pont.max.facultate ſibi facta,ſub anno Do.1283.tranſlatum ex-
C titit.Cùm enim præfatæ ſorores Benedictinæ indies magis,magisq́; deficerent, ne earũ
locus habitatore deſtitutus prophanis vſibus aliquando pateret,vel ad terram veniret:
curauit ſolicitus ſenatus(de quo ſupra)vt is Clariſſis traderetur.Quo verò die huiuſmo-
di traditio contigit, 40. honeſtæ virgines ſumpto Clariſſarũ habitu ſe ſororibus aliunde
adductis feliciter iunxerunt. Tranſiuit hoc monaſterium à Conuentualibus Franciſca-
nis patribus ad huius Prouinciæ Obſeruantes ſub Baſileenſis Concilij celebratione, idq́;
ex eius patrum decreto,atque ad inſtantem ſororum petitionem.Cœterùm in huius loci
eccleſia ſepultus iacet beatus pater Ioannes Gontingerius,prophetico ſpiritu afflatus,
miraculisq́; inſignis: de quo beatus pater Ioannes Capiſtranus pientiſſimo Iacobo Ba-
denſium Marchioni ſe roganti,vt Badã concederet,huiuſmodi reddit teſtimonium: Ha-
beret ſe excuſatum,quòd grauioribus implicaretur negocijs:contentusq́; eſſet pręſentia
D patris Ioannis Gontingerij, cùm is ſe multò ſanctior, multoq́ue religioſior eſſet.

De monaſterio Clariſſarum Heilbrunenſi. Mon. VII.

QVO animi affectu, quouè pietate Talhemica nobilis familia in Clariſſas ſorores
perpetuò fuerit,hinc facili negocio coniectare licet.Cùm enim perpulchrum mo
naſterium Fleini quod ditionis ſuæ oppidum erat, præfatis ſororibus ab antiquo ædifi-
caſſet, omnibusq́; numeris abſolutum,atque redditibus locupletatum tradidiſſet: & il-
lius habitatio eis ob exortum bellum minus commoda,minusq́; tuta eſſet, aliud multò
auguſtius,multoq; pulchrius (de quo impræſentiarum) Heilbruni,quod Germanię ſu-
perioris oppidum eſt, ædificandum, redditibusq́; firmandum, atque eiſdem ſororibus
tradendum curauit. Priores monaſterij fundatrices ex Seflingenſi Clariſſarum mona-
E ſterio,ſummi Pontificis tunc ſedentis iuſſu,allatæ ſunt. Complectitur præterea hæc Pro-
uincia viginti Tertiariarum Franciſcanarum ſororum domos, quarum 12.in hæretico-
rum oppidis,ac ciuitatibus erectæ ſunt,atque ad omnimodam ruinam tēdunt:nam nul-
lus iſtius Prouinciæ religioſus ad eas,ſub extremi ſupplicij pęna, penetrare poteſt,vt vel
afflictas ſoletur,vel illis ſacramenta miniſtret.Quamobrem coguntur pauperculæ ſoro-
res,quæ vel textoria arte,vel agrorum cultura ſibi neceſſaria acquirunt,intempeſta no-
cte,idq́; non abſque maximo vitę diſcrimine,atq; clanculum,in aliquorum fidelium do
mibus ſacris intereſſe,atque Dominico corpori communicare. Quæ verò reſiduæ ſunt
earundem ſororum ædes,quòd non multo meliorem fortunam nanciſcantur, quodq́;
ad exitum (vt præfari ſumus) tendant conſultò à nobis prætermittuntur.


PROVINCIA EQVITANIAE
ANTIQVIORIS
F. BERNARDINVS DE TVRGA. F. BERNARDVS
DE ALENCO SAC.
F.
BERNARDIN.
GENESIE
LAICVS
MAR.

A PROVINCIA AQVITAN. ANTIQVIOR.

CVM celebre ſeraphici P.Franciſci,eiusq́; ſequacium nomen ad Aquitaniā,
quę à Circeo Oceanum,ab Occaſu Hiſpaniam,à Septentrione Lugdunen-
B ſem,à Meridie vero Narbonenſem Prouincias habet,& Burdigalam,atque
Toloſam nobiliſſimas ciuitates complectitur,duorum eiuſdem B.P.Franci-
ſci ſociorum opera,anno Domini 1220.penetraſſet,Mirapiſcenſis conuen-
tus,vt ibi huius Prouinciæ,quam,ad alterius ſibi contiguę differentiam,Aquitanię anti-
quioris patres noſtri appellandam voluerunt,fundamenta iacere poſſent,illis à pientiſ-
ſimis quibuſdam Aquitanis oblatus extitit.Cui cùm 8. alij eiuſdem ſanctitatis conuētus
acceſſiſſent,huiuſmodi locorum aggregatio ſub primis prouincialibus Vicarijs in Pro-
uinciam euaſit: atque huiuſmodi finibus contenta,ad annum vſque Domini 1542.ſub
cōſtitutionibus à maioribus acceptis ſanctiſſimè perſeuerauit.Anno verò pręfato 1542.
reformatis per Galliam,ad eius Regum inſtantiam, ex apoſtolica auctoritate Conuen-
tualium Franciſcanorum patrum monaſterijs, multò latius patere cœpit: cùm eorum
C vigintiquatuor ſibi acceſſerint.Ab eo igitur anno vſque ad 1560. vel circiter,hæc noſtra
Aquitaniæ Prouincia 33.fratrum conuentibus abſoluta fuit. Horum verò,graſſantibus
in Gallia,præſertim verò in Aquitania,bellis ciuilibus, impiaq́; Hugnoſticorum hæreſi
ſacra prophanis miſcente,7.ſolo æquati ſunt,atque 13.maiori ex parte diruti. Id tamen
inter hos diſcriminis eſt,quòd poſtremi pientiſſimorum Chriſti fidelium beneficio,atq;
ſolerti fratrum induſtria bona ex parte refecti,reparatiq́; ſint, vltimam aliquando arti-
ficis manum experturi:at illi ſub perpetuis ruinis, niſi feliciora aſpirent tempora, ma-
nere debeant. Conſtat itaque,infeliciſſimis his temporibus, vniuerſa hæc Prouincia ex
26.fratrum,atque 8.monialium monaſterijs. De quibus tamen ita ſuo ordine dicemus,
vt illa etiam 7.ſolo æquata in medium ſuis locis adducamus Maius huius Prouinciæ
ſigillum B.Mariæ omnino ſtantis,ancoræ innixæ,ſolaribus radijs in gyro irradiatę,pue
D rum Ieſum dextro brachio ſuſtinentis,ac corona redimitæ,& ſequentes literas. SIGIL-
LVM. PATRIS. MINISTRI. PROVINCIALIS. PROVINCIÆ. AQVITA-
NIAE. orbiculatim imprimit.Ne tandem præſens Prouincia proprijs patronis, pręter
aliarum morem,deſtitueretur,tres eius alumnos, videlicet beatos patres Bernardinum
à Turga,Bernardū ab Alancho ſacerdotes & prædicatores,& Bernardum Geneſiū pro-
feſſione laicum,qui pro orthodoxæ fidei confeſſione, atque defenſione impiorum hęre-
ticorum gladijs truculentiſſimis ſuperioribus annis occubuêre,ſibi præponēdos curaui.

De conuentu Minoritico Mirapiſcenſi. *Conu. I.*

LEVISIA ſtirps non infimum, neque etiam medium inter nobiliores Gallorum
familias obtinet. Hæc enim ex Leuitico genere originem ducens beatis Lazaro,
E Mariæ Magdalenæ,Marthæ, cęterisq́; ſocijs ex terra promiſſionis in Galliam congreſ-
ſa, ita ſuam nobilitatem, atque ſuſceptam Chriſti fidem ab eo temporis impræſentia-
rum vſque tenuit, ſeruauitq́ue, vt nec latum vnguis ab eis diſceſſerit, declinaueritq́ue.
Quamobrem eorū princeps atq; caput Mareſcalli fidei honore,atq; titulo ab antiquio-
ribus Gallorum Regibus honeſtari meruit,& in hodiernam vſq; diē honeſtatur. Nobi-
liſſima itaq; hæc familia,vt primum duo illi B.P.Franciſci ſocij(de quibus in huius Pro-
uincię procęmio) in Aquitaniā deſcenderunt,& fundum, & neceſſaria ad huius Mirapi-
ſcēſis conuētus ędificationē,anno Do.1220.eis liberaliſſimè contulit,ſucceſſuq́; tempo-
ris omni beneficiorū,omnisq́; beneuolentię genere proſequuta extitit. Tātis igitur auſpi
cijs conuentus hic ædificatus,adeò in monaſtica diſciplina, in euangelica paupertate,ac

in omni denique virtute profecit, vt plurimos religioſos moribus graues, vita conſpicuos,ac ſanctitate inſignes,produxerit,& meritò principem locum inter reliquos huius Prouinciæ conuentus tenens eius ſeminarium dici poſſit. Ad cuius tamen decorem augendum alter ex digitis diui Ioannis Baptiſtæ,duæ ſpinæ Dominicæ coronæ, tunicula quædam B. P.Ludouici Toloſani Epiſcopi, & beatiſſ. P. Franciſci corda, quæ fęminis in puerperio periclitantibus opportunè adeſt, maximè conducunt. Commorantur frequentius hoc in loco viginti fratres, ex quibus quinque ſunt egregij concionatores. A

De conuentu S. Franciſci Toloſæ. *Conu. II.*

POST biennium elapſum à præcedentis conuentus erectione,nempe anno Dominicæ incarnationis 1222.cœpit & hic, Toloſæ in B.P.Franciſci honorem erectus, à diuerſis ædificari. A diuerſis dixerim,quòd nobiliſſima familia de Faudoas eius partem cum minori eccleſia:R.verò.P.F.Petrus de Fuxo Minorita, ac S.R.E.Cardinalis maius B
templum:atque R.P.F.Ioannes de Teiſſanderia Riuorum Epiſcopus quod ad eius perfectionem deſiderabatur liberaliſſimis ſuis ſumptibus conſtruxerint. Eſt hic conuentus capaciſſimus,omniq; ex parte perfectus,& à ſui erectione ad hæc vſque noſtra tempora tum Philoſophicum, tum quoque Theologicum ſtudia nutriuit. Quo & factum eſt, vt plures viros doctos,ſanctitateq; conſpicuos ſacræ Religioni noſtræ pepererit. Inter hos autem longè emicuêre illuſtr. ac R.P.F. Vitalis de Furno Vaſatenſiũ Epiſcopus,ac S.R.E.Cardinalis,B.P.Stephanus,atque P.F.Raymundus,qui Auenionem contra hæreticos fidei Inquiſitores deſtinati,ibidem ſub eiſdem glorioſo martyrio occubuêre,illuſtriſſ.P.F.Bernardus à Turre,qui ob doctrinæ præcellentiam,vitæq; ſanctimoniam S.R.E. Cardinalis creatus extitit,illuſtriſſ.P.F.Petrus Aureoli,à Ioanne XXII.Pont.max.in S.R.E. C
Cardinalium numerum etiam relatus,R.P.F. Gerardus Odonis vir vtique doctiſſimus, totiusq; Franciſcani Inſtituti generalis Miniſter, ac tandem S.R.E.Cardinalis, R.P.F. Petrus Sulpini Vaſatenſium Epiſcopus,R.P.F.Ioannes à Porta S.Pauli Epiſcopus,ac reuerendi patres fratres Ioannes Galteri, Theodoricus Andreas, Giraldus Brianſonis, & Arnaldus de Valle.Hi omnes doctiſſimi, pariterq; religioſiſſimi patres ſeraphicum Ordinem noſtrum,plurimis editis lucubrationibus,mirum in modum colluſtrarunt. His adijciendus venit B.P.Antonius de Padua,qui & hunc locum ſuis lectionibus,atque feruentiſſimis concionibus,dum viueret,exornauit,& poſt mortem miraculis illuſtriorem reddit.Cui ſacellum,idque pulcherrimum,atque Toloſanis celeberrimum, ibidem erectum eſt.Pertinuit pręterea,idq; plurimis annis,hoc monaſterium,cuius eccleſia (vt pręfati ſumus) S.Frãciſco ſacrata eſt,domus verò ab 100.fratribus incolitur,ad Franciſcanos patres Conuentuales:ſed ab eis,die 4.menſis Decembris,anno verò humanæ ſalutis D
1552.ex apoſtolica auctoritate,Franciſco I. Gallorum Rege,ad eiuſdem Ordinis Obſeruãtes deuolutus extitit.A quo etiam tempore huic Prouinciæ,non abſque maximo Toloſatum fructu,& emolumento, feliciſſimè deſeruit. Prope ſummum ſacræ huius ædis altare R.P.F.Bernardus,huius olim Prouinciæ Miniſter,tumulatus eſt, qui ſtrenuus,dũ viueret,hæreticorum oppugnator extitit. Vnde meritò hæreſiomaſtix appellari potuit. Hic nihilominus conuentus, anno Domini 1561. Toloſana ciuitate ab hęreticis capta, in eorundem manus atque poteſtatem, fratribus interim, poſt opprobriorum atque iniuriarum ſaturationem,hinc inde diſperſis,incidit.A quibus tandem ſpoliatus, atq; omnibus eius imaginibus confractis,ſanctiſq; prophanatis,aliqua ex parte exuſtus fuit.Sed ciuitate à Catholicis recuperata, & Chriſti fidelium liberalitate reſarcitus, & exulibus E
pauperculis fratribus reſtitutus extitit.Cuius denique ſacrarium altera ex ſpinis Dominicæ coronæ,aliquot SS.martyrum Primi & Fęliciani oſſa,epiſcopalia ornamenta,quibus beatus pater Ludouicus Toloſanus Epiſcopus ſacris operari aſſueuerat, eiuſq; manus pars,mantellum,habitus,& aliquot aliæ reliquiæ mirum in modum exornant.

De conuentu S. Eduardi Burdigalæ. *Conu. III.*

CVM Burdigalenſis ſenatus monaſterium,ſimulatq; eccleſiam tumultuario opere,anno Domini 1230.Franciſcanis fratribus Burdigalæ ædificaſſet:nec iſta aduẽtantem populum ob ſui anguſtias capere poſſet, deuotus quidam Petrus, ex eadem ciuitate

A uitate oriundus,tantum terræ ſpatium à canonicis, ac cætero matricis eccleſiæ S. Andreæ capitulo ſuis ſumptibus, anno Domini 1247.emit,quantum ędificando magnifico templo,atque adiacenti cœmeterio ſat eſſet. Poſt elapſos verò aliquot annos, Angliæ Reges,qui Burdigalenſibus tunc principabantur,& ipſam eccleſiam, prout nunc eſt, in honorem S.Eduardi Anglorum Regis conſtruendam,& plurimis imaginibus, atque ſacellis exornandam curarunt. Quod verò ad præfati monaſterij perfectionem deſiderabatur,id totū tū ex publicis,tum quoque ex priuatis Burdigalenſium eleemoſynis antiquiori ædificio adiectum extitit.Floruit hic locus, quem frequentius 40. fratres inhabitant, tum ſub patribus Franciſcanis Conuētualibus,quibus ab admiſſis redditibus vſq; ad annum 1522.ſubfuit,tum quoq; ſub eiuſdē Inſtituti Obſeruantibus,quibus ab eo tēporis,idq; ex Leonis X. Pont.max.auctoritate, impræſentiarū vſq; pro voto deſeruiuit.

B

De conuentu Minoritico Caſtrenſi. Conu. IIII.

MINORITICVS hic conuentus Caſtris,quæ Aquitaniæ ciuitas eſt,olim erectus,à pientiſſimis eiuſdem ciuitatis Comitibus, paulò poſt B.P.Franciſci mortē, ædificatus extitit. Sed turbulentiſſimis his temporibus noſtris, atque Gallicis tumultibus à ſanguinarijs hæreticis,quibus Franciſcana Religio eſt omnino exoſa,ſemel atque iterum combuſtus,atque ad terram deiectus, omnibus interim eius fratribus carceribus mancipatis, miſerrimeq; afflictis, atque vniuerſa ſupellectile ab impio milite direpta, fuit.Secunda autem vice ruinis adeò ceſſit,vt nulla eius reædificandi ſpes affulgeat. Inter præfatos fratres in vinculis detentos vnus erat ſanctimonialium Confeſſarius,hæreticis Hugnoſticis,ob vitæ candorem atque vehementiſſimas conciones,maximè infenC ſus Ioannes Trenquerij nomine. Quamobrem cęteris dimiſſis ipſe ſolus extra Caſtrenſem præfatam ciuitatem actus,ibidem ſub iiſdem in fidei confeſſione martyr euaſit. Atqui Deus vltionum Dominus huiuſmodi flagitium nullo pacto inultum reliquit:nam, immiſſa grauiſſima peſte,adeò ciuitatem ipſam Caſtrenſem,ab hæreticis tyrannicè poſſeſſam,atque occupatam deformauit, vt nihil aliud à mortis imagine in ea per multum tēporis apparuerit:ita vt vix vigeſima eius accolarū pars ſuperfuerit,remanſeritq;.

De conuentu Minoritico Ruthenenſi. Conu. V.

VT primùm noſtri fratres Ruthenam Aquitaniæ ciuitatem, anno à partu Virgineo 1232.applicuêre,adfuerunt illis nobiles heroës,Hugo Ruthenēſium Comes, Almaricus à Narbone eiuſdem Comitis patruus,& Deodatus, qui maiorem huius conD uentus partem, ſimul atq; eccleſiam,Ruthenicis muris contiguam,ſuis ſumptibus ędificari curarunt.Quod verò reliquum fuit ædificij,putà dormitorium,refectorium, atq; aliquot aliæ neceſſariæ officinæ, id totum ex liberaliſſimis Ruthenenſium eleemoſynis conſtructum fuit.Præterea reuerendiſſimus Gulielmus à Cardailharco S.Pauli Epiſcopus ipſam eccleſiam de Chriſtiano more conſecrauit. Cùm autem hic locus,Ruthenenſibus mœnibus omnino conterminus,ciuitatem redderet imbecilliorem,atq; inter proceres de eius ad terram deiectione ageretur,illuſtriſſima ſimulatq; pientiſſima Beatrix à Claromonte Armaniaci,Ruthenæq; Comitiſſa, atque Ludouici Regis Francorum neptis,ne tantum incommodum fratres ſubire cogerentur,conuentus muros turribus, atque firmiſſimo agere firmari iuſſit: adeò vt nulla ex parte ipſa ciuitas munitior ſit.Hæc E igitur nobiliſſima heroina moriens,erecto ſibi ſumptuoſo mauſoleo,in huius loci eccleſia in Minoritico habitu ſepeliri voluit. Hanc ſibi per omnia ſimilis illuſtriſſima quædā Domina de Bithurio Armaniaci atque Ruthenæ etiam Comitiſſa ſubſequuta eſt. Harum igitur duarum heroinarum ſepulcris, atque pluribus aliorum nobilium mauſoleis, necnon & ſacroſanctis diui Eutropij reliquijs huius monaſterij,à triginta fratribus inhabitati,eccleſia illuſtrior redditur. Pertinuit à cętero aliquando hic locus,ex quo venerabilis pater frater Petrus Borgelarius inſignis concionator,atque eius Guardianus, & etiam P.F.Petrus Tauzietius officio ſacerdos,atque ſummę integritatis F.Ioachimus Dardanius à truculentiſſimis hæreticis martyrio pro Chriſti fide laureati glorioſè prodierūt,ad Conuētuales Franciſcanos patres:à quibus tamē ex Alexandri VI.Pont.max. mādato,anno Do.1496. ad Franciſcanos regularis Obſeruātię ſectatores deuolutus eſt.

De con-

De conuentu Minoritico Albienſi. Conu. VI. A

PROVT ex antiquiſſimo quodam monumento facilè conſtat, hic conuentus Albiæ,quæ Aquitanorum ciuitas eſt,erectus,ante annum Do.1275.ędificatus extitit: cuius antiquiorem eccleſiam perdeuotus quidã Petrus Borreſa Albienſis ſacellanus ex maxima in Deum pietate conſtruxit. Quę tamen,cùm fratribus ob ſui anguſtias minus deſeruiret,in eorundem bibliothecam,alia interim à R.Ludouico ab Ambaſia Albienſiũ Epiſcopo multò elegantiori,multoq́; capaciori ędificata,tranſlata fuit.Curauit prætere idem R.Epiſcopus,idq́; ex Caroli VIII.Frãcorum Regis mẽte,anno Do.1491.apud Innocẽtium VIII.ſummum Pontificem, vt hoc monaſterium,omnibus ſuis numeris ex diuerſis fideliũ eleemoſynis abſolutum,atq; à 20.fratribus inhabitatũ,à Conuẽtualibus Franciſcanis patribus,quibus tũc parebat, ad eiuſdẽ Inſtituti Obſeruãtes transferretur. B

De conuentu Minoritico Rapiſtanenſi. Conu. VII.

HIC quoq; conuentus Rapiſtani,quod Aquitanię oppidum eſt,erectus,pręmemorati R.Albienſium Epiſcopi opera,ex Conuentualibus Franciſcanis patribus, circa annum Do.1491.huic Prouinciæ acceſſit.Eius fundatores inclyti Vicecomites Paulini aſſeruntur.Cuius tamen antiquitas ab anno Do.1280.tibi computanda venit. Cùm autem huius Prouincię fratres hoc loco à pręmemorato anno Do.1491.ad annum vſq; 1560.pacificè ſatis,atq; aliqua abſq; moleſtia potiti eſſent,ab Hugnoſticis hęreticis,aris interim confractis,imaginibus vel obliteratis vel demolitis,vniuerſaq́; ſuppellectile expilata,loco pulſi ſunt.Sed pace poſtmodum inter catholicos atq́; hæreticos conſtituta, ijdem fratres eũ repetentes,quicquid perierat,Rapiſtanenſis ſenatus liberalitate, reſarciri curarunt.Hoc deniq́; ſacrũ monaſteriũ,à 20.fratrib.incultũ,egreſſi P.F.Antonius de Turno minoris conuẽtus Toloſani Guardianus, ac P.Gerardus Bonetus, vt vrgẽtiorib. quibuſdam negocijs facerent ſatis,à perditiſſimis hęreticis immaniſſimè trucidati ſunt. C

De conuentu Minoritico Montiſalbani. Conu. VIII.

ETIAM hoc monaſteriũ Montisalbani,quę munitiſſima Aquitaniæ ciuitas eſt,olim erectum,huic Prouinciæ à patribus Conuentualibus eodẽ ferè tempore,quo & duo proximè præcedentia,obuenit : cuius tum monumenta,tum quoq; indubia traditio duplicẽ conſtituunt auctorem,maioris nempe ſacelli, atq; ſacrarij ſibi coniuncti quendam Dominũ de Salit,qui & moriens ibidem tumulari voluit, reliqui verò ædificij quoſdam Montisclari Vicecomites.Quorũ tamen auctoritas atq; nobilitas tantũ præſtare nequiuit,vt vniuerſa ciuitate & Deo,& legitimo Regi,à 20.annis,& vltrà rebellante,ſibi parceretur.Imò in ipſis primis tumultibus,tũ eccleſia,tũ quoque fratrũ habitatione ſolo penitus ęquatis,pauperculi fratres opprobrijs, plagisq́; ſaturati loco cedere coacti ſunt. D

De conuentu Minoritico Ortenſiano. Conu. IX.

QVANTVM diſcriminis inter antiquiores atq; recẽtiores Biernenſiũ Principes ſit,ex pręſentis monaſterij viciſſitudine facilè colligi poteſt.Curarunt ſiquidẽ illi,idq́; ex maxima in Deũ,atq; in Chriſtianam Religionem pietate, hoc monaſteriũ ad fluminis Gadij marginẽ,circa annum Do.1222.à fundamentis ad apicem vſq; erigi,iſti verò nihil minus facientes, & eius fratres innumeris moleſtijs,atq; perſequutionibus diuexarunt, & tandem ipſum opus ad terram deijci fecerũt.Quod ſanè dolendũ eſt. Cùm enim Mirapiſcenſi conuentui contemporaneum,ac per omnia ſimile eſſet,& antiquum illũ rigorẽ monaſticũ perpetuò retinuit,& plures P.ac F.ſanctitate cõſpicuos produxit. Patet itaq; hic locus omnimodę ruinę,nec ab aliquo penitus religioſo inhabitatur:in cuius etiã demolitione cũ cęteris fratrib.loco cedẽtibus,vnus tantũ ſtrenuus Chriſti athleta,P.f.Bertrandus à Lazanoba,remanſiſſet,ab hæreticis gladijs confoſſus, occiſusq́; eſt. E

De conuentu Minoritico Baſtidano. Conu. X.

ANTIQVITATE non caret pręſens conuentus,aliquantulũ à Baſtida Aquitanorum ciuitate,ad Pyræneorum montium radices,ex plurium nobilium facul-

tatibus

A tatibus conſtructus, cùm circa annum Domini 1222. ædificatus fuerit. Viguit hoc in loco à ſui erectione ad annum vſque Domini 1560. regularis diſciplina, viguit & monaſticus rigor, viguit & etiam commendatiſſima illa à B.P. Franciſco paupertas. Quod & in cauſa fuit, vt plures grauiſſimi patres ex eo prodierint. Anno tamen Do. 1561. graſſantibus per Aquitaniam ciuilibus bellis, ac perditiſſimis hæreticis in Deum, atq; proprium Regem rebellantibus, conuentus hic fratribus interim propriæ ſaluti Baſtidæ conſulentibus, ab iiſdem ſpoliatus, dirutus, atque maiori ex parte combuſtus extitit. Pace poſtmodũ inter eos atq; catholicos inita, maiori ex parte reſarcitur, reparaturq;. Atqui redintegrato inter iſtos atq; illos bello, à ſuperuenietibus iiſdem hæreticis ſolo æquatus eſt.

De conuentu S. Mariæ de Angelis prope Toloſam. Conu. XI.

B CVM sereniſſimus Francorum Rex Ludouicus XI. Minoriticum regularis Obſeruantiæ conuentum apud Toloſates erectum cuperet, à ſummo Pont. Sixto IIII. vt huiuſmodi conuentus aliquantulum à ciuitate Toloſa conſtrui poſſet, ſupplex obtinuit. Cumq;, grauioribus implicitus negocijs, id per ſe operis præſtare non poſſet, Ludouicus Luithierius Toloſanæ matricis eccleſiæ Archidiaconus eius clauſtrum, quod verò ædificij reliquum fuit, atque adiacentem eccleſiam, S. Mariæ de Angelis ſacram, pius Ioannes Buiſon Toloſanus ciuis, anno Domini 1481. ſuis ſumptibus conſtruenda curarunt. Ab eo igitur temporis impræſentiarum vſque hoc ſacrum monaſterium, à 30. fratribus habitatum, huic Prouinciæ paret, atque plurimos patres tum ſcientia, tum quoq; ſanctitate illuſtres ſeraphicæ Religioni peperit. Inter quos tamẽ beatus pater Oliuerius Maillhardi, prophetico ſpiritu donatus, atque Vltramontanæ Obſeruantis familię iteratò
C Commiſſarius, qui etiam apoſtolica legatione ab Innocentio VIII. ſummo Pont. ad Carolum itidem VIII. Gallorum Regem prudentiſſimè functus eſt: & P. Melchior Flauius natalibus illuſtris, ſcientia & linguarum peritia illuſtrior, ſed moribus atque ſanctitate illuſtriſſimus, qua etiam de cauſa plurima præſago ſpiritu prędixit, & generalem Commiſſarium in ſuperiori Germania, Carolo V. eius Imperatore, ex R. P. F. Ioannis Calui noſtri olim Ordinis generalis Miniſtri mandato egit, longè enituêre. Horum vterque hoc in eodem loco ſepultus eſt, & miraculis coruſcare glorioſiſſimè aſſeritur.

De conuentu S. Mariæ de gratia Burdigalæ. Conu. XII.

NIHIL gratius Carolo VIII. Francorum Regi à quibuſdam literis ſibi à Burdigalenſi ſenatu, anno reſtitutæ ſalutis 1487. in regularis Franciſcanorum Obſeruan-
D tię, cui ille addictiſſimus erat, fauorem tranſmiſſis accidere poterat. Quamobrem à ſummo Pontifice Innocentio VIII. ſupplex per literas petijt, vt, non obſtantibus pluribus Mendicantium etiam Minoritarum patrum Conuentualiũ monaſterijs Burdigalæ erectis, ſibi Franciſcanis Obſeruantibus conuẽtum ibidem conſtruere liceret. Summo itaq; annuente Pontifice, Burdigalenſium pietatem præuenturus pijſſimus Rex, hoc ſacrum monaſterium, S. Mariæ de gratia dicatum, initio ſequentis anni, à fundamẽtis ex proprio ęrario extruendum curauit. Ne autem Burdigalẽſes, qui huiuſmodi opus proprijs ſumptibus perfectũ affectabant, à tanto merito excluſiſſe videretur, permiſit, vt & aliquid ad eius promotionẽ erogare poſſent. Quo & factũ eſt, vt & nobiliſſimũ quendã ex S. Magrini familia heroëm & pios aliquot ciues coadiutores habuerit. Summè ſibi beneficos experiuntur 30. fratres huius loci habitatores eos qui Burdigalæ agunt, idq; ob pietatem.

E

De conuentu Minoritico Agerienſi. Conu. XIII.

CVM Minoriticus hic conuẽtus, ab antiquo extra Agerienſis ciuitatis męnia conſtructus, ipſam ciuitatem redderet imbecilliorem, Philippi Valleſij Frãcorum Regis iuſſu, id ciuibus maximè exoptantibus, expoſcentibusq;, ſolo æquatus, ac alius multò pulchrior, multoq; amplior intra eadem mœnia tum regijs, tum quoque priuatis ciuium, potiſſimùm verò cuiuſdam Domini de Monpenſi ſumptibus, anno à partu Virgineo 1344. eius loco ædificatus fuit. Cumq; Conuentualibus patribus plurimis annis deſeruiſſet, iis omnibus in regularem Obſeruantiam, anno Domini 1517. verba facientibus atque tranſeuntibus, tranſiuit & ipſe in cęterorum huius Prouinciæ locorum catalogum

logum. Anno verò Domini 1561. in primis illis Galliæ tumultibus, ab hæreticis excitatis, capta ciuitate, captus fuit & ab ijſdem ipſe conuētus, fratribus interim 20. fuga propriæ pelli conſulentibus: & ſtructo ex libris, imaginibus, ſedilibus, atque altaribus in media eccleſia igne maiori ex parte arſit. Redijt nihilominus poſt aliquot annos ipſa Agenienſis ciuitas, pulſis pſeudochriſtianis, in catholicorum poteſtatem: redijt quoque & ipſe conuentus in fratrum ius, atque breui tempore ex piorum eleemoſynis commodè vtcumque reſarcitus extitit. Sed iſtis atque illis nihil minus timentibus, Biarnenſium Princeps Agienum, anno Domini 1575. ingreſſus, vtriſque negocium faceſſere moliebatur: à quo tamen exequendo, Catharina Gallorum Regina, atque Duce de Montpenſier ſuperuenientibus omnino deſtitit: atque ita conatus illius elumbis effectus extitit. A

De conuentu Minoritico Lectorenſi. Conu. XIIII. B

LECTORENSIS hic conuentus, qui & ad Conuentuales patres diu ſpectauit, & ab ijs Leone X. Pont. max. anno à partu Virgineo 1517. ad regularē Obſeruantiam deflexit, inter non aſpernanda huius Prouinciæ loca annumerandus aliquando venit. Sed, anno Domini 1560. Hugnoſticis hæreticis & Deo, & legitimo Regi bellum inferentibus, atque Lectorenſi ciuitate ab ijſdē capta, adeò deformatus, adeòq; deſtructus extitit, vt vix inter minima ſedem obtinere meruerit. Ipſa tamen ciuitate per Monlucium Torquatum militem, atque inſignem equitum Præfectum ab illis vindicata, euocati ſunt fratres, qui in priori ſeditione fuga ſibi conſulentes Toloſam petierāt, quatenus ex eleemoſynis derelictum monaſterium, denuò incolerent. Dumq; illi iniuncto ſibi muneri inſtantius incumbunt, à Biarnenſium Principe hęreticorum fautore, præfato conuentu prius deſtructo, Toloſam nullo interim incommodo ab inſolenti alioquin, hæreticoq; milite accepto, anno Do. 2580. repetere coguntur. Quando autem pręfatus hic locus, à 12. fratribus olim inhabitatus, reædificandus ſit, Dominus nouit. C

De conuentu Minoritico Baionenſi. Conu. XV.

BAIONA, quæ & Aquę Auguſtæ munitiſſima Aquitaniæ ciuitas eſt, atque Garumna fluuio alluta, Cantabris fortiſſimis Hiſpanorum populis opponitur. Hæc tum Deo opt. max. tum quoque legitimis ipſius Regibus fidem perpetuò ſeruauit. Quo factum eſt, vt peſtifera ſiue Hugnoſtica, ſiue Caluiniſtica, ſiue etiam quæcunque alia hęreſis in ea locum minimè inuenerit. Intra fideliſſimæ igitur iſtius ciuitatis mœnia præſens conuentus, à 20. fratribus incultus, ac quibuſdam S. Antonij Abbatis reliquijs exornatus, à Chriſtianiſſimo quodam Gallorum Rege, circa annum Do. 1350. ædificatus extitit, & ab eo temporis ad annum vſque Do. 1522. Conuentualibus patribus paruit. Ab illo tamen impræſentiarum vſque, Franciſcano I. Gallorum Rege id maxime ſolicitante, atq; Leone X. ſummo Pont. idipſum præcipiente, huius Prouinciæ locis connectitur. D

De conuentu Minoritico Aquenſi. Conu. XVI.

AQVENSIS conuentus à Conuentualibus Franciſcanis patribus ad eiuſdē Ordinis Obſeruantes, anno Do. 1522. ex ſummi Pont. Leonis X. decreto, id Gallorum Rege Franciſco I. maximè exigente, deuolutus, atque à 10. fratribus inhabitatus, à Chriſtianiſſimo quodam Franciæ Rege ædificatus creditur. Qui tamen, quòd munitiſſimæ ciuitatis vallo circumſcribatur, nullis vnquam hæreticorum inſultibus patuit.

De conuentu Minoritico Montiſmarſanenſi. Conu. XVII. E

PROLIXIVS debito ſanè nobis agē ſum eſſet, ſi ciuitatis Montiſmarſani, ac conuentus in ea erecti vices, calamitates atque miſerias impræſentiarum referre vellemus: cùm ab anno Domini 1561. in hodiernam vſque diem, illa ab Hugnoſticis hæreticis capta, atque ſpoliata, & iſte etiam expilatus, confractus, atque pro maiori parte ab ijſdem exuſtus, catholicis interim ciuibus atque fratribus profligatis, fuerint. Quapropter his fuſius referendis deſiſtam. Hoc nihilominus adijciam, quod cùm hoc monaſterium à Montiſmarſanenſium Comitibus, circa annum à partu Virgineo 1260. à fundamentis ad verticem vſque extructum fuerit, ab eorum ſucceſſoribus, vel ſaltem eius commē-

A tibus deploratis his temporibus, circa annum videlicet 1563.ab inſolente hæretico milite rapinas,atque demolitionem perpeſſum ſit. Laus tamen ſuperis,pij herois Montiſluuij, qui vel trucidatis, vel pulſis pſeudochriſtianis Montiſmarſanenſem præfatam ciuitatem,anno Dñi 1567.recuperauit,beneficio,præfatus hic locus à 15. fratribus eius incolis omni ſolicitudine,omniq; cura reſarcitur,vltimã breui,Deo auſpice, artificis manum experturus. Spectauit idem hic conuentus aliquando ad Minoritas Conuentuales:à quibus tamen ad Franciſcanos Obſeruantes, Leone X. ſummo Pont. id præcipiente, anno Dñi noſtri Ieſu Chriſti milleſimo quingẽteſimo vigeſimo ſecundo dimanauit.

De conuentu Minoritico prope S. Maccharium. Conu. XVIII.

NON meliorem à præcedentibus ſubijt conditionem præſens conuentus prope S. B Maccharium Aquitanorum ciuitatẽ à Iozanorũ Comitibus, anno Domini 1265. ædificatus, & à Conuentualibus patribus ad noſtros Obſeruantes ex Leonis X. Pont. max.mandato,anno Domini 1517.deuolutus: cùm à Duraſenſi Domino hæreticorum Duce præfata Montis S.Maccharij ciuitate, anno Domini 1563. capta ignibus traditus fuerit. Cùm autem per id tempus Burdigalenſis ſenatus quoſdam hæreticorũ Miniſtros capite damnatos igni tradidiſſet,præfatus Duraſenſis Dominus, tãquam par pari redditurus,3.patres Bernardum ſcilicet à Turga,Bernardum Boërinum,atque Bernardum itidem Dalencum nobiles ſacerdotes,atque officio concionatores ſuſpendio necari,atque in Garumnam flumen eorum corpora, reliquis interim confratribus carceribus mancipatis,proijci iuſſit.Quæ tamen cùm per triduum inſanis aquis expoſita fuiſſent, à Chriſti fidelibus inde,non abſq; præſentiſſimo vitæ diſcrimine, rapta, atque in ipſa flu-
C minis margine humata fuerunt, nec aliquo pacto,licèt curioſius conquiſita, ab huius Prouinciæ fratribus honeſtiori loco recondienda inueniri potuerunt.A cœtero cùm Dominus Monlucius optima catholicorũ militũ manu collecta ſe præfatæ ciuitatis S. Maccharij obtutibus,anno Do. 1567. oppoſuiſſet, quotquot hæretici eius vallo tenebantur, ſuis pellibus timentes, relictis interim in cuſtodia fratribus,loco ceſſẽre. Illi verò tanti herois beneficio è mortis faucibus eruti præfati monaſterij ruinas ex catholicorum liberalitate reparare cęperũt: ita vt eorum octo ibidem ſatis commodè commorari poſſint.

De conuentu Minoritico Marmandenſi. Conu. XIX.

EX præſentis conuentus Marmandę, quæ Aquitaniæ oppidum eſt,erecti,atq; maiori ex parte deſtructi reſiduis ruinis eius fundatorum magnificentia ſatis, ſuperq;
D deprehenditur.Hi enim Anglorũ Reges,qui aliquando vniuerſa Aquitania potiti ſunt. fuiſſe ab omnibus traduntur.Sed (proh dolor) adeò,hæreticis in ipſum ſeuientibus, deſtructus,deformatusq; eſt,vt antiquam illam faciem omnino mutarit.Fuit ſiquidem ab anno Domini 1560 ad annum vſque 1580.ſecundò ab ijs ſpoliatus, ac maiori ex parte combuſtus,& ad terram deiectus. Prætermitto interim calamitates, quas iam ſub Anglis,iam verò ſub Gallis,dum alij alios loco atque Regno pellere contendunt,paſſus eſt. Quod etiam effecit, ne,deperditis ac laceratis omnino ſcripturis,certum eius fundationis tempus aſſequi potuerimus. Conſtat nihilominus eum à Conuentualibus patribus à ſui erectione vſque ad annum Do.1522.occupatum fuiſſe, atque eo temporis, Leone X. ſummo Pontifice, ad noſtros Obſeruantes patres deuolutum. Duos denique martyres nobis hic locus,à 16.fratribus vt plurimum incultus,peperit,P. ſcilicet Ioannem Goſſo-
E nium ſeptuagenarium,qui ad palum in medio foro alligatus, atque plumbeis ſphęrulis ab hæreticis tranſuerberatus animam cœlo reddidit. Et egregius Chriſti athleta pater Raymundus Roiſſellius,qui etiã hæretico gladio confoſſus,ad aſtra feliciter migrauit.

De conuentu Minoritico Muratenſi. Conu. XX.

CONVENTVS hic olim Murati, quod Aquitanium oppidum eſt, quibuſdam Muratenſium,atque Carlatenſium Vicecomitibus ab antiquo ędificatus, atque ſecundò exuſtus, primò quidem fortuitò, ſecundò verò Muratenſium opera, ne ipſo ab hęreticis capto caperetur & oppidum,quo & fit vt habitatoribus omnino vacet,ad Conuentuales Franciſcanos patres aliquando attinuit.Qui tamẽ Ludouico XI. Francorum

Rege

Rege,atq; Leone X.Pont.max.anno Dñi 1514. ſua ſponte, proprioq; motu in Regularē A
Obſeruātiā verba faciētes,& ſe & ipſum locū patri iſtius Prouinciȩ Miniſtro cōmiſerūt.

De conuentu Minoritico Reollenſi. Conu. XXI.

REOLLA Aquitaniæ oppidum eſt, cui munitiſſimum caſtrum à Saracenis olim conſtructum imminet.Huic igitur oppido cùm maioris Britanniæ, Angliæ ſcilicet Reges ius dicerent,principarenturq;,præſentem conuentum ex politis lapidibus elegan ter ſatis intra eius mœnia ædificandum, atque Conuentualibus Franciſcanis patribus tradendum curarunt. A quibus tamen, anno à partu Virgineo 1522.ex apoſtolica Leonis X.Pont.max.auctoritate,Franciſco I.Gallorum Rege id maximè ſolicitante, tranſlatus extitit.Quo autem certo tempore præfatus conuentus fuerit erectus, nec ſcripto, nec traditione conſtat. Aſſeruntur quoque & eius fundatores quidam Canconenſium B heroës,idq; non quòd ipſum primò ædificarint,ſed quòd iam ſibi ȩdificato plura beneficia contulerint.Hic denique conuentus,oppido Reolla in hæreticorum poteſtate,anno Domini 1576. redacto, ab ijſdem expilatus, atque ex parte dirutus, fratribus interim ſuis pellibus fuga conſulentibus,exuſtusq; fuit. Sed præmemorato oppido Reolla à catholicis militibus recuperato, & 15. fratres, qui Burdigalam ad tempus commoraturi petierant,à pijs oppidanis euocati ſunt, & conuentus ipſe tum ab iſtis,tum quoque ab illis reſarciri,repararíq; cœpit. Quo fit,vt de eius integra reædificatione bene ſperemus.

De conuentu Minoritico Tutellano. Conu. XXII.

CONVENTVS hic Tutellȩ,quȩ Aquitanica ciuitas eſt, a quodam S. Amantij heroë (hunc Baronem vulgò nuncupant) ex apoſtolica Innocentij VIII. Pont. C max.auctoritate,Carolo tamen itidem VIII.Francorum Rege annuente, in Franciſcanæ Obſeruantis familiæ gratiam,anno Domini 1491.erectus,numquàm per Dei gratiā Hugnoſticis,aut Caluiniſtis hæreticis ſubiacuit, nec vel tantillum detrimenti ab ijſdem perpeſſus eſt:ſed illæſus, à 20. fratribus inhabitatur. Nihilominus tamen pauperculis fratribus ipſum, vt per pagos, atque oppida concionentur, ſibiq; neceſſaria acquirant egreſſis non ita contemnēdum diſcrimen ab hæreticis per campos errantibus imminet.

De conuentu Minoritico Tarbienſi. Conu. XXIII.

TARBIA Aquitanorum ciuitas ab anno Domini 1569.ad hęc vſque noſtra tempora plura incommoda, pluresq; moleſtias,putà bonorum expilationem, domorum combuſtionem,ararum atque templorum euerſionem, & his ſimilia à truculentiſ- D ſimis Hugnoſticis hæreticis perpeſſa eſt. Quo etiam factum eſt,vt nec præſenti conuentui ibidem à Lauadanenſium Vicecomitibus ab antiquo (de certo fundationis tempore ſcripturis omnino deperditis nihil conſtat) erecto parcitum ſit.Pace interim inter hęreticos atque catholicos firmata,conuentus ipſe omnino dirutus,tum publicis,tum quoque priuatis oppidanorum ſumptibus quamdiligentiſſimè à 10. fratribus eius accolis reædificatur.Qui & ex Clementis VII.Pont.max. auctoritate, Frãciſco I.Gallorum Rege,à Cōuētualibus præfatis patribus ad noſtros Obſeruātes,anno Dñi 1528.dimanauit.

De conuentu Minoritico Riuorum: Conu. XXIIII.

RIVORVM ciuitas,quæ ad Aquitanos ſpectat,in catholica fide à ſuorum maiorum accepta perpetuò manſit, nec quid magis ab hæreſi deteſtata eſt. Quo fit, vt E tum ſibi, tum quoque præſenti conuentui à Leuiſianorum familia (de qua in primo iſtius Prouinciæ loco) ante plurimos annos à fundamentis ad verticem vſque constructo benè ſemper fuerit,ſitq;.Quia vero quidam heros oppidi S. Pauli temporalis Dominus fundatoris filiam ſibi matrimonio iunxit, huius conuētus patronatus iure dotis obtinuit.Qua etiam de cauſa eius erectio S.Pauli Dominis,& non Leuiſianȩ familiæ à plu rimis aſcribitur. Eſt quoque & hic locus de eorum numero, qui a patribus Conuentualibus ex Clementis VII. Pont.max.auctoritate,anno Domini 1534. ad regularis Obſeruantiæ alumnos tranſlati fuêre.Cœterum hoc monaſterium,à 12.fratribus plerumque inhabitatum,tum Riuenſibus, tum quoq; adiacentibus populis ſummè commēdatum reddit

A reddit beati Ferreoli corpus, honeſtiſſimo loco ibidē tumulatū, ad cuius mauſoleum plura, eaq; potiſſima beneficia Dei opt. max. bonitate in fideliū fauorē contingūt: quapropter à præfatis finitimis populis magna deuotione, & frequentia viſitatur.

De Minoritico conuentu Villæfrancæ. *Conu. XXV.*

VILLAFRANCA Aquitanorum ciuitas in primis illis Gallicis tumultibus (de quibus aliquando ſuperius) nouatoribus Hugnoſticis, atq; quinti Euangelij (ſi Dijs placet) ſectatoribus aurē plus ęquo accomodauit. Quamobrem in hoc ſacrum monaſterium intra eius mœnia, ante plurimos annos à Saugniacorū familia affabrè ædificatū, & Conuentualibus Franciſcanis ad eiuſdē Ordinis Obſeruātes, ex apoſtolica Pauli III. Pont. max. auctoritate, anno Dñi 1541. deuolutum, irruens B & aras ſubuertit, & SS. imagines cōfregit, & fratres eius accolas, niſi ſenatus ſubminiſtrandę iuſtitię pretextu eos ad carceres ex induſtria deferri iuſſiſſet, mortali vita priuaſſet. Atqui poſt aliquot annos ad ſaniorem mētem reuerſa, & huiuſmodi Euāgelium, atq; peruerſum dogma deteſtata eſt, & præfatos fratres ad alios conuentus à ſenatu occultè dimiſſos ad ſe euocans, illis omnia ad præfati monaſterij reparationem neceſſaria ſumma liberalitate ſubminiſtrauit. Sunt autem huiuſmodi fratres numero 18. Dum religioſiſſimus pater Ioannes Guilotus à ſacra concione è vicino quodam pago reuerſus ſacram hanc ædem repeteret, ab hæreticis interceptus, poſt plurima ludibria, atq; opprobria patientiſſimè perpeſſa, ab altero eorum plumbea glande traijcitur, animamq; agens ad prothomartyris Stephani inſtar, ne id peccati illis ſtatueret Deum opt. max. exorabat: ſicq; ſpiritū ſuo reddidit Creatori.

C *De Minoritico conuentu Aureliacenſi.* *Conu. XXVI.*

CVM beatus pater Antonius de Padua ſacras ad Aureliacenſem populum haberet conciones, ne ipſe eiuſq; fratres vel ſub dio, vel apud ſæculares commorari cogerentur, ſacellum, ac contiguum tuguriolum, iuxta illius temporis rationem, quo diuertere poſſent, a pientiſſimo quodam Aureliacenſium heroë ædificata extitêre. Cumq; fratrum numerus indies, magis magisq; excreſceret, huiuſmodi ædificium in pulcherrimum monaſterium, ampliſſimamq; eccleſiam eiuſdem herois ſumptibus euaſit. Contigit autem id, circa annum Domini 1332. Cæterum cùm præfatum monaſterium ab his ferè temporibus ad annum vſq; Domini 1542. Conuentualibus patribus ſubfuiſſet, Minoritis regularis Obſeruantiæ ſectatoribus D à Paulo III. Pont. max. Franciſco eius nominis primo Gallorum Rege, adiudicatum extitit: quibus & ad annum vſq; 1569. pro votis inſeruiuit. Sed eo temporis Aureliacenſi oppido ab hæreticis expugnato, fratribuſq; carceribus mancipatis, ita ſpoliatum, dirutum, atq; in cineres redactum extitit, vt nec coruis quidem habitationem præbere poſſit. Anno tamen ſequenti, qui à Chriſti incarnatione fuit 1570. pace inter catholicos atq; hæreticos inita, atq; Deo & Regi rebellibus oppido excedentibus, præfati fratres, qui vinculis ſoluti ad alia loca diuerterant, à pijſſimo Aureliacenſi ſenatu, vt conuentum ſolo æquatum ex collatis facultatibus reædificarent euocati ſunt. Qui interim 15. numero ſæcularem quandam domum vltrò illis oblatam inhabitant. Dum, hæreticis hunc locum inuadentibus, P. F. Franciſcus Pogetius ex prati parte egreſſus eorum manus euadere nititur, in quendam nebulo-E nem incidit: a quo tandem gladio confoſſus ad ſuum dilectum Creatorem euolauit.

De Minoritico conuentu Murellenſi. *Conu. XXVII.*

DVPLICEM agnoſcit hic conuentus Murelli, quod Aquitaniæ oppidum eſt, erectus, & à Conuentualibus patribus, à quibus ad noſtros Obſeruantes, ex apoſtolica Pauli III. Pont. max. auctoritate tranſlatus extitit, ad annum vſq; Dominicæ incarnationis 1534. inhabitatus, fundatorem, nempe illuſtriſſimum quendam Comeniarum Comitem, atq; pientiſſimum, ſimul atq; illuſtriſſimum quendam Dominum de Pins, iſtum quidem reparationis, atq; beneficiorum ab eo receptorum ergô: illum verò omnimodæ conſtructionis cauſa. Vtriuſq; tamen illorum ſucceſſores

& eius fundatores & patroni dicuntur, agnoſcunturq́;. Huius deniq; loci à 14. fratribus inhabitati, eccleſia duobus Dominicæ coronæ ſpinis, atq; quibuſdam diui patris Bonauenturæ reliquijs cohoneſtatur, ob quas à fidelibus magna obſeruantia viſitatur. A

De Minoritico conuentu Rioncienſi. Conu. XXVIII.

MIRACVLO non caret, quòd hic conuentus extra Rioncium Aquitaniæ oppidum ab illuſtriſſimo quodam Albertenſium Principe ab antiquo ædificatus, & à Conuentualibus patribus ad Minoritas Obſeruantes ex apoſtolica Leonis X. Pont. max. auctoritate, Franciſco Valleſio eius nominis primo Gallorum Rege, anno à partu Virgineo 1522. tranſlatus, hæreticorum inſidijs, atq; ludibrijs expoſitus nihil detrimenti, nihilq́; penitus incommodi ab ipſis in præſentem vſq; diem per Dei gratiam perpeſſus ſit. Accedit quòd eius incolæ, qui frequentius ſunt 8. numero intra eius limites tutò, & abſq; aliquo vitæ diſcrimine viuant: ſecus autem extrà, vel ſaltem ex ſequenti exemplo manifeſtum euadit. Cùm enim religioſus pater Ioannes Peteus ſacerdos hoc ſacrum monaſterium, aliquantulum itineris ex patris Guardiani mandato facturus, egreſſus eſſet, à truculentiſſimis hæreticis circumuentus, atq; poſt aurium abſciſſionem gladio iteratò confoſſus in Domino occubuit, atq; vitam temporalem cum morte, ne potius dicam hanc mortem cum æterna, ac feliciſſima vita comutauit. B

De Minoritico conuentu Montiſregalis. Conu. XXIX.

CONVENTVS hic Montiſregalis erectus nobilem quendã Iacobũ Duceiemoſie, Sixto IIII. ſummo Pont. ac Ludouico XI. Francorum Rege, anno Dñi 1483. primum ſui authorem, atq; fundatorem, ac poſtmodum R. Albienſium Epiſcopum Ludouicum ab Ambaſia ſui reparatorem ſiue potius reædificatorem habuit. Quorum auſpicijs, ſub ſtrictiſſima Regulari diſciplina, vſq; ad annum Dñi 1566. 10. fratribus ad nutum deſeruiuit. Eo tamen temporis, eius fratribus primò malè affectis verberibus, conuicijsq́; laceſſitis, atq; carceribus mãcipatis, ita dirutus, expilatus, atq; immiſſo igne in fauillam redactus eſt, vt nuda tantùm fundamenta appareant, nullaq́; eius reædificandi ſpes affulgeat. Ex præfatis verò patribus duo martyrij laurea inſigniti in cœlum euolarunt. Quorum alter V. ſcilicet P. Franciſcus Lardegarius ſacerdos plumbeis glandibus ab Hugnoſticis traiectus interijt: alter verò videlicet frater Iacobus Laggerius laicus profeſſus eodem mortis genere, atq; gladio tranſuerberatus occubuit. C

De conuentu S. Pergeti. Conu. XXX. D

QVIDAM Ventadourenſium Dux, atq; quidam heros ex nobiliſſima Scorrailhenſium familia tum Deo opt. max. tum quoq; ſeraphico patri Franciſco aliquod obſequium præſtituri, hoc ſacrum monaſterium in profundiſſima quadam valle, iuxta Dordoniæ fluminis marginem, communibus ſumptibus, ex apoſtolica tamen Innocentij VIII. Pont. max. auctoritate, Ludouico huius nominis XI. Francorum Rege, anno reſtitutæ ſalutis 1489. ædificandum, atq; huius Prouinciæ patribus tradendum curarunt. Cuius ſolitudo, diſpoſitio, atq; amœnitas ſui habitatorum, qui frequentius ſunt numero 12. animos ad ſupernorum myſteriorum contemplationem tollit. Eius præterea eccleſia à reuerendiſſimi Claramontenſis Epiſcopi Suffraganeo vltima Auguſti, anno verò Domini 1505. ad glorioſiſſimæ Deiparæ virginis honorem coſecrata extitit: quæ & ſumptuoſiſſimo ſepulchro, quo illuſtriſſima Catharina Beaufortia Turonenſium Comitiſſa, Dominici aduentus diem præſtolatura reconditur, elegantiſſimè honeſtatur. Anno Dominicæ incarnationis 1574. cùm venerabilis atq; deuotus pater Petrus Guarrigueius ad Mauriacum oppidum tertio tantùm milliare diſtans, perficiendorum quorundam negociorum ergô, à patre huius loci Guardiano miſſus eſſet, in hæreticos ipſum oppidum expugnantes fortè fortuna incidit, à quibus tandem ob Chriſti confeſſionem atrociſſimè occiſus, martyrio laureatus aſtra petijt. Eius corpus, ex maxima hæreticorum immanitate, inhumatum omnino per integrum diem remãſit: ac poſtmodũ noctu à fidelibus ſublatum honorifico loco, non abſq; maxima omnium circumaſtantium lachrymarum effuſione, reconditũ eſt. E

De Mino-

A *De Minoritico conuentu Villanouano. Conu. XXXI.*

QVAMVIS ſacrum hoc monaſterium Villænouæ, quæ Aquitaniæ oppidum eſt, tum ab illuſtriſſimo quodam Piuolienſium heroë, tum quoq; à pientiſſimo Iſaaco ex eodem oppido oriundo, anno Dominicæ incarnationis 1512. ex apoſtolica Iulij II. Pont. max. conceſſione, Ludouico huius nominis XII. Françorum Rege, erectum, in Gallicanis primis tumultibus, anno Domini 1561. excitatis, pulſis interim atq; malè affectis fratribus, maximam, illius patriæ hæreticis eius bona expilantibus, imagines minutatim contundentibus, arasq; ſubuertentibus, incurrerit iacturam, & anno 1577. poſt reſtitutos ſibi fratres, pacemq; inter catholicos & votifragos hæreticos conſtitutam, ſecundò ab ijſdem nullam non ſit expertum iniuriam, Deo tamen
B fauente impræſentiarum & pijſſimis oppidanorum eleemoſynis pro maiori parte reſarcitũ refectũq; eſt,& à 14. religioſiſſimis patribus ac fratribus pacificè inhabitatur.

De Minoritico conuentu Montisguiſcardi: Conu. XXXII.

CVM duo Domini de Guarrault filij Franciſcanę Religionis habitum hac in Prouincia ſuſcepiſſent, ne hæreditaria portione ſibi aliâs contingente defraudari omnino viderentur, pijſſimus ac de noſtro Ordine optimè meritus pater hoc monaſterium Montisguiſcardi, quod Aquitaniæ oppidum eſt, ex facta ſibi à Iulio II. Pont. max. poteſtate, Rege interim Ludouico huius nominis XII. in Gallijs regnante, à fundamentis extruendum, omninoq; abſoluendum, atq; huic Prouinciæ adijciendum, anno Domini 1512. curauit. Quod tamen, cùm præfato oppido ab hæreticis expu-
C gnato, eiusq; fratribus pulſis, qui frequentius ſunt 8. numero, non ita aſpernandum incommodum ab ijſdem, anno Domini 1568. ſuſtinuiſſet, poſt compoſitam inter catholicos atq; hæreticos pacem reparari, reſtaurariq;, fratribus interim in ſæculari quadã domo commorantibus, cœpit. Nec tamen præfati fratres periculo vacant, cùm vndiq; hęreticis, qui catholicum pręcipuè verò religioſum ſanguinem maximè ſitiunt, obſideantur. Vt autem quæ diximus exemplo pateant, quæ ſequuntur adieciſſe libuit. Cùm enim ſuperioribus diebus venerabilis pater Antonius Abbas loci Guardianus, ſubditorum ſibi rebus prudẽter conſulturus, proximius oppidum peteret, ab hæreticis interceptus, illuſtre ſub eorum manibus martyrium pro fide Chriſti, atq; Ecclęſiæ catholicæ, & apoſtolicę atq; Romanæ cõfeſſione & teſtificatione cõſtantiſſimè pertulit.

D *De Minoritico conuentu Bellimontenſi. Conu. XXXIII.*

PIISSIMVS Ioannes Cedraillus cuidam voto, ex concepta ad Franciſcanam regularem Obſeruantiam deuotione à ſe emiſſo, ſatisfacturus, hoc monaſterium aliquantulum à Bellomonte Aquitanorum oppido, Leone X. Pont. max. ſibi annuente, atq; Franciſco huius nominis primo Gallorum Rege, anno à partu Virgineo 1516. à fundamentis erigi, omninoq; perfici fecit. Quia verò oppidi muris excluditur, ab anno Domini 1561. ad hæc vſq; noſtra tempora, nempe ad annum vſq; 1587. & omnium mobilium rapinam, & imaginum, atq; ararum confractionem, & omnimodam ferè demolitionem ab hæreticis perpeſſum eſt. Quamobrem eo derelicto fratres, qui frequentius erant numero 10. ad xenodochium oppidi vallo circuncinctum, atq; ab
E oppidanis vltrò ſibi oblatum, huic mortali vitæ conſulturi, ſe transferre coacti ſunt. Sed præfato Bellimontis oppido proditoriè ab ijſdem hæreticis capto, huiuſmodi xenodochium, fratribus eius accolis in vincula coniectis, omnino conflagrauit. Quibus deniq; liberatis, atq; profectionem parantibus, catholica eiuſdem oppidi communitas aliam domum, quouſq; vel monaſterium, vel xenodochium præfata erigerent, perficerentq; in habitationem contulit. Et hæc quidem de fratrum monaſterijs. Reliquum eſt igitur vt ad ſanctimonialium loca deſcribenda atq; exaranda tranſeamus.

De monaſterio S. Claræ Caſtrarum. Mon. I.

CVM Caſtrarum ciuitate (de qua ſuperius) ſecundò ab hæreticis expugnata, pauperum de prima Regula Clariſſarum monaſterium ab eiuſdem ciuitatis Co-

mitibus ab antiquo erectum ab hæreticis expilatum, ſoloq; æquatum fuiſſet, pauperculæ eius ſorores, quæ & quadrageſimũ numerũ attingebant, poſt plurima ab ijſdem perpeſſa ludibria, ſalua tamen (laus ſuperis) pudicitia, in duas turmas diuiſæ Toloſam atq; Albiam, cum eiuſdem Inſtituti monialibus vitam ducturæ, ſe contulerunt. Vbi & abſq; huius recuperandi loci ſpe in hodiernam vſq; diem religioſè perſeuerant. A

De Monaſterio S. Claræ Albiæ. Mon. II.

NON eandem cum præcedenti conditionem expertum eſt hoc monaſterium, à quadraginta Clariſſis de prima Regula monialibus inhabitatum, & à reuerendiſſimo Ludouico ab Ambaſia Albienſium Epiſcopo ex apoſtolica Sixti IIII. Pont. max. poteſtate ſibi facta, Ludouico XI. Gallorum Rege, anno Dominicæ incarnationis 1481. erectum: cùm à ſui fundatione in hodiernam vſque diem nullam penitus vim, nullamq; iniuriam à perditiſſimis hæreticis perpeſſum fuerit. Qua etiam de cauſa eius accolæ ſumma quiete fruuntur, Chriſtoq; ſponſo vllo abſq; redditu felicius famulantur. Huius aliquando loci habitatrix fuit illuſtriſſima ſimulatq; pientiſſima ſoror Eliſabetha à Nauarra, ex sereniſſima Briariæ Principum familia oriunda, cuius humilitas, charitas, paupertas, atque cæteræ virtutes incredibiles fuêre. B

De Monaſterio S. Claræ Toloſæ. Mon. III.

CVM Benedictinæ quædam moniales huius monaſterij Toloſæ erecti habitatrices peſte, ac alijs infirmitatibus è viuis ſublatæ eſſent, ne præfatum monaſterium incolis deſtitutũ ruinã aliquando minaretur, Tertiarijs aliquot ſororibus Franciſcanis à V.P. Dauratæ eccleſiæ Priore, cuius eę partes erant, anno Domini 1464. Pio tamen II. Pont. max. annuente, atq; Ludouico huius nominis XI. Gallorum Rege id maximè ſolicitante, collatum extitit. Quæ quidem Tertiariæ ſorores ſua ſponte ſe huius Prouinciæ Vicario, anno 1507. ſubmiſerunt. Atqui anno 1516. Leone X. ſummo Pont. Franciſco Valleſio Gallorum Rege, atque patre fratre Gilberto Nicolai totius Franciſcanæ Obſeruantis familiæ generale Vicario, eductæ ſunt ex Albienſi Clariſſarum conuentu (de quo paulò ſuperius) quatuor ſorores, quæ præfatas Tertiarias in Religione continerẽt, atq; aduentãtes iuuẽculas Clariſſis moribus, ritibusq; apprimè imbuerent. Ab eo igitur temporis impræſentiarum vſq; hic locus Clariſſis de prima Regula ſororibus, quarum numerus quadragenarius ad minus eſt, pro votis deſeruit. C

De Montiſmarſanico Clariſſarum monaſterio. Mon. IIII. D

CVM pientiſſimus Gaſto Biernenſium Princeps, atq; Montiſmarſanicorum Comes monaſterium quoddam in loco Veirienſi ad ſextum milliare à Montemarſano Aquitanorum oppido 25. Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis, ſiue de ſecunda B. virginis Clarę Regula, anno Domini 1270. erexiſſet, ſufficientibusq; redditibus ditaſſet, quòd præfatarum ſororum quieti non ſatis proſpectum videretur, aliud multò elegantius, pijſſimi eius ſucceſſores prope præfati oppidi Montiſmarſanici mœnia à fundamentis extruendum curarunt. Nec ideo illis conſultum eſt, cùm anno Dñi 1569. & monaſterium ſuppellectile omnino ſpoliatũ, & ex parte combuſtum, atq; eius habitatrices alia loca, eo relicto, petere coactæ fuerint. Præterea cùm, pace in Gallijs conſtituta, pręfatę ſorores conuentũ à ſe deſertum, anno Dñi 1574. repetijſſent, eiusq; refectioni ſolicitius incumberent, poſt elapſum triennium, nempe anno Dñi 1577. loco, ſolo penitus ęquato, ita vt vix fundamentorum veſtigia appareant, ab ijſdem hæreticis cedere coguntur. E

De Monaſterio Conceptionis B. virginis Mariæ Albiæ. Mon. V.

PRÆSENTIS monaſterij Albiæ (de qua ſuperius) erecti eccleſia à reuerendiſſimo Berardo Albienſium Epiſcopo, anno Domini 1325. ea lege conſtructa fuit, vt Prioratus titulo inſigniretur. Quo tandem per centum octoginta annos, ad annum vſq; videlicet 1505. potita, ex ſummi Pont. Iulij II. auctoritate, Ludouico XII. Francorum Rege, à reuerendiſſimo Ludouico ab Ambaſia Albienſium quoque Epiſcopo, viro vtique integerrimo atque nobiliſſimo in monaſterio Annunciatarum ſororum

A rorum (de quibus ſuperius) vſibus mancipandi formam transferri cœpit. Cùm autem, præfato Epiſcopo immatura morte præuento, optatum finem aſſequuta minimè fuiſſet, à pientiſſimo eius nepote Ludouico etiam ab Ambaſia Albianenſium itidem Epiſcopo omnibus ſuis numeris abſoluta, atque in eam, quam modò induit, monaſterij formam tranſlata extitit. Anno verò Domini 1508. allatæ ſunt aliunde aliæ quædam Annunciatariæ ſorores, quæ & huic loco initium darent, & confluentes virgines earum viuendi modum apprimè docerent. Quæ omnes quadraginta numero ſunt, licèt nihil incommodi in propria perſona ab hæreticis pertulerint, maximam tamen bonorum iacturam eorundem impijſſimorū hæreticorum miniſterio fecerunt.

De Monaſterio Annunciationis Burdigalæ. Mon. VI.

B HOC ſacrum monaſterium, beatæ Mariæ doloribus dicatum, atque Burdigalę ex Leonis X. Pont. max. facultate, anno Domini 1521. erectum, & à quadraginta Annunciatarijs ſororibus inhabitatum, Iacobinam, ex illuſtriſſima Lanſacorum familia genus deducentem, primamſui auctricem habuit. Deinde verò, tum illuſtriſſimæ Catharinæ Bironiæ Geniſacij Dominæ, tum quoque Ioannis Mancanij Burdigalenſis ciuis beneuolentiam expertum, optato fine potiri meruit. Præterea, cùm ſuperioribus diebus, circa annum videlicet Domini 1570. omnimodam, præ ædificiorum imbecillitate, minaretur ruinam, à pijſſimo Franciſco Hortio dignitate Priore reſarcitum, imò potius reædificatum extitit. Eius primæ fundatrices ex Albienſi Annunciatarum monaſterio, præfato anno 1521. allatæ fuerunt. Cùm autem huius loci ſorores ſumma pauperie, ob redditu um tenuitatem, laborarent, atque Vrba-
C niſtæ aliquot moniales Burdigalæ agentes paulatim deficerent, vt ſimul iunctæ felicius coaleſcerent, illæ, Vrbaniſtæ ſcilicet, iſtis ex apoſtolica auctoritate cum redditibus ad ſe pertinentibus adiectæ ſunt, & ſumma pace reliquum vitæ ſuæ tranſigerunt.

De Monaſterio Annunciationis B. Mariæ Rutheni. Mon. VII.

VT primùm hoc monaſterium à deuotiſſimo Helione Geoffrerio vtriuſq; Iuris Doctore, & matricis eccleſiæ Albienſis Præpoſito, necnon & cathedralis Ruthenorum eccleſiæ canonico, Rutheni (de quo ſuperius) ex Leonis X. Pont. max. facultate à fundamentis ad verticem vſq; ędificatum, honeſtiſq; redditibus dotatū eſt: octo ſorores ex Albienſi Annunciatariarum monaſterio ſorores, & duas ex Bituricenſi eiuſ-
D dem Ordinis conuentu, quæ & locum incolerent, & aduentantes nouitias bonis moribus, religioſiſq; ritibus imbuerent, anno à partu Virgineo 1574. ipſe adduci curauit. Quę adeò creuerunt vt trigeſimum numerum imprę ſentiarum feliciſſimè attingant.

De Monaſterio Annunciationis B. Mariæ Agenis. Mon. VIII.

CLEMENTE VII. Pontif. max. atque Franciſco Valleſio huius nominis primo Francorum Rege, anno verò à mundi redemptione 1530. præſens monaſterium, à quadraginta Annunciatarijs ſororibus, vt plurimum, inhabitatum, atque intra Agenenſis ciuitatis (cuius ſupra meminimus) à perdeuoto Vincentio Vilhonio Agenenſium Epiſcopi generali Vicario à fundamentis ad apicem vſque extructum, atque honeſtis redditibus cumulatum extitit. Quod tamen Annunciatariæ aliquot
E ſorores, ex Bituricenſi atque Albienſi conuentibus allatæ, primò occuparunt. Cùm autem à ſui erectione ad annum vſque 1560. ſumma pace, ſummaq; tranquillitate potitum fuiſſet, ſequentiq; anno, qui à mundo reparato fuit 1561. hæreticis ſacra prophanis miſcentibus, Agenenſis ciuitas ab ijſdem proditoriè capta eſſet, pauperculæ ſorores & huic loco cedere, atque hinc inde diuagari coguntur. Quæ tamen ciuitate per illuſtriſſimum heroëm, atque ſtrenuum Gallicarum copiarum Ducem Monlucum capta, atque præſidiario milite optimè firmata, domum illicò reuertentes, inibi ſatis quietè, Deo fauente, ab eo temporis impræſentiarum vſque commoratæ ſunt.



PROVIN-

PROVINCIA
SANCTI IACOBI.

A PROVINCIA ſancti Iacobi ſuã denominationem, atq; originem à Ianaſo ſiue Flauio Brigantio, ciuitate ſcilicet Compoſtellana, ſiue diui Iacobi in Compoſtella, ſumpſit: quoniam Ea in ciuitate ſeraphicus pater Franciſcus primum huius Prouinciæ conuentum, anno Dominicæ incarnationis 1214. erexit. Quando videlicet viſitaturus corpus Apoſtoli Iacobi ad Ianaricos vſque ſiue Gallecos penetrauit. Hæc igitur Prouincia, non vt erecta, ſed vt in vno vel altero conuentu inchoata, ſui progenitorem nullum alium habuit à beatiſſimo patre Franciſco: imò ipſa nobis ſua fœcunditate plures alias peperit: Nempe Prouincias S. Michaëlis, S. Gabrielis, Portugaliæ, atq; Pietatis. Quarum media, Portugalię ſcilicet, cùm eſſet eius Cuſtodia, tempore illo infelici, quo ſub duo-
B bus Pontificibus, de totius Eccleſię militantis clauo regendo contẽdentibus, Apoſtoli Petri nauicula fluctibus quatiebatur, ac Caſtellani à Luſitanis diuerſa ſentiebant, à ſua parente defecit, criſtaſq; erigens Prouinciæ nomen ſibi vſurpauit. Poſteriores verò duæ poſtmodum idem iter tenuêre. Peperit quoq; nobis apud Indos Occidentales Prouinciam S. Euangelij: Nam pater ac frater Martinus de Valentia eius fundator, licèt catalogo fratrum Gabrielitarum adſcribatur (vt in deſcriptione Prouinciæ ſancti Gabrielis fuſius agimus) ex hac tamẽ Prouincia ſancti Iacobi prodijt, eiuſq; alumnus fuit. Præterea aliquot ſacras ædes Prouinciæ Conceptionis ſubminiſtrauit. Tanta denique fuit olim huius Prouinciæ fœcunditas atque amplitudo, vt ad 270. leucas eius longitudo olim extenderetur. Quæ tamen modò non tam latè patet, cùm vix ad
C 70. protendat. Si quis enim diſtantiam inter Aluam oppidum, ad quartam leucam à ciuitate Salmanticenſi diſtans, atq; Corunnam Gallecorum ciuitatem, quæ eius longitudo eſt, fideliter fuerit emenſus, nihil amplius à præfato leucarum numero inueniet. Latitudo verò 50. tantùm continet leucas. Complectitur nihilominus Aſturum Principatum, Lugdunenſe Regnum, Galleciam, atq; Caſtellæ antiquioris portionem. Si verò Hiſpaniæ ſitum attendas, ab Aquilone procedens in Occidentẽ vergit. Cuius ſigillum maius imagines S. Iacobi Apoſtoli, ad peregrini inſtar induti, atque ſeraphici patris Franciſci ſtantes complectitur, quorum capitibus colũba radians, Spiritus ſancti typum præſeferens, ſuperſedet, pedibus verò huiuſmodi characteres M A. ſubſtant. Sed ſigilli gyrus ſequentibus ornatur literis: SIGILLVM MINISTRI
D PROVINCIÆ SANCTI IACOBI. Conſtat deniq; vniuerſa hæc S. Iacobi Prouincia, quæ poſt introductam regularem Obſeruantiam per aliquot annorum decadas exordium ſumpſit, cui eandem diui Iacobi maioris imaginem non immeritò, cùm eius beatus is Apoſtolus tutelaris ſit, præmittendam volui, ex 37 fratrum conuẽtibus, 15. Clariſſarum monaſterijs, 3. Conceptioniſtarum cœnobijs, atq; totidem Tertiariarum ſororum Franciſcanarum domibus. Cùm igitur conuentus S. Franciſci Cõpoſtellæ erectus primus, atq; antiquior cęteris oĩbus ſit, ab ipſo nobis auſpicandũ erit.

De conuentu S. Franciſci Compoſtellæ. *Conu. I.*

E QVVM pauperum Patriarcha Franciſcus peregrinationis gratia Compoſtellã, anno incarnationis Dominicæ 1214: (vt in huius Prouinciæ proœmio, & alibi ſæpius tetigimus) petijſſet, atq; paupertatis ipſe amantiſſimus apud pauperem quendam carbonarium, cui domus in ſuburbijs, nomen verò Cotalai erat, diuertiſſet, noctu contemplationi vacandæ cauſa in viciniorem monticulum ſe recipiebat, in quo diuinę voluntatis eſſe intellexit, vt ſuis fratribus conuentum in Dei atq; Inferni vallibus erigeret. Huiuſmodi igitur valles quæſiturus ſummo mane ſurrexit, atq; poſt adhibitam diligentem

diligentem curam eas ad Benedictinos quoſdam patres monaſterij ſancti Paij eiuſdem A ciuitatis,quorum ſucceſſores modò in conuentu ſancti Martini commorantur, pertinere accepit, eaſq; valles ſibi contiguas eſſe inuenit. Memor igitur beneuolentiæ præfatorum fratrum erga ſe, atq; ſuum Ordinem, nec non & monaſterij ſanctæ Mariæ de Angelis Aſſiſinatis,quod ab ijſdem gratuitò acceperat,ſancti Paij Abbatem humiliter aggreſſus,huiuſmodi conuentus præfatis in vallibus ædificandi facultatem ab eo maxima cum fiducia, conſtantiq; animo petijt: præfatoq; Abbate quid ſibi in pretium daturus eſſet reſpondente ſubiecit: Cùm pecunia longè à me ſit, nec quicquam aliud occurrat (ſum enim pauperrimus) quod tibi pro tanto beneficio erogare poſſim,lubens fluuialium piſcium ciſtellulam in annum cenſuum dabo, pendamq;, dummodo capi poſſint. Cuius fiduciam, atq; ſimplicitatem admiratus pius Abbas eius votis ſub oblata conditione annuere decreuit. Quamobrem confecta de tradendis vallibus ſub præſcripta lege ſcriptura,eaq; chirographo beati patris Franciſci,atq; B Abbatis ſubſignata, domum Cotolai repetens pater ſeraphicus inquit: Chariſſime hoſpes,vt ad labores accingaris oportet, voluntas ſiquidem Dei eſt, vt ſibi Ordinis mei domum in vallibus Dei, atq; Inferni ædifices: Nam quod ad ſitum attinet is mihi ea propter à patribus Benedictinis conceſſus eſt. Cui Cotolai: quonam pacto pater mi id præſtare potero, cùm ex mercenario labore victitem? Nonne me pauperrimum noſti? Tuncq; beatus pater ſubiunxit: Bono animo eſto, quamobrem, ſumpto protinus ligone,proximiorem petito fontem,cùmq; terrę aliquantulum effoderis,opulentiſſimũ inuenies theſaurum,quo iniuncto tibi muneri ſatisfacere valeas. Quod cùm Cotolai ex deuotione ad patrem concepta præſtitiſſet, omnia ſibi iuxta patris Franciſci præſagiũ ſucceſſerunt. Itaq; ex adinuento à pio Cotolai theſauro conuentus hic, eidem patri C Franciſco ſacer, partim in valle Dei,partim verò in valle Inferni,anno 1214.opera tamen eiuſdem Cotolai ædificatus eſt: quem vt plurimum 36.incolunt fratres. Quorum duo ſacram perlegunt Theologiam,reliquorum verò 17.eidem incumbunt. Ipſe verò Cotolai hoſpitij mercedem à Domino récipiens ex theſauri reſiduo diues ſatis,atq; nobilitatus euaſit. Hæc omnia veriſſima ſunt,atq; fide digna, tum ex antiquiſſima & fideliſſima traditione, tùm etiam ex authentico quodam ſcripto,ex patrum Benedictinorum huius Compoſtellanæ ciuitatis archiuis ſumma fidelitate extracto ad inſtantiam patris ac fratris Garſiæ à S.Iacobo Minoritæ. Annuum verò cenſum,fiſcellam videlicet fluuialium piſciculorum,ad tempus exſoluerunt Franciſcani huius loci fratres patribus Benedictinis, ex præmemorata conuentione facta inter ſeraphicum patrem Franciſcum ac conuentus ſancti Paij Abbatem. Succeſſu verò temporis eis remiſſus D fuit. Præmemoratum B. P. Franciſci chirographum in eorum patrum Benedictinorum ſacrario diligentius aſſeruatum,tanquam quid memoria dignũ oſtenſum fuit catholico Hiſpaniarũ Regi Philippo huius nominis ſecundo,anno Dñi 1554.dum in Angliam transfretaturus ad matrimonium contrahendum Coruñiæ Galecorum ageret.

De conuentu S. Franciſci Corunniæ. Conu. II.

POST diligentiſſimam indaginem adhibitam, atque poſt plurimos ſcripturarum ſcrutatos archiuos,nihil certi de huius erectione cõperire potuimus. Quamobrem ad humanam traditionem,probabilioraq; indicia recurrentes inuenimus hunc conuẽtum,beatiſſimo patri Franciſco ſacrum, atq; in littore Oceani maris,paululum à mœnibus Coruñię Galecorum ciuitatis erectum, ſui fundatorem habuiſſe beatum quen- E dam patrem ſeraphici P.Franciſci ſociũ, cuius nomen vel ex eiuſdem induſtria,fugiẽdæ videlicet auræ popularis ergò,vel ex craſſa fratrum incuria,nos latet. Si verò ſtructuræ faciem,epitaphia, atq; ſepulchra ibidem erecta conſideres, eum antiquiſſimum conuentum, necnon & Compoſtellano (de quo ſupra) contemporaneum facilè iudicabis: Nam ædificium vetuſtiſſimam illam conſtruendi normam præſefert, & huiuſmodi epitaphium,cuiuſdam defuncti ſepulchro inciſum,inuenire licet. *Hic iacet famulus Dei Hernandus Ioannes de Gube, qui obijt ſub æra milleſima trecenteſima, ideſt anno Domini 1262.* Fundatoris verò corpus in huius loci eccleſia ſepultum eſt,in quodam videlicet peculiari ſepulchro, cuius dextro lateri ſequentes literæ impreſſæ ſunt: *oſſa fra-*

tris Ian-

A *tris ſancti.* Nec abs re quidem, cùm plura Deus opt. max. miracula ad eius merita operari dignetur. Aliquot autem eius oſſa inde exhumata honorifica quadam arca, ſed lignea, recondita ſunt, atque ad eiuſdem ſepulchri latus eminentiori in loco appoſita: vbi & in maxima veneratione à Coruñienſibus habentur. Nec referre piget patratum à præfato loci fundatore miraculum, cùm in pariete depictum eius mauſoleo immineat. Cùm enim Dei famulus omni pecuniarum genere, quo operarijs ſatisfaceret omnino careret, victum eis ſaltem miniſtrare curabat. Quapropter mare petens, piſcesq; ſibillo vocans, cùm plures accurrerent, ſibi tantùm neceſſarios, alios interim benedictione dimittens, præhendebat, domumq; reuerſus pulmentum ex eis opificibus parabat, ſicq; hunc locum maiori ex parte promouit. In huius monaſterij ſacrario ſequens aſſeruatur reliquia, quædam ſcilicet ſpina coronæ Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. In ar-
B chiuis verò, quæ ſequuntur, habentur literæ: Nempe bulla quædam Bonifacij VIII. Pont. max. data anno primo ſui Pontificatus, qua fratres Franciſcanos à quocunque Iudice eximit, ipſosq; apoſtolicæ Sedi immediatè ſubijcit. Et alia bulla Benedicti Papæ XI. data apud Lateranum 16. Februarij, anno verò primo Pontificatus eiuſdem, qua fratribus Minoribus prædicandi licentiam concedit tum in eccleſijs, tum quoque in plateis, quacunque hora ſibi libuerit, dummodo in eccleſia eiuſdem loci parochiali eadem hora non fiat concio. Et alia bulla eiuſdem Benedicti XI. data Romæ 2. Aprilis anni primi Pontificatus eius, qua eoſdem fratres Minores à quocunque Iudice ſiue Eccleſiaſtico, ſiue ſeculari eximit, eisq; concedit, ne in iudicio cuiuſcunq; delicti, ſiue contractus cauſa conueniri poſſint. Vocatur tandem hoc monaſterium, quod & 30. fratres incolunt, nomine S. Franciſci Regalis ſiue Regij, tum quia bona eius pars, anno
C Domini 1554. à catholico Hiſpaniarum Rege Philippo huius nominis ſecundo ædificata fuerit, tum quia apud Riaam, quæ Latinè idem quod regalis ſonat, erectus ſit.

De conuentu S. Franciſci Oueti. *Conu. III.*

SICVT ex bulla quadã Benedicti XIII. data, in oppido Morellę Dertoſanæ diœceſis 15. menſis Septembris, anno verò ſui Pontificatus 20. qua confirmat ſtatutũ quoddam à primis fratribus huius loci habitatoribus conditum, ne videlicet aliquis religioſus in eo profeſſus Doctoratus aut Magiſteriatus dignitate ſiue in ſacra Theologia, ſiue in quauis alia ſcientia, quòd huiuſmodi honos ſimplicitati, atq; humilitati eiuſdem loci repugnet, inſigniri poſſit, facilè conſtat, ſacra hæc ædes, beatiſſimo patri Franciſco dicata, atq; aliquantulum à muris ciuitatis Ouetenſis Principatus Aſturi-
D cenſis erecta, à quodam ſocio ſeraphici patris Franciſci nomine fratre Petro Compatre, circa annum Dominicæ incarnationis 1214. ædificata fuit. Quam & impræſentiarum incolunt 32. fratres, quorum duo ſacram prælegunt Theologiam, reliquorũ verò 12. eidem dant operam. Præfata verò bulla in huius monaſterij archiuis fideliter cuſtoditur, cui adiuncta eſt alia Martini IIII. Pontif. max. data apud Veterem Ciuitatem 18. Ianuarij anni 2. Pontificatus eiuſdem, qua Prelatis Franciſcanorum facultatem eligendi ſyndicos concedit. Gaudet hic locus quodam priuilegio ſibi à plurimis Ouetenſibus Epiſcopis conceſſo: ne videlicet eius fratres ad quartã funeralem pendendam teneantur: vtq; cum cruce erecta ad funera procedere poſſint. Quod quidem vſq; in præſens inuiolabiliter cuſtoditur. Aſſeruantur etiam in huius loci ſacrario pars quædam ligni ſanctiſſimæ crucis, & altera ex ſpinis coronæ Saluatoris noſtri
E Ieſu Chriſti. Iuxta portam verò eccleſiæ à parte interiori humatus diu iacuit prefatus pater Petrus Compater, qui ab omnibus eius patriæ accolis vt ſanctus, Deoq; carus habetur, quiq; diem clauſit extremum anno à Chriſti natiuitate 1216. dũ adhuc beatus pater Franciſcus in Hiſpanijs ageret. Sed anno Domini 1487. ad locum quendam eminentiorem, atque honorabiliorem, nempè ſupra præcipuam eccleſiæ portam tranſlatus fuit. Cuius ſepulchro ſubſequens epitaphium à pijs quibuſdam viris, qui eum ſummo amore atque obſeruantia maxima proſequebantur, appoſitum fuit.

Frater Petrus ego, cognomine Compater antè, Sanctus obijt frater de gente Minorum,
Carnis hic oſſa tego, me Saluatore vocante Compater immo pater appellatus miſerorum,
Annis millenis centũ bis decem ſex Oct. plenis Filius atq; Dei, voce fauente Dei.

Diem

Diem quoq; clauſit extremum in ciuitate Ouetenſi, ſepultusq; eſt in choro eccleſiæ cathedralis eiuſdem reuerendiſſimus pater ac frater Alphonſus à Palenzuela huius Prouinciæ diui Iacobi alumnus, atq; Ouetenſis Epiſcopus, doctiſſimus quidem vir, atq; diſertiſſimus Concionator, qui cùm eſſet catholicis Hiſpaniæ Regibus Ferdinando eiusq; coniugi Eliſabethæ à ſacris confeſſionibus, ab ijſdem miſſus fuit in Angliam acturus cum Henrico VIII. Anglorum Rege de matrimonio eiuſdem cum sereniſſima, pariterq; Chriſtianiſſima Catharina eorundem catholicorum Regum filia, anno à mundi redemptione 1470. Obijt reuerendiſſimus hic Antiſtes non abſq; ſanctitatis opinione, maximũ interim omnibus, qui eum cognoſcebāt deſideriũ relinquens. A

De conuentu S. Franciſci Ribadei. Conu. IIII.

PROVT poſteri à ſuis prędeceſſoribus tāquam per manus indubitata traditione acceperunt, conuentus hic in honorem beatiſſimi patris Franciſci aliquantulum à Gallecorum oppido, Ribadeo vernacula lingua nuncupato, erectus, antiquiſſimus eſt, atq; à quodam ſocio beatiſſimi patris Franciſci fundatus. Cuius oſſa quodam eccleſiæ eminentiori in loco recondita, hoc epitaphio inſigniuntur. *Ieſus. Hic iacent venerabilia oſſa cuiuſdam fratris ſocij beati Franciſci, qui obijt anno Domini milleſimo ducenteſimo ſecundo & vigeſimo.* Iuxta quam ſupputationem præfatus pater, octiennio ab ingreſſu beatiſſimi patris Franciſci in Hiſpaniã, diem clauſit extremum. Cùm enim conuentus eo temporis iam extructus eſſet, facillimè eius vetuſtas inde colligitur. Aſtipulatur quoque huic opinioni diligentiſſima ſcripturarum præhabita lectio, ex qua nullus alius fundator inueſtigari potuit. Ipſius tamen patris fundatoris nomen, licèt in magna veneratione apud populum ſit, tum ipſos, tum quoq; nos omnino fugit. Huius tamen loci maius ſacellum ſui patronos paucis ab hinc annos agnoſcit nobiles quoſdã ex familia Anleorum, vti patet ex literis fornici eiuſdẽ ſacelli inciſis. Hoc igitur in monaſterio, 15. fratres diu noctuq; Deo famulantes commorantur. B C

De conuentu S. Laurentij extra Compoſtellam. Conu. V.

HVIVS loci fundatio difficilis eſt omnino inueſtigatu: alijs interim opinantibus eum à Lope de Moſcoſo Altamirano Comite ædificatum eſſe, qui tamen falluntur ſuaſi ex donatione cuiuſdam nemoris facta ipſis fratribus ab eodem pientiſſimo Comite: alijs verò aſſerentibus cum R. Petro Muñiz Necromantico, atq; ſancti Iacobi in Compoſtella Archiepiſcopo, quod is aliquando eodem in loco à ſummo Pont. in cuiuſdam exceſſus pœnam recluſus fuerit: alijs deniq; vtrumq; negantibus, atq; tenentibus eum fuiſſe erectum opera atque ſumptibus reuerendiſſimi Martini Arias Epiſcopi Zamorenſis. Harum nihilominus opinionum vltima (vt verum fatear) mihi magis probatur. Cui & ſcriptum priuilegium Alphonſi IX. Regis Legionenſis, datum anno Domini 1223. menſis verò Iunij 26. quod in archiuis eccleſiæ cathedralis Compoſtellanæ fideliſſimè cuſtoditur aſtipulari videtur. Cuius ipſiſſima verba ſubſequuntur: *Ego Aldephonſus Dei gratia Legionis Rex vnà cum filijs meis per hanc cartam perpetuo valituram concedo, & confirmo eccleſiæ ſancti Laurentij, quam dominus Martinus Zamorenſis Epiſcopus Compoſtellæ ædificaſtis, omnia quæ tam de patrimonio veſtro, quàm donationis, vel emptionis, vel alio quocunq; modo acquiſita, eidem eccleſiæ contuliſtis, vel in futurum conferetis &c. facta carta apud Zamoram 20. die Auguſti æra 1254.* Ex quibus verbis facillimè colligitur eum locum nec à reuerendiſſimo Archiepiſcopo ſancti Iacobi, Petro videlicet Muñiz, nec ab illuſtriſſimo Altamirenſium Comite, ſed à præfato Martino Arias Epiſcopo Zamorenſi fuiſſe conſtructum. Quod tamen quantum coniectari licet ſic contigit. Cùm prædictus epiſcopus Zamorenſis ex Compoſtella oriundus eſſet omnino decrepitus, atq; valetudinarius, Epiſcopatui ſe ex apoſtolica auctoritate prius vale dicto, ſe Compoſtellam quietiori vitæ potiturus recepit, vbi ad trecentos paſſus ab ipſa ciuitate Tanaſo domum quandam in modum monaſterij, ſub titulo ſancti Laurentij, ex proprijs facultatibus ædificari curauit, eamq; tribus pinguiſſimis capellanijs pro tribus ſacerdotibus, qui Miſſas ibidem celebrari, diuinumque officium pro eius anima perſoluere tenerentur, dotauit. Horum patronos D E

A tronos Archiepiſcopum Compoſtellanum, atque matricis eccleſiæ canonicos ex teſtamento, atque ex alijs ſcripturis eſſe voluit. Quibus tandem ita diſpoſitis, anno à Chriſti natiuitate 1223. mortem obijt, ibidemque ſepeliri voluit. Sed cùm reuerendiſſimus Petrus Muñiz Archiepiſcopus Compoſtellanus, qui & Necromanticus extitit, ibidem ex Pontificio mandato (vt proloquuti ſumus) teneretur incluſus, ibidemq; diem, anno Domini 1224. clauſerit extremum, facillimè potuit & præfatum opus ſuis ſumptibus promouere, atq; ipſum patronatus iure, quo potiebatur, Frãciſcanis fratribus in habitationem conferre. Quibus tandem temporis ſucceſſu præmemoratus illuſtriſſimus Comes Altamiranus nemoris partem monaſterio contiguam liberaliſſimè elargitus eſt. Hæc autem omnia veriſſimè comprobantur ex præfato Alphonſi Regis priuilegio, atq; ex eiuſdem Zamorenſis Epiſcopi teſtamento, ſeruatis in
B matricis Compoſtellanæ eccleſiæ archiuis. Huius conuentus eccleſia, quæ 15. huius Prouinciæ Recollectis fratribus deſeruit, conſecrata fuit à præmemorato reuerendiſſimo Petro Muñiz Compoſtellano Archiepiſcopo, anno Domini 1222. Et hæc ſunt quę ſolerti indagine habere potuimus de huius loci fundatore, atq; fundationis tẽpore.

De conuentu S.Franciſci Legionis. Conu. VI.

VT primùm noſtri fratres hortum quendam aliquantulũ à muris Legionenſis ciuitatis ex eleemoſynis hinc inde acquiſitis, anno Dominicę incarnationis 1340. à filijs, & hæredibus Bonadij cuiuſdam de Spinaza ad huius conuentus ædificationẽ emiſſent, quadraginta dierum indulgentiam à ſummo Pont. Innocentio IIII. vt eius bulla, data Lugduni 30. mẽſis Iunij, anno verò Domini 1246. ſed Pontificatus eiuſdem
C anno 3. quæ in huius loci archiuis aſſeruatur, manifeſtè indicat, pro ijs, qui ſua liberalitate, atq; munificentia hunc conuentum à ſe tunc conſtruendum promouerent, impetrarunt. Quo factum eſt, vt breui tempore ſacra hæc ædes, beatiſſimo patri Franciſco dicata, quam 32. fratres inhabitant, omnibus ſuis numeris fuerit abſoluta. Pium Legionenſium animum ad huiuſmodi beneficium præſtandum mirum in modum accendit quoddam os diui Blaſij Epiſcopi & martyris, & aliud itidem os ſancti Totiſſi, quæ ſumma ab ijs in huius loci ſacrario veneratione honorantur, quemadmodum & decem ſanctorum corpora in matrice Legionenſi eccleſia honorificentiſſimè tumulata. Habentur in huius monaſterij cartophilacio quædam bulla Nicolai Papæ IIII. data Romæ 30. Aprilis, anno verò Pontificatus eius primo, qua vniuerſum Ordinem Franciſcanum à cuiuſcunque iudicis iuriſdictione immunem reddit, Sediq; apoſtolicæ imme-
D diatè ſubijcit, atque omnium rerum Franciſcanis conceſſarum, præterquam earũ quarum vſus à conferentibus ijſdem fratribus conceſſus eſt, in ſe dominium transfert: & alia bulla Benedicti XI. data Romæ 2. Aprilis, anno primo Pontificatus eiuſdem, qua ſancti Iacobi, atque Olyſipponenſium Archiepiſcopos, necnon & Epiſcopum Zamorenſem huius Prouinciæ religioſorum Conſeruatores conſtituit: & quoddam ampliſſimum priuilegium Regis Sanctij huius nominis IIII. datum in fauorem eorundem fratrum Zamoræ 18. Aprilis, atque confirmatũ à Regibus Caſtellæ Ferdinando IIII. & Alphonſo XI. quo fratres ipſos ab omni regio vectigali, atq; à quacunq; alia exactione eximit, ijſdemq; plurimos fauores & gratias confert. Deſeruit hic locus duodecim ſtudentibus, quibus quidam pater in ſacris literis verſatus Theologiam prælegit.

E *De conuentu S.Franciſci Zamoræ. Conu. VII.*

ANTIQVITVS anno videlicet Domini 1246. occuparant noſtri fratres eremitorium quoddam, beatæ Catharinæ dicatum, atque ex altera parte Duriæ famoſi fluuij ſitum, ad cuius iniuſtum conuentum euectionem Innocentius IIII. Pont. max. bullam Lugduni, anno ſui Pontificatus 3. cõceſſit, qua omnibus aliquid laboris, vel eleemoſynarum ad huiuſmodi ædificium conferentibus 40. dierum indulgentiam, ex apoſtolica auctoritate largiebatur. Habetur hæc bulla in huius loci archiuis. Anno verò à mundi redemptione 1260. (vt fide digna traditione accepimus) eremitorio cũ ad ſe pertinentibus, quòd ſui habitatoribus minus faueret, ex mandato reuerendiſſimi Archiepiſcopi S. Iacobi in Compoſtella, ab Epiſcopo Zamorenſi diuendito, nouum

aliud multoq; commodius eremitorium in honorem beatæ Mariæ de miraculis erectum, atque à priori 60. tantùm paſſibus diſtans, cùm ſibi adiacentibus hortis à nobili quodam Gallinato Zamorenſi ciue oblatum acceptarunt prædicti fratres, & ex obuenientibus diuenditi loci pecunijs paruulum clauſtrum, ſimul atq; dormitorium ædificari curarunt, eo videlicet in loco, vbi modò conuentus hic, beatiſſimo patri Franciſco ſacer, qui ab ipſa vrbe Zamora interlabente tantùm fluuio Duria diuiditur, ſibiq; ponte iungitur, exurgit. Conſtructa poſtmodum ex diuerſis Zamorenſium eleemoſynis magnifica quadam eccleſia, ſecundum hoc eremitorium in præcipuum eius ſacellum plurimis annis deſeruiuit, in quo & præfatus nobilis Gallinatus cum plurimis alijs eius ſucceſſoribus iure patronatus ſepultus eſt. Sed cùm minus ob eius anguſtiam reliquo correſponderet ædificio, (eſt enim hic locus vnus ex totius Prouinciæ pręcipuis) aliud auguſtius, atq; ſumptuoſius ſacellum, eo derelicto, ab illuſtri quodam Arnaldo Solerio, oppidi Villalpandei temporali Domino, extructum fuit, quo & fratres ad ſummum ſacrum faciendum opportunè vtuntur. Idq; gentilitia eius inſignia parietibus impreſſa facilè indicant. Præcipuum verò huius loci clauſtrum, quod & inſigne eſt, nobilis fœmina Leonora Muñiz ex peculiaribus facultatibus, ob receptum meritis ſeraphici patris Franciſci à Deo opt. max. beneficium, ædificari curauit. Cùm enim paruula quędam eius filia quadriennalis, nomine Maior Muñiz, mortem obijſſet, materq; ſingulari deuotione in beatum patrem Franciſcum ferretur, ſumptum puellę cadauer ante ſummum huius monaſterij altare deportari iuſſit: cumq; per totã noctem anxia tanti patris patrocinium imploraſſet, ſequenti mane puellam viuam, atq; incolumem miraculosè recepit: quo miraculo huius vrbis ciuibus, maxima ad Franciſcanam familiam accreuit deuotio. Quod tandem reliquum eſt operis, ſumptibus Zamorenſis ciuitatis erectum exiſtimatur: id interim maximè procurantibus patribus Franciſcanis Conuentualibus, ad quos aliquando ſacra hæc ædes ſpectauit, à quibus ad Obſeruantes huius Prouinciæ patres, quorum 65. ibidem commorantur deuoluta eſt. Prælegitur hic perpetuò ex procerum decreto, quòd locus maximè faueat, deſeruiatq; iunioribus 17. fratribus, Philoſophia. Ad dexteram ſummi altaris erectum conſpicitur nobile quoddam mauſoleum, in quo ſereniſſimæ cuiuſdam Infantis Regis Caſtellæ filiæ, cuius tamen nomen nos omnino latet, honorificè quieſcit. Ad eiuſdem verò altaris ſiniſtram, ac in quodam lapideo ſepulchro debita cum reuerentia conſeruantur oſſa beati patris Roderici Martinez de Lara, huius Prouinciæ alumni, qui diu in monte, cui nomẽ vallis de Rago eſt, aſperrimam maximamq; egit pœnitentiam, atq; ſanctiſſimam ſolitarius vitam duxit. Huius beati patris corpus cùm præfato in monte Rago tumulatum eſſet, opera V. P. F. Petri Segundez Magiſtri in ſacra Theologia, atq; huius Prouinciæ Miniſtri prouincialis, ad hãc eccleſiam, maximo cum totius ciuitatis honore, applauſu, atq; veneratione, anno à Chriſti natiuitate 1584. tranſlatum fuit. Aſſeruantur deniq; in huius loci ſacrario & ſequentes reliquiæ: Nempe altera ex ſpinis Dominicę coronę, coſta vnius ex ſanctis Innocentibus, aliquod oſſa ſanctorum Iacobi Alphæi, Stephani prothomartyris, Vincentij, Donati, Triphonis, Euſtachij, Rochi, Acatij, Mariæ Magdalenæ, Conſtantiæ, Barbaræ, Ceciliæ, fragmentum menſę in qua Chriſtus Dominus cum diſcipulis vltimam cœnam fecit, pars ſtolæ S Silueſtri, aliquot crines S. Claræ, & partes veli, atque manteli eiuſdem, inſuper & aliquot aliæ partes cordæ, atque ſandaliorum beati patris Franciſci, atque vnius ex calceis ſancti Martini Papæ.

De conuentu S. Franciſci Salmanticæ. Conu. VIII.

CONVENTVS hic, beatiſſimo patri Franciſco ſacer, atq; intra mœnia Salmãticenſis florentiſſimæ, ob Academiam ibi erectam, atq; ingenuitatem ciuitatis ſitus, quem 120. fratres Minores incolunt, ſanctitatis, religionis, doctrinę, atq; grauitatis palmam cæteris omnibus huius Prouinciæ monaſterijs, licèt antiquioribus, cùm ſit eorum omnium ſeminarium, (longè abſit inuidia atque ambitio) facilè præripit. Vnde & vſitatiori vocabulo ab hoc cœnobio Prouincia ipſa Salmanticenſis denominatur. Ad hunc ſiquidem locum plures viri ſanguine illuſtres, doctrina conſpicui, moribus atque facultatibus inſignes, Franciſcanæ philadelphiæ aſſociandi confluunt. Quorum

rum

A rum non pauci, contemptis honoribus, gradibusq; Magiſtralibus, quibus in ipſa Salmaticenſi Academia eminebant, in Franciſcana ſimplicitate, atque paupertate ſummopere profecerunt. Et quemadmodum eo temporis, quo à patribus Conuentualibus occupabatur hic locus, plurimis doctiſſimis viris, atque acutiſſimis prælectoribus, qui publicè ſubtiliſſimi Doctoris Scoti, aliorumq; ſcholaſticorum difficultates in ipſa Academia feliciſſimè enodabant, floruit, ita quoque modo non paucis patribus Obſeruantibus ſumma religione, atque doctrina prędiṭis caret. Huius ſiquidem conuentus alumni fuêre vir ille grauiſſimus, multisq; nominibus honorandus pater frater Alphoſus à Caſtro Hęreſiomaſtix acerrimus, ſcriptorq; feliciſſimus: & doctiſſimus pater, ac Magiſter Vega, qui de iuſtificatione ſubtiliſſimè diſſeruit: nec non & ſanctiſſimus ille frater Ioannes Hortulanus laicus profeſſus, cuius fuſius Franci-
B ſcanorum Chronica meminerunt. Quod verò ad huius ſacræ domus ſtructuram attinet, ea eſt capaciſſima, omni ex parte perfecta, pulcherrima, atq; ſatis religioſa, quæ tamē nullum ſui peculiarem fundatorem habet ſed plures, quorum magnificis eleemoſynis ad apicem vſq; perducta eſt. Sed quod ad eius fundationis tempus ſpectat, eam temporibus, quibus ſeraphicus pater Franciſcus apud Hiſpanos fuit commoratus, coëuam facilè exiſtimarem. Sed ne plus ſapere, quàm oportet, videar, ſcripturarum veſtigijs inhærens dicam illam à 330. atque eò amplius annis fuiſſe erectam. Quod faciliimè comprobatur ex quadam bulla Alexandri IIII. Pontif. max. data anno Domini 1254. Pontificatus verò eiuſdem primo, in huius loci archiuis aſſeruata, qua præfatus ſummus Pont. quadraginta annorum indulgentiam omnibus huius ſacræ ædis eccleſiã in feſtiuitatibus diuorum patrum Franciſci, atque Antonij viſitan-
C tibus liberaliter impertitur. In ſacello diuæ Catharinæ huius eccleſiæ erecta conſpicitur pyramis, quæ oſſium beati patris Roderici Martinez de Lara (cuius in præcedenti Minoritico Zamorenſi conuentu meminimus) partem continet. Et in eiuſdem eccleſiæ inferiori clauſtro ſepultus iacet quidam nepos ſereniſſimi Caſtellæ Regis Alphonſi XI. vt ex eius epitaphio eidem appoſito conſtat.

Tandem in huius ſacræ, atque celeberrimæ domus archiuis ſequentes aſſeruantur Pontificiæ bullæ: Nempe altera Alexandri IIII. Pont. max. data apud Lateranum, anno ſui Pontificatus primo, die verò menſis Decembris prima, qua fratribus Minoribus facultatem celebrandi quocunque loco interdicto concedit, dummodo campana non pulſetur, nec ipſi fratres interdicto cauſam dederint. Et alia eiuſdem data eodem anno ſed 2. Nouembris, qua ſtigmata beati patris Franciſci veriſſima aſſeruntur,
D Prælatisq; omnibus eccleſiaſticis præcipitur, vt aduersè de illis ſentientibus debitas infligant pœnas. Et alia eiuſdem data Anagniæ 15. Iulij eiuſdem anni, qua Miniſtro generali Ordinis Franciſcani capiendi, incarcerandi, atque alijs pœnis arbitrarijs in apoſtatas ſui Ordinis animaduertendi poteſtatem facit: imò & fauorem inuocandi brachij ſæcularis, ſi opus fuerit. Et alia eiuſdem data Neapolis die 28. Aprilis eiuſdem anni, qua vniuerſa priuilegia ſeraphico Ordini Franciſcano à ſuis prædeceſſoribus Gregorio IX. atque Innocentio IIII. ſummis Pontificibus conceſſa liberaliſſimè confirmat. Et alia data Anagniæ die 9. Octobris eiuſdem anni, qua Miniſtris generalibus, & prouincialibus, necnō Cuſtodibus fratrum Minorum abſoluendi ſibi ſubditos fratres à quocunque vinculo excommunicationis, etiam Sedi apoſtolicæ reſeruatæ, licèt eo ante Ordinis ingreſſum innodati fuerint, facultatem impertitur. Et alia
E eiuſdem data die quartadecima menſis Octobris eodem loco & anno, qua ſuperioribus Franciſcanis concedit, quatenus ſibi ſubditos fratres mittere poſſint ad quemcunque Epiſcopum recipiendorum ſacrorum Ordinum cauſa: vtq; compelli non poſſint ab Epiſcopis ad ſubeundum ſub eis examen: ſed hoc vltimum per ſacrum Concilium Tridentinum abrogatum eſt. Et alia eiuſdem data die quartadecima Iulij eodem loco & anno, ne aliquis ſæcularis, quacunque fulgeat dignitate eccleſiaſtica, & ſi Legatus Pontificius dummodo non ſit à latere aliquem fratrem Minorem ad ſibi conuiuendum, vel ad ſua negotia peragenda abſque expreſſa vel prouincialis, vel generalis Miniſtri, vel Cuſtodis facultate compellere poſſit. Et alia eiuſdem data eodem in loco die vigeſima menſis Iulij, ſed Pontificatus eius anno ſecundo,

vt Minoritarum Prælati confeſſarijs ſibi ſubditis præfatam abſoluendi à quacunque A
excommunicatione, etiam Sedi apoſtolicæ reſeruata (de qua ſuprà) poteſtatem com-
mittere poſſint, & valeant. Et alia eiuſdem data apud Lateranum die 18. Ianuarij,
anno ſui Pontificatus iij. vt Miniſtri prouinciales cum Prouinciæ diffinitoribus abſq;
ſpeciali Miniſtri generalis licentia inſtituere poſſint fratres, qui ſacras ad populum
conciones habeant. Et alia eiuſdem data ibidem die 15. Maij, anno Pontificatus eius ij.
vt fratres alicuius Epiſcopi, vel Domini temporalis obſequio aſtricti ſubſint corre-
ctioni, atque voluntati Ordinis Prælatorum: à quibus etiam auocari poſſint ad Or-
dinis obſequium. Monet nihilominus ſummus ipſe Pontifex Alexander eoſdem Or-
dinis Prælatos, vt huiuſmodi auocatis alios ſubrogare curent. Et alia eiuſdem data
Viterbij die ſecunda Auguſti, anno tamen ſui Pontificatus vj. quæ vſitatiori vocabu-
lo Mare magnum nuncupatur, quo plura priuilegia Ordini Franciſcano impertitur. B
Et alia eiuſdem Alexandri IIII. qua indulgentiam huius loci eccleſiam ſtatis die-
bus viſitantibus concedit, de qua ſuprà. Et alia bulla Bonifacij Papæ VIII. data
apud Vaticanum, die 12. Nouembris, anno ſui Pontificatus primo, qua Ordinis Fran-
ciſcani ſuperiores inter corrigendum fratres ſibi ſubiectos à iuris communis apicibus,
& punctis immunes omnino reddit. Et alia eiuſdem data eodem loco & anno, ſed
menſis Nouembris die vndecima, quę vulgari nomine Mare magnum Bonifacij VIII.
nuncupatur. Et alia Clementis Papæ IIII. data Peruſij die tertiadecima Iulij, an-
no ſui Pontificatus primo, vt quicunque Minorita ab aliquo Epiſcopo, Archiepiſco-
po, aut quouis alio Prælato prædicandi, ſiue confeſſiones audiendi facultatem obti-
nuerit, ſi huiuſmodi facultatem concedens mortem obierit, illa vſque ad ſucceſſoris
electionem vti valeat. Et alia eiuſdem data die vndecima Octobris eodem anno & lo- C
co, qua centum dierum indulgentiam omnibus Chriſti fidelibus fratrum Minorum
eccleſias in diebus dedicationum earundem, & per earum octauas, atque in feſtiui-
tatibus ſanctorum patrum Franciſci, & Antonij, atque beatæ virginis Claræ, necnon
in ſolemnitatibus ſanctorum, in quorum honorem præfatæ eccleſiæ erectæ fuerint,
viſitantibus concedit. Et alia bulla Gregorij Papæ IX. data Anagniæ die quintadecima
Februarij, anno ſui Pontificatus ſexto, qua omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis,
atque Epiſcopis facultatem facit quoſcunque fratres Minores, à quauis irregularita-
te, & vinculo excommunicationis etiam Sedi apoſtolicæ reſeruatis abſoluendi abſque
alia ſpeciali apoſtolica licentia: dummodo crimen, ob cuius cauſam in huiuſmodi
cenſuras incurſum eſt, non fuerit omnino enorme. Et alia eiuſdem data apud Late-
ranum die decimaſecunda Decembris, anno ſui Pontificatus quartodecimo; vt Fran- D
ciſcanorum Prælati ſibi ſubditos fratres ab excommunicationis nodo abſoluere va-
leant, ob manuum violentarum in confratrem iniectionem, & à quauis alia excom-
municatione ante Ordinis ingreſſum incurſa, dummodo parti (ſi opus fuerit) ſit fa-
ctum ſatis. Et alia Honorij Papæ IIII. data Romæ die decima Februarij, anno pri-
mo ſui Pontificatus, qua quemcunque contractum inter Miniſtros prouinciales, ſiue
Cuſtodes & ſæculares in receptione, vel alienatione alicuius conuentus ſine expreſſa
Miniſtri generalis licentia factum infirmat, irritumq; facit. Et alia eiuſdem data eo-
dem loco & anno, ſed die decimaoctaua Nouembris, plurimis priuilegijs referta,
quæ & mare magnum Honorij Papæ IIII. communi omnium vocabulo appella-
tur. Et alia Innocentij Papæ IIII. data Anagniæ die decima Octobris, anno pri-
mo ſui Pontificatus, qua Prælatis Franciſcanis concedit, quatenus cum diſcretorum E
patrum conſilio abſoluere valeant ſibi ſubditos fratres ab excommunicationis ſen-
tentia Sedi apoſtolicæ reſeruata. Et alia eiuſdem data eodem loco & anno, ſed Octo-
bris die ſeptima, qua Ordini Franciſcano in domibus ab eius fratribus inhabitatis ora-
toriorum erigendorum facultatem facit, ibiq; ſacram Euchariſtiam conſeruandi.
Et alia eiuſdem data die nona Octobris, eodem loco & anno, vt fratres Minores in
oppidis & locis excommunicatorum inhabitare, & ab eis eleemoſynas petere valeant
& poſſint. Et alia eiuſdem Pontificis ſummi data Genuæ, die quarta menſis Octobris
anno ſecundo ſui Pontificatus, vt ijdem fratres Minores inter Saracenos, atque alios
infideles habitantes Chriſtianos ibidem commorantes ab omni excommunicatione,
atque

A atque peccato abſoluere queant. Et alia eiuſdem Innocentij Pontificis maximi, data Lugduni tertiadecima die menſis Ianuarij anno ſui Pontificatus tertio, qua quidem præcipit, vt Franciſcani fratres in prædicatione orthodoxæ fidei apud infideles ex apoſtolicæ Sedis mandato occupati, ſubſint nihilominus Miniſtro generali, teneanturq; euocati apud eundem comparere. Et alia eiuſdem data eodem loco & anno, vt fratres Minores tempore interdicti, abſque pulſu tamen campanæ, & clauſis ianuis; dummodo interdicto cauſam minimè miniſtrauerint, diuinum officium celebrare poſſint. Et alia eiuſdem data 23. Ianuarij eodem in loco, ſed anno ſui Pontificatus vij. qua prælatis Franciſcanis poteſtatem facit abſoluendi de nouo venientes ad Ordinem à quocunque vinculo excommunicationis, & etiam iam profeſſos ab eo excommunicationis ligamine, quo ante profeſſionem irretiti tenebantur, dummodo parti (ſi
B opus fuerit) fiat ſatis. Et alia bulla Ioannis Papæ XXII. data Auinionis 24. Aprilis anno iij. ſui Pontificatus, qua Archiepiſcopum Bracarenſem, nec non Epiſcopos Mindonienſem, & Legionenſem Franciſcani Ordinis Conſeruatores inſtituit, eis tamen excommunicandi quemcunque ſibi moleſtum poteſtatem impertiens: Et alia Iulij Papæ II. data Romæ 16. Maij, anno Domini 1504. qua omnia priuilegia Ordini Franciſcano à ſuis prædeceſſoribus in Concilijs, & extra conceſſa confirmat. Et alia eiuſdem data eodem loco prima Iulij, anno Domini 1506. qua omnes apoſtolicas literas à ſeipſo Recollectis huius Prouinciæ fratribus, qui nouæ Prouinciæ erectionem moliebantur, conceſſas reuocat: præcipiens ipſis, vt Miniſtro prouinciali diui Iacobi in omnibus pareant. Quod ſi reſtiterint, Epiſcopis Legionenſi, & Zamorenſi, nec non Abbati conuentus ſancti Vincentij Salmanticenſis præcipit, vt eos ad obedien-
C dum præfato Miniſtro compellant. Et alia eiuſdem data Romæ 21. Auguſti, anno Domini 1508. qua confirmat quandam aliam bullam Alexandri Papæ VI. ne aliquis frater familiæ Vltramontanæ Minor abſque licentia Miniſtri generalis, vel Commiſſarij generalis Vltramontani, vel ſui Miniſtri prouincialis, extra conuentum inhabitare poſſit: neuè quis frater eiuſdem Ordinis & familiæ, ex vna Prouincia in aliam, vel ex vna Cuſtodia in alteram, abſque prædictis licentijs, tranſmigrare queat. Et alia eiuſdem data Romæ 9. Auguſti, anno Domini 1508. ne quis Minorita, ſiue Dominicanus Salmanticæ, vel in alia quacunque vniuerſitate ſtudens, abſque ſui ſuperioris licentia, extra ſui Ordinis monaſterium commorari valeat: quòd ſi huiuſmodi facultatem aliquis eorum fratrum impetrauerit, ſtatim poſt eius reuocationem ad proprium conuentum remeare teneatur. Quod ſi minus faxit, cenſuris alijſq; cor-
D poralibus pœnis compellatur. Et alia eiuſdem data Romæ 25. Maij, anno Domini 1508. qua confirmat omnia ſtatuta generalia in Capitulo generali Valliſoletano condita, & omnia ibidem acta per reuerendiſſimum patrem fratrem Reginaldum Gratianum à Cotiniola totius Franciſcani Inſtituti generalem Miniſtrum, & per admodum reuerendum patrem fratrem Martialem Bouler, generalem Vltramontanæ familiæ Vicarium. Et alia eiuſdem data Romæ die 26. Februarij, anno Dominicæ incarnationis 1509. qua vniuerſo Franciſcano Ordini facultatem concedit ſepeliendi fratres tempore interdicti defunctos cum ſolita pompa, atque campanæ ſonitu. Et alia bulla Nicolai Papæ III. data Suriani prima Septembris, anno ij. Pontificatus ſui, qua de verbo ad verbum Franciſcanam Regulam confirmat. Et alia bulla Nico-
E lai Papæ IIII. data apud Ciuitatem Veterem 21. Octobris, anno iij. ſui Pontificatus, qua vnius anni, & quadraginta dierum indulgentiam concedit ijs omnibus, qui confeſſi eccleſiam ſancti Franciſci Zamoræ erectam in feſtiuitatibus annunciationis, natiuitatis, purificationis, & aſſumptionis beatiſſimæ virginis Mariæ, & in ſolemnitatibus beatorum patrum Franciſci, atque Antonij, & per eorum octauas viſitauerint. Et alia eiuſdem data eodem loco 14. Maij, anno ſui Pontificatus primo, nè fratres Minores tranſeuntes ad alium quemcunque Ordinem abſque ſpeciali Sedis apoſtolicæ licentia, curam animarum gerere, vel Prælatura aliqua ſiue officio fungi poſſint. Aſſeruatur tandem ijſdem in archiuis bulla quædam Gregorij XIII. Pontif. max. qua concedit, vt per Miſſæ celebrationem in altari annunciationis beatiſſimæ virginis Mariæ, huius eccleſiæ, vna anima ex Purgatorij pœnis feliciſſimè liberetur.

De conuentu S. Franciſci Maioricæ. *Conu. IX.* A

QVEMADMODVM ex quadã bulla Alexãdri IIII. Pont. max. data Viterbij 1. Nou. Pontificatus verò ipſius anno 3. facilè colligitur, conuentus hic B. P. Frãciſco ſacer, atq; intra mẹnia Maioricenſis ciuitatis erectus, quẽ 30. fratres incolunt, ex eleemoſynis vndequaq; collectis, circa annũ 1257. ædificari, atq; à fratribus Frãciſcanis inhabitari cẹpit. Conceſſerat ſiquidem ipſe Pontifex Alexander tenore præfatẹ bullæ 100. dierũ indulgentiam omnibus & ſingulis, qui aut opera, aut eleemoſynis huiuſmodi erigendũ conuentum promouerent. Cùm autẽ hic locus in primẹua ſui erectione auguſtè ſatis pro illorũ temporum ratione ẹdificatus eſſet, fratrumq; numerus magis magiſq; in dies augeretur, ſumptibus, opera, atque munificentia ſereniſsimi Caſtellæ, Legioniſq; Regis Sanctij IIII. auctus eſt. Contulit ſiquidem pientiſſimus is Rex, anno 1292. ad huiuſmodi auctionem, ſiue promotionẽ & viam quandam huiuſce Maioricenſis ciuitatis regiam, domos, atq; pecunias. In maiori ſacrẹ huius ædis ſacello, iuxta locũ ſacro decantando Euangelio deputatũ, ſepultus iacet honorifico quodam in mauſoleo reuerẽdiſſimus pater frater Didacus Badam Minorita, præfatiq; maioris ſacelli fundator, qui cùm à teneris vnguiculis regulari diſciplinæ, ſacriſq; literis operam dediſſet, adeò inſignis in vtroq; exercitio euaſit, vt ob eximias eius virtutes, poſt functum huius Prouinciæ Miniſteriatum prouincialem, ad epiſcopales Badeiocianæ, atque Placentinæ, nec non & nouæ Carthaginis eccleſiarum dignitates, & honores euectus ſit. Cui tandem, anno à Chriſti natiuitate 1400. vita functo, atq; in maiori huius monaſterij ſacello (vt præfati ſumus) tumulato, ſequens epitaphiũ eius ſepulchro poſitum fuit. B C

Hunc Maiorica genuit, quem ſummus ad alta perduxit,
Hunc religio docuit, quem aptum virum produxit.
Badam hic vulgò Didacus vocatus
Eſt, gratum donum, de hac ſtirpe natus.
Gradibus ternis præfuit excelſus.
Gratia Chriſti moribus præuentus.
Puer vndenis mundana contempſit,
Minorum veſtes minimus accepit.
Profeſſus Tauri ſtuduit artes,
Audiuit, legitq; per varias partes,
Doctrinæ ſacræ eſt factus Magiſter, D
Prouinciam rexit electus Miniſter.
Succeſſit Paſtor Eccleſiæ trinæ
Carthaginis, Paceæ, atque Placentinæ.
Sex vixit vndenis annorum ætates.
Ieſus illi merces ſit fons pietatis.
Carthaginenſis Præſul hîc eſt ſepultus.
Poſt hanc mundi vitam morte defunctus,
Bis ſeptingentos Domini poſt annos.
Adduntur numero.
Die hoc & menſe migrauit prædictus,
Quieſcat in pace, ſitq; benedictus Amen. E
Viuens ſic ſcribit de ſua certus morte:
Incertus de hora gaudet mortis mora,
Tempus ſi addatur ſummo dirigente
Verſus mutabitur viuo congaudente.

Sepultus quoque iacet eius frater vterinus Garſias Badam in quodam laterali huius eccleſiæ ſacello, eius ſumptibus extructo, inculpatæ cuius vitæ, quod ſequitur carmen, eius ſepulcro inciſum, laudabile reddit omnibus illud legentibus teſtimonium.

Is qui iacet mortis diem nouit & horam.

Aſſeruantur præterea in huius loci ſacrario ſequentes reliquiæ, videlicet quædam ſpina coronæ Saluatoris, quoddam os ſancti Laurẽtij, duo oſſa, & dens ſancti Blaſij,

A os tibiale prothomartyris Stephani,quidam lapis,quo iſmet à Iudæis petitus fuit, ex ligno cunabuli Chriſti Domini noſtri,& ex habitibus beati patris Franciſci, & beatæ virginis Claræ. Sed in archiuis infraſcriptæ cuſtodiuntur bullæ: Altera nempè Alexandri IIII. data Viterbij 20.Nouembris, anno ſui Pontificatus iij. qua centum dierum indulgentia omnibus hanc eccleſiam in diebus dedicationis & conſecrationis eiuſdem, atque in diebus ſanctorum patrum Franciſci,& Antonij, atque beatæ virginis Claræ,& per eorum octauas viſitantibus conceditur. Et altera Nicolai IIII. ſummi quoque Pontif. data Reatis 14.Maij, qua cauet,ne Minorita, qui abſque licentia, vel cum ea, dimiſſo Franciſcano habitu, ad alium Ordinem tranſierit, ſine ſpeciali ſummi Pontificis facultate animarum curam gerere, vel aliquod illius Ordinis, quem fuerit ingreſſus, officium exercere, contrarijs non obſtantibus, valeat.

B

De conuentu S.Franciſci Aſturicæ Auguſtæ. Conu. X.

PROVT ex epiſtola quadam data 9.Aprilis,anno verò Domini 1272. à ſenatu Aſturicenſis Auguſtæ ciuitatis, quæ tunc temporis Tarraconenſis Hiſpaniæ oppidum tantùm erat: nunc verò vrbis titulo inſignitur, ad prouincialem huius Prouinciæ Miniſtrum, atque ex alia donatione huius loci fratribus ab eodem ſenatu facta,quarum vtraque in eiuſdem loci archiuis aſſeruatur, pluſquam liquidò conſtat, hæc ſacra ædes beatiſſimi patris Franciſci nomine dedicata, præfatæq; Aſturicæ Auguſtæ ciuitatis vallo cincta,antiqua ſatis eſt,atq; publicis oppidanorum ſumptibus à fundamentis ad verticem vſq; conſtructa extitit. Fundamentalis verò eius lapis prętacto anno 1272.iactus fuit: atqui vniuerſum ædificium, non ita poſt multum temporis (tanta erat antiquorum populorum ad noſtros fratres deuotio) vltimam artificis manum expertum eſt.Commorantur vt plurimum hoc in loco 25.fratres,qui licèt debito in honore allatas à quodam Aſturicenſi ciue ex ſuperiori Germania ſanctorum (vt ipſe fuit faſſus) reliquias in ſacrario habeant, eas tamen,quòd authentico teſtimonio careant, non ita multùm ſęcularibus commendare audent. Erecta perſeuerat in hac domo deuotiſſima quædam, atque celebris ſatis ſanctiſſimæ veræ crucis domini noſtri Ieſu Chriſti Confraternitas,quæ ijſdem omnino gratijs,atque Pontificijs priuilegijs gaudet,quibus Confalonis ſocietas, Romæ à beato patre Bonauentura inſtituta,potitur. Peculiare verò præfatæ Confraternitatis ſacellum huiuſmodi priuilegio,ſibi à ſummo Pontifice Gregorio XIII. conceſſo,gaudet,vt per Miſſæ ſacrificium ibidem peractum fidelium animæ ex Purgatorij pœnis feliciſſimè liberentur.

C

D

De conuentu S.Franciſci Villæfrancæ. Conu. XI.

SICVT ex fide digna, atq; certiſſima traditione accepimus,ſacra hæc domus in honorem B. P. Franciſci Villæfrancæ, quæ Tarraconenſis Hiſpaniæ, atq; Aſturicenſis diœceſis oppidū eſt,erecta in alio eiuſdem oppidi loco primitus ædificata extitit: à quo tamen, quòd fratribus minus deſeruiret per illuſtriſs. heroidem Mariam à Seta (vulgò de la Zerda)anno 1285.ad eum,quē modo obtinet,tranſlata fuit. Aſtipulantur huic traditioni gentilicia eiuſdem heroinæ Mariæ arma portæ huius eccleſiæ inciſa, atq; eius ſepulchrum,quod olim in maioris ſacelli medio ſubſtitit, nunc verò (idq; ab anno Dñi 1465.atq; opera illuſtriſſimi Petri Aluarez Oſorij Lemoſienſiū Comitis,qui illuſtriſſimæ Beatrici à Caſtro præfati huius oppidi Villæfrancæ temporali Dominæ nupſit) ſiniſtram maioris eiuſdem ſacelli latus tenet. Quantum verò laboris,operæ, curę, atq; ſtudij prędfatus Lemoſiēſiū Comes Petrus Aluarez Oſorius in hoc loco promouendo conſumpſerit,non facilè eſt percenſere. Is enim & eum ampliauit, & princeps ipſius ſacellum à fundamētis fermè refecit, reędificauitq;:quamobrem tum ipſe, tum quoq; eius ſucceſſores gētilicio ſacerdotio(id ius patronatus vocant)optimo iure potiuntur,atq; pręfato in ſacello ſepulti ſunt. His quoq; adiacet peculiari ſibi mauſoleo erecto reuerendiſſimus pariter ac illuſtriſſimus Garſias Henriquez Hiſpalēſis Archiepiſcopus,ac pręmemorati Petri Aluarez Oſorij vterinus frater. Illuſtriſſimus pręterea Petrus à Toleto huiuſce oppidi Villæfrancę Marchio,atq; Neapolitanus Prorex hunc ipſum locū ſatis eleganter, ſatiſq; cōptè exornauit: Nam & bibliothecā, optimis

E

refertã libris,ſuis ſumptibus conſtruxit, & aliquot hoſpitia erexit, & ſacriſtiã pretioſis A ornamentis iocalibusq; ditauit. Qua etiam de cauſa eodem patronatus iure meritò gaudet. Eius inſuper ſucceſſores ſibi omnino beneficos experiuntur triginta fratres huius loci incolæ, qui debita cum reuerentia mediam capitis beati patris Rogerij partem in ſacrario aſſeruant. Fuit hic pater natione Italus, atque ex ſeraphici patris Franciſci adhuc ſuperſtitis mandato ad has regiones traiecit. Gaudet præterea hic locus huiuſmodi priuilegio ſibi à ſummo Pont. Gregorio XIII. conceſſo, vt videlicet quicunq; in altari diui Ambroſij pro aliqua anima in Purgatorio exiſtente Miſſam celebrauerit, eã à pœnis, quas patitur, ex tempore liberet. Seruantur tandem in huius conuentus archiuo literæ quædã datæ à ſereniſſimo Rege Caſtellæ, & Legionis Henrico III. anno Domini 1392. ad omnes tum Caſtellanos, tũ quoq; Legionenſes Archiepiſcopos, & Epiſcopos, quibus pręcipit, vt anniuerſaria B.P. Frãciſci dies in ſuis dięceſibus feſtiuè colatur. B

De conuentu S. Franciſci Betanzos. Conu. XII.

LICET vulgaris accolarum opinio aſſerat ſeraphicum patrem Franciſcum, hunc conuentum ſibi ſacrum, ac intra mœnia oppidi Betanzos vulgò nuncupati, quod ad Gallecos ſpectat, primitus erectum, conſtruxiſſe, eam tamen eſſe falſam ex quodam emptionis & venditionis contractu, in huius loci archiuis aſſeruato, facilè comprobatur. Ait enim huius monaſterij ſitum, anno Dominicæ incarnationis 1289. primò emptum fuiſſe. Quo tamen tempore iam ſeraphicus ipſe pater in patria erat. Quapropter illis potius aſſentiendum exiſtimo, qui quendam patrem eiuſdem beatiſſimi patris ſocium eius fundatorem conſtituunt. Quod & vero ſimilius eſt. Potuit ſiquidem aliquis ex ſocijs vſq; ad illud tempus vixiſſe. Quicquid tamen ſit, (cùm parum C aut nihil referat) eius antiquitas nobis ab anno Domini 1289. computãda venit. Cùm autem præfati conuentus ædificium vel in minimo primitiuæ illius Franciſcanæ ſtructuræ limites non excederet, nec fratres pro ſibi aſſignato à Prouincia numero capere poſſet, illuſtriſſimus heros Ferdinandus Perez ab Andrada, à quo nobilis Andradeorum familia originem duxit, hoc monaſterium, relicto tamen antiquiori, vt veſtibuli vices ſuppleret, anno Domini 1387. magnificè ſatis ſuis ſumptibus ædificari curauit. Commorantur ſatis commodè ab eo temporis hoc in loco vigintiquinq; fratres, atque ad dextrum maioris eius ſacelli latus in quodam ſumptuoſo mauſoleo præfati fundatoris corpus tumulatum eſt. Prædictum verò mauſoleum ſequentes literæ, quæ non parum ad noſtrum propoſitum agunt, orbiculariter ambiunt. *Hic iacet Ferdinandus Perez de Andrada eques, qui hoc monaſterium conſtruxit anno à natiuitate Domini noſtri Ieſu* D *Chriſti 1387.* Sed eius vxoris corpus eiuſdem ſacelli ſiniſtrum tenet. In capitulo verò humatus diem Domini præſtolatur quidam huius Prouinciæ pater, qui Marrochiorum Epiſcoporum aliquando egit. Cuius ſepulchrum ſequens ornat epigramma.

Si quæris hic tumulatus Præſul tunc Marrochiorum,
Alphonſus, frater, Minorum hoc conuentu Deo datus,
Nonnunquam diſciplinatus in capitulo præſenti,
Parcat Deus ſibi nocenti, non obſiſtat ſuus reatus.
Sed cum bonis numeratus, precatur perenniter,
Succurrat, pater noſter in cœlis ſanctificetur.
Vt in pace requieſcat, Amen, ſitq. Deo gratias.

E

De conuentu S. Franciſci Orenſæ. Conu. XIII.

HIC conuentus, beatiſſimo patri Franciſco ſacratus, atq; intra mœnia eius ciuitatis, quæ materna Hiſpanorum lingua Orenſe appellatur, ſitus, necnon & à 30. fratribus occupatus, antiquiſſimus eſt, tertiamq; ad minus annorum centuriam attingit. Idq; ex quodam ſereniſſimæ Reginæ Violantis vxoris quondam ſereniſſimi Caſtellæ Regis Alphonſi ſapientis teſtamento, quod in archiuis monaſterij ſanctæ Claræ de Allariz ſeruatur, facilè conſtat. Sui verò fundatorem (ſi receptiſſimæ ciuium traditioni fides adhibenda ſit) quendam eiuſdem ciuitatis Epiſcopum habuit. Is enim (vt illa vult) dum œſtro percitus cariſſimi ſibi nepotis occiſores, qui ad Franci-

ſcanorum

A ſcanorum cęnobiũ, tamquam ad tutiſſimum aſylũ confugerãt, ibiq; ſe abſconderant, inſtantius perſequitur, in tantã efferbuit irã, vt admoto igne præfatũ cœnobium, quod ante aliquot annos extructũ fuerat, in fauillam redegerit. In cuius facinoris pœnã & Epiſcopatu à ſummo Pontifice Romano tunc nauiculæ Petri clauum tenente ſpoliatus, & ad Minoritici præſentis monaſterij exædificationem compulſus fuit. Sepulta manent hoc in loco corpora beatorum patrum Ioannis Cretenſis, atque Gonzalui Sanchez, quorum ſecunda Minoriticorum Chronicorum pars latius meminit. Nec tamen ſilentio tranſiliendum exiſtimo quid mulierculæ cuidam hac in ciuitate contigerit. Cùm enim ea ab alio quopiam, quòd diem feſtum diui patris Antonij Paduani violaret, acrius redargueretur, impudenter reſpondit. Numquid ſuppeditabit mihi ipſe Antonius ad victum neceſſaria, ſi ab opere abſtinuero? Nec illum agnoui, nec
B an ſanctus ſit ſatis ſcio. Ito ergo vias tuas. Et ecce ſtatim ab immiſſo diuinitus igne cœpit eius manus aduri. Quapropter ne ignis vlterius ſerperet, ſibi abſciſſa, atq; tantę rei teſtimonium ad latus ſacelli, ſancto eidem Antonio hac in ipſa ęde erecti, exuſta manus appenſa eſt. In huius tandem ſacræ domus ſacrario debito cum honore aſſeruatur alter ex digitis Bartholomæi, cui viuo pellem tyrannus quidam detrahi iuſſit.

De conuentu S. Franciſci Viueri. *Conu. XIIII.*

VIVERVM Mindonienſis diœceſis oppidum eſt, intra cuius ſepta ædificatus conſpicitur conuentus hic, ſeraphico patri Franciſco dicatus. Eius nullum agnouimus peculiarem fundatorem, cùm cartophilacium ſcripturis omnino vacet. Quod verò ad eius antiquitatem attinet, vetuſtiſſimus eſt, cũ trecenteſimum annum egerit.
C Extat enim ad latus eius ſacelli, quod immaculatæ conceptioni Virginis glorioſæ hoc in ipſo loco erectum eſt, ſepulchrum quoddam hoc epitaphio honeſtatum. *Hîc iacet dominus Marcus Petri Archidiaconus, æra milleſima tricenteſima trigeſima ſecunda, ideſt anno Domini 1294.* Cùm igitur eo iam temporis conuentus ipſe erectus eſſet, ſatis colligitur nos ea in annorum ſupputatione minimè hallucinatos. In præfati deniq; loci archiuis ſubſequentes Pontificiæ bullæ aſſeruãtur: Altera quidẽ Bonifacij VIII. ſummi Pont. data Agnaniæ 24. menſis Maij Pontificatus verò ſui anno 6. qua Franciſcanis fratribus quoſcunq; defunctos in ſuis cœmeterijs ſepeliendi libera facultas conceditur, imò & mandatur ne Parochis ad aliud quàm ad quartam funeralem à iure communi conceſſam atq; ſtatutam pręfati fratres teneantur. Et altera Gregorij XIII. Pont. itidem max. data Romę 13. Iunij anno Domini 1582. qua concedit, vt per Miſſę
D ſacrificium in altari ſancti patris Antonij peractum fidelium defunctorum animæ ex Purgatorij pœnis liberentur, & in cœlum æthereum beatè atq; feliciter aſcendant.

De conuentu S. Franciſci Pontiſuedri. *Conu. XV.*

NISI vorax flamma quicquid ſcripturarum in huius loci archiuis aſſeruabatur abſumpſiſſet, potuiſſemus hauddubiè certum fundationis eius tempus, atq; proprium fundatoris nomen aſſignare. Ijs tamen deficientibus ad indicia, atq; antiquorum traditionem, tamquam ad ſacram ancoram confugere cogimur. Erectio igitur huius ſacræ ædis, quæ pauperum Patriarchæ Franciſco eius tutelari, intra muros oppidi Pontiſuedri diœceſis Compoſtellanæ ſita eſt, niſi eius vetus ſtructura, atq; ſe-
E pulchrum ibidem ad latus epiſtolæ pronunciandæ deputatum ab antiquo erectum nos fallant, à trecentis ferè annis contigit. Aſſerit enim epitaphium eidem inciſum nobilem Paium Gomezulum, anno Dominicæ incarnationis 1308. meo tumulatum fuiſſe. Sunt tamen qui aſſerant hunc conuentum olim ad Templarios pertinuiſſe, & ab eis ad noſtrates deuolutum. Quicquid tamen ſit, quandoquidem eorum aſſertio nullo fulcitur teſtimonio authẽtico, nobis certiſſimum eſt eum, anno Domini 1396. à Minoritica familia poſſeſſum. Idq; apertiſſimè indicat teſtamentum cuiuſdam Marię Dominguez in archiuis monialium ſanctæ Claræ huiuſce oppidi cuſtoditum. Huius monaſterij eccleſiam in ſepulturam nactus fuit beatus pater Ioannes Nauarrette, cuius 3. chronicorum Ordinis Frãciſcani pars lib. 9. c. 23. meminit. Beatus hic pater plurimis claret miraculis: quorum aliqua authentica quidem, ſed in præfato libro, quod

poſt

poſt eius editionem contigerint, minimè contenta, hîc ſubijciemus. Agnes quædam ex oppido ſancti Martini oriunda, atq; cuiuſdam Gregorij à ſancto Martino legitima filia, cùm ex pertranſeunte corrupto aëre membrorum omnium contractionem, atq; paralyſim, anno Domini 1559. incurriſſet, poſt annum ad hunc locum, quem 20. fratres frequentius incolunt, delata, meritis huius beati patris incolumis omnino euaſit. Et quidam etiam Ioannes à Caſtro, cùm à teneris vnguiculis maximam alterius tibiæ contractionem paſſus fuiſſet, & ad huius viri ſancti ſepulchrum, ſua vota ſanitatis impetrādę ergò perſoluturus, aduētaſſet, eius interceſſione ab huiuſmodi infirmitate liber extitit. Plura quoque alia miracula Deus opt. max. ad huius ſancti merita edere dignatus eſt: quæ tamen omnia authenticè in quodam libello manu ſcripto cùm continerētur, ab illuſtriſſimo Comite de Nieua Gallecię Prorege ad Indos Occidētales, quibus catholici Philippi huius nominis ſecundi, atque Hiſpaniarum Regis vice ius dicturus erat, delata ſunt. Gaudet præterea ſacellum diui Marci in huius loci eccleſia erectum hoc priuilegio ſibi à ſummo Pontifice Gregorio XIII. conceſſo, vt qui Miſſam ibidem pro alicuius defuncti anima celebrauerit, is eam ex Purgatorij pœnis, ſi fortè illis implicari contigerit, protinus per Dei miſericordiam & pietatē liberet.

De conuentu S. Franciſci Beneuenti. Conu. XVI.

PROVT ex quodam emptionis & venditionis contractu inter Clariſſarum huius oppidi Beneuentani Abbatiſſam & quoſdam alios acto, qui in pręfatarum monialiū archiuis aſſeruatur, cuiusq; teſtis quidam huius loci Guardianus fuit: conuentus hic in honorem beatiſſimi patris Franciſci intra ſepta oppidi Beneuenti erectus, quem quadraginta fratres ad minus incolunt, ducenteſimum annum à ſui erectione expleuit: &, niſi me aliquot fallūt indicia, circa annū Dominicę incarnationis 1270. quando & Clariſſarum huiuſmet oppidi monaſterium ſumpſit originem, ædificari cœpit. Cùm autem antiquam illam paupertatem, ſumptibus illuſtriſſimorum Comitum Beneuenti, præſertim verò illuſtriſſimi Alphonſi Pimentelij, circa annum Domini 1500. omnino reædificatus, atq; ad egregiam illam formam, qua modo fulget, redactus eſt. Præfatos Comites ſibi beneficos, atq; patronos amantiſſimos vniuerſa hæc ſancti Iacobi Prouincia indies magis magisq; experitur, præſertim hic locus, cuius ſacellum maius eorum humandis corporibus deſeruit. Quanta autem ſit huius loci capacitas, vel hinc ſaltim conijci poteſt, quòd commodiſſimè omnes patres totius Prouinciæ capitulares, ad prouincialia Comitia celebranda conuenientes, excipere poſſit. Quæ quidem Comitia præfatorum Comitum expenſis, atque liberalitate hoc in monaſterio ſemper habentur. Sub glorioſiſſimæ Virginis Dei genitricis altare in Domino quieſcunt, ac ſumma veneratione à Beneuentanis coluntur beati cuiuſdam patris Leonis ſocij ſeraphici patris Franciſci oſſa. Cuius etiam caput theca contectum argentea in ſacrario cuſtoditur. An verò hic pater Leo vnus ex duodecim primis ſocijs beati patris Frāciſci ſit, quem & ipſe, ob ſummam eius ſimplicitatē, Dei ouem appellare ſolitus erat, vel alius quiſpiam, contradicētibus ſibi hac de re quibuſdā, aliorum eſto iudicium. Eaq; de cauſa hoc tantùm dixerim: quòd videlicet eius loculo ſequentes literæ inciſæ ſint. *Sanctus Leo, ſocius ſancti Franciſci hîc iacet.* Altare demum annunciationi B. virginis Marię dicatum hac gaudet gratia ſibi à ſummo Pont. Gregorio XIII. conceſſa, vt per Miſſæ ſacrificium fidelium animæ ex Purgatorij pœnis liberentur.

De conuentu S. Franciſci Lucentiæ. Conu. XVII.

QVIA illuſtriſſimus Petrus Lemoſinarum Comes, primusque Caſtellę Magiſter equitum (hunc vulgò Comeſtabilem vocant) atque eiuſdem Caſtellæ Regis Alphonſi eius nominis vndecimi nepos in quodam celebri mauſoleo prope ſummum huius loci altare tumulatus eſt, autumant plurimi hunc conuentum, ſeraphico patri Franciſco dicatum, murisq; ciuitatis Lucentianæ (vulgò Lugo) quæ ad citeriorem Hiſpaniam pertinet, & Romanorum colonia aliquādo fuit, cinctum, atq; à duodecim fratribus inhabitatum, à prędicto Comite Petro ædificatum eſſe. (Sed vt verum fatear) id mihi minimè probatur. Conſtat enim ex quodam eiuſdem Regis Alphonſi XI.

A ſi XI. priuilegio anno Domini 1332.in fauorem huiuſce conuentus dato, ipſum ante
illuſtriſſimi Federici Militię diui Iacobi magni Magiſtri,qui pater pręfati Comitis Pe-
tri,& filius præmemorati Regis Alphonſi XI. fuit,natiuitatem extra fundamēta fuiſ-
ſe.Alij verò argumento cuiuſdā ſcripti, quod in huius monaſterij ſacriſtia legere licet,
ipſum non à præfato Comite,ſed à quodam Duce de Argiona erectum aſſeuerant.Ait
ſiquidē huiuſmodi ſcriptum: Meminerint patres ſacerdotes in ſuis ſacrificijs illuſtriſ-
ſimorum dominorum Ducum de Argiona, quos hic locus ſui fundatores atque patro-
nos agnouit.Quod tamen mihi incredibile,imò potius impoſſibile eſt,ſi propbanis hi-
ſtorijs aurem accōmodare velimus. Cùm enim ex eis pluſquā liquidò conſtet illuſtriſ-
ſimum heroëm Federicum, præmemorati Petri Lemoſianorum Comitis filiū,primum
Argionenſium Ducem extitiſſe,& hic locus antequam eius progenitor naſceretur (vt
B ſuprà tetigimus) iam extaret, quonam pacto ab eo ædificari potuit? Nullo quidem
per omnem modum. Quamobrem omnino mihi ſuadeo hanc ſacram ædem ab aliquo
Lemoſianorum Comite fuiſſe conſtructam, & ab illuſtriſſimo Comite Petro ſuperius
nominato, vel ab eius filio Federico primo Argionenſium Duce, qui ſibi in Comita-
tu hæreditario iure ſucceſſit, maiori ex parte refectam, atque ædificatam: eaq; de
cauſa huiuſmodi Argionenſium Duces eius patronos & fundatores agnoſci. Et hoc
ipſum indicare videtur præfata memoria ſacriſtiæ inſcripta. Quoad tempus verò ædi-
ficationis huiuſce noſtri monaſterij ex priuilegio prædicti Regis Alphonſi XI. mani-
feſtum euadit ipſum ante annos 250. exordiū habuiſſe, & extra fundamenta extitiſſe.

De conuentu S. Franciſci Montiſregalis. *Conu. XVIII.*

C QVEMADMODVM ex alio Caſtellæ Regis Alphonſi XI. (de quo ſuperiori
loco egimus) monumento, quod Villafrancæ apud Minoritas aſſeruatur, ſatis
conſtat,conuentus hic in honorem B.P. Franciſci,aliquantulum à muris oppidi Mon-
tiſregalis (vulgò Monte Rey) erectus,circa annum Domini 1336.ædificatus fuit.Præ-
cipit ſiquidem ſereniſſimus is Rex eius ſcripti tenore,vt gratiæ,immunitates, atq; pri-
uilegia a ſummis Pontificibus Franciſcanis conuentibus Lucentiano,præſenti, & qui-
buſdam alijs conceſſa illæſa omnino à ſibi ſubditis ſeruentur. Contigit autem id anno
Domini 1337. Sui tamen amantiſſimos patronos agnoſcit hic locus, quem 20.fratres
inhabitāt,illuſtriſſimos eiuſdem oppidi Montisregalis Comites, cùm primus eius fun-
dator extiterit illuſtris Ioannes Rodericus de Biedma præfati oppidi temporalis Dñs,
antequam Comitatus titulo inſigniretur. Hoc autē ita eſſe tum epitaphia, tum quoq;
D gentilitia præfatorū Comitum inſignia parietibus inciſa, atq; impreſſa facillimè indi-
cant. Extat præterea altare quoddam, B. virgini Mariæ de Roſario hoc in monaſterio
ſacrum,in quo ex priuilegio ſummi Pont. Gregorij XIII. dato Romæ 22.Iunij,anni
Dñi 1572.per Miſſarum celebrationes animæ fidelium ex Purgatorij pœnis liberātur.

De conuentu S. Franciſci Tinei. *Conu. XIX.*

QVANTVM ſolerti adhibita indagine de huius loci fundatione expiſcari po-
tuimus,is à ducentis quadraginta annis,& vltra Minoritis deſeruit, nēpe ab an-
no Dñi 1548. vſq; in præſens. Idq; eiuſdem ſepulcri epitaphium præfato anno 1348.
poſitum apertiſſimè commonſtrat. Præterea ſi ſeniorum traditioni fidem adhibere fas
ſit,ad Templarias moniales aliquādo pertinuit,quo tēpore, vel cuius auctoritate ab eis
E ad noſtrates tranſierit,vel cuius eius fundator extiterit,nulla ratione ſciri potuit. Hoc
tū certiſſimum eſt eum aliquando à Franciſcanis Cōuentualibus inhabitatū: quo qui-
dem tēpore adeò floruit,vt ſæpius 12.in ſacra Theologia Magiſtros,atq; egregios con-
cionatores,qui conuicinos populos pabulo ſpirituali,catholicaq; doctrina imbuerent,
ſuppeditarit,ſubminiſtraritq;.Ex quodam huius ſacræ ædis arcu pendet enſis,quo im-
manis ille archipirata, atq; Chriſtiani nominis infenſiſſimus hoſtis Adrianus Barba-
ruſſa præcinctus erat, quando occiſus fuit à nobili quodā Hiſpano Garſia Fernandez
de Platea,qui & alios quatuor Capitaneos ſiue Duces Turcas eodem gladio interemit.
Quamobrem in tanti facinoris prēmium, ex ſingulari Caroli V. Imperatoris,atq; eius
filij Philippi Hiſpaniarū Regis priuilegio, quinq; Turcarū capitibus depictis pro gen-
tilitijs

tilitijs inſignijs vtitur, & ſicut olim à debellata Carthagine Publius Cornelius Scipio Africanus, & eius frater Lucius Scipio à deuicto Antiocho Rege, Aſiaq; ſubacta, Aſiaticus dictus eſt, ſic iſte ab occiſo Barbaruſſa, Garſias Fernandez Barbaruſſa, prout ex Pontificia quadam bulla ad eius inſtantiam data comprobatur, nuncupatus euaſit. Præfata verò bulla ab huiuſmodi verbis exorditur: Cupientes igitur pro eccleſia eremitorium nuncupata ſancti Rochi del Viſo, ſita infra terminos oppidi de Tineo, Ouetenſis diœceſis, ad quam (ſicut accepimus) dilectus nobis in Chriſto ſtrenuus vir Capitaneus Garſias de Tineo, aliàs Barbaruſſa, laicus dicti oppidi ſingularē gerit deuotionis affectum &c. Hoc deniq; in conuentu, patri Franciſco dicato, Tineiq; erecto ſexdecim fratres die noctuq; fideliter Deo opt. max. famulantes commorantur. A

De conuentu S. Franciſci Auileſij. *Conu. XX.*

INVESTIGANDI mihi diligentius primam præſentis conuentus, qui ſeraphico patri Franciſco ſacratus, à muris eius oppidi, quod Hiſpanicè Auiles nuncupatur aliquantulum diſtat, erectionem, occurrit quoddam inter cætera monumentum in Ouetenſis noſtri conuentus archiuis, quo conſtat eum anno Dominicæ natiuitatis 1380. iam à fratribus noſtris inhabitari & nihil præterea. Quapropter ad ſeniorum traditionem confugiēs, id quoq; didici: ipſum videlicet à Templarijs olim ædificatum, diuq; poſſeſſum, atq; ab ijs ad noſtrates ex apoſtolica auctoritate tranſlatum. Sed quando id euenerit, vel cuius ſummi Pontificis decreto factum ſit, nullo pacto ſcire potui. Conſiſtit ad dextrum maioris ſacelli latus altare glorioſæ virgini Mariæ dicatum, cui beati patris Antonij de Padua imago ſuperſtat: hanc perdeuoti Ioannes Alphonſus Ouetenſis mercator, eiuſq; cara coniux Aldonza Gonzales, dum viuerent, religioſius, quòd ſibi omnia eius ſancti meritis ex voto ſuccederent, venerati ſunt, atq; iſtius loci fratribus opiparum prandium ſingulis anniuerſarijs eiuſdem ſancti diebus propinarunt, imò & morientes ſuis hæredibus quædam prædia, atq; domos ea lege ex teſtamēto reliquerūt, ut id ipſum quoq; & ipſi, eorumq; ſucceſſores ſingulis annis præſtarent. Accidit igitur, vt inter nauigandū annulus, quē à caris parentibus hæreditario iure acceperat, ex digito Nicolai Alphonſi præfatorū fundatorū nepotis in mare laberetur: cumq; inſtāte beati patris Antonij feſto quo fratribus, iuxta auorū mādatū prandium parare decreuerat, aliquot piſcatores, qui piſces ad conuiuium lautius inſtruendum caperent ſolicitè miſiſſet, quidam piſcis, in cuius ventriculo amiſſus annulus à coquo fuit inuentus, in rete incidit. Quod omnes beati patris Antonij beneficio tribuentes Deum laudauêre, præſertim verò ipſe Nicolaus Alphonſus, qui & maiori deuotione erga eundem ſanctum in poſterum latus fuit, & rei euentum, vt omnino acciderat, ad eius gloriam in gyro præfatæ imaginis curioſus depingi curauit. Hæc, quia veriſſima ſunt, atq; fide dignis teſtibus comprobata, hîc ſubijcienda curaui, quibus huic præſenti loco finē imponā, ſi prius dixero eū à 20. fratribus frequētius inhabitari. B C D

De conuentu S. Antonij Padroni. *Conu. XXI.*

CONSTRVXERANT ſibi olim huius Prouinciæ patres in territorio S. Marię de Heruon apud Gallecos conuentum, beato patri Antonio de Padua ſacrum, in quo & aliquandiu commorati ſunt. Sed cùm is locus ſæcularibus plus æquo pateret, fratrūq; quieti ac tranquillitati minus faueret, eo derelicto, ſe ad oppidū Padron, quod ſeſquimilliari à Compoſtella diſtat præfati fratres contulêre; vbi & præſens monaſterium, eodem patre Antonio de Padua eius tutelari, ex diuerſis eleemoſynis erigendum curarunt. Eius verò ſitum eccleſiæ S. Marię de Iria canonicorum collegium ea tamen poſita lege, vt perpetuò à Franciſcanis Obſeruantibus inhabitaretur, religioſis patribus ac fratribus Petro de Nemanzos, atq; Gonzaluo Marino contulit. Qua etiam de cauſa pręfatus hic locus 12. Recollectis fratribus continendis alendiſq; deſeruit. E

De conuentu S. Marthæ Ribadauiæ. *Conu. XXII.*

RIBADAVIA Gallecorum oppidum, ob peroptimi vini feracitatem, omnibus Hiſpanis notiſſimum eſt. Ad mille itaq; paſſus ab eius vallo, cùm beatus quidā

pater

A pater Dominicanus nomine Petrus Gonzaluus, beato Dominico adhuc ſuperſtite, eremitorium ſiue potius tuguriolum ſibi, pœnitentiæ agendæ ergò, ſub titulo ſanctę Marthæ conſtruxiſſet, inibiq; poſt aliquantulum temporis vita functus eſſet: Ribadauienſes, ne huiuſmodi ædicula, quam in eius fundatoris memoriam maxima veneratione proſequebantur, peſſum iret, eam Franciſcanis deuotis patribus conferendam, tradendamq; curarunt. Sed quo certo tempore, vel cuius auctoritate id euenerit, non ſatis conſtat. Nihilominus tamen ex quodam Eugenij IIII. Pont. max. diplomate, dato anno Dominicæ incarnationis 1432. atq; in præſentis loci, quem duodecim fratres frequentius occupant, archiuis aſſeruato eius antiquitas quodammodo relucet. Fit enim in illo tum eius, tum quoq; Minorum fratrum ibidem commorantium, atq; fideliter diu noctuq; altiſſimo Domino famulantium, expreſſa mentio.

B

De conuentu S. Franciſci Murorum. *Conu. XXIII.*

SVRRIGIT præſens conuentus, beatiſſimo patri Franciſco ſacratus, & à 15. fratribus incultus, ſeſquimilliari à Muris Gallecorum oppido, atque Compoſtellanæ diœceſis. Cuius antiquitas ſi monumento cuidam (apocrypho tamen) aurem accommodare velimus, ab anno Dominicæ incarnationis 1280. connumeranda, atq; author quidam Pettus Aluarez Marinus nobis ſtatuendus venient. Sed quia præfatum monumentum debita certitudine caret, tutioribus atq; certioribus inhærentes veſtigijs dicimus ipſum vtcũq; antiquũ, & à centũ quinquaginta annis ad minus ędificatum extitiſſe. Conceſſit ſiquidem ei Eugenius IIII. Pont. max. plumbea edita bulla, ſub datum anno Dominicæ incarnationis 1432. quæ in eius archiuis alia inter C monumenta cuſtoditur, aliquot indulgentias in fauorem ipſum ſtatis diebus accedentium. Si verò in eius ſtructuram atq; formam intendere velimus multò antiquior, multoq; vetuſtior apparebit. Quod verò ad eius fundarorem pertinet, mihi Murenſium erga Franciſcanam familiam deuotionem conſideranti eorum opinio, qui ipſum ex publicis atq; priuatis eorumdem ſumptibus ædificatum fuiſſe contendunt, maximè probatur. Aſſerit præterea præfatum monumentum huius conuentus eccleſiam à reuerendiſſimo Petro Mugñiz Compoſtellano Archiepiſcopo in honorẽ B. P. Franciſci conſecratam extitiſſe, certum interim conſecrationis diem & annum reticens.

De conuentu S. Mariæ de capite Albæ. *Conu. XXIIII.*

D ALTA mente reuoluentes perdeuoti viri Didacus Garſias, atq; Ferdinandus Perez quantùm periculi, quantumq; diſcriminis fallaces mundi voluptates in ſe continerent, ijs omnino contemptis atq; longè poſt ſe habitis, eremitorium tertio milliari ab oppido Villafranca quodam in nemore, vt communem ibi vitam, atq; omnino anachoriticam ducerent, erigendum ſibi exiſtimarunt. Ne tamẽ tantum opus in conſultò aggreſſi viderentur, eius conſtruendi facultatem à reuerendiſſimo Gonzaluo Aſturicenſium Epiſcopo, cuius id munus erat, ſibi concedi ſupplices petierunt. Quo denique 9. menſis Nouembris, anno Domini 1423. piè annuente, atq; certas leges & ſtatuta eorum tum intrinſecam, tum quoq; extrinſecam conuerſationem concernentia ſibi præſcribente, ſumpto prius Tertiariorum Franciſcanorum habitu, ædiculam quandam præfato in loco prius electo erigendam, perficiendamq; curarunt. E Cumq; ibidem eius ſucceſſores ſub eodem Tertiariorum habitu à præfato anno 1423. vſq; ad annum 1441. perſeueraſſent, nec amplius, ædificio omnimodam minitante ruinam commorari poſſent, alioq; ſe transferre vellent, ne is locus peſſum iret, prophaniſq; vſibus aliquando pateret, ipſum ſummus Pontifex Eugenius IIII. apoſtolico diplomate, ſub datum Florentiæ, anno ſuperius memorato 1441. edito, cuidam Petro Oſorio Caprariæ, atq; Ripariæ oppidorum temporali Domino in conuentum ad Obſeruantum Franciſcanorum vſum, ſub titulo B. virginis Marię capitis Albæ, erigendum conceſſit. Ille verò, vt erat in ſeraphicum Ordinem propenſiſſimus, demolita antiquiori domo, præſens hoc monaſterium, in quo 20. fratres commorantur, & Philoſophiæ ſtudium perpetuò viget, ſub præfato titulo à fundamentis ad apicem vſq; erigi fecit. Non erit abs re (exiſtimo) ſi paucis quid in hac ſacra æde, non ita ante

multum

multum temporis acciderit retulero. Fuit enim ſartori cuidam Beneuentano filia nu- A
bilis omnino, atq; optimis moribus prædita, quam cùm alteri ſartori connubio iun-
gere vellet, illaq; omnino recuſaret, magis magiſq; furens pater in huiuſmodi nu-
ptias inhiabat. Quamobrem virgo caſtitatis amantiſſima, ſumpto virili cuiuſdam
fratris vterini habitu, intempeſta nocte dum ſe cæteri omnes ſopori dediſſent, do-
mum ſupra fœmineum animum egreſſa, ſancti Iacobi iter arripuit. Cumq; ad hunc
conuentum laſſa applicuiſſet, tanti itineris pertæſa, atq; perfectiorem vitam anhe-
lans Franciſcanæ Religionis habitum à loci Guardiano quamhumillimè petijt. Quo
deniq; ſibi conceſſo, adeò in omni virtutum genere, maximè verò in humilitate, atq;
oratione profecit, vt omnibus fratribus ac patribus & cariſſima, & ſanctitatis exem-
plum forma facta ſit. Quapropter cùm huius Prouinciæ Miniſter pater Antonius Guſ-
manius, poſt tranſactum quinquennium, iniuncti muneri ſatisfacturus iſthac trãſiret, B
eiuſq; religionem, atq; ſanctitatem accepiſſet, illam non fœminam, ſed maſculum
exiſtimans ad ſubdiaconatum promouere voluit. Quamobrem pia virgo ne in tantum
veniret conſcientiæ diſcrimen, poſtquam ſæpius eundem Miniſtrum, (ſed fruſtrà)
vt ſibi ablata tonſura ftatrum laicorum habitum concedere dignaretur, rogaſſet, exo-
raſſetq;, ſui ſexus conditionem eidem maximis cum lacrymis apperuit. Qua re co-
gnita prudens Miniſter, vt primum vnam vel alteram nobilem, atq; deuotam matro-
nam ad rei veritatem certius firmandam adhibuiſſet, eam habitu muliebri indutam
ad conuentum ſanctæ Claræ Beneuentanum monaſtico amictu, cum cæteris Clariſſis
ſororibus veſtiendam, cum honeſtis quibuſdam matronis tranſmiſit. Quæ tandem eò
appulſa, atq; de religioſo more profeſſa, poſtquam per quinquennium integrum in
omni ſanctitare, religione, atq; pietate ibidem vixiſſet, animam, (vt piè creditur) C
cum Saluatore noſtro Ieſu Chriſto in æternum regnaturam, cœlo empyreo reddidit.

De conuentu S. Franciſci Benauides. Conu. XXV.

QVID ego hîc Didaci Quinnionij Lunenſium primi Comitis atq; eius coniu-
gis Ioannæ Henriquez in Deum pietatem, atq; in noſtram Religionem affe-
ctum commendem, cùm præſens Minoriticus conuentus, beatiſſimo patri Franciſco
ſacratus, atq; intra muros eius oppidi, cui Benauides Hiſpanicè nomen eſt, liberaliſſi-
mis eorum ſumptibus, anno à partu Virgineo 1460. à fundamentis ad apicem vſq;
conſtructus, vtrumq; magis magiſq; præſtet? Quamobrẽ hoc tantùm dixerim, quòd
humandis tum eorum, tum quoq; eorundem ſucceſſorum corporibus optimo iure,
idq; patronatus, maius præſentis loci, à 20. fratribus vt plurimùm inhabitati, ſacel- D
lum deſeruiat. Contulit nihilominus ad huiuſmet monaſterij reparationem, dum
ruinam ſuperioribus annis minaretur, quamplurima deuotus quidam præfati oppidi
Benauides inquilinus, nomine Stephanus, atq; officio Barbitonſor: qua etiam de cau-
ſa non vulgarem commendationem meretur. Duplici, prout ex ſcripturis in eius ar-
chiuis diligentius aſſeruatis, edocemur, gaudet hic locus prærogatiua. Altera quidem
remiſſionis ſeptem annorum, atque totidem quadragenarum de iniunctis pœnitẽtijs,
qui in Dominicæ Natiuitatis, Reſurrectionis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, Aſſum-
ptionis beatæ virginis Marię, beati patris Franciſci, atque vndecim millium virginum
feſtiuitatibus eius eccleſiam deuotè viſitauerint. Altera verò conceſſionis illarum in-
dulgentiarum, quę Romæ in omnibus beatę virginis Marię, ſanctorum Apoſtolorum, E
Corporis Chriſti, feriæ quintæ in cœna Domini, Conuerſionis diui Pauli Apoſtoli,
Mariæ Magdalenę, atq; omnium Sanctorum ſolemnitatibus acquiruntur, in fauorem
ſacellum ibidem erectum, in quo nobilis cuiuſdam Sueri de Gauillanes corpus huma-
tum eſt, præfatis ſolemnitatibus accedentium, ibiq; ſuas orationes perſoluentium.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Liuiæ. Conu. XXVI.

VOTO à ſe legitima de cauſa emiſſo facturus ſatis Rodericus Pimẽtelius Bena-
uentanorum apud Hiſpanos Comes hunc conuentũ, glorioſiſſimę virgini Marię
de Ieſu ſacrum, in quo triginta Recollecti huius Prouincię fratres commorantur, ali-
quantulum à Liuia ſiue Auia (vulgò Villalon) Legionenſis diœceſis oppido, ex apoſto-

A lica facultate ſibi à ſummo Pontifice Paulo II.anno à mundi redemptione 1469. facta,
poſt elapſum ab huiuſmodi facultate annum,nempe anno 1470.à fundamentis extruē-
dum atque omnibus ſuis numeris à ſuis hæredibus, ſi fortè ſe morte præoccupari,præ-
ueniriq́; ante eius conſummationē contingeret,abſoluendum,prout ex cuiuſdam dona-
tionis contractus verbis,quæ & ſequuntur, *Si contigerit Franciſcanum hoc monaſterium*
à me incæptum,immatura morte ſuperueniente,imperfectum remanere,præcipio meis hæredibus,
atq; ſucceſſoribus ſub maledictionis meæ, atq; à primogenitura priuationis pœnis,vt ipſum perfi-
ciāt,omnibusq; ſuis numeris abſoluāt,quatenus voto à me emiſſo ſatisfacere queā,facilè conſtat,
ſolicitus de ſua ſalute tantus heros curauit.Fuit itaq; præſens monaſteriū,tū præfati Co
mitis Roderici Pimentelij, tū quoq; eius ſucceſſorū ſumptibus & incęptum,& omnino
perfectum.Mortem obijt hoc in ipſo monaſterio,ſepulturamq́; obtinuit,anno Dñi 1571.
B deuotiſſimus ac ſumme religioſus P.F.Didacus Villalonius,dum eius Præſidem, ac no-
uitiorum P.Magiſtrum ageret:cuius in laboribus atq; infirmitatibus perferendis patiē-
tia,in aduerſitatibus conſtantia,in Deum atq; proximum charitas,& erga omnes humi
litas,vt interim aſſiduam eius orationem,ſummam abſtinentiam,modeſtiam atq; morū
compoſitionem taceam,incredibiles fuêre. Quapropter, paulò antequam animam ſuo
Creatori reſtitueret, Chriſti Saluatoris noſtri, ac S. eius Matris,cuius ille,dum viueret,
obſeruantiſſimus extitit,præſentia dignari meruit. Ad hunc tātum patrem appoſitus eſt
deuotiſſimus,atque omnibus nominibus ſummè laudandus F. Ioannes à Guaza laicus
profeſſus,qui anno à partu Virgineo 1580.diem clauſit extremum. Religioſiſſimus hic
frater præcedenti P.Didaco Villalonio ſimilis in omnibus fuit:Nam & in laboribus in-
defeſſus,in ieiunijs, oratione atque vigilijs aſſiduus,in charitate ad Deum & proximum
C feruidus, in aduerſis patientiſſimus,conſtantiſſimusq́;, atque Regulæ à ſe profeſſæ ob-
ſeruantiſſimus,zelantiſſimusq́; extitit.In cuius rei teſtimonium Deus opt. max. Tauri-
num quendam ciuem graui, moleſtaq́; paralyſi laborantem,ad contactum eius corpo-
ris,antequam ſepulturæ traderetur,integræ reſtituit ſanitati.A cœtero,quæ ſequuntur,
apoſtolica diplomata in huius loci tabellario aſſeruātur.Alterum quidē Innocētij IIII.
Pont.max.datum Lugduni 30.Iulij,anno ſui Pontificatus 3.quo S.Iacobi,atq; Tarraco.
nenſem Archiepiſcopos,inſuper & Burgenſem tunc Epiſc.nunc autem Archiepiſc.F.Mi
noritarum per Hiſpaniam conſeruatores cum excommunicandi quoſcunque Epiſco-
pos,Abbates,atque Prælatos,qui præfatos fratres ad ſacram ſęcularibus confeſſionem
faciendā,vel ſuos defunctos apud eoſdem ſęculares ſepeliendos, vel fructuū, aut olerū
in proprijs hortis productorū decimas pendendas compellere niterentur, prout aliqui
D illorū iā attentarant,poteſtate inſtituit.Et alterum Alexandri itidem IIII. datū Late-
rani 5.Martij,anno ſui Pontific.iij. quo eoſdem fratres Minores à pendenda Parochis
de oleribus, fructibusq́; apud ſe productis decima immunes omnino reddit: illisq́; ſa-
cramenta ſęcularibus ſuis famulis miniſtrandi facultatē impertitur. Et alterum Iulij
II.datum Romæ 26.Iulij,anno ſui Pōtificatus v. quo apoſtolicas literas ab Innocētio
VIII.in Minoritici conuentus Albani iſtius Prouincię fauorē editas confirmat,ratasq́;
habet, vt videlicet eius fratres 12.ſęculares,qui à quocūq; ſacerdote ſiue regulari, ſiue
etiā ſęculari à quouis crimine, licèt Sedi apoſtolicæ reſeruato abſolui queant, in ſua
eccleſia ſingulis annis ſepelire valeant. Idipſum quoq; huius loci fratribus præfati di-
plomatis tenore concedit.Hærent præfatis diplomatibus apoſtolicis & literæ datæ Se-
gobiæ a R.Roderico Albanēſi Epiſc.atq; S.R.E.Card.necnon & ſummi tūc Pont. Sixti
E IIII.à latere apud Hiſpanos Legato,anno Dñi 1473 quibus tres annos,tresq́; quadra-
genas de iniunctis pęnitentijs condonat ijs,qui ſacrā huius loci ædem in Aſſumptionis
Deiparæ virginis,SS.Franciſci,Antonij atq; Bernardini feſtiuitatibus ritè viſitauerint.
Eaſdē quoq; gratias impertitur ijs,qui eādē eccleſiā ſuis ęleemoſynis proſecuti fuerint.

De conuentu S. Antonij de Padua Populæ. *Conu. XXVII.*

CVM fratres noſtri locum, diuo Ioanni de Miſerella ſacrum, incommodum om-
nino,ac minus ſibi fauentem occuparent, eorum calamitati compatiens nobilis
quidā Gallecus,nomine Arias Lopetius de Goiaās,P.Benedictinorū monaſterij S. Paij
(cuius ſupra meminimus)feudatarius,ſitū quendā ad præfatos patres attinentē, quem

iure feudi poſſidebat,perſoluto prius per aliquot annos feudo,illis ad alterius conuẽtus A
multò commodioris ędificationẽ,ex patrũ tamen,quorũ intererat,conſenſu,anno Dñi 1474.obtulit,contulitq́;.Quẽ ex animo acceptãtes iſtius Prouincię patres tũ ex pręmemorati S.Ioannis conuẽtus ruinis, tũ quoq; ex eleemoſynis vndequaq; acquiſitis in iuſtũ monaſteriũ,ſub titulo S.Antonij de Padua,ſtatim euexerunt.Diſtat autẽ huiuſmodi monaſteriũ 200.paſſibus à Popula(vulgò Puebla) Gallecorũ,atq; Compoſtellanę diœceſis oppido.Pręfatũ verò fundũ noſtri fratres, quorũ 12. ſed Recollecti pręſentẽ incolunt locũ,ſucceſſu tẽporis à prædictis S.Paij monacis ea lege dono acceperunt,vt ſiquis eorum Abbas apud eos vel in eccleſia,vel in eius maiori ſacello ſepeliri deſideraret,id ſibi liberum omnino eſſet.Hinc luce clarius conſtat eos egregiè hallucinari,qui huius loci patronatum P.Benedictinis (de quibus ſuprà) tribuũt:cùm illi ſibi,præmemorata lege , cui noſtri fratres omnino ſtant , poſita , in noſtrorum fratrum fauorem ceſſerint . B

De conuentu S. Mariæ Albæ. Conu. XXVIII.

CVM pientiſſimus heros Garſias Aluarez à Toleto Dux Albanus hunc conuẽtum, Deiparę virgini Marię ſacrum,ad 300.paſſus ab oppido Alba ex altera Tormij fluminis parte,à fundamentis eo animo extruẽdum curaſſet,vt ipſum omnino abſolueret, perficeretq́;,immatura tamen morte pręuentus,quod ſanctè,pieq́; decreuerat executioni mandare nequiuit.Quamobrem Federicus à Toleto eius filius atq; ſucceſſor ab Innocentio VIII. ſummo Pontifice eius vel abſoluendi, vel alicuius collegij ibidem erigendi,in quo 12.Minoritę ſuis ſumptibus literis vacare poſſent,facultatem,anno reſtitutæ ſalutis 1489.obtinuit.Apoſtolica Innoc.VIII.facultas in forma bullę 13.Ianuarij,anno
Dñi 1489.facta in pręſentis loci archiuis aſſeruatur . Cui adhęrent & aliæ duæ eiuſdem C
ſummi Pontificis bullę,quarum altera 10.anni,totidemq́; quadragenæ de iniunctis pęnitentijs adiutrices manus ad huius conuentus promotionem admouentibus ex apoſtolica auctoritate remittũtur. Altera verò,quę Romæ 6.Iulij,anno Dñi 1491.data fuit huiuſmet loci fratribus,qui vt plurimũ ſunt 30.duodecim apud ſe ſęculares ſingulis annis ſepeliẽdi (vt in penultimi præcedẽtis monaſterij S. Marię de Ieſu Liuię erecti deſcriptioue fuſius meminimus)fit facultas.Huiuſmodi igitur apoſtolico fauore fretus pius heros Federicus à Toleto pręſens hoc monaſteriũ iuxta iacta fundamenta abſoluendũ curauit.Cui quoq; tũ ipſe,tum quoq; eius ſucceſſores benefici ſupramodũ extitêre,exiſtũtq́;. Qua etiã de cauſa eos amantiſſimos ſui patronos hic locus agnoſcit,veneraturq́; Quòd ſi eũ à ſacrę S.Ioannis militiæ apud Hiſpanos magno Priore Ferdinando Aluarez à To
leto iuxta conceptã formã dilatari contigerit,proculdubio conuentus (de quo impræ- D
ſentiarum)inter huius Prouinciæ nobiliores computandus veniet.Infeſtatur nihilominus,ob fluminis propinquitatem,inſalubri aura, nec magna ſui ampliationis ſpes effulget . Habentur in ſacrario tria ſanctorum capita, quorum nominà ignorantur :licèt id tum fratrum , tum quoque ſęcularium ad ipſa deuotionem atq; cultum non minuat .

De conuentu S. Antonij de Padua Monfortij. Conu. XXIX.

CONVENTVS hic, B.P.Antonio de Padua dicatus , ac prope oppidum , quod Hiſpanicè Monforte nuncupatur, Lucentanorumq́; Epiſcopo in ſpiritualibus audit , ſitus,quẽ frequẽtius 20.fratres incolunt,à Roderico Henriquez Oſorio Lemoſianorum Comite,anno Dñi 1503.eo animo,vt ad finem vſq; perduceretur,primò à fundamentis
ędificari cępit:à quo tamẽ morte ſuperueniẽte abſolui nequiuit . Quapropter eius filius E
atq; heros Aluarus Oſorius Lemoſianorum quoq; Comes cum cariſſima ſibi vxore Beatrice à Caſtro eius eccleſiam,quæ & ſatis elegãs eſt , ex peculiaribus facultatibus ad optatum finẽ perduxit.Vnde & patronatus ipſius ius meruit,& iuſtè tum ipſe,tum quoq; eius ſucceſſores in maiori ſacello,erectis peculiaribus mauſoleis,ſepeliuntur . Accedit quod fundatoris nepos,illuſtriſ.ſcilicet atque R.Rodericus a Caſtro Hiſpalenſium Archiepiſcopus,atque S.R.E.Cardinalis,pinguiſſimam eleemoſynam ad totius operis conſumationem per aliquot annos erogarit.Cuius deniq;,atq; aliorum fundatoris deſcendẽtium auſpicijs,hoc monaſterium aliquãdo Deo fauente abſoluetur. Quod tamẽ perpetuò,ex conuentione inter ipſius fundatorem atq; fratres facta,ab Obſęruãtibus Frã-

ciſcanis

A ciſcanis inhabitari debet. Quæ ſequuntur Pontificia diplomata in præſentis loci cartophilacio cuſtodiuntur, habenturq;. Alterum quidem Eugenij IIII. Pont. max. datum Romæ 28. Octobris, anno Domini 1432. quo ad cuiuſdam Legionis atque Caſtellæ Regis inſtantiam omnibus fratribus, atque Clariſſis ſororibus conuentuum S. Laurentij, S. Iacobi, Murorum, Noiæ, de Padron, S. Ioannis de Miſerella, Ribadauię, Portus manni, Villæ veteris, S Mariæ de Angelis, Foueæ (vulgò del Hoyo) Caſtaneti, S. Clarę apud Zamoranos, Villę frechoſi, Tordeſilliarum, Palentię, S. Auderij, atque Cafræ habitatoribus plenariam omnium perpetratorum exceſſuum indulgentiam ſemel tantùm in articulo mortis à ſacerdote impertiendam, dummodo omnibus 6. ferijs per integrum annum, vel alio quopiam die per quamlibet integri anni hebdomadā, ſi tamen eo die ad ieiunium vel ex Eccleſiæ præcepto, vel ex ſolemni aut priuato voto, vel ex
B impoſita ſibi pœnitentia non teneantur, ieiunauerint, ex apoſtolica auctoritate concedit. Aliud Martini V. ſummi Pontif. Romæ 12. Maij, anno ſui Pontificatus x. expeditum, quo libros, cœteraſq; Minorum fratrum decedentium ſarcinulas ei conuentui in quo quiſque illorum moritur, non autem ei in quo profeſſus eſt, adiudicat. Alterum Calixti III. datum Romæ 11. Februarij, anno Domini 1456 quo defectus quoſdā à Conuentualibus Franciſcanis patribus, dum ſe relicto eorum viuendi modo ad regularem Obſeruantiam ſimul cum Villalpandeo atque Pontiſuedrano locis transferrent, ob iuris formam minus ſeruatam, commiſſos ſupplet. Aliud Pij II ſummi quoque Pontificis datum Romæ 2. Octobris, anno ſui Pontificatus j. quo cauet ne Franciſcani Obſeruantes patrum eiuſdem Ordinis Conuentualium conuētus occupent: neuè eorū apoſtatas recipiant, & è conuerſo: ne videlicet patres Conuentuales Obſeruantū do-
C mos inuadant: neuè à ſe ſinę facultate recedentes ad ſuum conſortium admittant: neuè etiā vbi Obſeruantes mendicare aſſueuerunt, & ipſi mendicent. Et aliud Alexandri VI. Pont. itidē max. datū Romæ 4. Septēbris, anno Dñi 1501. quo pręfato Roderico Henriquez huius ædificandi conuētus facultas fit. Cū quidā mercator ex hoc oppido Monfortij oriundus in mari ex Flandria rediens animā ageret, arculā quandā reliquijs refertā Monfortiano monaſterio ex teſtamento reliquit. Quamobrē inter huius loci atq; cœnobij S. Benedicti, hoc in eodem oppido erecti, monacos maxima oborta eſt lis. Contendētibus ſiquidē iſtis quòd huiuſmodi donatio ad ſe pertineat, noſtris verò fratribus contradicentibus, atq; eam potius ad ſe, quàm ad illos ſpectare mordicus aſſerentibus. Huiuſmodi verò contentionis cauſa fuit, quòd præfatus mercator eā arculā fratribus conuentus Monfortiani abſq; alia vel Benedictini, vel Franciſcani ſpecificatione dari
D iuſſerit. Eaq; de cauſa lis adhuc inter vtroſq; pēdet. Comorātur hoc in loco 20. fratres.

De conuentu S. Franciſci Noiæ. *Conu. XXX.*

AEDIFICARANT antiquiores huius Prouinciæ patres, anno Domini 1356. ad 3. lapidē à Noia Gallecorū oppido in loco aſpero, ſalebroſo, difficili, eorumq; habitationi minus commodo conuentum, ſub titulo B. P. Franciſci de Sueiro, in quo, licèt plurimis impliciti difficultatibus, 170. annis commorati ſunt. Anno tandem Dñi 1522. diuēdita per eorum ſyndicum nobili cuidam Galleco Suero Gomez à Sottomaior antiquiore domo, ex eius pretio, atq; ex ampliſſima quadam eleemoſyna à nobili fęmina Ioanna Guizmonda, ex maxima liberalitate collata, alium ſitum multò familiariorem, multoq; commodiorem, non longè a præfato oppido Noia emendum, atq;
E temporis ſucceſſu aliud monaſterium, ſub antiquiori B. P. Franciſci titulo, in eo tum ex publicis, tum ex priuatis Noienſium eleemoſynis conſtruendum, atque ibidem 20. fratres Recollectos collocandos curarunt. Quia verò maius eccleſiæ ſacellum pientiſſimorum Garſiæ à Camagno, eiuſq; coniugis Conſtantiæ Sanchez ab Auendagno ſumptibus ædificatum extitit, exanimis eorum corporibus excipiendis patronatus iure, quod ſibi ſuiſq; poſteris reſeruarunt, deſeruit. Quod autem reliquum eſt eccleſiæ, imò & ſacellum ad ſummi altaris ſiniſtram erectum ex domeſticis illuſtris viri Roderici Perez ab Acoſta, prout eius gentilitia inſignia eiuſdem eccleſiæ foribus inciſa manifeſtè indicant, facultatibus conſtructum eſt. Huius loci ſacrarium quodam vnius ex vndecim millibus virginum & martyrum capite religioſè honeſtatur, condecoraturque.

De conuentu boni Ieſu de Limia. Conu. XXXI. A

CVM Deipara virgo ſemel atque iterum pauperi cuidam ſeni,ſimplici tamen atque deuoto,Ioanni Fulgoſio nomine , atque ex Tandera Oretanæ diœceſis pago oriũdo,prope Limiam fluuium,anno à Virgineo eius partu 1513.apparuiſſet,ſibiq; , vt eccleſiam eodem in loco conſtruendam curaret,præcepiſſet,is vnico,quem poſſidebat, diuendito boue iniuncto ſibi operi quantocitius ſe accinxit. Cumq; ab omnibus, quòd pauperrimus homuncio rem ſupra vires aggrederetur,deriſui haberi cępiſſet:pręcipuè verò à nobili quodã,atq; prędiuite Alphonſo Diaz,qui tamen Domini manũ expertus veridicus diuinæ voluntatis teſtis euaſit,pijſſimus Alphonſus à Pina temporalis præfati pagi Tarderæ Dominus , & Saar atque Iunqueræ Prior hominis conſtantiam ſummopere admiratus,& crucem eo ipſo loco,vbi ſacra ædes conſtruenda veniebat, fixit, B & futuro ædificio initium dare cœpit . Sed confluentibus ad tantæ nouitatis famam ex Caſtellæ, Portugaliæ atque Galleciæ Regnis plurimis mortalibus , ſuasq; eleemoſynas ſumma liberalitate offerentibus , præfatus Prior Alphonſus à Pina huiuſmodi ſacram ædem,quam in eremitorij formam conſtruendam decreuerat,in iuſtam eccleſiam , adiuncto ſibi conuentu,tum ex illis,tum quoq; ex proprijs euexit,atque iſtius Prouinciæ proceribus in poſterũ habitandã obtulit.Quãobrẽ patres, quorũ ex munere intererat,in prouincialibus Comitijs Albę, anno Dñi 1522. celebratis eã poſt maturã deliberationẽ acceptarũt,& 15.fratribus crediderunt.Pręfatus verò Ioãnes Fulgoſius,qui &, ob eius ſanctitatẽ,certũ ſui obitus diẽ à Deo opt.max.per reuelationẽ reſcire meruit,quiq; omni virtutũ genere clarus ab hac vita migrauit,ac tandẽ, quãdiu vita comes illi fuit fideliſſimũ eius loci ſyndicũ egit, prope altare,bono Ieſu hoc in loco dicatum,ſepultus eſt. C

De conuentu S.Franciſci Acañizij. Conu. XXXII.

QVOD antiquior conuentus ſub nomine S.Marię veteris ad tertium lapidem ab Acañizio Gallecorum oppido,horrido quodam atque ſalebroſo in loco erectus, nec fratribus plurima ob incommoda,nec ſęcularib. ob ſui diſtantiã atq; viarũ difficultatẽ deſeruiret , hic præſens à Franciſco Henriquez ab Almanza primo Ergauicanorũ Marchione,cuius ad Franciſcanum Inſtitutũ deuotio incredibilis fuit,in præfati oppidi Acañizij ſuburbijs,anno à Chriſto nato 1542.à fundamentis ad apicẽ vſq; extructus, atq; iſtius Prouincię fratribus collatus extitit . Cui etiã Pius IIII.Pont.max.plenariam omniũ peccatorũ indulgentiã pro ijs,qui eius eccleſiã in Dñicę Aſcenſionis,atq; virginis glorioſę Conceptionis feſtiuitatib. ritè viſitauerint,conceſſit. Commorãtur frequẽ- D tius hoc in loco,qui antiquiori multò commodior,multoque auguſtior eſt,25. fratres.

De conu. Dominæ noſtræ de fontibus Aquilarij. Conu. XXXIII.

CONVENTVS hic,glorioſiſſimæ Dominę noſtrę de fontibus dicatus,atq; mille paſſibus ab oppido,cui Hiſpanicè Aquilar de cãpo nomen eſt,ſitus,ab illuſtriſ. Caſtellæ Ammirantibus olim ędificatus, plurimiſq; prędijs , poſſeſſionibus atq; redditibus cumulatus , inſuper & Hieronymianis patribus in habitationẽ ab antiquo collatus extitit.Cumq; poſt diutinam eius habitationem ab ijſdem patribus,anno Domini 1521.derelictus eſſet,Federicus Henriquez Caſtellę tunc Ammiras, ad quem patronatus iure attinebat,eum matrici pręfati oppidi Aquilarij eccleſię tradẽdum curauit. Nec tamen eidem ſubfuit: Nam ſequenti anno , nempe 1522. eodem heroë id procurante , E Tertiarijs patribus Franciſcanis ex apoſtolica auctoritate traditus fuit . Quibus deniq; anno Domini 1561. deficientibus,ad huius Prouincię patres tranſlatus extitit , cùm autẽ Ludouicus Henriquez Caſtellę quoq; Ammiras,atq; pręfati Federici ſucceſſor maximo patrũ Recollectorũ deſiderio teneretur , vt hic locus eiſdẽ in habitationẽ traderetur à Prouincię patribus Salmanticę,anno Dñi 1570. capitulariter congregatis inſtantiſſimè petijt.Quod & obtinuit.Ab eo igitur tẽpore eorũ 16.ibidẽ commorantur. Aſſeruãtur in huius loci tabellario duę bullę à Gregorio XIII.cõceſſę.Quarũ altera 4.Decẽbris,anno Dñi 1576.data plenaria omniũ peccatorũ indulgẽtia ijs omnibus conceditur, qui ritè diſpoſiti,huius conuẽtus eccleſiã pro pace, atq; pro hęreſũ extirpatione in natiuitatis

uitatis

A uitatis glorioſæ Virginis feſto Deũ oraturi viſitauerint. Altera verò, quę 23. Martij anno
Dñi 1580. expedita fuit, huiuſmodi priuilegio altare in honorem B. Marię eadem in ec-
cleſia erectũ donatur: vt videlicet quicunque ſacerdos pro fideli defuncto ſacrum ibi fe-
cerit, eius animam ex Purgatorij pęnis, ſi fortè ijs implicare contigerit, protinus eruat.

De conuentu S. Antonij Salmanticæ. Conu. XXXIIII.

SATISFACTVRI prouidi huius Prouinciæ patres ingenuis adoleſcentibus,
atq; optima indole prędítis, qui mundi illecebris, atque academicis honoribus longè
poſt habitis ad perfectiorem vitam aſpirarent, hũc conuentum, diuo Antonio de Padua-
ſacrum, ex facta ſibi à R. Petro Gonzaluo à Mendoza Salmanticenſium Epiſcopo facul
tate, anno à partu Virgineo 1564. non longè à muris Salmanticæ ciuitatis ædificandũ,
B atque 20. Recollectis patribus, vt tyrones ad ſacram Minorum Religionem accedentes
in paupertate, atque monaſtico rigore felicius inſtruerentur, tradendũ curarunt. Ad cu-
ius ædificationem atque promotionem deuotiſſimi Franciſcus à Parada, atque Anna
Martinez eius vxor Salmanticenſes ciues pinguiſſimam 1500 aureorum eleemoſynam,
præter ſitum, ea tam ē lege poſita, vt perpetuò patribus Recollectis deſeruiat, liberaliſſi
mè contulêre. Quòd verò reliquum eſt operis ex diuerſis fidelium eleemoſynis erectum
eſt. Quot quot fideles confeſſi, atque ſacroſancto Euchariſtiæ ſacramento muniti hanc
ſacram ædem in B. P. Antonij de Padua ſolemnitate pro Eccleſiæ augmento, hæreſum
extirpatione, atq; inter Principes cęteroſq; Chriſtianos pace Deum opt. max. depreca-
turi fuerint ingreſſi, plenariam omnium tranſgreſſionum indulgentiam, idq; ex conceſ-
ſione Gregorij XIII. Pont. max. cuius bulla data Romæ 26. Februarij, anno Dñi 1578. in
C præſentis loci tabellario habetur, cõſequũtur. Nullus alius à pręfatis Frãciſco à Parada,
Anna Martinez eius vxore, eorum ſucceſſoribus, atq; huius loci religioſis, idq; ex lege à
Franciſco & Anna prędictis poſita, in maiori pręſentis eccleſiæ ſacello humari poſſunt.

De conuentu S. Franciſci Tauri. Conu. XXXV.

PRÆSENS atque duo proximè ſubſequentes conuẽtus, quòd certum fundatio-
nis tempus, vel primos ſui fundatores prodere nequeant, locum ſibi in Prouinciæ
catalogo debitum, ſaltim hac in noſtra deſcriptione amiſerunt. Nihilominus tamẽ præ-
ſentis monaſterij Tauri (vulgò Toro) quæ veteris Caſtellæ ciuitas eſt, in ſancti Franciſci
honorem erecti, antiquitas quodammodo expiſcari poteſt. Conſtat ſiquidem ex quibuſ-
dam ſcripturis maius eius ſacellum à nobilibus Taurinisq; ciuibus Ioanne Rodriguez
D de Puerto carrero, eiusq; coniuge Beatrice Barreto, anno Domini 1463. reædificatum
fuiſſe. Qua etiã de cauſa tum ipſis, tum eorum ſucceſſoribus, tũ quoq; ijs qui ex Acuñio-
rum proſapia deſcendunt, idq; affinitatis contractæ ergô, in ſepulturam deſeruit. Quod
tamen, cùm eius contignatio omnimodam minaretur ruinam, à R. Frãciſco de Seſa Al-
merianorum Epiſcopo, anno à Chriſto nato 1520. reſarcitum, imò verius arcuato opere
iteratò ędificatum extitit. Reliquit præterea R. idem Epiſcopus, idq; ex teſtamento mo-
riens, tum ad præfati operis conſummationem, tum quoque ad reliqui ædificij promo-
tionem plura vaſa aurea, atque argentea, pluraq; pretioſa tapetia, pontificium ornamen-
tum quo indutus ſacris operari aſſueuerat, octingẽtos coronatos aureos in pecunia nu-
merata, atque inſtructiſſimam ad huius ſacræ domus ornatum bibliothecam. Quod ve-
rò reliquum eſt in hoc monaſterio ædificij, id pro maiori parte R. Alphonſus à Fonſeca
E Vxamę (vulgò Oſma) Epiſcopus liberalibus ſuis ſumptibus, anno Dñi 1480. reſarciuit,
refecit, imò potius denuò conſtruxit. Eſt nihiloſecius hic conuentus vnus ex totius Pro-
uinciæ præcipuis, frequentiusq; à 60. fratribus inhabitatur. Qua etiam de cauſa ſacræ
Theologiæ ſtudium perpetuò in eo viget. Ad alterum maioris ſacelli latus ſepultus ia-
cet integerrimæ vitę pater ac frater Didacus à Solorzano ex Ineſtroſa oriundus, qui
anno Dominicæ incarnationis 1470. diem clauſit extremum. Huius religioſi patris
humilitas, paupertas, oratio, abſtinentia, charitas, ac reliquæ virtutes, præcipuè ve-
rò in perferendis aſſiduis infirmitatibus, quibus continuò conflictatus fuit, patientia in-
credibiles fuêre. Qua etiam de cauſa, quodq; plurima prophetico ſpiritu prædixerit,
quòdq; etiam mulierum conſortia diligentius vitauerit, ab omnibus Taurinis ſanctus,

Deoq; carus habitus eſt. Quibus etiam loci Guardianus renuere nequiuit, quin eius exanime corpus per integrum diem inſepultum in eccleſia remanſerit. Quo quidem die tantus fuit ad ipſum populi concurſus, vt nunquam talis, tantusq; in ea fuerit: & omnium miſerrimus ille haberetur, qui eius pedes, manus, aut habitũ deoſculatus non fuiſſet. Plurimis hauddubiè gratijs, atque priuilegijs ſacra hæc ædes ex apoſtolica auctoritate gaudet. Nam quicunque altare beatæ Catharinæ virginis in ea erectum die feriali viſitauerit, inibiq; quinquies orationem Dominicam, quinquiesq; ſalutationem Angelicam pro ſanctæ matris Eccleſiæ augmento, pro hæreſum extirpatione, proq; Chriſtianorum Principum concordia deuotè recitauerit, tres plenarias indulgentias, ſi verò id ſibi in annunciationis, aut aſſumptionisglorioſæ virginis Marię, aut etiam beatę Catharinæ ſolemnitatibus contigerit, pleniſſimum iubileum ex ſummi Pont. Pij IIII. conceſſione, anno Domini 1560. facta, conſequetur. Eandem gratiam atque indulgentiam, idq; ex Gregorij XIII. liberalitate, obtinebit ille, qui hanc ipſam eccleſiam à primis veſperis Dominici natalis vſq; ad ſecundas ingreſſus fuerit, precesq; pro ſupra memoratis effectibus fuderit. Præterea quicunque ſacerdos Miſſam in eiuſdem eccleſiæ altari, diuo Quintino dicato, pro aliquo fideli in Purgatorio exiſtente celebrauerit, eius animam ex eiuſdem ſummi Pont. Gregorij XIII. conceſſione, 25. Iunij anno Domini 1578. facta, liberabit. Aſſeruãtur deniq; in huius loci ſacrario tria ex 11. millibus virginum capita, quartum etiam alterius ſancti, cuius nomen nos latet, caput, & aliquot SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, Vincentij, Georgij, Vrſulę, Ceciliæ, Catharinæ, Barbarę, atq; Agnetis oſſa. A B

De conuentu S. Franciſci Villalpandi. Conu. XXXVI.

QVO tempore conuentus hic, B. P. Franciſco ſacer, atque aliquantulum à Villalpando Legionenſis diœceſis oppido erectus, à Conuentualibus Franciſcanis patribus occupabatur, inter præcipua huius Prouinciæ loca ſedem obtinebat. Atqui modò inter media connumerandus venit. Eius antiquitas ex ædificiorum facie, atque ex campana, anno Domini 1283. conflata, (niſi fortè aliunde venerit) ſatis apparet. Quæ tamẽ nulla alia via propter abſumptas incendio, quod huic domui anno 1570. contigit, ſcripturas indagari potuit. Quod verò ad huius loci fundatores attinet, ij ab indubitata traditione huius Prouinciæ fratres, qui ipſum ex eleemoſynis vndequaque acquiſitis ædificandũ curarũt, traduntur. Quod facilè crediderim: cùm nullũ alium ſui patronũ agnoſcat. In altari B. Mariæ de conſolatione dicato per Miſſæ ſacrificium, idq; ex priuilegio ſummi Pont. Gregorij XIII. Romæ 18. Februarij, anno Dominicæ incarnationis 1581. conceſſo, à quocunque ſacerdote huiuſce domus inquilino factum vna anima ex Purgatorij pœnis liberatur. Commorantur frequentius hoc in monaſterio 27. fratres. C D

De conuentu S. Franciſci Ferroli. Conu. XXXVII.

FERROL Gallecorum oppidum eſt, ſpectatq; ad Compoſtellanam diœceſim. Intra eius igitur ſepta conuentus hic, S. Franciſco ſacer, quem 12. fratres occupant, exurgit. Quando autem vel à quo ædificatus fuerit, alijs ex quibuſdam inſignijs eccleſiæ foribus affixis eum, à Rege Caſtellæ Henrico II. qui Petri Crudelis Caſtellæ quoq; Regis frater & occiſor fuit, conſtructum coniecturantibus: alijs verò nobilem quendã Ferdinandum Perez de Andrada, eiuſdem Regis Henrici clientulum, à quo Andradæ Comites deſcenderunt, eius authorem tradentibus, non ſatis conſtat. Sed cum præfati Ferdinandi Perez inſignia aprum atque vrſum contineant, illa verò quæ portæ eccleſiæ affixa ſunt leonem circumſcribant, vtrunque cum verò pugnare videtur. Auſim tamen aſſerere ipſum ab aliquo Andradę Comite maxima pietate & deuotione fuiſſe erectum. E

De Monaſterio S. Claræ Salmanticæ. Mon. I.

CELEBRE S. Claræ monaſterium, quod intra Salmantinæ ciuitatis mœnia erectum conſpicitur, & à 60. Clariſſis, ſed Vrbaniſtis ſororibus inhabitatur, beata virgine Clara adhuc ſuperſtite, nempe anno Domini 1238. ex diuerſis fidelium eleemoſynis, ſub titulo S. Mariæ Salmantinæ ædificari cœpit. Quo etiam tempore huiuſmodi ſorores non Clariſſæ, prout ex bulla quadã Gregorij IX. Pont. max. data anno ſui Pontificatus

A tificatus ij.(de qua inferius) ſatis patet,ſed Damianitæ vocabantur. Beata verò Clara
inter ſanctos relata & hic locus eidem ſacratus , & eius ſorores Clariſſæ impoſterum
nuncupatæ euaſerunt.Quanti verò nominis , quantæq; Religionis hic conuentus per-
petuò extiterit , & apoſtolica ſummorum Pontificum diplomata in eius gratiam atq;
fauorem conceſſa,& S. moniales ibidem defunctæ atque tumulatæ,& aliæ pluriũ con-
uentuum fundatrices,quæ ex eo tanquam ex equo Troiano prodierunt , & Salmanti-
cenſium ad eum deuotio facillimè indicant. Pretioſam ſiquidem mortem in ipſo obiê-
re beata ſoror Maria Suarez,cuius tertia Chronicorum noſtri Ordinis pars lib. 9. cap.
45.abundè meminit. Et ſibi per omnia ſimilis ſoror Agnes, cuius prima epitaphij ver-
ba membranæ impreſſa,vt cœteris eius laus innoteſcat,hîc ſubijciemus. *Anno Domini*
1283. menſe Iulij,in feſto S S. Proceſſi & Martiniani quædam religioſa fœmina nomine Agnes
B *mortem perdidit & vitam inuenit. Hæc religioſa nobilis Agnes dicebatur,quæ Agnum Chriſtũ*
in omnibus ſequebatur: vnde Agnes agnum ſequitur , & in bonis operibus eius filia inuenitur .
Fuit enim hæc religioſa in oratione feruida,in vigilijs ſedula, & in ſeruitio deuota , ab
omnibus dilecta & omnibus cara. Et huius etiam conuentus alumna fuit ſoror Marina
à Turribus , quæ quadraginta continuis annis ſtrenuam in Octodurenſi Clariſſarum
monaſterio Abbatiſſam egit,adeoq; dœmonibus ob eius ſanctitatem formidabilis fuit,
vt illorum plures ad contactum eius cordæ,qua præcingebatur,à poſſeſſis exierint. Aſ-
ſeruantur præterea in huiuſmet loci archiuis ſubſequentes bullæ : Altera ſummi Ponti-
ficis Gregorij IX. qua Damianitas huius monaſterij ſorores Salmanticenſis ciuitatis
Epiſcopo,atque ſenatui commendatiſſimas reddit. Et alia eiuſdem data ibidem eodem
anno atque die,qua Caſtellæ Regem hortatur,quatenus prẹfatas ſorores foueat,com-
C mendatasq; habeat. Et alia eiuſdem data ibidem,eodemq; anno , ſed 4. Februarij , qua
Salmanticenſi Epiſcopo præcipit,vt cumprimùm hoc monaſterium fuerit abſolutum,
eius eccleſiam de religioſo more conſecret,monialesque benedicat . Et alia Innocentij
IIII. ſummi quoque Pont. data Lugduni 17. Februarij anno ſui Pontificatus ij.
qua huius loci eccleſiam viſitantibus viginti dies de iniunctis pœnitentijs remittit . Et
alia eiuſdẽ data apud Ciuitatem Caſtellanam 20. Iunij , anno ſui Pontificatus primo ,
qua Salmantino ſenatui præcipit,vt his ſororibus faueat, ſuiſq; eleemoſynis ædifitium
promoueat. Et alia eiuſdem data ibidem eodem anno,ſed 13. menſis Iunij,qua Salman-
tinæ matricis eccleſiæ Epiſcopum,Decanum, cẹteroſq; canonicos harum ſororum de-
fenſores , protectoreſque conſtituit . Et alia eiuſdem data Laterani die 28. Maij , eo-
dem anno , qua diuinum celebrandi tempore interdicti officium , dummodo id abſ-
D que campanæ pulſu , ſummiſſaque voce perſoluatur , facultatem impertitur . Et alia
eiuſdem data Lugduni die 26. Iunij , anno ſui Pontificatus ſecundo , qua confeſſis ,
ſacraq; confeſſione munitis , atq; huic loco manus adiutrices porrigientibus 40. dierũ
indulgentiarũ concedit. Et alia eiuſdem data ibidem 7. Iulij,anno ſui Pontificatus III.
qua Clariſſis omnibus Regulam,quam ſequantur præſcribit. Et alia eiuſdem data ibi-
dem eodem anno,ſed 21. Auguſti, qua declarat præfatam à ſe editam Regulam huius
loci ſorores ad tria tantùm eſſentialia, nempe caſtitatis, paupertatis, atq; obedientiæ
vota obligare. Et alia eiuſdem data ibidẽ 11. Martij anno ſui Pontificatus viij. qua vt
bonorum perperam acquiſitorum vſq; ad 100. aureorum coronatorum ſummam,
dummodo certus eorum Dominus inuenire non poſſit reſtitutio huic conuentui pro
eius ædificatione fieri poſſit,ex apoſtolica auctoritate concedit. Et alia eiuſdem data
E ibidem,eodemq; anno,ſed menſis Septembris 30. qua 40. dies hanc ſacram ædẽ in eius
dedicatione , atq; in S. Agnetis feſto viſitantibus de iniunctis pœnitentijs relaxat . Et
alia eiuſdem data eodem loco & anno , atq; eiuſdem menſis 20. qua huius monaſterij
ſororibus quæcunq; bona mobilia,& immobilia, dummodo feuda non ſint,à nouiter
aduentantibus accipiendi facultatem facit. Et alia Alexãdri IIII. data Viterbij, anno
ſui Pontificatus iij. menſis verò Decembris prima,qua Caſtellæ,atq; Legionis Reginã
hortatur quatenus huius conuentus ſorores protegere,atq; tueri velit. Idipſumq; Re
gi eius viro alia bulla eodem die,loco & tempore data ſuadet . Hoc etiam ipſum dua-
bus bullis eodem loco & tempore expeditis Salmanticenſium Epiſcopo atq; ſenatui
præcipit. Et alia eiuſdem data eodem loco,& anno,atq; eiuſdem menſis 2. vt ex bonis
per ſur-

per furtum aut uſuram partis, quorum tamen legitimus dominus ignoratur, huic loco vſq; ad ducentorum aureorum ſummam reſtitutio fieri poſſit. Et alia eiuſdem data eodem loco, & tempore, vt huius monaſterij ſorores itinerantes ad quemcunq; ſui Ordinis conuentum abſq; alia quacunq; facultate diuertere poſſint. Et alia eiuſdem data eodem tempore & loco, ne huius ſacræ ædis Abbatiſſa aliquam ſororem ad probationis habitum abſq; maioris partis cæterarum conſenſu recipere valeat. Et alia eiuſdem data ibidem, vt huius loci ſorores quæcunq; bona mobilia & immobilia ad moniales pertinentia, demptis feudis, recipere poſſint. Et alia eiuſdem data ibidem, qua 40. dierum indulgentiam ſacram hanc domũ in feſto dedicationis eius viſitantibus concedit. Et alia eiuſdem data Viterbij 3. Ianuarij, anno ſui Pontific. iiij. qua 100. dies de iniunctis pœnitentis hanc eccleſiam in dedicationis atque conſecrationis eius, in glorioſæ virginis Mariæ, B.P. Franciſci, beati quoq; Antonij de Padua, & ſanctarum Claræ atq; Agnetis ſolemnitatibus, & per eorũ octauas viſitãtibus ex apoſtolica liberalitate remittit. Et alia eiuſdem data eodem loco & anno, ſed 3. Maij, qua Aſturicẽſium Epiſcopo præcipit, quatenus huius loci moniales, conuentum Aſturicæ erigere cupientes, benignè ſuſcipiat. Et alia eiuſdem data eodem loco & anno, ſed 14. Decembris, qua huiuſmet ſororibus omnes gratias, omniaq; priuilegia Franciſcanis à ſummis Pontificibus conceſſa impertitur. Et alia Clementis Papæ IIII. data Peruſij. 4. Maij, anno ſui Pontificatus primo, qua centum dierum indulgentiam hanc eccleſiã in ſolemnitatibus natiuitatis, & aſſumptionis glorioſæ uirginis Mariæ, atq; S. Claræ, & per earum octauas deuotè uiſitantibus concedit. Et alia eiuſdem data ibidem eodẽ anno, qua huius loci moniales Caſtellę Regi ſummè commendat. Et alia eiuſdem data ibidem, eodem anno, ſed 7. Auguſti, qua 40. dies de impoſitis pœnitentijs hãc ſacrã ędem orationis ergo in feſtiuitatibus SS. Catharinę & Agnetis ingredientibus liberaliter remittit. Et alia Gregorij ſummi quoq; Pont. vt huius loci moniales prẹfata bona mobilia atq; immobilia, demptis feudis, hęreditario iure obtinere poſſint. Et alia bulla Nicolai Papę IIII. data Viterbij 5. Septẽbris, anno ſui Potificatus primo, qua idipſum confirmat, conceditq;. Et alia eiuſdem data ibidem eodem tempore, qua omnes gratias atque priuilegia huic monaſterio à ſuis prædeceſſoribus conceſſa confirmat.

Aſſeruantur deniq; in ijſdem archiuis ſubſequentia Caſtellæ Regum priuilegia. Alterum quidem Regis Caſtellæ Sanctij IIII. datũ Salmanticæ, quo tres eiuſdem ciuitatis reddituarios huius monaſterij vſibus adiudicat. Quod priuilegium à Ferdinãdo III. & Ioanne primo eiuſdẽ Caſtellæ Regibus, atq; illius ſucceſſoribus confirmatum extitit. Et aliud eiuſdem Sanctij IIII. quo iuxta ſummorum Pontificum diplomata huius loci monialibus concedit, quatenus hæreditariæ portionis ſibi vel à conſanguineis, vel à parentibus obuenientis capaces ſint. Fuit hoc priuilegium & à præfato Ferdinãdo IIII. & ab Alphonſo XI. Caſtellæ Regibus confirmatũ. Et aliud præmemorati Ferdinandi IIII. datũ Salmanticæ, quo regionum trium reddituariorum Salmantinæ ciuitatis prouentus huic monaſterio concedit. Et hoc priuilegium ab Alphonſo XI. Petro Crudeli, Henrico II. atq; Ioanne primo Caſtellæ Regibus confirmatũ fuit. A cętero, quæ ſubſequuntur ſacroſanctę reliquiæ, in præſentis conuentus ſacrario habentur. Nempe ex veſtibus Saluatoris Chriſti, & ex oſſibus S. Ioãnis Baptiſtę, atq; SS. Apoſtolorum Thomę, Matthęi, Petri, Barnabę, Matthię, atq; Marci. Item ex oſſibus SS. Laurentij, Sebaſtiani, Blaſij Thomę Cantuarienſis, Martini Epiſcopi, Dominici, Bernardi, Aegidij, atq; Alexij. Inſuper & ex oſſibus SS. Catharinæ, Luciæ, Agathæ, Emerentianæ, Petronillæ, Claræ, atq; Mariæ Aegyptiacę. Ex velis. SS. Iuſtæ & Rufinæ: Ex ueſte S. Anaſtaſię: Ex ſanguine SS. Innocentum: Ex uirga Moyſis: Ex lapide ſuper quem beatus Iacobus Apoſtolus decapitatus fuit; Ex ſepulcro beatæ Mariæ Magdalenæ; corporalia quædam beatę uirginis Clarę manibus compoſita; & integrum caput S. Gilberti.

De monaſterio S. Claræ Zamoræ. *Mon. II.*

ANNO à partu Virgineo 1229. à quibuſdam beatę virginis Clarę diſcipulis (niſi nos communis receptiſſimaq; fallit traditio) monaſterium quoddam ſub titulo S. Franciſci Sabuloſi, ad tertiũ milliare à ciuitate Zamora ex collectis undequaq; eleemoſynis

A moſynis erectum fuit: in quo cum ſuperuenientibus ſacris uirginibus illę per quadraginta annos ſanctiſſimè commoratæ ſunt. Sed cùm eorum habitationi minus faueret, eo monaſterio derelicto, aliud multò commodius, multoq; auguſtius in ciuitatis Zamoranæ ſuburbijs tum ex publicis, tum quoque ex priuatis ciuium largitionibus, ad beatæ virginis Claræ honorem, ædificandum curarunt: in quo 50. Clariſſæ de ſecunda Regula ſorores impræſentiarum perſeuerant. Eius igitur tabellarium ſcrutantibus, quæ ſequuntur, Pontificiæ bullæ occurrent: Altera quidem Innocentij IIII. ſummi Pont. data Laterani 5. Aprilis, Pontificatus ſui anno ij. qua huius loci ſororibus bona in communi poſſidenda concedit. Et altera eiuſdem data Lugduni 27. Aprilis, anno ſui Pontificatus 3. qua antiquioris conuentus S. Franciſci Sabuloſi ſorores tum generali totius Ordinis, tum quoque prouinciali huius Prouinciæ Miniſtris in omnibus ſubmittit. Et altera
B eiuſdem data loco & anno ijſdem ſed 24. Octobris, qua R. Legionenſium Epiſcopum, atque Pelleianum Abbatem huius loci ſororum defenſores, atque conſeruatores conſtituit. Et altera eiuſdem data ibidem eodem anno, qua præfatis monialibus viuendi modum pręſcribit. Et altera Alexandri. IIII. Pon. max. data Laterani 23. Ianuarij, Pontificatus ſui anno 2. qua annuos redditus poſſidendi, neophytarumq; ſororum dotes recipiendi facultatem impertitur. Et altera eiuſdem data loco & anno ijſdem, ſed Ianuarij 26. qua Zamorenſium, atq; Salmantinorum Epiſcopos harum ſororũ, earumdemq; bonorum defenſores patronoſq; conſtituit. Et altera eiuſdem data ibidem 21. Ianuarij, anno ſui Pontificatus iij. qua eiſdem ſororibus pręcipit, quatenus uiuendi modum ſibi ab eius prędeceſſore Innocentio IIII. pręſcriptum teneant, obſeruentq;. Et altera bulla Martini Papę V. data Romę 12. Iulij, anno ſui Pontificatus vj. qua pręfatis
C monialibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam in mortis articulo à ſacerdote, dummodò ſibi peccata ſacramentali in confeſſione reuelauerint, impertiendam ex apoſtolica auctoritate concedit. Nec ſacris reliquijs deſtituitur hic locus, cùm eius ſacrariũ ſequentibus honeſtetur: Nempe oſſibus SS. Apoſtolorum Petri, Bartholomæi, Philippi, Andreę, & vtriuſq; Iacobi: Item oſſibus SS. Blaſij, Laurentij, Sebaſtiani, Geneſij, Georgij, Onuphrij, Romani, Chriſtophori, Gordiani, Viti, Modeſti, atq; Mauritij martyrum: Item reliquijs SS. Hieronymi, Silueſtri, Auguſtini, Ambroſij, Leonis, Nicolai, Martini, Ildefonſi, Franciſci, Dominici, Vincentij, atq; Friderici: Item oſſibus SS. Margaretæ, Barbaræ, Ceciliæ, Catharinæ, Lucię, Priſcę, Mariæ Magdalenę, Dorothęę, Brigidæ, atq; Eliſabethæ Vngaræ. Item duobus capitibus ex 11. millibus virginum, & altero brachiorum S. Eraſmi. Particulis itidem terrę S. ſepulcri, fragmento nauiculæ
D beati Petri Apoſtoli, cappæ S. Dominici, veli atq; cilicij B. virginis Claræ, Ac tandem corporalibus ab ipſamet B. Clara compoſitis, & cochleario, quo eadem ſancta vtebatur.

De monaſterio S. Claræ Tauri. *Mon.* *III.*

CLARISSARVM monaſterium, quod Tauri beata virgine Clara eius tutelari ſurrigit, & à 60. ſororibus de ſecunda eiuſdem Regula inhabitatur, à ſereniſſima Berenguela Alphonſi X. atque Violantis illius vxoris Caſtellę Regum filia, anno à partu Virgineo 1255. à fundamentis extructum, breuiq; temporis interuallo abſolutum fuit. Pientiſſima præfata fundatrix in maiori huius monaſterij ſacello, ad latus ſacro decantando Euangelio deputatum, moriens ſepeliri voluit. Idq; mauſoleum affabrè ibidẽ erectũ facillimè indicat. Idem ſacellum cũ reliqua eccleſia illuſtrius reddunt
E religioſſima ſororis Marię à Turribus corpus ibidem tumulatum, altera ex Dominicę coronæ ſpinis, atq; plures abſq; titulis tamen ſanctorum reliquię, Huic deniq; monaſterio ſereniſſimus Caſtellę Rex Ioannes II. ſeptem Taurinæ ciuitatis reddituarios, datis litteris 15. menſis Martij, anno verò Domini 1408. ea tamen lege poſita, vt Miſſam pro præfatę fundatricis anima quotannis celebrandam curent, mancipauit.

De monaſterio S. Claræ Beneuenti. *Mon.* *IIII.*

QVEMADMODVM ex quadã Gregorij X. Pon. max. bulla data anno Dominicę incarnationis 1271. & ex alio Alphonſi X. Caſtellę Regis priuilegio patet, hoc Clariſſarũ monaſteriũ, quod Beneuentanæ ciuitatis apud Hiſpanos muris circumſcribitur,

tur,tituloq; S.virginis Claræ honeſtatur, atq; à 60.ſororibus de ſecunda eiuſdem virginis Regula incolitur,aliquantulum à præfatis muris ex diuerſis fideliū eleemoſynis, à trecentis annis & vltrà primò exædificatum fuit.Cumq; bella eis in partibus,anno Domini 1388. vigerent, ne moniales mœnibus valloq; ciuitatis excluſæ à ſuperueniente importuno milite moleſtiarum aliquid paterentur, pientiſſimus Caſtellæ Rex Ioannes I. illud ad eiuſdē vrbis interiora tranferendum curauit. Eſtq; id de quo impræſentiarū. Quòd & ſequentibus tum pontificijs,tum quoq; regijs litteris, in eius archiuis diligentius cuſtoditis,exornatur.Et primò quidem bulla quadam Nicolai III. Pont.max. data Viterbij 5. Septembris, anno ſui Pontificatus primo, qua huius loci tum ſorores, tum quoq; cœtera bona ſub ſui protectionem recipit. Et alia eiuſdem data ibidem eodē tempore,qua cuncta priuilegia tum à ſummis Pontificibus eius prędeceſſoribus, tū quoq; à Caſtellæ Regibus ad ſua vſq; tempora huic eidem loco conceſſa confirmat, rataq; habet.Et alia eiuſdē data eodem loco & tempore ſuperius citatis, qua Ciuitatenſem Epiſcopum omnium tum huius loci ſororum,tum quoq; bonorum conſeruatorem, defenſoremq; conſtituit. Et alia eiuſdem data vt ſupra,vt huius monaſterij moniales, etiam profeſſæ cuiuſcunq; hæreditatis, demptis feudis, capaces eſſe poſſint. Et alia Martini Papæ IIII.data apud Ciuitatem Veterem 11.Martij,anno ſui Potificatus primo,qua huius cœnobij monialibus,quatenus generalis interdicti tempore clauſo oſtio,campanaq; non pulſata & diuinum officium perſoluere,atq; Miſſæ ſacrificio intereſſe poſſint,dum modo ipſe,vel celebrans interdicto cauſam non miniſtrauerint, ex apoſtolica auctoritate concedit. Et alia eiuſdē data ibidem 12.Aprilis anno ſui Pontificatus ij. qua omnia priuilegia huic ſacræ ædi à ſuis prædeceſſoribus, atq; à Caſtellæ Regibus impertita approbat,confirmatque.Ac tum demum priuilegio quodam Sanctij IIII.Caſtellę Regis quo huius loci moniales, earumq; œconomus ab omni impoſitione regia immunes redduntur.Quod quidem priuilegium à Caſtellæ quoq; Regibus Ferdinando IIII.Ioāne II.& Alphonſo XI. pro ea qua in eas pietate amoreq; ferebātur, confirmatū extitit.

A B C

De monaſterio Sanctæ Claræ Ianaſi. Mon. V.

PROVT ex quibuſdam Caſtellæ Regū Henrici,atq; Alphonſi priuilegijs conſtat, præſens monaſterium,beatæ virgini Claræ ſacrum,atq; in ciuitatis Compoſtellanę ſuburbijs ſitum, quendam Caſtellæ Regem ſui fundatorē,authoremq; habuit.Sed quis ille fuerit nō ſatis patet.Ipſum nihilominus incolunt 50. moniales de ſecunda beatę virginis Claræ Regula,ex præfatorum Regum indulto ab omni regia impoſitione immunes. Antiquitate non caret hic locus, cùm ante annum Domini 1289. ædificatum extiterit. Idq; profecto nullus inficiari poterit, cùm ex quadam quadraginta dierū indulgentia Reati à quatuor Archiepiſcopis, atq; ſexdecim Epiſcopis omnibus huius loci eccleſiam in feſtiuitatibus Natiuitatis,Reſurrectionis & Aſcēſionis Chriſti Domini, in die Pentecoſtes, Inuentionisq; S. crucis, in quatuor glorioſæ virginis Mariæ ſolemnitatibus, & in feſtis omnium Apoſtolorum, ſanctorumq; Laurentij,cuius caput ibidem religioſè cuſtoditur, Vincentij,Stephani, Sebaſtiani, Blaſij, Felicis, Axametis, Gregorij, Alexij,Chriſtophori,Siluestri,Auguſtini,Hieronymi,Ambroſij,Ægidij,Benedicti,Frāciſci,Dominici, Antonij de Padua, Bernardini, atq; SS.Mariæ Magdalenæ,Catharinę, Margaretæ,Agathæ,Luciæ,Praxedis,Barbaræ,Priſcæ,Scholaſticæ,nec nō & S. Vrſulæ diebus, inſuper & feria quarta cinerum, in paraſceue, & in anniuerſaria dedicationis eiuſdem die viſitantibus conceſſa manifeſtū omnino euadat. Præfatæ indulgentiæ originales litterę in huius monaſterij archiuis accuratiſſimè aſſeruantur,cuſtodiunturq;.

D E

De monaſterio S. Claræ Allarizij. Mon. VI.

CVM ſereniſſima Violans Caſtellæ Regina, atq; eius Alphonſi X. Caſtellę Regis, qui per antonomaſiā ſapiens cognominatus eſt,cariſſima vxor ſumma in beatam Claram,eiuſq; familiā deuotione ferretur,ad præſentis monaſterij,beatæ virgini Claræ ſacri,atq; Allarizij (Hiſpanicè Allariz) quod Orenſanæ diœceſis oppidū eſt,erecti ędificationem ſe ex voto obligauit.Congeſtis itaq; omnibus in medium neceſſarijs,ipſum ex proprijs facultatibus vita comite a fundamentis, anno Domini 1292. extruendum,

atque

A atq; tandem peregrinationi cuidam intenta moriens ex teſtamento ex iiſdem facultatibus omnino abſoluendum curauit. In huius loci choro duo præfatæ fundatricis nepotes, Philippus videlicet & Margareta, inſuper & Rodericus Paëz de Biezma, atque Ioannes Rodericus à Biezma ambo Montis regij apud Gallecos Vicemotes erectis quatuor mauſoleis reconditi ſunt. In altero verò eccleſiæ ſacellorum beatus pater Garſias Blandes præfatæ Violantis Reginæ, atq; huius loci ſororum, quæ impræſentiarum ſunt quinquaginta numero, aliquando cōfeſſarius, & huius Prouinciæ Miniſter in Domino quieſcit. Cuius meritis plura indies beneficia Deus opt. max. fidelibus, præſertim ipſis monialibus, quarum ad ipſum deuotio incredibilis eſt, impertitur: cuiusq; 3. Chronicorum noſtri Ordinis pars abundè meminit. Aſſeruantur à cętero in huius monaſterij cartophylacio, quæ ſequuntur, pontificiæ bullę. Altera nempe Nicolai IIII. data Romę
B 20. Aprilis, anno ſui Pontificatus j. qua huius conuentus ſorores ab omni regia exactione immunes redduntur. Et alia eiuſdem data apud Ciuitatem Veterem 3. menſis Februarij, anno ſui Pontificatus 3. qua Epiſcopo Orenſano præcipit, vt primum lapidem huius ſacræ ædis fundamentalem benedicat. Et alia eiuſdem data ibidem, qua eaſdem moniales ab omni interdicto, dummodo eidem cauſam non miniſtrauerint, ex apoſtolica auctoritate eximit. Et alia eiuſdem data vt ſuprà, qua præfatas ſorores ab omni Orenſani Epiſcopi excommunicatione & cenſura liberas eſſe vult. Et alia eiuſdem data ibidem, qua centum dies de iniunctis pęnitentijs hanc ſacrā ædem in Natiuitatis, Annunciationis, Purificationis & Aſſumptionis B. Marię virginis, ac SS. Frācíſci, Antonij, Clarę atq; Eliſabethæ feſtiuitatibus, & per earum octauas orationis ergò introeuntibus ex apoſtolica facultate remittit. Et alia eiuſdem data etiā ibidem, eodem anno, ſed menſis Octo-
C bris 16. qua ſuę protectioni huius monaſterij bona ſubmittit. Et alia eiuſdē Nicolai IIII. data quoq; apud Ciuitatem Veterem 27. Septembris, anno ſui Pontificatus iiij. qua vniuerſa Clariſſarum monaſteria ab omni exactione libera vult. Et alia Bonifacij VIII. data Anagniæ 3. Iulij anno ſui Pontificatus ij. qua proximè præcedenti Nicolai IIII. diplomati ſubſcribit. Et alia Martini V. data Romę 24. Iulij, anno ſui Pontificatus viij. qua ſub ſui, Sedisq; apoſtolicę protectione tum præſentia, tum quoq; futura huius monaſterij bona recipit. Cuſtodiuntur inſuper in huius conuentus ſacrario, quæ ſubſequuntur, reliquiæ. Duæ videlicet paruæ cruces ex Dominicæ crucis ligno frabrefactæ, ex pueri Ieſu faſcia, ex eiuſdem cunabulis & ſepulcro, quidam beati Apoſtoli Bartholomæi digitus, ex ſanctorum Romani, & Sabbæ Abbatis oſſibus, ex crinibus, habitu & velo beatæ virginis Claræ, quædam eiuſdem corda, atque ex ſanctæ Criſpinæ cucufa.

D *De monaſterio S. Claræ Pontiſuedri.* *Mon. VII.*

SI quis de nobilis fœminæ Maioris Perez in B. Claram, eiusq; ſobolem fide atque voluntate dubitauerit, is præſentis monaſterij, quod ſub titulo S. Clarę Pōtiſuedri ſurrigit, & à 37. Clariſſis Vrbaniſtis inhabitatur, archiuos cōſulat, eiusq; monumenta ſcrutetur, & huiuſmodi dubitationem à ſe longius propulſabit. Ex ijs namq;, quot illa prædia, quotq; domos atq; redditus pręfato huic monaſterio contulerit, facillimè addiſcet. Attamen quis eius primus fundator, primusq; author extiterit, nullo pacto ex præfatis monumentis reſcire poterit: niſi quòd anno à partu Virgineo 1510. vltimam artificis manum expertus ſit. Prima huius loci Abbatiſſa, quæ & ſoror Leonora Rodriguez appellabatur, plura miracula edidiſſe fertur: qua etiam de cauſa eius corpus, in ſacra hu-
E ius conuentus æde ſepultum, in maxima eſt apud omnes veneratione. A ſacra quadam cruce ex eius ligno, in qua Chriſtus mundi Saluator pronobis pependit, fabrefacta nihil aliud ſacrarum reliquiarum hoc in loco inuenitur, quare his ſuperſedendū puto.

De monaſterio S. Claræ Aſturicæ Auguſtæ. *Mon. VIII.*

QVANTA fuerit Aluari Nuñeſii Oſorii Lemoſianorum Comitis, atq; primi Caſtellæ, Legionisq; Regis Alphonſi XI. Oeconomi, ad Clariſſarum Ordinem pietas, quantaq; deuotio, vel ſaltem ex præſenti monaſterio, quod ille ſuis ſumptibus non longè ab Aſturica Auguſta (vulgo Aſtorga) Hiſpaniæ Tarraconenſis ciuitate, anno Domini 1328. à fundamentis ad apicem vſq; ſub titulo S. Claræ ædificandum curauit, colligere

colligere quis facillimè poterit. Id enim & ab eo(vt præfati ſumus)conſtructum,& ſufficientibus redditibus ad commodam 50. Clariſſarum, ſed Vrbaniſtarum habitationẽ dotatũ extitit. Quod tamen ab eo temporis adeò tum ex aduentantium ſororum dotibus, tum quoq; ex eleemoſynis vltrò à fidelibus oblatis dilatatum eſt, vt nonaginta ſorores commodè ſatis impræſentiarum capiat, contineatque. Cuius præterea decorẽ caput vnius ex vndecim millibus virginũ, pars eius aſſeris cui Chriſtus Dominus genibus innixus Diſcipulorum pedes lauit, fragmentum eius ſcalæ per quam idem mundi Saluator ad Pilatum iudicandus aſcendit, fragmentum itidem menſæ in qua cum iiſdem Diſcipulis vltimam idem Chriſtus cœnam fecit, particulæ veli glorioſæ virginis Mariæ, habitus beati patris Franſciſci, ſtolæ beati patris Dominici, atq; induſij S. Demetrij martyris, aliquantulum ſanguinis. S. Blaſij Epiſcopi & martyris, & aliquot oſſa SS. Petri Apoſtoli, Coſmæ, Sebaſtiani, Chriſtophori, Blaſij, Lazari, Benedicti, Pantaleonis, Hermetis, Agapiti, Iuſtini, & Ioannis Chryſoſtomi, atq; SS. Agathæ & Luciæ mirũ in modum adaugent. Sunt deniq; huius loci moniales, idq; ex quodam Alphonſi XI. Caſtellæ, Legionisq; Regis priuilegio, ab omni Regia exactione immunes, atque liberæ.

De monaſterio ſanctæ Claræ Villeluporum. Mon. IX.

CVM pietiſſimi Ferdinandus Rodriguez Oſorius, eiusq; cariſſima cõiunx Agnes à Zerda quendam Clariſſarum conuentum ex communibus facultatibus ædificare decreuiſſent, atq; re infecta Ferdinandus è viuis exceſiſſet, prouida vxor, ne quid ſibi ſimile contingeret, propriam domum, quam intra oppidi Villelupi(vulgò Villalobos)muros obtinebat, poſſidebatque, in monaſterium, coædificata ſibi ſub titulo ſanctæ Claræ eleganti eccleſia, anno à Chriſto Saluatore nato 1386. euehendum, atq; ſufficiẽtibus, honeſtisq; redditibus cumulandum curauit. Incolunt frequentius hoc monaſterium perquam religioſæ 50. moniales de ſecunda(vt vocant)B. virginis Claræ Regula.

De monaſterio S. Claræ Brigatij. Mon. X.

QVAMVIS aliqui hoc monaſterium, à 40. Clariſſis Vrbaniſtis inhabitatũ, atq; aliquantulum à Brigatio (vulgò Ouiedo) ciuitate ſub titulo S. Claræ erectum, à tribus eiuſdem Ordinis, ſed Beneuentani apud Hiſpanos conuentus ædificatum velint; alijq; id omnino inficiantur, aſſerantq; illud cuiuſdam Brigatianæ viduæ ſumptibus conſtructum: neutra tamen illorum ſententia, quòd vtraq; fideliò teſtimonio careat, mihi probatur. Quamobrem id tantùm, quod & certiſſimum eſt, in mediũ adducam, ipſum videlicet circa annum 46. erectum fuiſſe. Quis tamen eius author, fundatorq; extiterit, nec certa traditione, nec ſcripto conſtat. Mortem obijt hoc in conuentu, anno Domini 1533. deuotiſſima ſoror Clara Rodriguez, cuius abſtinentia incredibilis, oratio feruentiſſima, humilitas profunda, ſilentium perpetuum atq; charitas ardentiſſima fuit. Quapropter, quodq; ante eius tranſitum dulciſſimus quidam lyræ ſonus à ſibi aſtantibus ſororibus auditus extiterit, cum Domino regnare exiſtimatur.

De monaſterio S. Claræ Villæfrechioſi. Mon. XI.

PROVT ex quodam Benedicti XIII. diplomate dato Niciæ 16. Septembris, anno Domini 1408. edocemur, hoc monaſterium, beatę virgini Claræ ſacrum, ac intra muros eius oppidi, quod Hiſpanicè Villafrechos nũcupatur, attinetq; ad Legionenſem diœceſim, erectum, atq; à 60. Clariſſis Vrbaniſtis inhabitatum, ab Vrraca Guſmania eiuſdem oppidi Domina temporali, anno à mundi redemptione 1410. conſtructum, plurimisq; prędijs, poſſeſſionibus atq; redditibus dotatum fuit. Ipſa verò nobilis Vrraca ſumpto Clariſſarum habitu, & ſolemne votum de religioſo more emiſit, & primam huius loci Abbatiſſam ſtrenuè egit. Cùm autem poſt elapſum ab eius profeſſione triennium nobiles quidã aliquot prædia huic loco mãcipata vſurpare, atq; per vim auferre niterentur, intenderentque, præfatus Benedictus XIII. edito diplomate reuerẽdiſſimos Legionenſium, Palentinorũ atq; Zamorenſium Epiſcopos huius loci, eiuſq; ſororũ defenſores, conſeruatoresque inſtituit: eiſq; præcepit, vt ipſas atq; locum ab omni violentia, atq; tyrannide vindicarent, tuerenturque. Gaudet deniq; conuentus hic, idq; ex

A idq; ex duplici gratia ſib à Ioanne II. Caſtellæ Legionisq; Rege, anno Domini 1410. & 1421. facta, & ab Henrico IIII. Ferdinandoq; Regibus, nec non & à Regina Ioanna confirmata, ijs prouentibus, qui à ſex huius oppidi reddituarijs Regi obueniebant.

De monaſterio Dominæ noſtræ portæ cœli de Spineto. Mon. XII.

A pago ſpineto 200. paſſibus Salamantinæ diœceſis, atq; monticuli cuiuſdam arboribus veſtiti radices, hoc monaſterium, Dominæ noſtræ portæ cœli de Spineto ſacrum, atq; à 60. Tertiarijs ſororibus incultum, ſurrigit. Quod quidem Gomezulus de Venauides oppidi Fromeſte temporalis Dominus, anno 1444. à fundamẽtis ædificari, atq; ſufficientibus prædijs, redditibuſq; dotari curauit. Cùm autem præfatæ ſorores per 20. annos, nempe ab anno 1444. vſq; ad annum 1464. egrediendi ſepta
B monaſterij libertate gauiſæ fuiſſent, ſua ſponte ei cedentes, quarto voto clauſuræ videlicet ſolemniter aſtringi voluêre. Præterea vale Tertiarijs eiuſdem Ordinis patribus, quibus per idem temporis ſubfuerant, ex apoſtolica Pauli II. ſummi Pont. auctoritate facta 26. Septembris eiuſdem anni 1464. prius dicto, ſe huius Prouinciæ Miniſtri correctioni ſubmiſerunt. Viguit hoc in loco à prima ſui erectione ad præſens vſq; tempus regularis diſciplina, diuinus cultus, atq; ſumma religio: quapropter plures ſanctiſſimæ virgines hinc prodierunt. Nec mirum ſanè, cùm ipſe locus ad præfatas cæteraſq; virtutes excolendas aptiſſimus ſit: eſt enim amœnus, atq; ab hominum frequentia omnino ſemotus: & clementi, ſaluberrimoq; cœlo gaudet. Duplici præterea venerabili imagine ſacra hæc ædes inſignitur: altera Crucifixi in choro erecti, ad quam tum ſorores, tum quoq; ſæculares maxima feruntur deuotione,
C & altera B. Mariæ portæ cœli miraculis, quorum vnum aut alterum hic ſubijciam, omnino illuſtri. Cùm enim honeſta quædã matrona ex Norba Cæſarea, vulgò Alcantara, oriunda, grauida vterinam ſororem monialem inuiſura hunc locum petijſſet, atq; immaturo partu præuenta animam ageret, ita vt nihil minus ab eius ſalute ſperaretur, ab hac imagine viſitata pręter omnium ſpem ex tempore miraculoſè conualuit. Et pater ac frater Franciſcus de Rabanales harum ſororum Confeſſarius, cùm computreſcentibus eius tibijs nihil aliud à morte operiretur, facto maxima cum fiducia ad huius imaginis altare ſacro, omnino incolumis ex tempore mirabiliter euaſit.

De monaſterio S. Claræ fontis Sambuci. Mon. XIII.

CVM moriens pius vir Petrus à Fonte cariſſimam ſibi coniugem Mariam San-
D chez hęredem ex aſſe inſtituiſſet, proprium nepotem Ioannem à Leone nomine Bacalarium ea poſita lege ſibi ſubſtituit, vt poſt illius tranſitum quicquid bonorum reſidui eſſet, id totũ in vnius xenodochij, ad pauperes peregrinoſq; excipiendos, conſtructione conſummeret. Verùm pręfatus Bacalarius Ioãnes à Leone Paulo III. Põt. max. ſupplicauit, quatenus ſibi Clariſſarum monaſterium intra Fontis Sambuci patrij, atq; Salmaticenſis diœceſis oppidi mœnia, ex pręfata hęreditate conſtrui liceret. Pijs itaq; eius votis annuente pręfato ſummo Pont. Paulo III. expedita bulla, ſub datum Romę 26. menſis Octobris, anno ſui Pontificatus iiij. hoc monaſterium, S. Clarę dicatum, quod 26. Clariſſę ſorores Vrbaniſtę incolunt, anno 1538. ędificatũ fuit.

De monaſterio Corporis Chriſti Salmanticæ. Mon. XIIII.

E CVM perdeuotus Chriſtophorus Suarez Salmanticenſis ciuis, ac regius Quęſtor pręſens monaſterium, ſanctiſſimo Corpori Chriſti ſacrum, quod 35. Clariſſę ſorores Vrbaniſtę pro votis incolunt, intra Salmanticenſis ciuitatis męnia, anno Domini 1538. à fundamentis magnificè ſatis extruendum, temporiſq; ſucceſſu ex proprijs facultatibus abſoluendum, atq; honeſtè dotandũ, ex facultate ſibi à R. Ioanne Poggio apoſtolico Nuncio, atq; ſummi Pont. Pauli III. à latere Legato Pincijs 13. Septẽbris, anno verò Pontificatus eiuſdem Pauli III. facta quartò, curaſſet: vt tandem quod piè pręſtiterat, ſecurioribus atq; fœlicioribus auibus perſeueraret, huiuſmodi facultatem ſibi à Paulo III. Pont. max. anno 1541. ſupplex confirmari curauit. Differunt tamen huius loci, in cuius archiuis vtraq; facultas (cuius ſupra meminimus) aſſeruatur, ſoro-

res à cæteris Clariſſis,quòd iſtæ ſimplici habitu,illæ verò ſericea cruce rubea,in cuius meditullio calix cũ erecta hoſtia conſpicitur,ad pectus ex fundatoris mãdato vtantur. Quod hauddubiè ob loci inuocationẽ illis accedit. Quicunq; in altari ſanctiſſimo Crucifixo in hac ſacra æde erecto ſacrũ vel fecerit vel fieri curauerit, vel ipſum preces ad Altiſſimum fuſurus viſitauerit, vel eleemoſynã ad lampadẽ coram ſacramento accenſam confouendã contulerit,is ex apoſtolico Pauli III.Pont.max.indulto oẽs indulgẽtias eccleſiæ D. Sebaſtiani ad Catacũbas à ſummis Pontificibus cõceſſas promerebitur. A

De monaſterio S. Claræ Ribadei. Mon. XV.

NVLLO pacto inueſtigari potuit,quiſnam præſentis monaſterij, quod non longè à Ribadeo Gallecorum oppido ſub inuocatione beatæ virginis Claræ ſurrigit, & à quinquaginta Clariſſis ſororibus inhabitatur, author fundatorq; fuerit, vel quo tempore ædificatum extiterit: quapropter ad alia noſtri inſtituti properabimus. B

De monaſterio Conceptionis Legionis. Mon. XVI.

CVM illuſtriſſima Ioanna Henriquez prima Lunẽſium Comitiſſa, propriam domum ad monaſterij dignitatem promouere ſtatuiſſet, nec id morte præuẽta executioni mandare potuiſſet, ne pia parens tanta ſpe fruſtraretur, cariſſima eius filia, Leonora Quiñionia quòd illa animo conceperat,pientiſſimè executa eſt. Collatis itaq; in medium omnibus ad tãtum opus neceſſarijs,hoc ſacrum monaſterium,immaculatę Deiparæ Virginis Conceptioni dicatum,intra mœnia eius ciuitatis, cui Legio Germanica nomen eſt, anno reſtitutæ ſalutis 1518. ex apoſtolica ſibi facta facultate à fundamentis extruendum,honeſtiſq; poſſeſſionibus,prædijs, atq; redditibus cumulandum, C atq; ſequentibus prærogatiuis à Clemente VII. ac Paulo III. ſummis Pontificibus, ad vterini eius fratris,illuſtriſſimi ſcilicet ac R.P.F.Franciſci Quiñionij S.R.E. Cardinalis,atq; totius noſtri Ordinis olim generalis Miniſtri inſtantiam conceſſis,inſigniendum curauit: Vt videlicet quicunq; Conceptioniſtico habitu indutus hoc in loco ſepultus fuerit, omnes gratias ac indulgentias Minoritico in habitu decedentibus conceſſas aſſequatur, vtq; quiſquis ſacræ huius ædis altare,in quo plures SS. reliquiæ à præfato R.Cardinale fratre Franciſco Quiñionio ex vrbe Roma tranſmiſſæ aſſeruantur,in Natiuitatis,atq; Reſurrectionis Dominicæ,in S. Crucis, atque Pentecoſtes, in Conceptionis, Natiuitatis, & Aſſumptionis beatæ virginis Mariæ ſolemnitatibus, & in ſanctorũ Ioannis Baptiſtæ, Philippi,atq; Iacobi Apoſtolorum, Lucæ Euangeliſtæ, Marię Magdalenæ, atque vndecim millium virginum feſtiuitatibus viſitauerit, omnes indulgentias,quæ ijſdem diebus Romæ conceduntur,ex apoſtolica liberalitate aſſequatur. Prę- D terea,vt quotquot hanc ſacram ædem, quam triginta tres Conceptioniſtæ ſorores frequentius incolunt, ipſa die glorioſæ Conceptioni beatæ Virginis ſacra,orationis ergò ingreſſi fuerint, plenariam omnium peccatorum indulgentiam percipiant. Cohoneſtatur inſuper ſacra hæc domus particulis tituli Dominicæ crucis, ligni eiuſdem crucis,earum virgarum quibus Chriſtus Dominus cæſus eſt,eius columnæ ad quam idem mundi Saluator alligatus fuit, atque velorum ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ, diuę Mariæ Magdalenes, & beatæ Claræ: inſuper & aliquot oſſibus ſanctorum Philippi Apoſtoli, Lucæ Euangeliſtæ, Blaſij, Coſmæ,Feliciſſimiq; martyrum, Dominici confeſſoris,Hilarionis Abbatis,& SS.Margaretę,Brigidę, Petronillę, atq; 11.millium virginum: nec non & capite vnius ex SS.Innocentibus, atq; alio itidem capite alterius ex E vndecim millibus virginum: ac tandẽ particulis eius gladij, quo beata Catharina capite truncata extitit,crucis boni latronis,atq; habitus ſeraphici patris noſtri Frãciſci.

De monaſterio Conceptionis Pontisferrati. Mon. XVII.

ID monaſterium, immaculatę Deiparę Virginis Conceptioni dicatum, atque à 30. Conceptioniſtis ſororibus incultum, quod mœnibus oppidi Pontisferrati circumſcribitur,tum Aluari Perez Oſorij Militię S.Iacobi equitis aurati, tum quoq; fideliſſimę eius coniugis Briandę Quiroſię opera, anno Domini 1524. à fundamentis extructum,omnibusq; ſuis numeris abſolutum,atque aliquot redditibus dotatum extitit.

De mona-

A *De monaſterio Conceptionis Villefrancæ.* *Mon XVIII.*

MONASTERIVM, Conceptioni virginis ſacrũ, quod in oppidi Villefrancę ſuburbijs erectum conſpicitur, pijſſimi herois Petri à Toleto eiuſdem oppidi Marchionis, atq; Neapolitani Proregis, nec non & generoſæ eius vxoris Marię Oſorio ſumptibus, anno Dominicæ incarnationis 1543. ex apoſtolica ſibi facta facultate ędificari cœpit, atq; non ita poſt multum temporis ijſdem ſumptibus abſolutum, honeſteq; dotatum à P. F. Antonio Guſmanio huius Prouinciæ Miniſtro admiſſum, cæteriſq; locis adiectum fuit: Eius verò fundatrices ſorores tum ex Conceptioniſtico Legionenſi conuentu, tum quoq; ex Beneuentano Clariſſarum monaſterio allatę fuerunt. Quarum deniq; auſpitijs & hic locus omni ex parte perfectus extitit, atq; 30. B Conceptioniſticas moniales commodiſſimè capit, continetq;. Mortem obijt hoc in loco, in cuius ſacrario aliquot SS. Anaſtaſij, Protaſij, Sixti, atq; Marcelli martyrum oſſa, & pars lapidis, cui beatus Laurentius martyr poſt aduſtionem ſuperpoſitus fuit, habentur, deuotiſſima atq; eximia ſanctitate prædita ſoror Maria à Loſada, cui Deus opt. max. ob eius tum merita, tum quoq; inculpatam vitam ſui tranſitus diem prædicere dignatus eſt, quare in cœlis beatam felicemq; eſſe piè creditur.

De monaſterio S. Eliſabethæ Zamoræ. *Mon. XIX.*

CVM perdeuota fœmina Beatrix à Vaſurto domum quandam in monaſterij forma, aliquantulũ à ciuitatis Zamoranæ muris, ſub inuocatione S. Eliſabethæ Vngarorum Regis filię ex proprijs facultatibus, anno à partu Virgineo 1500 ędificari, C atq; à Tertiarijs quibuſdam ſororibus Franciſcanis, ſimplici tantùm non autem ſolemni voto aſtrictis, tradi curaſſet: perſeuerauerũt ibidem ſub eo modo viuendi ab eo temporis pręfatæ ſorores, aliquãdo 15. aliquãdo verò 20. numero, vſq; ad annũ 1582. Vt verò primùm P. F. Franciſcus à Burgis huius Prouinciæ clauum regendum ſuſcepit eas ad triplex Religionis votum, caſtitatis ſcilicet, paupertatis atq; obedientiæ ſolemniter emittendum, vel proprios lares repetendum, præfato anno 1582. compulit. Quamobrem earum aliquæ emiſſo huiuſmodi voto eadem in domo perſeuerarunt, aliæ verò parentum domos petiêre. Commorantur nunc ibi ſorores duodecim.

De monaſterio S. Mariæ de Bethlehem ibidem. *Mon. XX.*

D CVM deuota matrona Maria Alphonſi cœlibem omnino vitã anhelaret, domum quandam, intra præfatæ ciuitatis Zamoranæ muros, anno Domini 1540. ex proprijs facultatibus emit, inibiq; cum aliquibus mentis eiuſdem fœminis ſub tertio B. patris Franciſci Ordine, aliquantulum tempus vixit. Sed, ea vita functa, cùm ſororum numerus indies magis magiſq; augeretur, nec illas locus capere poſſet, ea diuendita eius accolæ tum ex obueniente pretio, tum quoq; ex aduentantium dotibus aliam extra eiuſdem ciuitatis muros, ac prope S. Iuliani ædem, anno Domini 1563. conſtruendam, atq; præfatam S. Iuliani eccleſiam ex R. Zamorenſium Epiſcopi, cuius id munus erat, ſibi annectendam curarunt. Vbi & ad annum vſq; Domini 1582. earum 20. ibidem commoratæ ſunt. Quo deniq; tempore, quòd ad huiuſmodi tertium Franciſcanorum Ordinem ex ſimplici tantùm voto tenerentur, eas ad ſolemne emit- E tendum, vel in propria recedendum præfatus pater Franciſcus à Burgis compulit.

De monaſterio S. Eliſabethæ Legionis. *Mon. XXI.*

AEDIFICARANT olim duæ fœminæ Legionenſes, nomen vni Rodiermo, alteri verò Tiraſia Ordoñez intra ciuitatis Legionenſis muros, domũ quandam ſatis honeſtam, in qua ſimul cum quibuſdam alijs virginibus, ſub tertio ſeraphici patris Franciſci Ordine, ſanctiſſimè per aliquot annos commoratę ſunt. Sed cùm is locus prę ſui anguſtia eas omnes commodè capere non poſſet, ſitum à canonicis, ac cætero Legionenſis ciuitatis capitulo ementes inibi hanc ſacram ædem, beatę Eliſabethę Vngarorum Regis filiæ dicatã, cum adiuncto ſibi monaſterio, anno Domini 1544. conſtruendam curarũt. Quarum ſex ibidem impræſentiarum vſq; religioſè perſeuerant.



PROVIN-

PROVINCIA COLONIAE.

A CVM ſeraphicus pater Franciſcus Ordinem à ſe inſtitutum propagatu-
rus aliquot patres ac fratres religione inſignes, anno Domini 1217. ad
Teutoniam deſtinaſſet, (vt in Prouincia Saxoniæ S. Crucis fuſius dixi-
mus) illiq́; re infecta in Italiam remeaſſent, B.P. Cæſarius Spirenſis tum
in humanis, tum quoque in diuinis literis apprimè eruditus, iuſſu eiuſ-
dem patris ſeraphici in eandem Teutoniam, anno Domini 1219. cum quibuſdam ſo-
cijs Franciſcanis ſe contulit, & Auguſtæ Vindelicorum interim primum prouinciale
Capitulum tenuit. Cùm igitur Teutones poſt vnum vel alterum annum elapſum
fratribus aſſueti illis indies magis magisq́; afficerentur, tanta eis liberalitate de locis
B atq; conuentibus prouiderunt, vt intra breuiſſimi temporis ſpatium, vna tantùm
Coloniæ Prouincia, quæ tum inferioris, tum quoq; ſuperioris Germaniæ partem
amplectebatur, ex 46. fratrum conuentibus in 7. Cuſtodias diuiſis conſtiterit. Quæ
ſanè Prouincia, doctiſſimis atq; grauiſſimis patribus illuſtris, ad annum vſq; Domi-
ni 1439. ſub patrum Conuentualium ferula perſeuerauit. Præfato verò anno 1439.
cùm, beato patre Bernardino de Senis adhuc in viuis agente, aliquot Prouinciæ Fran-
ciæ Pariſienſis religioſi regularis Obſeruantiæ alumni Odomaropolim, quæ Galliæ
Belgicæ ciuitas eſt, applicuiſſent, inibiq́; monaſterium, ſub eiuſdem regularis Obſer-
uantiæ auſpicijs, cum maximo ciuium applauſu ædificaſſent, atq; eodem anno ho-
C ſpitium Gaudæ, quæ Batauorū ciuitas eſt, erectum, ad quod Conuentuales Vltraie-
ctenſis conuentus patres, concionū habendarum, atq; eleemoſynarum acquirendarū
cauſa diuertere aſſueuerant, Gaudanis id maximè ſolicitantibus, in conuentum eue-
xiſſent, tanta tum Batauis, tum Brabantinis, tū Geldris, tum Leodiēſibus, tum quoq;
ſuperiobus Germanis, Treuerenſis Archiepiſcopi, atq; Colonienſis itidem Archie-
piſcopi dictis audientibus, Obſeruantum Franciſcanorum apud ſe habendorum in-
ceſſit cupiditas, vt illis infra 60. annorum ſpatium 51. ampliſſimos conuentus, di-
uerſis in partibus erigendos, curarint. Vt igitur primùm Gaudano monaſterio Lei-
denſis, Antuerpienſis, & Alchmarienſis conuentus (de quibus inferius in Prouincię
D Germaniæ inferioris deſcriptione) acceſsêre, omnes 4. ſimul ex eorum patrum, quo-
rum intererat, decreto in Prouinciam ſub peculiari Coloniæ titulo euecti, atq; à cæ-
teris Prouinciæ Franciæ Pariſienſis monaſterijs ſeiuncti ſunt. Contigit autem id an-
no à partu Virgineo 1447. in prouinciali Capitulo Gaudæ celebrato: in quo doctiſ-
ſimus pater Ioannes Goës ſacrę Theologię Licentiatus in primum Colonienſis Pro-
uinciæ Vicarium prouincialem electus fuit. Cùm autem præfata hæc Colonienſis
Prouincia in tantum creuiſſet, vt 51. fratrum locis abſolueretur, eaq́; de cauſa à pro-
uinciali Miniſtro maxima cum difficultate viſitari poſſet, conuenientibus in vnam
& eandem ſententiam omnibus Prouinciæ patribus, in Capitulo Durſtenſi, anno Do-
E mini 1529. celebrato, per P. F. Matthiam Vincenium Commiſſarium in duas, nem-
pe Germaniæ inferioris, atq; Colonienſem diſſecta eſt: & iſti, Colonienſi ſcilicet, P. F.
Nicolaus Herbonius vir ſanè doctiſſimus, qui & Commentarios in diui Pauli Epiſto-
las, & conciones per totum annū habēdas felliciſſimè edidit, illi verò, ſcilicet Germa-
niæ inferioris, V. P. Ioannes à Louanio admirabili ſanctitate prędìtus in prouinciales
Miniſtros præfecti fuêre. Idq́; ſanè diſpari lance: cùm P. Ioanni à Louanio 34. atqui
P. Nicolao Herbonio 17. quibus alijs 3. poſtmodum acceſsêre, fratrum conuentus
obuenerint. Poſt elapſum nihilominus bienniū, quòd huiuſmodi diuiſio in maximū
vergeret detrimentum, curarūt pro viribus vtriuſq; Prouincię patres, vt pręfata diui-
ſione ſublata, iteratò conuentus vnirētur, fieretq́; ex ambabus vnica tantū Prouincia:

ſed fruſtra, prædicto patre Commiſſario Matthia Vincenio in ſententia perſtante. Hæc itaq; Coloniæ Prouincia, cui B. Vrſulam virginem atq; martyrem, nec non & aliarum 11. millium virginum anteſignanã, quòd eius corpus Coloniæ Agrippinæ, à qua vniuerſa Prouincia denominari voluit, tumulatum ſit, tamquam ipſius tutelarem præponendam volui, 21. fratrum, ac 3. Clariſſarum ſororum monaſterijs abſoluitur. De quibus tamen, quòd maior eorum pars perierit, quodq; itinera iſtis in partibus ob continua quæ vigent bella, atq; ob patentiſſima vitæ diſcrimina, imperuia, clauſaq; ſint, pauca in medium afferemus. De monialium verò Tertiariarum locis non eſt, quòd curioſus lector aliquid à nobis ſperet: cùm eorum nihil ad manus habere potuerimus. Vtitur nihilominus huius Prouincię Miniſter pro ſui muneris executione ſigillo, cui 3. Regum adoratio, atq; ſequentes literæ. S. MINISTRI. FRA. MINORVM REGV. OBSER. PROVINCIÆ. COLONIÆ. inciſæ ſunt. A B

De conuentu S. Sebaſtiani Confluentiæ. Conu. I.

QVANDO hic conuentus, diuo martyri Sebaſtiano Confluentiæ, quæ Treuerenſis diœceſis ciuitas eſt, erectus, primò fundatus, vel ex cuius facultatibus conſtructus fuerit omnibus eius documentis vel temporum iniuria deperditis, vel ab inundante Rheno famoſo flumine, quo Confluentia ciuitas alluitur, conſumptis, nullo pacto haberi potuit. Id tamen certiſſimò ex literis, in publicis Confluentinis archiuis diligentius aſſeruatis, conſtat, beatum ſcilicet patrem Bernardinum Senenſem iſtis in partibus aliquando fuiſſe, atq; plurima miracula patraſſe: qua etiam de cauſa noſtri fratres in tanti patris memoriam adhuc in eis optimè audiunt: & beatum patrem Ioannem Capiſtranum huius conuentus incolam extitiſſe, ſibiq; partem brachij eiuſdem martyris Sebaſtiani, quæ adhuc perſeuerat, & maxima à Confluentinis in veneratione habetur, contuliſſe: atq; demum prętatum hunc conuentum à patribus Frãciſcanis Conuẽtualibus ad noſtros Obſeruãtes ex Nicolai V. Pont. max. decreto, anno à partu Virgineo 1451. deuolutũ eſſe. Commorãtur frequẽtius hoc in loco 20. fratres. C

De Minoritico conuentu Hammonenſi. Conu. II.

LICET plurimis, ijsq; ſerioribus negotijs implicaretur generoſus Comes Gerardus à Marchia vterinus Ioannis Cliuenſium Ducis frater, illis tamen à præſentis conuentus Hammonæ, quę Iuliacenſis Ducatus ciuitas eſt, erecti ędificatione abduci non potuit. Quinnimo pientiſſimus is heros, vt primùm ſibi per otium licuit, eum, anno Dominicæ incarnationis 1454. Nicolao V. Pont. max. ſedente à fundamentis extruendum curauit: nec prius deſtitit cœptis, quàm ſibi vltimam artificis manum experiri faceret: Supereſt adhuc hic conuentus & à 16. fratribus incolitur. D

De Minoritico conuentu Nouiomagenſi. Conu. III.

QVANTA fuerit priſcorum Nouiomagenſium in Deum pietas, quantaq; in Franciſcanos beneuolentia hinc liquidò patet: quòd videlicet, cùm ante annum Dominicæ incarnationis 1450. iſtis conuentũ aliquãtulum à Nouiomago inſigni Geldriæ ciuitate ſatis auguſtè conſtruendum curaſſent, isq; locus eorum ſaluti minus faueret, expenſis tum factis, tum quoq; faciendis longè poſthabitis, adiecerunt, vt & hunc intra præfatæ ciuitatis mœnia multò elegantiorem, multoq; auguſtiorem eiſdem fratribus, ædificarent. Longè tamen aliter eorum ſucceſſores exulceratis his noſtris temporibus, & erga Deum, & erga noſtrum Ordinem ab eis ſeſe habuêre: cùm, anno Domini 1570. catholica fide abiurata, nephandiſſimisq; quibuſdam hæreticis manu porrecta, & ſanctorum reliquias ſacrilego pede conculcarint, & hoc monaſterium plurimis cum alijs eccleſijs ſolo æquauerint, funditusq; (proh dolor) euerterint. E

De Minoritico conuentu Bielueldenſi. Conu. IIII.

BIELVELDIA Iuliacenſis Ducatus ciuitas eſt, atque catholicam fidem ſibi à maioribus traditam adhuc per Dei gratiam retinet. Eius igitur pientiſſimus ſenatus cùm anno à partu Virgineo 1458. Minoriticum hunc conuentum intra communis

A munis ciuitatis mœnia ex apoſtolica auctoritate, atque ex communibus facultatibus
ædificandum curaſſet, qui ei impræſentiarum vſque in officio ſucceſſit, in id maximè
incubuit, vt creditum ſibi à prædeceſſoribus depoſitum, catholicam ſcilicet fidem,
mordicus retineret,& præfatum Minoriticum hunc conuẽtum à duodecim fratribus
frequentius incultum ab omni prorſus iniuria immunem ſeruaret ſibi imminente.

De Minoritico conuentu Zutfanienſi. Conu. V.

QVOD noſtri fratres tum in priuatis adhortationibus, tum quoque in publicis
concionibus pro ſuggeſtu Zutfaniæ, quæ Geldriæ ciuitas eſt, in hæreſim vehe-
mentius inueherentur, eius fautores excandeſcentes hunc conuentum ab optimis, ca-
tholicisq; ciuibus intra præfatæ ciuitatis mœnia, ſub anno natiuitatis Domini 1455.
B exædificatum, anno ſalutis humanæ 1572. funditus euerterunt, demolitiq; ſunt.

De conuentu S. Mariæ Magdalenæ Duræ. Conu. VI.

QVICQVID monumentorum in præſentis loci archiuis aſſeruabatur, id Du-
renſis ciuitatis expugnatione per Carolum V. Germanorum Imperatorẽ, quòd
ſibi Iuliacenſium atq; Cliuẽſium Dux rebellaſſet, anno Dominicæ incarnationis 1545.
facta miſerè perijt. Quamobrem de præſenti conuentu B. Mariæ Magdalenæ Du-
ræ, quæ Colonienſis diœceſis ciuitas eſt, erecto id tantùm dicere poſſumus: quod vide-
licet à pientiſſimo Cliuenſium atque Iuliacenſium Duce cognomine de Merode, ſub
anno Domini 1459. à fundamentis ad apicem vſque conſtructus,& à quodam apoſtata
hæretico ex maxima impietate, anno ſalutis humanæ 1533. omnino combuſtus, atque
C tandem ex pijs Durenſium eleemoſynis poſt elapſum quadrienniũ, nempe anno 1537.
reędificatus,& in multò meliorem ſpeciem redactus fuerit. Quem & quindecim fratres
ſatis commodè inhabitãt,& caput S. Theodori martyris, & vtrunq; brachium S. Lam-
berti Tungrenſium Epiſcopi atq; martyris, & decem capita ex 11. millibus virginum
ſupra modum exornant. In matrice Durenſium eccleſia caput S. Annæ Dei genitricis
Mariæ parentis quamdiligentiſſimè aſſeruatur: quod per quendam fabrum murarium
ex Moguntinenſi eccleſia furto ſublatum, atq; Duram tranſlatũ extitit, cuius rei cauſa
inter ſenatũ Moguntinum & Durenſem magna controuerſia orta fuit, & diu agitata.

De Minoritico conuentu Embricenſi. Conu. VII.

CVM nihil diſſidij, nihilq; diſcordiarum inter Cliuenſes, atq; Geldrenſes interce-
D deret, ſed omnia in ſumma pace conſtituta eſſent, inclytus heros, atque Monten-
ſium Dominus hunc conuentum aliquantulum ab Embrico Iuliacenſium oppido, ex
mera in ſeraphicum patrem Franciſcum deuotione, ſub anno reſtitutæ ſalutis 1463.
conſtrui, atque huius Prouinciæ fratribus tradi curauit. Cumq; eius habitatores, exor-
to inter præfatos Geldrenſes atque Cliuenſes cruentiſſimo bello, maximis quaterentur
difficultatibus atque incommodis, ipſumq; ad præfati Embricenſis oppidi interiora
tranſlatum cuperent: ne id aſſequerentur præfatus fundator in cauſa extitit. Quam-
obrem eas conſtanti animo, atque incredibili patientia ſuperare coacti ſunt. Exorta
tamen in Belgio peſtifera hæreſi, atque rebus omnino turbatis, præfatus hic Embricen-
ſis conuentus a perditiſſimis quibuſdam nebulonibus Satanæ miniſtris, ſub anno Do-
E minicæ incarnationis 1573. funditus euerſus eſt, ita vt veſtigium eius non remanſerit.

De Minoritico conuentu Lemghedenſi. Conu. VIII.

NOBILIS quidam eques nomine Ioannes Molembetrius propriam habitatio-
nis domum, quam Lemeghedi optimo iure poſſidebat, huius Prouinciæ fratri-
bus in monaſterium euehendam, ſub anno Domini 1464. liberaliſſimè obtulit, commu-
nitq;. Cui operi cùm fratres ſe accinxiſſent, vniuerſum ferè oppidum ſibi contrarium
atque reſiſtens experti ſunt. Quamobrem re ad generoſum Bernardum de Lyppia
temporalem eiuſdem oppidi Dominum delata, atque duobus ex præcipuis ſibi contra-
dicentibus fulgure mirabiliter è medio ſublatis, diffinitiua ſententia in fratrum fauo-
rem ceſſit. Qua denique obtenta præfatus hic conuentus ex diuerſis fidelium eleemo-

ſynis

ſynis eleganter ſatis conſtructus fuit, eiſdemq; fratribus ad annum vſq; Domini 1575. quo à cruentiſſimis hęreticis Lutheranis in fauillam redactus eſt, pro votis deſeruiuit. A

De Minoritico conuentu Lympurgenſi. Conu. IX.

HIC conuentus Lympurgi, quod Treuerenſis diœceſis oppidum eſt, ex publicis oppidanorum facultatibus, ſub anno Dominicę incarnationis 1464. erectus, atq; à fratribus primò inhabitatus, ab ijſdem, quòd mirum in modum hac in Prouincia deficerent, nec cæteris locis ſatisfacere poſſent, anno Domini 1577. derelictus, atq; tandem per patrem Commiſſarium ad hanc Prouinciam à nobis deſtinatum, anno Domini 1582. iteratò reaſſumptus, cæterisq; monaſterijs denuò agglomeratus extitit. A quo etiam tempore ab octo fratribus, non abſq; Lympurgenſium fructu, inhabitatur.

De Minoritico conuentu Corbeienſi. Conu. X. B

SVBSISTIT hic conuentus, Corbeij, quod Comitatus Haſſiæ oppidum eſt, ex diuerſis Corbecenſium eleemoſynis, ſub anno Dominicæ incarnationis 1479. ędificatus, ab eo temporis vſque ad annum 1573. quo, deturbatis eius habitatoribus atque ſupra modum diuexatis, à perditiſſimis hæreticis, infeſtiſſimisq; religioſorum inimicis, eò quòd auctoritatē ſummi Pontificis Romani tueantur, deuaſtatus, deſtructusq; fuit.

De Minoritico conuentu Zeghenenſi. Conu. XI.

EANDEM prorſus fortunam expertus eſt præſens conuentus Zeghenij, quod eiuſdem Haſſienſis Comitatus oppidum eſt, erectus. Cùm pijſſimorum Zeghenenſium ſumptibus, anno à partu Virgineo 1488. conſtructus, ab impijſſimis, hæreticisq; C eiuſdem oppidi habitatoribus, anno Domini 1573. deſtructus expilatusq; exstiterit: fratribus interim eius accolis opprobrijs, ac verberibus ſaturatis, & hinc inde diſperſis.

De Minoritico conuentu Dorſtenſi. Conu. XII.

NON eadem cum duobus præcedentibus conditio, atque infelicitas pręſenti huic monaſterio Dorſtenij, quod Iuliacenſibus ciuitatis honore inſignitum paret, erecto eſt: cùm à Dorſtenſi ſenatu ex communibus facultatibus, ſub anno Dominicæ incarnationis 1488. piè ædificatum, ab eius ſucceſſoribus in hodiernam vſque diem, eadem prorſus pietate illæſum omnino ſeruetur, diligentiusq;, ne quid detrimenti à conuicinis hæreticis recipiat, cuſtodiatur. Quo denique fit, vt à duodecim fratribus, Altiſſimo fideliter famulātibus, calamitoſo hoc noſtro æuo cōmodè ſatis inhabitetur. D

De Minoritico conuentu Arnehmenſi. Conu. XIII.

LONGE aliter ſucceſſit huic conuentui Arnehmij, quod Geldriæ oppidum eſt, anno Dominicæ incarnationis 2489. prius conſtructo. Cùm poſt 90. annum ab huiuſmodi conſtructione, anno videlicet Domini 1580. ab hæreticis, quibus Franciſcana Religio infeſtiſſima eſt, ſpoliatus, dirutus, atq; in lapidū aceruum conuerſus fuerit.

De conuentu S. Mariæ de Angelis Brulæ. Conu. XIIII.

PRÆSENTIS conuentus Brulæ, quæ Colonienſis diœceſis oppidulum eſt, diſtatq; Colonia Agrippina quatuor millibus paſſuum, in honorem ſanctæ Mariæ de Angelis erecti tum antiquitatem, tum quoque ædificationem deſcripturus, quæ ex E defunctorum libro habere potui, ea in medium afferre decreui. Suntq; huiuſmodi.

Illuſtriſsimus dominus Hermannus Lantgrauius Aſsiæ Dei & apoſtolicæ Sedis gratia ſacroſanctæ Colonienſis eccleſiæ Archipræſul, ſacri Romani Imperij Archicancellarius, Princeps Elector, Vueſtualiæ, & Angariæ Dux, Legatusq; natus hunc locum, anno Domini 1491. fundans, primarium lapidem in ſacro Aſcenſionis Dominicæ die poſuit, ac, vt cernitur, egregiè ſatis vſque ad perfectum proprijs ſuis impenſis deduxit. Anno verò Domini 1493. prædictam loci eccleſiam menſis Decembris die 7. ingenti feruore, & non ſine magna multorum tum nobilium, tum quoque vulgarium ædificatione, conſecrauit. Porrò anno Domini 1494. menſis Maij 21. feria videlicet quarta quatuor temporum poſt Pentecoſten, fratres Minores de Obſeruantia

A *uantia maxima cum ſolemnitate in præfatum locum introduxit,infinitisq; fauoribus, ac pater-
nis affectibus ſimul & effectibus fratres eoſdem & ornauit, & præuenit. Cuius innumera be-
neficia Ordini & familiæ, præſertim verò huius loci patribus, & fratribus exhibita Deo, bea-
tæ Mariæ ſemper virgini, ac ſanctiſsimo patri noſtro Franciſco ſemper ſint accepta Amen.
Obijt autem præfatus illuſtriſsimus Princeps in Caſtro Popperſdoro, præſente ibidem iſtius con-
uentus Guardiano cum 5. fratribus,cuius cor in ſignum præcipui amoris, quem ad fratres vſq;
in finem geſsit, aromatibus conditum ſimul cum interioribus in choro ante ſummum huius cõ-
uentus altare (prout eiſdem ipſe ſæpius promiſerat) honeſtiſsimè iacet, plumbeæ in capſa ſepul-
tum & teſtudinatum. Cuius perpetua memoria ſit in benedictione, & anima in ſancta requie-
ſcat pace, Amen.* Fuit autem præfata hæc ſacra ædes, quam & duodecim fratres pro
voto inhabitant, à pientiſſimo præfato Archiepiſcopo elegantiſſimè, licèt non adeò
B auguſtè,prope proprium caſtrum conſtructa, omnibusq; tum ad diuinum cultum,
tum quoque ad rem familiarem neceſſarijs cumulàta. Idq; ex apoſtolica Innocen-
tij VIII. ſummi Pontificis auctoritate, cui Alexander VI. Pont. max. anno Domi-
nicæ incarnationis 1494. ſubſcripſit, ſibi anno ſalutis 1490. facta. Apoſtolica tum In-
nocentij VIII. tum quoque Alexandri VI. ſummorum Pontificum breuia cum
alijs tum pontificijs, tum etiam imperatorijs priuilegijs noſtrum Ordinem, præſertim
verò hanc ſacram domum concernentibus,in eius archiuis diligentius aſſeruantur. In
eiuſdem verò loci ſacrario ſancti Iuſtini Archiepiſcopi, ſancti Terentij Epiſcopi, ſan-
cti Coſtini Ducis, vnius ſancti Aethyopis, atque ſanctæ Brigidæ capita, itidem & alia
octodecim diuerſorum ſanctorum capita, nec non & brachium ſancti Lamperti ſum-
ma veneratione cuſtodiuntur. Atqui in choro ſupra ipſa fratrum ſedilia innumerę ſan-
C ctorum reliquiæ à præfato illuſtriſſimo Archiepiſcopo liberali dono datæ & collocatæ
habentur,quas Brulenſes maxima deuotione atq; obſeruantia proſequuntur. Quæ ta-
men ſub pôtificiæ excõmunicationis pęna inde nec auferri,nec aliò transferri poſſunt.

De Minoritico conuentu Martpurgenſi. Conu. XV.

MINORITICVS hic conuentus Martpurgi, quæ Haſſienſis Comitatus ci-
uitas eſt,ab antiquo ex pûblicis Martpurgenſium facultatibus erectus Conuen-
tualibus Franciſcanis patribus ad annum vſque humanæ ſalutis 1497. ſubfuit. Eorum
tamen plurimis eo ipſo anno in regularem Obſeruantiam tranſeuntibus, alijs verò ad
alia loca diuertentibus, in patrum eiuſdem inſtituti Obſeruantum poteſtatem, idq; ex
apoſtolico Alexandri VI. decreto, cuius executor extitit illuſtriſſimus Princeps Gu-
D lielmus Lantgrauius Haſſienſium,venit. Cumq; eo pacificè per quinquaginta annos,
eoq; amplius præfati Obſeruantes potiti eſſent, exorta in ſuperiori Germania Luthe-
rana illa peſtifera hæreſi, loco cedere poſt plurima perpeſſa ludibria coacti ſunt. Ipſe
verò conuentus prophanis vſibus ab ipſis impijſſimis hæreticis adiudicatus extitit.

De Minoritico conuentu Groenemburgenſi. Conu. XVI.

NEC latum (vt aiunt) vnguem diſcedit præſens conuentus Groënemburgi,quod
eiuſdem HaſſienſisC omitatus oppidum eſt,conſtructus à præcedenti. Cùm à ſui
erectione ad præfatum vſque annum Domini 1497. Conuentualibus Franciſcanis pa-
tribus paruerit, & eo ipſo anno, quo & ille, eodem Alexandro VI. ſummo Pontifi-
ce id præcipiente, opera illuſtriſſimi eiuſdem Gulielmi Lantgrauij ab eis ad regula-
E ris Obſeruantiæ Minoritas deuolutus fuerit: ac tandem vno & eodem tempore,quo &
etiam ille, pulſis eorum habitatoribus, in impijſſimorum hæreticorum ius ceſſerit.

De Minoritico conuentu Emdenſi. Conu. XVII.

SANE parum profuit P. F. Ludolpho Graningenſi prouinciali Vicario, ac decem
alijs Obſeruantibus Frãciſcanis patribus cum maximo ſubmerſionis ac vitæ amit-
tendæ diſcrimine Emdam,Emdenſis Comitatus metropolim, anno Domini 1498. ap-
pulſſe, atq; Conuentualibus Franciſcanis patribus hoc in cõuentu ibidem antiquitus
erecto ex apoſtolica Alexandri VI.Pont.max.auctoritate ſucceſſiſſe. Cùm & ipſi variè
prius diuexati inde, poſt 50. annos vix elapſos, ab hæreticis pulſi, eiectiq; fuerint.

De con-

De conuentu S. Iodoci prope Bilueldiam. Conu. XVIII. A

CVM Ioannes quidam Scrageus eò diuitiarum proceſſiſſet, vt omnes ſui temporis mercatores longè ſuperaret, Deo pro tãtis à ſe receptis beneficijs gratias redditurus, deuotam eccleſiam, diuo Iodoco ſacram, longiuſculus à Bilueldia Iuliacenſium oppido, in accliuiore nemoroſi cuiuſdam montis parte, anno à partu Virgineo 1501. conſtruendam, eamq; omnino perfectam ſequenti anno, nempe 1502. huius Prouinciæ patribus Zegheni, reuerendo admodum patre fratre Oliuerio Mallardi generale Vicario eorum Præſide, capitulariter congregatis, tradendam curauit. Cumq; conuentum iuxta condictum minimè ædificare vellet, eaq; de cauſa pauperculi fratres plurimis quaterentur difficultatibus, atq; incommodis, huiuſcemodi eccleſiam poſt elapſum ſexennium, anno ſcilicet 1508. deſerere, atq; ad paratum ſibi ab oppidanis Bilueldiæ conuentum ſe transferre coacti ſunt. Vbi per 50. ferè annos moram traxêre. Quibus tamen elapſis vniuerſa hac patria hæreſi infecta, & ipſi oppido cedere coguntur, & eorum conuentus ſacrilegas hæreticorum manus expertus extitit. B

De Minoritico conuentu Groningenſi. Conu. XIX.

PRÆSENS conuentus Groningæ, quæ Phriſienſis Comitatus metropolis eſt, ante 200. annos communibus Groningenſium ſumptibus erectus, à Conuentualibus Franciſcanis patribus ad eiuſdem ordinis Obſeruantes, Alexandro VI. Pontif. max. id decernente, atque reuerendiſſimo Raymundo eius Legato huiuſmodi decretum executioni mandante, anno à ſalutifera Chriſti natiuitate 1502. deflexit. Ab eo igitur tempore impræſentiarum vſque, licèt ea patria hæreſi pro maiori parte infecta, præfatus hic conuentus per Dei gratiam in officio manet, & à viginti huius Prouinciæ fratribus ſat commodè, non abſque catholicorum ingenti fructu, incolitur. C

De conuentu S. Nicolai Aquiſgrani. Conu. XX.

AQVISGRANVM Brabantini Ducatus nobiliſſima ciuitas, quæ & ſepulcro Caroli Magni Imperatoris maximè condecoratur, plura olim nomina ſortita eſt: cùm & Batauodurum, & Vergera aliquando nuncupata extiterit. Intra huius igitur antiquiſſimæ ciuitatis mœnia Minoriticus quidam conuentus, diuo Nicolao ſacer, (de quo impræſentiarum) à nobili Palantorum familia ab antiquo (fortè ante 200. annos) à fundamentis ad verticem vſq; ex polito, firmiſſimoq; lapide, marmoreis columnis innixo, ædificatus extitit. Cumq; per centum eoq; plures annos Conuentualibus Franciſcanis patribus ſubiacuiſſet, poſt generale totius noſtri Ordinis Capitulum Romæ ſub Iulio II. Pont. max. anno à partu Virgineo 1506. celebratum, eodem Pontifice id mandante, ad huius Prouinciæ Obſeruantes, ſupra modum tunc tẽporis florentes, ab eis tranſlatus, atque eius poſſeſſionibus & redditibus diuenditis, ab ipſis fundamentis refectus, ſiue potius reædificatus extitit. Huius conuentus eccleſia, quæ & pulcherrima, & ſatis auguſta eſt, elegantiſſimis aris, & nobiliſſimis heroum ſepulcris, inſuper & duabus Dominicæ crucis particulis, ſiniſtro pede alterius ex ſanctis Innocentibus, aliquot oſſibus ſancti Georgij martyris, molari dente S. Lamberti Leodienſium atque Tungrenſium Epiſcopi & martyris, oſſibus ſanctarum Agathæ virginis & martyris, & Margaretæ itidem virginis & martyris, & beatæ Eliſabethæ viduæ, eiuſdem annulo, corporalibus eiuſdem quoque ſanctæ manibus contextis, atq; innumeris aliorum ſanctorum & ſanctarum reliquijs, honeſtiſſimo loco ſub ſummo altari reconditis, ſupra modum exornatur. In huius denique loci, à viginti fratribus plerumq; inhabitati, archiuis noſtri Ordinis Mare magnum, (hic libellus eſt pontificia eiuſdem Ordinis priuilegia concernens,) & apoſtolicæ Sixti IIII. Innocentij IIII. atque Innocentij VIII. ſummorum Pontificum literæ, quibus certi indulgentiarum dies in Chriſtifidelium fauorem ſtatutis temporibus huius loci eccleſiæ conceduntur, & Imperatoria Friderici III. atque Maximiliani huius nominis primi Imperatorum diplomata, quibus præſentis monaſterij fratres ab omni exactione immunes redduntur, olim aſſeruabantur. Quæ tamen omnia ſimul cum pretioſioribus D E

ribus

A ribus vaſis tum aureis, tum quoque argenteis, atque ſacris veſtibus ad diuinum cultum pertinentibus, ad inexpugnabile illuſtriſſimi atq; ſummè catholici Iuliacenſium Principis caſtrũ, 16. millibus paſſuum ab Aquiſgrano diſtans, quòd huiuſmodi Aquiſgranenſis ciuitas mutationem in negotio fidei (niſi Dominus adſit) minitetur, ante quadriennium ex maturo illorum patrum, quorũ intererat, conſilio tranſlata fuêre.

De Minoritico conuentu ſiue collegio Coloniæ Agrippinæ. Conu. XXI.

CVM paucis ab hinc annis aliquot Prouinciæ Germaniæ inferioris patres ac fratres, ob hæreſim in Belgio ſupra modum graſſantem, cara patria, natiuisq; laribus relictis Coloniam Agrippinam Vbiorum ciuitatem in ripa Rheni fluuij ſitam, Vbiopolim antea nuncupatam, poſtea verò à Marco Agrippa, qui eam inſtaurauit, ac B præſtantiſſimis ædificijs eam exornauit, fuitq; Cæſaris Auguſti gener, vel vt alij volũt ab Agrippina Neronis matre, quæ vt ſocijs quoque nationibus potentiam ſuam oſtentaret, in hoc oppidum, vbi genita erat, Coloniam ex veteranis deduci imperauit, ſic dictam, conceſſiſſent, ſæcularem quandam domum ex oblatis ſibi à fidelibus eleemoſynis conducentes, ibidem impræſentiarum vſque eorum 20. & vltrà ſatis religiosè, ac cum ingenti fructu totius ciuitatis, circumuicinorumq; oppidorum, & pagorum ad quos vtiliſſimas, atque frequentes de ſacroſancto Euangelio habent conciones, commorati ſunt. Quam quidem domum, licèt collegij titulo inſigniatur, quod aliqualis ædificandi eadem in ciuitate temporis ſucceſſu conuentus, vel eiuſdem domus ad conuentus dignitatem promouendæ ſpes affulgeat, præcedentibus annectere volui.

C *De Clariſſarum monaſterio Treueris. Mon. I.*

ANTIQVISSIMVM ſanè eſt hoc monaſterium Treueris, quæ ſuperioris Germaniæ ciuitas eſt: Belgisq; finitima, atque inſignis olim cognoſcendarum cauſarum populi Romani curia, Treuirorum cognominata, extitit, in beatæ virginis Claræ memoriam erectum, atque à quadraginta Clariſſis ſororibus, ſub prima eiuſdem beatæ virginis Claræ Regula ſanctiſſimè degentibus inhabitatum: cuius author pijſſimus Treuerenſium ſenatus facillimè creditur. Ad hoc monaſterium, tanquam ad ſacram ancoram, Clariſſæ aliquot atque religioſiſſimæ ſorores, à cara patria, ob conſtantem catholicæ fidei confeſſionẽ, exules ex Belgio infeliciſſima hac noſtra tempeſtate confugerunt: atq; à cęteris ſororibus, quæ & religioſiſſimæ, & charitate ſunt præditæ, humaniſſimo hoſpitio, nobis interim id præcipientibus, exceptæ ſunt.

D *De Clariſſarum collegio Coloniæ Agrippinæ. Mon. II.*

EXTAT & aliud Clariſſarum de prima (vt aiunt) Regula beatæ virginis Claræ monaſterium, ſiue potius collegium Coloniæ Agrippinæ (de qua ſupra) erectum, quod viginti ſorores pro maiori parte patrijs laribus, natiuoq; ſolo, quòd catholicam fidem, Romanamq; Eccleſiam abiurare noluerint, profugæ inhabitant.

De Clariſſarum collegio Confluentiæ. Mon. III.

PERSIMILIS eſt omnino hic locus proximè præcedenti: eaq; de cauſa collegium potius quàm conuentus appellandus venit. Eſt ſiquidem domus Confluentiæ erecta, in qua viginti Clariſſæ de prima Regula ſorores, quæ, vt propriæ ſaluti E conſulerent, ex Belgio iſtas ad partes conuolarunt, ad tempus ſub antiquioris cuiuſdam patris, ac ſub propriæ Abbatiſſæ ſiue matris cura pauperrimè ſatis, ſed omnino religiosè degunt. Quia verò tum iſtius, tum quoq; proximè præcedentis loci ſorores, vt primùm fidei negotium melius ibi habuerit, patrios lares remeare decreuerũt, hæc tantùm de ipſis dicta volui. Habet quoque hæc Prouincia aliquot Tertiariarum ſororum Franciſcanarum domos, quarum tamen, quòd ad finem tendant, ſingulariter, aut latius meminiſſe nolui. Et hæc maximo ſanè labore, deperditis (vt præfati ſumus) oĩbus conuentuum monumentis, parta de Colonienſis Prouincię exordio & progreſſu, deq; eiuſdem conuentibus, atq; rebus memoria recordationeq; dignis dicta ſunto.



PROVIN-

PROVINCIA
S. BONAVENTVRAE.

A AMPLISSIMA eſt hæc Prouincia inter Galliam Celticam, Belgicam &
Narbonenſem ſita,partem ab vtriſq; capiens,quibus cingitur.Multas prę-
terea Prouincias continet,nimirum Lugdunenſem, Forencem, vtramque
Burgundiam,Lotharingiam,Delphinatum,Borbonenſem , ſuperiorem &
inferiorem Aluerniam & Sabaudiam.Italis inſuper,Heluetijs, Germanis,
Gallis & Narbonenſibus vicina,omniumq; rerum opulentiſſima eſt,Rhodano interim,
Iſera atq; Sona famoſis fluminibus placidam nauigationem,irrigationē,& piſciū abun-
dantiā ſubminiſtrantibus.Antiquitatum etiā monumentis inſignis, & Chriſtiana reli-
gione,quam ſummè aluerunt & auxerunt illa SS.martyrum Blandillę,& aliorū prope
infinitorum glorioſa certamina,mox poſt Chriſti Aſcēſionem decorata, à diuo tuſebio
B atq; Nicephoro calculis diligenter redacta extitit. Proinde non mirum ſi tantorum ſa-
crorum Conciliorū (ſubmiſſo collo Euangelij Ieſu Chriſti iugo)altrix extiterit,vtpote
Viennenſis, Cabilionenſis,plurium Lugdunenſium &c. Tamē oblita beneficiorum ſibi
præſtitorum,prurientes aures ſcorto & adulteræ Gebennæ,à fide apoſtatrici,ſub anno
Dñi 1560. ſatis impudenter præbuit . Vnde non erubuit hæc Lugdunenſis Gallia adul-
terinam,eamq; hæreticam,doctrinam è Gebennenſibus lacunis haurire, è proprijs in-
terim finibus catholica fide,religione,ſacramentis,& alijs catholicæ Eccleſię pretioſiſ-
ſimis depoſitis longè eliminatis.Quo factum eſt,vt in rabiem conuerſa,proſtratis inte-
rim & ſolo æquatis ſacroſanctis eccleſijs , vaſiſq; ſanctis nephandiſſimo ſacrilegio inde
aſportatis,pollutas tandem ſanctorum ſanguine manus cruentarit , manens ebria ſpa-
C tio decem annorum.Nunc autem Dei auxilio ad meliorem mentem rediens,gratam ſu-
per his pœnitentiam Domino agit . His igitur de Lugdunenſi Gallia vtcumque præli-
batis, Franciſcanæ noſtræ Prouinciæ hiſtoriam exordiamur . Quæ profecto vniuerſa ea
patria,in qua ſita eſt,bello,peſte,atq; fame ſummopere conflictata,eaq; de cauſa fratri-
bus,qui ſingulorum conuentuum memorabilia feliciori calamo excipere poſſent , om-
nino impenetrabili,manca & plus æquo pauperior euaſit . Hæc itaque Prouincia anti-
quitus Burgundię Prouincia appellabatur. Tamen à tempore,quo diuus Bonauentum
inter ſanctos relatus eſt,ob tanti viri reuerentiam,eius nomen ſortiri meruit . Præterea
nullam aliam ſui progenitricem agnoſcit:ſed Franciæ,atque Turoniæ Prouincijs coæ-
ua,ſeraphico patre Franciſco adhuc in viuis agente , exordium ſumpſit.Continet autē
D ſex Cuſtodias , & fratrum conuentus non minus 50. (nam de monialium monaſterijs
nihil impræſentiarum vel certè parum ob præfatas difficultates dicere poſſumus) gra-
uiſſimisq; viris ſcientia atque doctrina conſpicuis (quorum nomina & facta ſuis locis
vtcumq; patebūt)dum Religio iſtis in partibus reſplenderet,maximè floruit.Quia verò
præfata hæc Prouincia beati patris Bonauenturæ nomen hæreditauit , eiusq; ſigillum
eiuſdem patris iconem ſtantem omnino , cui Crucifixus arbori innixus aſtat , necnon
& ſequentes literas : S. PROVINCIAE SANCTI BONAVENTVRAE ORDINIS
MINORVM . orbiculatim imprimit,& Minoriticus Lugdunenſis conuentus tanti pa-
tris corpus ad hæc noſtra vſq; infeliciſſima tempora (vt infra patebit) ſumma venera-
tione continuit,præfatum ſanctiſſimum patrē graphicè depictum ſibi prępónere volui.

E

De conuentu S. Bonauenturæ Lugduni. *Conu. I.*

PRIMVM locum , non ſolum in Cuſtodia Lugdunenſi 7. conuentus immediatè
ſequentes amplectente, verumetiā in tota Prouincia,obtinet is locus qui Lugduni,
olim ſub titulo ſancti Franciſci,nunc verò S.Bonauenturæ, ampliſſima , eaq; pulcher-
rima ſtructura ędificatus.Impenſis interim à nobiliſſimis heroibus de Grollici liberaliſ-

ſimè ſubminiſtratis. Eius tamen conſtructionis tempus, licèt præcisè non habeatur, nihilominus tum ex coniecturis, tum quoq; ex epitaphijs antiquioribus monumentis A atq; ſepulcris, præſertim nobiliſſimæ cuiuſdam matronæ Franciſcano in habitu, anno Domini 1252. tumulatæ inciſis, commodè haberi poteſt. Inter cœtera quæ hunc conuentum toto orbi illuſtrem reddunt vita, conuerſatio, doctrina atq; ſepulcrum beati patris Bonauenturæ, de quo paucis verbis in omnipotentis Dei laudem, & ſerui eius honorem multa complecti non pigebit, primas partes tenent.

Beatus igitur Bonauentura originem traxit ex Balneo regio Prouinciȩ Tuſciȩ oppido, qui dum eſſet paruulus ſingulari omnipotentis Dei auxilio, atq; ſeraphici patris Franciſci interuentu, voto à cariſſima matre emiſſo, à mortis faucibus erutus fuit. Hunc cùm (veluti altera Anna Samuelis mater) cariſſima parens ſub hac conditione, ſi ex tali (alioquin mortali) infirmitate euaderet, ipſum Ordini Franciſcano fore aggregan- B dum, Deo vouiſſet, exaudita eſt, atq; proli myſterium opportuno tempore detexit. Qui vbi ſe aſtrictum materno voto cognouit, Sapientis conſilium ſequutus, vt videlicet Domino redderet, omnem ſuſtulit moram, ſacræq; initiatur Religioni. In qua, dum profeſſionem admittit, illum coram conceſſu accepta à Deo optimo max. meritis B. P. Franciſci, & maternis precibus beneficia, ratum interim habens quicquid de ſe mater Domino & ſeraphico patri promiſerat, recenſere minimè puduit. Aſcriptus itaq; per ſolemni votis emiſſionē ſacro Franciſcanæ philadelphiæ numero, ſe ad Dei, atq; ſui ipſius cognitionem, quod ſapientiſſimorum eſt, ſummo ſtudio ſummaq; diligentia totum contulit: quam & orationis inſtantia, aſſidua diuinarum rerum meditatione, atq; frequenti ſacrarum literarum lectione perfectè aſſequutus eſt. Diſciplinam nihilominus præfulgidi illius iubaris, ac ſingularis viri Alexandri de Ales minimè aſpernans, C ſub illo adeò profecit, vt ſeptimo à ſua profeſſione anno omnium applauſu Magiſtrū ſententiarum lepidè in publico Pariſienſi gymnaſio interpretatus ſit. Idq; non tam edoctus in ſcientijs, quas veluti alij homines diffinitione, diuiſione & alijs medijs aſſequuntur, quàm diuina inſpiratione atq; doctrina, potius infuſa, quàm acquiſita: atq; proinde non inflans, ſed ædificans ſupra veræ humilitatis fundamentum. Sciebat enim ſuper humilem & timentem Deum Domini ſpiritum requieſcere. Hanc itaq; humilitatem nedum in ſacro pectore ſeruabat, verū etiam in omnibus externis operibus, quorum nec minima faſtidiebat, præ oculis ſemper habebat. Infirmis ſiquidem, afflictis & tentatis, quamuis in legendo ſedulus eſſet, minimè deerat: nec à ſua præſentia quempiam ſubtriſtem diſcedere permittebat. Vnde non mirum ſi tanti apud omnes haberetur, ſiq; in Comitijs noſtri Ordinis generalibus nihil penitus ſine eius ſententia atque D cenſura tractaretur. Tandem pro ſuis meritis in generalem totius Ordinis Miniſtrum omnium ſuffragio aſſumptus eſt. In quo munere quàm glorioſè, quamq; religioſè ſeſe geſſerit, abundè oſtendunt æquiſſima illa decreta, Franciſcanæ Regulæ expoſitiones, ac tranſmiſſæ epiſtolæ, quæ dum Generalatu fungeretur, toto Ordini (ex quo illum perſonaliter perluſtrare non poterat) zelo zelans pro domo Domini deſignauit. Sola etiam iuſtitia munitus oblatrantium contra euangelicam paupertatem ora ſtrenuè compeſcuit. Deuotiſſimus præterea fuit virgini Mariæ, ad quam, in diuini verbi incarnationis memoriam, angelico elogio ſalutandam Chriſtianum populum ſub cāpanæ ſigno adhortatus eſt. Huius tanti viri ſanctitate cognita eum Clemens IIII. Pont. max. in ſolicitudinis partem locupletiſſimè Eboracenſi eccleſiæ præficiens, pro viribus trahere niſus eſt. Quod tamen aſſequi non potuit. Idq; non ſanctæ Sedis apoſtolicæ E contemptu, cuius dicto audiens omnino erat, ſed tranquillioris atq; pauperioris vitę agendæ deſidetio. Cupiebat ſiquidem tantus is pater diuitias in cœlo cumulare, quàm illis irretitus in terris periclitari. Moderato itaque per decem & octo annorum ſpatium, ſeraphico Ordine ſibi concredito non ſubterfugit vocatus à Gregorio X. ſummo Pontifice intereſſe Concilio Lugdunenſi. Cuius ſingularis doctrina & prudentia Chriſti Eccleſiæ, quæ tunc varijs agitabatur moleſtijs & difficultatibus, non parum contulère. Vnde ad Cardinalatus faſtigium euectus, adiunctiſque ſibi reuerendiſſimis Rotomagenſi atque Tripolitano Epiſcopis, (viris vtique illius ęui clariſſimis pręſtantiſſimisq;) grauiſſimis rebus ſe accinxit, Gręcos cū ſuo Imperatore Paleologo

Romanę

A Romanæ Eccleſiæ ſubmittens, aliaq́; præclariſſima agens. Tandem anno Domi-
ni. 1274. ætatis verò ſuæ 53. ad patres ſuos hoc in cõuentu, tũc ſeraphico patri Frãciſco
dicato, apponitur, vbi & plurimis claruit miraculis. Sanctiſſimo interim Gregorio Pa-
pa X. ac vniuerſa Eccleſia ob iacturam, quam immatura tanti viri mors incuſſerat, ma-
ximè dolentibus. Eius lingua poſt plurimos annos recens omnino reperta in eburnea
pixyde honorificentiſſimè magnoq́; cultu repoſita fuit.

Vt igitur ad Lugdunenſem noſtrum cõuentum redeamus: is ſub anno Domini 1561.
tempore tumultuum à Caluiniſtis hæreticis in Gallia excitatorum, omnino ferè com-
buſtus fuit: mobilibus interim tum ſacris, tum vſualibus, & antiquitatum documentis
vel ſacrilego latrocinio ablatis vel exuſtis. Corpus præterea beati patris Bonauenturæ,
quod argentea capſa affabrè elaborata recondebatur, ſacro interim auro atq; argento
reſeruatis, ab ijſdem nepharijs hominibus in Rhodanum flumen ſceleratè proiectum
B extitit. Eius tamen caput, diuino fauore atq; laudabili quorundam fratrum diligentia,
ſanguinarias eorum manus euaſit, & hoc in ipſo loco impræſentiarum vſq; ſummo ho-
nore à fidelibus colitur: Nec tamen per huiuſmodi nebulonum diligentiam ſtetit, quin-
in eorum poteſtatem veniret Nam V. P. atq; de catholica fide optimè meritum F. Ioan-
nem Gaiettum loci Guardianum, cuius agonem hîc ſubijcere libuit, diris cruciatibus di
uexarunt, vt tantum pignus ſimul cum corpore perdendum detegeret. Sed fruſtrà, eli-
gente præfato patre potius mori, quàm margaritas ante porcos, in inferno torrendos,
ponere. Hic deniq; conuentus, qui & à 30. fratribus commodè ſatis inhabitatur patrum
diligentia, atque fidelium pietate ſuperioribus annis reſtauratus extitit.

Capta ciuitate Lugduno, anno Domini 1460. omnibusq́; eccleſijs à ſacrilegis hære-
C ticorum turmis paſſim expoliatis, tandem ad ſacrum diui Bonauenturæ pignus ipſi Sa-
tanæ miniſtri, execrabili quadam auri cupiditate & ſiti æſtuantes, in hunc fratrum Mi-
norum conuentum ſe contulerunt: ipſumq́; ſancti viri corpus, ſacellum illius aggreſſi,
ex argentea capſa, in qua honorificentiſſimè repoſitum erat, extraxêre; atq; auro, ar-
gentoq́; reſeruatis, in flumen Rhodanum proiecêre. Atq; inſuper eodem inſatiabilis
auaritiæ ſtimulo acti, ipſius ſancti patris caput (quod ſciebant gemmis, margaritisq́;
pretioſis affabrè diſpoſitum atq; ornatum) reperire ſatagunt. Illud autem opportunè
fuerat a fratribus abſconditum; ingruente ſcilicet hęreticorum perſecutione. Vnde ij
ſpe, inquiſitioneq́; fruſtrati patrẽ fratrẽ Ioannem Gaiettum pręfati cœnobij Guardia-
num impetunt, rapiunt, probris & verberibus afficiunt, atq; in tortura diſtendunt, quę-
rentes ab eo, vt ſancti viri caput reuelare, fideiq́; catholicæ renunciare velit. Idq́; cùm
D acrioris ſupplicij cõminatione, tum maximis pollicitationibus obnixè perquirebant.
Quorum ſanè conatus inualidos reddidit pręfati patris, diuino fauore, interceſſioneq́;
beati Bonauenturæ confirmata in tormẽtis conſtantia. Cumq́; ij ſeſe à viro Dei deluſos
vident, eum ſub ferrea crate, ſub qua ſanctum corpus iam ſeruabatur, arctarunt, fame,
ſiti, ſqualore ac pedore torquendum. Quo in loco, licèt quędam mulieres deuotę pau-
xillo panis, & aquę, per cratis foramina illum aliquandiu furtim ab initio ſuſtentaſſent
attamẽ plurimis tranſactis diebus, pedore, atq; inedia conſumptus fortis Chriſti athle
ta, rerumq́; ſacrarum ac religionis catholicę fideliſſimus cuſtos, fide, amore, & conſtan
tia inſignis obdormiuit in Domino: quare cũ is tãtus P. pro lege Dei ſui ad mortem vſq;
certauerit, ab ipſo gloria & honore (vt piè credere poſſumus) coronatus in cælo extitit.

De Minoritico conuentu Villæfrancæ. Conu. II.

E CVM inclytus Belliloci Comes Conſtantinopoli, quò à Gallorum Rege Legatus
fuerat miſſus, in Galliam rediret, Aſſiſiumq́; tranſiens Minoriticum Ordinem
non ita pridem inſtitutum ibi vidiſſet, maximo animi affectu erga illum captus fuit.
Vnde in Galliam properans aliquot illius Inſtituti fratres, ſeraphico patri Franciſco
contemporaneos, anno à pręfati Ordinis exordio octauo, ſecum adduxit. Horum alter
Viennę manſit, alius in ciuitatẽ Montisferrandi miſſus fuit, reliqui verò pręfato Comi-
ti in caſtrũ de Poulls cõgreſſi ſunt. Conſtructo itaq; ſumptibus tãti Comitis ibi elegãti
cõuẽtu, in eo pręmemorati fratres, eiusq́; ſucceſſores per cõtinuos 100. annos morã tra
xêre. Quibus demum annis tranſacti, illuſtriſſimus quidam heros atq; à Borbonio tẽ-

poralis Dominus alium conuentum (de quo impræſentiarũ) multò elegantiorẽ, multoq́; A
commodiorem, quem & 14. fratres in hunc vſq; diem pro votis inhabitant, ſuper ipſas
Sonæ fluuij oras, atq; iuxta mœnia Villæfrancæ Lugdunenſis diœceſis oppidi, atq; ad
15. tantùm milliaria à Lugduno diſtantis, extruendum, aliumq́; relinquendum cura-
uit. Inter huius loci chorum atq; eccleſiæ nauim ſepulti ſunt religioſiſſimi duo patres,
ſeraphico patri Franciſco coæui, ſummaq́; pietate, deuotione, atque ſanctitate prædıti.

De Minoritico Matiſconenſi conuentu. *Conu. III.*

HVIVS conuentus Matiſconis vulgò Maceon, quæ Lugdunenſis diœceſis ciuitas
eſt, ab antiquo erecti, nõ poteſt haberi fundatio nec ſciptis, nec monumentis, adeò
fuit libera Caluiniana crudelitas in Matiſconenſi ciuitate, tamquã Gebennæ vicina, vt
conuentus funditus fuerit euerſus, combuſtus atq; expilatus. Pijs tamen catholicorum B
eleemoſynis illum fratres, qui numero frequentius ſunt 12. reædificare, atq; reſtituere
ſatagunt. Graſſante, anno Domini 1563. Caluiniana perſecutione in Matiſconenſi ciui-
tate V.P. Ioãnes Giboſus huius monaſterij Guardianus pro fide catholica cõſtãtiſſimè
decertauit, atq; victor tandem euaſit: qui ab hæreticis compræhenſus, poſt plurima lu-
dibria, nouiſſimè amputatis naſo, auribus, atq; manuum extremitatibus, in Sonæ pro-
fluentem tota inſpectante ciuitate proiectus, atq; ſubmerſus, animam ſuo Creatori reſti-
tuit, ac tandem glorioſo fine dirutum colluſtrauit cœnobium, quod antea incoluerat.

De Minoritico conuentu Montisbriſonis. *Conu. IIII.*

HIC conuentus Montisbriſonis, vulgò Montbriſon, quæ Galliæ Lugdunenſis ci-
uitas eſt, per nobiliſſimum heroëm Ioannem à Borbonio, anno à partu virgineo C
1270. ædificatus, cuius eccleſia, anno Domini 1275. conſecrata extitit, Caluiniſtarum
etiam hæreticorum rabiem, anno Domini 1562. menſis verò Iulij 14. expertus eſt. Nam
præfata vrbe Montebriſone capta, quatuor admirandæ conſtantię patres frater Ioannes
Baſſonus, frater Frãciſcus Borgonius, frater Antonius Malinus & frater Stephanus Cor
tantius varijs ſupplicijs ac plagis afflicti, tandem turpiſſima morte ſunt ab hæreticis in-
terempti. Quorum corpora, poſtquam in plateis & compitis diu iacuerunt inhumata,
terræ volatilibus atq; canibus dilanianda tradita ſunt, ita vt vix à quoquam dignoſci
poſſent. Cõmorantur interim hoc in conuentu, altiſſimo Domino famulãtes, 12. fratres.

De conuentu SS. Trinitatis & B. Virginis Pontisuallium. *Conu. V.*

PONSVALLIVM Gallicè Pont. de vaus Lugdunẽſis diœceſis oppidum eſt, ſpectatq́; D
ad Allobrogum Ducẽ. Hoc igitur in oppido, currente anno Domini 1474. præſens
conuentus, qui & à 14. fratribus inhabitatur, ſub titulo ſanctiſſimæ Trinitatis, atq; glo-
rioſiſſime virginis Marię, cura atq; procuratione bone memorię P.F. Ioannis Burgenſis
à ſereniſſimo Philippo Sabaudię Duce à fundamentis ad verticem vſq; conſtructus fuit.

De conuentu S. Mariæ de Angelis. *Conu. VI.*

ID chriſtianiſſimi, atq; de Franciſcana Religione optimé meriti Gallorum Reges
Carolus VI. & Anna à Britannia eius conſors in lucris poſituri, ſtipulante tamen
patre Ioanne Burgenſi & procurante, ſub anno Domini 1470. hoc monaſterium, ſanctiſ-
ſimę Marię de Angelis ſacrum, quem & 12. fratres inhabitant, in Lugdunenſi diœceſi E
à fundamentis extruendum, omnibusq́; ſuis numeris abſoluendũ pientiſſimè curarunt.

De Minoritico conuentu Baſtidæ. *Conu. VII.*

AEDIFICATVRI ſibi pientiſſimi Chrifideles Claudius de Vrſe atq; Catha-
rina de Polignat eius cariſſima vxor domum, in qua ſecundum Chriſti aduentũ
pręſtolarentur, hoc monaſteriũ ſiue potius eremitorium, à 7. fratribus frequẽtius inha-
bitatũ, Baſtidę ex cõmunibus expenſis, ſub anno Dominicę incarnationis 1473. à primo
ad vltimũ vſq; lapidẽ conſtruendum, atq; exanima eorũ corpora in eius eccleſia ęneo
ſepulcro affabrè elaborato claudenda curarunt. Hactenus de Lugdunenſi Cuſtodia.

De Mi-

A *De Minoritico Diuionenſi conuentu. Conu. VIII.*

DIVIONENSIS Cuſtodia ex 11. conuentibus immediatè ſequentibus conflatur: quorum primus eſt is, qui Diuionis (Gallicè Dyon) quod Lingonenſis diœceſis oppidũ eſt, in eccleſia, atq; antiquiſſimo Templariorum loco, prout ex quibuſdam tumulis altero quidẽ, anno Domini 1077. altero verò anno 1090. ibidem erectis, habetur, conſtructus extitit. Quo tamen certo tempore huiuſmodi locus Ordini noſtro conceſſus fuerit, deficientibus ſcripturis, & antiquorũ traditione, penitus ignoratur. Sub anno verò Domini 1578. iuniorum huius Prouinciæ fratrũ collegium, in quo eorũ aliquot tum Grammaticam, tũ quoq; Rhetoricam addiſcere poſſint, hoc in ipſo couentu à Prouinciȩ patribus conſultiſſimè erectum fuit. Agente ſiquidem Diuionis regio Pro-
B uinciæ Burgundiæ ſenatu, atq; eleemoſynas liberaliſſimè ſubminiſtrante, 70. ad minus religioſi patres atq; fratres hoc in monaſterio commodè ſatis aluntur, ſuſtentanturque.

De Minoritico Caſtellionenſi conuentu. Conu. IX.

HIC cõuentus Caſtellionis, (Gallicè Chaſtillon) quod ſuperioris Burgũdiæ oppidũ eſt, erectus, expenſis Burgundiæ Ducum, ſub anno 1278. extructus fuit; ſed per nobilẽ heroëm Cameſſonũ poſtmodũ ampliatus. In quo tredecim religioſiſſimi Minoritȩ fratres non abſque Caſtellionenſium circunuicinorumq; oppidorum & pagorum ingenti fructu commodè ſatis cõuiuunt, quos magno amore & beneuolẽtia proſequũtur.

De conuentu S. Franciſci Belnæ. Conu. X.

C RESPONDET ſanè hic conuentus, ſeraphico patri Franciſco Belnæ, quæ Lingonenſis diœceſis, atq; ſuperioris Burgundiæ ciuitas eſt, erectus, & à 15. fratribus plerumq; inhabitatus, eximiæ tanti fundatoris, generoſi ſcilicet Domini de Vienna erga noſtrum Ordinem beneuolentiæ: cùm ampliſſimus atq; elegãtiſſimè conſtructus ſit Eius tamen fundationis tempus, tum quia antiquiſſimus eſt, tum etiam quia ipſius inſtrumenta tempore belli ab importuniſſimis hæreticis combuſta fuêre, penitus ignorantur. Huius monaſterij alumnus extitit ille nunquam ſat laudatus Magiſter, ac pater frater Petrus de Cornibus plurimis, dum viueret, à Chriſtianiſſimo Gallorum Rege Franciſco honoribus atq; muneribus cumulatus. Cuius memoria in benedictione eſt, & corpus in almo noſtro Pariſienſi conuentu (de quo ſupra) honeſto loco reconditur.

D *De Minoritico conuentu Caſtriuillani. Conu. XI.*

NON minori ſtudio Caluiniſtæ noſtri temporis hæretici Minoriticum hunc conuentum, Caſtriuillani à pientiſſimis ſimul atq; nobiliſſimis Ioanne, atq; Ioanna conſortibus, nec non & eiuſdem oppidi Comitibus prope eorum munitionem, ſub anno Domini 1287. ædificatum, ſemel atq; iterum à vertice ad vſq; fundamenta euertendum curarunt, quàm illum præfati fundatores ab ipſis fundamentis ad apicem vſq; conſtrui iuſſerunt. Eius interim eccleſia, morã trahentibus octo fratribus in loco quodã ſatis anguſto, ex fidelium eleemoſynis ſumma cura ſummaq; diligentia reficitur. In præfatorum hȩreticorum perſecutione, anno à partu virgineo 1562. P. F. Paulus Tonelier meritiſſimus huius monaſterij Guardianus cum fratre Toſſanctio Fortino varijs tormẽtis ac ſupplicijs à truculentiſſimis hȩreticis affecti fuêre, ac tandem glorioſè pro
E Chriſto ſub eorundem manibus occubuerunt. Eorum oſſa, temporis ſucceſſu atq; pace inter catholicos & hæreticos inita, collecta, & in huius loci eccleſia recondita extitêre.

De conuentu S. Franciſci Barri ſuper Albam. Conu. XII.

HIC conuentus Barri ſuper Albã (Gallicè Barſur Aube) quod Lingonẽſis diœceſis oppidũ eſt, ſeraphico patri Frãciſco erectus, varijs poſt iacta fundamenta tẽporibus incrementũ ſumpſit. Primo enim tẽpore ſub pauperioris ædiculæ, perdeuoti cuiuſdam fratris ſtudio conſtructæ, anguſtijs ſubſtitit. Poſtmodum verò in iuſtam eccleſiam in B. P. Franciſci honorem pientiſſimi Iacobi de Montier ſumptibus ȩdificatam, in qua idem Iacobus ante ſummum altare honorificè ſepultus eſt, anno reſtitutæ ſa-

lutis 1289 euaſit. Tandem monaſterium, in quo octo fratres commorantur,& quod A
reliquum eſt ædificij ſibi adiunctum ex deuotiſſimorum Patritij Lambreti de Auberina atque cariſſimæ eius vxoris facultatibus,ſub anno Dñi 1297. conſtructum extitit.

De conuentu Minoritico Cabillionenſi. Conu. XIII.

VT primùm religioſiſſimus P.F.Ioannes à Portugalia inclytus Portugaliæ Regis filius ſuperioris Burgundiæ appulit oris, pientiſſimus atque nobiliſſimus heros Philippus Burgundiæ Dux hunc conuentum Cabillionis, (Gallicè Challon) quæ antiquiſſima,atq; vnius generalis Concilij celebratione nobiliſſima Burgundiorum ciuitas eſt,in tanti patris gratiã à fundamentis ædificandum,omninoq; abſoluendũ, atq; plurimis iocalibus ſacris & ornamentis eccleſiaſticis exornandum curauit. Eius tamẽ certum fundationis tempus, omnibus monumentis à ſanguinarijs hæreticis Vulcano B
traditis, haberi minimè poteſt. Inhabitatur interim hic locus à duodecim fratribus.

De conuentu Minoritico Briſatenſi. Conu. XIIII.

BRISATVM (Gallicè Briſon) Eduenſis diœceſis oppidum eſt,hæreticorumq; incurſibus atque iniurijs omnino patet. Quo denique factum eſt, vt Minoriticus conuentus à catholicis oppidanis ibi ab antiquo conſtructus, atque à neotericis huius noſtræ tempeſtatis miſerandæ hæreticis funditus euerſus, omnino expilatus extiterit,& à nullo penitus patre ac fratre inhabitetur, ſed derelictus miſerrimè iaceat.

De conuentu S. Franciſci Inſulæ. Conu. XV.

CVM religioſus P.F. Iulianus Leonetus hoc monaſterium ex diuerſis fidelium C
eleemoſynis, præcipuè verò clariſſimi viri Ludouici Cabillionenſis Inſulæ, quę Lingonenſis diœceſis oppidum eſt, temporalis Domini,anno Chriſti 1471. erigere cępiſſet,nec ipſum ad optatum finem perducere potuiſſet, pijſſimus Ludouicus à S. Maria, eiusq; cariſſima parens nomine Anna, quicquid ad huiuſmodi operis conſummationem deſiderabatur,id ex maxima in Deum pietate,atque erga Franciſcanam Religionem beneuolentia,communibus ſumptibus pręſtiterunt. Vniuerſus tamen hic locus, vnico tantùm dempto ſacello,in quo octo fratres diuina peragunt, hæreticorum inſaniæ,ſub anno Domini 1569. ſubiacuit, atque in fauillam ab ijſdem nebulonibus redactus eſt. Quem tamen præfati fratres pro viribus reſtaurare ſatagunt, anno verò Domini 1562.in prima hæreticorum perſecutione venerabiles duo patres Franciſcus Paredius,atq; Claudius Moncaretus nomine,huius tunc conuentus incolę,in prężfato oppido Inſula ab immaniſſimis hęreticis à vertice capitis ad dorſum vſq; ſecuri percuſſi, D
diſſectiq; ſunt. Pẽdentibus interim ex vtroq; latere ceruicibus,ac dorſo,naribusq;,auribus atq; manibus truncatis,conſtãtes in fide catholica in finẽ vſq; pro Chriſti nomine dimicarũt.Sicq; glorioſo agone triũphantes felici morte extremũ diẽ pariter clauſêre.

De conuentu Dominæ noſtræ de pietate Tanlai. Conu. XVI.

IN dięceſi Lingonenſi,atq; in oppido Tanlai,procurante præfato P.F.Ioanne Leoneto,ſumptus interim neceſſarios ſubminiſtrantibus nobiliſſimis Chriſti fidelibus Petro a S.Theobaldo, Anna & Margareta eius ſororibus, præſens conuentus in honorem Dominæ noſtræ de pietate,ſub anno Dominicæ incarnationis milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo tertio conſtructus fuit. Verùm in primo Caluiniſtarum hæ- E
reticorum tumultu,reſeruatis duobus eccleſiæ ſacellis,in quibus duodecim fratres diuinum perſoluunt officium, quicquid ædificij reliquum erat, id omnino ignę cum documentis ad ſe pertinentibus combuſtum fuit. Plures hauddubiè præclaros viros Franciſcanæ Religioni peperit hic conuentus, inter quos tamen primum obtinet locum honorandus Magiſter ac doctiſſimus pater frater Iacobus Hugonis, qui Chriſtianiſſimo Gallorum Regi Carolo eius nominis IX. & à conſilijs, & à ſacris confeſſionibus & prædicationibus fuit: imò & pro eodem apud catholicum Hiſpanię Regem Philippum eius nominis II. honorifica legatione functus extitit. Cuius denique corpus in almi noſtri Pariſienſis conuẽtus eccleſia honeſto quodã in ſepulcro quieſcit.

De con-

A *De conuentu Minoritico Eduenſi.* *Conu. XVII.*

CVM deuotiſſimi Chriſti fideles Matthæus Bigornetus, & Margareta eius vxor patria Eduenſes in diebus ſuis abſq; liberis proceſſiſſent, bonisq; affluerent, quod alioquin caræ proli relicturi erant, id in vnius Minoritici conuentus ædificatione inſummendum decreuêre. Quamobrem, apoſtolica auctoritate impetrata, hoc monaſterium Eduni, (vulgò Edun) quæ Epiſcopalis ciuitas eſt, à fundamentis ad verticē vſq; ædificarunt, atq; in eius eccleſia, erecto ſibi honeſtiſſimo mauſoleo, tumulari voluerūt. hoc deniq; monaſterium, quod V. Magiſtrum & doctiſſimum P. Tuſtanum, aliosq; plures admirãdę doctrinę & ſanctitatis religioſos peperit, hęreticā rabiē, prout & pręcedentes couētus, expertū extitit. Eoq; factū eſt, vt abſumptis igne ſcripturis, & bona eius parte euerſa,
B & certum eius erectionis tp̄s nos lateat, & à 12. tantùm fratribus inhabitetur.

De conuentu Vallisarduennæ. *Conu. XVIII.*

PRIMO ſat anguſtus erat hic conuentus à religioſo quodam eremita ſyluoſo in loco ex cuiuſdam Domini de Charnel liberalitate cœptus, ſed temporis ſucceſſu à ſolicitis quibuſdam huius Prouinciæ patribus ſtructura, atque ædificijs dilatatum fuit. Attamen, anno à partu Virgineo 1561. graſſantibus vbique hæreticis, illorum labores igne atque parietum ſubuerſione in caſſum redacti ſunt. Nihilominus tamen inter eius ruinas duo fratres, hoſpitalitatis gratia erga hoſpites exercendę, adhuc latitant.

De conuentu Minoritico Montisferrandi. *Conu. XIX.*

C ALVERNÆ Cuſtodia 11. immediatè ſequentes conuentus complexatur, inter quos primū obtinet locū is qui in oppido Monteferrando (Gallicè Montferrand) diœceſis Clarimontenſis, diuo Thomæ Cantuarienſi Archiepiſcopo & martyri, atque Margaretę virgini itidem atque martyri ex pijſſimis oppidanorum eleemoſynis, anno à mundi redemptione 1229. erectus. Cuius eccleſia de Chriſtiano more conſecrata eſt, & præfatorum ſanctorum reliquijs, duabus Dominæ coronæ ſpinis, brachio alterius ex ſanctis Innocentibus, funere vnius ex ſocijs B. P. Franciſci, ſepulcro B. P. Gulielmi Mariconij ſacræ Theologiæ Doctoris atque eximię ſanctitatis viri, & parte tuniculæ ſeraphici patris Franciſci religioſiſſimè honeſtatur. Præfatus pater Guilielmus Mariconius & iſtius, & Clarimontenſis atque Rionenſis conuentuum tum ſacriſtias, tum quoque bibliothecas mirum in modum adauxit, exornauitque; inſuper & plurimis hoc in eo-
D dem loco, quem duodecim fratres incolunt, coruſcat miraculis. Præterea quamplurima ſummorum Pontificum diplomata noſtrum Ordinem concernentia (de quibus tamen alibi ſæpius)in huius monaſterij archiuis accuratiſſimè, fideliterq; aſſeruantur.

De conuentu B. Mariæ virginis Clarimontis. *Conu. XX.*

GVIDO à Turre Bolonienſium Dux, atque oppidi Rupisfortis temporalis Dominus aliquid & Clarimontenſium expectatione, & ſua perſona dignum effecturus, hunc conuentum, glorioſiſſimæ virgini Marię ſacrum, quem & 10. fratres commodè ſatis incolunt, Clarimontis, quæ antiquiſſima ciuitas eſt, anno à partu Virgineo 1273. à fundamentis extruendum, omnibusq; ſuis numeris abſoluendum curauit. Cuius denique conuentus eccleſia, anno Dñi 1280. de more benedicta, conſecrataq; fuit.

E *De conuentu Minoritico Rionienſi.* *Conu. XXI.*

HIC conuentus primò conſtructus fuit aliquantulum à Rionio Clarimontenſis diœceſis vrbe, non tamen longè ab eccleſia ſanctę Radegundis quondam Frācorum Reginæ: inibiq; fratres multo tempore moram traxerunt. Verum, ingruentibus bellorum turbinibus, ne fortè captus & hoſtibus pręſidio eſſet, & ciuitati negotium faceſſeret, vt ſolo æquaretur à Rionienſibus, ſub anno Dominicę incarnationis 1353. decretum eſt. Eo igitur deſtructo non defuit diuinum auxilium. Quinimo ſtatim Rionenſis quidam ciuis locupletiſſimus, honorabilis videlicet Michaël Bordenius, cuius ad Franciſcanam Religionem, præſertim verò ad S. Ludouicum Toloſanum Epiſcopum,

atque

atque ad S. itidem Ludouicum Francorum Regem eiuſdem Ordinis alumnos affectus A incredibilis erat, quaſdam domos, ampliſſimumq; ſolum fratribus alioquin loco deſtitutis obtulit, contulitq;: inſuper & vt hic conuentus eodem in loco tum ex proprijs, tum quoque ex temporalium Geachij, Rupis, Caſtrinoui atque Caſſeronij Dominorum facultatibus conſtrueretur ſolicitè curauit, Abbate interim & monacis monaſterij ſancti Amabilis (licèt fruſtrà) ſummè reclamantibus. Hoc tamen cũ monaſterio mira mole extructo eius eccleſiæ non minima pars terremotu corruit. Cui nihilominus calamitati atque infortunio perdeuotus vir Ioannes Senerius collapſa proprijs ſumptibus reparans, reſtauransq; tempeſtiuè obuiauit: inſuper & pulcherrimam turrim (hoc campanile vulgò appellant) in eiuſdem eccleſiæ ornatum adiunxit. Commorantur plerunq; hoc in loco 18. fratres, qui diu noctuq; diuinas laudes perſoluunt.

De conuentu Annunciationis B. virginis Briuatenij. Conu. XXII. B

QVAMVIS, teſtimonijs, titulis, ſcripturis atque documentis bellorum iniuria aut combuſtis, aut ſuffuratis, nullum de ijs firmum habeatur teſtimonium, nihilominus tamen, ſi coniecturis, gentilitijs, ſcilicet Borbonicæ nobilis familiæ inſignijs tũ feneſtris, tum quoque parietibus inciſis, impreſſiſq; aurem accommodare liceat, præſens conuentus Briuatenij, quod diœceſis S. Flori oppidum eſt, in Anunciationis glorioſæ virginis honorem erectus, & à 12. fratribus inhabitatus à diuerſis, idq; varijs temporibus, conſtructus fuit. Veriſimile namq; eſt aliquem heroëm ex præfata Borbonica familia eius fundatorem extitiſſe: imò multum vrget ipſius ſepultura è regione principis altaris erecta. Temporis verò ſucceſſu nobilis Dominus Dachonius huius locis eccleſiam ampliauit, eamq; proprio funere & mauſoleo adornauit. Quæ tandem ſucceſſiuè à multis, quorum tamen nomina nos latent, aucta, doniſq; cumulata extitit. C

De conuentu Minoritico S. Porcini. Conu. XXIII.

SANCTVS Porcinus Clarimontenſis diœceſis oppidum eſt, in eoq; præſens conuentus, qui ſimilem omnino iacturam ei, quam præcedens expertus extitit, ſimilibus quoque cladibus incurrit, quiq; ab eodem fundatore, à quo & ille, conſtructus creditur, idq; ex plurimis inſignijs eiuſdem Borbonicæ domus vitreis eius feneſtris, atque parietibus impreſſis ædificatus cernitur. Præter iſta, quodque à quindecim fratribus inhabitetur, nihil aliud certi de hoc loco dicendum nobis occurrit.

De conuentu S. Ioſephi Campiaquoſi. Conu. XXIIII. D

STATVERAT nobiliſſimus Archimbaldus Borbonius hunc conuentum Campiaquoſi, quæ ciuitas eſt, Epiſcopali ſtemmate decorata erectum ſuis tantùm ſumptibus ſub anno Domini 1260. conſtruere. Verùm eius conſilium immatura mors fregit. Quamobrem eo è medio ſublato, ne tantum opus debito fine careret, inſignis pater frater Ioannes de Mailli, illuſtri proſapia natus, eccleſiam, ſacella, clauſtrum, Capitulũ & cœtera ad eius perfectionem neceſſaria ſummo ſtudio, ſummaq; diligentia fieri procurauit: inſuper & ſacriſtiam vaſis tum aureis, tum quoque argenteis, atque ſacris veſtibus inſtruxit. Obijt tãdem venerabilis hic pater anno Domini 1266. & egregio ſepulcro in eccleſiæ medio honoratus extitit. Iuxta ſummum altare, ad latus ſacro Euãgelio decantando deputatum, Guido de Dampierre vterinus præfati Archimbaldi frater ſepultus eſt. E regione verò nobiliſſima heroina Maria de Hainant prima Borbonij Duciſſa E tumulata quieſcit. Sed ingenua, pientiſſimaq; Clarimontenſium Comitiſſa, atque temporalis Borbonij Domina Beatrix chori medium tenet. Tribus his heroibus ſplendidiſſimi tria ſepulcra ab inuicem diſtincta erecta ſunt. Huius denique loci à 20. fratribus frequentius inhabitati eccleſia, anno Domini 1275. ſub titulo S. Ioſeph conſecrata fuit.

De conuentu B. Mariæ Montiſlucij. Conu. XXV.

QVOD non obſcura fuerit illuſtriſſimi Ioannis Borbonij Ducis in Franciſcanam familiam beneuolentia, ſatis conſtat ex præſenti conuentu in glorioſiſſimæ virginis Mariæ honorem Montiſlucij eius tantùm ſumptibus ſub anno Dominicæ incarnationis

A carnationis 1441.constructo.Cuius quidem conuentus,à 16. fratribus plerumq; inculti,eccleſia, poſt elapſum ab huiuſmodi constructione ſexennium, nempe anno Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſeptimo de more conſecrata extitit.

De conuentu Minoritico Caſtriodonenſi. Conu. XXVI.

NOBILIS ac pientiſſimus heros Philippus à Vienna Liſtenenſium Dominus cùm precibus,tum quoque optimo fratrum præcedentis monaſterij exemplo motus præſentem conuentum, in quo 12. fratres pro votis commorantur, Caſtriodonis, quod eius oppidũ erat,ex domeſticis facultatibus,ſub anno Dñicæ incarnationis milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo nono,à fundamẽtis extrui, perficiq; imperauit.

B *De conuentu Minoritico Donionico. Conu. XXVII.*

VT primùm nobiliſſima Agnes Borbonij Duciſſa apoſtolicam à Nicolao V. Pont. max.ſub anno Domini 1450.facultatem obtinuit,fundum Minoritico conuentui ædificando accommodatum,atque capaciſſimum Donionis tum ex proprijs,tum quoque ex piæ heroinæ Guicherdæ,atque perdeuoti cuiuſdam Ioannis Mochardi facultatibus emendum,inibiq; præſens monaſterium à fundamentis ad apicẽ vſque conſtruẽdum curauit.Cumq; huiuſmodi monaſterium,ex imbecilliori materia ędificatum,poſt aliquot annos maiori ex parte collapſum eſſet,à pientiſſimis Philippo à Vienna, atque Pernetta Chalceronia eius vxore inſtauratum, reparatumq; eſt. Huius denique conuẽtus,qui & à 15.fratrib. inhabitatur,eccleſia à R.Barnaba Epiſcopo de more cõſecrata extitit, & ſumptuoſiſſimo nobiliſſimæ Ludouicæ ab Ambaſia mauſoleo honeſtatur.

C *De conuentu S. Michaelis Selletæ. Conu. XXVIII.*

CVM nobilis Iacobi Lupi temporalis Monfangenſiũ Domini prædeceſſores prioratum Selletæ,quod Clarimontenſis dięceſis oppidum eſt,vt Deus opt. max. continuò ibidem laudaretur, conſtruendũ curaſſent,tẽporiſq; ſucceſſu diuinus eo in loco cultus extinctus fuiſſet:id pręfatus Iacobus Lupus ęgerrimè ferẽs, huiuſmodi prioratũ ex obtẽta à Sixto IIII.Pont.max.apoſtolica auctoritate in iuſtũ conuentum,ſub anno à partu Virgineo 1478.coaptari,atq; huius Prouincię fratrib.tradi curauit. Cuius deniq; conuẽtus eccleſia ſub titulo S.Michaëlis Archãgeli cõſecrata eſt,& à 10 fratrib.colitur.

De conuentu S. Marthæ Vicicomitis. Conu. XXIX.

D PLVRES ſui benefactores habuit hic conuentus Vicicomitis,quod Clarimontenſis diœceſis oppidum eſt,in honorem S. Marthæ erectus. Nam à nobiliſſimis Bertrando à Turre,& Ludouica de la Tramoile eius coniuge,ſub anno Domini 1473. primò conſtructus, & à pientiſſima Ioanna à Vandoma vidua ex Borbonij ducis morte relicta poſtmodum ampliatus,atque maximis beneficijs honeſtatus,à ſereniſſima tandem Catharina Medices Francorum Regina,& Henrici II. Galliæ Regis quondã vxore,pretioſiſſimis iocalibus,ijſq; plurimis,cumulatus extitit.Cuius eccleſia duplici eoq; famoſo mauſoleo honeſtatur.In quorum altero præfata Ioanna à Vandoma in habitu Minoritico, ſub anno Dñi 1511. tumulata fuit: in alio verò inſignis Ioannes Stuardus Albaniæ Dux,atq; Scotorum Regis cognatus germanus,cùm anno Dñi 1536. diẽ clauſiſſet extremũ,honorificentiſſimè quieſcit.Cõmorantur interim hoc in loco 16.fratres.

E *De conuento Minoritico Dolenſi. Conu. XXX.*

DOLA Burgundiæ ſuperioris,atque Biſuntinenſis dięceſis ciuitas eſt,famoſa quidem tum regio ſenatu,tum quoque inſigni Academia: paretq; Flandriæ Comitibus. Hanc igitur tantã ciuitatẽ decoraturi pientiſſimi Ioannes & Theobaldus de Ries, atq; eorũ vxores Margareta & Margareta Burgũdię Comites,Minoriticũ hunc conuẽtũ,quẽ 22.fratres impręſentiarum inhabitãt,Carolo IIII.Germanorũ Imperatore,atq; Gregorio XI.Auenionis reſidente,intra eius mœnia,ex apoſtolica ſibi facta auctoritate, ſub anno reſtitutæ ſalutis 1372.ab ipſis fundamentis extruendũ,atq; omnino abſoluendũ curarũt. Hic conuẽtus ſicut & 7. immediatè ſequẽtes ad Cuſtodiã Biſuntinã ſpectat:

De con-

De conu. Annunciationis B. virginis Ledoniſalnerij. Conu. XXXI. A

PRAESENS conuentus Ledoniſalnerij, quod ſuperioris Burgundiæ oppidum eſt, lętabūdę virginis glorioſiſſimæ Anunciationi erectus, ab inclytis Viennæ Dominis primò conſtructus, ac poſtmodum per generoſos Chalonenſium heroës atq; Auranię Principes mirum in modum auctus, atq; tandem ab edace, infeſtoq; igne conſumptus fuit Qua etiam de cauſa eius certum erectionis tempus ignoratur. Incumbunt nihilominus fratres eius incolæ, qui frequentius ſunt 16. numero, idq; pro viribus, eius reparationi atque reſtaurationi. Huius conuentus alumnus fuit reuerendiſſimus atq; de Franciſcana Religione optimè meritus P. F. Ioannes Henrici Damaſcenorū Epiſcopus.

De conuentu B. Mariæ Cheriaci. Conu. XXXII.

CVM inclyta Margareta Duciſſa, ſimulatq; Burgundiæ Comitiſſa apoſtolicas pro hoc Minoritico conuentu Cheriaci, qui Biſuntinenſis dięceſis pagus eſt, ædificādo literas à Ioanne XIII. Pont. max. ſub datum tertio idus Februarij, anno ſui Pontificatus iiij. humanæ verò ſalutis 1414. impetraſſet, atque huiuſmodi literæ, præfato ſummo Pontifice morte præuento, Sedeq; vacante, ſuum effectū ſortiri minimè potuiſſent, alias à ſacro Conſtancienſi Concilio, quarum exequutor fuit reuerendiſſimus Theobaldus Biſuntinenſium Epiſcopus, obtinere curauit. Voti itaq; compos effecta hunc conuentū, quē & 12 fratres plerumq; occupant, ex proprijs facultatibus pręfato in loco, ſub anno Dn̄i 1420. à fundamētis ad apicem vſq;, idq; in honorem B. virginis Marię, extrui fecit. B

De conuentu S. Franciſci Salerianum. Conu. XXXIII.

MAXIME nobis commendanda venit inclytorum heroum atque temporalium Viennę Dominorum in Deum pietas, & in ſacrum Ordinē noſtrum affectus atq; animi propenſio. Cùm plurimis a ſe conſtructis conuentibus (de quibus ſuprà) & hunc, ſeraphico patri Franciſco Saleriarum erectum, adjciendum curarint. Fuit ſiquidē eius author atque fundator, idq; ſub anno à partu virgineo 1447. nobiliſſimus Gulielmus à ſanto Georgio Viennenſium Dominus. Huius denique conuentus, qui & à 10. fratrib. incolitur, cuiusq; alumnus extitit doctiſſimus, pariterq; zelantiſſimus Magiſter ac pater de Cathalando, eccleſia, anno Domini 1452. de Chriſtiano more conſecrata fuit. C

De conuentu Mozoretico. Conu. XXXIIII.

CVM nobiliſſimus atque ſtrenuus miles Ludouicus à Chalonio ſub Regis Galliæ ſignis in Italia militaret, Minoriticum quendam conuentum, belli neceſſitatibus ſatisfacturus, combuſſit. Quamobrem ſibi à patre eius confeſſario iniunctum fuit, vt in commiſſi criminis ſatisfactionem alium conuentum eidem Ordini erigendum curaret. Is igitur eius patris dicto audiens, proprium caſtrum Mozoreti conſtructum in monaſterium (de quo impręſentiarum) adaptari, atque huius Prouinciæ fratribus, ſub anno Dn̄i 1462. tradi fecit Commorantur vt plurimùm hoc in loco, in quo quidam eximiæ ſanctitatis pater natione Sabaudus, qui & ſtigmata plurimùm ſimillima illis, quibus beatus Franciſcus inſignitus fuit, impreſſa habuiſſe fertur, ſepultus eſt, octo religioſi. D

De conuentu B. Mariæ de gratijs Rubeimontis. Conu. XXXV.

CVM regularis Obſeruantia, circa annum a partu Virgineo 1450. iſtis in partibus mirum in modum floreret, indiesq; magis ac magis augeretur, ita vt conuentus fratres minimè capere poſſent, duo monaſteria, alterum in vrbe Bellicardi, alterum verò (de quo impræſentiarū) è regione Caſtri Rubeimontis ab inclytis heroibus Theobaldo atque Catharina Beaufermontia eius vxore eiuſdem caſtri temporalibus Dn̄is, idq; ſolicitatione atq; opera patris conuentus Dolenſis Guardiani, conſtructa fuêre. Prętera hoc noſtrū monaſteriū, S. Mariæ de gratijs ſacratum, atq; à 10. fratribus plerumq; incultū, cuius eccleſia de catholico more, anno Dn̄i 1457. conſecrata extitit, plurimū anno Dn̄i 1461. auxit, atq; non contēnēdis beneficijs cumulauit nobilis Thomas Gramontius. Cuius deniq; corpus in habitu Minoritico honeſto eiuſdē eccleſię loco reconditur. E

De con-

A *De conu B. virginis atque P. Franc. Tonarum. Conu XXXVI.*

VV primùm ſereniſſimus Renatus Hieroſolymorum, Siciliæq; Rex, Prouinciæ Comes atque Lotharingiæ Dominus, cuius in Deum pietas atq; in Franciſcanã Religionem beneuolentia vix explicari poſſunt, apoſtolicam ædificandorum ſex conuentuum, trium quidem iſtis in partibus, aliorum verò trium in Barri atque Lotharingia, facultatem à Nicolao V. Pont. max. obtinuit, hoc monaſterium, glorioſiſſimæ virgini Mariæ atque ſeraphico patri Franciſco ſacrum, quod & 12. fratres impræſentiarum occupant, Tonarum, ſub anno reſtitutæ ſalutis 1472. à fundamentis ad apicem vſque conſtrui imperauit. Cui poſtmodum, quòd anguſtijs pateret, pientiſſimi Gulielmus Stolupius atque cariſſima eius vxor Ioanna, oppidi Tonarum temporales Domi-
B ni viridarium, ſimulatq; pratum annèxuerunt. Præterea eius eccleſia, quæ & anno Dominicæ incarnationis 1528. per reuerendiſſimum Petrum Taſſardum Chriſopolitanum Epiſcopum conſecrata extitit, ex diuerſis fidelium eleemoſynis, ſub anno humanæ ſalutis 1527. ampliata, atque in meliorem, præſtantioremq; formam redacta eſt.

De conu. B. M. atq; S. Ant. de Padua Prouencherij. Conu. XXXVII.

APPENDERANT aliquot Chriſtifideles ex arbore, fonticulo cuidam imminente, deuotionis excitandæ ergò, glorioſiſſimæ virginis Mariç, atque S. Antonij de Padua imagines, eoq; factum eſt, vt is locus in veneratione à tranſeuntibus, atque conuicinis populis haberetur. Quamobrem quidã Iacobus à Nouauilla Tertiarij, permittentibus interim, imò & contiguum viridarium atque plurima bona conferẽtibus,
C pietiſſimis Carolo à Nouocaſtro & cariſſima eius vxore Margareta à Vienna, ad quos huiuſmodi fons atque circumadiacens fundus attinebant, hoc monaſteriolum, ſiue potius eremitorium ſub S Mariæ virginis, atque beati patris Antonij de Padua titulo, anno à partu Virgineo 1484. eodem in loco conſtrui, perficiq; fecit; vbi & plurimis annis habitauit. Tandem ſenio confectus, ne ſe defuncto huiuſmodi ruinis pateret, eam Cheriacenſi conuentui, (de quo ſuprà) annuente interim venerabili patre fratre Iacobo Monallio huius tunc Prouinciæ Vicario, annexam voluit. Quæ tamen ſucceſſu temporis in conuentum euaſit; vnde & impræſentiarum ab octo fratribus inhabitatur.

De conuentu Minoritico Viennenſi. Conu. XXXVIII.

QVIA mox in initio bellorũ, ab hçreticis excitatorũ, hæc Galliæ Lugdunẽſis pars
D circa Viennã antiquiſſimã ciuitatẽ plurimũ fuit laceſſita, ob id de huius conuentus, qui primus eſt illorum ſeptẽ conuentuum quibus Cuſtodia Viennenſis omnino abſoluitur, quiq; ab ipſis truculentiſſimis hæreticis (vt hoc euidentiſſimo argumento declararent, quanto odio fratres Minores ſummi Pontificis Romani authoritatem ac ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ fidem proteſtantes atque defendentes proſequerentur) funditus fuit euerſus, fundatione vix aliquid certi haberi poteſt. Hoc nihilominus comprobatum eſt, ipſum ſcilicet primò intra præfatç Viennenſis ciuitatis mœnia in platea S. Geruaſij çdificatũ: deindeq; vltra Rhodanum flumen ad ſanctç Columbç plateã ex parte Delphinatus tranſlatum: ac demum inde ad locum, in quo impræſentiarũ ſubſiſtit, per R. Ioannem Viennenſium Archiepiſcopum, anno humanæ ſalutis 1290. trãſportatum, atque tertiò munificentiſſimè extructũ fuiſſe. Voluit præterea R. is An-
E tiſtes in eius eccleſia cum patre, matre & ſororibus ſepeliri. In matricis eccleſiæ ViennSſis cçmeterio quidã ex ſocijs ſeraphici P. Frãciſci, qui & miraculis coruſcat, tumulatus fertur. Ad quem religioſiſſimi P. F. Michaël miraculis quoque inſignis, F. Drodo, cui ſacrum facienti Angelus in humana forma inſeruiuit, atq; F. Gulielmus prophetico ſpiritu donatus appoſiti ſunt. Non deſunt qui aſſerãt B. P. Frãciſcum hunc locũ in propria perſona viſitaſſe: quod ſanè inficiari nollẽ. Commorãtur interim hoc in loco 8. fratres.

De conuentu Minoritico Romanenſi. Conu. XXXIX.

NON pepercit hæreticorum rabies huic conuentui, qui de Romanis nuncupatur, quiq; liberaliſſimis quondam inclytorum Eduardi & Gulielmi à Pictauij vterinorum

norum fratrum expenſis extructus,ingentiſſimiſq; muneribus locupletatus fuit. Quinimo eorum opera, atque inſano furore totus iacet ruina irreparabili. Tantorum præterea patronorum cœptis non defuerat cariſſimi nepotis Ioannis à Pictauijs benignus fauor, opportunumq; auxilium, ſi ſanguinarij hæretici id, quod ille piè præſtiterat, impiè omnino atque ſacrilegè demoliti non fuiſſent, expilaſſentque. Vnde nunc decem fratres ſat miſerè ibidem hoſpitantes collapſa ex fidelium eleemoſynis reſtaurare pro viribus adnituntur. Faxit Deus opt.max.vt optatum finem conſequantur. A

De conuentu S. Petri Charreriarum. Conu. XL.

CHARRERIÆ (Gallicè Charrieres) Viennenſis diœceſis pagus eſt,attinetq; ad inclytos Caſtrinoui,aliàs de Moncenai, heroës. Cùm igitur parochialis eius eccleſia,Apoſtolo Petro ſacra, in Cluniacenſi quodam prioratu erecta eſſet, atque inter ipſam & pagum rapidus quidam torrens laberetur,pluriesq; parochiani ab æſtuātibus aquis in extrema neceſſitate ad parochiam tranſire prohiberentur:tanto incommodo obuiaturus perdeuotus ac nobilis Caſtrinoui Dominus antiquā ædiculam, iuxta proprium caſtrum erectam, cum ſufficiente ad iuſtæ vnius eccleſiæ ædificationem adiacente fundo,illis ea lege,eoq; pacto,vt huiuſmodi prioratus in fratrum huius Prouinciæ Minorum ius cederet,liberaliſſimè obtulit,contulitq;. Quibus denique ex animo conſentientibus,ac ſummo Pontifice,imò & Viennenſium Archiepiſcopo annuentibus,præfatus prioratus tum ex eiuſdem herois de Moncenai,qui & loci fundator habetur,tum ex priorum eleemoſynis in hunc conuentum ſub antiquiori titulo S.Petri, anno Dñi 1457. tranſlatus fuit. Quem & decem fratres commodè ſatis inhabitant. B

De conuentu S. Andioli Burgi. Conu. XLI. C

DVM Galli bellum in Italia gererent,nobilis heros de Baiard Gallicarum copiarum Dux tres Minoritarum conuentus deſtruxit, ſoloq; æquauit. Vnde in Galliam reuerſus totidem ſuis ſumptibus fieri, ædificariq; procurauit. Horum vnus eſt hic in vrbe, quæ Burgus ſancti Andioli nuncupatur, Rhodanoq; celebri fluuio alluitur, atque ad Vuierienſem diœceſim attinet, erectus. Qui tamen à Caluiniſtis hæreticis pro maiori parte combuſtus extitit. Inhabitatur nihilominus à quatuor fratribus qui inter ruinas ibi ſat incommodè manent non tamen abſq; catholicorū fructu.

De conuentu Minoritico Turnotenſi. Conu. XLII.

SECVNDVS verò conuētus à præfato heroë de Baiard,ob ſupra memoratā cauſam conſtructus,fuit hic hic Tournotēſis non longè ab oppido Tournoto olim erectus:ſed à truculētiſſimis,atq; omni execratione digniſſimis hęreticis funditus euerſus. D

De conu. Dominæ noſtræ de gratijs Coſtæ S. Andreæ. Conu. XLIII.

PRÆSENS conuentus,virgini Mariæ de gratijs ſacratus,atq; ſumptibus ſereniſſ. Franciſci à Vienna Francorum Regis primogeniti in oppido,cui Coſta S.Andreæ nomē eſt,ſub anno à partu Virgineo 1520. idq; opera atq; ſtudio religioſi P.F.Bonauēturę Rupini ędificatus,graſſantibus hęreticorū tumultibus à perditiſſimis quibuſdā illius farinę nebulonibus deſtructus,funditusq; euerſus fuit.Manēt nihilominus adhuc 2. fratres, in quadam ſæculari domo,vt tranſeuntes fratres hoſpitio excipere poſſint.

De conuentu Montiſcaluarij Romanorum. Conu. XLIIII. E

AEDIFICATVRVS Emanuel Rauſinus in vrbe de Romanis conuentū ad inſtar Dñici ſepulcri,architectos extra omnē ingenij aleam abſolutiſſimos, qui eius, in quo Chriſtus mundi Saluator tumulatus fuit,formā explorarent,ex Gallijs Hieroſolymā vſq; ſecum duxit. Reuerſus itaq; cum illis ex ea peregrinatione hoc monaſterium, Dñico ſepulcro omninoq; ſimillimum, ex proprijs facultatibus conſtruendum, huiuſq; Prouincię fratribus tradendum,atq; exanime corpus ibidem ſepeliendum curauit. Tamen Caluiniſtæ inimici crucis Chriſti huiuſmodi locum, ſub anno Domini 1562. deſtruentes in aceruum lapidum reduxêre. In quo nihilominus duo fratres commorantur.

De con-

A *De conuentu Aſſumptionis B. Mariæ Bellici.* *Conu. XLV.*

SABAVDIENSIS ſiue Allobrogenſis Cuſtodia ex his ſex conuentibus immediatè ſequentibus coponitur, quorum primus eſt, is qui in vrbe Bellici (vulgò Bellai) anno 1473. ab inclyto Ludouico Sabaudiæ ſeu Allobrogũ Duce, atq; à ſereniſs. Anna eius vxore, ſereniſs. Iani Regis Cypri filia, à fundamentis ad apicem vſq; conſtructus fuit, omnibusq; neceſſarijs inſtructus. Fuit hic Dux filius illius præſtantiſſimi viri Amedei primi Sabaudiæ Ducis, hoc titulo in Conſtantienſi Concilio à Germanorum Imperatore inſigniti, qui defuncta vxore, relictaq; Ducali cura præfato filio Ludouico, ſtudio rerũ diuinarum, ac cęleſtium cõtemplatione allectus, cum paucis ſuorum in agrum Gebennenſem ſeceſſit, & prope lacum Lemannum cœnobium conſtruxit, ibiq;
B diu noctuq; fideliſſimè altiſſimo Dño famulabatur. Cuius odor ſanctitatis in omnẽ terram, vbi fides Chriſti colebatur, effuſus cùm eſſet in Concilio Baſilienſi ad ſummum Pontificatum ex illo cœnobio aſſumptus fuit, Felixq; nuncupatus, cui ſupremæ dignitati concordiæ gratia ſeſe poſtea voluntariè abdicauit. Huius itaq; tanti parentis pietatem filius imitatus totum ſe dedit pietatis officijs, nam inter alia præſens monaſterium (vt præfati ſumus) conſtruxit, in quo ſat commodè 12. fratres commorãtur. Huius eccleſia à reuerendiſſimo Bartholomęo Eliuetio Epiſcopo Nicæno in honorem Aſſumptionis Deiparę ſemperq; virginis Mariæ illico, vt conſtructus fuit, conſecrata extitit.

De conuentu Dominæ noſtræ de Mianis. *Conu. XLVI.*

VT primùm nobiliſſimus heros, atq; ſtrenuus miles Iacobus Montismaioris Co-
C mes ſacra Hieroſolymorũ loca ex paterno præcepto viſitauit, & caro parente defuncto D. Iacobi apoſtoli limina in Compoſtella ſalutauit, debellandis Saracenis ſub Caſtellę Regis vexillo ſedulã nauauit operam. Cumq; ea in expeditione plurima, eaq; non contemnenda ſubijſſet pericula, ne virgini Mariæ, atq; B. Franciſco, quorũ auxilio ea ſe euaſiſſe cognoſcebat, ingratus haberetur, ſtatim vt in patriã reuerſus eſt, antiquiorẽ ædiculam, Dominæ noſtræ de Mianis ſacram, atq; miraculis meritis eiuſdẽ virginis ibidẽ patratis omnino illuſtrem, ad ſe tamen pertinentẽ, ex apoſtolica Calixti III. Pont. max. auctoritate, ſub anno 1458. in iuſtam eccleſiã ſub antiquiori titulo euehendam, atq; Minoriticũ conuentũ, in quo 18. fratres pro votis conuiuunt, ſibi ex proprijs facultatibus annectendũ curauit. Præterea huiuſmodi ædiculã, à parochialis eccleſiæ, iure immunẽ eſſe voluit. Quo quidẽ in negotio quamplurimas expertus eſt, ſuperauitq;
D difficultates. Cęterùm nobiliſſima Ludouica à Camera prẽfati Comitis vxor, ac Franciſca eiuſdẽ Comitis vterina ſoror, nec nõ & ꝑdeuoti Hugo Chaleius Prior S. Georgij, atq; Ludouicus Rubodius hoc prẽfatũ monaſteriũ plurimis beneficijs cumulãtes eius eccleſiã proprijs ſepulcris affabrè elaboratis elegantiſſimè adornarunt. Ad hunc locũ, in quo non vulgaria experiuntur beneficia, ex diuerſis mundi partibus Chriſtifideles ſua vota perſoluturi confluunt. Non pigebit interim quæ à maioribus accepimus paucis referre. Fertur etenim ſeraphicũ P. Franciſcum, dum olim iſtac pertranſiret, ante glorioſiſſimę virginis imaginem genuflexum prophetico ſpiritu prędixiſſe ędificandũ aliquando eo in ipſo loco ſuo Ordini conuẽtum, maxima in veneratione habendum.

De conuentu S. Franciſci Cluſenij. *Conu. XLVII.*

E NOBILISSIMVS Ioannes Gebennẽſium Comes Cluſerienſes, quibus imperabat, fortiori vinculo ſibi aſtricturus, Minoriticũ hunc cõuentum, ſeraphico patri Franciſco dicatum, quem & 14. fratres incolunt, ex facta ſibi à Paulo II. Pont. max. poteſtate, ſuis ſumptibus apud eos, ſub anno Domini 1470. ędificari, perficiq; fecit.

De conuentu S. Michaelis Tarantaſiæ. *Conu. XLVIII.*

ILLE R. P. F. Thomas à Suſa Franciſcanæ Regularis Obſeruantiæ alumnus ſuo Ordini, ex quo ad Tarantaſienſem Archiepiſcopatum, ſimulatq; Ducatum aſſumptus fuerat, debitas gratiarum actiones redditurus, parochialem S. Michaëlis eccleſiã Tarantaſiæ, quæ Centronum metropolitana ciuitas eſt, erectã, atq; ad ſe iure Archie-

 piſcopatus

piſcopatus pertinentem,cum omnibus ædificijs,atq; dependentijs,præter redditus, eò A quòd cũ inſtituto regularis Obſeruantiæ ex diametro pugnent, nec ſe mutuò compatiantur,ſe concernentibus,annuente tamen ſummo Pont.Sixto IIII. huius Prouinciæ fratribus in monaſterium transferendã,ſub anno 1471.contulit,elargitusq; eſt.Tãta igitur occaſione ſibi oblata benè vſi fratres,hoc monaſteriũ, in quo eorũ 15.impręſentiarum commorantur, ſub antiquiori S.Michaëlis titulo ſibi ædificandum curarunt.

De conuentu S. Mariæ Aegyptiacæ Ciamberiaci. Conu. XLIX.

CVM nobilis Stephanus Roſetus Ducalis conſiliarius, atq; Cameræ computorum Prępoſitus ædiculam,S.Mariæ Ægyptiacę ſacram,non longè à Ciamberiaco Allobrogum ciuitate,ex mera tantùm deuotione,ſub anno 1462.ędificaſſet,eiusq; Rectorem atq; ſacellanum venerabilem Ioannem Darbonium ſacerdotem conſtituiſ- B ſet:victus tamen inclyti Sabaudię Ducis Amedei,atq; eius vxoris precibus huiuſmodi ædiculam cum horto & domo ſibi adhærentibus,de conſenſu præfati Ioannis Darbonij,Sixto tamen IIII. Pont.max.annuente, V.P.F.Ioanni Burgenſi conuentus Dominę noſtræ de Mianis Guardiano in monaſterium transformandam, atq; huic Prouinciæ agglomerandã, ea tamen lege, vt perpetuò regulari Obſeruantię ſubeſſet, anno Dominicæ incarnationis 1468 tradidit. Quod & ille quamdiligentiſſimè præſtitit. Hic igitur locus,qui ſub eremitorij,beatæ Marię Aegyptiacę ſacri,titulo,per 27.continuos annos,Mianenſis conuentus Guardiano ſubiacuit, monaſterij dignitatem ex Alexandri VI. Pontif.max. decreto, anno humanæ ſalutis 1455. adeptus,ſortitusq; extitit. In quo & 18.fratres ſub proprio Guardiano comodè ſatis impræſentiarũ inhabitant.

De conuentu S. Crucis Annæſoſiaſſi. Conu. L. C

CVM R.Petrus Lamberti Caſertanus Epiſcopus in Celeſtinorum patrum Ordinem maximè propenderet,hunc conuentũ,S.Cruci ſacrum, Annæſoſiaſſi, quod Gebennenſis diœceſis oppidum eſt,ex apoſtolica Leonis X.Pont.max.auctoritate,ſub anno 1518. illi à fundamentis ad apicem vſq; conſtruendum, tradendumq; curauit. Poſt elapſos verò aliquot annos,nempe anno Dominicæ incarnationis 1533.legitimis quibuſdam de cauſis Clementi VII. Pont. max.ſupplicauit,vt huiuſmodi conuẽtus, præfatis patribus Celeſtinis eius habitatoribus aliò tranſlatis, Franciſcanis regularis Obſeruantiæ alumnis conferretur: quod & obtinuit. Ab eo igitur temporis impræſentiarum vſque præfatus hic locus à decem huius Prouinciæ fratribus inhabitatur.

Et hæc ſunt, quæ ex diuerſis huius Prouinciæ ſancti Bonauenturæ documentis D hinc inde collectis, conſumptis interim, combuſtis atque deperditis antiquis ſcripturis & monumentis,ob temporum atque bellorum iniuriam,haberi à nobis potuerunt.

De monaſterio Clariſſarum Gratianopolis. Mon. I.

HOC monaſterium Gratianopolis, quæ Accuſiorum colonia (vulgò Granobles) dicitur, & Allobrogum vrbs putatur, erectum, & à viginti Clariſſis de prima Regula ſororibus inhabitatum,vtrum ante beatę virginis Coletæ tempora ędificatum, & ab ea poſt modum reformatum, vel potius ipſius opera primò in lucem prodierit, nos omnino latet: cùm inſtrumenta hæc concernentia omnino perierint.

De monaſterio Clariſſarum Ciamberiaci. Mon. II. E

VIGET profectò regularis diſciplina,à beata virgine Clara ſuis ſequacibus tradita, hoc in monaſterio Ciamberiaci, quæ Allobrogum metropolis eſt, ex publicis ciuium facultatibus conſtructo, & à triginta Clariſſis de prima Regula ſororibus inhabitato; quas Ciamberiacenſes magno amore & obſeruãtia proſequuntur.

De monaſterio Clariſſorum Neſſiaci. Mon. III.

TRIBVITVR Neſſiacenſium pietati præſens conuentus Neſſiaci, quæ Allobrogum quoque ciuitas eſt, ædificatus, & à vigintiquinque ſororibus, quæ ſub prima B. virginis Claræ Regula feliciſſimè militant,atq; Deo famulantur, incultus.

De mona-

A *De monaſterio Clariſſarum Burgibreſſæ. Mon. IIII.*

NE iterata eorumdem repetitione curioſum lectorem offendamus, eum præmonitum volumus tum præcedentia, (vt patet) tum præſens Burgibreſſæ (vulgò Burgambreſſa) quod Allobrogum oppidum eſt, extructum, & à viginti monialibus occupatum, tum quoque ſequentia monaſteria à Clariſſis de prima Regula ſororibus inhabitari. Quo tempore fuerit hoc monaſterium coſtructum penitus ignoratur.

De monaſterio Clariſſarum Montisbriſonis. Mon. V.

PLVRA hauddubiè nobis tum de præcedentis, tum de præſentis Montisbriſonis, quod Galliæ Lugdunenſis oppidum eſt, ædificati, & à vigintiquinque ſororibus inculti, tum quoque de ſubſequentium monaſteriorum ædificatione, deq; eorum fundatoribus & ſanctitate dicenda occurrerent, ſi antiquiora eorundem documenta ad manus habere potuiſſemus. Quæ tamen ne aſſequuti ſimus, in cauſa extitêre & peſtis, & bella iſtis in partibus à multis diebus ſæuiſſimè graſſantia.

B

De monaſterio Clariſſarum Aluernæ. Mon. VI.

VNICVM tantum monialium monaſterium in Aluernæ Cuſtodia inuenitur, quod & ſanctiſſimæ Dominæ noſtræ de puteo ſacratum eſt, & a vigintiquinq; Clariſſis ſororibus inhabitatur; quę & religioſiſſimè & optimè audiunt.

De monaſterio Clariſſarum Aquæ amiſſæ. Mon. VII.

C BORBONENSI in patria duo habentur Clariſſarum monaſteria, alterum (de quo impræſentiarum) quod non vulgare oppidum eſt: alterũ verò Molendinis, de quo ſtatim inferius. Iſtud interim a Clariſſis vigintiquinq; ſororibus inhabitatur.

De monaſterio Clariſſarum Molendinorum. Mon. VIII.

QVID mirum, quòd præſens monaſterium Molendinis erectũ à Clariſſis quadraginta ſororibus, & proximè præcedens a vigintiquinque tantùm earumdem inhabitetur: cùm Aqua amiſſa Galliæ Borbonenſis oppidum, vbi illud constructum eſt, non tam latè pateat, ac Molendinorum eiuſdem quoque patriæ oppidum, vbi iſtud ſedẽ obtinet: quapropter plures dominas pauperes pientiſſimè alere poteſt.

D *De monaſterio Clariſſarum Gieni. Mon. IX.*

GIENVM famoſum oppidum eſt, Borbonenſiſq; Galliæ finibus excluditur, & hoc monaſterio, a Clariſſis 20. ſororibus inhabitato, ſupra modum honeſtatur.

De monaſterio Clariſſarum Suorij. Mon. X.

SVORIVM (vulgò Suor) ſuperioris Burgundiæ oppidum eſt, ſuiſq; mœnibus hoc ſacrum monaſteriũ, à 35. Clariſſis ſororibus plerumq; inhabitatũ circũſcribit.

De monaſterio Clariſſarum Auxonij. Mon. XI.

AD eandem quoq; ſuperiorem Burgundiam ſpectat oppidum Auſonium; quod & nobiliſſimum eſt, & quadraginta Clariſſas ſorores pręſentis monaſterij accolas ſumma beneuolentia ſummaq; liberalitate proſequitur.

E

De monaſterio Clariſſarum Briſanſonij. Mon. XII.

NON me fugit, quòd præſens monaſterium Briſanſonij, quæ imperialis ciuitas eſt, erectum, & a Clariſſis quadraginta ſororibus frequentius inhabitatum, multò antiquius ſit aliquibus, quæ à me ſibi præpoſita ſunt. Ipſum nihilominus hoc loco poſitum volui, quòd certa tum ipſius, tum quoque aliorum fundationis dies me (vt ſæpius memini) omnino lateat, quodq; patriarum potius, in quibus illa erecta ſunt, quam antiquitatis rationem (pluribus adductus cauſis) habuerim.



PROVIN-

PROVINCIA PORTVGALIAE.

A CVM ex mandato ſanctiſſimi patris noſtri Franciſci,atq; ex reliqui gene-
ralis Capituli Aſſiſij,anno à Virgineo partu 1217.celebrati decreto ſancti
patres frater Zacharias, atq; frater Gualterus cũ plurimis alijs fratribus
ad Hiſpaniam,plantandæ Religionis ſeraphicæ gratia,deſtinati eſſent,eo-
rum aliqui, eadem prorſus de cauſa, in Portugaliam conceſſerunt: quo-
rum feliciſſimis auſpicijs adeò ſacra Franciſcanorum Religio illo in Regno propaga-
ta eſt,vt non ita poſt multum temporis Olyſipponẽſis, Conymbricenſis,atq; Eborenſis
Cuſtodiæ,ſub Miniſtri Prouinciæ S. Iacobi cura & regimine erectæ fuerint, atque per
151.annos perſeuerauerint.Quæ tandem,recrudeſcentibus inter Caſtellę atq; Luſita-
B niæ Reges grauiſſimis bellis, pernicioſiſſimoq; ſchiſmate per ſummi Pontif. Grego-
rij XI. mortem in Eccleſia Dei,anno Domini 1376.oborto,contendente ſcilicet altera
Cardinalium parte,Neapolitano Archiepiſcopo,qui & Vrbanus VI dictus eſt, quiq;
præfato Gregorio immediatè ſucceſſit,à ſe (abſente tamen) electo parendum eſſe,alte-
ra verò negante,mordicusq; aſſerente Gienenſis Cardinalis, qui & Clemens VII. ap-
pellari voluit,dicto,tamquam legitimo Apoſtolorum Principis ſucceſſori,audiendum
fore: quandoquidem à pluribus Cardinalibus liberè (licèt poſterius) electus fuiſſet:
inſuper Luſitanis patribus Paſtore, qui ſui curam gereret ferè orbatis (præcluſa ſiqui-
dem atque obſeſſa à milite via prouinciali Miniſtro ad eos traijcere minimè licebat)
C atq; Vrbano VI. adhærentibus, Caſtellanis verò Clementis VII. partes ſequentibus
in prouinciali Capitulo intra Portugalię Regni fines præfato anno 1378.celebrato, ab
earum proceribus in Prouinciam ſub Portugaliæ titulo,ac peculiari Miniſtro prouin-
ciali erectæ fuerunt.Præfati verò patres,pro aliarum more Prouinciarum,propriũ ſibi
ſigillum Portugaliæ armis, nec non dulciſſimo nomine Ieſu tortuoſis micantibus ra-
dijs orbiculariter colluſtrato,hisq; literis: SIGILLVM MINISTRI OBSER-
VANTIÆ PROVINCIÆ PORTVGALIÆ. eius oram ambiẽtibus, co-
honeſtatum efformarunt.Huiuſmodi electionem R. P. F. Leonardus de Giffonibus to-
tius Franciſcani Inſtituti tunc generalis Miniſter ratã habuit,confirmauitq;. Hinc mo-
D leuit huius Prouincię mos, vt prouincialis Miniſter nouiter electus à generali totius
Ordinis Miniſtro confirmandus veniat,prout facillimè indicat breue quoddam, ab il-
luſtriſs.Iordane S.R.E. Cardinale, atq; noſtri Ordinis tunc Protectore,datũ anno Do-
mini 1421.quo ex mandato,atq; auctoritate Martini V. Pont.max.patrem quendam
ac fratrem Aegidium Lupum,huius Prouinciæ Miniſtrum nouiter creatum per mor-
tem R. P. F. Antonij à Pyreto generalis Miniſtri confirmat. Maximam proculdubio
iniuriam huic Prouinciæ faceret, qui eam inter ſteriles connumeraret, cùm nobis Al-
garbiorum,atq; S.Antonij Prouincias hoc in ipſo Portugaliæ Regno erectas, nec non
& S.Thomæ Cuſtodiam apud Indos Orientales pepererit.Nam anno à Chriſti natiui-
E tate 1400.religioſiſſimos octo fratres is Miniſter,qui tunc huius Prouinciæ clauum te-
nebat, cum ſecunda inuictiſſimi Luſitanorũ Regis Emanuelis claſſe ad præfatos Oriẽ-
tales Indos tranſmiſit,quatenus eos,poſtpoſito quocunq; vitæ diſcrimine, ſuis prædi-
cationibus,atque exhortationibus Chriſto lucrifacerent. Quorum anteſignanus, atq;
pater frater Henricus à Conymbria, cùm ſolis alijs ſeptem ſocijs diuerſimodè ab il-
lis barbaris oppreſſis, atque glorioſo martyrio coronatis, ex tam famoſo certamine
ſuperfuiſſet, plurimis exantlatis laboribus præfatam ſancti Thomæ Cuſtodiam erige-
re,atque plantare cœpit. Quæ adeò (vt ſuo loco dicemus) excreuit,vt plurimis Pro-
uincijs æquiparari, imò potius pręferri optimo iure poſſit: qua etiam de cauſa in ge-
nerali Toletana congregatione, anno Domini 1583. celebrata à patribus decretum

fuit, vt Prouinciæ dignitate honeſtaretur. A qua tamen legitimis de cauſis ad tempus ſibi temperat. Præterea cùm anno Dominicæ incarnationis 1532. generalis totius Ordinis Congregatio Toloſæ celebranda foret, iſtaq; Prouincia plurimis conuentibus abundaret, præfatus Portugaliæ Rex Emanuel à capitularibus patribus petijt, vt in duas diuideretur. Quapropter ex præfatorum patrum decreto, anno ſequenti nempe 1533. Algarbiorum Prouincia, hoc in eodem Regno ſituata, ab hac deducta, diſſectaq; eſt. Tum demum reuerendus pater frater Franciſcus de Cõceptione huius Prouinciæ Miniſter, Recollectis huius Prouinciç domibus, quæ mirum in modum excreuerant, conſulturus, eas ex Capituli prouincialis decreto, anno humanæ ſalutis 1565. in Cuſtodiam euexit: quæ tamen poſt elapſum triennium, anno videlicet Domini 1568. Prouinciæ nomen, atq; dignitatem ſub titulo S. Antonij ex ſuperiorum decreto aſſequutæ ſunt. Remanſiſſet ſanè hæc Portugaliæ Prouincia, tot olim famoſis fœtibus fœcundiſſima, extenuata omnino, ac inter mediocres, ne dicam infimas connumeranda, cùm poſt tot ſoboles atque fœtus 16. tantùm fratrum conuentibus, atque 20. ſanctimonialium monaſterijs conſtaret, niſi exauthorata ex decreto generalis Congregationis, Toleti anno Dominicæ incarnationis 1583. celebratæ, Portuenſi Cuſtodia, quæ hoc eodem in Regno ſedem aliquando obtinuit, atq; à patribus Franciſcanis Cõuentualibus occupata extitit, 9. fratrum, atque duo monialium loca in Capitulo prouinciali Olyſipponis, anno redemptionis noſtræ 1584. per me celebrato, ex ea ſibi acceſſiſſent: quarum acceſſione antiquam dignitatem retinens Prouincia hæc latius vtcunq; patet. Conflatur ſiquidem impræſentiarum ex 26. fratrum cœnobijs, atq; 22. ſororum monaſterijs, de quibus ſuo ordine, pro ſolito more agemus: & primò quidem de eo, quod Olyſipponis, in honorem ſanctiſſimi patris Franciſci erectum eſt. Quia verò hæc Portugaliæ Prouincia eiuſdem Regni cæteras antiquitate præcellit ſimul & fœcunditate, eam Regis Luſitaniæ armis, atque ſacrorum quinque martyrum Minoritarum Marrochij, ſub Miramolino Saracenico Rege glorioſo pro Chriſti fide martyrio laureatorum, quorum corpora Conymbriæ in eccleſia ſanctæ Crucis canonicorũ Regularium Obſeruantũ honorificentiſſimè cuſtodiuntur, iconibus inſigniẽdam, honeſtandamq; (prout & alias Prouincias ſanctorũ iconibus illuſtrauimus) curauimus.

De conuentu S. Franciſci Olyſipponis. Conu. I.

QVEMADMODVM ex c.27. lib.6. primæ patris Chronicorum noſtri Ordinis, atque ex certiſſimis inditijs edocemur, vt primùm fratres Minores sereniſſimo Alphonſo II. atq; Portugaliæ Regi, anno 1217. præſentati ſunt; 3. monaſteria primitiuæ ſuæ Religionis plantandæ accommoda, nempè Vimaranicum, Alanquerianum, atq; Olyſipponenſe (de quo impræſentiarum) ab eo retulerunt. Ab eo igitur temporis, & ante omnes alios conuentus hic, B.P. Franciſco ſacer, atq; muris eiuſdẽ ciuitatis cinctus, piorum Chriſtifidelium eleemoſynis exordium ſumpſiſſe exiſtimatur. Meritò ſanè præfati patres, quorum primipilus erat prędictus pater Zacharias, quorumq; iniunctum munus erat pœnitentiæ prædicatio, celebrem hanc vrbem primò ſibi in habitationem elegerunt: nam vt eſt celeberrimum totius illius Regni emporium, ad eam plures exteræ nationes, pluresq; mercatores, quibus lucrum Deus eſt, confluunt, qui huiuſmodi prędicatione maximè egent. Prima igitur huius loci conſtructio, cuius vix aliquod veſtigium remanſit, præfato patri Zachariæ, eiuſq; ſocijs tribuenda venit. Poſt 55. verò annos, nempe anno Domini 1272. cùm creſcente fratrum numero creſceret & fidelium deuotio, generoſus quidam, nobilis ac deuotus ſacerdos Ioannes Monnizius regius Theſaurarius huius ſacræ domus maius ſacellum, atque clauſtrum, vti epitaphium æreum, alteri eius parieti affixum, apertè commonſtrat, ex proprijs facultatibus ædificari curauit. Sed ſub Ioanne III. Portugaliæ Rege, eccleſia ex antiquiori loco ad hunc, quem modo obtinet, priuatis Olyſipponenſium ſumptibus tranſlata multò illuſtrior, multoq; elegantior conſtructa eſt.

Hoc in conuentu contigit id quod in libro Chronicorum noſtri Ordinis de quodam deuoto fratre Ioanne legitur. Is enim cùm quibuſdam ſpiritualibus immiſſionibus à Deo optimo maximo ſingulis diebus viſitari ſolitus eſſet, & quodam feſtiuo, atque celeberrimo

A celeberrimo die huiuſmodi gratia & dono priuaretur, cæteris correligioſis refectorium petentibus, ipſe ſolus conſuetum donum inſtantiſſima oratione à Deo impetraturus in choro permanſit. Et ecce dum ardentius orat, huiuſmodi vocem ſe alloquentem audit: *Frater Ioannes pete refectorium, communitatemq; ſequere: nec te alijs meliorem exiſtimaueris*. Quibus auditis confuſus omnino refectorium rectà contendit. Dumq; exterritus, atq; rubore perfuſus cibum capit, cœlos aperiri, atq; Angelum inde egredientem, aureumq; calamum, mappam, nec non & cultrum manu geſtantem conſpexit: qui deniq; rectà refectorium ingreſſus, eius fratris, qui ad menſam fortè legebat, pectus præfato cultro incidit, thoracem aqua lauit, mappula terſit, atque in corde ſequentes literas: *Ioannes eſt nomen eius*, inſcripſit: idpſumque & ſibi, atque cæteris commenſalibus, præterquam vni, qui ſequenti nocte habitu
B Religionis relicto mundum repetiturus erat, conſequenter fecit: Atq; à menſali lectore iterum incipiens tum eius, tum quoque aliorum menſæ aſſidentium pectora manibus tangẽs priſtinæ ſanitati reſtituit, ſingulisq; dixit: *Confirmatum eſt nomen eius.* Aberat fortè fortuna eo temporis à conuẽtu pater lector, qui concionis habẽdæ cauſa parochiã quandã petierat, eiusq; ſocius, quibus tñ, quod cæteris præſtiterat, facere recuſauit. Cumq; à prædicto fratre Ioanne ea de re rogaretur reſpondit: Se id illis minimè collaturum, quòd propriam domum in tanta ſolemnitate deſeruiſſent. Nihilominus tamen inſtantiſſimis præfati fratris Ioannis precibus deuictus, quod & alijs inpenderat, (tanta eſt orationis vis, atque efficacia) idipſum & illis contulit.

Hoc in ipſo loco, quem frequentius 100. fratres inhabitant, diem clauſit extremũ ſepultusq; eſt deuotiſſimus ille frater Martinus Martini laicus profeſſus, cuius Fran-
C ciſcanorum Chronicorum author in ſuis libris meminit. Is deuotus frater, cùm ſibi culinæ miniſterium incumberet, atq; quadam die ſeculares aliquot nobiliores cum fratribus commeſturi eſſent, nihil minus ab ijs, quæ paranda erant, mente reuoluens ſe aſſuetæ contemplationi dedit. Cumq; pater Guardianus ſæcularium ſcandalum pertimeſcens ſibi iraſceretur, proboq; daret, quòd, hora prandij inſtante, nec ignem ſtruxiſſet, nec aliquid præparaſſet, ille clauſo poſtſe officinæ oſtio, iterum orationi incubuit. Et ecce, dum minus cogitat, vehementiſſimus ignis ſe ipſo accenditur, & quæ diſponenda fuerant, Angelorum miniſterio diſponuntur. Quibus tum à ſecularibus conuiuis, tum quoq; à patre Guardiano, reliquisq; fratribus cognitis, maximæ Deo grates obuenerunt. Hoc ſacrum monaſterium commendatiſſimum reddunt venerandæ ſequentes reliquiæ: nempè quædam paruula crux ex ea, in qua Chriſtus
D Dominus pro mundi ſalute pependit, compacta, & quoddam os diui patris Antonij de Padua, & brachium alterius ex ſanctis Innocentibus, & pars quædam eius cordæ, qua beatiſſimus pater Frãciſcus precingi ſolitus erat: quas ciues religioſè colunt.

De conuentu S. Franciſci Alanquerij. Conu. II.

BEATVS pater Zacharias, impetrata ab Alphonſo II. Portugaliæ Rege facultate (prout ſuperiori loco meminimus) Alanqueriũ oppidum Olyſipponẽſis diœceſis petijt, ædiculamq;, beatæ virgini atq; martyri Catharinæ dicatam, nec non è regione præfati oppidi vltra preterlabentem fluuium ſitam, à sereniſſima Sanctij eius nominis II. vterina ſorore pro ſui, ſuorumq; fratrum habitatione, anno à Chriſto Saluatore nato 1517. impetrauit, ibidemq; beatiſſimos patres Berardum, Petrum,
E Accurſium, Adiutum, atq; Othonem ſtrenuos Chriſti athletas, dum Marrochium martyrij ſubeundi ergò peterent, humaniſſimo hoſpitio, anno Domini 1219. excepit. Cum quibus & præfata ſereniſſima Sanctia colloquium habuit. Hec pientiſſima herois poſtmodum, ob admirabilem deuotionem atq; beneuolentiam, qua in prefatos martyres, necnon & in V.P. Zachariam, ceterosq; fratres ferebatur, propriam domũ, non longè à prefata edicula diſtantem, in iſtius conuentus, B. P. Franciſco ſacri, edificationem prefato patri Zacharię, anno à Virgineo partu 1222. liberaliſſimè contulit. Si Franciſcanorum Chronicorum authori fides habenda ſit, B. P. Franciſcus ſuam benedictionem ſacrę huic domui, dum Luſitaniam peragraret, fuit impertitus, predixitq; nunquam ſibi defuturum fratrem, qui promiſſam à ſe Regulã adamuſſim, diligenterq;

diligenterq; obſeruaret. Quod & rei euentus vſq; in pręſens proculdubio comprobauit. A Subiacuit aliquando hic locus quibuſdam de cauſis laicis fratribus noſtris, cùm ex triginta eius accolis tres tantùm eſſent ſacerdotio initiati, quibus tamen anno Dominicæ incarnationis 1408. ceſſantibus, ſacerdotibus, quorum triginta vel circiter ibidem commorantur, reſtitutus eſt. Adiacent nihilominus præfatis ſacerdotibus ſex laici fratres, & aliquot iuuenes ſacris initiati, vel initiandi. Hoc in conuentu præfatus beatus pater Zacharias, tamquam eius author, atque promotor, maxima in veneratione ab omnibus habitus eſt, ſanctęq; vixit, atque ſanctiſſimè vitam finiuit. De cuius vita, licèt à Chronicorum noſtrorum authore fuſius diligentiusq; deſcripta, hæc pauca impræſentiarum referre placuit. Quòd videlicet, vnus ex diſcipulis beatiſſimi patris noſtri Franciſci, ſibiq; cariſſimus fuerit: quodq; à quadam Crucifixi imagine, quæ in huius loci capitulo vſque ad annum Dominicæ incarnationis 1414. perſeuerauit, B plura oracula tum ſui Guardianatus exequutionem, tum propriæ animæ ſalutem concernentia, retulerit: quodq; viuens adhuc diuina virtute aliquot mirabilia operatus ſit. Venerabili cuius corpori conſepultum eſt quoq; corpus alterius diſcipuli eiuſdem beati patris Franciſci, quod in maxima eſt apud omnes ſęculares veneratione. Ex plurimis literis apoſtolicis, quæ in huius loci archiuis aſſeruantur, quæq; vel reuocationem paſſæ ſunt, vel alijs in locis referuntur, in medium tantùm adducam breue quoddam Gregorij XI. ſummi Pontif. quo illuſtriſſimis Cardinalibus Franciſcani Ordinis Protectoribus præcipit, atque mandat, ne in Capitulis fratrum vel extrà ſtatuta vel ordinationes condant: neuè leges à patribus editas ſoluant & infringant: neuè Prælatos inſtituant, vel exauthorent inſtitutos, aut ab officiorum exequutione impediant, aut priuent: neuè fratres ad ſtudium, aut aliquem gradum promoueant, C aut promotos à ſtudijs remoueant, vel aliò tranſmittant: neuè Religionis rebus atq; negotijs ſe intromittant, niſi fortè (quod Dominus auertat) in Capitulo eorum generali aliqua ſtatuta contra ipſam Regulam à patribus edita fuerint. Quòd ſi ſecus faxint, nullius roboris, nulliusq; momenti quicquid fecerint, aut attentauerint omnino ſit. Eos præterea ſummopere hortatur, vt Ordinem ſibi commiſſum protegant, atque pro viribus defendant. Et bullam Clementis IIII. ſummi Pont. ne fratres Minores ab aliquo Legato apoſtolico excommunicari poſſint, niſi hoc ſpecialiter in ſua Legatione contineatur. Et aliam Sixti Papæ IIII. qua fratres Minores ab omni eccleſiaſtica iuriſdictione eximit, atque Sedi apoſtolicæ immediatè ſubmittit.

De monaſterio diui P. Franciſci Vimarani. Mon. III.

D

MONASTERIVM diui Franciſci in ſuburbijs oppidi Vimaranenſis (vulgò de Guimaranes) Prouinciæ Interamnenſis, quæ Doria & Minio fluminibus cingitur, Bracarenſis diœceſis ſitum, tribus in locis fuiſſe conſtructum veteres annales, & documenta publica, in eiuſdem monaſterij archiuis aſſeruata, teſtantur. Honorio namque III. ſummo Pont. diui Petri ſedem occupante, atque in Portugaliæ Regno Alphonſo huius nominis ſecundo feliciter regnante, circa annum humanæ ſalutis 1218. plus minus, beatus Franciſcus Ordinis Minorum pater, poſt generalem Aſſiſienſem congregationem (vt ſuprà tetigimus) patres Zachariã, Gualterum, & alios diſcipulos ad dictum Portugaliæ Regnum deſtinauit, qui ob habitus nouitatem, & ſermonis differentiam à Luſitanis non ita humaniter excepti fuerunt: quòd ſuſpicarentur eſſe aliquos ex hæreticis, aliquibus tunc temporis in partibus nouiter exortis. E Habita tamen diligenti de ipſorum vita, atque moribus inquiſitione, Regina Vrraca pręfati Regis Alphonſi vxor, ſummæq; pietatis fœmina ab illis, veluti & maritus eius, ſacella, & ædiculas, quibus ſe reciperent, conſtrui permiſit. Præterea pater Gualterus non longè à dicto oppido Vimaranenſi, inter fundum, qui Villæuiridis nuncupatur, & alium, cui Cabalinus nomen eſt, oblatam ſibi à Chriſtifidelibus aream acceptans, inibiq; oratorium ædificans tum vitæ ſanctimonia, tum quoque miraculis claruit, quibus eius patriæ indigenas ad frugem correxit. Poſt huius patris mortem quidam ſuauiſſimus liquor ex eius ſepulcro per multos annos emanaſſe fertur, qui plurimis infirmis maximę contulit. Qua etiam de cauſa 2. menſis Auguſti dies, quæ eius

mortis

A mortis anniuerſaria erat, conuicinis populis, per maximum temporis ſpatium, ce-
leberrima, nundinariaq; extitit. Cùm autem præfatum oratorium,iam vtcumq; ob
fratrum numerum auctum, atq; in conuentus formam redactum, inſalubri infeſtare-
tur aura, longiusq; ab oppido Vimaranenſis communitas,fratrum ſaluti atq; neceſ-
ſitatibus conſultura, illis xenodochium Albergaria vulgò nuncupatum, ac portæ
turris veteris continguum, anno 1271. liberaliter contulit. Contigit autem id ipſo
die beatę Catharinæ virginis atq; martyris, quo & præfati fratres tum ab ipſa Vima-
ranica communitate,tum quoq; à clero in prædicti hoſpitalis poſſeſſionem miſſi ſunt,
& ſummum ſacrum celebratum, ac concio de ſacro Euangelio habita fuit. Poſt duos
verò annos fratres, propter ſuſcitatam litem inter eos atq; canonicos Vimaranenſes,
loco deturbati antiquam ſedem repetierunt. Sed ea lite ſopita, ac rebus inter vtroſq;
B compoſitis, ad hoſpitale reuerſi, monaſteriolum à ſe antea vtcumq; conſtructum, ex
eleemoſynis à Chriſti fidelibus elargitis, atque ex quibuſdam domibus, ac poſſeſſio-
nibus eidem xenodochio adiacentibus, à filijs nobilis cuiuſdam Roderici Fafes vltrò
collatis, ampliarunt, ac in multò commodiorem formam redegerunt, fauorem inte-
rim prȩſtante R. Thelio Braccarenſi Archiepiſcopo, anno reſtitutę ſalutis 1280. Cùm
autem ex antiquiori oratorio à fratribus derelicto Vimaranicæ matricis eccleſiæ ca-
nonici beati Gualteri corpus laudabili furto ſublatum in propriam eccleſiam tranſ-
ferre curarent, à ſua ſpe ſuoq; propoſito defraudati ſunt: Nam plurimis hominibus
atq; bobus amotis ita reſtitit,vt nullo pacto vel tantillũ inde amoueri potuerit.Quam-
obrem, poſtulata prius à tanto patre de huiuſmodi facto venia,cœptis deſtitêre, de to-
ta interim re geſta fratres non abſque rubore certiores reddentes. Vt igitur pri-
C mùm res detecta fuit,fratres, pauciſſimis ſibi aſcitis hominibus, & immobilem prius
lapidem facili negocio amouerunt, & ſacrum pignus, corpus videlicet beati Gualte-
ri in nouum monaſterium tranſtulêre. Regnantibus verò Dionyſio,Ferdinando,atq;
Ioanne I. in Portugalia, cùm Vimaranici oppidi mœnia dilatanda venirent, hocq;
monaſterium impedimento eſſet,tum ex præfatis Regis Dionyſij, tum ex eius ſucceſ-
ſorum Ferdinandi atq; Ioannis, tum quoque ex Viramanenſium facultatibus ad
eum locum, vbi nunc eſt, nempè intra oppidi muros tranſlatum,ibidemq; magnifi-
cè, atq; auguſtè ſatis conſtructum eſt: nobili interim quodam viro ex illuſtri Cugno-
rum familia propriam ſuæ habitationis domum, ad huiuſmodi opus perficiẽdum, fra-
tribus conferente. Frigeſcentibus porrò fidelium animis & charitate,cùm anniuerſa-
ria B. Gualteri dies, pro more atq; veneratione ſolitis, minime coleretur,nobiles qui-
D dam, atque perdeuoti Vimaranenſes Confraternitatem in eius honorem hoc in ipſo
loco, anno Domini 1573. erexêre. Poſt quatuor verò tranſactos annos Vimaranicus
populus diuo eidem patri ſacellum ex publico ærario ædificandum, atque ad ipſum
eius oſſa maxima cum veneratione, populiq; tum eccleſiaſtici, tum quoq; laici fre-
quentia transferrenda curauit. Aderat ſiquidem pius Fulgentius eccleſiæ Vimara-
nicæ Prior, atque Brigantinorum Ducis filius: aderant & matricis eccleſiæ Vima-
ranenſis canonici, cæteriq; ſacerdotes & miniſtri, atque quotquot Vimarani erant
tum monaci, tum ſacerdotes ſæculares, tum quoq; (vt prædiximus) laici. Qui om-
nes ſolemni proceſſione inſtituta,principalioribusq; oppidi vijs atq; plateis luſtratis,
hunc locum petentes, præfata patris oſſa ad nouum ſibi prȩparatum ſacellum ſumma
religione tranſtulêre. Contigit autem hoc Dominica prima menſis Auguſti, anno ve-
E rò Domini 1577. Quæ quidem dies ex ſenatus eius oppidi conſulto eſt Vimaranen-
ſibus ſingulis annis,in tanti patris memoriam,atq; venerationem, ſolemnis atq; feſti-
ua. Et ne hoc hominum memoria aliquando excideret in anteriori prȩfati ſacelli par-
te,quę ſequuntur literę,ſcriptę ſunt: *Diuo Gualtero D. F. D. Vimaran. Patrono inſtaurati
feſti voto iiij. anno M. D. LXXVII. P. V. F. C.* Eius verò ſepulcrum huiuſmodi epi-
taphium inciſum habet. *Gualteri tegit hoc venerabilis oſſa ſepulcrum.* Cùm autem ad Ro-
mani Pontificis, Gregorij videlicet XIII. aures beati Gualteri fama perueniſſet, is in
diuini cultus augmentum,& ad ſancti venerationem magis,magiſq; commendandam
omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus pœnitentibus, atq; confeſſis, qui deinceps in
perpetuum præfatę Confraternitati aggregari voluerint eo die, quo ſe reliquorum
con-

confratrum catalogo aſcribi fecerint, nec non & in eorundem, tam receptorum, quàm A recipiendorum mortis articulo, ſi tamen delictorum pœnituerint, ſacramq; eorum confeſſionem fecerint, ſeu confiteri non valentes ſacroſanctum nomen Ieſu ore, vel ſaltim corde deuotè inuocauerint, contritionisq; ſigna oſtenderint, plenariam omnium peccatorum indulgentiam, eorumq; remiſſionem conceſſit. Idipſum quoq; præſtitit (per 20. tamen tantùm annos) tum præfatis confratribus, tum quoq; reliquis Chriſtifidelibus qui ſecunda die menſis Auguſti, qua beati Gualteri feſtiuitas occurrit, eius ſacellum, ſiue altare à primis veſperis vſq; ad ſolis occaſum ſequentis diei deuotè viſitauerint, & quinquies Dominicam orationem, atq; toties Angelicam ſalutationem pro Romani Pont. S. R. E. totius eccleſiaſtici ſtatus, Portugaliæ Regis pro tempore exiſtentis, atq; illius Regni proſpera, & felici conſeruatione deuotè recitauerint. Hæc omnia latius continentur in bulla ſub plumbo ab eodem ſummo Pontif. data 17. Decembris anno verò Domini 1577. Extitit & hoc in ipſo loco beati fratris Roderici corpus honeſto loco reconditum. Nec abs re quidem, cùm ob eius merita prophetico ſpiritu à Deo ter opt. max. cohoneſtari meruerit. Audiuit præterea religioſiſſimus hic frater optimè apud omnes Hiſpanos, dum adhuc in viuis ageret: quapropter quædam Caſtellæ Regina Henrici Regis quondam vxor, atq; Ioannis quoq; Regis mater, cùm anno à partu Virgineo 1270. graui infirmitate detineretur, ab eo per quoſdam fratres ad id ſpecialiter miſſos ſciſcitata eſt, cui potius in ſchiſmate in eccleſia tunc oborto Ioannes eius filius obedire teneretur, Clementi videlicet, an Vrbano de regendo totius Eccleſię clauo contendentibus: vixq; fratres, qui miſſi fuerant, commiſſam ſibi legationem proponere inceperant, quando vir Dei prophetico ſpiritu afflatus in hæc, quæ ſequuntur, verba prorupit: Scitote, inquit, fratres Reginam, quæ vos huc venire coëgit, vitę pręſentis curſum iam conſummaſſe, eiusq; filium Ioannem Regem Vrbano ſummo Pont. legitimè creato minimè obtemperaturum, ideoq; pęnas daturum: pręterea & Carolum Gallorum Regem paucis ab hinc diebus mortem obijſſe, & apud inferos cum malis genijs, propter ſchiſma in Dei Eccleſia excitatum, conſepultum eſſe. Idq; totum certiſſimus rei euentus comprobauit. Huius pijſſimi fratris corpus, licèt diligentiſſimè conquiſitum inueniri hoc in loco non poteſt: quapropter ad matricem Vimaranenſis oppidi eccleſiam occultò aliquando tranſlatum, inibiq; editiori in loco Aquilonem verſus tumulatum ab oppidanis aſſeritur. Quod mihi quidem maximè probatur, eiusq; rei in cauſa eſt eorundem ad eum locum deuotio. In medio huiuſmet loci maiori ſacello ſepulta iacet pientiſſima Conſtantia Noronnia Alphonſi I. Brigantinorum Ducis, atq; Ioannis I. Portugaliæ Regis filij quondam D vxor. Hæc ſummæ religionis, ſummæq; ſanctitatis fœmina fuit, ita vt hauſtus ex eius ſepulcro puluis infirmis maximè verò febricitantibus conferat. Eſt & hoc eodem in loco altare, diuo Antonio Paduano ſacrum, ac per ſacrificium Miſſæ liberandis à Romano Pont. Gregorio XIII. iij. cal. Martij, anno verò Domini 1581. priuilegiatum. Sunt præterea ibidem ſex Confraternitates erectæ. Prima quidem atq; antiquior ſeraphico patri Franciſco, atq; Deiparę virgini dicata: 2. immaculatæ eiuſdem Virginis Conceptioni: 3. beato Ioanni Baptiſtæ: 4. beato Antonio de Padua: 5. beato Gualtero: 6. atq; nouiſſima ſanctiſſimis quinque plagis Domini noſtri. Et hæc poſtrema ex iuuenibus in cœlibatu exiſtentibus conflatur, annoq; à partu Virgineo 1580. primùm inſtituta fuit: quam & ſummus Pontifex Gregorius XIII. triennio ab eius erectione nempè anno 1583. plurimis indulgentijs, plurimisq; fauoribus cumulauit: idq; E eius bulla ſub plumbo data patentiſſimè demonſtrat. Nec reliquijs caret ſacra hæc domus, quam & olim inhabitarunt plures patres, impræſentiarum verò 34. tantùm fratres incolunt, cùm capite beati patris Gualteri, & particula cordæ ſeraphici patris Franciſci, & ampulla, in qua beatus Leo eius ſocius panniculos ex eius laterali vulnere depromptos, ſacroq; ſanguine madidos conſeruare ſolitus erat, cohoneſtetur.

De conuentu Dominæ noſtræ de virtutibus Azambuciæ. Conu. IIII.

VT ſereniſſimus Portugaliæ Princeps Eduardus Portugalięq; itidem Regis Ioannis I. filius primo loco genitus, atq; Regni ſucceſſor in Africam cum patre traie-

A traiecturus, cumq; Saracenico truculento hoſte manus conſerturus Deum optimum max. propitium ſibi redderet, ſe B. P. Franciſci alumnis, quibus addictiſſimus deuotiſſimusq; erat, integrum conuentum erecturum prudentiſſimè promiſit, ſi deuictis ſtratisq; inimicis tum ipſe, tum quoq; carus eius parens proprijs laribus victor reſtituerentur. Voti igitur compos effectus vt primùm, Cepta Maurorum ciuitate expugnata, fugatoq; inimico exercitu atq; eneruato, victor Portugaliam repetijt, ædiculam beatiſſimæ virgini Mariæ de virtutibus dicatam, quæ ob frequentia miracula ibidem contingentia omnibus commendatiſſima erat, atq; in territorio oppidi Zambuza Luſitanicè dicti ſedem obtinebat, ſummi Pontificis Martini V. ſibi facultate fauente, tum ex proprijs facultatibus, tum quoq; ex Saracenorum ſpolijs, anno à Virgineo partu 1538. in hoc iuſtum monaſterium, ſub antiquiori tamen Dominæ
B noſtræ de virtutibus titulo promouit, quod plerumq; 16. fratres inhabitant. Vt autem ſacræ huius Domus originem altius repetamus, tum quid ex antiquiſſima ſeniorum traditione, tum quoq; quid ex documentis in huius loci archiuis aſſeruatis didicerim breuibus enarrabo. Aſſueuerat Bubulcus quidam vaccarum armentum his in locis paſcere, cumq; taurus communia paſcua aſpernans aliò declinaſſet, eum reducturus paſtor accurrit, dumq; nihil minus cogitaret, præfatum taurum ante eburneam glorioſæ Virginis imaginem ſeſquipedalem, atq; ex arbuſto pendentem genuflexum conſpexit: quam ille humillimè veneratus ſylueſtri tuguriolo ex diuerſis arborum ramuſculis contexto circundedit, atq; compatriotis quid ſibi acciderat exterritus omnino, atq; mira religione tactus retulit. Quibus deniq; nouitatis ſpectandę ergô diligẽter accurrẽtibus, tantis cœpit deuota illa imago coruſcare miraculis, vt
C intra paucos dies eius fama per vniuerſam Portugaliam diuulgata, atq; ex oblatis eleemoſynis ædicula in laudem beatæ Marię de Ademis (emendicato à ſitu vocabulo) conſtructa ſit: Contigit autem id anno Dominicæ incarnationis 1403. Hanc igitur tum voto ſatisfacturus, tum quoq; pro in glorioſam Virginem ſingulari deuotione illuſtriori ædificio, atq; ſolemniori obſequio præfatus Princeps Eduardus, anno humanę ſalutis 1438. perſoluto primùm cuidam priori, qui ſibi præerat ex pontificia auctoritate iuſtiſſimo pretio, in monaſterij formam redegit, in quo prout ex authentico quodã libello in eius archiuis recondito liquidò patet, innumera beneficia, eaq; mirabilia atq; ſupra naturã fidelibus, ob ſanctiſſimę virginis merita, ab Altiſſimo indies præſtantur. Quia verò non licet ſæcularibus, maximè verò mulieribus, quoties occurrit neceſſitas eum locum in quo præfata imago inuenta fuit, petere, cum al-
D tera clauſtri parte, quæ è regione eccleſiæ portam reſpicit, ferrea crate circundetur, paruulũ ſpecu in ipſa eccleſia excauatũ eſt, ex quo infirmi terrã ad diuerſos languores curandos opportunè hauriunt, atq; optatam ſalutẽ intus ingreſſi ſæpius referunt.

De conuentu S. Spiritus Cartaxi. Conu. V.

PERDEVOTA fœmina Eliſabetha à Mendaña, Ioannis Meneſij Ruſibis portus (vulgò Azamor) Capitanei quondam vxor, poſtquam ex proprijs facultatibus xenodochium, infirmorum curationi mancipandum, ſub titulo Spiritusſancti in pago Cartaxo, Luſitanicè nuncupato, Olyſipponenſis diœceſis, circa annum Domini 1510. ædificari curaſſet, atq; à Leone X. Pont. max. vt ibi à quibuſdam ſacerdotibus ſæcularibus diuinum officium ſolemniter perſolueretur, anno 1514. impe-
E traſſet: necnon & monaſterium ſpei monialibus Olyſipponis, atque monacis Incarnationis conuentum in oppido, cui Villa Comitis nomen eſt, ex ijſdem quoq; bonis conſtruxiſſet: ne minori deuotione, atq; affectu in B. P. Franciſcum, eiusq; fœcundam prolẽ, cui proculdubio addictiſſima erat, ferri videretur, præfatum hoſpitale ſub antiquiori titulo in iuſtum conuentum, ad fratrum Minorum habitationem, anno Domini 1526. ex Clementis VII. ſummi Pontificis conceſſione redegit. A quo etiam obtinuit, vt quindecim fratres plerumq; ibidem commorantes gratijs, atq; priuilegijs antiquiori hoſpitali conceſſis potirentur. Hæc pientiſſima heroina quoad vixit largiſſimis eleemoſynis, ac omni beneficiorũ genere fratres Minores proſequuta eſt. Aſſeruantur accuratè in ſacrario aliquot ſanctorum reliquiæ, ſed ſine titulis exiſtunt.

De conuentu S. Franciſci Santareni. Conu. VI. A

NEQVE ex antiquioribus monumentis, neque ex certa aliqua ſeniorum traditione quis huius Minoritici conuentus, diuo patri Franciſco ſacri, ac aliquantulum à muris oppidi Santareni, Luſitanicè ſic dicti, Olyſipponenſis diœceſis erecti author extiterit, vel quo certo tempore ædificatus fuerit, aliquo pacto conſtat: Fertur nihilominus apud vulgares Templarijs, qui, antequam ſacer Franciſcanus Ordo in Portugalia plantaretur, finem ibidem habuerunt, aliquando ſubditus, atque ab aliquo Luſitanorum Rege huic Prouinciæ collatus. Quibus hauddubiè ſepulcrum Regis Portugaliæ Ferdinandi huius nominis primi, qui anno Dominicæ incarnationis milleſimo quadringenteſimo trigeſimo tertio è viuis exceſſit, in huius loci choro erectum aſtipulari videtur. Eius tamen antiquitas ex quadam ſcriptura in conuentualibus archiuis ſanctæ Claræ huiuſce oppidi aſſeruata, anno incarnationis Dominicæ milleſimo ducenteſimo ſexageſimo tertio data, quodammodo conſtat, cùm in ea expreſſa huius Franciſcanæ domus tamquam omnino iam perfectæ mentio fiat. Habet ſacra hæc domus, quæ plerumque à quadraginta quinque fratribus occupatur, alteram ex ſpinis Dominicæ coronæ, atque quoddam caput ſanctæ Aureæ virginis & martyris, nec non ſanctæ Vrſulæ conſodalis. Huius loci inquilinus aliquando fuit frater ille Rodericus à Santaren, cuius Chronicorum noſtri Ordinis author, 2. p. l. 4. cap. 17. meminit. Is enim cùm nobilem quandam iuuenculam ardenter amaret, eiq; blanpiretur, ab ea ſemel per ludibrium audiuit petendum ſibi fore fluuium Iordanem, vt eius lymphis ablutus candidior tandem fieret, ſi ſibi connubio iungi vellet. Cui ille obtemperans & Iordanem petijt, & hauſtam ex eo aquam in Portugaliam reuerſus amaſiæ in ablutionis ſignum obtulit. Quæ amoris conſtantiam ſummopere admirans ipſum in proprium virum accepit. Ea tandem non ita poſt multum temporis vita functa Rodericus, qui & nobilis omnino erat, Franciſcanum habitum ſolemniter induit, tantaq; æmulatione literis atque orationi incubuit, vt breui in virum doctiſſimum Deoq; carus euaſerit: ita vt mulierem pertinacem, quæ nullis precibus vt alteri reconciliaretur, impelli potuit, Satanæ in carnis interitum ab eo traditam eueſtigio peſſimus genius inuaſerit: & plurimi carceribus mancipati, dum ab eo conſolationis ergò viſitarentur, diuina ope ad eius preces liberati è præfatis locis ſint.

De conuentu S. Franciſci Leiriæ. Conu. VII.

INTER reliquas Olyſipponenſis Clariſſarum conuentus ſcripturas eſt monumentum quoddam, datum anno Dominicæ incarnationis 1294. atq; cuiuſdam fratris Ioannis Galleci Leirienſis Guardiani teſtimonio communitum, ex quo liquidò conſtat, hoc monaſterium, beato patri Franciſco ſacrum, atque non procul à muris Leiriæ ciuitatis erectum, ante id tempus ſumpſiſſe principium. Sed quo certo tempore ædificatum fuerit, vel quem primum ſui fundatorem habuerit, nos omnino fugit. Hæc autem de prima eius fundatione dicta ſunto, nam de ſecunda non idem eſt iudicium. Fuit enim hic locus longiuſculus à ciuitate, ac prope fluuium primò conſtructus, ſed poſtmodum, anno videlicet Dominicæ incarnationis 1384. ad eum locum, quem modò obtinet, à Portugaliæ Rege, Ioanne huius nominis primo, ſequenti de cauſa, tranſlatus. Obierat ſine liberis mortem legitimus Portugaliæ Rex Ferdinandus, quapropter eius frater Ioannes (illegitimus tamen) occiſo Comite Andeirano Regni ſceptrum inuaſit, obtinuitq;, ac filiam cuiuſdam Ducis de Alencaſtro, quæ & Regis Angliæ neptis erat, licèt matrimonij incapax eſſet, ob Magiſteriatum de Auiz, quo inſigniebatur, inconſulto ſummo Pontifice, in matrimonium duxit. Diſpenſaturus igitur ſecum Pont max. vt matrimonio vti poſſet, ſibi iniunxit, quatenus tria fratrum, ſiue ſororum monaſteria ſuis ſumptibus erigeret. Rex itaque Ioannes pœnitentiæ ſatisfacturus, cùm eſſet in Franciſcanum Ordinem propenſiſſimus, hanc ſacram ædem, quam triginta tres fratres vt plurimùm occupant, antiquiori, quòd habitatoribus minus faueret, relicta, præfato anno Domini milleſimo trecenteſimo octuageſimo quarto, quemadmodum ex Regni Portugaliæ Annalibus edocemur, ędificari fecit. Quibus

ſi aliquis

A ſi aliquis minus crediderit, armis ſaltem regijs eiuſdem Ioannis portæ conuentus affixis fidem adhibeat. Aſſeruatur hoc in cœnobio quædam corda beati patris Franciſci.

De conuentu S. Antonij de Ficu. Conu. VIII.

VENERABILIS pater frater Antonius de Buarcos huius Prouinciȩ alumnus, accepto prius anno à Chriſti natiuitate millesimo quingenteſimo vigeſimo ſeptimo à Portugaliæ Rege Ioanne huius nominis III. ſpeciali mandato, hoc monaſterium, beato patri Antonio de Ficu ſacrum, tum ex regijs facultatibus, tum quoque ex fideliũ eleemoſynis in faucibus ipſius Mondegi fluuij ædificari curauit. Cuius maius ſacellum temporis ſucceſſu cuidam Ferdinando Gometio nobili viro collatum eſt, quamobrem eius patronatus ad illius ſucceſſores pertinet. Inſeruiuit ſacra hæc domus à ſui erectio-
B ne vſque ad annum milleſimũ quingenteſimũ octuageſimũ quartũ communi fratrum viuendi modo, ſed ab eo temporis, ex prouincialis Capituli Olyſipponis celebrati decreto, fratribus Recollectis, quorum tredecim ibidẽ commorãtur, paret obtemperatq́;.

De conuentu S. Chriſtinæ Pouoæ. Conu. IX.

PROFECTO niſi antiquum quoddam monumentum ad manus fortè veniſſet, huius conuentus, S. Chriſtinæ dicati, atque in terminis oppidi Pouoæ Conymbricenſis diœceſis conſtructi tum antiquitatem, tum quoque authorem penitus ignoraſſemus. Eius itaque beneficio edocemur, eum à quodam fratre Ioanne laico profeſſo atq; deuotiſſimo, auſpicijs tamen, ac munificentia ſereniſſimi Infantis Petri Eduardi Portugaliæ Regis vterini fratris, anno Domini 1437. in religioſiſſimi cuiuſdam oratorij mo-
C dum conſtructũ fuiſſe: quod tamen R.P.F. Ioannes ſiue Zanetus de Vtino totius Franciſcani Inſtituti tunc generalis Miniſter, anno Dñi 1474. conuentus titulo inſigniuit.

De conuentu S. Franciſci Conymbriæ. Conu. X.

ETSI communis ſeniorum traditio, atque aliquot epitaphia antiquiſſimis ſepulturis inciſa huius monaſterij, quod diuo patri Franciſco ſacrum eſt, ſedemq́; non procul à muris Conymbricenſis ciuitatis, in margine Mondegi fluuij obtinet, antiquitatem minimè commonſtrarent, ipſius tamen tum antiquæ eius ruinæ, tum quoque diſpoſitio manifeſtiſſimum præberent indicium. Fuit itaque hic locus, quẽ triginta quinque fratres plerumq; inhabitant, quemadmodum ex quibuſdam caracteribus in choro inſcriptis liquidò conſtat, à reuerendiſſimo Blaſco Toletano Archiepiſcopo conſe-
D cratus, anno a Chriſto Saluatore nato 1004. eo videlicet temporis, quo Portugalia non dum in Regnum euecta erat, ſed Comitibus, à Caſtellæ tamẽ Rege dependentibus, parebat. Quorum quidem caracterum occaſione ſunt qui autument, hanc ſacram ædem à Templarijs fuiſſe ædificatam. Iis hauddubiè aſtipulari videntur antiquiſſima eius, atque ſemidiruta ædificia. Sed illis contradicit antiqua quędam ſcriptura, quȩ aſſerit hoc cœnobium à ſereniſſimo Infante Petro Sanctij Portugaliæ Regis vterino fratre, anno Domini 1220. poſtquam ſacra Minoritarum martyrum Berardi ſcilicet atque ſociorũ corpora, quæ & in huiuſmet ciuitatis S. Crucis eccleſia honorificè quieſcunt, ex Marrochio in Luſitaniam tranſtuliſſet, conſtructum eſſe. Nihilominus tamen ſtat prima aſſertio. Nam re vera hæc domus primò à Templarijs ante annum Dominicæ incarnationis milleſimum ædificata, poſtmodum verò à præfato Infante Petro poſt ducentos
E annos & vltrà, ſcilicet anno 1220. reſarcita, atq; reparata, ſiue potius reædificata fuit.

De conuentu ſiue collegio S. Bonauenturæ Conymbriæ. Conu. XI.

CVM ſereniſſimus Ioannes eius nominis III. atque quintusdecimus Portugaliæ Rex, necnon de ſibi credito Regno, atque viris doctis optimè meritus, ſuæ ditioni promouendæ deſiderio flagraret, plurimis doctis viris, atque in qualibet ſcientia peritis ex diuerſis Regnis in Luſitaniam adductis, euocatisq́;, ac ſibi annuis redditibus pro regia liberalitate ſtatutis, celebrem, atque florentem Academiam Conymbrię, quȩ Luſitanorum ciuitas eſt, erexit, atq; aliquot Minoritica collegia, in quibus Portugalenſiũ Prouinciarum fratres ſacris literis incumbere poſſent, anno Domini 1530. ibidem ſuis

ſumptibus ædificauit, quibus & annuas eleemoſynas pro ſtudentium victu atque veſtitu ex regio ærario conferendas aſſignauit. De quorum numero hoc, diuo patri Bonauenturæ ſacrum, atque intra muros Conymbricenſis eiuſdem ciuitatis ſitum vnum eſt, quod plerumque decem huius Prouinciæ fratres inhabitant. Cùm autem re diligentius trutinata, atque penitus introſpecta conſultius fore videretur, ſi quæcunque nõſtri Ordinis collegia ſeparatim, atque ab inuicem diuiſa ibidem ſubſiſtebant, in vnum conflarentur, redigerenturque: in eo huius Prouinciæ Capitulo quod Olyſipponis, anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo octuageſimo quarto celebraui, patrum, quorum intererat, voto atque conſenſu accedentibus à me decretum eſt, vt quotquot fratres alijs in locis literis inſudarent, ſe ad præſens collegium de cœtero ſub Miniſtri huius Prouinciæ obedientia moraturi protinus transferrent, prout & factum eſt. Ab eo igitur tempore 36. fratres, & vltrà in eo ſatis commodè commorantur. A B

De conuentu S. Antonij Ferrerim. Conu. XII.

CVM piiſſimi Maraluarius Comes, atque beatrix Meneſia legitimi coniuges pari in Deum pietate, pariq; in Franciſcanum Ordinem beneuolentia prędìti eſſent, ferrenturq;, ſe ex communi voto ad vnius Minoritici conuentus ædificationem obligarunt: quapropter congeſtis ijs quę ad voti ſolutionem neceſſaria erant, hoc monaſterium, beato patri Antonio ſacrum, in pago Ferrerim Luſitanicè nuncupato, Lamecenſis diœceſis, anno humanę ſalutis milleſimo quingenteſimo vigeſimo quinto adamuſſim ædificari curarunt, atque huius Prouinciæ patribus ea lege contulerunt, ne ab alijs fratribus, quàm à Minoritis Obſeruantibus, illud vnquam inhabitari permitterent. Voluêre præterea præfati fundatores, ex maxima qua hunc locum deuotione proſequebãtur, in maiori eius ſacello ſepeliri, ſuiſq; poſteris ex teſtamento præceperunt vt neceſſitatibus fratrum, qui frequentius ſunt 15. numero liberaliter, diligenterq; occurrant. C

De conuentu Conceptionis B. Mariæ Matozinhos. Conu. XIII.

SVBSTITIT aliquando ad tertium lapidem à pago Matozinhos Luſitanicè nuncupato, Portuenſis diœceſis in ipſo littore maris, Minoriticus quidam conuẽtus, diuo Clementi ſacer, atque vnus ex antiquioribus, qui regulari Obſeruantiæ, anno Dominicæ incarnationis 1390. vel circiter, hoc in Regno nomen dederunt. Sed cùm vicino mari plurima incommoda pateretur, opera cuiuſdam fratris Ludouici à Begia ad hunc, quem modò obtinet locum, videlicet prope præfatum pagum Matozinhos, anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo octauo tranſlatus eſt. Cuius vtique tranſlationem, atque ædificationem plures cooperati ſunt: Nam Sixtus IIII. Pont. max. eius faciendæ copiam expeditis literis 9. Iulij anno Dominicæ incarnationis 1478. dedit: deuoti coniuges Ferdinandus Cothinius, & Maria ab Acunia ſitum contulêre: nobilis, piaq; fœmina Margareta Villenica maius ſacellum atque chorum perfecit: eccleſiæ reſiduum Alphonſus V. Portugaliæ Rex ſuis ſumptibus conſtrui curauit: quod verò reliquum fuit operis ex piorum eleemoſynis, cura præfati fratris Ludouici emendicatis, acquiſitiſq; abſolutum eſt. Hoc in loco, quem 18. Recollecti fratres frequentius inhabitant, è viuis exceſſit anno Domini 1506. ſepultuſq; eſt ſummæ ac miræ ſanctitatis P. F. Ioannes de Pouoa, qui ob vitæ candorem atque prudentiam, qua pollebat, ſeptimò in huius Prouinciæ Miniſtrum electus fuit, nouieſq; ad diuerſa generalia Capitula pedes perrexit: Quapropter moriens maximum ſui deſiderium, optimamq; famam reliquit, prout Chronicorum noſtri Ordinis author 3. p. ſui operis ſatis, ſuperq; meminit. Plurima hoc in loco miracula contingunt ad inuocationem deuotiſſimæ cuiuſdam imaginis Virginis glorioſiſſimæ: quamobrem mirum in modum à nautis, peregriniſq;, atque ab alijs ſua vota ſoluturis, atque beneficia impetraturis frequentatur. D E

De conu. Annunciationis Dominæ noſtræ Villæcomitis. Conu. XIIII.

CVM moniales Clariſſę oppidi Villęcomitis Braccarenſis Archiepiſcopatus huius Prouincię fratribus ſufficientem ſitum ad vnius conuentus ædificationem tam liberaliter, quàm piè ibidem contuliſſent, pientiſſima fœmina Eliſabetha à Mendañha

vidua

A vidua ex morte ſtrenui Ruſibis portus Capitanei Ioannis Meneſij relicta, (de qua ſuprà) pro ſua ſingulari in Franciſcanum Ordinem deuotione atque pietate, hoc monaſterium, Dominæ noſtræ de incarnatione ſacrum, quod vt plurimum quatuordecim fratres incolunt, anno à partu Virgineo milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſexto ſuis ſumptibus, intra ſepta præfati oppidi Villęcomitis ædificandum curauit. Cuius ſanè pietas, atque in noſtrum Ordinem affectus (vt ſuprà meminimus) incredibilis fuit.

De conuentu S. Franciſci Portus. *Conu. XV.*

IN meditullio Portuēſis ciuitatis, quæ caput atque metropolis eſt eius Epiſcopatus, qui Portuenſis dicitur, conuentus hic fratrum Minorum, ſeraphico patri Franciſco ſacer, exurgit, qui à primis huius Luſitanici Regni Regibus ędificatus certiſſimò fertur: B Eorum tamen nomina, certumq; conſtructionis annum temporis diuturnitas abſumpſit. Aſſeruantur hoc in loco aliquot apoſtolicæ literæ, datæ à Gregorio IX. ſummo Pontif. contra quendam Portuenſem Decanum nomine Chriſtianum, eò quòd fratres ab ædificando hoc conuentu plurimis tum moleſtijs, tum quoque iniurijs remoraretur: inſuper & ſequentes ſanctorum reliquiæ, videlicet duæ ſpinæ eius coronæ, quæ Chriſti Saluatoris noſtri capiti impoſita fuit, quoddam os ex altero brachiorum diui Blaſij martyris, quod argenteo recluditur brachio, pluresq; aliæ thecis argenteis debita cum reuerentia recondite. Commorantur hoc in conuentu 50. Franciſcani fratres.

De conuentu S. Franciſci Brigantiæ. *Conu. XVI.*

APVD Brigantinam ciuitatem, (vulgò Barganza) quæ Epiſcopatui Mirandæ C Durianæ, ſiue (vt alij volunt) Dorianę ſubeſt, erectus proſpicitur conuentus quidam, diuo patri Franciſco ſacer, quem vigintiquinque Franciſcani incolunt, ex quibus ſex continuò (eſt enim locus grammaticali ſtudio deſtinatus) Latinæ linguæ rudimentis incumbunt. A quo tamen, vel quo tempore exædificatus fuit, non ſatis conſtat. Sunt tamen qui aſſerant ipſum à Brigantinæ ciuitatis ſenatu ex publicis facultatibus erectum. His ſanè aſtipulari videtur præfati ſenatus beneuolentia in ipſos fratres. Nihilominus eorum opinio præualet, qui dicunt eum à beatiſſimo patre Franciſco, quando his in partibus fuit, primò acceptum, atque ab aliquo diſcipulorum eius ædificatum, tandem à sereniſſimo Dionyſio Portugaliæ Rege reædificatum. Idq; profectò & regia inſignia parietibus impreſſa manifeſtè ac euidenter atteſtari videntur.

D *De conuentu S. Spiritus ſiue S. Onuphrij Golegani.* *Conu. XVII.*

PROPE id oppidum (quod vulgò Golegan nūcupatur) vbi prius conſtiterat ædicula quædam, ſiue malueris eremitorium, diuo Onuphrio dicatum, ſed patribus Hieronymitis ſubiectum, munificentia, opera, liberalitate, atque induſtria perdeuoti Thomæ cuiuſdā Luſitanię Regi quondam dilectiſſimi, cęnobiū hoc, S. Spiritui ſacrū, licèt paſſim titulo adhuc S. Onuphrij honeſtetur, erectum fuit, quod vt plurimùm viginti fratres Minores incolunt. Credendum tamen eſt præfatos patres Hieronymitas proprio iuri in fauorem Franciſcanorum vel gratis, vel pretio ex mendicatione tamen acquiſito, ab eis poſtmodū accepto, vel ab aliquo pio viro pro ipſis oblato ceſſiſſe. Obijt autem prædictus Thomas, anno Dominicę incarnationis 1520. & in hoc loco ſepultus eſt, quem eiusq; poſteros patronos agnoſcunt fratres Minoritę, huius loci incolæ.

E *De conuentu S. Cittæ in termino Aceiceiræ.* *Conu. XVIII.*

FVIT olim in hoc Portugaliæ Regno deuotiſſimus quidam eremita natione Italus, qui ſolitariæ vitæ cupidus eremitorium pœnitentiæ agendæ ergò in termino oppidi Aceiceira Luſitanicè nuncupati Olyſipponenſis diœceſis, in honorem ſanctæ Cittæ virginis ex emendicatis eleemoſynis ſibi ædificauit, in quo, & in maxima vitæ aſperitate, atque paupertate vſque ad vltimum vitę halitum perſeuerauit. Cui tamen uita functo aliquot fratres de tertio beatiſſimi patris Franciſcani Ordine ſucceſſerunt. Hi, cùm ſibi tum eleemoſynę, tum quoque cœtera ad uictum neceſſaria deficerent, loco cedere decreuerunt. Quamobrem venerabilis pater frater Petrus Aluarez

Franciſcanus illud ab ijſdem Tertiarijs capitulariter congregatis, anno à Chriſti natiuitate milleſimo quadringenteſimo vigeſimo tertio ſummis precibus impetrauit, atque pro modulo, iuxta loci diſpoſitionem, paupertatiſq; limites, adaptauit. Cùm verò temporis ſucceſſu ruinam minaretur, ſereniſſimus Emanuel Portugaliæ Rex, atque Franciſcani Inſtituti ſtudioſiſſimus ipſum reſarciri, refici, ampliariq; curauit, ac tandem eius ſucceſſor & filius ſereniſſimus Ioannes eius nominis III. omnibus ſuis numeris abſoluit, atque ad eam formam, qua nunc inductum eſt, redegit. Vnde & viginti fratres ibidem commorantes commodiſſimè capit, atq; abundantiſſimè alit. A

De conuentu S. Franciſci Guardiæ. Conu. XIX.

SI humanis traditionibus fidem habere liceat, quibus de plurimis (quæ nos omnino laterent) certiores reddimur, quibusq; plura tamquam per manus à noſtris prædeceſſoribus poſtea ſimili modo ad ſucceſſores tranſmittenda accipimus, cœnobium hoc, diuo patri Franciſco dicatum, quod Guardię (Luſitanicè verò Guarda) erectum conſpicitur, incoliturq; à ſeptemdecim Franciſcanis, olim ad Templarios ſpectauit, quibus tamen ob aliquas nobis ignotas, eaſq; grauiſſimas cauſas deletis, à Rege, qui per id temporis Luſitanici Regni clauum tenebat, Minoritico Inſtituto adiudicatum fuit, vnde & in Portuenſis Cuſtodiæ ius ceſſit. Quis tamen is fuerit Rex, quouè tempore id acciderit, omnino ignoratur. Cuius quidem rei id cauſæ eſt, quòd noſtri fratres nunquam iſta curarint, nullaq; vel certè pauca habeant loca ſeruandis ſcripturis deſtinata, quodq; illis locum occupare ſatis eſt, ac ſi diligens monumentorum cuſtodia noceret. Huius tamen ſacræ ædis antiquitas ex quodam teſtamento, in archiuis matricis eccleſiæ Guardienſis ſeruato, atque acto anno Dominicæ incarnationis milleſimo trigenteſimo vigeſimo quodammodo conſtat. Eo ſiquidem teſtator quidam bona ſua tum præfatæ matrici eccleſiæ Guardienſi, tũ quoq; huic domui ex ęquo relinquit. B C

De conuentu S. Spiritus Gouea. Conu. XX.

GOVEA vicus eſt ad Conymbricenſem diœceſim ſpectans, in qua multis retro annis quodam oratorio Franciſcani fratres commorati ſunt: ad quorum tamẽ petitionẽ Eugenius IIII. Pont. max. dum nauiculæ Petri gubernaculum teneret, per apoſtolicum diploma Ceutano ſiue Exiliſſienſi Epiſcopo commiſit, vt ijs fratribus locum ad noui conuentus conſtructionem ſatis capacem aſſignaret. Quod & ille præſtitit. Vnde & eodem loco, in quo prædictum oratorium prius conſtiterat, hic conuentus, ſanctiſſimo Spiritui ſacratus, ex eleemoſynis vndequaque collectis exædificatus fuit, circa annum, niſi nos coniecturæ atque indicia fallunt, 1430. Quantæ verò æſtimationis atque dignitatis hic locus apud proceres, reliquoſq; huius Regni populares fuerit, vel ſaltem ipſa nobilium ſepulcra ibidem erecta facilè indicant. Nec immeritò ſanè, cùm Spiritus paracletus ſpeciali quodam miraculorum priuilegio in Luſitanicæ gentis beneficium hunc locum proſequatur, & in eo honorificentiſſimè aſſeruetur ſpatula alterius illorum quinque Chriſti militum Franciſcanorum, qui pro ipſius nomine nec Iudicum minas timuerunt, nec terrenæ dignitatis gloriam venati ſunt, ſed ſacratum ſuum ſanguinem apud Marrochium fuderunt. Hęc ſiquidem ſacrata reliquia, cùm in monaſterio de Loruao ſororum Ordinis diui patris Bernardi prope Conymbriam cuſtodiretur, ab illuſtri ac deuotiſſima ſorore Catharina Deza eius loci Abbatiſſa ex apoſtolica diſpenſatione, anno Domini milleſimo quingenteſimo quintodecimo huic loco liberaliſſimo dono data fuit. Quæ etiam Abbatiſſa voluit, vt ſuorum prædeceſſorum cineres, atq; oſſa, quæ in præfato monaſterio de Loruao recondita erant, inde exhumata ad hoc Minoriticum, in quo plerumq; 20. fratres commorantur, denuò ſepelienda trãsferrentur. D E

De conuentu S. Franciſci Couilliani. Conu. XXI.

ANTIQVVS ſatis eſt conuentus hic, B.P. Franciſco ſacratus, cùm paulò poſt tẽpora ipſius patris extructus ſit, non quidẽ eo in loco, vbi nunc eſt, ſed vbi prius Couillianũ (vulgò Couilhan) oppidum extitit. Antiquiori ſiquidem oppido ab inquilinis deſerto, derelictus quoque fuit à fratribus ipſe conuentus, atque trãſlatus ad eum locũ,

vbi &

A vbi & nouum oppidum Couillianum exædificatum eſt. Tanta enim fuit illius populi ad Franciſcanam familiam deuotio,tantuſque affectus, vt ab ea elongari nullo pacto voluerit, ſed potius curarit, hoc cœnobium ex communibus facultatibus nouiter inter nouas domos,ad eius vſum atque habitationem,extrui. Sunt præterea hoc in ipſo loco, quem incolunt decem fratres, plures nobiles, illuſtreſq; huius Regulæ propugnatores ſepulti, qui ipſum pulſis Saracenis ex eorum manibus vindicarunt. Vnde etiam facillimo negotio expiſcari poteſt quanta ſit huius ſacræ ædis antiquitas: quapropter non erit mirum ſi certus annus, quo hic locus reædificatus ſit, ignoretur. Longa ſiquidem temporis intercapedo ſæpius eſt in cauſa,vt monumenta pereant, vtq; nos,ob defectum illorũ,in cognitionẽ rerum antiquarum deuenire non poſſimus.

B *De conuentu boni Ieſu Balhellas.* *Conu. XXII.*

AD mille quingentos paſſus ab oppido quod Luſitanicè Balhelhas appellatur, pertinetq; ad Guardienſem Epiſcopatum, conſpicere licet conuentulum quendam ſiue potius oratorium Franciſcanum,à ſeptem tantùm fratribus ſub titulo boni Ieſu inhabitatum. Quod quidem licèt ſtructura minimum ſit, nomine tamen atque populorum frequentatione maximum eſt. Eius præterea eccleſia ex quodam miraculo ibidem euento extructa fuit. Cùm enim pauper quidam ac deuotus paſtor commiſſum ſibi gregem ex antri cuiuſdam penetralioribus ad aperta loca abigere contenderet, nec poſſet, quid eius rei in cauſa eſſet proſpecturus, præfatum antrum penetrauit. Dumq; cautius ingreditur,proprium nomen audiuit. Sequutus igitur vocis ſonitum vidit ex inſperato imaginem quandam Saluatoris Chriſti ſemicubitalem ſu-
C pra lapidem, ad modum crucis extenſam, non tamen cruci affixam: quam humiliter adorans, licèt tantæ rei nouitate perterritus eſſet, poſt aliqualem reſpirationem (erat enim ex euentu commotus, atque ferè attonitus) ſic affatus eſt: Domine ſi tu es Deus meus iube me venire ad te, ſtatimq; ſurgens præfatam Chriſti imaginem, quàm deuotiſſimè potuit, ſecum extra nemus detulit. Cumq; ad eius imaginem deueniſſet duos Minoritas habuit obuios. A quibus tamen poſtquam factum ſibi retuliſſet, rei benè gerendæ concilium popoſcit, ac iuxta eorum ſententiam oppidanorum ſacerdotum Præpoſito præmemoratam imaginem contulit. Qui eam reuerenter ſuſcipiens cum ſolemni ſacerdotum atque laicorum pompa in matricem oppidi Balhelhani eccleſiam intulit. Contigit autem id anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo ſecundo. Sed cùm ſemel & ſecundò ſe ad præfatum nemoris locum, in quo
D & à paſtore inuenta primò fuerat, tranſtuliſſet, illuſtris quidam Rodericus à Caſtro eius nemoris dominus, vir vtique pius & deuotus, quòd ſibi conſonum diuinæ voluntati videretur,eo loco vbi imago ipſa conſtiterat, ex proprijs,peculiaribuſq; facultatibus huius conuentus eccleſiam, dulciſſimo nomini Ieſu ſacram, ædificandam curauit: in qua & imaginem argenteæ cruci affixam collocauit. Nec facilè dici poſſet, quot ibi miracula contigerint, indieſq; contingant: quamobrem non tantùm ex Portugaliæ Regno, ſed & aliundè eò confluunt mortales ſua vota perſoluturi, quorum plurimi iuſtè poſtulata reportant. Anno tandem Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo quarto præfatæ eccleſiæ cultus concreditus fuit fratribus Franciſcanis Portuenſis Cuſtodiæ à quodam Didaco de Caſtro præfati fundatoris Roderici nepote, qui & moriens ibidem humari voluit. Ipſi verò fratres ex eleemoſynis
E tum ab ipſo Didaco, tum quoque ab alijs oppidanis, ſumma liberalitate huic eccleſiæ elargitis, annexum ſibi conuentum erigi, perficique maxima diligentia curarunt, quos pręfatus Didacus, quoad vixit,fratres omni beneficiorum genere proſecutus eſt.

De conuentu S. Franciſci Funhialij. *Conu. XXIII.*

HIC conuentus,beatiſſimo patri Franciſco ſacratus, atq; duo immediatè ſequentes ſedem obtinent in inſula Lignorum (Hiſpanicè della Madera) Oceano maricincta,quæ & à Luſitania ſex millibus milliarijs diſtat. In his conuentibus inuenire ſemper licuit probatos,religioſoſq; patres, prout facto ſereniſ. Portugaliæ Regis Alphonſi V. comprobatur. Is enim Minoriticum conuentum de Enxobregas Prouinciæ Algar-

biorum prope Olyſipponẽ, anno Dominicæ incarnationis 1459. ædificaturus aliquot A
patres,qui operi perficiendo præeſſent,quiq; perfectũ inhabitarent,ex præfata Ligno-
rum Inſula euocauit.Hanc igitur ſacram atq; religioſam ædem,quæ muris metropo-
litanæ ciuitatis Funchial vulgò dictæ cingitur, 35. fratres vt plurimum occupant.

De conuentu S. Crucis Marhico. Conu. XXIIII.

CVM perdeuotus atque pius Vrbanus Lomelli nus maxima beneuolentia Fran-
ciſcanum Ordinem proſequeretur,cuperetq; illum ſibi ob præſtitum aliquod be-
neficium magis deuinci, hoc monaſterium, ſanctiſſimæ Cruci ſacrum,anno à ſaluti-
fera mundi redemptione 1527.intra mȩnia oppidi, Marhico Luſitanicè nuncupati,prę-
fatæ inſulæ lignorum ſuis ſumptibus ad commodiorem 18.fratrum habitationem con-
ſtrui, atque reuerendo patri fratri Franciſco Olyſipponenſi, tunc huius Prouinciæ B
Miniſtro, reliquorum conuentuum Prouinciæ catalogo adſcribendum tradi curauit.

De conuentu S. Bernardini inſulæ Lignorum. Conu. XXV.

QVIS huius conuentus,beato patri Bernardino dicati,atque in quadam ſolitudi-
ne præfatæ inſulæ Lignorum ſiti,fundator extiterit, vſque impræſentiarũ igno-
ratur. Hoc tamen omnibus in confeſſo eſt ipſum ſcilicet perpetuò à quindecim reli-
gioſiſſimis fratribus, optimeq; audientibus inhabitatum fuiſſe. In quo, vt noſtro-
rum Chronicorum author 3. p. l. 9. 31. cap. refert, pijſſimus, eximiæq; ſanctitatis vir,
frater videlicet Petrus à Guardia laicus profeſſus in perpetuum victurus requieſcit.
Huius ſancti fratris tanta fuit auſteritas, atque rigor ad ſe ipſum, tantaq; charitas ad
proximum, vt vix humana lingua exprimi queat. De eius tamen oratione atque C
exitu hæc tantùm dixerim, quòd per continuos viginti annos, quibus hoc in loco de-
guit, ſemper ferè inter orandum raptum pateretur,& moriens cœleſtem quandam ex
ſe fragrantiam emiſerit. Quia vero lignea ſiue Lignorum inſula longiuſculus à Regno
Portugaliæ diſtat,neque abſque nauigio,atque aliquali vitæ diſcrimine peti poteſt, is,
qui conuentus ſancti Franciſci ciuitatis Funchial Guardianus pro tempore eſt,à patri-
bus in Capitulo huius Prouinciæ Commiſſarius conſtituitur, vt præcedentibus tribus
conuentibus, atq; cuidam ſanctimonialium monaſterio in eadem inſula erecto præſit.

De conuentu S. Franciſci Trancoſi. Conu. XXVI.

MINORITICVS hic locus, Trancoſi non abſque contradictionibus ex pio-
rum eleemoſynis,poſt annum à partu Virgineo ſeſquimilleſimum erectus, à pa- D
tribus,quòd eorum habitationi non adeò faueret,in Capitulo prouinciali Olyſipponis,
anno incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo octuageſimo tertio per me
celebrato, in quo maior Portuenſis Cuſtodiæ pars huic Prouinciæ acceſſit, ex com-
muni omnium eorum,quorum intererat,conſenſu,derelictus eſt. Nec immeritò profe-
ctò,cùm vix quinque,aut ſex fratres accolas, tum ob loci incapacitatem, tum quoque
ob victus penuriam continere poſſit. Sed ne remanentibus ibidem,alio tamen in con-
uentu,de quo ſuo loco, quibuſdam Tertiarijs ſororibus habitatio ob patris Confeſſarij
abſentiam oneroſior,difficiliorq; fieret, à præfatis patribus ſequenti anno, nempè an-
no Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo octuageſimo quarto,vt dereli-
ctus hic locus denuò à fratribus reſumeretur, inhabitareturq;,decretum fuit. Acceſ-
ſêre quoque & Trancoſienſium preces, qui fratrum abſentiam egerrimè ferentes in- E
genuè faſſi ſunt, malle ſe potius oppido, quàm Franciſcanorum præſentia priuari
atque deſtitui, à quibus plurima, eaque magni momenti, olim beneficia recepiſſent.

De monaſterio S. Claræ Olyſipponis. Mon. I.

ANNO à lætabunda Chriſti natiuitate 1294.eo videlicet temporis,quo Prouincia
hæc,Cuſtodiæ limitibus adhuc incluſa Prouinciæ ſancti Iacobi Miniſtro parebat,
nobilis quædam fœmina nomine Agnes, atque patria Aſtur, vidua ex morte illu-
ſtris cuiuſdam Viualdi relicta, hoc monaſterium, beatæ Claræ ſacrum, intra muros
Olyſipponenſis ciuitatis,eo ſcilicet loco,in quo maius ſacellum Trinitariorum patrum
modò

A modò ſubſiſtit, ſuis ſumptibus ædificare cœpit. Cumq́; opus aliquantulum promouiſſet, dum quadam nocte ſe ſopori dat, ſcala cœlum terræ, vbi olim extra ciuitatem malefactores diuerſis puniebantur ſupplicijs, iungentem, perq́;eam Angelos aſcendentes,atq; deſcendentes cõſpicit. Sciſcitata verò ab illorum altero quid hoc ſibi vellet, huiuſmodi retulit reſponſum: Diuinæ ſcilicet voluntatis eſſe, vt conuentus ſororibus à ſe ędificandus eo in loco,quo præuiſa à ſe ſcala terram tangeret,antiquiori ſede relicta conſtrueretur,quandoquidem plures ex eo animę in cœlum euolaturę eſſent.Quamobrem ſurgeret ſummo mane, eoq́; properaret, & eum locum ædificandæ à ſe domui à diuina voluntate delectum intelligeret, vbi crucem ex duobus lapidibus compactam cerneret.Et hæc quidem omnia in ſomnis contigerunt illi. Surgens itaq; ſummo mane deuota Agnes, præoſtenſumq́; ſibi dum dormiret locum petens, & lapideam crucem
B inuenit,& ſacrum hoc monaſterium,in quo plerunq́; 160. Clariſſæ,ſed Vrbaniſtæ conuiuunt,eadem beata Clara tutelari atq; patrona,ibidem à fundamentis ſtatim exædificandum curauit:Nec prius ab opere deſtitit, quàm ipſum omnibus ſuis numeris abſolutum viderit.Ex propriæ,atq; infirmę carnis ergaſtulo ad æthereas ſedes migrauit deuotiſſima ſoror Agnes à ſancto Dominico, ſacræ huius ædis alumna, quæ omnibus virtutibus,ſed præſertim humilitate,paupertate atq; feruentiſſima oratione,dũ viueret, mirum in modum reſplenduit. Quamobrem plures moleſtias ſibi à Dæmone illatas viriliter ſuſtulit, & innumeris miraculis claruit. Nam ad contactum eius baculi, cui decrepita innitebatur,& R. P. F. Andreas Inſulanus totius Minoritici Ordinis olim generalis Miniſter à podagra,qua acerbiſſimè affli&abatur, & ſereniſſima Catharina Portugaliæ Regina à vehementiſſima chiragra,& plures alij à diuerſis infirmitatibus libe-
C rati fuêre. Mortem quoq; obijt hoc in ipſo loco deuotiſſima, atq; pijſſima ſoror Leonora à Regibus, in qua obedientię donum cum profundiſſima humilitate coniunctum ſupra modum emicuit. Qua etiam de cauſa ab huius ſacri conuentus ſororibus, quæ ſumma cum veneratione quoddam vnius ex vndecim millibus virginum caput cuſtodiunt,inter cœlicolas annumeratur omneſq; illam felicem beatamq́; prædicant.

De monaſterio Dominæ noſtræ de Spe Olyſipponis. *Mon. II.*

NON minus reſplenduit monaſticus rigor, regularisq́; diſciplina in ſanctimonialibus Clariſſis inſulę Lignorum(vulgò Iſla de la madera)quàm in prioribus Franciſcanis eiuſdem: eaq́; de cauſa aliquot ex eis anno à Virgineo partu 1536.Olyſipponẽ, quatenus hoc monaſterium, ſanctiſſimæ Dominę noſtrę de ſpe dicatum, ſumptibuſq́;
D illuſtris, ac perdeuotæ horoidis Eliſabethę à Mendaña ſtrenui Ruſibis portus (vulgò Azamor)apud Aphros pro Portugalię Rege Ducis, ſiue Pręfecti Ioannis Meneſij olim vxoris ex parte erectum,atq; Olyſipponenſis pręfatę ciuitatis ambitu circumſcriptum optimis moribus,religioſis ritibus,atq; cęremonijs imbuerent,aduentanteſq; ad ipſum iuuenculas in omni pietate,honeſtate,atq; morum compoſitione inſtruerent.Quarum deniq; auſpicijs tot progreſſus ſacra hęc ædes in via ſanctitatis fecit, vt plures virgines Deo ſacras,ſibiq; cariſſimas pepererit.Harum vnam aut alteram,vt inde debitus honor Altiſſimo obueniat,in medium adducemus. Et primo quidem loco ſororem Agnetem Dei, fœminam vtiq; incomparabili humilitate, patientia, atque charitate præditam, primamq; huiuſce loci Abbatiſſam,atq; vnam ex eius fundatricibus.Cuius obitus cùm die feſto contigiſſet,nec præ manibus pollinctor adeſſet, portarijs ſororibus alia de cau
E ſa portam aperientibus pulcherrimus quidam iuuenis ex inſperato apparuit, illiſq́; ad præſtandum defunctæ ſorori ſepulturæ obſequium ſeſe obtulit.Qui tandem introductus & oblata præſtitit,& exhibita ſororibus maxima reuerentia vlla abſq; mercede recedere voluit. Hic annectam ſororem Annam à Conceptione, nobilem quidem natalibus, ſed multò nobiliorem virtutibus.Quæ licèt in ipſa iuuenta, nempè anno ſuę ætatis 28. deceſſerit, feliciſſimum tamen ſeniorum curſum conſummauit. Vniuerſa ſiquidem eius actio,quoad ſibi vita comes fuit,perpetua oratio,perpetua abſtinentia,ac perpetua deniq; pœnitentia fuit.His duabus præcedentibus quàm plures aliæ, illis per omnia ſimiles,à me adiungi poſſent,quas tamen breuitati ſtudens ſciens tranſilio.Commorantur deniq; hoc in conuentu,quem pręfata Eliſabetha à Mendaña, anno Domini 1531.

incœpit,

incœpit, & illuſtris Ioanna Deza prima ſereniſſimæ Catharinæ Portugaliæ Reginæ Cubicularia omnibus ſuis numeris, circa annum 1536. abſoluit, Clariſſæ ſed Vrbaniſtæ ſorores 50. quæ particulam ſanctiſſimæ crucis Chriſti, articulum alterius ex digitis ſanctæ Annæ beatiſſimæ ſemperq; virginis Marię genitricis, atque tria capita earũ virginũ, quæ cũ beata Vrſula glorioſè de tyranno triumpharunt, religioſè cuſtodiunt. A

De Monaſterio Dominæ noſtræ Caſtaneti. Mon. III.

CVM illuſtris Ferdinãdus à Taide (vt certiſſima traditione habetur) adhuc puerulus grauiſſima cõflictaretur infirmitate, magnoq; in diſcrimine vitæ coſtitutus eſſet, à pijs parẽtibus ædiculæ cuidã, beatę virginis & martyris Margaretę ad radices altiſſimi cuiuſdam montis 100. paſſibus ab oppido Caſtaneto erectæ, ſalutis aſſequendæ ergô, oblatus eſt. Cùmq; iam adultus eodẽ in loco ſolus obambularet, & à muliere quadam ſibi penitus incognita ſolicitaretur, vt ſanctimonialium monaſterium ibidem erigeret, reſpondit id non ſuarum eſſe partium, cùm pauperrimus ac ſecundò genitus ſit, ſed primogeniti, fratris ad quem paterna hæreditas deuoluenda foret. Grandęuus tamẽ atq; primogenitus, ob immaturam fratris mortem ſucceſſor effectus, dum auram eodẽ in loco carperet, à moniale inopinata interpellatur, vt ſuis ibidem ſororibus conuentũ exędificaret. Ille igitur (vt erat in Deum benè affectus) huiuſmodi euentum diuinę voluntati, atque miſericordię aſcribens pręfatam ędiculam in monaſterium, ſub eodem Dominę noſtrę titulo, transferendam ex tempore curauit. Contigit autem id anno à partu Virgineo 1520. Morte tamen pręuentus, quod pio conceperat animo, pręſtare nequiuit. Quamobrem pia eius, atq; deuotiſſima vxor Leonora à Noroñha impetrata prius à Leone X. Pont. max. facultate, quod à cariſſimo coniuge prætermiſſum fuerat, liberaliſſimè ſuppleuit: atq; 13. ſorores Tertiarias aliunde deductas, in locum iam omnino perfectum introduxit. Poſt eius verò mortem Antonius à Taide vtriuſq; coniugis ſucceſſor, atq; primus Caſtanetanus Comes huiuſmodi monaſterium à fundamentis reædificauit, mirumq; in modum adauxit, ita vt 35. religioſas eius accolas commodè capere poſſit, & ad ſorores de ſecunda beatæ virginis Claræ Regula ex apoſtolica auctoritate, anno ſalutis humanæ 1541. deuoluendum curauit. Claruit ſacer hic locus, quem pars ligni ſanctiſſimæ crucis, atq; caput vnius ex vndecim millibus virginum cohoneſtant, plurimis virginibus Deo gratis: quamobrem Deus opt. max. ad ſanctiſſimę Virginis inuocationem plurimis plura beneficia ibidem conferre dignatur. In eo ſiquidem ſoror Mentia à Conceptione per 50. continuos annos in maxima humilitate, paupertate, obedientia, oratione atq; vitæ aſperitate deguit: in cuius feliciſſimo tranſitu, tantus taliſque ſplendor totam ædem colluſtrauit, vt ab omnibus conflagrare viſus ſit, & aliquot tum regulares, tum quoque ſæculares à diuerſis infirmitatibus eius meritis liberati ſint. Cùm enim ſemel in feſto ſanctiſſimę Trinitatis, dum adhuc loci ſorores primæuam illam à maioribus traditam ſimplicitatem, ac religionem ſectarentur, ſacerdote, qui rem diuinam coram eis faceret, omnino carerent, atq; occurrentem Miſſam intentiſſimè ex miſſali omnes ſimul in choro legerent, diues quidam homo, tranſuerſum os in gutture deferens, auxilium à Deo petiturus ſemineces, eccleſiam ingreſſus eſt. Cui mater Abbatiſſa, quæ & religioſiſſima erat: Da nobis, inquit, ſacerdotem, qui hodie ſacrificet, idipſumque ſingulis annis ex voto hoc in loco agito, & ſtatim eris liber. Cumque ille ſalutaribus eius conſilijs annuens id ſe facturum ſpopondiſſet, eueſtigio os, illæſo interim gutture, expuit, atque promiſſum infallibiliter præſtitit; Sic enim Altiſſimus inueſtigabilibus eius vijs ſuis fideliſſimis ancillis adeſſe voluit.

(margin letters: B, C, D, E)

De Monaſterio Conceptionis B. Virginis Mariæ Alanquerij. Mon. IIII.

HVIVS monaſterij, immaculatæ ſanctiſſimæ Virginis Conceptioni de Chriſtiano more dicati, atque infra oppidi Alanquerij ambitum ſiti, author fundatorque extitit Ioannes Gometius à Carauallho, qui vt affectui, quo in Clariſſarum ſororum Ordinem ferebatur, atque quibuſdam conſcientiæ vinculis faceret ſatis, ipſum ex domeſticis facultatibus, anno à Dominica natiuitate 1553. ædificari, atque reuerendiſſimo patri fratri Andreæ Inſulano totius Franciſcani Ordinis tunc gene-

A generali Miniſtro poſt elapſum biennium tradi, necnon ſacris virginibus Clariſſis ex Olyſipponenſi Spei monaſterio adductis, inſtrui curauit, in quo vt plurimùm triginta moniales ſub ſecunda Regulæ beatæ virginis Claræ militant, commoranturq;. Ex hac vita ad aſtra migrarunt hoc in loco ſoror Maria ab Aſſumptione, quæ vna ex eius fundatricibus extitit, & ſoror Achatia de Paſſione, ambæ humiles, & charitate flagrantes, ambæ inſuper contemplationi deditæ, paupertatis amantiſſimæ, ac tandem omni virtute fulgentes. Harum poſterior, ſoror ſcilicet Achatia fidelium animas commendatiſſimas habuit, dum viueret, proq; eis perpetuò Dominum exorauit, dumq; ad cœmeterium tumulanda deferretur, auditum fuit à ſororibus murmur, tamquam perſoluentium defunctorum officium. Non caret ſacra hæc ædes ſacroſanctis reliquijs, cum particula ſanctiſſimæ crucis Chriſti, capite vnius ex vndecim millibus virginum, & oſſe quodam ſanctæ Hilariæ exornetur, quæ maxima in veneratione ſunt. B

De monaſterio S. Claræ Santareni. *Mon. V.*

QVEMADMODVM ex apoſtolicis quibuſdam literis datis à ſummo Pontif. Alexandro IIII. tertio Calendas Maij Pontificatus verò ſui anno quinto didicimus, ſacer hic conuentus, beatæ Claræ dicatus, atque extra muros oppidi Santareni Olyſipponenſis diœceſis ſitus, quem & frequentius ſeptuaginta ſorores ſub ſecũda Regula atque habitu eiuſdem beatę Claræ occupant, ſumptibus ſereniſſimi Alphonſi III. atque in Portugaliæ Regum Ordine quinti, anno à Dominica incarnatione 1259. ędificari, atque anno 1272. quo etiam tempore maiori ex parte perfectus erat, à quibuſdã ſororibus Lamecenſis Epiſcopatus primùm inhabitari cœpit. Huiuſmodi autem opus C mirum in modum promouit pientiſſima Helena à S. Antonio, præfati Alphonſi Regis legitima filia, quæ collatis omnibus ſuis bonis pręfatis ſororibus adiungi voluit. Fuit hęc virgo religioſiſſima, pariterq; ſanctiſſima, atque omnibus virtutibus, pręcipuè verò humilitate, atque charitate exornata: Nam perpetuò vel culinę vel valetudinario, vel huiuſmodi officinis, in quibus hę virtutes exercētur, à ſuo in Religione ingreſſu totis viribus incubuit. De qua & illud legitur. Cũ enim infirmis inſeruiret ſororibus, atque ſoror quędam, extra tempus tamen, comedendorum ceraſorum deſiderio teneretur, illa clauſtrum maxima cum fiducia petens, ad ſignum crucis arborem ceraſum fructibus, ſed immaturis, onuſtum ad maturitatem excitauit. Cumq; collecta ceraſa languenti obtuliſſet, ijs deguſtatis, quę male habebat, ſtatim conualuit. Ad pręfatũ ſanctitatis ſignum accedit & aliud: cùm enim huius virginis oſſa, alium in locum inferenD da, proceſſionaliter à monialibus per valetudinarium deferrentur, quotquot lectulis decumbebant ſorores, impetrata ex tempore eius meritis ſoſpitate, ſacra pignora ſequutę ſunt. Plura etiam alia miracula authentica, cuidam libello olim credita, edidit, quę tamen, eo libello à latronibus ſublato, nos latent. Claruit perpetuò hic locus in quo Dominicę crucis particula religioſiſſimè aſſeruatur, ſanctiſſimis atque nobiliſſimis ſororibus: de quorum numero fuêre ſoror Eliſabetha à ſancto Hieronymo, atque ſoror Maria à Plagis illuſtriſſimorum Villęregię Marchionum legitimę filię, quarum vtraq; fide, ſpe, charitate, ac deniq; omni virtutũ genere, omniq; ſanctitate prędita fuit.

De monaſterio S. Eiriæ Tomarij. *Mon. VI.*

FVIT ab antiquo intra oppidi Tomarij, vulgò Tomar, mœnia eo ipſo loco in E quo pręſens monaſterium, beatę Eirię ſacrum, ſurrigit, Benedictinarum monialium cœnobium, quod beata Eiria virgo gladijs impiorum confoſſa ſuo ſanguine ſacrauit. Cuius corpus in torrentem fluuium proiectum, cùm alteri eius margini adhęſiſſet, à fidelibus, erecta ibidem inſigni pyramide, tumulatum fuit. Cùm igitur pia fœmina Mentia Vaaz ex morte Petri Vaaz ab Almeida cum tribus filiabus vidua relicta eſſet, cuperetq; ſimul cum illis relicto ſęculo, ſub habitu, atque tertia beati patris Franciſci Regula Deo felicius inſeruire, pręfatum cœnobium ab Epiſcopo, cuius id muneris erat, (defecerant ſiquidem omnes eius incolę) anno à ſalutifera mundi redemptione milleſimo quadringẽteſimo ſeptuageſimo ſexto, numerata prius pecunia emit, ibidẽq; religioſiſſimè vixit. Cùmq; poſt aliquantulum temporis ſimul cum duabus filiabus

carnis debitum exoluiſſet,tertia,quæ à Chriſtoſuperſtes,remanſit, Martha ſcilicet euo- A
cata ad ſe moniali quadam Clariſſa ex conuentu Guardienſi, in eius manibus vitam
atq; Regulam beatæ Claræ ſecundam ſolemniter profeſſa eſt, præfatiq; loci ruinas ex
remanente ſibi ſubſtantia reparans, ipſum in monaſterij formam redegit, atque cre-
ſcente ſororum numero, anno Domini 1520. Conuentualibus Franciſcanis patribus
ſubegit: à quibus tandem ad eiuſdem Inſtituti Obſeruantes ex apoſtolica auctoritate,
anno Dominicæ incarnationis 1562. deuolutus eſt. Surrigit intra ſacræ huius ædis ſe-
pta ſyluula quędã amoena, è cuius meditullio ſaxum eminet, in quo beata Eiria virgo
Benedictina monialis ſeorſum orare ſolita erat, & ab impijs Saracenis ob Chriſti fidem
iugulata eſt. Eius ſanguis, quo pręfatus lapis aſperſus fuit, adeò rubicundus apparet,
vt ab externa die effuſus videatur. Huius beatæ virginis dies feſtiuè omnino, atq; ma-
xima cum veneratione ab oppidanis celebratur: quorum etiam plurimi ad epotationẽ B
eius aquæ,quæ præfatum ſaxum ambit, à diuerſis infirmitatibus liberantur. Commo-
rantur deniq; hoc in monaſterio 40. Clariſſæ ſorores, ſummaque reuerentia proſe-
quuntur ſanctarum Iuliæ & Caſtæ vterinarum ſororum atq; Benedictinarum, nec non
& ſanctæ Eiriæ amitarum corpora,quæ in earundem Capitulo honeſtiſſimè quieſcunt.

De monaſterio Dominæ noſtræ de Spe Abrantij. *Mon. VII.*

CVM ſeptem aut octo ſorores Tertiariæ domum quandam muris oppidi Abran-
tij (vulgò Abrantes) ab exteriori parte contiguam, minus tamen monaſticæ vitæ
idoneam, anno humane ſalutis 1575. vel circiter inhabitarent, P. F. Philippus de Ieſu
huius tunc Prouinciæ Miniſter patrem ac fratrem Emanuelem Trauacos eò delegans
ſibi commiſit,vt vel eas ad alterius honeſtioris,atq; tutioris domus ædificationem, vel C
ad petendos alios conuentus compelleret. Cui deniq; munus debitè exequenti liben-
tiſſimè præſtoq; affuit ſoror Hilaria Meneſia earum tunc ſuperior atq; mater. Quæ tum
ex communibus bonis, tum quoq; plurimis alijs, ſua tamen ſolertia acquiſitis hoc mo-
naſterium, ſanctiſſimę Dominæ noſtræ de ſpe dicatum, quod plerumq; 20. ſorores in-
colunt,honeſtè atq; eleganter ſatis pręfato anno 1575. ædificandum curauit. Tranſiuit
poſtmodũ præfata ſororum Hilaria cum alijs ad ſecundam B. virginis Clarę Regulam.

De monaſterio S. Claræ Conymbriæ. *Mon. VIII.*

NON mirum ſi hoc ſacrum monaſterium,in honorem beatæ virginis Claræ intra
Conymbricenſis ciuitatis moenia erectum, à primæua ſui erectione impræſentia-
rum vſq; ſanctiſſimis monialibus fuerit illuſtre, atq; inſigne. Cùm ſereniſſimam Eliſa- D
ſabetham Portugaliæ Reginam,atq; Regis Dionyſij I. vxorem,nec non & ſanctæ Eliſa-
bethæ Vngariæ Regis filiæ ex fratre nepotem, ſui fundatricem habuerit:cui ſumma de-
uotio ac beneuolentia,qua tum religioſos, tum quoq; religioſas proſequebatur, atque
deſiderium Chriſto ſponſo, ſub habitu & ſecunda beatæ virginis Claræ Regula, ibidem
expeditius obſequendi, eius ædificandi cauſæ fuerunt. Obijt ſauctiſſima hęc Regina
Eliſabetha hoc in eodem loco:de cuius tamen vita mirabili, atq; glorioſa morte nihil
dicemus,cùm abundè ſatis à reuerendo patre fratre Marco Olyſipponenſi ac Portuenſi
Epiſcopo, Franciſcanorumq; Chronicorum authore 2. p. ſui operis à capite 26. vſq;
ad 32. hac de re ſatisfactum ſit. Sed tantùm adiungam, quòd ex apoſtolicis Leonis X.
Pont. max. literis,ad inſtantiam ſereniſſimi Portugaliæ Regis Emanuelis conceſſis,
atq; ex alijs Pauli IIII. Pont. quoque max. ad ſupplicationem Regis Luſitanorum E
Ioannis III datis,dies obitus eius in toto Conymbricenſi Epiſcopatu feſtiuus ſit, ac
de ea celebrari,diuinumq; officium perſolui liceat. Commorantur in hac ſacra domo
octoginta Clariſſæ ſorores Vrbaniſtæ eoq; amplius, quę duas particulas ſanctiſſimæ
crucis Chriſti, atq; partem carnis ſancti Laurentij martyris quamdiligentiſſimè cu-
ſtodiunt. Nec referre interim pigebit,quid hoc in conuentu ſemel acciderit. Laboran-
te ſiquidem vniuerſa Conymbricenſi ciuitate grauiſſima peſte, cœpit & hic locus in-
fici, cumq; Abbatiſſa daret operam ad cratem vt ſorores ſibi, ſubiectæ aliò transfer-
rentur, vt vel ſic mortem euadere poſſent, affuit ex inſperato mendicus, qui ab ea
tantę triſtitiæ & ſolicitudinis cauſam ſciſcitatus, atq; certior de his factus membra-

nulam

A nulam ſibi porrexit,inquiens, ſi curaueris, vt antiphona & oratio hac in cartula ſcriptæ ſingulis diebus decantentur,hic locus immunis omnino à peſte erit: hisque dictis euanuit.Antiphona verò & oratio ab ipſo traditæ huiuſmodi erant. Antiphona. *Stella cœli extirpauit, quæ lactauit Dominum, mortis peſtem, quam plantauit primus parens hominum: ipſa ſtella nunc dignetur, ſydera compeſcere, quorum bella plebem cædunt diræ mortis vlcere. O pijſſima ſtella maris à peſte ſuccurre nobis. Audi nos Domina, nam filius tuus nihil negans te honorat: Salua nos Ieſu pro quibus virgo mater te orat.* ℣. *Ora pro nobis ſancta Dei genitrix.* ℟. *Vt digni efficiamur promiſsionibus Chriſti.* Oratio. *Deus miſericordiæ, Deus pietatis, Deus indulgentiæ, qui miſertus es ſuper afflictionem populi tui, & dixiſti Angelo percutienti populum tuum, contine manum tuam, ob amorem illius ſtellæ glorioſæ, cuius vbera pretioſa contra venenum noſtrorum delictorum quàm dulciter ſuxiſti, præ-*
B *ſta auxilium gratiæ tuæ, vt ab omni peſte & improuiſa morte ſecurè liberemur, & à totius perditionis incurſu miſericorditer ſaluemur. Per te Ieſu Chriſte Rex gloriæ qui viuis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.* Exiſtimarunt ſorores huiuſmodi mendicum fuiſſe beatum Bartholomæum Apoſtolum. Quicquid tamen ſit, indubia res eſt, cœnobium ab eo temporis ab omni peſtifera lue, Conymbricenſi etiam ciuitate infecta, liberā fuiſſe.

De Monaſterio ſanctiſsimæ matris Dei Portus. *Mon. IX.*

CÆTERIS noſtri Ordinis benefactoribus annumerādi veniunt illuſtres per deuotiq; Petrus ab Acunia eiusq; legitima vxor Beatrix à Villena, qui pro ſua tantùm in Franciſcanam familiam deuotione, atq; affectu, hoc monaſterium, in ſanctiſſimæ matris Dei honorem, ex ſummi Pontif. Pauli III. auctoritate ſibi Romæ, an-
C no à Virgineo partu 1535. facta, intra Portuenſis ciuitatis ambitum, proprijs ſumptibus, conſtrui curarunt: in quo plerumq; ſexaginta Clariſſæ ſorores Vrbaniſtæ, eoq; amplius commorantur, religioſiſſimeq; partes maxillæ S. Eliſabethæ Vngariæ Regis filiæ, atq; veli S. Claræ cuſtodiunt. Ex ergaſtulo carnis ſoluta ad aſtra hoc in loco migrauit ſoror Eliſabetha ab Annunciatione, quę ob eximiam ſanctitatē vigintiocto continuis annis Abbatiſſæ munus obiuit. Cuius oratio tam frequens, tamq; aſſidua fuit, vt eius genibus callum ad inſtar beati Iacobi Apoſtoli obduxerit. Cumq; in morbum, qui ſibi familiariſſimus erat, incidiſſet, hæc Pſalmiſtæ verba continuò repetebat *Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Et morti propinqua ſubiecit illud pſal. 3. *Ego dormiui, & ſomnum cœpi, & exurrexi, quia Dominus ſuſcepit me.* Quod vt omnipotens Deus confirmaret, palamq; faceret, voluit, vt cùm eius corpus
D aliquandiu terræ ſubiacuiſſet, caſuq; effoſſa terra detegeretur, tanta inde exhalaret fragrantia, vt omnem conuentum ſimul & ſorores repleret. Plures præcedenti conſimiles ſanctiſſimas religioſas peperit hic locus, quas, ne longior ſim, lubens omitto.

De Monaſterio S. Claræ ibidem. *Mon. X.*

CONVENTVS hic, beatæ Claræ ſacer, ac intra muros ciuitatis Portuenſis ſitus, ſi primæuam eius fundationem ſpectes, antiquus ſatis eſt, cùm anno à Chriſto Saluatore nato 1258. (prout ſcripturæ in eius archiuis aſſeruatæ facilè indicant) opera atq; ſumptibus illuſtris viri Roderici Floſij, eiusq; legitimæ coniugis Chamuæ Gomezulæ, non quidem eo in loco, vbi modò ſubſiſtit, ſed extra mœnia inter duos (vt vocant) riuulos initium ſumpſerit. Si verò eius tranſlationem attendas, modernior
E vtcumque eſt: Nam Ioannes huius nominis primus Portugaliæ Rex, vigente inter ipſum atque Caſtellę Regem bello, tum conuentui, tum quoque eius ſororibus deuotiſſimis ſummopere timens, ipſum ex apoſtolica Innocentij VII. Pont. max. auctoritate, anno Dominicæ redemptionis 1454. ad eum locum, quem modo obtinet, transferri curauit. Prętere pijſſimus idem Rex, pro ſua in Deum pietate, atque in religioſos beneuolentia, ſimul cum filijs atque Portuenſi Epiſcopo primos fundamenti lapides iacere voluit: atque quod reliquum fuit ædificij ſuis ſumptibus (vt credere licet) perfici fecit. Commorantur frequentius hoc in monaſterio octoginta Clariſſę ſorores Vrbaniſtæ, diligenterq; ac maxima deuotione ſanctæ Eliſabethæ Vngarorum Regis cariſſimæ filiæ dentem, atque veli beatæ Claræ particulam cuſtodiunt.

De mona-

De monaſterio S. Franciſci Pontislimæ. *Mon.* *XI.* A

INVESTIGANTI mihi huius loci erectionem, deficientibus interim ſcripturis, quibus ea de re edoceri poſſem, affuit receptiſſima traditio, quæ intrepidè aſſerit ipſum primitus à parentibus noſtri Ordinis ex diuerſis eleemoſynis conſtructum, & ab iiſdem, quòd comodè habitationi minus deſeruiret, derelictum, inſuper & à duabus vterinis ſororibus ex oppido Villæ comitis oriundis, poſt aliquot annos, nempe anno Dominicæ incarnationis 1508. ex facta ſibi facultate occupatum, atq; ab omnimoda ruina vindicatum, nec non & in monaſterij formam redactum fuiſſe. Harum deniq; feliciſſimis auſpicijs, hæc ſacra domus, in honorem beati patris Franciſci prope oppidum Pontislimæ Braccarenſis diœceſis conſtructa, adeò excreuit, vt ſexaginta quinque Vrbaniſtas ſorores Clariſſas eius accolas commodè capiat atq; alat. B

De monaſterio ſanctæ Claræ Caminij. *Mon.* *XII.*

CVM pauperculæ quinque ſorores Clariſſæ Vrbaniſtę in oppido Aguſtrelio morarentur, pauperrimamque vitam ducerent, à reueren. padre Franciſcanorum Conuentualium Miniſtro, cui ſuberant, obtinuêre, vt ſe aliò transferre poſſent. Cumque luſtratis plurimis Clariſſarum monaſterijs nuſquam reciperentur, ad oppidum Caminium (vulgò Caminha) Braccarenſis Archiepiſcopatus ſe contulerunt. Subſiſtebat fortè tunc temporis ibidem ædicula quædam in honorem Dominæ noſtræ de miſericordia, quam ex diœceſani Epiſcopi mandato, atque ex oppidanorum beneplacito occupantes, miniſtrantibus interim ſibi pro maiori parte, magna pietate & beneuolentia Caminianis quæ neceſſaria erant, in commodum monaſterium, anno à partu Virgineo 1561. ſub titulo ſanctę Claræ promouerunt. Præfatis ſororibus inter reliquos benefactores ſumma liberalitate affuit illuſtriſſimus Andreas Epiſcopus, qui illis & eleemoſynas & ſitum ſufficientem, ad huiuſmodi opus neceſſarium, non minus piè quàm religioſè obtulit contulitque. Perſeuerarunt nihilominus præmemoratæ religioſæ, quæ impręſentiarum ſunt quadraginta numero, vel circiter, ſub ferula atq; correctione patrum Franciſcanorum Conuentualium vſque ad annum Domini 1569. quo ex apoſtolico mandato Pij V. Pontificis maximi clauum Eccleſiæ tunc fæliciter tenentis fratrũ noſtrorũ curæ commiſſæ fuêre, ſub qua in hodiernũ vſq; diẽ perſeuerantes, magnos progreſſus in religione, pietate ac deniq; omni virtutum genere fecerunt. C

De monaſterio ſanctæ Claræ Amarantij. *Mon.* *XIII.* D

NEC ſcripto, nec certa traditione, licèt diligentiſſima indagine adhibita, inueſtigari potuit quis huius conuentus, intra oppidi Amarantij Braccarenſis Archiepiſcopatus mœnia erecti, author ſiue fundator extiterit: ſiue quo certo tempore primæua eius fundamenta iacta ſint. Hoc nihilominus indubium eſt, eum videlicet antiquiſſimum eſſe, ac religioſiſſimis, ſuique ſtatus zelantiſſimis Vrbaniſtis ſororibus Clariſſis, quarum ſexaginta impræſentiarum ibidem commorantur, perpetuò claruiſſe: prout rei euentus, anno à ſalutifera mundi redemptione 1575. vel circiter facilè comprobauit. Laborante ſiquidem oppido Amarantio, ac tota circumquaque regione maxima fame, plurimiſque ea propter infeliciſſimè proprijs laribus cedentibus, cùm vix triticum ad anni medietatem eis eſſet, poſt tranſactum pro ſolito more annum, ad quinquaginta frumenti modios ſororibus ſuperfuiſſe manifeſtiſſimum eſt. E Inter illuſtriores ſanctimoniales, quæ ex hoc monaſterio ad aſtra, vt ibi cum ſanctis virginibus obiecto beatifico fruerentur, conuolarunt, vna fuit ſoror quædam vigeſimum vix annum attingens, iuuencula quidem ætate, ſed moribus maturiſſima: ad cuius obitum, qui anno Dominicæ natiuitatis 1550. contigit, & angelicus concentus ſuauiſſimus à ſororibus auditus fuit, & ſuauiſſima fragrantia ex eius corpore exhalauit, quæ omnium circumaſtantium animos magna voluptate afficiebat. Dum nihil minus cogitarem epitaphium quoddam ſacræ ædis parieti impreſſum ſeſe mihi obtulit, cuius verba ſunt hæc quę ſequuntur: *Domina Mafalda me fecit.* Sed quæ iſta fuerit aliorum eſto iudicium, cùm id (licèt omni adhibita cura) inuenire minimè potuerim.

De mona-

A *De monaſterio S. Claræ Villæcomitis.* *Mon. XIIII.*

CVM inclyti, omniq; pietate præditi Alphonſus Sanctius Dioniſij Portugaliæ Regis naturalis filius, eiusq; legitima coniux Tiraſia ſiue Tereſa Miz Sanctij Caſtellę Regis ex filio neptis oppidi Villęcomitis Braccarẽſis Archiepiſcopatus, atq; circum adiacentis regionis temporales Domini munitionem quandam, ſiue caſtrum ad eorum ditionis defenſionem contra imminentia bella conſtruere pararent, diuinitus in ſomnijs admoniti ſunt, vt domũ potius, ex qua facilius in cœlum aſcẽderetur, ædificare ſtuderent: Qui dicto audientes hoc ſacrum monaſterium, in beatæ virginis Claræ honorem, intra præfati oppidi Villæcomitis muros, anno 1318. ex communibus facultatibus ad Vrbaniſtarum ſororum Clariſſarum vſum, quarum 65. vt pluri-
B mum ibidem perſeuerãt, maximaq; veneratione proſequuntur duas ſpinas eius coronæ, quæ Chriſti Saluatoris capiti ſuperpoſita fuit, & particulam ligni S. crucis, nec non & partem habitus beati patris Frãciſci, in eius ſacrario aſſeruatas, erigi curarũt. Viguit hoc in loco à ſuis incunabulis regularis diſciplina, vitę cãdor, atq; ſumma pœnitentia: quare plurimæ religioſæ omni virtutum genere illuſtres ex eo prodiêre, vt infra ſubijciemus, ſi tamen primò vnum vel alterum notabilem caſum ibidem euentum in medium adduxerimus. Fuit ſemel ſoror quædam nomine Berengaria, quæ humilitatis ergò culinæ obſequijs ſua ſponte ſeſe omnino dederat. Cumq; ſemel de eligenda Abbatiſſa inter ſorores ageretur, illarumq; plures ad id munus aſſumi contẽderent, cœpit vnaquæq; ſigillatim altera inconſulta præfatæ Berengariæ ſorori, quæ nihil minus cogitabat, votum in mente offerre. (Exiſtimabat vnaquæq; ſe ſolam id facturam,
C nam propter nimiam eius humilitatem, inepta omnino ad id munus obeundũ ab omnibus habebatur) ne dum alteri votum porrigit illa in Abbatiſſam fortè eligatur. Et ecce dum ad calculum vota reducuntur, omnia in præfatam Berengariam conueniunt conſentiuntq;. Quæ deniq; ſic electa, ac tandem à Prælato confirmata, moniales ſic diuina voluntate deluſæ, ei obedire detrectabant. Quamobrem ipſi primum Capitulum de religioſo more celebranti pauciſſimè affuêre. Illa verò cum maximo ſpiritus feruore ait. Quandoquidem meę ſorores mihi obtemperare renuunt, meq; legitimam earum Prælatam aſpernantur, ſurgite vos, quæ hoc in loco dormitis, mihiq; paretote. Ecce ex tempore 7. moniales, quæ ibidẽ ſepultæ erant, ex ſuis locellis egredientes præſtò ſibi fuêre, nec prius receſſerunt, quàm illis ab ea imperatum fuit. Quo facto exterritæ reliquæ, quæ ſibi tergiuerſabantur, multò dociliores redditæ ſunt. Dum enim
D tum in oppido, tum quoq; hoc in conuentu maxima graſſaretur peſtis affuit præforibus peregrinus quidam, qui portarijs beati Rochi imaginem ex inſperato offerẽs, hęc verba ſubiecit: Hanc ſeruatæ, debitaq; veneratione proſequi curatote, & ab omni lue immunes eritis: hisq; dictis euanuit. A quo etiam tempore peſtis ibidem ceſſauit. Extat quoq; hoc in eodem loco deuota quædam beati Blaſij imago, quæ religioſas è mortis faucibus eruit: alteram quidem ob læthalem cancrum, quem ſub lingua nutrierat, alteram verò ob virulentum apoſtema, quod in gutture patiebatur. Inter eas religioſas, quæ hoc in conuentu cum maxima ſanctitatis fama in Domino obdormierunt, hæ principatum obtinent, venerabilis ſcilicet ſoror Catharina Vaaz dilecta, ſoror Eliſabetha à ſancto Franciſco, ſoror Guiomar à ſancto Antonio, ſoror Eliſabetha à ſancto Ludouico, & ſoror Maria de Sepulcro, quarum vita atq; mores mirabiles om-
E nino fuêre, præcipuè verò ſororis Eliſabethæ à ſancto Franciſco, in cuius rei teſtimonium Deus optimus max. plura beneficia, eaq; mirabilia fidelibus eam inuocantibus, eiusq; fauorẽ implorantibus ob eius merita, præſtare dignatus eſt, & adhuc præſtat.

De monaſterio S. Claræ Funihalij. *Mon. XV.*

TEMPORIS anguſtia in cauſa fuit, ne huius celebris conuentus, beatæ virgini Claræ dicati, atq; intra muros ciuitatis Funhial vulgò dictæ, in inſula Lignorum erecti, quem frequentius 65. Vrbaniſtæ ſorores Clariſſę inhabitant, longiorem, atq; debitam rationem redderem: Nam à ſui fundatione is in eo viguit diuinus cultus, ea regularis diſciplina, eaq; ſanctitas, atq; morum compoſitio, vt longiorem à præſenti rela-

ti relationē meritò requirat: Ab eo ſiquidem prodiêre zelantiſſimę ſorores, quæ alijs A
monaſterijs leges, ſalutiſq; monita darent, vt ex antedictis conſtat. Fuit itaq; hoc monaſterium fundatũ, dotatumq; ab illuſtri ſtrenuoq; pręfatę inſulæ Lignorũ quodam Capitaneo ex nobili Gonzaluorum familia, quæ adhuc ſupereſt floretq;, oriũdo.

De monaſterio S. Annæ Olyſipponis. *Mon. XVI.*

PIENTISSIMA ſimul atq; sereniſſima Catharina Ioannis III. Portugalię Regis legitima vxor cùm miſerrimis mulierculis, quæ corpus ſimul cum fama proſtituunt, ex intimis præcordijs compateretur, per quandã Æthiopiſſam, ſed maximè deuotã, quę ſibi familiaris omnino erat, earũ 20. in vnũ collegit, quas per cõtinuos 20. annos in quadã honeſta domo aluit, induit, confouit, atq; omnibus neceſſarijs proſequuta eſt: nihil interim eorum prætermittens, quæ ad ipſarũ ſpiritualē ſalutē condu- B
cere viderentur. Cumq; iſtis aliquot aliæ ad hæſiſſent, ne fortè, ſe è viuis ſublata, eas vomitũ repetere contingeret, hoc ſacrũ monaſteriũ, in honorē S. Annę intra ciuitatis Olyſipponēſis muros, anno à Chriſto nato 1564. ſuis ſumptibus ædificari, inſtrui, atq; dotari, pręfatiſq; mulieribus, dummodo tertiũ B. P. N. Franciſci Ordinē pofiterētur, tradi curauit. Fuêre igitur 24. quę huiuſmodi viuendi modum ſumpſerunt, quarum laus, bonuſq; odor, atq; numerus adeò excreuit, vt impræſentiarum hic locus præcipuis eiuſdem ciuitatis annumerandus veniat, ac 64. ſorores Tertiarias contineat.

De monaſt. Dominæ noſtræ de poteſtatibus Villælongæ. *Mon. XVII.*

QVVM deuota quędam Beatrix à S. Franciſco, adhuc matrimonij vinculis irretita, maximo ingrediēdę Religionis deſiderio teneretur, ex voto ſe Altiſſimo ad C
vnius conuentus ędificationem aſtrinxit, ſi viro prius defuncto ſe ſuperſtitem manere contingeret. Voti itaq; compos effecta, dum ſolicita defuncti viri vltimam voluntatem exequitur, atq; conſtruendum à ſe cœnobium anxia mente reuoluit, Clariſſarum monialium proceſſionem in ſomnis videt, illarumq; alteram ſibi ſic alloquentem audit: Hic tuus habitus, tuuſq; amictus futurus eſt. Quamobrem ſummo mane ſurgēs cinericium habitum, ad inſtar eius, quem in ſomnis viderat, quantocitius conficiendũ ac à R. P. fratre Marco Olyſipponenſi Frãciſcano ac Portuenſi meritiſſimo Epiſcopo benedicendum curauit. Quo deniq; induta, cùm viri teſtamento prius feciſſet ſatis, paternã domum cum vna eiuſdem mētis ſocia repetijt, illicq; aliquandiu ſanctiſſimè vixit. At pius eius pater Hector videlicet Mendius rē gratiſſimam tũ Deo opt. max. tum filiæ ſe facturũ ſperans, ſitum ad vnius conuentus ædificationem, intra ſepta op- D
pidi Villęlongę Olyſipponenſis Archiepiſcopatus, conuenientē liberaliſſimè piētiſſimeq; contulit. Quē cùm illa acceptaſſet, inibi poſt debitas gratiarũ actiones, de laudabili more patri redditas conuentũ, ſub titulo Dominę noſtrę de poteſtatibus, anno à partu Virgineo 1516. ex propria ſubſtantia ſuperędificauit, ſereniſſimoq; Henrico Olyſipponenſi Archiepiſcopo, atq; S. R. E. Cardinali, qui & Portugalię Rex fuit, quàmhumillimè ſubiecit. Cùm verò anno 1566. tum ipſa tum quoq; alię 7. quę ſibi adhęſerant nigrum velum ſumpſiſſent, ex pręfati Cardinalis mandato omnem obedientiam, omnemq; ſubmiſſionē huius Prouincię Miniſtro pollicitę ſunt. Deniq; anno Domini 1584. cùm earum numerus mirum in modum excreuiſſet, & ea loca fortè fortuna ex officio luſtrarem, 26. ſororum, quę ibi tunc inhabitabant, ſolemne votũ, atq; eandem profeſſionem, quam Tertiarię (vt vocant) noſtrę ſorores laudabiliter ac E
pientiſſimè emittere aſſolent in propria perſona, legitimis de cauſis adductus, excepi.

De monaſterio S. Spiritus Turribuſnouis. *Mon. XVIII.*

QVÆDAM Dominicana religioſa, impetrata (vti credere licet) à ſuis ſuperioribus facultate antiquiorem ædiculam, Spiritui ſancto dicatam, atq; aliquantulum à muris oppidi Turriumnouarũ ſitam, anno redemptionis humanæ 1536. cum alijs honeſtis fœminis, ſed merè ſæcularibus ingreſſa eſt, ibidemq; conſtructo dormitoriolo, antiquũ habitum abiecit, nouumq;, quo Tertiariæ ſorores Franciſcanæ vtuntur, vna cum illis induit, ſeq; cum eis P. F. Didaci ab Andrada Tertiariorum tunc fra-

A trum diui P. N. Franciſci prouincialis Miniſtri curæ, atq; correctioni ſubiecit. Succeſſu verò tẽporis tum ipſa, ſibiq; ſociæ, tum quoq; aliquot aliæ, quæ ſibi denouo acceſſerant, in curã atq; ſolicitudinem huius Prouinciæ Miniſtri, ex mandato P. F. Chriſtophori Abrantes Commiſſarij Portugaliæ generalis, trãſiêre. Hoc in loco, quem vt plurimùm 27. ſorores Tertiariæ inhabitant, viam vniuerſæ carnis ingreſſa eſt religioſiſſima ſoror Helena à Latere, in qua patientiæ virtus in perferendis tribulationibus, infirmitatibus, alijsq; anguſtijs, maximè verò in vltima aduerſa eius valetudine, in qua poſt multiplicem repetitionem illius ſententiæ, *Omnis, qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit:* animam cœlo reddidit, corpus interim ſumma claritudine reſperſum deferens, & conſoribus Clariſſis ſui magnum deſideriũ relinquẽs, mirum in modũ enituit.

B *De monaſterio S. Claræ Fregeiroo.* *Mon. XIX.*

CVM Tertiariç aliquot ſorores conuentũ quendã minus commodũ, minusq; ſibi fauentẽ inhabitarent, inter ſeſe conuenerunt, vt collatis in medium tum communibus, tum quoq; peculiaribus propria induſtria acquiſitis facultatibus, aliũ ſibi aptiorẽ, imò & ſalubriorem erigerent. Omnibus itaq; primò ritè diſpoſitis, vnaquæq; illarum, ad argumentoſarum apum inſtar, iniuncto ſibi muneri pro viribus ſatisfaciẽs hoc ſacrum monaſteriũ, B. virgini Clarę dicatum, in pago Fregeiroô vulgò dicto, Conymbricenſis diœceſis, anno Domini 1540. pro ſua parte ædificauit promouitq;. Affuêre & illis piorum fidelium eleemoſynæ, quibus tandem opus ad apicem perductum eſt.

De monaſterio Conceptonis B. Mariæ Cernamcellæ. *Mon. XX.*

C CVM pientiſſimi inquilini eius oppidi, cui Cernamcella Luſitanicè nomen eſt, metropolis Braccarenſis eremitorium quoddam in margine fluuij Tauoræ, non procul ab oppido obtinerent, cuperentq; illud in monaſterium euectum, id cuidam P. F. Petro à Merxocira de tertio B. P. N. Franciſci Ordine tradiderunt. Quo quidem ipſum in ordinem redegit, atq; fratribus eiuſdem Ordinis, anno 1460. inſtruxit. Sed cùm morte præuentus opus imperfectum reliquiſſet, quædã eius conſanguinea diues, atq; præpotens, pulſis religioſis, ac ſi iure hęreditario is locus ad ſe ſpectaret, ipſum occupauit quouſq; videlicet interpellatus Portugaliæ Rex Ioannes II. à quodã fratre Tertiario laico profeſſo, fratre nempè Ioanne eã, anno Dñi 1495. loco cedere coëgit, atq; locũ fratribus reſtituit. Quo & pacificè, ſed minus commodè, ad
D tẽpus vſi ſunt: Nã deficientibus eleemoſynis illi ſua ſponte vale dixerunt. Hũc deniq; ſic deſertum nobilis quædã fœmina Maria, anno Dñi 1500. ſuis ſumptibus à ruinis vindicauit, atq; priſtino nitori reſtituit, nec non & ſororibus Tertiarijs, ſub patrum Tertiariorum ferula degentium, inſtruxit. A quibus tandem ad huius Prouinciæ obedientiam, anno Domini 1569. deuolutæ ſunt: in quo 40. ſorores commorantur.

De monaſterio Tertiariarum Trancoſi. *Mon. XXI.*

SPECTAVERAT olim hic locus ad Guardianenſem Cuſtodiam, cumq; legitimis quibuſdam de cauſis à patribus Prouincię Portugaliæ in eorum Capitulo Olyſipponis, anno 1583. per me celebrato repulſam paſſus eſſet, nec inter cætera eius Cuſtodiæ loca, quæ Prouinciæ acceſſerant, admiſſus fuiſſet. Ne tamen ſic derelictus
E aliquam ſui ſtatus iacturã incurreret, ab ijſdem patribus anno ſequẽti, nẽpè 1584. ex noſtra auctoritate receptus, atq; cæteris Prouincię monaſterijs adiunctus eſt. Cuius fundatio à 100. annis, & vltrà contigit. Commorãtur hoc in monaſterio 30. ſorores.

De monaſterio Tertiariarum Campis. *Mon. XXII.*

NON abſimilem conditionem à præcedenti ſubijt hic locus apud Campenſe oppidum erectus. Cùm ambo ſimul à Prouinciæ Portugaliæ patribus prius reiecti, eodem tempore, eodemq; decreto (vt præfati ſumus) admiſſi fuerint. Quapropter nõ eſt, quòd diutius in eius deſcriptione immoremur, ſed vt paucis dicamus ipſum ex diuerſis eleemoſynis conſtructum fuiſſe, præcedentiq; contemporaneum omnino eſſe, atq; à totidem Tertiarijs ſororibus hisq; religioſiſſimis impræſentiarum inhabitari.



PROVIN-

PROVINCIA
SANCTI LVDOVICI.

A IN Gallia Narbonenſi ſita eſt Prouincia ſancti Ludouici, quam pleriq; conſtituunt in quadrageſimo gradu parum plus aut minus, ſic à Romanis dicta, quæ cum potiſſimè duas complectatur partes, perinde duplex nomen ſortita eſt. Ea enim pars quæ Narbonæ adiacet, Gallia Gothica appellatur, ſicut illa pars quæ Arelati Burgundia. Inde corrupto vocabulo Gothiano Linguamocitanam vocitant. Verum Gallia Burgundia optimo iure dicta eſt Prouincia, quia à Romanis armis acquiſita, proinde hæc ſancti Ludouici Prouincia crebrò dicitur Prouincia Prouinciæ, ſaltim ante tempora Clementis VII. & Franciſci I. Regis Franciç, qui in honorem ſancti Ludouici nomen impoſuerunt: vt à cætero Prouincia Prouinciæ ſancti Ludouici Prouincia diceretur. Cuius longitu-
B do ab Oriente in Occidentem à fluuio Varo vſq; ad promontorium Veneris per ſpatium 300. milliarium protenditur, à montibus Alpibus vſq; ad Pyrenços. Latitudo verò in Gallica Gothica à mare Mediterraneo vſq; ad Aluernos montes per 30. milliaria. In Gallia verò Burgundia à Tirunico ſiue Tholono vſq; ad Alpes Lugdunenſes. Calidior omnibus Galliç Prouincijs, ſummeq; temperata, iucundiſſimo ſimul atq; ſaluberrimo cœlo gaudens. Vnde non mirum ſi omnibus rebus victui humano neceſſarijs, nedum ſibi, ſed & Hiſpanis, Italis, Vaſconibus, Delphinatibus (quibus eſt vicina) adeò abundet. Nec ibi deſunt amœniſſimi Rhodani, Vari, Druentiæ, Kere Aude, Gardummi & Vidurli, lympidiſſimorum ac fœcundiſſimorum fluuiorum influxus. Mare præterea Mediterraneum eam cùm recentibus, tum ſalſis piſcibus
C nutrit, veluti montes armento & gregibus, planities frumento, colles vino, oleo, omniumq; ſpecierum dulciſſimis fructibus. Ea in ſumma & generaliter hæc Prouincia producit, quæ aliæ Prouinciç particulatim gignunt. Verùm parui ponderis ſunt hæc ad corpus tantùm attinentia, ſi (pro ſuſcepto opere) ad ea quæ religionis ac pietatis ſunt, oculos lubuerit aperire. Quippe hæc Narbonenſis Gallia nullam Prouinciam in toto Regno Galliç in ſuſcipiendo fidem Ieſu Chriſti ſe admittit antiquiorem: nam mox poſt aſcenſum Chriſtum in cœlos, prædicantibus Maria Magdalena, Martha, Lazaro, Maximo & Celidonio in Gallia Narbonenſi diuinitus deſignatis, mox iugo Chriſti ſeſe ſubmiſit, idolorum interim cultu eliminato. Perinde non mirum ſi
D tot ſanctorum pignoribus, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum ſedibus colluſtretur, quas omnes recenſere non eſt noſtri inſtituti. Et vt dictum eſt, hçc Gallia Narbonenſis mox poſt aſcenſionem miniſterio prædictorum ſanctorum fuit colluſtrata. Sic frigeſcente mundo, laceſſitaq; Eccleſia Chriſti, Albigenſium potiſſimum erroribus, orbe inſuper toto in varia ſcelera collapſo, placuit altiſſimæ bonitati homines à vanis mundi illecebris euocare, eorumq; mores in melius componere. Ob id deſignauit famulum ſuum beatum Franciſcum, qui verbo, vita & exemplo corda hominum inflammaret, & ad pœnitentiam incitaret. Cuius exemplis, ſanctaq; doctrina mox à ſui Ordinis exordio dictam Galliam Narbonenſem voluit eſſe illuſtrem. Idq; non in
E vna ciuitate, aut loco tantùm, verùm vbiq;, longè lateq; domos, eccleſias, conuentusq; tanti patris filijs, veluti nidos ædificans, in quibus vt gemebundæ columbæ oua ſanctiſſimorum deſideriorum fouerent, aliquando rumpenda in profuſionem digniſſimorum fructuum pœnitentiç, nedum in ſalutem ſui, ſed & totius populi. Proinde non mirum ſi cohoneſtetur hæc ſancti Ludouici Prouincia Cuſtodiarium ſeptenario numero, & conuentuum olim 52. quodq; neminem ſui genitricem admittat, cùm immediatè à beatiſſimo patre Franciſco & initium ſimul & conſtitutionem ſe accepiſſe compertum habeat, & exploratum: potiſſimè ex ijs quç deſumi poſſunt &

temporum & annorum ſupputatione & calculo. Quippè conſtat ſole clarius beatum A
Franciſcum & Antonium ſuperſtites ſimul fuiſſe per aliquot annos, & ex beato patre Bonauentura liquet, beato Antonio prædicante de titulo crucis fratribus in Capitulo Arelateñ. patrem Franciſcum in remotis agentem præ foribus Capituli viſum fuiſſe fratres benedicentem. Vnde apparet antiquitas huius Prouinciæ, imò multò magis ſi ſociorum ſuorum, quæ paſſim in deſcriptione conuentuum occurrent, colluſtrare lubuerit. Nec permittendum quod inſignis ille Theologus, huiusq; Ordinis decus diuus videlicet Bonauentura, dum officio Generalatus fungeretur, in antiquiſſima ciuitate Narbonenſi generalia Comitia celebrauerit totius Ordinis: in quibus nedum æquiſſima ſtatuta Ordini adeò neceſſaria, apologiamq; cõtra morſus ſycophãtę Petri de Bruis Ordinum Mendicantium ſummi oſoris edidit; verum etiam multa alia pręclarè geſſit, anno Domini 1260. Inſuper nec alienum puto ſi ad ſtruendam huius Pro- B
uinciæ antiquitatem Capitulum generale celebratum in conuentu Montiſpeſſullani, anno Domini 1387. in medium proferam, in quo 12. Generalis Ordinis fuit electus reuerendiſſimus pater frater Matthęus de Aquaſparta. Anno verò 1289. reuerendiſſimus pater frater Raymundus Gaufredi aſſumptus fuit ex hac Prouincia in Capitulo Reatino tempore Nicolai IIII. ſummi Poutificis in generalem Miniſtrum; & fuit 13. ordine. Patet ergo ex dictis huius Prouincię antiquitas. Nunc verò paucis perſtringemus, quibus potiſſimè viris fuerit illuſtris. Primò igitur ſe offert diuus Ludouicus tamquam titularis patronus, quondam Archiepiſcopus Toloſanus ex regali proſapia natus: videlicet filius Caroli II. filij Caroli I. Regis Siciliæ & Hieruſalem, & Mariæ filiæ Regis Vngariæ, huic filio, quamuis iure primogenituræ paterna & materna Regna deberentur, tamen propter Chriſtũ omnia paruipendẽs, capto C
patre, dum obſes eſſet Barcinonis, ita feruenter ſe ſtudio literarum dedicauit, vt intra ſeptẽnium in ſacra Theologia ſic profecit, vt ſcientia eius infuſa ſib magis diuinitus, quàm humanitus acquiſita putaretur. Votum etiam emiſit de intrando diui Franciſci Religionẽ. Cui cũ fratres minimè vellent annuere, (paterno timore perculſi) perinde nec mutat regius filius animũ, quinimo pace firmata inter patrem & Regem Aragoniæ, dum tranſiret Montempeſſulanũ, ad propria rediens ad conuentũ fratrum Minorum ſe cõfert, cupidus iam emiſſi voti executionis, quam aſſequi minimè potuit, tanti filij fratribus verentibus patrem. Verùm ibidem emiſſum Barcinonis votum firmum, ac ratum noua ſponſione publica eſſe voluit. Quod adimpleuit in præſentia Bonifacij Papæ VIII. & patris ſui Romę, aſſentiens primò prouiſioni eccleſię Toloſanæ de ſe factæ. Huius virtutes, quas à cunabulis venuſtati corporis adiunctas eſſe cu- D
rauit, impoſſibile eſſet recenſere, quapropter eas ſilentio præterire decreui. Eius tamen iconem huic Prouinciæ præponendum volui, quòd in celebri Maſſilienſi Minorum conuentu ſepultus ſit, quodq; eius totius peculiaris patronus, tutelariſq; habeatur. Floruit prætcrea hac in eadem Prouincia pater ille Rogerius vitæ ſanctitate, & angelica conuerſatione conſpicuus, verùm eius ſepulcrum quemq; latet. Inter omnes virtutes quibus erat præditus, amor humilitatis album tenuit, ſummus deinde oſor vanæ gloriæ, tanta fide & amore ad Deum tendebat, vt mox ſubortam quamcumq; tentationem ad petram allideret. Nec mirum, nam ſuper omnia ſatagebat munditiam cordis habere, frequenter ſacerdotis pedibus in die prouoluebatur, omne verbum otioſum diligenter fugiebat, pollebat inſuper cognitione diuinarum rerum. Fertur dum ſemel in officio matutino pſalleret, vbi deuentum fuit E
ad illum verſum; *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium.* per ſplendorem maximum ad inſtar Lunæ ſuper caput eius deſcendiſſe. Cumq; à ſuo confeſſore rogaretur, ſpirituali quodam gaudio ebrius reſpondit fuiſſe Angelum Domini; longè ante mortem de die obitus ſui habuit reuelationem, & poſtquam obdormiuit in Domino multa mirabilia ad eius inuocationem operatus eſt Deus ter opt. max. Claruit etiam hac in ipſa Prouincia beatus Elzearius tertij Ordinis inſignis vir, nobilitatiſq; limpidæ non obſcurus apud ſpectabiles Comites Danſuis, qui quanto amore in Deũ flagraret, ſatis demonſtrat à cunabulis eius conuerſatio. Cũ em̃ eſſet annorũ 13. aſſueuit frenũ carnis petulantię imponere, rudi corda renes conſtringẽs, cumq; cilicio

dormiens,

A dormiens, quod, exemplo B. Ceciliæ, ſub pretioſis veſtibus carni hærens deferebat. Nec, cùm ſomni neceſſitas vrgeret, præter nudam humũ pro molli cubili aliud habebat. Solertiſſimus deinde cuſtos pudicitiæ perpetuum cum vxore ſancta Delphina duxit cœlibatum, iura interim coniugij minimè ſpernens: & quia ſanctorum virtus dignoſcitur eſſe præcipua humilitas, proinde nec generis claritas, nec bonorum affluentia, nec gloriæ magnitudo, nec ſublimitas potentatus vnquam virum Dei Elzearium in excelſum extulerunt, imò in omnibus mitem, placidum, & humilem ſe ipſum præbebat cum ſui non vulgari abiectione. Inducit papyro maius huius Prouinciæ ſigillum glorioſæ virginis Mariæ imaginem, cuius capiti Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie ſuperſtat, pedibus verò ſeraphicus pater Franciſcus genuflexus iunctisq; manibus orat, ſub concamerata fornice ſedentem, atque coronam de dilectiſſimi filij, omnipo-
B tentisq; patris manibus ſuſcipientem, ac ſequentes in orbem literas: SIGILLVM MINISTRI FRATRVM MINORVM PROVINCIÆ SANCTI LVDOVICI. His igitur ſacris pignoribus, illuſtriſſimisq; viris colluſtratur hæc Prouincia inter alios multos, quorum nomina ſunt ſcripta in libro vitæ, ſuisq; locis in diſtributione conuentuum huius quondã feliciſſimæ Prouinciæ amplius patebunt.

De Minoritico conuentu Montispeſſulani. *Conu. I.*

HÆC ciuitas varijs nominibus nuncupatur: aliquando Monſpeſſulus, interdũ Monſpuellarum, frequenter Agathopolis, quaſi ciuitas bonorum: Verùm frequentius Monſpeſſulanus vocatur. Sita eſt in Gallia Gothica, ſiue Linguaocitana, extructa tempore Scipionis Africani à Carthaginenſibus eò aduentantibus, ante na-
C tum Chriſtum, anno 179. Tamen perfecta & coſummata fuit tempore Claudij Imperatoris, qui ibidem diem clauſit extremum. Conſtructa inquam in monticulo cui adiacet Lerdum fluuius, agroq; cultiſſima, mœnibus & ædificijs glorioſa. Medicinæ cultrix, omniumq; plantarum generibus ditiſſima, à mari non multum diſtans, aëre gaudet ſaluberrimo. Præterea ante Caluinianam ac Lutheranam hęreſes 37. eccleſijs ornabatur, quarum caput ſancti Germani ſub titulo Magalonen. Epiſcopatus, cui paret. Hæc prædicatione Pauli Sergij, & Cleophæ conuerſa eſt ad Chriſtum. Poſtmodum ſub anno Dominicæ incarnationis 1327. enixa ſanctum Rochum. Catholicis tempore Albigenſium aſylo, tutoq; refugio fuit. Non parum præterea laceſſita à Carolo quinto Rege Francorum rebellionis ergô ab Vrbano Papa V. eius męnia dilatante, collegia erigente, ſacras ædes ditante, conuentus reficiente, quibus plu-
D rimum ſplendoris recepit, multis prærogatiuis cumulata auctaq; extitit. Verùm inter alia Minoriticus mirabilis ſtructuræ conuentus eam omnino celebrem reddebat, propter ingentem eius molem, atque venuſtatem. Nec mirum, nam expenſis inclyti quondam Iacobi Maioricarum Regis, ſub anno Dominicæ incarnationis 1230. erectus perfectusq; fuit, in quo ſtudia fauore Vrbani Papæ V. plurimùm floruerunt, & beatus Antonius de Padua aliquando pręlector extitit, & generalia totius ordinis Comitia celebrata fuêre, ſub anno Dominicæ incarnationis 1287. Inter cætera verò, quę ſacrarium obſeruantiſſimi huius conuentus venerabile reddebant omnino fuit vna ex ſpinis Dominicæ coronæ affabrè in auro puriſſimo depoſita. Sed iam tempus eſt vt cithara noſtra vertatur in luctum: nam facta eſt meretrix ciuitas quondam fidelis: potiſſimè ab anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo: & quę (vt diximus)
E fuit cultrix Medicinæ, ſuperbia, abundantia & otio eneruata, altrix facta eſt nephandiſſimi Lutherani, & Caluiniani toxici, læthalisq; veneni, ſimulq; extraneum cultum, Religionem, & ſacramenta cum extraneis Germanis, Anglis, Scotisq; artis Medices alumnis ſuſcepit. Mox enim vt Petrum Viretum hæreſiarcham è lacunis antroq; Gebennenſi ſuſcepit, tectum ouina pelle, adeò crudelis facta eſt, vt prima ſit, quæ ſanguinem Sanctorum crudeliter fuderit. Nam illicò vt præfatus Viretus ciuitatem eſt ingreſſus, hæretici penes quos erant arma ciuitatis (ſic enim faciebant illo tempore Rege ſub tutoribus agente, Magiſtratuq; diſſimulante) Eccleſiam Dominæ de Tabulis inuadunt, timuit catholica plebs (erat enim ſine Paſtore, nam Epiſcopus malè de Religione audiebat, vnde poſtea iuſtè dedit pœnas) & ad

arcem

arcem,ſiue eccleſiam ſancti Germani ſe recipit ſecum deferens pretioſiora ſuppellecti- A
lia. Et ne deeſſet in tot ærumnis paracletus & conſolator, obnixè rogat P. Antonium Brunellum meritiſſimum Guardianum, Eccleſiaſtenq; doctiſſimũ, oriundum ex Podio in Aluernia, ne deeſſet in perſecutionibus gregi, quem ampridẽ verbo ſacri Euangelij nutriuerat, parteſq; ageret Epiſcopi alioquin fugacis. Quorum precibus annuens, habito tamen aſſenſu P. F. Antonij Fabri, tunc prouincialis Miniſtri, & Montiſpeſſulani tunc agentis,& data benedictione fratribus remanentibus in conuẽtu,aſſumptoq; ſocio ad præfatam eccleſiam ſe contulit, non timore mortis,ſed ardore charitatis,cui etiam coniunxit & meritum obediẽtię. Excipitur omni cum gaudio, & cordis lętitia à catholico grege in præfata arce. Quod tamen non latuit hæreticos, vnde hoc vnum à cętero excogitarunt,quonam videlicet pacto,aut vi,aut inſidijs poſſent locum alioquin inexpugnabilem obtinere. Sciebant enim ſe pati nedum iacturã, B
verumetiam vehemẽs periculum illis imminere ex vita tanti concionatoris, cuius doctrina tanti habita fuiſſet Narbonæ, Arelati,& vbicunq; locorum conciones habuiſſet: Vnde meritò timebant,ne ſi diu viueret,in eos inſurgerent. Tranſactis igitur diebus aliquot (veluti leones,tauri pingues,& apes) technis & inſidijs arcem capere moliuntur,& inde ſaturari ſanguine catholico, ex quo aperto Marte aliud efficere non poterant,nihil interim aliud velle geſtientes, quàm fœdera ac mixtim poſſe viuere, ſub iureiurando promittentes nihil mali cuiquam catholicorum ſe irrogaturos. Quibus catholica ſimplicitas (iam rerum penuria, & fame plurimum laceſſita) fidem præbuit, & portas aperuit,neutiquam exiſtimãs vt homo homini fieret lupus.Ingreditur itaq; Satanica cohors præfatam eccleſiam, moxq; irruit in ouile Chriſti. Sed primò P. F. Brunellum hora nona vitulos labiorum ſuorum Domino offerentem, & in medio C
nauis eccleſiæ pſalterium, ſiue calculos in honorem virginis Mariæ inter manus habẽtem,obſcęnis pro more hæreticorum afficiunt calumnijs, ſcomatibuſq; animum eius excruciant:deinde nulla habita aut pietatis,doctrinæ,aut ætatis tanti viri ratione, potiſſimè verò exhortationis,quam illis fecit,vt à cœptis deſiſterent,& pœnitentiã agerent,framea corpus eius perforarunt, reliqua membra pugionibus confodientes, ſicq; intra templi ſepta veluti alter Zacharias, oculis in cœlum eleuatis, cruoreq; ſparſo (cuius veſtigia adhuc videntur hęrere parieti) ſpiritum reddidit Altiſſimo. Corpus verò inhumatum remanſit per tres dies,donec videlicet cruenta, & crudeliſſima perſecutio deſineret graſſari contra catholicos. In qua promiſcuè eccleſiaſticos viros cum plebeis iungentes non canitiei,non ſacroſancto ſacerdotio, aut virginum pudori parcentes, multos aut iugularũt,aut lapidibus obruerũt. Inter quos vnus repertus eſt bo- D
næ expectationis adoleſcens oriũdus ex Rellania in Prouincia diœceſis Aquenſis,frater nimirum Pontius Chayſſi, iam ordine diaconatus inſignitus,ſociuſq; fideliſſimus præfati patris Guardiani, veluti alter leuita Laurentius poſt triduum ſacerdotem ſequens.Cui etiam remanſerant maiora certamina,nam eductus extra eccleſiam grauiter enſe in capite percutitur,pectore trãſuerberato,& ſeminex,veluti exanguis, reptãdo & volutando ad cuiuſdam piſtoris domũ ſe recepit,ibiq; biduo delituit. Quod cùm relatum eſſet hæreſiarchæ, velut hypocrita ſimulat ſe factum ignorare, iubet interim ſaucium fratrem ad hoſpitale deferri,nõ ductus charitate,ſed vt ſaltim de iuuene alioquin ſaucio,& ærumnoſo,in fine Satanæ afferret prędam. Venit igitur ad decumbentẽ ſaucium tota Caterua Miniſtrorum ſynagogæ Satanicæ,vt eius animum multis promiſſionibus à vera catholicaq; Religione,& à gremio Eccleſiæ Romanæ euocent: nec E
deſunt Medici nihil periculi ex infirmitate,& ex tot plagis fore aſſerentes: vnde de ducenda vxore potius agendum eſſe,& indulgendum aliquando Veneri. Et ne cacodæmon aliquid ſineret intemptatum, quominus ex omni parte concuteret caſtrum Spiritui ſancto dicatum. Mulieres nedum pulcherrimas,ſed & hæreticas etiam introducit,quæ ſuis aſſuetis illecebris,lenocinijs & blanditijs pauperem iuuenem ſuperarent. Verùm tanta conſtantia erat præditus, tantiq; patris exemplo edoctus, quòd nec milites ferro,nec Miniſtri verbis, nec Medici promiſſis, nec tandem mulieres blanditijs eum vſquam amouere à fide,& vera Religione potuerint. Vltimò factus comes indiuiduus ſuo patri moriens in Domino, triduo in corpore grauiſſimos dolores, & in ani-

mo angu-

A mò anguſtias pro Chriſti nomine ſuſtinuit.Sicq; illorum vterq; populo ſummæ conſtantiæ exemplum reliquit.Quibus ſic crudeliter occiſis, fratres alij fugerunt per deuia latibula,& cryptas,requirentes in quibus poſſent adeò immanem perſequutionẽ vitare. Bona interim & ædificia aut diripiuntur,aut ſolo æquantur à ſacrilega & hæretica rabie, quæ nec ſacris virginibus & monialibus ſanctæ Claræ pepercit, ſed coëgit illas fuga ſibi conſulere,ductrice matre Ioanna Carpentana Abbatiſſa Toloſana, cuius prudentia quædam Auenionem, aliæ Aquaſextias, aliæ Maſſiliam, aliæ verò Carcaſſonam adductę ſunt, fauore quorũdam catholicorum,omnibus interim bonis expoliatæ.Sub hoc tempore hæretica rabies non ſanè ſanguine catholico, aut rapinis eccleſiarum ſaturata, ſed potius tanti piaculi patratione laſſa, non pacem ſed inducias à Rege quæſiuit, impunemq; manere pro tot commiſſis ſceleribus. Quod & illis
B conceſſum eſt cuiuſdã edicti Aurelijs facti proclamatione. Cuius tenore licebat cuiq; viuere pro velle,nulla interim habita catholicæ Religionis ratione,quamuis Rex iuberet vbiq; in ſuo Regno illam vigere.Sub ijs inducijs acrius bellum parant hęretici, æquo animo non ferẽtes virorum doctiſſimorum catholicorum, vel aſſiduas conciones,aut librorum editiones,aut ſubtiliſſimas concertationes. Ijs enim pijs officijs vehementer operam dabant viri celebres, quorum numerus erat eximius, potiſſimè in Gallia Narbonenſi.Vnde ſuborta eſt ſecunda tribulatio,ſub anno Domini 1567.menſe Octobri. Et cùm in præfata ciuitate Montiſpeſſulani fratres pleriq; manerent in eccleſia ſancti Pauli (nam conuentus erat deſtructus) manu armata in catholicos inſurrexit truculenta perſequutio. Rapitur P. F. Nicolaus Bermundus meritiſſimus Guardianus,ac diſertiſſimus Eccleſiaſtes,& eorum tribunali hæreticorum adducitur,ibiq;
C Miniſtros piſcibus mutiores reddidit,de ſua fide & religione doctiſſimè diſſerens.Tandem à quodam catholico noctu ſuſcipitur multis iniurijs ſaturatus,afflictusq;,latitat per loca ſubterranea,cryptas, & latibula. Quæritur interim ad mortem: verùm diuina ſe protegente gratia liberatur,occiſo coram ſuis obtutibus deuoto religioſo, ac laico fratre Andrea Roberto ex Barchinonia in Alpibus oriundo, ſpherula ſclopetaria in os eius ex machina immiſſa, dicente *Ieſus Maria*, dum ictum ſuſciperet, alijsq; fratribus fugientibus.Sicq; diſperſi ſunt omnes omnibus bonis mobilibus ſublatis. Illorum,qui occiſi ſunt in ijs perſecutionibus,dignum duxi, ſi imagines graphicè depictas coram legentium oculis propoſuero, vt facilius talium athletarum Chriſti virtus cognoſcatur: imò & in quod ſcelus lapſa ſit illa adeò florens ciuitas Montiſpeſſulani,ex quo ſpōſo Chriſto promiſſam,neceſſariamq; ad ſalutẽ fidem violauit, & Satanæ inimico eius aurẽ prębuit.De qua denique ciuitate & conuentu hactenus dictũ ſit.
D

De conuentu S. Franciſci Maſſiliæ. Conu. II.

SECVNDO loco ſe offert conuentus Maſſilienſis. Verùm primò de ciuitate tam celebri aliquid dicam,in gratiam illorum, quibus placet iocundæ antiquitatis lectio. Quamuis etenim,cùm propter varias nationes eò aduentantes,tum quòd ſit emporium in toto mari Mediterraneo celeberrimum inter Hiſpaniæ, Galliæ, & Italiæ oras, omnibus nota ſit,paucis tamen de eius antiquitate dicam. Tradit itaq; antiquitas à Focenſibus Aſianis natiuas ſedes relinquentibus, tyrannide cuiuſdam Arpalæ Pręſidis Medorum,& Perſarum Regis Cypri,ductore Berania,qui duxerat in vxorem filiam Regis Segoregientiũ,hanc ciuitatem Maſſilieñ. iuxta profluuium Rhodani fa-
E moſiſſimi fluminis fuiſſe conditam, anno mundi 3351. primo anno Sedechiæ Regis Iuda, nec Rhodo in mari ſiue claſſe, nec Lacedemonijs ſtructa acie,nec Atheniẽſibus in re literaria vllo pacto inferiorem,quippe quę rebus pacatis mox ad Philoſophiam, & eloquentiam,arteſq; liberales ſe totam dediderit,& amica Romanis,nedum illorũ filios alendos & educandos ſuſcepit,verùm & præcepta honeſtè viuendi & Gallis non pauca præſtitit, quamuis ipſa nunquam leges ab alijs ſuſceperit. Interdum verò diſpendia ſubijt, & primò à Romanis, à quibus tandem ſubacta, demum à Catalanis expoliata ſiue à Tarraconẽſibus, qui inter cætera pignora corpus beati Ludouici Ordinis B.Franciſci ſecum in Hiſpaniam detulerunt. Verùm celebrior habetur hæc ciuitas ex prærogatiuis illi diuina clementia conceſſis mox poſt Aſcenſionem Domini.

Nam

Nam illuſtrata eſt ſacroſancto Euangelio, miniſterio beatæ Mariæ Magdalenæ, Marthæ, Lazari, Maximini, & Celidonij Maſſiliam aduentantium, cui ſtatim Rex humiliter acquieuit, totaq; ciuitas: & eliminato idolorum cultu, templum in honorem virginis Mariæ conſecratum eſt, & cathedralis eccleſia, cui primus præfuit S. Lazarus Epiſcopus: cuius reliquiæ ibidem ſummo honore habentur, veluti S. Victoris martyris in Abbatia iuxta portũ, paſſi ſub Diocletiano anno 330. erecta extitit. Fuit & conuẽtus S. Franciſci extra muros prope portã regiam miræ ſtructuræ, in quo fuit ſepultus beatus Ludouicus Epiſcopus Toloſanus Ordinis beati patris Frãciſci. Verùm poſt bellum Borbonicum, ne præfatus conuentus hoſtibus eſſet à cætero refugio (arx enim potius quàm conuentus videbatur) ciues illum demoliti ſunt funditus, Rege id iubente. Et ſub anno Domini 1533. Clemente VII Papa, & regnãte Franciſco I. Rege Chriſtianiſſimo, decretum fuit ab eodem Rege, aſſentiente Pontifice præfato, ambobus tamen Maſſiliæ exiſtentibus, ne à cætero in toto agro Maſſilienſi alius eſſet conuentus S. Franciſci patrum Conuentualium. Imò omnia indulta, immunitates, ac priuilegia conceſſa deſtructo conuentui, ad conuentum de Obſeruantia extructum intra ciuitatem expenſis pijſſimi viri domini de Romeſano, tempore beati Bernardini, cui nomen beati Franciſci impoſitum eſt, antiquiori interimnomine ſancti Bernardini abolito, transferenda curarunt. Huic conuentui ſummus Pontifex, aſſentiente Rege, quædam mobilia conceſſit, in cuius ſacrario brachium ſancti Ludouici, indumenta pontificalium eiuſdem ſancti, & teſtamentum honorificè ſeruantur. Corpus verò beati Hugonis creditur in maiorem ædem poſt ruinas conuentus fuiſſe delatum. Qui beatus Hugo, dum viueret, fuit plenus ſpiritu intelligentiæ, efficaciſſimæq; doctrinæ, vt librum ediderit de triplici via perueniendi ad beatitudinem, Franciſcanamq; Regulam expoſuerit. Vt igitur ad conuentum Obſeruantiæ noſtra reuertatur oratio, mox poſt Concilium Conſtan. fuit conſtructus, eiusq; eccleſia conſecrata extitit à reuerendiſſimo quodam Epiſcopo de Troia: in qua ſunt famoſa ſepulcra cùm Florentinorum, tum quoque Corſicorum. Viget præterea hoc in loco ſtudium, moranturq; commodè quadraginta fratres. Non procul à Maſſilia Salonem verſus, in loco qui vulgò Berra dicitur, quidã deuotus frater laicus Antonius Carbonatius, oriundus de Guilleſtre in Delphinatu conuentus Maſſilienſis, dum ex obedientia ſui patris Guardiani à Salone Maſſiliam rediret, captus eſt à Circumlionibus hæreticis in arce de Manerba præſidiarijs, quem mox habitu expoliauerunt, deinde verendis amputatis, auribus & naſo, nudum alligarunt ad caudam indomiti equi. Per dumetum igitur & cardetum crudeliter tractus crudeli morte ſpiritũ Domino reddidit, ſub anno Dñicæ incarnationis 1575. Cuius quoque effigiem præfata tabella ſiue pictura indicabit.

A B C D

De conueatu S. Crucis Auenionis. *Conu. III.*

DICTVRO de ciuitate Auenionenſi præclara ſeſe offerunt argumenta eius ſplendorem, gloriam, & antiquitatem atteſtantia. Primò enim illam illuſtrem reddit nomen coloniæ Auenionum ex Ptolomęo, nedum 2000. hominum Gallorum à Q. F. Magno cognomento Æmiliano Proſtratio. Vnde apparet nedum tempore Romanorum fuiſſe in pretio, ſed quòd eius conditor incognitus habeatur. Si verò ad ea quæ ſunt pietatis, ac Religionis Chriſtianę attendas eam, mox poſt Maſſiliam per prędicationem beatæ Marthæ hoſpitæ Chriſti hoſpitio ibidem ſuſceptam fidẽ Ieſu Chriſti ab initio coluiſſe, præceptisq; beati Ruffi filij Simonis Sirenęi præfatæ ciuitatis primi Epiſcopi, cuius reliquię deuotè venerantur, paruiſſe, depręhendes. Verùm illa ſummorum Pontificum à Clemente V. vſque ad Gregorium XI. reſidentia in præfata ciuitate eam non parum illuſtrem reddit. In ea præterea plures illuſtriſſimi viri præfuerunt orthodoxa fide, ſumma prudentia & pietate inſignes. Hæc eadem ciuitas, dum Romanis ſubijceretur, à Gothis inuaditur, inde Gothis expulſis Burgundi illam ſubiungant, deinde à filijs Boſonis, ſub titulo regni Arelatenſis prædominatur, vltimò Othone imperante ſub Imperio illam reduxit. Tandem temporis ſucceſſu deuoluta eſt ad Prouinciæ Comites, quare Carolus Gallus Prouinciæ Comitiſſam in vxorem, & ad Regnum perueniens Siciliæ, eius hæredes nedum Prouinciæ, ſed etiam & Auenionenſis

E

A Auenionenſis Comites fuêre. Vnde Ioanna Regina Roberto Neapolitanorum Regi
ſuccedens, patre pugnante contra Pannoniæ Regem, vt eidem opem ferret, Auenio-
nem vendidit ſummo Pontifici Clementi VI. Modò inter omnes, ne dicam Galliæ ci-
uitates, verùm totius orbis vna eſt venuſtiſſima, amœniſſima, atque irrigua nedum
profundiſſimo Rhodano, rapidaq; Druentia, verum lympidiſſima Selga fonte peren-
ni totum agrum pontificium irrigante & fœcundante. Quid de altiſſimo, eoq; lon-
giſſimo ponte, apoſtolicoq; palatio è muro, altiſſimis turribus miro modo diſpoſitis
adornato, dicam? cùm plerique in dubium vertant ſit opus humanum nec ne? Inſu-
per plurimum auget ſplendorem huius ciuitatis numerus ſeptenarius tum parochia-
lium eccleſiarum, quarum caput & mater eſt eccleſia Dominæ de donis, beatæ Mar-
thæ ſtudio ædificata, in qua ſederunt multi ſummi Pontifices (vt dictum eſt) Archie-
B piſcopali titulo decorata: tum quoque conuentuum, monaſteriorum, collegiorum,
& hoſpitalium. Ibi floret omnium facultatum vniuerſitas. In arte ſerica neminem
commodiorem ſe admittit. Verùm pro ſuſcepto opere de conuentu Obſeruantiæ di-
cam, alioquin deuotiſſimo, iucundiſſimo, ſtructuraq; nullo inferiore. Hic fuit fun-
datus anno Dominicæ incarnationis milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo nono,
expenſis nobilis Ludouici Auriæ tannenſis annuente ſanctiſſimo Paulo II. prout ex-
tat breue authenticum. Eius eccleſia, quæ & multis gaudet prærogatiuis, pręſertim
ſacellum ſancti Hieronymi, in quo illuſtriſſimus Iulianus Epiſcopus Sabinenſis Car-
dinalis ſancti Petri ad Vincula, dum eſſet Legatus à latere in Regno Galliæ tempore
Sixti IIII. indulgentiam poſuit, ſub titulo ſanctiſſimæ Crucis conſecrata extitit. In-
ſuper gaudet ſequentibus ſacroſanctis reliquijs, videlicet particula Dominicę Cru-
C cis, & altero ex digitis diui Bonauenturæ. Præfata hac in eccleſia plures patres, ijq;
celeberrimi ſepulti ſunt, quorum primus occurrit reuerendiſſimus pater Paulus de
Soncino Doctor Theologus ac Medicus, totiuſq; Ordinis Minorũ generalis Miniſter.
Hic quodam in mauſoleo coram ſummo altari ſepultus eſt, obijtq;, anno Dominicæ
incarnationis milleſimo quingenteſimo trigeſimo nono. Hunc comitatur pater fra-
ter Claudius bis officio prouincialis Miniſtri in Prouincia omni cum laude functus,
qui & multa contulit extructioni huius conuentus. Occurrit deinde pater frater An-
tonius Faber, qui tertiò rexit Prouinciam inſignitus Diffinitoriatus honore in Capi-
tulo Aquilano, & ſuper Prouincias familiæ Gallicanæ Commiſſariatus. Hic pater li-
brum edidit Gallico ſermone contra quendam hæreſiarcham Arelatenſem, quem
ſtylo, & pietate diſertè confutat. His appoſitus eſt ille non ſatis laudandus, propter
D fidem, conſtantiam, & patientiam in aduerſis, pater frater Ludouicus Columbus, ve-
hemens hæreticorum inſectator, quos adeò proſequutus eſt, nedum verbis, calculo,
& ſcriptis, verumetiam caput proprium ſub mortis diſpendio coram ſuprema curia
Toloſana poſuit: potiſſimè contra quendam pſeudochriſtianum nomine la Bartam
à monte Albano trahente originem, cum quo literis primò ſingulare inijt certamen,
licèt ei plurimum hæreticorum proceres fauerent. Verùm poſt varia particula qui-
bus multo tempore præfatus pater Columbus ſubiacuit. Tandem Toloſæ, victrice
euangelica veritate, dictus la Barta igni traditus eſt. Quod ceſſit in laudem & decus
Eccleſiæ Chriſti, & ſummum honorem tanti viri, noſtræq; Religionis. Perinde nulla
fuit ciuitas, nulluſq; ſenatus in Narbonenſi Gallia, qui non auidè eum in conciona-
torem habere vellet, quorum votis, tamquam verus Chriſti miniſter in domo Domi-
E ni, ſatisfacere maximè curauit. Dictus pater Columbus crebrò dicere ſolebat ſe mori-
turum fore inter prædicandum. Quod & rei euentus comprobauit. Functo ſiquidem
concionatoris officio per ſpatium 52. annorum, dum vltimò in oppido Rupe Maura
prope Auenionem concionaturus Virginem de religioſo more ſalutaret, repente cor-
reptus catharro in ſenectute bona, plenuſq; dierum moritur. Hunc Prouincia, cui bis
honorificè præfuit, adhuc deſiderat, maximeq; dolet. Inſignitus præterea huius loci
eccleſia famoſis plurium heroum ſepulcris, videlicet Rouiliaſcorum, Taurinenſium,
Franciſci à Luna Florentini, Bartholomęi Peretij itidem Florentini, Iuliani Valbij à
ſancto Seuerino Gaiatij Comitis, Martineſij à Firmo Comitis Burgenſis, Balthaſaris
Bruſquetij ſancti Seuerini Comitis, qui omnes à ſummis Potificibus Auenionem Gu-
bernatores

bernatores miſſi fuêre. Commorantur denique hoc in loco trigintaſex fratres Franciſcani, quorum maior pars dat accuratiſſimam operam literis, idq; vtiliter ob inſtructiſſimam bibliothecam, qua præfatus locus gaudet, atq; non parum condecoratur. A

De conuentu Annunciationis B. Mariæ Aquis. Conu. IIII.

ANTIQVISSIMA eſt hæc ciuitas extructa in medio Prouinciæ, anno Dominicæ incarnationis 331. poſt conditam Vrbem. Primò fuerunt in ea Salinenſes, quos Caius Sextus domuit. Hic ciuitatem ampliauit, muroq; cinxit, ac propter copiam aquarum ſulphurearum, quibus abundat, Aquēſem ciuitatem appellãdam voluit. Sunt in ea multa antiquitatis monumenta: potiſſimè in Archiepiſcopali eccleſia, cui nomen & titulus eſt ſancti Saluatoris. In ea primus Epiſcopus ſedit beatus Maximinus, vnus ex 72. diſcipulis Chriſti, cuius prædicatione Aquenſes conuerſi ſunt ad fidem. Huic ſancto à Domitiano Imperatore pro Chriſti fide, anno Domini 46 occiſo ſucceſſit Celidonius ille cœcus à natiuitate, quem Chriſtus illuminauit. In matrice huius Aquenſis ciuitatis eccleſia quieſcit etiam corpus beati Mitri martyris, ad cuius ſepulcrum multa miracula operatus eſt Dominus. Quo in honore habita ſit præfata eccleſia ſatis oſtendunt Concilia Aurelianenſe & Matiſconenſe. Ei quoq; multum detulit inuictiſſimus Carolus V. Imperator, dum, ſub anno Domini 1536. caſtra pro foribus ciuitatis admoueret. In ea ſiquidem (vti pius erat in Deum) ne quid committeretur ſacrilegij fortè deſignans ex ſelecto milite præſidium, Germanos aliquot in veſtibulo eccleſiæ patibulo ſuſpendi iuſſit, veluti de ſacrilegio conuictos: & in monaſterio monialium ſanctæ Claræ, quòd vellent vim inferre ſororibus, ſimiles ab eis pœnas exegit. Hæc ciuitas ſemper fuit fidelis Chriſto, quamuis in initio tumultuum ab anno 1560. Francorum Rege Carolo IX. exiſtēte in minoribus grauiſſimas iacturas ſubierit. Eſt deniq; in ea conuentus fratrum Minorum de Obſeruantia, ſub anno Dominicę incarnationis milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſexto cęptus procurante P. de Sothono Neapolitano, ſumptusq; ſuppeditantibus Conſulibus ciuitatis, & familia de Meyrargnes, poſtmodum auctus, eleemoſynis Regis Renati Comitis Prouinciæ, ſub titulo Annunciatæ. In eius eccleſia ſunt ſepulcra Præſidum, fuitq; conſecrata nono calend. Iunij Paulo II. ſummo Pontifice, anno ſui pontificatus ſecundo. Commorantur denique hoc in loco ſatis commodè triginta fratres.

De conuentu S. Crucis Niciæ. Conu. V.

IN littore maris Liguſtici prope profluuium Vari ſita eſt ciuitas Niciæ, à Focēſibus tempore fundationis Maſſiliæ fundata, non multùm diſtans à Simello, Epiſcopali inſignita titulo, locupletiſſimum nedum emporium, ſed & inexpugnabile propugnaculum Alpini dominij Ducis Sabaudiæ. Inter ea quæ illuſtrem quondam reddiderunt hanc ciuitatem, fuit ille ſacer conuentus & nuſquam viſa communio trium Monarcharum, videlicet Pauli III. Pont. max. Caroli V. Imperatoris inuictiſſimi, & Franciſci primi Regis Galliæ Chriſtianiſſimi, ſub anno Dominicæ incarnationis 1539. Verùm chorus & gloria huius ciuitatis verſa fuerunt in luctum, quando canis ille rabidus, ſummusq; oſor nominis Chriſtiani pirata Barbaroſſa eò appulit cũ ingenti claſſe, ciuitatem florentiſſimam populationi ſubigens, captiuitati, ac ruinis, demptis paucis qui fuga & latibulis propriã vitam ſeruarunt. Hos Dominus ſeruauit, vt collapſam ciuitatem erigerent. In qua cùm eſſet pulcherrimus conuentus ſancti Franciſci regularis Obſeruantiæ extra mœnia ciuitatis extructus, ad requiſitionem sereniſſimæ Annæ Duciſſæ Sabaudiæ filiæ Regis Cypri, & Conſulum ciuitatis, quos fundatores habuit, ſub anno Dominicæ incarnationis 1461. & 7. Septembris patre fratre Franciſco de Rauenna nomine Prouinciæ ſtipulante, ſummoq; Pontifice Pio II. annuente, prout extat breue authenticum, & bulla in fauorem prædictæ Duciſſæ, datum anno Domini 1457. nono Septembris ſub titulo ſanctæ Crucis. Nihilominus refecta vtcunque ciuitate, ne in poſterum eſſet præſidio inimicis in ſimili obſidione, ex decreto ſereniſſimi Ducis & ſenatus præfatus conuentus ſolo fuit ęquatus, non ſine tum fratrum, tum ſęcularium lacrymis, cùm eſſet ſummo ornamēto ciuitati, quodq; aliquando ho-

A do hoſpitium præbuerit ſummo Pontif. Paulo III. & generalium noſtri Ordinis Com mitiorum, in quibus R. P. F. Vincentius Lunellus 15. Maij anni Domini 1535. in generalem totius ordinis Miniſtrum aſſumptus fuit, inſignis eſſet. Conuentu tamen ſic diruto non paſſa eſt clementia ſereniſſimi Ducis, ac pietas procerum fratres diu hinc inde vagari, ſed (prout patiebantur illa tempora) prouiſum fuit illis de loco, nimirum quadam eccleſia Dominæ de Angelis in antiquiſſima ciuitate Simellæ, vbi ſe receperunt, ibiq; Domino famulantur 12. fratres, gaudentes priuilegijs, & indultis conceſſis diruto conuentui ex decreto ſummi Pontificis. Manent tamen ſepulta in antiquo conuentu multorum patrum præſtantiſſimorum corpora, inter quæ eſt corpus ſub marmore coram maiori altari R. patris Dominici à Foſſano, viri vtiq; integerrimi.

B *De conuentu Obſeruantiæ Arelatis.* *Conu.* *VI.*

VETVSTISSIMA eſt hæc ciuitas, cuius conditores pleriq; exiſtimant fuiſſe Focenſes, extructa inter Rhodani paludes ſuper montem, ſiue aggerem à mari per 18. milliaria diſtans. Eius ſortem abundè tetigimus, cũ de Auenione tractaremus, modò nomine imperiali præclara, antiquitatis monumentis, potiſſimè amphiteatri altiſſimarumq; turrium inſignitur. Olim in duo diuiſa, Rhodano fluuio medio fluente, nunc tota contigua Campummariũ aliàs Camarga habet pro fœcũdiſſimo agro, à quo nedum frumenti ingentem copiam, ſed & armenti & gregis non vulgarem recipit commoditatem. Hæc olim nondum illuſtrata Euangelij radijs ferox fuit atq; crudeliſſima, quippe (ab Hiſpanis ſumpto exemplo) annuatim ſuper altari, Cæſari dicato, in loco qui vulgò la Roquete dicitur (vbi tres columnæ adhuc viſuntur) tres decoC ros ac obeſos iuuenes, expenſis communibus aſſeruatos, falſis Dijs immolabant, hoc nephandiſſimo idolotico ſacrificio miſerè ſeipſos polluentes. Verùm ille, qui gloriam ſuam alteri non dat, Deus æternus, vt ab æterno diſpoſuit mundum labe peccati infectum, vnigeniti filij ſui pretioſo ſanguine mundandum: mox poſt Aſcenſionem eiuſdem in cęlos, diuum Trophimum Pauli diſcipulum prioris nephandiſſimi generis libandi accerrimum deſtructorem, ac veriſſimi & ſalutiferi ſemel à Chriſto peracti ſacrificij vehementiſſimum defenſorem, Arelati miſerè periclitanti ſua gratia diſignauit miniſterij Euangelij fideliſſimum diſpenſatorem, pro quo tandẽ martyrium obiuit, anno Domini 66. Fuit hic ſanctus Trophimus Arelatenſium Epiſcopus, cui nõ defuerunt ſanctiſſimi ſucceſſores, perinde nec ſacrorum Conciliorum frequens celebratio præfata in eccleſia, cùm tempore Silueſtri, tum Leonis ſummorum Pontificũ: quæ D referenda ſunt nedum meritis B. Trophimi, cuius titulo cohoneſtatur, verùm prothomartyris Stephani: cuius caput in ſummo honore habetur: inſuper & multorum pro Chriſto occiſorum Innocentium. Nec tacendum ſacrum pignus S. Antonij Abbatis exemplaris anachoritarũ, quibus quàm illuſtris habetur illa ciuitas, in qua Deus ſanctorum ſuorũ meritis aſſiduè operatur miracula. Huic ciuitati per tria millia paſſuũ verſus Orientem inter paludes adiacet mons dictus Monſmaior, in quo ſunt ſpecus, latibula, & cryptæ, in quibus cum B. Trophimo Chriſtiani latitabant, & ſacra faciebant tempore perſequutionis, nolentes margaritas ponere ante porcos: Hoc in monte Carlomanus Imperator ingentem Agarenorum copiam vſq; ad 80000. proſtrauit. Hic mons viſus fuit inſtituto S. Benedicti plurimũ commodus, proinde extructa fuit domus contemplationi maximè accomoda, quã ſummis diuitijs affecerunt Reges: tanta E erat monacorũ deuotio, licèt de eadẽ nunc tantùm parietes teſtentur. Verùm ad ciuitatem redeamus. Eſt prope mœnia eiuſdem ſacrũ cœmeteriũ, in campis Eliſijs, de quo, quæ deſumi poſſunt ex quadam tabella appenſa in eccleſia S. Seuerini Burdegalis, paucis recenſere non pigebit. Legitur ergo in illa: In mundo ſunt duo celeberrima cœmeteria præcipua & ſacroſancta, primũ Arelatenſe in campis Eliſijs, ſecundum ad S. Seuerinum Burdegalis, quæ D. N. Ieſus Chriſtus in ſpecie cuiuſdã inſignis Epiſcopi apparẽs cũ ſeptẽ Epiſcopis benedixit, ac conſecrauit, ijſdem non auſis interrogare, tu quis es? ſcientibus quòd Dominus eſt, donec ex oculis eorũ euanuit. Nomina verò 7. Epiſcoporũ ſunt hæc: Maximinus Archiepiſcopus Aquẽſis, Trophimus Arelatẽſis, Paulus Narbonẽſis, Saturninus Toloſanus, Froto Pitagoricẽſis, Martialis Lemoniſcẽſis, & Entropius

Xantonenſis.In quibus cœmeterijs pars maxima eorum, qui in Eliſijs campis & in A
acie Montiſgarſani gladijs interfecti pro nomine Chriſti obierunt,aromatibus perun-
cti,ſepulti ſunt. Hactenus ex illa tabella. In præfato cœmeterio ſummè colitur veſti-
gium genu Domini noſtri Ieſu Chriſti, concluſum lapideo ſacello artificioſè extructo.
Nunc ad potiſſimam noſtri inſtituti partem accedamus. Fuit itaq; in præfata ciuita-
te vltra Rhodanum famoſum fluuium autiquiſſimus ſancti Franciſci conuentus, in
quo,beato Antonio prædicāte de titulo crucis,beatus pater Franciſcus fratribus bene-
dixit, (prout pater Monaldus vidit) quamuis in remotis ageret ſeraphicus ipſe pater.
Verùm ſubiacet ille conuentus ruinis propter bellorum ac temporum iniquitatem.
In Archiepiſcopali verò eccleſia quieſcit vnus ex ſocijs beati Franciſci, cuius nomen
ignoratur: claret tamen miraculis. Hic fuit ſublatus eo tempore, quo fuit deſtructus
conuentus.Modò eſt conuentus Obſeruantię,cuius fundator fuit reuerendiſſimus Ioã- B
nes Forrerius Archiepiſcopus Arelatenſis Hiſpanus, ſub anno Dominicæ incarnationis
milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo, ſub titulo noſtræ Dominæ de conſolatione,
annuente ſanctiſſimo Leone X.prout extat breue authenticum, aſſuetis indulgentijs
gaudens, & decoratur reliquijs ſancti Laurentij martyris, & alijs multis. Et vt pri-
mus ille conuentus multorum patrum clariſſimorum ſepulcro cohoneſtabatur: vtpo-
te beatis patris Monaldi, de quo ſuprà, beati patris Bertrandi de Bologna, ſic conuen-
tus Obſeruātię, primò tumulo reuerēdi patris fratris Ioannis Rinuſtorti religioſiſſimi,
qui multa paſſus eſt ab hæreticis. Is in Capitulo celebrato Auenionis, anno Domini-
cę incarnationis milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo,factus Miniſter pro-
uincialis,mox, quæ erant ſui muneris,cupiens perficere, omni ſepoſito metu (quãuis
vbique hæreticorum ſtructæ eſſent inſidiæ) Arelate diſcedens, & ad partes Lingua C
occitanas pergens,iuxta Aquas mortuas,ſiue Foſſas Marianas fuit captus ab hęreticis,
ex latibulis loci de Valuert egredientibus ſclopetarijs, in quo loco præſidiũ habebant
& refugium.Eum igitur ligatum manibus à tergo,laqueo iniecto collo, ad latibulum
truculentiſſimarum beſtiarum virum probum, ſenem venerandum,& mitiſſimum pa-
trem adducunt, tamquam reum, affectum ſummis iniurijs,opprobrijs,dicterijs, tun-
ſionibus ac ludibrijs. Socium verò ſuum cariſſimum patrem fratrem Petrum Men-
quium, oriundum ex ſancto Paulo in Prouincia prope Mannaſcaui diœceſis Aquen-
ſis ſacerdotem ac concionatorem ſtudioſiſſimum, ac de Religione meritiſſimum,
mulo inſidentem (laboris ſubleuandi gratia) patris iuſſu, pugionibus crudeliter occi-
derunt coram oculis patris ſic ligati. Quem alloquebatur ſeminex ſocius, eumq; in-
terpellabat, vt conſtanter mortem pro ſimili cauſa ſubire vellet. Occiſo itaque ſocio, D
& eius corpore inſepulto ibidem relicto pium patrem in ergaſtulum detrudunt,in quo
per trimeſtre manſit, ſaturatus pane lacrymarum. Vbi quæ, & quanta paſſus ſit no-
uit ille,pro quo patiebatur. Tandem ſub ſumma pretij ingentiſſimi vita illius reuo-
luitur 500.nimirum aureorum, nullo interim habito defectu ſarcinarum cum quibus
fuit captus, quas iure belli ſibi vendicarunt. Ad hoc tandem deuentum fuit, vt ſi vel
let vitæ conſulere eum oporteret 300. aureos ſoluere. Hanc ſummam ſoluit pauper-
cula Prouincia, verùm parum fuiſſet ſi mors ſocij non interceſſiſſet, & infirmitatem
ad mortem ex captiuitate præfatus pater non contraxiſſet. Nam vita eius non fuit à
cœtero niſi continuus languor, & aſſidua mortis apprehenſio. Mortuus eſt tandem
Arelatis meritiſſimus Guardianus. Eius captionem ſimul & cariſſimi ſocij necem pe-
nicillo pręfata in tabella habes depictam. Mortui ſunt etiam plures alij inſignes pa- E
tres, quos breuitati ſtudens prætermitto. Ad hos appoſiti ſunt plures generoſi he-
roës ac catholicæ fidei propugnatores. Et vt finem imponam narrationi huius ciui-
tatis,vnum tantùm dicam, nempe ſemper illam ſeruaſſe auitam, eamque catholi-
cam Religionem, victricemq; crebrò euaſiſſe, quamuis frequenter technis & inſi-
dijs hæretici ſint illam adhorti, meritis ſanctorum, quorum reliquiæ vt diximus ibi-
dem venerantur: & ſacris concionibus à triginta ſeptem annis continuò à patribus
noſtræ Religionis ſumma in æde, non abſque ingenti accolarum ſpirituali fructu,
peractis. Commorantur denique hoc in conuentu commodè quindecim religioſiſ-
ſimi patres ac fratres Franciſcani, qui apud conuicinos populos optimè audiunt.

De con-

A *De conu Dominæ noſtræ de Conſolat. & S. Franc. Narbonæ. Conu. VII.*

VARIE à diuerſis vetuſtatis authoribus de Narbonæ conſtructione conflictatũ eſt, à quo ſcilicet aut quo tempore primordia ſuſceperit. Quantum ad ſitum vtique exploratum eſt iuxta Pyrenęos montes, ad ripam fluuij Ataxij eſſe poſitam. Quantum ad tempus fundationis attinet, alij dicunt illam extructam anno mundi 2316. eo tempore quo Ioſeph mortuus eſt in Ægypto, Moyſe exiſtente paruulo, regnante verò ſuper Celtas quodam Narbone: vnde hæc ciuitas longè antiquior eſt Troia & Roma. Nec facilè eſt credendum ijs, qui dicunt illam dictam eſſe Narbonam à Martio quodam Narbona Romano: nam ante illum fuit ibidem colonia Atatienſium, nomen à fluuio, cui adiacet, accipiens, licèt poſtea colonia Decumanorum à Romanis
B inſtituta fuerit, & decima legio in præſidium. Dicitur interdum Narbo Martia, ſed hoc à fortitudine, & rei militaris diſciplina. Quamobrem veriſimile eſt illam dictam eſſe Narbonam à Prouincia ſic dicta Narbona Dalmatię ſita, inter flumina Daronis & Dinæ, quæ à montibur Dardanis profluunt in ſuperiori Miſia. Prouincia vtique ditiſſima parum à mari diſtans, habensq; ſub ſe Prouincias Liburniæ, Dardaniæ, Illyricæ, Epiri, quam Galli deprædati ſunt, dum in Aſiam copias ducerent. Vnde incolæ relictis proprijs ſedibus atque natali ſolo, extructa acie centum millium hominum, rependere vices Gallis decreuerunt. Tandem in illos erumpentes, & parta victoria ſex ciuitatum fundatores extiterunt, quatuor in Linguaoccitana Prouincia, reliquarum autem in Prouincia, quarum caput fuit Narbona, ſic à ſupradicta Prouincia dicta. Hæc multis fortunæ telis variè à principio fuit laceſſita: nam à Romanis amittitur Gothico
C bello profligatis, Rege Theodorico imperante caſtris. Deinde à Totila Rege Hunnorum incenſa funditus euertitur, cùm Romanorum, tum Gothorum monumentis dirutis, exquiſitisq; omnibus antiquitatum inſignijs. Et vtcumq; reſtaurata non defuit Carolus Martellus Gallorum Rex, qui de Auenione triumphans, Rhodano tranſuadato cum ingenti milite contra Aquitaniæ Regem, cui nomen Enelas quantocius properat, ad quem non vulgares copiæ Maurorum nuperaduenerant, caſtra Narbonæ admouit, Regem illius Euthymam ſuperauit, vrbem cœpit, totamq; regionem incendio vaſtauit, vtpote Biterras, Agatha, inſignes ciuitates, & alia multa loca. Sicq; ſub Imperio Gallorum redacta eſt totius Regni firmiſſimum propugnaculum contra Hiſpanos, cui nauium appulſus non mediocrem ſplendorem præbet, quamuis eius aër non admodum hominibus ſit ſalubris, vt frequenter dicatur Narbona cloaca mundi & ſen-
D tina. A Romanis (dum orbis Imperio potirentur) præcepta honeſtè viuendi ſuſcepit, ſed multò præſtantius à Proconſule Paulo Sergio præcepta ſalutis æternæ, eò miſſo à Cypro tẽpore Claudij, Imperatorisq; primus, ibi Epiſcopus fuit ordinatus, à quo Euãgelium ſuſcepit præfata ciuitas. Huic ſucceſſit Stephanus eius diſcipulus, & alij multi ſanctiſſimæ vitæ, & puriſſimæ doctrinę, quorum meritis illuſtrata ſancta eccleſia Narbonenſis nuncupatur metropolis & primâs ſub titulo ſancti Iuſti, ſuaq; mirabili ſtructura facilè ſuperat omnes eccleſias Galliæ. Extra mœnia ciuitatis fuit à primordijs noſtrę Religionis conſtructus conuentus, in quo ſub anno Domini 1260. diuus Bonauentura Comitia generalia celebrauit, in quibus multa præclara geſſit, Epiſtolam inſtructoriam per totum Ordinem tranſmiſit, obloquentium impudenter contra Mendicantes ora compeſcuit in fauorem Ordinis miro ſtylo. Qui quidem conuẽtus, veluti alio-
E rum Ordinum, bellorum incurſu fuit deſtructus ſimul & monaſterium pauperum dominarum ſanctæ Claræ, prout adhuc viſuntur monumenta. In eo fuit ſepultus frater Electus laicus clarus dono ſanitatum. Sub anno verò Domini 1513. alius fuit intra mœnia ciuitatis extructus expenſis egregij viri Petri Ioëllis locupletiſſimi mercatoris, ſub titulo Dominæ de Conſolatione, & ſancti Franciſci: demum plurimùm auctus fauore illuſtriſſimæ domus de Archos, alias Ioyenſe: ad hoc ſolicitante bonæ memoriæ patre fratre Ioanne Gineſtois. Gaudet hic locus priuilegijs & indultis conceſſis primo conuentui, multisq; ſanctorum reliquijs decoratur ſacrarium. Potiſſimè vna ſpina coronę Domini noſtri, oſſibus S. Vrſulę, tunica B. P. Franciſci, oſſibus S. Andreę Apoſtoli, Georgij, Adriani martyris, digito S. Silueſtri, S. Ludouici Ordinis noſtri, multorumque

ſanctorum Innocentium: Manent in hoc conuentu quindecim fratres: & vt finem imponam, hoc vnum in laudem, & decus Narbonæ ciuitatis dicam; quòd videlicet nunquam in procellis hæreticorum diſceſſerit à fide vera catholic. Romana, ſed potius fuerit ſecuriſſimum & fideliſſimum aſylum, atque refugium catholicorum. A

De cenuentu ſanctæ Claræ Carcaſſonæ. Conu. VIII.

CARCASSONA ciuitas eſt antiquitate, ſitu, propugnaculoque celebris, amne Ataxio perenni irrigua ciuitatem à ſuburbio diuidente, à Narbonenſibus iuxta Pyrenæos montes extructa, ſtemmate epiſcopali inſignita, cuius cathedrali eccleſię titulus eſt S. Nazarij, ac ſanctiſſimis reliquijs decorata. Hęc ciuitas fideliſſima ſemper fuit Chriſto, nedū tempore Albigenſium, verū etiam in procellis Caluiniſtarum: quibus frequenter tum aperto Marte, tum inſidijs fuit agitata: imò à domeſticis ſuis diuino auxilio fuit protecta. Proinde manet locuplex omnium bonorum, legibus optimè conſtituta, licèt multorum ædificiorum ruina & caſu, potiſſimùm conuentuum, & eccleſiarum humiliata. Inter hæc conuentus ſancti Franciſci iure primum tenet locum, propter ſuam antiquitatem ac venuſtatem: quem funditus ad terram decit quidā ſurreptitius ac perſonatus regius Gubernator, (an odio vel zelo videat Deus & iudicet) quamuis ſe id geſſiſſe, ne Galliarum Ammiranti Gaſparo à Colligni hæreticorum Duci, potiſſimè Teutonum, illâc tranſeunti eſſet præſidio, in iacturam ciuitatis & ſuburbij, audacter aſſerat. Verùm hæc miſſa faciamus. Fuit igitur hic conuentus vnus ex præcipuis Prouinciæ Narbonenſis, titulo ſancti Franciſci inſignitus, multumque celebris tumulo beati patris Barralis: in quo aſſiduò conferuntur & elargiuntur dona ſanitatum, quamuis nō ſit relatus in numerū ſanctorū decreto ſummi Pōtificis. Inſuper & multorū ſanctiſſimorū reliquijs: videlicèt ſpinæ coronæ Domini affabrè diſpoſitæ, beati Sebaſtiani martyris, beati Ludouici Epiſcopi Toloſani. Hunc conuentū plurimis indulgentijs cumularunt ſummi Pontifices, potiſſimè Innocentius VI. anno quarto & ſexo ſui Pontificatus, vt plebs Chriſtiana manus adiutrices admoueret fabricæ. Fuit etiā bis combuſtus, & nunc tertiò (prout diximus) ſolo æquatus: quare omnia monumenta fuerunt etiam deperdita, propter temporū & bellorū iniurias. In ruinis nunc tantùm videtur erectum quoddam ſacellum, & crux lapidea auro & vario colore inſignis, cum imagine Mariæ Magdalenæ ad pedem Crucifixi tamquam typus pœnitentiæ. Adhanc crucem acceſſit in ſecundis tumultibus hęreticus quidam volens illam ad terram deijcere (quia ſcandalum illi erat) iniectoque laqueo ad collum imaginis beatæ Mariæ Magdalenæ multū laborauit, vt deſideria pro ſui cacodæmonis voto perficeret, ratum habens illam imaginem & crucem non eſſe tantæ fortitudinis, vt poſſet vi à ſe intentatę reſiſtere. Sed Dominus Deus non permiſit inultam remanere temeritatem flagitioſi hominis ſed illicò immiſit ſpiritum vertiginis & relicto laqueo appenſo in collo dictæ imaginis trepidus aufugit. Quod ubi relatum fuit Epiſcopo, & Chriſtiano populo ſolemni ſupplicatione indicta, nedum ciuitati, verùm & locis vicinis ad præfatam crucem cum maxima pompa itur. Antiſtes ſcalam iubet erigi, per quam aſcendit, & laqueum è collo imaginis amouit, non ſine fletu & eiulatu omnium, & poſtulatione veniæ pro tanto reatu commiſſo. Huic conuentui præfuerunt multi patres eximij, inter quos fuit venerabilis pater frater Bonauentura Brochardus natione Normandus, atrox hæreticorum impugnator, homo ſingularis doctrinæ (prout eccleſiæ Arelatenſis, Aquenſis, Maſſilienſis, Narbonenſis, Montis peſſulanenſis, Nemauſenſis teſtari poſſunt) imò ſummè ſagax conſilio, & multorum laborū, quos pro Eccleſię catholicę Romanę defenſionę ſuſtinuit perpeſſuſque eſt, patientiſſimus. Quamobrem peragratis Paleſtinæ, & Arabiæ, biæ vſque ad Sinai montem partibus, pulchram typis demandauit chronographiam, quæ paſſim in manibus à doctis habetur. Tandem mortuus in ſenectute bona, ſepultuſque in præfato conuentu cum alijs multis grauiſſimis patribus, quorum corpora inter ruinas eccleſiæ deliteſcunt. Modò vero fratres manent in ſolo, quod olim fuit monaſterium ſanctæ Claræ, in quo viuebant octoginta ſorores, quæ omnes ſub anno Dominicæ incarnationis 1478. obierunt epidimia. Fratres ſub

A ſub Rege Ludouico fundum retinuerunt, & eccleſiam ſanctæ Claræ, quibus modò vtuntur numero quindecim cùm olim in conuentu eſſent 40. ibiq; cõmodè alerentur.

De conuentu ſancti Franciſci Bitterarum. Conu. IX.

ANTIQVA hæc ciuitas prope Narbonam, à Narbonenſibus condita, non multùm à mari diſtat, vberrimoq; agro, ac iucundo cœlo (quippe eminentiori in loco ſita) gaudet, cui epiſcopale faſtigium in laudis cumulum accedit, olim crebris bellis Anglicis laceſſita, aſſiduò Regi ſuo ſeruauit fidem, prout teſtatur vicus Gallus ſic dictus, à beato Euphrodiſiō Euangelium Chriſti ſuſcepit, in cuius honore pulcherrima fuit ædificata eccleſia. Tamen epiſcopali Eccleſiæ titulus eſt ſancti Nazarij. Hæc ciuitas tempore Albigenſium ſatis fuit in rebus Religionis dubia, in
B ſuſcipiendo verò toxico Caluinico mox à principio bellorum ciuilium nimis præceps & expedita, inter priuatos parietes Circucelionem hæreſiarcham alens & protegens. Vnde meritò omnibus iocalibus eccleſiarum vſque ad ſummam & pondus 1400. librarum fuit expoliata, remanentibus tantummodo nudis parietibus, ſemotoque omni ornatu & decore, non ſine ingenti perſonali perſequutione: quàm præcipuè paſſi ſunt fratres Minores de Obſeruantia: quorum pulcherrimus conuentus adhuc extat, licèt nomina fundatorum, aut tempus fundationis non facilè reperiantur: quippe aut combuſta, aut in reformatione fuerunt ſublata. Sunt tamen qui aſſerant præfatum conuentum fuiſſe conſtructum à reuerendiſſimo epiſcopo Gulielmo, anno Domini 1447. Tamen tum ex inſignijs nobilum in pariete appenſis, tum ex ſepulcris antiquiorem longè fuiſſe conuentum conſtat. Quod ſi tribuendum eſt
C aliquid dicto Epiſcopo Gulielmo, ſanè non initium erit, ſed potius collapſi reparatio facta conuentus in eius tranſlatione. Nam atiquitus extra ciuitatem fuit extructus, prout ſolum & monumenta oſtendunt. In hoc conuentu (quamuis multa paſſi ſint patres) nihilominus nunquam à prædicatione ceſſarunt, vt populum aut ad gregem, & ouile Chriſti reuocarent, aut continerent, ſtrenuè opus Domini perficientes ſic vt, ſemel eliminato errore, profugatiſque Miniſtris & pſeudofratribus, nunquam hæreticæ prauitati portas aperuerint. Aſſiduoque præterea vigilijs & excubijs intendentes ciues, non ſine ſummis expenſis, crebrò impetiti ſunt modò inſidijs, modò fraude, aliquando verò violentia, in quibus tamen diuino auxilio freti, & precibus beati Franciſci victores euaſerunt, prout ſub anno Domini 1572. in nocte feſtiuitatis eiuſdem omnibus fuit exploratum. Dum enim hora tertia poſt mediam
D noctem, cùm ſomno & ſopori indulgeret ciuitas, nocturno excubitore inſimularet, aut certè proditoriè ageret, mox afluit caterua camiſiatorum militum ad murum ſcalas erigens, vt iampridem exoptatam de ciuitate reportaret victoriam, aſſuetamque exerceret in catholicos crudelitatem. Sacriſta verò conuentus, peracto matutinali officio ductus ſpiritu diuino ad pinnaculum eccleſiæ aſcendit, videnſque cuneos hæreticorum iam aſcendere per muros, velociter ad campanam cucurrit claſicum canens. Tunc hæretici pauore correpti atque perculſi relictis armis & ſcalis aufugerunt: ſicque liberata eſt ciuitas, vnde quotannis in memoriam tanti beneficij in die ſancti Franciſci fit proceſſio generalis, & gratiarũ actio à populo. Commorantur hoc in loco, diurnas nocturnaſq; laudes Deo opt. max. deuotiſſimè decantãtes 20. fratres.

E *De minoritico conuentu Nemauſi. Conu. X.*

NEMAVSVS caput eſt Volcenſium & Arcomentium, vocabulo à Græcis vſurpato. Erant enim Nemauſenſes Græcorum colonia inibi poſita à Focenſiſibus. Hæc ciuitas à mari parum diſtans montibuſque fœcundiſſimis, planicie, perenni fonte irrigua, & oleaſtri nemore ſuper omnes alias illuſtrior, dulce Hiſpanis, & Italis, alijſq; viatoribus (veluti in medio itineris ſita) præbet hoſpitium. Hanc Antoninus Pius, anno Domini 160. amphiteatro decorauit, veluti Adrianus eius prędeceſſor, mirabili ſtructura cuiuſdam templi in honorem vxoris ſuæ Plotinæ. Tãtis inſuper cohoneſtatur antiquitatis monumentis, potiſſimè domus quadratæ, turris magnæ, vt quemque architecturę artis affectum è longinquis partibus ad ſe facilè attrahat. Quip-

pè multa inter ruinas indies reperiuntur integra, licèt diuerſo Marte, tum ſub Gothis, A
Vandalis, vltimò ſub Carolo Martello Francorum Rege ſucceſſiuè, bellis ſolo ſint æquata omnia. Sat ſtrennuè tempore Albigenſium in tuendas partes fidei catholicæ ſe geſſit. Antiquiſſima ſacri dogmata Euangelij à Paulo Sergio, ibidem primò prædicata fideliter ſeruans, Epiſcopali ſtemmate eſt inſignita, ædeque maiori nomine Deiparæ virginis Mariæ intitulata. Inſuper multorum ſanctiſſimorum Præſulum ſucceſſione claret. Inter quos beatus Bauzilius ſummè à catholicis colitur. Verùm procax & ingrata ciuitas oblita tantorum beneficiorum, otio, ventri, & Veneri indulgens (veluti omnium errorum fonti & ſcaturigini) proauis renuntians, auitamque religionem, eamq; catholicam deſerens, corrupta Lutheri, & Caluini pſeudofratrum toxico, mox in auſpitijs illorum nephandiſſimi dogmatis relicto Chriſto legitimo & fideliſſimo ſponſo, cui ſub Paulo Sergio (vt diximus) ſpoponderat, fidem, cultum, & religionem, B
inter obſcœniſſimos, adulterinosq; amplexus mulieris Iezabel poculum abominationis in manu habentis, beſtiæq; ſuper mare inſidentis, data in reprobum ſenſum, miſerè prolapſa eſt, cœpitq; meretricari quæ quondam fuerat ſponſa fidelis, ſub anno Domini 1562. è latibulis Gebennenſibus Petro Vireto inſigni hæreſiarchæ venienti gratum præbens hoſpitium, dicansq; eius facinoroſæ doctrinæ ſacram ædem Franciſcanam, quam polluit ſuo hæretico dogmate, inibiq; conuentus promiſcuè frequentiſſimos faciens, in quibus ex virginibus matronas facere minime verebatur, fratribus expulſis, omnibus expoliatis, altaribus imaginibusq; miſeris modis confractis. Nihil tādē relictū fuit, quod aut non perdidit, aut non polluit humana audacia, catholicis non ſine lacrymis & ſuſpirijs intuentibus, hæreticis verò ridentibus & ſubſannantibus: Sicque caput Volcenſium Nemauſus ciuitas ſola remanſit deſolata: ſola, inquam ſine Paſtore, ſine C
Propheta, ſine ſacerdote, & ſine ſacrificio, quouſque Rex Carolus IX. ſuo edicto Aurelianenſi iuſſit catholicam Religionē in locis, ex quibus fuerat expulſa, in priſtinum ſtatum reſtitui, permittens nihilominus vnicuique vel poſt vitulos aureos, aut poſt verum Deum Iſraël abire. Sicq; mixtim victitatum eſt vſque ad annum Domini 1570. tamen diuerſo (quod aiunt) cœlo. Interim hæretici vagi & impatientes (quorum pedes veloces ſunt ad effundendum ſanguinem) occaſionem pro cauſa aſſumentes, aſtu & violentia acriorem aſtruunt perſequutionem. Nam prima tantùm in iocalibus, imaginibus, boniſq; inanimatis egit: Hæc verò perſonalis fuit in corpora nullo habito delectu ſtatus, dignitatis, aut ſexus: ſed in omnes Chriſtum Ieſum confitentes, ſanctamque Religionem catholicam ſectantes truculenter efferbuit, veluti beſtia illa pedibus, & dentibus omnia deuaſtans. Et ne videar in dicendo deficere, paucis tangam, quę ſub præfa- D
to anno contigerunt menſe Septembri, dum ſub inducijs catholici mixtim cum hæreticis viuebant, potiſſimè in locis, in quibus hæretici numero catholicos ſuperabant, quorum Nemauſus vnus erat. Igitur per totum Regnum vno die, deſignataq; hora hæretici arreptis armis erumpunt in munitas ciuitates, loca ſibi vendicantes. Vbiq; vnus Catilina, qui ſigna det, & ad arma conclamet, exotico milite ſtipatus reperitur. Nec permiſit Nemauſus aliquem locum in toto Regno ſæuiendi ſibi anteponi: quinimo intempeſta nocte (excubitore ſpeculatorio proditore) proditione cuiuſdam molendinarij & ope, crate ferrea aquæductus limata, vrbem nocturno tempore inuadunt hæretici, quibus mox affuerunt qui in penarijs domorum latitabant loricati & galeati vim inferētes, regium Gubernatorem ſeſe præcipitem dare è muro cogunt, in arcem & catholicorum prǽſidium arma conuertunt. Verùm qui intus erant, domeſticis armis impotentes, E
commeatu penè erecto, deditionem tandem fecerunt. Ad mortem rapiuntur catholici, potiſſimè viri Eccleſiaſtici. R. Marcellus natione Florentinus ciuitatis Epiſcopus fuga vitæ conſuluit, cęteriſq; ignorantibus quibus terrarum oris ſe tutò crederent. Sed vt dicant in poſterum filij, qui naſcentur, quanta audiuimus, & patres noſtri annunciauerunt nobis, intelligantq;, quam belli aleam tentarunt in certamine Nemauſenſi ſtrenui milites Ieſu Chriſti, potiſſimè ex acie Franciſcana regularis Obſeruantiæ ductore P. F. Balthaſaro Prato oriundo ex vrbe Brienſonenſi diœceſis Ebredunenſis in Delphinatu, Guardiano conuētus Nemauſenſis meritiſſimo, quæ acta ſunt enarrare non pigebit, veluti digna admiratione & imitatione. Pater enim iſte tantis erat tum corporis,

tum

A tum animi prædítus dotibus,vt nulla ſit eum obſcuratura obliuio,tanto denique pietatis ſtudio adornatus,vt in certamine omnia pericula,labores & odia propter Chriſtum alacri animo ſuſceperit. Omnia in eo erant,quæ hominis aut inſtitutio,aut forma,aut natura largitur. Hic igitur (cùm ætate floreret) poſtquam multo tempore Eccleſiam Arelatenſem, Narbonenſem, Carcaſſonēſem,ac Lymoſinenſem ſacro Euāgelij verbo aluiſſet, hac fama commota ciuitas Nemauſenſis inducijs (de quibus dictum eſt) gaudens proceres tam ex clero,quàm è vulgo ad patrem deſignat, eum interpellantes,quatenus talentum ſibi à Domino conceſſum, etiam Eccleſiæ catholicę Nemauſenſi diffunderet, ea quæ ab anno Domini 1560.facta fuerant contra Religionem Chriſtianam recenſentes,quibus hominem ad hoc pellicerent.Addebant inſuper à reuerendiſſimo Præſule, à toto ſenatu eum ſummè deſiderari: ſuper quibus fortiter
B inſiſtebant coram patribus in capitulo Aquiſſextijs celebrato. In horum igitur præſentia præfatus pater interrogatur num velit ire Nemauſum,& pro obedientia, & ſalute animarum velit ſe mortis periculo exponere,eamq; ſubire, ſi opus fuerit. Intrepidus pater humiliter aſſenſit, Arelatemq; velociter petijt, vbi per quinq; annorum ſpatium prædicauerat aſſiduè, ibiq; in die Aſcenſionis Domini vltimum vale populo Arelatenſi dixit,affirmans ſe Nemauſum ex obedientia profecturum,ipſosq; Arelatenſes faciem ſuam non amplius viſuros,tamquam Paulus loquens ſuis Epheſinis.Sicque omnibus flentibus ad victimam properat Nemauſum,vbi cum tripudio à catholica plebe recipitur, moxq; ſartatecta eccleſiæ,& mores,Religionē (quæ omnino corruerant) manum admouente Paſtore,& fauorem curia impertiente,inſtaurari curauit.Illico fit ſolemnis catholicorum proceſſio,Synodi celebratio,ſacramentorum diſpenſatio,veluti
C tempore Ioſiæ Regis Iuda. Procurante igitur patre Balthaſare, iubenteq; Epiſcopo indicta eſt ſolemnis ſupplicatio,itumq; eſt ad quendam puteum, quem ſub anno Domini 1567.hæretici corporibus catholicorum trucidatis oppleuerant, ſatagitq; pro virili pater Pratus,vt illa ſanctorum corpora illinc educantur, honorificeq; recondantur. Eò igitur pergit populus cum clero, extrahuntur corpora ſummo odore fragrantia, ſternuntur ſuper faciem campi,vaticinaturq; Propheta Pratus publico aſcenſo ſuggeſtu,ac multa de martyrio,perſequutione, ac patientia diſſerens illos prædicat beatos, qui pro fide Chriſti & Religione catholica coniecti fuerant in illū puteū,& qui mox alia truculentiori perſequutione in proximo futura pro ſimili cauſa ſubmergendi erant, variaq; tormenta paſſuri.Quod & euentus rei illum diuino numine proloquutum fuiſſe, veluti prophetam,clarè oſtendit. Hæc enim dicta ſunt in menſe Iunio,& ſequenti
D menſe Nouembri fuit capta ciuitas. Quis igitur dubitet hunc patrem præditum fuiſſe ſpiritu prophetico?Irrumpentes itaq; nequiſſimi milites capitur primò pater Pratus,& præuidens quod futurum eſſet,nec blanditijs deliniri,nec promiſſionibus corrumpi,nec minis deterreri, nec laboribus frangi potuit, quominus quæ erant viri fortis, ſtrenuiq; athletæ Chriſti perageret:nam cùm raperetur,& an vellet palinodiam canere, & Miniſtri officium exercere,vxorem ducere,& diuitijs cumulari,illecebriſq; indulgere, ſicq; vitæ conſulere,interrogatus,ad omnia ſibi propoſita aſſiduò reſpondebat: *Vade poſt me Satana Dominum Deum tuum adorabis,& illi ſoli ſeruies*, tamquam edoctus à ſummo Magiſtro ſuo Domino noſtro Ieſu Chriſto.Magis timens eum,qui poſtquam occiderit corpus,habet poteſtatem animam mittere in gehennam, quàm illum,qui occiſo corpore non habet amplius quid faciat. Quamobrem adiutus eius auxilio,pro quo patiebatur,
E hoſtiam viuam Domino ſeipſum obtulit plenum fide, & ardore charitatis. A ſicarijs, & immaniſſimis hæreticis totum corpus ſuum pugionibus paulatim crudeliter confoſſum fuit, & capite enſe ſciſſo, & gutture gladio tranſuerberato, ultimò ſeminex in præfatum puteum primò proijcitur,ſpiritu eius in cœlos euolante,beateq; dormiens in Domino,taliq; fine finem impoſuit lacrymabili vitæ.Sed primò fratres ſibi creditos benedixit,adhortans illos,quatenus uiriliter bellarent pro Domino Deo ſuo.Nec fruſtrà, aut vana fuit hæc exhortatio. Nam mox ſequutus eſt eum V. F. Ioannes Chaluetus conſobrinus eius ſecundum carnem,ſed multò magis ſpirituali affinitate animatus ſui Guardiani exemplo.Qui etſi iam eſſet prouectæ ætatis,canus,ac debilis corpore,nihilominus adiutus brachio diuino,circundatus ſclopetarijs cuneis hæreticorum, ſpherulis tormenta-

tormentarijs,toto corpore transfoſſo & traiecto,factus eſt pro Chriſto,coniectione corporis in præfatum puteũ,& aſſumptione ſpiritus in cęlos,conſobrino ſuo,patriq; Guardiano indiuiduus comes. Nec illis defuit conſtantia, & columbina ſimplicitas patris fratris Gulielmi Scofre ſacerdotis perquàm venerandi,quem crudeliſſimè trucidarunt eodem modo quo alios immanes illi lupi, nempe pugionibus, haſtisq; vnà cum patre Ioanne Lantret ſacerdote ac ſacrarum rerum cuſtode. Quibus omnibus tãdem puteus commune præbuit ſepulcrum,veluti catacumbæ Apoſtolis Petro & Paulo: in quo quidem puteo adhuc inhoneſtè iacent. Siquidem cùm nocturno tempore viderent hæretici ex illo flammas ignis erumpere,ſui facinoris conſcientia perculſi,ne id diuulgaretur, egeſtis & exoneratis ciuitatis ſordibus, vehementi aggere puteum oppleuerunt. Verùm clamant ſub altare animæ interfectorum propter verbum Dei. Reliqui patres & fratres non adeò conſtantes fugæ per deuia ſe commiſerunt. Præfatorum patrum occiſorum exemplar in gratiam legentium libuit tabellæ (de qua ſuprà) committere. Cæterùm fundamenta conuentus, mobilia, & omnia documenta funditus fuerunt aut euerſa,aut ſublata,vt qualis & quantus fuerit nec reliquiæ monſtrare poſſint, eaque de cauſa nihil,quod de ipſo dicere poſſimus, occurrit. Fuit nihilominus ſuo tempore celebris,religioſiſſimus,ac à 30. fratribus Minoritis vt plurimùm inhabitatus,incultusq;.

A B

De conuentu Dominæ de gratia Carpentoractis. Conu. XI.

CARPENTORACTE ciuitas eſt totius Comitatus Venicini pontificij dominij non multũ ab Auenione,Anzarica, Caballione, & Vayſione ciuitatibus diſtans,amęniſſimo in loco ſita,pulcherrima quidem męniorum diſpoſitione,ſed multò pulchrior ſacræ catholicæ Religionis depoſito,quod inuiolabiliter obſeruauit,cuius cathedralis eccleſia honeſtatur clauo,quo Chriſtus Dominus noſter cruci fuit affixus: in cuius præſentia quotidie qui vexantur à ſpiritibus immundis curantur. Hunc tanta deuotione veneratur ciuitas,vt pro inſignijs ſuis ſelegerit eius exemplar. Hæc igitur ciuitas (quia caput eſt totius dominij Pontificij) tribunali iudiciario decoratur,in quo ſedet pro ſanctiſſimo Domino noſtro ab eodem deſignatus Prætor,imprimisq; tumultibus hæreticorum,vt alia vicina loca,ſimilem experta eſt belli aleã,ductore des Adrets ſtipato 1400.militum cuneo,caſtraq; admouente muro ciuitatis in ponte aquarum fontalium,domeſtico interim inimico, patriæq; oſore id procurante. Quorum temeritatem diuina vltio non reliquit inultam, elumbem oſtendens,& proditorum & exequutorum eſſe conatum,nedum ſociorum (qui erant domi) defectione à malè cęptis,quos ſuffaſcinatos putabant,pellectosq; ad ſuas partes: verùm & globus machinæ tormentariæ è turre demiſſus æquiſſimum iudicem geſſit, cùm tam dictum des Adrets,quàm proditores cœnantes iuxta aquæductũ pontis fontalis à cępta cęna deturbauerit, eſculento & poculento in terram deiectis, quamuis iam biberent honorarium vinum ſuper deditionem ciuitatis. Multis tandem ex phalangis occiſis,alijs verò ſauciatis,cæteris tonitruo attonitis caſtra mouerunt reſidui, Impraſi fœcundiſſimo agro depopulato, potiſſimum conuentu antiquiſſimæ Obſeruantiæ loci de Montilijs per milliare diſtante, extructo ab antiquiſſima,& illuſtriſſima domo de Fuxio,& de Armigniaco, ingẽti incendio nulla habita ratione ſanctitatis,loci antiquitatis,aut tantorum nobilium ſepulcrorum ibidem perpulchrè erectorum,potiſſimè Comitatus Venitini, nec P.fratis Prati (de quo paulò ſuperius) qui quàm religioſè bis quondam Prouinciæ pręfuerat,multumq; conuentui tribuerat,aliorumq; multorum. Ex eo itaque tempore deſtructionis conuentus Montiliorum fratres intra mœnia Carpentoractis ſe receperunt, vbi fuerũt humaniſſimè recepti fauore illuſtriſſimi Fabricij Sorboleti generalis Gubernatoris pro ſanctiſſimo Pontifice: Cuius procuratione quædam domus cuiuſdam hæretici nomine Dalmatij fuit à ſummo Pontifice Pio IIII.fratribus conceſſa. Tandem procurantibus reuerendiſſimo Sadoleto Epiſcopo, & Conſulibus ciuitatis, factaq; præfatæ domus permutatione,conuentus eſt cœptus. Cuius fabricæ multùm contulerunt ſanctiſſimus Dominus papa Pius V. & Gregorius XIII. Hic enim poſtremus nedum aſſenſum præbuit,ſed fauore reuerendiſſimi Dominici Grymaldi quondam rectoris Carpentoractenſis æquiſſimi,demum Epiſcopi Sanonenſis, poſtea Caballicenſis, nũc verò Archiepiſcopi

C D E

A chiepiſcopi Auenionenſis atque Vicelegati meritiſſimi, vberem eleemoſynam fabricę
elargitus eſt. Quæ quidem ſtructura indies in altum educitur piorum catholicorum be
neficijs: Nec mirum, nam habuit hæc ciuitas multos patres vita, doctrina, & ſcientia
præditos, quorum tumulo noſtra eccleſia decoratur. Eius titulus eſt Domina de gratia,
gaudetq; omnibus & ſingulis prærogatiuis, quibus gaudebat conuentus Montilio-
rum, prout conceſſit ſanctiſſimus papa Gregorius XIII. cuius extat breue in archiuo
conuentus diligenter aſſeruato. Manent præfato in loco commodè quindecim fratres.

De conuentu beatæ Mariæ de pietate Forouulij. *Conu. XII.*

CONSTRVCTA eſt hæc ciuitas Foroiulienſis in fœcundiſſima planitie, in
territorio Echibientium in Prouincia iuxta mare, irrigua flumine Argentio. Cu-
B ius fundatores fuerunt Maſſilieſes, facta deinceps colonia Romanorum tempore Octa-
uiani Auguſti. Eius antiquitas vel theatro, aut fonte per ſeptem leucas ad ciuitatē ad-
ducto apparet luculenter. Olim portu exquiſita arte facto multùm commoda, quam-
uis lacunis & paludibus plurimùm laceſſita, veluti fumo artis figulinæ, quæ abundè
ibidem exercetur, in ordine Epiſcopalium eccleſiarum Prouinciæ primum obtinet lo-
cum, ſemper fidelis inter hæreſes ſuo ſponſo Chriſto permanſit. Proinde olim conuen-
tum patrum Minimorum habere voluerunt, & alium Ordinis ſancti Franciſci. Verùm
non permiſit temporum iniuria niſi vſq; ad annū Domini 1571. Cùm enim patres Mi-
nimi, quibuſdam rationibus moti, conuētum, quem illis ciues conceſſerant, dimiſiſſent,
ex vtriuſque partis beneplacito, & aſſenſu ſummi Pontificis, bonis mobilibus, & immo-
bilium pretio ad propinquiorem conuentum illorum Inſtituti tranſlatis, ne locus, cui
C titulus eſt ſancta Maria de pietate, vacuus remaneret, R. Epiſcopus Romanus dictus, &
Conſules ciuitatis Ordini noſtro pręfatum locum obtulêre, obnixè rogantes P.F. Ioan-
nem Riuumtortum pro tunc prouincialem Miniſtrum, vt per modum prouiſionis ali-
quot patres & fratres eò deſignaret, vſquequò à ſummo Pontifice aſſequi poſſent ſu-
per receptione dicti loci requiſitum aſſenſum. Quem tandem pręfatus Pontifex Grego-
rius XIII. ſub anno Domini 2583. (prout extat breue apoſtolicum) benignè præbuit.
Plenariam inſuper conceſſit indulgentiam ad decēnium fabricę manus adiutrices por-
rigentibus, die omnium ſanctorum lucrandam. Hęc omnia facta ſunt me ad totius no-
ſtri Ordinis clauum ſedente, & R.P.F. Amando Carbonacio Prouinciali huius Prouin-
ciæ. Gaudet iſte conuentus, prout & cęteri, aſſuetis immunitatibus Ordini conceſſis: in
quo manēt 10. fratres, itinerātibus ab Italia in Hiſpaniā cōmodi ad pręſtādū charitatē.

D

De conuentu S. Franciſci Auxiliani. *Conu. XIII.*

AVXILIANVM oppidum eſt non multum à Narbona diſtans, bonorum om-
nium abundans, cohoneſtatum Comitatus titulo: cuius incolæ intrepidè pro pa-
ternis legibus dimicarunt, nec paſſi ſunt hæreticum hoſtem ingredi, non tamen ſine bo-
norum ſuorum diſpendio. Vnde non vulgarem laudē præ cæteris vicinis ſuis ſibi com-
pararūt. Summè afficitur hic locus Ordini B.P. Franciſci. Nec mirum, nam à primordijs
eius à ſocijs ſancti ipſius patris præcepta ſalutis accepit. Perinde cuſtos effectus eſt cor-
poris cuiuſdam ſocij eiuſdem patris, cuius nomen nihilominus ignoratur. Gaudet igi-
tur antiquiſſimus conuentus titulo S. Franciſci, quo cohoneſtatur. Quamuis aſſiduis
bellorum ruinis vix antiqua documenta haberi poſſint, tamen ex marmoribus, & ſe-
E pulcrorum fragmentis multa deſumi poſſunt, eius antiquitatem abundè teſtantia. Inue
nitur ergo in elaborato lapide quendā P.F. Ioannē Forneriū pręfato in conuentu Guar
dianatum geſſiſſe ſub anno 1298. Inuictiſſimo Euſtachio de Leuis Comiti Auxiliano
& inſulę Iordanis (cuius pompatico ſepulcro cohoneſtatur eccleſia) quidā fundatoris
gloriam tribuunt. Verùm potius eſt exiſtimandum quòd conuētum ampliauerit, nā vi-
tafunctus eſt anno 1327. & iā præceſſerat dictus P. Fornerius ſub anno 1298. Fuit igitur
dictus Comes non fundator, ſed reparator. Adiacet etiā ſepulcro proſapię Comitū aliud
valde antiquū, nec prę ruinis & vetuſtate aliquid rati aut certi poteſt haberi. In eccleſia
ſunt reliquię S. Antonij Abbatis, S. Martialis Epiſcopi Lemouiſcēſis, de capillis B. Marię
Magdalenæ, de habitu S. Claræ, de coſta S. Laurentij, S. Ruffinę & multorum aliorū SS.

De con.

De conuentu SS Ioſeph & Franciſci Draguigniani. Conu. XIIII. A

DRAGVIGNIANVM oppidum eſt regiũ in Prouincia ad radices Alpiũ mõtium ſitum diœceſis Foroiulienſis, regio tribunali inſignitum, populoſum, ſummeq; Religionis Chriſtianæ cultrix, altrixq; virorum ſtudioſorum in omnium diſciplinarum genere, potiſſimum ſacræ paginæ, fundatum (vt creditur) ſub anno Domini 800. antea dictum Ingrimaldum. Verum à quodam Dracone à ſancto Armentario ſocio beati Honorati, prout in geſtis & Annalibus habetur, nomen ſibi Draguigniani aſciuit, & inſignia Draconis effinxit, eccleſia collegiata titulo ſancti Michaëlis illuſtratur, veluti oppidum ipſum omnium Mendicantium pulcherrimis eccleſijs. Inter quas conuentus fratrum Minorum de Obſeruantia iure primum obtinet locum. Cœptus ſiquidem fuit, anno Dñi 1500. vigeſimaſexta Ianuarij, ad requiſitionem egregij Petri Fabri Doctoris artis Medices, Iacobi Fabri Prioris de Montefarone, & Raymundi Petri Fabri mercatoris eiuſdem oppidi, regnante Chriſtianiſſimo Rege Ludouico XII. Francorum. Fuit, inquam, cœptus in loco, in quo erat extructum ſacellum in honorem S. Ioſephi, proinde tali titulo & beati Franciſci eccleſia conuentus decorantur. Non defuerunt huic tam ſancto operi proceres, Conſules, & primates vrbis, quinimo quandam antiquiſſimam turrim vltrò dederunt, ex cuius materia potiſſima pars fabricæ fuit in altum adducta ſpatio annorum 12. Summè honoratur in huius eccleſia loci ſacellum diui Ioſephi, quod multis indulgentijs cumulauit illuſtriſſimus ac reuerendiſſimus Cardinalis de Claramonte quondam Legatus Auenionenſis, prout authentica documenta teſtantur. Sub anno Dñi 1489. breue fundationis ab Innocentio VIII. datum & anno ſui Pontificatus iij. habetur. Præfata eccleſia conſecrata eſt à R. Epiſcopo Troiano Bartholomęo Portenenqui in die omnium ſanctorum. Patrinus fuit Gulielmus Barbocius Doctor & Iudex regius, cuius ope ſacellũ Anunciationis B. Mariæ fuit erectum, in quo ipſe eſt tumulatus. Multa ſunt inſuper pręclara ſepulcra tum fundatorum, tum multorum aliorum, vtpote nobiliſſimæ Annæ Carlottæ de Villa noua, cuius expenſis chorus eccleſiæ fuit factus, Balthaſaris Fonque Domini de la Guardia, Domini Dãtipolis proſapiæ de Frãſio Marchionis, Domini Auſſonis, & aliorum, quę eam multum illuſtrant, & percelebrem reddunt, & totum conuẽtum etiam, in quo manent duodecim fratres.

(Marginal letters B and C beside the text.)

De conuentu S. Mariæ de compaſsione Manuaſchæ. Conu. XV.

IN vberrimo ſolo, iucundiſſimaq; planitie ſita eſt villa Maunaſchę in Prouincia dięceſis Ciſtarienſis prope Alpes varijs olim laceſſita bellorum ſucceſſibus: vnde conuentus Ordinis ſancti Franciſci extra mœnia ſitus, à militum cuneis ſolo fuit æquatus. D
Verùm ſub anno Domini 1364. quarto Idus Iulij procurante fratre Ioanne Donando equite hoſpitalis S. Ioannis in Hieruſalem, & ſancti ſepulcri, Commẽdatore S. Ægidij, & Baliuio Mannaſcenſi, fuit fratribus de loco intra mœnia prouiſum. Erigentibus itaque fratribus quoddam oratorium conuentus fuit extructus, potiſſimè eleemoſynis proſapiæ Hugolini de Vacherijs, Volandi Rodorterij & aliorum, quorum ſepulcris adornatur eccleſia conſecrata in honorem B. Mariæ de compaſſione. Hoc in conuentu mox in initio bellorum hæreticorum prima ſacrilegia fuerunt patrata ductore de Monaris ſummo, ac crudeliſſimo perſequutore catholicorum. Calix enim è manu ſacerdotis celebrantis fuit à militibus ſacrilegè ſublatus. Quidam etiam fratres fuerunt in puteum capite deorſum pedibus ſuſpenſi, vt iocalia & ſacra vaſa detegerent, quibus E
occurrit pietas & deuotio nobiliſſimæ ac religioſiſſimę Comitiſſę de Maille ſocrus Comitis Claudij de Tenda, Religioni Franciſcanæ plurimum affectæ. Horum patrum exemplaria patebunt in tabella (de qua ſæpius) depicta, vt maior de ijs rebus habeatur cognitio. Manent commodè dicto in conuentu quindecim Franciſcani fratres.

De conuentu Dominæ noſtræ de pietate Pedenacij. Conu. XVI.

PEDENACIVM oppidum eſt pulcherrimum, ac ditiſſimum inter Biterras & Montempeſſulanum in Gallia Goticha ſitum, dięceſis Agathenſis, cuius nomẽ paſſim & vbique perfertur propter frequentes nundinas. In primis Galliarum tumultibus ab hæreticis

A ab hæreticis excitatis, iocalibus eccleſiæ omnino extitit expoliatum, hæreſiarchis placidum præbens hoſpitium. Verùm ſemel poſtea excluſis, nunquam à cætero portas illis aperuit: ſed catholicũ permanſit. Fuit ibi conuentus pulcherrimus atque deuotus Ordinis ſancti Franciſci regularis Obſeruantiæ, fundatus primò à patre fratre Laurentio de Monte Vicario prouinciali Prouinciæ, cuius prædicatione adeò delectatus fuit populus, vt quandam domum Ordini daret, anno Domini 1452. annuente Nicolao V. Pont. max. prout extat breue. Tempore verò Calixti III. anno ſcilicet Domini 1456. facta fuit præfatæ domus alienatio, & fundi, in quo ſitus eſt modò, acquiſitio. Sed anno Dominicæ incarnationis 1472. annuente Sixto IIII. ſummo Pontifice ad inſtantiam pijſſimi cuiuſdam Iacobi Laureti Pedenacij, cuius filius vnicus, cariſſimusq; patrum doctrina & exemplo allectus, Religionis habitum induerat, hic locus eiuſdem ſupplican
B tis ſumptibus conſtructus fuit. Qui quidem Iacobus meritò eius fundator dici poteſt, imò & ipſius frater vterinus Bernardus Toloſanus in iure Doctor, atque Aduocatus, qui tum apud Regem, tum apud Pontificem non paruos labores aſſumpſit, vt opus perficeretur. Titulus huius conuentus eſt Domina noſtra de pietate, cui idem Sixtus IIII. multas indulgentias conceſſit, potiſſimè lucrãdas in die Corporis Chriſti. Fuit hic locus ab hæreticis combuſtus fratribus hinc inde fugientibus, & bis eorundem opera, ſed piorum Pedenacienſium fauore reſtauratus, quem 12. fratres modò occupant.

De conuentu Minoritico Limoſii. Conu. XVII.

LIMOSIVM oppidum eſt ſitum in vltimis huius Prouinciæ finibus, vicinum Prouinciæ Aquitaniæ, quod in duas partes maiorem ſcilicet, & minorem diuidit
C Ataxium flumen, eiusq; agrum commodè irrigat. Diues eſt lanificio, eccleſiam habens pulchram ſub nomine ſancti Martini ædificatam, ſub diœceſi Arelatenſi, nec multum à Carcaſſona diſtat. Munitiſſimum inſuper eſt, tamquam Hiſpaniæ oppoſitum. A vicinis hæreticis, pluries laceſſitum modò, non minus quàm olim à varijs nationibus. Vnde non mirum ſi conuentus ſancti Franciſci, olim extra oppidum extructus, ruinis ceſſerit: verùm adeò ſunt affecti Limoſienſes huic Ordini, vt mox voluerint alium habere intus mœnia maioris oppidi: quamuis documenta, aut hominum ignauia, aut temporum iniuria non habeantur. Tamen extant ſepulcra admodum antiqua non longè à maiori altari Dominorum de Beſim proſapię de Leuis, vnde ex coniectura habetur eos ipſius fuiſſe fundatores. Solum tamen iuxta antiquum ſacellum ſancti Spiritus dedit illuſtris Antonius de Barrilis. Nec illæſum permanſit Limoſium ab iniurijs bellorum
D hæreticorum, ſed datum fuit in prædam, ſub anno Domini 1562. prima Martij vſque ad 27. Aprilis, & à catholicis, & hæreticis diuerſo Marte dimicatum eſt, ductoribus hæreticis Domino de Nouellis, ac Domino de ſancto Colgato cum phalange hæreticorum quorũ vi catholici ab vrbe ſunt expulſi. Tamen illicò affuêre auxiliares copiæ à Carcaſſona & Toloſa ductoribus Poniaſio Carcaſſonenſi & Petro Lupiano Cathalano, cum ſelectiſſimo milite, qui, vrbe impetita per 29. dies validiſſimis machinis, victores euaſerunt, cohorte interim hæretica aut armis trucidata, ac hæreticorum Miniſtris flammis admotis. Ducibus de Nouellis, & de ſancto Colgato adactis cum 60. militibus patibulo. Sicq; redijt ſub protectione catholicorum clariſſimum oppidum Limoſij, quamuis expoliatum omnibus bonis, non tamen amiſit pignus ſacelli ſancti ſepulcri, in quo eſt imago Crucifixi mirę compũctionis, ac deuotionis, in cuius pręſentia multa
E facit Deus miracula. Conuẽtus igitur fuit reſtauratus eleemoſynis catholicorũ, maxima liberalitate fratribus, quos deuotione proſequũtur, oblatis, in quo manent eorũ 12.

De conu. Dominæ noſtræ de Angelis Antipolis. Conu. XVIII.

NON longè à Varo flumine in littore maris prope inſulam Leronis, ſiue Lyrinẽſem à Maſſiliẽſibus extructa eſt vrbs Antipolis, multa pręclara antiquitatis monumenta continẽs: vtpotè theatri, fontis, columnarumq;, quæ omnia eximiæ ſunt contemplationis. Hæc illuſtris fuit quondam ſede prætoria Romanorum: veluti antiquitus Epiſcopali, qua nihilominus orbata Graſſienſis locus coronam accepit. In ea eſt conuentus Ordinis diui Franciſci regularis Obſeruantiæ, fundatus ſub anno 1516. procurante

curante patre fratre Petro Saxi commiſſario prouinciali. Fundum ſuppeditauit honorabilis matrona Anthea Hugolina relicta quondam vidua ex morte Honorati Hugolini. Primum eius lapidem fundamentalem iecit R. Petrus Lambertus Epiſcopus Venuſinus nepos præfatæ dominæ, aſſiſtentibus inclytis Ioanne de Seua, & Gaſparo de Grimaldis condominis Antipolitanis. Anno verò Dñi 1510. & 12. Maij inchoata eſt eius eccleſia expenſis inuictiſſimi Renati patris Claudij Comitis de Tenda, magni Magiſtri Franciæ, & anno 1532. cal. Octobris conſecrata extitit per reuerendiſſimum Petrum Ranelli Epiſcopum Ebroniſſenſem Ordinis Minorum Prouinciæ Franciæ, ſub titulo noſtræ Dominæ de Angelis. In præfato conuentu manent opportunè fratres 14. A

De conuentu S. Franciſci Lunelli. Conu. XIX.

INTER Nemauſum, Montempeſſulanum, & Foſſas Marianas propè mare conſtructa eſt vrbs Lunelli vberrima vino, tritico & paſcuis, ac commoda Italis, Hiſpanis & omnibus itinerantibus, quæ non parum moleſtiæ intulit caſtris Ammirantis de Colligni, & Teutonum in vltimis tumultibus: quamuis defecerit ex illo tempore à catholica Religione. Hęc quãtũ dilexerit Ordinis S. Frãciſci ſat demonſtrabat conuẽtus. Fertur enim diuũ Antoniũ Paduanum ſacras ibidẽ conciones habuiſſe, raniſq; obſtrepẽtibus ſilentium impoſuiſſe. Vnde in lacunis viridarij conuentus piſcibus ex eo tẽpore mutiores videntur. Non me pigebit rem narrare admirabilem, quæ hac in vrbe contigiſſe paſſim aſſeritur, imò quòd conſtet authentico inſtrumento. Iam à 200. annis quædam deuotiſſima mulier propinqua morti, dum teſtamentum conderet, aſſeruit futurũ eſſe, vt conuentus beati Franciſci extra mœnia ſitus ab hæreticis combureretur. Vnde domum ſuam legauit Religioni eo adueniente caſu, quæ erat intra ſepta vrbis. Quod tamen factum eſt, tum anno Domini 1562. tum anno 1575. ſuccedentibus atrociſſimis perſequutionum procellis. Nam quod è primis cladibus anni 1562. remanſerat, anno 1575. fuerunt funditus conſumpta igni, & patres ac fratres grauiſſimum genus mortis ſubierunt, maximè ſub anno 1575. Primò pater frater Claudius Faber digniſſimus Guardianus atque diſertiſſimus verbi diuini proclamator, conſobrinuſq; patris Prati Nemauſi occiſi, ſimilem mortem ſubijt fortiter: nam toto corpore pugionibus confoſſo in altiſſimum puteum ſemiuiuus à quodam confratre fuit proiectus, hoc iubente hęreticorum ferocitate, non pauperculi & timorati fratris voluntate, aut liuore, qui tandẽ proiecto ſuo caro patre Guardiano, ſuper illum ſaucius fuit etiam ipſe proiectus & demerſus. Super quos ne elaberentur, magna lapidum congerie tantorum patrum occiſa corpora fuerunt obruta. Huic vltimo erat nomen pater Animondus ex Sabaudia. Pater verò Guardianus erat oriundus ex Brienſone vt pater Pratus. Elapſis aliquot annis corpus dicti patris Animondi repertum fuit inter alia corpora totum recẽs, atque proprio cruore madidum, non ſine multorum admiratione, ſiquidem clamat ſanguis de terra. Proiectis igitur patribus in puteum totus furor filiorum tenebrarum ad V.P.F. Ioannem Capucium oriundum de Rouerga, Vicarium meritiſſimum, atque egregium prædicatorẽ ſe conuertit, illumq; adoritur armata caterua ſclopetariorũ in cãpis, & globis, & ſpherulis miſerè, ac crudeliter conſternarũt. Hic annexa fuit hęc perſequutio atrox, multumq; vniuerſalis. Interim Lunellum poſſidetur ab hęreticis omnibus eccleſijs, & conuẽtibus, præſertim noſtro celebri Frãciſcano conuẽtu, dirutis ſoloq; miſerè æquatis. B C D

De conu. S. Catharinæ de monte Syon Selli Robaudi. Conu. XX.

HIC conuentus eſt campeſtris, amœniſſimus, omnium arborum ſpeciebus conſitus, irriguus, atque inter Forumiulium & Dragnignianum extructus in Prouincia diœceſis Foroiulienſis, qui olim fuit monaſterium monialium Ordinis Cluniacẽſis, fundatum expenſis illuſtris Alijonis de Villa noua magni Magiſtri Rhodi, anno 1206. Veruntamen, anno Domini 1501. ſub Papa Alexandro VI. & Ludouico Galliæ Rege, ad requiſitionem pijſſimi Ludouici de Villa noua Marchionis de Trãſio, moniales fuerunt tranſlatæ in locum de Tranſio, conſentiente dicto ſummo Pontifice, prout conſtat ex tranſumpto, ſub anno Domini 1499. ſeptimo cal. Octob. & alio ſub anno Domini 1504. & fratres introducti ſunt. Eius eccleſia eſt conſecrata ſub nomine beatæ Catharinæ de E

A rinæ de monte Syon à reuerendiſſimo Elzeario de Villa noua fratre Alijonis fundatoris, & beatæ Roſſolinæ quondam Abbatiſſæ dicti monaſterij. Cuius corpus integrum, odiferumq; aſſeruatur cum magno honore, licèt non ſit canonizata. Commorantur hoc in campeſtri loco,& ſatis commodè,decẽ religioſi fratres Franciſcani.

De conuentu S. Franciſci Rellaniæ: Conu. XXI.

ANTIQVISSIMA eſt hæc ciuitas Rellania,prout monumenta antiquitatis euidenter demonſtrãt,inter Ciſtericum,& Aptam Iuliam prope Ciſſariſtam extructa,iuxta Alpes diœceſis Aquenſis in Prouincia,iucundiſſima præterea, irrigua,& fertiliſſima valde.Cuius eccleſia parochialis honoratur nomine & reliquijs diui Dionyſij Areopagitæ Epiſcopi & martyris, atq; ſancti Pauli Apoſtoli dilectiſſimi diſci-
B puli. Non procul ab ea eſt antiquiſſimus conuentus fratrum Minorum de Obſeruantia,extructus à ſocijs beatiſſimi patris Franciſci, quorum corpora ibidem feliciſſimè quieſcunt cum maximo honore, ac reuerentia: non tamen inueniuntur documenta authentica atteſtantia quo tempore, vel à quo ſingulari benefactore præciſè fuerit conſtructus. Tamen apud publicos Notarios teſtamenta quædam ſcripta reperiũtur, ſub anno Dominicæ natiuitatis 1237.die 4. Nouembris acta,in quibus quædam eleemoſynæ conuentui legabantur, & ſub anno Dominicæ incarnationis 1248. Sunt in multis locis præfati conuentus inſignia inclyti Ducis Britanniæ. Fortè ille pientiſſimus heros pro maxima deuotione ac pietate,qua Franciſcanam Religionẽ proſequebatur,adauxit aut ampliauit dictum conuentum.Sunt quoque & ibidem inclytorum Comitum Rellaniæ, Baronũ de Ciſſariſta,Baronis de Falcone, & aliorum nobiliũ he-
C roum ſepulcra, quæ penitus fuêre igne combuſta ex præcepto cuiuſdam Domini de ſancta Cruce nequiſſimi, peſtilentiſſimiq; hæretici, atque inſignis prædonis. Capti fuerunt hoc in loco ab ipſis hæreticis monachiſmi oſſoribus fratres Minores, & flagris crudelibus affecti, & varia ludibria experti, tandem in vincula coniecti fuerunt: ſed tandem liberati fauore illuſtriſſimarum filiarum Dominæ Ancipolenſium,Comitiſſæ videlicet de Grigniano & ſororis ſuæ Dominæ de Ciſſariſta. Reſtauratus pedetentim conuentus eleemoſynis Rellanienſium, in quo interim manent 8.fratres.

De conuentu B. Mariæ de conſolatione Pignacij. Conu. XXII.

PIGNACIVM oppidum eſt in valle vberrima & amœniſſima,omniumq; plãtarum varietate inſigni,non multùm à mari diſtãs,inter Forum iulium, & Tho-
D lonum ſita, diœceſis Forumiulienſis,cuius deuotiſsimi incolæ tanto affectu, tantaq; pietate proſequuti ſunt ſacram Religionem Franciſcanam,moti exemplo patrum,ac ſana doctrina, vt ſpontè Cõſules nomine communicatis ad ſanctiſsimum Dominum Sixtum IIII. Pont. max. anno Domini 1474. humiliter acceſſerint ſupplicantes, vt illis liceret conſtruere conuentum Religionis præfatæ, ſub titulo noſtræ Dominæ de conſolatione. Quorum deniq; votis benignè annuit præfatus Pontifex,prout conſtat ex breui ſuper ijs authentico. Veruntamen repugnantibus canonicis eccleſiæ collegiatæ,fauore ſereniſſimi ac pijſſimi Regis Renati,tunc in Prouincia agentis, & illuſtris Palamidis de Solerijs eius locum tenẽtis, non obſtantibus oppoſitionibus quibuſcunq;,volũtas ſummi Pontificis, & deuotio fidelium plenè ſortita eſt ſuum effectum. Non quidem intra metas diœceſis Forumiulienſis ſed Tholonenſis in territorio Ca-
E ſtri Regalis per milliare diſtans à Pigniaco extructus fuit conuentus, qui decoratur multis ſanctorum reliquijs,videlicet ſancti Blaſij Epiſcopi ac martyris,ſanctę Claræ, SS.Teodori,& Seuerini martyrũ,S.Agathę,& Vrſulæ virginũ & martyrum,Philemonis marty.Fabricijq;,ac lingua ſancti Mauritij.Conſecrata eſt eius eccleſia à R. Dionyſio Baſſoneti Epiſcopo Tholonenſi, qui ſibi aſſuetam indulgentiam in die anniuerſario conceſſit.Expertus quoque eſt conuentus hic cladem ſub hæreticis in primis tumultibus à quodam de Soreda, qui magna audacia atq; execrabili blaſphemia ſpoponderat ex eccleſia facere ſtabulum. Quo tempore fratres Minoritæ compulſi ſunt fugere, & ad loca tutiora ſe conferre. Sed malè mortuus eſt inimicus ille Eccleſiæ catholicæ, & conuentus remanſit, vbi morantur modo ſatis commodè decem fratres.

De Minoritico conuentu Florenſiaci. Conu. XXIII. A

FLORENSIACVM vrbs eſt iuxta mare frumēto refertiſſima in Gallia Gothica diœceſis Aghatenſis, in qua conuentus fratrum Minorum regularis Obſeruantiæ pulcherrimus & ſelectiſſimis lapidibus quadris, impenſis pientiſſimorum Ducū de Cruſſolis Vticenſis proſapiæ de Leuis, fundatus extitit. Verùm ſi patrū pietas & religio conuentum erexit, hunc ipſum filiorum hæreſis (proh dolor) funditus euertit, ita vt iaceat ſicut vmbraculum in cucumerarium. Videat Deus & iudicet.

De conuentu S. Mariæ de gratia Carcerum. Conu. XXIIII.

CARCERIS oppidum eſt inter Argentium, & Caramiam fluuios ſitum, non longè à Braguiniano diçceſis Aquenſis in Prouincia, pertinens ad illuſtriſſimum B Dominum de Pontenes Baronem de Cotigniaco, & Comitem Carcerum. Hoc in loco fuit inçeptus conuentus Ordinis Minorum regularis Obſeruantiæ, anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo vigeſimo, & die ſextadecima menſis Ianuarij, Prouinciam adminiſtrante patre fratre Antonio Panicando, aſſiſtentibus ſibi pluribus patribus, dum Regno potiretur Franciſcus Valeſius huius nominis primus, ac Galliarum Rex. Quidam aſſerunt hunc conuentum extructum eleemoſyna relicta à quodam reuerendiſſimo Epiſcopo, qui, dum illâc trāſiret, ibidem diem clauſit extremum, proficiſcens in Hiſpaniam. Verùm inſtrumenta, quæ nos certiores de hac re efficere poterant, ſunt deperdita. Eccleſia honoratur titulo beatæ ſemperq; virginis Mariæ de gratia, vbi octo tantùm fratres morantur frigeſcente charitate multorum.

C

De conuentu beatæ Mariæ de pace, ac S. Franciſci Olleollarum. Conu. XXV.

OLLEOLLARVM locus prope Tholonem eiuſdem diœceſis in Prouincia ſumma amœnitate arborum, fructuumq; varietate donatus, ſuper omnia alia Prouinciæ loca conſpicuus eſt: ſed magis incolarum deuotione in Deum, ac fidelitate in Regem, quippè qui nunquam monſtra hæreticorum paſſus ſit intra mœnia ſua inhabitare. Tanta præterea deuotione iampridem Ordinem diui patris Franciſci amplexatus eſt, vt ſub anno Dominicæ incarnationis milleſimo quadringēteſimo trigeſimo primo, toto conatu eius ciues ſummum Pontificem tunc clauum Eccleſiæ catholicæ gubernantem obteſtati ſint, quatenus ſuper conſtructionem vnius conuentus D ſancti ac ſeraphici patris Franciſci benignum prçberet aſſenſum in agro Olleollarum. Quod & illis paterna beneuolentia fuit conceſſum. Tamen inſurgentibus vbiq; impedimentis intentum opus non fuit executioni demandatum. Non ideò perinde ceſſauit populi deuotio: quinimò ſub anno Dominicæ natiuitatis 1536. ſummè cupiens ac ſummopere deſiderans votorū ſuorum effici compos, operi manum admouere cœpit, ſed perinde illi non defuit impedimentum, (Deo ſic permittente) vt tot, tantiſq; repulſis maior & feruentior cognoſceretur eius deuotio. Sicq; vſq; ad annum Dominicæ incarnationis 1570. & 28. Martij hac ſpe nutritus ad ſenatum iterum recurrit, à quo (prout ſuprà) beneplacitum optatiſſimum reportauit. Verùm non permittebant illa infeliciſſima tempora in Regno Galliæ nouas eccleſias conſtruere, cùm antiquæ impijſſimorum hæreticorum rabie funditus diruerentur ſoloq; æquarentur. Prorogatum fuit ergo opus non abſque ingenti dolore & perturbatione Olleollarenſium, qui E tot impedimenta & dilationes egerrimè ferebant, vſque ad annum Dominicæ incarnationis milleſimum quingenteſimū octuageſimum primum, & 18. Auguſti. Sedente demum in cathedra Petri ſanctiſſimo Domino Gregorio XIII. regnāte Chriſtianiſſimo Rege Henrico III. meq; totius Ordinis Franciſcani clauum tenente, prouinciali verò Miniſtro patre fratre Nicolao Bermundo præfatus conuentus feliciter fuit inçeptus, expenſis pijſſimæ Reipublicæ, ſub titulis beatę ſemperq; virginis Mariæ de pace, & beati Franciſci, quem reuerendiſſimus Epiſcopus Maſſilienſis (conſentiente reuerendiſs. Epiſcopo Tholonēn.) benedixit, quemq; 12. fratres commodè inhabitant.

A *De conuentu ſeu eremitorio S. Petri de Canono. Conu. XXVI.*

SVNT & in hac ſancti Ludouici Prouincia quatuor deuotiſſima eremitoria, de quibus ſuo ordine agemus, & primò quidē de eo quod Apoſtolorū corypheo diuo Petro de Canono dicatum eſt. Præfatum igitur eremitorium iure optimo primum inter cætera tria locum obtinet: nam mox poſt Concilium Conſtantienſe fuit conceſſum à quodam reuerendiſſimo Epiſcopo Aquenſi, & capitulo cathedralis eius eccleſiæ, cùm antea fuiſſet Prioratus. Eius ſitus ſedem obtinet in territorio de Horonis inter Auenionem & Aquaſſextias in monte amœniſſimo, irriguo, atque arboribus diuerſi generis conſito: qua etiam de cauſa contemplationi ſummoperè fauet, & à religioſiſſimis patribus ac fratribus ſemper fuit deuotiſſimè incultū, multorumq; nobiliū
B ſepulcris cohoneſtatum, potiſſimè proſapiæ Rupis martinæ. Huius conuentus, in quo 7. fratres morantur, eccleſia conſecrata eſt ſub titulo diui Petri Apoſtolorū Principis.

De conuentu B. Mariæ de pulchro viſu Taraſconis. Conu. XXVII.

EXTAT & aliud eremitorium inter Auenionem & Taraſconem, quod olim fuit domus campeſtris prope Caſtrum de la Motta. Nobilis autem ac potentiſſimus Raymundus de Monte falco motus in Ordinem diui Franciſci deuotione illā (quòd ad ſe pertineret) ſpontè dedit, vt à cætero eſſet habitatio fratrum, ſub anno Dominicæ natiuitatis milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſeptimo, aſſentiente ſanctiſſimo Domino Pio II. Pontifice maximo, prout extat breue authenticum. Titulus eccleſiæ eſt Domina de pulchro viſu. Manent hoc in loco ſatis commodè ſex fratres.

C *De conuentu B. Mariæ de gratia Turris aquarum. Conu. XXVIII.*

IN diœceſi Aquenſi in territorio Turris aquarum prope Pertuſium ſuper flumen Veſium, in valle quadam nemoroſa conſtructum fuit hoc eremitorum, ſub anno Dominicæ annunciationis milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo quinto, expenſis pijſſimi Domini Falconis de Agante regij Equitis, ac Domini de ſaltu Carpentoractenſis diœceſis, annuente tamen ſanctiſſimo Domino Sixto IIII. Pontifice ſummo, prout liquet ex eius breui. Titulus eccleſiæ eſt noſtra Domina de gratia. Hunc locum ex parte combuſſerunt caſtra hæreticorum, dum Pertuſium obſiderent, ductore des Adrets, de quo dictum fuit, dum de Carpentoracto ageremus. Multa paſſi ſunt ibi fratres, imò & ipſe locus à nefarijs hæreticis: verùm illorum temeritatem diuina
D vltio inultam non reliquit: nam eos qui auſi ſunt ſanctos viros moleſtare, vel temerario ſceleris auſu inuadere, tamquam ſacrilegos, & in Deum blaſphemos dira & grauis vltio ſemper ſubſequuta eſt, quia contra omnipotētiſſimum Deum, & contra propriā conſcientiam quamplurima ſcelera tyrannicè nimium patrarunt: quare huic nefario Duci, ſeu Capitaneo des Adrets ſuiſq; militibus, id accidit quod, dum de præfato conuentu Carpentoractēſi ageremus, diximus. Modò verò reſtauratus 6. fratres continet.

De conuentu ſeu eremitorio S. Hieronymi. Conu. XXIX.

IN territorio Maſſilienſi diſtans per tria milliaria à ciuitate Regia fundatum fuit hoc eremitorium impenſis pijſſimi ac sereniſſimi Renati Regis Sicilię, Hieruſalem, & Comitis Prouinciæ, aſſentiente ſanctiſſimo Domino Sixto IIII. anno Dominicæ
E incarnationis milleſimo quadringenteſimo octuageſimo, 6. nonas Iulij, anno verò ſui Pontificatus decimo, ſub titulo ſancti Hieronymi. Sunt hoc in loco plura notatu digniſſima, & primò quidem imago præfati ſancti Hieronymi manibus prædicti Regis Renati venuſtè depicta, & ſequentes ſanctorum reliquiæ: de oſſibus ſanctorum Sebaſtiani, & Fabiani, quæ præfatus Sixtus Papa tranſmiſit ad ipſum Regem Renatum per venerandum patrem ac magiſtrum Bernardum de Capua præfati Regis Confeſſarium. Commorantur commodè hoc in eremitorio ſex fratres.

VT autem pollicitis ſtemus, pateantq; ad oculum huius Prouinciæ martyres (de quibus tum ſuperius, tum quoque inferius) eos graphicè in tabella depictos hoc in loco ponendos curaui, in gratiam illorum, qui iconibus maximè oblectantur.


GLORIOSV̄ CERTAMĒ FRATRV̄ MINORV̄ OBSERVANTIÆ PROVINTIÆ S. LVDOVICI
F. ſpontius chaiſſi · F. Antonius brunellus · F. Andreas Robertꝰ ·
F. Claudiꝰ faber · G. F. Animon · F. Iohānes Capucius ·
F. Baltazar pratiꝰ · F. Iohān. Chalueti · F. Guillermꝰ · F. Iohānes lautrec ·
F. Iohānes Riuustortꝰ Minr. Pro. F. Petrus Menqui ·
F. Antonius carbonacius ·
F. Antonius Gai · F. Iohānes Vachetus ·

A PRÆCEDENTIBVS quoque fratribus pro Chriſti fide occiſis anne-
ctendi veniunt duo noui ſacerdotes, qui Pariſios ſtudij cauſa mittebãtur
à Prouincia. Ii capti fuêre prope locum, qui vulgò dicitur la Palſi in cõ-
finibus Comitatus Veniani ſuper Auxaricam, quorum alter vocabatur
frater Antonius Gaijns, oriundus ex pago de ſancto Zacharia diœceſis
Maſſilienſis, alter verò dicebatur frater Ioannes Vachetus oriundus ex Caſtro Vul-
pini prope Auenionem. Ambo religioſæ vitæ, bonæq; expectationis. Fuerunt igitur
in via capti à militibus hæreticis, detruſiq; in ergaſtulum, ibiq; rigidè, ac cum maxi-
ma crudelitate ſeruati per quindecim dies, ad quos freqũter Miniſter hæreticorum
venit ſatagens animos illorum à vera fide, & Religione ſeducere. Primò quidem pro-
miſſionibus, deinde minis. Verùm illi iuuenes quidem ætate, tamen cum prudentia
B ſerpentis euangelici corpora ſua flocci pendebant, vt caput ſuum Chriſtum, cui fi-
dem ſpoponderant, ſeruarent. Quamobrem conſtanter, ac intrepidè permanentes
ſententiam mortis à præfato Miniſtro ſubierunt, quam mox exercuerunt iniqui mili-
tes colligantes ſimul præfatorum fratrum manus ad ſtipitem arboris. Ibidem corpo-
ra illorum irriſoriè, ac crudeliter ſpherulis catapultæ diuerſis in locis tranſuerbera-
runt, perforaruntq;, non quidem illicò, ſed theatrum excitantes, paulatimq;, vt ma-
ior illis infligeretur pœna. Illi verò mutuò ſe exhortantes vnus poſt alium ſpiritum
reddiderunt altiſſimo Creatori, pro cuius nomine ingenti lætitia affecti libentiſſi-
moq; animo talia patiebantur. Cui honor & gloria in ſæcula ſæculorum Amen.

De monaſterio Clariſſarum Biterrarum. Mon. I.

C SVNT & à præfatis locis hac in Prouincia ſeptem monialium monaſteria, quo-
rum primum occurrit id quod Biterrarum (de quibus ſuprà) erectum eſt. Id ta-
men diſcriminis à prima ſui erectione vſque impræſentiarum intercedit, quòd videli-
cet anno Dominicæ incarnationis 1280. extra ipſius ciuitatis muros extructum fue-
rit. Tamen cum ipſa ciuitas Anglico bello crebrò laceſſiretur, anno Dominicæ incar-
nationis 1364. facta primùm fundi commutatione cum canonicis eccleſiæ ſancti Eu-
phrodiſij, aliud (de quo impræſentiarum) ædificatum extitit. Cùm autem ſucceſſu
temporis ſorores à vero inſtituto ſuæ Regulæ deſtitiſſent, à ſororibus monaſterij Lezi-
gniani fuerunt reformatę, multorum patrum eximiæ ſanctitatis auxilio, quorum cor-
pora ibidem requieſcunt. Bis expertæ ſunt huius loci moniales in tumultibus Galliç
aſſuetas miſerias, & clades, nulla tamen perijt in fuga: laus ſuperis. Quibus tamen
D vtcunque ſedatis reuerſæ ſunt, manentq; ibi modò triginta earum, vitam interim ſat
pauperem ducentes, paupertatem tamen propter ſponſi amorem libenter perferunt.

De monaſterio S. Claræ Auenionis. Mon. II.

RELIGIOSISSIMVM eſt hoc monaſterium inter alia totius Galliæ olim à
ſororibus ſancti Damiani Aſſiſinatibus conſtructum. Verùm paulatim rigidam
ſui ſtatus diſciplinam reliquit. Tamen illuſtriſſimus Franciſcus Cardinalis de Cla-
romonte, dum eſſet Legatus Auenionenſis propriam ſororem Franciſcam de Claro-
monte monialem ſanctiſſimam ex monaſterio Albigenſi euocans, eam huic loco in
Abbatiſſam præfecit. Cuius denique pietate, & fratris auxilio fuit ad plenum refor-
matum. Præfatæ ſororis Franciſcæ corpus honeſtè à ſororibus honoratur. Huius
E loci eccleſia decoratur titulo ſanctæ Claræ, atque etiam ſepulcro nobiliſſimæ domus
Vicecomitum de Cadeneto, patrum, fratrumq; tum Epiſcoporum, tum equitum re-
giorum, veluti monaſterium vigilantia matrum, filiarum, & ſororum eorundem.
Sunt omnes ſimul ſorores numero quinquaginta, Deoq; fideliſſimè famulantur.

De monaſterio S. Annæ Lezigniani. Mon. III.

MONASTERIVM Lezigniani pauperum dominarum ſanctæ Claræ, non
longè à Narbona diſtat, antiquitate, & deuotione non vulgare, ſub anno Do-
minicæ incarnationis 1306. à pientiſſimo Iacobo à Borbonio Rege Siciliæ, & Hieru-
ſalem, & Vngariæ, atque Neapolis, Comite Marchiæ, Carlati, ac Caſtrenſis fuit extru-

ctum, ad requiſitionem tamen ſanctæ matris Coletæ, cui præfatus Rex fundum con- A
ceſſit, ſub Eugenio IIII. ſummo Pontifice, anno ſui Pōtificatus primo, prout extat bre-
ue. Hoc in monaſterio tantùm viguit Regulæ & ſtatus obſeruantia, quòd meritò
multorum aliorum cognoſcatur veluti parens, & ſeminarium, potiſſimè monaſterij
Perpiniani, & Biterrarum, imò etiam & Aquenſiū. Titulus eccleſiæ eſt diua Anna ma-
ter virginis Mariæ, quam eccleſiam legimus conſecratam à quodam reuerendiſſimo
Epiſcopo ſancti Pauli. Plurimùm honorantur hoc in loco oſſa, ſummo odore fragran-
tia, beatæ ſororis Bonæ ex proſapia d'Arminiaco: quæ tantæ fuit vitæ auſteritate, tan-
taq; prædita eleuatione mentis in Deum, vt dono prophetię aliquando fuerit illuſtra-
ta, potiſſimè ſuper obitum patris ſui, prout legenda eius teſtatur. Fertur quoque ad
ſepulcrum dictæ ſororis Bonæ quidam mortuus olim reſuſcitatus. Non pepercit huic
deuotiſſimo monaſterio Caluinica rabies, potiſſimè ſub anno Domini 1576. dum è B
ſacris excubijs matutinalibus hora tertia poſt mediam noctem redirent ſorores. Quip-
pe ab irrumpentibus per tectum & parietes ſacri clauſtri prædonibus, & circumcelio-
nibus hęreticis pauperes ſorores circundantur, à quibus vſque ad ſacrum velum om-
nibus bonis fuerunt expoliatæ, ac ſummæ viginti aureorum pro cuiuſlibet redem-
ptione expoſitæ, Angelo Domini nihilominus ſacrum pignus virginitatis, quod Do-
mino vouerant integrum ſeruante. Illas mater Abbatiſſa poſt varias tribulationes
Narbonam iniuncto muneri ſatisfactura conduxit. Vbi fuerunt humaniſsimè & à ſe-
natu, & tota ciuitate ſuſceptæ. Poſt aliquot annos reuerſæ ſunt ad præfatum monaſte-
rium omnino deſolatum, inibiq; modò manent Domino ſeruientes ad numerum 26.
de prima (vt aiunt) Regula, magnam interim charitatem pauperibus tranſeuntibus
pro ſuo modulo ſubminiſtrantes, eoſq; omni beneficiorum genere proſequentes. C

De monaſterio Dominicæ natiuitatis Aquis. Mon. IIII.

MONASTERIVM ſanctæ Claræ in ciuitate Aquenſi fuit fundatum ſub ti-
tulo natiuitatis Domini à Chriſtianiſſima Regina Sanctia vxore inuictiſſimi
ac ſereniſſimi Regis Roberti Hieruſalem, & vtriuſque Siciliæ, Comitiſq; Prouinciæ.
Quæ quidem Regina multa pretioſa magniq; valoris dedit iocalia eidem monaſte-
rio. Inter quæ ciborium & pixis ad deferendam ſacram communionem ſororibus
ſingularis fabricæ primum iure obtinet locum. Sunt inſuper multæ reliquiæ: Vt-
pote de ligno ſanctæ crucis, vndecim millium virginum & martyrum, ſancti Andreę
Apoſtoli, ſanctæ Catharinæ virginis & martyris, ſanctæ Mariæ Magdalenæ, ſancti Lu-
douici Epiſcopi Toloſani Ordinis diui Franciſci. In præfati monaſterij eccleſia quie- D
ſcit corpus à ducentis annis vel circiter ſancti patris Foraſterij quondam monialium
Confeſſoris: vir vtiq; mira pietate, ac ſingulari obedientia præfulgens, præcipuè pau-
pertatem Euāgelicam coluit, quam velut theſaurum incomparabilem in cœlo recon-
ditum verbo ſimul & opere mirificè extollebat. Hic amore Ieſu Chriſti omnia deſpe-
xit, & Religionem Franciſcanam eſt aggreſſus, ibiq; magnos progreſſus fecit, & tan-
dem, omni perfectione plenus, huic vitæ mortali vltimum vale dixit, & honorifico
in ſepulcro poſitus fuit: ob cuius merita Deus optimus maximus quamplurima, eaq;
maxima, miracula operatus eſt, indieſq; patrat. Licèt non ſit ſanctorum catalogo
aſcriptus, habetur nihilominus in ſumma reuerentia à fidelibus Chriſtianis. Claudi-
tur eius ſepulcrum ſera fortiſſima, claueſq; ſeruant ciuitatis Conſules. Præfato in
monaſterio commorantur 30. ſorores de prima (vt aiunt) Regula: quapropter nullos E
redditus, etſi liberaliſſimè ab aliquibus Galliæ principibus ſæpe ſæpius eis oblati fue-
rint, penitus admittunt, ſed exemplum B. virginis Claræ earum primipilæ imitātes, in
ditiſſima paupertate, quam ab initio elegerunt, vitam ſuam traducunt, & ingenti hi-
laritate diurnas nocturnaſq; laudes ſuo dilectiſſimo ſponſo Ieſu Chriſto, cui fidē de-
derunt, continuò decantant. Vnde omnes illas magna obſeruantia proſequuntur.

De monaſterio S. Claræ Maſsiliæ. Mon. V.

OLIM fuit monaſterium primo extra mœnia ciuitatis Maſſilienſis in loco, qui
dicebatur Nazareth. Sorores verò vocabātur ſorores ſancti Damiani, fuitq; illud
monaſte-

A monaſterium multorũ ſummorum Pont. vtpote Vrbani IIII. anno 2. ſui pontificatus, Alexandri itidem IIII. anno 1. ſui Pont. indultis plurimùm cohoneſtatum, imò & oliuetis & prędijs ditatum. Tamen bellis ingruentibus ſolo extitit æquatum. Vnde ſorores facultatem petierunt ab Vrbano V. anno 1. ſui Pont. ædificandi intra ſepta eiuſdem ciuitatis aliud monaſterium aſſentiente ſenatu, & fundũ concedente egregio viro Ioanne de Quinciaco Iuris Doctore, & Gulielmo à ſancto Ægidio, idq; ſub anno Domini 1366. & 26. Maij. Huic etiam monaſterio, veluti & Aquenſi, Ciſtericenſi, ac Manuaſcenſi, quæ quondam floruerunt ſub titulo ſanctæ Claræ, Regina Sanctia (de qua ſuprà dictum eſt) multas immunitates conceſſit, & vnicuiq; mille vncias auri elargita eſt, dum ageret Neapolis ſub anno Domini 1337. veluti & Papa Alexander IIII. intrantibus eius eccleſiam in die eiuſdem feſtiuitatis, & per octauas, anno B ſecundo ſui Pontificatus plures gratias atq; indulgentias impertitus extitit. Hic Papa Alexander retulit beatam Claram in numerum ſanctorum. Cuius canonizatio aſſeruatur ſcripto in membranis hoc in loco omnino authentica, idq; magna cum reuerentia. Nicolaus etiam IIII. conceſſit indulgentias intrantibus hanc eandem eccleſiam in omnibus feſtiuitatibus beatæ Mariæ virginis. Fuit deniq; reformatum hoc monaſterium, cuius eccleſia ſub titulo ſanctæ Claræ conſecrata fuit, quodq; à 38. ſororibus de prima (vt vocãt) Regula inhabitatur, anno Domini 1516. & 15. Martij per R. P. F. Petrum Achardum prouincialem Miniſtrum, vocatis, & deſumptis quibuſdam religioſiſſimis ſororibus ex monaſterio ſororũ Clariſſarũ ciuitatis Aquenſi.

De monaſterio Clariſſarum Arelatis. *Mon. VI.*

C HOC monaſterium recens eſt ab anno Domini 1562. citra: nam antea ſorores monaſterium habebant Nemauſi prope murum ciuitatis extructum, expenſis cuiuſdam herois ac Domini de ſancto Romano, & procerum ciuitatis. Cui tamen non pepercit ad omne flagitium parata cohors hæreticorum. Qui tamquam Satanę miniſtri fideliſſimi illius pręcepto non obedire nequeunt, & exequutioni mandare illud, ob quod illos ſuſcitauit. Dũ enim hoſtis humani generis Diabolus videt aliquos Deo ſe conſecraſſe, & ad Franciſcanam Religionem tamquam ad ſecuriſſimum aſylum & refugium confugiſſe, nefarios miniſtros omnibus artibus & vijs ſuſcitat, vt ipſos diriſſimis tormentis perſequatur: ſicut in omni tempore & ætatæ ſuſcitauit ipſe nequiſſimus Satan miniſtros & carnifices, qui impijſſimè eccleſiãDei perſequuti ſunt, ſicut in duodecima perſecutione Eccleſiæ catholicæ ſuſcitauit illum crudeliſſimum Iu- D lianum apoſtatã (defecerat enim à fide catholica cui initiatus à principio fuerat) qui Chriſtianorum ſanguinem ingenti immanitate idolis vouit: Veruntamen Deus opt. max. non permiſit inultam permanere temeritatem flagitioſi hominis: nam factus Cæſar & dolo Auguſtus, ſuſcepto aduerſus Perſas bello, in ipſo prælio lethale vulnus accepit, & in cœlum iaculatus in hæc verba prorupit: Exple iram tuam Galileæ (ita enim Chriſtum appellare conſueuerat) abs te fateor me ſuperari. Cùm itaq; pręfatæ Clariſſæ moniales ſponſo dilectiſſimo Ieſu Chriſto ſe coſecraſſent, & habitum cum regula ſanctæ Claræ virginis ſuſcepiſſent, in ipſas tamquam in ſelectiſſima veræ fidei membra Dæmon hos ſuos nefarios miniſtros ſuſcitauit, qui illarum monaſterium omnibus bonis expoliauerunt, ſoloque æquauerunt, & pauperes ſanctimoniales bis terque inde expulerunt, quæ, ductrice illius exilij matre Angelica Calua Nicęna primiceria religioſiſſima, ac in aduerſis fortiſſima per varias ſedes vaga- E tæ ſunt, ſemper bonũ odorẽ exhalantes. Has primò ſuſcepit Taraſco, poſtmodum Arelatum, vbi in ſumma rerum, & hoſpitij penurina manent earum duodecim numero.

De monaſterio Aziliæ. *Mon. VII.*

VLTIMO loco ponitur monaſterium Aziliæ. Cuius ſorores viuunt ſub priuilegijs Vrbani ſummi Pontificis. Eius fundatrix extitit inclyta ac pijſſima Eliſabetha de Leuis Azilienſium Comitiſſa, ſimul & inſulę Iordanis, anno Domini 1361. eccleſia conſecrata habetur ſub titulo ſanctæ Claræ. Commorantur deniq; hoc in loco duodecim religioſiſſimæ ſorores Clariſſæ, ſed Vrbaniſtæ ſiue poſſidentes.



PROVIN-

PROVINCIA HYBERNIAE.

A QVIA rabida hæreſeos peſtis, infeliciſſimis his noſtris temporibus, in florentiſſimis Angliæ, Scotiæ, Daciæ atq; Hyberniæ Regnis adeò percrebuit, vt ex plurimis Franciſcanorum conuentibus, ibidem in quatuor diſtinctis Prouincijs videlicet Hyberniæ, Scotiæ, Daciæ atq; Angliæ erectis aliquot tantùm in Hybernia reſidui ſint, qui à fratribus adhuc occupentur: vtq; nulli ex noſtris citra pręſentiſſimum vitę diſcrimē ad ea pateat acceſſus, quatenus breuiori ſaltem compēdio quæ de ipſis Prouincijs, deq; eorum monaſterijs dicēda forent colligere poſſint, alium à ſeruato in alijs modum impræſentiarum tenere cogimur. His accedit, quòd à breuiſſima quadam relatione nobis per R.P.F. Marcum ab Olyſippone Portuenſem Epiſcopum in 3. ſuorum Chronicorum
B parte tradita nulla penitus apud nos extent monumenta, ex quibus vel ipſarum Prouinciarum antiquitas & erectio, vel ſaltem conuentuum in eis erectorum numerus & nomina innoteſcant: quodq; ex Daciæ atq; Angliæ Prouincijs nullus penitus frater ſuperſit, ex quo iſta addiſcamus: quodq; tandem vnus aut alter ex Scotiæ Prouincia ſuperuiuat frater, & quotquot Hyberniæ patres ac fratres noſtris in partibus inueniantur, inter ſe omnino diſſideant, nulloq; pacto in conuentuum Hybernicorum nominibus atq; numero conſentiant. Nihilominus tamen, quæ hîc de præfatis Prouincis, deq; eorum conuentibus, atq; glorioſis fratrum agonibus à nobis dicentur, ea nouerit curioſus lector non abſq; maximo labore parta, & ad calculum ſæpè ſæpiſſimè reuocata fuiſſe, vt omnis mendacij ſuſpicio à noſtris ſcriptis longius eliminetur.
C Quamobrem eundem pium lectorem exoratum cupimus, vt à nobis his de quatuor Prouincijs dicta, qualiacunq; ſint, boni conſulat, gratantiq; animo excipiat. Quem tamen pręmonitum volumus, nos impræſentiarum alium ab aſſueto (vt prędiximus) morem ſequuturos: Nam ipſas quidem Prouincias ab inuicem ſeparabimus, & illarum cuiq; ſub proprio titulo locum ſtatuemus, non quidem illum, qui ſibi ex antiquitate debetur, cùm inter Prouinciam Scotiæ atq; Daciæ Conceptionis Prouincia interpoſita ſit, & inter Daciæ atq; Angliæ Prouincias ea quæ Britannię dicitur, medium locum teneat, ſed eum, qui ſibi inter ſeſe contingit. Deinde ſi qui adhuc ſuperfuerint conuentus, eos in medium adducemus. Tum demum patres ac fratres no-
D ſtros in ipſis à truculentiſſimis hæreticis pro Chriſti fide martyrio coronatos prælegentium oculis ponemus. Præfatarum verò Prouinciarum, cùm aliquot tantùm conuentus in ea, quæ Hybernię dicitur, adhuc (vt præfati ſumus) perſeuerent, in cęteris autem nullus penitus reſiduus ſit, ſiue ſigilla, ab eo ſolummodò, quo Hybernię Miniſter pro muneris exequutione fungitur, ſiue etiā prępoſitos ſibi patronos à ſancto Malachia Hybernicorum Epiſcopo: qua etiam de cauſa Prouincię Hybernię à nobis pręponitur, cùm cui patrocinentur non adſit, nec debita Prouinciarum deſcriptio fieri poſſit, non eſt quod à nobis ſperet. Vt igitur quæ polliciti ſumus pręſtemus
E ab Hyberniæ Prouincia, tamquam ab antiquiori, atq; adhuc aliquo modo ſuperſtite auſpicabimur.

HÆC itaq; Hybernię Prouincia, licèt antiquitate non careat, nullam aliam nobis peperit, nec ab aliqua originē duxit, ſed quēdam ex ſeraphici patris Franciſci ſocijs, qui ex Compoſtella eò traijciens aliquot monaſteria in inſula conſtruxit, & tandē ibi cum maxima ſanctitatis opinione diem clauſit extremū, ſui fundatorem erectoremq; habuit: eiuſq; inſulæ, quę inter Septentrionem, atq; Occidentem ſolum emergens Britannia, cui propinqua eſt, dimidioq; minor exiſtit, & ab hyberno tempore propter hyemis magnitudinem, (vt quidam putant) Hybernia appellatur, fini-

bus

bus clauditur:& anno à partu Virgineo 1517. iuxta præfati R.P. atq; Epiſcopi fratris A
Marci ab Olyſippone ſententiam,ex 17.monaſterijs conſtans,in tantam poſtmodum
fœcunditatem prorupit,vt ſecundum aliquos ex 56. ſecundū verò alios ex 34.conſti-
terit. Quicquid tamen ſit nunc Bucltfurmainenſis,Chauanireilleienſis, Ardmacha-
nus,Liſgouiſcēſis,Rilconillēſis atq; Roſcēſis conuētus ſuperſunt,& alij omnes diruti
ſunt ſoloq; æquati. Vtebatur nihilominus prouincialis eius Miniſter pro muneris ſi-
bi iniuncti exequutione ſigillo,cui Dominica crux triplici clauo,atq; ſpinea corona,
nec non & titulo I. N. R. I. inſignita, cui humanum caput pelle nudatum, duoq; oſ-
ſa in crucis modum diſpoſita ſubſunt,atq; ſequentia verba: SIGILLVM. PRO-
VINCIÆ. HIBERNIÆ. FRATRVM. MINORVM. DE. OB-
SERVANTIA. in orbem impreſſa ſunt. Vt autem, quantum diſcriminis inter
antiquiora atq; hæc noſtra deploranda tempora interſit, facilius innoteſcat,præteri- B
tam Regni Hyberniæ fortunam cum præſenti comparabimus. Pertinet itaq; Hyber-
nia ad ſummum Pontificem,licèt ab Angliæ Regina per tyrannidem maiori ex parte
occupetur. Cumq; olim eius incolæ in tradita ab antiquioribus fide ſe continerent,
Pontificiſq; maximi dictis audirent, vniuerſa Hybernię inſula in quatuor Prouincias
nempe in Ardmachanā, Dublinēſem,Caſſinenſem atq; Tuomenſem ordinatè diuiſa,
ſingulari in Deum pietate atq; ſanctimonia,& maxima religione florebat:Nam Ard-
machanus Archiepiſcopus Primatus etiam totius Hyberniæ titulo inſignitus, & toti
Prouinciæ,atq; 9. Epiſcopis,nēpe Dunenſi, Derenſi,Midenſi,Clochorēſi, Adachadēſi,
Kelmorenſi,Rapotenſi,Dromorenſi atq; Cluanenſi, in quorū dięceſibus Minoritica 9.
monaſteria,vel ſecundū alios plura erecta erant,maxima ſolicitudine pręerat.Dubli-
nenſis verò Archiepiſcopus ita Dublinenſi Prouincię præpoſitus erat, vt & ipſi atq; 4. C
Epiſcopis videlicet Darenſi,Oſſerenſi,Fernenſi atq; Lelglinenſi, in quorū territorijs 7.
vel plures Minoritarum conuentus ſubſiſtere contigit, ius ex apoſtolica auctoritate
dicebat. Præterea Caſſellenſis Archiepiſcopus Prouincię Caſſelenſi, atq; octo Epiſco-
pis,ſcilicet Corgagenſi,Limiricenſi,Vaterfordenſi,Laonenſi,Imellacenſi,Ardfertenſi,
Roſſenſi & Finaborenſi præfectus 14. Franciſcanorū Obſeruantū cœnobia,vel plura
omni beneficiorum genere proſequebatur. Tum demum Tuomenſis Archiepiſcopus
Tuomenſi Prouinciæ,atq; ſex Epiſcopis Clonfertenſi videlicet,Elfinēſi,Auadēſi,Ala-
denſi, Duacēſi atq; Maionenſi prælatus ea in quatuor fratrum Minorū loca, vel fortè
plura, eorumq; alumnos ferebatur beneuolentia,vt nihil magis ab eis curare videre-
tur.Atqui impræſentiarum fracta à præfatis incolis,tum Crhiſto, tū quoq; eius Vica-
rio Pont. ſcilicet max. dataq; tū Caluiniſtis,tū Anabaptiſtis, tū quoq; quamplurimis D
alijs peſtilētiſſimis, atq; de omni maledicto optimè meritis hęreticis manu,tū ſęcula-
res,tū quoq; regulares eccleſię vel ſolo ęquatę,vel immiſſo igne ab iiſdē hęreticis exu-
ſtę ſunt, & præfati Archiepiſcopi,Epiſcopi,atq; etiam fratres Minores,& ſi qui fuerint
alterius Ordinis alij,imò & quamplurimi ſæculares ſacerdotes, eccleſiaſticis interim
redditibus in ſanguinariorum vſum conuerſis, vel profligati vel diuerſo cruciatuum
genere examinati,vel vltimo ſupplicio (vt de aliquibꝰ noſtri Ordinis religioſis ſtatim
patebit) affecti ſunt,ita vt in toto Hybernię Regno confuſio,execratio,mortiſq; ima-
go paſſim appareant. Allaturi igitur in medium eos Franciſcanos patres,qui in prę-
fato Hybernię Regno martyrij palmam ſub truculentiſſimis hæreticis aſſequuti ſunt,
à R. patre fratre Patricio Helio, eiuſq; ſocio Cannocio à Reuereche exordiemur.

Reuerendiſſimus itaq; pater Patricius Helius,Franciſcani Inſtituti deuotus cultor, E
ab ipſa adoleſcētia optimis diſciplinis imbutus, in Hiſpaniam ſe contulit,ſeriam literis
operam nauaturus,delegens ad hoc florentiſſimam Accademiam Complutenſem:vbi
ſupra ſuos coëtaneos ſummopere profecit in ſacrarum literarum ſtudijs. Hinc verò,
anno Domini 1577. Romam petit, diuinoq; ſpiritu afflatus, ac zelo animarum actus,
cum obedientię merito à ſuo deſiderio non defraudatur, ſed catholicis prædicationis
gratia,ab ipſo eiuſdem Ordinis Generali Miniſtro (S. Papa Gregorio XIII. annuente)
in Hyberniam mittitur,creatus Epiſcopus ab ipſo Pontifice, quippe qui in eo tum ſin-
gularis prudentię atq; eruditionis, tum verò eximij pro fide catholica zeli manifeſtiſ-
ſima perceperat indicia: vnde magnifica admodum largitione erga eum vſus dimit-

A tit,ſeriò gregis ſui curam,& ſalutem illi commendans,qui ineffabili charitatis ardore
æſtuans,præſentiſſimis etiam vitę periculis non abſterritus,Hybernorũ ſtudebat ſalu-
ti. Is itaq; Pariſios adiuit : atq; inde Lutetiæ conſtitutus euenit,vt noua quædã ex pa-
trio ſolo reciperet,infauſta penitus,quę ſanè hominis animũ non ignari, quàm pericu-
loſa ſit res inter hęreticos agere,potuiſſent à concepto in Hyberniã proficiſcendi pro-
poſito deterrere : Verùm maluit vir Dei, & legitimus obediẽtię filius,ſingularisq; cõ-
ſtantiæ gloria illuſtris,ſummi Pont.mandato obtẽperare , accenſoq; ex S. Spiritus in-
ſtinctu,deſiderio morẽ gerere,& animarum ſaluti intendere,quàm proprię vitæ ratio-
nem habere, non certè ignorans cũ capitis periculo hoc iter ſe fore ingreſſurũ ; para-
tus,ſcilicet,vt bonũ paſtorem decet,pro ouibus ſuis animã ponere , dum occaſio adeſ-
ſet.Accingit ſe igitur, atq; iter arripiens Britanniam petit ; ac mari ſe cõmittens ad lit-
B tus quoddã deſertũ applicuit : vbi cùm in Hybernicum ſolũ deſcendiſſet , domum Co-
mitis Deſmoniæ diuertit ; vbi ab illius coniuge,eo abſente, perhumanè receptus,poſt
triduum vnà cum ſocio ſuo fratre Connacio à Ruereche proditur ;qui poſt triduum
diſceſſit Limiriũ verſus,vt inde ad copias catholicas tranſiret.At verò ibi, operã nauãte
ipſa Comitis Deſmoniæ coniuge , à prætore loci illius in vincula coniectus eſt ; ſtatim
ad oppidum Malogenſe mittitur ; vbi tunc tẽporis Prorex reſidebat , qui optimis qui-
busq; viris infenſus,& ſupplicia,& mortem ſolebat inferre:ibiq; vnà cũ ſocio fratre vi-
delicet Cõnacio à Ruereche inclyti Principis Bernardi à Ruereche filio, abſq; aliqua
iuris forma,ipſius Proregis decreto mortis ſententiã ſubijt. Atq; tunc,dũ illi Prorex &
beneficij ſui ius integrum,& poſſeſſionẽ, & quicquid ad ſui epiſcopatus rationẽ perti-
neret,& honores deniq; maximos offerret,modò fidẽ catholicã abnegaret , & negotiũ
C omne proderet:de fide reſpondit ſe nolle illã cum vitę poſſeſſione,aut honoribus com-
mutare: de negotio verò,cur illuc venerat,nimirum reſpõdit ſe ideo veniſſe, vt in epi-
ſcopali functione (quam ſe obire palã profeſſus eſt) cauſam Religionis promoueret ,
& ſalutem animarum procuraret ; nec propterea mortem ſe recuſare , quæ cũ pietate
eſſet cõiuncta.Dumq; vlterius Prorex ab eo requireret,vt indicaret quid Pontifex Ro-
manus, Rexq; catholicus Philippus captaſſent conſilij pro inuaſione Hyberniæ , nihil
reſpondit;quãuis certè ſciret,pro hac eius taciturnitate,grauiſſimas pœnas ſe daturũ.
Hinc namq; Satanæ miniſtri tenuiora, acutiſſimaq; ferramenta digitis illius ſuperpo-
nentes,ac mallei ictibus imprimentes,digitos ipſos in partes ſecarũt . Eo nihilominus
acerrimo ſupplicij genere vir Dei conſtantior effectus, temerariã Proregis petitionem
ſilentio damnauit.Quo factum eſt,vt ſtatim ad patibulum duceretur;qui,dum illuc cũ
D ſocio iter ageret copiam legendi Litanias petiuit, atq; vt abſolutionem à ſocio accipe-
ret,eãdemq; illi impartiretur , quæ cum obtinuiſſet,deuotè expleuit; ac deniq; grauiſ-
ſima oratione ad populum habita de fidei neceſſitate,de ſeruanda conſtantia, deq; ſui
inſtituti ratione ; in quibus aſſerendis anno Domini 1579.vnà cum ſocio,pro catholi-
cæ fidei profeſſione ſuſpendio necatus,felicem mortem libenter ſubijt . At verò Pro-
rex,qui mortis ſententiam in viros Dei tulerat,diuinæ ſuccumbens vindictæ , læthali
morbo ſtatim à Deo percuſſus Vuaterfordiæ infeliciter obijt,manum Dei agnoſcens,
palamq; aſſerens mortem ipſius Epiſcopi ſui interitus fore cauſam . Corpora autem
martyrum Chriſti,cùm diu in patibulo catenis ſuſpenſa permanerẽt , immutata qua-
litate,eodem vultu,aſpectuq; ſemper apparuerunt , quem iam obitus ſui hora præſe-
E ferebant : ex quibus inſuper ſuauiſſimus odor prodibat, ita vt ad rei nouitatem popu-
lus omnis vndiq; conflueret : vnde & eorum veſtimẽta pia deuotione ab ipſo populo
fruſtatim fuerunt conſciſſa,atq; ablata,adeò vt penè nuda remanerent . Sed & feris ,
moloſſisq; atrocibus, qui in eo ſupplicij loco ſuſpenſorum corpora deiecta ſtatim di-
ſcerpunt,ac deuorant, atq; cornicibus,alijsúe volucribus,quę cadaueribus nutriun-
tur,hæc duo tantummodò corpora illæſa, intactaq; penitus remanſerunt . Poſtmo-
dum verò Ioannes Deſmoniæ ipſorum martyrum corpora maximo cum honore cu-
rauit inhumari . Præterea prope ciuitatem Aladenſem frater Felimeus Hara laicus
profeſſus, filius illuſtris herois Ioannis Hara principalis ſuę nationis cal.Maij 1582.
gladijs hæreticorum occubuit . Tum demum frater Thadęus Dalaigh ſacerdos cal.
Ianuarij 1576. in ciuitate Limiricenſi ab ijſdem hęreticis crudeliſſimè ſuſpenſus eſt.

PROVINCIA SCOTIAE.

SCOTIÆ Prouincia, vt ex antiquiſſimis Annalibus accepimus, anno à partu Virgineo 1224. beatiſſimo patre Frãciſco adhuc in viuis agente, exordium ſumpſit, eoq; fœcunditatis deuenit, vt circa annum Domini 1400. ex quatuordecim conuentibus conſtiterit. Quorum patres ac fratres cùm & annuos redditus admitterent, poſſeſſionesq; & prædia poſſiderent, Iacobus eius nominis primus, Scotorũ Rex centeſimus primus, de Chriſtiana religione optimè meritus, vt primùm audiuit nouum quoddam fratrum Minorum examẽ, duce beato patre Bernardino de Senis, ex Frãciſcana Religione in Italia felicius prodiiſſe, atq; ad ſuperiores vſque Germanos peruaſiſſe, Prouinciæ Coloniæ patres datis ad ſe literis, vt aliquot patres, qui vel collapſam apud ſe vtcunq; Frãciſcanam Religionem priſtino nitori reſtituerent, vel aliquos conuentus de nouo erigerent, mittere vellent, obnixè rogauit. Quod vt reuerendus admodũ pater Ioannes Mahubertus totius Vltramontanę Obſeruantis familiæ Franciſcanæ Generalis Vicarius reſciuit, venerabilem atq; eximia ſanctitate præditum patrem Cornelium à Zirichzea natione Batauum cum ſex aliis ſociis, Eugenio IIII. Pont. max. in Scotiam, tantæ Regis pietati morem geſturus, transmiſit. Illi verò Scotorum littoribus appulſi tale, tantumq; ſuæ ſanctitatis, atq; Religionis ſpecimen dederũt, vt intra pauciſſimos annos, tum præfati Regis Iacobi, tum quoq; reliquorum eius inſulæ, atq; Regni nobilium auxilio nouem conuentus Regulari Obſeruantię mancipatos erexerint. Ex his igitur 9. monaſteriis vniuerſa Scotiæ Prouincia conſtabat, quando noſtri Ordinis ſigillũ, atq; Miniſteriatus ſub Leone X. ſummo Pont. anno Dñi 1517. ad Regularẽ Obſeruantiã deuoluta ſunt: imò & quãdo exorta apud Scotos, de Chriſtiana Religione olim optimè meritos, peſtifera hęreſis eſt, & ſacra prophanis mixta, & ipſi conuẽtus, pulſis fugatiſq; eorũ fratribus, vel ſolo ęquati, vel combuſti ſunt. Nolim tamen ex his quæ dicta ſunt à nobis, exiſtimet aliquis ſeptem millia Scotorum, qui non curuauerint genua ante Baal ea in inſula minimè inueniri: cùm ſint plurimi tum nobiles, tum quoq; populares, qui nec latum vnguis à catholica fide diſceſſerint: quiq; & vniuerſam ſubſtantiam, imò & proprium ſanguinem pro reſtituenda reducendaq; in patriam catholica fide, abominabili interim hæreſi longè profligata, dummodo opportunitas adſit effundere parati ſint. Vt autẽ ad huius Prouinciæ ſtatum redeamus, ea fuit præfatorũ ſex patrum, Cornelii ſcilicet atq; ſociorũ religio, ea deniq; vitæ puritas, aſperitas, atq; ſanctimonia, vt omnes Scotos in ſui admirationem traxerint, effecerintq;, quatenus nihil arduum ſe inconſultis aut attentare, aut decernere præſumerent. Nec mirum ſanè, cùm humili atq; cinericio ſacco induti pauciſſimis contentarentur, ſacræq; lectioni, diuinorum meditationi, aut diuinis perſoluendis laudibus perpetuò intenderent, atq; ſęcularium conſuetudinem pro viribus vitarent, omnibusq; dum opus eſſet, pro modulo adeſſent. Qua etiam de cauſa eorum plurimi miraculis tum in vita, tum quoq; in morte clarere meruerunt. De horum numero fuêre præfatus pater Cornelius à Zirichzea, qui tandem in Belgium reuerſus, Antuerpię in Minoritico noſtro conuẽtu, cum maxima ſanctitatis opinione, diem clauſit extremum. Et venerabilis pater Robertus Creijthius in ſacra Theologia cõſummatiſſimus, atq; Miniſteriatus munere bis functus. Et venerabilis pater Robertus Stuardus Iacobi V. Scotorum Regis cognatus, qui & certum ſui exitus diem, atq; futuram Regni Scotiæ calamitatem multo ante prædixit. Et de noſtra Religione optimè meritus pater Ioannes Patricius, qui ex Scotia in Belgium cum 80. aliis fratribus ſacerdotio initiatis, ob conſtantẽ fidei confeſſionem, relicta interim cara patria,

A anno Domini 1559.exul traiecit.Et quamplurimi alij fratres,quos prolixitatis vitandę ergô ſciens prætermitto. Vtebatur olim huius Prouinciæ Miniſter ad muneris ſibi iniuncti exequutionem ſigillo,diui patris Bernardini imagine, cuius pedibus tres mitræ ſubſtabant,dextrę verò manui dulciſſimum nomen Ieſu hęrebat,elegantiſſimè inſignito. Ex præfatis verò nouem conuentibus quod Edimburgi erectum aliquādo fuit principatum inter reliquos obtinuit, ideoq; ab eo vt à præſtantiori nobis auſpicādum erit.

De conuentu Minoritico Edimburgi. *Conu. I.*

VT primum præfatus pater Cornelius à Zirichzea Scotiam ingreſſus fuit, ſacris ſuis concionibus Scotorum animos ad ſe traxit, ſecumq; de Minoritici vnius conuentus ædificatione ſerius egit.Qui tamen,aurem ſibi accommodantes,prçſens mona- B ſterium Edimburgi,quę totius Scotiæ metropolis ciuitas eſt, anno ſequenti ab eius ingreſſu,nempe à partu Virgineo 1447.tum ex publicis,tum quoque ex priuatis facultatibus magnificentiſſimè extruendum, atque amœniſſimis hortis exornandum curarunt.Cumq; pater Cornelius,quod regia eius ſtructura Franciſcanæ Regulæ,quæ ait: libenter maneant fratres in eccleſijs,atque domibus pauperculis & derelictis præcepto contradicere videretur,ipſum recipere recuſauit. Quamobrem qui tunc S. Andreæ Archiepiſcopum,atque totius Regni Primatem agebat Pio II. Pont.max.qui S.R.E.Cardinalis exiſtēs apud Iacobum I. Scotorum Regem pontificia legatione functus fuerat, ſupplicauit,vt eum ad huiuſmodi conuentum acceptandum compelleret.Quod & ille ex animo præſtitit.Habitarunt præfato in conuentu frequentius 80 fratres,quorum 60. ex nobiliſſimis vt plurimùm parentibus orti ſacerdotio inſigniebantur. Fama ſiquidē C tantorum virorum,Cornelij ſcilicet atque ſociorum vndequaque diffuſa plurimos nobilium filios ſcientia præditos, atque etiam ſcholaſticis titulis honeſtatos ex Pariſienſi atque Colonienſi Academijs in patriam reuocauit, illosq; ad induendum ſeraphicæ Religionis habitum impulit. Quorum plurimi cùm loci huius alumni effecti eſſent, in cauſa extitit,vt tum Philoſophiæ, tum quoque ſacræ Theologiæ ſtudium perpetuò in ipſo floruerit.Sed (proh dolor) tantus hic conuētus,profligatis eius incolis,mirumq; in modum diuexatis,furenti hęreticorum rabiei,anno Dñicę incarnationis 1559.ceſſit.

De conuentu Minoritico apud S. Andream. *Conu. II.*

INTER eos clariſſimos iuuenes Doctoratus titulo laureatos, quos ſacra Religio Franciſcana ſui hac in Prouincia alumnos habuit,longè emicuit doctiſſimus F. Ro- D bertus Creijthius Merchalenſium Comitis filius,qui humilitatem cum ſcientia coniūgens omnes ſibi coætaneos longè poſt ſe reliquit. Ad iſtius igitur patris inſtantiam R. Iacobus ciuitatis S.Andreæ Archiepiſcopus,atq; Scotiæ Regni Primas hoc monaſteriū inter præfatæ ciuitatis mœnia,anno Domini 1458.ab ipſis fundamentis extruendum, curauit.Quod quidē ob ſui diſpoſitionē educandis fratribus nouitijs inſeruiuit,& à 40. fratribus frequētius inhabitatus extitit,ac tandē graſſante in Scotia hæreſi ruinę ceſſit.

De conuentu Minoritico apud S. Ioannem. *Conu. III.*

NOBILISSIMVS bonæ indolis iuuenis Hieronymus Lindſayus V.I.D. atque Comitis de Crafuurot legitimus filius,vt primùm P.Cornelij à Zirichzea in Scotiam aduentum accepit, ſe ad illum contulit, atque Franciſcano habitu ab eo indutus E tantopere in ſeraphica Religione profecit,vt quamplurimis etiam præſtantiſſimis patribus humilitatis,orationis,atque abſtinentiæ palmam præripuerit. Eius deniq; familiaritate atque conſilio vſus Oliphanti Comes præſens monaſterium,viginti fratribus continendis omnino accommodum,intra oppidi ſancti Ioannis ſepta ex domeſtico patrimonio,anno Dñi milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo à fundamentis erexit.

De conuentu Minoritico Aberdoniæ. *Conu. IIII.*

QVIDAM R.Aberdonienſium Epiſcopus,poſtquàm Aberdoniæ, quæ Scotorum ciuitas,atq; florentiſſima Academia eſt,ex epiſcopalibus prouentibus,atq; domeſtico patrimonio celeberrima quatuor Iuris,Liberalium artium,Medicinæ,atque Phi-

loſophiæ collegia erexiſſet, plurimiſq; redditibus, atque poſſeſſionibus ditaſſet, inſuper & xenodochium honeſtis 20. viris, ſed pauperie laborantibus, continendis accommodatum omnino conſtruxiſſet, boniſq; firmaſſet, adiecit, idq; ex maxima beneuolentia in Frãciſcanã familiã concepta, vt & pręſens monaſteriũ, quod 40. fratres incolebãt, anno 1470. intra eiuſdẽ ciuitatis męnia ędificaret. Quod tñ ab hęreticis omnino dirutũ fui. A

De conuentu Minoritico Glaſconis. Conu. V.

DVAE fuerunt olim in Scotorum Regno eccleſiæ matrices erectæ, altera quidem in S. Andreæ ciuitate, altera verò Glaſconis, quæ & celeberrima ciuitas eſt. Huius igitur ciuitatis Archiepiſcopus huius Prouinciæ patribus hoc monaſterium, intra eiuſdem Glaſconenſis ciuitatis mœnia, ex domeſticis facultatibus, anno 1472. ædificandũ, abſoluendumq; ſumma cura, ſummoq; ſtudio curauit, atq; 30. fratres eius inquilinos, B quoad ei vita comes fuit magno amore, omniq; beneficiorũ genere ꝓſequutus extitit

De conuentu Minoritico Areæ. Conu. VI.

AREANI accepta Minorum Obſeruantum fama, ſibi quieſcendum minimè putarunt, quoad vſq; huius Prouinciæ fratres monaſterium à ſe Areæ, quæ Scotorum oppidum eſt, atque ad Occidentalem inſulę plagam ſitum, illis ędificandum acceptarent. Quorum deniq; aſſenſus vt primùm acceſſit, præſens conuentus, qui & à 30. fratribus inhabitatus extitit, & Scotis ob frequentia miracula, quæ ibidem ad virginis Mariæ imaginem indies contingebant, celeberrimus fuit, tum ex proprijs, tum quoq; ex priuatis mercatorum, quibus id oppidum abundat, facultatibus à perdeuota Areana communitate, anno Dñi 1474. erectus, breuiq; temporis interuallo abſolutus extitit. C

De conuentu Minoritico Elginij. Conu. VII.

PIENTISSIMVS heros Ioannes Inneſenſium Vicecomes, ex maxima qua in Franciſcanos Obſeruantes ferebatur beneuolentia, hunc conuentum Elginij, quod Boreale Scotorum oppidum eſt, ex domeſticis facultatibus, anno Dñi 1479. à primis fundamentis ad vltimum vſq; lapidẽ ædificandum, huicq; Prouinciæ adijciẽdum curauit. Qui quidẽ conuentus, poſtquã per plurimas annorum decadas 30. fratribus, & eo amplius deſeruiſſet, ab impijſſimis hæreticis occupatus prophanationi expoſitus extitit.

De conuentu Minoritico Striclingij. Conu. VIII.

IACOBVS IIII. vt primùm, anno Dñi 1494. Striclingij, quod Scotiæ oppidum eſt, D regiam tanta maieſtate dignam abſoluit, adiecit, vt & præſens monaſterium, 40. continendis fratribus accommodatiſſimum, ex regio ærario non longè ab ea erigeret. Hoc monaſterium, vt proprium fœtum præfatus Rex ſummopere dilexit, ſinguliſq; diebus Striclingij agens & ſacro, atque etiam veſperis interfuturus frequentauit, & ſtrictioris pęnitentiæ in hæbdomada ſancta a gendæ ergò in habitationem delegit. Cuius quoque Regis tanta fuit in Deum pietas, tantaq; in fratres beneuolentia, vt per integram maiorem hæbdomadam quolibet anno fratribus in refectorio priuatim conueſci voluerit, & feria ſexta in Paraſceues humi de religioſo fratrum more ſedens panem tantùm & aquam in potum, & cibum cum illis admiſerit. Exemplum certè imitatione dignum.

De conuentu Minoritico Ieduardæ. Conu. IX. E

NOBILIORES Scotorum, Iacobo V. Scotię Rege regnante, præſens monaſterium ex proprijs facultatibus, quacunq; alia ſecluſa Ieduardiæ, quæ Scotorum oppidum eſt, Scotiamq; ab Anglia diſterminabat, anno à partu Virgineo 1513. à fundamentis extruendum, omnibuſq; ſuis numeris abſoluendum curarunt. Diuerſam nihilominus fortunam præſens locus à præcedentibus expertus eſt: cùm illi à compatriotis, Scotis videlicet, iiſq; hæreticis, vel diruti, ſoloq; ęquati, vel immiſſo igne cõbuſti ſint, & iſte ab Anglis tunc temporis catholicis, dum bellum inter vtriuſque Regni, Anglorum ſcilicet atque Scotorum Reges vigeret, triginta interim fratribus eius accolis hinc inde diſperſis, voraci flammę cum ipſo oppido traditus ſit, ita vt ex ipſo nihil remanſerit.

PROVINCIA DACIAE.

A QVANTVM detrimentum catholicæ Eccleſiæ Romanæ, ſeraphicæ prę-ſertim Religioni noſtræ Franciſcanæ, infeliciſſimi huius temporis nouatores ſuo falſo Euangelio ſub ſcabello inuento attulerint, vel ſaltem ex duabus proximè præcedentibus, præſenti atque ſequenti Prouincijs (prætermitto interim vtriuſque Saxoniæ, ſancti ſcilicet Ioannis Baptiſtæ, atque ſanctæ Crucis, Auſtrię, Boëmiæ, atque alias quamplurimas Prouincias, quas, ne tædioſior ſim, data opera prætermitto) coniectare licet: quæ cùm olim tum elegantiſſimis monaſterijs, tum quoque plurimis, ijsque religioſiſſimis, deq; Franciſcana Religione optimè meritis patribus ac fratribus, inter quos primatum tenent venerabilis ac bea-
B tus pater frater Ioannes de Barfordio, qui ante & poſt obitam mortem quamplurimis miraculis claruit, & venerabilis etiam pater frater Ioannes de Gadfordio, qui ob ſuam ſanctitatem diem obitus ſui, multò ante quàm eueniret, prænoſce meruit, atque etiam ſanctimonialibus religioſiſſimis & perfectiſſimis floruerint: impræſentiarum, præfatis peſtilentiſſimis nouatoribus ac Satanæ nefarijs miniſtris id maximè procurantibus, & iſtis atque illis orbatæ, omninoq; ſolutæ ſunt, atque in maceriæ cauernam tranſierunt. Si quis verò nos plus æquo (quod minimè exiſtimauerim) in huiuſmodi perditos, ſanguinariosq;, atque omnino facinoroſos homines inuectos ſuſpicetur, vel ſaltem præſentem huius Prouinciæ (ſi Prouincia appellanda veniat) faciem cum præterita compa-
C ret, & nos minus, quàm par erat, de eis dixiſſe cognoſcet. Conſtabat ſiquidem præfata hæc Daciæ quondam florentiſſima atque latiſſima Prouincia, anno à Virgineo partu 1385. quo ille eruditiſſimus vir, ac ſacræ Theologiæ Doctor eximius pater frater Bartholomæus Albiſij Piſanus pulcherrimum librum Conformitatum vitæ ſeraphici patris Franciſci ad vitã Domini noſtri Ieſu Chriſti ædidit, ex octo Cuſtodijs nempe Noruegienſi, Octonienſi, Lindenſi, Lancopenſi, Ripenſi, Vrbergenſi, Scotonenſi, & Riſchildenſi, & 33. conuentibus. Et quando ſeptimum generaliſſimum Franciſcani Ordinis Capitulum Romæ in Aracœlitano conuentu, Leone X. ſummo Pont. anno Dñi milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo celebratum extitit, conflabatur ex viginti
D duobus Minoritarum Obſeruantum monaſterijs, plurimis, ijsq; grauiſſimis, eruditiſſimisq; patribus refertis, eorumq; Prouincialis Miniſter ſigillo, Chriſti Saluatoris noſtri crucem proprijs humeris geſtantis imagine inſignito, ad muneris ſibi crediti exequutionem vtebatur: atqui impræſentiarum nec huiuſmodi fratrum, aut ſigilli aliqua memoria apud Danos reſidua eſt, nec ruinarum ſaltim præfatorum conuentuum veſtigium apparet. Præterea tantis cladibus noſtro Inſtituto illatis minimè contenti huiuſmodi homines ſeditioſi, ac peſſimo genio agitati, quicquid ſcripturarum, aut monumentorum præfatis in viginti duobus monaſterijs inueniri poterat, ignibus non abſq; maximo piaculo tradiderunt. Hæc quidem monaſteria elegantiſſimè, ſatisq; affabrè
E erecta erant per Noruegiæ, Sueciæq; Regna, quæ circa annum à Virgineo partu 1160. eruditiſſimus, pariterq; pientiſſimus Nicolaus Breakſpear Anglus ex oppido Langley propè ſanctum Albanum, qui poſtea ad ſummum Pontificatum aſſumptus Adrianus IIII. appellari voluit, ſua eruditione, ſuiſq; feruentiſſimis concionibus atque ſanctitate eximia ad fidem catholicã, (eliminatis procul illorum erroribus) conuerterat, atq; per Daciam Scythiæ Europeæ regionem, quam quidam Thraciæ partem, quidam conterminam dicunt, & ad Septentrionem Carpato monte à Sarmatia, ad Occaſum Tibiſco fluuio ab Iazygibus Metanaſtis, ad Meridiem & ad Ortum vſque ad Dannubium famoſum flumen extenſam volunt, cuius populi olim Daui nunc Daci appellãtur. Vnde euidẽtiſſimè colligitur quàm latè olim patuerit hęc quondã celeberrima Prouincia.

PROVINCIA ANGLIAE.

ANGLIA, quę & Britannia dicitur, inſula eſt inſignis, in Oceano vndique A
à circumfuſo mari complexa, ac nuſquam continenti iuncta: quæ olim ab
albis rupibus, quas mare vndique alluit, Albion nuncupabatur. Hanc
primùm Troës incoluerunt, qui Troia diruta, igneq; abſumpta, exciſam
patriam fugientes, claſſe Palladis oraculo in hanc inſulam migrarunt, at-
que gigantes tunc eam tenentes multis victos prælijs expugnauerunt. Hanc eandem
inſulam poſtmodum longo temporum tractatu Saxones, qui ſunt illuſtres ſuperioris
Germaniæ populi, oppreſſêre, agroſque, & opes inter Saxonum legatos Regina An-
gela, cuius ductu victa eſt, diuiſit, atque vt linguæ, pariter & gentis memoria in deui-
cta inſula ſempiterna foret, eam Angliam à proprio nomine Angela vocari voluit. B
Quanquam plerique Angliam veluti noſtri orbis angulum prædicent dictam. Sita
eſt ex in inferioris Germaniæ, Galliæ, atq; Hiſpaniæ interuallo, licèt longiore, tranſuer-
ſo. Cuius longitudo octies centena paſſuum millia, latitudo verò tercentena millia
tantùm complectitur. Hanc denique Gregorius magnus Pont. max. miſſis Auguſtino,
atque alijs monachis, qui efferatos illius gentis mores ad frugem, atque ad Chriſtia-
næ Religionis normam corrigerent, ad fidem conuertit. Poſtmodum verò ſeraphicus
pater Franciſcus, miſſis eò quibuſdam ex ſuis, qui conuentus erigerent, virtuteſq; de
ſuggeſtu commendarent, atque vitia infeſtiſſimis ſignis oppugnarent, in eadem ca-
tholica fide confirmauit. Cumq; temporis tractu poſt introductam in Scotiam (vt C
ſuperius tetigimus) Regularem Obſeruantiam, & Angli eidem apud ſe locum dediſ-
ſent, eius alumni tum Anglorum Regis, tum eius aulicorum, tum quoque vulgarium
hominum auxilio duodecim conuentibus diuerſis in inſulæ partibus, in quibus plures
ſanctiſſimi patres ac fratres religioſam omnino vitam duxêre, ſibi ædificandos cura-
runt. Ex his igitur duodecim conuentibus vniuerſa hæc Prouincia, anno Dominicæ
incarnationis milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo, conflabatur. Quorum Pro-
uincialis miniſter ſigillo, cui beatæ virginis Mariæ in vlnis puerum Ieſum geſtantis, at-
que lunæ eiuſdem Virginis pedibus ſubſtantis imagines, necnon & ipſiſſima Angliæ
Regni inſignia impreſſa erant, iniunctum ſibi munus exequuturus vtebatur. Perſeue- D
rauit præterea, idq; feliciſſime, ad annum vſque Dominicę incarnationis milleſimum
quingenteſimum trigeſimum ſextum, ſub eodem conuentuum numero, præfata hæc
Prouincia. Sed cùm ignis ille à Chriſto in terram miſſus, qui priſcis temporibus arde-
re cœpit, nondum extinctus ſit, immo adhuc eius flamma in piorum pectoribus ca-
leat, ardeatq;, & ſuo fulgore hoc ſæculum illuſtret, hanc noſtram ætatem inauret, at-
que exornet: quæ ſanè ætas in varijs orbis plagis ex fidelium, atque etiam religioſo-
rum virorum triumphis glorioſis prodijt: eorum ſcilicet, qui poſt inteſtina certami-
na vitiorum, & poſt carnis, & Dæmonis obtentas victorias, inuictis animis nedum
mundum, & quæ mundi ſunt, ſpreuêre: ſed probra, timores, tyrannos, & tormen- E
ta atrocia, & mortes varias vicerunt, & nomen, & titulum Franciſcanæ Religionis,
in terris, & in cœlis feliciſſimis triumphis ſublimarunt, quorum inſignes pugnæ
vbique terrarum claruerunt: dum ij in Anglia, in Flandria, in Hybernia, in Fran-
cia, in Turonia, in Aquitania, atque etiam apud Indos, cùm ab infidelibus, tum
ab hæreticis diuerſis, pro fide & Eccleſia Chriſti catholica trucidati ſunt: Dæmon
hæreſum ſeminator, qui in cœlo, & in terra mendacio armatus docuit, quæ ſua ſunt,
quærere, proprio amore contra Dei, & maiorum obedientiam certare, & nouas
technas machinari: quique vel ſuperbiæ vel luxus ſuggeſtione tam infideles, & ido-
latras, quàm perfidos apoſtatas, atque hæreticos à verò Dei cultu, & à catholi-

A cæ fidei obſeruantia abſtrahere conatus eſt (vnde hæreſum omnium cœpit origo)Re-
gem Angliæ Henricum huius nominis VIII. (vt ab annis antiquioribus fiat exordiũ
noſtræ narrationis)prout à fide dignis teſtimonijs accepimus, qui vel proprijs oculis,
vel digno multorum relatu fidelium,ex proprijs locis,vbi hæc geſta ſunt,facti verita-
tem fideliter ediderunt:anno à Chriſti natiuitate 1536.effrenæ libidinis incentiuis ſti-
mulans,ita ſibi obſequentem reddidit,vt legitimam ſuam vxorem, omni maiorem ex-
ceptione,optimam quidem tum animi,tum corporis,& fortunę dotibus ſummè exor-
natam (contra legem Dei,& euãgelicam,ac apoſtolicam doctrinam) putauerit dimit
tendam,aliamq; ſuperducendam.Vnde Rex ille,qui iam & fidelis,& fidei propugna-
tor extiterat,hoc ſe facinore,prius factis,deinde etiã verbis palam fidei inimicum, de-
ſertoremq; probauit.Quippe qui poſtquàm à ſummo Pontifice, (cuius aſſenſum hac
B in re procaci oratione requiſiuerat) reiecta ſuæ impietatis ſententia, fuerat exploſus,
non rationibus,& monitis ſaluberrimis,non pontificiæ auctoritati ceſſit:ſed pertinax
& ſua captus firmatusq; libidine, eos, qui erroneæ ſuæ conſcientiæ ſtimulis ſatisface-
rent,cœpit inueſtigare. Et à ſummo Eccleſiæ catholicæ Paſtore abſcedens, ab alienis
quærebat refugium,& in membris vtcumq; refrigerium indagare geſtiebat, qui iam
à capite apoſtauerat.Hinc ſaltem ſui Regni peritiſſimos Theologos, vt huic ſuæ peti-
tioni ſubſcriberent,fruſtrà tentauit.Quapropter ipſis,maximè verò religioſis,qui ſibi,
ne hoc faceret,& publicis concionibus, & priuatis adhortationibus contradicebant,
infenſiſſimus,ex eis plurimos crudeliſſimè necandos,eorumq; domos omnino ſubuer-
tendas,expilandas,atque comburendas curauit.Quo denique factum eſt, vt religioſiſ-
ſima hæc Prouincia perierit, atque in nihilum omnino redacta ſit. Cumq; ſimul cum
C ipſa,quicquid ſcripturarum in locorum archiuis continebatur,vel diſcerptum,vel igni
traditum ſit,nihil impræſentiarum occurrit, quòd de præfatorum conuentuũ vel fun-
datione,vel antiquitate,vel etiam memorabilibus ad poſteros tranſmittere poſſimus.
Eorum tamen patrum, atque fratrum noſtrorum, qui pro orthodoxæ Eccleſiæ defen-
ſione ſub ipſo Henrico Rege, atque poſtmodum in eodem Angliæ Regno paſſi ſunt,
agones,eorum,quæ aliàs dicenda forent,loco hîc ſubijciemus. Et primo quidem loco
illuſtre venerabilium patrum Reſibe,atque Riche martyrium.
Anno igitur ſequenti,hoc eſt 1537.ex præcepto ipſius Regis, ea de re, plurimi eximiæ
tum doctrinæ, tum probitatis religioſi viri pertrahuntur ad carceres: inter quos duo
de catholica Religione optimè meriti, præfecturæ in ſuo vterque collegio decorati di-
gnitate, hoc eſt pater Reſibe Guardianus Cantuarienſis, & pater Riche Guardianus
D Richinotenſis captiui adducuntur. A quibus Rex,manifeſtiùs ſuam profeſſus rebellio-
nem,Anglicanæ Eccleſiæ caput cupiebat declarari. Eo enim dementiæ genere labora-
bat, vt facilè crederet ad ſuæ eccleſiaſticæ auctoritatis vim aliquorum confeſſionem
ſubditorum,etiam metu extortam,ſibi ſufficere. Abnuunt illi rem tam ſtultam, quàm
impiam perpetrare. Interim ferro, compedibus membra piorum ſtringuntur, mole-
ſtijsq;,ac contumelijs varijs humi iacentes afficiuntur,velut pecudes macello deſtina-
tæ. Poſtmodum paucis interiectis diebus, inſignis patientiæ, ac manſuetudinis patres
educuntur è carcere,extremo plectendi ſupplicio:imponunturq; vehiculis,quę non ro-
tis,ſed lignis rudibus per glebas,ſaxaq; agitata trahebantur,vt eis nullum tempus,nul-
luſq; locus pęnę deeſſet. Vbi verò ad locum ſupplicij ventum eſt, en aſtat altiſſimum
patibulum,iuxta quod lebes erat, igne ſuppoſito, plenus aqua feruenti:vt ij tormento-
E rum aſpectu,ac terrore vel ſententiam mutarent,vel futuri diri ſupplicij pęnam pręgu-
ſtarent in animo, quam in corpore erant paſſuri. Primus per ſcalas trahitur Guardia-
nus Cantuariẽſis,atq; interim accurrit regius nuncius,qui nutu regio & libertatẽ, & vi
tã eis promittit,ſi saltẽ ſummo Eccleſię Pontifici velint renunciare. At illi in ſententia
perſiſtunt,& pro ſancta eorũ matre Eccleſia, cuius caput Chriſtus, & Chriſti Vicarius
ſummũ Põtifex eſt,quodlibet atrociſſimę etiã mortis genus ſubire profitẽtur.Itaq; qui
in ſcalis erat,ſępius repetẽs Prophetę verba dicẽtis:*Voluntariæ ſacrificabo tibi,& confitebor
nomini tuo,quoniam bonum eſt*, ſublatus in patibulũ,pręceps è ſcalis eijcitur:moxq; à car-
nifice ſcinditur laqueus:ruit corpus viuũ adhuc in terrã, vt inuſitatæ crudelitatis opus
perficiatur à Diaboli miniſtris:adeſt carnifex,ac primum mẽbra virilia martyri Chriſti

 abſcindit,

abſcindit, cor ex corpore aperto ventre reuellit, quod dum manu tenet, vniuerſo ſpe- A
ctante populo ſaltitat:illudq; in ignem cum inteſtinis conijcit:caput amputat à corpo-
pore,corpusq; in quatuor partes diſcerpit,in ipſumq; lebetem igne feruidum proijcit.
Inde ad portas Londinenſis ciuitatis aſportat,atque ſuſpendit:caput verò (vt in crimi-
ne læſæ maieſtatis expiando fieri ſolet) ſtipiti impoſitum in ponte publico erectū fuit.

Poſt huius patris agonem,& lugubre ſpectaculum,alter Guardianus per ſcalas tra-
hitur, qui interea multorum hortamenta, ſuaſionesq; callidas, & delira verba reiece-
rat:& ſimili impietate,vt præcedens ſocius,ſuſpenditur, deijcitur viuus, euiſceratur,
virilibusq; & capite truncatur,atque in quatuor partes diſcinditur,& coquitur: dumq;
carnifex aperto ventre cor attigit,vt extraheret, ait Chriſti athleta, quod in manu ha-
bes ſacratum eſt Deo.Sicq; in ignem viſcera conijciuntur,& eodem atrocitatis genere,
vt in priori patre,omnia peracta ſunt: amboq; atrociſſimo, ac ſimili ſupplicio fortiter B
martyrium paſſi, diem clauſerunt extremum.

Præterea R. P. Antonius Brorbe vir cùm in humanis, tum in diuinis literis apprimè
verſatus, græcā,& hebraicā linguā callens, inſignisq; Theologus,eodē anno 19.men-
ſis Iulij,eademq; de cauſa, laſciuientis furentisq; Regis imperio capitur, in carcerem
retruditur,quæſtionibus acerrimis torquetur,eoq; ſupplicij genere, & neruis, & iun-
cturis toto corpore,tortorum vi tam immaniter diſtenditur,vt os oſſi vix hæreret. In-
credibili tamen conſtantia vir Dei hæc pertulit,ad exemplum ſui capitis Chriſti, ſum-
mo ſubeundi martyrij deſiderio affectus.Interim eo ſupplicio impotens effectus, atque
inutilis,qui nec manus ad os quiuerit attollere,à fideli muliere nutricis officio fungen-
te (ex Dei prouidentia) vtcunque ſuſtentatur. At vero poſt dies vigintiquinque car-
nifex mittitur,qui cum illa,quam ex diui Franciſci Inſtituto geſtabat,corda,in carcere C
vbi maxima cordis afflictione,ac miſeria preſſus iacebat,in catholicæ fidei, & obedien-
tiæ confeſſione fortiter permanentem ſtrangulauit.

Hoc ipſo anno, eiuſdemq; menſis die 27. alius quidam pater Thomas Cort genere
nobilis nobilior tamen eximia,qua pollebat,dicendi facultate pijq; atque catholici
animi ſtrenuitate, implacabilem Regis furorem non dubitauit in ſuggeſtu pro concio-
ne publica,cum vitæ periculo,excitare,dum grauiſſima oratione in indomitam Regis
ſuperbiam, & ſæuitiam ſumma cum impietate coniunctam inuehitur: vt potè qui pro
Chriſti nomine,& pro fide & obedientia S.R.E.vilem habebat animam. At verò Chri-
ſti preco in ipſo concionis loco ſtatim captus à Regis fautoribus atque hæreticis in car-
cerem conijcitur teterrimum,in quo pius pater maximo pędore, & ſqualore affectus,
atque multo miſeriarum cumulo preſſus in ſua fideli confeſſione conſtantiſſimus mi- D
grauit ad cœlum.Vbi fidei,& conſtantiæ ſuæ meritum voluit Chriſtus patenti miracu-
lo mundo clareſcere, dum hora ſui tranſitus lumine incenſo totum repleuerit carcerē,
omnibus, qui aderant, videntibus ac ſtupentibus. Huius rei nouitas animum Regis,
alioquin optimis quibusq; viris infeſtiſſimi,ac ſæuiſſimi, aliqualiter perſtrinxit, ita vt
tam regij conſilij nutu, quàm ſui imperio corpus ſancti viri ſepulturæ mandatū fuerit.

Eodem anno die 3. menſis Auguſti frater Thomas Belchiam ſacerdos, & conciona-
tor ætatis annorum 28.incredibili conſtantia, & mira eruditione, pietateq; armatus
regiæ impietati ſeſe oppoſuit, Regem ipſum eſſe hæreticum apertè declarauit, atque
pro huius rei euidentia librum in lucem emiſit,in quo Regis errores, vitiorum labem,
Epiſcoporumq; inconſtantiam (velut ſal infatuatum) incuſat, & damnat, qui Regis
potius,quàm Dei iram timebant,& eius,qui poterat corpus tantummodo occidere,ma- E
gis quàm illius,qui gehennæ tradere illud valebat, ſeſe mortis metu ſubiecerant impe-
rio. Ea de re ſtrenuus Chriſti miles carceri fœtidiſſimo mancipatur: in quo tanta ine-
dia,fameq; cruciatur,vt tandem cutis arida oſſibus hæreret,eoq; ſupplicij genere neca-
tus eſt conſtans & victor. Dumq; in ſuo tranſitu cœleſtem patriam anhelaret, & ani-
mam Deo commendaret,intremuit terra,tantoq; motu concuſſa eſt, vt vniuerſi terræ-
motus facilè crederentur. Quo ſanè Dei vindicta in nefarios Diaboli miniſtros, & pro-
tectio erga ſuos milites portendebatur. Atque is in precibus ſemper aſſiduus: tandem
ex aperto precum libro tota animi intentione intuens,recitansq; pſalmum triceſimum
incipientem: *In te Domine ſperaui, non confundar in æternum:* in fine pſalmi animam
Deo

A Deo reddidit: atq; inde ſepulturæ traditus eſt.Hæc vt ad Regis aures delata ſunt, octo
alij fratres,qui in cuſtodia detinebantur ſunt libertate donati,qui Angliam relinquẽ-
tes,cùm in Scotia,tum in Belgio exules degerunt.Multi autẽ alij,hoc eſt trigintaduo,
qui in carceribus erant mancipati,famisq; & frigoris aſperitate cruciati, huc, illucq;
ad diuerſa loca per totum Regnũ bini catenis grauibus onuſti mittebantur, ijq; egen-
tes, anguſtiati, afflicti in fidei agone conſtantes vitam glorioſo triumpho finiuerunt.
Prædicti verò libri ab ipſo fratre Thoma compilati exemplar relictum in carcere Re-
gi allatũ eſt,qui & ſi in Religionis,fideiq; catholicæ zelatores omnes implacabili odio
æſtuaret,attamen librum legit,ſynderesiſq; ſtimulo actus,ſui aliquo modo conſcius fa-
cinoris lacrymas cohibere non potuit,ſed conſcientia dictante,propriam miſeriã,dam-
nationemq; grauiter deplorauit.Et quia non virtutis amore,ſed formidine pœnæ,futu-
B riq; æterni ſupplicij dolebat,ideo tenaci proprij amoris viſco detentus,vinctuſq; ſua li-
bidine adhuc obduratur corde,ita vt meliora probans, deteriora ſequeretur, vnde li-
brum ipſum,quem,velut ſuæ ſalutis inſtrumentum à Deo ſibi exhibitum, perpetua ob-
ſeruantia amplecti, & in regio archiuo ſiue tabulario recondere debebat, ignibus tra-
diderit: quamuis poſtmodum cogitans quandoq; nefandas cædes perpetratas, pio-
rumq; effuſum ſanguinem, vicem ſuam deplorauerit, animumq; ſuum, hac de re (&
præcipuè Franciſcanorum interitu) quàm maximè torqueri profeſſus fuerit.

Dum verò Rex ſuorum facinorum pondere preſſus,inclinatusq; pronior indies fie-
ret ad malum,in meliorem vitam,& maximè Franciſcanorum machinatur;eorum ſci-
licet,quos ſuo furori, ac malefactis obuiarè poſſe metuit. Ex his verò vnum de medio
tollere curauit,qui ſingulari ſcientia & virtute inſignis nomine Ioannes Foreſt, iam ab
C ipſa repudiata Regis vxore Catharina Imperatoris Caroli V. amita pijſſima matrona
fuerat electus, qui ſibi eſſet à confeſſionibus. Hic nempe inſigne opus conſcripſerat de
Eccleſiæ,atque ſummi Pontificis auctoritate:in quo (vt talem decebat virum) grauiter
admodum in Regis ſuperbiam, & impietatem inuehebatur: qui cum putridum & ab-
ſciſſum Eccleſiæ membrum eſſet,non dubitarit Anglicanę Eccleſię caput ſe appellare.
Non enim timuit vir Dei in apertum vitæ diſcrimen ſeſe conijcere,modò aliqua ratio-
ne tum impio Regi,tum labaſcenti populo veritatis lumen,ſalutiſq; adminiculum fer-
re ſperaret. Dum is librum in lucem curat emittere, ante illius æditionem, maleuolo-
rum aſſentatione ad Regis aures delatus eſt, quod vbi ipſi innotuit, diabolica verſu-
tia contra Chriſti preconem Rex machinatur,mandans cuidam vt perſonam gereret,
quæ ſibi eſſet infeſtiſſima, atque nequiter ſe humilians in ficta confeſſione, incuſanſq;
D Regis ſæuitiam,& impietatem confeſſarium tentaret, ab eoq; hauriret, quæ in ſui cul-
pam, & perniciem apud Regem deferret. Hanc verò fictam illius narrationem, &
quærelam veris argumentis, ſcripturæq; ſacræ auctoritatibus optimus pater ſtuduit
confirmare, veritatiſque lumen ingerere ei, qui in dolo loquebatur. Quæ audiens
Rex, & ægrè ferens,ſatellites mittit, virumq; Dei trudit in carcerem,vincit compedi-
bus, ferreiſq; manicis arctat, affligitque. Inde coram Rege ſiſtitur, ad ſuæ catholicæ
ſententiæ reuocationem incitatur,vrgeturq; vt Angliæ Regem Anglicanę Eccleſiæ ca
put eſſe fateatur.Ipſe uerò conſtanti animo à catholicæ Romanæ Eccleſiæ placitis uel
latum unguem nunquàm ſe diſceſſurum affirmauit,grauiſſima quæque tormẽta, mor-
temque duriſſimam ſpernens, ut innoxium ſeruaret animum. Hinc in carcerem reclu-
ditur ut prius:illucq; mittuntur,qui illi ſuaderent,ut à ſententia diſcederet, ne exacer-
E batum Regem iu ſe armaret,promittentes ei nedum libertatem, ſalutemq; corporis,
ſed & diuitias & dignitates,ſi aſſentiret monitis. Verùm Chriſti confeſſor in priſtina co-
feſſione perſiſtit, paratum ſe iterum aſſerens acerbiſſima quæq; perpeti, quàm tantil-
lum à profeſſa veritate diſcedere,damnans velut infandum nefas, quòd Rex eccleſia-
ſticam ſibi voluerit uſurpare auctoritatem,ſubdenſq; ualde eſſe præclarum per pœnas
ad cœleſtia gaudia tendere: tempeſtatemque hanc obortam eſſe ob ſua ac populi pec-
cata, quæ quidem vt in illo populo grauiſſima fuerant, ita etiam grauiſſimè punierit
Deus, eo nimirum punitionis genere, quo maius dici, aut cogitari non poſſit, de-
ſerens planè eos, & in eorum ſententiam labi permittens. Sicq; ſua & populi peccata
incuſans aiebat tandem, *Parce Domine,parce populo tuo*. Reuertuntur ad Regem uacui,

qui miſſi

qui miſſi fuerant, & fidem, & conſtantiam athletæ Chriſti referunt. Quatuor poſt transactis diebus trahitur vir Dei ad publicum Concilium regium ex Regis mandato. Hîc grauiter accuſatur tamquam reus laſæ maieſtatis, quòd Regi ſuo foret infenſus, refractariuſque, qui dignitatem regiam non imminuere modò, verùm etiam vellet extinguere, dum nequicquam vult eum Eccleſiæ Anglicanæ caput appellari. Hæc & alia ſimilia optimo patri obijciuntur; lecta etiam quorundam articulorum ſchedula; acclamanteq; quodam de conſiſtorio, interroganteque ſi in ſua is vellet opinione perſiſtere, & eorum quæ contra Regē aſſeruerat palinodiā recantare; alioquin omnes illi aſſiſtentes apertiſſimè decernerent eū eſſe Regi ſuo rebellē, ac propterea reum mortis. Ad hæc vir Dei non horrens, ſed cupiens pro Chriſti nomine, eiuſque S. Eccleſiæ fide, & obedientia paratam ſibi mortem ſubire, in hæc feruens ſpiritu verba prorupit: Gratias tibi ago Domine Deus, qui me peccatorem miſerrimum ad ſummam gloriam vocare dignatus es, vt pro nomine tuo ego hodierna die fidem veram, quam colo, hîc coram omnibus profitear; & quid de tua ſponſa, caſta illa, immaculata, vnica, catholica Romana Eccleſia ſentiam, liberè indicare nō verear. Non enim timeo Regis minas, flocci facio eius ſupplicia, quæ mihi ob cauſam fidei parari non dubito, pariterque oblatas mihi dignitates ſperno, ſed mortem libenter ſubibo. Hanc verò cernentes conſtantiam in Chriſti milite Duces, Comites, alijque Primates Satanæ miniſtri ibi aſſiſtentes, mendacio protecti, mendacibuſque eorum concionatoribus fidentes, vt occaſionem aliquam captarent, qua falſo aliquo colore apud populum poſſent impietatem eorum in peccatis excuſare, & ſancti viri conſtantiam deterrere, ac labefactare, illum ſuadent, vt ſi veram eſſe ſuam ſententiam aſſeueret, pro qua ſe conſtanti animo moriturum pollicetur, paratum ibi ſuggeſtum aſcendat, certetque diſputatione cum eo, qui in oppoſito pulpito diſputaturus aſtabat Hugo Latimar nomine, Lutheranorum Doctor, & Epiſcopus. Qui fucatas rationes, argumentaque fallacia plurima obijcit contra fidei & Eccleſiæ catholicæ veritatem, auctoritatemque; quæ omnia vir Dei in ſcipturis ſacris diſertiſſimus, atq; ſancti ſpiritus vnctione edoctus, velut friuola & vana quædam deliramenta facilè confutauit; ita vt aduerſarius obmuteſcere cogeretur; qui intra ſe confuſus, dum populum hac de re ſuſurris videret agitari, ne tamen ſuccumbere, ac ex palæſtra victus racedere videretur, Regis, & Principum auctoritate fretus, cùm iam rationum, & auctoritatum pondere preſſus, ad catholicæ fidei confeſſionem à fideli Chriſti pręcone vrgeretur, in apertam (vt hæreticorum mos eſt) inſiliuit iniuriam; & vt (qui ratione non poterat) reſiſtere conatur clamans: Comburatur, comburatur. Moxque ad eius clamorem mouentur Primates, accurrunt ſatellites, qui vi, & probris ex ſuggeſtu virum Dei trahunt. Iudexque aſſiſtens eum reum eſſe mortis pronunciat. Sicque lata ſententia ab iniquo Iudice, cōfeſſor Chriſti ducitur ad locum, vbi erectum erat patibulum, ſub quo lignorum, ſtraminumque cumulus erat copioſus. Hoc ſupplicii atrociſſimum ſpectaculum vt is vidit, fideli, ac ſtrenuo animo, altaque voce ait: Nec ignis, nec patibulum, nec tormenta quæq; me ſeparabunt à te Domine. His dictis ſuperiori veſte exuitur, & catena circa ventrem ligata ſuſpenditur: ſupponitur ignis ad pedes tantummodo, vt paulatim flamma procedēte diutius cruciaretur; ventus ignem dimouet à corpore pendentis, ac diuturno cruciatu gratius fit holocauſtum Deo, eximiumque patiendi pro Chriſto deſiderium in Chriſti martyre adimpletur. Tandemque patibulum vnà cum ipſo in ſubiectum ignem coniectum eſt. In hiſque perferendis conſtanti animo, hæc frequentius verba ex corde pronunciabat: *In vmbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas.* Sed & poſt ſancti viri obitum non defuêre, qui, vt eius dicta famamque delerent, & proprijs voluptatibus liberius vacarēt, procaci & impudenti animo poëmata quædam contra eum ediderunt; vtpote qui hoc atrociſſimę mortis genus non immeritò fuiſſet perpeſſum. Quorū hoc erat vnū, tam in ipſo ſupplicij loco, quàm per diuerſa ciuitatis copita affixum.

Foreſtus frater, mendacij pater,
Qui mortis author voluit eſſe ſuæ;
Per ſummam impudentiam, negauit Euangelium,
Et Regem eſſe caput Eccleſia.

A Quando hìc venerandus ſenex, glorioſuſque Chriſti martyr coniectus fuit in carcerem, & ſententia ſuſpenſionis & combuſtionis, lata eſt, eo prætextu, quòd matrimonium Reginæ Catharinæ (de qua ſuprà) accerrimè defenderet, liberiuſque tam in publicis diſputationibus, quàm concionibus ſacris loqueretur, viuebat ſummis afflicta calamitatibus ſanctiſſima Regina; quæ præter ingentes dolores quos in dies ex impijs Regis Henrici coniugis ſui factis hauriebat; affligebatur quoque ab impiſſima atque hæreſi Lutherana infecta Anna Bolena eius æmula, quæ frequentes exploratores ad eam mittebat, vt aliquid ſaltem moleſtiæ inferrent ſed in primis cruciabatur ex illa barbara & inhumana ſæuitia, qua vtebantur miniſtri Regis in confeſſorem ſuum dilectiſſimum patrem fratrem Ioannem Foreſt. Nam poſt duorum annorum duriſſimam captiuitatem, qua inter latrones vir ſanctus iacuerat; plurimoſque cruciatus perpeſſus fuerat, cùm Regina audiuiſſet ſentẽtiam hanc in eùm latam eſſe, vt ſimul ſuſpenderetur ac combureretur viuus, patrem ſuum cariſsimũ commiſerata continere ſe non potuit, quin ad eum ſcriberet, quamuis illud non niſi magno ſuo periculo faceret. Miſit ergo ad carcerem Londinenſem, vbi fortis Chriſti athleta detinebatur litteras in hæc verba, quæ ex Anglica lingua in Latinam verſa talia ſunt.

B *Mi venerande pater: Qui in dubijs caſibus alijs conſilio ſolet adeſſe, nouit & ipſe ſibi quid conueniat melius conſulere; ea de re, ob tuam, qua præditus es, tum pietatem, cùm eruditionem, non dubito quin velis pro Chriſti nomine (ſi opus erit) mortem ſubire; agnoſcaſque hac de cauſa non eſſe aufugiendum. Age itaque, & bono animo eſto: nam & ſi breues in hiſce tormentis pœnas ſufferas, æternam (vt ignorare non potes) mercedem es recepturus; quam qui negligit, ſeque ea permittit deſtitui, grauiſsimè arbitror inſanire. Me tamen (proh dolor) filiam tuam in vulneribus Chriſti genitam relinques interim ad breue ſolummodo tempus, relinques (dico) mæſtam, & ſummo mœrore confectam, dum eum virum amitto, qui à me in diuinis rebus vnicè colebatur, quòd earum cognitione, & in Deum pietate ſummè eſſet instructus: Atqui*
C *profectò ſi quod optarem, liberè exprimendum eſt, mallem ego per mille tormentorum genera te præcedere; quàm poſtmodum ſequi. Verum enim verò ſi vnicuique, quod in votis habet, contingeret ex animi ſententia, quis quæſo diu in ſpe viueret? Quapropter propriæ meæ volũtati renuncians, iſtarum rerum ſummam penes eum eſſe opto; qui (nobis etiam præbens exemplum) propriam maluit abnegare voluntatem, quàm eidem obſequi, ad patrem ſuum dicens: Sed non quod ego volo; ſed quod tu: fiat voluntas tua. Præibis tu ergo, & quidem præibis. Verum efficies, vt precibus tuis eodem te ſequar itinere, forti (vt ſpero) atq; conſtanti animo. Age igitur, certoque ſcias, quantumcunque ea, quæ pateris, tormenta ſint grauia, eorundem me eſſe participem; quæ non dubium quin incorruptibilem tibi reddent coronam, pijs omnibus & pro Chriſti nomine decertantibus paratã*
D *ſi modo forti, & intrepido animo ea perferas, quæ in te congerentur, tormenta. Memor ſis nobilis, & auitæ tuæ familiæ, quæ te (non dubito) ad generoſam pro Chriſti nomine mortem ſuſtinendã extimulabit; ne qui nobilitate generis es illuſtris, eandem turpiter (impiæ Regis petitioni ſubſcribens) contamines: quamuis non ignorem te Ordinis tui dignitati tantùm deferre, vt nobilitatis iſtius mundanæ (quæ perexigua eſt, ſi non adſit virtus) rationem non habeas. Reddes ſumma cum gloria corpus id tuum Creatori ſuo, quòd tam diu ſanctam vitam colens ſub pauperculo iſto Franciſcani Inſtituti tegumento obſeruaſti. At nihilominus dum cogitatione voluo filia ego tua obediens, quantum tua de cauſa mœroris ſim habitatura, neſcio quid dicam, hanc potiſsimam ob cauſam, quod me ſine conſolatione aliqua relinques; ita vt hæc in hoc mundo habitatio, expecta-*
E *tioque mea aliud eſſe non poſsit, quàm miſeria, & in corporali vita mera mors; ſed tamen in Domino confido, cui dixi, Pars mea es in terra viuentium: in qua te me viſuram ſpero, non ita multò pòſt, vbi tempeſtate huius ſæuientis in me ſæculi ceſſante, ad ſerenam illam beatorum vitã aſſumar. His vale honorande mi pater; me tuis hìc in terra precibus ſemper commendans; quibus quoque me maximè conſolandã, dum ſupernas illas ſedes fueris conſequutus, firmiter ſpero.*

Filia tua mœroris pleniſsima Catharina.

Ex his litteris ingenti pietate à sereniſſima Regina ad ſanctum ſenem miſſis patet cùm pietas, tum prudentia optimæ matronæ; qualemque etiam, & quàm beneuolum gerebat erga ſanctum patrem animum: verè martyrij amore æſtuaſſe inſuper ipſam quis non dixerit, qui conſiderabit quàm prudenter, & quàm ſedulò eum ad martyrium conſtanti animo ſubeundum adhortatur? quem ſciebat in rebus diuinis verſa-

verſatiſſimum; & proinde ea pietate, ea virtute, eaque conſtantia pollere, vt non A
ambigeret, quia in obeundo martyrio ne dum non metueret, ſed intrepido, & ſitienti
animo ad illud aſpiraret; vt inde rei euentu probatum eſt. Huic verò epiſtolæ, quam
cum ingenti animi lætitia fidelis Chriſti confeſſor, ac conſtantiſſimus Chriſti martyr
accepit, nactus chartam, ac aliquam ſcribendi commoditatem ex carcere ſic reſpondit:

*Sereniſsima Domina mea Regina filia in viſceribus Chriſti longè cariſsima, Accepi tuas,
quibus lectis incredibili gaudio fui perfuſus ob magnā illam, quam in te perſpicio in fide conſtan-
tiam; in fide (inquam) matris tuæ ſanctæ Eccleſiæ: in qua ſi perſiſtes, non dubiam conſequeris ſa-
lutem. Nec eſt profectò quod de me dubites; cùm inconſtantiam aliquam hos meos canos dedecere
planum ſit. Interim obnixè te rogatam velim, vt indefeſſo labore apud Deum pro me inſtes, pro
cuius quidem ſponſa hîc tanta, tamque multa tormenta patimur, vt me in gloriam ſuam recipiat,
pro qua toties (annis videlicet quadraginta tribus) in Ordine diui Franciſci conſtitutus decerta- B
ui. Et ſexageſimum quartum modò agens annum populo neceſſarium me amplius non eſſe perſpi-
cio: quare omnibus votis opto diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Interim cauebis à peſtifera hæreticorum
doctrina, vſque adeò vt ſi Angelus de cœlo deſcendat, aliam afferens, præter eam, quam te do-
cui, doctrinam, fidem dictis eius adhibere nulla ratione debeas. Si enim aliud dogma, quàm quod
te pridem docui, afferat, non à Deo proficiſcitur. Pauca hæc conſolationis loco habitura es, quàm à
Domino noſtro Ieſu Chriſto maximè expectare debes: cui te commendo plurimum, vt & patri
meo ſancto Franciſco, diuæque Catharinæ: quemque obnixè te rogo vt ores, cùm in ſupplicijs me
cōſtitutum intelliges. His vale. Miſi ad te roſarium meum; quòd triduum tantùm ſuperſit vitæ meæ*

Scripſit etiam D. Eliſabetha Hammon ipſius Reginæ ancilla aliam epiſtolam ad eun-
dem venerabilem patrem, dum is adhuc eſſet in carcere: cuius tenor talis eſt.

*Colendiſsime mi pater incredibile eſt quanta Domina mea ſereniſsima Regina; & ego mæſti- C
tia afficiamur, dum de grauiſsimis, acerbiſsimisque tuis pœnis intelligimus: atq; ea magis de re,
quòd omnes nos ſimus conſolatione deſtitutæ; ita quòd Domina mea ſine vlla intermiſsione lacry-
mis ſe ſe irrigans nihil aliud quàm preces agat. Si fieri poſsit aliquo modo, vt amicorum quorundā
opera euadas, quæſo ne nos te orbatas velis relinquere, timeo enim ne Domina mea Regina tam fu
neſto commota caſu in grauem incidens morbum mortem incurrat; eò maxime, quòd furor Regis
is ſit, qui Reginæ intolerabilis videatur. Die ſiquidem Lunæ nouiſsimè elapſo venerunt ad nos
Regis ſatellites; qui neſcio quid perquirentes, minis nos vſque adeò terruerunt, vt quid conſilij
caperemus, nō ſatis agnoſceremus, ita vt terrifico hoc actu quid Rex ſibi velit, penitus ignoremus.
Vnicè autem te rogo, vt ſupplices ad Deum preces fundas, eum deprecans pro me, & ſocia mea
Dorothea Lichfilde, quæ te ſalutat ex animo. Vale & pro nobis Dominum Deum exora.*

Ad has litteras ſanctus pater ac Chriſti martyr ex eodē carcere in hæc verba reſpondit. D

*Filia mea Eliſabetha Hammon. Doleo profectò ob grauem illum Dominæ tuæ, tuumque mæro-
rem, propter has meas, quas ſuſtineo, pœnas, quaſi verè non ſit reſurrectio ad gloriam: Non ſunt
certè hæc, quæ ſæpius inter alia pietatis documenta tibi inculcaui: quòd ſi ſint, me longè tunc à ve
ritatis via abberraſſe tibi ſciendum eſt. Si velim fidem frangere, & præ tormentorum timore, ac
diuitiarum huius ſæculi cupiditate diabolo me prodere, non dubium quin facilè ſim euaſurus. Tu
autem non ita arbitrare. Addiſce ergo pro fidei Chriſti veritate pati, & pro eius ſponſa, & tua
matre Eccleſia mori; & non me ab illis tormentis, quibus ſpero beatitudinem æternam conſequi,
coneris diuerti. Obſecro, vt veſtigia ſequaris Dominæ tuæ Reginæ, præclara, quæ in ea comperies,
exempla ſequens; & pro me ora, vt tormentorum, quæ aduerſarij inferre cogitant, cum pro gloria
Dei conſequenda exigua ſint, augeant aſperitatem.*

Hac in epiſtola ſtrenuus miles Chriſti, feruenti actus patiendi deſiderio, correctione E
quadam monuit D. Eliſabetham, quòd humana pietate & induſtria, inclyti ſui marty-
rij palmam impedire, ſiue eum à tali propoſito retrahere aliquo modo conaretur.
Præterea vir quidam bonarum litterarum non ignarus Abel nomine, qui etiam in-
ter reliquos eadem fidei cauſa erat in carcerem coniectus, ad eundem patrem talem
ſcripſit epiſtolam.

*Reuerende admodum pater. Quamuis tormentorum grauitatem exhorreant ſenſus, profectò ea
tamen ſuſtinenda fides noſtra exigit, & requirit. Dixi, motus eſt pes meus, propter auerſionem
faciei tuæ: Verùm quò hæc tardatio cui auidè expectatur ſumma illa beatitudo? O beata facies; in
qua conſiſtit ipſa ſatietas. Vnde inquit Dauid: ſatiabor cum apparuerit gloria tua. Sed auertiſti*

faciem

A *faciem tuam à me & factus ſum conturbatus: conturbatus (inquam) quia tormentorum, quæ pat percupio, prolongatur cruciatus. Prolongatus itaque eſt, cùm & ſim humiliatus; homiliatus & non exaltatus, quia ad Saluatorem non tractus: non autem tractus, quia peccatorum pondere oneratus: oneratusque; & ab ipſo non refectus. Quid ergo proderit mea condemnatio, ſi vlterius fuerit expectandum? Expectans expectaui Dominum, & non intendit mihi. Quare quæſo, quia nimirum fuſis pro me precibus Dei miſericordiam, qua erga me vteretur, nõ implorasti: ſcio enim quanti ponderis ſit oratio iuſti apud Deum: quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eũ redemptio. In te ſperauerunt Domine patres noſtri; ſperauerunt & liberaſti eos; idque propter Dauid ſeruũ tuũ. Quare ergo pœnis his finis non imponitur? Per triginta ſeptem iam dies ſuſtineo, & requiem non inuenio: attamen ſpes mea eſt, quòd ſimul vno ſupplicio moriemur. Moriamur quæſo, vt viuamus cum illo; cui precum tempore plurimum te commendo martyrum omnium mar-*
B *tyri. Vale & pro me ora.*

Huic epiſtolæ ſanctus Chriſti confeſſor tale dedit reſponſum.

Multũ generoſe Domine. Sicut in claritate cognitionis, ita & in fruitione gaudij, & æternæ habitationis. Vnde beatus Auguſtinus in libro de ciuitate Dei, Multæ, inquit, mãſiones in domo vna ſunt erunt etiã variæ præmiorũ dignitates: ſed vbi Deus erit omnia in omnibus, erit quoq; in diſpari claritate per gaudium; vt quod habebunt ſinguli, commune ſit omnibus; quia etiam gloria capitis, omnium erit per vinculum charitatis: & ſic tantùm quiuis gaudebit de alterius bono, quantùm gauderet ſi in ſe ipſo haberet. Noli, fili mi numerare pœnas; quia hoc eſt dolori dolorem addere: ſed cogita quod dicit diuus Paulus exiſtimans paſſiones huius ſæculi eſſe indignas ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Cuius verbis benè additur dictum Prophetæ; qui ait ad Dominum: Mille anni ante oculos tuos, tamquam dies heſterna, quæ præterijt. Si patienter fers, quæ in-
C *feruntur, tormenta, ne dubites de retributione. De qua Pſalmographus inquit: Inclinaui cor meũ ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum propter retributionem. O beata, & ter felix illa retributio, quæ fit timentibus Deũ. Vnde oramus, Retribue ſeruo tuo Domine. Non tamen, niſi quia cuſtodiui ſermones tuos. Si ergo eſt retributio in cuſtodiendis ſermonibus Domini, cuſtodi eos fili mi. Sed ais quouſque? Vſque in finem. Quia dicit ipſe Saluator: Qui perſeuerauerit vſque in finẽ hic ſaluus erit. Neq; igitur pœnæ triginta ſeptem dierum, nec mille annorum, ſed vltimus finis coronabit opus tui certaminis. Laborantibus vnico die non ſatis fit pro anno integro: neq; qui Romam ſtipendio mittuntur, tantùm recipiunt, quantùm ij qui proficiſcuntur Hieroſolymam. Si tu tãtùm curras, vt Romã aſſequaris, putas ne Hieroſolymas venires? Hieruſalẽ (inquã) quæ eſt ciuitas Regis magni: in domibus eius cognoſceris, cũ ſuſcipies eã: eã dico) in qua eſt pax ſumma & trãquillitas maxima. Putas fili mi quòd ſimul curremus; & in vno ſupplicio gaudebimus, & de vno calice*
D *bibemus? Maiora me expectant certamina; te verò leuiora ſupplicia manent. Verum qualiacunq; tandem ea fuerint; viriliter age ſuſtinens Dominum. Vale.*

Non itaque multò poſt ipſe D. Abel propter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ fidem; quòd que Regis impij importunę, & iniquæ petitioni putarit eſſe contraueniendum, ſuſpendio necatus fuit. Poſt mortem inſignis huius patris Henricus Rex in peiora prolapſus, omnes Ordinũ Mendicantium fratres, & moniales ſuis ex ædibus eiecit, illaſque ſibi applicuit; quando hoc impijſſimum factũ executioni demandauit, vidiſſes illicò perditiſſimos quoſq; homunciones, viris religioſis grauiſſimis inſultantes, ac in ſacrarum virginum clauſtra vbiq; inuolantes, eaſq; ad luxum ac libidinem ſolicitantes, quæ aſylis illis ſanctiſſimis, ad quæ, fugiendi mundi ergo, ſe receperant, excluſæ, quò ſe verterent, aut vbi caput reclinarent non habebant: nemini tamen ſine ſummo peri-
E culo illud verbo, vultuvè improbare licebat, quare quia duo viri Londinenſes alter clericus ſæcularis, alter verò monachus audacius hoc iniquum factum arguerunt Londini laqueo enecati, & in partes diſſecti fuêre. Monaſteria monachorũ, poſſeſſiones & annuos redditus eorum vniuerſæ ferê nobilitati diſtribuit: atque hîc finis fuit monachorum in Anglia. Et vt iniquus Rex in rebus peſſimis exultaret, & de peccato ſuo gloriaretur, omnibus concionatoribus præcepit, vt omnibus, ſuis in concionibus, eiectionem monachorum, Mendicantiũq; fratrum gratularentur, plebemque docerent, quãtum beneficij ex ea reciperent, cùm ne dum à Tyrannica Papę iuriſdictione, verùm etiam ab eorum importunitate immunes, atq; liberi omnino exiſterent.


P.CŌCEPTIONIS
S.Ambroſius
S.Hieronim
S.Auguſtinus
S.Ildefonſus

PROVINCIA CONCEPTIONIS.

A HÆC Conceptionis Prouincia eam vlterioris Hiſpaniæ portionem obtinet,quę vetus Caſtella paſſim nūcupatur:& ab Occidente Meridiē verſus ſancti Iacobi , ab eo verò quod meridionalis plagæ reliquum eſt Caſtellæ , ſed ab Oriente Aragoniæ , atq; à Septentrione Burgenſem Prouincias ſibi conterminas habet.Pręterea ſui authores fundatoresq; agnoſcit beatos patres , atq; ſtrenuos regularis Obſeruantiæ propugnatores Petrum Villacretium , ac Petrum à Sanctojo , quorum in prima huius noſtri operis parte , atq; alibi ſuprà meminimus . Cùm enim beatus pater Petrus à Sanctojo Minoritici conuētus Caſtricæſaris (Hiſpanicè Caſtroxeriz)alūnus,à Hieroſolymitana peregrinatione, in Hiſpaniā reuerſus,quonam pacto Obſeruantiā ibidem introducere poſſet,alta mē-
B te reuolueret,in B.P. Petrum Villacretium , qui per 40. continuos annos huiuſmodi operi incubuerat,feliciſſimè incidit. Cuius tandē tum conſilio,tum quoq; opera vſus , religioſiſſimum conuentum Dominæ noſtrę de Saliceto,ad Caſtellę Prouinciam modò attinentem , tamquam firmiſſimum præfatæ Regularis Obſeruantię apud Hiſpanos fundamentum, ſimul cum eo erexit : deinde ad ſacram , deuotiſſimamq; Domus Dei de Aquilaria ædem , quæ ſub huius Prouinciæ vexillo impræſentiarum militat cum eodem ſocio manus admouit : poſtmodùm verò eiuſdem patris Villacretij opera vſus celeberrimum monaſterium Scalæcœli de Tribulo , (vulgò Abrojo) cuius infra meminerimus , ad famoſi fluminis Duriæ fluenta ædificauit ; ac tandem cariſſimo ſibi ſocio , beato ſcilicet patre Villacretio hoc in vltimo conuentu relicto,ad vſq; pien-
C tiſſimi Comitis Haro dominium penetrauit,inibiq; Minorum Cuſtodiam erexit.Vnde poſt aliquantulum temporis deflectens , quatuor conuentus , nempe S. Mariæ de gratia Villaſilos , qui & primus antiquiorq; huius Prouinciæ , tunc verò Cuſtodiæ locus eſt , S. Mariæ de conſolatione Hamuſci , Dominæ noſtræ de miſericordia prope oppidum (Paredes de Naua) Hiſpanicè nuncupatum , atq; S. Mariæ de ſpe (vulgò Val de Scopeſo) ad mille paſſus ab oppido Methymnę Roſecę ſub eiuſdem regularis Obſeruantiæ auſpicijs de nouo conſtruxit , & Minoriticum Valiſoletanum conuentum ad frugem correxit : vbi iam ſenio confectus , meritiſq; opimus , poſt plurimos præfato in opere exanthlatos labores , animam , anno à partu Virgineo 1431. cœlo
D reddidit . Eius corpus ex ſepulcro , in quo per 20. & vnum annos tumulatum fuerat, ad id quod modò ſub ſummo altari honorificentiſſimè obtinet , anno Domini 1452. tranſlatum extitit . Ex præfatis verò omnibus monaſterijs quinque poſtrema in peculiarem Cuſtodiā,quæ Vltramontana,eò quòd vltra eos montes,qui Caſtellam nouam à Caſtella veteri diuidunt,ſedem obtineret, dicta euaſit,euecta fuêre : ſextum verò, nempe Tribulenſe Tribulenſi Cuſtodiæ adiectū extitit: ſed ſeptimū , Aquilarianū ſcilicet,Palentinæ Cuſtodiæ acceſſit: atqui octauum,Salicetanum videlicet,Toletanæ Cuſtodiæ partes tenuit . Cuius quidem rei in cauſa extitit , quòd Caſtellæ Prouincia eas omnes,atq; alias(vt ex Conformitatum libro ſatis patet)ſub ſe tunc tēporis Cuſto-
E dias haberet.Pręfato verò patre Petro à Sanctojo vita functo,aliquot patres tum ſcientia, tū quoq; religione inſignes ex hac Vltramontana Cuſtodia prodierūt,qui ſereniſſ. Ioanne II. Caſtellæ atq; Legionis Rege ſibi ſummopere fauēte, Minoriticos Salmantinū, Beneuentanū,Corumniēſem, Zamorenſem atq; Capitisalbæ conuētus reformarūt, cęteriſq; p̄fatę Cuſtodię locis annexuerūt . Quę quidē Cuſtodia à ſui origine ad id vſq; tempus , quo in Prouinciam euecta eſt , nempe ad annum vſq; 1478. nouē Cuſtodes,eoſq; grauiſſimos patres,quorū primus extitit beatus pater Petrus à Sanctojo, ſui rectores,gubernatoreſq; habuit. Vt igitur primū religioſiſſimus pater frater Didacus

Monroi Catholicæ Hiſpaniarũ Reginæ Eliſabethæ Confeſſarius,præfato anno 1478. A
in nonum præmemoratæ Cuſtodiæ Cuſtodẽ electus fuit,huiuſmodi Cuſtodia adiecta
ſibi Tribulenſi Cuſtodia, à R. P. totius noſtri Ordinis generali Miniſtro ad Prouinciæ
dignitatẽ ſub Sanctoij titulo,in tanti fundatoris gratiã, aſſumpta eſt. Cuius ſigillum
Chriſtũ Dominum glorioſè reſurgentẽ,atq; quoſdã cacabos, qui gentilitia Legionen
ſis Præfecti Petri Mãriquij,cui ſe Cuſtodia ob recepta beneficia aſtrictiſſima nouerat,
inſignia erant,ad tempus impreſſit.Sed patribus tum præfatæ Tribulenſis Cuſtodiæ,
tum quoq; reliquæ Prouinciæ in Minoritico Caſtrocæſareo (vulgò Caſtroxeriz)con-
uentu,anno Domini 1518.capitulariter congregatis,& præmemorata Tribulẽſis Cu-
ſtodia,ſuppreſſo Cuſtodiæ titulo, in ipſam Prouinciam tranſijt: & Prouincia ſic ſimul
ex omnibus tum proprijs,tum quoque illius conuentibus collecta Sanctoij nomẽ pro
Deiparæ Conceptionis titulo commutauit:& reiecto antiquiori ſigillo, aliud nouum B
glorioſiſſimę virginis Marię Sole amictæ,Lunęq; innixæ,cuius pedibus ſacrę Religio-
nis noſtræ inſignia,nempe ſeraphici patris Franciſci ſtigmata ſubſtant, imagine inſi-
gnitum,atq; ſequentibus literis: PROVINCIA SANCTAE MARIAE DE
CONCEPTIONE, ſphericè circũſcriptum ſibi efformauit. Huic denique Conceptio-
nis Prouinciæ,quæ ex 36.fratrum conuentibus,atq; 38.monialium monaſterijs , Cla-
riſſarum ſcilicet 21.Conceptioniſtarum 7.atque Tertiariarum 10.conſtat , glorioſiſ-
ſima virginis Mariæ Conceptionem graphicè depictã,ne interim ab eius nomine atq;
ſigillo degenerare videar,ornatus cauſa,his adductus rationibus,antepoſitam volui.

De conuentu S.Franciſci Pinciarum. Conu. I.

CVM ſereniſſ.Regina Berenguela Ferdinandi Regis Sancti mater maxima in Mi C
noritas ferretur beneuolentia,illis conuentum,ſeraphico patri Franciſco dicatũ,
ad mille paſſus à Pincijs veteris Caſtellę oppido,ſub anno Domini 1248. ędificandum
curauit.Cumq; is locus inſalubris omnino,ob ſibi adiacẽtes aquas,euaſiſſet,fratrumq;
ſaluti maximè aduerſaretur,ab ijs derelictus,aliuſq; (de quo impræſentiarum) à pien
tiſſima Regina Violante Alphonſi cognomine Sapientis Caſtellæ Regis vxore, non
longè à præfati oppidi mœnibus,licèt modò illis claudatur,obtineatq; præcipuã,atq;
nobiliorẽ ipſius oppidi partẽ,ſub anno Dñi 1267.ſibi ſub eodẽ titulo conſtructus, occu
patus,admiſſuſq; extitit.Qui poſtmodũ conuentus à B:P.Petro à Sanctojo,circa annũ
Dñi 1440.reformatus,atq; Vltramontanæ Cuſtodiæ (vt præfati ſumus) adiectus fuit.
Meritò ſanè huic conuentui primus aſſignatur locus.Nã cęteros omnes & magnitudi D
ne,& elegantia,& fratrũ,qui 90.numerum frequentius excedũt,numeroſitate,& om-
nium neceſſariorũ copia,& florentiſſimo ſacræ Theologiæ ſtudio,antecellit.Pręterea
eius eccleſia religioſorũ quorũdã patrũ funeribus honeſtatur . Et primò quidẽ tumulo
B.P.Petri à Sanctojo,cuius ſuprà in iſtius Prouincię proœmio meminimus.Deinde ſe-
pulcro religioſiſſimi P.Ioannis à S.Cruce,viri vtiq; mirabili abſtinentia,oratione atq;
charitate prędıti.Qui cùm,poſt functũ cũ maxima laude per 30. continuos annos Vi-
cariatus officiũ,in nobili atq; regio Clariſſarũ monaſterio Tordeſyllano hoc in loco ,
qui 15 millibus paſſum ab eo diſtat,ex ſuperiorũ mandato morã traheret,quædamque
monialis nomine Conſtãtia cęteris monialibus noctu in refectorio agentibus, animam
in cubiculo ageret,ab Angelo pręmonitus fuit,vt ſumpto de ſacrario venerabili ſacra-
mẽto ſibi congrederetur: dumq; nihil minus cogitaret,agonizãtis oſtio appulit. Cũq; E
ſibi & Pęnitentiæ,& Euchariſtiæ ſacramẽta miniſtraſſet,atq; ad animæ vſq; exhalatio-
nem adfuiſſet, per eundem Angelum in locum,vnde aſſumptus fuerat,mirabiliter ſub
noctis ſilẽtio relatus extitit.Id autem tum apud fratres, tum quoq; apud moniales ita
certum eſt , vt piaculum ſit inexpiabile , vel minimum circa eius veritatem dubitare .
Huic tanto patri adijciendus venit pater Franciſcus à Vera paupertatis , orationis hu-
militatis , obedientiæ atq; omnium deniq; virtutum amantiſſimus, diligentiſſimuſq;
cultor, qui ex grauiſſima quadam infirmitate , quam & patientiſſimè tulit,hoc in lo-
co,anno Dñi 1556.è medio ſublatus maximam poſt ſe ſanctitatis famam reliquit. Præ-
cedentibus duobus patribus nec in minimo abſimilis fuit pater Hieronymus Oliua-
rius vir ſanè doctiſſimus , ac omni virtutum genere ornatus , ad cuius funus , quod
contigit

A contigit hoc in ipſo loco 29. Auguſti anno Domini 1580. vniuerſum oppidum ob eius ſanctitatem accurrit: illeq; feliciſſimum ſe exiſtimauit, qui vel tantillum habitus, aut cordæ ipſius habere potuit. Honeſtatur præterea præfata huius loci eccleſia ſepulcro reuerendiſſimi patris fratris Antonij à Gueuara Mendonienſis (vulgò de Mondoñedo) Epiſcopi, qui Carolo V. Germanorum Imperatori, Hiſpaniæq; Regi à ſacris concionibus, & à chronicis fuit. Hic doctiſſimus, atq; tum in humanis, tum quoq; in diuinis literis verſatiſſimus extitit: inſuper & plura opuſcula omni laude digniſſima vernaculo ſermone edidit: ac tandem huic ſæculo nequam, anno Domini 1545. vale dicto in ſacello à ſe affabrè hoc in conuentu conſtructo ſepeliri voluit. Non minorem profectò ſplendorem huius monaſterij eccleſiæ affert mauſoleum reuerendiſſimi patris fratris Franciſci Orantij Ouetenſis Epiſcopi, atq; huius Prouinciç alumni,
B qui vnus ex ſacri Tridentini Concilij patribus fuit, acutiſſimeq; contra Caluinum hereſiarcam ſcripſit, atq; poſt plurima munia, eaq; honorificentiſſima feliciſſimè functa, ergaſtulo carnis ſolutus iuxta infimum ſummi altaris gradum tumulatus extitit. Famoſis his ſepulturis adijcenda veniunt nobiliſſima duo mauſolea, hoc in eodem loco erecta, alterum Infantis Henrici ſereniſſimæ Berenguelæ Caſtellæ Reginæ, atq; præſentis monaſterij fundatricis ex filio nepotis: alterum verò honeſtiſſimç Leonorç Henrici eiuſdem Caſtellæ Regis filiæ. Huius deniq; conuentus alumnus fuit, imò & hinc exiuit religioſiſſimus pater Ioannes à Zuazo, qui in Ægyptum vſq; penetrans, dum Memphis (vulgò Cairo) tum coram eius Præfecto, tum quoq; corā cęteris Saracenis fidem prædicare nititur, glorioſo martyrio, hanc mortalem vitam terminauit.

De conuentu S. Franciſci Palentiæ. Conu. II.

C CONVENTVS hic Palentiæ intra mœnia ſub beatiſſimi patris Franciſci titulo erectus, antiquiſſimus eſt: cùm ex apoſtolico quodam Innocentij IIII. Pont. max. diplomate in eius archiuis aſſeruato, ante annum à Chriſto Saluatore nato 1246. idq; ex diuerſis fideliū eleemoſynis ędificari cœperit. Qui ſanè conuētus capaciſſimus eſt, atq; omni ex parte perfectus, cùm 60. fratres commodiſſimè contineat, grauiſſimiſq; patribus, ſimul atq; doctiſsimis olim, antequam videlicet Academia ex Palentina hac ciuitate ad Salmanticenſem Sanctij Regis Caſtellæ iuſſu, ſub anno Domini 1290. transferretur, floruit. Inter cæteros magni nominis patres, in huius loci eccleſia ſepultos, admirandæ religionis atq; doctrinæ pater Alphonſus à Spina iacet. Hic, cùm eſſet inſignis concionator, animarumq; ſalutem ſupramodum ſitiret, in id
D maximè incumbebat, vt aliquos Chriſtro lucrifaceret. Cumq;, ex melancolica imaginatione ſubtriſtior quadam die effectus, puteo iuxta Minoritici conuentus Valiſoletani (de quo ſuprà) ſacrarium hæreret, anxius cogitaret, num frequentiſsimis ſuis concionibus aliquem fructum feciſſet: vocem è ſublimi delatam ſibi præcipientem, vt ſitulā ex trochlea pendentem in puteum demitteret, aquamq; hauriret, audiuit. Cui cùm obtemperaſſet, 24. ſubalbos lapillos Ieſu nomine inſignitos, iuxta 24. ſermones, quos paucis ante diebus ad populū Valiſoletanū de ſanctiſsimo nomine Ieſu habuerat, in ſitulæ fundo inuenit. Ex quo demum euentu confirmatus, omnibus neruis prædicationis officio in poſterum incubuit, atq; doctiſsimū libellū, cui Fortalitium fidei titulus eſt, edidit, typiſq; mandauit. Horum lapillorum 12. argenteæ cruci præinſerti in præcedenti conuentus ſacrario aſſeruantur; reliqui verò 12. à catholica Hiſpaniarū
E Regina Eliſabetha Granatā delati ſunt. Referre non grauabor (vt interim addiſcant mortales Chriſti Vicariorū dictis audire) q̄d Fromeſtæ, quæ Palētinę diœceſis oppidū eſt, ſub anno 1493. acciderit. Præceperat Sixtus IIII. Pont. max. idq; anno 1476. vt natalitius ſeraphici patris Franciſci dies feſtiuè à fidelibus tranſigeretur: cumq; ruſticus quidam auaritia ductus, tantoq; præcepto longè poſthabito, nihil minus curaret, ſeq; increpanti reſpondiſſet: num mihi Franciſcus neceſſaria ſubminiſtrabit, an potius manus iſtę, famulū in agrū prę miſit, eumq; poſtmodum ſequutus terrā aratro proſcindere cœpit. Et ecce, dū famulus caput fortuitò voluit, miſerū hęrū terrę hęrentem, imbecillem omnino effectum, mutum, ac ferè exanimem videt. Quem tandem domum curru deductum ab eius familia paucos poſt elapſos dies ſepulturam accepit.

De conuentu S. Franciſci Segobiæ. Conu. III. A

PRIORIS conuentus Segobienſis antiquitas ante annum Domini 1252. (prout ex ſequenti hiſtoria manifeſtum euadit) computanda venit. Cùm enim Caſtellæ, atq; Legionis Rex Alphonſus cognomine Sapiens blaſphemiam in diuinam maieſtatem protuliſſet, atq; à religioſiſſimo quodam patre huius tunc loci accola, ex diuina ſibi facta reuelatione, præmonitus, quòd in cęlo contra eũ lata eſſet ſententia, vt malè & abſq; liberis periret, quamobrẽ cùm, vt tantum crimen commiſſum condigna pęnitentia redimere ſatageret, nihil minus curaret, maxima quadã tum fulgurũ, tum tonitruum, tum quoq; imbriũ tempeſtate intempeſta nocte oppreſſus extitit, ita vt fulmen ex aëris interſtitio delapſum Reginæ ſibi vxoris velum, ſe præſente, combuſſerit. Quo tanto euentu territus Rex, ac animo conſternatus pręfatum patrẽ accerſiri iuſſit, B ſibiq; commiſſa crimina in ſacramentali confeſſione detexit, atq; tandem prolatã à ſe aliquando blaſphemiã coram frequentiſſimo cœtu maxima cum humilitate retractauit, damnauitq;: quo facto huiuſmodi tempeſtas ex tẽpore ceſſauit. Contigerunt autem hæc ſub anno Dñi 1252. Ex quibus ſanè liquet præfatum hunc conuentũ ante id tempus exordium ſumpſiſſe. Sed quo certo tempore id ſibi contigerit, non ſatis patet. Dixerim autem prioris: nam is conuentus Clariſſis monialibus ſub titulo S. Antonij, anno Dñi 1498. relictus extitit, & fratres ad præſentem, qui ſub S. Franciſci titulo infra Segobienſis ciuitatis mœnia elegantiſſimè, ita vt 70. fratres ſui accolas commodiſſimè excipiat, ex publicis Segobienſium facultatibus poſterius ædificatus fuit, ſe trãſtulêre. Viget hoc in loco, ꝙ huiuſmodi exercitio accommodatiſſimus ſit, quodq; omnibus neceſſarijs abundet, Theologicum ſtudium, cui iuniores 20. ſacerdotes ſub C duobus doctiſſimis prælectoribus incumbunt. Cùm S. Antonius quodam in pago non longè à Segobia diſtante deuoto cuidam iuueni ſemel ac iterum apparuiſſet, ſeq; præmonuiſſet, vt ſacellum ſibi in ſemidiruta quadã ædicula procul à præfato pago ab eius communitate ædificandum, inibiq; Confraternitatem in ſui honorem erigendam curaret, & ille iniuncti ſibi muneris executioni ſolicitius incumberet, accidit, vt eius mater è viuis excederet. Quod vt ille primùm reſciuit, genuflexus coram pagi multitudine beatum Antonium interpellare cœpit, quatenus defunctam ſibi cariſſimam matrem eius meritis & interceſſione viuam recipere mereretur. Mirabile dictu! Vix petitionem iuuenis præmiſerat, quando, tota ſtupente corona, voti compos effectus eſt. Et ne quis nos anile commentum referre ſuſpicetur, hæc nouerit per publicum Tabellionem, adhibitis pluribus oculatis, atque fide dignis teſtibus memoriæ mandata. D

De conuentu S. Franciſci Sahaguni. Conu. IIII.

CVM religioſiſſimus monaſterij patrum Benedictinorum Sahaguni (Hiſpanicè Sahagun) erecti Abbas, ex incredibili quadam in Franciſcanam familiam animi propenſione, quibuſdam eius alumnis fundum ad præfatum monaſterium attinentẽ, de monachorum tamen ſibi creditorum conſenſu, ad vnius conuẽtus ædificationem, ſub anno Domini 1257. contuliſſet: huiuſmodi fratres fundamentalem lapidem tanto ſubijciendum ædificio ab Alexandro IIII. Pont. max. Romæ tunc agente, benedicendum curarunt. Cuius ſanè Pontificis tanta fuit erga præfatos fratres pietas, vt, pręter huiuſmodi collatum beneficium, apoſtolicas etiam illis literas ad reuerendiſſimũ Martinum Legionenſium Epiſcopum dederit, quatenus huiuſmodi lapidem à ſe be- E nedictum in totius futuri operis fundamento poneret, eccleſiamq; ſimul & cœmeteriũ benediceret, inſuper & omnibus fidelibus adiutrices manus ad tantum opus promouẽdum porrigentibus annum & quadragenam de iniunctis pœnitentijs ex apoſtolica liberalitate remiſerit. Eius denique ſummi Pontificis beneficio effectum eſt, vt præſens conuentus, quem & triginta fratres commodiſſimè inhabitant, ex diuerſis fidelium eleemoſynis à fundamentis ad apicem vſque conſtructus fuerit, & ipſius eccleſia in ſeraphici patris Franciſci honorem à præfato Legionenſium Epiſcopo Martino conſecrata extiterit. Nihilominus tamẽ princeps ſacellũ à nobili heroina Maria legitima quondam ſtrenui illius Hiſpani militis atq; herois Roderici Ciſnerij, agnomine Superbi

A perbi Caſtellani vxore conſtructum eſt; qua etiam de cauſa tum ſibi, tum quoq; eius filiæ Ioannæ Rodriguez, nobili ac pientiſſimę heroinæ, in ſepulturam deſeruit.

De conuentu S. Franciſci Carrionis de Comitibus. Conu. V.

HIC conuentus ſeraphico patri Franciſco intra eius oppidi, quod Carrion de los Condes Hiſpanicè nuncupatur, attinetq; ad Palantinam diœceſim, ambitum erectus, & à 25. fratribus incultus, multò antiquior præcedentibus eſt: cùm ſtatim à Compoſtellana eiuſdem ſeraphici patris peregrinatione conſtructus extiterit. Quia verò Eugenius IIII. Pont. max. apoſtolicas quaſdam literas in eorum fauorem, qui adiutrices manus ad eius refectionem reparationemq; admouerent, ſub anno Domini 1436. dedit, non deſunt, qui ſuſpicentur ipſum per id tempus exordium ſum-
B pſiſſe. Cæterùm fertur Calixtum III. Pont. max. dum ſalutandorum Apoſtoli Iacobi liminum cauſa Compoſtellam peteret, per hunc conuentum tranſijſſe, ac in eius clauſtro Miſſam celebraſſe, inſuper & loci Guardiano pro tempore exiſtenti, vt ad Epiſcoporum inſtar 40. dierum indulgentiam fidelibus concedere poſſet, facultatem feciſſe. Quod an verum ſit aliorum potius, quàm meum eſto iudicium. Id nihilominus aſſeuerauerim, quòd hoc tum apud oppidanos, tum quoq; apud fratres indubium non ſit. In huius deniq; loci eccleſia admirandæ religionis & ſanctitatis pater Franciſcus Numantinus (vulgò de Soria) tumulatus quieſcit: qui sereniſſimo Nauarræ Regi à ſacris confeſſionibus extitit, atq; apud eundem pro Ioanne eius nominis II. Caſtellæ, Legionisq; Rege honorificentiſſima atq; feliciſſima legatione functus eſt: quiq; iuxta Ferdinandi Piretij à Guſmanio in ſuis Chronicis ſententiam plurimis mi-
C raculis poſt obitam mortem claruit, meritoq; inter ſanctos viros referri meruit.

De conuentu S. Franciſci Pennafelij. Conu. VI.

MAGNO equidem ornamento eſt Pennafelio, quod Palentinæ diœceſis oppidum eſt, attinetq; ad nobiliſſimos Oſſunenſium Duces, Minoriticus hic conuentus, beatiſſimo patri Franciſco dicatus, atq; ad 200. paſſus ab ipſo oppido ſitus, tum ob eius antiquam nobilemq; ſtructuram, tum quoq; ob alabaſtrinum beati patris Petri Villacretij ſepulcrum (cuius ſuprà meminimus) ibidem erectum. Cuius tamen certa fundatio, deperditis omnino eius documentis, omnino ignoratur. Exiſtimatur nihilominus communibus oppidanorum ſumptibus, idq; ante 200. annos, ex-
D tructus. Cui ſanè opinioni & ædificij vetuſtas, & oppidanorum in trigintaſex fratres eius accolas beneuolentia, quibus neceſſaria ſubminiſtrãt, fidẽ aſtruere videntur.

De conuentu S. Franciſci Arandæ Durianæ. Conu. VII.

ADIECTVRA catholica Hiſpaniarũ Regina Eliſabetha Ferdinãdi V. vxor quamplurimis à ſe præſtitis Franciſcanæ Religioni beneficijs aliud, nouũ hunc conuentũ, ſeraphico patri Frãciſco, cui à teneris vnguiculis deuotiſſima extitit, ſacrũ, paululum ab Aranda Duriana, quòd Duria celebri flumine alluatur, ſic diſtans atq; inſigni oppido ex regio ærario, apoſtolica tamẽ Alexandri VI. Pont. max. auctoritate ſibi fauente, ſub anno Dñi 1499. à primo ad vltimũ vſq; lapidẽ ędificandũ, atq; cęteris huius Prouinciæ locis agglomerandũ curauit. Inhabitatur hic locus à 30. fratribus
E ob iſtius patrię fertilitatẽ, oppidanorũq; erga eos beneuolentiã, atq; ſui capacitatem.

De conuentu Dominæ noſtræ de Falce, vulgò de la Hoz. Conu. VIII.

AMORIS quidem ſereniſſimæ Hiſpaniarum Reginæ (de qua præcedenti loco) erga ſeraphicam Religionem noſtram quoquò me vertam, veſtigia proſpicio. Cùm enim huius conuentus, qui ſub titulo Dominę noſtrę de Falce, ad ſextum lapidem à Sepulueda Segobianæ diœceſis oppido diſtat, atq; ſolitario in loco editiſſimos inter montes ſedem obtinet, antiquitatem diligentius perſcrutarer, in authenticas quaſdam literas incidi, quibus deniq; edoctus fui ipſum ante annum Dominicę incarnationis 1231. ex diuerſis fidelium eleemoſynis exordium ſumpſiſſe, atq; à præfata Regina, cùm fortè fortuna, anno Domini 1495. dempta eccleſia, corruiſſet, ab ip-

ſis fundamentis ad apicem vſq; ex firmiori lapide reædificatum fuiſſe. Cæterùm hic A
locus, quamuis ab hominum frequentia ſemotus, à 25. fratribus, idq; nullo abſq; grauamine, quòd adiacentes populi maxima in eum deuotione ferantur, incolitur: inſuper & quodam oſſe diui Chriſtophori martyris, atq; quibuſdam etiam alijs oſſibus ex vndecim millibus virginum honeſtatur. In quo deniq; illud mirabile accidit. Reuerſus fuerat domum poſt octo milliariũ emenſionem religioſus quidam à mẽdicatione panis laſſus omnino, atq; madidus, in profeſto Natiuitatis glorioſiſſimæ virginis Mariæ: cumq; vocatus ſemel à patre loci Guardiano, vt cùm cæteris fratribus matutinis intereſſet, ſe excuſaſſet, adiecit Guardianus, idq; præter morem, vt nulla interpoſita mora ſurgeret: quamobrem is ſtatim relicto grabato chorum acceſſit: vixq; eius limen tetigerat, quando vniuerſa domus præter eccleſiam & chorum, ad terram venit, corruitq;. Sicq; ille per obedientiæ ſanctæ meritum tantum euaſit diſcrimen. B

De conuentu S. Ioannis de Pœnitentia Fontidonij. Conu. IX.

CONVENTVS hic Fontidonij, quod Segobianæ diœceſis oppidum eſt, in honorem ſancti Ioannis Baptiſtæ de Pœnitentia erectus, ad alterius Ordinis monachos olim pertinuit, & ab ijs, legitimis quibuſdam de cauſis, ex Alexandri VI. Pont. max. decreto, eius interim executore R. patre fratre Franciſco Ximenio Toleranorũ Archiepiſcopo, ſub anno à partu Virgineo 1496. ad huius Prouinciç fratres, quorũ 20. impræſentiarum ibidem commorantur, tranſlatus fuit. In principe huius loci ſacello nobiliſſimus heros Petrus à Luna Caſtellæ Comeſtabilis, atq; ſacræ Iacobitarum Militiç Magiſtri filius, primuſq; oppidi Fontidonij temporalis Dñs, erecto ſibi famoſo mauſoleo, cuius pulchritudine præfatum ſacellum condecoratur, tumulatus iacet. C

De conuentu Dominæ noſtræ de Viginti. Conu. X.

HÆC domus olim Dominæ noſtræ de Lilijs, nunc verò de Viginti, quòd vigeſima fuerit earum domuum, quas pientiſſimus Caſtellæ Comeſtabilis (de quo in Burgenſis Prouinciæ deſcriprione fuſius) tum fratribus, tum quoq; monialibus conſtruxit, ſic dicta, ruralis patrũ Benedictinorum monaſterij S. Petri de Arlanza, ad nonũ lapidẽ ab ea diſtantis, ędes fuit. Hanc igitur pręfatus Comeſtabilis à deuotiſſimo quodam Franciſcano laico rogatus, ſibi à præfatis patribus Benedictinis donari petijt, atq; tandem obtentam, beato patre Bernadino dę Senis adhuc in viuis agente, Burgenſi Cuſtodiæ adiecit. Quæ quidem ſacra ædes, ob veneranda pignora, corpora videlicet beatorum patrũ ex Religione Benedictinorum Februarij atq; Camilli, qui ibi- D
dem, ob catholicæ fidei cauſam, à Saracenis trucidati ſunt, in ſacello Crucifixi honeſtiſſimè tumulata, omnibus in gyro populis commendatiſſima eſt: atq; ex eleemoſynis ab ijſdem ſatis liberaliter collatis 18. fratres commodè ſuſtentat, continetque.

De conuentu S. Ludouici Gormaſii. Conu. XI.

HIC conuentus Gormaſij, quod Oſmenſis diœceſis oppidum eſt, paretq; Caſtrẽſium Comiti, in honorem S. Ludouici Toloſani Epiſcopi erectus, vnus eſt ex totius iſtius Prouinciæ minoribus: cùm ab octo tantùm fratribus inhabitetur, nec plures ob ſui anguſtias capere poſſit. Eſt nihilominus oppidanis tum ob ſui diſpoſitionem, quæ deuotionem maximè excitat, tum quoq; ob inculpatam, exemplaremq; eius accolarũ vitam maximè commẽdatus, omniũq; beneficiorũ genere proſequutus. E

De conuentu Corporis Chriſti. Conu. XII.

SEDENTE Ioanne XXII. Pont. max. Saracenus quidam, abiurato Mahumetiſmo, Romam petijt, vbi & ſacro regenerationis lauacro initiatus, atq; in fide ſatis inſtructus fuit. Cumq; familiaritate cuiuſdam fratris Aluari Minoritæ, atq; Pœnitentiarij inibi vſus eſſet, id ab eo concilij retulit, vt videlicet in Hiſpaniam rediret, atq; eccleſiam in editiori, aſperiorique montis Lieuani Palantinæ diœceſis parte ædificaret. Cuius denique ille, qui & Ioannes de Rupe (vulgò de la Peña) vocari voluit, ſanis conſilijs acquieſcens, vt primùm ad præfixum ſibi locum peruenit,

hoc ibi

A hoc ibi monaſterium ſub titulo Corporis Chriſti conſtruendum curauit, atque Minoritico indutus habitu, quod ſibi reliquum vitæ fuit, id in proximiori quodam ſpecu ſanctiſſimè tranſegit. Quia verò hic locus, qui & plurimis ſanctorum reliquijs honeſtatur, procul ab oppidis diſtat, & eius accolis, qui octauum numerum non excedunt, omnibus itineribus altiſſimis niuibus obſeſſis, ad nullum penitus locum hyemali tempore patet acceſſus: coguntur ij, ſi ſibi conſultum velint, omnia ad victum & amictũ neceſſaria in æſtate ſibi aliunde comparare, atque in cellariam ad formicarum inſtar inferre. Quo etiam fit, vt eius habitatio fratribus ſit ſupra modum oneroſa.

De conuentu S. Franciſci Numantiæ. Conu. XIII.

CVM ſeraphicus pater Franciſcus limina beati Iacobi Apoſtoli in Compoſtella
B viſitaturus Numantiam pertranſiret, atq; ad patrum Benedictinorum monaſterium, ſub titulo Dominæ noſtræ de Emporio ibidẽ erectum, hoſpitij ergò declinaſſet, pratum inde non multùm diſtans ſequenti luce petens, quinque aceruos ex lapidibus, hinc inde diſperſis inibi erexit: Interrogatus verò à ſocijs, quid ſibi huiuſmodi lapidũ congeries vellent, ſpiritu afflatus prophetico reſpondit eum locũ à Domino ad vnius conuentus Ordini ſuo adijciẽdi ædificationem electum, ideoq; velle ſe materiam pro ſuo modulo diſponere ac præparare. Cui ſanè reſponſioni rei euentus fidem aſtruxit. Nam (ſi Chronicis noſtri Ordinis fides adhibẽda ſit) beatus pater Ioannes Parens primus Prouinciẹ Caſtellẹ prouincialis, atq; poſtmodũ totius Ordinis generalis Miniſter, dũ Generalatus officio fungeretur, generalẽ quandam patrum noſtri Ordinis Vltramontanorum Congregationem Numantiæ, (de qua impræſentiarum) idq; in con-
C uentu iuxta patris Franciſci præſagium erecto, anno Domini 1233. qui ſeptimus ab eiuſdem patris Franciſci morte fuit, celebrauit. Ex ſupradictis igitur, quanta ſit huius conuentus (cuius tamen certa ætas ignoratur) antiquitas, ſatis patet. In præfata generali congregatione, quæ in feſto Pentecoſtes de more habita fuit, illud memorabile accidit. Laborabat omnis circumquaq; regio maxima ſiccitate, nullaq; futuræ meſſis ſpes eius accolis erat: quamobrem patres ſic in vnum collectos obnixè rogarũt, vt pro ſe apud Deum intercedere vellent. Quibus deniq; ſimul cum Generali ad orationem recurrentibus, tanta ex tempore aquarum abundantia è cœlo ſubminiſtrata eſt, vt ſegetes, quæ iam omnino præ ſolis ardore pallebant, faciẽ immutarint, ac in maximam fœcunditatem proruperint: vnde & fertilitas ſubſequuta eſt. Minoriticum hoc in conuentu habitum induit, immo & ſepultus eſt admirandæ religionis frater Ioan-
D nes Tozalius: qui relicto Mahumetiſmo Chriſtianorum albo aſcribi voluit, ac tantopere in humilitate, ac cæteris virtutibus profecit, vt, ad inſtar ſeraphici patris Frãciſci, Diaconio initiatus, nũquam ad ſacerdotium, quo ſe indignum ex maxima animi ſubmiſſione iudicabat, promoueri voluerit: & genuflexus, complicatiſq; ad modum orantis manibus poſt mortem inuẽtus ſit. Qua etiam de cauſa vt ſanctus ac Deo carus ab omnibus habetur. Hoc etiam in loco, quem & 40. fratres commodè inhabitant, animam, anno Domini 1553. ſuo Creatori reſtituit, ſepultuſq; extitit ſummæ integritatis frater Alphonſus à Nebreda laicus profeſſus, cuius vita nihil aliud quàm omnium virtutum ſpeculum fuit. In eo ſiquidem profundiſſima humilitas, ardentiſſima charitas, atque feruentiſſima oratio à ſui profeſſione ad vltimum vſque mortis inſtans re-
E ſplenduit. Quo denique factum eſt, vt à fratribus inter cœlicolas annumeretur.

De conuentu S. Franciſci Metymnæ Campi. Conu. XIIII.

HÆC ſacra domus Metymnæ Cãpi, quod famoſum Salmantinæ diœceſis oppidum eſt, in honorẽ beatiſſimi patris Franciſci erecta, antiquitate non caret: cùm ante 200. annos Segobianæ Cuſtodiæ ſubiacuerit. Erectionis tamen eius certum tempus, quòd in quibuſdam tumultibus, Carolo V. Germanorum Imperatore ac Hiſpaniæ Rege, ſub anno reſtitutẹ ſalutis 1521. omnino conflagrarit, reſciri non poteſt. Fuit nihilominus, idq; ex diuerſis Metymnenſiũ, præcipuè verò mercatorum eleemoſynis, multò elegantius, multoq; auguſtius, quàm prius reædificata: vnde & 50. fratres commodiſſimo excipit hoſpitio. Præfatẹ igitur ex cõbuſtionis cauſa euenit, vt nihil aliud memorabile

memorabile de præſenti conuentu, alioquin pulcherrimo, atque omni commendatione digniſſimo, in medium adducere poſſimus ab eo, quòd ampliſſima eccleſia, perpulchris ſacellis exornata, gaudeat, nihilq; ad ſui perfectionem, atque decorem deſideret. A

De conuentu S. Franciſci Abulæ. *Conu. XV.*

MINORITICVS hic conuentus Abulæ, quæ epiſcopalis veteris Caſtellæ ciuitas eſt, ſub ſeraphici patris Franciſci titulo conſtructus, proximè præcedenti coæuus extitit, atq; ad eandem Segobienſem Cuſtodiam, ad quam & ille, olim pertinuit. Nec ab eo multum differt: cùm & quadraginta quinque fratres frequẽtius contineat, & omnibus ſuis numeris, idq; ſatis eleganter ſatiſq; auguſtè, abſolutus ſit. In cuius denique eccleſia venerabiles patres frater Franciſcus à Valentia, frater Petrus à Fonte, atq; frater Gabriel à Capitibus orationis prærogatiua, atq; cæteris virtutibus B olim inſignes tumulati ſunt. In principe verò eiuſdẽ eccleſiæ ſacello nobiliſſimus atq; pius quidam Gallus nomine Rubinus atque Franciæ Ammiras honorificè quieſcit.

De conu. B. Mariæ de Scala cœli vulgò dicto Abroio. *Conu. XVI.*

DISTAT religioſiſſima hæc domus à Pincijs, ſiue Valleoleti famoſiſſimo, celeberrimoq; totius Hiſpaniæ oppido ſex millibus paſſuum, ædificataq; fuit ex diuerſis fidelium eleemoſynis, ſub anno à partu Virgineo 1415. à beato patre Petro Villacretio in fundo, ſiue horto vocabulo Tribulus, (vulgò Abrojo) à quo & nomẽ traxit, ſibi à perdeuoto quodam Aluaro Diaz Villacretio liberaliſſimè collato. Cuius religio, ſanctitas atq; regularis diſciplina, vix explicari poſſunt. Vnde nec mirum, ſi tot patres ſcientia illuſtres, moribus graues, religione atq; ſanctitate inſignes noſtro Or- C dini pepererit. Ex quibus tamen ne tædioſior ſim, vnum vel alterum in medium adducam. Et primo quidem loco admirandæ religionis atq; ſanctitatis patrem Zumarragam natione Cantabrum, qui ob eius virtutes, excellentiſſimaſq; animi dotes per reliqua Ordinis munia ad huius Prouinciæ Miniſteriatum, quo maxima cum laude functus fuit, de communi patrum conſenſu peruenit, atq; primus Mexicanorum Epiſcopus apud nouæ Hiſpaniæ Indos, Carolo V. Germanorum Imperatore atq; Hiſpaniarum Rege id maximè procurante, creatus fuit. Quo in munere adeò ſtrenuè, adeoq; laudabiliter ſe geſſit, vt nihil eorum quæ diuus Paulus ad Timotheũ ſcribens ab Epiſcopis obſeruari vult, in eo deſiderari potuerit. Nihil ſiquidem monaſtici rigoris, aut Franciſcanæ paupertatis, licèt ad tantam dignitatem promotus, remiſit: ſed perpetuò cilicineo habitu ad carnes indutus, nudiſq; pedibus incedens, quæ erant vigilantiſſimi D Paſtoris, ea quamdiligentiſſimè exercuit. Præterea frugali contentus mẽſa, quicquid ſibi ex epiſcopalibus prouentibus reſiduum erat, id pauperibus atq; infirmis, quorum etiam vlcera proprijs manibus curare ac tergere ſolitus erat, liberaliſſimè erogabat. Quamobrem ex hac vita, cum maxima ſanctitatis fama diſcedẽs ab omnibus tum Hiſpanis, tum quoq; Indis ad fidẽ de nouo conuerſis, non ſecus ac communis parens, deſideratus fuit, miraculiſq; coruſcare meruit. Deinde meminiſſe libet deuotiſſimi, atq; de omni virtute optimè meriti patris Bernardini ab Areualo, qui inter doctos ſuæ tempeſtatis viros doctiſſimus, inter præcipuos concionatores diſertiſſimus ac ſingulari facundia præditus, inter religioſos religioſiſſimus, atq; inter pauperes euangelicos pauperrimus fuit. Hic ſiquidem tantus pater, licèt ſępius Guardianatus officio, atq; ſecundò Miniſteriatus munere maxima cum laude functus fuerit, omnes ferè tum ſcholaſti- E cos, tum quoq; poſitiuos ſcriptores quamdiligẽtiſſimè legit, nulliſq; feſtiuis, aut quadrageſimalibus diebus per 30. continuos annos, eoq; amplius, à ſacris concionibus vacauit. Pręterea ſingularem quandam abſtinentiam cum feruentiſſima oratione, profundiſſima humilitate, incredibili patientia, atq; ardentiſſima charitate copulauit: Ac tandẽ laboribus potius, quàm ſenio confectus, anno Domini 1553. ętatis vero ſuę 61. vniuerſo Valleoletano oppido conlacrymante, in Minoritico eiuſdem oppidi conuentu ex contracta pleuritide diem clauſit extremum, ſepultuſq; eſt. In cuius funere accidit, vt fratribus in refectorio agentibus ſęculares effractis eccleſiæ cancellis effoſſa terra eius corpus exhumauerint, deuotioniſq; ergò deoſculati fuerint, atque tandem habitum

A habitum,quo indutus erat,in fruſta conſciderint. Præcedentibus patribus adijciam
ſummis encomijs venerandũ patrẽ Ioannem Calagurritanũ virum vtiq; abſtinen-
tiſſimum,atq; in oratione exercitatiſſimum : qui & miracula edidiſſe fertur, atq; hoc
in loco,anno humanæ ſalutis 1575.in Domino obdormiuit.Cæterũ celeberrima hæc
domus,cui Dominę noſtræ de Scala cęli in titulum eſt,à 25.patribus inhabitatur,ob-
tinetq; inter cæteras huius Prouinciæ Recollectionis domus principatum, atq; ſacro-
ſanctis tribus Dominicę coronæ ſpinis,plurimisq; alijs ſanctorũ reliquijs honeſtatur.

De conuentu Domus Dei de Aquilaria. Conu. XVII.

VTPRIMVM beati patres Petrus Villacretius, ac Petrus à Sanctojo Salice-
tanam domum (de qua in Prouinciæ Caſtellæ deſcriptione) ædificarunt, eos
B montes, qui veterem à noua Caſtella diſterminant, ſuperantes ſimillimam ei ædem
(de qua impræſentiarum) ſub titulo Domus Dei de Aquilaria (vulgò del Aguilera)
ad ſextum lapidem ab Aranda Duriana Oſmanæ diœceſis oppido,ſub anno reſtitutæ
ſalutis 1404 conſtruendam curarunt. Quæ quidem domus arctiſſimam eam regula-
rem diſciplinam,quam à ſuis fundatoribus accepit, impræſentiarum vſq; mordicus
ſeruat.Deſeruit nãq; 24.fratribus huius Prouinciæ Recollectis:quorũ laus in circum-
uicinorum populorum ore eſt. Quemadmodum beatus pater Petrus Villacretius Pẽ-
nafelianum, & beatus pater Petrus à Sanctojo Pincianum conuentus ſuis funeribus
illuſtres reddunt,ita quoq; beatus pater Petrus à Regalada (cuius Chronicorũ noſtri
Ordinis author 3.ſui operis parte meminit,noſq; in Caſtellæ Prouincia mentionẽ fe-
cimus) prȩſentem conuentum ſuo obitu ſummopere commendat.Nam vtprimùm 30.
C Martij,anno verò Domini 1456. diem clauſit extremum, miraculis coruſcare cępit.
Quadraginta ſiquidem & ſex vtriuſq; ſexus homines omnino contractos,tres paraly-
ticos, duos itidem leproſos, alioſq; quamplurimos grauiſſimè febricitantes integræ
ſoſpitati reſtituit: inſuper & ſurdis auditum, & mutis affatum,& cęcis viſum, atque
claudis rectificationem ſuis meritis à Deo opt. max. omnium bonorum largitore im-
petrauit.Præterea mortali adhuc carne indutus, dum præcedentis atq; præſentis do-
muum, quarũ altera ab altera 40. eoq; amplius miliarijs diſtat, Vicarium ageret,ad
vtriuſq; loci fratres infra horam Capitulum de religioſo more habuit: atq; ſępius ſtra-
to ſupra Duriam flumen palliolo ex vna in alterã ſe tranſtulit. Cuius denique cor-
pus,cùm per aliquot annos in communi fratrum ſarcophago iacuiſſet,inde ad alaba-
ſtrinum ſepulcrum, opera ſereniſſimæ Eliſabethæ Hiſpaniarũ Reginæ fabrefactum,
D tranſlatum extitit. Vbi & in maxima veneratione tum à ſęcularibus, tum quoque à
fratribus habetur, & innumera ferè miracula cõtigerũt,atq; adhuc hodie contingũt.

De conuentu S. Mariæ de Gratia Villaſilos. Conu. XVIII.

PRÆSENS conuentus ſanctę Mariæ de Gratia de Villaſilos tertius in ordine eſt
eorum,qui Recollectioni hac in Prouincia deſeruiunt, fuitq; ædificatus à beato
patre Petro à Sanctojo, ſub anno Dominicæ incarnationis 1409. in fundo ſibi à nobili
Roderico Garſia ex maxima liberalitate collato. Cumq; poſt aliquot annos ruinam
minaretur, à reuerendiſſimo Antonio Rojas ex ſtabiliori materia reædificatus exti-
tit. Cuius eccleſia honorifica illuſtrium heroum Ioannis ab Acunia, atque Antonij
Rojas præfati Antonij Rojas ex fratre nepotum ſepultura exornatur, & ſacrarium
E altera ex Dominicæ coronæ ſpinis venerabilius redditur. Commorantur frequentius
in hac religioſiſſima domo, quæ in Palentina diœceſi ſita eſt, 20. patres Recollecti.

De conuentu B. Mariæ de Conſolatione Calagurris. Conu. XIX.

CVM illuſtriſſimo Petro Manriquio Lugdunenſis Regni Præfecto (hunc Hiſpa-
ni Adelantado vocant) maxima cum beato Petro à Sanctojo intercederet neceſ-
ſitudo, eiuſq; nobiliſſima vxor Leonora à Caſtella non minori in eundem patrem de-
uotione ferretur,vtprimùm pientiſſimi coniuges præfati à Martino V. Pont. max. fa-
cultatem obtinere potuerunt,ſufficientem fundum ſibi à reuerendiſſimo Gutiero Pa-
lentinæ matricis eccleſiæ Epiſcopo, cæteroq; canonicorum Capitulo concedi, inibiq;
præſentem

præſentem conuẽtum ſub titulo Dominæ noſtræ de conſolatione à Calagurre, quem A
& viginti patres Recollecti commodè ſatis inhabitant, ex communibus facultatibus, ſub anno Dominicæ incarnationis milleſimo quadringenteſimo vigeſimo ſeptimo ædificari, ac tandem eum Vltramontanæ Cuſtodiæ in tanti patris gratiam adijci curarunt. Calagurris hæc non eſt ciuitas illa Epiſcopalis, ſed fundus ſic nuncupatus.

De conuentu S. Mariæ de ſpe Val de ſcopeſſo. *Conu. XX.*

CVM beatus pater Petrus à Sanctojo collatam ſibi ad mille paſſus à Methymna Roſeca Palentinæ diœceſis oppido antiquiorem ædiculam, adiecto ſibi humili ædificio, in conuentum, ſub anno Dominicæ incarnationis milleſimo quadringenteſimo vigeſimo nono adaptaſſet, atq; tribus alijs à ſe antea constructis monaſterijs annexuiſſet, illuſtriſſimus Federicus prǫfati oppidi Methymnǫ Dux, Caſtellæq; Ammiras, nec non & Ferdinandi eius nominis V. Hiſpaniæ Regis auus, huiuſcemodi conuẽtum, anno Domini milleſimo quadringẽteſimo ſeptuageſimo ſeptimo ampliauit, imò & à fundamentis, antiquiori caſula ad terram deiecta, ſimul cum contigua eccleſia erexit, ampliſſimiſq; hortis, atque ſupra modum amœnis cumulauit. Præterea eius inquilinis, quibus, quod ſibi ab huiuſmodi erectione reſiduum vitæ fuit, conuixit, ad victum atque amictum neceſſaria liberaliſſimè miniſtrauit. Inſuper ſi eius votis fratres annuere voluiſſent, ſui ſucceſſores ad idipſum præſtandum ex teſtamento obligaſſet. Nam tanta in eos voluntatis inclinatione propendebat, vt ſui corporis interiora, cùm Clariſſarum monaſterium Palentiæ erectum in ſepulturam elegiſſet, hoc in ipſo loco tumulanda curauerit. Adiacet nihilominus præfatis interioribus & integrum tanti herois corpus alabaſtrino mauſoleo reconditum: nam cariſſima eius vxor Tiraſia à Sixto IIII. Pont. max. tunc ſedente impetrauit, vt præmemoratum corpus, Palentiam transferendum, in huius loci eccleſia ſepeliri poſſet. Adhæret quoque præcedenti ſepulcro aliud non minori artificio fabrefactum, in quo nobiliſſimus Ludouicus Henriquez Caſtellæ quoque Ammiras honeſtiſſimè quieſcit. Sepultus etiam iacet in huiuſmet monaſterij eccleſia humillimus, ac ſupra modum religioſus frater Ioannes à Campo laicus profeſſus, qui, dum viueret, & mulierem grauiſſima infirmitate laborantem, ſigno crucis ſuper eam facto, è mortis faucibus ex tempore eripuit: & puerum incurabili febre oppreſſum porrectis ſibi quibuſdam bellarijs integræ ſanitati reſtituit: & ſubuenturus ſemel ſibi obuio in itinere pauperi, qui à ſe inſtantius eleemoſynam petebat, poſt præmiſſam orationem, tres ante ſe pulcherrimos panes poſitos conſpexit. Quibus denique tum ſui, tum egeni, tum quoq; ſocij viſcera recreauit. Huius deniq; conuentus, qui & à 20. patribus Recollectis inhabitatur, incolã agebat, frater Laurentius profeſſione laicus, dum ſui præceptoris animam, poſt quàm per continuos 12. annos pro ea Dñm obſecraſſet, è Purgatorij pǫnis in cǫlum euolantẽ cerneret.

De conuentu Conceptionis B. Mariæ Villaluini. *Conu. XXI.*

HIC conuentus, Conceptioni glorioſiſſimæ virginis Mariæ dicatus, atq; lõgiuſculus à Villaluino Palentinæ diœceſis oppido conſtructus, licèt certum eius erectionis tempus ignoretur, ſatis antiquus eſt, pertinuitq; olim ad Conuentuales Franciſcanos patres: à quibus tamen ad huius Prouinciæ Obſeruantes, ſub anno reſtitutæ ſalutis 1564. Pio V. Pont. max. ſedente imò & præcipiente deuolutus fuit. Quia verò ab hominum frequentia ſemotus contemplationi fauet, atque maxima orandi ſpatia præbet, cæteris huius Prouinciæ Recollectis domibus conſultiſſimè à patribus adiecta extitit. Antiquiorem prǫterea formam, quòd eius ǫdificia maiori ex parte ruinã minarentur, immutauit, aliamq; multò elegantiorem induit. Quo denique factum eſt, vt 20. fratres cõmodiſſimè contineat. Cæterùm in eius eccleſia nobiliſſima heroina Maria à Velaſco oppidi Pennafiel olim Marchioniſſa honorificẽtiſſimè tumulata iacet.

De conuentu Dominæ noſtræ de Angelis. *Conu. XXII.*

PERTINET quoq; hǫc ſacra domus, in honorem ſanctiſſimǫ Mariǫ de Angelis ex diuerſis adiacentium populorum eleemoſynis in eius oppidi, quod Caſtro mocho

A mocho Hiſpanicè nuncupatur,atque in ſpiritualibus Palentino Epiſcopo,in temporalibus verò Beneuẽtanorum Comiti paret,territorio,ſub anno natiuitatis Dñi 1575. erecta ad Recollectos huius Prouinciæ patres: cùm ab eorum 18. inhabitetur.

De conuentu S.Franciſci Palentiolæ. *Conu. XXIII.*

ANTIQVIORIBVS documentis omnino deficientibus, nihil aliud de pręſenti conuentu Palentiolæ, quæ Palentinæ diœceſis oppidum eſt, attinetq; ad generoſos Caſtellæ Ammirantes, conſtructo ab eo dicere poſſumus, quòd à vigintiquinque fratribus inhabitetur: quodq; particula Dominicæ crucis, atque aliquot oſſibus ex vndecim millibus virginum cohoneſtetur: quodq; tandem antiquitate non careat. Conſtat ſiquidem generale totius Vltramontanæ Obſeruantis familiæ Capitulum,idq; liberaliſſimis pientiſſimi Federici Henriquez Caſtellæ Ammirantis(cuius ſuprà meminimus) ſumptibus, in eo ſub anno Domini 1470. celebratum fuiſſe.

B

De conuentu S. Dominici Silos. *Conu. XXIIII.*

MINORITICVS hic conuentus, à viginti vtplurimùm fratribus inhabitatus,atque prope Silos,quod Oſmanæ diœceſis oppidum eſt,erectus,ad Numantinam Cuſtodiam ante 200. annos pertinuit: vnde & eius antiquitas quodammodo colligi poteſt. Cæterùm nihil aliud memoriæ dignum de eo nobis dicendum occurrit: niſi quòd oſſe ſancti Laurentij martyris, & quibuſdam itidem oſſibus ex vndecim millibus virginum & martyrum,atque ex decem millibus martyrum Moguntiæ pro Chriſti confeſſione occiſorum,& parte habitus ſeraphici patris Franciſci,atq; ex veſte ſancti Eleutherij mart. honeſtetur, ob quas reliquias in magna veneratione habetur.

C

De conuentu S.Franciſci Almaſani. *Conu. XXV.*

PROVT ex Conformitatũ libro ſatis patet, hoc monaſterium, ſeraphico patri Franciſco ſacrum, Almaſaniq;, (vulgò Almaſan) quod Saguntinæ diœceſis oppidum eſt,pientiſſimorumq; Comitum Montisacuti imperio ſubeſt, erectum, ſub anno à partu Virgineo milleſimo trigenteſimo octuageſimo quinto, ad Numantinam Cuſtodiam attinebat. Cumq; Conuentualibus Franciſcanis patribus pareret,ſub anno Dominicæ incarnationis milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo octauo ad Obſeruantes huius Prouinciæ fratres deuolutum, atque anno Domini milleſimo quingenteſimo octauo ab inclyto ac generoſo heroë Petro à Mendoza præfati oppidi Comite ex integro reædificatũ extitit. Qui quidem pientiſſimus Comes cùm maxima in noſtrum ſeraphicum Ordinem deuotione ferretur, & ſacellum ſub ſummo altari conſtruendum curauit, & inibi exanime corpus,Minoritico habitu indutum,ex hac vita diſcedens tumulandum ex teſtamento reliquit.Commorantur hoc in loco 25. fratres.

D

De conuentu B. Mariæ de Spe Parietibus à Naua. *Conu. XXVI.*

CONSTRVXERAT beatus pater Petrus à Sãctojo (de quo ſæpius ſuprà meminimus) ſub anno Dominicę incarnationis milleſimo quadringenteſimo trigeſimo,ad mille quingentos paſſus à Parietibus de Naua,quod Palentinæ diœceſis oppidum eſt, monaſterium ſub inuocatione Dominæ noſtræ de Miſericordia, inibiq; huius Prouinciæ fratres per nonaginta continuos annos inhabitarunt. Sed cùm mulier quædã pręfati oppidi accola,quòd ab eo charitatiuè pręmonita eſſet,vt vitam infamẽ, quam cum incolarum ſcandalo degebat, in melius mutare vellet,deuotum quendam fratrem ex oppido ipſum monaſterium repetentem interimi curaſſet,pientiſſimus heros Petrus Manriquius eiuſdem oppidi Comes,ne quid ſimile aliquãdo accideret,pręfatum monaſterium ad oppidi interiora, ſub anno Dñi 1521. ex proprijs facultatibus transferri fecit: vbi & impræſentiarũ 25.fratres pro votis commorantur. Plura,eaq; inſignia,in huius conuentus eccleſia,B.Marię de Spe dicata,cuius ſacrarium altera ex ſpinis Dominicę coronę,atq; quamplurimis alijs ſanctorum reliquijs honeſtatur, cuiuſq; princeps ſacellum præfato fundatori,atq; eius ſucceſſoribus in ſepulturam deſeruit,beatus pater Antonius de Padua miracula edidit. Cùm enim effoſa altius terra

E

nulla

nulla inueniendæ aquæ ſpes fratribus reſidua eſſet, dum illi tanti patris auxilium implorant, puteus ſcaturientibus ſupra modum venis æſtuare cœpit. Præterea cùm nouitius quidam frater aquam hauſturus in præfatum puteum, qui & profundiſſimus eſt, incautè cecidiſſet, atq; inter cadendum beatum Antonium, vt ſibi in tanto diſcrimine adeſſe vellet, ſæpius interpellaſſet, illæſus omnino, atq; ab aquis intactus, quod præter miraculum accidere non potuit, inde extractus eſt. His poſſem hauddubiè & quãplurima alia miracula addere, niſi me incurrendæ prolixitatis timor retardaret. A

De conuentu S. Bernardini Ferrariæ. Conu. XXVII.

CVM beatus pater Bernardinus de Senis Ferrariam, quæ Palentinæ diœceſis oppidum eſt, Compoſtellam peregrinationis ergò petiturus, pertranſiret: atque ab illuſtriſſimo Petro Fernandez à Velaſco, primo familiæ illius Caſtellæ Comeſtabile humaniſſimo hoſpitio exceptus, ab eius pientiſſima vxore, vt ſui memor apud Altiſſimum, quatenus prolem ex viro concipere meretur, (proceſſerant ſiquidem ambo cõiuges in plurimis annis ſine liberis) eſſe vellet, rogatus fuiſſet, quod ſibi piè iniunctum fuerat, id diligenter executioni mandauit. Cùm igitur peregrinatione abſoluta per idem oppidum reuerſus præfatam heroinam de vnius infantis conceptu certiorem reddidiſſet: illaq; iuxta tanti patris prædictionem puerum peperiſſet, eum Bernardini nomine, in tanti patris memoriam, appellãdum, atq; præſens monaſterium, quod poſt eiuſdem patris canonizationem eodem nomine inſignitum euaſit, & impræſentiarum à vigintiquinq; fratribus incolitur, ab ipſis fundamentis ad apicem vſq; præfato in oppido Ferraria conſtruendum curauit, omnibusq; neceſſarijs inſtruxit. B

De Minoritico conu. apud S. Stephanũ à Gormaſio. Conu. XXVIII. C

SANCTVS Stephanus de Gormaſio Oſmanæ diœceſis oppidum eſt, attinetq; ad Villenicum Marchionem. In eo igitur cùm primò atq; ſecundò diuerſis in locis minus tamen commodis Minoriticus hic conuentus ex oppidanorum eleemoſynis ædificatus, atque totidem vicibus à fratribus ea propter relictus eſſet: conſtructus fuit & tertiò eorundem oppidanorum opera eo loco, in quo impræſentiarum perſeuerat, nempe in ipſis hortis Almanſoris Saracenorum Regis. Qua in re oppidanorũ in noſtros fratres beneuolentia, atq; liberalitas nobis maximè commẽdatur. His præterea accedit ſolicitudo, qua 20. religioſis huius loci accolis neceſſaria ſubminiſtrant.

De conuentu S. Vincentij de Barchera. Conu. XXIX. D

MINORITICVS hic conuentus in ipſo Oceani maris litore, atq; in Burgẽſis Epiſcopatus territorio conſtructus eſt, fuitq; ædificatus & id ex diuerſis fideliũ eleemoſynis, ſub anno 1468. Cuius incolæ fratres, qui frequentius ſunt 18. numero, pleni maris proſpectu gaudent, atq; ſummopere in eius fluxu atq; refluxu delectantur.

De conuentu S. Franciſci Areuali. Conu. XXX.

EIVS oppidi, quod Areualo Hiſpanicè nuncupatur, attinetq; ad Abulenſem diœceſim, accolæ relatu paternæ traditionis inſtructi, mordicus aſſerunt, præſentem conuentum, ſeraphico patri Frãciſco ibidem erectum, eiuſdem patris opera exordium ſumpſiſſe. Quibus aſtipulari videntur antiquiſſima ædicula prope ipſum conſtructa, quæ & ab eodem beatiſſimo patre ædificata fertur, eaq; de cauſa ab ijſdem oppidanis in maxima veneratione habetur: & alabaſtrinum ſepulcrum, in huiuſmet loci eccleſia ad latus pronunciandæ epiſtolæ deputatum, ſatis artificioſè erectum: in quo admirandæ religionis pater Leo, vnus ex ſeraphici patris Franciſci ſocijs, alius tamen ab eo, qui inter primos duodecim ſocios computatur, honorificè quieſcit. Pertinuit præterea antiquitus hæc ſacra domus ad Conuentuales Franciſcanos patres: à quibus tamen ad eiuſdem Inſtituti Obſeruantes ex apoſtolica auctoritate, ſub anno Dominicæ incarnationis 1432. deuoluta eſt. Cumq; omnimodam minaretur ruinam, à sereniſſima Maria Caſtellæ Regina, Regiſq; Ioannis eius nominis II. vxore, atq; Regis Henrici IIII. matre ab ea vindicata, omninoq; reparata extitit: vnde & 50. fratres ſat commodè E

modè

A modè continet. Tumulatus quoq; iacet in huiuſmet loci eccleſia ſub ſummo altari bea-
tus frater Laurentius Rapariegos plurimis miraculis tum in vita, tum quoq; in mor-
te inſignis. Qui ad inſtar beati Ioannis Euangeliſtæ eo ipſo die, quo vxorem ducturus
erat, caris parentibus, cariſq; amicis, & ſponſa inſalutatis, ad hunc conuentum confu-
git, atq; ſumpto de patris Guardiani manu Minoritico habitu profeſſorū fratrum lai-
corum albo aſcribi voluit. Obijt beatus hic frater, poſtquàm per 60. continuos annos
Deo opt. max. in Religione plenis affectibus vacaſſet, pluraq; prophetico ſpiritu prædi-
xiſſet, anno Domini 1517. Referre non grauabor id, quod nobili cuidam Nuñio Verdu
go nomine huius oppidi inquilino, atq; ſeraphico patri Franciſco deuotiſſimo, anno
Domini 1330. accidit. Dederat is vnicam filiam in vxorem alteri nobili: à quo tamen
illa peſſimè tractabatur. Cumque eius pater auditurus hoc in conuentu ſacrum ge-
B nerum iuxta templi fores offendiſſet, atque grauiter increpaſſet, eum tandem poſt
plura verba occidit. Quo facto propriam ruralem domum, ad nonum lapidem inde
diſtantem, ſe contulit. Cumq; poſt aliquot dies manus & faciem in propinquo fonte
ex more loturus, huiuſmodi domum talari veſte indutus egreſſus eſſet, in quatuor no-
biles defuncti generi cognatos, qui, vt illum occiderent, data opera venerant, ex inſpe-
rato incidit. Quem cùm illi lanceis confodere nituntur, eum Minoritico habitu præ-
ter ſpem indutum conſpiciunt. Quamobrem ſtupefacti, omninoque territi ipſum in-
terrogant, num Nuñium Verdugo illâc tranſeuntem vidiſſet, exiſtimantes interim
eum Minoritam eſſe. Quo denique reſpondente ſe nullum alium à ſe ipſo eo mane of-
fendiſſe: exilierunt illi ſtatim ex equis, atque ad eius pedes prouoluti, quid in animo
habuiſſent, reuelarunt, omnique depoſito liuore condonataq; noxa eidem reconciliati
C ſunt, atq; in mutuos irruerunt amplexus. Hęc omnia in tanti euentus memoriam de-
picta ſunt in altero huius conuentus ſacello, à præfato Nuñio Verdugo elegantiſſimè
conſtructo:, in quo altera ex maxillis beati Blaſij Epiſcopi & martyris honorificentiſſi-
mè aſſeruatur, maximuſque fidelium concurſus natalitio eiuſdem ſancti die fit.

De conu. S. Mariæ de Spe Methymnæ Roſecæ. Conu. XXXI.

CVM vulgaris quidam homo, deuotus tamen, eius oppidi, quod Methymna Roſe-
ca nuncupatur, pertinetq; in temporalibus quidē ad Caſtellæ Ammirantes, ſed
in ſpiritualibus ad Palentinum Epiſcopum, accola nomine Andreas, Methymnę con-
uenientem ſitum aliquantulum à præfati oppidi vallo, ab vterino fratre numerata pe
D cunia, ſub anno Domini 1491. emiſſet, inibiq; Minoriticum hunc conuentū conſtrue-
re cœpiſſet, nec eum ad optatum finem, deficientibus ſibi neceſſarijs, perducere poſſet:
pientiſſimi coniuges Federicus Henriquius eius nominis II. Caſtellæ Ammiras, atq;
Anna à Capraria, non ſecus ac ſi huiuſmodi munus ſibi iniunctū eſſet, quicquid ad ope
ris perfectionē deſiderari poterat, id adiectis pulcherrimis hortis, plurimiſq; ædificijs,
cōmunibus ſumptibus præſtādum curarunt: inſuper & in eius eccleſiæ, quam & ele-
gantiſſimè conſtrui fecerunt, principe ſacello, erectis ſibi alabaſtrinis pretioſiſſimiſq;
mauſoleis, tumulari voluerunt. Præfata eccleſia, quæ ex Alexādri VI. Pont. max. iuſſu,
Dñę noſtrę de Spe dicata eſt, à R. patre fratre Alphōſo Spina, profeſſione Minorita atq;
Tinopolinenſium Epiſcopo primò benedicta, poſtmodumq;, ſub anno Dñi 1520. men-
ſis vero Iunij 29. per reuerendiſſimū patrem Antonium de Garai, eiuſdē Ordinis alum,
E num, atq; itidē Epiſcopū conſecrata extitit, in ſuper et duobus ex vndecim millibus vir
ginum capitibus, & quodā oſſe S. Columbini Epiſcopi: atq; quamplurimis alijs ſancto-
rum reliquijs honeſtatur. Commorātur commodè ſatis hoc in monaſterio 40. fratres.

De conuentu S. Franciſci Aillonij, Conu. XXXII.

QVOD Minoriticus hic conuentus, Aillonij, quod Saguntinæ diœceſis oppidum
eſt, attinetq; ad Villenicum Marchionē, erectus, à ſeraphico patre Franciſco, dū
Cōpoſtellam peteret, ędificatus fuerit, quamplurima, eaq; certiſſima indicia teſtātur.
Et primò quidē fonticulus in huiuſmet loci horto conſiſtens, eiuſdēq; patris nomine
inſignitus. Deinde antiquiſſimum ſacellum in clauſtro erectū, cuius fornici ſequētes li,
teræ inciſę ſunt: *Hanc S. Franciſcus fecit eccleſiam.* Poſtmodum verò receptiſſima op-

pidanorum traditio, quæ idipſum, omni dubitatione procul, mordicus aſſerit. His accedit ſeraphici eiuſdem patris cubiculum ex arũdinibus, arborumq; ramuſculis contextum, quod non ante multos annos hoc in ipſo loco conſpicere licuit. Cæterùm hæc ſacra domus, quæ eidem beatiſſimo patri Franciſco dicata euaſit, & à 35 fratribus impræſentiarũ incolitur, ex cõmunibus oppidanorũ ſumptibus ædificata creditur. Idq; ſanè ſingularis eorum, qui ſibi ſucceſſêre, in fratres beneuolẽtia patentiſſimè indicat. A

De conuentu S. Franciſci Vlmeti. Conu. XXXIII.

VLMETVM Abulenſis diœceſis oppidum eſt, atque præſenti Minoritico conuentu, qui ad Segobienſem Cuſtodiam (pro vt ex Conformitatũ libro ſatis patet) olim pertinuit, vnde eius antiquitas eſt in aperto, & oppidanorum ſumptibus conſtructus creditur, atq; à 40. fratribus, ſub titulo S. Franciſci, incolitur, maximè exornatur. B

De conuentu S. Franciſci Collaris. Conu. XXXIIII.

AD eandem quoq; Segobienſem Cuſtodiam Minoriticus hic conuentus, ſeraphico patri Franciſco dicatus, atq; Collaris, quod Segobienſis diœceſis oppidum eſt, paretq; Alburquerquienſiũ Ducum mandatis, erectus olim ſpectauit, & ab ea ad hanc Prrouinciã, prout & proximè præcedens, deuolutus eſt. Exiſtimatur interim communibus oppidanorũ ſumptibus ędificatus: & à 40. vel circiter fratribus incolitur: inſuper & quibuſdã S. Mauritij martyris, ac Thebęanæ Legionis primipili oſſibus inſignitur.

De conuentu S. Franciſci Caſtri Cæſaris. Conu. XXXV.

PIENTISSIMI heroës Ferdinandus Haro atq; cariſſima eius vxor Maria Alphonſi Portugaliæ Infantis filia propriã ſuæ habitationis domũ cum adiacentibus hortis Burgenſis Cuſtodiæ patribus, quòd Caſtrũ Cæſaris eorum oppidũ eius ambitu circumſcriberetur, in conuentũ euehendã, ex maxima, qua in ſeraphicũ patrẽ Franciſcum eiuſq; filios ferebantur deuotione, ſub anno Dñicæ incarnationis 1315. non minus liberaliter, quàm piè contulerunt. Sed cùm is locus præfatis religioſis minus faueret, illisq; plurimùm incommodi afferret, ab ijſdem ex Ioãnis XXII. Pont. max mandato, ſub anno Dñi 1326. derelictus, atq; alius (de quo impræſentiarũ) longiuſculus ab ipſo oppido ex diuerſis fideliũ eleemoſynis, ſub beatiſſimi patris Frãciſci inuocatione, conſtructus extitit. Cuius ſanè amœnitas atq; elegantia vix exprimi poſſunt: Pręterea eius eccleſia aliquot Deiparę Virginis crinibus, atq; quibuſdã oſſibus ſanctorum Iacobi & Bartholomęi Apoſtolorũ, Laurẽtij, Marcellini, atq; Ignatij martyrum, Bernardi Confeſſoris, Mariæ Magdalenæ, ac ſanctarũ Apolloniæ & Agnetis virginũ & martyrũ, nec non & fragmẽto Moſaycarũ tabularũ ſupra modũ exornatur. Conuiuũt hîc 30. fratres. C D

De conuentu S. Franciſci Atienſæ. Conu. XXXVI.

MINORITICVS hic conuentus, Atienſę, quæ Saguntinæ diœceſis oppidum eſt, in honorem ſeraphici patris Franciſci erectus, antiquiſſimus eſt: cùm ante annum à partu Virgineo 1266. ex diuerſis oppidanorum facultatibus conſtructus fuerit. De quo tamen, quòd eius monumẽta à vetuſtate abſumpta ſint, nihil aliud dicendũ occurrit. Inhabitatur interim à 25. fratribus, atq; ſacræ Theologię ſtudio inſignitur.

De monaſterio S. Claræ Tordeſyllarum. Mon. I.

CVM pientiſſima Beatrix Petri agnomine Crudelis Caſtellæ Regis filia vnius monaſterij pro Clariſſis ſororibus ædificationem in votis haberet, eius pater regiã ad Duriæ celeberrimi fluminis fluẽta Tordeſyllarum, quod Palentinæ diœceſis oppidum eſt, diſtatq; Pincijs octodecim millibus paſſuum, erectã ſibi in huiuſmodi monaſterium transferendã contulit, atq; plurimis redditibus cumulauit. Præterea voluit idem Rex, vt 12. Franciſcani, quorum alter Confeſſarij munus obiret, alter cœteris præeſſet, reliqui verò Sacellanorum officium exercerẽt monialibus, diſtincta tamen in domo, cohabitarent. Præfati igitur Regis liberalitate, atq; eius filiæ opera huiuſmodi regia in hoc monaſterium, B. Clarę ſacratum, & continendis 80. Clariſſis eius accolis accõmodatũ, E

ſub

A ſub anno à lætabunda Chriſti natiuitate 1366. euecta extitit. Cœterum ſacra hæc domus, licèt opulentiſſima atq; redditibus affluens, ſub arctiſſima tamen diſciplina à ſororibus inhabitari cœpit. Quod & in cauſa fuit, vt plures virgines Deo ſacræ tum religione, tum quoq; ſanctitate in ea floruerint. Ex eis tamen, ne interim tædioſior ſim, vnam vel alteram in medium adducam. Et primò quidem admirandæ religionis ſororem Mariam à Queto, quæ cùm intentiſſimè circa amariſſimam Chriſti paſſionem, eiuſq; valorem coram Crucifixo per aliquantulum temporis ſpatium meditata fuiſſet, ac poſtmodum in copioſiſſimas lacrymas, quòd plurimi tanta ſibi oblata gratia abuterentur, prorupiſſet: vocem quandam ſibi dicentem audiuit: Menſa quidem parata, atque pecunia in promptu eſt: qui igitur colligere voluerit, colligat. Deinde ſummæ ſanctitatis, atque prudentiæ ſororem Gaudegiam, ſanctam paſſim ob eximias B eius virtutes ab omnibus appellitatam, quæ ad Burgenſe Clariſſarum monaſterium, vt ei præeſſet, hinc translata extitit, atque plurimis nautis in mari periclitantibus tum in vita, tum quoque in morte opportunè apparuit. His adijciam inculpatiſſimæ vitæ ſorores Ginebram à Fonſeca clariſſimis ortam natalibus, atque Catharinam Soliſiam: quarum iſta tanto feruore orabat, vt ſæpius inter orandum raperetur, atque pluries in aëram ſubleuata à monialibus viſa ſit: illa verò ne dum orationi inſtantiſſima fuit, cùm à matutinis nunquam lectulum repetierit: ſed & quod ſibi vitæ ab ingreſſu Religionis reſiduum fuit, id in perpetuo ieiunio, atque carnis maceratione tranſegit. Quamobrē plurimis prærogatiuis, hisq; maximis, à Deo opt. max. cumulari meruit.

De monaſterio S. Antonij Regij Segobiæ. Mon. II.

C QVANDO primùm Clariſſæ moniales Segobiam applicuerint, ibique conuentum ædificarint, exuſtis omnino antiquioribus earum documentis, penitus ignoratur. Conſtat nihilominus, idq; ex antiquo quodā donationis cōtractu, præfatas moniales multò ante annum à partu Virgineo 1430. præfata in ciuitate Segobia moram traxiſſe. Cùm enim antiquior earū domus ex quodā infortunio ſimul cum omni re familiari, atq; præmemoratis documētis arſiſſet, pientiſſimi nobileſq; coniuges Ioannes Hurtado à Mendoza, atq; Maria à Luna, ne per incertas ſedes vagari cōpellerētur, propriā, cōmunemq; domum in parochia S. Michaëlis eiuſdē Segobianæ ciuitatis ſitam, cui poſtea matrix Segobienſis eccleſia ſucceſſit, cū adiacentibus hortis eis liberaliſſimè contulerunt, conceſſeruntq;. Hæc domus monialium opera poſtmodum in monaſterij D formam redacta, titulo S. Claræ nouæ ad diſtinctionem alterius, quæ (vt meminimus) incendio ceſſerat, appellata euaſit. Sed cùm huiuſmodi monaſterium anguſtius iuſto euaſiſſet, nec aduentantes iuuenculas capere poſſet, ſereniſſima Eliſabetha Hiſpaniarum Regina, atque Regis catholici Ferdinandi eius nominis V. legitima vxor regiam Segobienſibus muris circumſcriptam, ad alterius conuentus ædificationē, ex apoſtolica Innocentij VIII. Pont. max. auctoritate ſibi, anno Domini 1488. facta præfatis monialibus contulit. Hanc itaq; regiam commodiſſimè prius adaptatam, quam & S. Antonij Regij nomine appellandam voluerunt, relicto antiquiori S. Claræ nouæ domicilio, pręfatæ moniales Clariſſæ, ſed Vrbaniſtę, poſt elapſum ab huiuſmodi collatione decenniū, nempe anno Domini 1498. Alexandro VI. Pont. max. ſedente, ingreſſæ ſunt. Quæ adeò excreuerūt, vt ſeptuagenarium numerum impræſentiarum attingant. Habitarunt ali- E quando (vt ſuprà meminimus) hoc in loco fratres, antequam videlicet ad Minoriticum huiuſcemet ciuitatis conuētum ſe transferrent. A cætero harum monialiū miniſterio incumbunt nouē fratres Minores, quorum alter in Vicariū electus cæteris præfertur, alter Confeſſarij officio fungitur, reliqui verò Sacellanorū onus accuratiſſimè ſubeunt.

De mona. Dominæ noſtræ de Conſolatione Calabazanos. Mon. III.

CONSTRVXERAT pientiſſima heroina Leonora à Caſtella, pientiſſimi quoq; Petri Māriquij Legionenſis Regni Præfecti (hunc Hiſpani Adelantado vocāt) vxor in oppido Amuſco Palentinæ diœceſis, ſub anno Domini 1449. quoddā Clariſſarū monaſteriū, ad quod & duas ſibi filias eiuſdē Religionis alūnas ex Aſtudino conuentu transferendas curauit. Cumq; poſt aliquot annos, ex cariſſimi viri morte vidua

relicta eſſet, vt Deo opt. max. felicius vacare poſſet, præfatis filiabus monaſtico habitu induta aſſociari voluit. Poſt elapſos verò 12. annos ab huiuſmodi conſtructione: nempe anno Domini 1458. ex legitimis tamen cauſis, præfatum monaſterium ad oppidum Calabazanos, quatuor millibus paſſuum à Palentia diſtans, idq; Calixto III. Pont. Max. annuente, ſub titulo Dominæ noſtræ de Conſolatione ſimul cum præfati Præfecti oſſibus translatum extitit. Cuius ſanè ſanctitas atq; religio, vt ex his, quæ ſequuntur, coniectare facilè licebit, incredibilis eſt. Huius ſiquidē loci ſorores in cinere atq; cilicio Chriſto ſponſo olim famulantes eo die, quo Dominico corpori communicaturæ erant, nunquam à matutinis cellulas repetebant: ſed quod noctis reſiduū erat, id in choro orationi inſtantes vel humi proſtratæ, vel ſedilibus hærentes inſummebant. Præterea frugali menſa contentæ maiorem anni partem ieiunijs, atque abſtinentiæ conſecrabant. Quo deniq; factum eſt, vt plures in ipſo religioſiſſimæ virgines Altiſſimo feliciſſimè obſecundauerint. Inter quas tamen longè emicuit ſoror Catharina Gonzales, quæ ex piſtrino, cui ex iniuncto ſibi munere incumbebat, eleuatam à ſacrificante ſacerdote in eccleſia hoſtiam, licèt plurimi intercederent parietes, proprijs ſæpius oculis conſpicari meruit, atque miraculis claruit. Nam Ferdinando eius nominis V. Caſtellæ Rege ex cælolyſia atque argina ad quartum milliare ab hoc monaſterio in oppido Duennas in extremis agente, vt primum venerabilis huius ſororis os ſibi applicatum fuit, is pręter omnium Medicorum ſpem ex tempore conualuit. Huic annectendæ veniunt prudentiſſimè ſorores Mentia Aualos, atq; Catharina Manriquia. Harum primæ Crucifixi imago, quæ adhuc hoc in loco perſeuerat, habeturq; in maxima veneratione, loquuta eſt, atq; huiuſmodi verba dixiſſe fertur: Pium me vocas, ſum etenim, tibiq; pius ero. In ſecundæ verò obitu deuotiſſimus ille hymnus à ſacris Eccleſiæ Doctoribus Ambroſio & Auguſtino compoſitus, *Te Deum laudamus vſque ad verſiculum, Te ergo quæſumus &c.* ab Angelis, ſororibus ferè omnibus id audientibus, concentus fuit. Poſſem & iſtis adiungere admirandæ ſanctitatis ſorores Catharinā Quęuede, quæ plurima prophetico ſpiritu prædixit: & Annam ab Hæredia, quæ raptum inter orandum ſæpius paſſa eſt: & alias quamplurimas eis omnino ſimiles: quas tamen breuitati ſtudens ſciens prætermitto. Cùm ante 12. annos ſepulcrum, in quo religioſiſſimus quidam frater laicus nomine Balthaſar per 40. annos iacuerat, fortè fortuna aperiretur, eius corpus integrum omnino, incorruptum, tractabile atq; ſuauiter redolens inuentum fuit. Quod præter miraculum accidere non potuit. In huius pręterea monaſterij choro illuſtriſſimorum Petri Manriquij Legionenſis Pręfecti, (de quo ſuprà) eius filij Innici Manriquij, qui cum maxima ſanctitatis opinione diem clauſit extremum, atque Alphonſi Manriquij Hiſpalenſis Archiepiſcopi, & S.R.E. Cardinalis, necnon & maioris fidei primi Inquiſitoris apud Hiſpanos corpora honeſtiſſimè ſepulta ſunt. Cœterùm huius conuentus Clariſſæ ſorores Vrbaniſtæ, quæ ſexagenariū numerum excedunt, bis in anno ſolemniſſimam proceſſionem in Archangeli Michaëlis honorem, quòd Hiſpanorum tumultuum tempore, conantibus quibusdam militibus, Carolo V. eorum Regi rebellibus, monaſterium ingredi, ſanctiſq; virginibus vim inferre ſupra murum viſus ſit, atque eas à tanto diſcrimine eripuerit, per clauſtrum habent. Honeſtatur deniq; huius ſacræ ædis ſacrarium particula Dominicæ crucis, fragmento eius columnæ, ad quā Chriſtus Dominus alligatus fuit, aliquantulo ſanguinis ſeraphici patris noſtri Franciſci, atque quibuſdam alijs ſanctorū reliquijs.

De monaſterio S. Mariæ de Ieſu Abulæ. *Mon. IIII.*

VT primùm nobiliſſima Maria ab Abula à viro, nobiliſſimo ſcilicet Ferdinando ab Acunia Regni Siciliæ Prorege, per eius mortem ſoluta fuit, Hiſpaniam repetens honeſtiſſimam domum, non longè à proximè pręcedente conuentu, ædificari fecit: illamq; cum honeſtiſſimis 12. feminis ingreſſa, inibi ſub tertio ſeraphici patris Franciſci Ordine, per continuos quinque annos, illis ſanctiſſimè conuixit. Cùm autem ſtrictiorem, perfectioremq; vitam anhelaret, pulcherrimum monaſterium, non longè ab Abula Epiſcopali, nobiliq; ciuitate, vnde & illa originem ducebat, iuxta pagum, cui Gordillas Hiſpanicè nomen eſt, à fundamentis extrui, ac pinguiſſimis redditibus

A bus dotari curauit.Quo denique omnibus ſuis numeris abſoluto, illud cum 12. illis ſibi adhærentibus Tertiarijs,ac alijs ſex præcedentis conuentus ſororibus,quæ tum ſe, tum quoque cœteras in monaſticis ritibus, ac regularibus diſciplinis felicius inſtruerent,ſub anno Dominicæ incarnationis 1502. ingreſſa eſt. Fuit tamen huiuſmodi monaſterium ad præfatæ ciuitatis Abulenſis interiora,ſub anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſecundo tranſlatum.Vbi & impręſentiarum vſq; ſub titulo S.Marię de Ieſu perſeuerat,inhabiturq; à 55.Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis,iuxta numerum ab ipſa fundatrice,cuius oſſa in inferiore huius loci choro alabaſtrino clauduntur lapide, præfixum.Agnomen tamen, licèt inde tranſlatum, à pago, in quo primò fuit conſtructum,iam antea emendicatum retinuit·Vocatur ſiquidem paſſim monaſterium de Gordillis.Cœterùm hoc in monaſterio à prima ſui erectione in hodiernum vſ-
B que diem plures virgines Deo ſacræ omni virtute,omniq; ſanctitate claruerunt. Eiusque rei in cauſa eſt: quòd mores ac leges à beata virgine Clara traditæ ab omni violatione immunes ſumma in eo diligentia, atque ingenti obſeruantia reddi curentur.

De monaſterio S. Claræ Palentiæ. Mon. V.

NON omnes conueniunt in prima huius conuentus erectione. Nam alij aſſerunt ipſum anno Dominicæ incarnationis 1338.exordium ſumpſiſſe: alij verò volunt illud non ante annum Domini 1373.à primis fundamentis ædificari cœpiſſe.Nihilominus tamen tum iſti, tum quoque illi in vnum atque eundem eius fundatorem, nempe in pientiſſimum Alphonſum Henriquez Caſtellæ Ammirantem conſentiunt.Mihi verò poſtremorũ ſentẽtia,quibus apoſtolicę quędã Gregorij XI.Pont.max.literæ aſtipu-
C lantur,magis probatur.Conſtat ſiquidẽ ex pręfatis literis hoc monaſteriũ à pręmemorato Caſtellæ Ammirante in oppido Renoſæ,ſub anno 1373.primitus conſtructũ, atq; poſt elapſum quadrienniũ, nempè anno Dñi 1477. ex eiuſdẽ ſummi Pontificis decreto ad Palentinam ciuitatem trãſlatum fuiſſe.Quicquid tamen ſit, præfatum hoc monaſterium,B.virgini Claræ ſacrum,atque Palentiæ elegantiſſimè erectum,quod & 60.Clariſſæ ſorores Vrbaniſtæ ſat commodè incolunt,liberaliſſimis pręfati Ammirantis ſumptibus tum primò, tum quoq; ſecundò ab ipſis fundamentis ad verticem vſq; ædificatum extitit. In quo ſupra modum enituêre ſoror Blancha Henriquez vterina præfati fundatoris ſoror,atque Ferdinandi eius nominis V. Caſtellæ Regis auia, quæ viliora conuentus obſequia, licèt tantis orta natalibus, adeò coluit, vt quamcunque aliam correligioſam longè ſuperarit; & ſoror Catharina Tortoles, quæ ſæpiſſimè in oratione per-
D noctare aſſueuerat: & ſoror Ludouica Villalobos, quæ quamlibet aliam religioſam aliqua virtutis laude excellentem curioſius imitari ſtuduit, ſicq; ſanctiſſima euaſit.

De monaſterio Annunciationis B. Virginis Areuali. Mon. VI.

VT primùm Arnaldus Velaſco Ferdinandi eius nominis V.Hiſpanię Regis Quęſtor diem clauſit extremum, honeſtiſſima eius vxor Maria Gueuara hoc monaſterium, Anunciationi glorioſiſſimę virginis ſacrum, aliquantulum ab Areualo Abulenſis diœceſis oppido tum ex relictis ſibi ab illo facultatibus, tum quoque ex propria dote,ſub anno Domini 1496.ædificari curauit,atque in ipſo ad vltimum vſque vitę halitum,ſub Tertiariarum Franciſcanarum habitu, cum quibuſdam alijs honeſtiſſimis eiuſdẽ Inſtituti fęminis egit.Poſt elapſos verò aliquot annos ab huiuſmodi ædificatio-
E ne,quotquot erant hoc in loco ſorores in ſecundã(vt vocant)B.virginis Claræ Regulã tranſierunt.Sub qua 35.ſacræ virgines ibidem impræſentiarũ feliciſſimè militant, atq; particulã Dñicæ crucis,aliaſq; quamplurimas ſanctorũ reliquias diligentius cuſtodiũt.

De monaſterio ſanctæ Claræ Rapariegos. Mon. VII.

PROVT teſtimonio antiquorum quorundam monumẽtorum inſtruimur,præſens monaſterium,in pago Rapariegos Hiſpanicè nuncupato, ad tertium lapidẽ ab oppido Areualo B. V. Claræ erectum,à pientiſſimis pariterq; inclytis coniugibus Dominico Ægidio,atque Maria Verdugo ex communibus facultatibus, ſub anno Domini 1270. ædificatum, & à quibuſdam eiuſdem beatæ virginis Claræ ſocijs primò in-

habitatum extitit. Vnde nec mirum ſi tanta in eo ſanctitas, tantaq́; religio reluceat: A
atq; adeò benè ſexaginta Clariſſæ ſorores Vrbaniſtæ eius incolæ apud omnes audiant. Cæterum hoc in monaſterio altera ex ſpinis Dominicæ coronæ, atque caput vnius ex vndecim millibus virginũ diligentius, ac ingenti cultu atq; obſeruantia aſſeruantur.

De monaſterio S. Claræ Tordehumos. Mon. VIII.

QVALEM fructum pijſſima Mentia à Mendoza ex Granatæ Infatis morte vidua relicta ex hoc S. Claræ monaſterio Tordehumos, quod Palentinæ diœceſis oppidum eſt, ſub anno à partu Virgineo 1519. pro Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis à ſe conſtructo, atque pinguiſſimis redditibus dotato cœperit, hinc facilè coniectare licet, quòd à 60. ſacris virginibus, eisq; religioſiſſimis, quarũ aliquot à luceſcente die ad meridiem vſq; orationi inſtantes, ex laudabili more in choro agunt, nec prius inde diſce- B
dunt, quàm aliæ ſibi ſuccedant, commodè inhabitetur: quodq́; plurimæ ſorores virtutibus, ac ſanctitate inſignes Chriſto ſponſo ibidem quamfeliciſſimè famulatæ ſint.

De monaſterio S. Claræ Concæcamporum. Mon. IX.

CVM beatus pater Bernardinus de Senis Compoſtellam viſitaturus Liuiam (vulgò Villalon) Palentinæ diœceſis oppidum diuertiſſet, tantam apud oppidanos ſuæ ſanctitatis famam reliquit, vt eos omnes in ſui deſiderium traxerit, maximè verò generoſam heroinam Mariam à Velaſco, quæ pro ſua in eum perpetua deuotione propriam domum, quam Concæ camporum, quod eiuſdem Palentinæ diœceſis oppidum eſt, diſtatq́; Liuia mille quingentis paſſibus, poſſidebat, in iuſtum conuentum, ſub anno reſtitutæ ſalutis 1450. euehendam, atque eiuſdem beati patris nomine appellãdum C
curauit. Vocatur nihilominus huiuſmodi conuentus nomine S Claræ, idq́; ob 40. Clariſſas ſorores Vrbaniſtas ipſum incolentes. Ex plurimis ſacris virginibus, quæ cũ non vulgari ſanctitatis fama hoc in loco diem clauſêre extremum, in medium adducam religioſiſſimam ſororem Mariam à Montaluo. Nam eius oſſa, poſt plurimos annos elapſos, ſuauiſſimum ex ſe odorem emiſêre. Præterea collecti ex eius ſepulcro pulueres plures febricitantes priſtinæ ſaluti reſtituerunt. Huic annectam ſororem Ioannam à Gueuara primã huius loci Abbatiſſam, quę integras noctes integris quoq; diebus orationi intenta iungere aſſueuerat, omnibusq́; claruit virtutibus. His poſſem proculdubio aliquot alias admirabili ſanctitate inſignes adijcere, quas tamen prolixitatis vitandæ ergô miſſas facio, ab huius tamen loci accolis ac beatos inter cælicolas annumerantur. D

De monaſterio S. Claræ Methymnæ Campi. Mon. X.

QVAMVIS certo certius huius monaſterij ſorores, idq́; ex falſa quadam traditione, aſſeuerent hoc monaſterium à Petro Crudeli Caſtellæ Rege ædificatum, & ab eius ſucceſſore & fratricida Henrico eiuſdem Regni Rege dotatum, ac tandem à duabus B. Claræ ſocijs atque diſcipulis à ſeraphico patre Franciſco, ad præfati Regis Henrici inſtantiam, miſſis primò ædificatum & inhabitatũ. Nihilominus tamen, vetuſtiſſimis hiſtorijs ſibi contradicẽtibus, cum eis hac in re conuenire non poſſumus. Conſtat ſiquidem ex illis ſeraphicum patrem Franciſcum, anno à partu Virgineo 1226. viã vniuerſæ carnis ingreſſum fuiſſe, & B. virginem Claram, non ante annum 1253. ex hac vita migraſſe. Præterea præfatus Rex Petrus, anno Domini 1336. primò natus, & anno
1369. à præmemorato eius fratre & ſucceſſore Henrico occiſus fuit. Quamobrem ſi hoc E
monaſterium (vt prædictæ ſorores volunt) beato patre Franciſco in viuis agente atq; annuente, à Caſtellæ Rege primò ædificatum, atque à duabus B. virginis Claræ diſcipulis (quod & certiſſimum eſt, nam eius corpora iuxta chori cratem honeſto loco ſepulta ſunt) inhabitatum fuerit, dicendum nobis eſt, id ſibi ex Ferdinando agnomine Sancto, qui Regni Caſtellæ ſceptrum, anno Domini 1217. ſuſcepit, atque ad obitum vſque ſeraphici patris & vltrà regnauit, eueniſſe. Quicquid tamen ſit, quandoquidem traditio rei veritati non conſentit, pręſens monaſterium antiquiſſimum eſt, & ante annum 1256. vt ex antiquioribus quibuſdam monumentis ſatis patet, initium ſumpſit. Succeſſit tamẽ antiquiori cuidam ędiculę, beatę Catharinę virgini & martyri dicatę, idq́ue

A idque intra vallum oppidi Methymnę Cāpi: qua etiā de cauſa eiuſdē B. Virginis commemoratio ſingulis diebus fit in choro: vocaturq; nomine S.Claræ,& à 30. Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis commodè ſatis inhabitatur. In quo tandem admirandæ ſanctitatis ſoror Franciſca Bracamonte, atque religioſiſſima ſoror Agnes ab Ortega à præfatis duabus B.Claræ diſcipulis ſepultę ſunt. Harum prima ob eximias eius virtutes certiſſimam ſui obitus horam prænoſce meruit, ſecunda vero huius loci excidium, atque ſororum diſperſionem, quæ poſt 16. annos infallibiliter euenerunt, nam, maiore huius domus parte ad terram lapſa, 30. eius habitatrices ad tempus, quouſq; ſcilicet reparata extitit, ad diuerſa huius Prouinciæ loca tranſmiſſæ fuerunt, morti propinqua prædixit.

De monaſterio S. Mariæ Magdalenæ Collaris. *Mon. XI.*

B SCRIBENS enim Innocentius IIII. Pont. max. ad Ferdinandum agnomine Sanctum Caſtellæ Regem, atque ad eius filium Alphonſum eius nominis X. anno Dominicæ incarnationis milleſimo ducēteſimo quadrageſimo quarto, Pontificatus verò ſui anno 2. qui fuit nonus ante B. virginis Claræ obitum, illis Damianitarum ſororum (quo nomine tunc Clariſſę appellabantur) conuentum Collaris, quod Segobianæ dięceſis oppidum eſt, attinetq; ad Alburquerquienſium Ducem, ſub titulo S. Marię Magdalenę erectum (de quo impręſentiarum) quammaximè commendat. Ex ijs ergo literis huius conuētus, qui à 30. Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis plerumq; incolitur, paſſimq; nomine ſanctę Clarę appellitatur, vetuſtas facilè deprehendi poteſt. De quo tamen, quòd non ita pridem vulcanio ceſſerit incendio, nihil aliud ab his dicendum occurrit.

C *De monaſterio S. Claræ Aſtudilij.* *Mon. XII.*

PRAESENS monaſterium in beatæ virginis Clarę honorem Aſtudilij, quod Palentinæ diœceſis oppidum eſt, erectum, anno à partu Virgineo 1355. idq; Innocentio VI. Pont. max. annuente, à Maria à Padilia, ſiue potius à Petro Crudeli Caſtellæ Rege, anno ſui Regni primo ædificatum extitit, & à ſanctorum Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis inhabitatur, inſuper & quibuſdam ſanctorum Petri, Pauli atque Andreæ Apoſtolorum, & ſanctarū Cecilię & Catharinę virginum atq; martyrum reliquijs honeſtatur.

De monaſterio S. Claræ Carrionis de Comitibus. *Mon. XIII.*

HAEC ſacra domus (niſi nos vulgaris traditio fallat) antiquiſſima eſt, & à duabus ex diſcipulis B. virginis Claræ, quæ Galleciam aliquot ibi monaſteria erecturæ petebant, beata Clara adhuc in viuis agente, ſolitario quodam in loco, atque ab ho-
D minum frequentia procul, vbi antiquior ædicula, beatæ Mariæ de Paramo dicata, præextiterat, conſtructa extitit. Quæ tamen cùm eius incolis plurimis de cauſis oneroſior eſſet, maximaq; pauperie grauaretur, ad interiora eius oppidi, cui, Carrion de los Condes, Hiſpanicè nomen eſt, ex apoſtolica auctoritate, idq; à multis annis, tranſlata fuit. Cœterum hoc monaſterium, quod à 50. Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis ſat commodè inhabitatur, atq; B. virginis Claræ titulo inſignitur, funere religioſiſſimæ ſororis Mariæ à S.Clara, quæ omnes virtutes, præcipuè verò humilitatē, obedientiā atq; charitatē mirificè coluit, certumq; ſui obitus diem, Deo ſibi reuelante, ſupra modum exornatur.

E *De monaſterio S. Claræ Methymnæ Roſecæ.* *Mon. XIIII.*

CVM Tertiariæ quædā ſorores Franciſcanæ numero quatuordecim Methymnæ Roſecæ (de qua ſuprà) religioſam in ædicula ſancti Sebaſtiani ducerenr vitam, cuperentq; in ſecundam beatæ virginis Claræ Regulam tranſire, illuſtriſſimus Federicus Henriquez Caſtellæ Ammiras, cui tunc Methymna oppidum parebat, hoc eis monaſterium ex proprijs facultatibus, non longè ab oppidi vallo, ſub anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo decimo octauo elegantiſſimè conſtruxit, honeſtisqs redditibus cumulauit, atque tandem non minus liberaliter, quàm piè tradidit. Eius itaque herois beneficio & liberalitate factum eſt, vt 50. ſacræ virgines Deo opt. max. hoc in loco feliciſſimè obſequantur. Idque facillimè patet ex earum quampluri mis, quæ cum maxima ſanctitatis fama feliciſſimè diem clauſerunt extremum.

De monaſterio S. Claræ Pinciarum. *Mon. XV.* A

QVOD hoc monaſterium, beatę virgini Claræ non longè à Pincijs famoſiſſimo totius Hiſpaniæ, atque Palentinæ diœceſis oppido erectum, vetuſtiſſimum ſit, & eius ſtructura, quæ tamen ſatis magnifica eſt, & R. cuiuſdam Auguſtini Oſmenſis Epiſcopi literæ, datæ anno Domini 1266. in quibus apoſtolicorum quatuor diplomatum, duorum quidē Alexādri IIII. aliorum verò duorum Clementis itidem IIII. Pont. max. in huius loci fauorem conceſſorum mentio fit, facilè indicant. Quodq́; etiam ab altera ex B. virginis Claræ ſocijs conſtructum, fundatumq́; fuerit, eius corpus, honeſto mauſoleo hoc in eodē loco tumulatum, argumento nobis eſt. Cuius verò liberalitate atq; munificentia ædificatum extiterit, non ſatis patet. Exiſtimatur nihilominus, idq́; ex aliquibus indicijs, communibus oppidanorum ſumptibus extructum. Ne tamē curioſus lector nos in huius monaſterij, quod ab 80. Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis incolitur, titulo hallucinatos exiſtimet, nouerit illud antiquitus omnium Sanctorū nomine appellatum fuiſſe, atq; poſtmodum beatæ virginis Claræ vocabulo inſignitum euaſiſſe. B

De monaſterio Dominæ noſtræ de Pietate ibidem. *Mon. XVI.*

PLVRIMVM inter ſe differunt proximè præcedens atque præſens monaſteria eodem in oppido, Pinciarum ſcilicet, erecta. Nam illud B. virgini Claræ dicatum eſt, iſtud verò Dominæ noſtræ de Pietate ſacratur. Præterea illud ante annum Domini 1266. initium ſumpſit: iſtud verò non ante annum 1550. ædificatum extitit: idq́; ſanè diuerſis in locis. Nam primò Villaſirgæ, quæ Palentinæ diœceſis oppidum eſt, attinetq́; ad Oſornienſium Comitem, ędificari cœpit, indeq́; ad Pincianum hoc oppidum, ſed extra eius męnia, iuxta ædiculam S. Ioannis Lateranenſis poſt elapſum ſeptennium trāſlatum extitit, ac tandem poſt alios 14. annos tranſactos, eo quoque loco derelicto, eius habitatrices alium (de quo impræſentiarum) intra præfati oppidi ambitum extrui curarunt. Demum iſtius habitatrices, quę numero ſunt 33. nudis pedibus incedunt, nullos redditus admittunt, piſcibus pro obſonio vtuntur, atque ex mendicatione tantùm ſub prima beatæ virginis Claræ Regula victitant: illius verò incolæ annuis redditibus fruuntur, calceatæ incedunt, carnibus veſcuntur, ſuntq́; de ſecunda eiuſdem beatæ virginis Claræ Regula. A cœtero ad huius ſacræ domus ædificationem plura contulit nobiliſſima Maria à Velaſco Petri Manriquij Fernandez Oſornienſiū Comitis quondā vxor: inſuper & ex religioſiſſimo matris Dei Olyſipponenſis monaſterio octo ſorores, quæ cœteras in omni pietate atque religione diligenter inſtruerēt, adduci curauit. C D

De monaſterio S. Claræ Numantiæ. *Mon. XVII.*

HOC ſacrum monaſterium, Numantiæ (vulgò Soria) in honorem beatę virginis Claræ erectum, inter antiquiſſima huius Prouinciæ loca computandum venit. Quo tamen certo tempore ædificatum fuerit, vel quem ſui authorem habuerit, non ſatis conſtat. Exiſtimatur nihilominus communibus oppidanorum ſumptibus extructum, interimque à quadraginta Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis religiosè incolitur.

De monaſterio S. Claræ Almaſani. *Mon. XVIII.*

QVANTÆ ſit antiquitatis præſens conuentus, Almaſani, (cuius ſuprà meminimus) non quidem eo loco, in quo nunc perſeuerat, ſed vbi prius præextitit erectus, ex eo facillimè colligi poterit: quòd ex oppidanorum facultatibus, beata virgine Clara adhuc ſuperſtite, ab altera ex eius diſcipulis ædificatus fuerit. In quo tandem triginta Clariſſæ ſorores Vrbaniſtæ hac noſtra tempeſtate cōmodiſſime cōmorantur. E

De monaſterio S. Claræ Aquilarij de Campò. *Mon. XIX.*

CVM pientiſſimus Ioannes Manriquius Caſtanetani oppidi Comes eo in oppido, quod Aguilar de Campò Hiſpanicè nuncupatur, attinetque ad Palentinam diœceſim Cōuentualibus Franciſcanis patribus conuentum erexiſſet. eius filius atque hæres Garſias Manriquius Sixto IIII. Pont. max. humillimè ſupplicauit, vt, huiuſmodi patribus

A di patribus(quorum tamen conſenſus aderat)aliò trãſlatis, præfatus conuentus Clariſſis monialibus Vrbaniſtis,quæ monaſterium ſub titulo S.Mariæ de Cameſa,ad Cameſæ fluminis fluenta,1050 paſſibus à præfato oppido erectũ,incolebãt, conferre dignaretur. Quo deniq; ſummo Paſtore annuẽte præfatæ ſorores,poſtquã per decenniũ antiquiorem domum inhabitaſſent,ad præmemoratum fratrum conuentum, quem tamẽ nomine S.Claræ in poſterũ appellandũ voluêre,ſub anno à partu Virgineo 1483. Pontificatus verò eiuſdem ſummi Pontificis xiij. & vltimo conuolarunt. Præterea in eiuſdem loci, quem & 35. Clariſſæ ſorores Vrbaniſtæ incolunt, ſacrario Dominicæ crucis particula, atque caput vnius ex vndecim millibus virginum cuſtodiuntur.

De monaſterio S. Claræ Caſtri Cæſaris. Mon. XX.

B HOC monaſterium,B.virgini Claræ ſacrum,atque longiuſculus à Caſtro Cæſaris Burgenſis diœceſis oppido conſtructum,vetuſtate non caret: cùm,ex fideli quadã traditione, à Petro Crudeli Caſtellæ Rege,ædificatum fuerit.Præterea Conuẽtualium Frãciſcanorum patrum curæ à ſui exordio ad annum vſq; Domini 1564. ſubiacuit. Quo deniq; anno, ex Pij V. Pont. max. decreto, cœteris huius Prouinciæ locis adiectum extitit. Inhabitatur interim à quadraginta Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis.

De monaſterio Corporis Chriſti Segobiæ. Mon. XXI.

QVOD ſacra hæc domus,Corpori Chriſti dicata, atq; intra Segobianæ ciuitatis ambitum erecta,neophyta omnino ſit,atque ſub anno Domini 1572. primò ædificari cœperit, nihil aliud nobis memorabile ſubminiſtrat ab eo, quòd à 20. pauperri-
C mis ſororibus de prima (vt aiunt) beatæ virginis Claræ Regula religioſè inhabitetur.

De monaſterio Conceptionis B. Virginis Vlmeti. Mon. XXII.

EXIMIA nobiliſſimorum coniugum Alphonſi Paterno ſacræ diui Iacobi Militiæ equitis ac Commendatarij, & Eliſabethæ Velasquez virtus, ſummusq; tum in religioſos,tum quoq; in religioſas amor fecerunt, vt ij hoc ſacrum monaſteriũ ad Dei honorem,atque in Conceptionis Deiparæ virginis Mariæ memoriam, Vlmeti ex cõmunibus facultatibus, annuente tamen Leone X. Pont.max.ſub anno 1516.erigerẽt, pinguibusq; annuis redditibus cumularent: voluêre tamen præfati fundatores, vt ex ijs ſororibus,quæ hoc in loco cõmoraturæ eſſent,13.gratis,& vlla abſq; dote, quòd ſibi ſatis de prouentibus prouiſum ſit,reciperentur. Quibus denique vita functis,aliæ ſub ijſ-
D dem legibus, ijſdemq; priuilgijs ſuccedere debeant. Cõmorãtur itaq; hoc in cõuẽtu 30. ſorores Conceptioniſtæ, ſiue Ordinis immaculatæ Conceptionis Dei genitricis Mariæ.

De monaſterio B. Virginis. Pinciarum. Mon. XXIII.

OMNIA ſua ſtudia in huius monaſterij conſtructione fixiſſe atq; locaſſe, inſuper & pietatis in ea laudem quæſiuiſſe videntur pijſſimi coniuges Ioannes à Figueroa Valiſoletani oppidi Senator,& Maria Nunneſia à Toleto:tanta eſt eius capacitas atq; pulchritudo. Cùm enim ſingulari quadam deuotione in Deiparæ virginis Conceptionem ambo ferrentur,erigẽdam à ſe in eius memoriam domum omnibus numeris abſolutam, atq; tanta deuotione dignam voluerunt.Fuit itaque huiuſmodi domus ab eis intra Valiſoletani oppidi mœnia,ſub anno à partu Virgineo 1521.ædificata,atque ho-
E neſtis vtcunque redditibus dotata:eis tamen poſitis legibus, vt à Conceptioniſtis ſororibus in habitetur:vtq; 13.virgines,iuxta eius votum, penes quem patronatus ius pro tempore eſſe contigerit, recipiantur: vtque tandem altera earum defuncta alia eius loco ſubroganda veniat. Commorantur denique hoc in loco trigintaquinque ſorores Conceptioniſtæ tum religione & uirtutibus, tum quoque natalibus inſignes.

De monaſterio Conceptionis B. Mariæ Aillonij. Mon. XXIIII.

CVM pientiſſimus heres Didacus Lopetius Pacieco Villenicus Marchio, atq; oppidi Aillonij temporalis Dominus hoc monaſteriũ, Conceptioni beatſſimæ virginis Mariæ ſacrum,præfato in oppido Aillonio, ſub anno 1546.ædificari, dotariq; cu-

raſſet,

raſſe,nec ad optatum finem morte prǫuētus adducere potuiſſet:eius filius atq; ſucceſ- A
ſor,nec latum vnguem à tanto parente degenerans, & huiuſmodi monaſterium om-
nibus ſuis numeris abſoluit,& religioſiſſimas tres ſorores,quæ confluentibus iuuencu-
lis præeſſent,atque ſalutis monita darent,ex Turgiano conuētu Conceptioniſtico,apo
ſtolicæ innixus auctoritati,adduxit.Quamuis hæc ſacra domus non ita pridem cōſtru-
cta fuerit, plures tamen ſorores religione inſignes, ac ſanctitate conſpicuas huic Pro-
uincię peperit.Inter quas tamen principem locum obtinent ſoror Anna Angelorum,
prima eius Abbatiſſa,atq; vna ex tribus prǫfatis fundatricibus:& ſoror Maria à S.Pau-
lo,cuius in Deum pietas atq; ad proximos charitas incredibiles fuêre. A cœtero Con-
ceptioniſtæ huius loci moniales 30.numerum frequentius attingunt,aliquotq́; ſancto-
rum Fabiani,Petri.atq; Mauritij martyrum, necnon &S. Annæ Dei genitricis Mariæ
matris,atque vnius ex 11. millibus virginum reliquias ſumma diligentia cuſtodiunt. B

De monaſterio conceptionis B. Mariæ Berlangæ. Mon. XXV.

ANNO ſequenti à proximè præcedentis conuentus erectione, nempe anno à par-
tu Virgineo 1547. pijſſima atque nobiilſſima matrona Ioanna Henriquez, ex
morte Ioannis Touar Berlangenſium Marchionis vidua relicta hoc monaſterium, Con-
ceptioni Virginis ſacrum, præfato in oppido Berlanga,quod Caſtellæ Comeſtabilibus
paret,ex domeſticis ſaculiatibus ab ipſis fundamentis ad verticem vſq; ædificandum,
redditibusq́; cumulandum,atq; plurimis tandem ſanctorum,præcipuè verò martyrum
Thebæorū,& Agnetis virg. & mart.reliquijs exornandum curauit. Primæ huius loci
fundatrices fuêre nobiliſſimæ ſorores Violās à Mēdoza, & Bernardina Touar præfati
Berlāgēſiū Marchionis filia.Commorātur hoc in conuētu 33. Conceptioniſtæ ſorores, C
quę,quia accuratiſſimè deuotiſſimeq́; Deo famulātur,optimè apud Berlāgēſes audiūt.

De monaſterio Conceptionis B. Mariæ Abulæ. Mon. XXVI.

PIISSIMVS Maldonatus Abulenſis eccleſiæ canonicus, credita ſibi bona fideliter
diſpenſaturus,hoc monaſterium,ad Saluatoris Chriſti laudem,atq; in feliciſſimi cō
ceptus eius matris memoriam Abulæ, quæ Epiſcopalis ciuitas eſt,ex eis ędificari, ſub
anno 1539. fecit, atq; nobiliſſimas duas ſorores,quę cęteris aduentantibus iuuenculis
Religionis viam felicius oſtenderent,ex Conceptioniſtico Vlmetenſi conuentu adduci
curauit. Sunt autem quotquot hoc in loco commorātur ſorores Cōceptioniſtę nu. 30.

De monaſterio Conceptionis B Mariæ Pennarandæ. Mon. XXVII. D

SINGVLARI quadam in Conceptioniſtas ſorores beneuolentia, atq; incredibili in
propriam ex filio neptem Annam à Stunnica eiuſdem Religionis alumnam animi
propenſione impulſi pijſſimi coniuges Petrus à Stunnica & Auellaneda, atque Maria à
Cardenis oppidi Pennarandæ Comites,hoc monaſterium Conceptioni Virginis ſacrū,
quod & 25.Conceptioniſtici eiuſdē Ordinis ſorores inhabitant,infra eiuſdē oppidi Pen
narandæ ambitum,ſub anno Dñi 1564. à fundamentis ad apicem vſq; conſtruxerunt:
atq; communem neptem ex Turgiano conuentu Conceptioniſtico,quatenus primam
eius Abbatiſſam ageret, apoſtolica ſibi auctoritate fauente, deducendam curarunt.

De monaſterio Ieſus Mariæ Pinciarum. Mon. XXVIII.

VT primum prouincialia huius Prouinciæ Comitia celebraturus ex generali To- E
letana Congregatione Pincias,ſub anno Dñi 1583. me contuli, atque hoc mona-
ſterium Ieſus Marię à perdeuoto,doctiſſimoq́; Licentiato Gueuara non longè à Pincia
nis mœnibus eo fine,vt à Conceptioniſtis ſororibus inhabitaretur, erectum didici: dedi
operam,vt religiosæ,optimiq́; nominis 3.ſorores ex antiquiori eiuſdem oppidi Conce-
ptioniſtico conuentu cum ſolemni totius Capituli ſupplicatione, 18.menſis Septēbris
præmemorati anni educerentur, atq; ad præfatum hoc monaſterium transferrentur.
Quæ ſanè opera noſtra non inanis fuit, cùm plures virgines Conceptioniſticum habi-
tum in eo induerint,Deoq́; felicius obſequātur. Eſt præterea præmemoratum hoc mo-
naſterium nobilium virginum ſeminarium, cui loci Abbatiſſa diligentius incumbit,

De Mon,

A *De Monaſterio S. Eliſabethæ Areuali.* *Mon. XXIX.*

PIENTISSIMA Sanctia Martinez à Montaluo Dei Eccleſiam hęredem ex aſſe inſtitutura, hoc monaſterium, beatę Eliſabethę ſacrum, Areuali, ex proprijs facultatitibus ſub anno à partu Virgineo 1440. ędificauit, atq; honeſtis redditibus locupletauit. Prҫterea Franciſcanarum Tertiariarum habitu de religioſo more induta cœteris aduentantibus iuuenculis religioſè viuendi norma facta eſt. Cuius ſanè humilitas tanta extitit, vt, licèt claris orta natalibus & nobiliſſimo olim viro iuncta, nõ erubuerit aquã ex fonte hauſtam, proprijs humeris per medium forum, monaſterio à ſe conſtructo inferre. Huic ſimilis omnino extitit ſoror Anna ab Areualo, quę per 100. cõtinuos annos hoc in eodem loco, quem 30. Tertiarię ſorores frequẽtius incolunt, in ſumma humili-
B tate, patientia, oratione, abſtinentia atq; charitate vitam egit. Vocatur paſſim hęc domus agnomine de las Montaluas ab eius fundatrice Sãctia Martinez à Montaluo.

De monaſterio S. Mariæ de Ieſu ibidem. *Mon. XXX.*

CVM nobilis quidam patria Murcianus alterius nobilis neci interfuiſſet, tum defuncti cognatorum, tum quoq; iudicis iram declinaturus, patrijs latibus relictis, Areualum cum duobus filijs atq; 4. filiabus ſe contulit. Quo deniq; vita functo, pręfatorum liberorum qui mares erant, Frãciſcanum habitum induêre: reliquę verò fœminę ſub maioris, quę Aldonza Lopetia nuncupabatur, & ſingulari quadam prudentia, atque honſtate pollebat, cuſtodia remanſerunt. Poſt elapſos autẽ aliquot annos, cùm nobiliores oppidi Areuali tum viri, tum quoq; fœminę in huiuſmodi iuuẽculas ſupra
C modum quadam voluntatis inclinatione propenderent, illiſq; neceſſaria ſatis liberaliter ſubminiſtrarent, pręfata Aldonza Lopetia hoc monaſterium, in S. Marię de Ieſu honorem, ſumpto prius Tertiariarum Franciſcanarum habitu, ſub anno Dñi 1490. ędificare cœpit, atque temporis decurſu ad optatum finem perduxit. Vt igitur tãtæ fundatricis memoria perpetuaretur, voluêre Areualenſes, vt pręfatum hoc monaſteriũ, quod 30. Tertiariæ ſorores in habitant, Aldonzæ cognomine appellaretur. Vocatur ſiquidem paſſim, idq; Hiſpanicè, conuento de las Aldonzas. Nec immeritò ſanè: cùm præmemorata fundatrix eximia ſãctitate, atq; prophetico ſpiritu, quo plurima prædixit, prædita fuerit. Præterea nihil illa continentius, nihilq; tandẽ pauperius extitit. Qua etiam de cauſa quamplurimis prærogatiuis à Deo cumulari meruit. Huic annectenda venit nobilis virgo Eliſabetha Verdugo huius quoq; loci alumna, quæ Chri-
D ſtum Dominũ in propria forma, dum Hoſtia à ſacerdote eleuaretur, videre meruit, atque quamplurima alia priuilegia ab Altiſſimo omnium bonorum largitore obtinuit.

De monaſterio S. Eliſabethæ Pinciarum. *Mon. XXXI.*

HONESTISSIMAE fœminę Ioanna Hermoſilla, atque eius ex fratre neptis Beatrix Hermoſilla nihil minus ab hoc mundo, eiuſq; pompis facientes quicquid habere poterant, id pauperibus erogabant: inſuper & ex proprio labore, atq; eleemoſynis victitantes hoc ſacrum monaſterium Pincianũ, ſub inuocatione S. Eliſabethæ, oppidanis interim ſibi ſummopere fauentibus, erigere cœperunt. Cumq; honeſtæ aliquot virgines atq; vidua ſibi adhæſiſſent, ſumpto cum illis Tertiariarum Franciſcanarum habitu, patribus Tertiarijs obedientiã, ſub anno 1462. pollicitæ ſunt. Erat per id tẽpo-
E ris huius Prouinciæ fama vbiq; celeberrima: quapropter præfata Beatrix Hermoſilla Innocentio VIII. idq; anno Dñi 1484. ſupplicauit, quatenus ſibi, ſuiſq; ſocijs in Minoritanum huius Prouinciæ patrum curam tranſire liceret. Facturus igitur præfatus Põtifex eius votis ſatis, Compoſtellano Archiepiſcopo iniunxit, ut conſtructam à præfatis ſororibus domum in iuſtum monaſterium euehendam, atque eccleſiam, cœmeterium inſuper, & campanile ſibi annectendum curaret. Quod & ille diligentiſſimè præſtitit. Ab eo itaq; temporis, hoc monaſterium à ss. Tertiarijs ſororibus inhabitatum impręſentiarũ vſq; huic Prouinciæ ſubiacet. Inter cœteras huius monaſterij religioſas, quæ ſanctitate claruerũt, emicuit præfata ſoror Beatrix Hermoſilla. Cuius oſſa, poſt 47. annos ab eius obitu, ſuauiſſimè fragrantia apparuerunt, atque ex antiquiori ſepulcro ad aliud

aliud multò honeſtius tranſlata ſunt: vbi Deus ad tantæ ſororis inuocationem aliquot A
miracula ædere dignatus eſt, ob quæ à Pincianis maxima in ueneratione habetur.

De monaſterio S. Eliſabethæ Segobiæ. Mon. XXXII.

CVM nobilis virgo Maria à ſancto Spiritu ex Guadalfagiara ciuitate oriunda diuinis obſequijs ſeſe omnino dedere cuperet, Deum orare aſſueuerat, vt ſibi, quæ illi placita forent, inſpirare dignaretur. Cumq; quadam die huiuſmodi orationi inſtaret, per reuelationem accepit, vt ſe, relicta cara patria, Segobiam conferret. Vt igitur primùm diuinæ reuelationi acquieſcēs hāc ciuitatē fuit ingreſſa, in honeſtiſſimas quaſdam virgines eadem prorſus mente, qua & illa præditas, quæ & ſe ei adiunxerunt, incidit: atq; tanta occaſione oblata, antequam è manibus laberetur, benè vti cupiens, domum, in qua ſimul cum illis Deo felicius famulari poſſet, tum ex communibus facultatibus in medium collatis, tum quoque ex diuerſis fidelium eleemoſynis, anno 1486. B
ædificandum curauit: vbi & per 12. continuos annos cum cariſſimis ſibi adhærentibus ſocijs, ſub Tertiariarum ſororum Frāciſcanarum habitu ſanctiſſimè perſeuerauit. Sed cùm is locus auguſtiſſimus eſſet, sereniſſima Eliſabetha Hiſpaniæ Regina, Regiſq; Ferdinandi V. legitima vxor per R. F. Franciſcum Ximenium à ſummo Pontefice Alexādro VI. ſibi, anno Dñi 1498. conceſſa egit, vt Conuentuales S. Claræ ſorores ſe Obſeruantibus Clariſſis monaſterij S. Antonij accolis coniungerent, in patrum huius Prouinciæ Obſeruantum curam: & præfata ſoror Maria à ſancto Spiritu tum ſuis Tertiarijs ſororibus S. Claræ antiquioris (ſic enim Conuentualium Clariſſarum cœnobium appellabatur) ibidem in poſterum habitatura peteret. Quod & iuxta tantæ Reginæ votum factum extitit. Ab eo igitur tempore huiuſmodi Tertiariæ, relicto antiquiori domicilio, S. Claræ antiquioris conuentum, quem tamen nomine S. Eliſabethæ appellandū C
voluêre, impræſentiarum vſq; inhabitant: ſuntq; numero 50. Quarum ſanè pauperies ſumma eſt, religioq; mirabilis. Idq; profectò exemplaris aliquarum ſororum hoc in ipſo loco defunctarum vita facilè oſtendit. Obijt ſiquidem hoc in conuentu mortem religioſiſſima ſoror Maria Pennaloſa, quæ & defunctum puerum ad vitam reuocaſſe fertur, & vix ſibi parem in humilitate, oratione, charitate atq; cœteris virtutibus ſuo tempore habuit. Ad hanc appoſitæ ſunt ſoror Eliſabetha Peralta, & ſoror Ioāna Lopetia, quæ ſicut ſanctè vixerūt, ita quoq; ſanctè in Domino, in æternū victuræ, obierunt.

De monaſterio Crucis Vlmeti. Mon. XXXIII.

NOBILIS pijſſimaque Vrraca Rodriguez Bezerra ex opido Vlmeto oriunda, D
cùm ex cariſſimi viri morte vidua, atque diuitijs opulentiſſima relicta eccleſiam quadā die ingreſſa eſſet, illudque ex Euangelio audiuiſſet, *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*, tamquam ea ſibi dicta fuiſſent, ſic Chriſto Domino obtemperādum exiſtimauit. Itaq; plurimis ex proprijs hæreditatibus Hieronymitis patribus cōuentus de Mejorada dono datis, ſufficientibus redditibus pro curandis ſuſtentandiſq; ſex infirmis Vlmetenſi xenodochio relictis, atque propria domo in monaſterium euecta, inſuper & cœtera re familiari diuendita, pecuniam ferè omnem pauperibus diſtribuit, atq; ſumpto Tertiariarum Franciſcanarum habitu præfatā domum ſimul cum quinque tum ex fratre, tum quoque ex ſorore neptibus, ac alijs tribus pediſſequis, ſub anno Dominicæ incarnationis 1491. ingreſſa eſt, inibiq; ſanctiſſimè vixit. Nam ea nihil continentius, nihilq; vigilantius erat. Patientia inſuper, manſuetudine, miſericordia, humilitate ac propriarum manuum labore cœteras ſuperabat. Eā interim quotquot erant eius ſociæ, pro viribus imitari ſtudebant. Cùm igitur tales, tantæq; Dei famulæ euaſiſſent, prudentes religioſas hoſtis humani generis varijs tētationibus aggreditur, quas illę ieiunio & oratione vincebant. Nec uerò frequens de Satana triumphus ſecuras reddebat Chriſti ancillas: quippe quæ Diaboli innumerabiles nocendi artes optimè noſſent. Hoc demum iacto fundamento præfata hæc domus, quæ Dominicæ cruci ſacrata euaſit, Vlmetaniſque cingitur muris, adeò coaluit, vt inter præcipuos eiuſdem Inſtituti conuentus numeranda veniat, atq; 30. Tertiarias ſorores Franciſcanas cōmodiſſimè contineat, eiſque neceſſaria miniſtret. E

De Mo-

A *De monaſterio S. Eliſabethæ de Ieſu ibidem. Mon. XXXIIII.*

NON abſimilis eſt huius ſacræ domus origo ei, quam proximè præcedēs habuit. Cùm enim nobiliſſima Agnes Ferro patria Aragonēſis, atq; Reginæ Aragoniæ, matris ſcilicet Ferdinandi V. Hiſpaniæ Regis, domicella, regię tędio afficeretur, cuperetq; id, quod ſibi vitæ reſiduum erat Deo ſacratum, ſpretis mundi honoribus, atque omni ferè familiari re pauperibus diſtributa, Vlmetum ſe contulit, ędificatoq; ibi pręſenti monaſterio ſub nomine S. Eliſabethæ de Ieſu, Tertiariarum Franciſcanarū Regulam ſimul cum 3. ex filio neptibus, poſt tranſactum probationis annum, de religioſo more, anno Domini 1496. profeſſa eſt: vbi & in maxima paupertate, humilitate atque ſanctimonia cum illis, atque cęteris ſibi adhærentibus egit. Nunc præſens conuentus à triginta etiam Tertiarijs ſororibus Franciſcanis, prout & ille, incolitur.
B

De monaſterio S. Eliſabethæ Methymnæ Campi. Mon. XXXV.

QVI aureæ illius ſententiæ nempe; *Concordia res paruæ creſcunt*, experimentum facere voluerit, in præſentis monaſterij ſub inuocatione S. Eliſabethę Methymnæ Campi erecti progreſſus oculorum aciem dirigat. Cùm enim pauperculę quędam, ſed honeſtę mulieres 5. numero, humili quadam in domo, ſumpto prius Tertiariarum Franciſcanarum habitu, conueniſſent, inibiq; in maxima charitate, & fraternitate vitam ducerent, adeò pręfata domus ob huiuſmodi concordiā excreuit, vt, licèt in ſumma paupertate, ſub anno Dñi 1481. fundata, impræſentiarum 40. Tertiarias ſorores Franciſcanas contineat, illiſq; ad victū neceſſaria ex proprijs redditibus ſubminiſtret.

C *De monaſterio S. Eliſabethæ Arandæ Durianæ. Mon. XXXVI.*

CVM honeſta matrona Mentia Martinez Contreras nullos prorſus liberos ex viro ſuſcepiſſet, vt primùm ab eius lege ſoluta eſt hoc monaſterium, S. Eliſabethæ ſacrum, intra Arandæ Durianæ (de qua ſuprà) ambitum tum ex proprijs, tum ex ſibi relictis à præfato viro facultatibus, ſub anno Dominicę incarnationis 1460. à fundamentis ad verticem vſq; ædificari fecit: atq; ſumpto Tertiariarum habitu primā eius ſororem, primamq; Miniſtram ſiue Prælatā egit. Adhęſerunt nihilominus ſibi aliquot aliæ honeſtæ tum virgines, tum quoq; vidueę, ſuntq; impræſentiarum numero decem.

De monaſterio S. Annæ Collaris. Mon. XXXVII.

D NOBILISSIMA Franciſca à Cueua, Bertrandi à Cueua Albulquerquiēſium Ducis filia, atq; Lunenſium Comitiſſa, cùm ſingulari quadam animi inclinatione in Tertiarias ſorores Franciſcanas ferretur, hoc eis monaſterium, nomine S. Annæ inſignitum, ex proprijs facultatibus, ſub anno Domini 1552. Collaris, quod cariſſimo eius patri ſuberat, ædificandum, tradendumq; curauit. Inhabitatur interim præfatū hoc monaſterium, quòd recens omnino ſit, à 13. Tertiarijs ſororibus Franciſcanis.

De monaſterio S. Eliſabethæ Spineti. Mon. XXXVIII.

CVM pauperes quædam mulieres tum virgines, tum quoq; viduæ in pauperrima quadam domo, ſub anno à lætabūda Chriſti Domini natiuitate 1512. (prout ex quibuſdam indicijs facilè coniectare licet) ſimul cōueniſſent, ac quicquid ex proprio labore acquirere poterant, id in medium conferrent, pluresq; aliæ ſibi adiungi
E cuperent, in eam omnes ſententiam venerunt, vt ſub Tertiariarum Franciſcanarum habitu religiosè, atque ſub legibus Tertiarijs iiſdem præfixis, præfata prius domo in monaſterij formam tranſlata, in poſterum viuerent. Vt igitur primùm huiuſmodi poteſtas eis facta eſt, omnes ſimul, licèt nullos penitus annuos redditus haberent, tum in pręfatum Tertiariarum habitum, tum quoque in earundem Regulam tranſière. Quarum denique numerus, licèt Spinetum Segobianę diœceſis oppidum, vbi pręfata hęc domus ſub titulo ſanctæ Eliſabethæ conſtructa eſt, pauperie grauetur, viccnarius eſt. Cęterum huius ſacræ ædis, quæ ſatis ampla, ſatiſq; elegans pro oppidi conditione eſt, religio, honeſtas, charitas, concordia, atq; ſanctimonia vix explicari poſſunt.



PROVIN-

PROVINCIA BRITANNIAE.

A BRITANNIA duplex eſt,altera maior,quæ è Septẽtrionali Oceano ma-
ri emergẽs Europicarum omnium inſularum maxima eſt, & Albion an-
tiquitus nuncupata, à Bruto ſtrenuo milite, atq; Troianorum Duce, qui
eam vi armorum ſibi ſubegit, Britannia (hanc Angliam vſitatiori voca-
bulo nunc appellant) dicta euaſit. Altera verò minor, à qua & Britones
populi.Hæc Galliæ Celticæ regio eſt,& ad Occidentale Oceanum mare vergens à Iu-
lio Cæſare Armoricæ cognomen obtinuit,Britanniamq; maiorem ſui parentẽ agno-
ſcit: cùm à Conano Britanno fortiſſimo equite,atq; regiæ ſtirpis alumno vi ſubacta,
captaq; ſit. Paruit præterea modò peculiaribus Regibus,modò verò Ducibus; nec à
B Gallorum Regibus,licèt cruentiſſimo ſæpius bello laceſſita,vnquã ſubiugari potuit:
donec tandem,poſt maximam illã Britonum ſtragem à Gallis in S.Albini ſyluis,anno
Dñi 1488.editam,ſereniſs.Anna Britonum Duciſſa ſereniſs. Ludouico XII. Gallorum
Regi nupſit.Quo tandẽ factum eſt,vt Britannia minor in Gallorum Regis ius ceſſerit.
Cęterùm minor,ſiue Armorica Britannia in ſuperiorem,quę ab ortu ſolis Normãnię,
& ad Aſtrum Pictauię contigua eſt,Gallicoq; vtitur idiomate,& in inferiorẽ, quę ad
Solis occaſum vergens,Britannicè pro maiori parte loquitur, à Coſmographis ſubdi-
uiditur.Huic ergo patriæ Britanniæ ſcilicet Armoricæ,cùm aliquot Franciſcani,ſera-
phico adhuc patre Franciſco ſuperſtite, appuliſſent, aliquot conuentus in Nanetenſi,
C Coriſopitenſi,Dinanica,Redonenſi,Venetenſi atq; Giugampẽſi ciuitatibus erexiſſent,
eos in Cuſtodiam redigi, atq; curæ patris Miniſtri Prouinciæ Turoniæ committi cu-
rarunt. Cumq; poſt elapſos plurimos annos,regularis diſciplina in his à recto tramite
aliquantulũ declinare cępiſſet,eamq; eò nitoris,atq; cãdoris,vnde exciderat, zelotes
aliquot patres redactã cuperent,Conſtantienſe Concilium acceſsêre, & ab eius patri-
bus, vt peculiares aliquot conuentus, in quibus id felicius præſtarent, ſibi conſtruere
poſſent,anno Dñi 1414.obtinuerunt. Quamobrem ex ſuperiori Germania in hãc Ar-
moricam Britanniam reuerſi huiuſmodi conceſſionẽ ſibi factam in quibuſdam inſulis
ſterilibus omnino,atq; deſertis executioni mandarunt. Vbi tandem erectis ſibi ex cæ-
D mento atq; vili materia caſulis,in maxima ſanctitate, perfectiſſima ſuæ Regulę obſer-
uantia,necnon & in extrema omnium rerum penuria per aliquot annos vixerunt.Co-
gniti tamen ab illius patriæ proceribus atq; Præſulibus, in magno ab eis honore ha-
beri cęperunt: vnde & illis melius eſſe cępit.Subfuerunt autem à præfato anno 1414.
vſq; ad annum 1472.proprio Cuſtodi,idq; inferioris Normãniæ atq; Anglię patribus
vniti.Sed præfato anno 1472.R.admodum P.F.Ioanne Philippi R.patris generalis no-
ſtri Ordinis Miniſtri Commiſſario, huiuſmodi fratres eorumq; conuentus Prouinciæ
Turoniæ Pictauienſis in Capitulo Lauallenſi adiuncti, atq; curæ prouincialis Vicarij
eiuſdẽ Prouinciæ commiſſi ſunt. Poſt elapſos verò 12.annos,nempe anno Dñi 1484.
E præfati conuentus in Capitulo generali Brugis apud Belgas celebrato,& à Turoniæ,
Anglię,atq; inferioris Normãnię monaſterijs ſeiuncti, atq; proprio prouinciali Vica-
rio commiſſi extitêre. Sub quo deniq; ad annum vſq; Dñi 1517.perſeuerantes,in ge-
neraliſſimo Capitulo Romę eo temporis ſub Leone X.Pont.max.habito Prouincię di-
gnitate,atq; honore à patribus donati ſunt. Conflatur vniuerſa hæc Prouincia ex 10.
tantùm fratrũ conuentibus: cuius prouincialis Miniſter ſigillo, cui B.Mariæ puerũ Ie-
ſum ſiniſtra tenentis,ac Lunę innixę imago,atq; gẽtilitia Britannici Ducatus inſignia
præfatæ B.Virginis imagini ſubmiſſa,necnon & ſequentes literæ: S. MINISTRI
PROVINCIAL. BRITANNIÆ ORD. MIN. REG. OBSERVANTIÆ.
ſphericè inciſa ſunt,ad muneris ſibi commiſſi executionem vtitur. A cætero, quod

ſanctus Iuo Britonibus celeberrimus, atque in maxima veneratione ſit, quodq; tertij A
ſeraphici patris Franciſci Ordinis alumnus extiterit, eum huic Britanniȩ Prouinciæ, tamquam eius tutelarem atq; patronum, graphicè depictum, præponendum curaui.

De Minoritico conuentu inſulæ Viridis. Conu. I.

CVM antiquiores huius Prouinciæ patres ſtatim à reditu Conſtantienſis Concilij in inſula Viridi, quæ inſularum Britanniæ Armoricæ vna eſt, attinetq; ad Dolenſem diœceſim, pauperrimam eccleſiam in glorioſæ virginis Mariæ honorem, atq; caſulam omnino humilem, vltra quindecim palmos in altitudine non habentem, ſibi contiguam ex viliſſima materia conſtruenda curaſſent, inibiq; per aliquot annos in maxima paupertate, atq; ſumma Franciſcanæ Regulæ obſeruantia conuixiſſent, generoſus heros Ægidius de Torneminne eorum neceſſitatibus ex maxima in Deũ opt. B
max. pietate, atq; in ſeraphicum patrem Franciſcũ deuotione compaſſus, illis & vnius iuſti conuentus ibidem ædificandi facultatem conceſſit, & pinguiſſimã ad huiuſmodi ædificationem eleemoſynam elargitus fuit. Eius igitur ſingulari beneficio factum eſt, vt prȩſens couuentus, à 24. olim fratribus inhabitatus, ſed impræſentiarũ à 13. tantum incultus, glorioſiſſimæ ſemper virgini Mariæ, anno Domini 1436. erectus ſit, atq; omnium aliorum primus iuxta Religionis normam conſtructus prodierit. Nam ante ruſtici potius tugurioli, quàm monaſterij formã præſeferebat. Verùm quia abſq; ſpeciali apoſtolicæ ſedis facultate id factum fuerat, à Sixto IIII. ſummo Pontifice tũc ſedente, idq; anno Domini 1479. fratribus eius inquilinis conceſſum extitit, vt huiuſcemodi conuentum pacificè poſſiderent, omnibusq; gratijs atq; priuilegijs cæteris Frãciſcanis cõceſſis fruerẽtur. Eſt inſula Viridis parua ſatis atq; inhabitata, difficillimeq; C
ob inacceſſibiles ſcopulos, quibus ferè cingitur, atq; impetuoſum ventũ, necnon & tumeſcentes perpetuò fluctus petitur. Idq; in cauſa eſt, vt plures naues circa ipſam periclitentur. Nihilominus tamen hoc certiſſima experientia conſtat, nullum ſcilicet vnquam fratrem, vel ſȩcularem, dum vel hanc inſulam conuentum, qui orationi & contemplationi accommodatiſſimus eſt, viſitaturus peteret, vel ex conuẽtu ſoluens continentem repeteret, naufragatũ fuiſſe. Cùm primitiui huius Prouinciæ patres prouinciale Capitulum hoc in conuentu celebraturi deuotiſſimum illum hymnum: *Veni creator ſpiritus*: de religioſo more concinere cœpiſſent, tantus ex tempore ignis è cœlo demiſſus locum circumcinxit, vt vniuerſa inſula ardere viſa ſit. Cumq; tum fratres, tũ quoq; ſȩculares eo ex continente, atq; ex proximioribus inſulis, vt ignẽ extinguerent, concurrentes eccleſiam ingreſſi eſſent, omnia integra, omniaq; illæſa, & religioſos D
ſummo decantando ſacro omnino intentos inuenerũt. Quapropter redditis Deo opt. max. ſimul cum illis debitis gratiarum actionibus in propria reuerſi ſunt, & quid ſibi acciderat longè lateq; diffamantes, vt omnes in gyro populi fratres maiori in poſterũ veneratione, & obſeruantia, atq; omni beneficiorum genere proſequerentur, in cauſa fuêre. Cæterùm inſula Viridis ab Oriente inſulam Brehatam fertilem omnino, populoſam, diuitem, atq; munitiſſimã habet; & ab Aquilone inſulam S. Mahudeti ſerpentibus, buffonibus, atq; venenoſis animalibus olim ſcatentẽ: ideoq; ab hominibus inhabitatam, ſed à B. Mahudeto Hyberniæ Regis primogenito, qui eò agendæ pœnitentiȩ ergò confugerat, repurgatã ita, vt huiuſmodi beſtiæ aliunde eò illatæ ſtatim moriãtur.

De conuentu S. Franciſci Bernonij. Conu. II. E

SECVNDVS huius Prouinciæ conuentus eſt Bernonienſis, à loco, qui vocatur Bernon, ſic dictus. Cœpit autẽ ædificari anno Domini 1454. die 18. Auguſti. Fuit eccleſia dedicata in honorẽ S. Franciſci. Quo etiam die cȩtera altaria, capitulũ, ſacrarium & clauſtrum conſecrata ſunt. Habitauerant tamen prius fratres in quadã maris inſula huic loco ſatis vicina: ſed omnino inhabitata, atq; piratarũ iniurijs paſſim expoſita. Quamobrem ſereniſs. Anna Bernon Britanniæ Armonicæ Duciſſa eorũ monaſterium in propriã ſuæ habitationis domũ transferre voluit. Verùm id propter continua bella, quæ inter Anglos, atq; Gallos gerebantur, vſq; ad tempus Ducis Britanniæ Franciſci, qui tantȩ heroinȩ filius fuit, dilatũ extitit; tunc ſiquidẽ Eugenio IIII. Pont. max.

A max annuente huiuſmodi trāſlatio effectum ſortita fuit. Huius monaſterij ſitus multo amœniſſimus eſt, nempe remotus ab hominum frequentia in ſylua, quæ ipſum vndequaque ambit,& iuxta litus maris,vt vix eo iucundior inueniri queat. Cæterùm hoc in loco iuxta ſummū altare ſepultus iacet doctiſſimus vir, qui eruditiſſima opera edidit,pater frater Stephanus Bruliferus.Cuius epitaphium hîc adſcribere viſum eſt.

Diui profeſſor Franciſci Religionis,
Sacræ ſcripturæ Doctor & eximius;
Non minor eſt Scoto, cunctiſq. authoribus illis,
Ingenuas artes qui cecinêre prius.
Hic fuit errores concremans Stephanus ille,
Brulefer ingenio quem locus iſte tenet.
Siderea loca poſſideat. Amen.

B Vt plurimùm prædicto in loco morantur Franciſcani fratres circiter vigintiquinq;.

De conuentu S.Catharinæ Blaneti. Conu. III.

BLANETVM flumen eſt in Britannia Armorica,in cuius quadam inſula, inter Henebantum & Loperanum eiuſdem patriæ oppida,obtinuerunt fratres noſtri,vt ſibi cęnobium ædificarent,circa annum Domini 1446.idq; à pientiſſimo Petro Bernocenſium Comite, atq; Ducis Britanniæ filio, qui in præfati cœnobij eccleſia,B. Catharinæ virgini dicata,ante ſummū altare ſepultus eſt. Præfata eccleſia,anno Domini 1450.die 7.Martij, à R. Venetēſium Epiſcopo conſecrata extitit.Demum hoc in loco,qui & annuente Eugenio Papa IIII. conſtructus fuit,15.fratres commorantur.

C

De conuentu S.Valentini Pontiniaci. Conu. IIII.

PONTINIACENSIS hic conuentus à pientiſſimo heroë Alano Rhoanenſiū Vicecomite,anno Dominicæ incarnationis 1457.Calixto III. Pont.max.ædificari cœpit,& ſequenti anno, nempe 1458. Pio II. ad totius militantis eccleſiæ clauū ſedente,huiuſmodi ædificatio abſoluta eſt.Supradictus Vicecomes cùm abſq; apoſtolicæ ſedis licentia hunc conuentum, quem vt plurimùm 25. fratres inhabitant, conſtruere cœpiſſet; & pro ea obtinenda ad Calixtum III. miſiſſet, facilè impetrauit, vt in re cœpta pergeret. Deniq; Pio II. ſummo Pontifice hunc præmemoratum locum fratribus aſſignauit,& eius eccleſiam 14.Februarij eiuſdem anni milleſimi quadringenteſimi quinquageſimi octaui in honorem S. Valentini conſecrandam curauit.

D

De conuentu S Franciſci Trecorij. Conu. V.

EST inſula quædam in Britanniæ Armoricæ finibus, quæ Taluerna dicitur: vbi Minoritarum monaſterium olim ędificatum fuit.Cùm autem contigiſſet propter pericula ſemper inquieti maris aliquot fratres ſummergi, eosq; plurimis hebdomadibus ob maritimas tempeſtates domi remanere, adeò vt omnibus ad vitam tranſigendam neceſſarijs deſtituerentur: à ſummo Pontifice Nicolao V. obtinuerunt,vt huiuſmodi monaſterio relicto aliud ſibi alibi conſtruere liceret. Quod tamen vſq; ad Sixti IIII. Pont.max. tempora,neſcio quibus de cauſis,executione caruit. Tunc enim fratres comportatis ex antiquiori cœnobio lignis,atq; lapidibus hunc præſentem cōuentum,ſeraphico patri Franciſco ſacrum, quem vigintiquinque fratres pro votis in-
E habitant,in continente iuxta Trecorium paruam quidem,ſed pulcherrimam, ſed nobiliſſimam,atq; ſacro beati Iuonis (cuius ſuprà meminimus) corpore honeſtatā Britanniæ ciuitatem,anno reſtitutæ ſalutis 1483.pręfato Sixto IIII. Pont.max.annuēte,conſtrueudum curarunt. Quod verò ad eius ædificationē deſiderabatur,id sereniſſimus Britanniæ Dux Franciſcus magna deuotione,& affectu liberaliſſimè contulit.

De conuentu S.Ioannis Euangeliſtæ Cuburij. Conu. VI.

CONSTRVXERANT antiquiores huius Prouinciæ patres in inſula maritimis vndiq; cincta fluctibus,quæ Latinè Virgo appellatur, ſubeſtq; iuriſdictioni Epiſcopatus Leonenſis,ex humili materia conuentū.Cumq; is,ob pfatæ inſulę ſterilitatē

incommodus omnino, atq; ad habitationem ineptus euaſiſſet, eo derelicto, tres alios, A
nempe Landernienſem, & ſanctæ Mariæ de Angelis, (de quibus inferius) atque hunc præſentem alijs in locis conſtruendos ſibi curarunt. Hinc natum eſt inter fratres prouerbium: *Virgo peperit tres, & poſtea infirmari cœpit, fuitq. derelicta & ſterilis*: Ideſt. inſula Virgo tres peperit in continenti conuentus, poſteaque manſit ſicut & antea habitatoribus deſtituta. Antiquioribus igitur præfatis patribus, ex incredibili in Deū pietate, compaſſus generoſus heros Alanus Rohanenſium atq; Leonenſium Vicecomes (de quo ſuprà) hoc ſacrum monaſterium, quod vigintiquinque fratres frequentius incolunt, non procul ab oppido, cui Monsrelaxus nomen eſt, nemoroſo quodam in loco nomine Cuburium, à fundamētis ad apicem vſq; conſtrui, perficiq; fecit. Idq; circa annum Domini 1458. atque auctoritate Eugenij IIII. Pont. max. qui conceſſerat licere fratribus noſtris in Britannia, & locis ſibi vicinis ædificare 14. monaſteria. B

De Minoritico conuentu Briocenſi. *Conu. VII.*

ANNO à partu Virgineo milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo primo, quando generale Vltramontanæ Obſeruantis familiæ Capitulum Barcinonis auctoritate Nicolai V. Pont. max. celebratum fuit, ab eius patribus eodē in Capitulo decretum extitit, vt conuentus fratrum de Obſeruantia non procul à Briocò Britāniæ Armoricæ ciuitate extrueretur: vel ob hoc potiſſimum, quòd eius populus maximo ad Ordinem duceretur affectu, & quòd huius Inſtituti ne vel vnum eſſet in Briocenſi tota diœceſi monaſterium. Decreuit verò hoc Capitulum auctoritate apoſtolica. De quo etiam nūc literæ habentur apoſtolicę. Tunc venerabilis ac perdeuotus Magiſter Ioannes Goueorius eiuſdem ciuitatis canonicus obtulit Ordini, deditq; quoddam hoſpitale à ſe reædificatum in ſuburbio, qua itur ad ſacellum beatæ Mariæ de Fonte, vt C
prẹfatus conuentus ibidem conſtrueretur. Hunc locum dedit ipſe canonicus ſtipulata manu coram illuſtriſſimo Petro Bernonenſium Comite, ac Britanniæ Ducis filio: quare factum eſt, vt is ſe veluti fundatorem loci exiſtimans gentilitia ſua inſignia appingi iuſſerit. Denique Pio II. Pont. max ſedente præmemoratus locus à fratribus fuit aſſumptus, & per aliquot annos inhabitatus. Deinde labente tempore prædicti fratres à reliquis canonicis variè fatigati ſunt, ita vt loco ceſſerint: ſed ab illuſtriſſimis Frāciæ Comeſtabili, atque Stampenſium Comite reſtituti. Attamen non ceſſarunt huiuſmodi canonici ſuum collegam Magiſtrum Ioannem Goueorium fatigare, adeò vt & præbendam reſignare compulerint. Re tamen ad Romanam curiā deducta, illuſtriſſimus Beſſarion S. R. E. Cardinalis, cui huiuſmodi cauſę diſcuſſio atq; iudicium com- D
miſſa erant, ſub grauioribus cēſuris monuit canonicos, vt abhuiuſmodi litibus abſtinerent. Sed nihil effecit: nam fratres coacti ſunt rurſus loco cedere. Multò poſt orta eſt lis inter duos, qui de Briocenſi Epiſcopatu concertabant, Petrum ſcilicet Leualenſem atque Chriſtophorum Penmarchium. Ille præſtabat viribus & fauore: ſed hic iure potior erat. At ſuperatus Chriſtophorus cauſam ſuam deuotiſſimæ cuidam fœminæ, iuxta porticum ſancti Gulielmi recluſæ, ſępius commendare aſſueuerat. Cumq; iter Romam verſus inſtitueret, prædicta fœmina ei ſuggeſſit, vt ius & negocium beatis patribus Franciſco atque Antonio de Padua commendaret: promitteretq; ſe Franciſcano Ordini ea in ciuitate monaſterium ædificaturum, id quod multo tempore à populo fuerat deſideratum. Epiſcopus vbi conſilium hoc ſequutus fuiſſet, victor cum omnium admiratione ex Vrbe redijt. Denique promiſſi memor, etiam in- E
uitis canonicis, ſed auctoritate Alexandri Papæ VI. atque Chriſtianiſſimi Franciæ Regis Ludouici XII. & eius coniugis Annæ Reginę ſimulatq; Britonum Duciſſæ munitus, fratres reſtituit ad hoſpitale B. Magdalenę, vbi morati ſunt, donec eis de aptiori loco prouideretur. Eò miſſus eſt à R. admodū P. F. Oliuerio Mallardi generali Obſeruantis familię Vicario doctiſſimus pater frater Stephanus Bruliferus, qui nuper à patribus Conuentualibus ad Obſeruantes tranſierat. Hic tantus vir ex ciuitate Maclouienſi minoris Britanniæ oriundus, in alma Pariſienſi vniuerſitate laurea doctorali inſignitus fuit, & in 4. libros ſententiarum ſeraphici Bonauenturæ reportata edidit, de timore ſeruili & alijs donis ſcripſit eleganter: atq; etiam de ſanctiſſima Trinitate,

A vbi multa docet contra pictores ipſam indiuiduam Trinitatē varijs modis depingentes: ſcripſit tandem tractatum aduerſus quendam Epiſcopum Franciſcanum Conuētualem damnantem patres ac fratres Obſeruantiæ regularis, vtpote quia contra Regulæ tenorem, alio nomine quàm ipſa expreſſerat nuncuparentur. Deinde idem ſupranominatus Epiſcopus locum emit circa portum Legneum, ibiq;, conſtructa iuxta aliorum conuentuum morem eleganti æde, fratres aliquanto tempore manſerunt. At propter eos, qui ſe Epiſcopo opponebant, opportuit rurſum locum deſerere. Animaduertens igitur Epiſcopus ſe non poſſe monaſterium proprio nomine ædificare, miſſis fratribus cum literis ad nobilem heroëm Theobaldum Keimerium, eum rogauit, vt illum locum, in quo nunc conuentus hic erectus eſt, fundaret, & ipſe ſolus eius author haberetur. Id quod facilè impetrauit, & ſua auctoritate, anno Domini 1503.
B confirmauit. Porrò anno ſequenti eius eccleſia fuit conſtructa, & primus lapis ab eodem Epiſcopo poſitus. Deinde multis adiuuantibus præfata eccleſia, anno Dñi 1505. die verò mēſis Martij 11. omnibus ſuis numeris abſoluta, inſuper & benedicta, quemadmodum & clauſtrum, capitulum atq; cœmeterium, non tamen conſecrata extitit, per R. Porfiriēſem Epiſcopū: Nam R. Chriſtophorus (de quo ſuprà) 17. mēſis Decembris præcedētis anni diē clauſit extremū. Commorātur deniq; hoc in loco 25. fratres.

De conuentu S. Franciſci Landerij. Conu. VIII.


HOC ſacrum monaſterium ędificari cœpit circa annum Dominicæ incarnationis 1484. à pientiſſimo heroë Ioanne Rohanenſium Vicecomite, cuius ad Franciſcanam Religionem deuotio incredibilis fuit, Innocentio VIII. ſummo Pontifice
C ſedente. Eius præterea eccleſiæ dedicatio habita fuit, anno Domini 1490. ipſa Dominica Lætare, quæ Quadrageſimæ quarta eſt. Quo etiam die clauſtrum atq; cœmeterium à reuerendiſſimo Alano Cornubienſium Epiſcopo, idq; in honorem S. Franciſci conſecrata fuêre. Præfatum hoc monaſterium ſitum eſt in parochia S. Thomę Cantuarienſis Epiſcopi, in ipſo litore maris, atq; à Landernio Britonum ciuitate procul, communiterq; à 25. fratribus inhabitatur. Hic eſt vnus ex tribus illis locis, qui ex inſula Virgine (vt in couentu Cuburiēſi proloquuti ſumus) huic Prouinciæ prodierunt.

De conuentu S. Mariæ de Angelis. Conu. IX.

ANNO à partu Virgineo 1507. Dominica quarta poſt Paſcha, quæ erat prima Dominica menſis Maij, prætens conuentus B. Marię de Angelis fuit fundatus
D in parochia de Landeda ſupra maris portum, qui Britannica lingua Abegrach nuncupatur, diœceſis Leonēſis, idq; à nobiliſſimo viro Tanguido de Caſtro eiuſdem loci temporali Domino, eiuſq; nobili coniuge Maria de Irach. Aderant autem multi viri primarij tum eccleſiaſtici, tum quoq; ſæculares, & plurimi fratres ex vicinis locis. Poſtquam verò iſti omnes ſupplicationem maxima cum maieſtate de more celebraſſent, prædicti fundatores primos lapides pro fundamento iecerunt. Porrò huius monaſterij, quod 12. fratres frequentius incolunt, eccleſia conſecrata fuit anno Domini 1509. ipſo die Viſitationis B. Mariæ cum ſacrario, capitulo & clauſtro à reuerendiſſimo Ioāne Leonenſiū Epiſcopo, fratribus Frāciſcanis Obſeruātibus addictiſſimo.

De Minoritico conuentu Cæſſembrienſi. Conu. X.

E AIVNT antiqui patres, quòd cùm Carolus Magnus Inſularem antiquam ciuitatem obſideret, infideleſq; eius habitatores debellaret, occiſa fuerunt ab ipſis ad duo Chriſtianorum millia: & ab eo nomen loco impoſitum Cæſſembria, quod ſonat membra ſicca. Ad Cæſſembriam igitur Armoricę Britannię, atq; Maclouienſis diœceſis inſulam cùm ex inſula Virgine (vt proloquuti ſumus) aliquot fratres conuolaſſent, hoc ibi monaſterium, in quo 20. fratres vt plurimùm commorantur, ex diuerſis fidelium eleemoſynis à fundamentis ędificandum, atq; omnibus ſuis numeris abſoluendū curarunt. Hac deniq; in Cęſſembrienſi inſula, quę ſatis ſterilis eſt, quidā frater Petrus eremiticam olim atq; ſanctiſſimam vitam duxit, cui duo tantū corui ſolatio erant. Et ab eo temporis in hunc vſq; diem pręfati corui hoc in loco perſeuerarūt.



PROVIN-

PROVINCIA BAETICAE.

A OLIM (vt prȩfati ſumus) Caſtellæ Prouincia pluribus Cuſtodijs ius dixit,
de quarum numero hæc, quæ Bȩtica modò Prouincia appellatur, tunc
verò Hiſpalenſis Cuſtodia dicta eſt, vna fuit: quæ licèt ab Hiſpalenſi tria
alia Regna, nempe Cordubenſe, Granatenſe, atq; Gienenſe complecte-
retur; à celebri tamē ciuitate, nobiliq́; totius Heſperiæ maioris emporio,
Hiſpali denominari maluit. Hæc igitur Hiſpalēſis Cuſtodia, anno à ſalutifera mūdi re-
demptione 1500. à ſummo Pontifice Alexandro VI. quemadmodum ex eius bulla da-
ta 21. Septembris eiuſdem anni, pontificatus verò ſui nono, atq; in archiuis Minori-
tici Hiſpalenſis conuentus maioris aſſeruata, facillimè conſtat, ad catholicorum Re-
gum Ferdinandi, eiusq́; coniugis Eliſabethæ inſtantiam, in Prouinciam erecta, atq;
B Beticæ titulo à celeberrimo fluuio Bæti, quo præfata alluuntur Regna, inſignita
eſt. Cuius maius ſigillum Saluatoris noſtri Chriſti imaginem columnæ alligatam, atq;
duo flagella eius pedibus cohȩrētia, nec non & ſequentes characteres: SIGILLVM.
MINISTRI. PROVINCIÆ. BÆTICÆ. imprimit. Ne verò ſterilitatis
maledictum incurriſſe videretur, aliquot ex ſuis alumnis ad Fortunatas inſulas, (vul-
gò verò Canarias) qui eius patriæ efferatos homines ab eorum ritibus, atq; ſuperſti-
tionibus auocarent, Chriſtiq́; fide imbuerent, atq; ad meliorem frugem cohortaren-
tur, deſtinauit. Quorum ſolerti induſtria, atq; ſingulari doctrina, optimoq́; exemplo
aliquot conuentus ibidem erecti ſunt, qui & in Cuſtodiam ſub iſtius Prouinciæ fe-
rula emerſerunt, ac tandem anno à Dominica natiuitate 1553. ex eiuſdem Prouin-
C ciæ beneplacito in Prouinciam euaſerunt. Huius Prouinciæ fœcunditas tanta extitit,
vt intra 250. milliarium ſpatium & 58. fratrum conuentus, atq; 35. monialium
monaſteria produxerit. Quod in cauſa fuit, vt eius Miniſtri prouinciales paſto-
rali iniuncto officio ſatisfacere non quirent, imò vt in non contemnendam iactu-
ram regularis Obſeruantia, monaſticaq́; diſciplina in illa incurrerint. Quamobrem
reuerendus pater frater Antonius Bellonus Prouinciæ S. Iacobi alumnus, ex apoſto-
lica atq; reuerendiſſimi patris fratris Chriſtophori à Capitefontium totius Ordinis
generalis Miniſtri auctoritate Commiſſarius, cùm fortè anno Domini 1576. Beociæ
prouinciale eius Capitulum celebraret, eam in duas Prouincias diuidere voluit: Sed
D exorientibus maximis difficultatibus, à propoſito (licèt conſultiſſimè) abſtinuit.
Cùm tamen ad Prouinciæ bonū, atq; communem vtilitatem id omnino neceſſarium
videretur, conſultis ijs patribus quorum intererat, eo in Capitulo, quod anno Domi-
ni 1583. præfata in ciuitate Beociana celebraui, eam in duas, nempè in Bȩticam,
atq; Granatenſem Prouincias, duobus electis Miniſtris prouincialibus, quorum alter
alteri præeſſet ex apoſtolica auctoritate diuiſi. Non defuêre tamen aliqui patres
qui prȩfato anno 1583. in generali Congregatione noſtra Toleti celebrata, adductis
in medium quibuſdam rationibus, huiuſcemodi diuiſionem per me factam, tamquam
iniuſtam, minusq́; commodam taxarent, infirmandamq́; curarent. Sed ijs adamuſ-
E ſim trutinatis, examinatisq́; à patribus eiuſdem generalis Congregationis Diffinito-
ribus, alijsq́;, quorum intererat, decretum eſt atq; ſtatutum prædictæ diuiſioni, tam-
quam conſultiſſimæ, omninoq́; neceſſariæ atq; iuſtiſſimæ, fore ſtandum. Quibus
quoq; & ego ſubſcribens, diffinitiuam meam ſententiam, in præmemoratæ diuiſionis
ſtabilitatem, atq; vim protuli. Conſtat igitur Bȩtica hȩc Prouincia, quȩ antiquiorem
locum, dignitatem, atq; ſigillum retinuit, ex triginta & vno fratrum conuentibus,
quorum viginti octo in Regno Hiſpalenſi, reliqua verò tria in Granatenſi ſedem ob-
tinet, & ex quindecim ſanctimonialium monaſterijs, quȩ ſuo ordine ſequuntur.

Complectitur intra ſui ambitum hæc Prouincia duas Herculis columnas, quas to- A
tius orbis terminum atque metam antiqui ſapientes eſſe volebant, eaq; de cauſa,
tamquam quid celebre atq; memoria dignum, eas ſibi pro inſignijs præponere volui.

De conuentu S. Franciſci Hiſpalis. *Conu. I.*

SVPERFLVVM profecto eſſet, & omnino à noſtro propoſito alienum, cùm
breuitati ſtudeamus, ſi ciuitatis Hiſpalenſis diuitias, antiquitatem, ſtructuram,
dignitatem: atq; pulchritudinem referre vellemus, quapropter, curioſioribus iſta re-
linquentes, ad Minoritici noſtri conuentus, qui in nobiliori ac frequentiori eius par-
te, ſub titulo beatiſſimi P. noſtri Franciſci, elegantiſſimè prominet exurgitq;, deſcri-
ptionem properabimus. Is enim conuentus, ſi humanæ traditioni, cui & antiquiſſi-
mæ ſcripturæ ſubſcribunt, fidemq; aſtruunt, aſſentire velimus, ſequenti anno ab B
Hiſpalenſis præfatæ ciuitatis recuperatione, nempe anno Dominicę natiuitatis 1260.
quo videlicet inde Mauri, ſiue Saraceni à Chriſti fidelibus eiecti, pulſiq; ſunt, eo ipſo
loco in quo patres Carmelitani modò commorantur, originem habere cœpit, fuitq;
ædificatum. Sed poſt elapſum triennium, anno videlicet 1263. ex liberalitate, atq;
munificentia ſereniſſimi Regis Alphonſi huius nominis X. qui fratribus eius ſitum
contulit ad eum locum, quem modò obtinet, tranſlatus eſt, licèt non ante annũ 1268.
ab ijſdem inhabitatus fuerit. Quamuis autem conſtet, huiuſmodi conuentus ſitum
à præfato Rege Alphonſo fratribus fuiſſe collatum, non tamen prò comperto habe-
tur, quis eius ędifitia promouerit. Verum eſt tamen, quòd eccleſiam ſimul atq; ſacri-
ſtiam Rex Caſtellę Petrus, cui agnomen Crudelis ſiue iuſtitię exequutor fuit, ſuis ſum-
ptibus ædificari curauit: quam nihilominus morte præuentus abſoluere nequiuit. C
Quod verò ſtructuræ reliquum eſt, deuotiſſimę ciuitati attribuendum hauddubiè exi-
ſtimo. Cuius tanta eſt ad fratres noſtros pietas, tantaq; beneuolentia, atq; tanta de-
niq; liberalitas, vt vix exprimi poſſint. Nec immerito ſanè, cùm omnium Religio-
ſorum primi omnino fuerint, qui poſt expugnatam, atq; captam à Saracenis ciuita-
tem, eam ingreſſi ſint, ibidemq; pedem fixerint. Nam ſi de Benedictinis, qui huiuſ-
modi prioritate cum noſtris fratribus contendere nituntur, oriatur quæſtio, ij pro-
fectò non intra ciuitatis muros, ſed extra, locum occuparunt. Præterea tanta erat
tunc temporis (quæ tamen impręſentiarum non deſideratur) fratrum noſtrorum ſan-
ctitas, tantaq; apud ſæculares opinio, vt infelices illi omnino exiſtimarentur, qui
eorum præſentia carerent. Et quid mirum? Cùm regularis illa diſciplina, affectataq;
paupertas, columbina ſimplicitas, religioſiq; mores à ſeraphico patre Franciſco tra- D
diti, in ſua fœcunda prole maximè eluceſcerent. Qui quidẽ, licèt hic locus modò ſub
Conuẽtualibus patribus, modò ſub Obſeruãtibus fuerit, maximè in eo reſplẽduerunt.
Vnde non minima gloria perpetuò ſibi acceſſit. Adde, quòd à ſui origine ad hæc vſq;
tẽpora eximijs cõcionatoribus, doctiſſimisq; patribus abundauerit. Abſumptis (vt ad
conuẽtus viciſſitudines redeamus) à vorãte igne quotquot ſcripturæ in eius archiuis
continebantur, non facilè conſtaret, quo tempore à patribus Conuentualibus ad Ob-
ſeruantes deuolutus ſit, niſi patrum Dominicanorũ iſtiuſmet ciuitatis monumẽta nos
certiores redderent. Quibus tandem edocemur huiuſmodi deuolutionem, anno hu-
manæ ſalutis 1492. contigiſſe. A quo tempore regulari Obſeruantiæ, abſq; aliqua in-
termiſſione, ſacra hæc domus deſeruiuit. Peperit præterea nobis hic locus, qui quam-
plurimis ex nobilioribus noſtri Ordinis conuentibus magnitudinis, elegantiæ atq; E
ſtructuræ palmam præripit, quiq; frequentius à 150. fratribus domeſticis inhabita-
tur, plures viros graues, doctos, nobiles atq; ſui ſtatus zelantiſſimos. Inter hos fuê-
re P. F. Chriſtophorus à Toleto diuini verbi angelicus præco: Et P. F. Ioannes de
Salazar: quorum doctrinam atq; dicendi energiam, nec non vitæ integritatem om-
nes admirabantur: Et P. F. Ludouicus de Vtrera, qui ob vitæ innocentiam, atq; a-
ſperitatem, tum in vita, tum quoq; in morte dignus Regno cœleſti ab omnibus ha-
bitus eſt. Pręcedentibus patribus annectendum cenſeo eximiæ charitatis P. F. Ludo-
uicum de Sandoual, qui ſeraphici patris Franciſci veſtigia ſequutus, cùm omnem eius
ſubſtantiam, quæ pinguiſſima erat, pauperibus erogaſſet, Religioniſq; habitum in-

duiſſet,

A duiſſet, per 40. continuos annos, quibus in Ordine ſuperuixit, charitatem, paupertatem, humilitatem atq; puriſſimam caſtitatem diligentiſſimè coluit. Peperit quoq; & alios plurimos, quos vitandę prolixitatis ergô prætermittere decreui. Eſt inſuper hoc cœnobium ſeminarium tum ſcientię, tum quoq; religionis. Nam & in eo 40. ad minus fratres nouitij perpetuò religioſis ritibus imbuuntur: Et duo ſacrę Theologiæ prælectores plurimis alijs fratribus ſtudentibus ſpeculatiuæ Theologiæ difficultates enodant: Hunc conuentum illuſtrem reddunt ſacroſanctæ reliquiæ, videlicet 5. ſpinę depromptæ ex ſacra illa corona, quæ tremendo Chriſti Saluatoris capiti impoſita fuit; & particula quædam S. crucis Chriſti; & os quoddam S. Laurentij martyris, & aliud S. Blaſij Epiſcopi & martyris, & duo crania beatorum patrum Ioannis, & Petri Minoritarum, qui pro Chriſti fide in regia ciuitate Granata à Saracenis illuſtri martyrio coronati ſunt: & alia quædam oſſa S. Helenæ Imperatoris Conſtantini matris, atq; B S. Vrſulę. Inſuper & plures aliæ ſanctorum reliquię in quadam ciſta honeſtiſſimè reconditæ, quas ſereniſſimus Caſtellæ Rex Petrus Crudelis dono dedit. Quæ quidem omnes reliquię authēticis fulciuntur teſtimonijs. Adiungitur & ipſis lapis quidam ex torrēte Cedron depromptus, cui impreſſum manet veſtigiū alterius pedis Saluatoris.

De conuentu S. Mariæ de Valle Hiſpalis. *Conu. II.*

AD mille paſſus à nobili atq; fertiliſſimo Bęticæ oppido, cui vulgò Ezija nomen eſt, monaſterium quoddam patrū Hieronymitarum, B. Mariæ de Valle ſacrum, atq; omnino celebre ob miracula, quæ ibi ad eiuſdem Deiparæ Virginis imaginem patrantur, exurgit; in quod omnes eius oppidi accolę, ac conuicini populi maxima deuotione feruntur. Cùm ergo popularis quædam mulier ex defuncto viro vidua re- C licta, huiuſmodi oppidum, ex quo originem ducebat, deſerens Hiſpalim petijſſet, ibidemq;, erecto diuerſorio, ſuos compatriotas domo exciperet, accidit, vt eius vnigenitus, puerulus ſatis, quem ex viro conceperat, dum caſu inter ludendum in profundum puteum proſpiceret, ſimilemq; ſui imaginem intueretur, exiſtimans ſe illam manu appræhenſurum, ad ima eius tenderet, aquisq; ſubmergeretur. Quod infortunium deſolata ac mœſta mater ægerrimè ferens, ad præfatam B. Virginis de Valle imaginem gemebunda maximaq; cum deuotione recurrit, ſibiq; ſpopondit, vt ſi eius filium ſibi incolumē reſtitueret, oblaturam ſe quidem præfatum hoſpitium ad vnius monaſterij ædificationem, in quo ſibi ſiue à fœminis, ſiue à viris religioſis felicius inſeruiretur. Mira res! vix mulier huiuſmodi pollicitationem abſoluerat, cùm exæ- D ſtuantibus aquis, ac præter naturam extra puteum inundantibus, coram frequentiſſimo populo, qui ad lamentabilē caſum conuenerat, paruulus incolumis omnino matri reſtituitur. Quem pia mater cum maxima gratiarum actione, non abſq; maxima circumaſtantium admiratione, ſuſcipiens ad monaſteriū S. Pauli Ordinis Dominicanorum, voto ſatisfactura, illico ſe cum eo contulit, illisq; patribus hoſpitium in conuentum promouendum liberaliſſimè obtulit. Qui iuſtis eius deſiderijs annuentes ipſum in monaſterium, ſub titulo S. Marię de Valle, in accepti beneficij memoriam, trāsformarunt, atq; ſanctimonialibus eiuſdem Ordinis ſibi ſubiectis inſtruxerunt. Quas tamen ſucceſſu temporis, redimendæ vexationis ergò, loci Ordinario, ideſt Hiſpalenſi Archiepiſcopo, ſeruata tamen ſibi eius domus proprietate, commiſerūt. Accidit quoq; vt ſacriſta parochialis eccleſiæ S. Romani, quæ non longè ab hoc monaſterio diſtabat, dum noctu ligna pro conficiēdis hoſtijs anxius quęreret, in antiquam beatę Virginis E imaginem incideret, illamq; abſq; reuerentia in fruſtra redacturus ſecuri percuteret, dumq; ille inſolentius ictus repeteret, audiuit huiuſmodi vocem, tamquam ex eadem imagine procedentem; Non te pudet me ita laceſſere? Reuerearis ſaltē eius præſentiam, cuius figuram & formam præ me fero. At miſer ille homo, cùm ſemimortuus ex inſperato euentu in terram corruiſſet, reaſſumptis aliquo modo viribus, ad Archiepiſcopum conuolauit, ſibiq; factum aperuit, atq; ſalutarem pœnitētiam ab eo retulit. Cumq; Archiepiſcopus ipſe rem diligentius, & pro more ſolito, indagaret, adfuêre reliquo populo admixti præfatus puer liberatus eiusq; pia parens. Intuitus verò puer imaginem ex tempore, toto admirante populo, clamare cœpit: Hæc eſt pijſſima illa

Virgo,

Virgo,hæc eſt glorioſiſſima illa imago,quę me ab aquis, atq; à mortis faucibus erutū A
huic vitæ reſtituit.Dumq; ſæpius ab Archiepiſcopo interrogatus,num res ita ſe haberet,ſemper in propoſito perſtitit. Quamobrem ſolemnis ſupplicatio in ſequentē diem ab eodem Archiepiſcopo indicta eſt. Qua tandem,tum clero,tum reliquo populo cōgrediente, de religioſo more deuotiſſimè ad locum S. Germani conueniente,ipſa imago cum maxima pompa, atq; deuotione inde ad monaſterium S. Mariæ de Valle nouiter erectum trāſlata,atq; in ſummo eius altari collocata extitit, ſtatimq; miraculis coruſcare cœpit,à quibus & vſq; in præſens non ceſſauit. Quamobrem non ſolū apud Hiſpalenſes, ſed etiam apud omnes conuicinos populos in maxima eſt veneratione. Hæc autem ita eſſe nemo in dubium reuocet,cùm ex authenticis Archiepiſcopaliū archiuorū ſcripturis deſumpta ſint. Tendentibus verò huius loci monialibus ad laxiorem quendam viuendi modum,loci Ordinarius,vt tanto malo iret obuiam, eas inde B
amotas per alia ſibi ſubiecta monaſteria diuiſit, adiudicatis interim ſibi pro rata redditibus atq; ſuppellectile. Cumq; vaſa tum aurea,tum argētea, tum quoq; ornamēta diuino cultui mancipata inde transferre,atq; conuentum alijs tradere curaret,Dominicani patres,qui ſibi eius dominium ſeruarant,ſe illi oppoſuerunt. Re igitur diligenter diſcuſſa in pręfatorum patrum fauorem diffinitiua ſententia lata eſt,qui ibidē honeſtas quaſdā mulieres voto tamen ſui Ordinis aſtrictas (quas vulgò beatas vocant) ſub probati cuiuſdam ſęcularis ſacerdotis cura,anno Dñi 1507. collocarūt. Quę per 22.annos in maxima ſanctitate,pietate,atq; religione perſeuerarunt. Erat eo temporis ad tertium lapidem ab Hiſpali celeberrima ciuitate, conuentus quidam fratrum Tertiariorum Ordinis B.P.Frāciſci,in honorem S.Ioannis de Alfarache erectus,cuius fratres,cùm occupandi aliquem locum intra ipſius ciuitatis mœnia maximo tenerentur deſiderio,ſolutis prius 420.coronatis aureis,hanc ſacram domum cum ad ſe pertinentibus à Dominicanis patribus emerunt,religioſisq; illis fœminis, atq; ſęculari ſacerdote aliò abire iuſſis,occuparunt,anno Domini 1529.Quibus tandem ex mandato Pij V.Pont.max.ad inſtantiam inuictiſſimi atq; catholici Hiſpaniarum Regis Philippi II.dato,in ordinem redactis,atq; ad Franciſcanā regularem Obſeruantiā coactis,8. die menſis Septembris, anno Domini 1566. præfata hæc domus S. Mariæ de Valle in ius fratrum Minorum de Obſeruantia tranſijt, à quibus & vſq; in præſens feliciſſimè inhabitatur,qui vt plurimùm ſunt numero 50. quorum alter Grammatica iunioribus fratribus prælegit, alter verò patribus ſacerdotibus ſacros Canones exponit, caſusq; conſcientiæ ſiue difficultates in ſacris confeſſionibus occurrentes enodat. Non caret C
hęc ſacra ædes ſacroſanctis reliquijs, cùm in quodam promptuariolo argēteo affabrè D
elaborato alterā ex ſpinis, quibus ſpinea Chriſti Dñi corona contexta fuit,& aliquot oſſa SS.Blaſij,Sebaſtiani,atq; Catharinę mart.fideliſſimè aſſeruet. Quæ quidē ſanctorū oſſa deuotus Petrus de Eluas cū authētico veritatis teſtimonio liberaliter contulit.

De conuentu S. Mariæ de Angelis Alcala de Guadaira. Conu. III.

SERENISSIMVS Caſtellæ Rex Ferdinandus III. qui ob eiuſdem in Chriſti pietatem atq; obſeruantiam Sanctus ab omnibus dictus eſt, tum ob affectum atq; ſingularem deuotionem,qua in Franciſcanam pullulantē Religionem ferebatur,tum quoq; in gratiarum actionē, ob relatam de Saracenis victoriam, ſecundo anno, nempe 1259. ab expugnatione eius oppidi, quod vulgò Alcala de Guadaira nuncupatur, E
diſtatq; ad ſextum lapidem ab Hiſpali hunc conuentum,B.Marię de Angelis ſacrum, ad mille paſſus à pręfato oppido ex regio ærario ędificari curauit.Cui profectò titulus omnino conuenit:tum quòd eius ſitus ſimillimus ſit ei,in quo eccleſia B.Marię de Angelis prope Aſſiſium ædificata eſt,tum etiā quòd iſta plurimis annis (ſi tamē humanę traditioni fides habenda ſit) eadem plenaria indulgentia,qua illa ſingulis annis, ſecūda cuiuſlibet menſis Auguſti gaudere ſolet,gauiſa ſit.Ad quam aſſequendā circumuicini omnes populi,prout & Aſſiſij contingit,deuotiſſimè conueniebant, modoq; conueniunt:licèt non ita frequenter. Subiacuit olim hic locus patribus Frāciſcanis Conuentualibus,quibus tamen aliò profectis,ad eiuſdem inſtituti Obſeruantes deuolutus eſt. Vt autem quæuis digladiādi anſa ab iſtis,pariter & ab illis penitus auferretur,per-

deuotus

A deuotus ac reuerendus quidam P. F. Petrus de Archilloa Magiſter fratrum Conuentualiũ prouincialis, anno 1525. iuri, quod ſibi ac ſuis fratribus eum in locum eſſe poterat, ſpontaneè ceſſit. Idq; ex ſcripturis in archiuis eius loci aſſeruatis ſatis patet. Fuit autem hic locus, ob ſitus diſpoſitionem, inſalubris omnino, eaq; de cauſa non benè erat fratribus, qui potius lagueſcere, quàm viuere videbantur. Quamobrẽ habita, anno Dñi 1537. à R. P. F. Vincentio Lunello Minoritici totius Inſtituti generali Miniſtro prius facultate, emptoq; ex acquiſitis eleemoſynis alio commodiori ſitu, atq; ſalubriori, in eiuſdem oppidi ſuburbijs hoc ſacrum monaſteriũ, ſub antiquiori titulo, ſequẽti octiennio, anno 1545. fratres eius accolæ tum ex publicis, tum quoq; ex priuatis oppidanorũ eleemoſynis conſtrui fecerunt: quod vtplurimùm 25. fratres inhabitant, ex quibus 12. ſub vno didaſcalo Grãmaticæ incũbunt. Nec ſanctorũ reliquijs noſtra hæc ſacra ædes B deſtituitur, cùm quodam capite vnius ex 11. millibus virginum, & ſpatula atq; cranij parte S. Liberij Epiſcopi & martyris, duobus oſſibus S. Cœleſtini Papæ & confeſſoris, alio itidem oſſe S. Antonij martyris, & altero ſancti Marcelli Papæ & martyris, ſibi à sereniſſima Maria ab Auſtria Imperatrice dono datis, elegantiſſimè honeſtetur.

De conuentu S. Franciſci Xerez. Conu. IIII.

INTER nobiliores atque antiquiores totius Bæticæ ciuitates ea eſt vna, quæ vulgò Xerez de la Frontera nuncupatur, in cuius ſuburbijs, ad 50. paſſus ab eius mœnibus, erectus conſpicitur conuentus hic, ſeraphico patri Franciſco ſacer, quem ſereniſſimus Princeps Alphonſus X. ac Ferdinandi III. Caſtellę Regis filius & ſucceſſor, ante quàm ad Regni clauũ ſederet, primo anno ab eiuſdem ciuitatis expugnatione, qua pul C ſis Mauris in Chriſtianorum poteſtatem deuenit, ex domeſticis facultatibus atque caſtrenſi peculio conſtrui curauit: quemq; anno ſalutis humanæ 1264. menſe videlicet 10. poſtquàm eius fundator in Regem aſſumptus erat, Franciſcani fratres occuparunt. Paruit nihilominus hic locus, ſicut & duo præcedentes, patribus Conuentualibus, vel iuxta communem traditionem 80. annis & vltrà, vel ſecundum aliquas ſcripturas in eius archiuis aſſeruatas 55. tantùm: Quibus tranſactis, anno ſcilicet 1495. ex pacto, & conuentione inter ipſos ac noſtros fratres facta, ad iſtos tranſiit, conuolantibus interim illis, ideſt Conuentualibus, ad regularem Obſeruantiam. Floruit à ſui exordio impræſentiarum vſq; conuentus hic ſanctitate, pietate atq; religione: quapropter & à nobilioribus totius ciuitatis ſummoperè frequentatur, & in ſepulturam eligitur, quemadmodum plurima ſacella atque mauſolea, affabrè ibidem erecta, facillimè teſtantur. D Inter quæ ad ſiniſtrum ſummi altaris latus, epiſtolæ decantandæ deſtinatum, inuiſere licet ſepulcrum ſereniſſimæ Blanchæ à Borbonio Caſtellæ Reginæ, atque Regis Petri, cui agnomen Crudelis fuit, legitimæ vxoris: cui & ſequens epitaphium appoſitum eſt: *Chriſto opt. max. ſacrum diua Blancha Hiſpaniarum Regina, patre Borbonio, ex inclyta Francorum Regum proſapia, moribus & corpore venuſtiſſima fuit, ſed præualente, publicè occubuit, iuſſu Petri mariti crudelis anno ſalutis 1361. ætatis verò ſuæ 25.* Deſeruit conuentus hic inſtruendis fratribus in philoſophicis litteris, quapropter ex 60. religioſis, qui ipſum perpetuò inhabitant, 12. ſeliguntur, qui ſub vno prælectore eiſdem ſedulò incumbant.

De conu. S. Mariæ de Rabida oppidi Palos. Conu V.

E TERTIO milliari ab oppido Palos Hiſpanicè nuncupato, quod inclytis Duci Methymnæ Sidoniæ, atq; Comiti de Miranda paret, ſpectatq; ad diœceſim Hiſpalenſem, quadam in ſylua quercubus, piniſq; altiſſimis conſita, non longè à mari Oceano, vbi prius Saracenicum quoddam delubrum præextiterat, conſtructus conſpicitur Minoriticus hic conuentus, S. Mariæ de Rabida dicatus, qui tamen ſcripto nullatenus exhibere valet quando, vel à quo erectus, vel in conuentus formam redactus ſit, vel quando primùm à fratribus inhabitari cœperit. Nihilominus, ſi receptiſſimæ cuidam traditioni ſtari velimus, eum, eo ipſo tempore, quo & proximè præcedens initium ſumpſit, nempe anno à partu Virgineo 1261. ædificatum aſſeremus. Edocemur præterea ex eadem traditione Rabidæ cognomen, quo & antiquum delubrũ (de quo ſuperius) inſignitum fuerat, ab ipſis Mauris ſiue Saracenis vſurpatum: nam Rabida

Arabicum nomen eſt,idemq; quod eremitorium, ſiue locus ſolitarius & ſacer, ac con- A
templatiuæ vitæ ducendæ idoneus,pœnitentiæq; agendæ accommodus, Latinè ſonat. Eandem prorſus fortunam expertus eſt hic locus,& præcedentes: nam in prima ſui erectione à Minoritis Obſeruantibus occupatus,ab ijs ad patres eiuſdem Inſtituti Conuentuales deflexit, ac tandem,anno à Chriſto Saluatore nato 1445. ex auctoritate Eugenij IIII. Pont. opt.max.iterum ab iſtis redijt,quibus & vſque in præſens obtemperauit. Verum eſt tamen, quod anno 1448. Nicolaus V.ſummus Pontifex tenore cuiuſdam bullæ huiuſmodi vltimam translationem irritam fecerit atque caſſam, quam tamen,à multis rogatus, exequutioni mandari noluit. Cùm locus hic, qui vt plurimùm à 20. fratribus inhabitatur,quiq; ob ſui ſolitudinem atq; religionem,apud conuicinos populos in maxima eſt veneratione,Conuentualibus patribus ſubeſſet,diuitijs atq; poſſeſſionibus affluebat;inter quas potiſſima fuit inſula de Saltibus, quam B
P.F. Ioannes à S. Anna Prouinciæ Caſtellæ Miniſter, cùm primùm loci poſſeſſionem accepiſſet,cuidam Duci Methymnæ Sidoniæ, eiuſq; poſteris dono dedit. Eſt præterea conuentus hic ſæcularibus, ob lapideam glorioſæ virginis Mariæ imaginem ibidem erectam, ad quam plura miracula in fidelium ſolatium in dies patrantur,omnino venerabilis: quamobrem aliud ſibi nomen,nempe S. Maria de Miraculis, acquiſiuit, tamen à prima ſui inſtitutione S. Maria de Rabida appellatur. Hanc imaginem piſcatores quidam,cùm fortè fortuna capturi piſces non longè ab hac domo in mare Oceanum rete ieciſſent, eodem interceptam extraxerunt. Quam à Chriſtianis, dum proprias ſedes relinquere à Mauris compellerentur, aquis fuiſſe immerſam, ne aliquando ab ijs impijſſimis infidelibus ludibrio haberetur,nulli dubiū eſſe debet.

De conuentu S. Mariæ de Spe Moguer. Conu. VI. C

EST & oppidum Moguer vulgò dictum,Hiſpalenſis diœceſis, quod Marchionibus Villæ nouæ de Fraxino paret cuius ſimulatque præfatorum Marchionum ad Franciſcanam familiam deuotio incredibilis omnino eſt. In eius ergo meditullio, anno Domini 1350. à pientiſſimis Alphonſo Gaufredo de Tenoiro, eiuſque legitima coniuge Eluira Aluarez,eiuſdē oppidi Dominis temporalibus,atque Hiſpanici maris pro Caſtellæ Regibus Ammirantibus, conuentus quidam,pauperū Patriarchæ Franciſco ſacer,ex domeſtico peculio,communibuſq; bonis ædificatus, atq; eius alumnis, nempè Franciſcanis fratribus collatus fuit. Creſcente verò magis in dies & vtriuſque fundatoris ſucceſſorum,& oppidanorum ad Franciſcanam familiam deuotione, Petrus Portocarreius,eiuſq; coniunx Ioanna de Cardenis, quorum vterque non ma- D
gis in hæreditate,quàm in miſericordia & deuotione huius ſacræ ædis authoribus ſucceſſère,anno Domini 1482.quòd antiquior locus eſſet minus idoneus, hoc monaſterium, antiquiori pro excipiendis pauperibus,atq; peregrinis relicto,multò auguſtius, ad 50.tantùm paſſus à primo in honorem S.virginis Mariæ de Spe ædificari curarunt. Idq; ſcripturæ in huius oppidi archiuis cuſtoditæ facillimè indicant. Hic locus continet ſatis commodè 30. fratres, quorum 12. ab vno prælectore grammaticalibus litteris imbuuntur,reliqui verò,vel publicis concionibus,vel ſacris fidelium confeſſionibus excipiendis de religioſo more, atque cum maxima populi vtilitate vacant.

De conuentu S. Eulaliæ Marchenæ. Conu. VII.

SVBSTITERAT olim tertio milliari ab oppido Marchena Hiſpanicè nun- E
cupato, in medio cuiuſdam olivueti eremitorium paruum, beatæ Eulaliæ ſacrum, atque diuinis contemplationibus omnino idoneum: quod animaduertens pijſſimus Petrus Pontius à Lugduno Arcuenſis Comes,rem longè gratiſſimam ſe Deo opt.max. facturum exiſtimauit,ſi ipſum in iuſtum conuentum, ad fratrum Minorum habitationem,quorum nomen tunc apud omnes optimè audiebat,erigi curaret. Eo itaque à R. Didaco de Agnaya Hiſpalenſi Archiepiſcopo,penes quem ea erat auctoritas, pro votis impetrato,ſufficientique ſitu in eius gyro empto, hunc conuentū ſub antiquiori ſanctæ Eulaliæ titulo,anno Domini 1420.ſatis eleganter,ſatiſque religioſè,ex proprijs facultatibus ædificari fecit. A quo etiam tempore, tum ob loci diſpoſitionem, tum

ob com-

A ob compoſitos mores, quibus à ſui exordio imbutus fuit, ſanctiſſimos, eosq́; plures re-
ligioſiſſimos patres vſq; impræſentiarum in eo continuò inuenire licuit. Inter quos
fuêre P.F. Ioannes à S. Marina vir doctiſſimus, qui ob eius ſanctitatem ab Eugenio
IIII. ſummo Pont. perpetuus iſtius loci Vicarius confirmatus extitit: Ad quod vica-
riatus officium à P.F. Ioanne à S.Anna Prouinciæ tunc Caſtellæ Miniſtro aſſumptus
fuerat. Et F. Ioannes à S.Torquatio ſingularis ſanctitatis religioſus, primusſque iſtius
met loci inquilinus atque fundator. Et P. F. Ioannes à Tauira Luſitanus, cuius hu-
militas, oratio atque abſtinentia tanta fuit, vt vix exprimi queat: quapropter dulciſ-
ſimis ſuauibuſq́ue raptibus frui, etiam in hoc mundo, meruit, & maximam ſanctitatis
famam moriens hoc in conuentu omnibus reliquit. Et F.Petrus à Ronda ſacerdos, qui
præcedenti tum in oratione, tum quoque in abſtinentia, atque diuinis raptibus perſi-
B milis omnino fuit. Et F.Petrus à Turribus, de cuius integritate, candore, atq; ſanctita-
te hoc tantùm reddā teſtimoniū; quòd videlicet in ipſius morte non ſecus ac in tranſi
tu B.P. Antonij Paduani contigerit: cùm celantibus eius obitum ipſis religioſis, pueri,
iuuenes, atq; ſenes per oppidum curſitarint dicentes, mortuus eſt vir ſanctus F.Petrus:
iā è viuis exceſſit ille Deo carus pater de Turribus: ac tandē, vniuerſo populo ad eius
exequias conuolante, vix ſepulturæ mandari potuit, contendentibus quidē alijs, vt vel
habitus, vel criniū aliquid habere poſſēt: alijs verò, vt vel eius manus, aut pedes deoſcu
larētur. Commorātur frequētius hoc in loco 20. fratres, qui contēplationi atq; oratio-
ni ex profeſſo vacāt: nā hic eſt vnus ex his, q̃ hac in Prouincia Recollectioni deſeruiūt.

De conuentu S. Franciſci ibidem. Conu. VIII.

C FVERE olim in præfato oppido Marchena, quod euntibus à Regno Granatæ in
Bęticā in ipſo recto itinere occurrit, duo coniuges deuotiſſimi, Deumq́; ſupra mo
dum timentes, atq; de tertio Ordine D.P. Franciſci, alteri quorum nomen fuit Dida-
cus Nunneſius à Patris, alteri verò Ioāna Blaſquez. Hi pro ſua in Deum pietate, atq;
in Franciſcanum Ordinem beneuolentia, quotquot fratres Minores ad eorum oppidū
declinabant, humaniſſimo excipiebant hoſpitio. Cumq́; præfata Ioanna morti appro-
pinquaret, ne poſt eius tranſitum pauperculis fratribus itinerantibus de opportuno re-
medio prouidiſſe minimè videretur, eius virum, Didacum videlicet Nunneſium, vni-
uerſorum hæredem ea lege inſtituit, vt propriā atq; communem domum in Minoriti-
cum conuentum promoueret, quatenus fratres eius accolæ ſua præſentia, atq; doctri
na ſuis compatriotis adeſſe poſſent, & alij vndequaq; confluentes propriam domum,
D ad quam diuerterent, opportunè haberent, neuè cogerentur laſſi ad tertium milliare,
ad conuentū videlicet ſanctæ Eulaliæ progredi. Qui quidē hæres viduus ex cariſſimæ
vxoris morte relictus debito ſatisfaciens, præfatam domum in iuſtiſſimū atq; commo-
diſſimum conuentum ſub titulo S.Franciſci ſuis ſumptibus trāſtulit, fratribusq́; iſtius
Prouinciæ, anno à Chriſto in terris nato 1530. abſolutum omnino tradidit, & ne illis
quoquo modo impedimento eſſet, in aliam domū ſe recepit. Quia verò hic locus conti-
nuo hoſpite grauatur, vltra 26. accolas fratres nec alere, nec continere cōmodè poteſt.

De conuentu S. Mariæ prope Vtreram. Conu. IX.

APPARVIT à 260. eoq́; plus annis ad mille paſſus ab oppido, cui (Hiſpanicè)
Vtrera nomen eſt, inter confertas oliuas deuotiſſima quædam imago beatæ ſem
E perq́; virginis Mariæ, quæ ab eo temporis vſque impræſentiarum à præſtandis bene-
ficijs, patrandiſq́; miraculis non ceſſat: quapropter & à fidelibus maxima in venera-
tione habetur, & ex communibus atque priuatis eleemoſynis, eo in itinere, cui Semita
nomen eſt, eremitorium quoddam ſatis deuotum ab antiquo ſibi erectum fuit, in quo
aliquot anachoretæ ſub monaſtico quodam ritu ad tempus habitarunt. Quibus ta-
men, (vti ex receptiſſima traditione edocemur) anno Domini 1431. loco pulſis, præ-
fatum eremitorium ex R. Archiepiſcopi Hiſpalenſis, cæteriq́; cleri facultate atque
licentia Minoribus Conuentualibus acceſſit, qui ipſum ex eleemoſynis vndecunque
emendicatis in anguſtū atque incommodū conuentum euexerunt. Cùm autem minus
illis arrideret, vltroneè, gratātiq́; animo patribus Obſeruantibus Canariēſis Cuſtodię

ab ijs oblatus collatuſque eſt. Obtinuit enim præfata Cuſtodia hunc & alium conuentum in oppido Sanlucar vulgò dicto,per aliquot annos,ſcilicet ad annum vſq; 1488. quo, in congregatione per R. admodum P. F. Oliuerium Maillardi Vltramontanum generalem Vicarium hoc in loco celebrata,de patrum,quorum intererat, conſenſu in Bęticæ Cuſtodiæ fauorem vtriq; renunciauit. Perſeuerarunt ſub pauperrimis his ædificijs noſtri fratres plurimis annis,eaque de cauſa plures,eaſq; grauiſſimas infirmitates incurrerunt,& eorum non pauci ex hac vita migrarũt, donec Lopetius à Lugduno Arcuenſis Comitis filius legitimæ ſuæ vxori Catharinæ à Perea moriens ex teſtamento præcepit,vt ex primis occurrentibus redditibus huius loci eccleſiam,chorum atque maius ſacellum auguſtè ſatis, atque affabrè omnino ædificari curaret, ibidemq; tum ipſius,tum quoque communis filij Ioannis Pontij corpora, quorum vterque in bello contra Mauros occubuit,tumulanda inferret. Inſuper mandauit, vt & fratribus adiumento eſſet,quatenus conuentum,pro tantæ eccleſiæ exigentia, promouere poſſent. Quod & illa ex tempore præſtitit. Vnde & ipſum opus,pro teſtatoris voluntate, anno Domini 1525.omnibus ſuis numeris abſolutum extitit,& fundatorum corpora, penes quorum ſucceſſores ius patronatus eſt, elegantiſſimis quibuſdam mauſoleis recondita fuere. Sacratur deniq; hæc Minoritica domus,quam frequentius incolunt 45. fratres, quorum 20.Grãmaticæ inſudant, S.Mariæ de Semitis,Hiſpanicè verò de las Veredas.

A

B

De conuentu S. Sebaſtiani Carmonæ. Conu. X.

AD mille paſſus ab antiquiſſimo oppido Carmona Hiſpalenſis diœceſis, in latere cuiuſdam montis Meridiẽ verſus,conſpicere licet eremitorium quoddã,diuo Benedicto ſacrum, incompoſitum ſatis,atq; anguſtum,ſed deuotioni atq; contẽplationi omnino adaptatum,in quo aliquot eremitę,ex Ordinarij facultate,ab anno Dñi 1467 vſq; impreſentiarũ ferè ſucceſſiuè habitarunt : nam antiquitus pauperculis Frãciſcanis fratribus deſeruiuit,à quibus & conſtructum fuit.Hoc autem ita eſſe ex apoſtolicis quibuſdam literis Pij II. Pont. max. ſatis conſtat,licet de certo ſuæ erectionis tempore maxima quæſtio ſit. Cùm igitur pręfatum eremitorium nec ipſis fratribus,nec etiã oppidanis,quos maximum eius frequentandi deſiderium tenebat, ob eius incapacitatem atque diſtantiam, pro votis deſeruiret, maxima ſolicitudine à Carmonenſibus apud præfatum ſummum Pontificem Pium II. curatum eſt,vt xenodochium S. Sebaſtiani,quod in oppidi ſuburbio 200. tantùm paſſibus à mœnibus cõſurgebat, inhabitãdum fratribus concederetur,ipſiſq; liceret ipſum ex publicis eleemoſynis in conuentum ſub antiquiori titulo S.Sebaſtiani transferre. Impetrata igitur ab ipſo ſummo Pont. huiuſmodi facultate,vt eius bullæ in huius loci archiuis aſſeruatæ patentiſſimè indicant,non prius fratres ab opere deſtiterunt,quàm præfatum xenodochium in monaſterium,ex Carmonenſium tamen liberalitate,anno à Chriſto Saluatore nato 1467. promouerint,Conuolarunt itaq;,antiquiori loco relicto,ad hunc conuentum multò commodiorem, ac deniq; oppido multò viciniorẽ fratres præfato anno 1467.in eoq; vſq; impreſentiarũ 50.quorũ 16.Grãmaticæ incumbunt, reliqui verò vel confeſſionibus excipiendis vacant, vel aliquid de Euangelio proponunt, commorantur.

C

D

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Sanlucar. Conu. XI.

VNICO tantum milliari ab oppido,quod (materna Hiſpanorum lingua)Sanlucar nuncupatur,ſpectatq; ad Hiſpalenſem diœceſim,atq; inclytis Methymnæ Sidoniæ Ducibus ſubiacet,verſus eam partẽ,qua famoſus celeberrimusq; fluuius Bętis Oceanum mare ingreditur,conuentus hic, S.Mariæ de Ieſu ſacer,expenſis atq; opera perdeuotæ fœminæ Mentię, Alphonſi,aliorumq; 5.oppidanorũ,circa annũ Dñi 1443. ædificatus fuit : ea tamen poſita lege, vt perpetuò lectio in eo haberetur, quod & obſeruatũ fuit.Nam ab anno 1443.quo Frãciſcani fratres ipſum ingreſſi ſunt,nunquã defuit doctus aliquis pater,qui 12.ſtudẽtibus,vel circiter,aut ſacros canones, aut Philoſophiã prælegerit. Animaduertendũ eſt tamen(quemadmodũ ex quadam bulla Eugeniana, atque alijs ſcripturis in huius loci archiuis aſſeruatis facillimè conſtat) hoc monaſterium à ſui erectione Canarienſi Cuſtodiæ collatum fuiſſe, peneſque illam

E

per 45.

A per 45. continuos annos extitiſſe, nempe vſque ad annum 1488. quo ex conuentione facta ad Bęticã Cuſtodiam tranſijt. Comorantur frequentius hoc in loco 30. fratres.

De conuentu S. Franciſci Gibraltar. Conu. XII.

IN ſuburbijs antiquiſſimæ eius ciuitatis, quę Hiſpanicè Gibraltar, Latinè verò Calpe appellatur, ſubeſtq; iuriſdictioni Gaditani Epiſcopi, conuentus quidam, B. Franciſco ſacer, ex publicis ciuium eleemoſynis, anno à mundi redemptione 1471. à patribus Conuentualibus ædificatus fuit: qui tamẽ, annò Domini 1529. ſua ſponte & ſe, & præfatum conuentum patribus Obſeruantibus tradiderunt. Et hic vltimus conuentus eſt eorum, qui in hac Bætica Prouincia à Conuentualibus ad Obſeruantes deflexêre. Mortem obijt hoc in conuentu anno Domini 1568. P. Didacus Guſmanius, eximię ſan
B ctitatis atq; perfectionis vir, qui vt fuit ſanguine atque natalibus inſignis, (deſcendebat ſiquidem ex nobiliſſima Methymnę Sidoniæ Ducum progenie) ita quoq; virtutibus inſignior extitit. Nam poſt aliqua grauiſſima munia, quibus in curia ſereniſſimi Boëmorum Regis Ferdinandi I. functus fuerat, atq; matrimonium cum nobiliſſima vxore contractum, vltimum ſibi vale dicens, habitum Religionis Franciſcanæ quadragenarius induit: in quo per 40. alios continuos annos adeò religioſè vixit, vt omnibus abſtinentiæ, paupertatis, orationis atque ſimplicitatis exemplum factus ſit. Quamobrem ex hac mortali vita diſcedens ab omnibus verè ſanctus, vereque beatus habitus eſt: Præſertim verò à Calpenſibus, qui audito eius tranſitu tanto impetu, tantaque contentione ad feretrum concurrerunt, vt niſi fratres obſtitiſſent, vix aut ve-
C ſtimentorum, aut corporis partem reliquiſſent, contendentibus pro viribus illis, vt aliquid reliquiarum eius, pro ſua in virum pietate atque deuotione, habere poſſent, de cuius hauddubie interceſſione apud altiſſimum Dominũ multa ſibi pollicebantur.

De conuentu S. Franciſci Aſtigij, Conu. XIII.

INTER feraciſſima totius Bæticę oppida id, quod Hiſpanicè Eciia, Latinè verò Aſtigium nuncupatur, optimo iure annumerari poterit. In hoc igitur oppido cùm ex ſenatus conſulto ſemel decretum eſſet, vt in ipſius medio conuẽtus, ſeraphico patri Franciſco ſacer, ad eius fratres continendos ex publicis facultatibus ædificaretur; tanta fuit oborta ſeditio, tantaq; tempeſtas, vt impellentibus ad id tum vulgus, tum quoque maiorem nobilitatis partem quibuſdam alterius Ordinis religioſis, murus vtcun-
D que in altum erectus, tertiò maxima vi atque populi furore demolitus, & ad terram deiectus ſit: imò, & alio ſenatus conſulto cautum, vt ab huiuſmodi opere promouendo omnino abſtineretur; Nihilominus tamen ea fuit deuotio, iſq; feruor trium Equitum, videlicet Ioannis Fernandez Galindi, Federici Manriquij, atque Ferdinandi Aquilarij, vt arreptis gladijs ſe ſe, non abſque præſentiſſimo vitæ diſcrimine, incondito vulgo viriliter oppoſuerint, reliquamque nobilitatem in ſuam ſententiam pertraxerint, ac tandem ipſum opus, inuitis plurimis, ad finem vſque feliciſſimè perduxerint; moram interim trahentibus Franciſcanis religioſis in eremitorio ſancti Georgij extra eiuſdem oppidi muros, atque ad victum & veſtitum neceſſaria ex præfatis tribus viris nobilibus abundantiſſimè ſumentibus. Licèt itaque verſipellis ille, atque veternoſus ſerpens omnes ſuas vires intenderit, ne Minoritica domus optato fine
E potiretur, non tamen intentum aſſequi potuit: quinimo perſoluto ædificio, anno Domini 1473. aduentantibuſque fratribus, tanta deuotio, tantaque beneuolentia illi populo ad eos inceſſit, vt vix exprimi queat: quorum denique pietatem, atq; veſtigia imitati eorum ſucceſſores 50. fratres huius loci accolas abundantiſſimis proſequuntur eleemoſynis. Illi verò tres nobiles poſtquam ſe fortiſſimum murum pro domo Iſraël, ideſt pro Minoritica æde oppoſuiſſent, atque ad illorum Hebræorum inſtar altera manu lapides concinnaſſent, altera verò gladios tenuiſſent, quod opus omni ex parte perfectum eſſet, de nobilioribus tribus ſacellis inter ſeſe diuidendis agere cœperunt, atque ſortibus in vrnam immiſſis, indeque extractis maius Federico Manriquio obtigit: quod verò eius dextram tenet in Ferdinandi Aquilarij ius ceſſit: ſed quod ad eius leuam ſedem obtinet, id Ioanni Ferdinando Galindo à con-

tingēte ſorte adiudicatum eſt. In quibus tandem peculiaria mauſolea, pulchrè fabre- A
facta, quæ ſibi ſuisq́; poſteris vſque in præſentem diem inſeruiunt conſtrui curarunt.

De conu. S. Franciſci Rondæ. Conu. XIIII.

RONDA Bæticæ oppidum eſt, pertinetq́; ad diœceſim Malacenſem, quod & Sa-
raceni multis annis tyrannicè occuparunt. Hoc catholici Hiſpaniæ Reges Fer-
dinandus V. atq; eius vxor Eliſabetha cùm è manibus eorum inuicto animo, ſangui-
neoq́; Marte eripuiſſent, delubrum, quod in medio oppido olim à Mauris cõſtructum
fuerat, in monaſterij formam redactum, Franciſcanis fratribus, pro ſua in eos animi
propenſione, inhabitandum contulêre. Sed cùm is locus inſalubri infeſtaretur aëre,
ſuisq́; habitatoribus minus faueret, alius ad 100. paſſus ab ipſo oppido Orientem ver-
ſus, in honorem S. Franciſci, ex Regis eiuſdem facultatibus illis, anno Domini 1490. B
erectus extitit, antiquiori interim eorum domicilio in parochiam ſub Spiritus ſancti
honore euecto, idq́; ex plurimis ſcripturis hoc in loco, quem vtplurimum quadragin-
ta religioſi patres ac fratres incolunt, accuratiſſimè aſſeruatis, manifeſtiſſimè conſtat.

De conu. S. Franciſci ſiue S. Ludouici Malacæ. Conu. XV.

CVRIOSIVS mihi inueſtiganti quare hic conuentus binomius ſit, nulla ſuc-
currit ratio. Communiter enim à ſæcularibus diuo patri Franciſco dicatur. Præ-
terea ſi fundatorum ſcripturas ſpectes, eam fuiſſe eorum voluntatē certò intelliges,
vt videlicet ſeraphico patri Franciſco ſacraretur. Nihilominus tamen & conuentus
ſigillum beati patris Ludouici Ordinis Minorum imaginē præſefert, & is met in Pro-
uinciæ iſtius catalogo diui Ludouici nomine appellatur. Nec ad rem facit, quòd Ma- C
laca Bętica vrbs ipſo die beati Ludouici pulſis Mauris ſiue Saracenis in Chriſtianorum
poteſtatem venerit: nam ea propter in editiore totius caſtri parte eccleſia in eiuſdem
ſancti honorem erecta extitit, ad quam ſingulis annis, ipſo S. Ludouici die, vterq; ſe-
natus, eccleſiaſticus ſcilicet, atq; laicus proceſſionaliter conuenire tenebatur, vt ibi
ſacris intereſſent, quod tamen, antiqua illa deuotione refrigeſcente, à plurimis annis
prætermiſſum eſt. Quicquid tamen ſit, Hiſpaniæ Reges catholici Ferdinandus, atque
Eliſabetha, poſt debellatos Mauros, Malacamq́; ciuitatem expugnatam, quod con
tigit 19. Auguſti anni Domini 1487. tamquam beato Ludouico, cuius feſtum eo die
celebratur, debitas in ſuis fratribus gratiarum actiones redditurι, hoc monaſterium, B.
Franciſco, vel (vt alij volunt) beato Ludouico ſacrum, non procul à mœnibus prædi-
dictæ ciuitatis Malacæ, ex regio ærario ædificare cœperunt, atq; ſucceſſu temporis ad D
apicem vſque perduxerunt, fratribuſq́ue Minoritis, anno Domini 1495. tradi cura-
runt: quorum 60. continuò ibidem commorati ſunt. Inter cætera, quæ huius cænobij
eccleſiam illuſtriorem reddunt, duo potiſſimùm occurrunt: Alterum eſt ſacellum ibi-
dem affabrè erectum à R. Ludouico de Turribus Salernitano Archiepiſcopo in to-
tius eius familiæ ſepulturam, quòd, ex ſummorum Pontificum Clementis VII. Pauli-
q́ue III. conceſſione atque liberalitate ſecunda die menſis Auguſti cuiuslibet anni, ad
perpetuam rei memoriam, gaudet indulgentia plenaria, ijſq́; gratijs, quibus eccle-
ſia S. Mariæ de Angelis prope Aſſiſium eo ipſo die gaudere aſſolet: Qua propter in
tanta eſt reuerentia apud Malacitanos, conuicinoſq́; populos, vt quantus eo temporis
ad ipſum concurſus ſit, vix exprimi queat: ſacelli verò nomen eſt S. Maria de Portiun
cula: Alterum verò eſt inſignis quædam atque prægrandis crux ex Indico ligno mi- E
ro quodam artificio elaborata, atque in medio ſummo altari erecta, in qua elegan-
tiſſimè adaptatæ ſunt 1336. ſanctorum reliquiæ fide dignis teſtimonijs communitæ.
Inter illas eſt particula quædam ligni S. crucis à pientiſſimo Gabriele de Zayas,
catholici Hiſpaniarum Regis Philippi II. Secretario dono data. Sunt & aliæ parti-
culæ tum oſſium, tum quoque veſtimentorum B. virginis Mariæ, ſanctorumq́ue
Apoſtolorum, nec non & plurium martyrum, atque virginum, quas frater Fer-
dinandus à Specu (vulgò de la Cueua) ex Belgio allatas hanc in ipſam crucem inſe-
rendas contulit, quaſq́ue ego tædij vitandi cauſa ſciens pertranſeo. Sunt etiam in
præmemorato S. Mariæ de Portiuncula ſacello ſacroſanctæ aliquot reliquiæ eiuſdem

A crucis Chriſti, S. Pauli Apoſtoli. S. Blaſij. S. Zenonis, atq; aliorum ſanctorum à præfato R. Archiepiſcopo ibidem collocatæ, quibus etiã authentica teſtimonia fidẽ aſtruunt. Fuit is vigilantiſſimus Paſtor religioni Franciſcanæ addictiſſimus, illiusque alumnos largiſſimis eleemoſynis, atque omni beneficiorum genere pientiſſime proſequutus eſt.

De Conuentu S. Zoili Antichera. Conu. XVI.

CVM ſereniſſimus Ioannes Hiſpaniarum Princeps, ac catholicorum eorundem Regum Ferdinandi & Eliſabethæ filius grauiſſima renum infirmitate, ex qua mortẽ oppetijt, conflictaretur, vt diuinum numen facilius placare poſſet, beatũ Zoilũ martyrem, qui Cordubæ pro Chriſti fide glorioſo martyrio vitam finiuit, in ſui patronum atq; aduocatum delegit, ſibiq; eccleſiam in ſui honorem à ſe fabricãdam ſpopõ-
B dit. Quo tamen uoto morte præuentus potiri minimè valuit. Quapropter moriens ex teſtamento cauit, vt quod ipſe præſtare non potuerat, cari ſaltẽ eius parentes exequutioni mandarent. Illi verò, vt erant pientiſſimi eiuſq; amantiſſimi, hunc conuentum, S. Zoilo martyri ſacrum, in ſuburbijs eius ciuitatis, cui materna Hiſpanorum lingua Antequera nomen impoſuit, ex proprijs facultatibus ædificari curarunt, atq; à Franciſcanis fratribus; tum ob ipſorum in eos beneuolentiam, tum quoque vt piis cariſſimi defuncti filij votis, qui idipſum ex teſtamento præceperat, annuerent, occupari voluerunt, anno à Chriſto Saluatore nato. 1504. Hoc in conuentu mortem obijt, anno Domini 1545. F. Franciſcus de Villar, cuius humilitatem, paupertatem, ſpontaneam obedientiam, atq; inſtantẽ orationem ſi referre vellemus, nullo pacto breuitati, cui ex profeſſo ſtudemus, à nobis ſatisfieret. Nihilominus tamen, ne eius virtutibus inuidiſſe vi-
C deamur, aliqua, licèt paucula, de eius conuerſione in medium afferre decreuimus, vt tandem glorificetur Deus in ſanctis ſuis. Hic igitur cùm eſſet Ducũ Sogobricẽſium primogenitus, al ereturq; in regia inuictiſſimi Caroli V. Imperatoris atq; Hiſpaniarũ Regis ſimul cum eius filio Philippo II. Hiſpaniarum Principe, accidit, vt inter colludendũ puerili quadam bile (non dum enim quiſquam illorum vndecimũ annum attigerat) liberins inſolentiuſq; in Principem inſurgeret, quapropter ab eius nutricio ſiue morũ magiſtro acrius pro tanti Principis reuerentia correptus, redargutusq; eſt, is verò ſibi ſummopere timens, & regiam deſeruit, atq; incognitus in pauperis cuiuſdã ruſtici famulatum tranſijt. Cui cùm vili in quodam obſequio per 5. continuos annos, non abſq; maxima penuria, inſeruiſſet, accepta ab ipſo venia Franciſcanum Hiſpalenſem conuentum petijt, vbi ſub pauperrimi ruſtici ſpecie, proprio ſemper nomine atq; proſapia
D occultis, Minoriticum habitum induit. In quo tantopere profecit, vt omnibus admirationis cauſa eſſet. Tandem deuentus ad 33. ſuæ ætatis annum, cũ hoc in conuentu moraretur, fortèq; fortuna à panis mendicatione rediret, antiquum nutricium, ſiue morum magiſtrum, qui ex Imperatoris mandato eum vbiq; perquirebat, in conuẽtus veſtibulo offendit, à quo & agnitus fuit. Cùmq; ille iuxta Regis præceptum ipſum regiæ reſtituere contenderet, rogauit humillimus pater, ne id incoſulto prouinciali Miniſtro, qui 40. tantùm milliaribus inde diſtabat, fieret Dumq; curſor, qui miſſus fuerat reuertitur, F. Franciſcus (ſic enim à ſua conuerſione vocari voluerat) in accutiſſimam incidit febrem, ex qua tandem intra ſexquidiei ſpatium occubuit. Quod non abſque ſpecialiſſima Dei prouidentia factum exiſtimari debet, nam is, vt ſæpius ab alijs fratribus obſeruatum fuit, inter orandum Deum inſtantius interpellabat, ne ſe aliquando agno-
E ſci permitteret, neuè ſuum genus atq; parentes proderet. Eius igitur obitu diuulgato, tota ferè ciuitas ad eius funus, atq; exequias confluxit, magnaq; ęmulatione ex aſtantibus quiſque contendit, vt vel habitus, vel cordæ particulam acciperet. Nec immeritò quidem, cùm per ſeptemdecim annos, quibus in Religione fuit, cœleſtem potius atque angelicam, quàm humanam vitam duxit. Commorantur hoc in conuentu 40. fratres, quorum 15. iuniores ſub vno præceptore Grammaticę operam nauant. Inſuper & quoddam ſacellum in honorem S Ioannis Lateranenſis erectum eſt; quod omnibus gratijs & indulgentijs, quibus eccleſia eiuſdem nominis Romana gaudere ſolet, ex põtificia conceſſione fruitur, ſpectatq; ad venerabilem Confraternitatem ſacratiſſimi ſãguinis Chriſti, atq; quadam S. Achatij martyris reliquia religioſiſſimè honeſtatur:

De Con-

De conuentu S. Antonij Arcubus. Conu. XVII. A

BEATRICIS Pacieco Gadium Marchioniſſæ, atque ex Roderici Pontij Gadiũ quoq; Marchionis morte viduæ relictæ ad Franciſcanum Ordinem, pręcipuè verò ad beatum Antonium de Padua ſingularis deuotio plurimis in rebus elucuit; præſertim verò in huius ſacræ ædis, ſub honore pręfati S. Antonij de Padua ad mille paſſus à ciuitate Arcuenſi Hiſpalenſis diœceſis erectione, quam anno à Chriſto Saluatore nato 1510. ſumma diligentia, ſummaq; liberalitate fieri curauit. Adiecit quoq;, vt & monaſterium omni ex parte perfectum, atq; neceſſarijs iuſtructum ſibi coædificaret, ac noſtris fratribus præfato anno 1510. in perpetuam habitationem conferret, in quo 40. cõmorantur religioſi, quorum 18. ex fundatricis decreto atq; pia intentione, literis philoſophicis incumbunt. Diem clauſit extremum hoc in ipſo loco deuotiſſimus pater F. B
Antonius Zamorenſis, cuius pietatem, religionem, atq; vitæ candorem non potuerunt nõ venerari Arcuẽſes, licèt eccleſiaſticis, pręſertim verò religioſis minimè afficiantur; Nam tanta viri ſanctitate coacti, & celebre ſacellum pro celebrandis diuinis officijs, ſacriſq; faciendis in fidelium animarum ſolatium atque refrigerium, quibus ille addictiſſimus fuit, ex communibus facultatibus conſtruxerunt, & ipſum, quem paſſim ſanctum prædicant, ac in occurentibus neceſſitatibus patronum exoptant, eumq; inſtanter precantur, ut illis ſuccurrere velit, ibidem honorificè ac deuotè tumulari curarũt.

De conuentu S. Mariæ pulchræ Lepæ. Conu. XVIII.

NE pauperculi piſcatores, qui vel oppidum Lepe vulgò dictum vel pagum, cui Turrisuillæmarini nomen eſt Hiſpalenſis dięceſis religioſis inſtructoribus atq; C
pedagogis, qui ſe doctrina cœleſti atq; pabulo ſpirituali imbuerent, ſalutisque viã docerent, cũ maximo propriæ ſalutis diſcrimine carerent, deuotiſſimi Franciſcus à Stunnica atq; Leonora Manrique à Caſtro Aiamontani oppidi Marchiones, illiusq; patrię Domini temporales eremitorium, quod ſub titulo S. Mariæ pulchræ ad tertium lapidẽ à præfato oppido Lepa, ſed ad mille tantùm paſſus à prædicto pago Turrisuillęmarini non longè ab Oceano mari erectum erat, ex proprijs atque communibus facultatibus, anno à mundi redemptione. 1513. in ſatis capacem conuentum ſub antiquiori titulo tranſtulerunt, iſtiusq; Prouinciæ fratribus inhabitandum pientiſſimo affectu cõtulerunt. Commorantur hoc in loco 25. fratres, qui pręfatis piſcatoribus quacunq; in neceſſitate opportunè adſunt. Et vt temporalibus ſpiritualia bona, quę ab ipſis ingenti pietate, ac magno animarũ zelo indies accipiunt, ipſi piſcatores repẽdãt, piſcium par D
tem pijſſimè eis elargiuntur. Ad tertium milliare ab hoc ipſo loco iuxta præfatũ mare Oceanum, ſed inter quoſdam ſcopulos, ſubſtitit quoddam patrum Conuentualium eremitorum à nobili quodam Franciſco Luxanio Cordubenſi ad eorum vſum, anno Domini 1431. ædificatum, atq; ſufficientibus annuis redditibus dotatum: qui tamen (neſcio quibus de cauſis) ab Aiamontanis inde auctoritate pulſi, locum deſerere coacti ſunt: quapropter huiuſmodi expulſionis authores à ſummo Pontifice excommunicationis ſententia icti fuêre. Tamen cauſa huiuſmodi expulſionis per ipſum examinata, & illi abſolutionis beneficium promeruêre, & is locus huic Prouinciæ adiudicatus fuit, in quo & 6. eius fratres, quouſq; eius ędificia perſtiterunt, commorati ſunt. Sed ipſis ruinã minantibus omnimodam, ab ijſdem deſertus eſt. In eius eccleſia conſpicere adhuc licet E
ſepulcrum cuiuſdam Ioannis Lepani ex vulgaribus prædicti oppidi Lepę originẽ trahentis, qui cùm fortè fortuna eſſet Henrico. VII. Anglorum Regi familiariſſimus, ſecumq; ſæpius conueſceretur, ac etiam luderet, contigit, vt quadam die & redditus omnes, atq; iuriſdictionem naturalis vnius diei totius Anglici Regni à Rege lucraretur; vnde & ab eo temporis ſpatio, ablato antiquiori Ioannis Lepẽſis nomine, paruus Rex ab omnibus Anglis dictus eſt. Qui tandem adiunctis antiquioribus diuitijs, & ijs redditibus regijs, quos ſibi tradere voluit, ſumptaq; à præfato Henrico. VII. venia, natiuos lares repetijt, ibiq;, poſtquã aliquandiu omnibus bonis affluxiſſet, mortem obijt, atque præfata in eccleſia ſepulturam elegit. Cui eius amici, & conſanguinei huiuſmodi hiſtoriam epitaphij loco apponi curarunt: quam & ego licèt vtũq; abs re hîc inſerere volui.

De con-

A *De conuentu S. Franciſci Portus S. Mariæ. Conu. XIX.*

VT Ioannes à Zerda, Methymnę cœli Dux, atq; oppidi Portus S. Mariæ Comes beneuolentię, pietati, atq; affectui, quo in Franciſcanum Ordinem ferebatur, faceret ſatis, hoc monaſterium, B.P. Frãciſco eius inſtitutori, atq; Principi ſacrũ, ad 400. paſſus à prętato oppido Portus S. Mariæ, non tamen longè à mari, ſed è regione Gaditanę inſulę, anno ſalutis humanę. 1517. ex domeſticis facultatibus, eo ipſo loco, in quo eremitoriũ quoddã, S. virg. Brigidę dicatũ ſubſiſtebat cõſtrui, fratribus Minoribus inſtrui curauit, in quo pro religioſo more, 20. fratres diligẽtius Deo opt. max. famulãtur.

De conuentu S. Mariæ Lauretanæ. Conu. XX.

B INTER conferta pulcherrimaq; Hiſpalenſia olíueta, ad ſextum lapidẽ ab ipſa nobili ciuitate Hiſpali, ex altera parte Bætis famoſi fluminis, atque ad 1500. paſſus ab oppido Eſpartinas, Hiſpanicè nũcupato, ꝓpe Turrimlauretanã pijſſima herois Maria Manuel vxor quondã Henrici Guſmanij hunc conuẽtum, B. Marię de Laureto dicatũ, ex proprijs bonis, anno Dñi 1528. ad fratrum Minorũ vſum conſtrui iuſſit. Cuius ædificandi hęc cã fuit. Duxit pręfata fundatrix ex nobiliſſima Ducum Methymnæ Sidonię familia originem, fuitq; pulcherrima, ita vt nulli ſui temporis cederet, neq; ex viro prolem ſuſciperet, nihil magis quàm corporis comptũ curabat, ita vt plures in ſui concupiſcentiã traheret. Sed pijſſimus, atq; miſericors Deus, cuius iudicia abiſſus multa, cuiusq; viæ inueſtigabiles ſunt, ne nobilis hæc fœmina carnis petulantiam ſequens miſererè aliquando periret, eam in maximum vitæ diſcrimen incidere permiſit. Cùm
C enim ſemel multò petulantius, multoq; curioſius ſimul cum quadam Methymnenſi Duciſſa Bætim per pontem, quo Hiſpalis ſuburbio Trianæ iungitur, traijceret, ſoluto ponte in profundiorem totius fluuij partẽ, ac inter denſiſſimas trabes aſſereresq; cecidit: ita tamen vt aliquantiſper, toto proſpiciente populo, detecta omnino per veſtium fimbrias ex vna trabiũ pependerit: quo temporis ſpatio voto ſe omnipotẽti Deo aſtrinxit, vt ſi inde ſe liberari contingeret, incolumisq; euaderet, & vitam in melius commutatura, & conuentum ad Minoritarum vſum ædificatura eſſet. Tandem, Deo ſibi fauẽte tum ipſa, tum ẽt Duciſſa, quæ ſibi comes & in itinere, & in aquis fuit, tãtũ diſcrimen euaſerunt. Vnde pręfata Maria Manuel beneficij recepti, atq; promiſſi memor, tantoperè apud virum laborauit, vt, huiuſmodi conuentus fabricandi facultate, & eremitorio, quod in honorem ſanctæ Mariæ de Valleuiridi nòn longè à pręfata Turri Laure-
D tana eiusq; domibus conſurgebat, ab Hiſpalẽſi Archiepiſcopo impetratis, quod in afflictione poſita efficaciter promiſerat, efficacius exequutioni mandaretur. Eremitorio igitur præfato in pulcherrimam eccleſiam, atq; elegantiſſimum monaſteriũ promoto aliquot fratres eò deducti ſunt, qui ipſum occuparẽt. Et ab eo temporis vſq; impręſentiarum hic locus continendis 30. religioſis deſeruit. Qui aliquando philoſophicis literis inſudabant, modò verò neutiquã, ſed Recollectioni intẽdũt. Accidit aũt vt pręfata fundatrix ex viri morte vidua remaneret, arreptamq; crinibus benè operãdi occaſionem, eam non prius abire permiſerit, quàm ſibi vſui eſſet: nam vt primùm ſe liberam atque ſolutã à matrimonij legibus ſenſit, quicquid diuitiarum habere potuit, id in pios vſus, atq; in pauperum ſubleuamen erogauit: adeoq, paupertatem, & honeſtatem dilexit, vt nihil vnquam proprij poſſidere, vel ab aliquo in facie videri voluerit. Et vt melius,
E liberiusq; Chriſto ſponſo, cui à ſua viduitate nupſerat, inſeruire poſſet, cũ vna ſibi cariſſima ſocia conuentum S. Claræ Hiſpalenſem ingreſſa eſt, ibiq; in pauperrima quadam cellula degens, atq; pauperiorem vitam ducens, per aliquot annos in omni humilitate, pœnitentia, ac continua oratione ſe exercuit. Vnde poſtea ad conuentum eiuſdẽ ciuitatis de Ieſu tranſlata, in habitu ſancto atq; monaſtico ſanctiſſimè uixit, ſanctiſſimèq; uitam finiuit anno Dñi. 1543. Cũq; poſt 40. annos eius ſepultura aperietur, corpus in ſuę ſanctitatis teſtimonium integrum, atq; incorruptum inuentũ eſt. Quapropter ad nouum ſepulchrum ſibi in choro præparatum à monialibus tranſlatũ eſt. Non me latet interim quid à R. patre Marco ab Olyſippone in ſuis Chronicis ſcriptum ſit; Inquit enim, deſcribens vitam beati fratris Didaci à S. Nicolao, cum ſcilicet aliquan-

do hoc

do hoc in conuentu egiſse,dum uidelicet in Fortunatas inſulas traiectionem pararet. A
Quod haud dubiè ſcripturis in huius loci archiuis aſſeruatis è diametro cõtradicit. Ex quibus manifeſtiſſimè conſtat,hunc conuentum à 60.tãtùm,vel circiter,annis erectũ, & à fratribus ab eo temporis occupatum fuiſſe.Sed huic contradictioni anſam præbuit conuentus Villæviridis, ſiue ſancti Franciſci de Monte, in quo aliquãdo beatus ipſe frater Didacus habitauit, dum videlicet ad hanc Prouinciam ſpectaret; nam modò ad Angelorum Prouinciã attinet. Eſt tandẽ is locus rerũ diuinarũ contemplationi aptus.

De conuentu S.Franciſci Aiamontis. Conu. XXI.

PIISSIMI heroës Franciſcus à Stunnica,eiuſq; cariſſima coniux Leonora Mãrique à Caſtro Aiamontenſes Marchiones aliquod vnum obſequium B.P. Franciſco præſtare decreuerunt,vt vel ſic eum ſibi deuincerent. Quamobrem hoc monaſterium,eidem ſacrum,ex communibus facultatibus,quibus abundabant, intra mœnia B
oppidi Aiamontis Hiſpalenſis diœceſis,quod eorũ parebat imperio,anno à partu Virgineo. 1527.eius filijs atq; ſequacibus, Franciſcanis ſcilicet fratribus conſtrui, tradiq; curarunt.Horum 24.ibidem perpetuò commorantur,atq; à præfatorum fundatorum ſucceſſoribus,ad quos maiorum pietas atq; deuotio cum hæreditate coniuncta trãſijt, quacũq; in neceſſitate occurrẽte,nõ minus liberaliter,quàm opportunè ſubueniũtur.

De conuentu Matris Dei Oſſunæ. Conu. XXII.

CVM de viris omnibus doctis optimè meritus Ioannes Tellez Gironius Vrenianus Comes tum philoſophicarum,tum quoq; ſacrarum literarum promouendarum, atq; oppidi Oſſunæ,quod ſui iuris erat,nobilitãdi gratia vtriuſq; facultatis Academiã C
ibidem erexiſſet,atq; à nobili fœmina Agnete Cherinos Ludouici Perniæ ſtrenui militis olim vxore in teſtamentarium,ſiue ſui teſtamenti exequutorem electus eſſet,quatenus piæ eius voluntati,qua ex teſtamento cauerat,vt ex eius bonis,atq; domibus intra præfati oppidi ſepta conſurgentibus eccleſia,ſibiq; adiunctus conuentus cõſtruerentur,faceret ſatis:is pro ſua in Franciſcanam familiam ſingulari deuotione, tum ex præfatæ teſtatricis facultatibus,tum quoque ex proprijs ſibi adiunctis,atq; ex eremititorio B.Dei genitrici Mariæ ſacro, nec longè à præfatis domibus diſtante,hoc monaſterium ſub antiquiori titulo, anno Domini 1524. ædificare cœpit, ipſumq; auguſtè ſatis,atq; elegantiſſimè omni ex parte perfectum,anno Dñi 1528. Franciſcanis Obſeruantibus in habitationem contulit. Inſuper & inſtituit, vt ex habitatoribus fratribus aliqui ſemper conſtituerentur,qui Philoſophiæ atq; Theologiæ vacarent,ſcholaſq; pu D
blicas in oppido à ſe erectas frequentarent. Præterea cùm ſeraphico Ordini deuotiſſimus eſſet,voluit,vt ex iſtius conuentus patribus duo eligerentur, quorum alter Philoſophiam,alter verò ſacram Theologiam iuxta diui Bonauenturæ doctrinam publicè in ipſa Academia prælegeret.Ne tamen affectui,quo in beati Franciſci alumnos ferebatur,plus æquo indulſiſſe,atq; ſtudentibus defuiſſe videretur,inſtituit,vt ſi præfati lectores iniuncto ſibi muneri minus ſatisfacerent,tunc huiuſmodi honor, atq; onus ad ſæculares,iuxta ſtudentiũ voluntariam,liberamq; electionem,& vota,deuoluerentur. A tempore autem huiuſce inſtitutionis vſq; impræſentiarum diui Bonauenturę prælectio penes noſtros fratres fuit,miniſtrantibus interim maxima cura & diligentia iſtius Prouincię patribus in Comitijs Prouincialibus viros doctos atq; in ſacra pagina peritiſſimos:Philoſophica verò,curãtibus id Oſſunæ Ducibus, atq; fundaroris ſucceſſoribus; E
ad ſæculares omnino deuolutaeſt.Commorantur deniq; hoc in muſęo 60. fratres, vel circiter,quorum 24.tũ in publicis ſcholis,tum quoq; domi,ſub doctiſſimo quodã præceptore,ſacris litteris inſudant: reliqui verò diuino cultui,atq; familiaribus obſequijs intẽdunt. Oẽs tñ ſimul præfati oppidi Dominum atq; Ducem huius conuẽtus patronũ agnoſcũt: nã præfatus fundator ius eius patronatus ſibi,ſuiſq́ue poſteris iure retinuit.

De conuentu Montis Caluarij prope Oſſunam. Conu. XXIII.

CVM inclytus Ioannes Tellez Gironius Vrenianus Comes mira quadam pietate,& in Caluarium montem,in quo Chriſtus mundi Saluator humanam ſalutem operatus

A operatus eſt,& in Franciſcanum Ordinem ferretur,ſimillimumq; præfato monti Caluario collem ad tertium lapidem ab oppido Oſſuna inueniſſet, rem gratam atq; acceptam tum Deo, tum D.P.Franciſco ſe facturum ſperans,hunc conuentum in honorem atq; memoriam eius montis Caluarij,qui in medio terræ conſiſtit,in ipſius inuēti collis iugulo,ex domeſtico patrimonio,anno à mundo redempto 1549. conſtrui curauit. Voluit tamen,vt 13.fratres Minores,quorum alter cœteris ſub titulo Guardiani præeſſet,ad Apoſtolorum,atq; Chriſti eorum magiſtri inſtar,perpetuò in eo commorarentur,atq; tum ſuis,tum quoq; pijs ſuorum ſucceſſorum eleemoſynis nutrirentur. Quorum deniq; pietas,atq; liberalitas eo in exequendo mandato tanta eſt,vt nihil penitus deſiderari poſſit.Quia verò ſacra hęc domus ab omni tumultu,atq; populi frequentia ſemota eſt,contemplatiuiſq; religioſis, atq; aſperiorem vitam affectantibus maximè
B fauet,reformationi,ſiue Recollectioni huius Prouinciæ à patribus adiudicata extitit.

De conuentu S. Antonij Eſcazenæ. Conu. XXIIII.

CVM perdeuoti,nobileſq; coniuges Ludouicus Mendez à Sotto maior, atq; Ioanna prolem,ad quam communem hæreditatem,quæ pinguis ſatis erat,tranſmittere poſſent,ex ſe inuicem minimè ſuſcepiſſent,ne memoria eorum periret, ſed vt potius in benedictione eſſet,bona,quæ fortè ingrato hæredi relicturi erant,in vnius Frāciſcani conuentus ædificationem conferre decreuerunt. Quapropter,pio operi ſe accingētes,hoc cœnobium,B.P.Antonio de Padua ſacrum,ſiue(vt alij volunt,de Ieſu,ob incredibilem beneuolentiam,quæ Franciſcanum Ordinem vterq; proſequebatur, ad mille paſſus ab oppido,quod Eſcazena Hiſpanicè nuncupatur,pertinetq; ad Hiſpalēſē dioe
C ceſim,in media quadam ſylua,anno Dñi 1531.erigi curarunt, atq; fratrum Minorum vſibus manciparunt.Horum 12.diuinis laudibus, deuotè intēti ibidem commorantur.

De conuentu Corporis Chriſti Moroni. Conu. XXV.

QVANTA fuerit Ioannis Tellez Gironij Vreniani Comitis ad Franciſcanum Ordinem deuotio,vel hinc ſaltem coniectari licebit,quando ex ijs,quæ ſuperius diximus,minimè conſtaret:cùm duorum conuentuum Franciſcanorum erectione minimè contentus,hunc tertium in honorem S.Corporis Chriſti,quod mirum in modum venerabatur,intra oppidi Moron vulgò nuncupati mœnia,quod R.Archiepiſcopi Hiſpalenſis iuriſdictioni ſubeſt,ipſiuſq; Ducis dicto audiebat,ex proprijs bonis, anno humanę ſalutis 1541.ad fratrum Minorum vſum, atque habitationem ædificari curarit.
D In quo & 24 fratres frequentius commorantur,ſanctiſſimèque eius vitam finiuit P. F. Andreas à Guirola,qui pèr 40.annos mundo,eiuſque illecebris,atque ēt nuptijs deſeruijt,ac per alios 50.quibus in Ordine ſuperuixit,Deo opt.max.cōplacuit, adeoq; ſtrenuè ac religioſè atq; perfectè vitam duxit, vt uix ſibi parem ijs temporibus habuerit.

De conuentu S. Mariæ de Clarinis Beier. Conu. XXVI.

CVM nobilis quidā Ioannes à Maria ex opido Bejer vulgò dicto, quod R.Archiepiſcopo Gaditano in ſpiritualibus, in temporalibus verò Duci Metthymnæ Sidoniæ paret,oriundus,tum ſibi,tum quoq; compatriotis adeſſe cuperet,vnum quendam conuentum ex proprijs facultatibus præfato in oppido ædificare ſtatuit. Quamobrē aliquot Franciſcanis fratribus ex ſuperiorum facultate,anno Domini 1552. eo addu-
E ctis præmeditato operi initium dedit.Sed cùm vel pœnitentia, vel auatitia ductus prætermiſſo monaſterio ab eccleſia exordiri vellet, pauperculoſque fratres in domo laica morari cogeret,atq; præmonitus, vt ſtaret promiſſis, in ſecunda ſententia perſiſteret, communi prouincialis Capituli ſuffragio decretum fuit, vt euocatis fratribus is locus deſereretur.Quod etiam decretum loci anguſtia,inſalubritas, atq; peſſima diſpoſitio, maxima ex parte,accellerarunt.Cùmq; huiuſmodi fratrum abſceſſum Beierenſis communitas ægerrimè ferret,illoſq; ſibi coniuiere cuperet, à præmemoratis dominis Gaditano epiſcopo, atq; Methymnenſi Duce,quorum intererat,ædiculam quandam deuotiſſimam B.Mariæ de Clarinis dicatam,atq; ad mille paſſus ab oppido erectam, impetrauit,illamq; tum ex publicis,tum quoque ex priuatis eleemoſynis in iuſtum conuentum

uentum quantocitius promouere ſtuduit,atq; prædictis patribus,anno Domini 1578. A ſummo applauſu contulit. Commorantur ab eo temporis hoc in loco 14.religioſi, qui maiori ex parte alũtur eleemoſynis,quæ à fidelibus deuotiſſimæ,atq; antiquiſſimæ cuidam glorioſæ Virginis imagini ibidem erectæ,ob frequentia miracula, ibi indies ex diuina miſeratione contingentia, offeruntur. Antiquior uerò locus à Ioãne à Maria ſemi cõſtructus,qui immaculatæ Virg.Cõceptioni ſacratus euaſit,ac in Ordinarij ius ceſſit, tũ ab eo,tũ quoq; à præfata Beiereſi cõitate ſacrarũ virginũ habitationi adiudicatus eſt.

De conuentu S.Franciſci Gadibus. *Conu. XXII.*

VLTRA fines Bæticę Prouinciæ, & in extremo huius noſtri Orbis verſus Occidentem,vbi Europa ab Aphrica dirimitur,inter criſpantes,ſpumanteſq; maris vndas,duæ inſulæ,quarũ maior Eritia,minor verò Gadis appellatur, diſtatq; altera ab B altera Euripo interlabente,vnius tantùm ſtadij ſpatio,ſurrigunt.In harum altera celebris ciuitas Gaditana, Romanis olim nota,nũc aũt mercatoribus familiaris ædificata eſt:ad cuius extremitates Occidentem verſus erectus conſpicitur hic fratrum Minorũ conuentus, B.P.Franciſco ſacer,qui ex peculiaribus mercatorũ, præcipuè verò extraneorum eleemoſynis,circa annum Dñi 1560.conſtructus,iiſdemq; fratribus biẽnio ſequenti,nempe anno 1562.inſtructus fuit. Cuius loci eccleſiã tria ſacella elegantiſſimè ab Italis,Flandris,ac Cantabris mercatoribus elaborata mirum in modum exornant. In ijs ſtatutis diebus præfatæ nationes, vel reddendorum votorum vel rei diuinę aſſiſtendi gratia conueniunt. Cõmorantur denique hoc in conuentu 36.religioſi fratres.

De conuentu S. Mariæ de Conſolatione Algaidarum. *Conu. XXIII.* C

INTER medios fines oppidi Archidona Hiſpanicè nuncupati diœceſis quidẽ Hiſpalenſis,ſed iuriſdictionis Ducis Oſſunenſis,atq; oppidi Benamexi vulgò dicti. Sed ad 6.lapidẽ ab vtroq;,in Algaidani nemoroſi montis latere,Orientẽ verſus, ex pergrãdis cuiuſdam ſaxi præcordijs conuentus hic,S. Dei genitrici Mariæ de Cõſolatione dicatus,cui tamen de Algaidis cognomen frequentius inditur, quod idem ac voluptuoſus,ſiue amœnus mons ſonat, nam Algaida quod Arabicum nomen eſt,mons hilaris, ſiue viridis campus Latinè interpetratur,in altum exurgit, cuius ſtructura eſt omnino mirabilis. Nam eius eccleſia, refectorium, ſacriſtia,cœteræq; officinæ,pro maiori parte ex ipſo lapide ſiue ſcopulo mirificè,laborioſiuſq; excauato conſtant. Licèt enim hic locus ex diuerſis offerentium eleemoſynis fabricatus,perfectuſq; ſit,ſuum tamen patronum agnoſcit illuſtriſs.Ducem Oſſunenſem,cum & hortorum,atq; totius domus ſitũ, D ſimulatque aliquot eleemoſynas ad ſui promotionem is heros liberaliſſimè cõtulerit. Huius præterea ſacræ ædis amœnitas,quies,atque tranquillitas vix explicari poſſent, cùm rariſſimè à ſęcularibus frequentetur,& pulcherrimis arboribus cõſepiatur, atque 12.limpidiſſimis fontibus, in gyro ſcaturiẽtibus, irrigetur:quamobrem conſultiſſimè à Prouincię proceribus Recollectioni adiudicata extitit. Hanc 16.religioſiſſimi fratres inhabitant,quorum nomen optimè apud conuicinos populos audit. Non erit abs re ſi altius,breuius tamen,huius loci originem repetamus.Habitarunt igitur in duobus huius Algaidani mõtis ſpecubus,quorum alteri B.Magdalenæ, alteri verò Columbæ nomen erat,aliquot anachoretæ,qui ex acquiſitis eleemoſynis,atque ex pretio, quod ſibi ex fiſcellis,& ſedibus propria arte elaboratis obuenerat,in amborum ſpecuũ meditullio ædiculã B.Marię de Conſolatione ſacram,vbi orationis cauſa ſtatutis horis conuenirent,ædificari curarunt.Qua tamen anno Dñi 1544.intempeſta nocte, abſque aliqua E eorum læſione(quod miraculo minimè caruit)à quodam nimbo, atque rapidiſſimis aquis ex imminentis montis cliuo impetuoſius deſcendentibus demolita,aliam,eadem arte, eodemque opere, atque ſub eodem prorſus titulo, tantùm paſſibus à prima Orientem verſus, eo videlicet loco, in quo conuentus modò ſubſiſtit, conſtrui fecerunt.

De conuentu S Franciſci Nebriſſæ *Conu. XXIX.*

RESTITERE diu(neſcio quibus de cauſis) tum R.Hiſpalenſis Archiepiſcopus, tum quoque Nebriſſenſis clerus, ne Nebriſſæ, quæ Hiſpalẽſis diœceſis oppidũ eſt, fratrum

A fratrum Minorum conuentus erigeretur. Sed reclamante toto oppido, ægerrimeq; ferente quòd ſe tanto bono, tantaq; ſpirituali conſolatione abs re priuarent, non potuêre non piæ oppidanorum deuotioni annuere. Quibus deniq; annuentibus pijſſimus Didacus Minnez Pintennius Nebriſſenſis capaciſſimum ſitum intra eiuſdem oppidi mœnia ex proprijs facultatibus ad iſtius conuentus, qui ſeraphico patri Franciſco ſacer euaſit, ædificationem, anno à Chriſto nato 1570. emit, atq; Nebriſſenſis pia communitas quod reliquum eſt operis ex publicis prouẽtibus, atq; facultatibus, non minus liberaliter, quàm diligenter conſtruxit, fratribusq; Franciſcanis omnibus ſuis numeris abſolutum, præfato anno 1570. ad perpetuum vſum, atq; habitationem contulit. Horum 18. religioſam vitam pro debito ducentes in eo commorantur.

De conuentu S. Franciſci, ſiue S. Petri martyris Tebæ. Conu. XXX.

B CVM inclytus Didacus Guſmanius Ardalenſis Marchio, atq; Tebenſis Comes, occultis quibuſdã de cauſis Dominicanis patribus ad quandam bonorum reſtitutionem teneretur, eius legitimo filio atq; ſucceſſori Ludouico Guſmanio moriens ex teſtamento præcepit, vt eremitorium beato Petro martyri dicatum, quod intra Tebani oppidi mœnia conſurgebat, ex obuẽta ſibi hæreditate, in contracti debiti ſatisfactionem, in iuſtum conuentum quantò citius promoueret, atq; Dominicanis patribus inhabitandum conferret. Qui quidem hęres, pijs defuncti patris iuſſionibus obtẽperans, hoc monaſterium, ſub eodem antiquiori titulo, circa annum humanæ redemptionis 1550. ædificari, præfatiſq; Dominicanis patribus retento ſibi patronatus titulo, anno ſequenti videlicet 1551. tradi curauit: quem tamen illi poſt decennium, C neſcio qua de cauſa, ex R. patris Seraphini totius Dominicani Ordinis generalis Magiſtri deſeruêre. Sicque 12. continuis annis habitatoribus caruit: donec videlicet anno Domini 1573. ad inſtantiſſimas pręmemorati Ludouici Guſmanij preces à P. F. Garſia à Ribera tunc Bæticæ Prouincię Miniſtro reliquorum Prouinciæ monaſteriorum cathalogo aſcriptus, atq; fratribus Minoribus, inuitis tamen omnibus ferè Prouinciæ maioribus, inſtructus eſt. Commorantur ab eo temporis hoc in loco 14. fratres, qui caput vnius ex vndecim millibus virginum atque martyrum obſeruant.

De conuentu S. Pauli de Eremo. Conu. XXXI.

CVM ſingulari affectui, atq; beneuolentiæ, qua illuſtriſſimi Oſſunenſium Duces ſeraphicum Ordinem Franciſcanum proſequuntur, accederet peculiaris deuotio, D qua Leonora Guſmania Petri Gironij Oſſunenſium quoq; Ducis legitima vxor in diuum Paulum Apoſtolum, cuius feſtum natalitius ſibi dies fuerat, propenſiſſimè ferebatur, ruralem recreationis domum, quam ad radices prærupti cuiuſdam montis in medio confertiſſimæ, atq; ferè impenetrabilis ſyluæ, cui Hiſpanicè Cote nomen eſt, ſuper ſcopuloſum ſaxum atq; arboribus veſtitum 8. milliari ab oppido Morono Hiſpalenſis diœceſis, atq; ad 5. lapidem à viciniori pago, occupabant pijſſimi hi Principes anno à partu Virgineo 1575. in optimam conuentus formam, ſub titulo ſancti Pauli de Eremo, redigendam, huiuſq; Prouinciæ patribus, ea tamen lege addita, ne videlicet eam aliquando vel desererent, vel alicui alteri Ordini traderent, nevè ab alijs quàm à patribus iſtius Prouinciæ Recollectis occupari ſinerent, tradendã curarunt. Quamobrẽ ab 18. huiuſmodi fratribus à ſui exordio vſq; impræſentiarũ inhabitatur. E Quibus etiam, ob maximã ſui quietẽ atq; ſolitudinem, maximè fauet. Nam ab vno vel ab altero paſtore, qui vel ſacri audiẽdi, vel confeſſionis faciendę cauſa eò accedit, nullus alius comparet, aut ſe illis oſtendit. Eſt nihilominus ſacra hæc domus ſalubris, atq; amœna, quã pulcherrimi horti gelidiſſimis aquis irrugui, atq; diuerſis arboribus, ſed feraciſſimis conſiti, nec non & ſequentes ſanctorum reliquiæ exornant: Nempè quoddam os vnius ex 11. millibus virginum, aliud ſanctæ Margaretæ virg. & mart. aliud S. Zenonis, aliud S. Caliſti Papæ & mart. & alia quædam 40. SS. martyrũ: præterea fragmentum lapidis S. ſepulcri, aliud columnæ ad quam alligatus idem Saluator flagellatus fuit, & aliud ex ipſo loco depromptum in quo Domini crux erecta extitit, inſuper & pars eius habitus B. P. Franciſci, quo indutus ſacra ſtigmata recepit,

particula cuiuſdam tunicæ B.P.Bernardini,alia particula alterius tunicæ beati Ioannis de Capiſtrano, & pars eius ligni,quo ſeraphicus P. Frãciſcus pro ceruicali vtebat̃. A

De monaſterio S. Claræ Hiſpalis. *Mon. I.*

CVM ſereniſſimus Federicus Ferdinandi III. Caſtellę Regis filius , atq; Alphonſi X. vterinus frater , ex teſtamento cauiſſet , vt propria eius domus , quam intra mœnia Hiſpalenſis ciuitatis poſſidebat , in pauperum ſororum Franciſcanarum monaſterium transferretur,Rex Caſtellę Sanctius ipſius teſtatoris ex fratre nepos,anno Domini 1293.pijs patrui votis ſatisfaciens pręfatam domum monialium vſibus adaptari,illisq; ſequenti biennio,nẽpe anno 1295. tradi curauit. Hanc Ferdinãdus IIII. Caſtellę Rex,atq; filius & ſucceſſor prędicti Regis Sanctij cùm nihil proprij haberet, annuis redditibus dotauit. Licet hæc domus,beatæ virgini Claræ ſacra , modò patribus Conuentualibus ad annum vſq; 1495. modò verò Obſeruantibus ab eo videlicet temporis vſq; impræſentiarum paruerit,optimè tamen apud omnes ſemper audierunt atq; audiunt 70. ſorores eius incolę, quę religioſiſſimè venerantur ſequẽtes reliquias: Nempè particulam S. crucis Chriſti,quoddam os B. Rochi, maximam partem cranij S. Petri martyris , aliud os S. Donati , & quamplurimas alias authenticis teſtimonijs ſuffultas, quas tædij vitandi cauſa conſultò prætermitto. Inter cæteras ſanctiſſimæ vitæ moniales, quę hoc in loco virtutibus atq; religione floruerunt , vna longè emicuit nomine Leonora Guſmania , ex Ducũ Methymnę Sidonię familia originem trahens. Hęc ſicut ſanguinis claritate reſplenduit, ita quoq; vitę ſanctimonia atq; nitore claruit.Cùm enim octiennis vtroq; parente orbata temporalibus diuitijs afflueret, ac ſub auunculi cuiuſdã tutela diligẽtiſſimè conſtituta, & vix 11. ſuę ętatis annum attingens ab eo maximè ſolicitaretur , vt temporali ſponſo nuberet , nunquam eam in ſententiam adduci potuit. Aiebat ſiquidem ſe Chriſto cœleſti ſponſo à plurimis diebus nupſiſſe , nec poſſe citra eius iniuriam alteri deſponſari. Cumq; timeret ad temporales nuptias cogi,actu quodam Religionem ingreſſa eſt. Finxit enim ſe maximo inuiſendæ materterę , quę tunc conuentus ſanctę Agnetis agebat Abbatiſſam, deſiderio teneri , quapropter ad illam ducta , dum quaſdam alias moniales in monaſterij porta alloqui ſimulat, loci penetralia leui pede protinus petijt , à quibus nullo pacto excludi potuit. Minitantibus verò pręfato loco ruinam omnibus eius tum conſanguineis , tum quoq; affinibus ex catholicorum Hiſpanię Regum Ferdinandi atq; Eliſabethę mandato ad ſanctę Clarę monaſterium , vt coram R. Hiſpalenſi Archiepiſcopo , atq; regio ciuitatis Gubernatore mentis ſuę propoſitum liberius aperiret , tranſlata eſt. Quę tamen in ſententia perſiſtens liberè coram toto illo nobiliſſimo conſeſſu faſſa eſt ſe inde nullo pacto niſi in fruſtra diuellẽdam : inſuper & addidit, vt ſe Chriſti ſui ſponſi dulciſſimis alloquijs frui ſinerent. Ab eo igitur tempore tota illa neceſſariorum , atq; ſanguine coniunctorum tempeſtas ceſſauit. Ingreſſa eſt itaque nobiliſſima hęc ſoror Leonora Guſmania Religionem , cùm annum ageret duodecimum , atque in ea per ſexaginta & nouem annos in maxima paupertate , profundiſſima humilitate , incredibili pœnitentia , atq; continua oratione per 28. annos ſubdita,& per quadraginta & vnũ Abbatiſſa(licèt inuita)perſeuerauit:ab anno ſcilicet 1510. vſq; ad ad annũ 1579. Cuius corpus,cùm 13. continuis menſibus in quodã ſubterraneo ſepulcro humido, atq; corrumpendis corporibus aptiſſimo perſeueraſſet, nihilominus imputre omnino incorruptum inuentum eſt.Quod miraculo omnibus tributum eſt.Eaq; de cauſa ad nobilius quoddam mauſoleum , ſibi in choro à monialibus erectum , honorificè tranſlatum eſt.Cui etiam è regione aſtat corpus R. ſanctiſsimiq; patris Aluari Minoritæ, atq; Syluenſis epiſcopi alio ſepulcro reconditum. Is R. Epiſcopus mortem ſanctè obijt,anno Domini 1335.hocq; monaſterium pluribus redditibus ditauit.

B C D E

De monaſterio S. Agnetis Hiſpalis. *Mon. II.*

NOBILIS Maria Coronel vidua ex morte ſui viri Ioãnis à Zerda relicta, cùm prole,quæ ſibi ſuccederet,deſtitueretur,nihil conſultius ſe facturã duxit, quàm ſi quod ſanguine coniunctis relictura erat,id in Chriſti obſequiũ conſummeret. Quapropter

A propter ex domeſticis facultatibus,quibus maximè abundabat,& hoc monaſterium,
B.Agneti ſacrum,intra Hiſpalenſis ciuitatis mœnia,in quo cum maxima Hiſpalenſiū
ædificatione 80. Clariſſæ ſorores commorantur , circa annum Dñi 1393. ædificauit ,
competentibusq; redditibus dotauit,& aliud in Regno Caſtellæ ad earundē ſororum
habitationem conſtruxit, prouentibusq; communiuit . Ingreſſa præterea præcedens
S.Claræ monaſterium,& Religionis habitum induit,& vitam in ipſo ſanctiſſimè finiuit. De hac pientiſſima fundatrice illuſtre illud factum apud vulgus receptiſſimum
ſpargitur , atq; à prædeceſſoribus ad poſteros,tamquam quid certiſſimū & indubitatum,veluti per manus tranſmittitur: Fuiſſe ſcilicet ipſam ſpecioſiſſimā,atq; pulcherrimam,eaq; de cauſa à Rege Caſtellæ Petro Crudeli ſummopere concupitam,atq; perſequutam . Cumq; nec ſuaſionibus, nec precibus eum à ſe ſolicitanda auertere poſſet,
B titione ex igne ſublato propriam faciem deformare contendit, vt vel ſic Regis manus
effugeret : Quo nihilominus in ſententia perſtante,ad huius loci moniales ſe contulit,
illaſq; rogauit, vt ſe viuam humarent , quandoquidem Regis demētia efferueret,nec
prius ceſſatū foret , quàm optatis,licèt iniuſtiſſimis, potiretur ; & præſtare glorioſam
mortem oppetere,quàm famam commaculare,Deumq; opt.max.offendere . Mirabile
dictu ! vix hortulanus foueam,in qua ad tempus delituit,leui terra contegerat, quando tota ſuperficies ſpiſſiſſimo petroſelino virentibus folijs conſperſa fuit : ita vt furibundus Rex poſt eam ingreſſus , totumq; conuentum , atque hortum diligentiſſimè
ſcrutatus , nullo pacto eam ibi latentē inuenire potuerit.Quod hauddubiè futuræ ſuæ
pietatis,religionis & ſanctitatis, quibus inſignis fuit, manifeſtiſſimū extitit inditium.

C *De monaſterio S. Mariæ de Ieſu Hiſpalis.* *Mon. III.*

SVPERIORA duo monialium monaſteria ad ſecūdam S.Claræ Regulam, ſiue
ad Clariſſas ſorores Vrbaniſtas ſpectant , ſed hoc tertium , quod intra Hiſpalenſis
eiuſdem ciuitatis muros ſub titulo S. Mariæ de Ieſu conſurgit , ad pauperes S. Claræ
ſorores,ſiue de prima eiuſdem B.Claræ regula attinet.Quod quidem ab inclyto Aluaro à Portugalia Ieluenſi Comite,anno Dñi 1520.ex peculiaribus eius domibus atq; facultatibus,ædificatum fuit. Cuius ſorores nihil annui redditus obtinent , ſed ex mera
tantùm emēdicatione,atq; proprio labore ſuſtentantur . Quapropter in maxima ſunt
veneratione atq; pretio apud omnes Hiſpalēſes. Nec immeritò ſanè,cùm præfixas ſibi
in Regula leges inuiolabiliter ſeruēt , primamq; ſui fundatricem habuerint religioſiſ-
D ſimam fœminā ſororem Eluiram à Villaſicca . Hæc cùm ex morte proprij viri Cordubæ derelicta fuiſſet vidua,propriā ſuæ habitationis domum in ſanctimonialiū conuentum,ſub titulo S.Eliſabethę de Angelis,ibidem euexit,eiuſq; primā,atq; omnino ſtrenuam Abbatiſſam egit.Vnde poſtea cum alijs 12.ſororibus ad hunc locū tranſlata,eodē munere ſub rigidiſſima pęnitētia, atq; incredibili humilitate plurimis annis functa
eſt . Huius ſacræ ædis ſorores , quæ numero ſunt 33. vili amictu,ligneiſq; calepodijs
(quod in Hiſpania rariſſimum eſt) Italico more pro calceamento vtuntur,atq; quàm
diligentiſſimè obſeruant,religioſeq; venerātur S.crucis Chriſti particulam, & quoddam caput alterius ex 11.millibus virginum,aliudq; vnius ex ijs SS. Innocētibus, qui
pro Chriſti fide ſub impio Rege Herode glorioſo martyrio coronati ſunt , atque aliud
caput alterius ex ſtrenuis illis athletis,atq; Chriſti martyribus,qui Treueris pro Chri-
E ſtiana confeſſione glorioſam mortem oppetiuêre, atq; alias 12. ſanctorum reliquias ,
quas omnes ſereniſſima Maria Auſtriaca Germanorum Imperatrix , atque catholici
Hiſpaniarum Regis Philippi II. vterina ſoror ex vrbe Vienna, ad inſtantiam nobilis
Comitiſſæ Montis acuti , liberaliſſimè , pro ſua in hunc locum pietate , dono miſit .

De monaſterio ſanctiſſimæ Matris Dei Xerez. *Mon. IIII.*

HABITARANT patres Franciſcani Obſeruantes aliquandiu anguſto quodā
in conuentu extra muros eius ciuitatis , quæ vulgò Xerez nuncupatur . Sed reductis ad regularem Obſeruantiam Conuentualibus patribus in ea reformatione,quę
ſub catholicis Hiſpaniæ Regibus Ferdinando atq; Eliſabetha contigit,illum deſerere
atq; alium multò auguſtiorem, multoq; commodiorem intra eiuſdem ciuitatis mœ-

nia erectum, diuoq; patri Franciſco ſacrum, occupare compulſi ſunt. Quapropter pij A
ciues, ne primus ille atq; derelictus conuentus omnino periret, ſed vt potius ſacris virginibus, quæ diuerſis in monaſteriolis pauperem ſatis, atq; incommodam vitam ducebant, vſui eſſet, ipſum tum ex publicis, tum quoq; ex priuatis eleemoſynis in iuſtiſſimum, capaciſſimumq; monaſterium promoueri, atq; ab omnibus præfatis monialibus, anno incarnationis Dominicę 1504. inhabitari curarũt. Quas deniq; cùm ex apoſtolica auctoritate patrum Franciſcanorum Obſeruantum ferulæ atq; correctioni ſubegiſſent, inſignis Theologus Emanuel à ſancto Martino ſecundus Bæticæ Prouinciæ Miniſter eas, adductis aliunde quibuſdam monialibus Clariſſis, quæ illas monaſticis ritibus imbuerent, ſacraſq; cœremonias docerent, ſanctæ Claræ habitum atq; Regulam ſumere, ac ſuo tempore ſolemne votum emittere compulit. Cuius feliciſſimis auſpicijs, atq; diligentia ſacer hic locus adeò creuit, adeoq; profecit, vt pauciſ- B
ſimis cedat. Eſt enim nobiliſſimus, atq; competenter dotatus, ſeptuagintaq; ſorores commodiſſimè cõtinet, atq; quodã oſſe ſancti Zenonis honeſtatur, condecoraturq;.

De monaſterio S. Claræ Moguer. Mon. V.

OBTENTA prius à Clemente VI. pont. max. facultate, quam & Innocentius VI. Pont. itidem ſummus, confirmauit, de Franciſcana familia optimè meriti Alphonſus Gaufredus à Thenoiro Hiſpanici maris Ammiras, eiuſq; legitima, coniux Eluira Aluarez, ne beatæ Claræ eiuſq; filiabus, ſi beato tantùm patri Franciſco atq; eius filijs in oppido, cui Moguer vulgò nomen eſt, conuentum erexiſſent, iniuriam feciſſe viderentur, hoc quoq; monaſterium, beatiſſimæ virgini Claræ dicatum, pro excipiendis ſacris virginibus eiuſque ſectatricibus intra præfati oppidi C
Moguer mœnia, anno à mundi redemptione 1350. ex proprijs communibuſq; facultatibus ædificari curarunt, honeſtiſſimiſq; redditibus inſtruxerunt. Cuius ſanctitas atq; religio adeò per vniuerſam Hiſpaniam diffuſa eſt, vt feliciſſimus ille habeatur, qui vel filiam vel cognatam Deo conſecrandam ibidem collocare poſſit. Quamobrẽ, ne creſcente numero locus vltra modum grauetur, plurium ſummorum Pontificum diplomate decretum eſt, ne à pluribus quam à quinquaginta ſororibus inhabitari poſſit. Quarum vna vix per mortem deſideratur, cùm eueſtigio plures etiam nobiles ac honeſtiſſimæ virgines adſint, quę maxima contentione recipi exoptent, petãtq;.

De monaſterio S. Claræ Marchenæ. Mon. VI.

CVM honeſtæ duæ viduæ, nec non vterinæ ſorores, quarum alteri Ioanna Gon- D
ſaluez, alteri vero Eluira Gonſaluez nomẽ erat, proceſſiſſent in diebus ſuis, prolibuſq;, quibus bona relinquerent, omnino carerent, hoc monaſteriũ, B. virgini Clarę ſacrum, ac 200. paſſus ab oppido Marchena Hiſpanicè nuncupato, à fundamentis, ex propria atq; communi ſubſtantia, erigi omninoq;, anno Domini 1498. abſolui curarunt, atq; ex apoſtolica auctoritate ſibi ab Alexandro VI. Pont. max. conceſſa, cuius bulla cũ alijs plurimis ſcripturis in eius archiuis aſſeruãtur, monialibus Clariſſis tamẽ Vrbaniſtis eodẽ anno inſtruxerunt. Quibus & honeſtiſſimos annuos redditus reliquerunt. Adeò enim illuſtris hic locus euaſit, vt 50. ſorores & vltrà freqũetius contineat.

De monaſterio S. Mariæ de Gratia Vtreræ. Mon. VII.

AEDIFICARAT Ioannes Pontius à Lugduno Comitis Arcuenſis legitimus E
filius intra ſepta eius oppidi, quod Vtrera Hiſpanicè nuncupatur, monaſteriũ quoddam in honorem ſanctæ Mariæ de Gratia, illudq; anno a Dñica natiuitate 1512. honeſtis quibuſdam fœminis inhabitandum contulit. Sed cùm eius deuotio ad Franciſcanum Ordinem incredibilis eſſet, cuperetq; præfatam domum à ſe conſtructam religioſiori quodam ritu diuino cultui mancipatam, illam monialibus ſanctæ Claræ, à fratribus tamen Minoribus regẽdis, corrigendiſq; tradere decreuit. Quapropter re ſerius per integrum triennium trutinata, his fœminis, quæ monaſticum S. Claræ habitum ſumere, atq; eius Regulam ſolemniter profiteri noluerunt, loco anno Dñi 1515. pulſis, Clariſſas moniales, ſufficientibus annuis redditibus ſibi interim conſti-

A conſtitutis,ſuffecit,ſubrogauitq́; ; quas & regimini huius Prouinciȩ patrū ſubeſſe voluit. Commorantur in hac ſacra domo 70. ſorores, diligentiusq́; quoddam os ſancti Andreæ Apoſtoli,& partem cranij beatæ Mariȩ Magdalenæ cuſtodiunt,aſſeruantq́;.

De monaſterio S. Claræ Carmonæ. Mon. VIII.

FVERE olim in oppido Carmona honeſtæ duæ matronæ atq; Tertiariæ, ſiue de tertio Ordine beatiſſimi patris Franciſci, quæ, pro ſua in Deum pietate,propriā domum,quam intra eiuſdem oppidi ambitum poſſidebant, ex communibus bonis in vnum congeſtis,atq; in medium collatis, in cuiuſdam monaſterioli formam ſub titulo ſanctæ Claræ redegerunt,atq; pro modulo dotarunt, nec non & monialibus beatæ virginis Claræ,quibus & ipſæ ſub eodem habitu,atq; ſub eadem profeſſione adiunctæ
B ſunt,in habitationē,anno Domini 1463. ex facultate Pij II. Pont. max. contulerunt. Quarum ſanctitas,vitæq́; integritas, cùm in dies magis,magisq́; excreſceret, Beatrix Pacieco Gadiū Marchioniſſa illis & domū magnificè ſatis ampliauit,& annuos redditus abundātiſſimè adauxit; ita vt commodè ſatis 60. earū numero ibidē commorētur. Voluit prætereа præfata fundatrix,hoc in loco,honeſto mauſoleo ibi erecto, ſepeliri.

De monaſterio Conceptionis B. Virginis Carmonæ. Mon. IX.

NVPSIT honeſtiſſima quędam virgo Lucia Sanctia Beociana, immaculatæ beatiſſimæ Mariæ virginis Conceptioni deuotiſſima peritiſſimo cuidam Medico Chriſtophoro Tacto, ſed omnino indeuoto, atq; temporalium rerum cupidiſſimo. Cumq́; illa pauperibus ex intimis præcordijs compateretur, atq; de communi
C ſubſtantia illis eleemoſynas faceret, ille verò è conuerſo tenacior erga eoſdem eſſet, ducebat eapropter pia vxor miſerrimam vitam. Accedebat, vt illa immaculatæ virginis Conceptioni,eiusq́; domibus atq; ſacris monaſterijs deuotiſſima eſſet,ipſe verò longius ab huiuſmodi deuotione fieret, quod & eius miſeriam non parum augebat. Vnde ſæpius pijs ſuis votis factura ſatis eccleſiæ ſibi occultè, atq; inconſulto viro accedēda veniebat. Igitur cùm Sabbatinis diebus Completorio virginis interfutura,eremitorium quoddam longiuſculus ab oppido Carmona diſtans accedere,pro laudabili more,aſſueuiſſet:contigit vt,ea diuinis laudibus eo in loco ſemel occupata,tanta tāq; continua,atq; proceloſa oriretur tempeſtas, vt excreſcentibus riuulis,aquisq́; inundantibus,propriam domum repetere nullo pacto potuerit.Quapropter anxia mulier, ſibiq́; ſummopere à zelotypo, atq; rudi viro timēs, per totam noctem ab interpellan-
D da Virgine glorioſa non ceſſauit. Et ecce dum ſummo mane poſt factam diligentem omnium peccatorum ſuorum confeſſionem, atq; ſacram ſynaxim quamdeuotiſſimè ſumptā,domum non abſq; timore petit, virumq́; omnino hilarem prȩter conſuetudinem inuenit.Sciſcitata deniq; tantæ nouitatis cauſam,audit ab eo benè quidem ſibi illa nocte fuiſſe, ſed ignorare penitus qua de cauſa ipſa nec ſecum loqui, nec comedere voluerit. Vnde deuota mulier manifeſtè intellexit beatiſſimam virginem Mariā eius abſentiam ſuppleuiſſe. Cumq́; rem geſtam lætabunda omnino,atq; non abſq; maximis lacrymis viro ſuo narraſſet, ille protinus è mēſa, cui aſſidebat,exiliens,atq; genua coram Deiparæ Virginis imagine flectens, præteritæ indeuotionis, anteactæq́; vitȩ veniam exorauit, atq; eius correctionem in futurum ſpopondit, nec non & piȩ vxori promiſit,vt quicquid ſibi liberet pauperibus erogaret,atq; pro voto eccleſias peteret.
E Qua habita facultate ſedula mulier debitas gratiarū actiones Virgini glorioſę,eiusq; dilectiſſimo filio relatura præfatum eremitorium ex tempore repetijt, votoq́; erigēdi cuiuſdam monaſterij in honorem Conceptionis, ſi eā viro ſuperuiuere contingeret,ſe aſtrinxit. Cùm ergo non ita poſt multum tēporis eius vir ex hac vita migraſſet,grata mulier quicquid hȩreditatis vnico communi filio obueniebat,ſibi contulit, ac propriā domum in Carmonenſibus ſuburbijs ſubſiſtentem, annuente Leone X. Pont. max. ex bonorum reſiduo in monaſterium,ſanctiſſimȩ Conceptionis ſacrum,euexit, & à monialibus Ordinis eiuſdem ſanctiſſimæ Conceptionis inhabitandum curauit, & illud, ſub habitu Tertiariarum ſororum beatiſſimi patris Franciſci, cum quibuſdam alijs eiuſdem Inſtituti religioſis, anno à ſalutifera noſtra redemptione 1513. ingreſſa eſt.

Contradicẽtibus verò ſibi quibuſdam conſanguineis, atq; vniuerſo Carmonẽſi clero, non paucas difficultates atq; moleſtias perpeſſa eſt. Quibus tamẽ prudentiſſimè, atq; patientiſſimè ſuperatis, poſt trienniũ elapſum, nempè anno 1516. ipſa ſimul cum alijs ſuis ſequacibus & clauſuram ſolemniter profeſſa eſt, & ſanctiſſimę Conceptionis habitum, antiquiori relicto, induit. Commorantur itaq; hoc in loco ſub habitu & Regula pręfatę ſanctiſſimę atq; immaculatę Conceptionis virg. Marię 70. virgines Deo ſacrę. A

De monaſterio Reginæ Cœli San Lucar. Mon. X.

SATISFACTVRVS Garſias Diaz Gibraleonius ſingulari deuotioni, qua & in Virginem glorioſam cœlorum Reginã, & in beatam Claram ferebatur, peculiarem ſuæ habitationis domum, quã intra muros oppidi San Lucar Hiſpanicè nuncupati optimo iure poſſidebat, in monaſterij formam adaptauit, ſacriſq; virginibus ac Chriſti ſponſis, ea lege eoq; pacto in earum habitationem, propriumq; vſum dono dedit, vt Deo opt. max. ſub beatæ virginis Claræ habitu, Regula atq; religioſis ritibus degerent, eccleſiamq; non alio quàm Reginæ Cœli titulo aliquando inſigniri permitterent. Quibus deniq; annuentibus moriens quicquid bonorum, atq; redditũ obtinebat ex teſtamẽto reliquit. Vltimam artificis manum experta eſt ſacra hæc domus, anno Domini 1519. quo etiã à monialibus occupata fuit. Quæ tamen fundatoris mandatum obſeruantes, pauperem ſatis, ob reddituum tenuitatẽ, cùm frequẽtius ſint numero 44. licèt religioſiſſimam, vitã ducunt: pieq; venerantur S. crucis Chriſti particulam, alteram ex ſpinis Dominicæ coronæ, cranij partem vnius ex 11. millibus virginum, quoddam os ſancti Geruaſij, aliud S. Antonij Abbatis, aliud S. Achatij, aliud S. Apollonij, itidem & aliud beati fratris Andreæ Spoletani Minoritæ. De harum reliquiarum veritate dubitare non licet, aſtruentibus ſibi fidẽ teſtimonialibus literis Ratisbonæ 27. Auguſti anno Domini 1546. datis, atq; in huius loci archiuis aſſeruatis. B C

De monaſterio S. Agnetis Aſtigij. Mon. XI.

PIA Agnes Cherina, cùm ex morte ſtrenui Capitanei Ludouici Perniæ eſſet relicta vidua, boniſq; abundaret, hoc monaſterium, diuæ Agneti ſacrum, in Aſtigiani oppidi ſuburbijs, 200. paſſibus ab eius mœnibus, anno à partu Virgineo 1487. ex propria ſubſtãtia ædificari, ſufficiẽtibuſq; redditibus, pro ipſius loci exigentia, inſtrui curauit Quod 70. ſorores Clariſſæ inhabitant, quæ cuſtodiunt alteram ex ſpinis, quibus ſacroſanctum Saluatoris Chriſti caput punctum fuit, atq; triginta alias ſanctorum reliquias à ſereniſſima Germanorum Imperatrice Maria Auſtriaca dono datas. D

De monaſterio S. Eliſabethæ Rondæ. Mon. XII.

PERSÆPE cogitãtibus Ludouico Ortefano, eiuſq; coniuge Catharina Treuinnia, qui plurimis annis in matrimonio abſq; prole, pacificè tamẽ, vixerant, de aliquo obſequio Deo præſtando, venit in mentem vnius monaſterij conſtructio. Quapropter propriam domum, quam intra oppidi Rondæ ambitum obtinebant, religioſis fœminis continendis mancipare ſtatuerunt. Obtenta igitur à loci Ordinario facultate, præfatam domum in monaſterij formam prius tranſlatam, atq; beatę Eliſabethę ſacrã, anno ſalutis humanæ 1542. à monialibus ſanctæ Claræ occupandam, atq; annuis redditibus pro ſuo modulo dotandam curarunt, quorum auſpicijs 40. ſorores, quæ ibidem commorantur, optimeq; apud omnes audiunt, Deo opt. max. ſub ſecunda beatę virginis Claræ Regula ibidem obſequuntur. Vt autem fundatricis pietas omnibus in propatulo ſit, hęc tantùm de ea dixerim, quòd videlicet cùm primùm matrimonialibus vinculis per viri mortem expedita fuerit, huic mũdo vale dicens, pręfatis ſororibus ſub eodem prorſus habitu, profeſſione, atq; conuictu adiuncta ſit. Cuius deniq; tanta fuit vitę aſperitas, paupertas atq; humiliras, vt monaſterium ingreſſa vix parem ſibi habuerit; & quę temporali viro aliquando complacuerit, in id omnes ſuos neruos intenderit, vt Chriſto ſecundo atq; ęterno ſponſo gratantius fideliuſq; complaceret. Impetrauit Ferdinandus Aluarez à Toleto magnus Melitenſis militię apud Hiſpanos Prior, atq; Ferdinandi itidem Aluarez à Toleto Albani Ducis filius huic E

ſacro

A ſacro loco à ſummo Pontifice Pio IIII. plenarium iubileum perpetuò valiturum, in eorum omnium fauorem, qui eius eccleſiam à primis veſperis ſanctiſſimæ Epiphaniæ vſque ad ſequentis diei ſolis occaſum viſitarint, ſuiſq; pijs eleemoſynis liberaliter iuuerint: qua de cauſa à plurimis Chriſtifidelibus eo die ingenti deuotione viſitatur.

De monaſterio ſanctiſſimæ Conceptionis Malacæ. *Mon. XIII.*

LICET conuentus hic B.virginis Marię Conceptioni ſacratus euaſerit,non tamẽ ab eius Ordinis ſororibus,ſed à Clariſſis monialibus pro fundatorũ mandato inhabitatur. Ij ſiquidem fuere R.Petrus à Toleto Malacenſis Ep̃s,ac Gutierrus à Cardenis maior Lugdunenſis Commẽdatarius, qui cùm eſſent & Conceptioni Virginis deuotiſſimi,ac Clariſſarum Ordini addictiſſimi, collatis in medium ſufficiẽtibus facul- B tatibus, vnum aliquod monaſterium ſub titulo eiuſdẽ B. virginis Claræ ædificare decreuerant. Morte tamen præuenti,quod piè propoſuerant,infectum relinquere coacti ſunt.Quamobrem moriens pręfatus R.Epiſcopus ſui teſtamenti, atq; huiuſce volũtatis executorem reliquit R.P.Ferdinãdum à Talabrica Granatenſium Archiepiſcopũ, virum vtiq; ſanctiſſimum, atq; catholicorum Hiſpaniæ Regum Ferdinandi & Eliſabethæ confeſſarium olim gratiſſimum, qui pro ſua in Deum pietate,atq; in defunctos beneuolentia,hunc conuentum in honorem puriſſimę Conceptionis B.Virginis,intra Malacenſis ciuitatis męnia,anno Dñi 1505.iuxta eorum votum atq; deſiderium,conſtrui,ac pijſſimis quibuſdam monialibus Clariſſis Vrbaniſtis ex Granatenſi monaſterio adductis,optimis moribus,religioſiſq; ritibus imbui curauit.Quibus tamquam per manus à prædeceſſoribus ad eas maxima cura tranſmiſſis,70.ſacræ virgines, quæ ibi- C dem frequentius commorantur, tenaciſſimè hærent. Honeſtatur ſacer hic locus particula quadam ſanctiſſimæ Crucis Chriſti, atq; quibuſdam oſſibus tum Apoſtolorũ, tum quoq; aliquorum martyrum,& quodam capite vnius ex 11.millibus virginum.

De monaſterio S.Mariæ de Pace Malacæ. *Mon. XIIII.*

EST & ſecundus Clariſſarum conuentus non contemnendus Malacę erectus,qui præcedẽti nec ſanctitatis,nec numeri, nec religionis palmam quoquo modo concedit. Is à perdeuoto Gutierro Gomezulo à Foſalida nobilis diui Iacobi militiæ Commendatario primæuã ſui originem duxit:non quidẽ in loco in quo modo ſubſiſtit, ſed intra eiuſdẽ ciuitatis mœnia. Cùm enim præfatus heros piæ virginis Claræ ſoboli de- D uotiſſimus eſſet,ſęculares quaſdam domos,in monaſterij formã adaptatas, anno Domini 1521.illi contulit.Cumq; eius loci ſitus ſororũ ſoſpitati minimè faueret,imò potius ob inſalubrem auram, qua infeſtabatur,nocumento eſſet, poſt 45. annos quibus ibidem commoratæ fuerãt,ab eiſdem derelictus eſt.Ne igitur anteactæ ibidem religioſæ vitæ pertęſæ, atq; in laxiorem inhiare viderentur, peculiares cuiuſdam Ludouici Mendez à Sotto maior Malacenſis ciuis domus, numerata prius pacta cum eo pecunia,in conuentum,ſub ſanctiſſimæ Mariæ de Pace titulo,promouerunt,atq; ad illum anno Domini 1566.ſe contulerunt,in quo impræſentiarum earum 70. commorãtur.

De monaſterio S.Annæ Oſſunæ. *Mon. XV.*

INERANT ferè ex æquo Mariæ à Specu (vulgò de la Cueua) Vreniẽſi Comitiſ- E ſæ ſingularis ad diuam Annam B.Virginis matrẽ deuotio,atq; ad ſorores Clariſſas non vulgaris beneuolentia.Cumq; vtriſq; patens aliquod ſpecimen eius,quę intus latebat,pietatis exhibere vellet,antiquiſſimã ædiculam præfatæ diuæ Annæ ſacrã, quę ad 500.paſſus ab oppido Oſſuna,derelicta ferè,ſurrigebat,in monaſterij formã ex proprijs facultatibus,ſub antiquiori titulo,refici,atq; monialibus aliquot Clariſſis aliũde adductis,quæ aduentantes virgines nouitias earũ Regulam, cęremonias atq; religioſos mores docerent,anno Dñi 1550.conferri curauit. Sed cùm is locus inſalubris omnino eſſet, facileq; ob eius diſtantiam cuicunq; facinoroſorũ hominũ iniuriæ pateret, emptis primò ſęcularibus alijs domibus in Oſſunenſi ſuburbio,atq; in cõmodũ monaſterium trãſlatis,à ſororibus anno Dñi 1566.derelictus eſt. Continet vltimus hic conuentus 40.Clariſſas moniales, quæ religioſius quoddã os S.Mauritij mart.obſeruant.


PROVINCIA
BVRGENSIS.
B. IOHANNES DE ORTEGA
LITERIS ET CONTEMPLA-
TIONE INSIGNIS.

PROVINCIA BVRGENSIS.

A QVIA ſatis ſuperq́; in Prouinciæ Caſtellæ proœmio de præſentis Prouin-
ciæ Burgenſis origine, dignitate atq; promotione egimus: impræſentia-
rum pertranſeundo, ac tamquam per epilogum, tantùm dicemus eam
vnam fuiſſe ex quatuor illis Cuſtodijs, quibus præfata Caſtellæ Prouin-
cia ante generale Capitulum Romæ in Aræcœli conuentu ſub Leone X.
Pont.max.anno Domini 1517.celebratum,nempe anno 1514. omnino abſoluebatur:
atq; Prouinciæ dignitatem anno ſequenti,nempe 1515.idq́; duplicium generaliũ no-
ſtri Ordinis Comitiorum, quorum altera Lauallis in Gallia Celtica, altera verò An-
tuerpię in Gallia Belgica celebrata fuêre,apoſtolici cuiuſdã breuis eiuſdem Leonis X.
B dati Romæ,prętato anno Domini 1514.tenore,eo in prouinciali Capitulo, quod Gua-
dalfagiaræ à patribus habitum fuit, aſſequutam fuiſſe: inſuper & Cantabriæ Prouin-
ciam,vt in eius præfatione latius patebit,nobis anno à mundi redemptione 1551. ſub
reuerendiſſimo patre fratre Andrea Inſulano totius noſtri Ordinis generali Miniſtro
produxiſſe. A cætero præfata hæc Burgenſis Prouincia,per Tarraconenſem Hiſpaniã
vtcunq; diffuſa,ex 22.fratrum conuentibus, quorum tres ſeraphicus ipſe pater Fran-
ciſcus,aliquot verò alios beatus pater Lopetius à Salinis erexêre,& 10.Clariſſarũ mo-
naſterijs,atq; tribus Conceptioniſtarum ſororum ædibus conſtat.Maius prętereа eius
ſigillum (vt cõſuetum morem teneamus) Dominica cruce,cuius dextro lateri glorio-
C ſa Virgo ſtans,atq; puerum Ieſum ſiniſtra ſuſtentans, ſed ſiniſtro genuflexus S. Fran-
ciſcus, atq; Seraph aſtant,baſi verò caput corona redimitum, duoq́; caſtra hinc inde
diſpoſita,quæ ipſiſſima ſunt Burgenſis celebris ciuitatis gentilitia inſignia, ſubſtant,
atque ſequentibus literis: SIGILLVM PROVINCIÆ BVRGENSI
SIGILLVM PROVINCIÆ BVRGENSIS. in orbem inſignitur. Hanc
denique Prouinciam beato patri Ioanni de Hortega Minoritæ,qui deuotionis gratia
Hieroſolymam petijt, quiq́; tum ſcientia,tum quoque miraculis in vita & morte cla-
ruit,quòd ex Tarraconenſi Hiſpania oriundus fuerit, ſtatuere, atque dicare volui.

De conuentu S. Franciſci Burgis. Conu. I.

D APPVLSVS pauperum Patriarcha Franciſcus,dum Compoſtellam corpus di-
ui Iacobi Apoſtoli viſitaturus peteret,Burgenſem celebrem,famoſam atque inſi-
gnem Tarraconenſis Hiſpaniæ ciuitatem, Alphonſum IX. Caſtellæ, atque Legio-
nis Regẽ,qui per antonomaſiã Sanctus extitit appellatus, quiq́; inſignem illam ducẽ-
torum millium Maurorum ſiue Saracenorum ſtragem apud Toloſæ Nauas, anno à
Chriſti natiuitate 1212. diuino fretus auxilio fecit, ibidem agentem humillimè con-
uenit: atque poſt exhibitam ſibi Franciſcanam Regulam, à ſummo Pontifice Hono-
rio III. confirmatam,ædificandorum in ſua ditione conuentuum facultatem ab eo
E humillimè retulit. Id enim & ex ſęcularibus hiſtorijs, atq; ex lapideis quatuor ima-
ginibus portæ matricis eccleſiæ Burgenſis imminentibus, quarum altera diui patris
Franciſci, altera beatiſſimi patris Dominici,altera eiuſdem Alphonſi Regis,altera ve-
rò vxoris præfati Regis perſonam repræſentat,liquidò conſtat. Huiuſce itaq; regia
facultate fretus beatus ipſe pater ædiculam, Archangelo Michaëli dicatam, atque è
cuiuſdam monticuli cliuo, aliquantulum à præmemorata ciuitate Burgenſi diſtãtis,
eminentem occupauit,inibiq́; aliquandiu ſubſtitit. Cœptam autem peregrinationem
continuaturus ſeraphicus pater vnum vel alterum ex ſocijs, qui eius curam gereret,
quiq́; accedentes ad Religionem Minoritico habitu indueret, eadem in ædicula reli-
quit. Sed cùm is locus fratribus minimè faueret,ab ipſis poſt aliquot annos derelictus,

atque

atque alius (de quo impræſentiarum) multò commodior, multoq; auguſtior, ab eo tamen non ita diſtans, acceptus, admiſſusq; extitit. Quando autem id acciderit, non ſatis conſtat. Si tamen authentico cuiuſdam Petri Diaz eccleſiæ Burgẽſis canonici, qui pinguem ſatis eleemoſynam ad eius conſtructionem reliquit, teſtamento fides adhibenda ſit, præfatus hic conuentus, qui poſtmodum beatiſſimo patri Franciſco ſacratus euaſit, quiq; longiuſculus à mœnibus diſtans 60. fratres commodè ſatis continet, ante annum Domini 1230. idq; ex diuerſis (vt facilè crediderim, nam hac de re nullũ extat monumentum) eleemoſynis, originem ſumpſit. His, quæ ſuperius diximus, aſtipulari videtur apoſtolicum Innocentij IIII. Pont. max. diploma, in huiuſmet loci archiuis aſſeruatum, datumq; anno Domini 1240. quo certa annorum de iniunctis pœnitentijs quantitas fidelibus, adiutrices manus ad huius loci conſummationẽ porrigentibus, ex apoſtolica auctoritate relaxatur. Eſt autem hic conuentus, licèt tanta antiquitate præditus, affabrè atque elegantiſſimè conſtructus, gaudetq; ampliſſimis, amœniſſimisq; hortis, necnon & neceſſarijs officinis, atque pulcherrima eccleſia: in altero cuius ſacello, ſeraphico eidem patri Franciſco ſacrato, (niſi nos vulgaris quædam traditio fallat) religioſiſſimus quidam pater, atque eiuſdem ſeraphici patris ſocius tumulatus eſt: cuius nomen nos latet. In præfata verò Archangeli Michaëlis ædicula tria primitiuorum illorum patrum Franciſcanorum corpora humata iacẽt: quæ anno Domini 1569. dum fortè fortuna ipſa ædicula reædificaretur, integra omnino, carnibus tamen conſumptis, vno & eodem in loco apparuerunt, & ab vniuerſa ferè ciuitate viſa ſunt. Qua etiam de cauſa is locus in magna eſt apud Burgenſes veneratione. Cùm deuotus quidã Petrus à Renuntio eius oppidi Tardajos Hiſpanicè nuncupati, diſtatq; Burgis ſex mille paſſibus, accola, qui Franciſcanos inde tranſeuntes humaniſſimo hoſpitio excipere ſolitus erat, in grauem infirmitatem incidiſſet, atque morti, iuxta reuelationem ſibi diuinitus factam propinquus aliquot ex hoc conuentu fratres, qui ſibi morient̃i adeſſent, euocari iuſſiſſet: nec illi, itineribus altiſſimis niuibus obſeſſis, eius votis ſatisfacere potuiſſent: adfuêre ex inſperato duo grauiſſimi Franciſcani circa medium noctis, quorum ſenior infirmo plura de cœleſti Regno, deq; vita beata propoſuit, aperuitq;, atq; tamdiu adfuit, quouſq; animam ſuo Creatori ille redderet, reſtitueretq;. Eo tamen vita functo, vt primùm eius animam Deo opt. max. de religioſo more ambo commendarunt, omnibus interim, qui defuncto aderant, ſalutatis, receſſerunt: nec ab aliquo ſuperuenientium poſtea fratrũ agniti ſunt. Qua de cauſa tum à fratribus, tum quoq; à ſęcularibus is rei euentus ſingulari Dei beneficio tributus extitit. Præterea cuidam præfati Petri à Renuntio filiæ grauiſſimè infirmanti, quæ poſt cari parentis obitum tranſeuntes Franciſcanos ad ſe declinare voluit, adfuit ſeraphicus pater Franciſcus, qui ſe ex tempore integræ ſoſpitati reſtituit, atq; de obitus die certiorem reddidit. Hæc autem, quæ & veriſſima ſunt, ideo in medium afferre volui, vt innoteſcat, quantæ apud Deum ſit æſtimationis quicquid Chriſti pauperibus, præcipuè verò religioſis patribus ob eius amorem impenditur, erogaturq;.

De conuentu S. Franciſci Iuliobrigæ ſeu Logronij. Conu. II.

CVM ſeraphicus pater Franciſcus Iuliobrigenſis cuiuſdam nobilis cognomine Medrani, qui tunc fortè ſub Regis Caſtellæ ſignis aduerſus Nauarræ Regem militabat, filium grauiſſimo morbo laborantem è mortis faucibus, anno Domini 1214. in ipſo Hiſpaniarum ingreſſu eruiſſet, priſtinæq; ſoſpitati reſtituiſſet, pater gratias pro tanto beneficio recepto relaturus, eum iam longiuſculus præcedentem à cępto itinere reuocauit, ac Iuliobrigam, quæ Cantabrorum ciuitas eſt, reuerti compulit, nec non & propriam domum, contiguosq; hortos ad ſe pertinentes ſibi ad huius conuentus ædificationẽ liberaliſſimè contulit. Hanc beatiſſimus pater libentiſſimè admiſit, ac in monaſterij formam tranſlatam alteri ex ſocijs commiſit. Fuit autem hic conuentus, cuius maius ſacellum præfati equitis Medrani ſucceſſoribus in ſepulturam patronatus iure deſeruit, primus eorum omnium, quos ſeraphicus ipſe pater apud Hiſpanos erexit. Cæterùm hęc ſacra domus, quę & ex diuerſis fidelium eleemoſynis conſtructa extitit, atque beatiſſimo eidem patri poſt eius mortem ſacrata euaſit, amœniſſima eſt: cùm à

præfata

A præfata ciuitate Iuliobriga aliquantulum diſtãs,ad fluminis Iberi marginem ſita ſit, pulcherrimoq; gaudeat proſpectu. Beatus etiam pater Bernardinus de Senis,dum Logronium tranſiret,alterius Logronienſis filium è cœnaculo lapſum,omninoq; extinctum ad vitam reuocauit: & prohibitus à nauclero ne nauim ingrederetur , ſtrato ſuper flumen Iberum palliolo,ad alteram continentis partem ſimul cum ſocio traiecit. Quod vt primùm proximioris oppidi , cui Puebla Hiſpanicè nomen eſt, diſtatq; bis mille paſſibus à Logronio , accolæ reſciuerunt, & edita lege ſtatuêre,vt quicunq; ille eſſet Franciſcanus gratis ad alteram fluminis marginem huiuſmodi nauigio in poſterum traijceretur, & vt natalitius eiuſdem beati patris Bernardini dies feſtiuè omnino apud ſe tranſigeretur. Commorantur denique hoc in conuentu quadraginta fratres.

De conuentu S. Franciſci Tudelæ. *Conu. III.*

B CERTISSIMVM apud Tudelanos eſt ſeraphicum patrem Franciſcum, dum in Galleciam tenderet, per ſe tranſiuiſſe, atque conuentum non longè à Tudela Vaſconum,communiq; ciuitate extruxiſſe. Qui quidem conuentus,cùm per centum quinquaginta annos,eoq; amplius ibidem conſtitiſſet, ingraueſcente inter Nauarræ atque Caſtellæ Reges cruentiſſimo bello, quòd ciuitati plurimùm incommodi,hoſte ſuperueniente,allaturus eſſet,dirutus , atq; ad terram deiectus eſt. Quamobrem Paulus II. Vaſconum (hos vulgò Nauarros vocant) Rex,idq; ex Gregorij XI.Pont.max. facultate ſibi(anno Domini 1372.facta,alium (de quo impræſentiarum) multò auguſtiorem,multoq; commodiorem, ſub ſeraphici patris Frãciſci inuocatione, intra præfatæ ciuitatis Tudelanæ mœnia ædificari iuſſit. Eo tamen è viuis immatura morte
C ſublato,cùm præfatus conuentus ſub fabrorum , latomorumq; manibus remanſiſſet, Carolus II. eorundem Vaſconum Rex,atq; Carolus eius filius, & ſucceſſor quicquid ad operis perfectionem deſiderari poterat,liberaliſſimè contulêre. Huius denique conuentus eccleſia,in qua ſereniſſima Ioanna Aragonum Regis filia, atq; Ferdinandi V. Hiſpaniæ Regis ſoror,& eiuſdem nobilitatis heroina Ioanna Portugaliæ infans, atq; Alphonſi Vaſconum Regis vxor , & plures alij ex regia ſtirpe originem ducentes diuerſis in mauſoleis affabrè elaboratis tumulati ſunt,cùm ruinam omni ex parte minaretur,à reuerendiſſimo quodam Tyri Archiepiſcopo reædificata extitit.Extat in maiori eiuſdem eccleſiæ ſacello, ad latus ſacro decantãdo Euangelio deſtinatum, B.P.ac magiſtri Gerardini ſepulcrum: cuius corpus,cùm anno Domini 1433. ſepulturæ traditum eſſet,fortè fortuna poſt 70. annos exhumatum integrum omnino atq; illæſum
D comparuit. Quapropter inde ad præſens ſepulcrum elegantiſſimè fabrefactum à nobili Varaizorum familia , retenta interim ſibi ex maxima deuotione antiquiori eius ſepultura,tranſlatum extitit: & ſingulari quadam deuotione à Tudelanis colitur Extat & ſacellum, diuo Bernardino de Senis ſacrũ , in quo plura indies miracula ad eius inuocationem contingunt. Cùm itaque hic conuentus , qui & à viginti fratribus frequentius incolitur , & ad nobilem Henriquiorum de Carra familiam patronatus iure pertinet, Conuẽtualibus Franciſcanis patribus olim ſubiacuiſſet, ab ijs ad huius Prouinciæ fratres,ex Pij V.Pont.max.decreto,anno Domini 1567.deuolutus eſt.In huius deniq; loci tabellario plura inuenire licet tum pontificia, tum quoq; regia diplomata, Minoritarum priuilegia atque immunitates concernentia: ſed quæ alibi ſæpius in medium producta ſunt atq; exarata:qua etiam de cauſa ea ſilentio præterire decreui.

E *De conuentu B Mariæ Minorum Viruieſcæ.* *Conu. IIII.*

EX octo conuentibus , quos beatus pater Lopetius à Salinis,inſignis Obſeruantiæ regularis apud Hiſpanos propugnator, ante generale Capitulum Bononiæ, anno Dominicæ incarnationis 1455. reuerendiſſimo patre fratre Iacobo à Mozanica totius Franciſcani Ordinis generali Miniſtro eius Præſide celebratum , ſub arctiſſima diſciplina , atque ſub ſanctiſſimis legibus ædificauerat, is eſt vnus , (de quo & impræſentiarum) qui aliquantulum à Viruieſca Caſtellæ oppido, in honorem beatiſſimæ virginis Mariæ Minorum , erectus conſpicitur , & à viginti quatuor fratribus, quorum plures ſub vno prælectore philoſophicis literis incumbunt, frequentius inhabitatur.

Fuit

Fuit autem conſtructus, idq; ex diuerſis fidelium eleemoſynis, anno Domini milleſimo quadringenteſimo decimo ſecundo,& ab eo,tamquam ab antiquiori & digniori, ſanctæ Mariæ Minorum Cuſtodia,cuius primum Cuſtodē pręfatus beatus pater Lopetius à Salinis egit,pręmemorato in generali Capitulo erecta, denominationē ſumpſit. A

De conuentu S. Bernardini Poza. Conu. V.

PRÆSENS conuentus, beato patri Bernardino ſacratus, atque ad tertium lapidem ab eo oppido,cui Poza Hiſpanicè nomen eſt,erectus ſecundum obtinet locum inter eos, quos beatus pater Lopetius à Salinis (de quo paulò ſuperius) ſub regularis Obſeruantiæ auſpicijs ædificandos curauit. Fuit autem conſtructus non longè ab anno Domini milleſimo quadringenteſimo decimo quinto,idq; ſumptibus cuiuſdam Marchionis de Poza. Qua etiam de cauſa eius ſucceſſores in omni euentu beneficos experitur. Quia verò præfata hæc domus maxima fruitur quiete, & nihil, aut certè parum de antiquo illo rigore, in quo antiquitus fundata fuit, temporis ſucceſſu remiſit, 15. Recollectis huius Prouinciæ fratribus impræſentiarum deſeruit. B

De conuentu S. Franciſci Veloradi. Conu. VI.

CVM beatus pater Lopetius à Salinis antiquiorem conuentum,beatiſſimo patri Franciſco aliquantulum ab oppido Velorado antiquitus erectum, ad meliorem frugem correxiſſet,atq; regularis Obſeruantię ritibus & moribus ex apoſtolica auctoritate informaſſet, recrudeſcente inter Nauarræ atq; Caſtellæ Reges bello, oleum (vt aiunt) atq; operam perdere coactus eſt. Cùm enim præfatus conuentus pręfato oppido à parte poſteriori propinquus,hoſte ſuperueniente,non ita contemnendum diſcrimen oppidanis afferre poſſet,ſolo æquatus extitit.Rebus tamen inter vtrunq; Regem compoſitis à pientiſſimo quodam Comite de Aro,idq; ex maxima, qua in præfatum beatum patrem Lopetium à Salinis ferebatur animi propenſione, atque ex facultate Eugenij IIII. Pont.max.eidem beato patri facta,anno Dominicæ incarnationis 1441. reædificatus eſt. Hic deniq; conuentus, qui & à Conuentualibus Franciſcanis patribus ad eiuſdem Inſtituti Obſeruantes, ante 150. annos deriuauit, & ante annum ſalutis noſtræ 1350. primò in lucem prodijt, à 25. fratribus impræſentiarum incolitur. C

De conuentu S. Bernardini de Monte. Conu. VII.

CVM beatus pater Lopetius à Salinis eximius regularis Obſeruantiæ cultor eſſet, ſuoſq; fratres ab omni ſæcularium frequentia atq; familiaritate ſemotos cuperet,hunc conuētum ab inclyto Comite de Aro,cui ipſe à ſacris confeſſionibus erat, inter aſperos quoſdā atq; ſolitarios montes,ſeſquimilliari ab oppido Fraxineto (vulgò Freſneda) B.P.Bernardino de Senis erigendum,atq; ædificandum curauit.Contigit autem id circa annum Dñi 1440.Aliam quoq; domū, B.P. Antonio de Saltu ſacratā, ad tertium tantùm lapidem ab hoc conuentu conſtruxerat idem B. P. Lopetius à Salinis.Quam tamen huius Prouinciæ patres, quòd plurimis difficultatibus quateretur, quòdq; altera alteri ob nimiam vicinitatem impedimento eſſet, omnino deſerendam ex capitulari decreto ſtatuerunt.Hoc deniq; in conuentu, quod & 20.fratres frequentius inhabitāt, R.P.F. Bernardus à Freſneda, qui catholico Hiſpaniarum Regi Philippo II. à ſacris confeſſionibus fuit,quiq; Conchenſis,poſtmodū verò Cordubenſis Eps, ac tandē Cęſarauguſtanus extitit Archiepiſcopus ſuę Religionis incunabula trāſegit. D E

De conuentu Dominæ noſtræ de Vico. Conu. VIII.

QVOD deuotiſſima glorioſæ Virginis imago potētiſſimo cuidā Mauro,cui Canis de Vico nomen erat,ex inſperato apparuiſſet,is maxima religione tactus ruralem domum, quam ſeſquimilliari ab oppido Arnedo poſſidebat, in eccleſiā Deiparæ Virgini dicatā transformandam, atq; præfatam imaginem ibidē collocandam curauit. B.igitur P.Lopetius à Salinis, cùm pietiſſimis,ac de Frāciſcana Religione optimè meritis Petro Ferdinandez à Velaſco, eiuſq; coniugi Beatrici Manriquæ Arenſiū Comitibus,quibus & præfatum oppidum Arnedo tunc parebat,familiariſſimus eſſet,

præfataq;

A meris coruſcaret miraculis,& eccleſiam ab ijſdem heroibus impetrauit, & conuentum tum ex eorum,tum quoque ex aliorum fidelium facultatibus ſibi annecti, anno à partu Virgineo 1456. fecit. Cœterum præfatus hic couuentus, qui & à 26. fratribus, quorum duodecim ſub vno prælectore Philoſophiæ operam nauant, commodiſſimè inhabitatur,conuicinis populis, ob frequentia miracula, quæ meritis ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ ad præfatam imaginem indies contingunt, commendatiſſimus eſt.

De conuentn S. Mariæ apud S. Dominicum Calciatenſem. Con. IX.

NOVERAT, idq; ex multiplici experientia, R. P. Lopetius à Salinis contēplatiuę vitæ ſtudioſiſſimus,quantopere ſolitudo religioſis viris patrocinaretur: quapropter quotquot ferè conuentus erexit,eos ſolitarijs in locis, atq; ab hominum frequentia longè ſemotis ędificandos curauit.Ex eorū itaq; numero fuit is, qui eius ſuaſu ad 5. lapidem ab eo oppido, cui ſanctus Dominicus Calciatenſis nomen eſt, atque longiuſculus ab oppido Cidamonio ab ſtrenuo Duce Innico Ortitio à Stunnica,à quo nobiliſſima Stūnicarum familia originem ducit, in honorē glorioſiſſimæ virginis Marię de Angelis,anno à partu Virgineo 1456.ædificatus extitit. Qui tamen conuentus, cùm iſtius Prouinciæ fratribus poſtmodum minus deſeruiſſet,ab ipſis derelictus, atq; alius longè commodior prope pręfatum oppidum ſub eadem inuocatione tum ex publicis, tum quoq; ex priuatis ciuiū facultatibus, anno Domini 1535. à fundamentis ad apicem vſq; cōſtructus fuit.Quia verò R.P.F.Bernardus à Freſneda plura tapetia, eaq; pretioſiſſima, pluraque ſacra veſtimenta,ac plura denique vaſa tum aurea,tum quoq; argentea diuino cultui deſtinata huic conuentui ex apoſtolica Pij V.atq; Greg.XIII. C ſummorum Pontificum auctoritate reliquit,moriens anno Dn̄i 1577 ex teſtamento in maiori eius ſacello patronatus iure ſepeliri voluit.Qui & ab ijſdem ſummis Pōtificibus impetrauit,ne ſub grauiſſimis pœnis,atq; cenſuris præfatorum ſiue veſtimentorū,ſiue tapetium,ſiue etiam vaſorum,aliquid aut diuendi, aut alienari quoquo modo à quopiā poſſit.A cętero ſacra hęc domus,quæ & à 22.fratribus incolitur,quodā diui Philippi Apoſt.oſſe,ſibi à p̄fato R. P. F. Bernardo à Freſneda dono dato,religioſè honeſtatur.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Nauarrettæ. Conu. X.

EIVS oppidi,quod Nauarrette vulgò nuncupatur,Duciſq; Nagerani imperio ſubeſt, incolæ, quòd ægrè ferrent antiquum Minoriticum conuentum mille paſſibus ab oppido diſtare, eum à fratribus relinquendum, atque hunc, ſanctiſſimæ Ma- D riæ de Ieſu dicatum, tum ex priuatis, tum quoque ex publicis facultatibus ad centum tantùm paſſus à ſe, anno Dominicæ incarnationis 1555. ædificandum,atque ab eiſdem fratribus acceptandum curarunt. Pertinuit, idque plurimis annis, hic conuentus, qui & à 18. fratribus inhabitatur, ad Prouinciæ Conceptionis patres:ſed cùm illis, quòd longius à cœteris diſtaret, minus deſeruiret, huius verò Prouinciæ religioſis opportunè adeſſet, pro alio ex vtrorumque voto commutatus eſt.

De conuentu S. Mariæ de Campo Cornagi. Con. XII.

CVM pientiſſimi heroës Ioannes à Luna, eiuſq; vxor Maria à Luna oppidi Cornagi temporales Domini Minoritas ſingulari pietate, atque ſumma beneuolentia complecterentur,ruralem domum,atque ædiculam ſub inuocatione ſanctæ Mariæ E de Cāpo ſibi annexā,à patribus Ciſterciēſibus iuſto pretio emptā,in monaſteriū, 16. cō tinendis fratribus omnino accommodatum,transferendā,atq; cęteris huius Prouinciæ conuentibus ex Nicolai V.Pont.max.auctoritate adijciendam curarunt. Diſtat præfatus hic conuentus non multùm ab oppido Cornago:cuius patronatus ius,cùm ad præ memoratos eius fundatores pertineret,in fratrum fauorē, perſoluta certa pecuniarum quantitate,anno Dn̄i 1466.ceſſit.Quod tandem legitimis de cauſis tum ex R. P. huius Prouinciæ Miniſtri,tū quoq;ex cœterorum,quorum ex munere intererat, patrum decreto ad eorundem fundatorum ſucceſſores,nempe Aluarum à Luna, atque eius vxorem Mariam Curiel,anno Domini 1582.regreſſum eſt.Quamobrem princeps huius loci ſacellum tum eis, tum quoque eorum ſucceſſoribus humandis deſeruire debet.

De conuentu S. Stephani Burgis. Conu. XII. A

PROSPECTVRVS B.P.Lopetius à Salinis ſuis fratribus,qui indies magis magisq; numero augebantur,antiquũ eremitoriũ,prothomartyri Stephano ad 5 lapidẽ à Burgẽſi ciuitate erectũ,ſibi à R.Ludouico ab Acunia Burgenſiũ tunc Epiſcopo,cuius eæ partes erãt,ſupplex concedi petijt.Quod tandẽ vt primùm anno Dñi 1458.obtinuit,illud in iuſtũ,humilẽ tñ atq; impolitum,conuentũ euehendũ curauit. Cùm autẽ nobilis heros Petrus Gironius Vterinus præfati Epiſcopi frater,atq; Valpoſtanus Archidiaconus,cuius ſtudia erga Frãciſcanã Religionẽ,atq; officia quãplurima extitêre hunc ipsũcõuentũ ex domeſticis facultatibus ampliaſſet, atq; in meliorẽ formã tranſtuliſſet,patronatus ius tũ ſibi,tũ quoq; ſuis hæredibus acquiſiuit Qua ẽt de cã moriẽs in maiori eius ſacello tumulari voluit. Hoc in monaſterio, 16. F.Recollecti inhabitant. B

De conuentu S.Franciſci Mirandæ. Conu. XIII.

EA eſt profectò præſentis conuentus,qui non longè à Miranda Iberina Cantabrorum oppido ſub inuocatione B. P. Frãciſci ſurrigit,vetuſtas atq; antiquitas,vt nullo pacto quis eius author atq; fundator fuerit,quouè certo tẽpore ędificatus extiterit, inueniri potuerit.His accedit,quod ad Conuentuales Franciſcanos patres aliquando pertinuerit, & ab eis ſub Catholicis Hiſpaniæ Regibus Ferdinando V . atque Eliſabetha eius vxore ad eiuſdem inſtituti Obſeruantes tranſlatus ſit: & in ea tranſlatione quicquid ſcripturarum,ſiue monumentorum,in eius archiuis aſſeruabatur, deperditũ fuerit. Inhabitatur interim à viginti quinque huius prouinciæ patribus ac fratribus.

De conuentu S.Franciſci Stellæ. Conu. XIIII. C

COMMENDAT non ita vulgariter Stellanorũ erga Franciſcanã Religionem beneuolentiã,atq; humanitatem hic conuentus, ſeraphico P. Franciſco ſacratus, qui Vaſconicæ ciuitatis,cui Stella Hiſpanicè nomen eſt,mœnibus clauſus,ex publicis eorundem facultatibus ab antiquo ędificatus extitit: quique à Conuentualibus Franciſcanis patribus Prouinciæ Aragoniæ ad Minoritas huius Prouincię Obſeruantes ex Pij V. Pont. max. mandato, anno Dominicæ incarnationis 1567. deuolutus eſt, & ab eorum 20. inhabitatur,& quodam oſſe vnius ex ſanctis Innocentibus,& altero ex lapidibus, quibus prothomartyr Stephanus lapidatus fuit, honeſtatur. Quo verò certo tempore fuerit ædificatus, deficientibus omnino ſcripturis, penitus ignoratur.

De conuentu S.Franciſci Nageræ. Conu. XV. D

QVOD eius habitatio fratribus minus commoda eſſet, is conuentus, qui ſub titulo ſanctæ Helenæ à monialibus inhabitatur,fuitq; anno Dominicę incarnationis 1517. ex xenodochio in monaſterium tranſlatus ab ijſdẽ religioſis anno Dñi 1532. derelictus, atque alius non longè à Nagera Caſtellæ ciuitate ſub ſeraphici P. Franciſci inuocatione, ſumptibus tamen pientiſſimorum eiuſdem ciuitatis Ducum ſibi ſuffectus extitit. Cuius quidem princeps ſacellum exanima illuſtriſſimorum Antonij Manriquij de Lara, eiuſque coniugis Ioanna à Cardona Nagerenſium Ducum corpora nobiliſſimo excepit mauſoleo:idq; patronatus iure ſibi ex fundatione debito.

De conuentu S.Mariæ de Miſericordia Taffaliæ. Conu. XVI. E

CVM ſereniſſima Vaſconum Princeps Leonora Minoriticum hoc monaſterium ſub inuocatione Dei genitricis Marię de Miſericordia,an.à partu Virgineo 1468. ex Pauli II. Pont.max. facultate nõ procul à Taffallia antiquiſſimo Vaſconũ oppido, atq; à Tubal Patriarchę Noë ex filio Sẽ nepote olim cõſtructo, ædificari iuſſiſſet, atq; proximã S.Sebaſtiani parochiã ſibi poſtmodũ,Innoc.VIII. Pont.max.annuente,annectendũ curaſſet,eũ S.Sebaſtiani nomine in poſterũ appellandũ voluit. Cũq; præfatũ monaſteriũ,quod & à 20. fratribus inhabitatur,per integros 100 anno Cõuentualibus Frãciſcanis patribus Prouinciæ Aragonię ſubiacuiſſet,Pio V.Põt.max.id ad Catholici Hiſpaniarũ Regis Philippi II. inſtantiã iubente,in Obſeruantũ huius Prouinciæ patrũ ius,

A ius,anno reſtitutæ ſalutis 1567. tranſijt.In cuius deniq; ſacrario articulus alterius ex digitis beati Sebaſtiani martyris quàmdiligẽtiſſimè aſſeruatur,& ab oppidanis ob frequentia miracula,quæ ad p̄fati mart.inuocationẽ ibidẽ cõtingunt,religioſiſſimè colit.

De conuentu S.Franciſci Olibæ. Conu. XVII.

HIC quoq; conuentus,qui aliquantulum ab Oliba(vulgò Olite)Vaſconum oppido à Carolo II.Nauarræ Rege,anno Dñi 1345. ſeraphico P.Frãciſco erectus fuit, à pręfatis Cõuẽtualibus Franciſcanis Prouinciæ Aragonię patribus Burgẽſi huic Prouinciæ,an.Dñi 1567.ex Pij V.Pon.max.decreto acceſſit;ſed à 12.tãtùm fratribus, collapſis aliqua ex parte eius ædificijs, cũ plures olim cõmodiſſimè exceperit inhabitatur.

De conuentu S.Franciſci Alphari. Conu. XVIII.

B CVM F.quidam Minor nomine Didacus à Preiano monaſterij beatiſſimæ Mariæ de Vico accola,obedientiæ facturus ſatis,Alpharum oppidum petijſſet, atq; ferociſſimum in ſe à quodam Martino de Leza,dum eius areã,ſacris in eccleſia S. Michaëlis operaturus,fortè fortuna pertranſiret concitatum canem ſigno crucis ſtrauiſſet,occidiſſetq;:Alpharẽſes tãto permoti euẽtu Minoriticum hunc conuentum,quem & 16. fratres commodiſſimè incolunt , ex publicis facultatibus intra præfati oppidi mœnia à fundamentis ad vltimum vſque lapidem, anno à partu Virgineo 1547. erigendum, atque ſeraphico P. Franciſco,cui deuotiſſimi erant, ſtatuendum curarunt.

De conuentu S.Ioannis de Ramo. Conu. XIX.

C PLVRES proculdubio fortunæ viciſſitudines (ſi ita fari liceat)expertum eſt hoc monaſterium,ſiue potius eremitorium, diuo Ioanni de Ramo dicatum,atq; à 10. religioſis frequentius incultum:cùm à ſereniſſimo quodam Nauarræ Principe Ioannis eiuſdẽ Nauarrę,atq; Aragoniæ Regis & Blãchæ eius coniugis filio,atq; Ferdinãdi V. Hiſpaniæ Regis ex parte patris fratre in loco ſylueſtri atq; nemoroſo conſtructũ,à Frãciſcanis Obſeruantibus primò occupatum extiterit:ac Conuentualibus eiuſdem Ordinis,ſed Prouinciæ Aragoniæ patribus ab ijs poſtmodum conceſſum,ad eorundẽ tandẽ huius prouinciæ Obſeruãtes,Pio V.Pont.max.id iubẽte,anno Dñi 1567.regreſsũ fuerit.

De conuentu S.Saluatoris Calagurrij. Con. XX.

D CALAGVRRIVM antiquiſſima Hiſpaniæ ciuitas eſt, ex eaq; celebris ille Rethor Quintilianus originẽ duxit.Cùm igitur Calagurritani,ſiue(vt alijs placet) Calaguritani Minoriticum quendã conuentũ aliquantulum à mœnibus ſub inuocatione S.Saluatoris,anno Dominicæ incarnationis 1552. erigi feciſſent:eum poſt elapſos 18. annos,quòd fratrum ſaluti inſidiari videretur,deſerendum,aliũq; intra præfatæ ciuitatis muros,atq; ſub eodem prorſus titulo conſtruendum curarunt. Quem & 15. fratres pro votis inhabitant:Accidit,dũ huius conuentus eccleſia conſtrueretur,vt quidã Dominicus à Ciauarria natione Cantaber,atq; lapicida extra omnem ingenij aleam abſolutiſſimus,ad baculum offendens oculi effoſſionem pateretur , utq; eũ manu ex terra collectũ proprio loco cum maxima aſſequendæ ſalutis fiducia admouerẽt , inquiẽs. Digneris ſeraphice P. Franciſce mihi miſerrimo in tanta calamitate adeſſe,Mirabile dictu ! Vix huiuſcemodi ſermonem abſoluerat,quando integram ſoſpitatẽ aſſequutus eſt.

E *De conuentu S.Victoris. Conu. XXI.*

CVM B.Victor,poſt functum per plurimos annos cum maxima laude atq; ſolicitudine in oppido Ceraſo(Hiſpanicè Cereza)Parochi officiũ, quietiorẽ atq; aſperiorem vitam anhelans in editum quendam atq; ſalebroſum montẽ ſeceſſiſſet,indeque poſt elapſum ſeptennium,ad Angeli cuiuſdam monita præfatum oppidum eodẽ Parrochi officio functurus repetijſſet,ab impijs Saracenis,quòd publicè in Maumetiſmũ inuectus eſſet,quòdq; Chriſti fidẽ palã p̄dicaſſet, ibidẽ cruci affixus,atq; capite plexus eſt. Quod tãdẽ à cruce depoſitus manibus accipiẽs,nõ ſecus ac alter Dion.Areop. ad 1500. vq; ſpaſſus detulit,ibiq; in Dño quieuit.Cuius venerabile corpus Chriſtifideles oppidi

Ceraſi habitatores ibidem honorificè tumulandum, atque eremitorium ſibi dicatum eodem in loco erigẽdum curarunt. Hoc poſtmodum Dominicani patres ampliatum, atq; in monaſterij formam redactum per aliquot annos inhabitarunt, occuparuntq;. Sed cùm ab eis legitimis de cauſis derelictum in quorundam ſæcularium ſacerdotum ius ceſſiſſet, ad huius tandem Prouinciæ fratres ex apoſtolica auctoritate, Petro Ferdinandez à Velaſco Caſtellæ Comeſtabili, cui oppidum Cereza ſuberat, id maximè ſolicitante, anno à mundi redemptione 1559. deuolutum eſt. Cæterùm hic locus, qui & à 16. fratribus plerunque inhabitatur, omnibus in gyro deuotis populis ob frequentia miracula, quæ ad ſancti Victoris ſepulcrum contingunt, commendatiſſimus exiſtit. A

De conuentu B. Mariæ de Linaribus. *Conu. XXII.*

SANE, ſi iuxta antiquitatis ſeriem cuique conuentui propria ſedes aſſignanda veniret, quod nobis, idq; plurimis de cauſis à propoſito nõ eſt, præſens locus glorioſiſſimę virgini Mariæ de Linaribus ad prærupti cuiuſdã montis radices in loco ſylueſtri, atq; ab hominum frequentia procul, inſuper & ad 3. lapidem ab eo oppido, quod Hiſpanicè Velorado nuncupatur, erectus inter priores atq; antiquiores annumerandus foret; cùm à B.P. Lopetio à Salinis, ſumptibus tamen pientiſſimi cuiuſdam Caſtellæ Comeſtabilis, circa annum à partu virgineo 1443. ex pauperrima materia atque anguſtè ſatis, qua etiam de cauſa à 6. tantùm fratribus inhabitatur, conſtructus fuerit. Hunc ſiquidem conuentum, ſiue potius eremitoriolum, ob eius ſolitudinem atque pauperiem, B.P. Lopetius veræ paupertatis cultor ſibi in habitationem delegerat, in eoq; vltimum perfectionis gradum aſſequutus eſt. Hinc præterea, niſi ad luſtrandas cœteras ædes ſibi ex Cuſtodiatus munere commiſſas, rarò egrediebatur. Hinc tandem Methymnam de Pomar, (cuius inferius in Cantabriæ Prouincia meminerimus) vt ſacras Caſtellæ Comeſtabilis confeſſiones exciperet, profectus, diem ibidem clauſit extremum, atq; in ſororum Clariſſarum eiuſdem oppidi monaſterio ſepeliri voluit. B C

De monaſterio S. Claræ Burgis. *Mon. I.*

PRAESENS monaſterium, quod à 70. Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis inhabitatum, celebris ciuitatis Burgenſis mœnibus excluditur, antiquiſſimum profectò eſt, cùm anno Dñicæ incarnationis 1218. initium ſumpſerit. Idq; in parochiali quadam eccleſia, glorioſæ Virgini dicata: qua etiam de cauſa genitricis eiuſdem Virginis titulo ad obitum vſq; beatæ Claræ inſignitum fuit. Sed beata Clara inter ſanctos relata eius nomine in poſterum appellatum euaſit. Cùm autem præfatum hoc monaſterium omnimodam præ vetuſtate minaretur ruinam, à perdeuoto Ioanne à Salmantica Pollanco Burgenſi ciue, qui ab anno Dñi 1525. vſq; ad annum 1545. triginta coronatorũ millia in eius reædificatione conſumpſit, reſarcitus, refectus atq; ampliatus extitit. In cuius deniq; choro deuotiſſima, atq; admirandæ religionis ſoror Eliſabetha à Turri honeſto recõditur tumulo. Hæc ſiquidem cùm humilitatẽ, paupertatẽ, charitatẽ atq; cęteras virtutes quãdiligentiſſimè excoleret, atq; die quodã Dominico circa correligioſam infirmam intenſius occupata, & ſacramentali confeſſione, & ſacra communione, atq; etiam ſacro priuata fuiſſet, anxiuſq; coram venerabili ſacramento preces funderet, ſibique culpam, ſi quam fortè incurriſſet, ſupplex condonari peteret, aſtitit ei ex inſperato religioſus quidam Minorita, qui & ſibi vtrunque ſacramentum miniſtrauit, & rem diuinam coram ſe fecit. Præterea plurimis chariſmatibus exornata certum ſui obitus diem, Deo ſibi reuelante, prænoſſe meruit ſancteq; obijt. D E

De monaſterio S. Claræ Stellæ. *Mon. II.*

HOC monaſteriũ, B. virgini Clarę ſacrũ, atq; aliquãtulũ à valle eius ciuitatis, cui Stella nomen eſt, erectũ, niſi nos vulgaris traditio fallat (nã quicquid ſcripturarũ in eius archiuis aſſeruabatur, id totũ atrox inter Nauarræ atq; Aragoniæ Reges bellũ abſũpſit) antiquiſſimũ eſt, & ante annũ à mundi redẽptionę 1290. ſumptibus deuoti cuiuſdã mercatoris natione Galli, ſed cognomine Mõtanerij initiũ ſumpſit. Fuit nhilominus, ꝙ ad terrã vergeret, ex ſumma. Sere. Blãcæ Nauarrẽſiũ Reginę liberalitate maiori ex

A ri ex parte reſarcitum, refectum, amplificatum atque plurimis; ijsq́ue pretioſiſſimis,
ornamentis,& vaſis tum aureis, tum quoq; argenteis locupletatum. Cumq́; Conuen-
tualium Franciſcanorũ patrũ curæ, atq; diſciplinæ per plurimos annos ſubiacuiſſet,
huius Prouinciȩ patrum ſolicitudini à Pio V. Pont.max. idq́; anno Domini 1567.com-
miſſum extitit. Inhabitatur vt plurimũ à 40. Vrbaniſtis ſororibus Clariſſis, gaudetq́;
ſaluberrima aura: qua etiam de cauſa religioſas cẽtenarias ibidẽ ſȩpius inuenire licet.

De monaſterio S. Claræ Tudelæ. Mon. III.

NE, ad terram deiecto antiquiori ſanctæ clarȩ monaſterio, quod aliquantulũ ab
ab oppido Tudela erectum, inſolentum militũ violentiȩ, ingraueſcente inter Na-
uarræ atq; Caſtellȩ Reges bello, ceſſerat, Clariſſæ moniales eius accolæ per incertas ſe-
B des vagari cogerẽtur, pijſſimus Nauarrȩ Rex Carolus illis ſufficiẽtẽ fũdũ intra p̃fati op-
pidi Tudelȩ mȩnia, atq; pinguiſſimã eleemoſynã ad alterius ȩdificationẽ, an. Dñi 1359.
ex maxima in Deũ pietate liberaliſſimè cõtulit. Vt igitur primũ præfatũ monaſterium
abſolutũ extitit, ad ipsũ ſe moniales trãſtulêre, inibiq́; earũ 30. impræsẽtiarũ morãtur.

De monaſterio S. Claræ Caſtrilendij. Mon. IIII.

PERSEPE cogitanti pientiſſimȩ heroinȩ Sanctiȩ de Rojas de finali iudicio, deq́;
ratione æquiſſimo Iudici reddenda venit in mentem vnius monaſterij ædificatio.
Quãobrem, vt primùm à ſummo Pontifice tunc ſedente facultatem obtinuit, hoc mo-
naſterium, B. virgini Claræ ſacrum, Caſtrilendij, (vulgò Caſtil de Lences) qui Burgẽſis
diœceſis pagus eſt, idq́; vt 60. Clariſſȩ ſorores Vrbaniſtæ eius accolȩ quietius feliciuſq́;
C Chriſto ſponſo inſeruire poſſent, ex proprijs facultatibus, anno Domini 1389. à funda-
mentis extruendum, omninoq́; abſoluendum, atq; honeſtis redditibus & prædijs locu
pletandum curauit. In cõi huius monaſterij ſororum ſarcophago, dũ fortuitò defun-
cta quædã ſoror tumulanda veniret, inuentum fuit alterius monialis, à 20. & vltrà an-
nis vita fũctȩ, caput omnino incorruptũ, quod haud dubiè euidẽtiſſimũ eius sãctitatis
ſignũ fuit. Quãobrẽ honeſtiori loco recõditũ in veneratione à cȩteris ſororibus habet.

De monaſterio S. Claræ Viruieſcæ. Mon. V.

NON ſolum hominibus, ſed etiam & fœminis proſpectum voluit B. P. Lopetius à
Salinis. Cùm.n. aliquot illis conuentus in ſumma paupertate, atq; regulari diſci-
plina ædificaſſet, adiȩcit, vt & iſtis monaſterium ſub ijſdem legibus, atq; ſub eodem ri-
D gore Viruieſcæ conſtrueret. Sed cùm prȩfatum monaſterium, intra paupertatis limites
erectũ, præ vetuſtate, atq; materiæ vilitate minaretur ruinam, adeò magnificè, adeoq́;
auguſtè à pientiſſima Mentia de Velaſco Arenſium Comitis, atq; Caſtellæ Comeſtabi
lis filia, anno Domini 1523. reædificatum, immo & ampliatum extitit, vt facilè cum
quouis alio de ſtructura, atq; de amplitudine contendere valeat. Reliquit ſiquidẽ præ-
fata heroina ad huiuſmodi reædificationem 1500. annuos coronatos aureos, ea tamen
lege poſita, vt cùm primùm omnibus ſuis numeris iuxta formam à ſe præſcriptam ab-
ſolutus eſſet, xenodochium ad excipiendos peregrinos, atq; ad ſenes, pauperes tamen
& imbecilles, perpetuò ſuſtentandos ex ijſdem conſtrueretur. Sed cùm id monaſteriũ,
deficientibus ſibi redditibus, minimè conſeruari poſſet, eiuſq́; ſorores, quȩ 35. nume-
rum attingunt, nec eum ex fundatoris decreto tranſgredi ualent, ſumma pauperie
E grauarentur, data eſt à Caſtellæ Comeſtabili, ad quem huiuſmodi reddituum admini-
ſtratio attinebat, opera, vt media eorum pars ex ſummi Pontificis diſpenſatione à
prȩfatis ſororibus, quæ in ſecundam beatæ virginis Claræ Regulam verba fecerunt,
ſingulis annis in poſterum reciperetur, & alia media in præfatorũ pauperũ atq; pere-
grinorum ius cederet. Quo tandem & iſtis & etiam illis ſatis, ſuperq́; proſpectum eſt.

De monaſterio S. Mariæ de Bretonera Veroladi. Mon. VI.

CVM honeſtȩ aliquot atq; deuotæ fœminæ Veloradi religioſam atque honeſtiſſi-
mam vitam, abſque vlla tamen voti emiſſione, in communi agerent, cuperent-
que Clariſſarum Vrbaniſtarum Regulȩ aſtrsngi, id ſibi ab Innocentio VIII. ſum-

mo Põtifice Auenionis tunc agente, anno Dominicæ incarnationis 1358.cõceſſum ex- A
titit.Vt igitur primùm huiuſmodi conceſſionem acceperunt,& monaſteriũ, B. virgini Mariæ de Bretonera ſacrum,aliquantulum à præfati oppidi mœnibus ex collatis in me dium facultatibus erigendũ curarunt,& ipſum ſimul ingreſſę ſecundæ B. virginis Claræ Regulæ nomen dederunt.Sed huiuſmodi monaſterium,quòd exorto inter Nauarræ atque Caſtellæ Reges cruentiſſimo bello militum iniurijs plus ęquo expoſitum eſſet, ab eis poſt aliquot annos derelictum,cùm maiori ex parte corruiſſet:pace tamen præfatos inter Reges firmata,à B.P.Lopetio de Salinis idq; ex Burgenſis Epiſcopi facultate, anno Domini 1459.reſarcitum,atq; quibuſdam monialibus ex Viruieſcano ſuperiori conuentu allatis,quę aduentantes virgines religioſis moribus imbuerent,inſtructũ extitit.Cumq; nihilominus ex humiliori materia ędificatum non ita poſt multum temporis ad terram vergeret, ſumptibus pientiſſimæ heroinæ Mariæ à Velaſco Bernardini à B
Velaſco Caſtellæ Comeſtabilis filię refectum,immo potius denuò conſtructũ fuit. Hæc poſtmodum nobilis virgo Religionem ibidem ingreſſa tantopere in omni virtute,atq; ſanctitate profecit,vt anno Domini 1557.paululùm antequam animam exhalaret,ſanctorum Aqoſtolorum Petri,& Pauli,atq; Euangeliſtæ Ioannis præſentia dignari meruerit. Huic adijcere, libet admirandæ religionis ſororem Caſildẽ Calderoniã, cuius humilitas,atq; in perferendis infirmitatibus patientia incredibiles fuêre. Cùm.n.ſupplex à Deo opt.max.petijſſet,vt pęnas pro exceſſibus in Purgatorio dandas ſibi in hac vita infligere dignaretur:igne ſacro,qui à pedibus ad humeros vſq; ſerpens eam omnino cõſumpſit,tacta nunquã vel ſubtriſtis viſa eſt, nec aliquid aliud ſuauius aut iucundius aliquãdo tulit.Cõmorãtur deniq; hoc in monaſterio 60.Clariſſæ ſorores Vrbaniſtę.

De monaſterio B.Mariæ de Rubo Viuarij. Mon. VII. C

VIVARIVM ad 6.lapidem à Burgenſi ciuitate diſtans eiuſdem diœceſis pagus eſt,atq; fortiſſimi herois Roderici Diez, (hunc Cid Ruy Diez Hiſpanicè nuncupant)qui innumeros Mauros ſtrauit,atq; plurimas ciuitates ab eis tyrannicè occupatas fortiſſimè expugnauit,recuperauitq;,natiuitate inſignis. Cùm igitur canonicorum Regularium Ordinis D. P. Auguſtini monaſterium ibidem ab antiquo erectũ funditus à Mauris euerſum eſſet,à pientiſſimis Petro à Padilia,atq;eius cõiuge Eliſabetha Paciec o,idq; ex facta ſibi à Sixto IIII. Pont.max. facultate, in honorem B. virginis Marię de Rubo,anno Domini 1477. elegantiſſimè reædificatum, prædijs atq; poſſeſſionibus locupletatum,atq; Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis,quarum 30.ibidẽ imprę̃ſentiarũ vſq; perſeuerant,in perpetuam habitationẽ traditum fuit.Erecta habetur hoc in monaſterio D
deuotiſſima quædam B.virginis Marię imago miraculis omnino inſignis,quæ cùm diu ſub terra latuiſſet,ſe ipſam cuidam paruulo,anno Domini 1251. miraculosè prodidit.

De monaſterio S.Mariæ de Angelis Entrennæ. Mon. VIII.

SI quis vnquam de Aquilarij Comitum erga Clariſſas ſorores beneuolentia dubitauerit,hoc monaſterium Entrennæ, quę Caſtellæ oppidum eſt, glorioſiſſimæ virgini Mariæ de Angelis ab eorum prædeceſſoribus antiquitus erectum, atq; prædijs & redditibus locupletatum, eiſdemque ſororibus traditum præ oculis ponat. Ij ſiquidem heroës antiquam parrochiam, Beatæ virgini Mariæ de Barrionero ſacram, ex apoſtolica ſibi facta auctoritate in pulcherrimam eccleſiam ex domeſticis facultatibus transferendam, atque ſatis capax monaſterium triginta continendis ſo- E
roribus omnino accomodatum ſibi agglomerandum pientiſſimè curarunt.

De monaſterio S.Helenæ Nageræ. Mon. IX.

NON ſemper hoc monaſterium S.Helenæ,aliquãtulum à Nageranę ciuitatis mę̃nibus erectum, ſub ijſdẽ habitatoribus perſeuerauit. Nam à prima ſui erectione ſub xenodochij forma pauperes,atq; peregrinos humaniſſimo excepit hoſpitio,poſtmodum verò in cõuẽtum euectum. Minoritis huius Prouinciæ fratribus per aliquot annos deſeruiuit:atqui tandem ab eis derelictum,& à pientiſſima Aldonza Manriquia de Lara dilatatum, redditibusque, poſſeſſionibus, ac prædijs locupletatum Clariſſis ſororibus

A ribus,ſed Vrbaniſtis,anno à partu Virgineo 1561.in perpetuam habitationem collatũ extitit.Voluit tamen præfata pientiſſima fundatrix,Aldonza videlicet Manriquia de Lara , quæ & ab illuſtriſſimus Nagerenſium Ducibus prognata fuit, & virginitatem perpetuò coluit,vt ius præſentis monaſterij patronatus penes generoſos Nagerenſiũ Duces in poſterum eſſet, vtq; eius corpus in eius eccleſia tumularetur ſepeliretur que, quod executioni mandatum fuit.Inhabitatur interim ſacra hæc ædes à 30. ſororibus.

De monaſterio S Claræ Arnedi. Mon. X.

ADFVTVRI oppidi Arnedi (cuius ſuperius mentio facta eſt) proceres Mariæ Gomezulæ à ſancta Cruce, atque eius filiæ Annæ ab Angulo, nec non & deuotis alijs quinq; feminis ex eodem oppido Arnedo otiundis,quę,ſumpto Tertiariarum
B ſororum Franciſcanarum habitu ſub legibus huiuſmodi ſororibus à ſummis Pontificibus præfixis,in communi viuere affectabant, xenodochium præfati oppidi muris circumſcriptum eis in perpetuum vſum atque habitationem contulêre. Quod tandem in conuentum euectum adeò floruit, vt earum triginta aliquando continuerit,commodiſſimeq; aluerit. Cùm autem eius habitatrices in perfectiorem, atque ſtrictiorem vitam in hiarent,relicta Tertiariarum norma in ſecundam B. virginis Claræ Regulam de religioſo more, anno Domini 1561. verba fecerunt. Quia verò præfatus hic locus ſumma pauperie laborat,à 30.tantũ Clariſſis imprȩſentiarum inhabitatur.

De monaſt. Conceptionis B. virginis Mariæ S. Gadeæ. Mon. XI.

AEDIFICARAT olim, anno ſcilicet Dominicæ incarnationis 1458. B. P.
C Lopetius à Salinis mille paſſibus ab oppido ſancta Gadea monaſterium,à Minoritis Obſeruantibus inhabitandum.Hoc poſt 70. annos tranſactos,nempè anno 1526. in elegantiorem auguſtioremq; formam translatum,ædificijsq; , nec non & plurimis redditibus locupletatum pientiſſimus quidam Caſtellæ Præfectus , (hunc Adelantado de Caſtilla vulgò appellant) eiuſque cariſſima vxor,Maria Manriquia nomine, Conceptioniſtis ſororibus tradiderunt. Cumque polliciti fuiſſent erecturos ſe quoque ad inſtar collegij conuentum , in quo duodecim Minoritæ ſtudentes , ſub vno aut altero eruditiſſimo prælectore,ſacris literis felicius vacarent,qui & eorum, atque ſuorum poſt ipſos ſucceſſorum ſumptibus & eleemoſynis alendi munificentiſſimè venirent,promiſſis immatura morte præuenti ſtare non potuerunt,nec quod piè ac ſanctè propoſuerant executioni mandare.Eoigitur factũ eſt,vt præfatum collegiũ iam ſe-
D mi conſtructũ optato fine caruerit, & vt hic conuẽtus penes prȩfatas Conceptioniſtas moniales,quarum 25.ibidem in hodiernam vſq;diem perſeuerant,omnino remãſerit.

De monaſterio Matris Dei Iuliobrigæ. Mon. XII.

MONASTERIVM (de quo impræſentiarum) ſanctiſſimæ matri Dei 100. paſſibus ab antiquiſſima ciuitate Iuliobriga (vulgò Logroño)erectum,atq; à 36. Conceptioniſtis ſororibus plerunq; inhabitatum,deuotiſſimi Ioannes Enciſius primus Caroli V. Germanorum Imperatoris ac Hiſpaniæ Regis Quæſtor, atq; cariſſima eius vxor Maria à Gaona ex mera in Deum pietate,atque in ſacrũ immaculatæ Conceptionis beatę virginis Ordinem animi propenſione,communibus ſumptibus,anno à partu Virgineo 1531.à fundamentis exædificandum , redditibusque locupletandum , atque
E religioſiſſimis ſex ſororibus ex Conceptioniſtico conuentu Toletano allatis, quæ confluentes virgines religioſis ritibus atque moribus imbuerent, tradendum, conferendumque curarunt . Ex his ſex ſororibus duæ præfatorum fundatorum filiæ erant.

De monaſterio Conceptionis B. Virginis Burgis. Mon. XIII.

DE præſenti monaſterio,Conceptioni Deiparę virginis Mariæ dicato, atq; Burgis ex communibus pijſſimorum coniugũ Antonij Salazarij Burgenſis Ephori atq; Catharinæ ab Aſtudillio paucis ab hinc annis erecto,hęc tantùm dicẽda atq; in mediũ afferenda occurrunt , quòd videlicet 20. Conceptioniſtas ſorores non ſatis commodè contineat,quòdq; redditibus vacãs pauperie grauetur.Et hæc de Burgenſi Prouincia.



PROVIN.

PROVINCIA ANGELORVM.

A CVM pientiſſimus Ioannes à Sotto maior Bellalcazarenſium Comes,ſæcu-
culo eiuſq; illecebris vale dicturus, ad Hieronymitas monaſterij ſanctæ
Mariæ de Guadalupe patres confugiſſet, illisque ſub eorundem habitu
& norma aliquandiu conuixiſſet, arctioris tamen vitæ deſiderio flagrans,
ſumpto prius Minoritico habitu de manu Sixti IIII. Pont. max. in Vm-
briam,patribus Prouinciæ S. Franciſci cohabitaturus,ſeceſſit. Cumq; ab eodem ſum-
mo Pont. vt ex fratre nepotis, pupilli omnino atque Comitis curam gereret, tuto-
remque ageret, coactus in Hiſpaniam anno Domini 1476. traieciſſet, Caſtellæ Pro-
uinciam,vt iniuncto muneri felicius ſatisfacere quiret, ex tempore petijt, ibidemq;
B aliquandiu commoratus eſt. Antiquioris tamen popoſiti memor apoſtolicas quaſdã
literas, quibus vnam vel alteram domum, in qua ſanctam paupertatem iuxta Fran-
ciſcanæ Regulæ exigentiam excoleret,ſibi erigere liceret, à ſummo Pontifice Innocen
tio VIII. idq; interuentione ſereniſſimæ Eliſabethæ Hiſpaniæ Reginæ, anno à mun-
di redemptione 1489. impetrauit. Cùm igitur, huiuſmodi pontificiam conceſſionem
ſibi factam ex bona patrum venia exequutioni mandaturus, Rupellenſem Prouinciæ
Turoniæ conuentum eodem anno 1489. adijſſet, id à P. F. Ioanne Ghroyn generali
Franciſcanæ Obſeruantis familiæ Vltramontanæ Vicario, atque à cæteris patribus,
quorum intererat,capitulariter ibidem congregatis retulit: vt videlicet duos conuen-
C tus,qui tamen ſub Cuſtodiæ titulo Prouinciæ Caſtellæ ſubeſſent, iuxta apoſtolicum
Innocentij VIII. diploma, in Mariano monte (Hiſpanicè ſierra morena) conſtruere
poſſet. Reuerſus tandem in Hiſpaniam ædiculam ſiue potius eremitorium, ſanctiſſi-
mæ Mariæ de Angelis ſacrum, in quodam ſylueſtri montis Mariani loco ex humili
materia, atq; opere tumultuario ædificauit,illiq; per quinque continuos annos,nem-
pe ab anno 1490.vſq; ad annum 1495.quo ex hac vita ad aſtra migrauit,ſub Cuſtodis
titulo præfuit,atq; feliciſſimũ huic Angelorum Prouinciæ initium dedit. Cùm igitur
ſolerti fratrũ cura 12. alij conuentus prẹfato S.Mariẹ de Angelis monaſterio,infra 27.
annorum ſpatium,acceſſiſſent,data fuit in Capitulo generali Romæ anno Dñi 1517.
D celebrato eius patribus facultas,vt huiuſmodi Cuſtodiã ad Prouinciæ dignitatẽ pro-
mouere poſſent. Illi itaq; coacto,anno ſequenti,qui fuit à partu Virgineo 1518. in Bel-
lalcazarenſi conuentu de religioſo more Capitulo,& Cuſtodiam in Prouinciã, ſub eo-
rundẽ Angelorũ titulo,iuxta factã ſibi facultatem,euexerunt, & religioſiſſimum P. F.
Franciſcũ Angelorum,qui & aliquando eius Cuſtos,dum Cuſtodiæ limitibus circum-
ſcriberetur,fuerat,poſtmodumq; Generalis totius Ordinis Miniſter,ac tandem S.R.E.
Cardinalis fuit,in prouincialẽ eius Miniſtrũ elegerunt. Prodijt itaq; nobis hẹc Angelo-
rum Prouincia,idq; anno Dñi 1518.ſuiq; authorẽ habuit V.P.F.Ioannẽ à Sotto maior,
aliàs de la Puebla. Prẹterea S.Gabriëlis Prouinciam quodãmodo peperit. Nam religio-
E ſus P.F.Ioannes à Guadalupe eius fundator iſtius alumnus fuit. Eſt autẽ ſita hæc Pro-
uincia in Mariani montis,atq; eius patriæ,cui Eſtremadura Hiſpanicè nomen eſt,con-
finio: & ab Oriente Cordubenſẽ diœceſim,ſed ab Occidente Legionenſẽ prioratũ con-
terminos habet. A meridie verò præfato monte Mariano,atque Bæti fluuio contigua
eſt: atqui ab Aquilone Toletano Archiepiſcopatui circa Anam flumen coniungitur.
Cuius ſigillum B.Virginis ſedentis,ſiniſtraq; puerũ Ieſum tenentis, cui ab vtroq; late-
re duo aſtant genuflexi Angeli,& Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie ſuperſtat,imagi-
nem,necnon & ſequentes literas. AVE. DOMINA. ANGELORVM. PROVINCIA.
ANGELORVM. ſphericè continet. Hanc deniq; Prouinciam, SS. Angelis dicatam,
plurimis eorundem iconibus graphicè depictis,in ipſo exordio exornandam curaui.

De con-

De conuentu S. Mariæ de Angelis. Conu. I. A

CVM deuotiſſimus P.F. Ioannes de la Puebla ædificaturus conuentum, in quo
pœnitentiā ageret, Angelorumq́; Cuſtodiæ fundamenta iaceret, in cauā quandā
atq; à confluentibus aquis ferè exciſam rupem, luſtrato prius vniuerſo Caſtullonēſi ſal
tu, (hunc vulgò Sierra Morena vocant) fortè fortuna anno Dñi 1490. incidiſſet, hanc
pro voto oblatā, atq; tamquam ædificādæ à ſe domui omnino accommodatam elegit.
Congeſtis itaq; primū plurimis arborū corticibus, terra, ſtraminibus atq; cęmēto ædi-
culā, (de qua impræſentiarū) ſanctiſſimæ Dei genitrici Marię de Angelis ſacrā, atq; tu-
guriolum ſibi contiguum impolitè ſatis, atq; vlla abſq; curioſitate ibidem conſtruxit.
Quæ quidem ſacra ædes, licèt ab eo oppido, cui Hornacuelos Hiſpanicè nomē eſt, non
ita multum diſtet, fauet nihilominus, idq́; mirū in modū, vt alter Carmelus mons, viris B
ſpiritalibus, atq; contēplationi deditis. Nec hortis, licèt ſalebroſo in loco conſtituta, ca-
ret: immo ijs abundat. Quos tamen improbus labor, atq; artificioſa tū præfati P. Ioānis
de la Puebla, tum quoq; ſociorū eius manus, aſportata aliunde mobili terra, elegātiſ-
ſimè condidit. Cùm igitur fratres huiuſcemodi paupere atq; humili habitatione con-
tenti, feliciſſimè atq; pro voto omnipotēti Deo inſeruirēt, eorum quieti lucro atq; ſpi-
ritus tranquillitati inuidens humani generis truculētiſſimus hoſtis, callidus inquā il-
le ſerpens, excitata in vicini nemoris penetralioribus vorante flāma, quæ longè lateq́;
ſerpſit, quicquid pauperculi fratres ſummo labore, atq; longiore temporis tractu con
ſtruxerant, id totum is in momento atq; ictu oculi abſumpſit, & in cineres redegit: ita
vt vix ſacerdos venerabile Euchariſtiæ Sacramentum per mediā flammā irrumpens
ab immaniſſimo incendio eripuerit. Fratres nihilominus, licèt tāta clade accepta, ani C
mo conſternati, ne Satanas de eis victoriā retuliſſe videretur, neuè tanta domus, quæ
totius Cuſtodiæ baſis, fundamentumq́; erat, omnino periret, aliā, reaſſumptis viribus,
ex promptiori, quam ad manus habere potuerunt, materia, primæ tamen omnino ſimi
li infra breuiſſimi temporis ſpatium reædificarūt. Hæc ſecunda ædes, eidē S. Mariæ de
Angelis dicata, licèt ex temerè congeſtis lapidibus, ſylueſtriq́; materia tumultuariè ſa
tis conſtructa, perſeuerauit nihilominus eo in ſtatu, ac omnino immobilis vſq; ad annū
Dñi 1510. Quo tandem opera præfati P.F. Franciſci Angelorum ex lateribus, ſectiſq́;
lapidibus, atq; tignis à cœmentarijs, latomis atq; fabris lignarijs à fundamentis ad ver-
ticem vſq; conſtructa extitit. Præterea præfatus P.F. Frāciſcus Angelorum longiuſcu
lùs ab hoc conuentu, intra tamē hortorum ſepta, quatuor ædiculas ſiue oratoria ab in-
uicem longiori intercapedine diſtincta, in quibus alternis hebdomadibus 4. fratres pa- D
ne tantùm & aqua contenti, orationiq́; inſtātes vitā tranſigere aſſolent, conſtrui cura-
uit. Inſuper & iſtorū oratoriorum alterum Archangeli Gabriëlis, alterū Michaëlis iti-
dem Archangeli, alterum Raphaëlis Angeli, alium verò Angeli Cuſtodis nominibus
exornanda appellandaq́; voluit. Cùm autē malignus ipſe ſpiritus primā combuſtionē
in huius loci vtilitatē atq; fratrū meritum ceſſiſſe cerneret, adiecit, vt & ſecundā, mul-
tò tñ acriorē, atq; vehementiorē, quæ nec eccleſiæ, neq; contiguo domicilio, neq; etiam
conuicinis arboribus pepercit, ſed omnia in fauillam trāsformauit, anno à partu Virgi
neo 1543. excitaret: periculū interim facturus fratrū conſtantiæ atq; patientiæ, vt vel
ſic eos inde ad alia loca ſęcularibus familiariora pellere poſſet: Sed Deus opt. max.
iſtis, fratribus ſcilicet, coronam duplicaturus, atq; illi, Satanæ videlicet, confuſionem E
præmij loco redditurus, nobilis cuiuſdam fratris nouitij Ludouici à Cruce, atq; Vegia-
renſiū Ducis germani, qui nondum paternæ hæreditati renuntiarat, animū excitauit,
vt ipſum conuentum, multò tamen ſolidiorē, elegantioremq́; primo, atq; etiā ſecundo,
conſtruendum curaret. Præterea huius conuentus deuotione, atq; pulchritudine ſum-
mopere delectatus Philippus II. Hiſpaniarum Rex, dum Granatā, expeditionē contra
Chriſtianos Maurizantes, Deo tamen atq; ſibi rebelles, paraturus, pergeret, pinguiſſi-
mam eleemoſynā ad conſtruendū pro fratribus dormitoriū, pluraq́; iocalia ad eccleſię
ornatum, inſuper & adiacens nemus, atq; conuicina paſcua, quę ad 2. ferè milliaria ſe
extendunt, eidem contulit. Quoties huius loci patres ſacerdotes ſacris ritè diſpoſiti
operātur, toties plenariam omnium peccatorum indulgentiā ex apoſtolica Leonis X.

Pont.

A Pont. max. auctoritate aſſequuntur. A cætero ſacra hæc domus, quæ & particula Dominicę crucis,& eius ſpongiæ,qua myrrhatū vinum Saluatori Chriſto propinatū fuit, itidem particula,& altera ex ſpinis Dominicæ coronæ, & articulo vnius digiti Dñici Præcurſoris,& quodam oſſe diui Sebaſtiani martyris cohoneſtatur, ſanctiſſimis viris, quorum aliqui (vt ſtatim patebit) in ea ſepulti ſunt, perpetuò floruit. Sepultus ſiquidem iacet in huius monaſterij eccleſia maximæ ſanctitatis frater Andreas profeſſione laicus,atq; Caroli V. Germanorum Imperatoris olim Pincerna. Hic claris ortus natalibus, atque virtutibus multò illuſtrior ab ingreſſu Religionis ad vltimum vſq; vitæ halitum in pane tantùm & aqua niſi grauiſſima infirmitate correptus, ieiunauit. Præterea laborum patientiſſimus extitit, atq; charitatem,cum cæteris tamen virtutibus coniunctam,mirum in modum excoluit. Quamobrem & certum ſui obitus diem,
B & ſacræ huius domus incendium ſecundò à Dœmonibus excitatum prænoſſe meruit: & cum maxima ſanctitatis opinione ex hac vita diſceſſit.Eius interim caput theca reconditum tum apud fratres,tum quoq; apud ſæculares in maxima veneratione habetur. Huic beato patri adiacet ei per omnia ſimilis,ac religioſiſſimus P.F. Bernardinus à Caſtrouiridi ſacerdos,qui integros dies integris quoq; noctibus orationi tantùm intentus coniungere aſſueuerat,quiq; pœnitentiæ ergô à vino & carnibus perpetuò abſtinuerit,ac omnes virtutes quàmdiligentiſſimè coluit. Ad hos patres appoſitus eſt & tertius, P. ſcilicet Ioannes Aſſilles ſacerdos, atq; vir omni ex parte perfectus. Huic venerabili P.opportuna ad contemplationem loca quærēti obuiauit ex inſperato mulier nuda omnino,atq; crinibus ab ipſa natura veſtita,quæ,aliquando peccatrix cùm extitiſſet,ad Deum conuerſa in quodam ſolitario, ac procul ab omni hominum fre-
C quentia ſemoto ſpecu per integrum decēnium ſtrictiſſimam pœnitentiā egerat. Hanc igitur proprio mantelo contectam ad huius loci eccleſiam perduxit deuotus P. ſibiq; & Confeſſionis,& Euchariſtiæ Sacramenta miniſtrauit.Cùm itaq; idem beneficiū iterum,atq; iterum à P. receptura hunc locum præfata mulier repetijſſet, graui tandem infirmitate correpta obdormiuit in Domino,atq; in præſentis monaſterij eccleſia ſepulta eſt.Quo quidem tempore P. ipſe Ioannes hanc vocem è cœlo delapſam audiuit: Dilectā meam ego iam in cœlo me ipſo paſco. Huiuſce ſanctæ mulieris corpus,immo & ſpelunca,vbi tādiu egit,prout & pręmemoratorū patrum cineres in maxima apud conuicinos populos veneratione ſunt.Commorātur frequētius hoc in loco.20.fratres.

De conu. SS.martyrum Berardi & ſociorum Bellalcazaris. Con. II.

D PRAESENS conuentus,ſanctis martyribus Minoritis Berardo,Petro, Accurſio, Adiuto atq;Othoni ex apoſtolica Innocentij VIII.Pont.max.auctoritate ab inclyta Tiraſia Henriquez, non procul à Bellalcazare Cordubenſis diœceſis oppido,anno à partu Virgineo 1490. erectus,ad Prouinciæ Conceptionis patres olim pertinuit, & ad huius Prouinciæ,tunc tamē Cuſtodiæ,fratres deflexit.Cùm enim præfati patres S. Frācíſci de Columna ſibi à piētiſſima Eliberia Bellalcazarenſium Comitiſſa ad 300. paſſus ab hoc oppido,anno 1474.conſtructum(vt infrà patebit)deſerere coacti fuiſſēt, ad hunc nouiter ſibi ipſis erectum,atq; oppido viciniorem,anno 1490. ſe tranſtulêre. Cumq; nimiùm à cæteris Prouincię locis diſtaret,cuperetq; Alphonſus à Sotto maior præmemorati P.F.Ioannis de la Puebla ex fratre nepos,atq;(vt ſuprà meminimus)pupillus,eum præcedenti S.Mariæ de Angelis monaſterio adiectū,vt id tādem fieret,atq;
E vt eius habitatoribus conſuleretur,ab Alexandro VI.ſummo Pontifice anno 1493.impetrauit.Eo igitur factū eſt,vt antiquioribus eius habitatoribus inde recedētibus, atq: cætera ſuæ Prouinciæ loca repetentibus,hoc monaſterium Angelorū Cuſtodiæ acceſſerit.Non abs re (puto)erit ſi,quanta fuerit nobiliſſimorū Comitum Bellalcazarenſiū in Deum pietas,quantuſq; ad Franciſcanū Ordinem affectus,paucis impræſentiarū retulerimus,ideoq;,quæ ſequuntur,adijcere præcedētibus libuit. Cùm enim (vt præfati ſumus) heros Ioannes à Sotto maior fundamentalis huius Prouincię lapis, ſpreta Comitatus dignitate,ſpretiſq; fallacibus huius mundi delicijs & honoribus, Frāciſcano indutus ſacco,ſtrenuum ſeraphici patris Franciſci militē ad vltimū vſq; ſui obitus diē egiſſet:eius nepos atq; pupillus,(cuius ſuperius mentio facta eſt) Alphonſus inquam à

Sotto

Sotto maior Bellalcazarenſium quoq; Comes, vtprimùm matrimonij legibus & vinculo per cariſſimæ vxoris mortem ſolutus fuit, mundo eiuſq; pompis vale dicto, pauperculis Franciſcanis ſub nomine Alphonſi à Cruce hac in ipſa Prouincia, ſed tunc temporis Cuſtodia, adiungi voluit. Cuius ſanè humilitas, in ſe ipſum rigor, atq; ſui quoq; met contemptus cum cęteris virtutibus coniunctus incredibiles fuère. Hunc poſtmodum eius filius ſecundò genitus, qui cùm militiam ſub Caroli V. Germanorum Imperatoris, Hiſpanięq; Regis inuictiſſimi ſignis ſtrenuè per aliquot annos militaſſet, rediens ab infelici illa Africana expeditione, in qua tot Chriſtianorum millia propè Iuliam Cæſaream (vulgò Algier) miſerrimè, Deo id propter noſtra peccata permittente, perierunt, omnibus poſthabitis honoribus, atq; B.P. Franciſci Regulam in ſanctæ Mariæ de Angelis conuētu ſolemniter profeſſus eſt, eamque, quoad vixit, inuiolatā ſeruauit. Hic eſt ille nouitius, qui præfatum ſanctæ Mariæ de Angelis monaſterium ſuis ſumptibus in ſecunda illa combuſtione (vt ibi meminimus) reparauit, refecit, ampliauitq;. Sepulti ſunt præfati duo vterini fratres ſimul, & eorum parens, omnes tamen ex Minoritico habitu in Chriſto fratres, in huius conuentus eccleſia: quam duo ex 11, millibus virginum capita, altera ex auriculis, & os quoddam beatæ Mariæ Salomè, atque aliud itidem os beatæ Catharinæ virginis & martyris elegantiſſimè exornant. De fęminis autem ex hac eadem nobiliſſima familia prognatis, quæ ſæculo longè poſthabito Clariſſarum Ordinem nobilitarunt, inferius, idque ſuis in locis atque pertranſeundo, Deo duce, agemus. A cætero conuiuūt plerumq; hoc in monaſterio trigintatres fratres.

A

B

De conuentu S. Ludouici Portocarrerij. Conu. III.

CVM maximæ expectationis adoleſcens Ludouicus Portocarrerius, ſpectabilium heroum Ludouici Portocarrerij, atque Franciſcæ Manriquæ eius coniugis temporalium oppidi Palmæ Cordubenſis diœceſis Dñorum vnigenitus, atque vnicus hæres, ea patria grauiſſima peſte infecta in læthalem morbum incidiſſet, ſolicita parens ſe ad vnius Minoritici conuentus, beato patri Ludouico Toloſano Epiſcopo ſacrandi, ædificationem deuinxit, ſi filium ex ea infirmitate ereptum reciperet. Vt igitur primùm voti compos effecta eſt, præſens monaſterium, eidem B.P. Ludouico ſacrum, quod & 25. fratres commodiſſimè incolunt, ad tertium lapidem à præfato oppido Palma in loco quodam ſyluatico ædificandum curauit. Contigit autem id anno Domini 1494. Præterea pientiſſimus Ludouicus Portocarrerius, pientiſſimæ quoq; matris pietatem imitatus, ſecūdum ſub S. Mariæ de Bethlehem inuocatione conuentum conſtrui fecit. Extitit ad tertium lapidem ab hoc monaſterio, in quo ſacræ Theologię ſtudium perpetuò viget, in oppido, quod Pennaflor Hiſpanicè nuncupatur, deuota quædam mulier, quæ Franciſcanos fratres eò diuertentes, in B. F. Franciſci gratiam, humaniſſimo hoſpitio, quoad ſibi comes vita fuit, excepit. Hæc igitur, cùm impoſito ex liuore cuidam muleiri falſo teſtimonio è viuis exceſſiſſet, atq; tremendo tribunali pręſentata ab æquiſſimo iudice Chriſto Domino æternis ignibus adiudicata eſſet, ſeraphicus ipſe pater beneficiorū ſibi in ſuis fratribus præſtitorū memor, ad pedes pro tribunali ſedentis prouolutus illi commiſſi criminis, nec tamen expiati, veniam exorauit, ac tandem, vt ad mortales rediens laceſſitæ feminæ faceret ſatis, impetrauit. Quod cùm illa viuis reſtituta præſtitiſſet, ad Dominū ſtatim carnis ergaſtulo denuò ſoluta, euolauit. Hęc autē omnia authētica ſunt, atq; pluriū teſtiū omni exceptione maiorū iureiurādo confirmata.

C

D

E

De conuentu S. Mariæ de Pietate Guadalcanalis. IIII.

VT ipſiſſimis Innocētij VIII. Pont. max. cuius diploma Romę 29. Martij anno 1491 datum in pręſentis conuentus tabellario aſſeruatur, verbis vtar. Dñi Henrique Henriquez Legionēſis Commendatarius, primuſq; regiæ Hiſpanię Regum Ferdinādi, atq; Eliſabethę Pręfectus, atq; eius vxor Maria à Luna hanc ſacrā ædē S. Mariæ de Pietate dicatā in Prioratus Legionenſis Ordinis D. Iacobi confinio, atq; ad Marianı montis radices, prope deuotiſſimū appidū Guadalcanal, ex Alphonſi à Cardenis ſacræ D. Iacobi Militiæ Magiſtri facultate, confirmata tamen à præfatis Regibus, communibus ſumptibus extrui curarunt, cęteriſque Cuſtodiæ Angelorum cœnobijs agglomerarūt.

Adiacet

A Adiacet præfato diplomati bulla Alexandri VI. Pont. max. data die vigeſimaquarta menſis Octobris, anno Domini 1493. qua vigintiquinque Franciſcanis, ex quacunque eſſent Prouincia, in hunc locum, quem & 30. incolunt religioſi, cum libris atque ſarcinolis transmigrandi, etiã nulla ad hoc ſuorum ſuperiorum licentia requiſita, facultas fit: daturq; omnibus huiuſmet loci Confeſſarijs poteſtas abſoluendi quoſcunq; ſeculares ad ſe aduentantes à quouis crimine & exceſſu, tam de iure communi, quam ex conſuetudine ſupremo Prælato Prouinciæ Legionenſis Ordinis diui Iacobi reſeruato.

De conuentu S. Dominici Xarandiliæ. Conu. V.

CVM illuſtriſſimus heros Ferdinandus Aluarez à Toleto Orapeſſanorũ Comes, atq; oppidi Xarandilię temporalis Dominus ſeraphico patri Franciſco, atq; beatiſſimo patri Dominico deuotiſſimus eſſet, hãc ſacram ædem in eiuſdem beati patris Dominici honorem, à Minoritis tamen inhabitandam, ad 500. paſſus à præfato oppido Xarandilia ex domeſticis facultatibus, anno à partu Virgineo 1500. vtriq; ſatisfacturus à fundamentis ad apicem vſq; conſtruendam curauit. Vix profectò huius monaſterij, quod & à 20 fratribus frequẽtius inhabitatur, amœniſſimisq; hortis, gelidisq; lymphis, atq; oratorijs, in quibus fratres ſeorſim ab alijs Deo opt. max. in ſtrictiſſimo ieiunio, atq; continua oratione vacare aſſueuerunt, elegantiſſimè exornatur, ſalubritatem, quietem atq; deuotionẽ explicare quis poſſit: cùm à ſęcularibus procul, ad editiſſimi cuiuſdam montis radices, atq; inter confertiſſimas arbores ſitum omnes in ſui admirationem rapiat. Quo deniq; factum eſt, vt plures patres religione, moribus atq; vitæ ſanctimonia inſignes huic Prouinciæ pepererit. Inter quos ſanè longè emicuit P. Alphonſus ab Herrera ſacerdos, qui abſtinentiæ, vigilijs, manſuetudini, atque charitati orationis aſſiduitatem perpetuò adhibuit, quiq; fidelium animas in Purgatorio exiſtentes adeò commendatas habuit, vt earum pater paſſim ab oĩbus appellitaretur.

De conuentu S. Franciſci Conſtantinæ. Conu. VI.

CVM Henricus Caſtellæ atq; Legionis IIII. Rex propriæ valetudini conſulturus domum quandam, ex Medicorum conſilio apud antiquiſſimam ciuitatem Conſtantinam in frigidiori quodã, atq; aquarum ſcaturigine fęcundiſſimo Mariani montis loco erigi curaſſet, & morte præuentus eius habitatione frui minimè potuiſſet, eam Conuentualibus Franciſcanis patribus in conuentum transformandam ex teſtamẽto reliquit. Cumq; eorum opera id dignitatis ſub titulo ſeraphici patris Franciſci aſſequuta eſſet, ab ijs ad eiuſdem Ordinis Obſeruantes, poſt plurimos ab huiuſmodi trãſformatione annos, Ferdinando atq; Eliſabetha eius coniuge Hiſpaniæ Regibus, idq; maximè ſolicitantibus, deflexit. Huius ſacrę domus, quam & 20. fratres frequentius incolunt, & quoddam diui Blaſij Epiſcopi os Conſtantinianis commendatiſſimam reddit, vetuſtas tum ex his, quæ diximus, tum quoq; ex eius ſtructura ſatis ſuperq; cõſtat.

De conuentu S. Franciſci de Monte. Conu. VII.

EIVS oppidi, quod Valuerde Hiſpanicè nuncupatur, diſtatq; Hiſpali celebri Bæticæ ciuitate nouem millibus paſſuum, accolę habitaturi proprius Minoritas, qui ſibi opportunè in quacunq; occurrenti neceſſitate adeſſent, antiquum eremitorium longiuſculus ab oppido in fluuij Bætis margine erectũ ex communibus facultatibus, idq; circa annum Domini 1433. ampliandum, atq; in multò meliorem formam ſub titulo S. Franciſci redigendum, nec non & contiguum monaſterium, in quo 20. fratres commodè commorari poſſent, ſibi annectendum curarunt. Cùm in huius monaſterij exordio omnis circumquaq; regio ſæuiſſima peſte cõflictaretur, omnesq; fratres, vno tãtùm Oſtiario dempto, fuga ſibi conſuluiſſent, cępit is poſt aliquot dies fame torqueri: quare ad quandam deuotiſſimam Deiparæ Virginis imaginem in eccleſia erectam conuerſus, in hęc verba prorupit: Glorioſa Virgo, atq; miſericordię mater vel victum, quo ſuſtenter, mihi miniſtrare digneris, vel totius domus claues ſuſcipito, eiuſq; curã gerito: quandoquidem, niſi mihi ex tempore adfueris, proculdubio ſuccumbendũ erit. Vixq; ille huiuſmodi verba protulerat, quando pulcherrimus quidam iuuenis tum

eſculentis,tum quoq; poculentis onuſtus ad fores aſtitit,qui & collatis ſibi, quæ attu- A
lerat,diſparuit. Et ab eo temporis præfata Virginis glorioſæ imago miraculis coru-
ſcare,& peſtis ijs in partibus ceſſare cœpit,& maxima illis populis ad hunc locũ deuo-
tio acceſſit. Mortem obijt hoc in loco religioſiſſimus F Bernardinus à Laredo laicus
profeſſus,qui licèt eſſet Medicus extra omnem ingenij aleam abſolutiſſimus,nunquã
tamen aliquo ſacrorũ ordinum initiari voluit: ſed Chriſto Domino ſub ſimpliciſſimo
fratrum laicorum habitu inſeruire maluit. Scripſit nihilominus humillimus hic frater
plures libellos, quorum alteri Aſcẽſus montis Sion,alteri Modus faciendi, alteri verò
Metaphora Medicinæ titulus fuit. Huius religioſi fratris opera in ſuis infirmitatibus
vſus maximè fuit sereniſſimus Portugaliæ Rex Ioannes II. in eiusq; gratiam ſingu-
larem piperis,cinamomi,aliarumq; ſpecierum,quæ ex Orientali India in Hiſpaniam
iuuehuntur, eleemoſynam in ſingulos annos huic Prouinciæ erogandam contulit. B
Hãc catholicus Hiſpaniarum Rex Philippus II. perpetuò duraturam conceſſit. Fuit
præterea deuotiſſimus frater Bernardinus maxima abſtinentia, patientia, charitate,
taciturnitate atq; orationis aſſiduitate prçditus: inſuper & acerrimus Dçmonum ho-
ſtis:aduerſus quorũ inſidias lignea cruce tribus clauibus exornata vtebatur. Hæc etiã
monialem epilenticam prçter omnium Medicorum ſpem atq; ſententiã priſtinç ſani-
tati in conuẽtu S.Claræ de Columna(cuius inferius mentio fiet) mirabiliter reſtituit.

De conuentu S.Hieronymi Caſſalliæ. Conu. VIII.

NOBILISSIMA Tiraſia Henriquez, cuius memoria ob ſingularia beneficia
viris atq; fœminis religioſis,præſertim verò Franciſcanis præſtita in benedictio-
ne eſt,poſtquam quinq; martyrum Minoritarum conuentum ædificauit,adiecit,vt & C
hunc,diuo Hieronymo Eccleſiæ Doctori ſacrum, ex apoſtolica Alexandri VI. Pont.
max.facultate,ſibi,anno Domini 1493. facta, R. tamen Didaco Hurtado à Mendoza
Hiſpalenſi Archiepiſcopo commiſſa prope Caſſalliã,(vulgò Caçalla) oppidum opti-
mi vini feracitate nobiliſſimum,à fundamentis conſtruendum,omnibusq; ſuis nume-
ris,iuxta eius temporis exigentiam,abſoluendum, atq; cæteris annectẽdum curaret.
Cùm autẽ poſtmodum doctiſſimus Iacobus à Turribus in arte Medica Doctor, atq;
Aſtronomiæ in famoſa Salmanticenſi Academia profeſſor, huius monaſterij eccleſiã
ſacrum auditurus fortè fortuna,Hiſpalim petẽs,eſſet ingreſſus,ſibi, quòd anguſtè ſa-
tis extructa eſſet,compatiens, eam ex ſcholaſticis ſtipendijs ampliauit,ſacelliſq; locu-
pletauit. Vnde & eius patronatus ius patribus id decernentibus meruit,& moriens in
maiori ſacello honorificè tumulatus eſt. Quæ verò ſequuntur,quòd veriſſima ſint, D
quodq; diuinam prouidentiam ſummopere commendent, præcedentibus adijcere li-
buit. Aſſueuerat Caſſalienſis quædam puella,ſub patris poteſtate conſtituta,atq; B.P.
Franciſco deuotiſſima hauſtum ex dolio vinum ſingulis diebus huius loci fratribus,
qui plerumq; ſunt numero 20.in eleemoſynam conferre, nec prius periculum ſenſit,
quàm vas exhauriretur. Cumq; ſibi à patre plus æquo auaritiæ dedito timere cçpiſſet
beatiſſimum Franciſcum,vt ſibi adeſſe dignaretur,precibus interpellare non deſtitit,
donec vino præfixis terminis ſe minimè continente, vas redundauerit. Quod tamen vt
primùm patri innotuit,in cauſa extitit,vt ille dolium, vti erat,vino plenum fratribus
liberaliſſimè conferret, atque maiori poſtea deuotione tum in eos, tum quoque in eo-
rum patrem Franciſcum ferretur, & vt puella Clariſſarum Ordinem ſpreto ſæculo
ingreſſa mirificè in omni virtute, charitate,obſeruantia, atque ſanctitate profecerit. E

De conuentu S.Gilberti Bucæ. Conu. IX.

PROSEQVVTVRVS pientiſſimus heros Gonzaluus à Mexia B.Gilbertum
ſpecialis aliquo honoris genere,ædiculã,vbi pro Chriſti fide is occubuerat, inter
Bucenſis antiquiſſimæ ciuitatis ruinas,atq; ad 3.lapidem à S.Euphemiç caſtro ſibi eri-
gendam curauit. Sed cùm circumuicinorum populorum ad S. deuotio in dies magis,
magisq; augeretur,isq; innumeris coruſcaret miraculis, huiuſmodi ædiculã in con-
uentum ex apoſtolica Iulij II. Pont. max. facultate ſibi,anno Domini 1507.facta præ-
fatus heros euexit, Minoritisq; Angelorum Cuſtodiæ fratribus in habitationem con-
tulit.

A tulit. Pręceperat tamen ſummus ipſe Pont. vt huiuſcemodi conuentus à 9. tantùm fratribus incoleretur: idq; in memoriam atq; honorem 9. eorum mēſium, quibus mundi Saluator Chriſtus in vtero Virginis delituit. Quamobrem idem fundator ſibi ſupplicauit, vt ſi tum loco, tum quoq; fidelibus ad eum confluentibus conſultum cuperet, huiuſcemodi limitationem numeri è medio tollere dignaretur. Summo itaq; Pontifice eius votis annuēte effectum eſt, vt præfatus hic conuentus, qui eidem beato Gilberto ſacratus euaſit, à 20. fratribus, & aliquando à pluribus inhabitetur. Quia verò præfati fundatoris pronepos Gonſaluus à Mexia Guardienſium Marchio, atque Caſtri S. Euphemiæ temporalis Dominus, nec non & nobiliſſima eius vxor Eliſabetha à Mēdoza mira in ſanctum Gilbertum deuotione feruntur, & præſens locus, qui & ſacro præfati ſancti corpore, atque quibuſdam ſanctorum Anaſtaſij, & Albani martyrum
B oſſibus, ſibi à Pio V. Pont. max. dono datis, nobilitatur, Chriſtifidelibus circūquaque commorantibus commendatiſſimus eſt, præcepit præmemoratus Guardiēſium Marchio, vt natalitius S. Gilberti dies ab omnibus ſibi ſubditis feſtiuè colatur, trāſigaturq;.

De conuentu S. Antonij Chillonij. *Conu. X.*

CVM nec Almadenij, nec Chillonij Hiſpalenſis diœceſis oppidorum opes Franciſcanis duobus monaſterijs ædificādis ſatisfacere poſſent, in eam ab vtriuſq; oppidi communitate ſentētiam ventum eſt, vt ex communibus facultatibus ſimul congeſtis inter medios tum iſtius, tum quoq; illius oppidi fines Minoriticus vnius conuētus, beato patri Antonio de Padua ſacratus, qui omnibus ex æquo deſeruiret, erigeretur, abſolueretur q;. Cumq; præfatus conuentus, qui & à viginti fratribus impræſen-
C tiarum incolitur, ex viliori materia conſtructus breuem minaretur ruinam, à quodam Comarenſium Marchione reædificatus, ampliatusq; extitit, nec non & Angelorum Cuſtodiæ ex apoſtolica Leonis X. Pont. max. auctoritate, anno Domini 1514. collatus. Mirum ſanè eſt quantum boli, quantumq; emolumenti ex altero præfatorum oppidorum, Almadenio videlicet, ob argenti viui fodinas, quibus ea patria abundat, Caſtellæ Regibus obueniat. Quarum profectò fodinarum tanta eſt fœcunditas, vt ſcaturientibus atque emanantibus ſupra modum earum venis vix vnquam exhauriri poſſint.

De conuentu S. Mariæ de Succurſu Petrochij. *Conu. XI.*

PLVRES ſanè ſui authores atque fundatores agnoſcit ſacra hæc ædes, B. virgini
D Mariæ de Succurſu non longè ab oppido Petrochio (Hiſpanicè Pedroche) erecta, atq; à 30. fratribus plerunq; inhabitata. Et primò quidem inſignem illū, atq; ſtrenuum Ducem ſiue Capitaneum cognomento Magnum Gonſaluum Ferdinandez à Corduba, qui eccleſiam ſuis ſumptibus à fundamentis ad apicem vſq; extruxit, atq; poſita lege cauit, ne quis alius à Minorita, vel à nobili, qui tamen ſe, ſuoſq; poſteros ad eius reparationem, atq; reædificationem (ſi opus eſſet) perpetua obligatione aſtringeret, in principe eius ſacello humari poſſet. Deinde verò ſereniſſ. Hiſpaniæ Regem Ferdinandum V. atq; Petrochianam communitatem, quorum ſumptibus quod reliquum eſt ab eccleſia ædificij conſtructum extitit. Contigit autē hoc circa annum Dñi 1510. R.P.F. Franciſco Angelorum Cuſtode. Præterea R. pater frater Ioannes Barrienſis, huius aliquando Prouinciæ alumnus, atque Granatenſis apud occiduos Indos Archiepi-
E ſcopus, erectis ex apoſtolica ſibi facta facultate quatuor capellanijs, ſacræ Theologię ſtudium perpetuò duraturum hoc in eodē monaſterio, in cuius ſacrario pars oſſis diui Sebaſtiani martyris religioſè aſſeruatur, non minus liberaliter, quàm piè inſtituit. A cætero in huius loci eccleſia ſepultus iacet venerabilis, ac omni ſanctitate conſpicuus P.F. Ioannes Petrochius ſacerdos, cui ipſa Dominicę Natiuitatis nocte celebrāti Chriſtus Dominus in elegantiſſimi pueruli forma apparuit, cuiq; ad crucis ſignum pauperem quendam claudum, atque ad incedendum omnino ineptum rectificare contigit.

De conuentu S. Mariæ de Bethlehem Palmæ. *Conu. XII.*

PALMA Cordubenſis diœceſis oppidum eſt, dupliciq; flumine, Bęti ſcilicet, atq; Guadaxenili alluitur. Hoc igitur oppidum nobilitaturus piiſſimus heros Ludo-

 uicus

uicus, primus eius Comes prȩſentē conuentum, S. Mariæ de Bethlehem ſacrum, quem 20. fratres frequentius incolunt, eo in iſthmo, ſiue peninſula, quam vterq; fluuius facit, ex apoſtolica Leonis X. Pont. max. auctoritate, anno à partu Virgineo 1518. extrui, perficiq; fecit. Quamuis huius loci ſitus ex conuentione inter Caſtellæ, atq; Bȩticæ Prouinciarum patres facta ad Bȩticam ſpectet, quòd pauperculi conuentuum ſancti Ludouici, atq; S. Mariȩ de Angelis (quorum ſuprà meminimus) habitatores procul ab oppidis conſtituti, ob Medicorum atq; pharmacorum defectum, infirmitatum tēpore non ita contemnendum propriæ ſalutis diſcrimen ſubirent, voluit nihilominus ſummus ipſe Pontifex Leo X. vt conuentus in eo erigendus, ad quem infirmi prȩfatorum locorum fratres deferendi venirent, Angelorum Cuſtodiæ adijceretur. Viam vniuerſæ carnis hoc in loco ingreſſus eſt admirandæ humilitatis, atque ſimplicitatis frater Barnabas laicus profeſſus, qui integras noctes integris diebus orationi intentus iungere aſſueuerat, quiq; prophetico ſpiritu afflatus plurima adhuc futura certiſſimè prȩdixit, atque deuotiſſimum libellum, vereq; mellifluum ſub Viæ ſpiritus titulo, licèt idiota eſſet, nec vel grammaticales literas à liminibus ſalutaſſet, artificioſiſſimè edidit, quiq; tandē mulierē graui morbo laborantem ſtatim à morte integræ ſoſpitati miraculosè reſtituit, & alia quamplurima miracula auxilio diuino munitus edidit.

A

B

De conuentu Conceptionis B. Mariæ Herreræ. *Conu. XIII.*

ANTEQVAM pientiſſimus Alphonſus à Sottomaior, Bellalcazarenſiū Comes (cuius ſuprà meminimus) ſacram Franciſcanorum Religionem ingrederetur, dumq; matrimonij vinculo Philippæ à Portugalia adhuc iungeretur, ſuæ voluntatis ſpecimen daturus hoc ſacrum monaſterium in immaculatæ Conceptionis B. Virginis honorem, prope Herreram, ſiue Ferrariam Toletanæ diœceſis oppidum ſibi ſubditum ex proprijs facultatibus, atque ex facta ſibi à ſummo Pontifice Leone X. poteſtate, anno Dominicæ incarnationis 1517. à fundamentis ad verticem vſque conſtruendum, cæteriſq; Angelorum Cuſtodiæ locis adijciendum curauit. In cuius deniq; gratiam nobiliſſimi Vexaranorum Duces, atq; Bellalcazarenſium Comites, qui ab eo per propagationem deſcendunt, viginti fratres prȩfati huius monaſterij accolas omni humanitate, omni fauore, ac omni deniq; beneficiorū genere omni in euētu proſequuntur. C

De conuentu S. Mariæ de Spe Antiquæmellariæ. *Conu. XIIII.*

QVA in Franciſcanam Religionem mente nobiliſſima heroina Ioanna à Cardenis eius oppidi, quod Puebla del Conde Hiſpanicè nuncupatur, Comitiſſa fuerit, vel ex hoc ſaltem pietatis ſpecimine edocemur. Vt enim primùm matrimonij vinculis per viri mortem ſoluta eſt, hoc monaſterium ex proprijs facultatibus non longè ab Antiquamellaria (vulgò Fuente Ouejuna) à fundamentis erigendum, omninoq; abſoluendum, atq; ſanctiſſimæ Mariæ de Spe ſtatuendum curauit. Contigit autem id anno Domini 1520. A quo etiam tempore 30. huius Prouinciæ fratres, quorum maior pars ſub prælectoribus apprimè eruditis Philoſophicis incumbit literis, præfatū hunc locum commodiſſimè inhabitant. Prȩſenti ſȩculo vale dixit hoc in ipſo loco B. F. Ildephōſus ab Antiquamellaria laicus profeſſus, qui licèt humilibus ortus natalibus, atq; ſeruilibus, dum in ſæculo ageret, intentus operibus humilitate nihilominus, abſtinentia, charitate non ficta, cȩteriſq; virtutibus illuſtris, clarusq; extitit. Cùm enim ex parētum mandato matrimonio iunctus eſſet, non amplexibus, nec reliquis delicijs, iuuenilem ſequutus petulātiam, vacauit, ſed caſtitatem cum vxore pari mente prȩdita perpetuò coluit. Ea tamen vita functa, diuino monitus oraculo, Franciſcanam Religionem, in qua vſque ad decrepitam ſenectutem ſanctiſſimam egit vitam, ingreſſus eſt. Fuit ſiquidem B. hic F. in oratione aſſiduus, ſæpiusq; de humani generis hoſte viſibili forma induto glorioſam reuexit victoriam. Præterea tanta fuit diuinorum myſteriorum ſcientia ab alto illuſtratus, vt omnes in ſui admirationem, atq; ſtuporem converteret; Spiritu etiam prophetico, quo quāplurima prædixit, donatus extitit. Et, vt paucis multa perſtringam, quantæ apud Deum æſtimationis huius B. F. opera fuerint, ſatis ſuperq; ex eius miraculis tum in vita, tum quoque in morte patratis innotuit.

D

E

De con-

A *De conuentu S. Mariæ de Pace Populæferrariæ.* *Conu. XV.*

ANTEQVAM illuſtriſſimus Ludouicus à Sotto maior (cuius in deſcriptione conuentus ſanctæ Mariæ de Angelis mentio facta eſt) ſolemne Religionis Frãciſcanę votum emitteret, pinguem ſatis eleemoſynam ad vnius Minoritici conuentus ſanctæ Mariæ de Pace ſtatuendi, quòd præfata in Religione pacem, quam in ſæculo longè à ſe factam nouerat, aſſequutus eſſet, ædificationem ex teſtamento reliquit. Quem nobiliſſima eius ſoror Philippa à Sotto maior piè ſatis imitata, priuſquã beatæ virginis Claræ Regulam in conuentu ſanctæ Claræ de Columna (de quo inferius) profiteretur, optimam pecuniarum ſummam ad eiuſdem conuentus promotionem etiam ex teſtamento legauit. Ex ijs igitur, atque alijs oppidanorum facultatibus pręſens conuentus, glorioſiſſimę virgini Mariæ de Pace ſacratus, longiuſculus à Popula-
B ferraria (vulgò Puebla de Herrera) Toletanæ diœceſis oppido à fundamentis, anno Dominicę incarnationis milleſimo quingenteſimo quadrageſimo tertio extrui cœpit, ac tandem poſt decennium, nempe anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo tertio omnibus ſuis numeris abſolutus extitit. Qui interim & à viginti fratribus plerunque incolitur, & pientiſſimos Bellalcazarenſium Comites ſibi addictiſſimos, deuotiſſimos, atque ſummè beneficos quocunque in euentu infallibiliter experitur.

De conuentu S. Franciſci de Angelis Algauæ. *Conu. XVI.*

DEBITAS gratiarum actiones Frãciſcanis huius Prouinciæ fratribus, quorum ſe precibus, & è mortis faucibus erutum, & prolem vniuerſæ ditionis hęredẽ ex
C cariſſima coniuge Briãda Portocarreria ſuſcepiſſe nouerat, redditurus illuſtriſſimus Franciſcus Guſmanius, hanc ſacram ædem in honorem ſancti Franciſci de Angelis ad tertium tantùm lapidem à famoſa ciuitate Hiſpali ex domeſticis bonis, atque ex apoſtolica Gregorij XIII. Pont.max. facultate ſibi facta, à fundamentis extruendã, omnibuſq; ſuis numeris abſoluendam, atque reliquis huius Prouinciæ locis agglomerandã curauit. Cùm autem Bęticæ Prouinciæ patres ob violatas noſtrę Religionis leges (eſt ſiquidem præfatus hic conuentus intra præfixos pręmemoratis patribus limites ædificatus) quererentur, ſanctiſſimus idem Pontifex Gregorius XIII. omnem iurgij fomitem ab iſtis atq; ab illis eliminatum exoptans, edito diplomate, quod apud octo religioſos huius monaſterij accolas adhuc extat, conſultiſſimè cauit, voluitq́; vt, quandoquidem nihil aut certè parum referret, quamuis hoc cœnobium Prouinciæ
D Bęticæ limitibus clauderetur, ad hanc nihilominus Angelorum Prouinciã ſpectaret: inſuper & perpetuũ ſilẽtium auctorirate apoſtolica vtriſq; huius rei gratia impoſuit.

De monaſterio S. Claræ de Columna Bellalcaζaris. *Mon. I.*

CONSTRVXERAT (vt pertranſeundo meminimus in deſcriptione conuentus 5. martyrum Minoritarũ) Eliberia à Stunnica vidua ex morte Alphõſi à Sottomaior Bellalcazarenſium Comitis relicta, ac venerabilis P. F. Ioannis de la Puebla huius Prouinciæ authoris mater ex apoſtolica Sixti IIII. Pont.max. auctoritate ſibi anno Domini 1474. facta, conuentum (de quo impræſentiarum) ſeraphico patri Frãciſco de Columna ſacrum, ad 300. paſſus ab oppido Bellalcazare, illumq́; Prouinciæ Conceptionis fratribus tradendum curauerat. Sed cùm nobiliſſimę virgines Eliſabe-
E tha atq; Leonora à Sottomaior eius filiæ diuę virginis Claræ Ordinem ingredi cuperent, pręfatoq; conuentui mirum in modum afficerentur, ab Innocentio VIII. ſummo Pontifice, idq; anno Domini 1486. impetrarunt, vt tranſlatis pręfatis fratribus ad alium conuentum propius ipſum oppidum, à piẽtiſſima Tiraſia Henriquez conſtruẽdum, is ſibi, atque alijs ſacris virginibus aduenturis omnino relinqueretur. Fuit autem id primùm executioni mãdatum, anno Domini 1490. die verò menſis Martij 21. Quo die ſimul cum duabus pręfatis ſororibus vterinis Eliſabetha atq; Leonora à Sottomaior ingreſſę ſunt hanc ſacram domum, quam nomine S. Clarę de Columna in poſterũ appellandam voluerunt, nobiliſſimę duę virgines alię, & religioſiſſimę ſorores Catharina, atq; Ludouica Manriquia ex famoſo Calabazanico Prouincię Conceptionis

conuentu allatæ, illę quidem quatuor vt Clariſſarum habitu induerentur, ſed iſtæ A
vt tum ipſas, tum quoque cęteras aduentantes iuuenculas religioſis moribus atque
ritibus imbuerent. Quarum denique opera tantopere hoc ſacrum monaſterium, quod
& à quadraginta Vrbaniſtis ſororibus Clariſſis impræſentiarum inhabitatur, in omni ſanctitate, nobilitate, atque morum grauitate profecit, vt cum quouis alio, licèt religioſiſſimo, de primatu contendere poſſit. Cæterùm hæc ſacra ædes, quæ & plurimis
fauoribus à ſereniſſima Eliſabetha Hiſpaniæ Regina cumulata extitit, ſequentibus ſacroſanctis reliquijs exornatur: Nempe Dñicæ crucis particula, fragmēto eius columnæ, ad quam Chriſtus mundi Saluator alligatus, cæſusq; fuit, altero ex crinibus Deiparæ Virginis, pluribus quoq; crinibus B. Mariæ Magdalenes, quodam capite vnius
ex 11. millibus virginum, & altero ex digitis diuæ Catharinæ virginis & martyris.

De monaſterio S. Claræ Palmæ. *Mon. II.* B

CVM nobilis quidam nomine Ioannes à Manibusalbis, furenti zelotipia percitus, in propriam vxorem, innocentem tamen, animaduertiſſet, atq; poſt tantum
perpetratum facinus, ad ſanam mentem rediens, Deo opt. max. aliqualiter ſatisfacere vellet, propriam domum, quam Palmæ poſſidebat, in Clariſſarum Vrbaniſtarũ monaſterium, anno Dominicæ incarnationis 1509. transferri, atque huic Prouincię adijci curauit. Sed cùm eius ſorores, quę 30. numerum attingunt, deficientibus ſibi redditibus, pauperie, atque plurimis alijs difficultatibus conflictarentur, huiuſmodi monaſterium ab illuſtriſſimis Palmæ Comitibus ampliatum, atque plurimis poſſeſſionibus
& prædijs locupletatum extitit. Vnde factum eſt, vt eius habitatricibus felicius Chriſto ſponſo ſeruientibus, inter præcipuos huius Prouinciæ conuentus annumerandum C
veniat. Subiacuit præterea hæc ſacra ædes à ſui erectione ad annum vſque 1517. Prouinciæ Bæticæ patribus, ſed conſtructo eo temporis conuentu S. Mariæ de Bethlehem
ab eis, Palmæ Comitibus id maximè ſolicitantibus, ad huius Prouinciæ alumnos tranſlata eſt. Quorum ſanè cura, & ſolicitudine tantopere in regulari diſciplina, atq; ſanctitate profecit, vt inde nobilium trium monaſteriorum, Conſtātiniani videlicet, Caſſalienſis atque Alaniſiani (de quibus inferius) fundatrices prodierunt. Carnis ergaſtulo ſoluta ex hoc loco ad aſtra migrauit religioſiſſima ſoror Catharina, meritis omnino opima, cuius corpus honeſto loco reconditum tum apud ſæculares, tum quoque
apud ipſas ſorores in maxima veneratione eſt. Nec abs re quidem, cùm angelicam
potius, quàm humanã vitam duxerit, omneſq; virtutes ſumma ſolicitudine coluerit. D

De monaſterio S. Claræ Caſſaliæ. *Mon. III.*

CVM Tertiariæ Franciſcanæ ſorores Clariſſis ſex monialibus, quæ ex Palmenſi
conuentu cum apoſtolicis literis ad eas reformandas Caſalliam venerant, inſtantius reſtitiſſent, loco motæ ſunt, & earum domus, quæ aliquantulum à præfato oppido Caſſallia diſtat, præfatis ſex Clariſſis collata extitit. Quæ tamen cum ſumma
pauperie laboraret, à perdeuotis Didaco de Almanſa, atq; eius vxore Maria de Vlloa,
quòd nullam ex ſe inuicem prolem ſuſcipere potuiſſent, hæres ex aſſe, anno à partu
Virgineo 1571. inſtituta eſt. Eorum igitur beneficio atque liberalitate quadraginta
eius habitatrices ſecundæ Clariſſarum Regulæ aſtrictæ ſatis commodè, atq; pro voto
viuunt. Euaſit autē præfata domus ab huiuſmodi tranſlatione B. virgini Clarę ſacrata. E

De monaſterio S Claræ Alaniſij. *Mon. IIII.*

QVID ſimile atque præcedenti contigit præſenti monaſterio, beatæ virgini Claræ ſacrato, atque muris oppidi Alaniſij circumſcripto. Cùm enim à Tertiarijs
ſororibus Franciſcanis inhabitaretur, miſſæ ſunt aliquot ex Palmenſi conuentu moniales Clariſſæ tum pontificijs, tum quoque regijs literis munitæ, quæ & locum occuparent, & eius habitatrices ad ſeruandam ſub Clariſſarum habitu clauſuram compellerent. Illis tamen contradicentibus, atque aliò declinantibus, pręfatus earum locus in Clariſſarum Vrbaniſtarum ius ceſſit. Qui interim, quòd redditibus non abundet, imò paupertate laboret, à quindecim tantùm ſacris virginibus inhabitatur.

De mona-

A *De monaſterio S. Claræ Conſtantinæ. Mon. V.*

CVM nobilis atq; honeſta fœmina Conſtãtia Velasquez, vidua ex cariſſimi viri morte relicta, nullã prorſus prolem ex ipſo ſuſcepiſſet, Deo opt. max. quod ſibi vitæ reliquum erat liberius vacatura, ſpretis ſecundis nuptijs, & propriã domũ, muris oppidi Alaniſij incluſam, eccleſiam in honorem beatę virginis Claræ conſecrauit, & honeſtum monaſterium ſibi adiunxit, & religioſiſſimas 6. Clariſſas ſorores, quę ſe atq; duas eius conſanguineas, nec non & cęteras aduentãtes iuuenculas monaſticis ritibus & cęremonijs imbuerent, eò anno Dñi 1579. adducendas curauit. Ingreſſa igitur Conſtantia Velasquez cum his omnibus monaſterium, ſecundam beatæ Clarę Regulam de religioſo more profeſſa eſt, & quicquid bonorum atq; redditũum obtinebat, id totum ſibi reliquit. Commorantur itaq; hoc in loco 20. ſorores, plures aliquando
B commoraturæ, cùm & bonis abundet, & anguſtijs minimè coarctetur.

De monaſterio S. Ioannis de Pœnitentia Beluiſij. Mon. VI.

SVI fundatricem atq; auctricem agnoſcit hoc monaſterium, diuo Ioanni de Pœnitentia Beluiſij, quod Placentinæ diœceſis oppidum eſt, erectum, pientiſſimam, ac de Franciſcana Religione optimè meritam heroinam Beatricem Monroi ab Aiala Orapeſſanorũ Comitiſſam, atq; præfati oppidi temporalem Dominam: cùm ex eius tantùm facultatibus, anno Domini 1563. à primo ad vltimũ vſq; lapidem ędificatum atq; honeſtis redditibus locupletatum fuerit. Qua etiam de cauſa Orapeſſanorum Comites pręfatæ fundatricis ſucceſſores eius iure patronatus potiuntur: nec id ſane
C in 30. Clariſſarum ſororum Vrbaniſtarum eius incolarum grauamen, ſed potius in fauorem atq; beneficium, cùm illis omni in euentu opportunè adſint, ſubueniantq;.

De monaſt. Conceptionis B. Virginis Antiquæ mellariæ. Mon. VII.

PIISSIMI coniuges Ferdinandus Matthæus Schina, atque Catharina Ruizia, cùm eorum filium, quem ſibi hæredem ex aſſe futurum ſperabant, funus accepiſſent, propriam domum Antiquæ mellariæ erectam in monaſteriũ, Conceptioni glorioſæ virginis Mariæ ſacrum, anno Domini 1531. euehentes, eam omniũ bonorum hæredem inſtituerunt. Cuius tamen curam Cordubenſium Epiſcopo commiſſam voluêre. Sed eius ſorores, quæ in Conceptionis glorioſæ Virginis Ordinem verba fecerunt, ſuntq; numero 30. poſt elapſos 50. annos, nempè anno Domini 1580. ſe ex apo-
D ſtolica Gregorij XIII. Pont. max. auctoritate huius Prouinciæ patrũ correctioni, atq; curæ propria ſponte ſubmiſerunt. A cætero honeſtatur hæc ſacra domus aliquantulo Dñicę crucis, & particulis oſſium SS. Pauli & Andreæ Apoſtolorum, Marci Euangeliſtæ, Laurentij, & Chriſtophori marty. Hieronymi, Auguſtini, & Ambroſij Eccleſiæ Doctorum, & ſanctarum Annæ matris glorioſæ Virginis, Mariæ Magdalenæ, atque Catharinæ virginis & martyris ſibi à ſereniſſima Ioanna Portugaliæ Principiſſa, & vterina Philippi II. Hiſpaniarum Regis ſorore liberali dono datis.

De monaſterio Conceptionis B. Virginis Hinoioſæ. Mon. VIII.

CVM pijſſimus iuuenis Ludouicus à Sotto maior 16. coronatorum aureorũ mil-
E lia ad vnius monaſterij ędificationem, antequam B. Franciſci Regulã in conuentu S. Marię de Angelis profiteretur, non minus piè quàm liberaliter ex teſtamento reliquiſſet, proſpecturus Vexaranus Dux, atq; Bellalcazarenſium Comes Franciſcus à Stunnica, penes quem huiuſmodi teſtamẽti executio erat, duobus Tertiariarũ ſororum Frãciſcanarum conuentibus Hinoioſę, quod ſuę ditionis oppidum erat erectis, ſed ſemideſtructis, & ſemiderelictis, vt primũ ſibi à ſede apoſtolica facultas facta eſt, & vtrunq; ad terram deijci, & hoc ſacrũ monaſterium, immaculatę Virginis glorioſę Conceptioni ſacrum, ibidem ſatis auguſtè, ſatiſq; eleganter, anno Dñi 1570. conſtrui, atq; honeſtis vtcunq; redditibus dotari curauit. Quod quidẽ monaſterium, licèt non ita à multis annis erectũ, continet nihilominus impręſentiarũ 40. ſacras virgines Ordini immaculatę Conceptionis Deiparę Virginis ex ſolemni voto aſtrictas.


PRÔ·PIETATIS.
Oricbienſis victoria, primũ,
Regni Luſitaniæ. Auſpicium.

PROVINCIA PIETATIS.

A PRODIERE olim, Ferdinando atq; Eliſabetha eius coniuge catholicis
Hiſpaniȩ Regibus, Alexandro VI. ſummo Pont. atq; anno à partu Virgi-
neo 1497. ex ſancti Iacobi Prouincia F. Petrus Melgarenſis, F. Ioannes
à Guadalupe, F. Ioannes Abulēſis, atq; F. Angelus Pincianus, qui arctio-
rem vitam anhelantes, conuentus aliquot ex apoſtolica præfati ſummi
Pontificis facultate, vt eius bulla data, anno Domini 1500. canit, Scalabiæ (vulgò
Truxillo) alijsq; in Caſtellæ patribus erexêre. Inde tamen à Conuentualibus Fran-
ciſcanis patribus (de quorum numero & ipſi aliquando fuerant) tamquam nouato-
res, Iulio II. ſummo Pontifice id præcipiente, deturbati in Portugaliam conceſſerunt.
B Vnde tandem, poſtquam vnam vel alteram domum excellentiſſimi, pariterq; pien-
tiſſimi Iacobi Brigantinorum Ducis fauore erexiſſent, ex Emanuelis Portugaliȩ Re-
gis mādato aliò migrare coacti ſunt Recepti poſtmodum, idq; præfati Iacobi Brigā-
tinorum Ducis interceſſione, à præmemorato Rege Emanuele, cui Iacobus ex fratre
nepos erat, in gratiam: atq; conuentione poſt plurimas digladiationes inter ipſos &
prædictos Prouinciæ S. Iacobi patres ſtatuta, vt videlicet ijs monaſterijs, quos eo tem-
poris in Portugaliæ Regno occuparent, & poſtmodum ocupaturi eſſent, contenti, re-
liquis, quos ſibi in Caſtellȩ partibus erexerant, vale dicerent, & relictas domos repetie-
runt, atq; alias ſibi de nouo adijciendas curarunt. Cumq; prȩfatȩ domus ab anno Do-
C mini 1500. vſq; ad 1517. Cuſtodiæ titulo poſitȩ fuiſſent, ſub Leone X. ſummo Ponti-
fice, idq; eodem anno 1517. Prouinciȩ honore dignatȩ ſunt. Hȩc igitur Prouincia, quȩ
per vniuerſum Portugaliȩ Regnum ex 28. fratrum monaſterijs conſtans longè, la-
teq; diffunditur, Pietatis nomen ab antiquiori Pietatis ȩdicula iuxta Villamuicioſam
Luſitanorum oppidum antiquitus erecta, cui primus cȩterorum locus ſucceſſit, ex
fratrum conſenſu hȩreditauit. Cui celebrem victoriam, quam ſereniſſimus Alphonſus
Henriquez, qui, poſtquam per 27. annos ſub Comitatus titulo Luſitanis prȩfuiſſet, in
primum eorum Regē electus fuit, de 5. vel (vt alij volunt) 6. Saracenis Regibus, deq;
innumerabili eorum exercitu miraculosè, (apparuerat ſiquidem ſibi prȩcedente nocte
Chriſtus Dominus ſacris ſtigmatibus inſignitus, vnde & Portugaliȩ Regum inſignia
D iuxta veriores hiſtorias prodierunt, vtq; bono animo eſſet, viriliterq; ſequenti luce
pugnaret, ſuaſit) ac prȩter omnium expectationem retulit, quòd intra eius fines con-
tigerit, graphicè depictam prȩponere volui. A cȩtero prȩſens Prouincia, cuius maius
ſigillum Chriſtum Dominum exanimem Virginis glorioſȩ genibus (hanc Pietatem
vulgò vocāt) exceptū, atq; ſequentia verba: S. PROVINCIÆ. PIETATIS.
orbiculatim imprimit, in 4. hierarchias ſiue ordines, quorum alteri vnus ex 4. eius
Diffinitoribus, qui abſente Miniſtro difficultatibus inter fratres obortis, atq; emergē-
tibus negocijs, ne poſt ipſum religioſi diſcurrere cogantur ex tempore obuiare, atq;
ſatisfacere valeat, ex conſulto prȩeſt, imprȩſentiarum diuiditur. Harum ea, quȩ Al-
garbiorum dicitur, princeps meritò cenſetur, primumq; locum inter cȩteras obtinet.

E *De conuentu S. Vincentij de ſacro Promontorio.* *Conu. I.*

INTER Anam & Chalibem fluuios ſacrum Promontorium, quod & totius Lu-
ſitaniȩ extremum eſt, elegantiſſimè prominet: vbi S. Vincentij martyris corpus
ex Valētia ciuitate eò vſq; tranſlatū, in quadā ȩdicula per aliquot annos reconditum
fuit. R. igitur Ferdinandus à Sylua Algarbiorum Epiſcopus, eidemq; martyri deuo-
tiſſimus, ne ſȩcularium ad prȩfatam ȩdiculam deuotio, quòd ſacrum illud pignus,
prȩfati ſcilicet martyris corpus Olyſipponem ex Alphonſi Henriquez Luſitanorum

Regis

Regis mandato tranſlatum eſſet, aliquando periret, eam in iuſtum conuentum, ſub antiquiori eiuſdem martyris titulo, anno Domini 1518. euehendam, atq; à 10. huius Prouinciæ fratribus inhabitandam curauit. Præterea ſereniſſimus Portugaliæ Rex Ioannes III. quòd hic locus non longè à mari ſitus piratarum incurſibus pateret, ne eius accolæ detrimenti aliquid ab huiuſmodi hominibus aliquando acciperent, muniſſimam turrim, ſufficienti militum numero firmatam, ſibi adiecit. Hunc deniq; conuẽtum quoddam pręfati martyris Vincentij os, & plenaria omnium peccatorum indulgentia, quam ex apoſtolica auctoritate promerentur quotquot eius eccleſiam à primis veſperis feſti eiuſdem martyris vſq; ad ſolis occaſum ſequentis diei deuorè viſitauerint, atq; antiquius eius ſepulcrũ, cuius effoſſa terra ad diuerſos morbos pellendos maximè confert, commendatiſſimum atq; veneratione digniſſimũ reddunt. A

De conuentu S. Franciſci Lacuum. Conu. II. B

ADIECIT, idq; ex beneuolẽtia, R. Ferdinãdus à Sylua Algarbiorũ Epiſcopus, vt & ſecundum conuentum in B. P. Franciſci honorẽ, non procul ab ea Luſitana ciuitate, cui Lagos vulgò nomen eſt, ex proprijs facultatibus, anno Domini 1518. à fundamentis ad verticem vſq; ædificaret. Cuius tamen patronatus ius penes ſereniſſ. Portugaliæ Regem Ioannem III. eiuſq; ſucceſſores eſſe voluit. Sed cùm eius ſitus incommodus euaſiſſet, præfatus conuentus, poſt aliquot annos tranſactos, ex diuerſis fidelium eleemonſynis, fratrum tamen, qui frequentius ſunt 18. numero, opera acquiſitis, ad eum, quem modò obtinet, locũ, alio multò ſalubriorem, tranſlatus extitit.

De conuentu B. Mariæ de Paradiſo. Conu. III. C

SATISFACTVRVS deniq; inexhauſtę eius in huius Prouincię fratres animi propenſioni R. idem Antiſtes Ferdinandus à Sylua hunc 3. conuentum, ſub ſanctæ Mariæ de Paradiſo patrocinio ex epiſcopalibus prouentibus, non procul ab ea ciuitate cui Sylues Luſitanicè nomen eſt, præmemorato anno Domini 1518. à fundamentis ad apicem vſq; ædificandum, atq; ab octo fratribus inhabitandum curauit.

De conuentu expectationis B. Mariæ Villænouæ. Conu. IIII.

CVR non Villanouanis gratificabuntur huius Prouinciæ fratres, cùm ipſis hunc conuentũ, Expectationi Virginis glorioſæ ſacrum, in eius fluuij, quo Villanoua commune eorum atq; Algarbiorum oppidum alluitur, margine ex communibus facultatibus, anno Domini 1530. ędificari curarint? Prę ſertim cúm eoſdẽ in omni euẽtu, vt ſibi adſint, promptiſſimos experiantur. Maius huius loci ſacellum à perdeuoto Balthaſare à Mello ſacræ Chriſti Militiæ Equite conſtructum extitit. Pro quo tandem 12. fratres præfati huius loci accolæ preces ad altiſſimum Dominum fundunt. D

De conuentu S. Antonij Paduani Louleæ. Conu. V.

BENEFICIIS à Deo opt. max. acceptis reſponſuri perdeuoti Rodericus Barreto, eiuſq; cariſſima vxor Leonora Mediolanenſis præſentem conuentum, B. P. Antonio Paduano ſacrũ, ex communibus facultatibus, anno Domini 1546. à fundamentis erigendum, atq; à 12. fratribus inhabitandum curarunt. Mortem obijt hoc in monaſterio ſummæ integritatis P. Antonius Nebriſſenſis, qui ſicut in vita moribus, atq; virtutibus fuit conſpicuus, ita quoq; in morte miraculis, quorum vnum, aut alterum hîc ſubijciemus, claruit. Cùm enim cuiuſdam Franciſci de Valle filius altero pede claudicaret, ad huius P. defuncti habitus contactum rectificatus extitit. Præterea Emanuelis cuiuſdam Mendez filia cùm eſſet morti propinqua, ad eiuſdem habitus tactum integram atq; extemporaneam ſoſpitatem adepta eſt. Præfata hæc miracula, aliaq; per multa, ex R. Algarbiorum Epiſcopi mandato per publicum Notarium authenticè excepta, in epiſcopalibus eius archiuis aſſeruata habentur. Fuit demum pręfatus P. Antonius prophetico ſpiritu inſignitus, quo & certum ſui obitus diem, & felicem victoriam, quam Germanorum Imperator Carolus V. de Archipirata Ariadeno Barbaruſſa prope Tuneti Gulettam reportauit, multò ante prædixit. Præſens, E

A atque quatuor præcedentes conuentus, quòd in Algarbiorum Epiſcopatu ſiti ſint, ad Algarbiorum hierarchiam ſpectant. Nunc ad ſecundam hierarchiã deueniendum eſt.

De conuentu S. Mariæ Pietatis prope Villamuitioſam. Conu. VI.

PRÆSENTI conuẽtui, S. Mariæ de Pietate ſacrato, ſi primæuam eius fundationem attendamus, primus locus in huius Prouinciæ catalogo debetur: cùm ab inclyto heroë Iacobo Brigantinorum Duce, anno Domini 1500. aliquantulum ab eius oppido Villauitioſa primò cõſtructus fuerit, & ab eo Prouincia ipſa denominata euaſerit, ſed quia eius ędificio, quòd tumultuario opere erectum fuiſſet, omnimodam ruinam minitante, præfatus conuentus derelictus, atq; præſens aliquantulum ab eo, ſub eodem tamen titulo, à Theodoſio Brigantinorum quoq; Duce, atq; ipſius Iacobi pri-
B mogenito, circa annum Dñi 1547. ædificatus ſibi ſuffectus eſt, hunc ei ſextum locum aſſignare volumus. Eſt nihilominus hic conuentus cæterorum omniũ celeberrimus, & à quatuordecim fratribus frequentius inhabitatur. In quo demum ſuperioribus annis religioſiſſimus frater Marcus à Portalegre laicus profeſſus ſanctiſſimè obijt.

De conuentu S. Mariæ de Conſolatione Borbæ. Conu. VII.

TANTA fuit inclyto Ioanni Brigantinorum Duci ad huius Prouinciæ alumnos deuotio, vt nihil intentatum reliquerit, quatenus tanta dignitate poſtpoſita illis & in habitu, & in viuẽdi modo iungeretur. Sed ne huiuſmodi voti compos fieret, à Luſitanorum Rege Emanuele eius patruo prohibitus eſt. Deſiderio tamen fruſtratus, ab eis ſummopere diligendis, quoad ſibi comes vita fuit, nunquam deſtitit: imò & omni
C beneficiorum genere, & duplici conuentu illos extitit proſequutus. Cùm enim præcedentem non longè à Villauitioſa conſtruendum curaſſet, adiecit, vt & præſentem, S. Mariæ de Conſolatione ſacrum, prope Borbam eius oppidum, anno Domini 1505. ædificaret. Hoc igitur in conuentu, quem 14. fratres frequentius incolunt, diem clauſit extremum religioſiſſimus P. F. Petrus de Melgar præcipuus huius Prouinciæ fundator, qui & præfato Iacobo Brigantinorum Duci, ob ſingulares animi dotes, gratiſſimus fuit, & in ſæculo ſub catholicorum Hiſpaniæ Regum Ferdinando eiuſq; coniuge Eliſabetha ſignis ſtrenuè militauit, & ſub viuifico Chriſti vexillo in Religione fortiſſimum Ducem egit. Ad hunc tantum patrem appoſitus eſt eximiæ pietatis F. Franciſcus de Gatta laicus profeſſus, qui tum in vita, tum quoq; in morte miraculis coruſcauit. Cùm enim ſibi panem emendicanti quædam fœmina nomine Maria Lopetia ex
D præfato oppido Borba oriunda, quę brachium omnino contractũ habebat, vt ſibi compateretur, ſoſpitatemq; à Deo opt. max. ſuis precibus impetrare vellet, ſupplicaſſet, vt primũ ille domum redijt, Deoq; commiſſum negotium commẽdauit, præfata mulier voti compos effecta eſt. Præterea eiuſdem oppidi Borbæ Pętor cùm ventris profluuio ad mortem laboraret, nullaq; ſibi ſalutis ſpes reſidua eſſet, vtprimùm hauſtam ex defuncti fratris Franciſci ſepulcro terram ventri admouit, illico conualuit. Alia quoq; plurima edidit hic frater miracula, quæ tamen ad alia properans ſciens tranſilio.

De conuentu S. Franciſci Deluas. Conu. VIII.

CVM deuota quędam matrona nomine Iambra de Roſa ſitum ad vnius conuentus ædificationem huius Prouinciæ fratribus non longè ab ea Luſitanorum ciui-
E tate, quæ Deluas vulgò nuncupatur, ex maxima in Deum pietate, anno Dñi 1518. contuliſſet, adfuit Iacobus Brigantinorum Dux, adfuêre & quamplures deuoti ciues, qui ſuis eleemoſynis hunc conuentum, ſeraphico P. Franciſco ſacratum, atq; à 15. fratribus, vtplurimùm incultum, ibidem ſuperædificandum ex tempore curarent. Prodijt igitur nobis ſacra hæc ædes circa præfata tempora, idq; pluriũ fidelium beneficio.

De conuentu S. Antonij de Padua Portalegre. Conu. IX.

HVIVS Prouinciæ fratres Portalegrenſium votis facturi ſatis conuentum quẽdam, B. P. Antonio ſacrum, aliquantulum à communi illorum ciuitate, cui Portalegre Luſitanicè nomen eſt, inſalubri tamen in loco, circa annum Dñi 1522. ędificã-

dum

dum abſoluendumque curarunt. Quibus tamen, quòd plura ibidem paterentur incommoda, diuerſaſq; contraherent infirmitates, reuerendiſſimus Andreas à Noroñha eorundem Portalegrenſium Epiſcopus ex charitate compatiens, poſt 50. annos ab huiuſmodi ædificatione, nempe anno Domini 1572. hunc præſentem in loco ſalubriori, ciuitatiq; præfatę viciniori ſub eadem prorſus inuocatione ex domeſticis, epiſcopalibuſq; prouentibus à fundamentis erigi, omnibuſq; ſuis numeris abſolui, atque duodecim fratribus Franciſcanis ſibi cariſſimis inhabitationem tradi fecit. A

De conuentu S. Antonij Eſtremozij. Conu. X.

CVM sereniſſimus Portugaliæ Rex Ioannes III. pinguem ſatis eleemoſynam ad vnius conuentus ædificationem, anno Domini 1537. huius Prouinciæ fratribus contuliſſet, is Nauarchus, qui tunc regiæ claſſi præerat, principis eius ſacelli conſtructionem ſibi committi petijt. Accedentibus igitur poſtmodum neceſſarijs oppidanorum eleemoſynis hic conuentus, B Antonio Paduano ſacratus, atq; à 12. religioſis incultus, non longè ab eo oppido, cui Luſitanica lingua Eſtremoz nomen eſt à fundamentis ad verticem vſq; erectus extitit. Ad cuius eccleſiam tū oppidanis, tum quoq; conuicinis populis, ob frequentia miracula, quæ Deus opt. max. meritis B. P. Antonij Paduani in dies ibidē operari dignatur, maxima eſt deuotio, & obſeruantia. B

De conuentu boni Ieſu Vallis viridis. Conu. XI.

SERENISS. Henricus Portugaliæ Infans, Eborenſium Archiepiſcopus, S.R.E. Cardinalis, atq; poſtmodū eiuſdē Regni Rex hunc conuentum, bono Ieſu de Valleuiridi ſacrum, ad 60. ſtadia ab Ebora inclyta Portugalenſium ciuitate, ex domeſticis facultatibus, anno à partu Virgineo 1544. ædificandum, atq; omnino abſolutum cæteris huius Prouinciæ locis adijciendū curauit: inſuper & 8. fratres eius accolas, quoad vixit, ſummis fauoribus, ſummiſq; beneficijs pijſſimè extitit proſequutus. C

De conuentu S. Antonij Eboræ. Conu. XII.

PLVRIMIS beneficijs hanc Pietatis Prouinciā cumulaturus, ſibiq; deuincturus ſereniſſimus Portugaliæ Rex Henricus hunc conuentum, S. Antonio Paduano ſacrum, dum totius Luſitanici Regni clauum teneret, Eboræ, quæ Archiepiſcopalis ciuitas eſt, ex regio ærario, anno Domini 1580. à fundamentis eo animo, vt illum paucos infra dies abſolueret, erigi fecit. Cumq; morte præuentus, quod piè ſtatuerat, exequi per ſe minimè valeret, ex teſtamēto cauit, vt ex proprijs facultatibus poſt mortem reſiduis, quicquid ad operis perfectionem deſiderabatur, omnino per ſui teſtamēti exequutores abſolueretur. Cuius deniq; voluntati abundè ab ijs ſatisfactum fuit. Huius loci fratrum, qui frequentius ſunt 12. numero, erga infirmos Eborenſes charitas longè, lateq; emicuit in peſtifera illa lue, quæ vniuerſam ferè Portugaliam, anno Dñi 1580. peruaſit, in qua nihil aliud à quadā mortis imagine cunctis in ciuitatibus, oppidis atq; pagis ſe mortalium oculis offerebat. Nec tamen ea propter & illi mortē euaſerunt, cùm eorū aliquot eodē morbo icti, dū inter infirmos verſarent, occubuerint. Horum alter fuit eximiæ ſanctitatis, atq; pœnitentiæ F. Hieronymus à Villauitioſa, cuius humilitas, atq; ad proximum compaſſio incredibiles fuerunt. D

De conuentu Annuntiationis B Mariæ Vidiguera. Conu. XIII. E

SI aliunde minimè commendanda veniret, vel hinc ſaltē nobis commendatiſſima redderetur piorum heroum Franciſci à Gama, eiuſq; coniugis Guiomaris à Villena Vidiguerenſiū Comitum in Deū, atq; ſeraphicū P. Frāciſcum pietas, cū ex ea tātùm hūc conuentū, Annuntiationi B. Mariæ dicatū, aliquantulū à ſibi ſubiecto oppido Vidiguera ex communibus facultatibus, anno Dñi 1545. ab ipſis fundamētis erigendum curarunt. Horum inclytorum heroum pietatē imitati eorū ſucceſſores 12. fratribus præſentis loci accolis neceſſaria, ſubminiſtrāt, atq; beatos patres Benedictū, ac Ludouicū Toloſanū Epiſcopū ob miracula, quę ad duo eorū altaria in huius monaſterij templo erecta Dei beneficio contingūt, ſingulari quadā veneratione proſequuntur.

De con-

A *De conuentu S.Franciſci Portelij. Conu. XIIII.*

QVVM Theodoſius V. Brigantinorum Dux maſculinam ex cariſſima ſibi vxore Eliſabetha, quæ ſibi ſuccederet, prolem ſuſcipere non poſſet, ad vnius conuentus ædificationem, ſi eam B.P.Franciſci meritis obtineret, ſe ex voto aſtrinxit. Deſiderij itaq; compos effectus, debitum redditurus, hoc monaſterium, eidem ſeraphico patri ſacrum, atque 10. continendis fratribus accommodatum, non procul ab eius oppido Portelio, anno à ſalutifera mundi redemptione 1547. ædificandum curauit.

De conuentu B. Mariæ de Saxo. Conu. XV.

REVERENDISS. Didacus à Sylua ex pago, cui Fundao Luſitanicè nomen B eſt, oriundus cùm ex Ioannis III. Portugaliæ Regis Conſiliario Minorita, poſtmodumq; eiuſdem Regis confeſſarius, Cœptæq; Epiſcopus, atque tandem Bracharenſium Archiepiſcopus factus eſſet, ſuam patriam nobilitaturus antiquius ſacellum, in B. Mariæ de Saxo honorem aliquantulum à præfato pago erectum, atque à paupere quodam eremita inhabitatum, in præſentem ſub antiquiori titulo conuentum, ex domeſticis facultatibus, anno à Chriſto Saluatore nato 1526. euehendum curauit. Quod quidem tum compatriotis, tum quoque conuicinis populis tantò gratius fuit, quantò præfatum ſacellum, obglorioſæ Virginis imaginem ibi erectam, atque ſub ſaxo olim inuentam, miraculiſq; inſignem illis celebrius erat. Cùm autem præfatus conuentus 12. fratribus minus deſeruiret, ad alterum locum anno 1577. tranſlatus extitit.

C *De conuentu S. Antonij de Padua Abrantij. Conu. XVI.*

CONSVLTVRVS pius heros Lopetius ab Almeida eius oppidi, quod Luſitanica lingua Abrantes nuncupatur, Comes quorundam huius Prouinciæ fratrū, qui antiquiorem ædiculam à præfato oppido vtcunq; diſtantem minus commodè habitabant, quieti atque tranquillitati, quendam conuentum, B. P. Antonio Paduano dicatum, in quo & moriens ſepeliri voluit, longiuſculus à præfato ſacello, circa annū à mundi reparatione 1526. ex domeſticis facultatibus ædificari iuſſit. Sed cùm eius habitatio, tum ob longiorem ab oppido diſtantiam, tum quoque ob inſaluberrimum, quo infeſtabatur, aërem, 12. fratribus eius inquilinis oneroſa, minuſq; fauorabilis eſſet, ab iiſdem derelictus, atque alius ſub eodem prorſus titulo multò ſalubrior, ex publicis oppidanorū facultatibus ſibi ſuffectus eſt. Ad quem etiam, ne aliquando pro- D phanationi ſubiacerent, tum præfati Comitis Lopetij ab Almeida, tum quoq; cœterorum fratrū defunctorū oſſa ex antiquiori monaſterio transferenda curarunt fratres.

De conuentu Annuntiationis B. Mariæ Tomarij. Conu. XVII.

PIA Tomarēſis communitas, ne ſe illis oblata occaſio elaberetur, vt primùm perdeuota matrona Eliſabetha Teineria fundum, anno Dñi 1528. obtulit, hunc conuentum, Annunciationi B. Mariæ ſacrum, atq; 12. continendis fratribus omnino accommodatum ex publicis prouentibus ibidem ſuperædificandum piētiſſimè curauit.

De conuentu S. Antonij de Padua Couilliani. Conu. XVIII.

CONTIGIT vt, Couilliano Luſitanorū oppido, atq; circumquaq; eius regione E extrema ſiccitate laborantibus, pluuiæ impetrandæ gratia, deuota quædā proceſſio ad S. Mariæ de Saxo monaſterium, quod 90. ſtadijs à præfato oppido diſtat, à deuota Couillianenſi communitate decerneretur, habereturque. Cumq; huiuſmodi proceſſio ex voto ei ſucceſſiſſet, ita vt increbreſcēte pluuia vix domū remeare poſſet, ne ingratitudinis aliquando argueretur, imò & vt Minoriticā domum, ad quā in conſimili euentu recurrere poſſet, in promptu haberet, hoc ſacrum monaſterium, ſub B.P.Antonij Paduani tutela, ex publicis facultatibus, anno Dñi 1553. extrui fecit. Accidit, dum ſacra hæc domus, à 12. fratribus frequētius inhabitata, erigeretur, vt latomus quidam ingenti lapide, qui ex ædificij ſummitate corruerat, ictus nihil detrimēti perpeſſus fuerit, & vt auriga à curru lapidibus onuſto oppreſſus, illęſus omnino mirabiliter euaſerit.

De conuentu S. Antonij de Padua Caſtrialbi. Con. XIX. A

VT primùm pius Ferdinandus Meneſius ab honorifica legatione, qua pro Ioanne III. Luſitanorum Rege apud Pontificem Romæ functus extitit, in Portugaliã reuerſus eſt, hoc monaſterium, B.P. Antonio Paduano dicatum, & à 12. fratribus incultum, non procul ab oppido Caſtroalbo ædificandum, atq; Dñicæ crucis particula, & quodam vnius ex 11. millibus virginum capite religioſè exornandũ, inſuper & plenaria indulgentia perpetuò duratura in eorum fauorem, qui eius eccleſiam à primis veſperis feſtiuitatum Inuentionis ſanctæ Crucis, atque B. Antonij Paduani vſque ad ſequentium dierũ ſolis occaſum deuotè viſitauerint, donandam pientiſſimè curauit.

De conuentu S. Antonij de Padua Pennama Zor. Con. XX. B

DIOECESANO Epiſcopo piè conſulenti, vt Minoriticam ædem apud ſe erigere vellet, morẽ geſtura deuota eius oppidi, quod Pẽnamazor Luſitanicè nuncupatur, communitas, hoc monaſterium in B.F. Antonij Paduani honorẽ conſtrui fecit. Cuius quidem pietatem imitatus Stephanus Tauarius ſacræ Chriſti militiæ eques maius eccleſiæ ſacellum ſuis ſumptibus ædificauit. Commorantur hîc 12. fratres.

De conuentu S. Mariæ de Charitate Sordoalij. Conu. XXI.

CVM pia eius oppidi, quod Sordoal Luſitanicè nuncupatur, communitas hunc conuẽtum, B. Mariæ de Charitate ſacrum, ex publicis facultatibus non procul ab ipſo oppido maiori ex parte erexiſſet, nec eum ijs deficientibus ad optatũ finem breui tempore perducere poſſet, inclytus Eduardus ab Almeida Abrantinenſium Comitis C filius, hoc ſibi munus iniunctum exiſtimans, quicquid ad operis perfectionẽ deſiderabatur, anno à partu Virgineo 1571. præſtitit, inſuper & poſtquàm 12. fratres eius accolas omni beneficiorum genere proſequutus extitiſſet, in maiori ſacello humari voluit.

De conuentu S. Mariæ Clauium. Conu. XXII.

QVI proximè prçcedunt 7. conuentus ad 3. hierarchiam ſpectãt: Atqui reliquis, qui ſequuntur, perficitur 4. hierarchia. Inter eos autẽ is, qui prope id oppidum, cui Chaues Luſitanicè nomen eſt, erectus conſpicitur, principem obtinet locum. Fuit ſiquidem ab antiquo ex oppidanorum facultatibus à Conuentualibus Frãciſcanis patribus ædificatus, & ab ijs ad huius Prouinciæ fratres, ad pijſſimi Iacobi Brigantinorũ Ducis inſtantiã, anno à Chriſto nato 1505. translatus. In cuius deniq; maiori ſacello D Alphonſus I. Brigantinorum Dux, atq; Ioannis I. Portugaliæ Regis filius erecto ſibi ſumptuoſo mauſoleo tumulatus eſt. Cùm anno 1550. Iamacus fluuius, qui inter oppidum atq; prçſentẽ conuentũ labitur, tantoperè inundaſſet, vt & altiſſimum pontem, quo alter alteri iungitur, operiret, fratres deficiente ſibi pane fame laborare cœperunt. Quod præſentiens deuotus quidam Iacobus Feixerius & ſufficientem panem cum quibuſdam alijs oppidanis oſtiatim emendicauit, atque conſcenſo fortiſſimo equo, ſe rapidiſſimo fluuio committens, per medias vndas, non abſque immenſo labore, atque præſentiſſimo vitæ diſcrimine, ad fratres penetrauit, panemq́ue emendicatum opportunè ſatis illis obtulit, ac tandem ſic recreatis ipſummet fluuium eodem equo vectus cum eodem periculo, atq; maxima omnium admiratione ſecundò traiecit. Nocte verò ſequenti, dum ſe ſopori dediſſet, inter dormiendum ab infirmitate, E qua laborabat, (erat enim ex vtraq; parte ruptus) miraculoſè curatus extitit. Quod cum oppidanis innotuiſſet, vt 12. fratres maiori cultu proſequerentur in cauſa fuit.

De conuentu boni Ieſu Barzelos. Conu. XXIII.

QVOD hçc Prouincia illuſtriſ. Iacobo Duci (cuius ſuperius mentio facta eſt) ſummopere teneatur, nullus inficiari poterit: cùm cœteris beneficijs tũ ſibi, tũ quoq; eius alumnis à ſe præſtitis adiecerit, & hunc conuentum, à 10. fratribus inhabitatum, quem in editi cuiuſdam montis cliuo longiuſculus ab eo Luſitanorum oppido, cui Barcelos vulgò nomen eſt, ex proprijs facultatibus, anno Domini 1505. extruxit.

De con-

A *De conuentu S. Mariæ de Angelis Azurariæ.* Con. XXIIII.

IS conuentus,qui prope pagum Azurariam in S.Marię de Angelis honorem ſurri-
git,ad Conuentuales fratres olim pertinuit,& ab ijs,ex maxima qua eruditiſſimus
P.F.Ioannes de Caues Prouinciæ Portugaliæ Miniſter in huius Prouincię fratres fere-
batur beneuolentia , ad eos, anno Dominicæ incarnationis 1518. tranſlatus extitit.
Inhabitatur igitur ab eo temporis à duodecim præfatæ huius Prouinciæ religioſis.

De conuentu S. Fructuoſi Bracharæ. Conu. XXV.

CVM S. Fructuoſus Bracharẽſiũ Archiepiſcopus eccleſiam , nõ longè à Brachara
celebri Luſitanorum ciuitate, anno Domini 659.ædificandam curaſſet,ibidemq;
B moriens tumulari voluiſſet,S.Giraldus Bracharẽſium quoq; Archiepiſcopus venerabi
le eius corpus in Apoſtoli Iacobi eccleſia honeſtius recondẽdum Compoſtellam, anno
Dñi 1102.clanculum transferri iuſſit.Cùmq; præfata eccleſia tãto pignore deſtituta à
ſæcularibus minus frequentaretur,ne eius memoria aliquando periret,eam Didacus à
Souſa Bracharẽſis eccleſiæ Archiepiſcopus,omnino refecit , atque pulcrum ſatis con-
uentum, 15.fratribus continendis ſatis accommodatum,anno Dñi 1522. ſibi adiunxit.
Idque ſequentes literæ cuidam lapidi ad templi ſiniſtram non longè à principe porta
inciſæ ſatis indicant. *Didacus Souſa Archiepiſcopus Bracharẽſis hãc eccleſiam à diuo Fructuo-
ſo,antequàm Hiſpania à Mauris expugnaretur, conditam cum ædificijs adiacentibus à ſe conſtru
ctis in monaſterium redegit,anno Chriſti 1522. die 12.menſis Decembris.* Ad dextram verò
eiuſdem tẽpli prope locum pronunciando Euangelio deſtinatum, vbi & olim præfatũ
C diui Fructuoſi corpus reconditum fuit, alterum ex ipſius oſſibus religioſè aſſeruatur.

De conuentu S. Antonij Auerij. Con. XXVI.

QVANTO habendorum huius Prouinciæ fratrum deſiderio teneretur Aueriẽ-
ſis cõitas, vel hinc ſaltẽ plus liquidò cõſtat, quòd licèt an.Dñi 1524.grauiſſima
peſte conflictaretur,præſentem conuentum,B.P. Antonio Paduano ſacrũ;atq; nõ pro-
cul ab eius oppido Auerio erectum perficeret,atq; 15. religioſis inhabitandũ traderet.

De conuentu S. Antonij Abbatis. Conymbriæ. Conu. XXII.

CONSTITIT olim ſacellum, diuo Antonio Abbati aliquantulum à Conym-
bria, quod primùm Frãciſcani à B. Franciſco in Portugaliã plantandę Religionis
D ergò tranſmiſſi occuparunt,ac per aliquot annos inhabitarunt:quoad vſq; ſcilicet mo
naſterium multò commodius ipſis conſtructum fuit.Eo itaq; in ſacello B.Antonius Pa-
duanus Minoriticum habitum induit, nomenque Ferdinandum,quo prius nuncupa-
batur,ad eius Sancti,cui eccleſia primùm dicata fuerat,honorem in nomen Antonium
commutauit. Cùm igitur præfatum ſacellum habitatoribus deſtitutum in matricis ec-
cleſiæ Conymbricẽſis, ad quam aliquando ſpectarat,ius redijſſet,atq; ſic derelictum rui
nam minaretur,dum huius Prouinciæ fratres locum ædificando à ſe Conymbrię con-
uentui accommodatum,anno Dñi 1540.diligentius inquirũt,ſe ſe illis opportunè ob-
tulit.Quo nihil gratius,quòd in eo B.ipſe Antonius Paduanus ſuę Religionis incunabu
la peregiſſet,accidere poterat.Ipſum itaq; à Portugaliæ Rege Ioanne III. iuſto pretio
emptum Aluarus ab Acoſta ex domeſticis facultatibus , anno incarnationis Domi-
E ni 1540. refecit,atque conuentum,15. continendis fratribus acommodũ,ſibi adiunxit.

De conuentu S. Antonij Portus. Conu. XXVIII.

VLTIMVM hac in Prouincia obtinet locum prę́ſens conuentus,B. P. Antonio
Paduano ſacratus,atq; in Duriæ fluminis margine non longè ab ea ciuitate, quæ
Oporto Luſitanica lingua nũcupatur, anno à partu Virgineo 1569. cõſtructus,& à 12.
fratribus inhabitatus. Cuius tamen fundum perdeuoti , atque illuſtres Blaſius Perei-
ra ſacræ Chriſti Militię eques,eiuſq; cariſſima coniux Mentia Pais contulẽre. Huius
monaſterij eccleſiam Dominicæ crucis particula , ſibi à sereniſſimo Eduardo Portu-
galiæ Regni Principe dono data , Portuenſibus commendatiſſimam,celebrẽq; reddit.


PROVINCIA
·S·
GABRIELIS
·S·GABRIEL·

PROVINCIA S. GABRIELIS.

A HAEC ſancti Gabrielis Prouincia Portugaliam ab ea Regni Caſtellę portione, quę vſitatiori vocabulo Eſtrematura nuncupatur, diſterminat, cùm in vtriuſq; limitibus ſita ſit, ſedemq; obtineat. Quę ſanè regio temperatiſſima eſt, clementique cœlo gaudet, atque præfatę Prouincię fratrum, qui nudis pedibus, humiliq; tunica induti, atque breuiſſimo tecti palliolo incedunt, viuendi modo pro votis fauet. Exordium præterea ſumpſit prememorata hæc ſancti Gabrielis Prouincia ſub Alexandro VI. Pont. max. idque anno à partu Virgineo 1500. reuerendiſſimo patre fratre Aegidio ab Amelia totius ſeraphici Ordinis Franciſcani generale Miniſtro, ac reuerendo patre fratre Oliuerio Mal-
B lardi Vltramontanæ Obſeruantis familiæ generale Vicario Cuius ſanè author, primuſque fundator agnoſcitur religioſus P.F. Ioannes à Guadalupe Cuſtodię tunc, nũc verò Prouinciæ Angelorum alumnus. Qua etiam de cauſa hanc ab illa Prouinciam prodijſſe aliquando meminimus. Hic ſiquidem pater Ioannes aſperiorem quandam vitam, atq; Euangelicæ paupertati magis accommodatam anhelans, Romam petens apoſtolicas literas, quibus pauperculos humileſq; aliquot conuentus in Hiſpania ſibi erigere liceret, à prædicto ſummo Pontifice Alexãdro VI. impetrauit, obtinuitq;. Quarum etiã literarũ tenore voluit idẽ ſummus Pontifex, vt quotquot Franciſcani fratres, cuiuſcunq; eſſent Prouinciæ, ad huiuſmodi domus trãſire vellent, id liberè, atq; licen-
C tia etiã à ſuperioribus minimè obtenta, facere poſſent: vtq; Cuſtodia per F. Ioannem à Guadalupe de nouo erigenda generali totius Ordinis Miniſtro immediatè ſubeſſet. Cùm igitur præmemorato P. Ioanni à Guadalupe religioſi P. F. Petrus Melgarius, F. Angelus Pincianus, F. Michaël Cordubenſis ac F. Ioannes ab Aquila Prouincię S. Iacobi regularis Obſeruãtię alumni, atq; aliquot alij fratres adhæſiſſent, ipſo die Annuntiationis Deiparæ virginis, anno verò 1500. primus, fundamentaliſq; conuẽtus glorioſæ virginis Mariæ, qui & totius Cuſtodiæ baſis ad tempus extitit, lapis de religioſo more, ac de omniũ ciuium ſententia prope Scalabiam, vel (vt alij volunt) Caſtrum Iulij (vulgò Trugillo) iactus extitit. Cumq; huic conuẽtui 4. alij, nempe Villanouanus ſub S. Euan-
D gelij inuocatione, Salualeonicus nomine montis Sion inſignitus, S. Marię de Luce, atq; S. Mariæ de Pietate eorundem patrum opera acceſſiſſent, omnes 5. ſimul Cuſtodiæ S. Euangelij titulo & honore, ex pontifica eiuſdem Alexandri VI. Pont. max. conceſſione eidem F. Ioanni à Guadalupe facta, cohoneſtati fuêre. Metuẽtes interim Vltramontanæ regularis Obſeruantiæ proceres, atque zelotypi patres, ne regularis Obſeruantia, quæ mirum in modũ tunc vbiq; terrarum florebat, detrimenti aliquid ob huiuſmodi innouationem pateretur, indicta in Prouincia Caſtellæ, ſub R. P. F. Martiale Boulierio tunc eiuſdẽ Vltramontanæ regularis Obſeruantię generali Vicario, generali Congregatione, omnes ſimul in præfixum locum ſtatuta die, atq; anno 1502. conuenêre,
E & certum quendam Recollectarũ domorum qualibet in Prouincia erigendarũ, in quibus fratres ſtrictius viuerent, ſanctamq; paupertatẽ felicius excolerent, numerum ſtatuerunt, decreueruntq;. Quamobrem huiuſmodi Cuſtodiæ adhuc tenerrimæ conatus eneruati ſunt, ita vt, eius fundatoribus ſyluiuagis, atq; in melotis & caprinis pellibus hinc inde diſcurrentibus, fermè diſſoluta ſit. His accedebat fauor ceteris Obſeruãtibus optimè apud omnes audientibus à catholicis Hiſpaniæ Regibus Ferdinando V. & Eliſabetha eius vxore opportunè atq; libentiſſimè præſtitus. Obtinuerũt nihilominus præfatus F. Ioãnes à Guadalupe, eiuſq; ſocij tria, minimi tamen momẽti, patrum Conuentualium loca à R. totius noſtri Ordinis generali Miniſtro, in quibus ſimul, atq; in alio de nouo erecto ad tẽpus commorati ſunt. Euecto verò ad generalẽ totius Ordinis Mi-

niſteriatum R. P. fratre Bernardino à Prato, atque Leone X. ſummo Pontifice ſedente, huiuſmodi patrum res melius ſe habuit. Nam præfata ſancti Euangelij Cuſtodia, quæ extincta omnino videbatur, reuiuiſcere cœpit, & ex quatuor illis locellis ſibi à patribus Conuentualibus obuentis conſtans Cuſtodiæ dignitate ſub nomine Extrematuræ à præfato reuerendiſſimo patre fratre Bernardino à Prato, ex commiſſa tamen ſibi à Leone X. Pont. max. poteſtate, dignata fuit. Quibus quatuor locellis acceſsêre & alia à fratre Ioanne à Guadalupe, eiuſque ſequacibus olim conſtructa, & à Prouinciæ ſancti Iacobi patribus ex eorum, quorum intererat, decreto poſſeſſa, idque ex generalis Capituli Romæ ſub eodem Leone X. ſummo Pontifice anno reſtitutæ ſalutis 1517. celebrati mandato. Ac tandem reuerendiſſimo patre fratre Franciſco Lichetto totius noſtri Ordinis generali Miniſtro, ac reuerendo admodum patre fratre Gabriele Maria Vltramontanæ Obſeruantis familiæ generali Commiſſario, in generali Congregatione Toleti, anno Dominicę incarnationis 1519. habita præfata Extrematuræ Cuſtodia omnium patrum, quorum ex munere intererat, ſuffragio Prouincia pronunciata extitit. Id tamen dignitatis ſub titulo ſancti Gabrielis, idque in præfati generalis Commiſſarij gratiam, in prouincialibus Prouinciæ ſancti Iacobi Comitijs Beneuenti apud Hiſpanos ſub R. admodum patre fratre Gabriele Maria Vltramontano Commiſſario eodem prorſus anno Domini 1519. celebratis, aſſecuta eſt. Anno itaque 19. à tempore, quo hæc Prouincia primùm in Cuſtodiam euecta fuit, prouincialem obtinuit dignitatem, quam & Leo X. & Clemens VII. datis literis, vt videre eſt in Placentinæ matricis eccleſiæ archiuis, confirmarunt. Quæ tamen tantopere proſperata eſt, vt ex 11. ſolùm locis tunc temporis conſtans, 28. conuentibus impræſentiarum abſoluitur. Huius denique Prouinciæ maius ſigillum (nam de minori nulla nobis quæſtio eſt) diuini verbi incarnationem, (hanc glorioſæ virginis annuntiationem vulgò vocant) nempe ſanctiſſimam Dei genitricem genuflexam, atque Paranymphum Gabrielem ſceptrum manu tenentem, diuiniq; verbi conceptum eidem Virgini prænunciantem, atque huiuſmodi verba AVE MARIA proferentem, quorum capitibus Deus pater orbem ſiniſtra tenens, atque dextra Virginem benedicens imminet, typicè continet, atque ſequentes literas: S. MINISTRI. PROVINCIALIS. SANCTI. GABRIEL. DIVI. ORDINIS. MINORVM. ſphericè imprimit. Quia verò, idque ex multiplici experientia, minimè dubitauerim beatum Gabrielem Archangelum ſolicitum huius Prouinciæ patrocinium ſuſcepiſſe, ideo illum ſibi politè depictum præponendum volui. Et hęc quidem de præſentis Prouinciæ exordio, & progreſſibus ſatis ſuperque dicta ſunto. Nunc autem ad ſingulos eius conuentus, ſi conſuetum morem tenere velimus, deſcendamus oportet: & primò quidem ad eum, qui ſanctiſſimæ ſemperque virginis genitris Dei Mariæ de Angelis erectus eſt.

De conuentu S. Mariæ de Angelis. Conu. I.

CVM ſeraphicus P. Franciſcus poſt viſitatum, anno Dominicæ incarnationis 1214. cum maxima humilitate, ac deuotione diui Iacobi Apoſtoli corpus in Portugaliam concederet, ſuperatoque cuiuſdam editi montis iugo apricam planitiem ad eius radices, ſed in Cantiani (vulgò Coriani) epiſcopatus territorio, ſitam contemplaretur, prophetico afflatus ſpiritu, locumque indice oſtendens ſequentibus ſe diſcipulis dixit: Ad illius Aquilę fluenta (volitabat ſiquidem longiuſculus inde aquila, quę à multis annis iuxta riuulum nidificarat) perpetuò ardebit facula, Deoque opt. max. fideliſſimè inſeruietur. Idque rei euentus facilè comprobauit. Nam canonicus quidam eccleſię diui Iacobi in Compoſtella ex eorum numero, qui Cardinales appellantur, ad ſeraphici ipſius P. doctrinam, feruentiſſimasq; conciones pœnitentię agendę ſtimulis tactus relicta dignitate, relicto ſæculo, ac omni denique re familiari relicta, ad locum non multò diſtantem ab eo, quem B.P. inſinuarat, ſe contulit, inibiq; humili ſub ſancti Spiritus inuocatione conſtructo tuguriolo pœnitentię viam maximo cum feruore ingreſſus eſt, eamque pro voto emenſus omnibus adiacentibus populis mirabilis omnino apparuit. Vacabat præterea inſignis ille vir diuinis concionibus, ſacramentalibusque ſęcularium excipiendis confeſſionibus. Quibus exercitijs plures à ſęculi

A ſęculi vanitatibus ad Deum conuertit,atq; ad ſumendum Tertiariorum Franciſcanorum habitum impulit. Accidit interim, dum idem canonicus, qui & Tertij eiuſdem Ordinis fuiſſe creditur, ad tugurioli oſtium ſtaret, ut paſtor paſtori à ſe ſciſcitanti, quo gregem ſibi commiſſum minaturus eſſet, reſponderet: ad Aquilę fluenta. Quamobrem, intelligens eum eſſe locum à beatiſſimo patre Franciſco præmonſtratum, relicto antiquo tugurio Tertiarijs quibuſdam ſororibus, quæ ad ſalutaria eius monita in huiuſmodi Ordinem tranſierant, atque in communi viuebant, præfata Aquilæ fluenta ad tertium lapidem inde diſtantia petijt, ibidemq; quodam in ſpecu pœnitentiæ ſtrictionis iter arripuit. Poſt tranſactos verò aliquot dies miſit ad eum, idq; iuxta condictum, ſeraphicus pater Franciſcus aliquot fratres, qui vnà ſecum ad lapidis iactum à præmemorato ſpecu hunc conuentum, ſanctiſſimæ Mariæ de Angelis ſacratum, tum ex la-
B pidibus temerè congeſtis, tum quoque ex impolitis lignis atque vili materia à fundamentis ad verticem vſque ędificarunt. Diſtat hic conuentus, qui & diuinorum contemplationi, atque diuinis recipiendis immiſſionibus acccommodatiſſimus eſt, à proximiori oppido Robledilio tribus paſſuum millibus, altiſſimiſque montibus in gyro cingitur, & à duodecim fratribus, quibus, omnibus itineribus altiſſimis niuibus obſeſſis, eius ſepta, vt ſibi neceſſaria quærant, egredi non valentibus, miſericordiarum pater opportunè non abſque maxima admiratione ſæpius adfuit, adeſtque, inhabitatur. Nec facilè erit percenſere quot patres, ac fratres moribus & ſanctitate inſignes vitam hoc in loco fineirint. Quamobrem vt primùm vnum, aut alterum, vt interim in ſanctis ſuis laudetur Deus, in medium adduxerimus, cœteris referendis ſuperſedebimus. Huic itaque ſæculo nequam hoc in conuentu vale dixit, ſepultuſque eſt præfatus canoni-
C cus meritis omnino opimus, atque miraculis clarus. Cuius corpus, cùm poſt plurimos annos effoſſa fortè terra integrum, illæſumque apparuiſſet, ad ſacrarium, vbi & in maxima habetur veneratione, honeſto loco recondiendum extitit translatum. Altera interim eius tibia ad conuentum ſanctę Marię de Monte cœli, altera verò ad monaſterium ſancti Marci huiuſmet Prouinciæ honoris, & deuotionis ergô delata. Ad hunc tantum patrē appoſiti fuêre eximię ſanctitatis patres, ac inter beatos relati, frater Rodericus Robicius, qui miraculis illuſtris, ac prophetico afflatus ſpiritu, anno Dominicę incarnationis 1378. Vrbano VI. ſummo Pontifice ſedente in cœlum euolauit: & frater Ioannes à Ponte Vedra, ac frater Petrus à Corduba Prouincię olim diui Iacobi alumni, ac admirandis operibus clari. Horum poſtremorum author Chronicorum noſtri Ordinis, reuerendiſſimus ſcilicet pater frater Marcus Olyſippo-
D nenſis 3. ſui operis parte lib. nono. cap. quadrageſimoquinto primi verò libri, Conformitatum author fructu tertio, atque vndecimo. abundè meminêre. Præcedentibus patribus adiūgendus venit admirandæ religionis pater frater Franciſcus Ciuitatenſis (vulgò de Ciudad Rodrigo) qui ad huius Prouinciæ clauum ſedens, atq; prophetico donatus ſpiritu hac in æde ſacra, an. Dñi 1554. diē clauſit extremum, tumultuſque eſt.

De conuentu B. Mariæ de Luce Monte cœlij Conu. II.

HAVD abſimilem obtinet ſitum ſacra hæc domus de Monte cœli ei, in quo præcedens ædificata eſt: cùm in profunda quadam valle altiſſimis montibus circumcincta conſtructa ſit, & à proximiori oppido, quod Gatta Hiſpanicè nuncupatur, ſubeſtque iuriſdictioni Coriani epiſcopatus, ad tertium diſtet lapidem, & maxima tran-
E quilitate gaudeat. Qua etiam de cauſa contemplationi atque ſpiritui ſummopere, prout & præcedens, deſeruit. Exiſtimatur præterea & ei coëtanea, atque ſacræ nobilique Alcantarenſis Militiæ, in cuius territorio ſita eſt, fauore & auxilio à primæuis illis patribus quos ſeraphicus Patriarcha Franciſcus ſuum Ordinem propagaturus ſecum in Hiſpaniam duxit, erecta. Idque ſanè indicare videntur catholici Hiſpaniæ Regis Philippi II. atque præfatæ Militiæ adminiſtratoris in hunc locum pietas, atq; animi propenſio, quibus ille tactus collabentia eius præ vetuſtate ædifitia ſuperioribus annis refecit, reparauit, atque ab imminente prorſus ruina vindicauit. Inter quā-plurimos patres ac fratres vita & religione inſignes hoc in eodem loco, quem quatuordecim fratres plerunque inhabitant, vita functos, longè emicuêre venerabilis P. Ioan-

nes

nes à Spinoſa, qui poſt functum cum maxima laude huius Prouinciȩ Miniſteriatũ, non A
abſque ſanctitatis opinione, obdormiuit in Domino. Et deuotiſſimus pater Cypria-
nus incredibili patientia cum cœteris virtutibus coniuncta prȩditus. Et profundiſſi-
mæ humilitatis frater Michaël laicus profeſſus, cuius etiam ad Deum, atque ad pro-
ximum charitas inenarrabilis eſt. Et probatiſſimæ vitæ religioſus cognomine de Caſ
ſalibus, atque profeſſione laicus, qui ob ſummam eius humilitatem, atque columbi-
nam ſimplicitatem inter cœlicolas ab omnibus refertur. Huius religioſiſſimi fratris
funeri adfuit ex inſperato circa medium noctis venerabilis quidam pater ab omnibus
incognitus qui, præmiſſa coram quatuor excubantibus religioſis ante feretrum oratio-
ne, defuncti corpus ſigno crucis conſignauit, benedixitque, atque ſtatim diſparuit.
Quamobrem is beatiſſimus pater Franciſcus, qui fratrẽ ſibi cariſſimum ſua præſentia
dignare voluerit, fuiſſe ab omnibus indubiè creditur. Prȩterea, dum huius deuotiſ- B
ſimi F. corpus terrȩ mãdaretur, conuẽtus cãpana, nemine impellente, ſed ſe ipſa ſonuit.

De conuentu S. Mariæ de Luce Moncarij. Conu. III.

SI conſtructionem attendas, præcedentia duo loca multò antiquiora ſunt prȩſen-
ti, qui in Moncarij montis iugulo ad quinq; millia paſſuum ab oppido Alcon-
celio ſanctiſſimæ Mariæ de Luce erectus eſt: cùm iſte anno Dominicæ incarnatio-
nis 1500. primò conſtructus fuerit, illa verò circa annum Domini 1214. ſeraphico
Franciſco adhuc in viuis agente, initium ſumpſerint. Si verò receptionis illorum, atq;
iſtius rationem habueris, hic ſanè tibi antiquior apparebit; cùm ſtatim poſt Scalabia-
num conuentum (de quo fuſius in huius Prouinciȩ prooemio) à venerabili patre fra-
ter Ioanne à Guadalupe ædificatus, repceptuſque fuerit; præcedentia verò poſt ali- C
quot annos ab huiuſmodi receptione ex ſancti Iacobi Prouincia obuenerint. Hic eſt. n.
ille locus, ad quem, tamquam ad ſacram anchoram, primitiui huius Prouinciæ, tunc
Cuſtodiȩ, fratres, dum inter ipſos atque Prouinciæ ſancti Iacobi patres de diuerſo vi-
uendi modo ageretur, confugerunt. Nam quoad Regulam, cœteraque Frãciſcanæ
profeſſionis eſſentialia nihil inter hos, atque cœteros Recollectos, & reliquos Obſer-
uãtes diſcriminis eſt. Quid nam refert vtantur illi pyramidali capuccio, iſti uerò rotun-
do. Præterea quid nam periculi eſt, quòd iſti triticum & vinum in horrea, atque cel-
laria pro neceſſaria fratrum ſuſtentatione inferant, cùm id totum ex mendicatione
proueniat; ſibique liceat ex apoſtolicæ Sedis declaratione, cui in totum & per omnia
editam à ſe Regulam, eiuſque modificationem atq; declarationem ſeraphicus pater
Franciſcus ſubmiſſam voluit: illi verò nequaquam, ſed ex quotidianis eleemoſynis vi- D
ctitẽt? Eſt ne eadem ratio prouidendi, miniſtrandique neceſſaria octo fratribus, atq;
ſexaginta? Habent ne patres Obſeruantes aliquid proprij, quo huiuſmodi Recollecti
priuentur? Non vtique. Inſuper quidnam Obſeruanti religioſo potius ex magnifi-
ca, quàm ex humili conuentus ſtructura prouenit? Non ne & illius, ſicut & iſtius do-
minium penes Saluatoris Chriſti Vicarium manet? Vna eſt ergo & iſtorum, atque il-
lorum Regula, vna Religio, vna eſt ipſiſſima profeſſio, atque vnus ſcopus: ſed vi-
uendi modus vtcunque diuerſus, illorum videlicet ſtricta: ſed iſtorum vtcunq; latior.
Nihilominus tamen vterque ſanctus, vterque licitus, vterque ſecurus, vterque ap-
probatus, atque vterque Franciſcanæ Regulæ conſonus, & neuter periculoſus eſt.
Ita vt meritò cum sãcto Apoſtolo Paulo dicere poſſimus: *Alius quidem ſic alius vero ſic.*
Cœterum hanc ſacram ædem, quæ tuguriolum potius, ſi eius humilem ſtructuram E
attendas, appellanda venit, quæque concauo quodam in ſaxo ædificata vltra viginti
paſſus minimè extenditur, octo tantum fratres inhabitant: qui diurnas nocturnaſq;
laudes fideliſſimè Deo optimo maximo decantantes, & diuinȩ contemplationi totis
viribus inſiſtentes (eſt namque hic locus diuinarum rerum contemplationi, atque di-
uinis recipiendis immiſſionibus aptiſſimus) ei famulantur. Quam denique frequen-
tia miracula, quæ Deus opt. max. meritis glorioſiſſimæ Virginis ibidem operari di-
gnatur, atque religioſiſſimi fratris Didaci Villanouani profeſſione laici corpus in
eius eccleſia ſepultum, & ab omnibus tum ſæcularibus, tum quoque religioſis maxi-
ma in veneratione habitum, commendatiſſimã, frequentiaq; non parũ dignã reddũt.

A *De conuentu S. Franciſci Beluiſij. Conu. IIII.*

DECLINATVRVS ad tempus religioſiſſimus pater frater Petrus Melgarius (de quo ſuprà) eas moleſtias, quæ ſibi ob vitę habituſque innouationem inferebantur, imminebantque, antiquam ædiculam beatæ virgini Mariæ de Berrocal ad mille paſſus à Beluiſio Placentinæ diœceſis oppido erectam ex pientiſſimi herois Franciſci de Monroi Delectoſæ Comitis facultatibus, atque ex apoſtolica Iulij II. Pont. max. cuius breue in præſentis loci tabellario aſſeruabatur, auctoritate, anno Dominicę incarnationis 1507. facta, in anguſtum conuentum, ſed continendis 14. fratribus omnino accommodatum, atque eidem glorioſæ Virgini ſacrum ſibi, ſuiſq; ſequacibus conſtruendum, euehendumque curauit. Idque in cauſa eſt, vt Orapeſſani Co-
B mites præfati Franciſci à Monroi ſucceſſores ſolicitam eius curam gerant. Longior profectò nobis texenda foret hiſtoria, ſi omnium patrum ac fratrum religione ac ſanctitate inſignium hoc in monaſterio tumulatorum impręſentiarum meminiſſe vellemus. Quamobrem, vno vel altero in medium adductis, cęteris recenſendis ſuperſedebimus. Mortem itaque obijt hoc in loco venerabilis P. F. Alphonſus Suarez dignitate ſacerdos, atque vnus eorum, qui ad Occiduos Indos prædicandi ſacri Euangelij, ac propagandæ Religionis Franciſcanæ ergò cum patre Martino à Valentia (cuius quarta huius operis parte mentio fiet) non abſque vitę diſcrimine traiecit. Religioſiſſimus hic pater, cùm plurimos eo in opere labores exantlaſſet, Hiſpaniam repetens, vitam hoc in conuentu cum maxima ſanctitatis opinione finiuit. Ad hunc appoſitus eſt admirandæ ſanctitatis P. F. Franciſcus à Villisbonis, qui poſt functum hac in Prouincia
C Miniſteriatus officium, ad hanc ſacram ędem pœnitentiæ agendæ cauſa accedens, ſe totum orationi, diuinorum contemplationi, vigilijs, ieiunijs ac cœteris operibus bonis cum maxima cura, omnibuſque neruis dedidit: quique ipſo beatæ Agathæ feſto, prout ipſemet multò ante prædixerat, viam vniuerſæ carnis, anno Domini 1566. ingreſſus eſt. Eius caput in ſacrario maxima cum veneratione aſſeruatur. Adiacent quoque pręfatis patribus religioſiſſimi patres ac fratres Franciſcus à Rota Pincianus, Ioãnes à Coria atque Didacus Safranus ſacerdotio illuſtres, atque omni ſanctitate conſpicui. Sepulta etiam iacet hoc in eodem loco venerabilis quædam matrona: cognomine Maldonata, quæ anno Domini 1535 in Domino obdormiuit. Eius vita, cùm ob plurima, quæ præſago ſpiritu prædixerat, adeò mirabilis eſſet, vt in ſui ſuſpicionem plurimos abduceret, à Placentino Epiſcopo examinata integerrima omnino, atq; ab
D omni ſuperſtitione procul inuenta eſt. Quamobrem non abſque ſanctitatis opinione ex hac vita diſceſſit. Hinc tandem B. P. Petrus ſoluens ad Aphros traiecit, ac ſub truculentiſſimis eorum manibus, ob catholicæ fidei prædicationem, martyr occubuit.

De conuentu B. Virginis Mariæ Alburquerquij. Con. V.

HVIVS Prouinciæ patres, vt liberius Deo vacare poſſint, ſuas ædes longiuſculus ab oppidis ædificare conſueuerunt. Quamobrem erecturi ſibi anno Dominicæ incarnationis 1506. ex Alburquerquienſium facultatibus præſentem conuentum, non minus tribus millibus paſſuum ab oppido Alburquerquio diſtantem, elegerunt. Sed cùm ſucceſſu temporis is locus fratrum ſaluti minus fauorabilis euaſiſſet, cuperentque Alburquerquienſes eum ſibi aliquantulo viciniorem, vt diuino officio
E ibidem facilius intereſſe poſſent, derelictus omnino eſt, aliuſque beatæ Virgini ſacratus (de quo impręſentiarum) multò ſalubrior, multò amœnior, multoque tum fratribus, tum quoque ſæcularibus commodior, ad 1500. tantùm paſſus à præfato oppido Alburquerquio communibus oppidanorum ſumptibus ſucceſſit. Cuius ſanè amęnitas, atque tranquillitas vix explicari poſſunt. Nam pulcherrimis hortis, circumriguis aquis atque quernea ſylua circundatus nullis ſæcularium agitatur moleſtijs. Idq; ſanè in cauſa eſt, vt plures patres moribus graues, religione inſignes atque ſanctitate conſpicuos nobis pepererit. Ex horum numero fuêre P. Ioannes à Bouadilia omni virtutum genere apprimè ornatus, P. Anaſtaſius, P. Didacus de Monte, atque P. Franciſcus Moneus, qui omnes hoc in eodem loco meritis opimi viam vniuerſæ carnis ingreſſi

greſſi ſunt. Accidit circa annum Domini 1530. Vt, oppido Alburquerquio ſæuiſſima A
peſte laborante, caſtri Præfectus, qui & fratribus deuotiſſimus erat, ad hunc locum tā-
quam ad ſacram anchoram confugeret, atque ex fratribus duos, qui interim caſtri cu-
ram gererent, eius loco à patre Guardiano mitti curaret. Cumq́ue eorum alter religio-
ſiſſimus eſſet, atque circa medium noctis in editiore caſtri parte orationi incumberet,
Deoq́ue opt. max. vt iram ab oppido auertere dignaretur, inſtantius ſupplicaret, plu-
res Angelos ignitas ſagittas in miſerum oppidum immittentes conſpexit. Quamob-
rem Deum obnixius, ac cum maxima lacrymarum effuſione rogauit, vt afflicto
populo parcere vellet. Cuius denique precibus motus Altiſſimus Angelo præcepit, vt
ſibi indicaret, quatenus eius oratio exaudita eſſet. Et ab eo temporis huiuſmodi lues
ceſſauit. Commorantur denique hoc in conuentu quatuordecim religioſiſſimi fratres.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Saluaterræ. Conu. VI. B

VT primùm venerabilis pater frater Petrus Melgarius ſancti Euangelij Custo-
diam ex apoſtolica Iulij II. Pont. max. auctoritate erecturus, ex vrbe Roma in
Hiſpaniam, anno Domini 1506. redijt, hunc conuentum, ſanctæ Mariæ de Ieſu ſacrū,
ad mille paſſus à Saluaterra Feriani Ducis oppido, ex pientiſſimorum Ferdinandi Go-
mezuli à Soliſio, atque eius vxoris Beatricis Manuel facultatibus à fundamentis ex-
trui perficiq́ue curauit. Qui quidem conuentus, licèt ea regio calidiſſima ſit, ſalu-
berrima nihilominus, atque ſatis temperata gaudet aura, duobusq́ue ſacellis, altero
quidem beato patri Franciſco, altero verò beatæ Annę ſacris, in quibus fratres, qui
frequentius ſunt numero 12. ſtatutis temporibus ſe in oratione, vigilijs, ieiunio, atque
carnis maceratione mirificè exercent, inſignitur. Vnde nec mirum eſt, ſi plures patres C
ac fratres ſanctitate illuſtres hinc prodierint. Huius ſiquidem conuentus aliquando
incolę fuerunt ſtrenui Saluatoris Chriſti athletæ pater Damianus Valentinus ſacer-
dos, & frater Alexander Italus profeſſione laicus. Imò hinc tum iſte Memphim ci-
uitatem (vulgò Cairo) petens ibidem impiorum Aegyptiorum gladijs pro catholicæ
Fidei confeſſione confoſſus occubuit, tū quoq; ille, pater ſcilicet Damianus ad Aphros
traijciens, poſtquam è rogo illæſus omnino exilijſſet, eorundem gladijs tranſuerbera-
tus, atque ab ijſdem lapidibus obrutus animam, anno Domini 1533. cœlo reddidit.
Præterea hoc in eodem loco ſanctiſſimā egit vitam, ſanctiſſimamq́ue mortem obijt, at-
q; ſepultus eſt eximiæ religionis pater frater Michaël à Corduba, qui religioſiſſimus
& ſui ſtatus zelātiſſimus atq; vnus ex fundamētalibus huius Prouinciæ lapidibus fuit.

De conuentu S. Onuphrij de Lappa. Conu VII. D

CONSTITERAT olim ad quintum lapidem à Safra inſigni Feriani Ducis
oppido antiquiſſimum eremitorium beato Onuphrio ſacrum, quod pientiſsimus,
atque de Franciſcana Religione optimè meritus Laurentius Suarez à Figueroa tunc
Ferianorum Comes pro ſua in Deum pietate, atque in Franciſcanos animi propenſio
ne, ex domeſticis facultatibus, anno à partu Virgineo 1447. ab imminente ruina vindi
cans, in iuſtum conuentum transferendum, atque Conuentualibus Franciſcanis patri-
bus tradendum curauit. Sed cùm poſt aliquot annos, quòd eius habitatio illis omni-
no oneroſa eſſet, is conuentus à Conuentualibus præfatis patribus derelictus omnino
fuiſſet, huius tunc naſcentis Prouinciæ fratribus in perpetuam habitationem, anno
Domini 1507. conceſſus extitit. Incredibile ſanè eſt qua deuotione, quovè affectu Fe E
riani Duces in hunc locum, à duodecim fratribus plerumque inhabitatum, ferantur:
cùm eorum alter contiguum domicilium, in quo quadrageſimali ſaltem tempore ſæ-
cularibus negocijs abſtractus Deo, atque propriæ conſcientiæ expurgandę vacare poſ
ſet, ſibi adijciendum curarit: alter verò xenodochium, vbi eius fratres infirmitatibus
oppreſſi opportunè curari poſſint, Safræ conſtrui iuſſerit: atqui alius, nempe inclytus
Gomezulus Suarez à Figueroa Ferianorum Comes, atq; fundatoris pronepos eius ec-
cleſiam, in qua religioſus frater Alphonſus ab Amigdaleto profeſſione laicus, atq; ora
tionis prętogatiua maximè præditus, ſepultus eſt, ſuis ſumptibus anno Dominicæ in-
carnationis 1560. reædificauerit, atque omnibus numeris pientiſſimè abolueri t.

A *De conuentu S. Franciſci de Maniaretibus. Conu. VIII.*

QVANTVM ex ipſa ſtructura coniectare licet, hæc ſacra domus, ſeraphico patri Franciſco de Maniaretibus in Regnorum Portugaliæ, & Caſtellæ confinio erecta, antiquiſſima eſt, redoletque priſtinam illam ędificiorum paupertatem, à primitiuis Ordinis noſtri patribus ſummè affectatam. A quibus haud dubiè ad Conuentuales eiuſdem Ordinis patres aliquando tranſijt, & ab ijs demum ad huius Prouinciæ fratres, anno reſtitutæ ſalutis 1513. ex R. patris fratris Bernardini à Prato totius noſtri Ordinis generalis Miniſtri mandato, ſub P. ac F. Franciſco à Fraxineto tunc Cuſtodiæ Extrematuræ Cuſtode deuoluta eſt. Hanc vtplurimum 14. fratres incolunt, qui liberalibus oppidi Valentiæ Alcantarenſis, ad tertiũ lapidem inde diſtantis, eleemoſynis maximè ſuſtentantur. Ad trecentos paſſus ab hoc conuentu duo, ſed omnino mirabiles, &
B omnino diuerſi ſcaturiunt fontes ab inuicẽ non multùm diſtantes, quibus horti abundè irrigantur. Siquidem eorum alter ab ineunte vere vſque ad ingreſſum autumni largiſſimas ſubminiſtrat aquas: ſed quod reliquum eſt temporis ſiccus omnino apparet. Alter verò ë diametro cum eo pugnat, nam ab introitu autumni vſque ad finem hyemis abundanti ſcaturigine fontis defectum ſupplet: ſed quod reſiduum eſt æui vſque ad autumnum exſiccata vena ceſſat à fluxu. Mortẽ obijt hoc in monaſterio, anno Domini 1559. inſignis pater atq; egregius diuini verbi declamator frater Antonius Lopetius, qui ſuis concionibus, atq; cœleſti potius, quàm humana doctrina plurimos à vero ſcopo aberrantes ad paſtorem Chriſtum reduxit, plurimosq; alios in ſancto propoſito confirmauit: Quique, ſi eius vitam, mores atq; pœnitentiam attendas, ſeraphicum
C patrẽ Franciſcum in omnibus imitari ſtuduit. Eius denique corpus poſt multũ temporis, dum fortuitò ſepulcrum aperiretur, integrum, incorruptum, atque ſuauiſſimè redolens apparuit, ita vt ex odore vnguenti tota domus repleta ſit. Qua etiam de cauſa maximæ ſibi ſanctitatis nomen acceſſit. Ad hunc tantum patrem appoſitus eſt eximiæ ſimplicitatis & obedientię frater Iacobus Italus profeſſione laicus, qui ab omnibus huius Prouinciæ fratribus ob vitæ candorem, integerrimosque mores inter cœlicolas refertur. Quia verò hic conuentus, ob aquarum abundantiam, aliasq; quamplurimas difficultates, fratribus immo & ſæcularibus incommodus omnino eſt, Prouinciæ proceres in eam venerunt ſententiam, vt omnino deſereretur. Quamobrem oblatam ſibi à R. Corianorum Epiſcopo, cuius id munus erat, ædiculam, diuo Bartholomęo Apoſtolo ſacram, atq; muris præfati oppidi Valentiæ proximam, ex Hiſpanię Regis Philippi II.
D atq; ſacræ Alcantarenſis Militię Adminiſtratoris, cui ipſum oppidum paret, auctoritate acceptantes in conuentum, eidem Apoſtolo Bartholomęo ſacrum, ex præfati Regis Philippi liberalitate, atque ex diuerſis oppidanorum eleemoſynis tranferendam, anno Domini 1585. curarunt. Nec dum tamen, licèt ab vno vel altero fratre inhabitetur, vltimam artificis manum expertus eſt: ſed eã breui Deo fauente experietur. Tũcq; quotquot fratres in pręcedẽti cõmorant̃ conuẽtu, ad hũc ſibi de nouo pręparatũ ſe trãsferẽt.

De conuentu S. Marci Euangeliſtæ. Conu. IX.

EST etiã domus hæc, beato Euangeliſtæ Marco ſacra, atq; in iugulo eius editi mõtis, qui de Altamura materna Hiſpanorum lingua cognominatur, ſita, antiqua ſatis, cùm anno Domini 1488, ędificata fuerit, & à Conuẽtualibus Franciſcanis patribus,
E prout & præcedens ex R.P. F. Bernardini à Prato totius Minoritici Ordinis generalis Miniſtri mandato, religioſo P.F. Franciſco à Fraxineto huius tunc Cuſtodiæ Moderatore, ad P. Petrum Melgarium, eiuſq; ſequaces, anno Dñi 1513. defluxit. Diſtat prætere à proximiori oppido, cui ſancta Crux nomen eſt, 5000. paſſuum. Idque in cauſa eſt, vt à Corianorum Epiſcopis, quibus præfatum oppidum pro camera (vt his verbis vtar) deſeruit, ſæpius, Quadrageſimali pręſertim tẽpore, viſitetur: vtq; R. Didacus Hẽriquez ab Almanſa Corianorum etiam Epiſcopus domum ſibi contiguam, quatenus animum à paſtorali cura ad tempus remittens, vnicoque tantùm puero contentus liberius ſuo Creatori inter fratres, vt eorum alter conuerſans ibidem vacare poſſet, conſtruendam curarit. Cœterùm, cùm hæc præfata domus, quæ & à duodecim fratribus incolitur,

præ

præ vetuſtate immo potius præ materię imbecillitate omnimodam minaretur ruinam, A
à præfato reuerendiſſimo Corianorum Epiſcopo Didaco Henriquez ab Almanſa, qui
vnus fuit ex œcumenici Tridentini Concilij patribus,atque à monialibus Ordinis di-
ui Iacobi Salmanticæ degentibus non minus liberaliter, quàm piè, circa annum à
partu Virgineo 1554. ab ipſis fundamentis ad apicem uſque reædificata extitit.

De conuentu S. Margaretæ Xereſij. *Conu. X.*

HIC conuentus,ſanctæ Margaretę dicatus,atque ad tertium milliare à nobili ci-
uitate Xereſio amœniſſimo quodam in loco conſtructus, tertius eſt eorum,qui à
patribus Conuentualibus ad hanc Prouinciam anno Dominicæ incarnationis 1513.
reuerendiſſimo patre fratre Bernardino à Prato generali Miniſtro id pręcipiente, (vt
ſæpius meminimus) deriuauit. Qui quidem conuentus, cùm ſimplex eremitorium B
antiquitus fuiſſet,à perdeuota matrona Catharina Piretia vidua ex Alphonſi Sirgadi
morte relicta, anno Domini 1440. ad eam dignitatem promotus, atque honeſtis qui
buſdam prædijs,& poſſeſſionibus locupletatus extitit. Cæterùm cùm à quatuordecim
huius Prouincię fratribus ſuperioribus annis cõmodè ſatis inhabitaretur, erecto poſt-
modum à Xereſiano ſenatu Prouinciæ S.Michaëlis patribus non longè à ciuitatis mœ
nibus alio conuentu,ne pijſſimi ciues plus ęquo grauarentur,huiuſmodi fratrum quan
titas imminuta, atque ad ſextum numerum redacta eſt. Sepultus iacet in huius mo-
naſterij eccleſia omni virtutum genere pręditus,omniq́ue ſanctitate conſpicuus pater
frater Antonius Ortitius,qui poſt Miniſteriatus officium hac in Prouincia bis laudabi-
liter functum ad Occiduos Indos prædicandæ catholicæ fidei gratia cum quibuſdam
alijs patribus(de quibus 4.huius operis par.fuſius)traiecit,quiq; martyrij deſiderio fla C
grans ex India reuerſus ad infideles Aphros transfretauit.A quibus tamen poſt perpeſ-
ſa plurima ludibria,verbera atq; tormenta,Deo opt.max.cuius conſilium inſcrutabi-
le eſt, ſic diſponente, in Hiſpaniam ſua ſpe fruſtratus remiſſus eſt. Adiacet huic tan-
to patri religioſus pater ac frater Hieronymus ab Ariza concionatorum ſui tempo-
ris facilè princeps, atque vitæ candore omnino inſignis, quamobrem cum cœlicolis
beari exiſtimatur. Ne aũt quis falli poſſit,curioſũ lectorẽ præmonitũ volumus,præfa
tã ciuitatẽ Xereſiũ eã eſſe,cui de Equitibus(Hiſpanicè de los Caualleros)cognomen eſt.
Hæc dixerim, ꝙ ſint alię ciuitates in Hiſpania huiuſmodi nomine Xereſij nuncupatæ.

De conuentu Dominæ noſtræ Rupis Amatoris. *Conu. XI.*

QVANTAE amœnitatis ſit præſens conuẽtus,Dñæ noſtrę de Rupæ Amatoris ad D
2000.paſſuũ à Villa noua de Scapha fracta Ferianorum Ducis oppido,ab inclyto
quodam Duce, anno Dñi 1513.maiori ex parte erectus,atq; à perdeuota matrona Blã-
cha de Vargas, poſt elapſos aliquot annos, cũ adiũcta ſibi eccleſia omnino abſolutus,
vix explicari põt:cùm frõdeis,vmbriferiſq; cingatur nemoribus,atq; altiſſimorũ mõ-
tiũ longè patentiũ fruatur aſpectu.Quãobrẽ hæc tantùm dixerim: quòd videlicet prin
ceps eius ſacellũ humandis præfatę Blanchę ſucceſſoribus,patronatus ſibi reſeruato iu
re,atq; etiam loci religioſis,qui decimũquintũ numerũ attingunt, ex eiuſdem Blãchæ
beneplacito deſeruiat.Huic infelici atque nequam ſæculo vltimum vale hoc in loco di-
xit admirandæ ſimplicitatis,abſtinentiæ,vigiliæ,orationis atq; charitatis vir, pater ſci
licet ac frater Franciſcus Moneus dignitate ſacerdos, qui, pro Chriſto diſſolui cupiẽs,
Marrochium petijt, inibiq́ue fidem catholicam coram illis Mahometiſtis conſtanter E
prędicauit. Cuius rei cauſa plurimis ab ijſdem ſaturatus opprobrijs ad Chriſtianorum
plagas remiſſus fuit. Cumq; ſe tanto fraudatum deſiderio cerneret, vigilijs atq; cœte-
ris operibus bonis,quod ſibi vitæ reliquum fuit,inſtantius ſolito inſtitit,donec tandem
animam cœlo reddidit. Eius corpus integrum omnino,atq; incorruptũ, immo & ſua-
uiter redolens adhuc perſeuerat.Quamobrem ab omnibus tum fratribus,tum quoq; ſæ
cularibus beatus,Deoq́ue carus exiſtimatur.Obijt quoque mortem hoc in eodem loco
admirandæ innocẽtiæ pater frater Rodericus à Beluiſio,qui licèt conſummatus in bre-
ui (deceſſit ſiquidem in florida ætate)expleuit nihilominus tempora multa.Cùm.n.pla
cita eſſet Deo anima illius: propter hoc properauit Dominus educere illum de medio
iniquitatis

A iniquitatis, ſibiq; certam ſuæ mortis horam ſignificare dignatus eſt. Hunc ſequutus fuit pari ſanctitate præditus frater Ioannes à ſancto Michaële profeſſione laicus, Franciſcanæq; paupertatis amantiſſimus, atque omnibus ſummè carus. Sepulta quoq; iacet hoc in ipſo loco deuotiſſima, atq; omni commẽdatione digna Eliſabetha Lopetia, quæ, zelo charitatis accenſa, quicquid bonorum ſibi poſt viri mortem reliquum fuit, pauperibus liberaliſſimè erogauit, quæque domum quandam à diro incendio ſigno crucis miraculosè vindicauit, liberauitque, aliaque mirabilia fecit.

De conuentu S. Gabrielis Badeiocij. Conu. XII.

BADEIOCIVM, quæ & olim Pax Auguſta, vna ex antiquioribus Hiſpaniæ ciuitatibus eſt, atq; in Caſtellæ, & Portugaliæ Regnorum confinio ſita, Ana famoſo
B ſo fluuio, qui olim Luſitaniam à Bætica diuidebat, alluitur. Milliari igitur ab hac ciuitate conuentus hic, Archangelo Gabrieli ſacer, qui & amœno quodam in loco, delicioſo, atq; viuendi huius Prouincię modo ſatis accommodato conſiſtit, communibus pientiſſimorum heroum Gomezuli Fernandez Soliſij, eiuſq; cariſſimæ vxoris Catharinæ à Sylua ſumptibus, anno reſtitutæ ſalutis 1519. à fundamentis ad verticem vſque conſtructus, atq; cæteris huius Prouinciæ locis, reuerendo patre fratre Angelo à Valleoleto primo eius Miniſtro, adiectus extitit. Cùm enim perdeuoti hi coniuges nullam penitus ex ſe inuicem prolem ſuſcepiſſent, quicquid illi hæreditario iure relicturi erant, id totum circa pia opera conſumpsẽre. Nam & Dominicanis patribus monaſterium hac in eadem ciuitate ex integro conſtruxerunt, & princeps ſacellum apud Auguſtinianos ab ipſis fundamentis ad apicem vſque augu-
C ſtè ſatis ædificarunt, & hanc ſacram ædem, in cuius maiori ſacello ambo ſimul tumulari voluerunt, atque peramplam ſibi contiguam domum, in qua aliquando catholicus Hiſpaniæ Rex Philippus eius nominis II. cum vxore, liberis, & nepote illuſtriſſimo ſcilicet Alberto Auſtriaco S. R. E. Cardinale, dum Portugaliam, eo Regno potiturus, peteret, accommodo hoſpitio exceptus fuit, non minus liberaliter quàm piè extruxẽre. Cæterum huius monaſterij à 16. fratribus inhabi tati eccleſia, ſimul atq; cœmeteriũ à reuerendiſſimo Alphonſo Manriquo Hiſpalenſium Archiepiſcopo, anno Dominicæ incarnationis 1526. de religioſo more conſecrata fuẽre. Diem hoc in loco clauſit extremum religioſiſſimus, pariterque doctiſſimus pater, nec non & diſſertiſſimus Concionator frater Didacus Ferdinandez, qui cùm Sal-
D manticenſi in Academia Lectorem ageret, eo honore longè poſt habito, Franciſcano ſacco indutus, ac communem Regulam cùm cęteris fratribus in ſancti Iacobi Prouincia profiteri voluit, vbi & in maximo honore propter vitæ candorem habitus eſt. Cumque ſtrictiorem vitam anhelaret, ad hanc ſancti Gabrielis Prouinciam conuolauit, vbi & tot progreſſus qualibet in virtute fecit, totque populos à vitijs ad virtutes reduxit, vt relatu difficile ſit. Quamobrem moriens maximum ſui deſiderium omnibus huius patriæ tum regularibus, tum quoque ſæcularibus reliquit. Nec abſimiles illi fuẽre deuotiſſimi patres frater Ioannes à Salualeone, frater Bernardus à ſancto Ioanne, ac frater Martinus à Numbela, quorum omnium corpora hoc in loco in Domino feliciter quieſcunt, atq; ſecundum Domini aduentum præſtolantur.

E *De conuentu S. Michaelis Placentiæ. Conu. XIII.*

HIC conuentus, Angelo Michaëli ad 5. lapidem ab antiqua ciuitate Placentia erectus, præcedenti contemporaneus eſt: cùm ex priuatis pientiſſimi Federici à Stunnica Mirabellanorum Marchionis, atq; ex publicis Placentinorum facultatibus in fundo à nobiliſſima matrona Mentia Caruagialia liberaliſſimè collato, venerabili patre fratre Angelo à Valleoleto huius Prouinciæ Miniſtro, anno Dominicæ incarnationis 1519. ædificatus fuerit. Qui licèt longiuſculus à ciuitate diſtet 18. nihilominus fratres, quorum maior pars ſacræ Theoſophiæ ſub vno aut altero Prelectore dat operã, commodè ſatis continet, ſuſtentatq;. Afficitur ſiquidem ſummopere huic ſacræ domui vniuerſa Placẽtina ciuitas, pręſertim verò R. eius Epiſcopus, qui ex Clemẽtis VII. Pont. max. decreto vniuerſę huius Prouincię defenſor atq; Protector cõ-

Mmmm ſtitutus

ſtitutus eſt. Quia verò ob loci intercapedinē infirmis fratribus neceſſaria incommodè A
ſatis hoc in loco miniſtrari poſſent, Placētinus ſenatus xenodochiū, in quo non tātùm
ipſi, ſed & aliorum 3. aut 4. conuentuum vicinorum infirmi, quoties ſeſe offerat occaſio, curari poſſint, ex maxima in Deum pietate non longè à communibus muris ædificari fecit. Animam cęlo reddidit hoc in loco beatus frater Ludouicus à Salmantica profeſſione laicus, cuius ad Ordinem receptio mirabilis, humilitas incredibilis, charitas inenarrabilis, atq; abſtinentia vix imitabilis fuêre. Quamobrem plurimis prærogatiuis à Deo opt. max. honeſtari meruit. Præterea & hominem quendam rabie laborantem, porrecto ſibi aliquātulo panis, ab huiuſmodi morbo liberauit, & plurimis plurima adhuc futura certò pędixit. Et ipſa Dominicę natiuitatis nocte, quam ille, dum viueret, ſumma alacritate atq; deuotione coluerat, è mortali vita ad immortalem euolaturus, prout ipſe à Domino inſtantiſſimis precibus petierat, finem B
impoſuit. Appoſiti quoq; ſunt ad B. hunc fratrem religioſiſſimi fratres Ioannes à Beluiſio, Ioannes à Vite (vulgò de la Parra) profeſſione laici, ac venerabilis pater frater Franciſcus à Fraxineto ſacerdos, qui omnes ob ſingulares eorum virtutes cum cœlicolis beari exiſtimantur. Qui monumenta hanc Prouinciam concernētia videre deſiderauerit, Placentinę matricis eccleſię archiuos, vbi diligentius aſſeruātur, conſulat.

De conuentu S. Gabrielis Alconcelij. *Conu. XIIII.*

QVOD non obſcura nobilium heroum Ioannis à Sottomaior, eiusq; cariſſimæ coniugis Franciſcæ Portocarreriæ temporalium oppidi Alconcelij Dominorū in huius Prouinciæ fratres beneuolentia fuerit, ſatis patet ex præſenti conuentu, Archangelo Gabrieli ſacro, quem ipſi ad 5. lapidem à præfato oppido in loco, ab hominum frequentia remoto, ſolitario, amœno, aquisq; irriguo, anno Dominicæ incarnationis 1526. ex communibus facultatibus, magnificè ſatis pro Prouinciæ norma à fundamentis ædificandum, omnibusq; ſuis numeris abſoluendum, atq; 12. fratribus inhabitandum tradi curarunt. His accedit ſumma cura & diligentia, qua præfati fundatores huiuſmodi fratribus ad victum, & amictum neceſſaria, quoad illis vita comes fuit, miniſtrarunt. Quorum etiam pietatem imitati eorum ſucceſſores nihil magis ab huiuſmodi negotio curare videntur. In huius ſacræ ædis ſarcophago Domini aduentum præſtolatur profundiſſimæ charitatis P. F. Alphonſus de Mançanete ſacerdos, qui cum in Italiam triremi vectus trajiceret, vidiſſetq; ibi miſerum quendam hominem ſibi notum ad triremes damnatum, miſericordia ad inſtar B. Pauli Nolanorum Epiſcopi motus, quod ille vxorem cum paruulis reliquiſſet, claſſis Pręfectum acceſſit, D
ſibiq; quam humillimè ſupplicauit, vt dimiſſo remige, quòd domui ſuæ eſſet ſummè neceſſarius, ſe eius loco ſufficere vellet. Cuius ardentiſſimo charitatis zelo commotus Pręfectus remigem dimiſit, ſeq; rogauit, vt apud ſe ſacellani officio functurus per tantum temporis, quantum illi dimiſſum erat, ſubſiſteret. Quod & lubens ille acceptauit, libentiusq; mancipati loco, ſi ei permiſſum fuiſſet, remigaſſet. Hanc præterea charitatem vſq; ad vltimum vitæ halitum excolens, cùm maxima ſanctitatis fama, plenusq; dierum, anno à Chriſti natiuitate 1569. è viuis exceſſit, ad cœlosq; euolauit.

De conuentu Dominæ noſtræ de Spe Villænouæ de Fraxino. *Conu. XV.*

CVM religioſus P. F. Ioannes à Guadalupe in ipſo huius Prouinciæ, tunc verò Cuſtodiæ tantùm, exordio, conuentulum ſub S. Euangelij inuocatione longiuſculus ab oppido Villanoua de Fraxino, anno Domini 1500. conſtruxiſſet, illudq; E
poſtmodum redimendæ vexationis ergò deſeruiſſet, eius filij atq; ſequaces tum Marchionis eiuſdem oppidi Ioannis I. tum quoq; Villanouanorum precibus adducti illum, anno Dominicæ incarnationis 1538. denuò reſumendum decreuerunt. Cùm autem plus æquo à præfato oppido diſtaret, in eam ab omnibus ventum eſt ſententiam, vt ad aliū locum proximiorē, atq; vtriſq; commodiorē transferretur. Quāobrem pijſſimus ipſe Villanouanorum Marchio Ioannes id ſibi oneris iniunctum exiſtimans hunc conuentum Dominæ noſtræ de Spe, longiuſculus ab antiquiori, ſed 50. tantùm paſſibus à præmemorato oppido Villanoua de Fraxino, eodem anno Domini 1538. ex pe-

A ex peculiaribus facultatibus erigendum, abſoluendumq; curauit. Fuit præterea præfatus Villanouanorum Marchio huic domui, quandiu comes ſibi vita fuit, beneficus omnino, nihilq; magis à fratrum eius accolarum, qui frequentius ſunt quatuordecim numero, neceſſitatibus curare videbatur. Idipſum quoq; ad tempus pręſtitit eius filius atque hæres Petrus, quouſque videlicet ei fratres in omnibus morem geſsêre. Sed cùm cuiuſdam huiuſmet conuentus patris Guardiani opera in ſacris confeſſionibus vteretur, nec à patribus capitulariter eodem in loco congregatis (quòd hoc eſſet contra Prouinciæ ſtatuta) vt is eodem in officio poſt expletum triennium ibidem continuaretur, obtinere potuiſſet, iratus omnino quicquid eleemoſynarum illis erogare aſſueuerat, id totum ſubtractum eis eſſe voluit. Vnde non ita contemnenda incommoda fratribus inde obueniebant. Decreuêre nihilominus tum pater
B Prouincialis, tum quoque cæteri Prouinciæ Diffinitores, idq; vt ipſi Marchioni annuiſſe viderentur, vt ille frater Guardianatus munere in conuentu Rupis Amatoris, (de quo ſuprà) qui ad 2000. ſolùm paſſuum à Scapha fracta Hiſpanicè Barcarotta eiuſdem Marchionis oppido diſtat, in poſterum fungeretur, quatenus ſibi in omni euentu opportunè adeſſe obſequiq; poſſet. Sed fruſtrà: Quamobrem præfati patres habito prius conuentu hanc domum eius habitatoribus interim conſulturi omnino deſerendam ſtatuerunt, decreueruntq;. Eductis itaque quadam die eorum ſarcinolis, clauſoq; poſt ſe oſtio domui, quotquot ibi aderant fratres, vale dixerunt. Frater verò Aluarus à Tauira, cui deferendarum ad præfatum Marchionem Petrum clauium munus iniunctum fuerat, eum his verbis adortus eſt: Quandoquidem nos, quòd pro legibus à noſtris patribus ſanctiſſimè editis ſteterimus, fame opprimere voluiſti, atq;
C tãto cum opprobrio domum relinquere cogis, eius capito claues. Interim tamen caueto, ne ante annum tantæ nobis illatæ iniurię pœnas dederis. Ille verò nihilominus ab his verbis curans, acceptas claues quibuſdam alterius Prouinciæ patribus obtulit, tradiditq;, atque ante exactum annum abſque prole vitam finiuit. Vtrum autem id ſibi in culpæ vltionem iuxta fratris Aluari præſagium contigerit, aliorum eſto iudicium. Interim tamen vterinus eius frater Alphonſus, qui in Marchionatu ſucceſſerat, ſibi à ſimili euentu timens reuocandos huius Prouinciæ fratres, ijsq; conuentum reſtituendum curauit. Præterea & Ioannis pijſſimi parentis pietatem imitatus, eos, quoad vixit, omni beneuolẽtia, omni humanitate, atq; omni demum liberalitate proſequutus extitit. Idipſum quoque quotquot poſt ipſum fuêre non minus liberaliter,
D quàm piè præſtiterunt. Mortem obijt hoc in monaſterio humillimus, atque in perferendis laboribus patiẽtiſſimus frater Ioannes de Badonal profeſſione laicus, qui cùm in ſęculo mercimonium exerceret, omni re familiari diuendita, atq; pauperibus iuxta Saluatoris Chriſti conſilium erogata, Frãciſcanam Religionem hac in Prouincia ingreſſus eſt, in eaq; maxima cũ omnium fratrum ædificatione, quod ſibi vitę reliquum fuit conuerſatus extitit. Nam circa pauperes, præſertim verò infirmos & vlceroſos, ſupra modum miſericos fuit, ita vt nihil ſibi gratius accidere potuerit, quàm circa eos occupari. Hos ſiquidem oblatos cum maxima charitate fouebat, nutriebat atque curabat. Præterea in oratione aſſiduus, atque ſanctiſſimæ paupertatis quàmdiligentiſſimus cultor fuit, ita vt nihil ſibi ad perfectionem deeſſe videretur: Quibus tandem bonis operibus opimus huic ſæculo, anno Dominicæ incarnationis 1556. vale dixit.

E

De conuentu S. Crucis Tabladiliæ. *Conu. XVI.*

AD quintumdecimum lapidem à ciuitate Placentia in herbifera, ſyluoſaq; valle conuentus hic, S. Cruci dicatus, & à 12. fratribus frequentius incultus, à deuotiſſimis, nobilibusq; cõiugibus Lopetio à Catena, atq; Mentia à Carauigialio, anno Domini 1540. ædificatus extitit. Qui quidem conuentus ęſtatis tẽpore gelidiſſimis aquis, pulcherrimo proſpectu, atq; omni amœnitate gaudet: Nam vallis ipſa altiſſimis montibus omni arborum genere veſtitis cincta contuentiũ oculos maximè oblectat. Duodecim millibus paſſuum ab hoc loco erectum cernere licèt celebre illud Hieronymitarũ patrum cœnobiũ nomine Iuſte, in quo inuictiſſimus Carolus V. Germanorũ Imperator, aç Hiſpaniæ Rex ſoli Deo vacaturus, reiecta in cariſſimũ atq; prudentiſſimũ

filium Philippum II. regia cura, biennio ante mortem ſeceſſit: vbi & anno à Chriſto Saluatore nato 1558. cum maxima lacrymarum effuſione ſanctè mortem obijt. A

De conuentu matris Dei Vallisviridis. Conu. XVII.

VALLISVIRIDIS vlterioris Hiſpaniæ oppidum eſt, atq; 1500. tãtùm paſſibus à Portugaliæ finibus diſtat. Iuxta id ergò oppidum ſacra hæc ædes in S. matris Dei honorem tum ex publicis, tum quoq; ex priuatis oppidanorum facultatibus, circa annum à partu Virgineo 1540. conſtructa extitit. Ad quam ſanè tum ex Caſtellæ, tum etiam ex Portugaliæ partibus quamplurimi ſua vota perſoluturi confluunt. Eſt enim erecta ibidem pulcherrima quædam S. Dei genitricis imago, quæ plurimis coruſcat miraculis. Nam tres pueros inſanis obrutos aquis, atq; ad hunc locum adductos ad vitam reuocauit, & mulierem animam iam agentem, cuius guttur tranſuerſa ſpina fermè corruperat, ab huiuſmodi diſcrimine liberauit. Ex horũ itaq; aduentantiũ eleemoſynis, atq; ex ijs quæ ab oppidanis ſubminiſtrantur, 10. fratres commodè aluntur. B Sepultus eſt in huius loci eccleſia profundiſſimę humilitatis frater Ioannes à Capraria laicus profeſſus Norbæ Cæſareæ claris ortus natalibus, qui cùm adhuc iuuenis inclyto Oſornienſium Comiti ex paterna voluntate obſequeretur, diuina intrinſecus inſpiratione tactus Minoriticum fratrum laicorum habitum à patre Minoritici conuentus Beluiſiani Guardiano inſtantiſſimè petijt. A quo tamen, quòd ſibi ad tot ſubeundos labores ineptus omnino, atq; nimis delicatus videretur, repulſam paſſus, mutata chlamyde, ſuæq; nobilitatis oblitus, vt laboribus aſſuefieret, ruſtico cuidam ad tempus adhæſit, inſeruiuitq;: imò & tantopere apud eum profecit, vt ad eos natus facillimè apparuerit. Regreſſus itaq; inde in præfatum Beluiſianum conuentum ab eius Guardiano libentiſſimè ad probationis fratrum laicorum habitum, C atq; demum ad profeſſionem admiſſus extitit. Fuit ſanè hic vir eximia charitate prędītus, nihilq; gratius, quàm circa proximorum, præſertim verò pauperum, quibus quicquid ad manus habere poterat ex animo pro Chriſti amore, eiusq; amariſſima paſſione porrigebat, neceſſitates occupari eidem accidere poterat. In oratione præterea feruentiſſimus extitit, ita vt integras noctes integris quoq; diebus ei intentus iunxerit. Quantum verò dulcedinis, quantumq; ſpiritualis oblectamenti inter orandum receperit, non facilè explicari poteſt. Inſuper Dæmonibus, cum quibus ſibi diutinus fuit conflictus, formidabilis extitit, eorumq; plures ex poſſeſſorum corporibus ſigno crucis longè abegit. Nec ſanitatum gratia tanto viro defuit: Nam ſereniſſimam pariterq; pientiſſimam Portugaliæ Principem Ioannam Auſtriacam Ppilippi II. Hiſpaniæ Regem vterinam ſororem grauiſſimè laborantem integræ ſanitati reſtituit. D Idipſum quoq; nobiliſſimæ Ferianorum Duciſſæ, atq; quamplurimis alijs præſtitit. Hic tandem beatus frater, cùm ab omnibus, ob eximias eius virtutes, vt ſanctus adhuc mortali trabea indutus coleretur, meritis omnino opimus anno ſuæ ætatis 60. à redemptione verò mundi 1575. hoc in conuentu, prout ipſe ex reuelatione diuina multò ante prædixerat, diem clauſit extremum. Cuius corpus, cùm fortè tumulus poſt elapſum quinquennium apperiretur, incorruptum, atque integrum omnino in incorruptæ, quam tranſegit, vitę, atq; eximiæ tanti viri ſanctitatis teſtimonium apparuit.

De conuentu Dominæ noſtræ de Luce Broſſarum. Conu. XVIII.

CVM eius oppidi, quod Broças Hiſpanicè nuncupatur, ſubeſtq; ſacræ Alcantarenſi Militiæ, perdeuoti incolæ antiquum eremitorium, prædijs atq; poſſeſſionibus vtcunq; locupletatum, atq; 500. paſſibus ab oppido diſtans, huic Prouinciæ in monaſterium euehendum obtuliſſent, eius fratres, impetrata prius ab apoſtolico Nuncio tũc in Hiſpanijs agente, atq; à Carolo V. Hiſpaniæ Rege, nec non & Alcantarenſis Militię Adminiſtratore, quorũ eę partes erãt, facultate, huiuſmodi conuẽtũ ex eius poſſeſſionibus atq; prędijs primò diuẽditis, atq; ex quãplurimis alijs eleemoſynis à pręfatis oppidanis liberaliſſimè collatis in hũc conuentũ, ſub B. Marię de Luce patrocinio atq; tutela, anno 1554. trãsformandũ curarũt. Cui etiã trãsformationi RR. P. Andreę Inſulani gñalis Vltramontanę familię Cõmiſſarij, atq; P. Frãciſci Zamorę generalis E

totius

A totius noſtri Ordinis Miniſtri calculi acceſsêre.Cumq; poſtmodum inter iſtius atque S. Michaëlis Prouinciarum patres, ob præſentis conuentus erectionē, lis oborta eſſet, contendentibus illis,quòd eorū finibus circumſcriberetur, ſibi iniuriā fieri, iſtis verò reclamantibus,allegantibusq; conſimilem ſibi aliquando in alterius conuentus conſtructione factam, in fauorem tamen iſtorum, qui 16. frequentius ſunt numero,idq; quibuſdam de cauſis huiuſmodi lis per præfatum R. P. F. Andream Inſulanum dirępta extitit.Non abs re erit paucis hîc perſtringere quid ſingulis annis in feſto S.Marci Euangeliſtæ hoc in oppido contingat. Erecta perſeuerat Confraternitas quædam in eiuſdem Euangeliſtę honorem,idq; in eremitorio quodam eidem ſacrato,atq; ad 500. paſſus ab oppido diſtante. Huius igitur Confraternitatis Prior ſiue princeps,aſſumptis ſecum in profeſto diui Marci alijs 5. confratribus, vaccarum armentum petit, inuen-
B tumq; ibidem ferociorem taurum ſic alloquitur: *Veni Marce,ecce iam appropinquat hora.* Statimq; taurus ferocitatis oblitus, non ſecus ac manſuetus agnus ad præfatum vſq; eremitorium ab ijs minatur, inibiq; nemine cogēte ſolemnioribus veſperis,ſummoq; ſacro, & concioni ſequenti die patientiſſimè intereſt. Quo quidem toto tempore inter viros, atq; mulieres vt ouis verſatur, ita vt alij eius cornua ſertis coronent, alij pannibus ornent, alij malis ſtipent, omneſq; eum familliariſſimè contingant, atq; per vniuerſas oppidi plateas circumducant, domoſq; ingredi cogant, ac tandem ad hunc vſq; conuentum deducant. Vbi proceſſionaliter à fratribus exceptus eccleſiam ingreditur,graduſq; ſummi altaris,qui numero ſunt 8. ſcandit. Sed ſummo ſacro,atq; concione abſolutis, vt primùm à ſacerdote celebrante ſibi benedictio datur,priſtinam induens ferocitatem campos,celerrimo gradu, nemine tamen læſo,petit. Quod ſanè
C mirabile eſt. Cùm autem quidam Epiſcopi in alicuius ſuperſtitionis ſuſpitionem adducti, huiuſmodi ritum atq; cœremoniam præpedire conati eſſent, re ad ſummum Pontificem delata, atq; quàmdiligentiſſimè examinata, præcepit is, vt huiuſmodi conſuetudo ſeruatis tamen quibuſdam conditionibus: ne videlicet eius tauri pilis, vt Sanctorum reliquijs, vel ad pellendos morbos,vt quibuſdam mulierculis moris erat, vterentur: nevè candelas accenſas eius cornibus affigerent, quòd aliquid ſuperſtitionis præſeferre videretur,in poſterum ſeruaretur. Accidit hoc in loco, vt maxima ſemel ingruente tempeſtate fratres ad orationem coram venerabili ſacramento confugerent, quorum alter, frater ſcilicet Franciſcus de Oliua,dum ad ſummi altaris gradus fortè ſubſtitiſſet, præter morem,nam id ſibi minimè ex officio incumbebat, quis
D nam eo temporis campanam pulſaret, viſurus portam acceſſit. Cumq; nemine inuento eccleſiam repetere contēderet, fulgur è cœlo lapſum deſertum à ſe locum fratre inoffenſo tetigit. Quod ad omnibus miraculo atq; diuinæ diſpenſationi, quæ religioſum ſeruatum ſibi voluit, attributum fuit. In huius deniq; loci eccleſia ſepultus manet profundiſſimæ humilitatis, atq; ardentiſſimæ charitatis pater frater Antonius Alcantarenſis ſacerdos, cuius corpus poſt elapſum à funere quadriennium, nempe anno Domini 1569. ſuauiſſimè redolens, atq; incorruptum omnino ſeſe contuentibus præbuit, quapropter ab omnibus fratribus inter cælicolas connumeratur.

De conuentu S. Franciſci Coriæ. Conu. XIX.

CORIA, quæ & Caurium, vlterioris Hiſpaniæ ciuitas eſt, Albaniſq; Ducibus
E paret. Cuius epiſcopatus, licèt ipſa ciuitas anguſta ſit, pinguiſſimus,atq; maximæ auctoritatis eſt. Huius ergo vrbis ciues,cùm ex intimis præcordijs huius Prouinciæ religioſis afficerentur,eis apud ſe conuentū erectum multis retro annis cupiebant. Sed iſtis atq; illis,quòd fratres huiuſmodi conuentum ad 2. millia ad minus paſſuum ab oppido, vt liberius Deo vacarent, ciues verò vel intra ipſa mœnia, vel ſaltim è mœnium veſtigio,vt eius opera facilius vti poſſent, conſtructū vellent,in loco diſſentientibus,huiuſmodi deſiderium optato fine per aliquot annos caruit. R. verò Didaco Henriquo ab Almanſa (cuius ſuprà meminimus) ad Caurianum Epiſcopatū euecto,atq; inclytis pariterq; pientiſſimis Albæ Ducibus Ferdinando Aluarez à Toleto, atq; eius coniuge Maria à Toleto maximè inſtantibus,à patribus, in prouinciali Capitulo Badeiocij, ſub R. P. F. Franciſco Zamora totius noſtri Ordinis generali Mini-

ſtro,anno à partu Virgineo 1561. celebrato,concluſum fuit,vt hic conuētus,ſub ſeraphici P. Franciſci tutela,300. tantùm paſſibus à pręfata ciuitate Caurio ędificaretur. Accedentibus igitur poſtmodum largiſſimis,atq; liberaliſſimis tum præfatorum Ducum, tum quoq; ſenatus Cauriani eleemoſynis, præfatus hic conuentus, anno Domini 1563. primùm ædificari cœpit, atq; poſt quadriennium elapſum, nempe anno Domini 1567. moram interim trahentibus religioſis quodam in xenodochio, maiori ex parte abſolutus extitit, atq; 16. impræſentiarum fratres omni ex parte perfectus commodiſſimè continet. In Caurianæ matricis eccleſiæ ſacrario ſumma cum diligentia, atq; veneratione aſſeruantur mappa, qua Chriſtus Dominus morti propinquus, vltimam cum ſuis diſcipulis cœnam facturus, vſus eſt, atq; ſuper quam panem in veriſſimum eius corpus, & vinum in eius ſanctiſſimum ſanguinem tranſubſtantiauit, conſecrauitq;, atque ſuis diſcipulis, eis idipſum faciendi facultatem tradens, porrexit: & altera ex maxillis diui Ioannis Baptiſtæ: inſuper & molaris maximæ magnitudinis dens beati Chriſtophori martyris.Quæ omnes ſacroſanctę reliquiæ confluētibus è longinquo ad nundinas populis in feſto Inuētionis S. Crucis oſtenduntur. Hoc deniq; in conuentu mortem obijt,ſepultusq; eſt admirandę religionis P.F.Franciſcus à Beluiſio dignitate ſacerdos, qui ipſo ſeraphici P. Franciſci die natus, eodemq; die, ſed poſt aliquot annos, Franciſcano habitu indutus, atq; poſt elapſum annum eodem die de religioſo more ſolemniter profeſſus, & eodem Sācti dies poſt aliquot annorum curricula, ſacris primò operatus eſt, ac tandem in ipſa ſenecta eodem etiam beatiſſimi patris die, vt ipſe inſtantibus precibus à Deo opt. max. petierat, mortem obijt.

De conuentu S. Spiritus Vallis Arragi. *Conu. XX.*

HIC eſt ille conuentus primùm à canonico, ſiue Cardinale Compoſtellano (cuius in primo huius Prouinciæ loco ſatis,ſuperq; meminimus)ædificatus,atq; Tertiarijs quibuſdam ſororibus Franciſcanis, dum Aquilæ fluenta peteret, relictus. Qui tandem creſcente mirum in modum huiuſmodi ſororum numero, boniſq; hinc inde ſibi accedentibus in iuſtum, capaciſſimumq; euaſit temporis ſucceſſu monaſterium, ac præfatis monialibus intra vrbis Ciuitatenſis mœnia ibidem in poſterum, iuxta ſacri œcumeniciq; Tridentini Concilij decreta, habitaturis, ſe anno à partu Virgineo 1566. recipientibus in huius Prouinciæ ius iteratò redijt. Retinuit autem antiquum Spiritus ſancti titulum, tantumq; 3. diſtat à monaſterio ſanctæ Mariæ de Angelis milliario, & in media Arragi Valle ſitus vnius ſolum milliaris intercapedine ab oppido Robledilio diſtinguitur, atq; tantundem ab alio oppido, cui Scarga Maria Hiſpanicè nomen eſt. Quia verò eius ædificia ſanctæ paupertatis, atq; laudabilis huius Prouincię conſuetudinis limites longè excedebant, ſumptibus atq; opera tum pientiſſimorum Orapeſſæ Comitum, tum quoq; nobilis honeſtęq; matronæ Beatricis à Tregio reformatus, atq; ad aliorum conuentuum normam redactus extitit. Inhabitatur interim à 10 fratribus, quibus ex eleemoſynis hinc inde confluentibus quicquid ad honeſtum, frugemq; victum, & amictum neceſſum eſt, opportunè ſubminiſtratur. Cùm monialibus (vt pręfati ſumus) hinc ad vrbem Ciuitatenſem emigrandum eſſet, quæ tum huius loci agebat Abbatiſſam, ſoror videlicet Aldonza Pantoxia, (vulgò Pantoja) quòd maxima in hanc ſacram ædem deuotione ferretur, cùm adhuc optimè valeret Deo opt. max. obnixè ſupplicauit, ne ſe alio in loco mori, ſepeliriq; permitteret. Et ecce ipſomet receſſus die extemporaneo morbo correpta, atq; neceſſarijs ſacramentis munita ad ſponſum, iuxta votum, cunctis ſororibus id ſummè admirantibus euolauit. Eius corpus poſt elapſum ſexennium, dum fortuitò exhauſta terra detegeretur, integrum omnino, incorruptum, atque ſuauiſſimè redolens apparuit. Quamobrem in magna veneratione tum à fratribus, tum quoque à ſæcularibus habetur, ab omnibusque felix & ſancta prædicatur.

De conuentu Dominæ noſtræ de Monte. *Conu. XXI.*

APPARVIT olim ſeſquimilliari à Villalua Ducis Ferianorum oppido, ac non longè à fluuio Guadaxira deuotiſſima quædam beatæ virginis Mariæ imago. Hanc

A go. Hanc Safranus populus inuentam mulo ſuperimponendam, atq; Safram deferendam curauit. Sed vix mulus itineris medietatem emenſus fuerat, quando crepuit medius, oneriq; ſubiacuit. Quamobrem exterriti Safrani eam ad proprium locum maxima cum religione redeuntes ædiculam ibidem, eidem glorioſæ Virgini ſacram, extrui iuſſerunt. Cùm autem Chriſtifidelium deuotio ad huiuſmodi imaginem, quòd innumeris coruſcaret miraculis, indies magis magiſq; excreſceret, pluresq; ſibi ex diuerſis partibus obuenirent eleemoſynæ, pluraq; non contemnenda munera, inclytus ac multis nominibus laudandus heros Gomezulus Suarez à Figueroa primus Ferianorum Dux, vt primùm ſibi à reuerendiſſimo Ioãne à Ribera tunc Badeiocianorum Epiſcopo, nunc verò Antiocheno Patriarcha, atque Valentino Archiepiſcopo, & à reuerendo admodum patre fratre Franciſco Guſmanio generali Vltramontanæ Ob-
B ſeruantis familiæ Commiſſario, quorum eæ partes erant, poteſtas facta eſt, huiuſmodi ædem in iuſtum conuentum, ſub inuocatione beatæ virginis Mariæ de Monte, tum ex præfatis eleemoſynis, tum quoque ex proprijs facultatibus, anno à partu Virgineo milleſimo quingenteſimo ſexageſimo octauo, euehendam, atque decem huius Prouinciæ religioſiſſimis fratribus in perpetuam habitationem tradendam curauit.

De conu. ſacrorũ Stigmatũ B.P. Franciſci Burgiliorum. *Conu. XXII.*

EA fuit pientiſſimæ Tiraſiæ à Stunnica Beſiaranorum Duciſſæ ad ſacroſancta Saluatoris noſtri Chriſti vulnera, atq; ad ſeraphici patris Franciſci Stigmata deuotio, eaq; religio, vt hunc conuentum, ſacris eiuſdem beati patris Frãciſci Stigmatibus ſacrum, ex proprijs facultatibus, vnico tantùm milliari ab oppido, quod materna Hi-
C ſpanorum lingua Burguillos nuncupatur, ſibiq; parebat, anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto, à fundamentis erigendum curauerit: inſuper & immatura morte præuenta quicquid ad operis conſummationem neceſſarium foret, id ex teſtamẽto reliquerit. Quamobrem huius Prouinciæ fratres, quibus huiuſmodi ædificium conſtruebatur, antiquum eremitorium ſibi proximum, anno Domini milleſimo quingẽteſimo ſeptuageſimo primo petentes, hunc ad optatum finem perduxêre. Vnde & eorum duodecim commodè ſatis ibidem commorantur.

De conuentu S. Antony Veladæ. *Conu. XXIII.*

QVANTOPERE nobiliſſimus heros Gomezulus ab Abula Veladanorum Marchio huius Prouinciæ fratribus deuotus, affectuſq; fuerit, hinc ſaltem colli-
D gi poteſt: quòd nullum ſcilicet non mouerit lapidem, quouſq; eis hunc conuentum, beato patri Antonio de Padua ſacratum, non procul ab eius oppido Velada, quod iuriſdictioni Abulenſis Epiſcopi ſubeſt, peculiaribus ſuis ſumptibus ædificari fecerit. Sciebat ſiquidem præfatos fratres multis de cauſis, præſertim quòd Talabricana ciuitas, & oppidum Orapeſſa, in quibus duo Prouinciæ Caſtellæ monaſteria conſtructa ſunt, non multùm inde diſtarent, quodq; longior inter hunc & reliquos huius Prouinciæ conuentus intercederet itineris tractus, huiuſmodi erectioni contradicturos. Quapropter impetratis, anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo primo, à reuerendiſſimo patre fratre Chriſtophoro à Capitefontium generale totius noſtri Ordinis Miniſtro patentibus literis, eos ad ſibi aſſentiendum compulit.
E Præterea ne Prouinciæ Caſtellæ patres, quòd huiuſmodi conuentus ſuis finibus circumſcriberetur, iniuriam ſibi factam aliquando conquererentur, præfatas literas à Pio V. Pont. max. confirmandas, corroborandaſq; curauit. Datæ igitur fuerunt (vt præfati ſumus) huiuſmodi literæ, anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo primo, eo ſcilicet anno, quo 18. Franciſcani patres religione & ſcientia inſignes, inter quos & reuerendiſſimus pater frater Franciſcus Zamora totius noſtri Ordinis generalis olim Miniſter, generali Capitulo interfuturi nauigio Romã petentes, peſte ſublati ſunt, & præfatus reuerendiſſimus pater frater Chriſtophorus à Capitefontium ad generalem eiuſdem Ordinis Miniſteriatum aſſumptus eſt, & inuictiſſimus Princeps Ioannes Auſtriacus catholici Hiſpaniæ Regis Philippi II. frater, atque totius catholicæ claſſis Præfectus longè digniſſimus glorioſum illum naualem

de Turca

de Turca truculentiſſimo Chriſtiani nominis inimico reuexit triumphum: & ſequenti anno nempe milleſimo quingẽteſimo ſeptuageſimo ſecundo, decem huius Prouinciæ fratres, ne ſuperiorum voluntati tergiuerſari viderentur, hoc ipſum monaſterium, in poſterum ibidem habitaturi, ingreſſi ſunt. Hoc deniq; in loco, in cuius ſacrario ſudarium ex eo, quo Chriſtus Dominus ſepulturæ tradẽdus obuolutus fuit, extractum, atque duo ex vndecim millibus virginum capita debita cum veneratione aſſeruantur; mortem obijt, dum Guardianatus munere fungeretur, admirandæ ſanctitatis pater frater Petrus à Valentia, qui ob eximias animi dotes, quibus ornatus, præditusq; erat, cum cœlicolis beari exiſtimatur, & magna in veneratione habetur. A

De conuentu S. Mariæ de Angelis Serralui. Conu. XXIIII.

CVM deuotiſſimus heros Rodericus Paciecus primus Serraluenſium Marchio hunc conuentum, beatiſſimæ virgini Mariæ de Angelis ſiue de Portiuncula ſacrum, non longè ab oppido Serraluo, Hiſpanicè verò Cerraluo, ſuis ſumptibus eo fine, vt ab huius Prouinciæ fratribus inhabitaretur, conſtruendum curaſſet: nec propoſitum, quòd quadraginta milliaribus & vltrà à proximiori eiuſdem Prouinciæ monaſterio diſtaret, aſſequi potuiſſet, eum Prouinciæ ſancti Michaëlis patribus ad tempus tradendum cenſuit. Obtentis verò poſtmodum apoſtolicis à Pio V. Pontif. max. literis, præfatisq; Prouinciæ ſancti Michaëlis patribus loco, quòd ſibi omnino incommodus eſſet, ſpontè atque ex animo cedentibus, voti compos effectus eſt. Ingreſſi ſunt itaque primùm huius Prouinciæ patres hunc conuentum, anno à partu Virgineo milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quarto. Nec tamen eius dominium adhuc in Romanæ Eccleſię ius tranſijt, ſed penes ipſum fundatorem manet. Inhabitatur nihilominus interim à duodecim fratribus, à pluribus, dum abſolutus omnino fuerit, inhabitandus. Nec facilè explicari poteſt, quantus ſit tum Caſtellanorum, tum quoque Portugalenſium ad hunc locum, qui ferè in vtrorumq; confinio ſitus eſt, ſecunda mẽſis Auguſti cuiuſlibet anni die concurſus, idq; ob plenariam omnium peccatorum indulgentiam, quam quotquot ritè diſpoſiti ipſum accedunt, ex apoſtolica auctoritate conſequuntur, atque ob os diui Thomæ Aquinatis Angelici Doctoris, & aliquot alias SS. reliquias in eius ſacrario accuratiſſimè magnaq; obſeruantia aſſeruatas. B C

De conuentu S. Franciſci Cymbæ Abulenſis. Conu. XXV.

HVIVS Prouinciæ fratres ſibi ab intenſiſſimis eius oppidi, quod Hiſpanicè Barco d'Auila nuncupatur, paretq; Duci Albano, atque ad gelidiſſimorum eorum montium, qui antiquiorem Caſtellam à temperata, ſatiſq; amœna valle Placentina diſterminant, radices ſedem obtinet, frigoribus ſummopere timentes, nunquam in eam ſententiam adduci potuerunt, vt oblata ſibi intra præfati oppidi mœnia domum in commodum conuentum breui euehendam acceptarent, quouſq; id ſibi à reuerendo admodũ patre fratre Franciſco Guſmanio generali Vltramontanæ familiæ Commiſſario iniunctum, imperatumq; extitit. Is enim cùm pientiſſimæ Mariæ à Toleto Albanorum Ducíſſæ, atque omnium oppidanorum in huius Prouinciæ fratres animi propenſionem ſatis, ſuperq; cognoſceret, conſultum fore duxit, ſi eorum votis annueret. Quapropter datis, anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, patentibus literis, huius Prouinciæ Miniſtro mandauit, vt aliquot fratres, qui ædificando monaſterio inuigilarent, ad præfatum oppidum Barco d'Auila quanto citius deſtinaret. Accedente itaque reuerendiſſimi Abulenſium Epiſcopi, cui huiuſmodi oppidum in ſpiritualibus paret, facultate, tanta cura, tantaq; ſolicitudine præfata domus tum publicis, tum quoque priuatis oppidanorum ſumptibus in monaſterium, ſub beatiſſimi patris Franciſci inuocatione, moram interim trahẽtibus religioſis in quodam xenodochio euecta eſt, vt ante elapſum biennium, antequàm videlicet annus Domini milleſimus quingẽteſimus ſeptuageſimus octauus elaberetur à duodecim fratribus commodè inhabitari potuerit. Licet enim hæc patria intenſiſſimis frigoribus expoſita ſit, ipſe tamen conuentus, oppidi mœnibus circũſcriptus, adeò circumſpectè conſtructus extitit, vt huiuſmodi aſperitatem bona ex parte temperet. D E

De con-

A *De conuentu B. Mariæ de Aquis ſanctis Xereſij. Conu. XXVI.*

CVM beatæ Margaretæ conuentus, qui in huius Prouinciæ ordine decimus eſt, tertio à Xereſio nobili ciuitate diſtet milliari, cuperentq; Xereſiani, vt diuino officio facilius intereſſe, atque ſacras confeſſiones commodius frequentare poſſent, ſibi fratres viciniores fieri, vnum alium conuentum non longè à communi vallo illis ædificandum decreuêre. Quamobrem impetrata à reuerendo patre fratre Ioanne Nauarro reuerendiſſimi patris fratris Chriſtophori à Capitefontium totius noſtri Ordinis tunc generalis Miniſtri Commiſſario, atque à catholico Hiſpaniæ Rege Philippo II. penes quem ſacræ Iacobitarum Militiæ adminiſtratio eo temporis erat, facultate, antiquum eremitorium, ſanctiſſimæ Dominæ noſtræ de Aquis ſanctis, 200. paſſibus à præfata ciuitate erectum, ex publicis facultatibus, anno à partu Virgineo millesimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo in hunc conuentum ſub eodē titulo tranſferendum curarunt. Cuius tanta eſt capacitas, vt cùm omnino abſolutus fuerit, 18. fratres commodè ſatis continere valeat, licèt impræſentiarum à duodecim tantùm inhabitetur. Gaudet hic locus pulcherrimo quodam atque gratiſſimo fonte, ad cuius contactum meritis glorioſiſſimæ, atque ſuper benedictæ virginis Mariæ plures à diuerſis infirmitatibus mirabiliter curantur. Vnde & ſanctitatis prerogatiuam acquiſiuit, & à conuicinis populis in maxima veneratione habetur, multūq; frequentatur.

B

De conuentu B. Mariæ de Miſericordia Fonſalitæ. Conu. XXVII.

SVAM in Deum pietatem, atq; in Franciſcanam familiam beneuolentiam commēdaturus humaniſſimus heros Petrus ab Aiala eius oppidi, quod Fuenſalida Hiſpanicè nuncupatur, atque ad Toletanam diœceſim attinet, Comes; vt primùm, anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo apoſtolicam à Gregorio XIII. Pont. max. facultatem, atque patentes à reuerendiſſimo patre fratre Chriſtophoro à Capitefontium generale noſtri Ordinis Miniſtro literas obtinuit, hanc ſacram ædem in honorem Dominæ noſtræ de Miſericordia ex domeſticis facultatibus, intra præfati oppidi mœnia, à primo ad vltimum vſque lapidem elegantiſſimè ædificandam, atque ſatis honeſtum pro eius capacitate hortum ſibi adijciendum curauit. Inſuper & ab eodem ſummo Pontifice obtinuit, vt quicunque ſacerdos in ſummo eius altari pro anima in Purgatorio exiſtente ſacris fuerit operatus, is protinus eam ab huiuſmodi pœnis liberet. Huius denique monaſterij fratres, qui diu noctuq; fideliſſimè Deo omnipotenti famulantur, 12. numerum attingunt.

C

D

De conuentu S. Ioannis Baptiſtæ apud S. Eulaliam. Conu. XXVIII.

FACTVRVS ſatis nobiliſſimus Ioannes à Mendoza benemeritus eius oppidi, quod Orgaz Hiſpanicè nuncupatur, Comes, atque temporalis oppidi ſanctæ Eulaliæ Dominus tum propriæ, tum quoque oppidanorum in huius Prouinciæ fratres beneuolentiæ; literas tum proprio, tum oppidanorum chirographis ſubſcriptas, quibus reuerendum admodum patrem fratrem Antonium Aquilarium generalem Vltramontanæ familiæ Commiſſarium, cęterosq; huius Prouinciæ patres, in conuentu ſancti Michaëlis prope Placentiam capitulariter congregatos obnixè rogatos cupiebat, vt ad ſe aliquot fratres, qui ædificando in præfato ſanctę Eulaliæ oppido conuentui inuigilarent, deſtinare vellent, cum maxima ſolicitudine dedit. Quibus literis præfati patres ob interceſſoris auctoritatem atque pietatem annuendum cenſuerunt. Impetrata itaq; à reuerendiſſimo Toletanorum Archiepiſcopo, cuius id munus erat, nam pręfatum ſanctę Eulalię oppidum ſibi in ſpiritualibus ſubeſt, atque octodecim tantùm milliaribus ab inſigni ciuitate Toleto diſtat, facultate, Dominico Pręcurſori, diuo ſcilicet Ioāni Baptiſtæ ſacratus, tum ex communibus oppidanorum, tum quoque ex priuatis pręfati Comitis facultatibus, anno Dominicę incarnationis milleſimo quingenteſimo octuageſimo, intra eiuſdem oppidi mœnia ędificari cœpit. Qui tamen quòd non dum vltimam artificis manum expertus ſit, ab 8. tantùm religioſis patribus ac fratribus inhabitatur, inhabitandus aliquando nihilominus à duodecim & vltrà.

E



PROVIN-

PROVINCIA CARTHAGINENSIS.

A PROVT ex apoſtolicis quibuſdam Sixti IIII. Pont.max.literis,in Minoritici Murciani conuentus cartophilacio aſſeruatis, facillimè conſtat,eo ipſo tempore,anno videlicet à partu Virgineo 1484.die verò mẽſis Februarij 6. quo Conceptionis Prouincia Prouinciæ honorem atque dignitatem ſibi aſciuit,Carthaginenſis Cuſtodia erecta eſt.Quæ tamen in generali quadam Congregatione Burgis celebrata ex patrum,quorum intererat,cõſenſu in peculiarem Prouinciam ſub eodem Carthaginenſis titulo euaſit. Cùm autem id abſq; ſpeciali pontificia auctoritate factum eſſet, vt ſcrupulis omnibus amputaretur anſa,à Leone X.Pont.max.apoſtolicum quoddam diploma,ſub datum Romæ die 18.menſis Martij,anno verò Dominicæ incarnationis 1521.impetratum fuit, quo
B ſummus ipſe Pontifex omnia acta per patres in prædicta Congregatione generali rata habet & confirmat, nec non & quoſcunque defectus quomodolibet ibidem commiſſos ſupplet. Patet itaque hæc Carthaginenſis Prouincia,quæ ex 31.fratrum conuentibus,quorum 5. Recollectioni deſeruiũt, & 6.Clariſſarum monaſterijs,ac decem Tertiariarum ſororum Franciſcanarum domibus, atque vnico Conceptioniſtarum monialium cœnobio conflatur, ſatis latè: cùm vniuerſum Murciæ Regnum circumſcribat,& Granatæ, Aragoniæ, atque Valentiæ Regnorum limites, nec non & Africanum littus attingat.Maius eius ſigillum Chriſtum Dominum crucem ſibi baiulantem, duoſq; fratres Minores,quorum alter ſeraphici patris Franciſci perſonam præ-
C ſefert,poſt ſe ſequẽtes, quorum pedibus Carthaginenſis ciuitatis inſignia,nempe caſtrum è mari emerſum ſubſtãt, atque ſubſequentia verba: SIGILLVM MINISTRI PROVINCIÆ CARTHAGINENSIS. in orbem complectitur. Quoniam verò nihil pręſtantius à Ieſu Chriſto Saluatore noſtro, atq; ſeraphico pauperumq; Patriarcha Franciſco, quorum iconibus præfatum ſigillum inſignitur, præ manibus occurrere poterat, eos, tanquam ſui patronos, ſibi anteponendos curaui.

De conuentu S. Franciſci Murciæ. *Conu. I.*

IVRE equidem optimo conuentus hic,ſeraphico patri Franciſco ſacratus, atque
D ad viginti paſſus à Murcia Hiſpanorum ciuitate, licèt nondum omnibus ſuis numeris abſolutus, eleganter ſatis erectus, primum inter huius Prouinciæ reliquos locum obtinet. Conſtat ſiquidem ex regio quodam Sanctij Caſtellæ Regis diplomate,dato ante annum Dominicæ incarnationis 1310.atque ab eius ſucceſſoribus Henrico, Ferdinando, eiuſq; coniuge Eliſabetha, Ioanna, Carolo V.Germanorum Imperatore, atque Philippo II. confirmato ipſum ante præfata tempora in medio Murcianæ ciuitatis foro, vbi nunc ſanctæ Catharinæ parochia ſurrigit, præextitiſſe, & ab eo loco, quem impræſentiarum tenet,tranſlatum eſſe.Quo tamen certo tempore conſtructus, atque cuius ſumptibus primò ædificatus fuerit,deficiẽtibus tum ſcripturis,tum quoq; traditionibus,quæ nos hac de re certiores reddere poſſint, penitus latet. Secunda ve-
E rò eius ædificatio,quæ & magnifica ſatis, & pulcherrima eſt, circa annum à Chriſto Saluatore nato 1310.contigit,atque tum ex publicis, tum quoque ex priuatis ciuium eleemoſynis facta eſt. Hanc nondum abſolutam diximus, non quòd nunquam perfecta extiterit,cùm ſecus ſe res habeat,ſed quòd creſcente in dies fratrum numero, qui impręſentiarum 60.eſt,ſibi aliquid addendum veniat. Pertinuit prętereà olim hic locus ad Conuentuales Franciſcanos patres, quorum plurimi doctiſſimi ſanè,atq; grauiſſimi ibidem ſepulti diem Domini pręſtolantur: ſed ab anno Dominicę incarnationis milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo quinto regulari Obſeruantię deſeruit.

De con-

De conuentu S. Franciſci Huetæ. *Conu. II.* A

NISI nos receptiſſima traditio,& huiuſmodi literæ: *En eſta capilla eſtuuo nueſtro padre S. Franciſco anyo de 1214.* Quę Latinè quod ſequitur ſibi volunt:hoc in ipſo ſacello fuit pater noſter S.Franciſcus anno 1214.fornici cuiuſdam ſacelli inciſę,nos fallant,conuentus hic,ſeraphico patri Franciſco ſacratus, atq; ad lapidis iactum ab eo oppido,cui Hiſpanicè Huete nomen eſt,conſtructus, anno Domini 1214.dum beatiſſimus ipſe pater,limina diui Iacobi in Compoſtella viſitaturus, iſtac pertrāſiret,exordium ſumpſit. Non etiam deſunt,qui aſſerant præextitiſſe hoc in eodem monaſterio cubiculum ab eodem patre Franciſco inhabitatum, eoq; præ vetuſtate collapſo, ne eius memoria aliquando aboleretur,à curioſo quodam loci Guardiano pretactum ſacellum ipſius loco ædificatum fuiſſe. Et hæc quidem de præſentis monaſterij antiquitate.Quis verò eius fundator fuerit nec traditione,nec ſcripto vllo pacto conſtat: crediderim tamē ipſum ex diuerſis ciuium eleemoſynis temporis ſucceſſu, ac diuerſimodè ædificatum. Ea lapidea ſeraphici patris Franciſci imago ſuper præcipuum altare erecta,à perfido quodam Iudęo per ludibrium fabrefacta dicitur. Quod an ita ſit Dominus nouit. Hoc tamen certiſſimum eſt, quod aqua eius cicatricibus infuſa morbos à gregibus, ſi tactæ pecudes ipſa reſpergantur, abigit. Commorantur vt plurimum hoc in loco,qui à Conuētualibus Franciſcanis patribus ad Obſeruātes anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo primo deuolutus eſt,quadraginta fratres, quorū maior pars ſub peritis Prælectoribus Philoſophicis literis diligenter incumbit. B

De conuentu S. Franciſci Conchæ Valeriæ. *Conu. III.* C

CVM Alphonſo VIII. vel (vt alij volunt) IX. Concham Valeriam Hiſpanię ciuitatem,iniuſtè à Mauris occupatam,oppugnanti ſacrarum S.Iacobi Ioannitarū, atq; Templariorum Militiarum Magiſtri adfuiſſent, ſtrenuamq; operam nauaſſent, gratiſſimus ipſe Rex, poſt eam pulſis Saracenis expugnatam, Ioannitis equitibus eccleſiam,diuo Ioanni Lateranenſi ſacram,intra ipſius męnia; Iacobitis xenodochium, ſed extra illa; & Templarijs aliam itidem eccleſiā in ipſis ſuburbijs ædificari curauit. Cumq; à patribus in generali concilio Viennenſi congregatis præfati Templarij,anno Dñi 1313.deleti fuiſſent,eorum eccleſia,atq; contigua domus in Conuentualium Franciſcanorum patrum ius ceſsêre. A quibus tamen anno Dñi 1500. vel circiter, ad eiuſdem Inſtituti Obſeruantes dimanauit. Ædificarunt pręterea circa annum Domini 1530.pijſſimi Ioannes ab Ortega,& Catharina à Coalla eius vxor prope hoc ipſum monaſterium,B.P.Franciſco ſacratum,atq; à 50.fratribus frequētius incultum, collegium 14.fratribus continendis omnino accommodū;ea tamen lege poſita,vt 12.iſtius Prouincię fratres inibi perpetuò commorarentur,qui ſub vno vel altero ſeculari Prælectore aut Theologicis literis,aut Philoſophicis incumberent.Quibus & certam eleemoſynam quotannis tum pro eorum victu, tum quoq; pro Prælectorum ſtipendio à ſuis hæredibus pendendam ex teſtamento reliquerunt. Sed cùm ijs vita functis,nec eorum ſucceſſores huiuſmodi legibus ſtare vellent, nec citra iniuriam fieri poſſet, vt ſecularis quis fratribus prælegeret; Prouinciæ proceres capitulariter congregati, vt, huiuſmodi eleemoſyna longius relegata,12. fratres ſtudentes ſingulis in capitulis deſignarentur, qui ſub duobus patribus Lectoribus ſacræ Theologiæ hoc in ipſo loco operam darent, conſultiſſimè decreuerunt: Quod & diligenter obſeruatur.Cùm fortè fortuna communis fratrum ſarcophagus, vt defunctus frater terræ mandaretur, apertus eſſet,cuiuſdam deuotiſſimi patris fratris Ioannis à Villamaiori corpus, à viginti annis & vltra ſepultum, imputre omnino, incorruptum atque illæſum fuit inuentum. Quod miraculo ab omnibus aſcriptum extitit,in eodem tamen loco manet.

(Margin letters beside this passage: D, E.)

De conuentu Angelorum Alcozerij. *Conu. IIII.*

CVM noſtri fratres,ædificato ſibi, ad 1500. paſſus ab Alcozerio,Hiſpanicè Alcoçer,Conchenſis diœceſis oppido, deſerto in loco (cui ſanctus Michaël de Monte nomen eſt) humili conuentu,ab anno Dñi 1373. vſq; ad annum 1569.ibidē cum maxima

A ximà ſanctitatis opinione commorati fuiſſent: quòd is locus ob ſui diſtantiam nec oppidanis, nec etiam ipſis fratribus deſeruiret, derelictus eſt, & hic ſub ſanctorum Angelorum inuocatione, non longè à præfati oppidi vallo tum ex publicis, tum quoq; ex priuatis oppidanorum facultatibus, pręfato anno à natiuitate Domini 1569. ędificari cœpit. Cuius tamen optima pars extra artificis manus eſt: ita vt 18. fratribus commodum præbeat hoſpitium. Prioris conuentus antiquitati aſtipulatur Henrici II. diploma in pręſentis monaſterij chartophylacio aſſeruatum, quo fratribus præcidēdi ex regio proximiori nemore, quęcunq; ſibi neceſſaria fuerint, ligna facultas fit.

De conuentu S. Franciſci apud ſanctum Stephanum de Portu. *Con. V.*

B CONCEPTA de Franciſcana Religione, deque eius ſanctitate opinio effecit, vt Didacus Sanctius à Benauides, temporalis oppidi ſancti Stephani de Portu, quod Granatenſi Minoritarum Prouinciæ conterminum eſt, atque Gienenſium Epiſcopo in ſpiritualibus paret, Dominus, hoc monaſterium, beatiſſimo patri Franciſco ſacratum, atque à viginti religioſis frequentius incultum, ſuis ſumptibus circa annum à partu Virgineo 1406. à fundamentis extrudendum, abſoluendumque curaret. Cuius denique pientiſſimi herois tanta extitit ad Minoriticum habitum deuotio, vt ipſo indutus in maiori huiuſmet loci ſacello, quod ſibi ſuiſque poſteris patronatus iure deſeruit, ſepeliri voluerit. Hæc autem à nobis dicta ex monumentis in præfati oppidi ſancti Stephani Comitum archiuis ſūma cura ac diligētia aſſeruatis liquidò conſtant.

De conuentu S. Franciſci Alcarazij. *Con. VI.*

C HIC conuentus, ſeraphico patri Franciſco ſacratus, atque ad quinquaginta paſſus ab Alcarazio Toletanæ diœceſis ciuitate erectus, longiuſculus olim, ante annum videlicet Domini 1430, (ſi coniecturis adhærere liceat) ædificatus extitit. Cùmque eius ſitus, atque habitatio tum ciuibus, tum quoque fratribus minus deſeruiret, eo relicto, hunc ex eiſdem coniecturis, circa annum 1460. tum ex publicis ciuium facultatibus, tum quoque ex priuatis ipſi fratres ædificandum curarunt. Coacti fuimus ad coniecturas, tamquam ad ſacram anchoram recurrere, quòd nihil ſiue ſcripturarum, ſiue etiam traditionis penitus ſit, quod nos tum de antiquioris, tum quoq; de recentioris conuentuū erectione certiores reddere poſſit. Obſequuntur frequentius Deo opt. max. hoc in loco triginta fratres, qui optimos ciues in omni pietate, ſanctitate, atque Dei timore pro viribus inſtruunt, ab ipſis tamen eleemoſynas accipiunt.

D

De conuentu S. Franciſci Veas. *Conu. VII.*

NIHIL ſanè intactū reliqui, vt huius conuentus, ad 50. paſſus ab oppido, cui Veas Hiſpanicè nomē eſt, in ſeraphici P. Frāciſci honorē erecti, antiquitatē, atq; authores certò aſſequerer: ſed fruſtrà, deficientibus omnino ſcripturis, ex quibus id haberi potuerit. Sūt nihilominus ex antiquioribus oppidanis aliquot, qui aſſerāt ipſū circa annū Dñi 1430. ex cōnibus oppidi facultatibus conſtructū. Quod tñ, & loci ſtructura, & oppidanorū beneuolentia fidē ſibi aſtruentibus, inficiari non auſim. Nam & illa vetuſtatē pręſefert, & Veēſes 20. fratribus huius loci accolis neceſſaria ſatis liberaliter miniſtrāt, & ſi quid reparandum occurrat, vlla abſque difficultate reparāt. Cùm quidā huius loci Guardianus inferius clauſtrū à cœmeterio honeſtatis cauſa dealbari iuſſiſſet, iſque,
E qui gypſabat, ad antiquiorē glorioſiſſimæ Virginis imaginē peruentus, eā gypſo obliterare contēderet, ſemel atq; ſecundò repulſam paſſus eſt: cūq; cęptis adhuc inſiſteret, retortum miraculosè gypſum in ipſum recidit. Quamobrem ſtupefactus omnino, atq; timore perculſus vlterius progredi nō fuit auſus, Quod cū idē præfatus Guardianus, cęteriq; eius fratres reſciuiſsēt, eā & iocalibus, atq; ſuppoſito altari cohoneſtari curarūt. Et ab eo tēporis plura ibidē ad eiuſdē glorioſę Virginis inuocationē miracula cōtingūt.

De conuentu S. Catharinæ de Monte Murciæ. *Conu. VIII.*

CVM deuotus quidā Murcianus ciuis Ioannes Mercator perfectiorē uitam anhelaret, fontem, adiacētēq; fundum ad 3. milliare à Murcia ciuitate diſtātes, atq; ad

editi cuiuſdam montis radices ſitos ſibi à Murciano ſenatu, quatenus ibidem domum religioſis viris excipiendis idoneam ædificare poſſet, ſupplex dari petijt. Quibus denique impetratis, atque apoſtolica Eugenij IIII. Pont. max. auctoritate obtenta, hoc ſacrum monaſterium, diuæ Catharinæ dicatum, anno Dominicæ incarnationis 1441. à fundamentis ad apicem vſque ędificandum, atque huius Prouincię fratribus tradendum curauit: quibus & ille vſque ad ſui obitus diem conuixit. Cùm autem, ex ſtatuto inter præfatum Ioannem Mercatorem, atque Murcianum ſenatum pacto, præfati fratres ad annuum cenſum, licèt exiguum, pendendum tenerentur, ab huiuſmodi vexatione per ſereniſſimum Caſtellę Regem Ioannem, vt ex eorum chartophylacio conſtat, redempti ſunt. Conuentus hic quòd ſolitudine, amœnitate, atque maxima quiete gaudeat, contemplatiuæ ducendæ vitæ accommodus eſt, eaque de cauſa à Prouinciæ proceribus decretum extitit, vt quindecim Recollectis fratribus perpetuò deſeruiat. Hoc denique in conuentu meritis opimus mortem obijt, ſepultuſque eſt religioſiſſimus ille, ac ſanctus frater laicus nomine Didacus, cuius author Chronicorum noſtri Ordinis tertia ſui operis parte lib. 3. cap. 9. abundè meminit. Ad hunc deuotiſſimum fratrem appoſitus eſt quidam alius frater iuuenis Blaſius à Vilalua ſumma charitate, ſumma obedientia, ſumma humilitate, atque quacunque alia virtute præditus. Qui quidem ætate iuuenis, ſed maturitate antiquus, non crinibus, ſed ſenſibus canus; non denique temporum diuturnitate, ſed morum grauitate ſenex obijt. Totius autem vitæ ſuæ decurſus fuit nouemdecim annorum. Tranſiuit præterea ex hoc mundo ad cœlum hoc in ipſo loco, meritis opimus, atque omnibus ſuis confratribus magnum ſui deſiderium relinquens anno incarnationis Domini 1575. idibus Auguſti. Habetur in maxima veneratione ab huius loci fratribus & à circunuicinis populis paruula quædam crux ex ea, quæ prima apud occidentales Indos erecta fuit, & plurimis ac magnis olim miraculis coruſcauit, fabrefacta.

De conuentu S. Franciſci Carthaginis. Conu. IX.

HABITVRVS apud ſe pius Carthaginenſis ſenatus Minoriticum monaſterium, ædiculam, diuo Sebaſtiano martyri ſacram, intra nouę Carthaginis ab Aſdrubale Pœno conditæ, nouæ inquã, ad Libycæ Carthaginis differentiam perpetuo epitheto dictæ, quæ etiam à ſparti copia, quod in eius agro copioſiſſimè prouenit, Spartaria paſſim nuncupatur, mœnia erectam, huius Prouinciæ fratribus in conuentum euehendam, anno à partu Virgineo 1548. menſis verò Auguſti duodecimo contulit. Cùmque pręfati fratres poſt trium annorum habitationem non contemnendis agerentur moleſtijs, ea ex eiuſdem ſenatus conſenſu derelicta, hoc monaſterium, beatiſſimo patri Franciſco eius tutelari atque patrono, tum ex publicis, tum quoque ex priuatis Carthaginenſium eleemoſynis intra eiuſdem ciuitatis vallum ab ipſis fundamentis extruendum curarunt. Nec dum tamen ultimam artificis manum, licèt commodum ſatis hoſpitium octodecim fratribus præbeat, expertum eſt. Eius nihilominus eccleſia quibuſdam ſanctorum Calixti Papæ & martyris, Vincentij martyris, atque Zenonis eiuſque ſociorum martyrum reliquijs honeſtatur, ac cõdecoratur.

De conuentu Dominæ noſtræ de Hortis. Conu. X.

HVIVS Prouinciæ proceres eam, dum adhuc intra Cuſtodiæ limites teneretur, protracturi, ædiculam Dominæ noſtræ de Hortis ad trecentos paſſus à Lorca Carthaginenſis diœceſis ciuitate erectam, ex facta ſibi à reuerendiſſimo Lopetio Carthaginenſium Epiſcopo facultate, tum ex priuatis, tum ex publicis Lorcanorum facultatibus, tum quoque ex Saracenorum Granatenſis Regni ſpolijs à fidelibus militibus liberaliſſimè oblatis, anno Dominicæ incarnationis 1467. in monaſterium viginti-quinque continendis fratribus omnino accommodum, relicto ſibi antiquiori titulo, tranſtulerunt. Quibus etiam, vt nihil deeſſe videretur, acceſſit Pauli II. Pontificis maximi conſenſus in forma bullæ ſub datum Romæ ſexto Decembris, anno à partu Virgineo 1476. factus. Huius loci accola fuit, idque multis annjs, R. P. F. Vincentius Lunellus totius noſtri Ordinis generalis Miniſter, qui Tridenti ſub gñali Concilio diẽ

claufit

A clauſit extremum. Quia verò hic conuentus tum fratribus, tum quoque Lorcanis ob ſui diſtantiam minus deſeruiebat, oblatū ſibi ab honeſta quadam matrona cum horto, atque domo adiacentibus fundum ex ſenatus beneplacito iſtius Prouincię patres, in capitulo Belmontis, anno Domini 1554. celebrato, acceptarunt. Sed cùm ædificando de nouo conuentui is minus deſeruiret, ab ijſdem patribus pro alio multò cōmodiori, atque ciuitatis Lorcanę ſuburbio ſatis proximo, idque ex apoſtolica Pauli IIII. ſummi Pontif. auctoritate facta, anno Domini 1555. die verò menſis Nouembris vndecima commutatus eſt. Ea igitur auctoritate obtenta, fratres hunc alium locum, ſub beatiſſimi patris Franciſci inuocatione, ex acquiſitis tantùm eleemoſynis ædificandum curarunt. Qui tamen adhuc ſub artificis manum verſatur, & à paucis fratribus incolitur. Nec ideo hi (de quibus ſuprà) duo conuentus cenſendi ſunt, ſed
B vnicus ſolùmmodo; cùm vnus tantum pater Guardianus vtrique præſit, ſitque & iſtius, atque illius vna communitas, ac tandem, hoc perfecto, ille derelinquendus ob fratrū commoditatem veniat; qua etiam de cauſa eos minimè diſtinguendos cenſui.

De conuentu S. Franciſci Belmontis. Conu. XI.

SI quis beneficia noſtro Ordini ab inclyta Pacciecorum, eorum, inquam, qui ſub Marchionatus titulo oppido Villenæ principantur, principatique ſunt, collata noſſe voluerit, Prouinciæ Caſtellæ chronologiam perlegat: quamobrem ijs referendis ad alia feſtinans impræſentiarum minimè immorabor. Tranſlaturus itaque heros Ioannes Pacciecus Villenicorum Marchio ędiculam, diuæ Annæ ſacram, ac oppidi Belmontis vallo cinctam, in Minoriticum conuentum, eam ſibi à ſummo Pontif.
C Pio II. concedi ſupplex petijt. Quo denique, anno à partu Virgineo 1462. vt ex apoſtolico eius diplomate dato eodem anno, menſis verò Februarij decimo calēdas, ſatis ſuperque conſtat, annuente, hoc monaſterium ſeraphico P. Franciſco de paſſione Domini ibidem circa præfata tempora ex domeſticis facultatibus à fundamentis ad apicem vſque extruendum, abſoluendumque curauit. Cuius ea eſt capacitas, vt 40. fratres commodè ſatis contineat. Eius denique eccleſia altero dentium diui Bartholomæi Apoſtoli, & alio itidē dēte beatæ Apollonię virginis, atq; martyris cohoneſtatur.

De conuentu S Annæ Orihuelæ. Conu. XII.

AD 200. paſſus ab ea ciuitate, cui Orihuela Hiſpanicè nomen eſt, hæc Minoritica domus, diuæ Annæ ſacrata, atque à 15. Recollectis fratribus inhabitata ſur
D rigit. Quæ quidem à pluribus ędificata nullum ſui peculiarem patronum agnoſcit. Nam, vt antiquior ædicula, eidem beatæ Annæ dicata, ibidemq; erecta in conuentū, eueheretur, collato ſufficienti ad id fundo, curauit quidam heros Gregorius Rocca nomine: quo autem certo tempore id contigerit, nec ſcripto, nec traditione haberi potuit. Conſtat nihilominus ex apoſtolicis quibuſdam literis in Minoritici conuentus Murciani (de quo ſuperius) chartophylacio aſſeruatis hunc conuentum circa annum Domini 1480. conſtructum fuiſſe. Præterea (vt ad eius fundationem redeamus) refectorium, quo fratres ſumendæ refectionis ergô conueniunt, liberaliſſimis R. Turiaſſonenſium Epiſcopi Andreæ Martinez ſumptibus, prout gentilitia eius inſignia parietibus inciſa indicāt conſtructum extitit. Clauſtrum verò pientiſſimus quidam Sanctus Angelus Vique, vt eius quoque gentilitia inſignia ibidem impreſſa
E commoſtrant, ex proprijs facultatibus ædificandum curauit. Præcepit inſuper deuotus hic vir, idque ex teſtamento, hæredibus ſuis, vt duas piſcium libras ex quaque piſcium ſarcina aliunde Orihuelam inuecta ſibi ex regia donatione pendendas huius loci fratribus in eleemoſynam conferrēt, quod & ab illis in præſentem vſq; diem obſeruatum eſt, Quod tandem ædificij reliquum eſt, id ex diuerſis fideliū eleemoſynis fratrum induſtria acquiſitis perfectū eſt beatus pater fuit. In huius loci eccleſia ſepultus Matthæus à Valentia officio concionator, ac ſummæ religionis vir. Cui adijciendum cenſui eximiæ ſimplicitatis, abſtinentiæ, orationis, atq; charitatis fratrem Bartholomæum à ſanta Marina laicū profeſſum, qui ob ſingulares eius animi dotes in maiori ſacello iuxta locum pronuntiandæ epiſtolæ deputatum honorificētiſſime ſepultus eſt.

De conuentu Dominæ noſtræ de corpore Chriſti Villæuiridis. Conu. XIII. A

LICET inclytus heros Petrus Manriquius Parietinenſium (vulgò de Paredes) Comes apoſtolicas à Sixto IIII. Pontifice maximo literas anno à Chriſti Saluatoris natiuitate 1477. impetrauerit, vt ædiculam ad 200. paſſus à Villauiridi Toletanæ diœceſis oppido, inter editos duos montes ſitam, in Minoriticũ conuentum trãſferre poſſet: idq; ſtatim exequutioni mandari curaſſet: non tamen ante annum Domini 1489. huiuſmodi conuentus ab iſtius Prouinciæ fratribus occupatus extitit. A quo etiam tempore impræſentiarum vſque ab 18. religioſis inhabitatur. Cùm autem eius ædificium præ vetuſtate, immo potius præ materiæ imbecillitate minaretur ruinam, à Ludouico Manriquio præcipuo Philippi II. Hiſpaniarum Regis eleemoſynario, præfatiq; fundatoris ex filio nepote, reædificata ſatis eleganter eius eccleſia, ſuperioribus hiſce diebus refici, repararíq; cœpit. Sed, eo immatura morte præuẽto, an optato fine ali quãdo potiturus ſit, Dñs nouit. Volumus tñ curioſũ lectorẽ admonitũ, ne nos fortè hallucinatos exiſtimet, hũc locũ Dñæ noſtræ de corpore Chriſti à Sixto IIII. ſummo Pontifice in ſuo diplomate, licèt paſſim ſeraphico patri Franciſco à ſæcularibus dicetur, fuiſſe ſacratum. Extat huiuſmodi diploma in præſentis monaſterij tabellario. B

De conuentu S. Franciſci Albazeti. Conu. XIIII.

CVM deuotus Alphonſus Lopetius Tellio propriam domum, annexumq; ſibi hortum huius Prouinciæ fratribus ad vnius conuentus ædificationem, circa annum Domini 1580. non minus liberaliter, quàm piè contuliſſet, adiecit & ipſa Albazetana communitas, vt & illis quicquid fundi, ſiue ſitus deſiderabatur conferret. His denique obtentis præfati fratres hunc conuentum muro eius oppidi, quod Hiſpanica lingua Albacete nuncupatur, ſpectatque ad Carthaginenſem diœceſim, ferè contiguũ, non ita poſt multum temporis ab anno 1580. ſuperius citato, ex diuerſis eleemoſynis, ædificandum, perficiendumque curarunt. Non tamen ideo hoc monaſterium inter infima huius Prouinciæ loca annumerandum venit, cùm triginta fratres frequentius contineat. Quæ autẽ ſuperius diximus, ea ex ſeniorum traditione habuimus. C

De conuentu S. Franciſci Villæ nouæ Infantium. Con. XV.

NE Franciſcanorum pijſſimi Ioannis Moreni erga ſe meritorum memoriam vlla vnquam deleat obliuio in cauſa eſt hic conuẽtus, ſeraphico P. Franciſco ſacratus, quem is, obtenta ab Alphonſo à Cardenis magno ſacræ S. Iacobi Militiæ Magiſtro, cuius tũc id munus erat, facultate, in ſuo prædio, tunc quidẽ oppidi Villæ nouæ de Infantibus, ſiue Infantiũ, muris excluſo, nũc verò ijſdẽ circunſcripto, ex proprijs facultatibus, anno à Chriſto Saluatore nato 1491. à fundamentis extrui, ac omnino perfici curauit. Eſt etiam 30. Franciſcanis huius loci accolis commendatiſſimus R. Thomas à Villa noua Valentinorum Archiepiſcopus, qui maiorem principis ſacelli partem ædificari fecit; qua etiam de cauſa eius conſanguineis in ſepulturam deſeruit. Diem clauſit extremum hoc in monaſterio eximiæ ſanctitatis pater Didacus Ximenius, qui integras noctes in oratione, ac diuinorum meditatione conſumere aſſueuerat. D

De conuentu S. Geneſij de Xara. Conu. XVI.

QVOD hic conuentus, in loco deſerto ac vaſtæ ſolitudinis ad decem millia paſſuum à noua Carthagine, atque ad tria millia ab Oceano mari ſitus, diuo Geneſio dicatus euaſerit, in cauſa eſt circunuicinorum populorum ad ipſum ſanctum, ob recepta ab eo beneficia, deuotio. Nam ex ſummi Pont. Innocentij VIII. qui inclyto heroi Ioanni Ciaconio olim eius ædificandi facultatem, anno à partu Virgineo 1491. fecit, mandato, ſanctiſſimæ virginis Mariæ Annuntiationi ſacrandus veniebat. His acceſſit præexiſtens eodem in loco ædicula, in eiuſdem ſancti Geneſij honorem erecta, quæ præfatis populis cõmẽdatiſſima erat. Extitit igitur ædificatũ hoc monaſteriũ, à 20. fratribus frequẽtius inhabitatũ, ſtatim ab an. Dñi 1491. à pfato heroẽ Ioãne Ciaconio, idq; ex apoſtolica Innoc. VIII. auctoritate: ea tñ poſita lege, vt Frãciſcanis Amadeis deſeruiret, E

A uiret,immediateq; generali totius Minoritici Ordinis Miniſtro ſubeſſet. Eidē legi ſubſcripſit Alexander VI. Pont. max. anno Dñi 1493. Habentur amborum Pontificum ſummorum diplomata in huiuſmet loci archiuis. Hæc tamen lex ob plurima, quæ ſequebantur incommoda, exequutione caruit: immo conuentus ipſe à prima ſui erectione huius Prouinciæ patribus paruit. Eſt locus hic Carthaginēſibus celeberrimus, præcipuè verò in mari periclitantibus, quòd ſanctus Geneſius Rolandi magni Frācorum Regis, ac Oliuæ Reginæ olim filius, cuius corpus occulto in loco in præſentis monaſterij eccleſia ſepultum creditur, illis opportunè quacunque in neceſſitate adſit.

De conuentu S. Franciſci apud ſanctum Clementem. Con. XVII.

INTER præſentis monaſterij fundatores principem locum obtinent oppidi communitas, atq; quidam Alphonſus à Caſtello: cùm hic fundum, illa verò pinguem ad
B ipſius promotionem eleemoſynam contulerint. Eſt autem conſtructum in ipſo oppidi S, Clementis, quòd Cōchēſium Epiſcopo in ſpiritualibus, in temporalibus verò Villenicorum Marchioni paret, medio: originemque habuit, anno Domini 1503. idque ex diuerſis, præcipuè verò (vt præfati ſumus) publicis oppidanorum facultatibus, Inhabitatur vt plurimùm hic locus à triginta fratribus, nullumque alium ab ipſius oppidi communitate, quam in omni euentu promptiſſimam habet, ſui patronum agnoſcit.

De conuentu S. Franciſci Orani. Con. XVIII.

CVM R. P. F. Franciſcus Ximenius Toletanorum Archiepiſcopus, Hiſpaniarū Primas, S. R. E. Card. ac Hiſpaniæ Prorex, an. Dñi 1509. menſis verò Maij 17. quæ
C trāſlationi S. P. Bernardini dicata eſt, Oranum ciuitatem Hiſpaniæ, ex altera Mediterranei maris parte oppoſitam, pulſis occiſiſq; Mauris vi expugnaſſet, fundum Minoritico ædificando conuentui in media ciuitate ſufficientem delegit, Minoritas ex Caſtellę Prouincia fratres, qui operi promouendo inſtarent, maiorem Heſperiam repetiturus reliquit. Illi verò muneri ſibi iniuncto ſatisfacturi tum ex relictis à præfato R. P. eleemoſynis, tum quoq; ex oblatis à Chriſtifidelibus bonis hunc conuentum, B. P. Franciſco ſacrum, intra breuiſſimi temporis ſpatium à fundamentis erigendum, omninoque abſoluendum curarunt: quem & 40. fratres commodè ſatis inhabitant. Cùm autem hic locus à Prouinciæ Caſtellæ patribus (vt pręfati ſumus) conſtructus fuerit, & Oranum ad Toletanam diœceſim ſpectet, eidem Prouinciæ Caſtellæ aliquandiu ſubfuit. Hac tamen Prouinciæ honore inſignita, quòd facilior ex ipſa, quam ex illa ad eum tra-
D iectio ſit, in ipſius ius ceſſit. Iſtac tranſiuit beatus pater Andreas à Spoleto, dum martyrio coronandus ad Saracenos Chriſti fidem illis prædicaturus ſe transferret.

De conuentu S. Franciſci Molinæ. Con. XIX.

PROPRIÆ ſaluti conſultura sereniſſima Blancha ſereniſſimi Infantis Ferdinādez oppidi Molinę tēporalis Domini & ſereniſſimæ Moſaltæ Manriquæ filia, atq; ſereniſſimi Alphonſi Infantis Alphonſi Sapientis Hiſpaniæ Regis filij, vxor hunc conuentum, glorioſiſſimę Dominę noſtrę de Angelis (licèt vulgò ſeraphico P. Franciſco dicetur) ſacratum, ex apoſtolica Leonis X. Pont. max. auctoritate ſibi 13. Iulij, anno verò Domini 1520. facta, ad 40 paſſus à Molina Regni Aragoniæ oppido circa eadem tempora ædificandum, abſoluendumq; curauit. Conſtat id totum ex eiuſdem funda-
E tricis teſtamento in publicis oppidi Molinæ archiuis aſſeruato. Cùm aūt hic conuētus in Conuentualiū Franciſcanorū patrū ius ceſſiſſet, ad eiuſdē Inſtituti Obſeruātes, quorum 40. ibidem perſeuerāt, an. Dñi 1526. ex apoſtolica auctoritate deuolutus eſt. Inter cęteros P. in huius loci eccleſia ſepultos lōgè emicuit eximiæ religionis P. Torruuia, cuius ad fideliū animas in Purgatorio exiſtētes deuotio & affectus incredibilis fuit. Pręfata huius cōuētus fundatrix cū Moſalta cariſſima ſibi filia in ipſo ſacello ſepulta eſt.

De conuentu S. Franciſci Henlinij. Conu. XX.

QVICQVID ædificij hoc in cōuētu Dnę noſtræ de Angelis (quamuis S. Franciſci paſſim appellitetur) ſacrato, atque in Henlinij Carthaginenſis diœceſis

oppidi margine conſtructo, habetur, id totum ſolerti antiquiorum patrum curę atq; ſo A
licitudini debetur. Hi ſiquidem ipsũ, anno à Chriſto Saluatore nato 1524. prout ex lite
ris eius eccleſiæ à parte poſteriori inciſis manifeſtum euadit, ex eleemoſynis vndequa-
que acquiſitis faciendum curarunt. Idque in cauſa eſt, vt nullum ſui peculiarem
auctorem, atque patronum agnoſcat. Habitatur interim à viginti religioſis patribus.

De conuentu S. Mariæ de Rupe. Conu. XXI.

CVM Saracenis Hiſpaniam ingreſſis, omniaque ferro & igne vaſtantibus, Chri-
ſtifideles, patrijs laribus, proprijsq; domibus relictis, tutiora peterent loca: qui Se-
curã Carthaginenſis diœceſis oppidum habitabãt, proprię ſaluti fuga conſulturi deuo
tiſſimam glorioſiſſimæ Virginis imaginẽ, ne loco cedentes in Saracenorum manus ve
niret, illisq; ludibrio eſſet, ad 1500. paſſus à pręfato opido Secura ſub humo abdiderũt. B
Cùmq; poſt aliquot annorum centurias, ruſticus terram aratro proſcindens in ipſam
incidiſſet, ſacerdotibus, atque reliquæ communitati, quid ſibi acciderat, ſtupefactus ex
tempore retulit. Quæ tamen, ſolemni inſtructa proceſſione, cum maxima pompa inde
ad oppidum delata, cùm ſe inde ad antiquiorem locum tranſtuliſſet, Securana cõnitas
ædiculã ſibi ibidem ex cõi ærario, ſub inuocatione S Mariæ de Rupe, ędificandam cu-
rauit. Cupiens præterea eã maiori religione cultam, præfatam ædiculam in iuſtam ec-
cleſiam, adiuncto ſibi pulcherrimo conuentu, atq; continẽdis 20. religioſis omnino ac-
cõmodo, ex eodẽ cõi ærario, an. à partu Virgineo 1531. transferri fecit. Eſt itaq; ſacra
hæc ædes, tum ob frequentia miracula, quæ glorioſæ virginis Mariæ meritis ad præme
moratam eius imaginem contingunt, tum ob aliquot ſanctarum Quiterię, & Agathæ
virginum & martyrum oſſa, tum quoq; ob caput vnius ex vndecim millibus virginũ, C
in eius ſacrario religioſè aſſeruata, Securanis, atque conuicinis populis celeberrima.

De conuentu S. Franciſci Alcaçar de Conſuegra. Conu. XXII.

QVOD præſens conuentus, ſeraphico P. Franciſco ſacratus, atq; aliquantulũ ab
eius oppidi, quod Hiſpanicè Alcacar de Conſuegra nuncupatur, attinetq; ad ſa-
crã Ioannitarum Militiam, domibus diſtet, maxima olim fuit inter ſæculares eiuſdẽ
oppidi ſacerdotes ac noſtros fratres diſceptatio: vtrũ videlicet muris excluderetur, nec
ne. Eiuſq; diſceptationis cauſa temporalis quidam bolus fuit: Nam ij qui apud fratres
ibidem ſepeliri vellent, ſi domum muris excludi contingeret, ſtatutum pro ſepultura
ſtipendium Parochis haud dubiè duplicare deberent, ſin minus nequaquam: ſed ſim-
plam tantum portionem pendere tenerentur. Re tamen diligentius trutinata in fra- D
trum fauorem ſententia lata eſt: Quod ſcilicet eorum conuentus intra antiquiora op-
di mœnia, quorum tamen nullum apparet veſtigium, contineatur. Fuit autem præfa-
tus hic conuentus, idq; ex diuerſis fidelium eleemoſynis, primò à fundamẽtis erectus,
anno Domini 1532. Quod ne aliquis inficiari poſſit literas fornici eius eccleſiæ impreſ-
ſas in medium adducemus. Suntq; ſequẽtes. *Hæc eſt domus Domini firmiter ædificata iuben
te illuſtriſsimo domino domino Didaco à Toleto Priore Caſtellæ, Clemente VII. P.M. Imperato-
re Carolo V. Hiſpaniarum Principe, anno. 1532. vi. nonas Martij.* Qui quidem capaciſſi-
mus, pulcherrimusque eſt, ac temporis decurſu, cùm videlicet fuerit abſolutus 50.
ad minus fratres continebit, licèt impræſentiarum 36. eorum tantùm contineat.

De conuentu Conceptionis B. Mariæ Iniestæ. Conu. XXV. E

CVM huius Prouinciæ patres monaſterium ſibi in oppido Inieſta, quod ad Cõchẽ
ſem diœceſim ſpectat, ſubeſtq; Villenicorũ Marchioni, ædificaturi, ædiculã, Dñæ
noſtræ de Stella ſacram, anno Dñi 1549 ex Conchẽſis tamen Epiſcopi conſenſu, occu
paſſent; maxima inter eos atque ſæculares oppidi ſacerdotes altercatio oborta eſt. Cui
tamen vitandi iurgij cauſa ex animo, protinuſq; cedentes, deſignatum ſibi à R. Michaë-
le Munnozio Conchẽſium Epiſcopo intra eiuſdem oppidi mœnia ſitum acceptarunt,
inibiq; hoc ſacrum monaſterium, immacalatæ Virginis glorioſę Conceprioni dicatũ,
capta prius per R. patrem fratrem Franciſcum à Zamora tunc Minoritici conuen-
tus Huetani Guardianum, poſtea verò totius noſtri Ordinis generalem Miniſtrum
loci

A loci poſſeſſione,ex diuerſis Chriſti fideliū eleemoſynis,anno Domini 1550.erigendum curarūt.Quod tamen ſub artificibus adhuc conſtitutū à 20.tantū fratribus inhabitatur.

De conuentu Ieſu Villæ nouæ à Xara. Conu. XXIIII.

QVOD hic cōuentus,ſacτiſſimo nomini Ieſu ſacratus,ac Villę nouę à Xara,quòd Murciani Regni oppidum eſt,Concēſiq; Epiſcopo in ſpiritualibus,in temporalibus verò Villenicorum Marchioni paret,ſit omnino neophytus, nihil aliud nobis miniſtrat ab eo quòd à R. P. F. Franciſco à Zamora totius noſtri Ordinis generali Miniſtro, ex R. tamen P. F. Bernardi à Freſneda Franciſcani Conchenſium Epiſcopi, atq; catholici,inuictiſſimiq; Hiſpaniarum Regis Philippi II. Confeſſarij conſenſu, empto prius ex eleemoſynis ſufficienti fundo; anno à partu Virgineo 1564.menſis verò Octobris 8. acceptatus, atque ab iſtius Prouinciæ fratribus ex ijſdem eleemoſynis non B abſque labore partis à fundamentis erectus fuerit. Qui tamen, quòd non dum vltimam artificis manum expertus ſit, à ſexdecim ſolummodo fratribus incolitur.

De conuentu S. Franciſci Vallis viridis. Con. XXV.

A Quadringentis aureis coronatis, quos inclytus Georgius de Alarcon oppidi Vallis viridis, quod ad Conchenſem diœceſim ſpectat, erogauit, quicquid in præſentis conuentus, ſeraphico patri Franciſco dicati, ædificatione conſumptum eſt, id totum ex diuerſis fidelium eleemoſynis fratrum ſollicitudine acquiſitis prouenit. Hæc autem dixerim quòd præfati Georgij ſucceſſores aliquid iuris ad præſentis conuentus patronatum abſque legitima cauſa prætendant. Eſt autem hoc monaſterium prope ipſa mœnia ſitum, cœpitque anno à ſalutifera Chriſti natiuitate C milleſimo quingenteſimo ſexageſimo primo primò ædificari, atque omnibus ferè numeris ab ipſa eccleſia abſolutus octodecim fratres commodiſſime continet.

De conuentu S. Stephaai Ceeghini. Con. XXVI.

INTER cœteros huius Prouinci conuentus Recollectioni mancipatos is eſt vnus qui 200. paſſibus à Ceeghino Carthaginenſis diœceſis atq; Murciæ Regni oppido ſub B. P. Franciſci inuocatione erectus eſt: cuius antiquitas ab anno Dominicæ incarnationis 1566. computanda venit: cùm eo temporis tum ex publicis,tum quoq; ex priuatis oppidanorum facultatibus à fundamentis extrui cœperit.Quibus etiam optatū finē per Dei gratiā aſſequutus eſt.Inhabitatur interim à ſexdecim fratribus Recolle D ctis, qui tum oppidanis, tum quoque conuicinis populis Chriſti bonus odor ſunt.

De conuentu Dominæ noſtræ de Spe Villæ robledæ. Con. XXVII.

CVM deuota S. Quiteriæ Confraternitas ædiculam muris oppidi Villæ robledæ, quod Toletano Archiepiſcopo in ſpiritualibus ſubeſt, ſpectatque ad Villenicum Marchionem,contiguam,ad ſe attinentem huius Prouinciæ fratribus in monaſterium euehendam, anno Dominicæ incarnationis 1569. menſis verò Iulij 2. ex maxima in Deum pietate, atque in omnes beneuolentia contuliſſet;illi protinus hoc ſacrum monaſterium, glorioſiſſimæ Dominæ noſtræ de Spe dicatum (licèt paſſim ſancti Franciſci nomine appellitatum) ex priuatis fidelium eleemoſynis, non abſque maximo labore partis, à fundamentis extruendum curarunt. Præfatis verò eleemoſynis parE cè nimium occurrentibus adhuc ſub cæmentarijs, latomis, atque fabris lignarijs hic locus verſatur. Inhabitatur interim à quindecim fratribus Deo ſeruientibus.

De conuentu Conceptionis B. Mariæ Parriliæ. Con. XXVIII.

PLVRES haud dubiè benefactores, atq; ſui auctores conuentus hic ab anno Domini 1569.ad immaculatæ Virginis glorioſæ Conceptionis honorē Parriliæ,quod Conchenſis diœceſis oppidum eſt, attinetq; ad inclytū Didacum Hurtado à Mendoza Cannetenſium Marchionem,ædificatus in ſui erectione expertus eſt.Cùm præfatus inclytus heros Didacus à Mendoza 400. aureos coronatos ad fundi emptionem,inclytus etiam Ferdinandus à Mendoza matricis eccleſiæ Archidiaconus 200. alios,& inclytus

pariter

pariter Rodericus à Mendoza alios octingentos ad eius ædificationem contulerint: Et A
ipſe Rodericus à Mendoza 4. coronatorum millia & 200. pro eccleſiæ conſtructione
à ſuis hæredibus eroganda ex teſtamento reliquerit:& omnia paramenta, quibus ſacris
operari conſueuerat, eius ſacriſtiæ dono dederit. Cœpit autem ædificari præfatus hic
conuentus anno à partu Virgineo 1569. die verò menſis Decembris 12. Cumque non
dum abſolutus ſit, octodecim tantùm fratres continet. Cuius ſacrarium quodam ca-
pite vnius ex 11. millibus virginum, & oſſe ſancti Euſtachij martyris cohoneſtatur.

De conuentu S. Mariæ de Gratia Carauaccæ. Con. XXIX.

LICET hic conuentus, glorioſiſſimæ virgini Mariæ de Gratia ſacratus, atq; ad
30. paſſus ab oppido Carauacca ſitus, à 13. tantùm annis, nempe ab anno Domini
1574. communibus atq; priuatis oppidanorum ſumptibus ædificatus, ac huic Prouin- B
ciæ adiectus fuerit: nihilominus tamen religioſiſſimum ac de omni virtute optimè me-
ritum P. Petrum ab Ececa nobis peperit. Ad cuius exequias vniuerſum Lorcenſe oppi-
dum eius vel pedes deoſculaturum, vel ſuffragium apud altiſſimum Dominum
imploraturum confluxit. Nec abſre ſanè, cùm admiranda ſanctitate præditus extite-
rit. Obijt tantus hic P. mortem anno Dominicæ incarnationis 1582. atq; iuxta prin-
cipis aræ gradus ſepultus eſt. Commorantur frequentius hoc in loco duodecim fra-
tres Recollecti, quòd ob ſui diſpoſitionem huiuſmodi modo viuendi ſatis faueat.

De conuentu S. Sebaſtiani Mortalliæ. Conu. XXX.

EIVSDEM omnino ætatis eſt hic cõuentus, diuo martyri Sebaſtiano ſacratus, at-
que prope Mortalliã Carthaginenſis diœceſis oppidũ erectus, cũ præcedenti: cùm C
anno Dñi 1574. tum ex publicis, tum quoq; ex priuatis oppidanorum facultatibus ędi-
ficari cœperit: idq; in cauſa eſt, vt nondum omnino perfectus ſit. Inhabitatur nihilo-
minus interim à 13. patribus Recollectis: quibus Mortalliana cõitas neceſſaria ſumma
liberalitate, ſummaq; humanitate ſubminiſtrat. Cui etiam à plurimis alijs eleemoſy-
nis pro conuentus ædificatione collatis & eius eccleſia, & vtriusq; fundus debetur.

De conuentu conceptionis B. Mariæ Mulæ. Conu. XXXI.

COEPERANT huius Prouinciæ fratres, idq; anno Domini 1574. ædificare ſibi
conuentum non longè à Mula Carthaginenſis diœceſis oppido: ſed cùm is locus
eorum ſaluti, atq; quieti minus faueret, pia Mulenſis communitas, atq; inclyta Men-
tia Requeſenia à Stunnica temporalis eius Domina, & impreſentiarum Beneuentano- D
rum apud Hiſpanos Comitiſſa antiquiorem ædiculam, immaculatæ Conceptioni Vir-
ginis glorioſæ ſacram, non longè ab eodem oppido diſtantem, in monaſterij formam
prius redactam illis, anno Domini 1581. menſis verò Aprilis 22. ex R. Gomezuli Zapa-
ta Carthaginenſium Epiſcopi facultate, in perpetuam habitationem liberaliſſimè con-
tulêre. Cõmorantur igitur ab eo tẽporis hoc in loco 12. fratres, qui eius promotioni,
atq; diuinis laudibus ſumma cura, ſummaq; diligentia incumbunt. Quicquid verò ſa-
crorum vaſorũ, atq; pretioſi in præſentis monaſterij ſacriſtia inuenitur, hoc totũ præ-
fatæ Comitiſſæ, cui etiam maior ædificij pars aſcribenda venit, proculdubio debetur.

De monaſterio S. Mariæ aliàs S. Claræ regiæ Alcozerij. Conu. I.

CVM inclyta Maior Guillenia atq; Guſmania Clariſſas ſorores ex intimo cordis E
affectu diligeret, monaſterium quoddam, beatæ virgini Claræ ſacrum, deſerto in
loco, cui S. Michaël de Monte nomen eſt, tum ex proprijs, tum quoq; ex Alphonſi X.
Caſtellæ Regis, ex quo filiam, dum illorum neuter matrimonij legibus ſubeſſet, conce-
pit, facultatibus conſtruendum, atq; abundantiſſimis redditibus dotandum curauit.
Cumq; id in ſolitudine erectum humanę cuicunq; iniuriæ facillimè pateret, nobilis San
ctius Ferdinandez Henrici II. Caſtellæ Regis Quæſtor, qui poſtea relicto ſæculo Hie-
ronymitarũ patrũ habitũ induit, earũ quieti conſulturus, aliud nõ abſimile monaſteriũ
tum ex proprijs, tum quoq; ex regijs bonis, Alcozerij anno Domini 1384. ædificari fe-
cit. Ad quod tandem præfatæ moniales, ex patrum decreto in Toloſano generali capi-
tulo fa-

A tulo facto,annuente tamen præfato Henrico Caſtellæ Rege,eo ipſo anno 1384.tranſlatæ ſunt. Quæ cum plurimis annis Conuentualibus Franciſcanis patribus ſubfuiſſent, ab Alexādro VI.Pont.max.anno 1498.huius Prouinciæ Obſeruātibus creditæ extitēre.Gaudet hic locus plurimis priuilegijs tū regijs, tū quoq; pontificijs ſibi ab Vrbano IIII.Pon.max.Alphonſo X.atq; Hērico II.Caſtellę Regibus cōceſſis:quę in eius archiuis à 34 Clariſſis ſororibus diligētius aſſeruātur. Gaudet & præterea particula Dñicæ crucis,& capite vnius ex 11. millibus virginum, atq; alijs quamplurimis SS. reliquijs.

De monaſterio S. Claræ Regiæ Murciæ. *Mon. II.*

PROVT ex quodam Sanctij V. Caſtellæ Regis priuilegio ſatis ſuperq; conſtat, hoc monaſteriū,beatæ virgini Claræ ſacrum,atq; Murcię,non quidem eo in loco, quem modò obtinet, ſed in alio minus conuenienti erectum, ab Alphonſo X.Ca-
B ſtellæ quoque Rege eiuſdem Regis Henrici patre conſtructum extitit. Idque, & quòd Petrus Crudelis Caſtellæ Rex Regiam ſibi contiguam ad eius amplificationē monialibus contulerit,in cauſa eſt,vt præſens monaſteriū,à 60.Clariſſis ſororibus inhabitatū, Regiū cognominetur.Subfuerunt quoq; per plurimos annos præfatæ moniales Conuentualibus Franciſcanis patribus,à quibus tñ ex Innocentij VIII.Pont.max.decreto ad eiuſdē Inſtituti Obſeruantes,anno Dñi 1490 tranſlatæ ſunt. Prolixitatis haud dubie notā incurrerē, ſi omnes huius loci ſorores aliqua ſpeciali prærogatiua inſignitas in medium adducere vellem. Quamobrem id tantùm dixerim: eum videlicet plurimas ſanctiſſimas virgines ſumma ſanctitate, ſummaq; religione præditas peperiſſe.

De monaſterio S. Ioannis Orihuelæ. *Mon. III.*

C CVM nobilis quædam matrona cognomine Criſpa,vidua ex morte Ioannis Hontinienſis relicta,atq; 3.Ordinis Franciſcani alumna,aliqua bona pro vnius monaſterij ædificatione reliquiſſet,pientiſſima quædam eius filia, tantæ parentis pietatem imitata,obtenta prius ab Innocentio VIII. Pont.max.ſub datum Romæ, anno Domini 1490. die vero mēſis Februarij 17. facultate,tum ex eius bonis, tum quoq; ex ſibi hæreditaria portione obuentis hunc conuentum, diuo Ioanni ſacrum, aliquantulum ab oppidi Orihuelæ muris,eodem anno à fundamentis extruendum,atq; temporis ſucceſſu abſoluendum curauit. Quia verò patrum Mercenariorum inſignia huic loco impreſſa habentur,exiſtimauerim ipſum ſub peculiaris alicuius domus forma, vel ſaltē eius fundum ad eoſdem patres aliquando pertinuiſſe. Præfatus hic locus, cuius primæ fundatrices ex Murciano Clariſſarum monaſterio (de quo paulo ſuperius) anno Do-
D mini 1493.allatæ fuerunt, latius aliquando patuit: cùm à Clariſſis 50. Vrbaniſtis aliquando inhabitatus,ab illarū 15.impræſentiarū tantùm occupetur. Quibus nihilominus, ſumma ægeſtate laborantibus,nobilis ac deuota matrona Beatrix Martinez 600. aureos coronatos in ſingulos annos,ea lege poſita, vt 2. virgines ad habitum gratis recipere,eaſq; perpetuò alere teneantur,anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingēteſimo octuageſimo moriēs ex teſtamēto reliquit.Tenētur à cætero huiusmet loci ſorores ex prȩfati Innocentij VIII. Pont.max.mādato huius Prouincię patribus ſubeſſe.

De monaſterio Miſericordiæ Huetæ. *Mon. IIII.*

VT primùm piiſſimus Huetanus ſenatus iuri, quod ſibi ad antiquiorem quandā ædiculā,aliquantulùm à vallo cōis cuitatis Huete vulgò nuncupatæ erectā erat,
E in huius Prouinciæ fratrum fauorem,anno à partu Virgineo 1503.ceſſit:hoc monaſterium,Miſericordię ſacrum,allatis interim ex monaſterio Alcozerii ædificato Clariſſis 4.ſororibus, quæ ſibi initium darent,aduentanteſq; iuuenculas optimis moribus, religioſiſque ritibus imbuerent, ex priuatis quorundam facultatibus à fundamentis erectum, abſolutumque eſt. Quòd, licèt antiquitate careat, à triginta quatuor Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis omni religione, omnique pietate præditis inhabitatur.

De monaſterio S. Claræ Villæ nouæ de Xara. *Mon. V.*

QVOD præſens monaſterium à 9. tantùm annis, nempe ab anno Dominicæ incarnationis 1578.ſumptibus piiſſimi cuiuſdam Petri à Monteacuto exordium

ſumpſe-

ſumpſerit,quòdq; nec dum omnino abſolutum ſit,à 15. ſolũmodò Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis inhabitatur.Quæ tamen licèt paucæ numero,magna tamen pauperie laborant.Nam à quibuſdam domibus muro oppidi Villæ nouæ de Xara circuncinctis, in quibus ſub B.virginis Claræ titulo præſens monaſterium ædificatum eſt, & à bis mille coronatis aureis pro operis conſummatione nihil aliud à præfato Petro à Monteacuto receperũt.Qua etiam de cauſa,ſi ſibi conſultũ cupiant, quicquid iure dotis ab aduẽtãtibus iuuẽculis recipiunt,id cæmentarijs,latomis, atq; fabris lignarijs pẽdere cogũtur. A

De monaſterio Annuntiationis B. Mariæ Elchij. Mon. VI.

SI Elchenſium communitatẽ præſentis monaſterij, in ſuburbijs eius oppidi, quod Elche Hiſpanicè nuncupatur, attinetq; ad Machedanorum Ducem,ſub Annuntiationis glorioſę Virginis inuocatione,circa annũ Dñi 1517.erecti,fundatricem ſtatuere liceat, cùm ad eius promotionem à 600.coronatis aureis,quibus ſæcularis quædã domus,vel potius eius fundus emptus extitit,nihil aliud cõtulerit, iudicet prudẽs lector. Mihi interim eorum ſententia,qui ſibi patronatus ius tribuunt,minimè arridet. Quicquid igitur ædificij hoc in loco,à 25.Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis inhabitato,conſpicitur,id totum & pijs priuatorum eleemoſynis,& iuuencularum aduentantium dotibus debetur.Inter cœteras huius conuentus moniales mirum in modũ elucuit religioſiſſima ſoror Angela Martinez à Miedes,quæ angelicam potius, quàm humanam vitã duxit;& moriẽs maximum ſui deſiderium omnibus,maximè verò ſororibus, quibus ob inexhauſtam charitatem, feruentiſſimam orationem, profundiſſimam humilitatem atque cœteras virtutes notiſſima fuerat, haud dubiè reliquit. Fuit hæc vna ex huius loci fundatricibus, ex Orihuelano Clariſſarum ſororum monaſterio allata. B C

De monaſterio Conceptionis B. Virginis Conchæ Valeriæ. Mon. VII.

NESCIO quî factum ſit,vt hoc monaſteriũ, Conceptioni Virginis glorioſę extra Concham Valeriam, ex altera fluminis parte à perdeuoto quodam Aluaro Piretio à Monte maiori, Toletanę matricis eccleſiæ canonico, anno Dñi 1504. ex Iulij II. Pont. max. auctoritate,ea lege vt Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis deſeruiret, qua etiam de cauſa illarum tres ex Alcozeriano conuentu allatæ fuerunt, erectum,poſt 3. à ſui ędificatione annum,illis ad propria remiſſis,4.Conceptioniſtis ſororibus ex Toletano eiuſdem Ordinis allatis,vt aduentantes virgines ſuis moribus imbuerent, anno à partu Virgineo 1507.traditum ſit.Quicquid tamen ſit parùm refert.Inhabitatur interim hic locus,cuius eccleſia eremitorium ſub ſanctiſſimę Trinitatis inuocatione olim extitit,à 23. Conceptioniſtis ſororibus,quarum conuerſatio sãcta ac religioſiſſima eſt. D

De monaſterio S. Mariæ Magdalenæ Alcarazij. Mon. XIII.

CVM honeſta quædam virgo Maria Ruizia, ex ciuitate Alcarazio oriunda, ad perfectionem tenderet, ſpretis nuptijs Tertiariarum Franciſcanarum habitu indui voluit. Cui cùm inclytus,qui tunc erat,Villenicus Marchio domũ in editiori Alcarazianæ ciuitatis parte iuxta S.Marię parochiam,anno Domini 1471.ex maxima liberalitate contuliſſet,atq; decem aliæ virgines mente eadem prӕditæ adhæſiſſent,religioſarum more viuere cœpit,prẹfatamque domum ex obtenta ab Innocentio VIII. ſummo Pontif.cui commendatiſſima extitit,auctoritate,anno Domini 1486. in conuentus formam trãsferendam curauit,atq; huius Prouincię Miniſtro obedientiam, omnemq; ſubmiſſionem promiſit. Poſt 40 verò annos elapſos,cùm is locus anguſtijs pateret, pro alio capaciori,intra eiuſdem ciuitatis mœnia erecto,commutatus eſt:cuius tutela beatę Mariæ Magdalenæ credita fuit.Inhabitatur plerunque ſacrum hoc monaſterium à 26. Tertiarijs ſororibus Franciſcanis:plurimasq; ſanctiſſimas virgines Chriſto ſponſo peperit.De quarum numero fuêre ſoror Maria Ruizia eius fundatrix,quæ præſago ſpiritu ſui obitus diem prænoſſe meruit,& in omni virtute claruit:& ſoror Catharina Gonſalua,cui inuidus Dęmon plures, ſed fruſtrà, tetendit inſidias: & ſoror itidem Catharina Aluarez ſumma humilitate, ſummaq; charitate cum oratione coniuncta prædita.Fuêre & aliæ quamplurimæ his ſimillimæ,quas tamẽ breuitati ſtudẽs prætermitto. E

A *De monaſterio Annuntiationis B. Mariæ Albazeti. Mon. IX.*

VT primùm honeſta matrona Marina Aluarez Marco, ex oppido Albazete oriunda, ex viri morte matrimonij vinculis ſoluta fuit, Deo opt. max. quod ſibi vitæ reliquum erat conſecratura pauperem quandam domum, Albazetanę matrici eccleſię contiguam, cum Marina Aluarez Marco, atque Catharina Aluarez ſibi filiabus ingreſſa eſt, inibique ſub Tertiariarum ſororum Franciſcanarum habitu per viginti duos continuos annos ſanctiſſimè, atque religioſiſſimè cum illis vixit. Qua denique, anno Dominicę incarnationis milleſimo quingenteſimo primo vita functa, atq; apud eiuſdem oppidi Franciſcanos, prout adhuc viuens pręceperat, ſepulta, eius filię & pręfatam domum ampliare, & virgines ſibi ſimiles ad eundem habitum recipere, &
B cum illis in communi ad religioſarum inſtar viuere cœperunt. Cùmque domus earum ſaluti minimè faueret, proprijs rebus conſulturę omnes ſimul ad aliam multò ampliorem, multoque ſalubriorem pręfati oppidi Albazete Hiſpanicè nuncupati muris incluſam (de qua impræſentiarum) ſe anno à partu Virgineo milleſimo quingenteſimo trigeſimo transtulerunt. Vbi tum ipſę tum alię ſibi de nouo adiunctę ſub reuerendi patris huius Prouinciæ Miniſtri ferula impræſentiarum vſque commoratæ ſunt. Quæ omnes ſimul computatæ vigeſimum ſextum numerum perficiunt.

De monaſterio Conceptionis B. virginis Mariæ Veas. Mon. X.

RELIGIOSA fœmina Franciſca Rodriguez, ex oppido Veas Hiſpanicè nuncupato originem ducens, atq; ex viri morte vidua relicta, Altiſſimo felicius obſe-
C quutura, vt primùm Alphonſo eius filio, quem ex coniuge conceperat, vt ſe eiuſdem oppidi Franciſcanis coniungeret, ſuaſit; ſumpto cum Catharina Martinez, atque Eliſabetha de Cruce ſibi filiabus Tertiariarum ſororum Franciſcanarum habitu, humili quadam in domo cum alijs eiuſdem mentis virginibus ſibi adhęrentibus, ab anno Dominicę incarnationis milleſimo quingẽteſimo ſeptimo vſq; ad annum milleſimũ quingenteſimũ quadrageſimũ quartum in 3. beati patris Franciſci Ordine, atque ſub reuerẽdi patris huius Prouincię Miniſtri cura religioſiſſimè perſeuerauit. Cumque ſororum numerus in dies magis magiſque augeretur, ea domo, quòd anguſtior eſſet, relicta, ad aliam eiuſdem oppidi Veas vallo circunſeptam conuolarunt. Inhabitatur impręſentiarum pręfata domus, Conceptioni glorioſę virginis Dei genitricis Mariæ ſacrata, quę ſanctiſſimis virginibus floruit, à viginti quinque Tertiarijs ſororibus.

D *De monaſterio S. Franciſci Villæ nouæ. Mon. XI.*

CONVENERANT pijſſimi coniuges Petrus Garcia, atque Tiraſia Sanctia, idque ſumpto prius Tertiariorum Franciſcanorum habitu, vt ſi illa prius moreretur, ipſe Minoritis conuentum ex communibus bonis Villænouæ de Achiepiſcopo, quod Gienenſis diœceſis oppidum eſt, erigeret: & ſi, illo prius decedente, Tiraſiam ſuperuiuere contingeret, ipſa Tertiarijs ſororibus Frãciſcanis domum eodem in oppido ex eiſdẽ facultatibus conſtrueret. Viro itaq; prius defuncto pientiſſima vxor quòd ſanctè pollicita fuerat, ſanctius exequutioni mandatura, domum eiuſdem oppidi muris circuncinctam, atque ædiculæ ſancti Sebaſtiani omnino contiguam, anno Dominicę incarnationis milleſimo quingenteſimo tertio iũcto iuſto pretio emit, at-
E que ad monaſterij dignitatem ſub ſeraphici patris Franciſci titulo promouit, inibique quoad comes ſibi vita fuit, cum alijs ſibi adhærentibus fœminis ſub tertio eiuſdem ſeraphici patris Ordine, atque ſub reuerendi patris huius Prouinciæ Miniſtri obedientia ſanctiſſimè perſeuerauit. Viguit hoc in loco, à 35. Tertiarijs ſororibus frequentius inhabitato, à ſui erectione in hodiernam vſque diem maxima ſanctitas, maximaque religio: quod & in cauſa eſt, vt plures ſacræ virgines Deo gratiſſimę, ex eo prodierint.

De monaſterio S. Annæ Lorcæ. Mon. XII.

PER aliquot annos antequam Iulius II. ad ſummum Pontificatum aſſumeretur, nobilis matrona Eliſabetha Pontia, vidua ex viri morte relicta, empto à Lorcenſi

ſenatu

ſenatu ſufficienti intra eius mœnia fundo, domum in monaſterij formam ſub titulo A
S. Annæ ibidem ædificandã curauit: ſumptoq; ſimul cum Franciſca Pontia, atq; Maria Sanctia à Beocia ſibi filiabus Tertiariarum ſororum Franciſcanarum habitu, adeò ſe in omni virtutum genere cum illis exercuit, vt maximam ſanctitatis opinionem apud omnes acquiſierit, & plures virgines, 3. B. P. Franciſci Inſtituto mancipandas, ad ſe traxerit. Quo deniq; factum eſt, vt præfata domus in iuſtum monaſteriũ euaſerit, atq; 30. ſorores impræſentiarum contineat. Prolixitatem vitaturus hæc tantùm de prædicta præſentis loci fundatrice, eiuſq; filiabus dixerim: quòd ſanctitatis norma Lorcanis factæ ſint, quodq; eius reliquiæ aliquot dæmoniacos ab immundis ſpiritibus, pluresq; infirmos à diuerſis lãguoribus liberauerint. Huius rei fideliſſimus teſtis eſſe poterit F. quidam Michaël laicus Franciſcanus, qui ad corporis præfatæ Eliſabethæ Pontiæ contactum, dum aliò transferendum honoris ac etiam deuotionis cauſa exhumaretur, B
ab hernia, cuius grauedine præmebatur, liber euaſit. Præſentis monaſterij eccleſia quibuſdam ſanctorum Zenonis, eiuſq; ſociorum reliquijs exornatur condecoraturq́;.

De monaſterio S. Mariæ Magdalenæ ibidem. Mon. XIII.

PRAESENS conuentus, beatæ Mariæ Magdalenæ dicatus, atq; extra Lorcanæ ciuitatis mœnia erectus, præcedenti contemporaneus exiſtimatur: nam nulla extat ſcriptura, nullaq; penitus traditio, quæ nos de iſtius, aut de illius certo erectionis tempore certiores faciat. Eius nihilominus origo talis eſt: Cùm Tertiariæ ſorores Franciſcanæ Lorcani S. Eliſabethæ monaſterij incolæ inter ſeſe diſſentirẽt, 3. vterinę ſorores, apoſtolico diplomate à ſummo tunc Pont. ſedente impetrato, propriæ quieti conſulturæ paternos lares cęteris conſororibus relictis repetiêre: in quibus per aliquot annos C
ſanctiſſimè conuixerunt: Quibus cùm honeſta, deuotaq; alia matrona diuitijs affluens, cuius vir ex pacto ſecum inito Minoriticum habitum in Angelorum Prouincia induerat, duabus cum filiabus adhæſiſſet, emptam in Lorcanæ ciuitatis ſuburbio domum in monaſterij formam tranſtulêre. Quòd quidem monaſterium adeò coaluit, vt 20. Tertiarias ſorores Franciſcanas commodè cõtineat, nulliq; nec ſanctitatis, nec religionis, nec etiam honeſtatis palmam concedat. Nec mirũ ſanè, cùm eius fundatrices, cum magna ſanctitatis opinione decedentes, maximum ſui deſideriũ Lorcanis ciuibus reliquerint, quare ſingulari deuotione illas proſequuntur, ſummiſq; laudibus extollunt.

De monaſterio corporis Chriſti Villæ nouæ Infantium. Mon. XIIII.

CVM honeſtæ 2. virgines, quarum alteri Catharina Ruizia, alteri verò Catharina Gonzalua nomen erat, ſtrictiorem vitam anhelantes, collatis in medium D
ſuis facultatibus, ſub Tertiariarum ſororum Franciſcanarum habitu ſimul viuerent, proprijſq; manibus neceſſaria ſibi ad victum acquirerent, deuotus quidam oppidi Villæ nouæ Infantium accola propriam domum illis ex teſtamento reliquit. Quibus cùm temporis ſucceſſu aliquot aliæ virgines eadem mente, ijſdemq; moribus præditæ, & inter illas quædam Oſornienſium Comitis ex fratre neptis diuitijs opima adhæſiſſent, religioſam ſororem Bernardinam à Monte maiori ex Alcaraziano Tertiariarum monaſterio, quæ ſe religioſis ritibus, boniſq; moribus imbueret, ad ſe adducendam, ſibiq; in matrem præferendam curarunt. Sed cùm is locus, accedentibus in dies de nouo ſororibus, quarum numerus impræſentiarum quadragenarius eſt, minus eis deſeruiret, alius multò capacior, multòque commodior, quibuſdam prædijs, atque molendinis E
ſibi adiunctis, illis, anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo vigeſimo primo die verò menſis Octobris 4. à perdeuotis Michaële Lorcano, atq; Eluira Garſia à Contreras eius coniuge maxima ex charitate collatus extitit. Præterea nobilis Licentiatus Mexia, eiuſque coniux Anna Muñozia elegantiſſimam eccleſiam, Corpori Chriſti ſacram, præfato monaſterio contiguam, eiuſdem ſororibus ex comunibus ſumptibus ædificari fecerunt. Quanta fuerit huius loci ſanctitas (vt interim breuitati ſtudeam) hinc colligi poteſt, quòd plures ex eo ſorores ad alia loca tum erigenda, tum fundanda, tum quoque gubernanda à patribus, quorum intereat, eductæ ſint. Cui prouinciæ atque oneri ſibi iniuncto prudentiſſimè fecerunt ſatis.

De mona-

A *De monaſterio Aſſumptionis B. Mariæ apud S. Clementem.* *Mon. XV.*

CVM vidua quædam, ſumpto Tertiariarum ſororum Franciſcanarum habitu, ſibiq; honeſtiſſimis duabus fœminis eodem ſub habitu adiunctis, propriam domum, præſtita prius patri huius Prouinciæ Miniſtro obedientia, in monaſteriū transferre vellet: atq; ex eiuſdem patris decreto religioſa ſoror Anna Sanctiez ex Tertiariarum conuentu, Villæ nouæ Infantium erecto, vt eis præeſſet, Religioniſq; viam felicius oſtenderet, adducta eſſet, præfata vidua, quæ ad huiuſmodi honorē aſpirabat, vt primùm ſe ſua ſpe fruſtratam intellexit, eas omnes propria domo eiecit, pepulitq;. Qua tamen de cauſa & illæ ſe ad pauperiorem quandam domum, religioſiſſimam vitam interim deducentes, ad tempus receperunt, & iſta Religionis habitu à Minoritici conuentus Guardiano exuta fuit. Accidit interim, vt quidam præfati oppidi ſan-
B cti Clementis incola Martinus Ruizius à Villa mediana è viuis excederet, atq; propriam domum in Clariſſarum, aut in Tertiariarum ſororum monaſterium transferendam ex teſtamento, anno Dominicæ incarnationis 1223. die verò menſis Octobris 8. relinqueret. Quod cùm præfatis ſororibus innotuiſſet, ad eam protinus, teſtatoris voluntati ſatisfacturæ, conuolarunt. Poſt aliquot verò annos, cùm plures aliæ virgines, atque honeſtæ matronæ earundem habitui mancipandæ ſibi adhæſiſſent, nobilis quædam vidua Eliſabetha à Pidrola plura prædia, pluresq; poſſeſſiones, atque capaciſſimam domum, quam in monaſterium euectam earum triginta imprę ſentiarum inhabitant, ad 14000. coronatorum ſummam eis ex teſtamento reliquit.

De monaſterio Veronicæ Murciæ. *Mon. XVI.*

C NOBILIS ſimul atq; pientiſſima Eliſabetha ab Alarconio, huic ſæculo, anno Dominicæ incarnationis 1529. vale dictura, ex teſtamento præcepit, vt propria ſuæ habitationis domus, intra Murcianæ ciuitatis mœnia erecta, in Tertiariarum ſororum Franciſcanarum monaſterium ſub Veronicæ titulo eueheretur. Cui & maiorem ſuorum bonorum partem ad 14000. coronatorum ſummam reliquit. Vt igitur primùm eius voluntati ſatisfactum fuit, duæ eiuſdem Ordinis moniales ex ſanctę Mariæ Magdalenæ monaſterio Alcarazij erecto, adductæ ſunt, quę & pręſenti conuentui feliciſſimum dedêre initium, & aduentantes iuuenculas in omni pietate, Dei timore, atque regulari diſciplina imbuerunt. Vt autem plures ſorores ſimul iunctæ felicius coaleſcerent, quotquot in huiuſmet Murcianæ ciuitatis conuentu, diuæ Brigidę dica-
D to, agebant Tertiarię ſorores ad pręſentem locum ex eorum, quorum intererat, decreto, anno reſtitutę ſatutis milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto tranſlatę fuêre. Quę tamen omnes ſimul computatę quadrageſimum primum numerum abſoluunt.

De monaſterio Conceptionis B. Mariæ Alcarazij. *Mon. XVII.*

ANIMADVERTENS religioſiſſima ſoror Franciſca à Cruce, conuentus ſancti Ioannis de Pœnitentia, Toleti à reuerendiſſimo patre fratre Franciſco Ximenio Toletanorum Archiepiſcopo erecti, qui ad Tertiarias Franciſcanas ſorores pertinet, olim alumna, ſe non ſibi, ſed patrię potius natam, poſtquam per quadraginta & eo amplius annos pręfato in conuentu ſanctiſſimè vixiſſet, ędiculam, Conceptioni Virginis glorioſę ſacratam, atque in ſuburbio oppidi Alcarazij, ex quo ipſa
E oriunda erat, erectam à ſe ab eiuſdem oppidi communitate impetrandam, atque in monaſterij formam, ex facta ſibi ab inclyto Antonio à Toleto ſacrę ſancti Ioannis Militię apud Hiſpanos Priore, cuius id munus erat, facultate, euehendam cenſuit. Vt igitur primùm pręfatam ędiculam, anno à mundi redemptione 1564. die verò mēſis Maij vigeſima tertia obtinuit, eam tum ex conſanguineorum bonis, tum quoque ex piorum eleemoſynis ſumma diligentia acquiſitis, in monaſterium, immaculatę Conceptioni Virginis glorioſę ſacrum, atq; triginta Tertiarijs ſororibus Frāciſcanis continendis omnino accommodum, transferendam curauit, eiuſq; matrem, vt accedentes iuuenculas tum religione, tum quoq; honeſtate imbueret, per aliquot annos egit. Cuius hauddubiè vita pietatis atque ſanctitatis ſpeculum cęteris correligioſis fuit.


PROVINCIA FLANDRIÆ.
S. ANDOMARVS EPISCOPVS.

PROVINCIA FLANDRIAE.

A CVSTODIA Flandriæ, olim ſubdita Miniſtro Prouinciæ Franciæ Pari-
ſienſis, ſeparata fuit, & in Prouinciam erecta, anno Dn̄i 1523. in Capitulo
generali Burgenſi, præſidente R. P. F. Franciſco de Angelis tum generali
Miniſtro, & à Clemente VII. eodem anno illius erectio confirmata, vt pa-
tet ex bulla ipſius data ſub annulo Piſcatoris anno 1523. 1. Decēbris, Pon-
tificatus eius anno j. Maius huius Prouinciæ ſigillum (cuius ſuperſcriptio eſt: SI-
GILLVM MINISTRI ORD. MIN. PROVINCIÆ FLANDRIÆ.)
habet in medio Chriſti crucifixi imaginem: ad dexteram autem S. Franciſci exten-
dentis brachia, ad ſiniſtram verò S. Hieronymi pectus percutiētis icones, inferius ha-
B bet arma & inſignia Comitatus Flandriæ quę ſunt Leo niger aſcendens in campo au-
reo. Hæc porrò Prouincia non eſt in aliquo Regno, ſed conſtat ex varijs conuentibus
fratrum, & monialium conſtitutis in diuerſis Ducatibus, Comitatibus, & Prouincijs
Regis catholici, patria quoq; & diœceſi Leodienſi. Continet in latitudine 36. Flādri-
ca milliaria. In longitudine autem 66. Ab Oriente habet Prouinciā Pariſienſem, & ex
altera ſibi conterminam Prouinciā Franciæ: ſed à Septētrione mare Oceanū, in cuius
littoribus plures obtinet conuentus, reſpicit. Ab Occidente tandē Angliæ Regnū ſibi
habet oppoſitum. Eſt etiam coniuncta & commixta Prouinciæ S. Andreę. In tota autē
ſua latitudine & longitudine habet 17. conuentus fratrū, & plures monialium diuerſi
C generis, quorum tn̄, ꝙ maiori ex parte diruti ſint ab hæreticis, nulla vel certè breuiſ-
ſima mentio fiet. Ideo huic Prouinciæ S. Audomari imaginē præfigere volui, ꝙ Odo-
maropolis Belgicę ciuitatis, in qua 1. conuētus ſitus eſt, peculiaris tutelaris habeatur.

De conuentu SS Petri & Pauli Odomaropolis. Conu. I.

TEMPORE S. Franciſci extra & prope muros ciuitatis S. Audomari fundatus
fuit à Ducibus Burgundiæ, qui tum etiā erant Comites Artheſiæ, is conuentus: In
quo vſq; ad annum Dn̄i 1488. octoginta fratres habitarunt. Inter quos pręcipuus fuit
P. F. Ioannes Marcelli, qui anno 1408. exiſtēs Guardianus à S. Bernardino ad eas par-
tes veniente aſſumptus fuit in ſocium, pro reformatione quorundā conuentuum Flā-
D driæ & Galliæ. Huius venerabile corpus iacet in 9. conuentu. Quoniam autē circa an-
num 1478. propter continua bella, fratres nō poſſent ibi amplius pacificè viuere: Six-
tus IIII. Pont. max. ad poſtulationē ſereniſſimę Margaretæ filię Maximiliani Imp. &
amitæ inuictiſſimi Cęſaris Caroli V. Belgicarum Prouinciarum loco eiuſdē Guberna-
tricis, ordinauit illum totaliter diruendum, conceſſitq; alium in vrbe ædificari. Quem
fratres alterius conuentus ingreſſi ſunt, anno 1488. Patroni eccleſiæ ſunt SS. Apoſtoli
Petrus & Paulus. In hoc conuentu ſunt 59. fratres, inter quos ſunt 34. ſacerdotes, 23.
pręditatores, 2. Lectores in ſcholaſtica Theologia, & vnus in Philoſophia. In cuius ar-
chiuis ſequentes bullæ apoſtolicæ ſub plumbo datæ ſeruantur, bulla nempe Concilij
Conſtantienſis, qua annuitur poſtulationi Guardianorum & fratrum aliquot conuē-
E tuum, qui petebant Vicarium generalem ſibi aſſignari, ex cuius ordinatione poſſent
ſub arctiori viuendi norma degere. Bulla Innocentij IIII. qua concedit fratribus licē-
tiam celebrandi ianuis clauſis in ijs locis, quę excommunicationi vel interdicto ſubia-
cent. Bulla eiuſdē, ꝙ fratres non teneantur diuinum officiū dicere, ſi illud cum alijs in
choro dixerint Plurimæ aliæ bullæ ibi reperiūtur quas breuitati ſtudēs prętermitto.
Nec ſacroſanctis ſanctorū reliquijs caret ſacra hæc domus, cùm in eius ſacrario in-
fraſcriptæ aſſeruentur nempe: Ex oſſibus B. Barbaræ, S. Chriſtophori, S. Iacobi maio-
ris, S. Margaretæ, S. Huberti Epi Leodienſis, S. Iuliani marty. S. Annæ matris B. Mariæ,

B.Mariæ Salome,S.Eligij Ep̄i,S.Ceciliæ,S.Vrſulę ſuarumq; ſociarū, S.Audomari Ep̄i, A
S.Vincentij mart.S.Sebaſtiani,ex habitibus ſiue veſtimentis B.patris noſtri Franciſci,
S.Thomæ Archiep̄i Cantuarienſis,S.Eliſabeth,S.Bernardini,S.Thomæ,cuius corpus
eſt Reate , de ſepulcro B. Barbaræ, pars petræ cuiuſdam ſciſſæ in morte Chriſti,de ſe-
pulcro B.Mariæ,de monte Caluario,crines cuiuſdam S.Aurelianenſis Ep̄i,ſunt deinde
alię quamplurimæ in hoc conuentu reliquię,quæ religioſè ad SS.honorē reſeruantur.

De conuentu B. Mariæ virginis Brugis. *Conu. II.*

EXTRA & prope muros ciuitatis Brugenſis,tp̄e S.Franciſci fundatus fuit conuē-
tus à generoſo viro & milite Henrico Rem,vt liquet ex pluribus antiquis literis,
quæ adhuc reſeruantur . Quùm autem locus ille parum commodus eſſet fratribus, ad
poſtulationem plurimorum tum eccleſiaſticorum,tum ſęcularium,pręcipuè verò R. B
Vualteri Ep̄i Tornacenſis,fundari cępit alius conuentus intra oppidum Brugenſe , à
generoſiſſima Ioanna Comitiſſa Flandriæ, vxore quondā filij Sebaſtiani Portugaliæ
Regis,& ſorore ipſius Margareta illi ſuccedēte,conſenſu & auctoritate Innocētij IIII.
accedēte,anno ſui Pontificatus v.anno verò Dn̄i 1258. Templum maius,in quo dein-
ceps diuinum eſt perſolutum officium,beneficio mercatorū potentiſſimorū,qui tunc
temporis ex cunctis penè orbis nationibus Brugis habitabant,maximè verò Florenti-
norum conſtructū,idem prętactus Tornacenſis Ep̄s Vualterus in honorem B.Virginis
dedicauit.In quo equidē templo anno 1290.D.Balduinus filius Guidonis inclyti Co-
mitis Flādriæ,ac plurimi deinceps nobiles,Barones,Principumq; filij,ac filiæ in Ordi-
nis habitu ſunt ſepulti.Puteus quidā eiuſdem cōuentus dicitur à D.Bernardino bene-
dictus,ex cuius aqua bibentes certum aduerſus febres antidotum ſuſcipiebant . Cuius C
etiā D.Bernardini viua effigies depicta ibidem conſeruatur . Legimus deuotiſſimum
Coſmā Medices auum Leonis Papæ X.proprijs impenſis ædificaſſe vnum conuentum
fratrum extra muros & propè Brugenſem ciuitatem,fuiſſeq; ante diuiſionem Prouin
ciæ adiunctum Prouinciæ Franciæ Pariſienſis . In illo fratres habitauerunt vſq; ad re-
formationē conuentus ciuitatis: de quo ſubditur; Quum fratres magni conuētus Bru-
genſis aliquantulum lapſi fuiſſent ab obſeruantia Regulę, anno Dn̄i 1515. ad inſtantiā
Dn̄orum vrbis Brugenſis auctoritate Leonis X. Pont.max. aliò commigrarunt, & in-
troducti ſunt fratres Obſeruantiæ regularis , qui erant extra muros in conuentu præ-
fati Coſmæ Medices. Tunc fuerunt in illo conuentu magno 108.fratres. Ab illo tem-
pore multùm floruit in pietate,& doctrina: nam ibi etiā viguit ſtudium,in quo fuerūt
3.Lectores,vnus in ſacra ſcriptura,2.in Theologia diſputatiua,& 3.in Philoſophia.Hic D
maximus Prouinciæ Flandriæ conuentus (proh dolor) planè ab hæreticis in his tra-
gicis tumultibus totus eſt dirutus, expulſis inde fratribus anno 1579. qui erant 32.in-
ter quos erāt 20.ſacerdotes,è quibus 13.prędicatores,& vnus Lector Theologię.Alius
etiam extra ciuitatem , in quo ab egreſſu fratrum Obſeruantiæ regularis 50.moniales
(quas de Annuntiatione vocant) ſub obedientia Miniſtri Flandriæ habitarunt , totus
etiam eſt demolitus . In hoc pulcherrimo conuentu ſolebant etiam 3.ſacerdotes ſoro-
ribus miniſtrare. Primi autem conuentus fundati tempore S. Franciſci nullū penitus
extat veſtigium. Aſſeruabantur hoc in Brugenſi conuentu integra ſiniſtra manus D.
Margaretæ,quam ei illuſtriſsima Margareta Flandriæ Comitiſſa, ac conuētus funda-
trix donauit , quæ equidem manus quotidianis clarebat circa mulieres , periculoſè in
partu laborantes,miraculis : capita 5.ex 11. millibus virginum: pars magna corporis E
D.Chriſtophori: pars brachij D.Panthaleonis mart.pars capitis D.Thomæ Archiep̄i
Cantuarienſis: brachium integrum ex 11.millibus virginum : brachia deinde aliquot
aliorum ſanctorum integra : ex reliquijs D. Ferguſani Epiſcopi : reliquiæ plurimæ
D.Catharinæ, Barbaræ, D.Martini,Nicolai, Leonardi, Chryſogoni : brachium vnius
ex pueris martyribus Innocentibus,qui mortem pro Chriſto ſunt perpeſſi .

Bullæ ſummorum Pontificum,quę adhuc in archiuis conuentus Brugenſis ſub plū-
bo conſeruantur ſignatæ,ſunt quæ ſequuntur : Bulla Innocentij IIII. quòd eccleſia-
rum Prælati admittant fratres noſtros ad prædicationes , & confeſſiones audiendas .
Bulla eiuſdem , quòd excommunicationis & interdicti tempore liceat clauſis foribus

fratribus

A fratribus celebrare. Bulla eiuſdem, quòd poſſumus ad Ordinem accedentes ab omni excommunicationis ſententia abſoluere. Bulla eiuſdẽ, quòd nulli recipiantur ad profeſſionem ante completum annum probationis. Bulla eiuſdem, de captiuandis apoſtatis, & incarcerãdis. Bulla eiuſdem, quòd Miniſtri prouinciales cum Diffinitoribus poſſint fratribus ſuis committere prædicandi auctoritatem. Bulla eiuſdem, quòd fratres Dominicani non poſſint noſtros fratres ad ſuum Ordinem recipere. Bulla eiuſdem, ꝙ nemini ſęcularium habitum noſtrũ geſtare liceat. Bulla eiuſdem, ꝙ prouinciales Miniſtri vices alijs committere poſſint pro nouitiorum ad Ordinẽ receptione. Bulla eiuſdem, quòd fratres non poſſint acceptare cauſarum cognitiones, vel executiones ſententiarum. Bulla eiuſdem, quòd fratres apoſtatę, aut ab Ordine decedentes publicè denuncientur eſſe excommunicati. Bulla Innocentij IIII. quòd tranſeuntes ex Ordine noſtro ad alium ſine obtenta licentia, nõ poſſint ſine ſpeciali licẽtia Papæ ad aliquod B officium promoueri. Bulla Clementis IIII. quòd liceat fratribus prędicare, confeſſioneſq; audire ſuperiorum conſenſu non requiſito. Bulla Alexãdri IIII. reprobationis cuiuſdam libelli contra mendicitatem & Mendicantes. Bulla eiuſdem, quòd Miniſtri cũ Diffinitoribus poſſint fratres in prouincialibus ſuis Capitulis ad prædicationis officium promouere. Bulla eiuſdem, quòd Epiſcopi in ſuis diœceſibus valeant fratres diſcurrentes abſoluere & punire. Bulla Honorij IIII. qua licentiam dat recurrendi ad alios Epiſcopos quàm diœceſanos, ſi ſe exhibeant difficiles in conſecrationibus templorum vel altarium. Bulla eiuſdem reuocatoria omnium pactorum & factorum per fratres cũ prælatis ſine licentia facultateq; generalis Miniſtri, vel Capituli generalis.

De conu. SS. Petri, Pauli, & Mariæ Magdalenæ Gandaui. Conu. III.

C CONVENTVS Gandenſis paulò ante mortẽ S. Franciſci fundatus eſt à generoſiſſimo Ferdinando Flandriæ Comite, filioq; Regis Portugalię, & vxore ipſius generoſiſſima Ioanna, vt patet ex annalibus Comitatus Hannoniæ. Hic etiã fuit fundator conuentus Valencienenſis Prouincię S. Andreæ. Iſte conuentus ſimiliter lapſus à vera noſtræ Regulæ obſeruãtia reformatus fuit, anno 1503. & Prouinciæ Pariſienſi coniunctus ante erectionẽ huius Prouinciæ. A tempore reformationis illius vixerũt in eo, & multo tempore 80. fratres & amplius, inter quos erant 43. ſacerdotes, prędicatores 30. alij erant iuuenes & laici. In hoc etiam conuentu floruit ſtudium ſacrę ſcripturæ ſcholaſticum & Philoſophicũ, in quo fuerunt duo Lectores, vnus nempe in ſacra ſcriptura, alius in Theologia ſcholaſtica & Philoſophia. Fratres, qui erant numero 26. D (inter quos erant 11. prædicatores) fuerunt expulſi eodem tempore quo Brugenſes. Verumtamen conuentus non eſt planè dirutus ſicut Brugẽſis, à quo diſtat octo leucis. Patroni eccleſiæ ſunt ſancti Apoſtoli Petrus & Paulus, Maria Magdalena, & Martha.

De conuentu S. Crucis Ipris. Conu. IIII.

QVO tempore fundatus fuerit conuẽtus Iprenſis penitus ignoratur. Conſtat autem antiquam eſſe illius fundationem, propterea quod proximè ſequitur conuentum Gandenſem. Fundatores eius fuerunt generoſus Ioannes de Porta, & nobilis Suſanna de S. Audomaro. Eccleſia dedicata eſt ad honorẽ S. Crucis, in qua ſeruabatur inter alias reliquias ſummitas pollicis dextri S. Antonij de Padua. Fuit & iſte conuẽtus lapſus ab obſeruantia Regulæ, ſed reformatus 1503. & Prouinciæ Franciæ Pariſiẽſis E incorporatus. Floruit etiam in hoc conuentu ſtudium ſacræ ſcripturæ ſcholaſticum & philoſophicum. In quo fuerunt quinquaginta fratres, inter quos erant 30. ſacerdotes, è quibus 20. prædicatores. Cùm verò inde fuerint eiecti, neque licuerit eis aliquid tranſportare, non potuimus ſcire quales eſſent ibi reliquiæ qualiavè diplomata.

De conuentu S. Petri & Pauli Namurci. Conu. V.

CONVENTVS Namurcenſis, SS. Apoſtolis Petro & Paulo dicatus, tempore S. Franciſci à Philippo Comite Namurcẽſi conſtructus eſt. Et cùm patribus Conuentualibus ſubiaceret, anno Domini 1490. ad inſtantiam generoſiſſimæ Margaretæ Diore Regis Angliæ ſorore & Caroli Ducis Burgundiæ relictę viduę, ad eiuſdem In-

ſtituti Obſeruantes deuolutus eſt. Huius conuentus, quem 50. fratres inhabitant, quorum 17. concionatores ſunt, alumnus fuit reuerendiſſimus pater frater Franciſcus Vualoncapelle ſecundus Namurcenſis Epiſcopus, vir vtiq; genere nobilis, ſed religione ac pietate nobilior, qui Guardianũ huius loci ſtrenuiſſimũ egit & poſtea dum eſſet Guardianus Niuellenſis ad Epiſcopatum, ob ſuas egregias virtutes, aſſumptus fuit. A

De conuentu Conceptionis B. Mariæ Niuellæ. Conu. VI.

HIC conuentus Niuellę, quę Brabãtię Ducatus oppidum eſt, anno Domini 1248. vt ex quibuſdam literis in huius loci archiuo aſſeruatis conſtat, erectus extitit. Pertinuit autem ad Conuẽtuales Franciſcanos patres à ſui erectione vſq; ad annũ Dominicæ incarnationis 1524. quo ad inſtantiam sereniſſimæ Margaretę, amitę Caroli V. Imperatoris inuictiſſimi, Flandriæ Gubernatricis, quæ proprijs ſumptibus magnificè ſatis huius loci eccleſiam, Conceptioni Virginis dicatam, exædificauit, ad eiuſdem Ordinis Obſeruantes tranſlatus eſt. Commorabantur hoc in conuentu, in quo ſtudium Theologicum ac Philoſophicum vigebat, 50. fratres, quorum 30. ſacerdotes, & ex his 20. concionatores erant. Attamen anno Domini 1579. in feſto Conuerſionis S. Pauli ſeditioſi hæretici oppidum Niuellenſe proditoriè occupantes conuentum omnibus bonis ſpoliarunt, ipſumq;, dempta eccleſia quam abominationibus inenarrabilibus prophanarunt, penitus demoliti ſunt. Cùm autem infeliciſſimum oppidum ſpatio duorum annorum ab ipſis quater captum, & ſpoliatum fuerit: tandem anno Domini 1580. à ſereniſſimo Principe Parmenſi, & exercitu catholici Regis Philippi II. è manibus illorum ereptum fuit. Dum conuentus reſarcitur 7. fratres noſtri in domo cuiuſdam perdeuoti Niuellenſis commorantur, diuinum officium in conuẽtus eccleſia perſoluentes, ex quorũ conſortio magnos fructus Niuellenſes reportant. B C

De conuentu S. Mariæ Ægyptiacæ Dunkerkæ. Conu. VII.

PERDEVOTI Guilielmus Dunkerkanus, & Lucia eius vxor pro ea, qua in Deũ ferebantur pietate, ac in beatum Franciſcum deuotione ex proprijs facultatibus hunc conuentum, B. Mariæ Ægyptiacæ ſacrum, Dunkerkæ, quæ oppidum maritimum, vbi portus celeberrimus maris Oceani conſiſtit, ædificarunt. Cùm autem oppidum, & ex conſequenti conuentus, in manus hæreticorum deuenerit, vndecim fratres Franciſcani ibi commorantes, varijs opprobijs ſaturati, inde pulſi fuêre.

De conuentu SS. Apoſtolorum Petri & Pauli Athi. Conu. VIII. D

PLVRES fundatores hic conuentus Athi, quod eſt oppidum ad Hamonienſem Comitatũ ſpectans, erectus cognoſcit; nam generoſus heros Ioannes de Ligne anno Domini 1445. eccleſiam, in qua & ſepultus eſt, in honorẽ SS. Apoſtolorum Petri & Pauli erexit: Ioannes de Traregnies miles, Ioãnes de Maſtinch Hieroſolymitanus miles, filiaq; eius Quintnia de Maſtinch, (hæc pia fœmina in erectione huius conuentus & Aueſnenſis, & duorum ſanctimonialium monaſteriorum vniuerſum patrimonium conſumpſit, & in perpetua virginitate ex laboribus manuum ſuarum vitã tranſegit) nobilis etiam Antonius Coſpiau eiuſq; cariſſima coniux, atque etiam deuoti Athenenſes conuentum ſibi adiunctum ædificarunt. Olim hoc in loco 50. fratres commorabantur, nũc autem 40. quorum 15. diuini ſeminis ſatores ſunt, & vnus ſacrę Theologię Prælector. In eccleſia in medio chori (vbi canitur epiſtola) iacet corpus P.F. Ioãnis de Mahuberto olim Vicarij generalis Ciſmontani per multos annos: obijt autem non ſine opinione ſanctitatis anno 1450. quo Romæ in Capitulo generali, tempore magni Iubilei, à Nicolao V. ſanctus Bernardinus ſanctorum catalogo aſcriptus eſt. In arca conuentus continetur vna bulla Pauli II. ſub plumbo, data Romæ apud ſanctum Petrum 1468. 15. calendas Ianuarij, Pontificatus illius anno v. ad poſtulationem generoſiſſimæ Iſabellæ Duciſſæ Burgundiæ, & quorundam ciuium ciuitatis Tornacenſis pro conſtructione alicuius monaſterij ſororum S. Claræ de prima Regula in præfata ciuitate, vel extra. Iſte conuentus eſt adhuc integer nimirum in oppido maximè catholico inter omnes ciuitates & oppida, quæ Regi catholico parent. E

A *De conuentu B.Mariæ Sluſis.* *Conu. IX.*

DE conuentu Sluſenſi,ſic vocato ab oppido,quod vocatur Sluſa,iuxta brachium quoddam magni maris Oceani,non habeo,quòd poſteris mandare poſſim,quia fratres omnes (qui erant numero nouem , è quibus quinq; ſacerdotes,& ex illis quatuor prædicatores) vt & alij diſſipati ſunt, & ſic præoccupati,vt cogerentur omnia relinquere in manibus hæreticorum . Iſte conuentus funditus eſt euerſus, nec vlla ſpes de reparatione illius nobis affulget. Patrona eccleſiæ erat beata virgo Maria.

De conuentu B.Mariæ Dixmudæ. *Conu. X.*

B CONVENTVS Dixmudenſis fundari cępit anno 1453. extra & prope muros oppidi Dixmudæ. Cuius fundatores fuerunt Domini Dixmuden. maximè verò generoſa herois Margareta de Berſta. Hæc autem patent ex bulla Nicolai V. data Romæ apud S. Petrum 1453. Pontificatus illius anno 7. quam obtinuit generoſiſſima Iſabella Burgundiæ Duciſſa (in cuius temporali dominio conſiſtit conuentus prædictus) inducta à P.F. Sigero de Nuſtaër tunc Vicario generali. Modò funditus eſt euerſus hic locus poſt exterminationē fratrum,qui reliquerunt omnia in manibus hęreticorum, vnde minimè occurrit quid de mobilibus ipſius dicamus . Quum exirent fratres erant numero 15. ſed quando florebat conuentus olim erant in eo 30. fratres .

De conuentu S.Ioannis Baptiſtæ Hulſti. *Conu. XI.*

C DE conuentu Hulſtenſi (ſic nominato ab Hulſto,in quo fundatus erat) ſimiliter nihil habemus,quia fratres eodem modo afflicti fuerunt ſicut & alij . Vixerunt quandoq; in illo conuentu 30.fratres ad minus , ſed poſt combuſtionem illius eorum numerus erat valdè imminutus:patronus eccleſiæ ſanctus Ioānes Baptiſta habebatur.

De conuentu S.Bernardini Aueſnis. *Conu. XII.*

GENEROSISSIMVS Dux Burgūdiæ Carolus de Catalois,& eius cariſſima ac generoſiſſima coniunx Iſabella à Borbonio,atq; etiam nobilis Maria de Pontinara ex ſibi à Pio II. Pontifice max.anno Domini 1460.Pontificatus verò ipſius anno 3.hunc conuentum in oppido Aueſne nuncupato, quod in ſpiritualibus ad Cameracenſem Archiepiſcopatum , in temporalibus verò ad Hannoniæ Comitatū attinet ,
D à fundamentis ad apicem vſque in honorem beati patris Bernardini erexerunt. Cùm autem oppidum catholicū ſit,conuentus,in quo 30.fratres commorantur,perſeuerat.

De conuentu S.Antonij de Padua Biezi. *Conu. XIII.*

PIENTISSIMVS Ioannes Biezenſis Hieroſolymitanus miles tanto affectu Franciſcanos fratres proſequebatur , vt eis ad ædificandum conuentum fundum liberaliter contulerit, vt conſtat ex bulla Sixti IIII. Pontificis maximi data Romæ, anno Domini 1474.Pontificatus verò ſui anno 4.In hoc ſereniſſima Iſabella Burgundiæ Duciſſa,& filia Regis Portugaliæ ex proprijs ſumptibus conuentum. S.P.Antonio Paduano ſacrum,& à 20.fratribus incultum , magnificè ſatis erexit ; qui,& ſi ab impijſſimis hęreticis,cùm in loco campeſtri & nemoroſo conſiſtat,bis fuerit dirutus,ope-
E ra tamen catholicorum reſarcitus extitit. In huius eccleſia quædam reliquiæ ſancti patris Antonij Paduani , & ſancti Ioannis Baptiſtæ religioſiſſimè aſſeruantur.

De conu.SS.Franciſci & Ludouici ſupra Sambram. *Conu. XIIII.*

HIC conuētus,SS.patribus Franciſco,& Ludouico Epiſcopo ſacratus in loco cāpeſtri,& ab hominum commercio ſatis remoto (à Bruxella namq; 9.milliaribus diſtat) iuxta flumen,quod corrupto vocabulo Sambra, ſed à Iulio Cęſare in ſuis commentarijs Sabis nuncupatur, anno Dñi 1417. à V.P. Gerardo de Eych Abbate monaſterij Floreſienſis Ordinis Præmonſtratenſis,& à V.Presbytero Thoma Hubuleto,auctoritate Sixti IIII. Pont.max.ſibi fauente,à fundamentis ad apicem vſq; conſtructus fuit. Hoc in loco , quem nunc ob dierum malitiam quindecim tantùm fratres inhabitant,

tant,

tant, ſtudium Hebraicarum ac Grecarum literarum, atque etiam ſacræ Theologiæ A viguit, & triginta ſex fratres, quorum quindecim concionatorum munere fungebantur, olim commorabantur. Annis ſuperioribus ter ab hæreticis ſpoliatus fuit.

De conuentu S. Mariæ & B. Barbaræ Leodij. Conu. XV.

SATISFACTVRVS ſereniſſ. Princeps & Epiſcopus Leodienſis Ioannes Horneus pijs votis Ioannis Bilitonis canonici Leodienſis, qui ab illuſtriſſ. Iuliano Epiſcopo Sabinēſi, Cardinali ſancti Petri ad Vincula, atq; in vniuerſis Galliarum partibus apoſtolicæ Sedis Legato, anno Domini 1481. facultatem Minoriticum monaſterium erigendi intra Leodij mœnia obtinuerat, hunc conuentum à fundamentis ad verticem vſq; in præfata Leodienſi celebri ciuitate erexit: cuius eccleſiam in honorem ſanctiſſimæ virginis Mariæ ac B. Barbaræ, anno 1507. die 25. Martij R. Erardus de Marcha B Epiſcopus Leodienſis conſecrauit. Ad huius conuentus, quem 55. fratres inhabitant, quorum 3. Lectores & 20. concionatores ſunt, erectionem, aliquam eleemoſynam generoſus miles Ludouicus Angianus, pro ſua in B. Frāciſcū deuotione, elargitus eſt.

De conuentu S. Michaelis Connini. Conu. XVI.

IN quodam territorij oppidi Connini diœceſis Leodienſis loco ſyluatico, nemoroſo, ac ab omni domo, pago, & oppido per milliare Germanicū diſtante à quodam generoſo Franciſco de Furna, anno Domini 1486. hic conuentus, S. Michaëli Archāgelo ſacer, conſtructus extitit: qui tempore pacis à 20. fratribus incoleretur, nunc autem tantum 15. ibi morantur, ex quibus nouem ſeminis diuini diligentes ſatores ſunt. C

De conuentu B. Mariæ virginis Lucemburgi. Conu. XVII.

LVCEMBVRGVM caput & metropolis Ducatus Lucemburgēſis, ad Regem catholicum attinentis, conuētum Minoriticum, tempore B. P. Franciſci erectum, in ſe habet: qui cùm Conuentualibus Franciſcanis patribus ſubeſſet, ex mandato Pij V. Pontificis max. ad inſtantiam catholici Regis Philippi II. anno Domini 1567. ſed Pontificatus ſui anno ij. dato, ad eiuſdem Inſtituti Obſeruantes deuolutus eſt. Cùm autem in huiuſmodi reformatione Magiſtratus in ſua retinuerit poteſtate conuentus ſcripturas, nihil certi de eius memorabilibus habere potuimus. In eccleſia, S. Dei genitrici Mariæ dicata, ſepultus iacet ſereniſſimus Ioannes III. Boëmiæ Rex, ex cuius epitaphio eius ſepulchro inciſo tres Auguſtos genuiſſe conſtat. Commorantur hoc in conuentu 11. Franciſcani fratres, quorum ſex ſunt fideliſſimi concionatores. D

De monaſterijs monialium.

SVNT præterea hac in Prouincia ſex monialium genera, de quibus, quòd eorum monaſteria ab hereticis maiori ex parte diruta ſint, paucula, idq; ſatis cōpendioſè impræſentiarum referemus. Primū itaq; genus eſt S. Claræ de prima Regula, quarū ſunt duo conuētus, vnū in oppido quod vocatur Inſula, alterū in oppido quod Mildeburgū Flandriç dicitur, exiſtens in poteſtate hereticorū. Eſt etiā vnus conuētus Vrbaniſtarum in ciuitate Brugenſi, qui in manibus eorundem diu fuit. Sed iam, ipſa ciuitate in catholici Regis poteſtatē redacta, maxima nobis ſpes recuperandi affulget. Numerus illarum eſt 87. Secundum genus eſt monialium de Annunciatione B. Virginis, quarum duo ſunt conuentus, vnus in ciuitate Brugenſi, qui ſimiliter fuit in manibus E inimicorum, modò verò catholicis ſubiacet. Quamobrem ab his, quæ ſuperfuerunt, & monialibus denuò inhabitari poterit, alius in oppido Berhunia dicto. Quarum numerus eſt 81. Tertium eſt ſororum quas Griſeas vocamus, à colore griſeo, ſiue cinericio. Iſtæ ſunt pauperes mendicantes, & diuinum officium facientes ſicut & nos, quarum erant 20. conuentus. Sed modò ſunt quinq; in manibus hæreticorum. Harum numerus eſt 420. Quartum genus eſt hoſpitalium, quas ita vocamus, quia hoſpitio recipiunt aduenas & peregrinos in ſuis xenodochijs & hoſpitalibus, & etiam miniſtrant infirmis in ciuitatibus & pagis. Illarum erant 33. conuentus, quorum 9. ſunt in manibus hæreticorū. Numerus earum eſt 496. Quintum eſt ſororū de Cella, quas ita

vocamus,

A vocamus, quia in cellis & domibus ſeruiunt infirmis & peſte laborātibus. Conuentus earum ſunt 12. In manibus hæreticorum ſunt duo. Numerus earum eſt 203. Sextū eſt ſororū S. Catharinę poſſidentiū, & facientiū officiū diuinū ſicut & nos: quarum erant conuentus 4. ſed 3. ſunt in manibus hęreticorum. Alius extat in ciuitate S. Audomari.

Anno 1552. erant hac in Prouincia 800. fratres, cùm tamē ex 16. conuentibus tantùm conſtaret, nunc autem, vltra diſperſos ratione belli per diuerſas & varias regiones, ſunt tantummodo 320. ex quibus 136. prædicatoris munere funguntur.

Floruit præterea olim hæc Prouincia doctiſſimis, ijsq; pijſſimis patribus, quorum aliquot in medium adducemus, & primo quidem loco V. P. F. Franciſcum Merot olim Guardianum, & Lectorem in conuentu S. Audomari, qui cùm eſſet in Italia cum R. P. F. Franciſco de Angelis (cuius erat Secretarius) anno 1526. electus fuit in ſecun-
B dum Miniſtrum huius Prouincię, ad quā reuerſus pręfuit duobus annis, mortuusque eſt tempore ſui Miniſterij, anno nempe 1528. Hic fuit vir eximius & primus inter Prouincię patres. Deinde P. F. Ioannem Clerici quondam Guardianum conuentus Biezēſis eximium concionatorē, qui ſcripſit plures egregios libros, qui obijt in conuētu ſuo Biezenſi, anno 1532. Et P. F. Rogerum Bruletum omnium Prædicatorum ſui temporis in Prouincia facundiſſimum, qui obijt in conuentu ſancti Franciſci ſupra Sambram anno 1537. Et P. F. Frāciſcum Regis olim Guardianū Niuellēſem, inſignē Theologum & concionatorem celeberrimum per 15. annos in curia Cæſaris Caroli V. & ſororis eius Mariæ Vngariæ Reginæ. Hic varia ſcripſit opuſcula, quibus poſteritati laudabilem ſui memoriam reliquit. Floruit autē, & obijt ſub eodem Carolo V. in con-
C uētu Niuellēſi, poſtea quàm ferè totū à fundamētis, eleemōſynis Imperatoris, Reginę pręfatę, & procerū patrię cōſtrui curauerat an. 1540. Et P. F. Ioannē Haya cōcionatorē eloquentiſſimū, qui poſtquā ter munere Miniſteriatus functus fuerat, Namurci anno 1544. diē clauſit extremū. Alios quāplurimos patres breuitati ſtudēs prætermitto.

His patribus annectendi veniunt cæteri huius Prouinciæ patres ac fratres, qui pro fide & Religione catholica glorioſè ſub hęreticis noſtri temporis occubuêre. Anno ſiquidem 1571. 19. Nouembris cùm V. P. F. Petrus Prus Gallus Vicarius Athenſis, à Guardiano ſuo F. Bartholomęo Lamberti per obedientiam mitteretur Gandauum, circa noctem propè ciuitatem incidit in manus trium prædonum hæreticorum, qui immaniter eum tractauerunt, & vſq; ad mortem ſauciarunt (cùm tamen nulla eos affeciſſet iniuria, ſed tantùm pacificè illos ſalutaſſet) nam ſtatim ibi propè in aliqua do-
D muncula, ad quam ſe contulerat, cum lethalibus vulneribus in cerebro, & trans corpus inflictis iunctis manibus obdormiuit in domino, precatus veniam ijs, à quibus lethaliter fuerat vulneratus. Corpus eius poſtridiè allatum eſt à toto conuētu fratrum, cum maximo ciuium lamentātium concurſu, & cum religioſa obſeruatione deportatū, atq; ſolemniter in conuentu ſepultum. Quùm V. P. F. Ioannes Penneman Flāder olim Guardianus Sluſenſis anno 1575. iret Gandauum per obedientiam ibi moraturus, incidit etiam in hæreticos latrones, qui eum in quodam nemore trucidarunt, & in pago proximo ſepultus eſt. Frater Guilielmus Olis Gallus genere nobilis, ſacerdos conuentus Niuellenſis inter Gandauum & Brugas ab hęreticis graſſatoribus cuidam arbori fuit alligatus, deinde ictu ſclopeti per cerebrum transfixus, ac poſtremò in medio dorſi à capite ad longum vſq; ad inferiora ſectus fuit, & ita à ſęculo ad Dominum
E migrauit 1575. anno Domini 1579. cùm frater Guilielmus Strauus ſacerdos, & frater Chriſtianus Sui Treuerim irent, ambo in itinere vnico ictu ſclopeti ab vno hæretico fuerunt interfecti apud celebrem quendam pagum. Quod crudele facinus cùm Dominus & Capitaneus illius pagi (qui vir erat catholicus) intellexiſſet, veniēs obuiam tyranno & malefactori dixit ei: Tu maledicte nebulo hæretice & prædo, interfeciſti duos bonos religioſos ſimpliciter ambulantes vnico ictu ſclopeti. Propterea accipe mercedem tuam, & hoc dicens ictu ſclopeti transforauit corpus eius, & ſic miſer miſerè obijt ſecundum opera ſua. Fuerunt & alij multi tempore præſentis perſecutionis ab eiſdem aduerſarijs nebulonibus, ac impijſſimis hęreticis, ob conſtantem confeſſionem ac defenſionem fidei Eccleſiæ catholicę Romanę incarcerati, grauiter cruciati, variaq; ludibria experti: qui aqua anguſtiæ, & pane tribulationis ſuſtentabantur.


PROVINCIÆ GERMANIÆ INFERIORIS
ENCHVSIA
ALCKMARIA
GOVDA
Exultate iuſti in domino

PROVINCIA GERMANIAE INFERIORIS.

A QVVM per orbem terrarum longè lateq; diffunderetur Ordo ſeraphici patris noſtri Franciſci, tanta fuit etiam in Germaniæ partibus huiuſmodi Inſtituti monaſteriorum multitudo, vt patres noſtri, matura deliberatione habita, partim ob locorum tam fratrum, quàm ſororum amplitudinem, partim ob alias easq; iuſtas cauſas Prouinciam Colonieſem diuidendam meritò iudicarint. Quocirca in duas primùm diuiſa fuit hæc Prouincia, anno Dominicæ incarnationis 1529. in Capitulo prouinciali Dorſtenſi: quarum vna nominatur Prouincia Colonienſis (de qua ſuprà) altera verò Prouincia Brabantiæ ſeu Germaniæ inferioris: (de qua impræſentiarum) quę pro ſui latitudine habuit conuentus fratrum 32. quorum ſitus partim in Brabantia, Hasbania, Hollandia, partim B in Zelandia, atq; Phryſia extitit: Sororum verò totidem, Clariſſarum nempe de prima (vt aiunt) Regula decem: de ſecunda autem, quas & Vrbaniſtas vocant, quinq;: ſed Tertiariarum vnum. Nunc verò (proh dolor) furentibus ſupra modum hæreticis, ac in religioſos, ſacrasq; ædes graſſantibus, illisq; infeſtiſſimum bellum inferentibus; non tam latè patet. Maioris huius Prouinciæ ſigilli impreſſio, ſeu figura eſt imago beatiſſimi patris Franciſci, ſuorum ſacrorum ſtigmatum impreſſionem in monte Aluernæ ſuſcipientis, atq; ſequentium literarum in orbem exaratio: SIGILLVM MINISTRI FRATRVM REG. OBSER. PROVINCIÆ INFER. C GERMANIÆ. Huic denique Prouinciæ noſtros fratres (de quibus infrà) in ea pro Chriſti fide ab immaniſſimis hæreticis, hoc noſtro ęuo, occiſos, quod minimè dubitem eam ſibi apud Deum ter opt. max. commendatiſſimam, anteponendos volui.

De Minoritico conuentu Louanij. *Conu. I.*

FVNDATVS eſt hic conuentus Louanij, quæ Belgij ciuitas eſt amœniſſima, ac literarum exercitio celeberrima, anno Dominicæ incarnationis 1228. biennio poſt mortem beatiſſimi patris noſtri Franciſci, eodem ſcilicet anno, quo Sanctorum catalogo aſcriptus fuit. Hunc locum primum incoluerunt patres Conuētuales, poſtmodum reformatur per fratres Colletanos, anno Dominicæ incarnationis 1499. die D vigeſimanona Aprilis. Datur verò inhabitandus fratribus de Obſeruantia, anno Domini 1506. pridie Exaltationis ſanctæ Crucis: ſed anno Domini 1533. pridie Viſitationis beatæ Mariæ virginis cœperunt fratres antiquum chorum diſſoluere atque diruere, qui anno Dominicæ incarnationis 1536. etiam pridie Viſitationis eiuſdē Virginis fuit de nouo reſtitutus ac conſummatus. Die verò decimaſexta Iulij eiuſdem anni, quæ erat Dominica tertia Iulij conſecratur, & auctoritate Epiſcopi ordinatur, vt deinceps Dominica tertia Iulij huius templi dedicatio celebretur. Tanta verò pietas, ac regularis diſciplinæ obſeruantia viguit in hoc conuentu, vt nedū inter Brabantiæ, ſed & totius Ordinis conuentus, iure optimo, haberetur celeberrimus, eſſetq; ſuæ ſanctitatis odore vbiq; diffuſo celebris, vſque adeò, vt qui ſolo aliorum relatu tantæ E ſanctitatis fragrantia perfunderentur, eò cum mira pietate ſua dona, calices, libros, ornamenta Eccleſiaſtica, pretioſiſſima quæque vltrò tranſmitterent, etiam ex partibus remotioribus. Nec ſanè ſuppreſſum oportuit dictum reuerendiſſimi patris Franciſci Angelorum noſtri olim Ordinis generalis Miniſtri, ac tandem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, qui, luſtratis Prouincijs plurimis, ad ſuos reuerſus iſtud præbebat de hoc conuentu teſtimonium: *Lapides conuentus Louanienſis ſancti ſunt, & neſcio quam ſanctitatem redolent.* Tantam ibi (dum viſitaret) repererat pietatem, & humilitatem, tantam religionem, tantum ſpiritus feruorem, tantam concordiam, vt inſtar

vt inſtar aciei ordinatiſſimæ, omnibus intrantibus admirabilis hic locus redderetur, ac intuentes etiamnum in ſtuporem raperet, atque compungeret. Hinc illa virorum ac mulierũ incredibilis in dies ſingulos conuerſio, qua ſua pretioſiſſima quæq; ſpolia Ægypto diripiuntur, currunt iuuenes ac ſenes in odorem vnguentorum optimorum, & in vocem illam ſaluberrimam erumpunt: Quid faciemus viri fratres? multiplicabatur quotidie filiorum numerus, magnificabatur & incredibilis lætitia: nam turmatim generoſi iuuenes, ditiſſimi atq; doctiſſimi omnia ſua proijciebant, calcatis patre & matre (vt verbis vtar D. Hieronymi) ſiccis oculis ad vexillum Chriſti euolabant. Quin etiam viri grandæui, maturi, in lege peritiſſimi, abiectis honorum titulis, ſæculo vale dicentes, cum omnium admiratione dexteras dabant D. Franciſci filijs. Quantum profuerit hic vnicus conuentus, nedum Ordini noſtro ſeraphico, ſed etiam Eccleſiæ Romanæ, id luculenter docuit experientia. Fuit enim fons & ſeminarium veluti fœcundiſſimum, quo toti Prouinciȩ abundè prouidebatur: ſi enim pietas & deuotio quærebatur, Louanij inueniebatur, ſi doctrina & eruditio petebatur, ex hoc loco latiſſimè diffluebat. Quod vt clarius euadat, nomina patrũ quorundã ſubnectemus, qui hoc in loco excelluerunt, citra annũ Domini 1506. ſub quo tempore à fratribus de Obſeruantia inhabitari cœpit. Eorum enim qui ante id tempus per annos 200. & amplius hunc locum incoluerunt, nihil inueniri potuit, niſi quòd ex veſtigijs veterum ædificiorum, præſertim prioris eccleſiæ, quæ modò in bibliothecam conuerſa eſt, ſatis appareat celeberrimum fuiſſe monaſterium. Vt verò de multis paucorum nomina ſubijciamus, qui ſingulari pietate ac eruditione claruerunt: imprimis eſt A B

Pater Theodoricus de Monaſterio, qui obijt anno 1516. ſepultusq; in choro noſtro, cuius effigies ibidem palàm aſſeruatur. Vir tam eximiæ ſanctitatis extitit, vt viuus atq; defunctus miraculis claruerit. Multùm laborauit hic pro reformatione Prouinciæ Germaniæ inferioris, & maximè conuentus Louanienſis. De hoc patre memoriæ proditum eſt, ipſo ſuæ mortis die concionem ad populum habuiſſe, ac ſuæ reſolutionis horam imminere verè prædixiſſe. Suum animarum feruidum zelum clarè expoſuit, peſte graſſante Bruxellæ, vbi vices Paſtorum ſollicitè pieq; ſupplens, 32. millium peſte laborantium confeſſiones excepiſſe, aliaq; ſacramenta adminiſtraſſe certò conſtat, eumq; Dominus in medio tantorum periculorum ſic ſeruauit incolumem, vt poſtmodum veniẽs Louanium in reſtitutione regularis diſciplinȩ prȩcipuus extiterit. C

Prȩterea inter huius conuentus egregios patres, non parua dignus eſt gloria P.F. Amandus de Zireeckzea, Louanienſis conuentus Lector eximius, poſtea Miniſter prouincialis, qui & multùm laborauit pro huius Prouinciæ reformatione. Edidit ſiquidem Chronicorum totius orbis libros ab origine mundi ad ſua vſq; tempora. Scripſit item in pſalmum 118. & in 78. Danielis Prophetæ hebdomadas. Trium linguarum tametſi eſſet peritiſſimus, ab humilitatis tamen ſemitis, vſq; ad vitæ finem, ne minimùm deuiauit. Miniſterij curſu laudabiliter peracto, Lectoris denuò officium non minus humiliter, quàm obedienter amplexus eſt, in quo vſq; ad mortem nullis gaudens priuilegijs perſeuerauit. Sepultus eſt in medio chori ſub pulpito, vbi cantatur Epiſtola, anno Dominicæ incarnationis 1525. D

P. Martinus Vander Keele à Turnuth ſacræ Theologiæ etiam Lector admodum inſignis fuit, ac concionator zelo dei feruens auditores ſuos verbo & exemplo ſuȩ ſanctæ conuerſationis ad meliorem vitam contemplatiuam cogens. Scripſit opuſcula de 7. donis Spiritus ſancti: de vita quoq; contemplatiua ſed ſermone vernaculo. De numeris autem myſticis ſcripſit ſermone Latino exactiſſimè, vt videre eſt in bibliotheca noſtra Louanienſi. Sepultus eſt iuxta ſcholam anno Dñicæ incarnationis 1540. E

P. Nicolaus de Aſcha, vir angelicæ puritatis & columbinæ ſimplicitatis, ex opulentiſſimis ortus parentibus, noſtrã pannoſam amplexus eſt humilitatẽ, in eaq; ſemper amabat neſciri, eligens magis abiectus eſſe in domo Dei, quã frui ſæcularium notitia.

Pater Adamus Sasbouth Delphius Louanij Lector, triumq; linguarum Græcæ, Latinȩ, Hebraicæq; peritiſſimus fuit. In cella, pro ſua bibliotheca (ſicut erat paupertatis amantiſſimus) prȩter breuiariũ, biblia, cum ſuis ſcriptis, quȩ & libenter erogabat petentibus, non aliud admittebat. Vir fuit magnȩ eruditionis, ſed pietatis maximȩ.

Habuit

A Habuit homilias Latino ſermone ad populum eruditas, & politas quidem, ſed ardore ſpiritus lectoris animum penetrantes: queq; eam ob cauſam crebrius ſtudioſorum teruntur manibus, vt ſepius eaſdem typis mandari opportuerit. Circumferuntur preterea eius nomine quæſtiones aliquot Quodlibeticæ, ſed & commentarij in Eſaiã, in epiſtolas D. Pauli ad Romanos, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippẽſes, ad Coloſſenſes, ad Timotheum, ad Titum. Item in epiſtolã Iudæ Apoſtoli. In epiſtolam autẽ ad Hebręos morte præuentus non abſoluit, hærens cap. ſeptimo. Sepultus eſt in capitulo conuentus anno à natiuitate Domini 1552. ipſo ſancti Benedicti feſto.

Ex hoc quoque conuentu prodijt fortiſſimus martyr P. Daniel ab Arendock Guardianus Alckmarianus, qui ob liberrimã confeſſionẽ præſentiæ corporalis Chriſti in Euchariſtiæ ſacramento, vnà cum 4. ſocijs patre Cornelio à Platea, Dieſtemij Clariſſarum B Confeſſario, et patre Ioanne Nardeno, & P. Ludouico Voet Louanienſi ſacerdote, & fratre Adriano à Gouda Laico (quos omnes ad martyrium fortiter perferendum vir ſanctus feruido animabat affectu) poſt flagella ac ludibria multa, laqueo ad patibulum ab impijſſimis hæreticis ſtrangulãtur. ipſo B. Ioannis Baptiſtæ die, anno Domini 1572.

Item beatus pater Nicolaus Picchius Guardianus Gorcomianus, qui ob conſtantẽ Romanæ Eccleſiæ Primatus cõfeſſionem, cum decẽ ſocijs ſimiliter ignominioſa morte affectus eſt ipſe vndecimus. Inter quos ſingulariter enituerunt pater Guardianus, quem vſq; ad locum ſupplicij, fratres eius germani ſecuti, de ignominia familiæ magis quàm Religionis ueritate ſoliciti; Ecquid frater (inquiunt) flagitij erit, ſi ſummo Pontifici renunties, vniq; homini vale dicas? cùm hoc ſolo ignominioſam mortẽ effugere poſſis? Quibus ille heroico pectore: *non ſapitis* (inquit) *quæ Dei ſunt*, ego hoc gñe, C mortis, qđ vos ignominioſũ putatis, ad vitã trãſeo sẽpiternã, vobis aũt niſi reſipueritis ignis manet ęternus. His dictis diſceſſere illi ad ſua, ipſe aũt gaudẽs ad mortem perrexit.

Secundus eorum pater Hieronymus à VVeerdt Vicarius, peregrinus miles Hieroſolimitanus, ſicut gratia pollebat dicẽdi, ita ſpiritu ardoris cõfratres ſuos die nocteq; ad martyrij conſtantiam animabat, tàm publicè, quàm priuatim: quamobrem acrius in eum viuum ac mortuum deſæuiunt noſtri temporis pſeudochriſtiani.

Tertius P. Nicaſius Heſius, olim Theologus Louanienſis, tunc autem ab aliquot annis theoricæ, ſiue myſticæ Theologiæ vacans, metuens ne fortè mortem differẽdo, truculentus lupus aliquam ex ipſorum grege ſuffuraretur ouiculam, ſicuti paulò ante vnum ſubduxerat, qui temporalis vitæ amore ſe hoſtibus iunxerat: quid (inquit) cunctamini? omnibus nobis vna mens eſt, eademque voluntas fortiter potius mortem ap D petere, quàm vel in minimo vobiſcum in malum conſentire. Paſſi ſunt in oppido Brielenſi anno 1572. die 9. Iulij.

Prodijt item ex conuentu Louanienſi fortis Chriſti athleta P. Guilielmus Goudanus, qui tametſi Louanij profeſſus nõ fuerit, tamen illuc ſtudiorũ cauſa miſſus pietatis ſemina in bona ſui pectoris terra ſuſcepit, quæ ſuo tempore, anno videlicet 1572. ſub finem Auguſti, ſub eadem perſecutionis rabie glorioſum martyrij fructum pullularũt. Quo in certamine in quintum vſque diem, quo de morte triumphum egit, ita continuis precibus, pijſque colloquijs, quæ cum ſuo quodam concaptiuo miſcebat, die noctuque ita ſpiritum roborare ſatagebat, vt uoti compos factus, nullo priſcorum martyrum cenſendus ſit inferior, quemadmodum paſſionem eius legenti (quam breuitati ſtudens omitto) facile liquet. Compleuit ſuum martyrium 4. Septembris feria 6. in hoc E etiam ſuo Redemptori conformis.

Sunt & alij duo fratres, qui ex conuentu Louanienſi prodierunt, ac martyrium ſuſtinuerunt, dum per obedientiam ad loca ſuæ habitationis mittuntur. Frater Ioannes Amſterodamus ab impijſſimis hæreticis crudeliter eſt interemptus anno 1579. die 5. Aprilis, in qua tunc occurrebat feria 2. poſt Dominicã Paſſionis: ſepelitur ante ſcholam conuentus Louanienſis cum lamentabili ſpectaculo multorum vulnerum ſuę necis crudeliſſimę. Alter verò pater Ioannes de Puteo, poſtquam ſe die præcedenti (ſecũda nẽpe Auguſti) deuotè pręparaſſet ad percipiendas Portiunculæ indulgentias (vti moris eſt) poſtridie inter Louaniũ & Thenas occubuiſſe deprehẽſus eſt in foſſa quadã, aqua & luto deformis, & quaſi manibus hęreticorũ. ſepultus autẽ in ſchola Louanien.

Deinde eſt P. Franciſcus Meerbecanus,qui cùm fortè fortuna extra periculũ eſſet ſub A
initiũ tumultus Belgici, quo ciuitates Hollandiæ & Zelandiæ paſſim & à Religione
& à Rege catholico deficerent,metuẽs ne fratres Dordracenę ciuitatis totius Hollãdię
primarię,quibus ipſe aliquot annis magno cum fructu Guardianus præfuerat, aliquid
fortè ſua vocatione indignũ,metu vel ſpe deluſi cõmitterẽt,furentibus hæreticis maxi-
mè in Ordinis D. Franciſci fratres, tametſi ſpiritus ipſi prædiceret, ſicut olim Apoſto-
lo Paulo,quod nil niſi vincula & carceres,cruentęq; mortis pericula certa eũ Dordra-
ci manerent,nõ faciens animã ſuam pretioſiorẽ ſe, vt verè ſpiritu apoſtolico plenus,
ſacræ obedientiæ ſimul ac fratrũ ſibi commiſſorũ amore, forti animo ad conuentũ ſibi
commiſſum redijt,hoſtibus quibus,ob veritatem fidei catholicæ liberrimè prædicatã
odioſus effectus fuerat,fortitudinis ſpiritu animatus,virili pectore ſe oſtendit. Quibus
paulò pòſt ferali rabie furentibus,ab ipſis cõpræhenſus,multiſq; affectus contumelijs B
in carcerem conijcitur,aliud nihil ei obijcere valentibus, quàm quod ſubinde in ſacra
cõcione Vvatercramers Teutonica lingua eos appellaſſet,notans hoc nomine Anaba-
ptiſtas,quorũ ingens in ea ciuitate,ſicut & in plæriſq; alijs Hollandiæ,Zelandiæq; op-
pidis & villis tũc tẽporis erat numerus. Irridebat autem eis hoc nomẽ, redarguens in-
ſignẽ ſectæ illius Miniſtrorũ auaritiam:qui totius conſiſtorij cõi conſenſu ſanciuerãt,
neminem in ſuũ ſodalitium recipi poſſe, niſi prius numeratis in vſum Miniſtrorũ ſex
aureis,quibus oblatis tunc demũ in ſynagogam,ſeu conuenticulũ malignantiũ admit-
tebantur,& pro ſingulis aureis itidẽ frigidæ aquæ pugillis tincti nõ tã baptizabantur,
quã veriſſimũ Chriſti baptiſmum,quẽ olim in Eccleſiæ gremio perceperãt,abiurabãt,
atq; execrabantur. Hanc intollerabilẽ illorum hominũ impiamq; fraudem pius pater
non ferens,eos venditores aquæ vocabat,quod viliſſimã aquã ſuam,nimis carè vende- C
rent.Quam impietatẽ vt ſimplicioribus,nondumq; ſeductis notiſſimã faceret,ſi quan-
do in concione iſtius ſectæ mentio incidebat,haud alio nomine quàm ad hoc ipſum ab
eo conficto vocabulo Vvatercramers,id eſt aquæ vendulos ſubinde carpebat.Hanc ip-
ſius libertatem improbi nõ ſuſtinentes,in ipſum multò amplius quàm in aliũ aliquem
deſæuierunt,quare poſt plurimos exhantlatos labores,& poſt 23.menſium pedorẽ car-
celarem videntes eum non diu ſuperuiuere poſſe,emũcta prius à catholicis ingenti pe-
cunia,eundẽ ad ſuos redire permiſerunt.Qui ad conuentũ Louanienſem cũ ſic æger ma
leq; affect⁹ perueniſſet,nullaq; Mediocrũ arte curari poſſet, vix ad vnam ſeptimanã ſu-
peruixit. Obijt igitur Chriſti athleta,in ſuæ ætatis flore, cùm eſſet annorum plus 40.

Inſuper ex couentu Louanienſi prodijt glorioſus Chriſti martyr P.Reynerus à Lin-
tris ſacerdos,qui anno 1572.die 23.Iulij cùm Princeps Auriacus cum ſuis coniuratis ci- D
uitatem occuparet Ruræmundenſem: cæteris religioſis fugientibus, vel ſeſe occul-
tantibus,hic bonus pater in choro fratrũ orans,ſeſeq; Deo committens,eorum furorem
expectabat,à quibus eodem in loco & tempore multis confoſſus vulneribus, naribus
auribuſq; immaniter præciſis, attrociter interemptus,Chriſti victima affectus eſt.

Subijt martyriũ P.Theodoricus Loet Ordinis noſtri Zutphaniæ an. 1572.qui Guar-
dianus inſtitutus cũ eſſet Embricę,eo in officio ita ſe probè geſſit,vt nedũ ciuibus oĩbus,
ſed & Comiti Mõẽſi gratiſſimus extiterit,apud quẽ ab hæreticis falsò traductus,in ner-
uũ conijcit,exquiſitiſſimiſq; tormentis,vt fidẽ abneget,ſic ſubijcitur,vt mẽbra mẽbris
vix cohærerent: His verò omnibus cũ incredibili patiẽtia ſuperatis,tandẽ capite plecti-
tur, ac poſtmodũ in 4.partes diſſectus,pro muris ciuitatis nõ ſine magno gemitu ac la-
crymis optimorum ciuiũ ſuſpẽditur. Qui hæc viderunt fide digniſſimi hoc teſtimoniũ E
reddiderunt, R.cuidã P.Ioãni priori Neomagẽſi Ordinis P.Prædicatorũ per Gheldriã
& Phriſiã quondã Prouinciali:dicti P.Theodorici in verbi miniſterio collegæ: Quibus
accedit teſtimoniũ V. P.Hermanni Lochẽ, eò tẽporis Dauẽteriẽſis cõuẽtus Guardiani:
ſed & honorandi D.Philippi Boẽſtij Paſtoris eiuſdẽ ciuitatis Dauẽteriẽſis finitimæ ci-
uitatis Zutphanienſi, qui & ipſi ſimiliter à fide dignis edocti fidẽ ſupradictæ hiſtoriæ
ſuis chyrographis cõfirmarunt.Non tñ defuerunt aduerſarij, rumorẽ ſpargentes in eũ
iuſtè animaduerſum tamquam proditorem, Sed & à quibus rumor hic falſus ſpargi-
tur,niſi ab ijs qui ipſum pertinentiſſimè perſequebantur? Quorum ipſe dũ ſæpius car-
pſerat vitia, hæreſeſque conuicerat, ea qua pollebat dexteritate (quàmque ſtrenuè.

pro loco

A pro loco & tempore ſe exercebat)odium conciliarat.Quocirca,vt ſe vindicarent,reddidêre mala pro bonis,odiumq; pro dilectione,ſuis ementitis confictisq; calũnijs ei apud Comitem conflarunt Summa verò omnium calumniarũ alia non erat, quàm eum anno ſuperiori Romæ fuiſſe & ab Antichriſto idolo(ſic enim Pontificem ſummum vocãt hæretici)ſibi tot indulgentiarum annos impetraſſe, quot ipſe Theodoricus hæreticos, diuerſis maleficiorum artibus,è medio tollere poſſet. Eum quoq; Zutphaniam veniſſe,vt puteos fonteſque omnes toxico inficeret,& vt Comitem globulo ſterneret. Videbant autẽ hæc Comiti nimis credulo,eiuſq; aulicis haud diſſimilia tũ quòd re vera pater Theodoricus anno ſuperiori 1571.Romæ fuiſſet,illuc Prouinciæ nomine miſſus ad Capitulum generale,in feſto Pentecoſtes iſthic ex more celebrato,vnde & grana aliquot aſportarat,pro deuotione fidelium à Chriſti Vicario benedicta, ac multis donata B indulgentijs,pijs ac ſimplicibus hominibus pietatis ergô diſtribuẽda: præterea prauis ſuſpitionibus fomitem miniſtrabat diſſimulatus habitus, quo ſæculariter & quodammodo militariter (vt militares ſtationes facilius pertranſiret)indutus fuerat, Romam proficiſcens. Quocirca has nacti calumniandi anſas filij Belial,ac Romani Antiſtitis odio in ardeſcentes,Comiti perſuadent virum quęſtionibus examinandum durioribus, eumque tradunt Præfecto homini hæretico: qui quidem non ſine voluptate cum ſuæ farinæ hominibus pium virum vt proditorẽ hoſtemq; patriæ duriſſimè excipiũt, ſartagines ignitas primo adhibent, quibus innocentis nudas plantas ſenſim exurunt, toto corpore nudatum,trochleisq; attractum,diſtentumque,membrorum iuncturas diſoluunt,facibus ardentibus latera diſcindũt,ſed & laridum liquefactum vulneribus inſtillant,vt nedum coſtæ,ſed & viſcera nudarentur, tantamq; in eo exercuêre tyranni-C dem,vt eorum mens diabolica quid amplius faceret, non inueniret. Quùm igitur per omnia iam inutilis factus eſſet, vixq; membra membris cohærerent,in eum mortis ſententiã proferunt,quã B.P. increbili excepit patientia,ſui Regis inhærens veſtigijs,qui vt ouis occiſioni deſtinata nõ aperuit os ſuum.Quæ cùm ita ſint,num in eorum ibimus ſententiam, qui percuſſerunt fœdus cum morte,poſueruntq; mendacium ſpem ſuam, vociferantes virum condignas luere pœnas,quòd impoſita ſibi crimina, & in tormẽtis confeſſus,nec ante mortẽ reuocauerit? Sed quis accuſabit aduerſus electũ Dei?cui donatum eſt pro Chriſto nõ ſolum vt in eum credat;ſed & pro illo patiatur. Is ſcilicet cui dedit,ad Philipp.1.Deus forte certamen vt vinceret, ab eo in medio tormentorum delinquitur?ab eo inquam qui dicit:(& cuius dicere eſt facere) Sapien. 7. *Cum ipſo ſum in tribulatione,eripiam eum & glorificabo eum?*Anne verum erit quod Spiritus ſanctus loqui D tur:*Sapientiam non vincit malitia?* Abſit quæſo à pijs auribus tanta blaſphemia. Ego ſanè veritatis teſtimonio fretus liberè, ingenueq; profiteor, etiam hoc nomine martyrẽ noſtrum glorioſiorem,quo & Chriſto eſt ſimilior,in quem Caluinus,talem prorſus blaſphemiam euomere non eſt veritus,aſſerens Chriſtum in paſſione defeciſſe.O impietatẽ humanis auribus intollerandã! Sed inſuper arguũt & dicunt.In loco ſupplicij cum ea de re examinaretur,tacuit,& qui tacet conſentire videtur:O argumentum neruoſum! quare non ſimili concludunt aduerſus Chriſtum, qui captus, & interrogatus aiebat: *Si vobis dixero non credetis,ſi autem & interrogauero vos, non reſpondebitis mihi neq; dimitetis?* Luc.22.Reliquũ eſt vt dilẽmate vnico aſſeratur cõfirmeturq; noſtri martyris innocentia:Tormentorũ cruciatuumq; magnitudine aut ſtuporem mentis incurrit,aut non incurrit:ſi præ acerbitate pœnarũ animi deliquium paſſus eſt,ergo cum innocen-E tibus Chriſtũ non loquendo ſed moriendo cõfeſſus eſt:ſi verò,addiuuante ſpiritus fortitudine carnis infirmitatem,nihil tale paſſus eſt,& hoc illuſtriorem nobis reddit martyrẽ,vt qui terrore victo ſæculi,pœnisq; corporis ſpretis,mortis ſacræ cõpendio vitam æternam,iam firma ſpe poſſidere incipiebat. Carnificibus igitur foris ſęuientibus,ipſe in corde ſuo dicebat:*Etiam ſi accederit me ſperabo in eum,pone me iuxta te,& cuiuſuis manus pugnet contra me.In cælo teſtis meus,& cõſcius meus in excelſis:poſt tenebras ſpero lucem ſolis iuſtitiæ, quæ modo carnis mortalis nube præpedita, mox viuificæ lucis gratiſsimũ exhibebit fulgorẽ.*O beatiſſime martyr,quę lingua exprimet illũ iucunditatũ,quę venit tibi à Deo tuo, dũ experientia ſaperes & guſtares,quã ſuauis eſt Dominus ſuſtinentibus eũ,quàm fideli in operibus ſuis,non ferens tentari ſupra id quod poſſit, ſed & faciens cum tenta-

tione prouentum? Quod nobis experiri concedat,qui eſt benedictus in ſæcula, Amen. A

Cùm iuxta dictū Sapiētis Prouerb. 10. filia ſapiens lętitia ſit matris atq; gloria, catalogo inſigniū patrū couentus Louanienſis nō immerito inſeremus eximiū P. Frāciſcū Titelmanū,eruditione ſimul ac pietate ſingulari celeberrimū. Obijt in Italiæ partibus Edidit inſigne opus elucidationis in Pſalteriū.Itē in librū Iob.In Cātica cāticorū . Præterea in Logicā ac Phyſicā Ariſtotelicā comentarios, pietate conditos atq; vtiliſſimos. Inſuper in epiſtolam ad Romanos , & contra errores Eraſmi Roterodami,erat enim lucerna non ſolum lucens,ſed vt ardens in DomoDei,audacter ſtylum ſtrigens in eū,qui tum temporis ſummę apud omnes auctoritatis erat,Eraſmum ſcilicet Roterodamum, quòd ſua abuteretur ſcientia magis in Eccleſiæ deſtructionem,quàm ædificationem .

Franciſco Titelmano inferior non fuit R.P.Frāciſcus Domelanus , vir maximè pius ac doctus,ſuiq; contēptor imcomparabilis. Annis pluribus iuuenū inſtructorē egit,qua B in re mira pollebat gratia,habens ſub ſe iuuenes non paucos, eosq; inſigues viros , artiū profeſſores,Theologię,ac vtriuſq; iuris Bacalaureos,& Licentiatos quibus mira efficacia pietatem inſtillabat & humilitatem Louanij bis in officio Guardianatus,ſemel in Prouincię Miniſteriatu maximo cū fructu & laude pręfuit.Moritur anno 1558.mēſe Februario,atq; ſepelitur in conuētu Louanienſi,cuius effigies extat ibidē,reſpiciens ex appoſito effigiem P. Theodorici de Monaſterio. Memoria eſt in benedictione plurima.

Hos patres ſequitur P.Liuinus Brectius ab Antuerpia, Poëta inſignis & ſanctiſſimæ vitæ,paupertatiſq; amantiſſimus:qui aliud habere nolebat præter biblia & breuiariū. Edidit in lucē tragœdiam Euripi nomine,ad mundi contemptum vtiliſſimam,quę ipſo tam ſuperſtite, quàm defuncto diuerſis in ciuitatibus publicè acta eſt, multorum cum admiratione.Præterea in lucem edidit libellum,cuius inſcriptio eſt: Sylua piorum car- C minum.Inſuper & vitas diuerſorum ſanctorum partim carmine , partim oratione ſoluta à tineis & blattis vindicauit. Inter quas enituit vita S.Chriſtinæ patrię Leodiēſis, cuius meminit in prologo ſui libri,quē R. Georgio ab Auſtria Epo Leodiēſi dedicauit. Prodière inſuper ex conuentu Louanienſi patres ſubſequentes:imprimis eruditiſſimus P.Ioannes Mahuſius,qui cum ei ſpes magna affulgeret in ſęculo (fuerat in ſua promotione primus vniuerſitatis) elegit nihilominus abiectus eſſe in domo Dei.Edi in lucē curauit commentarios D.Bonauenturæ in Euangelium D.Lucæ,præmiſſo inſigni prologo in laudem auctoris, Contraxit item elucidationes Franciſci Titelmani in pſalmos. Conſcripſit præterea non ſine magno labore Elenchum locorum communiū,quo præcipui concionatores plurimùm ſe iuuarunt. Qui cùm diu Lectorem Louanij egiſſet, à Carolo V. mittitur cum Doctoribus Louanienſibus ad Concilium Tridentinum , pri- D mumq; deſignat̃ Epus Dauēterienſis. Magnis ſumptibus introduci curauit fontē in cōuentū Bruxellenſem,cuius oēs & ſingulas officinas irrigās beneficium pręſtat plurimū

Eiuſdē conuentus alumnus fuit & profeſſus R.P.Ioannes Knyphius Vltraiectinus, qui primū Prouincię Miniſter , deinde primus extitit Eccleſię Groningēſis Epiſcopus.

Pater Gerardus à Campis ante Ordinis ingreſſum vtriuſq; iuris Licētiatus ex clara familia ortus,delitiarum pertæſus ſancti Franciſci pauperiem amplecti maluit . Guardianum egit Louanij & Mechiliniæ .

R. P. Ioannes Patricius natione Scotus,Prouinciæ olim Scotiæ Miniſter, ſed & ſereniſſimi Iacobi V Scotiæ Regis,plurimis annis à confeſſionibus ab hęreticis Regni ſubuerſoribus cum reliquis Prouincię fratribus profligatus,Louanium ſe recepit,vbi moritur in ſenectute bona anno 1572. ſepultus in domo capitulari . E

P.Balthaſar de Myriaca,cum eruditione iunctam habens ſingularem pietatem, tanta diuini verbi pollebat gratia , vt declamator angelicus optimo iure ab omnibus nominaretur.Sacris virginibus ſanctę Clarę oppidi Louanienſis ſic pręfuit annis 14.quod plurimùm profuerit.Coram eis conciones habuit 85.ſuper Cantica canticorum , tanta pietate ac eruditione conditas , vt nedum ſuæ ſacræ virgines,ſed & ſæculares plurimi, ſcripto excipiendas duxerint:quę etiā vſq; in hodiernū diē veluti altera melliflui Bernardi monumenta,mira cū ſuauitate ac animarū refocillatione,pijs virginibus , varijs in locis pro lectione menſali pręleguntur.Habuit & alias non minus elegantes 60.conciones ī Dñicā paſſionē,quas pro feliciori memoria in 7.partes diſtribuit,quę ſingulis

7.horis

A 7.horis canonicis aptiſſimè accōmodari poſſunt.Præterea in pſalmū 85.ſermones 8. In
pſalmū 45.cōciones 2.In pſalmū 102.cōciones 10. In pſalmū Qui habitat conciones 7.
Inſuper per Quadrageſimam.Miſſarum officia magno cum fructu expoſuit. Morit' an-
no 1573.menſis Iulii die 14.ipſo D.Bonauēturæ die,ſepultus loco humili,quem vir hu-
milis ſibi delegerat, iuxta ſcholā conuētus Louanienſis magno ſui relicto deſiderio. P.
Mathias Felizius à Brouvveers hauen, Theologiæ Lector, poſtea Miniſter prouincia-
lis, q nedū biēnio ſui miniſterij expleto, cū omniū patrū mœrore ac lacrymis huic mū-
do ſubducitur,quòd eo dignus nō eſſet,maximo ſui deſiderio nobis derelicto.Cū tanta
dulcedine ac ſingulari ſpiritus feruore ſuos exhortabat',vt eius eloquia,medullas cor-
dis penetrātia, nō aliter quā Spiritus ſācti per os eius manifeſtè loquētis excipiebātur:
ſed & diuina faciens ſic lacrymis iugiter perfundebat',vt ſpiritus pietatis, q erat in eo,
B latere nō poſſet.Scripſit & in librū 2.ſententiarū cōmētarios.Itē in Decalogū tractatū
longè vtiliſſimū:Morit' anno 1575. Sepelitur in choro iuxta R.P.Frāciſcū Domelanū.
R.P. Aegidius de Monte concionator fuit admodū inſignis,propter quā facundiam,
pietatem, ac feruidū zelū animarū, ſublimari ad Epatum Dauentrienſem promeruit.
P. Petrus de mōte R.P.Aegidij germanus,ſacræ Theologiæ Licētiatus, almęq; vni-
uerſitatis Louaniēſis Rector exiſtens,contēpto tanti honoris faſtigio,cū omniū ſtupore
ac ſingulari pietatis zelo, ſacrā Ordinis noſtri diſciplinā, pluribus ī locis reſtituit atq;
promouit plurimùm. Ab eo cum aliquādo exigeret' Antuerpię ab iniquis obediētię ca-
tholicæ Maieſtatis deſertoribus impijſſimū rebellionis iuramentū, prompto ac cōſtāti
animo in faciē eis reſtitit,obijciens illud dictū apoſtolicū: *Obedire Deo oportere magis quā hominibus*.Eligēs in exilium & mortē dānari potius cū ſuis ſubditis,quā vel in minimo à
C recto diſcedere.Scripſit in ſeptē pſalmos pœnitētiales,& in pſalmum 118.ſermones,nō
minus eruditionē reconditā,quàm pietatē ſpirantes.Quos prælo cōmittere ei permiſ-
ſum nō fuit,quòd acrius Principis Auriacēſis vitia inſectaret'.Scripſit præterea pium &
eruditum tractatum de paſſione Dñi,in cuius aſſidua meditatione ac deuotiſſima tre-
mēdorū myſteriorū celebratione tantopere cōpungebat',vt totus in lacrymas,cordiſq;
deliquiū multoties reſolueret'.P.Arnoldus Aloſtanus,hæreticorū inſectator acerrimus
ſcripſit ſuum primū fœtum de plauſtris hæreticorū ad ſenatum, populumq; Antuer-
pienſem.Itē de Cōfeſſione ſacramentali, de Purgatorio ad D.Duciſſam Parmēſem.De
peregrinationibus ſacris,& veneratione ſacrarum reliquiarū ad Thildiū. De fugiēda
hæreticorum conſuetudine.De hæreticis deferendis & accuſandis.Item elucubrationē
vnā de Confeſſione ſacerdoti facienda, De pœnitentia publica & ſolemni tractatum
D vnicum.Catheciſmum inſtar dialogi inter pœnitentem & Catheciſtam.Quæ omnia de-
dicata ſunt illuſtriſſimo D. Granuellano Archiepiſcopo Mechlinienſi.Inſuper Thea-
trum cōuerſionis gentium totius orbis, ſiue Chronologiam de vocatione ad vnitatem
fidei omniū populorū.Scripſit & alia quæ morte præuentus edere in lucem nō potuit.
Subiunctis aliquot patrū nominibus,qui in cōuentu Louanienſi claruerūt,incōgruū
non erit, etiam hîc aliquorū fratrū laicorū meminiſſe,quos cōditio fecit inferiores,ſed
vitæ innocentia reddidit egregijs patribus meritis nō impares. Et quemadmodū inter
patres ſiue diuerſa donorū diſtributio, ita quoq; inter fratres laicos alius aliū virtute
præceſſit.Inter cæteros fuit inſignis F.Petrus Amſterodamus laicus,vir miræ abſtinen
tiæ & auſteritatis, humicubationibus aſſuetus, ac vitæ contemplatiuæ deditiſſimus.
F.Iacobus Dieſt laicus,ſibi auſterus,alijs indulgentiſſimus,qui à primæua ętate vſq;
E in decrepitā inter aduerſa & proſpera Deo fidelis, ſuę profeſſionis zelator feruidus, ac
SS. patrū imitator præcipuus extitit:nunquam ocioſus,ſed orans ſemper vel laborans,
ſomniq; parciſſimus:Dñicę paſſionis meditatione mūdū calcabat, vitia vincebat atq;
Dæmonia. Demum laborioſæ peregrinationis curſum feliciter conſummauit in con-
uentu Traiectenſi ad Moſam,tertiò hæreticorū rabie à ſuo monaſterio profligatus. Cō
morantur vt plurimùm Louanij quadraginta fratres. Quia verò monialiū huius Pro-
uinciæ monaſteria,pro maiori parte diruta,ac ſororibus profligatis ab hæreticis pluſ-
quàm tyrānicè ſubuerſa ſunt,eorum,quæ adhuc,per Dei miſericordiam,ſubſtiterint,
(præter morem huc vſq; à nobis obſeruatū) ad cuiuſq; fratrum conuentus,cui præfa-
ti monialium monaſterii oppidum, ſeu ciuitas fuerit communis, calcem mentio fiet.

De conuentu Minoritico Bruxellarum. Conu. II. A

CONVENTVS Bruxellenſis, à Bruxellis Belgica, eaq; inſigni ciuitate, ac Parlamẽti ſede ſic dictus, fundatur paululum poſt obitum patris noſtri Franciſci. Reformatur autem per vicinos patres Bootendalenſes, multùm in hac parte laborante venerabili patre Theodorico de Monaſterio. Pelluntur ex hoc conuentu fratres Dominica prima Aduẽtus, anno 1579. Reſtituuntur poſtmodum opera sereniſſimi Parmenſiũ Principis Alexandri Farneſij totius Belgij pro Philippo II. Hiſpaniarum Rege Gubernatore: ſuntq; numero duodecim. In conuentu fratrum, ad cornu dextrum ſummi altaris, iuxta ſepulcra illuſtriſſimorum Ducum Brabantiæ, ſepulti ſunt reuerendi patres F. Alphonſus de Caſtro Zamorenſis, concionator Caroli V. Romanorum Imperatoris, qui eximię eruditionis ſuæ præclariſſima reliquit monumenta: præſertim inſigne opus contra omnes hæreſes. Item de lege pœnali. Ibidem ſepultus eſt reuer. pater Alphonſus à Contreras, qui fuit à confeſſionibus illuſtriſſimo Duci Albano, pro catholico Rege Philippo Belgij Gubernatori generali, Ferdinando Aluarez à Toleto. B

De conuentu Minoritico Buſcoduci. Con. III.

CONVENTVS Buſcoducenſis à Buſcoduco nobili Belgarum vrbe, in qua ſedem obtinet, nomen accepit, fundaturq; anno 1228. Reformatur ſub idem tempus quo Louanienſis. Anno verò 1566. hæreticorum rabie prophanatur, euertuntur altaria, ſacræ imagines comburuntur omnes, quando fratres expelluntur. Poſtmodum opera illuſtriſſimi Ducis Albani (de quo ſuprà) piorumque ciuium ſedulitate, quorum ibi magnus eſt numerus, omnia reſtituuntur, atque vi armorum hæretici eijciuntur. In hoc conuentu per Dei gtatiam adhuc degunt fratres trigintaduo. C

De conuentu Minoritico apud ſanctum Trudonem. Con. IIII.

CONVENTVS Trudonenſis à Belgico oppido ſancti Trudonis, cuius muris circumſcribitur, ſic appellitatus, vnus eſt etiam ex antiquioribus, in quo fertur diuum Franciſcum ſemel ceciniſſe Euangelium. Vnitur autem fratribus de Obſeruantia anno 1468. in vigilia Epiphanię, opera & ſtudio eximij ac ſempiterna memoria digni patris Ioannis de Ponte. Inhabitatur tandem à duodecim fratribus.

De conuentu Minoritico Diſtemij. Con. V. D

CONVENTVS Diſtemenſis fundatur Diſtemij, quod Brabantiæ oppidum eſt, à generoſo domino Arnoldo, temporali Domino Diſtemenſis Dominij, anno 1228. Euertitur autem ab immaniſſimis hæreticis anno Domini 1580. Exiſtimauerim tamen illum (niſi me aliquorum fallit relatio) opera præfati Parmẽſiũ Principis à fratribus reaſſumptum, & ab eorum quatuor in habitatũ, licèt nondũ refectum.

De conuentu Minoritico Thenis. Con. VI.

CONVENTVS Thenenſis ſub obitum S. patris noſtri Franciſci fundatur. Reformatur autem per Obſeruantes circa annum Domini 1540. Et inhabitatur à viginti fratribus, quorum tribulationes ab hæreticis perpeſſas ſi impræſentiarum referre vellemus, longior profectò ſermo à nobis texendus foret, quàm ratio poſtulat. E

De conuentu Minoritico Mechliniæ. Conu. VII.

CONVENTVS Mechliniẽſis ædificiatur anno 1231. anno ſcilicet quinto poſt obitum beatiſſimi P. noſtri Franciſci. Reformatur vero anno quinto poſt obitũ S. Bernardini, in feſto venerabilis Sacramenti anno Domini 1557. Fuitq; in habitatus à fratribus de Obſeruantia vſque ad diem 13. Aprilis anni 1580. Quo die expelluntur ab hæreticis, & vnà cum illis expellitur clerus vniuerſus. In hoc conuentu celebratur capitulum generale anno 1482. in feſto Pentecoſtes. Ex hoc tempore cœpit hæc Prouincia ſuos habere Prælatos, qui Vicarij duntaxat nuncupabantur, quorum primus fuit V.P. Ioannes Goës Zelandus. Conuentum Mechlinienſem ædificauerunt Domini

Mechli-

A Mechlinienſes cognomento Berchovvt,quorum fundator ſepultus fuit in antiqua eccleſia,vbi poſtmodum fuit refectorium,inde trāſlatus vnà cùm coniuge de Arenborch ad chorum nouæ eccleſiæ,corā ſummo altari,cuius memoria cum armis depicta fuit ſupra oſtium ſacrarij.Alio nomine dicebatur Drakenbaert, hinc ibidē multi dracones barbati adpicti ſunt.Nouum templum dicitur extruxiſſe alter eiuſdem familiæ, ſepultus cum vxore ſub tumba coram altari venerabilis ſacramenti in choro, ſub fornice, dextra manu gladio armata,altera clypeo.Inter præcipuos huius conuentus benefactores cū fundatoribus recēſentur illuſtriſ. dña Margareta Caroli Audacis Ducis Burgundiæ vxor,quæ poſt incendium reædificauit vnā partem dormitorij cū bibliotheca: alterā ex regione Aegidius Vrāx.Infirmariā Iodocus Vranno,quā denuo reſtaurauit Rumoldus Soctemonts Quęſtor ciuitatis. Item dña de Muyſem,domina de Dieſt fami
B lia tota Guilielmi Petri.anno Dñi 1532.Anno videlicet 6.poſt obitū S.Franciſci,introducti ſunt in hunc conuentum eius ſocij cum fratribus ex Italia,qui ſecum intulerunt duas ſcutellas teſtaceas,quibus dicitur vſus aliquando S. Franciſcus cū iuſculū ederet. Ex quibus fratres Mechliniæ in vigilijs præcipuorū feſtorum ſub collatione bibere ſolebant.Dicuntur autē hi primi fratres eò adducti ex Italia,opera illius nobiliſſimi viri, cuius tumba erat coram venerabili ſacramēto.Reformatur hic conuentus,& introducuntur fratres de Obſeruantia anno 6.poſt obitū D. Bernardini.Mater noſtræ reformatæ Prouinciæ eſt conuentus S Odomari in Flandria,ex quo miſſi patres,primò oblatū à ciuibus ſuſcepiſſe dicuntur conuentū Goudanū,deinde Mechlinienſem. Cuius anniuerſaria dies dedicationis recurrit Dominica poſt octauā P.Franciſci.Priuilegia totius Prouincię,quæ in Archiuis ſeruabātur,tēpore incendij huius conuētus,anno Dñi 1564.
C prorſus interierunt.In hoc cōuentu innumeris pene miraculis claruit B.Petrus Mechlinienſis,cui deuotiſſimè diuina myſteria celebranti,dū eleuaret hoſtiā cōſecratā apparuit puerulus,quē propter mundiciam & innocentiā cordis primò conſpexerunt pueruli,præ admiratione matres incitātes ad contuendū miraculū. Poſt mortē verò ſuper ſepulcrū ipſius corā ſacramento tam crebra fiebant miracula, vt dum propter populi cōcurſum nimium interturbaretur diuinū officiū,neceſſum fuit vt P.Guardianus(ſicut fertur)ſuper eius ſepulcrū accedēs,pręciperet per obedientiā,vt ceſſaret,& ita deinceps ceſſarūt miracula.Caput poſt modū tranſpoſitū eſt in muro capellæ B.Virginis,ſeu ſanctæ Crucis,intra chorū & ambitū,non procul ab oſtio,quo aſcendebatur ad dormitoriū. R.P. Henricus Herpius vir reconditæ eruditionis & contemplationis eximiæ. Scripſit deuotiſſima opuſcula ſuper Cantica canticorum.De myſtica theologia. Directorium
D contemplatiuorum.Item ſermones varios.Et in paſſionem Domini. Sepultus eſt in medio chori ſub lampade,tectus albo lapide.Ibidem ſepultus eſt R.P.Henricus Tuſphanię Guardianus,& Miniſter Prouinciæ Colonienſis ante diuiſionem.Item coram V. ſacramento ſepultus eſt R,P.Guilielmus Alcmariæ Miniſter Prouinciæ ante diuiſionem:vir ſummo zelo, operere & ſermone,ſeu vi quadā pertinaciſſimè retentans Ordinis diſciplinā. In cuius ſepulcro poſtmodum conditus V. P. Euerardus Campenſis in diuerſis conuentibus,& tandē huius conuentus Guardianus,vir totus pius & pacificus exactiſſimè obſeruans Religionis vigorē.Præterea R.P.Ioannes Louanienſis,cognomento Byl. Guardianus Mechlinienſis,& Prouinciæ Miniſter poſt diuiſionem.Scripſit de miſerijs Guardianorum. Aſſeruabantur præterea in huius ſacræ domus ſacrario ſacroſanctæ ſequentes reliquiæ:Nempe crux,ſeu pars Dominicæ crucis,non paruæ magnitudinis,
E cruce argentea inſigniter ornata,in cuius ſuperiori parte,alia crucicula erat cum ſpina Dominicæ coronæ, auro incluſa,& pretioſiſſimis ad angulos quoſq; redimita: quā illuſtriſſimus Dux Burgundiæ Carolus Audax dum in viuis eſſet, ad collum geſtare ſolebat.Item alia(vt vocant)monſtrantia argentea,plurimorum martyrum & ſanctarum virginum reliquijs plena. Inter cæteras erat pars tunicæ ſanctiſſimi patris Franciſci. Erat præterea inſignis pars columnæ, ad quam Chriſtus fuit flagellatus. Itē digitus S. Thadæi, & brachium D.Hieronymi.In porta quoq; parua erat monſtrantia cum reliquijs ſancti Franciſci,quæ ſolet deferri ad parturientes, cui alligatus erat lapis Ethyrex qui naturali virtute,mira celeritate expedit partū,ſed magna cautela eſt adhibendus,alioqui periclitatur parturiens,ſeu potius puerpera, vt norunt Medici & Obſtetri

ces

ces induſtriæ. Inſuper erant aliæ innumeræ reliquiæ in altari S. Franciſci, & S. Ramol- A
di, quæ omnia ferina barbarie Caluiniſtarum anno 1580. die 9. Aprilis direpta atq; prophanata ſunt. Mechliniæ, quæ Brabantiæ ciuitas eſt, eaq; famoſa, tria erant, quæ ſingulariter eminebant, præter latitudinem & munditiam platearum, fluuiorum ferè per totam ciuitatem irrigationem, ſitus opportunitatem, & aëris ſalubritatē, templorumq; inſignem ſtructuram. Turris D. Rumoldi, Beghinagium, & tumba, in qua conſeruabatur pretioſiſſimū monile & gloria ciuitatis, corpus ſcilicet D. Rumoldi. Hæc inter tres præcipuas tumbas totius orbis Chriſtiani medium obtinebat. Nam primâs iure optimo concedunt omnes tumbæ D. Thomæ Cãtuarienſis Epiſcopi, & martyris, quæ adeò grauis auro fuit, vt omnino moueri loco nequiret. Hanc ſequitur D. Rumoldi itidem Epiſcopi, & martyris natione Scoti, quæ miro artificio fabrefacta, tota deaurata, & gemmis, lapidibuſq; pretioſiſſimis ornata, ſingulis annis circa ciuitatem vix à B
viris viginti circumferri (nouis ſemper viciſſim ſibi ſuccedentibus) potuit. Tertia Turonis habetur, continens in ſe gemmam illam pretioſiſſimam omnium ſacerdotū, corpus nimirum ſanctiſſimi Epiſcopi, & confeſſoris D. Martini. Hę omnes (proh dolor) crudeliſſima hęreticorum impietate vnà cum pretioſiſſimis illis monilibus ſanctę Dei Eccleſiæ ſublatæ ſunt. Conuentus autem præfatus cum præcipuis ferè eiuſdem ciuitatis eccleſijs & monaſterijs euertitur funditus, fratreſq; illinc haud ſine ignominia eijciūtur 12. Aprilis 1580. duobus dumtaxat ibi præcipuis, nempè Vicario loci P. Rodolpho Delphio, conuentus Louanienſis alumno, inſigni Thologo; & patre Lamberto ab Haſſelt ſacerdote & concionatote Iubilario, in diutina captiuitate detētis. Quorum prior ex carceris ſqualore & incommodis vitam cum morte commutat in ætatis ſuæ flore. Affulget nihilominus, rebus Belgicis in melius tendentibus, aliqua huius reædificandi C
loci ſpes, quę vtinã quãtocius ſuū ſortiatur effectū. Extabat quoq; Mechlinię famoſū monaſterium Clariſſarū de prima Regula monialiū, quod à Caluiniſtis hæreticis, ipſis primū ſororibus cū fratribus ex vrbe pulſis ac eiectis ſolo adæquatū ac ꝓphanatū eſt.

De conuentu Traiecti ad Moſam. Conu. VIII.

CONVENTVS Traiectenſis ad Moſam eſt. Traiectum namq; duplex hac in Prouincia eſt, atq; vtrunq; ciuitatis titulo inſignitū: aliud in Batauia ſiue Hollandia, quod & inferius dicitur: Aliud verò (de quo impræſentiarum) in Brabantię finibus prope ſuperiorem Germaniam, quod & ſuperius, atq; ad Moſam, quæ fluuius eſt, cuiuſq; aquis alluitur, nuncupatur. Fundatur circa annum 1240. Reformatur autem anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſexto. Ex hoc pelluntut fratres an. 1578: D
ſub finē Februarij à quodã Heſio inuito magiſtratu. Recipiūtur denuò fratres, qui numero ſunt 15. vel circiter, in ſuo cęnobio miſerè ab hęreticis deuaſtato anno 1579. in feſto Apoſtol. Petri & Pauli, ciuitate expugnata à ſereniſ. Principe Parmēſi ſupradicto.

De conuentu Goudæ. Albazeti. Conu. IX.

CONVENTVS Goudanus fundatur an. 1439. tunc enim biennio ante obitum S. Bernardini venerunt fratres de Obſeruãtia ex Prouincia Franciæ, ex Burgundia & S. Odomaro obtinueruntq; locum in oppido Hollandiæ, nomine Gouda. Qui locus prius fuerat fratrum Conuentualium Vltraiectenſiū, & in eo tãquam terminarij excipiebãtut. Verùm ciues Goudēſes laudabili vita, optimaq; fama fratrum de Obſeruãtia excitati, eis ipſum hunc locum in modum monaſterij exædificarunt, ædificatumq; ſuis E
ſumptibus ſemper repararunt, tanta cum pietate & diligentia, vt fratres loci illius nullatenus ſeſe de reſtauratione ædificiorum intromittere debuerint. Durauit illa ciuium pietas vſq; ad an. 1572. quo ab hæreticis aliunde irrūpētibus fratres expulſi, ędificiaq; euerſa ſunt. In eadem ciuitate fuit quoq; monaſterium S. Claræ de prima Regula optimæ reformationis, cuius ſacræ virgines etiam de calice iræ Domini affatim biberunt.

De conuentu Minoritico Leydis. Conu. X.

CONVENTVS Leydenſis, paululum à Leydis Batauorum vrbe ſitus, à fratribus de Obſeruãtia inhabitari cœpit anno Domini 1445. Fuerat is locus antea fratrum

A trum de tertia Regula beatiſſimi patris noſtri Franciſci. Habitauerunt autem ibi fratres de Obſeruantia vſque ad calendas Auguſti anni 1572. quo die & ipſi cum alijs religioſis impijſſimorum hæreticorum furia expulſi, ædificiaque demolita ſunt.

De conuentu Minoritico Antuerpiæ. Con. XI.

CONVENTVS Antuerpiēſis ab Antuerpia famoſiſſimo totius orbis emporio, atq; totius Brabantiæ, immo totius Belgij metropolitana ciuitate ſic dictus, fratribus de Obſeruantia de nouo ędificatus fuit anno Domini 1447. habitaueruntque in eo vſq; ad annum 1578, in quo 18. menſis Maij ipſo nempe die Pentecoſtes, quia conſentire noluerunt Romanę Eccleſiæ, Regiſq; catholici hoſtibus, expuſi ſunt, tametſi quidā eorum diſſimulādo iſthic hæſerint vſq; ad 28. diem menſis Maij anni ſeq. 1579. Tunc
B enim clerus, paucisſimis exceptis, factione Principis Auriaci nauigijs impoſitus ſuis ſedibus pulſus eſt. Tres immediatè pręcedentes conuentus perſeuerarunt ſub regimine fratrum Francię vſq; ad reformationem conuentus Mechlinienſis, quę fuit facta anno Domini 1447. Hic denique conuentus, Antuerpienſi ciuitate in proprij Regis poteſtatem redacta, pręfati Parmenſium Principis opera, ac beneficio, noſtris fratribus reſtitutus eſt, licèt nondum reſarcitus omnino, quorum triginta ibidem commorantur.

De conuentu Minoritico Delphis. Con. XII.

CONVENTVS Delphēſis cōſtruitur pro fratribus de Obſeruātia an. Dñi 1448. inhabitaturq; ab ijſdē vſq; ad menſē Iuniū anni 1572. Quo inſtantibus hæreticis hoſtibus, conuentuq; ad terram deiecto, è ciuitate, quæ ad Batauos ſpectat, eiecti ſunt,

C

De conuentu Minoritici Gorcomij. Conu. XIII.

CONVENTVS Gorcomienſis ſimiliter fratribus Obſeruantibus ędificatur anno 1454. perſeueraruntq; in eo vſq; ad diem vigeſimum Iunij anni 1572. quo inde ab hæreticis pulſi fuêre. Ex eodem conuentu paulò poſt nempe ſeptima Iulij, pater Guardianus cum decem fratribus illuſtre ſubijt martyrium. Fuit in eadem ciuitate, quæ Batauis paret, etiam cœnobium ſanctæ Claræ de prima Regula, & vnum monaſterium ſororum tertiæ Regulæ Diui Franciſci. Quorum vtrumque ſimul cum fratrum loco ruinę, truculentiſſimis hæreticis id maximè ſolicitantibus, ceſſit.

De conuentu Minoritio Alcmariæ. Conu. XIIII.

D CONVENTVS Alcmarienſis anno 1455. ēt fratribus de Obſeruantia cōſtruitur: quē incoluerūt vſq; ad 23. Iunij anni 1572. Nā poſtridie ipſo ſcilicet die S Ioānis Baptiſtæ, P Guardianus Arendök, cū quatuor ſocijs illuſtre teſtimoniū Chriſto præbuit: eligens potius ignominiosè ad patibulū ab hęreticis ſtrāgulari, quàm Romanę fidei ſinceritatē quoquomodo labefactare. Fuit ad męnia huius ciuitatis Batauię inſigne cœnobiū Clariſſarū primę Regulę. Itē duo monaſteria Tertiariarū. In termino quoq; huius oppidi, alia duo cęnobia eiuſdem inſtituti Edāmis videlicet, & Enchuſiæ. Quę omnia hæreticorum feritate euerſa, ſacris virginibus haud ſine ignominia expulſis.

De conuentu Harlemij. Conu. XV.

CONVENTVS Harlemiēſis ab Harlemio Batauorum vrbe ſic nuncupatus ſi-
E militer conſtruitur anno 1455. quē incoluerunt fratres de Obſeruātia vſq; ad menſem Auguſtum anni 1572. Quo tempore vnà cum ſororibus ſanctę Claræ, quæ iſthic etiam inſigne habebant cœnobium, multiſque alijs vtriuſque ſexus religioſis (erant enim in eo oppido monaſteria viginti tria) omnes ab hæreticis expelluntur.

De conuentu Minoritico Leouardiæ. Conu. XVI.

CONVENTVS Leouardienſis in Friſia conſtruitur fratribus de Obſeruantia anno 1457. Perſeuerarunt ibidem vſq; ad feſtum Purificationis anni 1580. quo die & ipſi expulſi ſunt rebus omnibus ſpoliati. Dicitur autem Leouardienſis à Leouardia Friſię ciuitate, intra cuius muros præfato tempore fuerat conſtructus.

De conuentu Minoritico in Bootendal. *Con. XVII.* A

CONVENTVS Bootendalenſis iuxta Bruxellam in amœniſſimo regio nemore ſitus omninòq; delicioſus conſtruitur fratribus de Obſeruantia, anno à natiuitate Domini 1458. Euertitur ab hæreticis anno 1579. Quod abſque lacrymis dici nequit, cum contēplationi aptiſſimus plurimos fratres ſanctitate coſpicuos pepererit.

De conuentu Minoritico Montis Lucis. *Con. XVIII.*

CONVENTVS Montis Lucis, ſiue diuinę gratiæ, prope Traiectum ad Moſam fratribus de Obſeruantia conſtruitur anno à natiuitate Domini 1458. Sed funditus ab hæreticis euertitur anno 1578. Quapropter habitatoribus deſtituitur.

De conuentu Minoritico Amſterodami. *Con. XIX.* B

CONVENTVS Amſterodamenſis ædificatur ſimiliter anno 1561. Ex quo profligātur fratres 26. Maij poſtridie Trinitatis an. 1578. Sunt ibidē adhuc Clariſſæ, quæ licèt multa ab hæreticis patiantur, piorum tñ munificentia ſuſtentatæ in regulari uita perſeuerant. Amſterodamum Batauorum ciuitas olim catholiciſſima fuit.

De conuentu Minoritico Vuerti. *Con. XX.*

CONVENTVS Vuertenſis ab Vuerto Batau a ciuitate ſic dictus cōſtructus fratribus de Obſeruātia anno 1461. qui tamē ab hæreticis incendio & demolitione fędatus fuerit, à fratribus noſtris, qui numero ſunt decem vſq; in hodiernū diē inhabitatur. Fundator eius fuit illuſtris D. Iacobus Comes Hornēſis, ex illuſtri Cliuenſiū Ducū C
proſapia. Qui edificato nouo caſtro, antiquū caſtrū fratrū de Obſeruātia vſui adaptauit, extructa ibidē inſigni eccleſia in honorē S. Frāciſci, ad cuius exemplū & ipſe, ſpretis mundi diuitijs & luxu, regulā & habitū B. Frāciſci aſſumpſit; quo in Ordine perſeuerās habuit filium Epiſcopum Leodienſem. In cuius primitijs, in cathedrali eccleſia S. Lāberti ſolemniter celebratis, F. Iacobus Epiſcopi pater Euāgelium deuotiſſimè decātauit.

De conuentu Minoritico Bergis. *Con. XXI.*

CONVENTVS Bergenſis ſupra Zomam etiam conſtructus fratribus de Obſeruātia anno 1462. Euertitur ab hæreticis ipſo feſto Aſſumptionis B. Mariæ virginis anno 1578. Huius conuentus fundatores extiterunt illuſtriſſi. Marchiones Bergenſes.

De conuentu Minoritico Amesfordiæ. *Con. XXII.* D

CONVENTVS Amesfordienſis cui Amesfordium Batauorum oppidum nomen indidit ſimiliter conſtruitur, anno à natiuitate Domini 1471. in eo manſerunt fratres vſque ad annum 1578. Quo à feriſſimis hereticis inde pulſi fuerunt.

De conuentu Minoritico Herentalij. *Conu. XXIII.*

CONVENTVS Herentalienſis ab Herentalio Batauo oppido nomen ſibi vſurpatus ædificatus an. Domini 1473. Euertitur ab impuriſſimis hæreticis an. 1577.

De conuentu Minoritico Bolſuardiæ. *Con. XXIIII.*

CONVENTVS Bolſuardienſis reformatur an. 1474. Profligantur fratres an. Domini 1577. Eſt aūt Bolſuardię Friſię ciuitas, cuiuſq; muris hic locus circūſcribebatur. E

De conuentu Minoritico Campis. *Conu. XXV.*

CONVENTVS Campenſis ædificatur anno Domini 1478. inhabitatur vſque ad an. 1579. Quo à pluſquam Neronianis hęreticis fratres loco pelluntur.

De conuentu Minoritico Zierckzeæ. *Conu. XXVI.*

CONVENTVS Zierkcienſis vnitur cōuentibus fratrū de Obſeruātia an. 1489. quē incoluerunt vſq; ad v. Aug. an. 1572. Quo die loco cedere ab hereticis coacti ſunt.

De con-

A *De conuentu Minoritico Migdelburgi. Conu. XXVII.*

CONVENTVS Migdelburgēſis in habitatur à fratribus Conuentualibus à ferè ducentis annis, reformatur per Obſeruantes an.1489.à quibus inhabitatur vſq; ad annum 1534.quo anno menſe Februario, capitur ciuitas à Principe Auriaco, omnia ſacra prophanantur ac diripiuntur, eccleſiaſtici omnes ſuis rebus ſpoliati, haud ſine graui contumelia profligantur. Eſt autem Migdelburgum inſulæ Zelandiæ munitiſſima vrbs ,atque peropportuno, eoq; ampliſſimo portu nobilitatur, cōdecoraturq;.

De conuentu Minoritico Vltraiecti. Conu. XXVIII.

CONVENTVS Vltraiectenſis ab Vltraiecto Hollandica ciuitate ſic appel-
B latus à fratribus de Obſeruantia inhabitatur vſq; ad 12.Maij anni 1578.quo die, qui coniuratis catholici Regis hoſtibus ſubſcribere noluerunt, abire compelluntur. Quāobrē fratres noſtri in Regis officio perſeuerātes loco cedere ab hęreticis cogūtur.

De conuentu Minoritico Dordraci. Conu. XXIX.

CONVENTVS Dordracenſis reformatur anno 1502.incoliturq; à fratribus de Obſeruantia vſq; ad annum 1572. fuit ibi ſepultus ante ſummum altare venerādus pater Matthias Vvenſem Dordracenus, vir inſignis, hęreticorum inſectator ſtrenuus, quartò huius Prouinciæ Miniſter, & Commiſſarius generalis Ciſmontanus. Obijt an.1546.menſe Martio. Fuit quoq; in hac ciuitate monaſteriū ſororū tertiæ Regulæ D. Frāciſci, quod cū fratrū conuentu ruinæ, hęreticis eius auctoribus, ceſſit. Et Dordracū
C Holladorum ciuitas fortiſſima, quòd aquis, ijsq; dulcibus oīno inſtar inſulæ cingatur.

De conuentu Minoritico Dauentriæ. Conu. XXX.

CONVENTVS Dauentrienſis reformatur poſtridie ſanctorum Ioannis & Pauli martyrum, anno à natiuitate Domini 1569. ſub reuerendiſſimo patre fratre Angelo Auerſano Prouinciæ Terræ laboris alūno, ac ex Pij V. ſummi Pontificis mandato totius Belgij Minoritarum Commiſſario apoſtolico, necnon Tranſienſium poſtea Archiepiſcopo. Inhabitaturque à decem religioſiſſimis patribus ac fratribus.

De conuentu Minoritico Harderuuich. Conu. XXXI.

HARDERVVICANVS conuentus ab oppido Harderuuich ſic nūcupatus
D eodem an. Dñi 1569. ſub pręfato apoſtolico Comiſſario fratre Angelo ab Auerſa reformatur, perſtatq; hæreticis ſibi negocium minimè faceſſentibus, in officio, & ab octo fratribus vel circiter inhabitatur. Et hæc quidē de hac florētiſſima atq; fęcūdiſſima añ 20.annos Prouincia, cui impijſſimi hæretici bellū ex profeſſo intuliſſe vidētur.

De conuentu Minoritico Ruræmundæ. Conu. XXXII

CONVENTVS Ruræmundenſis reformatur ſimiliter anno Domini 1569. die tertio Septembris ſub eodem patre Angelo Auerſano fundatus à quodam pio Comite Geldrenſi, qui ſuum caſtrum vertit in monaſterium, conferens Guardiano loci nonnullam etiam temporalem iuriſdictionem, quę durauit vſque ad annū ſupradictæ reformationis. Fuit autem ſuperioribus annis ex parte ab hæreticis Re-
E giſque catholici hoſtibus demolitus, atque habitatore deſtitutus, modò verò per Dei gratiam quodammodo refectus ab octo fratribus, vel circiter incolitur.

LOVANII duo ſanctimonialium monaſteria adhuc perſeuerant; vnum anno Domini 1516. à generoſa domina de Beloys erectum fuit, & Clariſſis Vrbaniſtis oblatum; alterum à generoſa domina de Ceruia, Marchioniſſa Arſchotana extitit conſtructum an.à natiuitate Domini 1530. quod Annunciatarijs ſororibus deſeruit.

IN ciuitate Bruxellarum altera duo monaſteria ſed Clariſſarum reperiebātur; Vnū eſt dirutū: Alterū verò adhuc extat, inhabitaturq; à 50.Clariſſis de prima Regula.



PROVIN-

PROVINCIA ALGARBIORVM.

A ALGARBIORVM Prouincia Regni Portugalię limites non tranſgreditur, ſed ijs omnino circunſcribitur. Defluxit autem ex Portugalię Prouincia, quam ſui parentem ſuſcipit & veneratur, à qua tamen procedēs, Prouinciæ nomen, anno à partu Virgineo 1533. ad inſtantiam eius Regis, qui tunc Luſitanicæ clauum tenebat, ſibi aſciuit. Cuius quidem maius ſigillum imaginem beati Ioannis Euangeliſtæ ſpheræ innixam, ſequentesq; literas imprimit: SIGILLVM. MINISTRI. PROVINCIÆ. ALGARBII. Conſtat præterea hæc Prouincia ex 30. fratrum cœnobijs, atq; ex 22. ſanctimonialium monaſterijs. Inter quæ principatum cùm obtineat id, quod Olyſipponis, ſub titulo ſanctæ Mariæ de Ieſu, conſurgit, ne ordo atque debita ſeries prætermit-
B tatur, ab eo nobis exordiendum erit. Idcirco huic Prouinciæ ipſiſſimam maioris ſigilli imaginem præponendam volui, nempe diuum Ioannem Euangeliſtam ſpherę innixum, atq; 5. caſtra, quòd ea ſint Regni Algarbiorum ſtemmata atq; inſignia.

De conuentu S. Mariæ de Jeſu Denxabregas. Conu. I.

VT deuotiſſimi Princeps Regni Portugaliæ, quibus cognomen Ataides fuit, ſpecimen aliquod ſuæ deuotionis erga B. P. Franciſci Ordinem ederent, emptum à patribus Benedictinis ex proprijs facultatibus fundum, anno Domini 1459. fratribus noſtris ad Minoritici vnius conuentus ædificationem contulerunt. Accedenti-
C bus tum demum piorum Chriſti fidelium eleemoſynis, ſacra hæc domus in honorem beatiſſimæ virginis Mariæ de Ieſu Denxabregas tēporis ſucceſſu, non longè à nobiliſſima ciuitate Olyſippone, in præmemorato fundo conſtructa extitit. Rex verò Alphonſus, qui tunc Regno Portugaliæ imperabat, 9. Franciſcanos fratres, quorū vita omnibus maximè probabatur, ex inſula Tertia, ſiue (vt alijs placet) Aſturū, euocauit, qui paratam ſibi domum deinceps incolerent. Quorum bonus odor, ſanctimoniæ nomen, inculpatæq; vitæ fama cùm magis ac magis per totum Regnum indies diuulgaretur, plures viri Deo deuoti ex proprijs patrimonijs ijſdem fratribus, eorumq; ſucceſſoribus monaſteria diuerſis in locis ædificari curarunt. Quo tamen factum eſt, vt
D pluribus ſibi inuicem ſuccedentibus ſacris domibus, noua nobis Prouincia prodierit. Habitant autem hoc in monaſterio 60. fratres, quorum duo 14. ſtudentibus Philoſophiam pręlegunt. Nec tamen noſter hic conuentus ſacris ſanctorum reliquijs caret, cùm penes ſe debita cum reuerentia tria ſanctorum capita fideliſſimè aſſeruet. Quæ ſibi olim ſereniſſima Portugaliæ Regina Catharina, quæ Ioannis III. eiuſdem Portugaliæ Regis vxor fuit, dono dedit. Quibus etiam alterum ex pedibus B. P. F. Andreæ de Spoleto Franciſcani, qui in ciuitate Feſiana apud Mauros pro Ieſu Chriſti fide proprium ſanguinem fudit, ac glorioſo martyrio coronatus eſt, adiunxit.

De conuentu S. Antonij prope oppidum Torreſuedras. Conu. II.

E PRÆCEDENTIVM Principum deuotionem in Franciſcanam familiā imitatus ſereniſſimus Portugaliæ Rex Alphonſus V. anno à Chriſto Saluatore nato 1470. ex domeſticis facultatibus, hoc cœnobium, B. P. Antonio ſacrum, in oppido Torreſuedras vulgariter nuncupato, quod ad diœceſim Olyſipponenſem ſpectat, ædificari iuſſit. Quod tamen fratres (qui vt plurimum impræſentiarum 30. ſunt numero) ex literis apoſtolicis, anno Domini 1474. datis, ac in huius loci archiuis aſſeruatis acceptarunt. Floruit autem ſacra hæc domus à ſui erectione ſumma pietate, atq; ſanctitate: imò & ſtudio Grammaticali, quo iuniores fratres ibidem apprimè imbuuntur,

De conuentu S. Bernardini prope oppidum Atonguiæ. Conu. III. A

EST in Archiepiſcopatu Olyſipponẽſi oppidum, quod Luſitano idiomate Atonguia da Balea nuncupatur, apud cuius mœnia 3. huius Prouinciæ fratres Reformati, ex eleemoſynis vndequaq; emendicatis, pręcipuè verò ex liberalitate inclytorum dominorum, quibus Ataides cognomen fuit, anno redemptionis humanæ 1451. hanc ſacram domum, quam 16. fratres incolunt, à primis fundamentis ad apicem vſq; in diui patris Bernardini honorem ædificari curarunt. Viguit autem hoc in loco ſemper quidam cultus diuini zelus, quędamq; religio inculpata, ita vt plures patres Deo gratos nobis pepererit. Quorum primus fuit beatus pater Alphonſus de Taide, qui, cùm eſſet præfati oppidi Atonguię da Balea Dominus temporalis, mundo eiuſq; diuitijs renuncians, Franciſcanum habitum induit, illiq; adeò ſe conformauit, vt in ſanctiſſimum virum emerſerit. Obijt verò beatus hic pater Alphonſus in Prouincia Pietatis, attamen eius corpus ad hoc monaſterium delatum eſt, vbi in Domino requieſcit; pluraq; miracula diuina virtute, in circunuicinorum populorũ beneficium, in dies edit. In huius verò loci capitulo ſepultus eſt venerabilis quidam pater Petrus de Clauibus (vulgò de Chiaues) qui ſicut in vita moribus reſplenduit, ita quoque in morte fama emicat. Nam ab omnibus ſanctus, Deoque charus reputatur. Vnus eſt hic locus ex huius Prouincię monaſterijs, quę Reformationi deſeruiũt, obſequũturq;. B

De conuentu boni Ieſu prope pagum Peniche. Conu. IIII.

DESERVIT quoq; Reformationi huius Prouinciæ conuentus hic, ſanctiſſimo atque bono Ieſu dicatus, nec non prope pagum Peniche materna Luſitanorum lingua dictum ſitus, qui ad Archiepiſcopatum Olyſipponenſem ſpectat. Qui quidem conuentus, anno à mundi redemptione 1452. ex fidelium eleemoſynis, opera tamen fratrum, conſtrui cœpit: licèt liberalitate pientiſſimi viri domini Ludouici à Taide, qui apud Indos Orientales Portugaliæ Regis vices aliquando geſſit, ibidemq; mortẽ obijt, maiori ex parte promotus ſit, abſoluiq; debeat, ſi tamen teſtatoris voluntas adimpleatur. Qui moriens teſtamento cauit, vt is locus ſuis ſumptibus ab eius hæredibus atq; ſucceſſoribus omnibus ſuis numeris abſoluatur. Quapropter eius cadauer ex Indis ad hunc locum, in quo & honorificè ſepultum eſt, transferri voluit: vnde & patroni nomen ſibi, ſuiſq; poſteris meritò obtinuit. Nec diſſentiunt hæredes à teſtatoris præcepto, cùm omni adhibita diligentia ad operis conſummationem tendant. Habitant tãdem in hac ſacra æde duodecim tantùm religioſiſſimi fratres Reformati. C D

De conuentu S. Antonij prope oppidum Caſcaes. Conu. V.

TERTIVS fratrum Reformatorum huius Prouinciæ conuentus, licèt 5. in ordine exiſtat, eſt is, qui prope oppidum Caſcaës vulgò dictum, Archiepiſcopatus Olyſipponenſis, in honorem ſancti P. Antonij de Padua, conſtructus eſt. Ad cuius ædificationem, deuoti eius oppidi accolę quicquid opus fuit, liberaliſſimè contulêre. Huius verò loci eccleſia licèt maiori ex parte à fratribus ipſis, qui 16. ſunt numero, ædificijs atq; ſacris ſacellis ditata fuerit, eremitorium olim, diuo Roccho dicatum, præextitit. Cœpit hic locus ædificari circa annum à mundi redemptione 1570.

De conuentu beatiſsimæ Mariæ de Succurſu. Conu. VI. E

CONSTITERAT olim in meditullio eorum pagorum, quorum alteri Luſitanicè Aldea Galega, alteri verò Alconchete nomen eſt, Archiepiſcopatus verò communis nempe Olyſipponenſis, ſacra quædam ædes, in honorem S. Mariæ de Succurſu ædificata, quam cùm circunuicini populi ſolemniori atq; religioſo cultu excultam cuperent, in iuſtum fratrum conuẽtum eam promouere curarunt. Itaq; collatis in medium communibus facultatibus, hoc negocium religioſo admodum viro, atq; P. F. Gaſpari de Cuba huius Prouinciæ alumno commiſêre. Qui tandem eorum pijs votis annuens iniunctum ſibi munus fideliſſimè, imò & liberaliſſimè exequutus eſt: ita vt ęam infra pauci temporis ſpatium, circa annum Domini 1572.

A ad finem vſque perduxerit. Hoc tamen in monaſterio, quod decem tantùm fratres inhabitant, plura opera, eaq; mirabilia, quorum aliqua hîc ſubijciemus, ad inuocationem ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariȩ Deus opt.max.operari dignatus eſt, indiesq; operatur. Accidit, dum Antonius quidam Lopetius, huic loco vicinus, deuotionis ergô lapides ad huius operis promotionem in propria cymba deferret, vt elapſus lapis caput cuiuſdam collaborantis grauiſſimè ſua ruina læderet, ita vt miſerum corpus vitalibus ſpiritibus ad horam priuatum fuerit. Concurrentibus verò circunſtantibus ad orationem, qui occubuerat, illæſus omnino ſurrexit. Hieronymus etiam à ſancta Maria, qui ſua quadriga, atque opera fratribus ædificantibus abſque mercede ex peculiari quadam deuotione adeſſe cõſueuerat, cùm xj.cal.Aprilis, anni Domini 1576. obuium quendam nobilem ex equo elapſum rota ſui currus onuſti lethaliter peſſun-
B daret, dum vterque ad inuocationem ſanctiſſimæ huius virginis Mariæ occurrit, peſſundatus homo abſque læſione aliqua, admirantibus id maximè omnibus, euaſit; ſeque ex tempore templo huic ſancto, Deo eiusq; genitrici gratias redditurus, præſentauit. Aſſeruatur hoc in monaſterio, maxima tamen cum reuerentia, caput ſancti Martiani martyris, cui adiunctæ ſunt aliæ plures ſanctorum reliquiæ. Quas omnes sereniſſima Catharina Ioannis eius nominis III. Luſitanorum Regis vxor, ex pia quadam deuotione ac pietate, qua in hunc locũ, eiusq; accolas ferebatur, elargita eſt.

De conuentu S. Franciſci prope oppidum Setuual. Conu. VII.

CVM deuotiſſima fœmina Marianez Scholaris, Ioannis quondam Scholaris, qui Ferdinandi Portugaliæ Regis Fiſcus fuit, legitima filia, fundum ad cuiuſdam
C conuentus ædificationem contuliſſet, fratres ex eleemoſynis circumquaq; coaceruatis, hoc monaſterium, ſeraphico patri Franciſco ſacrum, non procul à nobiliſſimo oppido, cui Luſitanica lingua Setuual nomen indidit, circa annum Dominicæ incarnationis milleſimũ quadringenteſimum decimum conſtrui curarunt. Quia verò prædicta Marianez prȩter collatum ſolum, ſacellum etiam vtcunq; ſpecioſum hac in domo erexit, ſibi ſuisq; poſteris patroni nomen vſurpauit. Commorantur denique hoc in monaſterio, quod ad diœceſim Archiepiſcopatus Olyſipponenſis attinet, viginti Frãciſcani fratres, qui aliquas ſanctorum reliquias penes ſe debito in honore habent.

De conuentu S. Franciſci Eboræ. Conu. VIII.

D SVNT qui aſſerant hoc monaſterium, diuo patri Franciſco ſacrũ, quod intra mȩnia Eborenſis ciuitatis conſurgit, quoſdam venerabiles patres Gallecos, atq; ſocios ſeraphici patris noſtri Frãciſci ſui authores habuiſſe, quibus adſtipulari videtur ſepulcrum ad lȩuam eius portæ, quæ ex eccleſia clauſtrum ingredientibus occurrit, erectũ, in quo prȩdictorum patrum Gallecorum oſſa recondita aſſeruantur. Quicquid tamen ſit, locus hic olim ad patres Conuentuales Franciſcanos pertinuit, quorũ plurimi, cùm doctrina ſingulari, tum quoq; pietate claruerunt. Sed ijs ex mandato ſummi Pontificis Leonis X. cuius apoſtolicæ literæ in huius loci archiuis aſſeruantur, aliò ire iuſſis, ad Franciſcanos Obſeruantes, opera atque inſtantia ſereniſſimi Emanuelis tunc Portugaliæ Regis deuolutus eſt. Quod (ni fallor) circa annum Dominicæ incarnationis 1548. euenit. Hoc tamen in monaſterio, quod plerunque ſexaginta incolunt fra-
E tres, ſubſequentes cuſtodiuntur apoſtolicæ literæ. Nempe bulla vnionis fratrũ Ordinis Minorum data à Leone X. Pont. max. Et alia contra Apoſtatas venientes in curiã Romanam, vel impedientes bullam abſque conſenſu Commiſſarij. Et alia lata contra occultantes ſuos defectus in profeſſione, cùm ſint interrogati. Qua etiam cauetur, vt huiuſmodi farinæ fratres propter veritatis taciturnitatem expelli poſſint. Et alia data ab Alexandro IIII. ſummo Pontifice, de non exhibenda canonica portione de his, quæ nobis legantur. Et alia Benedicti XI. vt fratres poſſint prædicare, & adminiſtrare Pœnitentiæ ſacramentum. Sunt & aliæ indulgentiæ à ſummo Pontifice Alexandro VI. huic monaſterio conceſſæ in fauorem ſacrorum ſtigmatum beatiſſimi patris noſtri Franciſci, quibus inſerta quoque eſt excommunicatio in eos, qui vel in toto, vel in parte, in præfata ſacra ſtigmata dicterijs inſurgere præſumpſerint.

De conuentu S. Antonij prope oppidum Alcazeredoſal. Conu. IX. A

EST oppidum in Archiepiſcopatu Eborenſi, cui materna Luſitanorum lingua Alcazeredoſal nomen eſt, intra cuius muros conuentus hic, beato patri Antonio de Padua ſacer, conſurgit; qui quidem conuentus ex emendicatis piorũ virorum eleemoſynis, circa annum Dominicæ incarnationis 1524. ædificari cœpit, iiſdemq; auſpicijs. Ne verò cęteris huiuſce Prouinciæ conuentibus cedere videretur, ſequentibus ſanctorum reliquijs honeſtatur: quas Petrus Maſcharenius eiusq; legitima vxor in ſacello, ſuis ſumptibus affabrè ſumptuoſiſſimeq; ædificato, aſſeruandas curarunt. Nempe quoddam caput vnius ex 11. millibus virginum; Et alter ex denarijs, quo Chriſtus generi humani Saluator atq; Redemptor à proditore Iuda Iudęis venditus eſt. Et pars ligni ſanctiſſimæ crucis eiuſdem Chriſti Domini. Et vnus ex pilis ſanctiſ- B ſimæ barbę Saluatoris Chriſti. Tandem præfatum ſacellum innumeris gaudet indulgentijs ſibi à Vicarijs Chriſti conceſſis in fauorem ipſum piè accedentium. Habitant hoc in conuentu viginti fratres, qui fideliſſimè Deo ter optimo max. famulantur.

De conuentu ſanctiſſimæ Dominæ noſtræ de Gratijs. Conu. X.

INCLYTVS, ac perdeuotus Ioannes Maſcharenius eorum Velitum Dux, qui Cuſtodiæ sereniſſimorum Emanuelis, atq; Ioannis II. Portugaliæ Regum inuigilabant, hoc cœnobium, ſanctiſſimæ Marię de Gratijs ſacrum, intra ſepta eius oppidi, quod vulgò Montemaiorò nouo dicitur, attinetq; ad diœceſim Eborenſem, ex domeſticis facultatibus à primis fundamētis, circa annum Domini 1547. erexit: quod tamen nondum abſolutum eſt, ſed expenſis ſucceſſorum eius abſoluendum venit. C Vnde & iure optimo ius huius loci patronatus penes eos manet. Commorantur interim in eo 20. fratres. Primi tamen huius loci habitatores, atq; promotores fuêre miræ ſanctitatis, atq; religionis pater frater Chriſtophorus de Alcazere, & F. Ioannes Narachius, quorum corpora ibidem requieſcunt, animæ verò ab omnibus eius patriæ accolis, ob eorum inculpatam vitam, beatę exiſtimantur. Iuxta locum verò ſacro Euangelio decantando deſtinatum, nempè ad ſummi altaris ſiniſtrum cornu maxima cum reuerentia caput B. Apoſtoli Philippi cuſtoditur. Ad dextrum autem eiuſdem ſummi altaris latus, quod pronunciandæ epiſtolæ deſeruit, cuiuſdam incogniti martyris caput alterum aſſeruatur. Quorum gratia fideles hunc locum à primis veſperis diui Apoſtoli Philippi vſq; ad ſecundas accedentes innumeras aſſequuntur indulgentias à plurimis ſummis Pontificibus conceſſas. Ne autem alicui de his ſacris D pignoribus dubitandi locus relinqueretur inclytus Ferdinandus Martinez Maſcharenius, qui in ſacro œcumenico Tridētino Concilio pro Portugalię Rege legatione functus eſt, quiq; liberalis eorum collator extitit, teſtimoniales literas ſibi adiunxit.

De conuentu S. Franciſci Eſtremoz. Conu. XI.

HOC monaſterium, B. P. Franciſco ſacrum, quod muris oppidi Eſtremoz vulgò nuncupati cingitur, attinetq; ad Archiepiſcopatum Eborenſem, ob eius vetuſtatem, atq; fratrum incuriam ſui fundatoris vel ſuæ fundationis tempus nobis oſtendere nequiuit. Solers tamen indago ipſum aliquando ad Prouinciam ſancti Iacobi pertinuiſſe prodidit. Cùm autem aliquandiu à Franciſcanis patribus Conuentualibus occupatus extitiſſet, ijs ex mandato sereniſſimi Regis tunc Portugaliæ clauum E tenentis, anno à mundi redemptione 1542. aliò migrare iuſſis, ad Franciſcanos Obſeruantes tranſlatus eſt. Quem tamen vt plurimum 35. fratres incolunt. Viguit autem perpetuò in ſacra domo maxima religio, maximaq; Franciſcanæ Regulæ Obſeruantia, quam Deus opt. max. accepto ferens etiam viſibilibus ſignis comprobauit. Nam deficiente ſemel pane, cùm diſpenſator domus vnde acquireret minimè haberet, prętriſtitiaq; ſedens ſe ſomno dediſſet, ecce diuinitus repletæ panibus menſæ apparuerunt. Quibus & fratrum fami ſatisfactum, & plurimis conuicinorum populorum infirmitatibus occurſum eſt. Qua deniq; re per fratres, atq; ſæculares cognita, inde maximæ gratię Deo miſericordiarum, omniumq; bonorum largitori obuenerunt.

De conuentu

A *De conuentu S. Franciſci Iuliæpacis. Conu. XII.*

VT ex diuerſis ſcripturis, ſparſis tamen colligere potuimus domus hæc, ſeraphico P. Frãciſco dicata, quę Iuliæ pacis Archiepiſcopatus Eborenſis conſurgit, plures ſui promotores agnoſcit. Nam eius fundum ſereniſſimus Dionyſius Portugaliæ Rex, ob nimiam pietatem, atq; beneuolentiam, qua ſeraphici Franciſci Ordinem proſequebatur, ad conuentus ædificationem liberaliſſimè contulit. Ciues verò Tulienſes, quod reliquum eſt operis ſuis facultatibus atq; eleemoſynis promouerunt. Certum tamen ædificationis tempus, licèt liquidò non conſtet, colligitur ex quibuſdam indulgentijs à reuerendiſſimo quodam ſancti Iacobi Archiepiſcopo in huius operis fauorem conceſſis, hunc locum ante annum Domini 1348. exordium
B habuiſſe. Vnde etiam nobis coniectare licet ipſum ad Prouinciam ſancti Iacobi aliquando pertinuiſſe. Qui quidem patrum Conuentualium Franciſcanorum iuri aliquando ſubiacuit, ſed ab anno à Chriſto Saluatore nato 1542. Franciſcanis Obſeruãtibus paret. Non aſpernatur Dominus Deus vota, & preces fidelium hunc locum accedentium, quinimo in quodam egregio ſacello, diuo Ludouico Epiſcopo ac Ordinis Minorum dicato, illis plura beneficia præſtare dignatur. Habitant tandem hoc in monaſterio quadraginta fratres, qui die noctuq; fideliter diuinis incumbunt laudibus.

De conuentu S. Antonij de Serpe. Conu. XIII.

CONVENTVS hic, beato patri Antonio de Padua ſacer, qui in oppido Serpe Luſitanicè dicto diœceſis Eborenſis conſurgit, nihil nobis memoria dignum
C prodit, niſi quod à ſereniſſimo pariter ac deuotiſſimo Emanuele Portugaliæ Rege, qui ſeraphicum B. P. Franciſci Ordinem maxima humanitate, pietate, atq; fauore, quoad vixit, proſequutus fuit, circa annum humanæ redemptionis 1520. conſtructus extiterit. Quem nihilominus viginti fratres diuinis laudibus intenti, pijsq́ue oppidanorum eleemoſynis, illis liberaliter collatis, ſuſtentati iure optimo occupant.

De conuentu S. Franciſci de Moura. Conu. XIIII.

CVM ſereniſſimus, atq; pientiſſimus Ioannes III. Portugaliæ Rex, ob eius ſingularem affectum in Franciſcanam familiam, huius Prouinciæ fratribus ad cuiuſdam conuentus ædificationem ſyluulam quandam contuliſſet, illi, ea per Procuratorem diuendita, ex pecunijs inde obuenientibus huic monaſterio, quod muris
D oppidi Mouræ Archiepiſcopatus Eborenſis circunſcribitur, initium dedêre circa annum Dominicæ incarnationis 1547. Quod licèt aliquot fecerit progreſſus, nondum tamen abſolutũ eſt. Quapropter 20. fratres ſui habitatores incommodè ſatis continet.

De conuentu Dominæ noſtræ de Pietate Meſeranæ. Conu. XV.

NON venit aſpernanda, ſed potius magnis encomijs commendanda, deuotio inclyti ſimul atq; pijſſimi viri Laurentij à Sylua, qui cum Olyſipponis Gubernatorem ageret, ex peculiari patrimonio huic cœnobio, quod in laudem ſanctiſſimæ Dominæ noſtræ de Pietate ſumma veneratione à fidelibus colitur, anno Dñi 1570. prope pagum Meſerana à Luſitanis nuncupatum feliciſſimũ initiũ dedit, temporisq́;
E progreſſu finem impoſuit, ita vt 10. fratres Recollectos ſui accolas facillimè capiat.

De conuentu Dominæ noſtræ de Martyribus Aluiti. Conu. XVI.

RECOLLECTIONI quoque ſiue reformationi huius Prouinciæ inſeruit is conuentus, qui prope oppidum Aluito à Luſitanis nuncupatum Eborenſis Archiepiſcopatus in honorem beatiſſimæ Dominæ noſtræ de Martyribus exurgit: qui cum olim intra eremitorij fines teneretur, ſub eodem titulo, expenſis atque munificentia inclyti ac deuotiſſimi cuiuſdam Baronis Aluitenſis, in iuſtum conuentum euaſit. Cœpit autem (vt nos certiſſima docent teſtimonia) exordium ſumere, anno à Dominica natiuitate 1534. diuino tandem in eo, cum maxima populi ædificatione vacant obſequio quindecim patres ac fratres huiuſce Prouinciæ reformati.

De conuentu S. Franciſci Miræ. *Conu. XVII.* A

QVANTVM temporis diuturnitas, hominumq; vecordium incuria, qui vel literis mandata contemnunt, vel ea quæ poſteris neceſſaria ſunt, ſcripto tradere negligunt, viris curioſis obſint, vel hinc ſaltē colligi poteſt. Cùm enim conuentus hic, beatiſſimo patri Franciſco dicatus, atq; in oppido de Mira Luſitanicè dicto Archiepiſcopatus Eborenſis ſitus, aliquãdo initium ſumpſerit, ſuiq; authorem habuerit, nulla tamen adhibita diligenria, id vel ex ſeniorum traditione, vel ex aliquo ſcripto archiuis commiſſo inueſtigari potuit. Quamobrem & fundatoris, vel fundatorum nomen, & fundationis tempus ſilentio nobis prætereunda veniunt. Hoc nihilominus nobis certiſſimum eſt hunc videlicet locum correctioni, diſciplinæ atq; regimini patrum Franciſcanorum Conuentualium aliquando ſubiacuiſſe, & ab ijs in illa generali eorum reformatione facta per fel. ręc. Pium V. Pont. max. anno à Chriſto Saluatore nato 1567. ad Franciſcanos Obſeruantes emanaſſe. Qui quidem locus adeò rimis parebat, vt omnimodam ruinam breui facturam minaretur. Quapropter diuenditis ex indulto pontificio per Obſeruantium Procuratorem eius annuis redditibus, anno Domini 1577. ex integro reſtitutus eſt: Ita vt non aliquando antiquum, ſed eum ſemper nouum fuiſſe facillimè iudicares. Suſpiciunt, ac tamquam ſui patronos beneficos venerantur huius ſacræ domus fratres, qui numero ſunt 16. inclytos Comites præfati oppidi Miræ, quos ſibi promptiſſimos in omni neceſſitate experiuntur. B

De conuentu S. Antonij de Cines. *Conu. XVIII.*

CVM homo quidam inter criſpantes feri maris vndas cymbula vectus nihil aliud præter naufragium operiretur, ac tandem ad ſcopulos alliſus altiſſimis rupibus hęſiſſet, ſe glorioſæ virgini Mariæ, atq; B. P. Antonio de Padua ex intimis præcordijs commendãs, eorum fauore & beneficio à tanto diſcrimine ereptus eſt. Quod cùm eius patriæ incolis innotuiſſet, eremitorium quoddam rupibus ipſis imminens erigere cœperunt, quod tamen ad finem, refrigeſcente primo illo motu, minimè perduxerunt. Qua deniq; re per Franciſcanos quoſdam fratres, qui ex Caſtellæ partibus ad hoc Regnum appulerant, vt primùm cognita, tantopere conuicinos illos populos ſuis exhortationibus atq; ſacris concionibus, ob intermiſſum opus, carpſerunt, vt ad vnius conuentus ædificationem illos compulerint. Inter quos nobilis atque deuotiſſimi Georgij Huntado in Franciſcanos beneuolentia, atq; affectus maximè enituit. Is enim huic conuentui, B. P. Antonio de Padua ſacro, qui in oppido Cines Luſitanicè dicto Archiepiſcopatus Eborenſis ſedem obtinet, anno Dominicæ natiuitatis 1504. ex proprijs facultaibus felix initium dedit: atq; in cauſa fuit, vt reliquus populus, tãto exemplo excitatus, quod ad eius perfectionem deſiderabatur, liberaliſſimè præſtaret. Inhabitatur hic locus à 10. fratribus, qui Deo fideliſſimè obſequuntur. C D

De conuentu ſanctiſſimæ Dominæ noſtræ de Laureto. *Conu. XIX.*

NON longè ab oppido, cui nomen Diuus Iacobus eſt, metropolis verò Eborenſis ciuitas, communibus ſumptibus perdeuotæ eius communitatis, cui non modica laus in Eccleſia Franciſcana eſt, hoc monaſterium in honorem atq; laudem ſanctiſſimæ Dominæ noſtræ de Laureto, circa annum humanæ reparationis 1505. ædificatum fuit. In quo ſexdecim fratres communem religioſamque vitam ducunt. E

De conuentu S. Franciſci apud Portum Lætum. *Conu. XX.*

SI indicijs, atq; manifeſtiſſimis ſignis fidem adhibere liceat ex inſignijs portæ huius conuentus imminentibus, quorum baſi ſequentes literæ ſubſtant: *Dominus Dionyſius Portugaliæ Rex ædificauit hoc monaſterium*, facillimè edocemur, hunc locum, qui muris ciuitatis Portus Læti circuncingitur, præfatum ſereniſſimum Dionyſium Portugaliæ Regem ſui authorem habuiſſe. Sed quo tempore, cuiusq; ſummi Pontificis auctoritate id contigerit, omni adhibita diligētia, inueſtigare nō potuimus. Hoc tamen in propatulo eſt hoc videlicet cœnobium olim ad patres Conuentuales perti-

A pertinuiſſe,atq; ab ijs anno à Chriſto Saluatore nato 1542. ad Obſeruantes, quorũ 30. ibidem commorantur tranſlatum fuiſſe. Cuſtodiuntur tandem hoc in loco pars ligni ſanctiſſimę crucis, & altera ex ſpinis,quibus ſacrũ caput Ghriſti Saluatoris noſtri redimitum punctumq; fuit. Ad quas quidem ſacras reliquias inuiſendas ex omnibus ferè plagis Regni Portugaliæ Chriſti fideles maxima cum deuotione confluunt. Qui etiã earum ſuffragium plurimis in neceſſitatibus, per Dei miſericordiam, experiuntur.

De conuentu S. Antonij prope Campum maiorem. Conu. XXI.

VENERABILIS maximeq; religionis pater frater Georgius de Pama Luſitanus,indulto Alexandri VI. Pont.max. dato Pontificatus eiuſdem anno ſecundo ſibi fauente,hunc locum,beato patri Antonio de Padua ſacrum,ex eleemoſynis circumquaq; emendicatis, intra ſepta oppidi Campi maioris Eluenſis Epiſcopatus conſtrui fecit. Sed cùm in eius exordio humili quadam ſtructura contentus fuiſſet,ſuppetentibus poſtea pro voto rebus neceſſarijs, ipſum in meliorem atq; auguſtiorem formam redegit, ita vt commodiſſimè viginti fratres ſui habitatores capere poſſit. Nec ſilentio prætereundum exiſtimo, id quod præfatus pater Georgius de Pama, à prædicto ſummo Pontifice Alexandro VI. quoque impetrauit. Conceſſit ſiquidem ex apoſtolica auctoritate,vt ſibi liceret & fratres aliunde venientes recipere,& receptos,quãdo vellet remittere. Præterea vt nulli Ordinario prẹlato,prẹterquam ſummo Pontifici,parere teneretur. Optimum tamen de ſe circumadiacentibus populis, tum ipſe, tum ſibi ſubditi fratres odorem dedêre, quare ab ipſis ſummopere diligebantur.

De conuentu S.Franciſci Oliuentiæ. Conu. XXII.

C CVM inclytus Ferdinandus Meneſius Marchio Villæregiæ fundum, ſeu ſolum ad cuiuſdam conuentus conſtructionem liberaliter elargitus eſſet, eius affinis Aluarus Meneſius ex domeſticis facultatibus in eodẽ ſolo, non longè ab oppido Oliuentia Epiſcopatus Eluenſis hanc ſacram ædem in honorem ſeraphici patris Franciſci,circa annum Dominicæ incarnationis milleſimum quingenteſimum, à fundamẽtis ad apicem vſque liberaliſſimè promouit. In qua plerunque 20.conuiuunt fratres.

De conuentu S.Franciſci Tauiræ. Conu. XXIII.

CVM religioſus arctioriſq; vitæ cupidus pater frater Petrus Conymbricenſis in Obſeruantum fratrum Franciſcanorum vitam, atque viuendi modum maximè D anhelaret,ex conceſſione prẹuia Leonis X.Pont.max.anno à mundo redempto 1517. hanc ſacram ædem,cui ſedes intra mœnia ciuitatis Tauiræ Epiſcopatus Algarbiorũ, beatiſſimo patri Franciſco dicatam,à patribus Franciſcanis Conuentualibus,quibus tunc parebat, ad Obſeruantes cum viginti tribus fratribus eius accolis feliciſſimè tranſtulit.Licèt hic locus auguſtus ſatis ſit,apprimeq; conſtructus,non tamẽ,ex craſſa fratrum negligentia,certum ſui authorem,ſiue certum ſuę fundationis tempus nobis pandere potuit. Ipſum nihilominus viginti fratres quietiſſimè ſatis inhabitant.

De conuentu S.Franciſci Farcàm. Conu. XXIIII.

OB ſingularem beneuolentiam, qua nobilis vir Noneſius Rodericus Barreto natione Luſitanus Franciſcanum Ordinem proſequebatur, ſacrum hoc monaſte-E rium,beatiſſimo patri Franciſco dicatum, circa annũ Dominicæ incarnationis 1534. intra ſepta ciuitatis Farcàm Luſitanicè dictæ Epiſcopatus Algarbiorum à fundamẽtis ad apicem vſq; ædificari iuſſit. In quo vt plurimùm 20. fratres moram trahunt.

De conuentu B.Mariæ de Stella de Maruaò. Conu. XXV.

NIHIL certius de huius ædis fundatore, atque fundatione, ob cauſas retrò dictas,tradere poſſumus,præter id quod in vulgus fertur, atq; certiſſima eaq; antiquiſſima traditione receptum eſt. Quod videlicet conuentus hic ex fidelium eleemoſynis extructus fuerit. Cùm enim (vt firmiſſimè, conſtanterq; aſſeritur) paſtor quidam oues ſibi creditas ad radices huius montis (conſiſtit ſiquidem hoc cœnobium in cacu-

in cacumine editi cuiuſdam montis) paſceret, ac lucem quandam in modum ſtellæ micantis in cliuo eius montis ſæpius fuiſſet conſpicatus, inuſitatam illam claritatem quominus viſurus iugulum petijt. Quo cùm perueniſſet imaginem glorioſæ Dei genitricis Mariæ affabrè depictam, ac ſupra modum ſpecioſam ſub quodam lapide præter ſpem inuenit. Quam humiliter veneratus ſecumq; deductã populo viciniori oſtendit, reiq; euentum narrauit. Ille verò imaginis pulchritudine attractus, atq; magnitudine miraculorum quæ indies ab ipſa patrabantur incitatus, ędiculam quandam atq; domicilium ſibi contiguum ex communibus facultatibus ædificari, Frãciſcaniſq; fratribus tradi curauit. Sed cùm indies magis magiſq; Deus ter opt. max. in loco ad illius deuotę imaginis inuocationem plura tum incolis, tum quoq; peregrinis eò confluentibus beneficia præſtaret, adeò populorum deuotio creuit, adeoq; eleemoſynæ ſuppetebant, vt non ita poſt multum temporis eccleſia ipſa, atque ſibi annexum cęnobium in tantum dilatata fuerint, vt commodiſſimè vigintiquinq; fratres Minores, qui diu noctuq; obſequio Chriſti Domini, eiuſq; ſanctiſſimæ genitricis vacant, capere poſſint. Exiſtit autem locus hic, qui aliquando ad Portuenſem Cuſtodiam pertinuit, beatæ Mariæ virgini de Stella ſacratus. Eſt præterea in nobili ciuitate Conymbrica collegium quoddam in honorem diui patris Bonauenturæ erectum, quod omnibus Portugaliæ Prouincijs fideliſſimè inſeruit, quodque regijs eleemoſynis ſuſtentatur, vt ex his, quæ in Prouinciæ Portugaliæ deſcriptione fuſius diximus, liquidò patet.

De conu. B. Mariæ de Ducatu apud Inſulam Tertiam. Conu. XXVI.

INSVLA eſt in Oceano mari Tertia, ſiue Aſturum appellata à ſereniſſimo Henrico Ioannis I. Portugaliæ Regis filio olim inuenta, armiſq; edomita, in qua 5. fratrum Minorum, totidemq; monialium Clariſſarum monaſteria conſtructa ſunt. Hæc omnia Portuenſi Cuſtodiæ aliquando paruêre, modò verò Algarbiorum Prouinciæ adiacent: licèt ob itineris mariſq; difficultates proprium Commiſſarium, patri tamẽ Miniſtro Algarbiorum Prouinciali ſubditum, habeant. Ciuitas igitur eſt in præfata Aſturum inſula nomine Angra, intra cuius ſepta monaſterium quoddam, beatiſſimæ Dei genitrici Mariæ de Ducatu, Hiſpanicè verò de la Guia, ſacrum, quod 25. incolũt fratres, quodq;, ſi receptiſſimæ Angranorum traditioni fidem adhibere liceat, circa annum Dñi 1400. ex eorundem eleemoſynis, ob ſummã, qua in Franciſcanam familiã antiquiores illi Angrani ciues ferebantur, deuotionẽ, ædificatũ fuit, in altũ conſurgit.

De conuentu Conceptionis B. Mariæ Plaiæ. Conu. XXVII.

EXTAT quoq; oppidum eadem in inſula Tertia Plaia Luſitanicè nũcupatum, apud cuius mœnia ex publicis oppidanorum facultatibus, priuatiſq; piorum hominum eleemoſynis, circa annum Dñi 1480. Conuẽtus hic, immaculatæ virginis Mariæ Conceptioni dicatus, quem vt plurimùm 15. fratres incolunt, ædificatus fuit.

De conu. Conceptionis B. Mariæ Subtilis Cuſpidis. Conu. XXVIII.

CONTINET eadem inſula Tertia ciuitatem, cui nomẽ Luſitanicè Punta delgada, Latinè verò Cuſpis ſubtilis eſt: intra illius ergo mœnia, prope munitionem quandam, circa annum Domini 1500. ex communibus eiuſdem ciuitatis prouentibus ſacra hæc ædes in honorem ſanctiſſimæ Conceptionis glorioſæ ſemperq; virginis Dei genitricis Mariæ ab eius deuoto ſenatu conſtructa fuit: quam & 24. fratres commodiſſimè inhabitant, quædamq; beatorum martyrũ Coſmæ & Damiani ſacræ reliquiæ ex vrbe Roma à perdeuoto ciue Iacobo Vulpino allatæ commendatiſſimam reddũt. Curauit idem Iacobus Vulpinus ſacellum ad eorundem martyrum honorẽ in huiuſmet loci eccleſia proprijs ſumptibus, quibus abũdabat, elegantiſſimè conſtruendum.

De conu. B. Mariæ de Roſario in inſula S. Michaelis. Conu. XXIX.

CONSTITERAT olim in S. Michaëlis inſula, quæ Aſturum quoque inſulæ adiacet, ciuitas ſub nomine Villæfrancæ de Campo, cuius excidium quidam P. F. Alphonſus à Toleto Dominicanus pro roſtris, dum publicè concionaretur, eius

ciuibus

A ciuibus ſæpius prædixerat: Quamobrem aliquot eius inquilini, quibus ſanior mens erat, cognita viri ſanctitate, eiusq; verbis fidem adhibentes, ſe ad inſulæ prædictæ interiora contulerunt, vltricemq; Dei omnipotentis manum, diuina præuenti miſericordia effugerunt. Et ecce 20. menſis Octobris, anno Domini 1522. in ipſo ſanctarum vndecim millium virginum profeſto, ex maximo quodam terremotu, imminens præfatæ ciuitati mons radicitus euulſus vniuerſam ciuitatem, eiusq; accolas, atq; Minoriticum monaſterium ibidem erectum ſua ruina oppreſſit. Quapropter rediens cum profugis ſocijs præmemoratus pater frater Alphonſus à Toleto, nouum oppidum ſub eodem Villæfrancæ nomine, nouamq; eccleſiam in honorem Dominæ noſtræ de Roſario prope antiquioris ciuitatis ruinas condidit. Cui tandem, beneuolentia atque publicis præfatorum oppidanorum eleemoſynis, Minoriticum hoc monaſteriũ, quod B quatuordecim fratres incolunt, circa annum à Chriſti natiuitate 1525. adiunctum fuit. Inoleuit à præfata Villæfrancæ ciuitatis ruina apud huiuſce recentioris oppidi accolas laudabilis quidam mos, luſtrandi videlicet ſingulis profeſtis vndecim millium virginum, intempeſta nocte, in præmemorati excidij memoriam, maxima cum deuotione, atque ſanguinis effuſione proceſſionaliter vniuerſum oppidum intrinſecus atque etiam extrinſecus, ad quam videndam circumuicini populi confluunt.

De conuentu Dominæ noſtræ de Roſario in inſula Faial *Conu.* XXX.

NON longè ab inſula Tertia, inter ſpumantes feri maris Oceani fluctus alia quędam inſula, cui Hiſpanicè Faial nomen eſt, in altum prorumpit: in qua antiquitus oppidum, ſub nomine Dorta, ædificatum fuit. Eius igitur deuotiſſimus ſenatus, C cuius ſingularis omnino ad ſeraphicum patrem Franciſcum deuotio eſt, intra præfati Dortani oppidi ſepta, ex publicis bonis hoc monaſterium, in laudem & gloriam beatæ Mariæ de Roſario, conſtrui curauit. Sed quãdo id contigerit, vel cuius auctoritate licuerit non ſatis cõſtat. Ea eſt humani generis craſſa, atq; vituperabilis incuria. Quia verò hæc ſacra domus non ſatis auguſtè patet, à nouem tantùm fratribus inhabitatur.

De monaſterio Clariſſarum Enxabregas. *Mon* I.

NON longè à muris ciuitatis Olyſipponenſis, in Villa, quę Luſitanica lingua Enxabregas nuncupatur, hoc monaſterium, ſanctiſſimæ matri Dei dicatum, exurgit. Hoc triginta tres ſorores ſub prima Regula beatæ virginis Claræ victitantes incolunt, atque sereniſſima Regina Leonora ſereniſſimi Regis Portugaliæ Ioannis II. D vxor, ſuis ſumptibus, ædificandum curauit. Ea tamen lege, ne 33. numerum vnquam ſorores excederent. Summa cũ deuotione coluntur hoc in loco venerandæ ſequentes reliquiæ, videlicet altera ex ſpinis, ex quibus Saluatoris Chriſti corona contexta fuit, quædam pars ligni ſanctæ crucis Chriſti, atque tria capita ex 11. millibus virginum.

De monaſterio B. Mariæ de Martyribus Sacauen. *Mon.* II.

SECRETARIVS quidam ſereniſſimi Portugaliæ Regis Sebaſtiani I. eius inquam qui contra Mauros ob Chriſti fidem infeliciter, licèt ſtrenuè pugnãs in florida ætate occubuit, ob eius ſingularem in Chriſti ſponſas deuotionem, hoc monaſterium glorioſiſſimæ Dominæ noſtræ de Martyribus ſacrum, ad habitationem monialium Clariſſarum, prope locum, qui Luſitanico idiomate Sacauen nuncupatur, à plu- E rimis martyribus ibidem pro Chriſti fide occiſis, ſic dictum, qui non longè à ciuitate, Olyſippone diſtat, ex domeſticis facultatibus, circa annum Dominicæ incarnationis 1583. conſtrui iuſſit: eo tamen pacto, ne moniales in eo degentes, quæ ſub prima Regula beatæ virginis Claræ militare tenentur 33. numerum tranſgrediantur. Huius ergo loci ſorores, quæ vſitatiori vocabulo Damianæ, ſiue Damianitę vocantur, ac impræſentiarum ob operis imperfectionem 12. numerum non excedunt, penes ſe caput beatæ virginis, & martyris Barbaræ, & alia quinque capita ex vndecim millibus virginum, nec non partem ſanctiſſimæ crucis Chriſti deuotiſſimè cuſtodiunt. Quas omnes ſacras reliquias præfatus fundator aliunde adductas dono ad domus decorem, ornatum, atque deuotionem munificentiſſimè maximaq; liberalitate dedit.

De mona-

De monaſterio Dominæ noſtræ de Gloria Olyſipponis. *Mon. III.* A

CVM hæretica rabies in Belgio indies magis ac magis in religioſos, quibus eorũ procacitas,atq; libido minimè probabatur,ſęuiret, pauperes quędam, licèt ſanctiſſimæ,moniales Clariſſæ, quæ maxima cum laude ſub prima Regula beatæ virginis Claræ in diuerſis Germaniæ inferioris conuentibus victitarant, eorum furorem, poſt multa ludibria atque improperia,declinaturæ ex Gallia Belgica,vt felicius atq; quietius Chriſto earum ſponſo deſeruire valerent, ad hanc opulentiſſimam Olyſipponenſem ciuitatem ſimul cum ſuo patre Confeſſario, atque paſtore transfretarunt. Vbi tandem humaniſſimè, atque maxima cum beneuolentia tum à catholico atque sereniſſimo Hiſpaniarum Rege Philippo eius nominis ſecundo, tum quoque ab vniuerſis Olyſipponenſibus exceptæ ſunt.Quibus etiam à pręfata regia maieſtate de hoc B monaſterio,cui nomen Domina noſtra de Gloria,ſedes verò ſuburbium Olyſipponẽſe eſt,anno Dominicę incarnationis 1542.prouiſum fuit.Hę autem moniales,quę numero ſunt 22. eleemoſynis tum regijs, tum quoque piorum Luſitanorum aluntur.

De monaſterio Ieſus Setubliæ. *Mon. IIII.*

PRINCIPATVM obtinet inter reliquos monialium Clariſſarum huius Regni Portugaliæ locos domus hęc,dulciſſimo nomini Ieſu ſacra, quã ſuis ſumptibus perdeuota fœmina Iuſta à ſancta Roderica, Emanuelis Luſitanorum Regis olim pia nutrix, circa annum à Chriſti natiuitate 1540. intra mœnia oppidi Setubliæ Olyſipponenſis diœceſis ædificari curauit. Nam & ſtructura, quæ omnino regia eſt,& antiquitate cęteros antecellit.Eſt enim hæc prima ędes,primumq; Clariſſarum monaſte- C rium,quod in Portugaliæ Regno erectum extitit, & à quo,quæ reliqua ſunt,tãquam à pio quodam ſeminario,dimanarunt. Maxima præterea cum reuerentia,maximaq; cum deuotione huius loci ſorores, quæ ſub prima beatę virginis Clarę Regula militant, ſuntq; triginta tres,nec plures ex fundatricis mandato eſſe poſſunt, ſanctiſſimę crucis Chriſti Saluatoris noſtri partem,atq; caput cuiuſdã Chriſti mart.incogniti (vt plurimi volunt) vel diui Eliodi,qui ſanguinem pro fide catholica fudit, cuſtodiunt.

De monaſterio S. Claræ Eboræ. *Mon. V.*

REVERENDISSIMVS quidam Archiepiſcopus Eborenſis, cui nomen Vaſcus fuit, vt iniuncto ſibi muneri fideliter ſatisfaceret, & quæ ſub Chriſto militans ſtipendia abundantius acceperat, ea in eiuſdem Chriſti volũtarios pauperes or- D dinatiſſimè profunderet,hoc monaſterium,diuæ virgini Claræ ſacrum, quod vtplurimùm octoginta ſorores ſub ſecunda eiuſdem ſanctæ virginis Regula inhabitant, anno Dominicæ incarnationis milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo nono, intra mœnia Eborenſis ciuitatis, ex Archiepiſcopalibus redditibus, inſtrui curauit.

De monaſterio Montis Caluarij Eboræ. *Mon. VI.*

PRÆCEDENTIS Archiepiſcopi deuotionem ſequuta ſereniſſima pariter ac deuotiſſima Infans Maria Portugaliæ Regis filia,vt virginum, quæ,derelicto ſęculo eiuſq; pompis, Chriſto ſponſo ſecurius liberiuſq; in loco aliquo, à curis ſęcularibus, atque à mundi periculis ſemoto,inſeruire ſtudent, affectantq;, pijs votis faceret ſatis,ex domeſtico,atq; regio ſibi obueniente patrimonio, intra clauſtra Eborenſis ci- E uitatis,hoc cœnobium à triginta ſororibus Clariſſis,felici illi Monti Caluario,in quo Chriſtus Dominus in medio terræ humani generis ſalutem operari dignatus eſt, ſacrum, circa annum ab eodem Chriſto Saluatore in terris nato 1574. erigi fecit.

De monaſterio Aracœli Salatici. *Mon. VII.*

PROPRIIS diffidentibus meritis, vt qui ſe nouerant ex radice infecta propagatos,atque toto curriculo vitæ ſuæ ad malum procliues,nobilis dominus Rodericus Saleme,& eius legitima coniunx Catharina de Sotto maior hanc ſacram ędem, Aræcœli dicatam, quam vigintiquinque Clariſſæ moniales inhabitant, in oppido Salatij

A latij Luſitanicè dicto Archiepiſcopatus Eborenſis, vt haberent, qui poſt eorum obitum ad Deum opt.max.pro ſe preces effunderent, ex communibus facultatibus, anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo tertio ædificari curarunt. Aſſeruatur hoc in loco quoddam caput vnius ex 11. millibus virginum.

De monaſterio S. Ioannis Eſtremoz. Mon. VIII.

MONIALES huius monaſterij, quod intra muros oppidi Eſtremoz vulgariter à Luſitanis nuncupato Archiepiſcopatus Eborenſis exurgit, nec Regulæ beatæ virginis Claræ ſubſunt, cùm eam non profiteantur: nec aliarum Clariſſarum habitu vtuntur: ſed ſub quibuſdam ſtatutis vitam degentes prouinciali huius Prouinciæ Miniſtro, eiuſq; iuſſis adamuſſim, atq; libentiſſimè parent, ſui verò patronum atque loci fundatorem fatentur, & agnoſcunt Ludouicum Portugaliç Infantem, atq; illius pa-
B triæ Regis quondam filium: qui ob eius innatam beneuolentiam, atq; mirum affectũ in Dei famulos præfatũ hunc locum ſuis ſumptibus erigendum, abſoluendumq; curauit. Quem vtplurimùm 40. incolunt Chriſti virgines. Hæ debita cum reuerentia caput S. Bacchi martyris, qui pro Chriſti fide vitam cum morte commutauit, cuſtodiunt.

De monaſterio Spei Villæ vitioſæ. Mon. IX.

DIVINVS ille ſponſus Chriſtus Dominus, qui dilectam ſibi ſponſam abſq; macula, atq; ruga iunxit, vt perpetuò prudentes virgines cum lampadibus accẽſis, oleoq; redundantibus ſibi obuias habeat, plurimorum corda tangere non deſtitit, qui ex bonis ſibi communicatis collegia tum cœlibum virorum, tum quoque ſacrarum
C virginum conſtruant. Inter quos non minorem laudem adepta eſt Eliſabetha ab Alẽcaſtro inclyti quondam Theodoſij Brigantiæ Ducis vxor, cùm ex domeſticis facultatibus in oppido Villauitioſa Eborenſis Archiepiſcopatus hoc monaſterium Spei, quæ Theologica virtus eſt, dicatum, in quo 04. ſanctimoniales ſanctam Deoq; gratam vitam ducunt, illiq; fideliter famulantur, adamuſſim conſtrui curauerit.

De monaſterio Plagarum Villæ vitioſæ. Mon. X.

EST & aliud ſororum monaſterium in præfato oppido Villæ vitioſæ, quod inclytus, ſimulatq; deuotiſſimus quidã Brigantiæ Dux in memoriam earum plagarum, quas Chriſtus Dominus, licèt peccatum non feciſſet, inter peccatores reputatus pro nobis patienter ſuſtinere dignatus eſt, proprijs ſuis ſumptibus erigendum cura-
D uit. Impetrata tamen prius à ſummo Paſtore, atque Pontifice Romano facultate, & mandato, ne is locus pluſquam à ſororibus quadraginta duabus vnquam incoleretur, inhabitareturq;. Quamobrem eius incolę præfatum numerũ minimè trãſgrediuntur.

De monaſterio Saluatoris Mautitiæ. Mon. XI.

SANCTIMONIALIVM cœnobium, quod in oppido Mautitia dięceſis Eborenſis conſpicitur, antiquiſſimum eſt: cumq; indies omnimodam ſui minaretur ruinam, circa annum Domini 1580. reparari (vel vt melius dicam) à fundamentis de nuò reædificari cœpit. Idq; in cauſa eſt, vt à nouem tantùm ſororibus inhabitetur.

De monaſterio S. Claræ Iuliæ Pacis. Mon. XII.

E INTRA Iuliæ Pacis clauſtra, (quæ Luſitanorum ciuitas eſt) exurgit monaſterium quoddam, beatæ virgini Claræ ſacrum, quod olim ad ſorores Conuentuales Clariſſas pertinuit, modò verò ad Obſeruantes eiuſdem Inſtituti ſpectat. Hæ, ablegata prima viuendi forma, regulari Clariſſarum Obſeruantiæ colla ſubmiſerunt. Quando verò id contigerit, ſicut & eius fundationis tempus, nos omnino latet. Hoc tamen nobis certiſſimum eſt, huius videlicet loci inquilinas octogeſimum numerum attingere. Quæ maxima cum veneratione quoddam os vnius ex quinque Franciſcanis martyribus, qui pro Chriſti fide ſub impio Rege Mauro martyrij palmam cõſequuti ſunt, penes ſe cuſtodiunt. Ad cuius inuocationem omnipotens Deus confluentibus Chriſtifidelibus ex cõuicinis populis & pagis plura, eaq; mira beneficia coferre dignatur.

De mona-

De monaſterio Conceptionis Iuliæ Pacis. Mon. XIII. A

PRÆCEDENS monaſterium ſequitur ſacra hæc ædes, in honorem ſanctiſſimæ atque immaculatæ Conceptionis genitricis Dei Mariæ, intra muros præfatæ ciuitatis Iuliæ Pacis erecta: quam deuotiſſimus Ferdinandus Regni Portugaliæ Infans, ob eius innatam pietatem, atque diuinum zelum, ex domeſticis facultatibus, circa annum à Chriſto Saluatore nato 1471. magnificentiſſimè, ſimulatque auguſtiſſimè, à primis fundamentis ad apicem vſque ædificari fecit: quod vel hinc ſaltem colligi poteſt: Continet ſiquidem hic locus, idq; commodiſſimè, centum atque triginta ſacras virgines Deo dicatas: quæ ſumma cum diligentia partem ſanctiſſimæ crucis Chriſti, & caput cuiuſdam martyris, cui nomen Fermimanus erat, cuſtodiunt.

De monaſterio S. Claræ Portus Læti. Mon. XIIII. B

ANNVENTE Martino V. Pont. max. hæc ſacra domus, in honorem beatæ virginis Claræ, circa annum Domini 1425. intra mœnia ciuitatis Portus Læti erigi cœpit, tēporiſq; ſucceſſu ad finem vſq; perducta eſt. Quam tamen à Conuentualibus Clariſſis aliquandiu incultam, ab ijs ad Obſeruantes S. Claræ moniales deuoluēdam curauit pius eius vrbis ſenatus. Quando verò vel cuius auctoritate, ſiue iuſſu id contigerit nos penitus latet. Hoc tamen ſcimus eam à viginti monialibus inhabitari.

De monaſterio S. Claræ Eluæ. Mon. XV.

ELVÆ, quę Epiſcopatus Eluenſis metropolis eſt, exurgit monaſteriū quoddam, B. virgini Claræ ſacrum, quod anno humanæ ſalutis 1509. ædificatus fuit: quodq; C vigintiquinq; ſorores, vel circiter ſub ſecunda Regula pręfatæ diuæ Claræ, incolunt.

De monaſterio Ieſus Monfortij. Mon. XVI.

MONFORTII, quod Epiſcopatus Eluenſis oppidum eſt, cùm olim ſacerdos quidam perdeuotus, atq; eius 3. ſorores angelicam potius, quàm humanam in terris vitam agerent, aliquodq; obſequium Deo præſtare affectarēt, hoc monaſterium, in laudem atq; gloriā dulciſſimi & ſanctiſſimi nominis Ieſu, intra præfati oppidi ambitum ex communi patrimonio, anno Domini 1523. vel circiter, ædificari curarūt. In quo 21. ſorores, ſub habitu & Regula B. virginis Claræ communem vitam ducunt.

De monaſterio Aſſumptionis B. Mariæ Farcàm. Mon. XVII. D

EX huius Algarbiorum Prouinciæ laudabili conſuetudine pauperes Clariſſæ moniales, quæ Damianitæ à Luſitanis appellantur, quæq; ſub prima beatæ virginis Claræ Regula militant, 33. numerum ſuis in conuentibus tranſilire nequeunt. Quod haud dubiè in memoriam eorum annorum fit, quibus Dei verbum, humana carne velatum, inter homines homo factus verſari dignatus eſt. Quamobrem ſereniſſima atq; pientiſſima Catharina Regni Portugalię Regina, ex eius regio patrimonio, anno Dominicæ incarnationis 1541. hoc monaſterium, ſacroſanctæ Aſſumptioni beatiſſimæ virginis Mariæ dicatum, in quo vigintiſex ſorores ſub prima norma diuæ Claræ victitant, intra ambitum ciuitatis Farcàm idiomate Luſitanico dictæ conſtrui curauit: ea tamen lege à ſummo quodam Pontifice impetrata, ne plures 33. ſororibus aliquando in eo reciperentur. In huius loci ſacrario aſſeruantur ſequentes ſacroſanctæ reliquiæ: Nempe alter ex illis triginta denarijs, quibus Chriſtus Ieſus mūdi Redemptor à degenere atque proditore diſcipulo Iuda impijs Iudæis venditus eſt. Et pars quędam Dominicæ ſpinæ. Et alter ex digitis beati fratris Didaci Complutenſis, Hiſpanicè vero de Alcala: cuius corpus Compluti quieſcit, miraculis ſupra modum illuſtre. E

De monaſterio Clariſſarum Plaiæ. Mon. XVIII.

APVD eandem inſulam Tertiam, intra ciuitatis Plaiæ vulgò dictæ mœnia inuiſere licet 30. Clariſſarum monaſterium de ſecunda (vt aiunt) Regula, ſub titulo Dominæ noſtræ de Luce, quod ſuis ſumptibus ædificandum curauit perdeuota ac nobilis

A bilis fœmina Catharina de Ornelas,quæ tandem monaſtico induta habitu,prima omnium hoc in loco, immo & vniuerſa hac in inſula ſolemne Religionis votum emiſit. cuius exemplum imitatæ aliquot aliæ pientiſſimæ ac nobiles eiuſdem inſulæ fœminæ & habitum ſororum Clariſſarum induerunt, & ſecundam Regulam beatiſſimæ virginis Claræ profeſſæ ſunt. Vixit religioſſima hęc fundatrix hoc in monaſterio, quod triginta ſanctimoniales Vrbaniſtæ incolunt,aliquot annis in abſtinentia,oratione, humilitate, charitate ac in omni virtutum genere magnos faciens progreſſus: quapropter è viuis ſublata cũ cæleſti illo ac dilecto ſponſo Ieſu Chriſto regnare exiſtimatur.

De monaſterio Dominæ noſtræ de Spe Cuſpidis ſubtilis. Mon. XIX.

SI quis de illuſtris ac pientiſſimæ heroinæ Philippę Continniæ natione Luſitanæ in B pauperum dominarum primipilam,beatam ſcilicet virginem Claram, eiuſq; ſobolem fide atq; voluntate dubitauerit,is pręſentis monaſterij archiuos conſulat, eiuſque monumenta ſcrutetur,& à ſe longius huius dubitationem propulſabit.Ex his namq; facillimo negotio colliget præfatam nobilem fœminã ex domeſticis diuitijs,quibus maximè abundabat,intra ciuitatis Cuſpidis ſubtilis muros hoc monaſterium in honorem beatiſſimæ, ſemperq; virginis genitricis Dei Mariæ de Spe, à fundamentis ad verticẽ vſq; elegantiſſimè erigi,omnibuſq; numeris abſolui curaſſe,aliquotq; prædia,domos atq; redditus ei contuliſſe,competenterq; illud dotaſſe.Et cùm ex morte eiuſdem inſulæ Aſturum ſiue Tertię Capitanei eius viri vidua derelicta eſſet, cupiens carnem ſuam cũ vitijs atq; concupiſcentijs huius ſæculi crucifigere, liberiuſq; atq; plenis affectibus Chriſto ſponſo vacare,vnà cum filiabus,plurimiſq; alijs conſanguineis monaſtico ſub C habitu,atq; ſolemni facta profeſſione,maxima cum laude quod ſibi reliquũ vitæ fuit, tranſegit, mortalemque hanc vitam feliciter terminauit. Commorantur hoc in monaſterio triginta ſex ſorores Clariſſæ de ſecunda(vt aiunt) beata virginis Claræ Regula.

De monaſterio S. Andreæ Villæfrancæ. Mon. XX.

POST excidium antiquioris ciuitatis Villæfrancę apud inſulam S. Michaëlis, atque poſt noui oppidi eiuſdem nominis ædificationẽ(de quibus fuſius in deſcriptione conuentus Minoritici Dominæ noſtræ de Roſario eiuſdem oppidi paulò ſuperius egimus)perdeuoti viri Ioannes Rudanus de Acoſta, atq; Didacus Nunneſius Botello, pro ea qua in Deum pietate,atque in Frãciſcanam familiam propenſione ferebantur, ex collatis in medium eorum communibus facultatibus, hoc monaſterium Clariſſarũ D monialium, quod quadraginta ſorores ſub prima beatę virginis Claræ Regula incolunt, in honorem beati Apoſtoli Andreę conſtrui curarunt, ibidemque eorum filias, pluresque alias conſanguineas, ſub monaſticis habitu,& ritu in poſterũ victitaturas,collocarũt. Gaudet hic locus quibuſdã põtificijs priuilegijs atq; diſpẽſationibus.

De monaſterio Boni Ieſu Ripæ magnæ. Mon. XXI.

HOC monaſterium Clariſſarum de ſecunda Regula beatæ virginis clarę, Bono-Ieſu ſacrũ,quod intra oppidi Ripæ magnæ muros,in S.Michaëlis inſula perſeuerat,quodq; à viginti monialibus incolitur,opera atq; sũptibus nobilis viri Petri Roderici de Camera ædificatũ fuiſſe certiſſimũ eſt.Sed quo id cõtigerit tpe penitus ignorat.

E *De monaſterio S. Ioannis Baptiſtæ Dortæ. Mon. XXII.*

APVD oppidum Dortam inſulę Faial vulgò nuncupatæ hoc monaſterium præcurſori Chriſti Domini, diuo videlicet Ioanni Baptiſtę ſacrum, quod viginti moniales de ſecunda beatæ virginis Clarę Regula inhabitant, ex publicis prouentibus, ab eiuſdem oppidi ſenatu erectum, atq; à fundamẽtis ad apicem vſque perductũ eſt.

INTER Algarbiorum & Maioricarum Prouincias ſancti Euangelij Prouincia ſuam propriam ſedem iure antiquitatis obtinet: veruntamen cùm quarta huius noſtri operis pars illis Prouincijs,quæ in partibus Indiarum continentur, deſeruiat, ideo deſcriptionem illius in illum vſque locum,vbi de illa ex profeſſo agemus,differimus.



PROVIN-

PROVINCIA MAIORICARVM.

A MAIORICA ex Balearibus inſulis à Baleo quodā Herculis comite ibi re-
licto,aut à Ballin verbo Græco,ideſt à iaculando,quòd fundę iaculatione
eius incolæ Baleares peritiſſimi habiti ſint,adeò vt iuxta Flori ſentētiā ea
in Balearibus inſulis inoleuerit conſuetudo,vt eſurientibus filijs à matri-
bus iētaculū in ſublimi trabe proponeretur, quod illi aſſequi nō poterāt,
niſi prius funda deieciſſent,ſic dictis,vna eſt,omnibusq́; abundat,ac nihil penitus eorū,
quæ ad humanā vitam commodiſſimè tranſigendam requiruntur,deſiderat. Eſt enim
tum tritici, tum peroptimi vini,tum olei,tum carnium,tum quoq; omnis generis fru-
ctuū feraciſſima. Inſuper limpidiſſimis fontibus riuuliſq́; irrigua,atq; editiſſimis,ſed
B tñ fructiferis,mōtibus in gyro cincta,sūma tēperie, atq; maxima amœnitate gaudet.
Præterea plurimis,ijſq́; capaciſſimis atq; ſecuriſſimis portibus potitur,nullūq; noxiū,
aut venenoſum animal aut producit,aut aliunde allatum patitur.Et vt paucis plurima
perſtringā,vix ſibi ſimilē in toto Heſperico mari inuenitur:vnde olim Aurea inſula nū
cupari meruit.A cętero prępfata hęc noſtra inſula tres milliariū cēturias in orbē conti-
net,duabuſq́; ciuitatibus,atq; 33 parochialibus eccleſijs honeſtatur. Harū eccleſiarum
princeps Maioricę,quæ totius ipſius inſulæ metropolis exiſtit, erecta epiſcopalis ſedes
eſt,plurimiſq́; ſacroſanctis reliquijs inſignitur. Cuius Epiſcopus, ꝙ hác ī inſula sūmus
quidā Pot.morā traxerit,diēq́; clauſerit extremum,qñ de ſolēni more ſacris operatur,
C pontificali gaudet priuilegio. Ideſt 12. ſacerdotibus ſacris veſti us in dutis ſtipatus rē
peragit diuinā. His vtcūq; de iſtius inſulę prærogatiuis atq; nobilitate pręlibatis, re-
liquum eſt,vt ad Minoriticā Prouinciā in ea erectā deueniamus. Vt igitur primùm Ia-
cobus re atq; cognomine Sanctus Aragonum Rex,ante expugnatū Valentię Regnum
ſibiq́; ſubiectum,debellatis pulſiſq́; Saracenis, Balearibus inſulis potitus eſt,quod conti-
git an.Dñi 1229.infi delium delubris funditus euerſis,plures eccleſias erexit, religioſos
aliunde ad ſe vocauit,illiſq́; monaſteria extruxit,ac demū omnibus ritè diſpoſitis Bar-
cinonē petijt:vbi & ad tēpus ſubſtitit. Rogatus interim,an.Dñi 1238.à quibuſdā Fran-
ciſcanis fratribus,vt & illis locum ædificādo conuentui accommodatū Maioricę, quæ
D (vt præfati ſumus)Balearium metropolis eſt,aſſignare vellet: aſſenſit ſtatim pientiſſi-
mus ipſe Rex, atque eum fundum,per quem deiectis ad terram mœnibus vrbem vi in-
greſſus eſt, liberaliſſimè contulit. Vbi & præfati fratres tum ex regia liberalitate, tū
quoque ex ciuium eleemoſynis pulcherrimum conuentum ædificandum curarunt.
Cùm autem is,ob aquarum abundantiā,eorum ſaluti minus faueret, à Sāctio Baleariū
Rege pręfati Iacobi ex filio quoq; Iacobi nepote quā humiliter petierunt, vt ſibi alium
locum aliquantulo ſalubriorem,in quo & conuentum ædificare poſſent, intra eiuſdē
ciuitatis męnia conferre dignaretur. Is igitur cùm maxima animi propenſione in Fran
ciſcanā religionem ferretur,cumq́; vterino fratri Iacobo primogenito, quod ille reli-
ctā ſibi regia ſucceſſione ſimul cum quodam Ludouico Regis Francorum filio eādem
E Franciſcanam Religionem ingreſſus eſſet, in Regno ſucceſſiſſet, ſibi ex tēpore annuit,
atque pulcherrimum monaſterium(vt infrà patebit)maiori ex parte conſtruxit. Cum-
q́ue præfato huic monaſterio alia duo,quorum alterum Inchæ,alterum verò Ciuitatu
læ(de quibus inferius)erecta ſunt,acceſſiſſent:omnia ſimul in Cuſtodiam redacta, atque
Prouinciæ Aragoniæ Miniſtro commiſſa,ſubiectaq́; extitêre. Florebant circa annum
Domini 1440.idq́; mirum in modum tum ſciētia,tum quoq; auctoritate hac in inſula
immo & in tota Europa Conuentuales Franciſcani patres,eorūq́; plurimi tū in Italia,
tum in Gallijs,tum quoq; in Hiſpania paupertatem à ſeraphico P Franciſco tantope-
re commendatam anhelantes,relictis auguſtioribus monaſterijs,eorumq́ue redditibus,

vel in ſyluas, vel in paupercula tuguriola ex vili materia conſtructa feceſſerunt. Vnde (vt ſæpius meminimus) regularis Obſeruantia initium ſumpſit. Horum alter fuit doctiſſimus, atq; eximiæ ſanctitatis pater, in ſacra pagina Magiſter F. Bartholomæus Catanius præfatę Cuſtodię Cuſtos. Hic cùm ſe, per aliquot annos, in maxima paupertate, oratione, ieiunijs atq; vitæ aſperitate exercuiſſet, eaq; de cauſa Balearibus in maxima veneratione eſſet, atq; aliquot ſibi ſimiles religioſos poſt ſe abduxiſſet, tres conuentus, alterum ad primum lapidem à Maiorica Balearium principe ciuitate, alterum Sollaris, alterum verò Mahonis, (de quibus inferius) ex apoſtolica Eugenij IIII. Pont. max. auctoritate, circa annum Domini 1444. ſub regularis Obſeruantiæ auſpicijs, intra paupertatis tamen limites, erigendos, atque ſub Cuſtodię titulo Prouinciæ Aragoniæ regularis Obſeruantiæ annectendos curauit. Quæ poſtmodum Cuſtodia in peculiarem Prouinciam euaſit: ſed poſt aliquot annos elapſos vnde ad eam dignitatem aſcenderat, eò iterum retrogreſſa eſt. Cumq; ſecundò ad eandem Prouinciæ dignitatē promota eſſet, tertiò Cuſtodię titulo inſigniri voluit: donec tandem poſt generaliſſimum noſtri Ordinis Capitulum Romæ in Aracæli conuentu ſub Leone X. Pont. max. anno Domini 1517. celebratum, ad pręfatum Prouinciæ honorē ſub proprio Maioricarum nomine tertiò aſcendit. In quo ex decem monaſterijs, ſeptem quidem fratrum, tribus verò monialium conſtans in hodiernum vſq; diem perſeuerat. Huic denique Prouinciæ, cuius ſigillum caſtrum mari imminens, atq; triplici turri, cuius mediæ genuflexus Patriarcha Franciſcus, expanſiſq; in crucis modum brachijs innititur, diſtrictum, ac duo gentilitia Regni Aragoniæ inſignia, vtrumq; præfatæ munitionis latus claudentia, quorū alteri ſequentes literę: IHS alteri verò quę ſequuntur MA. ſuperſtant, nec non & glorioſiſſimæ Virginis Annunciationem de more depictam, inſuper & huiuſmodi literas: SIGILLVM PROVINCIÆ MAIORICARVM FRATRVM MINORVM OBSERVANTIÆ. papyro jnducit, ſanctę Praxedis virginis & martyris, cuius corpus Maioricæ in eccleſia ſanctæ Annæ reconditum eſt, & à Balearibus, non ſecus ac promptiſſimæ tutelaris, in maxima veneratione habetur, iconē pro more huc vſque ſeruato anteponere volui.

De conuentu S. Franciſci Maioricæ. Conu. I.

MAIORICA commune nomen eſt tum alteri ex Balearibus inſulis, tum quoq; principi ciuitati, atq; metropoli in ea iuxta mare erectæ. Sed cū de ipſa inſula aliqualis ſuperius mentio habita ſit, reſtat, vt tum de præfata ciuitate, tū quoq; de duobus Minoriticis conuentibus, atq; duobus itidem monialium monaſterijs ibidē cōſtructis verba faciamus. Eſt igitur ciuitas Maiorica (vt meminimus) omnium Balearium tū oppidorum, tū quoq; ciuitatum princeps, atq; epiſcopalis ſedes, populoſaq; ſatis, nec non & mercimonio, ampliſſimis ędificijs, Academia, tum fratrum, tum quoq; monialiū monaſterijs, morū vrbanitate, doctiſſimis viris atq; opibus illuſtris. Cuius matrix eccleſia notabili particula longitudinis vnius palmi ad minus Dominicę crucis, tribus ſpinis Dominicę itidē coronę, ea parte, quæ inconſutili tunicę Saluatoris Chriſti Romę deeſt, glorioſiſſimę virginis Marię induſio, altero ex brachijs diui Sebaſtiani martyris, articulo indicis S. Ioannis Baptiſtæ, plurimiſq; alijs ſanctorum reliquijs, nec non & eo horologio, quo Hieroſolymitani Dominicę paſſionis tempore vtebantur, ex vrbe Hieroſolyma ad Baleares inſulas à Iudæis, quando per Titum Romanorum Imperatorem patria excedere, atq; aliò commigrare coacti ſunt, tranſlato, & candelabro, cui 366. lāpades certis interſtitijs ab inuicem diſtinctę innituntur, ex Hieroſolymitano templo ab iiſdem Iudæis præfata in tranſmigratione deducto, inſuper & penè innumeris alijs iocalibus tum aureis, tum quoq; argenteis inſignitur. Pręterea in quadam huiuſmet ciuitatis eccleſia, B. Annæ dicata, corpus B. Praxedis virginis & martyris honeſtiſſimo loco reconditum eſt: quod pientiſſimus Iacobus Balearium Rex, atq; Montis peſſulani (vulgò Mōtpellier) heros pręfata ciuitate Monte peſſulano eò deduci curauit, In ipſis igitur huiuſce ciuitatis mœnibus cùm primęui noſtrę Religionis patres monaſteriū, ſeraphico P. Franciſco ſacrū, ex pientiſſimi Regis Iacobi conſenſu, atq; liberalitate, (vt ſupra meminimus) ſub anno Domini 1238. ſibi ędificandum curaſſet, inibique per

aliquot

A aliquot annos commorati fuiſſent,eo tandem legitimis de cauſis ſuperius tactis relicto, ad aliud multò anguſtius,multòque celebrius à Sanctio Balearium Rege,atq; præmemorati Iacobi quoq; Regis ex filio Iacobo nepote ſibi intra eiuſdem ciuitatis mœnia regia ſtructura conſtructum (de quo impræſentiarum)ſe tranſtulerunt.Quo autem certo anno id contigerit,non ſatis conſtat. Eſt hic conuentus ampliſſimus , ſimulque elegantiſſimus, quadruplicique clauſtro, duplici refectorio,auguſtiſſima eccleſia, eaque pulcherrima,inſigni bibliotheca plurimis , ijſq; præſtantiſſimis libris referta , capaciſſimo dormitorio , innumeris penè vaſis tum aureis , tum quoq; argenteis diuino cultui deſtinatis, & ſacris veſtibus , amœniſſimis hortis , abundantiſſimiſque aquis irriguis:qua etiam de cauſa 40.fratribus eius accolis commodiſſimum,gratiſſimumque præbet hoſpitium,atq; particula Dominicæ crucis,inſuper & altera ex ſpinis Domini
B cæ crucis,inſuper & altera ex ſpinis Dominicę coronæ gaudet.Præterea huius conuẽtus eccleſia,quę ex firmiſſimo lapide opere concamerato conſtructa eſt,24.ſacellis ſibi inuicem oppoſitis inſignitur:pauciſſimaſq; tum in magnitudine,tum quoque in elegãtia ſibi ſimiles habet Cuius ſuperiorem,eamque conuexam partem,cùm lignea prius, atq; tanto opere indigna eſſet,optimo lapide ex domeſticis facultatibus contexit R.Sima Balearium Epiſcopus:qui ſimul cum alijs ſex eorundem Balearium Epiſcopis profeſſione Franciſcanis iuxta baſim ſummi altaris huiuſmet eccleſiæ ſepultus eſt . Cæteri ij duo vterini fratres cognomine Aſinelli,qui eius turris Bononiæ ſub eodem nomine erectæ opifices fuêre, extremam huiuſmet eccleſię partem Belgico more cõſtruxerunt . Vnde & in pręcipuo huius loci clauſtro,lapideo ſepulcro ęre contecto,eorum corpora recondi meruert . In quodam huius conuentus ſacello, puritati Virginis glorioſæ ere-
C cto, corpus Raymundi Lulij Tertij Ordinis Frãciſcani olim alumni, qui plura opuſcula edidit,honeſtiſſimè tumulatur,plurimiq; à Balearibus fit. Cuius rei ea potiſſimùm cauſa eſt,quod ſacrario,vbi prius aſſeruabatur,ex Sacriſtæ incuria omnino combuſto, atq; vaſis tum aureis,tum quoque argenteis ad caloris vim liquefactis, id illæſum omnino atq; intactum ab igne manſerit.Is Raymundus fertur catholicæ fidei propagandæ zelo ad Saracenos in Africam traieciſſe, atq; ab ijſdem,dum Numidiæ nouę (vulgò Bugia) eos ad Chriſti fidem perducere nititur, lapidibus obrutus . Cuius poſtea corpus, Arabico contectum palliolo,ad hãc Balearium inſulam à Chriſtianis Genuẽſibus nauigio delatum,atq; præſenti loco,honeſto recondendum ſepulcro,collatum extitit . Eius verò ſepulcri ſtructura nobili cuidã Antonio Serra eiuſdem Raymũdi interpreti, ſiue Regni proceribus debetur,Huic deniq; monaſterio colophonẽ additur i,hęc tãtùm
D dixerimus: ipſum videlicet à Conuentualibus Frãciſcanis patribus olim inhabitatum, atq; ab eis ad eiuſdem Ordinis Obſeruanres,anno Domini 1494.deuolutum: & ad eoſdem Conuentuales , poſt aliquot annos elapſos,retrogreſſum,ab ijſdem tandẽ ad præfatos Obſeruantes;quibus modò ſubijcitur,anno Domini 1567. idque ex apoſtolica Pij V. Pont. max. auctoritate,& ad inſtantiã catholici Regis Hiſp.Philippi II. deflexũ.

De conuentu S Mariæ Angelorum de Ieſu etiam Maioricæ. Con. II.

CVM religioſiſſimus pater frater Bartholomæus Catanius(de quo ſuprà)in ſacra Theologia Magiſter , ac diſertiſſimus concionator inter Conuentuales Franciſcanos eius temporis patres maximi nominis eſſet , atq; in aſperiorem vitam & excellentiorem paupertatem mentis aciem direxiſſet: cumq; quonam pacto conuentulum hu-
E iuſcemodi viuendi modo à ſe excogitato accomodatum erigere poſſet , meditaretur: adfuêre illi ex tempore,idq; ſatis oportunè atq; pro voto nobiles , pientiſſimique Baleares Raphaël Aulega , & Matthæus Sanglada , qui præſenrem conuentum, ſantiſſimæ Mariæ Angelorum de Ieſu ſacratum , impetrata tamen prius ab Eugenio quarto Pontifice maximo facultate ad vnicum tantùm lapidem à præfata ciuitate Maiorica , amœno quodam in loco,fructiferis arboribus, atque vitibus conſito, ex communibus facultatibns in medium adductis,ſub anno Dominicæ incarnationis 1444. à fundamentis ad apicem vſque exædificandum curarunt. Cuius ſanè conuentus amœnitas,deuotio atq; tranquillitas,cum triplici pinero,duplici quidem è regione forium , altero verò intra ſui ambitum, atq; elegantiſſimis hortis omnino irriguis exor-

netur,vix explicari pn̄t.Idipsū quoq; dixerim de eius eccleſię elegātia,venuſtate atque A
diſpoſitione.Quæ ſanè omnia tum fratrū,qui tricenariū numerū attingūt,tū quoq; ſę-
culariū eò accedentiū animos ad diuinorum myſteriorum contēplationē excitant.His
accedunt particula Dn̄icæ crucis,duæ ſpinæ Dn̄icæ coronæ,duo ſanctorū Petri & Pau
li Apoſt.digiti , duo itidē brachia ſanctorum Innocentū,alterū ex brachijs S. Hugonis ,
pars veli glorioſiſſimæ Virginis, alter ex denarijs,quibus Saluator Chriſtus à prodito
re Iuda venditus extitit, atq; aliæ quamplures ſanctorum reliquiæ in eius ſacrario aſ-
ſeruatæ,inſuper & præfati beati patris Bartholomæi Catanij,ſpiritu olim prophetico,
atq; miraculis poſt mortem illuſtris,corpus in altero eius ſacellorum , quod Magiſtri
Catani paſſim appellitatur,honeſtiſſimè tumulatum,quod cum poſt 13.annos ab eius
funere elapſos imputre omnino,atque incorruptum à fratribus fortè fortuna inuentū
eſſet , ex communi ſarcophago ad eum locum , in quo modò reconditur , tranſlatum B
extitit:ac tandem ſanctorum imagines graphicè in ea tum depictæ,tum quoq; anagly
ptico opere fabrefactæ.Quæ ſanè omnia animum in Deum eleuant. A cætero apoſtoli
cum Eugenij Pontificis maximi huius nominis IIII. diploma, huius monaſterij ædifi-
cationem concernens, (cuius ſuprà meminimus) in eius archiuis accuratè aſſeruatur.

De conuentu S. Franciſci Ciuitatulæ. Conu. III.

QVO certo anno hic conuentus,ſeraphico patri Franciſco intra eius oppidi,quod
Ciuitatula dicitur,ſpectatq; ad alteram Balearium inſulam nomine Minoricam,
mœnia erectus fuerit conſtructus,pręfato oppido Ciuitatula à truculentiſſimis Turcis,
Chriſtiani nominis infeſtiſſimis hoſtibus olim expugnato,direpto atq; exuſto,necnon
& omnibus antiquitatum monumentis igne abſumptis,reſciri non poteſt. Sed ſi ſenio- C
rum traditioni aurem accomodare velimus,is ſanè ante trecentos annos, idq; ex libe-
raliſſimis R.Epiſc.Sima(cuius primo huius prouinciæ loco mentio facta eſt)atq; oppi
danorum facultatibus initium ſumpſit. Subiacuit præterea Conuentualibus Franciſca
nis patribus ad an. vſq; Dn̄i 1494. quo ex apoſtolicæ Sedis facultate ad eiuſdē Inſtitu-
ti Obſeruātes deuolutus extitit.Cęterū quicquid à pręfatis Turcis in ipſa oppidi expu
gnatione vel dirutū,vel cōbuſtū fuit, id ex pietiſſimis oppidanorū eleemoſynis tēporis
decurſu reſarcitū reparatūq; extitit : Vn̄ & 12.F.cōmodè ſatis impræſentiarū continet.

De conuentu S. Franciſci Inchæ. Con. IIII.

MINORITICVS hic conuentus Inchę , quæ eius Balearis inſulæ , quæ Mal-
lorca vulgò nuncupatur oppidū eſt,in ſeraphici P. Frāciſci honorē conſtructus, D
& à 12.fratribus inhabitatus proximè pręcedenti contemporaneus,& in omnibus ferè
ſimilis eſt.Nam eius eccleſia,ſicut & illius,à præfato R. Sima Epiſcopo ædificata exti-
tit,& quod reliquum eſt operis deuotos oppidanos ſui authores agnoſcit . Præterea à
Conuentualibus Franciſcanis patribus à ſui erectione ad annum vſq; Dn̄i 1494. inha-
bitatus,ab eis ad Minoritas Obſeruantes, Alexandro VI.Pont.max.ſedente,idq; præ-
cipiente , deriuauit . Tandem maior eius campana , ſicut & ipſiuſmet proximè præ-
cedentis , atque etiam primi hius Prouinciæ loci campanæ quoque maiores , à reuer.
Epiſcopo Sans , quòd gentilitia eius inſignia campanam continerent , collata fuit .

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Sollaris. Conu. V.

CVM, poſt ædificatum ſecundum huius Prouinciæ monaſterium,Franciſcana re E
gularis Obſeruātia his in partibus ſupra modum pullularet,nec pręfatum mona-
ſterium omnes eius alumnos capere poſſet,B.F.Bartholomæus Catanius alium conuē
tum ſibi adijciendum cenſuit. Cuius deniq; propoſito pro votis adfutura pia Sollaren
ſis communitas , præſentem conuentū,ſanctiſſimæ Dominæ noſtrę de Ieſu ſacrum,ad
500,paſſus à communi oppido Sollare ex publicis facultatibus,an. 1458.Pio II. Pont.
max. ſedentei, mò & annuente extrui curauit . Qui ſanè conuentus à decem fratri-
bus plerunque incultus,amœniſſimus eſt , pulcherrimiſq; pro ſui capacitate ædificijs,
atq; hortis omnino irriguis ſatiſq; amplis , inſuper & ſpecu , in quod B. P. Bartholo-
mæus Catanius ocationis atq; contemplationis ergô ſecedere aſſeuerat , honeſtatur.

De conuen-

A *De conuentu S. Mariæ de Ieſu Mahonis.* *Conu. VI.*

HIC eſt tertius ille conuentus à B.P.Bartholomæo Catanio cōſtructus, cuius adiectione Cuſtodia, quæ poſtmodū in Prouinciā (vt pręfati ſumus) euaſit, ſub regularis Obſeruantiæ auſpicijs inſtituta fuit. Nactus ſiquidē B. is P. ad 500. paſſus à Mahone nobiliſſimo inſulæ Minoricę oppido, atq; celeberrimo portu inſigni, locū ędificādo conuentui accommodatiſſimū: inſuper & oppidanorum in ſe, ſuiq; ſequaces ſingularem quandā beneuolentiam expertus, vt primùm à Pio II. Pont. max. tunc ſedente apoſtolicam obtinuit facultatem, præfatum hunc conuentū tum ex publicis, tū quoq; ex priuatis eorundē oppidanorum facultatibus à fundamētis extrui, perficiq; curauit. Cuius ſanè conuentus tanta eſt amænitas, tantaq; tranquillitas, vt vix explicari poſ-
B ſint: & ſui accolas, qui frequentius ſunt 12. numero, ad eleuandā in Deum mentem maximè inuitet: & ſæculares ad ſe frequentandū ſupra modum ſolicitet. Abundat ſiquidē deliciosiſſimis hortis, perennibusq; irrigatur aquis, atq; deuotiſſima demum honeſtatur eccleſia. Adiacet pręterea ſibi id ſpecu, in quo pręfatus B.P. Bartholomęus Catanius vitam pro maiori parte duxit, pœnitentiamq; egit. Qua etiā de cauſa tum oppidanis, tum quoque eò aliunde aduentantibus in maxima veneratione habetur. Contigit præſentis conuentus ædificatio, ſub anno 1459. idq; (vt meminimus) ex apoſtolica Pij II. Pontif. max. conceſſione: cuius diploma in iſtius monaſterij tabellario aſſeruatur.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Alcodiæ. *Conu. VII.*

PRÆSENS conuentus, ſanctæ Mariæ de Ieſu Alcodiæ (vulgò Alcudia) quæ Ba-
C learium ciuitas eſt, erectus, meritò 7. locum hac in Prouincia tenet. Nam anno Domini 1536. communibus oppidanorum ſumptibus, annuente tamen Paulo III. Pont. max. primò conſtructus, atq; ab integerrimo, omniq; virtutum genere prædito patre fratre Ioāne Creſpi acceptatus, cœterisq; huius Prouinciæ locis adiectus extitit. Quem decem fratres, quòd omni ex parte abſolutus ſit, ſat commodè inhabitant.

De monaſterio S. Claræ Maioricæ. *Mon. I.*

CONTINET præterea à præfatis 7. F. conuentibus hęc Maioricarū Prouincia (vt in eius procemio meminimus) tria Clariſſarū monaſteria: quorū duo Maioricæ, tertium verò Ciuitatulæ conſtructa ſunt. Horum alterum (de quo impræſentiarū) ſub B. virginis Claræ titulo Maioricæ erectum, & à 60. eoq; amplius Clariſſis ſorori-
D bus Vrbaniſtis inhabitatum, antiquiſſimum ſanè eſt: cùm ſtatim à morte eiuſdem beatæ Claræ ex publicis ciuium (vt paſſim fertur) facultatibus exordium ſumpſerit. Aſſeruantur, idq; quàm diligentiſſimè, in præſentis monaſterij ſacrario quædam corporalia manibus beatæ virginis Claræ contexta, quæ febricitantibus opportunè adſunt.

De monaſterio Oliueti etiam Maioricæ. *Mon. II.*

QVO tempore, quovè authore hoc ſecundum monaſterium intra præfatę ciuitatis Maioricæ mœnia, ſub Olíueti titulo conſtructum, & à 30. Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis vt plurimùm inhabitatum, initium ſumpſerit, huicq; Prouinciæ acceſſerit, deficientibus tum fideli traditione, tum quoque antiquioribus monumentis, non ſatis conſtat. Fertur nihilominus, idque ſub dubio, ex publicis ciuium ſumptibus ab an-
E tiquo ædificatum. Quicquid tñ ſit, cōpertū eſt ipſum multò recentius præcedenti eſſe.

De Clariſſarum monaſterio Ciuitatulæ. *Mon. III.*

EADEM prorſus dicenda occurrunt de præſenti monaſterio Ciuitatulæ (de qua ſuprà) erecto, atq; ab 18. Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis inculto, quæ & de proximè præcedenti. Quòd videlicet, antiquioribus documentis, dum monaſterium ſimul cum oppido igne à Turcis immiſſo conflagraret, igne abſumptis, nos omnino lateat, à quibus, & quo certo tempore conſtructum ſit. Si tamen vulgari cuidam traditioni aurem accommodare velimus, ante centum annos ab oppidanis primò ædificatum, ac ab iiſdem ex ingenti deuotione ſecundò reſarcitum, reparatumq; extitit.


PROVINCIA
EQVITANIÆ
RECENTIORIS
F. GVLIELMVS RENAC GVAR' CON' BAVRI
F. BERNARDINVS DE MOLMERIO GVAR'. S. ANTONII
CVM. XII. SOCIIS MAR

PROVINCIA
AQVITANIAE RECENT.

A HAEC Aquitaniæ Recentioris Prouincia antiquiſſima eſt, cùm ſub B.P.
Franciſco initium ſumpſerit,atq; multò latius aliquando, dum videlicet
Conuentualibus Franciſcanis patribus pareret, quàm impræſentiarũ pa-
tuit.Conſtitit ſiquidem eo temporis ex 66.fratrum conuentibus in 10.Cu
ſtodias redactis:atqui infeliciſſimis his temporibus eo miſeriæ, calamita-
tis,anguſtiæq; deuenit, vt ex 43. qui ſibi, antequam reformationi ſubiaceret, reſidui
erant,vix 8.aut 10.integros ab hæreticis intactos,(vt infrà patebit)retineat.Floruit præ
terea doctiſſimis,grauiſſimisq; patribus,quorum 4.R.videlicet P.F.Gerardus Odonis,
F.Fortanerius Veſſallius,F.Guilielmus Farinerius ac F.Ioannes de Bucco ad generalẽ
totius Ordinis Miniſteriatum aſſumpti fuêre : & 5. nempe frater Bertrandus à Turre,
præfatus.F.Fortanerius,præmemoratus etiam frater Guilielmus, F. Vitalis de Furno,
& F.Elias de Hannibalis ad Cardinalitiam dignitatem erecti ſunt.Inſuper doctiſſimus
B P.F.Petrus Aureoli in ſacra Theologia Magiſter,& P.F. Franciſcus de Fabrica eadem
dignitate inſigniti huius Prouinciæ alumni fuêre. Miſſos interim facio plurimos alios
patres ſcientia illuſtres, prædicatione inſignes, atq; ſanctitate conſpicuos,qui ex hac
Prouincia tum ad Epiſcopatus, tum quoq; ad Archiepiſcopatus promoti extiterunt.
Hæc interim præfata Prouincia,vt antiquum nomen atq; ſplendorem ſeruare poſſet,
glorioſos aliquot Chriſti athletas,qui pro Chriſti nomine ſub nepharijs hæreticis ſan-
guinem ſuum fuderunt,non ita à multis annis nobis peperit. Cæterum hęc ipſa Prouin
cia,vt reliquis Galliarum Prouincijs ſe conformaret, generali Franciſcanæ Obſeruan-
tię familiæ Miniſtro ſuperioribus annis nomen dedit, atq; in regularẽ Obſeruantiam,
C vnde & reformationis cognomẽ acquiſiuit,quodammodo tranſijt. Cuius ſigillũ maius
B.P.Franciſcum ſtantem,atq; ſylueſtribus 12. auiculis, quorum ſex dextrum.aliæ ve-
rò ſex ſiniſtrum eius latus claudunt,prædicantẽ,ſub cuius pedibus genuflexus,atq; cõ-
plicatis manibus alius Minorita erat,nec non & ſequentes literas S. MINISTRI F.M.
PROVINCIÆ:AQVITANIÆ: REFO. orbiculatim,typicè tamen continet.Mino-
ritæ 14. diuerſis tormentorum generibus ab hæreticis è medio ſublati, qui in tabella
graphicè depicti ex huius Prouinciæ veſtigio poſiti ſunt,hi omnes eius alumni aliquan
do fuêre, Quamobrem illam eis tamquam etiam peculiaribus patronis,dicatam volui.

D *De Minoritico conuentu Apamienſi.* *Conu. I.*

QVID flagitij,quidvè facinoris nõ cõmitteret nepharius hæreticus,qui ſanctiſ-
ſimis legibus violatis omnia ſibi licere cõtendat? Vnde nec mirũ eſt,ſi ſanctis,imò
& ipſi Deo bellum inferre præſumat.Sed aliquando excitatus tamquam dormiens Do
minus, ac tamquam potens crapulatus à vino ſibi, ſuiſq; Sanctis inimicos percutiet,
dabitq; illos in ſempiternum opprobriũ : & reddens hoſtibus ſuis vltionem, eis qui ſe,
ſibiq; famulantes oderunt retribuet.Hæc dixerim,quòd cùm hęc Prouincia non ita pri
dẽ maximè floreret,ſummaq; trãquillitate & pace frueretur, exorta interim in Gallijs
peſtifera quadam hæreſi, à quibuſdam nouatoribus, in nihilum ferè, cariſſimis in-
E terim eius filijs immaniſſimè trucidatis,vel hinc inde diſperſis,redacta ſit. Quod vel ſal-
tẽ hoc in Minoritico cõuẽtu Apamiæ,quæ Togatę Galliæ ciuitas eſt, olim elegãtiſſimè
erecto,nũc verò flãmis atq;ruinę ab huiuſmodi hęreticis nouatoribus tradito facillimè
patet.Cùm enim præfatus hic cõuentus ab antiquo ab Apamiẽſibus(vt facilè creditur,
nam quicquid ſcripturarum in eo aſſeruabatur,id voraci flammę ceſſit)cõſtructus, &
à 20. fratribus, & vltrà inhabitatus, grauiſſimis viris atq; diſertiſſimis concionatori-
bus,qui Apamienſes in officio continebant,abundaret,in tantas importuniſſimi hære
tici exarſerunt iras, vt in 1. ipſius ciuitatis captione religioſiſſimis patribus Petro de

Pulchro

Pulchro monte egregio Eccleſiaſte, Ioanne Rauleto, & quibuſdã alijs, quorũ corpora A
in puteum proiecta fuẽre, crudeliſſimè trucidatis, ipſum ſacris vaſis atq; veſtibus, imò
& vniuerſa ſupellectile ſpoliarint: in 2. verò in fauillam redegerint, atq; ſæua quadam
feritate admirandæ doctrinæ & religionis patrem Petrum à Molerio.

Cum igitur is pater Petrus à Molerio pietate, doctrina atq; facundia cõſpicuus eſſet,
atque propagandę, tuendæq́ue fidei catholicæ ſummam operam nauaret, in eum hære
tici oculos collimabant. Quamobrẽ ab eorum turmis, vt à vera Romanæ Eccleſiæ fide
recederet, primò blandè admodũ monetur, pecuniarumq́; maxima copia inuitat̃, pro-
miſſisq́; multis allicitur. Verũ ille, vt verus mundi contẽptor, Saluatoris ſententiæ non
ignarus, qui ait: *Nil homini prodeſſe ſi vniuerſum mundũ lucretur, animæ verò ſuæ detrimentũ
patiatur* graui oratione eorũ reiecit impudentiã, cohortans eos ad meliora cõſilia: annis
(inquiens) 32. contentus fui victu, & amictu in paupertate viuens, quæ Franciſcanorũ
theſaurus eſt, ſalubreq́; Chriſti conſiliũ, ne cõſuetudo plus habendi locũ præberet aua- B
ritiæ, quæ nullis expletur opibus: quãtò magis enim quis poſſederit, tantò plus poſſide-
re deſiderat. Quibus dictis Satanæ milites in eum probris, ac verberibus ſæuientes, ad
poſtẽ illũ alligant, & grauiſſimè cædunt: ac poſtmodũ verenda ei abſcindunt, ventrẽq́;
aperiunt, & ſtipite, ſeu veru quodã vnco inteſtina exhauriunt, corq́; ſimul euellũt, atq;
interim exclamãs Chriſti athleta, *Ieſu miſerere mei, ac illis ignoſce*, animã Deo reddidit;
ſicq́; felici hoc exitu vitæ ſuæ terminũ cõcluſit. Sed vnus inſuper militum gladio caput
eius ad humeros vſq;, in duas partes fidit. Sequenti verò die, cùm ad catholicorũ aures
execrabile facinus perueniſſet, concurrunt ij ad intuendũ defuncti patris corpus, viſu
horrendũ, crudeleq́; ſpectaculũ, quo perſpecto, pleriq́; in fletum, lamentabilesq́ voces
erumpunt: ac deniq́; multa cũ reuerentia, ac deuotione, expletis de more exequijs, fune
bri honore illud ſepeliunt. Inſuper & iuuenem quendã dignitate ſubdiaconũ magnis C
tormentis crudeliter etiam necarunt. Hic conuentus, qui à nullo impræſentiarũ fratre
inhabitatur, ſicut & 4. immediatè ſequentes ad Cuſtodiam Toloſanam ſpectabat.

De Minoritico Daurenſi conuentu. *Conu. II.*

QVOD inclytus heros Dambreſius ex maxima in Deum pietate, atq; in Franci-
ſcanam Religionem beneuolentia Daurenſi ciuitati præſtitit, id noſtræ tempe-
ſtatis hęretici ex incredibili ĩ ſuũ Creatorẽ impietate, atq; in noſtros fratres, quòd eorũ
operibus contrarij ſint, inenarrabili odio in nihilum redigere conati ſunt. Conſtruxe-
rat ſiquidem ille ibi, anno Domini 1238. hunc conuentũ, 20. continendis fratribus om-
nino accommodatum, atq; exanime corpus, erecto ſibi celebri mauſoleo, è ſummi alta D
ris regione recondendum curarat: atqui illi & ipſum conuentum tertiò expilarunt, &
tanti viri cineribus non minimam irrogarunt iniuriam; ac deniq; venerabilem patrem
Guilielmum Regnacum eius Guardianum, cuius martyrium his annexum voluimus,
miris affectum iniurijs immaniſſimè trucidarunt.

Anno itaq; Domini 1565. menſe verò Auguſti, vniuerſa ferè Aquitaniæ Prouincia ab
hæreticis occupata, ciuitas Daurenſis, quæ Chriſtianiſſimo Regi adhuc parebat; tandẽ
tyrannico hæreticorum Dominio ſubiecta fuit. A quibus ciuitatem ingreſſis illico Re
formatorum F. Franciſcanorum cœnobiũ occupatur; in quo tunc aderat Guardianus
pater eximiæ pietatis, ac doctrinæ F. Guilielmus Reriachus. Quem impij ſatellites pro-
bris aggrediuntur, cædunt, rapiunt, & ad eorum Præfectũ in tabernã cauponariam tra
hunt. A quo iam recumbente vir Dei interrogatur: Nũ altaris Miſſa, adiecto conuiuio, E
potior ſit? Mos enim illorum eſt, in crapula, & ebrietate de diuinis oraculis tractare &
diſceptare, vinoq́; feruentes inſulſas fabulas ac vana deliria efferre. His igitur ventris
mancipijs optimus pater ſic reſpondit. Cibus (inquiens) ille, qui reficiendo corpori
exhibetur, corruptibilis eſt; & qui eum comedunt, iterum eſuriunt, altaris autẽ cibus
eſt ſempiternus, & incoruptibilis; quẽ vera fide & pura conſcientia ſumentes, non am-
plius eſuriunt, at illi è contra aiunt. Quare ergo vos poſt Miſſam illam diabolicã come
ditis? Quibus is reſpondit Miſſa eſſe nõ poteſt diabolica, cùm in ea realiter, &(vt Scho-
laſticas voces nõ refugiam) corporaliter ac præſentialiter Dominus noſter Ieſus. Chri-
ſtus contineatur. Vos ergo potius ex Diabolo eſtis, qui ſic bonum malum ac Deũ Dia-

bolum

A bolum eſſe arbitramini. Quibus dictis filij Belial, velut amentes atq; ebrij, ac furijs agitati varia in ipſum iactantes conuicia, carniū oſſa, & crapulæ eorum reliquias, ſordeſq; alias & oris, & narium in venerandi patris faciē conijciunt. Hincq; pro receptis à Deo beneficijs gratias minimè agentes, repletis ventribus, ac vino madentes ſurgunt à mēſa; ſeruumq; Dei interpellāt: An velit Romanum Pontificem, & fidem catholicam abnegare, aut in peſſima illa ſua doctrina mori? Is verò reſpondet. Mea doctrina vera eſt: & ſi ipſi renunciauerim damnabor. Nullam profectò fidē noui pręter Romanā: & ideo nō eſt cur, labefactari hac in re poſſe me, arbitremini veſtris hiſce ſtudijs. Poſt hæc tandem, & alia ſimilia, extenſis brachijs preces ad Deum fudit dicens: *Tu Domine Sabaoth; qui iudicas iuſtum, & impium; quiq; noſti renes & corda, ſic quid cogitent hi aduerſum te, & tuos, quæſo, vt mihi non deſis in hac vita, donec tranſeat hæc iniquitas.* Illum verò ſic diuinam
B opem implorantem miniſtri Satanæ veſtimentis exuunt, vtq; conceptam animo conſtantiam remitteret, virgis, ſpinis tribuliſq; atrociter cædunt. At verò cum ſe pœnarū grauitate nec tantillum à catholicæ fidei propoſito eum dimouiſſe cernerent; ſtudent interimere: Vnuſq; eorum gladio per vmbilicum lethaliter transfigit; humiq; procūbentem, dicentemque, *Ieſu parce mihi, & illis*, impij ſatellites (his ſcilicet verbis in furorē maiorem concitati) vibratis tormentorum globulis toto corpore perfodiunt: in humatumq; corpus relinquunt. Sequenti verò die egredientibus illis, vt in perpetrato facinore complacentes vulneratum corpus contemplarentur, vnus eorū pia iam præmortui patris oratione compunctus; qui licèt conſenſu, non tamen opere ad virum Dei interimendum ſeſe contulerat: ſepeliatur (inquit) quia frater noſter eſt. Frater ne noſter? (aiunt cœteri) mētiris Papiſta. Frater ne? ergo tuus. Hinc verò extra hortum ſepultus
C fuit. At ille hæreticus, qui pietate motus ſepeliendum ſancti viri corpus curauerat, militari vita relicta, totum ſe ad vitæ melioris inſtitutum, fidemq; catholicā conuertit: hęcq; ita eueniſſe veraciter retulit; qui velut alter Saulus protomartyris Stephano oratione commotus ad S. matris Eccleſiæ gremium reuerſus eſt. Idipſum quoq; fecerunt deuotiſſimo patri Stephani Regnaco, atq; admirandæ ſinceritatis & religionis patri Iacobo Iamberto fratrum tum nouitiorū, tum quoq; iuuenū Inſtructori diſertiſſimo.

De Minoritico Inſulæ Iordanis conuentu. Conu. III.

HVNC conuentum inclytus heros Iordanis ab Inſula ſuis ſumptibus atq; diligētia, anno à partu Virgineo 1288. erexit, conſtruxitque. Verùm multoties ab Anglis captus, penituſq; dirutus, ſolerti tandem opera tū huius Prouinciæ patrum, tum
D quoq; fratrum priſtino ſplendori reſtitutus eſt. Nouiſſimè verò, ſcilicèt anno Domini 1580. ab hæreticis, & Rege Nauarræ ſimul cum oppido, cui Inſula Iordanis nomen eſt, capitur, omnibuſq; bonis expoliatur, ac tandem funditus euertitur. Veruntamen paucis ab hinc annis ſolicitudine religioſi patris Bocri reparari, ſiue potius reædificari cœpit: Vnde & ab octo religioſis patribus ac fratribus impræſentiarum inhabitatur.

De Minoritico Samatarienſi conuentu. Conu. IIII.

QVEMADMODVM pientiſſimo Samatariēſium Comiti pro ſua ſumma erga Franciſcanam Religionem beneuolentia magnæ curæ fuit, vt hic conuentus Samatarij, quod Aquitaniæ oppidum eſt, ex proprijs facultatibus, anno Domini 1276. à fundamentis ad apicem vſq; conſtrueretur, atq; in ipſius eccleſia eius exanime corpus
E tumularetur, ita quoq; & eius hæredes in id maximè incubuerunt, vt quicquid ædificij ad terrā vergeret, id ſuis expenſis reficeretur, repararetur que: vtq; eius fratres, qui frequētius ſunt 12. numero, ſecurius, liberiuſq; Deo vacare poſſent. Cœterùm in huius loci, qui per Dei gratiā impiorū hæreticorū manus euaſit, ſacrario aliquot S. Innocentū, Coſmæ & Damiani martyrū, Lazari Epi, Antonij Abbatis, atq; Eutropij reliquiæ, nec nō & aliquot lapilli Dominici & mōtis Synai debita cum reuerentia aſſeruantur.

De Minoritico conuentu Caſtri noui Darij. Conu. V.

HIC quoq; conuētus, qui adhuc per Dei gratiā perſeuerat, ſui auctorē agnoſcit Arnaldum Martinū de Bordis: fuitq; conſtructus anno Domini 1293. Cuius habitatores

tores 20.numero atq; alterum ex digitis diuo Blaſij Epiſcopi & martyris cuſtodiunt. A

De Minoritico Auxitano conuentu. Conu. VI.

HIC conuentus,qui Auxi ab illuſtriſſimo quodã Armaniachẽſium Comite,anno 1274.cõſtructus extitit,& à 12.fratribus inhabitatur,immotus impræſentiarũ ab hæreticis,atq; intactus permanet,qui & 4.ſequentes ad Cuſtodiã Auxitanam pertinẽt.

De Minoritico conuentu Nugaroli. Conu. VII.

HVIVS quoq; conuentus Nugaroli,quod Aquitanorũ oppidũ eſt,anno reſtitutę ſalutis 1277.erecti auctor extitit idẽ Armaniachenſiũ Comes. Sed tñ nõ vtriusq; vna & eadem fuit fortuna: cùm præcedens illæſus omnino huc vſq; ab hæreticis permanſerit,iſte verò tertiò ab ijſdẽ exuſtus fuerit. Cœpit nihilominus paucis ab hinc annis à fratribus,qui impræſentia rum 8. ſunt numero, ex piorum eleemoſynis reſarciri, B Hoc in loco venerabiles duo patres,atq; de catholica fide optime meriti, frater ſcilicet Ioannes Vanglius ſacerdos,& F.Ioãnes Lana tunc monaſterij Guardianus ſub hæreticis in Romanæ fidei confeſſione prædicationis munus martyrij corona decorarunt.

De Minoritico conuentu Vici. Conu. VIII.

INCLYTVS piẽtiſſimusq; Armaniachenſiũ Comes hunc quoq;conuentum tertium Vici,quod Aquitanorum oppidũ eſt,anno 1383.exædificari curauit, quẽ ab hęreticis vniuerſa ſupellectile ſpoliatum, atq; maiori ex parte dirutum huius Prouinciæ fratres, quorum 10. impræſentiarum ibidem commorantur, ſumma diligentia ex diuerſis catholicorum Vicenſium eleemoſynis reparandum, reſarciendumque curant. C

De Minoritico conuentu Mirandæ. Conu. IX.

PRÆSENS conuentus Mirandæ,quod Aquitaniæ oppidũ eſt, à deuotiſſimo heroë Bernardo Aſteriacenſiũ Comite olim erectus,proximè præcedenti ſimilis eſt,cũ anno Dñi 1283.primò conſtructus,ab hæreticis,anno Dñi 1577.exutus, prophanatus, atq; exuſtus fuerit.In hoc tñ ab eo differt,quod cùm nullus ſibi frater martyr occubuerit,hîc duo nempe P.F.Dominicus Beraldus & F.Ioãnes Cozerius;iſte quidẽ dũ in ciuitate Fauerẽſi Quadrageſimali tẽpore,ille verò dũ in ciuitate Tarraubia per Aduentum ſacras ad populum haberẽt conciones martyrij palma ſub perniciosiſſimis hæreticis laureati euaſerunt. Inhabitatur interim hic locus ab octo religioſiſſimis fratribus.

De Minoritico conuentu Valliſcaprariæ. Conu. X. D

EA fuit nobiliſſimo rũ heroũ,ac Malaleonũ,& Larbuſti Aquitaniæ oppidorũ temporaliũ Dominorũ erga Franciſcanã familiã beneuolentia,vt hunc cõuentũ,à 20. fratribus in cultũ, prope Vallẽ caprariã eiuſdẽ Aquitanię oppidũ an. 1185. fundarint.

De Minoritico conuentu Bazatenſi. Conu. XI.

PRÆSENS conuentus,qui ſicut & 3.ſequẽtes ad Burdigalenſẽ Cuſtodiã ſpectat, cũ multoties ab hæreticis ad terrã deiectus fuerit,omnia mobilia tũ ſacra,tũ quoq; prophana,atq; oĩa demũ monumẽta ad ipsũ pertinẽtia vnà cũ F. amiſit, ita vt nec fundatoris eius nomen nobis reſiduũ ſit, nec vlla penitus monaſterij veſtigia permãſerint.

De Minoritico conuentu Sparrenſi. Conu. XII. E

DEPLORANDVM hoc monaſteriũ Sparræ,quod Aquitaniæ oppidũ eſt,à piẽtiſſimis Senebrono Equite aurato, atq; tẽporali quodã Sparrenſium Domino,anno Domini 1240. conſtructum extitit, anno Domini 1578. in cineres redactum eſt.

De Minoritico conuentu Liburniano. Conu. XIII.

CVM Eduardus Anglorũ Rex Aquitania potiret,ac mira in P.F.Raymũdũ Brunũ, ob eius ſanctitatẽ,deuotione ferret,hũc cõuẽtũ intra Liburnianę ciuitatis mœnia, anno 1287. extruxit. Cæterũ tanta fuit Liburnienſiũ in Deũ pietas,atq; in Romanã Eccleſiam

A Eccleſiam fides, vt nouatores hæreticos (de quibus ſuprà) ſumma diligentia, ſummaq; vi longè à ſe propulſauerit, & hoc monaſterium, à viginti fratribus frequentius incultum, ab eorum iniurijs immune impræſentiarum vſque eſſe voluerit. In cuius denique monaſterij ſacrario aliquot ſanctorum Laurentij martyris, Ceciliæ, atque Apolloniæ virginum itidem & martyrum reliquiæ religioſiſſimè aſſeruantur.

De Minoritico conuentu S. Miliani. Conu. XIIII.

SI ea in Deum recta fides, atque in Franciſcanam Religionem beneuolentia huius noſtræ tempeſtatis omnino deplorandæ hæreticis, anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo octuageſimo fuiſſet, quæ & Anglis, atque nobilibus Britonibus, huius conuentus apud ſanctum Milianum Aquitaniæ oppidum fundatoribus, B olim extitit: profectò nec eum ſacris tum veſtibus, tum quoque vaſis, ac vniuerſa tandem ſupellectile ſpoliaſſent: nec ipſius monumenta cum altaribus, imaginibus, atque cuncto ædificio ignibus tradidiſſent: nec fratres accolas teterrimis per plurimos dies mancipaſſent carceribus, nec tandem venerabilem patrem, ac religione inſignem fratrem Maturinum de Pulchrouiſu iam ſenio confectum præ ipſius conuentus foribus diro mucrone confeciſſent, atque ad animæ vſque exhalationem tranſuerberaſſent.

De Minoritico conuentu Condomico. Conu. XV.

MINORITICVS hic conuentus, ad Cuſtodiam Agenenſem cum quatuor alijs attinens, Condomi, quod Aquitanorum oppidum eſt, antiquitus ab illuſtriſſimo Ioanne Anglo Condomienſium Comite conſtructus, tertiò ab importuniſſi- C mis huius noſtri temporis hæreticis ſpoliatus, ac tandem anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono deſtructus extitit. Sed piorum Chriſti fidelium liberalitate, atque ſolertium fratrum opera bona ex parte reædificatus eſt, ita vt octo fratres impræſentiarum contineat. In vltima huius conuentus euerſione venerabilis pater Raymundus Roëdanus impio hæreticorum mucrone pro catholicæ Romanæ Eccleſiæ confeſſione confoſſus, vt fortis Chriſti athleta, glorioſiſſimè interijt.

De Minoritico conuentu Pennenſi. Conu. XVI.

MINORITICVS hic conuentus ab illuſtri, perdeuotoq; Petro à Luſtraco, anno Dominicæ incarnationis 1261. piè omnino conſtructus, atque ab eminentiſſimo Almano à Luſtraco apoſtolico Prothonotario eadem pietate poſtmodum reædi- D ficatus, cuius quoque eccleſia, anno Domini 1482. de religioſo more conſecrata extiterat: à facinoroſis infeliciſſimi huius æui hæreticis impiè direptus, ſoloq; æquatus fuit, ita vt habitatoribus Franciſcanis, à quibus incolebatur, carere cogatur.

De Minoritico conuentu Neracenſi. Conu. XVII.

PROVT ſui authorem, atq; eximium benefactorem agnoſcit hic conuẽtus Neraci, quod Aquitaniæ oppidum eſt, illuſtriſs. Albretenſiũ Comitem, ita huius noſtræ tempeſtatis hęreticos ſui perſecutores, atq; demolitores execratur, & odit: cùm ab illo anno Dñi 1367. piè ędificatus, atq; miris beneficijs cumulatus, ab iſtis verò impiè omnino, anno Dñi 1569. deſtructus, atq; execranda quadam auaritia expilatus extiterit.

E *De Minoritico conuentu Caſtrogeloſiano. Conu. XVIII.*

VNA & eadem prorſus fortuna fuit huius conuentus Caſtrigeloſij, quod Aquitanorum oppidum eſt, erecti, quæ & præcedentis: cùm à præfato pientiſſimo heroë Albretenſium Domino, anno Dominicæ incarnationis 1367. à fundamentis ad apicem vſque conſtructus, ab ijſdem hæreticis, anno ſuperius tacto 1569. à vertice ad vſque fundamenta euerſus fuerit, atque omnibus bonis ſpoliatus. Affulget nihilominus aliqualis vtriuſq; huius monaſterij reædificandi ſpes. Maximam profectò perſecutionem, atque innumeras moleſtias ab hæreticis excitatas in vtriuſque huius conuentus euerſione pauperculi fratres perpeſſi ſunt: cùm eorum plurimi carceribus mancipati, verberibus cæſi, fame, & ſiti diuexati, opprobrijsq; ſaturati fuerint: & ad-

mirandæ religionis patres frater Petrus Veroniẽſis Lector, ac diſertiſſimus Concionator, atque frater Ioannes Moretus dignitate ſacerdos ante fores ædis beatæ, ſemperq; virginis Mariæ ex arbore ſuſpenſi, martyrij palma laureati animam cęlo reddiderint. A

De Minoritico conuentu Mauſiacenſi. Conu. XIX.

QVIS inexhauſtam huius noſtræ tempeſtatis hęreticorum auaritiam, atq; pluſquam ferinam crudelitatem ſatis explicare poſſit? Qui licèt opulentiſſimas ſęcularium domos in ciuitatum captione tyrannicè expilauerint, non tamen ſibi ſatis feciſſe videntur, niſi etiam pauperculorum fratrum ſcruta diripuerint. Præterea non ſibi ſatis indulſiſſe exiſtimant, ſi funeſtos gladios laicorum tantùm ſanguini immerſerint, niſi etiam illos in ſacrum ſacerdotum cruore intinxerint. Id quod ſanè patet in Mauſiaci oppidi inuaſione. In qua ſanè perditiſſimi illi homines Deo atque proprio Regi rebelles, poſt direptum oppidum, atq; poſt plures catholicos crudeliſſimè trucidatos, Minoriticum hunc conuentum, à pientiſſimis heroibus, ac temporalibus Albretenſium, Caumontenſium, atque Calongenſium Dominis, anno à partu Virgineo 1582. pientiſſimè ædificatum, omni ſupellectile ſpoliarunt, funditusq; euerterũt, atque venerabiles tres eius patres, inſignesq; Concionatores fratres videlicet Fortem Viuatum, Gallardum Viueum, atque eorum Guardianum, quòd catholicam fidem publicè, conſtanterq; tuerentur, furenti gladio confoderunt, tranſuerberaruntq;. B

De Minoriticis conu. Morlanico, atq; Loronico. Conu. XX. & XXI.

CVM vterq; Vaſconienſis Cuſtodiæ conuentus Morlanius ſcilicet, atque Loronicus ab execrandis hæreticis ſuperioribus annis direptus, ſoloq; æquatus extiterit, nullusq; ad ea Aquitaniæ oppida, Morlanium videlicet, atq; Loronium, quòd ab hæreticis vigilantiſſimè cuſtodiantur, catholicis præcipuè verò Minoritis abſq; præſentiſſimo vitæ diſcrimine pateat acceſſus, nihil aliud peculiare de eis in medium afferre poſſumus ab eo, quod olim illorum quiſque à quindecim fratribus commodè ſatis inhabitaretur, & communibus oppidanorum ſumptibus conſtructus cenſeatur. C

De Minoritico conuentu Lautricenſi. Conu. XXII.

INCREDIBILE eſt quanta huius noſtri temporis hæretici immanitate, quantaq; ſæuitia in hunc conuentum Lautrici, quæ Aquitanorum ciuitas eſt, à pientiſſimo Petro Lautricenſium Vicecomite, anno à partu Virgineo 1550. elegantiſſimè conſtructum, cuius eccleſia, anno Domini 1533. conſecrata extiterat, atque in ſex religioſiſſimos patres eius accolas, nempe venerabilem patrem fratrem Franciſcum Pellicerium in ſacra pagina Doctorem, ac diſertiſſimum Concionatorem, necnon & loci Guardianum, patrem Antonium de Rupe, patrem Hieronymum Graiſetum, patrem Alexium Sanſonem, patrem Rogerium Viguerium, ac patrem Ioannem Riccardum, anno Dñi 1568. debacchati fuerint. Nam & ipſum conuentum, cuncta ſupellectile primò ſpoliatũ, funditus euerterunt, & præfatos patres ſupramodũ cruciatos crudeliſſimo mortis genere affecerunt. Hic tamen præfatus conuentus ex catholicorũ eleemoſynis maiori ex parte reædificatus eſt, & ab octo fratribus impræſentiarum incolitur. D

De Minoritico conuentu Figiaci. Conu. XXIII.

HIC conuentus Ruthenicæ Cuſtodiæ, quemadmodum & tres qui ſequuntur, Figiaci, quod Aquitaniæ oppidum eſt, antiquitus à catholicis oppidanis conſtructus, atque in cineres poſtmodum à perditiſſimis hæreticis redactus, celebris aliquando extitit, tum ſepultura beati patris Aldemarij, qui mortuos ſuis meritis ad vitam reuocauit, pluraq; miracula edidit: tum quoque profeſſione reuerendiſſimi patris fratris Bertrãdi à Turre doctiſſimi in ſacra pagina Magiſtri, ac S.R.E. Cardinalis. E

De Minoritico conuentu S. Africani. Conu. XXIIII.

HOC tantùm de præſenti conuentu dicere poſſum, quod videlicet à catholicis oppidi ſancti Africani inquilinis ab antiquo conſtructus extiterit, & ab eiuſdem

A dem oppidi truculentiſſimis hæreticis hoc infeliciſſimo æuo omnibus bonis ſpoliatus, ac tandem dirutus, ſoloq; æquatus fuerit, nullaq; eius reædificandi ſpes affulgeat.

De Minoritico conuentu Miliacenſi. *Conu. XXV.*

QVICQVID de præcedenti loco dictum eſt, idipſum quoque de præſenti conuentu Miliaci (Gallicè Miliau) olim erecto dicendum occurrit: cùm à catholicis oppidanis antiquitus ædificatus, ab eorum ſucceſſoribus, hæreticis tamen, à quibus & oppidum tyrannicè tenetur, circa annum Domini 1568. ad terram deiectus ſit.

De Minoritico conuentu S. Antonij. *Conu. XXVI.*

DEBVISSENT vereri beatum patrem Antonium de Padua iam in cœlis regnantem perditiſſimi huius patriæ hæretici, vel ſaltem eorum miraculorum,
B quę in ea aliquãdo is ſanctus edidit, quorumq; adhuc memoria viget, meminiſſe, quãdo ſacrilegas manus in hunc conuentum, à præfato beato patre olim erectum, iniecerunt, atque plus quàm canina rabie, deturbatis primò eius accolis, grauiſſimis moleſtijs affectis, omnibusq; bonis direptis, eum à fundamẽtis euerterunt, ſoloq; æquarunt.

De Minoritico conuentu Cadurcenſi. *Conu. XXVII.*

HIC conuentus Cadurci, quæ Cadurcorum populorum metropolis aliquando fuit, anno Dominicæ incarnationis 1255. à temporali Luzetenſium Domino, primoq; Barone, atq; Cadurcenſium Seneſcallo ſumma religione conſtructus, à Rege Nauarræ, atque impijs eius ſatellitibus, anno Dominicæ incarnationis milleſimo
C quingenteſimo octuageſimo, ſimul cum ipſa ciuitate combuſtus omnino, atque omnibus bonis ſpoliatus fuit. Quamobrem nihil aliud nobis de eo dicendum occurri. Is & duo ſequentes loci ad Cuſtodiã Cadurcenſem, ab hoc loco ſic denominatã, attinẽt.

De Minoritico conuentu Gordoniano. *Conu. XXVIII.*

NON abſimilem ei, quã proximè præcedẽs eſt hic conuentus Gordonij, quod Cadurcorum oppidum eſt, erectus fortunã expertus extitit: cùm à deuotiſſimo heroë, atque Thimenſium Barone, anno Domini 1273. exædificatus, à temporali Durenſium Dño, atque ab hæretico eius exercitu vnà cum ipſo oppido, anno Dñi 1579. direptus, expilatus, atque igni traditus fuerit. Id tamen inter hunc atq; præcedentem diſcriminis fuit, quod videlicet ibi nullus penitus frater martyr occubuerit, hìc verò
D religioſiſſimi quinque patres, atq; de catholica fide optimè meriti, nempe pater Carolus Luſachius meritiſſimus loci Guardianus, pater Henricus eiuſdem loci Lector, atque inſignis concionator, pater Petrus Vaboleſius, pater Arnaldus Viganultus, ac pater Petrus Quartus à præfatis hæreticis ſupra modum diuexati, atq; tandẽ crudeliſſimè pro conſtanti eiuſdẽ fidei catholicæ Romanæ confeſſione trucidati fuerint.

De Minoritico conuentu Montiſcutenſi. *Conu. XXIX.*

HIC conuentus Montiſcuti, quod Cadurcorum oppidum eſt, antiquitus ab illuſtri quodam ac temporali Montiſconelij Domino ędificatus, cuius eccleſia, anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo vigeſimo tertio conſecrata extitit, pluries ab hæreticis ſpoliatus, dirutus atque exuſtus, aliquibus interim ex eius
E fratribus in ſpelũcas adactis, alijs miſerrimè cæſis, alijs verò immaniſſimè trucidatis, extitit. Nihilominus tamẽ, ex diuerſis catholicorũ eleemoſynis liberaliſſimè collatis maiori ex parte reædificatus, ab octo religioſis patribus impræſentiarũ inhabitatur.

De Minoritico conuentu Petragoricenſi. *Conu. XXX.*

ID tantùm de præſenti conuentu Petragoricæ, quod Aquitanorum oppidum eſt, ab antiquo erectum nobis impræſentiarum dicendum occurrit: quòd videlicet anno à Chriſto Saluatore nato milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, infidorum huius patriæ hæreticorum rabiei ceſſerit, atque ab illis in cineres & fauillã redactus ſit. Spectabant ipſe & ſex ſequentes conuentus ad Cuſtodiam Petragoricenſem.

De Minoritico conuentu Albaterrano. *Conu. XXXI.* A

NEC meliora de hoc monaſterio Albæterræ,quod Aquitaniæ oppidum eſt,olim ab eius temporali Domino conſtructo in medium afferre poſſumus, cùm à præfatis hæreticis circa eundem annum Dominicæ incarnationis milleſimū quingenteſimum ſeptuageſimū ſecundum funditus euerſus,omnibusq; bonis ſpoliatus fuerit.

De Minoritico conuentu S.Fidis. *Conu. XXXII.*

SANCTA Fidis Aquitanorum oppidum eſt, ſæpiusq; ab illius patriæ hæreticis captum, atque mirum in modum diuexatum extitit. Quo etiam factum eſt vt nec Minoritico conuentui ibidem ab antiquo exædificato ſit parcitum, nec ſibi lapis ſupra lapidē relictus ſit,ſed etiam funditus euerſus,oībusq; bonis ſpoliatus extiterit. B

De Minoritico conuentu Ixidolienſi. *Conu. XXXIII.*

ALIQVID amplius facinoris commiſerūt ſanguinarij hæretici in oppidi Ixidolij,quod Aquitanis paret,quàm in præcedentiū oppidorum captione:cùm & hunc conuentum ab illuſtriſſimo quodam Albretenſium Dño à multis annis ſumma pietate ædificatū,poſt expilatum oppidū denudauerint,funditusq; euerterint, & V.P. Petrum Blancartum ſacerdotē,eiusq; accolam iteratis gladiorū ictibus confoderint: qui cū eſſet vir tum corporis,tum animi dotibus præditus, in certamine omnes labores & odia propter Chriſtum, & fidei Romanæ confeſſionem alacri animo ſuſcepit.

De Minoritico conuentu Sarlatenſi. *Conu. XXXIIII.* C

MAGNA nobis huius conuentus Sarlati a pud Aquitanos erecti recuperandi ſpes affulget: cùm ab efferatis hæreticis ab ipſis fundamentis,ex teterrimo quodam iu Franciſcanos liuore,ſuperioribus annis, euerſus, ex oppidanorum facultatibus, huius Prouinciæ fratribus id maximè ſolicitantibus, iam denuò reædificari cœpit,& à 10.Franciſcanis fratribus Deo opt.max.fideliſſimè famulantibus incolatur.

De Minoritico conuentu Montiniacenſi. *Conu. XXXV.*

HIC locus maceria potius, quàm conuentus appellandus venit: cùm neque eccleſiæ, neque cæterarum officinarum veſtigium ſaltem aliquod reſiduum ſit: tanta fuit hæreticorum in ipſum, atque in eius accolas rabies, tantumq; odium. Et quod peius eſt,nulla nobis eius reædificandi ſpes relinquitur.Cæterùm admirandę religionis pater Eſmalius Vinacrius dignitate ſacerdos à truculentiſſimis eiuſdē hæreticis in ipſa oppidi Montiniaci captione,atq; conuentus euerſione pro conſtanti catholicæ fidei confeſſione plumbeis ſpherulis traiectus,atq; diro mucrone transfoſſus fuit, D

De Minoritico conuentu Brageracenſi. *Conu. XXXVI.*

ADEO Brageracum Aquitanorum oppidum ab hæreticis, poſt catholicorū expulſionem,atq; poſt huius conuentus ibidem ab antiquo erecti expilationē, omnimodamq; euerſionē communitum eſt,atq; tanta cura, tantaq; ſolicitudine ab eiſdē cuſtoditur,vt nullo Chriſtifideli,maximè verò Minoritę ad ipſum pateat acceſſus. Timent ſiquidem huiuſmodi nebulones,atq; filij Belial,ne ſibi tantorum flagitiorū tum in oppidū ipſum,tum in fideles eius accolas,tum quoq; in hunc locū atq; eius fratres, E præcipuè verò in religioſiſſimum P.Petrum Toëlatum ſacerdotem, quē crudeliſſimè ob Romanæ Eccleſiæ defenſionem necarunt,perpetratorum iuſtas aliqñ dent pœnas.

De Minoritico conuentu Lemouicenſi. *Conu. XXXVII.*

CVM beatus pater Antonius de Padua ex Biturigēſi ciuitate Lemouicum Aquitaniæ vrbem cum octo ſocijs appuliſſet,adeò Lemouicenſium animos ſuis adhortationibus,atque ſacris concionibus allexit,vt ſibi hunc conuentum,quem 20.fratres impræſentiarum inhabitant, ex communibus facultatibus exædificandum curarint. In cuius deniq; conuentus ſacrario cyatus ex quo ſeraphicus pater Franciſcus bibere aſſueuerat,

A aſſueuerat, & altera ex tuniculis beati Ludouici Toloſan Epiſcopi diligentius aſſeruantur. Hic conuentus Cuſtodiæ Lemouicenſis, quę ex 7. locis conflabatur, caput erat.

De Minoritico conuentu S. Iuniani. *Conu. XXXVIII.*

HVIVS conuentus apud ſanctum Iunianum Lemouicenſium oppidum ab illuſtriſſimo quodam Opiſcabardenſium Comite, anno à partu Virgineo 1230. elegātiſſimè, licèt intra paupertatis limites, conſtructi, & ab hæreticis ſuperioribus annis ſolo æquati, Guardianum aliquādo egit B. P. Antonius de Padua. Quod ſanè remorari debuiſſet impudentiſſimos ipſos hæreticos, ne in ipſum ſacrilegas inijcerent manus.

De Minoritico conuentu Donzenachenſi. *Conu. XXXIX.*

B NON ſatis fuiſſe videbatur peſtilentiſſimis hæreticis hunc conuentum, ab immaniſſimo piētiſſimoq; heroë, atque Combortano Vicecomite, ante annum Dominicæ incarnationis 1230. Donzenachi, quod Aquitaniæ oppidum eſt, pro ſua in beatum patrem Antonium de Padua animi propēſione conſtructum, ſemel ſpoliaſſe, atq; bona ex parte ad terram deieciſſe: niſi & ſecundò quicquid in eo inueniri potuit, id totum expilaſſent, ac ipſum conuentum, cui quoque aliquando idem pater Antonius pręfuit, Vulcanio incendio tradidiſſent: ac tandem venerabiles patres eius accolas Ioannem Chambonium, quòd Romano Pontifici parendum fore conſtanter aſſereret, atrociſſimè trucidaſſent, & Martinum Didiramum lethaliter eadem prorſus de cauſa vulneraſſent: ex quo etiam vulnere animam cœlo reddidit, ac martyriū compleuit.

De Minoritico conuentu Briuenſi. *Conu. XL.*

C VTPRIMVM beatus pater Antonius, Briuam Aquitanicam ciuitatem ingreſſus, ſacras ad populum conciones habuit, deuotiſſimus quidam ciuis nomine Quintus de Falcici quicquid bonorum poſſidebat, id in vnius Minoritici conuentus ædificationem liberaliſſimè contulit. Ex eius igitur bonis præſens conuentus, in quo & aliquandiu beatus Antonius moram traxit, conſtructus fuit. Qui tandem ſuperioribus annis ab hæreticis impijſſimè dirutus, ſoloq; æquatus extitit. Nec id ſolùm facinoris perpetrarunt nepharij hæretici: ſed & catholiciſſimos patres fratrē Stephanum de Borda, ac fratrem Antonium de Pulcrouiſu, quòd eorum impietatem deteſtarentur, quodq; extra Romanam Eccleſiam ſalutem inueniri negabant, funeſtis gladijs confoderunt. Prope hanc ciuitatem Briuam adhuc inuiſere licet ſpeluncam, in quam D beatus pater Antonius orationis, & pœnitentiæ agendæ ergô ſecedere aſſueuerat.

De Minoritico conuentu Martellenſi. *Conu. XLI.*

NEC hic conuentus Martelli, quod Aquitaniæ oppidum eſt, anno à Chriſto Saluatore nato 1266. erectus, ſacrilegas hæreticorū manus euaſit: cùm ab eis anno Dominicę natiuitatis 1569. ex parte dirutus, & ex parte edacibus traditus ſit ignibus.

De Minoritico conuentu Nontroniano. *Conu. XLII.*

SANGVINARII huius noſtræ tempeſtatis hæretici ferinam omnem ſęuitiam ſuperantes, & hunc conuentum Nontronij, quod Aquitanorum oppidum eſt, erectum vniuerſa ſuppellectile, vniuerſiſq; monumentis ſpoliarunt, & ſummis encomijs E laudandos patres, fratrem Matthęū Monfaionium eius Guardianum, atq; huius Cuſtodiæ Cuſtodem, nec non & inſignem Eccleſiaſten, & fratrem Ioannē Borſerianum, ac F. Ioannem Broſierium opprobrijs, dicterijs atq; flagris ſupra modum diuexatos atrociſſimæ neci, ob catholicæ fidei, ac pontificiæ auctoritatis confeſſionem, tradiderunt.

De Minoritico conuentu Vociferrutenſi. *Conu. XLIII.*

VLTIMVM denique hac in Prouincia locum obtinet is conuentus, qui Vociferruti apud Aquitanos ex pijs oppidanorum facultatibus olim erectus extitit, atq; circa annum Dominicæ incarnationis milleſimū quingenteſimū ſexageſimū nonū à ſacrilegis hæreticis deuaſtatus, ſpoliatus, ac demum ſolo æquatus miſerrimè fuit.


PROVINCIA·SANCTI
MICHAELIS·

PROVINCIA S. MICHAELIS.

A SANCTI Michaëlis Prouincia à ſancti Iacobi Prouincia, quòd iſta latius pateret, nec à prouinciali Miniſtro pro iniuncto munere commodè viſitari, luſtrariq; poſſet, eo in prouinciali Capitulo, quod Beneuenti apud Hiſpanos, ſub R. P. F. Andrea Inſulano totius noſtri Ordinis generali Miniſtro, anno à partu Virgineo 1548. menſis verò Iulijs 15. celebratum extitit, diſſecta nobis prodijt. Eius longitudo, quæ ab Oriente in Occidentem tendit à Tormio inſigni, celebriq; flumine ad vſq; Marianum montem (hũc Hiſpani Sierra morena nuncupant) protenditur: latitudo verò à Portugaliæ Regno, cui ab Aquilone Occiduum verſus contermina eſt, in Angelorũ Prouinciam, à qua longo limite B Meridiem verſus diſtinguitur, patet. Abſoluitur præterea vniuerſa hæc Prouincia 23. fratrum, atq; 19. ſanctimonialium monaſterijs, de quibus ſuo ordine pro cõſueto more dicemus: ſi tamen prius ei patronum, atque tutelarem conſtituerimus, atq; quibus imaginibus maius eius ſigillum inſigniatur, quibusq; literis exornetur breuibus perſtrinxerimus. Ei itaq;, ne tanto Archangelo, cui conſultiſſimè à patribus dicata fuit, iniuriam feciſſe videremur, ipſius iconem graphicè, politeq; depictum præponere voluimus. Quod verò ad ſigillum attinet, id quidem beatum Michaëlem, cœleſtis militiæ Principem, ſtratum draconem gladio ferientem, atque ſeraphicum patrem Franciſcum à ſiniſtris ſibi aſtantem, quorum capitibus Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie C ſuperſtat, ſequentesq; literas: SIGILLVM MINISTRI PROVINCIÆ SANCTI MICHAELIS. iſtas quidem re vera, ſed illos in imagine tantùm papyro inducit. Cùm igitur Ciuitatenſis conuentus inter huius Prouinciæ reliquos primatum teneat, atq; reliquorum celeberrimus ſit, ab eo nobis exordiendum erit.

De conuentu S. Franciſci Ciuitatis. *Conu. I.*

VISITATVRVS pauperum Patriarcha Frãciſcus diui Iacobi Apoſtoli corpus, cùm ex Italia in Hiſpaniam traieciſſet, atque eam vrbem, cui Ciudad Rodrigo Hiſpanicè nomen eſt, ex itinere tranſiret, ad ædiculam, diuo Aegidio longiuſ- D culus ab eius mœnibus erectam, diuertit, inibiq; per aliquot dies ſubſtitit. Cùm igitur poſtmodum eiuſdẽ ciuitatis ſenatus de erigendo eius fratribus monaſterio ſerius ageret, in eam tandem manibus pedibusq; venit ſententiã, vt is locus ædificando à ſe monaſterio deſtinaretur, quem B. P. per eos tranſiens in habitationem delegiſſet. Constructum itaq; fuit huiuſmodi monaſteriũ, (de quo impræſentiarum) idq; ex ſenatuſconſulto, tum ex publicis, tum quoq; ex priuatis Ciuitatenſium facultatibus, atq; præfatæ ædiculæ, quæ & nomen ſeraphici ipſius patris, prout & vniuerſa eccleſia, hæreditauit, & ſęcularibus commendatiſſima eſt, annexum, ita vt eius ſacrarium ſibi omnino contiguum euaſerit. Deſeruit hic conuentus, qui omnibus ſuis numeris abſoluitur, & à 40. fratribus plerumq; inhabitatur, celebrandis huius Prouinciẹ Comitijs, idq; ſum- E ptibus R. Antonij ab Aquila Zamorenſium Epiſcopi, atque ex hac vrbe oriundi. Pientiſſimus ſiquidem hic Antiſtes, qui & moriens in altero huius ſacræ ædis ſacello à ſe, dum viueret, artificioſiſſimè fabrefacto ſepeliri voluit, ſufficiẽtibus relictis redditibus ſuis hæredibus, eorumq; ſucceſſoribus ex teſtamento præcepit, vt fratribus hoc in loco capitulariter congregatis neceſſaria miniſtrent. Quod & illi quamdiligentiſſimè, atq; pro voto exequuntur. Addidit quoq; nobiliſſimus idem Præſul gratiſſimum ſibi fore, ſi vnam & eandem ſecum ſepulturam fratres habere vellent. Quod ſanè patentiſſimum humilitatis, atque in Franciſcanam Religionem beneuolentię inditium fuit. Meminerat ſiquidem ex Sapientiæ libro vnum & eundem introitum eſſe omnibus, vitam

tam

tam,ſimilemq; exitum: ideoq; pijſſimus vir,licèt ſanguine clarus,atq; epiſcopali dignitate fulgidus, non eſt ad inſtar aliquorum, qui ſe ex aliorũ contactu contaminari timent,quiq; proprijs cineribus, ſi alienis commiſceantur,iniuriam fieri exiſtimant, aſpernatus pauperum religioſorum in ſarcophago ſocietatem. Cæterum in præſentis loci tabellario aliqua aſſeruantur pontificia diplomata noſtrum Ordinem concernentia, quæ tamen, quòd minus ad rem pertineant, ſilentio pręterire decreui: in ſacrario verò duo habentur ex 11. millibus virginum capita Ciuitatenſi populo commendatiſſima. Huius ciuitatis Epiſcopum agebat,anno Domini 1433. is cuius Chronicorum noſtri Ordinis author 2.p.operis fuſius meminit.Cuius tamen hiſtoriã, vt iſta legentibus in propatulo ſit, breuiori ſtylo perſtringemus. Fuit præfatus Epiſcopus carnis illecebris nimium deditus,nihilq; minus à morte cogitabat: cùmq; in grauem infirmitatem lapſus morti appropinquaret, vidit familiaris quidam eius famulus per ſomniũ ipſum ſedentem, pluresq; nigros cuniculos in eius veſtes lacerationem nitentes: quos tamen Minorita quidam à tergo egrediens longè abigeret: qui & ſibi iniunxit,ſuggereret Epiſcopo,vt pœnitentiam ageret, atq; commiſſa crimina per ſacram confeſſionem abſtergeret, quandoquidem ſibi breui moriendum eſſet, & huiuſmodi cuniculi nihil aliud à Dæmonibus,qui in ſe poteſtatem haberent, profectò eſſent. Quod cùm Epiſcopo relatum eſſet, ſubriſit ille,atq; addidit: ſe melius habere, quàm exiſtimarent, ideoq; non ſibi ſacramentali confeſſione opus eſſe. Poſt 3. verò elapſos dies vidit idem famulus ferociſſimos 2. canes omnino nigros, qui Epiſcopum in fruſta diſcerpere nitebantur, quos nihilominus Minorita ex tempore de ſub ſede exiliens longè propulſauit,atq; iteratò ipſum prę̄monuit,vt Epiſcopum ad confitẽda ſacerdoti peccata,quòd quantò citius ſibi ex hac vita migrandum eſſet,ſolicitare vellet. Hoc cùm ille præſtitiſſet,Epiſcopus in furorẽ verſus eũ à ſe recedere iuſſit. Cumq; primùm alij tres dies elapſi eſſent,is met famulus ſomno correptus ingentem conſpexit ignem, atq; cacabum pice refertum ſibi ſuperpoſitum,pluresq; Dæmones,qui Epiſcopum liquefactæ pici immergere contendebant, quibus tamen,ne id aſſequerentur, Franciſcanus frater omnino obſtitit, atq; tertiò ſe ſolicitauit, vt Epiſcopum de breuiſſima ſibi inſtante morte ſuo nomine certiorem redderet, vt tandem ſacerdoti commiſſa crimina in confeſſione detegere, ſeq; ad tantũ tranſitum præparare vellet. Cui famulus. Pater mi,hæc illi ſemel atq; iterum ſuggeſſi, ſed fruſtrà: nec adijciam,vt iteratò illi ſuggeram, niſi aliquod mihi ſignum dederis. Tunc F. Admoue digitum ad picem, & ſic intinctum oſtendito illi, atq; dicito: Sanctus Franciſcus cui tu deuotiſſimus perpetuò fuiſti, mihi præcepit,vt te ad confeſſionem faciendam hortari velim, quod & facio,quandoquidem breui tibi moriendum eſt: & in huius veritatis fidem reſpice digitum pice linitum, atq; ſemicombuſtum. Quibus deniq; auditis exterritus Præſul monitis tanti P. acquieuit, ac non ita poſt multùm temporis è viuis exceſſit. Hunc cognati & affines,vt eius bona inter ſe partiri poſſent,per triduum occuluerunt. Cùm autem quarta poſt mortem die tumulandus ad eccleſiam delatus eſſet, coram tota illa funebri corona caput eleuauit, atq; indito ſilentio in hæc verba prorupit: Nolite (obſecro) fugere,ſed potius paululùm ſubſiſtite,mihiq; aurem accommodate. Ego ſanè verè mortuus fui,vereq; nunc in viuis ago. Nam vt primùm carnis ergaſtulo ſolutus, ante æquiſſimi Iudicis tribunal de omnibus à me geſtis rationem redditurus præſentatus extiti, æternis ignibus,quòd publici commiſſi criminis veram contritionem in vltima mea confeſſione minimè habuerim, nec ab eo reſcipiſcere firmiter decreuiſſem,adiudicatus fui. Sed B. P. Franciſcus,quòd eum ſemper ſingulari quadã deuotione proſequutus fuerim, quodque eius fratribus largas eleemoſynas ſubminiſtrauerim, quodq; tandem eiuſdem meritis me in Domino moriturum,perpetuò confiderim,me à tanta miſeria eripuit,mihiq; à Deo opt. max. impetrauit,vt viuis per 20. dies, in quibus iuſtam ob commiſſa peccata pœnitentiam agere debeam, reſtituerer, vtq; præfatis 20. diebus tranſactis huic ſæculo vale dicerem. His igitur abſolutis ſurrexit Epiſcopus, omnibusq; bonis recuperatis,atq; pauperibus diſtributis talem, tantamq; pœnitentiam infra eos dies ſibi à diuina miſericordia præfixos, egit vt moriens ad cœlos euolare meruerit. Habuit præterea præfatus Epiſcopus 25. Maij, quæ dies tranſla-

A Tranſlationi ſeraphici P. dicata eſt, publicam ad Ciuitatenſem populum concionem, in qua iſta denuò retulit, Franciſcanosq; fratres, atq; eorum P. mirum in modum ſibi commēdauit: inſuper & moriens in matrice huius vrbis eccleſia ad latus pronunciādę Epiſtolę deſtinatū ſepeliri voluit, ſibiq; marmoreū mauſoleū marmorea quoq; eius effigie pontificalibus indumētis ornata, atq; ſequēti epitaphio: *Hîc iacet Petrus Diaz Epiſcopus, quem à mortuis ſanctus Franciſcus ſuſcitauit*: inſignitū, ibidē erigendum curauit.

De conuentu S. Franciſci Caſceres. Conu. II.

HABITARAT venerabilis, atq; eximiæ ſanctitatis P. F. Petrus Ferrerius, profeſſione quidem Franciſcanus, ſed natione Valentinus, atq; B. P. Vincentij Ferrerij Ordinis Prædicatorum alumni cognatus per annum cum dimidio quadam B in ædicula, longiuſculus ab eo oppido cui Caçeres Hiſpanicè nomen eſt, cum duobus ſibi cariſſimis ſocijs: atq; in id omnibus neruis incubuerat, vt ſibi, ſuisq; fratribus ibidem conuentum erigeret. Cumq; re poſt id tempus ad eius oppidi proceres delata, atq; infecta omnino receſſum inde pararet, nobilem Didacum ab Vlloa ſibi fortè fortuna obuiam factum rogare cœpit, vt ferream ſoleam pedi ipſius aſelli ſubijciendam ex charitate ſoluere vellet. Cui nihilominus neganti ſe pecunias ſecum habere, inſtitit adhuc P. vt ad ſinum manum admoueret, qua admota, cùm aureum nummum impræmeditatè, atq; præter ſpem inueniſſet, ab equo deſiliens, atq; ad tanti P. pedes prouolutus eum obnixè rogare cœpit, vt ibidem aliquantiſper ſubſiſteret. Eo itaq; annuente ad oppidum procurrens eius primatibus, quicquid ſibi acciderat, fideliſſimè retulit, inſuper & ſuggeſſit, ne tantum virum à ſe recedere permitterent, imò po- C tius ſibi fundum atq; neceſſaria ad conuentus ædificationem liberaliter conferre vellent. Huiuſmodi igitur ſanis conſilijs acquieſcentes præfati oppidi ſeniores & ſitum, Minoritico conuētui ædificando accommodatiſſimum, non longè à mœnibus præfato P. Petro Ferrerio deſignarunt, & apoſtolicam à Sixto IIII. Pont. max. facultatem ſub datum Romæ, anno Domini 1472. die verò menſis Decembris 3. qua id ſibi liceret, impetrarunt. Vt igitur primùm hæc pro tanti patris voto ſucceſſerunt, adfuêre plurimę oppidanorum eleemoſynę, adfuit & catholici Hiſpanię Regis Ferdinandi V. liberalitas, quibus deniq; præſens conuentus à primo ad vltimum vſq; lapidem ſeraphico P. Franciſco erectus extitit. Cuius ſanè tanta eſt capacitas, vt 40. fratres commodè continere pòſſit. Fauet præterea ſtudioſis viris, qua etiam de cauſa ſacrę Theo- D ſophiæ ſtudium ibidem à patribus, quorum ex munere intereſt, frequentius inſtituitur. Cæterum in principe huius ſacrę ædis ſacello, ac iuxta locum ſacro decantando Euangelio deputatum lapidea conſiſtit arca, huiuſmodi epitaphio exornata: *Hîc iacet reuerendus pater bon. me. F. Petrus Ferrerius huius notabilis monaſterij fundator*. In hanc, ob ſacros tanti patris cineres ibidem reconditos, atq; in eiuſdem patris caput in ſacrario aſſeruatum tum fratres, tum quoque ſæculares maxima deuotione feruntur.

De conuentu S. Benedicti Safræ. Conu. III.

QVVM inclytus heros Laurentius Suarez à Figueroa Ferianorum Comes, ac oppidi Safræ (Hiſpanicè Cafra) tēporalis Dominus Dominicanis patribus monaſterium, ſub inuocatione S. Dominici de Campo nō longè ab eiuſdem oppidi Safræ E vallo, anno Domini 1461. conſtrui feciſſet, pientiſſimus eius filius, atq; vniuerſorum hæres Gomezulus Suarez à Figueroa tanti patris pietatem imitatus hunc conuētum, diuo patri Benedicto ſacrum, atq; à 24. fratribus incultum, 300. paſſibus ab eodem oppido Safra, anno Dominicę incarnationis 1480. ex apoſtolica Sixti IIII. Pont. max. auctoritate ad fratrum huius Prouinciæ vſum à fundamentis ad vltimum vſq; lapidem ædificari, atq; amœniſſimis, ampliſſimisq; hortis locupletari curauit. Vix profectò explicari poſſunt huius ſacræ domus quies, tranquillitas atque amœnitas, cùm ab hominum frequentia procul fœcūdiſſimis hortis, omninoq; fructiferis, atq; limpidiſſimis, abūdatiſſimisq; aquis irriguis gaudeat, optimoq; cœlo fruatur. Quod & in cauſa eſt, vt plures viri graues, atq; in oratione exercitatiſſimi, necnon contemplationi diuinæ deditiſſimi hinc prodierint, qui non modicum ſplēdorem huic Prouinciæ attulerunt.

De conuentu S. Franciſci Placentiæ. *Conu. IIII.* A

HIC conuẽtus,ſeraphico P.Frãciſco ſacer 100.paſſibus à Placẽtia vlterioris Hiſpaniæ ciuitate, atq; ad perlucidi eius fluminis,qui ſub Ezla nomine à Georgio à Monte maiori Luſitano,ac inſigni Poëta ſummè commendatur,diciturq; Hiſpanicè Xerete,ex Conuentualibus Franciſcanis patribus,Pio V. Pont. max. ſedente,idq; pręcipiente, anno Domini 1567. huic Prouinciæ acceſſit. Quando verò primùm ædificatus extiterit,vel quo eius authore initium ſumpſerit,nec ſcripto nec traditione conſtat. Si tamen eius ſtructuræ ratio habeatur, antiquitate non caret: cùm & eccleſia, & alterum ex fratrum dormitorijs, (nam alterum à benemerito quodam huius Prouinciæ patre ſuperioribus annis conſtructum fuit) & ipſæ quoq; officinæ nihil aliud à vetuſto illo ædificãdi modo redoleant,præſeferantq;. Floret frequentius hoc in conuentu, qui ob continuas ipſius fluuij exhalationes inſalubri infeſtatur aura, & à 35. fratribus incolitur,ſacræ Theologiæ ſtudium, idq; ob frequentes diſputationes, quas tum fratres ſtudentes, tum quoq; eius Prælectores cum patribus Dominicanis, atq; Ieſuitis, nec non & cum doctiſſimis ſæcularibus, quibus matrix Placentina eccleſia abundat, ſingulis ferè diebus vel de theſibus data opera propoſitis, vel de extemporaneis propoſitionibus in familiari colloquio occurrentibus habent. Hæc igitur Placentina ciuitas, licèt non latè pateat, nec à frequenti populo inhabiteur, eſt nihilominus nobiliſſima, atq; duplici collegio patrum videlicet Dominicanorum, atque Ieſuitarum,nec non & templo,quod & epiſcopalis ſedes eſt,elegantiſſimè inſignitur. B

De conuentu S. Franciſci Scalabiæ: *Conu. V.* C

CVM Prouinciæ S.Iacobi patres ædificandi Scalabiæ (Hiſpanicè Truxillo) conuentum ab Alexandro VI.ſummo Pontifice,anno Dñicę incarnationis 1500.facultatem obtinuiſſent, interimq;, dum ſe illis opportunior offerret occaſio, in xenodochio ſub Spiritus ſancti inuocatione ibidem erecto ex eiuſdem ſummi Pontificis conſenſu ſe continerent,oblatum illis fuit, idq; opportunè ſatis, anno Domini 1502. à catholicis Hiſpanię Regibus Ferdinando V. atq; eius coniuge Eliſabetha Maurorũ delubrum,ab antiquo intra eiuſdem ciuitatis Scalabianę mœnia erectum,in monaſterium transferendum: ea tamen poſita lege, ne, eccleſiæ vices ſubiret, ſed vt templo de nouo ædificato, fratribus vel in refectorium, vel in aliam quamcunque officinam eſſet. Fratres igitur tanta ſe illis occaſione oblata opportunè vtentes, & præfatum delubrum tum ex publicis,tum quoq; ex priuatis Scalabianorum facultatibus in hoc monaſterium, quod & 25. fratres commodiſſimè inhabitant, transferendum, & capaciſſimam, pulcherrimamq; eccleſiam, B. P. Franciſco ſacram, ſibi agglomerandam,annectendamq; curarunt. Qui vel apoſtolicas Alexandri VI. vel regias Ferdinandi V. literas (de quibus ſupra) videre deſiderauerit præſentis conuentus tabellarium conſulat. Cæterum Scalabianorum, præcipuè verò nobilium, quibus Scalabia Placentinæ diœceſis ciuitas abundat, in noſtros fratres animi propenſio,atque liberalitas incredibiles ſunt: nam eos omni beneficiorũ genere pijſſimè proſequuntur. D

De conuentu S. Franciſci Badeiocij. *Conu. VI.*

BADEIOCIVM epiſcopalis, atq; antiquiſſima ciuitas à Romanis olim Pax Auguſta appellata extitit. Cumq; à Mauris ſiue Saracenis, quorum imperio plurimis paruit annis, tyrannicè occupata eſſet,ab eis mutata prima litera P in B.Bazioz Punica lingua nuncupata euaſit: ſed poſtmodum à Chriſtianis recuperata nomen Badajoz Hiſpanicè, Latinè verò Badeiocium acquiſiuit. Intra iſtius igitur ciuitatis, quæ Luſitaniæ Regno ex vlterioris Hiſpaniæ parte oppoſita eſt, mœnia is conuentus,ſeraphico P. Franciſco ſacratus, à Conuentualibus Franciſcanis patribus ab antiquo ex Badeiocianorum (niſi nos aliquot indicia fallant) facultatibus conſtructus, atq; occupatus extitit:& ab eis ex apoſtolico Pij V.Pont. max. mandato ad huius Prouinciæ patres, anno ſuperius tacto 1567. deuolutus eſt. Quando verò, vel à quibus peculiariter conſtructus fuerit,deperditis omnino ea in deuolutione ſcripturis, nullo E

A pacto inueniri potuit. Quapropter his nobis ſuperſedendum erit, cùm primùm fratrum eius accolarum, ibi Deo optimo maximo famulantiũ, numerum pro ſolito more conſtituerimus. Is ſanè vicenarius plerumque eſt, licèt aliquando maior exiſtat.

De conuentu S. Franciſci Erenæ. Conu. VII.

ERENA antiquiſſimum vlterioris Hiſpaniæ oppidum eſt, atq; triplici tribunali ſanctiſſimæ videlicet Inquiſitionis, Prioratus Legionẽſis, atq; Militiæ diui Iacobi Magiſtratus inſignitum. Id tamen inter præfata tribunalia diſcriminis eſt, quòd 1. S. ſcilicet Inquiſitionis, in eos qui ad catholicam fidem impingunt, vel quomodolibet malè de ea ſentiunt, ex officio animaduertit: 2. verò Ordinarij vices obtinẽs in eccleſiaſticos ius exercet: atqui 3. Magiſtratus nempe Militiæ diui Iacobi, in laicos poteſtatem habet. B Pertinet ſiquidem id oppidum ad præfatam Militiam, nec alicui Epiſcopo quoquo pacto ſubeſt. Ad 1500. paſſus ab hoc oppido cùm Prouinciæ diui Iacobi patres, tum ex magni eiuſdem Militię Magiſtri, tum quoq; ex Benedicti XIII. facultatibus, ex pijs tamen Erenenſium eleemoſynis eremitorium, diuæ Elenæ ſacrum, in iuſtum conuentum ſub eadẽ prorſus inuocatione, circa annũ à partu Virgineo 1400. euehendum curaſſent, ne quis ipſis negocium aliquando faceſſere poſſet, huiuſmodi facultatem ſibi à Benedicto XIII. factam, ab Innocentio VII. Pont. max. qui Bonifacio IX. in Pontificatu ſucceſſit, ratam & confirmatam iri voluerunt. Cùm autem ibidem plurimis annis incommodè ſatis, ob nimiam ab oppido diſtantiam, habitaſſent, relicto anno Dñi 1502. Conceptioniſtis ſororibus huiuſmodi conuentu, ad xenodochium ſancti Lazari 200. paſſibus à præfato oppido Erena diſtans ſibi à catholicis C Hiſpaniæ Regibus Ferdinando V. atque Eliſabetha eius vxore, penes quos præfata Magiſtratus diui Iacobi dignitas tunc erat, liberaliter oblatum, collatumq; ſe contulêre. Tandem anno à partu Virgineo 1519. impetrata à Carolo V. Germanorum Imperatore, Hiſpaniæq; Rege facultate ad hunc locum multò commodiorem, multoq; ſalubriorem, atq; 50. ad ſummum paſſibus ab oppido diſtantem, conuolarunt. Cuius quidem eccleſiam, ad quam tum fratrum, tum quoq; patrum oſſa ex antiquiori S. Elenæ monaſterio religiosè tranſlata ſunt, Sanctius quidam à Pace regius Quæſtor, ac patria Erenenſis ſuis ſumptibus ædificauit: vnde princeps ſacellum patronatus iure tum ſibi, tum ſuis poſteris in ſepulturam deſeruit, adeò, vt nec quempiam alium, nec etiam religioſum vitandę (ſi Dijs placeat) contaminationis ergò admittat. Quod D verò reliquum eſt ędificij, id ex diuerſis fidelium eleemoſynis omnino abſolutum, perfectumq; extitit. Huius loci amœnitas, temperies, atq; aëris ſalubritas maxima eſt, cùm, patentiſſimo in loco, atq; à domibus procul cõſtructus, ampliſſimis, fructiferiſq; hortis, atq; peroptimis aquis gaudeat. Quo etiam fit, vt à 25. fratribus commodiſſimè, atq; pro votis inhabitetur, & ſtudium tum philoſophicum, tum quoq; theologicum ibidem frequentius à patribus inſtituatur. Artium Pręlectorem aliquando hoc in monaſterio egit cariſſimus noſter ſocius, atq; pro Vltramontana familia, dum Generalatus officio fungeremur, Secretarius, pater inquam ac frater Thomas de Spinoſa, cuius ſedula, atque diligenti opera in huius libri editione opportunè vſi ſumus.

De conuentu S. Mariæ de Gratia. Conu. VIII.

E CONVENTVS hic, beatæ Mariæ de Gratia ſacratus, atq; mille paſſibus à ſancto Martino de Caſtaneto vlterioris Hiſpaniæ oppido, à deuotiſſima verò patrũ Dominicanorum æde ſanctiſſimę eidem virgini Marię de rupe Franca, ſiue Gallicana, Hiſpanicè la peña de Francia, in editiſſimi montis cliuo erecta, diſtans, ſui authorem atq; fundatorem agnoſcit R. quendã Salmanticenſium Epiſcopum nomine Sanctiũ. Is enim, iuxta cuiuſdam puellæ pręſagium, ruralem, ac maximę recreationis domum, quam ibi Epiſcopatus iure poſſidebat, in hoc monaſterium, anno Dominicæ incarnationis 1430. canonicis interim, atq; reliquo Salmantinæ matricis eccleſiæ collegio annuentibus, transformandam, atq; eccleſiam, glorioſæ Virgini ſacram, ſibi annectendam curauit. Quamuis ſacra hæc domus, quæ tum Salmantinis, tum quoq; conuicinis populis, ob frequentia miracula, ad glorioſæ Virginis imaginem ibidem erectã

contin-

contingentia, atq; ob ſummam eius religionem, & regularem diſciplinam commendatiſſima eſt, intenſiſſimo frigori, ob proximos montes perpetuis niuibus albeſcentes: expoſita ſit, pateatq;: gaudet nihilominus ſaluberrima aura, pulcherrimis aquis, nec non & nemoroſo, amœnoq; ſolo. Quo tandem fit, vt 20. patres Recollecti eius accolæ felicius, atq; quietius, totoq; pectore Altiſſimo vacent. Cæterum hæc eadem ſacra ædes altera ex ſpinis Dominicæ coronæ, quodam oſſe beati Pauli Apoſtoli, & alijs quamplurimis ſanctorum reliquijs, ex vrbe Roma à R. P. F. Franciſco à Figueroa huius Prouinciæ alumno, atq; Romanæ Curiæ olim pro Vltramontana familia generali Procuratore allatis, ſibiq; dono datis religioſè honeſtatur, condecoraturq;. Acceſſit denique ædificationi huius loci auctoritas apoſtolica Eugenij IIII. Pont. max. A

De conuentu S. Franciſci Veiar. Conu. IX.

ANTIQVISSIMVS ſanè eſt hic conuentus, ſeraphico P. Franciſco dicatus, atq; aliquantulum à muris eius oppidi, quod Vejar Hiſpanicè nuncupatur, præcipiti in loco erectus, cùm 2. annorum centurias cum dimidia, eoq; amplius expleuerit. Nam, vt ex literis cuidam lapidi prope portam, qua clauſtrum petitur, inciſis manifeſtū euadit, ſub fratre quodam Paſchaſio loci Guardiano, anno à partu Virgineo 1310. primùm ædificari cœpit, & poſt elapſum decennium, nempe anno 1320. matris eiuſdem Guardiani ſumptibus abſolutus extitit. Nec tamen ſemper à tempore, quo hæc Prouincia huiuſmodi dignitatem ſibi vſurpauit, eius patribus ſubfuit: ſed modò iſtis, modò verò Prouinciæ Angelorū religioſis obtemperauit. Idq; in cauſa eſt, vt eius ædificia nec adeò promota ſint, nec antiquā faciē aliquando mutauerint. Gaudet nihilominus hic locus aliquali amœnitate, cùm in editiore loco conſtructus Tormio rapidiſſimo fluuio immineat, & longiſſimum proſpectum habeat. Inhabitatur præterea à 20. fratribus, & capite vnius ex 11. millibus virginum exornatur. B C

De conuentu S. Franciſci Securæ. Conu. X.

PROVT ex quibuſdam literis datis Occaniæ 3. Maij anno Domini 1480. facilè edocemur, præſens conuentus B. P. Benedicto longiuſculus ab oppido Secura erectus, ab inclyto heroë Alphonſo à Cardenis ſacrę diui Iacobi Militiæ Magiſtro cōſtructus, atq; tum ab ipſo, tum quoq; à cæteris eiuſdem Militiæ equitibus, Occaniæ capitulariter congregatis, Prouinciæ S. Iacobi patribus collatus fuit. Quia verò antiquiori ædiculæ, B. Benedicto ſacratæ, atq; ruinam minitanti ſucceſſit, eius nomine nuncupatus euaſit. Cæterum, cùm longiuſculus à præfato oppido Secura, quod ad eandem ſancti Iacobi Militiam attinet, ædificatus, ſtudendi ſpatium ſui habitatoribus, qui frequentius ſunt triginta numero, præbeat, conſultiſſimè à patribus, quorum intereſt, Philoſophiæ ſtudium in eo frequentius feliciſſimè inſtituitur. D

De conuentu S. Antonij Garrobiliarum. Conu. XI.

SOLICITI inclytus Henricus à Toleto, eiuſq; nobiliſſima coniux Maria Guſmania Albaliſtę Comites de ſibi ſubditorum ſalute, vt primùm ab apoſtolico Nuntio tunc in Hiſpanijs agente, anno à partu Virgineo 1476. die verò menſis Martij 16. Sixto IIII. Pont. max. ſedente, facultatem impetrarunt, hoc monaſterium, B. P. Antonio de Padua dicatum, longiuſculus ab oppido, quod Garrobillas Hiſpanicè nuncupatur, ſibiq; parebat, à primis fundamentis ad vltimum vſq; lapidem ædificandum, atq; Prouincię S. Iacobi patribus, qui populo verbo, & exēplo opportunè adeſſent, tradendum curarunt. A cætero hæc ſacra ædes pro illius populi tenuitate ſatis ampla eſt, & à 20. fratribus commodè ſatis inhabitatur. Quibus tum Garrobiliani, tum quoq; circumadiacentia oppida ad victum, atq; amictum neceſſaria ſatis liberaliter pro ſua in Franciſcanam Religionem beneuolentia, animiq; propenſione ſubminiſtrant. E

De conuentu S Franciſci Norbæ Cæſareæ. Conu. XII.

NORBA Cæſarea antiquiſſimum oppidum eſt, & eorum religioſorum, qui viridi cruce ad pectus vtuntur, conuentu celebre. Huius igitur opppidi incola per-

deuotus

A deuotus Bartholomæus Ouetenſis, cùm ex apoſtolica Innocētij VIII. Pont.max. poteſtate, ſibi anno Dominicæ incarnationis milleſimo quadringenteſimo octuageſimo ſeptimo menſis verò Iulij die quartadecima facta, pro ſumma ſua in Deum optimum max. pietate, atque in beatiſſimum patrem Franciſcum, eiuſque ſeraphicam Religionem deuotione, propriam ſuæ habitationis domum in monaſterium euexiſſet, atque eccleſiam ſub beatiſſimi patris Franciſci tutela ſibi adiungendam curaſſet, eam Prouinciæ ſancti Iacobi patribus in perpetuum vſum tradidit, contulitque. Vt autem fratres eius habitatores, qui 20. numerum vt plurimùm attingunt, huiuſmodi monaſterio liberius feliciuſq; vti poſſent, catholici Hiſpaniæ Reges Ferdinandus V. atq; eius vxor Eliſabetha datis literis ijs religioſis præceperunt, vt Franciſcanos fratres commendatiſſimos haberent, neuè illis vllam moleſtiam inferre præſumerent. B Quod ſanè neceſſarium non erat, cùm tanta inter iſtos atq; illos perpetuò interceſſiſſet neceſſitudo, atq; familiaritas, vt vix exprimi queat. Nec mirum profectò, cūm nullū vnquam offendiculū, nullumq; ſcandalū ab huius loci religioſis, qui Recollectionē quam diligentiſſimè exercent, imò potius optimū ſemper exemplum reportauerint.

De conuentu S. Mariæ de Pomerio. Conu. XIII.

CVM deuota quædam fœmina, nomine Marina quoddam ſpecu, Duriæ celebri flumini contiguum, agendæ pœnitentiæ ergò diu inhabitaſſet, inibiq; diem clauſiſſet extremum, Calixtus III. Pont.max. cognita eius ſanctitate, plures indulgentias ijs, qui adiutrices manus ad vnius ædiculæ, eidem dicandæ, conſtructionem porrigerēt conceſſit. Cumq; plures eleemoſynæ, quàm ad huiuſmodi ædificium perſoluendū deC ſiderari poterant, à fidelibus obueniſſent, indieſq; magis magiſq; creſcerent, præfata ædicula in iuſtum conuentum euaſit, atq; noſtris fratribus commiſſa extitit. In cuius principe ſacello inuiſere licèt arcam, cui tabella ſequenti epitaphio appenſa eſt: *Hîc iacet corpus humillimæ, atq; deuotiſsimæ ſeruæ Dei B. Marinæ, quæ hoc deſertum, vt Chriſto Domino felicius, totoq; pectore vacaret, à ſua iuuenta petijt, quæq; feliciſsimè, atq; catholicè extremum in loco clauſit diem? Ad cuius tandem honorem ſacra hæc ædes ædificata fuit.* Cęterùm hic conuentus in Regnorum Caſtelle, atq; Portugaliæ confinio, atq; ad prærupti cuiuſdam montis radices conſtitutus, qui & à 20. fratribus frequentius incolitur, tanta amœnitate gaudet, vt à frequentibus conuicinis arboribus, ijſq; maximè fructiferis, Viridis per antomaſiam paſſim appelletur. Eſt præterea tum Luſitanis, tum quoq; Caſtellanis commendatiſſimus, idq; ob frequentia miracula, quæ meritis beatæ Marinæ ibi-D dem contingunt. Nam & terra ex præfato ſpecu, in quo pœnitentiā egit, religioſè hauſta, & aqua, ſi illi alterum ex eius oſſibus immerſum fuerit, epota diuerſos pellunt languores, plurimoſq; infirmos integræ ſoſpitati reſtituunt. Idipſum præſtat eiuſdem ſanctæ Marinæ caput theca in ſacrario reconditum, quod & in maxima eſt apud hos populos veneratione. Hic deniq; locus, qui & à proximiori pago ad 3. diſtat lapidem, imbuendis iunioribus religioſis grammaticalibus litteris pro voto deſeruit.

De conuentu S. Franciſci Metellinij. Conu. XIIII.

PRÆSENS conuentus, ſeraphico P. Franciſco ſacratus, atq; non longè ab oppido Metellino (Hiſpanicè Medellin) erectus, licèt nondum vltimam artificis manū expertus ſit, antiquitate tamen non caret: cùm à pientiſſimis, Ioanne Portocarrerio, E eiuſq; legitima vxore Maria Manuel eiuſdem oppidi Comitibus, ex maxima animi propenſione qua in ſeraphicum patri Franciſcum ferebantur, anno Domini 1508. Iulio II. Pont. max. ſedente, imò & annuente, primùm ædificari cœperit, & Prouinciæ S. Iacobi adiectus extiterit. Affulget nihilominus breuis eius perfectionis ſpes, in id præfatorum fundatorum ſucceſſoribus toto pectore incumbentibus, vt quicquid ad eius conſummationem deſiderari poteſt, quantocitius perficiatur. Inhabitatur interim à viginti huius Prouincię fratribus, qui tum oppidanis, tum quoque conuicinis populis Dei verbum de ſuggeſtu proponunt, atque opportunè quocunque in euentu adſunt. quare ab ipſis eleemoſynis, quibus aluntur, liberaliter accipiūt. Cœterùm ius huius loci patronatus ad præfatos Comites, fundationis atque reparationis iure, pertinet.

De conuentu S. Michaelis apud S. Martinum *Conu. XV.* A

CVM, Ciuitatenſi Epiſcopo annuente, imò & inſtante, Prouinciæ S. Iacobi patres præſentē conuentum, ſub B. P. Franciſci tutela, longiuſculus ab oppido, quod S. Martinus de Treuejo Hiſpanicè nuncupatur, attinetq; ad Ciuitatenſem diœceſim, tū ex publicis, tum ex priuatis oppidanorū facultatibus, tū quoq; ex eleemoſynis aliunde confluentibus à fundamentis ad verticem vſq; ædificandum curaſſent: ne fortè, eo Epiſcopo vita functo, ab eius ſucceſſoribus ſe diuexari cotingeret, à Nicolao V. Pon. max. tunc ſedente, idq; anno reſtitutæ ſalutis 1452. menſis verò Iunij 3. huiuſmodi ædificij approbationem impetrarunt. Quòd ſacra hæc domus maxima tranquillitate fruatur, conſultiſſimè ab huius Prouinciæ patribus 18. Recollectis fratribus adiudicata eſt.

De conuentu S. Marinæ Sonradilij. *Conu. XVI.* B

ANTIQVAM ædiculam ſemicollapſam, omninoq; derelictam, atq; ad mille paſſus ab oppido Sobradilio B. Marinæ erectam, cùm aliquot Prouinciæ S. Iacobi fratres aliquandiu inhabitaſſent, ne fortè plurimis conflictati incommodis eā aliquando deſerere cogerentur, perdeuoti heroës Ludouicus ab Ocāpo, eiuſq; cariſſima coniunx Beatrix Mexia præfati oppidi temporales Domini, tum ſuæ, tum ſibi ſubditorum ſaluti maximè conſulturi, prefatam ædiculam cum ſibi pertinentibus à Ciuitatēſi Epiſcopo, anno 1502. obtinuerunt, atq; in conuentum ex cōmunibus facultatibus euehendā, inſuper & Prouinciæ S. Iacobi adijciēdā curarūt. Ab eo vero tēporis, quo hæc Prouincia ab illa deſciuit, 18. & aliquādo 20. fratribus cōmodiſſimè inſeruiuit, deſeruitq;.

De conuentu S. Franciſci Auguſtæ emeritæ. *Conu. XVII.* C

INTRA huius itaq; ciuitatis mœnia præſens conuentus, ſeraphico P. Franciſco ſacratus, ex Caroli V. Germanorum Imperatoris, atq; Hiſpaniæ Regis, penes quē tunc eę partes erant, facultate, Madriti, anno Domini 1528. menſis verò Maij 19. facta, tum ex publicis, tum quoq; ex priuatis ciuium eleemoſynis ædificari cœpit. Qui tamen adhuc, refrigeſcente fidelium charitate, ſub latomis, fabris lignarijs, atq; cæteris artificibus eſt, experturus tandem vltimam eorum manum, quando Deus voluerit. Inhabitatur interim à 20. fratribus, eiuſq; eccleſia anno Dñi 1536. die verò menſis Octobris 12. à R. Alphonſo Guſmanio Scalabianorū Epō de Chriſtiano more conſecrata extitit.

De conuentu S. Ildephonſi Furnorum. *Conu. XVIII.* D

PIENTISSIMORVM Antiſtitū veſtigijs hærens R. Alphonſus Manriquius Hiſpalenſium Archiepiſcopus ruralem domum, atq; contiguos hortos, quos recreationis ergò prope Furnos (vulgò Hornachos) oppidum, quod à neophytis Chriſtianis à Mahumetiſſimo ad fidem conuerſis, vno vel altero dempto omnino inhabitatur, ſibi comparauerat, noſtris fratribus, anno 1530. in conuentum transferendam liberaliſſimè obtulit. Cuius quidem domus poſſeſſionem cùm P. F. Gutierrus à Trejo cōuentus S. Helenæ Guardianus de more accepiſſet, eam Prouincię patres ex publicis oppidanorum facultatibus ſub S. Ildephonſi inuocatione in monaſterium euexerūt, atq; Recollectioni adiudicarunt. Eius pręterea eccleſiā R. Alphōſus Guſmanius Scalabianorū Epiſcopus anno Domini 1536. die verò menſis Octobris 14. benedixit, conſecrauitq;. Quod verò reliquū eſt monaſterij à 15. fratribus Recollectis pro voto inhabitat. E

De conuentu S. Spiritus Fouearum. *Conu. XIX.*

CVM perdeuotus vir Paulus Piretius pagi Fouearū incola propriam domum, huius Prouincię fratribus ad conuentus dignitatem promouendam anno Domini 1558. obtuliſſet, is P. qui tūc ad Prouincię clauū ſedebat, eam ex facta ſibi à R. Corianorū Epo facultate, eodē anno ſed die mēſis Septēbris 15. benedixit atq; ſanctiſſimo Spiritui ſacrauit. Hāc poſtmodū fratres ex diuerſis eleemoſynis hinc inde acquiſitis in iuſtum conuentū euexerunt, atque honeſtam eccleſiā ſibi annectendā curarunt. Quorum itaq; opera factum eſt, vt à 15. religioſis cōmodè ſatis imprę̄ſentiarū inhabitetur.

De conuen-

A *De conuentu S. Franciſci Fraxineti. Conu. XX.*

CONVENIEBANT equidem omnes accolæ eius oppidi, quod Hiſpanicè Frexenal nuncupatur, in Minoritici vnius cõuentus ædificatione, diſſentiebãt tamen in Prouinciæ, cui tradendus veniret, electione: altera eorum parte in Prouinciæ S. Gabrielis patres propendente, alia verò in huius alumnos inclinante. Quamobrem & iſtis, atq; illis de domo prouiſum eſt: illis ſiquidem de ædicula, B. Antonio de Padua dicata: iſtis verò de Martyrum eremitorio. Nec prius huiuſmodi lis deciſa eſt, quàm R.P. F. Franciſci à Zamora totius noſtri Ordinis generalis Miniſtri diffinitiua acceſerit ſententia. Quo deniq; in pręſentis Prouinciæ, quòd oppidum Fraxinetum eius limitibus circunſcriberetur, fauorem pronuntiante, & Prouinciæ S. Gabrielis patres, relicta huiuſmodi ædicula, proprium remearunt locum, & præfati oppidi incolæ vnanimiter, B atq; communibus ſumptibus præſentem conuentum, B. P. Franciſco ſacrum, quem & 18. fratres vt plurimùm incolunt, apud ſe anno Domini 1562. erigendum curarunt.

De conuentu S. Antonij Texedæ. Conu. XXI.

QVOD conuentus hic, B. Antonio de Padua ſacratus, atq; Texedæ, quod Salmantinæ diœceſis oppidum eſt, à perdeuotis Alphonſo Lopetio à Texeda, atq; legitima eius coniuge Catharina à Robore temporalibus eiuſdem oppidi Dominis, anno Domini 1464. tumultuario opere, atq; ex inſtabili materia conſtructus, ex parte collapſus ſit, omnimodamque, niſi ab eorum ſucceſſoribus prius reficiatur, vel potius reædificetur, minetur ruinam, nihil aliud de eo nobis dicendum occurrit ab eo, quod difficulter, atq; incommodè ſatis 12. fratres eius accolas continere poſſit, quod amœniſſi- C mis, atq; peramplis hortis, abundãtibus lymphis, & ſaluberrima aura potiatur, quodque tandem altero ex brachijs beati Brandanij Abbatis religioſiſſimè honeſtetur.

De conuentu S. Iacobi Luponij. Conu. XXII.

CONSTRVXERAT, idq; ex nõ vulgari in eos pietate, ad pauperes, peregrinosq; hoſpitio excipiendos nobilis Didacus ab Aluarado ſacræ diui Iacobi Militiæ eques, & Commendatarius ex proprijs facultatibus xenodochium, non longe à Luponio (vulgò Lobon) nullius diœceſis, ſed eiuſdem Militiæ oppido, illudq; eius nepoti atq; ex aſſe hæredi Didaco ab Aluarado ex teſtamento reliquit. Cumq; inclyta Eliberia à Figueroa oppidi Populæ Comitiſſa præfatum oppidum Luponium, perſoluto D prius iuſto pretio, emiſſet, pręmemoratum etiam xenodochiũ ab eius poſſeſſore ea poſita lege obtinuit, vt ſcilicet illud in Minoriticum monaſterium quantocitius euehendũ curaret. Quamobrem nobilis heroina, quicquid illi pollicitus fuerat, nulla interpoſita mora, executioni mandauit. Prodijt igitur nobis hic conuentus, diuo Iacobo Apoſtolo ſacratus, ex præfatæ Comitiſſæ facultatibus, atq; ex prædicti Didaci liberalitate anno 1564. Huius Prouincię 13. fratres quòd nõdũ vltimã artificis manũ expertus ſit, quodq; ea patria non adeò ferax exiſtat, minus cõmodè cõtinet, minusq; abundãter ſuſtentat.

De conuentu S. Mariæ de Angelis Cellameæ, Conu. XXIII.

CELLAMEA (Hiſpanicè verò Salamea) oppidum ad ſacram Alcantarenſem Militiam ſpectat, antiquiſſimumq; eſt, cùm multò ante Traiani Imperatoris tempora exordium ſumpſerit. Nam parochialis eius eccleſia, quæ & B. Marię de Miraculis E dicata euaſit, ſepulcrum extitit olim in honorem præfati Imperatoris Traiani à Iulipenſibus municipibus erectum: hocq; titulo HÆC EST CELLAMEA inſignitum: in cuius tanti viri gratiam oppidani ipſum oppidum eo, reſecatis duobus primis verbis, appellãdum voluerũt: nempe Cellamea, licèt corrupto vocabulo Salamea paſſim ab omnibus nuncupetur. Ad iactum ergo lapidis à præfati oppidi Cellameę domibus F. Paulus Xerezanus Prouinciæ S. Ioſephi alumnus, Methymnenſiſq; conuentus eiuſdem Prouincię Guardianus, anno Domini 1576. hoc monaſterium, ſub ſanctæ Marię de Angelis inuocatione, iuxta illius Prouincię normam, ex publicis, priuatiſq; oppidanorum facultatibus ędificare cœpit. Sed cùm parcè ſatis, ac pręter votũ ad operis promotionẽ, atq; ad fratrum ſuſtentationem neceſſaria ſibi à Cellameana ciuitate

ſubminiſtrarētur,eũ,eductis inde fratribus ſibi cõmiſſis,oĩno deſeruit.Quapropter indi- A
gnata coitas aliquot huius Prouinciæ S.Michaēlis patres aduocandos,ſibiq; huiuſmo-
di couentũ tradendũ cenſuit.Impetrata itaq; à catholico Hiſpaniæ Rege Philippo II.
cuius ob præfatę Alcãtareñs Militię adminiſtrationẽ,quę ſibi ex officio incumbebat, eę
parteſerant,facultate,præfatus hic cõuentus,anno Dñi 1584.à S.Ioſephi Prouincia ad
hàc tranſlatus extitit.Quia verò eius ſtructura fratrum habitationi minus accommo-
da eſt,demoliendaq; venit,à 6. tantùm fratribus impræſentiarum inhabitatur:à plu-
ribus tamen temporis ſucceſſu inhabitandus:Nam eius ſitus capaciſſimus, amœnusq;
eſt,& ſaluberrima potitur aura ; inſuper & ampliſſimis hortis,abundantibusque aquis
gaudet. Præterea tanta eſt Cellameanorum in Franciſcanos fratres animi propen-
ſio , tantusq;, affectus, vt optimè nobis de huiuſmodi ædificio ſperandum veniat.

De monaſterio S Claræ Ciuitatis. Mon. I. B

ID monaſteriũ,B.Claræ longiuſculus ab vrbis Ciuitatẽſis mœnibus erectum , atq; à 55.Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis inhabitatũ,antiquiſſimũ eſt,& 2.eiuſdẽ S.Claræ ſo cias ſui fundatrices habuit.In medio eccleſiæ choro admirandæ ſanctitatis religioſa ſo ror Hadabona, cui & lapidea imago ibidem erecta eſt,ſepulta quieſcit.Hæc tantopere, dum viueret , in omni virtute,præcipuè vero in charitate , atque oratione profecit, vt ſtatim poſt mortem miraculis clarere meruerit. Quamobrem & monialibus, & ſæcularibus commendatiſſima eſt, & tum iſti, tum quoque illæ hauſta ex eius ſepulcro terra ad pellendam febrem quatriduanam vtiliter, atque pro voto vtuntur.

De monaſterio S. Claræ Safræ. Mon. II. C

HOC monaſteriũ,muris oppidi Safræ clauſum,atq; S.Claræ,anno 1530.erectum, primatũ inter cætera Clariſſarũ(de 2.tamen Regula) cœnobia facilè obtinet.In eo ſiquidẽ & ſanguinis claritas fulget,& regularis diſciplina viget,& diuini cultus honor maximè reſplendet. Hoc itaq; tantum monaſterium à pijs Gomezulo Suarez à Figueroa,eiuſq; coniuge Eliberia Laſſa à Mendoza , ex apoſtolica tamen Martini V. Pont. max. facultate,ſibi anno ſui Põtificatus 12.facta,conſtructũ, pinguiſſimiſq; redditibus atq; capellanijs pro ſæcularibus ſacerdotibus,qui ſacris ibidẽ operari tenẽtur,locupletatum extitit. Apoſtolicum præfatæ facultatis diploma in præſentis loci, à 50.ſororibus inhabitati , cuius eccleſiam R. Ioannes de Morales Badeiocianorum Epiſcopus de religioſo more benedixit, conſecrauitq;,chartophylacio diligentius aſſeruatur.

De monaſterio S. Marinæ ibidem. Mon. III. D

ET ſi diligenti indagine adhibita,nullo tamen pacto vel quis præſentis monaſterij Safræ,in honorem ſanctæ Marinæ erecti,author fuerit,vel quo certo tẽpore fundamenta iacta extiterint,aſſequi potui.Quamobrem hæc tantùm dixiſſe ſufficiat:quòd vi licet à 15.Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis inhabitetᷣ,quòdq; redditibus minimè abundet.

De monaſterio S. Claræ Placentiæ. Mon. IIII.

PERDEVOTVS Alphonſus Ruitius à Camargo Placẽtinus ciuis quicquid fa cultatũ obtinebat,id in vnius monaſterij conſtructione conſumendũ cenſuit. Quamobrẽ,vt prius ſibi à ſede apoſtolica facultas facta eſt,hoc monaſteriũ, beatæ Annæ no mine S Claræ paſſim appellitatũ,intra Placentinæ ciuitatis mœnia conſtruendũ, atq; E
honeſtis vtcunq; redditibus, anno Domini 1475. dotandum curauit.Cuius deniq; beneficio factum eſt, vt 30 virgines Deo ſacræ ſub habitu & ſecunda beatæ virginis Claræ Regula ibidem Chriſto ſponſo nupſerint, totoque pectore ſibi inſeruiant.

De monaſterio S. Claræ Fraxineti. Mon. V.

ELIBERIA à Figueroa inclyti Laurẽtij Suarez à Figueroa Ferianorũ Comitis filia, atq; cuiuſdã Mareſcalli Perafanni à Ribera legitima vxor cẽtuplũ acceptura,atq; æternam vitam poſſeſſura , hoc ſacrum monaſterium , Alexandro VI.Pont. max: ſibi annuente,aliquantulum ab oppido Fraxineto,vbi prius ædicula Conceptioni virginis ſacrata

A ſacrata ſubſtiterat, anno Domini 1501. exædificandum, honeſtisq; redditibus locupletandum, atq; beatæ Claræ dicandum curauit. Voluit tñ præfata fundatrix, vt à 33. Vrbaniſtis ſororibus Clariſſis inhabitaretur, licèt impræſentiarũ à 20. tãtũ incolatur.

De Monaſterio Lucis Xereſij. Monaſt. VI.

QVOD de præſenti monaſterio, B. Claræ Xereſij erecto, dici poſſit, deperditis oĩno eius ſcripturis, nihil aliud occurrit ab eo, quòd à 10. tantũ Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis inhabitetur, quodq; nos penitus lateat, quis eius author ac fundator extiterit.

De monaſterio S. Claræ Amigdaleti. Mon. VII.

PERDEVOTVS Ioannes Piretius oppidi Amigdaleti (Hiſpanicè Almendral) incola, cùm hoc monaſterium intra præfati oppidi mœnia à fundamentis extruere cœpiſſet, nec immatura morte præuentus ad optatum finem perducere potuiſſet, B cariſſimam ſibi vxorem Mentiam Vaſquez vniuerſorum hæredem reliquit, ſibiq; iniunxit, vt quicquid ad huiuſmodi monaſterij conſummationẽ requireretur, id ex adepta hæreditate præſtaret: inſuper & voluit, vt cùm primùm præfatum monaſteriũ vltimam artificis manum expertum eſſet, à Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis, vel ſaltem à Franciſcanis ſororibus Tertiarijs inhabitaretur. Quæ tamen ſiue iſtæ, ſiue illæ eſſent, prouinciali Franciſcanorum Obſeruantum Vicario parerent. Vt igitur primùm huiuſmodi ædificium extitit abſolutum, à Tertiarijs quibuſdam ſororibus inhabitatum eſt. Quę tandem eo ipſo anno, quo hęc Prouincia ab altera S. Iacobi diſſecta fuit, relicto huiuſmodi Inſtituto, in ſecundam beatę virginis Clarę Regulam verba fecerunt, ac in tantam proruperunt fœcunditatem, vt vigeſimumquintum numerum claudant.

C *De monaſterio matris Dei Erenæ. Mon. VIII.*

PERDEVOTA Eliſabetha Delgada vidua ex Roderici Porradi ſacræ diui Iacobi Militiæ equitis morte relicta, vt primùm à catholico Hiſpaniæ Rege, atque præfatæ Militiæ Adminiſtratore Ferdinando V. facultatem obtinuit, defuncto viro morem geſtura hoc ſacrum monaſterium, S. Matri Dei dicatum, intra oppidi Erenæ mœnia ex proprijs, atq; relictis à viro facultatibus, an. Domini 1508. extruxit. Præterea Clariſſarum monialium habitu induta, ipſum cum quibuſdam alijs virginibus ingreſſa eſt, atque ſolemne votum emiſit. Cæterum hæc ſacra ædes, quæ & à quadraginta Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis incolitur, & religione & etiam ſanctitate claret: nec facilè alicui in hac tota Prouincia ſanctimonialium conuentui palmam concedet.

D *De monaſterio S. Eliſabethæ ibidem. Mon. IX.*

ERENENSIS cõitas, antiquũ xenodochiũ, diuæ Catharinæ intra eius mœnia erectũ, Tertiarijs quibuſdã ſororibus Frãciſcanis ex apoſto. auctoritate an. Dñi 1496. in monaſteriũ trãsformandũ, atq; inhabitandũ tradidit. Poſt trãſactos verò ab hmõi traditione 60. annos R. P. F. Franciſco Zenone totius noſtri Ordinis generali Miniſtro his partibus appulſo, huiuſmodi Tertiarię ſorores, relicto antiquiori Inſtituto, & in habitum, atq; 2. B. virginis Claræ Regulam tranſierunt. Quæ quidem adeò coaluerunt, vt 40. numerum impræſentiarũ attingant. Licèt hæc ſacra domus nomine B. Eliſabethæ paſſim ab omnibus appellitetur, B. tñ Mariæ de Remedijs, in cuius ẽt honorem religioſa Confraternitas ibidem erecta eſt, in prima ſui erectione dicata, ſacrataq; fuit.

E *De monaſterio S. Annæ Badeiocij. Mon. X.*

CVM religioſa ſoror Leonora à Vega 2. B. Claræ Ordinẽ, cui ipſa in monaſterio eiuſdẽ S. Claræ nomẽ dederat, à ſe ꝓpagari cuperet, aſſũptis ſecũ 2. eiuſdẽ Inſtituti, ac optimi nominis ſororibus, Badeiociũ ciuitatẽ, anno à partu Virgineo conceſſit, ibiq; præſẽs monaſteriũ, diuæ Annæ Dei genitricis matri ſacrũ, ex diuerſorum, præcipuè verò Badeiocianorũ ciuiũ facultatibus erexit, optimiſq; legibus, atq; moribus cõmuniuit. Eius itaq; opera factũ eſt, vt 35. honeſtiſſimæ virgines ſub habitu, atq; 2. beatæ virginis Claræ Regula ibidem Chriſto ſponſo felicius, atque toto pectore vacent.

De monaſterio Conceptionis B. Virginis Cumbrium. Mon. XI. A

FIDELISSIMI diſpenſatoris munus exequuturus perdeuotus, atq; Frãciſcanę Religioni addictiſſimus Ferdinandus Vexaranus, matricis eccleſiæ Hiſpalenſis canonicus, quicquid ſibi ex eccleſiaſticis redditibus reſiduum fuit, id totum in 1. monaſterij ædificatione conſumendum cenſuit. Quamobrem, vt primùm ſibi poteſtas data eſt, hunc conuentũ, immaculatæ Conceptioni Virginis glorioſę ſacrum, quod 26. Clariſſæ ſorores Vrbaniſtæ inhabitant, Cumbrium (Hiſpanicè Cumbres) quod Hiſpalẽſis diœceſis oppidum eſt, à fundamentis exædificandum, omninoq; abſoluendum curauit.

De monaſterio S. Antonij Scalabiæ. Mon. XII.

QVAMVIS huic ſacro Clariſſarum de 1. Regula monialium monaſterio, Scalabię ſub B.P. Antonij de Padua inuocatione erecto, quòd anno reſtitutæ ſalutis 1574. ex Placentini Præſulis facultate primùm conſtrui cœperit, vltimus inter cœtera huius Prouincię monaſteria locus antiquitatis iure debeatur: ei nihilominus, quòd & paupertate, & vitæ aſperitate reliqua longè ſuperet, hunc 12. aſſignare voluimus. His accedit, quòd nobis ad Conceptioniſtarum, atque Tertiariarum ſororum conuentus tranſeundum ſit, quòdq; (vt ſæpius meminimus) non multùm huiuſmodi antiquitatis ſeriem faciamus. Ne itaq; Clariſſas vel Tertiarijs, vel Conceptioniſtis miſceremus, cõſultum fore duximus, ſi huius monaſterij impræſentiarũ meminiſſemus. Cœpit igitur ædificari præfatum hoc monaſterium anno Domini 1574. idq; ex priuatis atq; publicis Scalabianorũ facultatibus; ſuiq; fundatrices agnoſcit religioſiſſimas 3. ſorores, quę ex Madritenſi eiuſdem Inſtituti monaſterio egreſſę, ad hoc cum obedientialibus literis appulſæ, ipſum ſanctiſſimis moribus imbuerunt. Inhabitatur interim à 22. ſororibus. B C

De monaſterio Conceptionis B. Virginis Capitis bouini. Mon. XIII.

RELICTVRVS poſt ſe pijſſimus heros Martinus Rol ſacræ Alcantarenſis Militiæ eques, & Commendatarius deuotas aliquot virgines ſacras, quæ ſe perpetuò Deo opt. max. commendarent, hoc monaſterium, immaculatę Conceptioni Virginis ſacrum, quòd 38. Conceptioniſtæ ſorores impræſentiarũ inhabitant, ex proprijs facultatibus, atq; ex apoſtolica Iulij II. Pont. max. conceſſione, intra eius oppidi, quod Cabeca del buey Hiſpanicè nuncupatur, Latinè verò Caput bouinum appellari poſſet, ſubeſtq; ſacræ Alcantarenſi militiæ, mœnia anno à partu Virgineo 1508. à fundamẽtis primò erexit, temporiſq; ſucceſſu omnibus numeris abſoluit, atq; honeſtis redditibus, quibus 20. ſorores ali poſſent, locupletauit. Præterea religioſiſſimas 4. moniales, quæ aduentantes virgines ea, quæ ſunt Religionis, docerent, ex Hiſpalenſi ſanctæ Agnetis conuentu educendas, atq; adhũc anno Domini 1533. transferendas curauit. Quia verò præfatæ illę 20. virgines ad peculiares quaſdam horarias preces pro fundatoris anima tenentur, vnde & eius ſacellariæ paſſim nuncupãtur, nihil penitus in dotem conferũt, ſed gratis omnino recipiuntur, & ex redditibus ab ipſo relictis ſuſtentantur. Egreſſis tamen ſuperioribus annis illarum 8. vt Conceptioniſticum Scalabianum cõuentum (de quo ſtatim) erigerent, huiuſmodi 20. numerus imminutus, & ad 12. redactus extitit. D

De monaſterio Conceptionis B. Virginis Scalabiæ. Mon. XIIII.

PRODIIT nobis hoc monaſterium, S. Conceptioni B. Virginis Scalabiæ (vulgò Truxillo) erectum, atq; à 50. Conceptioniſtis ſororibus inhabitatum ex proximè præcedenti conuentu. Qua etiam de cauſa licèt quibuſdam alijs recẽtius ſit, hunc ſibi locum reſtituere voluimus. Vt igitur primùm præcedentis loci ſorores, P. F. Chriſtophoro Sedenio Prouinciæ S. Iacobi Miniſtro annuente, in eandẽ ſententiam conuenêre, illarum 8. quibus, quicquid bonorum atq; reddituum à fundatore relictorum ſibi pro rata portione obuenire poterat, ab alijs cõceſſum eſt, Scalabiam anno Domini 1533. cõcedentes hoc monaſteriũ à fundamentis ad apicem vſq; conſtruendũ curarunt. Cumq; templo pro tãto monaſterio digno carerẽt, cõceſſa illis fuit à bon. me. Pio V. Pon. max. parochialis eccleſia S. Clementis ſibi proxima, quã tãdẽ illæ cætero ędificio adaptarũt. E

De mona-

De monaſterio Conceptionis B.Virginis. Erenæ. Mon. XV.

VT primùm F.relicto S.Helenæ conuentu,ad S. Lazari xenodochium conuolarũt, Conceptioniſtæ aliquot ſorores deſertum à ſe locum ex tempore occupantes inhabitarunt. Cumq; eius habitatio,quòd ſeſquimilliari ab oppido diſtaret huiuſmodi conuentus,quodq; facinoroſorum hominum inſultibus facillimè pateret, monialibus periculoſiſſima eſſet,ab eis poſt aliquot annos derelicta,eiuſq; loco hic conuentus ſub ſanctiſſimę Cõceptionis glorioſæ Virginis inuocatione intra pręfati oppidi Erenę mu
A ros,nec tamen longè ab eis,conſtructus fuit. Quia tamen eius eccleſia ad contiguum xenodochium ſpectat, ſubeſtq; ſæcularibus, huiuſmodi ſorores Conceptioniſtę, quæ 35. numerum attingunt,quæq; religioſſimæ ſunt,plurimis quatiuntur difficultatibus.

De monaſterio Conceptionis B.Virginis Vſſagrij. Mon. XVI.

CAETERIS tum fratrum,tum quoq; ſororũ monaſterijs à ſe erectis, atq; quãplurimis alijs pijs operibus præſtitis colophonẽ additura pientiſſima heroina Tiraſia Hẽriquez,vt primùm Hiſpaniæ Regis Ferdinãdi V.interceſſione apoſtolicã à Iulio II. Pont. max.facultatem obtinuit, hoc ſacrum monaſteriũ,ſanctiſſimæ Conceptio
B ni glorioſiſſimæ virginis Mariæ dicatum,in ingreſſu eius oppidi,quod Vſſagre Hiſpanicè nuncupatur,ſubeſtq: ſacræ Iacobitarum Militiæ,& ab oppido Erena ad nonum tãtum lapidem diſtat,ex proprijs facultatibus anno à partu Virgineo 1509.à fundamẽtis ad verticem vſq; eleganter ſatis ædificandum, atque Conceptioniſtis ſororibus inſtruẽdũ curauit.Quod quidem monaſterium tantò plus in omni pietate,atq; regulari diſciplina profecit,quãtò magis ſæculariũ,cæterorumq; familiaritatẽ, & cõſuetudinẽ deuitat.Quia verò eius redditus œconomorũ incuria in decliue tẽdũt,ab 18.tãtùm ſororibus impræſentiarũ incolitur,incultũ aliqñ à 30.idq; ſatis commodè,atq; pro voto.

C *De monaſterio Conceptionis B.Virginis Metellinij. Mon. XVII.*

HIC conuentus,immaculatæ Conceptioni Dei genitricis Mariæ intra oppidi Metellinij ambitum erectus, & à trigintaquinque Conceptioniſtis ſororibus inhabitatus,non ſibi ſemper ſimilis fuit. Nam à religioſa ſorore Agnete de Ieſu,& duabus eius ſocijs ex apoſtolica Iulij III. Pont. max. auctoritate, anno Dominicæ incarnationis 1551. exædificatus, & à Tertiarijs ſororibus Frãciſcanis,de quorum numero eius fundatrices fuerunt,per ſeptendecim annos incultus,in præfatarum tandem monialium Conceptioniſtarum poteſtatẽ,R.P.F.Ludouico Zapata Prouinciali huius prouinciæ Miniſtro,anno à partu Virgineo 1568.venit,illiſq; impræſentiarũ vſq; deſeruit.

D *De monaſterio Matris Dei Safra. Mon XVIII.*

HOC ſolũ de præſenti cõuẽtu ſanctiſſimæ matri Dei dicato dicendũ occurrit,quòd videlicet nõ ita antiquus ſit,quodq; ab oppido Safra 200.& à Minoritico monaſterio 50. paſſibus diſtet,quodq; tãdẽ à 22.Tertiarijs ſororibus Frãciſcanis inhabitet.

De monaſterio Matris Dei Xereſij. Mon. XIX.

CVM Tertiariæ ſorores Franciſcanæ Monaſterij ſanctæ Mariæ de Gratia Xereſij ab antiquo erecti in ſecundam beatæ Virginis Claræ Regulam tranſijſſent, earum aliquæ, quæ cæteris minimè conſenſerant, id ægrè ferentes hoc ſecundum
E monaſterium ſub ſanctiſſimę matris Dei inuocatione ,ex apoſtolica Leonis X.Pont. Max.facultate ſibi anno à partu Virgineo milleſimo quingenteſimo decimotertio,die verò menſis Octobris vndecima, facta,atque ex diuerſorum eleemoſynis,non abſque labore partis ibidem ſibi erigendum, abſoluendumque curarunt: vbi & ſub tertio ſeraphici patris Franciſci Ordine,immo & ſub antiquiori habitu Conuentualibus Frãciſcanis patribus ſubiectę ad annum vſque Domini 1567.perſeuerarunt. Præfatis verò patribus Conuentualibus ex Pij V. Pont. max. decreto in regularem Obſeruantiam apud Hiſpanos tranſeuntibus, tranſiuit quoque & hic conuentus, qui & à viginti Tertiarijs ſororibus inhabitatur,in eorundem Obſeruantũ curã,atq; correctionẽ.


PRO-
VINCIA.
CANTA-
BRIÆ.
S. MARIA DE
ARANÇAÇO.

PROVINCIA CANTABRIAE.

A CVM feliciſſima illa tempora,quibus per Eliſeum Prophetam pręfiguratus
Chriſtus Dominus,paruulo Franciſco ſacra ſtigmata imprimens, eum ſibi
aſſimilari voluit,aduentaſſent,tantiq; prodigij fama ad extremos vſq; He-
ſperos penetraſſet, aliquot domus Cantabricam circa maritimam orã, in
quibus fœcunda ipſius ſeraphici P. proles commorari poſſet, erigi cœpe-
runt. Quæ tamen,cùm in dies magis magiſq; multiplicarentur, Cuſtodiæ Burgenſis ti-
tulo honeſtatę,Prouinciæq; Caſtellæ annexæ ſunt, atq; tandem, anno Domini 1518.
ex Leonis X. Pōt.max.indulto, vt apoſtolicum eius breue Romę datum facilè indicat,
in peculiarem ſub eodem prorſus titulo Prouinciam emerſerunt. Cùm autem vix
B ab uno tantùm prouinciali Miniſtro iuxta tempus à Franciſcanis legibus præfixum vi
ſitari poſſent,his alijſq; iuſtis de cauſis huiuſmodi Burgenſis Prouincia, ſub R.P.F.An-
drea Inſulano totius noſtri Ordinis generali Miniſtro,in duas,nempe Burgenſem,atq;
Cãtabricam Prouincias ſecta extitit:ita vt ea conuentuum congregatio,quę vltra Ibe-
rum fluuium Occidentem verſus tendit,retẽto antiquiori vocabulo, Burgenſis Prouin
cia appelletur:quę uerò citra eundem fluuium ad Septentrionem, atq; Orientem ver-
git,ab eiuſdem regionis nomine Cantabrica dicatur.Nec iſtud abs re quidem:cùm Can
tabriæ nomen ſæcularibus Alauenſi,Guipuſcanæ,Montenſi,Vaſconicæ (vulgò Nauar
ra) atq; Biſcainæ Prouincijs,quas hæc Cantabrica complectitur, commune ſit. Nam
C ſicut olim vniuerſa circumquaque regio ab antiquiſſima,ac inter cæteras omnes eius
plagæ vrbes procul dubio principe,ſed à Romanis expugnata, Cantabrica ciuitate
Cantabria nuncupabatur,ita quoque nunc præfatarum quinq; Prouinciarum popu-
lo à Cantabrico communiori nomine Cantabri appellantur. Eſt præterea Cantabria
Septentrionalis Hiſpaniæ Prouincia,atque ad Orientem aliquantulum vergit. Cuius
Aquilonaris portio Oceano mari alluitur:Orientalis Galliam Narbonenſem, quam &
Togatã uocãt,ex aduerſo reſpicit:Meridionalis irrigatur Ibero inſigni flumine: Occi-
dẽtalis verò Aſturibus,qui de Sãtillana vulgò dicũtur,cõtigua,cõterminaq; eſt.Huic
deniq; Prouincię,quę 21.fratrũ cõuẽtibus,7.Clariſſarũ monialiũ Vrbaniſtarũ monaſte
D rijs, atque 21. Tertiariarũ ſororũ Franciſcanarũ domibus abſoluitur:cuiusq; maius ſi-
gillum Dominicam crucem, cuius vtrique lateri ſeraphicæ Religionis inſignia, nem-
pe ſacra B.P.Franciſci ſtigmata ſcuto incluſa,non procul à baſi hærent, ſpineam coro-
nam ad brachia inſignitam, duoſq; lupos ſcuto etiam circumſcriptos, quæ gentilitia
Cantabrię inſignia ſunt,atq; ſequentes litteras: SIGILLVM PROVINCIAE
CANTABRIAE ORDINIS MINORVM R, papyro inducit, deuotiſſi-
mam glorioſ. virg. Marię de Rubo imaginem,quòd in altero eius monaſteriorum ere-
cta,Cantabris celeberrima,atque commendatiſſima ſit,pro ſolito more pręferre volui.

E *De conuentu S. Franciſci Victoriæ. Conu. I.*

VT primùm ſeraphicus P.Franciſcus Cõpoſtellã petiturus,Victoriã,quę Calagurritanę diœceſis ciuitas eſt,ingreſſus,eius incolarum erga ſe humanitatem,atque erga Deum pietatem expertus fuit: ędiculam intra eius ſepta, B. Marię Magdalenę ſacram,ex diuerſis fidelium eleemoſynis erigendam curauit, vnumque vel alterum ex eius ſocijs,qui ipſius curam gereret ibidem reliquit.Hanc poſtmodum ſereniſſima pariterque pientiſſima Berenguella ſereniſſimi Ioannis Caſtellę Infantis filia,atq; potẽtiſſimi herois Lopetij Diaz de Haro Cantabriæ Domini neptis plurimis ſacellis auxit, atque peramplo monaſterio ſibi adiuncto in iuſtam eccleſiam ſub eiuſdem B. P. titulo euexit. Quo tamen certo tẽpore id contigerit,omnibus eius ſcripturis igne abſumptis,

non

non ſatis conſtat. Hoc nihilominus certum eſt: prȩfatam videlicet heroidem Berengue- A lam, anno Dominicȩ incarnationis 1296. ex hac vita migraſſe, ſuiſque hæredibus ex teſtamento prȩcepiſſe, vt huiuſmodi opus à ſe inchoatum, atque nondum perfectum ex adeunda hȩreditate quantocitius abſoluerent, perficerentque. Quod & illi quàm diligentiſſimè præſtiterunt. Præfatæ fundatricis corpus in medio maiori ſacello, elegantiſſimo ſibi mauſoleo erecto, quieſcit. Ad dextrum vero principis altaris cornu, ſacro Euāgelio decantando deſtinatum, nobile inclytorum Comitum de Vergara ſepulcrum ab antiquo erectum conſpicitur. Atqui ad ſiniſtum, pronuntiandȩ Epiſtolȩ deputatum, inclytorum quoque heroum ex antiquiſſima familia à Mēdoza originem ducentium buſtum affabrè elaboratum ſurrigit. Inter nobiliſſima 10. ſacella, à diuerſis tamen ciuibus in huius loci templo erecta, illud nobis primò commendatiſſimum venit, quod diuæ Mariæ Magdalenæ dicatum eſt; cùm certiſſima traditione conſtet ipſum à ſeraphi- B co P. Franciſco fuiſſe conſtructum, deinde verò id, quod perdeuoti Ioannes de Arana, eiuſque legitima vxor Mentia à Villella Victoriani ciues, atque de ſeraphica Religione optimè meriti nouiſſimis his temporibus R.P.F. Franciſci à Tholoſſa huius conuentus, qui à 40. fratribus frequentius inhabitatur, tunc tēporis Guardiano, nunc verò Romanæ Cutiæ Commiſſario diligenti opera, atq; conſilio vſi ex domeſticis, cōmunibuſque facultatibus in Annuntiationis Deiparȩ Virginis honorem erigēdum, ſummiſq; beneficijs cumulandum, atq; altari ad eruendas per Miſſæ ſacrificium ex Purgatorij pænis fidelium defunctorum animas priuilegiato honeſtandum curarunt. Hi ſiquidem pijſſimi coniuges inſtituto ex communibus facultatibus, regia tamē authoritate accedente, vinculo, quo primogenitus, eiuſq; ſucceſſores iure primogenituræ potirentur, cauerunt, vt ij dormitorium, atque gymnaſium ad collegij inſtar huic conuentui C contigua ex obuenta hæreditate, atque ex huiuſmodi vinculi redditibus, qui pinguiſſimi ſunt, quanto citius conſtruerent, ſinguliſque annis trecentos aureos coronatos pro duodecim fratribus ſtudētibus, præfatiq; ſacelli à ſe erecti ſacellanis, atq; duobus Prælectoribus, quorū alter ſcholaſticam ex Angelico Doctore, diuo ſcilicet Thoma Aquinate Theologiam, alter verò ex Doctore ſubtili Scoto prælegat, alendis induendiſque penderent: inſuper & vt primus eorum ſucceſſor infra quadriennium ab adita eorum hæreditate octoginta aureos coronatos, ſecundus infra idem tempus ſexaginta tritici modios, tertius 50. alios aureos, quartus & qui hūc ſequuti fuerint, etiā totidem præfatos trecētum aureos perpetui redditus iure, ſub præfixis pœnis, adijciēdos curarēt: vtque tandem, iuxta reddituum quantitatem, & accrementum, prȩmemoratorum ſtudentum numerus creſcere deberet. Hȩc autem omnia à patribus in generali Capitu- D lo Romæ, anno Domini 1571. celebrato approbata, & per Piū V. Pont. max. tunc ſedēte m edito apoſtolico breui confirmata ſunt. Inueniuntur à cætero in prȩſentis loci archiuis aliquot tum apoſtolica, tum quoq; regia priuilegia noſtrum Inſtitutum cōcernentia: nempe breue quoddam Innocentij III. Pont. max. datum anno ſui Pontificatus I. quo cauetur, ne quis alius à Franciſcanis Minoritico habitu, vel ſibi ſimili vtatur: & quorundam Franciſcanæ Regulȩ articulorum declarationes ab eodem Innocētio IIII. editæ: & authenticum quarūdam Sixti IIII. ſummi itidem Pontificis literarum tranſumptum, quo fauores, atq; priuilegia Frāciſcanis à ſuis prædeceſſoribus conceſſa ex apoſtolica authoritate confirmat, atq; alia de nouo impertitur: & aliud aliarū eiuſdem Sixti IIII. literarum tranſumptum, quo cauetur, ne moniales eiſdem Franciſcanis ſubiectȩ, ſub apoſtolici alicuius breuis prætextu, Confeſſarios, aut Viſitatores E abſq; ſpeciali ſuorum Prȩlatorum licentia ſibi eligant: Et aliud cuiuſdam bullȩ Alexādri PP. IIII. tranſumptum, vt Minoritæ ſanctorum Franciſci, Antonij de Padua atq; Claræ virginis feſtiuitates, earumq; octauas, etiam generalis interdicti tempore, ſolemniter celebrare poſſint: & quædam bulla, cui Benedictus XI. ſummus etiam Pontifex ſubſcripſit, Ioannis XXII. ſummi quoque Pontificis, qua RR. Toletanum Archiepiſcopum, Burgenſem atq; Palentinum Epiſcopos fratrum Minorum Conſeruatores inſtituit: & aliud tranſumptum cuiuſdam bullȩ Gregorij PP. X. quo vniuerſis per Hiſpaniam Epiſcopis, Archiepiſcopis, atq; eccleſiaſtica dignitate fulgentibus Minoritarū Obſeruantum protectio ſummè commendatur: & patentes quȩdam Alphonſi Caſtel-

lȩ,

A læ, Legioniſq; Regis literæ, quibus præfatis Obſeruantibus Minoritis abſq; vlla contradictione prædicandi, ſacraſq; confeſſiones excipiēdi facultas fit. Quibus quoq; literis Petrus, Alphonſus, Ferd. atq; Ioāna Caroli V. Germanorū Imper. mater Hiſpaniæ Reges ſubſcripſerunt. Habentur demū in eiuſdē loci ſacrario plures Sāctorū reliquiæ, quarū tamen nomina, quòd præ vetuſtate legi minimè poſſint, ſilentio prætereuntur.

De conuentu S. Mammetis Flauiobrigæ. *Con. II.*

ITA erant omnia, quæ apud Cantabros de Franciſcana Regulari Obſeruantia, deque feliciſſimis eius progreſſibus ferebantur, vt quæque eorum ciuitas, immo & quodlibet oppidum illorum apud ſe habendorum deſiderio flagraret. Eo igitur factū eſt, vt Flauiobrigana communitas antiquiorem ædiculam, diuo Mammeti ſacram, at-
B que ad mille paſſus ab oppido Flauiobriga (vulgò Bilbao) accliui quodam in loco, ſed nemoroſo, amœno atq; ſaluberrimo ſitam, & ad eius nobiliores attinentem, prẹſtantiſſimo patri fratri Ludouico à Saya Minoritarum Obſeruantum Prouinciæ Caſtellẹ Cuſtodi ex apoſtolica Eugenij IIII, Pont- max. cuius diplomata ſub datum anno Domini 1447. adhuc extāt, authoritate, poſt elapſum ab huiuſmodi authoritate trienniū, nempe anno Domini 1450. tradendam, ampliandam, atque in monaſterium, 30. continendis fratribus accommodatum, ex publicis facultatibus euehendam curauit. Cùm autem præfati oppidi nobiliores, atque cæterum, à ſæcularibus tamen ſacerdotibus, vulgus huius monaſterij diſtantiam ægrè ferrent, eiuſque fratres ſibi viciniores cuperent, Sixto IIII. ſummo Pont. ſupplicarunt, vt nouum conuentum (de quo paulò inferius) præfatis fratribus propius ipſum oppidum à ſe ædificandum accepto fer-
C re dignaretur. Quibus denique annuens ſummus ipſe Pontifex pręcepit, idque anno à partu Virgineo 1475. vt fratres relicto ſancti Mammetis monaſterio ad nouum, ſibi à Flauiobriganis conſtruendum, quantocitius transferrent. Cauerent tamen ne ipſum ſæculari alicui ſacerdoti, vel cuicunque alteri diuenderent, ſed vt ſingulis Dominicis diebus vnum aliquem ex ſe ipſis ſacerdotem, qui ſacris ibidem operaretur, eò tranſmitterent. Quod & impræſentiarum vſque inuiolabiliter obſeruatur.

De conuentu S. Franciſci Flauiobrigæ. *Con. III.*

VT igitur primùm ſæculares ſacerdotes futuram huiuſmodi tranſlationem acceperunt, eam omnibus neruis, arreptis etiam armis, de quẹſtu potius, quàm de animarum ſalute ſolicitè anteuertere, atque impedire conati ſunt, ſed fruſtra, reſiſtē-
D tibus ſibi cæteris oppidanis, præcipuè nobilioribus: quorum Dux extitit Ioānes Saëz de Arbolanche. Is enim & fundum contulit, & princeps ſacellum cum ſibi à latere dextro hærenti ex proprijs facultatibus conſtruxit, & quicquid ſupellectilis, atque defunctorum oſſium in antiquiori ſancti Mammetis conuentu erat, in hunc nouum, beatiſſimo patri Franciſco ſacrum, atque accliui, amœno, & ſaluberrimo in loco ex præfati oppidi Flauiobrigẹ aduerſo tum communibus, tum quoq; priuatis oppidanorū ſumptibus erectū, non abſque maximis difficultatibus intulit. Diſterminatur ab oppido hic
- locus, qui à quadraginta fratribus, quorum duo ſacram Theologiā cæteris prẹlegunt, commodè ſatis incolitur, medio riuulo, qui ſcapha traijciēdus venit, non longiori tractu, quot quot oppidani ipſam accedere cupiunt. ſtratum lapidibus pontem ſuperare velint. In huius ſacrẹ ædis ſacello, Deiparæ virginis Conceptioni dicato, ac coram Sal-
E uatoris Chriſti imagine peregrinus quidam incognitus omnino, qui peſte ictus diem clauſit extremum, genuflexus, manibuſque complicatis, atque exanimis omnino quodam mane à fratribus ex inſperato, anno Domini 1530. inuentus fuit. Cuius deniq; corpus terræ mandatum poſt quadraginta annos, nempe anno Domini 1570. imputre omnino, atque incorruptum fuit inuentum. Quamobrem, licèt nullis claruerit miraculis, veneratione non caret. Ergaſtulo carnis ſolutus ex hoc etiam loco, in cuius quoque eccleſia ſepultus eſt, ad aſtra migrauit ab aliquot annis venerabilis pater Orteſius, cuius meritis plurimi Flauiobrigani à diuerſis infirmitatibus liberati ſunt. Non procul à dextro ſummi altaris cornu eburnea quædam arcula, cum aliquibus ex vndecim millibus virginum reliquijs, conſiſtit. A cætero ſacra hẹc domus à pendenda Parochis

quarta

quarta funerali immunis omnino eſt: idque ex diffinitiua quadam ſententia Romæ, A
anno Dominicæ incarnationis 1505. lata. In præſentis denique loci archiuis authen
ticum cuiuſdam bullę Nicolai IIII. Pont. max. tranſumptum aſſeruatur, quo Mi-
noritæ conuentus à ſe abſque ſpeciali Sedis apoſtolicæ authoritate incœptos ad opta-
tum finem perducere poſſunt. Præfato tranſumpto adhærent apoſtolicum quod-
dam Alexandri VI. ſummi Pontificis breue, datum anno Domini 1500. quo Fran-
ciſcani omnibus gratijs, indulgentijs atque fauoribus Dominicanis, Auguſtinēſibus,
& Carmelitanis fratribus conceſſis gaudet: Et aliud itidem apoſtolicum Leonis X.
ſummi quoque Pontifi. breue datum Romæ anno Domini milleſimo quingenteſimo
quartodecimo. quo Brugenſis Minoritica Cuſtodia in Prouinciā erigitur. His adiacēt,
& alia tum pontificia, tum quoq; regia diplomata minus tamen ad rē noſtrā agentia.

De conuentu Dominæ noſtræ de Rubo. Con. IIII. B

CVM iuuenis quidam paſtor nomine Rodericus à Balzategni, atque natione
Cantaber commiſſum ſibi gregem pauiturus, cum ad prærupti, atque aſperrimi
montis Aloiæ radices quadam die minaſſet, pulcherrimam glorioſiſſimæ virginis Ma-
riæ imaginem rubo innixam ex inſperato vidit. Quam non abſque maxima admira-
tione humillimè veneratus virentibus tum folijs, tum quoque herbis contexit, atque
ad proprium oppidum, quod Onnate vulgò appellatur, diſtatque inde ſex millibus
paſſuum, reuerſus, rem totam eius ſenioribus aperuit. Illi igitur ſolemni proceſſio-
ne inſtructa ſequenti die ad locum ſibi à præfato Roderico oſtenſum pergētes, vt pri-
mùm ipſam imaginem debitis honoribus proſequuti ſunt, ædiculam ſibi, ſub titulo
ſanctę Mariæ de Arançaçu, ideſt de Rubo (nam arança Cantabricè, idem quod Lati- C
nè rubus ſonat) conſtruendam, erigendamque curarunt. Cuius denique euentus
fama cùm ad cæterorum Cantabrorum aures perueniſſet, tantus fuit peregrinorum
ad præfatam ædiculam concurſus, tantaque munerum oblatio, vt ex eis Mercenarij
patres conuentum ſibi contiguum ædificare potuerint. Sed cùm is locus, quòd ab
oppidis longius diſtaret, ab ijſdem patribus derelictus fuiſſet, à Tertiarijs quibuſdam
Franciſcanis ex tempore occupatus, ab ijſdemque, quòd nondum vltimam artificis
manum eſſet expertus, abſolutus fuit. Cùmq; præfati Tertiarij ex catholicorum Hi-
ſpaniæ Regum Ferdinandi, eiuſque coniugis Eliſabethæ voto in patrum Dominicano
rum habitum atque Ordinem tranſijſſent, eaque de cauſa præfatus conuentus eiuſdē
Inſtituti patribus per aliquot annos ſubfuiſſet, ex diffinitiua tandem quadam ſenten-
tia Romæ, anno à partu Virgineo 1514. ſub Leone X. Pont. max. data in huius Pro- D
uinciæ patrum ius ceſſit. Eſt ſacra hæc ędes ob frequentia, quæ ibi contingunt, mira-
cula, Cantabris celeberrima: Idque rei euentus facilè comprobauit. Cùm enim vni-
uerſum monaſterium 20. menſis Decembris, anno vero Domini 1552. eius interim
eccleſia mirabiliter omnino intacta, ex fortuito quodam caſu conflagraſſet, infra bre
uiſſimi temporis ſpatium ex eleemoſynis vltrò ab eis oblatis multò firmius, multò au
guſtius, ita vt 36. fratres commodè capere poſſit, multoque elegantius reædificatū
extitit. Plura nihilominus ad huiuſmodi reædificationem ex maxima deuotione con-
tulit Illuſtriſſimus Rodericus Gomezulus à Sylua Ebolitanorum Princeps, atq; catho-
lici Hiſpaniarum Regis Philippi eius nominis II. Cubicularius, Periêre præfata in
conflagratione plura monumenta, pluraque pontificia diplomata in præſentis loci
archiuis aſſeruata. Quamuis hic conuentus ad ſextum lapidem à proximiori oppi- E
do diſtet, tanta eſt ad eum fidelium deuotio, vt nihil eorum, quæ ad honeſtam
fratrum habitationem, honeſtumque victum requiruntur, deſiderari ab eius inco-
lis poſſit. Quo etiam fit, vt Philoſophiæ ſtudium perpetuò in eo maximè vigeat.

De conuentu S. Franciſci Pampilonis. Con. V.

CONSTITIT olim non longè à Pampilone (vulgò Pamplona) celebri atque
munitiſſima citerioris Hiſpaniæ ciuitate pulcherrimus, peramplusq; P. Franciſca
norū Cōuentualiū conuentus, ſeraphico P. Frāciſco ſacratus, in quo aliquādo Rex Na
uarræ Ioannes de la Brit ſperans ſe Nauarricum Regnum à Carolo V. Germa-
norum

A norum Imperatore, atque Hiſpaniæ Rege, occupatum per ſtratagemma recuperaturum, delituit. Sed cùm is conuentus, crudeſcente inter præfatum Carolum V. atq; Gallorum Regem Franciſcum eius nominis primum bello, ſi fortè hoſtis ſuperueniret, ciuitati negotium faceſſere poſſet, ex eiuſdem Imperatoris mādato ab illuſtriſſimo Comite de Miranda Nauarrenſium Prorege, collata interim fratribus intra eiuſdem ciuitatis mœnia ſæculari domo, in qua ad tempus commorari poſſent, ad terram deiectus, ſoloque ęquatus fuit. Reparaturus verò pijſſimus ipſe Imperator Carolus huiuſmodi damnum turrim, atque contiguum ærarium, vrbis vallo circumſcripta, eiſdem fratribus, vt eo in loco nouum monaſterium ſub antiquiori S. Franciſci titulo erigerent, ſexta decima menſis Nouembris, anno Domini 1523. liberaliſſimè contulit. Cùm itaque pleniſſimum iubileum in eorum fauorem, qui gratis fratibus ædificantibus adeſſent, à ſummo Pontifice Clemente VII. conceſſum acceſſiſſet, hic conuentus tum
B ex antiquioris demoliti materia, tum quoque ex noua imperatoria liberalitate, atq; pijſſimorum ciuium beneficio acquiſita, infra breuiſſimi temporis ſpatiū, erectus, omnibusque ſuis numeris abſolutus, atque à 40. Conuentualibus Franciſcanis Prouincię Aragoniæ patribus ad Pij V. ſummi pontificis vſque tempora inhabitatus fuit. Sed, eo ad ſummū Pontificatū aſſumpto, ab ijs patribus ad totidē huius Prouinciæ fratres trāſlatus, cæterorumq; locorū ad ſe pertinentiū cathalogo aſcriptus extitit. Aſſeruantur denique in huius ſacræ ædis ſacrario quoddā os beatæ Barbaræ virginis & martyris, pars habitus beati patris Bernardini de Senis, & aliquot aliæ Sanctorum reliquiæ.

De conuentu S. Franciſci Methymnæ de Pomar. Conu. VI.

C EXESIS præ vetuſtate quibuſdā ſcripturis, alijsq; data opera obliteratis nihil certi de præſentis monaſterij, ſub inuocatione beatiſſimi patris Franciſci, non longè ab eo oppido, cui Medina de Pomar Hiſpanicè nomen eſt, erecti ædificatione, aut antiquitate inuenire potuimus. Ex quibuſdam nihilominus epitaphijs, inferiori eius clauſtro inciſis, eius vetuſtas, quæ niſi ea nos fallant, ante annum Domini 1323. computanda venit, aliqualiter innoteſcit. Quicquid tamen ſit præfatus hic locus ad Conuentuales Franciſcanos patres olim pertinuit, & ab ijs ad huius Prouinciæ fratres ſub Pio V. ſummo Pontif. deuolutus fuit. Cùm autem inter præfatos fratres, atque nobiles Lupertium Arze de Campo, eiuſque coniugē Eliſabetham Arze Manrique de præſentis monaſterij, à 25. fratribus vt plurimum inhabitati, patronatu contenderetur, eiſdem nobilibus, quòd ſibi benefici perpetuò fuiſſent, quòdque ſumptuoſum mauſoleum pro-
D prijs, atque ſuorum ſucceſſorum tumulandis corporibus in medio eius maiori ſacello erigendū curaſſent, à reuerēdo patre fratre Franciſco de Arzubiaga tunc huius Prouinciæ Miniſtro, poſt aliquale litigium, anno à partu Virgineo 1581. adiudicatus, collatuſque extitit. In huius denique conuentus tabellario, quæ ſequuntur literæ aſſeruātur: bulla nempe Martini PP. V. qua Frāciſcanorū Guardiani Syndicos, qui relicta fratribus ex teſtamento legata in iudicio & extra petere poſſint, eligere, atque conſtituere queant. Huic bullæ ſubſcribit authenticum tranſumptū alterius bullæ Sixti IIII. Pont. max. actum anno Domini 1471. ſibique adhærens. Et tranſumptum apoſtolici cuiuſdam breuis Clementis VII. quo anathemate feriuntur quotquot Minoritarum domibus vim intulerint, reſeruato interim abſolutionis beneficio eidem ſummo Pontifici, vel ei conſeruatori Iudici, quem aut loci Guardianus, aut Prouincię Miniſter
E elegerint. Et authenticum tranſumptum alterius bullę Alexandri Papę VI. vt Chriſti fideles Miſſas, diuinumque officium apud Frāciſcanos audire poſſint, vtq; ijdē Franciſcani fideliū confeſſiones excipere, atq; ſacras ad populū conciones habere valeāt. Et priuilegiū quoddā Ioannis Caſtellę Regis, datum anno 1383. quo cūcta priuilegia ab Alphonſo eius prædeceſſore Franciſcanis conceſſa confirmātur, ijdemq; Frāciſcani à quauis decima, Regibus pro emptionis aut vēditionis contractu pēdenda eximuntur.

De conuentu S. Franciſci Bermei. Conu. VII.

NON procul ab eo oppido, quod Bermei Hiſpanicè nūcupatur, eſtq; totius Biſcainę Dominationis caput, atq; in quadā iuxta maris littus planicie conuentus hic, ſe-

raphico patri Franciſco ſacratus, atque à 20. fratribus frequentius incultus, anno à A
partu Virgineo 1357. ab illuſtriſſimis Tilli Caſtellę Regis Alphonſi filio, atque Comite, eiuſq; cariſſima coniuge Ioanna Nunneſia, Ioannis quoq; Nunneſij Cantabriæ temporalis Domini filia, à fundamentis ad apicē vſq; ædificatus fuit. Sed cùm ipſis vita functis eorum corpora ad ſuos prędeceſſores in mauſoleo, in medio maiori matricis eccleſię ſacello erecto, appoſita fuiſſent, eorumque ſucceſſores nihil minus ab hoc conuentu, eiuſq; reparatione facerent, quicquid erat ædificij, non ita poſt multos, annos ruinam minari cœpit. Quamobrem illuſtriſſimi Gomezulus de Buitron, eiuſquè ſapientiſſima coniunx Ludouica Manrique Barricanorum Comites, obtēto prius à patribus, quorum id munus erat, patronatus iure, & huiuſmodi ruinam anteuerti, atque præfatum hunc conuentum omnino refici curarunt: inſuper & pulcherrimo buſto, in principe eius ſacello conſtructo, tum propria, tum quoque ſuorum ſucceſſorum corpo- B
ra inibi in poſterum tumulanda voluerunt. Patres monaſterij præſentis Confeſſarij quemlibet, ſemel tamen tantùm in vita, à quocunq; crimine licèt grauiſſimo, etiam apoſtolicæ Sedi reſeruato, & à quacunq; etiam irregularitate, tribus illis quæ à iure communi infliguntur demptis, ex apoſtolica authoritate ſacramentaliter abſoluere poſſunt: nec ab vlla prouinciali Epiſcoporum Synodo, nec etiam à quouis alio Prælato ab ipſo ſummo Pontifice, quominus id præſtent, impediri poſſunt. Honeſtatur ſacrę huius domus ſacrarium quibuſdam ſanctorum Pauli Apoſtoli, Stephani prothomartyris, atque Laurentij martyris oſſibus, lapillo Dominici ſepulcri, ramuſculo eius terebinthi, quæ inter Hieroſolymam, atque Bethlehem ſurrigit, terra eius ſpecus in quo beata Virgo cum puero Ieſu in Aegyptum ſecedens olim delituit, & pluri-
mis alijs Sanctorum reliquijs abſque tamen nominibus, quas omnes illuſtriſſimus, at- C
que deuotiſſimus Commendatarius Arze ex Hieroſolymis, dum eius explorandæ regionis ergò à Carolo quinto Germanorum Imperatore, ad peregrini inſtar eò miſſus eſſet, ſecum detulit. Honeſtatur pręterea & habituū beatorū patrum Dominici Ordinis Prędicatorum, atque Franciſci de Paula Ordinis Minimorū fundatorū particulis.

De conuentu S. Franciſci Sangueſæ. Conu. VIII.

PROVT à vulgari quadam traditione accepimus, præſens monaſterium, ſeraphico patri Franciſco ſacratum, atque muris eius oppidi, quod Sangueſa Hiſpanicè nuncupatur, ſpectatq; ad Nauarræ Regnum, circumſeptum, à ſeraphico eodem patre Franciſco, dum diui Iacobi Apoſtoli limina viſitaturus iſtâc tranſiret, non quidem vbi nunc conſiſtit, ſed aliquantulum ab ipſo oppido iuxta eremitorium, diuo Bar D
tholomęo Apoſtolo dicatum, ſatis humiliter conſtrui, atque à Franciſcanis fratribus primùm inhabitari cœpit. Quia verò oppidum Sangueſa à Regni Aragonię finibus non longè diſtat, ne fortè exorto inter Aragoniæ, atque Nauarræ Reges bello præfatum monaſterium oppidanis nocumento aliquando eſſet, à ſereniſſimo Theobaldo eius nominis III. Nauarræ Rege ad ipſius oppidi penetraliora, circa annum Domini milleſimum trecenteſimū, translatum, omninoque ædificatum extitit. Subiacuit hic locus, idque plurimis annis, Franciſcanis Prouinciæ Aragonię Conuentualibus, à quibus tamen ad huius Prouincię fratres, quorum 26. ibidem commorantur, ſub Pio V. Pont. max. deflexit. A cætero inuiſere adhuc licet in antiquioris conuentus veſtibulo Morum arborem, manibus beatiſſimi patris Franciſci plantatam, omninoq; virentē, cuius fructus alioquin dulciſſimus ab infirmis deuotè comeſtus diuerſos pellit mor- E
bos. Qua etiam de cauſa tum apud Sangueſanos, tum quoq; apud conuicinos populos in maxima veneratione tum ob Sancti reuetentiā, tū ob ſanitatē quā reportāt, habetur.

De conuentu S. Iuliani Piedrolæ. Conu. IX.

CVM temporales oppidi S. Crucis de Campeſo Dñi eo temporis, quo bella inter Nauarræ, atq; Aragoniæ Reges vigebant, oppidū Piedrolam vi expugnaſſent, omninoq; demoliti eſſent, defunctis in matrice eius eccleſia tumulatis ex Chriſtiana quadā pietate compaſſi, hoc monaſteriū, diuo Iuliano ſacrū, aliquantulum à præfato oppido Piedrola, atque ad editi cuiuſdam montis radices tum ex deuictorum

ſpolijs

A ſpolijs,tum quoque ex proprijs facultatibus erigendum, abſoluendumque,atq; Franciſcanis Obſeruantibus tradendum curarunt.Exorto poſtmodum inter Caſtellæ,atq; Nauarræ Reges cruentiſſimo bello, cùm conuicinorum populorũ charitas refriguiſſet,pauperculiq; fratres plura incommoda pati cogerentur, præfatum hoc monaſterium ab ijſdẽ anno Domini milleſimo quadringenteſimo octuageſimo ſecundo,derelictum extitit. Illuſtris igitur Lopetius de Rojas, præfati oppidi Sãctæ Crucis de Campeſo temporalis Dominus, ne huiuſmodi monaſteriũ habitatore deſtitutum omnino periret, illud Conuentualibus Franciſcanis Prouinciæ Aragoniæ patribus, quibuſdam poſſeſſionibus, atque redditibus ſibi adiectis,ex Sixti IIII. Pont. max. anno Domini milleſimo quadringenteſimo octuageſimo quarto, atque ex Innocentij Papę VIII. anno Domini 1485.ſibi factis conceſſionibus, inhabitandũ anno Domini 1487. tradidit.Pręfatis verò patribus Conuẽtualibus ex Pij V.Pont.max. mãdato in regularẽ Obſeruantiã tranſire iuſſis, hoc ipſum monaſterium ad huius Prouinciæ fratres, B quorum 15.frequentius ibidem commorantur, anno Domini 1564. regreſſum eſt.

De conuentu S. Franciſci Caſtrodurdiales. Conu. X.

SI vulgari,licèt receptiſſimæ,oppidanorum traditioni aurem accommodare velimus,præſens conuentus, ſeraphico patri Franciſco ſacratus atque mœnibus eius oppidi,quod Caſtrodurdiales Hiſpanicè nuncupatur, attinetq; ad Burgenſem diœceſim, circuncinctus,ſeraphico patri Francſco contemporaneus, coæuuſq; eſt. Idque ſanè eius ſtructura,atque vetuſtas facilè indicant. Si quis autem ea, quæ diximus, inficiari voluerit,hoc ſaltim ex quodam contractu inter Petrum Martinum à Victoria, & huius loci fratres authenticè anno Domini 1393. acto,atque ex facultate cuidã fratri Apparitio, huiuſmet loci accolæ,ab illuſtriſſimo Bernardo S.R.E.Cardinali,& Epiſcopo Tuſculano, anno Domini 1329. conceſſa fateri cogetur: eum ſ. à 260. annis ad C minus ſumpſiſſe exordium. Qui huiuſmodi monumenta videre voluerit, præfati huius loci archiuos conſulat.Quod hoc monaſterium,à 24. fratribus frequẽtius incultũ, nullum ſui peculiarem fundatorem agnoſcat, ex diuerſis tum oppidanorum,tum exterorum quoque mercatorum, quibus olim oppidum Caſtrodurdiales maximè ſcatebat, facultatibus extructum creditur. In cuius ſacrario ſequentes reliquiæ, nempe vnius ex ſanctis Innocentibus os, aliud itidem ignoti cuiuſdam Sancti os, duæ ampullæ diuerſorum martyrum ſanguine refertæ: ex crinibus,atque tunica beati patris Leonis ſocij ſeraphici patris Franciſci, ex habitibus ſeraphici eiuſdem patris, & beatorum quorundam aliorum Franciſcanorum, ex beatæ virginis Claræ ſepulcro, D atque ex tela eiuſdem Virginis manibus contexta religioſius aſſeruantur. In eiuſdem verò conuentus archiuis plura,tum quoque regia priuilegia coſtodiuntur: quæ tamen quòd plurimis alijs in locis eorum mentio facta ſit,ſilentio præterire decreui.

De conuentu S. Franciſci Santander. Conu. XI.

VETVSTISSIMVS ſanè eſt conuentus hic,ſeraphico patri Franciſco dicatus, atque non procul à vallo eius oppidi, quod vulgo Santander nuncupatur, erectus,cùm ante annum reſtitutæ ſalutis 1270. niſi fortè ſepulcrum principi portæ, qua eccleſia petitur, proximum nos fallat,originem ſumpſerit. Quo verò certo tempore, vel à quo conſtructus fuerit, nec ſcripto, nec traditione conſtat. Si tamen oppidanorum tum in ipſum, tum quoque in viginti quatuor fratres eius accolas bene- E uolentiam, ſtudium, atque humanitatem attendamus, ipſorum prædeceſſores eius authores facilè conſtituemus. Pertinuit aliquando præfatus hic conuentus ad Conuentuales Franciſcanos patres, & ab eis ad eiuſdem Inſtituti Obſeruantes,ſedente Iulio II. Pont. max. immo ex apoſtolico eius mandato deuolutus eſt. In cuius quidem ſacrario aliquot diui Ioannis Baptiſtæ Dominici præcurſoris, ſanctorumque Laurentij martyris, atque Eulaliæ virginis & martyris reliquiæ diligentius aſſeruantur. Habentur præterea in eius archiuis aliquot tum pontificiæ, tum quoque regiæ literæ,quarum tamen ſæpius alijs in locis ſpecialis mentio facta eſt:qua etiam de cauſa,illis conſultò prætermiſſis, ad ſequentem conuentum deſcribẽdum conuolabimus.

De conuentu Conceptionis B. Mariæ Reynoſæ. Conu. XII. A

CVM neutram eorum oppidorum, quorum alteri Neſtares, alteri verò Reynoſa
Hiſpanicè nomen eſt, communitatem præteriret, quantum ſpiritalis emolumen-
ti ſibi ex Minoritarum conſuetudine obuenturum foret, hunc conuentum, glorioſiſſi-
mæ Virginis Conceptioni ſacrum, in vtriuſq; oppidi confinijs, atque ad mille tantùm
paſſus à celebris fluminis Iberi, à quo aliquãdo vniuerſa Hiſpania Iberia dicta fuit, ſca
turigine, iuxta tamen eius marginem, ex collatis in medium communibus facultati-
bus, anno Dominicæ incarnationis 1514. à fundamentis erigendum, omnibusque
ſuis numeris abſoluendum, atque 24. huius Prouinciæ fratribus in habitationem tra
dendum curauit. Contulit nihilominus deuotus quidam Ioannes à Rebolledo ad hu-
iuſmodi operis promotionem pinguiſſimam eleemoſynam: qua etiam de cauſa qui- B
dam eius ex filio nepos patronatus ius à Pio IIII. Pont. max. impetrauit, eoque
per integrum decennium gauiſus fuit. Quo tamen, re diligentius diſcuſſa, atque exa-
minata, per diffinitiuam ſententiam à Iudice latam excidit. Alluitur præterea hic
locus perenni alio quodam riuulo ab ipſo Ibero flumine, quapropter & amœniſſi-
mus, atque delitioſiſſimus eſt, inſuper & iunioribus fratribus, grammaticalibus lite-
ris perpetuò ibidem ſub præfixo ſibi à Prouincia Prælectore incumbentibus, maximè
fauet. Hunc denique conuentum aliquot lapides ex Caluario monte, ex Dominico
ſepulcro, item ex glorioſiſſimæ Virginis, atque beati Lazari ſepulcris, ex porta au-
rea, atque ex eo loco, in quo Chriſtus Dominus prolixius orans factus fuit in ago-
nia, ſanguineumq; ſudorem emiſit, allati, atque in eius ſacrarium inuecti, inſuper &
oſſis particula S. Blaſij Epiſcopi atque martyris commendatiſſimum reddunt. Quem C
nihilominus & ipſa ſolitudo, quies, atq; etiam eius ſtructura ſummè commendant.

De conuentu S. Marinæ Hordunia. Conu. XIII.

ILLVSTRISSIMVM heroëm Petrum Lopetium ab Aiala, qui honorifica &
apud Gallorum Regem in Gallijs, & apud ſummum Pontificem in Romana Cu-
ria pro catholicis Hiſpaniæ Regibus Ferdinando, eiuſque coniuge Eliſabetha lega-
tione functus fuit, & in Deum, atque in ſeraphicum patrem Franciſcum pietas, & in
compatriotas animum fecerunt, vt is præſentem conuentum, S. Marinæ ſacrum, non
longè, licèt extra eius fines, ab Hordunia Cantabrica ciuitate, vbi antiquum eremi-
torium prius ſubſtiterat, ex domeſticis facultatibus, apoſtolica Sixti IIII. Pont. max.
authoritate ſibi fauente, conſtrueret, atque huius Prouinciæ fratribus, quorum 18. ibi- D
dem perſeuerant, inhabitandum traderet. Dixerim tamen extra eius fines, quòd flu-
uiolus præfatæ ciuitatis mœnia alluens, eius terminos ab ijs, quos patria Aiala ſibi
pręfixit, diuidat, diſtinguatq;. Ab infraſcriptis verò reliquijs, nempe à Dominicæ cru
cis, atq; veſtimentorũ Saluatoris Chriſti particulis, ab aliquot oſſibus ſanctorum An-
dreæ Apoſtoli, Matthæi, atq; Marci Euangeliſtarum, Laurentij, Sebaſtiani, Blaſij, Cor-
nelij, Chriſtophori, Pantaleonis, Topredij, Eligemij, atq; Aduleſij martyrum, Hiero-
nymi, Auguſtini, Nicolai, atque Operti confeſſorum, & ſanctarum Mariæ Magda-
lenæ, Margaretæ, Catharinæ, Petronillæ, Ceciliæ, Barbaræ, Apolloniæ, Dorothææ,
Cordulæ, Iuſtinæ, Vrſulæ, atque quarundam aliarum ex vndecim millibus virgi-
num, à quatuor capitibus ſanctarum Ioannæ, Ceciliæ, Iulianę, atque Eugeniæ, quæ
cum beata Vrſula olim pro Chriſti fide paſſæ ſunt, à lapillo ſancti ſepulcri, à quibuſ- E
dam pulueribus ſanctorum Innocentum, atque ab aliquibus crinibus, corda, & parte
habitus beatiſſimi patris Franciſci, quæ ab Illuſtriſſimo Commendatario Zarate ex
ſuperiori Germania allatæ, atque in eius ſacrario illatæ ſunt, nihil aliud memorabile,
ac recordatione dignum quod de hoc conuẽtu dici poſſit, ſe ſe impręſentiarum offert.

De conuentu S. Mariæ Magdalenæ. Laredi. Conu. XIIII.

PIIS Laredanorum votis ſatisfacturus religioſus P.F. Martinus à Zerezeda ſacrę
Theologię Magiſter eremitoriũ, Archãgelo Michaëli de Barrieta ad 1500. paſſus à
Laredo erectum, tum ex illuſtriſs. Comitis de Haro, tum quoq; aliorum Chriſti fideliũ
facul-

A facultatibus in iuſtum conuentum ſub titulo ſancti Sebaſtiani martyris, apoſtolica Eugenij IIII. Pont.max. authoritate ſibi fauente, circa annum Dñi 1431. euehendum, transferendumq́; curauit. Cùm autem ſenioribus, immo & cęteris oppidanis ad eum acceſſus, præſertim hyemali tempore, difficillimus eſſet, cuperentq́; ij omnes fratres ſibi viciniores fieri, à Leone X. Pont.max. cui & Clemẽs VII. anno Dñi 1525. ſubſcripſit, anno à partu Virgineo 1516. vt huiuſmodi cõuentus ad ipſum oppidũ Laredo trãſferretur, pro votis impetrarunt. Quæ tamen translatio, ſęcularibus ſacerdotibus pro virili reſiſtẽtibus, exequutione caruit. Sæuiſſima verò peſte, quę circũquamq́; regionẽ, præcipuè verò Laredum oppidum maiori ex parte depopulata eſt, exorta, cùm ſæculares præfati ſacerdotes arrepta fuga, nihilminus, quàm commiſſum ſibi gregem curaſſent, pater præfati loci Guardianus, frater videlicet Ioãnes Caſtaneaceus cum cęteris ſibi ſubditis fratribus oppidũ petens tanta cura, tãtaq́; ſolicitudine peſte ictis die B noctuq́; adfuit, vt tandẽ tum ipſe, tũ quoq; eius fratres, vnico tantũ fratre nouitio dẽpto, peſte ex obſequio infirmis pręſtito contracta, occubuerint. Quibus Laredana communitas, debitas gratiarũ actiones pro receptis beneficijs redditura, præmeditatũ conuentum, (de quo imprę ſentiarum) licèt ſæcularibus præfatis ſacerdotibus adhuc remurmurantibus, atque contradicentibus, non longè à Laredi communis oppidi vallo, tum ex publicis, tum quoq; ex priuatis oppidanorũ bonis in honorẽ B. Marię Magdalenę, anno à partu Virgineo 1569. erigendũ, perficiendumq́; curauit. Cui nihilominus, quòd fundus, in quo pręfatus cõuentus ædificatus extitit, à Prouincię patribus ex eleemoſynis aliunde acquiſitis emptus fuerit, ius patronatus minimè debetur. Cõmorantur deniq; hoc in monaſterio 24. fratres, qui caput vnius ex vndecim millibus virginũ, ſibi à perdeuota Eliſabetha à Prato ſereniſſimę Annę Auſtriacę Hiſpaniarũ Reginę, atq; Ma C ximiliani Germanorũ Imperatoris filiæ domicella dono datũ, diligẽter cuſtodiunt.

De conuentu S. Andreæ Baſtidæ. Conu. XV.

CVM antiquum eremitorium, diuo Apoſtolo Andreę ad quingẽtos paſſus ab oppido Baſtida erectum, omnimodam minaretur ruinam, religioſo patri fratri Roderico de Villa lacre reficiendum, atque in monaſteriũ transformandũ à reuerendiſs. Petro Calagurritanenſiũ Epiſcopo, cuius eæ partes erant, traditũ extitit. Cumq́; illuſtriſſimus Salinarum Comes pinguiſſimã eleemoſynã ad huiuſmodi transformationẽ ex mera liberalitate, atq; in Franciſcanos beneuolentia contuliſſet, pręſens cõuentus, eidem Apoſtolo Andreæ ſacer, ex apoſtolica Nicolai IIII. Pont.max. auctoritate, omnibus ſuis numeris abſolutus, atq; 26. fratribus, quorũ 12. ſub diligẽti Didaſcalo Grãmaticę D incumbunt, cõtinendis omnino accommodatũ, anno à Chriſto Saluatore nato 1447. nobis prodijt. Pręfatus hic conuentus à ſui erectione imprę ſentiarum vſq; Franciſcanæ regulari Obſeruantiæ ſubiacuit, nec vnquam ad patres eiuſdem Inſtituti Conuentuales pertinuit. Hæc dixerim, quòd aliqui contrarium ſentire videantur.

De conuentu S. Franciſci Frias. Conu. XVI.

OCCVPARVNT antiquitus huius Prouincię patres quendã conuentũ, diuo Iuliano ſacrum, longiuſculuſq́; ab ea ciuitate, quæ Frias Hiſpanicè nuncupatur, diſtantem. Quem tamen, quòd proximioris cuiuſdã riuuli inundationibus expoſitus eſſet, quodq́; à mulieribus lotricibus ob aquarum opportunitatẽ frequentaretur, E (quòd omnino indecorũ, atq; inhoneſtũ erat) relinquentes, ſe ad alium ſibi à Caſtellę Rege Sanctio eo loco, vbi eremitoriũ B. Marię Magdalenę dicatũ, atq; leproſorũ hoſpitale prius conſtiterant, pręparatũ tranſtulerunt. Cuius quidẽ monaſterij ſyndicus ex eiuſdẽ Regis Sanctij priuilegio, cui Henricus, Ioannes, Ferdinandus eiuſq́; vxor Eliſabetha Hiſpanię Reges ſubſcripſerunt, ab omni regia impoſitione, in his tñ quę ipſum conuentũ, à 24. fratribus plerũq́; inhabitatũ, concernunt, immunis omnino eſt. Aſſeruãtur à cætero in eius ſacrario plures reliquię ex terra Sancta allatę: aliquot videlicet mõtis Caluarij, portę aureę, pręſepis, atq; Dñici ſepulcri lapides, & nõ pauca Sanctorũ oſſa, quorũ tñ tituli, ſiue nomina prę tẽporis vetuſtate obliterata ſunt, nec legi poſſunt. Sunt nihilominus tum apud fratres, tũ quoq; apud ſęculares in maxima veneratione.

De conuentu S. Franciſci Saſſiolæ. Conu. XVII. A

CONVENTVS hic,qui,ſeraphicoPatri Frãciſco ſacratus,in ipſo itinere,quod Sãcto Sebaſtiano maritimo,munitiſſimoq; oppido Deuam etiam maritimum Cãtabrorum oppidum ducit,eleganter ſatis,ſatiſq; artificioſè ſurrigit, diſtatque non ita multùm à pago Saſſiola, à perdeuoto quodam Ioãne Piretio de Licona ex apoſtolica authoritate circa annum Dominicæ incarnationis 1504.ædificatus extitit.Qui,vt inter denſiſſimas arbores erectus, atq; ab hominum frequentia ſemotus maxima quiete,maximaque tranquillitate gaudet,ita quoq; plures patres ac fratres de noſtra Religione optimè meritos,atque ſumma pietate præditos à ſui erectione impræſentiarũ vſque perduxit.Imminet præterea limpidiſſimo riuulo,in quo fratres eius accolæ,qui plerumq; ſunt 26.numero,tum arundinibus,tum quoq; retibus ex ipſis exedris,abſq; B ſæcularibus teſtibus,ſæpius recreationis,atque animi oblectandi ergò piſcantur. Quibus etiam conuicini populi,licèt pauperie pro maiori parte grauentur,victumq; nautica arte acquirant,neceſſaria ſumma liberalitate,ſummoque ſtudio miniſtrant.

De conuentu S. Franciſci Elgoibar. Conu. XVIII.

ELGOIBAR Cantabricum oppidum eſt, euntibuſque Deua Flaiuobrigam in ipſo recto itinere occurrit,& ab Oceano mari 1500. paſſibus diſtat.Eius igitur incolæ cùm maxima beneuolentia,maximoq; animi affectu in ſeraphicum patrem Franciſcum,eiuſq; ſobolem ferrentur,vt primùm à Leone X. Pont. max. anno Dominicæ incarnationis 1517. facultatem obtinuêre,hoc ſacrum monaſterium, eidem patri Frãciſco dicatũ,tũ ex publicis,tũ quoq; ex priuatis facultatibus intra præfati oppidi mœnia à fundamentis extruendum,omninoq; perficiẽdum curarunt. Eoq; factum eſt, vt C 26. fratres eius inquilini nullum peculiarem fundatorem, nullumque, cui ex patronatus iure teneantur, agnoſcant. Experiuntur nihilominus eiuſdem oppidi communitatem quocunque in euentu omnino ſibi beneficam, ſummeque affectam.

De conuentu S. Franciſci Mondragonis. Conu. XIX.

CVM ſtrenuus, nobiliſq; miles Ioannes de Araoz plura bona,pluresque diuitias, non abſque maximo labore,nec abſque maximo vitæ diſcrimine apud Occiduos Indos,ſub Hiſpaniæ Regis Philippi eius nominis II. ſignis ſtipendia merens,acquiſiſſet,nec Mondragonem Cantabricum oppidum,atque nobili Academia inſignem,quę ſibi patria erat,reuerſus ex cariſſima ſibi,atque legitima vxore Maria de Garibai pro- D lem aliquam ſuſcepiſſet,ſeraphicum patrem Franciſcum hæredem ex aſſe inſtituere decreuit. Vſus itaque conſilio reuerendi patris fratris Franciſci à Tholoſſa, (cuius ſuprà meminimus) quem & teſtamenti à ſe conditi exequutorem (ſi tamen id Franciſcana Regula permiſiſſet)eſſe voluit,vt primùm à Gregorio XIII. Pont. max. cuius apoſtolicum breue adhuc perſeuerat,facultatem impetrauit,hunc conuentum, quem potius collegium appellare poſſes,in honorem beatiſſimi patris Franciſci, non longè à præfato oppido Mondragone,ex domeſticis facultatibus,anno 1582. à fundamentis extruendum curauit: inſuper & ſexcentos coronatos aureos ſingulis annis ex ſuis redditibus à Tertiarijs ſororibus eiuſdem oppidi Franciſcanis, atque monaſterij ſanctiſſimæ Conceptionis accolis,vt ex eis,quicquid ad præfati conuentus, ſiue collegij conſummationẽ deſiderari poſſit,perficiatur, atq; temporis ſucceſſu duo ſacræ Theo- E logiæ Prælectores,duodecimq; fratres ſtudentes,qui eidem ſimul cum ſæcularibus eò accedentibus incumbant,honeſtè alantur, recipiendos reliquit. Præfatus hic conuentus nondum abſolutus eſt, ideoque octo tantùm fratres, quorum alter bonæ indolis adoleſcentibus ſæcularibus, atque ex honeſtis parentibus procreatis Grammaticam prælegit,reliqui verò vel ſacris confeſſionibus excipiendis, vel prædicationi incumbunt,impræſentiarum continet, quadraginta ſuo tempore contenturus.Penes nullum tamen alium à præfati oppidi Mondragonis communitate ius huius conuentus patronatus,quatenus eius fratres liberius Deo inſeruirent,atq; diuinis laudibus,necnon aſſiduis ſcholaſticis lectionibus attentius vacarent,eſse voluit præfatus Ioannesde Araoz.

De mona-

A *De conuentu S. Sebaſtiani Ani. Conu. XX.*

QVANTVM poſt diligentem adhibitam indaginem, ex patentibus quibuſdã Ferdinandi V. atq; eius coniugis Eliſabethæ Hiſpaniæ Regũ literis, quibus 12. huius conuentus fratres ab omni vectigali, atq; quacunq; alia exactione regia eximuntur, & propriam ſcapham, qua continentem petant, habere poſſunt, aſſequi valuimus, præfatus hic conuentus, diuo Sebaſtiano martyri ſacratus, atq; non longè ab oppido Ana in quadam inſula Oceano mari cincta erectus, ab illuſtri nobiliq; familia Gueuara circa annum Domini 1421. conſtructus extitit. In cuius maiori ſacello nobilis, perdeuotuſq; heros Petrus Gueuara ſacræ diui Iacobi Militiæ eques, atq; Commendatarius, nec non & pro Carolo V. Germanorũ Imperatore apud Polonorũ Regẽ Legatus, erecto ſibi ſumptuoſiſſimo mauſoleo, humari voluit. Pertinet ſiquidem hic locus, qui & amœniſſimus, atq; religioſiſſimus eſt, idque patronatus iure ſibi à fundatoribus ſeruato, ad præfatam familiam Gueuara. Honeſtatur deniq; conuentus hic plurimis ijſque pretioſis veſtibus ſacris, argenteiſq; calicibus, atque ſacroſanctis ſequentibus reliquijs, ex Septentrionalibus plagis à præfato Petro Gueuara allatis, ſibique liberali dono datis: Nempe ſex oſſibus ex ſanctis Innocentibus, tribus integris capitibus, duobus itidẽ medijs capitibus, duobuſq; molaribus dentibus ex vndecim millibus virginũ.

B

De conuentu S. Franciſci Iſari Conu. XXI.

AD tertium lapidẽ ab oppido Bermeo (cuius ſuprà meminimus) inſula ſatis parua, vix trecentos paſſus in gyro continens, & ab inconſtantibus maritimis fluctibus perpetuò colliſa, emergit, cui Cãtabrica lingua (Iſaro) nomen indidit. Hæc altiſſimis ſcopulis, atque ſpumantibus vndis prohibentibus, niſi tranquilliſſimo mari, idque ſcapha, adiri minimè poteſt. Præterea cùm aliquis, lembo eò vſque vectus, cõuentum glorioſiſſimæ virgini Mariæ in eius ſummitate erectum, (de quo impræſentiarum) atq; à ſex tantùm fratribus inhabitatum accedere voluerit, ducenti & quinquaginta quatuor gradus, ad inſtar pulcherrimę ſcalæ diſpoſiti, quà tantùm ad eum patet acceſſus, ſibi ſuperandi veniunt. Fertur (idq; in vulgus) præfatã ſcalã ſereniſſimæ Eliſabethæ Hiſpaniæ Reginæ ſumptibus fabrefactã. Quod facilè crediderim, cùm regium opus omnino ſit. Præextitit igitur hac in inſula antiquius ſacellum, eidem glorioſiſſimæ Mariæ ſacrum, quod vt primùm religioſiſſimus pater frater Martinus ab Arteaga à reuerendiſſimo Didaco à Stunnica Calagurritano Epiſcopo, cui & oppidum Bermeo, & ipſa inſula præfatæ dignitatis iure in ſpiritualibus parebat, pro voto, anno Dominicæ incarnationis 1422. obtinuit, in conuentum ex facta ſibi à Martino V. Pont. max. anno Domini 1427. facultate Bermeanorum ſumptibus euehendum, erigendumque curauit. Vt autem fratres præfata inſula liberius vti poſſent, eam ſibi Henricus Caſtellæ Rex, anno Domini 1463. dono dedit. Præterea & pientiſſima Eliſabetha Ferdinandi eius nominis V. vxor, atque Hiſpaniæ Regina plura ad huius conuentus promotionem, ampliationemq; ex maxima in Deum pietate, atque in eius incolas beneuolentia & deuotione cõtulit. Fuit olim hic locus celeberrimus, & à religioſiſſimis 20. patribus, ſpiritualem omnino vitam ducentibus, inhabitatus: dum videlicet Bermeanum monaſterium à Conuentualibus Franciſcanis patribus occuparetur. Hincque, tamquam ex equo Troiano, plures patres, qui cæteris huius Prouinciæ religioſis leges dederunt, feliciſſimè prodiêre. Qui interim ipſum inhabitant, nec delicatè viuunt, nec delicijs fruuntur: cùm nauticum panem in quotidianum cibum admittant, & eo, quo extenuata præ inedia corpora reficere poſſint, ſæpius, hyberno præſertim tempore, careant. Qua etiam de cauſa linteo ad palum alligato ex editiori loco à vicinioris pagi accolis alimentum petere coguntur, ne omnino deficiant. Eo tamen viſo robuſtiores iuuenes, atque fortiſſimi nautæ panem tum recentem, tum quoque nauticum oſtiatim emendicatum arreptis lembis, atque fluctus findente carina per medias tumeſcentis Oceani maris vndas, non abſque præſentiſſimo vitæ diſcrimine, in conuentum inferunt, fameliсoſq; fratrum, quorum eſculenta ſunt piſces vel vltrò elargiti, vel ab aliquo fratre hamo, vel rete, poſt redditum Deo opt. max. penſum, capti, ventres reficiunt. Cùm illuſtriſ-

C D E

luſtriſſimus Caſtellæ Comeſtabilis maritimis decimis potiretur, quòd ij fratres nau- A
tas, nauigantesq; mercatores in ſuis orationibus cōmendatiſſimos haberent, quodq; noctu, atque tenebricoſo tempore lumen, quo nauigantes, ne in obuios, atque in extricabiles ſcopulos præcipites irent, monebant, editiſſima in ſpecula accendere aſſueuerant, ipſis largiſſimas conferebat eleemoſynas, quibus facillimè quamcumq; ſuperare poterant neceſſitatem. Sed à tempore quo præfatæ decimæ in regiū ius ceſſerunt, quòd eorum loco annuam quadraginta coronatorum aureorum eleemoſynam recipiant, plurimis quatiuntur fratres difficultatibus. Deiparæ virginis imago, in ſummo huius conuentus altari erecta, miraculis coruſcat, eaque de cauſa conuicinis populis commendatiſſima eſt. Honeſtatur præterea ſacra hæc domus brachio vnius ex vndecim millibus virginum, aliquotq; Dominici præſepis, montis Caluarij, aureæ portæ Hieroſolymitanæ, atque Damaſceni campi reliquijs. Nec ſilentio prætereunda eſt al- B
barum quarundam auicularum, ſed maritimarum, quibus hæc inſula ſcatet, moroſitas. Hæ ſiquidem, quæ & Chirrias, à garritu quem emittunt, Cantabricè nuncupantur, nidificaturæ, pullosq; educturæ, ſingulis annis infallibiliter 3. mēſis Aprilis in maximo numero ad hanc inſulam confluunt, atque circa feſtum diui Matthęi Apoſtoli omnes ſimul cum prolibus calidiora loca petituræ recedunt. Dum autem hîc commorantur, quadripartito agmine inſulam occupant, earumque altera ad gruum inſtar excubias in turris ſummitate agit. Cùm autem fratrem conuentus ſepta egredi, vel ſæcularem aliquem per inſulam gradi contigerit, illa clamitat, tunc agmen cui obambulans vicinior eſt, ſimul egreditur, eumque roſtro laceſſere conatur, donec tandem inde recedens vel conuentum repetit, vel aliò diuertit: tuncque ſecundum agmen, primo propria loca repetente, eum ijſdem armis & aſtu inde propellere nititur: & ſic con C
ſequenter, de tertio & quarto agmine. Qua de cauſa fratres per inſulam obambulaturi vel baculum, vel arundinem, quo eas abigant, præ manibus habent. Sunt autem huiuſmodi volucres eiuſdem quantitatis, qua & turtures, piſcibusq; veſcūtur. Cùmq; huiuſcemodi quantitatis ſint, quandiu in inſula morantur, nec coruum nec miluum, nec huiuſmodi aues ſecum patiuntur. Quòd ſi earum aliquam ad eas fortè fortuna aliquando diuertere contigerit, tunc omnes ſimul iunctæ, vel eam in fruſta diſcerpunt, vel longius à ſe abigunt. Et hęc quidem de fratrum conuentibus. Nunc autem, vt ad monialiū monaſteria, inſtitutum ordinē ſequentes, accedamus, reliquū eſt.

De monaſterio S. Claræ Victoriæ. Mon. I.

CVM pientiſſima, pariterq; deuotiſſima Berenguela (cuius ſuprà meminimus) D
aliqua bona ad ſororum Clariſſarum hoc monaſterium Victorię ædificandum moriens ex teſtamento reliquiſſet, deuotus quidam Victorianę matricis eccleſię canonicus nomine Zeledonius Martinez de Suſo capaciſſimum, atque accommodatum huiuſmodi operi fundum, anno à partu Virgineo 1296. ea tamen poſita lege, vt duas eius ſorores monaſtico habitu induendas gratis reciperent, admitterentque eius inccolę, ſumma liberalitate contulit. Vnde breui tempore hoc monaſterium, beatæ Claræ ſacrum, quod 60. Vrbaniſtæ ſorores Clariſſæ incolunt, aliquantulum à muris præfatæ ciuitatis Victoriæ in lucem prodijt: in quo plures moniales ſanctiſſimæ euaſerunt.

De monaſterio S. Claræ Methymnæ de Pomar. Mon. II.

HOC monaſteriū, beatæ virgini Claræ ſacrum, quod trecentis paſſibus ab oppi- E
do Methymna de Pomar diſtat, incoliturq; à 70. Clariſſis monialibus Vrbaniſtis, ſumptibus illuſtriſſimorum Sanctij Sanchez de Velaſco, atque eius coniugis Sanctię Garſiæ, idque ex apoſtolico Innocentij VI. ſummi Pōtificis indulto, anno à partu Virgineo 1352. primum ædificari cœpit, atque breuiſſimi temporis interiectu abſolutum extitit. Sepulti ſunt præfati heroës in huius monaſterij eccleſia, ſibique plura vaſa tū aurea, tum quoque argentea, inſuper & pretioſiſſima veſtimenta, diuino cultui deſtinata, ab honeſtiſſimis annuis redditibus, quibus ipſum locupletarunt, liberaliſſimè cōtulêre. Ad quorum etiam preces pręfatus ſummus Pontifex Innocentius VI. omnes gratias, omneſq; indulgentias, ac omnia denique priuilegia tum generalia, tum quoq; ſpecialia

A ſpecialia quibuſcunque Clariſſarum monaſterijs à ſuis prædeceſſoribus conceſſa ſibi impertitus fuit. Gaudet præterea hic locus permultis fauoribus ſibi à diuerſis Caſtellæ Regibus collatis, quorum tamen, quòd parum ad rem pertineant, meminiſſe nihil refert. Humari debent Arenſium Comites, atque eius oppidi, quod Frias vulgò nuncupatur, Duces, idque ex iure iurando, atque ſub hęreditatis amittendæ pœna eorum ſucceſſoribus ex præfatorum fundatorum, quibus iſti ſucceſſerunt, decreto infligenda, in huius monaſterij eccleſia. Ad dextrum ſummi altaris cornu iuxta locum ſacro decantando Euangelio deputatum venerabilis patris, ac ſummæ ſanctitatis viri fratris Lopetij de Salinis corpus honeſto loco reconditum eſt. Ad cuius quidem patris ſuaſum & adhortationem illuſtriſſimus, ac pijſſimue heros Petrus Ferdinandez à Velaſco Arēſium Comes inſigne xenodochium ſub inuocatione ſanctæ crucis huic monaſterio conti-
B guum, in quo viginti quinque pauperes, qui quinquageſimum annum ad minus attigerint, honeſtiſſimè aluntur, amiciuntur, atque ſuſtentantur, ex domeſticis facultatibus erigendum, abſoluendumque curauit. Tenentur tamen præfati pauperes, quibus peculiaris chorus erectus eſt, canonicis horis in huius conuentus eccleſia intereſſe, ibidemq; penſum iuxta laicorum Franciſcanorum morem Deo opt. max. reddere. Quantæ autem pulchritudinis, quantæque nobilitatis ſit locus hic, cùm plurimis, iiſque famoſiſſimis mauſoleis, inquibus diuerſi heroës ex illuſtriſſima Velaſcorum familia originem ducētes tumulati ſunt, inſigniatur, atq; ſequentibus ſacroſanctis reliquijs, nempe duabus Dominicæ corone ſpinis, duabus quoque particulis Dominicę crucis, particula veſtimenti glorioſæ Virginis, aliquot oſſibus ſanctorū Andreæ atque Bartholomęi Apoſtolorum, ſanctorumq; Vincētij, Damiani, Dioſcori, Achatij, Hermolai, atque Adriani
C martyrū, indice B. patris Petri de Regalada Minoritæ, aliquot particulis eius domus, in qua beata Virgo à paranympho Gabriele ſalutata fuit, eius terrę quam Chriſtus Dominus ſanctiſſimis ſuis pedibus cruce onuſtus calcauit, eius columnæ ad quam idem mūdi Saluator flagellatus extitit, eius lapidis, in quo ipſe idem aliquando ſedit, probaticæ piſcinæ, atque eius quoque lapidis, ſuper quem Chiſtus Dominus ſtans Hieroſolymorum excidium prædixit, aliquot crinibus, & veſtimētorum particulis beatarum Ceciliæ, & Claræ, atq; alijs quamplurimis ex Terra ſancta allatis religioſè honeſtatur. A cætero habentur in huiuſmet loci archiuis quædā bulla Ioannis XXII. Pont. max. data anno ſui Pontificatus ſecundo, qua omnes Clariſſæ à quacumque decima, primitia, atque à quauis alia exactione, etiam à Legato à latere impoſita eximuntur. Et alia bulla eiuſdem data anno ſui Pontificatus 3. qua omnes indulgentiæ cuicunque Ordini,
D ſiue à ſe, ſiue à ſuis prædeceſſoribus vel alicui Ordini, vel priuatæ conceſſæ huic monaſterio communicantur. Huic bulla ſubſcripſit Martinus V. Pont. quoque max. Et alia quoque apoſtolica diplomata à ſummis Pontificibus Nicolao IIII. Eugenio IIII. Clemente III. plurimiſque alijs etiā ſummis Pontificibus paterna liberalitate cōceſſa, ne huius loci ſorores ad decimam, vel ſubſidium aliquod exoluenda penitus teneātur.

De monaſterio Sanctiſsimæ Trinitatis Onniati. Mon. III.

ILLVSTRES ac deuotiſſimi Ioannes Lopetius de Lazarraga primus Militiæ diui Iacobi Quæſtor, eiuſq; vxor Ioanna de Gamboa, cùm sereniſs. atque catholicis Ferdinando huius nominis V. Hiſpaniæ Regi, eiuſque filiæ Ioannæ, atque vniuerſorum hæredi gratiſſimi eſſent, pluresq; diuitias ſub ijs acquiſiuiſſent, hoc monaſterium,
E ſanctiſſimæ Trinitati de Vidauretta ſacrum aliquantulū ab eo oppido, quod Hiſpanicè Onnate dicitur, in loco amœno ac delectabili, apoſtolica ſummi Pontificis Iulii II. authoritate ſibi fauente, ex propriis facultatibus, anno à partu Virgineo 1509. erigi curarunt, atque anno ſequenti, nempe 1510. omnino abſolutum redditibus ſufficientibus locupletarunt. A cætero hæc ſacra domus, quæ à 40. Vrbaniſtis ſororibus Clariſſis inhabitatur, omnibuſque gratiis, atque priuilegiis cæteris eiuſdem Inſtituti monialibus à ſummis Pontificibus conceſſis ex Iulii II. Pont. max. indulto gaudet, aliquot ſanctorum Sebaſtiani, atque Chriſtophori martyrùm, Bernardi Abbatis, atque ſanctarum Ceciliæ, Agathæ, Margarętę & Apoloniæ virginum, atque martyrum, nec non & aliorum quatuor martyrum, quorum nomina ignorātur, oſſibus religioſiſſimè honeſtatur.

De mona-

De monaſterio Beatiſſimæ Mariæ Riuas Mon. IIII. A

RELIGIOSISSIMVM ſanè eſt hoc monaſterium, glorioſiſſimæ ſemperq;
virgini Mariæ ſacratum, atque ad ſextum lapidem ab oppido Methymna de Po-
mar (cuius ſuprà meminimus) in pago, cui Hiſpanicè Riuas nomen eſt, erectum : cùm
in ſumma paupertate, ac omnium rerum penuria ex eleemoſynis hic inde collectis,
& à Chriſtifidelibus illis liberaliter elargitis, non ita à multis annis, à fundamentis ad
verticem vſque conſtructum, exædificatum, omnibusque numeris abſolutum, eandem
paupertatem imprçſentiarum vſque data opera conſeruet, obſeruetque. Nam 46. Cla-
riſſæ ſorores, ſed Vrbaniſtæ, eius accolç nihil proprij, ob ingentem animi affectum,
quo in paupertatem Euãgelicam feruntur, quam plenis affectibus, exemplum earum
primipilæ, beatiſſimæ videlicet Claræ virginis ſequutæ, amplectuntur, habere volunt, B
ſed quicquid ſiue ex mendicatione, ſiue ex proprio labore acquirunt, id totum in com-
mune, atque in mediũ conferunt. Inſignitur huius conuentus eccleſia deuotiſſima qua-
dam glorioſæ Virginis imagine, atque miraculis illuſtri. Cuius cauſa, & etiã quia præ-
fatæ moniales ibi dilectiſſimo ſpõſo Chriſto fideliſſimè famulantur, eique diurnas no-
cturnaſque laudes hilariter decantant, & apud omnes optimè audiunt, & ipſe primò
conſtructus fuit, & plures eleemoſynæ ſibi à fidelibus liberaliſſimè oblatæ obueniunt.

De monaſterio S. Claræ Caſtrodurdiales. Mon. V.

QVVM id Cantabrorum oppidum, quod Caſtrodurdiales Hiſpanicè nuncupa-
tur, frequentiſſimis, atque ditiſſimis mercatoribus, qui ſuas merces inſanis Ocea-
ni maris aquis committentes in Flandriam, in Galliam, in Italiam, atque in diuerſas C
alias orbis partes importare conſueuerant, olim abundaret. Cumque maritimæ euen-
tus rei adeò inconſtans, adeoque inſtabilis ſit, vt cùm quis ſecundioribus ventis ſe naui
gare arbitretur, tunc extemporanea oborta tempeſtate vel ad ſcopulos allidat, vel intu
meſcentibus ſupra modum fluctibus naufragium faciat: quo tandẽ ipſe cum mercimo-
nio pereat, vxor vidua remaneat, atque liberi caro orbati parente pauperem ſæpius vi-
tam ducere cogantur: plures tum viduæ, tum quoque virgines, quibus ea ſors in præfa
to oppido Caſtrodurdiales contigerat, adiũctæ aliquibus aliis, quç ne idipſum illis ali-
quando eueniret ſummopere metuebãt, vel alijs, Chriſto cæleſti ſponſo (ſciebãt namq;
vitam noſtram lubricam rem eſſe, quæ niſi ſumma circunſpectione fulciatur, facilè la-
baſcit) plenis affectibus vacare cupientes, poſt vltimum huic ſæculo nequam vale dictũ,
fauentibus interim ſibi eiuſdem oppidi ſenioribus atq; proceribus, nec non & illuſtriſſi- D
mo & reuerendiſſimo Matthæo Rubeo tituli ſanctæ Mariæ in Porticu Cardinali, Fran
ciſcanique Ordinis Protectore, vnius çdificandi monaſterii facultatem à ſummo Ponti
fice Ioanne XXII. anno à partu Virgineo milleſimo trecenteſimo vigeſimo ſecun-
do impetrarunt. Quod tamen iam ſemiextructum deuorans flamma, quæ totum etiã
ferè oppidum abſumpſit, poſt elapſum ab huiuſmodi impetratione ſexennium in cine
res & fauillam redegit. Quamobrem aliud, (de quo impræſentiarum) ſub inuocatione
beatæ virginis Clarç ex apoſtolica eiuſdem Pontificis maximi Ioannis XXII. fa-
cultate, anno Dominicæ incarnationis milleſimo trecenteſimo vigeſimo octauo facta,
tum ex peculiaribus, tum quoque ex publicis prçfati oppidi facultatibus à fundamen-
tis ad apicem vſq; extruendũ curarunt. Allatç prçterea fuerũt ex quibuſdam Prouin-
ciæ Caſtellæ, cui tũc Cantabrica Cuſtodia ſuberat, monaſterijs religioſiſſimæ, atque ſui E
ſtratus zelãtiſſimç aliquot moniales, quæ tum præfatas virgines, atque viduas, tũ quo-
que alias aduentantes honeſtis atque religioſis moribus, nec non & monaſticis ritibus
atque cœremoniis felicius imbuerent. Hoc deniq; monaſterium, quod & à triginta Vr
baniſtis ſororibus Clariſſis frequentius inhabitatur, ex Clementis VI. Pont. max. in-
dulto nulli penitus exactioni regiæ ſubiacet. Huic indulto Bonifacius IX. Eugenius
IIII. Sixtus tidem IIII. atque alii ſummi Pontifices ſubſcripsêre. Gaudet prærerea
plurimis priuilegiis ſibi ab Hiſpaniæ Regibus Ioanne II. Henrico, Ferdinando V. eius
coniuge Eliſabetha, atque communi filia Ioanna, nec non & Philippo eius nominis II.
atque iſtius ex filio nepote conceſſis, ob ingentẽ deuotionem, qua illas proſequebantur,

A *De monaſterio S. Claræ Santander. Monaſt. VI.*

PIENTISSIMA ac ſupramodū honeſta femina Maria Guitarte, vxor quondam fortiſſimi atque ſtrenui Ducis Gonzalui Garſiæ à Santander, qui Alphonſo, eiuſque filio Sanctio Caſtellæ Regibus ſtrenuam in nauali contra Mauros bello operā olim nauauit, cùm ex eius morte vidua, atque ditiſſima relicta eſſet, ſacrum hoc monaſterium, beatę virginis Claræ dicatū, ex proprijs facultatibus intra præfati oppidi mœnia, apoſtolica tamen ſibi authoritate fauente, circa annum à partu Virgineo 1323. à fundamentis extruendum, omninoque abſoluendum, atq; honeſtis redditibus & prædijs locupletandum curauit. Quod quidem monaſterium Eugenius IIII. ſummus Pōtifex, atque Caſtellæ Reges Sanctius, Alphonſus & Catharina plurimis priuilegij & fa
B uoribus proſequuti ſunt, & duæ Dominicæ crucis particulæ, aliquot ſanctorū Andreæ Apoſtoli, Blaſij Epiſcopi & martyris, atq; vndecim millium virginū & martyrū oſſa, nec nō & quidam lapilli ex Hieroſolymorum terra allati religioſiſſimè cohoneſtant.

De monaſterio S. Claræ Gueiuar. Mon. VII.

SEPTIMVM & vltimum Clariſſarum ſororū Vrbaniſtarum monaſterium eſt id, quod aliquantulum ab eo Cantabrorum oppido, cui Gueiuar vulgò nomen eſt, ab honeſta ac pijſſima quadam matrona, ex maxima qua in Deum pietate, ac in beatā virginē Clarā, eiuſque ſacratiſſimam ſobolem ferebantur deuotione, ſuperioribus annis quibuſdam ſibi poſitis legibus erectum, abſolutum, atque honeſtis vtcunque redditibus locupletatum extitit. De quo quidem nihil aliud notandum occurrit ab eo, quod à
C 26. monialibus Deo opt. max. famulantibus cōmodiſſimè occupetur, inhabiteturque.

De tertiarum ſororum conuentibus.

SVNT præterea (vt proloquuti ſumus) hac in Prouincia à præfatis tum fratrum, tum quoque Clariſſarū monialium monaſterijs viginti & vna Tertiariarum ſororū Franciſcanarum domus. De quibus tamen quòd nihil interim memorabile ad poſteros tranſmittendum miniſtrent, ſuccinctè, atque breuiſſimè præter tamen conſuetum morem, idque prolixitatis vitandæ ergò, ſororum tantùm numerum, atque loca, in quibus præfatę domus erectæ ſunt, impræſentiarum referam. Eo itaque in oppido, quod Azpetia Cantabricè appellatur, quædam huiuſmodi ſororum, quæ vt plurimùm ſunt 36. domus, ſub Conceptionis glorioſæ Virginis titulo, erecta eſt. Flauiobrigæ (vulgò Bilbao)
D idque extra eius mœnia, quatuor aliæ conſimiles domus conſtructæ ſunt. Quarum prima eidem Conceptioni dicata euaſit, & à 18. ſororibus inhabitatur: ſecunda, quæ & Aſcao Cantabricè dicitur, à 18. etiam ſororibus incolitur: tertia, quæ & beato Ioanni ſacra eſt, à 14. tantùm ſororibus occupatur: atqui quarta, cui Barbara nomen eſt, 26. ſororibus commodum ſatis præbet hoſpitium. In oppido Durago ſexta conſiſtit domus à 12. ſororibus inculta. Mondragonis (de quo ſuprà) ſeptima perſeuerat à 16. ſororibus occupata. In oppido Onnate (Cuius ſupra meminimus) octaua, quam 16. quoque occupant ſorores. In oppido Vergara nona à 14. ſororibus inhabitata. In oppido Secura decima, quam 10. tantùm ſorores incolunt. In oppido Saluaterra vndecima, quam totidē ſorores poſſident. In oppido Aleçia duodecima. In ciuitate Ordunia tertia decima. In oppido Laredo quarta decima erectę ſunt: quarum vtraq; à 10. ſororibus inhabitatur.
E In Gordeiuela, Santvrze atque Moſque pagis, ſic Cantabricè nūcupatis, quinta decima, ſexta decima atque decima ſeptima conſiſtunt, in quarum qualibet 10. cōmorantur ſorores. In oppido Portugallette, atq; in pagis Rabeçua, & Vrdaiaga 18. decima nona, atque vigeſima perſeuerant, in quarum ſingulis octo conuiuunt ſorores. Atqui tandem in oppido Garniça (ſic Cantabricè nuncupato) vigeſima prima & vltima domus erecta eſt, quam 16. ex præfatis ſororibus incolunt, Altiſſimoq; fideliter inſeruiunt.

Prouincia Duodecim Apoſtolorum del Peru, atque etiā Prouincia Canarię, quę immediatè poſt huius Cantabricæ Prouinciæ deſcriptionem, ſi antiquitatis ordinē ſequuti fuiſſemus delineandæ erant, in quarta huius operis parte, Deo duce, deſcribentur.



PROVIN-

PROVINCIA
SANCTI ANDREAE.

A PROVINCIA S. Andreæ Franciæ Prouinciam ex integro ſui genitricem agnoſcit: ei namq; ſub nomine Cuſtodiæ Artheſiæ plurimis annis coniuncta fuit, eiusq; Miniſtri prouincialis dictis paruit: Veruntamen cùm ob bella continua, qui illis in partibus maximè vigebant, à prefato Miniſtro minimè viſitari perſonaliter quiret,& ex recurſu fratrum prætactæ Cuſtodię ad illum aliquot grauiſſima pericula Reipublicæ euenire poſſent, Paulus IIII. Pont. max. apoſtolico diplomate ad inſtantiam catholici Hiſpaniarum Regis Philippi huius nominis II. die 20. Auguſti anno Domini 1558. ſed Pontificatus ſui anno iiij. expedito, reuerendo patri fratri Bernardo à Freſneda præfati catholici Regis Confeſſario prȩcepit, vt Capitulũ prouinciale per patentes ſuas literas, aut aliâs
B modo & forma per illum ſtatuendas in aliquo conuentu indiceret, conuocaret, ac iuxta morem aliarum Prouinciarum eiuſdem Ordinis celebrari mandaret, & faceret, & prȩfatam Cuſtodiam in Prouinciam ſub nomine S. Andreȩ erigeret. His literis apoſtolicis prȩdictus regius Confeſſarius obtẽperans, eodem anno 1558. in profeſto ſancti Lucæ Euangeliſtȩ omnes patres vocales in conuentum Inſulenſem conuenire authoritate apoſtolica iuſſit. Pridie autem quàm deberet fieri electio præfatus Commiſſarius apoſtolicus ſingulos vocales ſeorſim aduocauit, inquirendo ab eiſdem, quem ſcirẽt eſſe idoneum adhunc primum nouȩ Prouinciȩ Miniſteriatum peragẽdum; atq;
C ita omnibus præmiſſis cœremonijs, in Capitulo prouinciali pro electione noui Miniſtri ſeruari ſolitis, canonicè electus fuit in primum Miniſtrum prouincialem reuerendus pater frater Sebaſtianus Vuillemart S. Theologiæ Licentiatus, & per dictum reuerendum patrem Commiſſarium apoſtolicum authoritate apoſtolica confirmatus. Similiter & quatuor Definitores electi,& confirmati fuerunt. Electus etiam fuit in eodem primo nouæ Prouinciæ Capitulo,& confirmatus Cuſtos Cuſtodum ad generale Capitulum Aquilæ celebrandum pater frater Bonauentura Meurat Guardianus Valencenenſis. In quo Capitulo generali Prouinciæ huius erectio ratificata fuit, tametſi reclamantibus,& renitentibus Gallis. Hæc quoad erectionem Prouinciæ D. Andreæ.
D Continetur hȩc Prouincia in Epiſcopatibus Cameracenſi, Tornacenſi, Attrebatenſi, Audomarenſi, Iprenſi, Gandauenſi, & Brugenſi, in Comitatibus Flandriæ, Archeſiæ, Hannoniæ, in Dominijs Tornaceſij & Cameraſeſij. Conuentus celebres fratrũ habet 12. Habet etiam monaſteria pauperum Dominarum ſub reformationem B. Coletæ quinq;: Vrbaniſtarum ſiue poſſidentium habet tria monaſteria. Præter hæc habet etiam monaſteria tertij Ordinis D. Franciſci octo ſororum, & quædam alia fratrum, ſed hȩreticorum rabie ſunt deſtructa. Huius Prouinciæ ſigillum oualem refert figuram cum diui Andreæ Apoſtoli imagine, quam & ego ſibi præponendam curaui, quòd is inferioris Burgundiȩ, prȩcipuè vero eius patriȩ, in qua prȩſens prȩfata Prouin
E cia ſita eſt, patronus exiſtat, cum duobus lilijs lateralibus,& inſcriptione huiuſmodi.
SIGILLVM. MINISTRI. PROVINCIÆ. S. ANDREÆ.

De Minoritico conuentu Cameracenſi. Conu. I.

CAMERACI ad ripã fluminis Scaldis conuentus celebris noſtri Ordinis extat conſtructus, anno Dñi 1262. expẽſis generoſi Ioan. de Flos equitis, qui fundũ ampliſſimũ fratribus liberaliter dedit, ȩdificato in eodẽ loco monaſterio inſigni, ſtructura quidẽ non ita magnifica, ſed ſupra quã credi poſſit ad fratrum neceſſitates vndequaq; accomodatiſſima. Transfluit enim per medias ȩdes,& clauſtrum, atq; hortum Scaldis fluuius, qui aërem puriorem reddit, & prȩdulci quadam amœnitate locum com-

mendatiorem gratioremq; efficit. Accepit iſte conuentus breuiſſimo tempore magnum incrementum propter ſummorum Pontificum,& inclytorum Principum fauores,quod vel ipſæ literæ teſtantur,quæ in eiuſdem conuentus archiuis conſeruantur. Inter quas quæ præcipui ſunt roboris duæ ſunt, vnæ Clementis IIII.alteræ Innocentij V.quibus largiſſimæ indulgentiæ, & priuilegia non parua conuentui & fratribus conceduntur. Templum ad honorem Dei à fundamentis ad verticem vſque constructum, omnibusq; numeris abſolutũ conſecratum fuit per R.Guidonem Epiſcopũ Cameracenſem: (necdum enim,imò nec multis annis poſtea ſedes hæc Archiepiſcopali honore decorata erat) ſub titulo S.Crucis,S.Franciſci, & omnium Sanctorum,anno Domini 1303. Morantur communiter in hoc conuentu fratres 30. inter quos 8.ſunt prædicatores. Meretur conuentus iſte commendationem longè maiorem: ſed quia dũ hæc conſcriberetur chronologia non licuit ei,cui eius colligendæ munus demandatũ fuerat perſonaliter Cameracum proficiſci,eò quod Galli hæretici,partes Ducis Andegauenſium contra Regem catholicum defendentes,eam ciuitatem per tyrãnidem occuparẽt,his ſuperſedebo,ne incerta pro certis noſtræ hiſtoriæ attexamus. Id tñ vnum adijciam,fuiſſe ſcilicet conuentum iſtum optimorum virorum ſemper feraciſſimum. Prodierunt ſiquidem ex eo etiam noſtra memoria patres præſtantiſſimi, eximijq; concionatores. Nulli hactenus martyrio ſunt affecti fratres,tametſi Galli hęretici eam occupent ciuitatem, qui quidem catholicæ Religionis exercitium hucuſq; permiſerunt. Sed quem finem ſit habitura crudelium hominum ſimulatio incertum eſt.

A B

De Minoritico conuentu Valencenenſi. *Conu. II.*

NESCIO an alibi in tota hac Prouincia, aut in toto Belgio conuentus ſit noſtri Ordinis,vel antiquior ſi tempus extructionis, vel illuſtrior ſi genus, fortunaſq; nobilium & illuſtrium fundatorum,vel ſanctior ſi fratrum & patrum, qui hunc conuentum primi incoluerunt,religionem & ſanctitatem conſideres. Cùm enim Franciſcana Religio in exordio ſuæ inſtitutionis lætiſſimos, atq; ſaluberrimos lucis ſuæ radios per vniuerſum mundum longè lateq; diffunderet,& ad Belgium vſque ſingulari Dei optimi maximi beneficio penetrauit,viuente adhuc ſanctiſſimo patre noſtro Frãciſco,non ita diu poſt primum Capitulum generale Aſſiſij celebratum; ſedente Romę Honorio,ſub Impp.Othone IIII. & Federico II. regnante in Gallijs Philippo Conqueſtore,ſub Duce Brabantiæ Henrico,ſub Comite Flandriæ & Hannoniæ Ferrando à Portugalia,anno 12. à conuerſione beatiſſimi patris noſtri Franciſci, annis octo antequam ſpiritum Deo redderet,qui erat annus Dominicæ incarnationis 1215. vel circiter. Quo quidem tempore (quod felix & fauſtum fuit toti Belgio) venerunt ad Comitatum Hannoniæ,in ciuitatem Valencenarum ditiſſimum,& opulentiſſimum emporium fratres Minores numero ſex, è quibus duo erant ſacerdotes, reliqui quatuor laici,miſſi eò à fratre Pacifico ſocio beatiſſimi patris noſtri Franciſci, primo Franciæ Miniſtro. Nomina fratrum hæc erant: frater Guilielmus, vir pietatis & ſanctitatis eximiæ, quem beatus Pacificus cæteris quinque præfecerat: frater Iacobus Sportularius, ita dictus à ſportulis, quas quotidie victus lucrandi & otij fugiendi cauſa gnauiter conficiebat, cùm alioqui eſſet ſtemmate & ſanguine clarus,& illuſtris in ſæculo,& antequam Religioni eſſet initiatus, vocabatur Alphonſus à Baijonna: tertius frater Ioannes le Nattier,ita Gallicè nuncupatus,eò quod crates vimineas & ſtramineas optimè contexerat,vir ante Religionis ingreſſum etiam nobilis & clarus,appellatus Iodocus à Matrenas. Duorum reliquorum nomina non inueni. Hi itaq; primi fuerunt cum B. Pacifico,qui noſtræ ſacrę Religionis fundamenta feliciter in Belgio iecerunt. Quorum omnium tanta fuit vitæ ſanctitas, vt omnium animos in ſui admirationem attraherent,beneuolentiãq; facilè ſibi conciliarent. Quod effectus ipſe mox ſubſecutus comprobauit: nã confeſtim Valencenarum ſenatus communibus expenſis monaſteriũ fratribus,propè mœnia quidẽ,ſed extra portam, vbi ſacellum erat,diuo Bartholomęo ſacrum,conſtruxit. In quo loco aliquot annos prædicti fratres in ſumma paupertate & humilitate habitarunt, in omnimoda Religionis obſeruantia Deo famulantes, plurimaſq; animas ſacris ſuis concionibus, exemplis & admonitionibus Domino

C D E

A mino lucrantes. Itaq; odor ſuauiſſimus Religionis Franciſcanę ad omnium tam nobilium, quàm priuatorum animos & corda penetrans, admirabiliter omnes & ſingulos recreabat, atq; ad meliorem frugem, & emendatioris vitæ ſtudium prouocabat. Hinc ſubſequutum eſt, accedente tempore, vt quàmplures ſummi viri, tam eccleſiaſtici, quàm nobiles profano mūdo ſupremum vale dicentes, & poſſeſſiones ſuas, iuxta Euangelij & Regulæ noſtræ præſcriptum, vēdentes, & pauperibus diſtribuentes, fratribus habitu, & vitæ indiuiſa conſuetudine, & regulari Obſeruantiæ ſeſe coniunxerint. Inter quos fuêre Iacobus Syluester Decanus Chriſtianitatis Attrebatenſis, qui fratres longo tempore in ſuis ędibus hoſpitio receperat, & Gubernator Valencenarū, œconomus illuſtriſſimæ Comitiſſæ Flandriæ & Hannoniæ. Tandem aliquot annis elapſis, illuſtriſſ. Ferrandus à Portugalia maritus ſupradictæ Comitiſſæ Flandriæ &
B Hannoniæ, de conſenſu eiuſdem ſuæ pientiſſimæ coniugis intra vrbis mœnia, in arce ſua, quæ ferè in media vrbe ſita erat, non procul à ripa Scaldis fluuij monaſterium fratribus conſtrui præcepit regali munificentia, & magnificentia, quod & hodie ipſa ſtructura tametſi vetuſtior abundè teſtatur. Tantus enim erat noui monaſterij apparatus, tantaq; ædificiorum maieſtas, quod fratres illi, qui elegerant abiecti eſſe in domo Dei, & in paupertate & humilitate pauperem & humilem Chriſtum imitari, renuerint in eiſdem habitare. Quod vbi nobilis & pia Comitiſſa reſciuit, ſcripſit ad ſummum Pontificem, ſimul etiam literas dedit ad B. Franciſcum tum adhuc inter mortales agētem, quibus pium ſuum deſiderium aperiebat, vtq; fratribus liceret prędictum monaſterium incolere poſtulabat. Quod etiam impetrauit: Nam confeſtim frater Helias tunc tēporis generalis Miniſter Ordinis Minorum literas ad fratres Va-
C lencenēn. ſancti Bartolomæi, ſic vocatos à loco prioris monaſterij, miſit, quibus prępipiebat vt in nomine Domini nouum monaſterium relicto priori intrarent, & deinceps incolerent. Sicq; ſanctæ voluntati Comitiſſæ factū fuit ſatis. Tanta fuit huius nobiliſſimæ fœminæ in D. Franciſci Ordinem charitas & animi propenſio, vt non tantum hunc conuentum, ſed etiam Gandaui, Brugis Flandrorum, Aldenardi, & in alijs pleriſq; locis ſuæ ditionis monaſteria proprijs ſuis ſumptibus extrui mandauerit. Inſuper & cuilibet fratri in ſuo dominio commorāti annuatim tunicam vnam cum capucio, & aliam ſine capucio, quamdiu vixit, dederit. Extant multa alia beneuolentiæ & charitatis eius præclara exempla in Annalibus Hannoniæ, quæ longū eſſet omnia ſingulatim recenſere. Hęc dixiſſe ſufficiat de exordio noſtrę Religionis in Belgio, ac de conuentus Valencenenſis felici principio, fundatione, ac fundatoribus. Anno
D Domini 1233. ſupradicta Comitiſſa conſecrari & dedicari fecit templum monaſterij nouiter erecti per R. Epiſcopum Cameracenſem, ſub titulis Trinitatis, S. Crucis, & beati patris Franciſci, Dominica die poſt feſtum Inuentionis ſanctæ Crucis menſe Maij: qua etiam die eadem illuſtriſſima herois cum celebritate & ſolemnitate maxima, & frequentiſſimo populi concurſu, deferri fecit ad templum nouiter conſecratum corpus ſancti martyris Victoris, pretioſiſſimo & ditiſſimo loculo incluſum. Fuit hic Chriſti martyr ſocius B. Mauritij ex legione Thebæorum, qui pro Chriſtiana fide ſub Maximiano Imperatore in agro Sedunenſi Galliæ occubuerunt. Corpus etiā virginis & martyris cuiuſdam è numero vndecim millium, quæ cū diua Vrſula apud Coloniam Agrippinam in ſuperiori Germania ad Rhenum pro Chriſto & virginitate ſanguinem & animas profuderunt, nomen eius hactenus fuit incognitum. In eadem
E dedicationis ſolemnitate, & ſpinam vnam ex corona Chriſti Domini, auro gemmiſq; ornatam, templo & fratribus dedit, quę ſingulis noctibus ferię ſextæ Paraſceues per integram horam rubea & ſanguinolenta ſtupendo miraculo apparebat, cùm aliâs eſſet aridior. Sed hæc omnia & alia multa ſanctuaria & ornamenta inſania & rabie hęreticorum Caluiniſtarum in vrbis vaſtatione circa annum Domini 1566. ſpoliata, direpta & exuſta fuêre ſimul cū literis, bullis, priuilegijs & tota conuētus ſuppellectile. Tāta enim erat rabidorum horum luporū auara crudelitas, vt ne quidem à mortuorū oſſibus & cineribus abſtinuerint. Monumēta ſiquidē & ſepulcra nobiliſsimorū Principū effodiētes inter buſta & reliquias theſaurū requirebant. Iacēt in choro ſepulti illuſtriſſ. Comites Flādrię & Hannonię in marmoreis & deauratis miro artificio ſepul-

cris: Comites etiam Palatini Hollandiæ & Friſiæ, Comites Namurci, Comites Bleſenſes,& multi alij nobiles & illuſtres viri, vt vel hinc luculenter appareat qualis conuẽtus iſte ante noſtra tẽpora fuerit. Quanquã autẽ vrbs iſta multas moleſtias & deuaſtationes ab hereticis partim ciuibus proprijs, partim exteris Gallis pertulerit, nulli tamen ex noſtris fratribus, tametſi ſemper conſtantiſſimè ipſorum impietati reſtiterint, hactenus martyrio ſanguinis fuêre affecti, licèt alioqui exulare fuerint coacti, & multas iniurias, & perſecutiones, & damna grauia, citra tamen mortem, ſint varijs vicibus perpeſſi. Habuit conuentus iſte & adhuc habet viros noſtri Inſtituti & doctiſſimos Theologos, & facundiſſimos diuini verbi concionatores. Habet preterea & 24. accolas fratres, quorũ octo ſacras ad populum pro roſtris frequẽter conciones habent. A

De conu. S. Franciſci ac S. Margaretæ in Hannonia. *Conu. III.* B

MONTES Hannoniȩ metropolis, à montoſo ſitu ita appellata, inter alia multa, præclaraq; ornamẽta etiam conuentum habet celebrem Franciſcani Inſtituti conſtructum circa annum Domini 1228. liberalitate pia generoſæ Ioannȩ filiȩ illuſtriſſimi & potentiſſimi Balduini Comitis Flandriȩ, & Hannoniæ, poſtea Imperatoris Conſtantinopolitani, qui ob fortia & heroica facta, quæ pace belloq; geſſit Animoſi cognomen promeruit. Porro Margareta ſoror vterina Ioannȩ ampliſſimis ſumptibus templum in hoc cœnobio conſtrui, & conſecrari fecit circa annum Domini 1323. mẽſe Aprili, in feſto diui Marci. Titulus conſecrationis, vel patroni eccleſiæ beatiſſimus pater noſter Franciſcus, ac beata Margareta ſunt. Locus omnis eſt peramœnus, non procul à Trulla fluuio ſitus, viuaria & paſcua habens fratrum vſibus aptiſſima & vtiliſſima. Et quamuis in vrbe populoſa, attamen quietiſſimos receſſus habet, pro his C qui ſolitudine oblectantur, pietatis aut ſtudiorum cauſa. Cæterùm ſtructura magnifica: ſed quod maximè conuentum hunc commendat, eſt fratrum hîc commorantiũ frequentia, religio, & ſpectata vita atq; doctrina. Prodierunt ex hoc conuentu viri omnium ore laudatiſsimi ob ſingularem cùm pietatem, tum eruditionem. Inter quos præ cæteris claruit etiam noſtra memoria reuerendus pater frater Sebaſtianus Vuillemart ſacræ Theologiæ Licentiatus, primusq; Prouinciæ ſancti Andreæ nouiter erectæ Miniſter prouincialis. Prodierunt & pleriq; alij, quos longum eſſet enumerare. Literas pontificias & breuia apoſtolica variorum priuilegiorum habet plurima, ſed quæ vniuerſo Ordini ſunt communia, quorum pleraq; extant excuſſa in Firmamento trium Ordinum B. Franciſci. Eſt etiam in hoc conuentu ſacriſtia ſacra ſupellectile variorum ornamentorum, vaſorum argenteorum & imaginum inſtructiſsima, quanquam ibi nullas reliquias viderim, quæ locum aliquẽ in hac noſtra hiſtoria mererentur. Vocatur præterea hic conuentus fratrum Minorum, vel diui Franciſci, aut Cordigerorum, quibus nominibus omnes huius Prouinciȩ conuentus vulgò appellantur. Fratres habet 30. è quibus octo ſunt Prædicatores. Illuſtriſsimus Antonius à Burgũdia Comes de la Roche & de Guiſnes &c. varijs ædificijs, donis & muneribus conuentum iſtum exornauit. Conſpicitur & in choro fratrum ante ſummum altare ſepulcrum marmoreum, magnis ſumptibus elaboratum, generoſiſsimi quondam Philippi de Croij Comitis de Chimaij, & nobiliſsimæ heroinȩ Vualburgis de Meurs ſuæ coniugis. Ciuitas hæc ſemper ſingulari Dei beneficio, & opera ſedula atq; indefeſſa catholicorum, ac diſertiſsimorum concionatorum, preſertim fratrum Ordinis ſeraphici patris Franciſci, atque Magiſtratuum diligentia ſemper in fide catholica Romana, E & regiæ ac catholicȩ Maieſtatis obedientia perſeuerauit, & ab illis minimè defecit. D

De conuentu nominis Ieſu Duaci Cathuacorum. *Conu. IIII.*

DE conuentu in vrbe atq; alma vniuerſitate Duacenſi Cathuacorum, ad Scarpis fluminis ripam extructo, nihil antiquum, neq; in archiuis conuentus, neq; in vrbis Annalibus potuit inueniri, quòd conuentus ab hinc triginta annis fortuito incendio conflagrarit, domus etiam ciuica cum omnibus antiquitatis monumentis & libris ante annos ferè 100. ſimili damno fuerit affecta. Attamen, quantum ex quibuſdam vetuſtiſſimis ſepulturis marmoreis conijcere licet, videtur initia habuiſſe circa an-

A ca annum Domini 1230. opera & eleemoſynis quorũdam nobilium & piorum ciuiũ, certè conuentum eſſe antiquiſſimum, & diuites nobilesq; habuiſſe fundatores res ipſa atq; ſtructura magnifica loquitur. Viſitur enim hìc templum pulcherrimum & maximum, quale nuſquam ferè in toto Belgio in noſtri Ordinis conuentibus. Cætera quoq; ædificia, & publicæ monaſterij officinæ, & altitudine & magnitudine atq; firmitate ſua palàm oſtendunt quales, qualiterq; erga noſtram Religionẽ affecti fuerint pientiſſimi fundatores. Grauiſſimam iacturam pertulit ex infelici conflagratione, tã in pulcherrimorũ ędificiorum ruina, quàm ornamentorum, reliquiarumq;, & aliarum rerum abſumptione. Verùm diligentia, cura, & labore indefeſſo P. F. Franciſci Petrart tum Guardiani, nunc prouincialis Miniſtri huius Prouincię ita eſt reſtauratus, vt nulli conuentui Prouinciæ ſit vel amplitudine, vel loci amœnitate, aut ædificiorum
B pulchritudine, & (quod longè omnium eſt præcipuum) religionis obſeruantia comparandus. Habet etiam templum & ambitum, præter ſpectabilem magnitudinem, lucidiſſimum iconibus, & exquiſitiſſimis picturis ornatiſſimum. Ambitus circa tẽplum, opere concamerato, & teſtudinibus ex lapidibus albis inciſis conſtructus, ſpecioſiſſimum, & lætiſſimum ad reliqua cœnobij domicilia præbet ingreſſum. Conuentus iſte prope forum loco præalto ferè in media vrbe ſitus eſt, quo fit, vt populus ſacrarũ precum & concionum cauſa frequentiſſimus huc confluat. Porro inter huius conuentus ornamenta, ſacellum etiam viſitur, quale vix in toto Belgio, magnificis ſumptibus ante quatuor annos ædificatũ, ſanctiſſimo noſtri Saluatoris nomini Ieſu ſacrum. In quo Confraternitas celeberrima ferè 800 hominum vtriuſq; ſexus, ſub inuocatione ſanctiſſimi huius nominis in pietate, precibus, ſacramentorũ frequẽtiori vſu, alijsq;
C bonis operibus cum maximo reipublicæ Duacenſis fructu exercetur. Quamobrem S.D.N. Gregorius Papa XIII. eandẽ anno Domini 1582. confirmauit, & magnis atq; plenarijs indulgentijs in ſingulos annos 14. Ianuarij, quæ dies nomini Ieſu eſt ſacra, à fidelibus lucrandis, & centum dierum indulgentia pro quolibet die anni conceſſis in bulla ſub annulo piſcatoris liberaliter dotauit & exornauit. Faxit Deus opt. max. vt tanta principia maiora indies percipiant incrementa. Abundat monaſterium hoc ornamentis, ſacris vaſis, imaginibus, calicibus argenteis, & inauratis, pia liberalitate Chriſti fidelium ad diuinum ſeruitium oblatis. Inter quæ eſt theca quædam argẽtea, quæ ciborium, vel repræſentatio diuiniſſimi ſacramenti vocatur, pulchritudinis raræ, & mirandæ magnitudinis, videlicet pondo quatuordecim argenti. Eſt etiam in hoc conuentu doctiſſima ſacræ Theologiæ & artium ſchola; Lectores quatuor duo in
D Theologia, reliqui duo ſunt Lectores Philoſophiæ & Grammaticæ. Commorantur hìc fratres circiter 50. è quibus 10. ſunt prædicatores. Vrbs iſta inter omnes alias totius Belgij ciuitates & vrbes, Dei gratia & fauore ſingulari, atq; diligentia Paſtorum, concionatorum, præſertim noſtri Ordinis, qui ob nulla pericula oblata, aut minas intentatas, temporibus turbulentiſſimis à concionibus ſacris, pro aſſerenda atq; tuenda fide catholica, & regiæ Maieſtatis obedientia vnquam abſtinuerunt, ſemper vnicè & firmiter catholicam Religionem retinuit, & obſeruantiſſima permanſit. Tametſi eius rei gratia fratres, ciues, & incolę plurimas iniurias, damna, & cædes à vicinis hęreticis Gallis & Flandris, Duciſq; Andegauenſis nefarijs militibus ſint patienter perpeſſi.

De Minoritico conuentu Attrebatenſi. Conu. V.

E ATTREBATVM ciuitas eſt Comitatus Artheſiæ, Epiſcopatu & regio Concilio inſignis, habetq; conuentum fratrum Minorũ, qui olim extra muros conſtructus erat, ſed anno Domini 1524. iuſſu Imperatoris Caroli V. ob bellorum pericula, quæ huic ciuitati à vicinis Gallis impendebant, deſtructus, & in media ciuitate in vetuſta quadam arce reædificatus fuit. Incertum qui fuerint fundatores, nam in tanta rerum labefactione difficile fuit antiquitatis monumenta conſeruare, niſi quod memoria quędam extet R. P. F. Thomæ Grault viri ſanctiſſimi & doctiſſimi, qui 34. annis Guardianatum in antiquo conuentu exercuit. Conuentus nouus ægrè perficitur, refrigeſcente indies charitate, prę ſertim in hac ciuitate, vel ob monaſteriorũ (quę hìc plurima ſunt) frequentiam, vel quòd populus, tametſi magna ex parte catholicus,

teneram illam pietatem & ſanctam liberalitatem parum affectet, etiamſi plurima ſuæ A
ſalutis obſequia, præſertim è continuis fratrum concionibus percipiat. Habet conuentus iſte aliquot literas apoſtolicas, ſed toti Ordini communes, quale eſt Mare magnum ſub plumbo, & alias id genus. Quod autem præcipuam in hoc conuentu mereatur commẽdationẽ eſt Confraternitas quędam, ferè 400. vtriuſq; ſexus Chriſti fideliũ, ſub titulis SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, nuper ſtudio patris fratris Caroli Magni huius domus Guardiani inſtituta, & à ſanctiſſimo D.N. Gregorio XIII. approbata & confirmata, atque largiſſimis indulgentijs etiam plenarijs dotata. Habuit etiam iſte conuẽtus olim reliquias plures, & inter eas brachium S. Eligij quondam Epiſcopi Nouiodunenſis in Gallijs, ſed militum inſolenti rapacitate omnes perierunt. Conſecrata fuit noua eccleſia Dominica ante feſtum omnium Sanctorum, ſub titulo B. Catharinę virginis & martyris. Morantur in eo fratres 20. ex quibus quinq; ſunt prædicatores. B

De Minoritico conuentu Inſulenſi. Conu. VI.

INSVLÆ vrbs eſt & emporium clariſſimũ, & toti Belgio, atq; exteris regionibus notiſſimum ſub Comitatu Flandriæ, tametſi vario eius vtantur idiomate, comprehenſum. Conuẽtus fratrum Minorum huius oppidi magna ex parte męnibus cinctus, erectus atq; fundatus fuit, anno Dñi 1250. menſe Auguſti, per illuſtriſs. Margaretam Flandriæ & Hannoniæ Comitiſſam, cuius literæ originales in archiuis conuentus aſſeruantur. Inter ſcripturas conuentus nullæ apoſtolicæ reperiũtur, exceptis authenticis quibuſdam tranſumptis, quales ſunt, Mare magnum, & id genus aliæ, quæ apud Ordinarios parum aut nihil roboris habent. Sacriſtia duas pręcipuas reliquias habet. Vnam, quę in cruce aurea habet ex veſte qua induebatur Dominus noſter Ieſus Chri- C
ſtus, quam tetigit Hemoroiſſa & ſanata eſt. Alteram cum notabili parte crucis Dominicæ in argentea cruce deaurata incluſa, quam Carolus V. Imperator dono dedit P. F. Petro Fabro eius Confeſſario. Eſt etiam in hoc conuentu ſpina vna coronæ Domini noſtri, & caput virginis & martyris cuiuſdam ex 11. millibus cum B. Vrſula apud Coloniam Agrippinam paſſis. Beatos nullos in ſcriptis, aut ſepulturis habet hic locus, quamquam in ipſo plurimi religioſiſſimè & ſanctiſſimè vixerint. Conſecratio tẽpli prima Dominica poſt feſtum SS. Philippi & Iacobi mẽſe Maio anniuerſaria deuotione celebratur. Conuentus verò, propter piorum hominum frequentiam ad diuina officia & ſacras conciones audienda, eſt percelebris. Habet autem fratres 30. è quorum numero 8. ſunt prædicatores, reliqui ſacerdotes, iuuenes, & laici. Habuit & hactenus ſemper quamplurimos probatiſſimæ vitæ patres & fratres doctrina & religione con- D
ſpicuos, è quorum numero quidam fuerunt Imperatori Carolo V. à concionibus & confeſſionibus, vt multos interim breuitatis gratia prætercam ſacræ Theologiæ Baccalaureos, Licentiatos & Doctores, qui dum viuerent magno cum fructu in Religione Chriſtiana & monaſtica multum laborarunt. Vrbs Inſulenſis Dei optimi maximi beneficio in auita patrum morũ fide & Religione hucuſq; conſtanter perſeuerauit.

De Minoritico conuentu Tornacenſi. Conu. VII.

CONVENTVS fratrum Minorum ciuitatis Tornacenſis vocatur conuentus S. Franciſci, dedicatus ſub nomine S. Ioannis Baptiſtæ, & S. Mariæ Magdalenæ. Quis hunc conuentum fundarit omnino eſt incertum, neque inter chartas conuentus, neſcio qua incuria, inuenitur. Fama tamen eſt fuiſſe quendam Epiſcopum Tornacen- E
ſem nomine de Maruiſio, qui ex ſuis proprijs ædibus monaſterium ædificari fecerit. Videtur præterea conuentus iſte fundatus circiter annum Domini 1270. cuius dies dedicationis celebratur Dominica poſt feſtum beati Laurentij martyris. Inueniuntur hîc multa tranſumpta literarum apoſtolicarum, breuium & diplomatum, ſed quia videntur apud Ordinarios exoleuiſſe, propter ſacri Concilij Tridentini canones, ſuperfluum eſſet ea impræſentiarum commemorare, præſertim cùm nihil ſit huic conuentui proprium, ſed omnia totum Ordinem concernant. Sunt in hoc conuentu ſacerdotes quindecim, iuuenes & nouitij ſex, prædicatores ſex, Lector Philoſophiæ vnus. Inter reliquias, quę momenti quid habet, ſpina vna eſt coronę Domini: cætera aut parua ſunt,

A ua ſunt, aut incerta. Ciuitas Tornacenſis corruptiſſima & hæreſi infectiſſima eſt, vſque adeò vt etiam vi armorum exercitus regij, Duce ſereniſſimo Principe Parmenſi, ſuperioribus annis ſit expugnata & victa. Fratres autem tempore obſidionis, cùm egredi non poſſent, conſtãtiſſimè in fide catholica & aſſertione obedientiæ Pontificis Romani, ac catholici Regis Philippi, non ſine grauibus vitæ periculis, perſeuerarunt.

De Minoritico conuentu Betunienſi. *Conu. VIII.*

BETVNIA oppidum Artheſiæ Comitatus conuentum habet noſtri Ordinis, à nobili viro Roberto Gubernatore, & Blancha eius coniuge, anno Domini 1330. conſtructum. In hoc conuentu nullæ ſunt literæ apoſtolicæ, vel reliquiæ quæ aliquid habeant momenti. Dedicationis eius dies anniuerſaria celebratur Dominica feſtum B Apoſtolorum Petri & Pauli proximè ſequenti. Templum conſecratum fuit ſub titulo S. Agnetis virginis & martyris. Morãtur hoc in loco fratres 20. ex quibus ſex ſunt prędicatores. Oppidum iſtud inter omnia eius farinæ in toto Belgio eſt maximè catholicum. Porrò conuentus iſte vt vnicus eſt in hoc oppido, ita fratres vnicè à ciuibus diliguntur, cùm ob Religionis obſeruantiam, atq; diuini officij reuerẽtiſſimam celebrationem, tum præcipuè ob continuas fratrum prædicationes, quibus adiuti (ſed pręſertim Dei auxilio) hactenus in vna ſancta catholica fide Romana, & regiæ maieſtatis obedientia conſtanter perſeuerauerunt. Floruerunt denique hoc in monaſterio, tametſi paruo, plures patres ac fratres doctrina, pietate, atque religione conſpicui.

De Minoritico conuentu Lenſenſi. *Conu. IX.*

C CONVENTVS B. Franciſci in ſuburbijs oppidi Lenſenſis, loco peramœno & ſaluberrimo, fontibus irriguo, conſtructus fuit circa annum Domini 1220. à beato Pacifico ſocio beatiſſimi patris noſtri Franciſci primi Frãciæ Miniſtri, opera & largiſſimis eleemoſynis generoſi Domini à Nouauilla equeſtris ordinis viri. Multa & grauiſſima damna & iniurias ſuſtinuit hic conuentus ex bellorũ incommodis, & Gallorum hoſtium excurſionibus, qui bis hunc conuentum incenderunt, & ſpoliarunt, ſemel adhuc viuẽte Imperatore Carolo V. iterum anno 1582. cum per inſidias oppidum inuaderent. Quibus incendijs ferè tota ſupellex cum omnibus literis pontificijs, & vetuſtatis monumentis, & reliquijs abſumpta fuit. Niſi quòd remanſit ex tam crudeli fortuna corpus beati Pacifici, in ſaxo marmoreo propè maius templi altare reconditum. Claruit Sãctus hic multis miraculis, & adhuc claret, nam ex eius tumulo ſuauiſ- D ſimus odor procedens fratres hîc commorantes non raro recreat, tametſi nondum ſit canonizatus. Vita eius ſicut & alia huius conuentus ſcripta omnia perierunt. Fons in hoc loco ſcaturit beati Pacifici nomine, & miraculis clarus, qui à multis religionis & ſanitatis recuperandæ cauſa viſitur. Nam aqua eius epota febricitantibus præſentiſſimum affert remedium. Fuerunt etiam olim in hoc conuentu literę obedientiales eiuſdem B. Pacifici, conſignatæ à fratre Helia generali Miniſtro: ſed Franciæ Miniſtri prouinciales eas hinc tranſtulerunt Peronam Picardorum. Morantur communiter hoc in conuentu quindecim fratres, è quibus prædicatores ſunt quinque, Lector vnus, cæteri ſacerdotes, iuuenes & laici. Incredibile quantum fructum fratres huius domus his tẽporibus periculoſiſſimis & peſſimis, frequentiſſimis ſuis concionibus, in pagis ferè cẽ- E tum circumiacentibus in vinea Domini protulerunt; ita vt ne vnus quidem è tanto numero hæreſi fuerit infectus. Singulis enim Dominicis diebus & feſtiuis, quilibet huius conuentus prædicator tres aut quatuor pagos viſitat, & Chriſti fidelibus diuini verbi annonam fideliter diſtribuit, quamobrem ab omnibus honorantur & amantur, & liberaliter excipiuntur, atque eleemoſynas largas propter Dei amorem reportant.

De Minoritico conuentu Cortracenſi. *Conu. X.*

CONVENTVS fratrum Minorum oppidi Cortracenſis, ad ripam fluminis Liſæ (qui magna ex parte locum alluit) fundatus atque conſtructus fuit, anno Dominicæ incarnationis milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo octauo, per illuſtrem Gualterum de Halevuijn equeſtris ordinis virum, & generoſam Iacobam à Capella

pella prædicti Gualteri eius coniugem amantiſſimam, filiumq; ipſorum Ioannem de Halevuijn tanta liberalitate, & pia atque prodiga charitate, vt latiſſimum fundum, ſiue ampliſſima domicilia, ornamenta ſacra, cęteramq; monaſterij ſupellectilem conſideres profudiſſe potius, quàm dediſſe bona ſua, meritò exiſtimare poſſis. Habuerunt huius ſancti operis coadiutores, & collegas venerabiles viros oppidi Curtracenſis ciues Ioannem de Vrient, & Guilielmum Noppe. Verùm hæreticorum noſtri temporis indomita rabies, tanta tantorum virorum pietatis monumenta impiè & fœdè, annis proximè elapſis, deiecit, ſpoliato conuentu, imaginibus ſacris confractis, magna parte officinarum conuentus diruta, & vendita vniuerſa ſupellectile, edicto publico impij & ſacrilegi Magiſtratus, fratribus in exilium non ſine iniurijs, moleſtijsq; grauibus & periculis miſſis. Itaque publicata fuêre omnia, direptæ literæ apoſtolicæ, & literæ priuilegiorum, paucis ſeruatis. Reliquiæ etiam Sanctorum extra argenteas capſas & pyxides ſacrilega auaritia extractæ, atq; diſperſæ fuêre, niſi quòd brachium ſanctæ Anaſtaſiæ virginis & martyris religioſa diligentia, quorũdam ſęcularium fuerit aſſeruatum, & conuentui reſtitutum, poſtquam oppidum ad regiam obedientiam armorum vi fuit redactum, ſimul cum magna parte cranij capitis ſancti Amandi Epiſcopi Belgarum Apoſtoli. Conſecratum fuit monaſterij huius templum per reuerendiſſimum Epiſcopum Sareptanum ſuffraganeum Tornacenſem, anno Dominicæ incarnationis milleſimo quadringenteſimo octuageſimo ſexto ad honorem Dei, & ſub titulo ſanctæ Barbaræ virginis & martyris, quamobrem vocatur conuentus ſanctæ Barbaræ. Porrò dedicationis anniuerſaria memoria celebratur Dominica prima menſis Auguſti. Commorantur in hoc monaſterio fratres vigintiquinque, è quibus vnus eſt Lector, & ſeptem prædicatores. Horum præcipua exercitatio eſt in concionibus ſacris, quas frequentiſſimas habent in oppido populoſo, quòd hic ſolus conuentus ibi ſit, in quibus viriliter pro Dei Eccleſia, & animarum lucro indies ferè deſudant, quibus breui tempore effecerunt, vt in oppido quod antea hæreſi erat infectiſſimum, nũc ne vnus quidem ſit, qui vel hæreſim ſapiat, vel hæreticum ſe profiteatur palàm, Deo optimo maximo bonorum largitori gratia omnis & gloria. Martyres nullos habet iſte conuentus, qui morte ſua catholicam fidem conſignarint, tametſi ſæuiſſima, & crudeliſſima, atque ſanguinaria ſit Caluiniana hæreſis, ſed videtur Satanas martyrij gloriam fratribus diui Franciſci in hac Prouincia inuidiſſe. Habet tamen plurimos, qui exilio, ærumnis & varijs calamitatibus, ob fidem catholicam in hoc oppido & circa, fuêre affecti. Inter quos præcipuam meretur laudem, ob patientiam & verè Chriſtianam in atrociſſima perſecutione conſtantiam, pater frater Antonius Benault Guardianus huius domus, & Prædicator inſignis, qui officium ſuum cùm exercuiſſet, etiam tempore libertatis conceſſæ per ſummum nefas, & hæreticis conſuetam perfidiam, captus & ad pedes fune alligatus, ita per ſordes platearum ad carceres pertractus fuit. In itinere pueri, & milites petulanter inſultabant, luto, & excrementis pecudum virum grauiſſimum, & qui paulò ante ſæpè verbo Dei, piè & eruditè propoſito, ingratum vulgus pauerat, conſpergebant. Imò priuſquam ad carceres pertrahi poſſet ſex vulneribus, cùm in capite, tum in corpore crudeliſſimè affectus fuit, ita vt ſemiuiuus vix tandem eò peruenerit. Multis pręterea incommodis in carcere afflictus fuit, vtpotè fame, frigore, pœdore grauiſſimo, nam in lacum profundiſſimum hominem religioſum & probum proiecerant, nulla habita ratione vel eruditionis, vel priſtinorum beneficiorum, ſed ne humanitatis quidem. His addere decet quotidianas vexationes, calumnias, blaſphemias, quas à Miniſtris Caluinianis, eum ex præcepto Magiſtratus viſitantibus, audire cogebatur, qui etiam loco argumentorum minas ſuppliciorum, & mortis eidem patri proponebant, ni in hæreſim damnatiſſimam conſentiret. Ipſe interim grauiſſimis & ſapientiſſimis rationibus homines perditos confutabat, & ad metam non loqui adigebat. Hæc & alia in carcere pertulit.

De Minoritico conuentu Aldenardenſi. *Conu. XI.*

DE hoc conuentu, quia tertiò videlicet annis Domini 1566. 1572. 1578. ab hæreticis ſpoliatus, & grauibus damnis affectus fuit, nihil antiquũ occurrit, quod huic hiſtoriæ

A hiſtoriæ inſeri valeat, niſi quod ſit antiquus, extructus videlicet ad ripam Scaldis fluminis, anno Dominicæ incarnationis milleſimo ducenteſimo trigeſimo. Fundatores fuêre deuotus quidam & venerabilis ciuis nomine Ioannes de Portre, & Iuetta vxor eius, qui in proprijs ſuis ædibus, conuentum iſtum, ferè in medio oppido ædificari fecerunt, quod conſtat ex antiquo Martyrologio ex tot ruinis reſeruato. Arca conuentus cum omnibus literis apoſtolicis ac alijs, imagines cum reliquijs ſanctorum, & (vt ſemel dicam) tota domus cum fratribus Franciſcanis omnibus, & vniuerſa ſupellectile miſerandas calamitates ab hæreticis tribus vicibus eſt perpeſſa. Fratres numero ſeptem vel octo anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo incarcerati, verberati, & tamē poſt multas illatas iniurias in exilium acti fuêre. Quod etiam alijs pleriſque tum eccleſiaſticis, tum ſæcularibus Chriſtifidelibus
B in oppido ingratiſſimo contigit: Nam incredibile eſt, quantam ex fratrum obſequijs ſemper perceperint, & adhuc percipiant vtilitatem, tam ex celeberrimis concionibus continuis, quàm ex ſeruitio Deo præſtito, & præſertim exēplari vita, ac religioſa conuerſatione. Oppidum anno Dominicæ natiuitatis milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſecundo, poſtquam ad inędiam redactum fuit duorum menſium obſidione, Duce ſereniſſimo Principe Parmenſi, in regiam poteſtatem & obedientiam coactum fuit, fratribusq; conuentus laceratus, & ſpoliatus redditus. Attamē quotidie (vt viros apoſtolicos decet) bonum pro malo reddere minimè deſiſtunt, dum prædicatione verbi Dei corruptam plebem, & hæreſi infectam ad catholicæ Chriſti Eccleſiæ gremium reducere pro viribus adnituntur. Solent in hoc conuentu morari Franciſcani fratres triginta, nunc vix ibi habitant duodecim, è quibus ſex ſunt egregij prædicatores.

C

De conuentu S. Franciſci Vallis Entinæ. *Conu. XXII.*

IN pago Lvvez, non procul ab oppido & arce Hiſdinienſi, conuentus fratrum Minorum ſitus eſt, atque fundatus per Dominum eiuſdem pagi, circa annum Domini 1503. Locus paruus eſt, & ſolitudini atque contemplationi aptiſſimus. Fratres hîc commorantes numero duodecim, præſertim in ſacris prędicationibus, quas in circumiacentibus villis & pagis frequentiſſimas faciunt cum magno auditorum fructu, nihil habent vel literarum, vel reliquiarum, aut alterius alicuius rei memoria dignum. Templum ſub titulo beati Franciſci Deo conſecratum eſt, cuius anniuerſarius dedicationis dies celebratur menſe Maio, in feſto ſancti Ioannis ante portam Latinam.

D HÆC ſunt quæ de huius nouæ Prouinciæ S. Andreæ nupera erectione, deq; conuentibus fratrum inueniri certa potuerunt, vel quæ narratione aliqua digniora videbantur. Cæterùm habet hæc eadem Prouincia quædam monaſteria pauperū Dominarū, ſiue ſororum Clariſſarū B. Coletæ, religioſiſſimam vitam agentium: qualia ſunt Cameracenſe, ad quod perſonaliter non licuit ire propter rebellionem ciuitatis contra proprium Principem: Attrebatenſe inſigne & religioſum monaſterium: Hiſdiniēſe eiuſdem Inſtituti & Reformationis: Brugenſe, quod accedere quoq; non licuit, propter Flandrorum hæreticorum (qui hanc ciuitatem contra catholicum Regē, quando huius Prouinciæ deſcriptio facta eſt, occupabant, expulſis interim omnibus Eccleſiaſticis perſonis, monialibus pauperibus ſanctæ Claræ, vel ſanctæ Coletæ exceptis)
E rebellionem, quemadmodum neq; Gandauenſe, ob eiuſdem cauſas. Nunc autem præfatis ciuitatibus opera ſereniſſimi Principis Parmenſis in catholici Regis poteſtatem redactis, non modica melioris fortunæ ſpes affulget. Porrò apud ſorores pauperes ſanctæ Claræ Gandauenſes requieſcit corpus beatæ virginis Coletæ, quæ multis & in vita, & poſt mortem miraculis claruit, & adhuc claret. Digna quæ in Sanctorum numerum credatur relata, tametſi nondum ſecundum Eccleſiæ conſuetudinem ſit eorum catalogo aſcripta. Sunt etiam in hac Prouincia tria monaſteria ſanctæ Claræ Vrbaniſtarum, ſeu poſſidentium, quemadmodum & quædam alia cœnobia tertij Ordinis, ſed nihil ſingulare, aut egregium habent, quod meritò huic hiſtoriæ inſcribatur. Commorantur in iſtis monaſterijs ſanctæ Claræ patres Confeſſarij, & prædicatores, alijq; fratres in obſequium earundem monialium, quibus omni in euentu adſunt.



PROVIN-

PROVINCIA SARDINIAE.

A SARDINIÆ inſula eſt in mari Libyco, ita dicta à Sardo Herculis filio,
qui è Libya veniens cum multitudine colonorum inſulam occupauit:
cùm antea Sandaliotis appellaretur ab effigie ſoleæ, & Ichnuſa à ſimili-
tudine veſtigij. Huius longitudo eſt millium paſſuum nonaginta octo:
Latitudo verò ducentorū viginti, quāquam alij ſtadia multo plura adij-
ciant. Habet hęc inſula à Septētrione montes editiſſimos, qui prohibent quominus à
Borea perflari poſſit. Quo fit, vt aëri peſtilētiæ maximè ſit obnoxia: quo nomine etiā
olim tam malè audiuit, vt Marcus Cicero Quintum fratrem moneat, etiā tum quum
optimè valeret, meminiſſe eum debere in Sardinia ipſum eſſe. Et alibi Tigellum quen-
dam Sardum hominem eſſe ait patria ſua peſtilentiorem. Martialis quoq; Sardiniam
B Tyburi, tamquam ſaluberrimo loco peſtilētiſſimum opponit. Nullo (inquit) fata lo-
co poſſis excludere, quum mors venerit, in medio Tybure Sardinia eſt. In hoc tamen
mirabilis eſt, quod in ea neq; lupus gignatur, neque ſerpens reperiatur. Abundat tota
hæc inſula frugibus, pecore, & armento: quo fit, vt ibi vili pretio carnes emantur, vtq;
à mercatoribus hinc multa coria in Italiam, Hiſpaniamq; abducantur, ſicut & mira
caſeorum copia aſportatur. Reperiuntur etiā ibi tot equi, vt non pauci agreſtes ſint,
dominiſq; peculiaribus careant, & generoſiores vili pretio emantur. Et quamuis ita
proceri, ſicut Hiſpanorum, ac Italorum equi, non ſint, in robore tamen agilitateq; il-
lis deteriores minimè exiſtimantur. Tandem inſula hæc frumenti ac vini feraciſſima
C eſt, ſalinaſq; magnas, inexauſtaſq; non in vno tantùm, ſed in multis locis habet. Hanc
præterea inſulam Pœni occuparunt: ſed à Romanis primo bello Punico expulſi ean-
dem amisêre. Quæ tamen poſt plurimos annos elapſos, cùm à Piſanis, & Liguribus
ſeu Genuenſibus, qui eam diuiſerant inter ſe, partem vnam Caput Calaris vocitātes,
alteram verò Caput Lugudori, quam & Ligures ſibi retinuerant, occuparetur, à Ca-
thalanis debellata, atq; ſubiecta in Aragoniæ Regum poteſtatem venit. Ad hāc igitur
inſulam transfretaſſe creduntur aliquot Franciſcani patres, ſeraphico patre Franciſco
adhuc ſuperſtite, qui vno aut altero conuentu ibi erecto Religionem plantarunt. Cui
D opinioni & antiquiſſimi aliquot patrum Conuētualium conuētus ibidem conſtructi,
& vulgaris quædam accolarum traditio aſtipulari videntur. Sed quando regularis
Obſeruantia exordium ea in inſula ſumpſerit nec ſcripto, nec traditione, noſtris fratri-
bus ibidem commorantibus, ad Sardorum ſęcularium inſtar, nihilominus ab hiſtorijs
etiam ſe concernentibus, atq; antiquitatum monumentis curantibus, quoquo pacto
conſtat. Nihilominus tamen ex antiquo quodā libello manu ſcripto, ac ferè obliuioni
tradito hęc didici. Sub R. ſcilicet admodum patre fratre Ludouico à Turre, patria Ve-
ronenſe, atq; Prouinciæ S. Antonij alumno, necnon generali Citramontanę Obſeruā-
tis familiæ Franciſcanæ Vicario dediſſe operam aliquot patres Sardos, qui ea propter
E ex Sardinia Mantuā ad generale Capitulum, ibi anno à partu Virgineo 1498. celebra-
tum venerant, vt eorum domus in Prouinciam à proprio Vicario prouinciali regen-
dam, gubernandamq; eueherentur. Quod tamen obtinere minimè potuerunt. Idq; (ni
fallor) ob præfatarum domorum paucitatē. Vt autem id ita eſſe, prout diximus, con-
ſtet, ipſiſſima præfati patris Ludouici à Turre, verba hîc adiecta volui. Quæ & ſe-
quuntur: *Tempore officij mei fratris Ludouici de Turre propoſitum eſt, & ſupplicatum no-
mine fratrum Vicariæ Sardiniæ cum multis literis tam regiæ Maieſtatis, quàm aliorum nobiliū
illius inſulæ, vt Commiſſarius illorum habeat titulum Vicariatus, & vocem actiuam: in Capitu-
lo generali Mantuæ, anno Domini 1498. celebrato concluſum eſt, quòd ſint, vt hactenus fuê-
re. Et ſic reſponſum eſt literis præfatorum cum legitima excuſatione.* Ex præfatis itaque
verbis

verbis conſtat, quod regularis Obſeruantia eo temporis hac in inſula radices iactas A
haberet, ſed Commiſſarij tantùm, non autem prouincialis Vicarij curæ commiſſas. Poſt aliquot verò annos ab huiuſmodi generali Capitulo elapſos, quotquot erant fratres in Sardinia Obſeruantes ad reuerendiſſimi patris Conuentualium Minoritarum Miniſtri obedientiam, generali interim Obſeruantum Vicario vale dicto, declinarũt: ac ſub ea plurimis annis Chriſto Domino, & ſeraphico patri Frãciſco militarunt. Nam in ſeptimo generaliſſimo noſtri Ordinis Capitulo, Romæ in conuentu Aræcœli ſub Leone X. Pont. max. anno Domini 1517. celebrato, nulla penitus Prouinciæ Sardiniæ mẽtio facta fuit, neq; etiam Chronicorum noſtri Ordinis author, R. ſcilicet P. F. Marcus Olyſipponenſis Portuenſium Epiſcopus, qui vtriuſq; familiæ Vltramontanę ſcilicet, atq; Ciſmontanæ Prouincias 3. ſui operis parte quàmdiligentiſſimè deſcripſit, eius aliquo pacto meminit. In Capitulo verò generali Mantuæ, anno Domini 1541. habi- B
to, Prouincia Sardiniæ erecta erat, vocemq́; tum actiuam, tum quoq; paſſiuã ibidem habuit. Sed quando id dignitatis acquiſiuerit, vel quo tempore à Conuẽtualibus prę fatis patribus ad regularem Obſeruantiã regreſſa ſit, nec ſcripto, nec traditione conſtat. Præterea præfata hæc Sardiniæ Prouincia non ſatis ſibi conſtitit, nec in eadẽ ſemper ſententia permanſit: cùm modò Ciſmontanæ familiæ, modò verò Vltramontanę adhæſerit. Audiuit ſiquidem à tempore, quo Obſeruantiæ regulari nomen dedit, ad annum vſq; Domini 1511. Ciſmontani generalis Commiſſarij dictis. Inter cętera R. admodũ patris fratris Franciſci Zenonis generalis Citramontanæ familiæ Commiſſarij decreta huiuſmodi verba leguntur. *Die 26. Februarij 1511. ſcripſi ego frater Frãciſcus Zeno, dum eſſem Vicarius generalis, patri Vicario generali Vltramontano rogatus à fratribus Sardis, & à Rege Hiſpaniæ, quòd ſum contentus, quòd recipiat Sardos ſub cura, & obe-* C
dientia ſua. Ab anno verò præfato 1511. ad certum vſq; tempus Vltramontanę familiæ vnita extitit. A qua tandem ad Citramontanã redijt. Sed quo certo tempore id acciderit, nos omnino latet. Inſuper in generali Citramontanæ Obſeruantis familię cõgregatione Romæ ſub R. P. F. Chriſtophoro à Capitefontium generali noſtri Ordinis Miniſtro, Gregorio XIII. Pont. max. ſedente, anno Domini 1575. celebrata inſtitit, idq́; inſtantiſſimè grauiſſimas ob cauſas apud patres, quorum ex munere intererat, catholicus Hiſpaniæ Rex Philippus II. vt præfata hæc Sardinię Prouincia denuò Vltramõtanę familiæ vniretur. Quod tamen, contradicẽtibus ſibi ob quoſdam reſpectus humanos patribus, aſſequi non potuit. Quamobrem, vt primùm ad generalem totius Ordinis Miniſteriatum à patribus aſſumptus fui, catholicus idem Rex ad me multis, eiſq́ue vrgẽtiſſimis, grauiſſimiſq; cauſis in medium adductis, eadem prorſus de re literas de- D
dit. Cui tñ, de conſenſu nihilominus patrum Citramontanæ familiæ Diffinitorũ, quorum omniũ literæ penes me ſunt, annuendũ cenſui, dediq́; huiuſmodi patentes literas.

Frater Franciſcus Gonzaga, totius Ordinis Minorum generalis Miniſter, & ſeruus vniuerſis, & ſingulis præſentes literas inſpecturis ſalutem, & ſinceram in Domino Ieſu deuotionem. Tanta eſt potentiſſimi Philippi Hiſpaniarum Regis catholici in Ordinem noſtrum beneuolentia, & tam inſignis erga pauperes euangelicos Obſeruantia, vt obſequium omne ſuæ Maieſtati catholicæ præſtare, ac religioſiſſimis tanti Regis petitionibus annuere, pro tenuiſſimis noſtris viribus, meritò debeamus. Cùm ergo Rex ipſe catholicus ſolita animi pietate ad Prouinciam Sardiniæ fratrum Minorum regularis Obſeruantiæ iampridem attenderet, & eam in via Dei dirigere optaret, ac certis quibuſdam grauiſſimis cauſis, & rationibus ductus illam Vltramontanæ familiæ dicti Ordinis aſcribendam eſſe iudicaret, atque parti Hiſpaniarum applicandam, vehemẽter E
cupiebat eam applicationem executioni demandari, quemadmodum id denuò vehementius exoptat. Quod vt ſuauiter, & aptiori modo fieri queat, aſſenſum noſtrum verbis efficaciſſimis petere, ac inſtanter à nobis requirere non eſt dedignatus. Nos autem, tametſi ab incunabulis Maieſtati ſuæ catholicæ addictiſſimi ſimus, attendentes negotium hoc ad totam familiam Ciſmontanam attinere, omnibus Ordinis noſtri patribus in dicta familia conſiſtentibus illud exponendũ eſſe, atque eorum de re iſta ſententiam expetendam duximus; vt tantorum patrum conſilio maturius in re graui procederetur. Habita igitur conſultatione cum præfatis patribus, omnes grato animo catholicæ Maieſtatis petitioni obſequentiſſimè morem gerere cupientes, dictæ regiæ petitioni aſſentiendum eſſe reſponderunt. Proinde attendentes ad efficaciam rationum, quæ ani-

mum

A *mum præfati Regis catholici ad hanc petitionem impellunt, & ad præclara merita ſuæ catholicæ Maieſtatis, quæ mille titulis eſt de Ordine noſtro, Fideque catholica benemerita, atque ad debitam obſequij, & deuotionis ſinceritatem ei à nobis exhibendam, tenore præſentium, de communi conſenſu, voluntate, ac beneplacito dictorum Ordinis patrũ, videlicet admodũ RR. PP. Antonij Geneſtreti Prouinciæ Marchiæ, & Bonauenturæ de Clauaro Prouinciæ Genuæ, olim in dicta familia generalium Commiſſariorum: ac RR. PP. fratrum Danielis de Meduna Prouinciæ S. Antonij dicti Ordinis, ac generalis in curia Romana Procuratoris; Franciſci Panigarolæ Prouinciæ Mediolanij, Vincentij Guidi Prouinciæ Brixiæ, Thomæ de Maſſa Prouinciæ Marchiæ, Danielis à Monferrato Prouinciæ Baſilicatæ, Vincentij de Roma Prouinciæ Romanæ, Seraphini Monſalbani Prouinciæ S. Antonij, Ioannis Vollera Prouinciæ Terræ Laboris, Cornelij de Buxeto, & Hieronymi ab Imola Prouinciæ Bononiæ, Andreæ Cernata Prouinciæ Dalmatiæ, & Vincentij de Meſ-*
B *ſana Prouinciæ Siciliæ, Clementis à S. Petro in Galatina Prouinciæ S. Nicolai, ac proinde omniũ Ordinis noſtri patrum prænominatæ familiæ Citramontanæ conſenſum, & aſſenſum noſtrum, voluntatem, atque beneplacitum damus, vt dicta Prouincia Sardiniæ à ſæpe dicta familia Citramontana diſmembretur, & ſeparetur, ac alteri eiuſdem Ordinis familiæ, quæ Vltramontana à nobis Italis appellatur, ac proinde Hiſpaniarum parti vniatur, & incorporetur. Eritque nobis gratum, immo & gratiſſimum, quod ſanctiſſimus D. noſter PP. hanc dictæ Prouinciæ Sardiniæ ſeparationem ab vna familia, & vnionem (vt præfertur) cum altera facere dignetur. In quorum omniũ, & ſingulorum fidem præſentes literas manu noſtra ſubſcriptas, & maiori noſtri officij ſigillo munitas damus. Parmæ die quinta menſis Nouembris 1581.*

Frater Franciſcus Gonzaga, qui ſupra, manu propria.

PERTINET itaque præfata hęc Sardiniæ Prouincia ab anno Domini 1581.
C impræſentiarum vſq; ad Vltramontanam familiam, & ab eo temporis ab eiuſdẽ familię patribus recta, gubernataque extitit. Inſuper & in generali Congregatione, per me Toleti anno Domini 1583. cum Vltramontanis patribus habita, proprius ſibi locus, nempe quadrageſimus, atq; inter ſancti Andreæ, & Valentiæ Prouincias medius, in Vltramontanarum Prouinciarum catalogo aſſignatus fuit. Cuius deniq; Prouincię ex ſeptem fratrum conuentibus, atque duobus monialium monaſterijs conflatæ, cui ſanctos martyres Gabinium, Brolum atque Baincum graphicè depictos in peculiares patronos, ac tutelares, pro more huc vſque à me ſeruato, anteponere volui, maius ſigillum glorioſiſſimæ virginis Mariæ imaginem ſtantem, ſiniſtraque vlna puerum Ieſum ſuſtinentem, atque Sole amictam, Lunamque ſub pedibus habentem ad cuius dextrum latus genuflexus Patriarcha Franciſcus, complicatis ad pectus ma-
D nibus, orat: nec non & ſequentes literas. PROVINCIAE SARDINIÆ SANCTAE MARIAE GRATIAE. ſphericè papyro imprimit.

De conuentu S. Mariæ de Gratia Saſſaris. Conu. I.

INTER omnes huius Prouincię conuentus hic, diuo Petro Apoſtolorum Principi ad mille paſſus à Saſſare Sardinienſi ciuitate erectus, principatũ obtinet. Eſt nãq; omni ex parte perfectus & abſolutus, optimaq; aura atq; tranquillitate gaudet: inſuper & pulcherrimis hortis circundatus maxima amœnitate potitur. Ad quem tamen, licèt longiuſculus à ciuitate diſtantem, maximus ſit ciuium, atque adiacentium populorum concurſus: idque ob ſacellum glorioſiſſimæ virgini Mariæ de Gratia ibidem erectum, in quo meritis Deiparæ eiuſdem virginis frequentiſſima contingunt mira-
E cula. Cæterùm præfatus hic conuentus à 25. fratribus plerunque incultus, epiſcopalis olim camera extitit, & in monaſterij formam à Franciſcanis Obſeruantibus ex diuerſis Saſſarenſium eleemoſynis, anno Domini 1467. primò transferri cœpit.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Calaris. Conu. II.

CALARIS, quę & Iole ab illa Iole, quã Hercules perditiſſimè amauit, à priſcis appellabatur, omniũ ciuitatum Sardinienſium tum ob coraliorum piſcationẽ, tũ ob curiam frequentius ibi reſidentẽ, tũ ob Archiepiſcopalẽ ſedẽ ibidẽ erectã, tũ quoq; ob ſacra B. Auguſtini oſſa plurimis ibi annis recondita, donec videlicet ab Heliprando Rege Papiã trãslata sũt, præclariſſima eſt. Lõgiuſculus igitur ab antiquiſſima hac ciui

tate, nec tamē procul à mari,erectus conſpicitur Minoriticus quidam conuentus, (de quo impræſentiarū) ſanctiſſimæ Mariæ de Ieſu ſacratus,atq; omni ex parte perfectus, qui tum ex publicis,tum quoque ex priuatis Calarenſium eleemoſynis conſtructus, à Franciſcanis Obſeruantibus,anno humanę ſalutis 1508 primò acceptus, occupatuſq; extitit. Adhæret huic conuentui, à 25. religioſis vt plurimùm in habitato, pulcherrima, eaque capaciſſima, atque plurimis elegantiſſimiſque ſacellis exornata eccleſia, quæ plures ſui authores agnoſcit: Nam princeps eius ſacellum nobilem Petrum Maſſam ſui fundatorem habuit: quæ verò reliqua ſunt à diuerſis Calarenſibus, nobilibus tamen,conſtructa fuêre. In horum ſacellorum altero, ſub titulo ſancti Petri erecto, admirandæ religionis & ſanctitatis frater Saluator ab Horta laicus profeſſus, atque natione Cathalanus,necnon & miraculis inſignis quieſcit. Hic,cùm ob ſui ſanctitatē, mirabilium curationum gratiam,atque exemplarem vitam,tum in Regno Valentiæ, tum quoque in Pincipatu Cathaloniæ,ac in reliquis Hiſpaniæ partibus maximi ab omnibus fieret,popularem declinaturus auram,ad hanc Sardiniæ inſulam cum quodam patre iſtius Prouinciæ Commiſſario, ſub anno Domini 1565. transfretauit, atq; præſentem conuentum in habitationem nactus,mulierem in puerperio exiſtentem,grauiſſimèque laborantem ſigno crucis à diſcrimine liberauit,ſibique prædixit: parituram ſe quidem puerum,qui Franciſcanæ familiæ aſcribendus aliquando veniret; quamobrem eum Saluatoris nomine nuncupandum curaret.Quæ ſanè omnia,prout frater Saluator prædixerat,omnino euenerunt. Nam illa puerum,qui poſtea vocatus Saluator Franciſcanum habitum induit,modoque ſupereſt,peperit. Huius tanti patris corpus in communi fratrum ſarcophago tumulatum,poſt 12.annos elapſos, integrum omnino,incorruptum atq; tractabile,dum fortè fortuna alius quidā religioſus ſepeliendus veniret,inuentum eſt. Quamobrem inde exhumatum ad præfatum S.Petri ſacellū,honeſtiori loco recondendū, tranſlatū extitit:vbi & à Calarenſibus maximè honoratur.

De conuentu S. Mariæ Magdalenæ Oriſtagni. Conu. III.

ORISTAGNENSIS ciuitas,in ſolo plano, & parum diſtāte à mari ſita, portum habet Occidentem reſpiciens,in ſalubrique ob paludes & ſtagna,quibus abūdat,infeſtatur aura,atq; ob hanc cauſam parùm inhabitata eſt:Stagna tamen eius piſculentiſſima ſunt,& propę eam maior Sardiniæ fluuius labitur. Olim regio circumiacens Arborea nuncupata extitit,nunc autem Marchionatus Oriſtagni appellatur; cūque quidam Marchio Aragoniæ Regi rebellaret, Dominio priuatus fuit, & præfatus Rex immediatus Dominus effectus extitit. Cùm igitur ſub anno Dominicæ incarnationis 1458. Frāciſcanis Obſeruantibus à reuerendiſſimo Oriſtagnenſium ſiue Arborenſium Archiepiſcopo ædicula quædam,B.Mariæ Magdalenæ ſacra,atq; duobus millibus paſſuum ab Oriſtagno ſiue Arborea diſtans, quæ & Archiepiſcopalis camera erat, liberaliter oblata eſſet,eam pientiſſimus,ſimulatq; de Franciſcana Religione optimè meritus heros Antonius ab Arborea, Oriſtagnenſiū Marchio,ſuis ſumptibus ampliandam, ac in iuſtam eccleſiam euehendam, nec non & cōuentum,(de quo impræſentiarum)decem continendis fratribus accommodatum,ſibi adijciendum curauit.A ſanctiſſimo quodam Crucifixo Oriſtagni in Conuentualium Franciſcanorum patrū conuentu erecto,qui cūctis Sardis,ob frequentiſſima miracula,quę ibi indies cōtingūt,cōmēdatiſſimus habet,nihil aliud magis Oriſtagnēſiū cordibus eſt quàm pręſēs cōuētus.

De conuentu S.Mariæ de Angelis Luſurgij. Con. IIII.

HABITVRI Luſurgienſes propius Minoritas, qui ſe in via Domini inſtruerent, ſibique in excipiendis ſacris confeſſionibus,atque ſpiritualibus alijs neceſſitatibus opportunè adeſſent, hunc conuentum, ſanctiſſimæ Mariæ de Angelis ſacrū, non longè à Luſurgio communi oppido, ex communibus quoque facultatibus ſub anno humane reparationis milleſimo quadringētеſimo ſeptuageſimo tertio à fundamētis erigendum,temporiſq; decurſu abſoluendū curarunt. Quorū ēt ſucceſſores decē fratres pręfati huius loci accolas & beneuolētia,atq; plurimis proſequūtur beneficijs.Particula ſanctiſſimæ crucis Chriſti, & alijs ſanctorū reliquijs hic conuētus cohoneſtatur.

De con-

A *De conuentu pietatis Algarij. Conu. V.*

ALGARIVM Sardiniæ oppidum eſt munitiſſimum, domibus, ac ædificijs perpulchris ornatum, atque coralium piſcatione inſigne, cuius accolæ ferè omnes Cathalani ſunt. Cùm itaq; ad 200. paſſus ab hoc oppido Algarenſis cõmunitas hunc cõuentum, Pietati ſacratum, ex publicis facultatibus, ſub anno Dñicę incarnationis 1508. à fundamentis ad verticem vſque erexiſſet, Obſeruantibusq; Franciſcanis in habitationem contuliſſet, atque quæ poſtea ſibi ſucceſſit poſteritas nihil minus ab eius reparatione curaret, vnde & pro maiori parte corruerat, piæ Genuẽſis, atque Cathalana nationes Algarij mercimonij ergô agentes, duo eaque elegantiſſima ſacella, in quibus ſepeliri, atque diuino officio ſtatis diebus intereſſe poſſent, ſuperioribus annis hoc
B in ipſo conuentu conſtruenda, ac loci ruinas pro maiori parte reparandas curarunt. Quarum denique nationum beneficio fit, vt de omnimoda eius perfectione nobis benè ſperandum veniat, atque decem fratres commodè ſatis ibidem commorari poſſint.

De conuentu S. Franciſci Vſerij. Conu. VI.

HIC conuentus, ſeraphico patri Franciſco ſacratus, atque ex publicis oppidanorum facultatibus non procul ab Vſerio Sardinienſe oppido ſub anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo vigeſimooctauo conſtructus, atque huic Prouinciæ adiectus, ſatis elegans, ſatiſque comptus, pro iſtius incolarum exigentia, eſt, ac decem & octo patres ac fratres eius accolas ſat commodè capit, continetque.

C *De conuentu S. Franciſci Galuræ ſiue Templi. Conu. VII.*


PATRIA, in qua conuentus hic, ſeraphico patri Franciſco ſacratus, erectus eſt, licèt ad Terræ nouæ Marchionem ſpectet, diuitijs tamen minimè affluit: ideoque non erit mirum, ſi non adeò pinguem fortunam ipſe locus aſſequutus ſit, atque, eius parietibus omnimodam iam ruinam minitantibus, nondum vltimam artificis manũ fuerit expertus. Inhabitatur interim à ſex fratribus, idque ſatis incommodè, tum ob eius anguſtias, tum quoque ob neceſſariorum defectum. Si tamen (vt circumuicini populi polliciti ſunt) abſoluatur, habitatorum numerus facilè duplicari poterit. Cœpit aũt, prout ex quibuſdã monumẽtis liquet, primò ab ipſius fundamẽtis extrui, anno à læ tabunda Saluatoris Chriſti natiuitate, milleſimo quingenteſimo quadrageſimotertio.

D *De monaſterio S. Luciæ Calaris. Mon. I.*

A FRATRVM conuentu (de quo ſuprà) eſt & aliud Clariſſarum de prima Regula ſororum monaſterium Calaris erectum. Cuius duplex author aſſeritur, nobilis videlicet heros Antonius à Cardona, iſtius Sardinienſis inſulę olim Prorex, atque Petrus Ruecas, regiæ Maieſtatis hac in eadem inſula Quæſtor. Sed iſte eius eccleſiam, atque dormitorium conſtruxit, & tenues quoſdam annuos redditus ſibi reliquit. At ille quod reliquum eſt ædificij, id ſuis ſumptibus erigendum, atque religioſiſſimas duodecim ſorores ex Hieroſolymitano eiuſdem Ordinis conuentu, Barcinonis erecto, quæ locum incolerent, aduentanteſque virgines optimis moribus, regularibuſque ritibus imbuerent, adducendas curauit. Inhabitatur interim hic conuentus à quadraginta ſororibus de prima (vt præfati ſumus) beatæ virginis Claræ Re
E gula, atque vt plurimùm nobilibus, quę in maxima paupertate, ac religione Chriſto ſponſo inſeruiunt, obediuntque, quæ apud omnes huius inſulæ accolas optimè audiũt.

De monaſterio S. Claræ Saſſaris. Mon. II.

EST & aliud, idque vltimum, eiuſdem Ordinis monaſterium intra Saſſarenſis ciuitatis mœnia erectũ, quod (niſi nos vulgaris Saſſarenſiũ traditio fallat) communibus eiuſdem ciuitatis ſumptibus, pro ea qua in beatam virginem Claram, eiuſq; ſobolem ferebantur deuotione, ante aliquot annos conſtructũ fuit. Eius habitatrices tricenarium numerum frequentius attingunt, Deoque opt. max. in maxima cordium ſimplicitate, ſummaque pauperie ſub prima beatæ virginis Clare Regula famulãtur.



PROVIN-

PROVINCIA VALENTIAE.

A VALENTIÆ Prouincia ex ea, quę Aragoniæ dicitur, nobis prodijt.
Cùm.n.aliquot conuentus in Valentię Regno erecti an. Domini 1441.ex
eorum patrũ,quorũ intererat, decreto ſub R.P. Prouinciæ Aragoniæ Mi-
niſtri cura in Cuſtodiam euecti eſſent, ſibiq; aliquot alij eodem in Regno
temporis tractu acceſſiſſent,Prouinciæ titulo,anno Domini 1559. in gene
rali Capitulo Aquilæ celebrato,in quo R.P.F.Franciſcus Zamora in generalẽ totius
noſtri Ordinis Miniſtrum electus extitit,donati ſunt. Perficitur præterea vniuerſa hęc
Prouincia ex 26.fratrum,atq; 8.monialium monaſterijs. Cuius ſigillum maius glorio
ſiſſimæ virginis Mariæ pro throno ſedentis,atq; puerum Ieſum in vlnis geſtantis ima-
B ginem,cuius capiti ſuperſtat altera,quæ Spiritus ſancti in Apoſtolos aduentum repre-
ſentat,pedibus verò illa ſubſtat,quę perſonã B.P.Franciſci ſupplicem præſefert, atque
Regni Aragoniæ inſignia Franciſcana corda circumcincta,ſequentesque literas: S.M.
P.P.V.F.M.D.OBSERVANTIA in gyro imprimit. Quia verò id miraculum,
quod 3.par.Chronicorum noſtri Ordinis lib.7.c.16.à R.P.F.Marco ab Olyſippone Por
tuenſi Epiſcopo refertur, nempe quod ad Dominici vultus (hanc Veronicam vulgò
vocant) per beatum patrem Benedictum à Valentia de ſuggeſtu oſtenſionem tot,tam-
que largæ aquæ, terra ſiccitate maxima laborante, à nubibus ſubminiſtratę ſint, vt
eius ſterilitas in fœcunditatem verſa extiterit, & quæ prius pallebat, viridis apparue-
C rit,in Minoritico Alacantenſi conuentu, qui ad hanc Prouinciam ſpectat, anno à na-
tiuitate Domini 1490. contigit; præfatum beatum patrem Benedictum à Valen-
tia Dominici vultus iconem de ſuggeſtu populo oſtendentem, graphicèque depi-
ctum, tamquam peculiarem eius patronum, huic Prouinciæ præponere volui.

De conuentu S. Franciſci Valentiæ. Conu. I.

CVM Maurus Valentiæ Rex, Zeite Buzeite nomine, 2. fratres Minores non longè
ab ipſa ciuitate Valẽtia,quæ citerioris Hiſpaniæ inſignis vrbs eſt,& 3 millibus paſ
ſuum à mari diſtat,quòd,Mahumetiſmum damnantes,Chriſti fidem prædicaſſent, va-
D rijs,ijſq; maximis tormentis cruciari,ac demum interimi curaſſet:ab ipſis prophetico
ſpiritu afflatis,antequam ſpiritum Deo redderent,ad fidem Chriſti conuerſionem ac-
cepit. Regno itaq; à Zaëne Mauro Dianij(vulgò Denia)Rege ſpoliatus, cùm Iacobi S.
Aragonum Regis fauore,& auſpicijs, pulſo tyrãno, eiuſque exercitu fugato, amiſſum
regnum, anno Dominicæ incarnationis 1237. recuperaſſet, Mahumeticam ſuperſti-
tionem deteſtatus,atq; ſalutifero regenerationis lauacro ablutus,ipſummet locũ, vbi
pręfati P.Minoritæ martyrij palmam aſſequuti fuerãt,vbi & horti eius regij,atq; volu
ptatis domus conſiſtebãt, duobus alijs Franciſcanis patribus,quos ſecũ præfatus Iaco-
bus Aragonum Rex habebat,ad præſentis conuentus,ſeraphico P. Frãciſco ſacrati,ędi-
E ficationem liberaliſſimè contulit. Cùmque tunc ob ciuitatis anguſtias eius muris ex-
cluderetur, multiplicatis domibus, valloq; dilatato, eiuſdem mœnibus modò cingi-
tur. Fuit prętere hic locus ſumptibus vtriuſque Regis, Iacobi videlicet, atq; Zeite
Buzeite pro Franciſcanæ paupertatis ratione ædificatus,ac temporis ſucceſſu Valen-
tini ſenatus cura, atq; ſolicitudine adauctus. Ad cuius primi clauſtri læuam eccle-
ſiam petentibus prememorati Regis Zeite Buzeite, qui & poſt regenerationem
Vincentius Beluiſius appellari voluit, ſanctèque vixit, atque ſanctiſſimè mor-
tuus eſt, mauſoleum affabrè elaboratum, & ſacellum paruum eo ipſo loco, in quo
præfati Minoritæ ab eodem Rege, dum Mahumeticis erroribus irretiretur,occiſi ſunt,

erecta occurrunt. Extat & aliud ſacellum in ipſa eccleſia ab inclyta Cardonarum Aragoniæ Ammirantium proſapia conſtructum, omni veneratione digniſſimum, in quo beati patris Petri Aragonij Minoritæ oſſa lignea arca recondita habentur. Fuit beatus hic pater ſanguine clarus, cùm Iacobi eius nominis I I. Aragonum Regis, & sereniſſimæ Conſtantiæ Reginæ beati patris Ludouici Toloſani Epiſcopi vterinę ſororis filius fuerit: ſed vitę ſanctimonia, atque moribus multò clarior, multoque illuſtrior extitit. Cùm huius monaſterij eccleſia omnimodam minaretur ruinam, beatus pater Frãciſcus, iam in Regno luminum agens, nobili cuidam Valentino Berengario Codinatio Petri I I I I. Aragoniæ Regis Magiſtro Rationum in mendici forma inter connumerandam regiam pecuniam ſemel, atque iterum eleemoſynã pro Chriſti amore petens apparuit. Cui ille, pauperem eum exiſtimans, vt inferius eam à famulis habiturus ſecederet, quòdque ille locus expetendę eleemoſynę non eſſet accommodatus, reſpondit. Cumque tertiò eadem referens pauperum Patriarcha ad eum reuerſus eſſet, obiurgationem pro eleemoſyna retulit, parumque abfuit, quin vi loco eijceretur. Sed vt primùm brachia in modum crucis extendit, ſacraq; ſtigmata ſplẽdore perfuſa illi conſpicienda obtulit, prętatus Berengarius ad eius pedes prouolutus furoris, atque inclementiæ oſtenſæ veniam exorauit. Cui ſeraphicus pater: Vade, inquit, repara domum meam quæ labitur. Statimque ab eius oculis euanuit. Quo euentu Berengarius omnino territus, relictis omnibus, ad huius loci fratres ſe contulit, illiſque capitulariter congregatis rem totam aperuit, atque quid ſibi neceſſitatis occurreret, quibuſque indigerent, vt reſciret ſupplicauit. Certior itaque de imminente templi ruina factus ipſum eueſtigio ex proprijs facultatibus reficiendum, reparandumque curauit, atque moriens anno Domini 1375. in eius meditullio ſepeliri voluit. Cuius denique euentus memoria, ne aliquando periret, Ioannes Aquilonius ſacræ diui Iacobi Militiæ Commendatarius, eiuſque legitimus hæres & ſucceſſor, præfati Berengarij ſepulcro lapidem, in quo huiuſmodi hiſtoria ex ordine ſculpta eſt, anno Domini 1578. ſuperponendum curauit. Denique cùm conuentus hic ad annum vſque Domini 1500 Conuentualibus Franciſcanis patribus ſubfuiſſet, & ab his ad eiuſdem Inſtituti Obſeruantes deuolutus eſſet, atque ab ijſdem poſt ſexennium elapſum, ad eoſdem Conuentuales redijſſet, ad prętatos tamen Obſeruantes, anno Domini 1567. ex Pij V. Pont. max. mandato regreſſus eſt, atque imprętentiarum eorum centum, & vltrà deſeruit. In cuius ſacrario quoddam os alterius eorum patrum, qui ſub Azoto, vulgò Zeite Buzeite, Valentiæ Rege pro Chriſti fide paſſi ſunt, quorumque corpora ex hoc loco Turolium tranſlata fuêre, quàm diligentiſſimè aſſeruatur, cuſtoditurque.

De conuentu S. Franciſci Morellæ. Conu. II.

VT omnia proſperè ſibi ſuccederent, pientiſſimus Aragonum Rex Iacobus, Sanctus ab omnibus appellitatus, cùm primùm Morellam Valentię Regni oppidum, pulſis Saracenis iniuſtiſſimis eius poſſeſſoribus, expugnaſſet, Chriſtianis, qui illis ſucceſsêre, quatenus Minoriticum conuentum erigerent, ſuaſit: inſuper & plura ad eius ędificationem cõtulit. Illi igitur tanto Regi obtemperaturi euocatis ad ſe an Dñi 1272. Minoritis, domum ad caſtri radices ſitam, in qua B. Vincentius glorioſus Chriſti athleta, dum Cęſarauguſta Daciano Romano Præſidi ſiſtendus deferretur, olim pernoctauit, tum ex regijs, tum quoque ex communibus facultatibus in præſens hoc monaſterium, ſeraphico P. Franciſco ſacratum, transformandam curarunt. Inhabitatur frequẽtius hic locus à 30. fratribus, eiuſq; eccleſia à R. Hugone Dertoſanorum Epiſcopo anno Dñi 1390. de religioſo more cõſecrata fuit. Quia verò prętatus Hugo Epiſcopus ſummum ſacrum, aſſiſtentibus ſibi ad altare duobus Epiſcopis, tribus diaconis, ac totidem ſubdiaconis ipſo cõſecrationis die fecit, aſſueuit aliquando huius cõuẽtus Guardianus, idq; in ſolemnioribus feſtiuitatibus, ſimul cũ duobus alijs ſacerdotibus, tribuſq; diaconis, atq; tribus etiam ſubdiaconis ſacris operari. Huius loci accola fuit Benedictus XIII. dũ de sũmo Pontificatu cũ Bonifacio IX. contenderet, ſibiq; 2. ſpinas ex Dominica corona, Dñicæ itidem crucis particulam, alterũ ex digitis diui Ioãnis Baptiſtæ, quoddam os B. P. Bernardi de Quintaualle primi ſeraphici P. diſcipuli, atque plures

alias

A alias reliquias dono dedit:cumq; fratribus ſemel in refectorio couueſcēs,ab importunis muſcis diuexatus,eas maledictione percuſiſſet,euanuêre ex tempore huiuſmodi beſtiolæ,nunquamq; amplius eo in loco viſæ ſunt.Hic deniq; conuentus,in quo tum philoſophicum,tum quoq; theologicũ ſtudiũ viget, ad Conuentuales Franciſcanos partes pertinuit,& ab eis ad noſtros Obſeruantes,anno Dominicæ incarnationis milleſimo quin genteſimo ſexageſimo octauo ⁻ ɔ V. ſũmo Pont. id præcipiente ſecũdò deuolutus eſt.

De conuentu S. Franciſci Sagunti. Conu. III.

SAGVNTINI eius fidelitatis,atq; beneuolentiæ,qua in proprium Regem ferebantur aliquod ſpecimen daturi,vt primùm à R. P. F. Raymundo Goffredi totius Ordinis Franciſcani generali Miniſtro eo in prouinciali Capitulo, quod Barcinonis B anno Domini 1294.celebrauit,4.fratres,qui conuentui à ſe Sagunti ædificando inuigilarēt,obtinuêre,xenodochiũ in prefatę ciuitatis Saguntinæ ſuburbijs erectũ,cui & eccleſia, & capaciſſimus hortus adiacebant,in præſens monaſteriũ tum ex publicis,tum quoq; ex priuatis facultatibus ſub beati patris Franciſci titulo transferendum , cæteriſq; Prouinciæ Aragoniæ locis,ea tamen poſita lege , vt pro Iacobi , Petri , atque Alphonſi Valentiæ olim Regum animabus,atque pro Iacobi II. Valentiæ quoque Regis vita, feliciq; ſucceſſu fratres Deum exorarent,adijciendum curarunt.Cùmque,bello inter Petrum Crudelem Caſtellæ,atq; Petrum IIII.Aragonum Reges vigente , ad terram deiectum eſſet , rebus inter vtrumq; Regem compoſitis , ab ijſdem Saguntinis reædificatum extitit.Hic deniq; conuentus,qui & à 25.fratribus frequētius incolitur, ex eorum numero eſt , qui anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo C tertio ex apoſtolica authoritate à Conuentualibus Franciſcanis patribus ad eiuſdem Ordinis Obſeruantes deflexit . De Sagunto autē Romanorum obſidione famoſiſſima olim ciuitate , in cuius ſuburbijs (vt præfati ſumus) conuentus hic erectus eſt, hæc tantùm dixerim , quod à Zacinthijs vltra Iberum fluuium condita , quodque antiquiſſima ſit . Nam eam ante ſapientiſſimi Salomonis Hieroſolymorum Regis tempora originem ſumpſiſſe ex antiquiori ſepulcro non longè à Caſtri porta diſtante,in quo quidam eiuſdem Salomonis Legatus olim tumulatus fuit , facillimè conſtat. Ex eo ſiquidem quod ſequitur epitaphium , Hebraicis literis lapidi inciſum, legitur:

זֶה הוּא קֶבֶר אֲדוֹנִירָם עֶבֶד הַמֶּלֶךְ שְׁלֹמֹה שֶׁבָּא לְגַבּוֹת אֶת הַמַּס וְנִפְטַר יוֹם ——

Ze hu keuer Adonirã heued Hamelec Scelomo ſceba legabot & hamas veniptar iom.

D Quod Latinè ſic verti poteſt . *Hic eſt tumulus Adonirami famuli Regis Salomonis , qui venit , vt reciperet tributum , & mortuus eſt die .* Obitus verò ipſius dies , quòd lapis ſit fractus , & epitaphium præ vetuſtate non ſibi ſatis cohærens , haberi non potuit .

De conuentu S. Franciſci Sætabis. Conu. IIII.

CONSIMILEM fermè fortunam ei,quam & præcedens,conuentus hic , B. P. Franciſco ſacratus,atq; Sætabis (vulgò Xatiua) quod Valentiæ Regni oppidũ eſt erectus,expertus eſt.Nam circa annũ Domini 1294.ex publicis Sætabenſium facultatibus in ſuburbio conſtructus, atq; crudeſcente inter præfatos Petrum Crudelem Caſtellæ,atq; Petrum IIII. Aragoniæ Reges bello ſolo æquatus , & poſt modũ intra eiuſdē oppidi mœnia,pace inter eoſdem Reges conſtituta , communibus quoq; Sætabēſium E ſumptibus reædificatus,tandem anno Dominicę incarnationis milleſimo quingēteſimo tertio à Conuentualibus Franciſcanis patribus ad Obſeruantes Minores dimanauit.Incolitur plerumque hic locus à triginta quinq; fratribus , quorum 2. ex patrum decreto ſacram Theologiã iunioribus ſacerdotibus & clericis diligenter prælegunt .

De conuentu S. Franciſci Cheluæ. Conu. V.

SVAM in Deum pietatem , atq; in Franciſcanam ſobolem beneuolentiã poſteris commendaturus perdeuotus,ac de Chriſtiana religione optimè meritus heros Petrus Latro Cheluenſium Vicecomes 2.circa eadem tempora,nempe circa annum Domini 1388.Minoriticos conuentus,alterum quidem Cheluæ , quæ Regni Valentiæ oppidum eſt

dum eſt(de quo impræſentiarum) alterum verò Pomerij (de quo ſtatim inferius) ſuis A ſumptibus ædificandos,perficiendosq; curauit. Vt autem ad præſentis conuentus,qui ſeraphico P. Franciſco ſacratus euaſit, deſcriptionem deueniamus : Diſtat is à præfato oppido Chelua aliquantulũ,ſcaturientibus aquis,atq; amœniſſimis hortis abundat,& fratribus cōtēplationi deditis ad nutum fauet. In eius ſiquidem horto conſpicere licet 9 cellulas,ſiue oratoria,diuerſis Sanctis dicata,quò contēplationis,atq; abſtinētię ergò ſe ad tēpus coferũt fratres,atq; in omni virtute mirũ in modũ ſe exercent. In horũ oratoriorum altero diu egit B.P. Ioãnes à Cetina,qui cum B.F. Petro de Duennas Granatę ſub Saracenorum Rege martyrij palmam aſſequutus eſt. B. hic P. Ioannes,dum cum alio ſocio ad Saracenos,vt Chriſti fidem illis prædicaret,traiecturus,ſe in omni virtute præcipuè verò in propriæ carnis maceratione præfato in oratorio exerceret,per ſibi diuinitus factam reuelationem accepit,non eum , qui ſibi tunc temporis adeſſet, ſed illũ B iuuenem , qui tunc fortè fortuna ſecus viam cantando tranſiret , pauculoſq; racemos ex vinea collectos,calathoq; commiſſos ad dominum deferret,ſibi præmeditato in itinere,atque in ſubeunda pro fide Chriſti morte ſocium futurum. Mirabile dictu ! Accepit prefatus iuuenis,cui Petrus de Duennas nomen erat,Franciſcanæ Religionis habitum poſt aliquot dies in Caſtellę Prouincia : cùmque B.P. Ioannes traijciendi ad Mauros facultatem petiturus Caſtellam petijſſet, datus eſt ſibi prememoratus iuuenis in ſocium . Qui tandem martyrio vnà ſecum coronatus extitit . Egit aliquando huius loci hortulanum probus quidam,ac deuotus religioſus profeſſione laicus, cùmque pardali,quòd ſemina terræ mandata comederent,ſibi moleſti eſſent, Deum precatus eſt,vt huiuſmodi paſſeres longè à ſe abigeret. A quo etiam tempore nullus amplius ibi comparuit. Quod cùm fabuloſum cuidam Cheluenſium Vicecomiti , ac præſentis loci patro- C no videretur,is rei periculum facturus 2. eius generis auiculas puero ſe ſequenti occultè deferendas dedit:cùmq; cum loci Guardiano,plurimiſq; alijs fratribus hortum fuiſſet ingreſſus,pardalos dimittere iuſſit,qui tamen mortui omnino comparuerunt. Hæc tamen,licèt ridicula videantur,in medium afferre volui , vt innoteſcat, quanti ſit momēti oratio iuſti apud Deum. Commorantur,deniq; hoc in cōuētu 30. religioſi patres ac fratres , quorum alter Grammaticam iunioribus religioſis accuratiſſimè prelegit.

De conuentu Dominæ noſtræ de Angelis Pomerij. *Conu. VI.*

PRÆSENS conuentus,in ſanctiſſimæ Dominæ noſtræ de Angelis honorem aliquantulum à Pomerio (vulgò Mançanera) Regni Valentiæ oppidi erectus,præcedenti contemporaneus eſt , cùm ab eodem heroë Petro Latrone Cheluenſium Viceco- D mite,à quo & ille circa annum Domini 1388. à fundamentis ad verticē vſq; extructus ſit. Quia verò ædiculæ cuidam,B. Mariæ de Campo dicatæ,hic conuentus ſucceſſit modò ab iſtis nomine beatæ Mariæ de Campo, modò verò ab illis beatæ Marię de Angelis nomine appellatur. Sed re vera 2. nomen ſibi ex fundatoris impoſitione debetur. Imminet portæ huius loci eccleſiæ lapidea quædam ac peruula B. Virginis imago : quã cùm pauper quidam furto ſublatam in propriam domum inferre vellet , ab obuio riuulo, mirum in modum vaſta voragine æſtuante,ne id faceret , prohibitus eſt . Cùmq; idem furtum ſecundò commiſiſſet,eundem riuulum ſibi aduerſarium expertus fuit . Quod deniq; miraculo(vti par erat)tribuens , & imaginem proprio loco reſtituit , & crimen publicè faſſus,in cauſa extitit,vt maiori deuotione populus in eam ferretur . Eſt quoq; in præſentis monaſterij eccleſia tabella Saluatoris Chriſti vultu exornata,quàm Poma- E rianus idem populus ſingulari veneratione proſequitur . Hanc cùm deuota quædam fœmina apud ſe depictam affectaret,nec pictoris copia ſibi adeſſet , dum quodam mane è lecto ſurgeret,huiuſmodi imaginē præter ſpem tabulę impreſſam conſpexit . Quã tñ ſummè venerata,quòd ſe eius retinendę indignã iudicaret,ad hunc conuentũ , à 20. fratribus frequentius incultum , maxima cum ſolemnitate deducendam curauit.

De conuentu S. Spiritus. *Conu. VII.*

RELIGIOSISSIMVS hic conuentus, atq; contemplatiuę ducendæ vitę omnino accommodatus, qui ad 3. lapidem ab antiquiſſima , belliſq; illuſtri ciuitate

Sagunto

A Sagunto in valle de Ieſu ſurrigit,ſanctiſſimoque Spiritui ſacratus euaſit, ſumptibus ſereniſſimæ Mariæ à Luna Martini Aragonum Regis legitimæ vxoris,circa annũ Dominicæ incarnationis 1402. in lucem prodijt.Quia verò in ſolitudine conſtructus longius ab hominũ habitatione diſtat, ab 18.tantùm fratribus habitatur.Quibus nihilominus viciniores populi,ob inculpatã eorũ vitã, neceſſaria ſumma liberalitate miniſtrãt.

De conuentu Dominæ noſtræ de Angelis Segobricæ. *Con. VIII.*

IDIPSVM omnino huic conuentui,quod & penultimo,contingit:Cùm enim ædiculę cuidã diuo Blaſio dicatæ ſucceſſerit,modò ab iſtis eiuſdem diui Blaſij,modò verò ab illis Dominæ noſtræ de Angelis nomine,quo ex fundatorum mente nuncupãdus venit,appellatur.Quicquid tamen ſit,cùm parum referat, id nihili facimus;ſed ad eius B fundationem tranſeũtes, dicimus ipſum à Segobricẽſibus ex publicis facultatibus anno Dominicæ natiuitatis 1412. non longè à Segobrica (vulgò Segorb) antiquiſſima Regni Valentiæ ciuitate à fundamentis ad vltimum vſque lapidem erectum. Hunc conuentum,quem frequentius 25. fratres inhabitant,quòd deuotus quidam Michaël Piretius à Medicis omnino derelictus circa medium noctis à ſeraphico P. Franciſco viſitatus, atq; ex tempore priſtinæ ſaluti,pręter omnium ſpem,reſtitutus fuerit, excellẽtiſſimus Alphonſus Aragonius Segobricenſiũ Dux sũmis beneficijs proſequutus eſt.

De conuentu Dominæ noſtræ de Ieſu Valentiæ. *Con. IX.*

NONVM obtinet hac in Prouincia locum ſacra ędes,(de qua impræſentiarum) ſanctiſſimæ Dñæ noſtræ de Ieſu dicata, quam ſereniſſimus ſimulatq; pientiſſimus C Aragoniæ Rex Alphonſus V.ex apoſtolica ſibi facta authoritate,circa annum à mundi redemptione 1428 ex proprijs facultatibus aliquãtulum à Valentia , Regni Valentini principe ciuitate,inter amœniſſimos hortos à fundamentis erigendam, omnibuſq; ſuis numeris abſoluendam curauit. Contigit anno Domini 1478. vt quidam latrunculi,huius monaſterij eccleſiam ingreſſi,argenteam thecam, in qua venerabile corporis Chriſti ſacramentum aſſeruabatur, ſacrilegè furarentur,eamque non procul à conuẽtu iuxta publicam viam effoſſa terra,ea ratione (ni fallor) vt ſecurius inde alio tempore extractam in fruſta conciderent, atque inter ſe diuiderent, abſq; hoc quod ſacrilegiũ ſuum reuelaretur cautius abſconderunt. Cùm autem poſt aliquot menſes eorum alter Barcinonis ob furtum commiſſum ad patibulum ſuſpendẽdus duceretur, rogauit,vt ſibi patrem conuentus de Ieſu Guardianum conuenire quadam de re graui liceret. Votum itaque aſſequutus,furtum manifeſtauit, remq; totam, prout contigerat, D aperuit. Quod cùm huius loci Guardiano per literas innotuiſſet, vniuerſa fratrũ communitas proceſſionaliter ad ſignificatum locum procedens, vt primùm terram effodi iuſſiſſet,præfatam thecam,ſimulatq; venerabiles ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſpecies illæſas,incorruptaſq; inuenit:atque ſacellum in ſanctiſſimæ pietatis honorem ibidem erigendum curauit. Sunt qui aſſerant maximam lucis claritatem eo in loco, dum ſacrũ illud pignus ibi lateret,à plurimis noctu viſum fuiſſe. Quod tamen nec inficiari, nec aſſerere auſim. Mortem obijt anno Domini 1582. hoc in conuentu probatiſſimę vitę,ac religioſus frater Guilielmus,ex valle Spoletana oriundus,profeſſioneq; laicus, qui nũquam poſt matutinas, quibus ſemper,niſi grauiſſima fortè infirmitate detentus, aderat,à choro diſcedere viſus eſt: Sed orationi tum vocali, tum quoque mentali intẽtus, E quod reliquum noctis ſupererat,tranſigebat.Præterea in amariſſimam Chriſti paſſionem tanta teneritudine,tantaq; compaſſione ferebatur, vt quoties aliquid de ea vel audiret, vel cogitaret, in copioſiſſimas prorumperet lacrymas. Cùmque quadam die per longum temporis ſpatium acerbiſſimos cruciatus, quos Chriſtus Dominus tũ ſub impio ſatellite,tũ quoq; in cruce pro mundi redẽptione perpeſſus eſſet,intimius contẽplatus fuiſſet,tamquã è ſomno euigilãs, ſpirituq; ebrius,ad eccleſiã acceſſit, ſuggeſtumq; cõſcendẽs,corã frequẽtiſſima corona tot arcana myſteria aperuit,vt facile vnde id hauſerat, indicauerit,atq; peccatricem mulierẽ ardentiſſimis ſuis adhortationibus à vitijs ad agendam pœnitentiam conuerterit. Huic tanto viro inuidus Dæmon plures tetendit inſidias, eumque ſæpius ſuis illuſionibus, atque phantaſmatibus ab oratione

oratione auertere niſus eſt:ſed fruſtra. Quamobrem & prophetico ſpiritu, quo plura A
prædixit,& plurimis alijs prærogatiuis à Deo opt. max.honorari meruit. Prædixit ſiquidem mulieri in puerperio periclitanti felicem partum,atq; incolumitatem, eamq; iteratò à grauiſſimo pectoris dolore ſigno crucis ex tempore liberauit. Ad hunc pijſſimum F. appoſitus fuit anno Domini 1539. deuotiſſimus, pariterq; doctiſſimus P. atq; inſignis Eccleſiaſtes F.Franciſcus Antonius,cui Deus opt.max.ob inculpatam eius vitam,excultamq; paupertatem ſui obitus diem reuelare dignatus fuit. Cùm enim quodam ſibi ſimili P.F.ſcilicet Petro à Villa noua familiariter vteretur,inſtantem ſuę mortis diem,dum adhuc benè valeret,ei ſecreto ſignificauit, inſuper & ſe illi poſt mortem appariturum pollicitus eſt. Quod & præſtitit:Nam anno ſequenti,qui à partu Virgineo fuit milleſimo quingenteſimo quadrageſimo in ipſo Purificationis glorioſiſſimæ virginis Mariæ profeſto, dum ille poſt matutinas in choro de religioſo more contemplatio- B
ni vacaret,ſe ſibi iuxta condictum prodens ſubiecit: *Lætare F.mecumq; congaude,quia per horam tantum, quæ tamen mihi omni æuo longior viſa eſt, in Purgatorio fui. Veruntamen ea in oratione,quæ nobis aliquando communis fuit*,(ſoliti ſiquidem erant ambo amariſſimā Chriſti paſſionem,atq; acerbiſſimum dolorem,quo eius cauſa glorioſę Virginis cor transuerberatū fuit,mēte euoluere) *perſeuerat*, hisq; dictis euanuit. Nec multùm poſt temporis F.Petrus à Villa noua ipſo die B.P. Franciſci, poſtquàm ſacris deuotiſſimè operatus eſſet,atq; ſuis confratribus vltimum vale dixiſſet, Segobricæ animam ſuo Creatori reſtituit. Mortali etiam vitæ laudabilem finem impoſuit hoc in eodem conuentu 23. Decembris,anno à Chriſti natiuitate milleſimo quingenteſimo octuageſimo tertio venerabilis,omniq; ſanctitate conſpicuus pater Nicolaus Factor Sacerdos,diuiniq; verbi egregius,imò mirificus Prædicator: cuius ſanè pietas à teneris eius vnguiculis ſatis inno- C
tuit. Cùm enim puerulus adhuc eſſet,nec dum 10.attigiſſet annum,obuij pauperis vlceroſi pedes, atq; manus Valentiæ genuflexus publica in via deoſculatus eſt. Idipſum quoq; non multos poſt dies mierculæ leproſæ præſtitit. Ientaculum verò, atq; merendulam, quam ſibi cara mater ſcholam petenti parare aſſueuerat, pauperculis 2.vetulis liberaliſſimè erogabat: pauperum inſuper infirmorum xenodochia ſingulis diebus viſitans languentum pedibus ardentiſſima infigebat oſcula. Ad pubertatē autē perueniens Franciſcanum habitum hoc in conuentu induit, in eoque per 44.continuos annos ſāctiſſimè perſeuerauit,atq; adeò in omni virtutū genere profecit,vt moriens maximum ſanctitatis odorem poſt ſe reliquerit, miraculiſque, quorum aliqua inferius ſubijciemus,claruerit. Fuit præterea B.hic P.humillimus,ita vt ex animo omnibus cederet,nihilq; ſibi gratius accidere poſſet,quàm ab alijs reprehendi,redargui, peſſundari, D
atq; vilipendi. Fuit & ſupra modum miſericors,atq; infirmis, præſertim verò leproſis, quorum vlcera ſæpè ſæpiſſimè lauit, exterſitque, ex intimis præcordijs compatiens. Fuit deniq; abſtinentiſſimus,ſomniq; parciſſimus,ita vt ſæpius 3.& vltrà diebus à cibo abſtinuerit,& integras noctes orationi intentus inſomnes duxerit. Quid de maxima eius paupertatate,vigilijs,oratione,māſuetudine,atq; carnis maceratione, quibus per 44.continuos annos ſtuduit, dicam? Quid etiam de eiuſdem erga venerabile euchariſtiæ ſacramentum deuotione, quæ adeò excellens fuit,vt vix exprimi queat? Quid denique de eius gratia,qua Chriſtum Dominum,non iam viſibilibus illis ſpeciebus velatum,ſed in propria forma videre promeruit,referā? Penitus profectò ignoro. Quāobrē hæc tantùm cum plurimis alijs grauiſſimis viris dixerim,quòd vix ſimilem ſibi noſtra tempora habuerint. Dum enim ſemel compaſſiua quadam teneritudine in Dominicū E
laterale vulnus ferretur,eiusq; meditationi intimius intenderet,tali tātoq; dolore trāſfixus fuit,vt trāſformatus omnino,& in alium hominem verſus videretur. Et ab eo temporis quoties præfati vulneris, vel amariſſimæ paſſionis Dominicæ,ſiue inter concionandum,ſiue inter celebrandum,ſiue inter aliquid aliud faciendum meminiſſe contigit raptus,atque in extaſim factus eſt. Qua etiam de cauſa B.ac de omni commendatione optimè meritus P. Ludouicus Bertrandus Ordinis Prædicatorum alumnus, ſanctiſſimusque vir, qui miraculis tum in vita, tum quoque in morte claruit, ac modò coruſcat, de hoc beato patre loquens dicere ſolitus erat: *Pater Nicolaus Factor, cùm huius mundi accola ſit, Paradiſum obtinet, atq; cæleſtibus alterius vitæ delitijs fruitur.* Compatiebatur

A batur præterea beatus pater Nicolaus, idq; mirum in modum, ijs qui in mortali pec-
cato perſeuerabant. Quamobrem, vt Deus optimus max eorum miſereri dignaretur,
ſæpe ſæpiſſimè ad ſanguinem vſq; ſeipſum flagellabat. Poſtquàm enim ſemel per 4.
continuas horas Saguntì coram venerabili Sacramento orationi incubuiſſet, eiuſque
facies inter orandum ad ſolis inſtar vniuerſam eccleſiam colluſtraſſet, ita ſe per inte-
gram horam flagellis pro ijs, qui mortali noxa circundati erant, cęcidit, vt totum cir-
cumquaque paumentum ſanguine reſperſerit. Quia verò beatus pater Nicolaus ad-
huc carne circundatus, non carne, ſed ſpiritu agebatur, Sanctorum ſpiritus carne ſolu
tos videre meruit: Nam & venerabilis patris Baptiſtæ Mercatoris Frãciſcani, qui hoc
in conuentu diem clauſit extremum, dum eius corpus ad tumulum deferretur, animã
cœlos petentem conſpexit: & alterius fratris Minoritæ, qui in Spiritus ſancti mona-
B ſterio (cuius ſuprà meminimus) è viuis exceſſerat, ſpiritum, dũ Valentiæ orationi va-
caret, inter Angelorum choros conſpicatus eſt: & alterius cuiuſdam probi viri Va-
lentini animam à plurimis Angelis ſuauiſſimè concinentibus exceptam, ſimulq; cum
illis ęthera ſcandentem vidit. Nec ſpiritu prophetico caruit beatus pater Nicolaus,
cùm multa eo afflatus prędixerit. Cùm enim deuota quædam mulier, atque cu-
iuſdam regij Conſiliarij Valentinę ciuitatis vxor appropinquante partu ſibi maximè
timeret, ſeque eius orationibus ex animo commendaret, eam bono eſſe animo, opti-
meque de partu, quòd gemellos abſque aliquo vitæ diſcrimine paritura eſſet, ſperare
iuſſit. Quod tandem omnino iuxta eius pręſagium euenit. Pręterea cùm die qua-
dam cum honeſtis tribus viris de Deo, eiuſq; bonitate & miſericordia conferret, non
ſecus ac extaſim paſſus, raptus eſt: atque ad ſe poſt aliquantulum reuerſus, eos, vt ſe
C prępararent, quòd illorum alter breui moriturus eſſet, charitatiuè monuit. Idque
rei euentus comprobauit. Nam ex ijs tribus vnus non poſt multum temporis è viuis
exceſſit. Quando Sebaſtianus Portugaliæ Rex cum ingenti exercitu in Africam
profectus eſt, cuidam religioſo ſibi ſuggerenti, vt pro illo ad Deum preces fun-
deres dixit: Melius illi erat, ſi illuc non adijſſet, cùm inde reuerſurus non ſit.
Infirmabatur ſemel regius quidam Conſiliarius Valentię, qui miſſo ad patrem
Nicolaum familiari, vt pro ſua valetudine preces ad Deum funderet, hoc retu-
lit reſponſum: Ne videlicet de vita deſperaret, caueret tamen in poſterum à pecca-
tis, vitamque in melius commutaret. Sed cùm poſt ſeſquiannum, ſecundò in mor-
bum lapſus, idipſum pręfatus Conſiliarius à beato patre Nicolao exegiſſet, audiuit:
Oraturum ſe quidem Dominum non pro ſoſpitate, cùm illi certè moriendum eſſet,
D ſed vt ſibi in tanto agone adeſſe dignaretur. Nec vel in minimo deceptus eſt beatus ip-
ſe pater, cùm vtrunq; certò euenerit. Rogatus quoq; à quodam correligioſo, vt ſuę ma
tris infirmę, ad vndecim inde leucas diſtantis, ſalutẽ cõmendatã haberet; nõ ſibi opus
eſſe, cùm iã carnis debitũ, prout literę intra triduũ aduenturę ſibi forẽt indicio, exoluiſ
ſet, protinus reſpõdit. Dũ ſemel in quodã Cathalonię oppido, nõ longè ab Ibero flumi
ne erecto concionẽ haberet, eius populũ tertiò pro ſuggeſtu, vt ſe ad mõtẽ cũ pretioſio
ribus cõferret, ſalubriter monuit: Quo tñ id negligente inundauit intempeſta nocte flu
mẽ, eiuſq; plurimos abſorbuit. Vt autẽ huius beatiſſimi patris ſanctitas oĩbus in propa
tulo eſſet, aliquot miracula per eum tum viuum, tum quoque mortuum Deus opti-
mus maximus patrare dignatus eſt. Aurifex ſiquidem Valentinus quidam, qui igne
ſacro laborabat, cùm nihil aliud præter tibiæ abſciſſionem præſtolaretur, ſe ex in-
E timis præcordijs precibus eiuſdem beati patris commiſit, dumque ſuccepto ab eo
ſigno crucis ſe ſopori dediſſet, venerabilem quendam Franciſcanum maxillam ſibi,
atque tibiam malè affectam manu tangentem inter dormiendum ſenſit, ſtatimque
præter omnium ſpem, maxima tamen cum Chirurgorũ admiratione, ex morbo con-
ualuit. Præterea cùm die quadam fideliſſimus ſeruus Dei Nicolaus in quodam huius
conuentus cubiculo orationi inſtantiſſimè vacaret miſerum, quendam homi-
nem ſuſpendium ſibi parantem per reuelationem videt, ad quem ex tempore accur-
rens, eum ab huiuſmodi pręcipitio liberauit, ſecumque ad monaſterium adduxit:
vbi miſer ille ſuum facinus coram omnibus fratribus humillimè confeſſus eſt. Con-
ferebat ſemel ſanctus ipſe pater cum quatuor ſæcularibus ſibi maximè deuotis

& eorum alteri appropinquans eius frontem ſigno crucis conſignauit, dicens: *eia* A
tentante, eia tentante: quo facto (vt ſæcularis ille poſtea retulit) eum à peſſima quadam tentatione liberauit. Tranſierat vir Dei ad fratres, ac patres Capucinos Prouinciæ Cathaloniæ, à quibus tamen ad hunc conuentum reuerſus, cùm ad Dormitorium per ſcalas aſcenderet, obuiam glorioſæ virginis Mariæ de Angelis imaginem ſic aſſatus eſt: *Beatisſima atque glorioſa Domina, non aufugit ille, qui domum reuertitur.* Hoc dixit, quia relicta regulari Minoritarum Obſeruantia, in qua duplicem illum Eliæ ſpiritum imbiberat, ad præfatos Capucinos confugerat. Statimq; ſubiunxit: *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace.* Cumque valetudinarium eſſet ingreſſus (laborabat ſiquidem febre quatriduana) pleuritide, acutiſſimaque febre correptus eſt: & ante quàm ſacro muniretur viatico, ab omnibus circumſtantibus fratribus, quòd eos, communemque matrem (ſic enim regularem Obſeruan- B
tiam appellare ſolitus erat) aliquando deſeruiſſet, quàm humillimè in hæc verba prorumpens veniam petijt: *Reus ſum, maximæque ſubijcior culpæ, quòd ſacram Franciſcanorum Obſeruantiam ad tempus deſeruerim, atque ad patrum Capucinorum congregationem, quærens quod minus mihi expediebat, tranſierim, licèt hoc bono zelo ductus (vt Deus mihi teſtis eſt) fecerim. Quam obrem vos cariſſimos patres, ac fratres hortor, vt ſorte veſtra contenti ſitis. Nam Minoritæ Obſeruanti, ſi communem ſectetur vitam, nihil penitus eorum, quæ ad regulæ Franciſcanæ, & ſuæ profeſſionis perfectionem, atque nitorem deſiderari poſſunt, deeſt.* Hiſque dictis ſuper lectulum genuflexus, licèt viribus omnino deſtitutus, ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum de manu patris Guardiani, ſumma cum deuotione ſuſcepit, atque Extremæ vnctionis ſacramentum ſibi conferri popoſcit. Quo denique accepto, cùm ſibi quidam frater inſtantem mortem, quam ipſe multò ante, C
ſancto afflatus ſpiritu, prædixerat, de Medicorum mente prænuntiaret, reſpondit. *Rependat tibi Dominus tanti, tamque boni nuntij vices:* Illicoque ſubiecit: *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi in domum Domini ibimus &c.* Rogans præterea patrem Guardianum, vt corpus ſuum exanime in ſterquilinio ſepeliri iuberet, cum ſumma animi tranquillitate, atque alacritate ſpiritum Deo creatori reddidit. Ante cuius tranſitum, & poſt, auditus fuit à diuerſis religioſis dulciſſimus paruulorum concentus, atque ſuauiſſima diuerſorum inſtrumentorum melodia. Ipſa etiam huiuſmodi tranſitus nocte cuidam religioſo dormiēti eximiæ ſanctitatis pater Hieronymus Stephani, qui multò antea viam vniuerſæ carnis fuerat ingreſſus, apparuit, ſibique beatitudinem, qua anima beati patris Nicolai frueretur, reuelauit. Obijt mortem beatus pater Nicolaus Factor (vt proloquuti ſumus) 23. menſis Decembris, anno Domini 1583. ad cu D
ius funus omnes Dominicani Valentinæ ciuitatis patres, vt pro viri reuerentia reſponſorium canerent, conuolarunt, Qui vultus pulchritudinem, atque carnis tractabilitatem ſummopere admirantes, omneſque eius crines tamquam reliquias Deo gratas euellentes, eum verè ſanctum, verèque beatum plenis buccis prædicabant. Vt autem Valentinorum, qui eius reliquias anhelabant, deuotioni fieret ſatis, triplici habitu indutus eſt beatus ipſe pater. Quidam nihilominus ſęcularis fingens velle ſe eius pedes oſculari, minores ſiniſtri pedis digitos, licèt renitentibus fratribus, dentibus abſcidit, ſecumque ore recluſos detulit. Tandem præſentibus ex regij Valentini Conſilij mandato quodam Iudice, alioq; Notario publico ſequenti nocte poſt feſtum S. Ioannis Euangeliſtæ, ſacrum pignus ſub quodam huiuſce eccleſiæ altari ſepulturę traditū fuit.
Quod tractabile omnino, atq; omni tetro carens odore, ſicut authentico eiuſdē publici E
Notarij teſtimonio comprobatur, perſeuerabat. Sequenti verò die, qui ſanctis Innocētibus ſacer erat, in ſancti Franciſci huiuſce Valentinę ciuitatis conuētu, regio ſenatu, totaq; nobilitate, atq; maxima reliqui vulgus multitudine aſtantibus, tanti patris exequiæ celebratæ fuerunt, concionemq; ad populum habuit P. ac F. Chriſtophorus Moreno huius tunc Prouinciæ Miniſter. A quo quidem tempore adeò creuit pia Valentini populi ad P. Nicolaum deuotio, vt in omni præſſura & neceſſitate ad eius interceſſionem confugiat. Nec immerito quidem, cùm plura beneficia eius meritis Deus opt. max. ipſi conferre dignetur. Nam & virginem quandam grauiter febricitantem, quę ore particulam habitus ipſius patris Nicolai tenens, in hæc verba prorupit: *Domine*

Deus

A *Deus ſicut piè credo fratrem Nicolaum tecum regnare, ita me ſuis meritis ab hoc morbo liberare digneris*, integræ ſoſpitati reſtituit. Et quidam viator cùm per integram noctem, inter inuios, aſperoſq; montes aberraret, minimeq; ab eis extricari valeret, ſe beato huic patri commendans, ab eodem ſibi apparente vſque ad proprium oppidum, intra dimidiæ horæ ſpatium, licèt maior interiaceret diſtantia, quam quis infra octo dies emetiri poſſet, manuductus eſt. Et alius quidam iuuenis ad mortem infirmus, dum ſe viro Dei Nicolao iam in cœlis regnanti inſtantiſſimè commendat, ab eo ipſa Epiphaniæ Domini noſtri Ieſu Chriſti nocte viſitatus præmonetur, vt ſe diligentius ad mortem ſubeundam diſponat, cùm illi in feſto diui Sebaſtiani proximè ſequenti occumbendum ſit. Idque ſibi omnino contigit, cùm die ſibi aſſignato ex hac luce migrauerit. Ceciderat mulier ex ſolario, cùmq; illam, quòd ſe penitus mouere B non poſſet, minuere vellent, renuit affirmans ſe meritis beati Nicolai mirabiliter ſanandam. Nec ſpe, quam de ipſo conceperat, fruſtrata fuit, cùm ſequenti nocte ſibi comparens ſanctus pater, eam ſolo tactu perfectæ valetudini reſtituerit. Et quidam quatuor annorum puer, mortiferis febribus correptus, è ſomno euigilās dixit matri: *En ancilla quæ me ad ſepulcrum beati patris Nicolai Factoris, qui me à morbo conualere præcepit, opportunè duxit, nam ecce iam bene valeo:* atque ſtatim à febre liberatus optimè ſe habuit. Hæc tantùm ex plurimis, quæ operatus eſt tantus hic pater, miraculis hîc annectere volui. Qui plura noſſe deſiderauerit librum à reuerendo patre fratre Chriſtophoro Moreno (de quo ſuprà) editum conſulat, ſibiq; ſatisfactū experietur. Cæterum hunc conuentū incolunt 80. fratres, quorum duo ſacrā prælegunt Theologiam.

C *De conuentu B Mariæ de Gratia Alacanti. Conu. X.*

QVVM sereniſſimus Aragoniæ Rex Alphonſus V. quorundam apoſtolicorum breuium virtute præcedentem conuentum (vt, dum de eius deſcriptione ageremus, præfati ſumus) conſtruxiſſet, ſimilemq; ad Minoritarum Obſeruātum vſum prope Alacantum ciuitatem erigere meditaretur, aliquot patres obiecta ſibi quadam Bonifacij VIII. ſummi Pontificis conſtitutione, id pro virili præpedire conabantur. Cùmq; re ad doctos, atque peritos viros delata præfatam monaſterij erectionem nullo pacto pontificiæ determinationi contrariam eſſe determinatum fuiſſet, Alphonſus ipſe Rex hunc conuentum, ſub titulo Dominæ noſtræ de Gratia, ſeſquimilliari à præmemorata ciuitate Alacanto, circa annum à Chriſti Saluatoris noſtri natiuitate milleD ſimū quadringēteſimū quadrageſimum ex domeſticis facultatibus, atque ex apoſtolica Eugenij IIII. Pont max. authoritate ædificari curauit, eumq; plurimis immunitatibus, atque priuilegijs inſigniuit. Sed cùm eius habitatio fratribus minus faueret, deputatis ad eius cuſtodiam duobus religioſis, antiquiorìq; titulo in Dominæ noſtræ de Angelis titulum mutato, ab ijſdem derelictus, atque præſens ſub præfato Dominæ noſtræ de Angelis titulo mutato ab ijſdem derelictus, atque præſens ſub præfato Dominę noſtrę de Gratia nomine, in eiuſdem ciuitatis ſuburbio, non longè à mari, anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo decimo quarto ędificatus extitit. Quibus prædictæ ciuitatis ſenatus, ob eius in Religionem Franciſcanam affectum & deuotionē, liberaliſſimè adfuit. Quàm grata fuerit Domino Deo huius ſacræ ædis erectio, vel hinc conijcere licet. Cùm enim difficile omnino, atque laborioſum eſE ſet, ex longinquiori lapicidina effoſſos lapides ad hunc vſque locum aduehere, dum futuræ domus fundamentum cęmentarij iacere geſtiunt, tam abundans lapidum vena ex tempore apparuit, vt materiam ſufficientem perficiendæ eccleſiæ miniſtrauerit. In Raguſienſium mercatorum ſacello erecta ſubſiſtit imago quædam glorioſiſſimæ virginis Mariæ de Gratia deuotiſſima, quæ miraculis claret. Nā & anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono, maximæ ſiccitatis tempore, cùm proceſſionaliter ad locum fratrum antiquum delata eſſet, adeò largiſſimè meritis glorioſæ Virginis pluit, vt terræ ſterilitas aquis ſuperuenientibus in fœcunditatem verſa ſit. Et magiſter quidam Antonius amiſſum ferè viſum, ſumpto ex lampade, quę ad eius altare ardet, oleo, oculiſq; delinitis, recuperauerit. Commorantur denique hoc in conuentu Domino Deo famulantium 28. fratres, quorum alter artium nodos diſſoluit.

De conuentu B. Mariæ de Pino Oliuæ. *Conu. XI.* A

PRAESENTIS couuẽtus,qui, ſub titulo Dominæ noſtræ de Pino, in medio pinorum nemore longiuſculus ab oppido Oliua erectus perſeuerat, quemq; viginti octo fratres, quorum alter Philoſophiam prælegit, commodiſſimè incolunt,inclytus Franciſcus Gilabertus Centellas primus eiuſdem oppidi Comes,eiusq; legitima coniunx Beatrix de Vrrea authores traduntur, quòd ipſum circa annum Dominicæ incarnationis milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo octauo ex apoſtolica Eugenij IIII. Pontificis maximi facultate ædificari curarunt. Qua etiam de cauſa prę-fatum Comitem,eiusq; ſucceſſores, quos etiam omnino beneficos, atque amantiſſimos in omni euentu experiuntur, ſummè venerantur præfati fratres. Sepultus iacet in huius monaſterij eccleſia venerabilis P. F. Triſtanus natione Luſitanus, cuius 3. B
Frãciſcanorum chronicorum pars meminit, cuiusq; tanta vis in dicendo fuit, vt quicquid vellet facillimè ſuggereret. Ipſe enim abuſum emendi & vendendi diebus feſtiuis, qui apud Valentinos ciues præualuerat, è medio abſtulit, & vt homines honeſtius in eccleſijs, atque maiori cum reuerentia genuflecterent, & orarent effecit.

De conuentu S. Catharinæ Hondæ. *Conu. XII.*

OB reprehenſibilem fratrum iniuriam,quibus aliquando ſcripturarum, atq; monumentorum contemptus religio eſt,nihil aliud, quoad huius conuentus,B.Catharinæ ſacrati,qui in iugulo cuiuſdam mõtis longiuſculus ab oppido Honda ædificatus eſt,erectionem expiſcari valui ab eo, quòd antiquitus ad Tertiarias ſorores Franciſcanas attinuerit: quòdq;,illis ex oppidanorum conſenſu aliò tranſlatis,ad Franci- C
ſcanos Obſeruãtes deuolutus ſit.Sed quo tempore id contigerit,non ſatis conſtat.Deſeruit tamen à temporibus R.P.F. Franciſci Angelorum totius noſtri Ordinis olim generalis Miniſtri,huius Prouinciæ Recollectioni,facillimeq; ob ſui diſpoſitionẽ cæteris reformationis domibus palmam præripit. Exutus mortali carne huic ſæculo nequam vltimũ vale dixit hoc in loco deuotus, ac ſanctitate inſignitus F.Aſſenſius natione Saguntinus,atq; profeſſione laicus,cuius tanta fuit ad venerabile, ſummeq; tremẽdum Euchariſtię ſacramentũ deuotio,tantaq; fides,vt vix humanis verbis explicari poſſit. Cùm enim hortulum,quẽ curioſè ad floſculos pro ſummi altaris ornatu legendos colebat,in profeſto venerabilis ſacramẽti omnino floridum vidiſſet,ſummè lætari cępit: cùmq; ſequenti luce ipſum à vermiculis depaſtum omnino inueniſſet, ad venerabile ſacramentum accurrens,ſupplex Deum præcatus eſt, ne ſe permitteret tãta agi triſti- D
tia,vtq; ſibi amiſſos flores, quibus venerabile eius corpus in tanto feſto exornare valeret,reſtituere dignaretur. Mirabile dictu! ſequenti die cum maxima fiducia ad hortulum accurrens eum floribus affatim ridentẽ, vermiculosq; emortuos inuenit. Præterea diuina glorioſiſſimæ virginis matris,eiusq; dilectiſſimi filij,atq; ſeraphici patris Franciſci præſentia in ipſa Dominicæ natiuitatis nocte dignatus,obdormiuit in Dño. Cuius deniq; anima ab omnibus beari exiſtimatur. Aſſeruatur in huius ſacræ ædis ſacrario quidam glorioſæ virginis matris Mariæ calceus, quem ex vrbe Roma allatum ſibi nobilis heros Rodericus Muñozius dono dedit. Mulieribus in puerperio periclitãtibus opportunè præfatus calceus applicatur. Cùm mulier quædam nomine Catharina,cuiuſdã Beocij vxor,atque eius pagi,qui Hiſpanico idiomate Velhi nuncupatur, nec multùm ab oppido Honda diſtat, incola, falsò à zelotipo viro adulterij arguere- E
tur,ſibiq; quòd ex alio concepiſſet imponeretur,genuflexa ante diui P.Franciſci imaginem,quam domi habebat,ſummeq; venerabatur rogauit,vt ſe à tanto crimine liberare vellet, oſtenderetq; ſibi falſa imponi. Mirabilis Deus in omnibus operibus ſuis! Peperit mulier paucos poſt dies (erat enim tunc tẽporis grauida) paruulum viro omnino ſimillimum,ſenosq; digitos in qualibet manu ad inſtar viri habentem. Quod ſanè factum meritis B.patris Franciſci,qui innocentem à tanta impoſitione liberam eſſe voluit,aſcriptum fuit. Accidit quoque, vt frater quidam iuuenis omnino ad oppidum Nules vulgò dictum,ſextoq; milliari ab Honda diſtãs, panem iuxta morem Sabbatino quodã die mendicaturus à patre huius loci Guardiano mitteretur:Cùmq; tantùm

A tùm panis acquiſiuiſſet, vt humanas vires longè ſuperaret, non ea propter deſperauit bonæ indolis adoleſcens, nec animum deſpondit, imò obedientiæ ſanctæ merito innixus, atq; de diuina bonitate confidens, ſupra modum onuſtus, ſequenti mane itineri ſe commiſit: & ecce ex tempore occurrens illi pulcherrimus quidam iuuenis, albis veſtimentis indutus, idemq; iter tenere ſimulans, ſe illi comitem, & adiutorem obtulit: arreptiſq; de manu religioſi ſitarchijs, non prius eas deſeruit, quàm ad conuentum ambo ſimul appulerint. Ad quem tandem peruentus, fingens ſe eccleſiam orationis ergò petere, diſparuit. Quis eum Domini Angelum, qui obedientiæ morem gerenti adeſſe ex diuina prouidentia voluit, fuiſſe inficiari præſumat? Commorantur denique hoc in conuentu quindecim fratres Recollecti religioſiſſimam vitam traducentes.

B

De conuentu Vallis Ieſu. *Conu. XIII.*

QVIDAM mercatores Germani, explendi voti, cui aſtricti tenebantur, gratia, hunc conuentum, Dominicę Transfigurationi ſacrum, inter Valentinos hortos ad 9. lapidem ab vrbe Valentia, atque ad cuiuſdam montis radices ex proprijs facultatibus erigi curarunt, erectumq; canonicis Ordinis diui patris Auguſtini regularibus inhabitandum tradiderunt: à quibus tamen cùm derelictus eſſet, ad sereniſſimi Aragoniæ Regis Ioannis II. inſtantiam ad fratres Minores Obſeruantes, anno Dominicę natiuitatis 1358. tranſlatus eſt. Qui profectò conuentus plurimis priuilegijs, atq; immunitatibus ſibi à præfato Aragoniæ Rege conceſſis gaudet, deſeruitq; fratribus huius Prouinciæ Recollectis: quorum 12. cum maxima circumuicinorum populorum ædificatione ibidem Deo opt. max. famulantur. Habitauit olim tertio milliari ab hoc C loco in pago, cui Hiſpanicè Puche nomen eſt, deuotus quidam vir, Franciſcanæq; Religionis amantiſſimus, qui fratres omnes per eum tranſeuntes hoſpitio humaniſſimè excipiebat. Adde quod nihil gratius ſibi accidere poterat, quàm fratres ſecum habere. Cùm igitur à multis diebus eorum præſentia caruiſſet, atque in grauem infirmitatem lapſus, anxius eos deſiderare cœpiſſet, beati patres Franciſcus, atq; Antonius in habitu Minoritico ſibi adfuère, eumq; dulciſſimo colloquio conſolati ſunt. Quibus tamen recedentibus, animam cum maxima ſpiritus alacritate ſuo Creatori reddidit. Hæc autem, quia certiſſima, multorumq; proborum virorũ teſtimonio comprobata ſunt, hîc referre volumus. Mortẽ obijt hoc in loco, anno Domini 1580. ſanctiſſimæ vitæ P. Hieronymus Steue ſacerdos, vir ſanè in omni virtutũ genere apprimè verſatus, qui ſæpius inter orandum adeò diuinis contẽplandis myſterijs immergebatur, vt nihil eorũ, quę D circa ſe agebantur, ſentiret. Ad pauperes autẽ tanta ferebatur charitate, vt relatu difficile ſit. Præterea, præſago ſpiritu donatus, plurima ventura certiſſimè prædixit.

De conuentu S. Barbaræ Caſtellonij à Planitie. *Conu. XIIII.*

IVLIVS II. Pont. max. apoſtolico diplomate, anno Dominicæ natiuitatis 1504. dato, cauit, vt Minores Obſeruantes quæcunque monaſteria ſibi à quouis Comite, Marchione, Duce, Principe, aut etiam ab vniuerſitate oblata liberè acceptare poſſent. Hac itaq; authoritate freti huius Prouinciæ patres, quæ ſequuntur loca, imò & præſens cœnobium, diuæ Barbaræ ſacrum, quod longiuſculus ab oppido Caſtellonio ſurrigit, anno Domini 1539. ex publicis eiuſdem oppidi prouentibus ędificatum fuit, erigenda curarunt. Primitus tamen, idq; anno à Chriſto Saluatore nato 1531. ſub titulo E Dominæ noſtræ de Angelis prope eiuſdem oppidi muros conſtrui cœperat: ſed cùm eius ſitus ad fratrum quietem, atque commodam habitationem ineptus omnino videretur, ad eam ſedem, quam modò obtinet, vbi & eremitorium in ſanctæ Barbaræ honorem ſubſtiterat, præfato anno Domini 1539. tranſlatum extitit. In pago Almanzora, quem huius conuentus fratres, qui frequentius ſunt viginti numero, habendarum ad populum concionum, atque petendarum eleemoſynarum ergò ſæpius accedere aſſolent, probus quidam vir, qui Minoritas hoſpitio excipere aſſueuerat, mortem obijt; cuius exequijs cùm decem ex Hondenſi conuentu, totidemq; ex præſenti intereſſent fratres, beatus pater Franciſcus cum alio ſocio ſe illis coniunxit, funebriq; officio, mercedem hoſpitij defuncto ſua præſentia retributurus, aſtitit. Cùm quodam an-

no pater huius loci Guardianus proceſſionem iuxta Religionis morem Dominica in- A
fra octauam Corporis Chriſti per clauſtrum tantùm modò fieri decreuiſſet, coge-
returq; à deuota communitate conuentus ſepta egredi, atq; ad oppidum vſq; proceſ-
ſionaliter progredi,atque ipſum totum luſtrare,venerabile ſacramentum,ſic ex qua-
dam ſimplicitate affatus eſt: *Sanctiſsime Domine, proceſsio quidem iuxta populi votum
fiet, ſed quicquid ceræ conſumptum fuerit, tu eris ſoluendo*. Mira res! Ex vigintiquatuor
cereis, qui per quatuor horas & vltrà arſerunt, nihil penitus imminutum fuit.

De conuentu S. Barbaræ Alziræ. Conu. XV.

CONVENTVS hic,B.etiam Barbaræ ſacer,qui ad cuiuſdam montis aliquan-
tulum ab oppido Alzira diſtantis radices extructus eſt,atq; à 27.fratribus,quorũ
duo ſacram prælegunt Theologiam, incolitur, olim ad quaſdam de tertio beatiſſimi B
patris Franciſci Ordine ſorores pertinuit. Quibus tamen aliò tranſlatis,die 8.menſis
Aprilis,anno verò Dominicę natiuitatis 1583.à deuoto eiuſdem oppidi ſenatu,cuius
erga Franciſcanam familiam deuotio, atq; beneuolentia ineffabilis eſt, huius Prouin-
ciæ patribus ad vſum, atque habitationem oblatus, liberaliſſimeque collatus fuit.

De conuentu S. Sebaſtiani Cozentainæ. Conu. XVI.

SEXTVMDECIMVM obtinet hac in Prouincia locum ſacra hæc ædes,diuo
martyri Sebaſtiano dicata,quæ anno Dominicę natiuitatis 1560.ab inclytis,pari-
terq; deuotiſſimis Ximeno Perez Ruiſio de Corella, eiuſq; legitima vxore Maria à
Mendoza Cozentainæ Comitibus, non longè à præfati oppidi Cozẽtainæ mœnibus,
ædificari cœpit, & à viginti fratribus Recollectis inhabitatur. De qua quidem nihil C
aliud memorabile, quod ad poſteros tranſmitti poſſit, à ſingulari quadam fundato-
rum in ipſos fratres deuotione, & beneuolentia impræſentiarum occurrit. Quorum
etiam tanta fuit ad ipſum opus ſolicitudo, vt infra annum præfata hæc domus à fun-
damentis ad verticem vſq; erecta, omninoq; abſoluta ſit, & à fratribus inhabitata.

De conuentu B. Mariæ de Angelis Eldæ. Conu. XVII.

SVBSTITERAT olim non longè ab oppido Elda Orientem verſus eremito-
rium, diuo Sebaſtiano ſacrum, hoc igitur, ob ſingularem qua in Minoriticam fa-
miliam inclyti Ioannes Coloma, eiuſq; legitima vxor Eliſabetha Saa primi eiuſdem
oppidi Eldæ Comites ferebantur deuotionem, ex communibus facultatibus circa an-
num Domini milleſimum quingenteſimum ſexageſimum,ſub titulo ſanctiſſimæ Do- D
minæ noſtræ de Angelis,in iuſtum fratrum monaſterium euehendum,atque à 14.fra-
tribus,patronatus interim iure ſibi,ſuiſq; poſteris ſeruato, inhabitandum curarunt.

De conuentu S. Antonij de Padua Moxenti. Conu. XVIII.

AEDIFICATVS fuerat primitus conuentus hic, B.Antonio de Padua ſacra-
tus,longiuſculus à Moxento Valentini Regni oppido.Cumq; id Moxentinorũ,
quibus B.Antonij dies ex mera tantùm deuotione feſtiuus omnino eſt, atq; celeberri-
mus, ad eum affectus moleſtiſſimè ferret, opera P.F. Chriſtophori Moreni huius Pro-
uinciæ impræſentiarum Miniſtri, atq; liberaliſſimis tum catholici Hiſpaniarum Re-
gis Philippi II. tum inclyti Petri Ludouici Galzerandi à Borgia Nauarrenſium Mar-
chionis, tũ inclytæ Franciſcæ à Mendoza Marchionis de Mondejar vterinæ ſororis,tũ E
quoq; eorũdem Moxentinorum ſumptibus, anno Dñi 1563.ad eum,quem modò ob-
tinet,locum alio multò pulchriorem,multò ſalubriorem, multoq; ipſi oppido vicinio-
rem,tranſlatus extitit. Quùm ſemel fratres,qui frequentius ſunt ſexdecim numero,
hunc locum, quòd ſterilitate,atque ſumma pauperie premeretur, deſerere vellent,de-
picta ſummi altaris tabula per medium ſciſſa eſt: quod illi non abs re, ſed diuina vo-
luntate factum exiſtimantes,pedem impræſentiarum vſque fixerunt. Honeſtatur de-
nique ſacra hæc ædes Dominicæ crucis particula, ſibi à ſereniſſima pariter ac pientiſ-
ſima Germanorum Imperatrice Maria ab Auſtria dono data, & alijs ſanctorum ſa-
croſanctis reliquijs,quas tamen, quòd minutulæ ſint, ſilentio prætermittere decreui.

A *De conuentu Coronæ Ieſu Valentiæ. Conu. XIX.*

PROPRIIS commodis conſulturæ Auguſtinianæ quædam ſorores, antiquum à ſe antea occupatum monaſterium, Coronæ Ieſu ſacratum, atq; Valentinæ ciuitatis mœnibus circunſcriptum vendere, & aliud de nouo extruere decreuerũt. Quod vtprimùm illuſtriſſimi heroës Hieronymus Ferrerius, eiusq; coniunx Angela à Borgia reſciuêre, illud iuſto prius pretio perſoluto emendum, atq; in commodiorem formam tranſlatum 18. huius Prouinciæ fratribus, anno Domini milleſimo quingenteſimo decimo octauo tradendum curarunt. Retinuit nihilominus antiquum nomen huiuſmodi monaſterij eccleſia, quæ & dimidia Dominicæ coronæ ſpina honeſtatur.

B *De conuentu S. Franciſci Alcoi. Conu. XX.*

CVM præſens conuentus, ſeraphico patri Franciſco ſacratus, antiquiori cuidam ædiculæ in honorem beati Rochi longiuſculus ab oppido, cui nomen Alçoi Hiſpanica lingua indidit, erectæ ſucceſſiſſet, minusq; ob ſui diſtantiam fratribus, atque etiam oppidanis deſeruiret, conuenientibus vtrorumq; votis ad eum quem modò tenet ſitum, præfato oppido viciniorem, ex communibus eorundem oppidanorum facultatibus, anno Domini 1566. tranſlatus extitit. Quia verò ſumma quiete, ſummaq; tranquillitate præfatus hic locus fruitur, ab 18. Recollectis fratribus inhabitatur.

De conuentu S. Bernardini Bocairenti. Conu. XXI.

C QVVM deuota quędam vidua cognomine Mollana domum, ac contiguum ſibi hortum, quæ optimo iure ad centum paſſus ab oppido Bocairento poſſidebat, ad vnius Minoritici conuentus ædificationem ex maxima in Deum pietate, atque in Franciſcanos beneuolentia contuliſſet, reuerendus pater Chriſtophorus Moreno (cuius ſuprà meminimus) huiuſmodi domum tum ex publicis, tum quoque ex priuatis oppidanorum facultatibus in iuſtum conuentum, atque duodecim Recollectis fratribus continendis omnino accommodatum, ſub ſancti patris Bernardini titulo, circa annum Dominicæ incarnationis 1567. euehendam, promouendamque curauit.

De conuentu B. Mariæ de Gratia Requenæ. Conu. XXII.

AD Meridiem eius oppidi, quod Hiſpanico idiomate Requena nuncupatur, aliquantulumq; ab eius muris conuentus hic, ſanctiſſimæ Dominæ noſtrę de Gra-
D tia ſacratus, atque à 15. fratribus incultus, ſurrigit, qui ſanè nullum alium ſui peculiarem fundatorem ab eiuſdem oppidi ſenatu agnoſcit: cùm ab eo ex publicis facultatibus, circa annum Dominicæ incarnationis 1569. eodẽ loco, in quo antiquitus eremitorium ſub ipſiſſimo titulo Dominæ noſtræ de Gratia conſtiterat, ædificatus fuerit.

De conuentu S. Antonij Abbatis Ontinenti. Conu. XXIII.

NON fuiſſe ſatis ſenatui eius oppidi, quod Hiſpanicè Ontinent appellatur, hanc ſacram ædem in honorem diui Antonij Abbatis ex communibus facultatibus, non procul à præfati oppidi mœnibus, circa annum à Chriſto Saluatore nato milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimum tertium, erexiſſe videbatur: niſi eam quoque (quoties neceſſitas vrgeret) repararet, reficeretq;, nec non & quatuordecim fratres
E eius incolas ſuis eleemoſynis pro virili ſuſtentaret, proſequereturq;. Contigit, vt vxor cuiuſdam Medici apud præfatum oppidum Ontinent ad mortem, abſque aliqua ſpe ſalutis, anno Domini 1580. infirmaretur, duoq; fratres ex hoc conuentu, vt ſibi in extremo vitæ conflictu adeſſent, ad eam mitterentur, quorum ſuaſu cùm mulier Franciſcanæ Religionis habitum, vt ipſo induta lucrandæ indulgentię ergò ſepeliretur, petijſſet, allatumq; ſæpius deoſculata eſſet, ex voto ſe Deo, atq; ſeraphico patri Franciſco ad eum perpetuò deferendum, ſi ex ea infirmitate conualeſceret, religiosè aſtrinxit. Cùmq; ſe aliquantulum ſopori dediſſet, dum circunſtantes eam à mente alienam, atque extaſim paſſam exiſtimant, beatorum Hieronymi, atque Franciſci præſentia dignata eſt, eorumque meritis amiſſam ſoſpitatem ex integro recuperauit.

De conuentu B. Mariæ de Gratia Biar. XXIIII. A

INDECORVM omnino, atque planè abſurdum viſum eſt communitati eius oppidi, quod Hiſpanicè Biar nuncupatur, quòd eremitorium, ſanctiſſimæ Dominæ noſtræ de Gratia ſacrum, aliquantulumq; ab oppido erectum, & à conuicinis populis ob miracula, quæ ibi contingebant, maximè frequentatum, peculiari aliquo miniſterij genere minimè coleretur. Quamobrem indictis primò comitijs ſtatutum eſt, vt præfatum eremitorium ex communibus facultatibus in iuſtum monaſterium, in quo aliquot Minoritæ, quæ diuinis laudibus, eiusq; obſequio continuò incumberent, commorari poſſent, quantocitius eueheretur. Deducto itaque ad exequutionem decreto, conuentuq; abſoluto, miſſi ſunt 8. Septembris anni Dominicæ incarnationis milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi quarti à patre huius Prouincię Miniſtro B duodecim fratres, qui Biarenſium votis facerent ſatis. Gaudet hic locus centum dierum indulgentia Romæ duodecima menſis Iunij, anno verò Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo decimo quarto à tribus Epiſcopis, atque ſeptem Cardinalibus omnibus ipſum, à primis veſperis vſque ad ſecūdas feſtiuitatum Natiuitatis, & Reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, necnon Annunciationis, atque Aſſumptionis beatiſſimæ ſemperq; virginis genitricis Dei Mariæ viſitantibus conceſſa.

De conuentu S. Guilielmi de valle Ebron Caſtelfaui. *Conu.* XXV.

CVM deuotus quidam anachoreta nomine Guilielmus, non procul ab eo oppido, quod materna Hiſpanorum lingua Caſtelfaui nuncupatur, aſperrimam vitam, eamq; ſanctiſſimam ob Chriſti amorem plurimis annis quodam in eremitorio C duxiſſet, carnisq; ergaſtulo ſolutus ibidem ſepultus eſſet, atque innumeris coruſcaret miraculis; præfati oppidi communitas eius corpus inde exhumandum, atque ad parochialem eccleſiam, vt maiori in veneratione haberetur, cum maxima pompa transferendum curauit. Cùmq; temporis ſucceſſu præfatum eremitorium omnimodam minaretur ruinam, ab eadem communitate reſarcitum, & in monaſterij formam, ſub titulo ſancti Guilielmi de valle Ebron, tranſlatum, atque tandem Carmelitanis patribus in habitationem collatum extitit. Quibus denique, anno à Chriſto Saluatore nato milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, aliò migrantibus, cæteris huius Prouincię locis, ſub reuerendo patre fratre Petro Manrique ſeptimo eius Miniſtro, à præfata communitate adiectum extitit. Inhabitatur interim à viginti fratribus, atque quodam prętati S. Guilielmi oſſe religioſiſſimè exornatur, condecoraturq;. D

De conuentu B. Mariæ apud caſtrum Agres. *Conu.* XXVI.

QVVM pulſis Mauris Chriſtiani caſtrum, quod Hiſpanicè Agres appellatur, patriamq; circumuicinam recuperaſſent, atque pulcherrimam glorioſiſſimæ virginis Mariæ imaginem prope præfatum caſtrum inueniſſent, ædiculam ſibi ibidem in gratiarum actionem ædificari curarunt. Cumq; ob crebra, quæ ibidem contingebant miracula, plures ſua vota exoluturi accederent peregrini, vt eorum deuotio magis excitaretur, illuſtris Gaſpar à Calataiud, illius patriæ temporalis Dominus, hunc conuentum, ſub titulo Dominæ noſtræ de Agres circa annum à mundi redemptione milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimum octauum tum ex proprijs, tum quoq; E ex aliorum eleemoſynis conſtrui fecit. Ad quem tandem cum ſextodecima Februarij prętati anni milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi octaui, 13. Recollecti fratres ſe contuliſſent (fuerat ſiquidem hic locus ea lege erectus, vt Recollectioni deſeruiret) cupientes huius Prouinciæ patres peregrinorum votis ſatisfacere decreuerunt, vt Recollectis fratribus totidem ex reliquo Prouinciæ corpore patres ac fratres ſuccederēt, qui oblatas ab aduentantibus Miſſas celebrare, eorumq; votis ſatisfacere poſſent.

De monaſterio Conceptionis B. Mariæ Valentiæ. *Mon.* I.

INTER cæteros Chriſtianos, qui Mauris Valentiæ, eius Regno Saracenis ſubacto, cohabitabant, fuerunt & religioſæ quædam fęminæ, quæ ſub monaſtico habitu

ſancti

A ſancti Ioſephi eccleſiam Valentinis muris excluſam,ſed Regię contiguam incolebant. Valentia verò,eiusq; Regno ab Aragonum Rege Iacobo recuperatis,hęc eccleſia,ex eiuſdē Regis decreto, Regiæ coniuncta in ampliorē conuentū, illuſtrium quorundā equitum ex nobili Arenoſorum proſapia ſolicitudine,atq; opera euaſit,atq; Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis traditus extitit. Cùm autem, creſcēte Chriſtianorum numero, Valentiam ciuitatem ampliari contigerit, præfatus hic conuentus,qui antiquioribus muris olim excludebatur, recentioribus impræſentiarum circunſcribitur. A cætero hic locus qui ab 80.monialibus inhabitatur,ſacroſanctis ſequentibus reliquijs, tribus videlicet Dominicæ crucis particulis, fragmentulo eius ſpongiæ, qua mirratum vinum Saluatori Chriſto propinatum fuit,dimidia Dominicæ coronæ ſpina,brachio vnius ex ſanctis Innocentibus, capite ſanctæ Marinæ martyris, atq; itidem capite B vnius ex vndecim millibus virginum honeſtatur. Gaudet præterea vna, aut altera tum glorioſiſſimæ Virginis,tum quoq; Crucifixi imagine deuotiſſima, ad quam plura contingunt miracula: qua etiam de cauſa ſacra hæc præfata domus Valentinis commendatiſſima eſt, & illuſtris quædam immaculatæ Conceptionis glorioſæ Virginis Confraternitas in ea erecta perſeuerat. Floruit deniq; ſacra hæc domus ſanctiſſimis monialibus, ijsq; plurimis: nempe ſorore Barbara Traueria,quæ Chriſtum Dominum iumento inſidentem eo ipſo modo, quo Hieroſolymam, applaudente turba, atq; Hebræorum pueris hilariter conclamātibus: *Oſanna filio Dauid*, ingreſſus eſt,dum reliquæ ſorores Dominica in ramis palmarū proceſſionaliter incederent, videre meruit: quæq; plurima futura per diuinam reuelationem præuidit: & ſorore Eſporellana, atq; ſorore Clara Builia, quarum vtraq; vt ſanctè vixit, ita quoque & ſanctè C in Domino obdormiuit, & à reliquis monialibus beari exiſtimatur. His quamplurimæ aliæ annectendę venirent, quas tamen breuitati ſtudens prętermitto.

De monaſterio Annuntiationis B. Mariæ Setabis. Mon. II.

HABITARANT olim Vrbaniſtæ aliquot ſorores Clariſſę longiuſculus à Setabi (vulgò Xatiua) Valentini Regni ciuitate, ſed,vigente inter ſereniſſimos Petrum Aragonię, atque itidem Petrum Caſtellę Reges cruentiſſimo bello, ne militum iniurijs facillimè expoſitę detrimenti aliquid reciperent, hoc ſacrum monaſterium,glorioſę,ſemperq; virginis genitricis Dei Marię Aſſumptioni dicatum, quod & inclyta Saurina ab Entenſa Terranouenſium Comitiſſa, atq; inclyti Rogerij ab Enia Aragonię,atq; Sicilię Ammirantis quondam vxor, prædijs, atq; redditibus di- D tauit, intra pręfatę ciuitatis vallum ſibi ędificandum curarunt. Cumq; à primęua ſui inſtitutione aliquantulum excidiſſent, eò puritatis,atq; monaſtici vigoris vnde deflexerant, per aliquot religioſiſſimi monaſterij S. Trinitatis Valentini moniales ſimul cum præcedentis loci ſororibus, anno Domini milleſimo quadringēteſimo nonageſimo ſeptimo reductæ ſunt. Commorantur frequentius hoc in conuentu 60. ſorores.

De monaſterio S. Trinitatis Valentiæ. Mon. III.

ALPHONSVS Aragonum Rex eius nominis V. vt primùm bonum nomen, optimamque quarundam fœminarum ſub tertio ſeraphici patris Franciſci Ordine, Gandię, quæ Valentini Regni oppidum eſt, in communi agentium famam accepit, à Martino V. Pont. max. quatenus earum domum in monaſterium transferre, E ibidemq; quadruplici,de religioſo more,voto emiſſo ſub ſecunda beatę virginis Clarę Regula commorari poſſent,anno à partu Virgineo 1420. impetrauit. Ipſo tamen vita functo ſereniſſ. Maria à Luna ex eius morte vidua relicta,eleganti prius,atque peramplo monaſterio Valentię ſub ſanctiſſimę Trinitatis inuocatione erecto, eas ex apoſtolica Eugenij IIII. Pont. max. authoritate, anno Domini 1445. menſis verò Ianuarij 27. eò deducendas, transferendasq; curauit. Quantę verò ſanctitatis hic locus, qui & à ſexaginta monialibus inhabitatur, fuerit, vel hinc ſaltim colligi poteſt, quod Hieroſolymitani Barcinonenſis eiuſdē Ordinis conuentus fundatrices, atq; duorum pręcedentium,inſuper & Turolienſis monaſteriorum reformatrices ex eo prodierint. Pręfata Regina Maria à Luna in altero huius ſacrę ędis ſacello moriēs ſepeliri voluit.

De mona-

De monaſterio S. Claræ Gandiæ. *Mon. IIII.* A

CVM nobiliores aliquot Galli Clariſſis de prima Regula ſororibus Luſiniani, quæ Galliæ Celticæ ciuitas eſt, agentibus proprij conuentus combuſtionem, atq; ruinam, niſi ſororem Scarlatam virginem Deo deuotiſſimam, atq; ex regia ſtirpe oriundam, quatenus paternæ hæreditatis particeps effecta viro iungeretur, ex tempore reſtituerent, ſatis petulanter meditarentur, prouidæ virgines, quæ denarium numerum attingebant, propriæ ſaluti conſulturæ, naui clanculum cum patre earum Confeſſario conſcenſæ, ſe criſpantibus maris fluctibus commiſerunt, ac tandem Barcinonenſibus oris appulſæ, vt primùm ſe sereniſſimo Ioanni eius nominis II. Aragonum Regi, atq; catholici Regis Ferdinandi huius nominis V. patri, præſentarunt, ab eoq; humaniſſimę exceptę monaſterium (de quo ſuprà) Gandię erectum in perpetuam habitationem imperrarunt. Cumq; eò tenderent, à Gandianis 8. Maij anno Dñi 1462. B proceſſionaliter ad locum vſq; ſibi deſtinatum deductæ ſunt. Patre harum ſororum Confeſſario coramglorioſiſſimæ, ſemperq; virginis genitricis Dei Mariæ imagine in eccleſia feruentius orante, perlucidæ 7. ſtellæ ex præfatæ imaginis latere prodeuntes, poſt vniuerſam eccleſiam adamuſſim luſtratam, ad locum, vnde exierant, reuerſæ fuerunt. Cumq; pręfatus pater Confeſſarius de tanta viſione ſolicitus orationi magis magisq; inſtaret, Deumq; optimũ max. precaretur vt ſibi reuelare dignaretur, quid tã mirabilis viſio ſignificare vellet, hoc reſponſum accepit, huiuſmodi ſtellas nihil aliud à ſeptem conuentibus per ſibi commiſſas ſorores conſtruendis, ſeu reformandis ſignificare ſibi velle. Idq; profecto rei euentus comprobauit. Siquidem 7. moniales, quæ paucos ab huiuſmodi viſione poſt dies, monaſterium, diuæ virgini Claræ ſacrum, Gerundæ, quæ celebris ac epiſcopalis ciuitas eſt in Cathalonię Principatu ſita, C ſub prima B. virginis Claræ Regula reformarunt: & aliæ 6. quæ anno Dominicæ incarnationis milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſexto conuentui matris Dei Olyſipponis ſub ijſdem legibus initium dedêre: & illę 7. quę anno Dominicę incarnationis milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo domum ſub Hieroſolymorum titulo, atq; ſub eodem Inſtituto Valentię fundarunt: & illæ, quæ poſtmodum ſacram ædem (de quo & de monaſterio Clariſſarum Gerundenſi in deſcriptione immediatè ſequentis Prouinciæ, quę Cathalonię eſt, ex profeſſo agemus) aliquantulũ à Caſtilione Empuriarum Principatus Cathaloniæ oppido ſub ijſdem prorſus ritibus reformarunt: & illę etiam 7. quæ anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo decimo octauo cœnobium Alacantini ſanctiſſimæ Veronicæ honorem ſub D eiuſdem beatæ virginis Claræ norma conſtruxerunt: & illæ octo quæ ædem, eiſdem beatiſſimæ virgini Claræ ſacram, ea in patria quæ Rioja Hiſpanicè nuncupatur, à fundamentis ad verticem vſq;, ſub eadem ſanctiſſimæ Claræ virginis prima Regula extruendam, omnibusq; numeris abſoluendam, atq; etiam eius accolas bonis moribus, atque religioſis ritibus inſtruendas curarunt: atq; illę tandem quę ſumptuoſiſſimum monaſterium, à ſereniſſima, pariter ac pientiſſima Ioanna Auſtriaca Philippi eius nomini II. Hiſpaniarum Regis vterina ſorore Madriti ędificatum, primò occuparunt, atq; ſanctiſſimis ac religioſiſſimis legibus, à beata virgine Clara in prima Regula pręſcriptis, imbuerunt, ex pręſenti loco tamquam ex fœcundiſſimo, atq; ſanctiſſimo quodam ſeminario prodiêrunt. Honeſtatur deniq; hic locus, qui & ſanctiſſimis ac ſui ſtatus zelantiſſimis virginibus, quę carnem ſuam crucifigentes cum vitijs totis viribus Chriſto ſponſo cęleſti placere ſtuduerunt, à ſui exordio in pręſentem E vſq; diem floruit, & à triginta ſororibus plerumq; inhabitatur, Dominicę crucis particula, altera ex Dominicę coronæ ſpinis, atque quodam capite vnius ex vndecim millibus virginum, ſibi ab Alexandro VI. Pont. max. ex vrbe Roma tranſmiſſis.

De monaſterio Hieruſalem Valentiæ. *Mon. V.*

DERELICTAM à Tertiarijs ſororibus Franciſcanis domum, atq; aliquantulum à Valentinę ciuitatis męnibus ſub Hieroſolymorum titulo erectam, pientiſſimus, atq; illuſtris admodum Hieronymus Villaraſa Cabanillas ex proprijs facultatibus

A cultatibus refecit, ampliauit, in commodiſſimam formam tranſtulit, atq; eductis (vt præfati ſumus) ſeptem ex religioſiſſimo monaſterio ſororibus inhabitandam, optimisq; moribus, vt prima beatæ virginis Claræ Regula informandam,anno à partu Virgineo milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo tradidit. Cuius pietatem eius filius,atque hæres admodum illuſtris Hieronymus Cabanillas imitatus,pro ea qua & ipſe in Deũ pietate, & in B. Clarã deuotione ferebatur,& ſorores eius filias, quæ frequentius ſunt triginta numero,omni beneuolentia, omnique beneficio proſequutus extitit, & illis alteram ex ſpinis Dominicæ coronæ, atq; duo capita ex vndecim millibus virginum, quę cum beata Vrſula earũ primipila ſanguinẽ pro Chriſti fide fuderunt,ſibi à Franciſco I.Gallorũ Rege dono data,liberaliſſimè elargitus eſt.

B *De monaſterio S. Veronicæ Alacanti. Mon. V I.*

CVM Rector matricis eccleſiæ Alacantinæ Veronicæ imaginem ſerico impreſſam à quodam Cardinale, cui Romæ inſeruierat, Hiſpaniam repetiturus dono accepiſſet, eam plicatam omnino ſub veſtimentis arca recondidit. Quam tamen cùm ſemel atq; iterum explicatam, atq; veſtibus ſuperſtantem inueniſſet, eam maioris deuotionis ergõ tabellæ affigendam, atq; in commiſſam ſibi eccleſiam inferendam curauit.Cumq; Alacanto (quę ciuitas maritima eſt,& prȩſtanti portu condecoratur, qui naues tutas continet) maxima ſiccitate laborante præfata imago proceſſionaliter deferretur, & ad eius oſtẽſionem,per beatum patrem Benedictum à Valentia Alacantenſi populo de ſuggeſtu factam, abundatiſſimæ aquæ è cœlo (vt in huius Prouincię proœmio meminimus) ſubminiſtratæ fuiſſent, hoc monaſterium,S. eidem C Veronicæ ſacrum, à præfato Alacantino populo, aliquantulum à ciuitatis vallo, in gratiarum actionẽ ex communibus facultatibus, anno Dominicę incarnationis milleſimo quingenteſimo decimo octauo ædificatum extitit Cùm autem inter eius proceres de futuris habitatoribus controuerteretur, (alij namq; hoc monaſterium quibuſdam viris religioſis tradendum eſſe affirmabant, alij verò contrarias partes pro virili tuebantur atq; defendebant) in eam tandem ſententiam ab ijs ventum eſt, vt videlicet à Clariſſis de prima B. virginis Clarę Regula ſororibus inhabitaretur. Adductis itaq; ex Gandiano monaſterio religioſiſſimis ſeptem ſororibus præſens locus ex omnium conſenſu inhabitandus, atq; optimis moribus imbuendus traditus extitit. Cùm ſemel in profeſto ſanctæ Veronicæ aliquot Saracenorum triremes, Chriſtianos D capturæ, littoribus non longè ab hoc monaſterio applicuiſſent, eiusq; milites per ciuitatis ſuburbia diſcurrentes hunc conuentum, à triginta ſororibus inhabitatum, iterũ,atq; iterum pertranſijſſent, neminem tamen, licèt eius eccleſia hominibus ſcateret, foresque reſeratæ eſſent, capere potuerunt. Quòd ſanè miraculo aſcriptum fuit.

De mona. Concept. B. Mariæ Caſtellonij à Planitie. Mon. V I I.

PRÆSENS conuentus Caſtellonij à Planitie, quod Valentini Regni oppidum eſt,erectus,à perdeuoto quodã eiuſdem oppidi Notario publico, ex maxima animi propenſione qua in immaculatam Conceptionẽ virg. Marię ferebatur,ędificatus, atque vtcunque dotatus fuit. Cumq; per aliquot annos epiſcopali curæ ſubiacuiſſet, Ordini noſtro ex apoſtolico Clementis VII. Pont. max. mandato adiudicatus extitit. Inhabitatur interim à quadraginta ſororibus Conceptioniſtis, quæ Vrbaniſtis E monialibus Clariſſis, anno Dñi milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſucceſſerũt.

De monaſterio Conceptionis B. Mariæ Hondæ. Mon. V I I I.

OCTAVVM & vltimum locum hac in Prouincia tenet conuentus, Conceptioni glorioſę virginis Marię ſacratus, atq; in oppidi Hondę ſuburbio erectus, qui & antiquitus à religioſiſſimis quibuſdam Franciſcanis ſororibus Tertiarijs iuxta paupertatem conſtructus, inhabitatusq; fuit; & eis vita functis, anno Dominicę incarnationis 1573. in Conceptioniſtarum ſororum ius tranſijt. Inhabitatur interim à triginta prȩfatis ſororibus, quę optimè apud omnes audiunt, & aliquot ſacroſanctas reliquias religioſiſſimè in ſacriſtia, ſed abſq; titulis, aſſeruant, atq; cuſtodiunt.


PROVINTIA CATHALONIÆ
HIC REPERTÆ FVIT IMAGO VIRGINIS MARIAE.
SÃCTA·MARIA·DE·MÕTE·SERRATO

PROVINCIA CATHALONIAE.

A CVM Aragoniæ Prouincia latius olim pateret, pluresque amplexaretur nationes, nempe Aragonenſem, Valentinam, atq; Cathalanam, quæ diuerſis vtuntur tum moribus, tum quoque idiomatibus, eaque de cauſa non contemnendæ pluries inter eius alumnos oborirentur difficultates: in eam illius proceres coiuerunt ſententiam, vt videlicet eæ tres Cuſtodię, nempe Aragonica, Valentina, atq; Cathalana, quibus abſoluebatur, in peculiares Prouincias eueherentur. Cùm itaq; generale totius noſtri Ordinis Capitulum Aquilæ, quæ Abrutiorum ciuitas eſt, ſub anno Dominicæ incarnationis 1559. celebraretur, tum à reuerendiſſimo patre fratre Franciſco Zamora in generalem totius
B Ordinis Minorum nouiter ibidem electo, tum quoq; à cæteris patribus, vt tandem tot incommodis iretur obuiam, Philippo eius nominis II. Hiſpaniæ Rege, idq; maximè expetente, pręfatę tres Cuſtodiæ ad Prouincię dignitatem aſſumptæ ſunt. Et quæ olim vnica tantùm erat Aragoniæ Prouincia, in tres nempe in Aragonenſem, in Cathalanam (de qua impræſentiarum) atq; in Valentinam diſſecta extitit. Cæterùm hæc Cathaloniæ Prouincia ex 24. fratrum conuentibus, atq; 9. ſanctimonialium monaſterijs conſtans, vniuerſum Cathalonię Principatum complectitur, eiusq; finibus omnino clauditur. Cuius maius ſigillum Dominicam Crucem, gentilitijs Regni Aragoniæ inſignijs innixam, atq; titulo inſignitam cum cæteris Dominicæ paſſionis
C improperijs, nec non & ſequentes literas: SIGILLVM. PROVINCIÆ. CATHALONIÆ. F. MINORVM. RE. OBSERVANTIÆ. ſphericè imprimit. Quia verò antiquiſſima, celeberrimaq; Dominæ noſtræ Montisſerrati domus ad 21. tãtùm milliare Barcinone diſtat, eiusq; Prouincię terminis circumſcribitur, tum glorioſæ Virginis iconem, tũ quoq; præfatum Monteſerratũ, de more graphicè depictum iſtius Prouincię conuẽtibus præpoſitũ volui. Pertinet hęc ſacra Montisſerrati ædes ad Benedictinos patres, ſed Obſeruantes, ſitaque eſt in æditiſſimi cuiuſdam montis latere, veruntamen amœniſſima, atq; ſpecioſa valle gaudet, condecoraturq;. Frequentatur præterea à plurimis tum Hiſpanis, tum quoq; Gallis, ac
D exteris alijs nationibus, idq; ob frequentiſſima miracula, quæ ad deuotiſſimam beatiſſimæ virginis Mariæ imaginem ibidem contingunt. Qua etiam de cauſa capaciſſima eſt, plurimisq; diuerſi generis honeſtatur hoſpitijs, quibus tum nobiles eccleſiaſtici atq; ſęculares, tum quoq; ignobiles, pro cuiusq; conditione, humaniſſimè excipiuntur. A cętero in accliuiori eius montis, cui pręfata ędes adhęret, parte 12. erecta conſpiciuntur eremitoria, in quibus totidem viri graues, ac ſanctimonia inſignes, perpetuò degunt, pœnitentiamq; agunt: qui & accedentibus ſanctiſſimè conſulunt.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Barcinonis. *Conu. I.*

E BARCINO, quę & vulgò Barçelona dicitur, vrbs apud Hiſpanos totius tractus Tarraconenſis celeberrima eſt. Ad hanc igitur percelebrem ciuitatem cùm alter ex ſocijs beati patris Bernardini de Senis, vir vtiq; doctiſſimus, religioſiſſimus atq; inſignis Eccleſiaſtes ſe ex Italia, ſub anno Dominicæ incarnationis 1427. contuliſſet, atq; plures ad eius populum conciones de ſacro Euangelio habuiſſet, Barcinonenſis ſenatus eius doctrina, atq; moribus ſummopere oblectatus de vnius ædificatione conuentus, in quem tum ipſe, tum eius ſequaces ſe recipere poſſent, ſerius agere cœpit. Vt igitur primum Alphonſi eius nominis V. Aragoniæ Regis, atq; Barcinonenſium Comitis fauor, beneplacitumque acceſſit, præfatus Barcinonenſis ſenatus hoc monaſterium, ſanctiſſimę Mariæ de Ieſu ſacrum, cuius primum ac fundamentalem lapidẽ pientiſ-

pientiſſimus ipſe Rex poſuit, aliquantulum à communis vrbis vallo extra portam, A quæ Angelica nuncupatur, ex publicis facultatibus ædificandum, omnibusq; ſuis numeris abſoluendum, atq; præmemoratis religioſis tradendum curauit. Cuius ſanè conuentus amœnitas, religio, atq; capacitas tantæ ſunt, vt ſe frequentantium animos maximè oblectet, mentemq; in Deum eleuet, atq; ſeptuaginta fratres, ab hoſpitibus, ſat commodè contineat. Eſt præterea hic conuentus celeberrimus ille locus, in quo nunquam ſatis laudanda illa Barcinonenſia ſtatuta ab Obſeruantibus Vltramontanis patribus, capitulariter congregatis, olim edita fuêre. Quorum profectò patrum tanta fuit modeſtia, tantusq; extitit paupertatis zelus, vt, quamuis ex publico Barcinonenſis ſenatus decreto, & liberalitate ad quancumq; liberet rem manus admouere illis liceret, vnica tantùm gladiorum theca ab eorum altero accepta ſit. Nec mirum ſanè quòd tanta extiterit Barcinonenſium ad huiuſmodi patres liberalitas, cùm ij omnes maxima quadam voluntatis inclinatione in noſtrum Ordinẽ, præcipuè verò in huius Prouinciæ patres, quibus quoties Comitia prouincialia ab ijs celebranda veniunt, (habentur ſiquidem omnia huiuſmodi Comitia Barcinonis ob loci opportunitatem, quia ſita eſt in medio totius Principatus) ducentos coronatos aureos ex publico ærario, ac cætera omnia neceſſaria ex priuatis facultatibus liberaliſſimè ſubminiſtrant, propendeant. Diem hoc in loco clausêre extremum, ſepultiq; ſunt religioſiſſimi, pariterq; doctiſſimi patres, ac in ſacra Theologia Magiſtri, frater Boix, & frater Sicardus: quorum iſte ex Conuentualibus Franciſcanis patribus ad noſtros confugit, ac moriens omnibus ob eximiam doctrinam, atq; ſanctitatem maximum ſui deſiderium reliquit: ille verò, Cartuſianis patribus apud quos communem cum illis normam profeſſus fuerat relictis, Minoritis huius Prouinciæ patribus, quibus & C ad vltimũ vſq; vitæ halitũ ſanctiſſimè cõuixit, aſſociari voluit. Quãplurimos alios patres ſcientia, atq; religione inſignes, & hoc in eodem loco tumulatos præcedentibus annectere poſſem, niſi incurrendæ prolixitatis timor me retardaret. Adducam nihilominus in medium de omni virtute optimè meritum fratrem Petrum à Campo laicum profeſſum, & octogenarium, qui quicquid à neceſſarijs occupationibus ſibi reſiduum eſt, id totum in oratione conſumit, quiq; tanto deuotionis exceſſu frequentiſſimè ſuſpenditur, vt ſupra ſe ipſum raptus, & vltra humanum ſenſum aliquid ſentiens, quid circa ſe exterius agatur, neſciat. Sed quia is adhuc in viuis agit, & iuxta Sapientis ſententiam vir poſt mortem laudandus venit, hæc de ipſius virtutibus dicta ſufficiant: præſertim cùm ex his, quæ reſidua ſunt, ea facilè quis coniectare poſſit. Tandem in huius ſacræ, atq; celeberrimæ domus archiuis plurimæ literæ apoſtolicæ, plurimaq; tranſumpta authentica aſſeruantur, attamen ex illis multis tantùm in medium adducam breue quoddam Sixti V. Pont. max. datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 20. Ianuarij anno Domini 1586. Pontificatus verò ſui anno primo, quo exempla Pauli III. & Iulij III. etiam Romanorum Pontificum prędeceſſorum ſuorum ſequutus, authoritate apoſtolica diſtrictius interdicit tam fratribus Capucinis, ne quenquam fratrum de Obſeruantia ad eos quouis habitu, & quacunq; de cauſa tranſeuntem, ſine ſua aut Romani Pontificis pro tempore exiſtentis licentia ſpeciali, per literas apoſtolicas expreſſam & in ſpecie, non autem per clauſulas generales idem importantes, prędentis prohibitionis mentionem, & derogationem continentes, aut generalis aut prouincialium Miniſtrorum fratrum de Obſeruantia licentia in ſcriptis obtenta, admittere, recipere, & retinere: quàm fratribus de Obſeruantia, ne quiſquam eorum ad Congregationem Capucinorum ſine huiuſmodi licentia ſe transferre præſumat. In ſingulos verò Prælatos Capucinorum, & fratres de Obſeruantia, qui in præmiſſis quoquomodo contrauenerint, excommunicationis ſententiam fert, eoſq; omnibus & quibuſcunq; dignitatibus, adminiſtrationibus & officijs priuat, & ad futura & ad quoſcunq; actus legitimos inhabiles reddit. Et duo alia breuia eiuſdem Pont. ſummi data Romæ, alterum apud S. Marcũ 6. die Aug. anno Dñi 1585. alterum verò apud ſanctũ Petrũ die 8. Martij anni immediatè ſequentis, ſed Pontificatus ſui anno primo, quibus prouinciali Cathalonię Prouincię Miniſtro præcipiebat, vtq; tunc exiſtentem Abbatiſſam monaſterij S. Claræ de Petris albis, cuius

electio

A electio in Abbatiſſam per prædeceſſorem ſuum Gregorium XIII. Pont.max. ad eius
vitã confirmata fuerat,quacunq; appellatione, recurſu, & reclamatione poſtpoſita,
ab Abbatiſſatus officio realiter amoueret, curaretq;, vt ſtatim per moniales eiuſdem
monaſterij ad nouam alterius Abbatiſſæ electionem,ſeruatis omnino decretis Conci-
lij Tridentini,& ſtatutis regularibus Ordinis Franciſcani,illis prӕſertim quibus caue-
tur,vt Abbatiſſæ triẽnales omnino ſint, neq; eædem, niſi poſt intermiſſum triennium,
poſſint denuo eligi,procederetur. Et tranſumptum quoddam authenticum aliorum
apoſtolicorum diplomatum ad illuſtriſſimos noſtri Ordinis Protectores ſpectantium,
horum ſub verborum ſerie.

*VNIVERSIS & ſingulis reuerendiſsimis, ac reuerendis in Chriſto patribus,& domi-
nis dominis Dei & apoſtolicæ Sedis gratia Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, eo-*
B *rumq́,& cuiuslibet ipſorum in ſpiritualibus,& temporalibus Vicarijs ſeu Officialibus generali-
bus,omnibusq́, alijs,& ſingulis,quorum intererit, aut intereſſe poterit quomodolibet in futurũ,
quibuſcunq; nominibus cenſeantur,quacunq; præfulgeant dignitate, Adrianus Fuſconius,eadẽ
gratia Epiſcopus Aquinatenſis, Archiuij Romanæ curiæ Corrector,Iudex,& Executor ad infra-
ſcripta in vim priuilegiorum apoſtolicorum, dudũ eidem Archiuio, & illius correctoribus con-
ceſſorum,ſpecialiter aſſumptus,ſalutem in Domino, & noſtris huiuſmodi, imò verius apoſtolicis
firmiter obedire mandatis: Literas ſanctiſsimi in Chriſto patris,& domini noſtri domini Gre-
gorij diuina prouidentia Papæ XIII. eius vera bulla plumbea,cum cordula fili ſericei rubei, cro-
ceiq; colorum,more Romanæ curiæ impẽdentis,bullatas ſanas ſiquidem & integras, non vitia-
tas,nec in aliqua ſui parte ſuſpectas,ſed omni prorſus vitio,& ſuſpitione carentes, vt in eis pri-
ma facie apparebat,nobis pro parte R.in Chriſto patris domini domini Miniſtri generalis, ac*
C *reuerendorum,& religioſorum virorum omnium, & ſingulorum fratrum totius Ordinis Mino-
rum de Obſeruantia principalium, in ſubinſertis literis apoſtolicis reſpectiuè principaliter no-
minatorum,& comprehenſorum præſentatas,nos cum ea,qua decuit reuerẽtia,recepimus, huiuſ-
modi ſub tenore.* GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei ad futurã rei me-
moriam: Prouiſionis noſtræ debet prouenire ſubſidio, vt ius ſuũ cuilibet conſeruetur.
Hinc eſt,quòd nos tenorem quarundam literarum felicis recordationis Iulij II. Papæ
prædeceſſoris repertum, pro eo quod exhibita nobis nuper pro parte dilecti filij Mini-
ſtri generalis Ordinis fratrum Minorũ de Obſeruantia nuncupatorũ petitio contine-
bat, quod tenore præfato ipſe ex certis cauſis ſe aſſerit indigere,de regiſtro ipſius prӕ-
deceſſoris de verbo ad verbum tranſcribi, & ad ipſius Miniſtri ſupplicationis inſtan-
tiam, præſentibus annotari fecimus, qui talis eſt. *IVLIVS Epiſcopus,ſeruus ſeruorum*
D *Dei ad perpetuam rei memoriam. Dum fructus vberes,quos ſacer Ordo fratrum Ordinis Mino-
rum in agro militantis Eccleſiæ in propagatione Religionis,& fidei orthodoxæ hactenus produ-
xit vtiliter,& producit,ac in futurum producturum fore indubitanter ſperamus, diligenter at-
tendimus,dignum cẽſemus & debitum,nos ad illa noſtros debere dirigere cogitatus, per quæ ea,
quæ pro perſonarum in illo,ſub ſuaui Religionis iugo, Altiſsimo famulantiũ,quiete & tranquil-
litate, ac ad illorũ ſuperiorum exercẽdam iuriſdictionem,à Romanis Pont.conceſſa fore noſcun-
tur,in ſua integritate perſiſtant, & tanto firmius obſeruentur,quantò erunt ſæpius Sedis apoſto-
licæ munimine ſtabilita. Dudum ſiquidem felicis recordationis Gregorius Papa XI. prædeceſſor
noſter dicto Ordini ſuas literas conceſsit, poteſtatem Protectoris eiuſdem Ordinis pro tempore
exiſtentis limitantes,ac aliqua eidem Protectori inhibentes, necnon priuilegia & indulta alia
continentes,quas poſtmodum piæ memoriæ Sixtus Papa IIII. etiam prædeceſſor,& ſecũdum car-*
E *nem auunculus noſter,per ſuas literas cum literarum Gregorij prædeceſſoris huiuſmodi de verbo
ad verbum inſertione approbauit,prout in eiſdem literis,quas præſentibus, de verbo ad verbũ,
inſeri fecimus,plenius continetur. Quare pro parte dilectorum filiorum Reginaldi generalis,&
modernorum Prouincialium omnium Prouinciarum iuxta morem dicti Ordinis, aſſerentium li-
teras prædictas eſſe in vſu, nobis fuit humiliter ſupplicatum, vt literas Gregorij, & Sixti præ-
deceſſorum huiuſmodi approbare,atq; in præmiſsis opportunè prouidere de benignitate apoſtoli-
ca dignaremur. Nos igitur qui in minoribus conſtituti,Cardinalatus honore fungentes dicti Or-
dinis Protector xxvi. annis & vltrà fuimus, eoſdem fratres,tamquam peculiares filios, in vi-
ſceribus charitatis gerentes, eorum commoda & tranquillitatem ſinceris affectibus exoptamus,
Generalem & Prouinciales prædictos à quibuſuis excõmunicationis,ſuſpenſionis,& interdicti,*

alijsq; eccleſiaſticis ſentētijs, cenſuris, & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa A
latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendū,
harū ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, literas
prædictas Gregorij & Sixti prædeceſſorum huiuſmodi, quæ in vſu ſunt, vt præfertur, apoſtolica
authoritate tenore præſentium approbamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Non
obſtantibus cōſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, ac quibuſdam literis in forma breuis,
Cùm noſtræ intentionis incipientibus, & ſub dat. 17. Nouemb. Pontificatus noſtri anno 3. aliàs à
nobis emanatis. Vnà cum ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis, iuramento, confirmatione
apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Tenor verò di-
ctarum literarum ſequitur, & eſt talis. SIXTVS Epiſcopus ſeruus ſeruorū Dei ad per-
petuam rei memoriam. Sancta Minorum Religio, quæ agrum militantis Eccleſię ſan-
ctis operibus, & exemplis copioſiſſimè fœcundat, & ſapientiæ ſplendore catholicā il- B
luſtrat Eccleſiam, tantò vberioribus fructibus fertilior eſſe conſpicitur, quantò in ſuo
ſtatu quietior permanet, & conſiſtit, & maior promptiorq; à ſubditis eiuſdē Ordinis
fratribus, ſuis Prælatis obedientia exhibetur, nullis extrinſeci impedimēti perturba-
tionibus agitatur, & moleſtatur, cùm in ea caput vnicū ſit, & eſſe cenſeatur, à quo om-
nia dictæ Religionis negotia, & cauſę adminiſtrentur, & cui omnes & ſinguli dicti Or-
dinis fratres pareant, & illius ſubiaceant diſciplinę. Dudum ſiquidem felicis recorda-
tionis Gregorius Papa XI. prædeceſſor noſter, cognito quòd nonnulli dicti Ordinis
Protectores, dum maiorem, quam eis ex eiuſdē Ordinis Regula conceditur, authori-
tem vendicare, aut vſurpare ſibi ipſos voluerunt, vera ſubditorum prædicti Ordinis,
ad ſuos prælatos obedientia ſubmoueatur: vnde perturbationes, inconuenientia mul-
ta, inutiles fratrum diſcurſus, & grauia ſcādala fuerunt exorta, in magnam ipſius Or- C
dinis iacturā, præiudicium, & detrimentum, literas ſequentes edidit in hunc tenorem.
GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Sanctos Chriſti
fideles, ſuper quibus curam ex debito officij ſummi Pontificatus gerere obligamur, per præſidētes
ſic eiſdem charitatiuè, ſicq; prouidè, ac iuſtè cupimus gubernari, quòd illi in viam mandatorum
Domini dirigātur, & hi ex merito præſidialis ſolicitudinis vberius ſuperni remuneratoris præ-
mium nanciſcantur. Sed hoc nimirum in illis deſideramus ardentius, & affectuoſiori ſtudio pro-
curamus, quorum alij à mundanis abſtracti, & grauibus pœnitentijs dediti, cæleſtibus inhiant,
& ad id per contemplationis pennas ſuauius, & altius eleuantur vt aquila, & cum Maria parte
optima perfruuntur. Alij verò ſanctam ſolicitudinem Marthæ ſectantes, celebrationi diuinorū
vacant ſolertius. Alij diſcunt & docent ſcientiam Dei, & alij plebem inſtruunt in eadem. Alij
verò feruentioris operis ardore ſuccenſi, non timentes ſed amantes barbaras nationes ad illarū D
conuerſionem pergunt intrepidi, vt valeant ad Dominicam areā multos afferre manipulos, & de
talentis eis creditis bonam Domino reddere rationem. Hi profectò ſunt patres Minorū Ordinis,
in Dei Eccleſia multiplicibus ſplendoribus radiantes. Quorum ſonus prædicationis, & ſanctita-
tis opera, præ cæteris Religionum profeſſoribus vſq; ad extremū terræ noſcitur exiuiſſe. Hi ſunt,
quos Deus numero multiplicauit, & meritis quibuſq;, & ſicut alijs benè merētibus in ſtadio mili-
tantis Eccleſiæ æternum brauium, quod certatim apprehendere ſatagunt, elargitur. Et propterea
nos de ipſis dignè curam vigilem gerimus, vt eos nihil in his ſanctis operibus impediat, vel per-
turbet, ſed ipſi opportunæ quietis dulcedine potiantur. Sanè cum in B. Franciſci Regula, cuius ijdē
fratres profeſſores exiſtunt, hæc verba contineantur expreſsè, videlicet: Quòd per obedien-
tiam ad hoc iniungo Miniſtris, vt petant à domino Papa vnū de ſanctæ Romanæ Ec- E
cleſiæ Cardinalibus, qui ſit Gubernator, Protector, & Corrector iſtius fraternitatis, vt
ſemper ſubditi & ſubiecti pedibus eiuſdē ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſtabiles in fide ca-
tholica, paupertatem, & humilitatē, & ſanctū Euangelium Domini noſtri Ieſu Chri-
ſti, quod firmiter promiſimus, obſeruemus: Iidem fratres, exiſtentes pro tēpore, huiuſmodi
Protectores dictæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſucceſſiuis tēporibus, petierūt à Sede apoſtolica,
& etiam habuerunt: ſed aliqui eorundem Protectorum, putantes fortè bene & licitè, à certis tē-
poribus citra ſuam poteſtatem nimium extendiſſe dicuntur in pluribus, ex quibus in ipſo Ordi-
ne grauia perturbationes & ſcandala ſunt orta: Nos igitur, vt idem Ordo in ſua primæua quie-
te permaneat, de virtute in virtutem eat aſſiduè, quod quibuslibet amotis præpedijs, eradicatiſq;
ſpinis & tribulis, fructum non ſolum conſuetum, ſed etiam vberiorem afferat ad radicalē ſubmo-
tionem,

A *tionem,turbationum,& ſcandalorum huiuſmodi iam exortorum , & ne oriantur in poſterũ prouidere,& eiuſdem Ordinis Protectoribus,qui erũt pro tempore, cùm nullus ſit ad præſens Ordinis prædicti Protector,tranſgreſsionis ſuæ poteſtatis occaſionem tollere, efficaci remedio cupientes,authoritate apoſtolica eiſdem Protectoribus diſtrictius inhibemus,ne præſumant quæcunque ordinata,ſtatuta,ſiue diſpoſita,ac ordinanda,ſtatuenda,& diſponenda per generalia,& prouincialia,vel cuſtodialia Capitula infringere,reprobare, corrigere, ſuſpendere, aut diſpenſare ſuper ipſis,ſeu contra ea,vel eorum aliquod quomodolibet immutare,niſi contra præmiſſos articulos,in prædicta Regula,vt præfertur,poſitos, vel aliquem ipſorum exiſteret manifeſtè : aut quemcunq; Prælatum,ſeu Officialem dicti Ordinis,ſeu alicuius loci eiuſdem , quocunq; nomine nuncupetur , ponere,ſeu inſtituere,aut deponere,deſtituere,ſeu priuare: aut à ſuo officio ſuſpendere , ſeu impedire ſuper eius libero exercitio quouiſmodo : Aut aliquem fratrem Ordinis antedicti ad Lectoratum,*

B *aut quamcunq; lecturam, ſeu ſtudium,vel gradum promouere, aut promotos ab eis remouere,ſeu etiam reuocare,aut de loco ad locum mittere,vel mutare, ſiue alicui fratrum eorundem eũdi ad quodcunque monaſterium,vel locum alium,aut domum, vel aliam perſonam licentiã impartiri.Et ne inſuper quemuis ſingularem fratrem Ordinis memorati de quocunq; crimine, vel delicto punire,vel à pœna, ſeu ſentẽtia liberare,aut eam minuere,augere,vel immutare:aut etiã alicui fratrum locum,cameram,cellam,libros,vel alias res dicti Ordinis concedere,vel eius vſui deputare:aut quemcunque per Prælatos eiuſdem Ordinis,aut alios deputatos, quomodolibet amouere , nec etiam de rebus,aut de correctione fratrum dicti Ordinis in præmiſsis caſibus contẽtis in prædicta Regula,ſeu eorũ aliquo aliquatenus intromittere ſe quouiſmodo. Ita quod dictus Ordo, ſeu fratres eiuſdem,in nullo ſubſint futuris Protectoribus , niſi duntaxat in caſu, in quo ipſorum fratrum communitas,vel generale Capitulum (quod abſit) à prædictis articulis, vel eorum*

C *aliquo deuiarent . Alioquin ſi ſecus fecerint , id decernimus irritum & inane . Et nihilominus fratres , qui contra noſtram huiuſmodi inhibitionem quidquam impetrabunt , ſeu poſt inhibitionem huiuſmodi vtentur etiam per alios impetratis , puniantur illis pœnis , quibus eſſent pro grauibus culpis ſecundum ſtatuta dicti Ordinis puniendi . Et ſint nihilominus actibus priuati legitimis , & à ſuis (ſi quæ habent) ſuſpenſi officijs ipſo facto . Cæterum nos eoſdem futuros Protectores hortamur attentius , quòd per facti efficaciam , ſic nominis ſui officij procurent effectum , quòd Ordo ipſe per eos non lædatur in aliquo , ſed potius ab aduerſarijs (ſi quando forſitan incumbunt) ſuo opportuno defenſionis clypeò protegatur , & à noxijs præſeruetur,ſic acturi prouidè,& æquitatis ac modeſtiæ limites ſeruaturi,ut non trahatur ad noxam,quod prouiſum extitit ad ſalutem . Sed ex charitatiuis geſtis eorum Ordo præfatus quietem & conſolationem percipiat,& ipſi Protectores magnum apud Deum præmium ſortiantur. Et ſu-*

D *per contrario,non oporteat dictæ Sedis prouidentiam,aliud remedium adhibere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ inhibitionis, & cõſtitutionis infringere,vel ei auſu temerario contraire . Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei,& beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum . Datum apud Pontem Sergiæ Auinionenſis diœceſis ſexto Kal.Iunij pontificatus noſtri anno tertio . NOS autem cùm in minoribus conſtituti,ipſius Ordinis generalis cura & adminiſtratio incũberet,ſaluberrimum opportunum & neceſſarium dicti Ordinis eſſe conſpeximus , vt Protectores vltra præfixam ab eiuſdem Ordinis Regula authoritatem non extenderent,nam experti ſumus & vidimus quanta pax,quies,vtilitas,quantaq́; commoda prædicto Ordini , & fratribus eiuſdem ex firma & incõcuſſa dictarum literarum obſeruantia prouenerint,quæ,& quantæ perturbationes,iacturæ,incõmoda,damna & grauia ſcãdala in dicto Ordine ſuſcitata ſunt, quotiens dicti Ordinis Protecto-*

E *res ſuæ authoritatis limites excedere attemptantes in particularibus dicti Ordinis , & fratrum eiuſdem cauſis & negotijs ſe intromittere,& vſurpata ſibi authoritate,ea videre,cognoſcere,iudicare,& diſcernere voluerint,cupiẽtes vt Religio , & Ordo præfatus,quem affectuoſiſsima charitate complectimur,vtpotè quia in eo à teneris annis enutriti,& doctrina , ac Regularibus diſciplinis , & moribus inſtituti fuimus , ac vti firma fide tenemus,certiſsimisq́; in nobis experimentis didiſcimus,ad officia & dignitates,ad quas in minoribus promoti ſumus, & adhuc ſummi Põtificatus apicem meritis & precibus ſeraphici patris , & fundatoris promoti fuimus,quieto conſiſtens ſtatu virtutibus,& meritis augeatur:& multiplicetur, vt fidei catholicæ , & Chriſtianæ Reipublicæ augmentum,& multiplicatur,ac ſolidum fundamentum , ex eiuſdem Ordinis fratrum operibus,& exemplis,ſapientiæ ſplendore,etiam fructuoſis ſtudijs , & prædicationibus*

prouenient,promptiſsimo & liberali animo,vti dignum cenſemus & debitum, ea quæ pro ipſius A
Ordinis quiete,pace, tranquillitate , & proſperitate à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus no-
ſtris prouidè ſtatuta,& ordinata ſunt, vt illibata perdurent,noſtræ approbationis munimine ro-
boramus,interpretamur & declaramus,prout ipſius Ordinis tranquillitati, conſpicimus ſalubri-
ter expedire: igitur vt de cætero ipſius Ordinis Profeſſoribus omnis euagandi extra Religionem
occaſio tollatur,& vera ſuis Prælatis obedientia,in qua Religionis verum & ſolidum fundamẽ-
tum,& robur conſiſtit exhibeatur,præfatiq́; Ordinis, & fratrum eiuſdem negotia & cauſæ , non
alibi,neque per alios quàm in ipſo Ordine & per ipſius Prælatos,tractentur,agitentur, iudicen-
tur , & determinentur , dilecti filij Zanetti de Vtino generalis dicti Ordinis Miniſtri, & to-
tius generalis Capituli in hac parte ſupplicationibus inclinati,inhibitionem , & literas prædi-
ctas prædeceſſoris prædicti apoſtolica authoritate tenore præſentium approbamus , & robur per-
petuæ firmitatis obtinere debere decernimus,& per eas Protectori præfato,qui in tempore erit, B
niſi in illis caſibus & articulis , in Regula dictorum fratrum expreſsis,& præfati prædeceſſoris
literis declaratis, nec in illis, dum non vniuerſi , ſed aliqui ipſius Ordinis profeſſores in quouis
numero à fidei veritate,& ſanctæ Romanæ Eccleſiæ obedientia deuiarent , vel Regulam prædi-
ctam non ſeruarent,ſed de eorundem deuiantium , & non obſeruantium Regulam correctione ,
aut reductione,ac alijs quibuslibet cauſis , & negotijs dicti Ordinis ſe impendat,inhibitum fore
dicta authoritate decernimus & declaramus . Hortamur autem illum, qui officium Protectoris
huiuſmodi, quod impræſentiarum per obitum bonæ memoriæ Beſſarionis Epiſcopi Sabinenſis di-
cti Ordinis olim Protectoris , nuper vita functi,vacat, aſſumi & deputari contigerit , & ipſius
ſucceſſores dicti Ordinis Protectores , ac eis in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo
inhibemus,ne extra prætactos articulos,& caſus in Regula prædicta contentos & expreſſos,nec
etiam in illis,cùm non vniuerſus Ordo,ſed aliqua ipſius pars,vel ſpeciales perſonæ errarent, ip- C
ſorum fratrum querelas audire , ſeu de ipſorum cauſis & negotijs contra literas & declaratio-
nes huiuſmodi intromittere ſe quoquo modo præſumant , ſed curent,vigilent, & intendant, vti
eſt proprium eorum officium,& prædicti ſancti Franciſci , & apoſtolicæ Sedis intentio extitit,
ipſum Ordinem in quieto,& tranquillo,& pacifico ſtatu conſeruare & augere, ac ab impugnan-
tibus,moleſtantibus,& perturbantibus protegere & defendere,& tueri,ne ſecus agendo,Ordinẽ
prædictum non ſolum non protegant,conſeruent & exaltent,vt tenentur,ſed in animarum ſua-
rum perniciem,& dicti Ordinis detrimentũ,& ſcandalũ perturbent,deſtruant,& confundant.
Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis , conſtitutionis , decreti,
declarationis,exhortationis,& inhibitionis infringere, & ei auſu temerario contraire , Si quis
autem hoc attentare præſumpſerit,indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli
Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum . Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Dominicæ D
incarnationis milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo ſecundo,quinto Kalen.Februarij, Pon-
tificatus noſtri anno ſecundo . NVLLI ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ
abſolutionis,approbationis, & cõmutationis infringere,vel ei auſu temerario contraire . Si quis
autem hoc attentare præſumpſerit,indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pau-
li Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.Datum Romæ apud S.Petrum, anno Dominicæ incar-
nationis milleſimo quingenteſimo ſeptimo , Idibus Octobris , Pontificatus noſtri anno quarto .
Cæterùm vt earundem literarum proceſſus ſic inſertus omnimodam rei, aut facti cer-
titudinem faciat,authoritate apoſtolica decernimus,vt illud idem robur,eamq́; vim,
eundem vigorem dictus tenor per omnia habeat,quę haberẽt literæ originales ſupra-
ſcriptæ , & eadem prorſus ipſi tenori fides adhibeatur quandocunq; & vbicunq; ſiue E
in iudicio,ſiue alibi vbi fuerit exhibitus & oſtenſus,& eidẽ ſtetur firmiter in omnibus,
ſicuti eiſdem literis originalibus ſtaretur,ſi forent exhibitæ vel oſtẽſæ . Per hoc autem
nullum ius de nouo cuipiam acquiri volumus, ſed antiquum tantũmodo conſeruari .
Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri decreti & voluntatis infrin
gere , vel ei auſu temerario contraire . Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, in-
dignationem omnipotentis Dei , ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe no-
uerit incurſurum. Datum Romæ apud S.Petrum,anno Dominicæ incarnationis mil-
leſimo quingẽteſimo ſeptuageſimo octauo,quintodecimo Kal. Ianuarij, Pontificatus
noſtri anno ſeptimo. POST quarum quidem literarum apoſtolicarum præſentationem , &
receptionem,nobis & per nos,vt præmittitur,factas,fuimus pro parte præfatorũ reuerendiſsimi
patris

A *patris domini Miniſtri generalis, ac reuerendorum & religioſorum virorum omnium & ſingulorum fratrum totius Ordinis Minorum de Obſeruantia principalium, in præinſertis literis apoſtolicis reſpectiuè principaliter nominatorum, & comprehenſorum debita cum inſtantia requiſiti, quatenus ad executionem, & aſsiſtentiam præinſertarum literarum apoſtolicarum, & contentorum in eiſdem procedere dignaremur iuxta illarum formam & tenorem.*

NOS igitur Adrianus Fuſconius Epiſcopus Aquinenſis Corrector, Iudex, & Executor præfatus attendentes requiſitionem huiuſmodi fore iuſtam & rationi conſonam, volentesq́; literas apoſtolicas reuerenter exequi, vt tenemur, idcirco authoritate apoſtolica, qua fungimur, in hac parte, præfatas literas apoſtolicas, huncq́; noſtrum proceſſum, ac omnia & ſingula in eis contenta, nobis omnibus & ſingulis ſupra nominatis, quibus proceſſus noſter huiuſmodi dirigitur, communiter vel diuiſim intimamus, inſinuamus, & notificamus, ac ad veſtram, & cuiuslibet ve-
B *ſtrum notitiam deducimus, & deduci volumus per præſentes. Vosq́; nihilominus ſupradictos, & veſtrum quemlibet inſolidum tenore præſentium requirimus & monemus primò, ſecundo, & tertiò, & peremptoriè, communiter vel diuiſim, ac vobis, & veſtrum cuilibet inſolidum in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub infraſcriptis ſententiarum pœnis diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus infra ſex dierum ſpatium, poſt præſentationem, ſeu notificationem præſentium, & requiſitionem vobis ſeu alteri veſtrum factas, & poſtquam pro parte eorũdem R.D. Miniſtri generalis, & fratrum prædictorum principaliũ, vigore præſentium ſuper hoc fueritis requiſiti, ſeu veſtrum alter fuerit requiſitus, immediatè ſequentium, quorum ſex dierum duos pro primo, duos pro ſecũdo, & reliquos duos dies vobis vniuerſis, & ſingulis ſupranominatis pro tertio & perẽptorio termino, ac monitione canonica aſsignamus, eiſdem R.D. Miniſtro generali, & religioſis fratribus Ordinis Minorum de Obſeruantia principalibus prænominatis in præmiſsis omnibus*
C *& ſingulis, in præinſertis literis apoſtolicis contentis, efficacis defenſionis præſidio aſsiſtẽtes faciatis, & veſtrum quilibet faciat, authoritate noſtra, imò verius apoſtolica, dictum R.D. generalẽ Miniſtrum, ac omnes & ſingulos fratres principales prænominatos omnibus & ſingulis in præinſertis literis apoſtolicis contentis, in omnibus & per omnia iuxta earũ literarum apoſtolicarũ, ac præſentium formam & tenorem pacificè & quietè vti, frui, potiri, & gaudere, dictasq́; literas apoſtolicas, & in eis contenta huiuſmodi ab omnibus inuiolabiliter perpetuò obſeruari, neq; eoſdem R.D. Miniſtrum, & fratres principales vel eorum procuratorẽ ſeu procuratores, deſuper vllatenus moleſtetis, inquietetis, impediatis, vel perturbetis, nec aliquis veſtrũ moleſtet, inquietet, impediat, vel perturbet: neq; etiam permittatis à quoquã, quauis authoritate, quomodolibet moleſtari, inquietari, impediri, vel conturbari. QVOD ſi fortè præmiſſa omnia, & ſingula prout ad vos, & veſtrũ quẽlibet mandatur, non adimpleueritis, ſeu diſtuleritis cõtumaciter adimplere,*
D *mandatisq́; & monitionibus noſtris huiuſmodi, imò verius apoſtolicis non parueritis, realiter & cum effectu, nos in vos omnes & ſingulos ſupranominatos, qui culpabiles fueritis in præmiſsis, & generaliter in contradictores quoslibet & rebelles, ac impedientes ipſos R.D. Miniſtrum, & fratres principales, vel eorum procuratorem, ſeu procuratores eorũ nomine, aut ipſos impedientibus, dantes auxilium, conſilium, vel fauorem publicè vel occultè, directè vel indirectè, quouis quæſito colore vel ingenio, cuiuſcunq; dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtant, ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc, prædicta ſex dierũ canonica monitione præmiſſa, excommunicationis: in capitula verò, conuentus, & collegia quæcunq; in his forſan delinquẽtia, ſuſpenſionis à diuinis: & in ipſorum delinquentiũ, & rebellium eccleſias, monaſteria, & capellas interdicti eccleſiaſtici ſententia ferimus in his ſcriptis, & etiã promulgamus. Vobis verò reuerediſsimis & reuerẽdis patribus dominis Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis, poteſtatibus*
E *duntaxat exceptis, quibus ob reuerentiam veſtrarum Patriarchalium, Aechiepiſcopaliũ, & Epiſcopalium dignitatum deferimus in hac parte: ſi contra præmiſſa vel eorum aliqua feceritis, ſeu fieri mandaueritis, per vos, vel ſubmiſſas perſonas publicè vel occultè quouis quæſito colore, vel ingenio, ex nunc prout ex tunc, & è contra, dicta canonica monitione præmiſſa, ingreſſum eccleſiæ interdicimus, in his ſcriptis. Si verò huiuſmodi interdictum per alios ſex dies, præfatos ſex immediatè ſequentes animo indurato, quod abſit, ſuſtinueritis, vos in eiſdem ſcriptis, ſimili canonica monitione, ſuſpendimus ſententias, per alios ſex dies prædictos duodecim immediatè ſequẽtes, animo (quod abſit) ſuſtinueritis indurato, vos ex nunc prout ex tunc, & è contra dicta canonica monitione præmiſſa excommunicationis ſentẽtia, authoritate apoſtolica tenore præſentium innodamus. Cæterùm cùm ad executionem præmiſſorum vlterius faciendam nequeamus quoad*

præſens perſonaliter intereſſe,pluribus alÿs in Romana curia legitimè præpediti negotÿs , vni- A
uerſis,& ſingulis dominis Abbatibus,Prioribus,Præpoſitis, Decanis,Archidiaconis,cæterisq́,
viris eccleſiaſticis,in quibuſcunq; dignitatibus,gradibus vel officÿs conſtitutis,notarÿsq́, & ta-
bellionibus publicis quibuſcunq; per quaſcunq; ciuitates & diœceſes, ac alias vbilibet cõſtitutis,
& eorum cuilibet inſolidum ſuper executione dictarum literarum apoſtolicarum , & mãdati no-
ſtri huiuſmodi facienda,authoritate apoſtolica ſupranominata,plenariè committimus vices , do-
nec eas ad nos ſpecialiter,& expreſſè duxerimus reuocandas. Quos nos,& eorum quemlibet in-
ſolidum eiſdem authoritate,& tenore præſentium requirimus, & monemus primò , ſecundò , &
tertiò,& peremptoriè cõiunctim,vel diuiſim,ac eis,& eorum cuilibet in ſolidum in virtute ſan-
ctæ obedientiæ,& ſub excommunicationis pœna,quam in eos,& eorum quemlibet in ſolidũ (niſi
fecerint,quæ eis in hac parte committimus,& mandamus) ferimus in his ſcriptis, diſtrictè præ-
cipiendo mandantes,quatenus infra ſex dies poſt præſentationem ſeu notificationem præſentiũ, B
& requiſitionem eis,& eorũ cuilibet factas,& poſtquam pro parte dictorũ R.D.Miniſtri gene-
ralis,& fratrum principalium vigore præſentium,ſuper hoc fuerint requiſiti, ſeu eorũ alter fue-
rit requiſitus,immediatè ſequentes,quos dies ipſis,et eorum,cuilibet inſolidũ pro omni dilatione,
terminoq́, peremptorio,ac monitione canonica aſsignamus . Ita tamen quòd in his exequẽdis,al-
ter eorum alterũ non expectet,nec vnus pro alio,ſeu per alium vel alios quouiſmodo ſe excuſet .
Ad vos omnes & ſingulos ſupranominatos, quibus proceſſus noſter huiuſmodi dirigitur , necnon
Eccleſiam ipſam,perſonasq́,& loca alia,de quibus vbi, quando & quoties expediẽs fuerit perſo-
naliter accedat,ſiue accedant,& prædictas literas apoſtolicas,huncq́, noſtrum proceſſum, ac om-
nia,& ſingula in eis contenta vobis omnibus & ſingulis ſupranominatis,quibus proceſſus noſter
huiuſmodi dirigitur, coniunctim vel diuiſim legant, intiment, inſinuent , & fideliter publicare
procurent,ac eiſdem R.D.Miniſtro generali , & religioſis fratribus Ordinis Minorum de Obſer- C
uantia principalis poteſtatis,in præmiſsis omnibus , & ſingulis , in præinſertis literis apoſtolicis
contentis,efficacis defenſionis præſidio aſsiſtentes faciant,& eorum quilibet faciat , authoritate
noſtra,imò verius apoſtolica,dictos R. D. Miniſtrum generalẽ,ac omnes & ſingulos fratres præ-
nominatos principales omnibus & ſingulis, in præinſertis literis apoſtolicis contẽtis in omnibus
& per omnia,iuxta earundem literarum apoſtolicarum,ac præſentium formam, & tenorem, pa-
cificè & quietè vti,frui,potiri,& gaudere,dictasq́, literas apoſtolicas , & in eis contenta huiuſ-
mòdi ab omnibus inuiolabiliter perpetuò obſeruari,neque eoſdem R.D.Miniſtrum generalem,&
fratres principales,vel eorum procuratorẽ,ſeu procuratores deſuper vllatenus moleſtent,inquie-
tẽt,impediãt,vel perturbẽt,neq; etiam permittant à quoquam,quauis authoritate, quomodolibet
moleſtari,inquietari,impediri,vel perturbari,inuocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio bra-
chÿ ſæcularis,quemadmodũ etiam ex nunc prout ex tunc,& è contra inuocamus & imploramus, D
ET generaliter omnia,& ſingula alia nobis in hac parte commiſſa,plenariè exequantur, iuxta
earundem præinſertarum literarum apoſtolicarum,& præſentis noſtri proceſſus vim,formã,con-
tinentiam, & tenorem.Ita tamen quòd dicti ſubdelegati noſtri vel quicunq; alius,ſeu alÿ, nihil
in præiudicium dictorum R.D.Miniſtri generalis,& fratrum principalium, vel eorum procura-
toris,ſeu procuratorum valeant attentare quomodolibet in præmiſsis,nec in proceſsibus, per nos
habitis,aut ſententÿs per nos latis abſoluendo,vel ſuſpendendo,aliquid immutare.In cæteris au-
tem, quæ eiſdem R.D.Miniſtro generali & patribus principalibus , vel procuratoribus ſuis , in
præmiſsis nocere poſſent,ſeu quomodolibet obeſſe,præfatis ſubdelegatis noſtris,& quibuſuis alÿs,
poteſtatem omnimodam denegamus . Et ſi contingat nos ſuper præmiſsis in aliquo procedere,de
quo nobis poteſtatem omnimodã reſeruamus , non intendimus propterea commiſsionem noſtram
huiuſmodi in aliquo reuocare,niſi de reuocatione ipſa ſpecialem & expreſſam fecerimus mentio- E
nem.Præfatas quoq; literas apoſtolicas huncq́, noſtrum proceſſum,ac omnia & ſingula huiuſmodi
negotium tangentia,volumus penes dictos R.D.Miniſtrum generalem, & fratres principales,
vel eorum procuratorem ſeu procuratores remanere,& non per vos,aut aliquem veſtrũ,ſeu quẽ-
cunq; alium ipſis inuitis,ſeu contra eorum voluntatem quomòdolibet detineri. Contrarium verò
facientes prædictis noſtris ſententÿs , prout in his ſcriptis per nos latæ ſunt , dicta monitione
præmiſſa , ipſo facto volumus ſubiacere . Mandamus tamen copiam fieri de præmiſsis eam
petentibus , & habere debentibus , petentium ſiquidem ſumptibus & expenſis . Abſolutio-
nem verò omnium,& ſingulorum , qui præfatas noſtras ſententias , ſeu earum aliquam incur-
rerint , ſiue incurrerit quoquomodo ; nobis vel ſuperiori noſtro tantummodò reſeruamus .

A *IN quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum præcedentes literas,ſiue hoc præſens publicum proceſſus inſtrumentum, exinde fieri & per Notarium publicum Archiuij Romanæ curiæ ſcriptorem infraſcriptum ſubſcribi,ſigilliq́; dicti Archiuij, quo in talibus vtimur,iuſsimus & fecimus appenſione communiri. Datum & actum Romæ in ædibus noſtræ ſolitæ reſidentiæ, ſub anno à natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono, Indictione ſeptima, die verò decima menſis Februarij, Pontificatus prælibati ſanctiſsimi in Chriſto patris & Domini noſtri Domini Gregorij diuina prouidentia Papæ decimi tertij anno ſeptimo, Præſentibus ibidem dominis Ioanne Vignodi, & Antonio Mignon dicti Archiuij ſcriptoribus, teſtibus ad præmiſſa vocatis atq; rogatis.*

Ego Franciſcus Sellier Archiuij Romanæ curiæ ſcriptor, quia pręmiſſis interfui, imò hoc præſens publicum proceſſus inſtrumentum ſubſcripſi,& publicaui rogatus.

B

De conuentu S. Franciſci ibidem. Conu. II.

CVM pauperum Patriarcha Franciſcus incredibili quodam martyrij deſiderio flagrans Marrochium, Miramolino eius Imperatori, atq; Mahumetiſtis populis ſibi ſubiectis Chriſti Euangelium prædicaturus, aſſumptis ſibi in ſocijs fratribus Bernardo & Maſſæo,ſub anno Domini 1214. (ſi humanæ fidei atq; receptiſſimæ traditioni aurem accommodare liceat) petere decreuiſſet, ex quo etiã itinere ſacrum diui Apoſtoli Iacobi corpus in Compoſtella viſitauit, atq; aliquantulum reſpiraturus in hoſpitali diui Nicolai tum mari, tum quoq; Barcinonenſibus mœnibus contiguo, Barcinonis ſubſtitiſſet,Barcinonẽſis ſenatus eius humilitatem,ſanctimoniam atq; paupertatem ſummopere admiratus, huiuſcemodi hoſpitale in monaſterium, quamuis à

C paupertate iuxta patris votũ non abhorrens,vt aliquot interim ex eius fratribus apud ſe haberepoſſet transferri curauit. Huiuſmodi monaſterij pars,nẽpe eccleſia & clauſtrum, adhuc perſeuerat, & à Barcinonenſibus ipſo die beati patris Franciſci deuotiſſimè viſitatur. Cùm autem poſt elapſos ab huiuſmodi translatione aliquot annos,Minorum Ordo magis magisq; excreſceret, sereniſſimi Aragoniæ Reges,& Leonora ex eorum ſtirpe prognata atq; Cypri Regina, ac R.P.F.Ioannes profeſſione Minorita & Calaritanorum Archiepiſcopus,nec non & quàmplures Barcinonenſes huiuſcemodi monaſterium ampliandũ, atq; ſumptuoſis ædificijs locupletandum curarunt.Cuius etiã monaſterij eccleſiam beatus Ludouicus Toloſanus Epiſcopus, reuerendiſſimo Bernardo Barcinonenſium itidem Epiſcopo præſente,ad honorem Dei, atq; in eiuſdẽ beatiſſimi patris Franciſci memoriam,ſub anno Dñi 1247. benedixit, conſecrauitq́;.

D Quantæ verò capacitatis ſit præſens monaſteriũ, quod à Conuentualibus Franciſcanis patribus ad eiuſdem Inſtituti Obſeruantes ex Pij V. Pont. max.decreto, ſub anno Dñi 1567. tranſijt,ex duobus Capitulis noſtri Ordinis generalibus in eo celebratis patet.In horum Capitulorũ altero ſub anno Dñi 1312. habito R.P.F. Alexander ab Alexandria Prouinciæ Genuenſis alumnus in generalem Miniſtrum præfectus extitit:in alio verò,quod anno 1356. celebratum fuit,R. P. F. Ioannes de Bucco ad eandem Generalatus dignitatem aſſumptus eſt.Sepulti iacẽt hoc in monaſterio sereniſſimus Alphonſus III. atq; Aragoniæ Rex,qui omnes virtutes, præcipuè verò caſtitatem, qua etiam de cauſa Caſtus agnominari meruit, nec vxorem duxit, mirificè coluit: quiq́; anno Dñi 1292. ætatis verò ſuę 27. viam vniuerſę carnis ingrediens in Minoritico habitu ſepeliri voluit. Et pientiſſima Aragoniæ atq; vtriuſq; Siciliæ Regina Conſtan-

E tia, præfati Regis Alphonſi mater,atq; Manfredi Siciliæ Regis filia, quæ Siciliæ Regnum Aragoniæ Regi,cui nupſit,in dotem contulit. Et nobiliſſima Maria Iacobi II. Aragoniæ Regis vxor,atq; Hieroſolymorum & Cypri Regis filia.Et Sibilia Fortiana vulgaris cuiuſdam hominis filia, ſed ſpecioſiſſima, quam Petrus eius nominis IIII. Aragoniæ Rex connubio ſibi iunxit. De qua Lucius Marinæus Siculus hæc ſcribit. Rex Petrus IIII. iam ſenio confectus amore huius Sibiliæ mulieris viduæ deperditus, mortua Leonora filia Regis Siculorum coniuge,eam vxorẽ duxit. Sepulta tandem iacet in huius monaſterij eccleſia Leonora Cypriorum Regis vxor, & Petri eius nominis III. Aragonum Regis ex filio Petro neptis. Sereniſſimę huius Reginę Leonorę pater,Petrus ſcilicet, Conſtantia eius vxore cariſſima defuncta,Minoriticum habitum induit,

induit, & ante expletum probationis annum, ex apoſtolica ſibi facta authoritate, in manibus reuerendi patris fratris Bernardi Bruni Prouinciæ Aragoniæ Miniſtri ſolemne votum de religioſo more hoc in eodem monaſterio emiſit. Etiam hoc in conuentu ſepulturã nactus eſt doctiſſimus, ac religioſiſſimus pater frater Carbonellus, à quo præfatus S. Ludouicus Toloſanus Epiſcopus literis, & bonis moribus imbutus extitit. Nec reliquijs caret ſacer hic locus, cùm particula ſanctæ crucis Chriſti, magna parte capitis S. Nicolai Epiſcopi, digito ſancti Ludouici itidem Epiſcopi, & aliorum Sanctorum particulis condecoretur. Commorantur hîc 60. vt plurimùm fratres, quorum 18. ſub doctiſſimis Prælectoribus vel Philoſophiæ, vel ſacræ Theologiæ vacant. A

De conuentu S. Franciſci Perpiniani. *Conu. III.*

CATHALONIÆ Principatus, imò & Hiſpaniæ Regnum Pyrenæo monte & latitudine, & longitudine longè alios montes excellente ad eum locum, vbi Salſulę fons ſcaturit, terminatur, & à Galliæ Regno diſtinguitur: vnde Syluius. B

Pyrene celſa nimboſi verticis arce
Diuiſos Celtis latè proſpectat Iberos,
Atque æterna tenet magnis diuortia terris.

In huius verò Pyrenæi montis vertice editiſſimus alius mons, Canus ab albedine appellitatus (altiſſimis ſiquidem niuibus tum in hyeme, tum quoq; in æſtate tegitur) ſurrigit, ex cuius cacumine alij duo montes procedunt: quorum alter ad Veneris tẽplum mare pertingit, alter verò multa per oppida ad præfatum fontem Salſulæ peruenit. Inter horum montium terminos Ruſcilionenſis Comitatus conſiſtit, duo flumina, quæ in Mediterraneum influunt, habens, totidemque opulentiſſimis vrbibus, quæ tamen corruerunt, olim inſignis. Sed inter præſtantiora huius Comitatus oppida Perpinianum præſtantiſſimum eſt, atque inter munitiſſimas Hiſpaniæ arces principem obtinet locum. Pręterea Sigiſmundi Romanorum Imperatoris, atq; Ferdinandi eius nominis primi Aragonum Regis conuẽtu celebris olim extitit. Cùm enim Petri nauicula, ob obortum ſchiſma, periculoſis conflictaretur fluctibus, atq; ad eos ſedandos ſancta, œcumenicaq; Conſtantienſis Synodus indicta eſſet, is Sigiſmundus, qui huiuſmodi Synodo imperatorio iure, contendentibus interim aliquibus de ſummo Pontificatu, præeſſe debebat, antequam tanto operi ſe accingeret, grauiſſima aliquot negotia, Chriſtianam Rempublicam concernẽtia, cum præfato Aragoniæ Rege Ferdinando hoc in oppido Perpiniano, quòd vtriq; commodiſſimum eſſet, collata voluit. Huius igitur oppidi mœnibus præſens conuentus, ſeraphico patri Frãciſco dicatus, qui à 40. fratribus incolitur, & pro celebrãdis noſtri Ordinis generalibus Comitijs, anno Domini 1332. à reuerendiſſimo patre fratre Gerardo Odonis electus fuit, & à Conuentualibus Franciſcanis patribus ad huius Prouinciæ Obſeruantes, Ferdinando eius nominis V. Hiſpaniæ Rege tranſlatus extitit, cingitur: cuius tanta eſt antiquitas, vt eidem ſeraphico patri coæuus credatur. Idq; ſanè à veritate non abhorret, cùm ex epitaphio ſepulturæ nobilis cuiuſdam Arnaldi Coſtæ inciſo ipſum ante annum Domini 1292. ædificatum fuiſſe conſtet. Præterea tanta eſt huiuſmet conuentus magnitudo, vt tres eccleſias, quarum altera beatiſſimo patri Franciſco, (& hęc maior eſt, diuinoq; perſoluendo officio deſeruit) altera Angelorum Imperatrici, alia verò S. Mariæ de Clauſtro conſecrata exiſtit, habeat. Subiacuit præfatus hic conuentus à ſui erectione ad tempora vſq; Ioannis huius nominis II. Aragonię Regis, qui eius Regni clauum ab anno 1458. vſq; ad annũ 1479. tenuit, Aragoniæ Prouinciæ, & ab ea ad Narbonenſem Cuſtodiam Prouinciæ Prouinciæ deriuauit: ſed poſtmodum ſub Carolo VIII. Gallorum Rege ad pręfatam Aragonię Prouinciam retrogreſſus eſt. Huius autem rei cauſa fuit, quòd præfatus Ioannes Aragoniæ Rex Cathalanis à ſe deficiẽtibus, atq; Caroli Viennenſium Principis eius filij partes in ſequẽtibus, bellũ illaturus pecunia, quę belli neruus eſt eguerit, atq; 300. aureorũ coronatorum millia à Ludouico XI. Francorũ Rege mutuatus, ei, donec mutuũ perſolueret, Ruſcilionenſem Comitatum, ſimul atq; Perpinianum oppidum oppignorauerit: & poſtmodũ Ferdinando V. Hiſpanię Regi à Carolo VIII. pręfati Ludouici filio, atq; eorundem

A eorundem Francorum Rege tum ipſum Perpinianum, tum quoque vniuerſus Ruſcilionenſis Comitatus gratis reſtituta ſint. Subacto ſiquidem oppido Perpiniano iam iſti, iam verò illi Principi, neceſſum erat, (ſi tamen communi paci conſultum cuperetur) vt & hic conuentus in eo erectus modò Aragoniæ, modò verò Narbonenſi Cuſtodiæ, ſiue Prouinciæ Prouinciæ ſubeſſet. Cæterùm hoc in conuentu ſepulti iacent beatus pater Paulus in ſacra Theologia Magiſter, qui, quòd mulierculæ cuidam abſolutionis beneficiū in ſacramentali confeſſione legitimis de cauſis denegaſſet, à mœcho, ſiue eiuſdē mulieris complice cum ipſa ſede, idq; anno Domini 1458. gladio confoſſus fuit Eius corpus, quod & integrum adhuc perſeuerat, honeſto loco reconditur, & à Perpinianenſibus in maxima veneratione habetur. Et eruditiſſimus pater frater Franciſcus Ximenius, qui ex Minoritico Ordine ad Elnenſem Epiſcopatum primò, ac
B poſtmodum ad Hieroſolymitanum Patriarchatum aſſumptus extitit: quiq; 13. volumina verā Chriſtianę vitę inſtitutionem concernentia, & libellum de Angelis, atque alterum itidem libellum de mulieribus mira eruditione, ſed Cathalano ſermone, edidit. Volumus tamen præmonitum pium Lectorem hunc R. patrem fratrem Franciſcum Ximenium alium eſſe ab eo, qui Toletanis in Archiepiſcopum præfectus fuit.

De conuentu S. Franciſci Tarraconis. Conu. IIII.

TVBAL V. Noë ex Iapheto filio nepos, primus omnium Hiſpaniæ Regnū obtinuit, multiplicandiſq; ouium gregibus, atq; tum boum, tum quoq; iumētorum armētis ſedulam nauauit operam. Hinc Tarraco, ideſt paſtorum congregator cognominatus, Tarraconem, quæ clariſſima olim Citerioris Hiſpaniæ vrbs fuit, quęq; pręcipuæ Hiſpaniæ parti nomen dedit, & altero capite Gallias, altero Bæticam Luſitaniamq; contingēs, qua Meridiem ſpectat Mediterraneo, qua verò Septentrionē Oceano mari latera obijcit, à ſe conditā (quamuis alij eam Scipionū opus eſſe velint) proprio nomine appellatam voluit. Iuxta antiquiſſimæ huius ciuitatis mœnia ædicula, ſancto Saluatori ſacra, ab antiquo conſtructa cùm eſſet, minareturq; ruinam, eam reuerendiſſimus Allegarius Tarraconenſiū Archiepiſcopus R. Vicenſi Epiſcopo, cæteroq; eius eccleſiæ Capitulo, ſub anno Domini 1248. liberaliſſimè contulit. Hanc poſt aliquot annos elapſos, tum præfatus Vicenſis Epiſcopus, tum quoq; reliquum Capitulum Franciſcanis fratribus, ſupra modum iſtis in partibus pullulantibus, ampliandam, atq; ad monaſterij dignitatem promouendam non minus liberaliter, quàm piè
D tradiderunt. Fratres igitur, vt primùm huiuſmodi ſibi beneficiū collatum extitit, præfatā domum in monaſterium (de quo impræſentiarum) tum ex publicis, tum quoq; ex priuatis Tarraconenſium eleemoſynis ſub titulo S. patris Franciſci euehendam curarunt. Cumq; huiuſcemodi monaſterium ad Conuentuales Franciſcanos patres plurimis annis pertinuiſſet, in generali illa reformatione per Hiſpaniā facta, Pio V. ſummo Pontifice, atq; Philippo II. Hiſpaniarum Rege, ad eiuſdem Inſtituti Obſeruantes, ſub anno Domini 1567. ex apoſtolica authoritate tranſlatum fuit. In quo deniq; 26. fratres frequentius commorantur, atq; alter ex digitis S. Ludouici Toloſani Epiſcopi, atq; quoddam os S. Luciæ virginis & mart. diligentius aſſeruantur. Cæterùm Tarraconenſium ad ſeraphicum P. Franciſcum, ob innumera miracula, quę Deus opt. max. eius meritis apud eos operari dignatus eſt, indieſq; operatur, deuotio incredibilis eſt:
E inter quæ, quę ſequuntur, non vltimum locum tenēt: vt enim Dominus oſtenderet hoſpitalitatem, qua piētiſſimus Onufrius Baz huius ciuitatis alumnus Minoritas Obſer. proſequebatur, gratiſſimā ſibi eſſe, effecit, vt, eo perdicē mādūcante, & partē illius 4. inter 2. paropſides collocante, hoc fine, vt illā P. F. Ioanni Falconi Cathaloniæ Cuſtodi, qui eò acceſſerat cum ſocio, vt ab eo hoſpitio reciperetur, dum cęna parabatur, miniſtraret, apertis catinis integra mirabiliter inueniret: Cumq; is morti appropinquaſſet Angelus Dñi, famuli illius aſſumpta forma, P. F. Ioānem Riccardum Guardianum Redēſem, qui poſtea primus huius Prouinciæ Miniſter prouincialis fuit, euocauit, vt illius obitui intereſſet: idipſum in vltima infirmitate Hieronymi & Ludouici Baz eius fratrum pręſtitit. Iacobus Vidal huius etiā ciuitatis alumnus, meritis B P. Frācīſci, cui addictiſſimus erat, anno Dñi 1581. à riuo inundāte, cui immerſus fuerat, liber euaſit.

De conuentu

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Ilerdæ. Conu. V. A

ILERDA antiquiſſima citerioris Hiſpaniæ ciuitas in conuentu Tarraconenſi, non procul à Sycori fluuio, inter Cæſarauguſtam & Barcinonem poſita, pari fermè interuallo ab illarum vtraq; diſtat: & pulcherrimis templis, fructifero ſolo, atq; antiquiſſimo literarum gymnaſio inſignis, ciuilibus Romanorum bellis celeberrima eſt. Apud eā ſiquidē Iulius Cæſar Pompeij copias, q̄bus Marcus Varro, Lucius Affranius Marcus Petreius prꝙerant, fudit, ſuperauitq;. Huius itaq; famoſꝙ vrbis ciues, cùm ſingulari quadā propenſione in Obſeruantes Franciſcanos ferrentur, quoddam monaſterium intra communis ciuitatis mœnia eo in loco, qui (Clot) Cathalana lingua nuncupatur, ex communibus facultatibus, ſub anno Domini 1464. eis ꝙdificandum curarunt. Qui tamen fratres, cùm plurimis agitarentur difficultatibus, ipſum poſt elapſos ab huiuſmodi ædificatione 16. annos, nempe anno Domini 1480 ex ciuium voto deſerentes, ad aliud (de quo impræſentiarum) eorundem ciuium ſumptibus, non longè à mœnibus, ſed amœniſſimo quodam, atq; diuinorum contemplationi accommodatiſſimo in loco, ſub inuocatione S. Mariꝙ de Ieſu conſtructum, ſe tranſtulêre: inibiq; imprꝙſentiarum vſq; perſeuerarunt. Inhabitatur plerumq; prꝙfatum hoc monaſterium à 20. fratribus, & reliquiæ cuiuſdam, cui ſanctum Dubium nomen eſt, cauſa Ilerdenſibus in maxima veneratione eſt. Cùm enim in conuentu S. Franciſci eiuſdem ciuitatis, à Conuentualibus patribus inhabitato, ſacerdos quidam inter celebrandum, poſt factam panis conſecrationem, an ſub illa ſpecie panis verè & realiter ſacroſanctum Chriſti corpus lateret, contineretur q;, dubitaret, huiuſmodi panis ſpecie corrupta carnis pars ſanguine reſperſa ex tempore apparuit. Quamobrem exterritus frater loci Guardianum accerſiri iubet, ſibiq; incredulitatis crimen fatetur, ac ſtatim in tanti piaculi pœnam medius crepuit. Quod vt primùm diffamari cœpit, huiuſmodi reliquia, quꝙ & ſumma cū veneratione cuſtoditur, S Dubij nomine à ſacrificuli dubitatione appellata euaſit. Fuit etiam Gallus quidam frater illius loci Sacriſta, qui præfatæ reliquiæ partem dentibus abſciſſam in patriam inferre conatus eſt: ſed cùm maximum itineris ſpatium per integram noctem emenſus eſſet, ſummo tandem mane diei ſequentis præ huius monaſterij foribus laſſus omnino inuentus eſt. Quod ille miraculo (vt par erat) tribuens, & abſciſſam partem, vnde eam abſtulerat, reſtituit: & commiſſi criminis veniam humiliter & publicè flexis genibus exorauit.

B and C (margin markers beside the text above)

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Dertoſæ. Conu. VI. D

IBERVS, à quo famoſus Hiſpaniæ amnis, qui plurimis populis, imò & ipſi Hiſpaniæ nomen aliquando dedit, huiuſcemodi nomine appellatus eſt, patri Tubali (de quo ſuprà) in Hiſpaniæ Regno, anno 49. Nini Aſſiriorum Regis, ſucceſſit: atq; ex altera præfati fluminis Iberi parte Occidentem verſus Iberiam nobiliſſimam aliquando vrbem, cuius ruinæ adhuc viſuntur, & Dertoſam tenue olim oppidum in opulentam ſatis ciuitatem vino, oleo, ſalinis, piſculentiſſimis ſtagnis, atq; denique omnibus bonis abundantem euexêre, condidit. Ad mille paſſus à præfata ciuitate Dertoſa cùm honeſtiſſimus vir, atq; Dertoſanæ matricis eccleſiæ Archidiaconus Guilielmus à ſancto Miniato ædiculam, Apoſtolo Barnabæ ſacram, ſub anno à partu Virgineo 1346. ædificandam curaſſet, pijſſimus pariterq; doctiſſimus Petrus à Garreto I. V. Doctore, ad quem præfata ædicula parochiali iure attinebat, eam religioſis patribus Matthꝙo Camos, atq; Raymundo Manreſa profeſſione Franciſcanis in conuentum euehendam ex reuerendiſſimi Othonis Dertoſanorum Epiſcopi, atq; religioſiſſimi Eduardi Monticatini Dertoſanæ eccleſiꝙ canonici, quorum eæ partes erant, facultate tradidit. Quod vt primùm Dertoſani ciues reſciuerunt, præfatis patribus Matthꝙo, atq; Raymundo omnem operam, omnemq; fauorem piè polliciti ſunt. Oppitulantibus itaq; ſibi ſereniſſimis Regibus Aragoniæ Alphonſo V. & Maria eius coniuge, & Dertoſenſibus ex communi ꝙrario liberaliſſimè eleemoſynas ſubminiſtrātibus, præfati patres monaſterium ædificare ibi cœperunt & breui, intra gyrum tamē & terminos paupertatis, quam ipſi ſummo amplectebantur affectu, omnibus numeris ab-

E (margin marker)

A ris abſolutum fuit,& à temporibus R.P.F. Franciſci Angelorum totius noſtri Ordinis generalis Miniſtri Recollectioni huius Prouinciæ, tunc temporis Cuſtodiæ, deſeruiuit, & inter monaſteria Recollecta antiquiſſimæ Prouinciæ Aragoniæ(quæ tamen citra aliarum iniuriam dicta velim) primatum tenuit,in quo religioſiſſimi ac ſui ſtatus zelantiſſimi patres, qui magnum veræ ſanctitatis ſpecimen præbuêre, morati, & ex hac luce feliciter migrantes ſepulturam nacti ſunt; quare eius parietes quandam redolent ſanctitatem, ita vt omnes huc aggredientes quodam ſtatim deuotionis ſpiritu feriantur. Commorantur vt in plurimum in eo 23. religioſiſſimi patres ac fratres, quos Dertoſani ſummo amore proſequuntur, eiſque oſtiatim mendicantibus liberaliſſimè omnia neceſſaria ſubminiſtrant,& huiuſmodi deficientibus eleemoſynis, ex communi ærario eis ingenti charitate prouidetur,& patrem concionatorem,quem ex B præfato conuentu,deuotionis ergô,ſemper ſibi aſſumunt lubenter ac deuotè audiunt.

De conuentu S. Franciſci Gerundæ. Conu. VII.

GERVNDÆ quæ ciuitatis dignitate decoratur, & à Gerione Chryſauri Hiſpaniæ Regis filio conſtructa fuit, hoc monaſterium ſeraphico patri Franciſco ſacrum,quod à Conuentualibus Franciſcanis patribus ad huius Prouincię Obſeruantes ex apoſtolica Pij V. Pont. max. auctoritate, Philippo eius nominis II. Hiſpaniæ Rege, ſub anno Dominicæ incarnationis 1567. deriuauit, & à 30. fratribus impræſentiarum inhabitatur, ſeraphico patre Franciſo adhuc in viuis agente, erectum extitit. Cuius eccleſia ampliſſima eſt, atq; ex polito, quadratoq; lapide conſtructa pulcherrimis ſacellis exornatur. Inter præfata verò ſacella id, quod vndecim milli- C bus virginum ſacratur, principem obtinet locum. Idq; ſanè optimo iure, cùm ſequentibus reliquijs, quarum maior pars ad eaſdem virgines ſpectat, nempe capite S.Valerij,parte cranij S.Roberti Ducis,duabus coſtis atq; duobus itidē oſſibus S.Studei Regis, oſſe S. Benedicti præsbyteri, brachio S. Corati,atq; oſſibus SS.Theodoſij, Iuliani,Adriani,Hieronymi Epiſcopi,Dioſcori Lectoris, Demetrij & ſociorum, Ludouiciq; Francorum Regis, inſuper capite atq; tribus oſſibus S. Margaretę Hiſpanię Reginæ, capite S. Odibiliæ nobiliſſimæ virginis cuiuſdam Principis cariſſimæ filiæ, capite crure atque brachio ſanctæ Fidei, capite S. Florentinæ, capite S. Clementiæ, capite S. Benedictæ, capite S. Engradis, capite atq; octo dentibus S. Reginæ, capite & oſſe S. Chriſtinæ, capite S. Fidelitatis, capite S. Coradæ, capite S. Concordiæ, D capite, brachio,crure atq; quodam oſſe S. Petronillæ, capite S. Victoriæ, crure S. Albinæ, crure & brachio S. Conſtantinæ, crure S. Sapientiæ, atq; crure S. Olibiæ elegantiſſimè exornetur. In præmemoratæ verò eccleſiæ ſacrario ſacroſanctæ aliquot alię reliquię SS.Bartholomęi & Iacobi Apoſtolorum,Stephani pothomartyris, Dionyſij Epiſcopi & martyris, Thomę Cantuarienſis Epiſcopi & martyris, Sebaſtiani martyris, Chriſtophori martyris, Pauli martyris, Felicis Gerundenſis atq; Benedicti, inſuper & ſanctarum Catharinę virginis & martyris, atq; Elenę, nec non & pars pallij glorioſiſſimę Virginis,atq; aliquantulum ſanguinis ex latere ſeraphici patris Franciſci vulnere quamdiligentiſſimè aſſeruantur. Ex hac Gerundenſi ciuitate originem duxit dilectiſſimus ſocius quondā meus, atq; pro Vltramontana familia Secretarius, pater, inquam,ac frater Michaël Tauerner,vir vtiq; religioſiſſimus,Euangelicę pau- E pertatis zelantiſſimus, & qui maximo ſtudio publicam Religionis rem curabat:cuius tum animi, tum corporis dotibus allectus,illico vt ad totius Ordinis noſtri generalem Miniſteriatū aſſumptus fui, ex hac Prouincia, vbi Commiſſarij prouincialis munere fungebatur, illum ad me accerſiui,in ſodalem delegi, & vſq; ad illius obitum retinui: cuius fidem & vtilem operam in rebus maximis & grauiſſimis expertus fui. Mortem obijt is tantus vir Pariſijs 3.Generalatus mei anno,& in Auemariano conuentu ſepultus eſt,cuius ex obitu doloris plurimū hauſi, illum namq; ex animo diligebā.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Balagarij. Conu. VIII.

NON procul à Balagario Citerioris Hiſpaniæ vrbe, atq; ad Sicoris fluuij marginem hoc monaſterium,ſanctiſſimæ Mariæ de Ieſu ſacrum,& à 15. fratribus plerumq;

rumq; inhabitatum erectum eſt. Cuius tamen certa ætas ignoratur, Balagarianis nihilominus in confeſſo eſt ipſum antiquiſſimum eſſe, atq; vetuſtioribus (Franciſcanis tamen) Cathaloniæ conuentibus coæuum. Eius authorem ſiquis à me quęſierit, nullum alium ei à Balagariano ſenatu tradere potero. Nam tanta eſt ipſi de hoc loco cura, tantaq; ſolicitudo, vt facilè nos in huiuſmodi ſententiam traxerit. Cæterùm ab hoc monaſterio, quod præfatis Balagarianis commendatiſſimum eſt, deuotiſſima quadam Crucifixi imagine, quæ in Clariſſarum, reuerendiſſimo Vrgellenſi Epiſcopo ſubditarum, eccleſia erecta conſpicitur, quæq; innumeris coruſcat miraculis, ob quæ à quàmplurimis deuotè viſitatur, ciuitas Balagarium ſupra modum exornatur. A

De conuentu S. Franciſci Caſtilionis Empuriarum. Conu. IX.

INTER floretiſſimas citerioris Hiſpaniæ vrbes, quæ olim deletæ fuerunt, non infimum locum tenuit Empuriarum ciuitas à Phocenſibus Græcis condita, & à qua Emporitana Prouincia Gerundenſis diœceſis nomen hæreditauit: vrbs quidem olim nobiliſſima, & marmoreis ædificijs celeberrima, nunc verò ruinis ſubiecta, atq; omnino collapſa. Ex huius ciuitatis ruinis oppidum Caſtilion ædificatum fuit: & ex politis, quadratisq; eiuſdem lapidibus intra præfati Caſtilionis oppidi mœnia prægrandis quædam, pulcherrimaq; eccleſia, extra eadem verò mœnia Minoriticus hic conuentus, ſeraphico patri Franciſco ſacratus, conſtructi fuêre. Cuius quidem conuentus antiquitas ex publico quodam inſtrumento inter eius fratres, & nobiliſſimum Pontium Vguetum Empuriarum Comitem, anno reſtitute ſalutis 1276. acto, quodammodo patet. A cætero præfatus hic conuentus, qui ex publicis oppidanorum facultatibus extructus creditur, elegantiſſimisq; hortis gaudet, quiq; à Conuentualibus Franciſcanis patribus ad eiuſdem Ordinis Obſeruantes, Ferdinando eius nominis V. atq; Eliſabetha eius vxore Hiſpanię Regibus, ex apoſtolica authoritate deuolutus eſt, quòd inſalubri, præſertim æſtiuo tempore, ob adiacentes paludes infeſtetur aura, à 12. tantùm fratribus Deo opt. max. famulantibus incolitur, inhabitaturq;. B C

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Figueriarum. Conu. X.

PRAESENS conuentus, ſanctiſſimæ virgini Mariæ de Ieſu dicatus, & à 17. fratribus vt plurimùm incultus centum tantummodò paſſibus à Figuerijs (vulgò Figueres) Gerundenſis diœceſis oppido diſtat, & communibus Figuerienſium ſumptibus conſtructus fertur. Idq; ſanè eorum in fratres beneuolentia, animiq; propenſio, inſuper & liberalitas facilè indicant. Deſeruiuit præterea præfatus hic conuentus à prima ſui erectione in hodiernum vſq; diem fratribus huius Prouinciæ Recollectis: mirumq; in modum præſepe, atq; ſepulchro Dñcis, anaglyptico opere de more fabrefactis, ſummoq; labore, ac ſummis deniq; expẽſis ex Neapoli eò trãſuectis exornatur. D

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Redis. Conu. XI.

EIVS oppidi, quod Latinè Redis, Hiſpanicè verò Reus appellatur, attinetq; ad Tarraconenſem diœceſim, habitatores, vt præſentem conuentum, ſanctiſſimæ Marię de Ieſu ſacrum, ad centum paſſus vel circiter à præfati oppidi vallo, ſub anno Dominicę incarnationis 1488. Frãciſcanis Obſeruantibus, quorũ fama iſtis in partibus celeberrima erat, erigerent, vel extranei tantillũ adiumenti admittere noluerunt: ſed quicquid ad huiuſmodi opus perficiendum neceſſum fuit, id ex publicis eorum facultatibus collatum voluêre. Vnde & præfatus hic conuentus, omnibus ſuis numeris abſolutus, atq; ab 18. fratribus frequentius inhabitatus, huic Prouinciæ acceſſit. E

De conuentu S. Mariæ de Remedijs Inſulæ. Conu. XII.

QVOD, vigentibus, ac mirum in modũ ingraueſcentibus inter Galliæ, atq; Hiſpaniæ Reges bellis, præſens conuentus, ſanctiſſimæ Mariæ de Remedijs ſacratus, atq; mille paſſibus ab oppido Inſula, totidemque à Franciæ finibus diſtans, ſecundò à Gallis ſuperioribus annis exuſtus, atq; ſimul cum omnibus adſe pertinentibus documentis expilatus fuerit, eius antiquitas, atq; prima erectio omnino ignoratur.

A tur. Atqui ſecunda in propatulo eſt, cùm liberaliſſimis potentiſſimi Hiſpaniæ Regis Philippi huius nominis II. ſumptibus acciderit. Quę ſanè ſecunda erectio tantò prima præſtantior eſt, quantò & conuentus ipſe, & 15. fratres eius habitatores, hac patria ab hæreticis ſummè diuexata, maioribus obijciuntur diſcriminibus. Id autem non abſq; maximo fructu euenit: cùm frequentiſſimis præfatorum fratrum concionibus & fideles in officio contineantur, & impudentiſſima hæreticorum, qui à conuitijs, dicterijs, atq; maledictis in pientiſſimos catholicos nunquam ceſſant, ora obturentur.

De conuentu S. Bartholomæi Pulchripodij. Conu. XIII.

ILLVSTRATVRVS nobiliſſimus Raymundus à Cardona Neapolitanus Prorex, atq; ſtrenuus militiæ Dux Pulchrumpodium, Vicenſis diœceſis oppidum, cuius Heros (hunc Baronem vulgò nuncupant) erat, ædiculam, Apoſtolo Bartholomęo B centum paſſibus à pręfato oppido erectam, in Minoriticum monaſterium euehendã, atque antiquam capellaniam ibidem conſtitutam ad parochialem eccleſiam transferendam, ex apoſtolica Iulij II. Pont. max. authoritate ſibi, anno reſtitutę ſalutis 1507. facta curauit. Cumq; eius miniſtri, fratribus interim acquieſcentes, ipſum conuentum anguſtiorem, pauperioremq; ædificaſſent, vt primùm præfatus heros reſciuit, non ſecus ac ſi ſibi maxima iniuria eo in negotio facta eſſet, oeſtro percitus eũ demolitum, atq; alium multò auguſtiorem, multoq; elegantiorem eodem in loco conſtructum voluit. Præterea, vt eius exanime corpus ibidem tumularetur, alabaſtrinum maximæ æſtimationis ſepulcrum, Neapolis per Ioannem Nolam ſtatuarium extra omnem ingenij aleam abſolutiſſimum, atq; Phidię, vel Praxiteli facilè comparãdum, C fabrefieri, ac non abſq; maximis impenſis ad hunc vſq; locum tranſuehi, ibidemq; elegantiſſimè collocari fecit. Adiacent præfato ſepulcro plurima maximi valoris anaglypha, pluraq; militaria ſigna: vel ab inimicis relata, vel tanti herois honores & munia glorioſè in bellis functa repreſentantia. Extat & aliud pulcherrimum mauſoleum in huiuſmet conuentus eccleſia polito ex marmore fabrefactum, quo plures ex fundatoris proſapia reconditi ſunt. Extat & etiam nobiliſſima Confraternitas in honorem S. Bartholomæi Apoſtoli, ſub anno Domini 1515. ex apoſtolica Leonis X. ſummi Pontificis authoritate erecta: cuius confratres idoneum huius monaſterij ſacerdotem, dummodò patris Guardiani conſenſus accedat, in Confeſſarium ſemel ſingulis annis in Quadrageſima, atq; iterum in mortis articulo eligere poſſunt, vt à quouis exceſſu, licèt enormi & grauiſſimo, apoſtolicæq; Sedi reſeruato abſoluantur. Ab alijs D verò caſibus non reſeruatis, toties quoties opus fuerit, per huiuſmodi Confeſſarium abſolutionem recipere queunt. Poteſt præterea huiuſmodi Confeſſarius quæcunque vota, vltramarino, Compoſtellano, viſitandorum Apoſtolorum Petri & Pauli liminum, caſtitatis atq; religionis demptis, in alia pia opera commutare. Cæterum hoc monaſterium, quod 18. fratres frequentius incolunt, altari quodam (vt vocant) priuilegiato ex apoſtolica Gregorij XIII. Pont. max. authoritate gaudet, in quo per Miſſæ ſacrificium fidelium defunctorum animæ ex Purgatorij pœnis liberantur: quod priuilegiũ obtinuit à pręfato Pont. max. anno Dñi 1575. inclytus ac piẽtiſſimus Antonius de Cardona Dux Somę, prætacti fundatoris nepos, atque in Dominio legitimus ſucceſſor; qui fratres ingenti animi affectu, ac omni beneficiorum genere proſequitur.

E *De conuentu S. Mariæ de Ieſu Ceruariæ. Conu. XIIII.*

CVM ſereniſſimus Aragoniæ Rex, atque Barcinonenſium Comes Iacobus I. qui ob res magnificè, ac magna cum æquitate geſtas (Baleares namq; inſulas acquiſiuit, & florentiſſimum Valentię Regnum expugnauit) Fortunatus, Sanctusq; agnominatus eſt, primitiuos noſtræ Religionis patres ſingulari quodam amore proſequeretur, fundum eis cum omnibus iuribus, prouentibusq; ad ſe pertinentibus, ad ſuperędificandum ibi conuentum prope Ceruariam Vicenſis diœceſis oppidum, ſub anno à Chriſto Saluatore nato 1245. liberaliſſimè contulit. Cùmq; huiuſmodi regiæ liberalitati oppidanorum fauor acceſſiſſet, præſens conuentus, S. Marię de Ieſu ſacer, intra breuiſſimi tẽporis ſpatiũ nobis prodijt. Veruntamen Ioanne II. Aragonũ Rege,

ac Ferdinandi V.Hiſpanię Regis patre Cathalanis,anno Domini 1460.bellum,quod A
per continuos decem annos durauit, inferente, huiuſmodi conuentus ſolo æquatus
extitit. Re verò ad pacem deducta, atq; bello abſoluto commiſit pręfatus Ioannes
Rex tum ſereniſſimę eius coniugi Ioannę, tum quoq; illuſtriſſimo Regni Aragonię
Cancellario ac S.R.E. Cardinali à Cardona, vt alium conuentum,infra præfati Cer-
uariæ oppidi mœnia,in alterius deſtructi locum,ædificandum curarent. Quod & illi
non minus liberaliter, quàm religiosè exequuti ſunt. Ceſſit tamen is conuentus in
Conuentualium Franciſcanorum patrum ius, atq; ad annum vſq; Domini 1567.
quo ad eiuſdem Ordinis Obſeruantes ex Pij V.Pont.max. decreto tranſlatus fuit, pe-
nes eos manſit. Interim religioſiſſimus pater frater Bartholomæus à Perpiniano Re-
gularis Obſeruātiæ alumnus,atq; diſertiſſimus Eccleſiaſtes deſtructum huiuſcemodi
monaſterium, ſub anno Domini 1516. ex communibus, ac peculiaribus ſumptibus B
pientiſſimorum huius oppidi incolarum, atq; etiā quorundam nobilium heroum,
in ſuis ditionibus circa præfatum oppidum commorantium, præſertim illorum, qui
ex inclyta Marleſiorum familia originem ducunt, eleemoſynis liberaliter colla-
tis reſarciendum, reparandum,atq; Obſeruantibus huius Prouincię patribus adiudi-
candum curauerat. Cùm igitur iſtius habitatio multò commodior alterius incolatu
eſſet,eo derelicto hunc patres retinendū cēſuêre. Cōmorantur hoc in loco 12.fratres.

De conuentu S. Mariæ de Angelis Hortæ. Conu. XV.

TEMPLARIIS ſub Clemente V. Pont.max. omnino deletis,Horta Dertoſanę
diœceſis oppidum,ad eos olim attinens,ad ſacram diui Ioannis Militiam (hanc
Melitenſem ab inſula Melita paſſim appellant) tranſlatum extitit: & antiquior ædi- C
cula in memoriā ſanctiſſimæ Mariæ de Angelis, ad mille paſſus ab huiuſmodi oppido
in accliuiore cuiuſdā montis parte, à præfatis Templarijs conſtructa, in ſæcularium
quorundam ſacerdotum, ac poſtmodum in huius Prouinciæ patrum, quibus & op-
pidani elegās ſatis monaſterium ex publicis facultatibus ædificarūt, ius ceſſit.Cumq;
huiuſcemodi ædicula atq; monaſterium à patribus Recollectis,quibus ad tempus pa-
ruerant, quibuſdam de cauſis derelicta fuiſſent, Caroli V. Germanorum Imperato-
ris atq; Hiſpaniæ Regis interuentu,idq; Hortanis maximè inſtantibus,ab ijſdem reaſ-
ſumpta fuêre. Huius ſacræ domus,quam 12. Recollecti fratres incolunt,ac fideliſſi-
mè Deo optimo maximo diu,noctuq; famulantur, quādoque accola fuit eximię ſan-
ctitatis vir beatus pater Saluator Alphonſus profeſſione laicus, qui in oppido ſanctę
Columbæ Farneſianæ Principatus Cathalonię ex humilibus,& pauperibus parenti- D
bus originem trahens,cùm pubertatis annos trāſegiſſet,mūdi contemptis illecebris,
ſeraphicam noſtram religionem aggreſſus eſt, in eaq; tantùm in omni virtutū gene-
re profecit,vt omnes in ſui admirationem adduxerit: nam ieiunijs,cilicio,flagellis vi-
gilijs, orationibus corpus ſuum affligebat,illudq; laſſum non niſi ſuper tabulas ſter-
nebat nudas,nudiſq; pedibus ſemper incedebat, opera etiam miſericordiæ erga ſuos
confratres ardentiſſimo charitatis officio ſemper exercebat. Vir magnę puritatis,ac
admirandę ſimplicitatis toto vitę ſuæ decurſu extitit: vnde omnipotens ille Domi-
nus,qui humilia reſpicit,& alta à longè cognoſcit,illum in vita & poſt obitam mortē
quàmplurimis miraculis clarum efficere voluit, quorum aliquot in medium pro-
ferre minimè pigebit: Anno itaq; à Virgineo partu 1559. erumpente per vniuerſam
Hiſpaniam ex hoc paruo monaſterio fama eius ſanctitatis, quam Deus multis mira- E
culis teſtificatam eſſe volebat, quàmplurimi ad ipſum,vt ab infirmitatibus ſuis ſana-
rentur, cùm conuenirent, parentes cuiuſdam puellæ Beatricis nomine, quę ex viſce-
ribus maternis monſtruoſitatem contraxerat, (incedens enim caput ſuum cum om-
nium admiratione & compaſſione verſus dorſum ſuum flectebatur)precantes,vt eam
à monſtruoſitate huiuſmodi liberaret, inter eos acceſsêre,quod & obtinuerunt:nā tā-
ti viri meritis puella à deformitate p̄fata libera mirabiliter euaſit: Etiā cuidā filio Al-
phonſi à Mena Bętici muto,& ſurdo à natiuitate & loquela,& auditus reſtituta fuêre.
Iacobus Pallares huius ſancti interceſſione amiſſum viſum recuperauit: Et 4. vel 5.
homines à paralyſi liberati extiterunt. Multa alia miracula Deus opt. max. meri-
tis

A tis huius ſui fideliſſimi ſerui patrare dignatus eſt, quæ breuitatis gratia omittuntur. Cùm autem anno à Virgineo partu milleſimo quingẽteſimo ſexageſimo quinto cum quodam patre Prouinciæ Sardiniæ Commiſſario, in illam inſulam (popularem Cathaloniæ, vbi maximi ab omnibus fiebat, vitaturus auram) transfretaſſet, ibidemq; conuentum Calaritanum inhabitationem nactus diem feliciter clauſit extremum.

De conuentu S. Thomæ Apoſtoli Vici. *Conu. XVI.*

HIC conuentus S. Thomæ Apoſtolo ſacer, atq; ſeſquimiliario à Vico Citerioris Hiſpaniæ ciuitate diſtans, ad Regulares S. Auguſtini canonicos quondam pertinuit, ac poſtmodum ſub Præpoſituræ titulo ſæcularibus ſacerdotibus creditus extitit. Veruntamen, reuerendiſſimo Iacobo Caſſadorio ex præfata Vicenſi ciuitate oriũdo ad Barcinonenſem Epiſcopatum aſſumpto, ad huius Prouinciȩ patres tranſijt. Cùm B enim Vicenſes ob ſoli aſperitatem craſſa quadam, atque ſylueſtri ignorantia laborarent, pientiſſimus is Præſul compatriotis maximè conſulturus Pio V. ſummo Pontifici ſupplicauit, vt, præfata Præpoſitura omnino ſuppreſſa, S. Thomæ eccleſia ſimul cũ adiacentibus ædificijs in collegium eueheretur, Frãciſcanorumq; curæ committeretur. Quo deniq; ſummo Pontifice pro ſua in noſtri Ordinis religioſos animi propenſione, atq; in tantum Antiſtitem beneuolentia, anno Domini 1563. Pontificatus verò ſui anno primo annuente, annuoſq; redditus Vicenſi hoſpitali pro huiuſmodi fratrum ſubuentione applicante, & præfata S. Thomæ eccleſia (de qua impræſentiarum) in pulcherrimi monaſterij formam prius redacta, cȩteris huius Prouinciȩ locis ſub reuerendo patre fratre Ioanne Riccardo primo eiuſdem Prouinciȩ Miniſtro acceſſit: & C in ea tum Philoſophiæ, tum quoq; ſacræ Theologiæ ſtudium erectum extitit. Quia verò prȩfatus redditus, Vicenſi xenodochio in huius loci ſubuentionem ex apoſtolica authoritate relicti, Franciſcanȩ paupertati aduerſari quodammodo videbãtur, pater huius Prouinciæ Miniſter, cæteriq; patres, vt interim omnem à ſe ſcrupulum longè propellerent, cuicunq; iuri, ſiue actioni, ſi quam fortè ad huiuſmodi redditus haberent, per publicum inſtrumentũ renunciarunt. A cætero prȩfatus hic conuentus à 24. fratribus, quorum maior pars Philoſophicis literis ſub vnico Prælectore, ſeu Theologicis ſub duobus incumbit, commodè ſatis, ſatisq; inhabitatur, incoliturq;.

De conuentu S. Franciſci Villæfrancæ Pœnetentium. *Conu. XVII.*

VT primùm Pœni ſiue Carthaginẽſes Hiſpania potiti ſunt, ad effodiendum tum D aurum tum quoq; argẽtum ex mineralibus in Pyrenȩorum montium viſceribus abundè latentibus, ſe totos contulerunt. Ex qua deniq; effoſſione, fauente interim ſummopere loci fertilitate, celebris vrbs Carthagine vocabulo inſignita ad eorundem Pyrenȩorum montium radices in lucem prodijt. Sed Gneo Scipione ſtrenuo Romanorum Duce in vindictam, ob Saguntum captam, atq; Romanorum ſanguinem à Pȩnis effuſum, inhiãte huiuſmodi famoſa ciuitas à Romanis deleta, ſoloq; æquata extitit, atq; eius incolæ per Prouinciam Pœnetẽtium nomine appellatam diſperſi ſunt. Nihilominus tamen quatenus tantæ cladis aliqua remaneret memoria, præfatus Romanorum Dux Gneus Scipio publico edicto cauit, vt quicunq; oppidum à ſe ibidẽ ex ruinis conſtruendum inhabitare vellent, ij omnes à ſolitis exactionibus immunes eſſent. Hincq; Villæfrancæ nomen huiuſmodi oppido, adiecto tamen Pœnetentium E cognomine obuenit: E regione itaq; præfati huius oppidi Villæfrancæ Barcinonenſis diœceſis præſens monaſterium, ſeraphico patri Franciſco ſacratum, liberaliſſimis cuiuſdam Archiepiſcopi (niſi nos vulgaris traditio fallat) ſumptibus erectum, atque poſtmodum à Villæfrancenſibus quibuſdã nobilibus, quorum gentilitia inſignia, atq; militares honores ex eccleſiæ parietibus ad eorum ſepulcra pendẽt, ſupra modum auctum, ampliatumq; fuit. Cuius ætas (vt aliquot epitaphia ſepulcris inciſa nos docẽt) ante annum Dñicȩ incarnationis milleſimum ducenteſimum nonageſimum nonum computanda venit. Cæterum præfatum hoc monaſterium ad Conuentuales Franciſcanos patres olim ſpectauit, & ab eis, ex Pij V. Pont. max. decreto, anno Dñi 1567. ad huius Prouinciæ Obſeruantes, à quorum 12. impræſentiarum habitatur, defluxit.

Huius oppidi accolæ, ob admiranda beneficia à Deo opt. max. meritis beatiſſimi patris Franciſci indies illis collata, quæ vitandæ prolixitatis ergò omitto, ſingulari quadã in ipſum ſeraphicum patrẽ pietate, ac in filios Frãciſcanos deuotione feruntur. A

De conuentu S. Franciſci Montisalbi. Conu. XVIII.

PERTINVIT & hic conuentus, ſeraphico patri Franciſco ſacratus, nec procul à mœnibus Montisalbi Tarraconenſis diœceſis oppidi ex publicis oppidanorum facultatibus ab antiquo erectus, quemadmodum & proximè præcedens, ad Conuentuales Franciſcanos patres: & eodem tempore, imò & ex eadem apoſtolica Pij V. Pont. max. auctoritate, ex qua & ille ad huius Prouinciȩ Obſeruantes ab eis deuolutus eſt. Cuius ſanè ȩtas (prout ex quodam ſereniſſimi Martini huius oppidi Montiſalbi Ducis, atq; Petri eius nominis III. Aragonum Regis filij priuilegio ſatis conſtat) ante annum Dominicæ incarnationis 1287. ſumpſit exordium. Huius conuentus accolis, qui duodecimum numerum non excedunt, benè eſt omnino, eo quòd oppidani ſeraphicum patrem Franciſcum in peculiarem patronum, atq; aduocatum colant. B

De conuentu S. Franciſci Villæfrancæ Confluentis. Conu. XIX.

INTRA eos montes, quibus Ruſcilionenſis Comitatus (de quo ſuprà) omnino clauditur, atq; ad Pyrenæorum montium radices, amœna quadam ac fertili in valle Villafranca Confluentis Elnenſis Epiſcopatus oppidum elegantiſſimè ſurrigit. Cuius tanta eſt munitio, cùm ad ipſum niſi per montium anguſta penetrari minimè poſſit, vt inſuperabilis & expugnabilis omnino ſit. Non longè ergo ab huius oppidi porta hoc monaſterium, ſeraphico patri Franciſco dicatum, tum ex publicis, tum ex priuatis pientiſſimorum nobilium oppidanorum facultatibus tanta magnificentia, tantaq; liberalitate, ſub anno reſtitutæ ſalutis 1280. conſtructum extitit, vt tum ſingularem prȩfatorum oppidanorum erga ſeraphicã Religionem noſtram beneuolentiam, tum quoq; antiquas eorundem oppidanorum diuitias, atque nobilitatem facilè indicet. His accedunt quàmplurima gentilitia inſignia ex eius eccleſiæ parietibus pendentia, atq; ad omnes ferè nobiles Ruſcilionenſis Comitatus proſapias attinẽtia; ita vt meritò hic locus commune nobilium Ruſcilionẽſium cœmeterium dici poſſit. Deriuauit tandem hic conuentus, ſicut & duo proximè præcedentes, idq; Pij V. Pont. max iuſſu, à Conuentualibus Franciſcanis patribus ad huius Prouinciæ Obſeruantes: & ab eorũ quindecim impræſentiarum, & vt plurimùm inhabitatur, incoliturq;. C

De conuentu S. Franciſci Bergæ. Conu. XX. D

PER varios caſus, perq; plurima diſcrimina rerum præſens conuentus, ſeraphico patri Franciſco ſacratus, ac Bergæ, quod Vrgellenſis diœceſis oppidum eſt, ex publicis oppidanorum facultatibus ab antiquo erectus, ad Obſeruantes huius Prouinciæ patres peruenit. Nam vt primùm ædificatus, ac Conuentualibus Franciſcanis patribus creditus extitit, ab ijs poſtmodum (neſcio quibus de cauſis) derelictus fuit. Atq; interuentu ſereniſſimi Alphonſi eius nominis III. Aragoniæ Regis, ſub anno Dominicȩ incarnationis 1330. ab ijſdem reaſſumptus, tandem anno Domini 1567. in Obſeruantum poteſtatẽ venit: à quibus, niſi Pij V. Pont. max. auctoritas obſtitiſſet, derelictus quoq;, ob eius incommoditatem, fuiſſet. Inhabitatur interim à 15. fratribus.

De conuentu S. Michaelis Scornalbou. Conu XXI. E

VT primùm Chriſti fideles Hiſpani pulſis, debellatiſq; Saracenis Tarracone, adiacentiq; patria potiti ſunt, munitionem in latere Tarraconenſis campi, qua illi tamquam ſpecula vtebantur, erectam de Chriſtiano more expiandam, atq; in monaſterij formam ſub Archangeli Michaelis inuocatione redactam, canonicis diui patris Auguſtini Regularibus tradendam curarunt. Cumque poſt plurimos annos elapſos illuſtriſſimus Gaſpar Ceruantes ſanctæ Romanæ eccleſiȩ Cardinalis, ac Tarraconenſium Archiepiſcopus eius redditus ſeminario à ſe Tarraconis erecto ex apoſtolica auctoritate applicuiſſet, vt huiuſmodi monaſterium à præfatis canonicis Regularibus

laribus

A laribus derelictum cæteris huius Prouinciæ conuentibus annecteretur, pro viribus egit: ſed fruſtra, patribus, quòd eis potius incommodo, quàm vſui eſſet, contradicentibus. Recollectis verò huius Prouinciæ fratribus excreſcentibus, ſuaq; loca multiplicare cupientibus, immediatus præfati reuerendiſſimi Cardinalis ſucceſſor, reuerẽdiſſimus ſcilicet ac pientiſſimus Antonius Auguſtinus Tarraconenſium Archiepiſcopus, cuius eruditio, ſanctimonia, diuini cultus, atq; honoris zelus vix vnquã exprimi poterunt, præfatũ S. Michaëlis monaſterium, antequam tanta ſeſe ei oblata occaſio è manibus laberetur, illis, ſub anno Domini 1580. in poſterum inhabitandum contulit, tradiditq;. Ab eo itaque temporis impræſentiarum vſq; eorum 12. hic locus deſeruit.

De conuentu S. Sebaſtiani Bisbalis. Conu. XXII.

B EANDEM prorſus occaſionem, quam & reuerẽdiſſimus Antonius Auguſtinus, (de quo ſuprà) nactus reuerendiſſimus quoq; Benedictus Tocco Gerundenſium Epiſcopus antiquum eremitorium, diuo Sebaſtiano ſacrum, atq; longiuſculus à Biſbale Gerundenſis diœceſis oppido diſtans, in monaſterij formã tum ex priuatis, tum quoq; ex publicis Bisbalenſium facultatibus, ſub anno reſtitutæ ſalutis 1580. transferendum, atq; præfatis fratribus Recollectis, omnibus ſuis numeris abſolutum, tradẽdum curauit. Inhabitatur itaq; præfatum hoc monaſteriũ à 12. fratribus Recollectis.

De conuentu S. Annæ Alcouerij. Conu. XXIII.

CVM ſingularis reuerendiſſimi Antonij Auguſtini Tarraconenſium Archiepiſcopi erga Recollectos huius Prouinciæ patres beneuolentia Alcoueriẽſibus in C propatulo eſſet, ijq; rem illi gratiſſimam facere cuperent, antiquum eremitorium, aliquantulum à communi eorum oppido Alcouerio diuæ Annæ erectum, communibus ſumptibus, ex facta ſibi à reuerendiſſimo eodẽ Archiepiſcopo facultate, in iuſtum conuentũ, ſub anno Dominicæ natiuitatis milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſecundo euexêre, ac 12. ex prẹfatis Recollectis fratribus in poſterum incolendum tradidêre.

De conuentu S. Ioannis Riudonis. Conu. XXIIII.

FACILE oſtenſuri Riudonẽſes, quòd non minori voluntatis inclinatione in ſuũ Antiſtitem, præfatum ſcilicet Antonium Auguſtinum Tarraconenſium Archiepiſcopum, quàm Alcouerienſes, propenderent, hunc conuentum vtriq; Ioanni Euangeliſtæ ſcilicet atq; Baptiſtẹ, non longè à Riudone Tarraconenſis diœceſis oppido, ex D publicis facultatibus, ſub eodem anno Domini 1582. erectum, atque decem Recollectis huius Prouinciæ fratribus in perpetuam habitationem traditum piè voluêre.

De monaſterio B. Virginis de Petralbis. Mon. I.

SINGVLARE aliquod obſequium Deo optimo maximo præſtitura ſereniſſima pariterq; pientiſſima Eliſendis Monticatina, vltima Iacobi eius nominis II. Aragonum Regis atque Barcinonenſium Comitis vxor, emptum à vulgari quodam viro, cui Petralbes cognomen erat, & à quo hoc monaſterium vulgò cognominatum euaſit, fundum ad ampliſſimi, elegantiſſimiq; monaſterij dignitatem, ſub anno à partu Virgineo milleſimo trigenteſimo vigeſimo ſexto, atque glorioſiſſimæ, ſemperq; virginis Dei genitricis Mariæ tutela promouit: ipſumq; plurimis redditibus locupleE tatum à 60. Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis, atq; à 12. ſacerdotibus, quorum ſex ſeculares futuri eſſent, reliqui verò ſex ex Franciſcanis aſſumendi venirent, inhabitatum voluit. Præfatum verò hoc monaſterium, quod & religioſiſſimas 14. ſorores ex Barcinonenſi ſanctæ Claræ conuentu allatas primas ſui fundatrices agnoſcit, quodq; mille quingentis paſſibus à Barcinone celeberrima, ac ditiſſima ciuitate diſtat, Franciſcanorum patrum Conuentualium curæ, à ſui erectione ad annum vſque Dominicæ incarnationis 1496. ſubiacuit: ſed R. P. F. Franciſco Ximenio Toletanorum Archiepiſcopo, atque S. R. E. Cardinale, generale omnium Ordinum per Hiſpanias Reformatore, idq; catholicis Hiſpaniæ Regibus Ferdinando eius nominis V. & Eliſabetha eius vxore maximè poſtulantibus, à Sede apoſtolica inſtituto reformatum, ac ſoli-

citudini & curæ Obſeruantum huius Prouinciæ patrum, adductis ex Bætica religio- A
ſiſſimis aliquot ſororibus, creditum extitit. Claruit præterea hoc monaſterium & ſo-
rorum ſanctitate, & maxima nobilitate: cùm à plurimis nobiliſſimis, omniq; reli-
gione præditis virginibus ex regia Aragonum ſtirpe, atq; ex clarioribus totius Ca-
thaloniæ proſapijs propagatis & inhabitatum, & rectum extiterit. Ipſum etiam, vt
primùm matrimonialibus vinculis per ſereniſſimi Iacobi Regis mortem ſoluta fuit,
pientiſſima Eliſendis Monticatina eius (vt meminimus) fundatrix, plurimis honeſtiſ-
ſimis virginibus, atq; matronis aſſociata, in perpetuã habitationẽ atq; ſepulturã ele-
git. In huius deniq; monaſterij clauſtro ſepulta iacet religioſiſſima ſoror Delphina,
quæ, per legitimi viri mortem Chriſto Dño ſub Clariſſarum habitu deſponſata, tanto-
pere in omni virtutum genere profecit, vt miracula tum in vita, tum quoq; in mor-
te edere meruerit: Nobiliſſimam ſiquidem ſororem Tiraſiam à Cardona loci Abba-
tiſſam, ex venę cuiuſdã ocularis fractione animã iam agentem, huiuſmodi vena con- B
ſolidata, extemporaneæ ſanitati ſuis precibus reſtituit: Cumq; quodam die nobilem
quandam ſororem adoleſcentulam, Angelam Cornetam nomine, omni virtutum glo-
ria florentem, in extremis conſtitutam conſpiceret, Altiſſimum, vt illam, tamquam
conuentui vtilem, ad priſtinam ſanitatem reſtituere dignaretur, & eius loco ſe è me-
dio tolleret, obnixè precata eſt. Cuius poſtulata Deus benigne concedens & illam,
tranſlata hebdomada, perfectæ ſaluti reſtituit, & ſe ad cæleſtia Regna vocauit, cuius
corpus, quadriennio elapſo, illæſum incorruptum, & fragrantiã redolẽs inuentũ eſt.

De monaſterio S. Mariæ in Hieruſalem Barcinonis. Conu. II.

VT primùm honeſtiſſima fœmina Raphaëla Pageſa, ex Sarria Barcinonenſis C
diœceſis oppido orienda, Hieroſolymitana ex peregrinatione rediens ſanctorum
Apoſtolorum Petri & Pauli limina Romæ viſitauit, à ſummo Pontifice tunc ſedente,
quatenus ſibi ſororũ monaſterium Barcinonis erigere, atq; illis in poſterum ſub ter-
tio ſeraphici patris Franciſci Ordine conuiuere liceret, ſupplex petijt. Voti itaq;
compos effecta Piſas, religioſiſſimam quãdam matronam nomine Antoninam inuiſu-
ra, atq; ſecum de aliquibus huiuſmodi negotium concernentibus actura, ſe contulit.
Cuius deniq; colloquijs maximè oblectata ei, vt relicto filio Barcinonẽ ſibi congredi
vellet, ſuaſit. Vt igitur primùm poſt plurima per ęquora emenſa milliaria, ſuperataq;
diſcrimina, eò applicuerunt, monaſterium à Dominicanis ſororibus in Barcinonen-
ſibus ſuburbijs olim inhabitatum, atq; ab iſtis derelictum, inhoneſtis, prophaniſq; vſi-
bus mancipatum, à tanta iniuria vindicandum cenſuêre. Quamobrem expoſitis ge- D
nerali Barcinonenſium Epiſcopi Vicario apoſtolicis literis, (de quibus ſuprà) humi-
liter ei ſupplicarunt, vt huiuſmodi locum ab infamia liberare, ſibiq; tradere vellet.
Quo deniq; annuẽte, præfatæ Raphaëla atq; Antonina domũ ſibi collatã in monaſte-
rij formam ex diuerſis fidelium eleemoſynis redigentes, eam cum honeſtiſſimis qui-
buſdam alijs fœminis, induto prius Tertiariarum ſororum Franciſcanarum habitu,
ingreſſę ſunt: inibiq; ad vltimum vſq; vitæ terminum ſanctiſſimè perſeuerarunt. Prę-
fuit autem, quandiu comes ſibi vita fuit, huiuſcemodi monaſterio ſoror Raphaëla:
cui poſtmodum vita functæ ſucceſſit ſoror Antonina, de qua ſuprà. Cùm hæc perfe-
ctiorem vitam inhiaret, religioſiſſimas quatuor Clariſſas ſorores, quæ ſe, cæteraſq;
in regulari diſciplina, Clariſſiſq; moribus felicius inſtruerent, fauentibus interim ſibi
catholicis Hiſpanię Regibus Ferdinãdo huius nominis V. atq; Eliſabetha eius vxore E
ex Valentino ſanctæ Trinitatis monaſterio, ſub anno Dominicæ incarnationis 1499.
adduci curauit. Quibus deniq; pro voto appulſis, tum ipſa, tum quoq; aliæ ſorores
ſibi commiſſæ, relicto antiquiori habitu, in ſecundam beatæ virginis Claræ Regulam
de religioſo more verba fecerunt. Quia verò præfata fundatrix ſoror Raphaëla ſin-
gulari quadã deuotione in ſancta illa Hieroſolymitana loca ferebatur, hoc monaſte-
rium à ſe erectum, atq; à 70. ſororibus impræſentiarum inhabitatum nomine S. Marię
in Hieruſalem appellatum voluit. Ex hoc religioſiſſimo monaſterio prodiêre illæ 12.
moniales perfectiſſimæ, quæ monaſteriũ Calaritanũ (de quo in Sardiniæ Prouincia) &
illæ 5. quę Ilerdenſe (de quo inferius) erexerunt, boniſq; moribus feliciter inſtruxerũt.

De mona-

A *De monaſterio S. Claræ Gerundæ. Mon. III.*

PROPRIÆ erga Clariſſas pietati ſatisfacturus humaniſſimus Princeps Ioãnes Iacobi II. Aragonum Regis filius, hoc eis monaſterium, ſub beatæ virginis Claræ titulo, atque ſub anno Dominicæ incarnationis 1319. non longè à Gerunda Citerioris Hiſpaniæ ciuitate erigẽdum, atq; honeſtiſſimas ſex ſorores, quæ monaſticos ritus, regularesq; çęremonias cęteras doceret, ex Caſtilionenſi monaſterio, idq; ex facta ſibi à Ioanne XXII. Pont. max. facultate, ad ipſum transferendas curauit. Cumq; huius monaſterij ſorores à primo ſui ingreſſu ad annum vſq; Domini 1488. Conuẽtualibus Franciſcanis patribus paruiſſent, per id tempus reformatæ, atq; Obſeruantibus huius Prouinciæ patribus ſubiectæ, adeò opera religioſiſſimæ ſororis Catharinæ Ardieræ, B & aliarum ſex ſanctimonialium (ex monaſterio S. Claræ Gandiæ erecto ad reformationem huius cęnobij allatarum) mores, atq; vitã ad frugem correxêre, vt, omnibus redditibus longè eliminatis, pauperem Chriſtum, ſub paupere Clariſſarum de prima Regula habitu, pro viribus imitari ſtuduerint, nihilq; magis ab Euãgelica paupertate affectare videãtur. Sunt nihilominus quadraginta numero; quibus tamen Deus optimus maximus omnium bonorum largitor de neceſſarijs opportunè prouidet: & in ſacrario vnum os ſancti Sebaſtiani martyris, & alterum S. Apolloniæ aſſeruant.

De monaſterio S. Claræ Perpiniani. Mon. IIII.

CVM Gallorum Rex Franciſcus primus, Ruſcilionis & Cæritaniæ Comitatum ſuo Regno adiecturus, Pyrenęis montibus ſuperatis Perpinianum munitiſſimum C oppidum obſidione cinxiſſet, atque Clariſſarum monaſterium, in Dominicæ paſſionis memoriam aliquantulum à mœnibus extructum, ad terram deijciẽdum curaſſet: quotquot erant eius ſorores ciuitatis interiora petẽtes in honeſtiſſimi cuiuſdam ciuis domum ſe receperunt, inibiq; per ſeptem continuos annos religioſiſſimè, atq; maxima cum laude commoratæ ſunt. Quibus denique Carolus V. Germanorum Imperator atque Hiſpaniarum Rex, ex ſingulari quadam in Deum pietate, atque ex incredibili in eas animi propenſione maximè compatiens, præſens monaſterium, beatæ virgini Claræ ſacrum, intra eiuſdem ciuitatis ambitum illis à fundamentis ad apicem vſque ædificari fecit. Annuos interim redditus, quòd huiuſmodi moniales ſub prima B. virginis Claræ Regula militarent, nihilq; magis ab ipſis execrarentur, nullos penitus præfato huic monaſterio à ſe condito reliquit. A cætero huius loci incolæ tricenarium attingũt numerum, & ex eleemoſynis liberaliter ſibi oblatis, atq; ex alijs pro- D pria arte, proprioq; labore partis victitantes ſanctæ Polibiæ, ex vndecim millibus virginum vnius, caput quamdiligentiſſimè, atque maxima cum deuotione cuſtodiunt.

De monaſterio S. Claræ Caſtilionis. Mon. V.

RECEPTVRA generoſa nobiliſq; fœmina Dulcia Pauo vidua ex viri morte relicta in cœlis non manufactam, nec lateritiam aliquando ruituram domum, ſed perpetuò manentem, atq; omnino incorruptibilem, aliam, lateritiam tamen, corruptibilem, atq; ad tempus duraturam, cẽtum paſſibus à Caſtilione Empuriarum Citerioris Hiſpaniæ oppido, in B. virginis Claræ memoriã ex domeſticis facultatibus, ſub anno Domini 1267. ædificari, atque Clariſſis ſororibus ſub prima eiuſdem virginis E Clarę Regula degentibus tradi curauit. Cæterùm primæ huius loci, qui amęniſſimus, ſimulatque religioſiſſimus eſt, quiq; à vigintiquinque ſororibus inhabitatur, fundatrices ex Barcinonenſi tunc S. Claræ, nunc verò S. Benedicti monaſterio allatæ fuerunt. Victitant quoq; huius ſacræ ædis ſorores, ſicut & proximè præcedentis alumnæ, ex fidelium eleemoſynis, atq; ex manuali labore; vnde & cum Apoſtolo Paulo dicere poſſunt: *Quæ mihi opus erant, miniſtrauerunt manus iſtæ:* Deo tamen fideliſſimè inſeruiũt.

De monaſterio S. Claræ Tarraconis. Mon. VI.

PROVT cunctis Tarraconenſibus in confeſſo eſt, hoc monaſteriũ, B. virgini Claræ è Tarraconenſium mœnium veſtigio erectum, ante aliquot annorum centurias

rias ſumpſit initium, atque ex publicis pijſſimorum ciuium facultatibus pro maiori A
parte conſtructū extitit. De certo verò erectionis ipſius tempore, vel deperditis, vel præ vetuſtate corroſis eius monumentis, nihil penitus certi habere potuimus. Subiacuit nihilominus à ſui erectione ad annum vſq; Dominicæ incarnationis milleſimum quingenteſimū ſexageſimū ſeptimū Conuentualibus Franciſcanis Prouinciæ Aragoniæ patribus, ſed ijs ad regularem Obſeruantiam ex Pij V. Pontificis maximi decreto, præfato anno Dominicæ natiuitatis milleſimo quingēteſimo ſexageſimo ſeptimo trāſeuntibus, tranſiuit quoq; & ipſum in Obſeruantum Cathaloniæ Prouinciæ fratrū curā ac ſolicitudinem: inſuper & à 7. monialibus ex proximè præcedenti Caſtilionēſi conuentu allatis religioſis ritibus, regulariq; Obſeruantiæ conformibus informatum fuit. Earum deniq; ſororum opera factum eſt, vt 30. moniales huius loci accolæ cùm præfatos apud Tarraconenſes, tū quoq; apud quoſuis in gyro fideles optimè audiāt. B

De monaſterio S. Claræ Dertoſæ. Mon. VII.

IDEM prorſus nobis de præſenti monaſterio Dertoſæ, ſub beatæ virginis Claræ tutela erecto, quod & de proximè præcedenti, dicendum venit: quòd videlicet ex publicis Dertoſenſium facultatibus ante plurimos annos conſtructum credatur: quodq; Conuentualium Franciſcanorum patrum curæ à prima ſui conſtruſtione ad annum vſque Dominicę incarnationis 1567 ſubiacuerit, & ab eo temporis impræſentiarum vſque, Pij V. Pont. max. iuſſu, reuerēdi patris huius Prouincię Miniſtri dictis audierit: quodq; tandem à 30. Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis, eiſq; religioſiſſimis, ſimulatq; ingenuis inhabitetur. Cæterū cùm perdeuotus Ioannes Amella Dertoſanus ciuis, eiuſq; coniunx in dies ſuos abſq; liberis proceſſiſſent, Deiq; Eccleſiam communium bonorū C
hæredem relinquere ſtatuiſſent, ipſa hoc monaſterium ingreſſa communem cum cęteris monialibus vitam, communemq; Religionem profeſſa eſt: ipſe verò conſtructa non longè à præfato hoc monaſterio humili ædicula, ibidem ſub Tertiariorū Franciſcanorum habitu ſororibus vſque ad vltimum vitę halitum fideliſſimè, & honeſtiſſimè inſeruiuit: vnde & maxima laus tum vtrique, tum quoque cæteris monialibus acceſſit, & huic conuentui aliqua hæreditas, & ſi tenuis, obuenit. Cùm autem huius monaſterij moniales ingenti paupertate laborarent R. Martinus à Corduba, & Mendoza Epiſcopus Dertoſenſis, virtute cuiuſdam breuis Pij V. Pontif. max. ad inſtantiam Regis catholici Philippi II. anno ſui Pontificatus iij. expediti, omnia bona mobilia & immobilia, fructus, redditus, & prouentus, aliaq; iura, & emolumenta, quæ à patribus Conuentualibus Franciſcanis monaſterij ſancti Franciſci eiuſdem ciuitatis, quòd à patribus eiuſdem Inſtituti Obſeruātibus anno Domini 1570. deſertum, ab D
eo temporis à patribus Dominicanis incolitur, poſſidebantur, eis perpetuò cum oneribus applicauit & appropriauit: Et Sixtus V. Pontif. max. edito quodam diplomate viij. Kal. Nouembris Pontificatus ſui anno 2. eis conceſſit, vt quatuor Miſſas, vel vnū Anniuerſariū ſolemne qualibet hebdomada, & duo Anniuerſaria annuatim in earum eccleſia celebrari facientes, omnibus oneribus, ad quæ ratione præfatorum bonorum tenebantur, ſatisfaciant, & ſatisfeciſſe cenſeantur. Reuerendiſſimus etiam Ioannes Iſquierdo Dertoſenſium Epiſcopus virtute aliarum literarum apoſtolicarum Gregorij XIII. Pont. max. ſub datum iij. Kal. Ianuarij, Pontificatus ſui anno primo expeditarum, dimidiam partem omnium & quarumcunq; eleemoſynarum & largitionum E
in pane, frumento, farina, vino, edulijs & alijs ad victum & veſtitum pertinentibus, & alijs quocunque nomine nuncupatis, quocunq; tempore & modo, per quoſcunq; diſtribui ſolitarum (dummodo non in certas perſonas, nec ad certos pios alios, quàm victus & alimenta pauperum diſtribuerentur) Chriſti pauperibus tam in ciuitate Dertoſenſi, quàm multis alijs in locis eiuſdem diœceſis exiſtentiū, & tam eccleſijs, & monaſterijs, quàm hoſpitalibus, collegijs, confraternitatibus, & alijs locis pijs, etiam à priuatis hominibus tam eccleſiaſticis, quàm laicis erogari ſolitarum, & de cętero erogādarum perpetuò applicauit & appropiauit; quam applicationem & approbationem prę fatus Sixtus V. Pont. max. quodam apoſtolico diplomate, dato die 27. Septembris, anno Dominicę natiuitatis 1586. ſed Pont. ſui anno 2. confirmauit: quapropter impręſentia-

A præſentiarum triginta Clariſſæ ſorores Vrbaniſtę, hæq; religioſiſſimæ, ſimulatque ingenuæ commodiſſimè aluntur. In earum archiuis præfata duo diplomata Sixti V. Pontificis maximi, & inſtrumenta applicationum authentica aſſeruantur; & in ſacrario caput ſanctæ Liſanæ ex vndecim millibus virginum vnius, & brachium ſanctæ Agnetis virginis & mart. magna obſeruantia & reuerentia fideliſſimè cuſtodiuntur.

De monaſterio S. Franciſci Ilerdæ. Mon. VIII.

HOC monaſterium, ſeraphico patri Franciſco ſacrum, atque ducentis paſſibus à nobili ciuitate Ilerda conſtructum, antiquiſſimum eſt, cùm ſub anno Dominicæ incarnationis 1226. Franciſcana adhuc Religione in cunabulis agente, ex priuatis pijſſimi cuiuſdam Raymundi Baria Ilerdenſis ciuis facultatibus tum initium, tum
B quoq; finem ſumpſerit. Veruntamen Conuentualibus Franciſcanis patribus ad annū vſq; Dominicæ incarnationis milleſimum quingenteſimum ſexageſimum ſeptimum paruit, obediuitq;. Sed illis ad Franciſcanam regularem Obſeruantiā ex Pij V. Pont. max. decreto per id tempus tranſeuntibus, cæteris huius Prouinciæ locis agglomeratum extitit. Cùm autem ab Obſeruantibus Minoritis, poſt elapſum annum, derelictum eſſet, ne habitatore ſic deſtitutum ad terram aliquando veniret, prophanisq; vſibus pateret, pijſſimus Ilerdenſis ſenatus ipſum ex proprijs prouentibus reficiendum, reſtaurandum, atque in multò meliorem formam redigendum, inſuper & Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis tradendum curauit. Contigit autem id anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, quo ex religioſo Petralbenſi conuentu (de quo ſuprà) zelantiſſimæ ſex ſorores, & ex deuoto monaſterio Hieroſoly-
C mitano Barcinonis erecto (de quo etiam ſuprà) 5. aliæ ſorores, quæ ipſum in poſterum incolerent, confluentesq; iuuenculas optimis moribus, atque religioſis ritibus informarēt, allatę ſunt. Nec facilè erit recenſere qua pompa, quouè iubilo præfatæ ſorores ab vtroq; Ilerdenſi ſenatu, eccleſiaſtico ſcilicet atq; laico exceptæ, & hunc in locum, quem & impræſentiarum 25. Clariſſæ ſorores Vrbaniſtæ incolunt, introductæ ſint.

De monaſterio S. Eliſabethæ Barcinonis. Mon. IX.

CVM honeſtiſſima fœmina Ioanna Forneſia ex Herbeca Tarraconenſis diœceſis oppido cùm viro, tum quoque liberis orbata eſſet, feliciusq; Deo optimo maximo famulari cuperet, ſumptis ſecum Barcinonis nouem alijs bonę famæ fęminis, Tertiariarum Franciſcanarum habitum induit, ſimulq; cum illis priuata quadam in do-
D mo ſanctiſſimè ad tempus vitam egit. Cumq; earum fama indies magis, magisq; diuulgaretur, nobilis atque denotus quidam Barcinonenſis ciuis, ex ſingulari quadam tum in Deum, tum quoq; in eas pietate, emptam Barcinonēſibus in ſuburbijs domum eis in vſum, atq; perpetuam habitationem liberaliſſimè contulit. Præterea R. Iacobus Caſſadorius Barcinonenſium Epiſcopus pijſſimum huiuſmodi opus promoturus, eiſdem conceſſit, vt eccleſiam præfatæ domui contiguam ædificare poſſent. Cùm igitur præmemorata domus in iuſtum conuentum ex diuerſis fideliū eleemoſynis euaſiſſet, eiusq; incolarum bonus odor longè, lateq; diffunderetur, vtprimùm R.P.F. Franciſcus Zamora totius noſtri Ordinis generalis Miniſter Barcinonem appulit, catholico Hiſpaniarum Rege Philippo eius nominis II. ac vniuerſis eius aulicis pręſentibus, ſolemnem earum profeſſionem de religioſo more excepit, plurimisq; alijs honeſtis virgi-
E nibus Religionis habitum contulit, ac denique omnibus ſimul conceſſit, vt ſub tertio beatiſſimi patris Franciſci Ordine felicius in poſterum, atque ex profeſſo militare poſſent. Inhabitatur itaque præfatum hoc monaſterium, quod ſanctæ Eliſabethæ Vngarorum Regis filiæ ſacratum euaſit, & à triginta quinq; Tertiarijs ſororibus Franciſcanis, eisq; tum nobilitate, tum quoque ſingulari pietate, ac ſanctitate præditis.

Cùm Cuſtodia Iucatanica, quæ nunc Prouincia S. Ioſeph de Iucatan nuncupatur, in capitulo generali Aquilę, anno Dñi 1559. celebrato ſimul cū Guatemalica Cuſtodia Prouinciæ titulo dignata fuerit, ante Arrabidorū Prouinciæ deſcriptionē delineanda veniebat, veruntamen ei inter alias Indiarū Prouincias ſuā propriā ſedē concedemus.


Prouinciæ
Rabidæ
Rabida
S. Veriſſimus
Maxima
et
Julia eius
ſorores

PROVIN-

PROVINCIA ARRABIDORVM.

A PROVINCIA Arrabidorum (ſiue vt alijs placet) Arrabidæ, ſita eſt in Regno Portugaliæ, nec vltra Olyſipponenſis Archiepiſcopatus limites protenditur, ſed ijs omnino cingitur. Hæc à nulla prorſus Prouincia originem duxit, nec vſq; in præſens tempus aliã nobis peperit, ſed intra ſuos ſe continet fines. Habuit enim ſui fundatorẽ V.P. ac F. Martinum à S. Maria profeſſione Minoritam, Prouincięq; Carthaginenſis alumnũ, ſed natione Caſtellanum, atque ab inclytis S. Stephani Comitibus progenitum. Qui cùm peregrinationis ergò cum grato eiuſdem Carthaginẽſis Prouinciæ ſocio religioſam glorioſæ virginis Mariæ de Guadalupe adijſſet ędem, obuiumq; inclytum heroëm Ioannem ab Alencaſtro Aueranẽſium Ducem habuiſſet, atq; illum ſibi cognatum poſt mutuã colloquutionem agnouiſſet, ab eo tandem, poſtquàm ſæpius de ſuæ Regulæ puritate, deq; deſiderio, quo in ſolitudines, aliaq; loca ab hominum conſortio ſemota, ſed ad rerum ſupernarum contemplationem, pauperiemq; excolendã apta, ferebatur, ſecum egiſſet, rogatus fuit, vt ſibi Luſitaniam petenti congredi vellet: quandoquidẽ ei eſſet eremitorium in patria, atq; propria ditione ijs omnibus, quæ ſuo animo inſederant, omnino idoneum. His igitur ſuaſus P. Martinus vnà cum pręfato Aueranorum Duce ad montem quendam aſperum, ſaxoſum, atq; ferè inuium, faucibusq; Tagi auriferi fluuij, per quas Oceanũ mare ingreditur, imminentẽ, cui Latinè Arabrica, Luſitanicè verò Arrabida nomẽ eſt, peruenit: illumq; adamuſſim contemplatus, præſertim verò eremitorium, (de quo præfati ſumus) quod eiuſdẽ montis lateri, cui Oceanum mare latiſſimè patet, omnino hæret, eius oblationem ſibi ab inclyto Duce factã ex animo admiſit, acceptauitq;. Contigit autem hoc circa annum humanę rèdẽptionis 1540. Sed cùm præfatus P. Martinus aſperrimam, ac omnino pauperem duceret vitam, gauderetq; ſummopere illius loci ſolitudine, atq; aſperitate, quæ fratri ſocio minus arridebant, ab eo, propriam Carthaginenſem Prouinciam repetente, derelictus eſt. Nihil tñ eapropter perterritus, magis magisq; rigori, ieiunijs, vigilijs, orationi, cæterisq; virtutibus ſtudebat: quibus tandem omnibus inſignis euaſit: inſuper & à R. P. Prouinciæ Algarbiorum Miniſtro quẽdam F. Ioannem a Conymbria, inclyti Aueranorum Ducis (de quo ſuprà) opera vſus, impetrauit, qui ſtatutis temporibus eius confeſſionẽ exciperet, ſacramq; ſibi Euchariſtiam miniſtraret. Diuulgata igitur prędicti patris Martini per Hiſpaniã huiuſmodi fama, duo ſpectabiles patres, perfectęq; paupertatis amatores, nempe frater Ioannes ab Aquila ex Prouincia S. Gabrielis, & eiuſdem Prouinciæ alumnus F. Petrus de Alcantara ad eum conuolantes, poſtquàm eius vitam, ſimplicitatem, atq; mores contẽplati eſſent, libentiſſimè ſibi aliquandiu commorati ſunt. Cùm autem huiuſmodi humilis congregatio temporis ſucceſſu illis minimè ſatisfaceret, breuiq; diſſoluẽda videretur, ad propriam S. Gabrielis Prouinciam remearunt. Quo nihilominus patre Martino immoto, ac intrepidè in cœpto Inſtituti genere perſeuerante, hæc Arrabidæ Prouincia initium habere cœpit: Nam ex R. P. F. Ioannis Calui totius Franciſcani Ordinis generalis Miniſtri ad eas Portugaliæ partes aduentu præmemoratum eremitorium ad præfati Ducis Auerani inſtantiam, atque preces in iuſtum conuentum, licèt anguſtum (vt latius ſuo loco meminerimus) tranſlatũ fuit. Vnde & principem locum in Prouincia meritò obtinet. Acceſſerant, dum adhuc duo illi Prouinciæ ſancti Gabrielis patres (de quibus ſuprà) patri Martino adhærerent, & alij ſex fratres nouitij: qua de cauſa idem frater Martinus alium ſibi locum, inde non multò diſtantem, cui Luſitanicè nomen Pallhaës, vltrò oblatum, admittendum, acceptandumq; cenſuit. Cui deniq; Deo tantùm vacare cupiens, atq; ab omni œconomiæ ſolicitu-

ſolicitudine abhorrens,vt huiuſmodi tyronum curam gereret,quendam fratrem Andream Varellã ex licentia Miniſtri Prouinciæ Algarbiorũ ſub Cuſtodis mune re præfecit,præpoſuitq;.Nec ideo exiſtimandum eſt hanc Prouinciam aliquando Algarbiorum Prouincię,tamquam eius Cuſtodiã,ſubiacuiſſe.Nam nec Miniſter Prouinciæ Algarbiorum prouincialis aliquid circa eam abſq; Cuſtodis & diſcretorum conſilio, nec ipſe Cuſtos abſq; fratris Martini facultate attẽtare,ſiue innouare quicquam poterat. Huiuſmodi autem Cuſtodis munus ſub diuerſis fratribus tum ex Algarbiorũ Prouincia,tum ex alijs,ſed in hac Cuſtodia incorporatis,tum quoque ex proprijs eiuſdem filijs ſibi inuicem ſuccedentibus,per octodecim continuos annos,perſeuerauit: licèt ſæpius inter reliquarum Luſitaniæ Prouinciarum patres, maximè tamen ſub reuerendiſſimo patre fratre Andrea Inſulano,dum Commiſſarij generalis Vltramontani munus obiret, huius congregationis, ſiue Cuſtodiæ reſolutio,atque anihilatio ventilata ſit: ſed fruſtra, contradicentibus ſibi aliquibus patribus Recollectis,quibus omnibus neruis fuit opitulatus inclytus Ludouicus Portugaliæ Infans,atque Regis Emanuelis filius.Tandem 22. menſis Decembris anni Domini 1560 à reuerendiſſimo patre fratre Frãciſco Zamora, totius Ordinis Minorũ generali Miniſtro, eo in capitulo, quod in conuentu ſancti Ioſephi prope Olyſipponem celebrauit, ad inſtantiam tamen ſereniſſimi Henrici Cardinalis, qui poſtea fuit Portugaliæ Rex, huiuſmodi congregatio (acceſſerant ſiquidem præcedentibus domibus, & aliæ quædam ædes) ex Cuſtodia in Prouinciam ſub titulo S. Marię de Rabida, cuius primus Miniſter prouincialis fuit pater ac frater Iacobus Peregrinus inſignis prædicator,atq; ſui ſtatus zelantiſſimus, euecta fuit.Conſtat denique vniuerſa hæc Prouincia ex 14.conuentibus,& ex duobus xenodochijs.Huius Prouinciæ ſigillum, quo ad iniũcti muneris exequutionem vtitur prouincialis eius Miniſter,glorioſæ virginis Mariæ ſtantis, ac nubeculæ iunctis ad pectus manibus innixæ, cui à dextris ſeraphicus pater Franciſcus genuflexus, atq; manibus expanſis,à ſiniſtris verò B.pater Antonius de Padua etiam genuflexus, atq; erectam crucem vtraq; manu tenens aſtant; ſed à parte inferiori tres alij Franciſcani ſubmiſſis genibus, biniq; ab vtroq; latere gladij,quibus ſacra diui Iacobi Militia pro inſignijs vtitur,ſubiacent,imaginem,atq; ſequentes literas: ✠. SIGILLVM PROVINCIÆ S. MARIÆ DE RABIDA in orbem continet. Non longè ab huius Prouinciæ conuentu,diuo Ioſeph dicato, inclyti athletæ Veriſſimus, Maxima, atque Iulia eius ſorores martyrij palmam pro Chriſti fide aſſequuti, in mare proiecti ſunt, qui tandem longiuſculus prope Sanctorum monaſterium, in eorundem honorem poſtea ædificatum, atque à monialibus ſacræ ſancti Iacobi militiæ nunc inhabitatum,emerſi,ſe Chriſti fidelibus honeſto loco humandos,ac veneratione proſequendos,prodiderunt:ideoq; eos,vt peculiares patronos, huic Prouincię pręponere volui.

De conuentu S. Mariæ de Rabida. *Conu. I.*

CVM mercator quidam natione Anglus in mari ob exortam tempeſtatem periclitaretur,nullaq; ſibi,naui,qua vehebatur,inter ſcopulos verſante,maritimisq; fluctibus, magis magisq; intumeſcentibus, atque atra nocte imminente, ſalutis ſpes reſidua eſſet,quocunque humano auxilio,atque remedio longè poſthabitis,ad deuotiſſimam quandam glorioſæ Virginis imaginem, quam ſecum deferebat,cum cæteris nautis ſupplex oraturus confugere decreuit. Quam cum nullo pacto inuenire potuiſſet, ſua ſpe fraudatus nihil aliud præter naufragium, & amaram mortem operiebatur. Et ecce, dum nihil minus cogitat, lumen quoddam ex Arabici montis latere ſibi alluxit. Ad quod cùm nauis proram direxiſſet, poſt breuiſſimi temporis ſpatium in placidum quendam, quietum, ac omnino ſecurum portum incidit, vbi & anchoras præter omnium ſpem fixit, atque tantum imminens periculum euaſit. Dum igitur ſequenti luce, gratias Deo optimo maximo pro tanto accepto beneficio redditurus, locum ex quo lumen ſe conſpiciendum prodiderat,religiosè peteret, illa glorioſiſſimæ virginis Mariæ imago, quam in naui diligentius conquiſitam inuenire minimè poterat, ſcopulo cuidam innixa tum ſibi, tum quoque congredientibus nautis ex inſperato apparuit. Quod diuinæ bonitati, atque miſericordiæ tribuens

A buens ipſe mercator, mercibus primo diuēditis, ipſo eodem loco, in quo præfata imago conſederat, eremitorium, turrimque ſibi contiguam, in qua quod ſibi vitæ reliquū fuit ſub anachoritico habitu in ſumma paupertate, perpetua oratione, atque ſanctitate conſumpſit, conſtruenda curauit. Et hic eſt ille met locus ab inclyto Ioanne ab Alencaſtro Auerranorum Duce pręfato patri Martino à ſancta Maria huius Prouinciæ authori oſtenſus, atque collatus. Qui licèt rigidus, ſaxoſus, aſper, ſalebroſus, atque incultus ſit, gaudet nihilominus pulcherrimo, perenni, atque perlucido fonte: qui ſcaturientibus largiſſimè venis ad riuuli inſtar decurrens frequentes, amœnaſq; arbores, quibus Arabrici montis præfati radices elegantiſſimè veſtiuntur, irrigat, atque fœcundat. Hoc itaque eremitorium inclytus heros præfatus Ioannes ab Alecanſtro ex maxima qua in pręfatum patrem Martinum, eiusque ſequaces ferebatur beneuolentia in iuſtū, B licèt pauperem, iuxta eorundē fratrum deſiderium, conuentum ſub glorioſiſſimæ virginis Mariæ de Rabida titulo, atque patrocinio ex R.P.F. Ioannis Calui totius tunc Minoritici Ordinis generalis Miniſtri facultate, circa annum à Chriſto Saluatore nato 1542. erigendum, conſummandumque curauit. Diſtat præfatus couuentus, qui à quindecim fratribus vt plurimùm inabitatur, quique totius Prouinciæ ſeminarium optimo iure dici poteſt à proximiori pago ſex milliarijs: quæ nudis pedibus eius incolæ, neceſſarias eleemoſynas emendicaturi, licèt pauciſſimis contenti oleribus vt plurimùm arborum fructibus, atque aqua pro potu ciboque vtantur, metiri tenentur.

De conuentu B. virginis Mariæ de Conſolatione Pallahes. Conu. II.

DE inclyti herois Vaſci à Gama Vidigeiranorum Comitis ſtudio, atque beneuo-C lentia erga præfatum patrem Martinum à ſancta Maria, eiuſq; ſequaces ex præſenti conuentu, glorioſiſſimæ virgini Mariæ de Conſolatione dicato, quem ille non longè à villula Pallhaës vulgò nuncupata ad nonum lapidem ab Arabrico monte diſtante, atque Tago celeberrimo flumine alluta, ex peculiaribus facultatibus, circa annum à partu Virgineo 1542. non minus diligenter, quàm piè ædificandum curauit, ſatis ſuperque cognoſcitur. In duobus his conuentibus præſenti ſcilicet, atque præcedenti hęc Arrabidorū Prouincia tāquā in cunabulis per aliquot annos egit: cùm iſte religioſis tyronibus educādis, ille verò veteranis patribus cōtinēdis deſeruierit. Impreſētiarū verò Prouincia iā ſuperadulta, atq; latius dilatata, inhabitatur hic locus à 12. fratribus.

De conuentu B. Mariæ de Pietate Saluaterræ. Conu. III.

D QVIS vnquam ſereniſſimi Ludouici Emanuelis Luſitanorum Regis filij in Deū, atque in Franciſcanam Religionem pietatem, animique propenſionē exprimere valeat? Cui præſentem conuentum, B. virgini Mariæ de Pietate ſacrum, prope Saluaterram Eborenſis diœceſis oppidum, atque in Tagi fluminis margine ſitum, ex proprijs facultatibus præfato anno Dominicę incarnationis 1542. erexiſſe non ſatis eſſe videbatur, niſi ēt eiuſdem Franciſcanæ Religionis habitum indueret, communemq; profeſſionem cum cęteris fratribus faceret. Sed ne voti compos quoad huiuſmodi profeſſionem fieret, in cauſa fuêre plures nobiles, qui ſe ab huiuſmodi propoſito legitimis de cauſis retraxerunt. Inſtituit nihilominus pientiſſimus is heros vitam, eamque ita ad Franciſcanam frugem correxit, vt à vero Minorita nec latum vnguē diſcederet. Quod vt felicius pręſtare poſſet, præfatum hunc conuentum, à 14. fratribus inhabitatum, E vt probos aliquot patres, quos imitaretur, quibusque pro exemplari vteretur, conſtruendum (vt prædiximus) curauit. Præſens atque 2. præcedentia monaſteria à præfato patre Martino à ſancta Maria adhuc ſuperſtite conſtructa fuêre: ſed quæ ſequuntur poſt eius mortem, quæ ſatis immatura extitit, initiū feliciter ſumpſerunt.

De conuentu B. Mariæ de Pietate. Conu. IIII.

DVM tres pręcedentiū locorū Cuſtodē ageret P. ac F. Ludouicus Olyſipponenſis Prouincię Algarbiorū alumnus, Ludouicus à Souſa nobilis Luſitanus hunc 4. conuentū in B.V. Mariæ de Pietate honorē, non longe ab Olyſippone celebri totius Regni Portugalię metropoli, atque principe ciuitate, eo in loco, qui vulgò Caparica dicitur,

ex proprijs facultatibus anno Dominicæ incarnationis 1550. à fundamẽtis extruẽdum, omnibuſque ſuis numeris abſoluendum curauit. Sed cùm is locus ab Olyſipponenſibus tum ob deuotionem ex ipſo conceptam, tum quoque ob peroptimum fontem ſibi vicinum, mirum in modum frequentaretur, minuſque tranquillitati, atq; quieti ea de cauſa faueret; eo poſt aliquot annos relicto, ſe ad alium conuentum, eodem beatę Mariæ de Pietate titulo inſignitum, tertioque milliari ab oppido Almada diſtantem, atque ab illuſtri Laurentio Pirizio à Tauora ad eorum vſum conſtructum ſe fratres, qui frequentius ſunt duodecim numero, atq; cum maxima cordis alacritate Deo opt. max. quietiſſimè, religioſiſſimè, & pro voto inſeruiunt, in poſterum habitaturi trãſtulerunt. A

De conuentu S. Catharinæ Supra mare. Conu. V.

QVOD non obſcura ſereniſſimæ heroinæ Eliſabethæ ſereniſs. Duartis quõdam vxoris in Franciſcanam familiã beneuolentia fuerit, ex præſenti conuentu, in B. Catherinæ virginis & martyris ſupra mare (vulgò de Riba mare) honorem ab ea ad 5. lapidẽ ab Olyſippone nobili ciuitate, ſupra editũ montem mari imminẽtẽ (vnde & cognomen Supramare traxit) ex proprijs facultatibus, anno à Virgineo partu 1553. ædificato, primum vel ſecundũ locũ, elegantiæ, atq; deuotionis iure hac in Prouincia obtinet, frequentiuſq; à 12. fratribus, qui & optimè apud cõuicinos populos audiunt, inhabitatur. Vt autem quilibet nos carpere deſiſtat, quòd huius loci fundatricem, eiuſq; coniugem ſereniſs. appellauerimus, is eos ex regia Portugaliæ ſtirpe originẽ duxiſſe nouerit. B

De conuentu S. Mariæ de Ieſu. Conu. VI.

SVMMA deuotiſſimi P. F. Ioannis ab Aquila huius tunc Prouinciæ Cuſtodis religio fecit, atque perpetuum inclyti Emanuelis à Portugalia, inclyti etiam Comitis Vimioſi filij de Franciſcanæ religionis ſanctitate, atque præfati P. Ioannis virtute iudicium, vt pientiſſimus is heros hoc ſacrum monaſteriũ, S. Mariæ de Ieſu dicatum, ad 5. lapidẽ ab oppido, cui Santaren vulgò nomẽ eſt, ea in valle, quę Ficus paſſim nũcupatur, anno à partu Virgineo 1556. à fundamentis ad apicem vſque conſtrueret, eiuſque accolas, qui duodecimum numerum non excedunt, quandiu vita ſibi comes fuit, omni beneuolentia, omniq; beneficiorum genere proſequeretur. Non miretur (obſecro) curioſus lector, quòd à præſentium locorum fundatoribus nihil aliud in medium adducam. Nã, his à paucis diebus erectis, nihil aliud ab eorundem accollarum vita, quæ proculdubio exemplaris eſt, maximamque præſefert perfectionem, dicendum occurrit: quam ſi iterato referre vellẽ, vt hæc legenti faſtidiũ generarẽ, quod vitare curamus, neceſſe eſſet. C

D

De conuentu S. Ioſeph. Conu. VII.

CVSTODIS munere hac in Prouincia fungente P. ac F. Damiano, præcedentibus ſex locis præſens beato Ioſeph glorioſiſſimæ Dei genetricis ſponſo dicatus, ab illuſtribus Franciſco Guſmanio, eiuſque cariſſima coniuge Ioanna de Braſſe, ſereniſſimæ Marię Luſitanorũ Regis filię Inſtructoribus, atq; morũ Magiſtris, ad 3. milliare ab Olyſippone ciuitate, nõ longè ab Oceano mari, ex comunibus bonis anno à partu virgineo 1559. à fundamentis ad apicem vſque conſtructus fuit. Qui quidẽ à ſui erectione in præſentem vſque diem & ſanctitate, & deuotione, atque grauiſſimis patribus, religioſiſſimiſq; fratribus floruit: quem tandem 15. religioſi vt plurimùm inhabitant.

De conuentu S. Crucis. Conu. VIII. E

VT primùm hæc Prouincia à R. P. F. Franciſco Zamora totius noſtri Ordinis generali Miniſtro huiuſmodi titulo, atque honore anno Dominicæ incarnationis 1560. dignata fuit, ſibiq; P. ac F. Iacobus Peregrinus in prouincialem Miniſtrũ pręfectus extitit, appoſuit inclytus Aluarus à Caſtro, inclyti Ioannis à Caſtro Orientaliũ Indiarũ Proregis filius, vt & hunc cõuentum, ſanctiſſimæ Cruci ſacrum, in amœniſſimi eius montis, qui Sintra Luſitanicè nuncupatur, cacumine ex domeſticis facultatibus ædificaret: quatenus octauum numerum clauderet. Qui quidem conuentus, licèt ſyluoſus, ſolitarius, atque paruus, cùm vix ſex fratribus eius accolis hoſpitiũ præbere poſſit, mirum in modum

A in modum ſit, & à proximiori pago tertio ad minus milliari diſtet: eſt nihilominus amœniſſimus, ſæcularibus commendatiſſimus, ſaluberrimaque aura, quemadmodũ & vniuerſus eiuſdem montis ambitus, gaudet. Quantæ autem amœnitatis ſit præfatus mons Sintra, in quo pręſens conuentus erectus conſpicitur, hinc ſaltim conijcere licet quod eius latera, atq; radices, frequentiſſimis, iiſque fructiferis arboribus veſtitæ, limpidiſſimis alluantur, irrigenturque aquis. Vnde & riuulus, ex perennibus eiuſdem montis fontibus in vnum & eundem locum confluentibus elegantiſſimè, conflatus, à pomorum arboribus, quas vel irrigat, vel quarum poma leniter fluendo in ſe excipit, pomiferus à ſcriptoribus paſſim cognominatur. Idque in cauſa eſt; vt antiquiores Luſitanorũ Reges non longè ab hoc monte fructifera inter nemora, ruralem domum, ad quam ſæpius vel amœnitatis, vel ſoſpitatis aſſequendæ ergô ſe conferrent (eò quòd B eius loci clima clementiſſimum omni tempore ſit, ita vt nunquam ibi vel ferueat æſtus vel vigeat frigus, ſed ſumma ſemper dominetur temperies, qua etiam de cauſa eius accolæ diuitius viuunt) apprimè, atque ſatis eleganter à fundamẽtis ædificandũ curarint.

De conuentu B. Mariæ de Aegypto. *Conu. IX.*

POST viginti & vnum annos elapſos ab ædificatione conuentus S. Mariæ de Rabida, qui primum locum hac in Prouincia tenet, nempe anno Dominicę incarnationis milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertio adiecit inclytus Ioannes Auerano rum Dux, (cuius ſuprà meminimus) idque ex maxima in Franciſcanam familiã, præcipuè verò in huius Prouinciæ alumnos beneuolentia, vt & hoc monaſteriũ, glorioſiſſimæ virgini Mariæ de Aegypto ſacratum, ex domeſticis facultatibus, ad 3. lapidem ab C oppido ſibi ſubiecto, cui Turres nouæ nomen eſt, à fundamentis ad verticem vſque cõ ſtrueret. Quia verò præfatus hic locus in ſolitudine ſitus eſt, non aſpernandos ſubeunt labores 10. fratres eius accolæ, vt ad victum ſibi neceſſaria ex mendicatione acquirãt. Quibus ea propter, quòdque nudis perpetuò pedibus incedant, conuicini populi maximè afficiuntur, atque ſuas eleemoſynas maxima cum liberalitate ſubminiſtrant.

De conuentu S. Mariæ Magdalenæ. *Conu. X.*

DVM reuerendus, ac de noſtra Religione benè meritus pater frater Damianus, qui ex apoſtolica Pij IIII. Pont. max. authoritate Prouincialatus munere ſexennio functus eſt, huius Prouinciæ clauum teneret, nẽpe anno à partu Virgineo 1566. ſereniſſimus Henricus S. R. E. Cardinalis, atque poſtmodum per ſereniſſimi Sebaſtia- D ni apud Afros mortem Portugalię Rex, cuius caſtitas, ſanctimonia, diuini cultus, atq; honoris zelus vix vnquam exprimi poterũt, hoc ſacrum monaſteriũ in B. Mariæ Magdalenæ honorẽ, in oppidorum Eboræ, atq; Alcobazæ meditullio, ex proprijs facultatibus à fundamentis erigendũ, breuiſſimiq; temporis ſpatio abſoluendum, atq; omnibus ad commodã, pro eorũ modo viuendi 10. fratrũ habitationẽ neceſſarijs inſtruendũ curauit. Fuit ſiquidẽ ſereniſſimus is heros huius Prouincię fratribus, præcipuè verò pręfato fratri Damiano, cui conſcientię arcana in confeſſione detegere aſſueuerat, ob vitę ingentem aſperitatem; atque optimos mores addictiſſimus, familiariſſimuſque.

De conuentu S. Michaelis prope Obbidum. *Conu. XI.*

IDEM ipſe ſereniſſimus S. R. E. Cardinalis, atq; Portugalię Rex Henricus ſupra E memoratus, cuius memoria in benedictione eſt, cuique laus, & honor in Franciſcana Religione ſunt, vt ſecundũ ſuę beneuolentię, atq; pietatis in huius Prouincię pauperes, primitiuoſq; Minoritas ſpecimen nobis daret, hunc conuentũ, cœleſtis militiæ Principi Archangelo ſcilicet Michaëli ſacrũ, ad 1500. paſſus ab oppido Obbido, ex proprijs facultatibus, quas in pauperũ, pupillorũ, viduarum, atq; religioſorũ vſus liberaliſſimè diſtribuebat, anno à Chriſto Saluatore interris nato 1569. à fundamẽtis ad vltimũ vſq; lapidẽ ædificari fecit. Quẽ, ex R. P. F. Aloyſi Putei totius noſtri Ordinis generalis Miniſtri facultate, præfatus P. Damianus, huius Prouinciæ Miniſter iuxta pontificiam diſpẽſationem ſecundò electus, acceptans, cęterorum locorũ catalogo aſcripſit. Cõmorãtur hoc in loco cũ maxima circũadiacentiũ populorũ ædificatione 10. tãtũmodo fratres.

De conuentu B. Mariæ de Angelis. Conu. XII. A

SERENISSIMA, ſimul atque pientiſſima heroina Maria ex eadem regia,pijſſimaque ſtripe,ex qua sereniſſimus Portugalię Rex, atque S.R.E. Cardinalis Hēricus(de quo ſuprà)propagata,ne eius ad Franciſcanam familiam pietati, atq; beneuolentiæ cedere videretur, hoc ſacrum monaſterium, ſanctiſſimæ Angelorum Imperatrici,& Dominæ,virgini ſcilicet Marię dicatum,ad huius Prouincię fratrum habitationem,ad 3.lapidem ab oppido,cui Torres Vedras vulgò nomē eſt, ex domeſticis facultatibus,anno Dominicæ incarnationis 1570. tamquam pia,deuotaq; riualis à fundamentis erigi,abſoluique curauit.Ingratitudinis ſanè tum 10. fratres huius loci habitatores, tum quoque reliqui huius Prouinciæ alumni arguendi venirent, niſi regiam Portugaliæ ſtirpem,quam in omni euentu,vt ædificia ad eorum vſum ab ipſa conſtructa,quotidianæ eleemoſynę erogatæ,fauoreſque,& patrocinia maximè tamen in huius Prouinciæ exordio exhibita facilè teſtātur,beneficam, ſibique addictiſſimam perpetuò experti ſunt,in ſuis ad Altiſſimum precibus commendatiſſimam haberēt.Quis intimum illum ſereniſſimi Ludouici ex Portugalię Regibus originem ducentis, atq; conuentus B.Mariæ de Pietate apud Saluaterram(de quo ſuprà)authoris,amorem,ſedulam diligentiam,nauatamque in huius Prouincię eiuſq; alumnorū fauorē operam vnquā exprimere poſſit?Quis ſereniſs. Eliſabethæ 5. huius Prouinciæ loci fundatricis, quę & ad eandē regiam ſobolē pertinuit,in eoſdem fratres pietatem,atq;beneficentiā enarrare queat? Quis præfati ſereniſſimi Cardinalis Henrici erga hos Chriſti pauperes affectum,protectionē, atque charitatē prędicare valeat? Cui 2. erexiſſe conuentus non fuiſſe ſatis videbatur,niſi etiam xenodochium (vt infrà patebit) pro infirmis huius Prouincię fratribus curandis Olyſipponis ędificandum curaſſet?Quis tandem animi candorem,maternumque ſereniſſimæ Mariæ Regum quoq;Portugalię filię,atque pręſentis loci fundatricis erga huius Prouinciæ fratres affectum, cùm hoc humanum ingenium longè ſuperet,ſatis referre præſumat?Ego ſiquidem, quantum ad me attinet,eos omni encomio,omnique laude dignos,atque de ſeraphica Religione noſtra ſupra modum benemeritos iudico.Quorum ſanè memoria ſimul cum eorum corporibus ſepelienda non venit.Sed ſicut eorundem animæ per Dei miſericordiam(vt piè exiſtimandum eſt)perpetuò regnaturæ perſeuerant in cœlis:ita quoque eorum nomina, atque laudes ſemper præ fratrum Minorum oculis habeātur in terris:vt ipſis debitæ reddantur vices,& Deus opt.max.qui omniū bonorū author eſt,ad excitandos piorū animos moueatur,quatenus illi pauperculis Frāciſcanis adſint,faueant,atq; opitulentur, ac demū ab iſtis,& ab illis honorificetur idē Deus,qui eſt benedictus in ſęculorū ſęcula.

B C D

De conuentu Spiritus ſancti. Conu. XIII.

COMMENDATIONE non vacat perdeuoti,atque magnifici Ludouici à Caſtrofluuiorum in Franciſcanam Religionem pietas: qui vt non manufactam,nec lateritiam aliquando ruituram,ſed perpetuò manentem, atque incorruptibilē domū in cælis reciperet,hunc inſtabilem,atque corruptibilem cōuentum, ſanctiſſimoSpiritui ſacratum,ad ſextum lapidem ab Olyſippone percelebri ciuitate, ad huius Prouinciæ fratrum habitationem,ex proprijs facultatibus,anno reſtitutæ ſalutis milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto, dum huius Prouinciæ clauum religioſus pater ac frater Balthaſar à Plagis, qui in Miniſtrorum ordine quartus,ſtrenuus ſanctiſſimæ paupertatis, atque diuini cultus zelator extitit, cui tamen tres pręcedentes nec in minimo ceſſerunt, de religioſo more teneret, à primo ad vltimum vſque lapidem ædificandum, atque ſacris veſtibus ad peragendam rem diuinam, honeſtaque ſupellectili inſtruendum curauit. Commorantur vt plurimùm hoc in loco decem fratres, qui die, noctuq; cū maxima cordis alacritate diuinis laudibus,& contēplationi incūbunt. E

De couentu Conceptionis B. Mariæ virginis. Conu. XIIII.

NE inclytus heros Stephanus à Gama à proprio parente inclyto videlicet Vaſco à Gama Vidiguarēſiū Comite,qui 2. huius Prouinciæ cōuētū, ſub titulo B.virginis Mariæ

A Mariæ de Conſolatione prope villulã Pallhaës conſtrui iuſſit, degenerare videretur: imò vt tanti P. verus filius, atq; imitator hoc 14. monaſterium, immaculatæ glorioſiſſimæ virginis Conceptioni ſacratum, ſeſquimilliari ab oppido, cui Settuual Luſitanicè nomen eſt, ex peculiaribus facultatibus, circa annum 1578. ædificandũ curauit. Fuit præfatus hic P. Petrus primus huius Minoriticæ vineæ palmes, à P. Martino à S. Maria eius authore propagatus. Qui cùm, bonis moribus imbuendus, ſecum eo in eremitorio, quod poſtea in principem huius Prouinciæ locum euaſit, adhuc ſecularis moraretur, à R.P.F. Ioanne Caluo totius Frãciſcani Ordinis generali Miniſtro, dum Arabricum montem, primitiuæ, atq; naſcenti Arrabidorum Cuſtodiæ initiũ daturus, cũ inclyto Ioanne Aueranorũ Duce peteret, ad probationis habitũ admiſſus fuit: ac tandem Franciſcanã profeſſus Regulã, in ſtrenuũ virũ, atq; verę paupertatis ſectatorẽ, vt B tanti magiſtri diſcipulus euaſit. Moram trahunt frequentius hoc in loco 10. fratres.

De Hoſpitali Olyſipponis erecto.

A PRÆFATIS 14. conuentibus, ex quibus hæc Arrabidorũ Prouincia conflatur, & duo xenodochia, infirmis fratribus curandis deſtinata: quorum alterum Olyſſiponis, alterũ verò Santareni erectũ eſt. Nam licèt fratres charitate, quæ cæterarum virtutũ forma eſt, atque præcipuum inſtrumentũ, quo cælorum Regno à mortalibus vis infertur, ad infirmos non vacent: quia tamen ob ſummam conuentuum inopiam, anguſtiam, ſolitudinem, atque ab oppidis diſtantiam maxima cum difficultate infirmis neceſſaria miniſtrare poſſent, vixq; eis Medici opportunè adeſſe valerent: ea propter (& conſultò quidem) oblatum ſibi in regio Olyſſipponẽſi hoſpitali ab in-C clyto Ludouico, qui & 3. huius Prouinciæ conuẽtum conſtruxit, peculiarem locum, in quo pauperculi fratres in loco pauperibus communi facilius, commodiusq; curari valerent, præfatus P. Martinus à ſancta Maria libẽter admiſit. Aſſiſtunt præterea huic hoſpitali aliquot fratres, à ſuperioribus deſtinati, qui omni diligentia, ſolicitudinę, atq; charitate infirmorum patrum, ac fratrum curam gerunt: quibuſq; religio eſt, ne malè habentibus, aut conualeſcentibus aliquid, quo vel amiſſam ſanitatẽ recuperare, vel partam confirmare queant, fauentibus interim ſibi tum nobilibus, tum quoq; popularibus Olyſſipponenſibus, quibus fratrum valetudo commendatiſſima eſt, penitus deſit. Hoc valetudinariũ, prius tñ pro fratrũ numero ſatis capax, ampliarunt, ædificijsq; exornarũt ſereniſs. Ioãnes Luſitanię Rex, atq; Henricus S.R.E. Car. eiuſdẽ Regni Rex.

D

De Hoſpitali Santareni erecto.

QVIA perdifficile foret, vt ſuperiorum temporum experiẽtia facilè docuit, omnes infirmos, tum propter adauctum fratrum numerum, tum quoq; propter nimiam aliquorum conuentuum diſtantiam, Olyſſiponem deferri: data fuit à R. P. F. Damiano, dum huius Prouinciæ clauum teneret, opera, vt ſecundũ valetudinarium in oppido, cui Santaren Luſitanicè nomen eſt, erigeretur: ad quod ex vicinioribus conuentibus infirmi fratres facilius transferri poſſent. Vbi & tanta cura, atque pietate à religioſis ad id munus deſtinatis curantur, vt nihil eorum, quæ ad ſanitatem acquirendam conducunt, ab ijſdem omittatur.

Et vt quàmplurima, quæ de pręſenti Prouincia dicenda forent (quæ tamen citra aliarum iniuriam dicta velim) paucis perſtringam, nihil magis ab Euangelica illa, E atque à ſeraphico P. Franciſco commendatiſſima paupertate in ea relucet. Eius ſiquidem fratres cilicineo tantùm ſacco induti, nudiſque pedibus perpetuò incedentes, nihil aliud ab aſſere, vel ſubere in lectũ, & à ligno, vel lapide in ceruical admittunt, nihilque aliud à breuiario, & ab vno vel altero ſpirituali libello in cellulis, ijſque anguſtiſſimis habent. Præterea tegula ſæpius malleolo, vel lapide icta pro tintinabulo, & in refectorio, atque culina deſpectiſſimis, pauperrimiſque vaſis, idque non ex neceſſitate, ſed ex mera tantùm voluntate, vtuntur. Nam ea eſt Luſitanorum, pręcipuè vero nobilium ad eos deuotio, vt ſi vellent, facillimè omnibus abundarent. De eius tandem domibus hæc ſolummodò dixerim, quòd tuguriola po ius, vel pauperum paſtorũ caſulæ, quàm religioſorum habitationes videantur, quibus contenti Deo fideliter famulantur.


PROVINCIA
S IOSEPH
SANCTVS IOSEPH
SĀCTISSIMÆ GENITRICIS SPŌSVS

PROVIN-

PROVINCIA S. IOSEPHI.

A QVVM ſancti Gabrielis Prouincia (quæ incunabulis adhuc implicabatur)
maximis quateretur diſſidijs,& difficultatibus,earumq; componendarum
ergô religioſi patres F. Ioannes Paſchaſius præcipuus eius fundator,ac F.
Angelus ſe Romam contuliſſent; nec vlla illis,poſt multos tum in itinere,
tum quoque in eius negotio componendo exantlatos labores, quietis ſpes
iuxta votum affulgeret,eorum alter F. videlicet Ioannes Paſchaſius ex F. Angeli con-
ſilio, præſtita prius Magiſtro generali patrum Conuentualium Franciſcanorum obe-
dientia, ab eodem in illis generalibus Comitijs Romæ,anno à Chriſto Saluatore nato
1517. in Aracœlitano conuentu ex ſanctiſſimi Domini Leonis X. Pont. max. manda-
B to celebratis patentes literas, quibus conuentus erigere,fratresque nouitios,atque Cō-
uentuales arctioris vitæ cupidos aduentantes recipere,Confeſſarios, atque Prædicato-
res inſtituere,ac Guardianos creare ſibi licitum erat, obtinuit,atq; apoſtolica authori-
tate à ſummo Pontif. Leone X.ſub plumbea bulla confirmari curauit. Quibus denique
munitus Galleciam (quæ Hiſpaniæ Prouincia eſt) contendit, ac primum conuentum
quadam in maritima inſula,oppido quod Gallecorum lingua Redondella nūcupatur,
ſatis vicina,ſub ſancti Simonis titulo erexit. Cùmque eius ſanctitatis,ſuique ſequaciū
fama magis,magiſque diuulgaretur,illaque ſæculares allecti, ad eum tamquam ad di-
uinum aliquod oraculum,oportuna de ſua ſalute relaturi reſponſa,confluerent, naſcē-
C temque familiam latius extendi cuperent, nec tamen palmites,quibus propagari poſ-
ſet,ad manus adeſſent,præfatus F. Ioannes Paſchaſius Romam ſibi ſecundò adeūdum
fore exiſtimauit,vt à ſummo militantis Eccleſię Paſtore poteſtatē acciperet, qua Ob-
ſeruantes Frāciſcanæ familiæ fratres,licèt prouinciali Conuentualium Magiſtro Pro-
uinciæ S. Iacobi ipſe ſubeſſet, in ſuum conſortium recipere poſſet. Compoſitis igitur
domus ſuæ rebus, Romanum iter aggreſſus eſt, Vrbemq; anno Dominicę incarnatio-
nis milleſimo quingenteſimo trigeſimo quarto primò appulit,atque ſummo Pontifici
ſui animi votū ſupplex aperuit. Sed cùm eius cauſæ diſcuſſio,atque cognitio illuſtriſs.
noſtri Ordinis Protectori commiſſa eſſet,repulſam ab eo legitimis quibuſdam de cauſis
D paſſus eſt. Is verò nihiloſecius in propoſito per integrum ſeptennium ibidem perſe-
uerans,cùm interim ſuæ humilitatis, integerrimæque vitę,atque patientiæ euidentiſ-
ſimum vniuerſæ Romanæ curiæ teſtimonium perhibuiſſet,à Paulo tandem III. Pont.
max.anno à partu Virgineo 1541.breue quoddā ſub annulo Piſcatoris impetrauit,quo
fratres tum Obſeruātes Franciſcanos, tum quoque cuiuſuis alterius laxioris tamen Or
dinis ad ſe venientes,petita tamen prius à ſuis ſuperioribus,licèt non obtenta, faculta-
te recipere,ſuæque congregationi adiungere ſibi liberum erat. Reuerſus itaque in Hi-
ſpaniā,eiuſque apoſtolici breuis authoritate fretus,17. Prouinciæ S.Gabrielis fratres,ac
aliquot alios ex Obſeruātum Prouincijs recepit,admiſitque. Horū tamen maior pars,
E cùm efferati,ruſticanique Gallecorum mores minus ſibi arriderēt,eo relicto,in propria
remearunt. Perſeuerantibus nihilominus ſecum aliquibus ex præfatis Obſeruantibus,
alium locum ſibi prope Baionam eorundem Gallecorum ciuitatem, maritimumque
portum,ad 15.tantùm lapidem à præmemorato conuentu S. Simonis diſtantē,ab eius
incolis oblatum illicò admiſit,fratribuſque inſtruxit. Præterea accedentibus ſibi anno
humanæ redēptionis 1551. quibuſdam alijs religioſis ex S.Gabrielis,atque etiam Pieta-
tis in Portugalia Prouincijs 3.locum prope oppidum Vigo Hiſpanicè nūcupatum, nec
longè ab alijs diſtantem, ſub titulo S. Marthæ erexit,ædificauitque. Surrexit etiam eo
temporis quidam F. Alphonſus à Mãzanete, eiuſdem S.Gabrielis Prouinciæ alumnus,
qui nouæ Prouinciæ erigendæ cupiditate ductus, à generali patrum Conuentualium
Magiſtro

Magiſtro literas,quibus conuentus ſibi per Hiſpaniam erigere,ac fratres recipere licere,impetrauit, pagumque Manzanete Hiſpanicè nuncupatum, Badeiocianæ diœceſis, vnde originem ducebat, petens, eius patruo, viro vtique deuoto, ac ſimplici, vt ſibi conuentulum in ſuo prædio ex diuitijs, quibus abundabat,conſtrueret, facillimè ſuggeſſit. Dumque deuotiſſimo, pariterque nobiliſſimo Ioanni Velaſco ab Auila ſupplicat,vt ligna ex proximo ad ſe pertinente nemore ad operis ædificationem ſuppeditare velit,in eam venit ſententiam,vt,dimiſſo ſcilicet loco iam ſibi à patruo conceſſo, alium,ſumptibus præfati herois Ioannis Velaſco ab Auila ſibi liberaliſſimè collatis,in ipſo nemore ædificaret,incoleretque:prout & fecit.Quem tamē omnino,ſed intra paupertatis ſanctiſſimæ limites,perfectum patribus Conuentualibus Prouinciæ S. Iacobi, præſtita prius illis obedientia,ſubegit. Audito autem poſt aliquot dies optimo F. Ioannis Paſchaſij nomine,viuendique modo,cùm vtriuſque leges, vita,atq; mores in vnum conuenirent, conſentirētque,iuuante ſibi fundatoris fauore prēfati ſcilicet Ioannis Velaſco ab Auila,eidem P. F. Ioanni Paſchaſio,tradito ſibi prius à ſe conſtructo tuguriolo,nomen,& obedientiam dedit:à quo & humaniſſimè admiſſus,viſitatusq; fuit.Cumque is F. Ioannes 4. hanc domum cēteris annexuiſſet, Galleciamque, vnde venerat, repeteret, graui correptus infirmitate in Luſitania, diem ſuæ vitæ clauſit extremum. Qua occaſione oblata Franciſcani patres Prouinciæ S. Iacobi Conuentuales, ne huiuſmodi nouellæ plātulæ lōgius,latiuſq; ſerperent,ac præfatæ domus, adiunctis ſibi alijs, fratribuſque multiplicatis,aliquando in Prouinciam euectæ,negotium illis faceſſerent, eas ſibi omnino ſumendas,atque reliquis Prouinciæ locis annectendas curarunt. Sed fruſtra,nam prēfatus Ioannes Velaſco ab Auila vſus fauore tum ſereniſſimarum Mariē,atque Leonoræ inuictiſſimi Caroli.V.Imperatoris,ac Hiſpaniarum Regis vterinarum ſororum,tum quoque P.F.Antonii Paulini à Santo Quirico,patrum Conuentualiū tunc p̄ vniuerſam Hiſpaniam Commiſſarii, eas in peculiarem Cuſtodiam ſub titulo ſanti Ioſephi,cui ipſe deuotiſſimus erat,euehendas,promouendaſque curauit. Quibus denique religioſiſſimus, atque humillimus P. F. Antonius à Conceptione, origine Luſitanus,atque Prouinciæ Pietatis alumnus,communi eorum patrum, quorū ex munere intererat,ſuffragio in Cuſtodem præfectus eſt. His verò conuentibus confirmatis, eorūque negotiis adamuſſim compoſitis, Romam petiit.Egreſſus erat per id tempus ex Prouincia S.Gabrielis ſtrenuus quidam religioſus nomine F.Petrus ab Alcantara, qui ex apoſtolica ſibi facta poteſtate,locellum quendam prope pagum Pedroſo Hiſpanicè nuncupatum Placentinæ diœceſis ſibi, ſuiſque ſequacibus ſub obedientia tamen patrū Conuentualium,ædificarat.Cùm igitur præfatus P. ac F.Antonius à Conceptione generalem Conuētualium patrum Magiſtrum, P.videlicet Iulium Magnanum, à quo & humaniſſimè exceptus eſt,de ſuis negotijs,nouiterque erecta Cuſtodia,ac de morte F. Ioannis Paſchaſij certiorem reddidiſſet,patentes quaſdam litteras ſummi etiam Pontificis Pauli. IIII. calculo confirmatas ab eo retulit, quibus neophytæ Cuſtodiæ præmemoratus P.F Petrus Alcantarenſis cum plenitudine poteſtatis,ac facultate eiuſdem in Prouinciā pro arbitrio aliquando promouendi Commiſſarius præficiebatur. Is itaq; P.Petrus Alcantarenſis accepta commiſſione,poſtquā & domum à ſe ædificatam,& 2. alias ſibi ab inclyto Orapeſſano Comite oblatas,& 4.in Zamorēſi Epiſcopatu cōſtructam cæteris adiūxiſſet, Capitulum celebrauit,ac,iuxta commiſſionis tenorem, Cuſtodiam ipſam in Prouinciam ſub antiquiori titulo ſanti Ioſephi erexit, benemeritumque P. F. Chriſtophorum Brauo à patribus vocalibus in primum prouincialem Miniſtrū, anno à Chriſto Saluatore nato 1561.canonicè electum confirmauit.Qui quidem omnibus ſibi creditis conuentibus diligenter luſtratis, eorumque rebus ritè diſpoſitis, cùm illis quempiam alium ſibi oblatum adiūxiſſet, Romam,de negotiis Prouinciā ipſam concernentibus acturus,conceſſit.Cuius quidem itineris hæc potiſſimùm cauſa fuit.Dabatur ſiquidem eius fratribus,& ipſi probro,quòd,qui Regulæ zelotes haberi vellent,Cōuentualibus patribus ſubeſſent. Accedebat ijs rumor de reformandis, reducendiſque ijſdem patribus Conuentualibus ad regularē Obſeruantiam per vniuerſam Hiſpaniā vbique ſparſis:quapropter id ſibi itineris metiendum fore exiſtimauit.Præfatus interim P. F.Petrus Alcantarenſis,qui adhuc Commiſſariatus officio (vt præfati ſumus) fungebatur,literis

A tur,literis ſibi, ac cæteris Prouincię patribus, fratribuſque ex vrbe Roma ab illuſtriſſimo domino Pio Carpenſi S.R.E.Cardinali,atq; Minoritici Obſeruantis Inſtituti eximio Protectore, & à R.P. F. Franciſco Guſmanio,tunc Romano eiuſdem Ordinis Procuratore tranſmiſſis (ſuadebāt omnino illis præfati Ordinis illuſtriſſimus Protector, ac Romanus Procurator,vt patribus Conuentualibus vale dicto, Franciſcanis Obſeruantibus nomen,& obedientiam darent)annuendum cenſuit. Quamobrem peractis prouincialibus Comitijs,nouoque Miniſtro concurrentibus patrum ſuffragijs electo, F.ſcilicet Bartholomęo à ſancta Anna, patribus Obſeruantibus ſe,ſuoſque fratres ſubmiſit. At prouincialis Miniſter nouiſſimè electus, 4. primùm monaſterijs præcedentibus locis ſuperadditis,Romam ſe contulit. Cùmque Genuam appulſus intellexiſſet R.P.F. Franciſcum Zamorenſem totius Ordinis Minorum Miniſtrum tunc generalē B Venetijs agere, eò ſecum de actibus capitularibus collaturus, conuolauit,& ad locum peruentus,quid ab eorum vtroque huiuſmodi tranſlationis cauſa obſeruādum foret, vnanimi conſenſu ambo ſimul ſtatuêre.Indeque poſtea ſoluens Vrbē applicuit,factūq; ſummo Pontifici Pio IIII. omnino apperuit; Qui edita ſub titulo vnionis plumbea bulla 8. Februarij anno Domini 1562. Pontificatus vero ſui anno 4. præſtitam huiuſmodi Obſeruātibus obedientiā,& translationem,atque acta inter præfatos generalem,& prouincialem Miniſtros ſtabiliuit. Quæ verò inter vtroſque Miniſtros acta fuerant huiuſmodi tenoris erant.Renuntiauerat enim præfatus Miniſter Prouinciæ S.Ioſeph ſuo, ſuorumque fratrum, quorum partes agebat, nomine omnibus priuilegijs regulari Obſeruantiæ contradicentibus,ſeque,atque illos generalis fratrum Obſeruantum Miniſtri obedientiæ ſubmittebat,eum interim verum,atque legitimum paſtorem C in omnibus agnoſcens.Præcepit præterea idem ſummus Pontifex Pius IIII. præfato generali Miniſtro,eiuſque Commiſſarijs pro tempore exiſtentibus, quatenus pręfatæ S.Ioſephi Prouinciæ,eiuſque alumnis pro virili adeſſent,atque fauerent. Quam & denuò eiuſdē diplomatis tenore ratam habuit,confirmauitque: immo & conceſſit, vt eius Cuſtodiæ S. nempe Ioannis Baptiſtæ, atque ſanctorum Simonis,& Iudæ (quæ tamen in Toletana generali Congregatione à nobis celebrata,anno 1583.ex omnium patrum decreto legitimis de cauſis ſoluta eſt)cùm primùm 10 domos illarum quęque aſſequuta fuiſſet,in peculiares Prouincias euehi poſſent: ac tandem apoſtolicum Pauli III. Pont. max.breue,quo Ioſephitarum fratrū Prælato & Conuentuales,& Obſeruātes Frāciſcanos fratres,immo & cuiuſcunq; alterius,laxioris tñ,Ordinis religioſos ad ſe veniētes recipere licebat,eius calculo comprobauit,roborauitq;.Huius igitur D bullæ tenorem ſequutus pręmemoratus P. F. Franciſcus Guſmanius, tunc Franciſcanæ Obſeruantis familię Vltramontanę generalis Commiſſarius, dum huius Prouinciæ Capitulum in conuentu ſanctæ Mariæ de Angelis prope oppidum Cadahalſo Hiſpanicè nuncupatum celebraret, 6. domos,quæ in Valentiæ Regno ſedem obtinebāt, huicque Prouinciæ ſuberant, Cuſtodiæ titulo inſigniuit (nondum enim huiuſmodi dignitates aliqua pręfatarum Cuſtodiarū ex Capituli decreto,aſſequuta erat,ſed id tātùm ex Pontificia authoritate obtinuerat)eoque priuilegio donauit,vt iuxta S.Domini Pij Papæ IIII. conceſſionem,cùm primùm ad 10.numerum perueniſſent,in Prouinciam erigi poſſent.Quod & ſuceſſu temporis iſti,ſancti videlicet Ioannis Baptiſtę Cuſtodię euenit,prout eius chronica legenti manifeſtum erit:Ex ſupradictis manifeſtè patet,quàm egregiè fallantur ij, qui aſſerunt, hanc Prouinciam ab illa,quę Archangelo E Gabrieli dicata eſt,originem duxiſſe,cùm illi nunquam adiuncta fuerit. Verum eſt tamen quod eius authores,atque fundatores,nempe venerabiles patres F. Petrus ab Alcantara,F.Ioānes Paſchaſius, F.Bartholomæus à ſancta Anna, ac F.Alphonſus à Manzanete ex illa,tāquā ex equo Troiano, olim prodierint.Conſtat deniq; hęc Prouincia, cuius maius ſigillum imaginem S. Ioſephi ſtantis, ac ſiniſtra in vlna puerum Ieſum geſtantis, nec non baculum,ſiue floridam virgam,cui ſimplex colūba innititur, dextra manu tenentis, quam & ſibi ornatus ergô, pro ſolito more,pręponere volui, ſequenteſque literas, SIGILLVM PROVINCIÆ SANCTI IOSEPH. duplici Franciſcana corda circunſeptus orbiculariter imprimit,ex 33.fratrum conuētibus nam monialium nullum penitus admittit.Horum quiſque ab eo tantùm,qui prope Riuum porci

uum porci oppidum conſtruitur, cùm fratribus habitatoribus omnino vacet, vt plurimùm duodecim, aut tredecim religioſos continet. Ex his autem monaſterijs (eſt enim Prouincia hæc alijs Hiſpaniæ quàmplurimis inſerta, nullaque certa periodo circunſcribitur) vndecim Caſtella vetus habet, ſex verò ea Hiſpaniæ portio, quæ vulgò Eſtremadura nũcupatur, ſed 15. reliqua Toletanũ cõplectitur Regnũ. Inter quę id, quod diuo Iſidoro in nemore Loriano dicatũ eſt, immediatèq; ſequitur, primiceriatũ obtinet. Nam 3. alij conuentus, Baionenſis ſcilicet, Redondelanus, atque Vicenſis, qui in Galleciæ regno ipsũ origine præceſſerãt, exauthorata in Toletana gñali Cõgregatione SS. Simonis & Iudę Cuſtodia, cui ſuberãt, in Prouinciæ S. Iacobi ius ceſſerũt. A

De conuentu S. Iſidori Syluæ Lorianæ. Conu. I.

SI huius Prouinciæ voluntariam paupertatem, quæ in communi fratrum victu, amictu, atque domorũ ſtructura maximè elucet, adamuſſim, & ex profeſſo referre vellemus, prolixa hauddubiè nobis hiſtoria texenda foret, ac præter intentũ omnino eueniret, cùm breuitati maximè ſtudeamus, eaque de cauſa leui eam penicillo depingẽtes, ne huiuſmodi illuſtrem, ac omnino laudabilem virtutẽ prætermiſiſſe negligẽtius videamur, paucula ſuis locis in mediũ tũ de ipſa, tum quoque de diuina prouidentia, qua eã accepto ferre Deus opt. max. manifeſtiſſimè indicat, adducemus. Vt ſaltẽ ex ijs prudens lector, quę reſidua ſunt, facillimè coniectare valeat. Vt igitur ad huius conuẽtus S. Iſidori, à 10. fratribus frequentius inhabitati, deſcriptionẽ deueniamus, aliqua ex ſupradictis nobis repetenda erunt. Conſtruxerat apud Gallecos, apoſtolica ſibi fauente authoritate, venerabilis P. F. Ioannes Paſchaſius Baionenſem, Redondelanum, atque Vicenſem conuentus, cuius exemplo permotus, eademque facultate munitus P. ac F. Alphonſus à Manzanete propriã S. Gabrielis Prouinciam, quę vtrique communis erat, linquẽs, in ſylueſtria loca, rigidiorem acturus pœnitentiam, conceſſit. Cùmq; in ea ſe per aliquantulùm temporis exercuiſſet, pagum Manzanete Hiſpanicè nuncupatum, ſibique natiuum petens, patruo adhuc ſuperſtiti, à quo plurimum diligebatur, ſugeſſit, vt in proprio prædio tuguriolum ſibi, ſuiſque fratribus exdomeſtica facultate conſtruere vellet. Cùmque, illo annuente, ambo ſimul illuſtrem dominũ Ioannem Velaſquium ab Abula, neceſſaria ligna pro futuro ædificio ab eo emendicaturi, conueniſſent, effectum eſt, vt pręmeditato loco omnino prætermiſſo hunc, diuo Iſidoro ſacrum, atque expenſis pręfati domini Ioannis Velaſquij in ſylua Loriana Badeiocianæ diœceſis, iuxta paupertatis normam, circa annum Dominicæ incarnationis, 1551. eo loco, in quo ędicula in honorem eiuſdem diui Iſidori ſubſtiterat, atque ad Tẽplarios aliquando (ſi tamen humanæ eius patriæ traditioni aſſentire velimus) pertinuit, ædificatum, acceptarit: atque, vltimo vale dicto patribus Franciſcanis Conuentualibus Prouinciæ S. Iacobi, quibus ad tempus paruerat, ſe, præfatamque domũ obedientię, atque curę prædicti P. F. Ioannis Paſchaſij, qui peculiaris Prouinciæ erigendę poteſtatem à ſede apoſtolica obtinuerat, lubentiſſimè commiſit. Sacra itaq; hæc ædes, quam eius fundator, quoad vixit, omni beneficiorum genere proſequutus fuit, quartũ aliquando locum hac in Prouincia obtinuit, Sed à generali Congregatione Toleti anno Domini 1583. celebrata, ex cuius decreto præmemoratæ Baionẽſis, Redondelana, atq; Vicenſis domus Prouincię S. Iacobi aduidicatę fuerũt, primiceriatus iure in ea gaudet. Hinc recedens venerabilis P. F. Ioannes Paſchaſius, vt Galleciam repeteret, dum apud Luſitanos in quodã pago, cui Rifagna de S. Maria Luſitanicè nomẽ eſt, immoratur, in grauiſſimã incidit infirmitatem, ex qua cum maxima ſanctitatis opinione mortem ibidem obijt. Et meritò quidem, nam conuerſus ad Dominum, ac Franciſcanã in Prouincia S. Gabrielis ingreſſus Religionẽ, per quadraginta continuos annos, tum in ea, tum quoque in hac ſancti Ioſephi, cuius author ipſe fuit, adeò paupertatem, humilitatemque coluit, vt à viliſſimo habitu, & pauperrimo mantelo nihil aliud perpetuò habere voluerit; & ictus aliquando in altera maxilla, aliam etiã, iuxta Saluatoris verbum, genuflexus, ac lubens percutiendam porrexerit. Hunc Galleci vt beatiſſimum alterum patrem Franciſcum audiebant, venerabanturque, atq; eius ſepulcrum, quod honorificè ſatis, pro paguli Rifagnæ modulo, in illius eccleſia erectum eſt, plurimi Luſitani à

B, C, D, E

tani à

A tani à diuerſis infirmitatibus eius meritis liberandi, maxima cum veneratione frequentant. Cuius etiã hauſta terra ad pellẽdas ex humanis corporibus febres maximè cõfert.

De conuentu Conceptionis beatæ Mariæ Petroſi. *Conu. II.*

EMINEBAT eo temporis inter cæteros Prouinciæ S. Gabrielis alumnos deuotiſſimus P.ac.F. Petrus ab Alcantara, qui poſtquam ſecũdò eius clauum ſub titulo Miniſtri prouincialis tenuiſſet, cuiuſdam reformationis inſtituendæ ergô tum ſibi, tum quoque regulari Obſeruantiæ terga vertit, ac Magiſtro patrum Conuentualium generali nomen dedit. Ex eius igitur facultate cùm ad 20. lapidẽ à Placentia, quæ antiquioris Caſtellę ciuitas eſt, in quodam prærupto monte, à quo oppidum Hiſpanicè Cannaueral, Latinè verò Arundinetum, nuncupatum, non multùm diſtat, ædiculam ſibi, B ſuiſque ſequacibus ex vili, ſylueſtrique materia non longè à pago, cui Pedroſo nomen eſt conſtruxiſſet: ac huius Prouinciæ, quæ Cuſtodia tunc tantùm erat, fratres tanto orbati parente, P. videlicet Ioanne Paſchaſio à præfato Magiſtro patrum Cõuentualium generali, P. ſcilicet ac fratre Iulio Magnano, cui tunc parebant, ſimilem ſibi dari Prælatum, qui naſcentem eorum Cuſtodiam promouere, ac ab inſultibus tutari felicius poſſet, inſtantiſſimè petijſſent, ex eiuſdem Magiſtri generalis, atq; apoſtolica Pauli IIII. ſummi Pontif. authoritate, eis in Commiſſarium præfectus, eaq; facultate donatus eſt, vt commiſſam ſibi Cuſtodiam in iuſtam Prouinciam pro arbitrio promouere poſſet. Quapropter, ne muneri ſibi iniuncto iniuriam feciſſe videretur, huiuſmodi mandatis obtemperans, & commiſſionem acceptauit, atque hanc domum, immaculatæ Virginis Deiparæ Conceptioni ſacram, & à 12. fratribus occupatam, cui 5. tunc obtigit locus, li- C cet ſecundum modò obtineat, cæteris annexuit. In qua illud diuinæ miſericordiæ, atq; prouidentiæ patentiſſimum ſignum anno à Chriſto ſaluatore nato 1560. elucuit. Cùm enim vnicus tantùm paruus panis adeſſet, quo duodecim fratres per integros 2. dies re fici poſſent, illumque in 11. partes diuiſum P. loci Guardianus cæteris fratribus, nulla ſibi penitus portione relicta, diſtribuiſſet, eiſque ſumpto libello patientiam, atque hilarẽ paupertatem congratularetur, adfuit ex inſperato prę foribus ex pagulo, cui Serradilla Hiſpanicè nomen eſt, vnde rariſſimè fratribus tum ob loci diſtantiam, tum quoque ob eius pauperiem eleemoſynæ ſubminiſtrabãtur, ruſticus quidam panibus, piſcibus, oleo, atque aſparagis onuſtus, qui ſuo aduentu eorum neceſſitatibus occurrit. Nec abſimile eſt illud, quod anno à Virgineo partu 1581. hoc in eodem loco obuenit: Riuulis ſiquidem ob continuam pluuiam inundantibus, fratribuſque ea propter ſe neceſſario domi conti D nentibus, quicquid edulij, atque panis erat, abſumptum omnino fuit. Et ecce, dum illi orationi feruẽtius inſtant, nihilq; minus quàm de humana ope cogitant, prohibentibus omnino imbribus fluuiorum tranationem, alius præter ſpem ruſticus præmemorati pa guli incola aduentauit, qui, ſuperatis, licèt non abſque præſentiſſimo vitæ diſcrimine, veloci equo torrentibus, panes, vinum, piſciculos, atq; aliquot fructus liberaliſſimè mi niſtrauit, quibus extenuata ieiunijs corpora refecerunt, famemque procul propulſantes, Deo opt. max. omnium bonorum largitori debitas gratias (vti par erat) reddiderunt. Diem clauſit hoc in loco extremum, ſepulturamque obtinuit ſummę humilitatis, ſimplicitatis, atq; paupertatis cultor frater Franciſcus à Valentia laicus profeſſus, qui inter cæteras virtutes adeò ſanctam coluit paupertatem, vt nihil aliud vnquam, vel certè rarò in cibum admitteret præter id, quod cęteris fratribus ſuperfuerat. Nec ea propter à E mendicatione abhorrebat, cùm nihil ſibi gratius nihilque iucundius, ab ea euenire poſſet: eique tantò libentius incumbebat, quantò Chriſti Saluatoris noſtri pauperibus, in quos incredibili compaſſione, ac amore ferebatur, magis, magiſque adeſſe poterat.

De conuentu S. Ioannis Baptiſtæ Vitioſæ. *Conu. III.*

DVM præſens Prouincia inter anguſtias verſaretur, ac ex quinque tantùm domibus ſub Cuſtodiæ titulo conſtaret, in ſecundo eius Capitulo, quod in conuentu ſancti Iſidori de Loriana celebratum extitit, ſacra hæc ædes ad tertium lapidem ab oppido Deleitoſa Hiſpanicè nuncupato, illuſtriſſimi Comitis Orapeſſani ſumptibus, in honorem ſancti Ioannis Baptiſtæ pauperrimè ſatis, pro fratum tamen voto, prius

conſtructa, à patribus capitularibus admiſſa, cęteriſque 5. adiecta fuit, cuius ſanctitas A
ex ſequenti euentu, eoque mirabili ſatis conſtat. Aderat fortè dies eius feſtus, paniſq;,
quo fratres aliquantulas caules ſuilla carne conditas comedere poſſent, omnino defi-
ciebat, quamobrem eorum P. Guardianus proximius oppidum, Delectoſam videlicet
petiturus (eſt enim hic conuentus campeſtri, atque deſerto in loco ſitus) diuinum offi-
cium fratribus interim pro tantæ ſolemnitatis exigentia commendans, eos de alimo-
nia benè ſperare iuſſit. Dumq; præfatum Oppidum ad Orapeſſanos Comites ſpectans,
de emendicatione omnino ſolicitus ingreditur, grauioribus negotijs implicitus, eam
diuina hauddubiè diſpoſitione, atq; prouidentia, quæ & conuallium lilia glorioſè in-
duit, cælique volucres paſcit, id efficiente, obliuioni tradidit. Et ecce ipſa prandij hora
mulus à perdeuota quadam fœmina Druſiliana Agnete miſſus, atque exculentis, po-
culentiſque onuſtus præ foribus conuentus adeſt, qui ſuo inopinato aduentu fameli- B
ca fratrum viſcera abundè ſatis refecit, recreauitque. Cùm enim pręcedenti nocte ſom
nus à præfata Agnete aufugiſſet, cœpit ipſa imaginari, ac intra ſe dicere, cùm ego mol
li in hoc lecto dormire nequeā, quo pacto pauperculi illi religioſi cōuentus diui Ioan-
nis Baptiſtæ incolæ, ſuper nudam humum, aut ſuper duriſſimos aſſeres ſomnum cape
re quibunt? Cùmque per integram noctem inſomnis omnino in huiuſmodi imagina-
tione perſtitiſſet, perſeueraſſetque, ſummo adueniente mane è lecto ſurgens præfatū
prandium illis mitti curauit. Moris eſt patribus Hieronymianis celebris, atque illuſtris
monaſterij ſanctæ Mariæ de Gaudalupe pauperculis quibuſdam conuicinioribus fra-
trum conuentibus, olei, atque mellis aliquantulum, in ſingulos annos, liberaliter mini-
ſtrandi, quapropter & huius loci fratres, qui frequentius ſunt 12. numero, quòd non
longius abeſſent, eam ſibi eleemoſynam petendam quoque fore exiſtimarunt: Sed paſ C
ſi à portario repulſam P. Priori ea de re ſupplicarunt. Is verò conſultis prius de more
capitulariter patribus, fratribusq; ſibi ſubditis pręmemoratam eleemoſynam ſingulis
annis erogandā, ex omniū ſuffragio eis ſtatuit, decreuitque. Dumque famulus iuxta
Prioris decretum hydriam ferè exhauſtam, mel deprompturus, petit, eam exuberare
conſpicit. Qua re per monaſterium diuulgata, concurrêre patres, atque viſo proprijs
oculis miraculo, Deum opt. max. quòd huiuſmodi obſequiolum accepto ferre digna-
tus eſſet, laudare cœperunt, nec non rei euentum, fidedignis teſtibus adhibitis, ſcriptis
mādari curarunt. Mortem obijt hoc in loco anno à Virgineo partu 1563. ſummæ ſim
plicitatis vir, ac P. F. Leo Luſitanus dignitate ſacerdos, qui adeò animarum ſalutem
ſitiuit, vt licèt grauioribus implicaretur infirmitatibus, atque doloribus, nunquā ali-
cui ſacramentalis confeſſionis exceptionem denegarit. Quapropter ab omnibus huius D
patriæ accolis inter cælicolas adnumeratur. Huic adiunctus eſt conſimilis ſanctitatis
vir. F. Alphonſus ab Erena laicus, qui poſtquā in Flandria ſub vexillis Caroli V. Im-
peratoris, cui ob animi fortitudinem gratiſſimus extitit, ſtrenuè militaſſet, ſub Chri-
ſto Regum Rege, ac dominantium Domino hac in Prouincia multò fortius, felicius,
atque glorioſius militauit, ob eiuſq; ſingularem vitam, atque heroicas virtutes. Guar-
dianatus, Cuſtodiatusq; officijs functus fuit, in quibus tamen laudabiliter ſe geſſit, at-
que de Dœmone humani generis cruento hoſte illuſtres triumphos reuexit, diemque
clauſit extremum anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto.

De conuentu Dominæ noſtræ de Roſario. Conu. IIII.

ANIMADVERTENS Illuſtriſſimus Comes Orapeſſanus proximè præcedē E
tem domum ab huiuſce Prouinciæ patribus admiſſam, adiecit vt & aliam non
multò illi abſimilem duodecimo milliari ab oppido Orapeſſa ſyluatico in loco, ac in
margine eius fluminis, cui Tietar Hiſpanicè nomen eſt à ſuis prædeceſſoribus conſtru
ctam, atque à patribus Seruitis olim inhabitatam, ſed poſtea derelictam illis offerret.
Quam cùm ab ijſdem acceptatam cerneret, pro aſſuetæ paupertatis huius Prouinciæ
exigentia, refecit, reſtaurauitque, atq; quotidianis eleemoſynis, quo ad vixit, proſecu-
tus extitit, prout & eius ſucceſſores in dies proſequuntur. Idq; ſpeciali Dei ter opt. max.
miſericordia & prouidētia. Nam ea eſt itineris ad eam ob loci ſolitudinē, atq; viarum
anfractus difficultas, vt vix accolis, atq; aſſuetis pateat. Et niſi horū inclytorū Comitū
ſedula

A ſedula munificentia fratrum neceſſitas ſubleuaretur, vix ab ijs inhabitari poſſet. Eſt nihilominus maxima in veneratione apud omnes conuicinos populos, & Altiſſimo, vt vno, aut altero exemplo in medium adducto facillimè commonſtrabimus, commendatiſſima. Accidit enim, vt quadam die nec panis buccella domi inueniretur, quod cùm Guardianus, frater videlicet Franciſcus à Galiſteo reſciuiſſet, ſibi ſubditos fratres ad bene de diuina liberalitate ſperandum, atque ad deuotius diuinum perſoluendum officium cohortatus eſt. Dumque feruentius orationi inſtant, adfuit prę ter morem mulus cibarijs, pane, atque vino onuſtus, quibus denique fratres, qui duo denarium numerum non excedunt, ieiuna corpora refecerunt. Et alio quodam die, cùm præter aliquantulum nautici panis, quo frequentius veſcuntur fratres, nihil penitus ad manus eſſet, quod tribus infirmis porrigi poſſet, Sacriſtæ altaria paranti ſu-
B per alterum illorũ panis cũ dimidio omnino recens, ex inſperato, apparuit, quo mirum in modum præfati infirmi, Deo prius largitori gratijs de more actis, refecti ſunt.

De conuentu S. Mariæ Magdalenæ prope pagum Ligni. Conu. V.

CIRCA annum Dominicæ incarnationis milleſimum quingenteſimũ quinquageſimũ ſecundũ venerabilis pater Petrus Alcantarenſis præcedentes domos in Prouinciam erecturus, patrum Comitia in ſuo conuentu de Pedroſo (cuius ſuprà ſecundo loco meminimus) coëgit; ibidemque oblatum ſibi monaſteriolum, ædificandum tamen prope pagum Ligni (Hiſpanicè Aldea del Palo) quod Zamorenſis diœceſis caſtellum eſt, lubens acceptauit, ac fratrum eò mittendorum delectum habuit. Qui quidem, dum conuentus ſub titulo ſanctæ Mariæ Magdalenæ ædificaretur, in pauper-
C culo quodam, ac humili molendino commorati ſunt: in quo & illud memorabile accidit. Niuibus ſiquidem in maxima copia decidentibus, ac terram altè contegentibus, cogebantur pauperculi fratres, ne ob pedum nuditatem grauem aliquam infirmitatem incurrerent, ſe domi continere: cùmque ea frigoris, aërisque inclementia diu perſeueraſſet, quicquid panis erat abſumptum omnino fuit, ita vt nec eius fruſtum, aut buccella remanſerit. Et ecce, dum nihil minus ab ijs precibus intentis cogitatur, tintinnabuli ſonitus auditur, aperientique portario (cui id ex munere incumbebat) oſtiolum occurrit ſaccus panibus refertus. Cùm verò ille ex rei euentu ſtupefactus, ſolicitè eius latorem, gratias ſibi pro tanto beneficio redditurus, quęreret, neminem penitus, immo nec alicuius aut hominis, aut iumenti veſtigium niuibus impreſſum inuenire potuit. Commorantur frequentius hoc in loco duodecim religioſi fratres.

D *De conuentu S. Andreæ de Monte Arenis. Conu. VI.*

INTER aſperrimos montes, ſeſquimilliari tantùm ab oppido Arenarum, quod imperio inclyti Ducis de Infantado paret, anno 1571. cõuentus hic, S. Andreæ Apoſtolo de Monte dicatus, & à 14. fratribus incultus, expenſis præfati Ducis erectus fuit. A quo etiam quicquid pro infirmis curandis, cùm per mendicationem occurri minimè poteſt, requiritur, liberaliſſimè recipit. Nam ea eſt huius loci penuria, eaque aſperitas, vt nullo pacto abſque huiuſmodi adminiculo fratres ibidem perſeuerare valeãt. Hoc igitur in conuentu cùm quodam die panis, imminente iam prandij hora, penitus deficeret, nec eius habendi aliqua ſpes affulgeret, adfuit præ foribus ruſticus quidam, qui depromptos ex ſitarchijs magnos 5. panes portario ſibi cuſtodiendos tradi-
E dit, ſtatimque diſparuit: pater verò Guardianus eos ſibi diuina prouidentia miſſos intelligens, vt rei euentus facillimè comprobauit, nam præfatus ruſticus amplius non comparuit, fratres diſcumbere, ſibique miſſos à Deo opt. max. panes apponere iuſſit. Quiſquis ille fuerit, qui apertis oculis huius Prouinciæ paupertatem, viuendique modum contemplatus fuerit, nullo pacto exiſtimabit nos apologi fabulas ad horum conuentuum deſcriptiones attexere, dum huiuſmodi euentus in medium adducimus. Mortem obijt hoc in monaſterio ſummæ ſanctitatis vir, ac P. F. Petrus Alcantarenſis, qui ex ingenuis parẽtibus Norbæ Cæſaræ quę Hiſpaniæ ciuitas, atq; ſacræ Alcantarenſis militiæ prima ſedes eſt, ortus, 16. annũ agẽs, Frãciſcanũ Inſtitutũ in S. Gabrielis Prouincia, cuius ſecundò Miniſtrũ prouincialẽ maxima cum laude egit, profeſſus, inde apoſtolici

cuiuſdam breuis facultate fultus, ad intimiora cuiuſdam montis ſub obedientia Franciſcanorum patrum Conuentualium penetrauit, ibidemque pauperrimum, atque anguſtiſſimum conuentũ de Petroſo (cuius ſuperius mẽtio facta eſt) ædificauit, & ad præſentis Prouinciæ gubernationem aſſumptus, eam ſua ſanctitate, atq; prudentia mirũ in modũ auxit, illuſtrauitque. Huius P. abſtinentia incredibilis fuit, ita vt tertio quoque die pauculas herbas ſemicoctas cinere, aut frigida aqua conſperſas cum aliquantulo panis admiſcerit, & integras Quadrageſimas in pane tantùm & aqua tranſegerit. Somni præterea parciſſimus extitit, adeò vt per quadraginta continuos annos ſingulis diebus naturalibus per horam tantùm cum dimidia ſuper nudam humum, aut impolitum, rudemq; aſſerem dormitioni indulſerit. Nam quod reliquum ſibi temporis erat, aut diuinis laudibus perſoluendis, aut orationi, aut cæleſtium rerum meditationi, in qua ſæpè ſæpius rapiebatur, ſuauius intendebat: qua etiam de cauſa plura beneficia à Deo opt max. retulit, ſpirituque prophetico, quo multa certiſſimè prædixit, cohoneſtatus extitit. Adiecit quoque tantus hic vir præfatis virtutibus familiarẽ quandam conuerſationem omnino comem, hilarem, atque ſale conditam, licèt grauem, & religioſam; inſuper & voluntariam paupertatem, qua mirabiliter emicuit: & profundiſſimam humilitatem, atque ſummam patientiam. Quibus tandem ornatus, cùm per quadraginta ſeptem integros annos Altiſſimo in maxima cordis puritate, ſpirituſque feruore, tum in Prouincia ſancti Gabrielis, tum quoque in hac præſente famulatus eſſet, die menſis Octobris 18. anno verò à ſalutifera Chriſti natiuitate 1562. ætatis verò ſuæ 63. poſtquàm deuotum illum Dauidicum pſalmum in ordine 122. *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi*. deuotiſſimè recitaſſet, omnibus ſacramẽtis munitus, animã cęlo reddidit. Idq; ſanè ſequentia miracula patentiſſimè indicant. Cùm enim puerulus Aethiops, inutilis penitus, atq; contractus ad illius ſepulcrum ab eius hera, vxore quõdam Martini de Frias, ac præfati oppidi Arenarum accola, adductus eſſet, eius meritis Deo opt. max. id operãte, integrę ſoſpitati reſtituitur; & Leonora Gõſalua eiuſdẽ oppidi Arenarũ inquilina à paralyſi, qua grauiſſimè laborabat, ad eius quoq; ſepulcrũ liberatur. Plura quoq; miracula edidit hic B. P. quę tñ prolixitatis vitãdæ ergo reticemus.

De conuentu Dominæ noſtræ de Angelis Cadafalſi. Conu. V I I.

CVM inclytus quidam Villenicus Marchio ex inclyta Ioanna à Toleto legitima vxore prolem, quæ ſibi hæreditario iure in Marchionatu ſuccederet, ſuſcipere minimè poſſet, ex præfatæ vxoris conſilio, voto ſe B. Ioſepho aſtrinxit, vt ſi eam eius interceſſione aſſequeretur, conuentum ad fratrum huius Prouincię habitationem proprijs ſumptibus ædificaturus eſſet. Quo emiſſo ſtatim voti compos effectus eſt, ita vt intra breuiſſimi temporis ſpatium quinque maſculinas proles, & vnam fœmininã obtinuerit, quemadmodum ſummi altaris pictura, ac teſtimoniales literæ archiuis commendatæ facillimè cõmoſtrant. Ne igitur pijſſimus heros ingratitudinis argueretur, hoc monaſteriolum, propè oppidũ Cadafalſum, (Hiſpanicè verò Cadahalſo) ſuæ ditioni ſubditum, iuxta Prouinciæ normam, intra videlicet conſuetæ paupertatis limites, à fundamentis ad verticẽ vſq; conſtrui curauit, fratribuſq; inhabitãdum pientiſſimè contulit. Quod tandem admiſſum pater frater Frãciſcus ab Oliua, Prouinciæ S. Gabrielis alumnus, ac iſtius tunc Prouincialis Miniſter duodecim fratribus inſtruxit, ſãctiſſimęq; Dominæ noſtræ de Angelis iuxta fundatoris votum dicauit, atq; in eo vitæ mortalis debitum, ex protoplaſtorũ culpa contractum Altiſſimo exſoluit. Hũc ſequutus eſt eximiæ ſimplicitatis religioſus, atq; ſuæ ſeruãdæ Regulæ zelãtiſſimus F. Frãciſcus à Magdalena, cuius tãta fuit humilitas, tantaq; ſui ipſius cognitio, vt licèt compeiẽter literatus eſſet, tonſurãq; de ſacerdotali more, nouitiatus tẽpore, inuitè tñ admiſerit, nullo pacto ſub ea profiteri voluit, ſed in laicorũ fratrũ conſortiũ trãſire maluit: aiens ſe quidem ad tantum munus obeundum indignũ omnino, immo potius aptiorem ad vtenſilia abluẽda, cæteraq: humilitatis officia exercenda. Obijt venerandus hic F anno Dominicæ incarnationis 1567. eiusque corpus 13. anno à die tranſitus, cùm ſibi aliud cuiuſdam defuncti fratris adiungendum foret, imputre penitus, incorruptum, atque integrũ inuẽtum eſt, licèt ſarcophagũ maderet aqua, facilemq; corruptionis materiã miniſtraret.

De conuen-

A *De conuentu Dominæ noſtræ de Carduo Hontiueros. Conu. VIII.*

VT religioſus pater ac frater Petrus Xerezius, huius Prouinciæ Miniſter, deuotioni illuſtris ad modum, ac perdeuoti herois Didaci Sandoualij, Hiſpanici equitatus Philippi II. Hiſpaniarum Regis præſtantiſſimi Quæſtoris, faceret ſatis, conuentum eius expenſis, ad mille paſſus ab oppido Hontiueros Hiſpanicè nuncupato Abulenſis diœceſis, eo ipſo loco, in quo parochialis Eccleſia in honorem Dominæ noſtræ de Carduo (Hiſpanicè Cardillejo) ſubſtiterat, ædificandum anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo acceptauit, aliquotque fratres operi promouendo præfuturos eò tranſmiſit. Illi verò præfati fundatoris liberalitate, atque auſpicijs, de Curati eius eccleſiæ licentia, prefatam ædiculam, ſiue parochiā
B ſub eodem prorſus titulo, intra conſuetę paupertatis ſepta, breui tempore promouerunt. Nec quis facilè exprimere queat quanta cura, atque diligentia prefatus fundator fratrum neceſſitatibus occurrat, illisque in omnibus adſit. Quamobrem reliquis huius Prouincię benefactoribus palmam facillimè preripit, & ab omnibus eius alumnis & religioſis quàm maximè commendatur, locique patronatum optimo iure meretur. Conuiuunt frequentius hoc in loco Deo opt. max. famulantes 14. fratres.

De conuentu S. Bernardini Madriti. Conu. IX.

DECREVERANT olim Madritenſes huius Prouincię fratribus non longè à Regio oppido Madrito conuentum extruere, ſed, maximis ea de re obortis difficultatibus, à propoſito deſtiterunt: Fratris tamen Alphonſi Lupi clamoribus, at-
C que feruentiſſimis concionibus excitati, ad id, quod ſemel mente cōceperant, denuo reuerſi ſunt, ac tandē ſereniſſima Ioanna ab Auſtria Portugalię Principis olim vxore, ac inclyta Leonora à Toleto, Marchionis Zerralui legitima filia, quæ pauperū Madritēſiū Clariſſarū monaſteriū ingreſſa, præfatū cōuentulū erigendū hæredē cōſtituerat pretioſiſſimis monilibus, ad mille paſſus à predicto oppido Madrito fundū emerunt, humileq; ſatis tuguriolū aſſeribus, ſtoreisq; cotectū ad fratres, pro paupertatis modulo, excipiendos, ſub titulo S. Bernardini, anno à ſalutifera Chriſti natiuitate milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ad tempus ibidem erexerunt. Deuotiſſimus verò Franciſcus à Garnica regiæ maieſtatis Quæſtor, alicuius obſequij Franciſcanę familię preſtandi occaſionem nactus, præfatæ ſereniſſimæ Ioannæ Portugaliæ Principi ſupplicauit, vt, quod ipſa præſtare ſtatuerat, ſibi perficiendum committeret. Qua denique
D annuente, ac Philippo potentiſſimo, atque catholico Rege eius fratre prædictis votis ſubſcribente, hunc conuentum, à 20. fratribus occupatum, ex domeſtico peculio ad apicem vſque perduxit. Cùm igitur terra iaciendorum fundamentorum ergô altius foderetur, 2. imagines à foſſoribus inuentæ ſunt: altera quidem opere polymito apprimè elaborata, eamq; Chriſti Saluatoris noſtri ſimilitudinem præ ſe ferens, dum videlicet à Pilato Præſide impijſſimo Iudęorum populo ſub illa voce *Ecce homo* productus eſt: & altera ęnea: quas inde eductas curioſius cuſtodiunt. Hunc locum præfatus fundator, ſeruato ſibi, ſuiſque poſteris patronatus iure, in ſepulturam, dum ſibi vniuerſæ carnis viam ingredi contigerit, elegit, ſibique ſæcularem domum, in qua quietius Altiſſimo pro tempore vacare poſſet, adiunxit, ac tandem ſequentibus Sāctorum reliquijs cohoneſtauit: Quodam videlicet capite vnius ex 11. millibus virgi-
E num, oſſibusq; ſanctorum Laurentij, Sebaſtiani, Hieronymi, Bernardini, Zenonis, atque Anaſtaſij. Huius ſacræ ædis maius altare hoc priuilegio à ſanctiſſimo domino Gregorio XIII. Pontif. max. liberaliſſimè conceſſo gaudet, vt videlicet ſi quis in eo Miſſę ſacrificium pro defuncto ſiue defuncta fidelibus Altiſſimo obtulerit, is eius animam ab ignis Purgatorij pœnis ex tempore liberet. Laudabilem mortem obierunt hoc loco, in quo miſericors Deus ſuæ bonitatis diuitias opportuno tempore pauperibus fratribus patentiſſimè ſæpius oſtendit, frater Didacus à ſanto Martino laicus profeſſus, qui per 42. continuos annos, tum in ſancti Michaëlis Prouincia, in qua nouitiatus incunabula tranſegerat, tum in India, tum quoque hac in Prouincia Altiſſimo in maxima cordis humilitate, ſuique contemptu, & agnitione fideliſſimè inſerui-

uit. Et pater ac frater Antonius à Secura ſacerdos, cuius mirabilis charitas, atque compaſſiua ad omnes, præcipuè verò ad pauperes teneritudo vix exprimi poſſent. Cui Dęmon ob eius vitæ puritatem ſummoperè inuidens, innumeros tetendit laqueos, miriſque portentis timorem incutere tentauit. A quibus tamen omnibus, diuina ſibi aſpirante aura, immunis omnino, atque illæſus euaſit. Et pater ac frater Hieronymus à Torregionzillio deuotiſſimus ſacerdos, qui vix ſuo æuo parem in orandi, atq; contemplandi genere habuit: qua propter mirabilis omnino extitit. Et patres ac fratres Narciſus Iuanì, & Ioſephus Albiz ambo ſacerdotes, & euangelicæ paupertatis ſtrenui cultores ambo: quorum primus, frater ſcilicet Narciſſus Iuanì in Prouincia Cathaloniæ profeſſus, indeque ad hanc præſentem tranſlatus, cùm doctiſſimus eſſet, adeò in omni virtutum genere profecit, vt omnes ſui temporis longè poſt ſe reliquerit. Et ſecundus, frater videlicet Ioſephus Albiz, etiam laudabilibus eius veſtigijs hærens, vix ſui ſimilem in perferendis infirmitatibus, excolendaq; patientia habuit: quamobrem, licèt in florida decedentes ætate, maximum ſui deſiderium, maximamq; ſanctitatis opinionem omnibus reliquerunt. Atque eximiæ ſanctitatis pater frater Melchior à Gratia ſacerdos, qui cùm eſſet ex nobilibus parentibus Zamoræ (quæ Caſtellæ ciuitas eſt) progenitus, atque patris veſtigia inſequutus, ſub Philippi I I. Regis Hiſpaniarum vexillis per quadriennium in Italia ſtrenuè militaſſet, Chriſto Regi ſæculorum, multò felicius ſub eius ſalutifero ſigno militaturus, in S. Gabriëlis Prouincia nomē dedit. A qua poſt ſeptennium elapſum ad hanc ſe contulit. Cuius tanta, tamq; frequens oratio tum vocalis, tū quoq; mentalis fuit, vt humanis verbis exprimi nequeat: Humilitas verò, carniſq; propriæ mortificatio incredibiles adeò extitēre, vt per obedientiā coactus, culinarij officio, cui toto pectore, atque ex animo incumbebat, relicto, ad ſacerdotale munus aſcenderit, & nihil vnquam pręter aquam, & panem ab eius conuerſione in cibum admiſerit. De eius verò ardentiſſima tum ad Deum, tū quoque ad proximū, maximè verò peccatis inuolutum, charitate illud tantùm dicam, quod cùm omnibus virtutibus mirum in modum fulgeret, illi tantùm inſeruire viſus ſit: Nam quemlibet laborem, atque difficultatem, licèt arduam, ſemper contempſit, ac pro nihilo putauit, dummodo aliquem à peccatorum laqueis, atque à tartareis faucibus erutū, Chriſto lucrifaceret. His igitur chariſmatibus clarus, cùm, charitati morē gerens, hūc conuentum infirmis fratribus in generali illo pituitoſo morbo, qui longè, lateq; anno à mundi redemptione milleſimo quingenteſimo octuageſimo per vniuerſam Europam, Aſiam, atq; Aphricam ſerpſit, obſequuturus ingreſſus eſſet; eadem infirmitate correptus pręfato an. Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo octuageſimo diē vitę ſuę clauſit extremum, communeq; cum alijs defunctis fratribus ac patribus ſarcophagum hoc in eodem loco nactus fuit, 34. interim annis tantùm ſuę ętatis expletis,

De conuentu S. Ludouici Paracuellos. Conu. X.

QVANTA fuerit inclytæ Ludouicę à Zerda, oppidi Paraçuellos vulgò dicti, Dominę temporalis, humilitas, quātaq; ad Franciſcanum Ordinem deuotio, vel hinc ſaltem expiſcari licebit: Cùm enim pecuniam, aliaque ad pręſentis conuentus cōſtructionē neceſſaria liberaliſſimè ex domeſticis facultatibus erogaſſet, ſibi viſum fuit debito minimè ſatisfeciſſe, niſi etiam proprijs manibus, atq; pręſentia opus ipſum promoueret, qua etiam de cauſa non eſt dedignata inter cæmentarios, latomos, atque foſſores verſari, vt felicius, atq; ſtabilius conuentus hic, beato Ludouico ſacer, atque ad marginem eius fluuij, qui materna Hiſpanorum lingua Xarama nuncupatur, ſitus, 200. tantùm paſſibus à pręfato oppido diſtans, conſtrueretur. Vt tandem ex omni parte perfectus 14. huius Prouincię fratres commodius excipere atque continere poſſet. Qui licèt huiuſmodi locum multò ante acceptaſſent, eum tamen, ne Madritenſi monaſterio iniuria fieret, ſi hoc ſibi pręferret, non ante annū à ſalutifera Saluatoris noſtri Chriſti natiuitate milleſimū quingenteſimū ſeptuageſimū ingreſſi ſunt. Pręfatę tn̄ fundatricis pietas, his limitibus minimè contenta, ſe etiam ad eorum, pluriumque aliorum miniſtrationem extenditur, quę à pijs locorum authoribus huius Prouincię fratribus, ob maximum animi affectum quo ipſos proſequuntur, conferri aſſolent.

A *De conuentu S Matthiæ Boniliæ. Conu. XI.*

BONILIA oppidũ eſt antiquiori Caſtellæ, atq; Duci Albano ſubiectũ: cuius, atq; reliqui adiacẽtis ſtatus cùm à præfato Duce, Ferdinãdo Aluarez à Toleto, illo, inquã ſtrenuo milite, cui vix ſimilis inueniri poterit, illuſtris, ac deuotus ſacerdos Gaſpar ab Hortunnio matricis Calagurritanæ eccleſiæ Decanus, eiuſdẽq; oppidi oriũdus, Gubernator eſſet conſtitutus, vt patriæ pro modulo inſeruiret, adeſſetque, atq; aliquantulas grates pro natalium debito referret, hunc conuentum, B. Matthiæ Apoſtolo ſacrũ, circa annum à partu Virgineo 1570. ex domeſtico patrimonio, ad 1. tantùm lapidem à præfato oppido iuxta conſuetam Prouinciæ paupertatem conſtrui curauit. Cùmque ſtatim ab eius perfectione, caſu quodam fortuito, ſed penitus ignoto, omnino conflagraſſet, eiuſq; fratres receſſum inde pararent, deſperantes ſe ob patriæ pauperiem 2. rę
B dificare poſſe, pijſſimus fundator pro ſua in Deum, ac in ipſos pietate, necnon & in patriam charitate eos bono eſſe animo, pedemq; figere iuſſit, aſſerens ſe voto eius etiã 3. ædificandi, ſi opus eſſet, aſtrictum. Idq; rei euentus comprobauit. Nam comparatis ijs, quæ ad perficiendum opus neceſſaria fuerant, ipſum 2. multò melius, multoq; elegantius eodem in loco erigi fecit. In quo & quietiſſimè 12. fratres, & vltra Altiſſimo famulantur, animamq; cœlo reddidit deuotus F. Ioãnes Linarius laicus profeſſus, qui, licèt agriculturæ prope Salmanticam inſigni Academia decoratam Ciuitatem, quæ ſibi patria fuit, vacaret, libellum tamen contemplatiuum à venerabili P.F. Petro Alcantarenſe (cuius ſuprà ſatis ſuperq; meminimus) editum, cui titulus de oratione erat, præ manibus ſemper habebat, ſæpiuſq; lectitabat. Ex cuius ſanè continua lectione vberrimos
C retulit fructus, illumq; ſpiritum, quo & Religionem hac in Prouincia ingreſſus eſt, & in ea ad vltimum vſque vitæ terminum maxima cum laude perſeuerauit, vtiliter hauſit. Fuit hic vir pœnitentiæ, atque laboribus deditiſſimus: nam nunquàm, etiam in aduerſa valetudine, vel ab horti cultura, vel ab humilium officiorum exercitio, vel à petenda pro fratribus, cæteriſq; pauperibus eleemoſyna vacauit: inſuper & continuis vigilijs, atq; diſciplinis perpetuum ieiunium adiecit, quod vt plurimùm in pane tãtùm & aqua celebrare ſolitus erat Si tñ, deficiẽtibus viribus, aliquid amplius aliquãdo adijcere voluit, id profectò calida aqua, aut ſimplex ius, quo panis molliretur, extitit.

De conuentu Dominæ noſtræ de Gratia Pennarandæ. Conu. XII.

IISDEM temporibus, quibus præcedens locus ædificatus fuit, pientiſſimus Ioã-
D nes à Braccamonte, oppidi Pennarandæ temporalis dominus, piaque Pennarandenſis Communitas in eam ſententiam manibus, pedibuſque iuêre, vt ex communibus facultatibus aliquis vnus conuentus huius Prouinciæ fratribus apud ſe conſtrueretur. Quapropter, impetrata à Salamantino Epiſcopo, cui præfatum oppidum Pennaranda in ſpiritualibus ſubeſt, præuia facultate, ad quinquaginta paſſus ab eorũ ſeptis, vbi ædicula quædam in honorem ſanctæ Mariæ de Gratia prius conſtiterat, hoc monaſterium ſub eodem prorſus titulo, ac iuxta receptiſſimum Prouinciæ morem, ſummo ſtudio, ſummaque pietate erigi curarunt: quibus etiam eius fratribus, qui ſunt 14. numero, pia ipſa communitas, quæ occurrunt neceſſaria, in dies ſuppeditat. Atqui pientiſſimus præfatus Ioannes à Braccamonte, eiuſque deuotiſſima vxor & horum partem, atque alia quæcunque occurrentia, ſiue Valetudinariũ concernant, ſiue ad hu-
E maniorem hoſpitalitatem, aduentantibus religioſis exhibendam, ſpectent, liberaliſſimè, pioq; pectore ſubminiſtrant: ita vt nihil prorſus à fratribus deſiderari poſſit. Huiuſce loci accola fuit aliquando ſummæ ſimplicitatis religioſus, ac frater Didacus à Sazedo, natione Cantaber, ſed profeſſione Franciſcanus laicus. Cuius ad Deiparã Virginẽ tãta fuit deuotio, vt, ex propriæ carnis ergaſtulo hîc exiturus, eius ſuper benedicta pręſentia dignari meruerit. Quamobrem omnibus tum religioſis, tum quoq; ſęcularibus, eius cubiculum vltima ſui exitus die vt ſe inuiſerent, ingredientibus, humiliter ſuadebat, vt ſe componerent, ac reuerenter, deuotèque ſe haberent, quòd ipſis ſanctiſſima Virgo Angelicis ſpiritibus ſepta aſtaret. Quod quidem in dubium vertere illis piaculum erat, cùm ſibi viri ſimplicitas, anteactęque vi-

tę ſanctimonia, atque candor ex communi habitatione, atoue familiaritate manifeſtiſſima eſſent. Quid ni beata Virgo fideliter ſibi famulantem viſitare dignetur, cùm totius pietatis, humilitatis, miſericordię atque clementiæ fons vberrimus, atq; fœcundiſſima ſcaturigo ſit? Ad huius igitur ſanctiſſimæ conſolatricis pedes quàm humiliter præuoluamur, illam inſtãter, atq; magna fiducia precemur, vt in hora mortis noſtræ nobis adeſſe, atque à cruento humani generis hoſte liberare dignetur. A

De conuentu S. Franciſci Alaeios. Conu. XIII.

CVPIENTI deuotiſſimo heroë Franciſco à Fonſeca, oppidi Alaëgij (Hiſpanicè verò Alaëjos) temporali Domino, ob eius ſingularem affectum, atque incredibilem deuotionem in Franciſcanũ Ordinem, conuentũ aliquem ad huius Prouinciæ fratres excipiendos, non longè ab ipſo oppido erigere, maior oppidanorum pars, præcipuè verò eorum, qui rebus communibus, publiciſq; ſtudebant, in faciem reſtitit. Opinabantur enim (& falsò quidem) fratres ſibi maximo grauamine futuros. Quamobrem pientiſſimus Dominus, cùm longè ab huiuſmodi errore abeſſet, vt concepti iam voti compos effici poſſet, eos in vincula conijcere coactus eſt, donec tandem in eius ſententiam conſensêre. Sed cùm poſtea, tum ex fratrum, qui etiam voluntariè oblata, niſi eos vrgeat neceſſitas, conſtantiſſimè reſpuunt, aduentu, tum quoque ex eorum viuendi modo, quàm egregiè hallucinati fuiſſent, luce clarius appareret; qui inſtãtius tergiuerſati fuerant, ij promptiores, atq; ſolicitiores operi inchoando, promouendoq; inſtabãt. Quorum deniq; ſolerti diligentia, atq; magnifica præfati Franciſci à Fonſeca liberalitate conuentus hic, B.P. Franciſco ſacer, 200. paſſibus à præfato oppido Alaëgio, anno à ſalutifera Chriſti natiuitate 1572. admiſſus, incœptus, atq; perfectus fuit. A quo etiam tempore tanta frugum fœcunditas, tantaq; vini abundantia incolis accreuit, vt paſſim, palamq; fateantur id ex fratrum, qui quartum decimum numerum attingunt, conuerſatione, atq; conuictu ſibi obueniſſe. Qui interim, ne ingratitudinis apud Deum opt. max. coarguerentur, illis, quæ ſibi opus ſunt, maxima liberalitate, maximoq; affectu ſuppeditant, ſubminiſtrantque. Nec abs re futurum exiſtimo, ſi quid hoc in loco ſemel acciderit (vt interim multa alia huiuſmodi ſilentio prętermittam) in medium adduxero. Statim ab huius loci ędificatione vnicus peritiſſimi cuiuſdã Medici filius Alaëgij grauiſſimam in infirmitatem, omninoq; lethalem incidit: cùmq; poſt præſtantiſſima ſibi adhibita remedia, nulla penitus ſalutis ſpes affulgeret, anxius pater hunc conuentum acceſſit, eiuſq; fratres, vt pro puerili incolumitate Deum exorare vellent, obnixius interpellauit: votoq; ſe aſtrinxit, vt ſi filium ab huiuſmodi periculo erutum, euaſumq; reciperet, quamdiu vita ſibi comes eſſet, infirmos fratres gratis, gratãterq; curaturus foret. Mira res! Intercedunt pro ipſo, eiuſq; infirmo filio fratres ad Dominum, & qui liberum ſeminexum, animamque agentem reliquerat, domum repetens eodem die, eum ſanum, incolumemque recepit. Quapropter quod ſemel religiosè ſpopondit, religioſius, ac diligentiſſimè, quoties ſeſe occaſio offert, adimplere, atque præſtare omnibus viribus, & ingenti animi affectu contendit, nititurque. B C D

De conuentu S. Ioſephi Methymnæ de Campo. Conu. XIIII.

EODEM prorſus anno nempe 1572. cùm illuſtris Moregionius ſacræ S. Iacobi militiæ Commendatarius hortum, atq; adiacentem ſitum, quem ad millę paſſus à Methymna de Cãpo Caſtellę veteris oppido optimo iure poſſidebat, huius Prouinciæ fratribus ad vnius conuentus ædificationem, ex maxima liberalitate, ac deuotione cõtuliſſet: Methymnẽſes mercatores ex mercium obuentu, præſertim verò ex earum affirmatione (eſt nãq; mos apud huiuſmodi homines receptiſſimus, vt cùm ſuas merces mari in longinquas patrias, extraneaq; emporia tranſmittendas commiſſuri ſint, ne ſi fortè caſu aliquo fortuito, vel piratarum execranda inuaſione perire contigerit, in extremã pauperiẽ deueniant, eas ſtatuto pretio, iuxta maiorẽ aut minorẽ diſtantiã, vel imminẽs periculum, aliorũ mercatorum id diſcriminis ſubeuntium periculo, atq; fide iuſſione ſecuras reddere, & vt paucis, quæ dixerim, perſtringam, aſſolent prudẽtes mercatores, ob alicuius ſtatuti boli prouentum, aliorum merces ab omni fortuito E

caſu

A caſu reddere ſecuras,& immunes,ita vt ſi eas perire eo caſu contigerit, non ſuis dominis,ſed ſibi tantùm pereant,hoc monaſterium, diuo Ioſepho Chriſti Saluatoris noſtri nutricio ſacrum,eodem in loco,apprimè ſatis,ſed intra conſuetæ paupertatis metas cõſtrui,perficiq; curarunt.Dum hic locus adhuc ſub fabrorum manibus verſaretur mercatores quidam Methymnẽſes nauem opulẽtiſſimam,pretioſiſq; mercibus onuſtam, atque Italiam petentem,ſecuram eo pacto,quo præfati ſumus,reddiderunt:cùmq; maximum illis ex eius infortunio periculum,maximaq; immineret iactura, B.Ioſepho ſe voto aſtrinxerunt, vt ſi illa incolumis omnino,atque abſque diſcrimine ad deſtinatum perueniret portum,50.aureos coronatos ad operis conſummationem penderent.Et ecce,dum pelagi intimiora penetrat,ac deficientibus ſibi ventis ſubſiſtere cogitur,à vigintiduabus Turcarum triremibus,quę decem huius farinæ nauigia in tali ſtatu conſtitu-B ta facillimè ſuperare potuiſſent,omni tormentorum, atque telorum genere per integrum diem impetitur.Nihilominus tamen nihil detrimenti ab ijs accepit, immo potius maximum damnum intulit,donec tandem circa noctis crepuſculum ſecunda aſpirante aura,illis longè poſt ſe relictis,curſum velocius continuauit,atq; ad optatum portũ ſaluis mercibus peruenit.Quod quidem impoſſibile omnino videbatur,niſi pia B. Ioſephi protectio illi adfuiſſet. Commorantur frequentius hoc in conuentu viginti fratres, quorum potior pars ſacræ Theologiæ ſub docto quodam Prælectore dat operam.

De conuentu S. Pauli Cocæ. Conu. XV.

ANIMADVERTENS Pientiſſimus Frãciſcanus à Fonſeca, oppidi Cocę vulgò dicti temporalis Dominus,quàm proſperè ſibi erectio conuentus S. Franciſci C in oppido Alaẽgio(cuius ſuprà meminimus)ſucceſſiſſet,adiecit vt & hunc quoq; ſecũdum,12, continendis fratribus accommodatum,ſub titulo S.Pauli Apoſtoli, cui legitima eius vxor Ludouica Hẽriquez deuotiſſima erat,ducentis paſſibus à præfato oppido Coca,quod ſibi quoque parebat,anno Dominicę incarnationis 1573.tum ex proprijs, tum ex oppidanorum facultatibus conſtrueret.Cuius conſtructionem Deus opt. max. patentiſſimo quodam infinitæ ſuæ clementiæ ſigno accepto ferre viſus eſt:vt eo denique commoti accolæ,licèt pauperes egenis fratribus ex ſua pauperie neceſſaria liberalius miniſtrarent,prout & liberaliſſimè ſuppeditant. Conceſſerat ſiquidem fratribus pręfatus heros Franciſcus à Fonſeca propriam ſuę habitationis domum, quoad vſque conuentus perficeretur,dumq; quadam die omnes ſimul quadam in exedra,inſtar refectorij diſpoſita,incautius conueſcerentur, antiquus paries,cui maior eorum pars ad-D hærebat,per medium diuiſus,leniterq; fratrum ſubiacentium capita tangens ad illorũ pedes,nemine penitus læſo, corruit.Quod haud dubiè mirum omnino fuit:Nam tanta erat eius latitudo,tantaq; altitudo, vt niſi Deo id mirabiliter operante, ſe in modũ arcus inter cadendum flexiſſet,quot quot ibi aderãt ſua ruina facillimè oppreſſurus fuiſſet. Aberat quoq; à loco ſeruitor menſæ,paulò ante à loci Guardiano ad culinarium cum mandatis miſſus, qui nullo pacto mortem euadere poterat, cùm inter menſas his, atque illis obſequuturus diſcurreret. Cùmque tanto ſtrepitu audito Cocenſes commouerentur,ęſtimarentque fratres à ruina oppreſſos accurrêre omnes, vt vel ſaltem eos vita functos egeſta terra exhumarent, ſacroque loco inferrent. Sed illis incolumibus, illæſiſque, licet contectis puluere, inuentis, non poterant à reddendis Deo, qui ſibi famulantes è tam præſenti diſcrimine eripuiſſet, gratiarũ actionibus abſtinere.

E *De conuentu corporis Chriſti Martinmunnoz. Con. XVI.*

EA erat per id temporis oppidorum ad huius Prouinciæ fratres deuotio tum ob religioſam eorum conuerſationem,tum quoq; ob facilem victitandi modum,qui illis vtilitate potius atque commodo, quàm grauamini,aut incommodo erat, vt vnũquodque illorum,licèt paupertate pręmeretur,vnum aliquem conuentum ad eos excipiendos, continendoſq; apud ſe erigendum pro virili contenderet. Inter quę vnum fuit oppidum Martinmuñoz hiſpanicè nuncupatum, Abulenſi iuriſdictioni ſubiectũ. Id enim anno à mundi redemptione 1573. ex Epiſcopi authoritate eremitorium oppido propinquum,ſanctiſſimoq; Chriſti Corpori dicatum, ex emendicatis tantùm accolarum

larum eleemoſynis in monaſterij formam transferre cœpit. Cùmq; illorum facultates A
non adeò pingues, immo potius tenues ſatis ſuperq; eſſent, nec ad huiuſmodi opus aggrediendum nouem adhuc integri coronati aurei in medium collati eſſent, ea nihilominus fuit ipſorum liberalitas, eaque pietas, atq; feruor, vt intra breuiſſimi tẽporis ſpatium ex peculiaribus bonis gratuitò collatis, ſecluſo quocunque alio fauore extraneo, quod piè cœptum fuerat, pientiſſimè perfectum ſit. Vnde & hic conuentus, ſub antiquiori Corporis Chriſti inuocatione & titulo, nobis prodijt adeò elegans, adeoq; perfectus, vt nulli penitus alteri vniuerſa hac in Prouincia, conſuetæ paupertatis norma facilè cedat. Nec id incredibilè, ſiue difficilè eſſe debet ei, qui omnipotentis Dei bonitatem, atque diuitias præ oculis habuerit; quippe qui piorum voluntates, atque affectus aliquando apertè, aliquando verò occultè per ignotos humanis obtutibus ſiphones, atque meatus mirum in modum promoueat. Exquindecim fratribus præſentis B
loci accolis maior pars philoſophicis literis religioſiſſimè acuratiſſimeq; incumbit.

De conuentu Minoritico Arroyo del Puerco. Conu. XVII.

OPPIDVM eſt 6. tantùm milliari à ciuitate Garenſi diſtans, atq; inter conuentus Petroſi, Lorianique nemoris (quorum ſuperius mentionem fecimus) ſitum, cui Arroyo del Puerco materna Hiſpanorum lingua nomen indidit, ſi verò Latinè vertere cupias, Porci riuulum dicere poteris. Huius inquilini, ne cæteris in his, quæ pietatem, deuotionem, atque affectum erga huius Prouinciȩ fratres concernunt, cedere viderentur, aliquem vnum conuentum; ex communibus, ſingularibuſque facultatibus, in quo fratres ſibi conuiuere, ac ſpirituale pabulum miniſtrare poſſent, erigere decreuêre. Quapropter habita prius ab Epiſcopo facultate, congeſtiſq; in medium ali- C
quibus pro eorum tenuitate facultatibus, anno Dñi 1574. intentum exequutioni mandantes, opus aggreſſi ſunt, atq; hunc conuẽtum, quem 12 fratres commodè inhabitãt, non longè ab ipſo oppido, quod inclyto Comiti Beneuentano paret, erigere cœperũt. Sed oppidanorum pauperies, quȩ, non quod ipſi cupiunt, ſed quod poſſent, ſolummodo permittit, conceditq;, in cauſa eſt, ne adhuc locus hic abſolutus, inhabitatuſq; ſit. Perficietur nihilominus, atque inhabitabitur Deo fauente quàm breuiſſimè. Interim tamen cõueniunt eò aliquot fratres, à propinquioribus monaſterijs miſſi, cui promouendo operi intendant, incolaſq; in ſacris concionibus, alijſque ſpiritualibus exercitijs ſolẽtur. Nec id tãtùm effecit præmemorata paupertas, quinimò & ſacram hãc ædẽ abſq; titulo vſq; impræſens, non abſq; eius iniuria, eſſe patitur. A qua tãdẽ, Deo duce, vindicabitur, cùm primũ fratres opere abſoluto ad eã in poſterũ ibidẽ perſeueraturi ſe contule- D
rint. Qui, niſi mea me opinio fallit, nemini inuidebũt, ſubminiſtrãtibus interim ſibi deuotis inquilinis, quæ ſibi, iuxta Prouinciæ morem, neceſſaria fuerint ſatis abundè.

De conuentu S. Bartholomæi villæ nouæ de Serena. Conu. XVIII.

EO ipſo loco, in quo ædicula quȩdam in honorẽ diui Bartholomæi Apoſtoli olim à Villanouenſibus de Serena conſtructa fuerat, nempè ſeſquimilliari ab eorum oppido, quod Villanoua de Serena appellatur, conuentus hic, eodem diuo Bartholomæo Apoſtolo titulari ex communibus, ac peculiaribus bonis à perdeuota eius communitatȩ anno à Verbo incarnato 1575. ædificatus, fratribuſq;, qui ſunt 12. numero, collatus fuit. In quo anno ſequenti, nempè an. Dñi 1576. in Domino obdormiuit venerabilis P.F. Gaſpar à ſancto Ioſepho, natione quidem Beotianus, ſed dignitate ſacerdos. Qui, E
cùm ſuæ ȩtatis annum agens, Franciſcanam Religionem hac in Prouincia eſſet ingreſſus, totidem in ea maxima cum laude, vitæque ſanctitate conſumpſit, ac plurimos fratres nouitios, ſiue tyrones mirabiliter in ſumma pietate, Dei timore, mundi, ſuiq; ipſius contemptu, paupertate, atque monaſticis ritibus educauit, præſentiq; Prouinciæ peperit: ita vt vix ipſa ſibi ſimilem aliquando habuerit. Is igitur tantus P. vt interim eius cõtinuam orationem, ſpiritus feruorem, atque cȩteras virtutes, ne oneroſior ſim, prudẽti ſilentio pertranſeam, mulierem quandam ab oculorum grauedine, qua maximè conflictabatur, recitato ſuper eam ſacroſancto diui Marci Euangelio, quod in celeberrima ſanctiſſimæ Chriſti Saluatoris noſtri Aſcenſionis die decantari aſſolet, manibuſque de

reli-

A religioſo more ſibi ſuper impoſita, ex tempore liberauit. Cuius fama permoti quàmplurimi alij infirmi, cùm ad eum ſoſpitatis recipiendæ ergô accurriſſent, protinus ſe humilis vir abdidit, nulloque pacto ab eo impetrari potuit, vt & illis manus imponeret. Quod ſanè fecit, ne ex huiuſmodi curatione, atq; cęleſti dono collato aliqua auræ popularis efflatio, aut aliquis vanę gloriæ ventus ſibi aſpiraret, irreperetque. Huic adiectus eſt deuotus F. Ioannes à Solitudine laicus profeſſus, qui vnus eſt ex ijs, quos religioſis, optimiſq, moribus præfatus P. Gaſpar inſtruxerat. Cuius mors eodem prorſus anno Domini 1576. ſed non eodem die contigit, Hic, dum viueret, ſacroſanctum, ac omni veneratione dignum Euchariſtiæ ſacramentum reuerentiſſimè coluit, diuinarumque rerum contemplationi feruentiſſimè inſtitit: in qua mirabiles techuas, atque inſidias à cruento illo, atque teterrimo humani generis inuiſibili hoſte viſibiliter perpeſſus eſt. B Quas nihiloſecius omnes ſumma prudentia, ſummaque virtute, ac ſumma deniq; cōſtantia in Chriſti nomine ſuperauit. Charitati præterea, maximè verò erga infirmos, omni ſtudio, omnique diligentia operam dedit, nihilque magis à proprio contemptu dilexit: quippe qui optimè atq; perfectè noſſet laudem non ex ſe ipſo, ſed ex Deo opt. max. omnium bonorum authore, atque liberaliſſimo largitore quærendam eſſe.

De conuentu Dominæ noſtræ antiquæ Auguſtaemeritæ. Conu. XIX.

QVVM Emeritenſes aliquot ciues ædiculam quandam ad mille paſſus ab Auguſtaemerita (Hiſpanicè verò Merida) communi eorum, atque inſigni olim ciuitate diſtantem, & in honorem ſanctiſſimæ Dominæ noſtræ de Antiqua erctam, ob creberrima miracula, quæ Deus opt. max. in fidelium fauorem, ad ſanctiſſimæ eius genitri- C cis inuocationem, ibidem operari dignabatur, maxima proſequerentur deuotione, & reuerentia, huiuſq; Prouinciæ fratribus ob eorum viuendi modum ſummopere afficecerentur, atq; illos ſibi viciniores affectarent; omni ſtudio, omniq; ſolertia apud eum, cuius eæ partes tunc erant, egerunt, vt illam ſibi in conuentus formam redigere, præfatiſque fratribus inhabitandam conferre liceret. Ea denique obtenta facultate, congeſtisque, pro cuiuſq; deuotione, atq; pia liberalitate, in medium ſufficiētibus eleemoſynis, præfatam ædiculam ſiue eremitorium, ſub antiquiori ſanctiſſimę Dei genitricis Mariæ titulo, anno Dominicæ incarnationis 1576. in iuſtum conuentum transformarunt, omnibuſq; ſuis numeris abſolutum huius Prouineiæ religioſis, qui quintumdecimum numerum perficiunt, iuxta ſibi factam facultatem, promptiſſimis animis contulerunt. A quo etiam tempore tanto magis Emeritenſiū ad hunc locū deuotio excre- D uit, quantò diligentius ab eius inquilinis omni tū pietatis, tū quoq; religionis genere excolitur, atq; ab omnipotēti Deo maximis miraculis illuſtratur, inſigniorq; reddit.

De conuentu nominis Ieſu Zeberos. Conu. XX.

AD 21. lapidem ab Auila nobili, antiquaque veteris Caſtellæ ciuitate, ſubſiſtit oppidum Zebreros materno Hiſpanorum idiomatæ nuncupatum, Auilenſiſque Antiſtitis iuriſdictioni ſubiectū, pro cuius mœnibus præſens conuentus, à 12. fratribus occupatus, qui ſui authorem, primumq; atque ſolum fundatorem agnoſcit perdeuotū quendam Franciſcum Albornozium ſæcularem ſacerdotē, conſtructus cernitur. Præfatus ſiquidem fundator, cùm maxima in ſanctiſſimum Ieſu nomen deuotione ferretur, huiuſq; Prouinciæ fratribus ob eorum pauperiem non vulgariter afficeretur, vnū E aliquem conuentum, in quo & illud ſolemnius, religioſiuſq; coli, & iſti commodius victitare poſſent, ex proprio patrimonio ædificandum ſumpſit. Itaq;, comparatis pro futuro opere omnibus neceſſarijs, impetrataq; prius ab ijs, quibus ex officio incumbebat, debita facultate, hoc monaſterium, dulciſſimo, atque ſumma religione venerando nomini Ieſu ſacrum, anno Domini 1576. erigi, perficique, ac tandem ſufficienti fratrum numero, iuxta vſitatum Prouinciæ morem, inſtrui curauit. Cuius denique tanta fuit deuotio, atque humilitas, tantuſque feruor, vt licèt dignitate ſacerdos, atq; generatione nobilis, non erubuerit inter cœmentarios, foſſores, fabroſque lignarios, factus illis ſimilis, verſari, proprijſque manibus cœptum opus pro virili promouere. Retribuat illi Deus tantam in ipſum pietatem, & in præfatos religioſos deuotionem.

De con-

De conuentu Angeli Cuſtodis Compluti. *Conu. XXI.* A

COMPLVTENSES ciues, ne indeuoti erga Franciſcanam familiam, præſertim verò huius Prouinciæ, haberentur, licèt eorum pia mens, atq; deuotio circa ipſam ex quotidianis eleemoſynis, quibus Minoriticū conuentum, intra oppidi mœnia erectū, proſequūtur, ſatis explorata ſit; vnū monaſteriū, in quo ſaltem 12. huius Prouinciæ fratres excipere poſſent, tum ex communibus, tum quoq; ex priuatis facultatibus à ſe ædificandum cenſuêre. Quapropter, ab Archiepiſcopo Toletano venia impetrata, ædiculam ducentis paſſibus ab inſigni, celeberrimaq;, ob erectam ibidem Academiam, ciuitate Compluto diſtantem, atq; Angelo Cuſtodi dicatam, in monaſterij formam ſub antiquiori titulo redigentes, eam huius Prouinciæ fratribus, ipſorum vſibus, atq; perpetuæ habitationi mancipandam tradiderunt, contuleruntq;. Contigit autē B huiuſmodi redactio anno Domini 1576. Licèt autem hic conuentus vltimam vſque in præſens artificis manum expertus minimè ſit, eam tamen Deo fauente quàm breuiſſimè experietur: Nam ea eſt Complutenſium pia ſolicitudo, iſq; ad huiuſmodi opus perficiendum omnibusq; numeris abſoluēdū effectus, vt nihil minus ab ijs præſumi debeat.

De conuentu S. Michaelis de Victoria Plico. *Conu. XXII.*

QVVM inclytus Ferdinandus Carillius Comes Plicanus (vulgò de Pliego) atque ſereniſſimi Ioannis ab Auſtria primus Oeconomus; cuius primogenitus filius Ludouicus Carrillius, primæ cohortis eiuſdem Principis Ioannis Dux, atque Capitaneus erat; aliquod vnum obſequium in memoriam, atq; gratiarum actionem eius celeberrimæ naualis victoriæ, quam Deus opt. max. per manus pręfati Principis Chriſtiano populo Epyri propè Lepantum contra Turcas Chriſtiani nominis acerrimos hoſtes conferre dignatus eſt, cui illorum vterque, pater videlicet, atque filius ex officio interfuit, ſedulamq; operam nauauit, eidem Altiſſimo, ne fortè ingratitudinis næuum contraheret, præſtare meditaretur: nihil ſibi præſtantius, nihilq; aptius, aut religioſius ab alicuius fratrum Franciſcanorū conuentus, in quo perpetuò pro tāto ſibi collato beneficio, reliquiſq; donis acceptis debitæ omnipotenti Deo grates redderentur, erectione occurrit. Cumq; maxima beneuolentia, atq; deuotione in huius Prouinciæ fratres ferretur, conſtructaq; occurreret inter anfractus, præruptaq; cuiuſdam montis, ſeſquimilliari ab eodem oppido Plico ædicula quędam in Archāgeli Michaëlis honorem, ſolitudinibus expoſita, atq; contemplatiuę vitæ ducendæ omnino accommoda, hanc ille in iuſtum conuentum promouere ſtatuit. Quamobrem aſcitis opificibus, neceſſarijſque D pro ſua liberalitate comparatis præfatam ædiculam in monaſterij formam, anno Domini 1576. redigi fecit, præfatiſq; huiuſce Prouinciæ fratribus ex prouincialis Miniſtri facultate inſtruxit, atq; antiquiori ſancti Michaëlis titulo, addito tantùm Victorię cognomine, in præfatę ſcilicet memoriam adeptæ victoriæ, appellari voluit. Quod quidem ſe accepto tuliſſe ſæpe ſæpius oſtendere dignatus eſt Altiſſimus. Cùm enim collabentibus ex accliuiore pręmemorati montis parte, atq; celerrimè decidentibus magnitudinis mirę ſaxis hoc monaſterium ſit expoſitum, nihil vnquam diſcriminis, vel ipſis, nullo penitus illato damno, tranſilientibus, vel leniter eius parietibus, non abſq; maxima admiratione, adhærentibus, ab ijs perpeſſum eſt. Quod haud dubiè non paruam Deum laudandi anſam, tum fratribus, tum quoq; Plicanis, atq; cōuicinis populis ſubminiſtrauit, indieſq; ſuppeditat. Immo illos ad liberalem eleemoſynarū erogationem E incendit. Hoc igitur in conuētu, quē 12. fratres inhabitant, aliquādiu vixit, mortēque obijt maximæ humilitatis frater Georgius, qui plures victorias à Dæmone reportauit.

De conuentu S. Antonij Abulæ. *Conu. XXIII.*

FVERAT olim venerabilis P.F. Petrus Alcantarenſis Abulenſibus ciuibus, præcipuè verò nobilioribus, familiariſſimus, atq; morum, beneq; inſtituendæ vitæ Magiſter. Quamobrem delatus ſibi amor ab ijs in eius filios, fratres videlicet huius Prouinciæ, poſt eius mortem pertranſijt. Cùm enim cernerent plures conuentus in ſuæ ciuitatis gyro à diuerſis, licèt pauperrimis populis, ad huiuſmodi fratres excipiendos ædificari,

A ficari,ne illis negligentiores,atq; ob accepta beneficia ingratiores viderentur, vnum etiam conuentum apud ſe erigendum exiſtimarunt. Quod tamen præſentiens illuſtris admodum Rodericus ab Aquila,hunc honorem ſibi ſoli aſſumendum cenſuit.Quapropter euocatis ad ſe aliquibus huiuſce Prouinciæ religioſis ruralem domū ſimul ac hortum,quem aliquantulū ab vrbe poſſidebat,in habitationem,donec conceptum in mēte ædificium exequutioni mandaretur,ex tempore contulit;congeſtiſq; ijs, quæ ad huiuſmodi opus promouendum,perficiendumq; neceſſaria forent,futuro conuentui, anno à ſuperbenedicta Chriſti Saluatoris noſtri natiuitate 1577. feliciſſimum dedit initium;Quem tandem non ita poſt multum temporis ſuis ſumptibus,ſub titulo S. Antonij de Padua,ad 300. paſſus à prædicta ciuitate Abula erexit,conſummauitque, atque prefatis fratribus in perpetuā habitationem ſummo gaudio,ſummaq; liberalitate contulit.Inſuper & effecit, vt vniuerſus Abulenſis ſenatus tum eccleſiaſticus, tum quoq; B ſæcularis ipſos ad deſtinatum domicilium cum maxima pompa,atque ſolemni proceſſione deduceret.Hūc igitur ſingularē virū,perdeuotūq; dn̄m hic locus,à 15. religioſis incultus, ſūmè beneficū in quacūq; occurrēte neceſſitate experitur,atq; ſui legitimū patronū agnoſcit,oīq; beneuolētia,& fideliſſima apud Deū cōmēdatione proſequitur.

De conuentu S.Petri Conſuegræ. Conu. XXIIII.

QVA cura,quovè ſtudio perdeuotus quidam Petrus Diaz à Toleto,oppidi Conſuegra vulgò nuncupati incola,huius Prouincię dignitatem,& nomen promouere ſtuduerit,ex præſentis conuentus conſtructione facili negocio coniectari poteſt.Is.n. licèt diuitijs minimè abundaret,nullum tamē propterea lapidem immotum reliquit, C quouſq; generoſo conceptum animo propoſitum exequutioni mandaret.Conceperat ſiquidem animo conuentum à ſe pro huius Prouinciæ religioſis ędificandū propè pręfatum oppidum Conſuegra,quod ad ſacræ Ioannitarum,ſiue Melitenſis militię Prioratum attinet. Cumq; omnes eius habitatores tum laicos, tū quoq; eccleſiaſticos indefeſſo animo ſolicitaret,vt opportunum tanto operi ſitum non longè à muris ſecū quærerent,diligentiuſque indagarent,in cuiuſdam deuoti ruſtici agrum,cui nullus ſimilis ob eius opportunitatem inueniri poterat,fortè fortuna incidit. Quo denique iuxta votum oblato,id pretij pro eo obtulit,quod vel duobus arbitris iuſtū videretur, vel animo eiuſdem domini inſederet, dummodo mentis compos efficeretur, optatumq; agrū obtineret. At ruſticus,cùm eſſet pijſſimus,ſimul cum vxore ante circumaſtātes,poplitibus terræ iunctis, manibuſq; complicatis,ac in cælū elatis,tantùm ex eo liberaliter ob- D tulit,contulitque,quantum pro monaſterij erectione,atque contiguo horto neceſſariū foret.Adiecit præterea ſe maximas gratiarum actiones Deo opt. max.agere,quòd huiuſmodi præſtandi obſequij occaſionem illi offerre dignatus eſſet. Inſuper & ſpopondit ſe cum cara ſibi vxore neceſſaria fratribus eius habitatoribus, quandiu vita comes eſſet,pro modulo miniſtraturum.Quod & liberaliſſimè præſtitit.Emenſo itaq; neceſſario ad huiuſmodi opus fundo,prefatus Petrus Diaz à Toleto hunc locum ſub titulo S. Petri Apoſtoli ex domeſticis,proprijſque facultatibus,anno Domini 1577.erigi,omnibuſq; ſuis numeris abſolui curauit,atq; illum quibuſdam ſacroſanctis martyrum reliquijs ex vrbe Roma adductis, quibus Pij V,Pont.max.authoritas, quemadmodū ex eius bulla ibidem aſſeruata facillimè conſtat,fidem aſtruit,elegātiſſimè cohoneſtauit, decorauitque.Hoc ipſo anno 200.paſſibus ab oppido Cellamea (Hiſpanicè verò Zala- E mea)quod eidem quoq; militiæ paret,extrui cœpit ex communibus oppidanorum facultatibus alius quidam conuentus,cui elegans ſatis adiacet hortus. qui in honorē Dominę noſtræ de Angelis eo fine,vt huius quoque Prouincię fratribus inſeruiret,ędificatus extitit. Qui tamen,obortis inter oppidanos,& fratres ipſos, qui iam aduentarant, quibuſdam difficultatibus,cùm à religioſis ad tempus derelictus fuiſſet, ab ijs ex diffinitiua regij Conſilij ſententia, ad Cellameenſis ſenatus, huiuſmodi deſtitutionem egerrimè ferentis,inſtantiam lata,ablatus,atq; Prouinciæ S.Michaëlis (vt ibidem fuſius ſuo loco notatur)adiudicatus eſt.Nec ſilentio præteribo quid hoc in S.Petri monaſterio fratribus ſemel ex diuina liberalitate acciderit. Inſtabat omnino meridianæ refectionis tēpus,nihilq; obſonij,aut panis domi inerat;quapropter P.loci Guardianus, vir vtiq; deuotus,

deuotus, F. ſcilicet Franciſcus à S. Ioſepho, qui & ibidem non abſq; ſanctitatis opinione animā efflauit, ſepultusq; eſt, fratres bono eſſe animo, eosq; absq; vlla murmuratione ſiue moleſtia huiuſmodi neceſſitatē pro Chriſti nomine ferre, atq; chorū petere, vt Deo opt. max. gratiarum actiones de religioſo more redderent, cum maxima confidentia, animiq; alacritate iuſſit. Quibus tandem libenter ſibi morem gerentibus, operiq; iniūcto intendentibus adfuit ex inſperato ſeruus quidam eſculentis, poculentisq; onuſtus, quibus Chriſti familia, quę quintumdecimum numerum attingit, abundè ſatis refecta, largamque omnipotentis Dei manum, atq; prouidentiam ad oculum experta fuit. A

De conuentu S. Ioſephi Toleti. Conu. XXV.

CVM illuſtris admodū Antonius à Corduba, poſt plurima ſuo Regi tum à ſe, tum quoq; ab eius patre impenſa obſequia, curiæ Philippi II. Hiſpaniarū potētiſſimi Regis vale dicto, cum cariſſima ſibi vxore Polixena, cōnibusq; liberis in ruralem domum, non longè à nobiliſſima ciuitate Toleto, ſe recepiſſet, ibidemq; priuatam vitam, ſed iuxta eius nobilitatem ſatis pauperem, ageret, atq: quarundā Commendarū ſacræ Militiæ diui Iacobi, cuius & ipſe alumnus erat, diſtributio ex regio conſilio habēda foret: Regiam ſibi repetendam exiſtimauit, vt, meritorū iuſtā mercedem recepturus, illarum altera inſigniretur. Cui tamen aduentanti, cùm aulicus quidā ſibi amiciſſimus moram, atq; negligentiā exprobraſſet, ſuaderetq; vt inde citius recederet, ne riualibus idē prorſus affectantibus, quorum ſolicitudo Regi notiſſima erat, odioſus fieret, maxima præfatæ dignitatis aſſequendæ humana inceſſit deſperatio. Quāobrem domum, intentato negotio reuerſurus, regiā Maieſtatem obiter ſalutauit. Dum aūt ille abeſſet, deuotiſſima vxor voto ſe aſtringens promiſit, ſi vir intentum aſſequeretur (dummodo is aſſentiret) ſe domum quandam in honorem diui Ioſephi, ad huius Prouincię fratrum cōmodam habitationem, ex cōnibus bonis erecturam. Quod & ipſe rediens ex animo confirmauit. Et ecce poſt ſecundum diem ab eius reditu, dum nihil minus cogitāt, pręfatus Philippus Rex potiorem Commendam ex propria prorſus mente, nemineq; ſe inſtigāte ſibi contulit. Quamobrem ne ingratitudinis næuo, ſi fortè quod opportunè, pièq; vouerant negligentius redderent, ab Altiſſimo notarentur, vt primùm optatis potiti fuerunt, nempe an. Dñi 1577. conuentum hunc, B. Ioſepho ſacrum, ad 1500. paſſus à præfata ciuitate Toleto, non tñ abſq; maximis difficultatibus, quas nihilominus conſtātiſſimè pertulêre, ſuperaruntq;, apoſtolica ſibi fauente authoritate, conſtrui, modiciq; tēporis interuallo adamuſſim abſolui ex proprijs facultatibus, atq; 16. fratribus, quos omni beneficiorum genere, omniq; beneuolentia, atq; liberali ſubuentione proſequūtur inſtrui curarunt. Viam vniuerſæ carnis ingreſſus fuit hoc in loco anno ſequēti ab eius origine, ſcilicet. 1578. deuotiſſimus P. F. Alphonſus à Zamora nobilis ſacerdos, qui ob eius ſingularem ad Deiparam Virginem affectum, atque deuotionem, illius ſuauiſſima, atque ſuperbenedicta pręſentia, paulò ante obitum, dignari meruit. Huius etiā patris tanta fuit in laboribus, maximè verò in infirmitatibus perferendis patientia, tantaque humilitas, vt patientiſſimo cuicunque alteri aſſimilari queat. Cùm enim per integrum annum marcore, hydropiſi, atque aſthmate grauiſſimè laboraret, nihil vnquam murmuris, nihilque diſplicentiæ in ipſo animaduerti quiuit, ſed ea omnia lætiſſimo potius, atque animo ſummè ſereno pertulit. Quapropter ad eius funus vniuerſa Toletana ciuitas, ipſius pedes deoſculatura, cucurrit, properauitque. B C D

De conuentu S. Sebaſtiani Aunonij. Conu. XXVI. E

PRÆCEDENTIS herois pietatem imitatus perdeuotus Melchior de Herrera oppidi Auñonij (vulgò verò Auñon) Marchio, præfato anno Domini 1577. non procul ab ipſo oppido, demolita prius antiqua quadam ædicula, diuò Sebaſtiano dicata, conuentum hunc, à 14. fratribus occupatum, ſub antiquiori titulo, eodem prorſus in loco ex domeſticis facultatibus erigi, omnibusq; ſuis numeris abſolui curauit, eiq; contiguam domum, in qua deuotionis, atq; quietis ergô ad tempus commorari poſſet annexuit. Maius verò huius loci ſacellum in ſui ſepulturam prudens ipſe vir futuris prouidens elegit. Quamobrem elegans ſatis mauſoleum apprimè fabrefactum in eius

medatullio

A meditullio ad propria, atq; poſterorum oſſa religioſè excipienda conſtrui quoque fecit. Cuius denique pietas, atque continua erga huius loci fratres liberalitas vix exprimi poſſunt; cùm diligentiſſima quadā cura, quæ illis neceſſaria ſunt, prouideat, atq; ijſdem in omnibus ex tempore adſit. Quapropter iure optimo loci patronatu tū nomine, tū quoq; re ipſa gaudet. Et niſi fratres, paupertatis cōſuetæ veſtigijs inhęrentes, ſibi obſtitiſsēt, multò elegātiorē, multoq; auguſtiorē domū illis haud dubiè exædificaſſet.

De conuentu S. Ioannis Baptiſtæ Zamoræ Conu. XXVII.

ANNO à partu Virgineo 1577. habita fuêre in conuentu S. Andreę de Monte prope Arenas prouincialia Comitia, in quibus ex communi patrum ſuffragio electus eſt in prouincialem Miniſtrum pater ac frater Ioannes Ruizius, vir vtiq; omni pie
B tate, atq; religione præditus, qui, licèt inuitus omnino huius Prouincię clauum regendum ſuſceperit, omnemq; mouerit lapidem, vt onus ſibi iniunctū alicuius alterius fortioris, robuſtioriſq; ſe humeris ſuperimponeretur, nihil tamen eorum, quæ vel ad Prouinciam benè regendam, promouendamq;, vel ad fratrum conſolationem requirebantur, prætermiſit. Is igitur anno primo ab eius promotione, nēpe 1578. ad inſtantes Zamorenſium ciuium preces conuentū hunc, diuo Ioāni Baptiſtæ Chriſti Saluatoris præcurſori ſacrū, admiſit, cęteriſq; Prouinciæ locis annexuit. Qui tū & à 14. fratribus inhabitatur, & maxima ex parte ſumptibus R. Simancas Zamorenſis Epiſcopi, centum paſſus ab antiquiſſima nobiliq; ciuitate Zamora, exædificatus eſt. Quod verò reliquū eſt ædificij eius perdeuoti, pijq́ue Zamorenſes liberaliter conſtruendum curarunt.

De conuentu S. Annæ Talabricæ. Conu. XXVIII.

C
PRÆFATVS pater ac frater Ioannes Ruizius, ne iniūcto ſibi Miniſteriatus muneri, quod alteri impoſitum omnibus neruis contendebat, vt, ab eius cura atque exequutione liber, otio ſancto, diuinarumq; rerum contēplationi vacare poſſet, deeſſe, neuè pium Talabricanorum ciuium petitionem aſpernari videretur, eodem anno à Chriſto Saluatore nato 1578. hoc monaſterium, B. Annæ matri ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ dicatum, quod 15. fratres plerunq; inhabitant, acceptauit, reliquorūq; Prouincię locorum catalogo adſcripſit. Quod tū nondum abſolutum eſt, ſed breui Deo fauente tum ex publicis, tum quoq; ex priuatis Talabricanorū eleemoſynis abſoluetur. Nam ea eſt eorum ad locum deuotio, ea pietas, is deniq; affectus, vt illata abſq; iniuria non poſſimus nō optimè de ipſius breui promotione ſperare. Non poſſum interim anti
D quiſſimæ huius ciuitatis in Deum, atque religioſos viros pietatem, affectū, & deuotionem ſilentio præterire, quę licèt diuitijs minimè abundet, nec adeò magna ſit, omnium tamen ferè Ordinum conuentus continet, amplectiturq́ue: atq; eius habitatores liberaliter ſatis pro eius modulo confouet, alitq;. Quod tamen excelſi potentiæ, eiuſq; mirabili dexterę mutationi tribuendum eſt. Mirabiliter ſiquidem effecit, vt ea ciuitas, quæ olim omnium ſuperſtitionum ſentina extiterat, idolorumq; cultui, maximè verò Palladis, vt eius veſtigia facillimè docent, mancipata fuerat, eo radicitus eliminato, omnis bonitatis, atque religionis receptaculum fieret, & quod Dęmonibus, tenebrarumq; harum principibus iniuſtè aliquando, minuſq́ue prudenter detulerat, id omnipotenti Deo, ſæculorumq́ue Regi, atque Imperatori, peculiari quodam, atque religioſo obſequio prudentiſſimè tribueret; atque illi propenſius inſeruiret, adhæreretq́ue,
E cui adhærere bonum, atque inſeruire regnare, principariq́ue proculdubio eſt.

De conuentu S. Ioannis Euangeliſtæ Turris Stephani. Conu. XXIX.

HVNC etiam tertium locum, qui eſt in ordine vigeſimus nonus, & à duodecim fratribus incolitur, huic Prouincię adiecit præfatus pater ac frater Ioannes Ruizius eodē anno milleſimo quingētesimo ſeptuageſimo octauo, antequā Miniſteriatus officio cederet. Quē quidē locū illuſtris admodū, ac pientiſſima herois Anna Manrique, cuiuſdā Vargas, qui potentiſſimo Philippo eius nominis II. Hiſpaniarumq́ue Regi à ſecretis fuit, legitima vxor, ex proprijs tantùm monilibus, ornamentis, atque iocalibus tum aureis, tum quoque argenteis ad centum paſſus ab oppido, quod

Turni Stephani Abrani nuncupatur, & vtriusque præfati coniugis imperio ſubeſt, A
ſub titulo S. Ioannis Euangeliſtæ, cui ipſa deuotiſſima à teneris vnguiculis fuit, ędi-
ficari, omnibusq; tum ad diuinum cultum, tum quoque ad commodam fratrum habi-
tationem neceſſarijs inſtrui, adeoq; perfici curauit, vt ſi ipſum omni ex parte attentius
contemplêre, ſanctuarium potius, quàm conuentum dixeris. Feliciſſima ſanè orna-
menta, atque iocalia, quę in tãtum, tamq; celebre opus conſummari, ſiue potius tranſ-
formari meruerunt, & feliciſſima earum domina, quæ prudentiſſimè fidiſſimos ſibi
amicos, qui ſe opportuno tempore in æterna tabernacula recipiant, ex ſuperfluo cultu
facere nouit. Hunc igitur ſibi locum in ſepulturam elegit præmemoratus venerabilis
pater frater Ioãnes Ruizius Occaniæ oriundus, qui ne parẽtum, propinquorum, atq;
amicorum inſidijs, moleſtijsq; pateret, ijs atq; patrijs laribus longè poſt ſe relictis, in
Bæticæ Prouinciam conceſſit, inibiq; ſacrum ſeraphicę Religionis habitum induit, ac B
tandem profeſſorum catalogo adſcriptus, Caſtellæ Prouinciã, quæ ſibi patria erat, vtro-
que iam parente orbatus repetijt. In qua cùm per aliquantulùm temporis commora-
tus fuiſſet, ſtrictioris vitę cupidus, ea quoq; relicta, ad hanc conuolauit, eiusque Mini-
ſtrum prouincialem ſtrenuè aliquando egit. Hic pater ſui ſtatus, atque profeſſionis ze
lantiſſimus, euangelicęq; paupertatis amantiſſimus, nec non & egregius Eccleſiaſtes
fuit. De cuius profundiſſima humilitate hęc tantùm dixerim, vt ex his, quantùm in ea
profecerit, facillimè coniectari liceat. Quum enim abſens ad Prouinciæ huius Miniſte-
riatum à patribus, quorum intererat, euectus eſſet, vix ab ijſdem per cautelam vocatus
adigi potuit, vt munus acceptaret. Coactus tandem ad ipſum obeundũ, nunquam quie
uit, quoad ipſi renuntiauit, illudq; à ſe propulſum alterius humeris credidit. Quod ta-
men nollẽ eius ſocordiæ, aut puſillanimitati adſcriberetur; ſed potius humilitati, qua C
(vt præfati ſumus) maximè præditus fuit. Nam adeò prudenter, adeòque pacificè per
annum cum dimidio Prouinciam rexit, vt vix ſibi parem ab eius erectione habuerit.
Quibus tandem chariſmatibus cumulatus, anno à mũdi redẽptione milleſimo quingẽ-
teſimo octuageſimo generali illo pituitoſo morbo, quo vniuerſus orbis eo temporis in-
fectus fuit, correptus, ex hac vita ad cœleſtem patriam quàm fœliciſſimè migrauit.

De conuentu S. Franciſci Iepes. Conu. XXX.

IEPES oppidum eſt ſatis celebre ob vini copiam, atque excellentiam, qua inter
alias Toletani Regni tum ciuitates, tum quoq; oppida abundat, dictis reuerẽdiſſi-
mi Archiepiſcopi Toletani, Hiſpaniarumq; Primatis audit, paretq;. Cuius præcipui,
ditioresq; inquilini, cùm maximo habendorum apud ſe huius Prouinciæ fratrum deſi D
derio tenerentur, datis anno à lętabunda Redemptoris Chriſti natiuitate 1578. ad eorũ
Miniſtrum Prouincialem, cęterosq; prouinciæ patres, quorum ex munere intererat, co
munibus literis, ijs ſupplicarunt, vt conuentum, apud ſe ex publicis oppidanorum bo-
nis, atq; priuatis eleemoſynis breui erigendum, acceptare vellent: datisq; ſyngraphis
ſpoponderunt, niſi intra biẽnium ex communi ęre abſolueretur, ſe illum ex domeſticis
peculijs perfecturos. Quod neutiquam opus fuit. Nam ea extitit omnium tum libera-
litas, tum quoq; ſolicitudo, atque opera, vt, breuius quàm polliciti ſint, hoc monaſte-
rium, beatiſſimo patri Franciſco ſacrum, à quindecim fratribus plerumque in habita-
tum, ad centum paſſus à præfato oppido, Iepes vulgò nuncupato, vltimam artifi-
cis manum ſit expertum. In cuius ædificatione eius populi ad Franciſcanum Ordinẽ
deuotio, & pietas ſupra modum elucuerunt. Nullus enim ſiue maſculus ſiue fœmina, E
puer aut ſenex, nobilis aut ignobilis ſtatutis diebus ſe ab opere promouendo, donec tã-
dem conuentus abſolueretur, diuerſis in munijs, prout ſe propria impellebat inclina-
tio, ſubtraxit. Immo potius quid quiſq; ſibi ex delecto munere impẽdebat, id maxima
contentione, atque ſancta æmulatione quàm diligentiſſimè præſtare nitebatur. Quo-
rum pietatem accepto ferens Deus vno, aut altero mirabili euentu commendauit.
Nam corruenti ex editiore parte celerrima ruina maximo lapidi cùm caſu ſe iuue-
nis quidam oppoſuiſſet, & lapidi alio adactus, colliſus omnino ab omnibus exi-
ſtimaretur, nihil penitus mali perpeſſus eſt, ſed incolumis omnino permanſit. Quod
impoſſibile omnino fuiſſet, niſi ſpeciali quodam fauore à Deo præuẽtus eſſet. Et alius
quidam

A quidam puer, dum oppreſſus à quodam alio præcipiti lapide à circunſtantibus iudicatur, exiliente præter naturam grauiſſimo in altum ſaxo, periculum mirabiliter euaſit.

De conuentu S. Gabrielis Segobiæ. Conu. XXXI.

RENVNTIANTI, propriaq; ſponte muneri Miniſteriatus prouincialis cedēte deuoto patre fratre Ioanne Ruizio (cuius penultimo loco meminimus) canonicè ex receptiſſimo religionis ritu, in officio ſucceſſit ſingularis pater frater Franciſcus ab Hinojoſa, qui licèt multò aptior, multòq; procliuior ad contemplatiuam vitā, cellulamq; ſeruandam, ob eius debilitatem, atque anteactum viuendi modum, videretur, eſſetq;: nihilominus tamen ſtrenuè, ſatiſq; viriliter pro eius imbecillitate, Prouinciam rexit, gubernauit, & auxit. Nam eius fratres in ſumma pace, & conſolatione con
B tinuit, primitiuoſq; illos rigoris conſueti mores mordicus reſtaurauit, conſeruauitq;, & duos conuentus huic Prouinciæ acquiſiuit, adiecitq;. Quorum alter hic eſt, qui trigeſimum locum in Prouincia obtinet, quiq; non longè à muris nobiliſſimæ ciuitatis Segobiæ anno à Chriſto mundi redemptore nato 1580. ſub titulo paranymphi Gabrielis, ex priuatis piorum ciuium eleemoſynis exædificari cœpit: quiq; tandem nondum perfectus eſt: ſed breui abſoluetur Deo opt. max. fauente. Nam ea eſt illius ciuitatis pietas, eaque ad Franciſcanam philadelphiam deuotio, vt nos ad benè de eius fęlici promotione ſperādum omnino impellat, adigatq;. Inhabitatur tñ interim à 12. fratribus.

De conuentu S. Laurentij Conchæ. Conu. XXXII.

SECVNDVS verò conuentus, qui à pręfato patre fratre Franciſco de Hinojoſa
C acceptus fuit, quiq; vltimū in Prouincia obtinet locum, eſt hic, beato martyri Laurentio ſacer, ac in crepidine eius fluuij, qui materna Hiſpanorum lingua Xucar nuncupatur, ſitus, nec multùm à mœnibus Conchēſis ciuitatis diſtans. Cuius author aſſeritur perdeuotus Marcus à Parada Conchenſis eccleſiæ matricis canonicus, atque Alarconenſis Archidiaconus, qui ob animi in Franciſcanam familiam affectum, atque propenſionem, ex proprijs facultatibus anno à partu Virgineo milleſimo quingenteſimo octuageſimo primo eum ædificari curauit, præfatoq; titulo ſancti Laurentij inſigniri voluit. In cuius gratiam, Franciſcaniq; Ordinis honorem aduentantes fratres numero ſexdecim, qui locum incolere ex ſuperioris mandato debebant, ab vtroq; ſenatu, eccleſiaſtico videlicet, atq; ſæculari, nec non à R. præfatæ Conchēſis ciuitatis Epiſcopo honorificè ſatis, atq; proceſſionaliter cum maximo omniū applauſu excepti fuêre.
D

De conuentu Conceptionis B. Mariæ Baragiæ. Conu. XXXIII.

AD ea beneficia, quæ Baragię (vulgò Baraias) Toletanæ diœceſis oppidū, quod ad quartum milliare à Madrito diſtat à temporalibus ſuis Dominis olim accepit, acceſſit Minoriticus hic conuentus, immaculatę Conceptioni Deiparæ virginis Mariæ, à pientiſſimo Franciſco Capata Ciſneros primo eius Comite, atque regij Concilij Pręſide, anno ſuperiori, erectus. Pręfatus ſiquidem heros, ſubditum ſibi oppidum honeſtaturus, hunc conuentum cęteris huius Prouinciæ locis annectendum 16. Februarij, anno verò Dñi 1586. à fundamentis, ex priuatis tamen facultatibus, extruendū, fratribuſq; poſt primum ſacrum maxima cum ſolemnitate à Madritenſi Vicario in profeſto Conceptionis B. virginis eiuſdem anni factum, tradendum, atq; tum defunctæ vxo-
E ris Mariæ à Mendoza, tum quoq; primogeniti Ioannis Capata oſſa ad ipſum ex parochiali eccleſia, cui ad tempus credita fuerant, cum ſolemni pompa transferenda, inibique ſub ſummo altari honeſtiſſimè collocanda curauit. Præterea tanta cura, tantaque ſolicitudine huiuſmodi opus promouit, vt id infra breuiſſimi temporis ſpatium vltimam artificis manum experturum ſit, interimque decem fratres ſat commodè capiat, contineatque, contenturum tamen breui viginti. Ex hoc denique oppido Baragiæ originem ducit religioſus frater, ac extra oēm ingenij aleā abſolutiſſimus Sculptor, frater inquā Ludouicus à Baragijs, ſacerdos Prouincię Caſtellæ, qui bonā eorum iconum, quibus noſter hic qualiſcunque libellus condecoratur, partem in ære ſculpſit. Hi deniq; ſunt quotquot conuentus hæc S. Ioſephi Prouincia vſq; in præſens continet.


·P·S·ANTONII
LVSITANIÆ
REG·
S
A
L
Præclariſſimum
Luſitaniæ Decus.

PROVIN-

PROVINCIA S. ANTONII PORTVGALIAE.

A ANNO Domini 1486.multò antequã Prouincia Algarbiorum ab ea, quæ Portugaliæ dicitur,ſeiungeretur,cùm Vicariũ ageret prouincialem P. F. Ioãnes à Pouoa,quidã fratres ſingulari quodã ſtudio,& ardore Religionis perfectius colendę incenſi, vitęq; ſuæ in maiori rerum inopia arctius, & laborioſius traducendę,illum adierunt,omnibus ab eo precibus ſuppliciter petentes,vt illis cęnobiũ,aut cœnobia opportunis in locis aſſignare vellet,vbi attentiori cura,ſtrictioreque viuendi modo,& paupertate,Deo,& orationi toto pectore vacare poſſent.Ille verò ſtudio honoris diuini, & cœleſti quodã afflatu concitatus, id curans potiſſimũ,vt Dei opt.max.gloriæ,atq; obſequio oẽs incumberent, tam ſanctis, & pijs votis aſſenſus eſt. Conuentu igitur prouinciali intermedio,Alanquerij in ſacris B ædibus diui Frãciſci celebrato,2.excepit, & ſecreuit cęnobia, in quibus prædicto modo,& inſtituto religioſo fratres cõuiuerẽt. His ergo duobus,elapſo quinquẽnio,acceſſerũt monaſteria S.Mariæ à Moſteirò,& diui Bernardini in oppido,qđ vocabatur Atougia,qđ nunc occupant Recollecti Prouincię Algarbiorũ,atq; B.Marię in Inſula. Poſt aliquot verò annos hi conuentus ad fratrũ Recollectorũ vſum à præfato V.P.F. Ioãne à Pauoa deſtinati,ad cęterorum monaſteriorũ normã, iuſtis forſan de cauſis defluxerunt.An. Dñi 1524.cùm hæc Regna Luſitana luſtraret, & inuiſeret R. P. F. Frãciſcus Angelorum totius Frãciſcani Inſtituti miniſter gñalis,Capitulumq; in oppido, quod Oliuẽſa dicitur,celebraret,cũq; ſtudioſiſſimus eſſet Recollectionis, nec ignoraret quã C ti intereſſet in Prouincijs eſſe aliquas ædes ſacras,quas Recollectas nuncupant,in quibus viri religioſi à ſęculi commotionibus remoti,maiore animi trãquillitate,& ſui Inſtituti obſeruantia mentes,atq; cogitatus ſuos ad Deum referrent: inſtituit, denuoq; fundauit ædes ſacras Recollectas ad priſtinã viuẽdi cõſuetudinẽ,quam antea religioſi tenebant,redactas.Ex quibus fuit in oppido quod dicitur Atouguia ædes,diuo Bernardino ſacra,quam nunc habent Recollecti Prouincię Algarbiorũ,& ea quę dicitur Carnota.Præcepit ẽt præmemoratus gñalis Miniſter P.F.Antonio Magiſtro, qui tũc erat Prouincialis,vt plures cõuentus,niſi prædicti ſufficerẽt,aſſignaret. Qui poſtea adiecit D in oppido,quod Caſtagneirã nuncupatur,ædẽ S.Antonij,& in oppido,quod S.Iacobũ Acacem appellant,ędem Laureti: Procedẽte verò tpe Prouinciales,qui illi ſucceſſerũt, adiecêre ędem diui Antonij Copigneirò,denuoq; cœnobiũ Aluiti fundarunt,ædemq; S.Antonij in oppido,quod vocatur Caſcaẽs.R.aũt P.F.Franciſcus Angelorũ leges, & inſtituta ijs conuentibus dedit,quę nunc ẽt obſeruantur,abrogatis interim nonnullis, quæ diligentius perpenſa fuerunt eo tempore,quo hæc Prouincia fundata eſt. Iure ergo optimo huic R. P. initium, & fundamentum Recollectorum huius Inſtituti referri debet:cùm,ſublatis iã,& penitus extinctis ædibus Recollectis,eas refecerit,atq; inſtaurauerit, authorq; fuerit,vt tandiù perſeuerarent.Præcepit etiam,& mandauit ſtrictiſſi E mè Prouincię Portugaliæ Prouincialibus,in quorũ fide,patrocinio,& obedientia prędicta erãt cęnobia,vt illis ſẽper præſidio eſſent, permittentes fratribus Prouincię, qui ab illis eò tranſmigrandi facultatem peterent, vt vitã illic in Dei opt. Max. obſequio traducerent.Qui autem ſimilem religionis,& ſanctitatis gradum tenere nõ crederent, eos inde ad Prouinciæ cęnobia abducendos curarent.Hac igitur indole, & præſidio effectum eſt,vt diuino beneficio,Prælatorumq; vigilãtia & ſtudio,ſemper in his ædibus reperti fuerint monachi,quorum ſumma integritas,virtus admirabilis, ſancta & ſalubris paupertas maiora indies incremẽta ſuſcipere viderẽtur. An.verò Dñi 1532.quum Prouincia Algarbiorũ à Luſitana ſepararetur, aliquot ex ijs ædibus Recollectis Algarbiorum Prouinciæ Luſitanæ ſiue Portugaliæ Miniſter P.F.Vaſcus Correa,qui ſingulari

ri beneuolentia familiã Recollectam proſequebatur, adiũxit illi ędem, quæ Moſteirô A
nuncupatur,& eam quæ ſita eſt in Inſula:præterea etiam cœnobiũ diui Franciſci fundatum Mirtili, quod oppidum nunc Viannam incolæ appellant.His itaq; ædibus,alijſque inſuper ab alijs Prouincialibus conceſſis, iam illæ ad octonarium, aut nouenariũ numerum peruenerant, antequam in Prouinciam redigerentur. In quibus omnibus religioſi ſemper viri diuina quadam charitate inflammati, & orationi aſſiduè vacantes floruerunt, qui non ſolùm ſibijpſis, & animarum ſuarum ſaluti ardentiſſimè conſulerent, verùm etiam ad clauum Ordinis tenendum, gubernaculaque tractanda diuinitus nati viderentur, vt experientia edocti ſumus, cùm ex ijs ædibus Prouinciales ad regendam Prouinciam Luſitanam,pluresq; patres diffinitores creati fuerint: eoq; proceſſerunt incremento,numero,& copia religioſorum,vt à Luſitana Prouincia obnixè peterent,quatenus inCuſtodiam redigerentur.Deo tandem illis fauente,idq; pro vi B
rili curante R. P. F. Andrea Inſulano, qui Miniſtri generalis munus aliquando laudabiliter obierat,à R. P.F. Aloyſio Puteo totius Minoritanę familiæ generali Miniſtro impetratum fuit anno à Chriſti natiuitate 1565. Vnde præfata domorum Recollectarum congregatio in Capitulo,quod anno præmemorato celebratum fuit Olyſipponis in ędibus diui Frãciſci,aſſenſu atq; voluntate Luſitaniæ Prouinciæ, & fauore præfati patris Aloyſij Putei,in Cuſtodiam euecta fuit. Proximis verò Comitijs prouincialibus habitis itidem Olyſipponis in eodem conuentu, an. Domini 1568. prędicta Cuſtodia, quę iam ex decem ędibus conſtabat, Prouincię nomine dignata fuit, iuxta diploma apoſtolicum Pij V. Pontificis maximi,impetratum opera & precibus Hẽrici Infantis, atque Portugalię Cardinalis,penes quem eo tẽporis Regni gubernatio erat, qui poſtmodum Rex Luſitanię fuit creatus. Cui ſucceſſit tandem catholicus & Chriſtianæ re- C
ligionis aſſertor maximus Rex Philippus Auſtriacus. Huius igitur Prouinciæ primus Prouincialis creatus fuit P. F. Antonius ſancti Vincentij, qui proximè Cuſtodię munus obierat,vir non admodũ literis excultus,religione verò, virtute, & ſanctitate præclarus. Is per ſeptem continuos annos ſumma pace, & tranquillitate in gubernatione fuit.Cùmq; ſexageſimum annum excederet, Prouinciam ſemper pedibus luſtrauit, quatuorque conuentus in oppidis maximè opportunis oblatos accepit, quos ipſe ædificari, perficiq; iuſſit,vt cùm de ſingulis illorum mentio inciderit exprimetur. Vt verò quaſi incunabula, & fundamẽta,fundatoreſq; harum ædium magis in aperto ſint, aduertendum eſt, anno Domini 1392.orto ſchiſmate in Romana Eccleſia,veniſſe in hoc Portugaliæ Regnum ad reformandum Ordinis Franciſcani ſtatum,exędificandaſque aliquot ædes Obſeruantiæ viros quoſdam religioſos, F. videlicet Didacum Ariã Aſtu- D
rem,virum bonarum artium ſcientia apprimè imbutum,optimumq; Concionatorem, F. Gonſaluum Marignum Gallecum virum nobilem, olimque Dominum eius oppidi, quod Altamira dicitur,nec non aliorum oppidorum, atq; caſtellorum, F. Petrum de Alemancos,fratremq; Alfonſum Salum cum alijs. Huic igitur proloquio colophonẽ addidero,ſi prius huius Prouincię maioris ſigilli inſignia patefecero,ſiq; ędiũ numerũ retulero,atq; toti ipſi Prouincię patronũ prætulero.Prouincia ergo S.Antonij in Luſitania patet,habetq; 15.cęnobia Sigillũ aũt maius ipſius continet effigiẽ S.Antonij Paduani, in cuius orbe talis eſt literarum inſcriptio: SIGILLVM PROVINCIAE S. ANTONII REGNI PORTVGALIAE. Ne autem quis circa picturam huic Prouinciæ à nobis præpoſitam hęſitet, quàm breuiſſimè quid ſibi velit, ediſeremus. Qui in ſuprema eius parte nubeculæ innititur, is eſt B. P. Antonius à Padua hu- E
ius Prouinciæ,quòd ab Olyſippone inſigni ciuitate,vbi & ille domũ obtinet, oriũdus, optimo iure patronus.Nauis verò maritimis fluctibus agitata, cuius proræ, atq; puppi ſinguli ſuperſtant corui,nauigium, quo B. Vincentij Valentini Leuitæ, & martyris corpus Olyſipponem delatum fuit,præſefert.Litera autem L coruum ab vtroq; latere habens Olyſipponenſis ciuitatis inſignia repræsẽtat.Atqui corui depicti eos duos,qui prędati martyris corpus, dum inſepultum in ſacro promontorio remanſiſſet, ab omni iniuria vindicarunt,quiq;,corpore naui cõmiſſo,nauem congreſſi ſunt, nobis indicãt. Pars tandem ciuitatis, quæ ſeſe oculorum obtutibus obijcit, Olyſipponem celeberrimam ciuitatẽ,vbi præfati martyris Vincentij corpus honorificè ſepultũ eſt,ſignificat.

De con-

A *De conuentu ſanctæ Mariæ à Moſteiro.* *Conu. I.*

AEDES S. Mariæ à Moſteirô, quæ iam multos annos huius Recollectionis eſt,
prima fuit ex Obſeruantia Prouinciæ Portugaliæ,in qua fermè habitant duode-
cim Minoritæ. Condita verò eſt anno Domini 1392. ab ijſdem religioſis viris,quos ex
Gallecia veniſſe dictum eſt. Situm habet vbi prius fuerat vetuſtiſſimum ſacellũ, quod
admirabili cultu,& veneratione gens finitima tam Luſitaniæ, quàm Galleciæ, & re-
uereri,& frequentare identidem ſolebat,adducta ſcilicet nouo quodam,& memorabi-
li miraculo inibi viſo. Cùm enim omni ex parte ſylua,quæ circum erat, ingenti incen-
dio conflagraret, ſubitò inualeſcens flamma ad fores ſacelli nullo illato detrimento
extincta eſt. In hoc cœnobio, cùm ſitum ſit in abditiſſimo ſeceſſu, ad vacandum Deo
B maximè opportuno,ſemper reperti ſunt fratres ſummo officio, atq; virtute prēditi,nec
non ſanctitate vitæ,pœnitentia,obſeruantia ſui Inſtituti,atque ſtudio in Deũ opt.max.
admirabili.Hîc humatus eſt F.Ioannes à Baſto laicus profeſſus,quem ſibi patronum, &
depræcatorem apud Deum incolæ illius regionis ex animo ſuſcipiunt, & cùm fortè
ægrotant,ab eius ſepulcro terram petunt,qua ex collo ſuſpenſa diuinitus cõualeſcũt.
Quidam Guardianus eiuſdem conuentus cùm grauiſſimo quartanæ morbo conflicta-
retur,animaduertens quo animi ardore terra ex ſepulcro ſerui Dei expeteretur,quotq;
homines illius beneficio ex morbis euaſiſſent, benè ſibi ab illo ſperare cœpit, atque
adeò debilitatus morbo, penéque deplorata ſalute lectulo decumbens his verbis ad
illum tota mente, atque animo conuerſus eſt. Beatiſſimè ſerue Dei frater Ioannes ſi
tuis precibus quartanæ morbum depulero, & à Deo opt.max.ſanitatem impetrauero,
C promitto me ex pulcherrimo lapide locum, in quo corpus tuum aſſeruetur, confe-
ctum.Hoc voto emiſſo(mirabile dictu) ex diuturno morbo recreatus eſt,& ad priſti-
nam valetudinem rediens,ſumma obſeruantia,& pietate ſuſceptum votum perſoluit.
Alter etiam Guardianus anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo ſep-
tuageſimo octauo huius ſerui Dei oſſa ex periſtylio,vbi ſub leui quodam lapide recon
debantur,ad lapideum monumentum,quod extruendum curauit in pariete quadriui-
uialis ſtructuræ,è regione recitando Euãgelio deſtinata,tranſtulit. Quod teſtatur ſe fe-
ciſſe commotum duobus miraculis,quæ à Deo opt. max. huius ſancti viri patrocinio,
& meritis erga ſe profecta fuiſſe aſſerit. Hoc idem cœnobium, quòd multis ab hinc
annis exædificatum fuiſſet, vitium iam omni ex parte faciebat,nihilq; proprius erat,
quàm vt ruina collaberetur: quapropter frater Didacus de Anſede, qui bis Prouin-
D cialatus munere functus eſt in Prouincia Portugaliæ, quo tempore Miniſter ſecundò
creatus eſt,ſtudio ſingulari in ipſum commotus, multis eleemoſynis tam à Rege bo-
næ memoriæ Ioanne III. qui eo temporis regnabat, quàm ab alijs pijs collectis,
inſtaurandam & reficiendam,atq; denuo conſtruendam curauit.Quod opus, cœptum
anno Dominicæ incarnationis 1557. breui tempore ad finem peductum fuit. Eſt au-
tem vnum ex nobiliſſimis, & ſanctiſſimis cœnobijs totius huius Prouinciæ.

De conuentu ſanctiſsimæ Mariæ in Inſula. *Conu. II.*

AEDES Dominæ noſtrę Inſularis, quę,vndique mari clauſa,ſita eſt in oſtio flu-
minis Minij,ſpatio mille paſſuũ ab oppido, qđ vocatur Camigna,condita fuit à
P.Didaco Aria & ſocijs.Incolitur fermè à 10.aut 12.fratribus,qui ſemper ferè in ea ſui
E Inſtituti obſeruantiſſimi,orationi mirum in modum dediti, veræque paupertatis ſtu-
dioſiſſimi reperti ſunt.Vnde effectum eſt,vt non ſolũ finitimi homines hanc cæleſtem
Dominã,& ſeruos eius ſumma obſeruantia,& propenſione animi proſequantur,verũ
etiam per totum Regnum,aliasq; regiones exteras hęc eadem animorum affectio, &
ardentiſſimum ſtudium,multis miraculis à Virgine editis excitatum, longè,latèque
propagatum fuerit. Cùm verò in hac inſula aquarum dulcium penuria laboraretur,
neque eſſet vnde exhauriri poſſent,immenſi enim laboris eſſet & ad bibendum, & ad
alios vſus eas à Camigna petere, atque hac de cauſa non poſſent eã prȩterquàm pau-
ci fratres incolere:placuit Virgini Dei genitrici miraculo (quod ſubijcietur ſuis ſeruis
proſpicere.Intempeſta nocte,cùm arctiſſimus ſomnus F. Didacum Ariam Aſturẽ com
plexus

plexus eſſet, viſus eſt ſibi videre diuina quadam ſpecie puellam, quæ iuberet certum A quendam inſulæ locũ fodi, fore enim vt aqua expetita reperiretur. Id quod poſtero die rei euentus comprobauit: effoſſo enim loco inuenta eſt aqua dulcis, quæ adhuc durat, nec vnquam poſtea defecit. Res quidem mirãda in medijs ferè maris fluctibus, locisq; arenoſis aquarum dulcium copiam largiſſimè Virginẽ matrem ſeruis ſuis ſuppeditaſſe. Contigit etiam ſæpiſſimè, vt, violento fluctuum, & ventorum impetu concitato mari, religioſi fratres ab omni commeatu, & cibarijs intercluderentur; ipſi autem tenuiſſima panis nautici, & opſonij particula corpora ęgrè ſuſtẽtates, totam verò mentem, & cogitationem ad Deum referentes, cæleſti quadam lætitia perfuſi, gratias agerent maximas patri ſempiterno, quòd ipſos ad obſeruantionem ſui Inſtituti tempeſtatis occaſione dirigeret: & quò longius ab omni ſpe humanæ opis cõmeatus aberant, eò propius ad cœleſtis ſubſidij fiduciam accedebant. Cùm verò illius regionis incolæ de ſalu B te eorum ſolliciti, ne fame abſumerẽtur, valdè timerent, lintribusque ad illos trãſmittere propter maris ſæuitiam arduum imprimis, & periculoſum videretur, tunc ſingugulare quoddam ſtudium, & ardorem aliquorum hominum animis Deus ipſe inijciebat, vt, omni depoſito timore, diuina charitate inflammati, horribilem maris impetum contemnentes, cibaria ſeruis Dei opt. max. importarent. Id quod monachis, tam alieno tempore nihil tale meditantibus, pro miraculo erat. Neq; illud quidem abſre: ſatis enim diuini opus auxilij potius, quàm humani videbatur, tam aduerſa tempeſtate illuc impunè tranſmiſiſſe. In hac ipſa æde rudimenta, & incunabula Religionis poſuit R. P. F. Andreas Inſulanus totius Franciſcanæ philadelphiæ olim Miniſter generalis. Marchiones Villæ regalis ſemper ſingulari quadã voluntatis inclinatione in hoc cœnobiũ propenderunt, & immaculatã Virginem, cui dicatum eſt, ſibi patronam deuotiſſimo C animo delegerunt. Id quod ab ipſa matre ſanctiſſima videntur impetraſſe, cùm & ipſi huius ædis ſuæ curam. & patrocinium ſuſceperint, fratribusq; Minoritis, vbi opus eſt, admirabili ſtudio præſto eſſe ſoleant. Neq; verò hanc tantùm ædẽ beneficijs, & eleemoſynis proſequuntur, ſed alias etiam huius & aliarum Prouinciarum Franciſcani Inſtituti, cui minimè ſtudent, & fautores ſemper omnibus in rebus mirificè extiterunt.

De conuentu S. Franciſci Mirtili. Conu. III.

DVODECIM à præfata Inſula paſſuum millibus, circiter autem duobus à Mirtilo (quod oppidum nũc Vianna appellatur) ad radices editiſſimi montis ſitum eſt hoc cœnobium diui Franciſci, quod plerunque 14. aut 15. fratres incolunt. Erectũ, & fundatum fuit ab ijsdem religioſis, de quibus iam ſæpius mẽtio facta eſt. Hoc in mo- D naſterio diem obijt ſuũ frater Gonſaluus Marignus, vnus ex Obſeruantiæ conditoribus, qui plurimis annis iacuit ſepultus ſub ſtructura quadriuiali eccleſiæ: vbi impoſiti fuerunt eius ſepulcro albi quidam lapides, quos primus Dux Brigantiæ, filius nothus Ioannis I. Luſitaniæ Regis illis imponendos curauit, cui cum fratre Gonſaluo maggnus fuit vſus, eiusq; vitæ ſanctiſſimè actæ locupletiſſimus, & certiſſimus teſtis extitit. Poſtea Guardianus quidã prædictæ ædis eius ſepulcrum effodi imperauit, omniaque iam oſſa abſumpta reperijt, & quicquid ex illis reliquum fuit in capſula incluſum ſub altari maximo præcipui ſacelli collocari iuſſit. Hîc etiam, cùm Guardiani munus obiret, è vita ceſſit, humatusque eſt in periſtylio primus Prouincialis huius Prouinciæ: de cuius probitate, & ſanctis moribus breuius quidem eſt actum, quàm pro magnitudine præſtãtiſſimarũ virtutum, in quibus mirabiliter ſemper floruit, opportuerat. Hîc prę- E terea ſepultus eſt F. quidam laicus, Gualterus nomine, vir ſanè incredibili rerum diuinarum ſtudio flagrans, & alta quadam, atque excelſa mente præditus: qui triduo antequã è vinculis corporis ſolueret, ſepulturã ſibi parari iuſſit, pedibus interim ipſe locũ illũ abiẽs, in quo tertiũ poſt diẽ humatus eſt. Neq; enim cõceſſit Deus vt longiorem morã in terris faceret: vnde coniectari poteſt, illi Deum extremum diem prænuntiaſſe.

De conuentu S. Antonij prope Pontem Limæ. Conu. IIII.

DVODECIM millibus paſſuũ ab oppido Mirtili, prope ripã fluminis Limæ, circiter ad ſagittę iactum ab oppido, quod Pons Limæ vocatur, fundatum eſt hoc 4. cœnobium,

A cœnobium, ſancto Antonio Paduano dicatum, quod tredecim aut quatuordecim fratres incolere ſolent. Fuit autem conditum anno Dominicæ incarnationis milleſimo quadringenteſimo octuageſimo per primũ Vicecomitẽ Villænouæ à Cerueria, inclytũ videlicet Leonellũ ad vsũ fratrũ Prouinciæ Portugaliæ: ille verò, cũ eſſet patronus huius ædis, iuri ſuo in fauorẽ Sixti IIII. Pon. max. ceſſit. Qui diplomate quodã apoſtolico, dato anno ſui Pontificatus 3. quod in chartophylacio prædicti conuentus aſſeruatur, ędẽ illam fratribus ſupradictæ Prouinciæ donari iuſſit, quæ nunc ad hanc trãſlata eſt, tradita prius eius æde Conceptionis in oppido, quod vocatur Matonſihos. In hoc ipſo cœnobio S. Antonij ſepultus iacet religioſus quidã P. F. Petrus à Carnota, qui poſt obitum munus Prouincialis Portugaliæ, poſt maxima etiã, & pręclara documenta ſanctitatis, & religionis, quippe qui ſacco indutus Prouinciam ſemper pedibus luſtrare B ſolitus eſſet, ſe huc recepit, vt quietius, & maiore animi tranquilitate remotus à fluctibus, & ſtrepitu magnorũ conuentuũ, occupatus deniq; humilibus, & ſanctis exercitationibus, in Deũ opt. max. omnes ſuas curas, & cogitationes dirigeret. Quapropter ita ſe comparauit, vt poſtquam in hũc quietis portũ, tamquam ex alto mari, inuectus eſt, ferè ſemper in Inſula habitauerit. Vbi poſtquam comunitatibus ſatisfeciſſet (in quibus aſſiduus erat) operã ſuã collocabat in colendo horto, nudisq; pedibus incedẽs, algam coarceuabat ad ſtercorandum locum oleribus conſerendum. Optimum quidem documentum ad poſteros tranſmittendum. Hoc eodem tempore è vita exceſſit alter religioſus monachus, cui nomẽ fuit frater Saluator, laicus, alta quadã mẽte præditus, paupertatis & religionis obſeruantiſſimus. De quo multi religioſi viri, qui cum illo vixerunt, id teſtantur: & in templo, & in cella varijs & horribilibus figuris, Dæmonẽ illi C ſe ſiſtere ſolitum, quibus ille ope & præſidio Dei facilè reſiſtebat, atq; adeò præ aſſiduitate, & vſu ſimilium viſionum, & laruarum, vt illas omnino vilipenderet. Timens interim ne alij religioſi tantùm animi & roboris haberent ad illas ſpectandas, admonere illos ſolebat, ne noctu certis quibuſdam horis eccleſiam ſoli adirent, cauſam interim huius rei ſubticens: quam tamen plerique fratres non ignorabant: nonnulli enim ſpectra illa interdum etiam ſenſerant. Id quoque vir quidam religioſus fidedignus de hoc ſeruo Dei cõmemorat, aliquoties ſcilicet Virginem Dei matrem illi ſeſe obtuliſſe, id quod ſe ab eo accepiſſe ait, ea lege, ne aliquid euulgaretur, donec ipſe vita cederet, In hac æde aſſeruatur ſpina quædam ex corona, quæ capiti Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti impoſita fuit: quam maximo cultu, & reuerentia capſulæ argenteę incluſam, omnes venerantur, & obſeruant. Cùm verò populus aliquibus malis, & calamitatibus premitur, ſolemni pompa per oppidum inuehi ſolet ad implorandam, & expoſcendã Dei D miſericordiam, vnde contingit, vt ſępè virtute huius ſacroſanctæ ſpinę veniam impetret, & exaudiatur. Sacerdos autem, qui in altari maximo huius conuentus Miſſam celebrat, pro aliqua anima, quę in Purgatorio tenetur, à pœna, quam patitur, eam liberat: quã prærogatiuã Gregorius XIII. Pont. max. conceſſit. Hîc etiam primus Vicecomes fundator huius ędis, habitu B. Frãciſci indutus, in ſacello maximo ſepeliri voluit.

De conuentu S. Franciſci de Orgens. Conu. V.

DVOBVS paſſuũ millibus ab vrbe Viſontio ſitum eſt monaſterium ſancti Frãciſci de Orgens, quod fermè tenent tredecim, aut quatuordecim fratres. Conditum fuit à fratre Petro de Alemancos eo in loco, vbi olim ſacellum quoddam, diuo E patri Dominico ſacrum, conſiſtebat. Patronum autem huius ędis nuncupant fratrẽ Rodericum Gometium à Sylua Luſitanum, Principem olim Eboleſem, quòd caſtella illi finitima habuerit, quòque multis officijs, & eleemoſynis, donęc vixit, monachos ibi degentes affecerit, quòdq; tandem ſacello maximo ſemper prohibuerit eos, qui ibi ſe humari contenderent. Circuinuicini populi fratres proſequuntur amore.

De conuentu S. Franciſci Iamaci. Conn. VI.

INTRA vrbem Iamacum fundatum eſt monaſteriũ ſancti patris Franciſci, quod fere incolunt 12. aut 14. fratres. Donatum fuit huic Prouincię quo tempore patres Conuentuales in Hiſpania reformati ſunt, eſtq; vnum ex 19. quo completus eſt numerus,

numerus, vt iuxta diploma apoſtolicum Prouincia conſtitueretur. Fuerat quondam hoc cœnobium frequens, & antiquus conuentus, qui cùm priſca illa ſtructura, & laxitate ædificiorum, quę iam in aliquibus locis corruerant, parum accommodatus videretur, ſolo penitus æquatus eſt, exceptis templo, & choro. Fratres autem huius Prouincię collectis eleemoſynis illum denuo ad huius Prouincię normam, atq; ſtructuræ rationem aptiſſimè refecerunt. Fontem inſuper ſuauiſſimæ aquæ non ſine magna impēſa ex longinquo in ædem intulerunt, cuius antea penuria laborabatur, nec niſi longa, difficiliq; vectura ad bibendũ importabatur. Nihil verò aut ſcripto, aut certa auditione traditum reperiri poteſt de conditore, primiſque initijs & incunabulis huius loci. Tenet tamen fama in vulgus edita Templarios hanc habuiſſe ædem, priuſquam ad Franciſcanos ipſa deuolueretur. Vir quidam religioſus reperijt lapidem in huius cœnobij pariete locatum, in quo inciſæ erant Latinę literæ ferè iam exeſæ, quibus ſumma cum difficultate perlectis hoc continebatur Anno Domini 1532. vigeſima quinta die menſis Ianuarij obijt Ioannes Ioannis bonæ mmoriæ quondam Abbas eccleſiæ ſancti Petri de Aquias, Cancellarius domini Martini Comitis Portugaliæ, & poſtmodum domini Ferdinandi Sanctij filij Dionyſij Regis Portugalię, qui fecit perfici, fieri, & cooperiri eccleſiam iſtam, & fieri iſtam aueiam, & eſt hic ſepultus in habitu beati Franciſci, vbi ipſe elegit ſepulturam: Cuius anima requieſcat in pace.

De conuentu S. Franciſci prope Turrim à Mencoruo. Conu. VII.

PROPE oppidum, quod Turris à Mencoruo appellatur, Lamaco verò paſſuum millibus ſex & quinquaginta, fundatũ eſt aliud monaſterium S. Frãciſci, quod incolunt fermè decem, aut vndecim fratres. Quam ędem condiderunt religioſi quidã huius Prouinciæ ductu & imperio fratris Antonij S. Vincentij Prouincialis eiuſdem Prouincię, anno Domini 1569. Senatus deuotus huius oppidi Legatos ad ſereniſſimũ Cardinalem Henricum miſit, qui ab eo fratres huius Prouinciæ peterent, à quibus ad virtutem, & obſequium Dei excitarentur, eiusq; opera, & authoritate ædes illic exędificata eſt. Verebantur enim fratres tam longè ab alijs cœnobijs diſiungi. Vtq; opus cõficeretur, aſſignauit ſenatus ſingulis annis certum pecuniarum numerum, donec abſolueretur, qui ad magnam ſummã euaſit. Reliqua confecta ſunt eleemoſynis, quas tum à Rege, tum ab alijs Franciſcani inſtituti ſtudioſis viris monachi ipſi contraxerunt.

De conuentu S. Franciſci prope villam Regiam. Conu. VIII.

IVXTA villam Regiam, ſiue Regalem ſexdecim Lamaco paſſuum millibus ſitũ eſt aliud cœnobium, diuo Franciſco ſacrũ, quod tenent decem, aut ad ſummum vndecim fratres. Hanc ędem accepit frater Antonius S. Vincentij, quo tempore Prouincialis munus obiret, miſſis ſtatim ad illud oppidum fratribus, qui ad eam extruendam aliquid adiumenti compararent. Cùm verò frater Marcus Olyſipponenſis, qui nunc eſt Portuenſis Epiſcopus, Prouincialis eſſet, iuſſit illius ædificationem inchoari, anno Domini 1573. Fabricata eſt eleemoſynis, quas fratres collegerunt, & Marchio oppidi præfati villæ Regalis vnà cum oppidana communitate obtulit. Hîc ſepultus iacet illuſtriſſimi Emanuelis Marchionis filius, qui, quòd multis beneficijs totam Prouinciã afficiat, huius ædis (licèt eã non condiderit) iure quodã ſuo patronus habetur, & agnoſcitur. Quare tñ eum non agnoſcet patronũ, quē ſibi beneficium perpetuò experitur?

De conuentu S. Franciſci in monte Ouens. Conu. IX.

CONYMBRIA paſſuũ millibus ſexdecim, duobus verò ab oppido Pengila in monte, cui nomen eſt de Ouens, ſitum erat paruum quoddã ſacellum ſancti Frãciſci, quod olim aliquot fratres Franciſcani Conuentuales tenuiſſe ferunt, vnde poſtea emigrarunt anno Domini 1460. illudq; nunc etiam noſtra memoria eremitam quendam incoluiſſe conſtat. Oppidani verò ægrè ferentes illud maiorum ſuorum monumẽtum obliterari, illudque vnum ſtudentes, vt locus ille à religioſis incoleretur, à quibus doctrina, & exemplis ad ſalutis viam informarentur, à Prouincia obnixè petierunt, vt vellet ea in parte ędem recipere. Pater autẽ frater Marcus, qui tunc Prouincialis erat,

nunc

A nunc verò Portuenſis Epiſcopus illis aſſenſus eſt,mittens fratres, qui ædem illam prope oppidum ędificarent.Sitũ eius, totumq; ambitũ largitus eſt illuſtriſſimus Dux Auerienſis,qui cum Rege Sebaſtiano in pręlio morte occubuit,additis inſuper eleemoſynis quę ad prouehendam ædificationem adiumento eſſent, præter alia multa beneficia, quę ad ſubleuandam patrum inopiam conferebãt.Auxilio etiam fuit oppidum,quamuis tenui, atque adeò eleemoſynis, quas fratres, alijque fideles Chriſtiani cõtrahere curarũt cœnobiũ ædificatur,quod ferè vndecim aut duodecim fratres capere poterit.

De conuentu B. Mariæ à Laureto prope Tancos. Conu. X.

PROPE oppidum,quod appellatur Tancos,& caſtellum à Templarijs ædificatũ nomine Almourol,ſitum eſt cœnobium Dominę noſtræ à Laureto,quod plerunq; B decem vel vndecim,aut ad ſummũ duodecim fratres incolũt. Hanc etiã ædem accepit F. Antonius S.Vincentij, cœperuntq;religioſi eius ductu, & imperio illã cõdere anno 1570.omnẽ verò poſitionẽ circũ,& partem huius ædis cõſtrui iuſſit pijſſimus Aluarus Contignus filius illuſtriſſimi Comitis eius oppidi,quod Redondo dicitur. Vnde ipſe, & poſteri eius patroni iure optimo habẽtur.Reliqua,quæ ad opus perficiendũ fuerũt neceſſaria,à Rege,& alijs Frãciſcani Inſtituti ſtudioſis hominibus donata sũt fratribus ſatis liberaliter,quorum ope & auxilio tandem is locus in iuſtum euaſit monaſterium.

De conuentu S. Antonij prope Chamuſcam. Conu. XI.

QVATVOR paſſuum millibus à caſtello,quod vulgò vocant Almourol, duobus verò paſſuũ millib⁹ ab oppido,quod appellatur Chamuſca, cõditũ eſt cœno C biũ S.Antonij,quod dicitur do Pinheiro, habitatũ plerũq; ab 11 aut 12 fratribus.Rex autẽ Emanuel,iuſtis quibuſdã cauſis,cũ alijs nonnullis cœnobijs aliorũ Inſtitutorũ illud exædificari iuſſit.Eſt hæc ædes in fide & clientela Regũ Luſitanorũ,eoſque patronos agnoſcit. Fama etiam & auditione à maioribus nata accepimus ſub altari maximo humatos eſſe duos filios Infantis cuiuſdã Portugaliæ.Nullũ tamẽ extat in chartophycio conuentus huius rei teſtimonium.Hæc ædes,& illa inſuper ſacra Dominæ noſtrę à Laureto verno tempore peſtilentiſſimę ſunt, multisq; morbis obnoxiæ, vnde pauci ad modũ fratres illarũ incolæ febrium ardorẽ eflugere poſſunt. Cũq; nulla eſſet opportunitas in Regione illa ad curandos ęgrotos,quod pauci & infrequentes vicini circũ eſſent,medicis interim atq; medicinis carentes,intra xenodochiũ regiũ,quod eſt Scalabiſci largitus eſt Rex Portugalię Sebaſtianus Prouincię huius fratribus cõmodiſſimũ va- D letudinarium,quod ſeparatum habent,& peculiari claue obſeratum cũ medicinis omnibusq; neceſſarijs.Quo etiã pacto alterum huiuſmodi habet Prouincia,quæ de Arrabida nuncupatur.Hîc igitur fratres prædictarum ędium incolę quàm commodiſſimè curantur.Abundat.n. xenodochiũ illud omnibus rebus conuenientibus & neceſſarijs.

De conuentu S. Antonij à Caſtanheira. Conu. XII.

PASSVVM millibus vigintiquatuor à nobiliſſima vrbe Olyſippone in confinio trium oppidorum,quę appellantur Villafranca, Pouos,Caſtenheira, ſitum eſt cœnobium ſancti Antonij à Caſtenheira, quod plerunque incolunt decem & octo aut viginti fratres,& nobiliſſimus eſt totius Prouincię cõuentus.Cõditum verò fuit, à fratre Petro de Alemancos ſocio fratris Gonſalui Marigni, & aliorum qui ex Gallecia ve- E nerunt.Cùm autem eſſet à multis annis ędificatum,& nimia vetuſtate malè affectum, denuò reſtitutum eſt eleemoſynis,opera tamẽ cuiuſdam religioſi laici fratris Georgij à ſancto Bernardino, à ſereniſſimo Rege Ioanne III.impetratis,qui & in ipſum peculiari quodam ſtudio fuit,alijsq; inſuper adiumentis à fidelibus Chriſtianis Franciſcani Ordinis ſtudioſis liberaliſſimè oblatis.Qua in re Comes Caſtenheiræ,illuſtriſſimus videlicet Antonius à Taide,qui tunc rebus Indicis præerat, magno illi uſui fuit,tum decernendis nummis, ex Indiarum rationibus perſoluendis,tum pręſcribẽdo illi alios modos eleemoſynarum contrahendarũ, adeò vt eius ſtudio, & induſtriæ pleraq; omnia accepta referri debeant. Ipſe verò,& maiores eius ſingulari quadam propenſione animi,& voluntate erga fratres huius ędis diui Antonij ſemper fuerũt, Illorũque inopiam &

piam,& paupertatem incredibili ſtudio ſubleuandam ſemper curarunt: à quorum tamen veſtigijs eorum poſteri non recedunt. Vnde iure quidem ſuo patronorum titulum ſuſtinent. Prędictus etiam Comes,qua erat in religioſos voluntate,& obſeruantia,ædes magnificas,ſummoque artificio elaboratas,ſibi prope hoc cœnobium ædificari iuſſit. Aediculam præterea intra templum,ab ea parte,vbi Euãgelium recitatur,affabrè & politè extruendam curauit:in qua & ipſe ſepultus eſt. Spatium autem ſoli ædificando monaſterio ſancti Antonij cum exiguo quodam ambitu elargitus eſt quidam Dominicus Simonis ex oppido Villa franca dicto. Poſtea verò Rex Emanuel mercatus eſt circum circa agros,& poſſeſſiones, quibus ad magnitudinem,quam nunc habet, propagatus eſt circus. Extat in chartophylacio huius ædis diploma Martini V.Pont. max. quo imperabat Priori canonicorũ Regulariũ monaſterij ſancti Vincẽtij Olyſipponenſis, vt ſuo nomine occuparet poſſeſſionem illius cœnobij,& fratribus Minoribus illud traderet. Eſt ibi præterea alterum diploma Pij IIII. Pontif.max. quo adeuntibus, & inuiſentibus ſtatis anni diebus templum huius conuentus plena,& abſoluta peccatorum venia conceditur. Aſſeruatur inſuper in hac æde ſacrum caput vnius ex vndecim millibus virginum. Vixit in hoc cœnobio Guardianus quidam, cui nomẽ erat frater Ioannes ab Outeirò,vir aſſiduæ orationi & pęnitentiæ deditus,qua fama & opinione de moribus,& virtute eius per regionem finitimã diuulgata,contigit, vt ab oppido Caſtanheira puella à Dæmone obſeſſa ad eum ſananda adduceretur, quæ ad conſpectum viri ſancti horribilem fremitum,& clamorem edebat. Ille verò adiurato per Chriſtum Dęmonio imperat,vt confeſtim corpore illo excedat,in eius rei fidem velle ſe,vt tribus ictibus obiter cymbalum percutiat,aſſerens. Id quod perinde fecit:nã & ex corpore continuò effugit, & imperatas percuſſiones edidit,varijs interim conuitijs & maledictis eum,qui ſibi illud imperauerat,conſectans. Puella verò incolumis permanſit.

De conuentu S.Catharine à Carnota. Conu. XIII.

PASSVVM millibus duobus ab Alanquerio anno Domini 1408. conditum eſt cœnobiũ ſanctæ Catharinæ à Carnota(quod vt plurimum 6.fratres tenent)à fratre Didaco Aria Aſture,qui cum ſupradictis religioſis ad Luſitaniam venit. Solũ huic ædi colendæ cum loco,quem habet,mercatus eſt Rex ſereniſſimus Ioannes I. à ſacris virginibus cœnobij,quod vocant de Odiuellas. Anno verò Dñicæ incarnationis 1455. idem Rex Portugaliæ Ioannes, vrbem nomine Exiliſſam, quæ nunc Cepta appellatur, in Aphrica expugnauit, vnde exportatæ ſunt 12. illæ columnæ,quæ in periſtylio eiuſdem cęnobij nunc viſuntur. In hoc autem monaſterio, vt etiam in illo S. Antonij à Caſtenheira,tenuiter admodum,& auſterè ſe id temporis gerebãt fratres, qui fermè omnes laici erant, & diuina quadam ſimplicitate præditi, adeò, vt Alanquerij in conuentu S.Franciſci,quam ædem 30.fratres incolebant,nõ amplius quàm quatuor ſacerdotes degerent:ex quibus aliqui ad ędes Carnotæ, & S. Antonij ad celebrandum rem ſacram mittebantur. Tanto erat illis temporibus ſimplicitas, & rerum humanarum contemptus apud fratres Franciſcanos de Obſeruantia. In hoc igitur cœnobio incredibili pœnitentia ſe ipſos torquebant fratres,longumq; per tempus tribus hebdomadæ diebus ad condienda opſonia ignis apud illos non incẽdebatur. Multi præterea fratres admirabili virtute,& prudentia ſingulari ad clauum Ordinis tenendum,& religionis gubernacula tractanda in hac ipſa æde habitauerunt. Ex quorum numero fuit pater ac frater Vaſcus Correa,qui olim Luſitanicæ Prouinciæ Prouincialiatus munere honeſtiſſimè functus eſt. Hic religioſus vir fratrem habuit Antonium Corream Bairem,cuius,& poſterorum eius eſt ędicula maior huius monaſterij. Idẽ etiam propter ſuum in fratres ſtudium,& aſſiduitatem in ſubleuanda eorum inopia,patronorũ monaſterij circulum meritiſſimè ſuſtinent. Hîc etiam vixit aliquot annos pater ac frater Marcus Olyſipponenſis, Franciſcani Ordinis Hiſtoricus, qui incredibili ſtudio animarum flagrans, crebras ad populum habuit conciones. Edidit præterea Latino ſermone aliquot libros, doctis & literatis hominibus aptiſſimos, nonnullos quoque Luſitanico ad imbuẽdos animos religione,& charitate Dei accommodatiſſimos, fuitq; ſecundus huius Prouinciæ Miniſter prouincialis, nũc verò Epiſcopus eſt Portuẽſis.

De con-

A *De conuentu B. Mariæ Auxiliatricis prope Aluercam. Conu. XIIII.*

OLYSIPPONE ſexdecim paſſuum millibus, duobus autem ab oppido quodã paruo, quod uocatur Aluerca, ſitum eſt cœnobium, cui nomen eſt Domina noſtra Auxiliatrix, in quo fermè habitare ſolent 11. fratres: Conditũ fuit anno Dñi 1546. à Petro de Alcaçoua Carneiro regio Conſiliario, & Præfecto rationibus & vectigalibus regijs, ductu & mandato patrui ſui Ferdinandi ab Alcaçoua, qui inibi ſepulcrum extruendum curauit. Prædictus uerò Petrus de Alcaçoua à Pio IIII. Pont. max. huiuſmodi diploma impetrauit, vt quicunque ſtatis anni diebus puro & contrito corde, atque confeſſi, vel ſaltem animo confitendi peccata ſua hoc ſanctũ templũ adirent, & inuiſerent plenam & abſolutam ſuorũ peccatorũ indulgentiam conſequerentur. Obtinuit etiã, vt ſanctum caput vnius ex vndecim millibus Virginum cum alijs multis B Sanctorum reliquijs ex vrbe Roma ad hanc ædem importaretur. Cuius ipſe, & poſteri eius patroni ſunt. Fuit primus huius cœnobij Guardianus pater ac frater Bartholomæus, vir & humilitate maxima, & charitate præditus: adeò auſterus, & pœnitẽtiæ deditus, vt nec carnibus, nec piſcibus fermè veſceretur. Cæterùm nec propterea cùm Prælati munus obiret, rebus neceſſarijs ad alendam communitatem non prouidebat, imò potius vniuſcuiuſque indigentiæ diligentiſſimè conſulebat. Cùm uerò vrbem Olyſipponem adiret elephantiacos ſemper inuiſebat, ſpirituali alloquio eorum miſeriam alleuans, eorumq; tolerãtiam mirificè adhortans. Neque interim obliuiſcebatur aliquid illis corporalis alimenti deferre, poma ſcilicet ex horto, & quicquid aliud comparare poterat. Vnde admirabilem ſanctitatis opinionẽ apud ægrotos illos obtinuit. Neq; id C immeritò: multa enim & certiſſima documẽta vitę ſanctiſſimè actæ omnibus reliquit.

De conuentu ſancti Antonij Olyſipponis. Conu. XV.

AEDEM ſancti Antonij, quę ſita eſt Olyſipponis in parochia ſancti Ioſephi extra portam ſancti Antonij, oblatam ſibi accepit frater Antonius ſancti Vincentij, non ſine controuerſia & interceſſione Prouinciarum tum Portugaliæ, tum Algarbiorum, tum quoq; Arrabidę. Habent enim in ea vrbe monaſteria, quę eleemoſynis oſtiatim petitis ſuſtentantur. Verùm cùm hæc Prouincia à Luſitana ſeparata fuiſſet, haberetque prope eam vrbem aliquot ædes, viſum eſt conducere, vt haberet etiam in illa ędem aliquam, quò fratres aliarum incolæ, qui, vt rebus neceſſarijs prouideant, vrbem adeunt, ſe reciperent, & cùm fortè in morbos incidiſſent, in promptu illis eſſet va-D letudinarium, quòd vrbs illa omnibus ijs rebus ſufficere poſſet. Vnde effectum eſt, vt & ſtudio ſereniſſimi Cardinalis Henrici, & induſtria primi Prouincialis fratris Antonij à ſancto Vincentio, aliorumque religioſorum ædificari cœperit prædictum cœnobium, anno Domini 1570. Locus vbi nunc ſita eſt prędicta ædes fuit olim ager vectigalis patrum Dominicanorum eiuſdem vrbis, quem ipſi liberaliter elargiti ſunt. Regionem vero totius circi donauit quidam Didacus Botellio. Cœnobium autem ipſum exędificatum eſt eleemoſynis, quas fratres à Rege, & alijs deuotis collegerunt. Ex quorũ numero fuit Hieronymus quidam à Conymbria, qui teſtamento illis reliquit quatuor aureorum millia, quique eodem in monaſterio ſepultus eſt. Hęc Prouincia nullas habet ſcholas ad vacandum literis, neque etiam moris eſt Prouinciarum Recollectarũ in hoc Regno gymnaſijs operam dare. Prouincia tamen Portugaliæ certam aromatũ E quantitatem in omnes ædes diſtribuẽdam ſingulis annis à Regibus obtinuerat. Cùm verò non eſſet illi facultas, & opportunitas ad ædificãdum Conymbriæ collegium, petiuerunt fratres à ſereniſſimo Rege Ioanne huius nominis tertio, vt permitteret prædictam aromatum ſummam in victum, quo fratres in collegio alerentur conferri & commutari. Qua re impetrara à Rege ædes Conymbrię hac fide compararunt, vbi nũc collegium eſt ſancti Bonauenturæ. Cùm verò ædes noſtrę è numero olim fuerint Prouinciæ Portugaliæ, aromatumque diſtributio ad illas etiam pertineret, noluerunt Prouinciales huius Prouinciæ de iure quod in collegium habebant cedere: omnis enim aromatum ſumma illuc confertur. Rationibus itaque pro rata portione ſupputatis, 4. loca Prouincię huic obuenerunt, quę nunc in eodẽ S. Bonauẽturæ collegio poſſidet.



PROVIN-

PROVINCIA S. IOANNIS BAPTISTAE.

A PROVINCIA S. Ioannis Baptiſtæ ex Prouincia ſancti Ioſephi patrum apud Hiſpanos Diſcalciatorum nobis prodijt, & Murciæ, atq; Valentiæ Regna, in quibus & ſexdecim fratrum conuentus, monialium verò nullum obtinet, ſuis finibus complectitur. Obtinuerat ſiquidem, dum Cuſtodiæ limites minimè egrederetur, apoſtolicũ à ſummo Pontifice Pio IIII. diploma, vt cùm primùm eius domus denarium numerum attigiſſent, Prouinciæ dignitatem ſibi aſſumere poſſet. Temperauit ſibi nihilominus, licèt 13. loca diuerſis in partibus erecta haberet, ab huiuſmodi titulo vſq; ad annum Dñi 1577. Tunc enim Gregorio XIII. Pont. max. atq; R. P. F. Chriſtophoro à Capiteſontium totius noſtri
B Ordinis generali Miniſtro, ex præfata ſibi facta facultate in Prouinciã ſub antiquiori S. Ioannis Baptiſtę titulo euehi voluit. Cuius quidem euectionis in Capitulo generali Pariſijs, anno à partu Virgineo 1579. celebrato confirmationem accepit. Maius eius ſigillum diui Ioannis Baptiſtæ deſerto in loco ſtantis, pelliceaq; tunica induti, atq; agnum dextro indice promentis, nec non & crucem ſiniſtro brachio amplexantis iconem, ſimul atq; ſequentes literas: S.M.M. PRO. PROVIN. S. IOAN B. PATRVM. DISCALCIATORVM. orbiculatim continet. Ne autẽ Dñico eidẽ præcurſori iniuriã feciſſe videremur, ſi quempiã aliũ ſanctũ præſenti Prouincię præpoſuiſſemus, eius imagine graphicè depicta eã pro ſolito more honeſtare voluimus.

C *De conuentu S. Ioſephi Elchij.* *Conu. I.*

CVM nobiliſſima Ioãna à Portugalia Elchenſiũ Marchioniſſa maxima volũtatis inclinatione in Prouinciæ S. Ioſephi patres propenderet, cuperetq; Elchij quod Valẽtini Regni oppidũ eſt, conuentũ illis erectum, datis illorũ duobus commẽdatitijs literis Elchenſium proceres monuit, vt ſi tum ſibi, tum quoq; populo conſultum cuperent, & præfatos patres benignè exciperent, & illis locum ędificando conuentui accommodatum apud ſe deſignarent. Pręfatis igitur proceribus annuentibus, & plurima ad huiuſmodi opus conferentibus adfuit ipſa heroina, fuitq; in cauſa, vt hic
D conuentus, beato Ioſepho dicatus, & à 20. fratribus incultus, non longè à præfati oppidi vallo omnibus ſuis numeris abſolutus, anno Domini 1558. nobis acceſſerit.

De conuentu Dominæ noſtræ de Pietate. *Conu. II.*

CVM huius Prouinciæ fratres, alterius conuẽtus in Regno Valentię erigendi cupiditate ducti, cryptã quãdam inſalubrẽ omnino, ſolitariam atq; ab hominũ frequentia procul, ad 9. lapidẽ à ciuitate Valentia aliquandiu, non abſq; proprię ſalutis iactura inhabitaſſent, pijſſimus heros Federicus à Portugalia eorũ incõmodis ex charitate compatiẽs, illis & eccleſiã S. Marię de Pietate ſacram, & contiguũ monaſterium
E longius à præfata crypta in eius oppidi, quod Solana vulgò nũcupatur, ſibiq; parebat, territorio ex domeſticis facultatibus, anno Domini 1558. extruenda curauit. Præfati itaq; herois beneficio factum eſt, vt 10. fratres multò melius hoc in loco ſe habeant.

De conuentu Dominæ noſtræ de Laureto Monfortij. *Conu. III.*

ASSVEVERANT oppidi Monfortij (vulgò Monfort) habitatores, idq; ex pia quadam deuotione, ſingulis annis in menſe Aprili, quo tempore, opportuna deficiente pluuia, illius patriæ ſegetes maiori ex parte areſcunt, fonticulum quendam, longiuſculus ab eorum oppido diſtantem, proceſſionaliter accedere, atq; crucem eius aquis tertiò immergere, Deum opt. max. interim deprecantes, vt illis aquarum abun-

dantiā ſuppeditare dignaretur. Relaturi igitur diuinæ Maieſtati, quòd ſæpius eius bonitate intentū obtinuiſſent, aliquales gratiarū actiones, ædiculam ſiue potius eremitorium ibidem erigendum decreuêre. Cùm autē de ſancto, cui ſacrandum veniret, inter ſe controuerteretur, in eam tandē ſententiā ab oībus ventum eſt, vt ei cœlicolæ dicatū euaderet, cui locus in litanijs, dum ſacerdos ad fontē perueniret, fortè fortuna contingeret. Præfato itaq; Parocho intonante verſiculum: *Sancta Maria ora pro nobis*, cùm eius pes fontis marginē tetigiſſet, decretum ab oībus extitit, vt huiuſmodi eremitoriū natiuitati B. Mariæ ſtatueretur. Vocatur tñ paſſim Dña noſtra de Laureto. Vt igitur primùm & ædicula, & contiguum tuguriolū extructa fuêre, adfuit P. quidā Mercenarius, qui eius obſequio intenderet. Cumq; is quodā mane rem ſacrā facturus corporalia explicaret, paruulā B. Virginis imaginem illis inuolutā ex inſperato inuenit: idq; miraculo tribuens, eā in ſacrariū honorificè recondidit, atq; totius rei euentū oppidanis aperuit. Applicuerunt fortè illis diebus Monfortio aliquot huius Prouinciæ fratres, quorum paupertate, viuendi modo atq; conuerſatione ſummopere delectati eius incolæ, præfatā ædiculam, in conuentū 10. continendis fratribus accommodatū, anno Dñi 1558. euexerunt. A quo etiam tempore pręfata imago miraculis coruſcare cœpit.

A

B

De conuentu S. Iacobi Almanſæ. *Conu. IIII.*

CVM huius Prouincię fratrum fama ad Murcianum vſq; Regnū penetraſſet, eius oppidi, quod Almanſa Hiſpanicè nuncupatur, atq; in ſpiritualibus Carthaginēſium Epo, in tēporalibus verò Villenico Marchioni paret, maiores natu illis apud ſe conuentum ædificandum ſtatuêre. Quamobrē apoſtolica authoritate impetrata, hanc domum, S. Iacobo Apoſtolo, non longè à præfati oppidi vallo, anno Dñi 1562. extruēdam curarunt. Cui deniq; deuotus quidam oppidanus nomine Ioannes Merinus monaſterium, 12. continēdis fratribus aptiſſimum, priuatis ſuis ſumptibus annexuit: atq; ſe ſuosq; ſucceſſores & hæredes eius reparationi, atque reædificationi (quoties opus fuerit) ex lege & ex pacto aſtrinxit. Duos itaq; ſui authores, nēpe oppidi proceres ſiue ſenatum, & præfatum Ioannem Merinum agnoſcit hic locus: qua etiam de cauſa & iſti princeps ſacellum, & illis quod reliquum eſt eccleſiæ patronatus iure deſeruit.

C

De conuentu S. Annæ Villenæ. *Conu. V.*

SVI authorem agnoſcit Minoriticus hic conuentus, B. Annæ ſacer, atq; non procul à Villena Carthaginenſis diœceſis ciuitate erectus, eiuſdem ciuitatis ſenatum: cùm ab eo circa annum Dominicæ incarnationis 1564. ædificatus fuerit, atque decem fratres ſui accolas ex pijs eiuſdem, atq; quotidianis eleemoſynis honeſtè ſatis ſuſtentet.

D

De conuentu S. Franciſci Teclæ. *Conu. VI.*

OCCVPARANT, idq; anno Domini 1565. huius Prouinciæ fratres ædiculā, B. Mariæ Magdalenæ ſacram, atq; ſeſquimilliari à Tecla Carthaginēſis dięceſis oppido diſtantē: inibiq; per 17. continuos annos incommodè ſatis ob aquarum penuriam, atq; ob plurimas alias, quibus premebantur, difficultates commorati ſunt. Quibus deniq; Teclana communitas ſummoperè compatiens, præſentē conuentum, B. P. Franciſco dicatum, non ita procul à communi oppido Tecla, communibus ſumptibus, circa annum à mundi redemptione 1582. à fundamentis extruendum curauit. Præterea & decem religioſos fratres eius accolas omni beneficiorum genere proſequitur.

E

De conuentu S. Annæ de Monte. *Conu. VII.*

AD eandem quoq; Carthagineñ. dięceſim ſpectat id oppidum, quod Tumilla Hiſpanicè nuncupatur, cuius habitatores præcedentium Teclanorum pietatē imitati, hanc ſacrā ædem in B. Annę de Monte honorem, ad 3. lapidē à pręfato oppido Tumilla, circa annum Dñi 1574. perfici, atq; huic Prouinciæ adijci ex apoſtolica authoritate curarūt. Quia verò pręfatus hic conuentus in ſeceſſu, & procul ab hominum frequentia ſitus eſt, maxima perfruitur tranquillitate, atque decem fratribus eius accolis, vt ſe totos ſpiritui, diuiniſq; contemplandis rebus dedant, ſummopere fauet.

De conuentu

A *De conuentu S. Antonij de Padua Aioræ. Conu. VIII.*

HIC conuentus, B.P. Antonio de Padua dicatus, cōmunibus Aiorenſiū ſumptibus non longè ab Aiora Valentini Regni oppido anno 1574. ædificatus extitit. Hunc decem fratres frequentius incolunt, atq; 2. oſſa alterum quidem vnius ex vndecim millibus virginum, alterum vero B. Antonij Paduani ſibi, à deuotiſſima atque pientiſſima Leonora Manuel Nauarrēſium Marchioniſſa liberali dono data, religioſè cohoneſtāt.

De conuentu S. Ioannis Baptiſtæ Valentiæ. Conu. IX.

CVM præſens conuentus, Dominico præcurſori ſacratus, aliquantulum à Valentia inſigni citerioris Hiſpaniæ ciuitate, anno 1575. ædificari cœpiſſet, nec eius opus adeò promoueretur, pijſſimus, atque nobilis ſacerdos Rocca Valentinæ matricis eccle-
B ſiæ Decanus id ſibi derelictū exiſtimans, quicquid ad oneris perfectionē deſiderari poterat, ex domeſticis facultatibus contulit, præſtititque. Idq; tāta liberalitate atq; munificentia, vt præfatus hic cōuentus, qui antiquitatis iure nonū in hac Prouincia locū obtinet, principē impræſentiarū meritò teneat, atq; ipſi Prouinciæ nomē dederit. Inhabitatur à triginta fratribus, quorū 2. iunioribus ſacerdotibus ſacrā prælegunt Thoſophiā.

De conuentu S. Onuphrij Setabis Conu. X.

REVERENDISSIMO Ioanne à Ribera Valentinorū Archiepiſcopo, & nobili heroē Hieronymo Ferrerio Setabenſis ciuitatis Præfecto id maximè ſolicitantibus, hoc ſacrum monaſterium, ſub diui Onuphrij tutela ex publicis ciuium prouentibus, non lōgè à Setabi (vulgò Xatiua) citerioris Hiſpaniæ ciuitate, anno Domini 1576. conſtructus, atque duodecim huius Prouinciæ fratribus inhabitandus extitit traditus.

C *De conuentu Dominæ noſtræ de Angelis Almenaræ. Conu. XI.*

EODEM prorſus anno Domini 1576. hæc ſacra ædes, S. Marię de Angelis dicata, in qua 10. frequentius fratres inhabitant, non procul ab Almenara Valentini quidem Regni, ſed Dertoſanæ diœceſis oppido, conſtructa extitit. Quæ tanto felicius eius accolis inſeruit, quanto magis ſæcularium frequentiam, & conuerſationem fugit.

De conuentu S. Sebaſtiani Caſtallæ. Conu. XII.

HIC conuētus, S. Sebaſtiano ſacer, atq; à 10. fratribus incultus, à pia Caſtallēſi cōmunitate, anno 1576. ex publicis facultatib⁹ à fūdamentis ad verticē ędificatus eſt.

De conuentu. S. Antonij de Padua. Conu. XIII.

D QVA cura fuerit pia eius pagi, cui Benigamir Hiſpanicè nomen eſt, communitas quo ad huius Prouincię fratres hinc liquidò cōſtat, quòd cū diuitijs minimè afflueret, nihilominus tamen hunc conuentū, beato patri Antonio de Padua ſacrum, anno Domini 1576. erigendū, atque eorum decem in hahitatationem tradendum curauerit.

De conuentu Dominæ noſtræ de Roſario, Conu. XIIII.

CVM huius Prouinciæ fratres antiquū eremitorium, dominæ noſtrę de Gratia ſacrum, ac longiuſculùs à Villa regia Dertoſanæ diæceſis oppido diſtantem per aliquot annos incommodè ſatis occupaſſent, ſeriuſque quòd plurimis quaterentur difficultatibus, de eo relinquendo agerent: pia eius communitas, ne religioſorum præſentia ſe aliquando deſtitui contingeret, hunc conuentum, dominæ noſtræ de Roſario ſacrum, alio in loco ſalubriori, atq; commodiori, ac propius ipſum oppidum, anno ſalu-
E tis 1578. ædificandū curauit. Quo tandē factum eſt, vt 10. fratres ibidem commorentur.

De conuentu S. Franciſci Benicarlon. Conu. XV.

PRÆSENS conuentus, ſeraphico patri Franciſco erectus, apud oppidum Benicarlon Dertoſanę diœceſis perſeuerat: qui anno à mundi redemptione 1578. ędificatus extitit, & à decē huius Prouinciæ fratribus cōmodè ſatis pro modulo inhabitatur.

De conuentu S. Benardini apud S. Matthæum. Conu. XVI.

DEVOTI incolæ oppidi S. Matthæi Dertoſanæ diœceſis hanc ſacram ædem, quam & 12. huius Prouincię fratres iuxta votū inabitant, in B.P. Bernardini honorem aliquantulum à vallo, idq; anno reſtitutæ ſalutis 1582. à fundamentis ædificarunt.



PROVIN-

PROVINCIA GRANATENSIS.

A CVM in Prouinciæ Bæticæ exordio fuſius vtcumque de huius præſentis
origine, progreſſu atque diuiſione egerim, non erit quòd inpræſentiarum,
quę ibi dicta ſunt, repetamus: ſed vt paucis tantùm, leuiſſimoq; ſtylo quic-
quid ommiſſum fuit, ſuppleamus. Fuit igitur hæc Prouincia aliquãdo Pro-
uinciæ Caſtellæ Cuſtodia: quæ tamē ex apoſtolica Alexãdri VI. Pont. max.
authoritate, catholicis Hiſpaniæ Regibus Ferdinando atque Eliſabetha eius coniuge
maximè inſtantibus, in prouincialibus Comitijs Hiſpali à Prouincię Caſtellæ patribus
habitis, idq́ue ex R.P.F. Franciſci Sanſonis totius noſtri Ordinis generalis Miniſtri, cœ
terorumq́ue, quorum intererat, patrum decreto facto in generali Capitulo Mechliniæ,
B quæ ad Colonienſem Prouinciam tunc ſpectabat, anno à partu Virgineo 1499. celebra-
to, in Prouinciam ſub Bæticę cognomine euecta, cùm per 83. continuos annos eo in ſta
tu perſeueraſſet, mirumq́ue in modum excreuiſſet, à me in duas, nempe in Bæticam &
in Granatēſem Prouincias ex apoſtolica Gregorij XIII. Pont. max. authoritate, eius ta-
men patrum conſenſu accedente, xj cal. Martij, anno verò Domini 1583. eo in Prouin-
ciali Capitulo, quod Beaciæ ijſdem temporibus celebraui, diſtinxi, diuiſiq́ue. Comple-
ctitur pręfata hæc Prouincia 3. Regna, Granatenſe ſcilicet, Giēnenſe atque Cordubēſe:
& ab Oriente Carthaginenſem, ab Occidente Bæticam, & ab Aquilone Angelorũ Pro-
uincias ſibi contiguas habet. A Meridie verò nulli opponitur, ſed Mediterraneo mari al-
C luitur. Cuius longitudo à Corduba celebri ciuitate ad vſque Abdaram (vulgò Almeria)
quoq; ciuitatem protenditur: latitudo verò id ſpatij, quod inter Granatam, & oppidum
Linares Hiſpanicè nuncupatum eſt, continet. Maius eius ſigillum duos patres Minori-
tas, atque inclytos Chriſti martyres, beatum videlicet Ioannem à Cetina ſacerdotem,
atque fratrem Petrum à Dueñas laicum profeſſum, qui Granatæ, ob catholicę fidei con
feſſionem, ab impio Mahomad à Bembalua XII. Granatenſium Rege Mauro, anno
1397. occiſi, martyrij palmam conſequuti ſunt, paruamq́ue crucem eorum capitibus ſu-
perſtantem, atq; malum punicum, ſiue granatum, quod Granatenſis Regni inſigne eſt,
eorũdem pedibus ſubſtantem, nec non & ſequentes literas: SIGILLVM. MINI-
D STRI. PROVINCIÆ. GRANATENSIS. orbiculatim imprimit. Con-
flatur deniquę hæc Prouincia, cui præfatos ſanctos martyres, tamquam eius tutelares,
patronoſq; præponēdos cenſui, ex viginti ſex fratrum & viginti ſororum monaſterijs.

De conuentu S. Franciſci Cordubæ. Conu. I.

MAGNA ptofectò fuit priſcorum ſæcularium tum eccleſiaſticorum, tum quoq;
laicorum ad noſtrum Ordinem deuotio, atque beneuolentia, prout ex conuentuũ
ædificijs, atque ex pactionibus & conuentionibus cum eorum habitatoribus factis fa-
cillimè conſtat. Nec abs re quidem, cùm exurgentibus tunc nouellis illis Franciſcanis
E plantulis, mireq́ue redolentibus, quilibet ſuauiſſimo earum odore allectus eis pro uiri-
bus frui contenderet, nec facilè ob earum teneritudinem (non enim tunc tam latè ſicut
nunc Ordo patebat) poſſet. Quod maximè erat in cauſa, vt ab oppidis, ciuitatibus, atq;
heroibus ſibi omnis fauor, omnis neceſſitudo, atque omnis denique bona ſocietas, dum-
modò apud ſe commorari vellent, promitteretur. Exiſtimabat ſiquidem vnusquiſque
Deũ ſibi fore propitium, ſi tamen alicuius Minoritæ oratio pro ſe intercederet. Imò illa
cõmunitas omnia bona ſibi pollicebatur, quę ſuis finibus Minoriticum conuentũ circũ-
ſcriberet. Si tamen propter iſta, quæ diximus, alicui ſcrupulus fortè ſuboriatur, matricis
eccleſiæ Cordubenſis archiuos petat, eorumq́; ſcripturas cõſulat, & ex eis multò plura,
quàm præfati ſumus, addiſcet. Cùm igitur, ſuperſtite adhuc ſeraphico Patriarcha Frã-
ciſco

ciſco ipſius fama ad Cordubenſium aures perueniſſet, ſummis votis inſtarunt, vt eius fi- A
lij locum ſibi Cordubæ, quæ Hiſpaniæ Bęticæ ciuitas eſt, & Senecæ, atque Lucani nati-
uitatibus illuſtrior euaſit, ad futuram habitationem deligerent. Quibus denique annuen
tibus quod ſequitur mandatum à venerabili patre Samuele Prouinciæ Caſtellæ Mini-
niſtro datum eſt. *Vniuerſis in Chriſto fratribus, ad quos iſtæ literæ peruenerint, frater Samuel
Miniſter, & ſeruus fratrum Minorum in Caſtella ſalutem, & pacem in Domino Ieſu Chiſto.
Præſentis vobis ſcripti ſerie notum fiat, me ad inſtantiam, & deuotam petitionem venerabilium
canonicorum Capituli S. Mariæ de Corduba conceſsiſſe eiſdem omnimodam ſocietatem & fami-
liaritatem, omniumq́ bonorum plenariam participationem, quæ per Ordinem noſtrum vbique ter-
rarum Dominus dignabitur operari. Volo etiam, & mando ſpecialiter fratribus apud Cordubam
commorantibus, vt cùm contingat aliquem ſupradictorum canonicorũ viam vniuerſæ carnis in-
gredi ex hoc mundo, teneantur pro eo, ſicut pro vno fratre, diuinum Domino officiũ exhibere: & B
propter hoc aliqui de ipſis fratribus interſint exequijs, cùm à dictis canonicis defunctus debeat
ſepeliri. Si qui verò ex prædictis canonicis, dominis, & amicis ſepulturæ fratris noſtri defuncti
voluerint intereſſe, cedant eis fratres in officio Miſſæ, ſi ipſi voluerint in hoc Domino deſeruire.
Vt autem hæc noſtra conceſſio robur obtineat, firmitatis ſigilli Prouinciæ noſtræ feci munimine cō
firmari. Valete in Domino, & orate pro me. Datis Cordubæ anno Domini 1246. menſe Iulij vlti-
ma die Dominica eiuſdē.* Nec admiratione caret, quòd cũ à trecentis quadraginta annis,
& eo amplius huiuſmodi conuentio, atque ſocietas inter præfatos canonicos ac fra-
tres noſtros inita ſit, adhuc ab iſtis, atque ab illis ſeruetur. Volui tamē præfatum patris
Samuelis mandatum in medium afferre, tum vt Cordubenſis Eccleſiæ canonicorum ad
noſtros fratres pietas, tum quoque præſentis conuentus; beatiſſimo patri, Franciſco in-
tra Cordubenſis ciuitatis mœnia erecti, atque à 100. fratribus frequentius inculti, an- C
tiquitas in propatulo eſſent. Quæ quidem antiquitas, deperditis prę temporis diutur-
nitate ſcripturis, in cauſa eſt, vt præſentis loci fundatores, atque certum fundationis tē-
pus penitus ignorentur. Non tamen idem eſt de eius fundo iudicium, cùm ipſum à per-
deuotis Iuliano Piretio, atque Maria Piretia Cordubenſibus ciuibus fuiſſe donatum, ex
literis inferiori clauſtro impreſſis liquidò conſtet. Aſſeruantur in præſentis loci tabella-
rio duo apoſtolica breuia: alterum Leonis X. Pont. max. datum Romæ 15. Aprilis, anno
Domini milleſimo quingenteſimo decimo ſexto, Pontificatus verò ſui anno 4. ne quis
Franciſcanus, licèt apoſtolicis literis communitus, ad alium quempiam etiam Mēdicā-
tium Ordinem, dummodò ſtrictior non ſit, & ſibi prouincialis, vel generalis Miniſtri
facultas non faueat, tranſire poſſit. Et alterum Clementis Papę VII. datum Romæ
26. mēſis Iulij, anno Domini 1533. Pontificatus verò ſui anno 10. quo cuilibet Minoriti- D
co Prælato apoſtolicas literas vel fratri, vel ſorori Frāciſcanis, vt ad laxiorem Ordinem
tranſire, vel extra Ordinē manere poſſint, conceſſas examinandi poteſtas ſit: vt ſi huiuſ-
modi clauſula ſuorum ſuperiorum petita, & obtenta licentia, in eis inſerta minimè fue-
rit tamquam ſubreptitiæ, atque de veritate ſuſpectæ habeātur. Si vero præfata clauſula
inſerta ſit, vt huiuſmodi perſonas ab Ordine egreſſas diſtincto habitu ab eo, quem in cō
uentibus commorantes deferunt, vti compellant. Aſſeruantur & duæ patentes literę ab
Alphonſo huius nominis X. Caſtellæ Rege datæ. aliæ quidē 14. Decembris, anno 1264.
aliæ verò 7. Aprilis, anno Domini 1266. quibus huic loco eā fluētis aquæ portionē, quæ
per diſtinctos ſiphones ad neceſſarias eius officinas deducitur, liberaliſſimè cōceſſit. Sũt
qui dicāt, & hoc ipsũ aſſerere videtur antiquior, ſcriptura in præſentis loci chartophyla
cio cuſtodita, cuius verba ſequuntur: *Requieſcunt in ſupradicto monaſterio corpora ſanctorũ* E
*martyrũ fratrũ Minorũ, qui paſſi ſunt Granatæ propter ſancti Euangelij prædicationē, anno Do-
mini 1397.* ſcilicet beatos martyres Ioannem à Cetina, atque Petrũ de Dueñas (quo-
rum ſupra meminimus) ſepulturam hoc in conuentu eſſe adeptos. Quod autem an ve-
rum ſit, aliorum eſto iudicium: nam ego, licèt diligentiſſima indagine adhibita, nec eo-
rum ſepulturam, nec aliquid certius à præfata ſcriptura, mihi tamen minimè authen-
tica, ea de re inuenire potui. Honeſtatur denique ſacra hæc ædes quadam Dominicæ
crucis particula, & aliquot oſſibus eorum beatorum martyrum Minoritarum, qui Mar
rochij, atque Granatæ martyrij palmam pro Chriſti Saluatoris fide glorioſè conſe-
quuti ſunt, atque etiam aliorum ſanctorum reliquijs, ſed abſque titulis condecoratur.

De conuen-

A *De conuentu S.Franciſci Vbetæ. Conu. II.*

QVAMVIS vniuerſa præſentis conuentus,non procul ab Vbeta Bętica ciuitate in ſeraphici patris Franciſci honorem erecti, ſcripta quàmdiligentiſſimè ſcrutari,rimariq; curarim,nullo tamen pacto,oleum interim,atq; operã perdens,quis eius author fuerit,quoúe certo tempore ædificatus ſit,aſſequi potui. Quapropter ad receptiſſimam antiquiorum traditionem,tãquam ad ſacram anchoram confugiens,eum hunc 2.locum optimo iure obtinere,atq; vnum ex vetuſtioribus eſſe didici. Cui quidẽ traditioni teſtamentum quoddam datum Vbetæ,anno Dñi 1364. aſtipulari videtur. Conſtituitur ſiquidem eius exequutor quidã F. Bartholomæus Hiſpalenſis,huius tũc loci omnino perfecti,atq; vtcunq; grãdeui Guardianus.Inter cætera præſentis monaſterij,à 50.fratribus,quorum alter Prælectoris officio inſignis iunioribus ſacerdotibus
B Philoſophiam perlegit,frequentius inhabitati,monumẽta, quæ ſequuntur, ad noſtrũ propoſitum facere depręhendi.Diploma videlicet quoddam Pauli III. Pont.max.datum Romæ 19.Februarij,anno Dñi 1536.Pontificatus verò ſui anno ij.quo Clariſſę, Cõceptioniſtæ,atq; Frãciſcanæ Tertiarię ſorores omnes à quauis decima,atq; à quocunq; ſubſidio pendendis immunes redduntur. Et aliud Iulij III. ſummi itidem Pont. datum Romę 30.Auguſti,anno Dñi 1553.Pontificatus verò ſui anno iiij.quo Expectationis B.Virginis ſacellum hoc in eodem loco erectum, atq; ad eiuſdem Chriſtophori ab Hortega hæredes pertinens à primis Annunciationis B. Virginis veſperis vſq; ad ſequentis diei ſolis occaſum deuotè viſitantibus plenaria omnium exceſſuum indulgentia,ad perpetuam rei memoriam duratura, Aſſiſinati S.Mariæ de Angelis (hanc de Portiuncula alio cognomine vocant) eccleſiæ conceſſa ex apoſtolica auctoritate im-
C pertitur.Et aliud Pauli Papæ IIII.datum Romæ 23.Nouembris,anno Dñi 1558. quo omnes indulgentiæ & gratiæ pręfato ſacello conceſſæ ex maxima liberalitate confirmantur.Huic diplomati,edita bulla ſub datum Romæ 2.Iunij anno Dñi 1561.Pontificatus verò ſui anno ij.ſubſcribit Pius IIII Pont.max. Gaudet pręterea à præmemoratis indulgentijs huiuſmodi ſacellum omnibus gratijs,atq; immunitatibus,quibus Romana Lateranenſis eccleſia gaudere aſſueuit: idq; ex literis ab eiuſdem eccleſiæ Lateranẽſis Capitulo,atq; canonicis in eius fauorem 8.Octobris,anno Dñi 1558. datis. Ad noſtram quoq; rem pertinet priuilegium à ſereniſs.Ioãna Hiſpanorum Regina, datũ Madriti 2.Aprilis,anno Dñi 1510.& ab eius filio Carolo X.inuictiſſimo Germanorum Imperatore 5. Octobris, anno Dñi 1555. nec non & ab eius ex eodem Carolo nepote
D Philippo II.catholico Hiſpaniæ Rege 13.Septembris, anno Dñi 1558. confirmatum, apoſtoliciſq; pręcedentibus literis adiacens,quo aſſignati à Franciſcanis Guardianis ijs locis,in quibus Minoritici conuentus erecti non ſunt, vt pauperculos fratres itinerantes,ſeu ex propoſito diuertentes proprijs domibus excipiant hoſpites,à regio milite recipiendo, vel à ſibi vtenſilia, aut alimenta miniſtrandis omnino eximuntur. A cætero huius loci eccleſia fragmẽtulo eius columnæ, ad quam Chriſtus Dominus pro nobis peccatoribus flagellandus alligari voluit,quodam, licèt minutulo, beati Pauli Apoſtoli oſſe, duobus capitibus duarum ex vndecim millibus virginum & martyrũ, aliquantulo beatiſſimi atque ſeraphici patris Franciſci ſanguine,vitreo vaſculo excepto,atq; quibuſdã Terræ ſanctæ reliquijs religiosè ſatis exornatur,condecoraturq;.

De conuentu S.Franciſci Beatiæ. Conu. III.

E PROVT ex apoſtolicis quibuſdã Gregorij XI. Pont.max. literis datis Auinionis iiij.Kal.Iulij,anno Dñi 1373.noſtri fratres antiquiorem quendam locum ſub inuocatione S.Leonis,non longè à Beatia Bętica ciuitate,circa annum Dñi 1370. inhabitabant.Cuius tamen quanta fuerit ætas,deficientibus omnino ſcripturis, nullo pacto inueſtigari valuit. Eo tamen ob imminentia Beatianæ eidem ciuitati à Mauris bella, circa annum Domini 1370.ad terram deiecto,penituſq; demolito, alius ſeraphico patri Franciſco ſacratus,atq; à 50.fratribus incultus, (de quo imprę ſentiarum) ex apoſtolica præfati Gregorij XI.authoritate,intra præfatæ vrbis ambitum,ex publicis atq; vrbanis facultatibus, (vti credere licèt) nam quis peculiaris eius fundator fuerit nec

ſcripto,

ſcripto,nec traditione conſtat, adde quod antiquior ex Beatiani ſenatus decreto ruinam perpeſſus) anno Dñi 1373.erigi cępit: qui tamen temporis lapſu abſolutus extitit. Aſſeruantur in præſentis loci archiuis plures pontificiæ literæ, quæ tñ,quòd nihil, vel certè parum ad noſtram rem pertineant,ex conſulto prætermittuntur. Quibus nihilominus authenticũ apoſtolici cuiuſdam breuis Clemẽtis VII.ſummi Pont.dati Romæ 19.Martij,anno Dñi 1525.Pontificatus verò ſui anno ij. trãſumptũ adiacet, quo in ſanctæ obedientiæ virtute, & ſub excommunicationis maioris latæ ſententiæ pęna vniuerſis Prouincialibus,Guardianis,fratribusq; regularis Obſeruãtiæ Minoribus in Hiſpania degentibus interdicitur,præcipiturq;,ne aliquẽ, ſiue aliquos trahentem, ſiue trahentes originem,ad quartã vſq; generationẽ incluſiuè, tam ex parte matris,quàm patris à conuerſis, ſiue ex Iudæis, ſiue ex hæreticis pro talibus condemnatis & declaratis in vita,ſiue in morte,vel ipſi,aut eorũ corpora vel oſſa,ſeu ſtatuæ combuſta fuerint,in prouinciales Miniſtros eligant. Quod ſi ſecus faxint,huiuſmodi electio nullius roboris eſto. Mortẽ obijt hoc in loco eximię ſanctitatis vir,ſummaq; ſimplicitate pręditus F.Michaël Aquilarius laicus profeſſus,qui à Religionis ingreſſu, imò & à teneris ipſis vnguiculis Deo opt.max.fideliſſimè inſeruiuit. Eius corpus à ſeptennio ſepultum,cùm fortè fortuna effoſſa terra detegeretur,integrũ omnino, imputre, atq; abſq; omni tetro odore inuentum fuit.Quod vt primum Beatianis innotuit, vniuerſa ciuitate ad eius ſepulcrum deuotè concurrente,ab illis vt ſanctus,Deoq; carus habitus eſt.

De conuentu S. Franciſci de Monte. Conu. IIII.

POST diligentem ſcripturarum euolutionem habitã,quicquid de præſentis conuentus,beatiſſimo patri Franciſco ſacrati, atque Cordubẽſibus in montibus,non longè ab oppido,cui Adamuz Hiſpanicè nomen eſt,erecti, authoribus,aut certo fundationis tempore inuenerim,breuibus enarrabo.Cùm perdeuotus quidam ac nobilis Martinus Ferdinandez ab Iliturgi vulgò de Andugyar pœnitentiæ agendæ ergò, ſæcularibus honoribus longè poſthabitis,ſolitudinem mœroribus amicã petere ſtatuiſſet,atq; maxima animi propenſione in Franciſcanam familiam ferretur,prædium,ſupra quod hoc monaſterium,à 20.fratribus incultum,ædificatum eſt, ad ſe iure optimo pertinens huic Prouinciæ ad eius conſtructionem liberaliſſimè,pieque contulit.

De conuentu S.Franciſci de Arizafa. Conu. V.

AD ſtadium 16.ab antiquiſſima ciuitate Corduba hic conuentus,beatiſſimo patri Franciſco ſacratus,atque à 15.fratribus frequẽtius incultus,ſurrigit,qui anno Domini 1416. à perdeuoto,pioq; viro Ferdinando à Rota ex domeſticis facultatibus à fundamentis ad verticem vſq; ædificatus extitit.Cùm autem eius ędificandi poteſtatem prædictus fundator à Benedicto XIII. qui de ſummo Pontificatu per plurimos annos cum alijs contendit,obtinuiſſet, ne ſibi aliquando negotium faceſſeretur, eam à Martino V.ſummo Pontifice confirmari, comprobariq; curauit. Voti itaque compos effectus, Frãciſcanoq; habitu indutus in fratrum Minorum Regulam de religioſo more verba fecit.Hoc in loco Franciſcanæ Religionis vbera ſuxit,ſuiq; nouitiatus incunabula feliciſſimè,necnon & ſanctiſſimè trãſegit beatus frater Didacus à ſancto Nicolao, cuius vita atq; miracula lib 5. 3. par. chronicorum noſtri Ordinis fuſius deſcribuntur: inſuper & quidam lapilli tum ex columna, ad quam Chriſtus Dominus flagellatus fuit,tum ex ſepulcro,tum ex præſepio eiuſdem Chriſti Saluatoris noſtri, tum quoque ex ſepulcro beatæ virginis eius matris Mariæ deſumpti, atque paulum oſſis alterius ex Minoritis martyribus Marrochij pro Chriſto paſſis aſſeruantur.

De conuentu S.Franciſci Gienni. Conu. VI.

VEL abſumptis à vetuſtate ſcripturis, vel à vituperabili hominum incuria deperditis,ſi memorabile quid è tenebris eruere,atq; in lucem afferre voluerimus, ad vulgarem traditionem,tamquam ad tutiſſimum aſylum recurrere cogimur:prout inueſtiganti mihi Franciſcani huius loci, qui Gienni ſub beatiſſimi patris Franciſci inuocatione ſurrigit,exordium,antiquitatem,atq; authores contigit. Cùm enim,eius archiuis

A archiuis diligentius luſtratis,nihil eorum,quæ anxius quęrebam,inuenire potuiſſem, ad antiquiores ea de re conſulendos me conuerti:ex quibus tamen ipſum à 160.annis & eo amplius,ideſt circa annum Domini 1420. ex publicis vrbaniſque Giennenſium prouentibus maiori ex parte ædificatum fuiſſe didici. Nec abſre me facturum ſpero, ſi quid ſecunda die menſis Maij,anno à partu Virgineo 1527. mirabiliter hoc in loco contigerit,paucis enarrauero. Aſſidebāt ſiquidem menſis hora prandij 30.fratres,alijs interim 20.domo abſentibus,dumque nihil minus cogitarent,refectorij teſtudo, quæ lateritia erat,eorū nemine lęſo,in eius mediū maxima & repētina ruina corruit.Quod ſanè diuinę miſericordiæ ab omnibus tum fratribus, tum quoque ſęcularibus aſcriptum eſt.Inter alia quamplurima tum pontificia, tumquoque regia priuilegia atque indulta,quę inpræſentis loci archiuis aſſeruantur,minusq; ad noſtram rem pertinent, B inuenire licet 2.diplomata:Alterum quidem Pij V.Pont.max.datum Romę xvij. cal. Iulij anno 1567.Pontificatus verò ſui anno 2. Alterum verò Gregorij XIII. ſummi itidem Pontif.datum ibidem 21. Maij anno à partu Virgineo 1575.ſed à ſuo Pontificatu anno 3. quibus vniuerſæ immunitates,vniuerſaque priuilegia Franciſcanis Obſeruātibus,monialibusq;Clariſſis,atq; de tertio ſeraphici patris Frāciſci Ordine ab eorū prædeceſſoribus conceſſa confirmantur. Adiacet præfatis diplomatibus priuilegiū à ſereniſſimis Caſtellæ Regibus Sanctio IIII. Ferdinando IIII. Alphonſo XI. Henrico III. Ioanne II. Carolo V.eiuſque matre Ioanna & filio Philippo eius nominis II. quo vniuerſi fratrum Minorum Prouinciarum Caſtellę, Carthaginenſis, Burgenſis,Cantabriæ,Angelorum,S.Iacobi atque S.Michaëlis Procuratores ſiue Syndici ab omni tributo,omnique contributione,quandiu eo munere funguntur,tamquā C emeritæ militiæ viri,immunes redduntur.Nec reliquijs ſacra hæc ædes omnino deſtituitur,cùm duobus SS. martyrum Minoritarum,patris videlicet à Cetina,& fratris Petri de Duēnas oſſibus,& altero etiā S.Laurētij martyris oſſe eius ſacrariū honeſtet.

De conuentu S. Franciſci prope Loxam. Conu. VII.

INVICTISSIMI, atque catholici Hiſpaniæ Reges Ferdinandus,& Eliſabetha debitas gratiarum actiones Deo opt.max.ob Granatenſe Regnum in libertatē vindicatum relaturi,vt primum ab inimicorum cæde,atque debellatione rediêre,hoc monaſterium,B.P.Franciſco,in quem ambo maxima deuotione ferebantur,ſacrum,quod 30.fratres pro voto occupant,non procul à Loxa Bætica ciuitate, anno à ſalute mortalib⁹ reſtituta milleſimo quadrāgenteſimo octuageſimo nono ex partis de hoſte ſpolijs,alijſque proprijs facultatibus,à fundamētis vſque ad verticē ædificādū curarunt.

D

De conuentu S. Franciſci prope Bazam Conu. VIII.

CONVENTVS hic,B. P. Franciſco dicatus,atque in eius Bęticæ ciuitatis, quę Baza vulgò nuncupatur,ſuburbijs erectus, ex liberaliſſimis inclytorum Henrici Henriquez Caſtellæ Regis Ferdinandi eius nominis V. Archiœconomi, eiuſque auunculi,atque Legionenſis ſacræ Militiæ S. Iacobi maioris Commendatarij,eiuſque nobiliſſimæ,ſimulatque cariſſimæ coniugis Mariæ à Luna facultatibus,die mēſis Decembris 8.anno Dominicæ incarnationis 1490.primò exordium ſumpſit. Hi ſiquidē heroës,vt piæ deuotioni,qua in ſeraphicum patrem Franciſcum, eiuſque alūnos propenſius ferebantur,facerent ſatis, ipſum à fundamentis (vt præfati ſumus) extruendū, atque ad commodiſſimam 30.fratrum habitationem omnino abſoluendum curarūt. E Cuius eccleſia ex apoſtolica Gregorij XIII.Pont. max.facultare facta Romæ 5.Iunij anno 1582. altare quodā priuilegiato,in quo ad vnūquodq; propitiatoriū ſacrificiū pro fideli defuncto à ſacerdote oblatum illius anima à Purgatorij pœnis liberatur.

De conuentu S. Franciſci Accij vulgò Guadix. Conu. IX.

INIVNCTO ſibi muneri ſatisfeciſſe minimè videbantur pientiſſimi,atque verè catholici Hiſpaniæ Rege Ferdinandus,& ſapientiſſima eius coniunx Eliſabetha, ſi Mauros Chriſtiano populo infenſiſſimos inimicos,atq; fertiliſſimi Granatenſis Regni poſſeſſores,& tyrannos vel ſibi tantùm ſubiugaſſent,vel à præfati Regni limitibus lo-

gius pepuliſſent:niſi etiam ijs in ciuitatibus,quas illi tyrãnicè occuparant,eorum delubris dirutis,ſoloque ęquatis Chriſtianæ religionis vexilla plantarent, orthodoxamq; fidem, Mahumetanis interim ritibus omnino profligatis,propagandam curarẽt,atque eccleſias,vt ſequenti exemplo manifeſtum euadet,erigerent. Vt igitur primùm Guadigium(olim Acci)Bæticã ciuitatem infeſto Marte, infeſtioribusq; ſignis ex eorũ manibus,optatæ libertati reſtituentes,eripuerunt,Minoriticum hoc monaſterium,beatiſſimo patri Franciſco ſacrum,in quo viginti fratres frequentius commorantur,22.Decembris,anno verò Domini milleſimo quadringenteſimo nonageſimo in eius ſuburbio diuæ Annæ ſacrato,à fundamentis erigendum,temporiſque ſucceſſu omnino abſoluẽdum curarunt. Inuenire licebit in huius loci archiuis bullam quandam Iulij III. Pont. max.datam Romæ 26.menſis Iulij,anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo,ſui verò Pontificatus anno primo,atque ab his verbis exordientem: *Dum regularis vitæ ſtudio &c.* qua omnes gratias, immunitates, atque priuilegia tum à ſuis prædeceſſoribus,tum quoque ab Imperatoribus,Regibus,& Principibus tribus Ordinibus B.patris Franciſci conceſſa corroborat,confirmatque:& aliam Pauli PP. IIII. quæ ab his verbis exorditur: *Poſtquam diuina bonitas &c.* datam Romę xiij.cal. Auguſti,anno Dominicæ incarnationis 1558.ſui verò Pontificatus anno 4. vt omnes Religioſi extra ſuos Ordines agentes,licèt apoſtolicis literis eos communiri cõtingat,eos repetere cõpellantur:& aliam ſanctiſſimi Domini Pij PP.V.datam Romę xiiij.cal. Decembris anno humanę ſalutis 1571.Pontificatus ſui anno 6. qua omnibus Chriſti fidelibus ritè huius loci eccleſiã à primis veſperis diei feſti immaculatę virginis Conceptionis vſque ad occaſum ſolis ſequentis diei ingredientibus, ſuaſq; preces fundentibus, plenariã omnium peccatorũ indulgentiã perpetuò valiturã ex apoſtolica authoritate cõcedit.

De conuentu S. Franciſci Abdaræ vulgò Almeria. Conu. X.

HOC quoque monaſterium,B.P.Franciſco ſacrum,atque à 12. fratribus impræſentiarum occupatum, sereniſſimi Hiſpaniæ Reges Ferdinandus, & Eliſabetha ab omnimoda Granatenſi expugnatione reuertentes, vt Mahumetana ſuperſtitio ab eius finibus omnino eliminaretur,6.Februarij anno verò reſtitutæ ſalutis 1492.tum ex regio ærario,tum quoque ex Maurorum ſpolijs à primo ad vltimum vſque lapidẽ Abdaræ (vulgò Almeria)quæ Bætica ciuitas eſt,ædificandum curarunt.Cui etiam optimam aquarum portionem ex publico ciuitatis fonte ad eius interiora per occultos ſyphones deducendam, Abdarano ſenatu interim conſentiente, ex regia liberalitate contulerunt.Cũ paupercula quędam,ac deuota mulier depictam in papyro Saluatoris imaginem intra propriæ domus ſepta omni, qua poterat, veneratione proſequeretur, eam 14 menſis Auguſti,anno Domini 1532.ſudore madentem,atque in diuerſos colores frequentius mutatam conſpexit.Cùmque certius huiuſmodi euentus periculum factura,eius propalandi negotium in ſequentem diem diſtuliſſet,eademque in pręfata imagine animaduertiſſet, P.pręſentis loci Guardianum ea de re conſultura, protinus petijt,illique ſupplicauit,vt,factum proprijs oculis viſurus,ædiculam,quæ non longè inde diſtabat,ſecum petere vellet.Qui denique accedens,ita eſſe, quemadmodum ſibi à muliere relatum fuerat,conſpexit:atque pluribus tum fratribus,tum quoque ſæcularibus conuocatis,pręfatam imaginem maxima cum veneratione,atque ſolemni põpa ad præſentem conuentum proceſſionaliter transferendam, ſummoque eius altari honorificentiſſimè collocandam curauit.In qua quidem tranſlatione illud euenit;vt videlicet cęcus quidam, applicato ad oculos huiuſmodi ſudore, viſum toto ſpectante populo mirabiliter receperit.A quo tẽpore præfata imago miraculis coruſcare cœpit.

De conuentu S. Franciſci Alhambræ. Conu. XI.

ALHAMBRA Arabicum nomen eſt,idemque quod Latinè caſtrum ,ſiue munitio Arabicè ſignificat.Ea igitur in arce,quam Saraceni intra Granatam celebrem ciuitatem ſub nomine Alhambræ obtinebant, catholici Hiſpaniæ reges Ferdinãdus,& Eliſabetha,cũ primũ,expugnatis Mauris,ciuitatẽ atq; arcem anno Domini milleſimo quadringenteſimo nonageſimo quinto ingreſſi eſſent, hoc monaſterium,

ſeraphico

A ſeraphico P. Franciſco ſacrũ, à fundamentis extruẽdum, omnibuſq; ſuis numeris abſoluendum curarunt. Et hic conuentus, qui à 20. fratribus inhabitatur, primus fuit eorum omnium, qui à Granatenſis vrbis expugnatione intra eius mœnia extructi fuêre.

De conuentu S. Franciſci ſiue S. Iacobi prope Velezium. *Conu. XII.*

HIC conuentus, ſuburbiis eius ciuitatis, quæ Velez Hiſpanicè, vocabulo à Mauris emendicato, nuncupatur, contiguus, atque à 30. fratribus vt plurimùm incultus, binomius euaſit: cùm ab antiquiori ſacello, in honorẽ diui Iacobi Apoſtoli erecto, atq; ex liberaliſſimis catholicorum Ferdinãdi, & Eliſabethæ Hiſpaniæ Regum facultatibus anno à Chriſto Saluatore nato 1498. in ipſum translato, diui Iacobi nomine in capitulari diffinitionis tabula, atque in ſigillo, quo eius pater Guardianus ad ſibi iniuncti muneris exequutionẽ vtitur, nuncupetur: & in regiis eius erectionis literis, atq; à ſecularibus B. P. Franciſci vocabulo inſigniatur. In huius chartophylacio inuenire licebit originales illuſt. Antonii tit. SS. quatuor Coronatorũ literas, datas Romæ 24. Octobris, Pontific. Pauli 3 anno 2. quibus Conceptionis B. Virginis Confraternitas in altero eius ſacello erecta, ſimulatq; à confratribus condita ex apoſtolica authoritate confirmatur.

B

De conuentu S. Franciſci Alcaudete. *Conu. XIII.*

NE etiam Bæticum oppidum, cui Hiſpanicum idioma Alcaudete nomen indidit, Minoritico careret monaſterio, ſumma inclytorum heroum Alphonſi Ferdinandez à Monte maiori, atq; eius legitimę vxoris Mariæ à Velaſco pietas fecit. Qui, vt ſubditorum ſuorum ſaluti proſpicerent, hoc B. Franciſco ſacrum à Minoritis, qui eos ſalutaribus monitis, religioſiſq; ritibus, atque Chriſtianis moribus imbuerent, perpetuò inhabitandum, non longè à muris præfati oppidi Alcaudete, quod eorum ſuccceſſoribus ſub Comitatus titulo paret, anno Domini, 1500. erigi, omnibuſq; ſuis numeris abſolui curarunt. Quod decem præfati Ordinis Franciſcani fratres commodè ſatis inhabitant.

C

De conuentu S. Ludouici Azubiæ. *Conu. XIIII.*

CVm catholica Hiſpaniæ Regina Eliſabetha, dum Granatenſis ciuitas ab eius milite obſideretur, pauciſſimis ſtipata ſeruis, atq; nobilibus ad 4. lapidem ab exercitu vſque ad oppidulum, cui Azubia Arabicè, ſimulatq; Hiſpanicè nomen eſt, quodq; inter frequentiſſimos, ameniſſimoſq; hortos ſedem obtinet, recreationis ergò proceſſiſſet, accidit, vt egredientibus è latebris plurimis Saracenis, tum ipſa, tum eius comitatus maximum vel vitæ, vel libertatis amittendæ diſcrimen ſubirent. Quamobrẽ pientiſſima Regina ab eius Confeſſario, R. ſcilicet P. Ferdinãdo à Talabrica, tunc Abulenſi Epiſcopo, atq; poſtmodum 1. Granatenſium Archiepiſcopo, cuius feſtum illa die celebraretur ſciſcitata eſt. Cùmq; eam diuo Ludouico Frãcorum Regi ſacratã retuliſſet, quocunq; humano auxilio longè poſthabito, ad cæleſte numen inuocandũ, aſcito ſibi in patronum præfato B. Ludouico, totam ſe contulit, atq; ad vnius Minoritici conuentus, ſibi eo ipſo loco, in quo tantis obſideretur anguſtijs, dicandi, ædificationem ex voto ſe obligauit. E tanto igitur periculo diuinitus erepta, vt primùm Granatẽſis vrbs capta fuit, ne ingratitudinis argueretur, hunc cõuentum, eidem diuo Ludouico Galliarum Regi dicatum, anno Domini 1500. præmemorato in loco à fundamenris ædificandum curauit.

D

E

De conuentu S. Franciſci Granatæ. *Conu. XV.*

NON facilè erit nobis percenſere catholicorum Hiſpaniæ Regum Ferdinandi V. atq; Eliſabethę animi propenſionẽ in Franciſcanam regularem Obſeruãtiã, cùm Minoriticis ijs conuentibus, diuerſis in locis à ſe ædificatis minimè contenti adiecerint, vt & hunc quoq; celeberrimũ ex ſequenti cauſa conſtruerent: Cùm enim ſtatim à Granaten. vrbis expugnatione matricẽ quandã eccleſiam in matris Dei honorẽ intra eius muros erexiſſent, ſibiq; & collegium, & hoſpitale infirmorum vſui mãcipandum annexuiſſent, ac tandem R. P. Ferdinandum à Talabrica Ordinis diui Hieronymi alumnum, qui ipſis à ſacris confeſſionibus erat, in primum eius Archiepiſcopum à ſummo Pontif. Romano eligendum curaſſent, & pręfatæ eccleſię ſtuctura nec tantæ ciuitatis

Ggggg nobi-

nobilitati, nec magnitudini, nec etiam decori reſponderet, aliam ſibi multò elegantiorem alio in loco ſubrogantes, tum ipſam matricem eccleſiam, tum xenodochium, tum Archiepiſcopalem domũ, tum quoq; collegium (de quo ſuprà) ſibi contigua, anno 1507. ex proprijs, atque peculiaribus facultatibus in hoc præſens monaſterium, B. P. Franciſco ſacrum, quod 80. fratres ſui accolas, quorum alter Philoſophiam, alter verò ſacram Theologiã prælegit, cõmodiſſimè capit, non minùs liberaliter, quàm piè transformandam curarunt. Quam quidem ttansformationẽ ſummus Pontifex Leo X. apoſtolicis ſuis literis datis Romæ, anno 1516. Pontificatus verò ſui anno 4. ratam habuit, confirmauitq;, inſuper & huius Prouinciæ fratribus in perpetuum vſum, atque pacificam habitationem conceſſit. Quibus apoſtolicis literis in præſentis loci tabellario aſſeruatis quamplurimę aliæ à diuerſis Pontificibus datæ, noſtriq; Ordinis immunitates, priuilegia, atque fauorem concernentes adiacent. Hunc locum illuſtrem omnino reddunt quoddam caput vnius ex vndecim millibus virginum, duæ oſſium partes S. Laurentij martyris, atque duæ quoque craniorum partes beatorum martyrum Minoritarum, patris videlicet Ioannis à Cetina, atque fratris Petri de Dueñas: quorum ſanguine ab impio Mahomad à Bembalua Mauro XII. Granatenſis Regni tyranno, atque iniuſto Rege 19. Maij, anno Dñi 1397. effuſo Granatẽſis ciuitas laureata extitit. Qui horũ martyrum glorioſam mortem noſce deſiderat primum lib. 3. par. chronicorum R. P. F. Marci Olyſipponenſis Portuen. Epiſcopi cõſulat, ſibiq; abundè ſatisfactum intelliget.

De conuentu S. Annæ Iliturgij. Conu. XVI.

HVNC conuentum, B. Annæ ſacrum, ac Iliturgij, ſiue Foro Tulij (Hiſpanicè Andugiar) erectum, Franciſcanę quædam Tertiariæ ſorores olim inhabitarunt. Quæ tamen eius vitę atque inſtituti pertæſæ, cùm arctiorem vitam anhelarent, præfatum hunc locum huius Prouinciæ patribus in perpetuum vſum atque habitationem anno Domini 1513. ex maxima liberalitate concedentes, ad ſanctæ Claræ monaſterium, ciuitatis eiuſdem Iliturgenſis vallo circumſcriptum, Vrbaniſtis eius ſororibus, habitu, moribus, & viuendi modo coniungendæ cõuolarunt. Hîc 15. fratres cõmorãtur.

De conuentu S. Stephani Plico. Conu. XVII.

QVOD ad poſteros tranſmittere poſſimus, nihil aliud præſens conuentus, S. Stephano ſacratus, atque aliquantulùm ab eius oppidi, cui Hiſpanicè Pliego nomen eſt, muris ſitus, nec non liberaliſſimis herois Petri Ferdinandez à Corduba eiuſdem oppidi Marchionis ſumptibus, anno 1515. conſtructus, atque à 30. fratribus inhabitatus, à nobili quadam virginis Mariæ Conceptionis Confraternitate in quodam eius ſacello erecta, quam & ſummus Pontifex Adrianus VI. edita bulla ſub datum Tarraconis, vltima Iulij, anno Dominicæ Incarnationis 1522. Pontific. verò ſui anno primo, plurimis gratijs, priuilegijs, atque fauoribus paterna liberalitate auxit, nobis ſubminiſtrat.

De conuentu S. Laurentij Montiliæ. Conu. XVIII.

MIHI diligentius huius conuentus, qui diuo Laurentio martyri ſacratus, nõ longè ab oppido, cui Hiſpanicũ idioma Montilia nomen indidit, ſatis eleganter ſurrigit, quiq; anno 1515. ex publicis oppidanorũ (niſi nos vulgaris traditio fallat) eleemoſynis, atque facultatibus conſtructus extitit, ſcripturas rimanti, atq; memorabilia inueſtiganti venerabiles duorum patrum, Bartholomęi ſcilicet Guadalupen, atq; Petri de Angelis ſepulturæ occurrerũt. Quorum primus pijſſimus videlicet P. Bartholomæus ſacerdotio inſignis adeò diuinis contẽplationibus, atq; meditationibus aſſuetus erat, vt inter orandũ freq uentius raperetur, extaſimq; paſſus videretur: adeòq, corporali appetitui dominabatur, atq; virtutibus clarebat, vt in eo Adamus humani generis prothoplaſtes peccaſſe minimè videretur. Qua etiã de cauſa veternoſum ſerpentem, ignem, conflagrationẽ, atq; omnimodã ruinã Minoritico cuidam conuentui, cuius tunc ipſe inhabitator erat, ferocius, importuniuſq; minitantẽ, ſuis ad Deũ precibus cõpeſcuit: & è viuis hoc in loco, anno 1581. excedens inter cęlicolas ab oĩbus annumeratus eſt,. Et ſecundus deuotiſs. ſcilicet P. Petrus de Angelis præcedenti in moribus, atq; vitæ ſanctimonia omnino ſimilis

A ſimilis adeò reuerenter, adeoque religiosè ſacris operari aſſueuerat, vt Deus opt.max. eius oblationem patentibus etiam ſignis in ſuauitatis odorē acceptaſſe viſus ſit. Inter cætera quæ hunc locum, à 26. fratribus occupatum, commendatiorem reddunt, cranij pars S.Sebaſtiani martyris, & aliquot SS.Zenonis, Luciæ virginis & martyris, atque alterius vnius ex vndecim millibus virginum oſſa principem locum obtinent.

De conuentu S.Franciſci Buialance. Conu. XIX.

EIVS oppidi, quod Buialançe Hiſpanicè nuncupatur, habitatores hoc ſacrũ monaſteriũ, ſub B.P.Franciſci tutela intra præfati oppidi ambitũ eleganter ſatis, ſatisq; ad commodã 33. fratrum habitationẽ anguſtè, ex publicis prouentibus anno Dñi 1537. pro eorũ modulo, atq; ſubſtantia conſtrui curarunt. Inſuper & nõ vulgarẽ Con
B ceptionis immaculatæ Virginis Cõfraternitatẽ ibidem erexerunt, quã Clemens VII. Pont. max. plurimis priuilegijs, atq; fauoribus pio, paternoq; affectu proſequutus fuit.

De conuentu S. Franciſci Alcalaregiæ. Conu. XX.

QVANTA beneuolentia, ſum. Pontifex Clemẽs VII. Franciſcanũ Ordinẽ proſequutus ſit, vel hinc ſaltem colligere licebit: Cùm non ſolũ ipſum, eiusq; alumnos honoribus atq; priuilegijs cumulauerit: ſed & etiã ſorores, tũ Clariſſas, tũ Conceptioniſtas, tũ quoq; Tertiarias ad eorũ curã pertinentes, immo & iſtarũ, atq; etiã illorũ Syndicos, ſiue Procuratores, eorũq; vxores, atq; liberos plurimis fauoribus atq; beneficijs proſequut' fuerit. Quę ſi quis latius noſce voluerit, apoſtolicũ eius diploma datũ Romę anno Dñi 1526. quod in archiuis pręſentis cõuẽtus, ſeraphico patri Frãciſco, nõ procul à mœnibus eius ciuitatis, cui Hiſpanicè Alcala la Real nomẽ eſt, anno 1546.
C erecti habetur, diligẽtius perlegat. Cõmorantur deniq; in hoc monaſterio 20. fratres.

De conuentu S. Matris Dei Illiciæ. Conu. XXI.

INCLYTVS Ludouicus Ferdinãdez à Corduba, Comarenſiũ Marchio, præſentẽ conuentũ, S.Dei genitrici Mariæ ſacrũ, atq; à 36. fratribus in eius ciuitatis, cui Illicias Latinè, Hiſpanicè verò Luçena nomẽ eſt, ſuburbio 2. mẽſis Februarij, anno Dñi 1558. erigendum, curauit. Me non abs re facturum exiſtimo, ſi quid nobilibus duabus virginibus hac in Illicienſi ciuitate, anno Dñi 1582. circa menſis Auguſti mediũ contigerit, paucis enarrauero. Cùm igitur nobiles duo fratres maxima duarũ ſororũ vteri narũ ex familiari earũ cũ ſæculari quodã ſacerdote cõſuetudine zelotipia agitarẽtur, eas in villã ad ſextũ lapidẽ à ciuitate diſtantẽ, ſub carpendæ ſalubrioris auræ prætextu
D eductas, duabus arboribus alligarunt, flagriſq; crudeliſſimè ceciderunt, atq; illis ita in nemore relictis abierũt. Cùmq;, poſt tranſitũ diei cũ dimidio, paupercule illę virgines ſe ex intimo cordis affectu tũ B.Frãciſco, tũ quoq; B.Antonio de Padua comendaſſent, venerabiles duo Minoritę aſpectu graues, atq; ætate prouecti celeri paſſu gradiẽtes, eas primò ſolutas proprijs pallijs contexerunt, & ad portã vſq; ciuitatis ſub maximo ſilentio conduxêre. Quibus deniq; oĩbus ad cuiuſdã earundẽ ſororis domũ peruentis, cùm eorũ alter ſe B.Franciſcũ, alter verò B.Antoniũ eſſe faſſus fuiſſet, & iſti ex tẽpore diſparuerunt, & illæ à cariſſima ſorore humaniſſimo hoſpitio exceptę ſunt. Quod vt Illicianis innotuit, in cauſa extitit, vt maiori affectu, atq; animi propenſione tũ in beatos ipſos patres, tũ quoq; in eius alumnos in poſterũ ferrẽtur. Præfatæ verò virgines, altero eorum fratre repentina morte infra triduum è viuis miſerrimè ſublato, altero verò
E infra annũ vita functo, ne tãdẽ illis aliquãdo peius eſſet, neuè ingratitudinis arguerẽtur, ſacrarũ virginũ monaſteriũ Cordubæ non ita poſt multũ temporis ingreſſæ ſunt.

De conuentu S. Franciſci Vaenæ. Conu. XXII.

VLTIMIS ſuburbij oppidi Vaënæ domibus contiguum ſurrigit hoc monaſterium, B.P.Franciſco ſacrum, atque à 16. fratribus incultum, quod à pia heroina Maria Sarmiento, Sinueſſanorum Duciſſa, ex domeſticis facultatibus, anno 1590. ædificatum extitit. Cuius eccleſiam perdeuota immaculatæ Cõceptionis B. virginis Marię Cõfraternitas, ad quàm ſtatis tẽporibus Deo ſupplicatura ſe conferret, ſibi elegit. Huius Cõfraternitatis in Deiparę virginis S. Cõceptionis honorẽ per diuerſa Hiſpaniarũ

loca erigendę author fuit illuſtriſſimus ac R.P.F.Franciſcus Ximenius Minorita,atq; Toletanus Archiep̃s,& Alexander VI.Pont.max.præcipuus eiuſdem(vt ſuprà meminimus)fautor . Aſſeruantur à cętero in huius loci ſacrario Dñicæ crucis particula, & aliquot SS. Blaſij Epiſcopi & martyris, Sebaſtiani martyris, Chriſtophori martyris atq; S.Barbaræ virginis quoque & martyris oſſa, quibus authenticę adiacent literæ. A

De conuentu S. Franciſci Cazorlæ. Conu. XXIII.

CAZORLITANI Minoritis conuentũ ædificaturi,vt certiores de eorũ aduentu fierẽt,antequàm operi manus admouerent,eos ad ſe euocãdos,S.Georgij,ſiue (vt alij volunt)verę Crucis ædiculã ſibi interim pro habitatione aſſignantes,anno Dñi 1571. curarunt. Cumq; ibidem per octo continuos annos aliquot fratres commorati eſſent,eos ad hoc monaſterium, ex publicis facultatibus in præfatæ ciuitatis ſuburbio beatiſſimo patri Franciſco erectum,anno Dñi 1579.cum ſolemni pompa deduxerunt. B

De conuentu S. Franciſci Linares. Conu. XXIIII.

VARIOS euentus expertus eſt hic conuentus, B.P.Franciſco ſacratus, cùm ex publicis Linarenſium facultatibus,opera tñ F. Chriſtophori Seguadi, anno Dñi 1554.conſtructus,atq; à 15.fratribus inhabitatus,vix poſt elapſum decennium, ex R. P.F.Franciſci à Zamora totius noſtri Ordinis generalis Miniſtri decreto in prouincialibus Comitijs Hiſpalis per id tẽpus habitis derelictus, ac tandem poſt nouem annos, alijs in Comitijs ibidẽ celebratis ex R.P.F. Chriſtophori à Capitefontiũ generalis itidẽ noſtri Ordinis Miniſtri,atq; pręcedeſſoris noſtri decreto,ſubſcribẽtibus ſibi patribus Prouinciæ Diffinitoribus, reaſſumptus,atq; eodẽ fratrũ numero cohoneſtatus fuerit. C

De conuentu S. Franciſci Martos. Conu. XXV.

MARTOS (Hiſpanicè ſic nuncupatum) ſacræ Calatrauenſis Militiæ oppidum eſt,eiusq; pro tempore Adminiſtrator,atque Princeps eſt is, qui Caſtellæ Regni clauum tenet.Quamobrem Martenſes Minoriticum apud ſe anno Dñi 1573. erecturi conuentum,vt id ſibi liceret à catholico tunc Hiſpaniarum Rege Philippo eius nominis II. petere coacti ſunt.Cuius deniq; facultas vt primùm adfuit,præſens cõuentus in B.P. Frãciſci honorem,aliquãtulũ ab vltimis præfati oppidi domibus,ex publicis prouentibus à perdeuota Martenſi communitate à primis fundamentis erectus, atque duodecim huius Prouinciæ fratribus in perpetuam habitationem traditus extitit.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu. Conu. XXVI. D

PIENTISSIMVS Ildephonſus Dñicus,ex oppido Rute oriundus, eiusq; oppidi,cui Arabica lingua Iznagar nomen impoſuit, Paſtor, atq; pientiſſimus ſacræ, Theologiæ profeſſor,diuiniq; verbi facundiſſimus Pręco,nec non & Cordubenſis Epiſcopi Vicarius optimè meritus animi propenſioni, qua in ſeraphicum patrem Franciſcum,eiusq; fœcundiſſimam prolem ferebatur,morem geſturus, hoc monaſteriũ,ſanctiſſimæ Dei genitrici Mariæ de Ieſu ſacrũ,ad tertium lapidẽ à præfato oppido Rute, atq; ad limpidiſſimi cuiuſdã riuuli ſcaturiginẽ, in mõtis cuiuſdã latere ędificari fecit. Eſt ſanè hoc monaſteriũ ab omni hominũ frequentia ſequeſtre,atq; 8 fratribus ſuis accolis ad contemplatiuam, atque verè monaſticam ducendam vitam maximè fauet.

De monaſterio S. Catharinæ Cordubæ. Mon. I. E

CLARISSARVM de ſecũda Regula ſororũ conuẽtus, qui Cordubę ſurrigit, atq; 80.moniales,eoq; amplius cõtinet,duplex ſortitũ eſt nomen, S. videlicet Catharinæ, atq; S. Clarę:illud quidẽ ab eius fundatore perdeuoto ſcilicet Michaële Diaz matricis eccleſię Cordubẽſis Hypodiacono, qui impetrata à R. Cordubenſiũ Epiſcopo, cæteroq; principis eccleſiæ capitulo S. Catharinæ ędiculã in pręſentis conuentus eccleſiã ex domeſticis facultatibus,anno 1264. ſub antiquiori titulo euehẽdã curauit: Et hoc nomine in antiquiſſimis tũ põtificijs, tũ quoq; regijs priuilegijs ſibi conceſſis, atque in vetuſtiſſimis cæteris ſcripturis appellatur : Iſtud verò S. Claræ ſcilicet,tum à fratribus,

A à fratribus,tũ à ſororibus,tum quoq; à cętero vulgo. Adiacebat præfatæ ædiculæ ampliſſima domus à Ferdinando eius nominis I I I. Caſtellæ, Legionisq; Rege,qui Sanctus per antonomaſiam dictus euaſit,poſt eiectos Corduba Saracenos eius ſecũdò genito Ludouico erecta.Hanc præfatus Michaël Diaz emit,atq; in monaſterij formã tranſtulit,inſuper & honeſtis redditibus dotauit.Aſſeruantur inter plura alia monumenta, minùs tamen ad rem noſtram pertinentia,in præſentis locis archiuis quędam Bonifacij V I I I. Pont.max.bulla,data Anagniæ 2.Iunij:anno Domini 1296. & alia Pauli I I. ſummi itidẽ Pont.data Romæ:11.Ianuarij:anno Domini 1465. & alia eiuſdẽ data ibidem die atq; anno iiſdem,& alia Innocentij Papæ V I I I.data ibidem 4.Februarij,anno Domini 1487. quibus Clariſſæ ſorores ab omni decimarum, tributorum atque aliarum quaruncunq; exactionum ſolutione eximuntur ,huius conuentus bona mobilia,& immobilia,immo & ipſemet cõuẽtus ſub apoſtolicę Sedis protectione recipiũtur,eiusq; ſorores cùm huius Prouinciæ prouincialis, tũ quoq; totius Ordinis generalis Miniſtrorum curæ,atq; correctioni ſubmittuntur. Adiacent præfatis diplomatibus apoſtolicis quamplura priuilegia à diuerſis Regibus huic loco conceſſa,quæ omnia catholicusHiſpaniarũ Rex Philippus huius nominis II.datis litteris 3.Auguſti,anno Dñi 1562.non minus liberaliter,quàm pie Madriti confirmauit.Honeſtatur deniq; pręſentis domus eccleſia Dñicæ Crucis particula,quodã oſſe S.Petri Apoſtolorũ Principis,altero beati Laurentij martyris digitorum,alio itidem oſſe S.Achatij martyris,& quamplurimis ſanctorum reliquijs ſibi à patre fratre Franciſco à Corduba, qui ſereniſſimæ Mariæ Auſtriacæ Germanorum Imperatrici à ſacris confeſſionibus fuit, dono datis.

B

De monaſterio S. Claræ Vbetæ. Mon. II.

C

SI eadem ſolicitudine 60. Clariſſæ ſorores Vrbaniſtæ, quæ præſens monaſterium beatæ virgini Claræ ſacrum,atq; Vbetæ erectum occupant, literas tum eius fundatores,tũ quoq; eiuſdẽ fundationis tẽpus concernentes aſſeruaſſent,qua & plura tum pontificia,tũ quoq; regia diplomata, minus tñ ad rẽ pertinentia,cuſtodiunt, profectò quis huius domus author fuerit, quouè certo tẽpore ipſa erecta ſit, nos minimè fugeret,lateretque.Nihilominus tñ ex quibuſdã R.P.Roderici profeſſione Minoritæ,atq; Marrochiorũ Epi, nec nõ & per vniuerſam Africã apoſtolicæ Sedis Legati literis datis Vbetę 12. menſis Septẽbris, anno Dñi 1290.quibus eleemoſynas,adiutricesq; manus ei porrigẽtibus 40.dies de iniunctis pœnitentijs remittũtur,eius antiquitas,quæ & à 300. ad minus annis computanda venit nobis innoteſcit; cùm præfato anno 1290. maiori D ex parte ædificata eſſet.Gaudet hic locus iiſdem tũ pontificijs, tũ quoq; regijs priuilegijs,immo & multò pluribus,quibus præcedens:quæ tñ,quòd non ſint pręſentis ſpeculationis,prętermittenda cenſui. Gaudet pręterea & ſacroſanctis ſequentibus reliquijs: nempe crucis,veſtis,ſepulcri,atq; ſudarij Dominicorũ particulis:eius columnę,ad quã mundi Saluator Chriſtus alligatus pro nobis cędi voluit,fragmento: aliquantulo tum terræ,in qua Dñica crux effoſſa fuit: tũ eius lapidis, cui ſuperſtans Chriſtus Dominus Apoſtolis prędicauit:tũ eius quoq; lapidis, qui ſanguineũ Chriſti ſudorẽ excepit: tum eius terræ,in qua idẽ ChriſtusDominus 40.diebus,ac 40.noctibus ieiunauit:tũ eius portæ,qua idem mundi Saluator Hieroſolymã, Hebręorũ pueris oſannna filio Dauid conclamantibus,intrauit:tum eius lapidis,cui idẽ Dominus in cœlum deuicta morte cum triumpho aſcenſurus innitebatur:tũ quoq; ſanctiſſimi eiuſdẽ pręſepis:aliquot glorioſi E ſſimę virginis Marię capillis,& ſepulcri eiuſdẽ virginis particula:quibuſdã oſſibus ſanctorũ Ioãnis Baptiſtæ,Bartholomęi Apoſtoli,Stephani protomartyris,Laurẽtij martyris,Sebaſtiani martyris,Chriſtophori martyris,atq;Mauritij itidẽ martyris, & sãctarũ Ruffinæ,Iuſtę,Leocadię,atq; aliarũ virginũ & martyrũ:fragmẽto eius crucis,cui Apoſtolorũ coriphęus S.Petrus pro Chriſti fide affixus fuit:portarũ Bethlehemiticarũ, atq; ſepulcri B.Catharinę virginis,& martyris:particulis tuniculę atq; cordę B. P. Frãciſci: habitus B.virginis Clarę,atq; veſtimentorũ S.Marthę itidẽ virginis: & quãplurimis licèt minutulis,SS.reliquijs,quę tñ prolixitatis vitandæ ergô ſciens omitto. Incredibili deuotione pręſentis monaſterij moniales in S.Andreã Apoſtolũ, obſequens miraculũ, quod adeo illis certiſſimũ eſt,vt inexpiabile piaculum contraxiſſe videatur, quiſquis

ipſum in dubium reuocare præſumpſerit, feruntur: qua etiam de cauſa anniuerſaria A
eius dies illis ſolemniſſima, atq; ſupramodum celeberrima eſt. Laboranti ſiquidem à
90.annis & vltra,ſorori Mariæ à Raia,quæ tunc Abbatiſſam agebat, infeſtiſſimis ſcro
fulis,atq; beatũ Petrũ Apoſtolũ, cuius imaginem ad caput habebat, maxima venera-
tione proſequenti,apparuit in ſomnis beatus Andreas Apoſtolus dicens:ſi me eo amo
re,quo in meum fratrem fereris,proſequereris, te profecto à morbo,quo maximè la-
boras liberarem.Præterea ſorori Mariæ reſpondenti vtiq; proſequor,atq; in poſterum
diligentius proſequar,ſubiunxit Apoſtolus: Eſto igitur ſana. Tangenſq; eius collũ eã
protinus incolumitati reſtituit.Quòd cũ illa à ſomno excitata certius didiciſſet,alijſq;
monialibus retuliſſet,tãta eis omnibus ad Apoſtolum inceſſit deuotio, vt vix exprimi
queat. Acceſſit præterea,vt anno Domini 1544. omnibus huius loci ſororibus graui
quadam,atq; peſtifera infirmitate,ex qua earum nouem occubuerũt,atq; ſe ex intimo B
corde beato Andreæ commendantibus,non prius benè fuerit, quàm ipſius feſtus dies
aduenerit. Sed eo primum appulſo, quotquot lectulis decumbebant ex tempore
miraculosè conualuerunt. Si quis autem quæ diximus ridicula, minuſque vera exi-
ſtimauerit vel ipſas moniales, vel ipſos ſaltem Iulienſes ea de re conſulat, tuncque
nos non Vergiliocentonas, ſed veriſſimam hiſtoriam in medium adduxiſſe nouerit.

De monaſterio S. Claræ Gienni. Mon. III.

EXVSTIS, atque à deuorante flamma tum præſenti Clariſſarũ ſororũ Vrbani-
ſtarũ monaſterio,quod beatę Clarę dicatum,Giennenſibus mœnibus cingitur,ac
frequentius ab earum 90.inhabitatur,tũ quoq; omnibus ſcripturis in eius cartophila-
cio aſſeruatis, dũ videlicet pulſis Chriſtianis Giennũ nobiliſſima ciuitas à Mauro Gra- C
natenſium Rege,eiuſque importuniſſimo exercitu expugnaretur,abſumptis, nihil cer-
ti de eius fundatione vel etiam authoribus tradere poſſumus.Si tamen cuidam Henri-
ci II.Caſtellæ Regis priuilegio dato Hiſpalis 26.menſis Maij,anno Domini 1371.aurẽ
accommodare velimus,ſacra hæc domus,quę & iiſdem tum pontificijs,tum quoq; re-
gijs priuilegijs,quibus duæ præcedentes fruuntur, pro voto gaudet, ante præfatum tẽ-
pus erecta cõſiſtebat:Sed quis author vel reædificator fuerit,nullo pacto conſtat.Præ-
fata hæc ſacra ædes,quæ & aliquot ſanctorum Petri & Pauli Apoſtolorũ,ſanctorumq;
Dionyſij Areopagitæ,Sebaſtiani,atq; Lazari martyrum,& ſanctarũ Luciæ,& Barbarę
virginum atque martyrũ reliquijs honeſtatur,& ſanctitate,& religione,& morũ gra-
uitate à ſui exordio in hodiernam vſq; diem floruit. Quod & in cauſa eſt,vt plures vir-
gines Deo ſacræ virtutibus,atque vitæ ſanctimonia conſpicuæ ex eo prodierint. Inter D
quas tamen longè emicuêre pijſſima ſoror Maria à Gratia,quæ vitã cũ morte in æter-
nũ victura,anno Domini 1530.cõmutauit, ſoror Quiteria à Cruce,cuius anima anno
1543.aſtra petijt,ſoror Mentia à Mendoza Giẽnenſis,quæ mortem obijt,anno Domini
1558.& ſoror Catharina de Angelis, quæ viam vniuerſæ carnis, anno Domini 1578.
ingreſſa fuit.Hæ omnes ſorores ob vitæ aſperitatem,cœteraſque virtutes,quas morta-
li adhuc carne indutæ mirum in modum coluerunt, à cœteris religioſis Deo caræ,ve-
req; beatæ exiſtimantur.Inter cœteras huius monaſterij imagines,quas ſorores ſingu-
lari quadam veneratione proſequuntur,altera glorioſę virginis Marię lignea, & alte-
ra diui patris Franciſci ex eadẽ materia fabrefacta primatum tenent. Iſta quidẽ quòd
cùm à quadam moniale,quæ Granatam,poſt expugnatum à Mauris Giẽnum,captiua
ducta fuerat,in habitus manica occultè delata,atque per ſeptem continuos annos ibi- E
dẽ celata ab ea interpellaretur,vt ſe à captiuitate atq; tãtis periculis, calamitatibuſq;
eriperet,poſt expletũ ſeptenniũ ſimul cũ moniale, atq; ergaſtulo,quo illa tenebatur
incluſa, hoc in ipſo conuentu à cœteris monialibus nihil minus cogitantibus miracu-
losè inuẽta ſit.Illa verò,quòd exuſtis à deuorante igne oĩbus eius veſtimẽtis,atq; coro
na,quibus induta,ornataq; erat,ipſius crines illæſi,intactique,omnino permanſerint.

De monaſterio S. Antonij Beatiæ. Mon. IIII.

VT nobis antiqua quędã ſcriptura data 11.Iulij,anno Domini 1409.in eius loci
archiuis inter alias permultas aſſeruata,cui communis, ſucceſſiuaque tum fra-
trum,tum

A trum,tū monialium,tū quoq; ſæculariū traditio aſtipulatur,facillimè indicat,hoc mo
naſterium,S.Antonio de Padua dicatum,atq; in Beatianæ ciuitatis ſuburbio conſtru-
ctum,quod 70.Vrbaniſtę ſorores Clariſſę plerunq; inhabitant,ad Minoritas Obſeruan
tes olim pertinuit:Sed Conuentualibus Franciſcaais patribus in primæua illa reforma
tione , quæ ſub catholicis Hiſpaniæ Regibus Ferdinādo,atq; eius coniuge Eliſabetha
anno Domini 1493. contigit , à Minoritico eiuſdem ciuitatis(de quo ſupra)conuentu
aliò tranſlatis,illiſque Obſeruantibus eiuſdem Inſtituti religioſis ſubrogatis, ad pręfa-
tas moniales Clariſſas,quæ tunc Conceptionis conuentū, Beatianæ ciuitatis vallo cir
cumſcriptum, inhabitabant,deuolutum eſt.Quādo verò exordium ſumpſerit, vel quē
ſui authorem habuerit,nec ſcripto,nec traditione conſtat Gaudet nihilominus,idq;ex
apoſtolica Pauli I I I. Pont max.conceſſione, plenaria omnium peccatorum indulgen
B tia,in eorum omnium,qui eius eccleſiam à primis veſperis diei feſti S.Claræ vſq; ad ſe-
quentis diei ſolis occaſum deuotè viſitauerint , atq; ad concedentis intentionē preces
fuderint,fauorem:inſuper & ſequentibus SS. reliquijs, nempe Dominicæ crucis parti-
cula,aliquot B.virginis Mariæ crinibus,quibuſdamq; ſanctorum Laurentij martyris,
& Antonij de Padua confeſſoribus oſſibus . A cætero hic locus ob ſui regularē diſcipli-
nā plures moniales ſanctitate cōſpicuas,quas reliquæ ſorores in cœlis beari exiſtimāt,
genuit.De quarum numero ſunt venerabilis ſoror Catharina à S. Clara Beatiana , ſo-
ror Catharina Rodriguez Hiſpalenſis,ſoror itidem Catharina de Ieſu,atqs ſoror Fran
ciſca à Peralta Beatiana:quarum religio, vitæ cādor, atq; ſanctitas incredibiles fuêre.

De monaſterio S. Claræ Foro Iulij. Mon. V.

C HOC monaſterium,beatæ virgini Claræ ſacrum,quod intra Iliturgenſis,ſiue Fo-
ri Iulienſis ciuitatis(vulgò Andugyar) muros erectū eſt,atq; à 50. Clariſſis ſoro-
ribus Vrbaniſtis inhabitatur,circa annum Domini 1430.à Franciſcanis ſororibus Ter
tiarijs, ForoIulienſiū tñ Epiſcopo ſubiectis , ſub S. Agnetis titulo occupabatur.Quibus
tamen in arctiorem regulam , atq; diſciplinam inhiantibus Nicolaus V.Pont.max.edi
ta bulla ſub datum Romæ 13.Februarij,anno Domini 1450. Pontificatus verò ſui an-
no 4.vt & propriam domum dilatare,eamq; beatæ Claræ virgini dicare , inſuper & vt
priuilegijs,gratijs,atq; fauoribus , quibus cęteræ Clariſſæ potirentur,ipſæ quoq; gau
dere poſſent conceſſit.Cui tamen Paulus I I. Pont.itidem max.16.menſis Septembris,
anno Domini 1474.Pontificatus verò ſui anno primo,ſubſcribens,adiecit,vt loci Ordi
nario,cui primò ſuberant, vale dicto in Franciſcanorum Obſeruantum curam tranſire
D poſſent:vtq; priuilegijs famoſo Clariſſarum conuentui de Tordeſyllas à ſuis prædeceſ
ſoribus conceſſis fruerentur. Vtriuſque ſummi Pontificis bulla cum alijs tum pon-
tificijs , tum quoque regijs diplomatibus in præſentis loci tabellario aſſeruarur.

De monaſteriio S. Crucis Cordubæ: Conu. V I.

PROFECTO niſi fortè fortuna iubileum huic monaſterio , in honorē S. Crucis
Cordubæ erecto,quod plerunq; 40.moniales de ſecunda beatæ virginis Claræ Re-
gula inhabitant , anno à ſalutifera mundi redemptione 1474. conceſſum conſuluiſſe-
mus,eius nos ætas omnino lateret . Ex præfato igitur iubileo ipſum à centum quinde-
cim annis ad minus,ideſt circa annum Domini 1465.ædificatum fuiſſe didicimus.Cu-
ius fundatrix perdeuota quædam matrona Tiraſia à Zurita,quæ ex morte cuiuſdam
E Petri à Riuis vidua,ſed ditiſſima,relicta fuit.Hæc enim ipſum,ob eius tum in B Clarā,
tū quoq; in generoſam eius ſobolē eximiā deuotionē,atq; pietatē,ex domeſticis facul-
tatibus à fundamētis cōſtruxit,redditibusq; dotauit.Eius verò ſacrariū deuotus quidā
Cordubēſis tribus oſſibus eorū 10.milliū martyrū,qui Mogūtiæ ob Chriſti fidem occiſi
ſunt , atque parte cranij B. P. Andreæ à Spoleto Minoritæ elegantiſſimè exornauit.

De monaſterio S. Agnetis ibidem. Mon. V I I.

HVIVS monaſterij,quod,B.Agneti virgini, & martyri ſacrū,intra Cordubenſis
ciuitatis mœnia ſedē obtinet,quodq; à 40.Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis frequen
tius incolitur,auctrices,ſiue fundatrices fuêre vterinæ ſorores,Beatrix videlicet,atque

Leonora

Leonora Gutierrez à Membrillia profeſſione Clariſſæ,atq; ex Corduba ciuitate oriun A
dæ.Benefactores verò,qui ipſum annuis redditibus exornarunt, catholici Hiſpaniarum Reges Ferdinãdus,atq; Eliſabetha pro maiori parte agnoſcuntur. Id autem ex quibuſdã literis in eiuſdẽ chartophylacio diligentius aſſeruatis facillimè conſtat. Ex quibus etiã eius antiquitas,quæ ab anno Dñi 1475. cõputanda venit, ſatis colligitur.

De monaſterio S. Eliſabethæ de Angelis ibidem. Mon. VIII.

HOC cœnobiũ,S.Eliſabethæ de Angelis, matri videlicet Dñici præcurſoris ſacrũ, atq; Cordubenſis eiuſdẽ ciuitatis vallo circumſeptũ, quod plerunq; 45. Clariſſę ſorores de 1.B.virginis lCarę Regula occupant,ſui fundatricem agnoſcit pientiſſimã, ſimul atq; ingenuam matronam Marinã à Villa ſicca, viduam ex inclyti Garſiæ à Monte maiori morte relictam. Hæc enim, pręſenti ſæculo nequam vale dictura, ipſum ex B
domeſticis facultatibus,anno Dominicæ incarnationis 1489. à fundamentis ędificandum,omninoque abſoluendum,atque honeſtis redditibus dotandum curauit.Ac ſumpto earundem Tertiariarum habitu tertiũ beati patris Franciſci Ordinem cum quibuſdam alijs virginibus de religioſo more profeſſa eſt. Cùm autẽ omnes ſimul ſtrictiorem,atq; perfectiorem vitam anhelarent,in primam B.virginis Claræ Regulam,quam & vſq; impræſentiarum mordicus,ſanctiſſimèq; obſeruant, ex ſummi Pon. Innocentij VIII.cuius bulla data Romę 17.Decembris,anno Domini 1491.ſui verò Pontificatus anno 8.in præſentis loci archiuis habetur,conceſſione ſtatim poſt elapſum triennium verba fecerunt. Hanc ſacrã ædẽ mirum in modum commendant Dñicæ crucis particula,alter ex digitis B.Marię Magdalenę,caput vnius ex vndecim millibus virginum, os alterius virginis de earundẽ numero,atq; os S. Tenellæ virginis: inſuper & corpus C
ibidem ſepultum deuotiſſimæ ſororis Marię à Ieſu,cuius vita,atq; mores adeò religioſi, adeoq; exemplares extitêre,vt moriens maximum ſui deſiderium,maximamq; ſanctitatis famã reliquerit,& ab omnibus huius loci incolis magna obſeruãtia proſequatur.

De monaſterio S. Claræ Alcaudete. Mon. IX.

ILDEFONSVS Ferdinãdez à Monte maiori,eiuſq; nobiliſſima coniunx Maria à Velaſco eius oppidi,quod Hiſpanicè Alcaudete nuncupatur,temporales Domini, vt primùm ſibi ab Alexandro VI.ſummo Pont.facultas facta fuit, hoc monaſterium,à 40.Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis impræſentiarum inhabitatum,in beatæ virginis Clarę honorem,intra præfati oppidi Alcaudete ſepta,ex communibus facultatibus à fundamentis,anno Domini 1500.extruendum,temporiſq; ſucceſſu abſoluendum,atq; ho D
neſtis redditibus dotandum curarunt. Quod ſanè omnino venerabile reddunt aliquot ſanctorum Vincentij,Sebaſtiani,Anaſtaſij,Fabiani,Clementis,Blaſij,Euſtachij, Zenonis,atq; Rochi;nec non & ſanctarum Apolloniæ, Agathæ,Barbaræ, atq; Lucię virginum,& martyrum oſſa:& religioſiſſimarũ ſororum Marię à Spinoſa, atq; Ludouicę à Sandoual Cordubenſis corpora in eius choro ſepulta, in quorũ funeribus dulciſſimus concentus à circumaſtantibus ſororibus auditus eſt.Quia rem à noſtro propoſito alienam me minimè facturum ſpero,quid hoc in loco,in cuius archiuis apoſtolicum pręfati Alexandri VI.Pont.max.diploma,eius fundationem ſub datum Romæ 21. Septembris,anno Domini 1499 concernens,diligentius aſſeruatur, anno Domini 1578. acciderit,paucis enarrabo.Intererant 28. Ianuarij eiuſdem anni matutinali officio, quod perpetuò media nocte celebratur,omnes moniales: dumq; canticum *Benedictus Dominus Deus Iſrael &c.* inciperetur, viſa eſt, idq; ab Abbatiſſa tantùm, pręter ſpem ſoror E
quædam ad chori cratem ſtans,immobilis omnino,vultibuſq; ad ſummũ altare verſis. Cùmq; eo cantico finito pręfata monialis ſe poſt organa abdidiſſet, ex Abbatiſſæ iuſſu quęſita,nullibi comparuit.Sequenti etiam nocte,cùm eadem penitus hora,eodemque loco,modo,& tempore,quibus externa, ab eadem Abbatiſſa tantùm viſa fuiſſet, & ab illa,vt cæterę moniales in eam viſum dirigerent, conclamatum eſſet, denuò euanuit. Quod factum cùm mater Abbatiſſa loci confeſſario retuliſſet,bono eſſe animo iuſſa eſt. Superueniente igitur tertia nocte,cùm vniuerſæ ſorores,quid ſibi hoc vellet,viſuræ,ad matutinas conueniſſent,pulpituq; è medio chori ſublato,atq; plures candelæ accenſæ eſſent,

A eſſent, dum canticum *Benedictus* inchoatur, cœpit pręfata monialis, idq; tantùm Abbatiſſa ſpectante, è pauimenti medio erumpere, ac paulatim, donec tandem tota emergeret, aſcendere, atque ab eadem per diuini Verbi incarnationem interrogata quis eſſet, quid quæreret, quid ſibi vellet, & ad quid veniret, facta primùm ad ſummum altare reuerentia, ad ipſam Abbatiſſam iunctis pectori manibus, inclinatoq; capite contendere cœpit. Cuius contuitu terrefacta Abbatiſſa, vt primùm moniales ad ſe venientem reſpicerēt, hortata eſſet, ferè exanimis corruit, indeq; ad lectulū delata vix poſt alterā horam elapſam ad ſe reuerſa eſt: atq; ab alijs interrogata, num illam nouiſſet, reſpondit eam eſſe ſororem Sabinam Aluarez omnibus notam, quæ ante ſeptennium è viuis exceſſerat. Quibus deniq; auditis pater Confeſſarius ſolemnioribus matutinis ſanctiſſimę Purificationis glorioſę Virginis, cuius feſtum ſequenti die celebrabatur, interfu-
B turus, atq; rem exploraturus, conuentum, ſimul atq; chorum ſacris veſtimentis indutus cum alijs tribus religioſis fratribus, poſt duos dies ab huiuſmodi euentu, ingreſſus eſt: atque, paululùm antequam diuinum officium inciperetur, ſpiritualem, ſimul atq; deuotam concionem ad ſorores habuit. Cumq; ad laudes peruentum eſſet, & pulpitū è medio amoueri, atq; plures tedas accendi iuſſit: inſuper & ſorores præmonuit, vt quicquid viderent, aut ſentirent, nollent ea propter expaueſcere; ſed vt intrepido potius animo eſſent, ſeq; Domino commendarent. Et ecce vt primùm canticum *Benedictus* inciperetur, pręfata monialis eodem in loco apparuit, indeq; exiliens eius ſororis, quæ organa pulſabat, genibus inſedit. A qua tamen nequaquam, ſed ab Abbatiſſa tantùm, quæ diuinis etiam laudibus intererat, viſa eſt. Tuncq; pater Confeſſarius, impoſito & organis & cantui ſilentio, exorciſmum auſpicatus eſt, idipſum interim altero eius ſociorum ex
C alia chori parte faciente. Et ſtatim præfata monialis iunctis manibus, demiſſiſq; ad terram oculis aliquantulùm procedens coram Abbatiſſa genua flexit: & quæſita, quis nā eſſet, reſpondit ſe ſororem Sabinam Aluarez eſſe; ſubiunxitque ad ſe veniſſe, vt à ſe 80. Miſſas, 60. videlicet pro defunctis, 10. de Dñica paſſione, atq; alias 10. de quinq; Saluatoris Chriſti plagis à ſacerdote celebrandas peteret. Præterea Abbatiſſę interim interroganti, num eius orationes Deo gratæ eſſent, reſpondit gratiſſimæ. Subdubitans nihilominus Abbatiſſa, quæ ſola ex omnibus circumaſtantibus illam videbat, adiecit. Exiſtimo te Dœmonem eſſe, qui vel me tentaturus, vel decepturus venis: eamq; exorciſmo compellens ſubdidit. Es ne tu ſoror Sabina Aluarez? Cui illa. Sum etenim. Tunc denuò ſe crucis ſigno præmuniens, atq; luſtrali aqua locum aſpergens, ſubiunxit Abbatiſſa. *Verbum caro factum eſt.* Quibus auditis illa, pauimentum pectore tangens, ter-
D tiò dixit: Sabina Aluarez ego ſum, ſeptemque continuis annis defectus, negligentias, atq; cōmiſſa delicta hac in ipſa domo purgaui, & poſt 8. dies expletos ex maxima Dei bonitate, atque miſericordia eius pręſentia fruar: & quicquid feci, ex eius præcepto feci, vt ſciant hæ meæ ſorores me ſalutis portum aſſequutam fuiſſe. Quærenti inſuper ab ea abbatiſſa, quare potius ad *Benedictus,* quàm alio quouis tempore ſibi apparuiſſet, & quare patri Confeſſario ſe exorcizanti non reſpondiſſet, ait ſibi minimè permiſſum, vt iſta reuelaret. Tunc Abbatiſſa ad illam. Quamuis mihi nunquam ſubfueris, tibi nihilominus per ſanctam obedientiam præcipio, vt ſi quid aliud tibi dicendum occurrat, mihi eueſtigio dicas, vtq; ad me amplius terrendam, ſiue affligendam minimè reuertaris. Quibus abſolutis illa caput inclinauit, dicens ſe omnibus à ſe reuelandis finem impoſuiſſe: Tunc pater Confeſſarius, qui Abbatiſſæ aderat, addidit.
E Tibi per ſanctam obediētiam, atq; per ſacerdotalem dignitatem, qua indignè fungor, iniūgo, vt ab hoc loco ex tempore diſcedas, neuè has Chriſti ancillas amplius inquietes. Et ſi Spiritus bonus es, vade in pace: ſi autē malus, vade retro Satana. Statimque, Abbatiſſa id tantùm vidente, illa euanuit, nec amplius viſa eſt. Abbatiſſa verò Deo opt. max. debitas gratiarum actiones pro liberatione ab huiuſmodi viſione reditura, canticum *Te Deum laudamus &c.* ab omnibus monialibus decantari præcepit.

De monaſterio S. Eliſabethæ de Angelis Bazæ. Mon. X.

PRÆSTITVRI inclyti heroës Henricus Henriquez catholicorū Hiſpanię Regū Ferdinandi V. atq; Eliſabethæ eius coniugis Archiœconomus, maiorq; ſacrę diui

crę diui Iacobi Militiæ Legionenſis Commendatarius, eiuſque cariſſima vxor Maria à Luna Deo opt. max. aliquod obſequium, vnius ædificandi conuentus facultatem ab Alexandro VI. Pont. max. ſupplices petiêre. Qua denique 23. Ianuarij anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo obtenta, hoc monaſterium, diuæ Annæ ſacrum (licèt nomine ſanctæ Eliſabethæ de Angelis in præfatæ Eliſabethæ Reginæ gratiã paſſim ab omnibus appellitetur) in eius ciuitatis quę Baza Hiſpanicè nuncupatur, ſuburbio ex communibus facultatibus liberaliſſimè collatis prȩfato anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo cõſtruendũ, omnibusq; ſuis numeris abſoluendum, atque ſufficientibus honeſtisque redditibus dotandum, atque Tertiarijs ſororibus Franciſcanis tradendum curarunt. Illæ verò, cùm per annum integrum eo in Inſtituto perſeueraſſent, ab eodem Alexandro VI. ſummo Pontifice, vt in Clariſſarum ſororum Vrbaniſtarum Regulam, atque habitum tranſire poſſent, impetrarunt. Ab eo igitur tẽporis, nempe ab anno Dominicę incarnationis milleſimo quingenteſimo primo in hodiernam vſque diem prȩfatum hoc monaſterium, in cuius archiuis vtrunq; Alexandri VI. diploma, apoſtolicis quibuſdam alijs literis coniunctũ, diligentius aſſeruatur, à 50. Clariſſis Vrbaniſtis, quæ præfatorum fundatorum ſucceſſores in omni ſibi euentu beneficos experiuntur, inhabitatur. Vnica tantùm reliquia, nẽpe cranio vnius ex vndecim millibus virginũ, cuius authẽticũ teſtimoniũ aliquãdo habitum, ſororum negligentia, deperditum eſt, huius monaſterij eccleſia exornatur.

De monaſterio S. Nicaſii Vbetæ. *Mon. XI.*

EIVSDEM conditionis ſunt præcedens, atque præſens monaſterium, quod, anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo in Vbetenſis ciuitatis ſuburbio ædificatum, à 60. Vrbaniſtis ſororibus Clariſſis plerunq; inhabitatur: cùm ex eiuſdem Pontificis Alexandri VI. indulto & iſtud, prout ex apoſtolicis eiuſdem literis in eius tabellario aſſeruatis ſatis liquet, ſicut & illud, ad Tertiariarum ſororum Franciſcanarum vſum erectum, temporis ſucceſſu in Clariſſarum Vrbaniſtarum ius tranſierit. Quod tamen, cùm peculiaris eius fundator inueniri minimè potuerit, tum communibus Vbetenſium ſumptibus, tum quoq; ex aduentantium virginũ dotibus ædificatum exiſtimo. Eius deniq; ſacrariũ capite vnius ex vndecim millibus virginum, & 2. SS. Achatij martyris, atque Zenonis itidem martyris oſſibus religioſè inſignitur.

De monaſterio S. Eliſabethæ Granatæ *Mon. XII.*

ET ſi conuentus hic, beatæ Eliſabethæ Vngariæ Regis filiæ ſacer qui Granatẽſis celebris ciuitatis vallo circunſcribitur, 12. in ordine locum teneat; nihilominus tamen inter huius Prouinciæ nobiliores, illuſtriores, atq; ſanctiores, tum quia à catholicis, pientiſſimiſque Hiſpaniæ Regibus Ferdinando V. atque eius coniuge Eliſabetha, anno Dominicæ incarnationis 1501. à fundamentis ad apicem vſque ædificatus, abundantiſſimiſq; redditibus dotatus; tum etiam quia à ſeptuaginta Vrbaniſtis ſororibus Clariſſis, eiſque nobiliſſimis frequentius inhabitatus, nulli penitus ſiue religionis, ſiue monaſticæ diſciplinæ, ſiue etiam ſanctitatis palmam concedat, computandus venit. Idque in cauſa ſit, vt mirari deſinat, quicunque ille fuerit, qui tum pontificia, tum quoque regia priuilegia ſibi conceſſa, atque in eius archiuis aſſeruata perlegerit. Cui etiam, ne aliquid, quod ad eius decorẽ faceret, deeſſe videretur, ſacroſanctę ſequentes reliquię, nempe aliquot ſanctorum Barnabæ Apoſtoli, Stephani prothomartyris, Laurentij, Vincentij, Anaſtaſij, Damiani, Alexandri, Tiburtij martyrum: Auguſtini, Baſylij, Bernardi, Ægidij Doctorum: atque ſanctarũ Barbarę, Cecilię, Agathę Agnetis, Suſannæ virginum, & martyrum: inſuper & ſanctorum quadraginta martyrum, atque ſanctarum vndecim millium virginum oſſa, creditę ſunt. Vt autem, quę ſuperius de eius excellentijs ac prærogatiuis dicta ſunt, clarius innoteſcant, vnam, aut alteram monialem præſentis loci aliquando accolam, atque in eius choro ſepultam in medium adducam. Et primo quidem loco religioſiſſimam ac zelãtiſſimã ſororem Ludouicã à Cruce, quę cùm eſſet in ſæculo nobiliſſima, atque ex inclyti herois Michaëlis ab Iranzu Caſtellæ Comeſtabilis eius virj morte vidua remanſiſſet, Chriſto cæleſti

ſponſo

A ſponſo in poſterum nuptura, alterius perſonam induens, Clariſſarum conuentum Aſtigij incognita omnino ingreſſa eſt: vbi & communem vitam, atque Regulam ſub communi habitu cum alijs profeſſa, indeq; ex fundatorum voto ad hunc translata, primus haud dubiè fundamentalis lapis totius ædificij extitit. Nam in Abbatiſſam electa, vitæq; aſperitati, pœnitentiæ, charitati, continuæq; diuinarum rerum meditationi, atq; humilitati omnino dedita, aduentantes ſorores bonis moribus, omniq; pietate adeò informauit, vt magnæ bonitatis, ſiue ſanctitatis nomen poſt ſe reliquerit anno à partu Virgineo 1521. Cui ſimilis omnino extitit deuotiſſima, ſibiq; olim cariſſima ſoror Eliſabetha Gonzales, quæ inter orãdum tanto deuotionis exceſſu ſuſpendebatur, vt ſupra ſe ipſam rapta, & vltra humanum ſenſum aliquid ſentiens, quid circa ſe ageretur exterius omnino neſciret: quæq; plurima prophetico ſpiritu prædixit. Quamobrem tum B monialibus, tum quoq; ſæcularibus, & in vita venerabilis, & in morte, quæ ſibi anno Dominicæ Incarnationis 1520. contigit, venerabilior fuit. His quoque annectenda venit ſoror Beatrix à Beamonte, quæ licèt à sereniſſimis Nauarræ Regibus originem duceret, tanta fuit humilitate prædita, vt vix ſibi parem illa tempora produxerint.

De monaſterio S. Ioannis Baptiſtæ Cazorlæ. *Mon. XIII.*

SORORES Clariſſæ Vrbaniſtæ quinquagintaquinque, quæ hoc monaſterium, Dominico præcurſori diuo videlicet Ioanni Baptiſtæ ſacrum, atque eius oppidi, quod Cazorla Hiſpanicè nuncupatur, muris circumcinctum, inhabitãt, vel ſaltem eius prædeceſſores non ſibi ſemper ſimiles fuêre: cùm à primis ſuæ conuerſionis temporibus, nẽpe ab anno Domini 1500. vſque ad annũ 1515. ſub tertio ſeraphici P. Franciſci C Ordine in Conuentu tunc quidem diuo Georgio, nunc autem veræ Cruci dicato, ſibiq; ab Illuſtri, perdeuotoq; Garſia à Villa regia cõſtructo, Franciſcanis Obſeruantibus paruerint: & à præfato anno 1515. ad annũ vſque 1528. huiuſmodi tertio Ordini vale dicto, ſecundę B. virginis Claræ Regulæ ibidem, ac ſub eiſdem religioſis ſubiacuerint: ac demùm, antiquiori ſupramemorato veræ Crucis conuentu, eodem anno 1528. relicto, ad hunc ſuis ſumptibus (vt credere licet, nam de certo eius fundatore nihil conſtat) ſub diui Io. Baptiſtæ tutela conſtructũ ſe contulerint. Vniuerſæ carnis viam hoc in loco ingreſſa eſt deuotiſſima ſoror Leonora Rodriguez, prima eius Abbatiſſa, cuius ſanctitas, pœnitentia, humilitas, atq; charitas vix exprimi poſſunt. Eius corpus, poſt multùm temporis fortè fortuna exhumatũ, ſuauiſſimè redolens, omninoq; incorruptum apparuit.

D *De monaſterio S. Claræ Loxæ.* *Mon. XIIII.*

REVERENDISS. pater frater Ferdinandus à Talabrica, Ordinis diui P. Hieronymi alumnus, primuſq; poſt recuperatam à Mauris Granatam eius Archiepiſcopus, ob ſingularem, qua tum in Deum, tum quoque in beatam virginem Claram ferebatur deuotionem, vt primùm Loxa ciuitas ab inuictiſſimis, chatolicisq; Hiſpaniæ Regibus Ferdinando V. atque Eliſabetha, quibus ipſe à ſacris confeſſionibus erat, fuſis, fugatiſque Saracenis, expugnata fuit, hoc monaſterium, beatæ virgini Clarę ſacrum, Loxenſiſque præfatæ ciuitatis ſuburbio contiguum, in quo quadraginta Clariſſæ ſorores Vrbaniſtę de cętero commorari, Deoque optimo maximo fęlicius inſeruire poſſent, ex eccleſiaſticis prouentibus, tamquam creditorum fideliſſimus bonorum diſpenſator, anno ab orbe redempto 1507. ędificari, ſufficientibuſq; redditibus dotari curauit

E *De monaſt. Conceptionis B. Virginis Velez Malaga.* *Mon. XV.*

CVM perdeuotę quædam fœminæ ſtrictiori vitę mancipari cuperent, à Iulio II. Pont. max. vt in communi, atque ſub monaſtica diſciplina de cætero viuere poſſent, anno ab Incarnatione Dominica 1512. obtinuerunt. Huiuſmodi igitur apoſtolica authoritate fretæ conuentulum ſub inuocatione S. Marię de Gratia intra eius ciuitatis, cui Velez Malaga Hiſpanicè nomen eſt, mœnia ex proprijs facultatibus ędificandum curarunt, inibique per 28. continuos annos, à præfato ſcilicet anno 1512. vſque ad annum 1540. ſub 3. ſeraphici P. Franciſci Ordine, diœceſano tamen Epiſcopo ſubditæ, ſanctiſſimè perſeuerarunt. Cumq; in maiorem perfectionem tenderent, deuotiſſima, ſimul atq;

ſimul atq; illuſtris matrona Beatrix ab Arellano, vidua ex Chriſtophcri Pontij à Lugduno morte relicta, commodiorem alium, multoq; capaciorem conuentum, atque 40. ſororibus continendis omnino accõmodatum, immaculatæq; B. Virginis Conceptioni dicatum illis extrui, perficiq; fecit. Ad quem vt primùm præfatæ moniales, anno Dñi 1540. ſe tranſtulêre, Epiſc. atq; 3. Franciſc. Ordini prius vale dicto, in ſecundã B. Virginis Claræ Regulam verba fecerunt, ſeq; patrum huius Prouinciæ correctioni cõmiſerunt. A

De monaſterio S. Claræ Montilliæ. *Mon. XVI.*

INCLYTA, Deoq; deuota Maria à Luna, Plicenſium Marchionis filia, Chriſto ſponſo felicius obſequutura, hanc ſacram ædem in B. virginis Claræ honorem, ſimul atq; contiguum ſibi conuentũ, quem 50. Vrbaniſtæ ſorores Clariſſæ frequentius inhabitant, intra eius oppidi, cui Montillia nomen eſt, ſepta ex ea, quæ ſibi à parentibus obuenerat, hæreditaria portione, anno reſtitutæ ſalutis 1512 à fundamentis erigi, perficiq; B fecit: atque cõmunem Regulam cum cæteris ſororibus profeſſa, ſanctiſſimam vitam ad vltimũ vſque halitum ibidem duxit. Cuius pietatem imitata ſoror Eliſabetha à S. Iacobo, tantopere in omni virtute profecit, vt precata Deum quatenus dolorẽ, quem ex vulneribus Chriſtus Dominus pro mundi redẽptione in cruce perpeti dignatus fuerat, ſe experiri faceret, vlcus ſub altera mamillarum, quoad ſibi vita comes fuit, non abſque ingenti dolore pati, & cuſtodis Angeli præſentia, antequam ex hac vita migraret, ex diuina diſpoſitione dignari meruerit. Huic annectenda venit ſoror Mentia à S. Martino prima huius loci Abbatiſſa, atque incredibilis orationis, & abſtinẽtiæ fœmina, in cuius tranſitu alia ſoror Deo cara Angelos decãtantes, atq; hunc Pſalmiſtæ verſiculũ: *Auditui meo dabis gaudium & lętitiam, & exultabunt oſſa humiliata* ſæpius repetentes audiuit. C Sequentes ſacro ſanctæ reliquiæ in præſentis monaſterij ſacrario habentur. Nempè altera ex Dominicæ coronæ ſpinis, pars digiti S. Sebaſtiani mart. quoddam os S. Achatij, caput B. Eliſabethæ Vngariæ Regis filiæ, caput S. Benignitatis virginis, caput itidem vnius ex vndecim millibus virginum, atque altera ex mandibulis S. Apolloniæ virginis & mart. Harum partem ſereniſſ. Germanorum Imperatrix Maria ab Auſtria, partem verò illuſtriſſ. Gometius à Figueroa Ferianorum Dux liberali dono dedêre.

De monaſterio S. Mariæ de Angelis Granatæ. *Mon. XVII.*

NOBILIS Rodericus ab Ocampo conceptę in ſeraphicum patrem Franciſcum, atq; fœcundam eius ſobolem deuotionis ſpecimen daturus, hoc monaſteriũ, S. Mariæ de Angelis dicatũ, ex domeſticis facultatibus in altero Granatenſis ciuitatis ſuburbiorum à fundamentis, anno 1538. ea mente erigi fecit, vt ipſum omnibus ſuis numeris abſolueret. D Sed morte præuentus, quod piè decreuerat, exequi non valuit, Eoq; factum eſt, vt piorum quorundam aliorũ adminiculo cœptum à ſe opus, perfectum, atq; à Tertiarijs ſororibus Franciſcanis inhabitatum ſit. Quæ tamen ſorores cùm à præfato anno 1538. vſque ad annum 1567. ſub 3. ſeraphici patris Franciſci Ordine Tertiarijs eiuſdẽ Inſtituti patribus ſubfuiſſent, in 2. B. virginis Claræ Regulã præmemorato anno 1567. ſolemniter verba faciẽtes, Franciſcanorum Obſeruantum curæ, exauthoratis interim à Pio V. Pont. max. Tertiariis huiuſmodi patribus, ſe crediderunt. Sunt aũt frequẽtius numero 30. atq; aliquot ſanctorum Fabiani, Sebaſtiani, Blaſii, Iuſtini, Saturnini, atq; Eliſei Prophetæ oſſa, necnon & duos lapillos, alterum quidem ex Saluatoris Chriſti, alterũ verò ex glorioſæ eius matris ſepulcris apud ſe habent. E Mortẽ obijt anno Dñi 1563. hoc in loco ſoror Leonora à S. Ioanne prima eius Abbatiſſa, cuius oratio, atq; diuinarũ rerũ contẽplatio tãta extitit, vt ab illa nihil aliud noſce videretur: cuiq; ex frequenti lachrymarum effuſione, quę ſibi ex Dñicæ paſſionis meditatione obueniebat, quædam carnoſitates in ipſis oculis obortæ ſunt: quibus excreſcentibus oculorum vſum amiſit.

De monaſterio B. Virginis Beatiæ. *Mon. XVIII.*

DEVOTISSIMI Gonſaluus Mexia Beatianus eques, atque Senator, & eius vxor Eliberia, ſiue Eluira Brauo antiquum beatæ Claræ conuentũ Beatianæ ciuitatis muro circũſcriptũ, atq; ab Vrbaniſtis ſororibus Clariſſis (vt ſuprà meminimus) dere-

A derelictum ea lege, ex proprijs facultatibus reædificare cœperunt, vt Conceptioniſtis monialibus in poſterum deſeruiret. Quorum voluntati ſubſcribens illuſtriſſimus Ranutius tit. S. Angeli Cardinalis literas ad generalem totius noſtri Ordinis Miniſtrum 2. Ianuarij, anno Domini 1560. ex ſummi Pontificis Pij IIII. mãdato dedit, quatenus ex conuẽtu S. Antonij Beatiano, aut ex alio quouis Prouinciæ Bæticæ monaſterio aliquot Clariſſas ſorores Vrbaniſtas educeret, & ad nouum hunc locum trãsferret, atq; ex apoſtolica authoritate ab habitu, & ſecũda B. virginis Claræ Regula abſolutas habitui, atq; Ordini Conceptionis B. Virginis manciparet, illisq; omnes gratias, immunitates & priuilegia, quibus reliquæ Conceptioniſtæ ſorores gauderent, ex apoſtolica eadem authoritate impertiretur. Nihilominus tamen cùm in iam abſolutum monaſterium aliquot Clariſſæ, ſimul & quędam iuuenculæ ſolemnem profeſſionem ſuo tẽ-B pore facturæ, anno Domini 1561. inducendæ forent, à R. Ioanne Campegio Bononiẽſium Epiſcopo, atq; apoſtolico in Hiſpanijs nuncio cum vtriſq; diſpenſatum eſt, vt, nõ obſtante fundatorum decreto, tum iſtæ, tum quoq; illę ſub habitu, atq; ſecunda B. virginis Claræ Regula ibidem Deo famularentur. Atqui pię ſorores, vt antiquiori Inſtituto debitum deferrent honorem, & fundatorum votis ex parte ſatisfacerent, vtq; huiuſmodi diſpẽſatione frui poſſent, Vrbaniſtarum interim Regulę ſubiectæ Conceptioniſtico ſcapulari (hoc vulgò patientiam vocant) ſupra totalem earundem habitũ vti voluerunt. Quo etiam eius ſucceſſores, quæ impræſentiarum ſunt numero 55. vtũtur. Aſſeruãtur deniq; in pręſentis loci ſacrario aliquot ſanctiſſimæ Dei genitricis crines, quædã ſanctorum Bartholomæi Apoſtoli, Marci & Lucæ Euangeliſtarum, Hippolyti martyris, atque Hieronymi oſſa, & molaris dens S. Apolloniæ virginis & martyris.

C *De monaſterio Aſſumptionis B. Virginis Aquilarij.* *Mon. XIX.*

INCLYTA Tiraſia Henriquez inclyti Plicenſium Marchionis filia præſens monaſterium, Aſſumptioni Virginis glorioſæ ſacrum, in Aquilariẽſis oppidi ſuburbio, ea poſita lege, vt à 37. tantùm Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis inhabitaretur, anno Domini 1553. ex apoſtolica Iulij III. Pont. max. authoritate extruendum curauit. Quæ quidem lex Gregorio XIII. ſummo etiam Pont. præfato Iulij III. decreto ſubſcribente inuiolata omnino impræſentiarum vſq; permanſit: cùm præfatus numerus nunquã tranſilitus fuerit, & his noſtris temporibus tricenarius tantùm ſit. Quia verò aliquot ſorores Epiſcopo ſubiectę, ex Granatenſi Annunciationis conuentu aduẽtantes, iuuenculas monaſticos ritus, atq; bonos mores edocturæ ad hunc locum trãſlatæ ſunt, præ-D fatus hic conuentus per integrum octiennium diœceſano etiam Epiſcopo ſubiacuit. A qua tamen ſubiectione per Gregorium XIII. Pont. max. prout eius bulla data Tuſculi 5. Octobris, anno Dominicæ natiuitatis 1572. Pontificatus verò ſui anno primo facillimè indicat, exemptus in Franciſcanorum huius Prouinciæ curam tranſijt.

De monaſterio Conceptionis B. Virginis Abdaræ. *Mon. XX.*

CVM inclyti Guttierrus à Cardenis ſacræ diui Iacobi Militiæ alumnus, atq; Legionenſis maior Commẽdatarius, eiusq; legitima vxor Tiraſia Henriquez maximaq; deuotione in Deiparæ virginis Mariæ Conceptionem ferrentur: atq; non ita à multis diebus nouellus quidam ſanctimonialium Ordo, à Iulio II. Pont. max. anno Domini 1511 approbatus in ipſius honorem, atq; ſub eius auſpicijs per Hiſpaniam in-E ſtitutus eſſet, hunc conuentum, eidem Conceptioni ſacrum, atq; 25. continendis ſororibus omnino accommodatum, ſub noua præfati Ordinis Regula, nouoq; habitu, atq; nouis etiam ritibus Abdaræ (vulgò Almeria) ex communibus facultatibus, atque ex apoſtolica præfati Iulij II. Pont. max. facultate, anno Domini 1514. à fundamentis extruendum, honeſtisq; redditibus communiendum, atq; patrum Prouinciæ huius curæ committendum curarunt. In huius deniq; loci eccleſia ſoror Maria Guſmania profundiſſima humilitate, atque quacunq; alia virtute prædita in Domino quieſcit.

FINIS TERTIÆ PARTIS.


PROVINCIA
CANARIAR.
B. MACLONIVS GIGANTEM SVSCITAT
QVI IVDEOR. AC PAGANORVM
PENAS REFERT.

QVARTA HVIVS OPERIS PARS
omnes Prouincias,
OMNESQVE TVM FRATRVM, tum quoque ſororum conuentus Indiarum complectens.

A ANTEQVAM ad ſingulas Indiarum Prouincias deſcendamus,
curioſum lectorem præmonitum volumus, nos in id maximè in-
cubuiſſe, vt huiuſmodi Prouincias, tamquam in nouo orbe, & à
noſtro hoc ſeiuncto conſtitutas à cæteris Vltramontanis diſtin-
gueremus, ſimulq; non quidem iuxta ſeriem ſibi in Prouincia-
rum catalogo præfixam, ſed iuxta cuiuſq; erectionem, atque eius
regionis, in qua ſita eſt, expugnationem, poneremus. Quod ſi quis
certam cuiuſq; illarum ſedem ex quadam curioſitate noſſe voluerit, is præfatum Pro-
uinciarum catalogum, qui in prima huius operis parte habetur, conſulat, & ſibi pluſ-
quam ſatis ſatisfactum intelliget. Quia verò ea, quæ Canariæ dicitur, primatum in-
ter reliquas antiquitatis iure obtinet, ab ea nobis auſpicandum veniet.

B CANARIA itaque non vnius tantùm, ſed ſeptem inſularum, nempe Magnæ
Canariæ cathedrali eccleſia, regio Conſilio atque Inquiſitorio hæreticæ prauitatis
tribunali inſignis, Teneriſæ, Palmæ, Gomeræ, Ferreæ, Fortis venturæ, atque Lan-
ſarotis nomen eſt. Has veteres Fortunatas vocarunt; easq; à cannarum in quibus
ſaccharum naſcitur, fertilitate Canariæ ſiue Cannariæ vocabulo recentiores appel-
latas voluêre. Surrigunt huiuſmodi inſulæ Atlantico in Oceano ad Mauritaniæ læ-
uam, diſtantq; Hiſpali celebri totius Bæticæ vrbe mille ducentis milliarijs. Dum igi-
tur Ioannes Rex eius nominis ſecundus Regni Caſtellæ ſceptrum teneret, ac nobili
cuidam Gallo Ioanni Lectancour ſummopere afficeretur, huiuſcemodi Canariç in-
ſulas in Prouinciæ formam redacturus, præfatum Ioannem Lectancour regio titulo
inſignitum cum inſtructa militibus, atque Minoritis claſſe ad eas deſtinauit. Qui vt
C primùm ſecundo itinere alterius illarum Lanſarotis videlicet oris appulit, eam ſuo
ſubiugauit Imperio, atque locum ædificando oratorio accommodum præfatis fra-
tribus aſſignauit. Cumq; in Hiſpaniam reuerſus huiuſmodi inſulam, atque collatum
ſibi à Rege ad cæteras ius perdeuoto ſtrenuoq; equiti Didaco à Ferreria (vulgò Her-
rera) iuſto pretio vendidiſſet: ille, ſumptis ſecum tum militibus, tum quoque ali-
quot Franciſcanæ regularis Obſeruantiç alumnis, in Canariam traiecit, atque ſe-
cundo Marte dimicans tertiadecima menſis Iulij alteram inſulam, quam & Fortis vē-
turç nomine in beati patris Bonauenturç, qui licèt nondum inter ſanctos relatus eſ-
ſet, in maxima tamen apud Chriſtifideles, cùm ob eius ſanctitatem miraculis omnino
illuſtrem, tum ob ſeraphicam eius doctrinam, veneratione erat, honorē, quòd ea die,
non tamen eodem anno, beatus is pater cum Chriſto regnaturus ex hac mortali vita
ad aſtra migraſſet, appellandam voluit, ſibi ſubegit, alteriq; à ſe prius emptç ex tem-
pore adiecit. Contigit autem id ſub anno Dominicç incarnationis 1450. quo etiam
anno præfatus heros Didacus à Ferreria tum Franciſcanis ſecum adductis, tum

quoque cæteris in inſula Lanſarote (de qua ſuprà) degentibus magnificum monaſte- A
rium hac in inſula Fortis venturæ (vt infrà patebit) ædificandum curauit. Subiacuit
interim præfatum hoc monaſterium Prouinciæ Caſtellæ, plurimisq; annis, donec vi-
delicet Prouincia Bætica ab ea diuulſa eſt, ſub eius ſignis feliciſſimè militauit. Sed Bę-
tica Cuſtodia in Prouinciam euecta, noſtrum hoc monaſterium ſub Cuſtodię titulo ſi-
bi adhæſit. Cumq; poſtmodum aliquot alij conuentus (de quibus inferius) ſibi acceſ-
ſiſſent, à patribus in generali Capitulo Salmanticæ ſub anno Domini 1553. celebrato
Prouinciæ honore dignatum fuit: Ea tamen lege poſita, vt tres primi prouinciales
eius Miniſtri ex Prouincia Bætica aſſumendi venirent. Quod & executioni fideliſſi-
mè mandatum extitit. Huius igitur Prouinciæ, quæ ex octo fratrum, & vnico mo-
nialium monaſterijs conſtat, ſigillum & munitum oppidum mari imminens, duasq;
proceras palmas, atq; ſequentes literas: SIGILLVM MINISTRI PROVIN-
CIALIS PROVINCIÆ CANARIÆ: orbiculatim imprimit. Mirabitur B
fortè, idq; meritò, curioſus Lector, quòd hanc Prouinciam Hiſpaniæ proximam, &
ad Bæticam olim Prouinciam attinentem, atq; ab vtraque India, Orientali ſcilicet &
Occidentali, maximè diſtantem, quartę huius noſtri operis parti adiecerimus: quem
tamen, vt mirari protinus deſinat, præmonitũ volumus, nos ea propter id feciſſe, quòd
hæc à cæteris Hiſpaniæ Prouincijs Oceano mari diſtinguatur; quodq; Canaria mul-
tò magis cum Occidua India, quàm cum maiori Heſperia in moribus atque cœli in-
fluxu conuenire videatur, quodq; tandem quarta hæc operis pars iuſto breuior, idq;
ob ni miam locorum diſtantiam, monumentorumq; penuriam euaſerit. Vt igitur ter-
tiæ partis abundantia iſtius quartæ indigentiam ſuppleret, hanc Canaricam, quæ ne-
ſcio quid ſymboli cum illis habet, Indicis Prouincijs adiectã voluimus. Cęterùm quòd C
beatus Maclouius, poſtquam ex Scotia cum beato Blandano trium millium mona-
chorum patre, atque admirabilis abſtinentiæ viro ſoluens, has Canariæ inſulas per
integrum ſeptennium perluſtraſſet, mortuum miræ magnitudinis gigantem, qui
poſtmodùm baptizatus Iudæorum, & Paganorum pœnas retulit, ſuis precibus ad
vitam in earum altera ſub Iuſtiniano Imperatore reuocauerit, pluraq; alia, eaq; ma-
xima, miracula, non abſq; ingenti Canarienſiũ fructu, ediderit, eum præſenti Canarię
Prouinciæ tamquam peculiarem eius tutelarem ac patronum anteponẽdum cenſui.

De conuentu S. Bonauenturæ Fortis venturæ. Conu. I.

CVM ſtrenuus Dux atque Franciſcanæ regulari Obſeruantię addictiſſimus Di-
dacus à Ferreria, anno Dominicæ incarnationis 1450. die verò menſis Iulij 13. D
qua ſeraphicus Doctor ac beatus pater Bonauentura (anno tamen Domini 1274.) ex
hac mortali vita in æternum victurus exceſſit, debellatis Canarienſibus Forte ventura
fertiliſſima inſula, atque ex Fortunatis altera potitus eſſet, euocatis ad ſe ijs Franci-
ſcanis, quos (vt ſuprà meminimus) Ioannes Lectancour in inſula Lanſarote relique-
rat, tum illis, tum quoque ijs, quos ipſe ſecum ex Tribulenſi (niſi nos vulgaris tradi-
tio fallat) Prouincia tunc Caſtellæ, nunc verò Conceptionis monaſterio adduxerat,
hunc conuentum, qui poſtmodum eidem beato Bonauenturæ ſacratus euaſit, præfata
in inſula Forte ventura à fundamentis erigendum, atq; tumultuario opere abſoluen-
dum curauit. Nec interim præfati fratres otio torpebant, cùm eorũ alter palmas con-
ſecaret; alter tamarices eradicatas ſubmiſſo dorſo deferret; alius verò cellulas, atque
ſuperiorem eccleſiæ partẽ huiuſmodi lignis contegeret. Fuit hic conuẽtus in ſui exor- E
dio religioſiſſimus, maximiq; apud Hiſpanos, præſertim verò apud catholicos eorum
Reges Ferdinandum V. atq; Eliſabethã illius vxorem, vt ſacræ veſtes, pallæ linoſtimæ,
atq; corporalia ab ijs ad ipſum trãſmiſſa facilè teſtantur, nominis: & Minoritica 5. mo-
naſteria, nempe Xereſanũ, quod poſtea in Clariſſarum ſororum ius ceſſit, S. Mariæ de
Semitis, S. Marię de Rabida, Lauretanũ, & oppidi San Lucar de Barrameda Bætica in
Prouincia, atq; plures religioſos vita & sãctitate inſignes nobis peperit. Sed hac noſtra
tẽpeſtate præfata inſula Forte ventura ad extremam quandã pauperiẽ redacta, pluri-
mùm ab antiquo illo ſplẽdore decidit. Cùm enim olim 30. fratres commodè continue-
rit, Philoſophiæq; ſtudio ſupra modũ floruerit, vix imprę́ſentiarum ſex alere poteſt.
Eſt

A Eſt nihilominus Canarienſibus commendatiſſimus venerabiles ob cineres beati patris Ioannis Torcaſij, qui ad Principis huius conuentus ſacelli dexteram lignea arca reconduntur. Fuit ſiquidem beatus is pater indefeſſus diuini verbi præco, ſui ſtatus ſupra modum obſeruantiſſimus, atq; eximius Euangelicæ paupertatis cultor: quamobrem innumeris à Deo optimo maximo miraculis decorari meruit. Nam & epilenticis, & febricitantibus opportunè adeſt: & alios diuerſis infirmitatibus laborantes è mortis faucibus eripuit. Præterea cùm ex eminentiori cuiuſdam montis parte in profundiſſimum fluuium fortè fortuna lapſus, per tres integras horas ſub aquis delituiſſet, illæſus omnino, genuflexus atque orationi intendens à ſe quærentibus inuentus fuit. Eius cor inter ſacra illius celebris monaſterij, quod Philippus II. Hiſpaniarum Rex patribus Hieronymitis, ſub inuocatione beati Laurentij, ad vigeſimum lapidem B ab oppido Madrito ædificandum curauit, religioſiſſimè aſſeruatur. Huius quoq; ſancti Bonauenturę conuentus vigilantiſſimum Guardianum aliquando egit beatus frater Didacus Complutenſis, miraculis omnino clarus, atq; inter ſanctos breui referendus. Hic cùm ſemel hoc in loco fami ſatisfacturus collectum ex palma dactylum in os inieciſſet, dum incautius eius os dentibus præmeret, alterius iacturam perpeſſus eſt: quamobrem Deo ſupplicauit, ne permitteret, vt huiuſcemodi fructus, ad guſtandum alioquin ſuauiſſimus, ſuis famulis nocumento eſſet. Mira res! Quotquot ab eo temporis impræſentiarum vſque dactyli ex prędicta palma prodiêre, ij omnes abſque oſſe inuenti ſunt. Ex hoc etiam conuentu prodierunt quinque illi Franciſcani martyres, in quorum glorioſo agone Fortunatæ inſulæ maximè gloriantur. Hi quòd, dum præfatus Didacus à Ferreria magnam Canariam fortius oppugnat, atq; hoſtium impe-C tum minimè ferens, receptui canit, truculētiſſimis efferatisq; paganis admixti, catholicam eis fidem intrepidè, atq; cum maximo ſpiritus feruore Canarica lingua, quam apprimè addidiſcerant, prædicare contenderēt, ab huiuſmodi barbaris compræhenſi, poſt plurima ludibria, atque improperia perpeſſa, ex editiſſimo loco, qui Caſtellani ſaltus impræſentiarum dicitur, in mare præcipitantur. Adauget denique huius conuentus deuotionem (vt interim quàmplurimos alios patres & fratres virtutibus atq; vita conſpicuos in eo tumulatos miſſos faciam) Dominici vultus imago (hanc Veronicam vulgò vocant) ſummo altari maxima cum veneratione affixa, quę 13. Februarij, anno verò Domini 1571. dum venerabilis pater frater Ludouicus à Lugo ſacrum coram illa faceret, abundantiſſimum ſudorem miraculosè emiſit: quapropter ex altari S. Bonauenturæ ad ſummum (cuius antea meminimus) honoris cauſa tranſlata D extitit. Et ne quis anilem fabulam nos referre exiſtimet, nouerit, quiſquis ille fuerit, id adhibitis teſtibus omni exceptione maioribus comprobatum fuiſſe.

De conuentu S. Franciſci Magnæ Canariæ. Conu. II.

CVM ſtrenuus ille Militiæ Dux Didacus à Ferraria, poſt acceptam cladem (cuius præcedenti loco meminimus) multò ſe barbaris Canarienſibus inferiorem cerneret, in Hiſpaniam traijciens, quicquid ſibi iuris ad Teneriſam, magnam Canariam atque Palmam inſulas erat, id catholicis eius Regibus Ferdinando V. atque Eliſabethæ vendidit: retentis interim ſibi alijs tribus à ſe debellatis inſulis, Gomera videlicet Ferrea atq; Forte ventura, inſuper & Lanſarote à Ioanne Lectancour iuſto pretio empta. His igitur ſeptem inſulis vniuerſa Canaria (vt ſuprà meminimus) abſol-E uitur. Vt igitur primùm præfati Reges huiuſmodi ius perſoluta pecunia acquiſiêre, fortiſſimum virum Ioannem Rexionum cum inſtructa militibus claſſe in Canariam deſtinarunt. Qui Fortem venturam feliciter appulſus, ſumptisq; ſecum aliquot Franciſcanis, inde rectà maiorem Canariam contendit: ac tandem, poſtquam dubio Marte manus cum hoſte ſæpius conſeruiſſet, victor euaſit, fratribusq; ſibi comitibus amœniſſimum locum, perennibusq; aquis irriguum pro ædificando conuentu aſſignauit, atq; plures eleemoſynas ex reportatis de hoſte ſpolijs ad tanti operis promotionem liberaliſſimè contulit. Ex præfatis itaq; eleemoſynis, atq; ex plurimis alijs à diuerſis Chriſtifidelibus elargitis præſens monaſterium ad omnipotentis Dei honorem, atq; in memoriam ſeraphici patris Franciſci conſtructū extitit: quod & impræſentia-

rum à 40.fratribus inhabitatur,floretq; Philoſophiȩ ſtudio.Maius verò eius ſacellum, quod & ſumptuoſiſſimum,conſecratumq; eſt, à Genuenſibus, quibus & in ſepulturam deſeruit,erectum agnoſcitur: & quatuor oſſibus ex quadraginta martyribus, & religioſiſſimorum patrum Ludouici à Lugo,(cuius præcedenti loco mentio facta eſt) & Emanuelis Lomadas funeribus honeſtatur: & pleniſſimo iubileo à primis veſperis ad ſolis vſque occaſum diei feſti ſeraphici patris Franciſci, in ſe ritè accedentium fauorem,ex apoſtolica liberalitate gaudet. Præfatam verò loci aſſignationem pro ædificando hoc conuentu ratam omnino habuêre præmemorati Hiſpaniæ Reges Ferdinandus & Eliſabetha. A reliquo tanta inter cathedralis eccleſiæ Canarienſis collegium, & præſentis loci fratres intercedit neceſſitudo, vt ex ſolemni conuentione iſti eorum funeribus, & illi iſtorum exequijs religioſè aſſiſtant, Deumq; pro defunctorum animis precētur, inſuper & occurrentes neceſſitates ſuis facultatibus ſuppleant. A B

De conuentu S. Antonij Galdaris. *Conu. III.*

MAGNA Canaria æquiuocum nomen eſt, conuenitq; tum alteri ex Fortunatis inſulis,tum quoque vrbi in ea extructæ. Cùm itaque magnæ Canariæ oppidorum Galdaris atque Guiæ incolæ maximo habendorum apud ſe Minoritarum, vt illorum opera ſuis in neceſſitatibus opportunè vti poſſent, deſiderio flagrarent, per nobiles tandem viros Ioannem Legionenſem, atque Hieronymum Pineda voti compotes effecti ſunt. Ij enim ex facta cum fratribus conuentione,& fundum intra vtrunq; oppidum,ȩdificando monaſterio ſufficientiſſimum,& eleemoſynas promouendo operi neceſſarias,ſub anno à partu Virgineo 1520.contulêre.Quia verò eorum alter,Hieronymus videlicet Pineda grauioribus quibuſdam negotijs implicitus pollicitis condicto tempore ſtare non potuit,acceſsêre etiam pro breuiori huius conuentus ædificatione piorum aliquot oppidanorum facultates: quæ tamen à præfato Hieronymo liberaliſſimè poſtmodum collatis æquiparari minimè poſſunt. Eſt autem præfatus hic conuētus, beato Antonio de Padua ſacratus,inhabitaturq;,idq; ſatis commodè, à 20. religioſis: inſuper & venerabili præſtantiſſimorum patris Antonij Soſa, ac fratris Petri de Montibus tumulo condecoratur. Horum primus pater ſcilicet Antonius Soſa ſacerdos,ac patria Luſitanus relicta pinguiſſima hæreditate, atq; ſanguinis claritate longè poſthabita, ad hunc conuentum Minoritico induendus habitu conuolauit: in eoq; ad extremum vſq; vitæ diem humilioribus exercitijs, atque Infirmarij officio vigilantiſſimè intentus perſeuerauit.Fuit prȩterea in oratione aſſiduus,maximaq; charitate præditus,ac omni denique virtute ornatus: quamobrem infirmum confratrem animam iam agētem,porrecto ſibi poculo,integræ ſoſpitati ex tempore mirabiliter reſtituere meruit. Secundus verò,frater videlicet Petrus de Montibus laicus profeſſus, cùm per viginti continuos annos in inſula Fortis venturæ ſingulari quadam Dei prouidentia (inueniebat ſiquidem ſingulis diebus ordeaceæ farinȩ tantum in pera,quantum ſibi ad frugalem vitæ ſuſtentationē neceſſum erat) ad inſtar diui Pauli primi eremitæ ſanctiſſimè egiſſet, ſedulamq; derelictæ cuiuſdam eccleſiæ curam habuiſſet,ſuæ mortis præſcius iam octogenarius ad hunc conuentum ſe contulit: vbi & Minoritico indutus habitu cum maxima ſanctitatis opinione infra triduum vitam finiuit. Appoſiti quoque ſunt ad præfatos patres quamplures alij vitæ ſanctimonia illuſtres, quorum tamen nomina nos latent.Dum 26.Ianuarij,anno Domini 1562. quotquot erāt hoc in loco fratres, ob maximam obortam tempeſtatem, Deum pro eius trāquillitate coram venerabili Euchariſtiæ ſacramento conueniſſent, fulmen è cœlo lapſum campanam duas in partes diuiſit,ac ſacrarium intacto corpore Dominico,fratribusq; omnino illæſis (quod præter miraculum euenire non potuit) combuſſit. Idq; vtprimùm ſæcularibus innotuit, in cauſa extitit, vt ij & locum & eius accolas maiori in poſterum veneratione, deuotione, atque animi affectu proſequerentur.

(Right-margin letters: C, D, E)

De conuentu S. Michaelis Victoriarum Lacunæ. *Conu. IIII.*

CVM inclytus Chriſtianæ claſſis Præfectus Alphonſus Ferdinandez Lugo, poſt ſuum in inſula Teneriſæ ingreſſum, multo ſe inferiorem in quotidianis congreſſibus

A ſibus inſularibus cerneret, poſtquã iterum, atq; iterum impari Marte manus cum eis conſeruiſſet, receptui canens in inſulam Ligneam ſe cum vniuerſa claſſe ſibi commiſſa contulit. Cumq; primùm eius milites atrita vulneribus corpora curaſſent, vireſq; reaſſumpſiſſent, præfatam Tenerifæ inſulam, ſub anno à partu Virgineo 1512. repetijt; atq; ſumpto in tutelarem Archangelo Michaële tanto impetu hoſtes adhortus eſt, vt primo inſultu illos fuderit, debellaritq;. Ne igitur tanto patrono, cui ſe partam de hoſte victoriam debere nouerat, ingratus videretur, eodem prorſus loco, in quo victor euaſerat, ſitum pro ædificando in eius honorem monaſterio aſſignauit, primumq; lapidem fundamentalem proprijs manibus poſuit. Aderant forte illis eo temporis aliquot Minoritæ, qui ſtrenuam operam eo in conflictu ſuis adhortationibus nauarant: quamobrem pientiſſimus Præfectus huiuſcemodi conuentus ædificationem, retento tamen ſibi, ſuiſq; poſteris principe ſacello, eis commiſit. Qui quidem
B Minoritę, perdeuotis Petro Lugo, atq; Lope Ferdinandez maximè ſibi fauẽtibus, prę-fatum hunc conuentum, qui non multùm à ciuitate Lacuna diſtat, quiq; 36. fratres, ſat commodè continet, intra breuiſſimi temporis ſpatium abſoluendum curarunt, ac per 30. eoq; plus annos pacificè inhabitarunt. Poſt elapſos verò 30. annos & vltrà à præfata ædificatione, cùm quidam frater Petrus Hiſpalenſis huius tunc Cuſtodiæ Cuſtos Clariſſas aliquot moniales ſecum ex Hiſpania ad has inſulas contuliſſet, Lacunenſibus in eius ſententiam facilè venientibus, fratres loco cedere, atq; ad commune quoddam S. Sebaſtiani xenodochium ſe conferre coëgit, illiſq; pręfatas moniales ſuffecit. Sed reclamantibus poſtmodum fratribus, Pioq; V. Pont. max. ſupplicantibus, vt ſe à tanta ſibi facta iniuria vindicare dignaretur, præcepit pientiſſimus Pontifex, vt
C antiquiori monaſterio fratribus reſtituto ſe moniales ad vrbis Lacunæ interiora, iuxta Concilij Tridẽtini decreta, conferrẽt. Quod executioni, anno Dñi 1576. mandatũ eſt.

De conuentu S. Laurentij de Ortaua. Conu. V.

DECREVERAT ſtrenuus eques, atq; vnus ex præcipuis inſulæ Tenerifæ expugnatoribus Bartholomæus Benites Lugo maius proximè pręcedentis conuentus ſacellum ſibi, ſuiſq; poſteris ex proprijs facultatibus ædificare. Sed cùm pręuentus à claſſis Præfecto Alphonſo Ferdinandez Lugo ſe tanto deſiderio fruſtratum cerneret, vt primùm, debellatis omnino inſularibus paganis, inſula Tenerifę in omnimodam Chriſtianorum poteſtatem venit, hunc conuentum in S. Laurentij honorem Ortauæ, quę inſulæ Tenerifę oppidum eſt, in proprio fundo, ſub anno Dñi 1519. ex-
D truendum, perficiendum, ſacriſque veſtibus, vaſis, ac cæteris neceſſarijs inſtruendum curauit. Licèt præfatus hic conuentus à 30. fratribus inhabitetur, atq; proximè pręcedenti minor ſit, in maiori tamen apud Tenerifanos veneratione, quàm ille eſt: idq; ob frequentia miracula meritis ſancti Laurentij martyris ibidem contingentia.

De conuentu Dominæ noſtræ de Angelis Garacici. Conu. VI.

GENEROSVS Chriſtophorus à Fonte patria Genuẽſis, atq; vnus quoq; ex inſulæ Tenerifę expugnatoribus, de ędificando ibidem in glorioſæ virginis Marię honorem conuentu cogitare cœpit. Nacta igitur, ſub anno reſtitutæ ſalutis 1524. opportunitate, præſentem conuentum, ſub ſanctiſſimę Mariæ de Angelis inuocatione in medio præfati oppidi Garacici foro ex proprijs facultatibus à fundamentis extruen-
E dum, eiuſq; eccleſiam pulcherrimis ſacellis condecorandam, atq; vtrunq; omnibus ſuis numeris abſolutum huius Prouinciæ fratribus tradendũ curauit: Voluit tamen, vt princeps ſacellum tum ſibi, tum quoq; ſuis ſucceſſoribus in perpetuam ſepulturam iure patronatus deſeruiret. Inhabitatur præfatus hic conuentus à 30. fratribus. Cæterum inter reliquos patres, qui hoc in loco tum religione, tum quoq; vitæ ſanctimonia claruerunt, longè emicuêre beatus pater Ludouicus Lerma dignitate ſacerdos, & humillimus frater Michaël laicus profeſſus. Horum ſiquidem prior, pater ſcilicet Ludouicus Lerma, cùm ex inſulę Tenerifæ expugnatoribus vnus eſſet, atq; in quodam cum infidelibus Tenerifanis conflictu, cæteris eius ſocijs truculentiſſimè occiſis, inter eorum corpora ſe mortuum ſimulans aſtutè deliteſceret, voto ſe omnipotenti Deo ad

Fran-

Franciſcanæ Religionis profeſſionem, ſi eius miſericordia tantum diſcrimen euaderet, opportunè aſtrinxit. Superuenientis igitur noctis beneficio ex hoſtium manibus ereptus, cùm ad Chriſtianorum caſtra ſe contuliſſet, vt primùm Minoriticus S. Michaëlis Victoriarum conuentus (de quo ſuprà) erectus extitit, Franciſcanum in eo habitum quàm deuotiſſimè induit. In quo tandem tanta humilitate, tantaq; vitæ ſanctimonia ad vltimum vſq; vitę halitum perſeuerauit, vt certiſſimam ſui exitus horam prænoſſe, atq; multis miraculis, quorum vnum aut alterum in medium adducemus, clarere meruerit. Cùm enim Ioannes quidam Loſſanus ex oppido Guaracico oriundus lepra laboraret, vt primùm ſumpto ex eius oſſibus liquore, qui ad olei inſtar emanat, læſum locum liniuit, miraculosè conualuit. Præterea quidam puer nomine Laurentius, mortiq; omnino propinquus, ad eiuſdem liquoris inunctionem ex tempore benè habuit. Poſſem & quàmplurima alia miracula pręcedentibus annectere, niſi incurrendę prolixitatis timor me remoraretur. Atqui poſtremus frater ſcilicet Michaël tanta fuit humilitate præditus, tanta præterea charitate, oratione, atq; paupertate inſignis, vt per 30. continuos annos in culinę obſequio fratribus hoc in loco inſeruire voluerit, nihilq; vnquam alicui denegauerit, atq; vnico, eoq; pauperrimo per totum eius temporis curriculum habitu contentus inter orandum raptus, atq; à terra in altum abſtractus quàm ſæpiſſimè viſus fuerit. Vtriuſq; iſtius religioſiſſimi fratris oſſa in communi fratrum huius conuentus ſarcophago honeſtiori loco recondita ſunt.

De conuentu Conceptionis B. Virginis Palmæ. *Conu. VII.*

SERENISSIMA Ioanna Hiſpaniæ Regina, cùm inſula Palmæ, à proceris duabus palmis, quæ à longè videntur, ſic dicta, atq; ex Fortunatis vna, habitatoribus abundaret, nulloſq; religioſos, qui ſe in via Domini felicius inſtruerent, penes ſe haberet, aliquot Franciſcanos ex conuicinis inſulis euocandos cenſuit. Quòd vt primùm executioni mandauit, perdeuoti Chriſtifideles Magdalena Infans, atq; Martinus Camacius pręfatæ inſulę Palmę inquilini tantum terrę ſpatium contulêre, quantum ad vnius conuentus ædificationem ſat eſſe poterat. Ea igitur opportunitate nacta huius tunc Cuſtodiæ fratres præſentē conuentū, in Conceptionis B. Virginis honorē ibidē, ſub anno Dñi 1508. ædificarunt. Cumq; huiuſmodi conuẽtus, qui & à 26. fratribus pro votis inhabitatur, & ſacris quibuſdam ex vndecim millibus virginum reliquijs cohoneſtatur, omni poſtmodum ex parte perfectus, maxima aquę penuria laboraret, eius tantum ex publico fonte à Carolo V. Germanorum Imperatore, Hiſpaniarumq; Rege, ſub anno Domini 1534. conceſſum extitit, quantum irrigandis hortis, cæteriſq; domeſticis neceſſitatibus neceſſum erat. Mortem obijt hoc in loco, ſub anno Dñi 1541. admirandę religionis pater Ioannes de Via, cuius perdeuotus quidam frater nouitius nomine Aſcenſius curam geſſerat. Cumq; is nouitius poſt aliquot dies à pręfati patris Ioannis tranſitu orationi feruentius inſtaret, maxima ſe claritate circundari, atq; fratrem quendam ſummopere reſplendentem ſibi approximari proſpexit. Quod cùm ſibi tertiò accidiſſet, reaſſumptis vtcunq; viribus (in prima ſiquidem, atq; ſecunda viſione tanto fuit timore correptus, vt nec verbum proferre potuerit) ab huiuſmodi fratre, quid ſibi vellet, & quis nam eſſet, petijt. Cui ille frater inquit, Ioannes de Via ego ſum, qui ex maxima Dei miſericordia cælicolis annumeratus exiſto: veruntamen, ne id ſtatim aſſequar, impedimento ſunt quædam defunctorum officia à me obliuioni tradita. Quamobrem à te obnixè peto, vt ea quàm primùm ex charitate perſoluenda cures. Statimq; huiuſmodi viſio euanuit. Cùm igitur frater Aſcenſius viſionem loci Guardiano retuliſſet, illeq; præfata defunctorum officia à fratribus perlegenda curaſſet, apparuit denuò eidem fratri Aſcenſio præfatus pater Ioannes de Via multò maiori claritate pręfulgidus: ſibiq; maximas ob præſtitum beneficiũ gratias egit: inſuper & ſignificauit eorum alterum, qui ei à dextris aſtaret (aderant ſiquidem illi duo viri graues Minoritico habitu amicti) eſse ſeraphicum patrem Franciſcum, alterum verò beatum patrem Bernardinum. Id itaq; in cauſa fuit, vt præfati patris Ioannis de Via corpus ex communi fratrum ſarcophago ad princeps huius monaſterij ſacellum honeſtiori, atque præſtantiori loco tumulandum transferretur.

De conuentu

A

De conuentu S. Franciſci Gomeræ. *Conu. VIII.*

CVM inclytus atque pientiſſimus Guilielmus Peraza inſulæ Gomeræ, quæ ex Fortunatis altera eſt, Comes admirabili quadam deuotione in ſeraphicum patrem Franciſcum, eiusq; ſequaces ferretur, ita vt Minoritica corda pro cingulo publicè vteretur, Frãciſcaniſq; fratribus in omnibus conformari geſtiret, Minoriticum hunc conuentum, ſeraphico patri Franciſco ſacratum, pręfata in inſula Gomera, atq; intra oppidi ſancti Sebaſtiani mœnia, ſub anno à partu Virgineo 1533. ex proprijs facultatibus ædificandum, ampliſſimisq; hortis & plurimis iocalibus ad eccleſiæ ornatum locupletandum, ac tandem huius Prouinciæ fratribus per publicum inſtrumentum tradendum curauit. Contulit nihilominus ad huiuſmet conuentus, qui à 16. B fratribus plerunq; inhabitatur, ornatum, atq; commodiorem fratrum habitationem pinguiſſimã eleemoſynã cariſſima præfati Comitis vxor, eiuſdemq; inſulę Comitiſſa.

Cùm ſub finem menſis Auguſti eius anni, qui à partu Virgineo fuit 1571. piratæ aliquot hæretici iſtius inſulæ Gomerę oris cum inſtructa claſſe appuliſſent, atq; ſancti Sebaſtiani oppidum (de quo ſuprà) vi expugnaſſent, quotquot erant oppidani & fratres, oppidi Parocho patre Didaco Muñoſio, fratre Gumiele atq; aliquot alijs ſecluſis, in editiorem proximi montis partem ſe contulêre. Cumq; præfati hæretici hunc conuentum ingreſſi in Chriſti, atque Sanctorum imagines inſolenti quadam procacitate debacchar̃etur, præfatus pater Didacus Muñoſius, qui ad domus Cuſtodiam remanſerat, eos grauiter corripuit. Quamobrem illi ſupra modum exaſperati conuerſis in eum catapultis hominẽ alioquin piũ, atq; diuini honoris zelotypum ſpherulis tranſ- C uerberarunt, mortalemq; hanc vitam cum cęleſti patria commutare fecerunt. Quod vt frater Gumielis eiuſdem conuentus familiaris audiuit, è latebris egreſſus in huiuſmodi ſanguinarios hæreticos acrius inuehi cœpit: idq; in cauſa extitit, vt illi eius corpus plurimis, dirisq; vulneribus affecerint, atque vitam cum morte commutare coëgerint. Dum interim reliqui fratres montana tenerent, meminit eorum Guardianus derelicti in ſacrario venerabilis ac ſacroſancti Euchariſtiæ ſacramenti, maximeq; ea propter angi cœpit: quamobrem ſtrenuus Chriſti athleta, atq; de orthodoxa fide optimè meritus pater frater Antonius à ſancta Maria ex Icode Magnæ Canariæ oppido oriundus, ne fortè ſanctum canibus daretur, conuentum ſibi repetendum fore cenſuit. Ingreſſus itaq; eius eccleſiam ſumptum maxima cum deuotione Dominicũ corpus maximis cum lacrymis ori admouit, deglutiuitq;. Quod vt Satanæ miniſtri D conſpexerunt, eum compræhendentes ad prętoriam nauem deduxerunt. Cumq; nec eorum minis, nec blandimentis, nec etiam pollicitationibus, quibus eius conſtantiam ſupra modum tentarunt, tantus is pater acquieſcere vellet: imò potius, producto ex manica ligneo Crucifixo, eos ad reſcipiſcẽtiam, atq; tãti commiſſi criminis pęnitentiam viriliter, conſtantiſſimeq; hortaretur, ab ijs opprobrijs primùm ſaturatus, colaphis poſtmodum cæſus, diris vulneribus ictus, globulis ferreis tranſuerberatur, ac tandem in mare proiectus extitit: vbi & martyrij palmam glorioſè aſſequutus fuit. Idẽ ferè mortis genus ſub eiſdẽ hęreticis ſubijt pręfatus oppidi S. Sebaſtiani Parochus.

De monaſterio S. Claræ Lacunæ in inſula Teneriſæ.

APPVLSIS Clariſſis ſororibus ex Beatiano S. Antonij, atq; ex Reginenſi Sanlucaris de Barrameda monaſterijs ad Teneriſæ inſulam, earum conductor fra- E ter Petrus Hiſpalenſis huius tunc Cuſtodię Cuſtos, vt Minoriticus is Lacunenſis S. Michaëlis conuentus eis traderetur, quàmdiligentiſſimè curauit. Sed cùm, reclamantibus poſt triginta annos & vltrà fratribus, eis reſtitutus eſſet, præfatæ moniales aliud ſibi monaſterium in fundo, ab Eulalia Fonte vidua ex Doctoris Niceani (vulgò Niçardo) morte relicta iuſto ære empto, ſub inuocatione B. virginis Clarę, anno reſtitutę ſalutis 1576. intra Lacunenſis præfatę ciuitatis mœnia à fundamentis ad apicem vſq; ædificandum curarunt: vbi impræſentiarum vſque earum circiter 80. perſeuerant. Sunt autem huiuſmodi moniales de ſecunda (vt aiunt) beatæ virginis Clarę Regula, mirumq; in modum tum ſanctitate, tum quoque pietate ac religione florent.



PROVIN-

PROVINCIA
S. CRVCIS INS. HISPAN.

A CVM in propria Chriſtophori Columbi patria Genuenſis, ac nauticæ artis peritiſſimi, domo abſolutiſſimus quidam nauta, ex hac vita excedēs, aliquot ſcripta reliquiſſet, is Columbus, qui & Aſtronomiam optimè callebat, ad altiora, nempe ad alterius incogniti orbis explorationem aſpirare cœpit. Quamobrem aliquot Principes ad capiendam huiuſmodi prouinciam, ſibiq; fauendum hortatus eſt. Paſſus tamen ab eis repulſam, quòd delirus, mentiſq; minus compos haberetur, ad catholicos Hiſpaniæ Reges Ferdinandum V. atque Eliſabetham eius vxorem conuolauit. A quibus tandem, vtprimùm, quid in mēte haberet, detexit, humaniſſimè exceptus, & benè ſperare iuſſus eſt. Fuère tamen interim illi maximo adiumento commendatitię literę, ſibi à quodā fratre Ioanne Piretio pro-
B feſſione Franciſcano, atq; Bęticæ Prouincię alumno, ad P.F. Ferdinandum à Talabrica eorundem Regum Confeſſarium datæ. Is ſiquidem P. Ferdinandus perlectis huiuſmodi literis eo de negotio cum R. Petro Gonſaluo à Mendoza Toletano Archiepiſcopo, qui plurimùm apud præfatos Reges valebat, ſerius egit: amboq; ſimul præfati Columbi propoſitum vtriq; Regi pro viribus commendarunt. Acceptis poſtmodū Chriſtophorus Columbus à præmemoratis Regibus tribus ſpeculatorijs nauibus, milite, atq; cōmeatu inſtructis, ex portu 4. Auguſti eius anni, qui à partu Virgineo 1492. fuit, feliciſſimè ſoluit, atq; infra aliquantuli temporis ſpatium poſt plurimos in Oceano mari ſuperatos labores, ad nouam quandam inſulam, nomine Haiti, ad illud vſque
C tempus tum Aſiaticis, tum Africanis, tum quoq; Europicis omnino incognitam, atq; ab Hiſpania, vnde ille ſoluerat, 4200. milliarijs diſtantem, peruenit. Hanc vtprimùm, debellatis eius accolis, præfatorum Regum Imperio ſubiugauit Columbus, Hiſpaniolam inſulam in poſterum appellatam voluit. Continet hæc inſula 570. milliaria in longitudine, in latitudine verò 180. armentorum præterea, & ſacchari feraciſſima eſt, atq; peroptimis portibus abundat. Pręfata igitur hæc inſula in Chriſtianorū poteſtatē redacta, Chriſtophorus Columbus aſſumptis ſecum ſex eius incolis, atq; aliquibus alijs rebus Europicis omnino incognitis, ſed ab eadem inſula productis, Hiſpaniā repetijt; Barcinonemq;, vbi tunc temporis præfati Reges agebant, appulſus, ea omnia illis obſequioſè obtulit, inſuper & quos progreſſus feciſſet abundè aperuit: addens maximū
D eos Deo obſequium præſtituros, ſi vlterius progredi vellent, quandoquidem ea patria ampliſſima eſſet, idolatriæq; ſubiaceret, atq; antropophagis, ideſt hominibus, qui humanis carnibus veſcuntur, ſcateret. Cuius aduentu pientiſſimi Reges ſummopere gauiſi, atq; oblatas res, præcipuè verò Indos maximè admirati, ſe ad tantarum abominationum omnibus in partibus, quæ Regno ſibi audienti in poſterum accederent, extirpationē Chriſtiano pectore ex voto obligarūt. Quod & non minus fideliter, quàm piè tum ipſi, tum quoq; eius ſucceſſores, (vt ex eorundē chronicis liquidò patet) executioni mandarunt. Præterea & præfatos ſex Indos regia pompa baptizandos, & Alexandrum VI. Pont. max. de omnibus certiorem reddendū curarunt. Vt igitur primùm
E pientiſſimus is ſummus Pontifex huiuſmodi nuncium accepit, de tanto ſucceſſu, ac de noua ſobole Chriſtifidelium Eccleſiæ adijcienda omnino lætus: inſuper & quòd ea vni Hiſpaniæ Regi Ferdinando innotuiſſent, quæ antiquiores Romanos, alioſq; trāſactos populos, licèt nouarum rerum cupidos, per tot temporum curricula fugerant, ſummopere admiratus, pręfatam inſulam Hiſpaniolā, imò & quaſcunq; alias inſulas, atq; etiam continentem verſus Occidentem de nouo adinueniendas, tum ſibi, tū quoq; ſuis in Regno Caſtellæ, atq; Legionis ſucceſſoribus, dūmodo de Prædicatoribus, atq; ſacerdotibus, qui huiuſmodi populū ſuo imperio de nouo ſubactum ſacro baptiſmate purifica-

purificarent, Chriſtianisq; ritibus imbuerent, opportunè prouiderent, proprio motu, A atq; de illuſtriſſimorũ Cardinaliũ conſenſu, quod ſequitur, apoſtolicũ diploma dedit.

Alexander Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei in Chriſto filio Ferdinando Regi, & cariſsimæ in Chriſto filiæ Eliſabethæ Reginæ Caſtellæ, Legionis, Aragonum, Siciliæ & Granatæ illuſtribus ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Inter cætera diuinæ Maieſtatis beneplacita opera: & cordis noſtri deſiderabilia illud profectò potiſsimùm exiſtit, vt fides catholica, & Chriſtiana religio (noſtris præſertim temporibus) exaltetur, ac vbilibet amplietur, & dilatetur, animarumq́; ſalus procuretur, ac barbaræ nationes deprimantur, & ad fidem ipſam reducantur. Vnde cùm ad hanc ſanctam Petri Sedẽ diuina fauente clementia (meritis licèt imparibus) euocati fuerimus, cognoſcentes vos (tamquam veros catholicos Reges, & Principes, quales ſemper fuiſſe nouimus: & à vobis præclarè geſta toti penè iam orbi notiſsima demonſtrant) ne dum id exoptare, ſed omni conatu, ſtudio, & diligentia, nullis laboribus, nullis impenſis, nullisq́; parcendo periculis, etiam proprium ſanguinẽ effundendo efficere, ac omnem animum veſtrum, omnesq́; conatus ad hoc iam B *dudum dedicaſſe; quemadmodum recuperatio Regni Granatæ à tyrannide Saracenorum hodiernis temporibus per vos cum tanta diuini nominis gloria facta teſtatur: dignè ducimus non immeritò, & debemus illa vobis etiam ſponte, & fauorabiliter concedere, per quæ huiuſmodi ſanctum, et laudabile ab immortali Deo acceptum propoſitum indies feruentiori animo ad ipſius Dei honorem, & imperij Chriſtiani propagationem proſequi valeatis. Sanè accepimus quòd vos, qui dudum animum propoſueratis aliquas inſulas, & terras firmas remotas, & ignotas, ac per alios hactenus non repertas quærere, & inuenire, vt illarum incolas & habitatores ad colendum Redemptorem noſtrum, & Fidem catholicam profitendum reduceretis, hactenus in expugnatione, & recuperatione ipſius Regni Granatæ plurimùm occupati, huiuſmodi ſanctum, & laudabile propoſitum veſtrum ad optatum finem perducere nequiuiſtis: ſed tandẽ, ſicut Domino placuit, Regno* C *prædicto recuperato, volẽtes deſiderium adimplere veſtrum, dilectum filium Chriſtophorum Colon (virum vtiq; dignum, & plurimum commendandum, ac tanto negotio aptum) cum nauigijs, & hominibus ad ſimilia inſtructis, non ſine maximis laboribus, & periculis, ac expenſis deſtinaſtis, vt terras firmas, & inſulas remotas, & incognitas huiuſmodi per mare, vbi hactenus nauigatum non fuerat, diligenter inquireret. Qui tandem diuino auxilio (facta extrema diligentia) in mari Oceano nauigantes, certas inſulas remotiſsimas, & etiam terras firmas, quæ per alios hactenus repertæ non fuerant, inuenerunt. In quibus quàmplurimæ gentes pacificè viuentes, & (vt aſſeritur) nudi incedentes, nec carnibus veſcentes inhabitant, & (vt præfati nuntij veſtri poſſunt opinari) gentes ipſæ in inſulis, & terris prædictis habitantes credunt vnum Deum Creatorem in cœlis eſſe, ac ad fidem catholicã amplexandum, & bonis moribus imbuendum ſatis apti videtur: ſpesq́; habetur, quòd ſi erudirẽtur, nomen Saluatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti in terris, & in-* D *ſulis prædictis facilè induceretur. Ac præfatus Chriſtophorus in vna ex principalibus inſulis prædictis iam vnam turrim ſatis munitam (in qua certos Chriſtianos, qui ſecum iuerant, in cuſtodiam, & vt alias inſulas, ac terras firmas, remotas, & incognitas inquirerent, poſuit) conſtrui, & ædificari fecit. In quibus quidem inſulis, & terris iam repertis aurum, aromata, & aliæ quamplurimæ res pretioſæ diuerſi generis, & diuerſæ qualitatis reperiũtur. Vnde omnibus diligenter, & præſertim fidei catholicæ exaltatione, & dilatatione (prout decet catholicos Reges, & Principes) conſideratis more progenitorum veſtrorum claræ memoriæ Regum terras firmas, & inſulas prædictas, illarumq́; incolæ & habitatores vobis (diuina fauente clementia) ſubijcere, & ad fidem catholicam reducere propoſuiſtis. Nos igitur huiuſmodi veſtrum ſanctum, & laudabile propoſitum plurimùm in Domino commendantes, ac cupientes vt illud ad debitum finem perducatur, & ipſum nomen Saluatoris noſtri in partibus illis inducatur, hortamur* E *vos quamplurimùm in Domino, & per ſacri lauacri ſuſceptionem, qua mandatis apoſtolicis obligati eſtis; & per viſcera miſericordiæ Domini noſtri Ieſu Chriſti attentè requirimus, vt cum expeditione huiuſmodi omnino proſequi, & aſſumere prona mente orthodoxæ fidei zelo intendatis, populosq́; in huiuſmodi inſulis, & terris degentes ad Chriſtianam religionem ſuſcipiendum inducere velitis, & debeatis, nec pericula, nec labores vllo vnquam tempore vos deterreant, firma ſpe, fiduciaq́; conceptis, quod Deus omnipotens conatus veſtros feliciter proſequetur: Et vt tanti negotij prouinciam apoſtolicæ gratiæ largitate donare liberius, & audacius aſſumatis, motu proprio non ad veſtram, vel alterius pro vobis ſuper hoc nobis oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, & ex certa ſcientia, ac de apoſtolicæ poteſtatis plenitu-*

A plenitudine,omnes inſulas,& terras firmas inuentas,& inueniẽdas,detectas,& detegẽdas ver-
ſus Occidentẽ & Meridiẽ fabricãdo,& cõſtruẽdo vnã lineã à polo Arctico,ſcilicet Septẽtrione,ad
polũ Antarcticũ,ſcilicet Meridiẽ,ſiue terræ firmæ,& inſulæ inuẽtæ,& inueniẽdæ ſint verſus Indiã
aut verſus aliã quamcunq; partẽ,quæ linea diſtet à qualibet inſularũ,quæ vulgariter nũcupantur
delos Azores & Cabo verde,centũ leucis verſus Occidentẽ,& Meridiẽ.Itaq; oẽs Inſulæ, & terræ
firmæ repertæ & reperiẽdæ,detectæ & detegẽdæ à præfata linea verſus Occidentẽ,& Meridiem,
quæ per aliũ Regẽ,aut Principẽ Chriſtianum nõ fuerint actualiter poſſeſſæ,vſq; ad diẽ natiuitatis
Domini noſtri Ieſu Chriſti proximè præcedẽtis,à quò incipit annus præſens 1493.quãdo fuerũt
per nũtios & Capitaneos veſtros inuẽtæ aliquæ prædictarũ Inſularũ,authoritate omnipotẽtis Dei
nobis in B.Petro cõceſſa,ac Vicariatus Ieſu Chriſti,qua fungimur in terris , cũ oĩbus illarũ domi-
nijs,ciuitatibus,caſtris,locis,& villis,iuribusq; & iuriſdictionibus , ac pertinẽtijs vniuerſis vo-
bis,hæredibusq; & ſucceſſoribus veſtris Caſtellæ,& Legionis Regibus in perpetuũ tenore præſen-
B tiũ donamus,cõcedimus,& aſsignamus:vosq;,& hæredes ac ſucceſſores præfatos illarũ Dominos
cũ plena,libera,& omnimoda põtate,authoritate,& iuriſdictione facimus,cõſtituimus,& deputa
mus:decernẽtes nihilominus per huiuſmodi donationẽ,conceſsionẽ , & aſsignationẽ noſtrã nulli
Chriſtiano Principi,qui actualiter præfatas inſulas,& terras firmas poſſederit,vſq; ad prædictũ
diẽ natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti ius quæſitũ ſublatũ intelligi poſſe,aut auferri debere:&
inſuper mãdamus vobis in virtute ſanctæ obediẽtiæ,vt (ſicut etiã pollicemini,& non dubitamus
pro veſtra maxima deuotione,& regia magnanimitate vos eſſe facturos)ad terras firmas,& inſu
las prædictas viros probos,& Deũ timẽtes, doctos,peritos & expertes ad inſtruendũ incolas , &
habitatores præfatos in Fide catholica,& bonis moribus imbuendũ deſtinare debeatis,omnẽ debi
tam diligentiã in pramiſsis adhibẽtes. Ac quibuſcunq; perſonis cuiuſcunq; dignitatis etiã Impe
rialis,& Regalis,ſtatus,gradus,ordinis,vel cõditionis ſub excõicationis latæ ſentẽtiæ pœna (quã
C eo ipſo quòd cõtra fecerint,incurrãt)diſtrictius inhibemus,ne ad inſulas,& terras firmas inuen-
tas & inueniẽdas,detectas,& detegẽdas verſus Occidentẽ,& Meridiẽ,fabricãdo & conſtruen
do lineã à polo Arctico ad polũ Antarcticũ,ſiuæ terræ firmæ,& Inſulæ inuẽtæ & inueniẽdæ ſint
verſus Indiã,aut verſus aliã quãcumq; partẽ.Quæ tamẽ linea diſtet à qualibet inſularũ,quæ vul-
gariter nuncupãtur,de los AZores,& Cabo verde centũ leucis verſus Occidentẽ & Meridiẽ (vt
præfertur)pro mercibus habẽdis,vel quacunq; alia de cauſa accedere præſumat abſq; veſtra,ac hæ
redũ & ſucceſſorũ veſtrorũ prædictorũ licẽtia ſpãli:nõ obſtãtibus cõſtitutionibus,& ordinationi-
bus apoſtolicis:in illo,à quo Imperia,et Dominationes ac bona cũcta procedũt cõfidentes,quòd di-
rigente Domino actus veſtros,ſi huiuſmodi ſanctũ,& laudabile propoſitũ proſequamini,breui tẽ-
pore cũ felicitate & gloria totius populi Chriſtiani veſtri labores , & conatus exitũ felicisſimũ
conſequentur.Verùm,quia difficilè foret præſentes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus ex-
pediens fuerit , deferri , volumus, ac motu & ſcientia ſimilibus decernimus, quòd illarum tran-
D ſumptis manu publici Notarij inde rogati ſubſcriptis , & ſigillo alicuius perſonr in eccleſiaſtica
dignitate conſtitutæ, ſeu curiæ eccleſiaſticæ munitis ea prorſus fides in iudicio & extra , ac aliàs
vbilibet adhibeatur , quæ præſentibus adhiberetur , ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo om-
nino hominum liceat hanc paginam noſtræ commendationis, &c. Siquis aũt hoc attentare &c.
Datũ Romæ apud S. Petrũ anno Dominicæ 1493.4.nonas Maij , Põtificatus noſtri anno primo .

Vt autẽ ad noſtrum propoſitũ deueniamus,Chriſtophorus Colũbus, vt primũ prę̃fata
inſula Hiſpaniola potitus eſt,principi eius oppido,quod poſtea in celebrẽ ciuitatẽ,to-
tiuſq; inſulæ metropolim , atq; in archiepiſcopalem ſedẽ ſub nomine S. Dominici ab
eius patre ſic dicto euaſit , vterinum fratrem in Gubernatorem præfecit : alijſque
plurimis oppidis , & ciuitatibus, de quorum numero ſunt ciuitas ſancti Iacobi de
Equitibus , ciuitas Portus argentei , ciuitas Portus regii , atque ciuitas Iaguanæ,ini
E tium dedit.Quidam verò Chriſti fideles citream miræ magnitudinis crucem in oppi-
di S.Iacobi de Planitie,(vulgò de la vega) in Maguana veſtibulo,vt qui aliquando in-
de tranſirent , eam regionem à Chriſtianis poſſeſſam fuiſſe agnoſcerent , poſtmodum
erexêre.Hanc crucem funibus alligatam 600. infideles Indi ad terram deijcere coacti
ſunt:cùmq; intentum aſſequi non potuiſſent, erecta poſt elapſum triduum ingenti py-
ra,ſubmiſſoq; igne eam in fauillam redigere intenderũt.Sed fruſtra , Deo opt.max. id
minimè permittente.Volunt etiã, vt pulcherrima quædam virgo modò ſplendido atq;
hilari,modò verò ſubirato vultu præfatis Indis,dum iſta præſtare ſatagunt, ſæpius vi-

ſa ſit:quodq; ea propter cœptis diſtiterint, maximoq; cum vlulatu, atque omnino exterriti inde abſceſſerint. Quod & in cauſa extitit, vt huiuſmodi crux à Chriſti fidelibus maximo in pretio in poſterũ haberetur; atq; in plures partes diuiſa diuerſis in locis ſingulari quadã deuotione colatur. Nec immeritò ſanè, cùm ad eius contactũ quàmplurimi languẽtes ex diuerſis infirmitatibus conualuerint; atq; dæmoniaci nõ pauci ab immundis ſpiritibus liberati ſint. Crediderim etiã, idq; non abſre, hanc Prouinciã ab eadẽ cruce nomẽ duxiſſe; appellatur nanq; Prouincia S. Crucis inſulæ Hiſpaniolæ. Idq; maius eius ſigillũ, quod prægrãdi Dñica cruce mari innixa, cui cætera Dominicæ paſſionis improperia hinc inde aſtant, atq; ſequẽtibus literis: ECCE. CRVCEM. DOMINI. FVGITE. PARTES. ADVERSAE. orbiculatim inſignitur, inſinuare videtur. Poſt elapſos verò aliquot dies ab inſulæ iſtius expugnatione, nonnulli fratres noſtri, & inter eos frater Ioãnes Piretius, qui Colũbo, ne à tãta Prouincia diſcederet, inſtantiſſimè ſuaſit, ad has partes ſecũda nauigatione traiecêre: atq; præſenti Prouincię in hunc modũ initiũ dedêre. Is namq; frater Ioãnes Piretius, primò in iſtã inſulam ingreſſus, ſtraminaceũ tuguriolũ ſibi ędificari iuſſit; inibiq; primũ ſacrũ fecit; atq; demum Euchariſtię ſacramentũ aſſeruandũ curauit. Et hęc prima Occiduarũ omnium Indiarũ eccleſia eſt. Succedentibus verò poſtmodũ quibuſdã alijs Prouinciæ Caſtellæ, præſertim verò Bæticæ eius Cuſtodiæ fratribus, vnumq; aut alterũ conuentũ, in quo cõmorari poſſent, erigentibus, S. Crucis Cuſtodia, Prouinciæ tñ Caſtellę ſubacta, nobis prodijt, atq; ad annũ vſq; Dñi 1555. ſub eius ſignis feliciter militauit. Sed in gñali totius noſtri Ordinis Capitulo Pincijs anno 1565. celebrato in peculiarẽ, ſub S. Crucis Inſulæ Hiſpaniolæ titulo, Prouinciã ex Pij IIII. Pont. max. decreto euecta eſt. Quæ quidẽ Prouincia ex 6. tãtùm fratrũ, & vnico ſororũ monaſterijs cõſtat: & Dñica Cruce & SS. Franciſci, atq; Dominici ſe mutuò amplexantiũ iconibus, quòd inſignior iſtius inſulæ ciuitas, imò & vniuerſa inſula nomine. S. Dñici paſſim appelletur, & ex cęteris religioſis ſeraphici patris Frãciſci ſequaces primi ad hãc inſulã conuolarint, quòdq; deniq; illius crucis à Colũbo erectę memoria iſtis in partibus celeberrima ſit, cohoneſtata eſt.

De conuentu S. Franciſci ciuitatis S Dominici. Conu. I.

POSTEA quã ſtrenuus ille Dux Chriſtophorus Colũbus deuictis idolatris, Hiſpaniola inſula potitus fuit, vt quod ſummo labore acquiſierat, id diutius permaneret, vnã aut alterã ciuitatẽ in ea ædificare decreuit. Nactus flumen tãto negotio accommodatiſſimũ, quod, fluẽte ac refluente mari, bis in die creſcit, biſq; decreſcit, præmeditatã in eius margine vrbẽ cõſtruere cœpit. Sed cùm is locus, quòd paluſtris eſſet, inſalubri infeſtaretur aura, ſtatimq; derelictus, atq; alter multò ſalubrior, multòque cõmodior ex altera præfati fluminis parte electus extitit: vbi & S. Dominici ciuitas à Dominico ipſius Chriſtophori Colũbi patre ſic dicta, ſatis magnificè, ſatiſq; auguſtè ędificata fuit. Ad hanc poſtmodũ ciuitatẽ cùm F. Ioan. Piretius appuliſſet, ſtraminaceamq; quandam ędiculã tumultuario opere erigendã curaſſet, prę ſenti monaſterio, quod ſeraphico P. Franciſco ſacratũ euaſit, felix initiũ dedit: idq; præfati Chriſtophori Columbi beneficio. Cuius tãta fuit ad ſeraphicum noſtrũ Ordinẽm deuotio, tantaq; erga prę fatum F. Ioan. gratitudo, vt tum ipſam eccleſiã, tum quoq; reliquã domum, quam 40. fratres inhabitant, ex polito lapide extrui fecerit, atq; neceſſaria ſupellectili inſtruxerit. Nec facilè explicari poſſet inſularium, quorum tum argenteis, tum aureis, tum quoq; cereis votis alterũ ex eius ſacellis elegantiſſimè exornatur, ad hunc cõuentum deuotio. Eſt & alia in hac S. Dominici ciuitate ampliſſima, ac ſupra modum elegans noſtri Ordinis eccleſia, à Franciſcano quodã F. Franciſco Cerasolo Prouincię Caſtellę alumno, atq; iſtius tunc Cuſtodię Commiſſario, ſub anno 1547. erecta; in cuius ędificatione ad 70. aureorum coronatorũ millia & amplius ad minus conſumpta ſunt.

De conuentu S. Iacobi Cubæ. Conu. II.

ANIMADVERTENS religioſus P. F. Franciſcus Chiaues, Prouincię Caſtellę alumnus, quantùm emolumẽti, eccleſię iſtius inſulæ acceſſurum eſſet, ſi Minoriticus conuentus Cubę, quod iſtius inſulę oppidum eſt, erigeretur, quatenus id ſibi liceret à

A ret à regijs officiarijs inſtantiſſimè petijt. Vt igitur primùm voti compos effectus fuit, hoc monaſteriũ, Apoſtolo Iacobo ſacrum, intra præfati oppidi Cubę mœnia ab inſularibus ad fidẽ de nouo conuerſis erigendum curauit. Habitant hoc in monaſterio 8. fratres, qui liberaliſſimis catholici Hiſpaniarum Regis Philippi II. ſumptibus aluntur: quiq; ſtatutis diebus ad Indorum pagos, vt paruulos ſacro regenerationis lauacro ab originali labe purificent, vt adultos in fide felicius inſtruant, vtq; omnibus denique Dei verbum de ſuggeſtu proponant, cæteraque ſacramenta miniſtrent, ſe conferunt. Idipſum quoque reliquorum iſtius inſulæ conuentuum habitatores acuratè pręſtant.

De conuentu S. Iacobi Legionenſis Iaguanæ. Conu. III.

CVRARVNT, idq; fratrum ſolicitudine, primi illi iſtius inſulæ expugnatores B ædificandum in S. Iacobi Legionenſis honorẽ Minoriticum quendã conuẽtum, intra ciuitatis Iaguanæ ſepta: illumq; oĩbus ſuis numeris abſolutum fratribus inhabitandum cõtulêre. Sed cùm is conuentus ſuperioribus annis ex quodã terremotu omnimodam paſſus eſſet ruinam, ab eius habitatoribus ad tempus derelictus eſt. Piorum tamen liberalitate poſtmodum reædificatus, ab ijſdem denuò inhabitatus extitit: vnde & ab eorum 20. impræſentiarum incolitur. Id tamen diſcriminis inter hũc de nouo conſtructum, & illum ab antiquo ædificatum eſt, quòd ille amplitudinis palmã cæteris iſtius Prouincię locis pręriperet, iſte verò inter mediocres computandus veniat.

De conuentu S. Antonij Truſillij. Conu. IIII.

POST aliquot annos ab inſulæ iſtius expugnatione pręſens conuentus, B. P. An- C tonio de Padua ſacratus, Truſillj, quod iſtiuſmet inſulę oppidũ eſt, ab Indis ad fidem conuerſis conſtructus, palmarumq; folijs, pro antiquiore illius gentis more, contectus extitit. Atqui poſtmodum, fratribus in id maximè incumbentibus, Hiſpanorũ ibi degẽtium eleemoſynis in multò meliorem formam redactus, atq; ex firmiori materia fabrefactus fuit: vnde & à 10. fratribus commodè ſatis impręſentiarũ inhabitatur.

De conuentu S. Mariæ de Angelis Tucuij. Conu. V.

SOLICITI ſupra modum fratres noſtri de iſtius inſulæ habitatorum ſalute: atq; id maximè præcauentes, ne videlicet per ſacrũ baptiſmatis lauacrum regenerati, iteratò ad idolatriam, tamquam canes ad vomitum, declinarent, præſentem conuentum, S. Mariæ de Angelis ſacrum, Tucuij, qđ non vulgare oppidum eſt, ab inſularibus D ædificãdum, atq; ad perfectionẽ adducendũ curarunt. Cuius quidẽ conuentus habitatores, qui frequẽtius ſunt 8. nec laboribus, nec cuiuis diſcrimini parcũt, dũmodo iſtius patriæ Indos in catholicæ Fidei officio, atq; in regiæ Maieſtatis obſequio cõtineant.

De conuentu Purificationis B. Mariæ Bariquizimeti. Conu. VI.

NE miretur (abſecro) curioſus lector, quod nihil memorabile de iſtius Prouincię conuentibus ſibi legendum proponamus: nam ab eo fructu, quem fratres noſtri ſumma cura, ſummaque diligentia, ac ſummis denique laboribus Dominicum in horreum ſingulis diebus inferunt, nihil penitus aliud occurrit. Si tamen ea à ſe deſiderari intelligeremus, profectò ſibi ad nauſeam vſque à nobis ſatisfieret. Quod ne fecerim, incurrendæ prolixitatis timor me retardauit, nouerit: tamen 10. fratres præſen- E tis conuentus, Purificationi Virginis ſacri, habitatores parochorum munere fungi.

De monaſterio S. Claræ ciuitatis S. Dominici. Mon. I.

EXISTIMARIM (licèt ſcripto hoc minimè conſtet) præſens monaſterium, B. virgini Claræ intra memoratæ ciuitatis S. Dominici mœnia erectum, & à 50. Clariſſis ſororibus Vrbaniſtis, eiſq; religioſiſſimis, inhabitatum, tum ex publicis ciuium eleemoſynis, tum quoque ex priuatis ſacrarum virginum dotibus, non ita poſt multum temporis ab iſtius inſulæ Hiſpaniolæ expugnatione, per Chriſtophorum Columbum Regiæ claſſis præfectum, eiuſq; milites facta, à fundamẽtis ædificatum fuiſſe.



PROVIN-

PROVINCIA S. THO. APVD INDOS ORIEN.

A LICET cæleſtibus tot miraculis diuina miſericordia nobis minimè com-
mendaretur, ex his tamen, quæ circa nos ſingulis diebus aguntur, præci
puè verò ex mirabili Orientalium Indorum conuerſione, quæ inuictiſſi-
mi, ſimulatque prudentiſſimi, necnõ de Chriſtiana religione optimè me-
riti Emanuelis Portugaliæ Regis induſtria, feliciſſimis auſpicijs atq; ope
ra, circa annum à lętabunda Chriſti natiuitate ſeſquimilleſimum contigit, commen-
datiſſima eſſet. Cùm nullis præcedentibus meritis, imò potius maximis demeritis, bar
baris illis nationibus ſedentibus in tenebris, & vmbra mortis, tempore ab illo inacceſ-
ſibili, atque ſacroſancto Conſiſtorio determinato, Deus opt. max. ſuam lucem imperti
B ri per pauperculos quoſdam, ſed verè religioſos, ſed verè ſui ſtatus zelotes, imò verò
Euangelicæ veritatis profeſſores Prouinciæ Portugaliæ fratres maxima ſua bonitate,
atq; gratuita liberalitate, voluerit. Nam vt in eius Prouinciæ exordio tetigimus, hæc
S. Thomę Prouincia, quæ Orientalem Indiam complectitur, ſui altricem, nutricẽ atq;
parẽtem agnoſcit præfatã Portugalię Prouinciã, ſeque talem habere matrem, vt pia,
vereq́; legitima proles gloriatur. Acturus igitur de hac S. Thomę Prouincia altius mi
hi fundamentũ iaciendum erit, atq; aliquid huic noſtræ deſcriptioni de heroicis, illu-
ſtriſſimiſq́; præfati Emanuelis Portugalię Regis factis, & geſtis, breuiori tamen ſtylo
interſerendum erit. Sitiens itaq; ſereniſſimus Emanuel Portugaliæ Rex animarum ſa
C lutem, tres naues onerarias milite, atque nauta inſtructas, quę Orientalem Indiam ri-
marentur, anno à Virgineo partu 1497. expediuit, illiſq́; Vaſcũ à Gama Capitaneum
præfecit. Ille verò iniuncto muneri ſatisfacturus vſq; ad Malauaricum littus pene-
trans, eo adamuſſim perluſtrato, vaſibuſque ſibi commiſſis myſticis ſpeciebus onu-
ſtis, in Portugaliam reuerſus eſt. Sequenti verò triennio, nempe anno à mundi redem-
ptione ſeſquimilleſimo pręfatus Emanuel Rex inſtructam ex 13. nauibus claſſem, ſub
illuſtriſſimo ac ſtrenuo Capitaneo Petro Aluarez Cabral, ad Indos iterum deſtinauit,
in eaque 8. Prouincię Portugaliæ patres, viros vtique doctos, atque graues, ſub V. P. F.
Henrico, qui, poſt felicem illam expeditionem in Luſitaniam reuerſus, eidem Regi à
D ſacris confeſſionibus, ac tandem Cæptanus Epiſcopus, necnon & primus hereticæ pra
uitatis Inquiſitor apud Luſitanos fuit, ire voluit. Quæ quidem claſſis Calicutum vſq;,
quæ Samorini Regis patria erat, peruenit, atq; fœdere inter pręfatũ Samorinum Re-
gem & claſſis Præfectum Petrum Aluarez Cabral icto, communique pace conſtituta
ancoras iecit. Dumque aromata ab infido Rege, intra menſem promiſſa, quibus naues
onerare poſſit, Præfectus incautè præſtolatur, & 50. eius milites, nec non & 8. illi fra-
tres circa quãdam domum à Rege vltrò oblatam prope maritimũ portum verſantur,
egreſſi è propinquioribus domibus Mauri plurimis Nairis (quod barbarorum genti-
lium genus eſt,) admixti ex Regis beneplacito, inq́; prædictam Chriſtianorum domũ
E irruentes, pauperes Luſitanos, qui nihil minus cogitabant, funeſto mucrone ad 40. nu-
mero, ſimulq́; cũ eis tres Minoritas, trucidarunt. Et niſi fortè fortuna aliquot ex naui-
bus præfatis ſcaphæ littori applicuiſſent, quæ & fugiẽtes quinque reliquos fratres ſi-
mul cùm decem militibus opportunè exceperunt, nullus penitus eorum truculentam
inimicorum rabiem euaſiſſet: licèt non abſque acceptis vulneribus fuga ſibi conſulue
rint. Quapropter claſſis Pręfectus œſtro percitus regias, cæterorumque Maurorum
naues in portu ſub ancoris ſubſiſtentes igne abſumpſit, pluresque domos, atque homi
nes iteratis bombardarum ictibus perdidit, ac tandem velis vento datis Cochimũ no-
bilem atq; regiam ciuitatem amplicuit. Vbi inito cum eius eius Rege amicabili fœde-
re, & domum quam Luſitano milite, atq; claſſe cõmuniuit, ad aromata coaceruanda

ibidem erexit,& reliquas naues tum pipere, tũ cinnamomo,tum quoq; reliquis aro- A
maticis ſpeciebus onerauit; ac omnibus pro voto compoſitis, relictis ibidē fratribus,
qui Cochimenſem Regem, eiuſq; populum ad fidem conuerterent, Portugaliã repe-
tijt. Fuit Cochimicus Rex fidelis omnino,atq; Luſitanis amiciſſimus,quapropter ſin
gulis annis Emanuel Portugaliæ Rex ad eum & claſſem, & militē, vt ſic tandē in offi-
cio contineretur,mittere ſtuduit.

Anno prætere a Domini 1502. idem Portugaliæ Rex Emanuel aliam claſſem 13.na
uibus inſtructam ſub præfato Vaſco à Gama in Indiam tranſmiſit, qui feliciſſimo iti-
nere,ſecundiſque ventis Cochimum peruenit,atq; poſt aliquot dies aduentantes ad ſe
quoſdam Chriſtianorũ Orientalium legatos humaniſſimè,ſimulatq; honorificentiſſi-
mè excepit:quorum legatio fuit huiuſmodi. *Nos, Illuſtriſsime Præfecte, ſumus Chriſtiani,*
noſtrumq́ primum fidei parentem agnoſcimus beatum Thomam Apoſtolum, qui primæuis illis B
temporibus ad noſtras partes deflectens, prædeceſſoribus noſtris ſacrum Euangelium annuntia-
uit, Chriſti fidem prædicauit, atque regenerationis lauacrum impertitus eſt: à quibus & nos, quæ
Chriſtianæ fidei ſunt, tanquam per manus accepimus, modoq́ Chaldæis Epiſcopis in ſpiritualibus
paremus. Sed quia Mauris, Gentilibuſq́ circundamur, à quibus & plura incommoda patimur,
& noſtræ fidei plures ſtruuntur inſidiæ, teq́ ſtrenuum ſereniſsimi, atque Chriſtianiſsimi Regis
Præfectum, & Capita neum nouimus, te per acerbiſsimam Chriſti paſsionem, beatiq́ Thomæ Apo-
ſtoli exantlatos in noſtra patria labores, necnon & per omnia ſacra, communemq́ fidem rogamus
& obteſtamur, vt noſtri miſerearis, noſq́ à tantis malis periculis, atq́ imminentibus à noſtris ini
micis perſecutionibus tueri, atque protegere velis. Idq́ ſi feceris, & Deo rem longe gratiſsimam,
& tanto tuo Rege, tuaq́ perſona digniſsimam feceris. Nam nos tibi omnia noſtra bona, liberos,
vxores, parentes, conſanguineos, & quocunque alio modo ſanguine coniunctos, &, quod magis eſt C
nos ipſos committimus. Idq́ ipſum proculdubio promptiſsimis animis ſereniſsimo tuo Regi (ſi
adeſſet) committeremus. Quem nihilominus ex hac ipſa hora in verum, legitimum atque naturalē
noſtrum Regem eligimus, ſuſcipimus atque veneramur, eiuſque imperio perpetuò ſubeſſe volumus.
In quorum etiam fidem, atque promptiſsimam obedientiam hanc tibi iudiciariam virgam offeri-
mus, tradimusq́. Hisque dictis rubeam quandam virgam ad ſceptri modum efformatã,
cuius vtraque extremitas argento cælabatur, ſed ſuperior argenteis tribus tintinnabu-
lis illuſtrior reddebatur, ſibi porrexerũt. Quibus Præfectus, redditis primò debitis gra-
tiarum actionibus, pro ſua ſolita humanitate (erat enim benigniſſimus) comiter ſatis,
atque hilari vultu in hunc modum reſpondit. *Præcipuas inter cauſas, quæ meum Regem ad*
Indicam expeditionem, atque hanc prouinciam ſuſcipiendam impulerunt, principem locum ob-
tinet huius patriæ Chriſtianorũ neceſsitudo, vt tandē illis iure optimo & adeſſe, & opitulari atque D
optatã libertatē, pulſis eorũ inimicis, reſtituere poſsit, cùm ſibi eorũ labor, afflictio atq; miſeria in
propatulo ſint, Quapropter bono animo eſtote, optimèque de eius benignitate, fauore atque libe-
ralitate ſperate. Nec minus interim vobis de mea opera polliceamini, quippe qui abſque dubio
quæ mearum fuerint partium, cùm eius Maieſtatem conuenero, in veſtrum fauorem acturus ſim.
Non parum laudanda venit Orientalium horum Chriſtianorum, quorum nulla pe-
nitus apud nos extabat cognitio, in Chriſti fide atque confeſſione conſtantia: quippe
qui eam à beato Apoſtolo Thoma acceptam, licèt diuerſis, maximiſque ea de cauſa
concuſſi difficultatibus, atque tribulationibus ſibi ab Infidelibus, barbariſque excita-
tis, abſque ſacerdote atq; Paſtore, qui ſe in propoſito (vt inferius patebit) cõfirmaret,
per 1500. annos & vltra tenuerint, ſeruauerintque. Hæc autem pertrãſeundo dicta ſun-
to in noſtri tēporis hęreticorũ, atq; nouatorũ confuſionē, qui auitã fidē tot miraculis, E
atq; ſanctiſſimorũ Doctorũ, & Eccleſiæ, teſtimonio confirmatam deſerentes, quorun-
dam ſycophantarũ ſomnijs adhærere maluerint. Nolim tamē inficiari, quin ex Infide
liũ conuictu atque habitatione (vt eſt humana natura ad malũ procliuis) aliquot erro-
res ſanę doctrinę per Apoſtolũ traditę admiſcuerint. A quibus tñ per Dei gratiã fratrũ
noſtrorum, atque aliorum religioſorum, qui ex Hiſpania ad eos traiecerunt, opera, &
fideli prædicatione reuocati ſunt. Sed vt vnde deflexit ſermo eò redeat. Aderant fortè
fratres huic colloquio, atque legationi, qui redditis Deo opt. max. de religioſo more
debitis gratiarum actionibus, tum ob illorum Chriſtianorum priſcam atque conſtan-
tem fidem, tum quoque ob occaſionem, quæ ſeſe illi offerre incipiebat, eos omni

humanitate

A humanitate, omnique beneuolentia proſequuti, mutuam ſecum, atque arctiſſimam amicitiam contraxêre. Quapropter & iſti ad illos, & illi ad iſtos ſæpius diuertebant. Præterea fratres eorum filios, qui nondum regenerati fuerant, ab originali labe per baptiſmatis ſacramentum abluerunt: Nam & ſacerdotibus, qui id ex officio præſtarent, omnino carebant, & eorum Epiſcopus quater tãtùm in anno ſacris operaturus, & ſemel tantùm paruulos baptizaturus, ad populum ſibi cõmiſſum diuertebat. Solicitabat interim Samorinus (de quo ſuprà) per omnes vias atque modos Cochinicum Regem, vt Luſitanos apud ſe degentes vel occideret, vel longius propelleret. Quo tamẽ id negante, infeſtiſſimis armis, atque cruentiſſimo bello in eum inſurrexit: & hoc in cauſa fuit, vt pauperculi quinque fratres Minoritæ Cochinico Regi adhærentes plura incommoda, pluresque labores perpetirẽtur. Adiecit poſtmodum Portugaliæ Rex Emanuel anno Dñi 1505. pręcedẽtibus claſſibus & quartam multò maiorem, multoq; inB ſtructiorem, ſibique illuſtrem Franciſcum ab Almeida, quem & Indiæ Proregem eſſe, & aliquot Franciſcanos fratres ſecum deducere voluit, opportunè prępoſuit. Qui quidem Prorex officium ſibi iniunctum adeò ſtrenuè, adeoque viriliter exequutus eſt, vt antequam in Indiã peruenerit, Macambiquicum littus, atq; Melindẽ, eorumq; Reges Portugaliæ Regis ſubiugarit imperio. In qua quidẽ ſubiugatione non parũ eorum fratrum, quos ſecũ habebat, opera enituit: cùm alius militũ vulnera alligauerit, alius acceleratam morientium confeſſionem exceperit, alius militem primus inter primos ad pugnam cohortatus ſit, & alius cruces, chriſtianaque vexilla feliciſſimè erexerit.

Illuſtriſſimo igitur Franciſco ab Almeida Indiæ (vt præfati ſumus) Proregi Canonori agenti Luſitanus factor, qui Cochimij aromatibus congregandis intendebat, per literas ſignificauit venturũ ad ſe breui quendã Franciſcanum cũ Regis Narzingæ lega C tione: qui & venit. Is pater fortè fortuna venerat inuiſurus templũ beati Thomæ Apoſtoli in Narzingæ Regno erectum, indeque ad Regẽ eius ſalutandi cauſa excurrẽs, ab eo comiter, humaniterque exceptus, & ad Proregem, cuius victorias, & famã intellexerat, cum pacifica legatione ſimul cum alio collegato miſſus fuit. Peruenti igitur ambo Regis Narzingæ legati, Minorita ſcilicet & eius ſocius Canonorũ, præſentiæq; Proregis præſentati, poſt mutuam illam cæremonialem ſalutationem, mutuoſque exhibitos de laudabili more honores coram tota Luſitanica nobilitate in hæc verba proruperũt. *Rex noſter Narzinganus, potentiſſime virorum, auditis tuo feliciſſimo aduentu, tuiſque victorijs de feliciſſimo hoſte reportatis, nec non & alijs famoſiſſimis, quæ Capitaneis inuictiſſimi Portugaliæ Regis, ſuiſque militibus his in partibus contigerunt, cupit tum cum potentiſſimo tuo Rege, tum quoque tecum, atque cum omnibus tuis fœdus, amicitiam atque neceſſitudinem* D *vnire: tibique omnes ſuas naues, omneſque maritimos portus, quos in ſua ditione obtinet, atque omnem militem ad quamcunque neceſſitatem pollicetur: immo & in certioris fidei argumentum tibi concedit, vt in ſingulis præfatis portubus munitiones erigere, atque militem conſtituere poſſis inſuper & iuuenculam ſororem vterinam ſatis ſpecioſam sereniſſimi Portugaliæ Regis primogenio matrimonio iungendam, collata ſibi maxima dote, libentiſſimè offert.* Hiſque dictis epiſtolam quãdam propria præfati Regis Narzingæ manu ſcriptã Emanueli Regi tranſmittendam Proregi tradiderunt: quę & præfatæ legationis exemplar omnino erat: inſuper & reſeratis quibuſdã ciſtis duo maximę eſtimationis collaria ex diuerſis gemmis contexta, aliquotque annullos pretioſiſſimis lapidibus exornatos, atq; plurima tapetia tum aurea, tum quoque ſericea Narzingæ Regis nomine ad Portugaliæ Principem fideliſſimè tranſmittenda Præfecto obtulerunt. Quæ omnia ille li-E bentiſſimè, atque hilari vultu admiſit, illiſque recedentibus aliquot vaſa tum aurea, tũ quoq; argentea more Hiſpanico optimè elaborata ad ſuum Regẽ munuſculi vice perferenda tradidit. Præfati Franciſcani fratris nomen erat Ludouicus, qui cum alio collegato ad Narzingæ Regem reuerſus eſt. Anno interim 1510. Alphonſus Albuquerchius Indię Prorex Goam famoſam Indorum ciuitatem viriliter expugnauit, Regiſq; Emanuelis imperio ſubegit, atque Franciſcanis fratribus, qui ea in expugnatione diligentiſſimam operã pro ſuo munere nauarunt, locum ad vnius conuentus ędificationẽ propè Maurorum delubrũ aſſignauit. Hunc poſtmodũ præfatus Rex Emanuel iuxta eius, qui Eborę conſtructus eſt, formam ædificari voluit. Quia verò in ea inſula bellis, plurimiſque

plurimiſq;incõmodis per aliquale tẽpus agitata extitit,nõ licuit fratribus ipſum opus, A
quod nihilominus omnibus ſuis numeris abſolutum fuit,iuxta pientiſſimi Regis man
datum erigere. Ex hoc itaque conuentu, tamquam exquodam ſeminario egreſſi
religioſiſſimi ac zelãtiſſimi fratres, alij claſſi congrediebantur:alij xenodochijs præe-
rant,infirmiſque aderant:alij barbaris illis nationibus, atque gentilibus verbum Dei
proponebant,prædicabantque,atq; conuerſos ſacro regenerationis lauacro purifica-
bãt:alij verò factorijs(ſic enim domus, in quibus aromata in Portugaliam deferenda
conſeruantur,appellitari conſueuerunt) aſſiſtebant, vt Luſitanis Cananori, Cochimi,
Coilani atque Goæ agentibus ſacramenta miniſtrarẽt.Et, vt paucis multa perſtringã,
quicquid in India Orientali per quadraginta continuos annos laboris fuit, ſiue in in-
firmis curandis,ſiue in infidelibus conuertendis,ſiue in cathecumenis inſtruendis, ſiue
in conuerſis in officio continendis,ſiue in ſacramentis miniſtrandis,ſiue etiam in alijs B
operibus charitatis exercendis,id totum ex Franciſcanorum humeris pependit. Extat
ab hac & alia domus Franciſcana,quæ patribus Recollectis inſeruit, aliquantulùm à
Goa ciuitate in ipſa fluuij margine erecta,de qua tamẽ ſuo loco,atq;ordine dicemus.

Anno poſtmodum à partu Virgineo milleſimo quingenteſimo quadrageſimo,cùm
Luſitani milites in inſula Zeilamo munitionem quandam erexiſſent, ſtrenuoque mi-
lite confirmaſſent,eius inſulæ Rex Legatum ad Portugaliæ Regẽ miſit. Qui inter alia
multa,quæ in ſua legatione propoſuit, id potiſſimùm aſſeruit,velle ſcilicet Zeilamen-
ſium Regem Chriſtianorũ albo aſcribi.Quapropter ſex Franciſcani fratres ſub V. P. F.
Ioanne à Villa comite diſertiſſimo Concionatore,eorumq; Pręſide eò traiecerunt. His
Portugaliæ Rex nauem,viaticum atque fauorabiles literas tum ad pręfatum Zeilamẽ
ſium Regem,tum quoque ad eius Indię præfectum, atque cętera omnia ad tantũ iter C
neceſſaria abundantiſſimè,prõptiſſimoque animo contulit.Illi verò cõſcenſi nauigiũ
atque cæterę regiæ claſſi,quę ſub Præfato Didaco à Sylueira ad Indos traiiciebat,con-
greſſi,ſimul cum Zelamico regio Legato Goam incolumes peruenêre, eoq; ibidẽ alijs
negotijs implicito ad tẽpus relicto, Zeilamũ petierunt,atque Cotam illius inſulæ ciui
tatem peruenti à Luſitanis,qui ibidem cõmmorabantur, quàmhumaniſſimè excep-
ti ſunt.Tertio igitur die ab eorum aduentu tranſacto ad Zeilamicum Regẽ, à quo per
internuntios prius inuiſi fuerant,perrexêre,ſibique literas tum à Portugaliæ Rege, tũ
quoque ab Indiæ Gubernatore datas obtulerunt.Qui lectis literis eos omni humaniſ-
ſimo hoſpitio,omni beneuolentia,omni fauore,atque omni denique pollicitatione ꝓ-
ſequutus fuit.Erat ſiquidẽ hic Rex ex ſua natura comis,benignus,affabilis, pius, elee-
moſynarius,atque qualibet alia morali virtute,ab vna tantùm caſtitate, pręditus, cũ D
nephando, abhominabiliq; crimini,à lãgataribus eius prædeceſſoribus in eam inſulã
introducto,miſſerrimè ſubiaceret.Poſt aliquot verò dies cœperunt præfati fratres tum
Regi,tum quoque eius aulicis orthodoxæ fidei arcana proponere,ſimulatque expone-
re:cœperunt & eorum errorem arguere,quòd videlicet opera manuum hominum a-
dorarent, quòd Dæmonibus, & non omnipotenti Deo,omniũque bonorum largitori
ſacrificarent,quodque ſuas animas cæleſtibus ſedibus aliâs inferendas miſerrimè per-
derent.Quæ verba cùm iteratò eorum Pręſes,ſcilicet frater Ioãnes à Villa comite repe
tijſſet,cœpit Zeilamicus Rex qui ad idolatriam procliuis erat,cõtriſtari, mœſtuſque
eſſe Cui frater Ioannes. *Quid triſtaris ò Rex? ſuſcipe intrepidè ſalutis verbum: abige timorem*
Hæc ſiquidem via eſt, quà in cælum graditur. Quare promiſſis ſtare detrectas? Non ne Lega-
tus tuus potentiſsimo Portugaliæ Regi te catholicam eius fidem ſuſcepturum, atque ſacra baptiſ- E
mali aqua abluendum tuo nomine promiſit? Ad quæ Rex. *Nec iſta meo Legato ad inuictiſſi-*
mum Portugaliæ Regẽ perferenda commiſi: nec Chriſtiana mihi Religio impræſentiarum in votis
eſt. Quamobrem Legati aduentus nobis præſtolandus venit: tuncque omnia feliciter ſuccedent.
Interim vos bono animo eſtote, meaq́ opera liberrimè vtimini. Peruentus itaque in inſulam,
expeditis pro voto omnibus ſibi cõmiſſis negotijs,regius Legatus Regi tum reſpõſum,
tum literas,tum quoque munera à Portugaliæ Rege data obtulit, atque verbo tenus
dixit: haberet Franciſcanos fratres ad ſe miſſos quàmcõmendatiſſimos,illiſque ad-
hæreret,atque in omnibus,quæ ad Chriſti fidem propagandam pertinerent, protinus
adeſſet:quòd eſſent pij,religioſi,maximęque æſtimationis patres,qui ſibi non indoctas
fabulas

fabulas,neque nenias,ſed puram ac ſimplicē veritatem propoſituri, relaturique eſſent:inſuper & quicquid illis conferret,id Portugalię Regi collatū exiſtimaret: quippequi ab eodem oīa ex animi ſententia impetraturus eſſet, dummodo ipſi fratres eius petitioni ſubſcriberent.Quod ſi ſecus faxit,ſciret indubiè ſe Regi Portugaliæ iniurium omnino futurum.Quibus auditis iuſſit Rex fratres ad ſe denuò accerſiri,illiſque omnē operam,fauorem atque beneuolentiam iteratò pollicitus eſt:in quorum veritatem acciperent tunc temporis ſeptuaginta coronatos aureos,alios centum in poſterum ſingulis annis accepturi.Cui fratres:*Pecunia oblata ſit tua,ſereniſſime Rex,nam nobis neque de pecuniȷs,neque de tuis diuitiȷs,neque de quacunque alia re temporali,niſi tantùm de tua,tuorumque ſalute cura eſt.Si igitur Chriſtianæ Religioni nomē dederis,te nobis plura dediſſe exiſtimato, ſatiſq́; in eo ſolùm diuitiarum acquiſiuiſſe putabimus.Nam Deus opt.max. Deus verus, atque omnium rerum Creator,quem nos colimus, quem adoramus, quemq́; pura mente veneramur,& pro cuius amore tot pericula ſubiuimus,totq;itinera emenſi ſumus,ille noſtra merces eſt, ipſeque ſuperabundanter & victum,& amictum,quibus contenti ſumus,miniſtrabit.Si itaque tu Rex ipſum omnipotentiſſimum Deum nobiſcum adorare,eandemq; fidem nobiſcum tenere, atque baptiſmalibus aquis intingi volueris, & nos,atque noſtrum Portugaliæ Regem propitios habebis, & ſibi omnia de te bona,fauſtaq; ſcribemus: imò & illum tibi perpetuo neceſſitudinis, amicitiæque vinculo aſtringemus.Præterea & noſtrū alter ſpretis ferociſſimi maris Oceani periculis, propria tua negotia peracturus in Portugaliam contendet.*Et Rex illis:*Res hauddubiè ardua eſt omnino, atque difficilis,egetque maxima maturitate atque deliberatione: quapropter non præcipitanter ſed paulatim procedendū in ea eſt: interim benè de me ſperate,cùm omnia tempus habeāt.* Fratres verò hoc dubio reſponſo accepto, aliam viam agreſſi ſunt. Petierunt ſiquidem ab eo,quandoquidem nollet ex tempore fieri Chriſtianus, faceret illis ſaltem eleemoſynam mox à ſe petendam:*Faciam ex animo inquit ille, dummodo me ad veſtram Religionem infra breue tempus minimè compellatis.*Tunc fratres:*Nouit tua Maieſtas duas leges eaſque iniquiſſimas hoc in Regno editas eſſe,alteram quidem à tuis prædeceſſoribus,qua Reges ſubditis morientibus, pulſis eorum caris prolibus,parentibus atque vxoribus,ex aſſe contra omne fas,& contra omne ius gentium,in hæreditate ſuccedunt:alteram verò à te illa multò iniquiorem,qua tuis inferioribus ad Chriſti fidem conuerſis præcipuè verò diuitibus omnem ſubſtantiam præripis. Quapropter quandoquidem tua Maieſtas nobis quicquid aliud à tua accelerata conuerſione promiſit,edita atque promulgata lege caueat,vt quicūque Chriſtianorum albo aſcriptus fuerit,omnia ſua bona optimo iure poſſideat:neuè aliquis ex tuis Iudicibus illi ea propter moleſtiā inferat. Inſuper vt quoties aliquis Chriſtianus è viuis exceſſerit, ſibi eius filȷ,qui Chriſtiani fuerint, hæreditario iure in bonis ſuccedāt.Præterea vt Chriſtianis filȷs Gentilium parentum, & parentibus Chriſtianis Chriſtianorum filiorum hæreditas ſiue ex teſtamento,ſiue ab inteſtato obueniat. Idque ea de cauſa à nobis petitur,vt tandem eadem lex,quæ tum Luſitanis,tum cæteris alȷs Chriſtianis eſt,tuis quoque ſit.*Quod & Rex ex animo datis ad omnes ſuos Iudices atque Capitaneos literis conceſſit.Pater verò Præſes poſt tranſactos aliquot dies,ne & Regi moleſtiā inferret:neuè officio deeſſe videretur,eius Maieſtatem aggreditur, eamq; humillimè;ſed efficaciſſimis verbis hortatur,vt,relicto inani atque ſuperſtitioſo idolorū cultu,ad verum Deum terræ, cęlique Creatorem conuerti velit,ſibique debitum honorē, quem Dæmonibus, lapidibus atque lignis iniuſtè,atque ſatis ſuperſtitioſè tribueret, quātocitius preſtet:neuè tanta gratia ſibi nullis præcedentibus ſuis meritis oblata in proprium damnum,propriamque iacturam,atque perniciem abutatur. Sed cum Regi huiuſmodi cōnfabulatio,atque propoſitum magis magiſque in dies diſpliceret: pater ipſe Præſes veritus ne eius tepiditas,immo potius frigiditas tandem in obſtinationem erumperet,eius legatum,qui ad Portugaliæ Regem cum mandatis profectus fuerat,coram toto illo aulico conceſſu accerſit,ſibique aduentanti dicit:*Non ne inuictiſſimo Luſitanorum Regi pollicitus es traſiturum Zeilamicum Regem in Chriſtianorum fidem,illorumq; catalogo aſcribendum fore,ſi ad ipſum docti aliquot Franciſcani mitterentur? quare promiſſis minimè ſtatur?* Ad hęc Legatus.*Quæcunque ſereniſſ. Portugaliæ Regi dixi,iſta ſunto: Expediret transmittere Zeilamum aliquot probos,religioſoſque viros,qui meo Regi fidei arcana exponerēt, veritatiſq; viam docerent,cùm procomperto haberem, ipſū huiuſce hominibus fidem habiturum, atque ſacrum baptiſma ſuſcepturum.Et ab his nihil aliud.* Quod vt primùm Præſes audiuit,

ſuſpicans

ſuſpicans conuentionem fuiſſe hac de re inter Regem, eiuſque Legatum factam, ani- A
mum vtcunq; deſpondere cœpit. Nihilominus tamen de Dei bonitate, atque auxilio
maximè confiſus alia via Regem adortus eſt. Animaduertebat ſiquidem in Zelamico
Rege quandam obſtinationem, minuſq; ſingulis diebus de eius conuerſione benè ſpe-
rabat, eaq; de cauſa nihil intentatum reliquit, vt illam ſcintillam, quæ ipſum ad ſe
ſuoſque ſocios vocandos aliquando impulerat, excitaret, accenderetque, quatenus
eius cor, omni gentilicio, omniq; vana ſuperſtitione abſumptis, Spiritus ſancti gratia
igniret. Summis itaque precibus eum adoritur, rogatque, velit omnes Regni ſa-
pientes, atque idolorum miniſtros in Regia congregare, vt coram ſe reliquoq; auli-
co cœtu ſecum & de Gentiliſmo, atque de Chriſtiana religione diſputent, ea tamen
lege poſita, vt qui ea in diſputatione ſuccubuerit, in alterius legem verba faciat.
Quibus Rex oblationem interim admittens, reſpondit, hoc ſibi haud dubiè gratiſſi- B
mum fore. Conuenientibus igitur in aula, die ab vtriſq; ſtatuta, & Rege cum ſuis,
& fratribus cum Luſitanorum Capitaneo, inquit Frater Ioannes. *Quandoquidem ò
Rex diſputationis habendæ gratia de vera, certaq; lege ſequenda hîc conuenimus, imperato
tuis, vt in arenam mecum deſcendant, ſuæq; legis præcipua capita, difficultateſq; proponant,
vt tandem illis ſatisfaciam.* Cui Rex: *Nequaquam iſtud fecero, quandoquidem eæ partes
tuæ ſunt: quippe qui nos vltrò ad huiuſmodi contentionem prouocaſti.* Tunc frater Ioannes.
*Benè quidem, ita ſit, ſed eo pacto, vt ad omnia mea interrogata, atque propoſita tui ſapien-
tes reſpondeant, ſatisfaciantq;.* Quibus deniq; annuentibus, primò quærit ab eis: *Quid
eſt Deus?* Secundò: *Quid ſibi vult Paradiſus?* Tertiò: *Quæ nam res eſt Angelus?* Quar-
tò: *Quid ſanctus?* Quintò: *Quid Diabolus?* Sextò: *Quid virtus?* Septimo atq; po-
ſtremo loco: *Quid eſt vitium, atque peccatum?* Quibus ita propoſitis, cùm nullo pa- C
cto ſatisfacere poſſent, cœperunt illi ſcioli inter ſe altercari, atque confundi. Solus
tamen Rex cum tribus alijs, qui ſibi peritiores videbantur, balbutientium more hu-
iuſcemodi quæſtionibus facere ſatis conati ſunt. Sed fruſtra: nam, deficiente ſibi Spi-
ritus ſancti gratia, quantò magis in propoſitum conantur, tantò plus confunduntur.
Vnde & maximus circumaſtantium cachinnus excitatus eſt: immo & murmur: eger-
rimè interim ferentibus ipſis Gentilibus, quòd neq; Rex, neq; eorum periti cõmunem
legem tutari valerent. Conſumptis igitur quindecim diebus in huiuſmodi diſputatio
nibus, cùm Rex, atq; ſui, parùm aut nihil proficerent, immo potius plurimùm tum
grauitatis, tum laudis, tum quoq; æſtimationis apud populum amitterent, præcepit
Rex, vt huiuſcemodi altercationi ſilentium poneretur, ea tantùm euaſione vſus, quòd
plurimi doctiſſimi viri, necnon grauiſſimi atque de omni virtutum genere optimè D
meriti, eiuſq; prædeceſſores in Gentiliſſimo deceſſerint, quibus nihilominus propria
ſalus commendatiſſima fuiſſet. Quapropter ſatis illi eſſet, ſi maiorum ſuorum, tan-
torumque virorum legibus ſtaret: quandoquidem illis non eſſet melior, ad quos ta-
men ex animo apponi volebat. Præſes verò ſumpta ex huiuſmodi reſponſo occaſio-
ne ſubiecit: *Quandoquidem nec tu, ò ſereniſsime Rex, nec tui quæſtiones à me propoſitas eno-
dare quitis, mecumq; amplius diſceptare detrectatis, hoc ſaltem (precor) concedite, vt ego
eas ſoluam, quidq; iſta velint, vobis aperiam, ſimulatq; alia quàm plurima, quæ veſtram ſalu-
tem omnino concernunt, incidenter pandam.* Cui Rex: *Id tibi nullo pacto permittam, cùm
minimè ſit neceſſarium. Nam quicquid à parentibus meis accepi, atque ab vberibus ſuxi,
id veriſsimum atque ſufficientiſsimum ad ſalutem aſſequendam eſſe certò ſcio: nec quid-
quàm aliud, quòd illud ſuperfluum omnino iudicem, ſcire aut intelligere contendo vel af-* E
fecto. Licèt hæc videretur abſoluta Regis voluntas, adiecit nihilominus frater Io-
annes, (ſic enim cœterorum fratrum Prælatus nuncupabatur.) *Quandoquidem te,
tuoſq; o Rex, ad veritatem capeſſendam, amplectendamq; veriſsimis verbis, atque effi-
caciſsimis rationibus adigere nequeo, da ſaltem, vt operibus ſupra naturam editis, atque
diuina virtute patratis hoc præſtare valeam. Iube igitur ſtrui maximum in medio foro ignem,
quem ego atque vnus ex tuis religioſis, ſiue ſacrificulis, qui in magno à te habentur pretio,
plurimique fiunt, ſimul ingrediamur, & eius, qui è medio igne incolumis, illaſuſque eua-
ſerit, lex à nobis omnibus ſeruetur: vel ſi malueris, lacertorum fluuium è regione ſtan-
tem (eſt enim in Zelamia fluuius venenoſis lacertis ſcatens) ambo penetremus, & qui inta-
ctus*

A *ctus emerſerit, ille ſuperior euadat, alteriq; det legem* : Ad quæ Rex *Cùm iſta minimè ſint neceſſaria, teneat quilibet, quam maluerit, legem. Ego interim mea contentus ero, & omni diſputationi in poſterum ſuperſedeatur:* Et frater Ioannes illi. *Nunquid contemnis inuictiſſimi Portugaliæ Regis amicitiam, atque humanitatem, quam tu plenis buccis cuique alij rei vſque in præſens præpoſuiſti?* Cui Rex. *Nec per præſentem Luſitanorum Regem, nec per duos alios ſibi conſimiles legem, in qua natus, nutritus atq; educatus ſum, deſeram, certòq; certius ſcito me nunquam Chriſtianorum legi conſenſurũ, aut in ipſam verba facturum. Quod ſi compellar, & Regnum, & patriam potius relinquã quã baptiſmali aqua intingar. Nihil ominus tamẽ tu, tuique fratres meis ſubditis, quæ ſunt veſtræ legis proponite. Quòd ſi illi conſenſerint, mihi gratiſſimũ erit, nec illis vnquam impedimento ero, quin vobis adhæreant : ſin minus mihi non imputabitur.* Hoc autem dicebat ille, quòd certiſſimò ſciret, nullos ſibi adhæſuros, ſed potius inſtã tibus Bramenis, ſiue Iangataribus (ſic enim vocant illius patriæ religioſos) tergiuer-
B ſaturos.

Non erit abs re quid ſibi iſti Brameni, ſiue Iangatares velint, quibuſq; moribus, victu, atque amictu vtantur, paucis referre. Quemadmodũ igitur Druides apud Gallos, Gimnoſophiſtæ apud Aegyptios, & Philamines, alijque ſacerdotes apud Romanos in æſtimatione erant, atque coram eis Idolis ſacrificabant, ita quoque his temporibus Iãgatares, ſiue Brameni apud Zelamicos facere aſſueuerunt. Quorum quidem habitatio eſt in ipſis Gentilium delubris, diſtincta tamen ab eis ad monaſticæ habitationis Chriſtianę inſtar. Præterea illis ex munere incumbit docere populum gentilicias illas, ac ſuperſtitioſas cęremonias, placare Deos, ſiue potius Dœmones, Idolis ſacrificare, atque pro populo intercedere. Vtuntur crocea quadam tunicula à renibus ad talos vſque, & ſtola eiuſdem coloris pannea à ſiniſtro humero ad dextrum vſque genu, reliqua interim
C corporis parte remanente nuda. Quapropter optimè apud nos audiunt : & præſertim quia nihil proprij poſſident, ſed ex eleemoſynis oſtiatim cum maximo ſilẽtio per ſingulos dies emendicatis victitant. Et quantò remotius à reliquis Gentilibus agũt, tãtò in maiori æſtimatione ſunt. Et vt paucis concludam, non minori deuotione Indiæ Gentiles in hanc Zelamicam inſulam horum Bramenorum ergô feruntur, quàm Saraceni atque Turcæ in Mecanam ædem : & quicunque Gentilium aliquantulam huius inſulę terram in propriam patriam inferre poteſt, ille verè diues, verèquebeatus ab alijs habetur. Tanta eſt miſerrimorum illorum hominum cæcitas, tantaque deteſtanda ſuperſtitio, ſiue potius inſania. Vt igitur ad propoſitum redeamus. Accepta itaque, licèt fictitia, prædicandi per vniuerſam Zelamicam inſulam facultate, cœperunt fratres, relicto tantùm apud Regem, cuius cor ad Pharaonis inſtar indies magis magiſq;
D indurabatur, fratre Ioanne, inſularibus illis Gentilibus verbum Dei tum ſermone, tũ quoque exemplo prædicare. Cumque non abſque maximo fructu, venientibus plurimis ad baptiſmalem fontem, id illis accideret, Rex ſpe ſua fruſtratus huiuſmodi opus, atque progreſſus pro virili (ſecretò tamen) impedire niſus fuit. Sed re minimè ei ex voto ſuccedente appoſuit, vt & publicè id faceret. Quapropter duos ex nobilioribus aulicis, qui ad fidem conuerſi fuerant, contra legem non ita pridem à ſe promulgatam, omnibus bonis ſpoliauit, ac cuilibet alteri ſub vltimi ſupplicij pœna interdixit, ne baptiſmate intingeretur. Quibus auditis fratres, licèt animo vtcunque conſternati ad diuinam opem implorandam (quandoquidem ſibi Luſitanorum, quibus Regis inſolentiam compeſcere facillimum erat, fauor denegabatur) recurrere decreuerunt. Quæ & illis preſto fuit. Nam iaculantibus Luſitanis, atque ſclopetos ſuos in paſſeres diſploden-
E tibus, globulus quidam plumbeus, aliò tamen directus, Regem ipſum feneſtræ cum Luſitani Regis Factore aſſidentem lethaliter ſauciauit. Ex quo poſtmodum vulnere animam efflauit. Ob ipſius igitur mortem quidam eius ex filio nepos, ex sereniſſimi Emanuelis Portugaliæ Regis voluntate, in Zelamicum Regem creatus eſt. Sequẽti verò die ab huiuſusmodi creatione cũ Madunus Seitabacę Rex, defunctiq; frater manu armata, atque validiſſimo ſtipatus exercitu ad tertium lapidem à Regia caſtrametatus eſſet, indeque legatione miſſa præcepiſſet omnibus Zelamici Regni proceribus, vt ad ſe venirent, ſeque in Regem eligerent, quandoquidem eius Regni diadema, atque ſceptrum ad ſe pertineret, illi reſponderunt, iret vias ſuas cùm illis proprius, natu-

ralisque

ralisque Rex eſſet, quem & iuramento confirmaſſent. Quapropter Madunus œſtro percitus ad ciuitatem cum vniuerſo milite, atque machinis eam debellaturus, propius acceſſit. Sed noui Regis patre, vniuerſis aulicis, atque Luſitanis ſibi obuiam egreſſis loco cedere, atque oppugnationem deſerere coactus eſt. Defuncto igitur, atque miſerabiliter occiſo Zelamico Rege prædicto, qui Chriſtianis mirum in modum aduerſabatur, fratres iteratò ſuum prædicandi opus aggreſſi ſunt, atque intra paucos menſes, diuino ſibi numine cooperante, ad tria hominum millia conuerterunt, ſacroque baptiſmate purificarunt, nec non & duodecim eccleſias intra nonaginta milliarium ſpatium, ad huiuſmodi fideles bonis moribus, Chriſtianiſque ritibus inſtruendos imbuendoſque, nec non & ſacro fonte baptiſmatis intingendos conſtruxêre. Aſcribi quoque voluit horum neophytorum catalogo & ipſe iuuenculus Rex nouiter electus, quem & omnes aulici, atque familiares ſequuti ſunt: duxitque in vxorem Regis Candiæ filiam, quę cum omnibus ſuis domicellis ad Chriſtum quoque ſuſcepto ſacro baptiſmate conuerſa eſt. Et ne illis eccleſia, in qua verbum Dei audire, ſacris intereſſe, atque fidelibus comunicare poſſent, pro voto deeſſet, delubrum quoddam, Dæmonibus mancipatum (quod Zelamici Pagode vocant) deiectis, atque communitis plurimis cùm æneis, tum lapideis, tum quoque ligneis Idolis, aqua luſtrali, atque ſanctificationibus ex tempore fratres purificarunt, nec non & in pulcherrimum templum ad rem diuinam faciendam euexerunt. Inter cætera Idola, quæ Zelamici inſulares, atque reliqui peregrini aduentantes in præfato delubro maxima veneratione proſequebantur, id, cui Bogium nomen erat, principem obtinebat locum: pro quo etiam religionis ergô Peguenſis Rex Gentilis centum coronatorum millia & vltrà Luſitanis obtulit: ſed fruſtra Indię Prorege, atque Zelamico Archiepiſcopo ſibi contradicentibus, illudque in fruſtra comminuentibus. Naſcuntur præterea præfata in Zelamica inſula, quemadmodum & in plurimis alijs Africæ partibus quædam animalia vulpibus ſimillima, quæ ipſi Adiues vulgò vocant. Hæ ſequenti nocte à præfata templi purificatione talem, tantumque ſtrepitum, atque clamorem excitarunt, vt omnibus Gentilibus in ſua obſtinatione perſeuerantibus, qui eos antiquos Deos huiuſmodi loci expulſionem lamentantes eſſe volebant, maximum timorem incuſſerint. Suſceperunt quoque ſacroſanctum baptiſma Zelamici Regis nouelli pater, Candiæque Rex, atque eius filius cum alijs plurimis. Vnde intra breuiſſimi temporis ſpatium numerus neophytorum Chriſtianorũ mirũ in modũ auctus eſt. Qui tamen omnes ea propter per 25. continuos annos & vltra à Maduno Regis patruo (de quo ſuprà) grauiſſimo bello variè diuexati ſunt. Quapropter Zelamicus Rex Cotam ciuitatem, quæ eius Regia erat, atque ad ſextum lapidem à mari diſtabat, tum propriæ, tum quoque ſubditorũ ſuorũ, quibus cariſſimus erat, ſaluti conſulturus deſerere, atque Columbum ciuitatem mari propinquam, cum omnibus fratribus Minoribus, ſecularibus Luſitanis, atque compatriotis tum Chriſtianis, tum quoque Gentilibus petere coactus eſt. Interim Raius ſiue ragius Maduni primogenitus, atque vniuerſi exercitus paterni Pręfectus & Dux, cùm totam ferè Zelamicam inſulam occupaſſet, patrem, ſimulatque vterinum fratrem, non abſque manifeſtiſſimo Dei iudicio (nam idem Madunus, eiuſque frater, vt Regno potirentur, eorum communem patruum deteſtanda ambitione ducti crudeliſſimè interfecerũt) truculento mucrone necauit. Zelamicus interim Chriſtianus Rex Columbi cum tota curia, atque cum quadringentis Luſitanis, nec non & duodecim millibus Chriſtianis ex ea patria oriundis, plurimiſque alijs Gentilibus impræſentiarum agit, maiorique ex parte Regis Portugaliæ liberalitate ſuſtentatur: cùm ab eo mille ferè coronatos aureos in ſingulos annos recipiat. Cui tamen maxima amiſsi Regni recuperandi, fauentibus ſibi tamquam legitimo Regi omnibus inſularibus, Ragijque tyrannicum imperiumque egerrimè ferentibus, ſpes affulget. Duxerant noſtri fratres huius Zelamici Regis Chriſtiani quendam fratruelem in Portugaliam, quem Luſitanorum Rex ſuis ſumptibus apprimè in omni ſcientia, atque in lingua Luſitanicà edoctum ad Indos, ſua opera vtiliſſimè vſurus, remiſit. Qui tamen immatura morte in ipſo regreſſu è viuis ſublatus eſt. Baptizarunt quoque prędicti fratres, qui 70. puerulos Chriſtianos orphanos in

quodam

A quodam collegio Columbi erecto in omni pietate, religione, Chriſtianiſq; moribus quàmdiligentiſſimè inſtruunt, quendam Regis Candiæ hæredem, Manarij priuatam vitam, ob occupatum à tyranno Rege Regnum, agentem, cum vniuerſa eius familia, anno à Chriſto Saluatore nato milleſimo quingenteſimo octuageſimo tertio. Et hæc quidem de feliciſſimo fratrum noſtrorum in Zeilamicam inſulam ingreſſu, atque de huius Prouinciæ initio dicta ſunto.

Reſtat igitur, vt de eius conuentibus, atq; collegijs in particulari & pro ſolito more agamus. Sed antequam eò deuenerimus, paucis, quare ea Prouinciæ titulo, cùm adhuc intra Cuſtodiæ limites ſe contineat, honeſtare voluerimus, rationem reddemus. Cùm enim à nobis atque cæteris patribus, quibus ex munere incumbebat, in generali Congregatione Toleti, anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo octuageſimo tertio celebrata, plurimis rationibus adductis huiuſmodi conuētus, B atq; collegia, antiquiori Cuſtodiæ titulo relegato, in Prouinciam euecta eſſent, legitimis poſtmodum de cauſis decretum fuit, vt adhuc ſub Cuſtodiæ nomine à Portugaliæ Prouincia dependerent. Sed re vera, optimoq; iure Prouincia dici poteſt, & eſt: ideoq; à nobis huiuſmodi honore inſignitur. Conſtat ſiquidē hæc ſancti Thomæ Prouincia ex duodecim fratrum conuentibus, atque ſex collegijs, in quibus Gentilium orphani, ſed Chriſtiani, pueruli inſtruuntur, atque ex ſexdecim domibus, in quibus ſingulis ſinguli fratres ad fidem aduentantes baptizant, illiſq; cætera ſacramenta miniſtrant. Nullo pacto me cæteris conuentibus iniuriam facturum exiſtimo, ſi ab eo, qui diuo Thomæ Apoſtolo ſacratus eſt, exorditus fuero: quandoquidem & Prouincia ipſa ab eodem, de patrum maturiſſimo conſenſu, denominationem ſumpſerit. Sed C priuſquam id fecero, quo ſigillo pater eius Cuſtos (ſiue vt verius loquamur) Prouincialis pro muneris ſibi iniuncti exequutione vtatur, quemque ſanctum ſibi patronum pro ſolito more præpoſuerim, referam. Præfatum itaq; ſigillum diui Apoſtoli Thomæ imaginem gentilitijs Regni Portugaliæ inſignijs ſupra ſtantem, cuius dextero lateri ad genua litera S. à ſiniſtro verò litera T. aſtant, atque ſequentes literas: SIGILLVM. CVSTODIAE. SANCTI. THOMAE. PROVINCIAE. PORTVGALIAE. papyro in orbem imprimit. Præterea eundem Apoſtolum Thomam, quòd in ea ſacroſanctum Chriſti Euangelium olim prædicauerit, quòd plures Gentiles & barbaros ad eiuſdem Chriſti fidem conuerterit, ſacroq; regenerationis lauacro purificauerit, quodq; tandem glorioſam pro fideli iniuncti ſibi muneris exequutione mortem ibidē oppetiuerit, glorioſumq; ſanguinem pro Chriſto fuderit, tamquam eius tutelarem, atq; patronum optimo iure ſibi præferre volui.

D

De Minoritico conuentu S. Thomæ. *Conu. I.*

CVM religioſus deuotusq; pater frater Antonius Patronus Portugalenſis, animarum ſalutem maximè ſitiens, ad ſancti Thomæ ciuitatem, trecentis milliaribus à Zeilamica inſula, atque mille & ducentis à Goa celebri ciuitate diſtantem, illis populis tum fidelibus, tum quoque infidelibus Chriſti fidem prædicaturus, cum vno tantùm ſocio, anno à partu Virgineo milleſimo quingēteſimo quadrageſimo ſe contuliſſet: ibidem longiuſculus à muris prope quendam Gentilium pagum ædiculam ex diuerſis eleemoſynis conſtruxit, ac tantopere ſua doctrina, exemplo, atque adhortationibus profecit, vt infra breuiſſimi temporis ſpatium ad mille trecentos infi-E deles, & vltra ab originali peccato, omniq; alia ſpiritali labe, ſacro baptiſmate purgarit, Chriſtoq; lucrifecerit. Cumq; fidelium numerus in dies magis, magiſq; excreſceret, præfata ædicula in iuſtum conuentum ſub inuocatione diui Thomæ euaſit, atque impræſentiarum duodecim religioſiſſimis fratribus Recollectis deſeruit. Inuiſere adhuc licet non longè ab ea plura eiuſdem Apoſtoli diui Thomæ veſtigia. Nam & ad paucos inde paſſus ſacellum ab eodem conſtructū extat, in quo ipſius corpus, ſub antiquiori quodam tumulo ibidem erecto, ſepultum ab illius patriæ inquilinis mordicus aſſeruatur. Et ad mille paſſus & vltra editus quidam mons eminet, in cuius iugulo prædictus Apoſtolus ad lapideam quandam crucem à ſe fabrefactam orare ſolitus erat, & à quodam Bramene, ſiue Gentile ſacerdote, dum orationi in-

cumberet occiſus eſt. Præfatam crucem cuidam ſubnigro lapidi, cuius altitudo ad A
ſex palmos, latitudo verò ad quatuor tantùm ſe extendit, impreſſam, atque ſan-
guine eiuſdem Apoſtoli reſperſam, vt primùm quidam Luſitani inuenerunt eam
conſtructo quoddam eremitorio, in honorem ſanctiſſimę Dominæ noſtræ de O, cuius
feſtum 18. menſis Decembris celebratur, in ſummo eius altari à fidelibus adoran-
dam honorificentiſſimè collocari curarunt. Anniuerſaria huius eremitorij dies om-
nibus Chriſtianis Malauarium incolentibus (hos ſancti Thomæ vulgò vacant) com-
mendatiſſima eſt. Eiusq́; rei in cauſa eſt, quòd ſingulis annis infallibiliter, vt pri-
mùm ſacrum ſummæ Miſſæ Euangelium à Diacono ſolemniter populo annunciari
incipit, præmemorata crux ad ſudoris inſtar ad diſtillationem vſq; per duas horas,
plusvè minus, perfundatur, ſeq́; ipſa exſiccetur. Prædictam crucem ambiunt qui-
dam caracteres antiquiſſimi, nec ſatis efformati, quorum intelligentiam omnino B
ignoraſſemus, niſi Bramenes quidam eos expoſuiſſet. Illorum igitur ſenſus hic eſt.
*Fuit ante Chriſti aduentum Rex quidam nomine Cęſar, poſt cuius mortem à triginta annis, 25.
menſis Decembris vniuerſæ mundialis fabricæ Dominus, ex maxima multimodorum peccami-
num pietate, deſcendit è cœlis, vt Iudæorum legem, ex quibus inter eoſdem de Hebræa matre,
quæ virgo ante partum, virgo in partu fuit, atq; virgo poſt partum permanſit, naſci voluit, illu-
minaret, adimpleretq;: atq; per triginta tres continuos annos cum hominibus factus eſt, duo-
decimq; homines diuinæ ſuæ voluntati conformes ſeligens, atque in vnum congregans, eos in
aqua & ſale baptizauit. Illorum tandem alterum ad has terras Maliapuricas deſtinauit, qui
& regulam atq; lignum, ex quo ſacellum ſibi ædificauit, ſecum tulit. Ad huius prædicationem
Reges Flin Nana Charan, Gargalor, Chotan, Cruſpandia, atq; Alexander, Ipunarani
quoq; Rex cum ſibi filia Catharina virgine, & ſex iſtorum populorum generationes cum alijs C
infinitis nationibus Chriſti legem veriſſimam eſſe cognouerunt, ſibiq́; crediderunt, atq; obedien-
tiam polliciti ſunt. Hic fuit beatus Thomas Apoſtolus, qui præfatos omnes baptizauit, atq; in
recta ad Deum fide ſua doctrina, atq; monitionibus per aliquot annos, quibus illis commoratus
eſt, inſtruxit, confirmauit, conſolidauitq́. Hac in patria eſt quidam mons, cui nomen Antonius
Mudur, in cuius ſummitate cùm beatus Thomas coram hac cruce pro more oraret, ſuperuenit
quidam Bramenes ſimulatum venatoris habitum deferens, qui eum lancea cum terra ſimul con-
fodit, interemitq́: vnde cariſſimus Chriſti Apoſtolus 21. menſis Decembris in cœlum migra-
uit: & ſequenti die Rex Flin Nana Charan ad occiſionis locum perrexit. Seqũeti verò die ideſt
23. Rex Gargalor Charan, & die 24. Rex Cruſpandia, atq; tandem die 25. Catharina vir-
go Regis Alexandri filia ſuperuenêre. Qui quidem Reges eo viſitationis die plenariam ſuorum
peccatorum indulgentiam meritis eiuſdem diui Thomæ Apoſtoli à Deo conſequuti ſunt. Quam D
& quotquot Chriſtifideles qualibet natalis eiuſdem Apoſtoli die ad hanc crucem ſuas orationes
fuderint, conſequuntur: imò & illi omnes, qui præfata die è viuis exceſſerint, idq́ ex præfati
Apoſtoli petitione, tempore ſuæ mortis omnipotenti Deo oblata, ſibiq; conceſſa. Et hæc omnia ve-
riſſima ſunt.* Et hæc quidem de præfatis caracteribus. Nunc reſtat, vt ad ſecundum
conuentum huius Cuſtodiæ, imò verius (vt diximus) Prouinciæ tranſeamus.

De Minoritico conuentu Cochimij. Conu. II.

CVRAVERAT, idq́; ante 60. annos, nempe circa annum Dominicæ incar-
nationis milleſimum quingenteſimum vigeſimum tertium ſereniſſimus Portu-
galiæ Rex, vt conuentus ad fratrum Minorum habitationem Cochimij, quę Orienta-
lium Indorum ciuitas eſt ex proprijs facultatibus ædificaretur. Qui cum pro temporis E
anguſtia incommodus omnino, atque minus ſtabilis conſtructus eſſet, ab ipſis poſt-
modum fratribus ex eleemoſynis propria induſtria acquiſitis, circa annum Domini-
cæ incarnationis milleſimum quingenteſimum octuageſimum multò auguſtior, mul-
toq́; elegantior atque firmior reædificatus extitit. Quo factum eſt, vt à triginta re-
ligioſis fratribus, vel circiter commodè ſatis impræſentiarũ inhabitetur, incolaturq́;.

De conuentu S. Antonij Cananorij. Conu. III.

PIENTISSIMVS Portugalię Rex Emanuel, vt primùm Cananorum ſuo ſub-
iugauit imperio, munitionem quandam, qua illius patriæ inquilini facilius in

A officio continerentur, ibidem conſtrui, ac fortiſſimo milite inſtrui curauit: præterea & Minoriticum conuentum, beato patri Antonio ſacrum, quem 10. fratres plerunq; incolunt ex proprio ærario ibidem erigendum voluit. Vt plurimùm dixerim: quia aliquando, dum videlicet ob eius quietem, atq; commoditatem Philoſophiæ ſtudium ibi à patribus conſtituitur, à 15. religioſiſſimis fratribus ad minus occupatur.

De Minoritico conuentu Bacaimi. Conu. IIII.

MINORITICVS hic conuentus, qui apud Bacaimum ciuitatem à fratribus tum ex regijs eleemoſynis, tum quoq; ex alijs proprio labore acquiſitis ędificatus eſt, ad plura deſeruit. Nam cum capax omnino ſit, atq; 25. religioſos commodiſſimè capiat, & circumadiacētibus eccleſijs parochos, eosq; religioſos, qui Chriſtianis nouiter ad fidem conuerſis ſacramenta miniſtrent, opportunè ſuppeditat, B & duos Prælectores, qui iunioribus fratribus tum Philoſophiam, tum quoque Grammaticam interpretentur, earumque artium difficultates enodent, vllo abſque grauamine ſuſtentat: quandoque etiam ibi Theologiæ quæſtiones explicantur.

De conuentu Spiritus ſancti Damaonis. Conu. V.

NVLLVS profectò commodior locus plātandę in tota India Recollectioni à Minoritico hoc conuentu, qui apud Damaonem Indorum ciuitatem in Spiritus ſancti honorem ædificatus eſt, inueniri poterat. Cùm & quietiſſimus, ac contemplationi accommodatus omnino ſit. Hinc fit vt 12. fratres eius accolæ ſpiritualem potius atq; Angelicam, quàm corporalem humanamque vitam ducant, ſatisque feliciter, & non abſq; maximo fructu, tum ciuibus, tum quoq; circumadiacentibus C populis verbum Dei proponant, ac ſacrū baptiſma, atq; reliqua ſacramenta miniſtrent.

De conuentu S. Barbaræ Chaul. Conu. VI.

CONSTRVXERANT antiquitus fratres noſtri non longè à ciuitate Chaul conuentum, diuæ Barbaræ ſacrum, qui tamen ea in obſidione, quam Luſitani milites ſub Gentili eius patrię Rege ſtrenuè viriliterq;, non abſq; maxima laude ſuſtinuerunt, ad terram deiectus eſt. Sed ea ſoluta, atque pace inter Luſitanos, Gentilesq; conſtituta, alius tum elegantior, tum quoq; auguſtior ſub eodem titulo ex eleemoſynis vndequaq; collectis ab ijſdem fratribus conſtrui cœpit, Deoq; fauente breui abſoluetur. Nec facilè eſt percenſere quot incommoda, quotq; difficultates præfata in obſi- D dione tum Portugalenſes milites, tum quoq; Franciſcani fratres per continuos octo menſes pertulerint. Illi quidem in abigendis, propulſandisq; inimicis, qui numero erant quinquaginta millia. Iſti verò in corroborandis Chriſtianorum animis eorūq; vulneribus curandis, atq; ſacramentis ſibi opportunè miniſtrandis donec tandem, 15. hoſtium millibus ferro, igne atq; plumbeis glandibus è medio ſublatis, atque totidem peſtifera morte abſumptis, Gentilis Rex à Chriſtiano Portugalenſe milite pacem petere coactus eſt. Agebat eo temporis huius loci Guardianum venerabilis quidam pater, atq; maxima ſanctitate præditus frater Ioannis à Soria, qui dum fidelium cauſas cum maximis lachrymis Deo inſtantius vocem ſibi dicentem audiuit. *Vigilate, præliamini, & vincetis.* Qui poſtmodum eiſdem verbis, dum inter primos concertantes atq; confligentes, Chriſtianum militem confortaturus, verſaretur, opportunè vſus, & ami- E cis animum corq; addidit, & inimicis non minimum timorem incuſſit. Dum ſemel Luſitani milites cum gentilibus contentioſius hac in obſidione manus conſererent, frater quidam Laicus nomine Antonius qui inter tela, atq; gladios Crucifixum manu geſtans, Chriſtianos ad pugnam pro Chriſtiana fide exaltanda prouocaturus, intrepidè diſcurrebat, impijs Gentilium gladijs confoſſus glorioſè occubuit, animamque gloria & honore à Deo opt. max. coronandam (vt credere pium eſt) cælo reddidit.

De Minoritico conuentu Neguapatani. Conu. VII.

OB loci opportunitatem, maritimumq; portum, vt primùm Luſitani milites Indiam ingreſſi ſunt, Neguapatani & domos ad habitationem, & eccleſiam ad

Kkkkk 2 rem di-

rem diuinam audiendam, & Minoriticum hoc monaſterium, in quo plerunq; 8. fra-
tres commorãtur, tum ex communibus, tum quoq; ex priuatis facultatibus ædificari A
curarũt. Cùm autẽ noſtrorum fratrum induſtria, atq; ſolerti opera ad tria Gentilium
millia ad Chriſti fidem conuerſi eſſent, Luſitanisq; pacificè conuiuerent, atq; ſecum
S. R. E. ſacramentis à Chriſto Saluatore noſtro inſtitutis communicantes mirum in
modum coaleſcerent, circa annum Incarnationis Dominicæ milleſimum quingente-
ſimũ ſeptuageſimũ ſeptimum eius patriæ temporalis Dominus, Gentilis tamen, quòd
à præfatis Luſitanis plura incommoda perpeſſus eſſet, coacto exercitu eos opprimere
intentauit. Quod cùm Luſitani præſenſiſſent, conſcenſis nauibus, quæ ſub ancoris in
portu fortè ſubſiſtebant, fuga propriæ ſaluti conſuluêre. Remanſerũt nihilominus ob
nauium defectum ſexaginta Luſitani, ducentę tum eiuſdem patriæ, tum quoq; mixtę
mulieres, atq; tria Indorum fidelium millia cum vno tantùm fratre Minorita, qui reli-
ctis alijs fugientibus, iſtis ſua ſponte adeſſe voluit. Superueniens igitur hoſtis hos om- B
nes proprias domos, propriasq; lares deſerere, atq; eius patriæ interiora petere coë-
git. Quibus tamen præfatus Minorita maximo fuit adiumento. Nam diuino ſibi nu-
mine fauente tantùm apud Gentilem illum Regem potuit, tantumq; valuit, vt non
ſolùm profugos illos Chriſtianos ab omni iniuria, atq; morte liberarit, ſed & proprijs
ſedibus reſtituerit, imò & firmiſſimam atq; conſtantiſſimam pacem, poſitis quibuſ-
dam conditionibus, inter ipſum Regem & Luſitanos, cæteroſque Chriſtianos tum
præſentes, tum quoq; abſentes compoſuerit. Eoq; factum eſt, vt Rex ad propria, &
Portugalenſes ad deſertas domos remearint: & maxima quiete, atq; tranquillitate il-
le cum ſuis ſuperſtitioſo Idolorum cultui, & iſti ſoli Deo ſæculorum Imperatori ſub
fideli Minorum diſciplina vacent. Ad ſexaginta milliaria ab hoc maritimo portu C
Neguapatanico Meridiem verſus Vaccarum inſula è profundo mari ſurrigit, in qua
primæui huius conuentus patres duas eccleſias (quas Chriſtianitates, quòd in illis
Gentiles baptizent, Chriſtianisq; moribus imbuant, atq; ſibi cætera ſacramenta mi-
niſtrent, vſitatiori vocabulo nuncupant) erexerunt, quarum cura fratribus Franci-
ſcanis, qui ſtatis diebus quingentis Chriſtianis ad eos confluentibus ſpiritale pabulũ
de ſacroſancto Euangelio ſecundum ritum Eccleſiæ catholicæ Romanæ, non abſq;
ingenti animarum fructu, miniſtrant, in hodiernum vſq; diem incumbit.

De conuentu ſanctiſſimæ Matris Dei Manarium. *Conu. VIII.*

AD quadrageſimum lapidem à præfata Vaccarum inſula, ſed ad nonageſimum à
ciuitate Columbo in inſula Zeilamica, non longè à mari, id oppidum, quod D
Manar Indica lingua nuncupatur ædificatum eſt. In eo igitur Luſitani, poſt extru-
ctam munitionem militeque firmatam, monaſteriolum ſiue potius oratorium, ſan-
ctiſſimę ſemperque virgini genitrici Dei Mariæ ſacrum, à fundamentis ad verticem
vſque erigendum, atq; octo Franciſcanis fratribus inſtruendum curarunt. Pręfati
fratres ex fidelium piſcatorum, qui à Gentiliſmo ad Chriſti fidem conuerſi ſunt,
eleemoſynis pro maiori parte nutriuntur. Allata fuit ex vrbe Roma ad huius mona-
ſterij eccleſiam ſculptilis quędam beatiſſimę Virginis imago, quę miraculis coruſcat.
Nam ingreſſa ſemel Gentilis mulier, ſed ſterilis, cùm, accenſa prius de Chriſtiano
more cerea candela, ſe ex voto obligaſſet allaturam ſe quidem illi ſingulis Sabbati-
nis diebus oleum atq; candelam ad lumen confouendum, ſi prolem ex viro concipe-
ret, voti compos facta eſt: cùm non ita poſt multum temporis ex ſterile fœcunda E
euaſerit, atq; filium pepererit. Et alia mulier Chriſtiana extinctam prolem cùm præ-
fatæ imagini deuotè obtuliſſet, eam viuam omnino, atq; incolumem recepit, do-
mumq; retulit. Plura & alia mirum ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ meritis ad prædi-
ctam imaginẽ contigerunt, indiesq; contingũt, quæ breuitatis ergô omittenda cenſui.

De Minoritico conuentu Zeilamij. *Conu. IX.*

AD nonageſimum milliare à ciuitate Cochimio, in præfata ipſa Zeilamica in-
ſula, ac non longè à mari atq; etiam prope quandam pyramidem à beato Apo-
ſtolo Thoma (ſi receptiſſimæ illius patriæ gentis traditioni fides adhibenda ſit) ere-
ctam,

A ctam,quę & antiquioribus Indiæ Chriſtianis ea propter in maxima veneratione eſt, Minoritica hæc domus, ab octo fratribus frequentius inhabitata, ex diuerſis eleemoſynis conſtructa cernitur. Cui quædam Chriſtianorum neophytorum habitatio ad longum maris per ſex milliaria exporrecta adiacet. Eius cura fratribus incumbit.

De conuentu S. Antonij Tamnæ. Conu. X.

CONSTITERAT olim non longè à ciuitate Tamna pręgrandis quędam piſcina, duodecim delubris (hæc Pagodes Indica lingua nuncupātur) circundata, in qua olim Gentiles de ſuperſtitioſo more idolis ſacrificaturi ablui aſſueuerant. His igitur delubris non abſq; pręſentiſſimo periculo, atq; maximo labore demolitis, noſtri fratres eodem in loco hunc conuentulum, beato patri Antonio ſacrum, quem decem B fratres frequentius occupant, ex eleemoſynis propria induſtria acquiſitis exædificari curarunt. In cuius ædificatione illud accidit: Cùm enim fratres ſummum altare pro primo ſacro in ipſo beati Antonij natalis die faciendo quàmelegantiſsimè, atq; pretioſiſſimè exornaſſent, latrūculus quidā nimia cupiditate ductus quęq; pretioſiora ſurripuit. Cumq; portam, qua egredi poſſet, nullo pacto per totā noctem inuenire potuiſſet, culpā ſummo mane agnoſcens, fratribus ablata reſtituit, atq; gloriā Deo, beatoq; Antonio dedit. Hac in ciuitate Tamna olim glorioſè pro Chriſti fide certarunt, atq; illuſtri martyrio coronati fuerunt pater Thomas à Tolentino, ac pater Iacobus Patauinus ſacerdotes, & frater Demetrius, atq; frater Petrus Senenſis laici: quorum Chronicorum noſtri Ordinis author, R. ſcilicet pater frater Marcus Olyſipponenſis Portuenſis apud Luſitanos Epiſcopus 2. p. ſui operis c. 31. fuſius meminit, quorumq; C memoria apud aliquos huius patrię Mauros, atq; etiam Gentiles adhuc extat. Horum tres ad radices eius mōtis, qui Calua Indica lingua appellatur, ciuitatiq; imminet, ex altera præterlabentis fluuij parte ſub quadam arbore, quæ vſq; imprę̨ſentiarum perſeuerat poſt diuerſos, plurimoſq; cruciatus capite à barbaris plexi ſunt. Sed quartus ex altera arbore præfatæ piſcinæ vicina ab ijſdem ſuſpenſus eſt. Præfati hi martyres, poſt glorioſum triumphum de tyranno relatum, à quàmplurimis Mauris atq; Gentilibus in ſummitate montis Calua (cuius ſuprà meminimus) maximo amicti ſplendore, cruceſq; manibus geſtantes, non abſq; maxima admiratione viſi fuerunt Dum circa annum Domini 1575. Maurus quidam de ſuperſtitioſo more, præfata in piſcina pedes lauaret, Minoritam crucem manu tenentem, atq; pluribus cum hominibus viriliter ſub aquis confligentes ex inſperato conſpexit. Ea igitur viſione territus, quoſdam D alios Mauros longiuſculus inde diſtantes, vt factum cernerent, ad ſe vocauit. Illi verò nihil aliud ab aquis in ſanguinem conuerſis intuiti ſunt: indeq; miſerum illum hominem ferè exanimem educentes, eum ad manus domum retulerunt. Qui tandem narratis ex ordine omnibus à ſe viſis, animam Cacodæmonibus miſerrimè tradidit. His autem fides adhiberi poterit, cùm ex authentico teſtimonio deſumpta fuerint.

De conuentu S. Franciſci Goæ. Conu. XI.

GOA totius Orientalis Indiæ metropolis eſt, atq; ciuitas facilè princeps, nec non & Epiſcopalis ſedes. Intra eius igitur mœnia primitiui illi patres, qui ex Portugalia ad Indos traiecerunt, tum ex inimicorū ſpolijs, tum quoq; ex pijs Portugalenſiū eleemoſynis, poſt maximā inimicorum ſtragem in eius expugnatione à Luſitano E milite ſtrenuè, viriliterq; editam, hoc ſacrum monaſterium in honorem beatiſſimi patris noſtri Franciſci conſtruxerunt. Nec facilè quis referre poſſet, quantum vtilitatis, quantumq; emolumenti iſtius patriæ accolis 40. huius loci incolæ fratres attulerint, quotq; Gentiles, atque etiam Mauros ſuis prædicationibus, atq; admirabili exemplo ad Chriſti Saluatoris noſtri fidem conuerterint. Quapropter his ſuperſedere decreui.

De conuentu Matris Dei ibidem. Conu. XII.

TANTA eſt huius Goēnſis ciuitatis feracitas, tantæ ſunt diuitiæ, tantaq; extitit religio, atq; ad Frāciſcanos deuotio, vt illis & hunc etiam conuentum, ſanctiſſimæ matris Dei ſacrum, in quo eorum quindecim Recollecti tamen commodiſſimè

habitant tum ex communibus, tum quoque ex peculiaribus facultatibus longiuſculus à muris Goënſibus eius ſenatus conſtruendum curarit, & ad victum atque amictum neceſſaria abundanter ſatis, (pro religioſo tamen more) ingenti liberalitate, atq; maximo affectu miniſtret. A quibus tamen ſpiritualia pro temporalibus refert. A

De collegio trium Regum Bardium. Coll. I.

CVM illuſtriſſimus Alphonſus à Noronhia Indiæ Prorex collegium ſub titulo trium Regum ad Gentilium orphanos baptizandos, atq; in fide inſtruendos ad tertium lapidem à Goa præfata ciuitate, in vmbroſa quadã, atq; amœna valle ex proprijs facultatibus ędificare cœpiſſet, atq; tam laudabile opus imperfectum omnino, ob aliqua impedimenta relinquere coactus eſſet, huius Prouinciæ fratres ipſum ex eleemoſynis vndequaque acquiſitis abſoluendum, perficiendumq; curarunt. Præceperat idq; ſanctiſſimè ſereniſſ. Portugaliæ Rex Ioannes, ne Gẽtilibus in ſua ditione commorantibus Idolis quoquo modo ſacrificare permitteretur: præterea vt quotquot paruuli vtroq; Gentili parente orbati, qui nondum decimum quartũ annum attigiſſent, inuenirentur, hi omnes ad collegia adacti ſacro baptiſmate purificarentur, Chriſtianiſq; ritibus, cęremonijs, atq; documẽtis imbuerentur: qua etiam de cauſa omnes redditus Gẽtilium delubris debitos pręfatis collegijs mancipatos voluit. Fratres igitur Minores, tum vt Deo opt. max. rem gratam facerent, tum vt miſerrimos illos, atq; faſcinatos Gentiles à ſuis ſuperſtitionibus auerterent, tum quoq; vt Regis voto ſatisfacerent, maximo zelo atq; intrepido animo Idola comminuêre, eorumq; templa diruere cœperũt. Quod Gentiles ægerrimè ferentes ex eis alios lapidarunt, alios vulnerarunt, & alios maximis opprobrijs atq; dicterijs laceſſerunt. Cumq; minus proficerent, imò potius his iniurijs ipſos fratres, ad inchoatum opus perficiendum magis magisq; accenderent, appoſuêre, vt veneno in potionibus atq; cibarijs oblato eos è medio tollerent. Atqui fratres eapropter minimè territi, tam diu cœptis inſtiterunt, quouſq; ſuperata Gentilium pertinatia, omnibus Idolorum ædiculis ad terram deiectis, plurimiſq; eccleſijs eorum loco conſtructis, de ipſis glorioſum triumphum atq; victoriam reuexerunt. Commorantur frequentius hoc in collegio 15. fratres, quorum alij Philoſophię ſtudio incumbunt, alij 80. orphanos Gẽtilium filijs, ſed Chriſtianis Grammatices rudimenta pręlegunt, ſcribendiq;, atq; cantandi normam tradunt, & alij ſacras ad neophytos illos fideles conciones habent. A duobus conuentibus, atq; collegio proximè ſupradictis erectæ ſunt aliæ ſex eccleſię, ſiue Parochiæ in eiuſdẽ ciuitatis Goënſis territorio, quod de Bardibus nuncupatur: in quibus ſeptem ad minus Chriſtianorũ millia diebus feſtiuis ſacris interfuturi conueniunt. His quàmplurimi alij Gentiles ſolerti fratrum opera, atq; feruenti prædicatione ad Chriſti fidem conuerſi indies iunguntur. Nam præfatarum eccleſiarum cura fratribus omnino incumbit.

De collegio Salſetano ſiue Dominæ noſtræ de Pietate. Coll. II.

BACAIMICA ciuitate, eiuſq; territorio à Luſitano milite viriliter expugnatis, adfuêre ſtatim quinq; Franciſcani, qui iuxta Portugaliæ Regis mandatum Gentilibus illis ſubactis Chriſti fidem prędicarent, Idolorum templa demolirentur, atq; eorum vice eccleſias erigerent. Qua tamen in re plures moleſtias, pluraq; incommoda, atq; verbera ad ſanguinis vſq; effuſionem à barbaris perpeſſi ſunt. Quę tamẽ omnia maxima virtute, maximaq; conſtantia ſuperantes, non prius à propoſito deſtiterunt, quàm profligatis omnibus ſuperſtitioſis tum Gentilitium, tum quoq; Maurorum purificationibus, lotionibus, atq; cœremonijs, & conuẽtum in pręfatę ciuitatis Bacaimicæ (Indicè Bacaim) meditullio (vt ſuprà meminimus) & collegium (vt infrà dicemus) atq; alias quàmplurimas eccleſias tum ex regio ærario, tum quoque ex delubrorum, redditibus atq; bonis conſtruxerint. Erecto itaq; Bacaimico monaſterio egregius pater frater Antonius Portuenſis, qui ſcientia atq; verbo pollebat, quiq; conuertendis Bacaimicis maximè inſudauit, Salſetanam inſulam ad nonum milliare à Bacaimo diſtantem petijt, inuentumq; Bramenem ſiue Gentilem ſacrificulũ, qui delubrum quoddam ædificandæ eccleſiæ accommodatum inhabitabat, optimeq; apud infideles audie-

A audiebat, ſua doctrina, exhortatione atque exemplo ad Chriſti fidem conuertit, atque per baptiſmum regenerauit, inſuper & eius ędiculam, extirpatis Idolis, cęterisq; abominationibus è medio ſublatis eccleſiam in honorem ſanctiſſimæ Dominæ noſtræ de Pietate conſecrauit, ſibiq; quatuor erectis ſacellis, collegium, in quo frequentius centum orphani vtroq; Gentili parente orbati in fide catechizantur, atque in Chriſtiana doctrina inſtruuntur, ex regijs facultatibus annexuit. Nec facilè erit referre quantum vtilitatis, quantumq; emolumenti miſerrimæ illi patriæ ex huiuſmodi collegio obuenerit. Cùm eius cauſa oppidum quoddam è regione conſtructum ſit, in eoq; duo neophytorum Chriſtianorum millia, quorum conuerſio fratribus tribuēda venit, ſub maxima diſciplina atq; Chriſtiana pietate commorentur. Et quamplurimi alij tum Gentiles, tum quoque Mauri ad tertium inde lapidem tentoria fixerint, ac tandem à fratribus baptizati, pulcherrimum atq; amœniſſimum oppidum, ſimulatq; eccleſiam
B ædificarint. Et plures alij Idolatræ, tribus eccleſijs diuerſis in locis, ſed non longè ab hoc collegio diſtantibus, erectis, ad veræ fidei agnitionem venerint. Hi omnes ſtatis temporibus deuotionis ergò ad hanc ſacram ædem, tāquam ad eorum matricem atq; principem confluunt. Nam in ea diuinum officium tum à fratribus, tum quoq; à iuuenculis collegis maxima cum grauitate perſoluitur. Duæ tamen ex iſtis eccleſijs patribus Ieſuitis à religioſiſſimis fratribus noſtris ex Regis mandato conceſſæ ſunt.

De collegio Charangianico. *Coll. III.*

AD ſextum lapidem ab inſula Salſetana (de qua præcedenti loco) maritimos inter fluctus emergit & alia inſula, cui nomen Charangia eſt, in qua & conſimile
C collegium, ſed vtcunq; anguſtius fratres noſtri ex regijs facultatibus ædificarūt, atq; ad mille & quingentos Gentiles ſacro baptiſmate ibidem abluerunt. Horum filij, ſi eos vtroque parente orbari contingat, ad quadraginta numero præfato in collegio in omni pietate, Chriſtiana diſciplina, atque morum grauitate, tum ex regio ærario, tum quoque ex redditibus, quibus olim Idolorum templa, atq; eorum ſacrificuli potiebantur, ſub duobus Didaſcalis fratribus apprimè educantur. Ex his paruulis cùm primùm ad adultam ætatem peruenerint, alij iuxta eorum capacitatem atq; inclinationem ſacris Ordinibus, illius patriæ fidelibus ſacramenta miniſtraturi, initiantur: alij diuerſis opificijs ſub peritis artificibus mancipātur: alij verò honeſtis puellis matrimonio iunguntur. Quibus omnibus hæreditas, quæ ſibi ex vtroque parente obuenerat, ſimulatque cum emolumento inde prouento, quam fideliſſimè traditur.

D

De collegio Cranganorico. *Coll. IIII.*

PRIMVS omnium Epiſcopus, qui à Portugaliæ Rege Ioanne ad Indos fuit miſſus, extitit reuerendiſſimus pater frater Ioannes Alburquerquius Prouinciæ Pietatis Minoriticæ alumnus, vir vtique omni ſanctitate atq; religione præditus, qui ſecum duos ſocios diuini honoris zelo inſignes attulit. Horum alter, frater ſcilicet Vincentius, licèt prouectæ ætatis vir, ex præfati Epiſcopi atque Indici Cuſtodis bona venia Cochimium eo propoſito petijt, vt Chriſtianis ſancti Thomę (ſic enim antiquiores illos Chriſtianos à beato Apoſtolo Thoma regeneratos, eiusq; ſucceſſores appellant) Gentilibus atq; Mauris admixtis ſacramenta frequentius miniſtraret. Hi enim cùm ſacerdotibus careant, ter tantùm, aut quater in anno Miſſæ ſacrificio à quo-
E dam Armenico Epiſcopo oblato interſunt. Hos igitur Romanæ Eccleſiæ lucraturus præfatus pater Vincentius, quòd Chaldaico Patriarchæ ſubiecti Romanis moribus accommodari renuant, Cranganori ope, atque auxilio tum pijſſimi Ioannis Pereiræ Granganoricæ munitionis ex Portugaliæ Regis mandato Præfecti, tum quoq; aliorum Luſitanorum collegium quoddam ad 80. paruulos Gentilium orphanos in omni pietate, Chriſtiana doctrina, atq; humanioribus literis, ſimul & eccleſiaſtico cantu inſtruendos ædificauit. Cui operi pijſſimus Portugaliæ Rex adfuturus quingentos coronatos aureos, vel circiter ad huiuſmodi iuuenculos educandos ex Indicis regijs redditibus in ſingulos annos aſſignauit, conſtituitq;. Hinc prædictus pater Vincentius ſtatutis temporibus egrediens omnem circumquaque regionem luſtrabat, vt prę-

memorato-

memoratorũ ſancti Thomæ Chriſtianorum ſacras confeſſiones exciperet, illisq́; ſacram communionem porrigeret, Dei verbum proponeret, atque eorum tenellos liberos baptizaret. Nam (vt præfati ſumus) ſemel tantùm ſingulis annis Chaldaico Epiſcopo ad ſe aduentanti confiteri aſſueuerant. A quo & feria quinta in cœna Domini ſacrum Euchariſtiæ ſacramentum recipiebant. Neque hoc illis pater Vincentius per ſe ſolum præſtitit, ſed & etiam per paruulos illos à ſe in Cranganorico collegio enutritos, quos apprimè edoctos ſacerdotio initiari curauit, vt iuxta Latinum morem coram præfatis Chriſtianis ſacro operarentur, illisq́; in ſacerdotali miniſterio inſeruirent. Hoc tandem factum eſt, vt illi fideles ritibus Chaldaicis vale dicto in Latinorum Chriſtianorum ſententiam venerint, atq; in orthodoxam eorum fidem verba fecerint: Nullus erat illis temporibus prænominatis ſancti Thomæ Chriſtianis peculiaris Epiſcopus, nullusq́; adhuc Cochimis conſtitutus fuerat Præſul. Qui ſi fuiſſet, facillimo negotio quotquot ibi erant, ſuauiſſimo Romanæ Eccleſiæ iugo colla ſubmiſiſſent. Aderant his Chriſtianis triginta viri eccleſiaſtici, (hos Cacenares vocant) quorum munus erat in eccleſijs orare, atque mortuos ſepelire. Cùm igitur poſt vnum, vel alterum annum quidam Chaldaicus Epiſcopus ad has partes aduentaſſet, idq́; occultè propter Luſitanorum metum, à præfatis Chriſtianis exceptus fuit. Idipſum quoque poſt triennium Armenico alteri Epiſcopo contigit. Hi duo Epiſcopi pluresa eorum ſacris Ordinibus initiarunt, atque ad Miſſam Chaldaico more celebrandam, Romano interim ritu relicto, compulerunt. Horum denique Chriſtianorum habitatio non extenditur vltra nonaginta milliaria, in qua tamen inuenire licet ad ſexaginta eccleſias affabrè quidem, atque more noſtro, idq́; à tempore quo cum Luſitanis conuerſantur, conſtructas: quæ tamen prius à Gentilium delubris non differebant. A crucibus nullas alias imagines, idq́; Chaldęorum, atque Armenorum more, præfati Chriſtiani olim admittebant. Sed nunc temporis à fratribus noſtris edocti, Saluatoris Chriſti, eiusq́; glorioſiſſimæ matris, atque aliorum Sanctorum iconibus tum altaria, tum quoque eccleſias exornant. Sunt autem hi numero triginta millia ad minus, habentq́; diſtinctas habitationes à pagis minimè differentes, in eccleſiarum gyro conſtructas. Optimis præterea moribus vtuntur, atque aromatico mercimonio pro maiori parte vacant. Nihil aliud immobile à domibus, quas inhabitant, cùm Gentilibus Regibus ſubſint, in hac vita poſſident. Abundant nihilominus numerata pecunia, vaſisq́; tum aureis, tum quoque argenteis, atq; pretioſiſſimis gemmis. Quæ tamen omnia, cùm neque ebrietati, neque luſui, nec alicui cuipiam alteri vitio dediti ſint, imò potius honeſtè, frugaliterq́; viuant, in plurimos annos conſeruant, minimeq́; abliguriunt, ſed ad poſteros hæreditario iure tranſmittunt. Luſitanis mercatoribus, quibus & piper, & plura alia aromata nauibus in Portugaliam tranſuehenda vendunt, maximè amicantur, noſtrosq́; fratres, cum quibus ab octoginta annis conuerſantur, ſummo honore, ſummaq́; beneuolentia proſequuntur. Nec ab his Gentiles Reges, vt reliquum infidele vulgus, differunt, cùm eoſdem fratres ob vitæ ſanctimoniam, optimumq́; exemplum libentiſſimè audiant, eorumq́; dictis acquieſcant. Deſcendunt (vt accepi) prædicti ſancti Thomæ Chriſtiani à quodam Thoma Chana Armenio potentiſſimo mercatore, atque eius Regis, qui tunc vniuerſo Malauario principabatur, ſingulari amico: qui prædicti Regis ſuaſu iuuenculam eius patriæ Bramenam ſiue Hairam, prius tamen ex pacto baptizatam, ex qua & filios Cranganori, quod ſibi præfatus Rex, vt ex quibuſdam literis æreis vaſis impreſſis facillimè conſtat, in perpetuam habitationem dono dederat, ſuſcepit, matrimonio ſibi iunxit. Cuius deniq; ſucceſſores mirum in modum excreſcentes, deductis, diuiſisq́; per vniuerſam Malauaricam regionem colonijs, diffuſi ſunt. Mirum tamen eſt, quod cùm præfatus Thomas Armenus filios quoq; ex quadam ancilla Naira ſuſceperit, illiq́; etiam baptizati fuerint, atque eorum ſucceſſores in fide perſeuerent, diſtinctas ſedes iſti ab illis occupent, nulloq́; pacto ex libera Naira procedentes, ijs, qui ex ancilla deſcendunt, matrimonio copulari velint. Sunt tamen multò plures numero, qui ex ancilla genus deducunt, quàm qui ex libera. Idq́; inde procedit, quòd iſti nulli alteri generationi ſiue fideli, ſiue infideli commiſceri vnquam voluerint,

A rint, & illi emptos pecunia Nairos proprijs filiabus multiplicationis ergô in viros tradiderint. Quapropter ex ſexaginta colonijs, ſiue pagis, quos vtrique perficiunt, vix decem ad nobilis, liberæq; Nairæ filios ſiue ſucceſſores pertinent. Et hæc quidem de antiquioribus huius patriæ Chriſtianis pertranſeũdo dicta ſunto. Præfatus igitur pater Vincentius poſtquam ſuis exhortationibus, atque prædicationibus Gentilem Tanoris Regem ad fidem conuertiſſet, atque Goæ cum maxima pompa ac ſolemnitate coram Luſitano Indiæ Prorege baptizaſſet, nec non & hoc Cranganoricum collegium, quod primum omnium fuit, per decem continuos annos ſanctiſſimè prudentiſſimeq; rexiſſet, anno à Chriſto Saluatore nato milleſimo quingenteſimo quinquageſimo animam cælo reddidit. Fuit præfatus Tanoris Rex pijſſimus, atque verè, licèt occultè ob ſubditorum metũ, catholicus, nec non & Luſitanis amiciſſimus ac fideliſſimus: qui in acerbiſſimæ Chriſti paſſionis memoriã aureum Crucifixum ex au-
B reo quoque torque pendentem ad collum à ſuæ regenerationis die ad vltimum vſq; vitæ halitum, detulit, atq; Minoritico fratri morti propinquus quàm humillimè confiteri voluit. Quales, quamq; vberes fructus ex Indicis his collegijs legantur, quotq; ex his orphanis, atque etiam ex Luſitanorum filijs, qui ibidem maxima cura, atq; ſolicitudine in omni virtutum genere educantur, in ſortem Dei vocentur, vel ex hoc ſaltem Cranganorico collegio liquidò conſtat. Ex eo ſiquidem anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſecundo, quatuordecim iuuenes bonæ indolis Malauaribus ex Gentilibus procreati parentibus, à reuerendiſſimo Cochinico Epiſcopo ſacerdotio initiati, atque quatuordecim eius patriæ eccleſijs ſacerdotibus omnino deſtitutis pro Vicarijs, ſiue Parochis opportunè præfecti ſunt. Qui
C quidem omnes ob Cochinici idiomatis peritiã fidelium confeſſiones excipere, illiſq; prædicare, optimè poterant. Et alij quatuordecim à Luſitanis procreati, atq; in cantu & grammaticalibus literis optimè edocti, ab eodem reuerẽdiſſimo Epiſcopo Cochimum deducti ſunt: qui omnes temporis ſucceſſu, ſacerdotio inſigniti ad Cochimicæ matricis eccleſiæ canonicatus promoti fuêre. Et alij quatuordecim Portugalenſium quoque filij vel ſeraphicum noſtrum Ordinem, vel ſacram patrum Dominicanorum religionem non abſque maxima eius patriæ vtilitate apud Indos ingreſſi ſunt. Quibus denique omnibus totidem paruuli vel parentibus gentilibus deſtituti, vel à Chriſtianis propagati ex tempore ſubrogati fuêre. Commorantur frequentius hoc in collegio quatuor fratres, qui ad decẽ infidelium millia conuicinis in oppidis baptizarũt.

De collegio Zeilamico. *Coll. V.*

D EXTRVCTVM eſt ad præcedentium normam, & aliud quintum collegium in inſula Zeilamica, tum ex regijs prouẽtibus, tum ex eleemoſynis fratrum ſolertia acquiſitis, quod à tribus vel quatuor fratribus plerunq; inhabitatur. Hi 60. iuuenculis ex vtriuſq; parentis morte orphanis relictis, alijſq; Chriſtianorum filijs in cãtu, in Chriſtiana doctrina, atq; in grammaticali arte inſtruendis die, noctuq; vacant. Vt tandem ſic edocti, atq; ad maturã ætatem peruenti, ſacris Ordinibus initiari, atq; parochialibus eccleſijs, neophyto illi populo in ſpiritualibus conſulturi, pręfici poſſint.

De collegio Aquazaimico. *Coll. VI.*

AD nonum lapidem à Bacaimica ciuitate in quodam Maurorum atq; Gentilium
E oppido, cui Indica lingua Aquazaim nomen eſt, Portugaliæ Regis liberalitate atque ſumptibus hoc ſextum collegium, in quo quadraginta orphani, ſub vno vel altero patre Franciſcano, grammaticalibus literis, cantu atque doctrina ad ſalutem animarum aſſequendam neceſſaria diligentiſſimè imbuuntur, ædificatum eſt. Cùm fratres, atque reliquus Chriſtianus populus, & hoc collegium, atque ipſum oppidum Zamaluci Regis Gentilis iram declinaturi deſeruiſſent, atque ad tutiora loca diuertiſſent, Mauri eius milites neophytos quatuor Chriſtianos comprehẽſos plurimis propoſitis pręmijs, atq; minis ad Chriſti fidem negandam, atque impiam Mahumetanam legem aſſumendam pro viribus cohortati ſunt. At illi conſtantiſſimè omnia aſpernantes glorioſam potius mortem, quàm ignominioſam vitam elegerunt. Quapropter

pter ad penetraliora eccleſiæ, quæ tũc ſtraminea erat, adacti, à vorãte flamma Maurorum opera, atque ſtudio excitata ſimul cum vniuerſo ædificio abſumpti, atque glorioſo martyrio coronati fuêre. Frequentatur mirum in modum locus hic à bis mille Chriſtianis nouiter à Gentiliſſimo ad Chriſti fidem conuerſis, atque præfati oppidi Aquazaini accolis. Et hæc quidem de huius Prouinciæ conuentibus atque collegijs. A

Habet præterea hæc ipſa Prouincia viginti domos, diuerſis in locis maritimis conſtitutas, in quibus ſingulis ſinguli commorantur fratres, qui Gentiles ſiue Mauros nouiter baptizatos ſuis prædicationibus, atq; adhortationibus in fide confirmãt, aliosq; ad catholicam Eccleſiam venientes baptizant, Chriſtianorum catalogo aſcribunt, atque vicinioribus populis ſacramenta miniſtrant.

Eſt inſuper hæc Prouincia commodiſſima, cùm ab eius Prouinciali, ſiue Prælato facillimo negotio, nauigio ſcilicet, luſtrari atq; viſitari poſſit. Continet pręterea in longitudine 1500. milliaria ad minus, in quibus inuenire licebit 40. Chriſtianorũ millia à fratribus baptizata. Nec exiſtimandum eſt intra præfatos huius Prouinciæ fines, ſe ſemper fratres continuiſſe, cùm eorum aliqui, patres ſcilicet, ac fratres Petrus Gallus, atq; Paſchaſius ambo ſacerdotes, ſaluandarum tantummodo animarũ zelo ducti Peguacam ciuitatem ad 1500. milliaria à Goa diſtantẽ ſuperioribus annis petierint, atq; Luſitanis mercatoribus admixti, maximam familiaritatẽ cum Talapodibus (ſic enim illius patrię ſacrificulos vocant) contraxerint, vt illis tandem acquiſitis facilis eis acceſſus ad cæteros pateret. Sunt iſti Talapoides voluntarij quidam pauperes, qui maximam extrinſecus mortificationem præſeferunt, communesq; quaſdam domos ab alijs ſeiunctas, atq; ad monaſteriorum noſtrorum normam ædificatas ſeparatim inhabitant. E quibus ſtatutis diebus ciſta, atq; olla onuſti egredientes eleemoſynã oſtiatim maxima cum grauitate, oculorum demiſſione atq; admirabili ſilentio petũt. Eſtq; inſuper illius patriæ genti tanta de huiuſmodi hominibus cura atque ſolicitudo, vt vicinus vicinum ad victũ pro ſeruis Dei (ſic enim paſſim illos vocant) diſponendũ cohortetur, & alius alium præmoneat, vt aduentãti Talapoidi cum neceſſarijs ad eſum præparatis ex tempore occurrat. Sunt & alij eiuſdem generis, ſed auſteriores, qui in ſolicitudinibus commorantes, vt hominum commercium ſubterfugere omnino videantur, noctu quæ ſibi neceſſaria ſunt, eodem ſilẽtio, atq; eadem penitus compoſitione, qua & alij, quærunt, emendicantq;. Sed omnes iſti cuidam ſuperiori ſummo Talapoidi, cuius tanta eſt authoritas, vt Regem corripere atq; reprehendere cum maxima libertate impunè poſſit, & piaculum ſit inexpiabile coram illo Regem ſedere, parẽt, obediuntq;. Eſt nihilominus illius patriæ Rex formidabilis, atq; quodãmodo inacceſſibilis, præſertim verò extraneis, cùm nullus alienigena ſub verberũ pœna præeuntibus eius famulis, ſiue ſubſequentibus protinus danda, eum conuenire, vel è propinquo proſpicere poſſit. Cùm his igitur Talapoidibus, atq; præſertim cum eorum ſuperiore pręfatus P. Petrus Gallus ſub propria eorum lingua, quam breuiſſimo tẽporis ſpatio apprimè didicit, per integrum biennium conuerſatus eſt, vnde & ipſum paruum ſiue minorem Talapoidem paſſim nuncupabant, atq; frequentes diſputationes tum de eorum erroribus atq; ſuperſtitionibus, tum quoq; de Chriſti fide ad ſalutẽ neceſſaria, deq; Chriſtianis myſterijs habuit. Quem tamen patienter audiebant, maximeq; quòd vxorem habere reſpueret, tum quoq; quòd pecunias omnino contemneret, minimiq; faceret, venerabantur. Aberat fortè tunc temporis Rex à Peguana ciuitate, quapropter præfatus P. Petrus Gallus liberius cum huiuſmodi hominibus agere poterat. Interim tamen parum, aut nihil proficiebat, reſpondentibus ſemper illis & ea, quæ ipſe referret bona eſſe, & etiam illa, quę ipſi ſoli tenerent, bona quoq; exiſtere: inſuper & aſſerentibus illis à ſuis maioribus, atq; libris prohibitum eſſe, ne aliquam doctrinã ſuæ aliquo modo contrariam penitus admitterent: ſed vt peregrinam, vt bonam laudantes, cui nullo pacto iniurij eſſent, propriam, patriamq; mordicus tenerẽt. Interim ſummus ille Talapois fratris Petri patientiæ periculum facturus, pluribus iuuenibus, vt eũ propriam domum petentem in medio foro ceſpitibus, atq; lapidibus laceſſerent, præcepit. Ille verò pedem è veſtigio figens, manibus complicatis, atq; ad pectus iunctis, tectoq; capite lapides ad ſe venientes hilari vultu, promptiſſimoq; animo excepit. Quod ſacrificulus

B

C

D

E

A rint, & illi emptos pecunia Nairos proprijs filiabus multiplicationis ergô in viros tradiderint. Quapropter ex ſexaginta colonijs,ſiue pagis, quos vtrique perficiunt, vix decem ad nobilis,liberæq; Nairæ filios ſiue ſucceſſores pertinent. Et hæc quidem de antiquioribus huius patriæ Chriſtianis pertranſeūdo dicta ſunto. Præfatus igitur pater Vincentius poſtquam ſuis exhortationibus, atque prædicationibus Gentilem Tanoris Regem ad fidem conuertiſſet, atque Goæ cum maxima pompa ac ſolemnitate coram Luſitano Indiæ Prorege baptizaſſet, nec non & hoc Cranganoricum collegium, quod primum omnium fuit, per decem continuos annos ſanctiſſimè prudentiſſimeq; rexiſſet, anno à Chriſto Saluatore nato milleſimo quingenteſimo quinquageſimo animam cælo reddidit. Fuit præfatus Tanoris Rex pijſſimus,atque verè,licèt occultè ob ſubditorum metū, catholicus, nec non & Luſitanis amiciſſimus ac fideliſſimus: qui in acerbiſſimæ Chriſti paſſionis memoriā aureum Crucifixum ex au-
B reo quoque torque pendentem ad collum à ſuæ regenerationis die ad vltimum vſq; vitæ halitum, detulit,atq; Minoritico fratri morti propinquus quàm humillimè confiteri voluit. Quales,quamq; vberes fructus ex Indicis his collegijs legantur,quotq; ex his orphanis, atque etiam ex Luſitanorum filijs,qui ibidem maxima cura,atq; ſolicitudine in omni virtutum genere educantur,in ſortem Dei vocentur,vel ex hoc ſaltem Cranganorico collegio liquidò conſtat. Ex eo ſiquidem anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſecundo, quatuordecim iuuenes bonæ indolis Malauaribus ex Gentilibus procreati parentibus,à reuerendiſſimo Cochinico Epiſcopo ſacerdotio initiati, atque quatuordecim eius patriæ eccleſijs ſacerdotibus omnino deſtitutis pro Vicarijs, ſiue Parochis opportunè præfecti ſunt. Qui
C quidem omnes ob Cochinici idiomatis peritiā fidelium confeſſiones excipere, illiſq; prædicare, optimè poterant. Et alij quatuordecim à Luſitanis procreati,atq; in cantu & grammaticalibus literis optimè edocti,ab eodem reuerēdiſſimo Epiſcopo Cochimum deducti ſunt: qui omnes temporis ſucceſſu, ſacerdotio inſigniti ad Cochimicæ matricis eccleſiæ canonicatus promoti fuêre. Et alij quatuordecim Portugalenſium quoque filij vel ſeraphicum noſtrum Ordinem,vel ſacram patrum Dominicanorum religionem non abſque maxima eius patriæ vtilitate apud Indos ingreſſi ſunt. Quibus denique omnibus totidem paruuli vel parentibus gentilibus deſtituti, vel à Chriſtianis propagati ex tempore ſubrogati fuêre. Commorantur frequentius hoc in collegio quatuor fratres,qui ad decē infidelium millia conuicinis in oppidis baptizarūt.

De collegio Zeilamico. *Coll. V.*

D EXTRVCTVM eſt ad præcedentium normam, & aliud quintum collegium in inſula Zeilamica, tum ex regijs prouētibus, tum ex eleemoſynis fratrum ſolertia acquiſitis,quod à tribus vel quatuor fratribus plerunq; inhabitatur. Hi 60.iuuenculis ex vtriuſq; parentis morte orphanis relictis, alijſq; Chriſtianorum filijs in cātu, in Chriſtiana doctrina,atq; in grammaticali arte inſtruendis die,noctuq; vacant. Vt tandem ſic edocti, atq; ad maturā ætatem peruenti,ſacris Ordinibus initiari,atq; parochialibus eccleſijs,neophyto illi populo in ſpiritualibus conſulturi,pręfici poſſint.

De collegio Aquazaimico. *Coll. VI.*

AD nonum lapidem à Bacaimica ciuitate in quodam Maurorum atq; Gentilium
E oppido, cui Indica lingua Aquazaim nomen eſt, Portugaliæ Regis liberalitate atque ſumptibus hoc ſextum collegium, in quo quadraginta orphani,ſub vno vel altero patre Franciſcano,grammaticalibus literis, cantu atque doctrina ad ſalutem animarum aſſequendam neceſſaria diligentiſſimè imbuuntur,ædificatum eſt. Cùm fratres,atque reliquus Chriſtianus populus,& hoc collegium, atque ipſum oppidum Zamaluci Regis Gentilis iram declinaturi deſeruiſſent, atque ad tutiora loca diuertiſſent,Mauri eius milites neophytos quatuor Chriſtianos comprehēſos plurimis propoſitis pręmijs,atq; minis ad Chriſti fidem negandam, atque impiam Mahumetanam legem aſſumendam pro viribus cohortati ſunt. At illi conſtantiſſimè omnia aſpernantes glorioſam potius mortem, quàm ignominioſam vitam elegerunt. Quapro-

pter

pter ad penetraliora eccleſiæ,quæ tũc ſtraminea erat, adacti, à vorãte flamma Maurorum opera,atque ſtudio excitata ſimul cum vniuerſo ædificio abſumpti,atque glorioſo martyrio coronati fuêre. Frequentatur mirum in modum locus hic à bis mille Chriſtianis nouiter à Gentiliſſimo ad Chriſti fidem conuerſis, atque præfati oppidi Aquazaini accolis. Et hæc quidem de huius Prouinciæ conuentibus atque collegijs. A

Habet præterea hæc ipſa Prouincia viginti domos, diuerſis in locis maritimis conſtitutas,in quibus ſingulis ſinguli commorantur fratres,qui Gentiles ſiue Mauros nouiter baptizatos ſuis prædicationibus,atq; adhortationibus in fide confirmãt,aliosq; ad catholicam Eccleſiam venientes baptizant, Chriſtianorum catalogo aſcribunt, atque vicinioribus populis ſacramenta miniſtrant.

Eſt inſuper hæc Prouincia commodiſſima,cùm ab eius Prouinciali,ſiue Prælato facillimo negotio,nauigio ſcilicet,luſtrari atq; viſitari poſſit.Continet prȩterea in longitudine 1500. milliaria ad minus, in quibus inuenire licebit 40. Chriſtianorũ millia à fratribus baptizata. Nec exiſtimandum eſt intra præfatos huius Prouinciæ fines,ſe ſemper fratres continuiſſe,cùm eorum aliqui,patres ſcilicet,ac fratres Petrus Gallus, atq; Paſchaſius ambo ſacerdotes, ſaluandarum tantummodo animarũ zelo ducti Peguacam ciuitatem ad 1500.milliaria à Goa diſtantẽ ſuperioribus annis petierint, atq; Luſitanis mercatoribus admixti,maximam familiaritatẽ cum Talapodibus (ſic enim illius patriȩ ſacrificulos vocant) contraxerint,vt illis tandem acquiſitis facilis eis acceſſus ad cæteros pateret. Sunt iſti Talapoides voluntarij quidam pauperes, qui maximam extrinſecus mortificationem præſeferunt, communesq; quaſdam domos ab alijs ſeiunctas,atq; ad monaſteriorum noſtrorum normam ædificatas ſeparatim inhabitant. E quibus ſtatutis diebus ciſta,atq; olla onuſti egredientes eleemoſynã oſtiatim maxima cum grauitate,oculorum demiſſione atq; admirabili ſilentio petũt.Eſtq; inſuper illius patriæ genti tanta de huiuſmodi hominibus cura atque ſolicitudo, vt vicinus vicinum ad victũ pro ſeruis Dei (ſic enim paſſim illos vocant) diſponendũ cohortetur, & alius alium præmoneat,vt aduentãti Talapoidi cum neceſſarijs ad eſum præparatis ex tempore occurrat Sunt & alij eiuſdem generis,ſed auſteriores,qui in ſolicitudinibus commorantes,vt hominum commercium ſubterfugere omnino videantur, noctu quæ ſibi neceſſaria ſunt,eodem ſilẽtio,atq; eadem penitus compoſitione, qua & alij,quærunt,emendicantq;.Sed omnes iſti cuidam ſuperiori ſummo Talapoidi,cuius tanta eſt authoritas,vt Regem corripere atq; reprehendere cum maxima libertate impunè poſſit,& piaculum ſit inexpiabile coram illo Regem ſedere,parẽt, obediuntq;. Eſt nihilominus illius patriæ Rex formidabilis,atq; quodãmodo inacceſſibilis, præſertim verò extraneis,cùm nullus alienigena ſub verberũ pœna præeuntibus eius famulis,ſiue ſubſequentibus protinus danda,eum conuenire,vel è propinquo proſpicere poſſit.Cùm his igitur Talapoidibus,atq; præſertim cum eorum ſuperiore prȩfatus P. Petrus Gallus ſub propria eorum lingua, quambreuiſſimo tẽporis ſpatio apprimè didicit,per integrum biennium conuerſatus eſt, vnde & ipſum paruum ſiue minorem Talapoidem paſſim nuncupabant,atq; frequentes diſputationes tum de eorum erroribus atq; ſuperſtitionibus, tum quoq; de Chriſti fide ad ſalutẽ neceſſaria, deq; Chriſtianis myſterijs habuit.Quem tamen patienter audiebant, maximeq; quòd vxorem habere reſpueret, tum quoq; quòd pecunias omnino contemneret,minimiq; faceret, venerabantur.Aberat fortè tunc temporis Rex à Peguana ciuitate,quapropter præfatus P.Petrus Gallus liberius cum huiuſmodi hominibus agere poterat.Interim tamen parum,aut nihil proficiebat,reſpondentibus ſemper illis & ea, quæ ipſe referret bona eſſe,& etiam illa,quȩ ipſi ſoli tenerent,bona quoq; exiſtere: inſuper & aſſerentibus illis à ſuis maioribus,atq; libris prohibitum eſſe,ne aliquam doctrinã ſuæ aliquo modo contrariam penitus admitterent: ſed vt peregrinam, vt bonam laudantes, cui nullo pacto iniurij eſſent,propriam,patriamq; mordicus tenerẽt. Interim ſummus ille Talapois fratris Petri patientiæ periculum facturus,pluribus iuuenibus,vt eũ propriam domum petentem in medio foro ceſpitibus,atq; lapidibus laceſſerent, præcepit. Ille verò pedem è veſtigio figens,manibus complicatis,atq; ad pectus iunctis, tectoq; capite lapides ad ſe venientes hilari vultu,promptiſſimoq; animo excepit. Quod ſacrificulus

(Margin letters: B beside "gitudine 1500. milliaria"; C beside "maxima cum grauitate"; D beside "Eſt nihilominus"; E beside "tus P.Petrus Gallus".)

A ficulus ille ſummopere admiratus iuuenibus,vt à cępto abſtinerēt,imperauit,domūq; egreſſus præfatum P Petrum,culpā interim iuuenculorum petulantię adſcribens,ſeq; oīno ab ea purgans domū deduxit. Tandem P.Petrus poſt expletū biennium ab huius Prouincię Pręlato euocatus,eis vale dixit,domumq; repetijt. Vacāt in pręfata Peguana ciuitate certis quibuſdā ſcientijs in alia lingua à materna traditis 20.millia ſtudentū. Ad 1500.milliaria à ciuitate Goa inſula Sochotora,à Chriſtianis Thomiſtis inhabitata,ſurrigit; ad quā Triſtanus ab Acunia cū inſtructa ex pluribus nauibus claſſe,anno Dñi 1507. ſe contulit,ibiq; fortalitiū à Mauris conſtructū ſtrato hoſte occupās, ad eius inſulæ Chriſtianos pacis legationem miſit; qui nacta hac opportunitate pedibus Triſtani prouoluti,ei vt ſe ab illis infidelibus defendere, & ſub Regis Portugaliæ vexillo recipere dignaretur,ſupplicarunt. Hos Præfectus ſurgere,bonoq; animo eſſe iuſ-
B ſit,quandoquide à ſuo Rege eapropter miſſus eſſet,vt eos contra oēm tyrannidē tutaretur: Quamobrē & milites,& religioſos Frāciſcanos relicturus erat,iſtos quidē vt inſtruendis illis in fide catholica,illos verò vt inſulæ ab omni iniuria vindicandæ incūberent: quod & præſtitit, nā Mauritana munitione firmata, Maurorū templū,in eius meditullio erectū, optimè prius expiatum fratres noſtri S. Mariæ de Victoria dicarūt, ibiq; plures ex illis inſularibus baptizarunt. Præfata verò munitione ex Alphonſi Alburquerquij Indiæ Proregis mandato ſolo æquata,milite Luſitano inde in Indiā reductō,P. Antonius à Laureto & ſocij Saracenorū iniurias præuenturi, atq; Indiarū Proregi,vt pauperculis illis Chriſtianis,qui in infidelium poteſtatē iteratò redituri eſſent, adeſſe vellet,perſuaſuri, conſcenſo nauigio, & inſulam, & conuentum deſeruēre.

Exiſtimo me non abs re facturum, ſi glorioſam aliquorum fratrum noſtrorū mor-
C tem compendioſiori ſtylo retulero. Et primo quidē loco ſtrenui P. F. Melchioris Olyſipponenſis huius Prouinciæ olim Cuſtodis, qui inclyto Conſtantino Indiæ Proregi Iafanapatanicam inſulā,eiusq; Regem,ob iniurias Luſitanis,cæteriſq; Chriſtianis illatas punituro congreſſus,poſt eius metropolim,atq; caſtrū capta,Regumq; ad penetraliora adactum,dum oppidulum quoddā eius accolas baptizaturus peteret,illorum barbarorū gladijs,atq; ſagittis confoſſus de eis triumphans occubuit. Idemq; hauddubiè tribus eius ſocijs,qui in munitione nouiſſimè expugnata vulneratis, atq; infirmis adfuturi remāſerunt,contigiſset, ſi in eorum manus incidiſsent. Nam,pace inter Proregem Conſtantinū atq; Iafanapatanicum Regem conſtituta, nigri illius inſulæ homines,qui in Proregis ingreſſu & Portugaliæ Regi obedientiam,ſpontaneumq; obſequiū polliciti fuerāt,& à fratribus baptizari voluerunt,ſibi à proprio Rege, qui 100.
D ferè millibus coronatis ex tēpore numeratis huiuſmodi pacem emerat,ob huiuſmodi facilè defectionem ſummopere timentes,oēs Luſitanos vel in caſtro degentes, vel per inſulam vagantes, tumultuaria occaſione occidere decreuerunt: propoſitumq; exequutioni mandantes,eorum aliquot nihil minus cogitantes oppreſſerunt. Caſtrū verò adorti tanta vi,tantaq; conſtantia à præmonito Portugalenſi milite repulſi ſunt, vt re infecta retrocedere coacti fuerint. In inſula etiam Zeilamica duo ex noſtris fratribus,dum Chriſtianos milites à Gentilibus in quodam caſtro obſeſſos ad pugnam inſtantiſſimè adhortarentur,inimicorū telis icti occubuēre. Idemq; mortis genus ſubijt frater quidam laicus profeſſus nomine Antonius in Chaulica obſidione. Idipſum patri Franciſco ſacerdoti contigit, dum Manicas Cafrorum patriā ſimul cum catholico milite luſtraret. Frater etiam Ioannes minoribus tantùm Ordinibus initiatus,obedię-
E tiæ facturus ſatis,cùm ex Zeilamica inſula Cochimū nauigio peteret, à Malauaribus captus,atq; pro Chriſtiana confeſſione occiſus eſt. Conſimilem quoq; exitum habuit F.Stephanus ſacerdos,cùm relicta Goa Cochimum adnauigaret. Frater etiā Martinus Guardienſis ſacerdos à Malauaribus in mari captus, atque ab eis maximis propoſitis præmijs, vt catholicæ fidei abrenunciaret, eorumq; ſacrificulus effici vellet ſolicitatus, adeò eorum temeritatem, atq; impudentiam increpauit,vt illorum gladios in ſe conuerterit,atq; glorioſè capite truncatus,occubuerit. Frater præterea Ioannes Eluaſius Cochimicus Guardianus, ac F.Sixtus cuſtodialibus Comitijs Goæ interfuturi,dū naui criſpantes Oceani vndas ſindunt,à Malauaribus capiuntur,occiduntrq; Idem euenit duobus alijs fratribus,qui à ciuitate ſancti Thomæ ſoluentes Goam petebant.


P
S·EVANGELII
IN NOVA
HISPANIA
EVNTES PREDICATE EVANGELIVM ŌĪ CREATVRE

PROVIN-

PROVINCIA SANCTI EVANGELII.

A QVÆ ſancti Euangelij in noua Hiſpania Occidentalium Indiarum Prouincia appellatur, Cuſtodia primùm fuit,& pridie eius diei, qua ſanctiſſimæ Penthecoſtes vigiliam colimus, ſub ſalutis annum 1524. diuini ſpiritus auxilio,& 12. religioſorum noſtri inſtituti virorum miniſterio initium habuit. His primis vtique eius fundatoribus nomina fuêre frater Martinus de la Curunha, frater Franciſcus de Soto, frater Antonius de Ciudad Rodrigo, frater Turibius Motolinia,frater Ioannes de Ribas, Frater Garſias de Ciſneros,frater Ioannes Suarez, frater Ludouicus de Fuenſalida, frater Franciſcus Ximenes ſacerdotes, frater Ioannes de Palos, frater Andreas de Corduba laici. Qui ſanè præſtantes viri ad felix hoc &
B apoſtolicum munus ex ſancti Gabrielis Prouincia exierunt; tametſi præter duos laicos cæteri omnes in perantiqua,& percelebri ſancti Iacobi Prouincia religioni primùm nomina dediſſent:qua ab illa ſancti Gabrielis diuiſa,diſiunctaq;, & in Cuſtodiam inſtituta, illi perfectioris, exactioriſq; vitæ inſtituti ergò in pauperibus illis,& Recollectis domibus habitare voluerunt. Vnde profecti illò ſunt obedientiæ literis à R. P. Franciſco de Angelis Miniſtro tunc totius noſtri Inſtituti generali, poſtea verò etiam Cardinali, alijſq; ſummorum Pontificum peramplis illis quidem, & nimia illorum in nos propenſione illuſtribus habitis, quarum priores à Leone X. ſub anno 1521. poſteriores ab Adriano VI. ad Caroli V. Imperatoris preces datæ ſunt. In his à Pontifice prouin-
C cialibus Miniſtris, cæteriſque omnibus ab iiſdem propoſitis & cõſtitutis religioſis omnimoda (vt infra patebit) eſt authoritas in vtroque foro conceſſa, eatenus nimirum, quatenus ipſi & ab ſe electi viri ad Indorum ſpiritalem vtilitatem, progreſſumque ad catholicam fidem, & ſanctæ Eccleſiæ Romanæ obedientiam ſibi eam vſurpandam fore arbitrarentur. Hi cùm primùm ciuitatem Mexico peruenerunt, celebrato ſtatim Capitulo,virum optimum F.Martinum de Valentia, electum iam in Hiſpania,Cuſtodem rurſus elegerunt, confirmaruntque. Hic ab anno 1524. ad annum vſque 1535. per continuos 11. annos Cuſtos fuit: quo temporis interuallo Prouincia illa 3. Cuſtodes habuit, primum Martinum de Valentia, tertium & poſtremum Iacobum de Te-
D ſtera: ac anno deinde 1535. in generali Capitulo Niciæ habito, in Prouinciam erecta eſt. Nec prætermittendum eſt ante 12. præfatorum patrum aduentum, 3. alios noſtri Inſtituti Belgas à Carolo V.miſſos illuc veniſſe,& 12.illos anno vno præceſſiſſe:quibus nomina fuêre F.Ioannes Tectius, F.Ioannes de Aora,& F. Petrus à Gandauo.Ex quatuor alijs,quæ in noua Hiſpania ſunt Prouincijs,tres illarum quidẽ, illa nimirum quæ ſanctorũ Petri & Pauli Apoſt. in Mechuacan & Xaliſco dicitur, item quæ ſancti Ioſephi in Iucatan, & quæ nominis Ieſu de Guathemala, principium ab hac habuêre: quippe cùm eas in huius Prouinciæ Cuſtodias ad Dei verbum annuntiandum religioſi homines erexerint. Quo ad ſitum, & terminos Prouinciæ huius meliorem,
E frequentioremque nouæ Hiſpaniæ Indiarum partem occupat ſub Archiepiſcopatu de Mexico,& Epiſcopatu de Tlaxcala. Maxima ex parte fertili ſolo, & aëre temperato, vt vix aut calor, aut frigus ſentiatur, gaudet. A vera Cruce vſque ad oppidum Tuluca,quod eſt ab Oriente ad cadẽtem ſolem 240. mille paſſuum habetlongitudinẽ: omiſſa tamen domo de la Habana,quæ 900.paſſuum millibus,qua mari iter in Hiſpaniam fit, ab hac diſtat. Ab Arctico autem ad Auſtrum in nonaginta mille paſſuum latitudinem porrigitur. Tota autem fermè quinque altiſſimis montibus, qui niue ſemper oppleti per maiorem anni partem cernuntur, & quorum vnus nunquam ea deſtituitur, tamquam munimentis circumuallatur. In horum montium duobus accenſæ bolides, & faſtigiati ignium turbines quotidie cernuntur, flammarum glo-

bos fumo, & caligine inuolutos è cacumine cauernis eructantes. Tellus paſſim colitur, multiſque tum indigenarum, tum etiam Hiſpanorum habitationibus eſt frequens. Habet hæc Prouincia duas ſibi cohærētes Cuſtodias, vnam S Franciſci Aquilonem verſus à Mexico, vbi eruendi argenti cuniculi ſunt de Zacatecas, & de noua Biſcaya nuncupati: alteram S. Saluatoris in regione de Gaſteca, vel Panuco. S. Franciſci de Zacatecas Cuſtodia à Mexico verſus Aquilonem 240. paſſuum millibus diſtat, primumque habet conuentum in magna quadam Hiſpanorum prædictos cuniculos colentium habitatione: protenditurque verſus Aquilonem adhuc eadem Cuſtodia per 450. millia paſſuum. Sunt in ea conuentus decem, & in his 40. penè fratres, quorum decem diuini verbi ſunt præcones. Ab hoc loco Aquilonem verſus magnæ quotidie regiones inueniuntur ad 900. immo ad 1200. paſſuum millia, quò ſemel iam atque iterū Hiſpani cum Inſtituti noſtri hominibus exploratum profecti ſunt. Primùm enim ſalutis anno 1580. tres ſe eò patres contulêre, & vt eius eccleſiæ fundamenta innocentium ſanguine iacerentur, omnes ob catholicæ fidei annuntiationem, à barbaris Indis ſunt interfecti: qui erant F. Franciſcus Lopez ex Prouincia Bætica, & F. Ioannes de S. Maria ex Prouincia S. Euangelij ſacerdos, vterq; Thelogus, & diuini verbi præco, & F. Auguſtinus Rodriguez ex eadem S. Euangelij Prouincia laicus. Iterum anno 1582. F Bernardinus Beltran cum exploratoribus eò profectus, & Cuſtodiam de Zacatecas reuerſus, multarum & magnarum habitationum, quæ in ea ſunt, enarrationem nobis trāſmiſit. In ciuitate autem Mexico Indus quidam harum regionum indigena impræſentiarum verſatur, optimi iudicij homo, & cumprimis affabilis: qui doctrinam fidei noſtræ, vt baptizetur, & linguam etiam Mexicanam diſcit, & quatuor alios Indos Mexicanos idioma patriæ ſuæ, quam nouum Mexico vulgò appellamus, docet, vt ita inſtructi primùm, cum Regis, & Prælatorum iuſſu ad annuntiandum religionem mittentur, proficiſci poſſint. Conſtat autem ex coſmographicis deſcriptionibus à freto Aniani ad mare de Bacallaos pluſquam ſex millia millium paſſuum in longitudinem reperiri, ter mille autem millia plus minus in latitudinem à Mexicana regione Aquilonem verſus, ſub quo nouū hoc iacet Mexico; quæ tellus vniuerſa continens cùm ſit, maximis quoq; habitationibus frequens eſſe creditur: quò ſi vexilla crucis, & religionis præconia inferantur, dubium non eſt, quin in maximam diuini cultus gloriam, & eorum qui in ea re inſudauerint, gloriam ceſſurū ſit. In prioribus duabus explorationibus ad triginta tres gradus altitudinis poli Arctici peruentum eſt: vnde vbertas ſoli colligitur: quemadmodum etiam hi teſtantur, qui eò exploraturi profecti ſunt; magnam enim quantitatem Indici milij, faſeolorum, cucurbitarum, goſſipij, giboſarum, vaccarum, omne genus venationis, ceruorum, leporum, cuniculorum, infinitarum auium, & in fluminibus, ac paludibus piſcium reperiri aiunt. Aedes ad duo, triaq; contabulata, aliquando autem quatuor, etiam quinque eriguntur. Homines religionis noſtræ vſq; adeò appetentes, vt noſtris eò profectis ſignificarent facturos ſe vberem ſementem, quo multis omnino Hiſpanis, quos Caſtillas ipſi vocant, quoſq; ingenti numero ad ſe venire optant, ſuppeditari alimenta poſſent, quin ea ijſdem abundè toto itinere ſuppeditarunt, ſtragulaq; donauerunt perplura ex goſſipio confecta, vaccinaſq; pelles, quas mirificè colunt, oblongis pilis ſericum imitantibus decoras. Hi fidei noſtræ non parua illic veſtigia repererunt, erectas nimirum cruces, ad quas indigenæ preces fundere conſueuerunt, ſolum circumquaque ad non exiguum interuallum verrentes. In aliquibus autem populis è floribus, vel aliqua alia re confectis in crucis modum ſertis Indi tempora redimibant. Crucis myſterium anno 1542. his innotuit: quod hàc iter fecerit Franciſcus Vaſquez Coronado Salmanticenſis ad explorandam prouinciam, quæ Cibola nuncupatur, proficiſcens. Is enim nonnullos Mexicanos Indos ſocios habens, eas erexit cruces, quæ poſtea ſunt ab indigenis mirificè cultæ: qui eiſdem nulla non beneuolentiæ ſigna exhibuerunt, eos à Prouincia in Prouinciam comitantes: quò vt perueniebant è ciuitatibus tā viri, quàm mulieres cum paruis gnatis occurrebant, cantionibus, ſaltationibuſq; ſui moris præ ſe lætitiam ferentes, verè vt dici poſſit illud Chriſti Saluatoris noſtri, *Rogate ergo Dominum meſsis, vt mittat operarios in meſsem ſuam: nam meſsis quidem multa: ac paruuli quidem petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* Altera Cuſtodia ſancti Saluato-

A uatoris in Prouincia Gaſteca ſub Aquilone etiam Orientem verſus Floridæ contermina ſex habet conuentus, religioſos homines duodecim, & in his ſex diuini verbi præcones. Hac ex regione, vt ex illa etiam de Zacatecas in ingentes alias cum magna barbarorum vtilitate Chriſtianam religionem capientium excurri poterat. Cæterùm vniuerſa hæc ſancti Euangelij Prouincia, cui ego Chriſtum Dominum Apoſtolos ad prædicandum mittentem graphycè depictum præpoſitum volui, ex 67. fratrum, & vnico ſororum conuentibus, qui omnes tum ex apoſtolica, tum quoque ex regia facultatibus, ab anno Dominicæ Incarnationis 1524. ad hæc vſque noſtra tempora ædificati ſunt, conſtat: atque ſigillum fratris ſiniſtra crucem tenentis, ad plurimoſque homines pro ſuggeſtu de ſacro Euangelio concionem habentis imagine; ſequentibusq; literis: SIGILLVM PROVINCIÆ SANCTI EVANGELII in orbem exornatum habet. Antequàm vero ad ſingulos præfatæ huius Prouinciæ conuentus (vt interim pollicitis ſtemus) deſcendamus, apoſtolicas vtriuſque ſummi Pon- B tificis, Leonis ſcilicet X. ac Adriani VI. literas (quarum ſupra meminimus) his annectere decreuimus: quarũ, & primò quidẽ earũ, quę à Leone X. datę, & ad religioſiſſimos patres fratres Ioannẽ Clapion, & Franciſcum de Angelis directæ ſunt, tenor ſequitur.

DILECTI filij &c. Aliàs fel. rec. Nicolaus IIII. & Io. XXII. & Vrbanus V. & Euge. IIII. & alij Romani Pont. prædeceſſores noſtri debita meditatione conſiderantes quòd veſtri Ordinis munda Religio à Chriſto Domino exemplis, ac verbis apoſtolicis ſuis tradita, ac beato Franciſco, & eum ſequentibus inſpirata fuerit, ac quòd nonnullos eiuſdem Ordinis profeſſores pro fidei propagatione ad infidelium partes, cùm iam Apoſtoli in orbe non exiſtant, deſtinare opus eſſet, prout & ipſe beatus Franciſcus ſuo tempore actualiter fecit, vt in vinea Domini fructuoſos C *palmites producerent, nonnullis veſtri Ordinis tunc expreſsis fratribus, vt in terris infidelium, tunc deſignatis exiſten. quòd Dei verbum proponere, & conſtitutos ibidem, ſi eorum aliqui excommunicationis cenſura ligati eſſent, abſoluere: quoſcunque ad vnitatem Chriſtianæ fidei conuerti cupientes recipere, baptizare, & Eccleſiæ filijs aggregare: & hi ex dictis fratribus, qui in ſacerdotio conſtituti eſſent, Pœnitẽtię, Euchariſtiæ, & Extremæ vnctionis, aliaq; eccleſiaſtica ſacramenta perſonis præmiſsis miniſtrare, & exercere: necnon in caſu neceſsitatis (Epiſcopis in Prouincia non exiſtentibus) Confirmationis ſacramentum, & Ordinationes vſque ad minores Ordines fidelibus miniſtrare: capellas, & altaria, necnon calices, & paramenta eccleſiaſtica benedicere: ac eccleſias reconciliandas, vel cœmeteria reconciliare: eiſdem de idoneis miniſtris prouidere: eisq; indulgentias, quas Epiſcopi in ſuis diœceſibus concedere ſolent impartiri, & alia quæcunque facere, quæ ad augmentum diuini nominis, ad conuerſionem ipſorum infidelium po-* D *pulorum, & amplificationem fidei orthodoxæ, & reprobationem, & irritationem illorum, quæ ſacris conſtitutionibus contradicunt, ſicuti pro loco & tempore viderint expedire, valeant, & poſsint. Necnon vti oleo ſancto, & chriſmate antiquis vſque ad tres annos, cum in eiſdem partibus nouum oleum, & balſamum ſine difficultate magna haberi non poſsint, liberè, & licitè valerent. Necnon aggregatos eoſdem (vbi Epiſcopi non habentur) clericali inſignire charactere, & ipſos ad minores Ordines promouere liceret: etiam Sedis apoſtolicæ ſententia excommunicationis irretitis abſolutionis beneficium iuxta formam Eccleſiæ impartiri: & qui de gẽtibus ſchiſmaticis, vel aliàs nouiter eſſent conuerſi, dandi licentiam, vt vxores ſuas, cum quibus in gradibus à lege diuina non prohibitis contraxerunt, retinere valerent: & de cauſis matrimonialibus, quas in partibus illis ad audientiam noſtram deferre deberent, legitimè cognoſcendi, & diſcordantes inter ſe concordare: ac etiam eiſdem fratribus licitum eſſet omnium fidelium in terris prædictis confeſ-* E *ſiones audire, & ipſis iniungere pœnitentias ſalutares, & vota commutare: & excommunicatos à canone, vel alio modo iuxta Eccleſiæ formam abſoluere, dũmodo iniuriam, ac damna paſsis iuxta poſsibilitatem ſatisfecerint: inſuper in locis, in quibus fratres prædicti reſidẽtiam facere, vel eos hoſpitari contingeret, Miſſam & diuina officia cum ſolita ſolemnitate celebrare: & ſi in eiſdem locis vitæ neceſſaria ieiuniorũ tẽpore cõmodè habere non poſſent, ad prædicta ieiunia eoſdẽ fratres minimè teneri declararunt cũ eiſq; miſericorditer diſpenſarũt: &, vt de ſuis laboribus fructũ reportarent, fratribus prædictis verè pœnitẽtibus, & confeſsis illam indulgentiã cõceſſerunt, quam proficiſcentibus in terræ ſanctæ ſubſidium Sedes apoſtolica concedere conſueuit: ac etiã omnibus vtriuſq; ſexus fidelibus, cõfeſsiſq;, qui eccleſias, & loca fratrũ dicti veſtri Ordinis inpartibus præmiſsis cõſtructa, & ĩ poſterũ cõſtruẽda ſingulis diebus, quibus viſitarint, cauſa deuotionis, ſeu eleemoſy-*

*moſynæ faciendæ, ipſis de iniunctis eis pœnitentijs centum dies miſericorditer relaxarunt. Quiq; A
eiſdem fratribus authoritate apoſtolica conceſſerunt, vt in ciuitatibus, caſtris, villis, ſeu locis qui-
buſcunque ad habitandum domos, & loca quæcunque, ſeu hactenus recepta mutare, aut ea ven-
ditionis, permutationis, aut cuiuſuis donationis titulo in alios transferre valerent: ac inſuper
vt omnes & ſinguli veſtri Ordinis profeſſores, qui eodem ſuccenſi zelo ad ea loca cum fratribus
prædictis tranſire voluiſſent, omnibus & ſingulis præmiſsis gratijs, & indultis gaudere liberè
poſſent, prout eiſdem fratribus, & eorum cuilibet coniunctim, vel diuiſim pro fratrum prædicto-
rum vita tunc pro tempore indultum eſſet, vel conceſſum. Necnon fugientes à ſæculo in Ordine
prædicto recipere, ac omnia & ſingula facere quo ad ea, quæ dicti Ordinis concernerent profeſ-
ſionem & Religionem, quæ Miniſtri generales & prouinciales ex officio, & indultis apoſtolicis
facere poſſunt, prout in eorundem prædeceſſorum deſuper confectis literis latius enarratur. Cùm
autem, ſicut accepimus, vos, quorum Zelus Deo eſt animas lucrifacere, & per veſtræ ſperationis B
induſtriam & ſolicitudinem, diuina ſtipulante gratia, adulterinas plantationes diuellere, ac in
meſſe Domini virtutes ſerere, ac vitia radicitus extirpare, & humanum genus ad cognitionis, &
ſaluationis ſemitas reducere, ad Indianas inſulas, aliasq; prouincias cariſsimi in Chriſto filij no-
ſtri Caroli Hiſpaniarum, & Romanorum Regis catholici in Imperatorem electi ditioni ſubie-
ctas, & illis propinquas terras: vbi homines veritatis fidei cognitione carent, conferre deſidere-
tis, & in illis verbum fidei ſeminando huiuſmodi ſanctis actionibus vos exercere de ſuperiorum
veſtrorum licentia intendatis: nos tam ſancto, & hominibus huiuſmodi pro eorum animarum
ſalute neceſſario opere, deſiderio fauorabiliter annuere volētes, motu proprio, & certa ſcientia, ac
poteſtatis plenitudine vobis, & veſtrum cuilibet, vt facultatibus, conceſsionibus, & gratijs ac in-
dultis ſupradictis, iuxta ſuperius narratorum continentiam vobis, & cuilibet veſtrum, & ad vi-
tam veſtram à vobis quatuor deputandis, vti, potiri, & gaudere, prout ſuperius explicatur, libe- C
rè, & licitè valeatis, concedimus, & indulgemus. Volumus autem, quod ea, quæ ad Epiſcopalem
Ordinem, ac dignitatem dumtaxat pertinent, vigore præſentium nullus veſtrum exercere poſ-
ſit, niſi in Prouincijs, vbi catholicus Antiſtes non fuerit. In alijs enim locis pontificalia ſolùm per
Epiſcopos exercere valebunt. Quo circa vniuerſis, & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſco-
pis, cæteriſq; in dignitate conſtitutis, nec non omnibus & ſingulis tam eccleſiaſticis, quàm laicis
Ordinum quorumcunque profeſſoribus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & maledi-
ctionis æternæ, à qua non niſi per nos, ſeu de noſtro, ſeu dicti Miniſtri veſtri conſenſu poſsint
abſolui, firmiter inhibemus, ne vos, aut veſtrum aliquem ad vitam veſtram, ſeu deputan-
dos fratres prædictos à vobis, vel à Miniſtro Ordinis prædicti in præmiſsis, ſeu præmiſſorum
aliquo directè, vel indirectè per ſe, vel alium, quouis quæſito colore impedire præſumāt. Quod
ſi quicquam à quouis aliter attentatum fuerit, etiam prætextu quarumcunque literarum apoſtoli- D
carum à Sede apoſtolica conceſſarum, ſeu in futurum cōcedendarum, etiam ſi in eiſdem literis præ
ſentes de verbo ad verbum inſertæ fuerint, & ſpecialiter à nobis reuocatæ, irritum ſit penitus, &
inane, declarantes ex nunc, prout ex tunc, non eſſe intentionis noſtræ, nec in futurum fore in præ-
miſsis (dum illis ſanctè pro tempore intenderitis) vobis impedimentum, ſeu detrimentum affer-
re. Non obſtante prohibitione felicis recordationis Bonifacij Papæ octaui, prædeceſſoris noſtri:
qua cauetur, ne aliqui de Prædicatoribus, & Minoribus, & alijs religioſis Mendicantibus (qui-
buſcunque ſuper hoc priuilegijs muniti exiſtant) prædicta præſumant abſque Sedis apoſtolicæ li-
centia ſpeciali plenam, & expreſſam facientes de huiuſmodi prohibitione mentionem. Necnon
conſtitutionibus, & ordinationibus, ac decretis tam à Sede apoſtolica, quàm Concilijs generalibus
emanatis, conſuetudinibus, ac ſtatutis, priuilegijs, & indultis, tam generalibus, quàm ſpecialibus,
etiam ſi in eis caueretur, quod ipſis derogari non poſsit, niſi ſpecialis, & expreſſa mentio de illis E
haberetur. Datum Romæ, apud ſanctum Petrum, ſub annulo piſcatoris, die xxv. Aprilis 1521.
Pontificatus noſtri anno nono.* *Euangeliſta.*

Aduertendum tamen eſt, ne interim huius Prouinciæ prœmiū à præcedenti bulla diſſentire videatur) quòd frater Franciſcus Angelorum, ſiue de Angelis (de quo paulò ſuperius) ad Indos minime traiecerit. Cùm enim generale totius noſtri Ordinis Capitulum Burgis, ſub anno Domini 1523. celebrandum pro foribus eſſet: voluit præfatus pater ei intereſſe, quatenus ex futuri generalis Miniſtri facultate fratrum ſibi gratorum delectū habere poſſet. Dumq; Comitijs adeſt, omnium patrum (quorum id munus erat) ſuffragio in generalē Miniſtrum præter eius ſpem eligitur: ſicq; cęptis deſiſtere cogitur.

Adrianus

A Adrianus VI. Pontifex max. (vt ſuperius diximus) etiam literas apoſtolicas ad Indorum conuerſionem ſpectantes, ſtatim ab initio ſuſcepti Apoſtolatus muneris conceſſit, ſub horum verborum ſerie.

ADRIANVS Papa VI. Cariſſime in Chriſto fili noſter, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Exponi nobis feciſti tuum flagrans deſiderium ad augmentum Chriſtianæ religionis, conuerſionemq́; infidelium, illorum præſertim, qui Chriſto duce tuæ ditioni ſunt ſubiecti in partibus Indiarum: à nobisq́; inſtanter petiſti, vt ad effectum huiuſmodi augmenti, & conuerſionis, & debitæ gubernationis animarum, quas Redemptor noſter ſui pretioſi ſanguinis commertio redemit, prouideremus: quatenus ex omnibus Religionibus fratrum Mendicantium, præſertim fratrum Minorum regularis Obſeruantiæ aliqui ad præfatas partes Indiarum authoritate noſtra tranſmitterentur, aliaq́; in præmiſsis prouiderentur, ſicut in petitione nobis deſuper oblata B plenius continetur. Nos autem, qui ex iniuncta nobis cura paſtorali ad ea, quæ attinent ad ſalutem animarum, intendere ſuper omnia tenemur, quiq́; feruentiſsimum zelum tuæ Cæſareæ Maieſtatis ad augendam Rempublicam Chriſtianam à teneris annis pleniſsimè cognouimus: tam ſanctum ac laudabile opus in Domino commendantes, & deſuper prouidere volentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati: tenore præſentium volumus, vt omnes fratres Ordinum Mendicantium, præſertim Ordinis Minorum regularis Obſeruantiæ à ſuis Prælatis nominati, qui diuino ſpiritu ducti, vltrò ac ſponte voluerint ad partes Indiarum præfatarum cauſa conuertendorum, & inſtruendorum in fide prædictorum Indorum ſe transferre, liberè, & licitè poſsint, & valeant. Dum tamen ſint talis ſufficientiæ in vita, & doctrina, quod tuæ Cæſareæ Maieſtati, aut tuo regali Conſilio ſint grati, ac tanto operi idonei. Super quo conſcientias ſuorum ſuperiorum, qui eos nominare, & licentiare debent, oneramus: ac vt in tam ſancto opere meritum obedientiæ non deſit, C omnibus, qui (vt præfertur) nominati fuerint, & ſe ſponte obtulerint ad meritum obedientiæ, præcipimus, vt præfatum iter & opus exemplo diſcipulorum Chriſti Domini noſtri exequantur, pro certo ſperantes, vt ſicut in labore eos imitati fuerint, ita & in præmio eis ſociabuntur. Præfatisq́; fratribus noſtram apoſtolicam benedictionem libentiſsimè ex nunc impartimur. Sed ne fortè numerus fratrum Minorum ſit tantus, vt pariat confuſionem, volumus: vt tua ſacra Maieſtas, aut tuum regale Conſilium aſsignet, & præfigat numerum fratrum mittendorum. Tales autem fratres ſic nominatos ſeu licentiatos ab eorum ſuperioribus ſtrictè præcipimus ſub excommunicationis pœna, ipſo facto incurrenda, ne aliquis inferior audeat aliqualiter impedire: etiam ſi pro tunc eſſent in officijs Confeſsionis, Prædicationis, Lectionis, Guardianatus, Cuſtodiatus, Miniſteriatus, Prouincialatus, aut Commiſſariatus generalis: quibus non obſtantibus tranſire poſsint, & debeant. Verùm, ne præfati fratres ſint velut oues abſque paſtore, ſtatuimus, & ordinamus, vt ex D ſeipſis valeant, & debeant eligere duos, vel tres, aut plures, qui in dictis terris eis præſint eò modo, quo eiſdem, ſeu eorum maiori parti melius viſum fuerit. Qui ſic electi per triennium, aut aliud maius, vel minus tempus iuxta ſuas cōſtitutiones, prout in Hiſpania fieri conſueuit, prælationem huiuſmodi habeant, & non vltrà, nec aliàs. Maneantq́; omnes ſemper in obedientia generalis Miniſtri, & Capituli generalis, dummodo nihil eis imponant in præiudicium dicti tranſitus, & conuerſionis infidelium. Decernentes quicquid abſque noſtro expreſſo mandato, & aſſenſu ſuper ijs fuerit attentatum, nullius eſſe momenti. Et quia præfata terra Indiarum valde diſtat à partibus, vbi generalis Miniſter degere, & incedere conſueuit, ac propterea difficile foret ad eum recurrere in caſibus ad eum pertinentibus: volumus, ac tenore præſentium concedimus, vt fratres, qui pro tempore aſſumentur ad regimen aliorum fratrum in prædictis terris Indiarum, habeant E in vtroque foro ſuper fratres ſibi commiſſos omnem authoritatem & facultatem, quam generalis Miniſter habere dignoſcitur. Ita tamen quòd ipſe generalis Miniſter, ſub cuius obedientia ſemper manere debent, poſsit præfatam authoritatem limitare, & arctare, prout ei viſum fuerit. Et inſuper, vt melius præfata conuerſio infidelium fieri valeat, & ſaluti animarum omnium in præfatis terris Indorum pro tempore degentium prouideatur, volumus, & tenore præſentium de plenitudine poteſtatis concedimus: vt præfati Prælati fratrum, & alij, quibus ipſi de fratribus ſuis in dictis Indijs commorantibus duxerint committendum, in partibus, in quibus nōdum fuerint Epiſcopatus creati, vel ſi fuerint, tamen infra duarum dietarum ſpatium ipſi, vel Officiales eorum inueniri minimè poſsint, tam quo ad fratres ſuos, & alios cuiuſcunq; Ordinis ibidē fuerint ad hoc opus deputati, ac ſuper Indos ad fidem Chriſti cōuerſos, quàm & alios Chriſticolas ad dictum opus eoſdem comitantes omnimodā authoritatem noſtram in vtroq; foro habeant tantam,

 quan-

quantā ipſi, & per eos deputati de fratribus ſuis (vt dictū eſt) iudicauerint opportunam & expe A
dientem pro conuerſione dictorum Indorum, & manutentione ac profectu illorum, & aliorum
præfatorum in fide catholica, & obedientia ſanctæ Romanæ Eccleſiæ: & quod præfata authoritas
extendatur etiam quo ad omnes actus epiſcopales exercendos, qui non requirunt ordinem epiſco
palem, donec per Sedem apoſtolicam aliud fuerit ordinatum, Et quia (vt accepimus) per præfatos
prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices aliqua indulta conceſſa fuerunt fratribus exiſtentibus,
euntibus, aut ire procurantibus in dictis, & ad dictas Indiarum partes: nos omnia illa confirman
do, ac (quatenus opus eſt) de nouo concedendo volumus, vt præfati Prælati fratrum pro tempore
exiſtentes, & quibus ipſi de ſuis fratribus duxerint concedendum omnibus prædictis indultis in
genere vel in ſpecie hactenus conceſsis, & in poſterum concedendis vti, potiri, & gaudere libe-
rè, & licitè poſsint, & valeant. Habentes omnia pro ſufficienter expreſsis, tamquam ſi de verbo
ad verbum inſererentur, Non obſtantibus conſtitutionibus apoſtolicis, præſertim Sixti IIII. inci B
piente: Et ſi Dominici gregis: ac bulla Cœnæ Domini, cæteriſq́; in contrarium facientibus quibuſ-
cunque. Datum Cæſarauguſtæ ſub annulo piſcatoris die decima Maij 1 5 2 2. ſuſcepti à nobis
Apoſtolatus officij anno primo.

De conuentu S. Franciſci Mexico. Conu. I.

IN ciuitate Mexicana, quæ caput eſt Hiſpaniæ nouæ, celebrior ſancti Euangelij Pro-
uinciæ conuentus ſancti Franciſci nuncupatus reperitur: ſeptuaginta in eo habitant
profeſſi fratres, quorum decem Prædicatores ſunt: reliquorum verò bona manus ſub
vno vel altero Prælectore Theologiæ ſcholaſticæ dat operam. Maiorem templi capel-
lam Ferdinandus Corteſius Marchio de Valle primus huius regionis explorator, ſtre-
nuusq́; expugnator ædificauit; cuius ibi inſignia inſculpta cernūtur. Cætera ipſius tem C
pli, & vniuerſas denique illius ædes, quemadmodum cætera omnia templa, omneſque
Prouinciæ huius conuentus, impenſis ſuis Indi erexerunt, conſtruxeruntque. Enar-
raturi illuſtriores noſtri Inſtituti viros hoc in conuentu ſepultos, primo loco memine-
rimus vigilantiſſimi Mexicanorum Archiepiſcopi ac reuerendiſſ. P. F. Ioannis de Zu-
marraga: tametſi non in ipſo conuentu, ſed in maiori ciuitatis eccleſia ſepultus ſit, tum
quia primus eius Epiſc. fuit, tū propter merita ſingularia, & inſignem vitæ probitatem.

Vita R. P. F. Ioannis de Zumarraga primi Mexicani Archiepiſcopi.

LATISSIMVS omnino ſcriptoribus cāpus patebat in ſancti huius Potificis & cæte
rorum illuſtrium virorū, quos recenſebimus, factis deſcribendis: niſi ſuperiorū ho-
minum incuria, hiſtoriographorum negligentia, & ipſa denique obeſſet temporis diu-
turnitas. Eorum enim vitæ integritas, & religionis zelus ſpirat adhuc quodammodo D
in pleriſque Indis ſenibus, & ruentis ad extrema ætatis, qui quod imbiberant doctri-
næ eorum lacte confirmati, etiam nunc hodie in exactiſſimis quibusque verorum Chri-
ſtianorum operibus perſiſtunt. Nec aliter ſanè optimis his hominibus euenit, ac ſo-
leat magnificis ædificijs, & priſtini luxus molibus euenire, quorum vetuſtate deie-
ctorum rudera tantummodo, & confracta, comminutaque ſegmenta conſpiciuntur.
Quare breuiter & per capita tantùm, quæ non ſine ingenti labore à fide dignis narra-
tionibus collegimus, hoc loco perſtringemus.

Fuit hic vir Cantaber ex oppido Durango, doctrina & ſanctitate inſignis. Sancti
Franciſci habitum in Conceptionis Prouincia ſuſcepit, in qua ſæpius Guardianus, Dif-
finitor, & ſemel fuit Prouincialis, magna in his muneribus prudentia, & religione con-
ſpicuus. Cùm eſſet Guardianus religioſæ domus de Abrojo iuxta Pinciam; & illic Ca- E
rolus V. Imperator Paſſionis quandoque hebdomadam (hanc maiorem appellant)
tranſegiſſet, abundeq́; monaſterio omnia exhiberi iuſſiſſet ad fratrum victum, & res
alias neceſſarias, nihil vir optimus in ſuum, vel monaſterij vſum conuertit: ſed vniuer-
ſa illa pauperibus diſtribui curauit. Id cùm reſciuiſcet Carolus, & animaduertiſſet quā-
ta religione, grauitateq́; ibi tunc fuiſſent diuina officia celebrata, quantaq́; ineſſet ho-
mini virtus, probitas, ſanctimonia, magni eum omnino exinde fecit, ac paulò poſt In-
quiſitorem in Cātabras ſtriges, quòd & ipſe Cantaber, & eius linguæ peritus eſſet, con-
ſtituit. Functum verò eo munere cum eximia integritate, primum deſignauit Mexici
Epiſcopum. Reſtitit, quoad potuit, inſignis, & apoſtolicus vir, donec ſuperioris iuſſu ſu-

ſcipere

A ſcipere munus coactus eſt. Epiſcopus nec dum tamen conſecratus, anno 1528. nouam Hiſpaniam Protectoris Indorum titulo, maximiſque omnino à Carolo acceptis priuilegijs profectus eſt.

Nouam Hiſpaniam ingreſſus cùm totus eſſet in diuinis honoribus procurandis, eamque Prouinciam multis obrutam vitijs inueniret, dedit operam ſedulò, vt eam ad quàmmaximam integritatem reduceret. Quo factum eſt, vt tametſi valde omnibus eſſet amabilis, magno tamen odio, & ille, & qui cum illo erant, fratres à non paucis impeterentur. Odij authores ij ipſi erant, qui Rempublicam adminiſtrabant: euenitque, vt cùm extrahētes è templo quendam, qui eò confugerat, tentarent eccleſiaſticam immunitatem, viro ſancto propugnanti mortem contorta haſta penè confixerint. At quòd maioribus eum rebus numen deſtinabat, nō aliter eum ſeruauit incolumem, atq; B Dauidem olim à Saulis ictibus. Iſthæc dum agerentur, perplura valde, illa quidem turpia & abſurda, in ſanctum hominem, eiuſque ſocios religioſos viros non à caſtis illis modò & integris pectoribus, ſed ab omni mentis cogitatione abhorrentia confixerunt. Dabant ad Imperatorem atque eius ſenatum, qui de Indicis rebus conſtitutus eſt, crebras aduerſus illum, & peracerbas literas, prohibentes, ne qua illius epiſtola, eò poſſet peruenire, quouſque Cantaber quidam nauta ſecretò ſe ei literas producturum, & Imperatori redditurum ſpopondit. Quod & præſtitit, eiſdem abſente Carolo vxori redditis. Has illa multo cum fletu perlegens Magiſtratus eos omneis adminiſtratione omni abdicari, & in Caſtellam reuerti iuſſit, paulò poſt infelici obitu peremptos. Eorum autem, qui in Indijs permanſerunt, plerique publicè faſſi ſunt ea ſe mentitos omnia fuiſſe, quippequi indigna aduerſus religioſos illos homines impudenter confixiſſent. C Nouos deinde Magiſtratus eò miſit Imperatrix, viros bonos & Deū timentes, ipſumq; Epiſcopum ad ſuſcipiendum conſecrationis munus reuocauit.

Hanc ob cauſam in Hiſpaniam regreſſus anno 1532. nec minimo quidem nummo ſecum inde allato, infracto ibi pectore ſe & religioſos fratres defendit: extremaſque miſerias & calamitates infelicium Indorum expoſuit. Iter tunc temporis ſemper pedibus faciebat magna paupertatis, religionis, & pœnitentiæ ſignificatione, religioſos quoſcunque fratres excitans, & adhortans, vt ad ſanctiſſimum hoc conuerſionis animarum munus proficiſcerentur. Inde nouam Hiſpaniam conſecratus repetens, anno 1534. in eum dignitatis gradum, qui eius meritis debebatur, eſt repoſitus. Indos qui Chriſto nomen dederant, plus ille quàm filios quiſquam ſuos diligebat. Aſſidebat ægrotantibus, eoſque in miſerijs & calamitatibus ſolabatur: nec defatigabatur vnquam, omnia eis pa D ſtoris optimi munia, atque officia impendens. In cauſa fuit, quòd continuæ præſtationes auri, argenti, gemmarum, plumarum, culcitrarum, ſeruorum ad onera portanda, quas frequentiſſimas exhibere noſtri cogebantur, imminuerentur: vacarentque ipſi iugi ab labore, quem in inſanas noſtrorum ſubſtractiones impendebant. Priuſquàm ad conſecrationem profectus eſſet, à ſenatu Indiarum per literas poſtulauit, liberi vt eſſent Indi: quandoquidem eorum domini iniuſtè eos & iniquè in ſeruitute detinerent: quibus eſt amicè à ſenatu reſponſum, cautumque liberi vt in poſterum eſſent. Idq; actū eſt anno 1530. Imperatrice ſubſcribente. Admonitus quandoque à nobilibus viris ne ita Indos familiariter attrectaret: futurū enim vt qui æger & imbecillis eſſet, peſſimo odore, quem ſordibus ij, & paupertate fœdi ſpirabant, affligeretur, magno animi & ſpiritus feruore reſpondit; malus quidem odor è vobis prouenit: voſque ipſi ægritudinum E mihi cauſa eſtis, non vt Chriſtiani vitam inſtituentes, ſed delitijs & voluptatibus immerſi: miſeri autem Indi cœlum mihi redolent, ſanitatem reſtituunt, me ſolantur, & veram Chriſtianæ vitæ normam edocent.

Amauit mirificè vir ſanctus virtutem ipſam, & virtute præditos: vitia autem, & eos qui his erāt inquinati acerrimè reprehendit; adeoq; ab omni vitio abhorruit, neminem vt ei in domo ſua vacare pateretur. A qua etiam fœminas omnes miniſterio etiam neceſſarias arcuit. Diſplicebant ei verba illa, quæ vulgò obſeruantiæ cauſa effunduntur; quæq; ſine vtilitate vlla populi modo auram captant. In victu, veſtituq; ſordes abhorrebat, tametſi vtrumque ſumma eſſet paupertate conditum: repetens identidem debere clericum & religioſum hominem veſtes quàm maximè puras habere, licèt viles

ob muneris dignitatem. Epiſcopus cùm eſſet,vt religioſus ſemper vixit,demiſſionem animi & paupertatem vbique obſeruans, aſperas veſtes, vt inter fratres ſolebat,ferens, & in viliſſimo cubans lecto: nocte media ad matutinas preces ſurgens: non ſolus, ſed cum alijs ſimul, adhibita ſacra lectione & ſilentio, cibum ſumens:nec lautiorem menſam, quàm paſſim habeant in conuentibus ſuis fratres, habere volens. Aedium eius aulæa libri erant permulti & peroptimi; literas enim,& literarum ſtudijs excultos homines ſingulari animi propenſione colebat. In Miſſarum, ordinum, cæterorumque munerum pontificiorum celebratione eam præſeferebat dignitatem, quæ eſſe tanto officio digna videretur, cùm extra huiuſmodi tempora à minimo quopiam fratre nihil differret. Sacroſanctum Confirmationis ſacramentũ tanta animi alacritate, & tot lacrymis adminiſtrabat planè, vt adſtantes omnes commouerentur, ipſe verò & cibi & requiei obliuiſceretur: neceſſariumque eſſet tiaram ei è capite auferre, ipſoſque diſcedere patrinos, ad noctem alioqui in hoc munere perſtituro. Ad præſtandam Confirmationem, aut Epiſcopatus viſitationem peragendam plerunque aut penè ſolus, aut pauciſſimis comitatus,ne cuiquam oneri eſſet,proficiſcebatur: adhibebatq; in Confirmatione adductos è domo cereos, ne vel minima impenſa illa ab hoc quiſquam ſacramento arceretur. Non diuo magis Franciſco, quàm aut Dominico, aut Auguſtino dediſſe nomen videbatur, tam ſyncero omnes amore proſequi ſolebat. Admonebat religioſos viros, ne ſubſiſterent, ne vè defatigarentur: ſed idiomata illarum diſcerent regionum, quo melius in tam ampla Domini vinea, in qua eſſent operarij conſtituti, ſe poſſent exercere: eoſdem ab inimicis & calumniatoribus acerrimè defendebat: multiſque tum in vniuerſum omnes, tum priuatim ſingulos impenſis adiuuabat,ſeu libris, ſeu veſtibus, ſeu qua alia re indigerent. Tribus Mexici noſocomijs, quæcunque neceſſaria erant, affatim tribuebat, quemadmodum & in ipſa vrbe omnis generis & ſexus pauperibus: planè vt mirarentur omnes, quî fieri poſſet, vt tam exiguis redditibus tot ſufficeret impenſis. Cùm aliquando nihil eis ſuppeteret, quòd mendico Indo tribueret, ſudariolum ei impertitus eſt. Mexici Epiſcopales ædes, & ſancti Coſmæ & Damiani hoſpitale contagioſorum morborum conſtruxit. Cumque noſocomium fabricaſſet monaſterij diui Franciſci, maximis precibus à fratribus poſtulauit, ſibi vt liceret totum cœnobium abſoluere. Qua in re minimè ei aſſenſi illi ſunt paupertatis zelo inflammati. Durangi, vbi natus erat, annuos redditus ad religioſarum mulierum, fratrum, pauperumque eò deuenientium alimoniam aſſignauit. Si quando ad eum conſanguineus aliquis ſuus aduentabat, in ea ſe arte exercere iubebat, quam ſciret,eoque modo victum quęreret:non ſperanda quippe ei munera,aut officia ob Epiſcopi propinquitatem.Inuiſebat ſæpius xenodochia,ipſeq; cum magna demiſſione animi,magnaq; amoris ſignificatione medicinam morboſis ſuis manibus faciebat.

Abſtinebat à cibo præſcriptis à Regula temporibus,& ijs,quibus nomen eſt quadrageſima benedictorum,ac pleriſque alijs diebus. Diebus Venerinis ſancti Franciſci cœnobium petebat, & in Capitulo palàm errata ſua confitebatur,ſumma cum demiſſione animi eius, qui tunc ibi præſidebat, increpationes excipiens. Cùm aliquando lintea quædam aulæa regionis more confecta in eius ædibus ſuſpenſa eſſent, iſque in prædicto monaſterio cum fratribus colloqueretur,ſubiunxêre ludentes eorum nonnulli iam eum monachum non eſſe, ſed Epiſcopum: quandoquidem ædes eius vt pontificiæ exornatæ eſſent. Commotus ille vehementer, & domum regreſſus manibus ipſe ſuis aulęa deiecit,repetens identidem ad ſuos: aiunt me monachum non eſſe, ſed Epiſcopum, at ego monachus eſſe,non Epiſcopus volo. Dedit itaque operam, vt Præſulatu ſe abdicaret, idque effecit: quanquam perficere nequiuit Imperatore, & ſummo Pontifice repugnantibus. Si quando ſocio fratre carebat, cui domi ſuæ confiteretur, in ſancti Franciſci cœnobium,per ſatis magnum interuallum diſtans,ſe conferebat:ibique confeſſus, eccleſiam ſuam reuertebatur ad Miſſam faciendam, librum ipſe interim portans ad præſcriptas ſacerdotibus preces ibi recitandum. Cùm quidam vir nobilis ex Perurana regione Mexicum veniſſet, ei aliquando ſoli per viam ambulanti occurrens, rogauit. Quis nam ille eſſet monachus, qui ita ſolus ambularet? Dicenſque Epiſcopum eſſe. *O felicem, inquit, ciuitatem,quæ Præſulem huiuſmodi habere meruiſti*. Quoties iter faciebat in re-

A in religioſorum hominum comitatu, nullo modo adduci poterat, vt iumentum, quod ſenectutis,& ægritudinum cauſa ſecum adducebat, conſcenderet. Monentibusque illis vt id faceret, æquum eſſe reſpondebat, vt facientibus Dei ſeruis iter pedibus, pedibus quoque & ipſe illud faceret. Præuidit diem diſceſſus ſui, eamque multis ſignificauit. Cùmque perpenderet euenire poſſe,vt poſt multos tandem annos eò Pontifex mitteretur,qui adminiſtrare Confirmationis ſacramentum poſſet;admonuit vniuerſam Mexicanam regionem, eam vt ciuitatem peterent, qui nondum erant confirmati, ad id ſuſcipiendum, & vt qui in baptiſmo ſancto chriſmate peruncti non fuerant, eò vngerentur. Qui cùm in ſancti Ioſephi capellam,quæ eſt in atrio cœnobij diui Franciſci conueniſſent,omnes vtrunque receperunt.

Cùm apoſtolicas literas accepiſſet,quibus à ſummo Pōtifice Romano,inuictiſſimo, B ac pientiſſimo Germanorum Imperatore Carolo huius nominis V. qui eum ob eximias eius animi dotes,ac vitæ ſanctimoniā ingenti animi affectu proſequebatur,id procurante,primus Archiepiſcopus Mexicanus conſtituebatur,maxima eſt anxietate fatigatus,ſe prædicans indignum eſſe Epiſcopali munere, ne dum ea dignitate, quæ longè eſſet maior & prçſtantior. Religioſi homines omnium inſtitutorum eum admonebant, ne reſiſteret, duobus tantummodò repugnantibus, quibus ipſe maximè fidebat. In ijs ambiguitatibus,cū eſſet ne Mexic.populus eum precibus ad acceptandū vrgeret, profectus eſt ad pagum Tepetlauztoc,vigintiquatuor paſſuum millibus à Mexico ſeparatum, vbi tunc intimus eius amicus, & Dei ſeruus frater Dominicus de Betanços Inſtituti patrum Prædicatorum, cuius ſe in manibus ille mori cupere aſſerebat, commorabatur. Egreſſus eſt è Mexico in Pentecoſtes vigilia nocte media,eaque celeritate iumen- C tum,quo vehebatur, adegit, vt hora nona Tepetlauztoc peruenerit,alacriter à cœnobij fratribus exceptus. Exhibuerunt ei in prandio non nihil vini, nulla tamen prece ad id guſtandum adduci potuit, quanquam eo propter ſenectutem, & extremam defatigationem magnopere indigeret, non alia de cauſa, quàm quia religioſos eos illo non vti ſciebat, ne ſcilicet præſtare eis in re aliqua videretur. Commoratus ibi diebus quatuor, deque acceptatione in communi conſulens,quatuordecim hominum millia confirmauit, vt à monaſterij Priore ex dinumeratione linteolorum, quæ ſolent adhiberi, numerus eſt initus. Die veneris poſt Pentecoſten vrinæ ægritudo, qua vexabatur, tam eum acriter inuaſit, neceſſum ei vt fuerit ciuitatem reuerti amico ſuo fratri Dominico de Betanços comitatus:qui ab eo ad extremum vſque halitum non diſceſſit.

Hora vna ante diſceſſum ad adſtantes religioſos: *O fratres*(inquit)*quàm eſt inter ſe di-* D *uerſum in ipſa morte verſari, ac de ea loqui*. Acceptis eccleſiaſticis ſacramentis animam exhalauit illis verbis: *In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum*, die Dominica poſt feſtum Corporis Chriſti hora nona antemeridiana, anno 1548. cùm nihil eſſet à mentis ſtatu deturbatus, annumque excederet octuageſimum.Et,vt piè credere poſſumus,à Deo opti.max. bonorum remuneratore inter ſanctos,& electos confeſſores Pontifices,vt ibi coronam gloriæ,ac præmium laborum ſuorū acciperet,collocatus extitit. Ipſe quidē corpus ſuum in S.Franciſci monaſt.cum aliis religioſis eiuſdē Ordinis ſepeliri iuſſit: ſed quia primus fuerat eccleſiæ Mexicanæ Præſul,in ea ſepultus eſt ad ſacrarii fores, iuxta maius altare ad Euangelii locū,cū nullus alius excogitari celebrior poſſet. Eius diſceſſus non ſine miraculo eodem die in vniuerſa Mexicana regione innotuit,maximiſque fletibus & lamentationibus exceptus fuit: cùm funeſtas omnes & attritas ve- E ſtes accepiſſent. Ingens omnium ætatum ad tumulum concurſus factus eſt: religioſorumque & ſacerdotum fletibus ac ſingultibus conſueta officiorum celebratio impediebatur: nec pro Præſule vſquam tam inauditæ quærimoniæ perſpectæ ſunt. Prorex, ac cæteri Magiſtratus lugubribus induti veſtibus, multiſque cum lacrymis ac ſuſpirijs funeri adfuerunt. Plebis autem quæſtus, & lamentationes eiuſmodi erant, planè vt adueniſſe extremum orbis excidium videretur. Fertur eius corpus adhuc eſſe integrum, Deumque per illud multa edere mirabilia. Inter quæ celebrius illud eſt: Cùm aliquibus ante diſceſſum annis iuſtis de cauſis prohibuiſſet prophanas ſaltationes,cantioneſque in generali Corporis Chriſti proceſſione adhiberi ſolitas: cùm in ea magis & diuinus cultus,& erectio ad Deum mentis requiratur: vacante ſede per eius mortem

viſum

viſum è capitulo nonnullis eſt, ea vt reſtituerentur. Paratis igitur quibuſdam ad illa A
peragendum, manè eius diei, quo feſtum celebrandum erat, tanta vis pluuiæ de cælo
cecidit, minimè vt per plateas, quemadmodum conſueuerat, duci poſſet. Ea re à capitu
lo animaduerſa, cautum eſt, ne illa in poſterum adhiberentur, perque annos ſex va-
cantis Sedis obſeruatum eſt. Anno à lætabunda Chriſti Saluatoris noſtri natiuitate,
milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſecundo, ſcripſit vir ſanctus, Deoque carus ad re-
uerendiſſimum Miniſtrum generalem electum, cæterosque patres vocales Inſtituti fra
trum Minorum regularis Obſeruantiæ, in ciuitate Toloſana Regni Galliæ ſub ſacro-
ſancto feſto Pentecoſtes congregatos, vtilem ac fructuoſam epiſtolam, quam ad vtili-
tatem lectoris in medium ſubijciemus ſub verborum horum ſerie.

*REVERENDI admodum patres, ſcitote nos magnis laboribus diſtineri in conuerſio-
ne infidelium, quorum Dei gratia religioſorum diui Franciſci regularis Obſeruantiæ ma- B
nibus plusquàm decies centum millia baptizata ſunt: quingenta idolorum templa ſolo æquata:
plusquàm viginti millia Dæmoniacorũ ſimulachrorũ ab his antea culta, cõfracta, & concremata:
pleriſq; in locis fabricatæ eccleſiæ, atque oratoria erecta: Dominicæ crucis vexilla iam ab Indis
culta. Quodq; admiratione cùmprimis dignum eſt, cùm in hac olim Mexicana vrbe ſolerent ido-
lis ſuis pluſquàm viginti millia cordium puerorum, puellularumq; quotannis in ſacrificijs of-
ferre: nunc humana illa corda vniuerſa non iam Dæmoni, ſed altiſſimo Deo innumerabilibus
laudis ſacrificijs, religioſorum noſtrorum doctrina, & miniſterio offeruntur. Cui inde honor,
& cultus comparatur, cùm ſumma reuerentia adoretur, colaturq; in illis locis à pueris indige-
narum gnatis. Hi crebrò ieiunant, verberibus ſe affligunt, iugibusq; precibus inſiſtunt, multis la-
crymis, & ſuſpirijs impenſis. Pleriq; horum puerorum, vt & alij prouectioris ætatis, legunt,
ſcribunt, & cantant optimè, peccat a ſua crebrò confitentur, ſummaq; animi deuotione diuina ſa- C
cramenta ſuſcipiunt, ſuiſq; parentibus, à religioſis inſtructi, verbum Dei eleganter explicant.
Surgunt nocte media ad matutinas preces, Dominæ noſtræ officium integrum recitant, quam
præſertim colunt. Speculantur magna cum ſedulitate quibus locis parentum idola lateant, eaq;
furantur, & ad religioſos deferunt. Quo factum eſt, vt crudeliter nonnulli ab ipſiſmet paren-
tibus ſint necati: qui quidem adepti coronam nunc in cælo cum Chriſto viuunt. Vnuſquiſque
noſtrorũ conuentuũ aliam iuxta ſe ædem habet ad docendos pueros, & inque ea gymnaſium, dor-
mitorium, refectorium, & capellam. Sunt hi pueri valde humiles, religioſisq; morigeri, eosque
vt parentes diligunt, caſti, & ingenio perſpicaces in arte maximè pingendi. Inter fratres
indigenarum idioma callentes vnus eſt præcipuus nomine Petrus de Gandauo laicus: qui id cal-
let eleganter, curamque gerit pluſquàm ſexcentorum puerorum: eſtque profectò mirificus pa-
ranymphus, cùm iuuenes, & puellas matrimonium contracturas in rebus fidei erudiat, erudi- D
toſque cum magna ſolemnitate coniugio copulet. Ad puellarum eruditionem, inſtitutionemque
miſſæ ex Hiſpania ſunt ab Imperatrice Donna Eliſabetha mulieres ſex honeſtæ, & prudentes:
deditque in mandatis, vt ampla domus fabricaretur, in qua illæ ſub Epiſcopi patrocinio ad mille
vſque puellas erudire poſſent. Hinc fit vt à mulieribus illis puellæ, à religioſis pueri fidem diſcãt,
quam poſtea doceant parentes ſuos. Vnde videtur dixiſſe Dauid: Ex ore infantium, & lacten-
tium perfeciſti laudem. Chriſtus ſit ſalus veſtris reuerentijs, quos humiliter precor, Deum
orent vt id perficiat, quod incæpit. Mexici, duodecima menſis Iunij anni 1531.*

Vita fratris Petri à Gandauo.

PETRVS à Gandauo vnus de tribus illis religioſiſſimis, ac de Franciſcana Reli-
gione optimè meritis fratribus fuit, qui primi nouam Hiſpaniam anno Dominicæ
Incarnationis milleſimo quingenteſimo vigeſimo nono petierunt, quique perplures E
animas Deo acquiſierunt. Horum Ioannes Tectius ſacerdos in loco de Higueras iux-
ta eum, qui Honduras nuncupatur, profectus eò cum Ferdinando Corteſio ad an-
nuntiandam fidem, mortuus eſt, eaque propter nihil hîc de eius vita literis proditur.
Frater Ioannes de Aora ſacerdos etiam, &, vt reliqui duo, natione Flander in Thez-
cuco ſepultus eſt, vbi de ipſo perſcribetur. Tertius frater Petrus à Gandauo ad euitan-
dum vitæ delitias, & voluptates, quibus hoſtis generis humani tranſuerſos plerunq; in
iuuentutis initio homines agit, iugo ſe Domini ſubiecit, diui Frãciſci habitu ſuſcepto: ac
tametſi dignus eſſet, qui ſacerdotũ albo aſcriberetur, ob eximiã tamen demiſſionẽ ani-
mi permanere laicus voluit; atq; ea in re planè oſtendit virũ eſſe conſtantem, in Chri

ſtiana

A ſtiana religione probitatis. Hic deniq; quæ de repertis à Ferdinando Corteſio regionibus ferebantur, deq; infinita hominum idola colentium multitudine ſpiritu Dei cōmotus, eò ſe cum Guardiano ſuo Ioanne Tectio, atq; illo alio religioſo Ioāne de Aora ſe contulit. Erat in eo ad optimas quasq; artes, politicaq; & Chriſtiana officia mirificum ingenium; idq; à Deo ipſo prouiſum videtur in prima illa earum gentium couerſione, iſtiuſmodi ſanè adiumento indigentium, vt non in ſpiritualibus modò rebus, ſed in humanis etiam, & politicis erudirentur. Ille omniū primus ibi & legere, & ſcribere, & canere, & muſicis inſtrumentis perſonare, & Chriſtianam deniq; doctrinā edocuit: nonnullos nobilium indigenarum liberos ante 12. religioſorum aduentum in Tezcuco erudiens; poſtea verò Mexici, vbi vitam penè totam, pręter exiguum tempus, quod fuit in Tlaxcala, commoratus eſt. Mexici author fuit conſtruendi percelebrē, & ſum-
B ptuoſam S. Ioſephi capellam à tergo humilis, & perexigui Franciſcanorum templi, in qua feſtis, & Dominicis diebus ad diuinum verbum, diuinorumq; officiorū recitationē audiendum, & ad percipiendum doctrinam fidei indigenæ congregantur. Conſtrui quoq; fecit puerorum gymnaſium, iuxtaq; id alias ædes, in quibus Indi pingere docerent, & vbi imagines ſanctorum, quibus vſus in his regionibus erat, pingebantur: alios doceri cæmentariam, lignariam, ferrariam, ſutoriam, aliasque iſtiuſmodi artes fecit: Habebat iuxta gymnaſium cellulam, in qua ſe interdiu recipiens, orationi, lectioni, alijsq; ſpiritalibus exercitationibus vacabat, & ex interuallo Indos inuiſebat. Præcipua ei cura fuit, vt pueri ſedulò exercerentur, diebusque Dominicis & feſtis ad audiendum ſacrum, & Dei verbum congregarentur. Matrimonium contracturos, & eos, qui poſt confeſſionem ſacroſanctam eſſent Euchariſtiam ſuſcepturi, examinabat, inſtrue-
C batque. Prædicabat quoties ſacerdos deerat Indici idiomatis peritus, quod mirificè callebat, quāquā impedita eſſet lingua, vix vt eum fratres intelligerent: cùm ab Indis tamen, veluti illorum vnus, intelligeretur. In ipſorum idiomate peramplè ſatis, & copioſè Chriſtianam doctrinam ſcripſit, quæ excuſſa typis circumfertur. Confraternitates, quæ ſunt apud eos, inſtituit: diuinumq; cultum ſemper auxit quo ad cantores, & miniſtros, quo ad ornamenta, ſacrasq; veſtes capellę S. Ioſephi, cruceſque, candelabra, atq; alia iſtiuſmodi, quæ duci in proceſſionibus ſolēt: nulla vt in vrbe Chriſtiani orbis tam ingens harum rerum numerus inueniri queat. Tam in Mexici ciuitate, quàm alibi infinita penè templa conſtruxit. His in rebus 50. annos conſumpſit, cùm eò iuuenis veniſſet; magnaque prębuit probitatis, & apoſtolicæ libertatis documenta, nihil aliud ſatagens, quàm numinis honorem, & animarum ſalutem: quo factum eſt, vt innume-
D rabiles Deo lucri fecerit: carusq; omnibus fuit, adeò, vt cùm multi alij ſacerdotes Indorum peccata audirent, verbumq; Dei his annuntiarent, vnum tamen Petrum, quāuis laicum, præ cæteris vt parentem colerent: abq; eo totius Mexici, & circumuicinæ regionis gubernatio penderet: vnde dicere conſueuit ſecundus eiuſdē ciuitatis Archiepiſcopus frater Alphonſus de Montujar Ordinis prædicatorum. *Non ego Mexici Archiepiſcopus ſum, ſed frater Petrus à Gandauo laicus ſancti Franciſci.* Et quidem ſi Petrus ipſe ſacros ordines ſuſcipere voluiſſet, Archiepiſcopus fuiſſet. Carolus enim V. Imperator, qui & eiuſdem patriæ fuit, & probitatem illius exploratum habebat, fertur eū prædicto Archiepiſcopatu inuitaſſe. Dilexit ſingulari quadam beneuolentia Indos; & vt ipſis nihil ad doctrinam deeſſet, pleraſque litteras ad Flandros religioſos, & pręſertim, quibus cum olim vixerat, dedit: eos admonens ſe vt in nouam Hiſpaniam conferrent
E ad Dei vineam excolendam. Nec ab illis minus amabatur, à Mexicanis præſertim, vt in eius reditu à Tlaxcala perſpectum eſt. Ei enim in magna palude Tezcuci, inſtructa in pugnę modum cymbarum claſſe, magna cum alacritate obuiam ierunt. Inda quædā Mexicana, quæ deuotione quadam animi religioſis quinque præbere veſtes ſolebat, fratrem alquando Melchiorem à Beneuento curam tunc S. Ioſephi gerentem conuenit, velle ſe veſtes illas præbere dicens: cùmq; religioſorum nomina recitaſſet inter eos fratrem Petrum à Gandauo nominauit. Huic ille: Mortuus, inquit, eſt. Et ipſa; at ego eas F. Petro offero, tu cui volueris impartito. Multum ille in Dei vinea laborauit, in initijs pręſertim, multa idola confringens; & eorū templa diruens, plusquàm centū ecclesias, in quibus veri Dei nomen inuocaretur, fabricauit. Sæpe à Diabolo tentatus eſt, vt reli-

vt relicto eo munere in patriam regrederetur:ſed auxilio numinis, vt in epiſtola ad Flā- A
dros patres fatetur, liberatus eſt. Vir fuit humilitatis eximię, idque oſtendit ſacerdotium abnuendo, cùm ad id tres haberet facultates abs ſe minimè procuratas: primam à Paulo III. Pontifice maximo alteram à generali Capitulo Romæ ſub R. P. Vincentio Lunelo celebrato: tertiam à R. Nuntio quodam apoſtolico apud Carolum V. ipſo fortaſſe Carolo procurante, qui eum Archiepiſcopum quoq; facere voluerat. Sed hæc ille omnia contempſit, in humili ea vocatione perſiſtere volens, qua monaſticam vitam ſuſceperat. Defunctus eſt anno Dominicę incarnationis milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, cuius diſceſſu magno omnes dolore affecti ſunt: & ad ipſum ſepeliendum frequentiſſimi, nonnulli quoque in lugubri veſte conuenerunt. Perſolutis autem ab omnibus in vniuerſum iuſtis; vnaquæque priuatim confraternitas, & vna quęque Indorum habitatio eadem iuſta perſoluit. Oblationes pro eo factę B
tot, tantæque fuerunt, vt cœnobium ſancti Franciſci Mexicanum completum ſit. Poſtulauerunt indigenæ à Pręlatis, vt eius corpus in capella ſancti Ioſephi tumularetur, conceſſumque maxima illic in veneratione habent, eius effigie in tabula depicta, quemadmodum in omnibus nouæ Hiſpaniæ habitationibus maioris momenti, & ille ipſe & duodecim primi huius Prouinciæ ſancti Euangelij fundatores depicti expreſſique habentur.

Vita R. P. F. Franciſci de Toral primi Iucatanenſium Epiſcopi.

FVIT hic P. ex Vbeda ciuitate, & à teneris annis ſuſcepto D. Franciſci habitu, in Prouincia Bætica iugum Domini amplexus eſt. Zelo animarū ſalutis nouam Hiſpaniam petijt, ibique in Prouincia ſancti Euangelij magno cum probitatis ſuæ documento vitam tranſegit. Primus omnium Popolcarum idioma, ob nimiam bar- C
bariem difficillimum, didicit, alijsque religioſis tradidit, cùm in methodum id facilitatis cauſa reduxiſſet. Mexicanum quoque aſſequutus, vtrique eximiam operam in loco Tecamachalci, vniuerſaque Popolcarum regione dedit: ibique ingentem eorum numerum diuino tinxit lauacro. Electus Cuſtos Prouinciæ ſancti Euangelij, ad generaliſſimum Capitulum, anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo quinquageſimo tertio Salmanticæ celebrandum profectus, maiorem Hiſpaniæ partem peragrans, religioſos homines ſalutis animarum cupientes ad hoc opus Dominicæ vineæ perquiſiuit; cùm interim pedibus iter faceret vili adeò veſte indutus fuit, vt maximè conuentus omnes in paupertatis amore confirmaret. Anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quarto nouam Hiſpaniam reuerſus, triginta quatuor religioſos ſecum deduxit. Non multis annis pòſt D
in decimum prouincialem huius Prouinciæ Miniſtrum electus eſt: idque munus cum ſingulari ſubditorum alacritate, quos prudenter gubernauit, omniumque approbatione exercuit. Prouincialatus tempore non dum elapſo, propter eximiam probitatis eius opinionem ab Indiarum ſenatu in Hiſpania conceptam, in primum Iucatani Epiſcopum electus eſt. Suſcepit hanc ille dignitatem, quia nulli in illis regionibus alij miniſtri Euangelij, quàm diui patris Franciſci fratres, reperiebantur: & impulſus maximè eo deſiderio, quo flagrabat, indigenas ad veram fidem deducendi. Ante conſecrationem ob negotia nonnulla Hiſpaniam rurſus petijt, indeq; conſecratus ad Epiſcopatum reuerſus eſt, cui ſæpè renuntiauit, cellulæ modò ſuæ quietem optans, & extremum ſepulturæ locum inter ſanctos religioſos, quos nouerat, in hac S. E
Euangelij Prouincia: idq; vltimùm ſanè adeptus eſt, quanquàm abdicare ſe Epiſcopatu haudquaquàm potuit. Nam è Iucatano nouam Hiſpaniam, ob res nonnullas neceſſarias, veniens vitam Mexici in diui Franciſci conuentu finiuit Aprilis menſe anni Dominicæ incarnationis milleſimi quingenteſimi ſeptuageſimi primi ibique in medio maioris capellæ ſepultus eſt.

Vita patris fratris Franciſci de Soto.

PATER F. Franciſcus de Soto vnus ex duodecim patrū fuit, qui primi ad fundamenta huius Prouinciæ iacienda profecti ſunt: eò & ille ex Prouincia S. Gabrielis eſt profectus, tametſi in ea, quæ S. Iacobi nuncupatur, habitum ſuſceperit. Erat homo iudicij perſpicacis, maximæq; prudentiæ. In Hiſpania, atq; hac in patria plurimū

conuen-

A conuentuum Guardianum egit. Præterea iſtius Prouinciæ quartus fuit prouincialis Miniſter, ac ſæpè ſæpius Diffinitor prouincialis prouinciam nudis pedibus viſitauit munusque apoſtolici Prædicatoris excellenter obiuit: magno enim ſpiritus ardore Chriſtianam fidem indigenis, tametſi illorum idioma non optimè calleret annuntiabat. Velut alter Phinus magno zelo diuini cultus, & honoris inflammabatur; præſertim autem paupertatis, quam eximiè diligebat. Miniſtri prouincialis munus gerenti religioſus quidam ambitionis ſtimulis agitatus ſe per epiſtolam commendauit, quò in alicuius conuentus ſub eo conſtituti Guardianus eligeretur: ille autem huius ouiculæ ſuæ ægritudinis miſertus pauciſſimis verbis ſancti pauli Apoſtoli reſpondit: *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron:* atque his religioſus ille & repræhenſus eſt, & ſanitati reſtitutus: id enim ſignificabat ſanctus vir eò ipsò indignum quenquam honoribus, & ſuperioribus muneribus, quò ea anxiè procurauerit:
B eos verò dignos tantummodò eſſe, qui à Deo vocentur. Habebat ſemper, velut alter Dauid, præ oculis Deum, deque eo vno ſermones ſerebat. In victu temperatiſſimus, atque vini abſtemius: ſed ſi vino abſtinere religioſus aliquis non poterat: & quòd magno pretio venderetur exiſtimaret, & non poſſe eo vti minimè læſa conſcientia, eum conſolabatur, eique ſcrupulum adimebat, admonens vt tantummodò ſobriè, & temperatè id ſumeret: futurum enim ipſis Indis documento, qui quod religioſum hominem facere viderent, id quoque eſſent libenter facturi. Atque ea inre ſanè excelluit vir hic ſanctus, qui cùm in ſe ipſum ſeuerus cumprimis eſſet, ſemperque illud Gregorij præ oculis haberet, *bonarum mentium eſt timere culpam, vbi non eſt culpa:* in eximendo tamen ceteris ſcrupulorum ambages perquàm fuit facilis. Volebant ſemel Hiſpani
C nouæ Hiſpaniæ habitatores omnium Indicorum populorum perpetuam à Carolo V. diuiſionem impetrare: cumque id ſe aſſequi non ſperarent niſi religioſorum trium Or dinum poſtulationes accederent: eam operam nauarunt, vt à ſancti Dominici, ac ſancti Auguſtini patribus id impetrarint, quod tamen à noſtris nequaquam habere potuerunt. Aduerſus illos igitur varias quærelas excitarunt; eorumque hominum opera vſi ſunt, qui inimici boni publicis priuata quadam vtilitatis ſuæ via incedebant. Fratres igitur noſtri cùm reſiſtere amplius nequirent, aſſenſi quoque ſunt: ita tamen vt arbitrum conſtituerent fratrem Franciſcum de Soto, cuius hac in re ſententiam obſeruaturi eſſent. Hunc Hiſpani tot, tantiſque verbis aggreſſi ſunt, vt eum quoque ab ſubſcribendum cum cæteris induxerint, immo eidem eius rei procurationem apud Imperatorem Hiſpaniam profecturo commiſerint. Cogitans poſtmo
D dùm ille attentius quæ geſſerat; & ſe circumuentum agnoſcens, cùm non exiguo conſcientiæ ſcrupulo torqueretur, ab illis petijt, ſibi vt oſtenderent ea, quæ ſubſcipſerat: cùmque oſtendiſſent, conſpectam ſubſcriptionem ſuam dentibus abſcindens deglutiuit. Ea res multarũ aliarũ machinationũ aduerſus religioſos noſtros anſam dedit. Siquidẽ à Mexicanis ſolitę eis eleemoſynę ſublatæ ſũt: iniuriæ verò & contumeliæ in publicum prodeuntibus illatæ. Cumque aliquando vnus fratrum ad faciendam panis collectam exijſſet: occurrẽs mulier, nonne, inquit, monachi cartha veſcuntur; cur panem poſtulant? Verum Deus, qui ſuos nunquam deſerit, iſtiuſmodi anguſtias vlterius progredi non eſt paſſus; effectumque eſt, vt paulò poſt ab his monachis conquieſcerent. Hiſpaniam miſſus ob nonnulla Prouinciæ negotia, quę indigenas attingebãt, Tlaxcallam tranſiens ijs promiſit ſe quamprimùm reuerſurum, nauemque anno Do-
E minicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſexto conſcendit. Hiſpaniam cùm perueniſſet, nuntium allatum eſt de Mexicanorum Archiepiſcopi fratris Ioannis de Zumarraga obitu. Cumque in curia eius probitas nota eſſet Archiepiſcopatum illum ei obtulit Carolus V. deque eo accipiendo multis precibus cum ipſo actũ eſt. Verùm ille nullo ad id modo induci potuit, honores omnes humanos fimum reputans, quò Ieſum Chriſtum verum honorem lucraretur: eamque in rem multas omninò rationes in medium attulit; quibus tandem eſt effectum, non vt amplius eum vrgerent, ipſeque ſumma animi conſolatione frueretur. Pertulit ille in Hiſpania infinitos propemodùm labores iter faciens; vt verus enim pauperum patriacha diui Franciſci filius nihil ſecũ deferebat aliud, quàm repoſitam in diuina benignitate ac prouidẽtia

ſpem, ingentemque animum, & ſolidam patientiam. Inuaſit eum morbus in conuentu Minoritarum Hiſpalenſi, proximumque morti ſe conſpiciens multis à Deo precibus poſtulauit, ſibi vt ſanitatem reſtitueret, quo datam Indis reuertendi fidem ad augmentum fidei catholicæ obſeruare poſſet. Cùmque ſuos Deus facilè exaudiat, id obtinuit. Referebat ille omnibus deſiderium, quo ardebat, nouam Hiſpaniam reuertendi, ibique inter ſuos fratres, ac ſocios moriendi, ſepulturamque obtinendi. Id cùm perſpexiſſet opulens quidam eius vrbis mercator, & illius, & totius Ordinis amans ei promiſit curaturum ſe, ſi, prius quàm nauem conſcenderet, moreretur, vt eius oſſa nouam Hiſpaniam in Mexicanum diui Franciſci conuentum deferrentur, vt inter fratres, & ſocios ſuos tumulari poſſent: quod audiens ille inaudito quodam gaudio exultauit. Cùm iam proficiſcendi tempus è portu Sanlucaris de Berrameda inſtaret, eremitorium quotidie in Franciſcani conuentus horto, editoque in loco, vnde conſpici æquor poterat, ſitum petebat, illudque inde contemplans, multis lacrymis aiebat: Accipe me ò mare, & in aduerſam me oram tranſporta. Ponte frater tribue mihi hoc; cumque illuc peruenero non amplius viuam. His ille, multiſque alijs verbis deſiderium propagandi fidem, illamque illis in latiſſimis regionibus ampliãdi, teſtabatur. Cõſcenſam igitur nauem, cùm eã multis plenã offenſionibus diuini numinis videret, ad eos, qui vehebantur, hæc, inquit, nauis ſalutis portum non aſſequetur; confirmauitque verba eius euentus: naufragium enim apud ſanctum Germanum fecit. Ille tunc aliam ingreſſus, nouam Hiſpaniam peruenit anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingẽteſimo quinquageſimo, & Tlaxcalla trãſiens, Indis, quibus ſe reuerſurum promiſerat, verbum Dei annuntiauit. Cùm eſſet in suggeſtu, perſpectus ab omnibus eſt ſplendor ignis, eum circumuallans: exortuſque inter auſcultantes tumultus, & perturbatio eſt. Celebratum fuit paulò pòſt prouinciale Capitulum, ipſeque concionem habuit, & primus ibi Diffinitor electus eſt. Incidit ibidem in morbum, dicentique Medico, vt ſe ad moriendum pararet, minimum enim ei ſupereſſe vitæ, virili animo intrepideque reſpondit: Et quid aliud tot annis egi, poſtquàm Franciſcanum indui habitum, quàm habere ſemper præ oculis hanc horam, & ad moriendum me parare. Vſus ille eſt Spiritus ſancti conſilio aientis: *gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia: vtinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent* Suſcepit maxima cũ deuotione, ac ſpiritus alacritate diuina ſacramenta; cũque ſancto oleo vngeretur, omnibus, quæ recitabantur, precibus reſpondebat. Confecto & ſubſcripto capituli libello, priuſquam recitaretur, ex mortali hac vita ad immortalem tranſijt inter ſocios, & fratres ſuos, à quibus ei debitus eſt honor impenſus; inque Mexicano diui Frãciſci conuẽtu, anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo ſepultus extitit.

De F. Antonio de Ciudad Rodrigo.

SANCTVS hic vir pater ſcilicet frater Antonius de Ciudad Rodrigo in ciuitate Mirobriga natus eſt, & numero quartus, inter duodecim illos pręſtãtiſſimos, ac de Religione Frãciſcana optimè meritos religioſos, fuit. Venit ex Prouincia ſancti Gabrielis, fuitq; in hac ſancti Euãgelij ſecundus Prouincialis, ac multorum conuentuũ Guardianus; vir omnino ſingularis pęnitentiæ, inque omni victu auſteriſſimus. Cùm eo tempore inauditus eſſet religioſorum labor, iſque iugis, & continuus, quoniam pauci illi eſſent, Indi verò permulti, quo fiebat, vt eorum nonnulli tres vna die conciones tribus diuerſis linguis haberent, poſtmodumque Miſſam canerent, maximam puerorum turbam diuino lauacro abluerent, ægrotantium confeſſiones audirent, ac fructos vita tumularent: tanta tamen in penuria degebant, arcteque adeò, quæ ad alimoniam erant neceſſaria, ſumebant, vix vt explicari verbis poſſit. Nudis pedibus incedentes, veſtibus laceris ac vilibus amiciebantur: in nuda tellure ſomnum capientes; proque ceruicali ligno quopiam, aut lapide vtentes, ipſimet perulam habebant, in qua quotidianarum precum librum, & aliquem alium ad concionandum ſecum ducerent. Vinum autem, aqua tantùm, atque frugali menſa contenti, nec bibebant, nec oblatum accipiebant, vt ex eo perſpicitur, quod ſubijciam. Eo Guardiano Mexicano in conuẽtu exiſtente, primus eius ciuitatis Archiepiſcopus, frater ſcilicet Ioannes de Zumarraga in

A ga in vigilia reſurrectionis Chriſti vini vas miſit, vt lautius monachi epularentur: cùm ad eius cellulam deduceretur, prorupit magna voce iterans, *cilicium, cilicium non vinum*, nec illud accipere voluit, tametſi eum plerique religioſorum precarentur, id vt propter Archiepiſcopum, qui eiuſdem eſſet Inſtituti, eoſque diligeret, faueretque. Immo illud remiſit, addiditque per nuntium fratres omnes ingentes gratias Archiepiſcopo agere, qui eorum recordaretur: precari tamen, vt qui adeò eos diligeret, non permitteret, vt à temperantia diſcederent: id vinum alijs erogari poſſe, qui plus eo indigerent. Religioſorum omnium nomine Hiſpaniam miſit ab Imperatore Carolo poſtulatum, vt Indi à tot laboribus, ac moleſtijs, quibus ab initio ob execrandam & inſatiabilem aliquorum auaritiam vexabantur, liberarentur: inque eius ſolicitudine & diligentia vnicum tunc harum regionum pependit remedium. Fa-
B ctum enim eſt, vt frequentes poſtea literas mitteret Imperator, quo grauiſſima tributa, & inauditæ præſtationes aliquantulũ remitterentur: & quo indigenarum doctrinæ atque eruditioni fauor præſtaretur, quin ad ipſum fratrẽ Antonium priuatim ſcribebat ei iniũgens, ſe vt admoneret literis, ne ſuę interim effectu carerent. Electus eſt in Epiſcopum nouæ Galleciæ; ſed ob eximiam animi demiſſionem munus id ſuſcipere noluit. Reuerſus eſt ex Hiſpania anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingẽteſimo vigeſimo nono, ſecumque deduxit viginti religioſos, interque eos venerabilem patrẽ fratrem Bernardinum de Sahagun, virum probitatis magnæ & perquàm ſedulum in vinea Domini excolenda. Inuaſit eum morbus anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingẽteſimo quinquageſimo tertio. Cũq; ei Medicus Alcaçar nomine extremã horam edixiſſet, ſumma lætitia proſiliens lætum ſẽper ei nuntium à Deo precatus eſt,
C quemadmodum ei lætum illud fuerat: Vnde obortis lacrymis Medicus, miſerum, inquit, me, cui ſi annuntiata mors fuiſſet, cælum terræ miſceretur. Sepultum eſt eius corpus hoc in ipſo Mexicano conuentu, & maximo honore, atque ſumma obſeruantia ab omnibus extitit proſequutus.

De patre fratre Toribio Motolinia.

NATVS eſt frater Toribius, è duodecim numero quintus, Beneuenti apud Hiſpanos in Prouincia ſancti Iacobi profeſſus; & in Recollectionem ſancti Gabrielis transplantatus. Cùm nouam Hiſpaniam cum ſocijs perueniſſet, omneſque nudis pedibus incederent, perſpicientes hanc eorum paupertatem Indi inuicem acclamabant *Motolinia Motolinia*; quod Mexicano idiomate pauperes ſignificat. Interrogauit frater Toribius, quid ea vox ſibi vellet, pauperemque ſignificare cùm intellexiſ-
D ſet, hæc (inquit) prima vox eſt, quam linguæ huius intellexi, atque hoc mihi nomen erit: exque ea die frater Toribius Motolinia nuncupatus eſt, cùm de Beneuento antea nuncuparetur. Eximij ſpiritus vir erat, multæque in diuinis rebus meditationis: interque cæteras virtutes caſtitatis adeò amans, vt religioſum aliquando acriter reprehenderit, quòd puellæ, quam in ſinu mater ad benedictionem accipiendam gerebat, os manu attrectauerit. Multùm ille tam in doctrina Chriſtiana docenda, quàm in pueris baptizandis inſudauit; qui, ne ſine lauacro morerentur, longinquas terras crebrò, celeriterque petebat. Profectus eſt Quauhtemalam pleroſque fratres ſecum deducens, interque eos fratrem Ludouicum de Villalpando, & fratrem Martinum Legionenſem, cumque his fidem ibi noſtram plantauit. Deinde Legionis, & Nicaraguæ Prouincias petijt, vt religioſos duos extraneos, Euangelium ibi annuntian-
E tes alloqueretur: & ignis voraginem valde admirandam, quæ in ea regione eſt, perſpiceret. Eiuſmodi enim rerum adeò erat auidus, vt quæcunque oculis perſpicere ſatageret: & perſpectam literis mandaret, vt quemadmodum faciebat ipſe, cæteri quoque in his miraculis Deum laudarent. Guardianus Tetzcuci cùm eſſet, ſiccitas quędam anno eximia fuit, vt frumẽta adoleſcere nimijs Solis ardoribus combuſta nequirent: quare habita ad populum concione maxima fidei & ſpiritus vehementia ſuaſit, vt proceſſionem ad templum ſanctæ Crucis iuxta magnam paludem inſtituerent; in qua ſe nonnulli verberibus, alijſque pænitentiæ operibus affligerent, ibique demiſsè animo atque humiliter à Deo optimo maximo, qui rigat montes de ſuperioribus ſuis, pluuiam poſtularent. Id cùm ipſi fideliter, deuotè, ac cum lacrymarum effuſione pręſti-

tiſſent eodem comitante,vix reuerſis pluere incœpit: indeque vſque ad frumentorum A
perfectionem aqua non defuit , pinguiſq; annus ille fuit. Euenit quoq; anno alio, vt
immenſis pluuijs nec die, nec nocte intermittentibus non ſata modo langueſcerent:
ſed & domus (quippe quæ è terra fabricatæ eſſent) corrumperentur , ac ruinam tra-
herent . Qua ille re perſpecta ad idem tēplum Indos eodem modo pergere iuſſit, ibidē
patrem Miſericordiarum præcaturos, vt eis in tanta neceſſitate conſtitutis adeſſe,
ſuccurrereq; dignaretur: qua emiſſa oratione ceſſauerunt pluuiæ; tantumque aquæ
per totam illam æſtatem, quantum ſatis erat habuerunt. Vnde mirificè illi in religio-
ne Chriſtiana confirmati ſunt. Morbo oppreſſus paucis ante diebus, quàm diſcede-
ret, maxima illum cupiditas inuaſit ſacrum celebrandi: & in clauſtro Minoritici con-
uentus Mexicani, cùm propter ægritudinem ſe penè traheret, incedere pedibus non
valens, nec deduci ſe ab alijs paſſus, illud celebrauit. Poſt ſuſceptum paulò ante B
completorium extremæ vnctionis ſacramentum adſtantibus fratribus dixit, ad id di-
cendum vt pergerent, ſe eos, cùm tempus eſſet, vocaturum. Finito completorio iuſ-
ſit eos vocari, coramque illis integro mentis ſtatu animam Deo reddidit. Reueren-
diſſimus Petrus de Ayala Xaliſci Epiſcopus, qui ſepulturæ interfuit, partem habitus
eius abſcidit, quoniam ſanctum eum, vt re vera erat, arbitrabatur. Diſceſſit in Me-
xicano ſancti Franciſci conuentu, vbi ſepultus eſt die, quæ diuino martyri Lauren-
tio, quem præcipuè colebat, ſacra eſt. Sepelierunt eum eadem die, facta Miſſa non
defunctorum, ſed ipſius martyris, cuius eſt introitus: *Confeſſio & pulchritudo in cōſpectu
eius.* Quæ quidem verba de hoc apoſtolico viro, magno Chriſti confeſſore, per virtu-
tis ornamenta pulchro, paupertatis Euangelicæ amantiſſimo, diuini honoris zelò
ſemper inflammato, Regulæ monaſticę obſeruantiſſimo, conuerſioniſque indigena- C
rum, quorum quater centum millia baptiſmali aqua lauit, appetentiſſimo verè dici
poſſunt. E duodecim ille vltimus mortuus eſt. Scripſit libros nonnullos, vt de mo-
ribus Indorum. Aduentus duodecim patrum, qui primi eas regiones deuenerunt, &
de eorum rebus geſtis. Doctrinam Chriſtianam Mexicano idiomate. Alios item
tractatus ſpiritualium materiarum, & deuotionis plenarum qui maximo in pre-
tio apud Indos fideles habentur, paſſim lectitantur, ex illiſque maximum fructum
ſpiritualem ſibi hauriunt ac depromunt, etiam edidit.

De P. F. Garſia de Cineros.

SEptimus 12. fuit frater Garſias de Ciſneros ex Prouincia ſancti Gabrielis, vir pru-
dens, valdeque in rebus ſuis circumſpectus, obſeruantięque profeſſionis ſuæ cupi-
diſſimus. Vnde cùm Cuſtodia ſancti Euangelij in generali Capitulo anno 1535. Niciæ D
celebrato in Prouinciam erigeretur, Capitulumque & in noua Hiſpania celebrare-
tur, relinquente munus ſuum venerabili patre, æternaque memoria ob virtutem di-
gno fratre Iacobo de Teſtera, qui quartus & vltimus Cuſtos cùm fuiſſet, illarum po-
ſtea regionum tertius generalis Commiſſarius fuit, vnanimi omnium patrum voca-
lium conſenſu primus extitit ob ſingularem probitatem, & merita eius Prouinciæ Mi
niſter frater Garſias, cùm illa vndecim annos ſub quatuor Cuſtodibus Cuſtodia per-
manſiſſet. Hoc ille munus ſumma integritate, prudentia, omniumque approbatione
adminiſtrauit. Laborabat maximè in annunciando Dei verbo Indis; quibus ne quid
eo abſente deeſſet, pleraſque eis Mexicano idiomate abs ſe conſcriptas conciones re-
linquebat, quas illorum peritiores Dominicis & feſtis diebus cæteris in eccleſia con-
gregatis perlegerent: eæque in magno etiam num hodie apud illos pretio habentur. E
Inſtituit collegium ſancti Iacobi de Tlatibulco in gratiam maximè prę̨ſtantiſſimi he
rois Antonij à Mendoza primi nouæ Hiſpaniæ Proregis, & reuerendiſſimi patris fra-
tris Ioannis de Zumarraga primi Mexicanorum Archiepiſcopi; inque eos Lectores do-
ctos, & ſanctos viros fratrē Arnaldū de Baſſacio, fratrē Bernardinū de Sahagun, fratrē
Andreā de Olmos, & fratrē Ioannē de Gaona. Collegio, S. Crucis nomē impoſuit: & in
eo Indorum liberi Mexicanam regionem habitantium legere & ſcribere docentur, po-
ſteaque in Latinis literis erudiuntur. Prouinciam viſitans præcipuarum habitationum
pueros colligebat, vt in collegio tamquam in ſeminario inſtituerentur circa fidem
ijs, quæ tradere poſtea alijs poſſent. Prouincialis adhuc repetere Hiſpaniam vole-
bat,

A bat, vt Imperatorem Carolum ſuosque ſuperiores multis de laboribus, afflictionibusque, quę noua illa Eccleſia patiebatur, certiores redderet: cumq́ profectionem pararet, mortuus eſt, crediq́ue piè poteſt ad fruendum Deo receptum in cælum eſſe: quẽadmodum eius labores, ac vita merebantur. Eius oſſa in Mexicano ſeraphici patris noſtris Franciſci conuentu honeſto quodam loco condita ſunt.

Vita P.F. Franciſci Ximenij.

DECIMVS ex duodecim fuit præſtantiſſimus hic vir pater frater Franciſcus Ximenius ex Prouincia diui Gabrielis, vbi habitum ſuſcepit, & vota Religionis ſeraphicæ emiſit. In iure Pōtificio excercitatiſſimus, ac perquàm doctus erat; ſinceritatis autem ac puritatis eximiæ; ob nimiam manſuetudinem, ac affabilitatem Deo, & hominibus dilectus; profeſſionis verò ſuæ zelantiſſimus, ac obſeruantiſſimus. Tantę autem fuit humilitatis, vt minimè in Hiſpania ad ſacros ordines promoueri voluerit, B quouſque in Hiſpaniam nouam profecturus, ob inopiam eorum, qui ſacramenta Eccleſiæ à Chriſto Saluatore noſtro inſtituta miniſtrare quirent, ibi ſacerdotium ſuſcepit: primuſque omnium fuit, qui in nouo eo orbe nouam (vt aiunt) Miſſam cantauit. Inclytus ac pientiſſimus Germanorũ Imperator Carolus eius nominis V. ob maximũ amorem ac obſeruantiã quibus illũ proſequebatur Epiſcopatum ei Tauaſci tribuit; quem ille, ne fratris Minoris profeſſionem relinqueret, acceptare noluit: eòque factum eſt, vt Epiſcopatus ille Iucatani Epiſcopatui iungeretur. Tam à ſe ſemper alienus, vt ſocio indigeret, qui ad ſumendum cibum, & mutandam veſtem adhortaretur: tam extra ſe poſitus, vt memoria ſanè pollens, quandoque tamen, ſi ab eo quærerent, an cibum iam ſumpſiſſet, eius rei non recordaretur. Guardianus cùm eſſet in Quauhnauac, ægrotantemq́ue ſocium ſuum, vnum ſanè magnæ ſanctitatis fratrem C Michaëlem de las Garrouillas, Mexicum, vt medicinis adiuuaretur, equo deducebat: quieſentibus autem illis in itinere, equus aufugit, quem vt perquirerent, deq́ue eo interrogarent, nullus eorum, quo eſſet colore præditus, recordatus eſt: vſque adeò enim in vnum Deum curas eiecerant, vt nec earum rerum, quas contrectabant, reminiſcerentur. Vnus ille eorum fuit, qui Mexicanum idioma primi didicerunt, idq́ue optimè calluit, primuſque eius artem, dictionarium, aliaque valde præclara literis mandauit. De ſuperiorum iuſſu libros omnes ea lingua ſcriptos examinauit. Non Indis modò, ſed & Hiſpanis frequentiſſimè concionabatur, carus omnibus præſertim autem trium Mendicantium Ordinum religioſis, quibus cum aſſiduus erat. Indorum habitationes, atque oppida inuiſens imprimis templa oraturus ingrediebatur, deinde ægrotantium, aliorumq́ue eò conuenientium confeſſiones audiebat, hanc laboris ex itinere contracti requiem ſuſcipiens. Morbo tandem oppreſſus, cùm tam eſſet ægri-D tudine debilitatus, vix vt ſe poſſet in lectulo mouere, audiens afferri ſibi Chriſti corpus, magno ſpiritus feruore exiluit, quaſi nouas vires concepiſſet, ac ſolo genua defixit. Reddidit ille ſanctè animam Deo hoc in Mexicano ſancti Franciſci conuentu, vbi & ſepultus eſt. Poſt eius obitum fratres Lucas de Almodouar probus, & ſanctus vir, qui in eo conuentu ægrotantibus miniſtrabat, cùm eius ſanctitatem perſpectam haberet, digitum mortuo abſcidit, quem poſt annum, inſcius vbi, aut quomodo, amiſit, cùm eum in cuculla ſemper habitus deferret. Confeſſus poſtea eſt, cùm religioſus & veridicus eſſet, per integrum illum annum digitum eum non exaruiſſe, ſed ita, vt in viuente fuerat, permanſiſſe: ſolitumq́ue mirificum ex ſe odorem emittere. Ea ipſa die, qua Mexici diſceſſit, frater Daniel laicus in Truhpan Prouinciæ Xaliſci loco per ducenta viginti millia paſſuum à Mexico diſtante, quo cùm ſanctus vir fra-E ter Franciſcus ſpiritualem fraternitatem, vt plerique religioſorum ſolent, pepigerat, eius diſceſſum ſciuit, eademq́ue cuidam, qui aderat, religioſo dixit. Placuit omnipotenti Deo fratrem Franciſcum Ximenium ad ſe vocare. Credi piè poteſt ipſum patrem Franciſcum propter pactam inter eos fraternitatem eidem de Dei voluntate apparuiſſe. Scripſit ſingulari diligentia vitam beati patris fratris Martini de Valentia anno ab illius morte tertio, quæ quorundam incuria amiſſa eſt, vno tantummodo quaternione reperto, è quo quæpiam illorum, quæ inferius præſcribuntur, de ſumpta ſunt. Ex illoque colligitur quanto animi affectu illum proſequutus fuerit.

Vita P.F. Ioannis de ſancto Franciſco. A

ZELANTISSIMVS hic vir natus eſt in oppidulo Veas Regni Murciæ, cũque literis Salmanticę vacaret, habitum ibi in ſancti Franciſci conuẽtu ſuſcepit: peractoq; ibi ſtudiorũ curſu, ſalutis animarum zelo in hanc ſancti Euangelij Prouinciam ſe contulit. Vir fuit in contemplatione & precibus aſſiduus: maximèque in excolenda Dei vinea ſedulus: toto enim die in ea laborabat propter credentium multitudinem, & miniſtrorum paucitatem: noctu verò ad contemplationem ſe recipiebat, illa iterans Prophetæ verba: *In die mandauit Dominus miſericordiam ſuam, & nocte canticum eius*. Quo factum eſt, vt tam in ſuſceptis laboribus, quàm in vitæ probitate inſignis haberetur: octauusque iſtius Prouinciæ, poſtquàm ſtrenuus, & doctus vir frater Ioannes de Gaona munus illud renuntiauit, Prouincialis eligeretur. Magna in eo ſynceritas fuit, vt nihil mali de quoquã, religioſo pręſertim, ſuſpicaretur: quo factũ eſt, vt B non omnibus omnino in Prouincialatu placuerit, cùm depręhenſos in criminibus quoſdã acriter puniuiſſet; quippe qui ſcelera, & peccata in Deum, veluti incognita ſibi mõſtra, & à natura ſua aliena mirum in modum abhorreret. Nunquam in cellula lumen habebat, idque ipſum ſuadebat reliquis, aſſerens multò melius in caligine illa, & noctis ſilentio poſſe hominem Deo frui. Immo Prouincialis ſtatuit, ne ab ea hora, qua poſt occiduum ſolem ad Angelicam ſalutationem dicendum inuitamur, cum eo quicquam ageretur, vſquequo ſequenti die ſacrum faceret; cùm Chriſti verba repeteret: *Sufficit diei malitia ſua*: & eo tempore quę ad eius munus ſpectabant, etſi tam pauca, tãq; leuia eſſent, vt quocũq; momẽto expediri poſſent, nõ curabat. Facto ſacro recipiebat ſe in cellulam, clauſiſq; foribus, & feneſtris, agendis Deo gratijs vacabat; reliquũ tempus muneris ſui rebus, & infidelium conuerſioni impendebat, nullam penitus laboris ſuſcipiens requiem. Electus eſt nouæ Gallecię Epiſcopus: ſed ob humilitatem tantum munus acceptare abnuit, minimè ſe idoneum eſſe aſſerens. C

Immenſo propemodùm deſiderio tenebatur Mexicanam linguam aſſequendi, quò annũtiare indigenis Chriſtianam religionem poſſet. cùmque id multis à Deo precibus ac lacrymis poſtularet, vacans nocte quadam in cellula meditationi, ingenti quodam ſplendore circumfuſus eſt, exclamauitq; admirabundus, dicẽs *Dominus illuminatio mea*: ſtatimque intellexit conceſſum ſibi eius linguæ donum. Sequenti igitur die magna cũ omnium admiratione concionari apud Indos ea lingua cœpit: eademque concionum librum perfectiſſimum, ac nonnullarum materiarum collationes compoſuit, teſtimonio futuras accepti à Deo beneficij. Qua ille re vberrimos in noua Hiſpania fructus collegit, indigenas ad fidem inſtruens, idololatriam euertens, Dęmoniorum templa D diruens, infinitum idolorum numerum confringens, immenſamque baptizans in diuerſis Prouincijs infidelium multitudinem.

Tantus erat vitæ eius in illis regionibus ſplendor, vt eum Diabolus interficere tentarit, ita Deo permittente, tum vt ipſe Dæmon pudefieret: tum etiam vt indigenæ in fide confirmarentur. In oppido igitur Teoacan, in quo pręcipuè idola colebantur, & ingens ipſorum erat multitudo, cùm, fidem prædicans, verſaretur, ſolemne Deo ſacrificium, euerſis illis, offerre voluit. Conuocatis igitur in ſancti Petri & Pauli feſtum circumuicinæ regionis accolis celebri concione cæcitatem, in qua verſabantur, Diabolique dolos expoſuit: finita autem concione, Chriſtianos pueros à ſe in fide inſtructos iuſſit, vt ea idola, ob id ipſum à ſe in ordinẽ diſpoſita, confringerent, & diſſiparent. Id illi pręſtiterunt: ipſe verò proprijs manibus primum, & præcipuum idolorum omnium E demolitus eſt; ea Pſalmiſtæ verba iterans: *Simulachra gentium argentum, & aurum: oculos habent, & non vident: aures habent, & non audiunt*: Cumque ad os perueniebat, illud cõfringens aiebat, *os habent, & non loquuntur*: idque ipſum in reliquis eius partibus faciebat, quouſque confringeret totum. Dignum autem admiratione fuit, in immenſa infidelium multitudine ſpectaculum aſpicientium neminem ei contradixiſſe. Verùm Diabolus contumeliæ impatiens, eadem die ſexaginta millibus paſſuum ab eo loco, Indo cuidam infideli Theoacanẽſi, qui ſpectatulo non interfuerat, ita confractus, ac lęſus apparuit eadem, qua colebatur, effigie, *perſpice* (inquiens Dæmon) *vt ab eo Chriſtiano ſacerdote tractatus ſum, qui Theoacani verſatur: quare, ſi me colis, vlciſcere hanc*

A *hanc contumeliam*. Reſpondenti Indo paratum eſſe ſe, ſed Magiſtratus, & populum vereri, quippe qui diligenter ſacerdotem illum cuſtodiebant: pergeret modò imperauit, ſe ei auxilio futurum, quo euadere poſſet. Modum igitur eum occidendi præſcribens ait. *Accepto valido ligno in certo quodam monaſterij loco te abſconde, tranſeuntem percute, percuſſoque & interfecto, furtim diſcede.* Facta omnia ab Indo ſunt; latenſque vbi iuſſerat Diabolus, tranſeuntem patrem omni vi percuſſit, exiſtimans interfectum iri. Sed Deus, qui maioribus eum rebus cuſtodiebat, ab eo illum periculo liberauit, nullo prorſus accepto nocumento. Ad eius vocem ſocius accurrit, compræhenſuſq; Indus, & interrogatus rem omnem, vti ſe habebat, explicauit: agnoſcenſque Satanæ dolum, baptizatus eſt.

Inter pleroſq; alios baptizatus eſt ab hoc apoſtolico viro ſacerdos quidã idolorum B ex oppido Theoacani, cui in morbum Mexici lapſo patris, & matris eius effigie ſe Dæmonia obtulerunt aientes, ſe in regione quadam delitiarum omnium, omniumq; voluptatum refertiſſima diuerſari, ea propter eos comitaretur. Aſſentientem ad ſyluam proximam deduxerunt, ſe, vt ſuſpenderet, ſuadentes. Id cùm facere vellet, apparuit ei frater quidam eadem effigie, qua eſſe nouerat fratrem Ioannem à ſanto Franciſco, ipſum increpans, quòd celeriter adeò acceptæ doctrinæ oblitus eſſet, Dæmonibuſq; hoſtibus ſuis, falſa eum patris matriſq; ſpecie ſeducentibus, fidem adhibuiſſet. Emiſit clamorem Indus, inuocatoq; Dei nomine, Dæmonia aufugerunt: Cumq; ipſum fratrem Ioannem eum eſſe arbitraretur, qui apparuerat, Mexicum reuerſus, eum in itinere excepit, flexiſque genubus errati ab eo veniam poſtulabat, gratias agens, quòd ſe & à morte, & ab Inferis liberaſſet. Ipſe autem cùm quæ acta eſſent perciperet, Deo gratias C agebat, qui ad Euangelij propagationem ſub effigie ſua Angelum ad illum Indum eripiendum miſiſſet, quẽ, vt conſtãs in fide permaneret, nec Diabolo amplius crederet, diligenter admonuit.

Mulier quædam defunctum filiolum ad ſanctum virum magna cum fide, & deuotione attulit, vt benedictionem ei impertiret poſtulans: quod cùm feciſſet, ſtatim puerulus ſanus ac viuus ſurrexit. Cumq; poſtea eius parẽtes de accepto beneficio gratias agerent, magna humilitate reſpondebat, non ſuis id meritis, ſed ingenti matris fide effectum eſſe. In eodem Theoacani cõuẽtu, cùm poſt ſacri celebrationem in cellula orationi vacaret, ſe viſibiliter ei obtulerunt ſanctus pater Franciſcus, & S. Clara, valdeq; eum familiariter alloquuti ſunt, inquientes inter alia; *Indi, quam vos promiſiſtis, paupertatem, obedientiam, & humilitatem obſeruant.* Tot, tantaque in ſancti huius vita mi- D rabilia extiterunt, vt non minima ei iniuria inferatur, ſi compendio illa enumerentur. Quapropter ad eius diſceſſum tranſeamus.

Guardianus cùm eſſet in cõuentu de Quauhnaoac, per integrum annum diſceſſum ſuum præuidit: dixitq; fratri Roderico de Bienuenida ſocio ſuo diſceſſurum omnino ſe, priuſquàm Capitulum congregaretur: idq; ita euenit. Duobus enim ante menſibus in morbum incidit: cumque idem frater Rodericus eidem miniſtraret, frater (inquit) ne quicquam ad ſanitatem meam ſatagas, quæ enim mihi frater Antonius de Ciudad Rodrigo prædixit, euentura ſunt. Erat frater Antonius de Ciudad Rodrigo vnus ex 12. primis religioſis, mortuuſque ante biennium præcedenti ei nocte apparuerat, ipſumque, vt paratus eſſet, admonuerat, extremum enim morbum illum futurum eſſe: multaque ei alia dixerat, quorum fratri Roderico vnum ille tantummodò renuntia- E uit; Deum ſcilicet vehementer iratum eſſe ſcelera ob aliqua, quæ in noua Hiſpania patrarentur. Euenit hoc quadraginta fermè diebus ante eius diſceſſum; in quibus nihil aliud agebat, quàm ſe parare, ſolus cum ſolo Deo agẽs. Profectus igitur Mexicum eſt, omnibus vale dicto, quaſi certior non ſe eos amplius viſurum eſſe: quò perueniens, ſuſceptis diuinis ſacramentis, die quadam Veneris hora diei vndecima anni 1556. verba illa pronuntians: *In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum,* animam efflauit. Nocte verò media feminæ cuidam Hiſpanæ, cuius audire viuens peccata conſueuerat, apparuit; duodecimque horis in Purgatorio detentum, ad cælum iam ſe properare dixit. Poſt quintum quoque diem intimo ſocio ſuo fratri Roderico in lectulo quieſcenti, plena ſplendore cellula, ſe obtulit: acceptiſque eius manibus illum ad recte viden-

ctè viuendum adhortatus eſt, frater hic Rodericus de Bienuenida, magnæ vtique ſanctitatis homo, id ſæpius affirmabat, amictumque eius vt ſolem coruſcaſſe aiebat: qui quidem Rodericus in oppido Angelorum ſepultus eſt, vbi de eo (auſpice Deo) agetur. A

Vita F. F. Alfonſo de Scalona.

NATVS eſt frater Alphonſus in oppido Scalona iuxta Toletũ, parenteq; orbatus anno ætatis 18. in Prouincia Carthaginenſi Franciſcanum habitum ſuſcepit: vbi Philoſophiæ operam dans, poſt profeſſionem è ſuperiori clauſtro in medio atrio paxillis ludentes neſcio quos audiuit, eaque omnia iterantes, quæ facere in eo ludo homines conſueuerunt. Vnde timore perculſus facultatem in conuentũ alium migrandi poſtulauit, & aſſequutus eſt. Poſtea miſericordia commotus animarum ibi à Diabolo ſeductarum, nouam petijt Hiſpaniã, anno 1531. tribuſq; annis Tlaxcallæ commoratus, quo ibi tempore frater Ludouicus de Fuenſalida Guardianũ agebat, linguæ Mexicanæ operã dedit, memoriæq; beneficio, ac deſiderio, quo diſcendi eam ardebat, breui illã aſſequutus eſt tempore: concioneſq; eadem vtiliſſimas primus edidit; quæ Guatemalico idiomate verſæ ſunt. Congregauit in eadẽ ciuitate Tlaxcalla 600. fermè pueros, quos legere, ſcribere, canere, & Chriſtianam doctrinam edocuit: elapſis verò nõnullis annis, quibus probitatem eius religioſi planè nouerunt, pleraq; munera ab his impertita adminiſtrauit: nouitiorumq; Magiſter in conuentu Mexicano ſæpius conſtitutus pleroſq; habuit diſcipulos, qui magno Religioni commodo, ornamentoq; fuerũt. Guardianus quoque pleriſque in conuentibus, & aliquoties Diffinitor fuit. B

Anno 1554. cùm Guatemalam religioſos mittere neceſſum eſſet, ipſe ſe ad profectionem obtulit; deſignatuſq; nouem religioſorum Præfectus, eos ſingulari exemplo, magno tamen labore, cùm tercenta paſſuum millia nudis pedibus confeciſſet, illò deduxit; vbi cùm egregiã operã Fidei prędicationi nauaret, ad eius Prouincię, quę Inſulana nuncupatur, inſtitutionem, quam ipſe, & Franciſcani alij Obſeruantes de generalis Miniſtri fratris Andreæ Inſulani conſenſu ad perfectiorem Regulæ obſeruantiam erigere volebant, in ſanti Euangelij Prouinciam reuocatus eſt. Quò cùm primùm peruenit, nouæ illius Prouinciæ primus eſt ab omnibus prouincialis Miniſter electus: tametſi id ob ingentes difficultates ſubinde emergẽtes minimè ad finẽ perducere potuerit. Poſt aliquod tempus cùm nondum Guatemalæ Prouincia penitus eſſet in ordinem redacta, frater Franciſcus de Buſtamante, nouæ tunc Hiſpaniæ generalis Commiſſarius, eius commodorũ zelo fratrem Alphõſum cum duobus religioſis eò miſit. Accinxit ſe profectioni pijſſimus ſenex anno 1562. nudis pedibus, vt ſolebat, ſine tunica, galero, baculo, aut vlla alia commoditate aliarum rerum, quæ ab indigenis propter Deum prębebantur, iter conficiens. Cùmq; eius Prouinciæ lingua diuerſa ſit à Mexicana, quò eſſet omnibus vtilis, ætatis anno 72. eam didicit, Indorumq; peccata audiebat. Sex ibi annos commoratus, multaq; opera in propagatione fidei impenſa, ſancti Euangelij Prouinciam repetijt: tum quia Epiſcopus prohibebat, ne infidelium conuerſio à religioſis tractaretur: tum ob facultatem reuertendi à generali ſibi Miniſtro conceſſam, à religioſo autem viro fratre Didaco de Olarte generali nouæ Hiſpaniæ Commiſſario procuratam: In itinere, cùm ad locum aliquando perdifficilem & ſaxoſum perueniſſet, cõſpicatus eum quidam, admiratuſq; paupertatem, & conſtantiam ſenis; nunc, inquit, perſpicio, quod cogitatione vix poſſem aſſequi, vt tam difficile, & confragoſum iter ſenex vnus ſine galero, aut baculo conficiat. Ingreſſus eſt ſancti Euangelij Prouinciã anno 1568. cùm eaſdem omnes difficultates, laboreſq;, quos in profectione ſubierat, imò verò maiores ob quadrageſimæ tempus, & pluuiarum magnitudinem pertuliſſet. C D E

Celebrato paulò poſt in cõuentu Mexicano prouinciali Capitulo decimus quintus prouincialis Miniſter poſt fratris Michaëlis Nauarri trienniũ electus eſt: munuſq; id, tametſi prouecta admodũ ætate non valde adiuuaretur, magna Regula, ac Religionis obſeruantia adminiſtrauit. Prouinciã enim nudis pedibus viſitabat, paupertatem tam in victu, quàm in veſtitu mirificè colebat. Vinum nunquàm, niſi cùm Prouincialis eſſet, aut magnum aliquod iter conficeret, attingebat, idq; parciſſimè, & magnis ſociorum precibus adactus faciebat. Semel tantùm in die cibum ſumens, quo tempore reliqui fratres cœnabant, cella incluſus verberibus ſe crudeliter cædebat, quo afflictum corpus

A corpus,& laboribus fatigatum animo ſubijceret.Libros nō plures duobus, aut tribus habebat,eoſq; de rebus ſpiritualibus,& quotidianū precum volumen. Tunicam nunquam deferebat,vnico contentus habitu, eoque viliſſimo. Cùm quadam hyeme Prouinciam viſitaret, & per vallem de Tolua frigidiſſimam incedens ab Hiſpano quodā conſpectus eſſet; rem ille tam inuſitatam admiratus; Abrahami, inquit, tempore ob decem pios homines peperciſſet Deus Sodomæ & Gomorræ:ſed hodie (vt credo) propter ſanctum hunc religioſum orbi parcet vniuerſo. Nihili ſe haberi, & contemni cupiebat: eaq; propter feria ſemper quinta maioris hebdomadæ nudus ſuggeſtum conſcendebat,& ſe acriter verberans Indis prædicabat.Diebus omnibus ſacrum faciebat, idque etiam ſenex & morbo conflictatus,quo deuorare cibum impediebatur:niſi verò in itinere aliquo eſſet,vbi nulla ad eam rem commoditas inueniretur. Solitudinē ama

B bat,in ea ſcilicet Deo homines quietius frui ſciens.Surgebat ſemper ad matutinas preces, etiam ſi ex itinere aliquo defatigatus eſſet: ſi verò extra habitationem pernoctare contigiſſet,accenſo lumine eas nocte media recitabat. A choro, & cæteris locis, in quibus fratres de more conuenire conſueuerunt, nunquam aberat. Fuit in eo eximia patientia,humilitas,paupertas,pœnitentia, & mortificatio;ita vt religioſis ſui temporis virtutum exemplar eſſet. Iter faciens in ipſa ambulatione officium non recitabat, vt pleriq; faciunt:ſed ſedens,& quieſcens:iniquum eſſe dicens, vt cùm ad ſumendum cibum ſedeamus,non id ipſum faciamus ad preces recitandum. Totum penè Pſalteriū memoria tenebat,quem iter faciens didicerat,ne quādo à rebus optimis vacaret. Sōnum non procumbens totus in lecto capiebat:ſed ad ipſius angulum accliuis,lacera & vili culcitra ſuper tabulis ſtrata,ſuoque ſe palliolo cooperiens, quo ad id tantummo-

C do vtebatur.

Conuentum ciuitatis Angelorum inhabitante eo,Philoſophię operā ibi dabat religioſus quidam adoleſcens, qui afflictus maximè & eximio mœrore in animo concuſſus,cùm die quadam in choro veſpertinarum precum tempore eſſet, ſanctumq; hunc virum conſpexiſſet,intra ſe ſi vir (inquit) hic ſanctus (vt aiunt) eſt,quî fieri poteſt, vt mœrorem,& afflictionem meam non cognoſcat,meq; vocet,& conſoletur: quemadmodum ſanctus noſter pater Franciſcus,ſanctus Antonius, atque alij quamplures ſancti viri faciebant,qui abditas, & occultas fratrum tentationes cognoſcebant, eoſq; ad ſe vocatos conſolabantur?Vix preces abſolutæ erant, cùm eum ſanctus vir in cellam vocauit:frater (inquiens) quid habes?Quis te mœror occupat? Perſpice quæſo non futurum,vt euentus aliquis iuſtum contriſtet. Multiſq; alijs adhibitis verbis deuotione

D & ſanctitate plenis eum ſolatus eſt. Qui & liberatus ab afflictione fuit,& ſanctum ſenē, vt cogitationum ſuarum conſcium,mirum in modum reuerebatur. Prouincialis cùm Prouinciam viſitaret,& per in acceſſas Zacatlani montis rupes iter faceret,nihilq; ſecum ad mādu candum haberet,ſocium rogauit fratrem Ioannem nomine, an aliquid haberet,indigere enim ſe. Qui cùm nihil habere reſpondiſſet, quoniam ita iuſſiſſet ipſemet;adfuit illis ſubitò vir quidā,panemq; vnū & vas aquæ impertitus eſt, ſtatimq; euanuit,nec videri amplius potuit. Vnde coniectari poteſt Dei Angelū fuiſſe: idq; ipſum iterum ei euenit aſperum de Tlalmanalio,aut voraginis (vt vocant) montē tranſeunti.Aetatis anno 88. poſt 70. in diui Franciſci Inſtituto, 50.verò in noua Hiſpania prædicationi verbi, & Indorum ſaluti impēſos, die Sabbati, Martij decima,octauá noctis hora,anno 1584.Mexicano hoc in conuentu animam Deo reddidit.Demortui cor-

E pus pulchrius quàm viuentis fuit.Aſtantes religioſi capillos ei & vngues præciderūt: neque vllus fuit,qui non aliquid eorum, aut veſtium particulam habere vellet:quemadmodum & ab illis factum eſt, qui ex vniuerſa ciuitate infiniti propemodum ad eum tumulandum conuenêre. A capitulo vbi corpus aſſeruabatur, vſque ad templum humeris eum portauêre patres conuentuū diui Dominici,& diui Auguſtini Priores, alijque illarum Ordinum Magiſtri:cumque abſq; libitina tumulatum corpus eſſet,viſum omnibus eſt in lignea arca concluſum tumulare: quod & perfecerunt octaua noctis hora. Cumque illud effodiſſent,integrum & ſuauiſſimo odore reſperſum inuenerunt, quanquam in prima tumulatione ligneis eſſet in foſſa cylindris contuſum.Adfuerunt generalis nouæ Hiſpaniæ Commiſſarius,Prouinciæ Miniſter,Mexicanus Guardianus, ac plerique

ac plerique alij religioſi, qui manus & pedes eius ingenti deuotione oſculati ſunt, & A
ad mediam ibi noctem laudantes, ac benedicentes Deum in Sancto ſuo perſtitêre.

Vita patris fratris Ioannis Fucher.

PATER frater Fucher natione Gallus nouã Hiſpaniam ex Aquitaniæ Prouincia profectus eſt, Doctor prius Cęſareus, ſuſcepto habitu Theologiæ, in ſacris canonibus etiã ſingulari eruditione fuit. Pluſquam 40. annis, quos illis in regionibus expendidit, magnam omnino lucem earum eccleſijs attulit, in clandeſtinorum præſertim matrimoniorum negotio. Cùm enim eo tempore ante ſacri Concilij Tridentini promulgationem valida illa eſſent: infinituſq; Indorum numerus occultè ea contraheret, difficillimæque ſuper ea re dubitationes exorirentur: omnes ad eum è mille paſſuum millibus deferebantur. Nec circa hoc tantùm ſacramẽtum; ſed circa alia etiam conſulebatur ab omnium ordinum hominibus, quibus omnibus in ſcriptis reſpondebat, & aliquando integros ob eam rem tractatus edebat: qui paulò pòſt ſuperiorum noſtrorũ facultate in lucem proferentur. In omnibus conſultationibus in illa ciuitate habitis eius ſemper ſententia præſtantiſſima omnium fuit, vtpote iuris regulis, & rationibus ſuffulta. Vnde à diui Auguſtini religioſo dictum eſt: *Siquidem mortuus eſt Fucher, in tenebris vniuerſi verſabimur*. Religionis noſtrę obſeruantiſſimus fuit, vt tametſi occupatiſſimus eſſet iugi literarum ſtudio, inque tribus, quas dixi facultatibus immenſæ doctrinæ, nullum tamen alium in cella librum habebat præter corpus canonicum, cæteros, quibus indigeret, communi ex bibliotheca deſumens. Superioribus ſuis mirum in modum fuit obediens, humilitatemq; mirificè coluit, nec à chori miniſterijs vnquam ſe ſubduxit: quin ad matutinas preces cum alijs recitãdas conueniens, abſolutis ad tertiam vſque horam in choro permanebat. Mortuus eſt ſanctè hoc in Mexicano conuentu, vbi ſepultus eſt. Permulta, & perdocta ſcripſit opera: quorum pleraq; incuria amiſſa ſunt; reliqua diligentia & ſtudio collecta in lucem edentur. Sunt autem: De Iudice Eccleſiaſtico: De iuſta derelinquentiũ punitione: Manuale Prælatorum: De fratre ab Ordine reiecto, matrimonium contrahere volente: Expoſitiones diuerſorum diplomatum pro fratribus in Indijs commorãtibus conceſſorum, in euangelici miniſterij fauorem: De electionibus per ſcrutinium celebrandis conformiter ad Concilium Tridentinum: De immunitate eccleſiarum: Antidotus infirmorum, hoc eſt, quomodo ſint abſoluendi infirmi loquela priuati: De iuſti pretij æqualitate: De cognationis ſpiritualis tertia ſpecie: Itinerarium catholicum ad infideles conuertendos. Et plura alia opuſcula valde vtilia, quæ maximo in pretio illis in regionibus habetur, plurimique fiunt.

B (margin) C (margin)

Vita patris fratris Alphonſi de Molina. D

FRATER Alphonſus puer adhuc cùm parentibus nouam Hiſpaniam venit; cũque tenerę ætatis eſſet Mexicanam linguam didicit, & apud primos religioſos eò profectos interpretis munere functus eſt. Habitum autem, cùm primùm ei per ætatẽ licuit, ſuſcepit, creuitq; ſemper in virtutis, & Religionis operibus. Præcipuè autem in Mexicana lingua excelluit, in qua per 50. annos ſingulari elegantia, eximioq; lepore à Deo ipſi conceſſo magna cum omnium approbatione concionatus eſt. Fructus autem eius concionũ vberrimus in Indis reperitur. Scripſit quoq; pleraq; Mexicano idiomate valde vtilia, eiuſmodi ſunt: Ars linguæ Mexicanæ: Vocabularium eiuſdẽ linguę: Maior, & minor doctrina: Maius, & minus confeſſionariũ. Quę omnia typis excuſſa ſunt; hiſq; tum miniſtri Euangelicę doctrinæ, tum ipſi Indi mirificè adiuuantur: ac ſine vllo dubio ille vnus omnium maximũ regionibus illis quoad res iſtas lumen intulit: credique piè poteſt laborum nunc ſuorũ fructum illũ in cælo percipere. Illis enim maximã Regulæ obſeruantiã, inq; Indos, & eorũ defenſionem, ac diuinũ cultum propenſionem adiunxit. Mortuus eſt paratus omnino, propter longũ morbi tempus, quo afflictus fuit, & hoc in Mexicano conuẽtu à confratribus, nimiũ ob eius obitũ dolẽtibus, ſepultus eſt. E

Vita patris fratris Franciſci de Ledeſma.

HIC ex S. Gabrielis Prouincia profectus eſt, vir perfectus, & Regulę obſeruantiſſimus. In initio ſtatim nouitiorũ Magiſter Mexicano hoc in conuentu inſignes, & ſanctos diſcipulos extulit. Paucos aũt omnino annos ſuperſtes fuit, deq; eo illud efferri poteſt: *grata erat eius anima Deo, propterea ipſum ſuſtulit de medio iniquitatum.*

A *Vita patris fratris Iacobi de Teſtera.*

FRater Iacobus de Teſtera, natione Gallus, ex Prouincia Aquitaniæ, in diuinis lite-
ris eruditiſſimus fuit, religioniſq́; obſeruātiſſimus, ſuapte natura lætus, & iucun-
dus: eximij aūt feruoris in diuinis rebus, & animarū ſalute procurādis. Nouā Hiſpaniā
anno 1530. cū fratre Antonio de Ciudad Rodrigo venit, electuſq́; eſt quartus Prouin-
ciç S. Euāgelij Cuſtos anno 1533. Deferebat depicta in linteo fidei noſtrę myſteria, In-
dumq́; qui indigenis illa interpretaretur: quare & ſacrarū etiā hiſtoriarū repræſenta-
tionibus, quibus plurimùm vtebatur, maximā omnino vtilitatem Indis peperit. Anno
1531. primò Iucatanum profectus eſt, vbi multū profuit, eiuſq́; etiānum hodie memo-
ria perdurat. In Chanpoton nobiliorū liberos res fidei edocere cœperat, multùmq́; in
ea re cū ſocijs inſudarat, vt idolorū cultus expelleretur: Sed humani generis hoſtis ſan-
B ctum opus impedire conatus eſt, quorundā inſolentiū opera vſus, qui, quos in eccleſia
religioſi collegerāt, vt ijs vterentur, abducebāt. Eos frater Iacobus reprehendēs in cau
ſa fuit, vt inter eos diſſidia eiuſmodi naſcerentur, vt tandē indè diſceſſerit, & Mexicum
ſit reuerſus. Profectus quoq; eſt in Mechoacan Prouinciā: deditq́; operam, vt vniuerſa
à religioſis coleretur. Miſit Guatemalā fratrē Toribiū Motolinia, (de quo ſuprà) vt
erigeret cœnobia, in quibus indigenæ docerentur. Electus à patribus eſt in Prouinciç
Cuſtodem ad generale Capitulum Mantuç celebrandū anno 1541. Commiſſariuſq́; In-
diarum generalis factus, ita vt poſt mortē ei frater Martinus Sarmiento, qui cū eo ad
idē (vt ſuprà meminimus) Capitulum profectus fuerat, ſuccederet: multis, quos ſe cū
ex Hiſpania attulit, religioſis comitatus redijt. Maximè ille Indorū conuerſionē pro-
curauit; adq́; eā rē religioſos vbiq; eſſe voluit; paupertatis alioquin & orationis aman
C tiſſimus: vitā in venerabili ſenectute abſoluit, & Mexicano hoc in conuētu ſepultus ē.

De fratre Ioanne à Granata.

HIC in Granatēſi ciuitate Bæticæ tūc Prouinciæ natus, vir fuit perfectæ religionis
& virtutis, in paupertate excellēs. Secūdus gñalis Commiſſiarius nouæ Hiſpaniç
poſt venerabilē virū fratrē Alphonſum de Rozas, iterūq́; poſtea gñalis Commiſſarius
ſubſtitutus eſt pro doctiſſimo patre fratre Franciſco de Oſſuna: qui in gñali Capitulo
anno 1535. gñalis Commiſſarius Indiarū electus eſt, & grauiſſimis de cauſis exercere
munus illud non potuit. Viſitauit ſemper frater Ioānes Prouinciæ conuētus nudis pe-
dibus, vt ſemper aliàs incedere ſolebat, iter faciens, atq; ita ſanctè vitam finiuit. Sepul
tus eſt etiam hoc in conuentu Mexicano.

De fratre Antonio Maldonado.

D FRATER Antonius Maldonado Salmāticæ natus, cùm ex primogenitura ſeptē
millia & quingēta aureorū nummorū in redditibus haberet; filiāq́; nobiliſſimi cu-
iuſdā herois ſibi deſpondiſſet, ea occaſione habitū ſuſcepit; quòd cùm bellici prçlij ſpēs,
& ſimulacrū in ſponſaliorū celebratione ingenti ab eo apparatu editū fuiſſet, per to-
tā noctē non potuit quieſcere, identidē in mēte habēs illa verba: *ſic tranſit gloria mundi:*
quę quidē impulſio mētis vſq; adeò vehemēs fuit, vt ſe ſtatim Religioni mācipauerit,
Minoritico habitu eadē in vrbe ſuſcepto magna cū omniū admiratione & ſolatio. Poſt
profeſſionem arctioris vitę deſiderio in ſancti Gabrielis Prouinciā trāſijt: indeq́; nouā
petēs Hiſpaniā, maxima cū religione, paupertate, & ſui ipſis caſtigatione vixit: quibus
& probitate vitæ, tametſi natiuū idioma ignoraret, maximo tñ regionibus illis emolu-
mento fuit. Guardianus Mexicani conuētus cū eſſet, ipſemet ſacculū deferēs in hortos
E ad ea propter Deū poſtulāda pergebat, quę erāt ægrotātibus neceſſaria, admirāda ſa-
nè humilitate, & ſui, ac mūdi contēptu. Vnū tantūmodo & ſimplicē habitū deferebat,
diſceſſitq́; hoc in conuētu Mexicano ſumma ſanctitatis opinione, vbi & ſepultus eſt.

De fratre Antonio Sancti Ioannis.

FRATER S. Ioānis primus ſacerdos, & Archipresbyter fuit in loco de Cāpos. Di
ui Frāciſci habitū in Conceptionis Prouincia ſuſcepit: Vnde ſalutis animarū zelo
nouā Hiſpaniā tranſiuit: ac tametſi prouectæ ætatis eſſet, indigenarū nihilominus lin-
guā addiſcēs, magnos prorſus in Dei vinea labores exātlauit. Anno 1543. Guardianus
Tullenſis electus eſt; primuſq́; omniū regionis eius Indis ſanctiſſimū Chriſti corpus in
Euchariſtia præbuit: Vnde gratiſſima apud eos recordatione tum ob id memoria eius
celebratur,

celebratur,tum etiã quia Guardianus ſecundò exiſtẽs,anno 1550. de iuſſu fratris Toribij Motolinia prouincialis Miniſtri vnus omniũ duodecim primus fornicatã diui Ioſephi eccleſiã incœpit:quã anno 1554.abſoluit.Multũ quoque in Religionis rebus eius loci Indis commodauit: mortuus autem in Mexicano hoc conuentu ſepultus eſt. A

Fratris Ioannis Burnon vita, & mors.

HIC ex S.Gabrielis Prouincia,anno 1531.exiuit vir auſterus,& pœnitens interim, dũ ſanus fuit;in ſenectute enim varijs eſt ægritudinibus diuexatus. De eo ferebat ſolitũ viſibiliter ĩ Euchariſtiæ ſacramẽto Chriſtũ corporaliter cõſpicere:& diuã Mariã Magdalenã ſeſe ei ſæpius offerentẽ.Vita functus hoc in conuẽtu Mexicano ſepultus ẽ.

Fratris Lucæ de Almadobar vita.

HIC ex Prouincia Angelorũ laicus profeſſus eſt,admirabilis ægrotantiũ miniſter; quiq; eximia charitate permultis annis id munus hoc in conuentu Mexicano ſingulari Regulæ obſeruãtia exercuit.Habuit à numine curãdi morbos donũ,eoq; multos tum religioſos,tũ ſeculares homines ſanitati reſtituit.Inter cæteros ſtrenuus heros Antonius de Mendoza nouæ Hiſpaniæ Prorex à Medicis derelictus,ab eo eſt valetudini priſtinæ reſtitutus. Doctor aũt Alcaçar magni nominis in ciuitate Mexicana Medicus nullo alio Medico,quàm ſancto hocviro vti volebat.Quin & ex alijs Religionibus fratres ægrotãtes in conuẽtu ſe diui Frãciſci,quò ab eo curarẽtur,conferebãt:quemadmodum à Magiſtro fratre Alphonſo de vera Cruce factũ eſt in grauiſſima ægritudine, quã ita propulſauit,ac plerisq;alijs,quos enumerare longũ eſſet.Mortuus eſt frater Lucas Mexicano hoc in conuẽtu circa annũ 1550. Eius diſceſſus tẽpore in aëre ſuper domo,in qua ægrotantes curabantur, maxima quædã crux viſa eſt à pleriſq; qui cùm in conuentũ nuntiatũ id veniſſent; eo illũ momẽto tẽporis exhalaſſe aĩam compertũ eſt. B C

De fratre Ioanne Oſorio.

FRATER Ioãnes vir perquã nobilis in Oſoriorũ familia oppidi Occaniç Regni Toletani nouã Hiſpaniã in comitatu Antonij à Mendoza profectus eſt: à quo adhuc in ſæculo cõſtitutus ob morũ grauitatẽ,& vitç probitatẽ magni æſtimabatur.Occaſione quadã Hiſpaniã reuerſus,Mexicũ ſecũdò reuerſurꝰ, Hiſpali pleroſq; religioſos inuenit,qui à gñali Capitulo Mantuæ celebrato fratrẽ Iacobũ de Teſtera comitabant, & inter eos prçclaros patres fratrem Franciſcũ de Buſtamante,& fratrem Franciſcum Toral.Cũq; digniorẽ,& ſecuriorẽ ſecũ reputaret animarũ ſalutẽ, quã homines illi religioſi perquirebãt,quã perquiſitionẽ auri,& diuitiarũ,quibus tot laboribus inhiãt mortales,eos accedẽs precatus eſt,ſe vt in ſocietatẽ reciperẽt,qđ quidẽ ab ijs præſtitũ eſt laici habitu conceſſo;quia tametſi dignus eſſet qui ad chorũ admitteretur, adq; id ipſum illi eũ inuitarẽt,dimoueri tamẽ non potuit à mãcipando ſe Deo in humiliori illo religionis gradu.Comitatus eſt prẽs illos adhuc nouitius anno 1542. profeſſionẽq;hoc in conuẽtu emiſit,vbi per multos annos ſacriſtiæ curã geſſit,non ſingulari modò ſacrarũ rerũ cuſtodia,ſed mirifico etiam probitatis exẽplo,quo ad virtutẽ multi excitabãtur, cum in tanta humilitate perſpiciẽtes,quẽ diuitijs,paulò ante effluentem nouerãt.Afflictus maximopere eſt melãcolico humore,quo probabile eſt vſum Dçmonẽ fuiſſe ad eũ perturbandũ,atq; continuis precibus,religioſiſq; exercitationibus auertendũ: in quibus ei tam erat moleſtus,vt ſingulis fermè momẽtis ad deſperationẽ compelleret.Sed Deus,qui iuſtũ in tribulatione nõ derelinquit,nec tẽtari patitur vltrà quã ferri põt:tametſi has hoſtis moleſtias permittebat, ab illis tñ eũ incolumẽ ſeruabat. Senẽ ſe & defatigatũ cũ perſpiceret,quò animi quieti,& Dei fruitioni trãquillius vacare poſſet, à ſuperioribus, ſibi vt ſacriſtiæ procurationem auferrent, poſtulauit. Id cùm eſſet aſſequutus,ſoliq; Deo vacans, vita functus eſt,& hoc in conuentu tumulatus anno 1581. D E

De fratre Chriſtophoro Ruitio,

FRATER Chriſtophorus ex Conceptionis Prouincia anno 1538.cũ fratre Ioãne de Gaona,& alijs nouã Hiſpaniam venit.Nullũ Indorũ idioma calluit;ſemper eſt Mexicano hoc in conuẽtu moratus:ibiq; Guardianus,aliquoties Diffinitor fuit S.Euãgelij Prouinciæ. Perquàmcompoſitæ vitæ, magnæque probitatis vir erat. Orationi verò cumprimis deditus, de qua & librum ſcripſit, qui excuſſus typis circumfertur. Vitam in Domino ſanctam finiuit, & ſepultus hoc in loco eſt.

De

A *De patre fratre Marco de Nicia.*

PATER frater Marcus in Aquitaniæ Prouincia natus, & profeſſus, anno 1531. nouã Hiſpaniã profectus, in Hiſpaniola inſula remanſit, vt inde in Peruranã regionem paulò ante repertã tranſiret. Vbi cùm ea deeſſent, quę ad conuerſionẽ infidelium requirebantur, in S. Euangelij Prouinciam reuerſus eſt: indeq; nouas regiones verſus Copallã perquiſitũ tẽdit. Inde regreſſus in Capitulo in ea Prouincia celebrato tertius eſt Prouincialis Miniſter electus poſt F. Antonium de Ciudad Rodrigo; eoq; munere pręditus ſecundò eaſdẽ regiones cùm nonnullis religioſis viris petijt, quo tẽpore Frãciſcus Vazque Coronado Hiſpanorũ militum Imperator eò proficiſcebatur. Permẽſi ſunt longiſſimum terræ ſpatiũ, infinitosq; labores, quouſq; Cibolã, & Quiticam prouincias peruenirent, exantlauerunt, nec minoribus in reditu ſuperatis. Ex eo itinere B eiuſmodi illum ægritudo inuaſit, vt ad diſceſſum vſq; membris omnibus impeditus permanſerit. Erat in illo quidem eximius zelus animarum ſalutis, erat religio, erat doctrina. Mortuus tandem Mexici eſt, atque hoc in loco eius corpus conquieſcit.

De patre fratre Franciſco de las Naucas.

HIC ex Conceptionis Prouincia cũ ſex alijs religioſis ab Imperatrice Eliſabetha ac Hiſpaniæ Regina miſſis anno Dñi 1538. nouam Hiſpaniã venit. Primus omnium eos Indos, qui Popolocæ nuncupantur, anno Dñi 1540. diuino lauacro tinxit; quorum duobus menſibus pluſquam 12. millia baptizati ſunt. Anno Dñi 1578. cùm conuentus S. Iacobi de Iaticulco Guardianus eſſet, Mexici mortuus & ſepultus eſt.

De patre fratre Ioanne à Perpiniano.

HIC primus poſt 12. illos primos huius Prouinciæ fundatores ex Cathaloniæ cu C ſtodia illuc venit, vir apprimè doctus, & qui indigenarum linguam optimè calluit. Infinitum propemodùm illorum numerũ baptiſmo abluit: tanto enim zelo & ardore eorum ſalutis inflammatus erat, nunquam vt à labore in his muneribus vacaret: appellareturq; ab alijs religioſis Indorum martyr. Inſignis hic vir per aliquod tẽpus magnis omnino libidinis ſtimulis agitatus eſt: ſed precibus, & pœnitentia à Deo impetrauit, vt liberaretur; ac quemadmodum diuo Thomæ Aquinati euenerat, non eas amplius perturbationes ſentiret. Indi ob amorem, quo eos proſequebatur, mirificè illum diligebant, & ad funus demortui infiniti propemodũ accenſis cereis, ac multis cum fletibus, & eiulatibus accurrêre. Sepultus ille eſt Mexicano hoc in conuentu.

De patre fratre Iacobo ab Almonte.

PATER frater Iacobus ex diui Gabrielis Prouincia nouam Hiſpaniã cum his re- D ligioſis venit, qui ſecundò eò profecti ſunt. Vir erat eximię ſimplicitatis, perfectionis, orationis, paupertatis, & patientiæ amantiſſimus. Inuaſit eũ aſthmatica ægritudo ſanè permoleſta, quo factum eſt, vt nõ ex animo ſuo atq; pro deſiderij modulo vacare exercitationibus ſpiritualibus poſſet. Permoleſtũ ei erat ſiniſtrè de quoquã audire loqui: eosq;, qui traducebãtur, miris modis excuſabat, vel ſtatim ab his ſermonibus excedebat. Flagrabat ingenti quodã ſtrictioris vitę deſiderio. Vt primùm itaq; generalis Miniſtri F. Andreæ Inſulani Commiſſarius in Prouinciã venit, vt 12. religioſi ſelectæ probitatis recollectã quandam Prouinciam fundarent, ipſe ſe vnum eorum obtulit, quanquam & ſenex, & multis morbis afflictus eſſet: magnoq; labore cum reliquis vaſtas Prouincias peragrauit, locum Prouinciæ illi, quam Inſulanam appellabant, quęrens: tametſi ea ob difficultates obortas perfici non potuit. Regreſſi igitur in S. Euan- E gelij Prouinciam cùm eſſent, multorũ ille ibi conuentuum pręcipuorum Guardianus, & Diffinitor fuit, animumq; Deo reddens Mexicano hoc in conuentu ſepultus eſt.

De patre fratre Antonio de Nuete.

PATER frater Antonius in loco Nuete natus, Alphõſi Aluarez Carrillo nobilis viri filius, Salmanticæ iuuenis Iuri pontificio operã dedit, & Doctoratus gradũ ſuſcepit. Sed mundum propter Deum & trium aureorum numûm millium redditus annuos contemnẽs, diui Hieronymi, quẽ pręcipuè colebat, habitũ in Zamorenſi S. Marthæ cœnobio ſuſcepit, abdicatoq; humilitatis cauſa gentilicio nomine, de Nuete in poſterum dictus eſt. Poſt aliquot annos magno ibi probitatis exemplo tranſactos fama permotus ſingularis obſeruantiæ, qua Minores fratres Angelorum Prouinciæ in

monte Moriano florebãt, habita prius à ſuperioribus facultate, Franciſcanum ibi habitum ſuſcepit. Sed cùm maiora ſemper & perfectiora in Religione ſpectaret, quo tẽpore 12. illi apoſtolici viri in noua Hiſpania admirandis virtutũ monumentis S. Euangelij Prouinciam fundabant, eò ſecum venerabili viro F. Franciſco de Teſtera, anno Domini 1542. contulit. Indorum idioma ignorauit, atq; ita per 24. annos, quibus nouam Hiſpaniã incoluit, Mexicano hoc in conuẽtu ſemper moratus eſt, indefeſſus planè Hiſpanorum confeſſarius, ab omnibusq; propter demiſſionem animi, bonitatem, ſinceritatem mirum in modum dilectus. Quod ab operibus charitatis vacabat tempus, precibus impendebat: in quibus ita vehementer inflammabatur, totq; lacrymas effundebat, vt quem occupabat in choro locum irrigatum ſemper eis relinqueret. Colebat mirificè diuinum Doctorem Hieronymum, cuius ſolemni die & natus eſt, & eius habitũ ſuſcepit, & ex vita hac calamitoſa migrauit. Cùm enim nulla præceſſiſſet ęgritudo in diui Michaëlis Archangeli die finitis veſpertinis precibus in domum ſe infirmorum contulit, valetudinem tantiſper prætendens, poſtulatiſq; & acceptis ea nocte diuinis omnibus ſacramentis, ea ipſa hora animum exhalauit, qua diui Hieronymi Miſſa celebrabatur. Ea finita, cùm mors eius populo innotuiſſet, frequẽtes omnes conuenerunt, vt & viderent functum, & aliquid veſtium eius acciperent ob eximiam, quam de eius ſanctitate opinionem, conceperant, ſepultus eſt hoc in ipſo loco. A B

De patre fratre Alphonſo de Herrera.

PATER frater Alphonſus adoleſcens Salmanticæ ciuili Iuri ſtuduit: cumq; in eo valde profeciſſet, ſuſcepto Minorũ habitu in Prouincia S. Gabrielis in hanc ſe contulit S. Euãgelij Prouinciã. In initijs quidẽ valde commotus eſt, vt in Hiſpaniã reuerteretur, idq; ipſum ſuadere reliquis conabatur, non eſſe eius ingenij indigenas aſſeuerans, ex quibus poſſet fructus aliquis colligi. Sed cùm aliquãdo in cellula clauſus maximè iſtiuſmodi perturbatione conflictaretur, nouo quodam, & inſueto ſpiritu excitatus inde ſe proripuit, & ad ſuperiorem accedens ab eo poſtulauit, ſe vt prædicatum Indis mitteret: id enim & diuino cultui, Dei, & propriæ ſaluti conuenire aſſerens. Facultatem aſſequutus, ſtatimq; profectus non ea amplius perturbatione afflictus eſt: multumq; & diligenter in eo munere deſudauit: cùm indigenas non ſolum doceret; ſed vt parens, & patronus defenderet. Vir erat Religionis, & eius Regulæ amantiſſimus; quiq;, cùm operam ſuam tam Indis, quàm Hiſpanis gnauiter impenderet, ſincerè ab vtriſque diligeretur. Ob prudentiam autem, & doctrinam non apud illos omnes ſolùm: ſed in congregationibus, quæ religioſorum tunc omnium, & nouæ Hiſpaniæ Epiſcoporum fieri ſolebant, magni ſemper eius ſententia momenti habebatur. Sancti Euangelij Prouincię multorum conuentuũ Guardianus extitit, Commiſſariuſq; eiuſdẽ annis circiter duobus, religioſo patre fratre Martino de Valentia tunc Cuſtode exiſtente. Sancta planè ſenectute confectus obijt, & hoc in conuentu ſepultus eſt. C D

De patre fratre Ioanne de Gaona.

PATER frater Ioannes de Gaona ex Prouincia, & ciuitate Burgenſi, ſuſcepto in iuuentute Franciſcano habitu, emiſſaq; profeſſione, de ſuperiorũ facultate Lutetiã ſe ad Theologiã diſcendam contulit: vbi Præceptorem habuit famigeratiſſimum tunc tẽporis Doctorẽ à Cornibus nuncupatũ è Minorum Inſtituto: qui conſcendens cathedrã oculis in partes omneis coniectis, cum primùm F. Ioannẽ conſpicabatur, nihil reliquorũ abſentiam faciebat, inquiens: *Sufficit mihi vnus Gaona*: tantã de illius ingenio, probitateq; conceperat opinionẽ. Exiuit è gymnaſio excellenti eruditione præditus, ſingulari quadã Latinæ linguæ, Rhethoricæ facultatis, & Græci ſermonis cognitione imbutus, Concionator autẽ inſignis, & audientibus cùm primis acceptus: pręterq; alia celeberrimus Theologus: quodq; pluris æſtimari debet, probitate morũ & obſeruãtia Regulæ conſpicuus. E Lutetia Burgenſem Prouinciã regreſſus Theologiã ibi explicauit, indeq; Pincias miſſus eſt, vbi tunc Caroli V. aula erat, vt eandẽ illic tantæ doctrinę vir prælegeret. In eo munere occupatum, cùm ſereniſſima Imperatrix Eliſabetha, pręfati Imperatoris Caroli V. nomine eius Regnorũ in Hiſpania Gubernatrix religioſos homines perquireret dignos, qui nouã in Hiſpaniã mitterentur, acciuit, conſiderataq; probitate, doctrina, & integritate eius religioſis cum alijs eò miſit. Perpendens autem E

A ille Dei conſilio hoc euenire, cępit ſe ad longinquam, & perdifficilem illam profectionem parare: nouamq; Hiſpaniam, anno à partu Virgineo 1538. peruenit. Vt eam primùm ingreſſus eſt, Mexicanam linguam diſcere cœpit: quoq; id celerius, & exactius perficeret, per decem annos grauiorum omnium facultatum ſtudia intermiſit: eamq; melius, quàm quiſquam alius ſui temporis, calluit, ſcriptis in eadẽ ſpiritualibus dialogis, qui excuſſi circumferuntur, omniaq; idiomatis illius ſcripta ſuperant, cùm elegantia, & loquendi puritate excellant: res verò ipſæ authoris doctrinam, & eruditionem teſtantur. Latinè quoque nonnulla perquàm erudita compoſuit, vt Apologiam quandam aduerſus famigeratiſſimum quendam extraneum Theologũ, aliaq;, quæ ſunt temporis iniquitate abſumpta. Non efferebatur propterea ille ſuperbia, imò magis animo demittebatur: tametſi enim & Rhetoricam, & Philoſophiam, & Theo-
B logiam profiteretur, & Guardianus eſſet, primus tamen omnium ædes verrebat, cæteraq; omnia humilitatis exercitia perficiebat. Quod Xuchimilci maximè perſpectũ eſt, vbi & Guardianus, & Lector cùm eſſet, fabricareturq; eccleſia, ipſe terram humeris quæſitum, aſportãdumq; pergebat. Conſectabantur autem diſcipuli eius, & plebs vniuerſa. Corpus ſuum ieiunijs, vigilijs, orationibusq; affligebat, ſeipſum in cellula aſſiduè concludens. Zelo verò ſalutis animarum, pluſquàm dici poſſit, inflammabatur. Multorum conuentuum Guardianus extitit, ipſeq; eum, qui de Tlalneplantla nuncupatur, in quo modò loco ſitus eſt, conſtituit. Anno etiam Dominicæ incarnationis 1557. poſt venerabilem patrem Toribium Motolinia ſeptimus prouincialis Miniſter extitit electus, quanquam magnopere id, minimè ſe eſſe dignum, atq; infimum prædicans, recuſarit: ſed inuitus acceptans, poſt annũ elapſum ſub amiſſi luminis prę-
C textu ſe abdicauit. Bonorum operum plenus obijt, & hoc in monaſterio ſepultus eſt.

De patre fratre Iacobo de la Penna.

HIC ex Prouincia diui Gabrielis nouam Hiſpaniã cum fratre Ludouico de Fuẽſalida profectus eſt, quo ille tempore, qui vnus de duodecim primis erat, ex Hiſpania reuertebatur. Illo autem in inſula ſancti Germani vita functo, iter ſuum abſoluit. Puer cùm eſſet in fontem cecidit admodum profundum, perq; magnum interuallum ſub aqua delituit: vnde ereptus, proq; mortuo habitus, cùm ſepulturæ mandandus eſſet, viuus, ac vllo abſq; nocumento ſe erexit: ſeruabat enim eum Deus, vt illo in ſeraphici patris Franciſci Religione vteretur: quemadmodum paulò pòſt apparuit. Vir enim euaſit in omni ſanctitate perfectiſſimus, Regulæ obſeruantiſſimus, paupertatiſq;, & cæterarum virtutum amantiſſimus. Vno ſolùm habitu vtebatur, nudis
D interim ſemper pedibus iter faciens. Indorum idioma didicit, ijſq; vacabat concionando, confeſſiones audiendo, cæteraq; ardenti ſpiritu præſtando. Vnus eorum fuit, qui Inſulanæ Prouinciæ, de qua ſupra dictum eſt, reformationem ſatagebant, & ad eam rem Guardianatu ſe Tepepulci abdicauit. Mortuus, & ſepultus eſt Mexicano hoc in conuentu. Religioſus quidam vir frater Michaël à Beneuento ſingularis eius, atque familiaris amicus in ſanctæ Eliſabethæ eremitorio, tribus paſſuum millibus à Mexico diſtante, morabatur; octauaq; noctis hora, qua tãtus hic vir diſceſſit è lectulo, in quo quieſcebat, in tellurem excuſſus eſt: ac diuina voluntate è viuis fratrem Iacobum ſibi amicum diſceſſiſſe intellexit, multiſq; lacrymis & illius diſceſſum, & propriam ſolitudinem deplorauit.

De patre fratre Franciſco Legionenſi.

E PATER frater Franciſcus primus fuit cathedralis eccleſiæ Tlaxcallenſis, quæ in Angelorum ciuitate ſedem habet, Archidiaconus. Ferunt illum votum olim Religionis emiſiſſe, vtq; Deo, quod promiſerat, adimpleret, in prouinciali Capitulo in conuentu de Nuexotzinco celebrato habitum poſtulauit. Acceptis omnium vocaliũ, qui intererant, ſententijs, cùm rationem haberent maximorum fructuum, qui ex virtute eius in clericali habitu colligebantur, cùm non niſi miſericordiæ operibus vacaret, & ſanctitatis ſpeculum eſſet, ſtatuerũt, ne reciperetur, ad tempus ſaltem, quouſq; nimirum in eccleſiam illam Epiſcopus aduẽtaret, vacabat enim ſedes. Ingreſſo igitur Epiſcopo, perſeuerans ille in poſtulatione receptus tãdem eſt magno omnium ſolatio. Cumq; antea vir eſſet exploratæ probitatis, maximè poſtea excelluit in omni genere

virtutum. Morbo oppreſſus cùm exhalare animam vellet, rogatus à nonnullis religioſis, an pauculas res, quas ad vſum ſuum habebat, in Prælati manibus reſignaſſet, conuerſo ad eos vultu admirabundus, interioriq; lætitia repletus, ego, inquit, ob quam rem Deo meo gratias ago, nihil habeo, quod relinquam, præter animum iſtum in eius manibus. Mortuus eſt ſanctè, & Mexicano hoc in conuentu tumulatus. A

De patre fratre Alphonſo de Rozas.

PATER frater Alphonſus ex Prouincia Caſtellæ, ob eximiam prudentiam, & religionem primus generalis Commiſſarius totius nouæ Hiſpaniæ electus, eā anno Dominicæ incarnationis 1531. ingreſſus eſt: cumq; ibi religioſorum illius temporis obſeruantiam, & virtutem perſpexiſſet, abdicans ſe munere, ibi ſubſtitit, magnaq; cum ſanctimonia vitæ, & pœnitentiæ fructu vitam egit. Verùm aduerſarius noſter, qui ſemper tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, maximis eum tentationibus, vt pleroſq; alios, inuaſit, vt ea regione abſcederet. Cui ille ſuccumbēs Hiſpaniam reuerſus eſt. Ibi quoties orationi vacabat, veluti oculis obuerſabatur ei in cruce pendens Chriſtus, eumq; rogabat, cur in ea ipſum reliquiſset, ſuaq; ſolatia quærens, Hiſpaniam reuerſus eſſet. Perpendens igitur diuinum afflatum illum eſſe, rurſus ſe in nouam contulit Hiſpaniam; ibiq; in Mechoacan & Xaliſco, priuſquam Prouincia eſſet, bis Cuſtos fuit, plenuſq; dierum, & bonorum operum anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo hoc in Mexicano conuentu mortuus, & ſepultus eſt. B

De patre fratre Alphonſo Ordonnez.

PATER frater Alphonſus, Numantiæ natus, habitum in conuentu ſancti Franciſci de Monte, quindecim paſſuū millibus à Corduba ſito, Prouinciæ Bæticæ ſuſcepit, & in Prouinciam ſancti Euangelij, anno Dominicæ incarnationis 1538. profectus eſt. Duo idiomata Mexicanum ſcilicet, & Otomicum didicit, & vtroque concionatus eſt. Maxima abſtinentia, & auſteritate vixit: ſemel enim in die, & parcè cibum ſumebat: nec attingit vinum, quouſq; extrema ſenecta, vrgentibus fratribus, & ſuperiore, paululum ſumere cœpit. Sed quamquam ita in ſe eſſet aſper, & ſeuerus, alios tamen eximia charitate, & beneuolentia tractabat: cùm & per quā affabilis eſſet, & ſpirituali ſemper lætitia exultaret, videbatur in cælis conuerſari, tam à ſe ſemper alienus, & in Deo defixus erat: manifeſtè in ſe oſtendens Regulæ obſeruantiā, obediēdi promptitudinem, paupertatis amorem, humilitatis magnitudinem, zelum denique ſalutis animarum, deuotionemq; in quotidianis precibus recitandis, Miſſis faciendis, & diuinarum rerum contemplatione. Singulis noctibus hora vndecima matutinas preces ſolus recitabat; eaſdemq; rurſus paulò poſt cum cæteris dicebat. Dæmon ei varijs perturbationibus admodum moleſtus fuit, à quibus tamen orationum, & pœnitentiæ vi liberatus eſt. Dum vacaret orationi multa à Deo beneficia accepit, quæ tamen ſedulò occubuit. Studebat interdiu iugiter aut in bibliotheca, aut in cellula, lectioni orationē coniungens: vt alter enim diuus Bonauentura quicquid intellectu ſpeculabatur, affectione & deuotione excoquebat. Noctu nunquam in cella lumen habuit, quicquid enim à ſomno, quo parciſſimus erat, reſtabat, id orationi impendebat. Honeſtatis præcipuam curam habuit: in Prouincia Guardianus ſæpè fuit, & ab omnibus maximopere eſt amatus. In oppido Nextlalpa iuxta Tullam adducta ad eum eſt Inda quædam Otomica, vt benedictionem acciperet, quoniam à Diabolo vexaretur. Compulſa igitur vi in eccleſiam ſanctus ſenex ob nimiam animi demiſſionem ſe ab impartienda benedictione excuſabat, ſociumq; rogans, vt ipſe ei benediceret: tādem, illo recuſante, quod poſtulabatur, effecit: ſtatimq; illa contremiſcere vehementer cum omnium admiratione cœpit: iuſſaq; ab illo cruce ſe ſignare, libera omnino euaſit. Cùm graui correptus morbo ex conuentu Tullenſi Mexicum deductus eſſet, inuiſentem ſe conuentus Vicarium precatus eſt, ſe vt per dies ſeptem Deo commendaret, illiſq; elapſis, & ſuſceptis omnibus ſacramētis, virtutum & bonorum operum plenus ad Dominum migrauit anno Dominicæ incarnationis 1584. & Mexicano hoc in conuentu ſepultus eſt. Quàmplures alij religioſi valde inſignes hoc in eodem conuentu ſepulti ſunt, qui hîc breuitatis cauſa omittuntur.

(Margin letters C, D, E beside the above passage.)

Cæterùm quæ ſequuntur ſacroſanctæ reliquiæ, Mexicano hoc in conuentu religio-

A ſius aſſeruantur: nempe quædam oſſa ſanctorum Chriſtophori martyris, Martini Epiſcopi, vnus ex pueris innocentibus, Zenonis martyris, Alexandri itidem martyris, ac filij S. Felicitatis, aliquorum etiam martyrum ex legione Thebæorum, Pancratij martyris, & ſanctarum aliquot martyrum ex vndecim millibus virginũ, atq; S. Anaſtaſiæ virginis itidem & martyris: particula veſtis S. Sebaſtiani martyris, & pars veli S. Luciȩ virginis & martyris. Quæ quidem omnes reliquiæ authenticis teſtimonijs veræ comprobantur, præter quas & ſequentes, tametſi ea non habent teſtimonia, veræ planè ſunt, videlicet particula Dominicæ crucis, pars maxillæ Apoſtoli Barnabæ, alter ex dentibus S. Laurentij martyris, os, & tuniculæ pars S. Ludouici Epiſcopi, aliquot oſſa ſociorum beati patris Franciſci, lapillus Dominico ex præſepio deſumptus, ſegmentũ eius terræ, cui Dominica crux defixa extitit, Dominici ſepulcri particula, atque terræ glebula è loco, vbi erat Chriſtus, cùm à Petro Apoſtolo negaretur. Sunt præfatas prȩter reliquias pleræq; aliæ ſibi adiunctæ, quæ tamen breuitatis cauſa omittuntur. In huius denique conuentus atrio celebre ſancti Ioſephi ſacellum ædificatum eſt, in quo Indis Dei verbum annunciatur, & ſacroſancta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ adminiſtrantur ſacramenta, ſelectis ad eam rẽ Franciſcanis religioſis eorum linguæ peritis.

B

De conuentu S. Iacobi Tlatilulci. Conu. II.

MILLE à Mexicano conuentu paſſibus alter Minorum conuentus, ſub diui Iacobi nomine, in pergrandi Indorum oppido Tlatilulco nuncupato reperitur. In eo ſex ſunt religioſi, inq; his duo Concionatores. Huic conuẽtui contiguè ædificatum eſt ſanctæ Crucis collegium, in quo Indorum liberi legere, ſcribere, & Grammaticam edocentur: cuius cura religioſo cuidam demandata eſt, Rex verò eſt patronus. Adſunt collegio redditus ad ſoluendum magiſtris, cæteriſq; miniſtris: non tamen quicquam propter huiuſmodi adminiſtrationem, & labores religioſi vnquam accepêre. Frater Ioãnes de Ribas teſtimonium perhibuit fuiſſe in hoc oppido Indam, fratri Andreæ Franciſcano ex Burgenſi Prouincia confiteri ſolitam, quæ cùm pro demortuo ieiunia ſæpè, & preces Deo offerret, poſt dies aliquot nocte quadam plenam ſplendoris domum vidit, per tectum ipſum ingredientis, ipſiuſq; fratris Andreæ vocem audiuit, gratiaſq; pro his officijs habentis, admonentiſq; vt ab ijs ceſſaret, ad illud enim momentum ſe his indiguiſſe, atq; ita euanuit. Frater Hieronymus de Mendieta teſtatur veniſſe ad ſe in eodem conuentu de Tlatilulco Indum eius oppidi nomine Petrũ, omnino afflictum, & conſternatum, quòd demortuis vxore & liberis, filiæ virginis, quæ inter eos functa erat, anima ei vbicunque eſſet, ſiue domi, ſiue in eccleſia noctu, diuq; aſſiſteret. Et quidem ſe nihil videre, audire, tamen eius vocem aiebat veluti conquerentis, & in afflictione quapiam laborantis. Cumq; frater Hieronymus Diaboli fraudem ſuſpicãs eum rogaſſet, an elapſa Quadrageſima confeſſus fuiſſet, Chriſtianam doctrinam ſciret, & Romanæ fidei firmiter adhæreret: ea omnia in ſe eſſe reſpondit, proſtratuſq; ante Chriſti crucifixi imaginem multis lacrymis pleraſq; preces recitauit: rogatuſq; de filia reſpondit eam paucis ante mortis diebus confeſſam, Chriſti corpus ſuſcepiſſe, proq; integra ſemper virgine cuſtoditam. Hæc audiens frater Hieronymus religioſis conuentus iniunxit, pro ea vt Deum precarentur. Quo illi die Miſſam celebrarunt, poſt prandium ad monaſterium Indus venit: horamq; ſignificauit, qua ad eum loqui filia deſtitiſſet, ſicq; à vocibus, quæ eum nimiũ affligebant liber, euaſit.

C

D

E

De conuentu S. Gabrielis Tlacubæ. Conu. III.

TRIBVS paſſuum millibus à Mexico Occidentem verſus aliud Minorum monaſterium eſt S. Gabrielis nomine: vbi religioſi quinque, & eorum duo Concionatores ſunt, qui fideliter Indis verbũ Dei proponunt, & ſacramenta deuotè miniſtrant.

De conuentu Corporis Chriſti Tlalnepantlæ. Conu. IIII.

DVABVS à Mexico leucis inter Aquilonem & Occidentem in Indorum oppido nomiue Tlalnepantla monaſterium eſt nomine Corporis Chriſti: in quo religioſi 4. & eorum duo concionatores cũ maximo Indorum profectu commorantur.

De conuentu S. Chriſtophori Ecatepecij. *Conu. V.* A

TRIBVS à Mexico leucis Aquilonem verſus in Indorum oppido, cui nomen Ecatepec, conuentus alius eſt nomine ſancti Chriſtophori: in quo religioſi quatuor ſunt, quorum alter eſt officio Concionator, qui accolis verbum Dei proponit.

De conuentu S. Bernardini Xuchmilci. *Conu. VI.*

XVCHMILCVM ciuitas quędam Indorum eſt inter Orientem, & Meridiem leucis quatuor à Mexico diſtans: in qua conuētus alius à viginti fratribus, quorum maior pars Grammaticæ dat operam inhabitatus, nomine ſancti Bernardini ędificatus eſt. In hoc conuentu os quoddam è brachio S. Sebaſtiani reperitur è Roma à quodam Mexicano, nomine Hieronymo Vido, allatum. Anno Domini milleſimo B quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto ſæuiente peſtilentia, quæ ingentem multitudinem indigenarum ſuſtulit, hāc iuxta ciuitatem cymbulam in palude agenti Indo, qui Michaël de ſancto Hieronymo appellabatur, mulier quædam Inda in littore apparuit, perpulchra illa quidem, & veſtibus optimis ornata: ipſumq; familiariter alloquuta vehementer ſolata eſt: iuſſitq; Guardianum conuenire, eiq; nunciare, populum admoneret, vt reſipiſceret à ſceleribus, quibus miſerrimè contaminaretur, vt tādem placatus Deus vniuerſum minimè populum conſumeret contagioſo morbo. Idq; ille ſemel atque iterum iuxta mandatum fecit planè, vt non mentiri reperiretur. In hoc etiam conuentu fratri Iacobo de Sande ægrotum Indum, vt eius peccata audiret, attulerunt: qui cùm adducentes reprehenderet, quòd non prius attuliſſent hominem penè mortuum, ſubiunxit Indus, ne turbare pater, tantùm mihi aurem præbe. Ego C quidem non prius ad te adductus ſum, quia ipſe nolebam, tametſi me propinqui ad confitendum vehementer hortarentur. Sed hac nocte, qua hora ad matutinas preces ſignum edebatur, cùm ob ægritudinem vigilarem, magnus domum meam ſplendor de cælo ingreſſus eſt: Chriſtumq; vidi cruci affixum, quemadmodum pingi ſolet, magna ad me iracundia inquientem. *Quid peccator ceſſas, nec ad confitendum pergis? Scito igitur te hodie eſſe moriturum, & quanquam condemnari ob ſcelera tua debebas, miſericordia tamen mea ſeruabere, dummodo ſtatim confiteare.* Audiuit igitur eum religioſus, eademq; illa die defunctus eſt. Inda etiam quædam adoleſcens nondum marito copulata, in Dominicæ natiuitatis vigilia, anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto ad fratrem Hieronymum de Mendieta hoc in eodem conuentu Guardianum valde afflicta venit, eumq; precata eſt, ſe vt audiret, velle enim confiteri. Cumq; ipſe D recordaretur fuiſſe eam pridie eius diei confeſſam, qui id fieret, rogauit. Ita ſe, vt ille ſuſpicabatur, rem illa habere reſpondit, eueniſſeq; ſibi, vt, cùm eo mane ſuſceptura Euchariſtiam eſſet, ingreſſa noctu partem quandam domus, veſteſq; nonnullas tollens, Crucifixi imaginem inter eas collocatam, minimè recordata, deturbauerit, confregeritq;: atque eo momento viſam ſibi vniuerſam domum contremiſcere, auditamque aientis vocem: *O te miſeram verum ne eſt, vt ſuſceptura me craſtino mane ſis, nec peccata tua fueris confeſſa?* Pater eam Mendieta conſolatus eſt, adhortatuſq; vt generaliter confiteretur. Quod & illa quamdiligentiſſimè, humillimeq; præſtitit.

De conuentu Aſſumptionis B. Virginis Milpæ. *Conu. VII.*

IN oppido Milpa, Xuchimilco quo ad temporalia ſubiecto, conuētus Minorum eſt E Aſſumptionis beatæ Virginis nomine: in quo tres ſacerdotes, & eorum duo Concionatores commorantur. Eius accolis verbū ſalutis cum ingenti fructu de ſuggeſtu proponunt. Diſtat Milpa oppidum à Xuchimilco Meridiē verſus ſex paſſuū millibus.

De conuentu S. Antonij Tecomicij. *Conu. VIII.*

OPPIDVM eſt, Xuchimilco quoq; in tēporalibus ſubiectum, inter Meridiem, & Orientem nomine Tecomicium, in quo præſens conuentus à duobus tantùm religioſiſſimis fratribus incultus, & inhabitatus ſub inuocatione beati patris Antonij de Padua conſtructus eſt. Hi patres Indis ſacramenta Eccleſiæ adminiſtrant.

A *De conuentu S. Iacobi Chalcoatengi. Conu. IX.*

CHALCOATENGVM Indorum oppidum eſt viginti à Mexico milliarijs Orientē verſus,eòq; terra,atq; aqua pergi poteſt. Minoritico huic conuētui in eo erecto ſancti Iacobi nomen eſt ; duoque tantùm Franciſcani ſacerdotes incolæ ſunt.

De conuentu S. Ludouici Epiſcopi Tlalmanalci. Conu. X.

TLALMANALCVM Indorum oppidum Orientem quoque verſus nouem leucis à Mexico ad radices montis, qui niue ſemper oppletus ignem quandam per voraginem emittit, ſitum eſt. In hoc conuentus eſt nomine ſancti Ludouici Toloſani Epiſcopi, vbi per 34. annos, nimirum ab anno 1533. vſq; ad annum 1567. beati patri ac viri pęrſtantiſſimi ac religioſiſſimi Martini de Valentia corpus ſepultum B fuit: quod tamen poſt id temporis è tumulo euanuit, vt in eius vita perſcribetur.

Vita V. P. F. Martini de Valentia,

DVODECIM primi iſtius Prouinciæ fundatores 25. Ianuarij die, quæ diui Pauli Conuerſioni ſolemnis eſt, anno 1524. Hiſpania egreſſi ſunt: & eodē anno duobus ante Spiritus ſancti feſtū diebus ſancti Ioannis de Vlua portū apprehenderunt. Horum Præfectus fuit ſanctus vir frater Martinus de Valentia, qui Mexicum illis ingreſſis, & Capitulo celebrato primus eſt Cuſtos electus: diuiſis in conuentus quatuor religioſis illis Mexicanū ſcilicet, Tezcucanū, Tlaxcallenſem, & Huexotzincicū; tametſi in vltimis duobus non ſemp erāt religioſi: ſed alternis vicibus modò in Tlaxcallano, modò in Huexotzincico: vnde vniuerſam regionē viſitabant. Hi oēs ex S. Gabrielis Pro- C uincia exierunt: tametſi enim omnes, præter duos laicos, in Prouincia ſancti Iacobi habitum ſuſcepiſſent, ad illam tamen aliam perfectioris vitæ cauſa tranſierunt. Hi quidem tamquam generoſi tantæ Prouinciæ filij Franciſcani Ordinis in nouo orbe fundamētales extiterunt lapides: eſtq; pietati conſentaneum credere eos ob ſuſceptos labores, eliminatumq; idolorum cultum immenſa modò gloria in cælo frui. Horum primi, fratris ſcilicet Martini de Valentia vitam annis ab eius diſceſſu tribus literis mandauit religioſus pater & eius familiaris frater Franciſcus Ximenius vnus quoq; de duodecim. Fuit frater Martinus ex oppido Valentiæ domini Ioannis in tellure de Campos, quod inter Legionenſem ciuitatem, & Beneuentum oppidum ſitum eſt, ingenuis parentibus natus. Iuuentutis ac pueritiæ eius nihil memorię proditum eſt, vt enim erat humilis, & ſui contemptor nunquam eiuſmodi ſermones captabat. Sed ex D ſenectutis virtutibus facilè colligitur non minimas quoq; in tenera ætate habuiſſe. Suſcepit diui Franciſci habitum Maioricano in conuentu Prouinciæ ſancti Iacobi: multasq; perturbationes à Diabolo impedire eum volente paſſus eſt: quas tamen diuino auxilio omnes ſuperauit. Magiſtrum habuit deuotum patrem fratrem Ioannem de Argomanis, qui prouincialis poſtea Miniſter fuit eadem in Prouincia. Nouitius laicus cùm eſſet librum Conformitatum ſancti patris noſtri Franciſci legit: eoque magnum animi ſplendorem aſſequutus, in virtutem paupertatem, omnemq; vitæ perfectionem mirum in modum accenſus eſt: adeò vt cùm profeſſus iam maximis laudibus celebrari videret arctiſſimam Pietatis Prouincię Obſeruantiam, quę in Regno tūc Luſitanię ſingulari ſplendore coruſcabat, multaq; percipiens de Dei viro fratre Ioanne de Guadalupe ibidem viuente: non ſine maximis laboribus, & difficultatibus ab E humani generis hoſte obiectis eò tranſire procurauit: ac tametſi ipſi etiam fratres eum à propoſito auocare conarentur, ne ſanctam eius ſocietatem amitterent, omnibus ſuperatis, quod optauerat tandem aſſequutus eſt. Subq; diſciplina fratris Ioannis per annos aliquot non aliter, atq; ſub diuo Antonio ſanctus Hilarion ſe exercens, in ſuam diui Iacobi Prouinciam diſponente Domino reuerſus extitit, vt ex ſchola virtutum magiſter matrem ſuam, in qua fuerat profeſſus, adiuuaret, decoraretq;. Nam cùm ei Prouinciæ ſancti Iacobi fratres, vt ad ſe reuerteretur, ſuaderent: aſſignaturos ſe illi domum ſpondentes, quàm arctè, & perfectè ex animo inſtitueret: accepta ille conditione Recollectum de Belbis conuentum, nomine Dominæ noſtræ del Berrocal conſtruxit. Ex quo & tribus alijs à ſancti Iacobi Prouincia præbitis, alijsq; quatuor, quos

quos fratris Ioannis de Guadalupe ſocij habebant, procurante viro Dei, alijsq; eiuſ- A
dem ſpiritus, ſancti Gabrielis Cuſtodia in maxima, & arctiſſima Regulæ obſeruantia,
anno humanæ ſalutis 1516. fundata euaſit. Stetit hoc ei maximis laboribus non cor-
poris ſolùm, ſed etiam animi. Præter infinitas enim preces, in quibus ob id ad Deum
iugiter perſiſtebat: multa omnino impedimenta ab alijs obiecta ſuperauit: multa iti-
nera, & longinquas profectiones ſuſcepit, vt in Romam, inq; alias ciuitates: multa in-
terim pericula, famem, ſitim, defatigationem, perſecutionesq; & contumelias paſ-
ſus eſt. Cumq; aliquando iter faceret, in manus incidit latronum, & ab his compre-
henſus, cùm euaſiſſet, non ita ſe celeriter potuit proripere, quin iterum comprehen-
deretur: multisq; ictibus cæſus non malum pro malo reddidit; ſed eximia patientia
pro cædentibus ſe exorauit.

Cùm iuxta Dei verbum ſuper montem poſita ciuitas abſcondi nequeat, tametſi
frater Martinus valde ab omnium conſortio abhorreret, & ſolitudinem ſectaretur: B
eius tamen nomen circumquaq; vagabatur, & ad primorum, atq; illuſtrium homi-
num aures pertingebat. Vñ factũ eſt, vt in primo Capitulo poſt erectã S. Gabrielis Cu-
diam in Prouinciam celebrato, redditus de eius virtutibus certior Comes de Feria prę-
catus ſit, vt in monaſterio ille S. Onuphrij de la Lapa de prædictis ſeptem monaſterijs
vno, ſextoq; à Zafra milliario ſito, collocaretur. Idq; diuina prouidentia factum vi-
detur; eò enim cùm veniſſet, inter familiam de Pliego, & familiam de Feria paulò
ante coniunctas, valde tamen inuicem diſſidentes pacem compoſuit; tametſi enim
Marchio & eius vxor maxima concordia iuncti eſſent: propinqui tamen, & famuli
vtriuſq; domus maximas inter ſe ſimultates exercebant. Marchio per integram Qua-
drageſimam in loco eum de Montilia habuit, eiq; commiſſa peccata confeſſus eſt, con- C
cionantemq; audiebat: ex quo & vberrimi alij fructus collecti ſunt: & præfata pax
ſanè vtiliſſima prouenit. Sed tametſi vir Dei virtutibus omnibus clareret, abſtinentiaq;
ſe, & pœnitentia inaudita maceraret: tanta tamen humilitate pollebat, ſibi vt ipſi di-
ſpliceret, ſeq; inutilem ſeruum arbitraretur, nihil aliud cogitans, quàm quî fieri poſ-
ſet, vt altiori diuinarum rerum contẽplationi, relicto ſęculari conſortio, vacaret. Exi-
ſtimans igitur expeditiſſimam ad id viam eſſe Carthuſiani habitus ſuſceptionem, poſt
rem maturè expenſam, precesq; ad Deum fuſas, habita ſuperioris facultate ad illum
ſuſcipiendũ profectus eſt. Sed quia aliter Deus diſponebat, eumq; in diui patris Fran-
ciſci habitu permanere volebat, ob profundiſſimã humilitatem eius mentẽ illuſtrauit.
Cùm enim iter illud perageret, nulla occaſione præcedente tam acerbus pedem eius
dolor inuaſit, minimè vt progredi poſſet: quo commotus facilè mente aſſequutus eſt, D
illam Deo profectionem non placere: & in conuentum eſt reuerſus. Huic tamen ſuo
ſolitudinis deſiderio magna ex parte ſatisfecit; cùm in cœnobium Dominę noſtrę del
Hoio tranſijſſet: quippe cùm id in deſerto loco, & ab hominum veſtigijs ſemoto ſitum
eſſet. Hîc ille magna eſt ſpiritualia conſequutus ſolatia, cùm frequenter eum in illa
ſolitudine internè Deus viſitaret.

In hoc monaſterio multas à Diabolo paſſus ille perturbationes fuit: quos enim
Deus diligit, eos velut igni examinat, quo ad perfectionem virtutis deueniant. Cùm
enim ibi Deo vacare conſtituiſſet, primum quidem remiſſum ſe in oratione agnouit:
deinde deſertum abhorrere cœpit; cumq; antea illi camporum & arborum ſpecies iu-
cundiſſima eſſet; tunc vltrà quàm credi poſſet, diſplicebat; fratres reliquos amore,
& charitate proſequi non poterat: nulla eum ſpiritualis res voluptate afficiebat; ſed E
omnes eas obiter & quaſi aliud agens peragebat. Acceſſit his perturbationibus, qui-
bus admodum torquebatur, illa omnium maxima, vt pote circa fidem, quam à ſe ex-
pellere nullo pacto poterat. Exiſtimabat enim ſe dum Miſſam celebraret, non con-
ſecrare; & ſibi penè vim inferens, maximaq; cum difficultate ſacramentum aſſume-
bat. Tam eſt huiuſmodi imaginatione afflictatus, vt nec celebrare vellet, nec cibum
ſumere poſſet: eòque debilitatis propter abſtinentiam, pœnitentiam, & ſpiritus affli-
ctionem deuenerat; vt conſumptis carnibus oſſa pelli adhærerent: cùm ſibi tamen ro-
buſtus eſſe videretur; ſeq; vires habere crederet, quæ maioribus adhuc laboribus ſuf-
ficerent. Cumq; per diem vnam nihil ſumpſiſſet cibi, die ſequenti eiſdem ſe, & (vt aie-

A bat ipſe) maioribus viribus pollere vidit: atq; ita per quatuor vel quinque dies ſine vllo cibo permanſit. Cumq; & eius corpus vehementer debilitaretur; & inſtarent acriter fratres, aliquid vt ſumeret, reſpondebat nunquã ſe tantis viribus præſtaſſe, quantis tunc pollebat. Quæ quidem non minima erat Satanæ fraus, quo eò loci ipſum deduceret, vt aut inedia deficeret, aut de recto ſtatu mentis deturbaretur. Quam ſanè rem non minimum iugis vigilia adiuuabat. Sed cùm Deus nunquam ſuos deſerat, preſto ei auxilio fuit, ſimplicis cuiuſdam mulierculæ opera vſus, quo nos doceret, non ſe ad manifeſtandum miſericordiam ſuam ſuperbis mundi ſapientibus, ſed humilibus & ſimplicibus quibusq; vti. Cùm igitur vir Dei collectam panis faciẽs, in locum Robleda nuncupatum perueniſſet, eum vſq; adeò debilem conſpicata muliercula: *heu me*, inquit, *pater quid tibi mali eſt: videris enim præ debilitate velle animam exhalare*. Hęc ille verba audiens per inde ac ſi ab Angelo aliquo pronuntiarẽtur; veluti è ſomno expergerectus totus commotus eſt: ſecumque cogitare cœpit ſe nullum cibum ſumere, B vereriq;, ne qua ibi hoſtis eſſet machinatio: planeq; ita ſe rem habere animaduertit. Fugato igitur Dæmone, apparuit virium debilitas, tantaq; defatigatio, vix vt pedibus ſtare poſſet. Cibum igitur moderatè quidem ille ſumpſit, cautiorq; in poſterum fuit, ne quam inuadendi ſe occaſionem inimico præberet. Diſceſſerunt ſtatim cæteræ quoq; perturbationes: ipſeq; & delectari diuini ſacramenti cibo; & diligere fratres, & cæteris ſpiritalibus rebus mirificè frui cœpit: quibus operibus in immenſum proximorum amorem excreuit: adeò vt propter eos vehementi martyrium ſubeundi deſiderio teneretur.

Martyrij huius deſiderium multis ille ieiunijs, vigilijs, precibus, multiſque corporis laboribus aſſequutus eſt. In quo quidẽ ſolari eum Deus voluit, ei quæ euentura C poſtmodum eſſent circa eam rem in ſpiritu oſtendens. Cùm enim aliquando matutinas preces feriæ iiij. tempore aduentus in monaſterio de Hoio recitaret, initio ſtatim illarum delectari interius cœpit; & conuerſionis infidelium recordatione exultare, & quo diutius in ea cogitatione immorabatur, eò plures in pſalmis, quos recitabat: ad eam rem intelligentias reperiebat: augebatur autem iſtiuſmodi delectatio in pſalmo incipienti: *Eripe me de inimicis meis Deus meus*, vbi bis repetitur verſiculus ille, *conuertentur ad veſperam, & famem patientur vt canes*. Secumq; ipſe aiebat: *Quando hoc erit? Quando adimplebitur hæc prophetia? Quando erit hoc veſperum? Non erit hoc tempore? Non ego dignus ero, qui hanc conuerſionem videam? Si quidem in vigilia iam, & dierum noſtrorum fine ſumus, quando vltima inſtat mundi ætas*. Hęc ſecum meditans pſalmos D omnes in charitatis erga proximum deſiderijs aſſumebat. Euenit autem (diuina prouidentia) vt abſente eo, ad quem id ſpectabat, abſolutis pſalmis matutinarum, lectiones ei ad recitandum iniungerentur. Id ille cùm feciſſet, multò magis erectus eſt in propoſita ſententia, cùm lectiones, quæ recitabantur, ex Eſaia Propheta eſſent; adq; id vehementer hortarentur. Spiritu igitur ſublatus immenſam animarum infidelium multitudinem ad fidem conuerſam, & ad baptiſmum accurrentem vidit. Tantaque perfuſus eſt voluptate, vt ſe continere nequiuerit, quin veluti lymphaticus ter proclamaret: *laus ſit Ieſu Chriſto*. Qua voce edita, extra ſe poſitus vlterius progredi non valens, remanſit. Religioſi, qui myſterium ignorabant, cùm deiectum de ſtatu mentis arbitrarentur, in cellulam detruſerunt; obſeratiſque foribus, & feneſtris ad abſoluendum diuinas preces reuerſi ſunt. Ille extra ſe poſitus vſque ad maiorem Miſſam E poſterioris diei remanſit: quo tempore in ſe reuerſus, concluſumque ſe in cellula cernens feneſtram aperire voluit, ſed non potuit, quòd illam clauis monachi confixiſſent. Subriſit igitur intelligens factum id ab illis metu, ne ab ea ſe pręcipitaret: cogitanſque rurſum, quę in ſpiritu viderat, precatus Deum eſt, id vt ſe ſineret corporalibus oculis cõſpicere, nec ſe vita priuaret vſquequò id aſſequutus eſſet. Annuit Deus; cumq; ille Hiſpaniam nouam perueniſſet, vt inferius dicetur, vidit ſepe numero ingẽtem Indorum multitudinem baptiſmum poſtulantem, & doctrinã Chriſtianam audientem. Qua ille de re permagnas gratias Deo agebat: adq; honorem Dei nonnullis tunc religioſis, prædictam viſionem explicauit. In Hiſpania enim, tametſi cùm primùm in ſe reuerſus eſt, interrogatus à pleriſq; ſit de cauſa illius rei, adduci tamen nullo modo

lo modo potuit,vt cuiquã eã aperiret. Poſtquã ille hanc viſionẽ conſpexit,inflammatus multò magis proximi amore de profectione toto animo cogitare cœpit, precibus ad Deum inſiſtẽs, apudq; omnes,quos norat occaſionẽ quæritãs,deq; in Africã tranſeundo cogitans. Quò cùm proficiſci conſtitueret, facultatem ter poſtulans minimè impetrauit. Imò cùm ſemel ea occaſione ad Prælatum pergeret, in cuiuſdam fluuij, multitudine tunc aquarum tumentis,tranſitu non paruum in diſcrimen adductus eſt: neceſſumq; habuit bibliorum volumẽ,& nonnullos libellulos, quos ſecum deferebat, relinquere. Quos cùm à flumine deferri videret,vehementer eos Deo, & Virgini matri commendauit,ipſosq; magno ab eo loco interuallo eodem in flumine recepit, nihil omnino ab aqua læſos. Hoc tempore vir quidam magnæ probitatis, cui multa Deus arcana reuelabat,futurum tempus intelligens,quo Deus & fratrem Martinum,& reliquos eius ſocios ad conuerſionis opus vocaturus eſſet, iuſſit ei annuntiari, vt conquieſceret,incœptumq; iter non abſolueret: neq; enim eam eſſe Dei voluntatẽ: proq; comperto haberet futurum,vt ipſe Deus congruo tempore ſe id non procurantem vocaret. Quieuit ille: ac 12. poſt annis generalis Miniſter frater Franciſcus de Angelis ſingulari præiudicio eum elegit, vt cum 12. ſocijs ab ſe electis in nouam Hiſpaniam ad animarum conuerſionem proficiſceretur. A B

Fuit vir hic Regulæ obſeruantiſſimus, in magnaq; penuria & paupertate vixit: nudisq; ſemper pedibus ambulans,ac vno tantummodò habitu indutus cilicium ſubtus è ſetis aſperrimum ferebat,in cibum paululum iuris,ac carnis fruſtulum tantummodò ſumebat, idq; ſolùm cùm Prælatus exiſteret; feſtusq; adeſset dies. Præter Eccleſię,& Regulæ ieiunia,pleraq; alia obſeruans,cinerem ſecum deferebat,vt in cibum, quò fieret inſipidus, immitteret, propheticæ vocis recordatus. *Quia cinerem tamquam panem manducabam,& potum meum cum fletu miſcebam*. Et illius alterius propheticæ adhortationis: *Recordare paupertatis meæ, amaritudinis, & fellis mei*. Senex D. Hilarionis exemplo abſtinentiam augebat, quater in hebdomade diebus ieiunans,pane tantùm & leguminibus contentus. Aſperè ſe cædebat, & ad multam noctem id facere pro delicijs habebat. Aſſiduus in oratione Chriſtum ſemper Crucifixum prę oculis habebat: qua recordatione tam in ſe ſeuerus erat, nulli vt ſpontaneæ pœnitentiæ parceret; ſed corpus ſuum ieiunijs,inedia,fame,ſiti vigilijs, verberibus,fatigatione,frigore,calore, alijsq; tormentis caſtigaret. Quoties morbis affligebatur,nihil aliud pro lecto quàm culcitram quandam habebat, vinum non attingens,nec medicamenta vlla aſſumens, aut Medico alio,quàm Chriſto Ieſu, qui verus eſt Medicus,vtens. Quando poſtremò Prelatus fuit,in extremis ſcilicet vitę diebus,non contentus vſitatis ab ſe ad eam diem exercitationibus,pleraſq; addidit alias, ne qua afflicto corpuſculo requies daretur. Præſertim autem ſibi propoſuit genua crebrò humi defigere; quod cùm faceret frequenter,per quartam horæ partem ita perſiſtebat, magnò certè labore, magnaq; ob ſenectutem defatigatione: ita, vt quum id nocte quadam in cellula faceret, è cella quadam proxima religioſus alius gemere ipſum audiens ad oſtiũ accurrerit: quumq; ipſum crebrò, vt defatigatum hominẽ par eſſet, anhelantem audiſſet,religioſum aliũ ea de re admonuit. Qui quum ſancti viri familiaris eſſet,res vt ſe haberet intelligens; illum eſſe quietum iuſſit,longè enim aliud ſancto ſeni eueniſſe,quàm ipſe exiſtimaret. Huiuſmodi ille exercitationibus vſque adeò erat deditus, eas vt nullo prorſus modo omitteret: quas ſi vel ob muneris,vel aliquam ob aliam occupationem prefinitis horis ſuſcipere non poterat; quum primùm tempus nanciſcebatur, perficiebat; quaſi verò præcepto quopiam ad eas eſſet obligatus: dicereq; ſolebat: *Nondum hodie debita mea perſolui*. Quam in eo vim haberet Dominicæ paſſionis meditatio experiebantur planè ſocij eius,à Dominica præſertim paſſionis vſq; ad Reſurrectionis diem: eo enim tempore vſq; adeò debilitabatur,ac ſi per multos dies ęgrotaſſet: ſtatimq; in Paſchali Dominica reſtituebatur. Faſſusq; aliquando pleriſq; religioſis eſt, ex continua id paſſionis Chriſti meditatione prouenire. Alijs temporibus alijs quoq; exercitationibus vtebatur,maximo ſibi ſolatio exiſtentibus. Poſt matutinas enim preces cantica quædam diuinas laudes continentia ea ſuauitate vocis canebat, vt mirum in modum omnes afficerentur; cùm nihilominus,quæ in illis continebantur,nullus pręter Deum intel- C D E

ligeret.

A ligeret. Magnam operam in virtutibus comparandis ponebat, humilitatem verò prę-ſertim tamquam omnium fundamentum coluit: eaq; in re magnum ſubijt laborem, quippe cùm elatus ſuapte natura eſſet, & cholericus. Quo factum, vt conſtantius in pę-nitentiæ rigore perſeuerarit. Neq; id ſolũ interius præſtabat, verùm exterius etiã eos vehementer æmulatus, qui re vera humiles eſſent. Eapropter dicere ſolebat fratri Franciſco Ximenio familiari ſuo amantiſſimo; quiq; alter quodammodo frater Leo erat, (quem diuus Franciſcus fratrem ouiculam appellabat) affabilis ſcilicet & manſuetus: *O frater quis tui ſimilis eſſet.*

Inter pleraq; alia humilitatis eius monumenta recenſeri poteſt, quòd cùm ſancti Gabrielis Prouinciæ Miniſter eſſet prouincialis, & in vigilia Aſſumptionis Dominæ noſtræ, anno 1518. in primum eſſet Prouincialem electus; cùm ſubiectos ſibi conuentus viſitaret, morem hunc tenebat: Aliorum culpas ſuſcepturus, ſuas prius reci-B tabat: flexiſq; in choro genibus coram omnibus ſe ipſum increpans defatigatum corpus flagellis acriter affligebat, eoq; tempore cilicium, quod nunquam à Religionis ingreſſu depoſuit, à cæteris omnibus perſpiciebatur. Id ille non tam propter ſe ipſum, quàm vt exemplo eſſet alijs, faciebat: eamq; corrigendi alios rationem inter Indos quoq; obſeruabat; quos quotieſcunq; caſtigaturus erat, ac ſe vt verberarent iuſſurus, ſe ipſum prius coram ipſis verberabat; quo intelligerent caſtigationem eiuſmodi ex charitate prouenire. Item cùm è Prouincia ſancti Gabrielis ad ſuos inuiſendos è patria profectus eſſet, poſtquàm Valentiæ (ea enim patria erat) appropinquauit, cogitans quæ nam eius profectionis cauſa fuiſſet, ob quam tot laboribus tantum eſſet itineris emenſus: eamque ad mundi res tantummodo reſpectum habere perſpiciens, quo ſe ipſum deijceret, antequam oppidum ingrederetur, veſtibus ſe omnibus ſpoliauit, reli-C ctis tantummodo fœmoralibus, coniectoq; in collum fune, ſe à ſocio per vniuerſum oppidum, atq; eam præſertim viam, in qua propinqui eius frequentes habitabant, tamquam facinoroſum, & reum hominem trahi iuſſit: eaq; re peracta neminem inuiſens, aut alloquutus, in monaſterium ſuum regreſſus eſt. Vnde euenit, vt à propinquis & reliquis oppidi incolis valde contemneretur: quod ille quidem optabat; & quam vnam ob cauſam illud ipſum fecit. His ille exercitationibus humilitatem planè aſſequutus eſt: referebatq; ſocius eius frater Franciſcus Ximenius egiſſe eum pleraq; humilitatis monumenta omnino admiranda, & ſanè prodigioſa; verba illa Chriſti idẽtidem repetentem: *niſi fueritis ſicut vnus de paruulis iſtis, non intrabitis in regnũ cælorũ:* Cumq; de diuo Michaële arcana quędam & ſublimia percenſeret; collegit frater Frãciſcus ſanctum eum Archangelum multa ei vera humilitatis abdita & abſcondita re-D uelaſſe. Sanè non eſt neceſſum plura de humilitate eius dicere: cùm notiſſima omnibus fuerit: & eo maximè apparuerit, quòd nouam Hiſpaniam ad fidei prædicationem tamquam Pontificis Legatus miſſus maximis tum eius, tum etiam Imperatoris priuilegijs communitus, caputque ampliſſimarum regionum conſtitutus, nunquam tamen humiliſſimam pauperrimi fratris perſonam exuerit, imò tunc magis ſe ipſum contempſerit: hoc enim fundamentum fuit euangelizandi illi, & eius ſocijs: cùm nudis ſemper pedibus, vilibus, & laceris veſtibus amicti incederent. Ipſe ſolus è Prouincia in Prouinciam ad viſitandum pergebat: cùm enim adhuc pauci eſſent fratres; hominum autem ad fidem venientium infinita multitudo, ſocium habere non poterat. Ipſemet humilis peram & pallium portabat, nullius ad id è tot Indis E miniſterio vti volens.

Cùm nouam Hiſpaniam ſenex iam veniſset, ſpiritualeſq; orationis & contemplationis exercitationes relinquere nollet, non potuit magnam Indorum linguę cognitionem aſsequi: ſed vtcunq; eam calleret, plus cæteris proficiebat: quod enim loquelæ deerat, vita, & exemplis ſupplebat. Indos præcipuè pueros legere docebat, eos percipiens futuros aliquando parentum atq; aliorum magiſtros: quos poſtquàm docuiſset, orationi vacabat in loco, ex quo ipſos videret, ab ipſiſq; videretur, tum vt ſtudium illi non intermitterent; tum etiam vt exemplum caperent Deo approximandi: cùm ſciret ita eſse Indorum naturam comparandam, vt melius, quod vident, faciant, quàm quod audiunt. Cùm his igitur poſt matutinas preces hymnos concinebat;

bat; eos interim orare docens extenſis in crucis modum brachijs ad interuallum,quo A
ſepties Dominica oratio, & ſalutatio Angelica recitari poſſent. Quo factum eſt, vt
diſcipulos habuerit diuinis rebus pro cuiusque talento egregiè addictos. Multùm ille
ijs populis contulit, in quibus eſt aliquando commoratus, veluti Tlaxcallenſi, &
Tlalmanalcenſi, vbi memoria, & nomen eius percelebre remanſit. In hoc vltimo op-
pidum eſt de Amaquamecan, vbi hodie conuentus eſt patrum Dominicanorum. In-
digenæ tanto ſunt amore Dei virum proſequuti, vt eo mortuo veſtem, qua Miſſam
celebrabat, & ſetarum cilicium, quo iuxta carnem amiciebatur, ad annum vſque
Dominicæ incarnationis 1584. apud ſe abſconſa retinuerint, quo ab Indo quodam
fratrum monaſterio deſeruiente id noſtris proditum eſt: vnde adducta illa in conuen-
tus ſacriſtia ſunt repoſita, magnaq; veneratione aſſeruantur. Cilicium autem pluri-
mas in particulas conciſum inter multos diuiſum eſt, ita vt felicem beatumq; ſe exi-
ſtimauerit, qui aliquam eius particulam & ſi minimam aſſequutus eſt, illamq; ma- B
gna veneratione extitit proſequutus.

Sanctus Epiſcopus, ac religioſiſſimus pater, nec non de Franciſcana religione opti-
mè meritus frater Ioannes de Zumarraga, cùm ex Hiſpania primùm profectus eſſet
maximo ſanctum hunc hominem, ac præſtantiſſimum religioſiſſimumq; patrem co-
gnoſcendi, nec non cum eo de quibuſdam rebus animarum ſalutem apprimè con-
cernẽtibus conferendi deſiderio tenebatur, idq; ob ea quę de eius ſanctimonia fereban-
tur, quoq; eò tranquillius, & vberius frui poſſet, in ſocietate ipſum habere ſecum per-
optabat: eaq; propter Tlaxcallam ſe contulit, vbi tunc Guardianus erat, deſideriumq;
ei ſuum expoſuit. Ille, tametſi multùm id contemplationis exercitio obſtare intelli-
gebat, ad preces tamen tanti viri ac Pręſulis, vt facere ſemper aſſueuerat accurrit: C
cumq; in ſomnum incidiſſet, (id enim ei ſemper in viſionibus, & reuelationibus eue-
niebat, quarũ non paucas præſertim circa Indorũ conuerſionẽ habuit,) videbatur ſibi
in mare conſtitutus quadã in cymbula remis carente; ipſum verò mare concitatum fu
rere & debachari, vt abſorbere cymbã viſum ſit. Vnde timore perculſo dictũ in ſpiri-
tu eſt, perturbatũ illud mare ſæculum eſſe: eosq; qui in illo verſantur in cymba eſſe re-
mis ſpoliata, quo facilè pereunt, naufragia facientes. Id ille Epiſcopo referẽs, ſe à non
obtemperando excuſauit. Quam ille ob rem non eum minus dilexit in poſterum; ſed
planè magis, vt integrum ſcilicet, & pium hominem. Eodem eius amicitiæ deſide-
rio tenebatur ſanctiſſimus vir, & intimus eidem Epiſcopo amicus, nec non & religio-
ſiſſimus pater frater Dominicus de Betanços Ordinis patrum Prædicatorum alum-
nus, & decus, vnusq; illuſtrium eorum hominum, qui nouam ſunt Hiſpaniam in- D
greſſi. Qui quidem, cùm eo frui non facilè poſſet, quippe cùm diuerſi Inſtituti exi-
ſtentes diuerſis in locis, & remotiſſimis quandoq; regionibus commorari neceſſum
eſſet, dedit operam, vt quem ipſum habere ſemper coram non poterat; eius ſaltem
imaginem haberet: eumq; depingere fecit in monaſterio de Tepetlauztoc, vbi vt plu-
rimùm commorabatur: etiam vſque hodie ea illic effigies viſitur. Tres hi viri
perfectiſſimi immenſo, quo ardebant, deſiderio animarum conuerſionis ſummopere
concupiuerunt in Chinæ regiones nauigare, quo nondum tempore in eas, ea quæ
modò reperta eſt, inuenta via erat. Quorum quidem primus id frater Martinus pro-
poſuit; reuelatione enim compererat reperiri pleraſque regiones Occidentem verſus
hominesq; acutioris ingenij, quàm ſint Indi nouæ Hiſpaniæ habitatores: ſpirituque
feruebat eò pergendi, & Chriſtianam ibi fidem prædicandi. Sed Deus, qui alijs eam E
Prouinciam reſeruauerat, in prima eum vocatione perſiſtere voluit. Idque ita eue-
nit. Cùm in portum de Tequantepec ad nauigia conſcendendum, quæ ad eas regio-
nes parauerat Ferdinandus Corteſius deueniſſet; proficiſci ob id non potuit, quòd
cùm nauigia examinarentur, carioſa, & corrupta inuenta ſunt, minimeque ad na-
uigandum apta, quod ex viridi eſſent materia confecta. Aliquibus tamen annis po-
ſtea de eadem perfectione cogitantes, impediti quoq; ſunt: tametſi ingenti ſpe inue-
niendi quod quærebant fouerentur: adeò vt cùm frater Dominicus nauigij bonita-
tem non approbaret, reſponderit frater Martinus: *mittite in cucurbitam me, non enim du-
bito, quin quò cupio, deducturus me Deus ſit.*

A Sæpè extra ſe poſitus viſus eſt, quemadmodum in Hiſpania per horas octo, cùm
ad matutinum Gentium conuerſionem præuidit. Aliquando cùm Minoritico in Sal-
manticenſi conuentu hoſpes eſſet, ſæcularis, qui religioſos in oppido Cantalapiedra
hoſpitio excipere aſſueuerat, caſu quodam ad hoſpitum ædem præfato in monaſterio
peruenit; foresque cellulæ impellens, fratrem Martinum vidit orantem extenſis in cru
cis modum brachijs, vtque ſibi viſum eſt, è ſolo ſublatum, totoque corpore & bra-
chijs contremiſcentem, ita vt ſummopere admiraretur. In monaſterio de Beluis
Prouinciæ ſancti Gabrielis cùm paſſionem prædicaret, ad Chriſti crucifixionem de-
ueniens, tanto eſt dolore affectus, vt extra ſe poſitus in ſuggeſtu, erectuſque reſtaret,
quo tempore vnus adſtantium religioſorum vir magnæ ſanctitatis ingenti ſpiritus
feruore exclamare cœpit. *Martine, Martine ſiſtitor iſtic, nec huc amplius reuertare.*
B Sæpe numerò aliàs eodem modo à ſe exibat paſſionem prædicans. Semelque etiam
cùm ab extaſi in ſe rediſſet, diſceſſiſſe iam omnes auſcultatores deprehendit. Rur-
ſum cùm vacaret orationi, vocatus ingenti clamore à quodam religioſo, nequaquam
audire potuit, vſque adeò erat contemplationi immerſus: idque ei ſępius eueniebat,
vt ſe vocantibus tanquam è ſomno experrectus reſponderet. In quotidianis autem
confabulationibus cum cæteris ſodalibus ita à ſe ſemper alienus conſpiciebatur, vt
repoſita in Deum mente corporeis ſenſibus minimè vti videretur. Cùm in Tlalma-
nalci oppido ad eius quandoque cellam improuisò veniſſet Antonius de Naua ma-
ior tunc temporis ibi Lector, orantem, & à ſolo ſubleuatum inuenit, idque ipſum
aliàs vidiſſe ferunt Ferdinandum Corteſium Marchionem del Valle primum nouę Hi
ſpaniæ exploratorē, ſtrenuumq; expugnatorē. Venerabilis quidam religioſus, etiam
C nunc viuens nomine frater Bernardinus de Sahagunt, qui annis quinque poſt duode-
cim primos nouam Hiſpaniam venit, teſtatur, cùm frater Martinus prima vice Cu-
ſtos ad viſitandum monaſterium prædicti loci Tlalmanalci veniſſet, publiceque fer-
retur ſolere ipſum extra ſe rapi, voluiſſe ſe quandoque eius rei periculum facere.
Cùm ſe igitur ille poſt matutinas preces ad ſecretiorem chori locum recepiſſet, ac-
ceſſiſſe ſe furtim ſpeculatum, conſpectoque mirifico quodam ſplendore, & obturba-
ta oculorum acie perſpicere ſanctum virum minimè potuiſſe, diſceſſiſſeque contremi-
ſcentem faſſus eſt.

Inter alias reuelationes oſtenſum ei quoque fuit moriturum ſe extra domum, &
extra lectum eſſe, quod ille decem ante mortem annis religioſo viro fratri Antonio
Hortiz narrauit, quanquàm quo mortis genere obiturus eſſet, omnino neſciuit. Quod
D ille ſciens magno in Hiſpania deſiderio Africanam profectionem procurabat, miſ-
ſuſque à ſuperioribus, tandem nouam Hiſpaniam eximia lætitia, veluti quod optaue-
rat conſequutus, ingreſſus iter eſt. Poſtea autem, cùm perſpexiſſet non poſſe ſe mar-
tyrij palmam conſequi, eoquòd Indi ſine vlla omnes difficultate fidem ſuſciperent,
de petendo Chinam cogitauit anno vno priuſquàm moreretur, & ſalutis milleſimo
quingenteſimo trigeſimo tertio, cùm fratrum nouæ Hiſpaniæ ſecundò Cuſtos eſſet.
Sed cùm ea profectio effectum ſortita non ſit, (vt dictum ſuperius eſt) Mexicum re-
uerſus eſt, cùm mille millia paſſuum eo in itinere peregiſſet. Eò cum primum defati-
gatus, & ex crure æger perueniſſet, quòd quadrageſimæ & paſſionis tempus eſſet,
induci nullo modo potuit, vt genus aliquod calciamenti ſumeret, nudis, & ſanguino-
lentis pedibus ambulans, ipſumque crus trahens potius, quàm eo vtens, diuinaſque
E ſemper laudes, vt in iſtiuſmodi laboribus ſolebat, iterans, atque exemplo ſanctæ vir-
ginis & martyris Agathæ nec medicamentis, nec medico vti voluit. Sanè autem in
hoc itinere adeò profecit, vt alius penè reuerſus ſit, ardentiuſque ſpiritui vacaret.
Cùm primùm vero Mexicum peruenit, munerum oneribus, quod vehementer cupie
bat, liberatus eſt. Celebrato enim Capitulo poſt abſolutum eius triennium, alioque
Cuſtode electo, ipſe ſe ad quietem recepit in monaſterium de Tlalmanalco; ibique
quicquid ab Indorum, & puerorum doctrina vacabat, in oratorio, quod in monte de
Amaquemeca prius ipſe fabricarat, impendebat. Sed non multo id tempore perdu-
rauit: anno enim Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo trigeſimoquar-
to mortali ægritudine oppreſſus eſt, lateris eum dolore inuadēte, cùm prius ad ſocium

dixiſſet, *peractum hoc eſt*. Quo rogante, *quid pater?* Nihil reſpondit: ſed paulò poſt dolere ſibi caput ſignificauit, augeſcenteque morbo in conuentum ſe de Tlalmanalco contulerunt, ſuſceptiſque omnibus ſacramentis, fratres eum deferre Mexicum voluerunt. Quare iter ingreſſus cùm in loco de Ayotzinco cymbam conſcenderet, animaduertit aduentaſſe moriendi horam, iuſſitque ſe in terram exponi, vbi genua poſſet flectere: ſtatimque ad fratrem Antonium Hortiz, cui multis ante annis non ſe in lecto moriturum dixerat, *frater, inquit, fraudatus ſum à deſiderio meo*, animamque Deo commendans exhalauit. Innuebat autem per verba illa fraudatum ſe martyrio fuiſſe, quod ſemper optauerat: neque eas oculis gentes perpexiſſe, quas ad fidem venientes in ſpiritu conſpexerat. Sed non falſus eſt in reuelatione mortis, ſiquidem extra domum, defixis in nuda humo genibus, mortuus eſt. Socij eius corpus in Tlalmanalco retulerunt, & in medio maioris capellæ tumulauêre. Eò ſe cumprimùm, Cuſtos contulit, erutumq́; cadauer in lignea capſa concluſit, ſuperpoſito lapide demortui nomen continente. Cumque illum præcipua veneratione quadam diuum Michaëlem coluiſſe ſciret, eius Archangeli Miſſam celebrauit. Ferunt autem integrũ, & probũ hominem ab eo momento, quo à fratribus cani, *Gloria in excelſis, &c.* incœpit, vſque ad finem fratrem Martinum vidiſſe ante ſepulturam erectum, habituque Franciſcano veſtitum, ac manibus compoſitis, vt de ſancto Epiſcopo Ludouico fertur. Tantus in eo paupertatis amor fuit, vt mortuus etiam in tumulo eam ſecum habere voluerit. Cùm enim corruptam ex capſa illa tabulam tollere, aliamque nouam & depictam deuotione quadam ſibi ſufficere vellent fratres, maximus in tumulo ſtrepitus auditus eſt, nec prius ceſſauit, quàm, ſublata noua illa, antiquior reſtituta extitit.

Corpus eius perplures quàm triginta annos integrum permanſit, tumuloque ſæpius recluſo à quàmplurimis viſum eſt. Religioſi enim tum Inſtituti noſtri, tum etiam Dominicani, ac plerique alij omnes operam dabant, id vt conſpicerent. Sed anno Domini 1567. euanuit, nec ad hanc diem conſpectum eſt. Quod Dei voluntate factum videri poteſt, ne ſcilicet ſancti hominis corpus tam crebrò indecenter fortaſſe contrectaretur. Res autem ita comperta eſt anno Domini 1567. cum Tlalmanalco perueniſſet ſecretarius patris huius Prouincię Miniſtri, audiſſetq́; ante annum vnum recluſum tumulum fuiſſe, inuentumque ipſum corpus integerrimum, generali Commiſſario perſuaſit, id vt viderent. Aperta igitur ſepultura nihil omnino repertum eſt præter nonnulla ligni fragmenta, quæ ex capſa eſſe videbantur. Facta eſt diligens vbique inquiſitio, nec quicquam, vel ab oppidi Indis, vel à fratribus comperiri potuit ea de re, tametſi ſuper ea anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo octuageſimo apoſtolicæ literæ publicatæ ſint.

Pauca omnino miracula operatus eſt Deus in noua Hiſpania, tametſi tam inſignes, & apoſtolici viri in ea deſudarint: quod ob id fortaſſe factum eſt, quia infideles quidem miraculis indigent, Indi verò ſumma cupiditate Chriſtianam fidem amplexati ſunt. De fratre Martino nonnulla feruntur, quorum paucula recitabimus. Cùm adductus ei in Tlalmanalco ægerrimus puer eſſet, vt baptizaretur, priuſquàm id fieret, mortuus eſt. Doluit ille vehementer, ſuſceptumque in manibus infantem ſuper altari quodam collocauit: ſe verò orationi dedit, ac paulò poſt ſublatum viuum, & diuino lauacro tinctum ijs, qui eum adduxerant reſtituit. Quæ quidem res pro compertiſſima habetur, tametſi eo tempore ob religioſorum paucitatem, & Indorum imperitiam, qui iſthæc literis mandaret, non reperiretur. Quo etiam factum eſt, vt quàmplurima valde illuſtria, & mirabilia obliuione deleta ſint. Rurſum cùm eius aliquando corpus recluſo tumulo oſtenderetur, frater Ioannes de Ouiedo qui in Angelorum ciuitate Tecamachalci Guardianus obijt, cùm odoratus ſenſu priuatus omnino eſſet, eximiam odoris ſuauitatem ſenſit, ſanitatique reſtitutus eſt, inque ea ad obitum vſque permanſit. Narrabat quoque, ob id quod in ſe fuerat expertus, cùm cupiuiſſet reliquiam aliquam ſancti corporis ſecum habere, minimum ei quendam manus digitum ſuſtuliſſe, & cùm eſſet diſceſſurus, veritus ne non iniquè ageret, eum in capſam conieciſſe. Rurſum ſeniores, & præcipui Tlaxcalæ viri teſtificantur anno Domini milleſimo quingẽteſimo vigeſimo octauo, quo ibi tẽpore ſanctus vir Guardianus

A nus erat, eam fuiſſe aëris ſiccitatem, vt frumenta, quæ iam florere cœperant, exure-
rentur, & deciderent, nemo vt in infidelitatis tempore ſimile quicquam recordare-
tur. His in anguſtijs ad virum Dei venerunt inſtantes, vt pro his Deum precaretur.
Quod ille intelligens, congregari eos iuſſit, proceſſionemq; inſtituere ad Crucem vſ-
que, quæ erecta erat, vbi nunc eſt habitatio nomine eccleſiæ natiuitatis Dominæ no-
ſtræ: ipſe verò habitu ſpoliatus totum illud iter, verberibus ſe afficiens, genibus confe-
cit. Vix eò peruenerant, cùm perturbato cælo pluere cœpit, nec amplius aqua de-
fuit. Idipſum eueniſſe iterum Indi teſtantur, cùm ſe quoq; verberans ad aliã Crucem
in loco de Tlaëlpan ſitam eoſdem proceſſionem agentes deduxiſſet. Ferunt quoq; fę-
minam quandam ægrotantem, religioſumq; varijs perturbationibus à Diabolo affli-
ctum, cùm ſe ei commendarent, liberatos fuiſſe. Ferunt deniq; ſanctũ hunc virum ple-
B raſq; epiſtolas ſcripſiſſe, in quibus religioſorum labores, & Indorũ conuerſio explica-
batur. Quæ tamen iniuria temporum ſunt amiſſæ, vna tantummodò relicta, quę typis
excuſſa in nonnullis Latinis libris inſerta eſt. Scripſit eam quidem anno 1531. cùm ſe-
cundò S. Euangelij Cuſtos eſſet, ad reuerendiſſimum patrem fratrem Matthiam Vue-
inſſen Ordinis Minorum generalem Commiſſarium Ciſmontanum, quæ ita habet.

*Reuerendiſsime & digniſsime pater, frater Martinus de Valentia Cuſtodiæ S. Euangelij Cu-
ſtos, ac cæteri fratres Ordinis Minorum regularis Obſeruantiæ in noua nunc Hiſpania exiſten-
tes, filij & ſubditi reuerendiſſimæ paternitatis veſtræ fidelem ei obedientiam præſtamus; eiusq;
manus oſculamur. Nos quidem in vltimis verſamur orbis partibus, in India, in Aſia maiori, vbi
Chriſti Euangelium à filijs primùm veſtris annuntiatum eſt, & in aridis virgultis prodire fidem
cœpit. Saluatoris enim gratia inebrians torrentes vino amoris ſui, hoc eſt Euangelij conciona-
C tores in ſtillicidijs verborum ſuorum, plantas ſuas multiplicauit. Vt enim verum dicamus, nec
hyperbole vtamur, pluſquàm decies centum millia Indorum à filijs veſtris baptizati ſunt. Vnus
enim quiſq; illorum, 12. verò præſertim, qui mecum ſimul à reuerendiſsimo Domino Cardinale
S. Crucis, et patre noſtro fratre Franciſco de Angelis Miniſtro tunc generali miſsi ſunt, pluſquàm
centum millia baptizarunt. Qui quidem omnes præter vnum me, Indorum idioma, vel vt verius
dicam, diuerſiſſima eorum idiomata didiſcerunt: ijsq; & concionantur, & myſteria fidei noſtræ
innumerabilibus illis gentibus enarrant. Inter ipſos Indos nobiliorum, & ditiorum liberi magnã
nobis ſpiritualis ipſorum ſalutis ſpem præbent. Hi enim à religioſis noſtris in vita, & ſanctita-
te morum nutriuntur noſtris in conuentibus: 20. enim iam habemus conſtructos, conſtruunturq;
in dies alij ſingulari in eiuſmodi opera Indorum propenſione. In domibus, quas ipſi iuxta conuen-
tus noſtros fabricant, in nonnullis quidẽ 500. in alijs plures, in alijs non multò pauciores habe-
D mus, qui iam ſunt in Chriſtiana doctrina inſtructi. Liberi verò & parentibus priuatim concio-
nantur, & publicè è ſuggeſtu mirabiliter: multiq; eorum aliorum puerorum magiſtri ſunt. Can-
tant quotidie magna cum deuotione, & ſolemnitate Dominæ noſtræ preces, & Miſſam: noctuq; in
templis ſuis, eo modo, quo monachi facere conſueuerunt, ad matutinas preces recitandas ſurgunt.
Firmiſſima memoria pollent, perſpicacibusq; ingenijs: ſunt ſimplices, & ſine vlla calliditate: pacis
amantes: neq; vlla inter eos vnquàm contentio eſt: placidè, & demiſſis oculis loquuntur. Fœmi-
næ honeſtiſſimæ ſunt, ſuapteq; natura muliebri pudore præditæ. Eorum confeſſiones, mulierum
maximè, incomparabilis puritatis, & inauditæ cuiuſdam perſpicuitatis ſunt. Sanctiſſimũ Eucha-
riſtiæ ſacramentum multis lacrymis ſuſcipiunt: religioſos magni faciunt, noſtros præſertim, quòd
eò primi venerint, & Dei gratia bona morũ exempla præbent. Quare & his priuatim pluſquàm
cæteris obediunt, & ab his ieiunia, cæteraq; pœnitentiæ exercitia accipiuut. Proficiunt mirificè
E in Chriſtiana doctrina, valdeq; ſunt catholicæ noſtræ fidei rebus dediti, easq; celerius diſcunt,
quàm Hiſpanorum filij, ad gloriam, & honorem Domini Dei noſtri, qui benedictus ſit in ſæcula
ſæculorum. Amen. Ex noſtro conuentu de Tlalmanalco iuxta magnam Mexici ciuitatem, ex
Cuſtodia ſancti Euangelij die 12. Iunij anni 1531.*

Oppidum Amaquemecha duodecim ferme Leucis à Mexico Orientem verſus ad
ignis altiſſimæ voraginis radices ſitum eſt: vbi præcipuè frater Martinus viuens ha-
bitauit, & poſt mortem ſepultus eſt. Quod quidem oppidum, & vniuerſa circumui-
cina regio fratrũ eo tempore Minorũ curæ commiſſa erat: ac poſt Indos deniq; Chri-
ſtiana religione imbutos ſuum ibi monaſterium D. Dominici fratres ędificarunt. Non
procul ab eo mons eſt, pyramidali propemodũ voraginis, quam initio deſcripſimus,

forma, arboribus nonnullis ueſtitus, è cuius faſtigio uicina regio circunſpicitur, A
vallisque amœniſſima ad præfatæ voraginis radices ſita, montibusque circumuallata. In ipſo monte quinquaginta fermè ſtadijs ab radice, quindecim in latitudinem, totidemque pedum in longitudinem in ipſo lapide ſuapte natura excauatum cētrum reperitur eremitorij forma, quæ ſolitudinis amatores mirificè queat allicere. Hoc igitur antrum velut vitæ tumultuum portum præcipuè colebat vir ſanctus, eáq; propter in nullo alio libentius, quàm in Tlalmanalci conuentu morabatur; eoque ſe ſæpius conferebat, tum vt doceret Indos; tum etiam vt illic rebus omnibus alijs vacans vni ſe Deo traderet. Ibi ille genus omne pœnitentiæ in ſe ſeuerè exercebat: orationique & contemplationi iugiter vacabat. Feruntque, quum manè ad orandum ſub quibuſdam arboribus quotidie exiret, ſolitam magnam auium multitudinem arborem, ſub qua orabat, occupare, excitatoque muſico concentu eum quodammo- B
do in Dei laudibus comitari. Ferunt quoque apparuiſſe ibidem illi diuum Franciſcum, diuumque Antonium, eumque de ſalute propriæ animæ certiorem reddidiſſe. Indi quum iſthæc omnia perſpicerent, eum ſanè admirabantur, proque comperto habebant ſanctum virum eſſe; quum certò certius ſcirent nequaquam ipſius vitam à doctrina diſſentire. Quum verò diſceſſit, quicquid veſtium eius aſſequi potuêre, diligenter aſſeruarunt per annos 50. quaſi ſanctiſſimas reliquias: inque diuerſis peſtis ægritudinibus, quæ nouam ſunt Hiſpaniam peruagatæ, eiſdem ſemper vſi ſunt: nec vel noſtris fratribus, vel patribus Dominicanis, qui eius poſtea oppidi curam ſuſcepêre, eas unquam oſtenderunt, donec ſuperioribus annis reuelatæ ſunt. Quum enim in Amaquemechano monaſterio uenerabilis quidam pater nomine frater Ioannes Paës patris Martini amantiſſimus Vicarius eſſet, aliquandoque de eo cum Indis ſer- C
monem ſereret, ſeque reliquias illius aliquas habere percupere oſtendiſſet: paulò pòſt Indus quidam, qui monaſterio deſeruiebat, ſecretò ei oſtendit per multos iam annos reliquias aliquas ſancti uiri inter Indos aſſeruari. Diligenti igitur inquiſitione facta cilicio quodam è ſetis confectum, vilem quandam & craſſam tunicam eiuſdem, duasque caſulas è linteo Indico, quibus Miſſam celebrabat aſſequutus eſt. Certiorem igitur de hac re cùm reddidiſſet Prouincialem ſuum, paſſus eſt eas Mexicanum conuentum deferre: quibus allatis, abque omnibus cultis, & veneratis: in Amaquemecham illas ex pacto reduxit, quum repoſitis in ſacriſtia magnus hominum numerus accurreret, particulasque poſtularet, intelligens, plerisque iam è cilicio, tunicaque tributis, paulò poſt utrunque abſumendum eſſe. Dedit præterea operam, ut antrum illud montis (de quo ſuprà) exornaretur: adque eius alterum D
latus altare ad celebrãdum ſtrueretur, ad aliud uerò ſepulcrum quoddam cum Chriſti imagine, ſubque eo cum ferrea craticula capſula, in qua tunica, & cilicium collocata uideri quidem, ſed non auferri poſſent. Tametſi antrum foribus obſeretur, nihilominus in alio proxima antro cuſtodia ſemper Indorum perſeuerat, dieque ſemper Veneris ſacerdos eò Miſſam celebratum ſe confert, magno cum mortalium ſemper concurſu, tum eorum, qui ſancti uiri memoria tenentur, tum aliorum inde tranſeuntium, quippe cùm illac publica Mexicum uerſus uia ſit. Hæ reliquiæ cùm oſtenduntur, in antrum religioſi conueniunt, accenſisque cereis, & cantu adhibito, ueſtibus ſacris indutus Vicarius ad altare accedens incenſum adolet, poſteaque eas oſtendit, omnesq; illas venerantur, ſummaq; obſeruantia proſequuntur.

De conuentu Sancti Antonij de Padua Tetzcuci. Conu. XI. E

TETZCVCVM Indorum oppidum eſt, quanquam Hiſpani ibidem habitent, ſeptem à Mexico leucis Orientem uerſus, in Mexicanæ paludis littore diſtans. Ibi monaſterium Minoriticum ex communibus oppidanorum ſumptibus liberaliter oblatis in honorem ſancti patris Antonij Patauini conſtructus extitit, in quo ſex religioſi, quorum tres concionatores ſunt, commorantur. Tres hoc in conuentu inſignis uitę religioſi ſepulti ſunt; pater ſcilicet Ioannes de Aora, pater Ioannes de Ribas, ac pater Michaël de Garrouillas; quorum uitas leuiori calamo deſcribere libuit; & primò quidē religioſiſſimi, atq; ſui ſtatus zelantiſſimi patris fratris Ioannis de Aora.

De patre

A *De patre Ioanne de Aora.*

FRATER Ioannes de Aora vnus trium, qui primi nouam Hiſpaniam venerũt, anno 1523. ſacerdos factus, ſenexque iam cùm fratre Petro Gandauenſi ciuitatem Tetzcucum ad infidelium conuerſionem venit; paucisq; poſt diebus diſceſſit. Corpus eius in præſtantis cuiuſdam viri domo repoſitum eſt, quouſque præſens conuentus ſub diui Antonij Patauini nomine in lucem prodijt. Tunc enim ſub religioſo patre fratre Toribio Motolinia eius Guardiano ad ipſum tranſlatum, honeſtoque loco reconditum extitit, quod ab incolis ob eius ſanctimoniam maximè veneratur.

De fratre Ioanne de Ribas.

SANCTVS hic vir è 12. ſextus in S. Gabrielis Prouincia habitum ſuſcepit. Quanquam autem eius tempore diui Franciſci Regula in hac S. Euangelij Prouincia exa
B ctè obſeruaretur, ipſe tamen cum decem, vel duodecim alijs religioſis, integerrimisq; viris nouam reformationem procurauit. Quapropter nouam Prouinciam, cui nomen eſſet Inſulana à generali noſtri Ordinis Miniſtro, qui frater Andreas de Inſula vocabatur, omnes ſimul erigere ſtatuerunt. Ob id ille Guardianatu de Quauhnaoac ſe abdicauit, omnesq; ſimul multas ſunt regiones peruagati, vt idoneum Prouinciæ locum quærerent. Hunc quum reperire nequaquam poſſent, ad hanc S. Euangelij Prouinciam regreſſi ſunt: vbi ſanctus vir Diffinitor, & Guardianus Mexicani conuentus fuit. Obſeruantiſſimus præterea Religionis, & paupertatis cùm eſſet, in omnibus congregationibus, quoties de rebus Ordinis agebatur, ita ſpiritui cedebat, vt inflammaretur vehementer, vocemq; ſupra modum, ac præter eius morem attolleret. Poſt-
C quàm igitur plurimos labores, tum pro conſeruando Regulæ nitore, tum in infidelium conuerſione exantlaſſet; nihilq; eorum, quæ ad perfectum, zelotemq; religioſum requiruntur, prætermiſiſſet; deuotaque aliquot opuſcula, nempe Chriſtianam doctrinam, ſiue catechiſmum, Dominicalesq; per totum annum ſermones, ac deuotiſſimum dialogum nominis Chriſtiani vitam cõcernentem Mexicana lingua edidiſſet; inſuper & vitas patrum eadem lingua ex Latina vertiſſet, extra lectulum genuflexus, mentisque ad vltimum vſque vitæ halitum compos, ex graui quadam infirmitate 25. menſis Iunij, anno verò Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo animam Tetzcucano hoc in conuentu ſuo Creatori reſtituit.

De patre Michaele de Garrouillas.

AD patrem Ioannem de Ribas appoſitus eſt hoc in eodem Tetzcucano conuen-
D tu frater Michaël de Garrouillas, vir ſanè omni virtute, omnique pietate præditus. Hic cùm ex oppido Garrouillas oriundus, Franciſcanæ Religionis habitum in Prouincia Pietatis apud Luſitanos ſub præſtantiſſimo patre fratre Ioanne de Guadalupe ſuſcepiſſet; poſtmodumq; ſtrictioris vitæ ducendæ ergò in S. Gabrielis Prouinciã, ſub anno Domini 1516. ſe contuliſſet, incredibili quodam animarum zelo ductus, has ad regiones cum venerabili patre fratre Alphonſo de Eſcalona, ſub anno Domini 1531. traiecit; cæterorumque huius Prouinciæ patrum catalogo aſcribi voluit. Qui licèt Indicum idioma ignorauerit, nihilominus tamen in infidelium conuerſione ſupra modum profecit. Nam ea fuit eius paupertas, ea humilitas, patientia, & humanitas, ac ea deniq; religio cum charitate coniuncta, vt huius regionis indigenas in ſui admirationem traxerit, atque ad benè, Chriſtianeq; viuendum inuitauerit. Nudis
E præterea pedibus ad decrepitam vſque ætatem incedens, aliquantuloq; iuſculo, & inſipidis contẽtus herbis, centeſimum cùm in hoc vitæ Inſtituto annũ attigiſſet, nec aliquid aliud in amictum præter ſimplicem, pauperrimumque habitum admiſiſſet, eccleſiaſticis ſacramentis de Chriſtiano more munitus in Domino feliciter obdormiuit, &, vt piè credere poſſumus, inter ſanctos & electos Dei relatus eſt.

De conuentu S. Andreæ Chiaiuhtlæ. Conu. XII.

QVOD Chiaiuhtla Indorum oppidum ſexquimilliari à Tetzcuco Aquilonem verſus diſtet, præſens conuentus ſub S. Andreæ Apoſtoli inuocatione in eo erectus à 4. ſolummodò religioſis inhabitatur, qui Indis in omni euentu ſpirituali adſunt

De conuentu S. Ludouici Vexutlæ. Conu. XIII. A

EADEM prorſus intercapedo inter Vexutlam Indorum oppidum, ſed à Meridiei parte, & Tetzcucum intercedit, quæ & inter idem Tetzcucum & Chiauhtlã: qua etiam de cauſa præſens Minoriticus conuentus in S. Ludouici Toloſani Epiſcopi memoriam ibidem conſtructus, à quatuor tantùm fratribus incolitur.

De conuentu S. Michaelis Coatlichanis. Conu. XIIII.

AD tertium lapidem à præfato oppido Tetzcuco eundem verſus Meridiem Coatlichanis Indorum oppidum occurrit, & oppidanorum numero, & Minoritico hoc conuentu, ſancto Archangelo Michaëli ſacro, & à 4. fratribus inculto, inſigne.

De conuentu SS. Simonis & Iudæ Calpulalpæ. Conu. XV. B

IN oppido Calpulalpa, quod, à ſolis Indis inhabitatum, ad vigeſimumprimum lapidem à Tetzcuco ciuitate Orientem verſus diſtat, hic cõuentus ex oppidanorum facultatibus in ſanctorum Simonis & Iudæ Apoſtolorum honorem erectus, & à duobus patribus Franciſcanis officio Prædicatoribus incultus, inhabitatusq; cernitur.

De conuentu S. Ioannis Baptiſtæ Teutioacanis. Conu. XVI.

TEVTIOACANIS Indorum oppidum eſt, diſtatq; Mexico celebri ciuitate 18. millibus paſſuum; inſuper & Minoritico conuentu in Dominici præcurſoris, diui ſcilicet Ioannis Baptiſtæ honorem oppidanorum ſumptibus erecto, & à 4. fratribus inhabitato honeſtatur: qui verbum ſalutis eis fideliter proponunt. C

De conuentu Conceptionis B. Virginis Otumbæ. Conu. XVII.

MEXICO egreſſis, procedentibusq; ab Oriente Aquilonem verſus ad 24. lapidem à præfata ciuitate Mexico Indorum oppidum, Otumba nomine, atque Minoritico conuentu, Conceptioni ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ dicato, inſuper & à quatuor fratribus, qui eis Eccleſiæ ſacramenta adminiſtrant, inculto inſigne occurrit.

De conuentu S. Franciſci Tepepulci. Conu. XVIII.

AD 9. milliare à proximè præcedenti oppido Otumba, à Mexico verò ad 33. Tepepulcucum Indorum oppidum eſt, quod Franciſcanum monaſterium, ſeraphico patri Franciſco dicatũ, & à 4. fratribus frequentius incultũ, ſupra modũ commendatiſſimum reddit. Fuit huiuſmodi monaſterium oppidanorũ ſumptibus ędificatum. D

De conuentu Aſſumptionis B. Virginis Apæ. Conu. XIX.

APANIENSES, ne in his, quæ ad propriam ſalutem aſſequendam conducere videbantur, vel in minimo à Tepepulcanis, à quibus ſex tantùm milliaribus diſtant, ſuperarentur, vt primùm catholicæ Fidei nomen dederunt, hoc monaſterium, Aſſumptioni B. Virginis ſacrum, Apæ, quod commune illis oppidum erat, ex publicis facultatibus conſtruendũ curarunt. Commorantur frequentius hoc in loco 4. fratres.

De conuentu omnium Sanctorum Cempoallæ. Conu. XX.

CEMPOALLANI, ne diutius fratrum noſtrorum ſpem de ſua felici ad Chriſtum conuerſione ſuſpenſam tenerent, hunc conuentum, omnibus Sanctis ſacrum, ſtatim poſt ſuſceptum baptiſma, intra Cempoallæ communis oppidi, atque 30. millibus paſſuum Mexico diſtantis ſepta ex publicis facultatibus conſtructum voluêre. Inhabitatur, nõ abſq; ingenti Cempoallanorũ fructu, hic locus à 3. fratribus. E

De conuentu S. Ioannis Baptiſtæ Tulantzingo. Conu. XXI.

QVOD Tulantzingo, non vulgare oppidum, atque 50. paſſuum millibus Mexico diſtans, ab Hiſpanis, atque Indis mixtim inhabitetur, præſens conuentus communibus vtriuſq; nationis ſumptibus, in diui Ioannis Baptiſtæ honorem, intra

eius

A eius ambitum olim erectus, à 5.fratribus incolitur. Mortem obijt hoc in conuentu religioſiſſimus pater frater Ferdinandus Baſſacius natione Gallus, ac Prouinciæ Aquitaniæ alumnus; qui ex Hiſpania cum patre fratre Antonio de Ciudad Rodrigo, anno à Chriſti natiuitate 1530.ad has partes traijciens,cùm ſingulari quadam doctrina, præſtantiq; ingenio præditus eſſet, infra breuiſſimi temporis ſpatium Indicum idioma, in quo & varios ſermones, epiſtolas & euangelia in Eccleſia per totum annum legi ſolita feliciſſimè tranſtulit, apprimè didicit. Fuit præterea inſignis hic vir ſui ſtatus obſeruantiſſimus, ac in Euangelicæ prædicationis officio aſſiduus: inſuper & Indos oppidi Quauhtitlanis accolas, apud quos Guardianatus munere functus extitit, primus omnium concinere docuit. Indorum etiam de nouo ad fidem conuerſorum, ne interim in idolatriam relaberentur, tantam geſſit curam, tamq; ſeuerè eo-
B rum exceſſus corripuit, correxitque; vt apud aliquos ſeueritatis notam incurrerit; cum alioquin mitiſſimus,benigniſſimusq; eſſet. Ex hac vita nihilominus emigrans ab oībus ob ſingulares eius dotes, inculpatamq; vitã Deo carus,vereq; pius habitus eſt.

De conuentu S. Laurentij Tultitlanis. Conu. XXII.

TVLTITLANIS oppidum, 12. millibus paſſuum intra Aquilonem & Occidentem Mexico diſtans, à ſolis Indis inhabitatur, præſentique monaſterio, diuo martyri Laurentio ſacrato,& à 3.fratribus Minoritis inculto religioſè ſatis exornatur.

De conuentu S. Bonauenturæ Quauhtitlanis. Conu. XXIII.

C VT primùm Quauhtitlanici,expugnato per ſtrenuum heroëm ac militię Ducem Ferdinandum Corteſium Mexico,pacem ac otium aſſequuti ſunt,quicquid idolorum apud eos erat confringentes, hoc monaſterium, beato patri Bonauenturæ ſacrum, intra Quauhtitlanis communis oppidi mœnia communibus ſumptibus ædificandum curarunt. Diſtat autem Quauhtitlanis Mexico 12. millibus paſſuum: ſed Tultitlano (de quo ſtatim ſuperius) mille tantùm: ſimulq; & ab Indis & ab Hiſpanis inhabitatur. Commorantur frequentius hoc in conuentu 4. fratres Franciſcani.

De conuentu S. Franciſci Tepecxicij. Conu. XXIIII.

TEPECXICIVM oppidum, quod & nomine S. Franciſci de Fluuio appellatur, ad ſolos Indos ſpectat, diſtatq; Mexico 30. milliarijs vel circiter, inſuper & Franciſcano monaſterio,ſeraphico patri Franciſco dicato, quod à 4. fratribus,qui in
D rebus ſpiritum concernentibus eis adſunt, incolitur, mirum in modum honeſtatur.

De conuentu S. Ioſephi Tullæ. Conu. XXV.

STATIM vt Tullani, noſtris fratribus id maximè procurantibus, catholicam Fidem amplexati ſunt, omnia idola apud ſe olim erecta confringenda, eorum delubra igni tradenda, atque præſentem conuentum,diuo Ioſepho ſacrum, & à 4. religioſis plerunq; inhabitatum,ex publicis facultatibus ædificandum curarunt. Eſt autem Tulla non vulgare tum Hiſpanorum, tum quoque Indorum oppidum, diſtatq; Mexico 36. millibus paſſuum. Sepulti iacent hoc in conuentu venerabiles duo patres vita,atq; ſanctimonia inſignes, quorum vitas, vt interim Deus Opt.Max.in ſuis ſanctis laudetur, his attexere libet; & primò quidem fratris Chriſtophori Zamorenſis.

E *Vita patris ac fratris Chriſtophori Zamorenſis.*

TANTA fuit ſtrenui huius religioſi humilitas, vt Minoriticum ſuſcepturus habitum in Angelorum Prouincia, ab eius prouinciali Miniſtro interrogatus, quis nam eſſet, & vnde originem duceret, parentum ſuorum ingenuitatem abſconderit, celaueritq; qua etiam de cauſa repulſam ab eo paſſus eſt. Nec tamen ea propter eam detegere voluit: ſed vir ipſe nobilis, ac Leonoræ Gallorum Reginæ, Caroli V. Germanorum Imperatoris ac Hiſpaniæ Regis vterinæ ſororis olim Pincerna, inſuper & diuitijs potens,ruſtico ſub palliolo latens, ac pauperrimi, miſelliq; hominis formam præ ſe ferens,S.Gabrielis Prouinciã petijt;vbi tandem votum aſſequutus frater,Chriſtophorus à Zamora, cùm aliàs Chriſtophorus Romero appellaretur, nuncupari voluit.

luit. Cumq; in paupertate, oratione, abſtinentia ac cæteris demùm virtutibus mirũ A
in modũ profeciſſet, infideliũ Indorum ſalutem maximè ſitiens, ad has partes, in quibus quicquid ſibi vitæ reſiduum fuit, id totum in excolenda Dñi vinea conſumpſit, ac maximam tandem ſanctitatis opinionem ob morum candorem, perfectiſſimamq; paupertatem aſſequutus hoc ipſo loco in Dño obdormiuit, ex ſuperioris facultate traiecit.

De religioſo patre fratre Petro de Caſtello.

MINORITICVM induit religioſiſſimus hic pater habitum in Prouincia Conceptionis, atque ad ſacros Ordines promotus, poſtquam ſe in omni virtutum genere quàmdiligentiſſimè exercuiſſet, ad has regiones non ex aliqua animi leuitate, ſed ex ardenti charitate, ſub anno Dominicæ incarnationis 1534 de ſuperiorum facultate ſe tranſtulit. Cumque non abſque ingenti labore tum Mexicanum, tum Otomicum, quod ſanè difficillimum eſt, idioma didiciſſet, tot, tantosq; infideles B
ad fidem conuertit, vt vix credi poſſit. Idque ſanè aduerſa ferè ſemper valetudine, quam & patientiſſimè tulit. Nam licèt oculorum vſum ad Thobiæ inſtar amiſiſſet, & grauiſſimis podagræ doloribus conflictaretur; nõ ſecus ac alter Iob in ſterquilinio, nunquam ea propter aliquid ſtultum contra Deum loquutus eſt; immo potius nec temporis tantillum à diuinis laudibus ceſſauit inquiens: *Dominus intulit; Dominus ita vult; ſit eius nomen benedictum in ſæcula.* Hi erant continui huius tanti viri ſermones. Præterea quoties ſibi ab huiuſmodi afflictionibus reſpirare concedebatur, nec otio torpebat, nec reficiendo imbecilli corpuſculo vacabat; ſed vel ſacras Indorum confeſſiones excipiens, eos in fide confirmabat; vel aliquid de ſacro Euangelio pro ſuggeſtu proponebat; vel fratres Indicum idioma, quatenus pauperculis illis adiumento eſſe poſſet, traditis quibuſdam regulis edocebat. Paupertatem etiam, obedien- C
tiam, caſtitatem atque humilitatem orationi ferè ſemper intentus quàmdiligentiſſimè excoluit. Quibus deniq; virtutibus clarus, animam ſub anno Dñi 1567. ſuo Creatori reddidit, atque præcipui cuiuſdam honoris cauſa, quòd gratiſſimus Deo ab omnibus haberetur, hoc in loco ante maioris ſacelli gradus ſepultus fuit.

De conuentu S. Bartholomæi Tepetitlanis. Conu. XXVI.

QVAMVIS Tepetitlanis oppidum ſex millibus paſſuum Tulla diſtans, atque à ſolis Indis inhabitatum, nec magnitudine præſtet, nec diuitijs abundet: nihilominus tamen hunc apud ſe conuentum, Apoſtolo Bartholomęo ſacrum, atq; à tribus religioſis inhabitatũ, ex cõi ære à fundamentis ad verticẽ vſq; ædificatum voluit.

De conuentu S. Petri Xilotepecij. Conu. XXVII. D

QVAE præcedunt oppida Mexicana vtuntur lingua; quæ verò ſequuntur pro maiori parte Otomica, quæ ſanè (vt iã meminimus) difficillima eſt. Intra Otomica verò oppida principẽ obtinet locũ Xilotepecũ 40. mille paſſuum intercapedine à Mexico ſeiunctũ, à ſolisq; Indis inhabitatũ: cuius accolę pręſens monaſteriũ, à 4. fratribus plerunq; incultũ, in Apoſtoli Petri honorẽ cõibus ex facultatib. ædificari curarũt.

De conuentu S. Matthæi Veichiapæ. Conu. XXVIII.

REDDITVRI Veichiapani fratribus noſtris ob catholicam fidem, plurimaq; alia beneficia ab eis recepta debitas gratiarũ actiones, hunc illis conuentum, Mattheo Apoſtolo atque Euangeliſtæ dicatum, communibus ſumptibus conſtruxerunt. E
Diſtat Veichiapa Indorum oppidum Mexico 60. millibus paſſuum; ſubeſtque in temporalibus Xilotepeciano ſenatui; quatuorq; religioſos huius loci accolas omni proſequitur beneficio, omniq; humanitate, qui ſpiritualibus temporalia rependunt.

De conuentu S. Martini Aluexuiucanis. Conu. XXIX.

PARET quoq;, prout & proximè præcedẽs, Aluexuiucanis Indorum oppidum 60. etiam millibus paſſuum Mexico diſtans, Xilotepeciano Senatui in temporalibus; Minoriticumq; conuentum (de quo impræſentiarum) in S. Martini Turonenſium Epiſcopi honorem apud ſe ædificatũ, & à 3. fratribus Franciſcanis incultũ habet.

A *De conuentu S. Ioannis Baptiſtæ Sechu. Conu. XXX.*

SECHV oppidũ 100. millibus paſſuum Mexico diſtans ad Indos Chichimecas (de quibus aliquando inferius Deo fauente) attinet, Minoriticoq; hoc conuentu, diuo Io. Baptiſtę ſacrato, & à 3. fratribus inculto honeſtatur. Quia verò huiuſmodi Chichimecæ elato, atq; ad rebelliones parato aĩo præditi ſunt, nec ſemper eadem in ſententia perſiſtunt; non contemnendũ imminet fratribus hunc locũ inhabitantibus periculũ.

De conuentu Aſſumptionis B. Virginis Tulucæ. Conu. XXXI.

QVI Tulucam tum Hiſpanorum, tum quoq; Indorũ oppidum 30. milliarijs Mexico Occidentem verſus diſtãs inhabitant, non vno tantùm, aut altero idiomate vtuntur, ſed quadruplici, nempe Mexicano, Otomico, Matlatzingico atq; Hiſpano.
B Quapropter præſentis cõuentus, in Aſſumptionis B. Virginis honorẽ apud ſe olim cõſtructi, inhabitatio 20. fratribus eius accolis difficillima eſt: pręſertim dum quiſque illorũ pro viribus dat operã, vt præfatas oẽs linguas calleat, intelligatq; : quatenus oppidanis ad ſe cõfluentibus, vel in ſacris cõfeſſionibus excipiendis, vel quocunq; alio in negotio ſatisfacere poſſit. His accedit Theologicũ tum ſacræ ſcripturæ, tum quoq; ſcholaſticæ diſciplinæ ſtudiũ in eo erectum. Inter cęteros patres religione inſignes hoc in cõuentu ſepultos longè emicuit religioſiſſimus, ac de Franciſcana Religione optimè meritus P. F. Andreas à Caſtro: cuius vitam breuiori ſtylo depingere decreuimus.

De inſigni patre fratre Andrea à Caſtro.

FVIT pientiſſimus hic pater ex nobili ciuitate Burgenſi oriũdus, clarisq; ortus
C natalibus, ad adultam peruentus ętatem Franciſcanę Religionis habitum in Burgenſi conuentu, Burgenſis quoq; Prouinciæ, in quo & ſacris literis operam dedit, mirumq; in modũ tum in eis, tum quoq; in Religione profecit, feliciſſimè induit. Deinde Salmanticã ex facta ſibi facultate ſe conferens, quicquid ad perfectam ac plenam ſacroſanctæ Theoſophiæ, nec non monaſticæ diſciplinæ cognitionem deſiderare poterat, id ſub doctiſſimis Prælectoribus, atque inſtructoribus aſſequutus eſt. Diuulgabatur eo tẽporis per vniuerſam Hiſpaniam 12. eorũ patrum, quorum ſupra meminimus, fama; cumq; ad fratris Andreæ aures perueniſſet, maximo quodã diuini honoris zelo accenſus, cęteris interim oĩbus longè poſt ſe relictis, omnem mouit lapidem, vt ſe illis coniungeret. Obtenta itaq; à ſuis ſuperioribus facultate, atq; conſcenſo Hiſpalis nauigio, ad has regiones, ſub anno à partu Virgineo 1540. ſecundo itinere cõuolauit; ſta-
D timq; Mexicanam atq; Matlatzingicã linguas apprimè didicit; primusq; extitit, qui Matlatzingicis Chriſti fidem annuntiauit, prædicauitq; : inſuper & dictionarium, & huiuſmodi idiomatis addiſcendi artem, & Chriſtianam doctrinã, & varios ſermones Matlatzingica lingua cõpoſuit, ediditq;. Nec facilè eſt recenſere, quot infideles ad fidem conuerterit, quot eorum ſacro intinxerit lauacro, quot idola comminuerit, quot templa erexerit, quot vitia extirpauerit, quotq; labores eo in opere ſubierit. Habebat ſiquidẽ ſingulis tum Dominicis, tum quoq; feſtiuis diebus ternas diuerſo idiomate, nempe Matlatzingico, Mexicano & Hiſpano ad populum conciones, & quod ſibi tẽporis reliquum erat, id totum vel in ſacris excipiendis cõfeſſionibus, vel in diuinarũ rerum cõtemplatione, ac officij diuini perſolutione, ſimplici interim aqua, & aliquantulo panis, inſipidisq; herbis contentus, gaudens incumbebat. Diſcurrebat præterea
E aſperrimos per montes, plurimis paludibus ſuperatis, per ſyluas, perq; loca periculis plena, vt latitantes in eis barbaros Chriſto lucrifaceret, cæterorumq; Chriſtianorum albo aſcriberet. Somnum interim, reclinato vel ſupra nudam humum, vel ſuper aſſerem corpuſculo, ita parcè ſumebat, vt mirabile ſit, quo nam pacto viuere potuerit. A cætero ſtrictiſſimæ cuiuſdam paupertatis zelator ipſe frater Andreas à Caſtro omnẽ dignitatem, omnemq; honorem longè contemnens, vt pauperẽ Chriſtum pauper & ipſe, atq; humilis ſequi poſſet: ita Indis, quos tamen accerrimè ob cõmiſſa crimina arguebat, corripiebatq;, gratiſſimus extitit, vt mortuus maximis lamẽtationibus, lacrymis, fletibusq; ab ijs deſideratus fuerit. Obijt tantus hic pater, idq; cũ maxima ſanctitatis opinione, Tulucano hoc in cõuentu ſub anno 1577. atq; honorificè tumulatus eſt.

De con-

De conuentu S. Michaelis Cinacantepecij. Conu. XXXII. A

CINACANTEPECIVM Otomienſium oppidum,atq; ad tertium lapidem Tuluia diſtans, cùm in fratres noſtros ſumma ferretur beneuolētia,hoc illis monaſterium, Archangelo Michaëli ſacrum,& à 3. religioſis inhabitatum,ex publicis facultatibus intra ſui ambitum à fundamentis ad verticem vſque ædificari voluit.

De conuentu S. Ioannis Baptiſtæ Metepecij. Conu. XXXIII.

METEPECIVM Matlatzingenſium oppidum eſt,& in moribus,& in lingua, atque etiam in cultu à proximè præcedenti differt. Diſtat ſiquidem Mexico 24. milliarijs tantùm, vtiturque Matlatzingico idiomate ab Oromienſi omnino diuerſo, atque peculiares veſtes in amictu admittit. Conuenit tamen ſecum & in religione, & in pietate. Nam ad primum fratrum noſtrorum aduentum,adq; primam eorum prædicationem orthodoxam fidem ſimul cum illo amplexatum eſt; atque præſentem conuentum, Dominico præcurſori, diuo ſcilicet Ioanni Baptiſtæ ſacrum, apud ſe ædificari curauit.Cōmorantur frequētius hoc in loco 3.religioſiſſimi Franciſcani fratres. B

De conuentu SS.Petri & Pauli Callimaiæ. Conu. XXXIIII.

CALLIMAIENSES, ne Metepecianis ingratiores erga fratres noſtros,à quibus catholicam fidem, rectumq; viuendi modum acceperant, haberentur, hoc illis monaſterium in SS. Petri & Pauli Apoſtolorum honorem Callimaiæ, quod ſibi commune oppidum erat, diſtatq; Mexico 30. millibus paſſuum, erigi,perficiq; à fundamentis ad verticē vſq; curarūt. Inhabitatur frequētius hic conuētus à 3.religioſis. C

De conuentu Annuntiationis B.Virginis Quauhnaoacij.Conu.XXXV.

MEXICO celebri ciuitate in Caroli V. Germanorum Imperatoris poteſtatem ſecundò redacta, paceq; omnibus in gyro populis reſtituta, id maximè noſtri fratres curarunt, vt in ſingulis tum Indorum, tum quoque Hiſpanorum oppidis,atque ciuitatibus comminutis idolis monaſteria erigerentur: eoque factum eſt, vt & Quauhnaoacij, Indicè Quauhnaoac, hic conuentus, qui & à 6. fratribus plerunque incolitur,in Annuntiationis glorioſiſſimæ Virginis honorem conſtructus ſit: Mortem obiêre præfato hoc in conuentu præſtantiſſimi duo religioſi vita inſignes, atque religione ſpectabiles, quorum alteri Franciſcus Simbron, alteri verò Ferdinandus à Leiua nomen extitit: quorumque vitas paucis enarrare,in mediumq; proferre decreui. D

Vita fratris Franciſci Simbron.

FVIT religioſus hic pater ex Abula nobili Hiſpanorum ciuitate oriundus, claroſq; habuit parentes, à quibus in omni pietate,boniſq; moribus educatus,vt primùm ad adultam peruenit ætatem, Franciſcanæ Religionis habitum in deuoto Abulenſi Prouinciæ Conceptionis conuentu induit, ac tantopere in his, quæ ad Religionē pertinent, profecit, vt omnes ſibi coætaneos longè ſuperauerit. Aſſequutus præterea diligenti ſtudio ſacrarum literarum cognitionem, inque ſacris conſtitutus,cùm accepiſſet ea, quæ à noſtris fratribus apud infideles Indos agerentur, omni poſtpoſita mora, ad eos traijcere decreuit, vt vel ſic ſibi conſulere, illis prodeſſe, atque Deo opt. max. pro talento ſibi cælitus conceſſo, obſequi poſſet. Voti igitur compos effectus Indicum idioma apprimè didicit, in eoq; frequentiſſimas ad ruſticum illum, atque idolatriæ immerſum populum conciones, eximius interim paupertatis, obedientiæ, humanitatis, caſtimoniæ, orationis, abſtinentiæ atque omnium denique cæterarum virtutum cultor, habuit, innumeroſq; eius homines Chriſto lucrifecit: ac tandem meritis opimus, dierumq; plenus, dum huius loci Guardianum ſtrenuè ageret, animam ſuo omnipotenti Creatori, maximum ſui deſiderium omnibus relinquens, reſtituit. E

De fratre Ferdinando à Leiua.

EA potiſſimùm de cauſa religioſus hic frater profeſſione laicus,ac Prouinciæ Burgenſis alumnus,natiuo ſolo relicto, ad has partes ſe contulit, vt Indis de nouo ad fidem conuerſis,atq; couerten dis Chriſti fidem prædicaret.Sed cùm craſſiori eſſet ingenio,

A genio, nec memoria adeò polleret, relicto huiuſmodi propoſito,ſe totum ad orationē, humilitatiſq; opera conuertit. In quibus ſanè exercitijs eos fecit progreſſus, adeoq; profecit, vt non minus ipſe exemplo, quàm cæteri prædicatores verbo Chriſtianam pietatem,atq; doctrinam barbaras regionis iſtius nationes docuerit. Nam pauperrimo,ac ſupra modum vili indutus ſacco, nudiſq; perpetuò pedibus incedens, ac nudum ſuper aſſerem oppreſſos ſomno artus,ſupraq; modum ex continuo labore attritos reclinans, vix tantillum temporis ſpiritum ab oratione relaxabat. Præterea pauperibus maximè compatiens, quicquid ad manus habere poterat, id illis humaniſſimè erogabat. Vt autem id facilius efficere poſſet, nunquam à ferendis cucurbitis, alijsque oleribus & leguminibus, ipſiſq; quàm diligentiſſimè excolendis, irrigandiſq; ceſſabat. Quo demum fiebat, vt nec ipſe otio aliquando torperet, nec ſibi,quid egenis
B tribueret, deeſſet. In perferendis etiam infirmitatibus patientiſſimus cùm eſſet, nihil magis ab obedientia, humilitate, abſtinentia ac ſanctimonia coluit. Vnde & octogenarius ab hac vita diſcedens,maximam ſuæ ſanctitatis famam poſteris reliquit: nec ſecus ab Indis, atque Hiſpanis ac Deo carus habetur, coliturque,

De conuentu S. Iacobi Xiuhtepecij. Conu. XXXVI.

QVOD oppidum Xiuhtepecium,à Quauhnaoac,cui in temporalibus ſubeſt,tribus tantùm millibus paſſuum diſtans, non adeò pinguiorem fortunam nactum ſit, præſens conuentus,diuo Iacobo Apoſtolo ex publicis oppidanorum facultatibus in eo erectus, à 3. ſolummodò Franciſcanis fratribus inhabitatur, incoliturque.

C

De conuentu Aſſumptionis B. Virginis Tuchmilcij. Conu. XXXVII.

PRAESENS conuentus in Aſſumptionis Beatę Virginis honorem Tuchmilcij, quod Indorum oppidum eſt, atque Mexicano vtitur idiomate,erectus,& à 3. religioſis inhabitatus,cum 36. præcedentibus Archiepiſcopatus Mexicani finibus clauditur,circunſcribiturque:30.verò,qui ſequūtur, Tlaxcallanicū ad Epiſcopatū attinēt.

De conuentu S. Franciſci Populæ de Angelis. Conu. XXXVIII.

POPVLA de Angelis iſtius patriæ ciuitas ab Hiſpanis inhabitatur, eſtq; epiſcopali Sede inſignis,diſtatq; Mexico potentiſſima vrbe Orientem verſus ad 66.millia paſſuum, inſuper & Minoritico hoc conuentu, quem & 40. fratres ſat commodè inhabitant, & Philoſophiæ ſtudium commendatiſſimum reddit, & plurium religio-
D ſorum patrum (de quibus ſtatim inferius) funus ſupra modum exornat, non ita vulgariter honeſtatur. Inter eos verò patres, qui hoc in loco deceſſerunt, primus nobis occurrit reuerendiſſimus, ac omni religione clarus pater frater Martinus Sarmiento, ſecundus Tlaxcallanorum Epiſcopus; cuius vitam leuiori penicillo depictam hîc annectere non pigebit.

Vita reuerendiſſimi patris fratris Martini Sarmiento.

DVXIT origin præſtantiſſimus hic Antiſtes ex Hoja de Caſtro,diœceſis S Dñici oppido,ingenuoſq; habuit parētes,à quibus cùm in omni pietate,ac Dei timore educatus eſſet, adhuc puerulus eccleſias ſedulò frequentans,ſacrificio Miſſæ, ſacriſq; concionibus intentus aderat; & quicquid ex eis retuliſſet, id vterinæ ſorori, ac cæteris familiaribus conſcenſa ſede domi proponebat, à præfata interim ſorore petens, idq;
E præſago ſpiritu, vt ſibi futuro ſuo tempore Epiſcopo manum deoſcularetur: qua etiā de cauſa nō raro verbera pro manus deoſculatione retulit. Effectus poſtmodùm adultus,Minoriticum habitum Burgenſi in Prouincia induit, literiſq; tum philoſophicis, tum quoque theologicis,& ea in Prouincia, atque Valiſoleti operam dedit: ac tādem cum religioſiſſimo patre fratre Ioanne de Gaona eius prælectore,atq; Prouinciæ Conceptionis alumno, plurimiſq; alijs religioſis ſacerdotio initiatus, ac officio Prædicator,ad has partes, ſub anno à Virgineo partu 1538. ſe contulit. Cumque ingenio ac prudentia polleret, ab huius Prouincię patribus cum patre fratre Iacobo Teſtera eius Cuſtode, quatenus prouincialis Miniſtri vices ſuppleret, ad generale Capitulum Mantuæ ſub anno Domini 1541. celebrandum miſſus eſt. Cùm itaq; præfatus pater

frater

frater Iacobus Teſtera iam ſenio confectus ob eius maturitatem à generali Miniſtro in generalem nouæ Hiſpaniæ Commiſſarium per integrum ſexennium electus eſſet, ſibique frater Martinus Sarmiento caſu quo eius temporis curriculo è viuis decederet, ſubrogatus fuiſſet, ſuperueniente præmemorati fratris Iacobi Teſtera morte, ſibi in officio ſucceſſit, atque per integrum quinquennium Commiſſariatus generalis munere iſtis in partibus cum maxima omnium admiratione functus extitit. Accidit poſt aliquantulum temporis, vt religioſiſſimus pater, ac de omni commendatione optimè meritus frater Iulianus Garçes, Ordinis Prædicatorum alumnus, primusq; Tlaxcallanorum Epiſcopus è viuis excederet, ac Carolus V. Germanorum Imperator ſibi fratrem Martinum paſtorali in officio ſufficeret. Quod vt ille primùm reſciuit, nullo pacto, id vt acceptaret, compelli potuit, quouſque ſibi per religioſiſſimum patrem fratrem Toribium Motolinia prouincialem iſtius tunc Prouinciæ Vicarium in obedientiæ ſalutaris virtute iniunctum eſt. Aiebat ſiquidem huiuſmodi onus longè imbecilles ſui corporis atque ingenij vires ſuperare, quamobrem præſtaret illud, robuſtioris, ac doctioris alterius viri humeris ſuperimponere. Aſſumptus verò ad epiſcopalem dignitatem, nihil de antiquo rigore, aut ſolita humilitate remiſit, immo potius vili contentus tegmine, pedeſque incedens, non eſt dedignatus ſacros canones ſub fratre Ioanne Fucherio eorum prælectore addiſcere, nec humilioribus charitatis operibus vacare. Præterea pauperibus, miſeris, pupillis atque afflictis ex animo compatiens, quæ erant ſui muneris adeò diligenter, adeoque vigilanter præſtitit, vt nihil in eo deſiderari potuerit. Quamobrem tum Indis, tum quoque Hiſpanis gratiſſimus extitit. Nihil etiam magis à famulorum turba, atque opipara menſa abhorruit: quinimmo frugali refectione contentus, vnico tantùm fratre in ſociũ aſſumpto, commiſſum ſibi gregem luſtrare, ſibique ſacramenta de Epiſcopali more adminiſtrare conſueuerat. Hic denique vigilantiſſimus Præſul contracto ex quadam defatigatione morbo (miniſtrauerat ſiquidem innumeris ferè Indis per tres continuos dies vlla abſque reſpiratione Confirmationis ſacramentum) in hunc ſe recepit conuentum, atque ſacramentis munitus animam cęlo reddidit. Eius mortem omnes tum Hiſpani, tum quoque Indi maximis lamentationibus, lacrymis, atque ſingultibus proſequuti ſunt, maximũ interim ſuæ ſanctitatis teſtimonium reddentes, quia omnes illum tamquã verum patrẽ diligebant, venerabãtur, ac ſumma colebãt obſeruantia. Nec abs re ſanè, cùm nihil eo continentius, nihil humanius, nihil affabilius, ac nihil denique humilius extiterit.

De fratre Didaco Olarte.

FRATER Didacus Olarte eo ex oppido, quod Medellin Hiſpanicè nuncupatur, oriundus vnus eorum fuit, qui cum ſtrenuo illo heroë, ac Caroli V. Germanorum Imperatoris, Hiſpanięq; Regis exercitus Duce Ferdinãdo Corteſio tum Mexicum celeberrimã ciuitatẽ, atque Monteſſumę potentiſſimi Mexicanorũ Regis ſedem, tum quoque quod nouæ Hiſpaniæ reliquũ eſt, deuictis, debellatisq; Indis expugnantes præfati Hiſpaniæ Regis imperio ſubiugarunt, ac innumeros penè labores, innumeraque vitæ diſcrimina eo in negotio ſubierunt. Qui eius poſtmodum vitæ pertæſus, ac temporalem militiam, militaremque licentiam execratus, cùm adhuc vegeta eſſet ætate mũdi contemptis illecebris, ac ſeculo nequàm vale ex animo dicto Chriſti militiæ, ac Franciſcanæ Religioni, vt quod ſibi vitæ ſupererat, id in ea inſumeret, Minoritico habitu Mexicano in conuẽtu ſumpto, aſcribi voluit. In qua ſanè eos fecit progreſſus, ac adeò ſtrenuè militauit, vt primis illis duodecim huius Prouinciæ fundatoribus (de quibus ſat, ſuperque abundè ſuperius) comparandus facilè veniat. Fuit namque ab ipſo Religionis ingreſſu ad vltimum vſque vitæ halitum in perferendis laboribus patientiſſimus, profunda quadam humilitate prẹditus, ardenti erga Deum & proximum charitate inflammatus, in oratione aſſiduus, comis, affabilis, paupertatiſque & abſtinentiæ amantiſſimus. Præterea Indicum idioma non abſque labore aſſequutus ſacris concionibus, ac inſtruendis in fide barbaris iſtius patriæ nationibus quàm diligentiſſimè vacauit, ita vt innumeram eorum multitudinem ad fidem conuerterit. Eo etiam nihil humilius fuit, cùm in Guardianum, Diffinitorem, atque huius Prouinciæ Miniſtrum ſæpius electus nihil eorum, quæ ad iuniorem

A fratrem vel etiam nouitium ex munere ſpectant, prętermiſerit: & Epiſcopatum, à Philippo 2. Hiſpaniarum Rege ſibi oblatum, renuerit, aſſerens ſe tãto munere indignum, cùm alioquin digniſſimus eſſet, rogansq; eius Maieſtatẽ, vt ſe digniori tantum munus conferre dignaretur. Hic igitur tantus pater, cùm ex hac patria in Hiſpaniam ferè ſeptuagenarius ad præfati regis Philippi iuſſum traieciſſet, ſeq; de quibuſdam impoſturis ab vno, vel altero calumniatore falsò attributis luculentiſſimè purgaſſet, maximo cũ honore has in regiones, habito prius in Hiſpania ex regio mandato fratrum delectu, regreſſus, acutiſſimoque morbo correptus, hoc in ſancti Franciſci conuentu diem clauſit extremum, ſepultuſque extitit.

De PP. FF. Roderico Bienuenida, Michaele de Torreionzillo, & Ioanne de Beiar.

AD pręcedentes fratres hoc in ipſo S. Franciſci conuentu appoſitus eſt frater Ro-
B dericus Biẽuenida, Prouinciæ olim S Iacobi alumnus; qui ingenio pollens, ac Indorum ſalutẽ maximè ſitiens, ad has partes trãsfretauit; vbi poſtquàm Indicum idioma didiciſſet, tot populos tum intra huius Prouinciæ fines, tum quoq; Xaliſcana in regione, pręſertim verò in valle de Vanderas, quam pientiſſimus pater frater Frãciſcus Laurentius à montanis quibuſdam Indis inhabitandam curarat, ad fidem conuertit, vt vix ſibi parẽ ea in re habuerit. Fuit prætereа diligentiſſimus Dominicæ vineæ operarius, virtute præditus: qua etiam de cauſa ab omnibus & in vita, atq; etiam in morte maxima in veneratione habitus eſt.

Frater verò Michaël de Torreionzillo poſt ſuſceptum in Carthaginenſi Prouincia Minoriticum habitum, atq; poſt aſſequutam profundiſſimam quandam humilitatem cum oratione, paupertate, atque ardenti charitate coniunctam, has ad partes conuo-
C lans, Mexicanum idioma quàmcitiſſimè didicit; atque quod ſibi vitæ reliquum fuit, licèt exceſſiua quadam corpulentia grauaretur, aduerſaque conflictaretur valetudine, id totum in inſtruendis in fide Indis, ſacriſque eorum confeſſionibus excipiendis conſumpſit, emenſis interim ea propter plurimis milliarijs, aſperrimiſq; montibus ſuperatis: quare moriẽs hoc in loco maximũ ſanctitatis odorem oĩbus ſibi notis reliquit.

Idipſum quoque præſtitit humillimus pater frater Ioannes de Beiar, qui præfatæ Carthaginẽſis Prouincię alumnus, cum patre fratre Iacobo Teſtera ex Hiſpania huc ſub anno 1542. ſe contulit, adeoq; beatum Ioſephum Saluatoris Chriſti nutricium, ac glorioſiſſimę Virginis ſponſum coluit, adeoq; ſuis concionibus (vti par erat) extulit, vt in cauſa extiterit, quatenus vniuerſa hæc noua Hiſpania eũ ſibi in peculiarem patronum ſumpſerit. Fuit pręterea piẽtiſſimus hic vir ſui ſtatus ſupra modum obſeruãs,
D præcipuuſq; Euãgelicæ paupertatis cultor, inſuper & alterius cuiuſuis virtutis amãtiſſimus; ac ſenſitiuo apetitui tantopere dominatus extitit, vt nec aduerſitatibus fractus ſit, nec proſperis aliquando ſucceſſibus ſibi efferri contigerit: ſed ſemper ſibi ſimilis tum iſta, tum quoque illa æquo, atq; ſereno animo exceperit. Quod vel in eius exceſſu ſatis patuit: nam præmonitus à Medico, vt ſe ad tranſitum præpararet, quandoquidem intra duas horas ſibi moriendũ eſſet; immutatis vultibus, atque hilari animo reſpondit: *Immenſas ea tibi de re gratias ago; Deuſq; opt. max. tantæ conſolationis vices pro me rependere dignetur; nam nihil gratius auribus meis hoc nuncio inſonuiſſe potuit. Cupio ſiquidẽ diſſolui & eſſe cum Chriſto, vt tandem ille me recipiat, qui pro me mori dignatus eſt. Cæterum nihil ex maximo Dei beneficio mihi conſcius ſum, licèt non in hoc iuſtificatus ſim. Quod ſi quid interim criminis perpetrati me fugiat, id mihi ab illo miſericordiarum fonte condonari exoro.*
E Hiſque dictis maxima cum tranquillitate, dierum omnino, atque bonorum operum plenus animam exhalauit. His patribus adiuncti ſunt alij quàmplures religione inſignes, moribus clari, ac ſanctitate conſpicui; qui ſuis concionibus, optimiſq; exemplis pinguiſſimos fructus Dominicum in horreum intulêre, plurimiſque Indis ſalutis cauſa extiterunt. Inter quos enumerandi veniunt PP. Franc. de Villalbar Prouinciæ Burgẽſis, Ioãnes de Alameda Prouinciæ Cõcept. Melchior à Beneuẽto Prouinciæ S Gabri,

De conuentu S. Franciſci Totomioacanis Conu. XXXIX.

PRAESENS conuẽtus Totomioacanis, quod oppidulũ eſt à paucis Indis inhabitatum, tribuſque millibus paſſuum à Popula de Angelis diſtans, in honorem S.

Franciſci ex diuerſis oppidanorũ facultatibus iuxta eorũ exigentiam conſtructus eſt; qui à duobus tãtum fratribus inhabitatur, & hi in omni euentu ſpirituali illis adſunt. A

De conuentu Aſſumptionis B. Virginis Tlazcallæ Conu. XL.

TLAXCALLA perampla ciuitas eſt, atq; Tlaxcallenſis prouinciȩ metropolis, quàmplura Indorum oppida ſibi ſubiecta habens. Intra cuius ambitum præſens monaſterium, Aſſumptioni Virginis ſacrum, poſtquàm Mexicũ à ſtrenuo illo Hiſpanici exercitus Imperatore Ferdinando Corteſio ſecundò expugnatum fuit, ex diuerſis deuictorum ſpolijs, atque ex pijs ciuium eleemoſynis extructum eſt, in quo commorantur 10. fratres, quorum 3. ſacras ſaluberrimaſque ad populum conciones habent.

De conuentu S. Ioannis Baptiſtæ Tutellæ. Conu. XLI. B

SVNT à proximè præcedenti conuentu in Tlaxcallenſi prouincia & alij nouem diuerſis in oppidis erecti, quorum primus eſt is, qui ſub inuocatione S. Ioannis Baptiſtæ in oppido Tutulla ad mille tantùm paſſus à ciuitate Tlaxcalla, conſtructus ex diuerſis piorum oppidanorum eleemoſynis perſeuerat, & à 2. fratribus incolitur.

De conuentu S Philoſophi Cuixtlæ Conu. XLII.

SECVNDVS verò eiuſdem Tlaxcallenſis prouinciæ conuentus eſt is, qui in Apoſtoli Philippi honorem Cuixtlæ, quod Indorum oppidũ eſt, 6. milliarijs à præfata ciuitate Tlaxcalla Occidentem verſus diſtans, ex Tlaxcallenſium communibus ſumptibus ædificatus, & à 2. religioſis officio Prædicatoribus inhabitatus conſpicitur.

De conuentu oppidi Natiuitatis B. Virginis. Conu. XLIII. C

SPECTAT quoque ad eandem Tlaſcallenſem prouinciam id oppidum, quod 6. millibus paſſuum à Tlaxcalla ciuitate diſtans, interq; Meridiem, & Occidentem ſitum Natiuitatis D. Virginis nomine appellatur, ac prȩſenti conuentu, ex oppidanorum facultatibus olim conſtructo, & à duobus fratribus plerunq; inhabitato, gaudet.

De conuentu S. Ildephonſi Veiutlypanis. Conu. XLIIII.

DIVINAE laudis, & gloriæ cauſa Veiutlypanenſes hoc monaſterium, diuo Ildephonſo ſacrum, intra Veiutlypanis oppidi, quod 12. millibus paſſuum à Tlaxcalla diſtat, mœnia, communibus quoq; ſumptibus, atq; laboribus à fundamentis erexerunt, perfeceruntque. Inhabitatur verò præfatum hoc monaſterium à 2. religioſis. D

De conuentu S. Franciſci Topianci Conu. XLV.

PRAESENS conuentus Topoianci, quod Traxcallenſis prouinciæ oppidum eſt, diſtatq; Tlaxcalla 3. paſſuũ millibus, in S. Franciſci memoriã ædificatus extitit, & à 2. fratribus inhabitatur Hîc quidã Indus de nouo ad fidẽ cõuerſus, qui frates noſtros in S. Agathæ pago non longè à Topoianco diſtante humaniſſimo hoſpitio excipere aſſueuerat, grauiſſimam cùm in infirmitatem incidiſſet, factus in extaſi, coactum vidit iudicium: cui cùm iudicandus præſentaretur, à pluribus Dæmonibus àd tartara dedu cendus inuaditur; quibus cùm aliquot Angeli reſiſterent, ſuperuenit diuus Iacobus Apoſtolus, cui ille deuotiſſimus à ſui conuerſione fuerat, qui eum fugatis Dæmonibus à tanto diſcrimine liberauit. Hic tandem Indus in ſe conuerſus, quæ ſibi in ea mentis alienatione contigerant, tum fratribus, tum cæteris indigenis ex ordine narrans, in cauſa extitit, vt quàmplures ex illis barbaris de nouo ad fidem conuerſis idolatriæ, ac dæmoniacis ſuperſtitionibus, quibus immerſi (licèt occultè) adhuc tenebantur, vale omnino dicerent, Chriſtianiſq; præceptis à fratribus noſtris ſibi traditis firmius adhȩrent, conſentirentque. E

De conuentu oppidi S. Annæ. Conu. XLVI.

SIBI conſcij eius oppidi, quod S. Annæ nũcupatur, diſtatq; 6. miliarijs Orientẽ verſus à Tlaxcalla, accolȩ quantũ vtilitatis cȩteris in gyro Indis ex fratrum noſtrorũ

conſortio

A conſortio obueniſſet;hunc etiam illis conuentum, quem eorum duo ſat commodè inhabitarent,apud ſe erectum voluêre à quibus ſpiritualia bona recipiunt.

De conuentu Conceptionis B.Virginis Atliuetzæ. Conu. XLVII.

ATLIVETZENSES hoc apud ſe noſtris fratribus monaſteriū, Conceptioni virginis ſacrum,erigendum curarunt.Eſt autem Atliuetza Tlaxcallenſe oppidum;& inter Aquilonem & Occidentem ſita,ad quintum lapidem tantùm à Tlaxcalla metropoli diſtat. Inhabitatur interim hoc monaſterium à 2.ſolummodò fratribus.

De conuentu S.Ludouici Quamantlæ. Conu. XLVIII.

IMPVLSI huius Prouinciȩ fratres ſingulari quadā beneuolētia,& pietate,qua in
B miſeros huius regionis indigenas ferebantur, ne interim miſerrimè à Dæmone deluſi,deceptiq; perirent,hunc conuentū, S.Ludouico Toloſano Præſuli dicatum, Quamantlæ,quod Tlaxcallenſis Prouinciæ oppidum eſt, diſtatq; à ciuitate Tlaxcalla 15. millibus paſſuum,ex publicis tamen oppidanorum ſumptibus ædificari,perficiq; fecerunt,quatenus decem religioſi, quorum pars fidelium conuerſioni incumberet, reliqua verò patrium idioma addiſceret, in eo commodè habitare,ac commorari poſſent.

De conuentu S. Ioannis Baptiſtæ Atlancatepecij. Conu. XLIX.

SVAM erga fratres noſtros beneuolentiam,atq; recepta ob beneficia gratitudinē commendaturi Atlancatepeciani,hunc illis conuentum in S.Ioannis Baptiſtæ memoriam, Athlancatepecij, quod Tlaxcallenſis eiuſdē Prouinciȩ oppidū eſt, diſtatq; à
C Tlaxcalla metropoli Aquilonem verſus 16.milliarijs,ex publicis facultatibus ædificatū voluêre:inſuper & 2.fratres eius accolas omni humanitate,ac in omni euentu obſequio, ſpiritualibus temporalia beneficia rependentes, proſequuntur.

De conuentu SS. Petri & Pauli Cacatlanis. Conu. L.

CACATLANICOS in catholica fide, ſibi à noſtris fratribus ante 50. annos tradita,impræſentianum vſque perſeueraſſe teſtis eſt hic conuentus,in SS.Apoſtolorum Petri,& Pauli memoriam Cacatlanis,quod non vulgare oppidū eſt, diſtatque Mexico Aquilonem verſus 55.millibus paſſuum,erectus, & à 3.religioſis inhabitatus.

De conuentu S.Gabrielis Cholullæ Conu. LI.

D CHOLVLLA vnum eſt ex nobilioribus Indorum nouæ totius Hiſpaniæ oppidis,diſtatq; ab Angelorum Popula (cuius ſuprà meminimus) Occidētem verſus quinq; milliarijs : intra cuius ſepta præſens conuentus,Archangelo Gabrieli ſacer, & à 24.fratribus,quorū maior pars Latinis incumbit literis,inhabitatus,communibus oppidanorum ſumptibus in ipſa prima catholicæ fidei prædicatione ædificatus extitit.

De conuentu S.Michaelis Vexotzingi. Conu. LII.

MIRVM eſt quanto conatu veternoſus ille ſerpēs, Dæmon ſcilicet, laborauerit, ne Indi regionis iſtius indigenæ catholicā fidem ſuſciperent,quouſq; vlulatus, dum idola,in quibus ab eis colebantur,comminuerentur,ediderint;quibuſque artificijs,vt tandem noſtri fratres huiuſmodi comminutionis authores mactarentur,exter-
E minarenturque vſi fuerint. Quod vel hinc ſaltē coniectare licet.Nam curantibus prȩfatis fratribus, vt aliquot Indi hinc indè diſperſi ſimul congregarentur,conſtruerentq; humano more oppidum,quatenus ſic ſimul iuncti facilius edoceri, feliciuſq; in catholica fide inſtrui poſſent;auditæ ſunt iteratæ quȩdam, eæq; mœſtiſſimȩ voces aientes *Proh dolor,ecce auferūtur à nobis.*Quod vt primùm fratribus innotuit,curarunt ij,idq; diligentiſſimè,vt præſens conuentus,diuo Michaeli, cæleſtis militiæ Principi, qui olim draconem,eiuſque ſequaces cæleſtibus è ſedibus deturbauit, Vexotzingi, quod nobiliſſimum Indorum oppidum eſt,diſtatq; à prȩfato oppido Popula verſus Occidentem 12.millibus paſſuum,ex publicis eius habitatorum facultatibus conſtrueretur.Inhabitatur præfatus hic conuentus à 6.religioſis, qui eis in omni ſpirituali euentu adſunt.

De onuentu S. Mariæ de Ieſu Atlixci aliàs Acapetlaocanis. Con. LIII. A

ATLIXCVM ſiue Acapetlaocanis oppidum 13. millibus paſſuum à præfato oppido Popula diſtat, mixtimq; tum ab Hiſpanis, tum quoq; ab Indis inhabitatur, inſuper & duplici eccleſia, ſęculari ſcilicet, atq; regulari cohoneſtatur. Illa tamen, ſæcularis nempe, à parocho, qui Hiſpanorum gerit curam, incolitur: iſta verò, regularis videlicet, vtrorumq; oppidanorum ſumptibus olim ſub inuocatione S. Marię de Ieſu ædificata, à 4. Franciſcanis fratribus, qui Indos catholica imbuũt fide, inhabitatur.

De conuentu S. Andreæ Calpæ Conu. LIIII.

AD 15. lapidem à præfato oppido Popula Mexicum verſus Calpa plurium Indorũ oppidum occurrit: cuius mœnibus præſens conuentus, diuo Andreę Apoſtolo ex B publicis oppidanorum ſumptibus olim erectus, & à 3. fratribus inhabitatus exiſtit.

De conuentu S. Martini Quauhquechulæ Conu. LV.

CVPIENTIBVS noſtris fratribus Quauhquechulæ, quod mediocre Indorũ oppidum eſt, diſtatq; à præfato oppido Popula, idque Meridiem verſus, 18. milliarijs, commorari, adfuêre ſtatim eius proceres, qui præſentem conuentum in S. Martini memoriam illis ex publicis facultatibus ædificandum curarunt. Conuiuunt frequentius præfato hoc in conuentu 4. religioſi, qui illis ſacramenta miniſtrant.

De conuentu Aſſumptionis B. Virginis Amozocij. Conu. LVI.

PLVRIMVM valuiſſe apud Amozocianos noſtrorum fratrum authoritatem C cùm in omni re, tum maximè in præſenti conuentu exiſtimari poteſt. Licèt enim ij pauperes eſſent, nec ita multi (eſt enim Amozocium paruum, tenueq; Indorum oppidum 9. milliarijs à præfato oppido Popula Orientem verſus diſtans) inſuper & ab idolorum ſacerdotibus ſub diris comminationibus, ne id facerent, prohiberetur; nullo tamen pacto impediri potuerunt, quominus hunc conuentum, Aſſumptioni B. Virginis ſacrum, & à 3. fratribus impræſentiarum inhabitatum, illis erigerent, conſtruerentq́.

De conuentu S. Ioannis Baptiſtæ Quauhtinchæ. Conu. LVII.

METVENTES noſtri fratres ne Quauhtincha mediocre Indorum oppidum, 12. millibus paſſuum à pręfato oppido Popula diſtans, ſuſceptam fidem catholicam, ſe aliquando abſentibus, dereſeret, atque in idololatriam relaberetur, hunc apud D ſe conuentum, Dominico præcurſori ſacrum, & à 2. fratribus inhabitatum ex publicis facultatibus à fundamentis ad verticeem vſque ædificatum voluêre.

De conuentu S. Iacobi Tecallis Conu. LVIII.

IDEM omnino metus effecit, vt præfati fratres hunc etiam conuentum, diuo Iacobo Apoſtolo ſacrum, & à 3 religioſis incultũ, Tecallis, quod Indorũ oppidũ eſt, diſtatq; à pręfato oppido Popula 15. millibꝰ paſſuũ, ex publicis facultatibus cõſtruerẽt.

De conuentu S. Franciſci Tepeiacaci. Conu. LIX.

TEPEIACACVM oppidum, 18. millibus paſſuum à præmemorato oppido Popula Orientẽ verſus diſtans, cùm ab Indis, tũ quoq; ab Hiſpanis occupatur, præ- E ſentiq; conuentu, ex vtrorumq; oppidanorũ facultatibus in ſeraphici patris Franciſci honorem conſtructo, & à 5. religioſis inhabitato, cohoneſtatur, condecoraturque.

De conuentu S. Ioannis Euangeliſtæ Acatzingi. Conu. LX.

VT quam orthodoxam fidem Acatzingani fratribus noſtris prædicantibus imbiberãt, præcipitata ætate retinerẽt, nulloq; pacto vomitũ, idolatriã ſcilicet repeterent hunc conuentũ, diuo Ioanni Euãgeliſtæ ſacrũ, Acatzingi, quod Indorũ ſolummodò oppidum eſt, diſtatq; Popula, cuius ſuperius mentionem aliquãdo fecimus, 24 milliarijs, ædificatum, & à 3. religioſis, quorum duo ſacras ad populum conciones habent,

A beret̃,ſacramentaq; Eccleſiaſtica miniſtraret̃,incultũ huius Prouinciæ patres voluêre.

De conuentu S. Tho. Apoſtoli oppidi S. Tho. de Acatzingo. Conu. LXI.

DISTAT oppidum S. Thomę de Acatzingo 9. millibus paſſuum ab Acatzingo etiam Indorũ oppido,cuius proximè præcedenti loco: eſtque ſatis tenue,nec ita magnum;ideoq; hic conuentus,Apoſtolo Thomæ ſacratus,in eoq; olim conſtructus,à 2. tantùm fratribus,à quibus moribus & doctrina ſana imbuuntur,inhabitatur.

De conuentu S. Mariæ Magdalenæ Quechulaci. Conu. LXII.

EST Quechulacum Indorum oppidum, diſtatq; ab Angelorum Popula Orientẽ verſus 30 millibus paſſuum: quod cùm catholicam fidem à noſtris fratribus ſibi B prædicatam ſuſcepiſſet,hoc illis monaſterium,diuæ Marię Magdalenes ſacrum,ex publicis facultatibus ædificandum curauit. Inhabitatur autem præfatum hoc monaſterium à 3. religioſis,quos oppidani magno animi affectu & obſeruantia proſequuntur.

De conuentu Aſſumptionis B. Virginis Tecamachalci. Conu. LXIII.

CONVENTVS hic in Aſſumptionis B. Virginis honorẽ Tecamachalci, quod inſigne oppidum tum ab Hiſpanis, tum quoq; ab Indis inhabitatur, diſtatq; Meridiem verſus ab oppido Popula 27. milliarijs,erectus eſt;quem 4. fratres inhabitant.

De conuentu Conceptionis B. Virginis Teoacanis. Conu. LXIIII.

CVM Teoacanicos Minoritici vnius apud ſe ædificatio conuẽtus ad quandã immortalitatis ſpem raperet,hunc Conceptioni Marię ſacrum,& à 4. fratribus C incultum,vt primùm ſibi ab huius Prouinciæ patribus conceſſum extitit, intra communis oppidi mœnia à fundamentis ad apicem vſque conſtruendũ abſoluẽdumq; curarunt.

De conuentu Dominicæ natiuitatis Xalapæ. Conu. LXV.

FACTVRI ſedulò quæ huius Prouinciæ patres velle ſciebant Xalapani, hunc conuentum,Dominicę Natiuitati dicatum,& à 4. fratribus frequentius incultum, ſtatim poſt acceptam ab eis catholicam fidem,Xalapę,quod magnum ſatis oppidum eſt,diſtatq; ab Angelorũ Popula 100. milliarijs, vel circiter,communibus ſumptibus ædificari,perficiq; fecerunt. Mortem obijt hoc in conuentu, ſepultuſq; eſt religioſiſſimus pater frater Franciſcus Marquina Prouinciæ Cantabriæ alumnus,atq; ex Victo-D ria oriundus: qui ex propria Prouincia ad has regiones anno Domini 1550. traijciẽs, poſt aſſequutum Indicum idioma, tot, taleſq; in infidelium conuerſione fecit progreſſus, adeoque mitis,humanus, affabiliſque omnibus fuit, vt cuiuis alteri ex pręcipuis Dominicę vineę his in partibus cultoribus comparãdus facilè veniat, & ab oĩbus Deo dilectus paſſim nũcupatus ſit. Hic igitur tantus vir,grauiſſima infirmitate ex labore, & incommodis in ipſa catholicæ fidei prædicatione contracta, cum maxima ſanctitatis opinione,ac maximum ſui deſiderium confratribus relinquẽs,in Dño obdormiuit.

De conuentu S. Franciſci oppidi Veræcrucis. Conu. LXVI.

VERA CRVX inſigne Hiſpanorũ oppidũ 15. à celebri portu S. Ioãnis de Vlua milliarijs diſtat, interque cętera ædificia apud ſe erecta continet & hunc conuen-E tum,S. Franciſco ſacrũ,& à 4. fratribus incultũ:qui eiuſdẽ eſt cum ipſo oppido ætatis.

De conuentu S Franciſci Habanæ. Conu. LXVII.

VLTIMVM hac in Prouincia locũ obtinet is conuẽtus, qui ſub S. Frãciſci inuocatione Habanæ, quæ inſulæ Cubæ oppidũ eſt maritimo, tutoq; portu inſigne, diſtatq; à portu S. Ioannis de Vlua 900. milliarijs,erectus conſpicitur,quiq; à 4. fratribus inhabitatur. Qui ſanè conuentus, ſi eius fundationis ratio habeatur, multò antiquior eſt,quàmplurimis alijs ſe præcedentibus:nihilominus tamen quòd ex Prouincia Hiſpaniola, ſiue ſancti Dominici,cui pluribus ſubiacuit annis, legitimis ex cauſis de patrum conſenſu obuenerit,ideo ſexageſimusſeptimus ac vltimus ſibi locus contingit.

 A

De monaſterio S. Claræ Mexici.

EST hac in Prouincia à præcedentibus fratrum conuētibus quoddam Vrbaniſtarum ſororum Clariſſarum monaſterium Mexici erectum,& ab earum 50. inhabitatum; quod ex peculiaribus tum Hiſpanorum,tum quoque iuuencularum de nouo ad Ordinē aduentantium facultatibus à fundamētis ad apicē vſq; ædificatum extitit.

Cuſtodia S. Saluatoris.

ANNECTVNTVR huic Prouinciæ duæ Cuſtodiæ;quarum altera S.Saluatoris,altera verò S.Franciſci nomine nuncupatur.Illa tamen,S.Saluatoris ſcilicet, ea in ampliſſima regione,quæ Guaſteca ſiue Pannuco dicitur,conſtituta, ex 6.fratrum conuentibus, in quibus 12. tantùm fratres omnes ferè officio Concionatores commorantur,conſtat. De quibus nihilominus conuentibus, quòd non ita pridem ædificati ſint,quodq; nihil aliud memoria dignum à vita felicique tranſitu pientiſſimi patris fratris Andreæ de Olmos in eorum altero, Tampicano videlicet,vita functi nobis miniſtrēt,nihil penitus dicemus: ſed ad enarrandā eius vitam feſtino gradu tranſibimus. B

Vita patris fratris Andreæ de Olmos.

DVXIT originem religioſiſſimus pater ex quodam Burgenſis diœceſis oppidulo,honeſtiſſimoſque habuit parentes:quibus orbatus,vterinæ ſorori honeſto viro nuptæ in oppido Olmos, vnde & cognomen Minoritico indutus habitu trahere voluit,per aliquot annos conuixit.Effectus verò adoleſcens, cùm à teneris vnguiculis Latinis inſudaſſet literis, Iuri tum ciuili,tum quoq; canonico ſedulam nauauit operam, ac 20. ſuæ ætatis annum attingens Franciſcanæ Religioni in Minoritico Prouinciæ Conceptionis Valiſoletano conuentu nomen dedit.Cùmq; ingenio polleret,poſt trāſactos probationis dies ad Philoſophiæ, ac ſacræ Theologiæ ſtudium à patribus promotus eſt.Quorum ſpei de ſe conceptæ dum ille ſatisfacere ſatagit, in doctiſſimum virum,inſignemq; Eccleſiaſtem euaſit.Agebat per id tempus Tribulēſis Minoritici conuentus Guardianum omni commendatione digniſſimus pater frater Ioannes Zumarraga,qui cùm ab hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus, idq; ad Caroli V inſtantiam, in Cantabriam de quibuſdam lamijs cogniturus Commiſſarius eſſet miſſus,fratrem noſtrum Andream in ſocium,atque in tanto negotio cooperatorem habere voluit. Accidit præterea,vt,inſtante eodem Carolo V.Imperatore,præfatus pater Ioānes Zumarraga ad Mexicanum Epiſcopatum ſub anno 1528. aſſumeretur; vtque eundem fratrē Ioannem ſecum etiam habere vellet. Quamobrem agnoſcens ille quantum vtilitatis nouellæ ei Eccleſiæ ſuis concionibus afferre poſſet,intrepidè ſe tanto accinxit itineri; ac conſcenſa Hiſpalis naui præfato cum Epiſcopo has ad partes traiecit; miſeriſque eius indigenis per 43.continuos annos maximo adiumento,maximoque vſui fuit. C D

Erat tantus hic vir mediocris ſtaturæ, robuſtioriſq; complexionis; vnde & quoduis pœnitentiæ genus ferre poterat,quod ille prænoſcens, ſuum corpus ſingulari quadā abſtinentia,immenſiſq; laboribus affligebat.Nam aſſequutus prius tum Mexicana,tū Totonaca,tum Tepuaca,tum quoque Vaxteca linguis,cilicio equinis ex crinibus cōfecto ad carnes amictus, & pauperrimo,eoq; ſimplici,habitu contectus,ac nudis pedibus incedens,nihil interim aliud à quibuſdam herbarum radicibus, & patrio illius regionis pane in cibum,& aqua in potum admittens,eas omnes Prouincias,quarum linguas didicerat,plurimis interim montibus ſupra modum aſperrimis, feriſq; ſcatentibus,ac plurimis tum paludibus,tum quoq; fluuijs profundiſſimis,non abſq; præſentiſſimo vitæ diſcrimine,ſuperatis,luſtrabat; nihilq; penitus intactum relinquebat, vt efferatos illarum gentiū mores ad frugem corrigeret;idolatriam,comminutis atq; in fruſtra redactis idolis,templiſq; ſuccenſis,ex earum pectoribus prorſus eliminaret,horrēdum illud crimen,carnis ſcilicet humanæ comeſtionem, cum alijs quàmplurimis abhominationibus coniunctum, eiſq; ſupra modum familiare omnino extingueret; ac tandem,erectis catholico more eccleſijs,eas ad Chriſtum conuerteret, Chriſtianiſque moribus imbueret.Nec facilè quis referre poſſet, quot calumnias, quotque impoſturas eo in negotio ille ſuſtinuerit,quot labores & miſerias ſuperauerit,ac quæ denique vitę E

diſcri-

A diſcrimina ſępè ſępius ſubierit. Quæ tamen vir prudens patientiæ clypeo protectus, diuinoque fretus auxilio, inuicto pectore, atque conſtanti pede compreſſit, ſolū Deum, cui ſe totum deuouerat, commiſeratque præ oculis habens. Nec interim ſua ſe ſpes fefellit: reuexit namque, idque Dei fauore, glorioſam tantis de tribulationibus victoriam; ſtratoque Dæmone de eis omnibus triumphauit, ac tandem crucis trophęum infinitis penè in locis erexit.

Licèt enim tantus hic pater vir doctiſſimus, prudentiſſimusque eſſet, ac plures (vt meminimus) calleret linguas, nihilominus tamē quàmhumillimè de ſe ſentiebat, inutilem ſe ſeruum, atque ad honores & munia minus aptum, minusque idoneum exiſtimans. Qua etiam de cauſa in id maximè incumbebat, vt tum à ciuitatibus, tum quoq; ab oppidis, & fratrū conuentibus barbaras inter nationes, atq; omnino ſylueſtres ageret; quatenus nec à correligioſis ad aliquod Ordinis officiū, quod illi maximè affectabant, promoueretur; nec à ſæcularibus vrbanitate prędítis, & in ſe maximè propēſis honoraretur. Interim tamē nec oleū, nec operā (vt aiunt) perdidit: nā ad Chichimecas efferatiſſimos homines vſq; penetrans, quāplurimis tēplis, & crucibus montoſis illis, atq; inuijs in regionibus erectis innumeros penè infideles, atq; plurimis tū ſuperſtitionibus, tū quoque impietatibus deditos ſacro regenerationis lauacro abluit; catholicam fidem docuit; belluinos mores relinquere coëgit, ac tandem in omni pietate inſtruxit. A quibus tamen non ſemel, atque ſecundò, immo ſæpè ſæpius inſidias, vt morti traderetur, perpeſſus eſt. Has tamen, diuino ſibi opitulante fauore, elumbes reddidit. Cùm enim ſemel feria v. in cæna Domini aliquot barbari idolorum comminutionem, exterminationemque ægrè ferentes, ſtraminaceum tuguriolum à venerabili patre Andrea

C conſtructum, contortis in ipſum ignitis ſagittis, comburere ſatagerent, conarēturque, vt ipſum inde egreſſum poſtea occiderent, comederentque: adeò ſtramen, licèt ſicciſſimum reſtitit, vt nihil penitus detrimenti præfatum tuguriolum perpeſſum ſit; & illi tum rubore, tum quoque timore perfuſi, exiſtimantes aliquid diuinitatis in homine latere, (vt ipſimet poſtmodum faſſi ſunt) inde re infecta abſceſserint. Præterea cùm ſemel atque iterum inter agendum iter ijdem barbari, vel in ſyluis, vel in montibus ſanctum hunc patrem ſagittis confodere niſſi ſint; nihilminus præſtare potuerunt, retortis interim ſagittis in ipſos ſagittarios recidentibus Quod vt illi ex multiplici experiētia didicerunt, ab illo in poſterum perſequendo deſtitêre, nec ſecus ac ſanctum virum, atque à Deo miſſum in poſterum habuêre, veneratique ſunt.

Fuit Dominicæ crucis obſeruantiſſimus, nihilque magis in ore habebat, quàm illud Apoſtoli Pauli: *Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quē mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Et ne eius acta ab huiuſmodi verbis diſſentire viderentur, quicquid delectamenti, aut requiei proprio corpori afferre poterat, id ſibi omnino ſubtrahebat; vt vel ſic Chriſtum cruci affixum expeditius ſequi poſſet, ſibiq; pro viribus conformaretur. Præterea crucem perpetuò manu geſtans, quò ſe illi maiores offerebant difficultates, eò hilarior euadebat, inquiens: *Quid volo niſi crucem? Quid mihi cum voluptatibus? Non ne in hac Chriſtus Dominus pro me mori dignatus fuit? Libenter itaq; pro eius amore & ego quamcunq; amplexabor crucem, vt tandem ille me recipiat, qui & me in cruce redemit.* Quicquid verò temporis ſibi vel à concionibus, vel à ſacris confeſſionibus excipiendis, vel à catechizandis catechumenis, vel ab oratione reliquum erat, id totum ab vna vel altera hora, qua ſomno, & reficiendo corpuſculo

E indulgebat, vel in perlegendis ſacrę ſcripturæ libris, vel in ſcribendo inſumebat. Cuius ſanè rei teſtes ſunt ſequentes à ſe editi tractatus, nempe Alphonſi à Caſtro opus aduerſus hęreſes ex Latina lingua in Hiſpanicam metricè traductum: Libellus de finali iudicio doctiſſimus, atque Indis omnino, neceſſarius, Indica lingua editus: Ars addicendi linguam Mexicanam: Dictionarium eiuſdem linguæ: Doctiſſima quædam problemata eadem lingua compoſita: Tractatus ſacramentorum Mexicano etiam idiomate: Tractatus de ſacrilegijs eodem prorſus idiomate: Libellus doctiſſimos ſeptem ſermones Mexicana lingua elaboratos continens: Ars addiſcendilinguam Vaſtecam: Dictionarium eiuſdem linguæ Vaſtecæ: Tractatus ſeptem peccatorum mortalium lingua Vaſteca: Doctrina Chriſtiana eadem etiam lingua: Modus confitendi eadem

penitus

penitus linguā: Ars addiſcendi Totonacum idioma: Vocabulariū eiuſdem Totonaci idiomatis. Qui omnes libri vt vulgari lingua ſunt editi, ita Indis de nouo ad fidem conuerſis maximo ſunt vſui, maximeque neceſſarij. A

Paulò antequam deuotiſſimus hic pater carnis ergaſtulo ſolutus: aſtra (vt piè creditur) peteret. Indi Chichimecæ, quos ille ſummo labore ad fidem conuerterat, tum Regi, tum quoq; proprio Archiepiſcopo rebellarunt. Cumque ob itinerum difficultates, obque eorum ferocitatem difficilis ad eos pateret acceſſus, zelantiſſimus hic pater, omni poſtpoſito vitæ diſcrimine (licèt quàmplurimi, ne id faceret, diſſuadere conarentur) præcipitata iam ætate, ac penè languente, ad eos penetrauit: tantumque ſuis concionibus, pijſque adhortationibus effecit, vt eos ad facti pœnitentiam, atque ad ſaniorem mentem reduxerit, & ab illis diſcedens, cùm ſe breui moriturum, nec eos amplius viſurum aſſeueraſſet, maximum ſui deſiderium reliquerit. Præſago etiam ſpiritu inſigni cuidam ſibi nepoti, Auguſtiniani Ordinis alumno, quæ ſibi euentura erant, multò antea prædixit, ſecumque ea deplorauit. Præterea Indo cuidam infirmo, qui ſibi commiſſa crimina in cōfeſſione detexerat, ab eo diſcedens, cùm adhuc benè valeret, dixit: Maneto in pace, proque me orare memento, cùm per horam tantùm ante me moriturus ſis. Quod omnino euenit: nam poſt horam à præfati Indi morte frater Andreas animam cælo reddidit. B

Statim vt deuotiſſimus pater Andreas de Olmos relictis Chichimecis (quorū ſuprà meminimus) ſe Tampricum Hiſpanorum oppidum contulit, in grauiſſimam quandam infirmitatem ex interiori apoſtemate contractum incidit: cumque ſe morti propinquum cerneret, fratres eius loci habitatores ad ſe vocari iuſſit; cùm que illis prius generalem omnium peccatorum confeſſionem feciſſet, ac ſumpto viatico, oleo etiam ſancto iniungi voluiſſet, poſt pijſſimam collationem de paupertate ſeruanda, deq; mutua charitate in inuicem habenda, ac demum de omnibus religioſum ſtatum concernentibus præhabitam, poſtque veniam de malis exemplis exhibitis, deque exceſſibus, ſi qui forte eſſent, in ſe commiſſis de more petitam, ac poſt oſculum pacis datum, cunctam ſupellectilem, nēpe roſarium, quo Angelicam ſalutationem ſępius repetere ſolitus erat, grana aliquot à ſummo Pontifice benedicta, aſperrimum cilicium, quo amictus erat, & flagellū, quo cædi aſſueuerat (has diſciplinas vulgò vocant) diſtribuit, ac facto ſuper eos ſigno crucis benedixit, ſtatimq; poſt Apoſtolorum ſymbolum quàm deuotiſſimè recitatum, animā exhalauit. Eius corpus, quod prius ſuffuſcum erat, ſtatim poſt mortem candidiſſimum, miro quodam ſplendore fulgens, ac ſuauiſſimè olens apparuit, ita vt omnes tum religioſi, tum quoque ſæculares ſupra modum admirarentur, recrearenturque. Audita fuit præterea ſuauiſſima quædam inſtrumentorum diuerſi generis in aëre harmonia, atq; Angelicus concentus. Quod hauddubiè omnibus ſuæ felicitatis patentiſſimum extitit argumentum, cui & ſequens miraculum aſtipulari videtur. Laborabat cariſſimus quidam olim ſibi amicus Hiſpanus grauiſſima quadam infirmitate; cumq; eius corpus ex antiquiori ſepulcro ad aliud multò honeſtius honoris cauſa transferretur, is ad eccleſiam deduci voluit, hauſtamque ex tumulo terram languido admouit corpori, ac ſtatim ſtupentibus qui aderant, incolumis omnino exiliens pręibat, neminemque, qui ſe duceret, amplius requirebat. C D

Cuſtodia S Franciſci Zacatecas.

DISTAT hæc S. Franciſci Cuſtodia, idque Aquilonem verſus à Mexico celebri ciuitate, ac nouæ totius Hiſpaniæ facilè principe 240. milliarijs, protenditurque verſus eundem Aquilonem ad alia ferè 500. milliaria, conſtatque ex 10. fratrum conuentibus, in quibus 40. commorantur religioſi. De his tamen conuentibus, quòd non ita antiquiores ſint, nihil aliud dicere decreuimus: quamobrem, adducta præſtantiſſimi fratris Hyacinthi à S. Franciſco, qui in eorum altero non abſque ſanctitatis opinione diem clauſit extremum, in medium vita, pręfatæ huic Cuſtodiæ finem imponemus. E

De fratre Hyacintho à S. Franciſco.

FVIT is religioſiſſimus pater vnus ex nouæ Hiſpaniæ expugnatoribus, qui cum ſtrenuo illo Hiſpanici exercitus Imperatore Ferdinando Corteſio has ad regiones

traiecēre

A traiecêre, illaſque Caroli V. Germanorum Imperatoris, ac Hiſpaniæ Regis imperio
ſubegerunt. Hic igitur, poſtquàm edomitis Indis, ac Mexico capto, in diſtributionis
ſortem Veitlalpam, atque Tlatlacatepecem Indorum oppida habuiſſet, plurimumq;
tum argenti, tum quoque auri, atque 500. captiuos bello partos poſſideret, vnum,
vel alterum Indum ſibi famulum ad certum locum cum mandatis deſtinauit. Cumq;
eos à quibuſdam infidelibus Indis captos, vt idolis ſacrificati comederentur, acce-
piſſet, cum expedita vernaculorum manu illos liberaturus feſtinauit: Sed preualenti-
bus inimicis pedem retrahere cogitur, ex eorumque manibus maximo Dei beneficio
lapſus eſt. Dum itaque laſſus omnino, ac in tuto poſitus, ſe ſopori dediſſet; tamquam
in extaſi factus tremendo cuidam tribunali ſiſtitur, & à Iudice quædam ob crimina
grauiſſimè correptus, captiuos manumittere, diuitijs ſe abdicare, ſeque Religioni
B mancipare, ſi tamen propriæ ſaluti conſultum cupiat, iubetur. Qui tandem in ſe reuer-
ſus, ac in alium virum mutatus, vt primum propriam domum petijt, captiuis optatam
libertatem reſtituit, atque cætera ſibi à præfato Iudice imperata exequutus, Minoriti-
cum habitum Mexicano in conuentu induit: nulloque pacto cogi potuit, vt ſacerdotũ
albo aſcriberetur, licèt humanioribus literis præditus eſſet, ſed inter profeſſos lai-
cos referri voluit. Non tamen ea propter ſeruus fuit inutilis; nam profundiſſima qua-
dam humilitate, obedientia, paupertate cum oratione & charitate coniunctis prædi-
tus, omnibus tum Indis, tum quoque Hiſpanis bene viuendi, beneque operandi exem-
plar extitit. Fructus præterea plurimos per annos, idque maxima cum laude, portarij
officio in conuentu Mexicano fungẽs, cùm infidelium ſalutem maximè ſitiret, iam ſe-
nex omnino ad Indos quoſdam Chichimecas, Zacatecis oppoſitos, ac maximè inimi-
C cos cum quibusdã tum militibus, tum quoque religioſis ſub anno Dominicæ incarna-
tionis 1560. de ſuperiorum facultate penetrauit. Cumque illorum barbarorum pluri-
mis armorum vi edomitis, apud eos per ſexennium commoratus eſſet, atque non ita
paucos ſuis adhortationibus ad fidem conuertiſſet; eo in oppido, quod nomen Dei nũ-
cupatur, anno Domini 1566. diem clauſit extremum, ac Minoritico in iſtius Cuſtodiæ
conuentu ibidem conſtructo ſepultus eſt. Eius corpus fortè fortuna poſt annum exhu
matum, vt ad aliud honeſtius ſepulcrum transferretur, integrum omnino, illæſum, at-
que ſuauiſſimè redolens apparuit. Quod & in cauſa extitit, vt tum ab Indis, tum quoq;
ab Hiſpanis in veneratione in poſterum haberetur.

Et hæc quidem de S. Euangelij Prouincia, deque eius conuentibus & Cuſtodijs pro
ſeruato hucuſque more dicta ſunto. Huic tandẽ Prouinciæ finem imponemus, ſi prius
D inſignes aliquot patres, atque inuictos Chriſti athletas, qui pro eius amore, proque ca
tholicæ fidei prædicatione ſanguinem ſuum ijs in regionibus fuderunt, in mediũ ad-
duxerimus. Interim ne miretur (obſecro) pius lector, quòd ijs martyribus certum lo-
cum minimè aſſignauerimus, quodque eorum agones tamquam nobiliſſimas, radian-
teſque gemmas ad hanc Prouinciam præter morem appenderimus: nam non ipſis in
conuentibus, ſed apud barbaros, dum eorum conuerſioni feruentius intendunt, vitam
concluſêre, atque imprimis ſeſe nobis offert P.F. Bernardus Coſin natione Gallus.

De martyrio fratris Bernardi Coſin.

RELIGIOSISSIMVS is pater primus fuit qui in nouam barbarorum, atro-
ciumque Indorum, qui Chichimecæ appellantur, regionem introiuit, primo-
que ab Indis quibusdam amicis (qui erant pacifici) officioſè comitatus excelſa mon-
E tium loca (quæ noua Cãtabria ab Hiſpanis nominatur) non ſine moleſtijs, anguſtijs, ac
periculis varijs conſcendit; indeque abſcedens obuios habuit Indos quoſdam barba-
ros, feroſque, qui ſtatim tendentes arcus, ſagittaſq; in eum iacientes, ab emiſſis eorũdẽ
ſagittis repercuſſi ſunt; timoreq; ac ſtupore preſſi, atq; confuſi diſceſsêre. Is verò pro-
grediens ad vallem, quę dicitur de Guardiana, peruenit; vbi ſedulò ac ſtrenuè incum-
bens ſaluti animarũ; quæ effuſo pretioſo Chriſti ſanguine ſunt redemptæ, à furibundis
barbarorũ illorum turmis (qui Chichimecæ vocãtur) trucidatus obdormiuit in Domi
no. Hæ verò gentes Chichimecæ ferinis moribus viuunt, ac ferociſſimæ ſunt, & ſine Re
ge, ſine lege, & ſine religione, tum Dæmones, tum idola monſtruoſa adorant: ex ſe ip-
ſis autem Duces eligunt, cum quibus turmatim vbique diſcurrunt, occidunt, depredã-
turque

turque.Aliqualem nihilominus Chriſtianæ diſciplinę notitiam habent,ob frequentem A
Minorum fratrum præſentiam;qui conuerſionis eorum cauſa ad illos accedunt;atque
multo labore,diuturna ſolicitudine,ærumnis,anguſtijs,ac moleſtijs varijs (ob eorũ cæ-
citatem)ad Chriſtianæ fidei obſeruantiam , aliquos ex eis difficillimè conuertunt.Vn
de huius Inſtituti religioſi quamplurimi ab eiuſdem hac de re ſunt interfecti.

De martyrio aliorum fratrum Minorum de Obſeruantia.

ANNO Domini 1555. duo fratres Minores de Obſeruantia , quorum vnus erat
ſenex,& ſacerdos,alter verò iuuenis,barbaricę Indorum feritati obuiantes,atq;
in verę fidei,ac propriæ Religionis profeſſione conſtãtes, ab ipſis infidelibus atrociſ-
ſimè cæſi ſunt.Horum ſeries martyrij eſt nobis incognita ; quia in regione valde lon-
ginqua ab ea,quam incolunt Hiſpani,iam paſſi fuêre, & ſanguinẽ pro Chriſto fudêre.

De martyrio fratris Ioannis de Tapia. B

ANNO verò ſequenti nempe milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſexto F.
Ioannes de Tapia vallem quandam de Guadiana montibus de Zacatecas ſubie
ctã introgreſſus , ibique pro Indorũ conuerſione verbũ Dei prædicans, circa mille ad
catholicam fidem conuerſos baptizauit.Poſtmodùm autem Guadalfagiaram ciuitatẽ
ab Hiſpanis non ita pridem ædificatam regreſſus eſt, vt in Capitulo, quod ibi celebra-
batur,proprio Pręlato actus ſuos referret,ac eorum,quæ geſſerat,rationem redderet.
Huc verò multos infideles Chichimecas ſecum duxerat , vt Prælatus ipſe animarum
eſuriem,egeſtatemque,ac neceſſitatem Euangelicæ prædicationis,& ſalutaris diſcipli-
nę perſpiciens,pietate,zeloque humanæ ſalutis motus,licentiam,atq; obedientiæ me-
ritum ei impenderet; vt is ſuſceptam iam , & intentam ad animarum conuerſionem
prouinciam,cœptumque in pio opere laborem, vnde diſceſſerat reuertens, proſeque- C
retur.Qua ſanè licentia,ac obedientia obtenta,denuò ad munus charitatis obeundum
redijt : at verò in ipſo itinere procul à Zacatecis milliaribus decem ab Indis quibuſdã
barbaris,Guachichiles appellatis,furioſè inuaſus , genuflexuſq; Crucifixi imaginem
manu tenens crudeliter interfectus, cum martyrij palma glorioſus migrauit ad Do-
minum . Hic religioſæ admodum, & exemplaris vitæ,ſuæque ſeraphicę profeſſionis,
& inſtitutionis obſeruantiſſimus fuit,feruenſque ſpiritu in infidelium conuerſione,cui
ſolerter,ac ſtrenuè diu operam dedit, à quodam etiam Chriſtianæ, ſpectatæque vitæ
Indo,Luca nomine,in hac pia actione adiutus,donec tandem,poſt impenſos pro Chri
ſti nomine labores,è mortalis corporis ergaſtulo per manus infidelium liberatus, triũ-
phans ad cælos euolauit . Corpus verò illius in conuentu de Zacatecas , qui ad hanc
S Euangelij Prouinciam,ſub S.Franciſci Cuſtodia pertinet,ſepulturæ traditum eſt. D

De martyrio fratris Ioannis Serrado.

ITIDEM frater Ioannes Serrado ſacerdos , qui iam Franciſcani Inſtituti habitũ
in hac eadem S.Euangelij Prouincia ſuſceperat; atque ad quædã conſtruenda ædi-
ficia,ex obedientiæ mandato,Xaliſcum(quod ipſiuſmet Prouinciæ tunc reputabatur
Cuſtodia) prõptè perrexerat;dum in regione illa Guardianus eſſet,conuentus Zapu
chani,licentia ac benedictione à proprio Prælato petita,ad Indos illos barbaros de Za
catecas(hoc eſt Chichimecas)conuertendos ſe contulit,quorum aliquos cùm ad veri-
tatis cognitionem,atque catholicæ fidei confeſſionem redegiſſet, eſſetque Chriſtianæ
doctrinę, intentus, vibratis vndique ſagittis ab infidelibus atrociter iaculatur,ſicque
examinatus cum martyrij corona ad martyrum Regem felici morte tranſmittitur .

De frat i; Ioannis à S. Maria martyrio. E

PRÆTEREA anno Domini 1580.frater Auguſtinus Rodriguez,qui à Prouin
cia S Euangelij erat valde remotus;ac per aliquot annos in regione Zacatecarum,
inter Indos Chichimecas peregrinatus fuerat , zelo ſalutis animarum actus in pium
conuerſionis barbarorum illorum infidelium opus ad ipſam Prouinciam perueniens,
ex eadem fratres quandoque aſſumpſit, vt illuc rediret.Quippe qui feruens ſpiritu , &
animarum conuerſionem anhelans indagare,explorareq; ſtuduit,an in regione,quæ
vlterius,atque intimius Aquilonem verſus extenditur,aliqui Indorum populi reperi-
rentur.Idque quamplurimis diebus perquirens,gentesque innumeras,plebeoſque mul
tos turbidos, atque confuſos reperiens,Mexicum adijt,vt pro eorum conuerſione fra-
tres ſecum

A tres ſecũ adduceret. Cũ eo igitur frater Franciſcus Lopetius,& frater Ioãnes à ſancta
Maria ſacerdotes,atq; Minoritico in conuentu Mexicano ſacræ Theologiæ ſtudijs in-
cumbentes profecti,ſui itineris ſocios 12. milites Hiſpanos habuêre. Prædictus autem
frater Franciſcus cæteris fratribus præerat. Qui animarum zelo per montana loca
de Zacatecas tranſeuntes,atque à ciuitate Mexico Aquilonem verſus vię ſtadia qua-
dringenta ambulantes,ad maximam tandem Indorum multitudinem peruenerunt
hoc eſt ad diſtinctos quadraginta,ſiue quinquaginta populos circa ſexmillia domorũ
inhabitantes;regionemq; , ſeu prouinciã illam nouũ Mexicũ nominarunt Illi autem
populi fratres ipſos benignè ſuſceperunt,de eorumq; aduentu gratulati ſunt. At vbi
frater Ioánnes à S.Maria hac naturali bonitate,& comitate à noua Indorum natione
reperta tam humaniter ſe vidit receptum,nulla eorũ obiecta contradictione, imò mul
B ta de fratrum præſentia exorta lætitia,ſecumq; reputans gentẽ ipſam ſalutari Euan-
gelicæ doctrinæ prædicatione perfacilè fore inſtruendã,ſolus Mexicum redire,de tan
taq; Indorũ ſuauitate & humanitate Mexicani conuentus fratres certiores facere de-
creuit, vnde & verbi Dei miniſtros pro recentiũ populorũ conuerſione ex eis eligere,
ſiue aſſumere ſecũ poſſet. Sicq; is animarũ zelo accẽſus iter arripuit (diuerſum tamen
à primo) vt Mexicum peteret;vixq; trium dierum viã confecerat, cùm infideliũ ope-
ra ſub dio ex longo itinere feſſus dormiens pergraui magnæ molis pondere preſſus,
ac reſpirare nequiens,ſpiritũ emiſit;iterq; diuertit in cælũ, vbi ſui laboris conatus, ar-
dentiſque,ac pij deſiderij præmia plenè conſequeretur. Hic verò natione Cathalanus
robuſtus iuuenis erat, ac floreſcente iuuentute Religionis habitũ in hac S. Euangelij
Prouincia ſuſcepit. Optimæ præterea indolis fuit,ſemperque religioſis moribus prædi
C tus,ſpectabilis vitæ, magnæque virtutis indicia præbuit,atque incrementa.

De martyrio fratris Franciſci Lopetij.

HISPANI milites, qui fratrum (vt meminimus) comites fuerant, ad propria
ſunt pariter reuerſi,Proregi quæ geſta fuerant referentes. Sed duo alij fratres(hoc
eſt frater Franciſcus Lopetius, & frater Auguſtinus Rodriguez) zelo animarũ ferui-
di in cœpto opere permanſerunt:in quo aſſiduè occupati quadã die,dum ex more ad
inſtruendũ populũ,qui ad ipſorũ locũ conuenerat,prodirent,videns frater Franciſcus
quoſdam ex populo ſeſe inuicem odij & inimicitiæ cauſa trucidántes,eos cœpit beni-
gnè arguere,hortariq;,vt iniurias remitterent,& à vindicta,animique rancore deſiſte-
rent. At illi non ſecus atq; amentes,& rabidi, feruentia iracundiæ venena euomentes,
ſuæ rixæ onus impiè in eũ verterunt,illicoq; pientiſſimũ patrẽ iaculis confoderũt, qui
D in Dño obdormiuit. Hic aũt Chriſti miles vſq; in finẽ deuotus,ac fidelis etiã in ſæculo
fuerat nobilibus parentibus,in percelebri Hiſpali ciuitate ortus:inſuper doctrina,vir
tutibuſq; inſignis,dum annũ ageret decimũ ſeptimũ,Religionis habitũ Minoritico in
Xerezano conuentu Prouinciæ Bæticæ deuotè receperat. Fuit pręterea mãſuetudine
ac modeſtia multa ornatus,vitæq; mortificatione,taciturnitate ac prudentia inſignis.

De martyrio fratris Auguſtini Rodriguez.

ALTER autem,qui in pio Dei opere ſolus remanſerat,hoc eſt frater Auguſtinus
Rodriguez nõ ſuorũ morte territus ſociorũ,ſed animoſior effectus,dum Chriſtia-
na quadam libertate,atq; diuina virtute fretus, illius populi varia delicta, exceſſuſq;
emergentes liberius argueret:poſt breue dierũ ſpatiũ ab eiuſdẽ regionis infidelibus in-
teremptus fuit. Qui iã in vico Niebla prope Hiſpalim ortus,in hac S. Euãgelij Prouin
E cia habitũ Religionis ſuſceperat, fuitq; ſanctis virtutũ operibus ſemper addictus, ve-
ritatiſque,ac ſalutis animarũ zelator eximius:pro quarũ conuerſione aduerſa multa,
itinera,labores,& afflictiones,& mortẽ denique pertulit ad cæloſq; feliciter euolauit.

De fratris Aloyſij Villalobos martyrio.

PRAETEREA anno Domini 1582. frater Aloyſius Villalobos, ex Cuſtodia
de Zacatecas huiuſmet Prouinciæ S. Euãgelij ſacerdos Deo deuotus,dũ ſui Præ-
lati iuſſu, pro exequendis quibuſdam ſibi creditis negotijs, ex Zacatecis Guadalfa-
giaram verſus properaret, in ipſo itinere ab Indorum infidelium (hoc eſt Chichime-
corum) turmis inuaſus, ſagittiſque vndique inclementer confixus,puram Deo ani-
mam fidelis, patiens, ac denique omni virtutum genere ornatus reddidit.


PROVINCIA
SS.PETRI ET PAVLI
D MECHOACAN
GLORIOSI
PRINCIPES TERE

PROVIN-

PROVINCIA
SS. PETRI ET PAVLI.

A INGRESSIS Hiſpanis ſub anno Domini 1520. Regnum Mexicanum apud Occiduos Indos, eiuſq; potentiſſimo Regi Monteſumæ bellum inferentibus, miſit is Legatos ad Sihuangam Mechioacanis, & Xaliſci bellicoſiſſimum Regem, cum quo perpetuum ſibi intercedebat bellum, rogans, vt, intermiſſis ad tempus antiquis contentionibus, aliquot ad ſe milites, qui Hiſpanis ſibi minaciter imminentibus fortius reſiſterent, mittere vellet. Quo renuente, celebriq; ciuitate Mexico cũ toto adiacẽte Regno, & eius Rege Monteſuma ſub Hiſpaniæ Regis, ac Germanorum Imperatoris Caroli V. poteſtate redacta, præfati milites Hiſpani ſigna aduerſus Mechioacanicum Regnum hoſtiliter con-
B uerterunt. Quod vt primùm Sinzicha, qui patri Sinhuangæ, occiſis quatuor vterinis fratribus, ne ſibi aliquando rebellarent, in Regno ſucceſſerat, ac poſtmodùm baptizatus Franciſcus appellari voluit, reſciuit, coacto exercitu validiſſimo illis obuiam ire ſtatuit. Dumq; ad tantum bellũ neceſſaria pararet, facta ſuper eũ manu Dñi, atq; mutato conſilio, Legatos diuerſis cum muneribus ad Hiſpanorum Ducẽ miſit, ſecumq;, præſtita prius obedientia, atq; tributo in ſingulis annis Hiſpanię Regi pendendo ſanctè pollicito, fœdus inijt. Quod tamen miraculo non caruit, nam ea erat eius fortitudo, eaq; bellicoſiſſimorum militium copia, vt ſi ad arma ventum eſſet, Hiſpanis loco cedendũ fuiſſet. Accedens verò poſtmodùm præfatus Mechioacani Regis Franciſcus
C (aliàs Sinzicha) Mexicum, venerabilem, omniq; commendatione digniſſimum P. F. Martinum à Ieſu, profeſſione Franciſcanum, atq; Prouinciæ S. Iacobi alumnum obnixè rogauit, vt ſibi Mechioacanum repetenti, quatenus & ſibi ſubditos Indos ad fidẽ conuerteret, ſacroq; regenerationis lauacro purificaret, atq; in via ſalutis felicius inſtrueret, congredi vellet. Cùm itaq;, præfato patre Martino à Ieſu (qui religioſos patres F. Angelũ à Saliceto, F. Hieronymum, F. Ioannem Badiã natione Gallum, atq; in Aquitanię antiquioris Prouincia profeſſum, F. Michaëlem à Bononia, atq; F. Ioannem Padilliam in tanto negotio cooperatores habuit) authore, tuguriolum in S. Annę honorem Sinſonzæ erectum eſſet, ſibiq; poſtmodum aliquot aliæ ædes acceſſiſſent, hę
D omnes ſub anno Domini 1535. ad Cuſtodiæ dignitatem, ſub Prouincia S. Euangelij de Mexico, promotę ſunt: atq; tandem in peculiarem, ſub titulo SS. Petri & Pauli Apoſtolorum, Mechioacanis & Xaliſci Prouinciam in generalibus Ordinis noſtri Comitijs, Pincijs, ſub anno Dominii 1565. habitis, à patribus euectæ extiterunt. Sunt impræſentiarum huiuſmodi ædes numero 47. quarum 21. in Mechioacano ſedẽ obtinent, reliquæ verò 26. Xaliſci finibus clauduntur. Vniuerſa nihilominus hęc Prouincia in nouæ Hiſpaniæ, nouæq; Galleciæ apud Occiduos Indos Regnis ſita eſt, continetq; in longitudine 360. milliaria, in latitudine verò 150. ad ſummũ. Præterea ex vna parte ſancti Euangelij Prouinciam, ex altera mare Auſtrale (hoc mar del Sur vulgò vocant) ex
E altera verò flexuiagum quendã, atq; furentem fluuiũ, qui, ex ampliſſima quadã planitie ſcaturiẽs, poſtquàm alia 12. flumina in ſe receperit, curuato, atq; irregulari curſu, nulliq; alteri ab Indis, qui maximis innixi cucurbitis eum non abſq; maximo vitæ diſcrimine ſuperare aſſueuerũt, vadabilis, in ampliſſimũ ſtagnum nomine Chiapala, atq; 150. milliariã in orbem continens, plurimiſq; diuerſi generis, ijſq; ſapidiſſimis, piſcibus abundans, influit: atq; inde egrediens poſtquàm aliquantulùm itineris lentiori gradu emenſus fuerit, per anguſtiores cuiuſdam aggeris fauces ingreſſus, in profundiſſimam quandam vallem, atq; 12. milliarijs à præfatis faucibus diſtantem, horribili tremendoq; ſtrepitu fertur pręceps; vnde tandem ſinuoſè, atq; obliquè fluẽs, carniuoriſq; crocodilis (eſt crocodilus animal quadrupes, cumq; incredibilis ſit magnitudi-

nis, vnguibus armatur, cutemq; ita duram habet, vt in ſolo ventre penetrari poſſit, A atq; conſpecto homine lacrymas emittit, moxq; appropinquans, eum deuorat) ſcatens, ac Chichimecas, ideſt infideles Indos, à fidelibus eiuſdem patriæ hominibus mirabiliter diuidens, Auſtrale mare non longè ab vltimo iſtius Prouinciæ conuentu ingreditur, pro terminis habet. Quia verò de Chichimecis mentio incidit, non abs re erit, ſi breuiori ſtylo eorum patriam, atq; efferatos mores depinxerimus: vt tandem in propatulo ſit, quo labore, ſeraphicam Religionē noſtri fratres plantauerint. Chichimeca commune non eſt, omnibuſq; Indis infidelibus conuenit: inſuper & latiſſimè patet; cùm maiorem Occiduarum Indiarum partem, eamq; tum paſcuorum, tum argenti fodinarum, tum quoq; armentorum, ita vt inuenire liceat iſtis in partibus plures Indos, quorum quiſq; cētum millia tum boum, tum quoq; vaccarum poſſideat, feraciſſimam complexetur. Huius igitur, (vt ad rem deueniamus) patriæ gēs infidelis, idolatriæ dedita, efferata, per incertas ædes ad Numidarum inſtar mutandorum paſcuorum ergò diuagans; diuitiarum ſimul ac deliciarum aſpernatrix: laborum, æſtus, famis atq; frigoris patiētiſſima, bellicoſiſſimaq; eſt. Pręterea nuda omnino, atq; verendis etiam detectis (quod à naturali quodam pudore abhorret) incedens, ſomnum captura humida terra pro molli lecto vtitur: atq; equorū, mularū, vaccarum, aliorumq; plurium ſylueſtriū animaliū, & (quod execrabile omnino eſt) aſpidum quoq; & aliorū id genus ſerpentiū; carnibus illotis omnino & ſemicrudis, quas etiam vnguibus, omni interim gladiorum vſu longè profligato, diſcerpunt, pro cibo vtuntur. Differunt interim plurimùm in idiomate, moribus, corporis ſtatura, viribus atque ferocitate à fidelibus Indis, à quibus celebri (cuius ſupra meminimus) fluuio diſtinguūtur: ſuntq; procerę ſtaturæ, corpulenti atq; imberbes: tantumq; à cęteris huius noſtri orbis hominibus differunt, quantùm eorum ingenium belluinis moribus magis accommodatur. Crapulæ præterea vacant, & turbida quadam peſſimi odoris, guſtus atq; coloris potione ex ſiccis fructibus, aqua & quadā radice confecta inebriantur: quādo etiam tanquam œſtro perciti ad canum inſtar validiſſimè vlulant. Nulli Regi, nulliq; temporali Domino ſubſunt: ſed turmatim pecudum more incedentes, hinc inde diſcurrūt. Latrocinia exercent, ſeq; mutuò ferina quadam crudelitate occidunt, interimuntq;. Nullis legibus, nulliq; religioni aſtringuntur: ſed quædā tantùm deformiſſima idola ex luto, vel lapide fabrefacta colunt; illiſq; execrabilia humani ſanguinis ex auribus hauſti ſacrificia offerunt: atq; Dęmonem de bellico euentu conſulunt. A quo ſi felix reſponſum receperint, intrepidè ſe cuiuis vitæ diſcrimini obijciunt, atq; in hoſtes irruunt: ſi verò infelix, retracto pede in propria ſe recipiunt. Sagittandi interim artem D optimè callent; quam cum quadam corporis virtute copulantes, atq; maxima cū dexteritate exercētes de Hiſpanis, alioquin bellicoſiſſimis, non paucas victorias referunt. Nec interim à ciuilibus bellis deſiſtunt: imò infeſtis armis alij in alios inſurgunt, ſeq; inuicem maxima contentione trucidant. Qua etiam de cauſa fidelibus Indis, cum quibus ſibi maximæ intercedūt inimicitiæ, aliquale datur reſpirandi ſpatium. A conſertione verò manuum cum Hiſpanis nunquam ceſſant. Confligunt interim nudi, idq; tumultuariè, & abſq; vllo ordine, atq; diuerſis coloribus depicti; inſuper & oblongis arcubus, arundineis ſagittis, quibus ſilex pro ferro eſt, ligneaq; claua vtūtur: nam ferri nullus penitus apud eos vſus eſt. E conuerſo verò Hiſpani duplici lorica (de equitibus loquor) contecti ferrea galea, longiſſima lance, enſe, pugione, clypeo, atq; interim ſclopetis communiti; inſuper & ferociſſimis equis, omninoq; ad E genua vſq; contectis inſidentes, ſtructa acie ad bella procedunt. Quorum nihilominus interiora acutiſſimus ſilex fortiſſima manu iactus, vmbone aliquando, & vtraq; lorica penetratis, ſæpiſſimè petit. Hyemalis horum Chichimecorum habitatio vel aſperrimus, impenetrabiliſq; mons, vel denſiſſima, imperuiaq; ſylua eſt. Has dum Hiſpani ſuperare contendunt, ſuæ temeritatis, vel ſagittis confoſſi, vel à præcipitibus lignis, ſiue lapidibus oppreſſi, dant pœnas. Contingit nihilominus huiuſmodi Chichimecas ſopori poſt longam epotationem immerſos ab ipſis Hiſpanis, ſuperatis montium iugulis, atq; ingentibus difficultatibus deuictis, atq; fidelibus Indis eorum conductoribus, ſæpius opprimi, miſerrimeq; pecudum more mactari. Ad hos tamen

effera-

A efferatos homines aliquot ex noſtris fratribus,non abſq; maximo vitæ diſcrimine,penetrarunt, eorumq; plurimos ſacro baptiſmate regenerarunt. Quorum tñ ingenia, cùm belluina potius ſint quàm humana,ad capeſſenda noſtræ ſalutis myſteria minus apta exiſtunt. Et hæc quidem de Chichimecis incidenter dicta ſunto.Cæterùm huius Prouinciæ,cui beatos Petrum,& Paulum Apoſtolos graphicè depictos præpoſitos volui,maius ſigillũ pręfatorum Apoſtolorum imagines,prout communiter depingi ſolent,atq; ſequentes literas: SIGILLVM MINISTRI PROVINCIALIS PROVINCIÆ APOSTOLORVM: papyro imprimit. Ante quàm tamẽ ad ſingulos iſtius Prouinciæ conuentus deſcẽdamus,meminiſſe libet,21.videlicet eorum Mechioacana in Prouincia,reliquos verò 26. in Xaliſcana conſtructos eſſe: ita tamen vt ſex priores in Indorum, atq; Hiſpanorum,qui ſequuntur quindecim in Indorum
B tantùm, ſed qui ſuccedunt ſex apud Xaliſcum in Indorum etiam, atque Hiſpanorum; atqui qui ſuperſunt viginti in Indorum ſolùmmodo oppidis ſiti ſint.

De conuentu S. Franciſci Sinſonzæ. Conu. I.

SINSONZA miræ magnitudinis ciuitas ad Mechioacanicum Regnum ſpectat, fuitq; olim Regum, eorumq; aulicorum ſedes. In ea ſiquidem Sihuanga agebat, quãdo humili Monteſumę Regni Mexicani Regis petioni acquieſcere noluit,eiusq; Legatos contra gentium ius occidit. Eam etiam, Sihuanga defuncto, Sinzica eius filius in habitationem elegit,atq; in altera eius parte locũ ædificandæ eccleſiæ accommodatum patri Martino de Ieſu aſſignauit. Ad hanc igitur ciuitatẽ, vt primùm præfatus P.Martinus de Ieſu ex Mexico applicuit, ædiculã ad eremitorij inſtar ex ſtrami-
C nibus,aliaq; ſibi ſimili materia ſub S.Annæ titulo in ſibi aſſignato loco conſtruendam curauit: inibiq; primum apud eos populos ſacrum fecit, ac plurimos Indos ſacro baptiſmate purificauit.Cumq; ad eius,atq; ſociorum pręedicationem plures Indi infideles catholicã fidem ſuſcepiſſent,eorum proceres,ſtraminacea huiuſmodi æde demolita,pulchrum ſatis conuẽtum ex ſtabiliori materia eodem in loco, atq; eadem B.Anna eius tutelari erexerunt. Quo deniq; in conuentu,qui & à 4.fratribus inhabitatur,diẽ clauſit extremũ admirandæ religionis P.F.Petrus à Garrobilijs,Prouinciæ S.Michaëlis alumnus:qui poſtquàm Indicum iſtius patriæ idioma (hoc Taraſcum vocant)apprimè didiciſſet,totum ſe infidelium conuerſioni dedit. Nec tamen fruſtra: cùm infinitos penè idolatras Chriſti fidem ſuſcipere feruentiſſimis ſuis concionibus coëgerit: & mille aliquando idola vno die vel ignibus tradiderit,vel in fruſta cõminuerit. Exe-
D crabilia præterea quædam ſacrificia,à montanis Sacatulẽſibus Indis Dæmonibus offerri ſolita,longè eliminauit.Qui tandẽ ſenio confectus,meritisq; opimus,graui morbo correptus animam cælo reddidit. Ad hunc tantum patrẽ appoſitus eſt ſibi omnino perſimilis P. F. Martinus Gilberti natione Gallus, atque Prouinciæ Aquitaniæ antiquioris alumnus: qui cùm,patrijs laribus relictis, ad has partes inter primos Franciſcanos traieciſſet,tanta cura Indicũ idioma didicit,vt in eo peritiſſimus euaſerit,atq; aliquot libros tum Indis,tum quoq; Hiſpanis ſummè neceſſarios ædiderit. Præterea, licèt podagra maximè conflictatus, ab infidelium ad Chriſti fidem conuerſione nunquam abſtinuit.Vnde & tot,talesq; fructus Dñicum in horreum intulit,vt vix ſibi parem habuerit: religione etiam,& vitæ ſanctimonia inſignis extitit: Indisq;,à quibus vt pater colebatur,cariſſimus fuit. His itaq; operibus cumulatus,illudq; Eſaiæ Prophe-
E tæ: *Paruuli petierunt panem,& non erat qui frangeret eis*, ſæpius repetẽs ex hac vita,maximum interim neophytis illis populis ſui deſiderium relinquẽs,migrauit. Cuius facies prius pallens, atque omnino ſubnigra, ſtatim poſt mortem rutilans apparuit.

De conuentu S. Bonauenturæ Valliſoleti. Conũ. II.

NON ita poſt multum temporis ab ædificato proximè pręcedenti conuentu, pręſens ab Hiſpanis feliciſſimis Indiarum expugnatoribus,Valliſoleti, quę totius Mechioacanici Epiſcopatus metropolis,eiusq; Epiſcopi ſedes eſt,& ab iiſdem Hiſpanis ædificata extitit,ad Dei honorem,atq; in S.Bonauenturæ memoriam erectus fuit.Qui ſanè ex maioribus totius iſtius Prouinciæ locis vnus eſt,cũ à 14. fratribus inhabitetur.

De conuentu S. Iacobi Queretari. *Conu. III.* A

ISDEM ferè temporibus,quibus & duo præcedentes,hic conuentus, diuo Iacobo Apoſtolo ſacratus,ab Indis Queretari, quod Mechioacanicum oppidum eſt,& à ſolis Indis inhabitatur, ædificatus extitit: in quo 4. fratres commodè commorantur.

De conuentu Conceptionis B. Virginis Salaiæ. *Conu. IIII.*

SALAIA Mechioacanicum oppidum tum Indis,tum quoq; Hiſpanis mixtim deſeruit,continetq; intra ſui ambitum hoc monaſterium, in Conceptionis glorioſæ Virginis honorē ab Hiſpanis conſtructum, atq; à 5.fratribus frequentius inhabitatū.

De conuentu S.Franciſci Paſquarij. *Conu. V.*

HABITVRI apud ſe Paſquariēſes Indi Franciſcanos religioſos, quorū adhortationibus,atq; ſacris cōcionibus in ſalutis via felicius inſtrui poſſent,hoc monaſterium,ſeraphico patri Franciſco ſacrū,intra Paſquarij communis oppidi męnia,ex communibus itidem facultatibus ſtatim,vt Chriſti fidem ſuſceperunt,à fundamētis ad verticē vſq; extruēdum curarunt.Hoc in monaſterio,quod & à 5.fratribus incolitur, mortem obijt venerabilis ille P.F. Martinus à Ieſu,vnus ex primis 12.Franciſcanis,qui ex Hiſpania ſoluētes,has ad partes feliciſſimè traiecerunt, atq; catholicę fidei vexilla in earū oppidis,atq; ciuitatibus glorioſè erexerūt.Fuit religioſiſſimus hic P. Prouincię S.Iacobi alumnus:cumq; Sinzichę Mechioacanis,Xaliſciq; Regi,ex ciuitate Mexico Sinſonzā vſq; congreſſus, aſcitiſq; ſibi in ſocios atq; cooperarios 5. illos religioſos, eccleſiam ibidem ędificari,atq; vniuerſa idola,interim iocalibus tū aureis,tū quoque argenteis,atq; plurimis lapidibus pretioſis ſibi ab Indis olim oblatis in profundiſſimū ſtagnū proiectis, demerſiſq;, in medio foro ignibus tradi curaſſet:infinitoſq; penè infideles tum ſacris ſuis concionibus,tum ſanctiſſimis adhortationibus, tum quoq; mirabili quodam atq; angelico,potius quàm humano viuendi modo Saluatori Chriſto peperiſſet; vniuerſæ carnis viam cum maxima ſanctitatis opinione ingreſſus eſt. B C

De conuentu S.Franciſci apud S.Philippum. *Conu. VI.*

HIC conuētus fratrum apud S.Philippum, quod Mechioacanicum tum Indorū, tum quoque Hiſpanorum oppidum eſt, erectus, & à quatuor fratribus inhabitatus, eos Hiſpanos, qui primi ad has partes traiecerunt, ſui authores agnoſcit.

De conuentu SS. Petri & Pauli Cinapiqueri. *Conu. VII.* D

CINAPIQVERVM Mechioacanicū oppidū eſt,& ab Hiſpanis,Indiſq; permixtim inhabitatur,præſentiq; conuētu,in SS.Apoſtolorū Petri, & Pauli honorē ab Indis ante 50. annos communibus ſumptibus erecto, non ita vulgariter cohoneſtatur. Commorantur frequentius hoc in loco 4.fratres, quorum duo prædicationis officio, alius quidem apud Indos, ſed alius apud Hiſpanos, feliciſſimè funguntur.

De conuentu Aſſumptionis B. Mariæ Eronguarichari. *Conu. VIII.*

QVI præcedūt 8. conuētus,vnico dēpto,Sinſonzenſi ſcilicet,qui primus omniū (vt pręfati ſumus)hac in Prouincia ædificatus extitit,in Indorū,atq; Hiſpanorū oppidis,Mechioacanicis tamē,ſiti ſunt: qui verò 14.ſequūtur,in Mechioacanicis quidē oppidis,ſed ab Indis tantùm inhabitatis,ſedē obtinent. Vt igitur ad hunc noſtrum conuentū,Eronguarichari, quod magnū ſatis oppidū eſt,in Aſſumptionis B. Virginis honorem erectum, deueniamus: is ab eius accolis in primo Hiſpanorū ad has partes appulſu ex communi ære conſtructus fuit,atq; à 4.fratribus commodè ſatis inhabitat. E

De conuentu S. Hyeronimi Prenehequari. *Conu. VIIII.*

IN id maximè noſtri fratres,tū primitiui illi diuini verbi præcones,tū quoq; ij,qui eos ſequuti ſunt,incubuerunt,atq; impræſentiarum incumbunt, vt in ſingulis Indiæ oppidis, atq; ciuitatibus, immo & pagis (ſi commodè fieri poteſt) conuentus, vel ſaltem eremitoria(quę doctrinas vulgò vocant) conſtruantur: quatenus his populis

A pulis de nouo ad fidem conuerſis, atq; ad idolatriam ſupra modum procliuibus, fratres perpetuò, opportuneq; adſint, ne ad vomitum reuertantur, neuè in miſeram illam Dæmonum ſeruitutem iteratò relabantur. Eo igitur factum eſt, vt antiquiores prefati patres hunc conuentum, à 4. fratribus incultum, Purenehequari, quod peramplum oppidum eſt, ſub S. P. Hieronymi titulo erigendum, abſoluendumq; curarint.

De conuentu S. Ioſephi Taximaroæ. Conu. X.

EANDEM prorſus ob cauſam, ob quam & præcedens, præſens conuentus, beato Ioſepho glorioſiſſimæ Virginis ſponſo Taximaroæ, quod Mechioacanicum oppidum eſt, ab antiquioribus iſtius Prouinciæ patribus, ex communibus tamen oppidanorū facultatibus, erectū extitit. Inhabitatur plerunq; prefatus hic conuētus à 4. B religioſis: quorum alter Concionatoris officio, non abſq; maximo fructu, fungitur.

De conuentu S. Mariæ de Gratia Acambari. Conu. XI.

NE Acambarenſes à Taximaroanis ſuperari viderentur, hunc conuentum, glorioſiſſimæ virgini Mariæ de Gratia ſacratum, alteriq; ab eis erectum per omnia ſimilem, intra communis oppidi Acambari menia ex publicis facultatibus edificādum, quatuorq; Frāciſcanis, à quibus Chriſtiana pietate imbuuntur, conferendū curarunt.

De conuentu S. Annæ Sacapi. Conu. XII.

AEMVLATI Sacapenſes Acambarenſium pietatem, propriæ interim ſaluti opportunè conſulturi, hunc conuentum in honorem ſanctę Annæ Dei genitri-C cis Mariæ matris Sacapi, quod Mechioacanicum oppidum eſt, ex publicis prouentibus à fundamētis extruendum, omnibusq; ſuis numeris abſoluendum curarunt. Hoc in conuentu, à quatuor fratribus plerunq; inculto, ſanctiſſimè obijt venerabilis, ac de Franciſcana Religione optimè meritus pater frater Antonius Beteta, Prouinciæ Conceptionis alumnus, qui poſtquàm per multos annos in Tribulenſi (vulgò del Abrojo) illius Prouinciæ conuentu Magiſtri iuuenum, ac nouitiorum officio functus eſſet; inſtruendorum quoq; in catholica fide Indorum ergò, ad has partes traijciens, Indicū idioma non abſque maximo labore didicit, ac tātopere in eo profecit, vt apud ipſos Indos natus videretur. Cùm eſſet præterea Euangelicæ paupertatis amantiſſimus, ſuiq; ſtatus zelantiſſimus, ac omnium deniq; virtutum eximius cultor, tantę fuit apud neophytos hos populos authoritatis, tātæq; eſtimationis, vt quicquid vellet, illis D facillimè ſuggereret. Eoq; demum factum eſt, vt plurimùm incremēti Indicę Eccleſię acceſſerit. Obijt hic pater, poſtquā ſæpe ſæpius hymnum: *Te Deum laudamus &c.* ſumma cum humilitate decātaſſet, ea ipſa hora, qua ſe ex hac vita migraturū predixerat.

De conuentu Conceptionis B. Mariæ Vncapanis. Conu. XIII.

VNCAPANENSES, ne Franciſcani ſibi ſacramenta miniſtraturi, ac Dei verbum propoſituri plus equo fatigarentur, ſi aliunde ad ſe venirent, ſumma cura, ſummaq; ſolicitudine curarunt, vt præſens conuentus, immaculatæ Conceptioni B. Virginis ſacratus, ipſorum communibus ſumptibus Vncapanis, quod Mechioacanicum oppidum eſt, edificaretur. In quo tandem 4. fratres pro votis inhabitant, proq; viribus dant operā, vt propriæ vocationi ſatisfaciant, perpluresq; aīas Deo acquirāt.

E *De conuentu S. Franciſci Piriuanis. Conu. XIIII.*

INTRA Mechioacanici eius oppidi, quod à ſolis Indis inhabitatur, diciturq; Piriuanis, ambitum præſens conuentus, ſeraphico patri Franciſco ſacratus, atq; à quatuor religioſis vt plurimùm incultus, ante quadraginta annos conſtructus extitit.

De conuentu S. Crucis Tancitari. Conu. XV.

VT primùm ad Tancitaranos perlatū fuit Piriuanicos in id omnino incumbere, vt Minoriticum apud ſe conuentū erigerent: ne illis indociliores, atq; erga fratres minus affecti haberētur, curarūt & ipſi, vt preſens monaſteriū in S. Crucis honorē

 Tancitari,

Tancitari,quod Mechioacanicum oppidum eſt, ex publicis prouẽtibus ædificaretur. A
Conuiuunt hoc in monaſterio 4.fratres,quorũ alter ſacras ad populum conciones de ſuggeſtu habet:reliqui verò 3.eiuſdẽ in fide catholica inſtructioni diligentius intẽdũt.

De conuentu S. Mariæ de Ieſu Tarequati. Conu. XVI.

VT Mechioacanicis Indis in ſua barbarie laborãtibus fratres noſtri opportunius adeſſe poſſent, hoc ab ipſis monaſteriũ,ſub inuocatione B.Mariæ de Ieſu,Tarequati,quod non aſpernandum oppidum eſt,conſtruendũ curarunt.Cuius ſanè monaſterij ædificia plures fratres capere poſſent: quòd verò à 4. tantùm inhabitentur, in cauſa eſt religioſorum penuria,qua hæc Prouincia,ſicut & cæteræ,iſtis in partibus laborat.Honeſtatur nihilominus pręſentis monaſterij eccleſia venerabilium patrũ Ioãnis à S.Michaële,atq; Iacobi Daciani funeribus.Quorum alter,pater ſcilicet Iacobus, B
ex regia Danorum ſtirpe originem trahens,atq; linguarũ Græcæ, Latinæ,& Hebraicæ peritiſſimus,inſuper abſolutiſſimus,cùm Franciſcanæ militię in Dania nomen dediſſet; ne graſſanti ſupra modum ea in patria hęreſi,vel ſaltem ſua præſentia, conſentire videretur; patrijs laribus,cariſq; parentibus & amicis longè poſt ſe relictis,in Hiſpaniam traiecit.Vnde,poſtquàm à Carolo V.Germanorum Imperatore,ac Hiſpanorum Rege pro ſua pietate,ac religione humaniſſimè exceptus eſſet, poſtmodũ ſoluẽs, ad has partes transfretauit. Nec tamen feliciter appulſus ſeſe otio dedit: quinimo vt primùm Indicũ idioma didicit,tanto ſtudio, tantaq; ſedulitate ſacris vacauit concionibus,vt innumeros infideles ad fidem conuerterit, pluresq; alios iam antea conuerſos eadem in fide confirmauerit,ac deniq; non paucis cauſa ſalutis extiterit.Pręterea primus inter cæteros omnes,tum cuiuſuis Religionis fratres, tum quoq; ſęculares ſa- C
cerdotes,Mechioacanicis Indis venerabilis Euchariſtiæ ſacramentũ miniſtrauit. Tãta etiam fuit humilitate præditus, vt omnes in ſui admirationem adduxerit: tantaq; comitate, atque prudentia inſignitus,vt plurimi ex remotiſſimis partibus Indi ad ſe ſuis in aduerſitatibus conſulendum venerint: ac tanta deniq; ſanitatum gratia donatus,vt non paucos infirmos ſigno crucis ſuper eos facto integræ ſoſpitati reſtituerit. Mortem quoq; Caroli V.Imperatoris,licèt longiſſimè abeſſet,ea ipſa hora,qua ille è viuis in Hiſpania exceſſit,ex reuelatione ſibi diuinitus facta, dum præſentis conuẽtus Guardianum ageret, noſſe meruit: quamobrẽ,erecta de more tumba,Miſſæ ſacrificiũ pro eius anima à fratribus celebrandum curauit.Obijt demum tantus hic pater hoc in conuentu bonis operibus opimus,atq; cum maxima ſanctitatis opinione,in ſenectute bona.Alter verò,pater videlicet Ioannes à S.Michaële, cùm Indicam linguã apprimè D
aſſequutus,diſertiſſimus Concionator euaſiſſet, ſylueſtribus Indis, montana belluarum more ſeparatim incolentibus ſuaſit, vt ad planities deſcendentes oppida ſimul ædificarent,agros excolerent,ac ſimul denique humano more habitarent,vt tandem ſic vniti felicius coaleſcerent. Effecit præterea, vt in ſingulis iſtius patriæ oppidis xenodochia ſub Conceptionis B. Virginis titulo iuxta eccleſias erigerentur, (quod ſanè opus non ſatis laudari poteſt) in quibus peregrini humaniter excipi poſſent,atq; infirmi curarentur. Statuit etiam,quatenus huiuſmodi opus perpetuò maneret,vt collectę ſemel in ſingulis annis fierent,vtq; quicquid indè proueniret,id in pręfatorum hoſpitalium vſus cõuerteretur.Voluit inſuper, vt in quolibet hoſpitali Conceptionis Confraternitas erigeretur,vtq; ex confratribus ſex ad minus,iuxta loci capacitatem, cum ſuis vxoribus hebdomadatim, tum infirmis,tum quoque peregrinis iuxta charitatis E
exigentiam deſeruirent. Appoſitus tandem eſt hic religioſus pater ad patrem Iacobum Dacianum,de quo ſuprà,nec minoris ab eo æſtimationis apud Indos extitit.

De conuentu S. Ioannis Baptiſtæ Sitaquari. Conu. XVII.

VT de ſuo erga iſtius patriæ infidelium ſalutẽ ſtudio aliqua ex parte cognoſceremus:primitiui patres huius Prouinciæ fundatores præſens monaſteriũ,D.Ioanni Baptiſtæ Dñico præcurſori ſacrũ, Sitaquari, quod aliqualis magnitudinis oppidũ eſt, ex publicis oppidanorum facultatibus ab ipſis fundamentis erigi,perficiq; curarunt. Conuiuũt vtplurimùm hoc in loco 4.fratres:ex quibus alter ſacris vacat concionibus.

De conuentu

A *De conuentu S. Franciſci Xiquilpanis. Conu. XVIII.*

MINIME mirum alicui videri debet, quod in ſingulis ferè iſtius patriæ oppidis
Franciſcani conuentus erecti ſint. Nam ea eſt eius accolarum ad idolatriā pro-
cliuitas, eaq; pronitas, vt niſi perpetuò ab euangelicis operarijs excolantur, infideli-
tatis tribulos, atque ſpinas producturi ſint. Idq; in cauſa extitit, vt præſens monaſte-
rium, ſub ſeraphici patris Franciſci titulo, Xiquilpanis, quod populoſum ſatis oppi-
dum eſt, ab antiquioribus iſtius Prouinciæ patribus communibus eorundem oppida-
norum ſumptibus conſtructum fuerit. Inhabitatur interim hic locus à 4. fratribus.

De conuentu S. Franciſci Apacei. Conu. XIX.

CVM in patentiſſimis vitæ diſcriminibus verſarentur primitiui huius Prouinciȩ
B erectores, dum de oppido in oppidum, ſiue miniſtrandorum ſacramentorum, ſiue
ſacrarum concionum habendarum ergò tranſeunt: hunc conuentum, omni dilatio-
ne longè eliminata, Apacei, quod Mechioacanicorum oppidum eſt, tum ex priuatis,
tum quoque ex publicis Apaceorum facultatibus ædificandum curarunt. Inhabita-
tur plerunq; præfatus hic conuentus à quatuor religioſiſſimis Franciſcanis fratribus.

De conuentu S. Franciſci Tarimbari. Conu. XX.

NE copioſa meſſis Dominicum in horreum inferenda, operariorum defectu miſe-
rè periret, conſultiſſimè huius Prouinciæ proceres ſtatuêre, vt conuentus hac in
patria erigendi nec magnitudine inſignes, nec fratrum numeroſitate illuſtres euade-
C rent: ſed vt potius (vno, vel altero demptis) anguſtijs paterent, quatenus à quatuor
vel à ſex ad ſummum fratribus inhabitarentur: & religioſi ſic per ſingula oppida di-
uiſi miſeris iſtis hominibus de nouo ad fidem conuerſis facilius, opportuniusq; adeſſe
poſſent. Hinc igitur factum eſt, vt pręſens conuentus, Tarimbari oppidi mœnibus cin-
ctus, atq; Tarimbanorum ſumptibus in ſeraphici patris Franciſci honorem conſtru-
ctus, à 4. tantùm religioſis fratribus, qui eos in viam ſalutis dirigant, incolatur.

De conuentu S. Petri Tolimanis. Conu. XXI.

CONVENTVS hic, omnium Mechioacanicorū nouiſſimus, apud Chichime-
cas in oppido Tolimane erectus, & à 4. fratribus plerunque inhabitatus, ideo ſub
anno Domini 1583. noſtrorum fratrū opera ex diuerſis eleemoſynis in S. Petri hono-
D rem conſtructus extitit; vt Indi, qui nondum Hiſpaniarū Regi ſubſunt, ſed per incer-
tas ſedes, nulli parentes, hinc inde (vt præfati ſumus) diſcurrunt, vaganturq;, à pau-
cis annis ad Chriſtum, abiuratis idolis, conuerſi, in officio, atque ſanctè pollicitis con-
tineātur: vtq; facilior illis ad cæteros, adhuc ſub Dæmonis poteſtate degentes, pateat
acceſſus, qui tamen non abſque præſentiſſimo vitæ diſcrimine ipſis contingit.

De conuentu S. Franciſci Guadalfagiaræ. Conu. XXII.

GVADALFAGIARA Xaliſcorum ciuitas eſt, regio Concilio, atq; Epiſcopa-
li ſede inſignis, inſuper & nouæ Galleciæ metropolis. Cuius incolæ, qui maiori ex
parte Hiſpani ſunt, celeberrimum hunc totius Xaliſci conuentum in prima pręfatæ ci-
uitatis ædificatione, ſub ſeraphici patris Franciſci titulo, intra eius ambitum à funda-
E mentis ad verticē vſq; conſtruendum curarunt. Inhabitatur frequentius præfatus hic
conuentus à 20. fratribus, & vltrà: quorū vnus, vel alter Eccleſiaſtis officio fungitur:
alius vero iunioribus religioſis Grammaticam prælegit. Sepultos præterea continet
idem hic locus quàmplurimos patres, moribus olim ac ſanctitate inſignes. Inter quos
tamen longè emicuêre religioſiſſimus P. F. Antonius Segobienſis: qui religioſis mori-
bus in Conceptionis Prouincia apprimè imbutus, quadrageſimumq; ſuæ ætatis annū
agens, ad has partes conuolauit: vbi Indicum idioma tanta cura, tantaq; diligentia di-
dicit, vt in ea infra breuiſſimi temporis ſpatium peritiſſimus euaſerit, ac per alios 40.
continuos annos, & vltrà, Indicè concionatus ſit. Vitæ præterea rigorem, in quo apud
Recollectas præfatæ Conceptionis Prouinciæ domos enutritus fuerat, ad vltimū vſq;
halitum

halitum ſeruauit. Nihil ſiquidem eo continentius, nihil vigilantius, nihil pauperius, A ac nihil deniq; temperatius fuit. In oratione inſuper adeò aſſiduus extitit, vt ab ea nihil aliud curaſſe viſus ſit. Quæ tamen interim vel charitatis officium, vel obedientiam, vel etiam proximi ſalutem concernebant, ea quàmdiligentiſſimè adimplere ſtuduit. Paupertatis etiam cum profundiſſima quadam humilitate coniunctæ amantiſſimus cùm eſſet, factus eſt omnibus benè, ac religioſè viuendi norma. In periculoſa quadam Indorũ rebellione, vbi de totius rei ſumma agebatur, ipſe ſolus ſuis adhortationibus, ſanisq; conſilijs præfatos Indos ad ſaniorem mentem, atq; ad præſtandã catholico Hiſpaniarum Regi promptam obedientiam reduxit. Hic tandem tantus pater, poſtquàm prouincialis Miniſteriatus, atq; Commiſſariatus officijs aliquoties ſumma cũ laude, tum hac in Prouincia, tum quoq; in alijs quibuſdam functus eſſet, plenus dierum, meritiſq; opimus, maximum interim omnibus, præſertim verò Indis, à quibus non ſecus ac pater amabatur, colebaturq;, ſui deſiderium relinquens diem hoc in loco clauſit B extremum. Ad patrem Antonium Segobienſem appoſitus fuit admirandæ religionis, prudentiæ, atq; benignitatis pater Angelus Valentinus Prouinciæ Valentiæ alumnus: qui, poſt conſumptos 40. eoq; amplius annos in Indorum conuerſione, atq; Euangelica prædicatione, ſuæ mortis ex diuina reuelatione pręſcius, viam vniuerſæ carnis hoc in eodem loco ingreſſus eſt. Ac paulò ante quàm ſpiritum ſuo Creatori redderet, cùm aliquandiu fuiſſet in extaſi, tãquam è profundiori ſomno euigilans, in hæc verba prorupit: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me*: Quamobrem quotquot aderant, certò certius crediderunt ipſum glorioſiſſimę Virginis præſentia dignatũ fuiſſe. His patribus adijciendi veniunt, ſupra modum venerabiles patres Franciſcus Orapeſſanus, ac Hieronymus de Cruce. Quorum iſte in Bætica Prouincia profeſſus, atque patrum iſtius albo poſtmodùm aſcriptus, cuius vitæ diſcrimini ſe oppoſuit, vt paupercu C los, miſerrimosq; Indos ab aliquorum tyrannide vindicaret: Vnde & non aſpernandæ ſibi moleſtię ſubſequutæ ſunt. Eas nihilominus patientiſſimè tulit, viriliterq; ſuperauit: ac tandem è viuis hoc in loco excedens, tũ ab iſtis, tum quoq; ab illis ob eius ſanctitatem, inculpatamq; vitam non ſecus ac Deo carus habitus eſt. Ille verò, pater ſcilicet Franciſcus Orapeſſanus, poſt plurimos exantlatos in infidelium conuerſione labores, hoc in ipſo Guadalfagiarenſi conuentu in Domino obdormiuit. Nec ſilentio prætercam humillimum, atq; incomparabili religione præditum fratrem Danielem, natione Italum, profeſſione laicum, atq; Prouinciæ S. Iacobi alumnũ: qui ob ſingulares eius virtutes, vitæ aſperitatem, morum candorem, ardẽtiſſimam charitatem, atq; feliciſſimum exitum ab omnibus iſtius patriæ tum Indis, tum quoq; Hiſpanis vt ſanctus colitur. Nec immeritò ſanè: cũ per 50. eoq; amplius annos, ferrea lorica ad car- D nes indutus, nudiſq; pedibus incedens, in perpetua oratione, continua vigilia, atq; ſtrictiſſimo ieiunio, infidelium conuerſioni omnino intentus, Deo opt. max. inſeruierit. Poſſem & alios quàmplurimos, qui ſingulari doctrina, excellenti charitate, ardẽti zelo, inſigni pietate & ſanctitate iſtis in partibus claruêre, atq; innumeros penè infideles ab impietate ad pietatem, à Dæmoniaca ſeruitute ad Chriſtianam libertatẽ, ac denique ab idolatria ad Chriſti fidem conuerterũt, Eccleſiæq; catholicæ acquiſierũt, pręcedẽtibus addere. Sed, ne id fęcerim, prolixitatis incurrẽdę timor me remoratus eſt.

De conuentu S. Franciſci Colimæ. *Conu.* XXIII.

PRÆCEDENTEM conuentũ ſubſequitur pręſens, ſub ſeraphici patris Franciſci titulo Colimæ, quod Xaliſcorum oppidum eſt, ab Indis olim erectus, atque E à quatuor religioſiſſimis Franciſcanis fratribus, quorum alter ſacras ad populũ conciones ex officio habet, reliqui verò Indorũ ſaluti inuigilant, ſat cõmodè inhabitatur.

De conuentu Conceptionis B. Virginis Izatlanis. *Conu.* XXIIII.

INTER cæteros totius Xaliſci Minoriticos conuentus præſens, in immaculatæ Conceptionis B. Virginis honorẽ, Izantlanis ante 40. annos ab Indis conſtructus, & à 4. fratribus impræſentiarũ inhabitatus, ſummè commendandus venit: idq; ob tres Chriſti athletas, atq; glorioſos martyres, patres ſcilicet Ioãnem Calerum, Antonium

à Collare

A à Collare, & Franciſcum Laurentij ibidem ſepultos, qui ob catholicæ fidei confeſſionem, & propagationem ſub infidelium manibus vitam cum morte, in æternum victuri, commutarunt. Pollicitis tamen facturus ſatis, primò patris Ioannis Caleri, deinde patris Antonij à Collare, ac denique patris Franciſci Laurentij, iſtius quidem longiori, ſed illorum breuiori ſtylo agonem, atq; glorioſum martyrium depingam.

De martyrio patris Ioannis Caleri.

CVM anno Domini 1541. Xaliſcani quidam Indi, Caſcanes appellati, inſurgẽtes, quàmplurimos alios ex populo cõturbaſſent, & à fide Chriſti ſuſcepta varijs modis, diuerſisq; vexationibus ab eadem fide ad idolatriam declinare coëgiſſent, ſimulq; omnes Techilæ montis iugulum petijſſent; venerabilis pater Ioannes Calerus, aliàs de Spirituſancto, eos ex incredibili quodam charitatis zelo eò, vnde exciderant, reducturus, impetrata à proximè præcedẽtis loci Guardiano facultate, ad præfatum montem
B Confeſſionis, atq; Communionis ſacræ ſacramẽtis purificatus, munitusq;, ſe interim Deo opt. max. B. Franciſco, ac fratribus feruenti ſpiritu commendans, perrexit; ac demum ad deſtinatum locum appulſus, Deo, atq; Regi rebelles Indos, benigna ſalutatione præmiſſa, enixè rogare cœpit, vt ad propria loca redirent; neve veram fidem, quam à Chriſti miniſtris, & Franciſcanæ Regulæ profeſſoribus receperant, cum tãto propriæ ſalutis diſpendio deſererent. Cui barbara, ac perfida illa gens ſuperbè reſpondit, vt derelictum à ſe conuentum è veſtigio repeteret, niſi fortè tantæ temeritatis pœnas dare mallet, cùm, quid ſibi ipſis congrueret, optimè noſcent, nec eius conſilio opus eſſet. Cùm itaq; his auditis vir Dei induratos eorum animos optimè cognoſcens, ſeq; oleum, & operam (vt aiunt) eo in negotio perdere animaduertens, humiliter, tactus interim dolore cordis intrinſecus, inde recederet, atq; ad propria remearet: fœmina
C quædam diabolico ſpiritu afflata huiuſmodi Indos contra Dei ſeruũ, non ſecus ac altera Iezabel Achab Regem Iſraël contra innocentem Nabot, & Herodias Herodem Regem contra Ioannem Baptiſtam malitioſè incitauit. Aiebat enim Satanæ miniſtra, eos à ſuis prædeceſſoribus mirum in modum degeneraturos, niſi fraterculũ illum occiderent, quippe qui eò vſq; penetrare, atq; eos ſuis fallacijs decipere præſumpſiſſet. Quibus verbis peruerſi homines barbarico quodam furore accenſi, atque ad ferociſſimorum luporum in prædam inhiantium inſtar, Chriſti ouiculã, quæ iam (furore illorum præuiſo) genua deuotè flexerat, eosq;, Deo interim opt. max. gratias agens, quòd pro catholica fide, & eius amore martyrij corona dignaretur, quodq; miſeræ huic vitæ tam felici morte finem imponeret, conſtantiſſimè operiebatur, aggreſſi ſunt, ac tãdem, ligneis enſibus caput eius findentes, atrociter interfecerunt. Bellica enim eorum
D arma ex duriſſima quercu, igne etiam ad maiorem ſoliditatẽ ſuppeditato, ſunt fabrefacta. Duxerat ſecum pater ipſe Ioannes quatuor ſibi amicos, atq; bonæ ſpei iuuenes Indos, quorum duo in ſacris faciendis ei miniſtrare aſſueuerant. Horum alter natu maior, atq; Franciſcus nomine, irruentes in ſanctum patrem barbaros præuidens, aufugit, ad ſuosq; rem geſtam detulit. At cęteri in ipſo impiorum hominum tumultu, & furore cariſſimum patrem, ſalutisq; magiſtrum amplexantes, ſimul cum eo trucidati ſunt. Corpus autẽ tanti patris in campo, vbi martyrium ſuſtinuerat, ab interfectoribus nudatum, ſeptem diebus inſepultum remanſit, atq; ab Hiſpanis, vt ſepulturæ traderetur, poſtmodùm conquiſitum, integrum omnino, incorruptum, ſuauiſſimè fragrans, atque adeò recens, ac ſi tunc temporis fuiſſet extinctum, inuentum eſt. Aliorum verò
E occiſorum corpora à lupis deuorata extitêre. Cùm igitur Hiſpani tanti martyris corpus Izatlanem Minoritico in monaſterio, vnde exierat, deuotè & honorificè ſepeliendum detuliſſent, illudq; fratres Frãciſcano habitu de religioſo more induiſſent, quotquot aderant Hiſpani, eius deuotione acti, huiuſmodi habitum repentè, atque certatim in fruſta diſcerpsêre. Itaque beati Ioannis Caleri, inſignis Chriſti athletæ, corpus magna omnium ſpirituali lætitia, funebriq; ſolemnitate ſepulturæ traditum fuit: viri interim Dei ſanctitatem cunctis vno ore, atque plenis buccis extollentibus.

De martyrio patris Antonij à Collare.

POST aliquot verò dies à glorioſo prefati patris Ioannis Caleri agone, admirãdę religionis P. Antonius à Collare Prouincię S. Iacobi alumnus, atq; Izatlanici conuentus

uentus Guardianus, vir vtiq; ſingulari perfectione atq; incredibili animarũ zelo prę- A
ditus, inſuper & diuini verbi proclamator inſignis, qui Chriſtiana diſciplina, ac vitæ exemplo Chichimecas eius regionis, quę Ameca nominatur, & Colimæ vicina eſt, accolas ſolerter, ac ſolicitè inſtruere aſſueuerat, Izatlanicum conuentum, vt huiuſmodi hominibus pro ſolito more ſacramenta miniſtraret, atq; ſacroſanctum Euãgelium de ſuggeſtu proponeret, egreſſus, in pręfatorum Chichimecarum Ducẽ, ſiue Pręfectum, ob grauiſſima quædam crimina, ab eo publicè commiſſa, acriter inuectus eſt. Quamobrem indignatus huiuſmodi Præfectus eũ ea occaſione accepta interimere decreuit. Id igitur, vt quibuſdam Indis, Iagalucis vulgò nuncupatis, innotuit, virum Dei à perfido Duce ad ſuum cœnobium reuertentem in Izatlanica quadam valle, rem interim gratiſſimam Præfecto ſe facturos intelligentes, iaculis inclementer configunt, dumq; ſpiculo venerandum eius caput immaniſſimè penetrant, eum vitam cum morte commutare cogunt. Cuius deniq; patris corpus, poſtridie ab Hiſpanis inuentum, atque ad B
proprium monaſterium delatum deuotè extitit. Quia verò nos longiori ſtylo beati patris Franciſci Laurentij agonem depicturos, vt tandem eius geſta, & virtutes omnibus in propatulo ſint, polliciti ſumus, ab eiuſdem natalibus exordiri, atque totius ipſius met vitæ curriculum curſim his annectere decreuimus.

Vita patris fratris Franciſci Laurentij.

IN ciuitate Granata F. Franciſcus Laurentius nobilibus parentibus natus, educatusq;, anno ſuæ ætatis 18. dum ſancto afflatus ſpiritu Religionem D. Franciſci foret ingreſſurus, piæ mentis conceptum caris parentibus, vt eorum beneplacito, ac benedictione tanti voti compos fieret, humiliter detexit. Quod ipſi nihilominus grauiter ferentes, cùm is vnicus eſſet eis filius, & hæres, à ſancto propoſito eum dimouere conati C
ſunt: vtq; id aptius, & facilius efficerent, nobilem quandã eiuſdem ciuitatis adoleſcentulam ei in coniugem tradere curarunt. Cumq; parentum vtriuſq; partis conſenſu matrimonium fuiſſet concluſum, aſſignatusq; dies nuptiarũ: prudens iuuenis nuptialibus veſtimentis indutus, ad monaſterium S. Franciſci eiuſdẽ ciuitatis (quod tunc ad Bæticæ Prouinciã pertinebat) deuotus, ac celer properauit, in quo & Religionis habitum humiliter ſuſcepit. Trãſactis verò aliquibus annis, quibus ea in Prouincia deuotè, atq; laudabiliter vixit, zelo animarũ promotus, ad nouæ Hiſpaniæ Indos peruenit, multaq; incommoda, & pericula in itinere paſſus fuit, quippe qui nudatis pedibus per aſpera loca à varijs, peracutisq; beſtiolarũ aculeis diu, noctuq; grauiſſimè vexabatur: locaq; horribilia viſu, atq; tranſitu difficillima petiuit. Neq; interim hyemali tẽpore ſpiritu feruẽs apoſtolicus iuuenis aut quieſcere, aut labori, vel temporum iniuriæ, aut D
etiam difficultati cedere vnquã ſolebat, fide ſcilicet, & inſatiabili humanæ ſalutis deſiderio hæc omnia ſuperans, vitamq; hanc temporaneam ſpernens, vilemq; reputãs, vt æternam hominibus ſubminiſtraret. Hinc ſua prædicatione, ſuisq; exemplaris vitæ perſpicuis moribus in conuerſione infidelium vberrimos retulit fructus, improbosq; eorum ritus, prophana ſacrificia, ac templa, execrabilia quoq; idola improbauit, atq; deſtruxit: & eccleſias, piasq; imagines erexit, & Chriſtianos politicosq; ritus introduxit. In ipſo autem diuino opere (quia virtute animi ſobrius, auſterus, fortis ac ſtrenuus extabat) intolerabiles corporis afflictiones, aduerſaq; plurima, hoc eſt famẽ & ſitim, frigus & calorem, labores & laſſitudines, & alia huiuſmodi facilè perferebat. Et vnico vili indumento, pallio ſuperindutus, vti ſolebat. Feruẽs erat in oratione, & præſertim nocturno tempore, quo per horam & dimidiam preces ad Deum deuotiſſima mente E
effundere aſſueuerat, idq; nec itineris defatigatione, neq; alterius cuiuſuis incommodi exceptione vnquam prætermiſit. Feſſis præterea artubus in cãpis vel ſuper ſtratos arborum ramos, vel ſuper nudam humum, idq; ſatis ſobriè, quietẽ perpetuò conceſſit.

Feruens Dei præco F. Franciſcus tum eccleſias, tum etiã monaſteria varijs in locis, & nationibus ædificare curauit. In ipſa namq; ciuitate Izatlanæ cœnobiũ, in quo cæteris fratribus præfuit, primò conſtruxit: ac poſtmodum in ciuitate Guaxacatlanæ gymnaſiũ, in quo eius Prouinciæ pueros (vt in noua Hiſpania omnes religioſi faciũt) Chriſtianam edocuit doctrinam, inſtituit. Et priuſquam vir Dei ad ipſam ciuitatẽ perueniſſet, aliqui ex populo illo perfidi, rebellesq; ſeſe ſuperbè erexerãt, perq; montana regionis

A regionis illius vagabantur,inter quos erat Indus,qui iam ſacrarum rerum in quadam
eccleſia curam geſſerat. Cuius mater, Dei famulum cum vnico ſibi ſocio fratre Mi-
chaële Stiualez ciuitatem verſus proficiſcentem,præuenerat, quò cùm applicuiſſet,
quærens illa,an inibi eſſet diu permanſurus, certiorq; de hoc ab eo effecta,quòd ideo
illuc veniſſet,vt monaſterium ædificaret, & legem Dei doceret: retulit apud ſe habe-
re veſtimenta,vaſaq;,& alia, quæ ad ſacra facienda, & ad altaris obſequium pertine-
re ſolent: quorum cuſtos,& gubernator in quadam eccleſia fuerat filius ſuus, qui ta-
men cum perfidis illis à fidelium conſortio ſe ſeiunxerat, atque apoſtatauerat: attu-
litq; ei ſericas caſulas, argenteos calices, pallam,ſiue corporale,& alia ſimilia ad al-
taris miniſterium ſpectantia. Quæ vir Dei gratè recipiens,Deo gratias egit, tantam
in Inda illa fœmina fidem, ſedulamq; deuotionem attendens,animoq; roboratus ad
B vlteriora loca (per quæ Indi illi diſcurrebant) pro verbo Dei ſeminando proceden-
dum eſſe putauit. Hinc verſus Indos illos iter arripuit, terram,vallemq; Guaxacat-
lanicam relinquens, in qua iam 16. ex pacificis populis copiæ fuerant pariter con-
iunctæ,atque eccleſiæ plurimæ ædificatæ,quas tamen ab inuicem ſeiunxerat. Hiſpa-
ni verò,Indiq; ipſi pacifici ſeruo Dei iter hoc præpedire,ac diſſuadere nitebantur, ti-
mentes illi, ne inter barbaros illos, efferatoſq; homines aliquid infortunij ſibi eueni-
ret,morſq; ſæuiſſima illi immineret, ſi duritiem, furoremq; eorum fruſtra tentaret.
Miles autem Chriſti non ſibi, ſed Deo fidens illorum conſilio non acquieuit, ſed ani-
mi feruore actus, edoctuſq; Spiritus ſancti lectione, æquo animo iter optatum proſe-
quutus fuit. Accidit verò (diuina fauente prouidentia) vt quàmmox populis illis
apparens,ſolo aſpectu talem ab eis captauerit beneuolentiam,atque benignos erga ſe
C eorum animos conuerterit, inclinaritq;, vt manſuetæ oues viderentur: qui aliàs ni-
hilominus in vniuerſa illa barbarorum regione ferina crudelitate,atq; impietate om-
nes quammaximè ſuperarent. Hic igitur feruidus verbi Dei ſeminator quinque po-
pulos ad catholicæ fidei cultum conuertit,eccleſias fundauit, & Chriſtianæ diſcipli-
næ inſtituta reliquit, ac denique ad proprium Izatlanicum cœnobium triumphator
reuerſus eſt.

Poſtquàm apoſtolicus vir præfato in monaſterio aliquibus diebus remoratus fuiſ-
ſet, ad Indos quoſdam barbaros, qui duodecim viæ ſtadijs illinc diſtabant,vocaban-
turq; Texoquines iter direxit. Cumq; ad quendam populum Oztritiepas appella-
tum perueniſſet, totus ipſe populus in fugam verſus ad montes refugit: ſeruus verò
Dei, frater ſcilicet Franciſcus, cui frater Michaël aderat, ad ædiculam, in qua Solis
D idolum extabat,diuertit. Vbi poſtquàm, ſi quis ſupereſſet, diligentius perſcrutatus
fuiſſet, in hominem quendam intra ſepem abſconditum veſpertina hora fortè fortu-
na incidit,quem,vt ad ſe accederet,rogauit,blandeq;,ac benignè ſuſcepit.A quo tan-
dem reſciens populum illum timore perterritum ob eorum aduentum inde aufugiſ-
ſe, virum ipſum de pacifico, ac beneuolo eorum animo certiorem reddidit, & ad cę-
teros profugos, vt eos in propriam fidem recipiens ab omni pauore, & ſolicitudine
eximeret, ſtatim miſit. Qui abſcedens paulò pòſt ſimul cum vigintiquinque Indis
reuerſus eſt,quos frater Franciſcus inſtruxit, & amicos,ſuauibuſq; verbis ſecuros red-
didit,eos ad ſe veniſſe, non vt quid detrimenti vel incommodi eis afferrent,ſed ſolum-
modo vt ſanctum euangelium prædicarent, & ad Dei veri notitiam, & cultum illos
reducerent: ideoq; omnes fiducialiter ad propria remearent. Illi itaque verbis tan-
E ti viri freti, tranquillo, atque alacri animo diſceſsêre: ſequentiq; manè copioſè, tur-
matimq; viri, ac mulieres (ſexcentos ſcilicet) ad fratres ipſos deuenerunt, docibili-
bus interim pueris domi relictis, ne à blandientibus fratribus (vt ij ſuſpicabantur) no-
ua diſciplina inſtituerentur. Quos omnes peruigil Deo præco frater Franciſcus di-
uino eloquio ſummopere conſolatus fuit, à quibus inde audiuit,eos ſanè ipſorum ad-
uentu mirum in modum gauiſos fuiſſe, cùm proculdubiò ſcirent eos ſpirituales eſſe
patres,qui nullum penitus læderent,nec quicquam mundanum appeterent: quodq;
eorum fugæ,timoriſq; cauſa fuiſſent ſęculares Hiſpani eorum capitales inimici,quos
ſibi ſocios ſuſpicabantur. Tunc verò fratribus cibaria humaniter attulêre, atque in-
credibili gaudio circumfuſi,choreas coram illis de more ducentes,exultare cęperunt.

Deinde

Deinde viri Dei,frater ſcilicet Franciſcus, eiusq; ſocius frater Michaël populo gratias A
agentes, eum monuêre, vt ad certum locum poſtero die conueniret. Vbi dum ſimul
adeſſent,primò eccleſiam ædificandã,deinde S. Iacobi Apoſtoli imagine ibidem ere-
cta,eam ipſius nomine appellandam curarunt. Inſtituta itaque,& confirmata ea ple-
be in catholicæ fidei confeſſione,& Chriſtianæ diſciplinæ pura obſeruatione, Chriſti
diſcipuli ad alium eiuſdem idiomatis populum profecti ſunt: à quo cùm ſatis amicabi-
liter, comiterq; eſſent recepti, aliam ibi eccleſiam diui Michaëlis nomine intitula-
tam, atque eiuſdem Archangeli imagine exornatam erexêre. Idemq; diuinum, ac
ſalubre opus cùm apud alios quinq; populos perfeciſſent, ad proprium monaſteriũ,
deuictis humanæ ſalutis hoſtibus, Chriſtiq; vexillis vbique erectis, victores redière.

Poſt tranſactos verò aliquot dies cùm feruore ſpiritus excitati apoſtolici viri, fra-
ter ſcilicet Franciſcus, & eius ſocius frater Michaël, è monaſterio exeuntes Guaxa-
catlanem (vbi prius fuerant) repetijſſent, ſecunda ſui aduentus nocte ab ipſo popu- B
lo moniti ſunt, vt quamprimùm inde diſcederent,niſi fortè occumbere mallent: cùm
Indus quidam maximus eorum inimicus illuc cum alijs impijs, ſcilicet ſuis compli-
cibus, certò eſſet ſuperuenturus, vt ſe ipſos, ac ſæculares omnes, qui eos acceperant,
morte afficerent. Ferino igitur huic barbarorum furori ſerui Dei cedere prudenter
decreuêre, idipſum quoque & loci illius habitatores fecerunt. Et ecce ſub noctis cre-
puſculum adſunt Chriſti fidelium hoſtes innoxium in ſanguinem inhiantes: cumq;
neminem inueniſſent, œſtro perciti,quinque gymnaſia,quæ pro inſtruendis in Chri-
ſtiana diſciplina pueris conſtructa fuerant, igni tradiderunt, atque ſex bonæ indolis
iuuenculos, qui ad eorum cuſtodiam remanſerant, crudeliſſimè necarunt. De quo
facinore ſerui Dei poſtridiè certiores facti ſummoperè doluerunt. Poſt elapſos verò C
aliquot dies eò reuertentes,eadem gymnaſia refecerunt, atque ritum Chriſtianæ do-
ctrinæ inſtituendæ denuò poſuêre. Frater verò Michaël,qui fratri Franciſco fructus
in Chriſti eccleſia vberrimos producenti, ſupra modum timebat, ſibi, quòd præfati
Chriſtianæ fidei hoſtes propinquiores eſſent, atque omnibus ſimul tormenta & mor-
tem comminarentur,vt è loco illo diſcederet,ſuadere conatus eſt. Cui ille ſereno vul-
tu reſpondit ſe certò ſcire ab illis gentibus fore interimendum, nec tamen propte-
rea, quòd animam ſuam ſe pretioſiorem non faceret,à diuini verbi prædicatione illis
in partibus ceſſare velle: vt tandem (ſi fieri poſſet) vnum vel alterum Chriſto lucrifa-
ceret, idq; Saluatoris Chriſti exemplo apprimè edoctus, quippe qui certiſſimè noſſet
ſe à Iudæis occidendũ, nec tamen eapropter à bonis operibus, aut à prædicatione ad
mortem vſq; turpiſſimam apud eos ceſſare voluit. Subiunxit præterea,cùm totius vni- D
uerſi Dominus propter me vermiculum, nulliusq; valoris homuncionem à proprio
eius populo ſe interfici permiſerit: quid mirum, quidvè magni erit, ſi ego eius, licèt
nullius valoris, ſeruulus tormenta pro ipſius amore ab iſtis barbaris ſuſtinuero, &
mortem, quam ille pro me pati dignatus eſt, hanc ego ipſi tandem reddidero? Qui-
bus tamen auditis frater nihilominus Michaël cœptis deſtitit: imò potius & alias ra-
tiones in medium adducere niſus eſt, vt tandem patrem Frãciſcum à propoſito remo-
ueret. Cui deniq; ſtrenuus Chriſti athleta aliqualiter ſubiratus: ceſſa iam obſecro,no-
liq; plura hac de re verba facere,cùm me ſupra modum affligas.Hisq; dictis iter ſuum
Icatlanicum verſus conuentum (de quo ſuprà) inſtituit.

Cùm per aliquot dies venerabilis pater Franciſcus,eiusq; itineris comes frater Mi-
chaël præfato in monaſterio moram traxiſſent, ad Tecoxquines, barbaros ſcilicet E
illos Indos, iter ſuum iteratò direxêre. Cumq; Indos ſibi amicos, ac de nouo ad fi-
dem conuerſos oppidi Guaxacatlanis accolas, vtrum ſibi ad Tecoxquines tranſire li-
ceret, ſerius conſuluiſſent, id retulêre reſponſum. Nollent videlicet eò progredi,
quòd huiuſmodi homines ſibi maximè inimicarentur, quodq;, cum natura atrociſ-
ſimi eſſent, illis mortem certò certius illaturi fuiſſent. Viri nihilominus Dei oratio-
ni inſtantes, Dominumq; ſui itineris ducem conſulentes, pariter ſensêre, vt ad illos
de ipſius Domini adiutorio confiſi penetrarent. Fidelis interim ille populus, qui eos
plurimùm diligebat, Indum quendam peregrini idiomatis interpretem, atque fidum
conductorem illis aſſignauit. Antequam verò Guaxacatlanem appellerent,nuntium
ad eius

A ad eius accolas, qui ſibi referret ſe ad eos ſucurrendos, conſolandoſque veniſſe: quique ſe rogaret, vt Dei ſeruos pacificè reciperent, conſultiſſimè miſerunt. Hæc verba illis gratiſſima fuêre: quapropter ſumptis de eorum more duobus arborum ramis, atque quædam ſalutationis verba proprio idiomate proferentes, illis obuiam iuêre, ac tandem ſic humaniſſimè exceptos, per aliquantulum temporis omni beneficiorum genere proſequuti ſunt. Hac igitur tanta occaſione benè vſus frater Franciſcus quatuor de eorum conſenſu gymnaſia, quatuorque eccleſias Sanctorum imaginibus exornatas, apud eos conſtrui ex tempore curauit: vbi & quàmplurimos ſacro baptiſmate prius purificatos, catholica fide, atque Chriſtianis ritibus imbuit: illincque poſtmodum cum ſocio abſcedens ad propria remeauit. Icatlanicum poſtmodum conuentum iteratò ambo egreſſi, ad aliam prouinciam, quæ fratrum prouincia, eò quòd eius habitatores latas
B quaſdam capillorum coronas religioſorum tonſuris perſimiles ſuper aures circunductas deferant, paſſim appellatur, profecti ſunt. Priuſquàm tamen ad eam peruenirent, in vallem quandam de Vanderas ab Hiſpanis nuncupatam, in qua plurimi Cacaoatales habitabant, deſcenderunt. Eam verò, tum quia Hiſpani ex eius habitatoribus plurimos quibuſdam in negotiis occupatos detinerent, vnde nec verbo Dei intendere potuiſſent, tum etiam ne ſuo aduentu illos ab arduis huiuſmodi occupationibus deflectentes occaſionem afferrent, qua Hiſpani milites eos magis, magiſque, vt poſtea fecerunt, affligerent, non omnino penetrarunt: ſed editioris cuiuſdam montis iugulum petentes, (diuina ſibi aſpirante aura) ſeptem præfatæ prouinciæ turmas in catholicæ fidei cultu, Chriſtianaque diſciplina coadunarunt, totidemque eccleſias erexerunt: idque facillimè, cùm amicabiliter ab eis recepti, atque patrio more, hoc eſt brachio in ſublime extenſo, ac digito ſurſum perexcelſè eleuato, inclinatoque capite ſalutati fuerint.
C

Vt igitur primùm frater Franciſcus, eiuſq; cariſſimus comes ſuperata valle de Vanderas ad præfatam fratrum prouinciam peruênere, ad diuerſorium ſiue delubrum, vbi Solis idolum ſuper alia idola maiori veneratione à populo illo colebatur, declinarunt: inibique ab aliquibus regionis illius Indis viſi, patrio more, facta ſcilicet capitis inclinatione, atque quibuſdam verbis Indico idiomate expreſſis ſalutati, exceptique ſunt. Poſtera autem die Indorum multitudinem eò confluentem certiorem ex eminentiori loco reddidit frater Franciſcus, ſe nec eorum diuitias, nec bona, nec quicquã aliud ab animarum ſalute concupiſcere: quamobrem bono animo eſſent, æquique ſuum aduentum conſulerent. Cui incondita illa plebs: Aduentus equidem tuus, tuique comitis, tum quia Chriſtiani, tum quoque quia religioſi eſtis, nobis gratiſſimus eſt: nolumus tamen, vt Hiſpani milites veſtri gratia huc aliquando ſe conferant: idq; ob non aſpernenda incommoda ab illis nobis aliquando illata. Cumq; placita fratris Franciſci reſponſione freta plebs ab huiuſmodi ſuſpicione eſſet exempta, tum ſibi, tum quoque eius ſocio conceſſit, vt illa in regione liberè, atque pro voto agerent. Hincque eccleſia in beati Antoni Paduani honorem, erecta eius imagine, conſtructa eſt, ſanctique, & eccleſiaſtici ritus in ea cum maximo illius gentis applauſu inſtituti fuêre: inſuper & in proximiori valle duodecim gymnaſia, adiunctis ſibi totidem eccleſijs, ſex quidem in eius meditullio, aliæ verò ſex in eiuſdem vallis gyro, infra breuiſſimi temporis ſpatium à fundamentis ad verticem vſque ædificata, omnibuſque numeris abſoluta ſunt. Dehinc (quia ſcilicet alijs gentibus Euangelium annuntiare, atq; ſemitam, quà ad vitã ęternam itur, decreuerat) ſignificauit frater Franciſcus maiori eius populi natu, velle ſe
D (margin letter beside "men, vt Hiſpani milites…")
E ad proximiora Coronatorum oppida tranſire. Dicebantur huiuſmodi oppidorum accolæ Coronati à tonſuris, diuerſis tamen ab eis, quibus prouinciæ habitatores vtebantur, quas in capite deferebant, atq; illis ad mortem vſq; inimicabãtur. A quo itinere quamuis amicus iſte populus Dei ſeruum auertere pro viribus conaretur, nihil tamen effecit. Quamobrem fratre Franciſco in ſententia perſiſtente viginti Duces ab vniuerſa plebe conſtituti ſunt, qui coacta armatorum manu illum tutè eò vſque deducerent. Peruenientibus itaque omnibus ſimul ad oppidum Cacalanem, quotquot erant eius inquilini fugam capeſſerunt. Id igitur, vt religioſiſſimus frater Franciſcus animaduertit, præfatos Duces, eius comites, vt ad propria remearent, redditis interim illis de more gratijs, obnixè rogauit. Reſiſtentibus verò huiuſmodi Ducibus, certoque aſſerentibus

illius populi accolas truculentiſſimos eſſe,atque mortem ſibi, eiuſque ſocio proculdubio illaturos fuiſſe,adiecit frater Franciſcus nihil ſibi minus ab ea re cordi eſſe, quando quidem propriam vitam pro euangelica prædicatione, proque efferati illius populi ſalute libentiſſimè poneret. Recedentibus tandem præmemoratis Ducibus, idque ſatis inuitè, quòd Dei ſeruis maximè timerent, quidam ex Indis illius populi primarius, omninoque ſenex ſuperuenit, atque à fratre Franciſco,quid ſibi vellet, quidque in votis haberet, curioſius ſciſcitatus eſt. Qui vt primùm de omnibus reſponſum retulit, ad ſuos refugit: atque tum illis, tum quoque ſexdecim alijs Indorum oppidis ad Meridionalis Oceani maris litus conſtitutis,cuncta, quæ ex religioſorum ore acceperat, ex ordine recenſuit: atque fratris Franciſci nomine, quatenus certum in locum conuenire vellent, audituri interim plurima, quæ eorum ſalutem concernerent, inſtantius ſupplicauit. Annuerunt illi, viſoſque religioſos & patrio,& etiam Hiſpanorum more in manuum oſculo ſalutarunt. Indè verò viri Dei poſt mutua colloquia diſcedentes,ad Amaxotum, vbi vniuerſæ illius regionis idola collecta erant, & patrijs, diabolicisque ritibus colebantur, iter ſuum direxerunt,atque ad Solis delubrum peruenti, ſatis benignè,ſatisque comiter ab Amaxotanis excepti ſunt.Cumque vlterius procedentes eminentia duo ſacella iuxta litus maris erecta conſpexiſſent, à comitibus Indis,quibus idolis ea ſacrata eſſent, petierunt. Reſpondentibus autem illis in eorum altero belli, in altero verò piſcatorum Deos ſolemnius coli: vtrunque ingreſſi in iſto ſtatuam piſcem manu tenentem erectam, in illo verò aliam ſtatuam præcedenti ferè ſimilem iaculum manu ſtringentem conſpexêre. Cupiens igitur frater Michaël huiuſmodi abhominationem ignibus traditam, omninoque extinctam, igniarium,quod ſecum gerebat, eximens, ferroque ſilicem collidens, ex ſcintillis inde decuſſis, & in fomite exceptisignem excitauit,eoque huiuſmodi idolis,quæ ſtraminacea erant,ſtatim admoto,tum ea,tum quoque vniuerſa ſacella in fauillam redegit. Quod vt ſacrificulus quidam, qui ibidem latebat,conſpexit,è latebris proſiliens,pelli ſuæ interim maximè timẽs,omninoq; perterritus,ad ſuos celerrimo gradu aufugit,remq; geſtã ore pallenti,atq; tremulo retulit. A B C

Hinc diuini cultus zelatores ad alia loca progredientes,inhumanos quoſdam Indos, qui ſibi mortem comminati ſunt, inclinata iam die obuios habuerunt. Quamobrem frater Franciſcus carum ſibi ſocium ad orationem, atque ad ſuſcipiendam pro Chriſto conſtanti animo mortem hortatus, per integram illam noctem ab oratione ſpiritum non relaxauit: quinimo poſt præuiam confeſſionem, poſtque confirmatum ſocii animum,noctem cum die,diuinis perpetuò laudibus intentus:idque coram Crucifixi imagine ob oculos poſita fide conſtans,ſpe gaudens,atque charitate feruens,coniunxit. Interim verò barbari circiter centum, arcubus ſagittisque muniti, inſuper & acclamantes moriantur,moriantur Deorum noſtrorum inimici,Dei famulos circundãt.Dumq; omnes ſimul extenſis arcubus, directisque in eos ſagittis mortem truculentiſſimis vultibus minitarentur, Dei prouidentia actum eſt, vt mirabiliter, & ex tempore, pacatis in momento animis, mutataque ſententia, ad vnum quotquot aderant, nullo penitus iaculo exploſo in terra conſiderent, quod apud eas gentes pacis indicium eſt, ſignificatque ſe nihil mali,aut detrimenti cuiquam illaturos fore. Quo tanto miraculo exhilaratus, ac ſupra modum accenſus Dei famulus frater Franciſcus Chriſtianæ fidei documenta huiuſmodi barbaris feruenti ſpiritu propoſuit, ſuaſitque, vt vanis idolis longè relictis,diuina præcepta, cæleſteſque virtutes, quibus beatam vitam perenniter acquirerent, amplecti vellent. Quæ illi libenter audientes,dixerunt religioſorum aduentum ſibi gratiſſimum eſſe, nihilque iucundius ab eorum conſuetudine accidere potuiſſe:nolle tamen interim ſe ſimul cum eis Hiſpanos ſæculares, quibus aliquando coniuncti fuiſſent, ſecum admittere:quorum etiam cauſa,exiſtimantes aliquot ſibi adeſſe, arma cepiſſent. Cùm autem Chriſti Præcones poſt Chriſtianæ diſciplinæ monita barbaris illis nationibus ſatis exhibita,vt Icatlanicum conuentũ repeterent,ab eis diſcedere vellent:nolebant illi,rogantes,ſuadenteſq; vt ſecum diutius, immo perpetuò manerent.Quibus tamen fratres,humaniſſimis interim,atq; humilioribus verbis, & rationibus in medium adductis, acquieſcendum minimè putarunt: ſed ſumpta ab eis licentia ad propria repedarunt. Vt igitur primùm præfatum monaſterium incolumen ingreſſi ſunt D E

A ſunt, pater huius tunc Cuſtodię Cuſtos, frater ſcilicet Antonius à Segobia eis, humaniſſimè tamen exceptis, in Spiritusſancti, ac obedientiæ ſalutaris virtute præcepit, ne huiuſmodi regiones, tum quòd inde per 30. viæ ſtadia diſtarent, tum quòd trium mēſium ſpatio loco abfuiſſent, tum etiam quòd inter mortuos reputati eſſent, iteratò repeterēt. Quamobrem præfatus frater Franciſcus Prælato morem geſturus, eis regionibus relictis, aliò verſus, ne interim otio torperet, & talentum ſibi cælitus conceſſum abſcondere videretur, iter ſuum inſtituit, in eoq; maximos progreſſus fecit. Cùmq; denuò proprium ad conuentum reuerteretur, Cacalotnanem oppidum ex itinere pertranſiens, 400. Indos in fide prius catechizatos ſacro regenerationis lauacro purificauit: paruulis interim ferè innumeris ſibi oblatis etiam baptizatis, atque adultis quàmplurimis Chriſtianæ fidei myſterijs apprimè imbutis. Docebat ſiquidem eos religioſus P. Franciſcus B vniuerſam carnis, mentiſq; corruptionem euitare, vnicamq; tantùm vxorem ducere, cæteraſq; omnes à prima (aſſueuerant huiuſcemodi homines ternis, quaterniſq; vxoribus iungi) protinus imittere, ac tandem omnia idolis olim oblata ad ſe deferre. Quæ quidem cuncta catechumeni, vt ſacro baptiſmatis fonte mundarentur, quàm libentiſſimè adimplebant: præſertim verò qui ex oppido Amaxocotlanæ originem duxerant: nam ij aureas, argenteas, atq; etiam cupreas barbas, quibus proprios vultus vanè ſupertegere aſſueuerant, deponentes, eas rogo ſuperimpoſitas igni tradiderunt: ex quibus tandem ſeptendecim campanæ, quarum quęlibet centum & quadraginta librarū pondo erat, fabrefactæ, atq; in totidem regionis eiuſdem eccleſijs collocatæ ſunt. Cùm autem frater Franciſcus Tecoſquines pertranſiens, quoſdam idolorum ſacerdotes in vicinioris editi montis iugulo, antiquioribus dæmoniacis ſuperſtitionibus, cum maximo C neophytorum diſpēdio, vacare accepiſſet, eos ad ſe per fideles aliquot Indos adduci iuſſit. Sed fruſtra, renuentibus illis, idq; ex maximo timore, maximaq; reuerentia, qua tum in locum, tum quoq; in eos ſuperſtitioſè adhuc ferebantur. Videns igitur diuini cultus zelator ſe ſuo defraudatum eſſe deſiderio, ſuiq; voti minus compotem, diuino actus ſpiritu à ſocio, fratre ſcilicet Michaële petijt, an Dei fretus auxilio in montem aſcendere, ſecumq; illos idolorum ſacerdotes adducere vellet. Cui fidus comes, pręſto (inquit) ſum, libentiſſimèq; iuſſis obtemperabo, dummodo ea mihi per obedientiam iniunxeris. Fratre denique Franciſco ſibi, vt montem peteret, atque huiuſmodi ſacerdotes ad ſe vinctos adduceret, in Spiritusſancti virtute, atq; obedientiæ merito præcipiente, frater Michaël ex tempore paruit, atq; implorato Dei auxilio celer ad locum peruenit, Satanęq; miniſtris, vt domum ſtatim egrederentur, audacter præcepit. Quibus exeuntibus, & coD ram ſe aſtantibus, vnus inter eos Ioannes nomine, vt ſe excuſatum haberet, quandoquidem Chriſtianus eſſet, illiſque ſacrificulis cibaria coactus attuliſſet, humiliter rogauit. Data igitur Ioanni huiuſmodi venia eos ſacerdotes frater Michaël ſimul ligauit, atque ſic vinctos ad patrem Franciſcum detulit. Qui vt primùm eos vidit, grauiter reprehendit, ac, vt erant ligati, ad Izatlanicum conuentum ſecum deduxit. Vbi tandem humaniſſimè ad tempus retinuit, catholica fide, & Chriſtianis moribus imbuit, atq; in omni pietate inſtruxit: illoſq; poſtmodùm dimittens voluit, vt ij cæteris eius patriæ Indis in his quæ ſunt ad Deum, præeſſent, paruuloſq; de Chriſtiano more baptizarent, atq; adoleſcentes ad publica loca cōuocatos Chriſtianam doctrinam maxima cura edocerent.

Poſt hæc Dei ſeruo, fratri ſcilicet Franciſco relatum fuit quoſdam Indos à ſuis populis diſceſſiſſe, atque aſperioribus quibuſdam in montibus agere, ad quos vir Dei, ne E in idolatriam iteratò elaberentur, proficiſci decreuit. Vbi verò primùm eam in regionem ingreſſus quàm humaniſſimè ab ijs exceptus fuit, ipſiſq;, vt ad ſuos reuerterentur, omnino ſuaſit. Congreſſus itaque illis apud omnes ſimul iunctos donec catholica fide apprimè, ac Chriſtianis ritibus imbuti eſſent, commoratus eſt: indeque proprium conuentum repedaturus eccleſiam à fundamentis erexit: eiuſque miniſtros conſtituit. Dum verò ſe itineri accingeret, alios aliquot Indos patrijs laribus relictis ſuperiorem Dexocotlanici montis partem tenuiſſe accepit, quos & ex itinere inuiſere decreuit. Ad quos vt primùm penetrauit, communiſque pacis, atque catholicæ fidei verba habuit, idem potius, quod & apud præcedentes effecit. Quia tamen horum maior erat numerus, quinq; gymnaſia, adiunctis ſibi totidem eccleſijs, quibus ex dociloribus

aliquot præfecit, ab his conſtruenda curauit. Ante dies autem plurimos F. Franciſcus inſignis Chriſti athletæ P. ſcilicet Ioãnis Caleri (cuius ſuprà meminimus) tum interitũ, tum quoq; opprobrium, quòd videlicet aliquot Indi non longè inde diſtantes, tantiq; P. interfectores contextam ex ſtramine ſtatuam ſingulis annis in eius triumphi, quem de Chriſti martyre ſe laudabiliter reportaſſe exiſtimabant, memoriam proprio eius habitu induerent, choreasq; circum ipſam de Indico more ducerent, audierat: ab eoq; temporis nullo ſibi pacto quieſcẽdũ putauerat, donec, impio huiuſmodi more abolito, tanti viri habitum ab eiuſmodi iniuria vindicaret. Nacta igitur his in partibus opportunitate, eos ad ſacrilegos Indos tranſijt, illosq; tanti ſceleris commiſſi, quòdq; peſſima in re exultarent, Chriſtiana libertate redarguit: inſuper & eis ſuggeſſit, vt Satanicis ſuperſtitionibus omnino relictis Chriſto Imperatori nomen darẽt. Quibus deniq; ſibi acquieſcentibus, ac catholicis ritibus ſatis imbutis, ſacroq; regenerationis lauacro initiatis, nec non & tribus gymnaſijs, totidemq; eccleſijs apud eos erectis, victor cum tanti martyris habitu, F. Michaëli congreſſus ad Izatlanicum propriæ habitationis conuentũ remeauit. Dum iſta interim aguntur, accidit, vt iſtius Prouinciæ Comitia Guadalfagiarenſi in conuentu celebrarentur: vtque, fratre Michaële ad aliud monaſterium tranſmiſſo, frater Franciſcus Laurentij Izatlanici iſtius conuentus Guardianus inſtitueretur. A B

Poſt tranſactos verò aliquot ab eiuſmodi Comitijs dies frater Franciſcus Cacalotnanicos Indos, Guaxacatlanemq; Prouinciam, iſtam, atq; illos in fide cõfirmaturus, deuoto quodam F. Ioanne ſibi in ſocium aſſumpto, inuiſere decreuit. Vbi itaq; eò primùm appulit, hilari vultu, atque humaniſſimo hoſpitio ab eis exceptus eſt. Sequenti verò nocte Indi propinquioris pagi accolæ, (ij Iocotecanes appellabantur) cùm catholicæ fidei ſupramodum inimicarentur, in Chriſtianos huiuſmodi Indos irruentes, eorum ſeptendecim truculentiſſimè interfecerunt. Quo tumulto, quaq; fidelium ſtrage à ſomno excitatus Chriſti miles Franciſcus cariſſimo ſibi ſocio ait: *Eia frater ſurge ocius, viriliterq́; age: aduenit ſiquidem tempus acceptabile, diesq́; ſalutis, in quibus cælorum Regnum facili negocio ac modica, licèt glorioſa, paſſione aſſequi poſſimus, inſtant.* Moxq; accenſa candela ante Dei altare deuotè genuflexus ſeſe inuicto martyrum Regi Chriſto obnixè commendare cœpit. Interim deuotus, piusq; F. Ioannes dum ſimili modo tum cor, tum quoq; mentem Deo præparaturus, ad ipſum altare confugit, ab impijs Satanæ ſatellitibus inuaditur, atque in eccleſiæ valuis ferreis baculis atrociter interimitur. Eoq; extincto, inimici crucis Chriſti eccleſiæ interiora penetrant, ſanctumq; Chriſti famulum Franciſcum Crucifixi imaginem manu tenentem, belluino furore adoriuntur, atq; venerabile eius caput tam graui icto ferrea fuſte percutiunt, vt laxatis viribus Chriſti imago de eius manibus ceciderit. Tunc ad eum ſacrilegus percuſſor: Putas ne te iſte cruci affixus ſit adiuturus? Simulq; ter, quaterq; tum caput, tum quoq; cætera membra ferrea claua repercutiens, eum, iuxta ipſiusmet prædictionẽ (prædixerat ſiquidem ſe ſub Guaxacotlanorum manibus animam cælo redditurum) penitus occidit, inſuper & ipſam eccleſiam, atq; religio ſuorum domicilium ſuppoſito igne combuſit. Poſtridie verò Chriſti fideles Indi, qui ex tanta clade reſidui fuerant, tantum facinus perpetratum ad Hiſpanos, qui duobus indè ſtadijs diſtabant, detulerunt. Qui poſtmodùm ſuperuenientes vtriuſq; martyris corpus inde ablatum ad Izatlanicum conuentum deferendum, inſuper & honeſtiſſimo loco recondiendum curarunt. Vt autem primùm Indi proximioris montis habitatores, quos P. Franciſcus baptizarat, atq; in fide inſtruxerat, eius mortem acceperunt, ad regium nouæ Galleciæ Concilium conuolantes, rem geſtam conſcriptis patribus ex ordine retulerunt. Qui alterum ex eis, cognomine Contreras, atque experientia maturum Hiſpanis centum militibus, quatuorq; Indorum millibus ſtipatum eò deſtinantes, ſibi commiſerunt, vt ea de re diligẽtius cognoſceret, ac tandem iuſtam vindictam ſumeret. Ille igitur eam in patriam appulſus, ex militibus, qui montium iuga occuparent, quiq; itinera obſiderent, aliquot pŕæmiſit, alios verò ſecum retinuit: ac tandem certior de tanta immanitate factus eos omnes, qui in ipſius martyris necem conſpirauerant (erant ij ſexcẽtum & octo numero) trucidari iuſſit. Relictis interim ex primarijs octo, vt infami ſtipendio necarentur. Sicq; digna factis illi receperunt, & vltio facinus ſubſequuta eſt, ac tandem, patria illa ſine habitatore relicta, cæteris Indis maximus timor incuſſus eſt C D E

De con-

A *De conuentu S. Franciſci Aguacatlanis. Conu. XXV.*

IZATLANICVM conuentum ſequitur in ordine is conuentus, qui ſub sera-
phici patris Franciſci titulo per Indos eius accolas Aguacatlanis, quod Xaliſcorum-
oppidum eſt, olim conſtructus extitit, quiq; à tribus religioſis colitur, & religioſiſſim-
patris F. Bernardini Marmorei funere ſupramodũ nobilitatur. Perdeuotus hic pater cõi
ſumptis prius, idq; maxima cum laude, in Conceptionis Prouincia, vbi Religionis habi-
tum primò induerat, aliquot annis, ad has partes transfretauit: tantaq; cura, ac ſolicitu
dine Indorum conuerſioni tum verbo, tum quoq; vitę exemplo intendit, vt eorum penè
innumeros Chriſto pepererit, nihil interim horum, quæ Franciſcanæ Regulæ nitorem
concernebant, quæque ad Chriſtianam perfectionem requiruntur prætermittens.

B *De conuentu S. Franciſci Suchipilæ. Conu. XXVI.*

HIC conuentus Suchipilæ, quod Xaliſcanum oppidum eſt, erectus, & à 4. religioſis
inhabitatus tum noſtris fratribus, tũ quoq; Suchipilanis debetur: iſtis quidẽ, quòd
eũ in S. Frãciſci honorẽ ædificauerint: illis verò, quòd ipſum ab iiſdẽ ædificãdũ curarint.

De conuentu Aſſumptionis B. Mariæ Sapotlanis. Conu. XXVII.

COMMVNIBVS tum Indorũ, tum quoq; Hiſpanorum ſumptibus præſens conuen-
tus, glorioſæ Aſſumptioni Deiparæ virginis ſacratus, Sapotlanis, quod Xaliſcanũ
oppidum eſt & ab iſtis, atq; ab illis mixtim inhabitatur, ab antiquo conſtructus extitit:
quem interim 4. fratres ſat commodè inhabitant. Quia verò venerabilis P. F. Ioannes à
C Padillia huius loci Guardianum agebat, quando primùm Hiſpanis Sibolam ampliſſi-
mam regionem, ad illumque vſque diem intactam Hiſpaniæ Regis imperio armis
ſubacturis congreſſus eſt: atque ea in expeditione pro catholicæ fidei propagatione glo-
rioſè occubuit, tum eius agonem, tum quoq; ſociorum mortem hîc deſcriptam volui.

De martyrio fratris Ioannis à Padillia.

NVLLA penitus regio in noua Hiſpania inuenta fuit, in qua Chriſtianæ diſcipli-
næ magiſtri, primariiq; præceptores Minoritæ non extiterint, primumq; in ſpiri-
tualis ædificii fundamẽto lapidem proprii ſanguinis effuſione, ac glorioſo maryrio nõ-
poſuerint. Quippe qui diuini amoris, atque ſaluandarum animarum zelo accenſi ad
remotas regiones, nulla interim cuiuſuis diſcriminis, ſiue etiam propriæ vitæ habita ra-
tione profecti ſunt. Horum vnus æternæ memoriæ dignus in eo virtutis genere fuit ſtre-
D nuus Chriſti miles frater Ioannes à Padillia, Prouinciæ Betice alumnus: qui præfatam
in nouam Hiſpaniam, gentis illius regionis ſalutem ſupra modum anhelans, peruenit,
in eaq; Tulanzigico conuentui primus prefuit. Inde verò ad Xaliſcanos vſq; penetrans,
præſentis monaſterii Guardianus electus extitit. Cùmque poſt elapſos aliquot dies, an-
no ſcilicet Domini 1539. ſtrenuus militiæ Dux, atq; nouæ Hiſpaniæ Prorex Antonius
à Mendoza Sibolam regionem latiſſimam, atque 600. viæ ſtadiis verſus Antarcticum
polum Mexico diſtantem, catholici Regis imperio ſubiugaturus, aliquot Hiſpanorum
copias ſub Franciſco Vaſquez Coronado militiæ Præfecto, ac nouæ Galleciæ Guber-
natore eò deſtinaſſet: præfatus Franciſcus Vaſquez Præfectus, de Frãciſcana Religione
vir ſanè optimè meritus, quinque Minoritas religione inſignes, ac omni pietate conſpi-
cuos ſecum habere voluit. Ex his quinque religioſis alter fuit P. Ioannes à Padillia, qui
E benignis, ac ſaluberrimis adhortationibus Hiſpanos milites è laxa & militari quadam
viuendi licentia, variiſque Dei offenſionibus ad piæ conuerſationis, & Chriſtianæ vitæ
normam dirigere ſtudens, quoſuis etiam infideles, quos vel obuios in ipſo itinere, vel
comites habebat, ad veræ fidei lumen pro temporis opportunitate, inducere ſata-
gebat: & frater Ioannes à Cruce laicus profeſſus, eiuſq; indiuiduus comes. Poſtquàm
verò, tanto itinere laborioſè emenſo, præfatus copiarum Præfectus Sibolica regione po-
titus, in ea per integrum biennium commoratus eſſet: quòd vniuerſa ferè ea in gyro re-
gio habitatoribus careret, quodq; nullis ſiue auri, ſiue etiam argenti mineralibus locu-
pletaretur, in nouam Hiſpaniam, vnde primò exierat, cum ſibi commiſſo milite, ac reli-
gioſis comitibus, præfatis patre Ioanne à Padillia, & fratre Ioanne à Cruce exceptis,

feliciter regreſſus eſt. Remanſerunt itaq; hi duo Chriſti præcones,& cum eis ſæcularis quidam nomine Andreas de Campo Portuenſis,ac duo familiares Indi, (hos donatos, ſiue oblatos vulgò vocant) quorum alteri Sebaſtianus, alteri verò Lucas nomen erat, in oppido Tigneſio, vbi ab oppidanis comiter,& ſupra modum humaniter excepti,mirabiliter fructificarunt. Expenditurus verò pro gratia ſibi cælitus collata creditum talentum frater Ioannes à Padillia,vt primùm à Tigneſianis plurimos inde trium menſium itinere abeſſe populos,natura dociles,hoſpitalitate benignos,atq; conuictu pacificos didicit,ſupramodum gauiſus eſt:atq; eò ſuum iter dirigere inſtituit.Dicto itaq; Tigneſianis vale , illiſq; fratre Franciſco à Cruce relicto , cum duobus illis familiaribus , atque Andrea ſæculari, proſequente interim eum maximo oppidanorum eiulatu verſus oſtenſam ſibi regionem pergere cœpit. Cùmq; aliquantiſper proceſſiſſet,efferatos, belligeroſq; homines(Haziaëles vulgò nuncupatos) tenſis in ſe, ſuoſq; ſocios arcubus, toruiſq; vultibus accurrentes conſpexit:quamobrem de ſociorum potius,quàm de propria ſalute ſolicitus præmemoratum Andream , vt tum ſibi , tum quoq; familiaribus Indis,ſe interim pro Chriſti nomine à ſuperueniẽtibus barbaris immolando ſolùm relicto fuga conſuleret,obnixè rogauit. Quod & ille ex tempore fecit. Irruentibus itaque maximo impetu illis infidelibus,Dei famulus Ioannes à Padillia genua flexit,eorumq; furorem,alacri animo pro Chriſti amore in ſe excepit.Sicq; impiorum ſagittas in ſe ob Dei amorẽ recipiens,glorioſo fine mortalis vitæ curſum coclusit,ad cæloſq; euolauit. A B

De fratre Ioanne à Cruce.

PROFECTO (vt meminimus)ex Tigneſio patre Ioanne à Padillia,frater Ioannes à Cruce apud eas nationes, vt in accepta fide catholica magis,magiſq; confirmarentur,manere voluit: ac tantopere ea in re profecit, vt innumeris penè hominibus ſalutis cauſa extiterit.Nec mirum ſanè:nam,diuino ſibi aſpirãte numine, tanta fuit patientia,humilitate,abſtinentia,benignitate,& charitate præditus,vt omnes in ſui admirationem adduxerit. Pollebat præterea,licèt literas minimè didiciſſet,tanta dicendi facundia,vt Tigneſiani ad fidem de nouo conuerſi in beneuolentiæ, ac deuotionis ſignũ eum in vlnis ſæpius detulerint , aliaq; ſibi exultationis indicia exhibuerint . Tantæ itẽ æſtimationis apud Hiſpanos milites extitit, vt catholici exercitus Dux,Franciſcus ſcilicet Vaſquez Coronado publico cauerit edicto , quatenus nomine Ioannis de Cruce audito ſeſe,quotquot ſub eius ſignis militabant, in peculiaris cuiuſdã honoris ſignum, vel inclinarent, vel caput detegerent. Quod ſanè magni apud Deum meriti indiciũ eſt. Creditur ab omnibus tantus hic vir extremum ſuæ vitæ diem glorioſo martyrio clauſiſſe:nam ab Hiſpanorum nouam in Hiſpaniam à Sibolica expeditione (de qua ſuprà) regreſſu,nihil penitus de eo auditũ eſt. Indi verò illi familiares, Sebaſtianus ſcilicet,atq; Lucas,qui infidelium furorem,patris Ioannis à Padillia hortatu, declinauerant,videntes ſe tanto magiſtro , ac cariſſimo patre orbatos , Xaliſcum , vnde illi originem duxerant,contendere decreuerunt: vbi plurimos per annos tum Xaliſcanis, tum quoq; Mechioachanis tam ad fidem conuerſis,quàm conuertendis ſacroſancti Euangelij doctrinam,ac fidem ſolicitè,& omni cum feruore prædicarunt,ac plures animas Deo acquiſierunt,ac tandem virtutibus & meritis quàmplurimis referti felici tranſitu ad æternæ beatitudinis gloriam , vt ibi præmium ſuorum laborum à Deo ſuſciperent, euolarunt. C D

De conuentu S. Ioannis Baptiſtæ Tuchpanis. Conu. XXVIII.

QVI ſex proximè præcedunt conuentus Xaliſcanis in oppidis tum ab Hiſpanis, tum quoque ab Indis mixtim inhabitatis, erecti ſunt: qui verò 20. ſubſequuntur in Indorum ſiue pagis , ſiue etiam oppidis ſedem obtinent: & eorum quiſque à tribus, vel ad ſummum à quatuor fratribus inhabitatur , prout & præſens, diuo Ioanni Baptiſtæ Dominico præcurſori Tuchpanis, quod Xaliſcorum etiã oppidum eſt,ab Indis olim erectus , in quo piiſſimus , pariterq; religioſiſſimus pater frater Ioannes à Cruce , natione Gallus,ac Prouinciæ antiquioris Aquitaniæ alumnus,cum maxima ſanctitatis fama diem clauſit extremum . Fuit ſiquidem hic pater cãdidiſſimis moribus præditus, religione inſignis, atq; Eccleſiaſtes celeberrimus . Tanta præterea apud Indos gratia valuit, vt piaculum exiſtimauerint inexpiabile eius dictis,vel in minimo, non audire. E

De con-

A *De conuentu Dominicæ Transfigurationis Autlanis. Conu. XXIX.*

NON abs re præſens conuentus Autlanis apud Xaliſcos Indorum ſumptibus, in Dominicæ Transfigurationis honorem, ante 50. annos erectus tum apud Hiſpanos, tum apud ipſos quoq; Indos maxima in veneratione habetur; cùm admirandæ religionis viri, ac præſtantiſſimi patris fratris Franciſci à Cruce corpus in eo ſepulturæ traditum ſit. Traiecit venerabilis hic pater ex Bætica Prouincia, in qua religionis habitũ induerat, ad has partes, poſtquàm Pariſijs per aliquot annos tum humanis, tum quoq; diuinis literis ſedulam dediſſet operam, in eiſq; poſt Indicum idioma feliciter aſſequutum, tales tantoſq; progreſſus fecit, vt vix ſibi parem in Indorum conuerſione habuerit. Eo interim nihil abſtinentius, nihil continentius, nihilq; humanius fuit: quippe qui perpetuam caſtitatem cum profundiſſima quadam humilitate coniungens, inſipidiſſimis herbis pro exculentis, & ſimplici aqua malorum medicorum ſucco admixta pro poculentis vſus ſit. In eius denique (vt paucis multa perſtringam) ſanctitatis teſtimonium, vt primùm ex hac infelici vita ad felicem patriam, inter ſanctos Dei in æternum regnaturus, euolauit, præſentis monaſterij campanæ nullo ſe impellente ſonuerunt.

B

De conuentu S. Mariæ Magdalenæ Capotitlanis. Conu. XXX.

NON minori ornamento ſunt præſenti conuentui Capotitlanis, quod Xaliſcorũ oppidum eſt, ab eius incolis non ita pridem in B. Mariæ Magdalenæ honorem erecto, pientiſſimi patres frater Franciſcus Turrigianus, ac frater Ioannes Serrado ibidem ſepulti, quàm frater Franciſcus à Cruce proximè præcedenti. Nam iſte, frater ſcilicet Ioannes Serrado Chichimecarum, infidelium ſcilicet Indorum, ſalutem Chriſtiana pietate ſupra modum ſitiens, ad eos, relicta interim probo cuidam patri conuentus cura, (erat ſiquidem eius Guardianus) traiecit: dumq; eorum conuerſioni pro viribus intenderet, eorundem barbarorum ſagittis cõfoſsus, vitam cum morte commutauit, ac glorioſus martyr de morte triumphans occubuit. Alter verò, frater nempe Franciſcus Turrigianus, cùm euangelicæ paupertatis, obedientię, atq; caſtitatis obſeruantiſſimus eſſet, Indicumq; idioma peroptimè calleret, à tempore, quo hanc Prouinciam ingreſſus eſt, ad vltimum vſq; vitæ terminum à ſacris concionibus, pijſq; adhortationibus, & ſacramentorum adminiſtratione, quibus exercitijs innumeros ferè populos catholicæ adiecit Eccleſiæ, hæredeſq; Regni cæleſtis effecit, vel tantillum non reſpirauit.

C

De conuentu S. Franciſci Saiulæ. Conu. XXXI.

D

NON ſumptus, nec etiã labores pauperes Indos oppidi Saiulæ accolas deterruêre, quominus hunc conuentum, ſeraphico patri Franciſco ſacrum, ac quatuor continendis fratribus accommodatiſſimum, intra communis oppidi męnia ædificarent.

De conuentu S. Franciſci Saqualci. Conu. XXXII.

LICET Saqualciorum ſubſtantia non adeò pinguis eſſet, curarunt nihilominus ij, idq; non ſine pietate, hunc cõuentum in B.P. Franciſci honorem Saqualci, quod Xaliſcorum oppidum eſt, à primis fundamentis ad verticem vſq; ædificari.

De conuentu S. Sebaſtiani Techalutlæ. Conu. XXXIII.

E NE indeuotioni, aut cuidam erga fratres noſtros impietati, ſi ſe Minoritico conuentu priuari contingeret, ab aliquibus imputaretur, Thechalutlæ Xaliſcani oppidi habitatores hoc monaſterium, diuo martyri Sebaſtiano ſacrum, ex cõmunibus apud ſe facultatibus ædificatum voluêre. Fratres verò ſpiritualibus temporalia rependunt.

De conuentu S. Franciſci Amachecæ. Conu. XXXIIII.

SVÆ erga fratres noſtros tum gratitudinis, tum quoque pietatis ſpecimen daturi Amachecani hoc illis monaſterium ſub ſeraphici patris Franciſci titulo Amachecę, quod inſigne oppidum eſt, Xaliſcorumq; finibus clauditur, tum ex publicis, tum quoq; ex priuatis facultatibus conſtruendum curarũt. Mortem obijt predicto hoc in conuentu vene-

tu venerandæ caniciei F. Simon à Bruxellis Prouinciæ inferioris Germaniæ alumnus, ac laicus profeſſus: qui cùm per 50. eoq; plus annos ſacerdotibus in felici Indorum conuerſione ſedulò famulatus fuiſſet, octogenarius tandem, huic ſæculo vale dixit. A

De conuentu S. Ioannis Euangeliſtæ Atoiaquei. Conu. XXXV.

NON moleſtè ferentes, immo boni æquiq; conſulentes Xaliſcani, eius oppidi, cui Atoiaqueum nomen eſt, habitatores, noſtrorum fratrum præſentiam, hoc eis monaſterium, in S. Ioannis Euangeliſtæ honorē, intra cōmunem ambitum erigi fecerunt. Hoc nihilominus monaſterium horrendo quodā in terremotu cum plurimis alijs iſtius Prouinciæ ædificijs ad terram venit, atq; admirandæ religionis P. F. Ferdinandum à Secura, pauperem paſſim appellitatum, ſua ruina oppreſſit. Cuius ſanè patris paupertas incredibilis, humilitas profundiſſima, oratio ſupra modū feruens & continua, atq; charitas ardentiſſima extitêre: quamobrē peculiari quadam veneratione ab omnibus, præſertim ab Indis colebatur, maximumq; moriens ſui deſiderium omnibus reliquit. Fuit tamen præfatū hoc monaſterium ab ijſdem Indis de nouo eleganter ſatis ædificatum. B

De conuentu S. Michaelis Teoquetlatlanis. Conu. XXXVI.

QVANTI fratrum noſtrorum prædicatio apud Teoquetlatlanos olim fuerit, vel ex hoc ſaltem liquet: quòd eis hunc conuentum, cœleſtis militiæ principi, Archangelo ſcilicet Michaëli ſacrum, intra Teoquetlatlanis cōmunis, atq; Xaliſcani oppidi mœnia ædificandum curarint, ſibiq; in omnibus libentiſſimè morem geſſerint.

De conuentu S. Andreæ Axiſſequij. Conu. XXXVII.

QVANTAM ex fratrum noſtrorum præſentia Axiſſequiani voluptatem cœperint, ſciri facillimè poteſt & ex præſenti conuentu, Axiſſequij, quod Xaliſcorum oppidum eſt, ab eis in diui Apoſtoli Andreæ honorem ad illorum vſum & habitationē olim ędificato: & ex ea liberalitate, qua quatuor fratres eius habitatores proſequuntur. C

De conuentu S. Franciſci Chiapalæ. Conu. XXXVIII.

CHIAPALENSIS oppidi habitatores vnos velim, quiſquis ille fuerit, inter Xaliſcanos omnes populos noſtri Ordinis, atq; catholicæ fidei obſeruantiſſimos, ſimul atq; ſtudioſiſſimos: quippequi Chriſtianam diſciplinam, non ita pridem ſibi à fratribus noſtris traditā, inuiolatam, illęſamq; impręſentiarum vſq; cuſtodierint: & pręſens monaſterium intra communis oppidi Chiapalę ambitum, communibus quoq; ſumptibus extruendum curarint. Hoc deniq; monaſterium ſuo funere commendatiſſimum reddit inſignis P. F. Michaël à Bononia, qui ex Bononienſi Prouincia, vbi Minoriticum induerat habitum, ad iſtas vſq; partes penetrans, Mexicanam, Taraſcam, Othomicam, Caſcanicam, Tequexanam, atq; Icacanicam Indorum linguas infra breuiſſimi temporis ſpatium apprimè didicit, & ſacris ſuis cōcionibus innumeros ferè prefatorum idiomatum populos ab idolatria ad catholicam fidem conuertit. Fuit pręterea religioſiſſimus hic pater paupertatis obſeruātiſſimus, Religionis Franciſcanę zelantiſſimus, omniūq; virtutum ſtudioſiſſimus: quamobrem & Indis gratiſſimus, maximaq; in veneratione fuit, & in pręſentiarum vſque ab ijdem vt ſanctus, Deo carus, ac verè beatus colitur. D

De conuentu SS. Petri & Pauli Pocitlanis. Conu. XXXIX.

NE interim ſe abſentibus iſtius patriæ populi (prout ſunt ad idolatriam procliues) antiquum repeterent viuendi modum, maximæ noſtris fratribus curæ fuit, vt in ſingulis ferè eorum oppidis conuentus erigerentur, quatenus illis perpetuò adeſſe poſſent. Eo igitur factum eſt, vt Poncitlanis quoque præſens conuentus, diuis Petro & Paulo Apoſtolis dicatus, quem & 4. religioſi plerunque incolunt, conſtructus fuerit. E

De conuentu S. Michaelis Cocolanis. Conu. XL.

CVM fratres noſtri Cocolanenſium in ſe voluntatem exploratam haberent, ne ſibi quoquomodo ingrati viderentur, hunc intra communis eorum oppidi Cocolanis

mœnia

A mœnia conuentũ in S. Michaëlis Archangeli honorem ædificandum curarunt: vt vel ſic illis quacũq; in neceſſitate opportunius adeſſe,atq; tanti amoris vices facilius repen dere poſſent. Dum eius terręmotus(cuius ſuprà meminimus)vim expertus præfatus hic conuentus ad terram veniſſet, religioſiſſimum P. F. Stephanum ab Antiqua mellaria (vulgò Fuente Oueiuna) ſua ruina oppreſſit. Cuius ſanè mors tantò Indis extitit ingra tior,quantò eius vita illis erat vtilior. Fuit nihilominus hic locus in tanti patris defun-cti gratiam à Cocolanenſibus reædificatus:vnde & à 4. fratribus ſat cõmodè incolitur.

De conuentu S. Antonij Tlaxomulci. *Conu.* XLI.

CVM antiquiores iſtius Prouinciæ fratres, patreſq; minimè præteriret, quantum vtilitatis,quantumq; emolumẽti nouæ iſti Eccleſię ex monaſteriorum ædificatio-
B ne accederet,hunc etiam cõuentum B.P. Antonio de Padua Tlaxomulci, quod inſigne Xaliſcorum oppidum eſt,ex publicis oppidanorũ facultatibus erigi, perficiq; fecerunt.

De conuentu S. Franciſci Teulis. *Conu.* XLII.

CONFIRMATVRI iſtiuſmet Prouinciæ proceres de nouo plantatam, ac ſupra modum pullulantem Teulis,quod nõ vulgare Xaliſcorum oppidum eſt, Eccleſiã, hoc monaſterium ſub ſeraphici P. Franciſci inuocatione intra eius oppidi ambitum, ex publicis tamen oppidanorum facultatibus,ædificandum, atq; à 4. religioſis,qui die,no ctuq; ſibi inuigilarent,eãq; diligentius excolerent,inhabitandũ conſultiſſimè curarunt.

De conuentu Conceptionis B. Mariæ Xalæ *Conu.* XLIII.

C EXPERTI Xalenſes candidum in ſe fratrum noſtrorum animum, ſibique tanti amoris vices rependere cupientes, hoc illis monaſterium in Conceptionis B. virginis honorem, intra Xalæ communis oppidi mœnia ædificatum, collatumq; voluêre.

De conuentu S. Ioannis Baptiſtæ Xaliſci. *Conu.* XLIIII.

XALISCVM populoſum oppidum,à quo vniuerſa hęc regio denominata euaſit,vt primùm noſtri fratres ipſum ingreſſi ſunt,catholicam fidem ſibi ab eis prędicatam ambabus (vt aiunt) vlnis excipiens,hoc illis apud ſe monaſterium ad Dei honorem,& in Dominici præcurſoris S. Ioannis Baptiſtæ memoriã erigi,perficiq; curauit.

De conuentu S. Franciſci Centicpaci. *Conu.* XLV.

D HIC conuentus Centicpaci in ſeraphici patris Franciſci honorem cõmunibus oppidanorum ſumptibus olim erectus,atq; impræſentiarum à 4. fratribus inhabitatus,vltimus eſt eorum,qui apud Xaliſcanos fideles populos ædificati ſunt: qui verò ſequuntur,inter Chichimecas, ideſt infideles Indos,atq; Hiſpaniarũ Regi inimicos, idq; non ſine maximo religioſorum in eis commorantium vitæ diſcrimine, ſedem obtinent.

De conuentu S. Franciſci Guainamotæ. *Conu.* XLVI.

CHICHIMECÆ,infideles ſcilicet Indi,qui ex altera celebris illius fluminis(de quo in iſtius prouinciæ proęmio)parte habitãt,turmatim(vt ibi meminimus)per incertas ſedes,atq; nudi, verendis etiam detectis, quod à naturali honeſtate maximè abhorret,vagantur. Eorum tamen plurimi ab anno Domini 1560. vel circiter,à tempore ſci-
E licet,quo fratres noſtri ad eos cum patentiſſimo vitę diſcrimine penetrarunt,& oppida opportunis in locis ædificantes, politico more ſimul conuiuunt, & veſtimentis noſtro more vtuntur, & catholicam fidem,abiurata idolatria,quodammodo amplexati ſunt. Quia vero huiuſmodi Chichimecæ,antiquiori viuendi,modo, eoq; ſupra modum belluino,ad fratrum noſtrorum inſtantiam poſt ſe relicto,Chriſtianos mores induere cœperunt,idq, in cauſa eſſe poſſit,vt catholici regis militibus ad interiora iſtius patriæ facilior aliquando ſternatur via:decreuerunt,idq; cõſultiſſimè,regij nouæ Galleciæ Con cilij patres cõſcripti,vt noſtri fratres vnum,vel alterum monaſterium apud eos erigendum, inibiq; aliquot bonæ famæ religioſos conſtituendos curarent. Eò igitur factum eſt, vt, ſuppeditantibus neceſſaria Guainamotis, præſens conuentus apud eos in ſancti Fran-

Franciſci memoriam ſub anno Domini 1579. ædificatum extiterit. Cumq; per integrũ ſexennium præfati fratres hoc in conuentu, maximum interim fructum ex ſacris ſuis concionibus referentes, commorati eſſent, anno tandem Dñi 1585. (vt ſtatim patebit) ex eis duo, P. ſcilicet Andreas ab Aiala eius author, ac F. Franciſcus Aegidij à montanis quibuſdam Indis peſſimo, ac truculenti genio actis crudeliſſimè interfecti ſunt. A

De PP. FF. Andreæ ab Aiala, ac Franciſci Aegidij martyrio.

GVAINAMOTÆ efferatis moribus præditi, atque bellicoſiſſimi ſuapte natura ſunt: extremamq; iſtius Prouinciæ oram tenentes, editiſſimos montes Auſtrali imminentes Oceano, cauernis interim ferarum more pro domibus vtentes, inhabitant. Horum tamen plurimos, vt primùm ad eos penetrarunt, ſuis concionibus, atque pijs adhortationibus, & religioſa conuerſatione noſtri fratres ad fidem conuerterunt, idq; non ſine labore, quòd huiuſmodi homines trunci, bardiq; ſint, atque nullo penitus ingenio polleant. Inter eos verò religioſos, qui fructuoſius hoc in opere laborarunt, primatum tenuit inſignis pater, ac conſummatus Theologus frater Andreas ab Aiala: qui cum Indicum iſtius patriæ idioma apprimè calleret, atque ſingulari quadam dicendi facundia præditus eſſet, nihil ab huiuſmodi Guainamotis non obtinuit. Vnde & eos ad oppida in planicie, ac fertili in ſolo ædificanda, & ad inſimul conuiuendum, & ad eccleſias, gymnaſiaque erigenda coëgit. Conſtitutus igitur tantus hic pater ex procerum iſtius Prouinciæ decreto præfati à ſe ædificati conuentus Guainamotani Guardianus, in id maximè incubuit, vt huiuſmodi Indos ad fidem de nouo conuerſos, & ad idolatriam ſupra modum procliues in ſuſcepta religione Chriſtiana contineret: idque quàm feliciſſimè per integrum ſexennium præſtitit Succedente verò anno Domini 1585. cùm idipſum ſæpius (ſed fruſtra) intentaſſent, quamplurimi Guainamotæ in vnum conſpirantes decreuerunt, vt omnes ſimul ſecuribus, atque clauis (has macanas Indicè appellant) armati ad eccleſiam 4. Auguſti, quæ beatiſſimo patri Dominico ſacra eſt, conuenirent, inibique tum patrem Andream ab Aiala, tum quoque eius ſocium fratrem Franciſcum Aegidij inter faciendum ſacrum occiderent: quandoquidem is Deus ab eis ſibi prædicatus nec victum ſubminiſtraret, & relicti à ſe Dij ſæpius ſe ab anguſtijs, & neceſſitatibus eripuiſſent. Id autem non adeò occultum fuit, quin deuoto cuidam, ac fratribus amiciſſimo Indo innoteſceret. A quo tandem frater Andreas, licèt non omnino de nuntio credulus, ſic pręmonitus, aliquot Hiſpanos, vt ſibi ſacrificanti adeſſent, rogauit: & aſcenſo poſt offertorium ſuggeſtu, ad ſibi aſtãtes Indos de catholica fide retinenda, de homicidii execratione, deque pœnis ſibi tum à Deo, tum quoque ab hominibus in eius ſatisfactionem inferendis Indico idiomate verba habuit. Abſoluto poſtmodùm ſacro, Guainamotisq; ad quædam latibula propè conuentum, inſciis tamen fratribus, declinantibus, frater Andreas cum cariſſimo ſibi ſocio fratre Franciſco menſæ diſcubuit: dumque nihil minus cogitans cibum caperet, adſunt pro foribus huiuſmodi homines efferati, atque in religioſum ſanguinem ſupra modum inhiantes ad luporum inſtar vlulare incipiunt. Quibus auditis eorum vterq;, frater ſcilicet Andreas, & ſocius eius in ſacrarium ſe recipiunt, atque præuia ſacramentali confeſſione ad ſubeundam ſub illis Satanæ militibus mortem ſe quàmdiligentiſſimè præparant. Cùmque, admoto tum eccleſię, tum quoque conuentui à barbaris igne, quicquid ædificii conſurgebat, id voranti flammæ cederet, frater Andreas Crucifixum manu tenens ad eos exiit, atq; de tanto commiſſo facinore grauiſſimis verbis arguere cœpit. Quamobrem illi œſtro omnino perciti in ipſum irruentes, eum iteratis ſecurium, ac clauarum ictibus mortalem hanc vitam concludere coëgerunt: abſciſſumq; ab humeris caput manu tenentes, choreasq; inſimul ducentes, huiuſmodi verba proferebant. Eia age, (ſi poſſis) vt nos ad eccleſiam venire, atque tuæ doctrinæ adeſſe compellas. Interim frater Franciſcus Aegidii horti interiora petiit, vbi ab iiſdem Guainamotis inuentus ſimul cum ſacriſtis Indis, & vno, vel altero Chriſtifidele ſibi adiuncto ſub eorum manibus pro Chriſti fide glorioſè occubuit. Deinde præfati Guainamotæ conuentum omnino expilarunt, & quicquid ſacri in eius eccleſia inueniri potuit, id in proprios vſus conuerterunt: comminutis interim, vel exuſtis Sanctorum imaginibus. Quod vt primùm Hiſpani, qui longiuſculus agebant, ſenſerunt, vt fratribus adeſſe poſſent, ad locum feſtino gradu conuolarunt.

A uolarunt: vbi tandem & ab ijſdem iam omnino exaſperatis Indis occiſi ſunt. Curat interim, idque pro viribus, regium nouæ Galleciæ Concilium, vt huiuſmodi Guainamotæ iuſtas tanti facinoris dent pęnas, & ad Catholicam fidem reuertantur: ſed (ni fallor) fruſtra, cum illi relictis oppidis ad montium interiora, eaque omnino inaceſſibilia ſe receperint. Noſtri nihilominus fratres omnem mouēt lapidem, vt iterato ad eos aliquando penetrent, illosq; ad idolatriam, in qua volutantur, deſerendam, & ad catholicam fidem denuò amplectendam inducant. Quod, vt pro votis ſuccedat, faxit altiſſimus.

De conuentu S. Franciſci Saponetæ Conu. XLVII.

QVAMVIS pientiſſimus pater frater Paulus Azeuedo, cæterique fratres (de quibus ſtatim inferius) alibi pro Chriſti fide occiſi fuerint: glorioſos tamen eo-B rum agones præſenti conuentui, Saponetæ, quod Chichimecarum oppidum eſt, ante octo annos ſingulari noſtrorum fratrum ſolicitudine, ex oppidanorum tamen facultatibus in S. Franciſci memoriam erecto, & à 4. religioſis plerunq; inculto, quòd ſub ijſdē Chichimecis contigerint, adijcere volui.

De PP. FF. Pauli Azeuedo à Ferraria, Franciſci Donzelis, ac Petri Burgenſis martyrio.

CVM honeſtiſſimus pater frater Paulus Azeuedo Portuenſis poſt ſuſceptum in ſancti Dominici Prouincia inſulæ ſanctæ Crucis Minoriticum habitum, ac poſt peragratam quoque, non abſque plurium Indorum ad Chriſti fidem conuerſione, ſancti Euangelij Prouinciam, in nouam Cantabriam cum tribus eiuſdem Ordinis fratribus à ſuperioribus miſſus eſſet: ac poſt rem ſub Franciſco Iuarra Chriſtiani exercitus Præfecto Copalæ feliciter geſtam, Culiacanica regione barbarorum conuerſioni totis C viribus animum intēderet, ab infidelibus Indis occaſione cuiuſdam Moraſcati, qui illis odioſus patris Pauli verba peruerſè interpretans eis referebat, ſagittarum turbine confixus in Domino obijt. Eiuſdem quoque Moraſcati cauſa, cùm ab Indis tributum eorum domino debitum (vt ſui erat muneris) nimis importunè, nimiſque moleſtè exigeret, frater Ioannes à Ferraria profeſſione laicus, ac indiuiduus patris Pauli comes eadem in Culiacanica regione ab alijs quibuſdam Indis, à viginti tamen annis ſacro baptiſmate regeneratis, interfectus extitit. Nam ij à Moraſcato illo ſupra modum vexati in eius necem vnanimiter conſpirantes, ipſum præſente præfato fratre Ioanne crudeliſſimè trucidarunt: timenteſque, ne fratris teſtimonio eorum facinus detegeretur, ipſum etiam fratrem, inſuper & omnes Indos ſibi amicos, qui eccleſiæ obſequijs incumbebant, pariter occiderunt: eorum interim corpora eo ipſo loco, vbi extincta fuerant, D inſepulta relinquentes. Idque vt primùm Hiſpani intellexēre, eò, vt defunctorum corpora ſepulturæ traderent, celeri gradu accurrentes, ſolum patris Pauli corpus incorruptum, intactumque, interim tamen adeò extenuatum, adeoque gracile (cùm obeſum prius eſſet) vt pueri corpus eſſe videretur, reperierunt. Cæterorum verò cadauera à feris ad oſſa vſque deuorata fuerant. Sicque diuina prouidentia actum eſt, vt ſingularis patris Pauli ſanctitas, atque vitæ innocentia cunctis innoteſcerent. Præfatum interim patris Pauli corpus, ac aliorum ſecum extinctorum fidelium oſſa in quadam eiuſdem Culiacanicæ regionis eccleſia, quæ huius prouinciæ finibus circunſcribitur, honorificè ſepulta ſunt. Venerabilis verò pater frater Franciſcus Donzelis, qui ex Bætica Prouincia, in qua Religionis habitum ſumpſerat, in nouam Hiſpaniam traiecerat: cùm in Minoritico apud ſanctum Philippum (de quo ſuprà) conuentu Guardia-E num ageret, Mexicum ciuitatem quibuſdam de negotijs cum Prorege Martino Enriquez acturus petijt. Quibus denique expeditis, atq; aſcito ſibi in ſocium venerabili ſene ac patre Petro Burgenſe, qui paulò ante ex ſancti Euangelij Prouincia ad hanc tranſierat, ad S. Michaëlis oppidum ire contendit: in tranſitu verò eius anguſtiæ, cui Portillo de Camacuero Hiſpanicè nomen eſt, à Chichimecis circumuentus ſtridentibus, præpilatiſque eorum ſagittis ſimul cum ſocio transfixus glorioſe interiit. Vt igitur primùm Hiſpani ei loco vicini rei geſtæ facinus acceperunt, eorum corpora inde ad ſancti Michaëlis oppidum transferenda, atque funebribus exequiis de more expletis, honeſtæ ſepulturæ eodem in loco tradenda curarunt.



PROVIN-

PROVINCIA
S. IOSEPH DE IVCATAN.

A EA regio,quæ Iucatan ab Hiſpanis,ab Indis verò Maiathan, ſiue Maiapan
appellatur,peninſula eſt,cùm ab Oriente, ab Aquilone, & ab Occidente
Auſtrali Oceano mari alluatur, cingaturq́;, & à Meridie tantùm conti-
nenti,eiq́; vaſtiſſimo annectatur. Amplectitur præterea Coſumelem in-
ſulam,pro maiori parte inhabitatam, eamq́; prouinciam, quæ Tauaſco
Indicè dicitur. Eius longitudo,quæ ab Oriente in Occidentem procedit,300.perficit
milliaria: latitudo verò,quæ ab Aquilone in Meridiem per vaſtiſſimam quandam ſo-
litudinem,maioriq́; ex parte inhabitatam protenditur,multò magis patet. Ad hanc
igitur Iucatanicam regionem Hiſpani Caroli V. Germanorum Imperatoris, ac Hi-
B ſpaniarum Regis milites,ſub anno à partu Virgineo 1527.primò applicuêre, eamq́;,
deuictis barbaris eius accolis, ſui Regis imperio ſubiugarunt. Cumq́; poſt elapſum
ſeptēnium, nempe anno Domini 1534.ea relicta,in Peruranum Regnū ſe cōtuliſſent:
religioſi quatuor Franciſcani ſub egregij P.F.Iocobi Teſtera cura,atq́; obedientia il-
lis ſucceſsêre. Hos Indi, incredibili clade à præfatis militibus accepta ſupra modum
exaſperati,atq́; militarem eorum licentia execrantes, nullo pacto admittere volue-
runt, antequàm ſanctè iuraſſent, ſe nullo vnquam tempore huiuſmodi milites ad eos
introducturos.Quibus denique id ſibi pollicentibus,atq́; catholicam fidem per quoſ-
dam Indos, ex Mexico nouæ Hiſpaniæ celebri ciuitate oriundos, interpretes prædi-
C cantibus,tanta Iucatanicis ijs Indis Chriſtianæ religionis amplexandæ inceſſit cupi-
ditas, vt infra quadraginta dierum ſpatium ex eis quindecim potentiſſimi Principes
cuncta idola, quibus olim ſacrificare aſſueuerant, comburenda, proprioſq́; liberos
eadem in fide inſtruendos,ac bonis moribus imbuendos ad eos detulerint,illiſq́; tum
gymnaſia, tum quoque eccleſias & habitationes conſtruenda curarunt; ac tandem
datis propria ſponte quibuſdam teſſeris ad chyrographorū inſtar, ſanctè iurauerint,
ſe Regis Caſtellæ dictis, atque mandatis perpetuò audituros. Quod à ſæculo iſtis in
partibus non eſt auditum. Dum tamen iſta fierent,atq́; religionis Chriſtianæ res iſtis
in partibus pro votis ſuccederent,ſuperuenêre ex inſperato 18.equites, atque 12.pedi-
D tes Hiſpani, qui aduecta aliunde idola iſtius patriæ Indis ex militari licentia vendere
niſi ſunt,ſubijcientes,ne religioſis aures omnino accommodarent,niſi fortè rebus ſuis
minus conſultum cuperent. Quibus nihilominus fratres pro viribus reſtiterunt, ſed
fruſtra; deprauatis illorum animis in aurum atq́; argentum maximè inclinatis,atq́;
Indis eorum conſpectu non ita parum exaſperatis. Quamobrem, ne accolarum in ſe
furorem magis,magiſq́; concitarent,arreptam crinibus occaſionem è manibus ad tē-
pus elabi permittentes,ſancti Euangelij Prouinciam, maximo interim affecti dolore,
quod ſemina à ſe iacta non altiores fixiſſent radices, non ſecus ac de longinqua præ-
fati quinque fratres regione remearunt. Poſt elapſum verò ab huiuſmodi euentu de-
E cennium,nempe anno Dominicæ incarnationis 1544.inſignis pater,ac ſupra modum
ſolicitus frater Laurentius Bienuenida cum quatuor alijs religioſis ad has partes ap-
plicuit, atque,capta Iucatanicorum beneuolentia,conſtructa à pręcedentibus quinq́;
Franciſcanis Meritæ,atq́; Campechij (de quibus infrà) domicilia & gymnaſia recu-
perauit, atque Indis à fide catholica in idolatriam relapſis ea, quæ ſunt Chriſtianæ
religionis,iteratò,idq́; non ſine ingenti lucro,prædicare cœpit. Inter omnes verò pa-
tres, qui iſtis in partibus maximè laborarunt, principatum facilè obtinet præmemo-
ratus frater Laurentius Bienuenida: Nam is nulli penitus labori parcēs,ſemel, iterum
atq́; iterum noſtram Europam (vt ſtatim patebit) nauigio repetijt, nec vel tantillum,
quo ad vſque Iucatanicam Prouinciam erigendam curaret,quieuit. Primò ſiquidem,

ſub anno Domini 1548. apud venerabilem patrem cognomine Buſtamante, generalē Indiarum Commiſſarium Mexici degentem egit, vt præfatæ Meritana, & Cāpechiana domus Iucatanicam in Cuſtodiam erigerentur. Deinde generale totius noſtri Ordinis Capitulum Aquilæ, anno Domini 1558. celebratum accedens; vt ex Guatemalica, & hac Iucatanica Cuſtodijs vna conflaretur Prouincia, ac proprio pareret Miniſtro, apud patres effecit. Tum demum ſub alijs generalibus noſtri Ordinis Comitijs Valiſoleti apud Hiſpanos ſub anno Domini 1564. celebratis, à R.P.F. Aloyſio Puteo generale Miniſtro, cæteriſq;, quorū intererat, patribus impetrauit, vt Iucatanica Cuſtodia, quæ ſimul cum Guatemalica Prouinciæ titulo dignabatur, ad peculiaris Prouinciȩ dignitatem, ſub nomine S. Ioſeph de Iucatan, atq; ſub proprio prouinciali Miniſtro, promoueretur. Nec tamen interim alij quatuor otio indulſerunt: nam eorum alter, frater ſcilicet Ioannes à Ferraria, qui poſtmodùm ſub Chichimecis martyr euaſit, ſcholas apud Iucatanicos erexit, inibiq; humaniores literas docuit. Alter verò frater Ludouicus Villalpandeus Indicam linguam in ordinem, atq; certas regulas, quibus facillimè addiſcitur, edito libello redegit. Reliqui verò duo infidelium conuerſioni diligentius incubuêre. Prodijt itaque nobis præfata hæc Prouincia S. Ioſeph de Iucatan ab anno Domini 1564. conſtatq; impræſentiarum ex 22. Minoriticis ædibus; quarum ſex tantùm perfectæ, atq; ad noſtrorum conuentuum inſtar ædificatæ ſunt. Reliquæ verò, quinq; demptis, quæ nihil aliud ab eccleſijs deſiderant, domiciliorum potius, quàm monaſteriorum formam præſeferunt. Idq; ſanè erit in cauſa, vt, præter ſeruatum huc vſque morem, earum tantùm, quæ omnibus ſuis numeris abſoluuntur, quæq; nihil aliud ab eccleſijs deſiderant, fundationes, reliquis interim leuiori calamo perſtrictis, in medium adducamus. Maius interim huius Prouinciæ ſigillū (vt conſuetum morem teneamus) beati Ioſeph Deiparæ Virginis ſponſi ſub arbore ſedētis, dormientiſq;, atq; Angeli ſe excitantis imagines: inſuper & ſequentes literas: SIGILLVM PROVINCIÆ SANCTI IOSEPH. ſphericè imprimit. Vt tandē huius Prouinciæ nomini, à patribus noſtri Ordinis impoſito, ſanctus, quem in initio cuiuſcunq; Prouinciæ patronum eius conſtituimus, quadret: ideo beati Ioſeph Deiparæ virginis Mariæ ſponſi iconem graphicè depictum ſibi præpoſitum volui.

De conuentu Matris Dei Meritæ. *Conu. I:*

MERITA Iucatanicæ regionis inſignis ciuitas eſt, ab Hiſpanis, ante 50. annos, ad Auguſtæ Emeritæ ciuitatis Luſitanicæ inſtar ædificata, & ab ijſdē Hiſpanis pro maiori parte inhabitatur, diſtatq; à celebri portu Iucatanico Siſala 30. milliarijs. Ad hanc ciuitatem, tunc verò oppidum, cùm præfatus pater Iacobus Teſtera, ſub anno Domini 1534. appuliſſet, oppidaniſq; ſupra modū gratiſſimus eſſet, hoc ab eis monaſterium, humiliori tamen ſub forma, ædificandum curauit. Quod poſtmodū ab eo, ſocijſq; præmemoratis ex cauſis derelictum egregius pater frater Laurentius Bienuenida in primo ſuo ad has partes, ſub anno Domini 1544. aduentu de oppidanorū conſenſu & beneplacito occupauit, atque temporis ſucceſſu in multò pulchriorem, multoq; capaciorem formam ex diuerſis eleemoſynis tranſtulit, ita vt commodè 18. fratres impræſentiarum contineat. Honeſto tumulatus ſepulcro hoc in conuentu iacet venerabilis pater frater Franciſcus à Turre, Prouinciæ Bæticæ alumnus; qui vnus ex primis huius Prouinciæ fundatoribus extitit, in eaq; aliquoties & Cuſtodem, & Miniſtrum diligentiſſimū egit. Fuit præterea inſignis hic pater tanta humilitate prȩditus, vt omnibus tum Indis, tum quoq; Hiſpanis, ſiue militibus, ſiue etiā mercatoribus gratiſſimus fuerit. In Indorum verò conuerſione nullum ſibi parem habuit: cùm enim Iucatanicum idioma optimè calleret, quoſuis huius Prouinciæ barbaros facilè in ſui ſententiam trahebat. De cuius tandem ſanctitate hȩc ſolummodo dixerim: quòd videlicet plurima prȩſago prȩnouerit ſpiritu, quodq; grauiſſimam quandam infirmitatē, ex qua demum occubuit, quam patientiſſimè, imò & lȩtanter per plurimos annos tulerit; quodque tandem paulò ante mortem à terra in aëra ſubleuatus, tanta fuit vis orationis, viſus ſit. Huic tanto patri annectere libet pientiſſimū, atq; catholicæ religionis iſtis in partibus propugnatorem olim acerrimum, fratrem ſcilicet Didacum Landam

A Landam Prouinciæ Caſtellæ alumnū: qui, poſt plurimos in Indorū conuerſione exan-
tlatos labores, poſtque plurimas eo in opere ſuperatas difficultates, ad epiſcopale mu-
nus apud Iucatanicos aſſumptus, cùm deprauatos mores, & Hiſpanorū viuendi licē-
tiam, atq; tyrannidem in Indos excitatam vehementius, liberiusq; obiurgare cępiſſet,
magnam ex huiuſmodi libertate apud multos ſubijt inuidiam. Lamijs quoq;, atq; ma-
leficis Indis, quibus hæc patria ſcatet, quòd in eos ſeuerius animaduerteret, infeſtiſſi-
mus fuit. Quamobrem non paucas ab eis ſuſtinuit inſidias. Eas tamen omnes, diuina
ſe protegente virtute, inoffenſo pede ſuperauit. Cùm enim iterum, atque iterum eum
inter itinerādum ab equo, profundiſſimum in fluuium deturbare conati eſſent huiuſ-
modi homines, ſtetit reuerendiſſimus ipſe Epiſcopus omnino immobilis, eorumq; ni-
ſus, pulcherrimo quodam puero (vt ipſi poſtmodum faſſi ſunt) ſibi reſiſtente, elumbes
B redditi extitêre. Dum vigilantiſſimus hic Præſul in minoribus agēs, Guardianatus of-
ficiū Minoritico in Iſmalenſi huius Prouinciæ conuentu, ſub anno Domini 1553. age-
ret, tanta inualuit ſuper terram fames, vt omnes tum Indi, tum quoq; Hiſpani inedia
perirent. Cumq; ſterilis eius anni ſex adhuc menſes ſupereſſent, vixq; frumentum in
horreo reconditum ſuſtentandis per menſem eius fratribus ſufficeret, præcepit, de Dei
prouidentia interim bene ſperans, pijſſimus ipſe pater Didacus Landa, vt nemini pe-
nitus pauperi, portam pro impetranda eleemoſyna accedēti, panis denegaretur. Mira
res! Ex huiuſmodi frumento in panes redacto tum fratribus, tum cæteris eccleſię mi-
niſtris & cantoribus, qui numero erant 20. tum quoq; maiori oppidanorum parti per
integrum ſemeſtre abūdè ſubminiſtratum eſt, & in eius temporis fine eadem penitus
frumenti menſura, ac ſi omnino intacta fuiſſet, inuenta eſt. Quod ſanè diuinæ proui-
C dentiæ, quæ aures ad pias tanti religioſi preces, & confidentiam inclinare dedignata
non fuerit, tribuendum venit. Præterea religioſiſſimo hoc Paſtore ad populū pro ſug-
geſtu de ſacro Euangelio concionem habente, viſa eſt ſæpius à circunſtante corona
ſupra eius caput ſplendidiſſima ſtella. Obijt denique pientiſſimus hic Epiſcopus, ſub
anno Dominicæ incarnationis 1579. ad cuius funus quotquot ſibi præfatas ob cau-
ſas aduerſabantur, atque in eius mortem machinati fuerant, accurrerunt, eum inte-
rim ſanctum, Deoq; carum prædicantes. Iacet eius corpus, honorifico reconditus
ſepulcro, in cathedrali Iucatanici epiſcopatus eccleſia, & in veneratione habetur.

De conuentu S. Franciſci Campecij. Conu. II.

D CAMPECIVM inſigne oppidum eſt, à præfata ciuitate Merita 30. milliarijs di-
ſtans, inhabiturq; à ſolis Hiſpanis, atque peroptimo portu gaudet. Eius igitur
accolæ ſaluti propriæ conſulturi, hoc monaſterium, continendis octo fratribus accō-
modatiſſimum, in beati patris Frāciſci memoriam, communibus ſumptibus, ante 40.
annos à fundamentis apud ſe erigendū, omnibusq; ſuis numeris abſoluendū curarūt.

De conuentu S. Bernardini Valliſoleti. Conu. III.

EISDEM omnino Hiſpanis, oppidum Valliſoletum apud Iucatanicos incolen-
tibus, aſcribendus venit hic conuētus, beato Bernardino ſacer, atq; intra eiuſdem
oppidi mœnia erectus, inſuper & ab 8. fratribus inhabitatus, cùm ab ipſis, circa annū
Dñi 1550. à primo ad vltimū vſq; lapidem conſtructus, omninoq; perfectus extiterit.

E
De conuentu S. Michaelis Manij. Conu. IIII.

VT PRIMVM recepta catholica fide, tranquilloq; ſtatu Prouinciæ Manenſes
Indi à militum iniurijs reſpirare cœperunt, hoc noſtris fratribus monaſteriū in
S. Michaëlis Archangeli honorem intra Manij communis oppidi ambitum erexerūt.
Quod quidem monaſterium omni ex parte perfectū 6. fratres ſat commodè continet.

De conuentu S. Claræ Siſomptunis. Conu. V.

EXPERTI plurimis in euentibus noſtri fratres ſingularem quandā Siſomptu-
nenſium erga ſe beneuolentiā, atq; voluntatis inclinationē, hoc apud eos mona-
ſteriū, B. P. Franciſco dicatum, ex diuerſis eleemoſynis, ante 40. annos extructum vo-

 luêre.

luêre. Eſt autem Siſomptun oppidum ſatis populoſum, & à ſolis Indis, qui ſex fratribus apud ſe degentibus neceſſaria ſatis liberaliter miniſtrāt, incolitur, inhabitaturq;. A

De conuentu S. Antonij Itſmalis. Conu. VI.

CVM Franciſcani huius Prouinciæ fundatores ſe ab Itſmalēſibus ſupra modum amari intelligerent, eorum amori amore, atq; ſpiritualibus obſequijs reſponſuri, hunc ab eis conuētum Itſmalis, quod Iucatanicum oppidum eſt, nullumq; alium ab Indis ad ſui incolatū admittit, B. Antonio de Padua erigendū curarunt. Commorantur deniq; hoc in conuētu, qui nihil penitus ad ſui perfectionē deſiderat, 6. Minoritæ.

De conuentu S. Franciſci Cunchalis. Conu. VII.

QVI præcedunt ſex conuentus (vt ex dictis ſatis conſtat) omnino perfecti ſunt, B cùm neq; eccleſias monaſterijs noſtro more annexas, neq; refectoria, neq; dormitoria, neq; quampiam aliam officinam deſiderent. Qui verò ſequuntur quatuor, & præſens, ita perfecti ſunt, vt templis fratrū habitationi adiunctis ſolummodò careant, eorumq; vice ædiculas, in quibus rem diuinā religioſi faciunt, concionantur, atq; reliqua ſacramenta Indis miniſtrant, in ſui veſtibulo erectas habeant. Hic itaq; conuentus, ſeraphico patri Franciſco Cunchalis, quod Iucatanicum oppidum eſt, erectus, & à quatuor fratribus plerunque inhabitatus, ipſos Cunchalenſes ſui authores agnoſcit.

De conuentu S. Ioannis Baptiſtæ Mutulis. Conu. VIII.

CVi præſens conuentus Mutulis, quod Iucatanicum oppidum eſt, ſub S. Ioannis Baptiſtæ Dominici præcurſoris titulo, circa annum Dominicæ natiuitatis 1550. C conſtructus, & à quatuor fratribus impræſentiarum inhabitatus, debeatur, in confeſſo eſt; cùm ex diuerſis oppidanorum facultatibus, noſtris tamen fratribus id maximè procurantibus, tum exordium, tum quoque finem ſumpſerit.

De conuentu S. Ludouici Calchinij. Conu. IX.

CVM non ignorarent Calchinienſes noſtrorū fratrū præſentiā maximo ſibi vſui aliquando futuram, hoc illis monaſterium, ſub S. Ludouici Toloſatum Epiſcopi titulo, Calchinij, quod non vulgare Iucatanicorū oppidum eſt, ſtatim ab eorū aduētu ædificarunt, tradideruntq;. Quos tamen concepta de fratribus ſpes minimè fefellit; cùm eorū opera omnes Chriſtianorum albo aſcripti, atq; in catholicæ fidei rebus apprimè inſtructi ſint. Qui verò fratres pręfatū hunc conuentū incolunt, ſunt numero 5. D

De conuentu S. Franciſci Titſiminij. Conu X.

QVOD hæc patria maximis flammiferi Solis ardoribus expoſita ſit, quodq; nō multa fertilitate donetur, Minoritica Prouincia in ea erecta maxima perpetuò fratrum penuria laborat: qua etiam de cauſa frequētes in Hiſpania fratrum delectus, vt ſibi de aliquali religioſorum numero prouideatur, habendi ſunt. Hinc igitur euenit, vt præſens conuentus Titſiminij, quod Iucatanicum oppidum eſt, ante 40. annos, in ſeraphici patris Franciſci honorem ędificatus, à 4. tantùm Frāciſcanis inhabitetur.

De conuentu S. Bonauenturæ Humunij. Conu. XI.

COÆVVS omnino, atque ſimilis eſt præſens conuentus Humunij, quod Iucatanicum oppidum eſt, ſoliſq; Indis patet, ſub ſancti patris Bonauenturæ titulo E extructus, proximè præcedenti, cùm à quatuor tantùm fratribus inhabitetur, & ante quadraginta annos à fundamētis erectus, eccleſia ſibi contigua careat, & ædicula pro foribus in ſui ambitu conſtructa eius loco vtatur.

Quòd, quæ ſequuntur vndecim Minoritæ domus, nec eccleſiam ſibi contiguam habeant, nec officinis noſtrorum monaſteriorum more honeſtentur; quodq; illarū quælibet à duobus tantùm fratribus inhabitetur, earum ſolummodò, atque oppidorum à ſolis Indis incultorum, in quibus erectæ ſunt, nomina, idq; præter morem à me huc vſque ſeruatum, in medium adducam: ſuntq; huiuſmodi conuentus ſequentes, nēpe:

12 S. Fran-

A *12 S.Franciſci Hocabæ,*
13 S.Auguſtini Tichanti,
14 S.Ioan.Bapt. Ticachſii,
15 S.Bernardini Icmulis,
16 S.Frãciſci Xequecacanis,
17 S.Franciſci Oxcutſabis,
18 S.Bernardini Tixcocobis,
19 Cõceptionis Deiparæ virginis Tinumij,
20 S.Franciſci Hunucmæ,
21 Cõcept.B.Virg.Tixcelij,
22 S.Franciſci Tahumanis,

Quia verò ſuperiùs aliquando diximus noſtros fratres iſtis in regionibus degentes parochorum officio fungi, ne eos ſibi id muneris vſurpaſſe videatur, conſultum duximus, ſi facultatem tum illis, tum quoq; cæteris Mendicantibus religioſis à ſanctiſſ. Domino Pio Papa V. pro huiuſmodi munere exercendo conceſſam in medium adduceremus. Idq; tantò libentius hoc in loco fecerimus, quantò hæc Prouincia præ cęteris breuior eſt. Fuit autem huiuſmodi facultas (cuius tenor ſtatim ſequetur) conceſſa ad catholici Hiſpaniarum Regis Philippi inſtantiam.

B *CARISSIME in Chriſto fili noſter ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecit tua Maieſtas regia, quòd iuxta ſacri œcumenici Concilij Tridentini decreta nulla matrimonia, niſi præſente parocho, aut de illius licentia, contrahi, nullusq; religioſus abſq; Epiſcopi licentia verbum Dei prædicare, ac ſæcularium perſonarum confeſſiones audire, Epiſcopi verò nouas parochias in locis ab inuicem longè diſtantibus conſtituere poſſint: quia tamen in partibus Indiarum maris Oceani religioſi propter presbyterorum defectum hactenus officio parochi functi fuerunt, & id, quod ad conuerſionem Indorũ attinet, exercuerunt, & exercent, ex quo non modicos ſed maximos fructus, etiam verbum Dei eiſdem Indis prædicando & explicando, ac confeſſiones audiendo, ad fidei catholicæ propagationem fecerunt: dicta Maieſtas tua nobis humiliter ſupplicari fecit, quatenus ipſis religioſis, vt illi ad vberiores fructus in dicta conuerſione Indorum reportandum incitentur, in locis eis aſſignatis, & aſſignandis officiũ pa-*
C *rochi matrimonia celebrando, & ſacramenta eccleſiaſtica miniſtrãdo, prout hactenus conſueuerunt, exercendi, & ab eorum ſuperioribus in Capitulis prouincialibus obtenta licentia, verbum Dei prædicandi, & ſæcularium confeſſiones de ſuorum ſuperiorum licentia audiendi facultatem concedere, aliasq; in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ſingulorum, præſertim catholicorum Regum, votis ad diuini cultus augmentũ, & animarum ſalutem tẽdentes, libenter annuimus, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnibus, & ſingulis religioſis quorumcunq; etiam Mendicantium Ordinum in dictis Indiarum partibus, & in eorundem Ordinum monaſterijs, vel de illorum ſuperiorum licentia extra illam commorantibus, vt in locis ipſarum partium eis de ſimili licentia aſſignatis, & aſſignandis officium parochi huiuſmodi matrimonia celebrando, & eccleſiaſtica ſacramenta miniſtrando, prout hactenus conſueuerunt, (dummodo ipſi in reliquis ſolemnitatibus dicti Concilij formã obſeruent) exerce-*
D *re, & verbum Dei (vt præfertur) quatenus ipſi religioſi Indorum illarũ partium idioma intelligant, de ſuorũ ſuperiorum licentia (vt præfertur) in eorũ Capitulis prouincialibus obtẽta, prædicare, ac confeſſiones audire, Ordinariorum locorũ, & aliorũ quorumcunq; licẽtia minimè requiſita, liberè, & licitè valeãt, licentiam & facultatẽ authoritate apoſtolica tenore præſentiũ concedimus, & indulgemus. Et inſuper, ne in locis illarũ partiũ, in quibus ſunt religioſorum monaſteria, qui animarũ curam exercent, aliquid per prædictos Epiſcopos innouetur, eadẽ authoritate, & tenore ſtatuimus, & ordinamus ſic per quoſcunq; Iudices, & Cõmiſſarios quauis authoritate fungẽtes, ſublata eis, & eorũ cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, iudicari, & definiri debere. Ac quicquid ſecus ſuper his à quocunq; quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus. Mandantes nihilominus dilectis filijs curiæ cauſarum Cameræ apoſtolicæ generali Auditori, & beatæ Mariæ de Mercede, ac del Carmen,*
E *extra, & intra muros Hiſpalenſium monaſteriorum per Priores gubernari ſolitorum, Prioribus, quatenus ipſi vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios eiſdem religioſis in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes faciant, eis, & eorum cuilibet conceſſione, indulto ſtatuto, & ordinatione, ac alijs præmiſſis pacificè frui, & gaudere. Non permittentes eos per locorum Ordinarios, & alios quoſcunq; contra præſentium tenorem quomodolibet moleſtari, perturbari, aut inquietari: contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuras eccleſiaſticas, ac etiam pecuniarias pœnas eorum arbitrio moderandas, & applicandas, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac cenſuras ipſas etiam iteratis vicibus aggrauando, interdictum ponendo, inuocato ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachij ſæcularis. Non obſtantibus &c. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris, die 24. Martij, anno Domini 1567. Pontificatus noſtri anno ſecundo.*



PROVIN-

PROVINCIA
DVODECIM APOSTOLORVM.

A FRANCISCANIS omnibus Prouincijs Perurano in Regno erectis
quę 12. Apoſtolis dicata eſt antiquior exiſtit, cùm non ita pridem poſt Pe-
rurani Regni expugnationē omniū prima exordiū ſumpſerit, & ab ea tā-
quam ab optimo, fęcundoq; ſeminario plures alię prodierint. Cùm enim,
poſt Peruranum huiuſmodi Regnum expugnatum, nouæ ſibi indies ab
Hiſpanis Caroli V. Germanorum Imperatoris, Hiſpaniæq; Regis militibus adijce-
rentur Prouinciæ, nouęq; ædificarentur ciuitates, ac noua itidem Franciſcanorum
monaſteria in illis conſtruerentur, eò magnitudinis præfata hæc 12. Apoſtolorum
Prouincia (quæ Prouincię S. Euangelij de Mexico Cuſtodia per aliquot annos fuit, &
in Prouinciam ſub R. P. F. Franciſco de Victoria generali Indiarum Commiſſario,
B præfecto ſibi in primum prouincialem Miniſtrum P. F. Ludouico Oña, extitit eue-
cta) deuenit, vt in generali totius noſtri Ordinis Capitulo, Valiſoleti anno à partu
Virgineo 1565. celebrato, à R. P. F. Aloyſio Puteo generale Miniſtro, cæteriſq;, quo-
rum intererat patribus in quatuor, nempe in S. Franciſci de Quito, ſanctiſſimæ Tri-
nitatis de Chile, S. Antonij Charcarum Prouincias, & in ſe ipſam diuiſa ſit: ita vt opti-
mo iure reliquarum mater, piaq; parens dici poſſit, & antiquum nomen, atq; ſigil-
lum (quod ſanctorum Apoſtolorum Petri, Pauli atq; Franciſci rete in mare ex naui,
cuius malo Spiritus ſanctus in columbæ ſpecie innititur, mittentium imagines, ita ta-
men, vt diuus Petrus dextera clauem, beatus Franciſcus, qui medium habet, eadem
dextera crucem, & diuus Paulus dextera itidem enſem teneant, & viginti & vnam
C ſtellas eorum capitibus ſuperſtantes, quarum decem dexteram, vndecim verò ſini-
ſtram occupant, ſequenteſque literas: SIGILLVM. MINISTRI. PRO-
VINCIALIS. PROVINCIÆ. DVODECIM. APOSTOLORVM. DEL.
PERV. papyro ſuperinducit) meritô retinuerit. Ex quibus tamen Prouincijs, cæte-
ris ſic omnino diſtinctis, ſub proprijs prouincialibus Miniſtris remanentibus, ea, quę
Charcarum dicebatur, huic 12. Apoſtolorum Prouincię iteratò annexa, vnitaq; exti-
tit. Protenditur in longitudine præfata hęc 12. Apoſtolorum Prouincia ad 1200.
milliaria, & Truſillium (vulgò Truxillo) atq; Potoſiacum (vulgò Potoſi) inſignes ci-
uitates pro eius terminis habet: inſuper & ex 18. conuentibus, quorum 11. apud Hi-
D ſpanos, reliqui verò ſeptem apud Indos (vt infrà patebit) erecti ſunt, conſtat. Cæterùm
præſens, atq; reliquę duę Prouincię, nempe ſanctiſſimæ Trinitatis de Chile, & S. Fran-
ciſci de Quito, inſuper & ea, quæ S. Fidei noui Regni Granatenſis dicata eſt, proprijs
prouincialibus Miniſtris ſubiectæ, vni ſimul ſubſunt generali Perurani Regni Com-
miſſario, qui à totius noſtri Ordinis generali Miniſtro eligendus venit. Cùm enim &
Peruranum Regnum à noua Hiſpania, & ab ipſa antiquiori Hiſpania, imò & iſta, anti-
quior ſcilicet Hiſpania ab illa, noua videlicet, interpoſito mari Oceano, plurimùm di-
ſtent, nec ab ipſo generali Miniſtro, imò nec ab Vltramontano generali Commiſſario
abſq; maximo commiſſi ſibi gregis diſpendio viſitari, luſtrariq; poſſint: conſultiſſimè
E à patribus decretum eſt, vt duo generales Commiſſarij ſingulis quadriennijs eligantur,
quorum alter nouæ Hiſpaniæ Prouincijs, alter verò Peruranis cominus, vulgaliterq;
præſit. Huic tandem Prouinciæ, ne interim ab eius nomine diſſentire videar, duo-
decim ſanctiſſimos Ieſu Chriſti Apoſtolos graphicè depictos præpoſitos volui.

De Minoritico conuentu ciuitatis Regum. Conu. I.

REGVM ciuitas, quę & alio nomine Limæ ciuitas nuncupatur, Perurani totius
Regni metropolis, regijq; Concilij ſedes eſt, nulliq; alteri à Cuzco celeberri-

ma vrbe

ma vrbe Perurana eo in toto Regno magnitudinis palmam concedit:fuitq; à ſtrenuo A
illo militiæ Duce ac Marchione Franciſco Pizarro, iſtiusq; patriæ inſigni expugnatore, ſub anno Dominicæ incarnationis 1530. ædificata. Cuius tanta eſt temperies, aëris ſerenitas,tranquillitas,atq; amœnitas, vt vix ſibi parem inueniri liceat. Ad altiſſimi ſiquidẽ montis radices, atq; ad ſextum à mari Oceano milliare prope perlucidum,reſonansq; flumen ſita, nec caumate æſtuat, nec frigore alget, ſed gratiſſima, ſalubri ac temperata gaudet aura. Præterea nulli penitus pluuiæ expoſita, nec tonitruis quatitur,nec ab erumpente è nubibus flumine aliquando icitur, ſed ſereno ſemper,tranquilloq; cælo potitur. Strepentibus etiam aquis varios per ſiphones ex fluuio deductis irrigua, ramoſis, fructiferisq; viridarijs viret. Et vt paucis multa perſtringã, opulentiſſima hæc Regum ciuitas,ac celebris Perurani totius Regni emporium nihil eorum,quæ ad felicem, tranquillamq; vitam ducendam requiruntur, penitus deſiderat: cùm tum ipſa, tum quoq; adiacens regio & tritici,& vini, & fructiferis cuiuſuis B
generis arboribus, & peroptimis paſcuis ſupra modum abundet. Ad hanc igitur celebrẽ ciuitatem cùm religioſus quidam pater frater Franciſcus à Cruce Hiſpaniola ex inſula,ſiue S. Dominici traieciſſet, Minoriticumq; conuentum erigere affectaret,quatenus id ſibi liceret,à præfato Marchione Frãciſco Pizarro conceſſum eſt. Qui demum tãto fauore bene vſus, aſſignatum ſibi locum ex diuerſis Hiſpanorũ eleemoſynis(nam Indi ab Hiſpanis maximè ſibi timẽtes,relicta hac in eorũ aduẽtu patria,vel in montes, vel in valles longius ab ea diſtantes conceſſerunt)in conuentum quantocitius euehẽdum curauit. Cùm autem, rebellantibus poſtmodum regiæ Maieſtati quibuſdam Hiſpanis, hæc ciuitas diſſidijs, bellisq; ciuilibus quateretur, huiuſcemodi conuentus, quòd militum iniurijs omnino expoſitus eſſet,à pręfato fratre Frãciſco à Cruce,ſibiq; adhærentibus derelictus,& alius(de quo impræſentiarum)intra præfatæ ciuitatis męnia,in loco tamen ſalubriori,multoq; amœniori ex eorundem fidelium facultatibus, C
religioſis patribus fratre Franciſco à Marchena huius tunc Cuſtodiæ Cuſtode,& fratre Franciſco Aragonio id maximè procurantibus, ſub anno Dominicæ incarnationis 1536. à fundamentis ad apicẽ vſq; conſtructus extitit. Inhabitatur hic locus à 60. fratribus: vnusq; eſt totius iſtius Prouinciæ præcipuus,atq; doctrinales duas domus: nẽpe diuæ Mariæ Magdalenę & diui Iacobi Apoſtoli de Surco, quarum cuilibet quatuor deſeruiunt fratres, ſibi annexas apud Indos habet. Obijt tandem hoc in eodem conuentu,qui plurimis gratijs, plurimisq; priuilegijs ſibi tum à Sede apoſtolica, tum à catholicis Hiſpaniæ Regibus conceſſis,atq; altari quodam in fidelium defunctorum fauorem priuilegiato gaudet, religioſiſſimus atq; ſingulari pietate pręditus frater Alphonſus Alcañizes,profeſſione laicus, & ex Beneuento apud Hiſpanos oriundus, qui D
ob excellẽtes eius virtutes inter Sanctos tum ab Indis, tum quoque ab Hiſpanis refertur, ac maxima in veneratione ob ingentes virtutes quibus fuit præditus, habetur.

De Minoritico conuentu ciuitatis Cuzco. *Conu. II.*

CVZCO antiquiſſima, ac ditiſſima ciuitas, nec non & Perurani totius Regni facilè princeps à Magocapa primo Ingharum Rege ædificata, & à ſtrenuo illo heroë Peruraniq; Regni pro Carolo V. Hiſpanorum Rege Gubernatore Franciſco Pizarro, ſub anno à lætabunda Chriſti natiuitate 1534. in meliorem faciem reducta extitit. Cuius, quòd Regum Ingharum ſedes extiterit, eæ olim fuerunt diuitiæ, ijq; theſauri, vt vix explicari poſſint. Præextitit præterea in ea erectum celebre quoddam Solis templum(Huricanche Indicè appellatum) omni ex parte intrinſecus auro E
contectum, plurimisq; tum aureis,tum quoq; argenteis animantium diuerſi generis imaginibus exornatum:quod quotquot aduenæ Indi in ciuitate degebãt(licèt patrios ritus exercere, patriaq; ſacrificia peculiaribus in delubris ſibi erectis offerre poſſent,) venerari atq; oblationibus vel ex humano,vel ex hędino ſanguine proſequi tenebantur. Cùm itaq; hac in ciuitate ob diuerſas Indorum nationes in ea degentes idolatria, ſuperſtitio,atq; maleficium mirum in modum vigerent, vt tandem populus,huiuſcemodi abhominationibus relictis, Chriſtianis præceptis felicius imbui poſſet, curauit religioſus pater frater Petrus Luſitanus, idq; præfati Gubernatoris Franciſci Pizarri,

cæterorumq;

A cæterorumq; Hiſpanorum fauore, vt Minoriticus conuentus in ea erigeretur. Cumq; eius ſitus fratribus minus deſeruiret, ad alium, non tamen multò ſalubriorem, poſt aliquot annos, tranſlatus extitit: quamobrem hic tertius intra eiuſdem ciuitatis mœnia commodiori alio in loco, ſolicitis patribus fratre Petro de Algarbijs, & F. Ferdinando Hinojoſa id maximè procurantibus, ſub anno Dominicæ incarnationis 1549. à nobili, ac perdeuoto ciue Ioanne Rodriguez Villalobos (vnde & patronatus ius ſibi acceſſit) conſtructus fuit. Præfato hoc in conuētu, qui & à 20. frequentius inhabitatur, mortē obijt, idq; cum maxima ſanctitatis opinione, religioſiſſimus P. F. Ioannes Callellena laicus profeſſus, qui relicta ſæculari militia, cui ſtrenuè aliquando deſeruiuit, Franciſcanum habitum Chriſto felicius militaturus induit, in eoq; ad vltimum vſq; vitæ terminum ſupra modum profecit: & ſacellum diuo Ioanni Lateranenſi erectum B eſt, quod omnibus gratijs, fauoribus, atq; priuilegijs eccleſię Lateranēſi de Vrbe à ſummis Pōtificibus conceſſis ex apoſtolica authoritate gaudet, eaq; pręrogatiua à Gregorio XIII. Pont. max. donatum extitit, vt per cuiuſlibet Miſſę ſacrificium Deo opt. max. in eius altari oblatū vna anima ex purgatorij pœnis liberetur. Huius deniq; conuentus ſacerdotes à caſibus Epiſcopo reſeruatis, in eius tamen abſentia, in ſacramentali confeſſione ex apoſtolica authoritate abſoluere poſſunt.

De Minoritico conuentu Potoſiaco. *Conu. III.*

CVM diligens quidam Hiſpanus, cognomine Villaroël auri vel argenti fodinas inuenturus, Peruranos per montes diſcurreret, in argentiferum quendam, atque eleuatum collem argento ſcatentem, quem & Potoſi, ideſt eleuatum collem (hoc enim C nomine editos montes Indi appellant) nuncupatum voluit, fortè fortuna, ſub anno Dominicę incarnationis 1547. incidit. Pręfati huius montis tanta eſt argenti feracitas, vt ex quinta eius argenti, quod ex mineralibus ab Hiſpanis educitur, portione catholico Hiſpaniarum Regio iure debita ſibi decies centena aureorum millia ſingulis annis obueniant. Cùm igitur huiuſmodi argenti cauſa quàmplurimi Hiſpani, atq; innumeri penè Indi Potoſiacum hunc in montem conuolaſſent, atq; ciuitatem ſibi nomine de Argento, aliàs de Potoſi aliquantulùm ab huiuſmodi monte ædificandam, quæ impræſentiarum tria Hiſpanorum millia, atq; Indorum ter centena millia continet, curaſſent: ſingulisq; diebus nouæ difficultates, nouaq; dubia inter eius ciues mercimonio deditos ob ſuorum contractuum ambiguitates exorirentur: curauit inclytus heros Petrus Hinojoſa militię iſtis in partibus Dux, idq; ſub anno Dominicę D incarnationis 1549. vt Franciſcanorum, qui huiuſmodi mercatorum conſcientijs ſatisfacere, atq; Indos in fide catholica, Chriſtianaq; pietate inſtruere poſſent, conuentus intra præfatæ ciuitatis mœnia erigeretur. Cumq; id minus ſolerti cuidam patri iniunctum eſſet, ille collatum ſibi à pręfato militię Duce fundum ex diuerſis, copioſiſq; ciuium facultatibus ad vnius iuſti conuentus dignitatem quambreuiſſimè promouit. Qui quidem conuentus, ab octo fratribus plerunq; incultus, præmemoratum heroëm Petrum Hinojoſa ſui patronum iure ſitus ſibi collati agnoſcit, eiq; maius ſacellum in ſepulturam dedicauit: inſuper & quodam ſacello, in quo per Miſſæ ſacrificium fidelium animæ à purgatorij pœnis liberantur, ex Gregorij XIII. Pont. max. cōceſſione honeſtatur. Præterea in eius archiuis præfata Gregorij XIII. ſummi Pontificis conceſſio data Romæ 14. Maij anno Domini 1578. & alia bulla eiuſdem Gre- E gorij XIII. data ibidem 8. Ianuarij, anno Domini 1577. qua omnibus Chriſtifidelibus Peruranum Regnum habitantibus plenaria omnium peccatorum indulgentia conceditur, dummodo confeſſi & contriti aliquam Franciſcanorum eccleſiā à primis veſperis diei feſti ſeraphici patris Franciſci vſq; ad ſequentis diei ſolis occaſum viſitauerint: & alia bulla eiuſdem ſummi Pontificis data ibidem 16. Martij, anno Dñi 1578. qua plenaria eadem indulgentia omnibus Perurani Regni, & nouæ Hiſpaniæ inquilinis, Franciſcanum aliquem conuentum in ſanctorum Ludouici Epiſcopi, Antonij de Padua, Bernardini à Senis & Claræ virginis feſtiuitatibus, abſterſis tamen ſacramentalem per confeſſionem conſcientijs, viſitantibus conceditur: & alia eiuſdem ſummi Pontificis bulla data ibidem eodem anno, ſed menſis Maij 13. qua quilibet Franciſcanam

ſcanam

ſcanam eccleſiam Perurano in Regno erectam in Conceptionis, Natiuitatis, & Aſſumptionis B. Virginis, ac beati patris Bonauenturæ ſolemnitatibus ingrediens, inibiq; Altiſſimo pro infidelium conuerſione, hæreſum extirpatione, pro augmento ſanctæ matris Eccleſiæ preces fundens, ſi tamen immaculatæ Conceptionis Confraternitas ibidem erecta fuerit, plenariam eandem omnium exceſſuum remiſſionem conſequitur, diligentius aſſeruantur. Præmemoratis bullis adhærent & aliæ quàmplures apoſtolicæ tum Pauli III. tum Pij V. tum quoq; Gregorij XIII. ſummorum Pontificum literæ Franciſcanorum Perurani Regni conuētuum fauorem concernentes. Hoc deniq; in conuentu diem clauſit extremum pijſſimus pater frater Gaſpar à Valleviridi, vir vtiq;, dum viueret, omni virtutnm genere ornatus, atq; ſtrenuus Euangelicæ paupertatis cultor: cui deſeruiens, relicta eccleſiaſtica quadam dignitate Minoriticum habitum pauperes inter Minores induit, in eoq;, infidelium conuerſioni plenis affectibus intentus, ad vltimum vſq; vitæ halitum perſeuerauit, atq; cū maxima ſanctitatis opinione, ac maximum ſui deſiderium relinquens, animam creatori reſtituit. A B

De conuentu S. Mariæ de Angelis Charcarum. Conu. IIII.

EA eſt eius vallis, quæ de Mizqua vulgò nuncupatur, fertilitas, eaq; amœnitas, vt plures ſibi in ea rurales domus (Chacaras, ſiue Charcas Indicè nuncupatas) Hiſpani ędificandas curarint. Quibus tamen domibus ſupra modum excreſcentibus, præfatisq; Hiſpanis nouæ vnius ciuitatis ſub Charcarum nomine ædificationem ibidem meditantibus, Deiq; miniſtris, qui ſe Chriſtianis præceptis imbuerent, ſibiq; ſacramenta miniſtrarent, vel ad horam deſtitueretur, curauit ſolicitus ac reuerendus pater frater Franciſcus Alcozericus huius Prouinciæ Miniſter, idq; ſub anno Dominicæ incarnationis 1581. vt infra futuræ ciuitatis, incœptę tamen, ſepta præſens conuentus, ſanctiſſimæ Mariæ de Angelis ſacratus, & à quindecim fratribus incultus, ex priuatis fidelium, futurorumq; ciuium facultatibus conſtrueretur, perficereturq;. C

De Minoritico conuentu Arequipenſi. Conu. V.

AREQVIPA nobilis, Peruranaq; ciuitas à Franciſco Pizarro, (de quo ſuprà) ſub anno Dominicę incarnationis 1530. Quilcha in valle ad 40. milliaria à mari ædificata, atque poſtmodum ad igniuomi montis radices, qua etiam de cauſa ſibi ſummopere timet, propius ipſum mare tranſlata pinguiſſimo ſolo, ac feraciſſimo, abundatiſſimisque paſcuis, ſaluberrimo cælo, optimo portu atque omnibus ad vitam neceſſarijs gaudet: inſuper & Hubinos, Chiquiguanitos, Quimiſtacos, & Collaguos Indorum populos ſibi ſubditos habet. Cùm itaq; pręfata hęc ciuitas, habitatoribus ſupra modum abundans penuria ſacerdotum, qui ſpiritale ſibi pabulum miniſtrarent, ſupra modum laboraret, reuerendus pater frater Franciſcus à Victoria generalis Perurani Regni Commiſſarius, miſſis duobus ex ſibi ſubditis fratribus, oblatum ſibi à perdeuoto ciue Luca Martini fundum, ſub anno Dominicæ incarnationis 1553. acceptauit, atq; ex diuerſis fidelium eleemoſynis in iuſtum conuentum euexit, inſuper & à 15. impoſterum fratribus inhabitatum voluit. Patris huius loci Guardiani curę commiſſa eſt domus doctrinalis in quodam Indorum oppido, 12. milliaribus ab vrbe diſtāte, erecta: quapropter de religioſo vno, vel altero fratre, qui Indis ſacramenta miniſtret, Chriſtianisq; ritibus imbuat, ſibi opportunè prouidet. D

De Minoritico conuentu Cuquiagenſi. Conu. VI. E

INTRA editiſſimos quoſdam montes, ac in fine eius argentiferę vallis, quæ Cuquiago Indicè nuncupatur, non longè ab eo loco, in quo militię Duces Didacus Centeno, & Gonſaluus Pizarro, ambo Hiſpani, amboq; nobiles, ſed iſte, Gonſaluus ſcilicet proprio Regi rebellis, ille verò, Didacus videlicet eidem Regi fideliſſimus, cum ſuis exercitibus conflixêre, plurimiq; tum milites, tum quoq; Duces ex vtraque parte deſiderati ſunt, Pax, ſiue Dnę noſtrę de pace ciuitas ab inclyto Duce Alphonſo à Mendoza ſub Petro Gaſca I. D. Peruraniq; Regni pro Carolo V. Germanorum Imperatore Pręſide, anno à partu Virgineo 1549. ędificata extitit. Quę ſanè ciuitas optima aëris

A ma aëris temperie fertiliq; ſolo gaudens tantò magis commendanda venit, quantò
maiori deuotione ac beneuolẽtia in religioſos,præſertim verò Franciſcanos,eorumq;
præſentem conuentum à decem fratribus frequentius incultum,atque ex publicis ci-
uium facultatibus intra ſui ambitum, ſub anno Dominicæ incarnationis 1550. con-
ſtructũ proſequitur. Cæterùm præfatus hic conuentus duas ſub ſe doctrinales domus
habet: alteram quidem in ſancti Petri,alteram verò in ſancti Pauli Indorum oppidis.

De Minoritico conuentu Goanicenſi. Conu. VII.

CONSVLTVRVS prudentiſſimus Marchio Franciſcus Pizarro eorũ militũ
Hiſpanorum,qui ſtrenuè ſecũ in patriæ iſtius expugnatione laborarant,tũ ſalu-
ti,tũ quoq; tranquillitati, Gomezulo Aluarado cohortis vnius Duci pręcepit,vt ele-
B cto ſibi in Guanuci Prouincia fertili ſolo ciuitatem ibi conſtruẽdam curaret. Qui qui-
dem Gomezulus Imperatoris dicto audiẽs,ſumpta ſecum optima militum manu, Le-
gionem ciuitatem in fœcundiori præfatæ totius Prouinciæ parte ſub anno Dñi 1539.
ædificauit.Hanc poſtmodùm ab Hiſpanis,circumuicinorum ob Indorum rebellionẽ,
derelictam, præfatis Indis longius propulſatis, firmiori muro communiri,ac denuò
inhabitari fecit Petrus Barroſo alterius cohortis Dux. Idq; non abs re profectò: nam
ea eſt eius temperies,& aëris clementia,præſertim nocturno & matutino tempore,vt
triticum,vinum,mala medica, ficus, aliaq; id genus plurima abundantiſſimè produ-
cat.Optimis præterea paſcuis abundat,in eiſq; plurima tum boum,tum equorum ar-
menta,tum quoq; ſuum atq; ouium greges maxima in copia nutrit. Cùm igitur hu-
iuſmodi ciuitas magis,magiſq; coaleſceret,atq; adiacentes populi familiariores Hi-
C ſpanis redderentur,hunc apud ſe conuentum B.patri Bernardino ſacrum,& à 10. fra-
tribus plerunq; inhabitatum ex publicis facultatibus optimus eius ſenatus extruendũ
curauit. Quod tamen ſibi non præter votum ſucceſſit: nam ſolerti præfatorum fra-
trum diligentia factum eſt,vt omnes in gyro populi catholicam fidem amplexati fue-
rint,duaſq; apud ſe doctrinales domus eiſdem fratribus commiſſas erexerint.

De conuentu S. Claræ Chachapogiarum. Conu. VIII.

CHACHAPOGIANI populi olim bellicoſiſſimi Inghis Regibus potentiſſi-
mis ſibi bellũ inferentibus viriliter per aliquot annos reſtitêre: ab eis tandẽ poſt
plures conflictus deuicti,impoſitum ſeruitutis iugũ, dataſq; leges patientiſſimè tule-
runt.Præfatis verò Inghis,atq; etiã ipſis Chachapogianis cum vniuerſa eorũ Prouin-
D cia à Franciſco Pizarro,eiuſq; militibus ſubactis,quòd iſtorum patria fertilis,amęna,
atq; delitioſiſſima eſſet,ſtrenuus militiæ Dux, atq; Mareſcallus Alphonſus Aluarado
eo in præfatæ Chachapogianorum Prouinciæ loco, qui Leuanto vulgò nuncupatur,
ciuitatem Frontera Hiſpanicè dictam erigi,ædificariq; fecit.Fuit tamen præfata ciui-
tas aliquot poſt annos ad aliã Prouinciam non multò inde diſtantem, & à Guacanis
Indis incultam tranſlata,habetq; ab Oriente Andos celebres montes, & ab Occidẽte
Meridionale Oceanum: inſuper & fertiliſſimo ditata ſolo omnibus ad vitã neceſſarijs
abundat.Huiuſmodi itaq; ciuitate conſtructa cùm religioſi tantùm viri,qui tũ Cha-
chapogianos, tũ quoq; Guacanos populos Chriſtianis imbuerent pręceptis, catholi-
camq; fidem docerent,deſiderarentur,hunc communis intra ciuitatis Fronterę męnia
conuentũ eis in B. virginis Claræ honorem, ex publicis facultatibus Fronteranus Se-
E natus erigendum curauit. Inhabitatur pręfatus hic conuentus ab octo fratribus.

De conuentu Annuntiationis B. Virginis Truſilij. Conu. IX.

EST iſtis in partibus pulcherrima,ac ſupra modum amœna vallis,Chimo Indicè
nuncupata, limpidiſſimiſq; aquis ex vitreo flumine artificioſè deductis irrigua,
atque pulcherrimis ædificijs à quodam Chimo eius Principe erectis olim inſignis.
Hanc Franciſcus Pizarro Hiſpanici exercitus Imperator nobilitaturus ciuitatem,
quam & Truſilium appellatam voluit, in amœniori eius parte, atque præfatum
iuxta fluuium ſub anno Domini 1530. ædificandam curauit. Cuius proculdubio ci-
uitatis,virentibus toto anno ob aëris clementiam eius hortis & pratis tanta eſt amœ-
nitas,

nitas, tantaq; fertilitas, vt nobiliori totius Bæticæ vrbi comparanda veniat. Producit ſiquidem, idq; abundãtiſſimè, triticum, vites, malamedica, diuerſi generis animantia, bombycem, ex quo pretioſiſſimæ conficiuntur culcitrę, optimaq; lana copioſos ouiũ greges veſtit, vnde & maximæ æſtimationis tapetia componũtur, contexunturq;. Curauit præterea præfatus Imperator Franciſcus Pizarro duos hac in ciuitate erigẽdos conuentus, fratribusq; firmandos, alterum quidem patribus Dominicanis, alterũ verò Franciſcanis, (de quo impræſentiarum) Annuntiationi glorioſiſſimæ virginis Mariæ ſacrum: quorum habitatores omnes in gyro populos, ſuperſtitionibus, idolatriæ atq; dęmoniacis ritibus alioquin deditos, non abſq; maximo labore, colla Chriſti iugo ſubmittere, atq; catholicam fidẽ, præfatis abhominationibus relictis, ſuſcipere, tum verbo, tũ quoq; exemplo coëgerunt. Commorantur frequentius hoc in conuentu 14. fratres, qui tum ſibi, tum doctrinalibus duabus ędibus, quarum altera in oppido Chiclaio, altera verò in oppido Guanchaco erecta eſt, pro commiſſo ſibi munere inuigilant. A B

De Minoritico conuentu Cannetenſi. *Conu. X.*

SIVE oppidum Cannetum, (Hiſpanicè Cañete) ſiue Minoriticum hoc monaſteriũ in eo ex diuerſis fidelium eleemoſynis conſtructum ſpectes, vtrumq; recentiſſimũ eſt: cùm ipſum oppidum, ſub anno Dominicæ incarnationis 1565. monaſterium verò, anno Domini 1576. primò in lucem prodierit. Id tamen inter iſtud atq; illud diſcriminis eſt, quòd videlicet monaſterium ſitum minus commodum primò nactum, ad aliũ multò commodiorem, anno Domini 1581. ſub reuerendo patre fratre Frãciſco Alcoçerio huius Prouinciæ Miniſtro tranſlatum, inibiq; ex eiſdem eleemoſynis perfectum extiterit, oppidum verò neutiquam ſedem mutauerit, ſed delectum in principio fundum, qui & ſaluberrimus, & amœniſſimus atq; feraciſſimus eſt, perpetuò retinuerit. C Inhabitatur interim præfatum hoc monaſterium ab 8. fratribus; qui tum Hiſpanis præfati oppidi inquilinis, tum quoq; adiacentibus in gyro Indis opportunè adſunt.

De conuentu S. Franciſci Iuomangæ. *Conu. XI.*

PATER Frãciſcus à Victoria Perurani tũc Regni generalis Commiſſarius animaduertẽs qua ſacerdotũ, qui ſe in catholica fide inſtruerent, penuria tum Perurranæ ciuitatis Iuomangæ, ſiue S Ioãnis de Victoria habitatores, tũ quoq; circũadiacentes Indi laborarẽt, Minoriticũ hunc conuentũ, ſeraphico P. Frãciſco, intra præfatæ ciuitatis męnia, tum expublicis, tum ex priuatis ciuium facultatibus erigendum, atq; à 10. fratribus inhabitandum curauit. Fuit hæc ciuitas, quæ primò Iuomanga ſiue D Guamanga ab Indorum oppido, in quo ædificata fuerat, dicta eſt, poſtmodùm verò à quadã victoria, ab Indis per Chriſtophorũ Vaca de Caſtro I. D. relata diuo, Ioanni de Victoria dicata euaſit, quæq; fertiliſſimo gaudet ſolo, à Franciſco Pizarro, ſub anno Domini 1539. conſtructa: ſed poſt elapſos aliquot annos, ad eum, quem modò obtinet, locum tranſlata extitit, & ex politis lapidibus pro maiori parte fabrefacta placido quodam flumine alluitur. Præcedentes 11. conuentus in Hiſpanorum tum oppidis, tũ quoq; ciuitatibus conſtructi ſunt: qui verò 7. ſequũtur Indicis circumſcribũtur oppidis, nec conuẽtus, ſed doctrinaliũ potius domuum agregationes dicẽdi veniunt.

De conuentu S. Mariæ de Angelis vallis Iucaicæ. *Conu. XII.*

AD 12. milliaria à celebri ciuitate Cuzco, atq; inter niuoſos, editiſſimoſq; montes Iucaica vallis (vulgò valle de Iucai) amęna omnino, atq; ſupra modum fertilis ſubſiſtit, ruralibus Hiſpanorum domibus, atq; Indorum pagis referta, ad quam E Cuzcani ciues, niſi antiquorum ædificiorum compaſſio eos retardaſſet, ciuitatẽ Cuzco à multis annis tranſtuliſſent. In huius igitur vallis meditullio, vt tum Hiſpanis, tum quoq; Indis in ea degentibus aliquid vtilitatis afferre poſſet religioſus P. F. Hieronymus Villacarillo, tunc Cuzcani conuẽtus Guardianus, oblatũ ſibi ſub anno Dñi 1570. à perdeuoto quodam Indo fundum, ex honeſtę matronæ Franciſcę à Guſmanio facultatibus, in conuentum, ſub ſanctiſſimæ Mariæ de Angelis titulo, euexit, cæteriſque huius Prouincię locis annecti curauit. Commorantur frequentius hoc in conuentu ſex fra-

A ſex fratres,quorum alter doctrinalis cuiuſdam domus in Guailapampa pago erectæ ſolicitam gerit curam, præfatique pagi accolis ſacramenta deuotiſſime miniſtrat.

De doctrinalibus domibus vallis Collao.

AD 60. milliare à ciuitate Dominæ noſtrę de Pace in valle Cuquiagenſi ſita, (de qua ſupra) atque altiſſimos inter montes ampliſſima, populoſiſſimaque vallis eſt, Collao Indicè nũcupata; in cuius meditullio miræ magnitudinis lacus nomine Titicaca, à celebri quodam templo ibidem olim erecto ſic dictus, cuius orã plura Indorum oppida cingunt, cuiuſque circuitus ducenta & quinquaginta milliaria perficit, inuenitur. Vt igitur primùm Cuquiagẽſis conuentus (cuius ſupra meminimus) cõſtructus extitit, zelantiſſimi atq; de Franciſcana Religione optimè meriti patres, frater
B Franciſcus Morales, ac frater Franciſcus Alcozerius, ne tot populi idolatriæ ſupra modum immerſi, atque plurimis, iiſque nephandiſſimis criminibus irretiti miſerè perirent, atque in profundum inferni mergerentur, doctrinales quatuor domus in Callapa, Chaquingiora, Cacaiauira, & Mashaca vallis præfatæ oppidis ex diuerſis Indorum atq; etiã Hiſpanorũ sũptibus erigendas curarũt. Quibus domibus cùm aliæ octo, infra viginti annorum ſpatiũ, diuerſis in vallis eiuſdem oppidis acceſſiſſent, (quæ omnes doctrinas de Collao Hiſpanicè nuncupantur) ad duodecim Indorum millia à vigilantiſſimis, ac zelantiſſimis quibuſdam religioſis Frãciſcanis in eis degentibus baptiſmali aqua abluta ſunt. Has tamen doctrinales domus grauiſſimis, iuſtiſſimiſque de cauſis huius Prouinciæ patres ſæcularibus ſacerdotibus relinquendas cenſuêre.

De doctrinalibus domibus Vallis Collaguæ.

C PERVRANORVM Regnum à Septentrione in Meridiẽ à Quito videlicet ciuitate vſque Cuzco (de quibus ſupra) procedens, duo millia & ducenta milliaria in longitudine continet, in latitudine verò, quę ab Oriente in Occidẽtem tendit, trecenta pluſuè minus milliaria perficit. Scatet præterea hoc regnum altiſſimis, niuoſisq; montibus, atque ad humanam habitationem omnino ineptis: quamobrẽ quotquot ſiue Perurani, ſiue Hiſpani in eo inueniuntur, fœcundiſſimas valles, omninoq; tẽperatas inter præfatorum montium anfractus à prouida natura ſitas, ſi ſibi conſultum cupiant, inhabitare coguntur. Id igitur cauſæ eſt, vt omnes Peruranæ ciuitates, omniaq; oppida in vallibus conſtituta ſint. Inter prę fatas verò valles vna eſt fertiliſſima, ſupra modum amœna, atque populoſiſſima, Collaguas vulgò nuncupata, cuius habitatores ad
D annum vſque Domini 1560. idolatriæ, dæmoniacis ſuperſtitionibus, atque infidelitati inſeruierunt. Quapropter religioſus pater frater Hieronymus Villacarillo, miſſis aliquot Franciſcanis ſibi ſubditis, idque non ſine præſentiſſimo eorum vitę diſcrimine, omnia eorum delubra (Guacas Indicè nuncupata) demolienda, aliquotque eccleſias (has, vt ſæpius ſupra meminimus, doctrinales domus appellant) eorum loco erigendas, in eiſque fidem catholicam prædicandam curauit. Quę poſtmodùm eccleſiæ (de quibus impræſentiarum) accedentibus ſingulis diebus Chriſti militiæ tyronibus, ad duodenarium numerum peruenerunt. Nec facilè explicare quis poſſet, quos progreſſus catholica fides iſtis in partibus fecerit. Conſtat enim, idque ex fide digno teſtimonio, ad 30. Indorum millia hac in valle à decem fratribus huiuſcemodi domuum habitatoribus baptizata fuiſſe: prę fatoſque abuſus, ac dęmoniacos ritus, inſuper & re-
E ſponſa, quæ Indis à Dęmonibus olim reddebantur hinc longè profligata eſſe.

De doctrinalibus domibus vallis Poconæ.

NE huius Prouinciæ fratres vallis Poconæ, quę aquis irrigua, amœna atque feraciſſima 12. Indorum pagos olim complectebatur, habitatores contempſiſſe viderentur; doctrinales quinque domos, quarum altera principatum inter reliquas tenet, conuentuſque obtinet vices, apud eos conſtruendas, imaginibusque exornandas curarũt. Quo deniq; factũ eſt, vt huiuſmodi habitatores, quorũ ſanè numerus non eſt contẽnendus, ad fidẽ cõuerſi ſint; relictiſq; maleficijs, ſuperſtitionibus ac Indorũ cultu, Chriſto Imperatori felicius adhæſerint. Inſeruiunt frequentius præfatis domibus 8. fratres.

De conuentu Conceptionis B. Virginis vallis Xauxæ. *Conu. XVI.* A

VALLIS Xauxę quadraginta quinque milliarijs longa, atque duodecim lata,
& à Guanchis Indis inhabitata, populoſiſſima olim extitit, atque Guainacapę po
tentiſſimo Peruranorum Regi per aliquot annos fortiſſimè reſtitit. Ab eo tamen deui
cta in tres partes nempe in Xauxicam, à qua vniuerſa vallis denominationem ſumpſit,
Maricalbilcam, & Laxapalangam, quarum cuilibet Indus quidam nobilis prælatus
extitit, diuiſa fuit. Inter has verò partes, ſiue prouincias Xauxica principatum obti-
nebat: nam & in ea præfatus Rex Guainacapa celeberrimam regiam, opulentiſſimum
Solis templum, atque virginum ſibi dedicatarum domicilium erigēda curauit. Quo-
rum ſanè ędificiorum obſequio ad octo tum militum, tum regij vectigalis exactorum,
tum equitum, tum ſacerdotum tum quoque virginum mancipata erant. Licèt enim B
præfati Guanchi iuxta huiuſmodi vallis diuiſionem inter ſe in ijs, quæ ad idolorum
cultum attinebant, diſſentirent, in eo tamen omnes conueniebant, vt videlicet Dæmo-
nibus ſacrificarent, reſponſa ab eis per quoſdā ſacrificulos quocunq; in euentu ſuper-
ſtitiosè expoſcerent, viuas vxores, & aliquot iuuenculos defunctis viris conſepelirent,
atque tum Inghis Regibus, tum quoque cuiuis alteri externæ nationi pro viribus re-
ſiſterent. Sed pręmemoratis Regibus à ſtrenuo illo heroë Franciſco Pizarro deuictis,
debellatiſque, tota hæc Prouincia in victoris poteſtatem vlla abſque contradictione
redacta eſt, eiuſq; populus multò familiarior, multoque docilior redditus fuit. Qua-
mobrem vigilantiſſimus pater frater Ludouicus de Onna, tunc huius Prouinciæ Mi-
niſter prouincialis præſentem hunc conuētum, in immaculatę Conceptionis beatiſſi-
mę ſemperq; virginis Mariæ honorem, ex diuerſis fidelium eleemoſynis liberaliſſimè C
oblatis in ea portione, quæ Xauxica dicitur, à fundamentis ad verticem vſque ædi-
ficandum curauit. Quia verò præfatæ huius portionis habitatores, qui triginta millia,
vel circiter, numero ſunt, diſtinctis in pagis atque oppidis habitant, nec facilè ſimul
conuenire poſſunt, conſtructæ ſunt & ſeptem doctrinales domus diuerſis in locis, qui-
bus 12. religioſiſſimi patres ac fratres præſentis conuētus inquilini inſeruiūt, in eiſque
parochorū munere fungūtur. Incūbit quoq; curę patris loci huius Guardiani celebre
xenodochium in oppido Conceptionis B. Marię portionis præfatæ à Laurentio Alda-
na Arequipano ciue ędificatū. Honeſtatur denique præſens hic locus, idq; ex Gregorij
XIII. Pont. max. conceſſione, altari quodā priuilegiato in fideliū defunctorū fauorē.

De Minoritico conuentu Vallis Caxamarchæ. *Conu. XVII.* D

CAXAMARCHA Perurani prouincia, atque Atabalipę potētiſſimi Perura-
norum Regis debellatione illuſtris, vltimos Truxilij ciuitatis terminos tenet: tā
toque populoſior eſt, quantò fœcundiori, nobilioriq́ue ſolo gaudet. Hæc prouincia
apud Inghas Peruranorum Reges maximæ olim fuit ęſtimationis, & ab eis celeberri-
mo Solis templo, magnifica regia, plurimisq; virginibus pręfati templi obſequio man
cipatis exornata extitit. Vt igitur primùm præmemoratus Atabalipa Rex à Franciſco
Pizarro Hiſpanici exercitus Pręfecto captus, carceribuſque mancipatus fuit, quotquot
erant regij milites (hos Mitimaës vocabant) aulici, atque huius prouinciæ habitatores
abiectis armis ſe in victoris poteſtatem dederunt. Cumque maxima eorum Chriſto
lucrandorū ſpes huius Prouinciæ fratribus affulgeret, curarunt eius proceres, vt præ-
ſens hic conuentus, ac ſeptem doctrinales domus ſibi ſubiectæ in diuerſis Prouinciç op- E
pidis ex diuerſis fidelium eleemoſynis à fundamentis conſtruerentur. Quod & pro vo-
to ſucceſſit: nam quotquot hac in Prouincia degebant, relicta idolatria, atque ſumpto
baptiſmate, in ſacroſanctum Chriſti Euangeliū verba fecêre. Quibus denique 12. fra-
tres tum ipſius conuentus, tum quoq; cęterarū domuū habitatores & ſacramenta mi-
niſtrant, & quæ ad ęternam vitam aſſequendam neceſſaria ſunt, fideliſſimè tradunt.

De Minoritico conuentu vallis Copabampæ. *Conu. XVIII.*

QVOD vallis Copabampæ fertilis ſupra modum ſit, boniq́ue ingenij habita
toribus abundet, curarunt huius Prouinciæ patres, vt pręſens conuentus in
ipſius

A ipſius meditullio ex diuerſis fidelium eleemoſynis conſtrueretur,& à quatuor fratribus,qui tum verbo,tum quoque exemplo Indos præfatæ vallis accolas Chriſti fidem docerent,illiſque ſacramenta miniſtrarent, inhabitaretur.

Habet à pręcedentibus octodecim conuentibus hæc 12.Apoſtolorū Prouincia duas Cuſtodias ſibi annexas;quarum altera de Panama,ſiue firma terra,altera verò de Tucuman dicitur: harum verò maior & præcipua eſt Cuſtodia Tucuman,cùm ex ſex fratrum conuentibus, & duabus doctrinalibus domibus (vt infrà patebit) conſtet; altera verò ex vnico tantùm vel altero,quorum tamen deſcriptiones ad manus habere nō potui,idq; ex quorūdā fratrū incuria;quod tamē,cū parū referat,non adeò curādū eſt. Ideoq; ad enumerāda pręfatæ Cuſtodiæ de Tucumā monaſteria de more trāſibimus.

De conuentu S.Iacobi ciuitatis S.Iacobi de Eſtero. Conu. I.

B INTER præcipuos huius Cuſtodiæ conuentus,is qui in ciuitate S.Iacobi de Eſtero ab Hiſpanis eius habitatoribus in Apoſtoli eiuſdem Iacobi honorem conſtructus extitit,& à ſex fratribus vt plurimùm inhabitatur, principē obtinet locum: cuius habitatores ſtatis diebus Indis in gyro populis ſacramēta miniſtraturi,& quæ ad Regnū cæleſte neceſſaria ſunt eis tradituri,eorum oppida petūt.Nec facilè referri poſſet, qualis,quantuſque fructus tum ab eis,tum quoque à reliquis huius Cuſtodiæ,quæ Tucumanicæ Gubernationis finibus ad argentiferum vſque fluuium (vulgò rio de la plata) porrecta circunſcribitur,Franciſcanis fratribus Dominicum in horreum inferantur.

De conuentu S.Franciſci oppidi S.Michaelis de Tucuman. Conu. II.

C PRÆCEDENTEM conuentum ſubſequitur is,qui beatiſſimo patri Franciſco intra eius oppidi,cui S.Michaël de Tucuman nomen eſt,mœnia tum à pientiſſimis Hiſpanis,tum quoque ab Indis fidelibus eius habitatoribus ante aliquot annos extructus extitit,& à fratribus plerūque occupatur,qui omni cura,omniq; diligentia parochorum munere fungētes & pueros baptizant,& confeſſiones fidelium excipiunt.

De conuentu S.Martini Talabricæ de Steco. Conu. III.

SVIS rebus conſulturi primi Tucumanicæ regionis expugnatores,munitū quoddam oppidum fertili ac opportuno in ſolo ſub nomine glorioſiſſimæ virginis Mariæ Talabricanæ de Steco erigendum,in eoque minoriticum hoc monaſterium,diuo Martino Turonenſium Epiſcopo ſacratum,quod & 4. fratres plerunque inhabitant, D communibus ex facultatibus ædificandum curarunt:qui omni cura omnique diligentia,parochorum munere fungentes,& verbum Dei de ſuggeſtu proponunt, & confeſſiones excipiunt,atque reliqua ſacramēta miniſtrant. Oppidani autem temporalibus ſpiritualia rependentes,& fratribus eleemoſynas liberaliſſimè elargiuntur, eiſque in omni euentu fideliter adſunt,ac denique omnia neceſſaria ſubminiſtrant.

De conuentu S.Georgij Cordubæ. Conu. IIII.

VLTIMVS eorum conuentuum,qui infra Tucumanicæ regionis fines conſtructi ſunt,is eſt (de quo tamen impræſentiarum)qui Cordubę in S.Georgij martyris honorem,ac in ipſa prima Cordubenſis præfatę ciuitatis ædificatione erectus extitit,quique à ſex fratribus,quorū curæ doctrinales duæ domus ſubſunt,inhabitatur.

E *De conuentu S.Franciſci ciuitatis Aſſumptionis B.virginis Conu. V.*

EA in ciuitate,quę Aſſumptioni ſanctiſimę Dei genitricis Mariæ dicata eſt, quæq; ad argentiferū fluuiū,ſiue Oparaguaianā regionē ſpectat, conſtructus perſeuerat Minoriticus hic conuentus,ſeraphico P.Frāciſco ſacratus,& à 4.religioſis inhabitatus.

De conuentu S.Annæ ciuitatis S.Fidei. Conu. VI.

AD Oparaguaianam quoque regionem ſpectat ea ciuitas, cui nomen S. Fides ab Hiſpanis eius fundatoribus impoſitū fuit,quæq;fœcūdo ſolo gaudet,atq; Franciſcano hoc conuētu in S.Annæ honorē erecto,& à 4.fratribus inhabitato cohoneſtatur.



PROVIN-

PROVINCIA
S. FRANCISCI DE QVITO.

A POSTQVAM ſtrenuus ille militiæ Dux Fräciſcus Pizarro, Perurani Regni, ac nouæ Caſtellæ pro Carolo V. Germanorū Imperatore, Hiſpanorumque Rege Gubernator, ſuperato, captoque Atabalipa potentiſſimo, ditiſſimoque Cuzcanorum Rege, atque ex nobiliſſima, bellicoſiſſimaque Ingharū familia genus ducente, vniuerſa eius ditione potitus eſt; alter ex eius Ducibus, (hos Capitaneos vulgò vocant) nomine Sebaſtianus Bellalcazar, qui Popaianicæ poſtmodùm Prouinciæ Gubernator extitit, nobilem, licèt non adeò magnā, ciuitatem ſub nomine S. Franciſci de Quito amœniſſima quadam in valle, atque ad altiſſimi cuiuſdam montis radices, eo ipſo loco, in quo celebres olim Guainacapæ præfati Atabalipæ patris, & magni Topaingæ eiuſdē Atabalipæ aui ædes, quæ Quito Indicè nuncupantur, præextiterant, ſub anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo trigeſimo quarto ędificandam curauit. Quę ſanè ciuitas ſub linea æquinoctiali conſtituta, ac præter plurium antiquorum opinionem frigida potius, quàm calida aura gaudens, temperatiſſima, amœniſſima, atque omnium tum frugum, tum bōbacij, tum armentorum & auium, tum quoque fructuum ex arboribus diuerſi generis productorum feraciſſima eſt; inſuper & circumadiacenti regioni, quę plurimis tum ciuitatibus, tum quoque oppidis honeſtatur, & ad 210. milliaria in longitudine, in latitudine verò ad 100. vel circiter protenditur, & Minoriticæ præſenti Prouinciæ, quæ præfatæ regionis finibus clauditur, nomen dedit. His igitur de huius noſtræ Prouincię ſitu vtcunque pręlibatis, reliquum eſt, vt ad eius fundationem, atque ætatem deueniamus. Eodem ferè tempore, quo Prouincia 12. Apoſtolorum de Lima exordium ſumpſit, & hæc noſtra S. Franciſci de Quito, ſub Cuſtodiæ tamen titulo, illique annexa, in lucem prodire cœpit. Nam vt primùm præfatus militiæ Dux Franciſcus Pizarro Cuzco nobiliſſima ciuitate, atq; Perurano Regno (vulgò Reyno del Peru) potitus eſt, ad hanc regionem, quæ tamen 900. milliarijs à celebri ciuitate Lima Perurani totius Regni metropoli diſtat, & ad Peruranum idem Regnum attinet, robuſtamque gentem, & laboribus aſſuetam: ita tamen vt eius mares mulierum officia nentes, filaque ex colo deducentes, atque rei familiari intenti, vſurpent; & fœminæ noualia aratro proſcindant, agros colant, cæteraque id genus opera exerceant, fœcundè producit, infeſtis ſignis ſe contulit; eamque Caroli V. Hiſpanorum Regis imperio ſubiugauit, atque vtrobique eccleſias & Minoritica monaſteria ædificata voluit. Cumque præfata monaſteria ſub 12. Apoſtolorum Prouincia conſtituta ſupra modum creuiſſent, nec ab vno tantùm prouinciali Miniſtro commodè pro ſolito more viſitari poſſent; conſultiſſimè à patribus in generalibus Ordinis noſtri Comitijs Valliſoleti habitis decretum extitit, vt huiuſmodi Cuſtodia ad Prouinciam ſub titulo S. Franciſci de Quito aſſumeretur. Prodijt itaque nobis præfata hæc S. Franciſci de Quito Prouincia, idque ex Prouincia duodecim Apoſtolorum de Lima, anno 1565. continetque impræſentiarum triginta & vnam Franciſcanas domos, quarum vndecim, cùm nihil ad ſui perfectionem deſiderent, conuentus optimo iure appellantur; ſed reliquæ doctrinales potius ædes, quàm monaſteria nuncupandę veniunt, cùm ab vno, vel altero tantùm fratre inhabitentur, plurimumque à cęteris monaſterijs differant. Continet quoque & vnum Conceptioniſtarum ſororum cęnobium: & ſigillum ſeraphici patris Franciſci ſacra ſtigmata in Aluernæ monte recipientis imagine, ſequentibusq; literis SIGILLVM MINISTRI PROVINCIALIS. PROVINCIÆ. S. FRANCISCI DE QVITO. exornatum habet. Cui ego tandem, ne interim à tanto patre defeciſſe videar, eius fratres ad ſacroſanctū Chriſti Euangelium prædicandum mittentis iconem prępronere volui.

De conuentu S. Pauli ciuitatis S. Franciſci de Quito. Conu. I. A

QVANTÆ ætatis ſit præſens conuentus, Apoſtolo Paulo intra præfatæ ciui-
tatis S. Franciſci de Quito, quæ ad populeæ cuiuſdam frondis inſtar ædificata
vniuerſam vallem, in qua ſita eſt, complectitur, mœnia erectus, ex ſupradictis quodā-
modo conſtat. Nam ſtatim vt ſtrenuus ille Hiſpaniæ vnius cohortis Dux, ac poſtmo-
dùm Popaianicæ prouinciæ Gubernator Sebaſtianus Bellalcazar hanc ciuitatem ædi
ficandam curauit; voluit, idque à totius exercitus Principe Franciſco Pizarro edoctus,
vt inter prima, atque præcipua ædificia præfatus hic conuentus locum obtineret; in-
ſuper & vt ex communibus ciuium, atque inclytorum iſtius regionis expugnatorum
facultatibus extrueretur. Cuius ſanè conuentus tanta eſt capacitas, vt 30. fratres ſat
cōmodè capere poſſit. Adiacent pręfato huic conuētui doctrinales tres domus; in qua-
rū qualibet 2 fratres cōmorātur, vt oppidanis Indis ſacramenta miniſtrēt, ſalutiſq; ſe B
mi tam cominus oſtendant. Harum prima eſt domus S. Claræ oppidi Pomazquij ſe-
cunda domus S. Ioannis Cotocollai, tertia verò domus S. Georgij Penuhij.

De conuentu S. Antonij Paſti. Conu. II.

AD iſtius regionis Occiduum Auſtrale verſus mare, ſed Popaianica in prouincia
plura occurrunt oppida, diuerſis Dominis Indis tamen ſubacta, atque tum auri,
tum argenti, tum quoque æris mineralibus locupletiſſima, quarum peculiaria nomi-
na ſunt Aſcual, Mallama, Tucurres, Capuis, Iles, Gualmatal, Funes, Capal, Males,
Epiales, Pupiales, Turca & Cumba. Inter quæ eſt quædam inſignis atq; delicioſa ciui-
tas nomine Paſto tum diuitijs, tum quoq; religione florens: & à ſtrenuo milite, vniuſq; C
cohortis Capitaneo Laurentio Aldana, ſub anno Domini 1539. ædificata; cuius ciues
Hiſpani tamen, in prima eius conſtructione hoc monaſterium, beato Antonio de Pa-
dua ſacrum, ex deuictorum ſpolijs elegantiſſimè ædificandum curarunt. Commoran
tur frequentius hoc in loco decē fratres. Ad præcedens monaſteriū attinet ea doctri-
nalis domus, quę in oppido Tucariſmedio (vulgò Tucariſmed, aliâs Tango) erecta eſt:
in qua duo fratres morantur, vt Indos oppidanos doctrinam Euangelicam doceant.

De conuentu S. Franciſci Conchæ. Conu. III.

PRÆSENS conuētus Conchæ, quæ Perurana ciuitas eſt, in ſeraphici patris Frā
ciſci honorem erectus proximè præcedenti contemporaneus eſt, atque ex pijs Hi-
ſpanorum ciuium eleemoſynis ſimul cum ciuitate ædificatus habetur. Nam & ipſa ci- D
uitas eodem ferè tempore quo Paſto, & ab ijsdem Hiſpanis expugnatoribus, à quibus
& illa, ſub præfato Franciſco Pizarro Gubernatore extructa extitit. Patri iſtius conuen
tus ab octo fratribus inhabitati Guardiano ſubiacēt quæ ſubſequuntur duę domus do
ctrinales, nempe domus S. Ludouici oppidi Pruti, & domus S. Iacobi oppidi Gualaxij.

De conuentu S. Ioſ:phi Loxæ. Conu. IIII.

LOXA, quæ & alio nomine, ſed Hiſpanicè, Zarza nuncupatur, Perurana ciuitas
eſt, fertilique ſolo gaudet, & à forti quodā capitaneo Didaco Palūbino poſt Ataba
lipam, alioſq; Inghas deuictos, ſub anno Domini 1546. ædificata extitit. Cuius in gy-
ro populi, prout & cæteri Perurani Indi, idolatriæ immerſi Solē olim adorabant, vnū-
que omnium rerum creatorem eſſe aſſerebant, nec animæ immortalitatem inficiaban- E
tur. Præterea maleficijs dediti, Dæmonibusque ſacrificantes, quoties ex potentioribus
aliquis apud eos è viuis excedebat, cariores ſibi vxores occidendas, ſecumque cum
pretioſa quaque ſupellectile, auro, gemmis, potu atq; cibo (vt aliquādo meminimus,)
erecto interim ſumptuoſo mauſoleo, ſuperſtitioſè ſepeliendas curabant. Qui tamen
diabolici ritus, poſt ſuſceptā catholicā fidē, à prouincijs, quibus potentiſſimus Hiſpa
niæ Rex iſtis in partibus dominatur, per Dei gratiā exularunt. Vt igitur id facilius ef-
fici poſſet, curauit præfatus Didacus Palumbinus, vt ſimul cū ſæcularibus ædificijs, &
hic conuētus, diuo Ioſepho ſacer, & à ſex fratribus frequētius incultus ex manubijs, ſi-
ue prædis de hoſtibus captis intra nouæ huiuſmodi ciuitatis moenia conſtrueretur.

A

De conuentu S. Bernardini Popaianis *Conu. V.*

POPAIANIS, à qua Popaianica prouincia 600. in longitudine milliaria, in latitudine verò 120. continens, nomen deduxit, totius eius prouinciæ metropolis eſt, epiſcopalique Sede honeſtatur, & ab inclyto Sebaſtiano Bellalcazar Perurani Regni ſub inuictiſſimi Imperatoris Caroli V. ſignis, ac exercitus Duce Franciſco Pizarro expugnatore, nec non & Popoianicæ eiuſdem prouinciæ Gubernatore ſub anno à partu Virgineo 1536. ædificata, incoliſq; exornata extitit. Alluitur hęc ciuitas altero brachiorũ celebris illius fluminis, qui S. Martha ab Hiſpanis nuncupatur; cuiusq; tanta eſt magnitudo, vt, dum rapido impetu Oceanum influit, ad 24. milliaria in latitudine pateat. Et ne nos commentum aliquis in hoc retuliſſe exiſtimet, nouerit, quicun
B que ille fuerit, iſtis in partibus fluuios eſſe & Gange, qui Orientalem Indiam pręterfluit, & Nilo qui Aſiam ab Africa diſterminat, Aegyptumq; alluit, & Tigri & Euphrate, qui Meſopotamiam & Capadociam circundant, & Indo, à quo India nomẽ traxit, & Danubio totius Europæ inſigni, & Tanai, qui Europam ab Aſia diuidit, celeberrimis fluminibus multò maiores. Licèt enim iuxta Ptolemæi ſententiam præfati fluminis Gangis latitudo aliquibus in partibus 20. perficiat milliaria: is tamẽ amnis, qui Amazonũ, ſiue Maranus nuncupatur, ac per Occiduos tranſiens Indos, Auſtrale Oceanum verſus Aquilonem ingreditur, tribus millibus milliarijs in longitudine, & 80. in latitudine aliquibus in partibus patet; ita vt pontus multò verius, quàm fluuius dici poſſit. Huic ferè ſimiles ſunt Argenteus, (vulgò rio de la plata) Darienus atq; Vrapatianus amnes. His igitur tãquam per parenteſim dictis, ad noſtrum conuẽtum redea
C mus. Is enim ciuitatis pręfatæ Popaianis mœnibus circunſcribitur, eique coæuus eſt, atque ex publicis ciuium facultatibus à fundamentis ad verticem vſq; in S. Bernardini honorem conſtructus extitit. Inhabitatur interim à decem fratribus, eiuſq; ſuperiori parent ſubſequentes Minoriticæ doctrinales ædes, nempe domus S. Antonij oppidi Chiſquiorum: & domus S. Lucæ Euangeliſtæ oppidi Cocunucorum.

De conuentu Conceptionis B. Virginis Tacungæ. *Conu. VI.*

MAGNVS ille Peruranorum Rex Ingha, Iupãgę magni Topaingæ Iupangę pater, Guainacapęque auus, atque Atabalipę Regis proauus, prouincias ſuæ ditioni vel armis, vel aliquo alio modo de nouo adiectas confirmaturus, decem aut duodecim robuſtiorum hominum millia cum vxoribus & familijs ex prouincia nouiter par
D ta ad aliam inde diſtantem, quæ tamẽ eadem prorſus aëris temperie, qua & derelicta, potiretur, tranſmigrare, atque eius Præfecto, qui regiam eadem in prouincia erectam incolebat, in omnibus parere iubebat. Hi namque homines, qui Mitimaës (ideſt de loco ad locum tranſlati) Indicè nuncupabantur, præfatis Pręfectis in militum pręſidiũ ex Regis imperio erant; atque eius prouinciæ, in qua commorabantur, quoſuis tumultus facilè compeſcebant. Hos præterea noui aliquid molientes, eiuſmet prouinciæ habitatores arreptis iuſſu Præfecti armis cohibebant: ſicque ſe mutuò in officio continentes, promptiores Regum dictis reddebantur. Aſſignabantur interim huiuſmodi Mitimaibus in regiæ munitionis gyro arua, quæ colerent, & domus, quas habitarent. Vt autem id facilius effici poſſet, curarunt pręfatus Peruranorum Rex Ingha Iupangę,
E eiuſque ſucceſſores ad Atabalipam vſque regias quàm plures, eaſque celeberrimas, ſimul & ſumptuoſiſſimas ad caſtrorum inſtar erigẽdas ea in recta via, quæ à Guzco inſigni celebriq; Perurani Regni ciuitate, eorumque ſede in Chilicam vſq; prouinciam per hanc ducit, & ad 1800. milliaria protenditur. Inſuper & valuerunt, vt prouinciarũ Præfecti eas habitarent, pręfatoſque Mitimaës iuxta ſe haberent, atq; vectigalia à populis exacta in huiuſmodi regias armis diuerſi generis munitas inferrent. Qui interim ex populis adiacentibus potentiores erant, Indiſq; dominabantur (hos Caziques vulgò vocant) ſuæ habitationis domos circum huiuſmodi regias habebant; indèque populis ſibi ſubactis ius dicebant. Moris quoque fuit præfatis Inghę Iupangę eiuſq; ſucceſſoribus, vt quoties præfatorum potẽtiorum aliquis crimen, (licèt regiam Maieſta- [illegible] læderet) quo capite plecti mereretur, committeret; eius primogenitũ, ne interim

ſibi

ſibi auaritiæ vitio daretur,eaq; de cauſa ſubditorum odium incurreret, vel ad filium, A
vel ad nepotem,vel ad propinquiorem conſanguineum transferretur. Inter præfatas verò regias vna fuit nobiliſſima nomine Tacunga , cui celeberrimum Solis templum ab innumera virginũ (has Mamaconas Indicè vocant) multitudine miniſtratum è regione opponebatur . Vt igitur primùm huiuſmodi tum regia, tum quoque templum, deuictis Inghis,à Chriſtianis demolita extitêre ; quatenus tandem ſuperſtitioſi ritus, atque execranda ſacrificia ab iſtius patriæ Indis obſeruata longius eliminarētur,abolerenturque (ſepeliebant ſiquidem cariores viuas vxores cum defunctis viris, quodamque vino ex patrio tritico artificioſè confecto inter potitandum calentes, nulla interim ſiue verecundiæ,ſiue virginitatis, ſiue etiam adulterij habita ratione cum prima occurrente fœmina miſcebantur,atque Dæmones Solem adorantes conſulebant) B
primi iſtius patriæ expugnatores non longè ab huiuſmodi regiæ ruinis hoc monaſterium,Conceptioni Virginis glorioſę ſacrum,ex deuictorum ſpolijs ædificandum,atq; Franciſcanis fratribus, qui conuicinos populos ad fidem ſuis concionibus conuerterent,Chriſtianiſque moribus imbuerent, atque demũ in omni pietate continerēt, tradendum curarunt. Quos ſanè ſua ſpes non fefellit; nam huiuſmodi fratrum opera effectum eſt, vt Tacungani omnes (ſic enim præfati appellantur populi) Chriſtianorum albo aſcripti ſint. Adiacent tamen præfato huic conuentu,à decem fratribus frequentius inculto,quatuor doctrinales domus,diuerſis in pagis erectæ, & longiuſculus ab eo diſtantes ; quarum obſequio quatuor religioſi diligentius incumbunt. Harum ædium nomina ſequuntur:domus S. Ioannis Baptiſtæ pagi Saquiſili,domus S. Franciſci pagi Mulahali, domus S. Bonauenturæ pagi Puxilli, & domus S. Antonij Fagi. C

De conuentu Dominæ noſtræ de Angelis Caranguæ. Conu. VII.

HIC quoque conuentus,prout & proximè præcedens celebri cuidam Regum Ingharum regiæ nomine Caranguæ,cui plura nobilium Indorum domicilia, atque vulgariũ oppida adiacebant,ſucceſſit.Cùm enim huiuſmodi populi idolatriæ dediti eſſent,nec minis, nec verberibus à Satanicis ſuis ritibus & cęremonijs abduci poſſent,curarũt primi iſtius patrię expugnatores,vt huiuſmodi regia demolita,eius loco hic cōuentus,ſanctiſſimæ Dominæ noſtræ de Angelis ſacratus,erigeretur ; noſtriſque fratribus,qui Chriſti fidem in gyro populis annuntiarēt, traderetur. Hunc conuentum,ab 8.religioſis inhabitatum,vt Miram celebre flumen, calidiſſimiſq; àquis ęſtuans petāt, egreſſis in medio itinere, non tamen longè ab vtroque, lacus Iaguarcoca (ideſt ſanguinis mare) occurrit:cuius,ob ſtragem à Guainacapa Peiuranorum Rege,atq; Atabalipæ Regis patre apud ipſum editam,meminiſſe libet. Cùm enim omnes ferè iſtius patrię populi præfato Guainacapæ Regi rebellaſſent, atque is maximo exercitu coacto eos in fugam conuertiſſet,eorum 20.millia in ore gladij occiſa,atq; corpora præfatum in lacum proiecta voluit.Vnde & ab aquis occiſorum ſanguine intinctis huiuſcemodi nomen Iaguarcoca ei lacui acceſſit. Ex altera verò huiuſmet conuentus parte, atque præfatam iuxta regiam celeberrimum, aureiſque laminis intrinſecus contectũ, ac ſupra modum locupletiſſimum Solis templum olim ſubſtitit:cuius tantæ,taleſque extiterunt diuitię,vt vix maximo abſq; tędio explicari poſſit. Ibi ſiquidem vidiſſes diuerſis in locellis ab inuicem diſtinctis oues,arietes,agnos,capras, volucres & alia id genus non contemnendę magnitudinis animalia,ex argento, auroque finiſſimis fabrefacta. Huic præterea templo 200. virgines, inter pulchriores atque nobiliores ſelectę E
ad veſtalium inſtar mancipatę erant;quarum munus erat Soli, quem vt Deum venerabantur, ſacrificare, atque thura adolere. Qua etiam de cauſa virginitatem quàm diligentiſſimè colere tenebantur. Quòd ſi earum aliqua viro commiſceri contigiſſet, grauiſſimè plectebatur:qui verò crimen ſecum commiſerat,vel infami ſuſpendio, vel lugubri loculo incluſus vitam miſeram tranſigebat, eandemque miſerè terminabat.

De conuentu S. Ludouici Otabali Conu. VIII.

CARANGVICAM regiam,aliquātulo itinere interpoſito,in ipſa via (de qua ſuprà) ſequebatur & alia nomine Otabalo,omnino celebris, opulens atque delicioſa,

A cioſa inſuper & inter frequẽtiſſimos populos ædificata: cui etiã per Hiſpanos dirutæ, ſoloq; æquatę præſens conuẽtus, beato patri Ludouico Toloſano Epiſcopo ſacer, atq; ex diuerſis eleemoſynis conſtructus, inſuper & à 10. fratribus incultus, ſtatim à patrię iſtius expugnatione ſucceſſit. Quãuis enim Carãguani populi cũ iſtius patriæ habitatoribus in vnã & eandẽ rebellionẽ contra Guainacapã Peruranorũ Regẽ conſenſerint, ſimulq; pœnas dederint; nihilominus tamẽ, appulſis ad has partes Hiſpanis, atq; Rege Atabalipa ab eis ſuperato, Otabalani, præmiſſis maximo aſtu leuioribus quibuſdã militibus, qui montiũ cacumina, palos interim pilis ſimiles Hiſpanorũ more manibus tenẽtes, occuparẽt, ad Carãguanos cũ vxoribus & familijs, timorẽ interim maximũ ex imminẽte Hiſpano milite conceptũ ſimulãtes confugerũt; ſibiq; vt proprię ſaluti fuga ſecũ conſulerẽt, ſuggeſſere. Vtq; conceptũ dolũ executioni facilius mãdare poſſent, di-
B ſpoſitos à ſe per montiũ cliuos milites, aſſerẽtes eos eſſe Hiſpanos, digito illis oſtenderũt. Quibus deniq; fidẽ adhibẽtes miſeri Carãguani, omni interim pretioſa ſupellectile, plurimiſq; tũ auri, tũ quoq; argẽti theſauris & ad ſe, & ad Atabalipã Regẽ pertinẽtibus poſt ſe relictis, fugã tumultuariè capeſſerũt. Tũcq; Otabalani, qui eos à tergo lento gradu, ſatiſq; vafrè ſequebantur, relicta à Carãguanis oppida repetentes, quicquid pretioſi in eis inuenire potuerũt, id furto ſublatũ ſecũ ad propria loca reduxêre. Vnde maximæ ſimultates, maximaq; odia inter vtroſq; ſubſequuta ſunt. Quæ tamẽ ſuperueniẽtibus Hiſpanis ex parte ceſſarunt. Cæterũ pater huius monaſterij Guardianus 4. doctrinales domus ſibi cõmiſſas habet, ſcilicet domus S. Marthę de Tuntaquio, domus S. Annæ de Cotacachio, domus S. Pauli de Lacu. domus S. Michaëlis de Vrcoquio.

C *De conuentu S. Mariæ de Valle Guainomorani.* *Conu. IX.*

PRAESENS conuẽtus, B. Annę ſacer, & ab octo fratribus plerunq; incultus, amęniſſima quadã in valle, cui Guainomoran, vnde & cognomẽ traxit, Indicè nomen eſt, ædificatus exiſtit; ſuique authores regiã Maieſtatẽ, & alios aliquot fideles agnoſcit. Cuius denique pater Guardianus duobus fratribus, qui doctrinalibus etiam duabus domibus inuigilant, ius dicit. Sunt autem huiuſcemmodi ædes: domus S. Andreæ de monte Pinipio, & domus ſancti patris Franciſci etiam de monte Pinipio.

De conuentu S. Ioannis Euangeliſtæ *Conu. X.*

DEBENTVR etiam regiæ Hiſpanorũ Maieſtati præſens conuẽtus, diuo Ioãni Euãgeliſtæ apud Peruranos quoſdã Indos olim erectus, & ab octo fratribus inha-
D bitatus, atque duæ doctrinales domus: nempe S. Ioannis de Puni, & SS. Petri & Pauli.

De conuentu Minoritico Almanguelis, *Conu. XI.*

ALMAGVEL Perurana ciuitas eſt, noſtroq; Ordini ſatis addicta, quamobrẽ huius Prouinciæ patres hũc ab eius ciuibus circa annũ Dñi 1573. ædificatũ conuentũ, ſummiſq; votis ſibi oblatũ ea in prouinciali Cõgregatione, quæ eodẽ anno ſubſequuta eſt, ipſum admiſſum, cæteriſq; Prouinciæ locis adiunctũ voluerũt. Inhabitat interim pręfatus hic conuẽtus, quòd neophytus adhuc ſit, nec omni ex parte perfectus à ſex fratribus, quorũ duo ſedulã duarũ doctrinalium domorũ in Indorũ oppidis, aliquantulũ à præfata ciuitate diſtantibus, erectarum curã gerunt. Conuentus verò, atq; pręfatarum domorum nomina; quòd me omnino fugiant hic poſita non ſunt.

E *De monaſterio Conceptioniſtarum ciuitatis S. Franciſci de Quito.*

CONSVLTVRI tũ noſtri fratres, tum quoq; regiũ Conſiliũ, in ciuitate S Franciſci de Quito erectũ, nobiliũ quarundã virginũ, quæ relicto ſęculo Chriſto ſponſo ſub religioſo habitu, regulariq; diſciplina nubere cupiebãt, tũ ſaluti, tũ quoq; cõſolationi, hoc monaſteriũ Conceptioni ſanctiſſimę, ſemperq; virgini Dei genitricis Marię ſacrum, intra pręfatę ciuitatis ambitum, ſub anno Dominicæ incarnationis 1577. idque ex regio ęrario; atq; ex ingenuarũ quarundã iuuencularũ facultatibus erigendũ, abſoluendumq; curarũt. Commorantur impręſentiarũ hoc in loco 35. ſorores Conceptioniſtę; quæ ſub ſanctiſſimę Conceptionis Ordine, atq; habitu feliciſſimè militant.


P. NOMINISIESV
DGVATEMALA
IHS
In Nomine Jesu
Omne Genu flectatur.

PROVINCIA
NOMINIS IESV DE GVATEMALA

A ANNO à lætabunda Chriſti natiuitate 1539. Paulo III. Pont. max. ad totius Eccleſię militantis clauum ſedente, atq; Germanorum Imperatore Hiſpanorumque Rege Carolo eius nominis V. totius verò noſtri Ordinis generale Miniſtro patre ac fratre Vincentio Lunelo, Prouinciæ Carthaginenſis alumno, ac tandem fratre Gabriele Taurino Prouinciæ S. Iacobi prouinciale Miniſtro, religioſi ſex Minoritæ, frater ſcilicet Alphonſus Eras, Didacus Ordoñez, Alphonſus Buſtillo, Didacus Aluachius, ſiue Peſquius, Gonſaluus Mendez, ac Frãciſcus de Valderas ex S. Iacobi prouincia, cũ præfati tamẽ Reuerẽdiſſimi patris Vincentij Luneli facultate egreſſi, atque conſcenſo Hiſpalis nauigio,
B Oceanoque mari ſuperato, in nouam Hiſpaniam, ſuppeditante interim neceſſarios ſumptus reuerendiſſimo Franciſco Marroquinio primo Guatemalenſium Epiſcopo, penetrarunt. Cumque in veræ Crucis portu aliquandiu ſubſtitiſſent, donec videlicet atrita laboribus corpora curarent, ipſis ferijs diui Martini Turonẽſium Epiſcopi eius anni, qui à partu Virgineo fuit 1540. inde ſoluẽtes, cariſſimo interim ſocio, ac eorum Commiſſario, patre videlicet Alphonſo Eras per mortem amiſſo: Guatemalam tandẽ nobilem ciuitatem, poſt plurimas ſuperatas itinerum difficultates, poſtq; mille, vel circiter, milliaria pedes emẽſa, incolumes peruenerunt: vbi tum ab Hiſpanis eiuſdem ciuitatis fundatoribus, atque inclytis circumadiacentis regionis expugnatoribus, tum
C quoque ab Indis ad fidem de nouo conuerſis humaniſſimè, inſuper & honorificentiſſimè excepti ſunt. Poſt trãſactos verò aliquot ab huiuſmodi aduentu dies, deſignatum ſibi tum à præfato Epiſcopo, tum quoque à regio Concilio intra eiuſdem Guatemalicæ ciuitatis mœnia fundum ad conuentus dignitatem ex diuerſis fidelium eleemoſynis promouentes, in id maximè incubuerunt, vt videlicet Indicum eius patrię idioma addiſcerent. Cùm autem meſſis multa eſſet, operarij verò pauci, miſſus eſt de reliquorum quatuor patrum, deque tum regij Concilij, tum quoque præmemorati Epiſcopi conſenſu in Hiſpaniam frater Franciſcus Valderas laicus profeſſus, quatenus fauentibus ſibi ſuperioribus, fratrum delectum haberet, & cùm ſibi adhærentibus quantocitius ad ſe reuerteretur. Is igitur frater Franciſcus (vt erat diligentiſſimus) in ſancti
D Iacobi Prouinciam infra breuiſſimi temporis ſpatium incolumem ſe conferens, 12. probæ vitæ religioſos delegit, ſecumque in nouam vſque Hiſpaniam deduxit. Quorum tamen maior pars, quòd id itineris, quod inter Mexicum nouæ Hiſpaniæ metropolim & ciuitatem Guatemalam intercedit, aſperrimum ſit, plurimiſq; pateat difficultatibus, ac mille ferè milliaria (vt ſuprà meminimus) contineat, in ipſo itinere ex hac vita deceſſit. Vnde nec ita multum adiumenti ex eorum aduentu cæteris acceſſit. Poſt elapſum verò ab huiuſmodi euentu quadriennium religioſiſſimus pater frater Iacobus à Stora ad has partes cum 200 fratribus ex omnibus ferè Minoriticis Hiſpaniæ
E Prouincijs iuxta votum delectis, ac per vniuerſas Indiæ Prouincias diſtribuendis à generali totius noſtri Ordinis Miniſtro in Commiſſarium generalem miſſus eſt: qui eorum 12. Prouinciæ S. Iacobi alumnos Guatemalici conuentus religioſis annexos voluit. Eò igitur factum eſt, vt multiplicatis iſta in regione fratribus, ac vno vel altero conuentu de nouo conſtructo, Cuſtodia nominis Ieſu de Guatemala à patribus, quorũ intererat, erecta, atque Prouinciæ S. Euangelij annexa fuerit. Cumque per 20. continuos annos ſub eius ſignis feliciter militaſſet, accidit, vt quidam frater Laurẽtius Bienuenida, Cuſtodię Iucatanicæ alumnus, in Hiſpaniã quædã peracturus negotia traijceret, ſeq; reuerendiſſimo patri fratri Franciſco Zamorę totius noſtri Ordinis generali Miniſtro præſentaret, ac inter loquendum illi ſuaderet, vt Iucatanis, atque Guatemalę

Prouinciæ

Prouinciæ S. Euangelij Cuſtodias in vnum conflatas ad Prouinciæ dignitatem pro- A
mouere vellet, quandoquidem id ſummopere expediret. Adiecit præterea nullo pacto S. Euangelij Prouinciã ſic latè patentem, ab vnico tantùm prouinciali Miniſtro, infra annum, imò nec intra biennium de religioſo more viſitari poſſe, quòd ſanè in maximum regularis diſciplinæ detrimentũ vergeret. His igitur, atq; alijs rationibus in medium à præfato fratre Laurentio adductis coactus generalis ipſe Miniſter decreuit, vt ex præfatis Guatemalæ & Iucatanis duabus Cuſtodijs vna peculiaris Prouincia cõflaretur. Idq; ſub ea lege, vt quoties prouinciale Capitulum ex Guatemalenſium parte celebraretur, is, qui Meridenſi conuentui apud Iucatanicos Guardianus præficeretur, Prouincialis vice (hunc Viceprouincialem nuncupabant) apud eoſdem Iucatanicos fungeretur: & è conuerſo, vt is Guardianus, qui Guatemalico monaſterio præeſſet, Viceprouincialis honore eoſdem apud Guatemalicos dignaretur. Aſſumptis itaq; B
huiuſmodi duabus Cuſtodijs ad Prouinciæ dignitatem, atque per quinquẽnium præfata ſub lege perſeuerantibus, iuſtiſſimis cauſis id maximè exigentibus, à reuerendiſſimo patre fratre Aloyſio Puteo totius noſtri Ordinis generale Miniſtro cõſultiſſimè cautum fuit, vt præfata Prouincia in duas, nempe in Guatemalicam, & Iucatanicam diſſecaretur, ac earũ cuilibet peculiaris Miniſter prouincialis, iuxta noſtræ Religionis morem, præficeretur. Ab eo itaque temporis præſens Prouincia, quæ ex 15. conuẽtibus conſtat, quæq; maius ſigillum diui patris Bernardini ſtantis, nomenq; IESVS orbe circunſcriptum vtraque manu ad pectus tenentis effigie, atq; ſequentibus literis SIGILLVM PROVINCIALIS PROVINCIAE NOMINIS IESV DE GVATEMALA. inſignitum habet, nobis prodijt. Quam ego quoq; ne interim ſibi iniuriam feciſſe videar, dulciſſimo eidem nomini dicatam volui: eaq; de cau- C
ſa præfatum nomen IESVS. radianti incluſum circulo, atque à pluribus Minoritis adoratum ei de more præponendum curaui. Quia verò in Guatemalæ ſermonem incidimus, non abs re erit, ſi tum ipſius ciuitatis, tum quoque adiacentis regionis, cuius hæc Prouincia finibus clauditur, & ſitum & conditiones, cùm vtriq; idem nomen conueniat, paucis perſtrinxerimus. Eſt igitur Guatemala nouæ Hiſpaniæ regio, eaq; temperatiſſima, maiori ex parte montoſa, cypreſſis feraciſſima, atque plurimis properantibus fluuijs irrigua. Non paucis præterea, eiſq; fertiliſſimis vallibus gaudet, atq; carnibus, frumento, inſuper & Indico eo fructu, quo iſtius patriæ nationes pro quadrante, ſiue ærea pecunia in ſuis tum emptionis, tum quoque venditionis contractibus vtũtur, (hunc cacao Indicè appellant) ſupra modum abundans, ſui accolas diuitijs cumulat. Naſcit̃ verò huiuſmodi fructus in non adeò magnæ quãtitatis arboribus perpetuò D
virẽtibus, maliſq; medicis in ramorum diſpoſitione, ſed lauris in frondibus ſimillimis, quæ tamen & Soli inimicantur, & aquam ſupra modum affectant: quod ſi iſta illis minùs abundanter fuerit ſubminiſtrata, aut ille eas directis reſpexerit radijs, nihil fructus aut certè parum producunt: qua etiam de cauſa aquis ad medium perpetuò immerſæ ab altioribus in gyro arboribus cautè conteguntur. Nec tamen interim, cùm ſit hic fructus amigdalæ ſimillimus, licèt rotũdus, & ea aliquantulò breuior, eius more prodit: ſed rotundis quibuſdam vaginulis ex trũco, ſiue ex craſſiori ramuſculorum parte procedentibus ad fabarum, ſiue faſeolorum inſtar tegitur. Ex hoc etiam fructu toſto, atque optimè contuſo, ſi calidæ aquæ cinamomo, atq; miriſticæ alteri ſpeciei, quę Indicè Chile appellatur, fuerit adhibitus, ſuauiſſimus, inſuper & ſaluberrimus conficitur potus, quo tum huius patriæ, tum quoq; reliquæ nouæ Hiſpaniæ inquilini paſ- E
ſim, præſertim verò manè, atq; pomeridiano tempore, opportunè vtuntur. Hinc fit vt 24. huiuſmodi cacaorum millia, quæ commune vnius iumenti onus perficiunt, iſta in Guatemalica regione 120. argenteis, & apud Mexicanos 200. & vltrà vendantur. Cæterùm Guatemalica regio editiſſimis montibus, (vt ſuprà meminimus) præſertim verò Auſtrale verſus Oceanum mare ditatur, quorum tres, aut quatuor patentibus in ſummitate hiatibus modò cineres, modò ignem, modò verò arenam euomũt, emittuntque: inſuper & peroptimo abundat ſulphure, ita vt meritò huiuſmodi patria Puteolis comparari poſſit. His quoq; accedunt plures thermæ noſtris quoque Puteolanis omnino ſimiles. Gens interim Guatemalica ante 50. annos elapſos ſylueſtris omnino, pi-

A nino pigerrima, idolatriæ dedita, belluiniſque prædita moribus erat, atque ad ferarum inſtar, vel cauernas, vel caſulas ex impolitis lignis in montium ſalebris ædificatas inhabitabat. Ab eo tamen temporis impræſentiarum vſque à noſtris fratribus edocta, conſtructis oppidis, plurimiſque gymnaſijs, atque eccleſijs in illis erectis, humano more, atque idolatria longè profligata, ſub Chriſtianis legibus viuit: inſuper & agros, atque hortos diligentius excolit. Ciuitas verò Guatemala, quæ ab Hiſpanis iſtius patriæ expugnatoribus ſecundò, diuerſis tamen in locis, (vt infrà patebit) ædificata extitit, amœniſſima quadam in valle ſita, ea prorſus aëris temperie per totum annum fruitur, qua temperatior noſtræ Italiæ pars in menſe Aprili frequentius gaudere aſſolet. Quo fit, vt, ridentibus perpetuò pratis, arboribuſque virentibus, eius accolæ lætiſſimos ducant dies, atque Neſtoreos (vt aiunt) viuant an-
B nos. Sunt tamen huiuſmodi accolæ vt plurimùm vel Hiſpani, vel ex Hiſpanis prognati: nam Indi vel oppida, vel montes incolunt. A reliquo hæc noſtra Prouincia nominis Ieſu de Guatemela ad 500. vel circiter milliaria in longitudine extenditur. Sed in latitudine anguſtiſſimè patet, cùm omnes ferè eius conuentus tamquam per rectam præfatæ longitudinis lineam conſtructi, atque ædificati ſint.

De conuentu S. Franciſci Guatemalæ. *Conu. I.*

VT primùm antiquiores Hiſpani, expugnata regione Guatemalica, otio frui cœperunt, ciuitatem in amœniore, atque fertiliore eius parte à ſe ædificandam cenſuêre. Quamobrem in ampliſſimam, atque pulcherrimam vallem editiſſimis montibus ab Auſtrali plaga cinctam, & ad igniuomi, excelſique alterius montis radices
C ſitam incidentes, populoſam ibi vrbem, Iacobo Apoſtolo Hiſpaniarum patrono dicatam, condidêre. Fuit hæc vrbs & epiſcopali Sede, & regio Concilio, & ciuium multitudine à prima ſui ædificatione ad annum vſq; Dominicæ Incarnationis milleſimum quingenteſimum quadrageſimum ſecundũ omnino inſignis. Sed cũ prefato anno 1542. lacus, qui in præfati igniuomi montis viſceribus latebat, vel plus debito à proximo igne calefactus æſtuans, vel ob copioſas pluuiales aquas in gurgite receptas ſupra modum creſcens, per diuerſas montis partes erumpens, ſub cuiuſdam noctis ſilentio præcipiti curſu vniuerſam vallem, ſimul ac præfatam ſancti Iacobi ciuitatem inundaſſet, maioremque domorum partem ad terram deijciens, plurimos eius accolas abſorbuiſſet: huiuſmodi vrbs ab ijs, qui ex tanta clade reſidui fuerunt, omnino derelicta, ac alia ad duo inde paſſuum millia ſub eodem ſancti Iacobi titulo eius vice ædificata fuit.
D Quæ ſanè noua ciuitas tantò amœnior, tantoque maior altera eſt, quantò fœcundiorem, atque placidiorem fundum præ illa aſſequuta extitit. Primæui igitur huius ciuitatis, ad quam & cathedralis Sedes, & regium quoque Concilium tranſlata extitêre, fundatores, ne Indi apud veterem ciuitatem remanſuri continua fratrum præſentia priuarentur, relicto illis non ita pridem à ſe ædificato conuentu (de quo ſtatim inferiùs) alium (de quo impræſentiarum) eo multò elegantiorem, multoque auguſtiorem intra prima eiusmet ciuitatis ædificia, ſub ſeraphici patris Franciſci titulo, atque ex publicis facultatibus conſtruendum curarunt. Nec exiſtimandum eſt præfatos nouæ ciuitatis fundatores omne penitus periculum ob huiuſmodi tranſlationem declinaſſe. Nam ſub anno Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo primo, die verò menſis Decembris vigeſimaſexta, ex igniuomi alterius montis, qui ad tertium
E lapidem inde diſtat, cacumine tantus repentè ignis prorupit, vt vniuerſam circumquanque regionem cum ipſa ciuitate in fauillam conuertendam crediidiſſes. Sequenti verò die, quæ eiuſdem menſis vigeſimaſeptima fuit, tot, tamque ſpiſſi cineres ex eiuſdem montis viſceribus prodiêre, vt vniuerſa valle & vrbe incineratis, aër omnino caliginoſus, atque ad atræ, nigrantiſque nebulæ inſtar redditus ſit, & ciues ſub medium diei luminibus vti coacti fuerint: diſcurrentibus interim tum mulieribus, tum quoque hominibus per montes, perque cauernas, atque præ timore areſcentibus. Et niſi validus quidam borealis ventus, ex ſingulari Dei prouidentia præter ſpem excitatus, huiuſmodi cinerum ſcaturiginem compeſcuiſſet, cæteroſque ſubiectam in gyro regionem altius contegentes ad 300. & vltrà, vſque milliaria ſua violentia propuliſſet: defe-

renda quoque haud dubiè & hæc ciuitas ab incolis fuiſſet. Nec interim hic malorum finis extitit. Nam ſequenti anno, qui à Chriſti natiuitate fuit 1582. ſub ipſo menſe Ianuario tantus repente ignis ex eiuſdem igniuomi mõtis cliuo exilijt, qui & per vigintiquatuor continuas horas durauit, vt ad rapidiſſimi cuiuſdam fluminis inſtar verſus inferiorem montis partem diſcurrens, duriſſimos etiam lapides igniret, procerasque arbores in fauillam cõuerteret, procedentibus interim ex eodem monte tum tonitruis, tum fulguribus, tum quoque ignitis ſagittis ad cometarum inſtar. Vnde exeſa à flammeo igne terra, plurimis in partibus eius viſcera apparuerunt: & integrum Indorum oppidum ad ſex milliaria indè diſtans, nemine tamẽ per Dei miſericordiam læſo, quòd omnes, viſo tam horribili ſpectaculo, fuga propriæ ſaluti conſuluiſſent, in cinerem redactum extitit: & quinque flumina ex eodem monte ad Auſtrale Oceanum mare diſtinctis alueis procedentia, æſtuantibus, ac ſupra modum calentibus eorum aquis, per plurimos dies ſuperari minimè potuerunt: & quotquot Guatemalicam hanc ciuitatem, ſibique adiacentem vallem incolebant, de ſe omnino actum putarunt. Quamobrem Dei auxilium imploraturi, diuum Sebaſtianum martyrem in peculiarem ſibi patronum aſciuerunt, ſanctè promitentes ſe illi ædiculam erecturos, ſi tantum diſcrimen eius interuentu euaderent. Vt igitur primùm in hæc verba omnes ſanctè iurarunt, ſtatim flamma ceſſauit, nec ab eo temporis impræſentiarum vſque quid ſimile viſum eſt. Quamobrem pij ciues voti memores pulcherrimam eccleſiam, in eiuſdem ſancti Sebaſtiani honorem intra communis ciuitatis mœnia ſumptuosè ſatis ædificandam curarunt. Cæterùm ipſa ciuitas (vt iam meminimus) delitioſa omnino eſt, omnibusque ad vitam neceſſarijs pro votis affluit, atque octo fratres præſentis monaſterij accolas omni beneficio, omni humanitate, ac omni denique animi affectu proſequitur. Nec mirum ſanè, quòd hæc præſtet, cùm religioſiſſimis patribus, ac de catholica fide optimè meritis à ſui erectione ad hæc vſque noſtra tempora hic locus floruerit. Ex horum numero fuêre præſtantiſſimi patres frater Franciſcus Colmenarius, ac frater Gonſaluus Mendez inclytus Guatemalicæ iſtius Prouinciæ fundator. Horum ſiquidem primus, frater ſcilicet Franciſcus Colmenarius cùm per trigintaquinque eoque plus annos ſacris concionibus, atque Indorum ad fidem conuerſioni, extremæ interim cuiuſdam paupertatis, atque profundiſſimæ humilitatis cultor, ſumma cura, ſummaque ſolicitudine iſta in Prouincia incubuiſſet, cum maxima ſanctitatis opinione hoc in ipſo conuentu diem clauſit extremum. Ad cuius etiam funus quotquot erant in ciuitate ſiue Indi, ſiue Hiſpani, ſiue homines, ſiue etiam mulieres, conuolarunt, vt quiſque vel eius habitus, vel funus, vel crinium particulam habere poſſet. Nec abs re quidem, cùm eius chyrographum ad incurabile vlcus ſemel applicatum quendam Alphonſum Gutierrez integræ ſanitati reſtituerit. Cùm enim is ex eo morbo grauiſſimè, & abſque recuperandæ ſanitatis ſpe laboraret, deuotiſſima eius vxor Ioanna Lopetia, quæ patrem Franciſcum Colmenarium ſingulari quadam veneratione proſequebatur, ſupplex ad eum ſcripſit, vt præfatum Alphonſum Gutierrez eius virum in ſuis ad Deum præcibus commendatum habere vellet. Cumque gratum ab eo reſponſum pia mulier recepiſſet, literarum ad ſe miſſarum chyrographum (vt ſuprà meminimus) coniugi admouit, quo facto eius vir ſanitatem recepit. Secundus verò, frater videlicet Gonſaluus Mendez, qui ex ſancti Iacobi Prouincia ad hanc inter primos eius fundatores traiecit, Prouincialatusque munere ſemel, atque ſecundò in illa laudabiliter functus eſt, adeò ſuæ profeſſionis, ſuique ſtatus zelator extitit: vt nunquam vel ſenio confectus, vel laboribus attritus aliud à nudo aſſere, & ligneo ceruicali in lectum admittere, vel inter aſperrimos montes aut exequendi muneris, aut prædicandi ergô incedens, equitare voluerit; vel tantillum aut à ſacra lectione, aut ab oratione, aut etiam ab Indorum in fide inſtructione, dempto parciſſimo tempore, quo ſomno coactus omnino indulgebat, reſpirauerit. His igitur & alijs de cauſis à Guatemalicis, quibus moriens maximum ſui deſiderium reliquit, non ſecus ac Deo cariſſimus habetur pientiſſimus pater Gonſaluus Mendez, qui quinto Maij, anno à natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſecundo, prout præfato patri Ioanni Caſero prædixerat, è viuis exceſſit, ad cæloſque, cum ſanctis & electis Dei annumerandus, euolauit.

De con-

A *De conuentu S. Franciſci Almolongæ. Conu. II.*

RELICTA ab Hiſpanis antiquior Guatemala non ſolùm ciuitatis dignitatem ob illam ſuperuenientium aquarum inundationem amiſit, ſed etiam nomẽ ſimul cum facie immutauit: ita vt quæ prius ciuitas ſancti Iacobi de Guatemala nuncupabatur, & à plurimis hominum millibus incolebatur, oppidum Almolonga in poſterum appellata venerit, & ab 800. tantùm Indis hac noſtra tempeſtate inhabitetur. Cuius etiam rei à pręfata aquarum inundatione in cauſa exiſtit continuus terremotus, cui ea regio expoſita eſt. Cùm enim ſupra modum cauernoſa plurimum aëris intra ſui viſcera recipiat: neceſſe eſt, vt dum ille ab alio ſuperueniente agitatus, impulſuſque egredi molitur, nititurque, vel obſtructis interim occluſiſq; oſtijs, aperta vi terra ſibi viam ſternat, vel, ipſa ſibi fortius reſiſtente, eam formidabili motu concutiat: vnde ſæpè ſæpius firmiſſima etiam ædificia collabuntur, corruuntque. Cùm igitur antiquior, atque primus huius Prouinciæ conuentus (de quo ſuprà) à venerabili patre fratre Gonſaluo Mendez in antiqua olim ſancti Iacobi ciuitate, nunc verò oppido Almolonga, ſub anno Dominicæ incarnationis 1541. ædificatus, ex maximo quodam terremotu circa annum Domini 1580. ad terram omnino veniſſet: poſt annum à tanta clade elapſum diligenti fratrum cura, tum ex regijs, tum quoque ex priuatis fidelium eleemoſynis ſub antiquiori ſancti patris Franciſci titulo, multò tamen elegantior, multoque auguſtior reædificatus extitit. Continet nihilominus, idque ob fratrum paucitatem, quatuor fratres tantùm.

De conuentu Atitlanenſe. Conu. III.

INTER aſperrimos, editiſſimos, ſibique oppoſitos, atque igniuomos duos montes oppidum S. Iacobi de Atitlane conſtructum eſt: ad cuius latus Aquilonem verſus profundiſſimus, ampliſſimuſq; lacus ſcaturit. Cùm itaque præfatum oppidum infidelibus Indis abundaret, nulluſq; eſſet, qui eis ſalutis monita traderet, præfatus pater Gonſaluus Mendez ſibi ex charitate compatiens, Minoriticum hunc conuentum apud eos ædificandũ curauit: inſuper & omnes Atitlanenſes infra breuiſſimi tẽporis ſpatiũ ad fidẽ conuertit, ſacroq; regenerationis lauacro purificauit. Nec id ſolùm tantus hic pater præſtitit; nam & præfatum lacum, aliàs ſterilem, adductis ex mari piſcibus fœcundiſſimũ omnino reddidit. Vnde & Atitlanenſes fami ſæpius ſatisfaciunt, & lucrum minimè aſpernandũ reportant. Inhabitatur frequentius præfatus hic conuentus à 4. fratribus, quos Indi ſingulari amore proſequũtur, ac tãquã patres venerãtur.

De conuentu Tecpanatitlanico. Conu. IIII.

ATITLANI oppido ex altera præfati lacus parte aliud opponitur oppidum ſatis populoſum, cui Tecpanatitlanis nomen eſt, ei tamen omnino diſſimile: nam illud grata aura, cæloq; ſereno ferè per totum annum gaudet, iſtud verò à principio Octobris ad Martij vſq; finem, quo etiam tempore nullam experitur pluuiam, infeſtiſſimo boreali vento continuò paret, & quod reliquum eſt temporis per annum, cùm quotidianis diuexetur imbribus, craſſa quadã caligine pomeridiano tempore tegitur. Hoc nihilominus in oppido, licèt eius habitatio ingrata, oneroſaque ſit, quòd à mille & trecentis Indis inhabitetur, quodque totidem per eius gyrum diſtinctis in pagulis commorentur, primitiui illi patres, qui ad has penetrarunt partes, hoc monaſterium ædificatum, & à quatuor religioſis, qui eos populos pietate, & catholica fide ac Chriſtianis moribus imbuerent, inhabitatum voluêre.

De conuentu Totonicapenſi. Conu. V.

INDORVM ſalutẽ præ oculis habentes pręfati patres fratres Gonſaluus Mendez, eiuſq; ſocij hoc monaſteriũ Totonicapæ, quod Guatemalicũ oppidũ eſt, ex diuerſis eleemoſynis, præcipuè verò regijs, à fundamentis erigi, & à 4. fratribus inhabitari curarunt. Continet oppidum Totonicapa 600. Indorũ domos, regiæq; Maieſtati paret, ac fratribus ſuprà modũ afficitur, inſuper & Vtlatethico idiomate vtitur.

De conuentu Quetſeltenangenſi. Conu. VI. A

NON vno & eodem idiomate vtuntur quotquot Indi iſtius Prouinciæ finibus clauduntur, ſed duplici, Kachequelico videlicet, & Vtlatechico: quorum alterũ ab altero non ſecus ac Luſitanicum à Bætico differt. Illo quidem, Kachequelico ſcilicet, quotquot in oppidis, ſiue ciuitate, in quibus præcedentes quatuor primi conuẽtus conſtructi ſunt, commorantur, familiariter vtuntur ſed iſto, Vtlatechico, videlicet omnium locorũ, in quibus præſens, proximè præcedens, ac nouem ſubſequentes conuentus erecti habentur, inquilini. Quæ tamen idiomata ita inter ſe differunt, vt qui vnum nouerit, alterum non ignoret, & eo vtentes facilè aſſequatur. Eorum igitur oppidorum, quæ Vtlatechicè loquuntur, vnum eſt Quetſeltenangum, ad editiſſimi cuiuſdam igniuomi montis radices ſitum, ſatiſq; populoſum, atque tum caprarum, tum ouium, tum quoque ſuum gregibus maximè abundans. Præterea tanta eſt peroptimi ſulphuris, qui ex bullantibus proximioris igniuomi collis venis prorumpit, ſcaturitque copia, vt ſi eius apud Indos vſus eſſet, Quetſeltenangenſes inter ditiores iſtius patriæ Indos facilè connumerandi venirent. Sed gens barbara, otioque maximè dedita, nec eius vim aut virtutem agnoſcit, neque diuitijs ſtudet, nec de craſtino penitus ſolicita eſt, dummodò hodierna die ventri ſatisfacere poſſit. Quo etiam fit, vt fertiliſſimi campi maximo perfruantur otio, nulloque penitus vſui mortalibus ſint. In iſtius itaq; Quetſeltenangi oppidi penetralioribus præſens conuentus, in ſeraphici patris Franciſci honorem, à primitiuis huius Prouinciæ patribus, tum ex regijs facultatibus, tum ex oppidanorum eleemoſynis conſtructus extitit: quem & quatuor fratres ſat commodè inhabitant, qui oppidanis & circumuicinis populis verbum Dei accuratiſſimè proponunt, & parochorum munere fungentes, Indos ad fidem catholicam, procul Satanicis ritibus eliminatis, conuerſos baptizant, ac Chriſti fideliũ albo aſcribunt, eorũ confeſſiones excipiunt, & ſacroſanctũ Euchariſtię ſacramentũ ritè diſpoſitis miniſtrãt. B C

De conuentu Chiapenſi: Conu. VII.

CHIAPA epiſcopalis ciuitas eſt, diſtatq; à proximè præcedenti oppido Quetſeltenango Aquilonem verſus 160. milliarijs. Cuius inquilini, pro maiori parte Hiſpani, ſeraphico Ordini noſtro ſupra modum afficiuntur: quod & rei euentus paucis ab hinc annis facilè comprobauit. Nam, vt primùm ſibi facultas ſub anno Dominicę incarnationis 1576. facta eſt, Minoriticũ hunc conuentum intra præfatæ, communiſque ciuitatis ambitum tum ex publicis, tum quoque ex priuatis facultatibus à fundamentis ad apicem vſque auguſtè ſatis ædificandum curarunt, idque infra breuiſſimi temporis ſpatium. Quia verò hæc Prouincia fratrum penuria laborat, ab octo tantùm religioſis, licèt 20. ſat commodè continere valeat, huiuſmodi conuentus inhabitatur. Nec facilè referri poſſet, quos labores, quaſque difficultates præfati octo fratres ſubeant; cùm illis per 180. milliaria, & vltrà, ad Chontalpicam vſque regionem Iucatanico Epiſcopo ſubiectam, vt commiſſis ſibi Indis ſacramenta miniſtrare poſſint, ſuperatis interim profundiſſimis fluminibus, plurimiſque torrentibus, diſcurrendum ſit. Quibus etiam difficultatibus accedunt Indorum illius patriæ accolarum domus bifurcis trabibus, aquis ad medium vſque immerſis, innixæ, quas à volucribus potius, quàm ab hominibus inhabitari exiſtimaueris, quaſque nullus, niſi concauo ligno ad lembi inſtar fabrefacto (hoc canoam Indicè appellant) vectus, accedere poteſt. D E

De conuentu Sanconatenſe. Conu. VIII.

QVI proximè præcedunt ſex conuentus nouam ſancti Iacobi de Guatemala ciuitatem egreſſis, ac per rectam lineam, perque cliuoſos, cypreſſiſque opertos montes Aquilonem verſus tendentibus ipſo in itinere occurrunt: qui verò ſex ſubſequuntur, iſtis in eadem linea ex altera eiuſdem ciuitatis parte Auſtrum verſus, atque ad maris littus oppoſiti ſunt. Horum tamen primus occurrit is, qui in oppido Sanconatæ, quod & alio nomine ſanctiſſimæ Trinitatis oppidum nuncupatur, & ab Hiſpanis incolitur, ex publicis eorundem oppidanorum facultatibus, diligenti

genti

A genti P. F. Martino à Specu (vulgò de la cueua) Prouinciæ Bæticæ alumno id maximè procurante, ſub anno 1574. conſtructus extitit, & à 4. fratribus frequentius incolitur.

De Minoritico conuentu apud S. Saluatoris oppidum. Conu. IX.

SECVNDVM inter præfatos ſex conuentus locum tenet is, qui in ſancti Saluatoris oppido ab Hiſpanis eius inquilinis, à religioſo P. F. Ioanne Vico Prouinciæ eiuſdem Bæticæ alumno ad id maximè ſolicitatis, ſub eodem anno 1574. à primis fundamentis ad vltimum vſque lapidem ædificatus extitit, & à 4. fratribus inhabitatur.

De Minoritico conuentu apud S. Michaelis oppidum. Con. X.

B PROXIME præcedentem conuentum ſequitur is, qui induſtrij patris fratris Ioannis Palatios Bæticæ etiam Prouinciæ alumni opera, ab Hiſpanis oppidi ſancti Michaëlis habitatoribus ex maxima in Deum pietate, atque erga noſtrum Ordinem animi propenſione, ſub eodem anno Domini 1574. intra præfati communis oppidi ambitū erectus fuit, & à 4. impræſentiarum religioſis commodè ſatis occupatur.

De Minoritico conuentu Camaiaquenſi. Conu. XI.

CAMAIAQVENSIS hic conuentus, ſi primæuam eius conſtructionem attendas, tribus proximè præcedentibus antiquior eſt, cùm à primæuis iſtius Prouinciæ patribus ante 40. annos conſtructus, atque poſtmodùm, ob religioſorum penuriam, derelictus extiterit. Si verò eius reaſſumptionem conſideres, illis poſtponendus venit, cùm anno Domini 1577. ſecundò à fratribus inhabitatus fuerit. Eſt autem C Camaiaqua populoſum ſatis oppidum, & ab Indis ſolis inhabitatur, ſatiſq; liberaliter 4. fratribus ſibi ſacramenta miniſtrantibus, atque ſalutis viam, per quam tutò incedere, & ad vitam æternā peruenire poſſint, felicius oſtendentibus, neceſſaria miniſtrant.

De Minoritico conuentu Ciquinalico. Conu. XII.

CIQVINALIA Guatemalicum oppidum, & ab Indis tantùm inhabitatū, non infimum locum Guatemalica in regione obtinet, cùm & habitatoribus, & diuitijs ob eius fructus, cacao ſcilicet (de quo ſuprà) copiam affluat, & catholicam fidem in ipſo Hiſpanorū ingreſſu amplexum ſit, & præſentem conuentū, quem 4. fratres pro votis incolunt, ante 30. annos apud ſe à fundamentis ad apicē vſq; ædificandū curauit.

De Minoritico conuentu Nacaomano. Conu. XIII.

D PRÆFATÆ lineæ terminum Auſtrum verſus tenet Nacaoma Guatemalicum oppidum, & ab Indis ſolummodò inhabitatum: cuius habitatores poſt catholicā fidem ſuſceptam, ne ſe longius à cæteris oppidis diſtantes ſpiritali pabulo aliquando priuari contingeret, hunc conuentum ex publicis facultatibus, quæ non adeò tenues ſunt, apud ſe, circa annum Dominicę incarnationis 1574. ædificandum, quatuorq; fratribus, qui ſibi opportunè quocunq; in euentu adeſſe poſſent, tradendum curarunt.

De Minoritico conuentu Tecpanguatemalico. Conu. XIIII.

NON longè à pręfata S. Iacobi de Guatemala ciuitate, extra tamen eam lineam, quam ab Aquilone in Auſtrum deduximus, duo ſubſiſtunt huius Prouinciæ con E uentus, alter quidem (de quo impræſentiarum) in oppido Tecpanguatemala Indicè nuncupato, & à mille, & vltrà Indis inculto erectus, alius verò Comalapæ conſtructus. Quorū vterq; ſub ipſo noſtrorū fratrum ad iſtas partes aduentu ex diuerſis, præcipuè vero regijs eleemoſynis oxordiū, finemq; ſumpſit, & à 4. fratribus inhabitatur.

De Minoritico conuentu Comalapenſi. Conu. XV.

VLTIMVM deniq; hac in Prouincia locum præſenti conuentui Comalapæ, quod Guatemalicum oppidum eſt, & à mille Indis, & vltrà inhabitatur, conſtructo aſſignare volumus, non quòd nouiſſimè (vt ſuprà patuit) initium ſumpſerit, ſed quòd à recta illa linea per nos deducta aliquantulùm declinet.



PROVIN-

PROVINCIA
S. GEORGII DE NICARAGVA.

A MINORITICA hæc S.Georgij Prouincia, licèt earum omnium, quæ in noua Hiſpania erectæ ſunt, nouiſſimum obtineat locum, latè tamen patet: complectitur ſiquidē intra ſui fines Nicaraguam, Coſtaricā atq; Profunditates (Hiſpanicè las honduras) ampliſſimas regiones; protenditurq; in longitudine 600. milliaria, & vltrà. Præterea Iucatanicam, à qua 600. Guatemalicam à qua totidem, atq; S. Euangelij, à qua mille & quingentis milliarijs diſtat, Minoriticas Prouincias (quarum ſuperius mentio facta eſt) pro terminis habet. Eius deniq; ſitus nouam Hiſpaniam, ad quam tamen pertinet, ab ampliſſima ea regione, quæ Firma terra paſſim appellitatur, diuidit, diſterminatque. Primus hu-
B ius Prouincię fundator extitit religioſiſſimus P.F. Alphonſus Betanços plurium linguarum, pręſertim verò Indicarum gnarus, qui moleſtias ſibi atq; vexationes iniuſtè illatas ad tēpus declinaturus, Guatemalica ex Cuſtodia, cuius alūnus erat, ad has partes, circa annum à partu Virgineo 1550. traiecit: vbi adhærentibus ſibi alijs duobus Franciſcanis, qui cum quodā Licentiato, cognomine Cauallon, ex Hiſpania eò ſe contulerāt, tot Indos ad Chriſti fidem conuertit, totq; vberrimos fructus tum opere, tum quoq; ſermone Dominicū in horreum intulit, vt incredibile ſit affatu. Dum igitur hi tres religioſi in vinea Domini diligentius laborarent, ſuperuenit & quartus, pater ſcilicet ac F. Laurentius Bienuenida (de quo fuſius in Prouincia S. Ioſephi de Iucatan)
C Iucatanicæ tunc Cuſtodiæ Cuſtos, vt fratrem Alphonſum Guatemalicā in Cuſtodiā ſecum reduceret. Cui tamen aliter, quàm ſperabat, ſucceſſit. Nā qui F. Alphonſum Betanços reducere conabatur, efficaciſſimis ſuis rationibus omnino deuictus, apud eum commorari coactus eſt: vbi & per 30. eoq; plus annos, ad vltimum ſcilicet vſq; vitæ halitum cum ingenti animarum lucro perſeuerauit. Acceſſit poſtmodùm prædictis his quatuor patribus & quintus ſanè religioſiſſimus, atq; inſignis Concionator, nomine Ioannes Pizarro, Prouincię S. Michaëlis alumnus: qui, quòd in quorundam Indorum in idolatriam poſt catholicam fidem ſuſceptam relapſorum combuſtionem conſenſiſſet, à quodam Prorege maximè diuexatus, relicta circa annum Domini 1560. Iucata
D nica Cuſtodia, in qua ad tempus fuerat commoratus, ad has partes, vt huiuſmodi vexationem redimeret, leuiori curſu conuolauit: petensq; ex aliorum quatuor patrum conſenſu Coſtaricā, vbi & innumeros infideles Chriſto Regi lucrifecit, plusquàm mille idolatras ea in regione, quæ Turrialua nuncupatur, ex itinere ad fidē conuertit baptizauitque. Qui tandem ad Quepianos Indos idolatriæ immerſos, vt eos Chriſtifidelium albo aſcriberet, viriliter penetrās, ſub eorum manibus (vt infrà patebit) glorioſus martyr occubuit. Adiūcturus ſibi præfatus frater Laurētius Bienuenida aliquot alios operarios, qui otio dediti erant, vt maturas iſtis in partibus ſegetes ſecum meterent, celeri conſcenſo nauigio in Hiſpaniam transfretauit; vnde poſt inſignem comparatam
E bibliothecam, poſtq; habitum 30. fratrum delectum, ad has partes redijt. His igitur auſpicijs cùm Eccleſia catholica iſtis in regionibus non vulgare incrementum accepiſſet, atq; Nicaraguica hęc Cuſtodia ſupra modū diffunderetur: ne interim eius proſperi progreſſus eneruarentur, elumbesq; aliquando fierent, reuerendiſſimus pater frater Antonius Saias Prouinciæ Bæticæ alumnus, qui ad Nicaraguēſem Epiſcopatū per id tempus aſſumptus fuerat, à reuerendo admodū P. F. Franciſco Guſmanio generali Indiarum Commiſſario ſub anno 1575. vt 30. fratres ex Prouincia Bætica delectos ſecum, ſub patre ac fratre Petro Hortitio eorundem Commiſſario, deducere, atq; præfatam Cuſtodiam in Prouinciam, nomine S. Georgij nūcupandam, erigere poſſet, acceptis patentibus literis impetrauit, atq; Comaiaquā Nicaraguæ metropolim, epiſcopa-

ſcopalemq; ciuitatem cum præfato fratrũ delectu feliciter appulſus, prouinciale Capitulum de religioſo more celebrauit, concurrentibusq; omniũ capitularium ſuffragijs,prefatum Commiſſarium,fratrem ſcilicet Petrum Hortitium in prouincialem Miniſtrum, promota prius Nicaraguica Cuſtodia ad Prouinciæ ſub S.Georgij titulo dignitatẽ,de religioſo more elegit.Prefatus verò frater Laurẽtius Bienuenida, eiuſq; ſequaces,qui Indorũ conuerſioni apud Coſtaricanos ſolicitius intendebant,grauioribus quibuſdã ſatisfacturi negotijs,huiuſmodi Comitijs intereſſe noluerũt.Cumq; ſibi ea propter timentes ad potentiſſimum Chinæ Regum receſſum inde patrarẽt, à regijs miniſtris,quo minus id executioni mandarent,præpediti ſunt. Re tamen per præfatũ Miniſtrum nouiter electum cognita, ad eos ſe quanto citius contulit, vtq; apud ſe libentiſſimè manerẽt effecit. Quibus deniq; ita geſtis præfata hæc S.Georgij Prouincia ex fratribus Coſtanicę,& Nicaraguæ agentibus,atq; ex conuentibus vtrobiq; ædificatis conflata,ſub præfato anno 1575. euaſit.Quantum autem vtilitatis ex huiuſmodi rei compoſitione ſubſequutũ fuerit, ex effectibus facilè dignoſci poteſt, cùm infra bienniũ ad quatuor infideliũ Indorum millia ſacro regenerationis lauacro purificati, & plures Minoriticæ domus in Coſtaricę partibus erectæ fuerint. Certũ interim conuentuum huius Prouincię numerum,non eſt,quòd curioſus lector à nobis ſperet:nam ea eſt huius Prouinciæ ætas, eaq; nouarum domuũ ædificatio, quę ſingulis ferè annis contingit,vt in vno & eodem ſtatu non ſemper maneat. Conſtat nihilominus impræſentiarum ex 12.conuentibus,inter quos procul dubio principatum obtinet Carthaginenſis.Huic deniq; Prouincię,ne interim à maiori eius ſigillo, quod B. Georgij ferociori æquo inſidentis,ſquamoſumq; atq; aligerũ draconem lancea confodiẽtis imaginem,noſtræq; Religionis inſignia ſcuto incluſa,nempe ſacra ſtigmata, inſuper & ſequentes literas: SIGILLVM. PROVINCIÆ. S. GEORGII. in orbẽ imprimit,diſſentire,atq; iniuriã tanto martyri feciſſe videar, eundẽ B. Georgiũ præpoſitum volui.

A B C

De conuentu S. Franciſci Carthaginis. Conu. I.

QVIA ſex huius Prouinciæ conuẽtus,qui & ſucceſſiuè ſequũtur, apud Coſtaricanos erecti ſunt,non abs re nos feciſſe putabimus,ſi antequã ad eorũ fundationes tranſierimus,huiuſmodi tum hominum mores, ritus, atq; viuendi modum, tum quoq; Coſtaricanæ Prouinciæ progreſſus leuiori ſtylo depinxerimus.Sunt igitur Coſtaricani cæteris Indis ſtatura eminentiores,multoq; pulchriores,inſuper & ſuperſtitioſiores,quippe qui corpore proceri perfectiſſimis exornentur lineamẽtis, atq; proprium ſanguinem ex diuerſis corporum partibus,præſertim ex lingua,auriculis, atq; brachijs cultris exhauſtum,&(quod magis abhominabile,magiſq; execrabile eſt)proprias etiam proles Dæmonibus ſacrificent,eorumq; aras tenellorum ſanguine puerorum imbuant.Habent ſiquidem maleficos quoſdam ſacrificulos,qui furibundis prædictionibus huiuſmodi ſacrificia ab illis expetunt,atq; accepta à Dæmonibus (quibus piaculũ inexpiabile eſt vel in minimo non annuere) oracula illis exponunt, interpretanturq;. Vnde etiam fit,vt qũi plus vel proprij,vel conſanguinei ſanguinis effuderit, ille gratius obtulerit ſacrificium. Præterea quoties eorum aliquis moritur, ſanguine ſibi coniunctior omnes captiuos miſerrimè mactandos, ſecumq; ſimul cum pretioſis quibusuis veſtibus,auro,gemmis & ſupellectile in quadam fouea,concamerato opere fabrefacta,ſepeliendos curat.Ad cuius etiam caput vinum ex patrio frumento confectum,pluresq; placentas(vt ſi quando ſe ſitire,vel eſurire contigerit,& bibere,& comedere poſſit)ſuperſtitioſè apponit.Inſuper paulò ante quàm is moriatur,ſtamineis quibuſdã filis omnes in gyro fluuios iungit,quatenus defuncti anima,ſicco pede eos traijcere valeat. Tum demum moriturus omnium bonorum, præſertim verò primogenituræ hæredem inſtituit primum ex antiquiori ſorore nepotem,proprijs interim filijs à paterna hæreditate excluſis. Cuius quidem rei cauſa eſt matrimonialis infidelitas: nã nulla interim habita matrimonij,ſeu pudicitiæ ratione,mulieres alienis viris commiſcentur. Vnde & ij pro certo habent ex ſorore nepotem potius ad ſe, quàm ex vxore filium pertinere. Cæterùm Coſtaricana prouincia, demptis quatuor millibus, vel circiter,qui à noſtris fratribus baptizati ſunt,ab infidelibus inhabitatur,nullumq;

D E

ſæcularem

A ſæcularem parochum admittit: ſed quotquot in ea eccleſiæ conſtructæ inueniuntur, à præfatis fratribus gubernantur, reguntur que. Quorum ſanè fratrum tanta eſt cura, tantaq; ſolicitudo, vt, licèt indigenę efferati (prout meminimus) omnino ſint, indomiti, ſuperſtitioſi, atq; belluinis imbuti moribus, benè tamen nos de eorũ breui ad Chriſtum conuerſione ſperare iubeat. His itaq; de Coſtaricana tum gente, tum quoque regione vtcunq; prælibatis, reliquũ eſt, vt ad præſentis conuentus, ſeraphico patri Franciſco ſacrati, & ab octo fratribus plerunq; inculti, & ædificationem, & ſitum, atq; etiã ætatem deueniamus. Fuit præfatus hic conuentus, qui tum ob ſui elegantiam, atque ſtructuram, tum quoq; ob inſignem bibliothecam in eo erectam nobis commendatiſſimus redditur, Carthagini, quæ celebris Coſtaricanæ Prouinciæ ciuitas eſt, & ab Hiſpanis, à quibus & ædificata extitit, inhabitatur, ante 20. annos ex diuerſis ciuium B eleemoſynis conſtructus. Ad cuius decorem accedit venerabile religioſiſſimi patris fratris Alphonſi Betanços funus, quo ſupra modum honeſtatur. Fuit ſiquidem pientiſſimus hic pater (vt ſuprà meminimus) primus, qui catholicam fidem Coſtaricanis Indis annuntiauit, prædicauitque. Præterea tanta humilitate, tantaq; humanitate prędit us extitit, vt omnes in ſui amorem, ſuique deſiderium raperet. Nihil etiam eo modeſtius, nihil continentius, nihilq; mitius fuit: vnde nec mirum, quòd tot, talesq; progreſſus iſtis in partibus fecerit, totq; hominũ millia ſuaui Saluatoris Chriſti iugo ſubmiſerit. Obijt deniq; tantus hic religioſus ſub anno 1566. non longè ab Indorũ oppido, cui Chomes Indicè nomen eſt, eiuſq; oſſa in eiuſdẽ oppidi eccleſia à fidelibus oppidanis honeſtiſſimè tumulata fuêre. Vnde poſtmodum exhumata, atque Carthaginem (de qua impræſentiarum) tranſlata, in maius præſentis monaſterij ſacęllum illata C ſunt: vbi tum ab Hiſpanis, tum quoque ab Indis in maxima veneratione habentur.

De conuentu S. Laurentij Sparza. Conu. II.

PRIMI illi Coſtaricanæ prouinciæ exploratores, vel, vt verius dicam, expugnatores Hiſpani, Sparza ciuitate, quatenus Coſtaricanos adiacentes populos felicius in officio continerent, ædificata, ne hoc quidem prætermittendum eſſe duxêre, hunc vt conuentũ, diuo martyri Laurentio ſacrum, & à 4. fratribus plerũq; incultũ, communibus ſumptibus intra recentioris ciuitatis ambitum conſtruerent, perficerentque.

De conuentu S. Ludouici Acerricano. Conu. III.

D PROMOTO ad huius Acerricani conuentus adhuc futuri Guardianatum, in primo pręſentis Prouincię Capitulo, inſigni P.F. Didaco Guillen Prouinciæ Bæticæ olim alumno, Indi Acerricanæ regionis accolæ ſummo ſtudio huiuſmodi conuentum, diuo Ludouico Toloſano Epiſcopo ſacrũ, intra ſui fines, qui tamẽ Coſtaricanis limitibus circũſcribuntur, ædificarunt. Quibus deniq; 6. fratres ſacramẽta miniſtrãt.

De conuentu Aſſumptionis B. Virginis. Pacaca. Conu. IIII.

STATIM vt eodem in prouinciali huius Prouinciæ Capitulo P. F. Richardus Hieroſolymitanus ad Pacacani conuentus Guardianatum aſſumptus fuit, diſperſos pro antiquiori iſtius regionis more 400. pauperes Indos, qui quotidiano labore victum ſibi acquirebant, ſimul cum vxoribus, atque liberis in vnum collegit, ſtraminaceasq; domos, pro Coſtaricanæ gentis conſuetudine, ad oppidi inſtar, quod & Pa-E caca poſtmodũ euaſit nuncupatũ, eos conſtruere coëgit, ac tandem in fide prius ſatis inſtructos baptizauit. Cumq; accedẽtibus indies alijs, alijsq; Indis huiuſmodi oppidũ mirum in modũ creſceret: curauit præfatus P. Richardus, vt ſtraminacea à ſe prius in Aſſumptionis B. Virginis honorẽ ædificata eccleſia cum adiuncta ſibi domo ſtabiliori firmaretur materia: vnde & hac noſtra tẽpeſtate ſat commodè à 6. religioſis incolitur.

De conuentu S. Antonij de Padua Turrialba. Conu. V.

HIC conuentus Turrialbę, quod peculiare Coſtaricanorũ oppidũ eſt, ante octodecim annos ſub B. patris Antonij Paduani titulo conſtructus, & à 6. fratribus plerunq; inhabitatus, ſolicitudini, atq; curę patris Ioãnis Pizarri (de quo ſtatim inferius)

rius) debetur. Cùm enim is pater, ſtatim poſt hanc Prouinciam erectam, primus apud A
eoſdem Turrialuanos à prouinciali Miniſtro Guardianus conſtitutus eſſet, illisq; gratiſſimus exiſteret, vt præfatus hic conuentus ex publicis facultatibus apud eos erigeretur, facillimo impetrauit negotio. Qui denique religioſiſſimus vir, cùm Indorum ſalutem ſupra modum ſitiens, ad infideles quosdam penetraſſet, glorioſo martyrio (vt ex ſequenti hiſtoria ſatis patebit) mortalem concluſit vitam, ad cælosq; euolauit.

De martyrio fratris Ioannis Pizarro.

SVMPSIT inſignis Chriſti athleta frater Ioannes Pizarro Franciſcanę Religionis habitum in S. Michaëlis Prouincia, indeq; poſt adeptum ſacerdotium prędicationis honore inſignitus, Iucatanicos ad Indos ſe contulit. Cumq; apud eos aliquandiu commoratus illorum plurimos ſacris ſuis concionibus ad fidem conuertiſſet, Coſtaricam petens, quàmplurimos eius patriæ populos Chriſto genuit. Fuit interim euangelicæ paupertatis, caſtitatis, abſtinentiæ, in Deum & homines pietatis, alteriusque cuiuſuis virtutis eximius cultor, atque tum opere, tum quoq; ſermone ſupra modum potens: quamobrem tum ab Hiſpanis, tum quoque ab Indis & timebatur, & amabatur. B
Cùm igitur tantus hic pater, poſt plurimos apud Coſtaricanos exantlatos labores, ad Quepianos quosdam populos illis prædicaturus tranſijſſet: à Cotis, qui alij populi ſunt, Quepianis tamen contermini, atque vicini, hoc modo interimitur. Aſſueuerunt Quepiani ſemel in anno quoſdam ludos inſtituere, atque Cotos ſibi amicos tum ad ludos, tum quoque inſtructum ad conuiuium inuitare. Cumq; & ipſi, atque illi potu ex patrio tritico herbisq; confecto incaluerint, in Hiſpanorum cædem omnium Indorum more conſpirare incipiunt, atque inter potitandũ quo pacto, vel eos omnes trucident, vel ſaltim ex tota India eijciãt, iam temulẽti ſpumanti ore agunt. Cùm itaque C
anno Domini 1580. dum huiuſmodi ludi, & conuiuium repetuntur, præfatus pater Ioannes Pizarro in ſui tugurioli penetralioribus orationi feruentius inſtaret, & conuiuæ de more in Hiſpanos, præcipuè verò in fratrem Ioannem inuecti eſſent: ſurgunt à menſa Coti, nullo interim Quepiano prohibente, non ſecus ac œſtro perciti, cubiculumq; ingreſſi, inuentum venerabilem patrem Ioannem humi genuflexum flagellis cædunt, ex propriaque corda per vicos, lapidesque trahunt, ac tandem baculis contuſum, animamq; agentem ad trabem ſuſpendunt, truculentiſſimeq; occidunt. Præterea eccleſiam ſuccendentes, ſacras veſtes, quibus ille ſacris operari aſſueuerat, prophanis adiudicant vſibus. Quod tamen illis non adeò proſperè ſucceſſit: nam inſignis miles Didacus Artieda illius patriæ Gubernator, immiſſo inter vtroſque poſt elapſum à tanto facinore annum Hiſpano milite, quem illi tantopere execrantur, teterrimoque odio proſequuntur, eorum plurimos perdidit, iuſtiſſimasque ab eis pœnas exegit. D

De conuentu S. Bonauenturæ Vxarrazij. Conu. VI.

SEXTVM Coſtaricanos inter conuentus obtinet locum hic, qui ſub S. patris Bonauenturę titulo Vxarrazij, quod non vulgare oppidum eſt, & à ſolis inhabitatur Indis, ex publicis oppidanorum facultatibus ædificatus extitit, & ab illorum tribus incolitur. Hi tamen fratres tum Indis, tum quoque Hiſpanis, prout & cæteri præcedentium locorum habitatores, ſacramenta miniſtrant, omniaque alia, quæ ad parochos attinent, ex apoſtolica authoritate exercent. Nam (vt ſuprà meminimus) nulli penitus ſæculari ſacerdoti Coſtaricana in prouincia his tẽporibus noſtris animarum cura committitur, nullusque eorum huiuſmodi onus, quòd non dum indigenæ armis omni ex parte ſubacti ſint, quodq; non in minimo vitæ verſẽtur diſcrimine, qui eorum conuerſioni intendunt, prout & fratres noſtri indies experiuntur, ſubire vult. E

De conuentu Aſſumptionis B. Virginis Nicoiæ. Conu. VII.

PRAESENS, ac tres, qui ſequuntur, conuentus Nicaraguica in regione ædificati ſunt: ſed hic noſter Nicoiæ, (vulgo Nicoya) quod Indorum oppidum eſt, in Aſſumptionis beatiſſimæ Virginis honorem ex publicis oppidanorum facultatibus, paucis ab hinc annis conſtructus, & à tribus religioſis frequentius inhabitatus, 40. vel circiter, milliarijs à proximiori Coſtaricanorum oppido diſtat.

De

A *De conuentu S. Iacobi inſulæ Nicaraguicæ. Conu. VIII.*

QVANTA auiditate noſtri fratres Nicaraguenſium Indorum ſalutem appetierint, vel ex eo colligi poteſt, quod præſentem conuentum, diuo Iacobo Apoſtolo Hiſpaniarum patrono ſacrum, ea in inſula, quæ Nicaraguica paſſim nuncupatur, & à ſolis incolitur Indis, ſibi ædificandum curarint: quatenus neophytis illis populis ſemper præſentes, eorum ſalutem cominus procurent, & quicquid antiquæ ſuperſtitionis Dæmoniacæ in eis reſiduum fuerit, id longius, penituſque eliminent. Comorantur autē præfato hoc in conuentu tres religioſi, & aliquando quatuor iuxta eorum copiā.

De conuentu S. Franciſci Granatæ. Conu. IX.

B GRANATA Nicaraguenſis regionis ciuitas eſt ab ea, quæ apud Hiſpanos ſurrigit, quidem diuerſa, ſed in eius memoriam à primis iſtius patriæ expugnatoribus ædificata. Quæ licèt ſibi tum magnitudinis, tum antiquitatis, tum quoque nobilitatis palmam concedat, in eo tamen ab ea ſuperari noluit, vt videlicet Minoritico fratrū conuentu priuaretur: quinimo ſtatim, vt maiori ex parte conſtructa extitit, hunc etiā conuentum, ſeraphico patri Franciſco ſacrum, intra ſui ſepta ex publicis ciuium facultatibus ædificatum, & ab octo fratribus frequentius incultum voluit. Qui quidem conuentus, quamuis non eam ſtructuræ dignitatem & magnificentiam, quam & alter Granatenſis, præſeferat, eſt nihilominus tum Hiſpanis iſtis in partibus degentibus, tum quoque Indis commendatiſſimus, celeberimuſque, maximaq; in veneratione habetur.

C *De conuentu Aſſumptionis B. Virginis in prouincia Senis. Conu. X.*

HAEC Senis prouincia ad 200. ferè milliaria in gyro protenditur, Indorumque tum pagis, tum quoque oppidis abundat. Prudentes igitur iſtius Prouinciæ fratres, ne eius indigenę idolatriæ immerſi, ac Dæmonum ſeruituti tyrannicè mancipati, miſerè perirent, hunc conuentum, Aſſumptioni glorioſiſſimæ virgini Mariæ ſacrum, in præfatorum tum pagorum, tum quoque oppidorum meditullio, quatenus ſex fratres eius habitatores tum iſtis, tum quoque illis opportunè adeſſe poſſent, ædificandum curarunt. Nec facilè explicari poſſet, quos fructus ea ex ædificatione retulerint, accedentibus ſingulis diebus plurimis infidelibus ad Deum, vt illuminentur, & Chriſtianorum albo feliciter aſcribantur: idque ex continua præfatorum fratrum prædicatione.

D *De conuentu S. Antonij de Padua Comaiaquæ Conu. XI.*

VT primùm frater Petrus Hortitius (de quo in huius Prouinciæ prooemio) Comaiaquam prouinciæ Profunditatum ciuitatem, atque epiſcopali Sede inſignem, cum commiſſis ſibi triginta fratribus ſub anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo quinto (vt præfati ſumus) applicuit, patrem ac fratrem Bernardinum Piretium Prouinciæ nominis Ieſu de Guatemala Miniſtrum, qui eo, vt Minoriticum monaſterium iuxta Hiſpaniæ Regis Philippi eius nominis II. mandatum ibidem erigeret, acceſſerat, ex inſperato inuenit, eique vt Propriam repeteret prouinciam, ac ſibi huiuſmodi conuentus ædificationem committeret, ſuggeſſit. Eo itaque huiuſmodi ſuggeſtioni acquieſcente, non ſecus ac ſi ſibi mandatum à Rege datum fuiſſet, curauit præfatus pater frater Petrus Hortitius, vt præſens conuentus in beati patris Antonij Paduani honorem infra Comaiaquenſis eiuſdem ciuitatis moenia tum ex regijs, tum E quoque ex alijs ciuium eleemoſynis erigeretur, perficereturque, qui & à decē fratribus plerunque inhabitatur: qui ex vicinis Indorum oppidis ingentes fructus reportant.

De conuentu S. Hieronymi Agaltecæ. Conu. XII.

NE Agaltecani de nouo ad fidem conuerſi Dæmonum vafriciæ in idolatriam à ſe ſemel abiuratam relaberentur, hunc apud ſe conuentum ex diuerſis eleemoſynis noſtri fratres ædificandum, atque à tribus religioſis, qui eorum ſaluti diligentius inuigilarent, intenderentque, inhabitandum curarunt. Eſt autem Agalteca non vulgare Profunditatū prouinciæ oppidū, cuius accolæ plurimis ſuperſtitionibus operā dabant.



PROVIN-

PROVINCIA
S. FIDEI NOVI REGNI GRANAT.

A NOVVM Granatenſe Regnum Perurani Regni portio eſt, latiusq; patet, ac diuerſis vtitur idiomatibus, ita vt quælibet ferè ciuitas (de Indis earũ habitatoribus loquor, non tamen de Hiſpanis) diuerſimodè ab alia loquatur. Nam ciuitates S. Fidei, Tungia & Velez, quæ inter reliquas totius Regni principatum obtinent, Muſca lingua: ciuitates ſanctiſſimę Trinitatis Muſocolimæ, & Dominæ noſtræ de Palma lingua Muſa; ciuitatis Tocæ, Mariquitæ, Guali & Baguæ Panchica (vulgò Panche) lingua: ciuitates Victoria, & Dominæ noſtrę de Remedijs Patangorica lingua: ciuitas Carthaginenſis (vulgò Carthajena) diuerſa ab iſtis lingua: ciuitates Pampilona & Merita alia lingua: ciuitas
B Spiritus ſancti de Grita atq; oppidum S. Chriſtophori diſtincta ab alijs lingua: ciuitates Carthago, Encerma, Arma, Charamanta & S. Fidei de Antiochia alia lingua: ciuitas Cæſarauguſta alia etiam lingua: ac tandem quotquot Indi iuxta celebrem Magdalenę fluuium inhabitant, diuerſa ab omnibus iſtis lingua loquuntur. Inter iſtos verò omnes Indos, qui Muſi dicuntur, ditiores, bellicoſiores atq; numero multò copioſiores quacunq; alia ex præfatis nationibus ſunt, eorumq; patria, quæ præmemoratas S. Fidei, Tungiam atq; Velez ciuitates complectitur, ad 90. milliaria in latitudine, atq; ad totidem in longitudine protenditur. Omnes Indi iſtius Regni habitatores ſuperſtitioſi ſunt, atq; idolatriæ ſupra modum dediti, quamuis plurima eorum
C centena millia, Satanicis ritibus procul eliminatis, catholicã fidem ſuſceperint, Chriſtianorumque albo aſcripti fuerint: qua etiam de cauſa tum noſtri fratres, tum cæteri quoque religioſi in id maximè incumbunt, ne videlicet ſemel abluti ſacro regenerationis lauacro in antiquiores dæmoniacos ritus relabantur. Aſſueuerant namq; Dæmoni, diuerſis idolorum formis atq; nominibus ſibi attributis, ſacrificare, ac circum huiuſmodi inhoneſtas choreas, ebrietates, aliaq; id genus plurima exercere. Præterea, dum quibuſdam ex cauſis ieiunabant, perforatis primò tum naribus, tum quoq; auriculis, neq; ſal ad cibum, neq; mulierem ad torum durante huiuſmodi ieiunio admittere, neq; per diem domũ egredi illæſo ieiunio poterant, neq; à ſole vi-
D deri debebant: quamobrem, non ſecus ac veſpertiliones, noctu domum egredientes neceſſarijs intendebant negocijs. Cõſanguineis interim, nullus alius à Principe, cuius nepos eius filiam, deficiente maſculina prole, ne primogenitura ad extraneos tranſiret, in vxorẽ ducere tenebatur, ſub vltimi ſupplicij pœna à proximiori vicino ipſo iure inferenda commiſceri quibat. Ducturus inſuper vxorem, cui etiam plures habere permittebatur, dotem iuuenculæ patri pẽdere tenebatur; nec illa ſic ducta ab alio, niſi ſoluto prius expoſito pretio, accipi poterat. Quod ſi ſecus fieri contingiſſet, tum ipſa, tum quoque accipiens tamquam adulterio obnoxij vltimo afficiebantur ſupplicio. Præterea defuncto Principi ſuperſtites viuæ vxores, pretioſa ſupellex, potus ex pa-
E trio tritico confectus, panis, aurũ, arma atq; alia id genus plurima ſuperſtitioſè conſepeliebantur. Et hæc quidem de iſtius noui Regni Granatenſis ſitu, idiomatibus, atque patrijs ritibus. Ne igitur miſera hæc licèt opulens patria potentiſſimi Hiſpaniarum Regis, atque Germanorum Imperatoris Caroli eius nominis V. videtur armis non ita pridem ſubacta, atque à Dæmone ſupra modum faſcinata, miſerè periret; decreuit, idque conſultiſſimè, ſub anno incarnationis Domini 1550. reuerendiſſimus pater frater Andreas Inſulanus totius noſtri Ordinis generalis Miniſter, quatenus religioſus pater frater Franciſcus à Victoria Prouinciæ Sancti Iacobi alumnus cum delecta Franciſcanorum manu ad eam, conſcenſo Hiſpalis nauigio, per criſpantes maris vndas ſe cõferret; inibiq; Cuſtodiã eidem generali Miniſtro

omnino immediatã, nulliq; alteri prouinciali Miniſtro ſubiectam,ſub titulo S. Ioãnis A
Baptiſtæ erigeret: cuius tamen Cuſtodiæ limites nouum Granatenſe Regnum, atq; Popaianicam ab Occidente, Carthaginenſem & S. Marthæ ab Aquilone, Venetiolæ & S.Margaritæ à Meridie prouincias ſibi conterminas circunſcriberent. Pręfato itaq; fratre Franciſco à Victoria eius reuerendiſſimi patris dicto audiẽte,datumq; ſibi mandatum pro votis adimplente, huiuſmodi S. Ioannis Baptiſtę Cuſtodia noſtro Ordini ſub eodem anno 1550. acceſſit. Cumque eius fratres in vinea Domini diligentius fideliterque laborarent, eorumque opera quàmplurimi infideles Chriſti fidem,relicta idolatria,ſuſcepiſſent, & aliquot conuentus nobilioribus in vrbibus (vt infra patebit) erecti eſſent,huiuſmodi Cuſtodia Prouincię dignitate in Comitijs noſtri Ordinis generalibus Valiſoleti ſub anno Domini 1555. celebratis à reuerendiſſimo P. F. Aloyſio Puteo generali Miniſtro, cæteriſq; patribus,quorum id munus erat, honeſtata extitit. B
Quamobrem, præmiſſis ſub patre fratre Franciſco Olea eorum Commiſſario 30. fratribus,in Hiſpania ex reuerendi admodum patris fratris Franciſci Guſmanij Vltramontani generalis Commiſſarij mãdato delectis,ſolicitus pater frater Stephanus Aſſenſius vt primùm S. Fidei ciuitatem appulit, fratres ad Capitulum ibidem coëgit, præfatamq; Cuſtodiam ad Prouincię dignitatem ſub nomine S.Fidei noui Regni Granatenſis promouit,ac tandem prouincialem Miniſtrũ,qui ſibi præeſſet, elegit. Contigit autem id ſub anno Domini 1565. Quia verò præfata hæc Prouincia latius patet, extenditur ſiquidem in longitudine,quæ à Tuquio prouinciæ Venetiolæ oppido vſq; Encermam Popaianicæ prouinciæ ciuitatem accipienda venit,ad 600.milliaria,in latitudine verò, quæ à ciuitate S. Fidei de Bogota vſque Carthaginem nouam (vulgò Cartajena) deducitur, ad 560. nec facilè ab vno & eodẽ prouinciali Miniſtro luſtrari C
poteſt, aliæ duæ prouinciæ, quarum altera Venetiolæ, altera Spiritus ſancti nomine appellabatur,diuerſis temporibus ex ea prodiêre: quæ tamen legitimis de cauſis poſtmodum diſſolutæ ſunt. Conſtat deniq; præfata hæc Prouincia, cuius fratres à prima ſui erectione impræſentiarum vſq; ad 200.Indorum millia,& vltrà,ad fidem conuerterunt, Chriſti fideliumq; albo aſcripsêre,ex 12. fratrum, atq; duobus ſororum Clariſſarum conuentibus: eiuſq; maius ſigillum fidei imaginem, quam & ego ſibi præpoſitam volui, nempe virginem ancoræ innixam, Dæmonemq; humana veſtitum forma pedibus calcantem,ac ſiniſtra calicem cum eleuata hoſtia tenentem, dexteraq; alterum ex ancorę brachijs tangentem, inſuper & ſupra pręfatę virginis caput huiuſmodi verbum FIDES, ſub eius verò pedibus ſequens VINCIT, atqui in orbem quę ſubſequuntur. SIGILLVM. MINISTRI. PROVINCIA- D
LIS. PROVINCIÆ. SANCTÆ. FIDEI. imprimit. Antequam verò ad ſingulos iſtius Prouincię conuentus deſcendam, quo pacto noſtri fratres ad Indos, in his, quæ ad tradendam ſibi Chriſtianam doctrinam pertinent, ſe habeant, paucis perſtringere decreui. Quotquot paruuli ſiue fœminæ, ſiue maſculi (Indi tamen) in oppidis, ſiue pagis alicui noſtrorum fratrum commiſſis degunt, tenentur ſingulis diebus tum ſacrificio Miſſę, tum quoq; veſperis in eccleſia(hanc doctrinalem domum paſſim appellant)intereſſe, inibiq; Chriſtianam doctrinam alta voce & memoriter repetere: diebus verò Dominicalibus, & feſtiuis idipſum quotquot in pręfatis pagis, ſiue oppidis commorantur, ſiue ij catholici ſint, ſiue gentiles,facere tenentur: ſed infideles ſtatim, vt pręfatium intonatur, abſcedere debent, nec ante finitum ſacrum reuertuntur. Tunc ſacerdos omnes ex cathalogo vocat, illiſq; aliquid de ſacro Euã- E
gelio, de Chriſtiana doctrina, deq; ſacramentis proponit, ac omnes ſimul ſub finem pręfatam Chriſtianam doctrinam repetere cogit. Quòd ſi aliquis,quiſquis ille fuerit, inde abeſſe,abſq; legitimo tamẽ impedimento,contigerit,tum ipſe tũ quoq; eius Princeps à fratre flagellatur, atq; certã ſummã in eccleſię commodum conuertendã pendit. Sicq; fit,vt ſumma diligentia, ſummoq; ſtudio vnuſquiſq; eccleſiam ſtatis temporibus frequentare,atque doctrinam Chriſtianam mente retinere ſatagat. Nec facile eſt receſere quos labores, quaſuè difficultates noſtri fratres hoc in negotio ſubeãt. Quod tamen illis non fruſtra ſuccedit: nam vix vnum fratrem iſtis in partibus inuenies,qui non ad quatuor & quinque millia Indorum ad minus baptizauerit.

De conuentu

A *De conu. Purificationis B. Virg. ciuitatis S. Fidei de Bogota.* *Conu. I.*

CIVITAS S. Fidei de Bogota noui totius Regni Granatenſis metropolis, atque Archiepiſcopalis ſedes, regio honeſtatur Concilio, tribusq; Epiſcopatibus, Popaianico ſcilicet, Carthaginenſi, atque S. Marthæ ius dicit, inſuper & pinguiſſimo, auriferoq; gaudet ſolo: quo etiam fit, vt Minoriticus conuentus (de quo impræſentiarũ) in ea erectus principatum reliquos inter omnes obtineat. Fuit prętatus hic conuentus ex diuerſis tum regijs, tum quoque ciuiũ eleemoſynis, ſub anno Dominicæ incarnationis 1550. in honorem Purificationis B. virginis Mariæ conſtructus, poſtmodumq; anno Domini 1566. à reuerendiſſimo P. F. Ioanne Barrios, primo iſtius ciuitatis Archiepiſcopo, ac profeſſione Frãciſcano benedictus, & à 26 fratribus, quibus doctrinales domus, quarum nomina ſtatim patebunt, commiſſæ ſunt, inhabitatur.

B

Domus oppidi Boӡæ,	*Domus Nemoconis,*
Domus oppidorum Subæ, & Tunæ,	*Domus oppidi Paſcæ,*
Domus oppidi Chiæ,	*Domus oppidi Sopo,*
Domus oppidorum Cogoæ, & Nemeſæ,	*Domus oppidi Vſaquelis,*
Domus oppidorum Fuſagaſugæ, & Sipaconis,	*Domus oppidi Sipaquiræ.*

Quotquot præcedunt doctrinales domus, à Chriſtiana doctrina, quæ Indis in ipſis traditur, ſic paſſim dictæ, in Indorũ oppidis ædificatæ ſunt, parochialiumq; eccleſiarũ vices gerunt: nã, qui in eis commorantur, Minoritæ parochorũ munere ex apoſtolica authoritate præfatos apud Indos funguntur, eorumq; curam, non ſecus ac vigilãtiſſimi paſtores, ſolicitè gerunt. Cæterũ præfato hoc ex conuentu grauiſſimi plures viri
C doctrina, atq; religione ſpectabiles prodière: qui innumeros penè Indos idolatrię deditos Chriſti iugo colla ſubmittere ſacris ſuis concionibus, vitæq; exemplo coëgerũt. Quorum tamen nomina, ne interim prolixior ſim, prætermiſſa volui.

De conuentu S. Mariæ Magdalenæ Tungiæ. *Conu. II.*

VT PRIMVM præfato anno Dñi 1550. fratres Minoritæ nouo huic Granatẽſi Regno applicuêre, hunc ſibi conuentum in S. Mariæ Magdalenæ honorẽ Tungiæ, quæ nobilis Perurana ciuitas eſt ab Hiſpanis non ita pridem ædificata, ex diuerſis fidelium eleemoſynis conſtruendum curarunt. Cuius equidem conuẽtus tanta eſt capacitas, vt 28. fratres ſat commodè capiat, multoq; plures (ſi adeſſent) capere poſſit. Subſunt præfato huic monaſterio decem doctrinales domus in diuerſis Indorũ op-
D pidis, quorum tamen nomina me fugiunt, erectæ. Harum princeps eſt Sogomoſana, à Sogomoſo Indorum oppido, vbi ſubſiſtit, & vbi ſanctus ille vir (de quo in Prouinciæ iſtius proœmio) mortem obijt, ſepultusq; fuit, ſic dicta. Pręfati iſtius oppidi Sogomoſæ populus ad Muſcas Indos olim bellicoſiſſimos, efferatos, atque Aſtronomiæ deditos attinet, fideliumque albo noſtrorum fratrum opera aſcriptus eſt.

De conuentu S. Ludouici ciuitatis Velez. *Conu. III.*

VELEZ Perurana ciuitas eſt, ab Hiſpanis non ita pridem conſtructa, & ab ijſdem inhabitata, nec opulens, nec adeò populoſa eſt: qua etiã de cauſa præſens conuentus intra eius ambitum ex diuerſis fidelium facultatibus, circa annum Dominicæ incarnationis 1552. extructus, ab octo tantùm fratribus, qui tum eius, tum
E quoq; commiſſarum ſibi doctrinalium ædium curam gerunt, incolitur.

De conu. Dominæ noſtræ de Laureto nouæ Carthaginis. *Conu. IIII.*

NOVA Carthago (vulgò Cartajena) maritima ciuitas, & ab Hiſpanis ſtatim poſt patriæ iſtius expugnationem in eius vrbis, quę ab Aſdrubale Carthaginenſium Imperatore in Hiſpania condita extitit, eodemq; nomine appellatur, memoriam ædificata; tantò populoſior, tantoq; opulentior exiſtit, quantò nobiliori, atq; ſecuriori portu Peruranis prę cæteris ciuitatibus gaudet. Confluentibus ſiquidem eò tum ex Hiſpania, tum ex reliquo Perurano Regno, tum quoq; ex Occiduis omnibus Indijs nauibus diuerſi generis mercibus onuſtis, Perurani totius Regni emporium facilè dici

poteſt, omnibusq; abundat, ac nihil penitus eorum, quæ ad vitæ ſuſtentationem requiruntur, deſiderat. Ne igitur huius ciuitatis habitatores, qui ferè omnes mercimonio intendunt, diuitijs immerſi auaritiæ ſtuderent, ſuiq; Creatoris aliquando obliuiſcerentur; hunc noſtri fratres apud eos conuentum, in ſanctiſſimæ Dominæ noſtrę de Laureto honorem, ex diuerſis eorũdem eleemoſynis ſub anno à partu Virgineo 1555. erigi, perficiq; curarunt. Qui ſanè conuentus, à 25. fratribus frequentius incultus, & aliquantulum à præfata ciuitate amœniſſimo in loco conſtitutus, tum ciuibus, tum quoq; aliunde aduentantibus ob frequentia miracula, quæ ad glorioſiſſimæ eiuſdem Virginis imaginem ibidem erectam contingunt, commendatiſſimus exiſtit. Subiacēt demum præfato huic conuentui doctrinales quinque domus in diuerſis Malibuenſium Indorum oppidis conſtructæ, in quibus fratres Chriſtianam doctrinam docent. A

De conuentu S. Sebaſtiani ciuitatis SS. Trinitatis de Muſo. Conu. V. B

NON longè à Perurana ea ciuitate, quæ ſancta Trinitas de Muſo nuncupatur, pręſens conuentus, diuo Sebaſtiano martyri ſacratus, tum ex publicis tum quoq; ex priuatis ciuium eleemoſynis, ſub anno à partu Virgineo 1566. ſolicito patre fratre Stephano Aſſenſio id maximè procurante, ædificatus fuit: inhabitaturq; interim ab 8. fratribus diligenter curantibus ea, quæ perfectos religioſos decent, quibus etiam duarum doctrinalium domorum Muſos apud Indos erectarum cura commiſſa eſt.

De conu. S. Franciſci ciuitatis Dominæ noſtræ de Palma. Conu. VI.

PROLATVRVS primus huius Prouinciæ Miniſter eius terminos, præſentem conuētum, ſeraphico patri Franciſco ſacrũ, intra Peruranæ eius ciuitatis, ab Hiſpanis olim ſub Dominæ noſtræ de Palma inuocatione conſtructæ, ambitum ex collatis ſibi à fidelibus eleemoſynis, ſub anno Domini 1567. erigendum, perficiendumq; curauit. Inhabitatur præfatus hic conuentus ab octo fratribus, quibus doctrinalium duarum domuum Colimæ apud Indos erectarum cura, atq; ſolicitudo incumbit. C

De conuentu Conceptionis B. Virginis Encermæ. Conu. VII.

ENCERMA Perurana ciuitas, quę & ſub S. Annæ de Equitibus nomine ab ſtrenuo Duce Georgio Robledo ædificata extitit, amœniſſima eſt, eleuatique cuiuſdam collis omni ex parte nemoroſi, atq; fructiferi iugulum obtinet. Cuius olim in gyro populi idolatriæ dediti reſponſa à Dæmonibus per ſacrificulos quoſdam requirebant, referebantq;, atq; humanis carnibus, affixis interim occiſorum capitibus quibuſdam arundinibus è regione hoſtium erectis, auidius veſcebantur. Hi tamē abuſus, noſtris fratribus in id maximè incumbentibus, per Dei gratiam extra eorum fines eliminati ſunt. Ne igitur præfatis fratribus longius agentibus, huiuſmodi populi ad malum ſupra modum procliues derelictas à ſe abhominationes, inſtigante humani generis inimico, qui eorum ſaluti diligentius inſidiatur, repeterent, curarunt huius Prouinciæ proceres, idq; ſub anno Dominicæ incarnationis 1572. vt præſens conuentus, Conceptioni glorioſiſſimæ virginis Mariæ ſacratus, ex liberaliſſimis ciuiũ facultatibus intra præmemoratę ciuitatis męnia ædificaretur, & ab octo fratribus, qui tum eius, tum quoq; duarum doctrinalium domuum apud Indos longius erectarum curam gererent, pręfatosq; Indos bonis moribus imbuerent, in poſterũ incoleretur. D

De conuentu S. Franciſci Carthaginis. Conu. VIII. E

CARTHAGO Perurana quoq;, atq; Popaianicæ prouinciæ ciuitas, ab iſtius patriæ expugnatoribus, qui pro maiori parte ex noua Carthagine oriundi erāt, ſic dicta, pręmoratum Georgium Robledo militiæ Ducem ſui authorem ſub anno reſtitutæ ſalutis 1540. habuit: ſitaq; eſt inter duos fluuios ſupra eleuatum quendam, ſed planum colliculum, qua etiam de cauſa difficilis ad eam patet acceſſus, pręſertim verò hyberno tempore, ęſtuantibus ſupra modũ fluuijs, copioſioribusq; imbribus è cęlo cadentibus. Adiacens tamen regio fœcunda eſt, fructiferisq; arboribus, atq; diuerſi generis animantibus abundat. In ea ſiquidem plures cerui, cuniculi, leones, quodd-

damq;

A damq; animal vulpi ſimile, (hoc chiucha Indicè appellant) quod aperto ad burſæ inſtar ventre circum ſe vagantes fœtus, atq; ad quemcunq; ſtrepitum pauētes ſecretioribus excipit latibulis, leuiſſimoq; curſu notum ſibi luſtrum petit, inueniuntur. Huius itaq; munitæ ciuitatis habitatores habituri apud ſe fratres, qui ſibi ſacramenta miniſtrarēt, ſalutisq; ſemitam felicius oſtenderent, hunc illis conuentum, in ſeraphici patris Franciſci honorem, ex publicis facultatibus, ſub anno Dñicæ incarnationis 1578. communem intra ambitum ædificandum curarunt. Quia verò nondum huiuſmodi conuentus omni ex parte perfectus eſt, à ſex tantùm fratribus occupatur.

De conuentu S. Antonij Mopoxij. Conu. IX.

SPEI de ſe à patribus conceptæ reſponſurus religioſus P. F. Petrus ab Azuaga, ſextus iſtius Prouinciæ Miniſter ſtatim vt ad Miniſteriatum ab eis aſſumptus fuit,
B hoc monaſterium beato patri Antonio de Padua Mopoxij, quæ Carthaginenſis Peruranę diœceſis ciuitas eſt, ex pijs ciuiū eleemoſynis, ſub anno à partu Virgineo 1582. erigi, atq; octo fratribus, qui tum ſibi, tum quoq; tribus eccleſijs in oppidis Malibuēſium Indorū conſtructis inuigilarēt, eosq; doctrinā Chriſtianā docerēt, tradi curauit.

De conueutu S. Franciſci ciuitatis Spiritus ſancti. Conu. X.

ERECTVRI quidam fratres, à R. admodùm P. F. Franciſco Guſmanio generali Indorum Commiſſario ea de cauſa miſſi, nouam iſtis in partibus Prouinciā, Spiritui ſancto dicatam, hunc conuentum ad ſeraphici patris Frāciſci honorem in Spiritus ſancti ciuitate, quę ad Griticam (vulgò de la Grita) prouinciam attinet, ex diuerſis fidelium eleemoſynis, ſub anno reſtitutę ſalutis 1579. à fundamentis conſtruendū
C curarunt. Sed eneruatis poſtmodum eorum conatibus (ideſt huiuſmodi Prouincia legitimis de cauſis, vt præfati ſumus diſſoluta) pręmemoratus hic conuentus, à ſex tantùm fratribus ob patrię ſterilitatem inhabitatus, cui & doctrinales duę domus apud Indos longius ab vrbe erectę, annexę ſunt, in huius Prouinciæ ius tranſijt.

De conuentu S. Franciſci Occaniæ. Conu. XI.

INTRA eius ciuitatis, quæ Occania nuncupatur, ſubeſtq; S. Marthę Epiſcopo, ambitum hic conuentus, ſeraphico patri Frāciſco ſacratus, ex diuerſis ciuium eleemoſynis à P. F. Franciſco Gauiria, ſeptimo iſtius Prouincię Miniſtro, ſub anno reſtitutę ſalutis 1584. extructus, cęterisq; locis adiunctus extitit. Pręfatus hic conuen-
D tus nullam ſub ſe doctrinalem domum habet, ideoq; à ſex tantùm fratribus incolitur.

De conuentu S. Franciſci Mariquitæ. Conu. XII.

EVNDEM prorſus ſui authorem, quem & proximè pręcedens conuentus, nēpe P. F. Franciſcum Gauiria habuit pręſens conuentus, eidem ſeraphico P. Franciſco dicatus, atq; Mariquitę, quę non aſpernanda ciuitas eſt, erectus, eodemq; tēpore, quo & ille, liberalibus ciuium ſumptibus ędificatus extitit. Inhabitatur verò ab octo fratribus, quorum terni Panchicos (vulgò Panches) Indos in fide inſtructuri, Chriſtianamq; doctrinā edocturi, totidē eccleſias apud eos erectas ſtatis diebus petūt, inibiq; ea omnia, quæ ad parochos ex munere ſpectant, authoritate Sedis apoſtolicæ exercent.

E *De monaſterio S. Claræ ciuitatis S. Fidei. Mon. I.*

QVOD immatura morte præuentus pius, opulensq; mercator Chriſtophorus Rodriguez Cano, ex ciuitate Placētia apud Hiſpanos oriundus, pręſtare nequiuit, id honeſtus vir Ludouicus Lopetius Hortiz etiam mercator exequi nititur. Decreuerat ſiquidem ille Clariſſarum quoddam monaſteriū intra ciuitatis S. Fidei ſepta ex domeſticis facultatibus, ſub anno Dñi 1585. à fundamentis ad apicē vſq; conſtruere, iamq; eius fundamēta altius iecerat, futurumq; ædificiū maiori ex parte promouerat: & ecce, dum operi ſolicitius intendit, ab inuida morte cœptis deſiſtere cogitur. Ne igitur tantum opus optato fine careret, iſte Ludouicus videlicet Lopetius quicquid ad tanti ædificij abſolutionem deſiderabatur, id ex proprijs bonis ſuppletum voluit.


PROVINCIA
TRINITATIS.
Beata sit Scta et indiuidua Trinitas

PROVINCIA
SS. TRINITATIS DE CHILE.

A CHILE Indica regio, auriq; feraciſſima Regni titulo honeſtatur, di-
ſtatq; Lima Perurani totius Regni metropoli 1500. milliarijs: quæ ta-
men potentiſſimi Hiſpaniæ Regis Philippi eius nominis II. armis nec
dum omnino edomita eſt, Indis interim eius accolis Hiſpanis militibus
viriliter reſiſtentibus. Affulget nihilominus maxima ipſius expugnan-
dæ ſpes. Ad hanc igitur Chilicam regionem cùm intrepidus ille miles Didacus ab Al-
magro Cuzcanæ ciuitatis Præfectus, poſt initum cũ Franciſco Pizarro Perurani Re-
gni pro Carolo V. Gubernatore fœdus, poſtque acceptas ab eodem Carolo literas
cum 530. manipularibus Hiſpanis, ſub anno à partu Virgineo 1535. ſuperatis interim
B altiſſimis, niuoſisq; aliquot montibus, eam armis edomiturus primus omnium traie-
ciſſet, cumq; Chilanis viriliter ac feliciter pugnaſſet: & poſt ipſum Petrus Valdiuia
militiæ Dux, eorundẽ Chilanorum quàmplurimis bello deuictis, atq; occiſis, aliquot
oppida & ciuitates ædificaſſet, Hiſpanisq; habitatoribus, quòd indigenæ robuſti, bel-
licoſi atq; ſupra modum indomiti ſint, communiuiſſet, nec paucas eccleſias conſtruẽ-
das curaſſet: cumq; tandem poſtmodùm, ſub anno Dominicæ incarnationis 1553. re-
ligioſi quinque Minoritę, frater ſcilicet Martinus à Robleda, frater Ioannes à Torral-
ua, frater Chriſtophorus Rauanera, frater Ioannes à Turri, ac frater Frãciſcus à Fra-
xineto, vulgò de Frexenal, ex præfata ciuitate Lima cum ſalutaris obedientiæ merito
C hanc in eandem regionem ſe contuliſſent, atque Minoriticum conuentum apud S. Ia-
cobi ciuitatem Chilici iſtius Regni principem, ædificandum curaſſent: in cauſa exti-
têre, vt noua hoc in Regno Cuſtodia erigeretur, Prouinciæq; duodecim Apoſtolorum
de Lima annecteretur. Cùm autem præfato conuentui aliquot alij acceſſiſſent, fra-
trumq; numerus non ita vulgariter auctus eſſet, huiuſmodi Cuſtodia, anno reſtitutæ
ſalutis 1572. in Prouinciam ſub titulo ſanctiſſimæ Trinitatis de Chile euecta, ſibiq;
inſignis pater frater Ioannes Vega in primum prouincialem Miniſtrum præfectus ex-
titit. Quia verò Chilica regio nondum (vt præfati ſumus) omnino edomita eſt, nec à
fratribus noſtris abſque præſentiſſimo vitę diſcrimine luſtrari poteſt, nullus vel certè
D difficillimus ad infideles Indos eius habitatores patet acceſſus, nullæq; doctrinales
domus à duodecim conuentibus (vt infrà patebit) præter aliarum Prouinciarum mo-
rem hac in Prouincia erectæ ſunt. Conſtat itaq; vniuerſa hæc ſanctiſſimæ Trinitatis
Prouincia ex duodecim fratrum, & vnico Tertiariarum ſororum conuentibus, ſigil-
lumq; ſanctiſſimę Trinitatis, duorumq; Angelorum iconibus, atq; ſequẽtibus literis:
SIGILLVM MINISTRI PROVINCIALIS PROVINCIÆ SS. TRI-
NITATIS DE CHILE. inſignitũ habet. Cui & ego, ne interim ab eius nomine,
aut ſigillo diſſentire videar, SS. eandẽ Trinitatẽ artificioſè depictã præferendã curaui.

De conuentu B. Mariæ de Succurſu ciuitatis S. Iacobi. *Conu. I.*

E STATIM vt præfati quinq; religioſi, frater ſcilicet Martinus a Robleda, eiusq;
ſocij ſancti Iacobi ciuitatem Chilici Regni metropolim, ſub anno Domini 1553.
ingreſſi ſunt, obtentum ab eius ſenatu fundum in Minoriticum conuentum, beatæ
virgini, ac martyri Luciæ ſacrum, ex diuerſis ciuium eleemoſynis euehẽdum curarũt.
Cumq; poſt ſextum menſem elapſum deuotiſſima quædam ædicula, titulo Dominæ
noſtrę de Succurſu, à pulcherima glorioſę Virginis imagine, quã Hiſpani iſtius regio-
nis expugnatores ſecum ex ciuitate Lima attulerant, ibidemq; collocandã curarant,
honeſtata, atque eiuſdem ciuitatis mœnibus circunſcripta, quę & prima iſtius regio-
nis eccleſia exiſtit, illis à prędato ſenatu inſtantius offerretur, ne tantę humanitati in-
terim

terim ingrati viderentur, priori conuentu Mercenarijs patribus relicto, ad nouam A
ſibi collatam eccleſiam, quam & in iuſtum, eumq; pulcherrimum conuētum euexêre,
ſe ſtatim contulerunt. Inhabitatur plerunq; præfatus hic conuentus à viginti fratribus, atque capite vnius ex vndecim millibus virginum religioſius exornatur.

De conu. Conceptionis B. Virg. apud ciuitatem Conceptionis. Conu. II.

EODEM prorſus Conceptionis glorioſæ Virginis nomine appellantur hic conuentus, & ciuitas, in qua fundatus eſt. Cuius rei cauſa exiſtit ſingularis deuotio, qua ciues in immaculatam eiuſdem Virginis Conceptionem feruntur. Fuit autem præfatus hic conuentus ſub anno Dñi 1553. ex diuerſis ciuium eleemoſynis primò ædificatus, ſed ipſa ciuitate ab eius habitatoribus ob Indorum timorem derelicta, & ipſe quoq; à fratribus: poſtmodùm ciuitate, ſub anno Domini 1557. per nouum quendam Gubernatorem Garſiam à Mendoza occupata, atq; firmiori munitione ſtabilita, B
& ipſe quoq; conuentus iteratò à fratribus occupatus fuit. Tandem præmemorato conuentu ſimul cum ciuitate ex maximo terremotu, anno Domini 1572. funditus euerſo, alius (de quo impręſentiarum) multò elegantior, multoq; commodior ſub eadem inuocatione ſimul cum ipſa vrbe, intra eius tamen mœnia, conſtructus eſt: qui & à ſex fratribus, Deo opt. max. fideliter famulantibus, commodè ſatis inhabitatur.

De conuentu Dominæ noſtræ de Remedijs Valdiuiæ. Conu. III.

MVTAVIT quoq; & præſens conuentus, ſanctiſſimę virgini Mariæ de Remedijs ſacratus, atq; intra eius ciuitatis, quæ Valdiuia Hiſpanicè nūcupatur, męnia erectus, quēadmodum & proximè præcedens, ſedem. Cùm enim anguſtiori quodam in loco, fratribusq; minus fauorabili ex publicis ciuium facultatibus, ſub anno C
Domini 1560. conſtructus fuiſſet, atq; anno 1575. vniuerſa vrbe ex alio terremotu ad terram lapſus eſſet, ex eiſdem quoq; facultatibus alio in loco, multò tamen commodiori quanto citius reędificatus fuit: vnde & à 4. religioſis ſat cōmodè inhabitatur.

De conuentu S. Franciſci Serenæ. Conu. IIII.

REDDITVRI Serenenſes debitas gratiarū actiones, ob quadrageſimales conciones apud ſe, anno Dñi 1562. habitas, religioſo cuidam P. F. Franciſco à Turingia, hunc ſibi, ſuisq; fratribus conuētum in B. P. Franciſci honorem intra Serenæ, ſiue Quoquimbi communis ciuitatis mœnia, atq; ex communibus facultatibus eodē prorſus anno 1562. ædificandum curarunt. Commorantur hoc in conuentu 4. fratres. D

De conuentu SS. Coſmæ & Damiani Oſornij. Conu. V.

OSORNIENSES ne interim ab alijs Chriſtifidelibus iſtis in partibus agentibus præuenti ſuo deſiderio fruſtrarentur, vt primùm vnum, aut alterum fratrem Minoritam à P. F. Ioanne à Torralua huius Cuſtodiæ tunc Cuſtode, anno Dñi 1565. impetrarunt, hunc illis conuentum, beatis martyribus Coſmæ & Damiano ſacrū, atq; continendis 4. fratribus commodum, ex publicis prouentibus ædificatum voluêre.

De conuentu S. Mariæ de Angelis Angolis. Conu. VI.

ANGOLIS ciuitas, quæ & alio nomine de Infantibus nuncupatur, ne ſe minori voluntatis inclinatione in Franciſcanam familiam à præcedentibus 5. Chilicis ciuitatibus propenſa aliquando haberetur, ſtatim vt ſibi anno Dñi 1567. per pręfatum patrem Ioannem à Torralua, huius tunc Cuſtodię Cuſtodem licuit, hunc conuētum, S. Mariæ de Angelis dicatum, quem & quatuor fratres incolunt, intra ſui ambitum ex publicis facultatibus à fundamentis ad verticem vſque ædificari curauit. E

De conuentu S. Franciſci de Ieſu ciuitatis Imperatoriæ. Conu. VII.

IMPERATORIÆ ciuitatis accolæ homines ſeſe eſſe natos intelligentes, vt per bona opera in vita præſenti patrata Regnum tandem cęlorum aſſequerentur, præſentem conuentum ad Dei honorem, atque in B. P. Franciſci memoriam, ſub anno Domini

A Domini 1560. tum ex publicis, tum quoque ex priuatis facultatibus extruendum curarunt. Quorum veſtigijs inhærens pia proles quatuor religioſos fratres iſtius præfati conuentus accolas ſumma beneuolentia, ſummiſq; beneficijs proſequitur.

De conuentu S. Franciſci Caſtri ſiue Chiloæ. Conu. VIII.

PRAESENS conuentus proximè præcedenti omnino contemporaneus, atque intra oppidi Caſtri ſiue Chiloæ ambitum erectus, inſuper & à tribus religioſis vt plurimùm inhabitatus, varias rerum viciſſitudines expertus eſt. Præterea ab iiſdem anno Dominicę incarnationis 1574. reaſſumptus, & Guardiano ac alijs tribus religioſis honeſtatus, anno Domini 1584. eo conditionis deuenit, vt qui ſibi præſit, Præſidentis titulo, ſuppreſſo Guardianatus honore, atque nomine nominandus veniat.

B *De conuentu S. Mariæ ad Niues Ciuitatis diuitis. Conu. IX.*

COMPVLSVRI eius ciuitatis, quę Ciudad richa vulgò nuncupatur, inquilini huius Prouinciæ patres ad communem ſecum habitationem, hoc illis, licèt inuitis, monaſterium ſub anno Dñi 1568. ex publicis facultatibus conſtrui, perficiq; fecerunt. Quapropter religioſus pater frater Ioannes Vega, primus huius Prouinciæ Miniſter, poſt elapſum triennium, nempe anno Domini 1571. miſſis tribus fratribus, qui diuino ibidem intenderent obſequio, ipſum cęterorum conuentuum albo aſcripſit.

De conuentu S. Franciſci de Monte. Conu. X.

NE eius oppidi, quod Talagante Indicè nuncupatur, nec ita multùm à S. Iacobi
C ciuitate diſtat, incolæ Indi ſacerdotibus, qui ſe in catholica fide felicius inſtruerent, priuarentur, hunc conuentum, ſeraphico patri Frãciſco de Monte ſacrum, iſtius Prouinciæ patres apud illos, ſub anno Dominicæ incarnationis 1579. ex diuerſis eleemoſynis ædificandum, atque à tribus fratribus inhabitandum curarunt. Cumq; præfatus conuentus eius patri Guardiano, qui conuentui Dominæ noſtræ de Succurſu (de quo ſuprà) pro tẽpore præeſſet, curæ commiſſus fuiſſet, anno Dñi milleſimo quingenteſimo octuageſimo quarto proprio Guardiano à Prouinciæ proceribus donatus eſt.

De Minoritico conuentu Chillanis. Conu. XI.

CHILLANIS (vulgò Chillan) noua ciuitas eſt, cùm circa annum Dominicę incarnationis 1581. primò ædificata extiterit. Cuius ciues, vt omnia ſibi fauſta,
D feliciaq; ſuccederent, ſimul cum ſæcularibus domicilijs pręſentem conuentum ex publicis facultatibus erigi, abſoluiq; curarunt. Qui tamen conuentus ob fratrum penuriam ab vno, vel altero tantùm religioſiſſimo fratre impręſentiarum incolitur.

De Minoritico conuentu prope Valdiuiam. Conu. XII.

PER id quoque tempus, nempe ſub anno Dominicę incarnationis 1581. extructus fuit ex diuerſis fidelium eleemoſynis & pręſens Minoriticus conuentus, longiuſculus aliquantulùm à ciuitate Valdiuia pulcherrima quadam in planitie, quę Hiſpanicè los llanos de Valdiuia nuncupatur: ſed quia hæc Prouincia fratribus vtcunq; deſtituitur, à duobus tantùm fratribus hac noſtra tempeſtate præfatus hic conuentus inhabitatur, inhabitandus tandem aliquando à quatuor, vel fortè pluribus.

E *De monaſterio Tertiariarum Oſornij.*

CVPIENTIBVS quibuſdam honeſtis fœminis in perfectiorem vitam tranſire, atque in tertium ſeraphici patris Franciſci Ordinem (hunc Pœnitentum vocant) Oſornij (de qua ciuitate ſuprà) verba facere, adfuit egregius pater frater Ioannes Vega primus iſtius Prouinciæ Miniſter, idq; anno Dominicæ incarnationis 1571. qui & eis huiuſmodi Religionis habitum contulit, viamq;, quam ſequerentur, præſcripſit. Cuius denique auſpicijs præfatę ſorores tantopere & in virtute, & in numero profecerunt, vt earum domus optimè apud Oſornienſes audiat, & duodenarium numerum impręſentiarum attingant.


PROVINCIA S GREGORII
PHILIPPINARVM
IN NOVA
HISPANIA

PROVINCIA
S. GREGORII IN NOVA HISP.

A INFIRMA *huius mundi* (inquit Apoſtolus Paulus) *elegit Deus, vt fortia*
quæq; confundat. Quàm autē hoc ſit verū, vel ſaltem ex huius S. Gregorij
Prouinciæ tum fundatione, tum quoque progreſſibus liquidò conſtat:
Fuit ſiquidem Hiſpanus quidam ſæcularis in Regno Peruano (vulgò
del Peru) diues ſatis, atq; Deo, & ſeraphico patri Franciſco deuotus, ſed
illiteratus, & omnino idiota: qui, vniuerſa re familiari, atq; ſubſtantia pauperibus
euangelicum iuxta conſilium diſtributis, Minoriticum fratrum laicorum habitum
Limę in conuētu Conceptionis Deiparę Virginis Prouinciæ 12. Apoſtolorum induit.
Vbi in inſtructorem, atq; morum magiſtrum religioſum quendam fratrem laicum
eiuſdem conuentus hortulanum nactus, tantopere in humilitate, oratione, pauper-
tate, abſtinentia, charitate atq; cæteris virtutibus profecit, vt in inſignem virum,
B atq; eximium religioſum euaſerit. Hic igitur tantus vir, cùm ex plurium relatu inſu-
las quaſdam longius inde diſtantes, & ab infidelibus inhabitatas, quæ Salomonis di-
cebantur, ab Hiſpaniæ Regis Philippi II. militibus nouiſſimè inuentas accepiſſet, fla-
granti quodam ſaluādarum animarum zelo ductus, cum cariſſimo ſibi magiſtro, quo
pacto, quouè modo miſeris illis infidelibus adiumento eſſe poſſet, ſerius agere cœpit.
Cumq; poſt elapſos aliquot dies eadem in ſententia perſiſtens, ſe cuiuis labori, ac qui-
buſuis difficultatibus, imò & ipſimet morti, dummodo votum aſſequeretur, conſtanti
animo deuouiſſet: nulla interpoſita mora, huiuſmodi propoſitum executioni man-
daturus, facultatem, qua in Hiſpaniam traijcere poſſet, à ſuperioribus petijt. Quam
C tamen, poſtquàm ſecundò & tertiò, quòd ad tantam prouinciam ineptus exiſtimare-
tur, paſſus eſſet repulſam, Deo auſpice impetrauit. Ea igitur fretus, dum ſæcundiori
bus ventis, veloci interim carina criſpantes Oceani maris vndas findente, Hiſpaniam
petit, in Gallum piratam incidit: à quo poſt plura verbera importunè ſibi illata in ma-
re ſubmergendus proijcitur. Cumq;, diuina ſe protegente virtute, poſt vnam, vel al-
teram horam iuxta ipſam nauim ab eodem pirata illæſus omnino, atq; ſuperſtes vi-
ſus eſſet, indè eductus, atq; ſic madidus, in arca incluſus eſt. Quibus deniq; varijs ca-
ſibus, atq; rerum diſcriminibus conſtantiſſimè ſuperatis, Hiſpalim Bæticæ ciuitatem
incolumis appulit, indeq; ſoluens Madritum ſe contulit, vbi per aliquot menſes inter
D Prouinciæ S. Ioſephi patres in conuentu S. Bernardini, qui mille paſſibus ab eo oppi-
do diſtat, omnino religioſè, omninoq; ſanctè conuerſatus eſt. Interim tamen omnem
mouit lapidem, vt ex R. admodum patris fratris Franciſci Guſmanij generalis India-
rum Commiſſarij facultate Romam, à Gregorio XIII. Pont. max. ſui animi votum
impetraturus, accedere poſſet: ſed fruſtra, præfato P. Commiſſario ſibi ob eius impe-
ritiam (laicus enim ipſe frater minus omnino idoneus ad tantam Prouinciam repu-
tabatur) contradicente, imò & præcipiente, vt in ſancti Michaëlis Prouinciam ſe ſtatim
conferret: Cui tamē interim Deus optimus maximus minimè defuit: nam vt primùm
frater ipſe Antonius à ſancto Gregorio (hoc ſiquidem nomine is frater appellabatur)
E iniunctæ ſibi obedientiæ facturus ſatis, præfatam ſancti Michaëlis Prouinciam petijt,
vterina præmemorati P. Commiſſarij ſoror, eius religione, atq; compoſitis moribus
maximè delectata, quod ille per ſe aſſequi non potuit, id illa ſibi obtinuit. Nactus itaq;
pro votis huiuſmodi facultatem, Romam, iam pedes, iam verò triremi vectus conuo-
lauit. Cumq; eò appulſus ſummo Pont. Gregorio XIII. quid in animo haberet, quāhu-
millimè, atq; ſupplex aperuiſſet, ab eius Beatitudine humaniſſimè receptus, atque ad
R. P. F. Chriſtophorū à Capite fontiū totius noſtri Ordinis generalem Miniſtrum, vt ſe
conſolaretur, deſtinatus eſt. Præfatus ergò R. P. ſuę Sanctitati morē geſturus, patētes
ei li-

ei literas, quibus & fratrum in præfata S. Ioſephi Prouincia delectum habere, & cum A
eo ad huiuſmodi inuentas de nouo inſulas traijcere, ac demum Cuſtodiam ibidem S.
Gregorij nomine iuxta eiuſdem ſummi Pontificis mandatum nuncupandam erigere
poſſet, lubens dedit. Voluit præterea R. idem P. vt F. Narciſſus Ioanni Cathalanus,
& per eius mortem quidam Prouinciæ ſancti Ioannis Baptiſtæ diſcalciatorum Prædi-
cator cognomine Centeno huiuſmodi religioſis, à fratre Antonio ad Indos deducen-
dis in Commiſſarium præficeretur. His literis munitus præfatus frater Antonius à S.
Gregorio Madritum peruenit, præfatorumq́; fratrum, iuxta factam ſibi facultatem,
delectum ex tempore habuit, ac tandem Hiſpalim, vbi iuxta alias literas à præfato
P. generale Indiarum Commiſſario F. Franciſco Guſmanio ea de re datas, alter dele-
ctorum fratrum nomine Petrus ab Alpharo à cæteris, qui numero erant 25. ſub P. Mi-
noritici Hiſpalenſis conuentus Guardiano eius electionis Præſide in futuræ S. Grego-
rij Cuſtodiæ Cuſtodem canonicè, idq́; inuitè ſatis, ob eius humilitatem, electus eſt, cũ B
eo, ſub anno à partu Virgineo 1577. ſe contulit. Quia verò eius fuiſſe mentis præfa-
tum fratrem Antonium à S. Gregorio, vt huiuſmodi Cuſtodiam in Salomonis inſula,
ſiue inſulis erigeret, ſuperius diximus; &, vt ex præſentis deſcriptionis contextu ap-
paret, ea Philippinis in inſulis erecta eſt; aliquis vel nos hallucinatos exiſtmabit, vel
eum de inconſtãtia facilè arguet. Quamobrem pium lectorem pręmonitum volumus,
decreuiſſe quidem fratrẽ Antonium, quòd huiuſmodi Salomonis inſulæ nouiter in-
uentę ferrentur, ad eas penetrare: ſed, quòd id in dubium poſtea reuocatum eſſet,
conſultiſſimè mutaſſe ſententiam. Nactus tandem (vt vnde deflexit ſermo, eò redeat)
frater Antonius nauim, eaq́; cum cæteris fratribus conſcenſa nouæ Hiſpaniæ oris
appulit, indeque rectà Mexicum eius patriæ metropolim contendit. Præfata ve-
rò in nauigatione ſeptem ex pręfatis fratribus peſte, (non abſq; eius ingenti animi do- C
lore) ſublatos deſiderauit: Quamobrem patre Cuſtode, fratre ſcilicet Petro ab Alpha-
ro cum reſiduis ſibi religioſis Acapulchicũ portum (Hiſpanicè puerto de Acapulcho)
vt inde rectà Philippinas in inſulas tenderet, petente, frater ipſe Antonius in Hiſpa-
niam nouum fratrum delectum ſecũdò habiturus, atq; inde Romam grauioribus ne-
gocijs cum ſummo Pontifice acturus regreſſus eſt. Quod tamen interim nõ adeò pro-
ſperè illi ſucceſſit: Nam à Gallis piratis in Oceano mari ſecundò captus ſupra modũ
diuexatus, atq; ad arboris malũ, vt plumbeis ſpherulis configeretur, alligatus extitit.
Quod nihilominus vitæ diſcrimẽ ex diuina diſpenſatione ſuperauit. Appulſis ergo an-
no Dñi 1578. fratri Petro ab Alpharo, eiuſq́; ſocijs Philippinas ad inſulas, earũ Guber
nator de opportuno cõuentu, iuxta mãdatũ à Rege Hiſpanię Philippo datũ, prouiden D
dũ curauit. Ipſi interim fratres ſe præmeditato operi omni poſtpoſita mora quàmdili-
gentiſſimè accingentes, Indicum illius patrię idioma accuratiſſimè didicerunt; & in-
tra nouẽ annorũ ſpatiũ bis 150. millia infideliũ iſtis in partibus Chriſtianorum albo
aſcripſerunt, & plures eccleſias, atque Minoritica domicilia, (de quibus paulò inferius)
apud eos ędificanda curarũt. Cumq́; res pręfatis fratribus adeò proſperè in ipſo exor-
dio ſuccederent; maximumq́; Chinę Regnum inde peti poſſe accepiſſent; eorum qua-
tuor, frater ſcilicet Petrus ab Alpharo, frater Ioãnes Baptiſta Piſaurienſis, frater Au-
guſtinus à Tordeſyllas, ac frater Sebaſtianus à Beacia conſcenſo, ſub anno Dominicę
natiuitatis 1580. nauigio, poſt octo dierum curriculum ad præfatum Chinæ florentiſ-
ſimum Regnum applicuêre. Sed cognita à Chinis eorum intentione ac voluntate, quę
in catholicæ fidei plantationem, atq; idolatriæ exterminationem tẽdebat, ad celebrẽ E
ciuitatem Machao, quæ Chinæ Regi paret, & à plurimis mercatoribus Luſitanis fre-
quentatur, incoliturq́;, ab eius regni Prorege tranſmittuntur. Vbi primùm appulſi, &
eccleſiam ſummo vtriuſq; ſenatus, eccleſiaſtici ſcilicet, & ſæcularis, præcipuè verò
eius Epiſcopi, cui nomen Melchior Aries erat, applauſu cõſtruxerunt; & plurimos ad
Chriſti fidem conuerterũt. Quorum deniq; primarius pater frater videlicet Petrus ab
Alpharo, dum aliam eiuſdem Regni ciuitatem cuiuſdam alterius eccleſię erigendę
cauſa petiturus itinerat, morbo ex defatigatione cotracto imprę̨meditatè correptus
ipſo in itinere interijt. Cuius ſanè mors plurimũ detrimenti, plurimumq́; incommodi
nouellę eius patrię plantationi attulit. Dum iſta agerentur, frater Antonius à S. Gre-

gorio

A gorio (de quo ſuprà) Romam ingreſſus apoſtolicas à Gregorio XIII. Pont. max.
literas quibus Prouinciali Prouinciȩ S. Ioſephi apud Hiſpanos, vt huius Cuſtodiȩ Cō-
miſſarium ageret, ſibique de fratribus opportunè prouideret, præcipiebatur, ex tem-
pore obtinuit; indeque ſoluens per Hiſpaniam, perque Oceanum mare Philippinas in
inſulas eodem anno à Virgineo partu 1580 celerrimo curſu traiecit. Qui poſtmodum,
cognito fratris Petri ab Alpharo, eiuſque ſociorum ad Chinos receſſu, ſummopere do-
luit, nec tantillum quieuit, quouſq; illis adiunctus eſt, ac tandem in nouam Hiſpaniā
grauiora quædam peracturus negotia ab eis reuerſus, ſequenti anno, nempè 1581. ibi-
dem animam cælo reddidit. Interim præfatus Prouinciȩ S. Ioſephi Miniſter, ne tantus
labor à ſuis fratribus feliciter aſſumptus inanis, elumbiſque redderetur, neuè deficien-
tibus operarijs, qui naſcentem hanc Cuſtodiam opportunè excolerent, quod tam feli-
B ci, celeriq; ſucceſſu initiū ſumpſerat, id languido progreſſu aliquādo tandē periret, bis
totidē fratres ex cōmiſſa ſibi Prouincia, diuerſis tamen tēporibus, ad Philippinas iſtas
inſulas deſtinauit. Quorū denique fratrū auſpicijs nouellæ illæ plātulæ egregiè pullu-
lantes, tot tantoſque in fide catholica fecerunt progreſſus, vt S. in Chriſto patrē Sixtū
V. Pont. max. ad huiuſmodi Cuſtodiā in Prouinciam ſub antiquiori S. Gregorij titulo
anno à Chiſto nato 1586. Philippo eius nominis II. Hiſpaniarū Rege id quoq; inſtan-
tius procurante, euehendā induxerint. Idq; apoſtolicū ſubſequēs breue facilè indicat.

Sixtus Papa V. ad perpetuam rei memoriam. Dum ad vberes fructus, quos religioſæ perſonæ,
præſertim verò fratres Minores de Obſeruantia Diſcalciati nuncupati, Cuſtodiæ S. Gregorij in
inſulis Philippinis Indiarum Occidentalium, quaſi in agro Dominico ſeduli operarij, ad Dei glo-
riam, & ſpiritualem ſalutem populorum in remotiſsimis terris degentium, & magno à nobis lo-
C *corum interuallo diſiūctorum, aſſiduè ſua induſtria, Deo iuuante, colligunt, conuertimus oculos no-*
ſtræ mentis; dignum quin potius debitum reputamus, vt ad eorum commodum, & propagationem
apoſtolici fauoris gratiam benignè impartiamur, eosq; amplioribus priuilegijs decoremus, præſer-
tim cùm id à nobis pijs catholicorum Regū votis poſtuletur. Sanè cariſſimus in Chriſto filius no-
ſter Philippus Hiſpaniarū Rex catholicus, tam ſuo, quàm dilectorum filiorum Cuſtodis, & alio-
rū fratrū Cuſtodiæ S. Gregorij in inſulis prædictis nominibus nobis expoſuit, ꝙ aliàs fratres Pro-
uinciæ S. Ioſephi eiuſdē Ordinis in Regnis Hiſpaniarū inſtitutæ, à qua Cuſtodia S. Gregorij prædi-
cta depēdebat, in Capitulo nuper in oppido de Cadahalſo Toletanæ diœceſis prouidè cōſiderantes
ſe non poſſe huiuſmodi Cuſtodiam ſine notabili ſua diminutione ſuſtinere propter continuas fratrū
miſſiones, quas ferè annuatim facere cogebantur; nec Religionem in illis partibus propagari, aut
nouas domus, ſeu conuentus fundari, & inſtitui poſſe niſi Cuſtodia prædicta in Prouinciam erige-
D *retur; decreuerūt nobis humiliter ſupplicare, quatenus Cuſtodiam prædictā Prouinciæ nomine de-*
corare, aliàſque in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igi-
tur, qui etiam ex dilecti filij Franciſci Gonzagæ Miniſtri generalis totius Ordinis de Obſeruan-
tia inſinuatione accepimus propter huiuſmodi erectionem nulli præiudiciū inferri, ac Cuſtodiæ
prædictæ patres ſub debita regulari Obſeruantia magno cum fructu gratum Deo famulatum præ-
ſtare, eos condignis fauoribus exornare volentes, nec nō Miniſtrū, & fratres prædictos & eorum
quemlibet à quibuſuis excōmunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſq; eccleſiaſticis cēſuris,
& pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati
exiſtunt, ad effectū præſentiū duntaxat cōſequēdū, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cen-
ſentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, Cuſtodiā S. Gregorij ꝑdictā in Prouinciā Diſcalcea-
torū S. Gregori in inſulis Philippinis de cætero nūcupandā; ita ꝙ deinceps per vnū Miniſtrū Pro-
E *uincialē ab ipſius Prouinciæ fratribus in eorū Capitulo prouinciali ad inſtar aliarū Prouinciarū*
eiuſdē Ordinis eligendū, ſub obedientia tamē Miniſtri generalis totius Ordinis fratrū de Obſer-
tia prædictorū, ac Cōmiſſarij generalis Indiarū in Curia Regis prædicti pro tēpore reſidentis, at-
que eorū Cōmiſſariorū ad prædictā Prouinciā ſpecialiter deputatorū ſeu deputādorū, ꝓut ſunt &
aliæ earundē partiū Prouinciæ, regi, & gubernari debeat, authoritate apoſtolica tenore præſentiū
erigimus, & inſtituimus; dictæq; ſic erectæ Prouinciæ, illiusq; pro tēpore exiſtenti prouinciali Mi-
niſtro, & ſingulis fratribus, vt omnibus & quibuſcunq; priuilegijs, facultatibus, immunitatibus,
exemptionibus, libertatibus, fauoribus, gratijs & indulgentijs etiam ſpiritualibus, quibus cæteræ
dicti Ordinis Prouinciæ hactenus vbilibet inſtitutæ, & exiſtentes, earumque Miniſtri prouin-
ciales, & ſinguli fratres tam de iure, quàm conſuetudine, aut aliàs quomodolibet vtuntur,

potiuntur,& gaudent,vti,potiri,& gaudere liberè,& licitè valeant,authoritate,& tenore præ- A
dictis concedimus,& elargimur . Decernentes Custodiam prædictam in Prouinciam ſic erectam
pro tali haberi,& ,vt præfertur,regi & gubernari deinceps debere , necnon pro tempore exiſtenti
dictæ Prouinciæ S. Gregorÿ Miniſtro prouinciali, vt tam in ipſis inſulis Philippinis, quàm in alÿs
quibuſuis terris & locis Indiarum prædictarum,ac Regnorum de la China nũcupatorum, in qui-
bus conuerſio Gentilium ad fidem catholicam commodè curari , & tractari poterit , nouas domos,
& conuentus pro fratribus dicti Ordinis recipiendis ad Dei laudem , & gloriam,noſtra aut Rom.
Pont.vel Ordinariorum locorum,aut cuiuſuis alterius licentia minimè requiſita,fundare,& inſti
tuere,eoſque ad inhabitandum recipere,& fratres in illis introducere liberè & licitè valeat , fa-
cultatem,authoritate,& tenore ſimilibus impartimur:ita tamen, vt Miniſter prouincialis Pro-
uinciæ nouiter erectæ huiuſmodi à fundatione,& inſtitutione nouarum domorum , & conuentuũ
in Malaca , & de Sian , ac de Cochin Chinæ Regnis ſiue prouincÿs, & eorum dominÿs, nec non B
terris illis , & locis , ad quæ dudum dictus Franciſcus generalis Miniſter quoſdam alios fratres
etiam Minores de Obſeruantia Prouinciæ Portugaliæ,ſeu Custodiæ S. Thomæ in Indÿs Orientali-
bus inſtitutæ pro erigenda alia Cuſtodia in poſterioribus Regnis, ſeu prouincÿs, ac eorũ dominÿs
prędictis cum ſuis patentibus literis deſtinauit,cuius commiſſio & authoritas ſalua ſit,& eſſe cen
ſeatur,omnino abſtineat , nec in domibus , aut conuentibus in ciuitate Malaca , aut locis prædi-
ctis iam fundatis,& inſtitutis,vel cum fratribus,& perſonis in illis degentibus ſe vllatenus in-
tromittat;aliamuè in eas,& eos iuriſdictionem,aut ſuperioritatem exercere præſumat. Præterea
vniuerſis & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſtifidelibus verè pænitentibus & confeſſis, ac ſanctiſſi
mo Euchariſtiæ ſacramẽto refectis,qui aliquã ex eccleſÿs Prouinciæ prædictæ erectis,ſeu erigẽdis
in duabus anni feſtiuitatibus per Prouincialẽ pro tẽpore ſpecificãdis à primis veſperis vſq;ad occa
ſum ſolis earundẽ feſtiuitatũ ſingulis annis perpetuis futuris tẽporibus deuotè viſitauerint,& ibi C
pro Chriſtianorũ Principũ cõcordia,Gentiliũ conuerſione,hæreſum extirpatione,ſanctæq; matris
Eccleſiæ exaltatione pias ad Deũ præces effuderint,quoties id fecerint,plenariã omniũ,et ſingulo-
rum peccatorũ ſuorũ indulgentiã,& remiſſionem miſericorditer in Domino cõcedimus, & elar-
gimur, necnõ præſentes literas nullo vnquã tẽpore de ſurreptionis, vel obreptionis vitio, aut in-
tentionis noſtræ,vel quopiã alio defectu,etiam ex eo quod alìas Prouincia,illiuſque fratres vocati
non fuerint,aut erectio huiuſmodi extra generale Capitulũ ipſius Ordinis facta fuerit,notari,im
pugnari,vel alìas inualidari nullatenus poſſe,ſicque per quoſcunq; Iudices,& Cõmiſſarios,etiam
S.R.E.Cardinales,aut cauſarũ palatÿ apoſtolici Auditores ſublata eis,& eorũ cuilibet quauis ali-
ter iudicãdi,& interpretãdi facultate,& authoritate,iudicari debere,irritum quoq; & inane ,ſi
ſecus ſuper his à quoquã quauis authoritate ſcienter,vel ignorãter cõtigerit attẽtari. Nõ obſtante
fel.rec.Greg. PP.XIII.in generali Cõcilio Lugdunẽſi edita,qua expreſſè cauetur,ne cuiuſuis Ordi D
nis Mendicãtes domos ad inhabitandũ de nouo recipere valeãt abſq; Sedis apoſtolicæ licentia ſpe
ciali,ac alÿs diuerſorũ Romanorũ Pontificũ noſtrorũ prædeceſſorũ,quòd regulares dicti,& cuiuſ-
uis Ordinis in partibus huiuſmodi trãſmarinis,præſertim Indiarũ pro tẽpore degẽtes ſub obediẽ-
tia Miniſtrorũ Prouinciarũ citeriorũ omnino ſubſint;ac reliquis apoſtolicis, nec nõ in alÿs etiam
generalibus,ſeu prouincialibus,& ſynodalibus Cõcilÿs editis ſpecialibus,vel generalibus cõſtitu-
tionibus,& ordinationibus,ac etiã iuramẽto,cõfirmatione apoſtolica,vel quauis firmitate alia ro
boratis,ſtatutis, & cõſuetudinibus,priuilegÿs quoq; indultis & literis apoſtolicis eidẽ Ordini, il
liuſq; Prouincÿs antiquitus erectis,necnõ ſuperioribus & perſonis ſub quibuſcunq; tenoribus &
formis,& cũ quibuſuis etiã derogatoriarũ derogatorÿs,alÿſq; efficacioribus , & inſoliti clauſulis
irritãtibuſq; & alÿs decretis,etiã motu proprio,& ex certa ſciẽtia,ac de apoſtolicæ poteſtatis ple
nitudine,necnõ cõſiſtorialiter,& de fratrum noſtrorũ conſilio quomodolibet in genere vel in ſpe E
cie cõceſſis,confirmatis,approbatis,& innouatis,etiam de nõ erigẽdo Custodiã in Prouinciã, niſi
certũ & determinatũ domorũ,ſiue conuentuũ numerũ contineat . Quibus omnibus,etiã ſi de il-
lis,eorumq; totis tenoribus ſpecialis,ſpecifica,& expreſſa mẽtio habenda,ſeu quauis alia expreſſio
vel exquiſita forma ad hoc ſeruãda foret,tenores huiuſmodi,ac ſi de verbo ad verbũ,nihil penitus
ommiſſo,& forma in illis tradita obſeruata,inſerti forent,præſentibus pro expreſſis habẽtes , illis
alìas in ſuo robore permanſuris,hac vice duntaxat ſpecialiter,& expreſſè derogamus, cæteriſque
contrarÿs quibuſcunque. Datum Romæ apud S.Petrum ſub annulo Piſcatoris.Die 15.Nouembris
1586. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Conſtat itaq; vniuerſa hæc neophyta Prouincia ex ſex conuẽtibus,& doctrinalibus
14.domibus

A 14.domibus. A cætero præfatæ huic Prouinciæ,cuius ſigillum diui Gregorij Papæ ac Ec
cleſiæ Doctoris,cuius ſiniſtro lateri diaconus , dextro verò ſubdiaconus aſtant, Sacrũ
ante Crucifixi imaginem facientis iconem,ſequenteſque literas.SIG. PROVINCIÆ.
S. GREGORII . PHILIPPINARVM . ET . CHINAE. papyro imprimit,puerum Ie
ſum graphicè depictum,quòd eius imago floribus,ac roſis contecta,arcaque recondi-
ta à primis iſtarum inſularum inuentoribus in expugnatione ciuitatis Zubuacæ (In-
dicè Zubu)fortè fortuna,non tamen præter miraculum(niſi me mea opinio fallat) in-
uenta fuerit,antepoſitum volui.

De conuentu Dominæ noſtræ de Angelis Manilæ. Conu. I.

STATIM vt præfati religioſiſſimi fratres Petrus ab Alpharo primus huius Pro-
uinciæ Cuſtos,eiuſque ſocij Manilam Philippinarũ inſularum metropolim ingreſ-
B ſi ſunt,hunc conuentum,Dominæ noſtæ de Angelis ſacrum,quem & 16.fratres ſat cõ-
modè inhabitant , regio ex ærario eius ciuitatis Gubernator ipſis erigendum curauit.
Contigit autem id ſub anno Dominicæ incarnationis 1578.Præfata verò ciuitate Ma-
nila ex furibundo incendio infra duarum tantùmmodo horarum ſpatium,quòd cun-
cta eius ædificia lignea eſſent,in cineres redacta , & hic quoque conuentus incinera-
tus eſt.Dat nihilominus operam pius Manilanus ſenatus,vt tum reliqua ædificia,tum
quoque præfatus hic conuentus ex lapidibus reædificentur. Quod tamen inæſtimabili
abſque impenſa,lapidicinis longius ab ea diſtantibus, fieri non poterit.

De conuentu Dominæ noſtræ de Angelis Machao. Conu. II.

C MACHAO ſpatioſi Regni Chinæ continenti(hoc terrã firmam vulgò vocant)
propinqua,ac mercimonio inſignis ciuitas à Luſitanis incolitur , plurimiſq; tũ
eccleſijs,tum quoque xenodochijs & monaſterijs cohoneſtatur. Ad hanc itaque ciuita
tem ſtatim vt religioſus pater frater Petrus ab Alpharo, primus iſtius Prouinciæ Cu-
ſtos à Chinis tranſmiſſus extitit,præſentem conuentũ à 12. fratribus plerunque inha-
bitatũ,tũ loci Epiſcopo,tum quoque reliquo ſenatu ſibi ſummè fauentibus,in Dominę
noſtræ de Angelis honorẽ conſtruendũ curauit.Contigit autem id ſub anno 1579.

De conuentu S. Matthæi extra Mexicum. Conu. III.

AEDIFICARANT ſibi 12.illi patres primi catholicæ fidei in noua Hiſpa-
nia præcones(de quibus in S.Euangelij Prouincia fuſius) conuentulũ,ſiue potius
D eremitorium,Apoſtolo Matthęo ſacrum,ad ſextum à celeberrima ciuitate Mexico la
pidem, ex quo infidelibus illis populis Chriſtum prædicaturi ſtatis temporibus prodi-
bant.Hoc tamẽ poſtmodũ ab eorũ ſucceſſoribus derelictũ diligens P.F.Petrus à Mõte,
qui ex S.Ioſephi apud Hiſpanos Prouincia cũ delecta fratrũ manu ad has partes Com
miſſarius conuolarat,ſub anno 1580.occupauit,reſarciuit,huicq; tũc Cuſtodię adiecit.

De conuentu SS. Coſmæ & Damiani Mexici. Conu. IIII.

PROGRESSVRVS ad 300.milliaria vltra præfatam ciuitatem Mexicum reli
gioſus F.Petrus à Monte(de quo ſtatim ſuperius)vt infidelibus quibuſdam populis
catholicam fidem illis omnino incognitam annuntiaret,fratrem Franciſcum Sellez ſi
bimet in Commiſſariatus officio ſuffecit.Ille igitur,vt erat diligens,hunc conuentum
E intra præfatæ ciuitatis Mexicanę mœnia in SS. martyrum Coſmę & Damiani hono-
rẽ ex publicis,priuatiſq; ciuiũ facultatibus eodẽ anno 1580.à fundamentis erigi,per-
fici,atq; huic tũc Cuſtodiæ anecti fecit.Cõmorãtur frequẽtius hoc in loco 20.fratres.

De conuentu Caſerenſi. Conu. V.

AD centum & quinquaginta milliaria à præfata ciuitate Manila , ea in regione,
quæ Camaries Indicè nuncupatur , non vulgare oppidum ab Hiſpanis ſimul
& Indis inhabitatum,cui Caçeres vulgò nomen eſt,ſurrigit:intra cuius ambitum prę-
ſens conuentus,à 12.fratribus plerunque incultus,tum ex regijs , tum quoq; ex Hiſpa-
norum ibidem degentium facultatibus ſub eodem anno 1582.ædificatus extitit.

De conuentu Minoritico Populæ de Angelis. Conu. VI. A

CVM frater Michaël Talabricanus (vulgò de Talauera) apoſtolici Commiſſa-
riatus munere hac in Prouincia, tunc verò Cuſtodia fungeretur, ſibique eius ci-
uitatis, quæ Angelorũ Popula nuncupatur, accolæ ſupra modũ afficerẽtur, ne nactam
eius amplıandæ occaſionem prætermittere videretur, hunc conuentum, à 16. fratribus
plerunq; incultum, ſub S. Frãciſci inuocatione, ſub anno à partu Virgineo 1585. ex vl-
trò ſibi oblatis à ciuibus eleemoſynis intra præfatæ ciuitatis ſepta conſtruxit.

De hoſpitali S. Annæ Manilæ.

MAGIS, magiſque ſibi deuincturi tum Manilanos, tum quoque circumuicinos
Indos de nouo ad fidem conuerſos huius Prouinciæ fratres hoc xenodochium, S. B
Annæ ſacrum, ad eos ſuis in infirmitatibus curandos, ſub anno Domini 1580. ædificã-
dum curarunt. In quo & illud mirabile ſingulis diebus accidit, quod videlicet, cùm ni
hil annui redditus habeat, 200. nihilominus vtriuſque ſexus infirmos perpetuò ſuſten
tet. Quod ſanè diuinæ prouidentiæ, atq; diligenti, vnius vel alterius fratris, qui eius cu-
ram gerit, tribuendum venit. Nec illud ſilentio prætereundum eſt, quod ſcilicet, hac
patria medicamentorum penuria laborante, ſimplex quidam frater laicus in tantam
venerit ex naturali quodã inſtinctu ſuperioribus hiſcè diebus herbarum cognitionẽ,
vt exterarum medicinarum nihil penitus deſiderari poſſit. Gaudet tandem præfatum
hoc xenodochium pleniſſimis quatuor per annum iubileis, alijſque apoſtolicis fauo-
ribus tum in ſe accedentium, tum quoq; in huius Prouinciæ fratrum fauorem à ſan-
ctiſſimo Sixto V. Pont. max. ſibi anno Dominicæ incarnationis 1586. conceſſis, prout C
ex ſequenti apoſtolico breui facilè patet.

*Sixtus Papa V. vniuerſis chriſtifidelibus præſentes literas inſpecturis ſalutem, & apoſtolicam
benedictionẽ. De ſalute gregis Dominici pro paſtorali nobis diuinitus iniuncta cura ſolicitè cogi
tantes, Religioſos illos, qui ſolicitudinẽ noſtrã adiuuantes in conuertendis ad Domini noſtri Ieſu
Chriſti fidem Gentilibus piam, & efficacem operam impendere non deſiſtunt, ſpiritualibus mune-
ribus libenter proſequimur; vt eò libentius in tam pio inſtituto perſeuerantes, tandem poſt huius
vitæ curriculum, tanquam ſerui boni & fideles in gaudia cæleſtia ab ipſo omnipotente Domino re
cipi mereantur. Cùm itaque, ſicut accepimus, dilecti filij fratres Diſcalciati de Obſeruãtia Prouin-
ciæ S. Gregorij in Indijs, & Inſulis Philippinis in Gentilium conuerſione maximè laborent, &
Spiritus ſancti gratia multùm proficiant: Nos eorum pia ſtudia intimo cordis affectu complecten-
tes, illoſq; ſpecialibus fauoribus & gratijs proſequi volẽtes: vniuerſis & ſingulis dicti Ordinis re D
ligioſis, qui pro Chriſti amore, & obedientiæ merito conuerſioni huiuſmodi Gentiliũ in dictis In-
diarum partibus procurandæ ſe accinxerint, apoſtolica benedictione benedicimus, nec non ipſis
tam die, quo in ipſas Indias peruenerint, ſi confeſſione præuia ſanctiſſimam communionem ſum-
pſerint, nec non in mortis articulo, ſi contriti & confeſſi, aut cum propoſito confitendi in itınere,
ſeu in ipſa conuerſione deceſſerint, plenariã omniũ ſuorũ peccatorũ indulgentiã, & remiſſionẽ mi
ſericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Præterea omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus
Chriſti fidelibus verè pœnitẽtibus & confeſſis, ac ſacra cõmunione refectis, qui aliquã eccleſiarũ,
aut domorũ dictorũ religioſorũ in Indijs prædictis conſiſtentiũ die 2. Auguſti, nec non ijs, qui ec
cleſiam ſub inuocatione S. Annæ hoſpitalis Indorũ ın ciuitate Manila à fratribus Diſcalcıatis S.
Franciſci fundati, in quo, vt accepimus, & animæ & corpora ſumma cũ charitate curãtur, in vna
feſtiuitatũ infraſcriptarũ, videlicet Epiphaniæ, Cõceptionis B Mariæ virginis, omniũ Sanctorũ E
à primis veſperis vſq; ad occaſum ſolis dierũ huiuſmodi ſingulis annis deuotè viſitauerint, & ibi-
dẽ pro Infideliũ cõuerſione, ac ſanctæ matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deũ preces effuderint,
quo die prædictorũ id egerint, plenariã pariter omniũ ſuorum peccatorũ indulgentiã, & remiſſio-
nẽ miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Inſuper vt fideliũ deuotio erga eccleſiã
dicti hoſpıtalis in dies magis augeatur, ipſis fidelibus, qui ſingulis ſecũdis, quartis, & ſextis ferijs
Quadrageſimę tria altaria eccleſiæ S. Annæ prædictæ, aut vnũ, ſi plura nõ adſint, deuotè viſitaue-
rint, & ibi, prout vnicuique deuotio dictauerit, orauerint, quoties id egerint, centũ dies, nec non
benefactoribus, & curã infirmorũ gerẽtibus, ac illis, qui ex propria voluntate dicto hoſpitali, ſeu
pauperibus in illis degentibus interuenerint, quoties aliquod pij operis circa præmiſſa exercue-*

A *ſint,toties 25.de iniunctis eis,ſeu aliàs quomodolibet debitis pœnitentijs miſericorditer in Do-
mino relaxamus. Denique omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus, qui fauorem, & auxilium re-
ligioſis prædictis, & alijs miniſtris ſacri Euangelij illos ab vna parte ad aliam, ad quam v
ſuis ſuperioribus miſsi fuerint, ducendo, aut aliàs quomodolibet circa miniſterium conuerſion si
præſtiterint,nec non ijs,qui Indos ab iniurijs,& vexationibus eis illatis defenderint, ac qui eis
bona exempla præbuerint, 25.annos, & totidem quadragenas de eiſdem pœnitentijs miſericor-
diter in Domino relaxamus. Præſentibus ad 20.annos ab earum publicatione computandos dum-
taxat valituris. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 8. Nouembris 1586.
Pontificatus noſtri anno ſecundo.*

Habet præterea (vt pręfati ſumus) hæc Prouincia Minoriticas 14. domos eadem
per inſulas Philippinas diſperſas, quarum quęlibet à tribus Minoritis inhabitatur, &
eccleſiam ad quam Indi ſacris interfuturi, Deique verbum audituri conueniunt, ſibi
B adiunctam habet, ſuntque ſequentes.

		Titaina	*Moronlica*
Pilana	*Nacharlamenſis*	*Lumbana*	*Taiabenſis*
Ilocenſis	*Parigacinunica*	*Valaianica*	*Mindorica*

Reliquarum verò quatuor domorum, quòd earum nomina me omnino præte-
reant, meminiſſe non potui,ſed ea omittere coactus ſum.

CVSTODIA S. FRANCISCI
DE MALACA.

C CVM hæc Cuſtodia ad Prouinciam ſancti Thomæ apud Indos Orientales
exiſtenté ſpectet,ſubq; illius ſignis militet,in pręfatæ Prouincię calce deſcribē
da veniebat, verumtamen, cùm paucis ab hinc annis erecta fuerit, in lu-
cemque prodierit, ideo hunc penultimum locum ei aſſignaui. Anno itaque à læta-
bunda Chriſti natiuitate 1577.Pontificatus vero Gregorij XIII. anno 5. ſub inuictiſ
ſimo Hiſpanię Rege Philippo eius nominis II. aliquot Franciſcani Cuſtodię S.Grego-
rij patres,animarum ſalutem maximè anhelãtes, ad Philippinas inſulas à noua Hiſpa
nia 6654 milliarijs diſtantes traiecerũt, atque ad Manilam vſque ciuitatem epiſcopa
li Sede, regioque Concilio inſignem penetrarũt:indeque ſoluentes Macau, quę earũ-
D dem inſularum ciuitas eſt,diſtatque à præfata Manila 600. paſſuum millibus,à Mala-
ca verò 1500.ſed à Cantone 60.ſe contulêre; vbi & Minoriticum conuentum ex tem-
pore ædificarunt.Cumq; ſe nec oleum, nec operam amiſiſſe conſpicerent, vlterius per
1500.milliaria procedentes Malacam celebrem ciuitatem peruenerunt,inibique aliũ
ſecundum conuentum, currente anno Domini 1581. ſibi ædificandum curarunt.

Sub anno verò Domini 1584.dum Hiſpaniæ Prouincias pro officio luſtrarem, vnus
ex præfatis fratribus Malaca cùm patris Cuſtodis,cæterorumque fratrum literis ſol-
uens ad me venit rogans,vt aliquot fratres, qui Malacanum conuentum de nouo ere-
ctum,imò & quamplures alios breuiſſimè Dei beneficio erigendos, inhabitarent, eò
tranſmittere vellem.Cuius igitur petitioni dum annuere intendo,adeſt præfati Regis
Philippi mandatum,quo conſultiſſimè præcipit,vt qui à me Malacam mittendi fue-
E rint fratres,non ex Hiſpanis Caſtellanis,ſed ex Luſitanis aſſumendi veniant:quando-
quidē Malaca non ad Occidentales,ſed ad Orientales Indias Portugalię Regno ſubie
ctas ſpectat. Quamobrem eius Maieſtati morem geſturus,datis patentibus literis,ele-
ctos ex diſcalciatis Portugaliæ Prouincijs 20.probatos patres,quorũ 13.eò rectà tetē-
derunt,alij verò 7.ne nauigium ſupra modum grauaretur,verſus S.Thomæ Cuſtodiã
iter ſuũ direxêre, ad eandē ciuitatē Malacam ex celeberrima Luſitanorũ ciuitate Oly-
ſippone,pręfato anno 1584.deſtinaui.Horum 13.illi ſcilicet,qui rectũ iter tenuerunt,
incolumes omnino ſub vno patre Cuſtode (vt ſtatim patebit) 5.Octobris (quæ ſeraphi
ci patris Franciſci feſtum immediatè ſepuitur) eiuſdem anni Malacã applicuêre.Quia
verò tum præfata Philippi II.regia Maieſtas, tum quoque eius Conſiliarij in id maxi-

mè proponebant, vt videlicet Malacanus conuẽtus, atque cæteri de nouo in gyro ædificandi ex præmemorata S. Thomæ Coſtodia ſiue potius Prouincia dependerent, aſcitis mecum grauioribus aliquot patribus decreui, atque edita lege caui, vt huiuſmodi Malacanus conuentus, quem cæteri in poſterum ædificandi tamquam eorum principem ſuſpecturi ſunt, in Cuſtodiam ſub titulo S. Franciſci de Malaca erigeretur, atque ſub Cuſtodiæ S. Thomæ ſignis militaret. Statui præterea, vt qui ad præfatæ Cuſtodiæ S. Thomæ clauum ſederit, ille Malacanæ Cuſtodię de religioſis fratribus, euangeliciſque Eccleſiaſtibus, deque patre Commiſſario, qui ei inuigilet, opportunè prouideat. Cæterùm antequam præfati 20. fratres ex Portugalia ſoluerent, eos ad me nocte quadam vocaui, atque præmiſſa concione ad pacem inter ſe ſeruandam, & ad tantum iter viriliter aggrediendũ, inſuper & ad exponenda pro propaganda illis in partibus Chriſti fide, proque conuertendis infidelibus illis populis cuius diſcrimini propria corpora, pro modulo hortatus ſum. Interim tamen volui, quatenus tandem omnia ordinatè fierent, vt omnes ſimul me præſente vnum ex ſe ipſis religerẽt, qui cæteris in Cuſtodem præeſſet. Qui tandem de communi conſenſu (per ſecretum tamen ſcrutinium) venerabilem patem, fratrẽ Didacũ à Conceptione Prouinciæ Arrabidorum in Portugalia (de qua ſuprà) ſacerdotem atque prædicatorem in ſui Pręlatum & Cuſtodem elegerunt, ſibique omnimodam obedientiam polliciti ſunt. Cui quoque ego patentes meas litteras ſubdatum Olyſipponis 13. menſis Martij, anno verò Domini 1584. dedi, omnimodamq; meam auctoritatẽ, qua eadẽ, quę ego illis in partibus facere poſſem, ſi pręſens adeſſem, & ipſe pręſtare valeret, impertitus ſum. Inſuper & quęcunq; priuilegia cęteris Pręlatis, qui ad Indos tum Occiduos, tũ quoq; Oriẽtales huc vſque ab apoſtolica Sede conceſſa, ex facta nobis ab eadem Sede apoſtolica authoritate, elargitus ſum. Vt igitur primum huiuſmodi 12. fratres Malacam appulêre, meaſq; patentes literas Cuſtodiæ S. Gregorij patribus obtulêre, illi omni poſtpoſita mora parentes loco ceſſerunt, propriamq; Prouinciam remearunt. Fuerunt præterea præfati fratres à reuerendiſſimo eiuſdem ciuitatis Malacanæ Epiſcopo, atque à cęteris Chriſtianis quamhumaniſſimè excepti, atq; maximo applauſu, maximaque pompa in conuentũ introducti. Nec dubium eſt, quin vberrimos fructus in Dominicum horreum inferant, illaturiq; ſint: cùm interim nec laboribus, nec vitæ diſcriminibus parcãt, vt quàmplurimos ex illis Gentilibus Chriſto lucrifaciant. Eodem quoque anno religioſiſſimus pater frater Martinus Loiola plurimis à Sede apoſtolica, eodẽ Gregorio XIII. Pont. max. tum fauoribus, tum quoque gratijs cumulatus, ex vrbe Roma in Portugaliam, inde, nacta opportunitate, Malacam vſque cum ſocijs penetraturus, vt ſibi ad ampliſſimum Chinæ Regnum aditum parare poſſet, conceſſit. Hunc poſtmodum tantum patrem venerabilis pater frater Ioannes Baptiſta Piſaurenſis cum apoſtolicis Sixti V. Pont. max. litteris, atque aliquot ſocijs, licèt ſenio confectus, ſub præſenti anno Domini 1587. ſequutus eſt. Quamobrem nobis de huiuſmodi promotione, atque ſucceſſibus benè ſperandum eſt: immo & pollicemur ſeraphicã noſtrã Religionem maximos progreſſus præfato in Chinę Regno apud illos idolatras, atq; ſuperſtitioſos homines breui tempore facturam: Nam ex Malaca, & ex Macau præfatis ciuitatibus facilis ad eos patet acceſſus. Conſtat ſiquidem pręfata hæc Cuſtodia S. Franciſci de Malaca ex vnico tantùm conuentu, huiuſmodique dignitatem ſub anno Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo octuageſimo quarto primùm aſſequuta eſt. Quamuis enim quæ dicturi ſumus, ea nihil noui præfatis addant: nihilominus, vt conſuetum morem teneamus, ſubiectum conuentum his annectere voluimus.

De conuentu matris Dei Malacæ.

MALACA (vt ſuprà meminimus) Orientalis Indię ciuitas eſt, eaque celeberrima, diſtatque à Philippinis inſulis 900. milliarijs. Ad hanc igitur ciuitatem cùm ex præfatis inſulis aliquot tunc Cuſtodiæ, nunc verò Prouinciæ ſancti Gregorij patres ſub Dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo octuageſimo primo feliciter traieciſſent, hunc conuentum, ſanctiſſimæ matri Dei ſacrum, intra eius mœnia ex diuerſis fidelium eleemoſynis, eodem anno ædificatum curarunt; vbi & quàmplurimos

ex Mala-

A ex Malacanis gentilibus,ſuis concionibus,ſuiſque adhortationibus ad Chriſti fidē conuerterunt,atque ſuaui eius iugo colla ſubmittere coëgerunt. Cùm verò poſt elapſum triennium ab huiuſmodi ędificatione,nempe anno Dominicę incarnationis milleſimo quingenteſimo octuageſimo quarto huiuſcemodi patres, noſtris literis obedientes, loco cedere cogerentur, præfatus hic conuentus, qui S. Gregorij Cuſtodiæ prius ſubiacuerat, in Cuſtodiæ S. Thomæ Orientalis Indię ſub propriæ Cuſtodiæ titulo (vt patuit) ius ceſſit: atq; ab eo temporis impræſentiarum vſq; à 25.fratribus,vel circiter,inhabitatur. Nam præfati illi 20. Luſitani fratres aliquibus bonæ indolis,optimæq; ſpei adoleſcentibus Minoriticum habitum contulêre. Nec facilè explicari poſſet, quot ex idolatris ſuperſtitioſiſq; illis Gentilibus ab iſtis fratribus fidelium albo aſcripti ſint.

CVSTODIA BRASILIS.

B HÆC Cuſtodia etſi ad Prouinciā ſancti Antonij in Portugalia pertineat, cùm regio tamē,in qua ſita eſt,ad Orientalē Indiā vergat,cumq; beati Thomæ Apoſtoli,cui huiuſmodi India in ſortem prædicationis obuenit, præſentia dignata ſit, in fine Prouincię S. Thomæ etiam deſcribenda veniebat, verū tamen cū etiā nouiſſimè in lucem prodierit,ideo hūc ei nouiſſimū locū aſſignare volui.Braſilis itaq; vbi pręſens Cuſtodia exiſtit ampliſſima, fertiliſſimaque regio eſt, inſuper & temperatiſſima, atque ſupra modū amœna, cùm Antarcticū polū ad octo tantùm gradus ſupra ſe eleuatū habeat & ſaccharo,bombyce,quadamque radice à beatiſſimo Apoſtolo Thoma(vt communis traditio vult) olim adinuenta,ex qua exſiccata atq; contrita farina ad conficiēdum panem ſat bona educitur,& agreſtibus arborum fructibus viſu pulchris, ad veſcē

C dum ſuauibus,totoque anno ex virentibus ramis pendentibus abūdet:& in plures Prouincias diſcecta ſit. Quòd verò vitibus & frumento careat,id non patriæ vitio (eſt enim ad vtrunque aptiſſima) ſed Luſitanorum artificio tribuendum eſt. Hi enim bolum attendentes(ex vno ſiquidem tantùm Pernamburcenſi portu 60.onerariæ naues tum ſaccharo,tum quoque bombyce onuſtę in Portugaliam traiecturæ ſingulis annis ſoluūt) terræ portionem,quę vel vitibus,vel frumento ſubiacere poterat, circa arundines, ex quibus ſaccharum exprimitur,producendas occupata volunt. His accedit facilitas, qua tum vinum,tum quoque triticum ex Portugalia in Braſilem infertur.Nam id itineris,quod inter iſtum & illam intercedit,duorum menſium ſpatio ad ſummum nauigio conficitur. Patria interim eius regionis gens Gentilis eſt, idolorumque ſuperſtitioni ſummopere dedita,inſuper & bellicoſiſſima,& in ſagittandi arte peritiſſima;ſed ad ca-

D peſſenda catholicę fidei myſteria minus apta.Nihilominus tamen de eius ad Chriſti fidem conuerſione, idque fratrum noſtrorum cura multa nobis pollicemur. Præterea cùm hęc regio non multum ab æquinoctiali diſtet, noctes diebus pares ferè per totum annum habet.Idque in cauſa eſt,vt maxima temperie(vt pręsaid diximus)potiatur. Carnibus interim ſapidiſſimis,atque diuerſi generis piſcibus, limpidiſſimiſque aquis & ſupra modum ſaluberrimis affluit.Quæ verò de patrij frumenti defectu dicta ſunt, ea de vnica tantū Pernāburcenſi prouincia intellecta volumus:Nā reliquæ Braſilenſes prouinciæ,cū ad producendū ſaccharū eæ minus aptæ ſint,triticū abundantiſſimè ferunt. Cū itaq;anno ſupra memorato 1584.ab humano genere redēpto apud Luſitanos agerē,placuit diuinæ bonitati,cuius viæ inueſtigabiles,& iudicia incomprænhenſibilia ſunt, vt quod à multis annis per Chriſtianos huiuſmodi Braſilem inhabitantes maximè af-

E fectabatur,id aliqua ex parte concluderetur. Cùm enim illi aliquot ex ſeraphica Religione noſtra fratres ad ſe mitti inſtantius aliquādo curaſſent,nec id aliquas ob difficultates aſſequi potuiſſent; tanta fuiit ſtrenui Ducis Georgij Alburquerquij ſolicitudo, vt catholicus Hiſpanię Rex Philippus eius nominis II. datis literis mihi præceperit, quatenus aliquot religioſos vita conſpicuos,atque doctrina inſignes ad Pernambuci prouinciam(hanc Capitania vulgò vocant)quæ eiuſdem Braſilis portio eſt, & à præfato Georgio Alburquerquio eiuſdem Regis Philippi Præfecto quā diligentiſſimè eo temporis adminiſtrabatur, quanto citius deſtinarem. Quamobrem, aſſumptis ex Prouincia S.Antonij apud Luſitanos ſex optimi nominis fratribus,eorumque altero,nempe fratre Melchiore à S.Catharina,eiuſdem Prouinciæ Diffinitore, atque diſertiſſimo Eccleſiaſte

Eccleſiaſte in Prelatum ſub Cuſtodis titulo illis præfecto, eius omnibus per ſanctā obe A
dientiam iniūxi, quatenus ſe ad tantum iter quanto citius accingerent. Quibus deniq;
ex tempore, atque libentiſſimè annuentibus huiuſmodi patentes literas iuxta noſtræ
Religionis morem dedi: *F. Franciſcus Gonzaga generalis ſeraphicæ Religionis Franciſcanæ
Miniſter prædilecto in Chriſto ac venerando patri fratri Melchiori à S. Catharina eiuſdem Or-
dinis, ſed Prouinciæ ſancti Antonij in Portugalia, confeſſori & prædicatori ſalutem in Domino.
Cùm ex charitatis vinculo omnibus, præcipuè verò ijs, quorum ſalus periclitatur, aſtricti noſca-
mur, teq; virum virtute inſignem, experientia maturum, atque ſaluādarum animarum zelo præ-
ditum nouerimus: conſultum fore duximus, ſi te ad Braſilem patriam ab idolatris maiori ex par-
te inhabitatam deſtinaremus. Accedit & his diuini cultus propagatio, qui nobis à teneris vngui-
culis commendatiſsimus eſt: & vrgens ſereniſsimi catholiciq; Philippi eius nominis II. Hiſpa-
niarum Regis mandatum: & inſtantisſima Chriſtifidelium Pernambucum, Braſilis prouinciam* B
*inhabitantium, atque eorum Præfecti, ſtrenui videlicet militis Georgij Alburquerquij (de quo
ſuprà) petitio. Quam orbem tenore præſentium, te in Cuſtodem atque legitimum noſtrum Com-
miſſarium cum poteſtatis plenitudine in vtroque foro inſtituimus, quatenus illis in partibus, in
quibus tibi neceſſum fore videbitur, & conuentus erigere, & nouitios bonæ expectationis fratres
ad Ordinem recipere poſsis. Præterea venerandum patrem fratrem Franciſcnm à S. Bonauentu-
ra præfatæ S. Antonij Prouinciæ alumnum tibi in ſocium aſsignamus: damuſq; vt alios quatuor
fratres religione probatos, quatenus omnes ſimul ſenarium numerum perficiatis, tecum aſſumere
poſsis: inſuper & concedimus, vt alios ſex, ex alijs tamen Prouincijs aſſumendos, illis adiungere
valeas. Quibus denique omnibus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis maio-
ris latæ ſententiæ pœna, alijſque pœnis noſtro arbitrio inferendis præcipimus, vt tibi in omnibus
his, quæ nec eorum ſaluti, nec communi Regulæ aduerſa fuerint, humiliter pareāt, obediantq;: vo-* C
*lentes nihilominus, vt ſi fortè, fortuna te ex hac vita migrare contigerit, tibi præfatus pater fra-
ter Franciſcus à ſancto Bonauētura in huiuſmodi Cuſtodiatus atque Commiſſariatus munere ſuc-
cedat: inſuper & ſtatuētes, vt huiuſmodi Cuſtodia de nouo à me erecta nomine S. Antonij de Bra-
ſile in poſterum appelletur, ſubiectaq; ſit Prouinciæ ſancti Antonij, de qua ſuprà. Præterea, vt om-
nia ordinatè fiant, omnibuſque difficultatibus in tempore occurratur, volumus & ſtatuimus, vt
is Miniſter, qui ad præfatæ S. Antonij Prouinciæ clauum impræſentiarum ſedet, vel in poſterum
ſederit, ſedulam diligentemq; neophytæ huius Cuſtodiæ curam habeat, illique pro viribus faueat,
ac tandem prouincialibus in Commitijs idoneo de Cuſtode opportunè prouideat. Inhibentes inte-
rim, ne præfatus Miniſter, neuè alius, quicunque ille fuerit, dummodo nobis ſubiaceat, idque ſub
excommunicationis maioris pœna ipſo facto incurrenda, his noſtris patentibus litteris directè
vel indirectè contraire, vel eas alio modo, quam ſonant, interpretari, vel exponere præſumant.* D
*Iiſdem omnino pœnis ſubiaceat, quicunque earundem litterarum executionem impedire attenta-
uerit. Cæterùm, vt quod à nobis conſultò cautū eſt, id effectū ſortiatur, vtque mercede non careat,
tibi ad ſalutaris obediētiæ meritū, atq; in Spiritus ſancti virtute præcipimus, quatenus his noſtris
litteris ex tempore obedias, easſque iuxta Regulæ noſtræ nitorem & exigentiā executioni man-
dare ſatagas. Poteris tamen quoſcunq; fratres noſtros ad te diuertentes, ex quacunque Prouinciæ
illi fuerint, dummodo tibi vſui eſſe poſsint, recipere, eoſque retinere, atque per loca diſtribuere.
Datis Olyſipponenſi in noſtro ſancti Franciſci conuentu 13. menſis Martij anno Domini 1584.*
Præfatus igitur frater Melchior à S. Catherina in Cuſtodem ſic electus cū alijs ſex fra-
tribus conſcenſo nauigio in præfatam Pernambucanam prouinciam traiecit; eoque 12.
Aprilis eius anni, qui à partu Virgineo fuit milleſimo quingēteſimo octuageſimo quin
to appulit. Nec facilè eſt recenſere quo aplauſu, quauè humanitate ab illius patriæ E
Chriſtianis huiuſmodi fratres excepti fuerint. Qui cùm quadam in domo xenodochio
contigua hoſpitati eſſent, ad aliam ab honeſta quadam Tertiaria Franciſcana ante ali
quot annos extructam, & à deuotis quibuſdam fœminis inhabitatam, ipſo ſeraphici
patris Franciſci die eiuſdem anni milleſimo quingenteſimo octuageſimo quinto ſe cō-
tulêre. Conſtruxerat ſiquidem præfata Tertiaria huiuſmodi domum eo fine, eaque
mente, vt Franciſcanis patribus, cùm primùm ad eas partes tranfretaſſent, conferre-
tur. Quod & executioni (vt modò patuit) fideliſſimè mādatum extitit Nec mirum inte-
rim, quòd ſeptem illi fratres à nobis Pernambucanam in prouinciam miſſi tam hu-
maniter, tamque comiter excepti ſint: nam voluntatis inclinationi, qua Luſitani Bra-
ſilem

A ſilem incolentes in eos propendebant, acceſſerunt & commendatitiæ eiusdem Philippi Regis literę in eorum fauorem datę, quarum tenor ſequitur. *Notum facio ego Rex vobis Præfecto Braſilis, cæterisq; eiuſdem Regionis Iudicibus, Officialibus atq; quibusuis alijs, præſertim verò Pernambucanæ Prouinciæ perſonis, ad quos ex munere ſpectat, quatenus meæ voluntatis ſit, omninoque deſiderem, inſuper & præcipiam, vt Franciſcanis fratribus (de quibus in ſupplicatione Georgij Alburquerquij Coeiho Pernambucanæ Prouinciæ Præfecti nobis facta mentio fit latior) omne auxilium, omnem fauorem, ac omne denique patrociniũ opportunè, & vlla abſque tergiuerſatione præſtetis: vt tandem mandatum, cuius tenor ab harum tergo habetur,* (tenebant ſiquidem noſtræ literæ poſteriorem folij partem, anteriorem verò regiũ diploma, ex quo iſta tranſumpta ſunt) *ſibi à ſuo generali Miniſtro datũ, executioni, quantò citius fieri poſſit, mandare valeant. Nã & diuinus honos, quẽ præ oculis ſemper habemus, & obſequiũ nobis debi-*
B *tum id exigũt. Præterea volumus, vt hæ litteræ eandẽ vim, ac ſi per nos ipſos factæ, propriaq; manu exaratæ eſſent, prorſus obtineãt, non obſtãte ordinatione 2. lib. c. 20. qua contrarium cauetur. Frãciſcus Nũneſius de Paiua hæc ſcripſit Olyſipponis 29. Maij 1584. Præfatæ patẽtes patris Miniſtri generalis literæ ab iſtarũ tergo ſcriptæ ſunt per Franciſcũ Nũneſiũ de Paiua noſtræ Cameræ Notariũ: quibus adiectũ eſt, quatenus noſtro iuſſu, noſtroq; nomine præſentes literas ſubſignauerit. Rex.* Fuit igitur (vt ex præcedẽtibus patet) hæc S. Antonij de Braſile Cuſtodia à me primùm erecta ſub anno Domini 1584. eodemq́ue tempore Prouinciæ S. Antonij apud Luſitanos adiecta. A cætero præfata hæc S. Antonij Cuſtodia vnicum tantũ conuentum (de quo paulò inferius) impræſentiarum continet, contentura breui, Deo fauente, plura. Nam ea eſt Luſitanorum iſtis in partibus degentium ad noſtrum Ordinem animi propenſio, eaque Braſilẽſium infidelium ad Chriſti fidẽ conuerſionis ſpes,
C vt iſta nobis polliceri faciat His accedunt fauores, & priuilegia Braſilenſi huic Cuſtodiæ à ſanctiſſimo Domino Sixto Papa V. anno Dominicæ incarnationis 1586. Apoſtolici cuiuſdam breuis virtute conceſſa, vt videlicet pater huius Cuſtodiæ Cuſtos pro tempore exiſtens vel per ſe ipſum, vel per quamcunque aliam perſonam (idoneam tamen) ad id ab eo deputatam, ad prouincialia præfatæ Prouinciæ Sancti Antonij Comitia ſe conferre, & in huiuſmodi Comitijs votum in rebus maximè publicam iſtius Cuſtodiæ vtilitatem concernentibus habere; ac tam ex dicta S. Antonij, quã alia ex quacunq; Frãciſcani Ordinis Prouincia fratres, qui tamẽ iſta in Cuſtodia vtiles fore viſi ſint, & ad eam traijcere voluerint, aſſumere, ſecum ducere, atq; ei perpetuò mãcipare apoſtolica authoritate queat; vtq́ue ij iſtius Cuſtodiæ fratres, qui ad prædicationis munus obeundum, & ad ſacramentales fidelium confeſſiones excipiendas habi-
D les fuerint, prædicare, atq; huiuſmodi confeſſiones excipere valeant: & vt fratres in ſacro presbyteratus ordine conſtituti, baptiſmi, & matrimonij, nec non quæcunq; alia ſacramenta eccleſiaſtica miniſtrare, eccleſias quoque, & in eis altaria in locis de nouo ad fidem conuerſorum erigere, & in eis rem diuinam facere, inſuper oratoria, & eremitoria eidem Cuſtodiæ pro tempore concedenda regere, & adminiſtrare poſſint: vt etiam ſingularum domorum hac in Cuſtodia pro tempore canonicè erectarum miniſtri, & fratres omnibus & ſingulis priuilegijs, prærogatiuis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, indulgentijs, & alijs gratijs tam ſpiritualibus, quàm temporalibus, quibus aliarum eiuſdem Ordinis ædium quarumcunq; Prouinciarum, & Cuſtodiarũ miniſtri, & fratres in dictis partibus de Braſil, & Peruaco Regno exiſtentes vtuntur, potiuntur & gaudent, ac vti, potiri & gaudere poſſunt, & poterunt quomodolibet
E in futurum, pariter vti, potiri & gaudere liberè & licitè valeant. Vtq́ue tandem præfatæ huius Cuſtodiæ fratres nec ab Ordinario, nec à quacunque alia perſona impediri, moleſtari, inquietari, aut perturbari debeant, quò minus pręfatis priuilegijs fruantur, iniunctaque ſibi munia liberè exerceant.

De conuentu B. Mariæ ad Niues.

CVM igitur ſe primùm fratres ex ſæculari domo (cuius meminimus) ad aliam ſibi à Tertiaria illa Franciſcana præparatam 5. Octobris, anno verò Dñi 1585. tranſtuliſſent, eã in commodiſſimi conuẽtus formã ex eleemoſynis vltrò, atq; ſumma liberalitate oblatis trãsferendã curarũt. Adiacebat huic domui pulcherrima eccleſia, omniq;

omniq; ex parte perfecta à præfata Tertiaria in honorem S. Mariæ ad Niues ædifica- A
ta. Hãc cùm quidam alterius Religionis patres, antequam noſtri ad has partes trãſfre
tarent, à ſe inſtantiſſimè petijſſent, nunquam tamen eam impetrare potuerunt: eiuſq;
rei in cauſa fuit, quòd ipſa quaſi præſago ſpiritu fratrum noſtrorum ad has partes ad-
uentum præuidiſſet, mordicusque aſſereret, voluiſſe ſe quidem illis habitationem præ-
parare: ne, dum circa conuentus ædificationẽ ſolicitius occupantur, à diuini verbi præ-
dicatione abſtrahi ſe contingeret. Alluitur denique hęc ſacra domus maritimis flucti-
bus, atque in pręcipua totius oppidi parte ſedem obtinet: qua etiam de cauſa à fideli-
bus maximè frequentatur, decemque fratres, qui die, noctuque tum infidelium illorũ
populorum, tum quoque fidelium ſaluti inuigilant, commodiſſimè continet. Ab hoc
conuentu Orientem verſus inuenire licet Baiæ, quæ maritima ciuitas eſt, diſtatque ab
hoc loco 300. milliarijs, eoque amplius, pulcherrimam aliam eccleſiam, quam Minori-
ta quidam natione Hiſpanus, dum iſtàc tranſiret, ædificandam curauit. Hanc etiã Ba- B
iani ciues ad conuentus dignitatem promouere affectantes, in dies tum literis, tũ quo-
que nuntijs inſtãt, vt aliquot ad ſe fratres mittantur, qui huiuſmodi operi intendant.
Sũt quoq; & quãplurima iſtis in partibus oppida, quæ idipsũ obnixè petunt: quibus ta
men ob fratrũ penuriam ſatisfieri non poteſt. Vnde meritò dicere poſſumus, quòd *meſ-
ſis quidem multa ſit, operarij verò pauci*. Speramus tamen quòd Deus opt. max. tantæ
occaſioni pro ſua clementi bonitate minimè ſit defuturus, immo quod quãplurimos
operarios in meſſem ſuam aliquando mittere dignabitur, quodque tandem hęc Cu-
ſtodia in Prouinciam ſatis amplam aliquando euaſura ſit.

Colophonem, ad laudem & gloriam ſanctiſſimæ Trinitatis atque indiuiduæ vni-
tatis, & in honorem beatę Mariæ ſemper virginis, nec non & ſeraphici P.N. Franciſci, C
huic noſtro operi additurus, indultũ S.D. N. Sixti V. Pont. max. quo fratribus noſtris
paterna liberalitate, ac apoſtolica authoritate concedit, vt liberè, licitè, & abſque ali-
quo conſcientiarum ſcrupulo, aut cenſurarum & pænarum incurſu omnes conuentus,
quos vbique terrarum poſſidemus, perpetuò retinere, nec non in eorum pacifica poſ-
ſeſſione remanere poſſimus, in medium adducere decreui: quod eſt huiuſmodi.

SIXTVS PAPA V.

*DILECTE fili, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cùm, ſicut nobis nuper
expoſuiſti, tu annis proximè lapſis pro iniuncto tibi Miniſteriatus tui generalis
Ordinis fratrum Minorum de Obſeruantia onere, omnes, & ſingulas præfati Or-
dinis Prouincias, tam in Italia, quàm extra eam exiſtentes viſitaueris, multaſq;
domos, eccleſias, & loca Ordinis præfati, ab eorum Miniſtris, Cuſtodibus, ſeu Guar-* D
*dianis, & fratribus retineri reperieris, abſque eo quod ipſi Miniſtri, ſeu Guardiani, & fratres de
aliquo eccleſiarum, & domorum ac locorum huiuſmodi titulo ſeu conceſſione à Sede apoſtolica,
vel aliàs legitimè habita & facta docere valeant, cùm dictæ conceſſiones aut non obtentæ, vel
non expeditæ, ſeu dictarum domorum Miniſtrorum, Guardianorum, ſeu Cuſtodum incuria, ſiue
etiam ob bella, aut depopulationes, vel alios caſus ſiniſtros, aut aliàs deperditæ ſint, quamuis do-
mus, & Eccleſiæ, ac loca prædicta, ab eorum Miniſtris, ſiue Guardianis, & fratribus bona fide,
ac pacificè & quietè poſſideantur. Tuq; nobis humiliter ſupplicaſti, vt potiori pro dictorum Mi-
niſtrorum, Cuſtodum, ſiue Guardianorum & fratrum conſcientiarum ſecuritate, & cautela, tibi,
dictiſq; Miniſtris, Cuſtodibus, ſiue Guardianis, & fratribus in præmiſſis de aliquo opportuno
noſtro, & Sedis apoſtolicæ remedio prouidere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igi-* E
*tur pro noſtri paſtoralis officij munere, tuiſq; ſupplicationibus in hac parte inclinati, in præmiſ-
ſis opportunè prouidere, dictarumq; domorum, & eccleſiarum, ac locorum qualitates, & quanti-
tates, aliaq; neceſſaria exprimenda hîc pro plenè, & ſufficienter expreſſis habere volentes, teq;
ac dictos Miniſtros, Guardianos, ſeu Cuſtodes & fratres à quibuſuis excommunicationis, ſuſpen-
ſionis, & interdicti, alijſq; eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure vel ab homine, quauis
occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtitis, ad effectum præſentium dun-
taxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, tibiq; ac cæteris Mini-
ſtris, Cuſtodibus, ſeu Guardianis & fratribus dicti Ordinis, nunc & pro tempore exiſtentibus, vt
quæcunque loca, domos & eccleſias, quæ vos in hanc vſque diem, in quibuſcunq; mundi partibus,*

ac etiam

ac etiam inſulis,& Regnis nouis Indiarum Occidentalium,& Orientalium quomodolibet,ea videlicet,quæ à decem annis ſuprà, quæ verò à decem annis citrà de conſenſu Ordinariorum poſsidetis liberè, & licitè, ac abſque aliquo conſcientiarum veſtrarum ſcrupulo, aut cenſurarum, &
A *pœnarum incurſu,etiamſi de illorum conceſsionibus à Sede apoſtolica, vel aliàs quomodolibet factis,ac fieri neceſſarijs nullibi,vt præmittitur,appareat,perpetuò retinere & poſsidere,ac in eorũ quieta,& pacifica poſſeſsione remanere,illamq; in omnibus & per omnia perinde ac ſi antequàm loca,domos, & eccleſias huiuſmodi, & eorum ſingula recepta fuiſſent de illis recipiendis competens,& ſufficiens facultas à Sede apoſtolica & locorum Ordinarijs,in quorum ciuitatibus,& diœceſibus conſiſtunt, obtenta fuiſſent,continuare valeatis,apoſtolica authoritate præſentium tenore concedimus,necnon eccleſijs, domibus & locis prædictis,illorumq; Miniſtris,Guardianis,ſeu Cuſtodibus,& fratribus nunc,& pro tempore exiſtentibus,vt omnibus & ſingulis priuilegijs, libertatibus,immunitatibus,exemptionibus,prærogatiuis,antelationibus,præeminentijs,indultis, fauoribus,gratijs,conceſsionibus,indulgentijs,& peccatorum remiſsionibus, & relaxationibus,*
B *quibus aliæ dicti Ordinis eccleſiæ,domus & loca,quæ à principio de eiuſdem Sedis apoſtolicæ, & Ordinariorum locorum licentia recepta,& ædificata fuerunt,eorumq; Miniſtri, Guardiani, ſeu Cuſtodes, & fratres ac aliæ perſonæ, tam de iure,vſu, conſuetudine, priuilegio, & conceſsione quàm aliàs quomodolibet in genere vel ſpecie vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti potiri & gaudere poſſunt,& poterunt quomodolibet in futurum ipſi ſimiliter, ac pariformiter & ſine vlla penitus differentia vti,potiri,& gaudere liberè,& licitè valeant,indulgemus. Decernentes inſuper te,ac Miniſtros,Cuſtodes ſeu Guardianos,& fratres eccleſiarum,domorum, & locorum prædictorum de cætero ad docendum de facultate ſiue licentia recipiendi eccleſias, domos & loca prædicta ab eadem Sede, & locorum Ordinarijs obtenta aliàs quàm per præſentium oſtenſionem, quam vbique,tam in iudicio quam extra, præter quàm quod ad docendum de dicto conſenſu Or-*
C *dinariorum,in his quæ poſsidetis à decem annis citra, ſufficere volumus pro ſufficienti,& plena probatione omnium,& quorumcunque neceſſario probandorum ad effectum conſequendi præmiſſa,hiſq; omnibus plenariè fruendi,minimè teneri, nec obligatos exiſtere. Sicq; per quoſcunq; Iudices, & Commiſſarios ordinarios & delegatos etiam Palatij apoſtolici cauſarum Auditores, & S. R. E. Cardinales,ſublata eis,& eorum cuilibet,quauis aliter iudicandi,diffiniendi, & interpretandi facultate iudicari,diffiniri, & interpretari debere, ac quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum, & inane decernimus. Non obſtantibus præmiſsis, ac feli. record. Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri de nouis locis per Mendicantes, abſque dictæ Sedis licentia non recipiendis, & quibuſuis alijs conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Volumus autem*
D *quòd præſentium tranſumptis ſeu copijs in opere nouo de omnibus domibus,eccleſijs & locis prædicti Ordinis, eaq; concernentibus propediem te authore in Typographia Romana dilecti filij Dominici Baſſæ cudendo,aut etiam ſeparatim imprimendis,& à te,ſeu pro tempore exiſtente Miniſtro ſeu Commiſſario generali Ordinis præfati ſeparatim imprimendis,ſubſcriptis, & ſigillo officij Generalatus ſeu Commiſſariatus huiuſmodi munitis eadem prorſus vbique fides tam in iudicio, quàm extra dictis in dicto opere ac ſeparatim imprimendis adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi originaliter exhibitæ,vel oſtenſæ forent. Datum Romæ apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris Die iij. Septembris 1586. Pontificatus noſtri anno ſecundo.*

Tho. Thom. Gualterutius.

FINIS.

AD LECTOREM.

HOC tibi lector habe, cupies cognoſcere facta
Qui Franciſcanæ Religionis, opus:
Omnia namq; ſimul diſces ab origine prima,
Quæ loca, quæ ratio, gloria quanta virùm:
Tum quos doctrina inſignes vel murice tellus
Eſt mirata, poli tum quibus aula micat:
Quo fuerint etiam reuocati ad priſtina mores
Tempore, quo leges, qui tulerintq; nouas:
Traxerit vnde ſibi tantum Obſeruantia nomen,
Cui decimus titulos, ſigna deditq; Leo.
Nec ſolùm veteri narrat bene cognita terræ;
Afferet ipſe domos Indus vterq; ſuas.
Auctorem vis noſſe? dedit Gonzaga Miniſter,
Qui maiora poteſt, hæc monumenta tibi.

Io. Antonij Peretti Tarentini.


Conſecro diue tibi primo Gonzaga Miniſter.
Poſt decies quintū ſextus at ipſe patri,
Octo Suſtinui quos annos, mille labores
Tum Succeſsores hæc monitura meos:
Annuę Franciſci Voto Franciſce; tuosq;
Seruare æternum ſcripta notata, iube.

INDEX OMNIVM CONTENTORVM IN HOC LIBRO

Prima pars progreſſus, atque rerum notabilium Religionis Franciſcanæ iuxta eius œconomiam.

BEATISSIMI P. Franciſci ſæcularis conuerſatio, origo atque conuerſio pag. 1
Primi Franciſcanorum Ordinis inſtitutio 1
Secundi Ordinis Clariſſarum videlicet initium 3
Tertij Ordinis S. Franciſci exordium ibid.
Minoritici Ordinis declinatio, ac Cæſarenorum patrum initium 4
Patrum Clarenorum exordium, progreſſus, atque diuiſio ibid.
Obſeruantiæ regularis exordium apud Italos 6
De ſchiſmate tum in Eccleſia catholca, tum quoque in noſtro Ordine oborto 7
Origo regularis Obſeruantiæ apud Gallos 8
Ortus regularis Obſeruantiæ apud Hiſpanos 9
Origo regularis Obſeruantiæ in Portugalia 10
De primo Capitulo generaliſſimo 11
De ſecundo Capitulo generaliſſimo 13
De Vicariorum generalium iuriſdictione, & authoritate 14
De Eugenianæ bullæ viciſſitudine 15
De tertio Capitulo generaliſſimo 16
De quarto generaliſſimo Capitulo ibid.
De quinto Capitulo generaliſſimo 17
Patrum Caperolanorum inſtitutio 19
De Clarenorum reditu ad generalis Miniſtri obedientiam ibid.
Amadeorum fratrum origo, atque progreſſus 20
Conceptioniſtarum ſororum inſtitutio, atque auctrix 21
Coletanorum fratrum, atque monialium ortus 24
De ſexto Capitulo generaliſſimo 25
Quo pacto Clareni, Amadei, Coletani, atque fratres de S. Euangelio Obſeruantibus adhæſerint 27
De ſeptimo Capitulo generaliſſimo, & cauſis celebrationis eiusdem 28
Breue citatorium S. D. N. Leonis PP. X. pro Capitulo celebrando ibid.
De generalis Miniſteriatus, ac ſigillorum tranſlatione à patribus Conuentualibus ad Obſeruantes 29
Humilis ac pia generalium Vicariorũ ſubmiſſio 30
Vicariorum prouincialium ad Miniſteriatum, ac Diſcretorum ad Cuſtodiatum euectio ibid.
Vnionis bulla Leonis Papæ X. ibid.
Electio primi generalis Miniſtri ex obſeruantum familia 35
De quibuſdam decretis ſeptimi Capituli generaliſſimi 36
Generalium Vicariorum, & primò quidem Citramõtanorum ſeries 37
Vltramontanorum generalium Vicariorum catalogus 38
Bulla concordiæ inter Miniſtrum generalem totius Ordinis S. Franciſci, & Magiſtrum generalem patrum Conuentualium 41
Numerus, & nomina Prouinciarum, ex quibus Franciſcana regularis Obſeruantia ante ſeptimum generaliſſimum Capitulum conſtabat, & earum ex quibus modò conſtat 44
Prouinciarum Citramontanarum ante ſeptimum generaliſſimum Capitulum ſeries 45
Vltramõtanarum Prouinciarum ante ſeptimum generaliſſimum Capitulum catalogus 46
Prouinciarum Obſeruantum Ciſmontanorum poſt ſeptimum generaliſſimum Capitulum numerus, atque nomina ibid.
Prouinciarum Obſeruãtum tum Vltramontanorũ, tum Indiarum poſt ſeptimum Capitulum catalogus 47
Vniuerſi Ordinis Franciſcani Obſeruantis tum generalia, tum quoque prouincialia ſigilla 48
Sigilla Ciſmontanæ familiæ 49 & 50
Sigilla Vltramontanę familiæ 54
Sigilla Indiarum 59
De Franciſcani Ordinis perfectione, patrumque Capucinorum origine, ac diſcrimen inter Obſeruãtes atq; patres Conuentuales Minoritas 61
Reformatorum, atque Recollectorum patrum exordium 62
Certiſſima generalium Miniſtrorum ſeries 63
Vniuerſorum generalium Miniſtrorum figuræ 64
Quid ſibi Protectoris munus velit, & quare à B. Frãciſco inſtitutum 68
Catalogus Protectorum Ordinis S. Franciſci 70
De Franciſcani Ordinis dignitate, atque excellentia 72
Summi Pontifices, qui ex ſeraphico Ordine prodière 73
Cardinales ſacri Ordinis ſeraphici 75
Ex Ordine S. Franciſci Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi 79
Scriptores illuſtres ſacri Ordinis Minorum ibid.
De Franciſcani Ordinis excellentia 91
Sacri Ordinis Minorum Sancti, diuorum catalogo aſcripti ibid.
Beati ſeraphici Ordinis 92
Beati ſecundi, atque tertij Ordinis 100
Martyres Ordinis Minorum, & primò in Prouincia Franciæ 101
Martyres in Prouincia Francię Pariſienſis ibid.
In Prouincia Turonię 102
In Prouincia S. Bonauenturæ ibid.
In Prouincia Aquitaniæ Reformatorum ibid.
In diuerſis alijs partibus Franciæ ibid.
In Prouincia Germaniæ inferioris apud Belgas 103
In Prouincia Flandriæ apud eoſdem Belgas 104
In Anglia ibid.
In Hybernia 105
Apud Indos Occidentales ibid.
Apud Indos Orientales ibid.
De Ordinis Minoritici munijs, eorum authoritate, deq; his, quæ mediatè aut immediatè generali Miniſtro ſubſunt. 106
Terræ ſanctæ loca, ſiue Cuſtodia ibid.
De conuentu Montis Sion 108
De conuentu S. Sepulcri 109
De conuentu Bethlehemitico ibid.
De conuentu Vallis Ioſaphat 110
De conuentu Baruthi ibid.

De con-

INDEX RERVM NOTABILIVM

De conuentu Perenſi 111
De eccleſia ciuitatis Nazareth. ibid.
De montis Olìueti prærogatiuis ibid.
De Berhania,& de Iordane ibid.
De Montana Iudęæ 112
De Ebron ibid.
Nazareth ibid.
Damaſcus & de Hieruſalem ibid.
De locis ſanctis apud Aegyptum ibid.
De Alexandria ibid.
De Cairo 113
De Siria,& de Martyribus Terrę ſanctæ ibid.
De his quæ à nouo Terræ ſanctæ Guardiano dum eam cum commiſſa ſibi familia petit exponenda veniũt,deq; his quę occurrũt difficultatibus 114
De almo Pariſienſi conuentu 115
De conuentu S.Marię de Aracæli Romæ 134
De monaſterio corporis Chriſti, ſiue S. Claræ Neapolis 143
De monaſterio S. Marię Magdalenę Neapolis 147
De monaſterio S.Mariæ Aegyptiacæ Neapolis 148
De pænitẽtiaria ſacroſanctę Lateranẽſis eccleſię 149
De monaſterio S. Marię de Cõſolatione Madriti 152

Secunda huius operis pars omnes Prouincias omnesq; tum fratrum, tum quoque ſororum Citramontanæ familiæ conuentus continens.

Prouincia S.Franci. habens 40.con.& 22.mo. 155.c
Prouincia Romana 39.con.& 14.mon. 177.a
Prouincia Marchiæ 57. con. & 15. mon. 195
Prouincia Tuſciæ 51.con.& 22.mon. 221
Prouincia Bononiæ 33.con. & 17.mon. 165
Prouincia S.Antonij 40. con. & 19.mon. 291
Prouincia Genuę 62. con. & 22. mon. 325
Prouincia Mediolani 35. con. & 15.mon. 341
Prouincia Principatus 25.con.& 3.mon. 367
Prouincia ſeptem martyrum 21. con.& 1.mon 377
Prouincia Siciliæ 50.con. & 4.mon. 385
Prouincia S.Nicolai 48.con.& 12.mon. 399
Prouincia S.Bernardini 26.con. & 3.mon. 409
Prouincia S. Angeli 30.conu. 419
Prouincia Dalmatiæ 19.con. & 4.mon. 431
Prouincia Candiæ 12.conu.& 2.mon. 439
Prouincia Boſnæ Croatiæ 7. conu. 443
Prouincia Auſtriæ 5.conu. & 1. mon. 447
Prouincia Boemiæ 29.conu. 453
Prouincia Polonię 26.conu. 463
Prouincia Corſicæ 30.conu. 475
Prouincia Raguſij 9.conu. & 2.mon. 483
Prouincia Brixię 33.con.& 10.mon. 487
Prouincia Baſilicatæ 25.conu.& mon.1. 501
Prouincia Vngarię S. Saluatoris 4.conu. 507
Ptouincia Boſnæ Argentinę 14. conu. 511
Prouincia Vngariæ S.Mariæ 53.con. & 1.mon. 517
Prouincia Terræ laboris 31.conu.& 9.mon. 521
Prouincia Tirolenſis 4.conu. & 2.mon. 535
Prouincia Calabrię 22.conu. & 1.mon. 539.
Cuſtodia Albaniæ 5. conu. 547

Tertia huius operis pars omnes Prouincias, omnesq; tum fratrum, tum quoque ſororum Vltramontanæ familiæ conuentus complectens.

Prouincia Franciæ 40.conu. & 18.mon. 551
Prouincia Franciæ Pariſienſis 22.con.& 32.mo. 581
Prouincia Caſtellæ 28.conu. & 38.mon. 603
Prouincia Saxoniæ S.Crucis nullus 661
Prouincia Turoniæ 36.conu. & 5.mon. 667
Prouincia Turoniæ Pictauiẽſis 24.con.& 4.mo. 685
Prouincia Aragoniæ 19.conu.& 9.mon. 699
Prouincia Argentinę 8.conu. & 7.mon. 715
Prouincia Aquitaniæ antiquioris 33.conuen. & 8. monaſt. 721
Prouincia S.Iacobi 37.conu. & 21.mon. 735
Prouincia Coloniæ 21.conu. 3.& mon. 769
Prouincia S.Bonauenturę 50.conu.& 12.mon. 777
Prouincia Portugalię 26.conu.& 22.mon. 793
Prouincia S.Ludouici 29.conu. & 7. mon. 817
Prouincia Hiberniæ nullus 845
Prouincia Scotiæ 9.conu. 848
Prouincia Daciæ nullus 851
Prouincia Anglię nullus 856
Prouincia Conceptionis 36.conu. & 38.mon. 861
Prouincia Britanuiæ 10.conu. 887
Prouincia Bęticæ 31.cono. & 15.mon. 893
Prouincia Burgenſis 12.conu. & 13.mon. 917
Prouincia Angelorum 16.conu.& 8.mon. 929
Prouincia pietatis 28.conu. 941
Prouincia S.Gabrielis 28.conu. 949
Prouincia Carthaginenſis 31.con.& 17.mon. 967
Prouincia Flandrię 17.conu.& 6.mon. 983
Prouincia Germanię inferioris 32.con.& 4.mo. 991
Prouincia Algarbiorum 30.conu.& 22.mon. 1005
Prouincia Maioricarum 7.conu.& 3.mon. 1019
Prouincia Aquitanię recentioris 43.conu. 1025
Prouincia S.Michaelis 23.conu.& 9.mon. 1035
Prouincia Cantabrię 21.con.& 7.mo.& ter.21. 1049
Prouincia S.Andreæ 22.conu. 1065
Prouincia Sardiniæ 7.conu.& 2.mon. 1075
Prouincia Valentię 26.conu.& 8.mon. 1081
Prouincia Cathalonię 24.con. & 9.mon. 1099
Prouincia Arrabidorum 14.conu. 1123
Prouincia S.Ioſeph 33.conu. 1131
Prouincia S.Antonij portugalię 15 conu. 1153
Prouincia S.Ioannis Baptiſtę 16.conu. 1163
Prouincia Granatenſis 26.conu.& 20.mon. 1167

Quarta huius operis pars omnes Prouincias, omnesq; tum fratrum, tum quoque ſororum conuentus Indiarum complectens.

Prouincia Canarię 8.cono.& 1.mon. 1187
Prouincia S.Crucis in inſula Hiſpaniola 6. conu. & 1. monaſt. 1195
Prouincia S.Thomę apud Indos Oriẽtales 12. con. & 6.colleg. 1201
Prouincia S.Euangelij 67.con. 1.mon. 1221
Prouincia SS.petri & pauli 47.conu. 1281
Prouincia S.Ioſeph de Iucatan 22.conu. 1305
Prouincia duodecim apoſtolorum 23.conu. 1311
Prouincia S.Franciſci de Quito 11.con.1.mo. 1321
Prouincia Nominis Ieſu de Guatemala 15.con. 1327
Prouincia S.Georgij de Nicaragua 12.conu. 1335
Prouincia ſanctę fidei noui Regni Granatę 12. con. 1.monaſt. 1341
Prouincia ſanctę Trinitatis de Chile 12.conuen. 1.monaſt. 1347
Prouincia S. Gregorij in noua Hiſpania conuen. 6: hoſpit. 1. 1351

INDEX PRIVILEGIORVM
quorum originalia habentur in locis noſtris.

PRIVILEGIA *Terræ ſanctæ conceſſa à diuerſis ſummis Pontificibus, quorum bullæ cum authenticis originalibus conſeruantur in archiuis ſacri montis Syon.*

I. Abſoluere poſſunt in Terra ſancta ab omnibus ferè caſibus.

II. Baptizare poſſunt, & diſpenſare.

III. Confiteri poſſunt præsbyteris ſæcularibus.

IIII. Poſſunt diſpenſare cum irregularibus.

V. Poſſunt diſpenſare in cæſibus ferè omnibus diſpenſatione indigentibus.

VI. Poſſunt expellere Chriſtianos, malè viuentes per cenſuram eccleſiaſticam.

VII. Poſſunt recipere noua loca.

VIII. Poſſunt recipere Ordines extra tempora.

IX. Poſſunt emere, vendere, commutare, & accipere computum à Procuratore.

X. Guardianus montis Syon habet authoritatem delegati in partibus Orientis.

XI. Guardianus poteſt diſpenſare in aliquibus ſuper rigore Regulæ ſecundum neceſſitatem.

XII. Guardianus poteſt retinere capſam eleemoſynæ apud ſe.

XIII. Poſſunt vota commutare demptis Hieroſolymitano SS. Petri, & Pauli, & Religionis.

XIIII. Poſſunt participare cum excommunicatis, hæreticis, ſchiſmaticis, & infidelibus.

XV. Guardianus montis Syon poteſt ad ſe vocare fratres voluntarios ex Prouincijs absq; conſenſu Miniſtrorum.

XVI. Guardianus habet auctoritatem ſuper ſacerdotes ſæculares, & laicos etiam.

XVII. Poſſunt ante diem celebrare parcè tamen, & multa alia vide paginam. 107. vſq; ad 108.

In conuentu Pariſienſi ſunt duo diplomata vbi fratres commendantur. 115

Diploma in fauorẽ fratrũ Minorũ, & Prædicatorũ. 117

Aliud diploma contra libellũ Gulielmi de S. Amore. ibid.

Aliud indulgentiæ audientium prædicationem in conuentu Pariſienſi.

Diplomata plurima canonizationis & commendationis aliquorum SS. Ordinis. 124. & 125

Exemptiones à ſolutione decimarum. 125

Tranſumptum Martini V. quo permittit conuentus noſtros habere Procuratores, ſiue Syndicos. ibid.

Cõceditur fratribus prædicare, celebrare audire cõfeſſiones in parochijs etiam Parochianis reclamãtibus. ibi.

Prohibetur omnibus habitum noſtri Ordinis vel ſimilem deferre. ibid.

In conuentu Aracæli.

Sunt bullæ declarantes ac conſtituentes præfatum conuentum eſſe ſub protectione DD. Conſeruatorũ. S.P.Q.R. Bulla conceſſionis conuentus. ibid.

Aliæ bullæ videlicet quod fratres. Ordinis non poſſunt cogi ad proferendum ſententias contra Principes vel communitates. ibid.

Quòd poſſint ſepelire in ſuis eccleſiis mortuos quoſdã. ibi.

Indulgẽtiæ cõſequẽdæ à viſitantibus tẽplũ Aracæli. ibid.

Ne Epiſcopi moleſtent Minoritas. ibid.

Poſſunt eorum Prælati apoſtatas Ordinis in quocunq; habitu inuenerint excõmunicare capere & punire. ibid.

Fratres ab Epiſcopis rogati poſſunt ingredi monaſteria monialium. ibid.

Prælati in correctione iuris apices ſeruare nõ tenẽtur ibi.

Fratres admiſſi ad confeſſiones audiendas ab Epiſcopis etiam ipſis mortuis, donec alind ordinatum fuerit, audire poſſunt dictas confeſſiones. ibid.

Quòd Epiſcopi compellant redire nouitios, qui habitum noſtrum detulerint per annum. ibid.

Quædam approbatio renunciationis conuentu S. Hieronymi de Vrbe. ibid.

Ne patres Dominicani Frãciſcanos ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna absq; Prælatorum ſuorum licentia recipiant. ibid.

Quòd Iudices ſuper cauſas conuentus Aracæli & S. Frãciſci Tranſtiberim ſummariè procedant. 137

Quòd Procuratores Aracæli redditus, qui ibi erant, expẽdant in reparatione dicti conuentus. ibid.

Quædam bulla in tutelam fratrum Aracæli. ibid.

Bulla vbi præcipitur Senatori, & Conſeruatoribus, vt præfatum conuentum protegant. ibid.

Quòd fratres Minores poſſint habere oratoria et in ipſis viatico altari celebrare poſſint. ibid.

Vt cuncti fideles diem S. Franciſci feſtiuè celebrare teneantur. ibid.

Quòd Epiſcopi in eorum diœceſibus poſſint diſpenſare ſuper quaſcunq; irregularitates, & abſoluere ab excommunicatione quacunq; dummodo exceſſus non ſint nimis graues. ibid.

Quòd fratres in terris infideliũ poſſint cõuerſari cũ excõmunicatis ipſosq; ab excõmunicatione abſoluere. ibid.

Quòd fratres Ciſtercienſes non poſſint recipere fratres Minores. ibid.

Quòd nouitij non ſint profeſſi ante annũ completũ. ibid.

Quòd Epiſcopi non exigant obedientias manuales à fratribus. ibid.

Quòd omnes fratres degentes apud infideles poſſint abſoluere excommuoicatos ibid.

Quòd Prælati noſtri Ordinis poſſint abſoluere fratres tã nouitios, quàm profeſſos ab excõmunicatione, dummodo exceſſus non ſint nimis graues ibid.

Quòd nemo noſtro habitu vti poſſit. ibid.

Quòd Prælati poſſint fratres delinquentes excommunicare & punire & c. ibid.

Quòd nullus profeſſus, qui habitum noſtrum dimiſerit poſſit recipi à quacunq; Religione. ibid.

Quòd Prouinciales Miniſtri cum Diffinitoribus posſint approbare prædicatores 138.

Quòd Miniſtri prou. fratres ſibi ſubditos à qualibet excõmunicatione, & irregularitate tã poſt, quàm ante ingreſſum Religionis contracta abſoluere poſſint. ibid.

Quòd fratres noſtri in locis interdictis commorari & ab eorum accolis licèt interdictis ſiue excommunicatione irretitis eleemoſynas petere posſint. ibid.

Quòd conuentus noſter Caprariolæ erectus conceditur. ibid.

Quòd nullus nouitius ante probationis annum expletum recipiatur ad profeſſionem. ibid.

Quòd Clariſſæ ſorores ad decimas Curatis ſoluendas nõ teneantur. ibid.

Quòd recipiẽs nouitiũ ad profeſſionẽ ante expletũ annũ ab officio ſuſpendatur & à Prælatis grauiter puniatur.

Quòd

INDEX BVLLARVM.

Quòd Epiſcopi, ſiue quicunque alij Prælati Minoritas aliquo modo non grauent: quòd ſecus facientes coerceantur ab Epiſcopis Piſano, Anconitano & Tudertino. ibid.

Quòd Minoritæ ab Ordine expulſi ad ſacras militias ſiue ordines armis contra infideles vtentes tranſire non poſſint. ibid.

Quòd diſcoli Minoritæ ad quẽcunq; aliũ Ordinẽ præter militarẽ à ſuis ſuperioribus admitti poſſint. ibid.

Quòd Epiſcopi prædicatores Minoritas à prædicatione non impediant. ibid.

Quòd generalis Miniſter quoſcunq; ſibi ſubditos fratres etiã procerum obſequijs deſtinatos viſitare, & corrigere poſſit. ibid.

Quòd Benedictini cedant loco Aracælitano. ibid.

Quòd Franciſcanæ Religionis Procuratores ſiue Syndici circa ea, quæ fratribus ex teſtamento relinquuntur, in iudicio, & extra, ac ſi ad ſe pertinerent, facere poſſint. ibid.

Quòd Romanæ ciuitatis Senator, Conſeruatores, aut alij, quicunq; illi fuerint, Iudices in Aracælitano conuentu ius habere non dicant. 139

Quòd Franciſcanorum Prælati tum fratres, tum quoq; ſorores de tertia B. P. Franciſci Regula viſitent, atq; corrigant, illiſq; ſacramenta miniſtrent. ibid.

Declaratio noſtræ Regulæ à Nicolao Pont. ibid.

Confirmatio eiuſdem Regulæ ab eodem. ibid.

Quòd teſtimoniales literæ à Gregorio IX. de ſacris ſancti Franciſci ſtigmatibus latè confirmantur. ibid.

Quòd Minoritæ Obſeruantes frui queant loco Palatiolæ conceſſo à patribus Cartuſianis. ibid.

De bulla vnionis Pij II. vbi tres aliæ bullæ inſeruntur. ib.

Quòd Vicarij generales electi rati habeantur. ibid.

Quòd voces ſuppleri poſſint abſentium à Capitulis. ibid.

Plenaria indulgentia Aracæli in multis feſtis. ibid.

Quòd confeſſores à Guardiano dicti loci deputati ab omnibus ferè exceſſibus abſoluere poſſint. ibid.

Quòd Minoritæ recipiant hoſpitio fratres Cartuſianos declinantes in loco de Palatiolo. ibid.

Quòd F. Aracœli eleemoſynæ elargitæ, nõ autẽ confraternitatis Confalonis ibidẽ conſtitutæ tribuãtur. ibid.

Sixtus IIII. confirmat omnia noſtra priuilegia ſuorum prædeceſſorum, & quædam à Calixto III. in contrarium edita annullat. ibid.

Conceſſio loci Sermonetæ. ibid.

Quòd Ciſmontani fratres gaudeant priuilegijs Vltramontanorum. ibid.

Immunitas Clariſſarum & Tertiariorũ à decimis. 140

Quòd Obſeruantes tranſeuntes ad Conuentuales poſſint ſuccedere in bonis, & legatis. ibid.

Miniſtri & Guardiani quomodo ſe poſſint habere circa legata. ibid.

Quòd epidimiæ infectos ſub pœna grauiſſima in noſtros conuentus non introducantur. ibid.

Quòd eccleſia Aracæli non deſeruiat pro titulo Cardinalis. ibid.

Quòd moniales noſtræ ſint immunes à decimis. ibid.

Quòd fratres Aracæli non teneantur ſoluere quartam funeralem. ibid.

Quòd fratres noſtri conuentum Crognetanum ſub pœna excommunicationis recipiant. ibid.

Quòd moniales noſtræ à fratribus ſine contradictione poſſideantur. ibid.

Quòd Obſeruantes non tranſeant ad Conuentuales ſine licentia in ſcriptis. ibid.

Quòd Conuentuales ad Obſeruantes poſſint tranſire petita tantùm licentia. ibid.

Quòd Clareni, Amadei &c. tranſeant ad Cõuentuales, vel Obſeruantes. ibid.

Quòd Capucini non recipiant fratres noſtros. ibid.

Quòd loca fratribus Obſeru. conceſſa firma ſint. 141

Quòd Carmelitani cedant fratribus Obſeruantibus locum Toſcanellæ. 141

Quòd Prælati noſtri poſſint abſoluere fratres ab omni exceſſu. ibid.

Leo X. omnia noſtra priuilegia confirmat. ibid.

Breue Leonis X. xenodochium Nageræ nobis concedentis. ibid.

Libri editi à fratre Petro Galatino non amoueantur à biblioteca Aracæli ſub grauiſſimis pœnis. ibid.

Vt fratres Obſeruantes Ciſmontani vel per compromiſſum, vel per ſcrutinium in ſuis electionibus procedere poſſint. ibid.

Vt ſint incapaces hereditatis. ibid.

Vt feſtum quinque martyrum duplex celebretur. ibid.

Vt Franciſcani Obſeruantes prætextu alicuius gratiæ Sedis apoſtolicæ non cẽſeantur liberi ab obedientia. ibid.

Breue Clementis VII. pro Reformatis. 142

Breue Iulij II. vt nemo niſi Minorita poſſit portare calepodia. ibid.

Nullus audeat exigere aliquod vectigalis genus ab aliquo Minorita Obſeruante ſub excõmunicationis pœna, & 50. aureorum. ibid.

Confirmatio priuilegiorum à Paulo III. ibid.

Minoritæ Obſeruantes poſſint audire confeſſiones, & miniſtrare ſacramentũ Euchariſtiæ excepto die Paſchatis. ibid.

Debeãt ſe præſentare Epiſcopis pro confeſſione &c. ibid.

Authoritas ſiue ius generalis, & prouincialis Miniſtri ſupra Clariſſas. ibid.

Vt electio veſtimentorum fratrum, & quorundam ſtent iudicio Prælatorum cum Diſcretis. ibid.

Nullus frater ſine licentia Prælatorum ſuorum poſſit petere loca Hieroſolymitana. ibid.

Breue Pij II. exponentis noſtrum modum viuendi. ibid.

In conuentu ſancti Franciſci de Monte iuxta Peruſiam ſunt literæ apoſtolicæ multæ circa multa negocia, inter quæ eſt, quòd fratres Obſeruãtes, & Clariſſæ moniales à cuiuſcunq; ſiue teſtamẽti, ſiue legati ipſis relicti quarta abſoluendi veniunt.

Bulla canonizationis ſancti Bernardini de Senis. 197.d & 224.c.

Breue Leonis X. confirmatorium bullæ concordiæ. 224

Bullæ canonizationis S. Antonij de Padua, & in fauorẽ S. Franciſci, & alia contra Martinum Lutherum hæreſiarcã, & alia Martini V. quòd valeant inſtituere procuratores, & alia quòd ſorores & fratres tertij Ordinis ſubſint Obſeruãtibus in loco omnium Sanctorum Florentiæ. 228

Breue conſequendi ſemiplenariam indulgentiam viſitando Montem Aluernæ 241. & alia breuia indulgentiarum. ibid.

Breue quòd feſtum S. Franciſci feſtiuè celebretur. 267

Facultas celebrandi officium quinq; martyrum. ibid.

Ne teneantur ad gabellarum ſolutionem fratres Minores. ibid.

Quædam declaratio de ſanguine Chriſti in fauorem B. Iacobi de Marchia. ibid.

Bullæ plurimorũ ſummorũ Pontificũ, quibus, vt fratres Minores mortuos apud ſe ſepelire, eorũq; exequias celebrare, atque annuas eleemoſynas pecuniarias, & legata ex teſtamento relicta, quæ tamen in pios neceſſarioſq; vſus exponenda veniunt, recipere poſſint, atque demũ, vt frater fratri confiteri valeat, cõceditur. 380

Bullæ nonnullæ diuerſorum negociorum conceſſæ B. Ioanni de Capiſtrano. 415

Bulla, ne Epiſcopi accipiant quartã funeralẽ à nobis. 433

Bulla, qua Miniſtri poſſunt concedere, vt fratres aſſumantur ad eccleſiaſticam dignitatem. ibid.

Alia, qua Miniſtri poſſunt corrigere fratres ſeruientes Epiſcopis noſtri Ordinis. 434.

Bulla, qua confirmantur præcedentia priuilegia. ibid.

INDEX BVLLARVM.

Bulla, qua poſſunt abſolui à proprijs Prælatis à ſententia excommunicationis. ibid.
Bulla, qua præſcribuntur certæ leges circa confeſſionem, & prædicationem. ibid.
Bulla, qua poſſunt ſepelire ſæculares apud ſe, & aliæ nonnullæ. 434
Breue, ne ſuccedant ab inteſtato. 488
Quòd Miniſtri poſſint reſeruare ſibi caſus. ibid.
Bullæ compromiſſionis, quòd Vltramontani fratres, & è contra ſint contenti amplecti, quæ fiunt in Capitulis generalibus. 502
Bulla, ne quis à Minorita præſumat deferre habitum Franciſcanorum. 541
Bulla, quòd Minoritæ poſſint eleemoſynas petere ab excommunicatis, & cum eis hoſpitari. ibid.
Bulla aſcribens S. Antonium de Padua catalogo ſanctorum. ibid.
Bulla, quòd nemo ſine licentia generalis vel prouincialis Miniſtri poſſit aſſumi ad eccleſiaſticam dignitatem. ibidem.
Bulla, qua poſſunt fratres ianuis clauſis celebrare tempore interdicti, & aliæ nonnullæ. ibid.
Breuia apoſtolica, quòd nulli permittitur habitum fratrũ Minorum, vel ſimilem deferre. 556
Quòd eiecti ab Ordine poſſint ad alium Ordinem ſe trãſferre. ibid.
Quòd Miniſtri prouinciales poſſint abſoluere ab excommunicatione venientes ad Ordinem. ibid.
Quòd Miniſtri poſſint inſtituere Procuratores. ibid.
Quòd fratres immediatè ſint ſubiecti ſummo Pontifici. ibidem.
Breuia alia, quibus prohibetur omnibus, ne retineãt apud ſe apoſtatas. 558
Quòd dicti apoſtatæ nequeant confeſſiones audire & prædicare. ibid.
Quòd poſſint Miniſtri abſoluere fratres ab iniectione manuum. ibid.
Quòd poſſint cum diffinitoribus Miniſtri prouinciales in capitulo inſtituere Prædicatores. ibidem. & alia breuia quædam. ibid.
Breue, quo prohibetur Mẽdicantibus religioſis, ne audeãt loca ædificare infra ſpatium 300. cannarum ab eccleſiis & conuentibus fratrum Minorum. 559
Aliud, quo Miniſtri generales, & prouinciales, & Cuſtodes poſſint aliquẽ nominare etiam ſæcularẽ, qui authoritate Eccleſiæ valeat coercere ad bona fratribus Minoribus legata eiſdem reddenda. ibid.
Diploma, quo B. Franciſci ſtigmata confirmantur. 564
Diplomata quatuor de indulgentijs Ordini & benefactoribus conceſſis. 571
Aliud de miraculis ſancti Franciſci, & ſacris ſtigmatibus. ibid.
Duo alia pro confeſſionibus audiendis. ibid.
Aliud, quod dicitur mare magnum. ibid.
Aliud de exemptione. ibid.
Aliud de ſpatio locorum ædificandorum. ibid.
Aliud contra violatores eccleſiarum noſtrarum. ibid.
Aliud de approbatione ſtatus Ordinis, & de confeſſionibus audiendis. ibid.
Aliud de ſepulturis, & ne poſſint ad aliquod onus & ſolutiones cogi. ibid.
Aliud, quo declarantur fratres exempti ab Ordinariorum iuriſdictione. 582
Et alia quædam. ibidem. facultas nominandi Procuratores. 671
Facultas celebrandi tempore interdicti, & alia quædam. ibidem.
Quædam aliæ literæ apoſtolicæ. 679. facultas celebrandi in communicatione, & alia permulta. 741
Bulla, quòd fratres Dominicani non poſſunt recipere fratres noſtros ad Ordinem eorum. 995
Bulla, quòd prouinciales Miniſtri poſſunt dare licentiam alijs recipiendi fratres ad Ordinem. ibid.
Bulla, quòd non poſſunt fratres acceptare cauſarum cognitionem. ibid.
Bulla, quòd fratres ingredientes alium Ordinẽ ſine licentia expreſſa noſtrorum Prælatorum non poſſunt habere ibi aliquem gradum. ibid.
Bulla, quòd Epiſcopi valeant fratres diſcurrentes abſoluere & punire. ibid.
Bulla, qua datur facultas recurrendi ad alios Epiſcopos ſi diœceſani ſe exhibuerint difficiles ad conſecrandum eccleſiam. ibid.
Bulla reuocatoria omnium pactorum cum Prælatis ſine licentia Miniſtri generalis vel Capituli generalis. ibidem. Et alia plura. ibid.
Breue, quo cauetur, ne quis alius à Franciſcano Minoritico habitu, vel ſibi ſimili vtatur, & quorundã Franciſcanæ regulæ articulorum declarationes. 1050
Aliud, quo cauetur, ne moniales eiſdem Frãciſcanis ſubiectæ ſub apoſtolici alicuius breuis prætextu confeſſarios, aut viſitatores abſq; ſpeciali ſuorum prælatorum licentia ſibi eligant: & alia quædam. ibid.
Bulla, qua relicta ex teſtamento poſſumus petere in iudicio & extra. 1053
Excommunicantur vim inferentes locis noſtris, & reſeruatur excommunicatio Põtifici vel electo à Miniſtro vel Guardiano. ibid.
Tranſumptum literarũ ad Protectores ſpectantiũ. 1101
Confirmantur priuilegia noſtra. 1171
Literæ apoſtolicæ ad Indos, Prouinciamq́; ſancti Euangelij ſpectantes. 1223
Diplomata confirmantia Prouincias, conuentus, & monaſteria in hoc libro reperies in notationibus dictarũ Prouinciarum, conuentuum, & monaſteriorum.
In calce tandem libri reperies breue S. D. N. Xiſti V. quo omnes conuentus, quos modò poſsidemus, confirmat.

FINIS HVIVS INDICIS.

INDEX

INDEX PROVINCIARVM ET CONVENTVVM.

A

Algarbiorum Prouinciæ conuentus.

SANCTÆ Mariæ de Ieſu Denxabregas. 1005.b
S. Antonij prope oppidum Torres vedras. ibid.d
S.Bernardini prope oppidum Atõguiæ. 1006.a
Boni Ieſu prope pagũ Peniche. ibid.b
S.Antonij prope oppidũ Caſcaes.ibid.b
Beatiſſimæ Mariæ de Succurſu. ibid.b
S. Franciſci prope oppidum Setuual. 1007.b
S.Franciſci Eboræ. ibid.
S.Antonij prope oppidum Alcazeredo-ſal. 1008
Sanctiſſimæ Dominæ noſtræ de Gratijs. ibid.b
S.Franciſci Eſtremoz. ibid.d
S.Franciſci Iuliæ pacis. 1009.a
S.Antonij de Serpe. ibid.b
S.Franciſci de Moura. ibid.c
Dominæ noſtræ de Pietate Meſeranæ. ibid.d
Dominæ noſtræ de Martyribus Aluiti. ibid.e
S.Franciſci Miræ. 1010.a
S.Antonij de Cines. ibid.b
Sanctiſſimæ Dominæ noſtrę de Laute-to. ibid.b
S.Franciſci apud Portum lætum.ibid.e
S.Antonij prope Campum maiorem. 1011.a
S.Franciſci Oliuentię. ibid.b
S.Franciſci Tauiræ. ibid.c
S.Franciſci Farcam. ibid.d
B.Mariæ de Stella de Maruao. ibid.e
Beatæ Mariæ de Ducatu apud Inſulam tertiam. 1012.b
Conceptionis B.Mariæ Plaiæ. ibid.d
Conceptionis B. Mariæ Subtilis cuſpidis. ibid.d
Beatæ Marię de Roſario in inſula S.Michaelis. ibid.e
Dominæ noſtræ de Roſario in inſula Faial. ibid.e
Monaſteria monialium num.22. 1013

Angelorum Prouinciæ conuentus.

S.Mariæ de Angelis. 930.a
Sanctorum marty.Berardi & ſociorum Bellalcazaris. 931.c
S.Ludouici Poꝛtocarrerij. 932.b
Sanctæ Mariæ de Pietate Guadal canalis. ibid.e
S.Dominici Xarandiliæ. 933.a
S.Franciſci Conſtantinæ. ibid.c
S.Franciſci de Monte. ibid.d
S.Hieronymi Caſalliæ. 934.b
S.Gilberti Buccæ. ibid.e
S.Antonij Chillonij. 935.b
S.Mariæ de Succurſu Petrochij. ibid.c
S.Mariæ de Bethlehem Palmæ. ibid.e
Conceptionis B.Mariæ Herreræ 936.b
Sanctæ Mariæ de Spe Antiquæ mellariæ. ibid.c
S.Mariæ de Pace Populę ferrarię.937.a
S.Franciſci de Angelis Algauæ. ibid.b
Monaſteria monialium 8. 937.d

Angliæ Prouinciæ conuentus non ſunt. pag.852

Aquitaniæ Prouinciæ conuentus.

Mirapiſcenſis. 721.d
S.Franciſci Toloſæ. 727.a
S.Eduardi Burdigalæ. ibid.b
Caſtrenſis. 723.b
Ruthenenſis. ibid.c
Albienſis. 724.a
Rapiſtanenſis. ibid.b
Montis Albani. ibid.c
Ortenſianus. ibid.d
Baſtidanus. ibid.e
Sanctæ Mariæ de Angelis prope Toloſam. 725.a
S.Mariæ de Gratia Burdigalæ. ibid.c
Agerienſis. ibid.e
Lectorenſis. 726.a
Baionenſis. ibid.c
Aquenſis. ibid.d
Montis Marſanenſis. ibid.e
Conuentus prope S.Macharium. 727.a
Marmandenſis. ibid.c
Muratenſis. ibid.e
Reolenſis. 728.a
Tutellani. ibid.b
Tarbienſis. ibid.c
Riuorum. ibid.d
Villæ francæ. 729.a
Aureliacenſis. ibid.c
Murellenſis. ibid.e
Rioncienſis. 730.a
Montis regalis. ibid.b
S.Franciſci Pergeti. ibid.d
Villanouani. 731.a
Montis Guiſcardi. ibid.b
Bellimontis. ibid.d
S.Claræ Caſtrarum. ibid.e
S.Claræ Albiæ. 732.a
S.Claræ Toloſę. ibid.b
Monaſterium montis Marſanici.ibid.d
Conceptionis Albiæ. ibid.e
Annunciationis Burdigalæ. 733.a
Annũciationis B.Marię Rutheni.ibid.c
Annũciationis B.Mariæ Agenis. ibid.d

Aquitaniæ recentioris Prouinciæ conuentus.

Appaminenſis. 1025.d
Daurenſis. 1026.c
Inſulę Iordanis. 1027.c
Samatarienſis. ibid.d
Caſtri noui Darij. ibid.e
Auxitani. 1028.a
Nugaroli. ibid.a
Vici. ibid.b
Mirandæ. ibid.c
Vallis Caprariæ. ibid.b
Brazatenſis. ibid.d
Sparrenſis. ibid.e
Liburnianus. ibid.e
S.Miliani. 1029.a
Condomicus. ibid.b
Pennenſis. ibid.e
Neracenſis. ibid.d
Caſtrogeloſianus. ibid.e
Manſiacenſis. 1030.a
Morlanicus atque Loronicus. ibid.b
Lautricenſis. ibid.c
Figiaci. ibid.d
S.Africani. ibid.e
Miliacenſis. 1031.a
S.Antonij. ibid.a
Cadurcenſis. ibid.b
Gordonianus. ibid.c
Montis cutenſis. ibid.d
Petragoricenſis. ibid.e
Albaterranenſis. 1032.a
S.Fidei. ibid.a
Ixidolienſis. ibid.b
Sarlatenſis. ibid.c
Montiniacenſis. ibid.c
Brageracenſis. ibid.d
Lemouicenſis. ibid.e
S.Iuniani. 1033.a
Donſenachenſis. ibid.a
Briuenſis. ibid.c
Martellenſis. ibid.d
Nontroniano. ibid.d
Vociferrutenſis. ibid.e

Aragoniæ Prouinciæ conuentus.

S.Mariæ de Ieſu Cæſarauguſtæ. 700.d
S.Franciſci ibidem. 701.d
S. Franciſci Turiaſſonis. 703.a
S.Franciſci Bilbilis. ibid.c
S.Franciſci Oſcæ. ibid.e
S.Franciſci Borgiæ. 704.a
S.Franciſci Darocæ ibid.b
S.Franciſci Iaccæ. ibid.d
S.Franciſci Barbaſtri. 705.a
S.Franciſci Turolij. ibid.b
S.Mariæ de Ieſu Ergauicæ. 706.a
S.Franciſci Montionis. ibid.b
S.Catharinæ Carinienæ. ibid.d
S.Franciſci Exeæ equitum. 707.a
S.Chriſtophori Alpartilij. ibid.b
Dominæ noſtræ de Monlora. ibid.d
Dñæ noſtræ de Angelis Ixarij. 708.a
S.Saluatoris Pinæ. ibid.c
S.Franciſci Larinienæ. ibid.e
S.Catharinæ Cæſarauguſtæ. 709.b
Hieroſolymorum ibidem. ibid.e
Dñæ noſtrę de Altabaſio ibidem.710.a
S.Claræ Bilbilis. ibid.a
S.Catharinæ Turolij. ibid.c
S.Luciæ Barbaſtri. 711.a
S.Claræ Oſcæ. ibid.b
Monaſterium Conceptionis Turiaſſonis. ibid.c
Montis ſancti. ibid.d

Argentinæ Prouinciæ conuentus.

S.Franciſci Monaci. 714.b
Ingolſtadienſis. 715.b
Landshutenſis. ibid.d

Bamber-

Bambergenſis 715.e
Fremebergenſis 716.a
Kelhemmenſis ibid.c
Salisburgenſis ibid.e
Hachingenſis 717.b
S.Iacobi in Anger ibid.d
Monaſterium Clariſſarum Seflingenſe 718.a
Clariſſarum Nurnbergenſe ibid.c
Clariſſarum Pfullingenſe ibid.e
Clariſſarum Bambergenſe 719.a
Halsbachenſe ibid.c
Clariſſarum Heilbrunenſe ibid.d

Arrabidorum Prouinciæ conuentus.

S.Mariæ de Rabida 1124.d
B.Mariæ virginis de Conſolatione Pallahes 1125.b
S.Mariæ de Pietate Saluaterræ ibid.c
S.Mariæ de Pietate ibid.e
S.Catharinæ ſupra mare 1126.a
S.Mariæ de Ieſu ibid.b
S.Ioſeph ibid.c
S.Crucis ibid.e
B.Mariæ de Ægypto 1127.b
S.Mariæ Magdalenæ ibid.c
S.Michaelis prope Obbidum ibid.d
B.Mariæ de Angelis 1128.a
Spiritus ſancti ibid.d
Conceptionis B.Mariæ virginis ibid.e
Hoſpitalis Olyſipponis 1129.b
Hoſpitalis Santareni ibid.d

Auſtriæ Prouinciæ conuentus.

Conuentus Viennæ 448.c
Nauiburgenſis 449.a
Græcenſis ibid.b
Hyppolitanus ibid.c
Landeuiſianus ibid.d
Monaſteriũ Clariſſarũ Viennæ 450.c

Albaniæ Cuſtodiæ conuentus.

S.Mariæ Sebaſtæ 547.c
S.Mariæ Aleſſiæ ibid.d
S.Saluatoris Rubici 548.a
S.Petri Memellij ibid.a
S.Mariæ Rhodonij ibid.b

B

Bæticæ Prouinciæ conuentus.

S.Franciſci Hiſpalis 894.a
S.Mariæ de Valle Hiſpalis 895.b
S.Mariæ de Angelis Alcala de Guadaira 896.d
S.Franciſci Xerez 897.b
S.Mariç de Rabida oppidi Palos ibid.e
S.Mariæ de Spe Moguer 898.c
S.Eulaliæ Marchenæ ibid.e
S.Franciſci ibidem 899.c
S.Mariæ prope Vtreram ibid.d
S.Sebaſtiani Carmonę 900.b
S.Mariæ de Ieſu Sanlucar ibid.d
S.Franciſci Gibraltar 901.a
S.Franciſci Aſtigij ibid.c
S.Franciſci Rondæ 902.a
S.Franciſci, ſiue S. Ludouici Malachæ ibid.b
S.Zoili Antichęrę 903.a
S.Antonij Arcubus 904.a
S.Mariæ pulchræ Lepæ ibid.b
S.Franciſci Portus S.Mariæ 905.a
S.Mariæ Lauretanæ ibid.a
S.Franciſci Aiamontis 906.a
Matris Dei Oſſunæ ibid.b
Montis Caluarij ibid.e
S.Antonij Eſcazenæ 907.b
Corporis Chriſti Moroni ibid.c
S.Mariæ de Clarinis Beier ibid.d
S.Franciſci de Gadibus 908.a
S.Mariæ de Conſolatione Algaidarum ibid.c
S.Franciſci Nebriſſæ ibid.e
S.Franciſci, ſiue S.Petri martyris Tebę 909.b
S.Pauli de Eremo ibid.c
Monaſteria monialium 15. pag.910

Baſilicatæ Prouinciæ conuentus.

S.Antonij de Padua Tricarici 501.c
S.Mariæ de Sepulcro Potentiæ ibid.d
S.Franciſci Buxenti 502.a
S.Franciſci Milionici ibid.a
S. Mariæ de Ieſu Vigiani ibid.c
S.Franciſci Turſij ibid.d
S.Mariæ de Ieſu Oppidi ibid.e
S.Franciſci apud S.Martinum ibid.e
S.Mariæ ad Niues Laurentiani 503.a
S.Franciſci Petræ pretiatæ ibid.b
S.Antonij de Padua Hoſtiliani ibid.c
S.Mariæ de Vrſuleo ibid.d
S.Antonij de Padua Titi, 504.b
S.Franciſci Piſticij ibid.b
S.Bernardini Laureæ ibid.c
S.Antonij de Padua Riuelli ibid.d
S.Franciſci Salandriæ ibid.d
S.Franciſci Aietæ ibid.e
Annunciationis beatę Marię Carbonij 505.a
Annunciationis Beatę Mariæ Burgentij ibid.a
S. Mariæ de Gratijs Arcis Imperialis ibid.b
S.Mariæ de Conſolatione Maratheæ ibid. c
Natiuitatis B.Mariæ Caſtellucij ibid.c
B.Mariæ Marſici veteris ibid.d
Annunciationis B. Mariæ Caſtelli Turturini Monaſterium monialium Potentiæ ibid.e

Boemiæ Prouinciæ conuentus.

S.Ambroſij Pragæ 455.c
S.Bernardini Brunæ ibid.e
S.Bernardini Vratiſlauiæ 456.b
Conceptionis B.Marię ac S. Bernardini Olomuczij ibid.d
Beatę Mariæ Pilznæ 457.a
SS.Petri & Pauli Gogloujæ ibid.b
S.Barbaræ Oppanię ibid.c
S.Franciſci Znoimæ ibid.d
S.Crucis Niſſæ 458.c
S.Barbaræ Oppoliæ ibid.d
S.Nicolai Bithi ibid.e
S.Marię Rozelij ibid.e
S.Ægidij Clupſizij 459.a
SS.Viti,& Modeſti Gemnizij ibid.b
SS.Mariæ Magdalenæ atq; Eliſabethæ Tauouiæ ibid.c
SS,14.Auxiliatorum Cadani ibid.d
Omnium ſanctorum Gruppiæ ibid.e
S.Georgij Glocſij 460.a
Sanctiſſimę Trinitatis Teſthenij ibid.a
S.Catharinæ nouę domus ibid.b
B.Marię, atq; S.Andreæ Iauorij ibid.c
Aſſumptionis B.Marię Bechinæ ibid.d
S.Mariæ de Deſerto Recſedorſij ibid.e
S. Vincislai Rattiborię 461.a
S.Mariæ Raedichij ibid.b
S.Michaelis Horaesdiouicſij ibid.c
S.Annę Cameſij ibid.d

Bononiæ Prouinciæ conuentus.

S.Franciſci de Villa 265.d
S.Pauli de Monte Bononię 266.b
S.Franciſci Bobij 268.c
Spiritus ſancti Ferrariæ ibid.c
S.Mariæ Gratiarum Arimini 269.b
S.Hieronymi Foroliuij ibid.e
Annunciationis beatæ Mariæ Parmæ 270. c
S.Angeli Cremonæ 271.b
S.Spiritus Regij Lepidi 272.a
S.Hieronymi Fauentiæ ibid.d
Annunciationis B.Marię Ceſenę 273.a
S.Nicolai Carpi ibid.c
S.Bernardini de Burgo nouo ibid.e
S.Mariæ montis Oliueti Caſtri Arquati 274.b
S.Franciſci plebis ibid.d
S.Franciſci Mirandulæ 275.a
Annunciationis B.M.Bononiæ ibid.c
S Mariæ de Angelis Buſſeti 276.b
S.Cecilię,& Margaretæ Mutinæ ibid.c
S.Apollinaris Rauennæ 277.a
S.Mariæ de Gratijs Imolę 278.c
S.Franciſci Cotiniolæ 279.a
Annũciationis, ſeu S.Marię de Gratijs apud Caſtrum Lauri ibid.d
S.Franciſci Vitiliani 280.a
S.Marię de Campo Placentię. ibid.c
S.Franciſci Brexilli 281.d
S.Sebaſtiani Sabiniani 282.a
S.Rochi Meldulę ibid.b
S. Mariæ de Gratijs montis Clariculi ibidem.c
S.Petri Centi ibid.d
S.Lucæ Cremonæ ibid.e
Sanctæ Mariæ de Gratijs prope S. Secundum 283.a
S.Franciſci Guaſtallæ ibid.c
Monaſterium Corporis Chriſti Bononię. ibid.e
S.Guilielmi Ferrarię 285.a
Corporis Chriſti Ferrarię ibid.c
S.Bernardini ibid.e
S.Mariæ Magdalenę Placentię 286.b
S.Bernardini Bononię ibid.d
S.Marię de Gratijs Parmę 287.b
Corporis Chriſti Cremonę ibid.c
Corporis Chriſti Rauennę ibid.e
Miſericordię Regij Lepidi 288.b
S.Marię de Ripa Foroliuij ibid.c
Angelorum Arimini ibid.d
S.Clarę Bobij 289.a
S.Clarę Carpi ibid.b
S.Ludouici Mirandulę ibid.d
S.Clarę Buxeti ibid.d

Boſnæ Argentinæ Prouinciæ conuentus.

S.Marię Argentinę 513.b
S.Ioannis Baptiſtę Curię Banni ibid.c
S.Spiritus Foinzæ ibid.e
S.Marię Plumbi 514.a
S.Nicolai Viſochij ibid.b
S,Catharinę Creſceui ibid.c
S.Mariæ Salinarum ſuperiorum ibid.d
S.Marię Salinarum inferiorum 515.a
S.Elię Modrizę ibid.b
S.Pauli Viſouachi ibid.c
S.Marię Macharuſchę ibid.d
S.Marię Saſtrugi ibid.d
S.Petri Ramę ibid.e
S.Chriſtophori prope Velicam ibid.e

Boſnæ Croatiæ Prouinciæ conuentus.

S.Marię de Gratijs Terſathi 444.b

S.Fran-

S.Franciſci Segnię ibid.c
S.Goricię prope caſtrū Suſediū ibid.d
S.Leonardi Zagrabię ibid.e
Sancti Leonardi apud nouam ciuitatē 445.a
Viſitationis B.Marię Piſinij ibid.b
S.Mariæ de Gratijs Ferijul. ibid.c

Britanniæ Prouinciæ conuentus.

Inſulæ viridis 888.a
S.Franciſci Bernonij ibid.e
S.Catharinæ Blaneti 889.b
S.Valentini Pontiniaci ibid.c
S.Franciſci Trecorij ibid.d
S.Ioannis Euangeliſtæ Cuburij ibid.e
Briocenſis 890.b
S.Franciſci Landerij 891.b
S.Mariæ de Angelis ibid.c
Ceſſembrienſis ibid.d

Brixiæ Prouinciæ conuentus.

S.Ioſeph Brixiæ 487.c
S.Mariæ de Gratijs Bergomi 488.e
S.Mariæ Coronatæ Martinengi 489.d
S.Mariæ Endennæ 490.a
S.Mariæ de Pace Alzani ibid.b
B.Marię Gandini ibid.c
S.Mauritij prope Iſchium ibid.d
S.Mariæ Lucris 491.a
S.Bernardini Cremæ ibid.b
S.Mariæ Planengi ibid.d
S.Franciſci de Pace Vrceæ ibid.e
S.Mariæ de Aguzano 492.b
S.Bernardini Clararum ibid.c
S.Bernardini Herbuſci ibid.d
Annunciationis B.Marię Burni ibid.e
S.Mariæ de Brixianore Caſtrueli 493.a
S.Mariæ de Angelis Pratalbuini ibid.b
S.Mariæ de Gratijs Quintiani ibid.c
S.Mariæ de Curte milia Rebecci ibid.e
S.Bernardini inſulę Douarenſiū 494.a
S.Mariæ de Populo Riparoli ibid.c
S. Mariæ de Piſcibus liſſis Caluatoni ibidem. e
S.Franciſci Aſulæ 495.b
S.Franciſci Iſchij ibid.d
S.Pauli inſulæ Iſtri 496.a
S.Mariæ de Ieſu inſulę Gardæ ibid b
S.Bernardini Salodij ibid.e
S.Mariæ Gauardi 497.a
S.Mariæ Fraxino Piſceriæ ibid.c
Annūciationis B.Mariæ Lonati ibid.d
S.Mariæ à Laureto Caſtilioni 498.a
B.Marię Gaidi ibid.b
S.Marię de Angelis Gardoni ibid.c
Monaſterium ſanctę Clarę nouæ Brixię ibid.d
S.Marthæ ibid.d
S.Mariæ de Roſis Bergomi ibid.e
S.Claræ Martinengi 499.c
S.Claræ Lucris ibid.c
S.Claræ Cremæ ibid.d
S.Claræ Vrceæ. ibid.d
S.Claræ Caſalis maioris ibid.d
S.Claræ Aſulæ ibid.e
S.Mariæ ad Eliſabethā Cluſoni ibid.e

Burgenſis Prouinciæ conuentus.

S.Franciſci Burgis 917.c
S. Franciſci Logronij 918.d
S.Franciſci Tudelæ. 919.a
B.Mariæ Minorum Vitruieſcæ ibid.e
S.Bernardini Pozæ 920.a
S.Franciſci Veloradi ibid.b
S.Bernardini de Monte ibid.c
Dominæ noſtræ de Vico ibid.e
S. Mariæ apud S. Dominicum Calciatenſem 921.a
S.Mariæ de Ieſu Nauarrettæ ibid.c
S.Mariæ de Campo Cornagi ibid.b
S.Stephani Burgis 922.a
S.Franciſci Mirandæ ibid.b
S.Franciſci Stellę ibid.c
S.Franciſci Nageræ ibid.d
Sanctæ Mariæ de Miſericordia Tafalliæ ibid.e
S.Franciſci Olibæ 923.a
S.Franciſci Alfari ibid.b
S.Ioannis de Ramo ibid.b
S.Saluatoris Calagurij ibid.c
S.Victoris ibid.e
S.Mariæ de Linaribus 924.a
Monaſteria monialium 13. pag.924.c

C

Calabriæ Prouinciæ conuentus.

Annunciationis B. Mariæ apud Nocitum 539.c
S.Franciſci apud S. Marcum ibid.d
S.Franciſci Beretæ 540.a
S.Franciſci prope Agellum ibid.b
S.Mariæ de Gratijs Meſuracæ ibid.d
S.Mariæ de Gratijs Buxenti 541.a
S.Franciſci Conſentiæ ibid.b
S.Bernardini Manteæ 542.e
S.Franciſci Cariati 543.a
S.Bernardini Roſſani ibid.c
S.Bernardini Morani 544.a
S.Mariæ de Gratijs Citrarij ibid.b
Annunciationis beatæ Mariæ Caſoboni ibid.b
Obſeruantiæ Cotronij ibid.c
Obſeruantiæ Tabernæ ibid.d
Obſeruantiæ Cropanij 545.a
S.Mariæ de Gratijs Rendæ ibid.b
S.Franciſci Sturnorum ibid.b
S. Mariæ de Gratijs Caſſani ibid.e
S.Marię de Angelis Ruliani 546.a
Annunciationis beatæ Mariæ Dipiniani ibid.b
S.Franciſci Fluuij frigidi ibid.b
Monaſterium monialium S.Catharinę Tabernæ ibid.c

Canariæ Prouinciæ conuentus.

S.Bonauenturę Fortis venturæ 1188.c
S.Franciſci magnæ Canariæ 1189.d
S.Antonij Galdaris 1190.b
S.Michaelis Victoriarū Lacunæ ibid.e
S.Laurentij de Ortaua 1191.c
Dominæ noſtræ de Angelis Garacici ibid.d
Cōceptionis B.Virginis Palmæ 1192.b
S.Franciſci Gomeræ 1193.a
Monaſterium.S. Clarę Lacunæ ibid.d

Candiæ Prouinciæ conuentus.

S.Franciſci Cytei 439.c
S.Ioannis ibid.d
S.Antonij de Padua 440.a
S.Mariæ de Angelis Gnoſſi ibid.b
S.Athanaſij Rethymi ibid.d
S.Franciſci ibidem ibid.e
S.Franciſci Cydonis ibid.e
S.Saluatoris 441.a
S.Georgij extra Cydonem ibid.a
S.Mariæ Zacynthi ibid.b
S.Antonij de Padua Chios ibid.c
S.Rochi Corcyræ ibid.d
Monaſteria monialium ibid.e

Cantabriæ Prouinciæ conuentus.

S.Franciſci Victoriæ 1049.e
S.Mammetis Flauiobrigæ 1051.a
S.Franciſci ibid.c
Dominæ noſtræ de Rubo 1052.b
S Franciſci Pampilonis ibid.e
S.Franciſci Metinæ de Pomar 1053.c
S.Franciſci Bermei ibid.c
S.Franciſci Sangueſo 1054.c
S.Iuliani Pietrolæ ibid.e
S.Franciſci Caſtrodurdiales 1055.b
S.Franciſci Santander ibid.d
Cōceptionis B.Marię Reynoſæ 1056.a
S.Marinæ Horduniæ ibid.c
S.Mariæ Magdalenæ Laredi ibid.e
S.Andreæ Baſtidæ 1057.a
S.Franciſci Frias ibid.d
S.Franciſci Saſſiolæ 1058.a
S.Franciſci Elgoibar ibid.b
S.Franciſci Mondragonis ibid.c
S.Sebaſtiani 1059.a
S.Franciſci Iſari ibid.c
Monaſteria monialium, & conuentus Tertiariarum ſororum 1060

Carthaginenſis Prouinciæ conuentus.

S.Franciſci Murcię 967.c
S.Franciſci Huetę 968.a
S.Franciſci Conchæ Valerię ibid.c
Angelorum Alcozerij ibid.e
S.Franciſci apud ſanctum Stephanum de Portu 969.a
S.Franciſci Alcazarij ibid.c
S.Franciſci Veas ibid.d
S.Catherinę de Monte Murcię ibid.e
S.Franciſci Carthaginis 970.c
Dominę noſtrę de Hortis ibid.d
S.Franciſci Belmontis 971.b
S.Annę Horihuedę ibid.c
Dominę noſtrę de corpore Chriſti villę viridis 972.a
S.Franciſci Albazeti ibid.b
S.Franciſci Villę nouę Infantiū ibid.c
S.Geneſij de Xara ibid.d
S.Franciſci apud S.Clementem 973.a
S.Franciſci Orani ibid.b
S.Franciſci Molinę ibid.d
S.Franciſci Henlinij ibid.e
S.Marię de Rupe 974.a
S.Franciſci Alcazar de Cōſuegra ibid.c
Conceptionis B. Marię Inieſtę ibid.e
Ieſu Villę nouę Axara 975.a
S.Franciſci Vallis viridis ibid.b
S.Stephani Ceeghini ibid.c
Dñę noſtrę de Spe Villę Robledę ibid.d
Conceptionis B.Marię Parrillię ibid.e
S.Marię de Gratia Carauaccę 976.a
S.Sebaſtiani Mortallię ibid.b
Conceptionis B.Marię Mulę ibid.c
Monaſteria monialium 17. pag.976.

Caſtellæ Prouinciæ conuentus.

S.Ioannis Regum Toleti 605.d
S.Marię de Ieſu Compluti 608.e
Collegium Apoſtolorum Petri & Pauli 612.e
S.Franciſci Guadalfagiarę 616.b
S.Franciſci Madriti 618.a
Dominę noſtrę de Saliceto ibid.e
S.Antonij de Capraria 620.c
Dominę noſtrę de Spe Occanię 622.b
S.Marię de Caſtaneto 623.d
S.Franciſci Talabricę 624.e
S.Franciſci ciuitatis Regię 625.e
S.Marię de Gratia Paternianę 626 b

Domi-

Dominę noſtrę de Oliua ibid.e
S.Franciſci Pinti 627.d
Dominę noſtrę Excalceatorum Scalonę 628.c
S.Antonij Mondexaris 629.b
S.Franciſci de Cruce centum fontibus ibidem e
S.Franciſci Turrigij 630.b
Sanctiſſimæ matris Dei Turris Lacunę 631.c
Sãctiſſimę matris Dei Orapeſſę 632.c
Dominę noſtrę de Angelis Eſcamillę 633. c
S.Franciſci Methymnę Cęli ibid e
S. Petri Cogolluti 634.b
S. Franciſci Puebla de Montalban ibidem d
S.Franciſci Colmenar de Oreia 635. a
Dominę noſtrę de Victoria Villareio ibidem c
Dominę noſtrę de Conceptione Carrion ibid.e
S.Franciſci Morę 636.b
Monaſteria monialium ibid.d

Cataloniæ Prouinciæ conuentus.

S.Marię de Ieſu Barcinonis 1099.d
S. Franciſci ibidem 1107.b
S.Franciſci Perpiniani 1108.a
S.Franciſci Tarraconis 1109.b
S.Marię de Ieſu Ilerdę 1110.a
S. Marię de Ieſu Dertoſæ ibid.c
S.Franciſci Gerundę 1111.b
S.Marię de Ieſu Balagarij ibid.e
S.Franciſci Caſtilionis 1112.a
S.Marię Figueriarum ibid.c
S.Marię de Ieſu Redis ibid.d
S. Marię de Remedijs inſulę ibid.e
S.Bartholomęi Pulchripodij 1113.a
S.Marię de Ieſu Cetuarię ibid.e
S.Marię de Angelis Hortę 1114.a
S.Franciſci Villę franchę ibid.c
S.Franciſci Montis albi 1116 a
S. Franciſci Villę franchę confluentis ibidem b
S.Franciſci Bergę ibid.c
S.Michaelis Scornalbou. ibid.e
S.Sebaſtiani Bisbalis 1117.a
S.Annę Alcouerij ibid.b
S. Ioannis Riudonis ibid.
Monaſteria monialium. nu.9.ibid.

Coloniæ Prouinciæ conuentus.

S.Sebaſtiani Confluentię 770.b
Hammonenſis ibid.c
Nouiomagenſis ibid.d
Bieilueldenſis ibid.e
Zutfanienſis 771.a
S.Marię Magdalenę Durę ibid.b
Embricenſis ibid.c
Lenghedenſis ibid.e
Lympurgenſis 772.a
Corbeienſis ibid.b
Zeghenenſis ibid.b
Dorſtenſis ibid.c
Arnehmenſis ibid.d
S.Marię de Angelis Brulę ibid.d
Marrpurgenſis 773.c
Groenemburgenſis ibid.d
Emdenſis ibid.e
S.Iodici prope Bilueldiam 774.a
Groningenſis ibid.b
S.Nicolai Aquis grani ibid.c
Colonię Agrippinę 775.a
Treueris ibid.b
Clariſſarum Colonię Agrippinę ibi.d
Clariſſarum Confluentię ibid.d
S.Franciſci Pinciarum 862.b

Conceptionis Prouinciæ conuentus.

S.Franciſci Palentię 863.b
S Franciſci Segobię 864.a
S.Franciſci Sahaguni 864.d
S. Franciſci Carrionis de Comitibus 865. a
S.Franciſci Pennafelij ibid.c
S.Franciſci Arandę Durianæ ibid.d
Dominę noſtrę de Falce ibid.e
S.Ioannis de Penitentia 866.b
Dominę noſtrę de Viginti ibid.c
S.Ludouici Gormaſij ibid.d
Corporis Chriſti ibid.e
S.Franciſci Numantię 867.a
S.Franciſci Methymnę campi ibid.e
S.Franciſci Abulę 868.a.b
S.Marię de Abroio ibid.b
Domus Dei de Aquilaria 869.a
S.Marię de Gratia Villaſilos ibid.d
Beatę Marię de Conſolatione Calaguris ibid.e
S. Marię de Spe Valdeſcopeſſo 870.a
Cõceptionis B.Marię Villaluini ibid.d
Dominę noſtrę de Angelis ibid.e
S.Franciſci Almaſani ibid.c
Beatę Marię de Spe à Naua ibid.d
S.Bernardini Ferrarię 872.a
S.Stephani à Gormacio ibid.c
S.Vincentij de Barchera ibid.d
S.Franciſci Areuali. ibid.d
S. Marię de Spe Methymnę Roſecę 873. c
S.Franciſci Aillonij ibid.e
S.Franciſci Vlmeti 874.a
S.Franciſci Collaris ibid.b
S.Franciſci Caſtri Cęſaris ibid.c
S.Franciſci Athienſe ibid.d
Monialium monaſteria n. 38. pag.874

Corſicæ Prouinciæ conuentus.

S.Franciſci Siracuſani Portus 475.c
S.Franciſci Calculæ ibid.d
S.Franciſci Syluæ 476.a
Hoſpitij Biblitæ ibid.a
Montis Raſi Sardiniæ ibid.c
S.Franciſci apud S.Florentium ibid.c
S.Franciſci Nunciæ ibid.d
S.Franciſci Biguliæ ibid.e
S.Franciſci Caſinchiæ 477.a
S.Franciſci Alexiani ibid.c
S.Franciſci Ornani ibid.e
S.Franciſci Nebienſis 478.a
S.Franciſci Marianæ ibid.b
S.Franciſci Aregnani ibid.c
S.Franciſci Curtis 479.a
S.Franciſci Brandi ibid.b
S.Franciſci Vici ibid.c
S.Franciſci Orezzæ 480.a
S.Franciſci Pini ibid.a
S.Franciſci Tiuuani ibid.b
S.Franciſci Cannaris ibid.c
S.Franciſci Tallæ ibid.c
S.Franciſci Campilauri ibid.d
S.Franciſci Alciprati 481.a
S.Franciſci Madianæ ibid.b
S.Franciſci Baſtitæ ibid.b
S.Franciſci Cacciæ ibid.c
S.Franciſci Aroliani ibid.e
Sanctiſſimæ Trinitatis Baſteriæ ibid.d
S.Franciſci Sarræ ibid.e

D

Daciæ Prouinciæ conuentus non ſunt.

Dalmaciæ Prouinciæ conuentus.

S.Annæ Iuſtinopolis 431.b
S.Bernardini Pirani ibid.d
Conceptionis B.Mariæ Mõtonæ 432 a
S.Andreæ Rubini ibid.b
S.Mariæ de Gratijs Orſanis ibid.b
S.Franciſci Abſoris ibid.c
S.Mariæ de Caſtiglione Veglæ ibid.d
S.Euphemiæ Arbæ 433.a
Dominæ noſtræ de pago Curici ibid.a
S.Hieronymi Oelani ibid.b
S.Dumni, ſiue Doimi Paſmanij ibid.c
S.Franciſci Iaderæ ibid.d
S.Crucis Crappanij 435.c
S.Mariæ de Paludibus Epetij ibid.d
S.Mariæ de Gratijs Phariæ 436.a
S.Mariæ Corzulæ ibid.b
S.Bernardini Aſcriuij ibid.c
S.Mariæ de Gratijs Scopuli ibid.e
S.Mariæ de Gratijs Buduæ 437.a
Monaſteria monialium ſex. ibid.

Duodecim Apoſtolorum Prouinciæ conuentus.

Ciuitatis Regum 1311.e
Ciuitatis Cuzco 1312 d
conu.Potoſiacus 1313.b
S.Mariæ de Angelis Charcarũ 1314.b
conu Arequipenſis ibid.c
conu.Coquiagenſis ibid.e
conu.Goanicenſis 1315.a
S.Claræ Chachapogiarum ibid.c
Annunciationis Beatæ Mariæ Truſilij ibid.e
conu Cannetenſis 1316.b
S.Franciſci Iuomangæ ibid.c
S.Marię de Angelis Vallis Iucaicæ ib.d
Conceptionis B.Virginis Vallis Xauxę 1318.a
Vallis Caxamarchæ ibid.d
Vallis Copabampæ ibid.e
S.Iacobi.Ciuitatis S.Iacobi 1319.a
S.Franciſci oppidi S. Michaelis de Tucuman ibid.b
S.Martini Talabricæ de Steco ibid.c
S.Georgij Cordubę ibid.d
S. Franciſci Ciuitatis Aſſumptionis B. Virginis ibid e
S.Annæ Ciuitatis ſanctæ Fidei ibid.e

F

Flandriæ Prouinciæ conuentus.

SS.Petri & Pauli Odomaropolis 983.c
B.Mariæ virginis Brugis 984.a
SS. Petri & Pauli,& Mariæ Magdalenæ Gandaui 985.c
S.Crucis Ipris ibid.d
SS.Petri & Pauli Namurci ibid.e
Conceptionis B.Mariæ Niuellæ 986.a
S.Mariæ Aegiptiacę Dunkerke ibid.c
SS. Apoſtolorum Petri & Pauli Athi ibid.d
S.Mariæ Sluſis 987.a
B.Mariæ Dixmudæ ibid.a
S.Ioannis Baptiſtæ Hulſti ibid.b
S.Bernardini Aueſnis ibid.c
S.Antonij de Padua Biezi ibid.d
SS. Franciſci, & Ludouici ſupra Sambram ibid.e

S.Mariæ & B.Barbaræ Leodij 988.a
S.Michaelis Connini ibid.b
B.Mariæ virginis Lucemburgi ibid.c
Monaſteria monialium 988.d

Franciæ Prouinciæ conuentus.

SS. Ioannis Euãgeliſtæ,& Mariæ Magdalenæ Trecis 551.d
S.Catharinæ Altiſſiodori 553.a
S.Ioannis Baptiſtæ Senonibus 553.d
S.Crucis Vezeliaci 554.b
S.Michaelis Sezanij ibid.c
S.Annæ iuxta Ioniuillam 555.a
S.Margaretæ Pruuini ibid.c
S.Ioannis Baptiſtę Rhemis ibid.e
S.Petri,& Pauli Metis 556.c
S.Lamberti Virduni 557.a
S.Bonauenturæ Sueſſionis ibid.d
S.Pauli Apoſtoli, & Laurentij Catalauni 558.d
S.Ioannis Baptiſtæ Compendij ibid.d
S. Mariæ, ac ſanctorum Petri & Pauli Lauduni 560.a
Conuen.Carnoti 561.a
S.Iacobi Syluanecti ibid.c
S.Mariæ Magdalenæ Meldis ibid.e
S.Ioannis Stampis 562.b
S.Bonauenturæ Meduntæ ibid.c
Conu.Ennetenſis 563.b
Sanctorũ Petri & Pauli Baiocij ibid.c
S.Ioannis Baptiſtæ Ebroicis 565.c
S.Ioannis Baptiſtæ Cadomi ibid.d
S.Ioannis Baptiſtæ Bernaij 566.a
S.Eligij Vernoni 567.c
S.Andræ Apoſtoli Vernolij 568.b
S.Mariæ Magdalenæ Falezij 569.a
Conu.Bellouaci ibid.c
B.Virginis Mariæ de Gardia ibid.e
Sanctorum Apoſtolorum Andreæ, & Ioannis Ambiani 570.a
S.Mariæ Magdal.Abbatis Villæ ibid.e
S.Catharinæ Mediæ curiæ 571.d
S.Mariæ de Angelis Royæ ibid.e
Conu.Nouiomenſis 572.b
S.Franciſci Peronæ ibid.e
S.Franciſci apud S.Quintinum 573.b
Annũciationis B.Marię Dulẽdij ibid.d
Conu.Blangiaci 574.a
Dñæ noſtræ de Pietate Meleaci ibid.b
Conu.Petrępontis ibid.b
Monaſterium S. Catharinæ prope Pruuinum ibid.c
S. Ludouici Francorum Regis Nogenti ibid.e
Et quæ ſequuntur vſq; ad pag.579.

Franciæ Pariſienſis Prouinciæ conuentus.

S.Leonardi Sagij 581.d
S.Ioanis Baptiſtæ Varennæ 582.e
S.Clementis Rothomagij 583.b
S.Iacobi Apoſtoli Pontiſaræ ibid.e
B.Mariæ, & S. Antonij Paduani Noui caſtri 584.b
S.Eliſabeth Tulli ibid.d
B. Mariæ, ac B. Franciſci Grandis villæ ibid.e
S.Ioannis Baptiſtę Vici 585.b
S.Laurentij Boloniæ ibid.d
B.Mariæ Miricuriæ 586.a
S.Ludouici Regis Vallonarum ibid.b
Sanctæ Marthæ prope Voſagum montem ibid.d
S.Ludouici Epiſcopi Ligneij 587.a
Annũciationis B.Marię Nanceij ibid.c
Eremitorium S.Trinitatis 588.a
S. Marię de Angelis Pontis Audomari ibid.b
S.Ioannis,ſanctorumq; omnium Maſſeriarum ibid.d
S. Antonij de Padua Caſtri Theodorici 589.a
S.Michaelis Archangeli Virię ibid.b
S. Marię de Pietate Malarum herbarum 590.a
Bethlehemiticus Maſſerijs ibid.c
Conuen.Niuernenſis 591.a
Monaſteria monialium vſque ad 32. e

G

Genuæ Prouinciæ conuentus.

S.Mariæ de Monte prope Genuã 325.d
Annunciationis B.Mariæ Genuę ibid.e
S.Mariæ de Pace prope Genuam 326.b
S.Franciſci Sarzanæ ibid.d
S.Franciſci Spedię ibid.e
Annũciationis B.Mariæ Leuanti ibid.c
S.Franciſci Moneliæ 327.b
S.Franciſci Clauaris ibid.c
S.Franciſci Rapalli ibid.d
S.Mariæ de Angelis Rechi ibid.d
S.Antonij Pellij 328.a
S.Iacobi Sauonæ ibid.a
S.Mariæ de Angelis Vulturis ibid.b
S.Bernardini Albingæ ibid.b
S.Mariæ de Angelis Alaſſij ibid.c
Annunciationis virginis Mariæ apud Portum Mauritium ibid.d
S.Mariæ de Conſolatione prope S.Romulum ibid.e
Eremitorium S.Romuli 329.a
Intimelij ibid.b
Suſpitelli ibid.c
S.Thomæ Taurini ibid.d
B.Mariæ Gratiarũ Mõtis regalis ibid.e
S.Mariæ de Angelis Cuneí 330.b
S.Mariæ de Angelis Buſcæ ibid.d
Annũciationis B.Mariæ Foſſani 331.a
S.Franciſci Bennarij ibid.b
S.Franciſci Sauiliani ibid.c
S.Mariæ de Angelis Pinnarolíj ibid.c
Annũciationis B.Mariæ Vigoni ibid.d
S.Mariæ de Angelis Villanouæ ibid.e
S.Georgij Cherij 322.a
S.Bernardini Clauaſij ibid.b
S.Mariæ Gratiarum Creſcentini ibid.c
S.Bernardini Aſtę ibid.c
S.Bernardini Salutiarum ibid.e
Annũciationis B.M.Carmaniolę 333.a
S.Mariæ de Angelis Caſalis ibid.b
S.Bernardini Tridini ibid.c
S.Mauritij in territorio Conzani ibid.d
S.Bernardini prope Mõtẽ Caluũ 334.a
S.Bernardini Albę Pompeię ibid.a
S.Mariæ Gratiarum Nicię ibid.b
S.Marię de Ieſu Montis barutij ibid.d
S.Marię Septebrij ibid.d
S.Franciſci Aquis ibid.e
S.Franciſci Charij 335.a
S.Iacobi Papię ibid.b
S.Crucis, & S.Marię de campo Binaſchi 336.a
S.Mariæ de Angelis Belgioioſi ibid.c
S.Franciſci Nouarum ibid.e
S.Marię de Angelis Claſtigijs 337.a
S.Franciſci Ripę ibid.b
S.Marię Gratiarum Viguerię ibid.b
S.Marię de Pace Caſtri noui ibid.c
S.Bernardini Salarum ibid.d
S.Pauli Baſinianę ibid.e
S.Bernardini Alexandrię ibid.a
Annũciationis B.Marię Vezani ibid.b
B.Marię Vezani ibid.c
B.Marię de Fonte feliciani ibid.d
Sanctimonialiũ oĩa monaſteria 339.a

Germaniæ inferioris Prouinciæ conuentus.

Louanij 991.c
Bruxellarum 998.a
Burſcoduci ibid.b
S.Trudonis ibid.c
Diſtemij ibid.c
Thenis ibid.d
Mechlinię ibid.e
Traiecti ad Moſam 1000.c
Goudę Albazeti ibid.d
Leydis ibid.e
Antuerpię 1001.a
Delphis ibid.d
Gorcomij ibid.c
Alcmarię ibid.c
Harlemij ibid.d
Leouardię ibid.e
Reliqui omnes 1002.& 1003
Monaſteria monialium ibid.e

Granatenſis Prouinciæ conuentus.

S.Franciſci Cordubę 1167.d
S.Franciſci Vbetæ 1169.a
S.Franciſci Beatię ibid.e
S.Franciſci de Monte 1170.b
S.Franciſci de Arizafa ibid.c
S.Franciſci Gienni ibid.e
S.Franciſci prope Loxam ibid.c
S.Franciſci prope Bazam ibid.d
S.Franciſci Cuadix ibid.e
S.Franciſci Almerię 1172.c
S.Franciſci Alhambrę ibid.e
S.Franciſci, ſiue S. Iacobi prope Velezium 1173.a
S.Franciſci Alcaudetę ibid.b
S.Ludouici Azubi ibid.c
S.Franciſci Granatę ibid.e
S.Annę Iliturgij 1174.b
S.Stephani Plici ibid.c
S.Laurentij Montiliæ ibid.d
S.Franciſci Buialancę 1175.a
S.Franciſci Alcala regię ibid.b
S.Matris Dei Illicię ibid.c
S.Franciſci Vaennæ ibid.e
S. Franciſci Cazorlę 1176.a
S.Franciſci Linares ibid.b
S.Franciſci Martos ibid.c
S.Mariæ de Ieſu ibid.d
Monaſteria monialium 20. 1176.&c.

Maioricarum Prouinciæ conuentus.

S.Franciſci Maioricę 1020.c
S.Maria Angelorum de Ieſu Maioricę 1021.d
S.Franciſci Ciuitatulæ 1022.b
S.Franciſci Inchæ ibid.c
S.Marię de Ieſu Sollatis ibid.d
S.Mariæ de Ieſu Mahonis 1023.a
S.Marię de Ieſu Alcodię ibid.b
Monaſteria monialum tria 1023.c

Marchiæ Prouinciæ conuentus.

S.Franciſci altioris Anconę 195.c
Annunciationis B.Marię Aſcoli 196.b
S.Sabini ibid.d
S.Georgij ibidem 197.a
S.Mariæ Gratiarum Montis brandonij ibid.c
S.Franciſci Offidæ 198.b
S. Mariæ Magdalenæ Ripæ tranſonis, ſiue Cupramontanę ibid.d
Annunciationis B.Mariæ Firmi 199.b
S.Marię de Ieſu apud S.Lupidiũ ibid.e
S.Mariæ de Mõte ciuitatis nouę 200.a

S.Anto-

S.Antonij Montis ſancti 200.b
S.Franciſci Siroli ibid.d
Annunciationis Auximi 201.a
S.Mariæ de Varano Recanati ibid.b
S.Franciſci Mordiuallis ibid.d
Puritatis apud S.Iuſtum 202.b
Dominæ noſtræ de Monte montis Vlmei ibid.c
S.Columbæ Moliani 203.e
S.Franciſci Maſſæ ibid.b
Dominæ noſtræ de Planitie Seruiliani. ibid.d
S.Ioan.de Saxo Montis falconis 204.a
B.Mariæ de Girono Mōtis fortini ibi.b
S.Mariȩ de Sylua Amigdali ibid.d
S.Iacobi in Salino Gualdi ibid.e
S.Liberati apud S.Liberatum 205.a
S.Mariȩ Magdalenæ de Specu ibid.c
S.Franciſci Golfani ibid.d
S.Mariȩ Ceſſoloni ibid.e
S. Mariȩ de Gratijs apud S. Seuerinum 206.a
S.Franciſci Camerini ibid.c
S.Franciſci aliàs Experimenti 207.a
S.Franciſci Matelicæ ibid.a
S.Ioannis prope Matelicam ibid.b
S.Mariȩ de Valle Saxea Fabriani ibid.c
Annunc. B.Mariæ Fabriani 208.a
S.Iacobi Maſſacij ibid.d
S.Iacobi Cinguli 209.a
S.Mariȩ de Valcenegia ibid.c
S.Crucis Maceratæ ibid.d
S.Franciſci Forani 210.a
S.Mariæ de Populo Mōtilbodij ibid.b
S.Mariæ de Gratijs Sinogalliæ ibid.c
S.Franciſci Corinaldi ibid.e
S.Mariæ de Miſericordia 211.a
S.Mariæ nouæ Fani fortunæ ibid.b
S.Ioannis Baptiſtæ Piſauri ibid.d
S.Mariȩ de Scotaneto montis Barochij 212.a
Annunciationis B. Mariæ Foro Sempronij ibid.c
S.Georgij Montis robij ibid.d
S.Martini Roccacontratæ 213.a
S.Mariæ de Pace Sentini ibid.b
S.Bernardini Vrbini ibid.d
S.Ioānis Baptiſtȩ Caſtri durātij. 214.a
S.Mariæ de Angelis ibid.b
S.Franciſci montis Florentini ibid.d
S.Mariæ de Oliua Maciani ibid.e
S.Antonij montis Maij 215.a
Monaſteriū ſanctȩ Mariȩ nouæ Anconæ ibid.b
S.Margaretæ Arpini ibid.d
S.Franciſci Cupramontanæ ibid.e
S.Mariæ de Gratijs Firmi 216.b
S.Stephani Recanati ibid.c
S.Nicolai Auximi ibid.d
Annunciationis S.Seuerini ibid.e
S.Claræ Camerini 217.a
S.Eliſabethæ ibid.c
B.Mathiæ Matelicæ ibid.d
S.Honofrij Fabriani 218.a
S.Bernardini Foro Sempronij ibid.b
Corporis Domini Piſauri ibid.c
S.Claræ Vrbini ibid.b
S. Bernardini apud ſanctum Angelum in Vado ibid.d

Mediolani Prouinciæ conuentus.

S.Angeli Mediolani 341.c
S.Mariæ de Pace 342.d
S.Crucis Comi 343.c
S.Nazarij Nouariæ 344.c
S.Mariæ de Behethlē Vercellarū ibid.e
S.Franciſci Laudę 345.d
S.Mariæ de Gratijs Vigleuani 346.e
S.Bernardini Hyporediæ 347.c
S.Mariæ Gratiarum Modoetiæ ibid.d
S.Iacobi Leuci 348.b
S.Bernardini Mortarij ibid.d
Annūciationis B.Mariæ Triuilij 349.a
S.Bernardini Palantiæ ibid.b
S.Angeli Legnani ibid.e
Annunciationis beatæ Mariæ Vareſij 350.b
Annunciationis beatæ Mariȩ Abbiatæ ibidem.d
Annunciationis beatæ Mariȩ Soncini 351.a
S.Franciſci apud S.Agatham ibid.d
B. Mariæ de Miſericordia Melegnani ibid.e
S.Bernardini Carauagij 352.b
S.Mariæ de Gratijs Varali ibid.d
S.Mariæ de Angelis Herbæ 355.e
Sanctȩ Mariȩ de Miſericordia Brinantiæ ibid.e
S.Mariæ de Gratijs Belinzonæ 356.a
S. Mariæ de Gratijs apud oppidum ſancti Georgij 356.d
S.Mariæ de Gratijs Maleti ibid.e
S.Mariæ de Gratijs Lugani 357.b
S.Mariæ de Gratijs Antignati ibid.c
S.Martini Clarellæ 358.a
S.Mariæ Sabioncelli ibid.b
S.Mariæ in Campo ibid.d
S.Franciſci Trecati ibid.e
Sanctæ Mariæ de Miſericordia Romanengi 359.b
S.Victoris Montis Baronum ibid.c
S.Viridarij Mediolani ibid.e
Monaſteriū monialium ſanctæ Claræ Mediolani 360.b
De Ieſu ibid.d
S.Vrſulæ 361.a
S.Bernardini ibid.d
S.Antonij 360.a
S.Apollinaris ibid.b
S.Claræ Comi ibid.b
S.Claræ Nouariæ 363.a
S.Claræ Vercellarum ibid b
S.Clarȩ Catinarȩ ibid.e
S.Clarȩ Laudȩ 364.b
S.Clarȩ Mortarij ibid.d
S.Petri Triuilij 365.a
S.Claræ Legnani ibid.b
S.Clarȩ Abbiatȩ ibid.c

N

Nominis Ieſu de Guatemala Prouinciæ conuentus.

S.Franciſci de Guatemala 1329.b
S.Franciſci Almolingi 1331.a
Attilanenſis ibid.c
Tecpanatitlanicus ibid.d
Totonicapenſis ibid.e
Quetſeltenangenſis 1332.a
Chiapenſis ibid.c
Sanconatenſis ibid.e
Reliqui omnes 1233

P

Pietatis Prouinciæ conuentus.

S.Vincētij de ſacro Promōtorio 941.c
S.Franciſci Lacuum 942.b
B.Mariæ de Paradiſo ibid.c
Expectationis beatȩ Mariæ Villæ nouæ ibid.c
S.Antonij Paduani Loulcæ ibid.d
S. Mariæ Pietatis prope Villam vitioſam 943.a
S.Mariæ de Conſolatione Borbȩ ibid.b
S.Franciſci Deluas ibid.d
S.Antonij de Padua Portalegrȩ ibid.e
S.Antonij Extremozij ibid.a
Boni Ieſu Vallis viridis ibid.b
S.Antonij Eboræ ibid.c
Annunciationis beatæ Mariȩ Vidiguerȩ ibid.e
S.Franciſci Portelij 945.a
S.Mariæ de Saxo ibid.a
S.Antonij de Padua Abrantij ibid.c
Annunciationis beatæ Mariæ Tomarij ibid.d
S.Antonij de Padua Couilliani ibid.d
S.Antonij de Padua Caſtri albi 946.a
S.Antonij de Padua Pēnamazor ibid.b
S.Mariæ de Charitate Sordoalij ibid.b
S.Mariæ Clauium ibid.c
Boni Ieſu Barzelos ibid.e
S.Mariæ de Angelis Azurarię 947.a
S.Fructuoſi Braccarȩ ibid.a
S.Antonij Auerei ibid.c
S.Antonij Abbatis Conymbrię ibid.c
S.Antonij Portus ibid.e

Poloniæ Prouinciæ conuentus.

S.Bernardini Cracouiæ 463.d
S.Annæ Vuarſſauię 465.a
S.Franciſci Poſnaniæ 466.a
Aſſumptionis B.Mariæ Co?enij ibid.d
Conu.Frauſtatij ibid.e
Cobilini 467.a
S.Mariȩ ad Niues Tarnouię ibid.c
S.Bernardini Lublini ibid.e
S.Andreæ Leopoli 468.a
S.Barbarȩ Pizeuorſcij ibid.c
S.Annȩ Caliſij ibid.d
Diuiſionis Apoſtolorum Coli ibid.e
Natiuitatis B.Mariȩ Varthȩ 469.a
S.Franciſci Vilnȩ ibid.c
S.Bartholomȩi Louitij ibid.e
S.Catharinȩ Radomiæ 470.a
B.Mariȩ virginis Caunæ ibid.b
Conuentus Opatonij ibid.d
S.Catharinæ Samborij 471.a
S.Catharinȩ in Eremo ibid.b
Duodecim Apoſtolorum Tijcoczini ibidem.d
Bidgoſtiæ 472.a
Potocenſis ibid.b
Scapenſis ibid.e
Caſimirię 473.c
Lubauȩ ibid.d

Portugaliæ Prouinciæ conuentus.

S.Franciſci Olyſipponis 794.c
S.Franciſci Alanquerij 795.d
S.Franciſci Vimarani 796.c
Dominȩ noſtrȩ de Virtutibus Anzabucię 798.c
S.Spiritus Cattaſcij 799.d
S.Franciſci Santareni 800.a
S.Franciſci Leirię ibid.d
S.Antonij de Ficu 801.a
S.Chriſtinȩ Pouoȩ ibid.b
S.Franciſci Conymbriæ ibid.c
S.Bonauenturȩ ibidem ibid.e
S.Antonij Ferrerim 802.b
Conceptionis beatȩ Mariȩ Matozinos ibidem.c
Annunciationis Dominæ noſtræ Villȩ Comitis ibid.c
S.Franciſci Portus 803.a

S.Fran-

S.Franciſci Brigantiæ ibid.b
S.Spiritus ſiue S. Honofrij Golegani ibid. c
S.Cittæ in termino Aceiceiræ ibid.e
S.Franciſci Guardiæ 804.a
S.Spiritus Goueæ ibid.c
S.Franciſci Couilliani ibid.e
Boni Ieſu Balhellas 805.a
S.Franciſci Funialij ibid.e
S.Crucis Marico. 806.a
S.Bernardini inſulæ Lignorum ibid.b
S.Franciſci Trancoſij ibid.c
Monialium Monaſteria ab 806. vſque ad 815.

Principatus Prouinciæ conuentus.

S.Ioachim Neapolis 367.d
S.Franciſci Sarni 368.b
S.Franciſci Stabiarum ibid.c
S.Mariæ à Chieia Vici ibid.e
S.Franciſci Aierolæ 369.a
S.Franciſci Maioris ibid.b
S.Franciſci Tramonti ibid.d
S.Franciſci prope Cauam ibid.e
Sanctiſſimæ Trinitatis prope Septempedam 370.a
S.Nicolai de Palma Salerni ibid.b
S.Marię de Pace apud Montem coruinum ibid.c
Sanctiſsimæ Trinitatis Eboli ibid.e
S.Mariæ de Auiliano Campaniæ. 371.a
S.Mariæ de Paradiſo Olíueti ibid.c
S.Mariæ de Gratijs Boccini ibid.d
S.Antonij de Padua Pollæ 372.a
S.Franciſci Padulæ ibid.b
Pietatis Diani ibid.c
S. Antonij Laurini ibid.e
S. Franciſci Ioij 373.a
S.Franciſci Peſciotæ ibid.b
Annunciationis Beatæ Mariæ Lazaroli ibid.e
S.Franciſci Cilenti 374.a
S.Franciſci Altauillæ ibid. b
S. Franciſci Caſtellutij ibid.c
Monaſteria monialium S.Clarę de Pietate Maioris ibid.e
s. Mariæ de Pietate Salerni 375.a
S.Iacobi Ioij ibid.b

R

Raguſij Prouinciæ conuentus.

S.Franciſci Raguſij. 483.c
S.Nicolai Stamni 484.b
S.Sabinæ Daſlæ ibid d
S.Franciſci Ombulæ ibid e
S.Hieronymi Slani 485.a
S.Blaſij Canalium ibid.b
S.Mariæ prope Corſolas ibid.c
S.Mariæ Inſulæ mediæ ibid.c
S.Mariæ ad Niues Epidauri ibid. d
Monaſteria Monialium 2. ibid.e

Romanæ Prouinciæ conuentus.

S.Franciſci Tranſtiberini Romæ 177.c
s. Petri in monte aureo 179.a
s. Bartholomæi ibid.e
s. Mariæ de Paradiſo Viterbij ibid.c
s. Trinitatis Orbeti 181.a
s. Mariæ maioris Tiburis ibid.b
s. Laurentij Velitrarum ibid.c
s. Antonij montis Reatis ibid.d
s Franciſci Præneſtis ibid.e
s. Franciſci Choræ 182.a
s. Martini Verularum ibid.b
S.Franciſci Sermoneti ibid.c
S.Franciſci Sublaci ibid.e
S.Franciſci Ciuitellæ 183.a
S.Angeli Vallis montonæ ibid. b
S.Marię Palatioli ibid.c
S.Franciſci Palumbariæ ibid.e
S.Pauli Podij Donadei 184.a
S.Iacobi Podij Bruſconis ibid. b
S.Mariæ de Prato Campaniani ibid.d
S.Mariæ ſæcundæ Morlupi. ibid.e
S.Mariæ de Lilijs Manlianæ. 185.a
S.Bernardini Hortarum ibid.b
S. Franciſci Corythi 18[illegible].a
S.Franciſci Canini ibid.b
Inſulæ Biſentinæ ibid.b
S.Franciſci Pitiliani ibid.d
S.Petri Scanſani ibid. e
S.Rochi Farneſij ibid.e
S.Mariæ de Conſolatione Caprarolæ. 187. a
S. Antonij Ciſternæ ibid. b
S.Mariæ Foreſtæ ibid.d
S.Silueſtri montis Soractis ibid.e
S.Liberati apud S.Angelum. 188.a
S.Mariæ de Gratijs Scandriliæ ibid.a
S.Franciſci fontis Columbæ ibid.d
S.Franciſci Grecij 189 a
S. Franciſci Rocchæ Antimi ibid.c
S.Franciſci Nazani 190.a
Monaſteria monialium
S.Coſmæ,& Damiani Romæ ibid.b
S.Laurentij Panis pernæ ibid. e
S. Silueſtri in Campo 191.c
S.Apollonię de Oliua ibid.d
S.Margaritæ de Scala ibid.e
s. Iacobi Moractæ ibid. e
s. Bernardini 192.a
s. Crucis, ſiue montis Citorij. ibid.b
s. Bernardini Viterbij ibid. c
SS.Simonis & Iudæ ibid.d
S.Michaelis Archangeli Tiburis 193.a
S.Eliſabeth ibid.c
S. Clarę Reatis ibid. d
S.Claræ Orbeti ibid.c

S

Sancti Andreæ Prouinciæ conuentus.

Cameracenſis 1065.e
Valencenenſis 1066. c
s. Franciſci & s. Margarenæ in Annonia 1068.b
Nominis Ieſu Duaci ibid. e
Attrebatenſis 1069. e
Inſulenſis 1070.b
Tornacenſis ibid.e
Betunienſis 1071. b
Lencenſis ibid.d
Cortracenſis ibid.e
Aldernadenſis 1072.e
s. Franciſci Vallis Entinæ 1073.c

Sancti Angeli Prouinciæ conuentus.

S. Honofrij prope Caſam Calenam 420. a
s. Nazarij Moròni. ibid.c
s. Bernardini Montisriſi ibid.e
s. Mariæ de Valle aſpera ad Teſſam 421. a
s. Honofrij Hiſtonij ibid.d
s. Ioannis Campi baſsi 422. a
s. Saluatoris Luceriæ 423. a
s. Bernardini Agnonis ibid.b
s. Bernardini oppidi s. Seueri ibid.d
s. Ioãnis, ſiue ſancti Eremi Gulioniſij 424.a
s. Antonij de Padua Viſcarij ibid. c
s. Angeli Serræ ibid. d
s. Franciſci Ichitellæ 425.a
s. Bernardini Troiæ ibid.b
s. Petri Cæleſtini Ripę limoſani. ibid.c
s. Mariæ de Gratijs Campi baſsi ibid.e
s. Sebaſtiani Calitri 426.b
s. Mariæ de Ieſu prope oppidum s. Martini ibid.c
s. Mariæ de Gratijs Sergni 427.a
s. Antonij prope pagum s. Boni ibid.b
s. Mariæ de Gratijs Apeneſtis ibid.c
s. Marię Magdalenę Sangri ibid. e
s. Mariæ à Laureto caſtri Curi 428.a
s. Marię de Gratijs caſtri Forliuij ibid.b
s. Mariæ de ſtignano ibid. d
s. Franciſci Celentię ibid.e
s. Antonij de Padua Illiciti 429.a
Sanctiſsimæ Trinitatis Supini ibid. b
s. Mariæ de Ieſu Foggiæ ibid. c
s. Ioannis in Lamis ibid.d

Sancti Antonij Prouinciæ conuentus.

S.Franciſci à Vineis Venetijs 291.e
s.Franciſci Patauij 292.d
s. Franciſci Mantuæ. 293.a
s. Bernardini Veronæ 296.d
s. Blaſij Vicentiæ 297.a
s. Franciſci à Vineis Vtini ibid.d
s. Iob Venetijs 298.b
Beatæ Marię de Gratijs prope Mãtuam 304. b
s. Mariæ de Ieſu Taruiſij 305.e
s. Mariæ de Gratijs Arcæruptæ 306.b
s. Bernardini Tridenti ibid.c
s. Spiritus Fori oppidi ibid. e
s. Georgij Ciuidati 307 b
s. Franciſci Foſſæ Clodiæ ibid.d
s. Ioannis Baptiſtæ campi ſancti Petri 308. a
s. Franciſci Schledi ibid.d
s. Vrſulæ extra Patauium ibid.e
s. Danielis Leonici 309.a
Sancti Ludouici Riperij ibid.c
s. Petri in Viminario ibid.d
s. Franciſci in Deſerto extra Venetias ibid.e
s. ſpiritus Mantuæ 310.c
s. Crucis Citadellæ ibid.d
s. Agnetis portus Gruarij ibid.e
s. Mariæ de Gratijs Archi 311.b
s. Antonij Liniaci ibid.c
s. ſebaſtiani Maroſticæ ibid.d
s. Mariæ de Gratijs plebis Sacci 312.a
s. Mariæ de Gratijs Arzignani ibid.c
s. Mariæ de Gratijs Glemonæ ibid.d
s. Mariæ de Gratijs Montagnanæ 313. a
s. Mariæ de Angelis Motæ ibid.c
s. Mariæ de Gratijs Coneglani 314.a
s. Mariæ de Conſolatione Ateſtæ ibid.b
s. Mariæ de Gratijs vallis Agni ibid.e
s. Mariæ Magdalenæ Inſulæ ſcalarum ibid. e
s. Hieronymi Aſilli 315.a
s. Mariæ de Gratijs Collonię ibid.b
s. Pancratij Barbariani ibid.d
s. Sebaſtiani apud s. Martinum ibid.e
Monaſterium Corporis Chriſti, ſiue s. Paulæ Mantuæ 317.d
s. Claræ Veronæ 318.c
s. Bernardini Vincentiæ ibid.d
s. Claræ de Muriano Venetijs ibid.e
s. Franciſci de Cruce Venetijs 319.b
s. Claræ Venetijs ibid d
s. Claræ Mantuæ ibid.e
s. Clare Taruiſij 320.b

s. Mariæ Maioris Venetijs ibid.c
s. Bernardini Patauij 321.a
s. Luciæ Mantuæ ibid. c
s. Mariæ de Angelis Forioppidi ibid.c
s. Sepulcri Venetijs ibid.e
s. Mariæ de Miraculis Venetijs 322.b
s. Eliſabethæ Mantuæ ibid.d
s. Franciſci Vincentiæ ibid.e
s. Bernardini Vtini 323.a
s. Marci Leonici ibid.b
Sanctiſsimæ Trinitatis Tridẽti. ibid.d

Sancti Antonij in Portugalia Prouinciæ conuentus.

s. Mariæ à Moſteirò 1155. a
Beatæ Mariæ in Inſula ibid.d
s. Franciſci Mirtili 1156.c
s. Antonij prope Pontem Limæ ibid.e
s. Franciſci de Orgens 1157.d
s. Franciſci Iamaci ibid.e
s. Franciſci prope turrim à Mencoruo 1158.b
s. Franciſci prope Villam regiam ibid. c
s. Franciſci in monte Ouens ibid.b
s. Marię à Laureto prope Tãcos 1159.a
s. Antonij prope Camuſcam ibid.b
s. Antonij à Caſtanheira ibid.d
s. Catharinæ à Carnota. 1160.b
S. Mariæ prope Aluexcam 1161.a
s. Antonij Olyſipponis ibid.c

Sancti Bernardini Prouinciæ conuentus.

s. Bernardini Aquilæ 409.d
s. Iuliani 410. b
s. Andreæ Theatis 411.c
s. Mariæ Pennæ ibid.d
s. Ioannis de Rupe Montisplani 412.a
s. Angeli de Pace Anſani ibid.b
s. Mariæ de Gratijs Ortonę ibid.c
s. Nicolai Sulmonis 413.a
s. Antonij de Padua Adris ibid.b
s. Mariæ de Gratijs Terami ibid.c
Annunciationis Beatæ Mariæ Vrſuniæ ibid. d
s. Bernardini Ciuitatis ſancti Angeli ibid. e
s. Angeli Ocræ 414. a
s. Bernardini Camplis ibid.c
s. Franciſci Caramanici ibid.c
s. Franciſci Capiſtrani ibid.d
s. Mariæ de Cumis Ciuitellæ 415.c
s. Mariæ de Paradiſo Tocci ibid.d
s. Mariæ de Ieſu Francauillæ ibid.e
s. Mariæ de Valle viridi Celani 416.a
s. Mariæ de pietate Loreti ibid.b
s. Mariæ de Cona Tuſsiciæ ibid.c
s. Mariæ Apezano Montorij ibid.d
s. Mariæ Propitiani ibid. e
s. Nicolai Pepuli 417.a
s. Antonij de Padua Palenæ ibid.b
Monaſteria monialium tria ibid.c

Sancti Bonauenturæ Prouinciæ conuentus.

s. Bonauenturæ Lugduni 777.e
Villæ Francæ 779.e
Matiſconis 780. a
Montis Briſonis ibid.b
Pontis Vallium ibid. c
s. Mariæ de Angelis ibid.d
Baſtidæ ibid.e
Diuionenſis 781. a
Caſtellionenſis ibid.b
s. Franciſci Belnæ ibid. c
Caſtri Villani ibid.d
s. Franciſci Barri ſuper Albam ibid.e
Cabillionenſis 782.a
Briſatenſis ibid.b
s. Franciſci Inſulæ ibid.c
Dominæ noſtræ de Pietate Tanlai ibid d
Eduenſis 783.a
Vallis Arduennæ ibid.b
Montis Ferrandi ibid.c
B. Mariæ virginis Clarimontis ibid.d
Rionenſis ibid.e
Annunciationis B. Virginis Priuatenij 784. b
s. Porcini ibid.c
s. Ioſeph Campi aquoſi ibid.c
B. Mariæ montis Lucij ibid.e
Caſtriodonenſis 785. a
Donionenſis ibid.a
s. Michaelis Selletæ ibid.c
s. Marthæ Vicecomitis ibid.c
Dolenſis ibid.e
Annunciationis B. Virginis Ledoniſalnerij 786.a
Beatæ Mariæ Cheriaci ibid.b
s. Franciſci Saleriani ibid.b
Mozoretici ibid. c
Beatæ Mariæ de Gratijs Rubei montis ibid. d
Beatæ Virginis, ac beati Franciſci Tonarum 787.a
Beatæ Mariæ, ac s. Antonij Prouencherij Viennenſis ibid.c
Romanenſis ibid.e
s. Petri Carrierarum 788. a
s. Andioli Burgi ibid. c
Turnotenſis ibid.c
Dominæ noſtræ de Gratijs Coſtæ s. Andreæ ibid.d
Montis Caluarij Romanorum ibid.e
Aſſumptionis B. Mariæ Bellici 789.a
Dominæ noſtræ de Mianis ibid.b
s. Franciſci Cluſenij ibid.e
s. Michaelis Tarantaſiæ ibid.e
s. Mariæ Aegyptiacæ Ciãberiaci. 790.a
s. Crucis Annæſoſiaſsi ibid.c
Monaſteria omnia Monial. 790. & 791

Prouincia S. Crucis Inſulæ Hiſpaniolæ.

s. Franciſci Ciuitatis ſancti Dominici 1198.c
s. Iacobi Cubæ ibid.e
s. Iacobi Legionenſis Iaguanæ 1199.a
s. Antonij Truſilij ibid.b
s. Mariæ de Angelis Tucuij ibid.c
s. Mariæ bariquizimeti ibid.d
Monaſterium s. Claræ ciuitatis s. Dominici ibid.e

Sancti Euangelij Prouinciæ conuentus.

s. Franciſci Mexico 1226.b
s. Iacobi Tratibulci 1249.b
s. Gabrielis Tlacubæ ibid.c
Corporis Chriſti Tlalnepantlæ ibid.e
s. Chriſtophori Ecatepecij 1250.a
s. Bernardini Xuchmilci ibid.a
Aſſumptionis Beatæ Marię virginis Milpæ ibid.e
s. Antonij Tecomicij ibid.e
s. Iacobi Chalcoatengi 1251.a
s. Ludouici Epiſcopi Thlalmanalci ibid.a
s. Antonij de Padua Tetxcuci 1260.e
s. Andreæ Chiaiuhtlæ 1261.e
s. Ludouici Vexutlæ 1262.a
s. Michaelis Coatlictanis ibid.a
ss. Simonis & Iudæ Calpulalpæ ibid b
s. Ioannis Baptiſtæ Teutioacanis ibi.b
Conceptionis B. Mariæ virginis Otumbæ. ibid.c
s. Franciſci Tepepulci ibid.c
Aſſumptionis B. Virginis Apę ibid.d
Omnium ſanctorum Cempoallæ ibid.e
s. Ioannis Baptiſtæ Tulatzingo ibid.b
s. Laurentij Tultilanis 1263.e
s. Bonauenturę Quahutitlanis ibid.b
s. Franciſci Tepecxicij ibid.c
s. Ioſeph Tullæ ibid.d
s. Bartholomęi Tepetitlanis 1264. c
s. Petri Silotepecij ibid.d
s. Matthæi Veichiapæ ibid.d
s. Martini Aluexuiucanis ibid.e
s. Ioannis Baptiſtæ Sechu. 1265.a
Aſſumptionis beatæ Virginis Telucæ ibid.a
s. Michaelis Cinacantapecij 1266.a
s. Ioannis Baptiſtæ Metepecij ibid.a
ss. Petri & Pauli Callimaiæ ibid.b
Conceptionis B. Virginis Quauhnaoacij ibid.c
s. Iacobi Xiutepecij 1267.b
Aſſumptionis B. Virginis Tunchmilcij ibid.c
s. Franciſci Populæ de Angelis ibid.c

Sanctæ Fidei Prouinciæ conuentus.

Purificationis B. Virginis Ciuitatis ſanctæ Fidei de Bogota 1343.a
s. Mariæ Magdalenæ Tungiæ ibid.c
s. Ludouici Ciuitatis Velez ibid.d
Dominæ Noſtrę de Laureto nouę Carthaginis ibid.e
S. Sebaſtiani ciuitatis SS. Trinitatis de Illuſo 1344. b
S. Franciſci ciuitatis Dominę noſtrę de Palma ibid. b
Cõceptionis B. Virginis Encermæ ibi.c
S. Franciſci Carthaginis ibid. e
S. Antonij Mopoxij 1345. a
S. Franciſci ciuitatis Spiritus ſancti ibid. b
S. Franciſci Occaniæ ibid. c
S. Franciſci Mariquitæ ibid.d
Monaſt. S. Clarę ciuitatis S. Fidei ibid.e

Sancti Franciſci Prouinciæ conuentus.

s. Mariæ de Angelis Aſsiſij 155.e
s. Damiani ibidem 157.c
Carceris 158.a
s. Franciſci de Monte iuxta Peruſium 158.c
s. Hieronymi Peruſijs 159.e
S. Pauli extra Spoletum ibid. d
s. Franciſci in Monte luco Spoleti 160. b
Tertius conuentus Spoletanus ibid.b
s. Bartholomæi prope Fulgineũ. ibid.e
s. Ioannis Tiferni. 161. c
s. Crucis Bonæquietis. ibid.d
s. Mariæ Magdalenæ Biturgiæ ibid. e
s. Mariæ de Gratijs Interamnæ 162.a
s. Mariæ Aureæ ibid. c
Annunciationis Beatæ Mariæ Nurſię 162. d
s. Mariæ de Monte ſancto Tuderti 163. b
s. Iacobi Tuderti ibid.c
s. Martini Treuij ibid.d
s. Mariæ de Plano Narniæ ibid.e
s. Hieronymi etiam Narniæ 164. b

S. Ioan-

s. Ioannis Baptiſtæ Amerię ibid. d
Annunciationis beatæ Marię virginis ibid. d
s. Hieronymi Eugubij 165.a
Sanctiſsimi Crucifixi Citernæ ibid.c
s. Marię de Pietate Sepis ibid.e
s. Marię de Gratijs Caſciæ 166.a
s. Bartholomæi prope Montem floridum ibid.c
s. Ioannis Baptiſtæ Nuceriæ ibid.e
Annunciationis beatæ Mariæ Gualdi 167.a
s. Antonij de Padua Betonij ibid.b
s. Fortunati Montis falci ibid.c
s. Franciſci prope Stronconis caſtrum ibid.e
S.Simeonis ibidem 168.a
S. Franciſci prope Caſtellum Lunianũ ibidem b
S.Franciſci prope Sumerum lacũ ibi.d
S.Hieronymi Spolij 169.b
S.Catharinæ ibidem ibid.d
Annũciationis B.Mariæ Beuaniæ ibi.c
Annũciationis in Cæſiẽſi deſerto. ibi.d
S. Bernardini apud Montemfrancum 170. a
S.Mariæ de Spineto ibid.c
S. Angeli de Pantanellis ibid.d
S. Mariæ de Ferneto ibid.e
S.Bartholomęiprope Cibottolã 171.b
S.Angeli de Monte ibid.d
S.Antonij Pacciani ibid.d
S.Mariæ de Scarzola 172.a
S.Franciſci de Specu ibid.a
S.Antonij prope Piſcinianum ibid.d
Virginis glorioſæ de Mõteſancto 173.a
Monaſteriũ monialium S.Marię Montis lucidi Peruſiæ ibid.a
S.Antonij de Padua Peruſię ibid.c
S.Pontiani Spoleti ibid.c
S.Mariæ Ciuit.Caſtellanę ibid.c
Monaſterium Paradiſi ibid.e
S.Ceciliæ ibidem 174.a
S.Luciæ foro Flaminij ibid.a
s. Claræ ibidem ibid.b
S.Agnetis ibidem ibid.b
S.Annæ ibidem ibid.c
S.Catharinæ Biturgię ibid.c
Sanctiſsimæ Trinitatis Eugubij ibid.d
S.Proculi Terni ibid.d
S. Crucis Narnij ibid.e
Montis Chriſti Tuderti 175.a
Pacis Nurſiæ ibid.a
S.Claræ ibidem ibid.b
Conceptionis Benedictinarum Aſsiſij ibid.e
S.Andreæ ibidem ibid.c
S.Leonardi Montisfalconis ibid.d
S.Catherinæ Bethonæ ibid.d
S.Claræ caſtelli Lugnani. ibid.e

Sancti Frãciſci de Quito Prouinciæ conuentus.

Sancti Pauli Ciuitatis ſancti Franciſci 1322.a
Sancti Antonij Paſti ibid.b
S.Franciſci Conchæ ibid.c
S.Ioſephi Loxæ ibid.d
S. Bernardini Popaianis 1323.a
Conceptionis B. Virginis Tacungæ ibid. c
Dominæ noſtræ de Angelis Caranguæ 1324.c
S Ludouici Otabali ibid.e
Sanctæ Mariæ de Valle Guainomorani 1325.c
S. Ioan. Euangeliſtæ ibid.c
Almanguelis ibid.d
Monaſterium conceptioniſtarum ſancti Franciſci de Quito ibid.e

Sancti Gabrielis Prouinciæ conuentus.

S.Mariæ de Angelis 950.d
S.Mariæ de Luce Montecelij 951.d
S.Mariæ de Luce Moncarij 952.b
S.Franciſci Beluiſij 953.a
Beatæ virginis Mariæ Alburquerquij ibid.d
S.Mariæ de Ieſu Saluęterræ 954.b
S.Honofrij de lappa ibid.d
S. Franciſci de Maniaretibus 955.a
S.Marci Euangeliſtæ ibid.d
S.Margaretę Xereſij 956.a
Dominæ noſtræ Rupis amatoris ibid.d
S. Gabrielis Badeiocij. 957.a
S. Michaelis Placentiæ. ibid. e
S.Gabrielis Alconcelij 957.a
Dominæ noſtræ de Spe villæ nouæ de Fraxino ibid. d
S.Crucis Tabladilię 959.e
Matris Dei Vallis viridis 960.a
Dominæ noſtræ de Luce Broſſarũ ibi.d
S.Franciſci Coriæ 961.d
s.Spiritus Vallis Arragi 962.c
Dominæ noſtræ de Monte ibid.e
Sacrorum ſtigmatũ patris noſtri Franciſci Burgliorum 963.b
s.Antonij Veladæ ibid.c
s.Mariæ de Angelis Serralui 964.a
s. Franciſci del Barco ibid.c
Beatiſsimæ Marię de Aquis ſanctis Xereſij 965.a
Beatiſsimæ Marię Fonſalitę ibid.b
s. Ioannis Baptiſtę apud S. Eulaliam ibid. d

Sancti Georgij de Nicaragua Prouinciæ Conuentus.

s. Franciſci Carthaginis 1336.c
s. Laurentij Sparzæ 1337.c
s. Ludouici Acerricæ ibid.c
Aſſumptionis B. Virginis Pacaſę ibid.d
s.Antonij de Padua Turrialbę ibid.e
s. Bonauenturæ Vxarracij 1338.d
Aſſumptionis B. Virginis Nicoię ibid.e
s. Iacobi Inſulæ Nicaraguicæ 1339.a
s. Franciſci Granatæ ibid.a
Aſſumptionis B. Virginis ibid.c
s. Antonij de Padua Comaiaquę ibid.d
s. Hieronymi Agaltecæ ibid.e

Sancti Gregorij Prouinciæ conuentus.

Dominæ noſtræ de Angelis Manilæ 1355.a
Dominæ noſtræ de Angelis Machao ibid. b
s. Matthæi extra Mexicum ibid.c
SS. Coſmæ, & Damiani Mexici ibid.d
Caſerenſis ibid.e
Populæ de Angelis 1356.a
Hoſpitalis s. Annæ Manilæ ibid.a
Cuſtodia s. Frãciſci de Malaca 1357.c
Conu. matris Dei Malacæ 1358. e
Cuſtodia Braſilis 1359.b
Conu. s. Mariæ ad Niues 1361. e

Sancti Iacobi Prouinciæ conuentus.

s. Franciſci Compoſtellæ 735.e
s. Franciſci Corunniæ 736.d
s. Franciſci Oueti 737.c
s. Franciſci Ribadei 738.a
s. Laurentij extra Compoſtellã ibid.c
s. Franciſci Legionis 739.b
s. Franciſci Zamoræ ibid.e
s. Franciſci Salmanticæ ibid.e
s. Franciſci Maioricæ 744.a
s. Franciſci Aſturicæ Auguſtæ 745.e
s. Franciſci Villæ francæ ibid.d
s. Franciſci Betanzos 746.b
s. Franciſci Orenſæ ibid.e
s. Franciſci Virceri 747. b
s. Franciſci Pontis vedri ibid d
s. Franciſci Beneuenti 748. b
s. Franciſci Lucentiæ ibid.e
s. Franciſci Montis Regalis 749.b
s. Franciſci Tinei ibid. d
s. Franciſci Auileſij 750.a
s. Antonij Padroni ibid.d
s. Marthæ Ribadauiæ ibid.e
s. Franciſci Murorum 751. e
s. Mariæ de capite Albæ. ibid.c
s. Franciſci Benauides 752.c
s. Mariæ de Ieſu Liuiæ ibid.e
s. Antonij de Padua Populæ 753.e
s. Mariæ Albæ 754.b
s. Antonij de Padua Monfortij ibid.d
s. Franciſci Noiæ 755.d
Boni Ieſu de Lamia 756.a
s. Franciſci Acanrcij ibid.c
Dominæ noſtræ de Fõtibus Aquilarij ibid.d
s. Antonij Salmanticæ 757.a
s. Franciſci Tauri ibid.c
s. Franciſci Villalpandi 758.b
s. Franciſci Ferroli ibid.d
Monaſteriũ s.Claræ Salmanticę ibid.e
s. Claræ Zamoræ 760.e
s. Claræ Tauri 761.d
s. Claræ Beneuenti ibid.e
s. Claræ Ianaſi 762. c
s. Claræ Allarizij ibid.e
s. Clarę Pontisvedri 763.d
s. Claræ Aſturicæ Auguſtæ ibid.e
s. Claræ Villæluporum 764.b
s. Claræ Brigatij, & reliqua vſque ad 767.

Sancti Ioannis Baptiſtæ Prouinciæ conuentus.

s. Ioſeph Elchij 1163.c
Dominæ noſtræ de Pietate ibid.d
Dominæ noſtræ de Laureto Monfortij ibid.e
s. Iacobi Almanſæ 1164. b
s. Annæ Villenæ ibid.c
s. Franciſci Teclæ ibid.d
s. Annæ de Monte ibid.e
s. Antonij de Padua Aioræ 1165.a
s. Ioannis Baptiſtæ Valentiæ ibid.a
s. Onophrij Sętabis ibid.b
Dominæ noſtræ de Angelis Almenaræ ibid. c
s. Sebaſtiani Caſtallæ ibid.c
s. Antonij de Padua ibid.c
Dominę noſtræ de Roſario ibid. d
s.Franciſci Benicarlon ibid.e
s. Bernardini apud s.Matthęum ibid.e

Sancti Ioſeph de Iucatan Prouinciæ conuentus.

Matris Dei Meritę 1306.c
s. Franciſci Campecij 1307.c
s. Bernardini Valliſoleti ibid.d
s. Michaelis Manij ibid. e
s. Clarę Siſomptunis ibid.e
s. Antonij Itſmalis 1308.a
s. Franciſci Cunchalis ibid.a

s. Ioannis Baptiſtę Mutulis ibid.b
s. Ludouici Calchinij ibid.c
s. Franciſci Titſiminij ibid.d
s. Bonauenturæ Huncunij ibid.e
Reliqui omnes conuen. 1309.a

Sancti Ioſephi Prouinciæ conuentus.

s. Iſidori Syluę Lorianę 1134.a
Conceptionis B. Marię Petroſi 1135.a
s. Ioannis Baptiſtę Vitioſi ibid.e
Dominę noſtræ de Roſario 1136.d
s. Marię Magdalenę prope pagum Ligni 1137.b
s. Andreę de monte Arenis ibid. d
Cadafalſi ibidem 1138.c
s. Bernardini Madriti ibid. b
Hontiueros 1139.a
s. Ludouici Paracuellos 1140.d
s. Matthęi Bonilię 1141.a
Dominæ noſtrę de Gratia Pennarandę ibid. c
s. Franciſci Alęios 1142.a
s. Ioſeph Methymnæ de Campo ibid.d
s. Pauli Cocæ 1143.b
Corporis Chriſti Martimunnorum. ibid.e
Arroio del Puerco 1144.b
Villænouæ de Serena ibid.d
Auguſtęemeritę 1145.b
Nominis Ieſu Zeberos ibid.d
Angeli Cuſtodis Compluti 1146.a
s. Michaelis de Victoria Plico ibid.b
s. Antonij Abulę ibid.e
s. Petri Conſuegræ 1147.b
s. Ioſeph Toleti. 1148.a
s. Sebaſtiani Aunonij ibid.e
s. Ioannis Baptiſtæ Zamorę 1149.a
s. Annę Talabricę ibid.c
s. Ioannis Euangeliſtę Turris Stephani ibid.e
s. Franciſci Lepes 1150.c
s. Gabrielis Segobiæ 1151.a
s. Lautentij Conchæ ibid.b
Conceptionis B. Marię Baragię. ibid.d

Sancti Ludouici Prouinciæ conuentus.

Montis Peſſulani 819.b
S. Franciſci Maſſiliæ 821.d
s. Crucis Auinionis 822.d
Annunciationis B. Mariæ Aquis 824.a
s. Crucis Niciæ ibid. e
Arelatis 825.a
Dominæ noſtræ de Cõſolatione, & ſancti Franciſci Narbonę 827.a
s. Clarę Carcaſſonę 828.a
s. Franciſci Biterrarum 829.a
Nemauſi ibid.d
Dominę noſtrę de Gratia Carpentoractis 832.b
s. Marię de Pietate Foroiulij 833.a
s. Franciſci Auxiliani ibid.d
SS. Ioſeph, & Franciſci Draguiniani 834.a
S. Mariæ de Compaſſione Manuaſchę ibid. c
Dominę noſtrę de Pietate Pedenacij ibid. e
Limoſij 835.b
Dominæ noſtrę de Angelis Antipolis ibid. e
s. Franciſci Lunelli 836.a
s. Catherinę de Monte Syon Selli Robaudi ibid.d
s. Franciſci Relaniæ 837.a
B. Marię de Cõſolatione Pignatij ibi.c
Florenſiaci 838.a
s. Marię de Gratia Carcerum ibid.a
B. Marię de Pace Olleollarum ibid.c
s. Petri de Canono 839.a
Beatę Marię de Pulcro viſu Taraſconis. ibid.b
Beatę Marię de Gratia Turris Aquarũ ibid.c
s. Hieronymi ibid.d

Sancti Michaelis Prouinciæ conuentus.

s. Fanciſci Ciuitatis 1035.c
s. Franciſci Caſſaris 1037.a
s. Benedicti Safrę ibid.d
s. Franciſci Placentię 1038.a
s. Franciſci Eſcalabię ibid.c
s. Franciſci Badeiocij ibid.d
s. Franciſci Erenę 1039.a
s. Marię de Gratia ibid. d
s. Franciſci Veiar 1040.b
s. Franciſci Scurę ibid. c
s. Antonij Garrobiliarum ibid.d
s. Franciſci Norbę Cęſarec ibid.e
s. Marię de Pomerio 1041.b
s. Franciſci Metelini ibid.d
s. Michaelis apud s. Martinum 1042.a
s. Marinę Sonradilij ibid.b
s. Franciſci Auguſtę emeritę ibid.c
s. Ildephonſi Furnorum ibid.d
s. Spiritus Fouearum ibid.e
s. Franciſci Fraxineti 1043.a
s. Antonij Texerę ibid.b
s. Iacobi Loponij ibid.c
s. Marię de Angelis Cellameę ibid. d
Monaſteria monialium 19. 1044.

S. Nicolai Prouinciæ conuentus.

S. Catharinę prope oppidum S. Petri Galatini 399.b
S. Franciſci Gallipolis 400.b
S. Franciſci Petilię ibid.c
S. Marię de Pace Venuſiæ ibid.c
S. Marci de Columna Trani ibid.d
S. Franciſci Minerbini 401.a
S. Marię de Pietate Vxenti ibid.a
S. Marię de Chiuiſa Bitunti ibid.c
S. Franciſci Bitecti ibid.c
S. Mariæ veteris Andriæ ibid.e
S. Marię de Angelis Atellæ ibid.e
S. Mariæ de Templo Litij 402.a
Omnium Sanctorum Melfiæ ibid.b
S. Antonij de Padua Tarenti ibid.c
S. Angeli Rubi ibid.d
S. Ioannis Hidrunti ibid.e
S. Sebaſtiani Grauinæ 403.a
S. Bernardini Melfreti ibid.b
S. Mariæ nouæ Raclæ ibid.c
S. Marię de Inſula Conuerſanæ ibid.c
S. Petri Barij ibid.e
S. Marię de Angelis Caſſani 404.a
S. Franciſci Caſtellanetę ibid.b
S. Franciſci Caſalis noui ibid.b
S. Franciſci Spinę aureę ibid.e
S. Laurentij Vigiliæ ibid.d
S. Cataldi prope Coraltum ibid.d
S. Mariæ de Gratia Monopolis 405.a
S. Antonij de Padua Neritonis ibid. b
S. Stephani Martinæ ibid.c
Annunciationis beatę Marię Hoſtumi ibid. c
S. Mariæ noue Terlitij ibid.d
S. Marię de Paſſu Molę ibid.d
S. Marię de Laureto Labelli ibid.c
S. Marię de Caſolis Cupertini 406.a
S. Catharinæ Forentiæ ibid.a
S. Mariæ maioris Aquæ viuæ ibid.b
S. Andreę Barolis ibid.c
S. Mariæ de Gratia Marrubij ibid.d
S. Marię de Angelis Acaię ibid.d
S. Antonij de Padua Litij ibid.e
S. Mariæ de Caſali Brunduſij 407.a
S. Mariæ de Conſtantinopoli Maſſafræ ibid.b
S. Ioannis Baptiſtę Turi ibid.b
S. Mariæ de Cruce Francauillę ibid.e
S. Mariæ de Fonte ouina Rapollæ ibi.c
S. Marię de Conſtantinopoli Poliniani ibid. d
s. Mariæ de Gratia Liuerani ibid.e
Monaſteria monialium duo. ibid.e

Sanctorum Petri, & Pauli Prouinciæ conuentus.

S. Franciſci Sinſonzæ 1283.b
S. Bonauenturæ Vallisoleti ibid.e
S. Iacobi Queretari 1284.a
Salaiæ ibid.a
S. Franciſci Paſquarij ibid.a
S. Franciſci apud S. Philippum ibid.c
SS. Petri & Pauli Cinapiqueri ibid.b
Aſſumptionis beatę Mariæ Enronguarichair ibid.d
S. Hieronymi Prenhequari ibid.e
S. Ioſeph Taximaroæ 1285.a
S. Marię de Gratia Acabari ibid.b
S. Annæ Sacapi. ibid.b
Cõceptionis B. Marię Vncapanis ibi.d
S. Franciſci Priuanis ibid.e
S. Crucis Tancitari ibid.e
S. Mariæ de Ieſu Tarequati 1286.a
S. Ioannis Baptiſtæ Sitaquari ibid.e
S. Franciſci Xiquilpanis 1287.a
S. Franciſci Apacei ibid.a
S. Franciſci Tarimbari ibid.b
S. Petri Tolimanis ibid.c
S. Franciſci Guadalfagiaræ ibid.d
S. Franciſci Colimæ 1288.d
Conceptionis B. Virginis Izatlanis ibid. e
S. Franciſci Aguacatlanis 1297.a
S. Franciſci Suchipilæ ibid.b
Aſſumptionis beatæ Mariæ Sapotlanis ibid. b
S. Ioannis Baptiſtæ Tuciphanis 1298.d
Autlanis 1299.a
S. Marię Magdalenæ Capotitlanis ib.b
S. Franciſci Sauilæ ibid.c
S. Franciſci Sagualci ibid.d
S. Sebaſtiani Techalutlę ibid.d
S. Franciſci Amachecę ibid.c
Reliqui omnes vſq; ad 47. 1300. & 1301

Sancti Thomæ apud Indos Orientales Prouinciæ conuentus.

omnes à 1209. vſque ad 1214

Sanctæ Trinitatis de Chile Prouinciæ conuentus.

S. Marię de Succurſu Cęntatis S. Iacobi 1347. reliqui omnes 1348. & 1349

Sardiniæ Prouinciæ conuentus.

S. Marię de Gratia Saſſaris 1077.
S. Marię de Ieſu Callaris ibid.e
S. Marię Magdalenę Oriſtagni 1078.c
S. Marię de Angelis Luſurgij ibid.e
Pietatis Algarij 1079.a

S.Franciſci Vſerij ibid.b
S.Franciſci Galuræ ſiue templi ibid.c
Monaſteria monialium ibid.d

Saxoniæ S. Crucis Prouinciæ conuentus.

Omnes pag. 695.

Scotiæ Prouinciæ conuentus.

Omnes pag. 849. & 850.

Septem martyrum Prouinciæ conuentus.

Annunciationis B.Marię Rhegij 377.d
B.Marię de Succurſu Scillę 378 a
S.Franciſci Sinopolis ibid.b
S.Marię de Angelis Seminarię ibid.d
Conceptionis B.Marię oppidi 379.a
S.Marię de Angelis apud sãctam Chriſtinam ibid.b
S.Marię de Ieſu Bouolini ibid.d
S.Frãciſci Terrę nouę ibidem a
S.Marię de Muſciminis Iotrinoli 380.b
Conceptionis B.Marię Poliſtinę ibid.c
S.Philippi de quinque frondibus ibid.e
S.Franciſci ibidem 381.a
S.Marię de Gratijs Druſij ibid.b
S.Marię de Gratijs Medamę ibid.c
S.Sergij Tropeę ibid d
Annũciationis B.Marię ibidem 382.a
B.Marię de Ieſu montis Leonis ibid.b
S.Antonij cacuminis ibid.c
S.Antonij de Padua Scyllatij ibid.d
S Marię de Gratijs Catanzarij ibid.e
S.Franciſci Nicaſtri 383.c
Monaſterium S.Clarę Medamę ibid.d

Siciliæ Prouinciæ conuentus.

S.Marię de Ieſu Meſſanę 385.d
S.Marię de Ieſu ibidem ibid.e
S. Marię de Ieſu Panhormi 386 b
S.Nicolai Agrigenti ibid.e
Sancti Viti ibidem 387.a
S.Marię de Ieſu Camari ibid.a
S.Marię de Ieſu Catalagironis ibid.d
S.Marię de Ieſu Syracuſarum ibid.e
S.Franciſci Saccę 388.b
S.Franciſci Taurominij ibid.c
S Marię de Ieſu Plateę ibid.d
Sancti Petri ibidem 389.a
S.Marię de Ieſu Ferulę ibid.b
S.Marię de Ieſu Caſtri regalis ibid.d
s.Mariæ de Ieſu Corleonis ibid.d
s.Marię de Ieſu Catanę 390.a
S.Marię de Ieſu Neeti ibid.b
s.Mariæ de Ieſu Herbitæ ibid.c
S.Mariæ de Ieſu Adernionis ibid.d
s.Mariæ de Ieſu Bizinij ibid.d
s.Mariæ de Ieſu Trioclæ ibid.e
s.Mariæ de Ieſu Termis ibid.a
s.Marię de Ieſu Drepani ibid.b
s.Marię de Ieſu Leontini ibid.c
S.Mariæ de Ieſu Alcami 392.a
S. Mariæ de Ieſu Salinis ibid.d
S.Marię de Ieſu Mohac ibid. b
S.Mariæ de Ieſu Naſi ibid.d
S.Mariæ de Ieſu Pactarum ibid.e
S.Mariæ de Ieſu Nari 393.a
S.Mariæ de Ieſu Politij ibid.a
S.Annę Iulianę ibid.b
S.Mariæ de Ieſu apud veterem Melitę ciuitatem ibid.d
S.Mariæ de Ieſu apud nouam Melitæ ciuitatem ibid.e
S.Mariæ de Ieſu oppidi S.Petri 394.a
S.Mariæ de Ieſu Bisbonæ ibid.b
S.Mariæ de Ieſu Ficarræ ibid.c
S.Marię de Ieſu Aulæ ibid.d
S.Mariæ de Angelis Panhormi ibid.e
S.Mariæ de Ieſu Palatioli 395.b
S.Mariæ de Ieſu oppidi S.Luciæ ibid.b
S.Mariæ de Ieſu Cluſarum ibid.c
S.Mariæ de Ieſu prope S.Angelũ ibid.d
S.Marię de Ieſu Inſpice fundi ibid.e
S.Mariæ Magdalenæ Carini 396.a
Annunciationis B. Mariæ Raccudiæ ibid. b
S.Mariæ de Ieſu Caſtri Ioannis ibid.c
S.Marię de Ieſu Capitij ibid d
S.Mariæ de Ieſu Summationi ibid.d
S.Mariæ de Ieſu Mililli ibid.e
Monaſterium monialium Clariſſarum Meſſanę 397.a
Clariſſarum Catanę ibid.c
Clariſſarum ibidem ibid.d
Clariſſarum S.Angeli. ibid.e

T

Terræ Laboris Prouinciæ conuentus.

S.Mariæ nouę Neapolis 521.c
S. Crucis ibidem 522.d
Sanctiſſimæ Trinitatis ibidem 523.b
S.Mariæ de Monte Caluario ibid d
S. Mariæ de Angelis ibidem ibid.e
S.Franciſci Fundorum 524.a
S.Franciſci Caietæ ibid.b
S.Mariæ de Fontibus Arcis Monfinicæ 527 a
S.Franciſci Caſtelli Pratenſis ibid.b
S. Antonij Theani ibid.c
s. Marię de Gratijs Caiatij ibid.d
S.Catharinæ Capuæ 528.a
S. Marię Magdalenæ Attellæ ibid.b
S. Ioannis Baptiſtæ Puteolis ibid.c
S. Franciſci Surrenti ibid.e
Turris Græci 529.a
S. Agathæ prope Caietam 725. c
S.Franciſci Minturnarum ibid.e
S. Franciſci Mondragonij 526. a
S. Franciſci Caleni ibid.c
s. Franciſci Aruncæ Sueſſæ ibid.e
S.Mariæ de Puteo Suſuuij 529.b
S. Viti Mariliani ibid.c
S. Angeli Nolæ ibid.e
S. Ioannis de Parcolauri 530. c
Annunciationis B.Marię Auellæ 531.a
S. Mariæ in iugo prope Arpaiam ibi.a
S. Mariæ de Gratijs montis Sarchij ibid.b
Annunciationis beatæ Mariæ Vitulani ibid.b
S. Laurentij Beneuenti ibid.c
S. Franciſci Ariani ibid.c
Monaſteriũ monialium s. Mariæ de Ieſu Neapolis ibid.b
s. Hieronymi Auerſæ 532.a
s. Antonij Neapolis ibid.b
S. Franciſci ibid.c
S. Hieronymi ibid.e
S. Spiritus Nolæ ibid.e
S. Annæ Aruncæ 533.a
S.Montani Gaietæ ibid.b
Conceptionis B.Mariæ Neapolis ibi.c

Turoniæ Prouinciæ conuentus.

Aurelianis 668.d
Annunciationis beatæ Mariæ Cenomariorum ibid.e
Bleſis 670.a
Vtriuſque s.Ioannis Vindocini ibid.c
Caſtrodunij ibid.e
S. Sebaſtiani Andegauis 671.b
Salmurij 672.a
Turonis ibid.b
S. Ioannis Euangeliſtę,& Mariæ Magdalenæ Loxarum 673.a
S. Iacobi & Chriſtophori Iſſoduluij ibid.b
S. Franciſci Biturgum ibid. c
Duo conuẽtus Vaſtini, ac montis Ioannis 674.a
Nanetis ibid.b
Burginoni ibid.c
s. Franciſci de Sylua ibid.e
s. Iacobi Redonij 675.a
S. Franciſci Venetarum ibid.b
s. Franciſci,ſeu Dominæ noſtræ de virtutibus Dinani ibid.d
s. Franciſci Guingampij 676.a
s. Marię Magdalenæ Corizopiti ibid.e
s. Catharinæ Pictauij 677.a
Conuentus Hyortij, s. Maxentij,Partiniaci, Caſtri Heraldi, Iulioduni Thouarci 678.b
s.Franciſci Engoliſmæ ibid.e
s. Coſmæ Cognaeu 680.a
s. Franciſci Xantoni ibid.c
Conuẽtus,& monaſteria Rupellæ ibi.d
Oleronis 681.a
s.Ioannis Angeriæ ibid.b
Barbezilij ibid.b
ss. Franciſci & Dominici Pontis ibid.d
Monaſteria s. Mariæ Guyſchię. 682.a
Monaſterium Bituricum ibid.d
SS. Petri & Pauli Deſizij 683. a
Nanetis ibid.b
s. Claræ prope s. Dinnanum ibid.c

Turoniæ Pictauienſis Prouinciæ conuentus.

Mirabellenſis 686.a
Laualenſis ibid.e
Caſtri Rodulphi 687.c
Bercorij 688.a
Fontiniaci comitis ibid.b
Chelleti ibid.c
Cloſſij 689.a
Ambaſiæ ibid. b
Sauenaij ibid.c
Olenę ibid.d
Enſeniſij ibid.e
Argentonij 690.e
Magdunij 691.a
Fontis ibid.d
Vertolij ibid.e
Fixę 692.a
Robineriarum ibid.e
Crollaij ibid.d
Fulgerij 693.a
Balmetæ ibid b
s. Martini ibid.e
s. Thomæ de Bedelio 694.b
Cloſenſis ibid.c
B. Mariæ de Angelis ibid. d
Monaſterium Monia.beneplacitorum Biturgi 695.a
s. Claræ de Patientia Laualis 697.a
Caſtriguntexij ibid.a
Xampeniaci ibid. c

Tuſciæ Prouinciæ conuentus.

S.Franciſci Montis feſularum ibid.e
Sanctæ Margaritæ Cortonij 222.d
Columbari 223.b

S.Ber-

I N D E X

S.Bernardini Capriolæ ibid.e
S.Ioannis Aretij 224.e
S. Lucheſij prope Podium bonitium 225. a
S.Laurentij Bibienæ 226.b
S.Franciſci Piſtorij ibid.d
Saluatoris Florentiæ ibid.e
Omnium Sanctorum ibidem 228.b
Montis Muri prope Scarlinum 229.b
S.Benedicti Nauis 230.a
S.Crucis prope Piſas ibid.c
Nemoris de Mugello ibid.e
S.Franciſci Montis Caroli 232.a
S.Chriſtophori Caſtilionis Aretini ib.b
Sacri montis Aluernæ 233.b
S. Franciſci prope Caſtrum nouũ Carfaniani 244.a
S.Marię de Gratia prope Bargam ibi.d
Palci prope Pratum 285.c
S. Cerbonij extra Lucam 246.a
S.Franciſci prope Citonium ibid.d
S.Hieronymi prope Volaterram 247.c
S.Bernardini prope Maſſam 248.a
S.Bernardini iuxta Senam longã ibid.c
S.Franciſci Lucæ ibid.e
S. Mariæ de Fonte caſtello prope montem Politianum 289.e
S. Ludouici collis Vitoli prope Piſciã 250. b
S.Franciſci Sartiani ibid.d
S.Franciſci Maſſæ 251.a
S. Viualdi in Antro rotundo ibid.c
Natiuitatis B.Mariæ Groſſetti 252.a
Aſſumptionis beatæ Mariæ prope Empolim ibid.b
S.Michaelis prope Feſulas ibid.d
S.Franciſci prope Fiuizanum 253.b
Sanctiſſimæ Trinitatis apud S. Floram ibid.c
S.Crucis iuxta S.Gaſſianum ibid.e
S.Franciſci Fluuiani 254.c
S. Franciſci mõtis Catherini prope Radicodolim ibid.e
S. Marię de Gratijs prope Petram ſanctam 255.c
S.Franciſci Villæfranchæ ibid. e
SS.Coſmæ & Damiani Aximæ 256.a
S. Mariæ à S. Romano iuxta Montopolim ibid.c
S. Mariæ à Cerbaiolo prope parochiã S.Stephani 257.a
Montisfellonici ibid.a
S.Franciſci iuxta pontẽ Aſſueæ ibid.d
S. Marię Pulchriaſpectus, ſiue de Saxo 258. a
S.Franciſci Burgi Lucenſis ibid.c
S.Saluatoris Ilbenſis inſulæ 259.a
S.Petri in Balneo ibid.e
S.Crucis Anglarij 260.
Monaſterium monialium Clariſſarum Volaterræ ibid.c
S.Michaelis Lucæ 161.a
S.Hieronymi montis Politiani ibid.b
S.Claræ Piſciæ ibid.c
S.Claræ Maſſæ ibid.d
S.Mariæ prope Codipontem ibid.e
S.Leonis Petræ ſanctæ 262.a
S.Claræ Parochiæ S. Stephani ibid.b
S.Claræ Florentię ibid.c
S.Georgij ibid.d
S.Vrſulæ ibid.d
Fulginate ibid.d
S.Claræ Cortonij ibid.e
S.Claræ Aretij 263.a
S.Georgij Prati ibid.a
S.Claræ Sartiani ibid.b
S.Claræ.S.Ioannis ibid.b
S.Bernardini Caſtrinoui ibid.c
S.Bernardini Bargę ibid.c
S.Hieronymi Caſtilionis ibid.d
S.Michaelis Angeli Cianciani ibid.e

Tyrolenſis Prouinciæ conuentus.

S. Crucis Oeniponti 535.d
S.Martini Friburgi Briſgoię 536.c
Conuentus Bulzanienſis ibid.e
Zuuatzienſis 537.a
Fratrum Tertiariorũ berũztayn ibid.d
Monaſteriũ monialium Brixinæ ibid.b
Friburgi ibid.c

V

Valentiæ Prouinciæ conuentus.

S.Franciſci Valentiæ 1081.d
S.Franciſci Morellę 1082.d
S.Franciſci Sagunti 1083.a
S.Franciſci Sętabis ibid.d
S.Franciſci Cheluæ ibid.e
Dominę noſtræ de Angelis Pomerij 1084. d
S.Spiritus ibid.e
Dominę noſtræ de Angelis Segobricæ 1085.a
Dominæ noſtræ de Ieſu Valentię ibi.b
S.Marię de Gratia Alacanti 1089.b
Beatæ Mariæ de lino Oliuę 1090.a
S.Catharinæ Pondæ ibid.b
Vallis Ieſu 1091.b
S.Barbarę Caſtelloni à Planitie ibid.d
S.Barbarę Alcirę 1092.a
S.Sebaſtiani Coſentainę ibid.b
B.Marię de Angelis Eldę ibid.c
S.Antonij de Padua Moxenti ibid.d
Coronę Ieſu Valentię 1093.a
S.Franciſci Alcoi ibid.b
S.Bernardini Bocairenti ibid.c
S.Marię de Gratia Requenę ibid.c
S.Antonij Abbatis Ontinenti ibid.b
B.Marię de Gratia Biar 1094.a
S.Guilielmi de valle Ebron ibid.b
S.Mariæ apud caſtrum Agre ibid.d
Monaſteria monialium nu.8. 1094

Vngariæ Saluatoris Prouinciæ conuentus.

Giungienſis 509.a
conu.Zedſedenſis ibid.e
conu.Zacholenſis ibid.d
conu.Cſichienſis ibid.d

Vngariæ ſanctæ Mariæ conuentus.

Omnes continentur pag.518.& 519.

F I N I S.

PRIVILEGIVM
SIXTI V. PONT. MAX.

R.P.F. FRANCISCO GONZAGÆ GENERALI MINISTRO Ordinis fratrum Minorum, vt nullus abſq; eius facultate hoc opus imprimere poſſit, conceſſum motu proprio &c.

CVM, ſicut accepimus, dilectus filius FRANCISCVS GONZAGA *Miniſter generalis Ordinis fratrum Minorum de Obſeruantia librũ, ſeu volumen de origine ſeraphicæ regulæ Franciſcanæ, eiusq; progreſſibus, de regularis Obſeruantiæ inſtitutione, forma adminiſtrationis, legibus, admirabiliq; eius propagatione, ſumma cura vigilantiq; ſtudio compoſuerit, & propediem imprimi facere intendit: dubitet tamen, ne huiuſmodi librum, ſeu volumen, antequàm forſan, vel poſtquàm illum totaliter imprimi fecerit, ab aliquibus impreſſoribus ſumpto inde exemplo tam in noſtra Romana curia, quàm in alÿs ciuitatibus, & locis Sedi apoſtolicæ mediatè, vel immediatè ſubiectis, & vbique terrarum licentia ab ipſo Franciſco Miniſtro generali minimè requiſita, & abſque illius voluntate imprimi faciant. Nos igitur dicti Franciſci precibus annuentes, & eius indemnitati, alÿsq; in præmiſſis opportunè prouidere cupientes, motu ſimili, & ex certa noſtra ſcientia, ac de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſimilibus eidem Franciſco, ne dictum librum, ſeu volumen poſt primam eius impreſſionem à quoquam quauis cauſa, ſeu quæſito colore, ingenio, vel fauore, & abſque expreſſa ipſius Franciſci licentia, ſeu voluntate per decennium imprimi facere poſſint, nec valeant concedimus, & indulgemus. Inhibentes omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſtifidelibus vbiq; locorum, tam in Italia, quàm extra Italiam exiſtentibus, & præcipuè bibliopolis, & librorum impreſſoribus ſub excommunicationis latæ ſententiæ; in ſtatu autem noſtro temporali, ſeu in terris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ mediatè, vel immediatè ſubiectis etiam quingentorum ducatorum auri de Camera pro vna Cameræ apoſtolicæ, ſeu Fiſco noſtro, & altera medietatibus, operibus pÿs applicandis, pœnis; & inſuper amiſſionis, ſeu perditionis librorum, ac aliorum (vt ſuprà) applicandorum pœna totiens, quotiens aliquis contrauenerit, ne dictum librum, ſeu volumen abſque dicti Franciſci expreſſa licentia, ſeu conſenſu, vel mandato imprimere, ſeu imprimi facere quoquomodo audeant, vel præſumant: niſi fortè antea eidem Franciſco legitimè conſtare fecerint, &, quatenus opus ſit, de nouo conſtare faciant talem gratiam à nobis primitus per breue, ſeu motum proprium ante præſentem manu noſtra ſignatam ſibi conceſſam fuiſſe. Mandantes vniuerſis, & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris tam in ſtatu ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quàm vbique terrarum Legatis, eorumq; & Sedis apoſtolicæ Vicelegatis, necnon Archiepiſcopis, Epiſcopis, eorumq; in ſpiritualibus Vicarÿs generalibus; necnon tam dictæ Vrbis, quàm quarumcunque aliarum ciuitatum, terrarum, & locorum tam ipſius noſtri ſtatus, quàm vbique terrarum Gubernatoribus, & locorum Ordinarÿs, ac temporalibus Dominis, & officialibus, vt, quoties pro ipſius Franciſci Generalis parte fuerint requiſiti, vel eorum aliquis fuerit requiſitus, eidem Franciſco efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, ad omnem dicti Franciſci requiſitionem non permittant librum ipſum contra præſentium tenorem ab aliquo imprimi: contradictores quoſlibet, & rebelles per cenſuras eccleſiaſticas, ac alias eorum arbitrio imponendas, & moderandas pœnas, cæteraq; opportuna remedia appellatione poſtpoſita compeſcendo, ipſasq; cenſuras etiam iteratis vicibus aggrauando, & interdictum eccleſiaſticum apponendo, & alÿs iuris, & facti remedÿs opportunis authoritate apoſtolica exequantur, & obſeruari curent, & faciant, & circa præmiſſa non obſeruantes iuxta earum tenorem procedant, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachÿ ſæcularis: Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, cæterisq; contrarÿs quibuſcunque. Volumus autem quòd præſentis motus proprÿ ſola ſignatura ſufficiat tam in iudicio, quàm extra, regula forſan in contrarium edita non obſtante, ſeu literæ per breue noſtrum, ſi videbitur, expediri poſsint. Et inſuper, quia difficile foret admodum præſentem motum proprium, ſeu literas deſuper conficiendas ad quælibet loca deferri, volumus etiam, & apoſtolica authoritate decernimus, quòd ipſius tranſumptis vel exemplis in libro prædicto tam per impreſſorem præfixis, quàm præfigendis eadem prorſus fides vbique tam in iudicio, quàm extra adhibeatur, quæ præſenti motui proprio adhiberetur, ſi foret exhibitus, vel oſtenſus.*

SIXTVS V. Pont. max. manu propria ſubſignauit.

Placet motu proprio F.

D7107

ERRATA SIC CORRIGE.

Pag.	Lin.	Errata.	Correct.
1	25	Ordinum	Ordinis
4	35	Petro	Patre
5	41	perfectionem	perfectiorem
22	15	hoſpiticum	hoſpitium
ibidem	28	obſquium	obſequium
47	12	deeſt	Prouincia S. Antonij in Portugalia.
ibidem	31	deeſt	Prouincia S. Gregorij in Noua Hiſpania.
73	28	Magiſteriatum	Vicariatum
86	36	igna	ignarus
90	vltima	ſermone	ſermones
99	45	cogneretur	cogeretur
108	24	Hæc	Nec
110	26	trasferre	transferre
ibidem	36	à milliar	milliari
115	13	feneſtrelli	feneſtellam
128	25	facilitateam	facultate
133	39	patre	patres
135	2	Pontifex	Pontifice
144	3	Abbatiſſæ	Abbatiſſæ preces
175	30	Calco	Falco
187	20	Bonifacius	Nicolaus
193	25	mœnijs	mœnibus
241	32	huius	huic
254	vlt.	tanti	tantùm
255	20	amœnisſimis	amœniſſimus
257	5	innumerari	innumeri
274	49	archiuis	archiuus
279	14	diglationem	digladiationem
286	23	nobilioris	nobilior
302	3	copiam	copia
ibidem	4	præincerti	præincertis

Pag.	Lin.	Errata.	Correcta.
304	10	pronunciatione	pronuntiationi
316	14	1577	1527
319	vlt.	1538	1238
334	11	Nicææ	Niciæ
351	9	Abbiatæ	Soncini
559	46	ſacrſta	ſacriſtia
564	14	nuncupatot, res	nuncupato, tres
573	1	ille	illis
592	47	Virgines	Virgin's
623	16	liberalitatis	liberalitas
659	8	ſterilitas	ſterilitatis
672	16	Toletani	Toloſani
679	2	memoriam	memoriamq́;
705	8	cuſtodia	cuſtodita
725	32	fructus	functus
779	60	tranſacti	tranſactis
852	21	conuentibus	conuentus
920	vlt.	deeſt	imago innumeris
1041	27	in loco	in hoc loco
ibidem	41	patri	patrem
1114	31	diu	die
1149	23	pium	piam
1150	1	Turni	Turris
1155	33	Inſtaurandam,	Inſtaurandum
1156	26	minimè	maximè
ibidem	34	illis	illi
1160	35	tanto	tanta
1197	In tit.	S. Thomæ	S. Crucis
1214	24	orphanos	orphanis
1217	In tit.	deuodecim	duodecim
1241	9.	ſius	ſiue
1252	14	Cudia	Cuſtodia
1282	8	non	nomen

Leuiora, ſi quæ ſunt, quiuis facilè emendabit.

REGESTVM.

† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.
Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn, Ooo Ppp Qqq Rrr Sſs Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.
Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiii Kkkk Llll Mmmm Nnnn Oooo Pppp Qqqq Rrrr Sſſs Tttt Vuuu Xxxx Yyyy Zzzz.
Aaaaa Bbbbb Ccccc Ddddd Eeeee Fffff Ggggg Hhhhh Iiiii Kkkkk Lllll Mmmmm Nnnnn Ooooo Ppppp Qqqqq Rrrrr Sſſſs Ttttt Vuuuu Xxxxx Yyyyy Zzzzz.
Aaaaaa.

Omnes ſunt Terniones, præter †, Zz, & Aaaaaa Duerniones.

ROMÆ,
Ex Typographia Dominici Baſæ,
M. D. LXXXVII.

HA587
G6A2
Q-SIZE
v.1-2
cop.2